A
20
3

No 1
9-3

A
20
3

№ 1

M del Collegio della Compañia de Jesus de Granada Rg. R/7432

CONRADI GESNERI
MEDICI TIGVRINI
auctoris damnati

HISTORIÆ ANIMALIVM

LIBER IV.

Qui eſt de Piſcium & Aquatilium animantium natura.

Cum Iconibus ſingulorum ad viuum expreſsis ferè omnibus DCCXII.

Editio ſecunda; nouis Iconibus, necnon obſeruationibus non paucis auctior, atque etiam multis in locis emendatior.

Continentur in hoc Volumine,

GVLIELMI RONDELETII quoque, Medicinæ Profeſſoris Regij in Schola Monſpelienſi, & PETRI BELLONII Cenomani, Medici hoc tempore Lutetiæ eximij, de Aquatilium ſingulis ſcripta.

Paralipomena quædam ad finem adiecta ſunt.

Nil addit Exp. an. Vod. Παραλήπτωμα ῥᾴδιον, ἢ μιμήσεται. opus cum expurgatione permiſſum



Por comiſſion de los Sres inquisidores esta corregido este libro conforme al Expurgatorio de 1640. Diego de Riberastegui

FRANCOFVRTI,
In Bibliopolio Andreæ Cambieri.

Anno clɔ Iɔ cIIII.

SACRATISSIMO AC INVICTISSIMO PRINCIPI, DIVO FERDINANDO, SACRI ROM. IMPERII IMPERATORI SEMPER AVGVSTO: REGI GERMANIÆ, PANNONIÆ, Bohemiæ, &c. Infanti Hiſpaniarum, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Principi Sueuiæ, Comiti Tyrolis, Habsburgi, &c.

Domino ſuo clementiſſimo, S. & Fœlicitatem à DEO *O. M.*
Optat Conradus Geſnerus medicus Tigurinus.

INGENS EST AQVARVM ELEMENTVM FERDINANDE Cæſar Auguſte, ingentia earundem miracula, multæ in eis, variæ, & admirandæ animantes: quæ etſi ferè muta & ſine voce, non muta ſolùm ſtupidaq; cogitatione mirantes præterire homines deceat. Omnium enim author, conditor & conſeruator DEVS O. M. cuius vis & virtus vndiquaque eſt infinita, agnoſci & laudari in omnibus ab eo conditis debet: & maximè quidem in maximis. Magnitudo autē in alijs mole, in alijs vi quadam intelligitur: in aquis, mari præſertim, vtroq; modo, nam & magnitudo & vis huius elementi immenſa eſt, & mira in eius alumnis animantibus ingeniorū monumenta. Qui mare nauigant (inquit vir ſapiens Hebræus) pericula eius enarrant, quæ auſcultantes admiramur: inuſitata & mirabilia in eo opera ſunt, omnis animantium generis varietas, & procreatio belluarum. Paſſim ſanè in Libris Sacris thannim & leuiathan, hoc eſt, cete tum mediocris, tum vaſtæ magnitudinis, admirationis in opificem dirigendæ gratia, memorantur. Sed in minoribus quoque & minimis non deeſt quod miremur: ferè enim natura, imò prior & melior cauſa DEVS, vt plus roboris maioribus: ita plus ingenij quo ſe tueantur, ſiue aperto Marte, ſiue dolo & inſidiis, minoribus contulit: aut ſaltem ad fugam & velocitatem ea comparauit, ne penitus ab illis conficerentur & interirent: quam nimirum ob cauſam fœcundiora quoque minora eſſe voluit. Quis non trochili auiculæ, quàm crocodili belluæ: quis non piſciculi ducis balęnarum (ſeu muſtelæ marinæ) quàm balænæ immanis monſtri ingenium præoptet?

Aquatilium animantium hiſtoriam admirationem cognitionemq; illi gnatam eſſe.

Ecclieſiaſt. 43.c

Omnibus ignota mortis timor, omnibus hoſtem
Præſidiumq; datum ſentire, & noſcere teli *Vimq; modumq; ſui.* *Ouidius in Halieut.*

Infinita certè morum in bonam malamq; partem exempla, plurima ingenij & ſolertiæ argumenta, & alia huiuſmodi, vt affectuum naturalium, conſenſionis ac diſſenſionis occultæ, in iis quæ per aquas viuunt, (piſcibus cetis, quadrupedibus aliisque amphibiis, cancrorum & conchārum vario genere, & iis quæ mollia nuncupant, deniq; inſectis & zoophytis, quę Aquatilia animalia vocitamus omnia,) liquidò eſt videre: quamuis vniuerſum aquatile genus à vulgo hominum temere & immerito ſtuporis ac ſtoliditatis damnetur. Multa præterea quæ in ipſorum vita, actionibus & tota natura homines ſapientiæ naturæq; rerum ſtudioſi contemplantur: idq; vel cognitionis tantū gratia, (quæ per ſe etiam, & vt DEI opificium in operibus eius laudetur, nihil honeſtius, nihil iucundius boni ac eruditi viri iudicant:) vel vt aliqua ſimul inde vtilitas ad vitam humanam deriuetur. Plutarchus Chæronenſis in Libro illo Vtra animalium prudētiora ſint, terreſtria an aquatilia diſertiſſimè condito, duos coram arbitris delectis diſceptantes introducit: quorum alter terreſtria tanquam acrioris ingenii, alter verò aquatilia, magna contentione præfert. hi cum peroraſſent, arbitri tanquam dubij vtrius opinioni potius fauerent, ſuadent, vt hac inter te lite compoſita, coniunctis ambo viribus, illis qui animalia præter hominem omnia omni ratione vacua aſſerunt ſe opponant: quibus & ipſe Plutarchus in alio Libro aduerſatur. Mihi videntur mira & quæ Ouidius prodidit piſcium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inſcribitur, inquit Plinius. Id quidem ad noſtra vſque tempora

Terreſtrium & aquatilium animantium comparatio.

peruenit, sed imperfectum. Oppianus etiã aquatilia, vt magnitudine, sic virib. ferocitate, & naturę ipsorum admiratione terrestrib. anteponit, hisce carminibus, ab initio quinti Halieuticorum.

Testudo in terra est, sed longè viribus impar,
Et longè inferior dira testudine Ponti.
Sunt sicca tellure canes horrore timendi,
Sed nequeunt rabie canibus certare marinis.
Exitiale facit vulnus panthera tremendis
Dentibus in terra, fluctu magis aspera Ponti.
Et nimis horrendæ in terra versantur hyænæ:
Sed multò præstant crudeli horrore marinæ.
Est aries terræ mitis, natat æquore vasto
Sæuior, vt nequeas hunc assimilare priori.
Ecquis vastus aper superabit robore lamnam?
Qui tantùm fului præstant virtute leones,
Quantùm sub fluctu fertur præstare zygena?
Formidant phocas vrsi certamine toruas.

Sic ille. & sunt profectò aquatilia ferè omnia magis admiranda homini, quã quę in alijs elementis degunt animalia: tũ ꝙ rariora & formę magis invsitatę sint, tũ quòd etiã ingenia (vt dictum est) multorum admiratione digna, & moles quorundã vastę admirandæq; sint. Tiberio principe cõtra Lugdunensis prouinciæ litus (vt tradit Plinius) in insula simul trecentas amplius beluas reciprocãs destituit Oceanus miræ varietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonũ litore: interq; reliquas elephantos & arietes, candore tantũ cornib. assimulatis, Nereidas verò multas. Quid violentius mari ventisue, (vt cũ Plinio loquar,) & turbinib. ac procellis? quo maiore hominum ingenio in vlla sui parte adiuta est (natura,) quã velis remisq;? Addatur his & reciproci æstus inenarrabilis vis, versumque totũ mare in flumẽ, tamẽ omnia hæc pariterq; eôdẽ impellentia, vnus ac paruus admodũ pisciculus echeneis appellatus in se tenet. Ruant venti licet, & sæuiant procellæ, imperat furori, viresque tantas compescit & cogit stare nauigia: ꝙ nõ vincula vlla, non ancoræ pondere irreuocabili iactę. Infrenat impetus & domat mũdi rabiẽ nullo suo labore, nõ retinẽdo, aut alio modo q̃ adhærẽdo. Hęc tantilla est satis contra tot impetus, vt vetet ire nauigia. Sed armatæ classes imponunt sibi turrium ꝓpugnacula, vt in mari quoq; pugnetur velut è muris. Heu vanitas humana, cum rostra illa ære ferroque ad ictus armata, semipedalis inhibere possit ac tenere deuincta pisciculus. Hæc Plini⁹, qui etiam historias retentarum ab echeneide nauiũ adfert. Idẽ in mari præ cæteris subitã torpedinis vim, & leporis marini cuius maleficio Titum fratrẽ Domitianus sustulisse creditur:) & pastinacę (cuius radio Vlysses perijt,) venena miratur. Cætera innumera prætereo, ne singulorũ enumeratione sim prolixior.

Echeneidis miraculum, &c.

Has igitur ob causas vir sapiẽs, ingenuus & liberalis, vt in vniuersa Naturæ historia animũ pascẽdũ, sic genus omne Aquatiliũ animaliũ sibi noscendũ duxerit. Medici imprimis (propter varios humani corporis tũ in secunda tũ aduersa valetudine vsus) pisciũ ac reliquorũ in aquis viuentiũ naturas quò nouerint accuratius, eò quidẽ suæ professionis nomine digniores fuerint. Frequẽs enim pisciũ in cibis vsus diuitũ præsertim mẽsis, contingit: & magna succi ex eis alimentiq; discrimina. Nec scio an in vllo ciborũ genere maior sit voluptas: quæ cũ immodica est, in luxũ degenerat: cuius equidem nusquã maiora & plura quã circa pisces exempla reperio. Mullus antiquorũ prodigo luxu adeò insignis & preciosus fuit, vt sæpius argenti pari pondere a priuatis etiã Quiritib. emeretur, quũ pedis lõgitudinẽ superaret. Mullũ ingentis formæ (quatuor pondo & ad selibrã fuisse aiebant) Tyberius Cæsar missum sibi cum in macellum deferri & vænire iussisset: Amici (inquit) omnia me fallunt, nisi istũ mullũ aut Apicius emerit, aut Publius Octauius. Vltra spem illi coniectura processit: licitati sunt. Vicit Octauius: & ingentem consecutus est inter suos gloriã, cũ quinq; sestertijs emisset piscẽ quem Cæsar vendiderat, ne Apicius quidẽ emerat. Asinius Celer è consularib. hoc pisce prodigus, Claudio principe vnũ mercatus octo millib. nummûm. Macrobius nõ octo, sed feptẽ sestertijs mullũ ab Asinio emptũ tradit, qui duas põdo libras excederet. At nũc (inquit) & maioris põderis passim videmus, & precia hęc insana nescimus. Mullum sex millib. emit Aequantem sanè parib. sestertia libris, Iuuenalis inquit de quodã Crispino. Acipenserẽ coronati ministri cũ tibicine inferebant. Apicius, gurges ille nepotum altissimus, propter astacorũ maiorũ famã in Africã nauigauit. Romę vmbrarũ & sturionum capita Triumviris rei Romanæ conseruatoribus, inueterata quadam consuetudine, tributi nomine donantur. Qui nostro seculo maximi fiunt, è mari ferè flumina subeunt, veluti salmones, sturiones, lampetræ: quanquam etiam Plinius salmonem Aquitaniæ, marinis omnibus præfert: & sturio, si is acipenser est (quòd Rondeletio docenti facilè cõcedimus,) in maxima olim quoque dignatione fuit. Archestratus, qui (referente Athæneo) Sardanapali vitam vixit, galeum Rhodium similitudine deceptus, eundem acipenseri existimauit. Ex his autem (aiunt) vel minimus vilissimusque (drachmis) Atticis millenis venditur. De hoc pisce Epicureum illum Archestratum, qui non tã in voluptate quàm in luxu finẽ bonorũ collocauit, non puduit hos uersus condere:

Medicis apprime vtilis hæc cognitio, tũ ciborũ, tũ remediorum causa.
Ad cibum.
Voluptas & luxus circa pisces.

Accedens

Accedens Rhodios galeum tibi corripe vulpem
Vel moriturus, vbi nolunt tibi vendere, furto
Tolle, aut vi: Siculi pinguem dixère canem: mox
Iam perfer quodcunq; tibi tua fata minantur.

Apud antiquos (inquit Plinius) nobilissimus habitus acipenser, nũc scaro datur principatus. Scarum præterii cerebrum Iouis penè supremi, Ennius. Sunt qui hodie trutas salmonatas siue lacustres (non è quibusuis tamen lacubus) salmonib. & marinis omnibus præferant, vt Iouius trutas Larij: quos ego pisces vt suauissimos esse concesserim, (sicut & salmones, sturiones, lampredas,) pręsertim ritè apparatos: ita saluberrimos & ipsis etiam saxatilibus marinis conferendos esse dixerim, in lacubus quidem albulas à nobis dictas, in fluuiis verò thymallum: quem quidem piscem diuus Ambrosius in Hexaëmero commendat: Neque te (inquit) inhonoratum nostra prosecutione thymalle dimittam, cui à flore nomẽ inoleuit: seu Ticini vada te fluminis, seu amœni Athesis vada nutrierit, flos es, quid specie tua gratius? quid suauitate iucundius? quid odore fragrantius? Rhombus (inquit Paulus Iouius) inter planos obtinet principatũ, quem nobilis quidam aulæ procerum, circa popinales delicias ingeniosissimus, aquatilẽ phasianum appellare solebat nõ absurda quidẽ cõparatione: sicuti & soleas externis, lampedras conturnicibus, lupos altilibus capis, sturiones verò pauonibus adęquabat. Maiores quidem & preciosos pisces, deorum etiam nomine ἀξιότιμον (quod Græcè commodius dicitur quàm Latinè. τιμὴ enim Græcis & precium & honorẽ significat) appellabant, vt lupum, anthiam, & huiusmodi, quod Athenæus & Eustathius referunt. item anthropophagos, quod multorum facultates nimio in pisces luxu sumptuq; consumerentur. Iam quoniam præter cibum multa variaq; & præclara quædam remedia ex aquatilibus petũtur, hoc etiam nomine ad medicos historiæ eorum notitia pertinet. Alios vsus omitto, vt quòd in remotis regionibus, præsertim Ichthyophagorum, è cetis etiam ædificia & instrumenta supellexq; varia conficiuntur: quodque Ichthyophagi solis piscibus victitant: & Indi quidam balænarum pellibus vestiuntur, vt in epistola Alexandri Magni ad Aristotelem legitur. Aquarum certe moles quo amplius quàm telluris patet, eò plura maioraq; in eis miracula sunt, non tamen eadem collationis ratio ad aërem quoque & ignem referri potest: neq; enim hæc elemẽta, sic, vt reliqua duo, sustinendis nutriendisq; animalibus idonea sunt. Peracta aquatilium dote, (id est, remedijs ex aquatilib. descriptis, inquit Plinius,) non alienũ videtur indicare per tot maria, tã vasta, & tot millib. passuũ terrę infusa, extraq; circundata mensura penè ipsius mũdi, quę intelligantur animalia, centũ septuaginta sex (*alias centum sexaginta sex, demptis scilicet Ouidianis, vt Hermolaus Barbarus monet*) omnino generũ esse, eaq; nominatim cõplecti, ꝙ in terrestrib. volucribusq; fieri non quit. Neq; enim omnis Indiæ Aethiopięq; aut Scythię, desertorúmue nouimus feras aut volucres, cũ hominũ ipsorũ multò plurimæ sint differentiæ, quas inuenire potuim⁹. Accedat his Taprobane insulæq; aliæ Oceani fabulosè narratæ. Profectò cõueniet nõ posse oĩa genera in contemplationẽ vniuersam vocari. At hercule in tanto mari Oceano quæcunq; nascũtur certa sunt, notioraq; (ꝙ miremur) quæ ꝓfundo natura mersit. Hæc Plinius: qui tamẽ aliter libro nono: Theophrasto (inquit) pisciũ genera quatuor omnino sunt ac septuaginta, ad quæ triginta adduntur, quæ sunt crustis intecta. Ego cum Oppiano potius senserim, cuius hac de re sententiam libro 1. Halieuticôn Laur. Lippius his versibus transtulit:

Truta salmonata.
Albulæ. Thymalli.
Ad remedia.
Ad alios vsus.
Marinorũ animaliũ quãtus numerus, & species quot.

Innumeræ pelago gentes voluuntur in imo
Nantes, quæ numerum vincunt. Sunt abdita nobis
Plurima monstra maris: quis posset nomina versu
Aedere? Quis Ponti metas? quis nomina dicet?
** Ter denas ad summum vlnas nouère sub vndis*
Mortales, sed multa latent immensa profundi
Aequora, sub vasto spirant tot gurgite pisces.
Alma parens tellus non agmina plura ferarum,
Nec maiora tulit, quàm vastus in æquore pontus.
Norunt cælicolæ numerum pensare natantum,
Terrestresq; acies, an partes æquet vtrasque, &c.

**Repono, Mortales ad summũ vlnas nouere sub vndis Tercentum, (ex Græco.)*

Hęc Oppianus. Homerus quidem solum Proteum, quem fingit immortalem, omnium, quæ in maris penetralibus latent, cognitione celebrem facit, vbi canit:

Ἀθάνατος Πρωτεὺς Αἰγύπτιος, ὅς τε θαλάσσης
Πάσης βένθεα οἶδε Ποσειδάωνος ὑποδμώς.

Sunt autẽ cõplura (inquit Plinius) in aquis animalia, maiora etiã terrestribus. causa euidens, humoris luxuria. Alia sors alitum, quibus vita pendentibus. In mari autem tam late supino, mollique ac fertili accremento, accipiente causas genitales è sublimi, semperque pariente natura, plæraque etiam monstrifica reperiuntur, perplexis & in semet aliter atque nunc flatu, nunc fluctu conuolutis seminibus atque principiis. Vt vera fiat vulgi opinio, quicquid nascatur in parte naturæ vlla, & in

 mari esse

mari esse, præterq; multa quæ nusquam alibi. Rerum quidem, non solùm animalium, simulacra inesse, licet intelligere intuẽtibus vuã, gladium, ferras, cucumim verò & colore & odore similem. Quo minus miremur equorum capita in tam paruis eminere cochleis. Hæc ille: qui hoc postremum verius de hippocampis dixisset: cochleis bubula potius capita, vnde nomen apud Venetos.

Principes quoquæ & reges decere, vt aliqua ex parte hac cognoscant, maximè verò vt promoueant.

Non solum autem reliquis mortalium, philosophiæ quidem & medicinę studiosis accuratior fuit regibus quoq; & principib. expetẽda mediocris harũ rerũ cognitio fuerit. Nã vt nihil dicam de principibus eruditis tum priscis, tum nostri seculi, (inter quos M. T. & sereniſſimi FFF. veluti maiora quædam sydera præfulgent:) quis nescit Alexandrũ illũ Magnũ, nobiliſſimũ Aristotelis Stagiritę discipulum, adeò in hęc studia propensum fuisse, vt vix alia eius maior liberalitas, quã in præceptorem, propter condendam animaliũ historiã celebretur? octingenta quippe talenta contulit: & insuper, teste Plinio, aliquot millia hominum in totius Asiæ Græciæque tractu, ei parẽre iussit, omnium quos venatus, aucupia, piscatusq; alebant: quibusq; viuaria, armenta, alueraria, piscinæ, auiaria in cura erãt: ne quid vsquã gentiũ ignoraretur ab eo. Antoninus imperator Seueri F. Oppiniani De animalibus poëmata (quæ sunt De piscibus & piscatione, De venatione, De Aucupio,) insigni liberalitate accepit. nam & patris exiliũ ei remisit, & pro singulis carminibus totidẽ aureos numos adnumerari iussit: quo munere exhilaratus poëta characteribus etiã aureis sua poëmata descripsit: quæ quidem & has ob causas, & quoniam elegantiſſimè condita sunt, merito aliquis aurea cognominet. Aelianus, cui° De animalib. libri XVII. nostra cura & diligentia Græce Latineq; extãt, Neruæ & Adriano imperatorib. charus & familiaris fuit: vt Plinius qui & ipse de omni animaliũ genere copiosè scripsit, Vespasiano: adeò quidẽ vt in Naturalis Historiæ suæ dedicatione nõ maiorib. titulis q̃ Vespasianũ suũ, & iucundiſſimũ Imperatorẽ appellet. Plutarchũ, cui° libros De animaliũ ingenio aut ratione (vt dixi) habemus, Traianus amauit. Fridericus II. Imp. cũ aliãs vir eruditus fuit, & Græcè etiã (mirũ illo seculo) calluit: tũ animaliũ naturæ studiosus fuisse videtur, ex eo quòd, (vt tradit Cõradus Celtis) Lucius piscis anno Salutis M. CCCC. XCVII. captus est in stagno circa Haylprun imperialem Sueuiæ vrbem: & repertus in eo annulus ex ære Cuprio in branchijs sub cute, modica parte splendere visus. Annuli figura & inscriptio fuit hęc.



Verba Græca circũferentiæ inscripta Ἐιμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς τοῦτην λίμνην πασῶν πρῶτος ὑπὸ θείοις Δ[illegible] ἐγεύσατο φθεὶς ἐκ τοῦ χειρὸς ἐσπ[illegible] ἡμέρᾳ Ὀκτωβρίῳ. Latinè sonãt, (sicuti Ioãnes Dalburgus Vuormaciẽsis episcopus interpretatus est:) Ego sum ille piscis huic stagno omniũ primus impositus per mãdi Rectoris Federici secũdi manus, die quinto Octobris. Numeri Græci in epicyclo annũ Salutis indicant quo id factũ est, M. CC. XXX. Sex minores circuli significare Imperij electores putãtur. Inde colligitur piscẽ illũ in stagno vixisse annis CC. LXVII. Hoc quidẽ facto Federicus II. Alexandrũ Magnum

Magnũ imitatus videri potest: Ceruos .n. captos aiunt, teste Plinio, post centũ annos cũ torquibũ aureis quos Alexãder Magnus addiderat, adopertis iã cute in magna obesitate. Fertur & Diomedes torquẽ æreã cerui collo addidisse, circa quã aucta sit caro, & ceruus postea captus ab Agathocle rege Siciliæ in tẽplo Iouis consecratus. Et Arcades aiunt Arcesilaũ quendã Lycosuræ incolã, vidisse ceruã sacrã Dominę appellatæ, senio grauatã, cui torques circa collũ fuerit hoc versũ inscripta: Νεβρὸς ἐὼν ἐάλων ὑπ' ἐς Ἴλιον ἐκ Ἀγαπήνωρ: hoc est, Hinnulus fui captus cũ in Ilio esset Agapenor. vnde vel elephãto lõgè viuacius animal ceruũ esse aliquis affirmet. Hoc Pausanias, illud Aristoteles prodit. Nostra verò memoria ante annos fortè septẽdecim Franciscus Gallorũ rex Petrum Gillĩũ, virũ lõge doctiſſimũ, naturæq; animaliũ pręsertim aquatiliũ, mirificè studiosum, liberaliter fouit: cuius ad Regem suũ verba quædã ex epistola, qua Aeliani sui editionẽ ei nũcupat, nõ possum mihi tẽperare quin M. Tuæ recenseã, vt eã ita magis ad excolẽdum hoc argumentũ, hoc est fauendũ eis qui in eo versantur, accendã. Profectò (inquit Gillius) è regia dignitate nõ præstantius quicq̃ efficere poteris, quã si quibusdã neq; indoctis, neq; segnibus id dederis negotij, cum vt totius naturalis historię nouã periclitationẽ, tum vel maximè bestiarũ Galliæ, aquatilium, terrenarum, volatilium, nomina, mores & figuras scriptis persequãtur: neq; amplius tã valde peregrina animalia ex Nouo Orbe deportata admiremur, vt nostrorum vim contẽnamus. Enimuero quot egregij pisces in litorib. tuis errãt, nõ in vulgus solũ ignoti, sed ne scriptorum quidẽ vlla notatione animaduersi? Quot itẽ aues, quarũ nomina in summa omnium ignoratione versantur, in cõspectu nostro lapsus exercẽt? quot etiã terrestres bestiæ? &c. Alij etiã qui nuper de aquatilib. scripserunt in Gallia Italiaq;, Põtifices aut Cardinales locupletes habuerunt Mecœnates. ego vnus cum patronum & Mecœnatẽ hac in re hactenus desyderẽ, eò venia sum dignior, si cubi expectationi nõ satisfacero. sumptib. n. alicubi opus erat, nõ paulò quã meę facultates sint maiorib. Diligentiã quidẽ, fidẽ, laborẽ, & lectionẽ multiplicẽ, nemo in me requiret, vt spero. Certè summos & principes viros omnia magna decẽt: & ea præcipuè vt principem aduenit, ad quorũ cõparandam cognitionẽ priuatorũ & tenuioris fortunæ hominũ opes nõ sufficiũt, cuiusmodi omniũ fermè rerũ naturę particulariũ doctrina est: nã vniuersalis quarũuis rerũ sciẽtia nec sum pr° tantos, neq; peregrinationis & tẽporis tantum postulat: commodiusq; domi & in quiete perficitur.

Dedicat hoc opus.

Hæc ego mecum potẽtissime Imperator, cum reputarẽ, & iã olim huius Voluminis dedicationẽ animo meo M. Tuę destinasse, vt maximum operum meorum in maximi optimiq; principis nomine tanq̃ tutelari appareret, hortatores accesserunt cũ alij virtutũ tuarum magnifici præcones, tum verò imprimis prestantissimi doctissimiq; M. Tuę medici, Iulius Alexandrinus, & Stephanus Laureus Amor fortius: qui ita me animarũt, vt q̃ cogitauerã, perficere etiã ausus sim. idq; facere proposuerã, anteq̃ in fastigium illud humani generis excelsissimum M. Tua euehereturq̃ post q̃ DEI immortalis cõsilio, nec sine magno omnium mortalium gaudio & applausu, clementissimum ac moderatissimũ principẽ sibi ꝓmittentium, ita factum est nuper, multò magis etiã & iure quodãmodo hunc Aquatilium animantium historiæ thesaurum ad M. Tuam pertinere arbitratus sum. Ad eam igitur veniunt Tritones, Nereides, Nymphæ marinę, & vniuersus chorus Amphitrites:

Cymothoë, Ploto, Glauce, Thaliaq; benigna,
Et Nesæa, simulq;, Galene cum Galatea,
Speoq;, Actæaq;, Halimedaq;, Dynameneq;:

& alię innumeræ: imò totus cũ suis alumnis pater Oceanus. Et insuper quæ fluctes, quæq; stagnantes dulces aquas incolunt animalia, magno accedunt numero, singulis veluti legatis generatim speciatimq; missis: & vt vno verbo dicã, Vniuersa fluida natura adest, vt simul de Imperatoria maiestate tibi congratuletur, simul & sublimitati tuæ se submittat. Salutant te muti, accedunt depedes, & tuã subeunt vnanimi cõsensu imperiũ: nec iã veterẽ illũ poëtis decãtatum Neptunũ, sed FERDINANDVM veluti nouũ numẽ tuã agnoscũt: & vt ꝓpitio vultu lætaq; fronte se suscipiat, suppliciter orant.

Dedicat hoc opus.

Hoc non dissimulârim, benigniſſime Cæsar, nõ totũ hoc volumen, sed maiorẽ eius partẽ, nostri laboris esse. Nã quæcunq; Rõdeletius & Bellonius, doctissimi apud Gallos viri, ante me de singulis Aquatilium prodiderant, ea quoque omnia Operi nostro, ne quid in hoc argumẽto desiderare possent lectores acciui: vbicunque verò illorum nomina non adscripsi, siue expressus sit CORÒLLARII titulus, siue omissus, ea nostra sunt omnia.

Obseruarunt illi plurima apud Gallos, Belgas & Italos: Bellonius etiã in Græcia alijsq; Europę Asiæ & Aphricæ regionib. quib. in vnum redactis omnib. Aquatilium natura mirificè illustratur. Ego ex lectionib. meis alijsq; obseruationib & amicorum qui diuersis è regionib. varia miserunt beneficio (nã toto decẽnio, & eo amplius) plura quã peregrinãdo, nactus sum. A peregrinationib. n. cum aliæ quædam causæ, tum maximè sumptuum magnitudo me absterruit. Infinita certè antehac nunquam prodita exposui: & vt Germanis meis passim me accommodarem, linguamq; vernaculã excolerem, operam omnem dedi. Diligenti quidem & diutina animaduersione, peregrinis etiam quibusdam piscibus vetera nomina conuenientia primus reperisse mihi videor: nempe in Nilo ostracionem, porcum, physam forte & alabetẽ ac typhlen, demõstraui. In nostris verò (id est, Germaniæ tuæ) fluuijs, incognitos hactenus plerisq; (ne dicã omnib.) nostri seculi eruditis, pyruntas, pœcilias, intaccos, oxyrynchos, siluros & centriscos ostẽdi. Est autem omnis ferè difficultas circa nomina

quibus latini aut Græci veteres vſi ſunt, inventionem poſita: quibus inuentis, reliquã hiſtoriam minùs difficile eſt addere. Labores ſanè mei (vt nihil de ſumptibus pro mea tenuitate dicam) immenſi fuerunt: quibus ſi operis euentus non omnino reſpondet, voluntati tamen meę nonnihil debebunt poſteri. Sed plura de iis quæ ego præter alios hac in parte præſtiterim, in præfatione ad Lectorem proferam, ne prolixitate mea M. Tuæ ſim importunior.

Peroratio cũ adhortatione.

Equidem ea, quæ non tam meo, quàm communi totius Reipub. literariæ nomine peto, impetraturum me, maximam mihi ſpem faciũt, optime & ſapientiſſime Princeps, omnes Regię virtutes illę, quæ in M. Tua eluceſcunt: quibus & bonarum literarum linguarumq; cognitio & doctrina omnigena ita accedit, vt veluti colophonem imponat. Multa atq; illuſtria beneuolentiæ & liberalitatis tuę in literas cũ ſacras, tũ profanas, & earũ ſtudioſos homines, publicè priuatimq; extant: vt omnino fœliciſſimũ hoc à ſummo philoſopho optatum, ſub M. Tua imperium nobis contigiſſe videatur. optabat autem ille ad optimũ reipublicæ cuiuſuis ſtatum, vt vel philoſophus regeret, vel rector eius philoſopharetur. Scio multos prædicare Principes ab ijs, quæ cum in eis non ſint, eſſe tamen debebant, virtutibus, vt ita officij ſui diſſimulanter admoneantur: ego verò ſyncere & abſq; vllo adulationis fuco, ob eas quibus M. Tuam, eximiis & raris in hoc faſtigio virtutibus, ornari intelligo, laudare ac venerari me profiteor. Sed reliqua in Celſitudine tua, omni elogiorũ laudumq; genere vehenda, alijs quibus ea ſunt notiora, & M. Tuæ propioribus relinquo; ego ſingularem tuum erga ſapientiæ & literarum ſtudia fauorem apprime & veneror & exoſculor. Scio multa optima exoptatiſſimaq; viris literatis volumina, liberalitate tua in lucẽ prodiiſſe: & inter alia inſignem illum codicem qui Syro ſermone Noui Teſtamenti libros pleroſque omnes continet: quem ſingulari pietate Syros miſeratus, ne vnico veræ religionis theſauro diutius deſtituerentur, innumeris exemplaribus procuſum in Syriam liberaliſſimum munus miſiſti. Hac ego tanta benignitate tua commotus, hunc Halieuticũ ſiue Piſcatoriũ laborem meum, M. Tuæ conſecrare ſimulq; ſupplicare volui, vt quemadmodũ omne literarũ genus te Mecœnate & patrono propagatur, ita huic etiam admirabili, pulcherrimę, maximæ, vtiliſſimæq; Naturæ parti, circa Animantium, preſertim Aquatilium cognitionem illuſtrandæ pro ſumma clementia & bonitate tua, adeſſe & opem ferre digneris. Quòd ſi contigerit tuo fauore, tua liberalitate, vt Oceani Germanici oræ aliqua ex parte maturè ab aliquo harum rerum ſtudioſiſſimo perluſtrẽtur, huius magni Voluminis Compendiũ aliquando, lectioni (præſertim Principum virorum) magis idoneũ, confici curabo: ita vt quæ noua acceſſerint, ſuis quæq; locis adijciantur, aliusq;, ſecundũ genera rerũ ordo inſtituatur: nam præſens hoc Volumen (de meis præcipuè ſcriptis loquor) non ad continuandam in eo lectionem, ſed ad inquirendum quod cuiq; libuerit (ordine alphabetico ferè ſingulis deſcriptis, & ſingulorum hiſtorijs per certa capita digeſtis) à nobis conditum eſt: & vt in pleroſque omnes eiuſdem argumenti veterũ ac recentiorũ libros vberrimi commẽtarij loco eſſet, in quo tum rerũ tũ vocabulorũ in diuerſis linguis varia expoſitio abũde haberetur. Quãquam autem tot & olim & hodie ſcriptores De Piſcibus & Aquatilibus libros ediderimus: certũ eſt tamen plurima, quæ in ſuis regionibus etiam vulgaria ſunt, doctorũ apud nos alibiq; cognitionem adhuc fugere, necdũ in literas relata. Scio multa & admiranda piſciũ aliaq; genera in Oceano Germanico reperiri, quorum nomina ad nos peruenerunt, picturæ verò & plenior eorũ naturæ cognitio deſiderantur: Qualia ſunt, **Waugwal/Andwal/Schwynwal/Rauẽwal/Witrewal/ Schiltwal/ Hanerkeit / Nonwarſrack/ Trolwal/ Springwal / Gerwal / Blozewal / Hill / Herill / Karckwal/ Rußwal/ Nachtwal/ Nordwal/ Wintiger/ Fiſchokecke/ Schellewyncke/ Rore/ Roſtinger/ Schlichteback/** &c. Veteres quidem, quorum de piſcib. monumenta extant, ad Oceanũ non penetrarunt, ſed pauca quędam ex auditu de quibuſdam Oceani animantibus prodiderunt. Exhibent aliquando reges & principes (qui mos Romanis Cæſarib. quondam frequens fuit) maximo ſumptu rariora quædam animalia populo ad vnũ fortè diem ſpectanda: Tua verò M. ſi eorũ quæ adhuc in Oceano noſtro latent animaliũ, notitiam illuſtrarit, depulſis veluti Sol ſuo exortu, ignorantiæ tenebris, non ſemel, nec vni populo, ſed perpetuum hoc, dum mundus hic erit, dũ vllæ literæ vigebunt, omnib. vbique gentium populis, non ſolũ vulgo, ſed eruditis & philoſophis hominibus, imò ipſi inclytæ philoſophię longè magnificentiſſimũ hoc ſpectaculũ exhibuerit. Ita, veluti mari detecto, apertisq; gurgitibus & abyſſis, magnam omnib. admirationem excitaueris. Sic fiet vt veterũ ſcripta vberiore cũ fructu & ſuauitate, non ſolum, vt pleriq; ſolent, legamus: ſed etiam rebus ipſis cognitis intelligamus: ac inſuper multa noua, nullis in hunc vſque diem literis prodita, pulchro ingentiq; auctario philoſophiæ lucremur. Sic Galli & Itali non amplius gloriabuntur bonas literas ſuis proceribus magis eſſe cordi quàm Germanis: & maiora ſuorum procerum in literatos homines beneuolentiæ ſigna extare. Hocigitur vt facere digneris FERDINANDE Cęſar Auguſte, omnes Muſę, omnis philoſophia, cum innumeris bonis & eruditis vitis M. T. iterum atque iterum ſupplicant. VALEAT optima & clementiſſima M. Tua: cui DEVS pater omnipotens omnia tum propria tum imperij commoda, cum feliciſſima pace, & de Chriſtiani nominis hoſtibus victoria ſecundet. Tiguri Heluetiorum. Nonis Auguſti, anno Virginei partus M.D.LVIII.

GVIL.

GVILLIELMVS TVRNERVS ANGLVS MEDICVS, CONRADO GESNERO S. P. D.

NAcTVS *tandem libellum tuum, (quo Halieutica Ouidij, & è Plinio Aquatilium catalogum interpretaris & emendas, & Germanica atque Anglica nomina recenſes,) neſcio an maiori cum auiditate aut vtilitate, ſine vllaferè intermiſſione, perlegerim. Multum enim per ipſum in hiſtoria piſcium me profeciſſe fateor. Qua de cauſa, cum innumeris alijs philoſophiæ, & medicinæ ſtudioſis, ingentes habeo tibi gratias, & perpetuam tibi mentis & corporis ſanitatem precor. Sed bene tantum tibi precando, honeſti viri & beneficij accepti memoris, officio non ſatis perfungor, niſi quo animi mei erga te gratitudinem teſtificer, aliquid tibi beneficioli protinus inſuper contulero. Illud autem, aliqua ex parte, mihi facere videbor: ſi piſcium aliquot mihi notorum nomina Britannica, & deſcriptiones tibi communicauero, & quid de eis, quæ iam ad maiora veluti præludens conſcripſeris, ſentiam, meam tibi ſententiam aperuero. Ne igitur præfando tempus inutiliter teram, rem ipſam ſtatim aggredior.*

Solea.

Etiam atque etiam nunc tibi videndum cenſeo, ne illi, qui Soleam, Scollam interpretantur, ſua ignorantia tibi imponant. Solea enim, vt optimè noſti, à ſimilitudine plantæ humani pedis, vt bugloſſus à bubulæ linguæ ſimilitudine nomen habet. Porrò piſcis qui à Germanis maritimis Scholl *aut* Schull *nuncupatur, ab Anglis* a Place, *à Flandris* ein Plardece, *nullam neque cum humani pedis planta, nec cum vlla lingua ſimilitudinem habet. Proinde Solea, ſiue Bugloſſus, qui a Germanis inferioribus nominatur* ein Tunge, *à noſtris* a Sole, *non poteſt eſſe* ein Scholl *ſiue Schulla, (vt quidam interpretantur,) quum Schullam Paſſerem eſſe conſtet, non Soleam. Quanquam tu etiam ab Anglo quopiam non ſatis diligenter in hiſtoria piſcium verſato, vt ſuſpicor, edoctus libelli tui folio 106. Buttum Anglis & Flandris Paſſerem ſignificare doces. Verùm errauit, quiſquis ille fuerit, qui te hoc docuit. Nam licet in nominibus compoſitis Butti nomen non raro à Germanis mutuati ſumus: vt in* Turbut, *& in alijs ſimilibus, quæ memoriæ mea in præſentia non occurrunt: in Meridionali tamen Britannici maris littore, perpetuo Rhombum marinum vocamus* a Flounder, *& ſimiliatilem* a freshwater Flounder, *vt eundem piſcem in Septentrionali littore perpetuo* Flũke *vocamus. Paſſerem verò per totam Angliam* a Place *nominamus.*

Scholl aut Schull.

Butti.

Rhombus. Flounder. Flũke a Plaice.

Angli iudicant etiam Paſſeres eſſe Rhombis multò candidiores, quod an Ouidius in ſequenti diſtichο confirmet, nec ne: penes te iudicium eſto.

Fulgentes Soleæ candore, & concolor illis
Paſſer, & Adriaco mirandus littore Rhombus.

Iam quoniam in mentionem piſcium huius generis incidimus: libet piſcem tibi obiter deſcribere, qui mihi apud Galenum Citharus eſſe videtur. is Rhombo minime ſimilis eſt. ſed candidior, & circa caudam, & ſummas oras, quæ piſcem totum ambiunt, rubeſcit. Ab Anglis vocatur a Dab, *à Friſijs Orientalibus* ein Sandling. *Saporis eſt non iniucundi, vtcunque apud Londinenſes in paruo precio habeatur.*

Citharus a Dab. ein Sandling.

Phocænam quam Angli in Northumbria, vbi ego primos edidi vagitus, vocant a Porpeſs: *in Orientali Friſia, in qua ad integrum degi quadriennium, quo tempore duas integras emi phocænas: & emptas, certioris cognitionis cauſa, diſſecui, ſcio vocari* ein Brunfiſch. *Verùm an ita quoque ab alijs Germanis maritimis nominetur nẽcne, & an hoc nominis alij, Balenæ tribuant etiam, nẽcne, incertus ſum.*

Phocæna. Porpeis. Brunfiſch.

Quoniam de generibus Aſinorum in libro tuo, trebra fit mentio, & ab illis, quos citas, incerta ſubinde pro certis referuntur, gratum inprimis officium me hominem ad littus Brittannici maris natum, tibi Mediterraneo & penè alpino, facturum iudico; ſi quæ de Aſinorum generibus obſeruaui, tibi communicauero.

Aſinorũ duo genera apud antiquos inueniuntur, quorũ, alterũ ὄνος, & aſinus: alterum ὄνιος & aſellus, appellatur. Dorion. m. non ab oniſco, diſtinguit: Athenæus & Plinius etiam duo faciunt aſellorũ genera. Tot me nouiſſe puto, qua veterum deſcriptionib. conueniant. Onon ſiue aſinũ iudico eſſe piſcẽ, qui ab Anglis vocatur an Haddok, *a Germanis* ein Schellufiſch. *Caro huius craſſior & durior eſt carne Vuhytingi, & apud Friſios Orientales.*

Aſinus. Onos. a Haddok. ein Schellufiſch.

Oniscos. a Whytyng ein Gad. ein Witling. Gēma maris. a Bukhorn. a Marling.

Orientales,ubi mare valde limosum & uadosum est,febres excitare creditur, Verùm in mari Northumbrico, quod ualde profundum, undosum & clarum est, piscis satis est innocens. Oniscon siue Asellum, piscem esse censeo, quem Angli vocant a Whytyng: *Frisij Orientales non vltra spithamen longum* ein Gad, *ubi adoleuerit* ein Witling. *Vulgus ibi latine loquentium uocat gemmam maris.*

Piscem eundem Angli Occidui, postquam exiccatus fuerit, uocant a Buckhorn, *à duritie cornu damæ masculi, quem simpliciter buckum vocamus, ut caprum masculum siue hircum nominamus* a gote buck. *Ad hoc genus pertinere puto piscem, quem nostra littora nominant* a Marling, *aut (ut puto rectius)* a Mereling.

Is forsan est, qui Bellonio Marlangus dicitur. Rarus est apud nos piscis, cum Vuhitingo tamen, multorum iudicio, carnis bonitate certare potest. Vuhitingorum per totam Northumbriam tanta fuit, me puero, copia, ut sæpe 20. adultos nummo Henriciano, qui quatuor Heidelbergenses ualet nummulos, emptos viderim. Hunc piscem omnes gentes & iudicant & sentiunt esse saluberrimum.

Alia quinq, Asinorū genera.

Præter hæc genera quæ ueterum scriptis nobilitantur, alia adhuc supersunt quinque Asinorum genera, si qua fides recentioribus scriptoribus sit adhibenda. Horum primum genus est, (Bellonio nimirum) uentricosus ille piscis, cui in labro inferiori, barbula est. Hunc Angli Boreales uocant a Keling, *Meridionales* a Cod, *Occidentales* a Melwel: *Frisij Orientales* ein Cabbbelow: *Reni accolæ salsum*, ein Bollich. *Huius sobolem non vocant* Gadden, *ut quidam referunt. Nam ideo rarior est præda, quod maxima ex parte in mari profundiori, et non in littore ut Aselli tenelli, degat.*

a Keling. a Cod. ein Cabelow ein Bollich.

Si barbatus Asinus sit quatuor pedes longus (multô enim longior reperitur) caput quod valde crassum est, magnopere tamen à diuitibus, propter suauitatem saporis, expetitum, à summo rostro ad extremas vsque branchias, ad longitudinem pedis unius extenditur.

Ventrem habet impensè prominentem, dorsum (si sic loqui liceat) latum & crassum: linea alba à capite vsque ad caudam per medium piscem intercursat. Ventriculum habet longum & insigniter capacem, quem Northumbrienses mei vocant a Gurpoke. *Vesiculam quandam ouis refertissimam, ijdem* kelke, *hoc est testiculos nominant. Folliculum verò glutinosum vnde ichthyocolla conficitur, ijdem nominant* a sound. *Multi non indocti palati hunc cæteris omnibus partibus huius piscis longè præferunt.*

a Colefishe.

Secundum genus ab insigni nigrore tergoris nostri nominant a Colefishe. *Nobis hic peregrinus non est, vt scribit Bellonius, sed lippis & tonsoribus ita notus, vt Delia non sit canibus notior.*

Idem non est Asinorum vilissimus, vt alius scribit, sed recens captus, tam iucundi saporis est, vt cum Vuhytingo & Merlingo propemodum certare possit. Ego Haddoko, si quid meo palato tribuendum sit, multum præfero. Verum non diffiteor, quin Carbonarius ille exiccatus, omnem saporis sui gratiam amittat. Quare ex eorum piscium albo esse crediderim, de quibus Plautus ad hunc modum loquutus est: Quasi piscis, itidem est amator lenæ, nequam nisi recens.

a Lenge uel Ling.

Tertium genus Asini vocamus a Leng *(e. in hac dictione non aliter atque in plerisque merè Anglicis, vt alij iota, pronunciamus. Nam* leng *longum significat, vnde* lengthe, *id est longitudo, deducitur.) Hic igitur piscis à longitudine sua nomen habet. Est enim reliquis omnibus Asinorum generibus, longior: primo aspectu, Asinum barbatum refert, sed multò tenuior & longior, capite non ita crasso, nec ventre tam prominente.*

Caro huius, saporis est iucundissimi, dum adhuc recens est. Cutis illi densa est & glutinosa. Quare post coctionem glutinosus humor in patinis reperitur, qui ab artis popinariæ magistris gelu, aut gelatinum appellatur.

a Codlyng.

Quartum genus nusquam in tota Anglia, nisi in Northumbria vidi, vbi a Codlyng *appellatur. Piscis est Haddoko multò maior, sed Coddo multò minor. forma Coddum & sapore Lengum, nisi me mea fallat memoria, refert. In littore Northumbrico prope oppidum Beduel, in copia multo maxima capitur.*

Haka.

Quintum genus in nostro mari nunquam cernitur, sed in illo quod Galliam respicit, piscis est valde frequens, Haka *vocatur. Forma piscis, hoc est longitudine & tenuitate, ad Lengi similitudinem ferè accedit: colore & sapore Coddum, vtcunque exprimit. Hæc quæ iam scripsi, non ex aliorum relatu didici, sed præsens videns & contrectans.*

Gobiorum genus I.

Sed iam inuestigandum est, quisnam piscium, Gobio marinus sit, è cuius cognitione in fluuiatilis cognitionem peruenire facilius possimus. Duo tantum Gobionum genera (quod reperire possum) Aristoteles statuit. Alterum obiter tantùm attingens, Gobionem paruum, & ignobilem vocat, & eundem terram subire tradit, & Apuam gobitim gignere. Non autem ex Apua, vt malè in translatione Theodori habetur, gignitur, sed Apuam gignit. Hoc genus Gobionis, nisi coniectura fallar, est littoralis pisciculus, quem Northumbrienses, Cumbrienses & Caletienses vocant a Sandele. *pisciculus est albus, tenuis, capite pusillo, forma aliqua ex parte Anguillam referens. Et licet φαῦλος ab Aristotele dicatur; non est tamen omnino iniucundi saporis. Nunquam aut raro extra arenam, in qua post recessum maris ad eiusdem vsque reditum, delitescit, conspici potest. Et ad hunc modum à nostratibus capitur.*

a Sandele.

Recedente

Recedente mari, vtriusque sexus iuuentus ad littus se confert, & falcibus denticulatis, quibus segetes demetuntur, ex harena pisciculos in magna copia eruit.

Nobile illud & tantopere à priscis scriptoribus decantatum alterum genus, Anglorum esse smeltam puto. Est enim Smelta nostra piscis littoralis, gregatilis, & circa littora parit, & in fluuios subit, vbi pinguescit. Nec perpetuò in fluuiis degit. Nam vêre tantum, quo tempore copia longe omnium maxima, vltra Londinum, ad Kewam vsque & Brentfordam aduerso flumine natitat. Raro, aut nunquam vltra spithames longitudinem excrescit.

Alterum. Smelta.

Quæ omnia, quum Aristoteles suo gobioni tribuat, & nec magnitudo quam Galenus ab eo requirit, nec carnis bonitas desit: non videor mihi temere iudicare Smeltam nostram Aristotelis esse Gobionem.

Porrò huic non est dissimilis pisciculus ille fluuiatilis, quem nos vocamus a Gudgion, *vos* ein Kreßling, *inferiores Germani prope Coloniam* ein Gůkim / oder ein Guum. *Si liceret ex nominibus regionum variarum argumentum ducere, (quod aliqui hodie frequenter faciunt) concluderem ex tot nominibus, reliquias antiquas Latinitatis adhuc retinentibus, nostram gudgionem esse Ausonij gobionem fluuiatilem.*

Gobio fl. Ausonii. ein Creßling.

Pisciculus ille quem tu Cressel *Germanicè vocas, ut rectè diuinasti, ab Orientalibus Germanis vocatur* ein Grundling. *Nam Stickhusæ in orientali Frisia, nostra gudgiona uocatur* ein Grundlin.

Est apud Anglos in littore Cumbrico pisciculus lochæ nostræ tam similis, quam ficus ficui, aut ouum ouo, nisi quod quum locha sit fluuiatilis, hic sit marinus: & hic paulò viridior & maculis magis respersus. Post maris recessum, in eius reliquijs, sub lapidibus delitescit. Quibus motis statim exilit, vt boitus, & à pueris capitur. Hic an sit aliqua species gobionis viridis nec ne, non pronuncio, sed alijs coniectandum relinquo: hoc enim varijs de causis asseuerare non audeo. Cumbrienses vocant piscem illum etiam a Grundling.

Locha marina. a Grundling in mari.

Truttarum in Anglia duo genera reperiuntur. Alterum quod Ausonij Salar est, à Northumbriensibus meis vocatur a Buruttrout. *Ad hoc genus alia species referri potest Trutta illa, quæ vocatur* an Allerfanghr.

a Buruttrout an Allerfanght.

*Hic piscis, altero (*quàm alter superior*) ventre magis prominulo est, & per omnia crassior, & maxima ex parte vt alter in locis vadosis, & non ita profundis: ita iste, in profundioribus torrentium & fluuiorum locis, sub alnorum radicibus, quæ ad ripas fluuiorum nascuntur interdiu delitescit. Atque ideo ab alno, qua nostra lingua vocatur* Alder *aut* Aller, *nomen sibi sortitus est.*

Alterum Trutæ genus in Northumbria vocamus a Bulltrout, *hoc est, Trutam taurinam, ab insigni magnitudine, qua alias Trutas superat: cubito enim aliquando longiore reperitur. Crassior est Salmone pro ratione suæ magnitudinis, sed capite, si rectè memini, breuiori. Caro est, (quàm) Salmonis multò siccior, friabilior, & multorum palatis gratior. Accepi eundem in alijs Britanniæ prouincijs vocari* a Gray trout, *& in alijs* a Skurf. *Est & in Anglia piscis à Trutarum forma non multum abludens, quem à colore cinereo vocamus* a Graylyng. *Eundem audio alicubi* Omber *nominari. Idem, nisi fallor, piscis est, quem vos vocatis* ein Aesch.

a Bulltrout. a gray trout. a Skurf. a Graylyng. Omber.

Gurnardorum habemus duo genera, quorum alterum quod cinerei ferè coloris est in occiduis & meridionalibus Angliæ prouincijs appellatur simpliciter a Gurnard, *apud Boreales Anglos* a gray Gurnard. *Alterum genus, quod rubrum est, à Meridionalibus nostris vocatur* a Rocher, *ab Aquilonalibus* a rede Gurnarde.

Gurnardi. a Gurnard a gray gurnard a Rochet. a rede Gurnarde.

In littore Orientali Angliæ, vt in Essexia, hoc est Orientali Saxonia; & Norfolcia & Sudfolcia, fieri potest, vt Gurnardus Curre *appelletur. at in alijs omnibus Angliæ prouincijs nomen hoc prorsus ignotum est. Locustam marinam nusquam audiui vocatam* a se Creuis, *sed perpetuo* a Lobster.

Locusta mar. a Lobster.

Est alius huius generis piscis in Northumbrico mari nusquam visus, sed in Occiduo frequens, qui vocatur a loug Oister. *cornicula habet, cubito subinde longiora.*

a loug Oister.

Polypus à piscatoribus, qui Vectam insulam incolunt, vocatur a pour Cuttel. *In Portlandia peninsula, mullus mihi verus conspectus est, quem piscatores vocant* a sore Mullet.

Polypus. a Pourcuttel. Mullus. a sore Mullet.

Merulam in littore Occiduo *me vidisse puto. hanc piscatores illic vocabant* a Cookefishe. *Qui rogati nominis causam, responderunt hinc hoc nominis esse consecutam, quod nautarum coci iure quodam suo propter delicatum saporem, apud se retineant & coquant, quum reliquos omnes facile ad quæstum distrahi patiantur.*

Merula. a Cookefishe.

Anglorum Menau *cum Bellonio Aristotelis Phoxinum esse consentirem, si* ἐν τῷ περιλιμνάσι τῶν ποταμῶν καὶ τῶν λιμνῶν πρὸς τοῖς καλαμώδη οἷον πέρκη, *pareret. Verùm quum extra omnem controuersiam sit Menowas nostras nunquam in περιλιμνάσι fluuiorum & lacuum parere: sed semper in saxosis vadis aut sabulosis, vbi rapidiores sunt aquæ decursus: ipse in hac re subscribere non adeo.*

Phoxinus.

Apua quæ à Cantabrigensibus vocatur a Spirlyng, *à Londinensibus, dum recens est* a Sprote,

Apua. a Spirlyng.

a Sprote. **a Sprote**, *& infumata* **a rede Sprote**, *aut* **a dryed Sprote**, *non est Harengæ soboles, vt quidam affirmant, sed sui generis piscis, à parente nullo ducens originem.*

Araneus piscis, & malacostracus puto **a qua wyuer**. *Araneus mar in sectum.*

Araneum Plinij nostri piscatores vocant **a qua wyuer**, *hoc est malam uxorem. nusquam in Anglia audiui aliter uocari. Araneum marinum alium in Frisia uidi, ita similem domestico, ut in sola magnitudine à terrestri differret.*

Pectines. **a Scallop.** **a Cok.** **Cokle.**

Pectinum in Anglia duo summa genera habemus, quorum maius uocatur **a Scallop**. *minus uerò nominatur prope Portlandiam* **a Cok**, *à forma gallinacei capitis, quam piscis apertus exhibet. Sub hoc genere continetur pectunculus ille per omnia littora frequens,* **Cokle**, *id est gallulus, per totam Angliam dictus. Concha quam pro pectunculo Bellonius ostendit, non per omnia pectunculi nomen meretur, quod strigiles & strias non rectas pectinis more, sed transuersas habeat. A pectunculorum tamen generibus non omnino separo.*

Hæc sunt ~~quæ~~ *Gesnere, quæ omnibus auxilijs commentariorum meorum destitutus, sola adiuuante memoria, de historia piscium colligere in præsentia potui. Quæ si boni consuluerit, quicquid huius generis obtigerit, haud grauatim tibi communicabo. Vale. Wissenburgi, Calendis Nouembris, anno 1557.*

CON-

CONRADI GESNERI
AD CANDIDVM LECTOREM
PRÆFATIO:

Primum de Rondeletij, Bellonij & Saluiani libris, qui de Aquatilium Historia inscribuntur.

Deinde de suo hoc volumine.

Velim te, benigne Lector, Epistolam Nuncupatoriam primùm perlegere, quod in ea quædam contineantur, quæ cum hîc repetere non libeat, ignorare tamen te nolim.

Huic nostro volumini quoniam Rondeletij & Bellonij scripta inseruimus: de his authoribus quædam præfabor: & de Saluiano quoque, cuius Liber De aquatilibus animantibus Romæ nuper excusus est. De reliquis verò tum antiquis, tum recentioribus eiusdem argumenti scriptoribus, infrà in Catalogo huius generis scriptorum dicam.

Primùm igitur in tribus istis, (Rondeletio, Bellonio, Saluiano,) aliquid commune inuenio quod in omnibus summopere laudem: id autem est Voluntas, qua singuli quantum potuerunt præstitêre, voluissentque (non dubito) amplius, si potuissent. Elaborarunt certè & præstiterunt plurimùm, idque variis modis, obseruando, scribendo, peregrinando, præsertimduo, (nam Saluiani peregrinationes nescio,) & dissecando: atque insuper sumptus magnos fecerunt: & quod maius est tempus (quo nihil homini preciosius in hac vita dari potest,) consumpserunt, vt hanc Naturæ partem multis hactenus seculis obscuram illustrarent. Quamobrem omnes literarum cultores, & qui viuimus, & posteri, plurimùm eis debemus: qui cum magnam ætatis partem, ad maiora priuata commoda proculdubio conuertere potuissent: iis neglectis philosophiam, hoc est publicum & vniuersale commodum præposuerint. Diuinum hoc aliquid est, quàm plurimis aut omnibus prodesse velle. Boni certè viri est, primùm velle prodesse: deinde hoc ipsum certa ratione & via instituere, prudentis: denique fortis in labore perseuerare. Hæc omnia illis tribuo. Atque vtinam etiam ipsi inter se, siue meritò, siue ex abundantia bonitatis, vt viros sapientes decet, sibi atribuerent, vt præter alias virtutes candidi etiam ingenuique viri tum essent, tum aliis videri possent: neque philosophiam vulgo deridendam mutuis inter se rixis & vitiosis æmulationibus propinarent. Laudo equidem æmulationem in promouendis rebus bonis, sed tacitam, aut saltem modestam. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. At si contentio rixosa, si conuitia & maledicta, si ambitio & φιλαυτία nimiæ accedant, nulli non bono viro huiusmodi æmulatio displicuerit. Impotens & intemperans plerunque humanum ingenium, si semel inuidia, æmulatione immodica, iracundia aut simultate labefactetur, redintegrari vix potest: & pro simplici iniuria multiplicem refert: quodque in beneficiis præcipit Hesiodus vt rependantur Αὖτῳ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον· αἶψα δὲ μύθῳ: id infectus inuidia similiue affectu animus ad iniurias detorquet: quas quidem plerosque compensare videmus, non solùm æquales, pro iure talionis, quod humanum quodammodo est, sed ferarum more, multò maiores; quod & mihi nuper accidit, qui cum vna de re à quodam literis prodita dubitassem, is mox ita respondit, vt neque dubitationem meam solueret, & simul iratus omnem ferè integris operibus meis authoritatem imminueret. Verùm ego illi ignosco: & alios quoque riuales, hoc est eiusdem argumenti scriptores, vt mutuò sibi ignoscant, nec summo iure in sese vindicandis vtantur, vt Christianæ an cuius sint religionis studiosi ignores, admoneo & hortor.

Rondeletio, Bellonio, & Saluiano, cõmunis laus qua.

Æmulatio bona & mala.

Ἔλεγχ' ἐλέγχει, λοιδορείσθω δ' ἐπέτης Ἄνδρες φιλόσοφοι, ὥσπερ ἐρετπώλιδες. Vt unum arbustum

non fert duos erithacos; ita circa unum argumentum non ſunt tranquilli ſcriptores duo, ſi uel ambo contentioſi ambitioſiq́ue fuerint, uel altereorum. Interim non probo, ſi qui alienam gloriam ſibi uendicent, alienis inuentis fruantur ac glorientur: nec à quo profecerint agnoſcant. Ego quod me attinet, quoniam ex omnium libris profeci, omnibus gratias habeo ingentes: omnes illos & amo & uenéror præceptorum loco: ſicuti & alios uniuerſos, qui bono propoſito literas iuuandi, utcunque aliqua ambitio comitetur, lucubrationes ſuas in publicum ædunt. Quòd niſi Bellonium & Rondeletium magni facerem, certè ſcripta eorum volumini meo non acciuiſſem: nam Saluiani librum tardius accepi. Collegeram ego ex ijſdem authoribus, quęcunque de omni aquatilium genere ſcripta apud veteres extabant. Hæc meo more, ut in Libris de auibus & quadrupedibus feci, expoſuiſſem: quæ uerò inſuper ipſi obſeruarunt circa nomina & naturas ſingulorum, breuiter complexus addidiſſem: atque ita & meo inſtituto & lectorum quoque commodo magis ſatisfeciſſem: minus enim quæ ad unum caput uel ſegmentum pertinent, diuulſa fuiſſent, quàm nunc ſunt. Sed volui fauere honori eorum, & quàm maxime fieri potuit integra de ſingulis capita, ut ab eis ſcripta ſunt, relinquere: meas verò obſeruationes Corollarij uice addere. Hoc ſi rectè & honorificè eis à me factum accipiant, gaudebo: ſin minus, boni inſtituti conſcientia fretus acquieſcam. Inuitus equidem ad condendum hoc volumen acceſſi, qui homo ſum mediterraneus, & multis occaſionibus ad illuſtrandam hanc hiſtoriam careo: ſed cum typographus noſter ante aliquot annos meo conſilio, in omne animalium genus depingendum ſculpendumq́ue ſumptus feciſſet, antequã alium quenquã idem moliri audiuiſſem: cum de Quadrupedib. & auib. libri vltra opinionem excreuiſſent, piſces relicti ſunt: de quibus nunc ſeorſim, ne tãti ſumptus fruſtra eſſent facti, mihi ſcribendum fuit. Sed ad inſtitutum ſermonem reuertor. Primum igitur omnibus illis communis quędam laus debetur, ut dixi: deinde ſua cuique peculiaris eſt.

De Bellonio priuatim. In Bellonio hoc eximie laudandum, quòd in diuerſis remotiſq́ue Europæ, Aſiæ, et Africæ regionibus peregrinatus, multo tempore, maximis laboribus, & diſcrimine uitæ, per tot itinera & maria, multa huic noſtro ſeculo & ante hoc pluribus incognita prodidit: ſicut in aliorum quoq; animalium ac ſtirpium genere, alijſq́ue rebus multis , de quibus libri eius partim æditi ſunt, partim magno deſiderio ædendi expectantur. *De Rõdeletio.* Rondeletius diligentiæ ſummæ circa indaganda uera ac uetera piſcium nomina, eorumque deſcriptiones (peregrinatus etiam ipſe ad Belgas & Italos) uariam eruditionem, & explicandis dubijs obſcuriſque authorum locis haud uulgarem ſolertiam adiunxit. *De Saluiano.* Saluianus uerò (quanquam eius liber, ad centum duntaxat piſces, nec multa in eis noua contineat) diligentiſſimè ea quę ipſe uidit ac diſſecuit, deſcripſiſſe uidetur: & iconum in ære ad viuum expreſſarum accurrata pulchritudine omnes ſuperat. Eius ſecundum quoque librum, quem promittit, maturari optamus.

De præſenti uolumine Hactenus de illorum libris: nunc aliquid de noſtro hoc dicendum. Hoc igitur noſtrum Volumen Rondeletij quoque & Bellonij ſcripta, quę de ſingulis piſcibus ſunt, complectitur, ne quid in hoc argumento deſiderare lector poſſet. Ego enim (ut ingenuè fatear) homo mediterraneus & procul à mari diſſitus, (qui mediterranei partem in Prouincia olim breui omnino tempore uidi, cum harum rerum leuiter eſſe ſtudioſus inciperem: deinde Adriaticum Venetijs, ubi menſtruo tantũ ſpatio, piſces maximè videndi ac depingendi gratia immoratus ſum,) multa & pulcherrima eorum quę illi accolæ marium ſuorum, & peregrinati etiam ad externa obſeruarunt, ignoraſſem, niſi ex ipſorum libris hauſiſſem. Itaque facile illis hac in parte concedo: multiplici tamen lectione & philologia, qua hoc argumentum illuſtraui, ij quos hęc varietas delectat, Geſnerum hac parte præferent cui etiam Germani, Angli, & alij quidam populi debebunt, quòd uſitata eis uocabula paſſim iconibus propoſitis accommodârit. Conferendis etiam & iudicandis authorum ſcriptis, cum aliorum tum ipſius Rondeletij atque Bellonij, forte præ illis aliquid pręſtiti. Item in piſcibus quibuſdam lacuſtribus deſcribendis, cum lacus multi & magni in regionibus noſtris habeantur. hæc alij iudicanto. Hoc ipſe mihi nullo pudore uendicârim, neminem tum ſcribendo tum aliâs maiores hoc in genere labores ſuſtinuiſſe. etſi enim integra ferè illorum ſcripta uſurpaui: oportuit tamen ea ſubinde cum meis quę iam parata habebam collectaneis conferre: ne quid repeterem temere ex ijſdem authoribus. Pleraque etiam authorum loca quæ illi citant, in archetypis, quorum aliqua emendatiora habui, vt Plinij, Athenęi: aut locupletiora quoque, ut Aeliani, &c. quæſiui. itaque paſſim quędam, uel in ipſorum oratione, per parentheſes, & characteres minores, in contextu plerunque, interdum ad margines, uel in Corollarijs meis, emendaui aut explicaui. Corollaria autem nunc nomino, omnia quæ noſtra ſunt in hoc volumine, tum quæ ſub Corollarii titulo continentur, tum alia quibus Rondeletii Belloniiq́ue nomen adſcriptum nõ eſt. Gręcæ quidẽ linguæ peritia, quam mihi à puero familiarem habui, non parum toto hoc opere me adiuuit, & meis melius condendis, & explicandis aut emendandis alienis. Quæ etſi plerumque non ita magni ſint momenti: ego tamen eo ſum ingenio, ut omnia quam fideliſſimè propriiſſimeq́ue reddere cupiam, & orthographias ac etymologias uocabulorum accuratè curioſeq́ue perſequar. Certe ſi ſuas lucubrationes, ut in Gallijs æditæ ſunt, cum noſtra hac æditione conferant, longe caſtigatiora ſua ſcripta prodiiſſe induſtria noſtra fatebuntur. In plurimis quidem, pręſertim nominibus piſcium, quos nondum

vidi Germanicis aut alterius linguæ, quanuis dubitantur, coniecturis tamen artificioſis & veriſimilibus ita ſum vſus, vt alijs poſt me occaſiones certius omnia indagandi explicandiq́ue præbuerim maximas.

¶ De eodem animali, modo Bellonij, modo Rondeletij ſcripta præpoſui, aliâs fortuitò, aliâs vt mihi hæc condenti commodius videbatur. *Ordinis ratio.* Corollaria noſtra ſemper ſubtexui. Cum vero generis vnius ſpecies plures ſunt, plerunque Rondeletij Bellonique aut amborum de ijs omnibus ſcripta primùm poſui, deinde Corollaria addidi. ita vt non de vnaquaque ſpecie ſemper illorum & mea ſcripta coniuncta legantur. Sed hæc & huiuſmodi, quiſquis vel pauculas horas his legendis dederit, facilè per ſe obſeruabit: quemadmodum etiam quod piſcium nomina ad ſuum alphabeticum ordinẽ retulerim pleraque, ijs exceptis quorum genus aliquod amplum eſt. ſic conchas ſpeciales pleraſque poſt Cõcham in genere in C. elemento deſcripſi, quanquã hoc etiam aliquãdo non obſeruaui, præſertim cũ ſpecierũ nomina ad quod genus referri deberẽt, multis obſcurũ aut dubiũ fore videbatur.

Alphabeticum autem ordinem ſecutus ſum, quoniam omnis tractatio noſtra ferè Grammatica magis quàm philoſophica eſt, & quia in præcedentibus quoque libris noſtris De quadrupedibus & auibus eundem ordinem ſeruaui. Videbatur enim is commodior ad inquirendum, ſicuti & Lexicorum ordo harum rerum imperitioribus. nam indicem ſemper quęrendi cauſa adire, ſæpe moleſtum eſt. Neque hoc ſine exemplo veterum quorundam doctiſſimorum hominum feci: ita tamen hunc ordinem temperaui, vt ſæpius quæ cognita ſunt, coniunxerim, vt Conchas, Cancros, Galeos, &c. Ad hæc ego mihi omnia quæ apud quoſuis authores huius argumenti extant, colligenda imperaſſem, permulta autem ex eis dubia & incerta ſint, vt ad quod genus referas non conſtet, literarum ordinẽ hîc etiam commodum eſſe ratus ſum. Quod ſi adhuc clamitent aliqui Grammaticum hunc ordinẽ eſſe, & à philoſophis reprehendi: audient me non ipſis, neque philoſophis, qui pauciſſimi ſunt, ſed grammaticis & mei ſimilibus, tyronibus philoſophiæ, quorum maximus eſt numerus, hæc condidiſſe. Laudo equidem ordinem ipſorum & præfero, ſi ſimplex comparatio fieri poſſet in diuerſo inſtituto. Præſtantior & philoſophicus ipſorum ordo eſt: meus Grammaticus, & pleriſque vtilior, Icones quidem ſi cum nomenclaturis dedero, ſicut in Auibus etiã et Quadrupedibus feci, per claſſes ſecundum genera & ſpecies, quoad eius potero, pinxeram.

Alphabeticus ordo. Porrò quod aliqui ſcripta noſtra De animalib. Centones appellant, ijs hoc nomine nõ iraſcor, qui ipſe hoc profitear, ex multiplici lectione & omni authorũ genere mea eſſe congeſta. Quod verò hoc inſtitutum etiam reprehendunt, magnũ tũ inſcitiæ tum ingratitudinis eorum argumentũ eſt. Ingratitudinis, quod pro tãtis laboribus (qui certè maiores ſunt in conſuendis ritè centonibus, quàm integro aliquo libro conſcribendo: id quod ego vtrunq; expertus, affirmo) non modo gratias non agãt, ſed etiam deprimant noſtra, vt ita nimirum extollant ſua: adeò ſumus φίλαυτοι. Inſcitiæ, quòd nõ intelligant quam optandum foret in omni ſcientia tales extare commentarios quales noſtri De animalibus ſunt, hoc eſt Pandectas quaſdam, aut ſi mauis Centones, aut etiam Myriones, ex veterum ac recentiorũ libris collectas ac ordine digeſtas: quorum vtrunque hominem non ſolum laborioſum requirit: ſed etiam variarũ lnguarũ peritum, vt è diuerſis transferat, & iudicij methodiq; non imperitũ, vt ſingula in ſuos referat locos. Quæ omnia in meis De animalib. libris, ſi nõ abſolutiſſime, qua potui tamẽ diligẽtia præſtiti, ita vt vix aliud opus ſimile in vlla ſcientia extare putem. Verũ ego tantis laboribus locupletare rẽpub. literariam nõ contentus, innumera de experientia mea, & vſu & ratione confirmata quædã ijſdem in libris prodidi, quanuis nõ deeſt qui impudentiſſimè nihil huiuſmodi à me factũ & dicat, & ſcribat publicè, nomine tamẽ meo diſſimulato. Optandũ, inquam eſſet, (niſi ego prorſus deliro, & ille eximiè ſapit,) in omni ſcientia extare huiuſmodi Pandectas, (ſicuti copioſius vbi in librũ De auib. præfatus ſum, oſtendi:) & rurſus earundẽ Compendium idoneo & æquabili ſtylo conſcriptum, & lectioni continuandę deſtinatum, cuius Pandectæ illæ veluti commentarij eſſent. Hæc me hoc loco repetere impudens & ambitioſa quorũdã improbitas, & improba φιλαυτία coegit.

Ad calumniatores. Stylũ meum & dictionem non excuſo: feci enim hoc aliâs, neq; ego me rethorẽ neq; Ciceronianũ profiteor: grammaticè ſcripſi, & pleraq; omnia, quantũ hoc argumentum & inſtitutũ ferebat, dilucidè. Quidã huius temporis ambitioſiores, & qui vt ſua maximi faciunt, ita aliena contẽnunt, alios qui ſtylum eis ſuppeditarent & excolerent, habuerunt: ab aliis nõ ſolum dictione, ſed toto opere, & in ijs præſertim quæ è Græcis protuliſſe videntur, adiuti ſunt: quod tamen non fatentur. ego quicquid in meis ſcriptis tũ laboris tũ ingenij, cuius authorem non alium citârim, quicquid è Græcorum theſauris ſumptum, id omne meo Marte præſtiti. Quòd niſi ęquiores in poſterũ illi mihi fuerint, quorũ nunc vt honori parcam nominibus abſtineo, nominabo eos aliâs, & alia quæ reticere mallẽ in ipſorũ ambitionẽ dicam. Nihil viri magni aut locupletes mihi, vt alijs pleriſq; ſed amici, hoc eſt æquales ferè, & mediocris priuatæq; fortunæ homines contulerũt. quamobrẽ Lectores, ſi expectationi in quibuſdam nõ ſatisfaciam, ſi dubia quædam & incerta relinquam, veniam dabunt. Satis magnam ego mihi hãc gloriã duco, quod copioſſiſimè omniũ hoc argumẽtũ tractaui: ꝙ aliorũ inuẽtis plurimũ addidi. excellãt alij apud Gallos & Italos ſuos, ego hâc inter Germanos meos gloria cõtẽtus fuero. neq; enim ita affect⁹ ſũ, vt Alexander Magn⁹, q cũ alium etiam mũdũ eſſe audiuiſſet, quod eũ quoq; ſibi ſubijcere

nequiret, ingemuisse fertur. Vtinam & apud Hispanos, & Anglos, imo singulis in regionibus essent, qui eodem hoc in genere versari & excellere cuperent. Mihi quidem vt nihil acerbius ambitiosorum hominum reprehensionibus & conuitijs videtur: ita à bonis & eruditis viris simpliciter modesteque mea emendari iucundissimum fuerit.

Rondeletii & Bellonii scripta quomodo à nobis repetita sint.

Dixeram supra, integra Rondeletij Bellonijque de singulis Aquatilibus scripta à me posita esse, & nihil eorum quæ ipsi protulerunt repetitum. Id magna quidem ex parte verum est. interdum tamen quædam omisi, sed paucissima: aut nulla potius, nisi quæ commodius in Corollario nostro exposita vel recitata sunt. Græcos etiam authorum locos à Rondeletio recitatos plerunque omisi, vbi & prolixiores illi videbantur, & Græca legi nihil opus esse iudicabam, præsertim ex illis authoribus quorum libri passim extant. nulla tamen Græca omisi, quę non prius cum Latina interpretatione diligenter contulerim, ne quid temere omitterem. Ad hæc repetij etiam alicubi nonnulla eorũ, quæ Rondeletius & Bellonius quoque dixerant: sed certam aliquam ob causam, vt cum authores illi non nominauerant: (quod non raro ab eis factum est, vt planior fortè conciniorque eorum flueret oratio: sed ita contigit interdum, vt dubitet Lector ipsine quippiam tanquam oculati testes asserant, an ex authoribus recitent:) vel cum aliquid amplius aliter ve quam ipsi, interdum emendatius, dicendum habebam. Bellonium quidem ægre laturum, quod scriptis suis Corollaria mea & aliquando censuras, adiecerim: & quod ab eo quandoque dissenserim, non metuo: quod animi sui æquitatem & moderationem, cum anno superiore hac iter faceret, cum aliâs, tum hac ipsa in re, mihi approbârit. Sed neque Rondeletium, qui se mihi beneuolum multoties antehac prębuit, meosque in Auium historia conatus adiuuit: & hoc quod nunc facio, multò ante facturum me intellexit, nec improbauit. Non dubito quin ab eo tempore, quo ediderunt ipsi sua, multa vterque addidicerit multaq; in suis emendârit: non idcirco tamen mihi succensebunt, si ego, sic inuitãte proposito meo præuenerim. Quod si aliquando libros suos vel emendarint, vel auxerint, non est quod metuant, ne eadem in Volumine nostro inemendata relinquantur. nam si me viuo mutarint aliquid, id in nostra etiam æditione, si fortè repetatur, vt emendetur, curabo. sin minus, aut alius quispiam, propter typographi saltem commodum hoc faciet: aut Lectores hic admoniti, extentne in Gallijs aut aliubi procusi codices eorũ emendatiores inquirent. Si tamẽ præter expectationẽ meã alteruter eorum in me cõmoueatur, rogo ne publicè aliquid aduersus me effundat, priusquã per delectos arbitros viros bonos & eruditos mecũ agat: quorum ego sentẽtiæ libenter me subijciam & acquiescam. Quod si veluti talionis iure de meis etiã tũ iconibus tum scriptis, siue partẽ siue omnia, eodẽ sibi modo, quo ego ab ipsis edita, in sua transferre volumina velint, id quantũ in me est eis facile & lubens concessero. Instituerã equidem eos quoq; libros, quos De aquatilib. eorũque differẽtijs in vniuersum suo Volumini doctissimus Rõdeletius præposuit, numero quinq;, editioni nostræ adiungere: sed cum iam nimium excreuisset operis moles, abstinui. Sũt aũt illi tã diligẽter, tam eruditè conditi, vt vel illorũ gratia si quis totũ Rondeletij volumen emerit, pœnitere eũ nõ possit. Quanquã & nos in hoc volumine quædã generib. quibusdam cõmunia attulerimus: ut cãcris, hoc est crustatorũ generi: item cetis, conchis: & in Loligine mollibus, &c. & fortassis aliquando, præsertim si author ipse non aduersetur, illos Rõdeletij libros seorsim, similiter vnà cùm Corollarijs nostris dabimus: & singulorũ etiam Aquatilium aliquot Paralipomena quędã breuiter citraq; philologiam addemus: quæ ipsis quoq; (Rondeletio inquã & Bellonio) quãquã his in rebus exercitatissimis cognoscere proculdubio gratum & volupe sit futurum. Multa enim interea dũ hoc volumen imprimeretur super & nominibus diuersis (pręcipue Germanicis) & pisciũ naturis cognoui: quæ historijs iã impressis amplius adijcere non licebat: & in Paralipomena referri oĩa operis magnitudo prohibebat. Philologiam iuuenis amabã, nũc vt eã relinquam tempestiuũ videtur: & ostendã aliquãdo quid breuitate possim: in qua multò plus & vtilitatis & ingenij esse video. Sed cũ ea demũ artificiosa & laudabilis sit breuitas, quæ vtilia omnia cõprehendat: prolixius primũ in singulis se exercere, & ad breuitatis delectũ veluti materiam præparare operæpreciũ visum est. Iuuenes aliorũ testimonijs et authoritate niti decet: ætate vero prouectiores & exercitati per se etiam fide digni & authores haberi possũt, quamuis infirmitas humana vitæq; breuitas nunquam ad plenam rerum, præsertim quæ natura continentur, & quarum fluxa est materia, cognitionem perueniat.

Philologia.

DE ICONIBVS.

PLVTARCHVS in Symposiacis libro 4. problemate 4. (vbi è mari delicias & cibos, omnib. terrestribus præfert.) meminit Androcydis pictoris, qui cũ Scyllã pingeret, natantes circa ipsam veris quam simillimos repræsentarit, (ἐμπαθέστατα καὶ ζωτικώτατα,) vt qui ipse etiam opsophagus esset, hoc est lurco & liguritor piscium insignis. In maxima dignatione operum è marmore Scopæ artificis Cn. Domitij delubro, in Circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis atq; Achilles: Nereides supra delphinos & cete, & hippocãpos sedentes. itẽq; Tritones, chorusq; Phorci, & pristes, ac multa alia marina, eiusdem manus omnia, magnum & præclarum opus, etiamsi totius vitæ fuisset: vt memorat Plinius lib. 36. cap. 5. Quod si hæ & similes à vetustate icones ad nos peruenissent, plurimũ illæ Aquatiliũ historiam illustrassent. Primis nostris temporibus Paulus Iouius, vt piscium historiam excolere

Paulus Iouius

cœpit, ita et picturas eorum fieri curauit, vt ipse refert: quas tamen typis publicatas non puto. Inde post multos annos cum ego omnino negligi ab omnibus hoc argumentum putarem, (Rondeletium enim, Bellonium, & Saluianum, idem moliri nondum cognoueram.) plurimas in Italia & apud nos piscium picturas mihi comparaui. sed dum in Quadrupedum Auiumque historia, & aliis quibusdam libris ędendis hæreo, illi quos iam nominaui, me anteuerterunt. quod mihi certè non ingratum fuit. Ab illis enim icones sum mutuatus, quibus vel ipse carebam, vel quæ ab ipsis accuratius mihi expressæ videbãtur: plurimas quidem è Rondeletij libris, paucas è Bellonij opere: paucissimas, nempe vnam aut alteram à Saluiano: non modo quod tardius liber eius ad me peruenisset: sed quia non plures è centũ illis, quas dedit, deesse mihi videbãtur. Elaborauerat quidẽ sculptor noster ante annos aliquot, non paucas Aquatilium effigies, tũ elegantes, tum maiori quam nũc plerasque dedimus forma. sed nescio quomodo factum est, vt illæ mihi à typographo nõ exhibitæ vtriusq; obliuione, vsq; ad finem fere æditionis latuerint. & nuper inuentæ maiori ex parte nõ amplius vsui esse potuerint: quod & historiæ illæ iam prælo absolutæ essent, & icones aliunde, ex Rõdeletii pręsertim libris, factę multo minores. Sed quas ab aliis acceperim picturas, plerunque aut sum professus, aut ex ipso loco apparet: nimirum ex Rondeletii libris esse, eas quæ Titulo capitis de pisce aliquo ab eo descripto subiiciuntur. Nostræ vel cũ Corollariis sunt, vel Rondeletii Bellonijve scriptis, sed ita vt admoneatur Lector. Quæ ab alijs sumpta sunt, ijs magnitudo eadem relicta est: nostræ verò vt aliis atq; aliis temporib., & à sculptoribus diuersis factę sunt, cũ ego curam illam omnẽ in typographũ necessariò reiecissem, ita magnitudinis nulla seruata proportione plane dispares sunt. Sed hanc culpam facilè minuit quę in B. segmento cuiusq; magnitudo exprimitur. Non multũ quidem refert quantũ vnũquodq; pingatur animal, si reliqua proportio probè seruetur. Itaq; velim spectatorem singulas picturas per se considerare, & partium in singulis proportiones, non ipsas inter se diuersas picturas quod ad magnitudinem conferre. Multa aliunde missa, ita dedimus, vt accepimus: eorũ qui cõmunicarũt nominibus adscriptis. Pauca ad sceleton facta non dissimulauimus. Paucissima prorsus ficta sunt, vt solus (opinor) equus Neptuni fabulosus, ex Bellonii libro. Quædã fortè neq; omnino verè facta, neq; prorsus tamẽ cõficta, vt quę ex Olai Magni Tabula Septẽtrionali mutuati sumus: quorũ fides penes authorẽ esto. Hæc & huiusmodi cũ de quadrupedũ quoq; auium picturis scriberẽ, non solũ præfando culpam sum deprecatus à librorũ initiis: sed in ipsis etiam libris, vbicũq; aliqua suspicio esse poterat, excusaui & nominaui authores. Vtinã verò qui hęc calumniantur, veriores nobis & ad viuũ effictas imagines depromant. Fictitias imagines aliquot in priorib. libris meis (hunc enim nõdũ vidit) appinxisse me ait quidã. Fateor: sed ita vt reprehenderẽ, vt nihil dissimularẽ, vt nominarem authores: quòd si vel vnã à me confictã indicârit ille, aut falsam simpliciter pro vera positã cõuicerit, mendacij eum nõ arguam: quãuis id adhuc possem: qui tanquã non vnã aut alterã, sed cõplures fictitias dederim, in suspicionẽ me vocet: qua frõte qua conscientia, ipse viderit. ego nullius mea spõte mẽdacii in libris meis mihi cõscius sum. Hęc me hoc loco scribere, tãta in tãtos labores meos ingratitudo cogit. Hoc nõ diffiteor: picturas nostras nõ vbiq; elegantes aut accuratissimas esse: sed eam culpã (si quæ est) in typographũ, qui sumptus sustinebat, inq; pictores & sculptores reijcio. qualescunq; sint aũt, verę sunt, hoc est, ad naturam factæ: vel ad archetypum alterius authoris qui semper nominatur.

DE NOMENCLATVRIS AQVATILIVM.

A. B. C. D. &c. literę, quas passim marginibus adscripsi tum in meis, tũ in aliorũ scriptis, quid sibi velint, expositum est in præfatione Libri I nostri De animalibus. In A quidem segmento nomina deprompsimus vetera & recentiora. est autem præcipua circa antiquorum nominũ inuentionẽ difficultas: altera, vt ex linguis diuersis hodie vsitatis, vni rei vocabula diuersarũ gentiũ accommodẽtur. nam ne vna quidẽ lingua regionib. & dialectis plurimum diuersis easdẽ rei vni nomenclaturas vbiq; tribuit. Pythagoras dicebat ὅτι πάντων σοφώτατος ἐστιν ὁ ἀριθμὸς, δεύτερος, ὁ τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα θέμενος, vt tradit Aelian⁹ Variorũ 4. 17. Libellũ q Germanica Aquatiliũ nomina alphabetico ordine enumerat, & multa interpretatur, ad magnũ hoc Volumen præparandi me causa ante bienniũ ædidi: quo cũ & Ouidij Halieuticon poëmatium ex emendatione nostra cũ scholijs coniunctũ est: & Aquatilium enumeratio iuxta Plinium aliquatenus emendata explicataq;. Eum forte olim emendatiorẽ & auctum dabo. multa enim ab eo tẽpore addidici: nec mirum, cũ particularia fere infinita sint, & multo magis nomina quàm res. Vbi Germanicas nomenclaturas ignoramus, ab Anglis mutuari licebit: idq; multò iustius, quàm à Græcis Romani, aut à Romanis Græci mutuati sunt quædam: quæ duæ sunt longè diuersissimæ lingue. Germanicæ vero & Anglicæ maxima intercedit affinitas, vt in Mithridate nostro ostendimus. Licebit & fingere in lingua nostra Aquatilium quorundã nomina, nõ cuiuis, sed homini circa eorũ naturã exercitato & perito: nõ temere; nec ita vt Græcis Latinisve vtamur ad nostrã terminationẽ deflexis, vt si p Salpa, Mæna, dicas Salper, Mener: hoc .n. vt cuiusuis est, ita vel inscitiæ vel necessitatis signũ est. Necessariò enim, aut saltẽ melius, in rebus omnino peregrinis, nominib. quoq; peregrinis vtimur. At in iis Aquatilib., quæ nostrũ mare fert (nostrũ appello,

De nomenclaturis Germanicis cum aliis tum fictitiis

propter linguę commercium, etiam ſi longius à nobis quàm Adriaticum aut Liguſticum diſtet) vel ijſdem nominibus vtendum nobis, quibus Germani marium accolæ vtuntur, ſi modò ea nobis cognita ſint: vel noua ſunt fingenda, idque præſertim ad imitationem alterius linguæ, Græcæ, Latinæ, Italicę, Gallicæ, Anglicæ, Illyricæ, ita vt eadem etymologia & ſignificatio à nobis interpretantibus retineatur: vel quoniam fluuiorum & lacuum piſces nobis notiores ſunt, ab illorum ſimilitudine marinos multos nominare poterimus, atque ijs potius nominibus vti, quàm proprijs ipſorum Germanicis: quorum non pauca nobis & obſcura ſunt, & certum nihil ſignificant. Itaque nomina Germanica modò propter penuriam cõfinxi: modo etſi vel Anglis vel Germanis Oceani accolis vſitata haberem, addidi tamen & alia eorundem aquatilium, vel aptè ficta, vel circumloquutione vſus, noſtræ ſcilicet dialecto magis conuenientia, vt & res ipſas magis explicarem: & linguę noſtræ, quæ hac in parte hactenus manca etiam doctiſſimis viſa eſt, copiam oſtenderem. Proderit autem hic labor meus imprimis grammaticis, tum illis qui pueros docent, tum qui ſcribendo interpretantur: & illi qui forte hoc opus in Epitomen contractum Germanicè reddet. Ficto quidem apposite vocabulo, ſimul animalis forma naturaque vno ſæpius nomine indicantur. Licuit hoc Gazæ, dum Græca Latinè interpretatur: & laudatus eſt à viris doctis, etiamſi in more Latinis id antea non fuiſſet. Licere hoc philoſopho, imo eius officium eſſe, teſtis eſt Plato. Philoſophus autem dici debet, non vniuerſalis ſolum: ſed in ſingulis quoque rebus, quarum quiſque naturas callet, particularis. Duo autem præcipui in impoſitione nominum ſcopi eſſe debent. Primus imitatio alterius linguæ. debetur enim ſuus antiquitati honor, & retineri vetera præſtat, quam imponi noua. Secundus, ſi noua ſint ponenda, vt nomen omnino aliquid ſignificet, non commune aut vulgare, ſed in re quæ nominatur aliquid eximium & peculiare: (quod cum ad nominum memoriam, tum ad noſcendas rerũ naturas vtile fuerit:) ſiue ſimplici nomine, ſiue compoſito vti placuerit. Habet ſanè lingua noſtra vtcunque barbara, fingendi componendique facilitatem commodam, quòd pleræque in ea dictiones monoſyllabæ aut diſſyllabæ ſint: quæ multo commodius quàm polyſyllabæ componuntur. In multis quidem compoſitis Maris vocabulum vſurpamus. idque noſtra lingua Meer potiùs quàm See ad vitandam homonymiam appellare libuit. Multis etiam compoſitis additur nomen fiſch, vt Hornfiſch/ Monfiſch/ Sternfiſch. & cetorum nominibus Wal, quod commune cetacei generis nomẽ eſt. In auium genere plurima per onomatopœiam, id eſt vocis aut ſoni imitationem, poſita ſunt nomina, quod in piſcium genere muto non fit: præter Cuculum fortè: quem & Angli à voce a Curre nominant: nos rectè dicemus ein Kurr vel Kurrfiſch: et alios paucisſimos (vt Chromin. Lyrã). Quod ſi quis vel à ſe vel alijs confictto nomine interpretandi gratia vtatur, fateri id debet: quod ego quoque ſemper obſeruo. neque enim decet obtrudere aliis noſtra figmenta ſed ſua cuique libertas eſto, aut retinendi noſtra, aut noua fingendi. Sunt quæ in maribus & fluminibus Germaniæ non reperiantur, vt Sargus, & alii quidam: & fortè Muræna quoque. (Nihil eſt Murena (inquit Bellonius,) in Oceano rarius, cum tamen aliis litoribus planè ſit vulgaris.) His nomina fingi Germanica opus non eſt: vt vel ex nominibus peregrinitas appareat. nam aromatum quoque nominbus peregrinis vtimur pleriſque omnibus.

Epilogus. Hæc ſunt quæ in præſentia præfari mihi viſum eſt. ſi quid aliud Lector expectauerit, id forſan in primi noſtri ſecundive de animalibus libri præfatione expoſitum reperiet: aut ſi vel mediocriter in ipſo hoc volumine ſe exercere voluerit, varias propoſiti noſtri rationes, toto opere ſibi conſtantes, per ſeſe deprehendet. Quod ſi multis in locis nõ ſatisfecero, vt qui (fateor) multa imperfecta, incerta, dubia reliquerim, pro æquitate & benignitate ſua mihi ignoſcet. Meretur hoc laborũ meorũ magnitudo, & voluntatis meæ communibus ſtudijs illuſtrandis deuotiſſimæ propenſio. Cœpi enim profecto ante decennium (quæ maxima ætatis humanæ pars eſt) de omni animaliũ genere multa ſubinde obſeruare, & condendis de ipſorum natura voluminibus materiam omni ſtudio præparare. Præ cęteris autẽ Aquatiliũ hiſtoria me fatigauit, magis omnino varia & multiplex, difficiliorq; (mihi præſertim mediterraneo & penè ad ſummas alpes undiq; à mari remoto homini) quã reliquorum animalium. Vix equidem unquam piſcatorum quenquam tãtũ maritimi exantlaſſe laboris arbitror, ſiue ex illis quos Græci ἑρκοθηρικὰς, πορκέας, γριπίας, πληκτικὰς, ἁσπαλιεῖς, κηροφόνους, σπογγιεῖς, πορφυρεῖς appellant: ſiue illis quos Latinè diceres hamiotas, cetarios, fuſcinarios, retiarios, conchitas, purpurarios, ſpongiatores, & quibuſuis aliis nominibus: non ſolum enim omnibus piſcationum modis capiendi piſces me occuparunt, ſed etiam multæ immanes belluæ, quæ non piſcando ſed vix ingenti apparatu expugnando vincuntur: nec ſolum τὸ μεθημερινὸν, verum etiam τὸ πρὸς φῶς νυκτερινὸν, vt Plato in Sophiſta diſtinguit τῆς ἁλιευτικῆς μέρος tãto tempore ſum expertus. Itaq; nę ille magnã mihi iniuriã fecerit, & ab omni prorſ⁹ humanitate alienus fuerit homo, qui me tãdiu per omnia maria (vt flumina & lacus ſileã) circumuectũ, & vt omne genus animãtiũ expiſcarer, plusquã Vlyſſeis errorib. nec minori tẽpore defeſſũ, nũc tabulis fractis, corpuſculi viribus lucubrãdo exhauſtis, ætate cõlũpta, portus & quietis auidũ, nulla miſeratione aut benignitate dignatus, quòd pauca quædã nõdum perluſtrata mihi ſuperſint, portu & quiete excludat, cõuitijs tãquã omnino pigrũ & plane ingloriũ ꝓſcindat. Nõ deerũt tamẽ (ſcio) huiuſmodi quædã ingenia (vt neq; ſutor Apelli neq; Momus Prometheo, neque

neque ſua Maſtix Homero (aduerſus quæ optimum & doctiſſimum quenque vt mihi faueat & patrocinetur oro & obſecro. Cogitandum hanc cognitionem nunquam fuiſſe perfectam: & eam quoque partem quam Ariſtoteles aliique pauci illuſtrarunt, multis ſeculis obſoletam & penitus neglectam, nuper omnino reuocari cœpiſſe: maximam eſſe principii vim & dignitatem, ideoque nobis, qui inter primos ſumus, etiamſi non multum prȩſtiterimus, principij tamen nomine plurimum deberi. Inexhauſtam eſſe Deus naturam voluit: vt ita multo magis ad ipſiusmet, qui naturę omnis opifex eſt, ἐξ οὗ κρέμαται πᾶς οὐρανὸς καὶ πᾶσα φύσις, infinitam vim & incomparabilem maieſtatem animis concipiendã moueremur. Voluiſſem certè diutius hanc editionem differre, donec multa adhuc mihi dubia incertaq; cognouiſſem plenius, ſi per typographum licuiſſet: qui quòd ſumptus magnos in ſculpendis iconibus feciſſet, longius differri non eſt paſſus. Acceſſerunt & ſtudioſi harum rerum, efflagitatores perpetui. Et ipſe mecum reputaui, ædito opere multos me de ijs quæ ignoro adhuc admonituros, alios æmulatione, alios amicitia commotos: atq; ita emendanda quædam, & augendi mutandiq; in hoc opere occaſionẽ datũ iri: quæ libro non edito, ſi quid humanitatis mihi accidiſſet, inemendata reliquiſſem.

Sed quid eſt quòd in his excuſandis tantũ operæ ponam? equidem egomet mihi vel immodicè in harum rerum ſtudia incubuiſſe videor, nulla aut perexigua interim meliorum ſtudiorum & rei familiaris quoque ratione habita: adeo me alliciebat nimium iucunda mihi vel mei ſimilibus (τῆς περὶ τὴν φύσιν, τὸν γέλωτα τῶν θεῶν, τὸν τοῖς θεοῖς οἰνοχοοῦντα Ἥφαιστον, τὸν χωλεύοντα, ἐπιτηδευμένοις.) ſenſibilium rerum natura. Eſt enim profecto hic omnis rerum mortalium ſtatus, Vulcanus quidã è cœlo deiectus, claudicans & imperfectus, infimus & miniſter deorum. is igne & calore naturæ multa & mirabilia opera fabricat, quibus riſum quidem ἄσβεστον & voluptatem nimis affectam ſpectantibus excitat: at multo illi feliciores ſunt, qui altius animos attollunt, & vitam beatiorem conſtanter, & riſu minimè effuſo, ſed ſobria moderatiſſimaque ſenſuum voluptate adhibita, meditantur. Vtamur igitur hoc Vulcano tanquam fabro, qui nobis ſcalas & gradus ad ſuperiora ex abyſſo & hoc infinito mundo magis magisque in altum ſubuehentes fabricet, nec diu in his gradibus conſiſtamus, neque ad hos tanquam Sirenum ſcopulos conſeneſcamus: relictisque retibus & venatione τῶν ἀλόγων, λογικοὶ καὶ πνευματικοὶ venatores ac piſcatores in æterni nominis eius gloriam euadamus. Quod ſi mea induſtria Naturæ hæc pars magis perſpicua facta eſt, vt poſthac minus diu in eius perveſtigatione inſiſtendum ſit alijs, vel hoc nomine mihi agendæ ſunt gratiæ, quòd ætatem & tempus in aliorum gratiam conſumpſi, vt ipſi breuius in his immorati, citiùs ad meliora, quibus & immorari & immori præſtabit, ſe conferrent. Vale optime Lector, & me ama. id enim ſatis magnum laborum meorum præmium reputabo.

ENVMERATIO AVTHORVM, QVI DE PISCIBVS SCRIPSERVNT, EXTANTIVM ET NON extantium, veterum ac recentiorum.

CVM in primum noſtrum de animalibus librum præfarer, multos nominaui authores, quĩ vel de animalibus monimenta reliquerunt, omni videlicet eorum genere: vnde etiam de piſcibus eos ſcripſiſſe manifeſtum eſt, vt Ariſtotelẽ, Plinium, Aelianum, Oppianum, & cæ. quorum nunc repeti nomina nihil opus eſt: aut ſi quorundam fortè repetantur, aliud quippiam de ijs adferetur.

Piſcium naturam (inquit Apuleius in Apologia 1.) iam pridem inquiſiuerunt maiores mei, Ariſtotelem dico, & Theophraſtum, & Eudemum, & Lycenen (corruptum videtur hoc nomen,) cæteroſq; Platonis minores, qui plurimos libros de genitu animalium, deq; particulis, deque omni differentia reliquerunt.

Aceſias, & Aceſtius. Vide infra inter Opſartyticorum ſcriptores.

Aeliani de Animalibus libri XVII Græcè Latineque à nobis euulgati ſunt, (cum reliquis eiuſdem authoris ſcriptis,) auctiores multò & emendatiores & aliter diſtincti, quam in Petri Gillii verſione, quam alii ante nos ſequuti ſunt, vt Rondeletius quoque: qui librorum & capitum numerum, vbi aliquid ex hoc authore citat, ex Gillii diſtinctione notauit: quam nos plerunque reliquimus, interdum vero ad noſtram æditionem emendauimus. nec multum refert quandoquidem Index copioſus noſtræ æditioni adiectus, mox omnia oſtendit.

Agathocles Atracius ſcripſit de piſcibus ſoluta oratione, Suidas in Cicilio Halieuticorum ſcriptores enumerans.

Agis. Quære infra inter Opſartyticorum ſcriptores.

Apicius de piſcibus librum ſcripſit, quem Halieuſin appellauit, Hermolaus. Extant quidem Cælii Apicii de Re culinaria, vel arte coquinaria, vel obſoniis & condimentis libri decem, quorum nonus Thalaſſa, id eſt, Mare: decimus Halieus, id eſt Piſcator, inſcribitur, in emendata Gabrielis Humelbergii æditione. Vterque

apparatum

apparatum ſeu potius condimenta piſcium diuerſorum præſcribit. Halieuſis nomen piſcationem ſonat Græcis.

Ab hoc Cælio Apicio (inquit Humelbergius) longè alius fuit Romanus ille, qui à Plinio Marci prænomine indicatur, & cuius tanquam guloſi & ventri mancipati, inter Latinos celeberrimi meminerunt ſcriptores: aut alter à Græcis celebratus, & opſophagi nomine inſignitus, vnoque luxu nobilitatus. Quorum hic poſterior à Græcis in Traiani imperatoris tempora reiicitur: & illi in Parthis agenti, vt refert Athenæus, cum multorum dierum itinere abeſſet à mari oſtrea recentia miro ingenio ſeruata ſummiſiſſe traditur. Ille verò prior, Romanus opulentus, & voluptarius, eodem Athenæo ſcribente, Tiberii principatu ſua dilapidauit bona, tandemq́ vitam veneno finiuit.

Apuleius. Quære inferius in L. Apuleio.

Archippus ſcriptor veteris comœdiæ dedit fabulam ἰχθῦς, id eſt piſces, inſcriptam: non autem (vt quidam ineptè tradunt) de piſcium natura aliquid commentatus eſt. In ea ex teſtimonijs quæ Athenæus recitat, apparet eum opſophagos imprimis traduxiſſe: nã & Melanthiũ opſophagũ lixatũ piſcibus tradit διαβρωθησόμενον.

Archytas. Lege infra inter Opſartyticorum ſcriptores.

Ariſtotelis ζωϊκὸν ἢ περὶ ἰχθύων βιβλίον citans Athenæus, peculiarémne aliquem eius librum, an hiſtoriæ animalium partem intelligat, dubitari poteſt. aliqua enim quæ citat his titulis, in libris de hiſtoria reperiuntur: aliqua non, vt librum aliquem Ariſtotelis ſiue genuinum, ſiue ψευδεπίγραφον intercidiſſe ſuſpicemur.

Benedictus Iouius Pauli frater, Larium lacum & eius piſces carmine nobilitauit.

Cæclus. Lege Cicilius.

Cælius Apicius. Vide ſupra in Apicio.

Callimachus poeta Cyrenæus de piſcibus librum condidit, Suidas.

Carolus Figulus libellum ædidit de piſcibus Moſellanis ab Auſonio celebratis.

Cicilius (Κικίλιος) Argiuus poeta Halieutica compoſuit, Suidas. Apud Athenæum libro 1. legitur Cæclus Καίκλος. vtrouis modo legas. à Cæcilio forte detortum fuerit nomen.

Clearchi Solenſis Peripatetici liber de Torpedine citatur ab Athenæo: & alibi de Aquatilibus ſimpliciter, Περὶ τῶν ἐνύδρων, aliâs Περὶ τῶν ἐν τῷ ὑγρῷ.

Crito. Vide inferius inter Opſartyticorum ſcriptores.

Con. Geſneri liber Progymnaſmatum in Hiſtoriam Aquatilium, quo Publii Ouidii Naſonis Halieuticon poematium, & Aquatilium animantium Catalogum è Plinii libro 32. emendauit, & explicauit: & Germanica Anglicaque omne genus aquatilium animantium nomina ordine alphabetico recenſuit, &c. excuſus eſt Tiguri apud Geſneros fratres.

Damoſtratus hiſtoricus Halieutica condidit libris XX. de diuinatione ex aquatilibus, aliaque varia conſcripſit, Suid. Aelianus de Animalibus 13. 21. Damoſtrati libros Halieuticos citat.

Decius Auſonius Moſellam flumen cum ſuis piſcibus decantauit.

Diocles, & Dionyſius. Quære infra inter Opſartyticorum ſcriptores.

Dorionis volumen de piſcibus non ſemel Athenæus citat.

Dubrauij cuiuſdam de Piſcinis librum manuſcriptum Vratiſlauiæ à quodam poſſideri audio.

Edoardi Vuottoni Angli Oxonienſis de differentiis animalium libri X. impreſſi ſunt Lutetiæ apud Vaſcoſanum, anno 1552. in folio. in quibus etiamſi ſuarum Obſeruationum quod ad hiſtoriam nihil adferat, neque noui aliquid doceat: laude tamen & lectione dignum eſt opus: quod pleraque veterum de Animalibus ſcripta ita digeſſerit ac inter ſe conciliarit, vt ab vno fere authore profecta videantur omnia, ſtylo ſatis æquabili & puro, ſcholiis etiam ac emendationibus in varios authorum locos adiectis: & quod priuſquam ad explicandas ſingulorum naturas accedat, quæ communia & in genere dici poterant, doctiſſimè expoſuerit.

Ennius. Quære Q. Ennius.

Epæneti de Piſcibus librum Athenæus libro 7. citat, & eundem librum alibi Opſartyticum nominat, iiſdem ex eo verbis recitatis.

Epicharmus non quidem de piſcibus aliquid, vt quidam putauit, ſed inter alias comœdias vnam titulo Γᾶ καὶ θάλασσα, id eſt Terra & mare, ſcripſit.

Epiphanii Epiſcopi Cyprii Græcum libellum, parui ſanè precii, de animalium natura, Phyſiologi titulo manuſcriptum habeo: in quo explicat animalium quorundam naturas, & eas ad animum, mores, religionem accommodat. pauciſſima autem de aquatilibus inſunt.

Eraſiſtratus. Vide inferius inter Opſartyticorum authores.

Eudemus. Vide ſupra ab initio huius Enumerationis, Apuleii verba.

Euthydemi liber περὶ ταρίχων, hoc eſt, de Salſamentis ſeu ſalſis piſcibus, ab Athenæo nominatur. Vide etiã infra de Opſartyticorum ſcriptoribus.

Franciſcus Maſſarius Venetus in nonum Plinii librum, qui eſt de Aquatilium natura, caſtigationes & annotationes ſcripſit: quas Frobenii cuderunt Baſileæ in 4. anno 1537.

Glaucus Locrus, infra eſt inter Opſartyticorum ſcriptores.

Gregorius Mangolt, ciuis Tigurinus, de Piſcibus, qui in lacu Podamico imprimis, & aliis fere lacubus & fluuiis capiuntur, libellum Germanicè ædidit, typis publicatum Tiguri apud Andream Geſnerum.

Guliel-

Gulielmi Rondeletii libri de aquatilibus Lugduni impreſſi ſunt in folio, anno. 1554. De iis in præfatione etiam diximus.

Hegeſippus Opſartytica condidit. Vide paulò poſt in O.

Heraclidæ duo, ambo Syracuſani. Vide Opſartytica.

Hiceſius in libro multa de nutrimento è piſcibus, ab Athenæo citata, tradit.

Hieronymus Cardanus in Volumine de Varietate rerum, multa de Aquatilibus, ex Rondeletii & Bellonij libris, quæ de ſingulis ſunt, fere mutuatus, refert.

Hippolyti Saluiani medici Romani de Aquatilibus liber primus, Romæ in ipſis ædibus impreſſus eſt anno 1557. in folio magnæ chartæ, cum iconibus ære ſculptis centum. Vide etiam ſupra in Præfatione noſtra.

Iulius Cæſar Scaliger in libris de Subtilitate rerum ad Hier. Cardanum, multa paſſim etiam de aquatilium natura prodit.

Kiranidæ cuiuſdam obſcuri authoris libros 4 de remedijs & miris effectibus ex animalium omni genere & plantarum lapidumque vidi.

Leonides Byzantius ſcripſit de piſcibus ſoluta oratione, Suidas.

Lucius Apuleius in Apologia 1. meminit ſe libros de Piſcibus Græcè ſcripſiſſe, & alios Latinè. in quibus (inquit) animaduertes, cum (alia) cognitu rara, tum nomina etiam Romanis inuſitata, & in hodiernum, quod ſciam, infecta, (forte indicta:) ea tamen nomina labore meo & ſtudio ita de Græcis prouenire, vt tamẽ Latina moneta percuſſa ſint. Et mox conqueritur ſe reprehendi, quod res pauciſſimis cognitas Græcè, Latinè proprijs & elegantibus vocabulis conſcribat. Et rurſus, conſcribere ſe de particulis omnium animalium, deq́ ſitu earum, numero & cauſis.

Lycenen quendam de piſcibus ſcripſiſſe Apuleius memorat, nomine (vt ſuſpicor) deprauato. Lyceas quidẽ & Lycon authorum nomina ſunt, quorum hic de Pythagora ſcripſit, ille Aegyptiaca.

Marcus Antoninus Cæſar & philoſophus, de piſcibus nonnihil ſcripſit: cuius etiam quædam extãt adhuc, Lilius Greg. Gyraldus. Ego nihil eius extare puto, præterquam libros 12. περὶ τῶν καθ' ἑαυτὸν (vel, vt Suidas citat, τοῦ ἰδίου βίου διαγωγὴν ἐν βιβλίοις ιβ.) quos patruelis meus hoc tempore excudit. Ii & Romæ in Vaticana Biblioth. ſeruantur. Antonini Auguſtini Itinerarium, iam neſcio an eiuſdem authoris ſit. Mihi quidem hunc tantum philoſophum de piſcibus commentari voluiſſe, vix ſit veriſimile.

Mithæcus, aliâs Mythæcus per y. Vide mox inter Opſartyticorum ſcriptores.

Nicolai Mareſcalci Thurij LL. ac Canonum doctoris Hiſtoria Aquatilium, impreſſa eſt Roſtochij in ædib. ipſius, anno 1520. in folio, cum picturis, ſed fictis & abſurdis, iiſdem aut ſimillimis, quales in libris Bartolemai Anglici & huius farinæ ſcriptorum de rerum natura habentur. Sunt autem collectanea tantum ex authoribus ordine alphabeti congeſta: proprium nihil, neque obſeruatio vlla, neque nomen Germanicum vllum: quod hercle miror, cum de longinquis nauigationibus ſuis per maria glorietur. Promittit & Zoographiam, & therion hiſtoriam, & ornithographiam, quæ ipſum præſtitiſſe non puto.

Numeni⁹ Heracleota poema halieuticũ ſiue de piſcibus, cõdidit, Suidas. Verſus eius ſæpe ab Athenæo recitãtur.

Olympius Nemeſianus carmine ſcripſit de piſcibus, Gyraldus.

Oppiani Halieutica innominatus quidam Græcus Scholijs explicauit, quæ ad verborum cognitionẽ aliquid fortè fecerint: ad res vero cognoſcendas nihil aut minimum. memini enim in manuſcriptis illis (cum incidiſſẽ in generoſi viri Io. Iacobi Fuggeri Bibliotheca Auguſtæ) multa abſque fructu legiſſe. Vtiliores mihi in eadẽ Io. Brodæi Galli annotationes videntur, quas manuſcriptas Io. Oporinus nobis oſtendit vnà cum Annotationibus in Cynegetica: breui (vt ſpero) excuſurus: quanquam & ea magis philologica ſunt, quàm rerum notitiam illuſtrant. Cynegetica, id eſt libros 4. de Venatione Oppiani, Io. Bodinus Andegauenſis erudito carmine Latino interpretatus eſt, & Commentarium varium ac multiplicem adiecit: quæ Vaſcoſanus excudit Lutetiæ, anno 1555. in 4. Ego manuſcriptum libellum Græcũ authoris incerti, veluti Paraphraſin in Oppiani Halieutica habeo: in quo tamẽ parũ vtile reperio, niſi hoc fortè verum eſt, quod ſcribit piſciculum ceti ducem, muſtelã eſſe.

Opſartyticos libros fere nominant Græci, qui de opſoniis & condimentis agunt, imprimis verò piſcibus, qui per excellentiam ὄψα dicuntur. vnde & Epæneti librum eundem modò opſartyticũ, modò περὶ ἰχθύων nominat Athenæus. Idem libro 12. Primi (inquit) Lycij dicuntur inueniſſe caryccam, (quod ferculi genus precioſi eſt è ſanguine & varijs condimentis: Vide Varinum) cuius apparatum Opſartyticorũ authores docẽt: vt Glaucus Locrus, Mithæcus, Dionyſius, Heraclidæ duo genere Syracuſani, Agis, Epænetus, Hegeſippus, Eraſiſtratus, Euthydemus, Crito, Stephanus, Archytas, Aceſtius, Aceſias, Diocles, & Philiſtion.

Pancrates Arcas in libro inſcripto Ἔργα θαλάσσια, id eſt, Opera marina, multa de piſcibus prodidit carmine, Suidas & Athenæus. apud hunc quidem libro primo, non rectè Pancratius ſcribitur.

Paulus Iouius Nouocomenſis, ex medico epiſcopus Nucerinus, primus (opinor) noſtro ſeculo piſcium hiſtoriam illuſtrare cœpit: quod liber eius de Romanis piſcibus publicatus Romæ primum anno 1524. teſtatur.

Petri Bellonij Cenomian de Aquatilibus libri duo cum eiconibus, editi ſunt Pariſijs anno 1553. in 8. apud Carolum Stephanum. Et eiuſdem liber Gallicus de piſcibus marinis peregrinis, deq́ Delphino, ibidem impreſſus apud Chauderium in 4. anno 1551. Plura diximus ſupra in præfatione.

Petrus Gillius Gallus, primus, opinor, poſt Paulum Iouium noſtro tempore, piſcium hiſtoriam excoluit, libello de Gallicis & Latinis nominibus piſciũ Maſſilienſium ædito: & Aeliani de animalibus libris magna ex

parte

parte translatis, accessionibus auctis quos Sebastianus Gryphius excudit Lugduni in 4.

Philistion. Quære superius inter Opsartyticorum scriptores.

Posidonius Corinthius carmina de piscibus edidit, Suidas.

Pub. Ouidius Sulmonen. Vide supra in Con. Gesnero.

Q. Ennius Phagetica composuit, vt testis est L. Apuleius: quo libro quæ sui & gulæ magis celebrata essent, quoque loco (præstarent quæque) carmine complexus erat, vt apud Græcos Archestratus, Gyraldus. Apuleius aliquot inde carmina recitat, Apologia 1.

Seleucus Emisenus grammaticus versu libros 4. Halieuticorum, seu de piscatione, condidit Suidas. Cæterum Seleucus Tarsensis de piscibus soluta oratione scripsit, vt idē Suidas in Cicilio meminit, & Athenæus.

Sophronis Comici poeta Ἁλιεύς, id est piscator, fabula ab Athenæo citatur.

Speusippus in libro Similium, piscium etiã similes inter se formas exposuit: vnde aliqua memorat Athenæus.

Stephanus. Vide supra inter Opsartyticorum scriptores.

Theophrastus Lesbius scripsit de piscibus prosa, Gyraldus. Vide suprà ab initio huius Enumerationis ex Apuleio, qui tamen non de Lesbio sed Eresio Theophrasto, id est nostro, cuius de Stirpibus alijque libri extãt, sentire videtur. Nostri quidem Theophrasti inter cætera libellus etiam De piscibus in scriptis habetur: inque iis aliud nihil, quã de illis primũ de Aquatilib. inquirit, quæ in terrã egrediuntur & aerẽ videntur haurire: deinde de piscibus fossilibus, quam partem posteriorem nos in huius Voluminis nostri F. elemẽto interpretaturii sumus.

Xenocratis quædam extant de alimento ex Aquatilibus περὶ τῶν ἀπὸ ὑδάτων τροφῆς *quæ quidem Græcè scripta cum nobis vir quidam doctus in Gallia promisisset, non præstitit. Video ea à Vuottono passim in suos de animalibus libros translata, vnde & Bellonius & ego mutuati sumus. sed Vuottoni translatio sæpe mihi nõ satũfacit: vt neque Io. Baptistæ Rasarij apud Oribasium. nam hic libro 2. Collectorum medicinalium ad imperatorẽ Iulianum, cap 58 Xenocratis verba recitat. Vuottonus quidem multa aliter quam Rasarius transtulit, &c. vt omnino codex Græcus desiderans. Idem hic Xenocrates videtur, cuius testimonio tanquam medici sæpe vtitur Plinius lib. 21, 22. & pluribus deinceps. Galenus etiam libri decimi de simplicibus medicamentis cap. 4. è Xenocratis libro 1. de remediis ex animalibus (*περὶ τῶν ἀπὸ τῶν ζώων ὠφελείας *) erba quædam recitat.*

[illegible] DEQVE NOBIS IN HOC OPERE bene meritorum, qui nostros conatus benigne iuuerunt, plerique vel ab initiis præcedentium librorum Historiæ animalium, vel in hoc ipso opere suis locis passim nominantur. nunc quidem præcipuè nomina in mentem venient hæc.

Achilles Pyrminius Gasserus Lindauiensis, Augustanæ Reip. medicus [illegible]

Adamus à Bodenstein, medicus Basileæ egregius, & variarum rerum cognitione clarus.

Adrianus Marsilius à Dongen, pharmacopœus Vlmæ celeberrimus.

Antonius Schneebergius Tigurinus, medicus Cracouiæ pereruditus.

Cornelius Sirtardus felicis memoriæ, medicus ante paucos annos Norimbergiæ excellentissimus: qui tamen pro plurimis illis quæ contulit, à Gysberto Horstio medico Romæ nuper (vt audio) defuncto, accepisse se omnia confessus, in illum potius quam sese omnem honoris gratiam conferri voluit.

Cosmas Holzachius Basiliensis, medicus Scaphusiæ primarius.

Dominicus Monthisaneus medicus Veronæ.

Georgius Fabricius poeta [illegible] *Hermunduros seu Misenos.*

Geryon Seilerus Augustanæ Reipub. summus medicus: & eiusdem filius Raphael I. C. & Comes Palatinus.

Guilielmus Turnerus Anglus, medicus Vuessenburgi [illegible].

Hieronymus Fracãstoneus medicus Veronæ.

Hieronymus Frobenius, typographus Basileæ clarissimus: & de omnibus bonis literis quã optime meritus.

Hieronymus Cardanus medicus & philosophus absolutissimus.

Hieronymus Massarius Vicentinus, medicus & professor Argentinæ [illegible].

Huldrichus Hugualdus Durgius, & in Basiliensi gymnasio philosophiæ de moribus interpres [illegible].

Io. Caius Anglus, medicus Londini [illegible].

Io. Fauconerus Anglus medicus & theologus excellens.

Io. Hospinianus Steinanus, Organi philosophici doctor Basileæ [illegible].

Io. Kentmanus medicus nobilissimus apud Misenos.

Io. Parckhurstus Anglus, [illegible] *poeta* [illegible].

Io. Rabitus, [illegible] *Lausannæ.*

Io. Thaumyllerus iunior, chirurgus Reip. Augustanæ peritissimus.

Iulius Alexandrinus, Ferdinandi imperatoris Augusti medicus illustris.

Nicolaus Speicher pharmacopola Argentinæ solertissimus.

Petrus Bellonius, medicus Lutetiæ vario rerum vsu & experientia clarus.

Petrus Stuibius affinis meus, in ditione Tigurina [illegible].

Sebastianus Buotz Argentinensis medicus ornatissimus.

Steph. Laureus Amorfortius, Ferdinandi Imperatoris Augusti medicus, doctrina & experientia summus. [illegible]

EX

EX PSALMO CIII. SECVNDVM VVLGAREM DIVISIONEM: NAM SECVNDVM HEBRAEOS EST CIIII.

qui Dei O. M. laudes ex variis operibus eius, huius Vniuersi partibus, earumq; affectibus: item ex animalibus, atq; conditis omnibus prædicat.

QVàm plurima sunt opera tua Domine: quæ tu omnia sapientissimè condidisti vt plena sit terra possessionibus tuis? Immensi maris latitudo, quantum inter se distant? Hoc natantium & reptilium innumerabilium genus, tum maximas tum minimas animantes. Per mare transeunt naues, & cetera belua marina, quæ vt in eo luderent creauisti. Hæc omnia te suspiciunt, & tempestiuè à te alantur, expectant. Te dante colligunt: te aperiente manum tuam, satiantur bonis. Cùm verò auertis faciem tuam, perturbantur: cum colligis spiritum eorum, deficiunt, & in puluerem suum reuertuntur.

EADEM INTERPRETE APOLLINARI LAODICENSI, qui LXX. interpretum translationem sequutus est:

Ὡς σέθεν ἀμφιβάλῳο μάκαρ μεγαλίζεται ἔργα·
Πάντ' ἄμα θεσπεσίῃ Σοφίῃ πεπτιλώατο πουλύ·
Χθὼν ἱερὴ βέβεληθεν ἀμετρήτων σέθεν ἔργων,
Κύτ@· ἀπρεσίης τε καὶ εὐρυχόροιο θαλάσσης·
Ἃ τόσσοι βρεμέθοντ@· ἐγείρε) ἑρπετῷ πόντου·
Ζῷά κε θηήσαιο μεμιγμένα μείζονα τυτθοῖς·
Ἔνθα πολυκλήϊσιν ἁλὸς νήεσσιν ἐτύχθη·
Ἔνθα δρακόντων, ὃν ᾧ ἐν πεπτιλώατο παίγνιόν εἶναι·
Εἰς σὲ σε πάντ@ βλέπει δόμεναι φίλον εἶδαρ ἑκάστῳ·
Πάσ δ' ἄρα σωτῆρι ἀγαθῷ ὁκ σέθεν κομίσσει·
Πάντ@ λίλω χάνυ) παλάμας ὅτε σέθεν πεπάσσεις,
Καὶ κλόν@· ἀνὸς ἔχει, ὅτε σὸν τρέψειας ὀπωπήν·
Θυμὸν ἀπαμυμένοιο σέθεν θνήσκουσι δαμέντες,
Καὶ πρὸς τέλος φθινύθουσιν ἄφαρ πρὸς μητέρα χοῦν·

Rursus eadem Hebraicè:

מה רבו מעשיך יהוה כלם בחכמה עשית מלאה הארץ קנינך: זה הים גדול ורחב ידים שם רמש ואין
מספר חיות קטנות עם גדולות: שם אניות יהלכון לויתן זה יצרת לשחק בו: כלם אליך ישברון לתת
אכלם בעתו: תתך להם ילקטון תפתח ידך ישבעון טוב: תסתר פניך יבהלון תסף רוחם יגרעון ואל
עפרם ישובון:

EX SIBYLLINIS CARMINIBVS, QVÆ THEOPHILVS LIB. II. Contra gentes recitat. nam in cæteris Sibyllinorum oraculorum libris nuper publicatis, ea nunc non reperio.

Ἐ'στι θεὸς μόν@· εἷς, ἀγεννήτωρ τε@· ὃς ἀτελεύτητος
Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε, καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον θ' ἁλίην τε, καὶ ὕδατ@· εἰδμαίῳ πόντοιο
Οὐρεά θ' ὑψηλῷ τε, καὶ ἄσπετα κύματα πηγῶν·
Τῶν τ' εὐύδρων χώρησιν ἀπείρεσιμον ἀολλῆ πλήθ@·.
Ἑρπετῷ τε ποίης κινήμενα * ψυχροτόκοιό τε γαίης,
Γοιλίλα τε πετηνῶν πληκτροθόα, τε αὐλίζουσα,
Ἤθεά· * λιγυροπερόφωνα, πτερύγεσσιν ἀείρα πτερόεντα·
Ἐν δ' ἠπείρου ὀρέων ἀρχαίων ἤθεα θηρῶν.
Ἠμὲν τε κτίνη ἑστήκασιν ἀείπτα βροτοῖσι.
Πάντων δ' ἠγήτωρ καπέησιν ἤδὲ δυπτάν.
Ἀνδρὶ δ' ἑστήκασιν πάμπ' οἰκιλα, κ' ἃ καταλήθει·
Τίς γὰρ σὰρξ ἁμύσσεται θνητῶν γλῶσσαν τάδ' ἅπαντας
Ἀλλ' αὐτὸς μόν@· οἶδεν ὁ ποιήσας τὰ δ' ἀπ' ἀρχῆς
Ἀΐδιαστ@· κῦρος, αἰῶνι@·, αἰήρα ναίων·

IOANNES PARKHVRSTVS
ANGLVS

Ad Lectorem.

[illegible]

PHILOLOGVS
QVIDAM.

[illegible]

EIVSDEM
ALIVD.

[illegible]

ALIVD.

[illegible]

ENVME-

ENVMERATIO AQVATILIVM ANIMANTIVM, EO ORDINE, QVO IN HOC VOLUMINE DESCRIBVNTUR.

Numerus adiectus paginam designat.

Nominantur in hac enumeratione ea tantùm, quorum historia aut descriptiones non omnino breues ponuntur: vt quæ à Rondeletio, vel Bellonio, vel Corollariis nostris describuntur, omnia. Omittuntur autem ea, quorum paucissima mentio fit, vocabula tantùm interpretandi, vt fit in Lexicis, vel aliò remittendi gratia, &c. Literæ a. b. *adscriptæ sunt, vbi Genus aliquod proponitur, cuius species plures nominantur, ab* a. *vsque ad* b.

Paralipomenis peculiares sunt paginarum cifræ; vt & suffixæ literæ indices, cùm præcedentibus non cohærentes; ideoq. in his nostris Indicibus, omnibus numeris ad Paralipomena referendis, (qui alioquin cum initio ipsius Operis ijdem esse possent) literam P. adiunximus; ne fortè ad principia nescius, Lector, nullo numerorum obseruato discrimine, recurreres.

A.

Abramis 1
Acarnan 1
Acipenser 2
Aculeatus pisciculus 9
Acus 10
Admos 12
Adonis vel exocœtus 13
Aelias, vel Aelias 15
Aetnæus 15
Agonis vel Chalces 15
Alabes 17
Alauda 17
Alausa, qua & Clupea & Thrissa. 19
a. de piscibus ab albo colore dictis: primum in genere, deinde de Alburno Ausonio, Leuciscis Græcorum, & 22
Albulis lacustribus diuersis 22
Albarnus Ausonia 23
Bubulca Bellonij 23
Blicca dictus piscis Helvetice 24
Ballerus 24
Platya 25
Leuciscí & deinc. 25
Cephalus fl. minor 28
De albis lacustribus & primò de Lavareto Sabaudis dicto 29
Bezola Sabaudorum 31
Ferra vel Pala Sabaudorum 31
Mox autem de iisdem & similibus Corollaria sequuntur. 34
b. Alec seu Halec, & Alex 35
Alphestes vel cinædus 36
Ama 37
Anchorago 40
Anædromi 40
Anadromis 40
Anguilla 40
Anodorcas 50
Antacæus 50 & 52
Exos, vel Zox, Ichthyocolla 50
Huso 52
Ichthyocollarum species 54
Anthias, sexhuius speciesquarta Aulopus dicitur. 55
Anthracides 61
Aper 61
Apervhais 62
a. Apuæ seu Aphiæ 63. in genere primum. 63
Deinde horum ordine singillatim. 64
Apua vera 64
Cobitis 67
Engraulis, vel Encrasicholus, vel Lycostomus 68
Phalerica 69
Apua Mugilum 70
Apua Mandum & Mullorum 71
Pisces sponte nascentes 71
Hepsetus 71
Asherina 72
Lauarones Romæ dictus Asherinæ similis 73
Membras 74
b. Apuarũ reliquæ species 74
Aquila marina 75
Draco sive Araneus Plinij 77
Dracunculus 80
Aranea crustacea 82
Arbor bellua 83
Aries bellua 83
a. Asselli: & primum Merluccius vulgo dictus 84
Merlannus vel Merlangus vulgo dictus 86
Eglefinus vulgo dictus 86
Gobergus vulgo dictus 87
Molua vel Morhua maior, vel Asinus varius 87
Molua minor 88
Colfisch Anglorum 89
Mustela mar. vulgaris 89
Mustela alia vulg. 90
Ophidion Plinij 91
Sequuntur de Asellis Corollaria 91
Primum de Asellis ex veteribus ferè 92
Secundum de Germanicis & Anglicis Asellorum nominibus 94
b. Tertium de mustelabus mar. 96
Asilus sive Oestrus 97
Astacus 98
Astacus paruus ma. 104
Astacus fl. 104
Astagenus 109
Attilus 109
Aurata 110

B.

Bacantibus 113
Balæna vulgò dicta vel Mysticetus Aristot. Musculus Plinij 114
Balæna vera 116
Balanes 121
Balagrus vel Barinus 123
Barbus 123
Bellonius Mystum fl. vocat, & alium etiam marinum Mystum describit. 124
Blax 125
Blennus vel Belennus ibid.
Boops, vel Box, vel Boca 127
Bos 129
Buccinum 131

C.

Callichthys 134
Callionymus vel Vranoscop. 135
Caluaria 137
a. Cancer fl. 137
Cancri in genere 142
Cancer mar. 148
Cancri lutarii & alii quidam 150
Cancer Heracleot. 150

IOANNES PARKHVRSTVS
ANGLVS

Ad Lectorem.

[illegible]

PHILOLOGVS
QVIDAM.

[illegible]

EIVSDEM
ALIVD.

[illegible]

ALIVD.

[illegible]

ENVME-

ENVMERATIO AQVATILIVM ANIMANTIVM, EO ORDINE, QVO IN HOC VOLUMINE DESCRIBVNTUR.

Numerus adiectus paginam designat.

Nominantur in hac enumeratione ea tantùm, quorum historiæ aut descriptiones non omnino breues ponuntur: vt quæ à Rondeletio, vel Bellonio, vel Corollariis nostris describuntur, omnia. Omittuntur autem ea, quorum paucissimis mentio fit, vocabula tantùm interpretandi, vt fit in Lexicis, vel aliò remittendi gratia, &c. Literæ a. b. *adscriptæ sunt, vbi Genus aliquod proponitur, cuius species plures nominantur, ab* a. *vsque ad* b.

Paralipomenis peculiares sunt paginarum cifræ; vt & suffixæ literæ indices, cùm præcedentibus non cohærentes; ideoq; in his nostris Indicibus, omnibus numeris ad Paralipomena referendis, (qui alioquin cum initio ipsius Operis ijdem esse possent) literam P. adiunximus; ne fortè ad principia nescius, Lector, nullo numerorum obseruato discrimine, recurreres.

A.

Abramis 1
Acarnan 1
Acipenser 2
Aculeatus pisciculus 9
Acus 10
Admos 12
Adonis vel exocoetus 13
Aeolias, vel Aeolias 15
Aetnaus 15
Agones vel Chalces 15
Alabes 17
Alauda 17
Alausa, qua & Clupea & Thrissa. 19
a. de piscibus ab albo colore dictis: primum in genere, deinde de Albarno Ausonio, Leuciscis Gracorum, & 22
Albulis lacustribus diuersis 22
Albarnus Ausonius 23
Bubulca Bellonii 23
Blicca dictus piscis Helvetice 24
Ballerus 24
Platya 25
Leuisci & deinc. 25
Cephalus fl. minor 28
De albis lacustribus & primò de Lavareto Sabaudis dicto 29
Bezola Sabaudorum 31
Ferra vel Pala Sabaudorum 31
Mox autem de iisdem & similibus Corollaria sequuntur. 34
b. Alec seu Halec, & Alex 35
Alphestes vel cinædus 36
Amia 37
Anchorago 40
Anadromi 40
Anadromis 40
Anguilla 40
Anodorcas 50
Antacæus 50 & 52
Exos, vel Exox, Ichthyocolla 50
Husò 52
Ichthyocollarursus 54
Anthiæ 55. ex his species quarta Aulopus dicitur.
Anthracides 61
Aper 61
Aperrhais 62
a. Apua seu Aphia 63. in genere primum.
Deinde hoc ordine singillatim.
Apua vera 64
Cobitis 67
Engraulis, vel Encrasicholus, vel Lycostomus 68
Phalerica 69
Apua Mugilum 70
Apua Mænidum & Mullorum 71
Pisces sponte nascentes 71
Hepsetus 71
Atherina 72
Lauarones Romæ dictus Atherinæ similis 73
Membras 74
b. Apuarũ reliquæ species 74
Aquila marina 75
Draco sive Araneus Plinii 77
Dracunculus 80
Aranea crustacea 82
Arbor bellua 83
Aries bellua 83
a. Aselli: & primum Merlucius vulgo dictus 84
Merlanus vel Merlangus vulgo dictus 86
Eglefinus vulgo dictus 86
Gobergus vulgo dictus 87
Molua vel Morhua maior, vel Asinus varius 87
Molua minor 88
Colfisch Anglorum 89
Mustela mar. vulgaris 89
Mustela alia vulg. 90.
Ophidion Plinij 91
Sequuntur de Asellis Corollaria 91
Primum de Asellis ex veteribus ferè 92
Secundum de Germanicis & Anglicis Asellorum nominibus 94
b. Tertium de mustelabus mar. 96
Asilus sive Oestrus 97
Astacus 98
Astacus parvus ma. 104
Astacus fl. 104
Astagenus 109
Astilus 109
Asurata 110

B.

Bacantibus 113
Balæna vulgò dicta vel Mysticetus Aristot. Musculus Plinij 114
Balæna vera 116
Balanus 121
Balagrus vel Barinus 123
Barbus 123
Bellonius Mystum fl. vocat, & alium etiam marinum Mystum describit.
Blax 125
Blennus vel Belennus ibid.
Boops, vel Box, vel Boca 127
Bos 129
Buccinum 131

C.

Callichthys 134
Callionymus vel Vranoscop. 135
Caluaria 137
a. Cancer fl. 137
Cancri in genere 142
Cancer mar. 148
Cancri lutarii & alii quidam 150
Cancer Heracleot. 150

Index.

Cancer Mæa 151
Pagurus 154
Cancer latipes 157
Flavus siue undulatus, 157
Varius siue marmoratus 158
Brachycheles 158
Macrochelus 158
Hirsuti 158
Cancer cordis figura, Cancri parui, qui in alienis testis viuunt 159
Cancellus, qui in turbinatis: & Scyllarus, qui breuior est, & in Nerita habitat 161
Cancer eques 165
Vrsus 165
b. Leo 166
a. Canes 167
Galeres canis, vel canicula Plinii 167
Canicula Aristot. 168
Canicula saxatilis 169
Canes & canicula simpliciter 170
Canes alii diuersi 173
b. Canis carcharias, seu Lamia 173
Cantharus 178
Capriscus 181
Capito seu Cephalus fl. 182
Carpio Benaci 184
Castor 185
Castoris 190
Cetus 190
Cercurus 190
Ceris vel Cirrhis 191
Cernua fl. 191
a. Ceti vel Cetacei pisces, & bellua mar. in genere 193
Ceti diuersi innominati fere, & primum ex veteribus 200.
Cetus cui exposita est Andromeda: & alter cui Hesione 201
& alii diuersi deinc. Ceti diuersi ex recentioribus 202
Cetus umbari 204
Sperma ceti 206
Cete quædam è Tabula Olai Magni 207
Rosmarus 210
Cetus Britannicus 212
Cete aliquot ex descriptionibus Noui Orbis 213. ut sunt, Tiburo, Maraxus, Catullus.
Cete Oceani Germanici 214
Chalcis 216
Channa 219
Chanadella 220
Charax 222
Chelidonias 222
Chromis 223
Chremes, Cremys, & Chremps 225
Cicada fl. 226
Cithari 227
a. Cochleæ in genere 229
Cochleæ marinæ in genere 237
Cochlea quæ in oleario usu erat 239
Cochleæ margaritifera vulgò dicta 239
Cochlea celata cum suo operculo 240
Echinophora 241
Cylindroides ibid.
Lenis turbine obtuso ibid.
Depressa 241
Visibilicus ibid.
Umbilici alii duo, varius & persæpe ibid.
Cochl. umbilicata cum operculo suo 242
Alia umbilicata ibid.
Rugosa & umbilicata ibid.
Cochleæ stagni marini 243
Marinæ diuersæ ibid.
Fluuiatiles 243
Cochleæ terrestres seu limaces 244
Terrestrium species diuersæ 251
De iis quæ arbores, frutices & herbas inuadunt 253
Minutæ, tum simpliciter, tum latæ longæq; 253
Nudæ, primum simpliciter: deinde ruffa, magna & nigræ 254
Nudæ maiores 255
Pomatiæ 255
b. Sessiles ibid.
Cœrulei vermes in Gange 256
Colus 256
a. Conchæ in genere 258
Conchæ imbricatæ 263
Conchæ striatæ ibid.
Echinatæ 264
Longæ 265
Alteræ longæ 265
Conchæ pictorum ibid.
Corallinæ 266
Conchæ rugatæ 266
Conchulæ rugatæ ibid.
Conchulæ variæ 267
Conchæ rhomboides, vel Musculus striatus ibid.
Conchæ leues 268
Galeæ & Nigræ ibid.
Fasciatæ ibid.
Conchæ crassæ testæ, & conchulæ variæ 269
Conchamater unionum ib.
Conchæ diuersæ ibid.
Chamæ 270
Chamæ leues 270
Chamæ Peloris 271
Chamæ glycymeris 271
Asperæ 272
Nigræ ibid.
Rursus de Chamis ex Bellonio, ibid. & deinceps cum Corollar.
Concha diuersa 275
Mytulus vel Musculus parvus ibid.
Mytulus fl. 276
Musculi in gen. 276
Musculi parui aut fœminæ, Plinii Myæ vel Mysiæ Myscæue ibid.
Mytuli seu Musculi maiores, Myaces 277
Mytuli in stagnis marinis 278
Coroll. de Mye, Myace, Mytulo, Musculo ibid.
Musculi aquæ dulcis 281
Procellana vulgò dicta, hoc est concha Veneris, siue Murex aut Rusura Mutiani 281
Eiusdem secunda & tertia species 282
Quarta 282
De eisdem Bellonius, ibid. Corollarium 283
Conchylium 286
Operculum conchyliis & buccini 287
b. Congor 290
Coracinus subniger & albus 294
Corax 299
Cordylus 300
Cornuta 303
Crocodilus 303
Crocodilus terrestris 304
Cuculus 305
Cucumis mar. 308
Cybium ibid.
Cynes oana 309
Cyprinus 309
Cyprini rari & monstrosi 314
Cyprinus clauatus, Pagus vulgo Italis 315
Cyprinus latus, vulgò Brama 316
Pisces diuersi apud Germanos cyprino lato cognati 318
Pisces marini, qui Brama mar. nomine generali nomine vocantur 318
D.
Dascillus 319
Delcanus ibid.
Delphinus 320
Dentales 345
Dromones ibid.
E.
Echeneis 345
Echini 349
Elacaten 359
Elephantus locustarum generis, & alter bellua 360
Elops ibid.
Encatera 362
Ennea ibid.
Eperlanus ibid.
Equus piscis 364
Equus Neptuni fabulosus 364
Eruimus 365
Eruca mar. ibid.
Erythrinus ibid.
Erythrophthalmus 368
Esox ibid
Eschara 369
F.
Faber pisc. 369
Fossiles pisces 371
Fullo piscis 373
G.
Gallus piscis 374
Garum, alex & muria ibid.
Gerres 379
Gladius seu Xiphias, 379
Glanis 384
Glanciscus 388
Glaucus ibid.
a. de Gobiis: & primum de Gobione mar. nigro 393
Gobius albus 393
Gobiorũ differentiæ primùm in gen. deinde de gobio mar. maximo flauescente ibid.
Rursus de Gobio nigro 395
Rursus de albo 396
Corollarium de Gobiis marinis ibid.
Gobio fl. 399
Cottus seu gobio fl. capitatus 400
Asper pisciculus Gobioni persimilis 403
Cobites fl. 403
Cobites aculeatus, & alter barbatulus 404
Gruis mar. simus 407
Gryta ibid.
Guaicanus vel Reuersus piscis Indicus ibid.
Reuersus alter 408
H.
Harengus 408
Hepar dei eclamentum mar. 411
Hepatus piscis 411
Hepsete 414
Herpilla 414
Hesychi ibid.
Hippocampus ibid.
Hippopotamus 417
Hippurus 423
Hirci pisces 424
Hirudo ibid.
Hirudo mar. 433
Hirundo piscis 434
Holothuria 437
Homines mar. & primum de Monacho & Episcopo pisc. 438
Hyæna 441
Hyccæ & Hyscæ ibid.
Hydrus 442
Corol. de Hydro, chersydro, natrice, hydra ibid.
Hydra multiceps fabulosa 457
Serpentes aquatici diuersi 460

a Insecta

Index.

a. Insecta aliquot aquatica 461
Squilla fl. vel Gryllus fluuiatilis ibid.
Phryganium, vermiculus fl. & mar. ibid.
Corollarium de eodem, & similibus aliis fluuiorum animalculis 461
Tineæ vel Scrophulæ aquaticæ, 462
b. Seta vel Vitulus aquaticus 463
Iulis 464
L.
a. Lacertus pisc. 467
Lacertus vel Saurus acubus similis 468
Lacertus peregrinus, seu maris rubri 468
Corollarium 1. de Lacerto & Sauro 469
b. Coroll. 2. de Trachuro 470
Larimus ibid.
Latus 471
Leocrustaceus ibid.
Monstrum leoninum 472
Corollarium de eodem, & bellua marin. huius nominis apud veteres 472
Lepidotus 473
Lepras vel Psorus ibid.
Lepus mar. 475.
Leuciscus 482
Lsbella insectum fl. 483
Ligneum Zoophytum, 483
Lingulaca ibid.
Liparis ibid.
Locusta mar. seu Carab. 484
Loligo magna, Teuthus Græcis, Loligo Gazæ 491
Loligo parua, Teuthis Græcis 492
De iisdem Bellonij scripta & corollaria subiiciuntur. 493
Lucerna, Mulvus & Mulvago 497
Lucius 500
Lumbrici seu vermes stagni marini 506
Lupus pisc. 506
Lutra 515
Lycus 515
Lyra, ibid.
Cornuta siue Lyra altera 517
Sequuntur & Bellonij de iis scripta, & Corrollarium.
M.
Mana 519
Smaris vel Mana candida 522
Maena 524
Malitha ibid.
Malum in genum mar. 524
Manus mar. ibid.
Margarita 525
Mecones 539
Melanderinus 539
Melandrys, Melanthyni 540
Melanurus ibid.
Merula pisc. 543
Meryx, id est, Ruminalis 546
Minutal condimentum 546
Monachus, monstrum, & piscis idē Capitoni fl. ibid.
Monoceros mar. 547
Mormyrus ibid.
a. Mugilum genera le nomen, & differentiæ 549
Cephalus 550
Cestreus 551
Myxon 552
Chelon 552
Mugil alatus 553
Mugiles stagni mar. 553
Mugil niger ibid.
Mugiles fl. in genere, 554
Mugilis fluui. species duæ 554
Rursus de Cephalo seu Mugile Bellon. ibid.
Coroll. 1. de Mugilib. in genere 555
II. De specib. eorum diuersis, & quibusdam innominatis, plerisque aquarum dulcium 556
III. De Capitone seu Cephalo mar. ibid.
IIII. De Mugile vel Cestreo specie. Multa tamen tum in Chephalo, tum in Mugile totti huic piscium generi communia deprominntur 559
V. De Labeone, qui & Bacchus vel Banchus aliàs dicitur 562
b. VI. De Myxone 564
Mulli ibid.
Muræna & Myrus 575
Murices 584
Muria 588
Mus piscis 589
Mus aquatic. quadrupes ibid.
Musca fl. ibid.
Musculus 589
Mustela Ausonij, Lampetra ibid.
Alterum genus Lampredæ 597
Lampetra parua & fl. 598
a. Mustelarum fl. & lacustrium genus aliud, eiusq; species aliquot: & primum de Lota Gallis dicta 599
Piscis vulgò Barbota dictus 599
Mustela lacustris maior, ibid.
Lota seu Barbota rursus 600
Mustela fl. Nili, ibid.
Corollarium de mustelabus 601
b. Mustela mar. diuersa ibid.
Mustelæ seu galti in genere primum, deinde singuli, describuntur à Rondeletio, Bellonio, & Coroll. nostris 606 & deinceps. Singulos dico, vt acanthiam, lauem, asteriam, glaucum, centrinen, rhodium, malthæ: vt Tabula in ea pag. apposita ostendit.
Myaces, Myes, Mysiæ, Mytuli 618
Myllus 618
Mystus mar. 619
Mysticetus ibid.
Mytus 619
N.
Narica 620
Nasus pisc. ibid.
Nautili siue testacei polypi 621
Nereis 624
Nerita 625
Nigri pisces diuersi, & venenati, tum nigri, tum alij 627
Nouacula pisc. 628
O.
Oaterichia 629
Oistibus ibid.
Oph. dion 630
Opson ibid.
Orbis vel orchis 631
Orca 635.
Orphos Græcis hodie dictus 637
Orphus veterum 638
Orthragoriscus vel Luna piscis 640
Ostracion Nili 642
a. Ostrea in gen. 643
Ostrea gaideropoda, Spondyli Rond. ibid.
Ostrea tridacna maris rubri 644
Rursus de ostreis in genere, ibid. & deinceps ex Rond. de formis eorum diuersis: nempe ostreis stagni mari. Marinis vel pelagiis, Sylvestribus spondylis.
Coroll. de ostreis priuatim dictis omnibus & de ostracodermis in genere quædam. 647
b. Alind de ostreis diuersis 653
Oues marinæ 654
Oxyrhynchus pisc 655
P.
Pagrus 656
Palla (Pila) mari 659
Pan ibid.
Papaver ibid.
Paprax 659
Pardalis ibid.
Passeres in gene. 660
Deinde speciatim, de Rhombis & Passeribus diuersis: deque Bugloſſo vel Solea: Cynogloſſo, Hippogloſſo: vt in tabella in ea pagina præfixa indicatur ibid.
Pastinaca mar. 679
a. Patella, Lepas 685
Patella parua 686
Auris mar. ibid.
b. Sequuntur de iisdem, &c. Belloniy scripta, & Corollarium.
a. Pecten 689
Pectenalter 691
Pectunculus ibid.
b. Sequuntur de iisdem Bellonij scripta & Corollarium.
Pediculus mar. 649
Penicillus mar. 695
Penna mar. ibid.
Perca mar. 696
Perca fl. 698
Perca fl. species minor. 701
Perseus piscis maris Rubri 702
Phoca seu Vitulus marin. ibid.
Phocæna, Tursio 711
Phœnix aquatilis 713
Pholas concha ibid.
Pholis 713
Phoxini diuersi & deinceps. 715
Phycis 718
Physa 722
Physalus 722
a. Physalus bellua seu Physeter 723
Pristes 729 & 730
Serra mar. 730
b. Alius cetus Oceani quem Bellonius Pristim putat ib.
Phytaris ibid.
Picus vel Pigus 730
a. Pinna magna 731
Perna 732
Pinna parua 732
Byssus terrestris & mari. ib.
b. Rursus de iisdem ex Bellonio, ibid. & Corollarium 733
Piren 736
Platanistæ 736
Platyuri ibid.
Poeciliæ pisces ibid.
a. Polypi in gen. 737
Polyporum prima & secunda species 738
Tertia 740
Rursus de Polypo vtroq, ibid.
Bolitana, Ozolis, Osmylis 741
Eledona ibid.
Corollarium ibid.
b. Cetera Polypi genera; aut saltē nomina diuersa 751
Pompilus 753
Porci pisces 755
Premades, Primadiæ 757
Psari 757
Pudendum mar. Mentulæ mari 758
Pulex mar. 759
Pulmones mar. 760
Pungitius 761
Purpura 762
Pyrantes 787
R.
De Raiis in genere, & specialim, vt Tabella proposita continet

δρακαινίς	82	κάλυξ	777	κορώνη	303	μελάνουρος	540
δράκων θαλάσσιος	77	κανθαρίς	180	κόσσυφος	545	μητρίδια	1042
δρόμων	165	κάνθαρος	178.940	κόττυφος	543	μῆρυξ	546
δρυΐνας	453	καπελίσκος	181	κοχλίας	234.257	μόρμυλος	547
ἐγγραυλίς	64.68	κάπρος	61.442	κόχλος	930	μονήρεις	218
ἔγχελυς	40	κάραβος	400	κράγγη	915	μυίαγρος	444
ἔγχλωρος	918	καραβίς	485	κράγγονες	905.910	μύαξ	280.618
ἔλοψ	361	καριδάριον	913	κραγγών	916	μύραινα	575
ἐλεδώνη	752	καρίδες	905.911.913	κραπάταλλος	303	μύρμας	548
ἐλεωτρίς	360	καρκινάς	164	κρέμυς	223	μῦρος	578
ἐμύς	943.948	καρκίνιον	161	κριός	83	νάρκη	988
ἐνυδρίς	442.515	καρκίνος ποτάμιος	137	κρῖσσα	303	ναυκράτης	348
ἐξώκοιτος	36	καρορύς	443	κτέρα	305	ναυτίλος	624
ἔπερος	425	κάρχαι	145	κτείς	689	νέβελις	170
ἐρέτιμοι	15	κάστωρ	185	κτηδών	305	νηρίτης	626
ἐρίτιμος	365	καρχαρίας	173	κύλινδροι	453	νειρῖται	930
ἐρπήλη	605	κεγχρίνης	447	κυναπένσερ	1046	νεμεάδες	624
ἐρύθρινος	366	κενέθας	897	κυνόγλωσσος	668	νεριφίδιον	12
ἐρυθρόφθαλμος	716	κεντρίνη	609	κυπρῖνος	123.309	νωτιδανός	618
ἐπλίς	113	κεντρίνης	617	κυττός	179.319	ξανθίας	1048
εὐωπίς	57	κέστρα	882.883	κύφη	917	ξιφίας	149
ἐχενηίς	345	κεστρέαι	71	κωβιός	395	ὄζαινα	740
ἐχῖνος	349	κεστρεύς	71.549.550	κωβίτης	405	ὄζολις	737
ἐψητοί	71	κεστρῖνος	562	κώθων	398	οἶστρος	97
ζεύς	371	κέφαλος	550	κῶθος	303.401	ὄλισθος	629
ζῆλος	465	κίρης	191	κωρίς	913	ὁλοθούρια	437
ζμύραινα	1050	κηρίς	191.1017	λάβραξ	500.507.5048	ὀνίας	838
ζύγαινα	1010	κῆρυξ	130	λαβράκιον	507	ὀνίσκος	84
ἡδυπορφύρα	767	κήτη	194	λαγός	482	ὄνος	748
ἠλακατήν	319	κῆτος	118	λάμβαι	178	ὄνυξ	629.1034
ἡμερόκοιτος	135	κιθαρός	228	λαμία	173	ὀξύρυγχος	27.792
ἡμίνηρος	294	κίνερμοι	226	λάμνης	175	ὀπισκέντρος	680
θρίττα	19.20	κιόνια	765	λάρυμος	470	ὀροφίας	434
θορυβώδης	381.1049	κιρίς	191	λάπηλος	471	ὄρκυνος	962.977
θρᾶσσα	20	κιρρά	191	λάτος	ibid.	ὀρθραγορίσκος	640
θρίσσα	19	κιρρίς	191	λεβίας	411	ὀρυκτή	756
θρίττα	19	κίσσα	731	λεῖμα	244	ὄρυξ	636
θραττίδα	20	κιχήλα	1019	λειόβατος	790	ὀρφακίνης	639
θραττίδιον	978	κίχλη	1016.1019.	λελεπρίς	720	ὀρφός	639
θρίσσαι	15	κίχλαι	545	λεπάς	685	ὄρχις	631
θρίσσας	823	κνίδαι	1042	λεπράδες	940	ὀσμυλίας	752
θρίσσον	20	κογχύλη	288	λεπράς	473	ὀσμύλος	740
θρυμίς	978	κογχύλια	648	λευκίσκος	26.549	ὀστρακόδερμα	646
θύμαλλος	980	κόχλαλα	562	λευκομαινίς	522	ὄστρακον καλλαϊνόν	653
θύνναξ	975	κοιλίας	257	λεῦκος	391	ὄστρεον	647
θυννίς	919.975	κόκκυξ	306	λέων	766	οὐρανοσκόπος	135
θύννος	960	κολιάς	256	λύκος	58	ὀφίδιον	12.91.864
ἱέραξ	408.499	κολίκαινα	1038	λυκόστομος	68	ὄφις	449
ἱερὸς ἰχθύς	55	κόλλια	1025	λιμνόστρεα	844	ὄψον	630
ἴζελος	848	κομάραι	916	λινεύς	562	ὀψοφάγοι	631
ἴκταρ	305	κομμάραι	916	λιχάδες	289.648	πάγουρος	154
ἰόνια	765	κομμιάραι	916	λυχνός	14	πάγρος	656
ἰκλίς	464	κορακεύς	296	μαζίναι	525	παλλακίς	968
ἵππος	364	κορακίδια	1025	μαινίδες	520	πάλλαξ	968
ἵππουρος	423	κορακινίς	296	μαίνουργος	524	πάν	659
ἴσικος	463.& 464	κοράκινος	296	μαιῶται	524	παρείας	452
ἴσοξ	53.368	κόραξ	300	μαλάχιος	524	πελαμύς	950
ἰωνίσκος	110	κορδύλη	963	μάλθη	524.611	πεμφηρίδες	696
ἴωψ	365	κορδύλος	301	μάνης	908	πεπρίλοι	696
καλαβώτης	134.469	κορίς	369	μαργαρίς	538	περαίας	540
κάλλιχθυς	134	κορύφαινα	423	μαργαρίτης	528	πέρκη	696
καλλιώνυμος	135	κόρχορος	300	μελανδέρινος	474.539	περκίς	696

περσεύς

περσεύς	702	σελάτης	255	σινώδους	934	φρύνη	791
πετηλίαι	150.165	σεσερῖνος	867	σινοδοντίς	935	φρῦνος	715
πετραδεῖλαι	702	σέσιλοι	251	σινόδων	937	φυκίω	719
πηλαμύς	964	σέσσιψ	361	σφυραὶ	884	φυκίδιον	719
πῖλος	235	σηπία	852	σφυραινεῖς	555	φύκιον	718
πίννη	731	σίλουρος	808	σφύραινα	882	φυκίς	718
πιννοτήρης	160	σιμὸς	620	σωλιώ	1034	φυξίκινος	731
πιννόφυλαξ	ibid.	σιμος	878	ταινία	938	φύσα	723
πλάτυξ	618	σινώδων	937	τάριχα	819	φύσαλος	724
πλατύουροι	736	σισορβάκος	470	τελλῖναι	940	φυσητήρ	743
πλωταί	578	σίφνα	91.	τευθίς	491	φώκη	703
πνεύμονες	760	σκαρίς	833	τευθός	491	φῶκος	712
ποικιλίας	736	σκάρος	830	τήθεα	653	φωλάδες	267
πολυποδίνη	752.754	σκαῦρος	920	τήθη	954	φωλαΐδες	713
πομπίλος	76	σκίαινα	1029	τῆθυα	437.954	φωλίς	474
πόρκυς	723	σκιαδεὺς	1031	τίλωνες	983	φωλίς	713
ποτάμιος χοῖρος	711	σκιθακός.	818.998	τιλάνες	988	χαλκεὺς	369
πρέποντες	654	σκίθαρκος	998	τμητοὶ	988	χαλκιδική	15
πρίστις	726	σκινίς	1029.1031	τοξότυς	802	χάραξ	222.934
πολύπους	737	σκιφίας	1049	τέρπαινα	992	χαύνη	219
πόρκος	738	σκίφος	1049	τράγος	305.519.998	χάννος	220
πορφυρίων	757	σκολιαὶ	818	τράχηλοι	647	χελλὼν	552.562
πρημάς	20	σκολόπενδρος	841	τράχουρος	467	χελιδονίας	222.962
πρῆμναι	757	σκόμβρος	841	τρίγλη	505	χελιδών	434
πρημνάς	ibid.	σκόπελος	4.P	τριγλίς	569	χελμὼν	435.563
πρῆστις	524.726	σκορδύλος	878.15.P	τρίσσα	823	χελὼν	549.552.950
πριμαδίαι	757	σκόρπαινα	845	τριχίας	20.823.825.	χελώνη	934
πρόβατα	654	σκορπίς	845	τριχίδιον	20	χήμη	273.653
πλύξαγρις	145.	σκορπίος	845	τριχίς	15.20.823	χλωροκυρτίδες	918
πυξάρις	ibid.	σκυλία	93	τράχουρος	79	χοιρῖναι	28.755
πώλυπος	747	σκύλλαρος	1618.P.	τριψίχρως	748	χοῖροι	181.755
πώλυψ	ibid.	σκυλλόψαρος	167	τρόχοι	799	χρεμύς	225
ῥαβδωτὰ	653	σκυταλίδες	919	τρυγὼν	679	χρόμις	223
ῥάμφη, αἱ	798.1.P.	σκιφύδρια	288	τρώκτης	1001	χρύσος	113
ῥάφις	9.	σμέρδος	523.882	τύφλη	1026	χρυσοφανής	113
ῥίνη	781.& 899.	σμύλλα	469	τυφλῖνος	1026	χρύσοφρυς	110
ῥινόβατος	901	σμύρος	577	τυφλινίδια	1026	χρισόψαρος	370
ῥυάς	218.880.& 882.	σμύραινα	575	ὕαινα	441	χυτοὶ	217.218
σάλαγξ	803.807	σπάρος	833.880	ὑδραλής	443	ψαμαθὶς	756
σάλπης	812	σπίγος	881	ὕδρος	442	ψαμμίτις	756
σάργιοι	827	σπογγιαὶ	887	ὕκκη	366	ψῆττα	661
σαργῖνος	549	σπόγγοι	887	ὕκκης	441	ψίλων	984
σαργὸς	825	σαυρίδες	16	ὗς	441.756	ψόρος	473
σάρδα	966	στέρνιον	150	ὕσκα	442	ψυχρός	473
σαπέρδης	297	στράβηλος	924	φρύγος	656	ψύλλος	760
σάτρα	861	στρομβώδη	930	φαγρώριος	650	ψωθοπέταλοι	757
σαυρίς	468	στρουθός	664	φάλαινα	117	ὠὰ τάριχα	629
σαῦρος	468	στρωματεῖς	925	φθεὶρ	694	ὠμὺς	948
σέπουρος	424.878	συαγρὶς	62.933	φονίς	714	ὠτάρια	285.687
σερίω	878	σύαινα	933	φόξινος	716	ὠτία	653
σέμελος	255	συάκιον	756	φώκινον	132		
σμελοιρίδαι	254	συναγρὶς	934	φοσσφαὶ	710		

FINIS.

LATINA VOCABVLA, QVIBVS ETIAM BARBARA QVÆDAM, QVÆ AB ILLIS VIX DISCERNERE POTERAT,

qui Indicem collegit, adiunximus. Non autem curiosè omnes voces annotavimus. Nam quia totum opus alphabetico ordine conscriptum est, si quid in hoc Indice non occurret, in operis alphabeto inquires.

A.

Abramis 1
Acerina 2.19.825
acipenser 2.932
accipiter 499
aco 16
acontias 445
aculeatus 9.10
acus 10.468.806
adonis 562.630
ægoceros 14
æluros 14.315
æ li 15
æolias 15.296
æricæ 15.216
æthiopi 878
ætnæus 15
aganon 644
agasti 491
agonus 15
aguilla 23
alabes 600
alauda cristata 12
alaudæ 878
alauda 19.10
albica 22
albicilla 27
alburnus 23.800
alburnus lacustris 24
alcus 229.P.
alburnus 31
albula parva 34
aleo 35
alex 81.375
aleculæ 520
aloſa 19
ambra 204
amia 37
ammodytes 3.P.
anacharsis 240
anchorago 40.806
anartes 40
anguilla 40
anguis 449
anodorcas 136
anzacei 50.5.P.
antale 767
antules 345
anthias 55
anthropophagi pisces 522
aper 61.755
aper marinus 215
aphritis 64
aphya 63
apolectus 919
apos haïs 587
apua 64
aquila 12
aquila marina 75
aquo 19 824
avarus 77.82.
arbur bellua 83.799
ardea marina 381
argentillas 5.P.
aries bellua 83
arisfloſas 21
armus 83
arneutes 83
arnoglossus 668
asellus 84
asellus Callarias 6.P. 1019
asilus 67.320.969
asinus varius 87
asparagus 880
astacus 98 472
asterias 783
astraeus 108
atrazenus 109
attilus 109
aulopus 60
aurata 110.880
aureum vellus 891
auratus 113
auris marina 686
auxis 962
azelus 204

B.

bacchus 92
balæna 114
balænus 24
balagrus 24
balani 713
balbus 124
balerus 24
bellæ marinæ 891
bellerus 24.123
banchus 92.123.
barbo 124
barbota 599
barbus 123
basiliscus 18.125
batus 780
belliculi 284
beberis 326
beberi 529
caper 73
capito 486
capito fl. 31
capitoleus 125
caprescus 387
carabi 401
carsen 443
carpio benaci 126
castor 705
castorides 128
catillo 752
cauda 752
caudituerbera 128
caulina 129.812
centipedes 213
centrina 213
cevtrines 705
centriscus 705
cephalus 318
cepe 682
cepola 3.1
cephalus 3.9
cepolla 23
cerch nus 131
cercurus 387
cernua 787
cercyrus 227
ceryx 311
cestreus 74
ce acei pisces 675
ceti ssterma 285
cete 731
cetos
chalcis
chama
chame
channa
chelesir
chennion
ch rsydrus
chulon
chromys
chromes
cicada fluuiatilis
cicada
ciclus
cinydus
cithaœdus
citharus
clupea
clavias
clypea

C.

caburi 101
calcendix 270
callarias 90.91.224.6.P.
callych hys 57
callionymus 57
callisphlebara 654
callus 964
caluaria 633
cammari 101
camasenes 137
cancellus 83
cancer Heracleoticus 914.8.P.
cancri lutarii 150
cancri equestres 165
canicula 167
canis marinus 171.612.613
cantena 227
cantharus 13.P.
canibarides aquatica 291

capellanus 94
caper 61
capito 182.639
capito fl. 2.P.
capitoleus 636
caprescus 758
carabi 101.484.
carsen 82
carpio benaci 185
castor 135
castorides 190
catillo 509
cauda 759
caudituerbera 361
caulina 398
centipedes 839
centrina 609
cevtrines 756
centriscus 761.762
cephalus 448
cepe 25.31
cepola 47
cepolla 97
cerch nus 448
cercurus 190
cernua 398
cercyrus 129
ceryx 386
cestreus 349
ce acei pisces 195
ceti ssterma 204
cete 11,194
cetos 959
chalcis 15.216
chama 270
chame 258
channa 639
chelesir 228
chennion 210
ch rsydrus 442
chulon 563
chromys 92
chromes 89
cicada fluuiatilis 226
cicada 906
ciclus 1218
cinydus 528
cithaœdus 1189
citharus 179.227.663.
clupea 19.20.21.
clavias 90
clypea 21

Index.

coccinè 216
coccyx 517
cochlea 131.228
cochlea solitaria 243
cochleæ terrestres 24
cochlea nuda 244
cochlea 928
colias
colubra 101
coluber 448
columba marina 680
colybdana 758
colycia 587
conchæ 230.258
conchæ Venereæ 623
conchylium 259.286
condylos 654
conger 290
coracidia 74
coracinus 294.1030
corani 67
corax 633
coraxus 300
cordylæ 959.963
cordylus 300
corvulus 297
cornuta 303
corvus marinus 14.P.
corvus aspratilis 296
corvulus 297
cotti 67
crange 916
crangines 909
crangones 916
c. emys 92
crispleurus 815
criſſa 28
crocodylus 303
cuculus 305
c. cumis 308
cursor 165
cybium 963
cyclops 309
cy. edus 36
cynoglossus 668
cyprinus 309
cyperinus 311
cyttus 370

D.

dactylus marinus 1034
dacus 319
dagon 440
delphinus Nilous 6
dentale 1127
dentex 222.319
decreto 440
dies 345
draco 77
draco marinus 865
draculculus 80.469
dromas 345
drono 345
dryinus 453
dryophytes 792
dux cets 96

E.

eeeola 528
echeneis 36.595
echinè 349
echinometra 351
echinophori 243
edone 14
elegatrus 851
electris 35
elephas 212.100.360.98
elops 924
empetrum 18
encrasicholus 68
engraules 68
enthalium 768
epelanus 23
eperlanus 381.1014
epipetrum 759
episcopus piscis 439
epodes 364
epirus 364
equus 364
equus Neptuni 364
eritimus 22
erucamarina 365.723
eſcharus 677
escarus 836
eſox 502.807
esox
F.
faber 370
fastaleon 55
ferio 804
febrius 995
ferra 33
fidicula 228
fidon 296
flamma maris 1042
flutæ 43.578
fossiles pisces 371
fucus 720
fullo 373
fusianei pisces 217

G.

gadus 84
galeta 614
galeonymus 93.
136.613
galea 606
galeos 1049
galerita 17
galeus canis 167
galetta 606
galeus centrines 1046
galeus Rhodius 1.46
galexia 590
gallarias 92
gallus marinus 370.8.P.
gammarus 105.
906.914
gardo 18
garus 930
gelarij 556
gerres 522
gibba 911
gladius 379
glanis 385.868
glaria 600
glaucisscus 388
glaucus 223.378
gobius 393.396
graculus 257.297
grillus 93.755
grus marinus 381
gutturosula 606
gyrini 462

H.

halec 35
halecula 3.P.
halesurion 408
halipleumon 760
hamia 320
heminerus 296
hepar 411
hepatus 411
hesperi 71
heracleotici cancri 150
hipsacles 219
hiscista marina 364
holocanus 364
hollius 669
holothuria 314
homines marini 438
hufo 53
hydri marini 805
hyæna 441.617
hyæna 58
hyscus 441.756
hystrix 357

I.

ichthyocolla 50.95
iecorinus 411
indicus vermis 22.P.
insecta aquatica 461
inlis 464
inlus 121

L.

labeo 552
lubrus 509.532
laccia 19
lacertus 467
lagos 470
lamia 173
lampeca 924
lampreda 348.
434.590
lampreda minor 23.P.
lanpega 978
lampyrides 592
lamyros 178
lascia 21
lati pisces 57
latilus 471
latus 931
lauaretus 1033
laurula 22
lebias 15
lebianus 319
lelepris 473
leo 166.471
lepades 270
lepidotus 311.473
lepras 833
leptinus 319
lepus marinus 475
leuciscus 22.25.27.388.555.
leuciscus lacustris 315
leucomanides 523
leucopis 22
leviathan 194
libella 483.1050
lichinen 374
ligula 825
limaces 244
limanda 671
limax 229
lingula 669
lingulaca 463
lustreæ 274
liparis 15.483.557.720
lipsacles 254
locusta marina 484
lolligans 461
lollius 493
lopas 685
lopeda 321
lota 599
lubricus 629
lucerna 137.497
lucius 500
lumbrici 505
luna 649
luna maris 923
lupus 596
lupus marinus 705
Lupus vorax 1195
lupus quadrupes marinus 515
lutra 515
lycos 509
lyra 516
lyra 515

M.

marcella 502
mæna 128.519.149.612
macheta 378
masia 83.151
malum insanum 544
malleolus 682
maltha 611
manati 215
manus marina 524
maraxus 23
margaritæ 525
mario 50.53
maris spuma 1.42
maxinus 84.525
maxi 525
melanderinus 474
melanchrys 360
melanthynus 963
melys 543
membras 70
membridia 74
mentulæ alata 695
mentula marina 758
meryx 833
merula 543
milago 94
miles 203.546
miliaris 448
milnago 94
milurus 497

Index.

scolia maior 87
monachus 183.438. 546
monedula 256.257
mors 210
murco 550
murgali 82
mugil alatus 553
mugil lacustris 31
mugiles 549
mulieres marinæ 624
mullus 564
murana 575
murca 58
murex 132. 288.584
muræna 374
mus marinus 276.946
musca fluuiatilis 589
musculus 276
muſtela 599
muſtela dux cetorum 120
muſtela fluuiatilis 601
muſtela vulgaris 89
mutis 484
myagrus 444
myax 278.587
myes 538.587
myia 276.526
myllus 15.294.618
myrinus 575
myrus 575.863.865
myſticetus 123
myſtus Nili 123
myſti 276
myxilus 275.276
myxini 525

N.

narica 71.227.620
naſus 620
narex 625.627
natrix 442
nauculus 621
naufilium 623
nauta 922
nebrias 170
nereides 440.624
nereus 626.627
nerita 625.929
nerophidion 630
nibius 499
nigri pisces 319
nonacula 629
nubes 629

O.

oculata 540.629
œſtrus 97
ololygon 463
orata 110
orca 635
ophidion 14.630
ophthalmias 540
orbis 137.631.632
orbis gibbosus 26.P.
orcynus 191.959
orphus 192.637
orthagoriſcus 635.756
oryx 636
oſtracion 642
oſtracum 652
oſtreum 258
oſtrea 643
oſtrea 274
oſtrum 652.766
otion 653
ouis piſces 654
ouis marina 86
oxyrhynchus 27.54.556
ozæna 740.752

P.

pagrus 319.658
pagurs 143.156
palea marina 659
palla marina 659
palumbus 612
pan 1001
panthera 612
papagallus 833
papauer 659
pardalis 659
pareas 452
parus 660
paprax 983
paſſer 660
paſtinaca maior 75
paſtinaca 679
patella 629.685
pauones 689.833.1016
pecten 675.689
pectunculus 689.940
pediculus marinus 694
pelagia 762
pelamys 958
peloris 1036
pella 294
penicillus marinus 695
penna marina 695
pentadactylius turbo 929
perca 696
perna 731.736
perone 12
perſicinus piſcis 699
perſus 702
petri piſcis 370
phagros 936
phattages 271.302
phoca 702.703
phocæna 327.711.756
phœnix hygros 713
pholades 713
pholis 564
phorcus 714
phoxinus 399.715
phrifſa 20
phryganium 461.21.P.
phuca 718
phycis 719
phyſa 633.722
phyſalus 722
phyſeter 117
phyſſalus 365
phytarus 730
pibala 3.P.
pila marina 891
pinna 258.526. 731
pinnophylax 915
pinnotheres 159
piren 757
piſces Babylonij 305
piſcis Iberus 469
piſces vocales 517
piſtrix 726
plagitia 678
plagiuſia 736
plani piſces 57
platanes 25
plateſſa 736
platiſtacus 294
platogaia 25
pleſtya 25
pœciliæ 14
pola 671
pollicipedes 122
polypus 737
pomphilus 753
pompilus 58.622.959
porcus marinus 327
porci 755.173
porces 702
preſinus 316
prepontes 654
preſtis 726
priapus regis 759
primada 757
priſtis 726.730
pſammodytes 136
pſari 757
pſenes 757
pſittacus 1016
piſana marina 1019
pudendum marinum 157
pulex marinus 769
pulmones marini 769
1044.
pulpus 741
pungitius 761
purpura 286.762
pyrantes 982

Q.

quali 569

R.

racemus marinus 854
raia 130.788
rana 784
raſqueſſa 94
remilgo 847
remora 36
reuerſus 408
reuerſi 798
rhinobatos 903
rhombus aculeatus 661
rhyades 882
rogerus 499
roſmarus 210
rota 800
rubellio 366
rubellus 800
rubeta 787
rubiculus 800
rubrus 366.367
ruburni ibid.
ruffus 800
ruminalis piſcis 546.833
rutilus 800

S.

sacri piſces 55.58.358
sagittarius 633.802.838
salamandra 802
salar 803.807
salena 804.824
salmuria 375.376
salmo 804
salmulus 806
salpa 88.94.812
sanguiſuga 424
saperda 294.297
sar 766
sarachus 16.919
sarda 20.822.961.964
sardina 823.824
sargimus 556
sargus 26.319.798.881
sario 804.1004
saurita 449
saurus 11
saperda 618
sapphirus 833
satyrus marinus 1001
sepia 495.851
sepidia 861
sepiola 855
serra 727
serena 448
serpens marinus 862
seia 463
scallium 830
scaphis 278
scarabeus 179
scarus 319
scimalius 885
scincus 837
scindaria 837
scinis 837
scirris 837
scolopax 838
scolopendra 839
scomber 256.841
scombrus 841
scordyli 302.845
scorpæna 845
scorpidia 848
scorpius 845
scrophula aquatica 292
scurio 873
scylla 913
scyllarus 913
scyllia 618
seserinus 641
sillago 867
silurus 868
simia marina 18.877.1045
simus 620.878
sirenes 878
smaris 522
smelus 880
smyrena 578
sol marinus 922
solaris 871
solea 666.671
solea oculata 667
solenes 1035
sparulus 881
sparus 15.880
spatagus

Index.

spatagus 811
spargus 880
spatanga 358
spathiurus 444
spheneus 561
sphondylus 885
sphyrana 578.300
spinachia 8
spinax 613
spinula 849
spondyle 11
spondylus 647.732.885
spongia 886
spurius 217
squalus 557.182.614.899
squatina 899
squatinoraia 901
squilla 905
squilla fluuiatilis 125
staurus 919
stella arboreſcens 921
stella marina 919
stincus 924
stirio 931
stora 931
strabelus 924
stregia 23
striata 925
strinſia 599
strobilus 924.238
strombi 927.928.243. 244
sturio 867.931
sudis 882
suillus 756
sues 755
sus cornuta 757
syacion 673
syana 756
syagrides 756
scyllion 170
synagris 319.935
synodon 933
syrena 448

T.

tænia 938
tanagræus cetus 200
tellina 276.940
temolus 980
temulus 980
tenia 671
teragus 466.942.1023
teſtacea 927
teſtudines 942.943
Tethya 437
thedo 978.1007
theulis 497
teuthis ibid.
thranis 1049
thraſſa 20.978
thriſſa 20.978
thunnus 97.195
thurianus 6
thurianus tomus 379
thurio 713
thurſio 713.978
thymalus 978
thymallus 263.1033
thymus 978
thynnus 957.756
thyrſites 983
tiburo 213
tiburonus 384.983
tiburo 213
tiburonus 384.983
tigris 975
tilones 983
tinca 983
tinea fontana 592
tinea 988
tinea marina 988
tolpes marina 6
tomus 988
tonſicula 988
torentina 988
torpedo 988
torſio 712
tortuca 949
trachina 470
trachurus 998
tragus 92
trichiæ 20
trichis 20.822.998
tridacna 654
trigla 564
triglitea 67
trigolas 307.573
triſſia 601
tryton 222.439.998
trochus 800.930
troctæ 998
troglodytes 18
troſſuli 1001
trutta 867.1002
tuber 956
tubuli 1026
tunnus 957
turbinata 927.930
turbines 927
turdus 834.1015
turgaron 82
turonilla 761
turſio 712
turtur 1007.1025
tyllo 374
thymalus 724
typhle 11.12.1025
typhlina 11.12
tyrſio 712

V.

uacca marina 130.209
uaginal 759
uariata 363
uarius 1007
uelſus 876
ueretillum 759
uergiliades 315
uermes aquatiles 1026.1027
uermes ſtagni marini 586
uermis Indi fl. 1028
ueronus 735
uertibula 955
ueſpertilio 436
uipera marina 82.865
uirgines 842
uitta 671.938
uitulus aquaticus 48
uitulus marinus 702.1029
uiuella 727
umbilicus 229.929.986.1014
umbra marina 224.980. 1004.1029
unguis 288.1034
uniones 325
uranoſcopus 77
urena 309.759
urſa Ariſtot. 914
urſus 166
urtica 956
urtica marina 1037.1038
ua marina 1044
ulpes marina 1045

X.

xiphias 968.1049
xitos 523

Z.

Zaphyrus 112
zerta 655
Zeus 370
Zephius 83.209
zitiron 203
zydeath 364

ITALICA.

A.

acicula 10
acuin 12
acuſigole 12
adano 109
adello 209
agonus 16
agulla 26
aguſeo 613
albo 11.P.
anclude 824
ange 449
anguello 73
anguſigola 11
achia 70
arbolinus 23
arguzella 10
arzinarello 1025
aſello 84
aſſidochelone 202
aſſpredo 192
aſtaſe 98
aſtura 731
azio 607.613

B.

peſce baleſtra 1051
ballena 117
barbo 369
barboni 364
borbolus 363
borbor 977
baſtango 679
battipora 992
biancheti 67
boca in capo 135
bogue 127
bolaſſi 220
booba 135
borroboza 126
boſtriz 601
bota 642
botatriſſa 599
botola 600.601
botto 401
branchia 261
bruccho 979
bruſola 37
buo marino 130.706

C.

cabacello 28
calamaro 493
cammarugia 906.910
cambetta 1051
canudo 36
capa tonda 263
capparola 940
capelonge 1034
capidio 723.117
capidolio 723.117
capo 518
carlino 880
capena 311
cauallicro 165
cauezale 782
canedanus 182
cazo marino 758
cephalo 548
cerna 638.699
cerres 522
cetola 370
chanadella 221
channa 977
chiepa 19.21
chergna 192
chaz 768
ciambetta 1051
clupea 26
coalioſſa 1025
cecceu 306
colabuccus 51
columba 608 632.633
copeſce 51
copſus 51
corbeuus 390
crines 1018
cueuri 88
cul de aſne 1037

D.

dentale 934
diauolo 11
domiſella 464

E.

esbrefon 73

F.

falce 939
faraſſa 679.682
fario 1007
fegarus 390
ferraza 679
peſce fico 86.985
figò 412
fiolca 153
folpo 741
fondola 405
foteriſia 993
frago 657
fregarolus 215
fritou 554
fumitremula 993

G.

gabiani 17
galea 89
gallina 308
gamaro

Index.

gamaro 98
gambaro di mare 906
gambarella 910
ghiozzi 401
giro 523
girello 465
go 395
goi 393
gongole 691
grampella 154
granceola 145.154
grancettus 157
granci porroni 151
grazo 137
grizo 307
grillus 92
grisella 406
gritta 154.851
grongo 291
guatta 613.1046
gutturosa 18

I.

ianquet 824
ionctus 716

L.

lacerto 841
lachia 470
lambena 719
lamiola 611.1167
lasena 26
latharina 72
lauaron 73
lechia 388.617
letta 28
limaga 255
lingua 666
lucerna 497
lumacha 245
lumbardo 100
lupaga 100
lupasso 507

M.

manola 520
maquereau bastard 48
marino piscatore 793
pesce martello 1051
marnizza 230
marzapan 473
massacara 909
mazenetta 157
merlo 834.719. 720
merlutzus 92
mesanca 720
messacara 914
missor 136.393
molecca 149
morelle 715
mormillo 547
morona 53
moscardinus 741
moscharolo 741.752
morsargo 993
muscarolus 622
muzaro 752

N.

naridole 627
nasellus 85
nembrella 1031
nibio 435
nichio 259

O.

ochiado 541
occhiatella 988
oculatella 992
ognella 762
oia 541
ombrina 1031
oradiga 26
orchetta 991.1000
oreol 842
organo 516.518.977
ostrege 643

P.

pagro 366.657 1049
pal 167.170
pantalena 685
papagallus 1022
parrochia 906.910
pectenoriz 939
pedoizo marino 695
perna 528
pernocia 916
perosaraſa 792
persega 822
pescemolle 78
pesquerell 23
pettine 24.P.
petrosa 798
phagrio 657
phrangolino 366
phyco 718
picio 542
pigus 315
piota 800
pittara 718
plane 664
polanda 133
polpo 741
porpo 180.13.P.
pota marina 1037
prete 136

R.

raggia 798
pesce ratto 76
ratepenade 76
rhombo 661
riccio marino 352
rochau 36
rometa 798
romia 691
roncera 762
rospus 76
rosseti 67
ruello 128

S.

saccheto 221.411.
1023
salmarino 1011
sanguinerol 715
sanut 36
sarba 814
sardanella 35
sardelle 17
sardoni 824
sargo 824
sauro 468
scaragol 240
scardula 316
scarmus 92
scarpa 296
scauardino 23
scatzot 401
scepa 856
scombro 841
seppa 856
stoia 666
sgramphi 988
somniolo 159
sopi 851
sorce 97
spada 379.1045.
1049
sparlo 880
spase 938
spernotza 916
spetto 500.2.P.
spigarus 523
spigola 507
spogna 889
spoletta 1036
squaina 901
squaiola 404
squaqua 899
squizozole 275
stornaizzo 717
stramaizo 130
stratzarigla 8
stretta 28
strinco 601
strintz 601
suazo 672
sueta 620
suro 467

P.

tanado 179.
180.13.P.
temaro 980
tenca marina 6.P.
themerus 979
tinca 544.985
ton 968
tonnine 968
torpedine 993
torpillia 993
totena 493
trazeina 81
trenolo 993
troita 1008
trull 26
trutala 1008

V.

uallopa 916.918
uairon 399.715
uarolus 508
uecchio marino 703
umbrino 1030.1031
ursella 406
Vrseta 909.914
Vsel 404

Z.

Zaphile 180
Zeusila 436

GALLICA & Sabaudica.

A.

ables 23
ableste 23
aguillat 607
alose 19
alosa 21
anchoies 816
angelus 899
apron 403
arcopendolo 1050
aretgne 80
areng 409
Arondelle de mer 434
artiere 762
auriol 1019
pois d'aurion 841

B.

bar 308.309
barbarim 564
barbeau 123
barbet 123
barbue 662.672
baudroium 795
beccard 804
bechus 954
berdin 685
bernhard l'ermitte 161
bezola 51
bisse 166
bigornet 626
bize 731
des blanches 24
bordelsere 24
bondelle 1014
borrugat 1050
bortiere 806
bouquet 917
boullinse 601
bouuiera 24
brama 316
bresma 179
brochet 316
500.502

C.

Cabassonus 73
cagnola 1050
cagnot 167
calderonus 739
calliques 74
capeau 1039
capellan 719
capello di mare 1039
caramotte 907
carbasse 155
carpe 309
casseron 492
catto algario 608
cattorochiero 169
cauillone 568
celerins 15.72.
216
cero 1018
chabot 405
chabre 151
charree 461

Index.

chastaigne de mer 852
chatoille 598
chremps 225
cigale de mar 910
ciuade 918
coguiol 256
coliars 791
coquille 263
corneti 132
cornetz 491
coulac 19.21
cousteaux 1034
couteau 492
crapaud eau 787
crappe 797
creac 932
cubaseau 1038

D.

Daine 1015
dard 26
dente 540
derbio 609
donzelle 91
dormille 5.P.
dromilla 40

E.

Eguille 607
emissole 608
epinarde 762
epinoche 762
escreuisse 105
esponge 889

F.

la farra 31
ferran 614
fiatola 925
flambe 938
fletta 669
fletelet 666
fletz 666.671
fluon 940
frax 173

G.

Gagnola 11
gardon 25.26
gibbar 117
giroflade 368
glorieuse 76
gouion 395
grand espade 379
grinadies 407
gronau 307
guernette 916

H.

Hal 782
halachia 19
hannons 691
harengades 74
haseaux 316
homar 99

I.

imbriago 558
iouizion 1050
iraigne de mar 83
insele 519

L.

lacert 80
lamie 173
lamproye 590
langrout 99
lanzon 501
lauaretus 29
lebre de mar 847
lentillat 608
limande 665
limasson 327
loches 67.397
lochete 404
loche franze 716
lozange 661
lubin 507

M.

maigre 1029.1031
maquereau 256.841
498.564
marmo 934
marsouin 327.636.712
marsupa 725
melet 70.72
peis de menage 125
merlan 84.85
merluz 84.92.1019.
milandre 167
monnier 183
moteila 605
moules 276
mulassus 725
mullet 550.554
munier 182
musnier 401

N.

nacre 731
nadelle 70
nerophidia 11
nineau 1050

O.

oeil de bouc 685
oestres 643
orphiez vt Normanni vocant 9.11
ouella 716
ouldre 636
oye de mer 327

P.

pageu 366
pagull 155
pala 31
pardilla 715
peis rei 1030
perce 404
percepierre 17
perche de mar 696
perlon 300
pescheteau 795
petense 23
petoncles 692
platte 23
plezа 675
plya 664.670
poignastre 81
pole 678
porc 610
posterol 1039
pouisepieds 1044
poupe 741
pourpe 737
un pourpre 740
pulchella 20

Q.

quarelet 741

R.

Raina de mer 1024
rascassa bianca 136
raspecon 135
rayo 798
refais 306
reneau 128
rippe 762
ronson 1014
rosiere 24.318.715
rosse 474
rouges 306.366.516.

S.

salecoques 907
salmonata 1002.1003
salluth 91
sansue 425
de la sante 907
sauclez 27
saulmon 806
salmonata 1012
de saulsieyelles 909
secche 851.855
sedenette 723
sole 666
sophie 26
sorras 611
soreiz 419
sparallon 880
peis spasé 1045
specchio 151
stet 882
squilles 907
squinaude 151
suffe 26
surmuleti. 564

T.

Tacons 804
tapeton 135
tararonde 680
tarefrankz 76
tenche de meer 720.985
testard 182
tinet 117
tinietz 938
tordo 1019
torpin 993
tortugue d'aigue 947
toura 1020
trompette 1.P.
tronchou 867
troutte 1008
truitta 1002
turboi 661.670.672

V.

vandoise 26
var 508
veirat 841
vergadelle 813
vielle 473.1019.1020
vilain 182
vingeron 800
virlis 626
vitvolans 499
vine 77
visio 80
vmble 1004
vn pik 731
volant 434
vrtigo 1038
vrsins 349

HISPANICA & Lusitanica.

A.

Aguia paladar 11
aguia pescado 2
agnilla 3
alache 843
almeia 688
anchoy 68
aranha 156
azedia 939

B.

baruo de la mar 569
bezugo 657
buzes 1.P.
bodian 833
boriton 37
bout 640
bregiga 688
byza 37

C.

pesce cabra 498
calamar 494
camaron 101
cangreio 153.164
canthero 178
cassaun 171
canallo 841
chabro 154
coesso 849
concha 243

D.

donsella 38
dorade 110
doradilla 112

E.

Enxaroquo 601

G.

Gilteheade 112

H.

Huza 782
hugia 893

L.

Lamprea 595
libre de la mar 479
lampugo 423
pieis limo 1050
linguado 666
lira 901
linda 790
lobo marino 706
lupo 507

Index.

M.

manatus 213
marmo 547
marsopæ 725
molere 718
mourene 575
muſole 614

O.

oſtia de la mar 648

P.

pagel 366
pampano 413
peixe 436
perche 697
petropſare 639
piscarel 522
picque 502
pulpo 741

R.

raſon 629
robalus 509
rodouallo 672

S.

ſaboga 19.21.
ſalema 815
ſanalus 21
ſerran 169
ſfolia 672
ſollo 502
ſpargoil 880

T.

talparie 633
tardo 1019
tortuga 947
tremiolga 993

V.

vallena 117
volador 434

X.

xibia 856

GERMANICA:

His non adiunximus quæ ab authore conficta ſunt. poteſt etiam fieri vt Anglica nonnulla ſint admixta.

A.

Aal 43
ablem 23
aelfelechen 22
älſen 1.P.
äſch 980
ägle 425
agonen 28
agun 17
ahaniger 12
albele 23.34
alben 23
allegarden 305
allböt 32
alet 183.555
alſſen 23
alpten 32
alrupp 93
alſen 21
andwal 214
ables 784

B.

bachforen 1006
bärle 17
balhenen 32
bambele 716
bapſt 402
barb 124
barß 699
beißker 737
bergerfiſch 94
berlin 397
berſich 697.699
berſchze 697
biber 186
billegen 759
blakfiſch 494
blaubeuchlin 718
blawfelken 32
blawling 32
blech 24
blehe 16.P.
blik 24.111.P.
bliegg 23
blick 24
blizling 32
bloßfiſch 867
blotewal 214
botſaug 688
bolch 94
bolich 50.875
borboche 603
bott 675
brachſins 316
brandbrachſine 541
braunfiſch 117
brechling 717
breitele 24.736
brik 392.597
brosen 16.P.
buthorne 96
bütting 409
büb 311
büchfiſch 32
burt 717
butz 31.32.33

C.

capplan 94
cop 402
cheuyn 183

D.

denelen 9.P.
diebel 9.P.
dick 874
dikrugg 2.P.
dobias 12.
doggefiſhe 171
doriſch 94.797
dorſt 87.932
durſt 94

E.

een oeſtre 648
eſle 699
elft 10. P.
elderitz 717
elſen 21
erſtein 315

F.

felken 23
flachfiſch 94
flunder 678
fornfiſch 26
foren 737
forme 1008
füne 879
fürn 24.25.26

G.

gabler 518
gangfiſch 32
gantzfiſch 675.679
garcamen 386
garlet 678
garnart 911
gebbe 12
genſter 19. P.
gernart 911
geruiſch 12
gerwal 214
glyſſen 22.28
gnitt 26
gob 398
goberge 87
goldbreme 112
goldfiſch 21.701.2.P.
goldforen 1006.
gornart 911
graumach 986
gräſig 28
greßling 599.716.980
griggé 48
gropp 240
grundele 399
grundforen 1006
grundling 405
gufen 399
guich 12
güllenkrotle 789
guellfiſch 601
gytzen 291

H.

hägele 17. 28
hägling 34
häſſling 2.P.
haffgaffe 1045
halbfiſch 676.679.799
hanerkeits 130.214
hardten 555
harlachle 718
gaſeling 22
haslen 22.556.2.P.
hecht 502
herill 757
hering 409
heßling 26
hörufiſch 12
huechen 873
humer 101.102
hundfiſch 171.614.618
hüch 11
huſen 51
hürling 699
huß 54

J.

ienkling 9.P.
ieſen 21.2.P.9.P.
ieſſ 9. P.
jinlanken 1012
inlank 808
iſer 980
iud 1051

K.

kableau 94
karas 22.298.318
karkwal 214
karpf 311.15. P.
kanlbars 193
kerder 461.21.P.
kirchlin 33
klipfiſch 4.P.
knab 981
könling 980
kolfiſch 28
kraß 138.149.136.
krämer 717
krezer 699
kreßling 980
kreß 399
krebs 104
krott 791
kälberſing 193
kåling 402

L.

lachs 1006.804
lachſforen 1012
lageuen 28
lake 425
lampred 595
laß 807
laubfröſch 791
laugele 17.23.26.556
laut 27
laus 603
lauwen 986
lechan 516
lyder 807
lumpen 611
lußfiſch 1.P.

M.

makrel 243
mannerhengſt 1.P.
marenen 21.758
meerbär 914
meerbonen 24.2
meerreichlen 122
meerfreuwle 625
merel 24
meerhund 903
meerigel 350
meerkrepslin 918
meerluß 695
meermäd 879
meerſengle 65
meſchen 291
meerſchum 479 1044
meerſpinnen 83
meerſäſchen 136
mertz 462
meyfiſch 28.1.P.
migling 34
milchling 92
milling 717
möllen 792.803
mon 642
mönſiſch 113
mönle 789
mönne 183
mor 5
morhauch 59
morß 420
morſchwein 53
möſſ 405
moßerle 602
müleſſer 183
mull 482

munnen

munnen 28.9.P.
muſchelen 259
müthaud 896

N.

nachtfiſch 32
nachtwal 214
nachmaul 29.P.
naſſel 839
naſen 620
natter 444
nerſling 9.P.
nonwerfraß 215
nordwal 215
nünteug 17.595.

O.

oberkottichen 22
oberkötgen 718
otelen 22
okruppe 23.P.
outhope 27
orfen 639.10

P.

palink 43
parme 132
parß 699
preiſſer 373
perle 528
perrfiſch 174
petermanchs 81
pfarren 35
pfell 716
pfrill 716.717
pfülfiſch 373
pitzling 1014
plattgin 675
platiſle 675
plechle 24
ploze 800
plötzen 367.499
pltyen 24
pommchel 94
porces 192
peil 17
pudde 603

Q.

quäppe 603
quey 679

R.

rab 298
raudeker 32
rappe 9.P.
rauchfiſch 94
rauenſchwal 215
rebfiſche 307
reeling 699
renchen 32
rettel 26
rheinfiſch 96
riemling 717
roch 798
roddauw 800
rodde 169
roſenmuken 318
rore 215
roſtkopf 845
roſtinger 711
rotele 363.1006.1013
rooten 1006
rott 1014
rotteue 800
roteugli 23
roteugle 800
rotfäder 867.499.
rotfiſch 318
rotſcheren 94
rub 706
ruffe 191
ruff 873
rugget 603
rup 603
ruſor 211
ruſſwal 211.215
rutte 603
ryſerle 404

S.

ſaelim 804
ſaelmling 1007
ſagfiſch 1010
ſalm 807
ſalut 386
ſaudat 93
ſandtreſſen 400
ſchaid 386.871
ſchellenvink 215
ſchellfiſch 94.
schill 11.76
ſchillwal 215
ſchley 985
ſchlichthak 215
ſchnaa 502
ſchnek 230
ſchnuppelfiſchgen 718
ſchnoderfiſchli 23
ſchnotthölf 633
ſchnotfiſch 28
ſchoenach 986
ſchollen 675
ſchweinwal 757
ſchwertfiſch 381
ſchwal 23.25.185.
schwimm 889
ſchweinwal 215
ſeeapffel 554
ſeebrenne 541
ſeehan 308.516
ſeehaß 475.633
ſeehund 53
ſeeld 21.P.
ſeelen 27
ſeelerchen 18
ſeekalf 706
ſeeoul 26.P.
ſeerhee 901
ſeeglen 64
ſengelin 93.405
ſligen 985
ſnacotfiſch 11
ſnepel 655
ſneppelfiſgen 655
ſpiegelkrabb 153
ſprall 3.P.
ſpirinch 219
ſporten 94
ſpringwal 636
ſtachelfiſch 8
ſtachelſchalen 586
ſtauöfiſch 699
ſtechbütel 701
ſtockfiſch 812.813
ſteinbyſſen 404.
4.61.129.22.P.
ſteinling 1020
ſtichling 700
ſtinks 986
ſtinkfiſch 219
ſtör 932
ſtorme 849
ſtöben 32
ſtur 931
ſtetold 632

T.

tarbutt 672
teufelwal 119
thedo 183
tik 5.P.
tobias 12
torpor 81
tränle 699
trüſch 93.401.601
tunyn 968

V.

berich 21
vine 21
vnke 443
vorhenne 1009
vrocche 130

W.

walfiſch 117
waller 874
wahneiſter 3.P.
wangwal 215
waſſerſchnerli 243
waſſerguggen 291
waſſerkalb 463
waſſerlüß 461
wartfiſch 32
weißfiſch 22.23.32
weißle 717
weller 386.871
wellfiſch 602
welſ 89.871.875
werink 21
wetterfiſchlin 718
wetling 717
winger 27.800
wintinger 215
wittewal 215
wolkus 797
wörſling 639.10.P.
wyßfiſch 26.28
wyting 22
wytink 94.

Z.

zanken 93
zank 302.19.P.
zerken 978.11
zlege 21.193.2
zlenfiſch 28
zlge 193
zligen 978
zindel 19.P.
zirle 405
zeeld 986
zwergkrebslin 918
zwibelfiſchlin 23
zumbelfiſchlin 23

Anglica & Scotica, quorum multa Germanicis cognata & affinia ſunt.

A.

Apoleher 2.P.
a pyſcherd ibid.
a quawpuer 849

B.

barbel 124
baſe 509
bleis 23.24.
brut 665.
burte 678.

C.

chius 182.
cocles 730.
cochles 691.
colfiſch 89.
crenis 105.
carre 308.
cuetel 495.741.856.

D.

daces 27.63.
doggefiſche 614.
donehownd 617.

E.

egreſin 95.
eluertz 292.
flunder 679.

G.

garrefoſſ he gornard 11. 499.
gournauus 517.
guapkyng 980.
gurnard 498.
goldenpole 308.

H.

habberdyne 95.
hadok 86.94.
hagfiſch 1036.
hake 94.
helbut 666, 671.679.
herrinus 2.P.
hore 118.
horlepoole 118.
horneker 12.
horſe leche 425.
hulk 94.

I.

labſter 487.
lumpe 633.
ling 95.
luces 302.
lamy 7.P.
lympyne 688.
lutz 501.

M.

macrel 842.
meno 715.
menow 717.718.
morhuel 88.95.
mullet 469.
myllerſchombe 519.

O.

omber 930.1009.
organe 95.
oyſter 648.

P.

paddel 26.P.
phlonder 670.
pierelles 502.
pike 501.
pikes 501.
pirot 1034.
pitot 1034.
pyſcherd 2.P.
pymperele 3.P.
apoffen 682
potards 182
porpoſe 327
a preke 741
punger 155
purple 767
pyntylfiſſhe 739
pyperfiſch 12

R.

rave 798
redfiſch 498
roſcies 21
roched 498

S.

ſandilz 3.P
ſchade 20
ſchadde 21
ſcharpling 761
ſchmele 326
ſeale 706
a ſele 706
ſeeyadde 923
ſeetode 797
a ſchrympe 911

a ſtale

Index.

a ſkate 901.
ſnayle 245.
a ſponge 889.
ſprall oyle 3.P.
ſprat 2. P.
ſtickling 761.
ſturgron 5.
ſchwreg 873.

T.

thornebake 798.
tok 874.
trute 1009.
tuny 968.

V.

vmer 80.

W.

walmeſter 3. P.
whirlepoole 215.637.725.
whyting 94.

BOHEMICA, & Hungarica.

Acchla 875.
geezige 5.
gezdik 700.
harcha 871.
hartſcha 871.
huba 889.
ucynok 598.
okaun 700.
pſtrua 1009.
ſcika 502.
ſswecz 986.
ſwreg 5.P.
ſholeſtezeg 9.P.
tink 603.
tlauſſie 9.P.
tok 5.P.
zůk 5.P.
wyſz 8.
wyß 53.

POLONICA.

Czetzuga 932.
czaßka 259.
glouuac 402.
iáſch 246.
iazdz 701.
ießiotr 932.
kielb 405.
lin 986.
lipien 980.
mientus 603.
minog 595.
morſkaſwinia 327.
morskipies 614.
okun 699.
ploczyza 26.
pſtrak 1009.
pſtranik 829.
piyawka 425.
ſczuka 502.
slyß 405.
ſum 271.
zaha dzewna 771.

ILLYRICA, MOſcouitica, & Turcica.

Balnga 5.
bielaribitza 5.
bilaryba 34.
bulud 889.
cany 833.
chierguer 827.
geſeter 5.
glavoche 402.
loſos 52.807.
oſſeter 5.
ſchenuriga 5.
sledz 409.
ſterlet 5.
ſtruk 932.
toporek 124.

AD LECTOREM.

Bohemica quidem, Polonica & Illyrica, dialecti ſunt vnius linguæ: à quibus Turcica differt: & rurſus ab his omnibus Hungarica. Sed vt amicus quidam noſter hæc collegerat, ita reliquimus.

ARABICA, & Barbara quædam.

A.

Abarmon 1.
abremon 1.
ateſtis 101.
acherſa 2.
ahuna 741.
alargina 767.
alchel 288.
alchuſi 440.706.
aleba 17.
alforas 65.
almarmacheigi 43.866
alphozam 556.
alraech 953.
alſabus 137.
altarich 816.
aludha 283.
alzun 648.
anaſceni 821.
archanas 2.
aren 83.
arphet 821.
ariſtoſſus 21.
aſtragi 889.
aſir 520.

azelus 113.

B.

barcora 648.
bauoſa 18.
berubie 992.
bergiticon 1021.
bratti 967.
brethmechin 7.P.

C.

caab 706.
calſatz 388.
caniferias 648.
caniſis 648.
carufis 767.
caugitet 767.
chrachoros 833.
chichi 706.
chirin 715.
coillium 706.
cricos 753.

E.

elacatch 963.
eſchara 369.

F.

fanage 856.
fead 992.
felchus 706.

G.

gaideropſare 89.
gefriſe 889.
geſſaſa 889.
giroli 522.
gramon 968.
graman 125.

H.

hager 528.
hahauc 741.
halzam 313.
harengus 408.
helcus 706.
higoana 803.

K.

karbanus 489.
koky 706.
kyloz 753.

L.

laha 255.
liſſes 967.

M.

melan 65.
nonnati 65.

O.

offia 48.

P.

plagitia 675.

R.

raha 992.
rahadar 992.
rodetz 243.

S.

ſabot 137.
ſabot 849.
ſarthan 138.
ſaxaulus 830.
ſedaſa 288.
ſedeph 288.
ſeigi 648.
ſedſe 889.
ſtrazarigha 762.
ſtupeſcore 592.
ſturicus 923.

T.

talga 968.
taracha 822.
tiemallus 979.
tunallus 980.

V.

Vrbian 856.

Z.

Zidvach 1050.

FINIS.

CONRADI GESNERI TIGVRINI HISTORIÆ ANIMALIVM

Liber IV.

Qui eſt de Aquatilibus.

De Aquatilibus quorum nomina ab A Litera incipiunt.

ABARMON (vox corrupta, vt videtur) vel Abremon, piſcis eſt fœcundiſſimus: ſed oua niſi ventre ad arenam aſperam & falſam confricato non emittit. in arena autem prolem complet & educat, Albertus & author de natur. rerum Ariſt. citantes. Cum mare tempeſtatibus agitatur, ſobolem ſuam ventre (vtero) recipit: & poſteà rurſus emittit, Iorath. Videtur autem vel glauci, vel canum ſeu galeorum generis hic piſcis eſſe.

ABLENNES, vide in Acu.

ABRAMIS vel Abramis fluuialis Bellonio videtur is piſcis quem Itali ſcardulam, Galli & Germani ferè breſmam vel bramã appellant, **ein Brachſme/** (de quo dicemus infrà in Cyprinis,) ſola nimirũ nominis affinitate inductus. Atqui Oppianus (inquit Rondeletius) & Athenæus, qui abramidis meminerunt, thriſſis ſemper coniunxerunt, vt ſuſpicari neceſſe ſit abramides thriſſis ſimiles eſſe, vel eiuſdem generis, atque marinas, quæ ſtatis temporibus fluuios ſubeant, quæ de bramà dici non poſſunt. Ἀβραμίδες conferctæ nunc petras, nũc pelagus, nunc littora ſequuntur, Oppianus lib. 1. Halieut. vbi primæ vocali aſpiratur. Χαλκίδες αὖ θέλουσαί τε, καὶ ἁβραμίδες φορέουσαι Ἀθήνας. Grammatici α ante β leuigari aiunt: ſed excipiunt quæ β cum ῥ implicitum habent, vt ἄβρος, ἀβρότονον. Ἄβραμις (cum acuto in prima, malim in vltima) Athenæo inter Nili piſces numeratur.

DE ACARNANE
RONDELETIVS.



PISCEM quem hic exhibemus, nec in Prouincia, nec in Gallia Narbonenſi, nec in Hiſpania videre potuimus, ſed Romæ tantùm, vbi inter erythrinos & pro erythrino venditur, eodéq; nomine (ſcilicet phragolino) nuncupatur. Idem eſt fortaſſe qui albores etiam dicitur Venetiis, quòd albus ſit. Ἀκαρνὰν dicitur ab Athenæo lib. 8. alibi ἀχαρνᾶν: ab Ariſtotele lib. 32. cap. 11. ἀχάρναι: & ἀχάρνα genus piſcis apud Phauorinũ. A carne legitur in vulgaribus Plinij codicibus, in catalogo piſcium. Appellationes alias aut vulgares aut Latinas non comperi.

A Dicimus

B Dicimus igitur acarnanem esse piscem marinum, pagri vel erythrini forma, colore candido, squamis argenteis, ore mediocri, tenuibus dentibus, rostro aquilino pagri modo, spatio quod inter oculos est cõpresso, oculis magnis pro corporis ratione, aureisque: pinnis candidis. ad primarum radicem maculà est ex nigro rubescens, caudæ extrema rubescunt, linea rectà à branchijs ad caudam protensa. partibus internis à phagro non differt, eique & erythrino adeò similis est, vt pro eis vendatur, vt dictum est, horumque trium nomina confunduntur Romæ. omnes enim hi phragolini dicuntur.

F Athenæus lib.8. ὁ καλούμενος ἀκαρνὰν γλυκύς ἐστι, καὶ περιστύφων: τρόφιμος δὲ, καὶ εὐέκκριτος. Qui acarnan dicitur, dulcis est, & subastringens, satis alit, & facilè excernitur. Eadem sanè sum expertus, carneque esse candidissima, media substantia, facilè concoqui & distribui, bonum succum gignere.

E Æstate & hyeme capitur.

A Quid potissimum in animum inducat meum, vt piscem quem repræsentamus acarnanem esse credã, bona equidem fide dicam, ei qui alia vel meliora inuenerit, magnam habiturus gratiam. Hicesius apud Athenæum pisces aliquot eiusdem generis enumerat, vt cap. de phagro citauimus, phagrum, chromin, anthiam, acarnanes, orphum, synodontas, & synagrides. At pagrum & erythrinum non esse eum quem hîc depingimus, color rufus satis probat. hic enim candidus est, illi rufi. Synagris etsi alba aliquando dicatur, maculis tamen rubeis conspersa est, similiter & synodon: quare hac maximè nota, & dentibus ab hoc nostro seiunguntur. Nec orphus esse potest: nam vt paulò pòst ostendemus, ruber est, hic noster albus. Superest vt vel anthias sit, vel chromis, sed hos suis locis ab acarnane certis notis discernemus.

C Acharnam scribit Aristoteles æstate laborare atque extenuari, quod etiam in hoc nostro pisce verum esse comperies.

Lib. 8 de hist. anim. cap. 9.

COROLLARIVM.

F Notandum, à Diphilo quidem apud Athenæum, acarnanem piscem τρόφιμον καὶ εὐέκκριτον dici, si rectè scribitur: contrà verò ab Hicesio, tum hunc, tum phagrum, chromin, & alios eis similes, dulces & subastringentes, satisque alere, & pro ratione etiam δυσεκκρίτους esse, hoc est difficulter excerni, quæ lectio magis placet. nam & quæ astringunt, & quæ multum alunt, ægriùs contrarijs aut minus id efficientib. excernuntur. Plus a. alũt (inquit idẽ Hicesius) q. magis carnosi ex eis magisq; terreni, & min⁹ pingues fuerint.

A A Callia poëta ἄχαρνος cognominatur αἰνεός, à loco circa quem abundat. Germanicè circumscribitur **ein meerbuachsinen art**: nam cum erythrina & phagro confunditur. Archanus piscis capitones cum adoleuerunt præcipuè corripit, Aristot. de hist. anim. 8.3. vbi Græcus codex noster ἀράχνην habet, Gaza ἀρχάνη legit. Archanas (codex noster habet ἀχάνας sine ρ.) æstate laborat, eóque tempore extenuatur, Arist. ibi. c.19. Quærendum an anacharsis quoq; & acherla eiusdem piscis nomina sint apud Hesychium.

ACCIPITER piscis, vide in Lucerna.

ACEANES, Ἀκεανές pisces, Ampraciotæ, Varinus.

ACERINAM Plinij medici, recentiorum cernuam esse putat Bellonius: sed id fortè ab atherina potiùs corruptum est.

ACHARNA vel Acharnus, vide Acarnan.

ACHERLA, Ἄχερλα, piscis quidam, Hesychius: idem fortè qui Acarnan.

DE ACIPENSERE,

RONDELETIVS.

A ANTEQVAM quid de acipensere statuendum nobis esse videatur exponamus, operæpretium est docere veterum & optimorum autorum testimoniis acipenserem ab elope, & anthiã differre. Acipensere quidem cum nullus alius apud Romanos celebrior vnquam piscis fuerit, tamen quis is sit hodie ambigitur: hac maximè de causa, q elopem eundem esse & acipenserem existimarũt permulti, qui cùm quæ elopi à veteribus tribuuntur, vix vlli ẽ piscibus nostris competere viderent, acipensere nos hodie carere, perinde ac si omnino è medio sublatus esset, vel in rerum natura amplius non existeret, multis persuaserunt, ac proinde quis fuerit elops vel acipenser apud veteres nos penitus ignorare. Acipenserem igitur & elopem eundem esse piscem non recentiores solùm, sed etiam veteres quidam opinati sunt. Athenæus, Appion grammaticus in lib. de Apicij delitijs, piscem qui elops nominatur, acipenserem esse scripsit. Plinius, apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser, vnus omnium squamis ad os versis contra aquam nando meat, nullo nunc in honore est, quod quidem miror, cùm sit rarus inuentu. Quidam eum elopem vocant. Gaza quoq; ἔλοπα Aristotelis acipenserem vertit. Ex his eundem esse (veterum nonnullis creditum) elopem & acipenserem liquidò constat. Quibus duo alia testimonia opponimus, Ouidij nimirum & eiusdem Plinij: ille enim in fragmento operis de piscibus diuersis in locis acipenseris & elopis meminit:

Acipenserem & elopem eundem esse nonnullis videri.
Libro 7.
Lib. 9. ca. 17.
Acipenserem & elopem diuersos esse.

Et preciosus elops nostris incognitus vndis. Et circa finem:
Tuq; peregrinis acipenser nobilis vndis.

Lib. 32. ca. 11.

At ne videatur Ouidius eundem piscem diuersis nominibus appellasse, audi Plinium citantem priorem locum: Elopem quoque dicit esse nostris incognitum vndis, ex quo apparet falli eos qui eundem acipenserem existimauerunt. Elopi sanè palmam saporis inter pisces multi dedere. Minimè autem verisimile est Ouidio, qui in optimatum & principum domibus plurimus fuerat, acipenserem diuitum tantùm mensis dignum habitum, ignotum fuisse. Ouidio assentitur Columella, qui de elope hæc scripsit: Fretorũ differentias nosse oportet, ne nos alienigeni pisces decipiant, non enim omni mari omnes esse, vt elops qui profundo Pamphylio, nec alio pascitur. Idem Ælianus tradidit in mari Pamphylio solùm, hec nisi rarò & vix capi. Varro tamen elopem Rhodium etiam fuisse scripsit in Satyra περὶ ἐδεσμάτων inscripta citante Aul. Gellio. Quòd verò anthias ab eodem elope differat, docet ex Dorione Athenæus. Cùm enim dixisset, τὸν δὲ ἀνθίαν τινὲς καὶ καλλίχθυν καλοῦσιν, ἔτι δὲ καλλιώνυμον καὶ ἔλοπα: aliquantò pòst subdit, Δωρίων δὲ ἐν τῷ περὶ ἰχθύων διαφέρειν φησὶν ἀνθίαν καὶ καλλίχθυν, ἔτι δὲ καὶ καλλιώνυμον καὶ ἔλοπα. Quare non sine veterum autoritate ab acipensere & anthia elopem secernimus. Dicam quod maius est, elopes etiam communi nomine pisces

Lib. 8. cap. 16
Lib. 11. ca. 21.
Lib. 7. ca. 18.
Anthiã etiam ab elope differre.

omnes dici, quòd voce careant. Athenæus: Dic mihi ô Thessale luctator Myrtile, cur pisces à Poëtis elopes vocantur? Et ille: Videlicet quia voce carent. volunt enim secundum analogiam illopas dici, quòd voce priuati sint: nam ἴλλεσθαι significat εἴργεσθαι. id est, prohiberi, & ὄψ vox est. Idem Phauorinus: ἔλλοπες, ἐλλείποντες τῆς ὀπός, τουτέστιν ἄφθογγοι, ἄφωνοι. Ellopes dicuntur quia voce destituti sunt. Alij ἔλοπας squamosos pisces intelligunt παρὰ τὸ ἐν λεπίσιν εἶναι. Et apud Theocritum ἐλλοπιεύειν pro piscari. Acipẽser igitur Latinum nomen est, teste Athenæo simplici c scribendum duabus primis syllabis breuibus, vt ex Lucilij versibus liquet, quos Cicero citat lib. 2. de finib.

Ἔλλοπες dici omnes pisces, aut saltem squamosos. Lib. 7.
Acipẽser per c. simplex.

O Publi, ô gurges, Geloni es homo miser, inquit,
Cœnasti in vita nunquam bene cùm omnia in isto
Consumis, squilla, atque acipensere cum decumano. Et Martialis:
Ad palatinas acipensera † mittito mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

† alij acipensem.

Ex his apparet Grammaticorum quorundam error, qui autore Sipontino acipenserem ab accipiendo dictum putant, quòd frequenter accipiatur: nam & rarus est piscis, & nomen duplici c scribendũ foret. Quis verò sit is piscis, ex nullo veterum meliùs quàm ex Athenæo discere licet. Is cùm de galeis ex Aristotele locutus fuisset, postremò de galeo vario, & vulpe, subiungit: Archestratus qui Sardanapali vitam vixit, de galeo Rhodio scribens eundem esse opinatur, cum eo qui apud Romanos cum tibiis & coronis in cœnis circumferebatur, coronatis etiam iis qui gestarent, vocatque acipenserem. † sed hic quidem paruus, & porrectiore rostro est, & figura triangulari magis quàm illi, (μᾶλλον σκελίνων. malim σκελῶν, ἤγουν τοῦ ἐν ῥόδῳ γαλεοῦ: id est, magis quàm ille, nempe galeus Rhodius.) Horum vilissimus & minimus non minoris venit quàm mille nummis Atticis (Ἀττικῶν χιλίων.) Partim ex iis, partim ex aliis quæ mox dicentur, colligo piscem eum marinum, qui à nostris sturio dicitur, à Gallis *estourgeon*, à Burdegalensibus *creac*, ab Italis *porcelleto* acipenserem esse. Nã cum galei, vt vulpes, rostro sint oblongo, huic multò magis prominet rostrũ, vt meritò vulpe galeo μακρορυγχότερος dicatur. Huic notæ accedit alia certa admodũ & euidens, nimirum corporis totius figura triangularis. Centrina quidem corpore est triangulari, sed rostro non porrecto, estque piscis planè ignobilis & insuauis. Galei cæteri rotundo sunt corpore, sed sturio ventre est plano, latera ob ossa vtrinque posita angulos duos, dorsum inter hæc eminens tertium angulum, constituũt. Adde quòd cartilagineus est piscis, quam ob causam Athenæus cum cæteris cartilagineis cõiunxit. Quòd si quis aliquem ex cartilagineis proferre possit, cui hæc acipenseris figura magis conueniat quàm sturioni, libenter in eius opinionem discedam. Veruntamen duo sunt quæ sententiæ nostræ repugnare videtur. Vnum quod acipenserem Athenæus paruum esse dicat, cum sturiones nostri sæpe ad cetacei piscis magnitudinem accrescant. At de sturione marino verba facit, qui ferè cubiti magnitudinem non excedens cũ vulpe galeo collatus rectè paruus dicitur, in aquis verò dulcibus saginatus longè grandior fit. Olim Romam aduehebantur marini, quod etiam hodie fit, vidique illic paruos tantùm sturiones, quales etiam nostri sunt qui in mari capiuntur. Ciceronis de eodem pisce hæc verba sunt in dialogo de fato, citante Macrobio. Quum esset apud se ad Linternum Scipio, vnaque Pontius, allatus est fortè Scipioni acipẽser, qui admodum raro capitur, sed est piscis, vt ferunt, imprimis nobilis. cum autem Scipio vnum & alterum ex iis qui eum salutatum venerant inuitasset, pluresque etiam inuitaturus videretur, in aurem Pontius: Scipio, inquit, vide quid agas, acipenser iste paucorum hominum est. Hæc postrema Pontij verba, & ad piscis paruitatem, & conuiuarum dignitatem referri possunt, perinde ac si dicat, piscem minorem esse, quàm vt tot conuiuis satisfacere possit, vel præstantiorem & delicatiorem quàm vt quibuslibet conuiuis apponi debeat. Alterum quòd sententiæ nostræ reclamat, ex Plinio & Nigidio sumitur: Acipenser inquit Plinius vnus omnium squamis ad os versis contra aquam nando meat. Et Macrobius: Quod ait Plinius de acipenseris squamis, id verum esse maximus rerum naturalium indagator Nigidius Figulus ostendit, in cuius libro de animalibus quarto ita positum est: cur alij pisces squama secunda, acipenser aduersa sit? Quibus respondemus de acipensere hæc dicta esse ab iis, qui eundem esse cum elope crediderunt, vt quod elopi conueniret, id acipenseri tribuerint. Præterea contra aquam nando meare non est † elopi proprium, sed cum aliis omnibus commune: pisces enim modò secunda, modò aduersa, modò obliqua, modò trãsuersa aqua natant, prout impetu vel prædæ auiditate feruntur. Proprium quidem elopi fuerit squamas ad os versas habere. At si squamas ad os versas habet, quomodo peculiare illi est contra aquam nare? Etenim huiusmodi squamarum positus subeunte leuanteque eas aqua magno ad natationem impedimento fore mihi videtur. Postremò ex Athenæo perspicuum est acipenserem non esse ex squamosis, sed ex cartilagineis piscibus, qui omnes squamis carent: nam galeis eum coniunxit Athenæus, & Archestratus Rhodiũ galeum esse existimauit, à quo cum rostri tantùm longitudine, corporisque triangulari figura dissideat, efficitur cætera galeis similem esse, id est cartilagineum longumque esse piscem. Hactenus de sturionis nomine Latino, quem acipenserem esse credimus. Nunc inuestigandum est quo nomine eundem Greci nuncupauerint. Ac primùm ἀλώπεκα siue γαλεὸν ῥόδιον, quem Syracusij κύνα πίονα vocabant, non fuisse, vt sentiebat Archestratus, ex Athenæo demonstratum est. Dorion in lib. de piscibus ὄνον & ὀνίσκον differre facit, quãuis Galenus cæterique tum veteres, tum recentiores ὄνον & ὀνίσκον, Latini asinum vel asellum pro eodem pisce scilicet pro merlucio vsurpauerint. At Dorion ὄνον vocat γάδον, ὀνίσκον vero μάξεινον & γαλλερίδαν, alij γαλαρίαν, alij γαλλαρίαν, nisi mendosi sint codices. Hoc discrimine posito scripsit idem Dorion, murænam fluuiatilem vnam habere spinam solam similem onisco: spinam intelligo totum vertebrarum contextum, ex quibus colligo ὀνίσκον sturionem esse: proferat enim aliquis quæso, piscem cui cartilaginea dorsi spina vnica sit, & in nullas vertebras diuisa præterquàm lampetræ & sturioni. Hæc quidem nota tam certa est atque perspicua, vt cum lampetræ nostræ & sturioni conueniat, inficiari nemo possit murænam fluuiatilem nostram esse lampetram, & Dorionis ὀνίσκον sturionem. His adiungam quæ Athenæus ex Aristotele profert de onisco. Scribit Aristot. in lib. de animalibus, os habere hians patensque ἀνερρωγὸς similiter ac galei, & solitarium esse, quæ asello, id est, merlucio quadrare minimè possunt, sed sturioni aptissimè: os enim valde scissum habet, semperque hians, & in prona parte, quemadmodum galei, nec gregalis est. nunquam enim plures sturiones simul capiuntur, aselli vero gregales sunt, ad quos etiam referenda sunt reliqua, quæ eodem in loco ex Aristotele ab Athenæo proferuntur. Suspicor eundem ὀνίσκον siue sturionem eum esse qui à

Idem descriptus ex Athenæo.
† Græci codices nostri lib. habent ἀκκιπένσηρα per κ duplex.
A *Sturio est acipenser. Triangulus.*
Cartilagineus.
Sturio marinus ferè cubitum non excedit.
Lib. 3. Saturn.
Acipenseris squamæ an ad os vertantur. Li. 3. Saturn.
† Nos quidẽ nusquã hoc de elope à Græcis proditum inuenimus.
Acipenserem non esse vulpem vel mustelum Rhodium.
Dorionis oniscum gallariam sturionem esse.
Libro 7.

Idem piscis Galeni galaxias videtur.

Galeno lib. 3. de alim. facult. γαλαξίας vel γαλεξίας dicitur: ab Athenæo modo γαλεώδης, modo γαλαξίας, vt alterutri codices mendosi sint. Galeni verba hæc sunt: Galeorum non vna est species: nam piscis qui in maximo habetur pretio apud Romanos galaxias vocatus, ex genere est galeorum, qui in Græciæ mari nasci non videtur, quæ causa est cur ipsum Philotimus ignorasse videatur. Id quidem nomē dupliciter in exemplaribus scriptum inuenitur, in quibusdam galei per tres syllabas, in quibusdam galeonymi per quinque, & constat sanè celebrem illum apud Romanos galaxiam in eorum numero qui molli carne constant esse habendum, reliqui galei dura magis sunt carne. Fieri vix posse opinor, vt quis alium proferat piscem ex galeorum genere magnopere à Romanis celebratum qui molli sit carne præter acipenserem, siue sturionem nostrum. Quod si quis galeum esse neget, dicimus ideo quod cartilagineus sit, non plano sed longo corpore galeis simili, quod os in prona parte habeat galeorum modo, meritò in galeis haberi. Quòd branchias opertas habeat, id ei ex galeis peculiare esse, quemadmodum etiam quod pinguis sit: præter hunc enim & vulpem, siue galeum Rhodium, cæteri omnes galei pingui carent. Hæc sunt quæ de Romanorum acipensere & sturione nostro veterum Græcorum monumentis tradita fuisse comperi.

Sturio quid cum galeis cōmune, quid diuersum habeat.

F

Li. 3. Saturn.

Acipenser aliquando maximo in pretio fuit apud veteres Romanos, aliquando tam celebris esse desiit. Macrobius: Hæc Sammonicus, qui turpitudinem conuiuij principis sui laudando notat prodens venerationem qua piscis habebatur, vt à coronatis inferretur cum tibicinis cantu quasi quadam non deliciarum sed numinis pompa. Idem secundo bello Punico celebre fuisse piscis nomen, nec illius seculi diuitias euasisse probat ex Plauti comœdia. Verùm Traiani temporibus tanto in honore non fuit, autore etiam Macrobio: nec inficias eo temporibus Traiani hunc piscem in magno pretio non fuisse, teste Plinio secūdo, qui in naturali historia, quum de hoc pisce loqueretur, sic ait: Nullo nūc in honore est, quod quidem miror cum sit rarus inuentu, sed nec diu stetit hæc parsimonia. Nam temporibus Seueri principis, qui ostentabat duritiam morum, Sammonicus Seuerus vir vt eo seculo doctus, quum ad suum principem scriberet, faceretque de hoc pisce sermonem, verba Plinij quæ superius posui præmisit, & ita subiecit: Plinius vt scitis ad vsq; Traiani Imperatoris venit ætatem, nec dubium est, vt ait, nullo in honore hunc piscem temporibus suis fuisse verum ab eo dici: apud antiquos autem in pretio fuisse ego testimoniis palam facio, vel eo magis quod gratiam eius videam ad epulas quasi postliminio rediisse, quippe qui dignatione vestra quum interfuim conuiuio sacro, animaduerto hunc piscem à coronatis ministris cum tibicine intro ferri. Hactenus Macrobius. Est reuera sturio piscis delicatissimus, suauissimus, bonique succi, vt non immeritò ab iis qui gulæ deliciis dediti sunt, plurimùm commendetur.

A

Sturio nō est lupus. *Attilus Padi nō est sturio.* *Tursio Plinij phocæna est, nō sturio.* *Lib 9. cap. 9.*

Nondum me omnibus satisfecisse puto, nisi iis quæ de sturione dicta sunt, adiungam refutationes eorum qui alios atque alios pisces pro sturione repræsentarunt, quorum studium conatusque laudo, sententias verò hac in re non sequor. Fuerunt igitur qui sturionem existimauerint esse lupum, quorum opinionem quum de lupo diceremus, reiecimus. Alij Padi attilum sturionem esse contendunt, qui nunc adillo dicitur, quod manifestè falsum esse sensus ipse docet: attilus enim sturione maior est, figura, sapore, pretio, tota denique natura à sturione diuersus. Alia opinio, Plinij tursionem, nostrum sturionem esse affirmat, cuius præcipuum autorem fuisse Theodorum Gazam complures arbitrantur. multi eandem sententiam secuti sunt maximè nominis affinitate adducti: parum enim abest sturio à tursione: præterea Plinij autoritate, qui sturionis formam capite de tursionibus videtur expressisse. Delphinorum similitudinē habent qui vocantur tursiones, distant & tristitia quidem aspectus: abest enim illa lasciuia, maximè tamen rostris canicularum maleficentia assimilati. At si Plinij tursio, phocæna sit Aristotelis, vt interpretatur Theodorus, is sturio nullo modo dici potest, cum phocæna delphinorum modo catulos pariat lactetq;, sturio verò oua edat.

Hycca non est sturio.

Hermolaus Barbarus iuuandis literis, optimisque studiis promouendis natus, in tanta eruditorum dissensione rogatus sententiam per epistolam Paulo Cortesio respondit, sturionem antiquitus hyccam fuisse, ex testimonio Athenæi hac coniectura adductus, quòd hycca porcum significet, sturio autem porcelleto, quum præsertim sit paruus, appelletur ab Italis magna eius nominis similitudine. Qua in re ab Hermolao dissentio, quem virum alioqui ob singularem eruditionem, magnamque rerū optimarum cognitionem suspicio: ex Athenæo enim nihil colligi potest vnde coniicere rectè possimus hyccam sturionem esse: scribit enim hyccam sacrum piscem à Callimacho vocari, & à Zenodoto annotari, & erythrinū à Cyrenæis hyccam dici: ab Hermippo verò Smyrnæo hyccam iulidem. Multi hodie Paulum Iouium in lib. de pisc. Roman. secuti, sturionem silurum esse opinantur: quam opinionem eo animi candore à me redargui omnes quæso existiment, quo idem Iouius multorum de sturione sententias refellit.

Sturio nō est silurus.

Eorum sanè quæ Ausonius siluro tribuit, quamuis sturioni quædam competant, multa tamen repugnant. Primum silurus fluuiatilis est, sturio marinus flumina subiens, neque tam vastus, neque delphino similis, deinde tergore olei colorem non refert: etenim oleum flauescit, sturio tergore est cæruleo. Iam verò quæ de siluri moribus tradit Plinius, à sturione valde sunt aliena: silurus grassatur vbicunque est, omne animal appetens, equos innatantes sæpe demergens: sturio verò ob oris situm & figuram id efficere non potest. Postremo neque maleficus est, neque dentibus armatus.

Lib. 9. cap. 15.

DE EODEM BELLONIVS.

A

Acipenser & Helops.

Sturio marinus ac fluuiatilis piscis omnium sui generis cartilagineorum, longè delicatissimus est: qui si cum antiquorum piscium nomenclatura conferatur, fortasse Latinorum Acipenseri, Græcorumq; Helopi respondere videbitur, quod tamen temere affirmare non ausim: tum quòd Latinorum Acipenser, & Græcorum Helops, rarò ab antiquis reperiri solerent: tum quod pusilli essent Acipenseres antiqui: quamobrem Venetorum vulgus *Porcelletas* appellauit. Plinij præterea Acipenser, vnus omnium squamis ad os conuersis, contra aquæ cursum natat. Quæ cum Sturioni minus conueniant, controuersiam hanc iis relinquemus, qui rebus obscuris paulò curiosiùs addicti, etiam interiora maris ac fluminum, paulò liberaliore ingenio perscrutantur. Est igitur Sturio, Tyrrheno atque Adriatico mari infrequens, Ponto & circa Mæotidem paludem frequentissimus: quibus ex locis huius oua, quæ alioqui nigra sunt aduecta, atque in molem ingentem coacta, salita, & cadis inclusa apud Turcas, GRÆCOS ac VENETOS diuenduntur; Cauiarium appellant. Cuius generis est etiam aliud, rufo colore præditum, de quo

B Vbi Sturio. Oua.

de quo in Cyprino dicemus. Proinde Sturione Tanais abundat, quod flumen Asiaticis Tana, ipse quoque piscis vulgo Xirichi appellari solet.

A F

Exiccatus autem vel insolatus, sale conspersus, & in longiores assulas diffissus, Græcis ac quibusdam Italis optimum edulium præbet, vt crudis eius assulis cum cepis vulgus vti soleat.

A E

Colla quadruplex.

Integrum piscem Cyprij Moronam vocant: Assulas autem, vulgus Italorum *Spinalia*, aut eo corruptius *schenal-a* vocat: quod totum huius piscis corpus in lōgum per tergoris spinam, à capite ad caudā diffindere soleant. Ac quod ex huius piscis folliculo, secundum spinæ longitudinem expanso, Tanais incolæ collam conficiunt (quemadmodum ex Herodoti Strabonisve Antaceo) ob id generali quodam vocabulo, collam appellant, distinguuntq; sturiones Caffæ populi, in Collam Xirichi, Collam Mersini, Collam Morona, & Collam Zuccha.

B

Cæterum frequentior, delicatior, ac procerior nobis est Sturio ex Ligeri ac Rheno quàm ex Oceano, aut Mediterraneo mari: vt nostra memoria apud montem Argum, Francisco Regi decem & octo pedes longus aliquando fuerit ostensus. Ea est porrò Ponticorum, Adriaticorum, Gallicorum ac Germanicorum inter se differentia, quæ magnitudine, crassitie, cutis asperitate, & subnigro, subfuluo, aut argenteo colore distingui possit. Quod autem ad huius piscis descriptionem attinet, hoc animaduertēdum est, Sturionem tereti, oblongoque esse corpore, inter rotundos ac planos ambigenti: vt qui subtus quodammodo planus sit, dorso verò semirotundo. Sequanicus ac Ligerinus adultus, tres interdum orgyias excedi, Galeum piscem pinnis ac forma referens, exili corpore, hirta sursum pelle, deorsum plana ac læui, apud Ferrarienses ac Bononienses argenteo colore fulgens, dorsum & latera tribus veluti carinis distincta ostendit. In dorso, octo quasi officula cultellata prominere videas: in lateribus autem vtrinque, alia octo & viginti, calli duritiem præ se ferentia à branchiis ad caudam exporrecta. Cæterum, oblongo rostri mucrone præditus est, porrectamque habet frontem, atque in pyramidem assurgentem. Cirrhos duos oblōgos, mysti modo, sub mento ostendit, sub quo diffissam barbam esse diceres. os ei sub rostro fistulosum vulpeculæ marinæ modo. Proinde totius corporis compage ad Galeos accedit: sed habet Galeus branchias cute contectas: hic verò, operimentum veluti spineum, squamati piscium generis in morem, atque oculos pro corporis mole admodum paruos gerit. Branchias simplices quidem, nec vsq; adeò rufas habet: nullisque dentium rudimentis præditus est, imò neque labia exasperata præ se fert: non enim piscib. aut conchis, sed muco potius, aut aliis læuioribus, quinetiam sabulo & arenulis, vesci credibile est. Quamobrem natura illi ventriculum durissimum confecit, adeo strictè tergori inhærentem, vt nisi discissum inde euelli possit. Ob quam etiam rationem os illi in tubi modum fistulosum est, quo facilius terram ad imum effodiat, habetque œsophagum vndique in rugas contractum, linguam densam & crassam. Ac quando ad internas eius partes ventum est, cor etiam spongiosum ac triangulare pericardio inclusum ostendit: iecur stomachum fulciens, in duos lobos diuisum: oblongos quidem eos, fuscos atque in gyrum crenis aliquot distinctos: quorū dextro lobo vesicula fellis ita adsuta est, vt nulla ferè appareat. Lienem stomacho subiectum, subrubrum, & in V literam efformatum gerit: intestina valida & crassa, tribus tantum spiris conuoluta.

COROLLARIVM.

Plura leges infra in Sturione.

Acipenser vel aquipenser (vt apud Festum scribitur) vnde dicatur non constat. licet tamen coniicere vocabulum ab origine Græca detortum esse. nam Archestratus galeum Rhodium, quem putabat eundem esse piscem, à Syracusanis κύνα πίονα vocari meminit, hoc est canem pinguem: quod si a. vocalē præponas & pauca immutes, acipensera facies. Quanquam Athenæus acipenserem non eundem esse ait, sed minorem galeo Rhodio & rostro longiore, vnde rursus subit aquipenserem ab acuta rostri figura dici potuisse, vel Latina origine, vt aquifolia ab acutis foliis: vel Græca. nam & hodie Græci sturionem ξυρίχ nominant, quasi oxyrynchum (quod nomen etiam aliis piscibus attribui scio) à rostro oblongo & acuto: & potuit oxyrynchus in oquirensem & aquipensem demum peruerti. Sturio etiam Latinis hodie, & Stör Germanis vsitatæ voces, à Græca per aphæresin simul & apocopen factæ mihi videntur. Forte & acipensis in recto casu proferri potest, à quo accusatiuum acipensem Martialis formauit in carmine, in quo alij acipensera legunt.

Moronæ vocabulum Græcis hodie vsurpatur, sed non de eodem pisce omnibus. Cyprij sturionem sic vocant, vt Bellonius scribit: Græci cæteri piscem illum quem nostri husonem, vt Rondeletius & Calcagninus. sed horum piscium magna inter se naturæ formæque similitudo est: & vtriusque ad ichthyocollam conficiendam vsus. vtrique præpingues sunt. & porcum pinguedine referunt: vt inde marionis nomen factum arbitrer. nam & Cretenses porcam μαρὶ appellant, & Germani Mör: & sturionem paruum vel marinum Veneti *porcelletam* vel *porcellum*, vt & Parmenses & alij, Grapaldo teste.

Plinius, vt suspicor, porculum marinum. quare marionis (quem porculo marino simillimum facit) nomen apud Plinium non mutârim. quanquam Rondeletius maior legere malit, non mario, in hoc Plinij loco: Silurus grassatur vbicunque est, præcipuè in Mæno Germaniæ amne propter Lisboum & in Danubio maior, porculo marino simillimus. Vbi nostri codices habent, Et in Danubio maior extrahitur, porculo marino simillimus: quæ lectio nobis probatur. (Nam de siluro Danubij nondum nobis constat an sit, & quantus: & si est, an porculo marino similis: quod non puto.)

Tomus nuncupatur Thurianus ab Italiæ oppido Thuriis, quo primum ex Sicilia creditur subuectus: à cuius deliciis sturioni nomen conciliatum putant. Athenæus Thursianum vel Thurianum obsonium prodit esse canis marini portionem, Cælius.

Sturionum has duas icones Venetiis nactus sum: inferiorem Moronam nominant.

STVRIO PRIMVS.



STVRIO SECVNDVS.



Sturio piscis est quem antiqui storam vocauerunt, Albertus. sed certum est neminé veterum sic appellasse. Germani vocant Stör/Styr/Styrle. Angli *Sturgion.* Illyrij *Gesetor.* Vngari *Geczyge* vel *Getschyge*, Hilpami

ni *Sulium*, quasi *Suilum*, vel *Suillum*, à *Sue*. Occa Moscouiæ fluuius habet pisces quosdam peculiares, quos ipsi sua lingua vocant *beluga*, miræ magnitudinis, sine spinis, capite & ore amplo Biela id est, album. *sterlet*, *s. hauuriga*, *osseter*: postrema tria Sturionum genera: & *bielaribuza*, hoc est album piscium nobilissimi saporis. horum maximâ parte ex Vvolga fluuio eò deuenire putant, Sigismundus Liber. Crocodili quidâ in Nilo disrumpuntur suffossis aluis mollibus certis ferarum dorsualibus crustis, quas delphinis similes nutrit fluuius, Marcellinus. Ego genus hoc piscium, Sturiones, vel omnino cognatum esse puto: quos propter similitudinem quandam aliqui Delphinos appellarint. nam & Solinus, Delphinum (inquit) genus est in Nilo, quorum dorsa serratas habent cristas. hi delphines crocodilos studio eliciunt ad natâdum, demersíque astu fraudulento, tenera ventrium subternatantes secant & interimunt. vide infrà in D. Babillus author est (inquit Seneca naturalium quæst. lib. 4.) cum ipse præfectus obtineret Ægyptum, Heraclitio ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse Delphinorum à mari occurrentium, & Crocodilorum à flumine aduersum agmen agentium, velut pro partibus prælium.

Carolus Figulus qui de Piscibus Mosellæ nostro æuo scripsit, sturionem ipsum esse delphinum astruere conatus est, falsò id quidem. sed certè multa quod ad formam vtrique conueniunt: vt si quis illos fluuiatiles delphinos appellet, nil faciat absurdi: quanquam non omnino fluuiatiles sunt, sed è mari in fluuios maiores subeunt, quod non faciunt delphini. crustæ quidem illæ dorsuales serratæ, non delphinis marinis, sed sturionibus conueniunt. quibus si crocodilorum ventres aliquando dilanient in Nilo, non miror, quando in Danubio etiam husonem piscium maximum Sturio crustis illis hamatis ventrem subiés vulnerat ac vincit, vt fama est: siue id consultò & pugnæ ritu facit, siue temere dum fugiens aut aliter impetu effertur, & in husonem fortuitò incidit. Et hic idem Delphinus Nilôus noster, ξυναυχὴς forte fuerit qui inter huius fluuij pisces memoratur, quando hodieque à Græcis Sturio ξυφίχη nuncupatur. Hisca etiam Symeoni Sethi non alius piscis videtur. vide in Hycca.

Delphinus Nilôus vel fluuiatilis. Sturio videtur.

Sturio adultus piscis est magnus, & nouem plerunque pedes longus, Albertus. amicus quidam noster Antverpiæ pedes longum quatuordecim sibi visum nobis retulit. B

Crescit ad iuuenci magnitudinem. nam qui centum & octoginta libras excesserint, vidi, Cardanus. Rotundus est instar clui, (aliàs clauæ.) Tres habet déticulorum in pelle pungentium per corporis longitudinem (ordines) os ad fugendum potius quàm mandendum, carnem albam: ossa nulla præterquàm in capite: pingue flauum: hepar magnum & prædulce, Albertus. Ventrem habet exiguum, & ferè solidus est in loco ventris: intestina parua. ore caret: & quæ in cæteris animantibus ori destinatur pars, in eo integra est: nec nisi modicum sub gutture foramen habet, quod aëre sereno aperit, reliquo tempore claudit, Author de nat. r. Pisces quidam squamas non habent, sed pellem asperam, vt canicula marina. aliquid etiam tale habent muruca & Sturio, & pisces illi qui sturionem rostro referunt, Albertus. videtur autem murucæ nomine intelligere husonem, vel ei cognatum piscem, quem Itali Moronam nominant.

Sturio viuit in aquis fluuialibus, quæ magnæ sunt & diuisæ: in stagnis viuere diutius non potest, nisi ad dulces fluuiorum aquas transire ei licuerit, Author de nat. r. Flumina non nisi lata ingreditur, Platina. Ascendit à mari per fluuios ad quinq; vel amplius dierum itinera, quanta ab homine mediocriter expedito cõficerentur. Viteberge reperitur in Albi, quæ vrbs dierum quinq; itinere (vt audio) à mari distat. Viénæ in Danubio, & fortè etiã ꝫ. In Rheno quousq; ascédant, dicere nunc non possum: hoc scio Argentorati nullos nisi rarissime capi, vt miraculi loco habeatur. In Vvolga & Occa Moscouiæ fluuiis abundant. Pisces C
Germanicè dictus **Zieg** vel (**Goldfisch**) (quærédum an sit alausa) cum Sturione in Albim ascendit, & vnà capitur. Dentib. cum careat, suctu propemodum & paruis pisciculis victum sibi venatur, Calcagninus.

Sturio & Muræna toto ore extrahunt humoré eorum quæ fugunt ad suum nutrimentum, Albertus: qui Murænæ nomine lamprædam accipit. Cibi parum aut nihil admittit, cum sola aëris serena tranquillitas ad cibum ei sufficiat. quare ventrem angustum & intestina parua habet, Author de natu. r. Nihil cibi crassioris in ventre eius reperitur, sed humor viscosus quem exuxerit, Albertus. Apud Germanos quosdã celebre est prouerbium, in hominem nullius aut parcissimi cibi, aëre eum vesci instar sturionis, **Er läbet des windes/wie der stör**: quem Latino Prouerbio rore pasci dixeris. Austro citiùs pingueſcit, aquilone verò flante subsidet in profundo. In lacte etiã posítus diu sicut in aqua viuit, Author de nat. r. Magna vi caudam impellit moles non paruas, & sæpe ligna impetu caudæ quasi dissecat, Eberus & Peucerus. Sturio Salmonum è mari ascendentium dux esse perhibetur: & inuentus copiæ Salmonum (quos lachsos nostri vocant) indicium piscatoribus facit, vt audio. D

Husonem impugnat & vincit, ventre quem subierit crustarum in dorso aculeis lancinato: & similiter Crocodilum in Nilo, si modo piscis in Nilo delphini præ se ferens formam Sturio est.

Sturioné magnum in Pado sic capiunt: Homines in trib. aut quatuor nauiculis cõspectum ipsum natãté tacitè sequuntur, donec viderint eũm esse iuxta locum aliquẽ vbi tenuis aut vadosa est aqua, nẽpe ripã versus. tum subitò magno post eum strepitu & tumultu cõcitato, terrét, ita vt in vadum fugere cõpellant: vbi cum natare nõ possit, cõprehẽditur. In Danubio sturiones in arena dormiétes tridẽte percutiunt, Alb. E

Qui voluptates ipsas contẽnunt, eis licet dicere, se acipenserem mænæ non anteponere, Cice. lib. 2. de finib. vt citat Nonius. Et Thusc. 1. eodẽ citãte, Et si quẽ (inquit) tuorum affectum mœrore videris, huic acipenserẽ potiùs q̃ aliquẽ Socraticum libellum dabis. Plautus in fabula q̃ inscribitur Baccharia, ex persona parasiti: Quis est (inquit) mortalis tanta fortuna affectus vnquam, Qua ego nunc sum? cuius hæc ventri portatur põpa. Vel nunc qui mihi in mari acipenser latuit antehac. Cuius ego latus in latebras reddã meis dentibus & manibus. Sturionem nunc tribus nominibus Græci sale inueterantes condiunt, rhachinq; dorsi portionem nominant: quo argumento schinalé nos vocitamus: pleuram verò costas & latera. hypocœlium deniq; aluum cum pube, Cælius ex Hermolao Barbaro, cuius ipse nomen dissimulat. F

Sturio carne est suauissima, Cardanus. sunt qui vitulinæ conferãt: sed multò est pinguior & suauior. Hepar eius magnum est, adeoque dulce, vt nisi felle eius temperaretur, nauseam faceret, Albertus. quare (coqui) felle eius hepar perfricare solẽt, Author de nat. r. Sturiones parui multò vilioris sunt pretij magnis: sicut & marini (qui & ipsi minores sunt) fluuiatilibus postponuntur.

Fœminas ouis plenas plus quàm enixas probamus, non vsque adeò tamen vt maribus præferamus, Manardus. Sub cane sturiones maximè commendamus, imò (vt Iouius ait) in mediis tãtum solstitij feruoribus

ribus laudantur, Idem. Stirionem (inquit Platina: sic autem nominat, non sturionem) captum non statim, sed post paululum, in aqua dimidiata, vino albo & aceto coques. Salem indere memento. Tantum coctu-ræ, quantum vitulina caro, requirit. Comedi stirion ex leucophago, vbi multum gingiberis insit, vel ex alliato vel ex sinapio debet. Ex Stirione fit salitura, quam vulgo schinale vocant, quasi spinale, quòd ex dorso & spina fiat. Bonum scito, cum in tessellas cõcisum, integrum & rubeum erit. Dum in craticula coquitur, aceto & oleo crebro inspergito, ne desiccetur: vbi calorem penetrasse credideris, ab igne eximito, ac suffusum reliquo aceti & olei, conuiuis apponito. Hæc sunt potatorum calcaria. Conditum, quod cauiare vocant, ex eodem Platina: Oua stirionis, exemptis quibusdam neruis, qui hæc intererant, lota ex aceto aut vino albo, in tabulam extendes, vt exiccentur. Salita deinde in vase aliquo, aut inuoluta sale, manu, nõ tudicula, refrangantur: in saccum raræ texturæ, vt inde humor exeat, coniicies. Postremò verò in seriam in fundo perforatam, vt si quid humoris inest, inde exeat, ad vsum repones, bene premendo & operculãdo. Coqui duobus modis cauiare potest. Nam & in buccellas vel frusta panis parũ tostas extẽsum ad ignẽ cum fuscina aut gladij cuspide tandiu retinendum est, donec crustam fecerit coloratiorem: atque statim calidum edendum: aut lotum aqua tepida, ne plus quàm satis salitum videatur, oleribus bene concisis, excauato pani ac trito admiscebis, addendo parum cepæ minutatim concisæ ac frictæ, minimũ piperis. Hanc deinde impensam in fricturæ modum coques, & Græcos huiuscemodi cibi auidissimos pasces.

H.a. His diebus didici specie modo, non item genere distare tres hos pisces, Danubianum marionem, Padanum atilum: & hyscam, quem Transalpini sturionem nunc vocant: nos Cisalpini rectiùs, mea quidem opinione, stirionem, quasi tu στοίωνα dicas, quòd rostro suo proræ item rostratæ speciem referat. Atque

Parci fl. hos omnes non absurdè fortassis porcos fluuiales dixeris, quod & Græcis placuisse liquidò apparet, duntaxat in duobus (hysca, & marione, qui Germanis Hus, Bohemis Wyz vocatur, ac si Græcè dicas ὗς) quib. tertius (atilum dico) totius corporis figura persimilis est, & si quid inter illos paulum euariat, ex diuersitate regionum accidere videtur: quod non in brutis solum, sed & in humano genere satis conspicuum est. Omnino cum porco terrestri hoc totum genus habet quædam communia: præcipuè rostrum, adipes, totiusque corporis obesitatem: nisi quòd hysca aliquanto gracilior collata ad alterutrum apparet: sicut & mole vtrique cedit. Omnes tamen cetacei, vt inter fluuiatiles haberi possunt. His fortasse aliquis marinum delphina adnumerauerit, tum forma similem, tum vocabulo, videlicet δέλφακα: quin & vulgo Germanorum porcum marinum sua lingua dictum, Sigismundus Gelenius in epistola ad nos.

H.f. *Acipenser Gallonij.* De acipẽsere Gallonij Crinitus de honesta discipl. 6.4. hæc obseruauit: In oratione (inquit) M. Tullij pro P. Quintio hæc verba legimus: Non vt dominentur illis qui relicta virorum bonorum disciplina, & quæstum & sumptum Gallonij sequi maluerunt. Fuit autem Publius hic Gallonius postremæ gulæ homo, & in cupediis & lautioribus cibis assiduè versatus: vnde ob eam rem à Lælio viro sapienti gurges est appellatus. nam & Flaccus Horatius, eundem Gallonium fuisse præconem aliquando testatur, atque eius mensam acipẽsere magno infamem: quod ex Lucilij poëtę satyra mutuatus est. Versus autem Lucilianos, qm̃ lepidissimi sunt, libitum est adiicere, sicuti & M. Cicero in lib. de finib. refert ex Satyra ad Lapathum:

Lælius præclarè & rectè sophos: illeque verè
Cœnasti in vita nunquam bene, cum omnia in isto
O Publi gurges Galloni, es homo miser, inquit:
Consumis squilla atque acipensere cum decumano.

Stvrioni cognatum esse puto piscem, quem Vngari (vt audio) vocant Tock, vel Tück, vel Tockhal. Hal quidem ipsorum lingua piscem omnem significat. Hunc ad trium aut quatuor cubitorum magnitudinem peruenire aiunt, lubricum & sine squamis esse, dorso tamen spinoso, subnigrum, capite magno, similem ferè barbottæ dictæ, hoc est mustelæ fluuiatili. (aut potius Husoni, quem aliqui similiter Barbottam vocãt:) dentibus carere, intus nihil præter cartilaginem habere: certo tempore capi, vêre & autumno. È mari fluuios subire putant. Sed de hoc aliàs certius cognoscemus spero: nunc husonem aut similem esse suspicor. *Zucca* Caffæ, idem aut similis est, cuius in ichthyocolla meminit Bellonius. z pro d permutato: vt h coram t pro s inferiores Germani ponunt. Tok quidem per aphæresin ab antaceo factum videtur nomen.

Accipitrem piscem volantem Apuleius nominat. Is Græcè ἱέραξ vocatur, Latinè Lucerna vel Miluus, de quo in L. elemento agemus.

Aconias, ἀκονίας, pisces Numenius apud Athenæum nominat. Vide infra in Nouacula pisce.

DE PISCICVLO ACVLEATO.

Rondeletivs.



Aculeatus maior. In fluuiis & lacubus reperiuntur pisciculi qui optimo iure aculeati nominantur ab aculeis quibus horrent. Horum duo comperio esse genera. Prius est maius, tribus tantùm aculeis in dorso munitur, tribus in ventre, coniunctis, quales cernuntur in semine eius generis bliti quod *Espinar* Galli vocãt, à quo *Espinoche* pisciculus nuncupatur, vel *Espinarde*: à Germanis Stachelfisch / Binerschle / ab Italis *Stratzarigi*. Aculei acutissimi sunt & firmi quos in metu erigunt, vt se ab aliorum iniuriis tueantur. Aculeis demptis corpore paruas Percas referunt, à squamis nudi sunt. Fluuij & lacus quidam tãta interdum horum pisciculorum copia abundant, vt putent nonnulli seminarium esse reliquorum piscium, vel certè prædam. Exhaustis etiam vel exsiccatis stagnis quamplurimi relinquuntur pauperibus colligendi. Alterum genus est eorum qui senos aculeos rigidos in dorso habent, in

Minor. lateribus singulos. Hunc pisciculum in Nare vidi è quo Tiberim subit. Accolæ pisciculis istis vescuntur.

F Errant qui de genere Galeorum esse aiunt. Quid enim pisciculis istis cum Galeis commune esse potest?

COROLLARIVM.

Pisciculum hunc pungitium vocat Albertus, spinachiã author obscurus qui de naturis rerum scripsit: & alius quidam obscurior nescio qua ratione turonillam: nisi equitem intelligas, quòd aculeos calcarium instar habeat, vt qui equestri certamine decertant, quod vulgò tornamentum vocant, aliqui Troianum

ianum ludum à Vergilio descriptum, vel à spina factum sit nomen, quàm Germani Torn / appellant. Nam & Germani qui Stichling, id est, aculeatum hunc piscem vocant (quod nomen nostri percæ fluuiatili tribuunt) inter pisces eadem ratione equitis vel regis titulo ioculari celebrant. Vel potiùs à spinis, quibus inhorrescunt. Anglicum eius nomẽ Scharplyng. Spinachia corpore est pusillo, sed vtiliter vndique spinis extantibus munito, aduersus aliorum piscium iniurias tuta, Obscurus. Pungitius pisciculus est omnium minimus: qui lanceolas (aculeos) binas habet in radicibus pinnarum ventris. Mas sub gutture rubet, fœmina rubore caret. Squamas non habent. Piscatores hoc genus piscium sponte generari aiunt, & ex ipsis alios omnes, hac obseruatione inducti, quòd in lacunis nouis primo statim anno inueniuntur, & posteà sequentibus annis pisces alij diuersi quanquam nulli fuerint immissi, Albertus. Reperiuntur cum alibi, tum Argentorati, & Vitebergæ in Albi. nulli apud nos.

DE ACVS PRIMA SPECIE. Rondeletivs.



A Græcis βελόνη piscis dicitur, & ῥαφίς. Dorion citante Athenæo, βελόνην φησὶν ἣν καλοῦσι ῥαφίδα. Arist. in his qui nunc extant libris βελόνην semper vocat. In lib. autẽ περὶ ζωϊκῶν, vt scribit Athenæus, ῥαφίδα etiam nominauit. Similiter Oppianus, ῥαφίδες δ᾽ ἐπὶ τῇσιν ἀραιαί. ἀβλεννής etiam nuncupata est. Athenæus, ῥαφὶς ἡ βελόνη, καλεῖται δ᾽ ἡ καὶ ἀβλεννής. Gaza acum interpretatus est. Plinius aculeatum vocat. Belone, inquit, quos aculeatos vocamus. Alibi acum. Acus, inquit, siue belone vnus piscium dehiscente propter multitudinem vtero parit. Qui nunc Græciam incolunt corrupto vocabulo βελονίδα. Nostri *Eguille*. Itali *arguzell*. Hispani *aguilla* vel *agu a pescado*. Veneti *acicula*. Normani *orphiez*. Habet etymum à rostri longitudine, tenuitate & acie, q̃ ideo simile est acui vel sagittæ: vnde ὀξύρυγχοι ῥαφίδες ab Epicharmo cognominatæ sunt. ἀβλεννής verò quòd sine muco sit: βλέννα enim mucum significat: hic autem piscis carne est planè sicca, & sine humore lento, glutinoso & mucoso; quo multi lõgi pisces obliti sunt. Duas acuum differentias obseruauimus: vnam, quæ apud nos frequẽs est admodum, & vulgo notissima, de qua priùs tractabimus: alteram, quæ acus est Aristotelis, à nostra vulgari dissidens, de qua proximo capite.

A — *Liure* 7. — *Ibidem.* — *Lib. 1.* ἁλιευτικῶν. — *Libr.* 8. — *Lib. 32. c.* 11. — *Lib. 9. cap.* 31. — *Ath. lib.* 7. — *Acuum* 2 *species.*

B Acus vulgaris piscis est longus, læuis, marinus quidem, sed interdum etiam in marinis stagnis reperitur. rostro est acuto, longo, tenui. Maxilla inferior superiore est longior, in mollem quandam substãtiam degenerans. Dentes in vtraque maxilla parui frequentesq́;. Caput est triangulare, viride. Oculi magni, rotundi, lutei. Ante hos meatus ad audiendum vel ad odorandum trianguli figura. Branchiæ quatuor duplices. Pinnæ duæ paruæ ad branchias. Duæ aliæ breues sub ventre, quas sequitur alia longa, aculeis constans & membranis ab vmbilico ad caudam progrediens. hac superior alia est magnitudine ferè par. Cauda breuis est in duas pinnulas terminata. Podex infima parte situs, non admodùm conspicuus. Acus hæc ventre plano est, reliquo corpore quodam modo quadrato, ob lineam vtrinque protensam è squamis contextam, reliquis partibus læuibus & sine squamis. Dorso est cæruleo, ventre cãdido, spina dorsi viridi, cæteris partibus interioribus longis, vt ventriculo, intestinis sine appendicibus. Hepate oblongo, & in eo vesicula fellis oblonga, corde angulato.

C Æstate venter ouis multis refertus conspicitur. Quare illam æstatis tempore parere crediderim, sed serò & sine vlla ventris scissura.

F Carne est dura & sicca, quam ob causam difficiliùs coquitur, succum tamen bonum gignit. Mirum igitur si Athenę⁹ de hac nostra acu locutus † nõ sit ῥαφὶς ἡ βελόνη, καλεῖται δ᾽ ἡ καὶ ἀβλεννής, δυσέκκριτος, ὑγρός, εὔχυλος: (*vide infra in Coroll. rio. cùm minimè humidam esse experientia constet, sed siccam.*) Oppianus de hac nostra acu videtur locutus fuisse, cum tradit eam dentibus retiá erodere & incidere. Dẽtes enim paruos habet & frequentes.

Libro 8. — † *negatio videtur abundare.* — *Lib. 3.* ἁλιευτικῶν.

Καὶ μὲν δὴ ῥαφίδων τῖος νόος: αἱ δ᾽ ὅτε κόλπον
Αὐτῆς ἐπιγράψωσι, λίνῳ δ᾽ ἐπιμηνίσσαι
Γένει τ᾽ ἐμμαδέως πυκινὰς ἔνδοθεν ὀδόντας.
Δικτύου ἐκπροφύγωσι, πρὶν δ᾽ ἐκτοσθε θρώντες,
Δήγματ᾽ ἐπιτρείβουσι, τὰ δ᾽ ἔξ φιοι δύεται εἴσω.

Præterea eam quam exhibemus βελόνην siue acum meritò dici, tum figura, tum nationum omnium consensus appellationesq́; testantur, à qua diuersam fateor esse eam, de qua scripsit Arist. quippe cui notæ multæ quæ huic nostræ insunt, minimè competant. dentibus enim caret acus Aristotelis, teste Athenæo. Ad hæc rimam habet in ventre. Postremò hyeme parit. Quare distinctionis & perspicuitatis gratia priore belonem appellabimus vulgarem siue communem: alteram belonem Arist. de qua iam dicamus.

Acus Aristotelis. — *Libro* 7.

DE ACVS SECVNDA SPECIE, SIVE DE ACV ARISTOTELIS; Rondeletivs.





A Locis aliquot, quos posteà citabimus, βελόνης meminit Aristot. Ea verò est, quæ à nostris *Trompette* di-

B citur. Ab Italis quibusdam *Diauolo*. Sunt qui serpentem marinum esse credãt, sed falsò, vt docebimus. Piscis est longus, tenuis, cubiti longitudine, digiti crassitudine, oculis, branchiis hippocampo planè similis.

nè similis, necnon rostro, quod tubam æmulatur, vnde à nostris nomen positum. A capite ad podicem hexagonus est piscis, à podice ad caudam quadratus. Podex in medio ferè corpore, à quo rima oblonga progreditur, in qua oua reponi certissimum est. Ego cùm huiusmodi acum hyemis initio cultello aliquando dissecarem, in rima oua permulta reperi, fideque dignissimis viris ostendi. Proximo anno quum non procul ab Aquis mortuis locus in mari turri ædificandæ destinatus, vndis vacuaretur, illicque maris purgamenta diligentiùs perlustrarem, duas acus reperi coloris diuersi: erat enim altera viridis, altera pulla, in quibus cùm rimam illam inspicerem, oua vidi in ea exclusa, multosq; fœtus iam perfectos, quorum alij maiores erant ac mouebantur, partesque omnes perfectas habebant: alij minores: alij tam exigui & tenues, vt oculi duntaxat & rostrum cernerentur. Pinnas duas habet hæc acus exiguas, ad branchias. Aliam in medio dorsi vix conspicias, nisi dum viuit, & in aqua mouetur. Longitudo corporis cum tenuitate aliarum pinnarum vicem gerit. Cauda in simplicem & tenuem pinnam terminatur. Gulam habet, qua plurimi pisces carent. Ventriculo est paruo, oblongo, hepate magno; intestinis gracilibus rectis, non in spiras contortis. Non squamis, sed serpentum modo integitur cortice pulchrè cælato & duro. Ob tenuitatem parum carnis habet: eamque ob causam à mensis reiicitur. Sed à plerisque venustatis gratia exiccata seruatur. Hanc βελόνην esse seu ῥαφίδα, de qua scripsit Aristoteles, constanter affirmamus. Nam teste Athenæo libro περὶ ζωϊκῶν ἀνόδουν esse dixit, id est, sine dentibus, quod huic nostræ quadrat: quippe cui non modò nulli sint dentes, sed ne vlla quidem oris scissura, verùm foramen solum veluti in extremo tubæ, tam paruum, vt tum propter eius paruitatem, tum propter rostri longitudinē angustiamque, ne minimus quidem piscis hauriri possit, sed hâc veluti per fistulam ex aqua alimentum trahit. Iam verò rima sub vētre, quam Aristoteles acui tribuit, quæ etiam ei, quam exhibemus, proculdubio inest, omnem controuersiam dirimit. Eius hæc sunt verba, quæ sic conuertit Gaza: Qui autem acus vocatur, vnus tempore pariendi vtero dehiscente oua emittit: habet enim hic rimam quandam sub imo ventre, vt cæciliæ serpentes. A partu autem viuit, & vulnus callescit. Item Plinius: Acus siue belone vnus piscium dehiscente propter multitudinem vtero parit. A partu coalescit vulnus, quod & in cæciliis serpentibus tradunt.

Quod hic sit acus Aristotelis. Libro 7. Lib. 6. de hist. animal c. 13. Lib. 9. ca. 51.

De acu rursus Aristoteles: Acus verò appellata serò fœtificat, compluresque eius generis disrupto
C ac dehiscente vtero pariunt, non tam multitudine ouorum quàm magnitudine. Et modo phalangiorum proles parentem offusa circundat: quippe quam discedere statim prolis amor non sinat, & si tetigeris, fugiunt. In his verbis, si conuersionem Gazæ conferat diligens lector cum verbis Aristotelis, intelliget postremam sententiam corruptam esse, atque Gazam aliter legisse quàm nos in vulgaribus nostris codicibus. Quî enim congruunt verba ista, quippe quam discedere prolis amor non sinit, cum ijs: ἐκτίκτει γὰρ περὶ αὐτήν? Hæc sunt Aristotelis testimonia, quæ necessariò conuincunt eam esse belonen siue acum, quam depinximus. Quæ serpens marinus dici nullo modo potest. Id quod eiusdem Aristotelis autoritate confirmo. Sunt & marinæ serpentes terrestribus forma similes, nisi quòd magis congrisimile caput habeant. Magnitudine igitur, figura corporis, capite congri simili distinguitur serpens marina ab acu. De serpente autem marina plura suo loco dicamus. His quæ proposueramus confirmatis, non absurdum fuerit causam inuestigare, cur acui dehiscat venter. Ac primùm non sine causa mirum videri possit Plinium loco anteà citato, id ad ouorum multitudinem referre: cùm quæ de acu scripserit, ex Aristotele mutuatus videatur, qui tamen causam rimæ sub ventre non multitudini ouorum, sed magnitudini adscribat, quum ait acum serò fœtificare, compluresque eius generis disrupto ac dehiscente vtero parere, non tam ouorum multitudine quàm magnitudine. Rursus si magnitudinem ouorum rimæ causam esse putes, cur in hippocampi ventre rima non fit, cuius & plura & maiora sunt oua quàm acus? Ælianus aliam adfert causam. Marinæ acus, inquit, quod sunt prætenues, minimè tortuosum & sinuosum vterum fœtuumque capacem habent, idcirco catulorum suorum non sustinentes incrementum, disrumpuntur. non igitur pariunt catulos, sed expellunt, atque eiiciunt. At permulti sunt squamosi, quibus sinuosus non est vterus: multi longi & tenues, qui rima ista carent. Quare corporis tenuitati adiungendam causam aliam esse censeo: nimirū corticis duritiem. Nam vsq; adeò duro cortice integitur acus, vt gladio acuto secari vix possit. Quò fit, vt vēter distendi nequeat, quemadmodum hippocampi venter, qui mollis est. Emittit itaque acus oua sua, atq; in illa rima tanquam in alio sinu fouet, donec excluserit. Idem in crusta intectis quibusdam videre est, veluti in locustis, squillis, & cancris omnibus. Quæ omnia in appendicibus ad caudam positis oua sua racematim compacta seruant, & fouent donec excludant. Qua nota discernuntur fœminæ à maribus. Natura itaque sagax & prouida in acu rimam post podicem dilatat, donec peperit, quæ post partum ita coit, vt coalescere videatur. Quanquam fieri possit, vt coalescat, vt Aristoteles & Plinius existimasse videntur. Hoc qui Angliam peragrarunt, & faciliùs credere, & aliis certiùs persuadere possunt. Illinc enim ichthyopolæ lucios cultro dissecant, vt pingues esse empturis ostendant, quos non emptos rursus in viuaria coniiciunt, in quibus vulnus coit & coalescit. Quod naturæ rerum periti tincis attribuunt, quia iis se lucij affricant, vt illarum mucum vulneri illinant, atque ita eius labra in vnum conducuntur. Sed idem in acu euenire non potest ob cutis tenuitatem & siccitatem. Verùm sic rimæ oræ committuntur, vt propiùs etiam inspicienti coaluisse videri possint.

Li. 6. de hist. anim. ca. 17. Acum Arist. non esse serpentem marinum. Li. 2. de hist. anim. c. 14. Cur acui dehiscat vēter. Lib. 9. cap. 51. Lib. 11. ca. 23.

DE ACV MAIORE ET MINORE, BELLONIVS.

Acum Genuenses Acuin nominant, idque ad discrimen Galei aculeati, quem Aculatum dicunt. Gallia
A huic pisci, & potissimum Lutetia & Rothomagum, Orphiæ nomen indidit, *Des Orphies*, Græcia *Zarganes*, Italia *Acusigole*, olim *Belóne* & *Raphis* vocabatur. Ea nobis alioqui rarò adferri cōsueuit, quia serò apparet & capitur. Grādior in Oceano euadit, q̄ in Adriatico, vbi vix digiti crassitudinē excedit. Latinorū nōnulli à figura Aculeatum, non quod acuminata sit, nominauerunt. Huius duæ obseruantur, vt mox dicam, species.

Sesquipedales in Oceano capiunt, duorum pollicum crassitudine, squamis tenuib. obseptas: tergoris
B partem præ tersitudine lucidam habentes, vt etiam veluti argenti repercussione in oculos vibrent. Viridem præ se ferunt aristam, hoc est, tergoris spondylos. Acus peculiares habet notas quæ Scōbro & Thynno etiam conueniunt: Suprà enim & infrà ad caudam, septem pinnulas seu appēdices à se inuicem distinctas habet, quæ deinceps ad caudam deferuntur. Pinnam sub vētre in medio corpore & supra tergus gerit: duas autem vtrinque ad latera, branchias vtrinque quaternas: Rostrum porrectius in exilitatem fastigiatum, tenue, crenatum dentibus, fel iecori annexum.

Fœtificat

Fœtificat serò, & hyeme parit. C

Nostri recentibus tantùm vtuntur: contrà Illyrij, & qui Orientis plagas incolunt, apud quos sale condiri, vt mox dicetur, solent. F

DE ACV ALTERA MINORI, IDEM.

Est aliud genus magnitudine tantùm à priore differens, tenuibus etiam vestitum squamis, linguam exilem, & dentes molares obtusos in ore habens, non vt prædicta: branchias quoque vtrinque quatuor. septem etiam vt in maioribus supernè & infernè, & in cauda propendentes pinnulas, caudam bifurcā habet: nunquam digito crassior excrescere solet, nec pede longior euadere.

In insula, nomine Lissa, olim Phana affatim capitur, quas indigenæ, cùm multa dolia sale cōdierint & impleuerint, nauigio inde transferunt, vt externis maximo quæstu diuendant: Est enim conditura admodum suauis. Siquidem sale inueterata, cruda cum pane edi solita est. F

Vnicam tantùm amborum dedimus effigiem, vtputa quòd ambobus notæ eædem ferè conueniant, nec nisi magnitudine discrepent. De hoc pisce Oppianus etiam meminit isto versu, A

Amba Sphyrana (inquit) *longæ, tenuesque Belonæ.*

Etsi stomacho minimè gratam, malum procreare succum, & parum nutrire Xenocrates senserit: Diphilus tamen probum efficere sanguinem dixit, vide in Corollario F. nostris maximè in deliciis apprime expetitum.

Quærendum an idem hic sit saurus Rondeletij, maximè propter pinnas illas paruas versus caudam. Videtur diuersus, cognatus tamen.

DE TYPHLE MARINA, BELLONIVS.

Typhle vel Typhline antiquis, Plinio Spondyle, vulgo Græco νεροφίδια, id est aquæ serpens (ab Aristotelis marino serpente longè diuersus) Massiliensibus *Gagnola* ob id, quòd quoties piscationi indulgēt, vbi hunc alios præcedere viderint, lucrum se fecisse portendant. A

Medicamentis tantùm vtilis est, à voracissimis quibuscunque piscibus minimè inuadi solitus: cæterum litoralis, nusquam hamo decipi solitus. ore enim est adeo exiguo, vt vix acu traiici possit. G C B

Rostrum illi est veluti rotundum, leuiter compressum & cartilagineum, in cuius extrema parte maxilla inferior pyxidatim tanquam operculum superiori congruum inseritur, ita vt rostrum illud calami in modum sit concauum: vnde Antonio Martinello Flandro, viro alioqui doctissimo, eum pissorbulum vocari posse visum est. Magna est huius cum Typhlope terrestri (sic enim à Nicādro vocatur, quem etiā Græcum vulgus Typhlinem nominat) similitudo. Vtraque enim testa contegitur dura, cui natura vtrinq; in lateribus rimam fecit cuticularem, contra aliorum naturam, vt eius aluus distendi possit in prægnantib. Ambæ squamis carent. Marina perfectam magnitudinem assecuta, ad pollicis crassitudinē accedit, & cubiti longitudinem. Pinnas congri modo in lateribus duas iuxta branchias, & vnam in tergore habet. Caudæ verò extremum ei penicillo simile est, qui in summo maioris antennæ marinæ tanæ conspicitur, paulò tamen minor. Branchias vt Muræna contectas habet: oculos tam paruos, vt vix grani milij magnitudinem æquent. Maris & fœminæ discrimen suscipit. Ambobus corpora angulosa, oblonga, à capite ad vmbilicū quadrangula: ab vmbilico verò per caudam in quinos desinunt angulos: altera in anteriori parte sexangula est: ac rursus ab vmbilico ad caudam quadrangula. Vnicam tantùm in medio ventre rimam ferunt, cū tamen terrestris duas habeat, in lateribus vnam vtrinque, quæ tam mari quàm fœminæ datæ sunt. Vnicum quoque habent intestinum, album, rectà exporrectum, multa pinguedine circunsessum, hepar pallidum, oblongum: sub cuius parte dextra fel continetur cæsium, grani hordei magnitudine. Cor vix milio maius esse cernitur. Spina tergoris articulationib. seu spōdylis raris intersepta est. Vuluam habet bicornē, vt cæteri pisces, ouis plenam, grani sesami magnitudine, rotundis, rubris, translucidis, quæ ipso quidem vere excludit. Hæc Bellonius. Rondeletius ACVM Aristotelis nominat. Figuram vterque eandem pingit, nisi quod in ea quam Bellonius exhibuit pinna dorsi media non exprimitur, & rhombi quidam continuati per media latera descendunt.

COROLLARIVM.

Acus in quarta declinatione, genere fœminino, instrumentum est nendi: in secundā verò declinatione, masc. genere, vt grammatici quidam recentiores annotant, genus est piscis, de quo Martialis libro 10. A

Et satius tenues ducere credis acos.

Raphium (ῥαφίον) Hippocrati subulam significat, quam Galenus in Glossis κεντητήριον etiam à pungendo nominat. ea præpunguntur quibus filum inseri debet coria. ῥαμφησαὶ pisces quidā Hesychio, fortè Acus. Sunt qui acus marinas βέλλας non βελόνας nominant, vt author est Hesychius. dicūtur & βδαλοὶ nonnullis, apud Varinum. Recentioribus Græcis belóne etiamnum vocatur, vel aiulone. Auicennæ interpres modò Græcam vocem peruertit, modò Latinè aculeum interpretatur. Alcyonum nidos confingi putant ex spinis aculeatis, Plinius: (alij legunt aculeati:) è spinis belonæ, Aristot. Acus vulgò (Italicè) *angusigola* dicitur, vt Alexander Benedictus scribit: vt Platina, *acucella*; Venetiis *acicula*, teste Massario. Vbique gentium nomen retinet, Gillius. Hispanicè, *aguia paladar*. Germanicè Hornfisch vel Snatorfisch. Anglicè Hornekel vel Garrefysshe/ vel Pyperfysh. Acus Aristotelis *Trompette* Gallis, à rostri figura in fistulā desinentis: vnde etiam dici potest: ein Trommeeter. Aquila, vt multi autumant, est acus; cuius rostrum habet gruis vel Ciconiæ similitudinem, Niphus. sed hos longè falli, ex Aquilæ historia apparebit. *Aquila*

Piscem

Piſcem eundem eſſe coniicio, de quo Alberti verba hæc (in quibus quædam corrupta videntur) legimus. Ahaniger (al'. Amger) eſt piſcis, vt dicunt, qui Amno (al'. Armo) propemodum ſimilis eſt, & longus & rotundus: Germanicè Guich (al'. Geruiſch/quod placet. accedit enim ad Anglicum Garreſyſſhe) vocatur, & eſt albus, bonæ carnis, breuior anguilla, roſtrum auis habens pro ore, ſubtile, longum & rubẽs, ac ſpinam in corpore viridem. Hornfiſch nomen vſitatum eſſe audio apud Germanos maritimos circa Stettinũ: Tobias verò in Saxonia maritima, vel Sobias / vel Topeias circa Suerinum, Friſiis Gebbe. Puto enim omnibus his vocabulis piſcem vnum ſignificari, niſi fortè vnius generis duę ſunt ſpecies, maior ſcilicet & minor: Vtrunque in lacu Suerinenſi capi referunt. Sobias (inquiunt) piſcis eſt marinus, albus, longus quadrante vlnæ vel duos palmos, mucronatus, craſſitudine digiti ferè minimi, boni ſaporis. Anglis alicubi vocatur an Hornebeacke/à roſtro vel naſo corneo, vel cornu inſtar prominente. nam beck roſtrũ eſt. Alibi aliter, vt dixi. Peronæ cinis inſperſus vlcerum putredines ſanat, Kiranides libro 4. videtur autem perone idem quod belone ſignificare, ſi pro piſce accipiatur, vt coniicio. Bellonius typhlen vel typhlinen ab antiquis, à Plinio Spondylen, pro piſce nominari ſcribit, quem ipſe typhlen marinam appellat, Rondeletius acum Ariſtotelis: quod quàm verum ſit, ipſe viderit. ego typhlinen inter ſerpentes tantum nominatum memini: vt ſpondylum, (vel ſpondylen, vel ſpondylin, vt alij ſcribunt,) inter inſecta potiùs quàm ſerpentes vt putauit Plinius: inter piſces nuſquam: (niſi quòd inter Nili piſces Athenæus typhlen nominat, Heſychius typhlinum.) nam ſpondylus ſui generis inter oſtracoderma eſt. Eundem piſcem (Ariſtotelis acum) à Græcis vulgò νεροφίδιον vocari Bellonius ait: vbi in mentem venit ophidion piſciculum congro ſimilem à Plinio nominari, ſed ab hoc diuerſum vt Rondeletio videtur.

Hanc acus figuram Venetiis accepimus.

B Raphis habet os paruum, longum, & ſimilis eſt ſphyrænæ, Kiranides. Ῥαφίδας ἀραιάς Oppianus dixit, graciles acos Martialis. Acui fel in iecore poſitum eſt, Ariſtot. Athæneus acum inter piſces læues & dentibus carentes numerat. Hornfiſch in lacu Suerinenſi, vt audio, roſtro ardeam refert, gladio non diſſimilis, ſed non longior cubito. Saurum, id eſt Lacertum piſcem quendam Rondeletius vocat, roſtro & priore corporis parte acubus ſimilem, poſteriore verò & carnis ſubſtantia ſcombris. Vide in Sauro.

C Acus hyeme parit, Ariſtot. In petris & arenis paſcitur, Oppianus.

D Acus piſcis (ſi rectè ſic interpretor, quem Germani Hornfiſch appellant) harẽgas (vt vulgò nominant) perſequitur, piſcatoribus eam ob cauſam damnoſus.

E Huius piſcis bucca (os, roſtrum) geſtata vel ſuffita, dæmonia eiicit, Kiranides.

F Acus & thriſſæ, piſces ſunt aceroſi, (ἀχυρώδεις,) minimè pingues, & ſine ſucco, (ἄχυλοι,) Hiceſius apud Athenæum. Quærendum an in Diphili etiam verbis quæ Rondeletius ex Athenæo recitat, non ἔγχυλος, ſed ἄχυλος legi debeat, vel contra. Chalcides etiã quæ thriſes conferunt, Hiceſio piſces ſunt ἀχυρώδεις, ἀλπεῖς καὶ ἄχυλοι. Aciculæ quouis modo coctæ, optimæ habentur, Platina. Alexander Benedictus tẽpore peſtis inter alios piſces etiam acum commẽdat. Piſcem Hornfiſch Germanis dictum molliorem eſſe audio, quàm vt ſaliri debeat: acum verò Bellonius ſale inueteratam ſuauem eſſe refert, vnde an idem ſit piſcis, addubites.

G Ad ſtillicidium vrinæ: Raphida marinum piſciculum comburito, & potui cinerem offerto, Galenus Euporiſton. 3. 277. Hic piſcis totus cum irino vnguento, vehementer inſpiſſat, Kiranides. Peronæ cinis inſperſus, vlcerũ putredines omnes ſanat, Idem libro 4. conijcio autem perones nomine intelligi bellonen. vel potius legendum percæ.

H.a Belone oppidum eſt Bæticæ proximum, Plinius 5.1.

H.e Sculpatur nycteris in Rhinocerote lapide, & ad pedes eius piſcis raphis, id eſt acus, & ſub lapide radix herbæ immittatur. Hoc geſtatum dæmonia fugat: & ſi poſueris ad caput alicuius neſcientis, non dormiet, Kiranides 1. 17.

DE ADMOE.

ADmos piſcis à ſolo, quod ſciam, Oppiano memoratur: apud quem in recto plurali primùm ἄδμωνες, deinde ἄδμωες abſque nî legitur: hic à recto ſingulari ἄδμως, ille ab ἄδμων deſcenderet. Lippius vtrobique legit abſque nî admoes. Datiuus pluralis ἄδμωσιν, ab vtroque rectè formari poteſt. Quomodo naſſis ineſcatus capiatur tertio Halieut. Oppianus, interprete Lippio, deſcribit his carminibus:

Admoas capiunt autumni tempore naſſa
Viminea, medias fraudem iaculantur in vndas.
Sub naſſa appendunt tophum, (τρητὸν λίθον ἀνασῆσαι:) *quod ſubere firmum*
Suſtentant, ſuperet, (id eſt, ne in fundum ſubſidat:) *madidaque in fraude recondet* (recondunt)
Quattuor humenti cochleas (κάχληκας id eſt, lapides) *in littore captas.*
Lentorem cochleæ fundunt. hinc ſpuma marina
Albicat: & paruos allectat mota (nihil de motu Græcè legitur) *natantes,*
Curua natant, cubito adnixæ (locus eſt corruptus, pro cubito, puto legendum ſubitò: pro adnixæ, adnixi, vel aliud quippiam, idq; in maſc. genere. Ἄδμωνες δ᾽ ὁρόωντες ἔσω κύρτοιο μυχοῖο Ἀγρομένους) *ſpeculantur ab alto*

Admoes

Admoes extra naſſam cuneumq; receſſum,
Piſciculos paruos ſalientes agmine multo:
Et ſubito irrumpunt. venter rapit improbus illos:
Nec prædam nactis, liquidas fugit illa per vndas,
Inſidiis fruſtra ſeſe diuellere (è naſſa euadere) *tentant.*
Dumq; parant aliis peſtem, labuntur in ipſam. Hæc ex Lippij tranſlatione recitare volui, vt appareat nec ipſum ſatis feliciter conuertiſſe Halieutica Oppiani: neque Aldum Manutium qua opus erat diligentia excudiſſe.

DE ADONIDE SEV EXOCOETO.

RONDELETIVS.

EXOCOETVS omnium ſententia piſcis eſt ſaxatilis, qui etſi rarus videatur Plinio (nam miratur Arcadia, inquit, exocœtum ſuum) tamen in noſtro litore nonnunquam reperitur, & nos in ſaxis ſtertentem aliquando vidimus. Multi ſunt piſces, qui peculiares locis quibuſdam eſſe dicuntur, qui tamen in alijs etiam locis reperiantur.

A Duo illi à veteribus poſita ſunt nomina. nam ἐξώκοιτος & ἄδωνις dictus eſt, teſtibus Plinio & Oppiano. *Lib. 9. cap 19.* Nullum huius vulgare nomen comperi, ſed communi tantùm ſaxatiliũ nomine nuncupatur. Exocœtus ab eo quòd in ſiccum ſomni cauſa exeat, vt ſcribit Plinius. Oppianus. *Lib. 1. ἁλιευτικῶν.*

Ἄλλοι δ᾽ ἐξώκοιτον ἐφημίσαν, οὕνεκα κοίτας
Ἐκτὸς ἁλὸς τίθεται, μοῦνος δ᾽ ἐπιχέρσον ἀμείβει.
Multi exocœtum dicunt, quod proſilit vndis
In littus, ſicca ponens tellure cubile. *Ibidem.*



Athenæus nomen eum inueniſſe tradit, quod ſæpe extra aquam quieſcat. *Libro 8.*

B Piſcis eſt ſemipedali magnitudine, forma terete, ὠπόπυρρος, ſecundum Athenæum: ξανθὸς ſecundum Oppianum, id eſt, colore aureo, partibus quibuſdam vireſcente, alijs magis rubeſcente. A branchijs ad caudam lineam candidam, continuam habet. Corpore ſimilis eſt mænis iam fœtis, aut gobionibus. Paruas habet branchias: qua de cauſa Plinium dixiſſe crediderim circa Clitorium vocalem tradi, & ſine branchijs, quod fieri non poteſt: ſed qui branchias breues, imperfectas, nec valde manifeſtas habent, ijs carere exiſtimantur, veluti hippocampo propter paruitatem & ſitum deeſſe videntur.

C Cur diutius in ſicco viuat, in cauſa eſt quod aëris magna copia, à qua ſuffocari poſſit, affatim non trahatur ob branchiarum ſtructuram. Qua de re fuſius diximus lib. 4. cùm de reſpiratione ageremus. Vocalem autem eſſe fabuloſum eſt autore Pauſania, qui aſſerit ſe captos quidem exocœtos † vidiſſe, vocem verò nullam audiuiſſe, cum tamen illic vbi capiuntur, ad ſolis vſque occaſum commoratus eſſet, quod eo maxime tempore vocales eos eſſe piſces dictitant. *Libro 8.* *† Vide in Corollario.* Hos ποικίλους appellat Pauſanias, id eſt, varios: qua in re Athenæo non aduerſatur, qui ὠποπύρρους vocat. neque Oppiano, qui ξανθούς. B Nam Athenæus, qui ὠποπύρρους appellat, eiſdem lineam albam à branchijs ad caudam tribuit, qua ratione varii etiam illius ſententiâ dici poſſunt. Idem Athenæus ex Clearcho multa notatu digna de exocœto profert, quæ Leonicus vtriuſque linguæ peritus, & in philoſophicis feliciter verſatus in libro hiſtoriarum ſuarum Latina fecit, his verbis: *Libro 8.* Exocœtus piſcis eſt, quem nonnulli Adonidem appellant, ideo ſic nominatus, quoniam ſomni cauſa ſæpius ex humore in ſiccum exeat, colore autem eſt ſubrufo, & ab ipſis branchiarum initijs, ad extremam vſque caudam virgulam vtrinque albicantem continenter habet, forma verò eſt rotunda, minimeque expanſa, & magnitudine haud ferè abſimilis mugilibus (paruis,) qui litorei appellantur, quos octonûm maxime digitorum longitudinem planè adimplere percepimus: & ad ſummam piſci illi perquàm ſimilis eſſe videtur, quẽ hircum vocant, niſi quòd illi ventre ſupinò nigricans quædam ſubeſt macula, quam hirci barbam appellant. Eſt autem exocœtus ex ſaxatilium genere piſciũ, & circa ſcopulos ferè & lapidoſa degit litora, qui pacato tranquilloque mari in ſummis elatus vndis, & illarũ ſenſim applauſu in nudis expoſitus cautibus, in ſicco diutius conquieſcit, ſeq; ad ſolis radios ſubinde conuertens immobilis manet. Cæterum poſtquam tantum eo loci, quantum ſibi ſatis viſum eſt, conquieuit, rurſus mare verſum cylindri more volutatur donec ad primas delatus vndas extremũ litus abluentes, reciproco illarum abſceſſu in mare delabitur. Verum dum in ſiccum quo diximus modo exit, litorales maxime aues præcauere dicitur, quæ tranquillis præſertim diebus ſecundum extrema litora depaſcuntur. Huiuſmodi ſunt cerylus, trochilus & creci ſimilis elorius, quas ſicubi conſpicatus fuerit exocœtus, non ſenſim, vt diximus, cum nullus ſubeſt timor, ad marinas volutatur vndas, ſed crebro feſtinans ſaltu in pelagus ſeſe demergere properat. Hactenus Athenæus de exocœto, cui omnes attributæ notæ cum maxime in hunc noſtrum, nec in vllum alium, quem vidiſſe aut audiſſe contigerit, competant: non dubito quin veri exocœti iconem hîc expreſſerimus.

DE EODEM EX BELLONIO, QVI DIVERSAM

eius effigiem dedit, vt ſequenti pagina habetur.

Exocœtum vulgus Conſtantinopolitanum † Clinon vocat. Genuenſes vna Bauecqua: Maſſilienſes *vn Gabot* vel *Gauot*. *† Glinon infra* Romani cum aliis minutis piſcibus confundunt, modò Cernam, modò Miſſorem appellantes. Frequentiſſimus eſt Oceano, neque quiſpiam eſt qui indigenis Oceani congrorum piſca-

tioni magis faueat quàm Exocœtus. Nam quum vrticis plurimum delectetur, atque vrticæ circa litora inter cautes hæreant, ille mari profundius mergi recusat. quamobrem recedente mari sub petris & foraminibus aqua refertis contineri mauult. Agricolæ autem loca saxosa adeuntes, antequam æstus reciprocetur, lapides dimouent, vt inter scopulos, in quib. delitescunt, Adonides captent, & hamos quos chordis alligant, inescent, quibus ita ad cautem ligatis aduentantes cum æstu Congros ac Galeos illuc capere possint. Exocœti sub lapidibus vel in cauis cautium quiescentes, in rupibus Bononiæ penè innumeri reperiuntur: quos si quispiam manu imprudens attrectauerit, sentiet horum dentib. magnam feriendi vim inesse. Indigenæ Comasci vulpem vocant, vna folpe pronuntiantes. Exocœtus species habet plures, quarum vna cristata est, Massiliæ frequens, primo aspectu aliquatenus Gobium referens: cute enim glabra obducitur. Firmos dentes vt Scarus habet. Colore est subrufo vt Scorpæna, multis alijs coloribus confuso. Totus piscis (vt Anguilla) lubricus est, & sine aliqua squama ac spina, præterquam Spondylorum. hinc vulgus Græciæ *Glinos* nominauit. Non excedit crassitudinem quam pollex & index amplecti possit. Continuam habet tergoris pinnam, ac nescio quid supra oculos, quod veluti à pellis laxitate procedit. Cæterum laterum pinnæ reliquorum piscium formam non seruant: nam hæ veluti inuersæ conspiciuntur. Pinnas, quæ illi sub ventre sunt, duobus tantum cirrhis radiatas habet:

Exocœtus cristatus.



Dentes ordine dispositos, Sparo frequentiores & numerosiores, maxillis firmiter insertos. Interanea ad Scarum accedunt. Cristati porrò Exocœti caput ad Chamęleonem accedit, in cuius cacumine pinnam videas Galli cristam prorsus referentem. Caudæ pinnam & laterum rotundã habet, duas præterea sub sterno: alteram in tergore, continuam, admodum latam, quemadmodum & ea quæ illi sub cauda est. Dentibus anteriorib. acutissimis præditus est, quales sunt canini nostri. Cute integitur laxa, multis coloribus, vt draco, variegata, vt primo aspectu Draconem esse iudices. Viuax supra modum esse comperitur. triduum enim vel quatriduum absque aqua viuit. Chamas quoque conficit & conchylia, atq; interdum vrticas pascitur. Branchias tectas habet, & paruo foramine peruias: sed & detectæ vtrinque quatuor numerantur.

Tertium Exocœti genus, etsi Byzantinis piscatoribus non alio quàm Glini nomine pernoscatur, ac nonnullis Chelidonius appelletur: tamen à Glino ac cristato Exocœto hoc differt, quod raro sex digitorum longitudinem, & duorum pollicum crassitudinem excedat. Squamis caret: lituras per tergus melinas, cyaneas ac fuluas habet & continuam tergoris pinnam, mollem: caudæ autem latã, vti & laterum, omnes varij coloris. Branchias contectas vt Muræna, quam notam quum ego semel piscatoribus ostendissem, id eos coegit proferre aliud quiddam à Glino esse. Spinea branchia exterior, vt in Dracone marino, duobus aculeis obfirmatur: sed ab eo dissidet, quòd quilibet aculeus duobus serratis denticulis sursum repandis & aduncis fulcitur. Caput multis coloribus polymitum habet, os grande, inferiorem maxillam latam & planam, dentes Glino priori aliquantum minores. Is dum scinditur, branchias non ostendit integras, sed rudimenta coloris paulò magis rubri quàm in Muræna.

COROLLARIVM.

Adonis piscis est marinus, item dominus secundum Phœnices, & nomen iactus tesserarum (βώλν, lego βόλν) & proprium, Hesychius. Edone piscis, qui & ophidion, Kiranides 1.7. nescio quàm rectè. Vide plura infrà in Ophidio, elemento D. Exocœtus cùm mare & terram amicam habeat, ipsum idcirco Adonin, quemadmodum mea fert opinio, ij appellarunt, qui huiuscemodi nomen ei imposuerunt, quòd Adonidis, qui Cinyræ regis filius fuit, vitam inspexerunt: eum sanè duabus in amore deab. fuisse, alteri marinæ, alteri terrestri, fabulantur, Ælianus. Cirrhis, κίῤῥις, piscis à colore cirrho.i. luteo, nomẽ habet apud grammaticos. apud Cyprios etiam Cirrhis (inquiunt) dicitur Adonis, &c. vide infrà in Elemento c. in Ceride. Mnaseas Patrensis pisces quosdam in Clitorio amne vocales esse cõmemorat, exocœtos vt arbitror intelligens. Exocœtum in Arcadia, vt nos interrogauimus, lychnon modo vocitant, Massarius. Pausanias in Arcadicis, Exonerat (inquit) sese Clitor in Aroanium: in quo pisces sunt tum alij, tum qui à varietate pœciliæ appellantur. hos vocem emittere tradunt turdi volucris similem, &c. nullam exocœti aut adonidis mentionẽ faciens, nec aquam, vt ille facit, egredi scribens: vnde coniecerim pœciliam piscem esse diuersum, præsertim cum fluuiatilis etiam sit, non marinus. Neque me admodum mouet Plinius, exocœtum sine branchijs esse, & circa Clitorium vocalem tradi scribens. videtur enim hæc (vt aliâs non rarò) è Græcis imperitè transtulisse. Nam Athenæus ex Clearcho cum exocœti historiam recitasset, mox tanquam de diuersis piscibus circa Clitorẽ vocalibus & sine branchijs meminit, quorum nomen nullum exprimit. quæ forte ex eodem aut alio scriptore Plinius cum sic coniuncta legisset, ad eundem piscem pertinere existimauit. Sed de pœcilijs piscibus in P. Elemento dicam.

ÆGOCEROS animal marinum. Vide in Ibice H.

ÆLVRI pisces pro Siluri, perperam in Dioscoridis ac aliis quorundam veterum codicib. leguntur.

ÆOLI

ÆOLI cognominantur scari quidam. Myllus, Lebias, Sparus, Aeolias è Mnesimacho Comico nominantur: & similiter eodem ordine ab Ephippo. quærendum an scarus legendum sit, non sparus, cuius epitheton sit æolias, sublata distinctione. Sed æoliam substantiuè etiam accipi licet pro pisce diuerso, quem & alibi seorsim nominat: vt ex Platone Comico;

Ὀρφῶν, αἰολίαν, σπωόδοντά τε καρχαρίαντε Μὴ τέμνειν, ἀλλ᾽ ὅλον ὀπτήσας παράθες.

Numenij carmen legitur, quod citat Athenæus, Ῥηιδίως ἕλκοιτο καὶ αἰολίην κορακῖνον. Et fortè æoliæ (inquit idem) Epicharmo in Musis coracini sunt in hoc versu, Αἰολίαι (al. non rectè αἰλίαι legitur) πλωτές τε, κυνόγλωσσοί τε. Sed rursus in Nuptijs Hebæ horum piscium tãquam diuersorum meminit his verbis, Μῦς, ἀλφησταί τε, κορακῖνοί τε κηλεοειδέες, αἰολίαι, πλωτές τε, κυνόγλωσσοί τε. Turdum etiam æolian nuncuparunt, nimirum à varietate coloris.

ÆRICA, vide in Chalcide.

DE ÆTNÆO PISCE.

SVnt & castitate præstantes pisces. Ætnæus, ita appellatus, posteaquam cum pari suo tanquam cum vxore quadam coniunctus eam sortitus sit, aliam non attingit: neq; ad fidem tuendam sponsalium tabulis illi opus, neque malæ tractationis pœnam timet. Neq; Solonem veretur, ex quo leges nobiles & vrbes graues profectę sunt, quibus libidinosi homines non parere nihil verentur, Aelianus. Τοὶ δὲ μίαν στέργουσι καὶ ἀμφιέπουσιν ἄκοιτιν Κάνθαροι, αἰτναῖοί τε, καὶ οὐ πλεόνεσσι γάνυνται, Oppianus. Rondeletius in Cantharo ætnæum non sui generis piscem, sed Canthari duntaxat epitheton esse conijcit. Verum constructionis ratio in Oppiani carmine Græco pisces duos diuersos vna coniuge contentos, quemadmodum & alios duos qui fœminas plures sequantur, nominari euincit. Nec refert si apud alios authores ætnæus non nominetur: sat fuerit ab Oppiano, Aeliano & Phile nominatum esse. Porrò quod Aetnęus cantharus apud Aristophanem legitur, pro maximo, ab Aetna monte: hoc ipse Rondeletius ad cantharum insectum non piscem pertinere agnoscit.

AGNOS, vide inter Anthias: & in Callionymo.

DE AGONO VEL CHALCIDE.
RONDELETIVS.



CHalcidem in lacustrium numero à nobis reponi fortasse mirabitur quispiam cùm Oppianus cum marinis numerârit. A

Χαλκίδες αὖ θρίσσαι τε καὶ ἀβραμίδες φορέονται
Ἀθρόαι, ἄλλοτε δ᾽ ἄλλον ἁλὸς πόρον ἢ περὶ πέτρας,
Ἢ πελάγη, δολιχοῖσί τ᾽ ἐπιδρομον αἰγιαλοῖσι.
Chalcides & Thrissæ simul Abramidesq; feruntur,
Sedibus & variis habitant. nam saxa frequentant,
Aut æquor medium, curua aut per litora currunt.

Chalcidem aut lacustrem esse, aut lacubus & fluuiis communem. Lib. 1. ἁλιευτικῶν.

Præterea Athæneus marinis similibus coniunxit: χαλκίδες καὶ τὰ ὅμοια, θρίσσαι, τριχίδες, ἐρέτιμοι. Et alibi: θρίσσα καὶ τὰ ὁμόχροα, ἐρέτιμος. Ego verò Aristotelem secutus, ex quo Oppianus & reliqui sua maiore ex parte expiscati sunt, inter lacustres colloco, ille enim lib. 8. de historia anim. Cùm dixerit fluuiatiles & lacustres à peste quidem immunes esse, sed horum nonnullis proprios morbos accidere, idque exemplo in Siluro & Cyprino fluuiatilibus declarasset, idem in lacustribus Balero & Tillone comprobat, quib. Chalcidem addit, vt similem, id est lacustrem. Quod si quis parum probet, illud saltem ex Aristotelis sẽtentia cogetur fateri, Chalcidem ab eo in eo genere haberi, quod & fluuijs & lacub. commune est, cuius generis est Cyprinus: loquens enim de lacustrium fluuiatiliumq; partu & generatione, hæc scribit: Cyprini quinquies aut sexies pariunt, maximè iuxta syderum rationem, Chalcis ter. Reliqui semel anno. Pariunt autem omnes in stagnis fluuiorum & arundinetis lacuum. Quare cum Chalcidem (quem Gaza æricam interpretatus est, quam etiam Dorion teste Athenæo χαλκιδικὸν vocauit) Aristoteles vel lacustrẽ vel fluuiatilem esse censuerit, qualis ea sit, & quo nomine hodie nuncupetur inuestigare oportet.

Lib. 7. *Cap. 20.* *Lib. 9. de hist. cap. 14.*

A Chalcidem igitur lacustrem esse puto, quæ in Allobrogum lacubus satis frequenter capitur, Lugdunumque defertur, & Celerin nuncupatur, ob maximam similitudinem quam habet cum pisciculis paruis, Thrissis similibus, quibus abundat Oceanum mare, celerinos Galli vocant. Eandem esse puto quæ in Italia Sardanella vocatur à maxima cum Sardinis similitudine; cuiusmodi etiam fert Larius lacus, quę à Mediolanensibus Agonus nominatur.

Sardanella. Agonus.

Eandem etiam producit Verbanus lacus, nisi quod maior sit.

Illę in lacubus ita pinguescunt, vt cum in craticula assantur, pinguitudo veluti oleum destillet, à qua pinguitudine sunt qui Liparim (*vt Bellonius infra in L. elemento*) appellant. Maxima copia vêre capiuntur, & muria condîtæ seruantur minores, maiores non itẽ, quia non æquè in sale possunt contabescere. F

Squamis tectæ sunt tenuibus facilè deciduis, argẽti tersi modo corpus splendet. Os habent magnum si totum corpus spectes, branchiarum opercula incisa. Pinnis, cauda, partibus internis Sardinas referũt.

Alium liparim Rondeletius inter marinos exhibit.

DE ALTERA CHALCIDE, IDEM.



Epirotæ eundem cum ſuperiore piſcem Sarachum appellant, quem in lacubus ſuis capiunt; & muria condiunt, ac in fumo exſiccant, vt aliò transvehere poſſint. Huius generis quidam ſunt minores, Sardinis, vel Thriſſis paruis tam affines, vt vix internoſcas, vt pictura noſtra demonſtrat. Alij ad magnarũ Thriſſarum magnitudinem accedunt. Chalcides tradit Ariſtoteles à pediculis infeſtari, quo in loco videtur mihi pediculorum nomen latiùs patere: vt eo beſtiolæ omnes infeſtæ comprehendantur. Locus eſt huiuſmodi: τῇ δὲ χαλκίδι νόσημα ἐμπίπτει νεανικόν, φθεῖρες ὑπὸ τὰ βράγχια γιγνόμενοι πολλοὶ ἀναιροῦσι. Chalcis vitio infeſtatur diro (ſic Gaza νεανικὸν νόσημα interpretatur) à pediculis multis natis ſub branchijs interimuntur.

DE EISDEM BELLONIVS.

Tres ſunt apud Inſubres lacus, in quibus piſcem vulgari Mediolanenſium idiomate Agonum nominatum capiunt, varium quidem eum: Larius enim lacus, qui hodie Comenſis cognominatur, Agonos educat exiguos, ac magis populares, Sardis ſimiles, dempto quòd ventre ſunt latiore: neque aliò quàm Mediolanum transferuntur, aut ſaltem raro Mantuam prætergrediuntur. Eos dolijs muria conditos adſeruant, quanquam etiam mediocriter ſicci ſine muria comperiantur. Verbanus lacus, quem lacum maiorem cognominant, multò maiores Agonos quàm Larius educat. Indigenæ vrbium, quæ ad eius litus ſitæ ſunt, Aronan, Palencza, Cornobio, Locarna & Engudre vocatos piſciculos magno prouentu capiunt, media magnitudine inter Larios, & eos ex lacu Luganæ, quos indigenæ vrbiũ nominant campignon & buiſſon. Benacus autem lacus magnitudine inſignes agonos profert. Sed nec Verbani aut Benaci Agoni muria condiri ſolent vt minores.

Eſt lacus piſcoſus qui vocatur Grigole, Pataùii finitimus, in conſpectu montis Celiſi, nõ longè à Verona, ad cuius latera Adix amnis influit, Veronã præterlabens, fluitantes ſuſtinens inſulas, vt Orchomenus, ſphondylio feraces: in eo indigenæ piſciculos capiunt, quos Sardanellas vocant: quorũ magna piſcatio poſt hyemem fieri ſolet (gregales enim ſunt) quibus magna etiam dolia complent. *Sardanellæ.*

B Cæterũ Agoni omnes ſquamas habent leui contactu decidentes, tenues, latas & tranſparentes: corpora argenteo colore nitentia, ſed parum nigricant in tergo. Deſquamati, ſupra argentum terſiſſimum refulgent. Oris rictum habent grandiuſculum ſine dentibus: pinnam in tergo ſimplicem, paruam, duas in lateribus ſub branchijs, quarum omnium exterius tegumentum ſpineum in medio crenatum eſt. Oculos valde grandes proferunt: caudam in penicilli modum diſciſſam: vtrinque nonnunquam lituris duabus rotundis ac nigris, interdum pluribus ſuggillantur in tergo. Lineam ſub ventre habent ſerratam, ad anum deſinentem: quam ſi digito in aduerſum confrices, cultri modo acutam percipias. Branchias habent vtrinque quatuor, interna parte veluti fimbriatas, quod etiam Harengis, Celerinis, & id genus piſcibus accidit. Cor vt ſemen cicerculæ trigonum inter anteriores pinnas ſub branchijs occultatum: Hepar ſubrubrum ſiniſtro ſtomachi lateri & œſophago incubans, ipſumq; pylorũ amplectens. Stomachi figura in conũ turbinatur: à cuius ſuperiore parte pylorus exit, multis apophyſibus cæcis ac longis circundatus. Lien dextræ ſtomachi parti inhæret, ruber: à pyloro inteſtinum non reflectitur, ſed rectà ad anum tendit. Triginta ſub vẽtre oſſicula acuta, aſperam in hoc piſce lineam conſtituentia, connumerare potes.

Sarachus. Sarachum Epirotæ (vulgus Albanenſes vocat) vt & Græci piſcem eundem nominant, quem Mediolanenſes Agonum. Duo enim trésue lacus ſunt in Epiro, in quibus Sarachi capiuntur: quos vbi ſale condierint, exiccauerint, & fumo infecerint, Venetias, Anconam, & aliò nauigijs tranſuehunt. Quorum eos maximè in pretio habere ſolent, quos *de la Boiane* huius nominis flumine ac lacu cognominant. Horum vero duæ comperiuntur ſpecies, alterum minus, alterum autem Clupeę ferè magnitudinis. Minores Sarachi quadrante longiores non ſunt, maiores pedalem implent lõgitudinem. Ambo eadem linea ſub ventre præditi ſunt, qua Clupea inſignita eſt. Sunt ex Græcis qui Sarachos vulgò Saturidas vocent.

COROLLARIVM.

A Aquonem appellat hunc piſcem Benedictus Iouius, qui Larij lacus (vulgò Comenſem vocant) piſces erudito carmine deſcripſit: Mollis aquo vitam qui ſolis ducit in vndis: quaſi ab aqua nomen habeat, quod illa ad vitam ei adeò neceſſaria ſit, vt ab ea ſemotus celerrimè omnium extinguatur. Eiuſdem aut alterius recentioris poëtæ carmina hæc ſunt:

Larius innumeros in gurgite paſcit aquones. Mollis aquo demptis viuere neſcit aquis.

Ego potiùs hoc nomen aſſecutum coniecerim ab oſſiculis illis acutis, quæ aſperam ſpinoſamq; in ventre eius lineam conſtituunt, & veluti acus quidam ſunt. Iouius acones appellat. Sed aco an aquo ſcribatur, parum refert. nam & aquifolia ilex ab acutis folijs aquila ab acumine vnguium roſtriq; aut viſus dicuntur: & coquus aliter cocus ſcribitur. Comi agones vocari audio dum viuunt: ſalitos verò ſardenas. Fracaſtorius diſtinguit: Sardellarumque cateruæ, His eſt maior aquo.

**Verbano.* Bellonius agonos nominat. Agoni (inquit) parui ex Benaco lacu habentur: mediocres ex lacu † Lemano: minimi ex Comenſi lacu. Italis vulgò accone vel aquone dicitur.

De Chalcide ex veteribus plura referam infra in Ch. Item de Celeuinis Oceani, ſiue Sardinis mediterranei, quas Chalcides putauit Bellonius.

Cum piſcatori cuidam Lucarnenſi piſciculum oſtendiſſem, quem noſtri *Hegele* vocitant, albulæ lacuſtri noſtræ perſimilem & cognatum, ſed minorem, agonum eſſe affirmabat. ego eius hiſtoriam & iconem mox inter piſces albos dabo: videtur enim mihi ab agono Italorum vero diuerſus. Inter eoſdem quoque Leuciſci fluuiatilis genus illud deſcribam, quod Germani Conſtantienſis lacus accolæ circa Conſtantiam A:ß: vel *Agûnen* appellant, quaſi agonem, circa Vberlingam *Laugele*, vt etiam noſtri. nam hunc quoque cum Italorum agono non conuenire iudico.

Idem piſcator Lucarnenſis agonos minimos vulgò gabianos dici mihi aſſerebat, maiuſculos agonos, maximos cepias, quæ è mari in Verbanũ aſcenderent per Padum. Sed cepiæ videntur eſſe clupeæ, genus ab agonis diuerſum, & è mari aſcendens: quod agoni non faciunt.

Verbanus lacus, qui hodie maior cognomine nuncupatur, & Larius quoque, acones piſces ferunt, effigie ac ſapore laccijs (.i. alauſis) perſimiles: verum magnitudine inferiores, vtpote qui ad ſummum pedalem menſuram non excedant. Vêre quoq; ſunt graciles, natura à laccijs plurimũ diuerſa, autumno autem quàm optimi, Paulus Iouius. In lacu Alcano optimi naſcuntur agoni, piſces non admodum magni, & ferè ſardellis aſſimiles, Platina. B

Elixi petroſelinum, butyrũ & aromata requirunt: fricti, malarancij ſuccũ aut agreſtam, Platina. Et rurſus, Sardellæ ex Benaco admodũ laudantur, frictæ ex agreſta aut malarancio ſuffunduntur. Aquones ſine ſquamis (Rondeletius & Bellonius ſquamas eis tribuunt) molles & flaccidos in iure edimus, ſubamaros, capite compreſſo, Incertus. F *Sardellæ.*

DE ALABE.

ALABES (Ἀλάβης: videtur autem flecti vt Thales, Thaletis, & μύκης μύκητος) Straboni libro 17. inter piſces Nili nominatur. Ἀλαβῆ dicitur, vt qui manu capi non poſſit, Varinus. hinc & alabaſtri factum nomen. Apud Athenæum libro 7. ἀλλάβης ſcribitur, paroxytonum, cum lambda duplici. Tarentinus in Geoponicis alabitos cum alijs piſcibus recenſet. Alebetæ, coracini, ſiluri, reperiuntur in Nilide lacu quem Nilus efficit, Plinius. Aleba, piſcis quidam, Syluaticus. Nos fluuiatilem piſcem qui propter lubricitatem manu retineri non poteſt, truſcham vulgò nominamus inter muſtelas deſcribendam. Verum non hic, ſed lampreda potiùs, veterum alabeta, fauente etiam nomine, videri poteſt. Nam cum lampreda nomen pluribus Europæ populis vſitatum ſit, Italis, Gallis, Hiſpanis. Germanis: communia autem pleraque à Græcis aut Latinis deſumpta ſint, lampredæ quoq; nomen cum Latinæ originis non ſit, Græcũ videri poteſt: vt a. vocalis initio dempta ſit, m. verò conſona in medio abundet, quod ſæpe fit ante p. apud recentiores Græcos, qui ſcribunt ἀμπλαυτηρίς pro pulueris: inter p. autem & b. ſumma affinitas eſt. itaque alabeta, facile in lambetam tranſierit, & rurſus lambeta in lampredam vel lampetram. alii enim aliter efferunt & ſcribunt. Sunt ſanè lampetræ piſces longi, cute læui & lubrica: vt alabetæ nomen propter lubricitatem eis conueniat. Et fortè è mari illæ Nilum ſubeunt, vt & alios fluuios. Aut igitur lampreda eſto alabes, aut alius muſtelarum generis piſcis lampredæ cognatus, vt is qui Germanis *Pruk* vel *Barle* vocatur, aut minimus in hoc genere à nouẽ oculis vulgò dictus *Neunaug*. Hæc noſtra eſt diuinatio, eruditis Rondeletii coniecturis non contraria: quibus ille lampredã diuerſis apud veteres nominibus dictam conijcit: murænam fluuiatilem à Dorione, echeneidem ab Oppiano: bdellam, id eſt hirudinem in quodam Libyæ fluuio branchijs perforatis à Strabone.

DE ALAVDA CRISTATA SIVE GALERITA.

RONDELETIVS.



PRÆTER iam † dictos piſces, in ſaxis multos alios viuere comperio, quorum nonulli neq; figuram, neq; naturam ſaxatilium referunt, vt canicula illa cato rochiero vulgò dicta, quod in ſaxis viuat: vt locuſtæ, murænæ. Alij etiamſi in ſaxatilibus non habeantur, tamen naturam formamq; ſaxatilium imitantur, qualis eſt, qui à noſtris percepierre & coquillade dicitur, Galerita, alauda, de quibus nunc dicemus. Ac primùm de galerita quæ hactenus Græco vel Latino nomine caruit. Sed vt inter aues duæ alaudarum ſpecies ſunt, vna criſtata, altera minimè, ſic piſcibus anonymis ſolaq; criſta diſſidentibus galeritæ & alaudæ nomen poſuimus, veteres imitati qui ſæpiſſimè in piſcibus nominandis auium & aliorum animalium nomina mutuati ſunt. Galerita igitur Græcè dicetur ἡ λόφον ἔχουσα. à noſtris coquillade. ſic etiã appellant alaudam criſtatam. Piſciculus eſt in litorum ſaxis degens ſcorpioidi ſimilis admodum corporis ſpecie. Digiti eſt magnitudine aut paulò maiore, tenui corpore, læui, lubrico, ſine ſquamis, ore paruo, dentibus anterioribus ſerratis, poſterioribus exertis, oculis paruis, cæruleis. In vertice dum viuit erecta eſt criſta, mollis & cærulea. Pinnæ ad branchias latæ ſed breues, in ventre paruæ & tenues. Cauda vnica pinna conſtans breuis & rotunda. Podex non procul à branchijs diſtat, à quo pinna ad caudam protenditur, alia à ceruice ad caudam continua. Corpus colore eſt fuſco, multis tamen maculis partim oblongis & tortuoſis notatur. Peritonæum ex nigro viride eſt. Cor angulatum. Hepar ex albo rubet, à quo fellis veſica pendet, perſpicuitate & coloris iucunditate ſmaragdum referens. Inteſtina lata ſunt, coloris lutei, ſatis diu extra aquam viuit ob paruã branchiarũ ſciſſuram. Carne eſt molli, ſed ob paruitatem negligitur. F

† Nam ſaxatiles ipſe deſcripſerat ordine. *Saxatiliũ differentia.* A B

DE ALAVDA NON CRISTATA.

RONDELETIVS.



A VT ſuperiorem galeritam appellauimus, ita hunc piſciculum alaudam non criſtatam. Superiori enim planè ſimilis eſt, ſi criſtam in capite ſurrectam excipias. Poſſis etiam optimo quidem iure ſimiam appellare, quia capite ſimiam refert: eſt enim capite paruo & rotundo. Vel ſi noſtrorum appellationem ſequi velis, qui percepierre nominant, non abſurdè empetrum vocaueris: nam vt empetrum herba marinis locis prouenit, & maximè ſaxoſis, imò etiam nudo è ſaxo ſæpe exiſtit, ita piſciculus hic in petrarum cauernulis degit, & illuc confugiens, ſe in abditiſſimis earum rimis occulit, vt piſcantium inſidias effugiat, vnde noſtri percepierre nomen poſuerunt. *Simia.* *Emperrui.*

B Eſt igitur piſciculus galeritæ ſiue alaudæ criſtatæ ſimilis, capite paruo & rotundo, ore paruo, oculis paruis, dentibus anterioribus ſerratis, poſterioribus longiuſculis, acutis exertis: pinnulas duas habet ad branchias, duas in ventre, aliam ſtatim à capite ad caudam continuam, item aliam à podice ori ſatis propinquo ad caudam vſque ductam. Cauda in vnicam deſinit ſaxatilium modo. Maculæ multæ mediæ corporis parti aſperſæ ſunt. corpore eſt læui & lubrico. Aqua, muſco, paruis atherinis, & aphyis veſcitur.

Carnis ſubſtantia & mollitudine peleritæ ferè par, & nulliusapud nos precij.

C A F Piſcatores mordet, vndeIulidem eſſe aliquando ſum ſuſpicatus: ſed cùm minimè venenatum eſſe eius morſum comperiſſem, veramque Iulidem tandem cognouiſſem, vtrunque piſcem rectè mihi videor diſtinxiſſe. *Iulis.*

COROLLARIVM.



A Piſcem cuius hæc effigies eſt, alaudis Rondeletij ſubiungere libuit, cum propter criſtam capitis, tum reliqui corporis ſpeciem ſimilem. Venetijs Gutturoſam, vel diminutiua voce gutturoſulam vocant, la gottoroſola, vt vulgus effert: à prominente opinor ſub facibus tumore. Gallus quidam gallinam maris mihi nominabat, à criſta nimirum. Germanicè & hanc & Rondeletij alaudas, communi nomine *Seelerchen*, hoc eſt galeritas marinas nuncupare licebit. Quidam iulidem eſſe ſuſpicabatur, ſed nos alium iulidem dabimus, cui doctorum conſenſus fauet.

B Nigricat ferè vndiquaq;, niſi quod punctis diſtinguitur cæruleis, & color luteus viſitur per ſuperiorem partem totam dorſi pinnæ, & circa branchias, & ſummo ventre: reliqua ex pictura apparent.

C Littoralis eſt, & ferè ſubit foramina lapidum aut parietum ædificiorum quæ in littore extructa fuerint. vnd ſi quis troglodytæ nomen ei affingere voluerit, quod non tantum nationi cuidam hominum, ſed etiam auiculæ caua ſubeunti tribuitur, non ineptè fecerit. *Troglodytes.*

E F Facilè capitur vel carne in vas impoſita, & mox extracta. A piſcatoribus ferè abijcitur, quoniam lubrica eſt, nullius ferè precij, carne dura & vilis in cibo.

Alaudæ ſimilis eſt piſcis qui Antipoli à muco bauoſa dicitur, Rondeletius. Hunc in Pholide dabimus: Baſiliſci piſces circa petras leprades degunt, Oppianus lib. 1. Halieut. Veriſimile autè eſt alaudas noſtras à criſta, à qua & regulis auiculis nomen, baſiliſcos ab eo dictos. Vide etiam infra in Pauone circa finem. *Baſiliſci.*

DE

DE ALAVSA, CLVPEA VEL THRISSA PISCE.

RONDELETIVS.

Figura hæc alauſa Venetiis expreſſa eſt. ea quam Rondeletius poſuit ſquamas oſtendit, & in medio ventre ſpinulas recta linea prominentes.



HΘPI'ΣΣA variè à Græcis nominata eſt, authore Athenæo: nam Archippus & Mneſimachus θρίσσαι appellauerunt, quo nomine Atticorum nullus vſus eſt, inde τὸ θριττικὸν, Dorotheus Aſcalonites θέρσαν, *Græci ι in φ mutando φέρσαι vocant. Auſonius & Gaza pro Græca appellatione, vulgari, vt opinor, vſurpata: atq; hos ſecuti alij aloſam. Galli aloſe, Burdegalenſes coulac. Maſſilienſes halachia, Romani laccia. Hiſpani ſaboga. Docti quidem θρέσσαι clupeam interpretantur, neſcio qua ratiõe inducti, cùm de clupea ſolus Plinius hæc ſcripſerit, de attilo Padi loquens: Hunc minimus appellatus clupea, venam quandam in faucibus eius mira cupiditate appetens morſu exanimat. Et ante hũc Ennius, cuius verſus exſtat apud Apuleium: *Omnibus vt clupea præſtat muſtella marina.* A *Vide in Corollario. Clupea an ſit thriſſa. Lib. 9. cap. 15.

Ex his quomodo confirmari poſſit clupeam noſtram eſſe aloſam nõ video, maximè cum clupeam minimum eſſe piſcem Plinius dicat: Aloſa verò noſtra cubiti magnitudinem aliquando ſuperet. Maſſarius non alia ratione motus idem ſenſiſſe videtur, quàm quòd Veneti aloſam chiepam nuncupant; quæ vox à clupea deducta eſſe videtur.

Aloſa piſcis eſt marinus, gregalis, ſardinis capitis figurâ, oris ſciſſura, ſquamis, pinnarum ſitu, numero ſimilis, ſed maior & latior. Spinas habet permultas, & inter veſcendum valde moleſtas, vtpote quæ ſine incommodo edi non poſſint, quemadmodum ſardinarum, aphyarum phalericarum, & membradum ſpinæ. B

Vêre & æſtate fontes dulceſq; amnes petit, illicq; pingueſcit, molli ſuauiq; carne redditur, & Athenæus inter piſces Nilum ſubeuntes recenſet. C *Lib. 7.*

Quocirca quò longius à mari capiuntur aloſæ, eò meliores ſunt. Itaq; Burdigalæ & Lugduni, multò magis ſucculentæ palatoq; gratiores venduntur quàm Maſſiliæ: marinæ enim exuccæ ſunt, aridæ cum quadam acrimonia, à qua ſitis excitatur. F

Oppianus ſcripſit nullam eſſe aloſis ſtabilem in mari ſedem: C *Lib. 1. ἁλιευτικῶν.*

Chalcides & thriſſæ paſſim, abramidesq; feruntur, Aſq; cæteratim per currunt æquoris undas,
Et cæruis habitant ſcopulis, & littora veſunt, Alternantq; vias ponti, currunt q; per æquor
Hoſpitium mutant ſemper pontoq; vagantur.

Thriſſas Ægyptias cantu delectari autor eſt Ælianus: Qui Maræotim lacum incolunt, inquit, Thriſſas illic cantu & pulſibus teſtarum concrepitantium conſonantibus piſcantur. Etenim tanquam ſaltatrices, ſaltantes in piſcatoria ad ſe comprehendendas explicata inſtrumenta incidũt. Idem ipſe procul dubio in aloſis noſtris ſum expertus: quum enim in Aruerniæ oppido Maringueſio eſſem, & in fluuij ripa ſæpe animi cauſſa deambularem, ad teſtudinis ſonos aloſas vidimus adnatãtes & ſaltantes, id quod noctu manifeſtiùs apparebat. Abundat autem fluuius ille tanta & ſalmonum & aloſarum copia, vt ſupra mille & ducentas vno retis iactu captas viderim. His adducor vt credam deprauatum eſſe Athenæi locum, in quo Ariſtotelem citat περὶ ζωικῶν: Τεκμήρια τον λεγόμενον, ὅτι ἡδέται ὀρχήσει ἡ ψάρ, ἡ ἀκάνθιας αἰώρα πηδῶσι ἐπὶ τὸ θαλάσσης. Quippe cùm de thriſſa, trichide, & trichia verba fecerit, & veterum de his teſtimonia protulerit, his adiungit Ariſtotelis autoritatem de eo piſce, qui ſaltu cantuq; gaudeat, & eo audito è mari exiliat. Sic igitur locus, meo quidem iudicio reſtituendus eſt. *ὀρχηστρίδα τον λεγόμενον, ὅτι ἡδέται ὀρχήσει ἡ ψάρ, ἡ ἀκάνθιας αἰώρα πηδῶσι ἐπὶ τὸ θαλάσσης. Quæ ad Thriſſam referenda ſunt quæ ὀρχηστρίς, id eſt, ſaltatrix dicta ſit. *Vide in Corollario.

Aloſas ſubire flumina eorumq; fontes appetere diximus, ſed audito tonitru, ad mare properare piſcatores teſtantur. C

Auſonius eas pro vilibus habet: *Strident esque focis opſonia plebia Aloſæ.* Verùm ob copiam quibuſdam in locis vileſcunt, quemadmodum res aliæ etiam laude dignæ, magisq; ſpinarum copia moleſtæ ſunt quàm inſalubres. Nam cum pinguerunt, & ſuaues ſunt, & ſuccum mediocriter bonum gignunt, quiq; facilè diſtribuatur. Cum aliquando in conuiuio de polyporum, luporum, pagurorum prudentia diſſereretur, Hieronymus Vida, vir bonus & doctus poeta, dixit nullum ſibi videri piſcem aloſa prudentiorem, qui non niſi obeſus nobis appareret, maximèq; idoneo tempore, cum carnium eſu nobis omnino interdicitur: faceta ironia, cùm imprudentiſſimos eſſe piſces meritò dicamus, qui non niſi quo tempore optimi ſunt, illisq; minimè parcimus, à nobis conſpiciantur. F

Thriſſis fluuiatiles piſces chalcides & abramides, admodum ſimiles ſunt, easq; coniungunt Athenæus & Oppianus.

DE EADEM BELLONIVS.

Aloſa, Gallicè *Aloſe*, Chiepa Italis, Lachia Romãis, Latinis Clupea, in Abramidis modũ tornata eſt, niſi corpore eſſet multò longiore ac craſſiore. Lineam aſperã, & veluti cultellato mucrõe ſcindẽtem gerit:

Thrissa. Trichis. qua (vt Plinius tradit) Attilum ingentem Padi piscem exanimat. ea verò acutior est in pusillis piscibus. Permulti contendunt Alosam à Clupea longè diuersam esse. Grandes porrò & adultæ Alosæ, Thrissæ etiam dicuntur, idq; maximè cum ad iustam magnitudinem peruenerint. Trichides verò appellantur diminutiua voce, cum nondum in perfectam molem excreuerint: tunc enim magis aristosæ percipiuntur. Nam Thrissæ pulpas habent carnosiores, minusq; aristis obseptas. Ascendentes flumina semper capiuntur, nusquam autem descendentes. Aristobulus author est Thrissas ascendere in Nilum, sicuti & Cestres absque Crocodilorum metu.

TRICHIS, GALLIS PVLCHELLA, ALAVsa minor, ex Bellonio.

Trichidem antiquorum, Virginis aut Pulchellæ nomine Galli cognoscunt, Pucelle: quod veris initio dum huius piscis capturæ dant operam, sine ouis vt plurimum capiatur: vel quod scombros (quos illi etiam lenones vocant) proximè subsequitur. Capitur in multis amnibus, ac præcipuè Ligeri, contra raptum fluminis. Anglia ex Tamesi *Schade* vocat. Harengum grandiorem vix vnquam excedit: aut si quando excesserit, appellationem mutat, ac tum quidem adultæ Alausæ nomen accipit. Nonnulli Pulchellas ab Alausis diuidunt: quorum tamen sententia multis argumentis refelli potest. Quidã Galliæ tractus fictas aut fenictes vocant, Andegaui Conuersos: & qui Baioniam incolunt, *des Gattes.* Sed audi quantum ab harengis dissideant. Harengi corpore & capite latiusculo præditi sunt, labro prominulo: Pulchellæ, oblongiusculo. Punctis harengus caret: Pulchella ternis atque interdum quaternis rotundioribus nigris in lateribus ac tergo vtrinque insignitur. Lineam præterea sub ventre, vt Celerinus, habet asperam, qua etiam Harẽgus (*infra in Chalcide, harengo etiam asperam illam sub ventre lineam attribuo*) caret. Sed Celerino hamuli rotũdi sunt, & ferè sub squamis cõditi: Pulchellæ verò foris eminent, quemamodum in Trachuri caudæ lateribus. Trichias, vel (vt Aristoteli placet) Trichæus, cum Pontũ ingreditur, videtur quidem ac capitur: sed exiens nusquam adhuc conspectus est.

COROLLARIVM, DE ALAVSA. VIDE ETIAM IN THRISsa. *De Trichide & similibus vocabulis, plura dedimus infrà in Sardina: item in Trichide.*

A

Thrissa nomina Græca. Thrissam Strabo iter Nili pisces numerat. Nostræ ætatis Græci phrissam vocitãt, Gillius: fortè quod spinis siue aculeis aliquando soleant inhorrescere. quod Græci φρίσσειν dicunt. Crissam & ciuitatis & piscis nomen esse Suidas docet: pro pisce quidem an thrissa potius legendum sit dubitarim, quando crissæ piscis aliorum nemo meminerit. Thrassa non idem est piscis, vt Rondeletius putauit. nam Athenęus, quem citat, non hoc scribit, thrissam & thrassam eundem esse piscem. Sunt autem hæc eius verba circa finem libri septimi: Quoniam de thrissa prius diximus, nunc etiam quæ sunt thrattæ dicamus, quę in fabulis Archippi, Mnesimachi, & Antiphanis, inter alios pisces nominantur. Anaxandrides etiam θραττίδια dixit: Atticorum verò nullus thrattam. Porrò Dorotheus Ascalonites thettan (θέτταν) scribit in suo Dictionario, siue quod ita perperam (apud Mnesimachum aut Hipparchum) legit, siue vt vocem insolitam emendaret (ac mollius proferret:) Est autem pisciculus quidam marinus. Hæc Athenæus, ex quo Eustathius quoque repetiit. Thrãtta (inquit) vel gentile est fœminini generis à Thracia, vel piscis nomen apud Dipnosophistam, &c. Θράσσα nomen est auis & piscis, Stephanus in Θρᾴκῃ. Animalia quædam toto genere varia sunt, vt panthera, vt pauo: & piscium nonnulli, vt quæ thrassę vocantur, Arist. De generatione anim. 5. 6. Apud Phaniam in Epigrammate legimus etiam θρᾷσσοι genere masculino, si rectè scribitur. Τριχὶς quidem piscis, vel τριχία (in prima declinatione, paroxytonum) & τριχίδιον diminutiuè, non alius quam thrissa videri potest. Non probo quòd Rondeletius apud Athenæum libro 7. pro τριχίδα reponit ὀρχηστρίδα. nam Eustathius quoque hunc Athenęi locum citans τριχίδα legit. Thynnidas quoque aliqui τριχιάδας (in quarta declinatione à recto oxytono) vel πρημάδας vocabant, vt Athenęus refert.

Intrantium Pontũ soli non remeant trichię, τριχίαι, Aristot. 8. 13. historiæ) Hi soli istrũ amnẽ subeũt, ex eo subterraneis eius venis in Adriaticum mare defluũt. itaq; & illic descendẽtes, nec vnquã subeũtes è mari, visuntur, Plinius. Trichiæ sunt eæ quas sardas dicimus, subeũtes Istrum, nec remeãtes, vt ait Plinius, Volaterrãus. sed falso Plinium ab eo citari ex verbis eius iã recitatis apparet. Amatus Lusitanus trichias scribit esse sardinas. Trichias bis ãno parit, Plinius. Descripsit .a. & hũc & supiorẽ locũ ex Aristotele: apud quẽ Gaza trichias cõuertit sardas: & trichidas, sardinas. Aristoteles ex trichide trichiã nasci dicit: ex membradibus trichidas. Sed hac de re plura leges in Sardinæ historia, ex Rondeletij sentẽtia, q & Gazæ ĩterpretatiõẽ nõ laudat, & Aristotelẽ hosce pisces ex alijs diuersi generis procreari scribere miratur. Nos hic de trichide ex veteribus obseruata quædã adijciemus, quib. ferè ꝓbabitur trichidem eandem cum thrissa esse, aut certè persimilem natura ac specie piscem. Recitatis quidem priscorum verbis, rem in medio relinquemus.

Ὁ δ᾽ ἀνὴρ τὴν νύχθ᾽ ὅλην Ἔσητε τριχίδων ἑσπέρας ἐμπλησμένος, (πεπλησμένος vt Varinus habet,) Aristophanes in Ecclesiazusis, vbi Scholiastes, Trichides (ĩquit) sunt q vocãtur thrissę, & in cibo sumptæ tussim mouent. idem in Acharnensibus eiusdem poëtę, Trichides (inquit) fortè hoc genus pisciũ est quos thrissas nominamus, ab eo quòd ossicula pilis similia habeant. Trichides sunt thrissæ à tenuitate ossium dictæ, Etymologus. Et fortè hęc spinarum capillaris exilitas, faucibus aliquando hęrentium, caussa fit tussis. constat a. thrissas spinis eiusmodi abundare. Τοῦ θρὶξ τριχὸς παράγωγόν ἐστιν ἡ τριχίς. ἡ δ᾽ αὐτὴ κ. τριχία λέγεται, Eustathius ex Athenæo: ex quo hoc etiam addit, hunc piscem saltatione & cantu adeò gaudere, vt è mari quoq; prosiliat audiens, (thrissas autem similiter cantu & testarum sonitu capi Ælianus refert.) deinde thrissam quoq;, tanquam diuersum piscem sentiens similiter ἀπὸ τῶν τριχῶν denominari ait. Athenæus item de thrissa & thrichide tanquam piscibus diuersis agit, chalcidib. similes esse scribens. Citat & Aristotelis verba, tanquam distinguentis: Μόνιμα, θρίσσα, ἐγκρασίχολος, μεμβράς, κορακῖνος, τριχίς. in q. bus non intelligo quomodo monimi vel stabiles hi pisces dicantur, cum thrissæ Istrum subeant, & inde in Adriaticum mare subterraneis venis defluant. In ipso etiam mari, Oppiano teste, certam aut stabilem

sedem

sedem nullam habent. Dorion in libro de piscibus trichidem, trichiam vocat. Trichidum meminit etiã Eupolis, parcum quendam traducens; qui cum carnes semiobolo vænirent, τριχίδας obsonare voluerit. Αἱ τριχίδες εἰ γένοιντο ἑκατὸν τοῦ βολοῦ. Aristophanes in Equitibus. Ὦ κακόδαιμον ὅστις ἐν ἅλμῃ πρῶτον τριχίδων ἀπεβάφη. Idem ἐν Ὀλκάσιν apud Athenæum. Pisces enim (inquit Athenæus) idoneos vt super carbonib. assarentur, intingebant in muriam, quam Thasiam cognominabant.

Thrissam Galli alosam vocant: quam & Ausonius ita appellasse videtur, cum cecinit:

Stridentesq; focis obsonia plebis alausas. Propterea Gregorius Tiphernas in Strabone, & Theodorus in Aristotele, cum Ausonium thrissas non alio nomine appellare, quàm alosas, vt nunc quoque in Gallia vocãtur, perspicerent, clupeasq; eiusmodi pisces esse minimè noscerent, alosas interpretati sũt. *Latinæ.* Meminit thrissæ præter cæteros etiam Hippocrates, Massarius. Indocti quidam pro alausa, lausulam dixerunt. Dubitat Rondeletius an clupea piscis Latinè dictus idem sit qui Græcorum thrissa: ego pro eodem habebo, donec certius aliquid ĩtellexero, nam & Italicum vocabulum chiepa accedit: & eruditis quibusdam, præsertim Massario, eundem esse placet. Accedit spinarum multitudo, quæ vt thrissæ, ita & clupeę attribuitur. nam vt Callisthenes Sybarita author est citante Stobęo, in Arari Gallię fluuio nascitur magnus quidam piscis, clupea (κλυπαία vel vt Plutarchus habet in libro de fluuijs) σκολόπιδος) nominatus ab incolis, qui crescente Luna albus est: decrescente, totus nigrescit: & corpore nimiũ aucto à proprijs spinis interimitur. In huius piscis capite lapis reperitur similis grumo salis, qui optimè facit ad quartanas sinistro lateri corporis alligatus decrescente luna. Hæc quidem an clupeę in Arari accidant, viri naturæ studiosi, quib. cognoscendi facultatem fluminis illius vicinitas præbet, obseruabũt. Ego aliquando an de carpione potius hæc intelligenda essent, dubitaui. Quod autem Plinius clupeam minimum esse piscem scribit, excusari potest, ad attilum qui maximus est comparatione. *Clypea.* Ennius quoq; in Phagiticis clupeam, vt Apuleius recitat, vel ut noster codex habet, clypeam nominat.

Thrissam Romani hodie lacciam vocãt, Veneti chiepam, Hispani sabogam, (saualum, Amatus Lusitanus,) Galli alosam vocant, Massarius. *Vulgaria.* Lasca piscis genus est apud Dãtem. Galli & Campani (& Siculi) alosas nominant: Hetrusci & Veneti veteri seruato nomine clupeas, Volaterranus. Alius est lechia piscis à Romanis dictus, hoc est glaucus veterum vt Rõdeletius docet, & lascha eidẽ Italicè dicta, leuciscus est è genere mugilum. *Lechia. Lascha.* Qui lacciam Romanorũ, lupum veterum esse putarũt, eos longè falli Iouius ostendit, aduersus Platinæ & Pomponij Lęti sententiã. In Aquitania tam frequens est hic piscis, vt rectè plebis obsonium Ausonius dixerit. appellatur autem, pręsertim maior, Burdigalæ, Coulac: minor verò, Gathe, Innominatus. Alausas opinor ab Ausonio dici pisces, quos Germanicè vulgò vocãt *Alsen*, qui aduentũ vêris Rhenanis & Mosellanis annunciant. *Alsen.* In mẽse .a. Maio & circiter, quam primũ tonitrua audiuerint, in mare sese recipiunt, adeoq; tonitruis terrẽtur, vt multi ex eis inueniantur in ripa Mosellæ & Rheni metu exanimati, Carolus Figulus. Piscis qui vocatur apud nos halsa, nõ apparet (nisi) in principio vêris vsq; ad tonitrua, & tunc moritur, Albertus Magnus. Et alibi, In piscibus quos vocant *alse*, nunquam inueniuntur oua. Alosam Eberus & Peucerus interpretãtur Saxonicè *Iesen*. *Iesen.* is piscis (inquiunt) habet lucentes squamas argenteo fulgore: estq; ex eorum numero qui apud Saxones assati gratiores sũt. Capitur in Albi. Alausa, aliàs alsa & also, Germanis *Alsen, Elsen*. Adamus Lonicerus. *Elsen. Verich.* Inuenio & *Verich* nomen de hoc pisce Germanis inferioribus & maritimis vsitatum. Isidorus quidã, Albertus & Murmellius, Latinũ eius nomẽ aristosius vel aristosus cõfingũt: quoniã aristis ĩnumeris (ĩqt Isidorus) armatur caro eius, ita vt incommodè edi possit, & nõ sine fastidio, vnde pauperum cibus est, tanquam omnium pisciũ vilissimus. Germanicè *Verich* interpretantur ijdem tres scriptores. alij scribũt *Verinch*, alij *Werinck*. Colore & figura est sicut halsa, nisi quòd aristas spinales in carne plurimas habet, Albertus. ego alsam, id est alausam sine aspiratione scripserim, nec aliũ piscem esse dixerim, nisi pro ætate forsan & magnitudine tantum diuersis nomina etiam diuersa conueniunt. Idem alibi (apud inferiores Germanos puto Gallis finitimos) *Vint* nominatur. Nam *Vint* dictos pisces gregarios esse scribit Albertus, & littorales. *Vint.* Autor est Auicenna (inquit idem) visum sibi quoddam genus piscium aduenire ad sonitum campanæ: & cũ is desinebat, recedere. Hoc quidẽ apud nos cõstat omnibus, in mari Flandriæ, Brabantiæ & Germaniæ inferioris, piscem pulcherrimum, qui lingua accolarum *Vint* (lego *Vint*, vt alibi duobus in locis scribitur) vocatur, & spinis in corpore abundat, gregatim accedere ad sonitũ nolarũ, aut cymbalorum, aut campanarum paruarum. Extendunt enim piscatores retia circa finem vêris mense Maio cũ fune super aquam, cui alligant campanellas: quę cum sonant, venit hic piscis cum constat esse (forte, cum copioso) grege sui generis in retia, Hęc Albertus. Constat autem ex veterum scriptis similiter & thrissas olim irretitas fuisse: ideq; hodie fieri Rondeletius tradit. Alij recẽtiores idem hoc scribũt de pisce *Verich*. Bellonius Trichides (quas ab Alausis ætate tantũ & magnitudine distinguit, quod sint minores) in quibusdã Galliæ tractib. Fictes vel Fenictes vocari scribit. Vox quidem Ficte ad Germanicã *Vint* accedit. *Ziege* vel *Goltfisch* dicti pisces qui cum sturione in Albim ascẽdunt & vnà capiũtur, alausæ sint, an cognati, nõdũ mihi liquet: *Ziege.* vt neq; de illis quos in lacu Suerinensi & Oceano vicino *Marenen* vulgò nuncupant. *Marenen.* Simon Paulus, qui nuper de oppido Suerino orationem ædidit: Murenas, inquit, in lacu nominant lingua nobis vernacula pisces haleci (harengo) similes, sed aliquanto minores, argenteis squamis, carne dura & friabili, Hæc ille. Ego huius generis pisces in mari cubitales capi audio, in lacu dodrantales & melioris saporis: inter lautissimos haberi, & frigidos edi. Fauconerus Anglus clupeã vel chepam Venetis dictam, Anglice *a schadde* nominari me docuit. Errant qui eadem lingua *p*[illegible] interpretantur, qui piscis à nostris vocatur *ein Teüsch*, in Mustella à nobis describendus. In eodem errore Murmellius versatur, qui alosam vertit *ein quapp*, vt alij *ein alquapp*, quod eiusdem piscis de mustelarum genere nomen est. A Pylchen vel Pylcharde Anglis est alausa minor, pucelle Gallorum. Harengo enim similem esse aiunt, sed minorem.

B

Harengæ à Germanis dictę clupeis similes sunt, Massarius. Adeò similes sunt alausis & thrattis paruis, vt vix discernantur, nisi à diligenter animaduertentibus, vt pluribus in Harengo indicabit Rondeletius. Clupea pisciculus est marinus, spinosioris generis, minutissimis squamis contectus, dorso cæruleo, cętero colore argenteo, Massarius. Caput ei compressius in latum quam crassius, in capite supra oculos

culos vtrinq; veluti gemmæ smaragdinę relucent: dentes nulli: sed labrum superius in extremo denticulatum est leuissimè. lingua nigricat. Superiores mandibulæ deorsum prominent. Rarò cubitalem superat magnitudinem, Iouius. Idem acones pisces Larij lacus effigie ac sapore laccijs persimiles, sed minores esse scribit.

C Dorion in libro de piscibus meminit etiam fluuiatilis thrissæ, Athenæus. Subeunt lacciæ Tyberim amnem ad prima vêris signa, sed tum strigosæ, & ab quadam marinæ salsuginis ariditate parum amabiles: quæ mox paucorum dierum mora Tyberinis in vndis mirifice pinguescunt: & incipiente statim æstate in maria reuertuntur, sic vt reliquo tempore rarissimè appareant. Præter ipsum Tyberim Arnus, & Vmbro in Etruria, in Campania verò Lyris & Vulturnus laudatissimas præbent. in Pado quoque reperiuntur haud ignobiles: in Galliæ verò Hispaniæq; amnib. longè maximæ, sed quas sapientiores parasiti Tyberinis minime esse comparandas existiment, Iouius. In Ligeri fl. Galliæ alausæ pretiosæ capiuntur, vt audio, magnitudine barbi magni, carne tenera vt thymali. In aquis dulcibus frequenter degunt, in his tamen qui fluxu & refluxu maris amarescunt, Isidorus. Tonitruis exanimantur, vt suprà scriptum est. Thrissa in Euripo non inuenitur, Aristot. Strabo lib. 17. ex Aristobolo refert, solos pisciũ Nilum subire mugilem, alosam & delphinum. Vide in Mugilibus. Alausa confestim vt ex aqua extracta fuerit, moritur, Adamus Lonicerus.

D Attilum in Pado, qui ad mille aliquando libras accedit, minimus appellatus clupea, venam quandam eius in faucibus mira cupidine appetens, morsu exanimat, Plinius.

E Oppianus lib. 3. de piscatione thrissas capi scribit nassa in mari suspensa, cui inclusa sit esca, maza videlicet de eruis frictis & myrrha vino odorato excepta: & similiter chalcides, larimos & trachneos. Alausa sic capitur: Retia tenduntur in longũ aquæ vel in transuersum, & ante retia super aquas instrumentum instar arcus, ita vt fluitet super vndas: in superiori autem eius parte nola suspenditur. eius sonum piscis audiens, gregatim aduentat tinnitum nolę stultus sequens, & hoc indicio patet, quod sensum habeant auditus. Incidentes ergo in retia capiuntur in multitudine magna, Isidorus. τὴν θρίσσαν ᾄδοντες ἀναδύεσθαι καὶ προϊέναι λέγουσι, Porphyr. lib. 5. de abstin. ab animatis. Vide supra in A. inter Germanica nomina in *Vin*.

F Thrissa & cognati pisces, vt chalcis & eritimus, facile digeruntur, Diphilus. Chalcides & thrissæ acerosæ sunt, ac minime pingues, & exuccæ, Hicesius. Laccia piscis pulparum mollicie saporeque admodum delicatus est: verùm adeò frequentibus ac molestis spinulis prætereneræ eius carnes impediuntur, vt in conuiuijs illarum tædio atq; periculo summæ suauitatis gratiam amittant, Iouius. Et rursus, Lacciæ vberrimè nutriunt, sed glutinosioris alimenti excrementa in stomachis non facile atteruntur. propterea ab ipsis exhalationibus intempestiuam somnolentiã inducere, & sitim augere existimantur: præsertim si appetentibus ad explenda vel mediocris etiã gulæ desideria, minimè defuerint: quod paucis, vel certè ipsis tantum è summo ordine nobilibus, ob eius piscis graue pretium raritatemq; contingit. Vide etiam supra in C. Laccia in craticula assatur auulsis branchijs, extractoq; per eandem viam intestino. Assum salsa viridi suffundes. Quod si elixum voles, leucophago inuolues. Vtroq; modo suauissime editur. Ad hunc Pomponius Tiberis accola Martio, Aprili & Maio me sæpius inuitabat. Satis etiã tutò editur, cum non incongrue alat, Platina. Galli, vt audio, alosam in partes scissam torrent, deinde imponunt butyro. Elixus etiam in aqua, deinde in butyro ponitur. Maio ferè in pretio est, & optimi saporis, aliàs parum.

G Vlceris genus in capite nascitur, quod Græci à duritie scleriam vocant. id sanatur vstis thrissarũ capitibus, cum bulbo cocto & aceto miscendis, Incertus.

H. a. Clupea etiã ciuitas est Africæ minoris, quæ scorpiones necat, teste Plinio. cuius etiam Silius meminit: In clypei speciem curuatis turribus aspis. Nam & Clypea & Aspis dicitur, in promontorio Mercurij sita.

e. Fel alicuius piscis, & maxime lausularum, si sponsus vel sponsa secum habeant cum petunt thalamum, & supra carbones ignitos ponant, & inde suffiantur, omnia supra dicta maleficia euanescunt, Arnoldus.

DE PISCIBVS AB ALBO COLORE DICTIS,

PRIMVM IN GENERE, DEINDE DE ALBVRNO

Ausonij, Leuciscis Græcorum, & albulis lacustribus diuersis.

Albus piscis. GALEOS tum varios tum centrinas piscandi ratio hæc est: ALBVM piscem illecebram ad eos captandos demittunt, &c. Aelianus. Pisces candidi dicti omnes oua pariũt, &c. Plinius. Videtur autem squamosos appellare candidos. Occa fluuios Moscouiæ bielaribitza, hoc est album pisciculum nobilissimi saporis habet Sigismundus Liber. *Leucopis.* LEVCOPIS piscis à coloris albedine dictus nominatur in Geoponicis Constantini. *Albica.* ALBICA nomen barbarum est in Regimine Salernitano piscis à colore sic dicti, vt ab eodem Germanicum *Wytin*, de quo inter Asellos scribemus. *Wyting. Weissfisch.* Saxones *Weissfisch*, id est pisces albos nominant communi vocabulo leuciscos fluuiatiles & similes eis pisces, quos ipsi appellant *Haseling, Ockeln, Karas, Oberkottichen* &c. Nostri huiusmodi pisces minores adhuc, generali nomine à splendore squamarum vocant *Glyssen*, vt sunt *iunge Laugele, Hasslen vnd Schuualen*. *Glyssen.* aliqui priuatim pisciculos quos *Hasele* vocitant nostri, *Wyssfisch* appellant. In Carinthia audio pisces dictos *Weissfisch*, in lacubus tantum haberi, atq; adeo pingues esse, vt cum assantur, alio nullo pingui sit opus: & cum elixantur, etiam adipem de se remittant: frequentiùs tamen assari. Sed hoc genus esse crediderim pisciũ *Adelfelcken.* qui à nostris *Blauuling* dicuntur, circa Acronium lacum *Felcken*: ex quibus *Adelfelchen* dicti, albi & præpingues sunt, assarique solent.

Albos

Albos pisces lacustres (vt nos nominamus) truttarum siue salmonum generi Rondeletius adnumerat: ego tum aliàs separandos puto, tum eo quòd dentes non habent. sed neq; maculas vllas, & carnem omnes albam. In hoc tantum truttis conueniunt quòd pinnulam in dorso paruam habent, & carnẽ solidiusculam: sicciorem quàm truttæ, magisque friabilem, & candidiorem.

DE ALBVRNO AVSONII.

RONDELETIVS.

ALBVRNI appellatio ab Ausonio fortasse inuenta est. A Gallis Able vel Ablette vocatur, ab Anglis *Bleis*: à Germanis *Ablem*, (*Alben* potiùs,) vel *Zwmbelfischlin*, vel *Weissfischlin*. Piscis est fluuialis, digitali magnitudine, aphyis albis similis, oculis magnis, rubescentibus, dorso virescente, ventre candido. Lineis duabus distinguitur: altera à branchijs ad caudam ducta medium corpus dirimit: altera minùs euidens à radice pinnæ branchiarum orta deficit, priusquàm ad caudam perducta sit. Pinnas easdem habet quas gobio. capite est paruo: corpore latiusculo, sed depresso, felle caret. Carne est molli & parum pingui. Vorax est piscis, eam ob causam hamo facile capitur.

DE EODEM. BELLONIVS.

A Gallica appellatio Able seu Ablette, quodammodo ad eum quem Ausonius Alburnum vocat, alludit. Hunc Placentini Arbolinum vel Arborinum, vt & Mediolanenses, nominant. Ego circa Vercellas in amne Lagogna Ticinum influente Scauardinum à piscatoribus audiui appellari. Angli *Bleis* nominant. Affatim in Pado capiuntur. A quibusdam Agulla dicitur. Ferrarienses non alia appellatione eum exprimunt, quàm Pesquerel vel Stregiæ: cum tamen Stregia alibi sit idem quod Leuciscus. *Stregia.*

B Argenteis tegitur squamis ac tenuibus: dorsum tamen paululum opacatur. Sex digitos longus est, quam mensuram rarò excedit. ex Sequana Epelano est simillimus: vixque ad duorum digitorum latitudinem extenditur. Lineam habet vtrinque arcuatam quæ eius latera diuidit. Nare est parum resima. Mihi negarunt piscatores Mediolanenses Arborinum felle præditum esse: quod ex ipsa dissectione postea comperi.

COROLLARIVM.

Ausonius in Mosella Alburnos pisces prædam puerilibus hamis, omnibus notos esse canit. Vnde & fluuiatiles hos esse pisces, aut pisciculos potiùs, & viles & colore candido colligimus. Gillius hos esse arbitratur, quos Galli vulgò ables nominent. Alburnus (inquit Carolus Figulus) est pisciculus ille candidus, qui circa Confluentiam ad Rhenum *Albele* nominatur. Est & Alburnus mons. vtriq; rei nomen à candore inditum autumo. Ge. Agricola alburnum Germanicè interpretatur *Weissfisch*, communiori fortè quàm oporteret nomine.

Alburnus à Rondeletio & Bellonio descriptus, is pisciculus est quẽ Germani vocitant *Bliegg, Blieckt, Bliegle*: de quo in vulgari quodam libello de piscatione hæc verba legi: *Ein Blieckt ist des Kremers Knecht.* Fluuiatilis est, & melior ad cibum iudicatur autumno. Vix digitum longitudine excedit, latiusculus tamen, & albicans, sed ventre subcæruleo, subamarus. Coloniæ in Rheno capitur, & vulgò nominatur *Albenn*, vel *Alffer*.

Alburnum credimus esse pisciculum minutum & abiectũ, quem Germanicè *Alben*, vel *Zuuibelfischlin*, (à cepis, quod cum ijs fortè pluribus à vulgo coquatur. Rondeletius scribit *Zumbelfischlin*, nescio quàm rectè:) item *Weissfischlin* nominant, à candore nomen habentem, Gallice Ablen, Adamus Lonicerus. Circa Acronium lacum ab oculis rubicundis nominatur *Roteugle*, id est erythrophthalmus, quod nomen alij diuerso pisci tribuunt: & à vilitate *Schnyderfischlin*. Sed nostrum quoque *Schuualen*, de quo mox inter Leuciscos, alibi *Roteugle* vocitant. Sunt qui *Blieck, Furn & Schuualen*, ætate tantũ distinguant, quibus cum ego non sentio. Sunt qui hunc cum blicca nostra mox describenda, nominum vicinitate decepti confundant. Haud scio an ijdem pisciculi sint qui alicubi in Gallia nominantur *des blanches*, ab eodem colore: quorum minimæ squamulæ albæ splendent, & leui etiam contactu decidunt. Alburno simillimum esse scribit Bellonius Epelanum fluuiatilem è Sequana, nisi quòd ruffas radices pinnarum gardonis modo habet. Pariunt Maio mense alburni, retibus capiuntur. in cibo nunquam laudantur, præferuntur tamen frixi. Lucij capiuntur in Anglia tum aliàs tum ranis, tum pisciculis quos *Blekes* vocant, hamo affixis.

DE BVBVLCA, BELLONIVS.

Videtur Alburno Ausonij cognatus esse pisciculus. iconem eius nullam dedit. Vide in phoxinis.

A SORDIDVS admodum & vilis pisciculus Gallico vulgo è re ipsa Bouuiera nuncupatur: alijs Peteuse, etymologia à bombis obscœnis tracta.

G Piscis est Sequanæ alumnus, non tamen vsquequaq; frequens, vt qui non semper appareat. Nã quomodo Verones pisciculi nusquam Augusto, Septembri & Octobri tibi, aut saltem rarò apparebunt: sic Bubulca serò in conspectum venit. plurima vêre capitur.

B Bremmam ac Castagnolam marinã toto habitu æmularetur, nisi corpore esset minimo: planus enim & latus est. Sed & argenteo nitore refulget atq; orbicularem magis habet formam, quam in longitudinem protensam. Trium digitorum longitudinem non excedit, neq; sesquidigitalem latitudinem. Soli obiecta, nigri nihil habere comperitur, quàm in linea quæ spinã comitatur ad caudã. Paruã in tergore

gerit

gerit piñulam: oculorum pupillam, omnem nigredinem superantem. Squamis tegitur magnis & latis. Carneum quiddam, vt Cyprinus (quatenus paruum magno licet conferre) in fornice palati ostendit: branchias vtrinq; quaternas simplices (*aliquid deesse apparet*) *Pinnarum similium etiam numerum*, ac sub ventre totidem: caudam bifurcam. Ore est paruo, dentibus vacuo. Pisciculos istos respui credo propter fel lis magnitudinem, quòd vix possint exenterari, quin eorum fellis vesica distrumpatur: quo per totum corpus diffuso, plurimum amari in vescendo sentiuntur: id autem sub hepatis lobo dextro coloris smaragdini, magnitudine pisi continetur. Folliculum vento plenum in vtero gestat geniculo interceptum. lienem stomacho inhærentem, rubrum atque orbicularem. Huius etiam intestina multis in gyrum reuolutionibus & anfractibus circumuoluta sunt, Hæc Bellonius. Apparet autem non alium hunc pisciculum esse, quàm Bambele à nostris dicitur.

In Picardia (inquit Rondeletius) Rosiere vocatur pisciculus, qui dimidiati pedis longitudiné nunquam superat, corpore lato & compresso, oculis magnis pro corporis ratione, bramis minimis corporis specie simillimus, colore luteo. quamuis parui capiantur, semper ouis grauidi sunt. Vide in Phoxino.

Hic etiam à Rondeletio descriptus piscis, si luteũ colorem demas, ad Alburni naturã accedit. Omnes quidem hi pisciculi parui sunt, fœuiatiles, latiusculi, mensis lautioribus contempti propter paruitatem & amaritudinem.

DE PISCE BLICCA, VT GERMANI VOCANT, QVI ALBVRNVS LACVSTRIS DICI POTEST.

Figuram blicca nostræ non posuimus, quòd omnino idem Ballerus Rondeletii videatur, sicut ab eo expressius.

RONDELETIVS & Bellonius piscem iam descriptum, quem Ausonii Alburnum esse conjciunt, Anglicè scribunt vocari *Bleis*. Sed Fauconerus Anglus, cuius doctrinæ plurimum tribuo, Alburnum piscem Anglicè *a bleke* nominari ad me scripsit: cui finitimum est Germanicum piscis albicantis nomen *em Blick*, à splendore. *Blicken* enim est subitum splendorem emittere. Quoniam verò blicca etiã nostra piscis tum albus, tum vilis est, de ea quoque hoc loco agam, ceu lacustri alburno. nam fluuiatilis alburnus Ausonii longè alius est. Nostri igitur hunc piscem vocant *Blick*, *Blickling*, (quem aliqui imperitæ confundunt, vt suprà dixi, cum alio minimo *bliegg* appellato:) lacus verò ad Dunum oppidum in Bernensium Heluetiorum agro accolæ *eum Brettele*, à corporis latitudine. Haud scio an idé sit piscis qui Coloniæ ad Rhenum nominatur *eum Blech*, vel *Bleech*. Circa Bielam, Heluetiæ oppidũ cum lacu, *Plechle* vocari audio, Sabaudis Platte, vnde diminutiuũ Platton. Argentinæ *Meckel*, vt conijcio. aiunt enim latum esse piscem ad tres digitos, similem illi cui à rubore pinnarum nomé. aliqui bramas ex eo adulto fieri putant, sed falsò: (& apud nos quoque bramas vnius anni, aliqui *Blicken* appellant:) Maio mense parere aiunt. Crescunt aliquando in lacubus nostris hi pisces ad mediocris ferè carpę siue cyprini magnitudinem, ita vt singuli quatuor aut quinque obolis argenteis, (qui drachmæ sextantes sunt,) væneant. Præferuntur Aprili. In lacu feliũ dicto apud nos bliccæ capiuntur, quod scio, bramæ autem nusquam, vt puto. In lacubus ad Septentrionem aquæ dulcis pisces quidã *Plyen* vocantur, ijdémne blicciis nostris, ignoro. *Plyen.*

Iidem vel maximè cognati pisces sunt Ballerus Rondeletii, & Plestya Bellonii: quare illorum quoque de his piscibus verba attexemus.

DE BALLERO. RONDELETIVS.



A ALVGDVNENSIBVS & lacuum qui in Allobrogibus sunt accolis, piscis Bramæ corporis specie valde affinis Bordeliere nominatur, quod litora semper sectetur & quærat: bord enim litus significat. Hunc Ballerum esse puto cuius inter fluuiatiles & lacustres bis meminit Aristoteles.

B Bramæ tam similis est vt parum cautis pro bramis sæpe vendatur, sed ab ijs magnitudine corporis & squamarum differt, & pinnarum ac caudæ colore. Est igitur Ballerus capite breui, ore paruo, sine dentibus, sed horum loco ossa habet aspera: sine lingua, sed palato carnoso. Pinnas duas habet ad branchias, duas alias in medio ventre, ab excrementi meatu vnicam ad caudam vsque, in dorso aliam. Posteriores pinnæ cum cauda rubro colore perfusæ sunt, vt in Percis fluuiatilib. videre est: quæ in dorso est, nigricat. Linea à branchijs ad caudam curua producta est. Branchias quaternas habet. Os in medio palato habet, ex aduerso fita sunt ossa duo loco inferiore, altera parte serrata, quibus contrario occursu cum palati osse herbæ atteruntur. Ventriculum paruum habet, intestina pinguedine oblita, hepar ex albo rubescens, in quo fel viride: splenem rubrum.

C Vita & moribus à Cyprino non differt.

COROL-

COROLLARIVM.

Ballerus, cyprinus, & cæteri ferè omnes, cum parturiunt, vadis sese intrudunt, Aristoteles. Et alibi, Ballero & tilloni lumbricus canis exortu innascitur, qui debilitat, cogitq; ad summa stagni efferri, quà æstu intereunt. Balerus apud nos rusticè balænus nũcupatur, Niphus Italus. Balinus (melius Barinus) piscis legitur, quem Theodorus cõuertit balerum. habetur & barenus lib. 6. (Aristotelis) inter amnicos, balagrus à Theodoro dictus: nec inuenio quamobrẽ eos ita verterit, nisi librarius corruperit, Hermolaus in Plinium. Vide etiam infra in Balagro: & in fine elementi G. in Gustero.

DE EODEM AVT PROXIMÒ PISCE EX *Bellonij, libro quem Plestyam nominat.*

Strymonis amnis accolæ vilem admodum piscem agnoscunt, quem illi vulgò plestyam nominant: A qui & in Macedonia ad Pischiacum lacum plurimus est: quo in loco modò *Platanes*, modò Plestya, modò Platognia vocatur.

Latus piscis est, atq; ea forma tornatus, qua Abramidem fluuiatilem (Cyprinũ latum) conspicimus. B Multis spinulis abundat, atq; eodem modo holoschœno (iunco) transfuitur vt Liparis, & per paria diuẽditur, muria optime maceratus. Frequentes squamas habet, rotundas ac tenues. Tergus eius nigricat, venter candicat. Os non aperit ita grande, quod etiam omnibus dentium rudimentis caret.



Metallarijs ad Chrysiten (quam Siderocapsan vocant) opportunus est in fodinis. Carne constat dura, stupacea, palato ingrata. F

Parté eam quę ab ani pinnula ad caudam fertur, prominẽtem habet, corpus in Bremmæ fluuiatilis modũ compressum. Et rursus in Abramide fluuiali, sic autem Cyprinum latũ siue bramam nominat: Mihi sanè (inquit) Plestyæ huius piscium (generis) notas habere videntur, quarum color corporis albicat, & tota mole compressæ apparent. Oculorum pupilla non est, vt in alijs, nigra, sed veluti crystallina, iris verò albissima: ac tredecim squamarum ordines vtrinq, in lateribus habent. B

DE LEVCISCO. RONDELETIVS.

Pro Rondeletij icone, posui quam prius habebam ad nostrum Schraal vel Fiern expressam, etsi maiorem quàm conueniat. Cauendum ne cum Hasela nostra, capitoni fl. quàm hic similiori, confundatur.

LEVCISCORVM seu Mugilum fluuiatilium aliquot esse species dicere possumus. Ex his est is qui à Gallis *Gardon* vocatur, ab Italis *Lascha*, à nostris fortasse *Siege*: nonnihil enim diuersus esse videtur. A

Est hic leuciscus Capitoni siue Cephalo fluuiatili corporis aspectu, pinnarum numero, situ, figura, squamis similis: sed capite est minore, corpore latiore. Dorso cæruleo, ceruice virescente, ventre candido, oculis flauescentibus. Dentibus caret. imo palato ossa habet. Partibus internis non differt à Capitone, nisi quòd tanta pinguitudine non obteguntur. B

Alacris est & viuidus hic piscis: vnde Galli valetudinem integram designare volentes, hominem Gardone saniorem esse dicunt, quod ex piscis istius agilitate & actionibus sumptum est, non ex succo. *carne* enim est molli, fluxili, parum nutriente. C

DE EO-

DE EODEM BELLONIVS: QVI SARGVM SARgonémue, & Cephalum & Gardonem hunc piscem appellat.

A Sani piscis cognomen suo Gardono Galli tribuunt: quem Romani piscatores, atq; adeò reliquum Italorum vulgus lascam, Angli *Rocus*, (Roche scribere debuit: quod tamen nomen Anglis aliũ piscem significat, quem nos Rutilum nominauimus.) Placentini Agullam, Mediolanenses Oladigam, alij Ocradigam vocant. Cùm itaque gardonum istum vbique prouenire, & Cephalum Sargoni formam retinere videam, facile quidem in eam sentẽtiam inclinaui, vt Gardonum seu Lascam crederem Sargonem Cephalum ab Aristotele vocatum esse. Nam quum duo potissimùm sint Mugilum marinorum genera, Cephalus & νῆστις, id est ieiunus (vt Dorioni placet,) reliquæ species fluuiatiles aut lacustres esse cẽsentur: quo in numero sunt Sargones Cephali, latiore forma quàm alij præditi: vnde Sargi, vel (vt Theodoro placet) Sargones vocati sunt.

B Nunquam ad Cyprini magnitudinem accedunt. Pinnulam tenuem vnicam in tergoris iugo; nõ autem longam (vt Cyprinus) gerunt: cætera vt Squalus. Sed est corpore compressiore & magis recurto, pinnasq; subrubras habet. Parui Gardoni pinnam caudæ longiorem exerunt quàm Leucisci: & antequam in extremum pinnæ (quæ bifurcata est) desinant, rotundantur. Latiusculis squamis conteguntur, ipsoq; capite magis ad Leuciscum quàm ad Squalum accedunt. Oblongius & paulò crassius habẽt corpus quàm Abramis, suntq; tergore quàm Squali magis nigricante, & auri colorem referente.

A Porrò piscatoribus Romanis Keuillonorum vox paruos Gardonos exprimit: reliquos autem mixtim pisciculos fricturam vocant. In Ambra Melignanum alluente, plurimus est hic piscis, quem eò loci Oradigam vocant, Mediolanenses Oladigã, alibi Doradam, quòd in eo tractu huius caput aureo colore fulgeat. Sed & Perusinus Italiæ lacus, omniũ longè delicatissimos huius generis pisces ꝓferre solet.

COROLLARIVM.

A Alburni, λευκίσκοι, *Vuyssfisch*, *Hesling*, squamis argenteis. Fortassis ad hanc speciem sargi pertinẽt, quorum vetus nomen adhuc Romæ in vsu est, Eberus & Peucerus. Rondeletio Sarginus mugil idem est qui χεστρεὺς vel νῆστις ac numeratur inter marinos qui amnes subeũt, vt Bellonius hos pisces non rectè discreuerit, & fluuiatili pisci nomen dederit quod marino debetur. Itali piscem hũc de quo agimus, lascham vocant, vt Rondeletius scribit: alij clupeam eodem nomine, quæ ab alijs laccia dicitur. Gallice gardon appellari quidam conijciunt, è verbo Gallico garder. eò quòd seruari facile sit in vasculis aquatilibus per longum tempus. Cæterum Gardo vel Cardus piscis, vt Galli vocant, à nostris vulgò nominatur *ein Schwal*. Circa Acronium lacum *ein Fürn*, & à colore oculorum *ein Roteugle*. sed minimus etiã pisciculus, quem Rondeletius & Bellonius Alburnum Ausonij faciunt, alicubi eodem nomine *Roteugle* vocatur, ab oculis rubicundis, qui in gardo potius flauescunt. Argentinæ gardum vocant *Rettel* vel *Rotaug*. Carolus Figulus rubiculũ vel erythrophthalmon nominibus fictis interpretatur. Piscis in Albi dictus *Roteugel*, numeratur inter assari solitos, oculis & pinnis rubicundis. Ad Acronium lacum circa Lindauiam hunc piscem *Fornfisch* vocant primo anno, deinde *ein Gaut*, tertio *ein Furn*.

Sunt qui *Bleck* vel *Roteuglin* nuncupent ab initio, (neq; distinguant ab Alburno Ausonij quẽ sui generis piscẽ ab hoc semper diuersum vt ego sentio, nostri *Bleck* alij *Roteugel* vocitant:) post annũ *Fürnling*, demum *Furn* vel *Schwal*. Nomen *fürn* alioqui Germanis adiectiuum est, & aliquid de superiore anno significat, inde dicunt *Fürnen wein*. nostri *feraigen vuyn*.

Circa Verbanum & Larium Italiæ lacus, Trull appellatur, vel Troy, & pro vilissimo habetur. Gardus piscis est fluuialis, gratissimi saporis, vendesiæ similis, à qua rubore oculorum discernitur. vterq; autem mediocris quantitatis est, Obscurus. Calculum quendam vel similem calculo, sed molliorem substantiam in capite habet gardus noster. Parere incipit Aprili, & pergit vsq; ad medium Maij. Vulgò omnes huius generis pisces oua habere, & fœminas esse putant. Laudatur antequam pariat, Ianuario, Februario & Martio, & tota etiam hyeme mediocriter. Sunt qui Aprili quoque & Maio commendent. Non insalubris existimatur.

Oua solidiuscula & rufa habet, q̃ multis in cibo grata sunt. Elixari debet in vinũ feruidum immissus.

DE LEVCISCI FL. SECVNDA SPECIE.

RONDELETIVS.

Pro icone Rondeletij delineauimus pisciculum nostrum, quem Laugelen vocant.



A ALIA Leucisci species est ea quæ hodie à Gallis Vandoise vocatur, à Santonibus & Pictonibus Dard, quod sagittæ modo sese vibret, à nostris Sophio, à Lugdunensibus Suiffe. Hunc Leuciscum nonnulli cum superiore confundunt, sed corporis latitudine differt, rostroq; est acutiore, alioqui pinnis, earum numero & situ similis est.

Squamis

Squamis medijs tegitur, quæ lineolis distinctæ sunt. Ex fusco partim viridis est, partim flauus, Ventriculo est paruo: hepate magno, à quo fellis vesica dependet. Pinguescit multum hic piscis. B

Carne est molli suauique. F

Pinguitudo eius aurium doloribus succurrit, & cum felle eiusdem permista oculorum caliginem abstergit. G

Piscis hic eiusdem generis piscibus scilicet Mugilibus fluuiatilibus non admodum præstat, neq; ab antiquis etiam si verus eorum Leuciscus sit, cæteris præfertur. Quare falsò id Galeno attribuit autor lib. De Aquatilibus, quòd scribat Galenus Leuciscorum magnam copiam condiri solere, atque in magno haberi precio. De Leucisco enim vnico tantum loco hæc tradidit Galen. lib. 3. de aliment. facult. cap. 24. Ex nostris quidam, pisces in fluuijs genitos Leuciscos appellant, à Capitonibus specie diuersos esse existimantes. Cætera quidem animal animali simile est: sed Leuciscus paulo est candidior. caputq; minus habet, & gustu est acidiore. Nutrimenti autem ipsius facultas talis est, qualẽ fluuiatilium Capitonum prius esse diximus. Itaq; de nomine tantùm controuersia est, non de re. Quod verò his vtilius est, proferam. Piscis iste ex ijs est qui sale condiuntur, (τῶν ταριχευομένων) & qui lacustris est, ita conditus seipso melior efficitur: quicquid enim in sapore est mucosi, & virus resipiens, id omne abijcit. melior verò est recens diutius in muria seruato, (πλείονι τῷ χρόνῳ ταριχευθέντος.) Hic Galenus disertè scripsit Leuciscum Capitonibus nihilo meliorem esse, salitum verò meliorem seipso effici, quod & omnibus eiusdem generis piscibus euenit.

Locus hic postulat vt diligentius excutiamus quod ait Galenus Leuciscum habere γεῦσιν ὀξυτέραν, id est, gustum acidiorem, quod mendo non carere monuimus lib. 2. operis nostri de marinis piscibus, quũ de piscium sapore tractaremus, legendumq; esse κεφαλὴν ἔχον μικροτέραν καὶ ὀξυρυγχοτέραν. quam germanam esse huius loci lectionem ratio ipsa primum suadet. pisces enim omnes qui in aqua dulci gignuntur & aluntur marinis sunt insipidiores. marinis omnibus subest sapor quidam acris, nec ita insipidus. Id declarant pisces marini qui amnes petunt, qui in aqua dulci nutriti permultum gustu ab ijs discrepant qui in mari capti sunt. His accedit Athenæi autoritas qui Mugilem fluuiatilem appellatum fuisse ait ὀξύρυγχον, his verbis: Κεστρεὺς ὁ γίνεται μὲν καὶ θαλάσσιος καὶ ὁ λιμναῖος, ὁ ποτάμιος. οὗτος ὁ καλεῖται ὀξύρυγχος. Mugil quidem est marinus, & lacustris & fluuiatilis, hic autem vocatur ὀξύρυγχος. Ex his igitur constat lectionem nostram veram esse, eaq; nota à Capitonibus Leuciscum discrepare, quod rostro sit acutiore.

Locus Galeni examinatus.

Oxyrynchus.

DE EODEM BELLONIVS: QVI LEVCISCVM SIMpliciter hunc pisciculum nominat, & Laucè inquit Albicillam vel Albiculam dici posse.

Leuciscus Hicesio species est Mugilum: Parisienses vne Vandoise: Ligeris accolæ à mira velocitate, iaculum vn Dard, Angli *Dace*, Lugdunenses Suiffam vocant: quem optimè vt nos, à Squalo distingunt, Insubres Streiam, vulgus Græcum Leucorinum vocant. Accolæ lacus Bistonij (cuius aqua partim dulcis, partim salsa est) Lilinguam. Huius nondum prouecti piscis, vêris initio magnum numerum capiunt, & modico sale conspersum atque exiccatum, Byzantium ferunt: venduntque Maio, Iunio & Iulio mensibus. A

Corpore longiore & angustiore est quàm Streia. Hunc Romani piscatores à Squalo non distinguunt, neque enim adeò exactè pisces fluuiatiles, vt Galli, internoscũt. Etenim Leuciscus aspectu multò hilarior est quàm Squalus, minoribusq; squamis contegitur: Albo colore nitet, & veluti inter squamas strijs rectis interstinguitur: Caudam bifurcam & pinnas albas profert, neque ita latas vt Squalus. Nulla habet dentium rudimenta: Linguam albam, branchias vtrinq; quatuor. Squalus præterea Leucisco maior euadit. Porrò etiam Ablum siue Alburnum simillimum esse videbis Leucisco: tamẽ est paulò crassiori corpore, & squamis elatioribus, ac labro inferiore melius infarcto. Est etiam nonnihil discriminis in linea quę vtrinq; corpus intersecat. Siquidem Leucisco non tam arcuata est, quàm Alburno: & Alburnus rotundiori corporis compage constat, ad Cephalim magis accedẽte. Leuciscum enim Galenus cum fluuiatili Cephalo componit, ac de Mugilum genere esse ait: suoque tempore Leuciscorum magnam copiam condiri solere, atque in magno haberi precio*. B

Quid à Squalo differat.

Quid ab Alburno.

** Hoc supra à Rondeletio reprehensum est.*

Horum capturam ex Epiri lacubus maiorem fieri diximus, quos Epirotica lingua Scouranicos vocat. Veneti his maximè vtuntur, quos ad se nauigio adferri curant: eodemq; propè vocabulo vtentes Scourancas nominant. quę cùm Leucorinis maiores sint: ambo tamen pisces sale conspersi & fumo infecti atq; exiccati, ad exteros mitti, vt nostri Harengi soreti, consueuerunt. A

Quanquam autem Leucisci inter Mugiles adnumerentur, tamen stomachum non habent ita carnosum, peritonæum albissimum, cor trigonum, duos hepatis lobos pallidos, sub quorum dextro fel continetur: Splenem rubrum. Sed & interstitium, quod inter oculos Squali & Leucisci intercedit, discrimen inter vtrunq; diluet: minor enim in Leucisco est capacitas, & calua rotundior.

COROLLARIVM.

Vendosia vel Dardus Gallorum, pisciculus est quem Germani circa Argentinam vocant *ein Lauck* de quo illud celebratur, *Ein lauck ist ein vuescher*. id est Lauca lotrix est, fortè quia laucam etiã lixiuium vulgò appellant. Nostris diminutiua eius nominis forma in vsu est, *Laugele*. Gelenius noster sic dictũ conijciebat quasi λευκίσκιον, id est albiculam, tanquam olim sic appellassent Gręci, & ab ijs mutuati essent Germani. In quibusdam Heluetiorum lacubus, vt iuxta Tugium & Bielam *Vunger* vocitatur: vt à Sabaudis circa Neocomum Vengeron. Diuersus autem ab hoc piscis est Vangeron in Lemano dictus, cui nostri à rubore pinnarum nomen posuerunt. Bielenses etiam *Onhopt*, id est acephalos nominant hos pisces: amputatis enim capitibus siccatos aliò venales mittunt. Cum minimi densis agminibus natant, animæ à nostris dicuntur, *Seelen*. Acronij lacus accolæ nominibus variant: *Graesig* Lindauiæ vocant: A

Lauck.

Laugele.

Vunger.

Onhopt.

Seelen.

C 2 Vberlingæ

Vberlingæ *Laugele* vt nos: Constantię dum parui sunt, *Zierisfische* vel *Graesling*: adultiores, *Agonen*, *Agumen*, *Lauenen*. Aiunt enim piscículos esse vix longiores palmo, squamosos, quibus multi abstineant quòd circa latrinas pascantur: suo tempore tamen commendari. Aestate (inquiunt) innascuntur eis vermes, quos vulgò ligulas (*nestel*) nominant, quo tempore insalubres habentur. Oua gerunt vsque ad Iunium, deinde pariunt. Non solum autem inter se, sed cum illis etiã piscibus latis lacustribus, quos nostri *rotten* vocant, & cum scardulis siue cyprinis latis coëunt, vnde piscis genus enascitur, inter vtrunque parentem medium, *ein Drettfisch*. Sed alius est agonus in lacubus Italiæ, & Germanicũ nomen *Graesing* cauendum ne quis cùm diuerso fluuiatili piscículo confundat, quem *Gress*, *Gresling*, vel *Kresling* nominant. In Duinensi Bernensium Heluetiorum lacu *Blauuling*, id est cærulei hoc genus leucisci dicitur: nostri longè aliud lacustre tantum genus sic vocant. *Glyssen* à splendore factum nomen, commune est piscibus illis qui vulgò dicuntur *Laugelen*. *Hasslen vnd Schnualen*. Galli Vendosiam nominant, vt dictũ est, Albertus Magnus Vindosam. Illyrij Aukley.

Italicum nomen est Strigio, Strilato, vel Stria, quo circa Tridentum etiam Germanice loquentes vtuntur: factum fortè à strijs rectis, quibus inter squamas distingui videtur, vt Bellonius scribit. Ferrarienses tamen (eodem teste) stregiam vocant etiam illum piscículum; quę Alburnum Ausonij esse eruditis placet. Strigilis (in recto singulari) à Grapaldo Italo censetur inter pisces veteribus ignotos. Strigiles (inquit idem) sermone vernaculo piscículi quidam dicuntur, quorum frequens fit captura per hyemes.

B Strigiles apud nos paulò maiores capiuntur in fluuio quàm in lacu. Longiusculi sunt, non lati, haselis nostris non dissimiles specie, paulò breuiores (ni fallor.) Dorsi color è fusco, flauo & viridi ferè permixtus est. Pinnæ albicant, vel minimum ruffi admixtum habent. Linea qua terminatur laterũ color instar iridis resplendet ex flauo & viridi colore. Branchias quaternas habent. Os aperitur in oblongum, nec prominet mandibula superior. Strigil Padanus (vt olim obseruaui) dodrantem nunquã excedit. crassus ferè æqualiter per totum corpus à capite ad vsque caudam: minutis obsitus squamis. Vindosa mandibulam vtrinque mobilem in faucibus habet, dentatam, Albertus. Bellonio Vandosia dentibus caret; qui fortè non diligenter inspexit. ego in faucibus vtrinque mandibulam curuam quinis armatam denticulis reperi, vt in ballero.

C Strigiles in Pado hyeme tantum capi solent. Reperiuntur in Taro fluuio iuxta Parmam, vix alibi. Gardus piscis vendosiæ similis est: sed rubore oculorum ab ea differt. vterque mediocris est magnitudinis, Obscurus.

F Commendantur strigiles Aprili & Maio mensibus. Memini etiam Februario edisse non insuaues, quo tempore lactes in mare pleni erant. & eodem mense laudãtur à nostris. In Italia quidem hyeme imprimis capiuntur. Veru tosti, sale, aceto, oliuo, pipere & cinnamomo conditi, paropside in cibis non improbantur, Grapaldus.

Ius recentium piscium saxatilium aluum emollire author est Dioscorides. sed saxatiles illi, cùm sint marini, rari sunt apud nos: habemus autem vocatos strigiles ex Pado flumine: qui sunt piscículi albi instar argenti, facilis concoctionis & optimi nutrimenti. Eos in febribus etiam ægrotis aliquando permitto, nec vnquam obfuisse cuiquam memini, Brasauolus, sed is fortè strigiles diuersos intelligit, nempe alburnos Ausonij, quos Ferrarienses stregias appellant.

Hecticis conceduntur pisces aquæ dulcis parum petrini, (sic loquitur,) communiter vocati strigili, lucij, temuli, Gaynerius.

DE MVGILIS VEL CEPHALI FLVVIATILIS GENERE MINORE, QVOD PIscibus albis adnumerandum videtur.

Non opus est icone, nam per omnia Capitonem fl. refert, nisi quòd minor est.

A Pisces quem hic describimus, frequens est in fluuijs, & vulgò nominatur *ein Hasle*, (sed in lacu iuxta Tugium Hasela nostra vocatur *Gagheste* & Suala nostra siue Gardus, *Hasle*, sicut & Lucernæ.) In Saxonia capitur in Albi, & appellatur *Haesling*; vel cõmuniori nomine *Vysisch*. Alburni, *Vysisch*, *Haesling*, squamis (nitent) argenteis, Eberus & Peucerus. Circa Argentinam *Schnotzisch* quem spurium esse nescio qua ratione (nisi forte nominis, quod piscem turpem significare videtur) in libello Germanico de piscium captura legimus: *Ein Schnotzischzist ein basthart*. Item alio nomine *Metisch*, à mense Maio, quo præferuntur, sed alausis quoque puto nomen idem attribui. Cæterum Haseaux Gallicè dicti pisces, cyprini lati (bramæ) minores sunt, vt Bellonius scribit. *Glyssen* apud piscatores nostros generale nomen est ad pisces quos vocant *Hasele*, *Laugele*, *Schnualen*.

Italicum nomen huius piscis nisi Stretta est (à corpore longiusculo fortè, & stricto, id est minimè lato) in Lario lacu, & in Verbano Giauetta, aliud nescio. Hæc scripseram cum Lucarnensis piscator in Verbano vocari mihi asseruit letta vel aletta. Idem fortè Papiæ Kabacello fuerit. Germanicum *Hasele* videtur lepusculum significare, fortè quòd agilitate ac celeritate natandi lepores repræsentent. *Kolfisch* dicti Coloniæ non sunt omnino dissimiles piscibus *Munen*, id est Capitonibus, sed minores.

B Haselæ nostræ, (quas cephalos aut mugiles fluuiatiles minores dixerim. nam fluuiatilem cephalum siue squalum, multò magis quàm leuisci supra dicti referunt,) piscículi sunt molles, duos aut tres palmos longi, albicantes, per dorsum in viridi nigricantes, cauda & pinna dorsi glaucis, cæteris rubicundis: minim. lati. Squamulis tenuibus, argenteis, branchijs ternis. Caro eorum aristis referta est, vt & mugilum fluuiatilium maiorum. Ex his qui in fluuio apud nos capiuntur, oculis rubere audio: qui in lacu non item. Obseruaui postea lacustres superna oculorum parte flauere. Dentes in faucibus vtrinq; conditos

conditos habet vt Capito fluuiatilis, in mandibula curua, exteriore ordine quinque maiusculos, interius binos minores, omnes ferè in summo leuiter aduncos.

Parere incipiunt medio Aprili vel paulò ante.

Suo tempore (Maio & Aprili præcipuè, deinde Iunio & Iulio: à Maio quidem mense etiam *Meisfisch* alicubi nominantur) satis grati in cibo & salubres habentur. Aliquando verò vermes eis innascuntur, (ligulas nostri vocant, *nestel*) & omnino insalubres fiunt. Hyeme macri sunt ac minim placent. Fluuiatiles etiam lacustribus præferuntur. Elixari debent in vino feruido. Circa initium Nouembris oua in hoc pisce reperi, quæ magis quàm piscis placebant.

SEQVVNTVR PISCES ALIQVOT LACVSTRES, QVOS ALBIS ADNVMERAMVS: NAM ET GERMANICE FEre communi nomine albi dicuntur: & omnes propè generis vnius species videntur, omnes lacustres tantum, squamosi, edentuli, pinna in dorso duplici, vna in medio maiore, altera ad caudam parua vt truttæ. Carnis substantia alba, friabili, non insalubri, & sapore propemodum similes, &c.

PRIMVM AVTEM ILLOS PONAM quos Rondeletius descripsit: deinde & nostras de singulis obseruationes, & alios eiusdem generis addam.

DE LAVARETO PISCE LACVSTRI APVD ALLOBROGES. RONDELETIVS.



VErnaculis & proprijs vocabulis in rebus nostris explicandis veterum nominum penuria vti cogimur: vt in pisce qui in lacubus Allobrogum tantummodo reperitur nominando, vulgi appellationem sequũtur & Lauaretum vocamus. quę Salmonum Truttarumq; generi adiungendum esse suaderet pinnula illa dorsi posterior adiposa Salmonum & Truttarum * generi propria, nisi multa alia reclamarent, vt oris cõstitutio Thrissis quàm Salmonibus similior, os sine dentibus, caput compressum, corpus maculis carens, caro mollis & candida. Lauaretum igitur inter Salmones & Alosas ambigere meritò dicemus. A B * *& aliorum piscium lacustrium.*

Is quod nunquam sordidus sit, sed bene ablutus, ob munditiem & candorem nomen habere videtur. Lacuum Allobrogum proprius est, vt Burgetij, & Aequebeletij. Nec vllus est qui in Italia, Germania, Gallia, aut alibi vlpiam viderit. A *Vbi.*

Pedali est magnitudine, corpore vtcunque compresso, Alosæ vel Harengi modo: eos enim pisces capite & ore planè refert. Maxillę dentibus carent, superioris latera inferiora operiunt & claudunt. Corpus squamis tegitur argenteis. A branchijs per medium corpus recta linea descendit. Pinnas duas ad branchias habet, totidem in medio ventre, proximè anum pinnulam vnicam, in dorso priorem maiusculum, posteriorem paruam & pinguem, Salmonum Truttarumq; modo. Cauda in geminam desinit longam & latam, in extremo nigricantem. Branchias quaternas, duplices habet, cor angulatum, hepar sine felle. Autumno parit. B

Carne est candida, molli, suaui, minimè glutinosa, boni succi, mediocriter nutriente. Ex prædictis lacubus sæpissime Lugdunum conuehitur. F

Bezola, cuius historiam sequens pagina dabit.

DE EODEM BELLONIVS.

A TRuttacei generis ac saporis est Lauaretus, ex lacubus *du Bourget, d' Aiguebelette*, & Lemano ad nos adferri solitus, nostris principibus in magnis delicijs habitus: vnde regiorum œconomorum chartæ frequẽtem Lauaretum descriptum habent.

B Piscis Lugduni satis cognitus, Vmbræ simillimus, nisi simus esset, dentibusque omnino careret: Bisulam tamen vulgarem magis refert. sed Lauaretus nunquam pedem excedit: neque crassior est eo, quod pollex & index capere possũt. Capite est oblongo, squamis tenuibus, albis, atque, vt in Trutta, paruis. Exiguam in tergore gerit pinnam, duas ad ventris latera vtrinque circa branchias: ac totidem sub ventre ei oppositas, quæ tergoris fastigiũ occupat. Aliam quoque paruam in eo interstitio, quod est inter caudam & anum, quæ omnes nigricantes apparent. Linea à supercilio subrubra per latera ad caudam protensa insignis est: cauda bifurca, pinnisque ad extrema nigris, fimbriatis ac laciniatis. ventre est laxo ac prægrandi vt Trutta. Hoc item à cæteris piscibus differt, quòd nare est recurta, atque (vt in harengis ac Lochijs) ossiculis quibusdam prominẽtibus insigni, labris nullum dentium rudimentum ostendentibus: appendice glabra ac carnosa caudæ insidenti, in Vmbræ modum. Neque tamen dentibus caret: ossicula enim ad eius fauces atque Oesophagi ingressum vtrinque conspiciuntur, senis hinc inde denticulis, vt in Themolo, communita. Branchiæ illi sunt vtrinq; quaternæ ac simplicissimæ: quarum extrema, quæ capiti inhæret, reliquis sanè minor est: nullis in lateribus maculis est insignitus, totumque huius piscis corpus dempto tergore argenteũ est. Verumetiã si ad eius internas partes aduertas, costas quinque & triginta vtrinq; connumerabis: cernesque illi cor esse pallidum ac trigonum, pericardio inclusum: hepar albũ, vnius tantùm lobi, vt in Exocœto & Delphino: in cuius latere dextro fellis vesicula adfixa est. Lien à sinistris apophysibus & stomacho incumbit. Intestina nullas habent reuolutiones. nam gula vsque ad ventriculi fundum deducitur, qui per piscis longitudinem delatus, ac sursum quidem reflexus, duodeum parit adenibus suffultum, in cuius gibbo innumeræ apophyses spectantur: ex quibus vena oritur, per quam sanguis defertur ad hepar. à pyloro sequitur aliud intestinum, quod nullis anfractibus circunductum, rectà ad anum tendit. Vulnam vtrinque bicornem habet, tenuibus ouis conspicuam. Cætera in congeneribus piscibus describentur, Hæc Bellonius. qui & alibi Lauaronum piscem vulgò Romæ dictum, magnam habere scribit cum Lauareto fluuiatili (lacustri, legerim) affinitatem.

Partes interiores.



DE

DE PISCE LEMANI LACVS BEZOLA WLGO NVNCVPATO. RONDELETIVS.

Pro icone quam Rondeletius posuerat, non satis proba bezolæ piscis, reposuimus piscis nostri à cæruleo colore vulgò dicti picturam: is enim à bezola Lemani lacus, quod sciam, nihil differt. Pinnæ similitudo quæ à podice xit, in nostra icone abundat.

Eam quòd hæc pagina non capiebat, præcedente collocauimus.

VT Lauaretum lacus Burgetius & Aequebeletius ferunt, ità Lemanus Bezolam vulgo dictam, non admodum dissimilem. nisi quod colore minus est candido ad cæruleum inclinante, rostro acuriore. capite minore, ventre latiore & prominentiore. Nullum piscem reperias cum quo melius comparari possit, quàm cum Harengo, quem in marinis depinximus. Carne est molliore quàm Lauaretus, & ab eo saporis suauitate, & succi bonitate multum superatur, nec in pretio habetur. Proprius est piscis Lemani lacus.

DE ALIO PISCE PROPRIO LEMANI LACVS. RONDELETIVS.

In Rondeletij editione, diuersi piscis quem in Lemano Vangeronum vocant, effigies hic non rectè posita erat.



EST & alius piscis Lemani lacus proprius qui ab accolis *la Farra*, vel *Ferra*, vel *Pala* dicitur, Lauaretos vel Thrissas referens, magnitudine cubitali, ore paruo sine dentibus, vt in Thrissis, colore cinereo, corpore depresso & lato, squamis, pinnarum situ & numero Lauaretis similis. Linea à branchijs ad caudã recta & candida ducta est. Pinnulam dorsi mollem pinguemq; habet, eandem latissimam. Carne est candida & suaui, quæ Lauaretorum Truttarumq; carni non cedit. Aestate & Autumno capitur, hyeme in altis gurgitibus latet. Sale conditur & seruatur in hyemem.

COROLLARIVM DE ALBIS PISCIBVS LACUVM: & primum de Bezula, &c.

Alborum piscium lacustrium vnius generis species, vt dixi, multæ sunt, aliæ atq; aliæ in diuersis lacubus. itaque nomina etiam multa variaque sunt, non modo specie differentium horum piscium, sed etiam eorundem in lacubus & regionibus diuersis: pro ætatis quoq; & magnitudinis ratione variant. Sunt quæ alibi ætatis tantum discrimen, alibi speciem peculiarem indicent nomina. Et ipsi piscatores in diuersis regionibus non per omnia consentiunt. Volui tamen quantum in re difficili, quoad eius possem, & nominum & rerum differentias naturasq; persequi. Lectores cogitabunt si quid vno aut altero fortè in loco verum nõ est, non statim esse reijciendum. fieri enim posse vt alibi aliter res se habeat. Quod si cubi etiam in varia & difficili re aberrauero, aut parum exacte aliquid tradidero, veniam dabunt. Sed hæc & huiusmodi ad totam propemodum hanc historiam semel præfari satis fuerat, bonis & mediocris ingenij viris. nam quos incurabile calumniandi cacoëthes inursit, illi ne ypu quidẽ responsi aut excusationis merentur.

Bezolæ nomine Sabaudis qui Lemanum accolunt vsitato, vsus est Rondeletius. Bellonius bisulam A. scribere maluit: Lauaretus (inquit) bisulam vulgarem magis refert, nec alibi eius meminit. Vulgus circa Leusannam *Bessole* profert, vnde diminutiuum *bissolette*. Etymologiam nescio. Si bezolam scribas, accedit ad Germanicum *Butz*, quo species vna huius generis nominatur. Latinum aut Græcum nomen nullum inuenio, vt neq; Italicum. Cephalum vel mugilem lacustrem, vel potius leuciscam albulámue lacustrem appellare licebit. nam & nostri speciem vnam vulgò *Albelen* à colore vocant. hæc nomina generis si admittantur, species pro magnitudine distinguentur; magnæ, mediocris aut paruæ differentia albulæ adiecta: vel coloris, vel præstantiæ & nobilitatis.

Cephalus aut mugil lacustris. Albula aut leuciscus lacustris.

Albularum genus alicubi nimis communi nomine *Braatfisch* dicitur, ab eo quod ad cibum fere assari soleat. Alibi melius *Felcken, Felchen, Velken*: quos quidam nuper Latinè falcones temere nominauit.

De alijs speciebus agemus inferius priuatim: hîc partim in genere, partim ad cæruleos, vt nostri cognominant, pertinentia quædam adferemus. In Acronio laudatissimi nominantur *Adelfelken*, id est Albulæ nobiles, de quibus seorsim infra: alij *Blavufelken*, id est Albulæ cæruleæ, vel eædem nostris cæruleis, *Blavling* dictis, vel nonnihil differentes vt quidam putant, & nos explicabimus infra in Nobilibus. Cæruleos nostros, hoc est Tigurini lacus, *Balkenen* vocant, qui circa Tugium & Lucernam piscantur: nostros quidẽ maiores fieri audio. Et in Acronio *Baal* indigetant piscem huius generis, quem alio nomine *Gangfisch*. cuius tres differentias mox referemus. Cærulei nostri quo tempore percarum fœturam ceu pascua sua sequuti è superiori lacus parte descendunt, circa initium Maij, *Vueidfisch* dicuntur, hoc est pascales pisces: *Randecker* verò nominant piscatores quidam illos qui oblongi & graciles sunt, (*die raauen*, vnde & nomen fortè à gracilitate factum:) quales ferè apparent, cum Linda fluuius, qui in lacum nostrum influit, exundans, lacum superiorem perturbârit. nos eosdem simpliciter cæruleos appellamus: & à buzis qui crassiores sunt distinguimus. In Bernensium Heluetiorum ditione cæruleos vocant *Allboeck*: (& *Blavling* nomen attribuunt Vendosijs, *den Laugelen*, à cæruleo dorsi colore: quos capitibus amputatis ad fumum exiccant.) In Bauaria *Renchen*. In Carinthia vel eosdem, vel similes & maiores, *Reinancken*.

Nomina pro ætate quomodo varient. Albularum cuiuscunque generis pisciculi parui adhuc à nostris nuncupantur *Migling*: à Dunensibus in agro Bernensium *Buochfisch*: alibi (apud Heluetios superiores & Rhætos) *Stüben*.

In lacu Lucernensi pisces quos *Balben* vocant, id est cærulei vel albulæ cæruleæ, pariunt circa diem diuæ Catharinæ, qui est septimo Cal. Decembris. is partus Iunio mense demum sequentis anni ad magnitudinem digiti excrescit, circa diem diui Ioannis, qui est octauo Cal. Iulij: & tum *Nachtfisch* vocantur, hoc est nocturni pisces, quòd noctu ferè capiantur. deinde post annum *Edelspitzling*, postea *Edelfisch*, deinde *ein halbgvuachsne balben*, postremo *ein Balben*.

Constantiæ ad Acronium lacum alia habent nomina: Primo anno, *Seelen*. id est animæ, (quanquam & Vendosias paruas sic nominant:) Lindauiæ *Mydeifisch*, Secundo *Stüben* quos Albulas nostras priuatim dictas esse putant aliqui, *albelen im Zürychsee*, sed falsò. Tertio *Baalen*, *Balhen* vel *Gangfisch*, vel *Vuattfisch*, (vt Gregorius Mangoldus noster, cuius libellus de piscibus Acronij lacus Germanicè extat, scriptum reliquit:) in veteribus quibusdam instrumentis & scriptis publicis Latinè sed indoctè conscriptis, Vadipisces. Quarto *Renchen*, Lindauiæ. Quinto *Halbfisch*, ibidem. Postremo *gantze Felchen* vel *Blavuling*.

Gangfisch trium generũ. Rursus nomen *Gangfisch* commune est ad tres species. Quidam enim dicuntur Constantiæ *Sandgangfisch* & ijdẽ adulti Albulæ nobiles, *Adelfechen*. Alij *Gruengangfisch*: ex quibus Albulæ cęruleæ fiunt, *Blavufelchen*. Alij *Vysgangfisch*, id est Albulæ candidæ, quæ nomen non immutant. longissimus ex eis dodrantem parum excedit. Ex his tribus generibus (vt scribit Mangoldus) vnum Constantiæ in superiori lacus parte capitur, (Vadipisces nobiles puto) quod tempore quadragesimalis ieiunij parit, & cateruatim degit, maximè in loco quem Clusam nominant inter Brigantium & Liudauiam. Alterum (quos albos cognominant,) ibidem reperitur, & parit Decembri mense per dies ferè quadraginta. Magna eorum examina circa Constantiam in Fossa (vt vocant, *in der Gruob*) visuntur: vbi etiam anno Domini M. D. XXXIIII. tractu vno quadraginta sex millia huius generis piscium capta sunt, Hæc ille.

B Albularum genera in lacubus tantum reperiuntur, non quibusuis, sed magnis, & non procul alpibus aut altioribus montibus, hoc est illis quos influentes ex montibus orti fluuij implent, vt plerisque omnibus Heluetiæ magnis, Tigurino, Riuario, Gryphio, Aegerio, Tugino, Lucernano, Dunensi, Interlacensi, Lemano, Acronio vel Podamico, Veneto, & alijs, & Athesinis quibusdam: item in Bauaria & Carinthia & apud Sabaudos seu Allobroges.

Olim cum diligentius piscem cæruleum nostrum considerarem, his verbis descripsi: Cæruleus mediocri magnitudine piscis, tantus interdum vt binis ferè drachmis argenti vnus veneat, præsertim ex illis qui *Butzen* dicuntur, branchias habet quatuor. pro dentibus labra vtrinque modicè exasperantur, quod tactu (inserto digito) magis quam visu apparet. locus etiam linguæ, limæ instar asperiusculus est. In labro superiori vtrinque eminent puncta quædam solida, siue anguli: in albulis nõ item. Caudæ extremitas colorem ex atro cæruleum præ se fert, præsertim circa medium & scissuram, in pinnis quoque eundem colorem deprehendas: item in capite, & ab eo fortè nomen inuenit. Pinnula exigua in extremo dorso versus caudam spectatur, crassiuscula, mollis, carnosa. Pinnæ ad branchias binæ sunt, totidem in medio ventre, vna à podice. Venter vndiquaque niueus est, dorsum totum subuiridi colore, si supernè inspicias, apparet. sed nescio quomodo hi colores pro diuerso ad lucem positu variant. Dentes non habet, sed linguam asperam. Odor ei non ita grauis & piscosus vt plerisque, sed satis gratus. Fel subrussum. Ventres in hoc pisce, & trutta lacustri, quam à fundo denominant nostri, gemini sunt, aut vnus quidem cum fundo capaciore & eminente: inde verò intestinum amplum eadem ferè quæ venter capacitate, ad ventrem reflexum. Venter in cæruleo, primò capacior est, inde angustior: tum fundus sequitur, quarto intestinum amplum. quinto intestini pars cum multis paruis & breuibus appendicibus toto circuitu primum, deinde ab vna parte intestini tantum, fortè quarta. Sexto reliquum intestinum.

C Oua piscium maximè deuorant, & memini multa me in ventribus eorum reperire: itaque piscium prouentum valdè imminuunt, ipsis etiam lucijs perniciosiores. Circa Pascha & initium Maij apud nos è superiore lacus parte, dum percarum fœturam (hoc est oua, & pisciculos ex eis nuperrime natos, acicularum magnitudine) insequuntur, descendunt. hanc enim sugendo deuorant. & eo tempore magis pinguescunt, vnde etiam *Vueidfisch* tum nominantur. Quòd si fœturam earum nullam inuenerit, rursus ascendit & profunda petit. Cum Linda fluuius, & lacus superior (quem Riuarium nominant) exundant, & lacum nostrum perturbant, cærulei illi longiores & graciles quos *Randecker* vocant, descendunt. nam turbidam aquam non ferunt. Ex Albulis nobiles & quæ Buzi vulgò apud nos dicuntur, profundius degunt: cærulei verò & graciliores, altiùs, ferè circa medium profunditatis: & in lacu ipso longiùs descendunt, vsque ad aquæ fluentis fermè initium. itaq; pariunt circa palos in lacu qui vrbem nostram claudunt paulò supra effluentis Limagi principium.

Albularum

Albularum omne genus paulò postquam ab aqua extractum est, expirat. Pariunt cærulei in profundo aquæ, non tamẽ profundissimis locis, (*nitt im triechter*:) circa diui Martini ferè diem, hoc est octo diebus ante vel post: in Lucernensi verò lacu circa diem diuæ Catharinæ, hoc est septimum Cal. Decembris. Vadipisces (nobiles puto) in Acronio dicti, per quadragesimam pariunt, & eiusdem generis albi mense Decembri.

Cæruleos pisces in lacu nostro capiunt mense Aprili, & deinde vsque ad finem Septembris ferè. Capiuntur autem retibus maximis, quæ in aquam ad quinque aut sex passus demittuntur cœlo pluuio, sereno ad septem. E

Præferuntur apud nos Iulio mense. Quadrimi maxime placẽt parte anni priusquam pariunt: quanquam & circa diui Martini diem Nouembri mense, quo tempore pariunt, commendari audio. Laudantur assi, elixi, & frixi. Elixandi, in vinum feruidum immitti debent. Salsi conduntur vasis ligneis, & in externas regiones procul, etiam ad Aeni pontem ex Acronio, mittuntur. Siccantur etiam fumo, & nobilibus quoque ac principibus donantur. Captos ne contabescant, quod breui eis accidit, mox diuendunt piscatores, vel assos aliò venales mittunt. nam assi etiam frigidi placent. Duni in ipsis nauiculis assant, & per tria miliaria Germanica Bernam vehunt. In aliis piscibus partes aliæ à gulosis appetuntur, albulæ vndiquaque placent. F

DE ALBVLA NOBILI.

ALBVLAM nobilem voco piscem, qui Constantiæ *Adelfelch* appellatur, & apud nos (etsi pauci capiuntur, mense Maio,) *ein Vuyssfisch oder Vuysser blavuling*. Nondum adultus verò, Constantiæ *ein Sandgangfisch*, nostris *ein Blutzling*. In cibo præferuntur albulis omnibus. nam & solidior eius caro est, & pingui passim intersepta. Audio has albulas minùs profundè, propius ripam agere quàm cæruleas, (*die Blavufelchen*) & reti inclusas vbi se senserint, ad aquæ superficiem tendere: cæruleas contrà, deorsum. Nostras varò cæruleas tanquam specie diuersas, (*die Blavuling*,) nobilibus magnitudine & natura similes, in superficiem quoque similiter ferri. Albulam nobilem ita aliquando excrescere, vt vna drachmis argenteis duabus cum dimidia vel paulo pluris vendatur: cæruleam verò vt plurimum dimidia tantum drachma. In lacu Riuario albulæ candidæ dictæ ab accolis *Vuyssfisch*, capiuntur: eædem puto quas supra *Randecker* nominatur. & in lacum nostrum aliquando descendunt tempore pluuio pręsertim: nostræ verò cæruleæ in eundem aliquando ascendunt, præsertim Nouembri mense. Quærendũ an hic sit Lauaretus Gallorum. *Lauaretus.* consentiunt candor & præstantia in genere albularum: & descriptio tota à Rondeletio posita: nisi quod hepar an felle careat nondum obseruaui. Bellonius hepar album ei attribuit, vnius tantum lobi, in cuius dextro latere fellis vesicula adsuta sit.

DE ALBVLAE GENERE QVOD BVZ ET KILCH VVLGO NOMINANT.

CONSTANTIÆ *Kirchlin* vocant albulæ genus candidum, & simile ijs quos *Gangfisch* vocant, ventribus magnis: magnitudine albulas cæruleas quinquennes æquant, quas *Halbfelchen* nuncupant. Degunt in profundo, & pariunt æstate. Ad cibum vt cæruleæ parantur. Mangoldus: quem apparet non epprobare illorum sententiam, qui eosdem Vadipisces albos (*Vyssgangfisch*) esse putant. Alij *Kilchen* vocant, & ventre candido inflatoque, dorso fusco describũt. in locis profundis (*im vuag oder triechter*) morari addunt, & paruos in eo genere *Kilchenstüb* appellari: maiores esse quàm *Haegele* dictos à nostris.

Eosdem puto in Lucernensi lacu *Alpken* vocitari, qui in e-m magnitudinem excrescunt. quæ duobus à cruce dictis apud Germanos numis væneat, hoc est quadrante drachmæ aut insuper besse. *Alpken.* Et forte idem est Buzus noster, *ein Butz* in lacu Tigurino, sed magnitudine præstans. nam albulam cæruleam *Butz.* quoque excedit, & ad precium duarum drachmarum argenti aliquando vnus accedit: ventre magno inflato. corpore pleno amploq;. Circa fundum aquæ degit, vt audio, vbi vermiculis quibusdam, è quibus muscæ arundinum nascuntur, (*die rormuggen*: vermiculos ipsos *Chlunen* vocant nostri,) & cochleis minutis pascitur. Piscatores hoc genus cæruleis præferunt, vtpote maius & pinguius. & ferè magis pinguescunt pisces, qui cibum in fundo quærunt, vbi & copiosius & loco manentem reperiunt: quàm qui superficiem versus efferuntur, vbi & parciùs inueniunt, & cum labore insequuntur. Alij tamẽ buzum quoque altius efferri mihi retulerunt.

Forsan & in Lemano Ferra vel Pala dictus piscis, quanquam cubitali magnitudine, vt Rondeletius scribit, non alius quàm buzus noster est, & ipse inter albulas maximus lautissimusque, (nisi nobilem excipias,) pro lacuum diuersitate maior aut minor. *Ferra vel Pala.* Palæ nomen accedit ad Germanicum *Baal*. sic enim albulæ genus quoddam in Acronio vocitant. Ferra ad Germanicum *Felch*. Minimum quidem albularum genus Friburgi in Heluetia *Pferren* vocari audio.

DE

DE ALBVLA PARVA,
VEL SIMPLICITER DICTA
IN TIGVRINO LACV.



A ETsi omnes lacustres pisces albos, communi nomine Albulas nominare nobis visum sit: hunc tamen priuatim Tigurini mei albulã indigetant, *eum Albele*. quare nos etiam vel simpliciter sic vocabimus, vel paruę discrimen adijciemus. De minima quidem proximè dicetur. Sigismũdus Gelenius aliquando ad me scripsit albulam (sic appellans, haud scio an diuersum piscẽ) Illyricè dici bila ryba. Sunt qui putant albulam nostram non sui generis piscem esse, sed albulam siue bezolam cæruleam secundo tertióue suæ ætatis anno ita vocari: quibus piscatores nostri contradicunt: quod cæruleos obseruarint secundo etiam ac tertio anno forma coloreq; à genere albularum (de quibus hîc loquimur) differre.

Nondum adultæ, vt bezolæ quoque, communi nomine vulgò *Miglinę* dicuntur. Alius est piscis Albur in lacu Lario: & qui apud Sabaudos Able dicitur. Alburnum Ausonij Gallis able vocari, piscículum minimum, de quo supra scripsimus, Rondeletius & Bellonius authores sunt.

B Cognatus est hic piscis cęteris lacustribus albis. Nã & species, & sapor ferè omnium non dissimilis est. Albula magis quàm Bezola albicat. cauda tamen & reliquæ pinnæ, præter eas quæ iuxta branchias sunt, nigricant in extremitatibus. Dorso color glaucus: alicubi tamen purpurei quiddam & cærulei mixtum videtur. Caput ex glauco cæruleum. Inter caput & dorsum color viridis, ceu gẽma relucet. Branchiæ ei quaternæ. Hyeme aliquando memini videre me hunc piscem squamis per latera exasperatum, eminẽtibus per singulas squamas veluti tuberculis. Aiebant hoc indicium esse recentium & viuarum. Capiuntur Albulæ in summa parte Tigurini lacus, iuxta locum quem *Buchberg* vocant, diebus ferè quatuordecim post diem diui Martini: & ad oppidum Rapperswillam circa ipsum diui Martini diem. A partu in lacum nostrum descendunt (sed non tam procul vt cæteræ albulæ) vsque ad ver: deinde rursus ascendunt non æstate vsque ad diui Martini diem. Capiuntur etiam in Gryphio agri Tigurini, multò maiores quàm in nostro: & in Haluillensi Bernensis agri.

F Albulæ Augusto & Septembri mensibus præcipuè laudantur, quod suauiores eo tempore solidioresque sint. postea enim pariunt, & mollior earum caro fit: & succus in fœturam consumitur.

DE ALBVLA MINIMA.

Icon hac bene facta est, nisi quòd pinnula parua in extremo dorso desyderatur.



A ALBVLAM minimam hunc piscem voco, quem nostri *Haegele*, vel *Haegling*, quasi haleculam, appellant: Friburgi Heluetiorum (vt audio) *Pfaerren*: Lucernæ *Nachtfisch*, (quòd noctu ferè irretiatur,) vt qui-

vt quidam putant. Sed mihi piscator Lucernensis affirmauit *Nachtfisch* vocari Albulam cæruleam anno primo, cum circa diem diui Ioannis æstate iám ad digiti longitudinem excreuit.

Albula minima tota specie accedit ad illam, quam proximè albulam paruam nominaui: sed plerunq; minor est, & in capite minus viridis. Si piscem erectum inspicias per dorsum, aliquid coloris purpurascentis in lateribus apparebit. Branchiæ ei quaternæ sunt. pinnulæ albent. Ore aperto superioris mandibulæ extremitas deorsum tendit. Os habet longiusculum, dentes nullos. Obseruaui aliquando rotunda quædam puncta nigricantia à capite vsque ad pinnam dorsi maiorem, per interualla.

Sale conditus insumatusq; commendatur. Placet alioqui recẽs in iure albo frigido, apio copiosè insperso, maximè per mensem Decembrem. Iulio coëunt. Noctu tantum capiũtur retibus, ad passus quadraginta aut quinquaginta demissis. cum cœlum serenum est, altius descendunt: cum nubilum, ascendunt. Densissimis gregibus præ cæteris albulis capiuntur, non passim in lacu nostro, sed maximè à pago Vædesuilla, vsq; ad insulam: & versus alteram ripam à loco *Surenbach* vsq; ad Arborem longam. diebus quatuordecim ferè à Natali Domini capi incipiunt, & immixtæ eis albulæ cæruleæ aliquot, & mox expirant. quamobrem vt recentes habeantur, matutino tempore potius ad prandium coëmuntur, & assæ in craticula quàm calidissimi à gulonibus deuorantur: qui eam ob causam non vniuersos, sed paulatim alios post alios afferri iubẽt, vt statim absumptis prioribus, feruidi posteriores mensis afferantur. Embamma additur ex aceto, sapa, pipere, sale, & porri aut cepæ folijs concisis.

ALEANTRIS, Ἀλεαντρὶς, nominatur inter pisces à Tarentino, apud Athenæum inter Nili pisces Eleotris.

DE ALECE SIVE HALECE.

HALEC cum aspiratione scribitur à Pontano & alijs plerisque eruditis, vt etiam Halecula diminutiuum: quod nobis etiã placet. videtur enim deriuari ἀπὸ τῆς ἁλὸς, ἢ ἀπὸ τοῦ ἁλισμοῦ. hoc est à sale, vel salsugine muriáue. Sed quoniam & recentiores multi non aspirant, & in codicibus antiquis non raro sine aspiratione scribitur, in A. elemento mentionem eius facere volui. In genere etiam, in primæ syllabæ quantitate, & in terminatione alecis inconstantia notatur. Nã & fœminino & neutro genere efferunt & primam alii producunt, alij corripiunt: & cum à cæteris alec scribatur, in Plinio legitur alex.

Mænidem (inquit Rondeletius) Gaza non rectè vertit halecem, neque τὰ μαυρίδια haleculas; (*Gaza non aspirat.*) Nam halec generis potius nomen mihi esse videtur, vt sit piscículus omnis vilis, vel muria conditus, vel piscium fex. Vnde Columella tabentes haleculas incrementi minuti pisces iubet pręberi iis qui in viuarijs seruantur piscibus. Et Hermolaus piscem omnem vilem haleculatium vocat.

Est etiam halec liquamen ex intestinis piscium. Horatius,

Ego facem primus & halec,
Primus & inuem piper album.

Dicitur & à Plinio alex muriæ (imò gari) vitium. Laudatur (inquit) & Clazomene garo, Pompeijq; & Leptis: sicut muria Antipolis ac Thuria, iam verò & Dalmatia. Vitium huius est alex, imperfecta nec colata fæx. Quare Plinij vocabulum retinendum arbitror, Hæc ille.

M. Apicius ad omne luxus ingenium mirus, è iecore mullorum alecem excogitare prouocauit, Plinius. Et rursus, cum garum dixisset olim ex eiusdem nominis pisce factitatum, deinde ex alijs diuersis, subdit: Sic alex peruenit ad ostreas, echinos, vrticas, cammaros, mullorum iocinera, Innumerisq; generibus ad saporem gulæ cœpit saltabescere. Et mox, Alece scabies pectoris sanatur infusa per cutẽ incisam. Et contra canis morsus, draconisq; marini prodest. in linteolis autem concerptis imponitur. Hinc apparet garum purius, delicatius, maioreque opera & sumptu fieri solitum fuisse: alec verò longe vilius & crassius, siue per se fieret, siue ipsius gari fæx, aut garum imperfectum, aut vitium gari. ita vt illo diuites, hoc plebs vteretur.

Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem, sed quam protinus illa voret, Martialis lib. 11. de pisce.
Capparin, & pauri cepas, Ilce natantes,
Et pulpam dubio de petasone voras.

Idem lib. 3. de liquore siue liquamine. Sumen elixum, vel in furnò aut craticula assum, cum alece aut sinapi manducatur, Apicius. Qui mihi olera cruda ponunt, halec legendum halecem, vt constet versus) danunt, Plautus Aululatia pro pisce vile, vt Hermolaus accipit, sed pro liquore forsan meliùs. Vbi oleæ comesæ erunt, halecem & acetum dato, Cato de re rust. de pulmentarijs familiæ loquens. Datur cammarus, & riualis, halecula, (.i. in riuis nascens piscículus) vel si quę sunt incrementi parui fluuiorum animalia, Columella. Et rursus, Præberi conuenit tabentes haleculas. nã id genus pisces qui sunt incrementi minuti, maiores alunt, lib 8. cap. 15. Vitium gari est alex, imperfecta, nec colata fex, neutro duntaxat genere, vt Plinius atq; Flaccus, & primus omnium Plautus efferunt. siquidem & Græci liquamen (liculmen, voce corrupta) vocant, quod purissimum ex eo fluxit. id autem quod fecis instar in cophino (ita enim vocãt, Vide plura inferius in Garo, vbi hæc ab Hermolao non rectè distincta reperies) obmansit, alex: vnde liquiminarij dicantur. quo modo etiã pro liquore accipitur promiscui gregarijq; piscitij, Hermolaus.

Aleculæ vocabulum generale credo, idem apud nos significans, quod apud Græcos anthracides. In Pannonia (imò Germania etiam tota) piscículum, quem Belgæ copiosissime venantur & inueterant, arengam vocantes, ipsi alecem hodie quoque nominant, Idem.

DE

DE ALPHESTE VEL CYNÆDO.

RONDELETIVS.

Bellonius pro alpheſte eundem quidem piſcem pingit, ſed minus latum, craßioribus labris bene dentatis, corpore maculoſo, & punctis diſtincto, non expreßis ſquamis.



A ἈΛΦΗΣΤΗΣ & ἀλφηστικός Græcis eſt piſcis, qui à Plinio dicitur Cynædus, noſtri cõmuni ſaxatilium nomine rochau vocant: peritiores piſcatores canus, Maſſilienſes canudo corrupto vocabulo cynædum volentes dicere.

B Piſcis eſt marinus, ſaxatilis, dorſo purpureo, cæteris in partibus luteo, corpore ſtrictiore quàm aurata vel pagrus: mænis figurâ ſimilis, alioqui maiore & ſpiſſiore corpore, pedali magnitudine: ore mediocri. labra habet, & dentes ſerratos caninis ſimiles, quod omnibus ferè ſaxatilibus cõmune eſt. A ceruice ad caudam ſpinas tenui membrana cõnexas habet, non diuiſas, vnde neſcio anne rectè μονάκανθος ab Ariſtotele, citante Athenæo, dictus eſt. Huiuſmodi cum ſit piſcis quem hîc proponimus, ſupereſt vt eum eſſe oſtendamus, qui ab Athen. ἀλφηστής, à Plinio *cynædus* appellatur. *Lib. 7.* Ac primũ Athenæi verba proferamus: Piſces quidam ſunt alpheſtæ, omnino quidem cerei coloris, purpuraſcentes tamen quibuſdã in partibus: aiunt ipſos binos capi, & videri alteri alterum comitem eſſe ad caudam. ab eo igitur quòd alter alterius nates (κατὰ πυγὴν, Athenæus: κατ' οὐρὰν Euſtathius) ſequatur, veteres quidam incontinentes, & in venerem procliues alpheſtas nuncuparunt. Ariſtoteles in libris de animalibus, vnica & non diuiſa ſpina (μονάκανθοι) eſſe dixit alpheſticum & flauum. *Lib. 32. ca. 11.* Plinius verò cynædi, inquit, ſoli piſcium lutei.

A Principio ipſa nominis ratio alpheſtam eundẽ eſſe cum cynædo planè indicat: nam vt alpheſtas Græci appellant piſces ſe ſequentes libidinis cauſa, eodem quoq; nomine libidinoſos & incontinentes homines, ſic & Latini cynædos piſces: quoniam ſunt & cynædi homines molles, effœminati, libidinoſi, quiq; præpoſtera & nefanda venere vtuntur. Adhæc cerei coloris ſunt, ſecundum Athenæum, quibuſdam in partibus purpurei, quod noſtro planè conuenit. Dorſum enim colore eſt purpureo exaturato, ſiue violaceo, cæteræ partes cereo colore, quem Plinius luteum appellat. Ariſtoteles citante Athenæo κιρρόν, Numenius ἐρυθρόν. *Digreſſio ad colorum nomina.* Græcis autem κιρρὸς ſignificat ξανθόν, id eſt, flauum, autore Galeno libro 5. de ſanitate tuenda, cùm loquitur de vino pro ſenibus deligendo: κατὰ μὲν σύστασιν, ἀεὶ τὸ λεπτότατον αἱρεῖσθαι: κατὰ δὲ τὴν χρόαν, ὃν Ἱπποκράτης εἴωθε κιρρὸν καλεῖν, ὀνομάζουσι δ' αὖ καὶ ξανθὸν ὀνομάζειν αὐτόν: Vt ſit ſubſtantia tenuiſſimum, colore quod Hippocrates κιρρὸν appellare ſolet: poterat autem & ξανθόν, id eſt, flauum appellare. *Κιρρός. Ξανθός. Ἐρυθρός.* Hactenus Galenus. Ἐρυθρὸς idem dicitur. & ſalpam quæ lineis aureis diſtincta eſt ἐρυθρόγραμμον prius vocatã fuiſſe diximus. talis color eſt auri, vel flammæ ex lignis aridis excitatæ. Quòd ſi aliquando ἐρυθρὸν rubrum vel rufum interpretemur alios ſecuti, reprehendendi non ſumus: nam id etiam ſignificat ἐρυθρόν: flauum ſcilicet exaturatum, quod eſt rubrum dilutius: vnde Oppianus, ξανθοί τ' ἐρυθραῖνοι, qui tamen iudicio omniũ rubeſcunt, *Libro 1. ἁλιευτικῶν.* talis eſt optimæ & minimè adulteratæ ceræ color. Dioſcorides de corni arboris fructu loquens, primùm dicit eſſe χλωρὸν, id eſt, virentem: πεπαινόμενον δὲ ξανθὸν, ἢ κηροειδῆ, id eſt, per maturitatẽ rubeſcere, aut ceræ colorem repræſentare. *Lib. 1. cap. 173. Κηροειδής.* Vides vt ξανθὸν & κηροειδῆ pro eodem colore vſurpet: quod autem ξανθὸν rubeſcens vertit interpres, id non de rubro exaturato intelligendum eſt, ſed de diluto, quod ἐρυθρὸν aliquando appellari prius diximus: & alibi etiam Dioſcorides ſcribit, ceram optimam eſſe ὑπόκιρρον. *Lib. 2. cap. 105.* Talis color eſt luteus, color nimirum vitelli ouorum. Idem color dicitur etiam nonnunquã πυρρός. *Πυρρός.* Vinum enim κιρρὸν quod Galenus ξανθόν, id eſt, flauum interpretatus eſt πυρρὸν ὠχρὸν, id eſt, rufum pallens lib. 12. methodi appellat. Quamobrem vehementer errant qui vinum κιρρὸν ſiue ξανθὸν putant eſſe, quod Galli vin clairet appellant: eſt enim hoc giluum. Colorem verò κιρρὸν ſiue ξανθὸν propriè refert vinum, quod in Gallia noſtra Narbonenſi prouenit, diciturq; muſcat & picardent. Hæc ideo diffuſius explicaui, vt ob nominum varietatem diuerſasq; eorundem ſignificationes rerum notitia obſcurior nobis non eſſet. *Concluſio.* Quare κιρρὸν, ξανθὸν, πυρρὸν, ἐρυθρὸν & Latinè flauum, luteum, rufum, rubrũ, ſeu potius rubeſcens nonnunquam pro eodem ſumuntur, vt exemplis veterum comprobauimus: nonnunquam differunt, ſed ratione tantùm maioris & minoris: quo fit, vt propter magnam in colorum quorundã gradibus affinitatẽ, modò hoc, modò illo nomine, diuerſi autores vtantur, etiam in eodẽ colore deſignando.

Cinædi color. Ex his igitur liquet qualis ſit piſcis iſtius color, diuerſis nominibus ab antiquis expreſſus, qui nõ ſolius eſt cynædi: cancri enim aliqui & cancelli, & leones parui, qui circa inſulam D. Honorati, & in mari Liguſtico capiuntur, flaui ſunt ſiue lutei: deniq; eiuſdem cum cynædo coloris, de quibus ſuo loco dicemus. Quare meritò falſus nonnullis Plinij locus videri poſſit: Cynędi ſoli piſcium lutei: vel inemendatus, vt legendum ſit, Cynædi toti lutei: *Plinij locus an ſoli cinædi ſint lutei.* quemadmodum locutus eſt Athenæus, τὸ μὲν ὅλον κηροειδεῖς, omnino quidem cærei coloris: modò intelligas non ita omnino luteos eſſe, quin aliqua parte purpurei ſint, vt initio huius capitis declaratum eſt.

F Carne & ſubſtantiâ eâdem eſt, qua cæteri ſaxatiles, nimirum tenera, molli, & friabili, minimeq; glutinoſa. Ius ex eo ventrem lenit. Coctus in ſartagine melior eſt aſſo in craticula, vel elixo: hic enim mollior fit, ille quia tener eſt & friabilis, in tenues partes facilè ſoluitur. Præparatur ſic: Exemptis interaneis ſale aſpergitur, & farina, quę partes continet & ſolui prohibet: deinde in feruens oleum inijciendus. Refrigeratus cũ ſucco mali Arantij editur. Aegrotis ſalubre alimentum: facilè enim coquitur, & temperatum ſanguinem gignit.

DE EODEM BELLONIVS.

De icone, vide quæ ſupra ſcripſi cum icone Rondeletii.

A Cynædus à caninis dentibus, fului aut rutuli coloris piſcis nominatur, qui etiam Maſſilienſibus vn Sanut.

B Saxatilis eſt: cuius color, vt reliquis ſaxatilibus, euariat. Peculiaribus quoque notis ab alijs diſtinguitur. Vt plurimum enim totus lutei ſiue cerei coloris eſt, quibuſdam tamen ſui corporis partibus admixtum rutilum colorem habens. Præterea ſquamas in gyrum crenatas gerit, quæ multa ſcabritie horrent. Nullus ſaxatilis tam firmos dentes habet, à quibus nomen ei inditum fuiſſe pu[illegible]. Hos in maxillis oſtendit bono ordine diſpoſitos, oblongos & acutos, vt piſcis dentes eſſe minimè dixeris, ſed alterius cuiuſpiam carniuori terreſtris.

Picus etiam Maſſiliæ dictus, colorem habet varium, & ad cynædum propius accedit: & canadella in Liguſtico mari dicta labijs eſt magnis vt cynædus.

COROLLARIVM.

A, H. Alpheſtes Græcis inuentorem ſignificat, & hominum epitheton eſt apud Homerum, quod ratione & conſilio artes, machinas, aliaque inueniant & excogitent, quæ cæteræ animantes inuenire non poſſunt. Conuenit autem huic piſci fortè hoc nomen ex eo quòd bini ſemper ſint, & alter alterum ſequatur, tanquam quærens & inueniens. nam ſi ſingulares aut ſolitarij vagarentur, non alter alterum repeperiſſe, ſed amiſiſſe dici poſſet. Iam cum ſequatur alter alterum κατὰ πυγήν, cinædi etiam nomen eis impoſitum. nam & de homine cinædo καταπύγων Græcè effertur. Malim autem cinędi primam ſyllabam per iôta ſemper quàm ypſilon ſcribere. denominatur enim cinedus Euſtathio, [illegible] μόριον. Quod ſi à dentibus caninis, vt Bellonius ſine authore putat, hoc nomen factũ fuiſſet, non cinædum neq; cynedũ, ſed cynodonta vocari oportuiſſet: ſicut & alium quendam piſcem à dentib. ſynodonta vocamus. Diocles apud Athenæum ἀλφηστικὸν inter ſaxatiles piſces nominat. apud eundem Numenius ἀλφηστὴν appellat: & Epicharmi hæc verba citantur, Μῦς, ἀλφησταί τε, κορακῖνοι κηροειδέες, tanquam & coracini lutei ſint, non ſoli cinædi. Sed adonis quoque ὑπόπυρρος vel ξανθός eſt, inde & cirrhis à cirrho colore dictus. Καταπύγων, ὁ λάγνος. ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἀλφίτων (lego ἀλφηστῶν, quanquã aliqui penultimam per iôta ſcribunt, ἀλφιστῶν) οὕτω πεποιημένων ἰχθύων, ὅτι ἕπονται κατ' οὐράν, (κατὰ πυγὴν Athen.) Suidas. Ab huius piſcis natura Apollodorus alpheſtas libidinoſos intellexit, cum dixit καταπυγον [illegible] ἀλφηστῶν, Euſtathius: qui alibi monet καταπύγος & καταπύγων dici, vt ἄπειρος & ἀπείρων. Καταπυγοσύνης μισθὸς Cratinus dixit.

Bruſolla. Eũdem aut ſimillimum piſcem eſſe iudico qui Venetijs, ſi bene memini, Bruſola nominatur, à colore fortaſſis: & à Luſitanis Salmoneta: quem verno tempore optimum eſſe aiunt, Ruffus eſt piſcis (vt pictura repræſentat) toto corpore: cauda lutea maculis fuſcis diſtincta, extremitate, vt ſaxatilium ferè, æquali, non arcuata. maculæ nigræ ad pinnarum (quæ luteæ ſunt) iuxta branchias initium habentur, alia in pinna podicis, alia in extremo dorſo prope caudam. Linea à branchijs ad caudam tendit ruffa, punctis intercepta nigris. Oculorum pupilla atra iride lutea ambitur, ea rurſus circulo albo. Ruffus eſt etiam piſcis, & ex parte (cauda pinniſque præſertim) luteus, quem Donſellæ nomine Cornelius Sittardus olim pictum ad me miſit: *Donſella.* è ſaxatilium genere, vt ex dentibus, caudæque ſpecie & macularum varietate apparet. Venter albicat. corpus oblongum & minimè latum eſt. os paruum prominens.

A Cinædiæ (gemmæ) inueniuntur in cerebro piſcis eiuſdem nominis, candidæ & oblongæ, euentuq; mirandæ, ſi modo eſt fides, præſagire eas habitum maris nubilo colore aut tranquillitate, Plinius. Cinædus dicitur iynx auicula, & piſcis marinus, in cuius corpore tranſlucido ſpinæ apparent: & lapis, qui & Opiſianus & dracontius, Kiranides 1. 10. vſum autem eius deſcribit ad philtra ſeu ceſtum Veneris. Alpheſtes quidam ictus fulmine in alpes mutatus fingitur.

DE AMIA, RONDELETIVS.



QVÆ Ἀμία à Græcis dicitur, Latino nomine caret. A noſtris & Hiſpanis *Byza*, quaſi Byzantia, vt opinor: amia enim Byzantia in pretio habebatur. Ab alijs boniton vocatur. ἀμίαν nominatam fuiſſe

autor est Athenæus, quòd οὐ μόνον φέρεται, ἀλλὰ ἀγεληδὸν, id est, quòd non solitaria sit, sed gregatim viuat. Alio verò loco etymum habere scripsit ex Aristotelis sententia, παρὰ τὸ ἅμα ἰέναι ταῖς παραπλησίαις, ἔστι γὰρ συναγελαστική: quòd simul cum sui similibus eat: est enim gregalis. Idem Plutarchus in libro, cui titulus, Vtra animantia prudentiora sint, terrestria an aquatilia: ἀμίαις δὲ καὶ τοὔνομα παρέσχηκεν ὁ συναγελασμός.

B Est autem amia piscis marinus, pelamydi vel thunno, vel scombro corporis specie, pinnis, cauda similis: est enim rostro acuto, ventre crasso, cauda tenui, in figuram lunæ in cornua curuatæ pinnis eius conformatis, dorso cæruleo eoque splendente dum viuit, ventre argenteo. A dorso ad ventrem lineæ ductæ sunt obliquæ, nigricantes, certis interuallis à sese distantes. Oculi parui sunt auri æmuli. Cutis læuis, dempta ea parte quæ circa branchias est. Dentes habet serratos, acutissimos, in os recuruos. Branchias opertas. Ventriculum rugosum, longum, ferè ad podicem vsque demissum, cuius appendices sunt innumeræ scombrorum appendicibus tenuiores. Intestina gracilia, hepar rubescens, splenem nigricantem: fellis vesicam toti intestino attextam, autore etiam Aristotele lib. 4. de partibus animaliũ. Vel, vt alio loco scribit, cum toto intestino extensam, ex æquo longam, sæpe etiam conduplicatam, (*replicatam aliquatenus.*)

Capite 2. Lib. .. de Hist. animal. cap. 17.

C In Prouincia multæ amię capiuntur, in maris angustijs, quas insulæ frequentes efficiunt: in litore nostro paucæ ob maris vastitatem. Aqua dulci delectantur. Aristoteles: Thunni, pelamydes, amiæ subeunt Pontum vêre, atque ibi æstatem traducunt. Et mox: Petunt autem Pontum pastus gratia, qui vberior & melior ibi propter dulcium aquarum permistionem suppeditatur. Beluæ quoque magnæ pauciores ibidẽ sunt. Et alibi: Celeriter pisces omnes augescũt, in Ponto celeriùs: indies enim amię multæ manifestę augentur. Et Plinius: Piscium genus omne præcipua celeritate adolescit maximè in Ponto. Causa, multitudo amnium dulces inferentium aquas. Amiam vocant, cuius incrementum singulis diebus intelligitur. Rursus Aristoteles: Εἰς τοὺς ποταμοὺς ἀναπλέουσι πολλοὶ τῶν ἰχθύων, καὶ εὐθηνοῦσιν ἐν τοῖς ποταμοῖς, καὶ ἐν ταῖς λίμναις, οἷον ἀμία καὶ κεστρεύς. id est, Fluuios petunt pisces multi, & in fluuijs & stagnis commodè delectabiliterq; degunt. (id enim εὐθηνεῖν, Gaza præstare vertit,) vt amia & mugil. Carne & alga vescitur. Aristoteles: Amia, thunnus, lupus magna ex parte carne vescuntur, algam etiam attingunt.

Lib. 8. de Hist. animal. cap. 13. Lib. 6. de Hist. animal. cap 17. Lib. 9. cap 15. Lib. 8 de Hist. animal. cap. 19. Lib. 8 de Hist. animal. cap 2.

F Pingues igitur sunt & molles amiæ suauesque, ob id Archippus & Epicharmus (autore Athenæo) σπύγειας appellarunt. Hicesius verò boni succi & molles esse censuit, ad excretionem medias, minus tamen nutrire. Archestratus ad gulæ luxum ingenio mirus amias optimas esse existimauit, tempore autumni post vergiliarum occasum, Byzantiasque laudauit. Hos de amia rectè sensisse existimo, locosque duos Galeni in tertio libro de aliment. facult. deprauatos esse, priorem in quo citat ex Philotimo pisces duræ carnis: Καὶ περὶ τούτων ἔγραψεν ὁ Φιλότιμος κατὰ λέξιν οὕτως, ἐν δευτέρῳ περὶ τροφῆς: Δράκοντές τε, καὶ κόκκυγες, καὶ γαλεώνυμοι καὶ σκόρπιοι, καὶ πρὸς τούτοις ἔτι καὶ τράχουροι, καὶ τρίγλαι, καὶ πάλιν ὀρφοί τε, καὶ γλαῦκοι, καὶ χελιδόνες, καὶ σκάροι, καὶ γόγγροι, καὶ ἀμίαι, καὶ ζύγαιναι. Ibi pro ἀμίαι legendum λαμίαι. est enim lamia ex cetaceorum cartilagineorumque genere, & ob eam causam dura admodum carne. Alterum, quo pisces quos rectè Philotimus duræ carnis esse censuit, approbat: Γόγγρους δὲ, καὶ φάγρους, καὶ ἀμίας, καὶ ἀετοὺς, ὀρφώς εἶπε σκληροσάρκους εἶναι. vbi rursus λαμίας legere oportet: alioqui Philotimi Galenique sententiæ sensus ipse repugnat. Sed ne emendationem temere affinxisse videamur, eam ex ipsomet Philotimo confirmo, qui amiam inter mollis carnis pisces connumerat, Galeno ipsius verba citante: Φιλότιμος δὲ ἐν τρίτῳ περὶ τροφῆς περὶ τῶν μαλακοσάρκων ἰχθύων οὕτως ἔγραψεν αὐτοῖς ὀνόμασι: Κωβιοὶ δὲ, καὶ φυκίδες καὶ ἰουλίδες, καὶ πέρκαι, καὶ σμύραιναι, καὶ κίχλαι, καὶ κόσσυφοι, καὶ μῦροι, καὶ πάλιν ὄνοι, καὶ πρὸς τούτοις ἀμίαι, καὶ ψῆτται, &c. Vides hîc amias in piscibus mollis & teneræ carnis numerari, vt capite proxime sequenti cum piscibus duræ carnis nullo modo recenseri possint.

Libro 7. Athen. lib. 7.

Amias pro Lamias apud Galenum bis legi: & has duræ esse carnis, illas mollis.

Lib 3. de alim. facult. cap. 29.

E Scribit Aristoteles amiam ab alijs piscibus appeti. Pisces sensum gustandi habere constat: multi enim suis & proprijs gaudent saporibus, & escam ex amia maxime capiunt, & piscium pingue, vt qui gustatu huiusmodi delectentur, & in cibo huiusmodi esca. Sed ne vna omnibus prædæ sit, eam validis dentibus, & vel ad propulsandam vel ad inferendam iniuriam aptissimis armauit natura: ob eamque

Lib. 4. de Hist. animal. cap. 8.

A causam troctam etiam appellatam arbitror, eundemque planè esse piscem, qui amia dicatur, & trocta ab Aeliano. Hæc enim sunt eius verba: Piscis trocta, cuius naturam nomen & os declarant, dentes habet frequentes & continentes, quibus quicquid inciderit, perfringere potest. Dicitur ergo ἀπὸ τοῦ τρώγειν quod vorare significat. Deinde quæ Oppianus, ex quo permulta mutuatus est, amiæ tribuit, ea ipse troctæ. Hamo captus (*Oppianus vulpeculas etiam hoc facere scribit*) solus ex piscib. nõ se ab hamo retrahit, sed impellit sese in ferrũ, (*assiliens, Athenæus Aristotelem citans.*) chordam consumere (*morsu abscindere*) cupiens. Piscatores contrà machinantur longas ansas: ille verò, quoniam quodam modo valet saltu, ansas sæpe transilit, ac linea qua agitur concisa ad piscium domicilia reuertitur. Oppianus verò:

Lib. 12. cap 53. Troctas Aeliani, & Oppiani amias eosdem pisces arbitratur.

Lib. 3. ἁλιευτικῶν.

Ast amiæ celeres, & vulpes fraude reninctæ
Præueniunt summas morsu confringere setas.
At piscatores longam, ex qua pendeat hamus,
Conficiunt virgam, dentes quæ arrosa retundat.

(Græce est, καυλὸν ἐγχαλκεύουσι, id est lineam ex ære addunt.) Subiungit Aelianus: Troctæ sui generis grege coacto delphinos inuadunt, maximè si quem segregatum circumuenire possint. planè enim sciunt delphinum suis morsibus verberari aspere solere. Itaque troctæ ei acerrimè instant, delphinus contrà resilit, subsilit, atque indicat vt ex dolore torqueatur: idcirco tenaciter vrgent, simulq; ad saltum delphini tolluntur, hic eos repellere conatur, illæ verò nihil remittentes viuum lacerant: postea verò quum pro se queq; aliquam eius partem vulnerarit, discedit. Oppianus verò amiarum & delphinorum pugnam ita describit, vt facile cognoscas

Lib. 2. ἁλιευτικῶν.

A eadem omnino esse ista, cum ijs quę Aelianus de trocta scripsit.

Sunt qui quam priùs sphyrænam esse docuimus, amiam esse credant, sed non sine errore. amia enim gregalis est, cum thunnis scombrisque Pontum ingreditur. At sphyræna solitaria est.

Sphyrænã Rondeletii aliam esse ab amia.

Paulus Iouius lechiam piscem ita Romæ nuncupatum amiam esse existimat. Sed lechia, vt ipse fatetur solitarius est piscis, amia verò minimè, vt docuimus. Nos lechiam eum esse piscem demonstrabimus, qui ab antiquis glaucus dictus est, à nostris derbius.

Lib. de pisc. Ro. cap. 7.

Postremò

Postremò alij lampugo piscem Hispanicum pro amiâ vera accipiunt, quòd citò augescat, quòd gregalis sit, quòd scombris quodammodo similis. At dentes, quamuis magni sint & validi, vt delphinum vulnerare possint, repugnant: non sunt enim in os recurui, quales amiæ dentes sunt. Lampugo autem hippurum veterum esse suo loco docebimus. Quare qui omnia diligentiùs expendet, amiam veram à nobis exhiberi facilè iudicabit, vtpote cui nulla planè nota, quæ ab Aristotele, Athenæo, alijsque fide dignissimis autoribus amiæ tribuatur, non perappositè quadret.

Lechia Romanorum non est amia. Lampugo Hispanorum non est amia. Conclusio.

COROLLARIVM.

A Amia genus est piscis, Festus. Quidam non rectè aspirant. Dicitur autem ἀμία ἡ. genere fœminino, declinatione secunda, accentu paroxytonum: & fortè etiam ἀμίας ὁ. in prima genere masculino. Κυανόχρως δ' ἀμίας νεῦ τοῖς μέγας, ὅς τε θαλάσσης Πάσης βένθεα οἶδε Ποσειδάωνος ὑποδμώς, Matron Parodus apud Athenæum. Ἄμια proparoxytonum scribitur in codicibus vulgatis Aristotelis de animalibus 8. 2. Eberus & Peucerus amiam non rectè interpretantur Germanicè *Welß*. Quòd si Velsus piscis est, vt puto, quem recentiores aliqui barbatum nominant, maximus in mustelarum genere, non erit amia, sed silurus forté.

B Aristoteles libro quinto de animalibus numerat inter Cartilagineos amiam, Athenæus: sed perperam: legendum ex Aristotele lamiam. Amiæ in Ponto celeriter ac euidentissimè omnium augentur, Aristoteles. Cum thynnis amiæ & pelamydes in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim cum suis quæque ducibus, Plinius. Amiæ etiam in Alopeconneso reperiuntur, Aristot. Piscis est pelamydi similis, Idem. Amiæ Aristoteli, citante Athenæo, gregariæ sunt, dentibus serratis, branchijs opertis. Matron Parodus amiam cyanei coloris & magnam cognominat, Archippus παχεῖαν, id est crassam. Os ei est angustius, Plutarchus. Pet. Bellonius tum amiæ tum lamiæ pellem asperam & limæ instar esse scribit. Hamio piscis est saxatilis, qui dextra sinistraque lateribus virgis puniceis perpetuis alijsque discoloribus designatur. & dictus est hamio, quia non capitur nisi hamo, Isidorus, & Author de nat. rerum: qui etiam addit lapidem eum interius gerere. Inepte autem quòd aspirant, quòd in o. terminant, quòd vocabulo Græco etymologiam Latinam adscribunt.

C Amia ex mari fluuios subit, præstatque in fluentis & lacubus, Aristot. Amat mare vicinum fluuijs aut stagnis ob dulcem aquam, & limum, Oppianus lib. 1. cum verò mox subijciat lupum etiam ingredi fluuios, amiam innuit non subire, sed semper in proximo pasci. Carniuora tantum est, Aristot. alibi addit, alga quoque eam vesci. Λαιψηρά id est celeris Oppiano cognominatur.

D Gregales sunt amiæ Aristoteli: quod nimirum se inuicem ament: quare & opem mutuam ferunt defendendo se acerrimè: vnde θρασύφρονες, hoc est audaces dicuntur Oppiano. Cum belluam viderint aliquam, colligunt sese, & quæ magnitudine præstant, lustrantes gregem circumuallant: & si qua violatur, defendunt. dentes his validi, & iam cum aliæ belluæ, tũ lamia aggressa, vulnera accepisse acriùs visa est, Aristot. Amiarum contra delphinos pugnæ perquàm accurata ex Oppiano (interprete Gillio) descriptio hæc est: Cum delphinis (inquit) magnum & hostile certamen ineunt solæ Amiæ, corporis magnitudine Thynnis inferiores. quibus etsi carnes infirmæ & molles, dentes acutissimi sunt, ijs maxime confidentes potentem piscium regem tam præclare contemnunt vt cum solum quempiam ab alijs segregatum obseruauerint, vndique tanquam signo dato, frequentes in eum ipsum inuadant. Delphinus suo robore nitens, primum hostium impetum negligit, & longe lateque insequens, partem earum lacerat, partem exedit & conficit. Postremò harũ magna multitudine circumsessus, dolet, quòd se vnum solum contra tantam multitudinem videat. Itaque reuocatis omnibus viribus, ab his ingreditur se fortissime defendere. Hæ contrà Delphini membris circunfusæ, atq; ad eadẽ pertinaciter inhærescentes, dentes defigunt, simul & partim ex his illius latera conuellunt, partim rostrum & pinnas, partim ventrem acerbis morsibus affligunt, partim summam caudam comprehendunt, partim dorsum exedunt: tum aliæ ex vertice, aliæ ex collo pendent. Is autem vario & multiplici dolore refertus, instar turbinis mare concitat: & permulto furore agitatus, in omneis partes sese versat: & saltanti similis, nunc tanquam procella fluctus summos concursat, nunc in profundum defertur, sæpe magna maris interualla desaltans, reijcere conatur examen audacium piscium. Hæ vero nihil de violentia remittentes, magis magisque in eum incumbunt, & cum demergitur eandem viam ipsæ conficiunt: cum rursus extra aquam eminet, eædem quoque tractę vnà cum ipso in sublime feruntur. Diceres Neptunum nouum quoppiam monstrum ex Delphinis & Amijs finxisse. adeò enim sanè dentium pertinacia colligantur, vt ex illius corpore nunquam dentes tollant, nisi partem apprehensam abstrahant. Cum autem aliquod spatium ei dant respirandi à certamine, tum videas rabiem ducis irati, tum mortifera Amijs pernicies infertur. Hæ quidem in fugam se impellunt, ille vero fulmini similis, has acriter insequitur, & discerpit, & lacerat, simul & effuso multo sanguine, purpurascit mare, Hucusque Gillius ex Oppiano. Hanc cum delphinis amiarum pugnam sibi quoq; obseruatam Bellonius scribit.

E Ad amias vtuntur curuis hamis, quoniam os illis angustius est, tum quia rectos vitant, Plutarchus. Esca ad glaucos, Tarentino in Geoponicis adscripta: Amias, callichthyas & thrissas marinas assans, exossansque, bryon illis hordeaceamque farinam adijcito: ijsque in pastam coactis vtitor ad inescandum: Ἰχθυοθηρητῆρα Μενέστρατον ὤλεσεν ἄγρη Δόναξ ἐξ ἀμίης ἐκ τριχὸς ἑλκομένη, &c. Appollonides Anthologij 3. 4.

F Archestratus amiam autumno postquàm pleiàs occiderit, commendat. quo tempore (inquit) vel copiose sumpta nihil nocebit. Sic autem parabis: Ἐν συκῆς φύλλοις, καὶ ὀριγάνῳ οὐ μάλα πολλῇ, Μὴ τυρὸν (id est, nullis condimentorum nugis adiectis) ἁπλῶς δ' οὕτω θεραπεύσας, Ἐν συκῆς φύλλοισι σχοίνῳ κατάδησον ἄνωθεν, Εἶτ' ὑπὸ θερμὴν ὤπτει ἔσω σποδὸν, & cura ne aduras. Sit autem capta circa Byzantium, καὶ ἐγγὺς Ἀλώπ. (Alope ciuitas est Atticæ, Thessaliæ aut Magnesiæ, Ponti, circa Eubœam, circa Locridem. sed per o. breue in penultima. Halos verò, Ἅλος, ciuitas est Achaiæ & Phthiotidis.) Sed procul ab Hellesponto iam deterior esse incipit, ita vt in Aegæo mari non amplius laudari mereatur. Coquum quendam So-

tades Comicus sic loquentem inducit: Ἁμίαν τε (ἐπελάμιλον) χήνεσιν, θηρίον καλὸν σφόδρα. Θεῖσι (folijs ficus) : αὐτὴν εἴλησα ἐλαίῳ (pauco oleo) ὀλίγῳ
Ἐνέπαυσέ θ' ὥσπερ δαλὸν εἰς πολὺν πέφραν.
Καὶ σπαργάνωσα σφηκίσκοις δερμάτων.

Amiæ dentes gestati sine dolore dentes puerorum oriri faciunt. Ipsa in cibo sumpta dysenteriæ medetur, Kiranides.

ANACHARSIS, nomen viri, & piscis quidam, Hesychius. Idem fortè qui Arcanan.

ANCHORAGO piscis nominatur à Cassiodoro Epistolarum lib. 2. epistola 4. in regij conuiuij descriptione. Desinet (inquit) carpam Danubius, à Rheno veniat anchorago. Quinam autem is sit, non habeo quòd dicam: nisi quòd conijcio salmonem esse, qui certo tempore in Rheno, rostro ei ad similitudinem anchoræ incuruato, vocatur vulgò *ein Lachs*.

ANARTES vel Anarites, ostrei conchæue genus est: de quo leges infra in C. inter Conchas.

ANADROMI, Ἀναδρόμοι, Tralliano medico, in genere dicuntur pisces quicunq; ex mari in fluuios conscendunt. Epileptici (inquit) ex piscibus eos sumant potissimùm quos Græci anadromos appellant: atque hos non admodum continuè. Verbũ ἀναδρομῶ (inquit Iacobus Goupylus) significat ascendentem. Significare itaque videtur pisces qui ex mari ascendunt, Strabo lib. 15. Geograph. scribit ex sententia Aristobuli, τῶν ὲκ θαλάττης εἰς τὸν Νεῖλον ἀναπλέοντων μηδὲν, ἔξω θρίσσης καὶ κεστρέως. Idem Tralliamus victus rationem in syncope quæ febrientibus accidit, præscribens, piscibus eos vti iubet saxatilibus sui minus fluuiatilibus qui anadromi vocantur, cum oxymelite.

Fluuios subeunt (εἰς τοὺς ποταμοὺς ἀναπλέουσι) pisces multi, & in fluuijs ac stagnis commodè degunt, & corpore proficiunt, vt amia & mugil, Aristoteles de animal. 8. 19. Memorantur & à Pausania pisces marini ἐκ ποταμοὺς ἀναπλέοντες. Vide etiam mox quæ post Andromidem Bellonij annotauimus.

ANARPHICHAS nomen fictum, *ein Klipfisch*.

DE ANDROMIDE.

BELLONIVS.

LVGDVNENSES detortis quibusdam ab Andromide literis Dromillam vulgò vocant, piscículum quem æstate frequentem habent, hyeme raro. Plinius medicus libro 5. cap. 7. Pisces pingues pelagici (inquit) epilepticis prohibentur. Dandi autẽ sunt Merulæ, Turdi, aut Scardus, aut Scardus, (fortè Scarus:) de fluuiatilibus edant eum qui dicitur Andromis. Quibus ex verbis intuli piscem hunc macra ac ficca, & ob id salubri carne constare: quo factum est vt Lugdunensium Dromillam cum Plinij Andromide contulerim. Hæc Bellonius, ego verò non dubito quin Andromis Plinij, corruptum sit, vocabulum ab anadromis vt Græci vocanti piscibus nam & nomen accedit: & salubritas, proxima post saxatiles: & in eodem morbo conceduntur. Porrò Dromillam Bellonij, circa lacum Lemanum Domillæ vocant

Anguilla piscibus adnumerandæ.

DE ANGVILLIS.

RONDELETIVS.

Enchelys vnde dicta.

A QVAMVIS Homerum scribat Athenæus videri voluisse Anguillas à piscium natura seiunxisse hoc versu: Τείρουτ' ἐγχελυές τε καὶ ἰχθύες οἱ κατὰ δίναν. Tamen inter fluuiatiles vt ab omnibus, ita à nobis reponentur. nam branchijs spirant, quod piscibus solis proprium est: nec potiore ratione Congri, Murænæ, Myri pisces dicentur quàm Anguillæ.

Anguilla. Sexus.

Dicuntur à Græcis ἐγχέλυες à luto siue limo. Athenæus lib. 7. Σαφῶς δηλοῖ ὅτι ἡ ἔγχελυς ὀπὸ τοῦ ἰλύος λαμβάνεται, ὅταν καὶ τίκτωμαι εἰς ὑς ἐπιφορτωθῇ. Dixit tamen Aristophanes in multitudinis numero ἐγχέλεις. Ex hac Athenæi autoritate sic legendum puto apud Phauorinum. ἔχελυς (*melius* ἔγχελυς) ὡσπερὸ τὸ ἔχεσθαι ἐν τῇ ἰλύι, ὅ ἐστι ζωγρεῖσθαι. vbi pro ἐν τῇ ἰλύι inemendatè, vt opinor, legitur in excusis exemplaribus ἐν τῇ ὕλῃ.

Vbi.

Anguilla dicitur à Latinis quod anguis speciem referat. A nostris pro ætatis & magnitudinis ratione
B varijs admodũ nominib. designatur. Iidem Anguillas in marẽ & fœminam distinguũt cõtrà quæ capite est minore & acutiore, Anguille fine appellant. Sed quid de hac distinctione sentiendũ sit, posteà docebimus. Anguilla omnis nascitur in aqua dulci, soláque ex simili piscium genere, mare vel marina stagna ingreditur: alioqui viuit in lacubus, fluuijs & stagnis.

Est ex longis piscibus & lubricis, à squamis nudus, cute quæ facilè tota diuellatur tectus. Os illi est satis apertum, dentibus paruis munitum. Branchiæ paruæ, cuticula tectæ, rima parua, quam ob causam in turbidis aquis facilè strangulantur, & in aëre diutius viuunt. Ad branchias pinnulæ sunt duæ. reliqui corporis flexuosus impulsus pinnarum vices gerit. A medio dorso, & ab excrementi meatu veluti
C limbus cutis potius quàm pinnarum substantia, qui posteriores corporis partes ambit. Gula intus longa & lata. Ventriculus & intestina in longum protenduntur. Hepar magnum est & rubrum, ex quo fellis vesica magna pendet, fel aqueum est. Pinguis & viscida est caro.

Lib. 3. de Hist. cap. 16. Arist. de earũ generatione.

In putredine gignitur Anguilla vt vermes in terra, id quod experientia compertum fuit. Aliquando enim equo mortuo in Magalonę stagnum iniecto, paulò post innumerabiles Anguillæ illic visæ sunt, quod ego ita accipio vt non ex equi tantum, sed etiam ex aliorum animalium cadaueribus generentur. Alij tradunt ex Anguillis præ senectute mortuis, & putrescentibus nouas generari. Aristoteles prodidit Anguillas nec per coitum procreari, nec parere oua: nec vllam captam vnquam esse quæ aut semen genitale, aut oua haberet. Meatus quoque vel semini vel vuluæ accommodatos nullam discissam ostendere. Sed hoc vnum inter sanguinea genus totum sine coitu, sine ouo

ne ouo procreari: idq; argumento constare, quod in nonnullis feculentis stagnis aqua omni exhaustis & limo detracto Anguillæ denuo generentur, si aqua pluuia affluxerit. siccis enim temporibus gigni



Duplicem iconem anguillæ Rondeletius posuerat, fortè vt sexus discrimen indicaret: nos vna, quam dudum sculptam habebamus, contenti fuimus.

non possunt, etiam in lacu perenni: quippe quæ imbre viuant & alantur. Videri tamen ait nonnullas habere facultatẽ generandi, quòd in aliquib. Lumbriculi fiant: ex his enim generari Anguillas credi,

ſed falsò. Nã ex ijs prodeunt Anguillæ quę terræ inteſtina vocantur, quæ ſponte in luto, humeſcẽteq; humo proueniunt. Iam aliæ abſolui ex his viſæ ſunt, aliæ ſcalptis diſcerptisq; intus apparuerunt. Oriuntur hęc inteſtina in mari, in fluuijs ſtagnisque, putredinis maximè ratione, ſed in mari quà algæ ſunt, in ſtagnis autẽ & fluuijs iuxta ripas. calor enim amplius eas ſubiens partes, facit vt putreant. Talis eſt procreatio Anguillarum. Idem alibi tradit Anguillam neque marem neque fœminam eſſe, neq; prolem ex ſe generare. Quam autem differentiam maris & fœminæ Anguillæ notarunt, ſcilicet alterã caput habere amplius, atque oblongius: alteram, hoc eſt fœminam, magis repandum, non maris & fœminæ eſſe differentiam, ſed generis.

Lib.4.de Hiſt. cap.11. *Sexus.*

Plinius de generatione Anguillarum aliter ſenſit. Anguillæ, inquit, atterunt ſe ſcopulis, ea ſtrigmenta viuiſcunt: nec alia eſt earum procreatio. De eadẽ re hæc Athenæus; Ὀχεύονται δὲ συμπλεκόμεναι, κα τὰ ἀφιᾶσι γλοιώδες ἐξ αὐτῶν, ὃ γενόμενον ἐν τῇ ἰλύϊ ζωογονεῖται. Coëunt Anguillæ ſeſe complexæ, deinde emittunt ſtrigmentitium quid ex ſeipſis, ex quo cum in limo fuerit animal generatur. Idem Oppiani teſtimonio confirmatur, qui ſcribit Anguillas gregatim circumfundi & corporibus inter ſe complicatis coire, ex quibus lentor (χωρ εἰκελος ἀφρῷ) in arenam deſtillans limo excipitur, in quo procreantur Anguillæ innumeræ.

Lib.9 cap.50. Vnde generentur. *Lib.1. Halieut.*

Vidi equidem Anguillas mutuo corporum complexu coëuntes, neque puto partibus ad gignendum neceſſarijs prorſus deſtitutas eſſe: inferiore enim ventris parte, & fulua in fœminis, & ſemen in maribus reperitur: ſed pinguitudine multa circunfuſæ hæ partes non apparent, quemadmodum neque oua pinguitudini permiſta. Idem enim ijs euenire quod de Congris ſcriptum reliquit Ariſtoteles: quæ cum pinguedine in ignem iniecta crepitant & diſſiliunt, atque ſic deprehenduntur. Anguillas igitur crediderim alias in putredine alias ex maris & fœminæ commiſtione procreari. Harum paucæ, vt tradit Ariſtot. certisq; locis veſcuntur limo, cæterisque edulijs ſi quis apponat, ſed maximè (plurimæ) dulci humore viuunt: idq; qui in viuarijs Anguillas nutriunt, potiſſimùm obſeruant, vt omnino pura ſyncerąq; ſit aqua affluens & effluens per ripas (πλατταμῶνας) vbi viuaria extruunt (κονιῶντες) nam niſi aqua limpida ſit, ſtrangulatæ breui intereunt, eò quòd anguſtis ſint branchijs, & meatus mox obturentur.

Adhuc de generatione earum, & partibus genitalibus. *Lib.8.de Hiſt. cap.2.* *Cibus & conſeruatio.*

E Hinc aquam turbare ſolent, qui eas piſcantur. In Strymone circa Vergilias capiuntur: tunc enim aqua & lutum aduerſis flatibus turbantur: alioquin ſatius eſt quieſcere. Cui ſimile eſt quod prodidit Plinius de Anguillis, quæ Octobri menſe capiuntur in Mincio amne, fluctibus glomeratæ in tantum mirabili multitudine, vt in excipulis eius fluminis, ob hoc ipſum fabricatis ſingulorum milium globi reperiantur. Idem certum eſt euenire in permultis Gallię riuulis & fluminibus, in quibus turbata aqua autumnalibus pluuijs, naſſis & alijs excipulis innumerabiles capiuntur Anguillæ quæ ſalitæ in proximum quadraginta dierum ieiunium ſeruantur. Ariſtophanes perelegãter & feſti è eos qui ex reipublicæ perturbatione commoda ſua comparant Anguillarum piſcatoribus ſimiles facit in Equitibus.

Captura. *Lib.9.cap.22.*

Ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι πέπονθας. Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν.
Ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν, Αἱροῦσι: καὶ σὺ λαμβάνεις, ἢν τὴν πόλιν ταράττῃς.

Ex eodem fonte manaſſe puto id quod prouerbij loco apud nos iactatur, Piſcari in aqua turbida, quod dicitur in eos qui ex litibus, bellis, ſeditionibus: denique ex quietis vel priuatæ vel publicæ perturbatione magnos fructus percipiunt, ac maximè hinc facultates ſuas augent. Anguillæ non ſuperfluitant viuæ (mortuæ,) ait Ariſtot. nec ſurſum vt cæteri piſces maxima ex parte efferuntur: ſunt enim ventre exiguo. pingue in paucis ineſt, plurimæ eo carent. Quæ ratio ſi paulò fuſius explicetur, multò magis perſpicua fiet. Pinguitudo quidem leuis eſt & aëreæ naturę quo ſit vt pingues piſces facilè ſuperfluitare poſſint, hoc tamen ſatis mihi non facit. Nam Galei qui neque pingue neque ſeuum habent, mortui ſuperfluitant. Potior igitur mihi ratio ea eſſe videtur, quę ex ventris paruitate ſumitur. Ventrem enim paruum cauitatem qua viſcera continentur, intelligo, quę cum parua ſit, parum quoque aëris congeniti ineſſe in ea neceſſe eſt, à quo piſces in aqua ſumma ſuſtinentur. Et quid aëre multo congenito opus fuit Anguillę in alto luto degenti, maximè cùm ob paruam branchiarum rimam aërem hauſtum ſatis diu retinere poſſit, cum neceſſarius is fuerit? Quoniam igitur aër poſt mortem euaneſcit, non mirum videri debet, ſi Anguillæ mortuę per ſummam aquam non ferantur. Cur igitur animalia cætera ſuperfluitant mortua? In cauſa ſunt flatus ſub cute concluſi, à quibus ſurſum efferuntur, corpora. Hoc inde maximè colligas, quod in aquis extincti non fluitant quoad putreſcant. ex ſanguine enim & humoribus alijs putreſcentibus flatus gignuntur, quibus diſperſis intumeſcunt corpora & efferuntur, cum nullus ijs putrefactis ſit exitus. Quòd ſi acu pupugeris, tum deorſum feruntur, nec fluitant. Sed longius ab inſtituto digreſſi ſumus.

Cur non ſuperfluitent. *Cur alia mortua ſuperfluitent.*

F Anguillę ſale conditæ ſalubriores redduntur, quod enim viſcidum ineſt attenuatur. Quę in mari capiuntur preſtant fluuiatilibus & lacuſtribus. In ſtagno noſtro, quod Latera dicitur, trium vel quatuor cubitorum longitudinẽ ęquant, quales eæ quę ab Archeſtrato celebrantur: Κωπαΐδαι καὶ Στρυμόνιαι, μεγάλαι τε γάρ εἰσι, καὶ τὸ πάχος θαυμασταί. In Gange amne tricenos pedes implẽt. Hiceſius Anguillas maximopere commendat, authore Athenæo: Περὶ δὲ τῶν ἐγχέλεων Ἱκέσιός φησιν ἐν τοῖς περὶ ὕλης ὡς αἱ ἐγχέλεις εὐχυλότεραι πάντων εἰσὶν ἰχθύων, καὶ εὐστόμαχοι (malim εὐστομία) ἀφ' ὧν ... τῶν πλείστων: πλήσμιαι γάρ εἰσι, καὶ πολύτροφοι. ἐν δὲ τοῖς ταρίχεσι, τὰς μακεδονικὰς ἐγχέλεις καταλέγει. Hiceſius in lib. de materia ait Anguillas omnibus piſcibus ſucci bonitate pręſtare. ſtomacho gratiores eſſe: ſatiãt enim & multi ſunt alimenti, inter ſalſamenta autem Macedonicas Anguillas annumerat. Noſtris Anguilla ſalſa cibus eſt gratus, paratuq; facilis: elixa enim & in craticula aſſata editur citra oleum, vel aliud condimentum. multum nutrit, nec facilè diſſipatur cum glutinoſa ſit. Quare otioſis cibus eſt inſalubris, ijsq; qui cum morbis à pituita viſcida ortis conflictantur, quiq; articulari morbo, vel lithiaſi, vel doloribus capitis obnoxij ſunt. Recentes ſalſis inſalubriores, maximè ſi parum coquantur, vel farina ſubacta & piſta, vel olla concluſæ. eæ enim ventriculum relaxant, coctionem turbant, niſi prima menſa ſumantur. In veru toſtæ meliores.

Libro 7.

E Capiuntur apud nos naſſis. Oppianus lib. 4. ἁλιευτικῶν, puerilem & iucundam capiendarũ Anguillarum rationem tradidit, quam ſatis fœliciter Lippius his verſibus expoſuit:

Rurſus de captura earum.

Atq; puer ludens vaſti prope litora ponti — *Decipit Anguillas, longa inteſtina ſub vnda*

Conijciens, hami ſetis æquata videres. — *Vt videt, vtq; ruit, longa inteſtina petentem*
Arripit, atq; cito ſenſit tumefacta perire. — *Namque puer ſufflans anima inteſtina repleuit:*
Et ſubito ventus denſus percurrit in ora — *Anguilla & pueri flatu tumefacta laborat:*
Et vento arctatur, fruſtraque euadere tentat. — *Inflatam penitus, & toto pectore anhelam*
Spiritus educit pueri ludentis in altum.

In medicamentis ad aurium dolores & neruorum, Anguillarum pinguitudo vſurpari poteſt. fel ad oculorum ſuffuſiones. Anguilla in vino putrefacta vini faſtidium facit. G

COROLLARIVM.

A Anguilla ab anguis ſimilitudine nomẽ tulit Varroni. Ebraica vel affine aliqua lĩgua *zalbacha* צלבחא nominatur, in dictionario Munſteri trilingui. *Almarmahegi* eſt piſcis marinus viperę ſimilis. Siraſi prodidit nomen hoc eſſe Perſicum, compoſitum ex *mar*, quod eſt vipera: & *mahegi*, quod eſt nomẽ piſcis, quem Ægyptij appellant *thaan* marinum. Quamobrem anguillæ & alij piſces ſine ſquamis ſimiles (murenę nimirum, congri, ſerpentes marini, & huiuſmodi longi lubriciq;) appellantur hoc nomine, Andreas Bellunenſis. Græcè hodie ἀχέλυ vocant. Κωπάδων σπυρίδας dixit in Pace Ariſtophanes, lautitias quaſdam ciborum enumerans. & in Acharnenſibus, Πρέσβειρα πεντήκοντα κωπάδων κορᾶν. Eſt autem Copais lacus Bœotio, in quo anguillæ magnæ (plurimæ, Varinus) naſcuntur. Hinc eſt quòd cum Lyſiſtrata apud eundem poëtam dixiſſet, pręſtare Bœotios omnes perijſſe: Calonice anguillas excipiendas ſubijcit. Dorion etiam apud Athenæum anguillas Copáidas laudat quę prægrandes fiant. Rurſus in Acharnenſibus, Ariſtophanes ἐγχέλεις κωπάδας lego: ſcholiaſtes Copaidem Bœotiæ & ciuitatem & lacum eſſe ſcribit, in quo anguillæ abundent. Καὶ Κωπάδων ἀπαλῶν τεμάχη στρογγυλοπλάθρων ὀψωνεῖσθαι, Strattis apud Atheneum. Agatarchidas author eſt Bœotos τὰς ὑπερφυεῖς τῶν Κωπαΐδων ἐγχέλεων, ἱερείων τρόπον στεφανοῦντας καὶ κατευχομένους, οὐλάς τε ἐπιβάλλοντας θύειν τοῖς θεοῖς. Lege etiam mox in B. Anguillæ etiam, vt murenæ, ex freto Siculo vbi optimę capiuntur, Græcè plotæ, Latinè flutæ vocantur. vide in Murenis. Ἐγχέλεις πλωταὶ à priſcis commendabantur, Athenæus li.2. *Flutæ.*

B Anguilla apud Itallos, Gallos & Hiſpanos nomen Latinum retinet. Germanicè *Aal* ſunt qui ſcribant *Oll, oel.* Flandricè, *Ael, Palinck.* Anglicè *an El.* Illiricè *Augorz.*

Anguillas è Bœetia Copaides priſci laudauerunt, Pollux. Cephiſſis in Bœoetia palus (lacus) eſt, quã & Copaida nonnulli nominant. in paludem fluuius Cephiſſus excurrit. Copę oppidulum in palude eſt, cuius & Homerus in Catalogo mentionem facit. Piſces huius paludis nihil ab alijs piſcibus paluſtrib. differunt. anguillæ tamen ibi ſunt ingenti magnitudine, eſuq; ſuauiſſimæ, Pauſanias. Anguillæ Bœotię etiam apud Athenęum celebrantur inter delicatiſſima edulia. Vide ſupra quoq; in A. In pretio quondã fuerunt anguillę ex Bœotia Copaides: quanquam in Ægypto grandioribus, quæ vocantur baſilicę: ſicut in Sicilia plotæ, Culius. Circa Berenicen fluuius eſt Lethon, in quo naſcitur copia anguillarum, quas regias vocant: ſeſquialteras ad illas quę è Macedonia & ex Copaide lacu habentur, Ptolemæus Euergettes apud Athenęum. Ἐρωδιὸν γὰρ ἐγχέλυν Μαιανδρίην Τέλορχον ἄρων ἐσθίοντ' ἀφείλετο, Simonides. Homines gulę ac ventri dediti, non deſinunt celebrare ἐγχέλεις τὰς Μαιανδρείας, &c. Clemens in Pędagogo. Strymoniæ anguillę ex Strymone fluuio maximę, olim celebres erant, vt Antiphanis teſtimonio Atheneus comprobat. item circa fluuium Euclem, Εὔκλεα. Erant & in Eloro amne magnæ, & in Arethuſa circa Chalcidem manſuetæ.

Ingentes & ſapidiſſimas alit Vulſinenſis lacus anguillas: quarum incredibilem multitudinem capiunt in excipulis ad egreſſum Martæ amnis fabricatis, Iouius. Lacus eſt Italiæ Benacus in Veronenſi agro Mincium amnem tranſmittens, ad cuius emerſus annuo tempore Octobri ferè menſe, autumnali ſydere, vt palàm eſt, hyemato lacu, fluctibus glomeratæ voluuntur in tantum mirabili multitudine, vt in excipulis eius fluminis, ob hoc ipſum fabricatis, ſingulorum milium globi reperiũtur, Plinius. Apud nos etiam anguillæ abundant, dolijs cum aqua aliquando incluſæ & Anguſtam Vindelicorum, vbi comitia principum agebantur, auectę. Circa Conſtantiam ad Rhenum ſitam pręcipuè capi audio inter ſuperiorem & inferiorem lacum medio loco. In Danubio anguilla non eſt. neq; in alijs hoc flumẽ influentibus aquis: impoſitam emori aiunt. In reliquis verò Germaniæ aquis omnibus anguillæ multæ inueniuntur, Albertus. Et rurſus, Anguilla quia frigus multum fugit, & aquam lentam, (non) claram & calidam, ideò (propter frigiditatem fortè) non inuenitur in Danubio, eò quòd ante fauces alpium ab occidente in orientem fluit Danubius: & maior pars aquarum quæ influunt in eum, ex alpibus profluit: & eſt fluxus eius ante alpes & parte aquilonari. Vndiq; in Germania (inquit Nauclerus) amnes procurrunt, qui ſe vniuerſi in Rhenum Danubiúmue exonerant, idque experimento compertum eſt, mirabile dictu, quòd amnes quique, licet ex vno aliquãdo fonte ſcaturiant, ſi Danubio influunt, anguillis carẽt: ſi verò Rheno illabuntur, anguillas nutriunt. Sanctus Gulielmus Lauſannenſis epiſcopus ab anguillis læſus maledixit eis ita, vt anguillas omnes à magno lacu Lauſannenſi (Lemano) & omnibus influentib. in eum fluuijs (quorum maximus eſt Rhodanus) tanquam in exilium relegârit, Felix Malleolus in libro de exorciſmis. Copia anguillarum eſt in quadam parte Britanniæ (vt ſcribit Beda) quæ anguillarum terra vocatur, in ortu coſmico Pleiadum, hoc eſt, 17. Calendas Iunij. Tunc enim nuſquã inſpiſſatur aqua luto, quod accidit à ventis oppoſitis qui è terra erumpunt initio veris, cum iam terra aperiri incipit, Albertus. Anguillæ in Gange amne tricenos pedes implent, Plinius & Solinus. Optimæ & præpingues capiuntur in Timano lacu. Reperiuntur etiã in limoſis locis propè Syracuſas, tanta multitudine, vt piſcari volentib. lata adſit pręda, Io. Rauiſius. Anguillę lõgę & lubricę ſunt, Ariſt. & Plin. Lęues & congro ſimiles. Ariſtot. Serpentis ſpeciem referunt, Idem. Anguilla lõgę cognata colubræ, Iuuenalis. Pingue in paucis ineſt, plurimæ eo carent, Ariſtot. Minùs per ventrem omentumq; pingueſcunt. pingue.n. ſeparatum non habent, Idem. Tergus anguillis craſſius quàm murænis eſt, Plinius. Pellem viſcoſam & ſpiſſam habent, Albertus. Pinnæ biuę omnino longis & lubricis, vt anguillis, Plinius. hæ eis iuxta branchias hærent, & ſic mari vtũtur, vt ſerpentes terra, Ariſt. Pinnulis ſuppinis carent, Idem. Quaternę eis vtrinque branchię ſimplices ſunt, Ariſtot. Branchias pauciores minusq; cõtinentes habent, Idem,

Branchias habent exiguas, Athenæus ex Theophraſto. Anguillæ ineſt gula, ſed exigua, Ariſtot. Fel ei in iecore ſitum eſt, Idem. De ſexu huius piſcis leges infrà in C. In anguillis nigrarum & albarum tantum obſeruantur differentiæ, Bellonius. Archeſtratus anguillam vt ſpinis & oſſibus carentem, ſolam piſcium apyrenon eſſe cecinit, hoc verſu: Ἔγχελυς ἡ φύσει ἐστὶν ἀπύρηνος μόνος ἰχθύς, Hermolaus Bar. in Corollario. (Apyrena proprie Punica quæ nihil duri intus habent: non quòd πυρῆνας non habeant, ſed quòd duros vel magnos non habeant. Sic piſcem qui nihil duri intus & nullam ſpinam habeat, per metaphoram apyrenon dixeris.)

Anguillarum apud Flandros (vt audio) ſunt duo genera: vnum quod nobilius habetur, vocant *Palynck*, (noſtri *Aal*, id eſt anguillam.) hoc in profundo fluuiorum degit, & aqua deſcendente occultat ſe in limo, ita vt inde effodiatur ſæpe, colore fuſco. Alterum genus minus eſt & contemptum, quod vocant *Aal*, (nobis ignotum.) delectatur hoc genus cadaueribus iniectis in aquas: circa quæ etiam ſæpe inueniri & naſci dicitur. Sub pectore color ei eſt diuerſus, qui paululum vergit ad flauum.

Anguillas marinas memorat Epicharmus in Muſis. Ex fluuijs in mare veniunt, Ariſtot. & Oppianus. Quamuis cœno generentur & gaudeant: aqua tamen turbida abhorrent, & ſuffocantur, vt in pauca etiam aqua, Albertus. quare per tempeſtates quoque cum ventis aqua turbatur, ſuffocari ſolent, Athenæus. Gaudent aqua clara, eaq́; ſẽper affluente & effluẽte, Rauiſius. Fugiũt frigus, & aquã lẽtã, clarã (nõ claram,) & calidam. Albertus: qui lentam aquam fortè ſtagnantem, vel tarde fluentem intelligit: niſi legas lutulentam. Vidimus in Creta prata quædam virentia in complurib. locis effoſſa, infinitas penè anguillas ad capturam effuſim præbuiſſe, quæ præterlabenti humore nutriuntur, Alexander Benedictus in procœmio libri 21. de curandis morbis. Dicunt qui nutriunt anguillas paſci eas noctu, interdiu verò in limo quieſcere, (hîc Græcè additur σήψεως (fortè πέψεως) γινομένης:) quod ſimiliter de dictis terræ inteſtinis fertur. atque ideo Homerum anguillas à piſcium natura ſeparaſſe hoc verſu, Τείροντ' ἐγχέλυές τε καὶ ἰχθύες, οἳ κατὰ δίνας, Athenæus. qui rurſus hunc verſum recitat, tanquam Homerus etiam intellexerit anguillas in profundo aquæ in limo verſari, & cum vellet fluuium ardentem ad profundum vſque ſignificare, eum protuliſſe. Anguillæ edunt radices & herbas, & quod inueniunt in limo: & vt plurimum paſcuntur nocte. die autem abſconduntur in profundo aquæ (aut in cauis, Albertus.) Se etiam inuicem deuorant, Ariſtot. Vidi eas etiam paſci ranis & vermibus, & piſcium partibus: & capiuntur quoq; huiuſmodi eſcis. Nonnunquam ab aqua egrediuntur in agros piſis vel ciceribus conſitos, ſed per cineres vel ſabulum ſiccum ſerpere non poſſunt, Albertus. Piſciculos infirmiores rapiunt, maximè quos in ſemine reperiunt, Author de naturis rerum. Hyeme latent in limo, Albertus. Condunt ſe in fundo in cauis ceu cuniculis; vt audio, cubiti aliquando altitudine, per varia loca apertis, vt in terra talpæ. Anguilla ſeparatim ab alijs piſcibus viuit, neq; cum ijs temere inuenitur, Aelianus. In mari per tempeſtates aſcendit contra aquam, vt quidam ſcribit. Corpore eſt tam lubrico, vt aſſerant nonnulli, ſi incluſa teneatur, quacunque caudam exerere poſſit, eâdem euadere totam. Anguillis & murænis in aqua (aquæ fundo) idem motus eſt, qui ſerpentibus in terra. & quoniam binæ anguillis pinnulæ applicantur, minus flexuoſo corporum impulſu in humore, atque in terra vtuntur, Ariſtot. in libro de communi animalium greſſu. Anguillæ origo eſt ex limo: vnde & quando capitur adeò lenis eſt, vt quanto fortius preſſeris, tanto citius elabatur, Iſidorus. Ex aliorum piſcium limo (ſuperfluitatibus, Albertus) naſcitur, Author de nat. rerum. Naſcitur ex limo algarumq́; putredine imis in lacubus & fluuijs, Iouius.

Nonnulli tradunt conuolutis ſibi inuicem anguillis, attritu corporum mutuo mucorem quendam in arenam limumq́; diſtillare, atq; ita generari, Bellonius. Anguillæ verme naſcũtur, Ariſtot. Et alibi, Inteſtina terræ vermis habent naturam, in quibus corpus anguillarum conſiſtit.

Anguillas minimas inſtar fili cuiuſdam maiuſculi eſſe aiunt. Piſcatores quidam noſtri eas parere aiunt, & quidem fœtus viuos, qui aliquando tantilli reperiantur, vt vix tres digitos æquent longitudine: idq́; non certò, ſed quouis anni tempore. Iam bis à fide dignis audiui quòd duæ anguillæ captæ ſint in Germania, quarum vtraque multa habuerit ceu fila in vtero: & matribus occiſis, ex ventribus earum multas eſſe egreſſas, Albertus. Obſeruaui ego (inquit Chriſtophorus Encelius) lumbricos illos aquaticos (lampretas paruas fluuiatiles intelligit, *de neunaugen*) item anguillas & murænas (*pricken*) gigni viſcoſitate terræ: deinde mutua attritione ex ſaliuario lentore quem faciunt: tertio ex ouo more reliquorum piſcium. Quamprimum verò excluſi ſuſcipiuntur in branchias, & illis fouentur (vt Nicander dicit de ſepia & lepore marino) à piſce Ploceno, vt ita dicam, (*von den plozen:*) & ab his piſcibus qui à rubore oculorum dicuntur *Rotaugen*. item à murilegulis piſcib. (*von den deuelen*) qui vorant aquaticos mures: item à guſteris & vkkelangis ſic dictis piſcibus: ſicuti mihi piſcatores ad oſtium Tangræ ſæpe oſtenderunt. Lupi quoque aquatici iam æditi ex ouo, ab ijſdem piſcibus in branchijs fouentur. quamobrem (adulti) non lædunt eos, nec vorant, ne nutrici malam referant gratiam: anguillæ verò ingratæ ſobolẽ talium piſcium veram plurimùm comedunt, imò nutricem ipſam, vt cuculus currucam, Hæc ille. Sunt qui conijciant anguillas à lucijs procreari: quòd cum lucij genituram omnem emiſerunt, ijſdem in locis poſtea reperiantur anguillæ, vbi genitura eorum fuerat. Anguillas ex Ioue natas Matron Parodus apud Athenæum fabulatur, nimirum quod earum generatio incerta ſit: qua ratione & fungos & tubera aliqui deorum filios dixerunt. Anguilla neque mas, neq; fœmina eſt: neque prolem ex ſe aliquam poteſt procreare: ſed qui eam capillamentis & lumbricis quædam ſimilia interdum adnexa ſibi gerentem vidiſſe aiunt, inconſideratè id aſſerunt, antequam aduertant, qua parte illa gerantur. Neq; enim aliquid eiuſmodi eſt, quod animal creet, niſi prius generarit ouum. quod in nulla Anguilla viſum eſt. Et quæ animal gignunt, ſuo in vtero fœtum continent, non in ventriculo. Ita enim non ſecus, quàm cibus concoquerentur primordia genituræ, Ariſtot. Et alibi, In genere anguillarum quoque meliores ſunt, quas fœminas nominant, quæ nomen fœminæ temere acceperunt. non ſunt enim fœminæ, ſed quia aſpectu à cęteris diſcrepãt, fæminę appellantur. Salamandris non eſt genus maſculinum fœmineúmue, ſicut neque in anguillis, omnibusq́; quæ nec animal nec ouum ex ſeſe generãt, Plinius. Albertus aſſerit anguillam tempore pluuiarum in gutture oua habere: cuius error perſpicuus eſt, cum in anguillis ſexus non

ſit, Ni-

ſit, Niphus. Anguillas generari, inquit Cardanus, non ex muſtellis, certum eſt, quòd natura & forma plurimum differant. nec ex ſemine ouíſue. hoc enim haud dubium eſt. ſed ex pingui humido, quale etiã ſub terra inuenitur. Conſtat in Mincio amne quandoq; mille ſimul glomeratos capi. cur autem tot glomerentur, aut ob timorem contingit, aut ob inopiam caloris, vt dictum eſt: vel quia hoc loco coitus illis ſit. nam dum ſimul ſunt, genus earum reparatur. Veriſimile enim eſt, quemadmodum quædam ſolo ſemine in proprio loco velut perfecte animalia generantur: quædam abſq; proprio loco & ſemine, velut quæ primò ex putredine ſola fiunt: ita quædam ex ſemine, ſed non in proprio conceptaculo, cuiuſmodi ſunt anguillę. Semen autem (anguillarum) eſt pingue quoddam, quod nõ ex certa parte deciditur. Perficitur tamen certis temporibus velut Octobri menſe, & coniunctione plurium. Sunt etiam inter eas quędam maſculis ſimiles, craſſiore, latiore ac breuiore capite. alię fœminis, his contrarię. Rondeletius ſibi inconſtans, maſculas deſcribens, in eadem fermè pagina, modò longiore, modò breuiore * capite eſſe ait. Supernatare vt cęteri piſces ab interitu non ſolent: quoniam veſicam multò aëre plenam, vt illi non habent. Ergo primum anguillę ex ſola putredine pinguis humidi generãtur, velut & apes & veſpę. Deinde facilius multò è ſucco vnius ſeu ſpuma, facillimè autem ex multarum colluuie. Itaq; nihil mirum eſt ſub terra eas generari, quemadmodum & ſerpentes. Cum enim ſub terra (vt dictum eſt) vbique fermè aqua, velut in ſpongia contineatur: velut ſerpentes ex terra humida, ita anguillę ex aqua ſub terra contenta. Et, vt dixi, vna genita, aliæ generantur ex illa. Aluntur autem ex his, quibus generãtur. nam & echini & vermes plurimi ex arena aluntur, Hucuſq; Cardanus. Νύμφα ἀπειρόγαμος, anguilla Eubulo. Propter æqualitatem & ſimilitudinem corporis facilimæ eſt generationis, Albertus. Diu in litore & terra viuit, Oppianus. Anguilla, & quęcunq́; ſerpentis ſpeciem referunt (vt murænæ) quoniam branchias habent pauciores, minuſq́; continentes, diu extra aquam viuere poſſunt, non enim multum refrigerationis deſiderant, Ariſt. Theophraſtus libro 5. de ijs quæ degunt in ſicco, inquit & anguillam & murę nam diutius poſſe extra humorem viuere, eò quòd paruas branchias habeant, & parum humoris admittant, Athenæus & Plinius. Si à ſole tangantur in terra, breui emoriuntur, vt audio. Viuere exemptu aquis vel ad diem quintum, ſextumq́; poſſunt. & aquilone etiam diutius durant, auſtro minus. & ſi æſtate de lacu in piſcinam transferuntur, viuere nequeunt: ſed ſi hyeme, facilè ſedis mutationem patiuntur, nullam deniq; vehementem mutationem tolerant. & quidem æſtate (τοῖς φέρουσιν ἐὰν βάπτωσιν εἰς ψυχρὸν Ariſt. de hiſt. anim. lib. 8. ca. 2. Gaza pro τοῖς φέρουσι legit θέρους) etiamſi in frigidam aquam transfers, omnes plerunq; intereunt. Quin & ſi exigua in aqua ſtabulentur, pereunt. Ariſt. & partim etiam Plinius. Hyemem in exigua aqua nõ tolerant, neq; in turbida, Plinius. Viuit extra aquam ferè per quinque dies, ſi ſit in loco vmbroſo, frigido, præcipuè ſi verſetur in gramine, & non impediatur à motu: idq; magis ſi ventus Septentrionalis aſpiret, Albertus. Vita anguillis nonnullis vel ad ſeptem octoq́; annos protrahitur; Ariſtoteles. Octonis viuunt annis, Plinius. Platina non rectè ſcripſit octoginta. Nos ſeruauimus anguillam in piſcina per quindecim annos, Niphus. Paſcuntur noctibus, Plinius. Aegerrime moritur. nam & excoriata etiamnum viuit. ad tonitrua cõmouetur, Author de nat. rerum. Cum tonuit, de fundo ad ſuperficiem enatam: & tum retibus facilè capiuntur, Albertus. Anno natus Domini 1125. frigus per hyemem ingens fuit, & plurimæ niues, ita vt in viuariis piſces propter glaciem ſuffocarentur, & anguillæ impatientes frigoris in terram proreperent, & infrà fœni cumulos ſe abderent: quanqnam illic etiam perierunt, Annales Auguſtæ Vindelicæ. Exanimis ſola piſcium non fluitat, Plinius: niſi cum aquis putrefacta diſſoluitur, Author de natur. rerum. D

*Ego hanc inconſtantiam in Rondeletii Anguillæ hiſtoria, quam poſsumus, non reperio.

Nymphodorus Syracuſanus mugiles & anguillas tantopere inquit cicures eſſe, vt de largientium manu cibum ſumant. In Arethuſa Chalcidenſi mugiles etiam manſueti & anguillæ inauribus tum argenteis, tum aureis ornati accipiunt à largientibus cibos, à ſacerdotibus viſcera, & caſeos, Gillius ex Athenæo. Nymphodorus in Eloro amne inquit eſſe lupos, & anguillas magnas, adeò manſuetos, vt è mænibus etiam porrigentium panem capiant Athenæus. quod & Apollodorus meminit in Chronicis. Anguillas cicures (ſacras vocant) Arethuſam habere conſtat, Plutarchus. meminit etiam Ælianus. In Labradij Iouis fonte anguillas è manu veſci, & inaures additas gerere, veteres prodidêre, Plinius. Sunt qui referant anguillas ſi in terra incluſę ferantur, & in propinquo ſint ſerpentes, ſibilum ędere, quo excitati illi ad properent: quod apud me parum veriſimile eſt. Ardeę cum alios piſces tum anguillas deuorant, Turnerus de ſtellaribus hoc priuatim tradit. Morfex ex magnorum mergorum genere piſces magnos capit, pręcipuè anguillas Albertus. Phalacrocorax anguillas integras vorat, quod Anglus quidam nobis retulit. illæ mox per inteſtina elapſæ, denuò deuorantur. idque vel nouies aliquando repetitur, priuſquam debilitata tandem retineatur.

Anguilla ſic capitur: Vas ſalſamentarium ponunt obſtaculo in eius os indito, quod colum vocant, Ariſtotel. In noſtro quoque fluuio Limago ſimiliter excipulis capiuntur, propter anguillas præcipuè fabricatis. In medio nempe fluminis ſępes vtrinque excitantur, ſpiſſæ conferctęque viminibus & virgultis. eæ ſuperius longè inter ſe diſtant, vt earum initia ſint quaſi duæ extremitates baſis in triangulo. deinde paulatim ad trianguli mucronem producuntur: illic in medio naſſa ſiue excipula (aliqui excipulum genere maſculino dicere malunt. Euphorbię herbæ inciſæ conto ſubditur exaipulus ventriculo hœdino, Plinius libr. 25. capit. 7.) ponitur: qua piſces & anguillæ ſecundo fluuio deſcendentes excipiunt. (Supra excipulam caſula piſcatoria ſtruitur, qua inſtrumenta ſeruantur. Anguilla tonitru territa, de fundo ad aquæ ſuperficiem enatat: quod ſi tunc rete per ſtagna, in quibus ſunt anguillæ trahatur, ferè omnes capiuntur, ita vt aqua euacuetur anguillis, Albertus. Anguillas vidi paſci ranis, vermibus & piſcium partibus: quibus eſcis etiam ad hamum capiuntur, Idem. Audio lumbricis etiam hamo affixis eas ineſcari. Ex Tarentino eſca ad anguillas: Scolopendræ marinæ, caridum fluuiatilium, ana drachmas octo, cum ſeſami drachma vna axceptis vtitor. Alia ex eodem: Salis Ammoniaci drach. octo. cepæ drach. I. adipis vitulini drach. VI. quæ vbi miſcurris hamos cæruleos conficito, eosque ipſo pharmaco inductos, aquis immergito: ſtatimque piſces v tro ratione odoris ſeſe impellentes accedent. Solent autem piſcatores hamis cæruleis vti, (quales fiunt, ſi poſtquam expoliti ſunt per cineres feruidos ducantur,) ne, ſi fuerint ſplendidi,

piſces

piſces refugiant. Cum aqua tranquilla eſt, efflare videntur anguillæ. apparent enim bullę paruæ in ſuperficie aquæ vbi latent: quo indicio deprehenduntur, & feriuntur aliquando fuſcina ſeptem vel nouem dentibus mucronata, (*mit dem geeren.*)

Anguillæ quomodo capiantur inteſtino in aquam demiſſo, vt ſupra etiam ex Oppiano Rondeletius recitauit. nos hic Aeliani paraphraſim appoſuimus. Homo piſcandarum anguillarum vſu peritus ad ſinuoſum locum vbi latius confluens dilatatur, vel in ſaxis ex aqua eminentibus, vel in arbore radicitus ventorum turbinibus extirpata & iam putreſcenti ſedens, perpinguis inteſtini ouilli tria aut quatuor cubita patentis alterum caput in aquam deijcit, quod aquæ verticibus agitatum volutatur: idemq; illius alterum extremum manibus tenet, in quod quidem ipſum arundinis fruſtum perinde longum atq; gladij capulum inſertum eſt. Neque vero diu anguillas eſca latet, quin continuò earum prima quæque fame ſtimulata hiante ore atque imminenti hamatos ac vnciatos dentes ſuos in idipſum inteſtinum defigit, atque hoc idem crebra inſultatione detrahere conatur. At enim piſcator anguillam intelligens, ad fluctuans inteſtinum inhæreſcere, arundinem ad quam alligatum eſt inteſtinum ori ſuo admouet, & quoad poteſt inteſtinum inflat: quod quidem ipſum defluente hominis aſpiratione & impletur, & penitus intumeſcit: & ventus in anguillam illapſus, illius fauces opplet, atq; anhelitum eatenus obſtruit, vt ea non queat neq; reſpirare, neque infixos dentes detrahere. quare ſuffocatur, & captiua ſubtrahitur. Quid ſit *a bedde of eeles* poſt tonitru, Angli dicant. Circa Vergilias maximè capiuntur, fluminibus tum præcipuè turbidis, Plinius.

De anguillarum viuarijs vide ſuprà in C. Anguillæ aquis iniectę, hirudines perdunt, Paxamus in Geoponicis. Zigari vulgò appellati, hominum genus erroneum & ad fraudes natum, anguillas equis per anum (vt audio) inſerunt, vnde illi inflati obeſiores videntur: & cum propter moleſtiam interaneorum ſaliant, alacriores, itaque væneunt maioris. Vide infra in G. mox ab initio. Aureum vel cholobaphicum colorem aliqui parant ex felle anguillarum, vel aliorum piſcium maiorum, vel boum. miſcent autem aceti modicum, & cum creta ſubigunt in maſſam. Anguillarum tergore verberari ſolitos tradit Verrius prætextatos. & ob id multam his dicit non inſtitutam, Plinius. Prætextatos (inquit Calcagninus in Collectaneis vetuſtatis) impubes appellat. de quibus legem veterem Crinitus affert: Impubes (qui frugem aratro quæſitam nocte furtim depauerint, aut ſecuerint, ex Plinij lib. 18. ca. 3.) arbitratu prætoris verberanto: ac noxam duplionem decernunto. Mirari ſe inquit Calcagninus multam additā eſſe duplionem, ſi ideo verberantur quòd ea ætas nondum mulctæ idonea videatur. ego pro ac noxam, legerim aut noxam apud Crinitum. Noſter Plinij codex habet, noxiámue duplionémue decerni: malim, noxámue duplionem decerni. Præbent & alios vſus ex anguillarum pellibus lora, & mulieribus dum obeliſcos ferreos circumagunt, vt fila arundinum cannis agglomerent. Limus aquarum vitium eſt, ſi tamen idem amnis anguillis ſcateat, ſalubritatis indicium habetur, Plinius.

F Quibus in locis anguillæ vel abundent vel commendentur, leges ſupra in B. In mari rariſſimè capiuntur, & eæ quidem multò ſapidiores videtur, quàm ipſæ prognatæ nutritæq; in amnibus. veluti quę viſcoſum lentumq; illum habitum penitus exuant ſalſarum aquarum egregio temperamento, Iouius. Diphilus inquit anguillas lacuſtres inſuauiores eſſe marinis, & pluris alimenti. Archeſtratus cum omnem anguillam laudat, tum maxime quæ in freto è regione Rhegij capitur. Sed valde præſtantes ſunt etiam (inquit) Copęę & Strymoniæ. ſunt enim magnę, & perquam craſſæ. ὅμως δ' οἶμαι βασιλεύει ἔγχελυς, ἣ ... ἀπυρήνος μόνος ἰχθύς. vide an per ... proprium anguillæ genus, fortè lampredam intelligat, quæ & delicatiſſima eſt, & tota ... puto, id eſt ſine omni oſſium, ſpinarumq; duritie: anguilla non item. Circa ſolſtitium eas medici maximè deteſtantur, Iouius. Pręferuntur corporis mediæ partes. Murænas Hiceſius ait multum alere non minus anguillis & congris. Gryllus anguillæ ſimilis eſt, ſed inſipidus, Diphilus. Anguillæ in cibo damnantur omnes quocunque tempore. duræ nanq; digeſtionis ſunt, & humorem viſcoſum aggenerant. verum ex his quas fœminas nominant, meliores eſſe conſtat, de quibus in C. diximus. Multum alunt, ventrem molliunt, arteriam repurgant, vocem reddunt claram, (quod etiam de congris quidam tradunt) & genituram augent. faſtidium tamen pariunt: & quę fuerint maiores, vberius alunt, humores excrementitios generant, Elluchaſem. Congros Hiceſius ſcribit σκληροτέρους εἶναι ἀγελαίων (... ἐγχελύων, quod placet) καὶ ἀραιοσαρκοτέρους τε καὶ ἀτροφωτέρους, ἐν χυλίᾳ τ, πολὺ λειπομένους. εὐστομάχους δ' ἐ̓ εἶναι. Anguillas omni ex loco, omniq; tempore, & pręſertim circa ſolſtitium medici deteſtantur. Stomachis enim & renibus ſunt inimicæ, ſed præcipuum ſentiunt nocumentum ex earum obſonijs, qui arenulas mingere conſueuerunt: quoniam illę anguillari glutino in calculos cogi & aſtringi videantur. Podagra quoq; laborantibus manifeſtè officiunt: nec vllis morbis medentur, ſic vt iniquè feciſſe natura videatur, quæ tam ſuauem refutandis expuendisq; piſcibus ſaporem indiderit. Cęterum anguillas minimè noxias, ſed quę propter exilitatem commodè verubus torreri nō poſſint, gignit Serius Cremonenſis agri fluuiolus, qui in Adduam excurrit, Iouius. Anguilla ętate prouectior, ſalubrior habetur iuniore ſecundum quoſdam, Arnoldus Villanouanus. Iuncturis inferioribus nocet, Idem. Author Salernitani carminis de ratione victus anguillam in cibo voci nocere ſcribit, contrà quàm Elluchaſem: & ſi edatur, frequenter ſuperbibendum eſſe, nimirum vinum generoſū, vt craſſus & viſcoſus ex ea ſuccus diluatur. Anguilla & lampreda craſſum glutinoſumq; ſuccum procreant, & magis anguilla: & timendum eſt ne quid eis veneni inſit, Arnoldus in Regimen Salernit. Ne in aqua quidem pura, nedum in ea quæ ſtagna aut purgamenta vrbis alicuius excipit, probatur vnquam Gulielmus Pantinus. Hippocrates mugile & anguilla abſtineri iubet in tertio genere tabis, & in primo ſplenis morbo. Inflammatio aliquando in pulmone fit, maximè à vinolentia & guloſitate piſcium capitonum & anguillarum, hi enim pinguedinem habent naturę hominis infeſtiſſimam, Idem, ni fallor. Anguillæ ad ſemilibram eſitatæ ventrem emolliunt: idē facilius efficit libra, Braſauolus. Sunt qui anguillam pulmoni & pectori vtilem faciant.

Hecticis conceduntur aliquando anguillę, ſed rarò, Gaynerius. Ad venerem concitandam, Ex piſcibus delicatiores ſubueniunt, aromate conditi, quales anguillæ, & ex Benaco lacu carpiones, Alexander Benedictus.

Appa-

Apparatus. Caput & cauda extrema anguillis coquendis abſcinduntur, ſiue quod pulpæ nihil eis inſit, ſiue quod aliquid veneni habere exiſtimantur. Sunt qui venenum etiam contineri putent in vena illa oblonga nigricante per ſpinam dorſi, quamobrem eximunt. Piſcatores noſtri anguillis cutem detrahunt, vtpote denſam & viſcoſam: detrahitur autem difficulter, deinde in tomos ſcindunt, & ſanguinem ceu noxium, diligenter eluunt. In vino optimo viuę ſubmergi debent donec immoriantur: deinde præparari cum aromatibus inſtar gelu: ſed præſtat vt prius in aqua bis ebulliant: deinde ea effuſā decoquantur ad perfectionem: & fiat gelu, vel paſtillus, vel aſſentur cum embāmate idoneo, vt quod viride cognominant, adiectis aromatibus & vino hyeme, omphacio autem & aceto æſtate, Author annotationum in Regimen Salernit. Cum omnis cibus non ſatis coctus noxius ſit, hic tamen præ alijs omnibus: vnde plus quàm reliquorum piſcium coctio eius, temporis requirit. Toſta quidem quàm elixa nutrimento eſt commodior, vitioſis ſcilicet humoribus per ignem ſublatis, Adamus Lonicerus. Captam anguillam & excoriatam, & exenteratam, in fruſta ſatis magna concides, ac veru ad focum bene coques, poſitis inter fruſta lauri aut ſaluiæ folijs; humectando ſemper cocturam muria, quam iſti ſalimolam vocant. Vbi prope cocturam fuerit, farina aut pane trito, addito cinnamo, & ſale inſpergendo circumquaque incruſtato. Elixam ſi voles, cum petroſelino, ſaluia ac aliquot lauri folijs percoques, & agreſta ac pipere ſuffundes. Salitam pręterea in fruſta concides. maceratam in aqua horis quatuor aut quinque, in cacabum ad focum pones: ſemicoctam in aquam recentem transferes: ſinesque efferuere, donec omnino coquatur. Coctam, petroſelino conciſo & aceto ſuffundito, Platina. Torta ex anguillis: Anguillam decorticatam & in fruſta conciſam, parumper elixabis. Amygdalarum ſuccum cum agreſta & aqua roſacea per ſetaceum in catinum tranſmittes. Non erit item ab re, quò ſpiſſius hoc fiat, paſſulas cum tribus aut quatuor ficis contundere. Atriplices deinde cum petroſelino manibus diſfractos, & in oleo parum frictos paſſularum vnciam, nucleorum item pineorum vnciam, gingiberis, piperis, cinnami, crocique parum, ſupradicta tandiu manibus admiſcebis, quoad vnum corpus fiant. Mixta, in patellam bene vnctam & ſubcruſtatam indes, per quædam quaſi tabulata fruſtra anguillæ collocando. vbi ſemicocta fuerit, in ſuperiorem cruſtam pluribus in locis perforatam, modicum agreſtæ, aquæ roſaceę ac ſaccari ſuffundes. Coctam demum hoſtibus appones. Nihil enim boni in ſe habet, Idem. Et rurſus, Anguilla in torta: Anguillæ elixæ & in fruſta conciſæ, aut lac alterius piſcis, aut adipem minutatim inciſam, parum mentę, petroſelini conciſi, pineorum vnciam, tantundem paſſularum, modicum cinnami. gingiberis, piperis ac caryophyllorum addes, miſcebisq;. In cruſtam deinde extendes, addendo parum optimi olei. Vbi prope cocturam fuerit, duas vncias amygdalarum tunſarum in agreſta cum croco diſſolues, ac per ſetaceum tranſmittes, ſuperq; totam leniter extendes. Hoc pulmento Palladius Rutilius mirè delectatur, etſi nihil boni in ſe habet. Elixari apud nos ſolet, & apponi in iure croceo aromatico. Excoriata fit melior, præcipuè quando aſſatur. ſic enim nimia eius humiditas exiccatur, Albertus: & quod noxium ineſt, euaporat, Obſcurus. Itali anguillas ferè aſſant, & ne pinguedo deſtillet, aſpergunt interim amylo aromatibus mixto. Aſſaturi anguillam coqui in tomos concidunt, quos obeliſcis transfigunt. alij integram aſſant, ita vt poſtquam pelle ablata dorſum repurgauerint, & ſaluię folia pulpę eius inſeruerint, rurſus ei ſuam pellem inducant. Anguilla ſalita plurimum vtuntur Itali Adriatico vicini, Bellonius. Circa catarractam Rheni prope Scaphuſiam, anguillæ digitales tantum ſale inueterantur. Magnas vel ad brachij craſſitudinem capi audio in Aqua mortua, vt appellant, Galliæ Narbonenſis: quæ viuę nec exenteratæ conijciantur in magnum vas ligneum, ſale qui ſufficiat ſuperiniecto. in eo anguillę ſe reuolutant & immoriuntur. Tertiò poſt die exenterantur, paranturque ad cibum in veru. ſic etiam ſalubriores eſſe putant. Ius in anguilla ex Apicio: Piper, liguſticum, apij ſemen, anethum, rhûn Syriacum, caryotam: mel, acetum, liquamen, oleum, ſinape & defrutum. Aliud: Piper, liguſticum, rhûn Syriacum, mentham ſiccam, rutę baccas, ouorum vitella cocta, mulſum, acetum, liquamen, oleum, coques. Τὰς ἐγχέλεις ἥδιον, καὶ μετὰ τούτων ἐντυλίξαντες, vt apud Athenęum legimus. hinc Eubulus, Νύμφα ἀπειρόγαμος τεύτλῳ περὶ σῶμα καλυπτὰ λευκόχρως πάρεστιν ἔγχελυς. Et alibi, Αἵ τε λιμνοσώματοι Βοιώτιαι παρῆσαν ἐγχέλεις θεαὶ τεύτλ' ἀμπεχόμεναι. Et alibi, Παρθένος Βοιωτίας Κωπάδος, ὀνομάζειν γὰρ αἰδοῦμαι θεάν.

Equo aſthmatico (ſic enim interpretor, quem Germanicè ſuffocatum appellant, *erſteckt*) hippiatri quidam anguillam viuam ori inſerunt vt per inteſtina elabatur. Sunt qui anguillam paruam imponi iubeant purgationis gratia. Vide ſupra in E. de Zigaris, qui hoc faciunt vt equi alacriores obeſioresq; videantur. Eſt apud nos nauta, mihi notus, qui viuam aliquando deuorare auſus, integram viuamq; aluo reddidit. Aſſa in cibo ſtomachicos & dyſentericos ſanat, Kiranides. Vinum in quo anguilla ſuffocata ſit, (anguillæ duę necatæ, Plinius,) potui exhibitum, vini odium (tædium, Plinius) parit, Galenus Euporiſton 3. 152. Vinum cui immortua fuerit vel modice potum, ſine ebrietate eſt, (ebrietatem arcet,) Kiranides. Gaynerius in cura hecticæ propinat aquam quę vi ignis vaſe chymico deſtillārit ex capis minutatim conciſis, vel anguillis, &c.

G

Anguilla ... gra.

Sanguinem anguillæ cum rubello vino duplici menſura coniunges, & ex aqua tepida mixtum colico ieiunio dabis bibendum, ſed ſub dolore dari oportet. nam & præſens remedium feret, & in futurum morbo huiuſmodi liberabit, Marcellus. Anguillæ pinguis in aqua ſine ſale decoctæ adeps ſupernatans glabro capiti capillos reſtituit illitus, vt Iudęi quidam promittunt. Adeps de anguilla vt dictum eſt collectus, & ſimiliter de anſere, miſcentur ac ſubiguntur cū ſuccis rutæ, abſynthij, hederę terreſtris & cynogloſſi, ad formam vngenti. hoc vncta vulnera alio emplaſtro non egent, & breui perſanantur, ex libro Germanico manuſcripto. Ad ſurditatem: Adipem ſimiliter de anguilla cocta lectum, cum ſucco ſed ſubige: & inde guttam auribus inſtilla: & linteo calido obtura. deinde panem album bene calidum impone, Ex eodem. Pinguedo anguillæ auribus medetur, Author de nat. r. Ad hæmorrhoides exeuntes & dolentes: Anguillam euiſceratam abſciſſis extremis tundito, & in olla vitreata coquito: & cum pinguedine ac liquore qui remanet in fundo vaſis, inungantur hæmorrhoides, Leonellus Fauentinus qui hoc Alberti experimentum eſſe ſcribit, Alexander Benedictus pro eodem remedio filipendulæ herbæ radicis farinam addi iubet, & imponi. Anguillæ hepar cum felle ſuo in vino ſolutum, & pro-

Sanguis.

Adeps.

Hepar cum felle. Fel. Cauda.

&propinatum alicui clam, abstemium reddit, Kiranides. Locus in quo euulsi fuerint pili, illinatur felle anguillæ masculæ mixto cum oleo rosarum vel sanguine vespertilionis, Arnoldus. Si vaccæ à coitu cauda anguillæ detur, certò concepturam promittunt quidam, homines scilicet nimis vel stolidi vel superstitiosi.

H.a Λυκηλάτης Lacedæmonij anguillas vocant, Hesychius. videtur enim vocabulum Lacedæmonij huc pertinere, non ad Λυκιάδης vocem præcedentem. Offia, id est anguilla, Syluaticus, mihi potius ophis scribendum videtur, quod est anguis Græcè. Ἔγχελις apud Aristotelem in vltima per iôta scribitur, vt Athenæus annotat. ego librariorum culpæ id adscripserim: nam ex alijs casibus per ypsilon scriptis apud Aristotelem, (vt sunt in plurali αἱ ἐγχέλυς, τῶν ἐγχελύων vel ἐγχέλεων, τὰς ἐγχέλυς,) coniecerim eum in recto singulari quoque ἔγχελυν dixisse. etymologiæ etiam ratio ypsilon in vltima requirit, cum & vocabulum ἰλύς, quod est limus ita scribatur. dicitur enim ἔγχελυς διὰ τὸ ἔχεσθαι ἐν ἰλύϊ, vel quasi ἐν ἰλύϊ χεομένη: ex limo quidem etiam gignitur, vt canit Oppianus. recentiores Eberus & Peucerus διὰ τὸ ἄγχεσθαι ἐν ἰλύϊ nominatam coniiciunt, quòd limo strangulentur. etsi id non limo simpliciter, sed aqua perturbata patiuntur. At Scholiastes Aristophanis annotat Bœotos ἔγχελιν per iôta efferre. Non placet quod apud Varinum legitur ἐγχύλης paroxytonum per η. in vltima. Ἔγχελυς & ἔγχελυν Simonides dixit: Homerus ἔτ ἐγχέλυας. videtur .α. per εως quoq; declinari à recto paroxytôo ἐγχέλυς, vel aliter proparoxytono ἔγχελυς. Apud Comicũ & alios plures legimus ἐγχελέων & ἐγχέλεις. Aelius Dionys. in singulari numero docet ἔγχελυς dici, in plurali ἐγχέλεις, ἐγχελέων, (al' ἐγχέλεων propar.) ἐγχέλεσι, Varin. Attici (iq. Athen.) ἔγχελυν in singulari per ypsilon proferũt, in plurali sine ypsilo. Σκέψασθε παῖδες τὴν κρατίστην ἔγχελυν, Aristophanes in Acharnensibus. Et alibi, Ἔγχελυν Βοιωτίαν. Et alibi, Καὶ λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς. Apud eundem ἐγχέλεις, ἐγχέλεων & ἐγχέλεσι reperias. Ἐγχέλεων ἀνεψιός, Strattis. Οὐδὲ χαίρω βατίσιν, οὐδ' ἐγχέλυσιν, Aristophanes in Acharnensibus. Ἐγχελίδιον Antiphanes forma diminutiua protulit. vt citat Athenæus: apud quem tamen in alio versu Amphidis poetæ antepenultima eiusdem vocabuli melius per ypsilon legitur. Ὀπτᾶτε τὰ ἐγχέλεια, Aristophan. in Acharnensibus. vbi Scholiastes, λείπει τὰ κρέα, ἢ λέγει τὰς ἐγχέλεις. Varinus ἐγχέλεια interpretatur τὰ τεμάχη τῶν ἐγχελύων.

Ἔνθυμον ἐγχέλεια καὶ θύννους ἔχει, Alexis. Τὰ δ' ἐγχέλεια χαίρομαι λεπτοτάξια, Antiphanes. Est ergo ἐγχέλειος nomen adiectiuum, ac si anguillinum dicas: quare non probo quod alibi apud Athenæum penultima per iôta vel per ypsilon scribitur in versibus Antiphanis, Posidippi & Archestrati. Ἐγχελεοτρόφους Aristoteles vocat eos qui in viuarijs (quę ἐγχελεῶνας quasi anguillaria nominat) anguillas alunt. apud Athenęum tertia ab initio syllaba per y scribitur: Gaza reddidit, qui viuarijs anguillariis dant operam.

'*Palynck* Flandris est genus anguillæ, nobilius & maius, totum colore fusco: in profundo fluuiorum degit, & aqua discedente se occultat. *Aal* verò ijsdem (vt audio) sub pectore habet colorem flauum ferè, & cadaueribus delectatur. *Ele* vel *Ele*, Anglis (vt dixi) anguilla vocatur: quæ si obesa & grandis fuerit, *Fausen ele* cognominatur. Neque enim *Fausen* piscis nomen per se est, vt quidam scripsit. Minima Anguilla ijsdem *Grigge* vocatur. *Schaftyng* verò media inter *Grigg* & *Fausen ele*. Haud scio an eadem sit Flandrorum & Hollandorum *Palynck*. Anguillæ quædam *Pymper eles* dictæ, ex Flandria in Angliam conuehuntur. Piscis, quem Coloniæ vidimus, pharmacopola seruabat, in vitro aquę pleno, vocatur Germanicè (si rectè memini) *ein pypé oyle*, spithamen longus, toto corpore nigris maculis refertus, ore lãpetræ simili, barbato, pinnato dorso, & alecis cauda simili, Hæc amicus quidam ad me. Idem, vt conijcio apud Anglos aut inferiores Germanos *Sprallsyle*, vel *Spralbyle* appellatur. nam & hic piscis esse dicitur anguillę similis, sed caput habet vt piscis fundulus, colore cinereo, maculis nigris. dodrantem longus. Idem est fortè quem *Pymper ele* quidam vocitant. Polonicum anguillę nomen est *Vnegorz*.

Gordonius anguillas nemorales inter oculorum remedia commendat, nimirum angues quosdam nigros & anguillis similes intelligens. Lumbricos longos in falconibus recentiores aliqui anguillas vocant. Qui de piscibus iocos quosdam Germanicè confinxerunt, anguillam aiunt histrionem vel mimum esse, '*Der Aal ist ein Gauckler*: fortè quòd varijs & lubricis motibus hoc hominum genus imitetur. Nos anguilla manet longę cognata colubræ, Iuuenalis Sat. 5. Τὰς εἰκοῦς (ἀντὶ τοῦ εἰκόνας) τῶν ἐγχέλεων τὰς ἐμὰς μιμούμενοι, Aristophanes in Nebulis, vt citat Suidas.

Harpya vrbs est Illyriæ iuxta Encheleas, Stephanus. Ἰλλυριῶν τοὺς καλουμένους Ἐγχέλεας, Pausanias in Bœoticis. Colchi qui ab Aeete ad repetendam Medeam erant missi, non ausi redire, pars habitarunt in Illyrica circa Ceraunios montes prope Enchelas vel Enchelyas populos, vt Apollonius quarto Argonauticorum refert, Ἀνδρέσσιν Ἐγχελέεσσιν ἐφέστιοι: sed scholiastes Ἐγχέλυας eos vocat.

b Remoram piscem aliqui longitudine mediocri anguillæ ęquant. Circa Ebucam Insulam alicubi in Orbe nouo piscis est mirabilis anguillę similis, excepto capite quod grandius habet, cum pellicula crumenę non dissimili, qua pisces inuolutos comprehendit, & piscatoribus adfert, Gyllius. Albertus in lacu Ponamico pisces magnos nasci scribit anguillis similes, nimirum generis mustelarum quas vulgò *Trüschen* appellant, aliqui ab anguillæ similitudine *Alputt*: quem piscem inferiores Germani vulgò anguillarum matrem esse dictitant. nam & similis eis est, & ventricosus tanquam grauidus:) vel maiores illis *die Wellmen*. Congrum aliqui Germanicè *Meeraal*, id est anguillam marinam interpretantur; vel quod idem significat *Seepaling*. Angli nomen Latinum seruant, vel etiam anguillæ adiiciunt, *Conger*, *Congerele*. congros verò pusillos priuatim vocant *Eluers*.

c Aliqui in generoso equo cum diuersas aliorum animalium virtutes requirunt, tum etiam anguillę, agilitatem nimirum & celeritatem. In sinu detentæ quæ magnę sunt ita circumuinciunt hominem, vt nonnunquam suffocent, calore enim illo tepido delectari verisimile est, Cardanus.

d Referunt fides è corio anguillarum, auditores ad saltationem inclinare, Cardanus.

e.&f Sybaritani hominum luxuriosissimi iis qui anguillas piscarentur aut venderent, vectigalium immunitatem decreuerunt, Athenęus. Ὃν δ' ἂν ἴδῃ πρῶτον πένητα καὶ νέον Παρὰ Μικίωνος ἔγχελυν ὠνούμενον, Ἀπάγειν λαβόμενον εἰς τὸ δεσμωτήριον. Alexis. Miseri sunt diuites qui parcè viuũt: Οὐ γὰρ θανών γε δήποτ' ἔγχελυν φάγοις, Philetærus. Menander inter paucas sumptuosissimi conuiuij delicias, quæ taléto ferè cõstarent, anguillas et-

las etiam numerat. Τῷ δ' (Γόγγρῳ) μετ' ἴχνια βαῖνε θεὰ λευκώλενος ἰχθῦς Ἔγχελυς, ἣ Διὸς ηὔχετ' ἐν ἀγκοίνῃσι μιγῆναι: Ἐνκηιτῶν, ὅθεν ἐγχελέων γένος ἀγροτεράων, Matron Parodus in descriptione conuiuij. addit autem tantam fuisse vt vix à duobus viris robustis eleuari potuerit. Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα: Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ, Anaxandrides Aegyptium quendam alloquens.

Καὶ τἄλλα δεινοὺς φασὶ τοὺς Αἰγυπτίους — Εἶναι, τὸ νομίσαι τ' ἰσόθεον τὴν ἔγχελυν.
Πολὺ τῶν θεῶν γάρ ἐστι τιμιωτέρα. — Τῶν μὲν γὰρ εὐξαμένοισιν ἔσθ' ἡμῖν τυχεῖν,
Ταύτης δὲ δραχμὰς τελάχιστον δώδεκα — Ἢ πλέον ἀναλώσασιν, ὀσφρέσθαι μόνον.

Οὕτως ἔσθ' ἅγιον παντελῶς τὸ θηρίον, Antiphanes apud Athenæum. Apud eundem Epicureus quidam anguilla apposita, Παρέστιν (ἔφη) τῶν δείπνων Ἑλένη, ἐγὼ δ' οὖν Πάρις ἔσομαι, καὶ χεῖρας μήπω τινὸς ἐντετακότος ἐπ' αὐτὴν, ἐπιβαλὼν ἐψίλωσε τὸ πλευρὸν ἀναγαγὼν εἰς ἄκανθαν. Et Antiphanes eodem recitante, Πάντ' ἐστὶν ἡμῖν. ἡ γὰρ συνώνυμος Τῆς ἔνδον οὔσης ἔγχελυς Βοιωτία, Μιχθεῖσα κοίλοις ἐν βυθοῖσι κακκάβης Χλιαίνετ', αἴρετ', ἕψεται, παφλάζεται. Nidorem quoque (inquit) talem emittit, tantumq;, vt ne faber quidem vllus adueniens naso præditus, facile hinc discederet.

Σκέψασθε παῖδες τὴν ἀρίστην ἔγχελυν — Ἥκουσαν ἕκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην.
Προσείπατ' αὐτὴν ὦ τέκν', * ἄνθρακας δ' ἐγὼ — Ὑμῖν παρέξω τῆσδε τῆς ξένης χάριν.
Ἀλλ' ἔκφερ' αὐτήν. μηδὲ γὰρ θανών ποτε — Σοῦ χωρὶς εἴην ἐντετευτλανωμένης.

forte ὦ τᾶν, si per carmẽ liceat.

Dicæopolis homo luxuriosus in Acharnensibus Aristophanis. Scholiastes cum teutlis, id est betis olere anguillas coctas fieri suauissimas scribit: Vnde & alibi dixerit poëta, Τὰς ἐν τεύτλοις λοχευομένας. Εἰς τὴν ἀποδεδαρμένην ἔγχελυν, Οὐ περικαλυπτομένα βοτρυχώδεα, Charmus Syracusanus apud Athenęum qui parœmias aliquas de vnoquoque ferculo in promptu habebat. Lendes tolluntur anguibus in cibo sumptis anguillarum modo, Plinius.

Πολλὰς δὲ τυφλὰς ἐγχέλυας ἐδέξω, Archilochus apud Athenæum. Anguilla Aegyptiorum literis inuidiam signare videtur, quæ ita bonis infesta omnibus est, vt anguilla piscibus, quorum omnium societatem & communionem fugit, Cælius. h. De significationibus ab anguilla sumptis, plura leges in Hieroglyphicis Pierij Valeriani.

Lepidotum & anguillam pisces sacros censent Aegyptij, Herodotus. Agatharchides scribit Bœotios Copaidas anguillas magnas victimarum instar coronare, & cum votis ac precibus iniecto hordeo dijs sacrificare, Athenæus.

Prouerbia. Cissamis Côus: Hunc aiunt pecuarijs gregibus supra modum diuitem fuisse, verùm anguillam quotannis apparere solitam, quæ pulcherrimam omnium pecudem raperet. Ea cum (ab ipso occisa, Suid.) in somnis apparens hominem commonuisset vt sepeliret sese, & ille negligeret, euenit vt tum ipse, tum vniuersum illius genus radicitus interiret, Hæc fermè Zenodotus. Hoc quidem prouerbium Delium aliquem natatorem requirit. Apparet affine quod alibi dictum est Temesseus (ὁ Τεμέσιος, ἢ ὁ ἐν Τεμέσῃ ἥρως, Eustathius) genius, Erasmus. Suidas habet Crissamis per s. duplex, Varinus per simplex. Anguillas venari seu captare (Ἐγχέλεις θηρᾶσθαι) dicuntur, qui priuati compendij causa cient tumultus: inde ducta similitudine, quòd cum aqua stat immota, nihil capiũt, qui capiant anguillas: cum verò sursum ac deorsum miscent ac perturbant aquam, ita demum capiunt, (cuius rei causa superius explicata est Rondeletij verbis.) Quadrabit in eos, quibus tranquillo reipublicæ statu, nihil est emolumẽti. Proinde seditiones gaudent exoriri, quo ciuitatis publicum malum in suum priuatum vertãt commodum. Prouerbium extat apud Aristophanem, (cuius versus recitat Rondeletius,) Erasmus. Meminit & Suidas in Ἐγχέλεις θηρώμενος, & rursus in Ταυτὸν ἐπόνησεν, vbi sic scribit: οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρῶντες τῷ θολῷ τὸ κρατεῖν περιγινόμενοι, καὶ τὸν βόρβορον ἀνατάραξαντες, τῆς θήρας τυγχάνουσι. Hinc illud Alciati Emblema in diuites publico malo:

Anguillas quisquis captat, si limpida verrat
Flumina, si illimes ausit adire lacus,
Cassus erit, ludetq; operam, multum excitet ergo
Sicretæ, & vitreas palmula turbet aquas,
Diues erit. Sic ijs res publica turbida lucro est,
Qui pace, arctati legibus, esuriunt.

Ἀπ' οὐρᾶς τὴν ἔγχελυν ἔχεις, id est, Cauda tenes anguillam: In eos aptè dicetur, quibus res est cum hominibus lubrica fide, perfidisq;. aut qui rem fugitiuam atq; incertam aliquam habent, quam tueri diu nõ possint, Erasmus. Tappius idem Germanicè profert tanquam vsitatũ. *Du hast den aal bey dem schwantz*: Vel, *Er ist zu halten wie ein aale bey dem schwantz*. Anguilla magis lubricus Erasmo prouerbialiter vsurpatur. Anguilla est, elabitur, Plautus Pseudolo, Λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς, Aristophanes. Hinc nos aliquando in vitam humanam his versibus lusimus:

Anguillæ similis vita est, sic lubrica fertur: — *Et quo solicitè premitur magis, effugit illa*
Lubricitate sua citius, transitq; prementem.

Folio ficulno anguillam, subaudiendum tenes: Τῷ θρίῳ τὴν ἔγχελυν: Vbi quis alioqui fugax & lubricus, arctiore nodo tenetur quàm possit elabi. Nam fici folium scabrum est, vt cui nomen etiam inditum ab asperitate scripserit Plutarchus, atque ob id ad retinendam anguillam natura lubricam vel maximè idoneum, Erasmus.

Emblema Alciati in deprehensum:

Iandudum quacunque fugis te persequor: at nunc
Cassibus in nostris denique captus ades.
Amplius haud poteris vires eludere nostras,
Ficulno anguillam strinximus in folio.

Anios pisces nominat Tarentinus in Geoponicis. Ipse ἀνίων scribit in gignendi casu plurali, nisi mendum est.

ANODORCAS, ἀνωδόρκας, nomen piſcis qui & bricchus dicitur, apud Thebanos, Heſychius & Varinus. Legimus & brincum piſcem. Anodorcæ quidem nominis ſignificatio, cum vranoſcopo conuenit. In Lexicon Græcolatinum quidam inſcripſit piſcem eſſe è cetaceorum genere, qui alias brincos dicatur, ſed authorem non nominant.

DE ANTACEO BORYSTHENIS, RONDELETIVS.

Similis eſt huic figura attili in Bellonij libro, niſi quod vnicam in dorſo pinnam hab.t, & caudam nonnihil differentem. Sed aliter attilum Rondeletius pingit.



ANTACEI piſces dicũtur prægrãdes, & vaſtæ magnitudinis in Mæotide & in Boryſthene. Ex his vnus eſt quem hic proponimus roſtro oblongo, acuto, oris vaſto & rotundo hiatu in ſupina parte.

DE EXOSSE PISCE, ET DE ICHTHYOCOLLA RONDELETIVS.

Bellonii figura ab hac differt, præſertim cauda. Hunc autem vocat Germanicè Huſen & Bolich: & geminas in dorſo pinnas ei appingit, &c. Huſo, inquit, Germanorum. aliarum gentium nomina eadem quæ Bellonius ponit.



B CETACEVS piſcis eſt quem hîc proponimus, cartilagineus, ſine oſſibus vllis aut ſpinis, ſine ſquamis. Capite eſt craſſo & lato, ore magno & in prõptu poſito, è ſuperiore maxilla quatuor apophyſes carnoſæ dependent. Oculos paruos habet pro corporis magnitudine.

F Carne eſt prædulci & glutinoſo admodum, ob id ſalituræ idonea, qua melior redditur & rubeſcens Salmonis modo, atque etiam durior, quam ob cauſam aliquandiu maceranda priuſquam coquatur. Eã Tanais & Ponti accolæ Romam & Venetias tranſmittunt, illicq; in foro piſcatorio venditur.

A Ab huius piſcis carne viſcida admodum & tenaci, & ab inteſtino ſiue membrana interna longa, quam complicatam & exſiccatam pro Ichthyocolla vendunt, in Ponto Collanus dicitur vulgò, (*&c. vt Bellonius.*) Quo verò nomine veteres hunc piſcem deſignarint, inquirendum. Primùm eorum improbanda eſt ſententia qui Marionem dici arbitrentur, quod vox hæc affinis ſit Græcorum huius ætatis appellationi, qua piſcem hunc ex quo glutinum ſit, nominant. Cui rei Plinij authoritatem adiungũt, ex lib. 9. Et in Danubio Mario extrahitur porculo marino ſimillimus. Sed cùm Marionis nomen apud nullum autorem Græcum vel Latinum legatur pro piſce, Barbarũ eſſe iudico: depravatumq; eſſe Plinij locum modo citatum docuit me Gulielmus Pelicerius Monſpelienſis Epiſcopus in Plinij lectione exercitatiſſimus & diligentiſſimus: neque enim Mario legendum eſſe, neque mari, vt in vulgatis noſtris exemplaribus habetur, ſed maior, ex veterum & optimorum codicum collatione. Et ne ab eodem loco recedamus, alia eius vitia corrigemus, & inde piſcis de quo nunc agimus nomen Latinum eliciemus. Locus ita nunc vulgò in excuſis legitur. Præcipua magnitudine Thunni inuenimus talenta xv. pependiſſe. Eiuſdem caudę latitudinem duo cubita & palmum. Sũt & in quibuſdam amnibus haud minores, Silurus in Nilo, Eſos in Rheno, Attilus in Pado inertia pingueſcens, ad mille aliquando libras, catenato captus hamo, nec niſi boum iugis extractus. Silurus graſſatur vbicunque eſt, omne animal appetẽs, equos innatantes ſæpe demergens, præcipuè in Mæno Germaniæ amne propter Lisboum: & in Danubio maior, porculo marino ſimillimus. Et in Boryſthene memoratur præcipua magnitudo, nullis oſſibus, ſpiniſue interſitis, carne prædulci. Statim initio eius loci pro Thunni, Thunnum rectè emendauit Maſſarius, * vt vnicus hic intelligatur mirandæ magnitudinis, ſicq; legatur: Præcipua magnitudine Thunnum inuenimus talenta xv. pependiſſe, &c. Deinde pro Eſos in Rheno legendum puto Exos, de quo Exoſſe piſce, ea poſtrema intelligenda ſunt. Et in Boryſthene memoratur pręcipua magnitudo nullis oſſibus, ſpiniſue interſitis, quę piſci quem capiti huic præfiximus aptè quadrant.: oſſibus enim ſpinisque, quæ etiam piſcium oſſa dicuntur, prorſus caret, vt Exos optimo quidem iure dicatur.

Mario non rectè apud Plinium legi. Cap. 15.

Plinii verba.

** Idem ſenſus erit, ſi Thunni legas, & punctum addas. Laon.*

Hæc

Hæc poſtrema Plinij verba ad Silurum referri non poſſunt, vt quidam falſò opinati ſunt: Silurus enim ex Plinio lib. 22. ſpinas habet. Siluri, inquit, fluuiatilis, qui & alibi quàm in Nilo naſcitur, carnes impoſitæ recentes, ſiue ſalſæ. Eiuſdem cinis extrahit, & adeps, & cinis ſpinæ eius vicem ſpodij præbet. Ex quo loco illud quoque colligitur Silurum Nilo amni peculiarem non eſſe, nec Exoſſem Rheno, quamuis in loco prius citato ſcripſerit Plinius, Silurus in Nilo, Exos in Rheno. nam Silurum etiam hodie in Danubio capi conſtat, Exoſſem in eodem Danubio, atque in Boryſthene. Cùm igitur tres prægrandes & cetaceos piſces propoſuiſſet Plinius, Silurũ, Exoſſem, Attilum, ſingulos deinceps explanãs per epexegeſim primum de Attilo, deinde de Siluro, poſtremo de Exoſſe dicit.

Cap. 20.

Abſurdum etiam non fuerit piſcem hunc ichthyocollam appellari. nam etſi nomen hoc glutinum ex piſce ſignificet, tamen pro piſce interdum ſumitur teſte Plinio libro 32. Ichthyocolla appellatur piſcis, cui glutinoſum eſt corium, idemque nomen glutino eius. Idem gluten Dioſcoridi venter eſt piſcis cetacei, præſtatque candicans, natione Ponticum, quale hodie quoque ex eius piſcis inteſtino ex Ponto mittitur, quòd maximo eſt argumento piſcem hunc Ichthyocollam eſſe.

Ichthyocolla. Cap. 7. Lib. 3. cap. 102

E Sed quoniam in Ichthyocollæ mentionem incidimus, ex quibus piſcis partibus gluten excoquatur, & quibus alijs ex rebus etiam fiat, explicandum. * Quidam ex ventre non ex corio fieri dicunt. Ariſtoteles non ex vno tantùm piſce id confici exiſtimaſſe videtur. Ineſt, inquit, in cute omnium lentor quidam mucoſus, verùm alijs magis, vt in tergo bubulo, ex quo glutinum facere ſolent. Quinetiam ex piſcibus glutinum à nonnullis excoquitur. Ergo ex Galeis, cæterisque cartilagineis piſcibus, ex ſepia fieri poſſe puto.

*De Ichthyocolla, & vnde fiat. * Plinius. Lib. 3. de Hiſt. cap. 11.*

Docti quidam eam Aſinorum ſpeciem, quam Moluam Galli vocant, Ichthyocollam eſſe arbitrati ſunt, quod ea glutinoſa ſit admodum, & eius partes quædam in glutinum denſari poſſint. Sed ea opinio ex eo facile conuellitur, quod * Plinius & Dioſcorides Ponticam Ichthyocollam imprimis commendant. Διαφέρει δὲ ἡ ἐν Πόντῳ γεννωμένη οὖσα λευκὴ, ἀπότραχυς, ἀψωρώδης, ταχίστα τηκομένη. Plinius: Ichthyocolla laudatur Pontica, candicans, & carens venis ſquamiſque, & quæ celerrimè liqueſcit. Molua autem non ſolùm Ponti, ſed & maris Mediterranei accolis omnibus planè incognita nunc eſt, & olim fuit, quia in Oceano ſolùm capitur. Quamobrem Ichthyocolla eſſe non poteſt, etiamſi ex ea glutinum confici poſſe non negem. Quantum ad priorem ſcriptorum diſſenſionem attinet, id tenendum, & ex corio ſiue ex cute, & ex inteſtinis ventriculoque, atq; ex capite, pinnis, cauda piſcis Exoſſis: item ex taurorum & boum auribus, collo, glutinum excoqui poſſe, ineſt enim in corijs glutinoſus & mucoſus humor. aliæ verò partes quas diximus ex craſſa & viſcida pituita & conſtant, & aluntur.

*Molua aſinorum ſpecies in Oceano, nõ eſt ichthyocolla piſcis, etſi ex ea glutinum fieri poſſit. *Lib. 3. ca. 102 Glutinũ vnde*

G Madeſcere debet Ichthyocolla, ait Plinius, conciſa in aqua, aut aceto, nocte & die: mox tundi marinis lapidibus, vt facilius liqueſcat. Vtilem eam in capitis doloribus affirmant, & tetanothris. Dioſcorides vtilem eſſe tradit emplaſtris capitis & leprarum medicaminibus, & tetanothris quæ cutem faciei erugant & extendunt. Eiuſdem vſus ad maturandos abſceſſus plurimùm confert: & peritonæo diſciſſo ſiue in enterocele, ſiue in epiplocele, vtiliter admoueri frequenter ſum expertus. In ſanguinis ſputo, in iure capi diſſoluitur, yel cum medicamentis aſſumi prodeſt, necnon in pulmonum vlceribus cum Cancrorum fluuiatilium cinere. Miſcetur cerato illi Meſuæ Diapente nuncupato. Eius vires à Paulo Æg. hæ traduntur. Ichthyocollæ vis eſt opplere & ſiccare: rectè miſcetur emplaſtris capitis, & glutinantibus, & ijs quę ad lepras tollendas, & erugandam faciem conficiuntur. Præter ea quę dicta ſunt addit Auicenna valere * ad veſicas ex vſtione factas, & ad ſcabiem vlceroſam, quòd deſiccet & glutinet.

Lib. 32. cap. 7. Lib. 3. cap. 102 Lib. 7. † Eadem vis taurocollæ.

E Non ſolum ex piſcibus, ſed etiam ex alijs animantibus glutinum fieri autor eſt Plinius. Boum corijs inquit, glutinum excoquitur, taurorumq;, & id præcipuum.

Lib. 11. cap. 39.

DE ICHTHYOCOLLA, BELLONIVS.

F Nullo, aut admodum paruo nutriendis corporibus noſtris eſt vſui, qui Pontico vulgo Collanus piſcis, Bononienſibus Copſus appellatur.

E Valet autem ad conglutinandas omnis generis chartas, atq; inſtrumenta muſica, reliquaq; lignaria incruſtamenta, quæ teſſellato, imbricato, & vermiculato opere fiunt.

A Quamobrem cum antiqui nullum aliud nomen peculiare haberent, quod huic piſci imponerent, partem pro toto accipientes ichthyocollam, vt & Itali Colpiſcem, & vulgus Colabuccum appellauerunt. Quanquam ex multorum aliorum piſcium folliculis Ichthyocolla fieri ſoleat. Ferrarienſes (apud quos, pro Sturione, nequiſſima Ichthyopolarum impoſtura interdum venditur, quum eius caro multum inferioris ſit notæ) piſcem Iudaicum nominauerunt, alij Copeſce. Eſt Italiæ fluminibus (*forte eſt inter Italiæ flumina*) Eridano aut Pado tantum peculiaris: Herodoto à magnitudine qua cetaceos piſces ęquare conſpicitur, Antaceus: Põponio quoque Magnus vocitatus eſt, ac Boryſthenis incola. Eſt enim præcipuæ magnitudinis piſcis, Sturioni & Attilo cognatus: qui quòd quaternis veluti barbis ad labia ſit communitus, ab ijs qui Tanaim incolunt, vulgo Barbotta dicitur. Germanis, apud quos ſexcentarum * librarum pondo ex Danubio aduectum conſpeximus, ab ingenti, & quaſi cuiuſdam paruulę domus magnitudine, hyperbolyce *Hauſen* dictus eſt. Flandris *Bolch*.

** ſcilicet medicarum.*

B Oſſibus ac ſpinis caret, oblongamque ac propè teretem formam refert: hoc à Sturione, atque Attilo præcipuè diſſidens, quod roſtro careat, magnum oris rictum præ ſe ferat, ſitque ſublutea, dura, læui ac glabra cute conueſtita carne. Proinde oculos pro corporis mole admodum exiguos oſtendit: binaque ante ipſorum canthum, parua atq; aperta foramina: pinnas in tergore duas, ad caudam erectas, ſub qua tertiam videas podici vicinam: ac branchias veluti ſpineo tegmine communitas, Sturionis modo: magis tamen bifurcam habet caudam, præcipuaque à cæteris piſcibus nota diſcernitur, quòd paulò ſupra ſpineum operimentum branchiarum, quodam ad eius latera impreſſo foramine peruius ſit. Mirum eſt, collam ex ſolo huius piſcis folliculo à capite ad caudam per ſpinæ longitudinem extenſo in Ponto fieri, cum Dioſcorides ex ventre piſcis cetacei confici referat. Germani hanc veſiculam in Ichthyocolla exprimentes, *Hauſen ploſen* nominant, quam recens ab ipſo piſce detractam agglomerant ac tranſſuunt, exiccatamq; ad nos ex Ponto tranſmittere ſolent.

Carnem

Carnem autem huius, sale conspersam, Græcorum vulgus in delicijs habet, Moronam appellantes quam Venetijs publicè diuendi solitam, quidam Silurum putant: à quo tamen quantum hic piscis distet, suo loco docebimus. Hæc Bellonius. Ego piscem *Bolub* vel *Bolch* Germanis inferioribus dictum, suo loco inter Asellos ab Husone diuersum esse ostendam. barbuttæ quidem nomine ijsdem Germanis mustella fluuiatilis vel lacustris nominatur, quàm tryschiam nostri vocant.

DE ANTACÆO COROLLARIVM.

Antaceis nomē videtur amnis dedisse in Mæotim lacum Asiatica parte influens, Hermolaus. Recentior quidam hunc fluuium imperitè Anticiten, & pisces Anticæos nominauit. Antacites Sarmatiæ fluuius haud longè Tyramba oppido in Mæotin exit. à quo Antacæi pisces, qui pro ossibus cartilaginem habent. Antacæorum præstantissima salsamenta quotannis è Mæotica palude in Adriam usque inuehi solitum, Hermolaus asserit, Vadianus. Ego omnino antacæos scripserim à recto Ἀντακαῖος penultima longa, per αι. diphthongum circumflexum. quamobrem ab Archestrato in versu dactylico nominari non potuit, vbi de salsamentis Bosphori loquitur:

Βοσπόρȣ ἐκπλεύσαντα τὰ λευκότατ᾽ ἄλλα σπεύσω. Μηδὲν ἐκεῖ στερεᾶς σαρκὸς Μαιώτιδι λίμνη
Ἰχθύος αὐξηθέντος, ὃν ἐν μέτρῳ ȣ̓ θέμις εἰπεῖν.

Plinius Antacas populos circa Mæotin Colchis vicinos facit, lib. 6. cap. 7. Recentior quidam Antacæos à Ponti fluuio Antace, (cuius ego nomen apud authores legisse non memini,) dictos conijcit, Cete magna (id est magnos cetaceos pisces) quæ antacæos nominant & inueterant, Borysthenes alit, Eustathius in Dionysium ex quarto Herodoti. Antacæi delphinis magnitudine pares circa Borysthenis & Mæotidis ostia ad Gangamam (sic enim locum appellant) ligonibus effodiuntur, Strabo lib. 7. Antacei, id est grandia cete, in Danubio nascuntur, Ælianus. Athenæus dicit ἡμίνιρον (penultima alias per η, scribitur) idem esse quod ἡμιτάριχος: cuius meminerit Sopater Paphius his verbis:

Ἐδέξατ᾽ ἀντακαῖον, ὃν τρέφει μέγας Ἴστρος, Σκύθαισιν ἡμίνιρον ἡδονήν.

In Borysthene memoratur præcipua magnitudo, nullis ossibus spinisue intersitis, carne prædulci, Plinius. quem de siluro hic sentire, quidam falsò opinati sunt. Silurus nanque spinas habet: & cinerem spinæ eius vicem spodij præbere author est Plinius. Intelligit autem antacæum piscem. hunc Mela Pomponius & Solinus intelligentes, optimi saporis esse prodiderunt: quod etiam Barbarus in Corollario, capite de omotaricho, ita exponere videtur, Fr. Massarius Ex antacæis salsamenta fiunt, præsertim ex maxillis & ijs quæ circa palatum sunt partibus, (quòd eæ partes aliis suauitate præstent,) Dorion. Istri flumine per hyemem glacie astricto, piscatores alicubi ea perfracta veluti puteum excauant & aperiunt: vbi cum permulti alij pisces facile capiuntur, tum antacæi quoque: & ij quidem teneri. nā qui ætate processerunt, ad maximi Thunni magnitudinem accedunt. ij sanè pinguissimo abdomine sunt, vt eius ventrem lactantis Scrophæ suos fœtus vbera dicas: sicq; aspero corio teguntur, vt eo perpoliantur hastæ. Ab illius capitis medio à medulla (cerebro) ad caudam mollis & stricta membrana pertinet: quam ad assum solem exsiccatam, flagellum ad concitanda iumenta efficere possis. Cum est iusta magnitudine, sub glaciem subiens, nunquam ad cauum seu puteum glaciei peruenit, sed aut sub saxa subijcitur, aut in imam harenam ad vitandum frigus abditur. Nam id temporis cum gelidum est flumen, & perfrigida tempestas, nullis nec herbis nec piscibus vesci necesse habet: tantum inertia laboris gaudet, & alitur ex pingui suo succo. Et quemadmodum Polypi, cum præda destituūtur, brachia sua circumrodunt: sic is suam pinguitudinem exedens viuit. Ineunte rursus vere, iamque libere fluente Istro, odit ignauiam: itaque sese ex latibulis ad summam aquam incitās, aquæ spuma expletur. Vbi magno murmure rapidus fertur, ibi à piscatoribus ad hunc modum insidias ei molientibus facile capitur, vt hamus cum linea in spumam demissus, sub arborem occultetur. & ferri splendor minimè perspicuus sit: is tum ore hiante atque imminente. liguriens insidiosam escam deuorat, ex eoque perit, vnde prius alebatur, Ælianus 14. 26. Hinc facile constat, non quosuis grandiori corpore pisces, qui cetacei solēt vocari, antaceos quoque rectè dici, vt nuper quidam existimarunt. Τάριχος Ἀντακαῖον ἢ Γαδειρικόν, Antiphanes apud Athenæum: qui & alibi conuiuium describens in quinto pinacisco ἀντακαίȣ μικρὸν fuisse scribit. Vngari piscem Tock appellant, quem supra mox post Acipenserem descripsi, non alium puto quàm Husonem Germani: videtur autem Tock vocabulum per aphæresin ab antaceo factum.

ALTERVM COROLLARIVM DE HVSONE, VT GERmani appellant, docti plerīq; antaceum interpretantur.



Nostra husonis effigies, quam egregius mercator Ioannes Dernschuuam è Pannonia ad nos transmisit, alia est quàm quæ à Rondeletio & Bellonio pingitur, qui hunc piscem Græco nomine ichthyocollā nominat. vnde apparet non eundem esse husonem nostrum, etiamsi ita iudicauit Bellonius, cum ipsorum ichthyocolla. Est tamen forte cognatio quædam, & quæ ichthyocolla dicitur, fieri nimirum ex vtroque potest. Sunt antacæi pisces (inquit Vadianus in Epitome trium terrę partium, certum est autē eum de husonibus nostris sentire) qui Istrū aduersum è Ponto ingressi, Pannonia inferiori, mēsibus maximè Octobri & Nouēbri capti, clarissimæ vrbi Viēnensi magna copia inuehūtur. Ipsi vidimus plerosq; magnitu-

magnitudinis pondo quadringentorum, minimos quinquaginta. frequentem numerum circiter pondo centum, ducenta, trecenta, plus minus, quorum magna pars salsamentarijs cedit. Sed & recēter coctis eximia suauitas: & negāt horum lactibus quicquam in cibo aut dulcius aut delicatius reperiri. Miror autem hac quoque in parte naturę vim, vt non minus in vndis pisces quàm in terris volucres aut feræ migrent. centum quinquaginta milliaribus Germanicis ex Euxino mari in eum vsque locum Pannoniæ, vbi illorum captura est, aduersis suauibusque vndis innatant. Et memoria teneo Antaceum duobus milliaribus supra vrbem inclytam Viennam captum, piscatoribus magno miraculo, Hæc ille.

Ezox piscis est, quem quidam lachsum vocant: quidam autem magnum piscem Danubij, & quarundam aquarum influentium in Danubium, quem Vngari & Alemanni husonem nominant, Albertus. *Ezox.* Cæterum lachsus Germanis idem est qui salmo, qui in Rheno inuenitur (vt Plinius quoque scribit) prægrandis. Isox, Ἴσοξ, piscis quidam cetaceus, Hesychius & Varinus. Inter recentiores etiam hodie non indoctis quibusdam esox non alius quàm lachsus noster videtur, vt Georgio Agricolæ, & Ebero cum Peucero. quibus & ipse facile assentior: etsi Rondeletius aliter iudicet. Salmo Illyricè losos vocatur affini vocabulo. Apud Plinium lib. 9. cap. 15. de maximis piscibus propriè dictis mentio fit: vt sunt inter marinos thunni: & in quibusdam amnibus haud minores, (scilicet thynno,) silurus in Nilo & Mæno, esos in Rheno, attilus in Pado: & in Danubio maior, (scilicet thynno,) porculo marino simillimus. Et in Borysthene (inquit) memoratur (idem scilicet qui in Danubio, de quo proxime dixerat, innominatus ille, hoc est huso, non autem esos, vt Rondeletius accipit, de quo superius dixerat,) præcipua magnitudo (idest piscis præcipuæ magnitudinis) nullis ossibus, &c, nisi quis Borysthenitem illic piscem, sui quoque generis, & à præcedentibus omnibus diuersum faciat, vt fortè porculo marino simillimus, sit sturio: Borysthenites verò sit antacæus siue huso, quæ nobis sententia magis placet. Hoc interim probo, quòd Rondeletius maior potius legit, quàm mario vel mari. Ezox (Huso) est piscis Danubij maximus, ita vt vix biga trahi possit ab equis tribus aut quatuor. Vnum habet intestinum: ossa pauca & parua in corpore, cartilaginea potius quam solida: sed in capite fertur multa habere ossa: & carnes dulcissimas, gustu vel specie porcinis persimiles. Toto corpore lenis est, nec * asperum quicquā vel in corpore vel intus habet. Mitissimus est, ac timidus: quippe qui nec aduersus minimum pisciculum se defendere possit, sed statim agitatur ad fugam. Huic sturio per lusum se affricare gaudet: quem ezox statim vt senserit, ad latibula fugit, quæ sibi tutelæ gratia in ripis fodere solet Sed quandoque sturio importunus eijcit latitantem, sequiturque fugientem. & quia magni sunt ambo, nec etiam in copiosissimis aquis latêre possunt, discurrendo, & ante se aquas agitando, sæpe simul à piscantibus capiuntur. Piscis hic captus vino generoso vel lacte potatur. nam vino inebriatus viuere potest pluribus diebus, quare ad longinquas regiones cibi gratia defertur. Bibit autem vini sextarios quatuor antequam inebrietur. Author de nat. rerum. Huso est piscis non squamosus, specie sturionis, sed pellis albæ & lenis absq; omni squama & spina. Inuenitur autem longitudine viginti quatuor pedum, quando perfectus est: & hac mensura tanto minor, quanto ætate inferior fuerit. Nullum omnino os habet * in capite. Loco spinæ dorsi cartilago est, quæ foramen habet magnum, & vacuum, à capite à caudam, tanquam terebello perforatū. Nullæ ei spinæ, sed pinnæ eius coniunguntur cartilagini. Caro eius in dorso saporem vitulinæ refert: in ventre verò porcinæ. Et habet adipem intermixtum pinguedini. sicut porcus. Nec reperitur in alijs aquis quàm Danubio, & influentibus in eum, Albertus. Apud Neuros nascitur Borysthenes flumen, in quo pisces egregij saporis, & quib. ossa nulla sunt, nec aliud quàm cartilagines tenerrimæ, Solinus. Pisces in Danubio capiuntur nimij saporis, ossibus carentes, cartilaginem tantum habentes in corporis continentiam, Iornandes.

† Figura nostra dorsum asperū habet.

** al. nisi in capite.*

Mario vt apud Plinium non rectè legi concedatur, eā tamen voce hunc piscem nominari absurdum non est, non modò quòd multi eruditi apud Plinium sic legerint, & de hoc pisce interpretati sint: sed etiam propter etymologiam. *mor* enim Germanis suem fœminam significat: & Cretenses eundem marin appellant: & huso quasi hys vel hysio vel hysca dictus videtur. vnde & Illyricè Vuyz appellatur. & moronam non solum Itali, sed etiā Cyprij alijque vocant, illi husonem nostrum, hi similem ei sturionem. Cauendum verò ne quis marionem vel moronem cum morua confundat, quòd & nomina conueniant, & ex vtroq; ichthyocolla fiat aut fieri possit. Est enim morua asellorum generis. Murca verò vel Muruca, vt in Alberti libris passim deprauatis legitur, cum quo istorum piscium conueniat, non facilè dixerim. Glutinum (inquit) fit ex vesicis piscium, præcipuè husonis, & piscis marini qui vocatur murca. Et alibi, Pisces quidam corium habent asperum, ita vt eo arido etiam lignum radatur: vt piscis quem Flandri maritimi * *Seerohe* nominant, quod est canicula marina. aliquid etiam habet muruca & sturio, & quæ rostro similia sunt sturioni.

Mario. *Murca. Muruca.* *† Seehunde potius.*

Est & *Morhouch* alius piscis Britannis, vt audio, quem ijdem alibi *Morschvveir*, eiusdem significationis Germanica voce appellant. *mor* enim eis mare sonat (non vt nobis scropham) & *houch* porcum. delphinum autem & tursionem porcos marinos vocitant. Mario Danubij vulgo Italorum etiam nunc semilatino nomine moro appellatur, ob salsamenta illis notus, gustu aspectuque porcinam salitam nonnihil referentia, Germanis barbarico vocabulo Husio dictus, Sig. Gelenius in Plinium. Idem in epistola ad nos: Porcini generis sunt, attilus, sturio, (*vt in Acipensere pluribus recitaui*,) & qui Germanis *Hus*, nostratibus (Bohemis) Vuyz, vtrunque ac si Græcè dicas ὗς, vel hysca, manifesta ad Græcam vocem allusione dicitur. Cælius Calcagninus quoque Husonem Pannoniæ, Moronam in Italia dici testatur. In Danubio non modò extrahitur Mario, sed in alijs plerisque fluuijs, quem nunc parua immutatione Moronem vulgo appellant, Gillius. Alius est Μαρῖνος piscis Aristoteli memoratus. Est animal quod in toto corpore non habet os nisi in capite, & loco omnium aliorum est cartilago: ita quòd in loco spōdylorum non habet armillas: sed vnam continuam cartilaginem extensam per dorsum, & est perforata continuo magno foramine vacuo, in quo est modicum humiditatis aquæ medullosæ, vt piscis qui Huso vocatur in Danubio, Albertus. In oceano hoc genus reperiri non puto. Intestina eius Viennæ vocant *Husenknopf*, quæ præpinguia & copiosa sunt, ita vt vas ferè octo congiorum aliquando repleant. E Ponto Danubium subeunt, inter Budam & Viennam capiuntur: cubitorum aliquando sex longitudine,

Carnem autem huius, ſale conſperſam, Græcorum vulgus in delicijs habet, Moronam appellantes quam Venetijs publicè diuendi ſolitam, quidam Silurum putant: à quo tamen quantum hic piſcis diſtet, ſuo loco docebimus. Hæc Bellonius. Ego piſcem *Bolich* vel *Bolch* Germanis inferioribus dictum, ſuo loco inter Aſellos ab Huſone diuerſum eſſe oſtendam. barbuttæ quidem nomine ijſdem Germanis muſtella fluuiatilis vel lacuſtris nominatur, quàm tryſchiam noſtri vocant.

DE ANTACÆO COROLLARIVM.

Antaceis nomẽ videtur amnis dediſſe in Mæotim lacum Aſiatica parte influens, Hermolaus. Recentior quidam hunc fluuium imperitè Anticiten, & piſces Anticæos nominauit. Antacites Sarmatiæ fluuius haud longè Tyramba oppido in Mæotin exit. à quo Antacæi piſces, qui pro oſſibus cartilaginem habent. Antacæorum præſtantiſſima ſalſamenta quotannis à Mæotica palude in Adriam uſque inuehi ſolitum, Hermolaus aſſerit, Vadianus. Ego omnino antacæos ſcripſerim à recto Ἀντακαῖος penultima longa, per αι. diphthongum circumflexum. quamobrem ab Archeſtrato in verſu dactylico nominari non potuit, vbi de ſalſamentis Boſphori loquitur:

Βοσπόρου ἐκπλεύσαντα τὰ λευκότατ᾽ ἀλλὰ προσέστω. Μηδὲν ἐκεῖ στερεᾶς σαρκὸς Μαιώτιδι λίμνη
Ἰχθύος αὐξηθέντος, ὃν ἐν μέτρῳ οὐ θέμις εἰπεῖν.

Plinius Antacas populos circa Mæotin Colchis vicinos facit, lib. 6. cap. 7. Recentior quidam Antacæos à Ponti fluuio Antace, (cuius ego nomen apud authores legiſſe non memini,) dictos conijcit, Cete magna (id eſt magnos cetaceos piſces) quæ antacæos nominant & inueterant, Boryſthenes alit, Euſtathius in Dionyſium ex quarto Herodoti. Antacæi delphinis magnitudine pares circa Boryſthenis & Mæotidis oſtia ad Gangamam (ſic enim locum appellant) ligonibus effodiuntur, Strabo lib. 7. Antacei, id eſt grandia cete, in Danubio naſcuntur, Ælianus. Athenæus dicit ἡμίνιρον (penultima alias per η. ſcribitur) idem eſſe quod ἡμιτάριχος: cuius meminerit Sopater Paphius his verbis:

Ἐδέξατ᾽ ἀντακαῖον, ὃν τρέφει μέγας Ἴστρος, Σκύθαισιν ἡμίνιρον ἡδονήν.

In Boryſthene memoratur præcipua magnitudo, nullis oſſibus ſpinísue interſitis, carne prædulci, Plinius. quem de ſiluro hic ſentire, quidam falsò opinati ſunt. Silurus nanque ſpinas habet: & cinerem ſpinæ eius vicem ſpodij præbere author eſt Plinius. Intelligit autem antacæum piſcem. hunc Mela Pomponius & Solinus intelligentes, optimi ſaporis eſſe prodiderunt: quod etiam Barbarus in Corollario, capite de omotaricho, ita exponere videtur, Fr. Maſſarius. Ex antacæis ſalſamenta fiunt, præſertim ex maxillis & ijs quæ circa palatum ſunt partibus, (quòd eæ partes aliis ſuauitate præſtent,) Dorion. Iſtri flumine per hyemem glacie aſtricto, piſcatores alicubi ea perfracta veluti puteum excauant & aperiunt: vbi cum permulti alij piſces facile capiuntur, tum antacæi quoque: & ij quidem teneri. nã qui ætate proceſſerunt, ad maximi Thunni magnitudinem accedunt. ij ſanè pinguiſſimo abdomine ſunt, vt eius ventrem lactantis Scrophæ ſuos fœtus vbera dicas: ſicq; aſpero corio teguntur, vt eo perpoliantur haſtæ. Ab illius capitis medio à medulla (cerebro) ad caudam mollis & ſtricta membrana pertinet: quam ad aſſum ſolem exſiccatam, flagellum ad concitanda iumenta efficere poſſis. Cum eſt iuſta magnitudine, ſub glaciem ſubiens, nunquam ad cauum ſeu puteum glaciei peruenit, ſed aut ſub ſaxa ſubijcitur, aut in imam harenam ad vitandum frigus abditur. Nam id temporis cum gelidum eſt flumen, & perfrigida tempeſtas, nullis nec herbis nec piſcibus veſci neceſſe habet: tantum inertia laboris gaudet, & alitur ex pingui ſuo ſucco. Et quemadmodum Polypi, cum præda deſtituũtur, brachia ſua circumrodunt: ſic is ſuam pinguitudinem exedens viuit. Ineunte rurſus vere, iamque libere fluente Iſtro, odit ignauiam: itaque ſeſe ex latibulis ad ſummam aquam incitãs, aquæ ſpuma expletur. Vbi magno murmure rapidus fertur, ibi à piſcatoribus ad hunc modum inſidias ei molientibus facile capitur, vt hamus cum linea in ſpumam demiſſus, ſub arborem occultetur. & ferri ſplendor minimè perſpicuus ſit: is tum ore hiante atque imminente. liguriens inſidioſam eſcam deuorat, ex eoque perit, vnde prius alebatur, Ælianus 14. 26. Hinc facile conſtat, non quoſuis grandiori corpore piſces, qui cetacei ſolẽt vocari, antaceos quoque rectè dici, vt nuper quidam exiſtimarunt. Τάριχος Ἀντακαῖον ἢ Γαδειρικόν, Antiphanes apud Athenæum: qui & alibi conuiuium deſcribens in quinto pinaciſco ἀντακαίου μικρὸν fuiſſe ſcribit. Vngari piſcem Tock appellant, quem ſupra mox poſt Acipenſerem deſcripſi, non alium puto quàm Huſonem Germani: videtur autem Tock vocabulum per aphæreſin ab antaceo factum.

ALTERVM COROLLARIVM DE HVSONE, VT GERmani appellant, docti plerią; antaceum interpretantur.



Noſtra huſonis effigies, quam egregius mercator Ioannes Dernſchuuam è Pannonia ad nos tranſmiſit, alia eſt quàm quæ à Rondeletio & Bellonio pingitur, qui hunc piſcem Græco nomine ichthyocollã nominãt. vnde apparet non eundem eſſe huſonem noſtrum, etiamſi ita iudicauit Bellonius, cum ipſorum ichthyocolla. Eſt tamen forte cognatio quædam, & quæ ichthyocolla dicitur, fieri nimirum ex vtroque poteſt. Sunt antacæi piſces (inquit Vadianus in Epitome trium terræ partium, certum eſt autẽ eum de huſonibus noſtris ſentire) qui Iſtrũ aduerſum è Ponto ingreſſi, Pannonia inferiori, mẽſibus maximè Octobri & Nouẽbri capti, clariſſimæ vrbi Viẽnenſi magna copia inuehũtur. Ipſi vidimus pleroſq; magnitu-

dinis pondo quadringentorum, minimos quinquaginta. frequentem numerum circiter pondo centum, ducenta, trecenta, plus minus, quorum magna pars ſalſamentarijs cedit. Sed & recẽter coctis eximia ſuauitas: & negãt horum lactibus quicquam in cibo aut dulcius aut delicatius reperiri. Miror autem hac quoque in parte naturę vim, vt non minus in vndis piſces quàm in terris volucres aut feræ migrent. centum quinquaginta milliaribus Germanicis ex Euxino mari in eum vſque locum Pãnoniæ, vbi illorum captura eſt, aduerſis ſuauibusque vndis innatant. Et memoria teneo Antaceum duobus milliaribus ſupra vrbem inclytam Viennam captum, piſcatoribus magno miraculo, Hæc ille.

Ezox piſcis eſt, quem quidam lachſum vocant: quidam autem magnum piſcem Danubij, & quarundam aquarum influentium in Danubium, quem Vngari & Alemanni huſonem nominant, Albertus. *Ezox.* Cæterum lachſus Germanis idem eſt qui ſalmo, qui in Rheno inuenitur (vt Plinius quoque ſcribit) prægrandis. Iſox, ἴσοξ, piſcis quidam cetaceus, Heſychius & Varinus. Inter recentiores etiam hodie non indoctis quibuſdam eſox non alius quàm lachſus noſter videtur, vt Georgio Agricolæ, & Ebero cum Peucero. quibus & ipſe facile aſſentior: etſi Rondeletius aliter iudicet. Salmo Illyricè loſos vocatur affini vocabulo. Apud Plinium lib. 9. cap. 15. de maximis piſcibus propriè dictis mentio fit: vt ſunt inter marinos thunni: & in quibuſdam amnibus haud minores, (ſcilicet thynno,) ſilurus in Nilo & Mæno, eſos in Rheno, attilus in Pado: & in Danubio maior, (ſcilicet thynno,) porculo marino ſimillimus. Et in Boryſthene (inquit) memoratur (idem ſcilicet qui in Danubio, de quo proxime dixerat, innominatus ille, hoc eſt huſo, non autem eſos, vt Rondeletius accipit, de quo ſuperius dixerat,) præcipua magnitudo (id eſt piſcis præcipuæ magnitudinis) nullis oſſibus, &c, niſi quis Boryſtheniten illic piſcem, ſui quoque generis, & à præcedentibus omnibus diuerſum faciat, vt fortè porculo marino ſimillimus, ſit ſturio: Boryſthenites verò ſit antacæus ſiue huſo, quæ nobis ſententia magis placet. Hoc interim probo, quòd Rondeletius maior potius legit, quàm mario vel mari. Ezox (Huſo) eſt piſcis Danubij maximus, ita vt vix biga trahi poſſit ab equis tribus aut quatuor. Vnum habet inteſtinum: oſſa pauca & parua in corpore, cartilaginea potius quam ſolida: ſed in capite fertur multa habere oſſa: & carnes dulciſſimas, guſtu vel ſpecie porcinis perſimiles. Toto corpore lenis eſt, nec * aſperum quicquã vel in corpore vel intus habet. *† Figurã noſtra dorſum aſperũ habet.* Mitiſſimus eſt, ac timidus: quippe qui nec aduerſus minimum piſciculum ſe defendere poſſit, ſed ſtatim agitatur ad fugam. Huic ſturio per luſum ſe affricare gaudet: quem ezox ſtatim vt ſenſerit, ad latibula fugit, quæ ſibi tutelæ gratia in ripis fodere ſolet. Sed quandoque ſturio importunus eijcit latitantem, ſequiturque fugientem. & quia magni ſunt ambo, nec etiam in copioſiſſimis aquis latêre poſſunt, diſcurrendo, & ante ſe aquas agitando ſæpe ſimul à piſcantibus capiuntur. Piſcis hic captus vino generoſo vel lacte potatur. nam vino inebriatus viuere poteſt pluribus diebus, quare ad longinquas regiones cibi gratia defertur. Bibit autem vini ſextarios quatuor antequam inebrietur. Author de nat. rerum. Huſo eſt piſcis non ſquamoſus, ſpecie ſturionis, ſed pellis albæ & lenis abſq; omni ſquama & ſpina. Inuenitur autem longitudine vigintiquatuor pedum, quando perfectus eſt: & hac menſura tanto minor, quanto ætate inferior fuerit. Nullum omnino os habet * in capite. ** al. niſi in capite.* Loco ſpinæ dorſi cartilago eſt, quæ foramen habet magnum, & vacuum, à capite à caudam, tanquam terebello perforatũ. Nullæ ei ſpinæ, ſed pinnæ eius coniunguntur cartilagini. Caro eius in dorſo ſaporem vitulinæ refert: in ventre verò porcinæ. Et habet adipem intermixtum pinguedini. ſicut porc⁹. Nec reperitur in alijs aquis quàm Danubio, & influentibus in eum, Albertus. Apud Neuros naſcitur Boryſthenes flumen, in quo piſces egregij ſaporis, & quib. oſſa nulla ſunt, nec aliud quàm cartilagines tenerrimæ, Solinus. Piſces in Danubio capiuntur nimij ſaporis, oſſibus carentes, cartilaginem tantum habentes in corporis continentiam, Iornandes.

Mario vt apud Plinium non rectè legi concedatur, ea tamen voce hunc piſcem nominari abſurdum non eſt, non modò quòd multi eruditi apud Plinium ſic legerint, & de hoc piſce interpretati ſint: ſed etiam propter etymologiam. *Mario.* *mor* enim Germanis ſuem fœminam ſignificat: & Cretenſes eundem marin appellant: & huſo quaſi hys vel hyſio vel hyſca dictus videtur. vnde & Illyricè Vuyz appellatur. & moronam non ſolum Itali, ſed etiam Cyprij alijque vocant, illi huſonem noſtrum, hi ſimilem ei ſturionem. Cauendum verò ne quis marionem vel moronem cum morua confundat, quòd & nomina conueniant, & ex vtroq; ichthyocolla fiat aut fieri poſſit. Eſt enim morua aſellorum generis. Murca verò vel Muruca, vt in Alberti libris paſſim deprauatis legitur, cum quo iſtorum piſcium conueniat, non facilè dixerim. *Murca. Muruca.* Glutinum (inquit) fit ex veſicis piſcium, præcipuè huſonis, & piſcis marini qui vocatur murca. Et alibi, Piſces quidam corium habent aſperum, ita vt eo arido etiam lignum radatur: vt piſcis quem Flandri maritimi * *Seerohe* nominant, quod eſt canicula marina. aliquid etiam habet muruca & ſturio, & quæ roſtro ſimilia ſunt ſturioni. *† Seehunde potius.*

Eſt & *Morhouch* alius piſcis Britannis, vt audio, quem ijdem alibi *Morſchvvein*, eiuſdem ſignificationis Germanica voce appellant. *mor* enim eis mare ſonat (non vt nobis ſcropham) & *houch* porcum. delphinum autem & turſionem porcos marinos vocitant. Mario Danubij vulgo Italorum etiam nunc ſemilatino nomine moro appellatur, ob ſalſamenta illis notus, guſtu aſpectuque porcinam ſalitam nonnihil referentia, Germanis barbarico vocabulo Huſio dictus, Sig. Gelenius in Plinium. Idem in epiſtola ad nos: Porcini generis ſunt, attilus, ſturio, (*vt in Acipenſere pluribus recitaui,*) & qui Germanis *Hus*, noſtratibus (Bohemis) Vuyz, vtrunque ac ſi Græcè dicas ὗς, vel hyſca, manifeſta ad Græcam vocem alluſione dicitur. Cælius Calcagninus quoque Huſonem Pannoniæ, Moronam in Italia dici teſtatur. In Danubio non modò extrahitur Mario, ſed in alijs pleriſque fluuijs, quem nunc parua immutatione Moronem vulgo appellant, Gillius. Alius eſt Μαρῖνος piſcis Ariſtoteli memoratus. Eſt animal quod in toto corpore non habet os niſi in capite, & loco omnium aliorum eſt cartilago: ita quòd in loco ſpõdylorum non habet armillas: ſed vnam continuam cartilaginem extenſam per dorſum, & eſt perforata continuo magno foramine vacuo, in quo eſt modicum humiditatis aquæ medulloſæ, vt piſcis qui Huſo vocatur in Danubio, Albertus. In oceano hoc genus reperiri non puto. Inteſtina eius Viennæ vocant *Huſenknopf*, quæ præpinguia & copioſa ſunt, ita vt vas ferè octo congiorum aliquando repleant. E Ponto Danubium ſubeunt, inter Budam & Viennam capiuntur: cubitorum aliquando ſex longitudine,

gitudine,oculis paruis,Gregatim natant:& cantum ſequuntur tubarum,ad quem etiam ex aduerſa ripa accedunt,& ſic irretiuntur (vt audio.) extrahunturq; vncis. In aqua robore valent , & piſcatorem ſi cauda percuſſerint,naui eijciunt: vt primum verò caput eis extra aquam fuerit, inualidi & tanquam mortui redduntur. Squamas non habent,ſed cutim craſſam, & porcinæ inſtar pinguem. A ſturione ſuperantur: qui ſubiens ventrem eorum ſpinis ſuis lancinat. Huſones in fundo amnis iacentes,veſtigio impreſſo, tridente percutiunt, Albertus.

F Huſonis oua in cibo expetuntur, *Hauſenrogen*.aliqui Italicè cauiar appellant. Recens paratur ad cibum in iure flauo cum cepis minutatim conciſis. Salſus verò præmaceratur aqua tum iure nigro conditur vel condimento è pomis,aromatibus,croco,vuis paſſis,&c. Baltaſar Stendelius. Hæc dum conderem Antonij Schnebergeri doctiſſimi diligentiſſimique iuuenis,ciuis mei & olim diſcipuli, è Cracouia literas accepi,quibus ille cum de varijs rebus,tum de hoc piſce ad me ſcripſit in hæc verba: Huſones dicti piſces,Polonis Vuyzina, ex Vualachia afferuntur. libra modo bazio numo(drachma dimidia) modo ſeſquibazio venditur. Paratur eodem modo, quo caudam fibri parari ſcribis,à qua guſtu etiam non multum mihi differre videtur. vtrunque pingue eſt edulium,quo multi plurimùm delectãtur, magis verò fibri cauda, vtpotè ſuauiore. ſtomachus meus ſicut ab omnibus pinguibus abhorret.

Sturiones(inquit Cardanus lib.7. de varietate rerum) quemadmodum & truttæ,diuerſarum ſpecierum eſſe videntur. Attilum ex hoc genere eſſe referunt. ſimiliter & quem vocant Exoſſem , cui ſunt quatuor carneæ appendices. Ex huius ventre fit morona:è dorſo,chenale, (*ſchenale, vel ſpinale potius:*) ex ouis,quod vocant cauiarium. è capite,pinnis, cauda,corio,ventriculo & inteſtinis,quam vocant ichthyocollam. Cauiarium,oua ſunt concreta, ſaleque condita: eſtque ex eo nigrũ ac rubrũ. Fiunt & hæc ex affinibus piſcibus,attilo,ac vero ſturione, ſiluro & oxyryncho: quamuis forma omnes inter ſe mul- *Oxyrynchus* tùm differant. conueniunt enim, quia magni natura. Oxyrynchus octo cubitos excedit nonnunquam deferturq; ad nos ſalitus è Caſpio mari. Et quoniam omnes ſuaui carne ſint,id autem fermè piſcibus omnibus contingit qui è mari in flumina aſcendunt: atque id illis tertium commune eſt. Veruntamen oxyryncho roſtrum acutum eſt: attilo,oris loco tuba quędam ſub roſtro monſtroſa forma: ſiluro dentes, Hęc illæ. Nos plura de Oxyrynchis in O: & mox in fine Corollarij de Ichthyocolla.

EX EPISTOLA IOANNIS DERNſchvuam mercatoris.

Mitto tibi Huſonis piſcis (Geſnere) effigiem viuam.is in Danubio nec vbique nec tempore quouis capitur,ſed quando migrat. Terra argilloſa & pingui gaudet. Capitur ferè ab autumno vſque ad Ianuarium, per ſpatium decem milliarium inter Viennam & Poſonium, Presburgum vulgò vocant: vbi ad inſulam Schutam nomine,cum arce munitiſſima, vltimus huius piſcis capturæ locus eſt, *der leiſt Hauſen fang*. Viennæ die Veneris væneunt plerunq; quinquaginta,vel ſeptuaginta,& aliquando centum huſones.qui integri ferè diſtrahuntur, libra ternis minimum obolis, alias quaternis aut quinis, (hoc eſt cruciatis numis fermè quatuor,aliàs quinis aut ſenis.) Copioſiſſima horum piſcium captura fit in Vualachia iuxta Chiliam non procul ab oſtijs Danubij,quibus in mare Ponticum ſe exonerat. inde ſalſi exportantur in remotas regiones.

DE ICHTHYOCOLLA COROLLARIVM.

De Ichthyocolla, quoniam ex diuerſis piſcibus fit,& ſuprà in Acipenſere ſcripſi,& proximè in Ichthyocolla piſce, Antacæo, Huſone, ex Rondeletio & in Corollarijs noſtris: hic inſuper quędam communia adijciemus. Ex genere etiam aſelli quod *Bolch* Germani vocant, fieri aliqui putant. Dioſcoridi Ἰχθυοκόλλα κοιλία ἐστὶν ἰχθύος κητώδους , hoc eſt venter piſcis cetacei. Marcellus Vergilius antiquos codices quoſdam monet pro κοιλία habere κόλλα, quod eſt glutinum . Poteſt autem ventris nomine communi veſica quoque intelligi, ferè enim ex huſonum tantùm veſica ichthyocollam Germani habent, quare & *Huſenblater* appellant. Præſtat Pontica, ἡ πότραχυς: Marcellus docet aliam lectionem ὑπόπαχυς,quam probat , vertitque non pinguis , (παχὺς tamen craſſum potius quàm pinguem ſignificat:) quoniam ſequatur ἀψωρώδης , quod cum ὑπότραχυς pugnare ei videtur . ſed fortè non pugnat ὑπότραχυς,id eſt modicè aſper, cum non pſorode, hoc eſt non admodum ſcabro. Inuentum aiũt eſſe Dædali. Gluten id ex piſcibus eſt, & piſcis quoque nomen. proinde Celſus quoties vult glutinum intelligi, adijcere ſolet gluten, Hermolaus,

Ichthyocollam Galli collam buccæ vocant,quòd oris ieiuna ſaliua diluere glutinandis rebus ſoleant. alij collam moruæ, Ruellius. ſed moluam potiùs quàm moruam dicendum eſſe piſcem Aſellorum generis, ex quo ichthyocolla non fit, etſi fortè fieri poſſet,ſuo loco non tacebitur, Germanis ichthyocolla, non ſolùm vt dixi, Huſonis veſica nominatur, ſed etiam Huſonis glutinum, *Hauſsleim*: & oris glutinum, *fiſchleim* vel *mundtleim*, quòd eo in ore madefacto chartæ glutinentur. translucidum ferè & flauum eſt. vtuntur eo cum alij artifices,tum pictores ad ſubtiliora quædam pigmenta.

E Gelu vt fiat in patina, (ſic vocant ius è decoctis piſcibus aut pedibus quadrupedum, porcinis præcipuè, cęteriſque partibus eorum extremis, glutinoſum, denſatum, & aromatibus cõditum.) iuri miſceatur aliquid tragacanthæ, vel gummi Arabici, acaciæue aut lycij, aut veſicę piſcis antacęi. hoc appetitum excitat, aceto præſertim conditum, & ſanguinis fluxum ſiſtit, eſtur frigidum. Si febrientibus aliiſque ægrotis vires inſtaurare libeat, ſic facies: Carnem pulli cum vituli pedibus aut veruecis diſcoques in aqua, donec caro incipiat diſſolui, tum percolabis,&c. vt in Gallinaceo ſcripſimus.

E Si glutine piſcium decocto vnxeris lecticam , cimices non graſſabuntur in te, Didymus in Geoponicis.

G Ichthyocolla epinyctides tollit, Plinius. Erugat cutem, extenditque in aqua decocta horis quatuor, dein contuſa, colluta, & ſubacta ad liquorem vſque mellis. Ita præparata in vaſe nouo conditur, & in vſu quatuor drachmis eius binæ ſulphuris, & anchuſę totidẽ, octo ſpumæ argenteę adduntur, aſperſaque

qua teruntur vnà. Sic illita facies poſt quatuor horas abluitur, Idem . Et alibi . Lethargicos coagulum vituli adiuuat in vino potum oboli pondere: item ichthyocolla.

Oxyrynchi. Antacæis & Sturionibus cognatos crediderim & Oxyrynchos Caſpios: ex quorum viſceribus, Æliano teſte, ad multos vſus accommodatum fit glutinum. nam non modo ad quæcunque applicatum fuerit,adhæreſcit: ſed & firmiſſimè retinet, vt & decem diebus madefactum nũquam poſtea diſſoluatur. Itaque etiam artifices qui circa ebur laborant, eo vtuntur, & opera faciunt pulcherrima. Vide etiam ſuperius de Oxyrynchis in Corollario Huſonis. Piſcem vilem & glutinoſum quendam Venetijs falcẽ dictum,alibi in Italia peſce cola, vel colpiſcem vocant, quod perfrixus vel aſſus in quoddam veluti glutinum reſoluatur: in Falce ex Bellonio deſcribemus.

DE ANTHIÆ PRIMA SPECIE.

RONDELETIVS.



A ANTHIARVM diuerſa genera apud veteres autores reperio: manifeſtam vel integram deſcriptionem nullam, ſed notas quaſdam duntaxat,& harum nonnullas inter ſe pugnantes, vt ex ſequentibus perſpicuum fiet. Adhæc de anthia alij ita ſcripſerunt, ac ſi vnica eſſet piſcis ſpecies. alii quatuor ſpecies conſtituerunt. Ex quibus fit vt nominibus abundemus, rerum verò notitia nobis deſit. Nihil eſt autem in omni genere pernicioſius quam nominum tantum peritum eſſe, rerum verò ipſarum inſcium. Quamobrem quanta maxima potui diligentia, anthiarum ſpecies diu peruestigaui: easq; quæ mihi notæ ſunt, hic exhibeo, ei qui certiora & meliora inuenerit, magnam habiturus gratiam.

A Ἀνθίας dicitur à Gręcis, & ἱερὸς ἰχθὺς teſte Ariſtotele. quo loco, inquit, anthias ſit, ibi nullam beluam eſſe confeſſum eſt: quo indicio vſi ſpongiarum piſcator vrinantur, & ob id ſacrum piſcem hunc nominant. At hæc appellatio illi cum multis alijs communis eſt. Nam Pompilius, delphin, mullus,& plerique alii piſces ſacri dicti ſunt. Dicitur & * καλλίχθυς, id eſt, pulcher piſcis, & καλλιώνυμος, id eſt, pulchri nominis. At vranoſcopus, Athenæo & Plinio teſtibus, ſic cognominatus eſt. Vocarunt alij ἔλλοπα : ſed eſt etiam piſcis alius, ἔλλοψ, qui ſquamas ad os verſas habet. Hiceſius à quibuſdam λύκον, dictum fuiſſe ait, niſi quis pro λύκον, legendum eſſe cenſeat λευκόν. Eſt enim ſpecies anthiæ alba: neque enim nomen λύκου cuiquam piſcium tributum reperias. nam qui à nobis Latinè lupus dicitur, non λύκος, ſed λάβραξ dicitur à Græcis. Poſtremò dicitur ab Ariſtotele αὐλωπίας, quem locum non ſatis expreſſit Gaza. τίκτει δὲ καὶ ὁ αὐλωπίας (ὃν καλοῦσιν ἀνθίαν) τοῦ θέρους id eſt, parit etiam æſtate aulopius, quem vocant anthiam. Oppianus verò αὐλωπὸν quartam ſpeciem anthiarum facit.

Lib. 9. de Hiſt. anim. cap. 37. — ** melius propa roxytonum.* — *Lib. 32. cap. 11.* — Λύκος. — *Lib. 6. de Hiſt. anima. cap. 17* — *Lib. 1.*

B Sed de nominibus ſatis. Nunc eum anthiam quem primi generis eſſe ſuſpicor, deſcribamus. Is eſt colore ſimilis pagro, vel cynædo, ſcilicet rubeſcente, vnde Oppianus ξανθὸν appellat, eadem ſignificatione qua ξανθοὺς ἐρυθείνους. Pinna ſtatim à capite ad caudam ferè vnica, rufa, cuius aculeus primus lõgus & robuſtus, ad branchias pinnæ duæ rufæ, In ventre duæ aliæ, multò longiores & tenuiores eiuſdem coloris: à podice ad caudam ferè alia etiam rufa. Cauda rufa in duas pinnas longas deſinens, caput rotundum, non compreſſum, varium: roſtrum non prominens. is eſt qui à noſtris barbier dicitur. Oppianus ſcribit Anthiarum genera in ſaxis habitare, ea tamen aliquando deſerere explendæ gulæ gratia. voraces enim & guloſos eſſe, dentibus tamen carere. eius verba ſunt:

Lib. 1 ἁλιευτικῶν. — *Ibidem.*

Ἔξοχα γὰρ περὶ πάντας ἀδηφάγος οἶστρος ἐλαύνει
Κείνους, καὶ νωδόνπερ ὑπὸ στόμα χῶρον ἔχοντας.

Quæ ſic conuerto:

Supra alios omnes ciet inſatiata libido
Ventris, non etiam munito dentibus ore.

Νωδὸς enim inquit Suidas, eſt ὁ μὴ ἔχων ὀδόντας, At his repugnant quæ ex Ariſtotele profert Athenęus lib.7. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ καρχαρόδοντα εἶναι τὸν καλλίχθυν, σαρκοφάγον τε καὶ συναγελαζόμενον. Ariſtoteles * ait anthiam(nam ex præcedentibus liquet καλλίχθυν hic pro anthia ſumi) ſerratis eſſe dentibus,& carniuorum & gregalem. Carniuoros dentibus præditos eſſe conſtat, cæteros , qui luto, ſtercore, aqua viuũt minimè. Quare ſi Oppianus qui anthias voracitate alios ſuperare ſcribit, eoſdem etiam intelligat carniuoros eſſe, vt reuera ſentire videtur libro tertio. cum ſcribit anthias capi percis & coracinis in antra, in quibus latitant, demiſſis, ipſe ſecum pugnare videretur, niſi quis aliam Oppiano interpretationem affingat, vt per Νωδὸν περ ὑπὸ στόμα χῶρον ἔχοντας, regionem oris internam dentibus vacuam, id eſt, palatum & linguam, quibus infixi ſunt dentes in multis piſcibus, cæterùm in maxillis ſerratos ineſſe dentes reliquorum ſaxatilium modo, (accipiat.) Quæ interpretatio mihi curioſior quàm verior videtur eſſe: nam idem Oppianus ſcribit libro tertio, anthijs στόμα eſſe ἄοπλον, id eſt, inerme . Vteruis verum dicat, is quem depinximus, ſerratis eſt dentibus & paruis.

Anthias Oppiano edẽtulus, Ariſtoteli καρχαρόδους. — ** vt Athenæus citat.*

Eſt & alius ſcrupulus qui non minus nos torquet. nam Ouidius de anthia hæc prodidit in Halieutico ſuo:

Anthias his tergo quæ non videt vritur armis,
*Vim spinæ nouit ó, suæ. *versuá, supino*
Corpore lina secat, fixumq, intercipit hamum.

*versó, supinus, in impressis codicibus.

Idem Oppianus libro tertio. Plinius autem & alij, capto anthiæ non id tribuunt, sed alijs non captis. Eius hęc verba sunt: Anthiæ cum vnum hamo teneri viderint, spinis quas in dorso serratas habent, lineam secare traduntur, eo qui tenetur extendente, vt præcidi possit. Et Aelianus, Vt homines fidi & commilitones veri, perinde pisces inter se vlciscuntur, quos anthias nominant. ex his quilibet cũ nouerit conuictorem suum captum esse, celerrimè adnare festinat, ac dorsi sui nixu ad eum inhærescit. Idé Plutarchus in libello cui titulum fecit, An terrenæ bestiæ aquatilibus sint prudentiores, scribit: Anthiã captiuo anthiæ succurrere, reiectumque in humeros funiculum surrectis aculeis resecare, spinæque suæ asperitate refringere.

Lib.9. cap.59. *Lib.11. cap.28.*

B Plinius serratam spinam anthiæ tribuit, alij non serratam, sed asperam & acutam, quam Oppianus ὀξύπεωρον appellat. At serratam spinam siue aculeum in paucis piscibus obseruaui, vt in pastinaca, & eo quę elephantem vel ibin vocant. Noster verò anthias non serratam sed asperã & acutam spinã habet.

Lib.9. cap 59. *Lib.3 ἁλιευτικῶν.*

Quanam arte capiantur anthiæ, fusius disces ex Plinio & Oppiano.

E Hicesius apud Athenæum scribit anthiam esse χρυσοειδῆ, καὶ δύχυλον, καὶ ἀ'εκκεπτον εἰς ἀδύμαχον λέ-
F Qui locus apertè mendosus est, quid enim significare potest χρυσοειδής? Neque χονδροειδής, id est cartilagineus dici potest: nam anthiæ ex cartilagineis non sunt. Puto igitur legendum ἐρυθροειδῆ, vel ἐρυθρόν Est enim erythrino vel pagro colore similis, & eiusdem cum his generis esse autor est Hicesius. Est igitur anthias rubescens siue rufus, boni succi, excretu facilis, stomacho non gratus. Quæ notæ huic nostro anthię competunt.

Lib.9. cap.59. *Lib.3. ἁλιευτικῶν.*

DE ANTHIÆ SECVNDA SPECIE. RONDELETIVS.



A *Lib.1. Halieut* ANTHIÆ rubescenti subiungit Oppianus, anthiam ἀργυρυνόν, id est album & splendidum. Quis autem is sit, me nondum planè scire fateor: nam quem capiti huic præfixi, suspicicione quadã tantũ motus anthiam album esse puto: vtpote quo candidiorem splendidioremq; nullum vnquam vidi.

B Est enim leuis & sine squamis: quem nostri capelan nominant, à raso, opinor, & glabro, & ob id candido sacerdotum capite, quos capelans lingua nostra appellamus.

C Est autem pelagius piscis, non saxatilis, ad asellorum genus accedens, sed paulò latior.

F Molli est & tenera carne, boniq; succi, Anno 1545. tanta huius piscis captura fuit in nostro litore, vt duos totos menses piscatores nullum ferè aliud piscis genus ceperint, magno suo incommodo. Cùm enim piscis hic neque sale condiri, neque exiccatus seruari possit, cogebantur effossa terra obruere, ne fœdo corruptorum piscium odore à littore arcerentur.

DE ANTHIÆ TERTIA SPECIE. RONDELETIVS.



Lib.1. Halieut TERTIVM anthiæ genus Oppianus nigrum facit: τὸ δὲ τέλειον αἷμα κελαινόν. Anthiæ tertij generis sunt atro sanguine fusci. Quod non ad piscis sanguinem, sed ad totius corporis colorem referre oportet, quem per atrum sanguinem; nigrum, siue purpureum exaturatum, siue indicum intelligit. Qui color à Gallis dicitur violet obscur. Affirmare ausim hui' generis piscẽ esse eũ, quẽ hic exhibemus.

B Est enim saxatilis, totus purpurei coloris vel indici, corporis forma scaro vario similis, corpore longo, cauda crassa, serratis & acutis dentibus. Labra habet, oculos admodùm rotundos, purpureos & ruberos. Podicem magnum, è quo intestinum rubro viridique distinctum excidit. Partibus internis cæteris saxatilibus similis est. Est carne tenera, fragili, sicca, optimiq; succi.

DE

DE QVARTA ANTHIÆ SPECIE. RONDELETIVS.

A *Lib.1. Halieut* QVARTA anthiæ species Oppiano dicitur 'ὄωπὶς & αὐλωπίς. 'ὄωπὸς, quod bonis sit oculis, & optima visus acie. αὐλωπὸς autem cur dicatur, non perinde apud omnes constat sic verò Oppianus.

Λ'λλος δ'' ὄωπούς τε καὶ αὐλωπὸς καλέουσι: Οὕνεκα τοῖς καθύπερθεν ἐλισσομένη κατὰ κύκλον
Ο'φρῦς ἠερέαστα περίδρομος ἐστεφάνωται. *Quæ sic vertit interpres:*
Euops atq, aulops hoc nomine dicunt, Nanq, *supercilium circum referatur in orbem.*

*τοῖς καθύπερθεν, id est parte superiore, Oppianus.

Quæ cùm prima fronte satis obscura sint, significare mihi videtur, ideo aulopos dictos, quòd oculi *in orbem veluti supercilio rotundo, obscuro vel nigro cincti sint & coronati: quò fit vt caui & sint & videantur oculi. αὐ ωπὸς igitur φιλοφθάλμως intelligit, id est, cauis siue profundis oculis, quibus præditi acutè cernunt: contrà, quibus oculi prominent: vnde & 'ὄωπὸι dicti sunt, quòd acie oculorum valeant. Neque mihi probantur quæ hoc in loco scholiastes annotat, nimirum αὐλωποὺς, μακροὺς ἔχοντας ὀφθαλμοὺς ἀπὸ τοῦ αὐλοῦ, id est, qui oculos longos habeant tibiæ instar.



Quanuis interpretationem hanc approbet & sequatur Cælius Rhodiginus: qui libro 12. Lectionũ antiquarũ scribit aulopis oculos esse, cuiusmodi sunt pagurorũ, nec non astacorum: quibus proprium est forinsecus oculos protrudere inspectandi causa. Quæ demiror quo modo in mentem venerint docto & variæ eruditionis viro, cum nemo vnquam aut viderit, aut obseruarit, aut audierit vllum esse ex squamosis piscem, cui sint oculi prominentes vt locustis & astacis, quos cùm velit possit protrudere & recondere. Quare priorem interpretationem, doctis omnibus longè magis probatam iri spero: qua caui & veluti corona nigra cincti dicuntur aulopi oculi, & ideo acutè cernentes: alteram verò quæ prominentes oculos tribuit, falsam & planè reijciendam. Hæc nota quam diximus, cùm huic, quem oculis subijcimus, maximè conueniat (habet enim supercilia nigra oculos ambientia) quin anthias sit quarti generis non dubitamus.

DE LATIS PISCIBVS, QVOS ANTHIAS GRÆCI *nominauerunt, Bellonius.*

Lati & plani quid differãt.

Etsi Planorum piscium à Latis discrimen alibi satis ostendisse videmur, tamen hic quoque nonnihil repetere minus est alienum, quum de his sermonem vniuersum hoc loco simus habituri, & quod non nisi ab eorum interpretatione incipere possimus. Dictum igitur est, Planos pisces ab antiquis sic appellatos fuisse, quod eorum natura à recta peruersa esset, vt qui veluti in planum expansa manu in æquore natarent: cuius generis ferè omnes, latiore vocabulo, antiqui Plectas & Passeres appellarunt. Ab his autem Lati (de quibus proximè dicturi sumus) ita differunt; quòd quanquam ipso super solo expansis piscibus situ etiam plani appareant: tamen dum in æquore natant, ita quidem feruntur, qualis est in rectum contentæ atque erectę manus figura, pollice sursum eminente, in quo reliquorum squamosorum formam ac naturam retinere videntur. Quamobrem etiam oculos alio à Planis situ, ab vtroque capitis latere collocatos habuerunt. His autem Græci, & Planis Passerum, sic & Latis Anthiarum generale nomen indiderunt. Alij Candidos pisces, alij Pompilos, alij Auratas vocauerunt: nonnulli quoque Græcorum 'ὄωπες & αὐλωπους, quod magnos aut concauos oculos habeant: eosque pisces strepitu gaudere, atque eò allectos nonnunquam decipi scribit Oppianus: quorum etiam quatuor species assignat his versibus:

Quatuor Anthieon species versantur in vndis: *Sunt flauæ, & niueæ sunt atro sanguine fuscæ:*
Euops atq, Aulops alios hos nomine dicunt. Omnes autem sunt pulchri coloris, & auro atq; argento varie micantes.

Hæc Bellonius, qui pisces Anthias insinuat sic dictos à pulchro floridoque colore, ex etymologia nominis Græci. sed cur pisces latos in genere Anthias rectè nominari putauerit, neque rationem aliquam video, nec ipse vllo authore suam tuetur sententiam. Apparet autem eum in hanc sententiam inde venisse, quòd Plinius ex Aristotele sic transtulisse videatur, siue is ipsius, siue librariorũ error est. Certissima est (inquit) securitas vidisse planos pisces, quia nunquam sunt, vbi maleficæ bestiæ. qua de causa vrinantes, sacros appellant eos. Ipse quidem alibi planos pisces nominat communi vocabulo rhombos & passeres: & cartilagineos, raias, pastinacas, &c. Mox autem subnectit Bellonius figuras ac descriptiones, piscis diui Petri, & Fietolæ vt Itali hodie nominant: & Lampugæ, vt Massilienses, cui cognatam facit Lopidam, Stellam & Lecziam Romanorum. Nos de singulis istis in Glauco.

COROLLARIVM.

A De Anthia & sacris piscibus Athenæus sic scribit: Anthias vel Callichthys piscis est, omnium optimus per hyemem, authoribus Epicharmo & Ananio. Meminit eius Dorion quoque in libro de piscibus. Vocant eum aliqui Callichthyn, item Callionymum & Ellopem, Epicharmus in Musis Ellopem commemorat. Callichthyn verò & Callionymum, tanquam eundem, tacet. Dorion tamen anthiam & callichthyn

Sacri pisces. callichthyn differre ait, item callionymum & ellopem. Sed quinam est sacer appellatus piscis? Telchiniacæ historiæ author sacros ait pisces esse delphinos & pompilos. Theocritus verò Syracusanus in Berenice (idyllio leucum appellatum piscem, sacrum nominat, his versibus: Σφάζων ἀκρόνυχος ταύτῃ θεῷ ἱερὸν ἰχθὺν, Ὃν λεῦκον (al. γλαῦκον) καλέουσιν, ὁ γὰρ θ' ἱερώτατος ἄλλων. Dionysius etiam cognomento Iambus in libro de dialectis sic scribit. Audiuimus piscatorem Eretricum (Eretria vrbs est Eubœæ) & alios quosdam piscatores, sacrum piscem Pompilum nominare. Et, vt Homerus ait, in prominente litore aliquis sedens extrahit ἱερὸν ἰχθὺν, id est sacrum piscem: pompilum scilicet, nisi & alius fortè sic appelletur. Callimachus auratam sacri piscis titulo dignari videtur, cum scribit, χρύσειον ἐν ὀφρύσιν ἱερὸν ἰχθύν. Alij sacrum piscem interpretantur τὸν ἄνετον, (deo alicui dicatum, vel liberum,) vt & bouem sacrum alij magnum, vt in illo ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο. nonnulli τὸν ἐχόμενον (ἱέμενον, vt & Eustathius πρὸς τὸν ῥοῦν, id est, aquæ fluentis auidum, vel secundum aquam natantem. Clitarchus nautas inquit pompilum vocare piscem sacrum, eò quod è pelago naues ad portum vsque deducere (προπέμπειν) soleat, indeque pompilum nuncupari, χρυσόφρυν ὄντα, (id est cum non alius sit quàm aurata piscis: vel, adiectiue, aureis supercilijs decorus.) De eodem Eratosthenes, Ἠδρομίλῳ χρύσειον ἐν ὀφρύσιν ἱερὸν ἰχθύν, Hactenus Athenæus. conijcio autem dromiam ab Eratosthene cognominatum pompilum, à cursu quo comitatur nauigia. Thestorem Troianum Enopis filium hasta transfixum Patroclus apud Homerum Iliad. π. ita e curru extrahit, ὡς ὅτε τις φὼς Πέτρῃ ἔπι προβλῆτι καθήμενος ἱερὸν ἰχθὺν Ἐκ πόντοιο θύραζε λίνῳ καὶ ἤνοπι χαλκῷ. Ὣς ἕλκ' ἐκ δίφροιο κεχηνότα δουρὶ φαεινῷ. Ἤνοπα interpretantur sonorum, vel splendidum: Scholiastes verò innominatus, primam per οι. diphthongum legit, & exponit διαυγῆ. Sacrum autem piscem (inquit Eustathius) vt & alijs quibusdam & Aristoteli placet, Anthiam appellat. is enim vbi degit, mare belluis carere indicat, quare sacer à spongiatoribus nominatur. Alij pompilum intelligũt, vt Timachidas, Πομπίλοι ἱεροὶ ἰχθῦς, id est Pompili sacri pisces, tanquam seruatores nauigantium. Alij magnum & inusitatum, & dijs marinis sacrum accipiunt. Alij simpliciter τὸν ἱέμενον κατὰ ῥοῦν. Alij διερὸν scribere malunt, id est humidũ, vel in humore viuentem. Eadem ex Eustathio Varinus. Ellopē sacrum piscem à poeta vocari existimant. alij non hunc, sed Anthiam: quòd locus quem is incolit & belluarum expers, & vrinatoribus tutus sit: cuius fiducia pisces confirmati, ibidem pariunt. Naturæ causam penitus retrusam & abditam, meum non est explicare, Ælianus. Causam difficile colligere est: seu horrent anthiam belluæ, qualiter elephantes suem, gallum leones: seu loca non infeste prudens & memoria præditum animalculum agnita notat, aditque tantum, Plutarchus. Comprimis verò (inquit idem) mirandus anthias est, quem sacrum piscem Homerus vocat. tametsi magnum quidam sacrum intelligunt, quomodo os sacrum magnum: & comitialem morbum magnum scilicet, sacrum vocant. quidam verò communi ratione. quod in tutela numinis sit, ad hæc omnibus expetatur, (sic Grynæus est, ἔνιοι δὲ κοινῶς τὸν ἄφετον καὶ ἱέμενον. Eustathius τὸν ἱέμενον κατὰ ῥοῦν habet.) Eratosthenes auratam videtur sacrum piscem dicere, hoc versu, Εὐδρομίλῳ (Ἠδρομίλῳ vt supra ex Athenæo) χρύσειον ἐπ' ὀφρύσιν ἱερὸν ἰχθύν. Multi ellopem. ἱερὸν ἰχθὺν interpretantur aliqui διερὸν, τὸν ἀεὶ ἐν ὕδατι βρεχόμενον, à verbo διαίνω τὸ βρέχω. alij ταχὺν. καὶ διωκτικὸν, παρὰ τὸ δίω τὸ διώκω. alij magnum: vel τὸν ἄνετον, ὡς ἱερὸν βοῦν ἀπὸ τοῦ ἵεσθαι, Etymologus. An sacrum piscem dicemus vocatum, à quo belluę refugiunt? nam & serpens sacer est, à quò fugiunt cæteri: & auis sacra in falconum genere, à qua reliquæ omnes sibi timent ac fugiunt. quare & piscatores vt belluis intactum esse hunc piscem obseruarunt, *Prouerbium.* abstinere etiã ipsi, & pro sacro habere voluerunt. Ἱερὸς ἰχθὺς, id est Sacer piscis dicebatur, cui nemo nocebat, sed sui iuris erat. Suidas indicat esse apud Homerum. quicquid enim ingens ac præclarum haberi volebant veteres, ἱερὸν appellabant. Per iocum dici poterit in hominem prægrãdem & in precio habitum, quum sit stupidus & infans, Erasmus Rot. in prouerbijs. Sed Suidas non tanquam prouerbium recitat. verba eius hæc sunt: Ἱερὸν ἰχθὺν Ὅμηρος τὸν ἄνετον καὶ αὐτεξούσιον λέγει, οὐ τὸν κάλλιχθυν ἢ τὸν πομπίλον ὥς τινες. Scribit sexto Bibliotheces Diodorus, in Arethusa fonte sacros haberi pisces, vt qui sint ho- *Hyccæ.* minibus intacti. Callimachus in Epigrammatis hyccam sacrum vocat piscem, θεὸς δὲ οἱ ἱερὸς ὕκκη, Cęlius Rhod. ex Athenæo Eustathius hoc etiam annotat, primam in ἱερέα corripi: in ἱερὸν ἰχθὺν produci.

Oppianus ἀνθιέων in genitiuo plurali pro ἀνθιῶν protulit, sic postulante versu, & alibi ἀνθιεῖ in dandi casu singulari, à recto ἀνθιεύς. Eorum (inquit) quatuor genera, pręcipuè in profundis saxis degunt. non semper tamen. nam cum sint voracissimi, quocunq; gula vocat, passim oberrant. Idem anthiarum quatuor genera magna esse dixit, μεγακήτεα φῦλα. Apud Varinum Ἀνθεια proparoxyt. fœmininum in nominatiuo scribitur, quod non probo. Hicesius sacrum piscem esse putat, alio nomine λύκον dictum, Rondeletius conijcit λεῦκον esse legendum, &c. cui non contradixerim. nam Athenæus etiã licet ex Hicesio scribat sacrum piscem ab alijs lycon, ab alijs callionymon vocari, postea tamen ex Berenice Theocriti (quam puto non extare) versus quosdam recitans hæc verba commemorat, ἱερὸν ἰχθὺν Ὃν λεῦκον (carmen hîc non admitteret λύκον) καλέουσι: ὁ γὰρ θ' ἱερώτατος ἄλλων. & similiter Eustathius repetit. Itaque λεῦκος (quanquam alia lectio habeat γλαῦκον) properispomenon, piscis nomen fuerit, non λευκὸς oxytonum: vt & γλαῦκος piscis est, γλαυκὸς verò color. Huc facit vt Rondeletius itidem obseruauit, quòd anthię genus secundum ἀργεννὸν pro λευκὸν Oppianus dixit. Eidem neganti piscem vllum apud Gręcos *Lycos.* λύκον fuisse dictum, obijci potest quòd Crates Comicus apud Athenæum libro 3. post testudinem & cancros in mentione salsamenti elephanti τανυπτέρυγας λύκους nominat.

Piscem vilem & glutinosum, quem falcem Veneti nominant. alij in Italia pesce colla, ad Tenedum audiui vulgò Græce falcò Anthiam nominari, Bellonius. Is thænia est Rondeletij.

B In mari rubro Persæus piscis pari magnitudine est cum Anthia maximo, Ælianus. Anthias piscis est magnus, & lapidem in capite habet, Kiranides. Rondeletius Aristotelem ait pugnare Oppiano, quoniam hic anthię tribuat edentulum & inerme os: ille verò dentes serratos callichthyi, qui idem sit cum anthia. Sed quamuis aliqui eundem fecerint, Dorion tamen distinguit: & Aristoteles quoque, diuersis in locis & nominibus diuersis eos nominans. Oppianus etiam diuersum facit, & ipsum tamẽ cetaceum callichthyn,

callichthyn, & similiter capi ait. Præterea tribuit Anthiæ Rondeletius spinam asperam & acutam, spinæ nomine non dorsum aut spinosam eius pinnam accipiens, sed aculeum quendam, sicuti pingit: quod haud scio an possit aliquo veterum testimonio comprobari. Plinius & Ouidius spinæ dorsi tantum meminerunt, quam ille etiam serratam facit. Oppinianus Halieut. 3. dorsum eius acutum nominat, Πολλάκι δ' ὀξύπρωρον ὑπὲρ ῥάχιν ἔτμαγε δάψας Ὁρμιήν, de captiuo loquens, qui hamo tenetur. quem alij gregales vt iuuent. Πολλάκι καὶ θώνιγγα λελαιόμενοι γενύεσσι Ῥῆξαι ἀμηχανόωσιν, ἐπεὶ στόμα τοῖσιν ἄοπλον, hoc est, Sæpe rostro lineam rumpere nituntur, sed frustra, vtpote inermi.

Inter equum & piscem anthiam (imò anthum auem) inimicitia intercedit, Philes. Quò in loco Anthias sit, nullam ibi belluam esse confessum est. quod casu sic euenire dixerim: quomodo & vbi sit limax, neque sus est, neque perdix. omnes enim limaces ab his eduntur, Aristoteles. D

Anthiæ cum sunt capti, miserabile præbẽt spectaculum: mortem suam lugere & quodammodo supplicare videntur. E Ac nimirum quemadmodum homines qui in latrones immisericordes, & cædis auidos incurrerunt, aufugere conantur: sic sanè ij retibus insultantes, insidias transilire conantur. Qui hoc genus mortis euadunt, in terram antea eis inimicam exiliunt: atque ibidem mortem obire malunt, quàm gladio perire, Aelianus. In patria mea (inquit Oppianus) supra litus Sarpedonis, quicunq; Hermupolin & Eleusan habitant, anthias hoc modo capiunt. Piscator prope terram obseruat petras cauernosas, quas incolere solent anthiæ: & magnum orbibus ligneis inter se collisis strepitum excitat eò gaudent anthiæ. itaque emergenti alicui, percas aut coracinos in aquam proijcit, epulatur ille raptim. Piscator quotidie illuc, & tanquam inuitatis conuiuis. qui semper plures apparent, cibum præbet. Manent illi eodem in loco, & nauim veluti nutricem expectant: quam cum appellere senserint, mox omnes obuiam læti & ludentes adnant. Demum ita mansuescunt, vt contrectantis etiam manum, & porrigentis cibum non refugiant: & quocunque manum egerit, ceu signo dato, illuc statim, tanquam pueri in gymnasio morigeri magistro, se recipiant, continentem versus, ante nauim, retro. Sic cicuratis illis, tandem hamum inijcit mari. primum manu significat omnibus recedendum, & simul lapidem proijcit, quem illi escam esse rati sequuntur. Vni alicui relicto hamum (esca obtectum) supra mare porrigit: quo miser ille vorato, mox ambabus piscatoris manibus rapitur, vt reliquam turbam lateat. nam si cæteri captum aut viderent, aut strepitum extrahendi audirent, nullis amplius escis reuocari possent, sed fraudem atque insidias fugerent exosi. quàmobrem piscator validus & agilis sit oportet, aut etiam à socio adiuuetur. Alij non escis aut vlla simulatione, sed suis freti viribus anthias adoriuntur. Hamum ex ære aut ferro faciunt, dupliciter alligatũ valido funi. hamo lupum piscem inserunt viuum: aut in os mortui indunt plumbũ, quod delphinũ vocant: cuius pondere caput ita inclinat & reclinat ac si viueret. Et remigantibus cæteris vnus à puppi, cum iam apparent anthię, hamũ in mare leniter circumactũ inijcit. Sequuntur illi certatim nauem, & escam ceu fugientem. piscator verò obseruans, anthiæ quem præstantiorem viderit, eam admouet. qui captus, vix magno labore & contentissimo nisu retinetur, remigantibus interim cæteris. Neq; socio capto desunt gregales reliqui pisces: & dum iuuare cupiunt, dorsis ad eum coniunctis, & temere conglobati, impediunt magis. aliquando & funiculum rostro, sed frustra, præmordere conantur. dentibus enim carent. itaque tandem ægrè defessum labore, ac vulnere, & remigio nauis superatum, extrahit piscator. qui si vel paululum ei cõcederet, non amplius attracturus foret, adeò ingens eorum vis est. Nec rarò acutam supra spinam resecta linea, euasit anthias, Hæc Oppianus. Anthiæ aliquem de grege suo captum hamo sequentes, hamum (lineam) secare conantur. quod cùm præ dentium infirmitate perficere non possint, pondere suo illum adeò grauant, vt à faucib. ita compressi hamus euellatur, (aut linea rumpatur) κοπέντος τοῦ ἀγκίστρου, Io. Tzetzes 3. 126. Nec de anthia pisce sileri conuenit (inquit Plinius) quę plerosque aduerto credidisse. Chelidonias insulas diximus Asiæ, scopuli maris, ante promontorium sitas: ibi frequens hic piscis, & celeriter capitur, uno genere, paruo nauigio, & concolori veste, eademque * hora per aliquot dies continuos piscator enauigat ** al' ora.* certo spacio, escamque proijcit. Quicquid ex eo mittitur, suspecta fraus prędæ est: cauensque quod timuit, cum id sępe factum est, vnus aliquando consuetudine inuitatus Anthias, escam appetit. Notatur hic intentione diligenti, ut autor spei, conciliatorq; capturę. Neque enim est difficile cum per aliquot dies solus accedere audeat. tandem & aliquos inuenit, paulatimque comitatior, postremo greges adducit innumeros, iam vetustissimis quibusque assuetis piscatorem agnoscere, & è manu cibum rapere. Tum ille paulum vltra digitos in esca iaculatus hamum singulos inuolat verius quàm capit, ab vmbra nauis breui conatu rapiens, ita ne cæteri sentiant, alio intus excipiente centonibus raptum, ne palpitatio vlla aut sonus cæteros abigat. Conciliatorem nosse ad hoc prodest, ne capiatur. Parcit piscator fugituro in reliquum gregem. Ferunt discordem socium duci insidiatum pulchrè noto cœpisse malefica voluntate: agnitum in macello à socio cuius iniuria erat, & dati damni formulam editam, cõdemnatumq;: addidit Mutianus, æstimata lite decem libris. Λάβρακα δ' ἐπ' ἀνθιεῖ ὁπλίζοιο, Oppianus lib. 3. ad anthiam capiendum escam è lupo parari præcipiens.

Hicesius dixit phagrũ, chromin, anthiam, orphũ, synodontem, synagridẽ, acarnanẽ, genere (quod ad F nutritionẽ nimirũ) similes haberi: vtpote dulces, modicè astringentes, multũ alere, & vt par est difficulter excerni. plus alunt ex eis qui carnosi sunt, magisq; terrestres, & minus adiposi. Idẽ anthiã scribit esse χρυσώδη, pro quo Rondeletius ἐρυθροειδῆ vel ἐρυθρὸν legendum putat, à colore rubro. ego χονδρώδη potius *χονδρώδης. Cartilagineus.* legerim, non quòd sit cartilaginei generis piscis quos Græci σελάχη & σελάχια vocant, & χονδρακανθα: sed quòd carnem forte solidiusculam habeat. nam solida quædam cartilaginea dicimus, vt Plinius etiam pastinacę radicem. Idem cartilaginosum galbanum dixit: & cucumerem cartilaginei generis esse: & cartilagine placere mora, vt callo pyra & mala. Vnde ex ijs quæ in cibum veniunt, non ea modo quæ solidiora callosaque sunt, cartilaginea dici putarim, sed quæ etiam inter mandendum instar cartilaginis crepant, vt rapa, raphani, cucumeres, &c. Germanus diceret, *Das keck ist vnd knellet, oder kroset*, vnde & duracina cerasa quædam *knellkriese* vocant nostri. Galbanum verò alia ratione, & similitudine quadam aspectus formæque cartilaginosum dicitur. In Hicesij igitur verbis aut χονδρώδη legemus, aut κητώδη. est enim cetaceus piscis, nam quòd pagro eiusdem generis anthiam esse idem author dixit, non

non tam ad naturam & colorem piſcis, quàm alimenti rationem ſpectare dixerim. Sunt enim hæc eius verba in libro περὶ ὕλης ſiue de alimentis. Vox quidem χονδρώδης, accedit ad ἀχυρώδης, quod eſt aceroſus, ſqualidus, ſiccus. Acum & chalcidem piſces eſſe ἀχυρώδεις & ἀχύλους, authores ſunt. Sed χονδρώδη omnino legerim. quomodo & ſcorpios piſces χονδρώδεις eſſe, eodem authore legimus. Piſces precioſos, vt anthiam, lupum, aliqui anthropophagos nominabant, propter magnitudinem ſumptus, qua ganeonum opes exhauriuntur. alij Deos, διὰ πολύτιμον Euſtathius.

G Anthiæ fel cum melle inunctum exanthemata curat, & floridum vultum facit. Adeps verò eius cum cerato carbunculos, ſteatomata, apoſtemata, vbera (fortè tubera aut tubercula) ſcrophulas & dothiênas ſanat. Lapides capitis ad collum ligati cephalalgiam ſanant, & omnes capitis ac colli paſſiones, Kiranides.

H.a. Anthias his tergo, quæ non videt, vtitur armis, &c. Ouidius. Itaque emendandus eſt Plinij locus: Pytheas, inquit, id tradit idem (lego, Anthiam tradit idem, nempe Ouidius) infixam (infixum) hamo inuertere ſe, quoniam ſit dorſo cultellato, ſpinaque lineam præſecare. Vide etiam in Callichthye quædam de Anthia, infra in C. elemento.

DE ANTHIÆ SECVNDA SPECIE, COROLLARIVM.

In Capellani piſcis vulgò dicti figura, quam ex Rondeletij codice dedimus, aculeus quidam à branchijs mox infra pinnam vtrinque deorſum oblique tendit, cuius in deſcriptione non meminiſſe Rōdeletium miror. Nos plura de eo & Germanicis eius vocabulis annotauimus ſuprà in Capite de Germanicis & Anglicis quibuſdam aſellorum nominibus. Puto enim eundem eſſe quem Germani *Bolck* vel *Kablean* vel *Capellengau* vocitant, is ad mediterraneos Germanos capite mutilus mittitur ſalſus, aut ſimpliciter exiccatus. Rondeletius tamen ſuum Capellanum neque ſale condiri, neque exiccatum ſeruari poſſe ſcribit, cœli calidioris fortè aut alia nobis ignota ratione. Piſcē enim eundē eſſe non dubito.

DE TERTIA SPECIE ANTHIÆ RONDELETII COROLLARIVM.

Huius icon lineam ſatis magnam à capite ad caudam oſtendit, cuius in deſcriptione non meminiſſe Rondeletium miror. ſimilem ferè in adonide vel exocœto pingit.

DE QVARTA SPECIE ANTHIÆ, SIVE AVLOpo, *ex alio loco Rondeletij, Corollarium.*

De nonnullis aliter atque aliter diuerſi anthores ſcripſerunt, vt Aulopum quartam anthiæ ſpeciem facit Oppianus: aulopiam & anthiam eundem eſſe ſcribit Ariſtoteles, in ſpecies anthiam non diuidens. Ælianus verò Aulopium alium videtur deſcripſiſſe: Qui circum inſulas (inquit) Tyrrhenicas nuncupatas in maritimis rebus verſantur, cetaceum quempiam piſcem Aulopiam appellant, cuius vim & naturam explicare non alienum eſt: magnitudine maximum. Aulopiam maximi Thynni ſuperant: at robore Aulopias cum illis collatus, primas fert. Quamuis enim Thynnorum ratio fortiſſima eſt, aduerſarij tamen Aulopiæ promptè repugnantis, ne primum quidem impetum ſuſtinet: ſed ſanguine ei (per metum) refrigerato cedit: vnde reſolutus mox vincitur. Aulopias verò cùm omni conatu ei reſiſtit, perdiu pugnam tolerat, ac nimirum contra piſcatores quoque decertat, & ſæpiſſime victoriam reportat. ſeſe premens, (ἑαυτὸν πιέσας, al' σείσας,) & capite in profundum nutans. ſua enim natura, ore ac ceruice (elata, velutique pariter ſuperbiente) eſt robuſtus. Cum eſt captus, eximia forma ſpectatur: oculis eſt patulis, rotundis, magnis, cuiuſmodi Homerus bubulos canit. Maxillæ non ſolum robuſtæ, ſed etiam pulchræ ſunt. Dorſo eſt cæruleo, coloris ſaturati, & uentre candido, à capite ad caudam pertinens aurea quædam linea in orbem deſinit.

Ex his colligunt nonnulli, aulopion eſſe quem lingua vernacula vocamus boniton, quem amiam eſſe demonſtrauimus. At notæ aliquot inſignes reclamant. neque enim cetaceus eſt piſcis ſicuti aulopios, neque lineam auream à capite ad caudam ductam habet, neque oculis eſt magnis patulisque. Hæc duntaxat nota vtriq; communis eſt, quòd dorſo ſint cæruleo, ventre candido.

DE EODEM AVLOPIO COROLLARIVM.

A Mihi Oppiani, Ariſtotelis, & Aeliani Aulopius, piſcis vnus videntur: qui & anthias, vel ſpecies anthiæ dicatur. Ab eo autem diuerſum puto quem Rondeletius pro quarta Anthiæ ſpecie pinxit. nam ſi idem eſſet, non putaſſet Rondeletius diuerſum ab Æliano eſſe deſcriptum. Cæterum εὐώπης dictus videtur, non à viſus acie vt Rondeletius conijcit, ſed quòd pulchris appareat oculis propter ſuperciliorum ſpeciem, vt Oppianus exponit: vel etiam magnis, vt Ælianus: Oculis (inquit) eſt patulis, rotundis, magnis, cuiuſmodi Homerus bubulos eſſe canit. Vnde & Iunoni βοῶπις epitheton, pro ὀλώπις, ὀλόφθαλμος. Εὐ quidem in compoſitione videtur & magnitudinem & pulchritudinem poſſe ſignificare. Εὐώψ, ὁ καλὸς τὰς ὦπας, ὅ ἐστι τοὺς ὀφθαλμούς: ἢ ὁ καλὸς φαινόμενος τοῖς τῶν ὁρώντων ὀφθαλμοῖς, Euſtathius. Βοῶπις, ἡ μεγαλόφθαλμος, ἢ ἡ τρανῶς βλέπουσα, Idē. Apud eūdē lego galeā αὐλῶπιν cognominatā τὴν ἐκ μέσου ἀνατείνουσαν εἰς αὐλοῦ σχῆμα: ἢ ἧς ὁ αὐλίσκος, εἰς ὃν ὁ λόφος ἐνίεται, εἰς ὀξὺ λήγει. hoc eſt, quæ in ſummo quēdā ceu canaliculū habeat (ſiue ſimpliciter, ſiue qui in acutum exeat (phalon alio nomine vocant, cui criſta inſerebatur. Alias etiam interpretationes in Lexico Phauorini leges. Αὐλωποὺς hos piſces Oppianus propter carmen dixiſſe videtur. Ariſtoteli & Æliano αὐλωπίας vocatur: & Athenæo lib. 6. αὐλωπίαι nominantur inter alios piſces. Archeſtratus apud eundem ταυλωπίαν vocat, his verbis: Καὶ νεαροῦ μεγάλου ταυλωπία ἐν θέρει ὠνοῦ Κρανίον, ego malim ſic legere καὶ νεαροῦ μεγάλου τ' αὐλωπίου: quamuis & αὐλωπία Doricè dici poſſet in genitiuo, ſed Archeſtratus non ſcripſit Doricè. Αὐλωπίας, κοιλόφθαλμος, Varinus. Numenij carmen quod

quod citat Athenæus, Ἀκονίας, κιγκάλους τε, καὶ ἀλλοπίην (forte αὐλωπίην, vt ω ſit verſum in o per ſyſtolen) τράχουρον, p'anè corruptum apparet vel ex proſodię, & metri ratiōe, quòd hexametrum eſſe debebat. Cōſtaret ſi legeres, Αἰολίας κίχλας τε, ἠδ' ἔλλοπας ἠδὲ τράχουρον. A Neapolitanis de piſcatore probo viro accepi piſcem quendam vocari Aulopenam: ſed cum hunc non viderim, neq; ille mihi quantislibet propoſitis præmijs vno toto menſe piſcem capere potuerit, certi nihil tibi repræſentare poſſum. hoc tantum adſcripſi, vt qui Neapoli verſantur docti, aduertant num rectè Aulopenam vulgò nominent, Gillius.

E Aulopios (inquit Ælianus) quàm inſidioſis captionibus comprehendatur, mihi ſicut auditione accepi, exponendum eſt. Homines ad piſcatum prudentes, loca vbi domeſticas ſedes & commorationes arbitrantur Aulopias tenere, ex ſpeculatione pręcipiunt & præſumunt. deinde poſtquam permagnum piſcium Coracinorum numerum retibus ceperunt, & nauem ſuam firmauerunt, ſtrepitum quendam more veſparum faciunt, & Coracînos ad illiciendos eos prætendunt. Vbi verò ij ſtrepitum exaudierūt, & eſculentam illecebram animaduerterunt, alij aliunde eò ire pergunt, & gregatim circum nauim piſcatoriam errant: atque eatenus & plauſu & cibo ad piſcatores manſueſcunt, ſiue meo iudicio eſcę cupiditate capti: ſiue, quemadmodum piſcatores inquiunt, ſuo permulto robore nitentes, vt non ab hominum contactu refugiant. Nonnulli ex eis cicures ſunt, quos ſanè piſcatores vt beneficos ab alijs internoſcunt, fœdereq; cum ijs deuinciuntur, pacemq; ſeruant. Eos tanquam duces ſectantur alij feri Aulopiæ, quos vt piſcatores & capiunt & occidunt, ita à manſuetiorum (quos columbis allectatricibus contulerim) captura ſe abſtinent, quaſi fœdus quoddam cum ijs ſancitum habentes. Nec verò piſcator bene peritus, quantalibet inopia prematur, manſuetum Aulopiam prudens & ſciēs comprehendit. quinimò ſi eum ipſum imprudens ceperit, non mediocri dolore afficitur. Capitur autem hamo transfixus, aut mortifero vulnere ictus. ſed & alijs modis hi piſces capiuntur, Hæc Aelianus. Vide etiam ſupra in Anthia ſimpliciter E. Καὶ νεαροῦ μεγάλου ταυλωπία (vel potius, μεγάλου τ' αὐλωπίου) ἐν θέρει ὠνοῦ Κρανίον, ὅταν (for F te Κρανίον ὅταν, vel Κρανίον αὖ) Φαέθων πυμάτην ἁψῖδα διφρεύῃ. Καὶ παράθες θερμὸν ταχέως, καὶ τρίμμα μετ' αὐτοῦ. Ὅπλα δ' ἀμφ' ὀβελίσκον ἑλὼν ὑποσάρελον αὐτοῦ. ANTHRACIDES vel Anthraces, Ἀνθρακίδες, Ἄνθρακες. piſciculi ſuper prunis aſſari ſoliti. Ἀνθρακίδων ἅλμην τινῶν, Ariſtophanes alicubi. Ἐπανθρακίδες (apud Varinum prima etiam per alpha ſcribitur, non probo) parui piſces aſſi. omnia quidem quæ ſuper prunis aſſantur, ἀνθρακίδας vocabant, Scholiaſtes in Acharnenſes Ariſtophanis & Suidas. Ἀνθρακιζόμενοι, Ariſtophanes in Auibus: ἀντὶ τοῦ ἄνθρακας ἐσθιόμενοι. ἔστι δὲ εἶδος ἰχθύος λεπτόν, ὃ παροπτῶντες (ὅπερ ὀπτῶντες, Suidas) ἐσθίουσιν, Scholiaſtes. ἡ ὅπλας ἐσθιόμενοι, ἢ ἄνθρακας ζωπυροῦντες. Suidas.

DE APRO RONDELETIVS.

A KA'ΠΡΟΣ piſcis nomen eſt apud Ariſtotelem & Athenæum, à Gaza aper dicitur: nam Latinè κάπρος aprum ſignificat, non caprum vt * quidam aliquando verterunt. An verò piſcis quē hic exhibeo, aper ſit, pro certo nondum habeo: ſed cùm rarus admodum piſcis iſte ſit, & notas inſignes habeat, ſtudioſos celare nolui, ſed propoſita pictura inuitare ad rem diligentius expendendam, vt tandem quis ſit piſcis iſte, conſtare poſſit.



* Plinius.

B Eſt autem ſquamoſus: nihilominus tamen præduro, ac veluti aſpera & villoſa cute tecto corpore, ferè rotundo compreſſo, rubeſcente: oculis magnis, roſtro oblongo, & obtuſo ſuis modo, ſine dentibus. mox à capite ſecundum dorſi longitudinem, aculeos habet præacutos. duros, lōgos, rectos, ſetas eſſe diceres, inęquales. nam primi breuiſſimi ſunt, medij longiſſimi, poſtremi medijs minores & primis maiores. Pinnas duas ad branchias, in ventre duas alias, multis firmisq; aculeis & à ſeſe diſiunctis conſtantes. A podice tres aculeos, breues & acutos. Cauda in vnicam pinnam deſinit. Athenæus inter τραχύδερμα numerat ex Ariſtotele, quæ nota aptiſſimè quadrat. eſt enim duris aſperiſque ſquamis operto corpore. Dicat aliquis Ariſtotelem κάπρον fluuiatilē facere, & in Acheloo amne vocalem: cum hic noſter marinus planè ſit. Id equidem fateor, ſed Athenæus hunc Ariſtotelis locum mihi ſuſpectum reddit, qui ex Ariſtotele adfert σκάφρον φθέγγεσθαι καὶ τὸν ποτάμιον χοῖρον, vt fortaſſe σκάφρον legere oporteat apud Ariſtotelem pro piſce alio: vel corruptus ſit locus Athenæi, & κάπρον pro σκάφρον reponendum ſit. (pro σκάφρον *legendum* σκάρον *cum Euſtathio: fluuiatilem autem pro apro Acheloi accipito, vide infra in Porcis.*) Nemo autem exiſtimet κάπρον & καπρίσκον idem eſſe: certiſſimis enim notis à ſe diſcrepant. καπρίσκος dentes & acutiſſimos & validiſſimos habet, vt ex Oppiano docuimus, κάπρος ijs caret. Præterea καπρίσκος ab Athenæo dicitur durus, virus olēs; κάπρος verò, ex Archeſtrati peritiſſimi artis opſonatricis ſententia ſummopere laudatur.

Capros fl. Ariſtotelis Lib. 4. de hiſt anim. cap. 9.
Lib 8.
Capriſcos quid differat à Capro.
Lib. 7.

DE ALIO APRO, BELLONIVS.

Capros Ariſtoteli, Plinio Caper, alijs Aper, piſcis eſt quem amnis Achelous gignit, qui nonnūquā grunnire creditur



F

Eum

B Eum primum apud Epidaurum, quam nunc Ragouſam vecchiam vocant, conſpexi, Cyprini magnitudine. Hic aliorum piſcium more branchias non habet detectas, quanquam quaternas intus conditas ferat, vt Exocœtus & Muræna. Os paruum oſtendit, in quo dentes albi, humanis æmuli, in gyrum ſiti ſunt. Duas fert in tergo pinnas, quarum prior, fortibus aculeis obfirmatur: quibus audacter, ſi quos piſces oderit, aggreditur: pelle integitur dura atq; aſpera, qua ligna expoliri poſſunt. Squamis caret. Altera pinna tergoris vicenis neruis conſtat: Corpus habet circinatum & planum. Lineas fert cancellatas in cute. Vnam vtrinque gerit in lateribus pinnam. Oculos ſurſum in capite ſitos: Pinnam in cauda rotundam. In ſumma, piſcis hic aliorum non ſeruat normam.

A Et cum Capriſcus, quem in † Trago piſce deſcripſi, affine nomen habeat cum Capro, cauendum eſt tamen ne nomenclatura Apri, Capri & Capriſci te decipiat. Illyrii piſcium affinitate decepti, piſcem iſtum (*burgner* vocant: ſed vox ea Sargo debetur. Aper enim Sargi modo corpus tornatum habet. Erit forſan is, quem Athenæus porculum fluuiatilem vocat: quem etiam ex Ariſtotele vocalem eſſe tradit, Hæc Bellonius. Idem in Gallico libro de Delphinis, &c. eundem hunc aprum, à Rondeletij apro diuerſum deſcribens, piſcem ait eſſe rarum, in templis tantum aliquibus pendentem à ſe viſum, excreſcere ad magnitudinem carpæ: iconem á ſe exhibitam ad viuum effictam eſſe.

† Ego in Trago Bellonii nullam Capriſci mentionem inuenio.

COROLLARIVM.

Rondeletij aper cum aliàs differt à Bellonij apro plurimum, tum quòd ſquamas habet. Bellonij verò caret. Bellonij quidem aper, fluuiatilis videtur: Rondeletij marinus eſt piſcis, quem à figura roſtri aculeorumque ſetas referentium ſic appellandum cenſuit: cum veterum aper à voce & grunnitu hoc nomen tulerit. Bellonius quidem ſuum fluuiatilem eſſe non afferit, ſed inſinuat, Athenæi porculum fluuiatilem eſſe conijciens. Rōdeletij verò marinum aprum, hyænæ, vel capriſci (quo cum plurima habet communia) ſpeciem eſſe coniecerim.

Qui caper vocatur in Acheloo amne grunnitum habet, Plinius. Piſces vocem non ædunt: ſi qui tamen ædere dicuntur, vt piſces Acheloi (Hermolaus in tranſlatione Themiſtii addit, capri dicti) branchijs aut alia quapiam parte ſonant, Ariſtot lib. 2. de anima. Piſces non omnes muti ſunt: ſed lacerta (lyra, Ariſtot.) chromis & aper grunniunt, Ælianus. Aper ſingulas branchias vtrinq; habet, eaſq; duplices, Ariſtot. Rondeletius branchiarum numeri non meminit, Bellonius quaternas ſuo apro tribuit, eaſque intus conditas, non detectas. Varinus κάπρον interpretatur phagrum piſcem. ſed is πάγρος potiùs quàm κάπρος alio nomine dici ſolet. Piſcium quidam ſunt σκληρόδερμοι καὶ τραχύδερμοι, ὡς κάπρος. Atheneus Ariſtotelem citans. Huius piſcis (inquit idem) Dorion quoq; & Epænetius meminerunt. Capros ex Argo apud Philemonem laudatur, Atheneus & Euſtathius. Apriculum piſcem ſcito primum eſſe Tarenti, Ennius vt citat Apuleius. credibile eſt autem piſcem illum non alium eſſe quàm capron Græcorum.

Αὐτὰρ ἐς Ἀμβρακίαν ἐλθὼν εὐδαίμονα χώραν,
Τὸν κάπρον ἂν γ' ἐσίδῃς ὠνοῦ, καὶ μὴ καταλείπε
Κἂν ἰσόχρυσος ᾖ, μή σοι νέμεσις καταπνεύσῃ
Δεινὴ ἀπ' ἀθανάτων· τὸ γάρ ἐστιν νέκταρος ἄνθος.
Τοῦτο δὲ (οὐκ) θέμις ἐστὶ φαγεῖν θνητοῖσιν ἅπασιν,
Οὐδ' ἐσιδεῖν ὄσσοισιν, ὅσοι μὴ πλεκτὸν ὕφασμα
Σχοίνου ἐλειοτρόφου κοίλου χείρεσσιν ἔχοντες
Εἰώθασι δονεῖν ψήφους αἴθωνι λογισμῷ,
Ἀρθρων μηλείων θῆλυ διαρρήματα βάλλων (βάλλοντες, ſi verſus pateretur,) Archeſtratus apud Atheneum.

Senſus eſt caprum ne videri quidem poſſe niſi à ditiſſimis.

Aper pelle eſt aſpera & dura. hunc piſcem vidi Venetijs in foro diui Marci conditum in opificis cuiuſdam officina pendere. Cum Thraci cuipiam oſtendiſſem, Capriſcum dixit à ſuis nuncupari ſolere: cumq; huius pictam effigiem Siculis piſcatoribus oſtendiſſem, porcum eſſe affirmarunt, Gillius. Piſcis quem antehac aliqui pro apro deſcripſerunt, vulpes marina eſt, Bellonius. videtur autem notare Gilliũ. ſed quam ille vulpem facit, muſtelus centrines eſt Rondeletij. ita quidem vt ſentirent aliqui, tum cutis aſperitate, tum nomine (Venetijs enim porcum appellant) induci potuerunt. Eadem occaſione (nominis ſaltem) hyænam piſcem, aliqui centrinam eſſe putauerunt. ſed nimium leuis & friuola eſt ex ſolis nominibus coniectura. Sunt & ὕες piſces Epicharmo nominati, de quibus dubitat Athenæus an iidem ſint κάπροι. Athenæo non Synagrides tantùm, ſed Syagrides etiam inter piſces ſunt: eſt autem ſyagros Græcis fera, quæ Latinis aper. Capriſco piſci in C. elemento locus erit. De diuerſis etiam aliis porcini generis piſcibus, in Porco dicetur. Aprum cetaceum nominauimus belluam quandam ex Cetis ab Olao Magno delineatis, infrà inter Cete.

Apolectvs, vide in Thunno.

DE APORRHAIDE, MVRICVM GENERIS, *vt videtur. Rondeletius.*

Lib. 4. de hiſt. cap. 4.

Aporrhaidum duobus in locis meminit Ariſtoteles. Gaza murices interpretatus eſt. Natices (inquit) ſaxis adhæreſcunt more patellarum & Muricum, (aporrhaidum in Græco,) ac cæterorum generis eiuſdem: nec niſi tegmine dimoto adhærent, quod velut operculum ſibi poſſident. Vſum enim quem biualuibus pars vtraque adminiſtrat, eundem altera exhibet turbinatis. Caro intus, qua oris habitus, (*qua & os continetur.*) Modus hic idem Muricibus, (ἀπορρᾶσι) purpuris, atq; omnibus generis eiuſdem. Ex his ſunt qui dubitandi occaſionem ſumant, ſint ne Aporrhaides in Muricum, an in Lepadum genere. In Lepadum quidem genere nec ab Ariſtotele, nec ab vllo alio diſertè ponuntur: duas enim duntaxat Lepadum ſpecies ponit Ariſtoteles, λεπάδα, & λεπάδα ἀγρίαν. Sunt tamen qui ex Lepadum genere eſſe inde effici putant, quòd Lepadum more ſaxis adhæreant. Sed non rectè. Nam quamuis Lepadum more adhæreant Aporrhaides, non inde tamen efficitur, eiuſdem generis eſſe cum Lepadibus. Etenim Neritæ adhærent vt Lepades, vt ibidem dicitur, tamen à Lepadibus genere differunt. Quod ſi quem mouere debuit Ariſtotelis locus, in quo vnà cum Lepadibus Aporrhaidum meminit: & is qui mox ſe-

Aporrhaides non eſſe ex lepadum genere, contra Bellonium.

qui-

ſequitur, ab ea ſententia abducere debuiſſet, in quo cum Purpuris & turbinatis Aporrhaidas numerat: Modus hic idem aporrhaidibus, purpuris, atq; omnibus generis eiuſdem.

Quare Aporrhaidem in turbinatorum genere eſſe cenſeo, vt ex ſuperiore Ariſtotelis loco diligentius animaduerſo perſpicuum eſt. Etenim vt Lepades adhærent ſaxis: ita Neritę. Aporrhaides, & omnes eiuſdem generis adhærent ſaxis, ſed alio adhæſionis modo. Nam Lepades parte altera detecta, & carnem oſtendente affixæ ſunt: Neritæ verò & Aporrhaides acclinato tegmine, quod illis eſt operculum, ad ſaxa: quemadmodum videmus Cochleas terreſtres ſaxis, & truncis arborum, qua parte carnem oſtendunt, veluti ad glutinatas. Ergo operculum habent Aporrhaides & Neritæ, id quod proprium eſſe turbinatis iam diximus. Quibus ſubdit Ariſtoteles operculum Neritarum, Aporrhaidum, atq; aliorum turbinatorum eundem pręſtare vſum, quem in biualuibus conchis teſtam alteram. Quemadmodum enim in biualuibus, cluſilibus & reſeratilibus, à duabus teſtis tota interna caro tegitur, ita à turbinata teſta, & addito foramini carnem oſtendenti operculo, tota turbinatorum caro occulitur. Ex his efficitur Neritas & Aporrhaides in turbinatis haberi. Aporrhaidem rectè Muricem mihi videtur Gaza conuertiſſe, ab aculeos multos & longos, atq; acutos, quibus Murices omnes armati ſunt, qualis eſt hîc quem proponimus.



Aphorrhaidē à Gaza rectè muricem verti.

Dicam pręterea quod ſuſpicionibus & coniecturis tantum inductus de Aporrhaide ſentio. Nimirum eſſe eius Muricum, ſiue turbinatorum gēeris, cuius mentionem facit Plinius libro 32. Muricum generis ſunt quę vocant Gręci Colycia, alij Corythia, turbinata ęquè, ſed minora multò: efficaciora etiam, & oris habitum cuſtodientia. Quod Muricum genus priuſquam explicemus, de varietate lectionis dicemus ex Hermolao, qui pro colycia, alij corythia, legendum cenſet ex Athenęo Colycia ſiue Corycia. Etenim Chamæ genus quoddam Græcis ait vocari κωρύκας in Macedonia, quas Athenis κολύκας dicant. Cęterùm eas non muricibus, ſed (vt dixi) Chamis pręſertim tracheis adſcribit, quod & Plinio placuiſſe in huius libri calce video. Facit hoc generum affinitas.

Plinii locus de colyciis vel corythiis. Cap. 7.

Hermolai verba.

Corycia.

Hæc ſunt Hermolai verba, quæ verò conſentanea mihi non videntur, neque is Plinij locus ex Athenęo emendari poteſt. Nam ſi κωρύκων nomen Chamis competat, idem turbinatis longè diuerſi generis competere minime poteſt. Neq; illud verum, affinitate generum fieri, vt idem nomen vtriſq; cōueniat, ob id Chamis etiam tribui in calce operis. neq; enim ideo poſt Chameglycymeridas ponit Colycia ſiue Coryphia, quod Chamis id nominis tribui velit, ſed quia elementorum ordine piſces recenſet. Quam ob cauſam poſt Chametracheas, Chameleos, Chameglycymeridas, ſubiungit Colycia, & Coryphia, quia à litera C. incipiunt. Vtroq; igitur Plinij loco Coryphæa legendum conijcio, intelligiq; id muricis ſiue turbinati genus, quod aporrhaidem vocat Ariſtoteles. nomen enim optimè quadrat, quoniam κορυφὴ ad omnia extrema & ſumma transfertur. inde κορυφαῖον, quod ſummum eſt & extremum. Vnde turbinata hæc in quibus aculei eminent, Coryphæa dicentur. Id etiam conuenit, quòd multò minora ſint reliquis. Sed hæc pro ſuſpicionibus habeantur.

Contra Hermolaum.

Coryphæa.

COROLLARIVM.

Apud Plinium in fine libri 32. pro corycia, aliàs legitur corophia: vtrumuis legas, commatis, non puncti, nota ſubſequi debet, vt per appoſitionem mox legatur, concharum genera. Plinius de buccino quædam ſcribit, quæ Ariſtoteles de aporrhaide: Vide in Buccino C.

DE APVIS SEV APHYIS GENERATIM. Rondeletivs.

Minimi piſces ſuæ paruitatis cauſa minimè negligendi ſunt, in paruis enim rebus ſępe multa magna admiratione digna ſpectantur. Quis enim echeneida piſciculum non miretur? Quis non phoxinũ fluuiatilem piſciculum ouis ſemper grauidum? Omitto atherinas, cobiten, aphyarum genera, aliaque permulta, quorum nonnulla ſine mare & fœmina ex aqua & limo: quædam ex ſemine nata, ad aliorum piſcium alimenta, vſuſq; noſtros à natura condita ſunt. Verùm in tenui labor, vt ait poëta, nam præterquàm quòd piſciculorum differentiæ & naturę multiplices ſunt (differunt enim vita, quoniam alij paluſtres, alij fontani, alij foſſiles: differunt & partibus & moribus) ipſæ etiam res tam minutæ, minutam diligentiam curioſamq;, & attentionem poſtulant.

Minutorum hiſtoria non contemnenda.

A Incipiam autem ab aphyis quæ minimæ ſunt. Dictę verò ſunt aphyę ὡς ἂν ἀφυεῖς οὖσαι, τουτέστι δυσφυεῖς, teſte Athenęo. Sic enim legere malo quàm διφυεῖς, vt in vulgaribus codicibus legitur. id eſt, nominatæ ſunt aphyæ, quaſi non natæ. Quemadmodum enim α Græcis priuandi particula eſt, ita & δυς ſæpiſſime, id quod infinitorum nominum compoſitio oſtendit. At ſi quis vulgatam lectionem ſecutus διφυεῖς dictas exiſtimet, id eſt, bis natas, quod temporis ſpacio Aphyæ pereant & denuo naſcantur, autore Ariſtotele, is ſimul cogitet non ἀφύας ſed ἀναφύας potius appellandas fuiſſe à renaſcendo. Nec ſentit Ariſtoteles ex ijs quæ interierunt, alias renaſci. Verum aliquando interire, & quodam tempore non reperiri: deinde ex eadem ſemper materia, ſcilicet ex terra arenoſa vel limo alias naſci. Quare aphyas potiùs ὡς ἂν ἀφυεῖς, καὶ δυσφυεῖς, id eſt, veluti non natas rectiùs dici cenſeo. Quę enim propriè dicuntur aphyę ἄγονοι καὶ ἄγονοι authore Ariſtotele: id eſt, nec accreſcunt, nec procreant, de quib. mox fuſius. Plura aphyarum genera conſtituerunt veteres, quarum nonnullæ ex ſemine naſcuntur non diuerſorum piſcium vt nonnulli putant: (ſemina enim non commiſcentur, piſciumq; genera diuerſa coire à nemine viſum eſt, inquit Ariſtoteles, ſquatina ſola quæ ῥίνη dicitur: hoc facere creditur & βάτος, id eſt, raia: eſt enim piſcis qui ῥινόβατος appellatur,) ſed ex ſemine eiuſdem generis, vt gobionum, mænidum, mugilum. De his deinceps dicamus.

Δυσφυεῖς. Libro 7.

Lib. 6. de Hiſt. anim. cap. 15.

Ibidem.

Apiarum genera.

Lib. 6. de Hiſt. anim. cap. 11.

DE APVIS IN GENERE, BELLONIVS.

Piscibus quos litorales vocant, qui in scopulis ad litus viuunt: cutemq; glabriorem habent, quàm vt squamosi esse credi possint: adnumerari debent Aphyæ, vel Aphydii, (*Aphydia potius, ex Athenæo,*) Aphritides vel Aphri, Cobitides, Atherinę, Triglitides, Engraules, Coracidia, Boridia, Typhlenidia, & Membradæ, quas aliqui Phalericas Apuas vocant. Omnes è piscium saxatilium genere, & cæteris piscibus aptissima præda, vt Oppianus scribit. Apuæ omnes grandiori capite constant, oculos habent elatos & nigros.

COROLLARIVM.

Apud Athenęum vbi scribitur apuas dictas quasi ἀφυεῖς ἢ δισφυεῖ: ego quoq; δυσφυεῖς legerim, vt & Hermolaus & Rondeletius, non quòd δυς vt ipse putat, aliquando priuatiua sit particula vt ἀ στερητικὸν: sed quòd imminuat aliquando vt ἀ quoq; interdum: vt δυσφυεῖς intelligantur, αἱ κακοφυεῖς, ἢ ὀλιγοφυεῖς. nam vt bene, pro valde accipitur: sic malè & malignè, pro parum: vt malè gratus, herba malignè crescens. Sed in illo malè etiam omnino priuatiuum esse potest. Sic mala punica quędam ἀπύρηνα dicuntur, non quòd pyrênas non habeant, sed eos minimos, vel minùs duros. Sunto igitur δυσφυεῖς, qui malignè & nimis pusillo corpore nati sunt. vel qui malignè aut omnino non crescunt. Accedit & Eustathij authoritas, apud quem legimus, ἀφυής, ἀντὶ τοῦ μικροφυής. ὅθεν καὶ ἀφύη ὁ ἰχθὺς λέγεται ὡς μικροφυής, ὡς ἐν ἰχθύσιν. Νάπυ (sinapi) dicitur, quasi ἀφυὲς ὅτι ἐστέρηται φύσεως. (Φύσι pro cremento.) ἀφυὲς γὰρ καὶ μικρὸν ὥσπερ καὶ ἡ ἀφύη Athenæus. Plinius aphyen ἀπὸ τοῦ ὕειν dictam indicat, his verbis: Aphyen Græci vocant, quoniam is pisciculus è pluuia nascitur Sed cum aliter aphros quoq; aphritis & aphrye dicatur, aphyen pro aphrye dictam per syncopen à spuma non est absurdum.

APVARVM GENERA, EO QVO DEINceps describuntur ordine.

Apua vera. Cobites. Engraulis vel Encrasicholus, qui & lycostomus, vulgò Anchoia.

Phalerica. Apua mugilum. Apua Męnidum & Mullorum. De piscibus sponte nascentibus. Hepseti. Atherina. Membras.

Belennus siue Blennus pisciculus carnis substantia apuam cobiten refert, & à Rondeletio inter Apuas describitur: vt Sardina etiam propter similitudinem qua apuam refert Phalericam. nos hanc in S. elemento, illum in B. describemus.

DE APVA VERA.

RONDELETIVS.



A EX aphyis ea verè aphya dicitur, quę ab Aristotele ἀφρὸς, ab Athenęo ἀφρῖτις, à nonnullis ἀφρύη, à spuma maris, vnde oritur, nominata est, vel à candore si Suidæ credamus, qui etiam ἐγγραυλὶν à multis dictã fuisse scribit, nec non Oppianus libro quarto ἁλιευτικῶν. Apuam Latini vocant, inquit Plinius, quoniam is pisciculus è pluuia nascitur. A Liguribus non nata appellatur.

Lib.31. ca. 8.

B Pisciculus est admodum exiguus, vix vnquam minimi digiti longitudinem æquans, sæpius candidus, aliquando rubescens, nigricantibus oculis.

C Neq; gignit, neq; gignitur, sed ex spuma & originem & nomen habet, vt dictum est. De huiusmodi aphya hæc Aristoteles: Nascitur aphya è spuma in vmbrosis & tepidis locis, quando ex serenitate terra calescit, vt circa Athenas apud Salaminem & iuxta Themistoclęum, & in Marathone. locis enim huiuscemodi spuma illa consistit. Interdum etiam quum aqua multa è cœlo effluxerit, nascitur in spuma excitata ab imbri. Vnde illi nomen ἀφρὸς à spuma Fertur etiam nonnunquam per summa maris, & in spuma conuoluitur, vt in stercore vermiculi. Eadem Athenęus: Aphyarum, inquit, plura sunt genera, quę ἀφρῖτις dicitur, è semine non nascitur, vt scribit Aristoteles, sed ex superfluitante in mari spuma, imbribus multis collectis. Eadem ẽt omnino Suidas. Aphyam Veneri sacram esse, author est Athenęus, quia ipsa quoq; ex spuma genita est, vnde Ἀφροδίτη nomen inuenit. Apud eundem ab Apollodoro meretrices duæ Stagonium & Anthis sorores Aphyæ dictę sunt, quòd candidæ essent, graciles, & oculis prægrandib. (*Antiphanes vero Nicostratidem* Ἀφύαν *au dictam fuisse eandem ob causam*) Aphyam etiam ἀφρὸν (dictam) scribit Aristoteles ex terra arenosa nasci, quæ tempore interit & renascitur. Quam hic depinximus, ea proculdubio est, quæ ex spuma nascitur, nulla repugnante nota in Ligustico litore frequens: in spuma conuolui cernitur, nomenq; non natæ ei aptissimè quadrat. Inde etiam in alias regiones asportatur, id quod de sui temporis piscatoribus scripsit Aristoteles, qui vt deportare possent, sale conspergebant: breue enim tempus durat aphya ista, caput tantummodò & oculi restant.

L b.6. de Hist. anim. cap. 15. — Lib.7. — Ibidem. — Lib.13. — Lib.6. de Hist. anim. cap. 15. — Ibidem.

F Prætereà adeò mollis, tenera, tenuisq; est, vt citissime percoquatur. Idem apud Athenæũ Clearchus Peripateticus ait ex Archestrato, qui Aphyam, quòd paruo igne egeat, iubebat in calidam patellã inijci, ac mox vbi stridere cœperit, auferri: (stridet autem vt primum senserit ignem, sicut & oleum.) vnde parœmia, ἴδε πῦρ ἀφύη ignem vidit aphya, quasi vidisse modò sufficiat ad decoctionem. Vel ἀφύη ἐς πῦρ, aphya ad ignem, dicitur, inquit Suidas, ἐπὶ τῶν τέλος ὀξὺ λαμβανόντων id est, de iis quæ celeriter intereũt, aut absumuntur, siue quæ facilè ac cito conficiuntur. Ferebatur & illud apud Gręcos ἀφύων τιμὴ τὸ ἔλαιον, Aphyarum honor oleum: quoniam in oleo coquebantur. Chrysippus Philosophus autore Athenæo scripsit aphyam Athenis vilescere ob copiam, & mendicorum esse opsonium, alibi in precio esse, multò etiam deteriorem. Lynceus Rhodiacas aphyas laudat. Archestratus aphyam omnem pręter Atheniensem & Rhodiacam vituperat. Aphya omnis humidum alimentum præbet, flatusq; gignit. Nicomedi Bithynorum regi, autore Suida, † cum aphyarum edendarum desiderio teneretur, proculq; à mari abesset, Apicius ille gulosus pisciculorum figuram imitatus, vt aphyas veras apposuit. Erat autẽ huiusmodi earum apparatus. Rapum fœminam in longiuscula & tenuia frusta speciem aphyæ referentia secuit, quæ in oleo cocta sale & papauere aspersit, sicq; hac eum cupiditate liberauit.

Lib.7. — Ibid. — † Narrat etiam Athenæus lib.1.

Oppianus scribit timidum & imbecillum aphyarum genus (*quod engraules vocant*) omnium prædæ expositum esse, ob id in perpetua formidine viuere, & sese in globos conglomerare, & ita se implicare, cõnectereque, vt dissolui vix possint: sæpe etiam horum aceruorum occursu nauium cursus retardari. C.D.

Li.4. Halieut.

DE EADEM BELLONIVS.

Nonnatos vel Nonnados vulgus Genuense nominat, quasi non adhuc prouectos dicere vellet. quorum duæ sunt insigniores differentiæ: peculiari autem nomine alii ab albedine† *Bianchetti* alij à rubedine *Rosseti*, & Romę *Pesci nom* appellantur, omnium quos aqua producit piscium minimi. Sunt qui sui generis esse asseuerent, non autem alterius progeniem: & quòd maiores euadere nõ possint, hoc argumentum adferunt, quòd omni tempore anni * piscari soleant, feranturq; eiusdem perpetuò magnitudinis in forum, quòd tamen falsum esse comperi. Multi enim horum piscium ter, quater, & quinquies eodem anno pariunt, vt Thrissa, Trigla. Cyprinus: ac si quis attentius aduertat, inter eos annumerabit etiam Gobios, Męnas, Cephalos, Sargos, Sparos, & id genus pisces, quos ideò seorsim describere propriis capitibus operę pretium fuit.

† De Blanchetis & Rossetis, Bellonii sententiam infra quoq; leges in Apua cobitide. † capi

COROLLARIVM.

A Apua genus minimi pisciculi, Festus. Theodorus apluam interpretatus est, quia non alio principio ferè, quam ex pluuia generetur. Adeò pusilla est, vt ij, qui Niceam incolunt, Nonnatam appellent, quasi nondum natam, id quod Græcum (aphyę) nomen indicat, Massarius. Saperdæ (Σαπέρδαι) sunt apuę calamis diuisæ & inueteratæ, (ταριχευμέναι:) alii lardum, alii salsamenta apuarum interpretantur: eruditiores verò tomum piscis cuiusdam salsi. nam carcinum (lego coracinum) piscem, Saperdam Pontici nominãt. Varinus. Nos alibi etiam plura de saperda dicemus. Γόνον etiam pro apuis quidam dixerunt. nã cum semper exiguæ sint, semper γόνος, id est fœtura aut fœtus recens existimari possunt, vt de hominibus etiam nostri vulgari diuerbio dicunt, *Kleine roeßle bleybend lang fülle.* Equi parui diu manent pulli. κ ἀπὸ τηγάνου γόνον, Hegemon apud Athenęum. Epicharmus membradibus & cammaris apuas adnumerat, distinguens ab eis τὸν λεγόμενον γόνον. Et Archestratus, Τὸν γόνον ἐξαυδῶ, τὴν ἀφρὸν καλέουσιν Ἴωνες. Coquus apud Alexin lolligines, raiam, δῆμον & ἀφύας nominat, nescio quid per δῆμον sibi volens, nisi vltimam acuas, & pingue vel adipem intelligas. nam & στέαρ mox nominat. Λιπαρὸς, ἡ ἀφύη, Varinus: nimirum à pingui, quo valerica apua maximè abundat. sed apud Aristophanem, λιπαρὸς epitheton est apuæ. vide infrà in H.f. Alius est liparis piscis, de quo suo loco. Alforas, vel alforam, astaroz, asturam, afforus, Alberto & huius farina scriptoribus nomina sunt corrupta pro apua. Quędam Gallicè apuam *Merlan* vel *Merland* interpretantur. Bellonio *Merlandfisch*, Anglicè dictus piscis, ex genere asellorum est, vt & Rondeletio Merlanus. Piniciano apua Germanicè *Senglen* dicitur: sed is fluuiatilis pisciculus est, nostri fundulum vocitant: à cuius similitudine apua, præsertim cobîtis, *Meersengle* vel *Meergrundele* dici poterit: apua verò de qua hîc agimus *Meerseele* quoniam & lacustres pisciculos diuersorum generum confertis agminibus natantes, *Seelen*, id est animas (à paruitate) nostri appellant. Eliota Anglus apuam conijcit esse pisciculum vulgo *Dace* dictum: quem ego leucisci fluuiatilis genus esse audio, vandosiam Gallorum. quare aliud Anglicum apuę quærendum est nomen. B

Saperda. — Γόνος.

Apuas strongylas, id est rotundas, Archippus apud Athenęum dixit.

C Apuæ sponte nascuntur sine coitu, ex imbribus, spumescente mari. alię nascuntur è limo, putrescente scilicet vel ipso, vel quicquid in fundo collectitium est, Oppianus. Apuę (inquit Ælianus) pisces ex sese nec procreantur, sed è limo enascuntur. cum enim cœnum in mari concreuerit, valde & limosum & atrum efficitur, atq; ex sua quadam voluptate, mirabili natura & vitali tepescit: atque in permulta animalia nimirum Apuas immutatur. Eæ autem sic in putrido luto & sordibus, tanquam lumbrici, generatæ, ad natandum maxime valent. Tumq; mirabili causa quadam ad salutaria impelluntur: eo nimirum, vbi ad tegendam vitam perfugia, & ad tuendam propugnacula habeant. Hæc autem perfugia sunt scopuli magni & in sublime eminentes: & cribani à piscatoribus dicti, hoc est petræ in multiplices sinus, tremebundorum fluctuum & saxifragarum vndarum verberatione, multo tempore excauatę. Hæc ideo abdita eis perfugia natura indicauit, ne fluctib. conuellerentur aut perirent. debiles. n. sunt ad resistendum & infirmę contra fluctuum incursiones. Hic piscis impatiens Solis fugit ad vmbras arborum, quas in aquas emittunt, calorem verò diligit, Albertus. Et rursus, Nautæ super hoc pisciculo referunt, si consumatur putrefactus vsq; ad caput & ad oculos, adueniente aqua iterum renasci: & tunc diu viuere, cum ante hanc suam regenerationem breuis sit vitæ. Sed hæc ex Aristotelis verbis malè intellectis transsumpta videntur. Apuę cibo non indigent: sed sufficit eis vt inter se lambant, ἀλλήλας περιλιχμήσασθαι, Ælianus & Aristophanis Scholiastes, ex Oppiano vt apparet. Tam densis agminibus natant, vt totum qua natant, mare albicet, non aliter quàm area niue repleta adeò vt nullum terrę vestigium in ea compareat, Oppianus.

Procreatio apuarum. — Natatio. Refugia. — Cibus.

E Apuę verriculis tenui filo contextis comprehenduntur, inutilibus alioquin ob exilitatem ad aliorũ piscium capturam, Ælianus, (& Scholia Aristophanis: in quibus εἵματα pro νήματα legitur.) Lepus mar. in cœno gignitur, & sępe vnà cum apuis capitur, Idem.

F Diphilus dixit aphyam grauis & difficilis concoctionis esse. Præfertur tamen inter cęteras vera apua quæ & aphrîtis dicitur. Apuę, membrades, trichides, & alij quorum spinas simul edimus, omnes inflare & humidum nutrimentum præbere solent, cum enim carnes citò admodum concoquantur spinę verò tardè dissoluantur, (præsertim in apuis adeò spinosis,) inęqualis & impedita vtrinq; concoctio peragitur. Elixari eos præstat, ventrem inæqualiter subducunt, Athenęus Mnesitheus. † Ἀφύα ἐς πῦρ id est, Aphya ad ignem, prouerbium in ea quæ celeriter intereunt aut absumuntur, siue quæ facilè ac statim conficiuntur. nam aphya piscis mollis ac tener admotus igni protinus decoquitur. Frigitur autem in oleo feruenti: vnde fertur & illud apud Græcos, † Ἀφυῶν τιμὴ ἔλαιον. id est, Aphyarum honor oleum. Effertur & ad hunc modum, Ἴδε πῦρ ἡ ἀφύα. id est, Aphya vidit ignem: quasi vidisse modo sufficiat ad decoctionem. Itaque si puella iam nubilis statim sponso viso incalescat, conueniet, Ἴδε πῦρ ἀφύη. Erasmus

† Ἀφύη. — † Ἀφύων.

Rot. At mihi verba Suidæ, (& Scholiastæ Aristophanis,) ἐπὶ τῶν τέλος ὀξὺ λαμβανόντων, non rectè intelligi videntur de rebus ijs quæ celeriter intereunt aut absumuntur, sed simpliciter de illis quæ citò conficiuntur, vt in prouerbio, Citiùs quam asparagi coquantur. Huic idem aut proximum est, Τάριχος ὀπτὸς ὅταν αὖ ἴδῃ τὸ πῦρ, Tarichus assus mox vt ignē viderit, quod Atheneus prouerbii loco citat. †Α'φύων τιμή, Aphyarum honos, (inquit alibi Erasmus,) quoties humilibus exiguus quispiam honos contingit. nam aphya pisciculus est vilis, cui coquendo nihil adhibetur præter oleum quo frigitur: vnde iactatum illud, Αφύης τιμὴ τὸ ἔλαιον i.e. Aphyæ honos oleum. Meminit Scholiastes Aristophanis in Equites. Apua (non natus vulgò) cruda, multitudo oculorum collecta esse videtur: cocta verò, candida & iucundi saporis, Niphus. Cœpit garū & priuatī ex inutili minutoq; (*quidā mutilato legunt*) pisciculo cūfici, apuā nostri vocant, aphyen Græci. Foroiulienses piscem ex quo faciunt lupum appellant, Plinius. videtur autē non ex quauis apua, sed eā specie, quæ lycostomus dicitur, præcipuè garum fieri insinuare: ex qua quidem optimum id parari docet Rondeletius. Iam patinas implebo meas, vt parcior ille Maiorum mensis apuarum succus inundet, Ausonius de garo, vt Hermolaus legit, & pro apalaria restituit apuarum. Saperdam Photion pro apua inueterata & harundinibus infixa capit, Idem Hermolaus. Ex Apicio, Patina de apua: Apuam lauas, ex oleo maceras, in cumana compones, adijcies oleum, liquamen, vinum. alligas fasciculos rutę & origanum: & subinde fasciculos cum apua elixabis. cum cocta fuerit, proijcies fasciculos, & piper asperges, & inferes. Aliter patina de apua sine apua: Pulpas piscis assi vel elixi minutatim facies, ita abundanter, vt patinam qualem voles adimplere possis. teres piper & modicum rutæ: suffundes liquamen quod satis erit, & olei modicum, & commisces in patina cum pulpis, sic & oua cruda confracta, vt vnum corpus fiat desuper leniter compones vrticas marinas vt non cum ouis misceantur. impones ad vaporem, vt cum ouis bullire possint: & cum siccauerint, superasperges piper tritum, & inferes ad mensam. nemo agnoscet quid manducet. Patina de apua frixa: Apuam lauas: oua confringes, & cum apua commisces. adijcies liquamen, vinum, oleum. facies vt ferueat: & cum ferbuerit, mittes aquā. cum duxerit, subtiliter versas, facies vt coloret, œnogarum simplex perfundes, piper asperges & inferes, Hæc ille libro 4. cap. 2.

G Ex aquatilibus ad renum & vesicæ vlcera congruit apua marina minima, assiduè comesta, Aëtius 11.30.

H. a Ἀφύη per η in recto singulari scribitur, non ἀφύα, vt Erasmus Rot. habet: quanquam & Scholiastes Aristophanis & Suidas Ἀφύα scribant. Genitiuus pluralis paroxytonus est, ἀφύων, vt Gaza annotauit: cū cæteri omnes in secunda declinatione circunflecti soleant. Aphya dicitur etiam ἀφρὸς, id est spuma à colore: & vulgò Engraulis, Scholia in Equites Aristophanis. nos Engraulin non simpliciter apuam, sed eius speciem describemus inferiùs. Ἀφύδια Aristophanes forma diminutiua protulit, Atheneus. Βῶκες ἀφύαι, σμαρίδες, nominantur ab Epicharmo. Attici plerunq; ἀφύας in plurali numero, rarissimè singulari efferunt, Eustathius. Πληθυντικῶς λέγουσι τὰς ἀφύας. Ἀρίστοχος δὲ οὐκ ἀποδέχεται πληθυντικῶς διὰ τὸ χ. Scholiastes Aristophanis in Auibus: ego quid sibi hæc verba διὰ τὸ χ velint, non video. Aristoteles tamen in singulari dixit, Ἡ δὲ ἄλλη ἀφύη γένος ἰχθύων ἐστί, eum res ipsa pluralem postularet: de apuis enim diuersis loquitur. Hic illud obiter annotârim, cum apua propriè dicta, γόνος vel γόνος θαλάττιος (vt Atheneus habet) nominetur, hoc est fœtura, vel maris fœtura: ex ipso enim mari nascitur, non vllis parentibus, vt scitè ἄγονον γόνον gripho quis appellet: sunt enim ἄγονοι, id est steriles, Aristotele teste: in verbis iam recitatis philosophi, reliquas quæ impropriè vocantur apuæ γόνον ἰχθύων dici, hoc est nō simpliciter aut marinam, sed piscium fœturam: quòd ex parentibus procreentur, gobijs, mullis, mænidibus, vt putant. Rondeletio enim verisimilis fit hæc quoq; genera sua sponte sine coitu nasci, denominari verò à similitudine ad pisces iam dictos. Apua vera ab Aristophanis scholiaste & Suida Ἀφύα ἡ πεπονηγμένη dicitur, quæ nullis parentibus nascitur, &c.

Epitheta, ex Oppiano: Ἀβληχρὰ, πολιὸν γένος. Ἠπεδανῆς ἀφύης ὀλιγηπελὲς ἔθνος. Οὐ μέν πω τι τέτυκται ἀκιδνότερον γένος ἄλλο δειλαίης ἀφύης.

b Ἀφύει, albicat, apud Hippocratem: ὥσπερ ἀφύεις τὸ χρῶμα ἴσχει, (colorem non natiuum aut vitalem habet,) inde nomen adiectiuum ἀφυώδης, quod tali colore affectum significat, Galen. in Glossis. Ego à colore apuarum piscitiorum verbum illud ac nomen deduxerim: à quibus & meretriculæ quædam à bicantes. Apuæ sunt cognominatæ, vt Atheneus refert. Bebrades quidem siue membrades apuarum generis πολιόχρωτας, id est colore incanas Aristophanes dixit. Et fortè hydropis, præsertim leucophlegmatiæ color, albus simul & tumori coniunctus, sicut in spuma albedo, propriè ἀφυώδης diceretur.

f. Ἀπὸ τηγάνου τ' ἔφασκεν ἀφύας φαγεῖν, Pherecrates apud Athenæum. Ἅλις ἀφύης μοι, παρατέταμαι γὰρ ἐσθίων: Aristophanes in Antagonistis citante Suida, in Ἄλις: & rursus in Θωπεύει: vbi non Antagonistis, sed Tagenistis (rectiùs puto) legitur: nam & Scholiastes Aristophanis sic habet. videtur & prouerbiali sensu in hominem prolixè inepteq; loquacem torqueri posse. Εἰ δέ τις ὑμᾶς ὑποθωπεύσας, λιπαρὰς καλέσειεν Ἀθήνας, εὕρετο πᾶν ἄν, διὰ τὰς λιπαράς, ἀφύων τιμὴν περιάψας, Aristophanes apud Suidam in Θωπεύει: item in Ἀφύα, vbi corrupte legitur, εὕρετο πανδοσίαν τὰς λιπαράς &c. interpretatur autem λιπαρὰς ἀφύας αὐτὶ τοῦ λιπαρὰν τιμὴν, ὅτι ὀλίγη. Sensus verborum comici hic videtur: Si quis per adulationem pingues Athenas nominârit, idē quo apuę solent celebrari elogiū eis attribués, ille nihil non facile cōsequetur. Locus est in Achatnensib. οὐ πώποτ' ἀφύας εἶδον ἀξιωτέρας, Aristoph. in Equitib. hoc est, Nunquam apuas vidi vilioris precii, nam ἄξιον Atticis est εὔωνον, Scholiastes: qui etiam suo tēpore apuā aphritin Athenis valde expetitā fuisse scribit. Ἦν δὲ γήτειον προσῇ τῇ ταῖς ἀφύαις ἥδυσμα τι, Aristophanes in Vespis, tanquam de cibo lautissimo. Apicius quomodo Nicomedi regi apuas mentitus sit, Rondeletius ex Suida refert. meminit & Athenæus libro 1. non tamen Apicium ille, vt Suidas, sed alium quendam coquum Nicomedi artificiosas illas ex rapis apuas finxisse scribit, & Euphronis comici super ea re versus adfert: Apicium verò Traiano Cæsari cum in Parthia procul à mari esset, ostrea recentia misisse ait arte quadam refernata, ὄστρεα νεαρὰ ἀπὸ σοφίας αὐτοῦ τεθησαυρισμένα. Archestratus Apuam omnem μίνθου, id est oleti instar contemnit, Phalerica quæ Athenis capitur, & Rhodiaca exceptis: Quod si gustare (inquit) eas desideras

Marginalia: †Α'φύων. — Garum. — Phalerica.

deras, ὁμοῦ χρὴ Κνίδας ὀψωνεῖν τὰς ἀμφικόμους ἀκαλήφας εἰς ταυτόν. μίξας δ' αὐτὰς ἐπὶ τηγάνου ὅπλα, Εὐώδη τρίψας ἄνθη λαχάνων ἐν ἐλαίῳ.

Apuam Veneri sacram fuisse ex Athenæo repetijt Rondeletius: meminit & Eustathius. item Varinus, Apua (inquit) sacra est Veneri: quòd vtræque è mari sint prognatæ: ἡ μὲν ἀφύη, φυσικῶς: ἡ δὲ δαίμων, φυσικῶς, lego μυθικῶς. Sed Neptuno etiam eosdem pisciculos consecrasse veteres, idem Athenæus author est: & priuatim apuam Phalericam Veneri sacram extitisse. Οὔτ' ἀφύη νῦν ἐστιν ἐπὶ σοφῶς Οὔτ' αὖ βεβρὰς κακοδαίμων, Aristonymus apud Athenæum: Versus prouerbialis apparet, in eum fortè qui aliquid amiserit acquirendi alicuius gratia, quo tamen potitus non sit: Vel in eum qui ex duobus diuersis constet, aut partibus diuersis se accommodet, ita vt neutrius sit omnino: veluti si Iudeus à sua religione discesserit, Christianam tamen non sit amplexus totam. Sic autem legitur hic versus apud Athenæum in Bebradū mentione: in Apua verò bis mutilatus, primum: Ὡς οὐκ ἀφύων νῦν ἐσθ' ἁπλῶς. Ὡς οὐκ ἀφύη μέν ἐστιν ἁπλῶς. Vide infrà in Apua membrade F. Νῦν δὲ οὐδὲ ἀφύην κινεῖν δοκεῖς, Hermippus apud Athenæum. nimirum in hominem nimis infirmum.

DE APVA COBITE.

RONDELETIVS.

A Ristoteles explicata aphyæ natura tum ea quæ ex terrenosa, tum ea quæ ex spuma nascitur, hæc subiungit: Ἡ δὲ ἄλλη ἀφύη γόνος ἰχθύων ἐστίν, ὁ μὲν καλούμενος † κωβίτης, κωβιῶν τῶν μικρῶν καὶ φαύλων οἳ καταδύουσι εἰς τὴν γῆν id est, reliquæ aphyæ piscium sunt fœtus, quæ quidē cobites dicitur gobiorū paruorum & prauorum qui terram subeunt. vbi κωβίτης gobionaria vertitur à Gaza, qui locum hunc Aristotelis peruertit his verbis. Reliqua apua fœtura piscium est: quæ enim gobionaria dicitur, gobiones paruos, ignobiles, qui terram subeunt, creat. Imò creatur hæc aphyę species à gobionibus paruis & vilibus, non autem gobiones creat. Quod miror à Massario citante hunc locum in commentarijs suis in librum nonum Plinij, animaduersum non fuisse. Nam ipsa Aristotelis verba perspicuè interpretationem Gazę falsam esse conuincunt. Nec non Athenæus, qui ex mente Aristotelis de eadē re ita scripsit: ἑτέρα τις ἐστιν ἀφύη ἡ κωβίτης λεγομένη. γίνεται δὲ αὕτη ἐκ τῶν μικρῶν καὶ φαύλων τῶν ἐν τῇ ἄμμῳ διατριβόντων κωβιῶν, id est, Alia autē est aphya cobites dicta, gignitur autē ex paruulis & vilibus gobijs, qui in † terra degunt & versantur. Itē Suidas similiter. Ergo aphya cobites est, B quæ ex gobionum semine procreatur, nunquam ad gobionum magnitudinem accedens, alioqui gobionibus marinis simillima est. Corpore est rotundo, pellucido, dorso latiusculo, colore candido, nigris aliquot maculis asperso, cauda varia, oculis quodam modo supra caput positis. Pinnæ eædem sunt illi quæ gobionibus, maximè illa gobionibus peculiaris, barbæ instar propendens ex ea ventris parte, in qua binæ sunt in alijs piscibus. Hepar lactei coloris, & in eo fellis vesica. Splen rubet. Intestina & peritonæum ex albo nigrescunt. Cor ex albo rubescit. A

Nostri loches de mer appellant. Est enim ijs pisciculis quos Galli *loches* vocant, tam similis vt vix ab his distinguatur. Differunt tamen corporis figura. Est enim hæc (apua) gobionum instar corpore rotundo, non compresso: illi verò (lochæ fluuiatiles) corpore depresso & longiusculo. Cum verò nullus † F sit omnino pisciculus, qui propiùs ad formam gobionum accedat, quàm qui hîc à nobis exhibetur, certum est aphyam cobiten esse, quæ † grauis est, & difficile coquitur, veluti reliquæ aphyæ.

Eadem aphya cobites in stagno marino frequentissima est, & loche vocatur: colore & figura à gobionibus non differt, sed magnitudine. parua enim semper manet: gobiones multò magis augescunt. Item à fluuiatili differt quod breuiore sit & crassiore corpore, fluuiatilis longiore & graciliore.

Marginalia: A. Lib. 6 de Hist. animal. cap. 15. — † κωβῖτις — Cap. 57. — Lib. 7. — † arena. — Cobitis stagni mar.

DE EADEM BELLONIVS.

Qui Venetis in piscaria diuenduntur pisciculi, quos vulgus Marsionos vocat, hi sanè sunt Græcorum Cobitæ & Hepseti: sic enim Dorion huiusmodi litorales pisciculos nominauit, quos omnes ex Atherinis pisciculis procreari censet, qui in fossulis relinquuntur, Nilo recedente. Ego verò à Gobijs nasci putauerim, & vulgo nostro vocari Menuise, (*alius est Menoun Anglorum, de quo in Phoxino dicemus.*) Terentius minutos pisciculos nominauit.

Trigliten Dorion vocauit pisciculum omni anni tempore ferè apparentem. Siquidem quum Trigla ter anno pariat, Triglites Aphyæ genus semper apparere potest. Hi sunt pisciculi Aphridites, quos Genuenses Rossetos nominant. Nam qui pisciculus Hicesio Cibotis (legendum Cobitis) dicitur, is est quem etiam Ligures bianchetum ab albo colore vocant. Sunt enim (inquit Hicesius) in Aphyarum genere quidam albi & admodum tenues ac spumei, quos Cibotides (Cobitides) nonnulli appellant.

Marginalia: Hepseti. — Triglites. — Rosseti. Bianchetti.

COROLLARIVM.



Pisciculus à nobis delineatus, Venetijs Marsio nominatur: Petrus Gillius veterū cottum esse putabat. Pisces quosdā (inquit) gobioni saxatili propemodum similes, Aristoteles cottos nominat, quos adhuc nonnulli coranos nuncupant Mihi quidem apua cobîtie vera à Rondeletio proposita videtur: Marsionem tamen huc apponere volui, quoniam Bellonius eundem cobitidi putauit: quòd si ea non est, omnino tamen à genere apuarum separari non debet. Apuam hanc cobitin vel cobitidē dixerim à recto cobitis, non cobiten à recto cobites. nam κωβίτης vocabulum Græcis masculinum est, nec potest cum aphya fœminino coniungi: κωβῖτις verò penanflexum per iôta in vltima, sicut & in penultima, fœmininum est. Germanicè hunc pisciculum à similitudine vocare licebit *ein Meergrundel.* Ex apua cobitide encrasicholi nascuntur, Athenæus. Apua alba cibotis (cobitis) dicitur: & hepsetus pisciculus minutus eiusdem generis est, Diphilus Siphnius. Ex cobitide encrasicholi fiunt. cobitis alba, tenuis, & spumea est: alia verò quædam (apua scilicet) sordidior & crassior, Athenæus.

Marginalia: Cotti. Corani.

D E

DE ENCRASICHOLIS, QVOS ALII ENGRAVLES, ALII LYCOSTOMOS APPELLANT, Rondeletius.

E *Icon Bellonii pinnam etiam à podice habet, & illam quæ in dorso est multò maiorem.*



A INTER aphyas numerantur encrasicholi ab Aristotele, Athenæo, Suida. Verùm hi (*Athenæus & Suidas è Scholiaste Aristophanis*, ex aphya cobite encrasicholos gigni scribunt: ille ex aphya, quæ in Atheniensium portu nascitur. Vt vt res ista habeat, encrasiocholos eos esse existimamus, quos nostri cum Prouincialibus Anchoies appellant. Dicuntur etiam Aeliano λυκόστομοι, & ἐγγραύλεις, quam tamen postremam appellationem primo aphyarum generi ab Oppiano & Suida tributam fuisse diximus. Encrasicholi verò nominati sunt ὡς ἐν τῷ κρατὶ τὴν χολὴν ἔχοντες, id est, quòd in capite fel habeāt. Ab oris forma λυκόστομοι.

Anchoies. Lycostomi.

B Pisciculi sunt digiti magnitudine, aliquando paulò maiore: sine squamis, rostro acuto, ore maximo, habita corporis ratione, eiusque scissura magna, vnde lycostomi nomen. Dentibus carent, sed maxilla vtraque serræ modo aspera. Branchias paruas habent & duplices, pinnas totidem. Cor oblongum & acutum: hepar rubrum, maculis rotundis conspersum. Ventriculi appendices multas & nigras. Venter est mollissimus, quam ob causam statim absumitur. ouis scatent rubentibus. pro corpusculi magnitudine sanguine abundant, & carnosi satis sunt: vnde fit vt delicatiores, molliores, suauioresque sint. Spinis carent, excepta dorsi spina, quæ tenuis admodum est, vt dentibus negotium vix facessat.

F Sale conditi asseruantur, & in garum vertunutr: quod ne corrumpatur, non nisi truncato capite cō-

A diuntur, cum quo fel vnà cum hepate: cęterisque visceribus & intestinis tollitur.

Lib. 31. cap. 8. Mutilatus pisciculus. De hoc pisciculo loqui Plinium autumant, quum garum fieri ex mutilato pisciculo scribit. Quo loco alij minuto, alij minimo pro mutilato legunt. Quòd veros encrasicholos exhibeamus, testes sunt locupletissimi, qui Græciam hodie incolunt. affirmant enim quos Anchoies dicimus, encrasicholos etiam hodie in Græcia vocari.

F *Garum.* Ex his optimum conficitur garum, si sale condîtos Soli exponas, donec caro dissoluta fuerit. Hinc optimum remedium ad deiectam appetentiam recreandam, ad crassæ pituitæ attenuationem, citandamque aluum. Huius gari vice sępissimè ipse domi hoc modo parandos iubeo. Primum pisciculos, vt assolet, conditos & illotos, cum aceto, oleo, & api; folijs in patinam inijci, deinde suppositis prunis tamdiu agitari, dum omnino in liquorem abeant: id oxelæogarum meritò nuncupari potest, præstantissimum condimentum, & ad ea quæ paulò antè dicta sunt, efficax. Quæ parandi ratio longè melior videtur, quàm quę veteribus in vsu fuit: nihil enim vitij aut putredinis oxelæogarum nostrum contraxisse potest, cum sępe supputri garo origano sit opus, iuxta veterum prouerbium: Putre salsamentum amat origanum, quod hodie quoque Romæ obseruari videmus. Nunquam enim encrasicholos vendunt salsamentarij sine origano.

E F Magna istorum pisciculorum copia in Prouincia capitur noctu è nauiculis igne accenso: magna itē Baionæ: sed hi maiores sunt, illi suauiores & molliores. Crudi etiam cum oleo & selino eduntur.

DE EODEM BELLONIVS.

Qui latine (minus communi vocabulo) haleculam nominat.

A Pisces, quos Galli & Hispani *Anchoy* dixerunt, Veneti Sardonos nominarunt, ad Chalcidum differentiam, quos illi Sardellas vocant: sed Romani pro Sardonis Sardas intelligunt: Tractus litorum Liguriæ incolæ, Cueuri, Cueunari, vel Cueuneuri appellitant, sicque Genuenses: Romanū vulgus *Alices* nominare mauult, quasi Haleces diceret: Incrementi minuti pisces sunt Haleculæ, sed in salsuris cæteris omnibus meliores euadunt: vt earum Muria, in sapore, inferior Garo non sit.

B Sui generis piscis esse vel ex hoc probari potest, quod Columella inter pisces annumerat, qui sunt incrementi parui: Digito enim rarò longiores & crassiores euadere comperiuntur. Et quemadmodum Harengus Celerinum refert: sic quoque Halecula Sardinam. Is prorsus squamis caret, & branchias exteriores latas gerit.

C Spurcitijs, cœno & arena vescitur. Et quemadmodum Anates & Anseres rostris cœnum commouent, & eo sese exaturant: sic etiam Haleces, quæ cum Sardinis sæpenumero capi solent, arenis & spurcitijs exaturatæ comperiuntur.

B Si tu Haleculam interijcias inter oculi aciem & solem, omnino eam transparere videbis, dempta tamen linea argentea, quæ vertebras spinę comitatur, quæ sanguinem continet. Exiguam in summo tergore habet pinnam. Cauda ei bifurca est. Corpore magis tereti prædita est quàm lato. Pinnis lateralib. si bene memini, caret. Caput magnum ei est. Hoc habet mirabile, quòd dum oscitat, amplum os aperit, vt serpentis potius os, quàm piscis appareat Hinc meritò Græci olim Lycostomos, siue os lupinum nuncupauerunt. Alij nonnulli Lupum simpliciter dixerunt. Linguam nullam habere, nec linguę rudimentum creditur.

F Solent præcindi Halecularum capita, antequàm saliantur. Nam gnari piscatores sciunt tantam inesse amaritudinem in felle eius, vt id vnà cum capite auferant. Quo fit vt ferè semper sine capitibus in doliolis conditæ nobis deferātur. Salitæ, crudę semper eduntur. Hyeme vt plurimùm à fine Decembris vsque ad quadrigesimam (quo tempore etiam Sardæ) capiuntur.

B Enixius hoc studui, vt ex longioribus & crassioribus nancíscerer: sed nunquam palmi longitudinem pertingere, & pollicis crassitudinem assequi comperi. Argenteo colore micant, tergore verò ad cœruleum

ruleum accedunt. Multi hos falsò fel in capite gerere credunt: habent enim id intestinis annexum.

Fel hoc modo auferunt: Altera manus caput trahit, vt cum ea manu viscera, quibus fel hæret, eximantur. tamen recentes Haleculas frixas in sartagine cum oleo vel butyro: vel in craticula assatas vnà cum visceribus, optimi saporis esse deprehendi. F

Viscera habent nigerrima, sed peritonæum albissimum, contrà quàm salpa: stomachum pallidū oblongumq;: Apophyses in duodeno non plures quàm viginti: Fel per longitudinem intestinorum protensum, ita confusum, vt minimè sit conspicuum. B

COROLLARIVM.

Encrasicholi nomen inditum huic piscitio apparet, tanquam fel in capite contineat (fellicipitem Latinè dixeris) παρὰ τὸ χολὴν ἐν τῷ κρατὶ, ἤτοι κεφαλῇ ἔχειν: quanquam enim fel intestinis annexum habeat, sed protensum cum illis confusumq; vt minimè sit conspicuum, vt Bellonius docet, caput tamen ei amarum & veluti bile infectum est: vnde & mutilari solet. Germanicè dici potest *Ohkop* id est Acephalus, (nam & haleculæ leucisciuè lacustris genus circa Bielam Heluetiæ, ab eo quòd mutilari capite soleat, similiter nominatur:) Vel per circumlocutionem, *ein kleine Häring art.* Λυκόστομος, ἢ ἐγκρασίχολος, (lego ἐγκρασίχολος) epitheta sunt apuæ siue engraulis, ἐγγραύλεων, melius ἐγγραύλεως Suidas. Porrò engraulis (ἐγγραυλίς, ἡ) nomen ab encrasicholo per syncopen factum videtur. Aristophanis interpres, & ab eo mutuatus Suidas, apuam esse scribunt non aliam quàm quæ vulgò vocetur engraulis. Oppianus etiam ἐγγραύλεις esse ait ἀφύης ἀδινὸν γένος, conferctum infirmæ apuę genus: quod vel pro specie vnius generis accipi potest: vel per periphrasim potiùs & epexegesin pro eodem pisce: nam paulò pòst eosdem tum ἐγγραύλεις, tum ἀφύας simpliciter vocat. Gillius Latinè Encraulos dicere voluit, secunda declinatione. Ἀφύαι, αἱ ἐγγραυλοί, Varinus. Forsitan & vulgare nomen anchoiæ ab engraule interpolatum fuerit. Bellonius halec siue haleculam interpretatur: nos suprà in Alece nostram & aliorum super hoc nomine sententiam attulimus. Dorion inter Hepsetos cum alijs pisciculis encrasicholos numerat. Ἐγκρασίχολος, ἐρίτιμος, Χαλκηδόνιο, Callimachus in diuersis gentium nomenclaturis apud Athenæum, & rursus, Ἴωπες, ἐρίτιμο, Ἀθηναῖοι tanquam encrasicholus piscis, à Chalcedonijs eritimus dicatur: & similiter Athenis alius ab encrasicholo, iops. iopem autem inter Hepsetos, id est, minutos pisciculos suprà nominârat. Cœpit garum priuatim ex inutili pisciculo minimoque confici, apuam nostri vocant. Foroiulienses piscem ex quo faciunt lupum appellant, Plinius. videtur autem lupi nomine apuam lycostomum intelligere: cum & nomen conueniat, & genus apuæ, & garū simi iter optimum ex eo fiat. Cum Græco cuipiam eas, quas Anchoias, siue Amploias littus Ligusticum & Gallicum nominat, ostendissem: summa asseueratione appellabat Lycostomos, Gillius. Circa Genuam anchioe vulgò dicuntur: à recentioribus quibusdam medicis, vt Blasio Astariensi ancludæ, vt conijcio. A

Athenæus ex Aristotele inter monimos, id est ijsdem in locis manentes pisces numerat thrissam, encrasicholum, membradem. Oppianus libro quarto Halieut. tradit engraules apuas densissimis agminibus natare, & ferro etiam aut securi percussa earum agmina non tota disijci: & retibus nullo labore circundata ad litus extrahi. quod de ipsis simpliciter apuis protulisse videtur. nam has quoq; engraules vocat, Aelianus ad lycostomos transfert: & forsitan de vtrisque verum est. C

Engraules pisces (inquit Aelianus) quos alij encrasicholos, alij Lycostomos appellant, paruuli pisciculi natura fœcundi albissimique perspiciuntur. Et quòd ab alijs piscium gregibus exedi & confici valde metuant, idcirco, ad insidias quibus sunt opportuni vitandas, catenus confertis turmis densi natant, vt eorum quisque ad vicinum proximum adhærescat: vt ne scaphæ quidem incurrentes, eos dissocient, nec si quis remis dispergere conetur, eorum societatem dirimere possit. Ita verò inter se restrictè & pertinaciter, tanquam contexti contrahuntur, vt tanquam ex aceruo frumentorum aut fabarum si quis in eos immiserit manum, accipere queat. non tamen sine vi abstrahuntur, quin persæpe distrahantur, vt & eorum alteram partem abruptam capias, & alteram relinquas, & in plerisque caudam retineas: in alijs non assequaris, ex alijs caput reportes, & alteram partem in mari reliquam facias.

Conferta & continens lycostomorum natatio á rei maritimæ peritis bólos appellatur, qui permultas piscatorias naueis interdum implet, vt illi testantur, Aelianus. E

Ancludæ sunt pisces parui, oblongi, saliti, qui tempore quadragesimę in Italia comeduntur. eos in curanda phlegmatica febri Blasius Astariensis commendat. Apuæ encrasicholi Mediolanum adferuntur absque capitibus, muria conditę, appellanturque ab Insubribus Anchiouæ, Cardanus. F

Clitarchus de Thebanis scribit quòd fuerint delicijs & gulæ dediti, & in conuiuijs parare soliti θρῖα, καὶ ἐψητοὺς, καὶ ἀφύας, καὶ ἐγκαρσιλόχους. lego ἐγκρασιλόχους. H

APVARVM etiam aliud genus sale sicco conditum Mediolanum adfertur, quod ab argenteo colore argenteum vocatur: idque vilius est, & inconstantis magnitudinis. sunt enim ex his maiores ac minores encrasicholis, Cardanus.

DE APVA PHALERICA, RONDELETIVS.



A APHYÆ phalericæ meminit Aristoteles, ex qua μεμβράδας gigni ait, alij ἀράδας, alij βεμβράδας legunt. Ego aphyas phalericas sponte nasci puto. vnde verò phalericæ dictæ sint docet Suidas (ex Aristophanis Scholiaste,) cum ait, Ἀφύας Φαληρικὰς τὰς μεγάλας. Φαληρεὺς δὲ λιμὴν Ἀττικῆς, id est, aphyas phalericas esse magnas. Phalereus autem portus est Atticæ. Possent etiam fortasse à candore nominari: nam Græci etiam τὰ φαληρά, λευκὰ καὶ ἀφρίζοντα vocant, id est, alba & spumea. Erit autem meo quidem iudicio,

Lib. 6 de Hist. anim. cap. 15.

iudicio, aphya phalerica ea quæ à nobis nadelle vel melete (melet *vero genere masculino atherina*. Bellonio membras est, quæ Massiliæ meleta dicitur.)

B Piscis est sardinis similis, minor & tenuior, sed latior. Squamas in mari haberi certum est, sed statim excidunt remanentibus earum vestigijs, ijsq; squamis, quę ventrem firmant & asperum efficiunt, vt in alosis & sardinis videre licet. Mollis est, & adeò pinguis pisciculus iste, vt si aliquandiu digitis tracte-

† E tur, liquefiat: aut, si magna copia in nauicula vehatur, † supernatantem pinguedinem colligant piscatores, qua olei vice ad lucernas vtuntur. Maxima huius copia, præsertim autumno, capitur, estque meritò vilissimus: vidimus tamen piscatores duos vnius diei capturam quinquaginta aureis coronatis vendidisse.

DE EADEM BELLONIVS.

Meleta Rondeletio apua phalerica est, Bellonio membras. Massiliensium vulgus (inquit Bellonius) membradas vocat Meletas: Rothomagenses, & qui in litore Oceani (vbi Sequana in mare ingreditur) obuersantur, appellant vn Crado, Genuensium vulgus Arachia. Membradem autem nihil aliud esse quàm thrissæ fœturam, ab authoribus traditum est, vnàq; cum spinis edi solere.

F Hos pisces ad litora Mediterranei maris incolę sale condiunt & adseruant; in Oceani autem litore, piscationi inseruiunt, vile vescentibus edulium.

† *vocat.* Membrades & Trichides, Archestrati, Engrauli, Encrasicholi, & (vt † ait Aelianus) lycostomi, pisciumq; id genus cæteri, quibus vnà cum spinis vescimur, flatuosum atq; humidū præstant alimentum.

COROLLARIVM.

A Apuas epitheto λιπαρὰς, id est pingues fuisse cognominatas diximus: & λιπαρὰν ceu substantiuum nomen grammatici quidam interpretantur aphyam. Rondeletius phalericam præ cæteris pinguem facit. Angli à pinguedine *Schmeli* appellant pisciculum, quem Galli Eperlanum; sed is dentatus est, & in precio, quare diuersus ab apuis fuerit. Alium vocant *a Smit*, quòd facile liquescat, & si diu seruetur, in aquam totus ferè resoluatur. qui potiùs apuarum generi adscribendus videtur: & conuenit apuam ex pluuia aut humore ortam, rursus in aquā abire. Sed de hoc certius aliquid ab Anglis eruditis, Io. Caio præsertim, expecto. Eliota hunc piscem in Essexia Angliæ comitatu haberi ait. A pinguedine etiam marinus quidam piscis Liparis à Rondeletio dictus est: & aliqui lacustrem agonum eandem ob causam Liparim vocarunt: & in lacu Macedoniæ dictus Liparis alius (Sardinis vel Alausis cognatus linea ventre similiter aspera insignis) à Bellonio describitur.

F Apuæ Phalericæ apud veteres in pretio erant, Pollux.

H. a. Ἡ δὲ Φαληρικὴ ἦλθ' ἀφύη τρίτων@ ἑταίρη Ἀντα παρειάων σχομένη ῥυπαρὰ κρήδεμνα, Matron parodus apud Athenęum. ludit autem forsan ex eo quod etiam meretriculæ quædam apuæ dicebantur. Μηδὲ τὰ μικρὰ τὰ Φαληρικὰ ταῦτ' ἀφύδια, Aristophanes Tagenistis. Ἀφύας ἀρ' ἕξεις τελαμένος Φαληρικάς. Idem Acharnensibus.

f. Καὶ Φαληρὶς ἡ κόρη Σπλάγχνοισιν ἀρνείοισι συμμεμιγμένη Πηδᾷ, χορεύει, πῶλος ὡς ὑπὸ ζυγοῦ. Ῥίπις δ' ἐγείρει Φύλακας ἡ Φαίστου κυνὸς, Θερμῇ παροξύνουσα πνοιῇ τηγάνου, Alexis apud Athenæum, vel (vt alibi citat) Eubulus. Lynceus Samius laudans Rhodiacas apuas, Phalericis Aeniatides dictas confert, Athenæus. Ἀφύαν θ' ἅμ' αὐτῇ (cum amia) παρέλαβον Φαληρικήν: Εἰς κύαθος ἐνταῦθ' ὕδατος ἐπιχυθεὶς πολύ, Ἐλαίου δὲ λεπτῆς τῆς χλόης, καὶ πλείονα Καὶ ἡ δικότυλος λήκυθος καταστρέφω, (id est, vix cyathum aquæ affundo, olei verò multò plus, nempe vel ad duas cotylas, & paucas herbas minutatim incisas,) Coquus apud Sotadem comicum, citante Athenæo. Apud quem hoc etiam legitur, Φαληρικῆς ἀφύης τε διαστεγμένος. Apuis Phalericis comparant Aeniatidas in Rhodo. Vide & suprà in Apua vera f.

h. Veneri sacram faciunt φαλαρίδα, vt Aristophanes habet in Auibus, καὶ συνέμφασιν τοῦ φαλλοῦ, Athenæus. videtur autem de phalaride aue intelligere, vt Eustathius quoque in primum Iliados. Vide in nostra Auium historia, in Phalaride inter Mergos. Apuam quidem simpliciter dictam, Veneri sacram fuisse suprà dictum est.

DE APHYA MVGILVM, ID EST MVGILIS SPECIE SINE COITV NASCENTE EX TERRA ARENOSA VEL LIMO, RONDELETIVS.



C PONIT Aristoteles aphyam aliam mugilum fœtum. Sunt qui ex limo & arena proueniunt etiam ex ijs generibus, quę per coitum & ex ouis oriuntur: quod tum locis alijs palustribus, tum verò apud Gnidum factum olim memoratur. Stagnis enim canicula vigente exiccatis, & limo arido, vbi primùm imbribus restagnare loca inciperent, pisciculi nascebantur generis mugilum, (κεστρέων τι γένος,) quod per coitum procreatur, (ὃ γίνεται μὲν, *fortè* μὴ, ἐξ ὀχείας) magnitudine mænarum paruarum, nec in his aliquid vel oui, vel seminis continebatur. Quinetiam in nonnullis Asiæ amnibus, qua effluunt in mare, pisciculi quidam magnitudine intestinorum hepseti (naricarum vertit Gaza) eodem modo proueniunt. Sunt qui omne mugilum genus sponte oriri opinentur, sed non rectè: nam & oua eorum fœminæ, & semen genitale mares habere cernuntur. Verùm genus quoddam eorum est, quod non coitu, sed ex limo arenáue enascatur.

Lib. 6 de Hist. animal. cap. 15.

Hepseti.

A Quare aphyam mugilum nihil aliud esse puto quàm mugilum speciem eam quę sponte sine maris & fœminæ coitu nascitur ex terra arenosa vel limo: cuiusmodi ea est, quā habemus, quæ nascitur in fossis, non procul

non procul à vicino nobis eoq; antiquissimo oppido Latera vocato. Eiusdem generis est quæ in Lado nostro capitur, & Athelan nuncupatur, quā non dubito hyemis tempore è stagno marino fluuiū subire. *Alia eiusdem generis.*

COROLARIVM.

Cestreæ fœm. gen. κεστρέαι, alij pisces sunt quàm κεστρεῖς masculino, qui mugiles aut cephali sunt. κεστρᾶν τεμάχη Aristophanes dixit in Nubibus: vbi alij cestras interpretantur murænas, alij diuersos quosdā pisces. sed videtur comicus de tomis mugilum maiorum sentire. Est etiam (cestrea) genus apuæ, Suidas. Idem in Ἀφύα, Apuæ quædam species (inquit ab Aristophanis Scholiaste mutuatus) è paruis mugilibus procreatur.

DE APHYA MÆNIDVM ET MVLLORVM. RONDELETIVS.

VT mugilum, ita mænidum est aphya autoribus Aristotele & Athenæo, quæ ex eorundem sententia mænidum fœtus est: sed fortasse veriùs dicemus hanc quoque aphyam sine mare & fœmina nasci sponte, & ita appellari, quia mænidum speciem referat. cuius *e*iconem nō apposui, quia ex mænide antè depicta satis intelligi potest, quemadmodum & mullorū aphya ex ipsius mulli pictura quæ suo loco exhibebitur. Hanc verò mullorum aphyam ab Athenæo commemoratam reperio, quam vocat τριγλίτιν ἀφύην: quam hîc adiungendā esse duxi, ne qua aphyæ species pręter mitteretur. Parui igitur mulli præsertim in stagnis marinis ex putredine oriuntur, quos mullorū aphyas esse rectè dixerimus, vt τριγλῖται à veris mullis, qui τρίγλαι dicuntur, differant.

COROLLARIVM.

Ἡ μὲν ἀφρῖτις λεγομένη ἀφύα, οὐ γίνεται ἀπὸ γόνου: ἄλλη δέ τις ἐστι γένος μαινίδων, Aristophanis Schol. & Suidas. Fortè pro γένος legendum γόνος. vide suprà in Apua vera H. a. Sed Aristot. lib. 6. cap. 15. Sunt (inquit) qui limo & arena proueniant, etiam ex ijs generibus quæ per coitum & oui primordio generentur, &c. vt recitatum est suprà in Aphya mugilū verbis Rondeletij. De apua triglitide sententiā Bellonij habes suprà in Cobitide. Aphritides aliæ quàm triglitides sunt, nempe verę apuæ: Bellonius nō satis distinguit.

DE RELIQVIS APHYIS, SEV SPONTE NASCENTIBVS PISCIBVS, RONDELETIVS.

SI pisces omnes qui ex terra vliginosa, vel limo, vel pluuia, vel quoquo modo sponte nascūtur, aphyæ dici debent, multò plura aphyarum genera ponenda sunt. Nam in stagnis dulcium aquarū penitus exiccatis, imò aratis & satis videmus pisces multos sponte nasci. itē in riuulis, vt paruas anguillas, paruas lampetras, paruos cyprinos, tincas, atherinas aculeatas.

DE IIS QVI HEPSETI VOCANTVR. RONDELETIVS. A



TΩN ἑψητῶν nomen multorum tenuiū, & exiguorum pisciculorum cōmune est, vt encrasicholorum, iôpum, atherinarū, gobionum, paruorum mullorum, sepiolarum, paruarū loliginum, paruorum cācrorum, encrasicholorum, vt ex Dorione docet Athenæus. Vocabant etiam in tiqui (vt circa Naucratim patriam meam, inquit Athenæus) ἑψητοὺς pisciculos post Nili inūdationem anfossis relictos. Efferebant autem plurali numero sæpiùs quàm singulari & ἑψητοὺς ἀπὸ τοῦ ἕψειν, id est, à coquendo siue elixando nominarunt, quòd multi simul coquantur, nec propter paruitatem seligantur. Hæc quamuis vera sint, fuerit nihilominus minimè absurdum dicere τοῦ ἑψητοῦ nomen pisciculi vnius proprium etiam fuisse, quod indicare videtur Athenęus: Aphya (inquit) grauis est, & difficilis cōcoctu. Huius generis alba cobîtis (sic enim legendū, non cibotis) vocatur, & hepsetus paruus pisciculus eiusdem generis est. Hunc pisciculum esse opinor, qui à nostris iuoil dicitur. *Lib. 7.* *Lib. 8.*

B Pisciculus est digiti magnitudine, argentei coloris, corpore pellucido, dempta eā virga, quæ à branchijs ad caudam extenditur: oculis depressis, magnis pro corporis paruitate, ore ita scisso & cōformato, vt inferior maxilla protensa maior sit superiore, sitque veluti oris operculum.

COROLLARIVM.

Hepsetos ab illis quas cobitidas vocant apuis nō distinguit Bellonius, cui⁹ verba posui suprà in Apua cobitide. Dorion manifestè distinguit, hepsetum minutum pisciculum non eundem specie cum cobitide, sed eiusdē generis esse scribens. Narica piscis est minutulus, qui à nando nomen sumpsit, vt quidam volunt. Plautus apud Festum, Naricam bonam atque Canitā In nonnullis Asię *amnibus*, quā illi in mare effluunt, pisciculi quidam magnitudine intestinorum hepseti (ἰχθύδια μικρὰ ἡλίκα ἑψητοὶ ἔντερα, magnitudine naricarū vertit Gaza) eodem modo proueniunt, quo alibi mugilibus cognatę apuæ, quæ resiccatis aquis sub ortu canis, & limo iam arido, vbi primum imbribus restagnauerint loca, procreātur, Aristot. Clitarchus Thebanos scribit fuisse delicijs & luxui deditos, solitosque in conuiuijs parare θρίδακα καὶ ἑψητοὺς καὶ ἀφύας. Charmi Syracusani iocus apud Athenæum refertur, Εἰς τὸ ἐν τοῖς ἑψητοῖς ὡραῖον: Οὐκ ἀπ' ἐμοῦ σκεδάσεις ὄχλον; Ἑψητὸς, λεπτὸν ἰχθύδιον, Athenæo: qui ex poëtis inter alia hæc etiam testimonia citat: Οὐχ ἑψητῶν λοπὰς ἐστιν, Aristophanes Anagyro. Ὦ χαρίτες αἶσι μέλλουσιν ἑψητοί, Eupolis. Ἀγαπῶν τε κἂν ἑψητὸν ἐν τούτοις ἕνα, Eubulus. Καὶ γὰρ ἑψητῶν τινες παρῆσαν ἡμῖν δαιδάλεοι πως, τὰ γὰρ καλὰ πάντα Δαιδάλου καλοῦσιν ἔργα, Alexis. Βεμβράδ' ἀφύην ἑψητόν. Nicostratus. Hippocrates quoque hepsetum piscem nominat, teste Varino: apud quem hi pisciculi etiam ἑψητοὶ nominantur.

DE ATHE-

DE ATHERINA.
RONDELETIVS.



Lib. 6. de Hist. animal. cap. 17.

† Varinus Camers in vocabulo ἀθερίζειν nomen ἀθὴρ ait apud Aelianum reperiri.

† Meleta verò, vt supra docuit gen. fœm. apua phalerica est.

A ΘΕΡΙΝΗΝ vel ἀνθερίνην, vt Aristotelem legitur, ἐκ τοῦ ἀνθέρικος: vel πλεονασμῷ τοῦ ἐκ τοῦ ἀθὴρ, Gaza aristam conuertit. nam ἀνθέρικες sunt aristæ, & ἀθέρες simpliciter spicæ vel aristæ dicuntur. Propriè tamen summæ sunt hordei spicæ, quæ ceu cuspides habent, quæ nulli sunt vsui, sed inter metendum pereunt. Vel vt ex Aeliano profert † Phauorinus, spicę sunt degeneres, quas spicilegi colligunt à messore neglectas, vnde ἀθερίζειν significat ἄγαν καταφρονεῖν, ἀφροντίζειν. & similia: id est, valde despicere & negligere. Ἀθερίνην pisciculum dici putat idem Phauorinus, ideo quòd ἀθερίζεται πως καὶ αὐτὸ διὰ τὸ εὐτελές: id est, quia negligitur ob vilitatem. Fortasse non ineptè dictam putes ab aristis, quæ per metaphoram pro spinis sumuntur, quas multas habet atherine, & duriores quàm sardinæ, aphyæ, & reliqui huiusmodi pisciculi. Romę etiã hodie idem nomẽ seruatur: nã Latharina vulgò nuncupatur. In litore nostro raro capitur, diciturque † Melet: Massiliæ & in stagno quod Martegue vocatur, frequentissimè, & Sauclez nominatur.

Atherina pisciculus est marinus, litoralis, reperitur & in marinis stagnis aphyis similis, dodrantali magnitudine, parui digiti crassitudine, dorso spisso, ventre leuiter depresso, ore paruo, sine dentibus,
B oculis magnis. Colore est vario: nam venter argenteus est, dorsum fuscum circa caput ex flauo rubescit sardinarum modo. Locus, qui inter oculos est, cælatus videtur. Pinnas habet quatuor, duas ad branchias, duas in ventre, aliam à podice, præter has alias duas in dorso. Omnes candidæ sunt. Cauda ex duabus pinnis constat. Pro linea in medio corpore à branchijs ad caudam protensa, spissum quid habet sub cute, quod non possum aliter quàm fasciam per similitudinem vocare, quæ quum cocta atherina editur, euidentissima est: & quum lumini obijcitur: quia reliquo corpore pellucida est, hac par-
C te opaca.

Lib. 6. de Hist. animal. cap. 7.

Atherina ex his qui autumni æquinoctio pariunt, prima parit in terra, (*iuxta terram, Gaza: primam autem parere constat: quoniam fœtus eius primum apparet,*) autore Aristotele. atterens aluum arenæ.

F Carne est satis sicca, media scilicet, & optima saporisque grati, quicquid dicat Phauorinus, qui pro vili pisciculo habet: quòd si cum spinis edi posset, multò suauior foret. Cum aliquando Auenione essem, atherinisque frequenter vescerer, vnum id ad suauitatem & saporis gratiam illis deesse expertus
A sum, quòd spinæ inter edendum negotium facessant: à quibus spinis aristis similibus, atherinas nominatas fuisse suspicati sumus.

Melet Gallorũ Melete.

Nostri piscatores ideo atherinam melet appellant, quòd eius aphyarum generis, quod melete nuncupari diximus, marem esse credant, sed falsò: nam aphyę huius generis sponte sine mare & fœmina nascuntur. Atherinarum verò genus & mare & fœmina constat. Prætereà quamuis vtcunque similes sint, tamen atherina solidiore est spissioréque corpore, aphya verò illa mollissimo depressóque. Vero similius fuisset, encrasicholorum marem dixisse, quos pisciculos esse ostendimus. Anchoies appellatos, ad hos enim propius accedunt: qua de causa pro encrasicholis sæpe venduntur: sed qui propiùs inspexerit, facilè discernet. Nam atherinis squamę sunt frequentiores & duriores, os minus, caro siccior, encrasicholis mollior. Quare ex atherinis garum bonum confici non potest: quia non possunt ita dissolui
F & contabescere, veluti garus piscis vel encrasicholus.

Encrasicholi.

Atherinæ nullus est in medicina vsus, ægris tamen medici Massilienses apponi iubent, neque id absurdè: etenim satis sicca, non glutinosa est carne. quare neque difficilè coquitur, neq; flatus gignit.

Atherina de stagnis mar.

Atherina, vt in litoribus, ita in stagnis marinis capitur vêre, maxima copia. lutum redolet, frixa & elixa editur.

DE EADEM BELLONIVS: QVI TAMEN ALIVM QVAM
Rondeletius pro atherina pisciculum describit: cuius iconem in Corollario habes.

Atherinam Græcum vulgus, Romanum Lotharinum vocat: quanquam eorum nonnulli cum alio pisce confundant, quem Lauarolum nominant, de quo postea dicetur, Veneti Angoellam, Massilienses † Sencle, Genuenses Quennaro appellant.

†Saucle Rondeletius, sed de diuerso pisce.

Pisciculus est rarò digiti crassitudinem excedens, neque extenso digito longior: Argentei coloris,
B translucente corpore, & quod soli obiectum, vt vitrum transpareat: lineamque ostendit internè obscuram, rectam, à capite ad caudã, à sanguine qui in spina diffunditur, prouenientem. Oculis est grandibus, lingua candida. Pinnam vtrinque in lateribus, & geminam alteram sub ventre habet, quæ piscẽ in partes æquales secat: ac præterea tenuem aliam & paruam fert in medio tergore pinnulam. Cęterum cor gerit vt semen Oxalidis triquetrum & oblongum, pericardio perbellè inclusum: branchias vtrinque quatuor: costas item vtrinque decem omni capillamento tenuiores: vertebras adeò exiles, vt vix ab acie oculi perspicacissima discernantur.

E Atherinæ Vranoscoporum, Scorpionum, Blennorum, & piscium aliorum præda, apud multos sunt maximi prouentus, estque piscis sui generis delicatissimus: cuius apud quosdam quæstuosissima piscatio fieri solet.

DE LAVARONO PISCE ATHERINÆ
PERSIMILI, BELLONIVS.

ALIVM pisciculum Atherinæ simillimum, Romanum vulgus agnoscit: quem Lauaronum vel Lauonum, Massilienses Cabassonum, Genuenses Capassonũ, à capitis magnitudine vocant: magnam que habet cum fluuiatile Lauareto affinitatem. A

Eiusdem pretij Romæ Lauaroni esse solent cum Acherina: illucque cum Sardinis & Alecis (Alecibus, vel aleculis) mixtim ferri consueuerunt. B

Grandiore sunt capite quàm Atherinę, magis recurto, ac compressiore ad ventrem corpore, & paulò latiore transparent vt Atherinæ, maximamque habent cum ijs affinitatem. Squamis multis integuntur, quæ detectæ argenteũ colorem prę se ferre videntur. Duas in tergore gerunt pinnulas, vtrinque ad latera vnam. Dentibus carent vt harengus: cor exiguum, oblongum, triquetrum habent: Hepar pallidum, cui stomachus subest, pisciculis & caridibus paruis nonnunquam refertus. Intestina ad anum tribus circunuolutionibus reflectuntur: Fel ob eius exiguitatem conspicuum non habent: spinas quoque ferunt nullas: Carnem albissimam & leuissimã. Calculos duos in capite gerunt, Sesamo minores. Squamas paulò quàm Atherina latiores & numerosiores. B

Proinde cum berula Romæ frequens edi soleat, & vulgo Lauarona dicatur: ac circa hanc frequens pisciculus, de quo hîc sermo est, reperiri soleat: meritò Lauaronum ab herbæ sibi peculiaris nomine dixerunt: alioqui nullum occurrit mihi nomen antiquum quo ego hunc piscem exprimere possim. A

COROLLARIVM DE ATHERINA.

Atherina Gillij, vt videtur, & Bellonii.

Figuram hanc tanquam atherinæ, vt Gillius vocabat, Venetijs accepi, vbi hunc pisciculum vulgò anguello nominant. frixos edi demptis capitibus. In capite subuirides sunt. color in frixis intus ad latera nigricabat. Anguelli nomen fortè diminutiuũ est ab anchoia, ob anchoiæ paruę similitudinem. Lusitanos audio pexe rei, id est piscem regis appellare: quod nomen lato pisci, vmbræ aut coracino simili, Rondeletius attribuit. Atherinæ rusticè dicuntur latherini, Niphus Italus. Atherinæ pisciculi sunt parui, Kiranides. Gregales illos pisciculos, quos Sancletos Massilienses vocant, Gręcis innumeris Genuæ & Massiliæ ostendi, qui omnes statim Atherinas appellarũt, Gillius. Acerima, piscis quidam, Syluaticus. Acerinam Plinij medici, recentiorum cernuam esse putat Bellonius. mihi hæc nomina corrupta ab atherina vidẽtur. Ἐψητοὶ & ἀθερῖνοι in vulgato Athenæi codice, malim ἀθερῖναι. Hepsetorum quidem, vt Rondeletius supra ex Athenæo docuit, communi nomine tum atherinas, tum alios pisciculos paruos comprehendunt. Dubitat Vuottonus eadémne sit atherina quæ alosa, sed proculdubio diuersi sunt pisces. Atherinam Rondeletij Germanicè per circunscriptionem, paruulam harengæ speciem esse dicemus: *Ein kleine raane Hering art.* nam Bellonij atherina minor est, quàm vt harengi species nominari possit: quamobrem simpliciter apuæ speciem interpretabimur, *Ein Meerfeelin geschlecht.* Est aliud Atherinæ genus quod transuersum in ventre habet aculeum, vnde arbitror Atherinę nomen traxisse, Gillius.

Aliud genus atherinæ.

Aristulæ (Atherinæ) gregales sunt, Aristoteles Gaza interprete. quamobrem miror, cur idem Gaza alibi, vbi hunc piscem inter rhyades numerat Aristoteles, solitarios transtulerit. sed rhyades qui sint, leges in Chalcide. Gillius etiam suam atherinam, congregatilem esse pisciculum tradit. Circa æquinoctium vernum rhyadum prima parit iuxta terram, πρὸς τῇ γῇ, vt Gaza vertit, non in terra, vt Rondeletius habet,) Aristoteles. Θῖνα δ' ἀνὰ περσόεσσαν ὑπὸ χλοεραῖς βοτάνῃσι βόσκονται μαινίδες, ἰδὲ τρίγλαι, ἠδ' ἀθερῖναι, Oppianus lib. 1. Ἀθερῖνοι pro ἀθερῖναι. in codicibus nostris, historiæ animi Arist. 9. 2. C

Atherinarum vsus ad garum, in Garo exponetur. F

Atherinarum ius ventrem mollit & renibus prodest, Kiranides. G

Ictar, atherina, Callimachus in Nomenclaturis diuersarum gentium, ἐν ἐθνικαῖς ὀνομασίαις, Athenęus. H Ἴκταρ, ἐθνικῶς ἰχθύς, Varinus: quæ verba sic interpretor, vt ictára sit nomen piscis genti cuidam (cuius nomen non exprimitur) vsitatum: vt ἐθνικὸν vocabulum non aliud sit quàm communi quidem linguæ inusitatum, in vsu autem gentis aut dialecti alicuius priuatim, quod & γλώτταν dixeris. quãuis Galenus prisca & obsoleta tãtum vocabula glottas appellat. In Varino malim legere ἰχθύς τις, hoc est piscis quidam, nempe certa species: quàm simpliciter ἰχθύς quasi totum genus designet. Dictus autem videri potest ictar vel ictára pisciculus à paruitate. nam ictar aduerbium Græcis sonat propè, breui, aut paruo interuallo. & ἴκταρ τοῦ ψελοῦ, τὸ σύντομον interpretantur. Archippus fabulam condidit Ἰχθύς inscriptam: vbi pisces cum Atheniensibus sic pacisci facit: Ἀποδοῦναι δ' (δεῖ) ὅσα ἔχομεν ἀλλήλων. (ἡμᾶς) μὲν θρᾴττας, καὶ ἀθερίνην τὴν αὐλητρίδα, &c. fortè quòd tibicina aliqua atherinæ nomine appellaretur, vt & meretriculæ quædam apuæ cognominabantur, vt supra dictum est. Apud Athenæum libro 8. cum quæstio exilis & scrupulosa à quodam curiosiùs proposita esset, Cynulcus exclamauit: Καὶ τίν' ἂν τῶν μεγάλων τις, οὐκ ἰχθύων, ἀλλὰ ζητήσεων ἐπὶ νοῦν λάβοι; ὃς τὰς ἀκάνθας ἀεὶ ἐκλέγει ἑψητῶν τε καὶ ἀθερινῶν, καὶ εἴ τι τούτων ἀτυχέστερόν ἐστιν ἰχθύδιον, τὰ μεγάλα τεμάχη παραπεμπόμενος.

Vocabulum ethnicum Glotta.

De Aquatilibus.

DE MEMBRADE.

RONDELETIVS.



Lib.8.de hist. anim.cap.15. Lib.7.

MEMBRADAS ex aphya phalerica gigni scripsit Aristoteles. Quo loco χραῖδας habent vulgares codices. Athenæus etiam autor est antiquos variè dictionem hanc extulisse. Nam Phrynichus βεβράδας dixit. Epicharmus βεβραδόνας: (item Sophron.) Attici βεμβράδας. Quoquo modo nominentur, cõstat vel aphyę speciẽ esse, vel certè piscículos viles, quos Phrynich⁹ teste Athen. χρυσοκεφάλους βεβράδας cognominauit, id est, aureo capite. Et Aristophanes χαλκόχρωτας, id est, cano corpore. Quantùm coniectura assequi possum, hi sunt piscículi, quos Galli *celerins* vocant. (*Bellonius tum celerinum Oceani, tum sardenam mediterranei maris chalcidem interpretatur, magnitudine tantum distinguens.*) Sunt enim candido admodùm corpore, capite verò auri colorem æmulante, sardinis valde similes: Vel qui Agathopoli magna copia sæpe capiuntur, paruis alosis similes, vocanturque illic calliques vel lachez, Massiliæ harengades. In qua sententia permanebo, donec alius certiora & veterum autoritate confirmata proferat.

Bellonij de Celerino pisce vulgo à Gallis dicto, scripta, in Chalcide ponemus, in C. elemento.

COROLLARIVM.

A Membràs, μεμβρὰς oxytonum, Atticè βεμβρὰς dicitur. Μεμβρὰς, genus apuæ, Scholiastes Aristophanis, Suidas & Varinus. Μεμβρὰς, εἶδός τι ἰχθύος δίτελες, καὶ βραδύνους· ὁμοίως καὶ βραδίλονες κίχλαι, Varinus, & partim Etymologus. apud vtrunque lectio corrupta est. legendum enim ex Athenæo, Epicharmus eas βεβραδύλους vocat, his verbis: βεβραδόνες καὶ κίχλαι, &c. Μέλιτος γλυκυτέρας βεμβράδος Φαίσηων ἔχειν, Ἠ τᾶς τριγλίδος ἶσον, ἀδὲν κωνυες, ἢ μελιπαπάλας αὖ λίγυας, βοᾷν δ' ὅτι Πωλᾶς τὸ μέλι σεσαρότατον βεμβράδων, Eupolis. Alexis quoq; μεμβράδας dixit inter vilis precij cibos, & rursus βεμβράδας, Athen. Scribitur & sine μ. βεβρᾶς: vt Aristonymo Οὔτε φύην κεῖ ἐστιν ἐπὶ σκιφῶς, (al'. σκάλῳ: al'. νεῖ ἐγὶ σκιφῶς) οὔτ' αὖ βεβρᾶ κακοθαλάμων: vtpote cibus ex vtroq; compositus, vel condimenti aut gari genus, vt coniicio. posse autem prouerbialiter hæc verba vsurpari supra dixi in Apua h. o γέ τοι Σικελὸς ταῦς μεμβρασφύαις στεγοσοινεν ὁ καρκινοβάτης. Idem Aristonymus.

De alimento ex membradibus flatuoso & humido, leges suprà in Apuis F. in Corollario. Βεβραδέλαι φέρων δεῦλος, Aristomenes. Ἠμὲν ὠμηταί τις ὀρφῶς, (al. ὀρφεῦς, ἐμεμβραδλαι δὲ μὴ ἥλιν, ὑγιὲς εἶρηκ' ὁ πωλῶν πλησίον ταῖς μεμβράδαις, Οὔτ' ὀψωνεῖν ἔοικ' αὐθρωπος δεῖ τυραννίδι, Aristophanes in Vespis. Ἀνθρωπος ὑπὸ τῶν μηνίσκων καὶ μεμβράδων, Φαληρικῆς ἀφύης τε διατεταγμένος. Machon apud Athenæum.

a.b Ὦ χρυσοκέφαλοι βεβραδίλες ἰχλάσιαι, Phrynichus. Βεβραδόνι ῥαφείᾳ, Sophrõ apud Athenæũ: fortè παχείᾳ.

APHYARVM RELIQVÆ SPECIES, BELLONIVS.

Piscículorum minimorum (inquit Oribasius) genera quædã sale asseruantur, quæ vnà cum acrioribus oleribus eduntur. Horum alia vocantur κωφαιδία, alia ζωηδία, alia κόλια, alia τυφλωδία: omnia stomacho infesta, aluum citant, nec facilè concoquuntur, Hæc Bellonius.

Dorion piscículos minutos diuersos, communi nomine hepsetos appellat: & inter cæteros etiam κωφινία apud Athenæum id est cancellos. sed vide an præstet coracidia legere, vt Oribasius nominat. Saperdam quoque sunt qui apuam salitam, alij coracinum interpretantur, & eodem in loco paulò pòst Athenæus Alexidis verba recitans, coracinos cũ hepsetis nominat. Τῶν οὐκωφοκίνων πεῖραν ἐχὶ λαμβάνεις, Οὐδὲ τριγλίδων, ἀδ' οἷον ἐψητῶν πινων. Alexander Trallianus de quartana scribens, vbi melancholicus humor, & tenaces in stomacho humores abũdãt, aut liẽ obstruitur: Optima (inquit) est quæ Encatera (ἐγκατηρὰ) dicitur: ἣ καττὸ τὸ Ἀλεξανδρέων βυρίδια, καὶ μαινομένια, ἢ μεμβριδιά ἐστι. Buridia Oribasius, citante Bellonio, ζωηδία nominat: Membridia, membrades interpretor.

Coracidia. *Buridia. Membridia.*

APVARVM genus quoddam adeò minutum est, (quod aliàs Genuæ vidi,) vt nulli vsui fermè esset. Hoc primùm anno, quæstus extrema cupiditate, cœperunt esse in ciuitate nostra, (Mediolani,) Cardanus. Videtur de apuis veris loqui.

Apuarum generi affines mihi videntur etiam illi piscículi, qui ad Oceanum Germanicum *Spiring*, vel *Spirling*, & *Stint keling* vel *Stint kfisch*, & *Pen* appellantur: de quibus nonnihil circa finem operis scribemus.

DE AQVI-

DE AQVILA MARINA, EX VETERIBVS.

ARISTOTELES author est aquilam esse piscem planum & cartilagineum. Plinius quoq; aquilam à Græcis testatur inter cartilagineos numerari, eosque planos vt apparet. Oppianus similiter lib.1. de piscatione aquilam cartilagineum & viuiparum piscem facit. Aetòs, id est Aquila, piscis est sine squamis, similis hiéraci, id est accipitri, sed nigrior, per omnia similis trygoni pisci, (præter centrum, vt additur lib.4.) Kiranides lib.1. in A. elemento. sed eundem piscem tum accipitri pisci, tum trygoni, id est pastinacæ rectè comparari nescio quomodo defendi possit. pastinacę tamen cum rectè comparari apparet ex eo quòd similiter cartilagineus & planus piscis est: item ex mentione centri, id est radij. quare non accipitri pisci, sed aui eum conferri coniecerim. nam Bellonius quoque aquilam suam capite atque oculis ferè miluinis esse scribit: & Græci aetòn, Latini aquilam a similitudine ad hanc auem aliqua vocauerunt: siue alis eam referat, siue rostro, siue aliter. magna autem inter has aues, aquilam, miluum & accipitrem similitudo est. Rursus autem cum dicitur Aquilam pastinacæ esse similem præter centrum, dubitari potest, centróne careat, an habeat quidem sed diuersum. Idem scribit hunc piscem lapidem habere in capite. A

Aquilam piscem habere carnem duram, legitur apud Galenum libro tertio de alimentorum facultatibus. F

Ex Kiranide. Lapis qui reperitur in capite piscis aquilæ, aufert quartanam. Si quis hunc lapidem cum vino biberit, non sentiet omnino se bibisse. & si gestet lapidem collo appensum, meri vel lagenam bibens non sentiet. Eundem lapidem piscis cum vino tritum, &c. videtur autem aëtiten lapidem de nido aquilæ volucris à lapide reperto in capite piscis aquilæ non satis distinguere: aut si distinguit, nihil quàm superstitiosas vires ei tribuere. itaque non libuit omnia huc adscribere. Adeps piscis aquilæ intinctus, verrucas & myrmecias curat. Lapides de capite eius appensi, quartanarios sanant. fel inũctum, visum acuit. Spinæ eius combustæ super sarmenta vitium, dæmones eiiciunt. Piscis ipse in cibo sumptus, epilepsiam perfectè sanat. G

DE EADEM BELLONIVS.

Pastinaca maior, veteribus Græcis ἀετὸς, Latinis Aquila marina dicta est, quòd magnas ac distentas, in alarum formam, pinnas gerat: sitque capite atque oculis ferè miluinis. Aquitani Taram francam vocant, ad superius descriptę Pastinacę differentiam: Romanorum vulgus Aquilonem: Genuenses, ab oblonga & ferè murina cauda, duarum vlnarum longitudinem interdum excedente, Pesce ratto nominant. Illyrij, lingua vtentes Italica, Rospum, hoc est bufonem marinum, à capitis bufonem referentis similitudine, vocauerunt. A



Piscis est Adriatico satis infrequens, quamobrem Venetijs apud Clodiam insulam aliquãdo captum ac depictum, cum magna admiratione à circulatoribus circumferri vidimus. B

Huius descriptionem integram antequam hîc proponamus, ne quis nominum ambiguitate atque affinitate decipiatur, illud vos admonitos velim, marinam Aquilam, ab hac quidem alteram esse, sed volucrem, ac super mare ac lacus diuagari solitam: cuius ea est natura, vt pisces, acutissimis (vnde nomen habet) oculis semel conspectos, à summo aëre, deorsum in aquę profundum delata, protinus capiat ac deuoret: vnde Græcis ἁλιαετὸς, Latinis Ossifraga dicitur. vulgus nostrum Offraye, Itali, locum Lemanum (*Larium aut Verbanum, aut Benacum forté. nam Lemanus in Sabaudia est*) incolentes, Agniſtam piumbinam vocant. A *Haliaetos auis*

Cæterum, vt ad maioris Pastinacæ descriptionem redeamus, litoralis est ac cœnosa, capite elato, aquilæ vel Milui oculos ac rostrum referente: dentibus sic in ore dispositis, vt totum eius palatum, tam supernè, quàm infernè, ijs veluti latioribus tabellis ordine transuerso dispositis, constratum præ se ferant. Tergoris color supernè quidem liuet, subtus autem albicat. Cauda illi est admodum longa, quam piscatores statim ipso pisce adducto auferunt, ob venenati radij noxam, quem in altera Pastinaca describimus. Quamobrem etiam ijs locis, quibus frequens est, arctissimo interdicto vetitum est, ne publicè cum aculeo diuendatur. B

Alioqui dura carne præditus est, inquiunt Galenus & Philotimus, & quæ stomacho magnum incommodum exhibeat. Imò hoc etiam deteriùs habet Pastinacarum & Aquilarum caro, quòd tetrum ac grauem odorem ipso sapore præ se ferat. Quamobrem eam dum edunt, aliatis condimentis intingere solent, vt acutissimus allij sapor alterum facilè obtundat. F

DE EODEM PISCE, RONDELETIVS. QVAM. IS AQVILAM ESSE NEGAT, ET SIMPLICITER secundam Pastinacæ speciem nominat.



A PISCIS quẽ hîc exhibemus, à nostris *Glorieux*, A Romanis & Neapolitanis aquila vocatur. A Genuẽsibus *rospi*, id est, *bufo*, & *pesce* ratto. A nõnullis ratepenade. Ab Aquitanis tarefrãke. Ab alijs falco. Ab alijs *e ãgo*, & *ferraza*. Nos secũdã pastinacæ speciẽ facimus quia alteri vita, moribus, partibus internis & externis omnino similis est, nisi q̃ capite est magis exerto, rostro nõ angulato, sed rotũdato, deniq; capite bufonẽ planè refert, vnde bufonis nomẽ à Genuẽsibus positũ. Latera veluti alæ expãsæ, magis in angulũ acutũ desinũt q̃ in altera, à quibus ratepenade, id est, vespertilio nũcupatur. Candã verò, eiusdẽ radio, & veneno minimè ab ea dissidet, & à caudæ lõgitudine pesce ratto dicta est. Ex quibus liquet eũ, qui librũ de Piscibus nup publicauit, mõstrũ potiùs q̃ pastinacã alterã depixisse, quippe q̃ bufoni capite minimè similis sit: q̃ tamẽ ipse asserit, & alieno planè situ radium locatum habeat, tum alæ à naturali figura diuersissimæ sint, postremò totum corpus aliena prorsus specie, & à naturali plurimùm distante.

Contra Bellonij iconem

C Cœnosis in locis viuit, eadẽ arte qua superior pisces venatur: lẽtè. n. natat, & veluti cũ põpa quadã, q̃ ob causã à nostris *glorieuse* appellatã audio. Ac quemadmodũ generosus equus beneq; curatus, ptiosoque ornatu instratus cũ fastu gradit̃, & ꝓpinquantes calcib⁹ petit: ita pastinaca natãs, pisces circũnatãtes radioserit. Carne est molli, fungosa, insuaui, vt etiam altera.

F A Quare vehementer errare eum existimo, qui aquilam marinam apellat. Quis vnquam quæso apud Aristotelem, Plinium, aut vllum alium veterem scriptorem legit, pastinacam marinam esse aquilam? Aut quis vnquam aquilæ radium in cauda venenatum tribuit? Aut quis aduersus ictus venenati radij aquilæ remedia præscripsit? Quòd si Romani, Neapolitanique aquilæ nomen pisci huic dederint, non ideo hinc efficitur veterum aquilam hanc fuisse, cum infinitorum piscium vocabula, quibus hodie variæ gentes vtuntur, à priscorum siue Latinorum siue Græcorum vocabulis valde dissentiant. Sed quid in his diutius immoror? cum cuiuis, qui Galenum diligenter legerit, perfacile sit opinionem hanc conuellere. † Is enim lib. 3. de Alimentorum facultatibus, quum de piscibus duræ carnis scribit, Philotimi sententiam approbat, qui aquilam marinam duræ carnis esse censuit, quemadmodum & lamiam & congrum. At qui pastinacam hanc gustauerit, eam præhumida mollique carne esse iudicabit, nisi ei vel morbo vel natura gustatus sensus planè hebes fuerit.

Quòd non sit aquila marina.

† F

COROLLARIVM.

Iconẽ Bellonij, q̃ ꝓ aquila marina dedit, vidi etiã in charta quadã impressã in Italia, eãdẽ prorsus, nisi q̃ radiũ in cauda nullũ ostendit, siue q̃ reu era careat, siue q̃ à piscatore, vt fieri solet adeptus fuerit: sed addã descriptioné pariter impressã, ita vt ex Italico sermone trãstuli: Pisces hic rarus & ignotus omnibus duobus millibus passuũ supra Clodiã (insulã) captus est anno Salutis M. D. XLII. mense Iunio: de genere planorũ. lõgus à capite ad initiũ caudæ pedes quatuor & amplius: latus verò à pinna extrema extẽsa ad oppositã extremã duplò ferè. crassꝰ pedẽ. Colore vẽtris albo, vt & plani ões. Dorsũ verò tũ colore tũ specie pellis thũnũ refert. Caput ei mirabile: oculi parte prona ferè: & sub eis duæ magnæ ceu auriculę, vel potius foramina caua, ita vt nõ visũ modò, sed etiã solidũ aliquid reciperẽt. In extremo capite rostrũ est acutũ & carnosũ: & sub eo labrũ cartilagineũ mobile, in quo nares duæ maximæ latẽt. Vtrinque foramina quina, septenis illis q̃ in lãpreda cõspiciũtur similia. Post pinnas maiores, aliæ binæ minores spectantur, vtraq; magnitudine manus. inter quas exoritur cauda neruosa, subtilissima, tres vlnas longa: q̃ & ipsa in primo sui exortu pinnam breuissimam habet. Hactenus quæ transtulimus. Quod si vera est hæc descriptio, non dubitãrim Aquilam marinam hunc piscem nominare. Fieri quidem potest vt in sceleto aliquid peruersum fuerit vt solent circulatores, aliique, in animalibus, quorum seruaturi sunt & ostentaturi cadauera, aliqua interdum admirationis augendæ causa mutare.

Aquilã piscẽ planũ & Cartilagineũ Neapolitani etiã hac ætate vocãt Aquilã, similéq; Pastinacæ esse dicũt, strictiori tamẽ corpore esse, & pinis lõgioribus, & acutioribus: capite ꝓminẽtiore, atq; ad trecẽtas sæpe libras accedere. sed nihil affirmo cũ solã ex piscatore Neapolitano auditionẽ acceperi, Gillius. Sũt qui aquilã in cauda nõ vnicũ, vt pastinaca, sed binos radios habere putẽt, qualẽ figurã subiecimus à Cornelio Sittardo felicis memoriæ trãsmissã, qui à Gysberto Horstio medico Romæ acceperat. addũt piscem in cibum venire. aliquando centum librarum esse. rostrum habere acutum ac inflexũ, vnde illi nomen.

Aquila

Aquila cauda à Sittardo missa.



Huiusmodi quoq; caudam Cremonæ in cœnobio diui Petri iuxta Padum se vidisse amicus quidam mihi retulit. Longa est hæc cauda in pictura quam habeo, dodrantes sex cum palmo: lata circa initium, digitos ferè tres. Radius maior, longus palmos duos, vel paulò plus.



Quòd autem Bellonius ossifragam ãuem, quam Græci φλώλω, ab aquila marina, quam haliæeton ijdem vocitant, non distinguit, Gallici vocabuli similitudine factũ puto. haliætum enim Galli *offraye* vocant, quasi ossifragam, vt Angli *Ospreis*: cum species sint longè diuersæ, quanquam sub vno aquilæ genere. Aquila, vt multi autumant, est acus, cuius rostrum habet gruis vel ciconiæ similitudinem. alij vero dicunt piscẽ esse cartilagineum, cuius rostrum aquilam esse putant, Niphus. Sed illorum qui aquilam pro acu accipiunt, sententia ineptior est, quàm quæ refelli mereatur. Iac. Syluio quoque nón assentior, qui in libro de simplicibus medicamentis, hepatũ piscẽ aquilam maris interpretatur.

Καρχαρόδοντα sunt, hoc est serratos & pectinatim coëuntes dẽtes habent animantium quædam, vt leo, canis pardalis, ἀετιδέες, & pisces carniuori, Scholiastes Aristophanis & Suidas. puto autem per aëtides hîc non aquilas pisces intelligi, sed fortè legendum ictides, quæ mustelarum generis quadrupedes sunt, & dentes habent eiusmodi.

DE DRACONE SIVE ARANEO PLINII. RONDELETIVS.

Araneus Rondeletij.



B
A
Lib. 32. cap. 11.

DRACO, dracunculus, & vranoscopus, similiter aculeos ad caudã spectantes habent, & dura ficcaque sunt carne. Draconem quidam aliud volunt esse à dracunculo (inquit Plinius, literarum ordine pisces enumerans:) est autem (inquit) graculo similis: aculeos in branchijs habet ad caudam spectantes: † sic & scorpio lædit dum manu tollitur. Quæ de dracone non de dracunculo accipienda sunt: quoniam etsi dracunculus aculeos ad caudam spectantes habeat, minimè tamen vt scorpio lædit dum manu tollitur: quod magno suo malo quiuis experiatur. Id cùm probè norint piscatores, ichthyopolæ, coci, draconem viuum intrepidè non contrectant, & Galli non nisi truncato capite mensis apponunt. Verùm idem est draco cum eo quem araneum alibi vocat Plinius. Rationes quibus in eam adducor sententiam, hæ sunt. Nusquam legas in mari animantia esse aculeis venenum immittentia, præter pastinacam, (cuius radio nihil in mari est execrabilius, inquit Plinius,) scorpium, draconem, araneum, porcum marinum, de quo hæc Plinius. Inter venena sunt piscium porci marini spinæ in dorso, cruciatu magno læsorum: remedium est limus ex reliquo piscium eorũ corpore. Pastinacam & scorpium nemo vnquam cum dracone, vel araneo confuderit, si modò eorum notas ex veteribus didicerit. Porci nulla est cum dracone similitudo, siue corporis speciem, siue vitã, siue mores consideres, vt inde marini porci nomen iure tribui queat. Supereſt araneus, quem eundem cum dracone esse conuincunt aculei spinę in dorso nigri maximè venenati, ijdem modò araneo, modò draconi à Plinio attributi, vt nulla sit rei, sed nominis tantùm differentia.

† *his vt*

Draconem Aristotelis & araneum Plinii, eundẽ esse piscem. *Lib. 9. cap. 48*

Ibidem *Lib. 2. cap. 5.* *Porcus mar.* *Lib. 9 cap. 48.* *Lib. 32. cap. 5.*

Præterea quod de ratione scripsit Plinius, id in araneo nostro quiuis experiatur, qui piscium capturæ interesse voluerit: captum enim arena semper se obuoluentem cernet. Plinius: Draco marinus captus, atque immissus in arenam, cauernã sibi rostro mira celeritate excauat. Huc accedit gentium sententiæ nostræ consentiens appellatio. Nostri enim Ligures, Hispani, Massilienses, eum quẽ draconem esse constat, quemq; Græci huius ætatis Δράκαιναν dicunt, araneũ appellant. Est igitur Δράκων θαλάσσιος, Latinè draco marinus, siue araneus, Gallis viue dictus, Siculis & Neapolitanis tragina cofrupta voce pro dracæna.

D *Lib. 9. cap. 29.*

Aranei aliæ icones noſtræ quas Venetiis accepimus.

MAIORIS. MINORIS.



B Piſcis in arena & litoribus degens, teſtibus Oppiano & Ariſtotele. In noſtro mari palmum maiorem raro ſuperat: in oceano, aliquando cubiti magnitudinem attingit. falcato eſt ventre, dorſo recto. colore vario: dorſo enim fuſco eſt, ventre candido, lateribus lineis aureis tranſuerſis pulchrè diſtinctis. Capite percam marinam æmulatur, oris ſciſſura obliquè à ſuperiore parte in inferiorem vergente: quo fit vt ore aperto & hiante, maxilla inferior ſuperiore maior videatur. dentibus paruis denſisque. Oculis eſt ſurſum ſpectantibus, & adeò ſplendidè viteſcentibus, vt ſmaragdum pulcherrima viriditate ſuperent ijdé breui interuallo à ſe diſtant, in quo triangulũ expreſſum, & aculeos paruos cernas. brãchiarũ opercula in aculeos ad caudam ſpectantes terminãtur, quæ poſt articulationẽ cũ oſſibus capitis, tenui membranæque ſimili ſubſtantia potiùs quàm oſſea conſtant. Quamobrem draco ea, quũ extra aquam aërem trahit,

Lib. 1. ἁλιευτικῶν. Lib. 8 de Hiſt. anim. cap. 13.

trahit, inflat, non aliter quàm nos cum buccas inflamus. In ceruice vel dorſi principio, quinq; aculeos habet, tenues, nigros, præacutos, tenui membrana nigra connexos, quibus venenatum vulnus infligit, multoq; pernicioſius quàm branchiarum aculeis. A capite, oculis, venenatisq; aculeis draconi nomen datum, teſte Aeliano. Marinus draco alijs piſcibus reliquo corpore aſſimilis eſt: eius caput, & oculorũ magnitudo, terreni draconis ſpeciem ſimilitudinemque gerunt. magni enim ſunt, & venuſti. Maxillæ etiam ſimilitudinem quandam habent cum terreſtribus: & eius pellis non procul abeſſe à terrena palpanti videtur, ſquamarum ſcilicet aſperitate. Quin & infeſtis, & venenatis armatus eſt aculeis. A ceruicis aculeis pinna incipit ad caudam vſq; continuata. Alia eſt à podice ad caudam. Aliæ duæ ad branchias, eodem ſitũ quo in fluuiatilibus, id eſt, inferiores multò quàm in marinis eſſe ſoleant. Inter has & ſciſſuræ oris finem in parte ſupina duę alię ſunt, minores candidę. Podex non procul à branchijs diſtat. Linea à branchijs ad caudam ducta multò eſt altior, dorſoq; propior quàm in cęteris piſcibus. Cute dura tegitur, ſquamis paruis & tenuibus aſperſa. Ventriculo eſt magno, ſplene paruo, hepate ex albo rubeſcente, corde angulato,

Lib. 12. cap. 24. & ſimiliter Philes.

Loliginibus paruis, alijsq; minutis piſcibus veſcitur. Moribus & veneni viribus ſcorpioni ſimilis eſt. † carne dura, ſiccaq; eſt, vt Philotimus tradidit, id quod Galenus lib. 3. de al. fac. approbat. C †F

Nemo exiſtimet nos araneum Plinij cum araneo Ariſtotelis confundere, cum toto genere differant. Eſt enim ὁ ἀράχνης, id eſt, araneus Ariſtotelis (*Quærendum araneo inſecto cancellum comparet an malacoſtraco Ariſtoteles*) ex genere malacoſtracorum, cui ſimilem cancellum facit. Araneus verò Plinij piſcis eſt ſanguine præditus, & venenatis aculeis, vt oſtendimus. Hic ſilentio præterire non decet eius ſententiam, qui draconem Romæ trachina nominatum, trachurum veterum nominum ſimilitudine deceptus eſſe putat, eius verba ſunt: Trachina & ipſa etiam in fricturę numerum refertur, quam trachurum, vt Oppiano videtur, eſſe putamus, vel vt Atheneo placet, trachidam eo argumento quòd infeſtam & propè lætalem ſpinam in ceruicibus habeat, & binas item alias, & quidem acutiſſimas ab auribus prominentes. Hic piſcis oblongus eſt ac tenuis, & falcatus in ventrem, cuius latera † lineæ frequẽtes & obliquæ, vergentes ad cæruleum colorem pulcherrimè deſcribunt. Falſam eſſe opinionem hanc, etymum ipſum, & modò citata verba clarè oſtendunt. τραχὺς enim à caudæ aſperitate, aculeisq; nomen habet: at draco non in cauda, ſed vt ille ait, in ceruicibus infeſtam & propè lætalem ſpinam habet, & binas item alias, & quidem acutiſſimas ab auribus prominentes. Reijcienda quoq; eſt Alberti magni ſententia, qui draconem beluam marinam eſſe cenſet, quę venenatis dentibus & piſcatores, & alias animantes ſubito interficit. Neque enim draco inter beluas marinas recenſetur aut à Plinio, aut ab Oppiano: neque dentibus ſed aculeis venenatis nocet, vt ex Plinio antè probauimus. Idem confirmat Dioſcorides: Δρακόντων θαλάσσιος αἱ ἀκάνθαι τυχθεῖσαι, καὶ ὅλη περὶ ἣν ἐστὶ τὸ ἕλκος πλὴν ὅτι τὸ ἀκανθῶδες αὐτοῦ πληγὴν. Draco marinus diſlectus, & apertus impoſitusq; ictus ſpinæ ſuæ qua ferit, medela eſt. Quanquam Dioſcorides aliquando δῆγμα καὶ τὴν πληγὴν vſurpet, id eſt, morſum pro ictu ſiue punctura, vt cùm de mullo loquitur: Ὡμὴ δὲ ἀναφθεῖσα ἡ ὅλη περὶ ἣν ἐστὶ τὸ ἕλκος, θαλασσίᾳ δράκοντος ἡ σκορπίου καὶ ἀράχνης δήγματα ἰᾶται. Mullus marini draconis & scorpionis, & araneæ morſibus medetur. Non minori reprehenſione dignus is qui in ſuis in Dioſcoridem commentariis capite de dracone marino, pro eo hippocampum verum deſcribere videtur: nam in ijs quæ capite de hippocampo, de ipſo hippocampo tradidit, vehementer errat, eaq; cum de hippocampo dicemus, improbabimus. Porrò id abſurdum eſt quod ſcribit, non eundem eſſe draconem marinum, de quo tradiderint Dioſcorides & Plinius, duas ob coniecturas, quæ vaniſſimæ ſunt. Prior eſt, quòd draco marinus Dioſcoridis ſpina venenata pungit, cui ictui draco ipſe diſſectus atq; impoſitus medetur: alter verò Draco, nempe Plinii morſu ſolum nocet. Vbinam quæſo hæc Plinius? nuſquam ſanè. Imò verò eadem planè quæ Dioſcorides ſcripſit. Draconis marini ſcorpionumq; ictus, carnibus eorum impoſitis ſananꝰtur. Et ibidem: Draco marinus ad ſpinæ ſuæ qua ferit, venenum ipſe impoſitus, vel cerebro toto prodeſt. Altera coniectura eſt, quod ex Dioſcoridis verbis colligere licet, facile eſſe draconem marinum habere, qui veneno ſuo remedio ſit, contrà difficilimum alterum habere cum grandis ſit belua. Minimè verò Plinius in beluis marinis draconem numerauit, imò ab ijs ſeiunxit. Cùm enim li. 32. beluas marinas recenſet, draconis marini non meminit, ſed poſteà cum alijs piſcibus numerauit. Sunt qui non intellecto nominis etymo, quod antè ex Aeliano tradidimus, quum draconem marinum audiunt, ſimile quid animo fingunt ijs draconibus quos pictores pro arbitrio pingunt. Vnde fit vt quidam raias exiccatas, atq; in eum modum efformatas pictasq;, quo pictores dracones terrenos figurare ſolent, pro veris draconibus marinis accipiant. Sed facilè imperitis imponitur, qui neq; ex antiquorum ſcriptorum lectione piſcium cæterarumque animantium naturas didicerunt, neq; res ipſas intuiti ſunt. Quæ ſi feciſſent, ex capite, ore, branchijs apertis, pinnis, aculeis, caudę aſperitate, atque ab alijs huiuſmodi, raias agnouiſſent. Huiuſmodi raiæ Antuerpię ſic efformantur, atque inde alio deportantur.

*Lib. 4. de Hiſt. anim. cap. 4. Trachũrum a dracone diſſerre. Paul. Iou. libr. de Rom. piſcibus, cap. 19. * Hoc in minore noſtro araneo apparet, non in maiore.*

Contra Albertum, Draconem mar. nec beluam eſſe, nec dentib. nocere. Lib. 2. cap. 15. Ibid. cap. 24. P. Matthiolum notat. Lib. 2. cap. 3. Plinii & Dioſcoridis draconem mar. nomine differre Lib. 32. cap. 5. Cap. 11. Raias marinas aridas diſportas aut etiam pictas, falſo pro draconibus marinis oſtentari.

Verum ad draconem redeamus, aduerſus cuius venena, multa & præſentia remedia dedit natura. Nã vt ex locis ante citatis liquet, ipſe impoſitus ictus ſuos ſanat. Mulli caro impoſita idem præſtat. Idem Galenus ſcribit: Draconem marinum aduerſum ſuum ipſius ictum impoſitum, necnon mullum valere. Et Dioſcorides: Peculiariter autem ictus à marino ſcorpione & dracone inferuntur qui moleſtos cruciatus cient: interdum autem, ſed rarò, nomas excitant: quibus abſinthij, ſaluiæ aut ſulphuris ex aceto triti potio ſubuenit. Et nos aliquando vidimus partem à dracone marino punctam in tumorem erigi, & cum doloribus vehementiſſimis inflammari: quæ ſi negligatur, facilè gangręna corripitur, quo in malo piſcatores noſtri ad lentiſci folia, tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, ijſq; partem vulneratam confricant, meliùs ſibi conſulturi, ſi draconis ipſius diſſecti carnes vel cerebrum imponerent. Nec eſt negligenda theriaca confectio cum aqua abſinthij ſumpta. Quæ omnia remedia conſerunt priuſquam gangræna partem vulneratam occupauerit. tum enim gangrẽę cauſa ſcarificanda pars eſt, & garo acetoq; fouenda, caput mulli ſaliti imponendum. Eiuſdem etiam recentis è capite cinis contra omnia venena prodeſt, cęca quadam naturarum diſcordia.

Aduerſus venena draconis mar. Lib. 11. de ſimpl. med. faculc. Lib. 8. cap. 6.

DE DRACVNCVLO, ARANEI SPECIE ALTERA, RONDELETIVS.



A DRacunculi piſcis Plinius ſolus, quod ſciam, meminit, quem à dracone differre ſcripſit, vt proximo capite oſtendimus. Hunc eſſe putamus qui à noſtris lacerta vocatur, quòd lacertis terrẽis corporis figura ſimilis ſit: & dracunculum, vt à dracone maiore diſtinguatur, eſſe appellatum.

B Eſt piſcis marinus dodrantali magnitudine, cotto fluuiatili non multum abſimilis, roſtro acutiore, & capite latiore. Ranæ etiam piſcatrici quodammodo ſimilis eſt: ſed rana piſcatrix ore eſt maiore, pinnis concoloribus, quæ in dracunculo variæ ſunt. Capite eſt magno, compreſſo, roſtro prominente, ore paruo ſine dentibus, ſine vlla ad branchias ſciſſura: ſed huius vice ſupra caput vtrinque foramen eſt, vt in Hippocampo, quod, niſi dum piſcis viuit, eoque aquam trahit & emittit, manifeſtum (non) eſt. Oculos magnos ſupra caput poſitos habet, capitis os in aculeos deſinit ad caudam ſpectantes. Pinnas longiſſimas pro corporis magnitudine habet, partim aurei, partim argentei coloris æmulas. Quæ ad branchias ſitæ, aureę ſunt, in radice argenteę. Quæ in ſupina parte, à cæterorum marinorum piſcium pinnis, ſitu magnitudineque diſſident: nam & ori propiores ſunt, & longiores ijs quæ ſunt ad branchias. In dorſo duæ eriguntur: prior † parua eſt, aurea & argenteis lineis diſtincta: poſterior magna admodum in medio dorſo, papilionum alis non valde diſſimilis, radijs quinque hordei ariſtis ſimilibus, membranaque conſtans. Radij priores longiores ſunt, poſteriores breuiores, contrà quàm in membrana, quæ ſingula radiorum interualla, veluti intertexta occupans paulatim creſcit. Eadem quoque varia eſt, lineis enim argenteis in medio duarum nigrarum ſitis diſtinguitur. Hæc in medio dorſi cauo veluti in vagina conditur. Alia eſt à podice ad caudam, etiam aurea, demptis eius fimbrijs quæ nigricant. Corpus totum ſenſim gracilius fit, & in pinnam longam terminatur, cuius fimbrię nigricant. Eſt & picto corpore: nam ab huius medio argenteæ lineę ad ventrem ductæ ſunt. In maxillis partibuſq; anterioribus veluti punctis argenteis notatur. Ventre eſt lato, plano candido. Cuticula tantùm tegitur.

*Hæc in pictura vix apparet.

C E Capitur hic piſcis maximè caniculæ vigentis tempore, cuius ſyderis vim omnia ferè animantia ſentiunt, etiam piſces ipſi: quorum alij è profundo ſurſum ſe efferunt, alij in profundum ſecedunt, alij ad ſaxorum latebras confugiunt.

F Carnis ſubſtantia gobionibus paruis ſimilis eſt, ijſdemq; alimentis veſci traditur.

G Minùs venenatus eſt huius quàm draconis ictus.

B E In Agathenſi litore capitur, alioqui rarus eſt, & tum ob raritatem, tum ob venuſtatem ſummumque omnium rerum opificis Dei in hoc piſce artificium, piſcatores ipſi admirantur, & amicis qui naturæ rerum contemplatione delectantur, dono dant.

DE EODEM DRACONE MARINO, BELLONIVS.

A Litoralis eſt marinus Draco, à marino ſerpente longè diuerſus, omni mari familiaris. Gallis Viua aut Viuio dictus, quòd præter aliorum piſcium naturam, captus diu extra aquam viuat. Angli *Viuet* nominant. Maſſilienſes Plinianam vocem ſequuti, *vne Areigne*, quaſi Araneum dicere maluerint: Genuenſes *Traginam* nomine à *Dracæna* corrupto vocauerunt.

Pelagius etiam eſt piſcis æquè ac litoralis.

C Demiſſis in profundum lineis ſetis, multus capitur inter inſulas Ægei maris.

E

G Sed hoc piſcatores diligenter obſeruant, ne captum draconem manu contrectent: eiuſq; caput lapide conterunt: deinde hamum ab ore auferunt. Draco enim ſi nudus contingatur, aculeo venenato totã manum perimit, niſi promptiſſimè occurratur: febrem ac delirium protinus excitans, ac totum brachiũ inflammans. Cuius adhuc viuentis punctura formidabilior eſt, quàm demortui. Nam etiam à demortuis inflictum vulnus multum nocet. Aiunt autem ad id, remedium eſſe, ſi ab eodem aculeo iterum atq; iterum vulnus pungas.

B(A) Oblongus eſt piſcis, forma pugionis modo compreſſa: vnde à quibuſdam Gallicè *Poignaſtre* vocatur. Non habet ſquamas, aut ſaltem exiliores quàm ſint terreſtrium: dentibus eſt breuibus, crebris & tenuiſſimis: os vt Draco ſerpens dentibus communitum habet. Oculis grandibus præditus eſt, branchijs vtrinq; quatuor ſimpliciſſimis, & pinnis vt Callionymus vel Exocœtus. Duas fert in tergore pinnas, quarum anterior capiti vicina nigra eſt, quaternis horrens aculeis. Ea autem pinna quæ ſubſequitur, longior apparet, & per dorſum porrigitur ad caudam, quam valde latam habet, nec adeò bifurcam. Inferior pinna vſq; ad anum excurrit. In ſpineo exteriori tegmine vtrinq; ad branchias aculeum habet ad caudam ſpectantem, translucidum, oſſeum, longum. Obliquas in tergore oſtendit maculas, multorum quidem colorum, ſed fuluæ reliquias vincunt. cor illi rubrum eſt, ſeminis cicerculæ figura. hepatis lobi duo, quorum maior in ſiniſtrum tendit; cui ſubeſt folliculus fellis, Lien à fundo ſtomachi pẽdet ſubniger. Stomachus ſurſum reflectitur: ex cuius pyloro ſex apophyſes prodeunt, quibus inteſtina in orbem obuoluuntur, atq; alia tanquam in alia ita reflectuntur, vt longitudinis nihil ſit in recto. Vuluam autem habet bicornem, paruam. De hoc Dracone ſic Oppianus:

Cantibus & bibula mulli paſcuntur arena, *Et Simii, & Glauci, & denſato dente Dracones.*

C O-

COROLLARIVM.

Ex duabus aranei piſcis iconibus, quas Venetiis nactus adieci, vna minoris in hoc genere eſt, quem peſce ragno, id eſt piſcem araneum ſimpliciter vocant: altera maioris, quem peſce ragno pagano, & Galli alicubi (vt audio) *vn tumbe*. Vterq;, vt pictura exprimit, aculeum vnum magnum in ceruice vel dorſi initio habet, (quo in loco Rondeletii & Bellonii araneus, non vnum aculeum magnum ſeparatum, ſed quinq; tenues membrana ſeu pinnula connexos oſtendit,) qui an rectè à pictore ſit collocatus, Adriatici accolæ ſcierint. ego etſi illic aliquando piſcem vidi, non ſatis memini. ſchedam quidem à me annotatam inuenio huiuſmodi: Araneus piſcis eſt pulcher, lęuis, oblongus, varius ſiue maculoſus, ſimilis gobio oblongo: ſpinam in dorſo venenoſam habet, & ſingulas in lateribus vtrinq;. Ionius trachinam (alij *tracęnam* ſcribunt, alij vulgò intraſſine) Romæ dictam ſcribit infeſtam & propè letalem ſpinam in ceruice habere: quib. verbis vnam non plures eo in loco eſſe innuit: vt Dioſcorides quoq;, τὸν ὀνομαζόμενον ὑπὸ τινων ἀστέρα nominans. Et Plinius, Peſtiferum (inquit) animal araneus, ſpinæ in dorſo aculeo noxius. Apparet in maculis quoq; differentia: quæ in maiori plures, coniunctiores, minores, ac nigriores ſunt: nonnullæ etiam ruſſæ: in minore verò maiores, rariores, ſubflauæ. nullæ in pinna dorſi, vbi maior multas habet.

Germani *Petermanche* vel *Petermenches* nominant: neſcio an corrupto vocabulo, quaſi peſca ragno, id eſt piſcem araneum dicturi imitatione Italorum aut Gallorum quorundam. Albi ibi idem, vt audio, *Torpor* dicitur: quod nomen fortè à ſcorpio factum fuerit, quòd ſimiliter venenatis vt ille aculeis feriat. Hunc aiunt ſi quem ſuo in capite aculeo læſerit, hominem ad inſaniam quandam ad horas ferè viginti quinq; (alii ad horas ſex) redigere. capite reſecto reliquum corpus edi. Anglice *Viuer* dictus videri poteſt à febri, quam Angli *fever* vel *fiuer* appellant. aculeo enim venenato cum aliàs noxius eſt, tum febrim ac delirium protinus excitat. Alberto draco marinus ingens eſt beſtia, ſerpentis faciem referens, alis non ãplioribus, quàm quæ ad natandum ſufficiant: ſed ob virium præſtantiam omnium aquatilium præſtantiſſimus cenſetur. quapropter breui admodum tempore ingentia meritur maria. quin & venenoſum eſt illi hoc animal, adeò vt quoſcunq; piſces, vel alia quæcunq; animalia dente vulnerauerit, interimat. Piſcatorum præterea artificio captus, ſtatim vt in arenam ſeſe protrahi cernit, mira celeritate ſcrobem in litore fodit, qua ſe condere poſſit, Hæc Albertus, recitante Matthiolo. Qui etſi ex Ariſtotele & Plinio, vt opinor (inquit Matthiolus) tranſcribat: plura tamen addere videtur quibus an multa ſit adhibenda fides quid ſtatuam non habeo. Siquidem hoc animal Ariſtoteli tanta admiratione non præſtat, nec draco appellatur, ſed ſerpens, vt is poſteritatis memorię commendauit lib. 9. cap. 37. de hiſtoria anim. his verbis: Serpens marina colore & corpore congro proxima eſt: ſed obſcurior atq; acrior. hæc ſi capta dimittatur foris, in aream roſtro quàm primum adacto terebrat, ſubitq; tota, eſt ore acutiore hęc quàm terreſtres. Plinius hoc animal non ſerpentem, ſed draconem marinum pariter cum Alberto vocat, lib. 9. cap. 27. ſic inquiens: Rurſus draco marinus captus atq; immiſſus in arenam, cauernam ſibi roſtro mira celeritate excauat. At hic, mea quidem ſententia, draco marinus haudquaquam fuerit, de quo ſcribit Dioſcorides, ſed per ſe maris ſerpens, Hæc Matthiolus. Verum Rondeletius tradit draconem quoq; marinum piſcem captum, arena ſemper ſe obuoluere ſolere.

Albertus ſerpentem mar. Ariſtoteles, eſt dracone mar. confudit.

Draco marinus eſt monſtrum crudelitate horridum: inſtar draconis terreſtris longitudine extenditur, alis caret. Caudam habet tortuoſam: caput ſecundum magnitudinem corporis paruum, ſed hiatum oris horridum: ſquamas & cutem duras. pinnam autem habet pro alis, quibus vtitur in natando. vno impetu magna maris ſpacia tranſcurrit, & hoc potius robore virium quàm remigijs pinnarum. Peſtifer eſt hominibus & etiam piſcib. morſus eius: mortem enim infert, Author libri de naturis rerum: ex quo & Albertus quædam mutuatus tranſcripſit. idem addit cinerem oſſium eius ſanare dentium dolores.

Piſcis quem Bellonius ophidion Plinii eſſe iudicat veluti ſerpens paruus, congro ſimilis eſt: & à Bellonio ſerpens marinus & draco quoq; marinus nominatur. ſed aliud eſt Ophidion Rondeletii. Sunt qui pro certo velint Hippocampum eſſe piſciculum illum, vel potius marinum monſtrum, qui draunculus quibuſdam, alijs verò Equiculus marinus vocatur, cuius nullus in cibis vſus, Matthiolus. Draco mar. piſcis Auicennæ 2.225. Teninbahari dicitur.

B Araneus piſcis eſt magnitudine Cobionis, aut paulò maior, colore vario, cuius dorſum prope caput tres aculeos habet noxios. ita etiam araneum hodie cognominant, Maſſarius. Squamas (φολίδας) Aelianus aſperas draconi mar. tribuit, & pellem eius non procul à terreni dracõis pelle abeſſe ait, ſi quis palpet. At Bellonio araneus nullas habet ſquamas, aut exiliores quàm ſint terreſtrium (ſerpentium,) Rondeletio paruis & tenuibus ſquamis aſpergitur.

C Draco Ariſtoteli piſcis eſt litoralis. Oppiano in petris & arenis paſcitur.

D Draconem marinum ſi manu dextra attrahere coneris, non ſequitur, ſed violentè renititur. Siniſtram verò ſi injicias, cedit & capitur, Aelianus 5. 38.

G Dracõis piſcis ſpinæ ſunt venenoſæ, Oppianus lib. 2. Halieu. Hũc piſcẽ omnes ſcriptores, atq; ætatis noſtrę piſcatores, cũ à Paſtinaca diſceſſerũt, omniũ marinorũ venenatiſſimũ eſſe aſſeuerãt, Gillius. Et rurſus, Acutiſſimos in dorſo habet aculeos, quos piſcatores ab hoc capto ſtati abſcidũt. Magnã admiratiõnẽ habet, q multi piſcatores mihi teſtati ſunt, eo tẽpore cũ piſciũ genus amore tenetur, ſe vidiſſe in vulnere, quod huiuſmodi piſcis inflixiſſet, piſciculos illius ſimiles generatos eſſe. Draco & gobio piſces marini pungendo venenum emittunt, minimè tamen mortiferum, Aelianus.

Ad marini draconis plagam: Locum percuſſum cum plumbo fricato, ipſumq; draconẽ diſſectũ plagæ imponito. Serpillũ item tritum, aut lenticulã coctã pro cataplaſmate imponito. In potu verò abſinthiũ cum vino diluto præbeto, aut ſaluiam cum paſſo. Mirè etiam his conducit ex bryonia & eruo paſtillus cum vino potatus, Aetius 13. 39. Aranei marini punctura, ſimiliter vt ſcorpionis mar. (de qua proximè dictum) curanda videtur, Auicenna 4. 6. 5. 24. Sunt qui remedia hæc etiam ex Auicenna adferant, authores obſcuri, qui & morſum pro punctura aliquoties ſcribunt: Sulfur ex aceto illitum: Adeps crocodili illitus: Plumbum infricatum, vel ſtanni (*l'ptumbi*) ceruſſa infricata: Succus abſinthij. Itẽ hæc verba ex quarto Canone: Morſus draconis marini, ſimiliumq; magni corporis ſerpentiũ, curatur in quãtũ eſt vlcus tantum, non in quãtum eſt venenũ de quo ſit curãdũ. quæ ego ad crocodilum potiùs retulerim.

Hæc

Hæc etiam ex Plinio citant: Abſinthium aduerſatur draconi marino è vino potum, Plinius libr. 27.& Dioſcor. Carnes ſtellæ impoſitæ maximè valent. Imponuntur quoque contra eum ſalſamenta, vel cybium, ex aceto, Plin.lib.32.Mullus etiam piſcis crudus & diſſectus admouetur, Idem.

Aegineta præter alia ex Aëtio dicta, ſulfur cum cum aceto imponit, aut ipſum draconem piſcem apertum: & vrina humana fouere ſeu perfundere(καταιονᾶν, vt Dioſcorides quoq;) conſulit. E vino diluto ſaluiam propinare: aut ſurculorum fici in vino paſſo dilutum, (ἀπόζεγμα,) aut cerebrum ipſius piſcis. Draco marinus ad ſpinæ ſuæ, qua ferit, venenum, ipſe impoſitus, vel cerebro toto (poto, ex Aegineta) prodeſt, Plinius. Iuuant aduerſus ictum draconis mar. medicinę quas ſcribemus in capite rutelæ: & propriè theriaca prima: & albedarungi potum, & impoſitum emplaſtri inſtar, Auicenna 4. 6. 3. 55. qui rurſus inferius 4.6.5.24. araneam mar. nominat, vt interpres habet, & eadem prodeſſe remedia ſcribit, quæ aduerſus morſum(ictum) ſcorpii mar. Draconis marini ſcorpionumq; ictus, carnibus earum (*ranarum puto, vel teſtudinum. locus iam non occurrit*) impoſitis: item araneorum morſus ſanantur. in ſumma contra omnia venena, vel potu, vel ictu, vel morſu noxia, ſuccus earum ex iure decoctarum, efficaciſſimus habetur, Plinius. Non ab re fuerit quæſiiſſe, an eundem draconem illum qui vulnerauit, medicinam vulneri à ſe facto facere dicat: an ex eodem genere quę potuerit aliquis habere. nobis in priorem illam partem animus inclinat, Marcellus Vergilius in Dioſcoridem. Piſcatores hodie, vt audio, iecur eius illini conſulunt, vt dolor ex ictu illicò mitigetur. Allium commendant Auicenna, & Serapio ſecundum Dioſcoridem, cum folijs ficus agreſtis & cumino emplaſtri modo impoſitum, Aggregator. Ceruſſa infricata prodeſt, Auicenna. Ficus ſiccæ cum hordeo & vino emplaſtri inſtar, Serapio ſecundũ Dioſcoridem. Mullus auxiliatur contra dracones marinos, illitus ſumptúsue in cibo, Plinius. Iuuat & ocimum, Dioſcorides: ocimum fluuiale appoſitum, Auicenna. Plumbum integrum ſiue ſimplex (id eſt nec lotum nec vſtum) vtiliter affricatur marini ſcorpii draconisq; ictibus, Dioſcorides. Serapio ex Dioſcoride laudat etiam plumbum vſtum tritum & illitum, quod ego apud Dioſcoridem non reperio: vt neque ex ceruſſa infricata remedium apud Auicennam.

Tuſſilago altera, Tuſſilago altera à quibuſdam ſaluia appellatur, ſimilis verbaſco: conteritur ea & colata calefit: atq; ita ad tuſſim lateriſq; dolores bibitur: contra ſcorpiones eadem & dracones marinos efficax, Plinius. alii ſaluiam ſimpliciter cõtra hæc venena laudarunt. noſtri ſclaream, pręcipuè ſylueſtrem, foliis verbaſco ſimilem, ſaluiam nominant ſylueſtrem. Mompelij aliud genus ſaluiæ ſylueſtris vidi, floribus flauis,

H a in orbem circinatis, &c. Sulfur cum aceto draconis marini ſcorpionisq; plagas ſanat, Dioſcorides.

Dentium dolores ſedantur oſſibus draconis marini ſcarificatis gingiuis, Plinius.

Iſidoro aranea genus eſt piſcis, dictum eò quòd aure feriat. habet enim in ea ſtimulos quibus percutit. ſed næ ille ineptè. araneus enim, non aranea, piſcis vocatur, idq; ab araneo inſecto terreſtri venenoſo, quod à Gręco ἀράχνη per ſyncopen appellatur. nam & mus araneus cognominatur, cui præter venenum nihil cum araneo inſecto commune. Fortè & vipera marina eiuſdem Iſidori, non aliud quàm araneus ſeu draco piſcis fuerit: *Vipera mar.* Vipera mar. (inquit) piſcis eſt paruus, paulò plus quàm cubiti vnius: in capite ſuper oculos vnum cornu fert paruum, acutum, & mortiferum. eo nanque quemcunque vulnerat, veneno inficit. quod cauentes piſcatores capto piſce, caput ei amputant: reliquum verò corpus in vſũ hominum cedit. Draco marinus, qui & murænula, Arnoldus. Kiranidæ draco marinus, ſerpens marina eſt, vide infra inter ſerpentes mar. Δράκαινα inter piſces ab Ephippo nominatur apud Athenæum. Hermolaus dracunculum Græcè δρακαινίδα putat nominatum Athenæo.

Draco marinus, piſcis paruus venenoſę punctionis, lingua noſtra vocatur doracena, Syluaticus: melius dracæna. Alibi verò hunc piſcem cum ſcorpio confundit. Idem voces Aren & carien, draconem marinum exponit: & Turgaron, ſpeciem draconum marinorum. item Mugali draconem marinum ineptè. mygale enim mus araneus eſt: draco marinus autem, piſcis araneus.

His ſcriptis reperi apud Auicennam 4.6.3.56. Haren carmen exiſtimari de genere dracõum marinorum eſſe, & morſum eorum ita curandum vt morſum viperarum: vnde mox muręnam eſſe collegi: quod de ea ſimiliter Aetius ſcribat. Ἢ ψόρον, ἢ σκάλωπας, ἢ αἰγιαλῆα δράκοντα, Numenius. Nicander in Theriacis ἁλιῤῥαιστῆρα δράκοντα dixit. Δράκοντες ἄλκιμοι inter piſces ab Epicharmo.

DE ARANEA CRVSTACEA.

RONDELETIVS.

A F INter cruſtata eſt ὁ ἀράχνης, id eſt, araneus vel potius aranea, vt ab araneo Plinij diſtinguatur. Ariſtoteles illius meminit in cãcelli deſcriptione: Τὴν δὲ μορφὴν, ὡς μὲν ἁπλῶς εἰπεῖν, ὅμοιόν ἐστι τοῖς ἀράχναις: πλὴν τὸ κάτω τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ θώρακος μεῖζον ἔχει ἐκεῖνο. Forma vt breuiter dicã, cancellus ſimilis araneis eſt, niſi quòd partem capiti & pectori ſubiectam araneo maiorem habeat. Quę araneę noſtrę optimè quadrant: parte enim priore cancellis ſimilis eſt, capite magis exerto quàm reliqui cancri, in acutum deſinente, oculis prominentibus, inter quos cornicula duo protenduntur. Brachia forcipata habet lon-

F giſſima, pedes octo longiſſimos pro corporis exigua magnitudine, à quibus araneæ nomen datum puto. Corpore eſt tenui, pellucido, & ob paruitatem reijcitur.

COROLLARIVM.

Cum nec Ariſtoteles nec alius quiſquã arachnæ aquaticæ (quod ſciam) meminerit: & cancellum nõ aquatili marinęúe, ſed ſimpliciter arachnę Ariſtoteles comparârit, non eſt neceſſe genus illud malacoſtraci, quod Rondeletius exhibuit, arachnen Ariſtotelis eſſe. nam ſi terreſtri etiam araneę conferre cancellum volueris, bene quadrabit. Quoniam tamen à vulgo Gallorum fortè ſic appellatur genus hoc malacoſtraci, quin ita Latinè etiam & Grecè nominetur, nõn prohibeo. Hîc in mentem venit mihi cancel-

Auena cancellus. lus, quem Sebaſtianus Buotzius Argentinenſis medicus excellens aliquando oſtendit, auenam vocabat, ſi rectè

ſi rectè memini, ceu vſitato circa Mompelium vocabulo: partes eius omnes perexiles erant: caput vt in locuſtario genere prominens: cauda breuis & ad ventrem reflexa, vt in cancris propriè dictis: ita vt ambigere inter hæc genera videatur, ſicut & cancellus priuatim dictus. Pedes forcipati omnes, non chelæ tantum, ſi pictor rectè expreſſit. Iconem quoq; in Paralipomenis. Maiam quoq; cancrum ob ſimilitudinem quam cum araneo(terreſtri) habet, vulgus Gallicum *Iraigne de mer*, quaſi araneum dicat, nominauit *Maia.* Bellonius. Germani ſepias & paguros, *Meerſpinnen*, id eſt, araneos marinos vocitant. item cancellum hoſpitem concharũm, vt Albertus ſcribit. vide infra in Cancelli hiſtoria. A. Cephali adulti exeduntur maximè ὑπὸ τοῦ ἀράχνου, Ariſtoteles 8.2. hiſtoriæ animalium. Gaza legit ἀρχάνοι: vertit enim ab arachno vel archana.

DE ARBORE BELLVA.

RONDELETIVS.

ARbor inter maxima Oceani animalia à Plinio numeratur: quod fortaſſe de ſtella arboreſcente, de qua poſteà dicemus, intelligi poſſet, niſi Plinius diceret: In Gaditano Oceano arbor, in tantum vaſtis diſpanſa ramis, vt ex cauſa fretum nunquam intraſſe credatur. Quę in ſtellam arborem competere non poſſunt, ideo quòd in tantam magnitudinem nunquam accreſcat. Vide quæ ſcripſi in Rota.

ACHARNAS piſcis, lege Acarnan.

DE ARIETE BELLVA.

RONDELETIVS.

ARietes Oppianus libro primo ἁλιευτικῶν inter cete pelagia & terribilia numerat: κριοὺς cognominãs ἀργαλέους: libro quinto inter cetaceos: Κριοὶ μηλονόμων ... Κριοῖς ... ἀτασθαλίοισι σινομένοισιν ... πελάσσῃ. Non probè igitur Lippius vertit arietes marinos mitiores eſſe terreſtribus.

COROLLARIVM.

Plinio Aries duplex eſt: primùm bellua: deinde alius piſcium forma. Tiberio principe contra Lugdunenſis prouinciæ litus in inſula ſimul trecentas amplius belluas reciprocans deſtituit Oceanus, mirę varietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonum littore: interq; reliquas elephantos & arietes, candore tantùm cornibus aſſimulatis, Plinius. Et alibi, Graſſatur aries vt latro. Et nunc grandium nauium in ſalo ſtantium occultatus vmbra, ſi quem nandi voluptas inuitet expectat: nunc elato extra aquam capite, piſcantium cymbas ſpeculatur, occultusq; adnatans mergit. Κριοί τ' ἀργαλέοι, Oppianus. Κριὸς, ἰδεῖν ἐχθρὸν ζῶον. Suidas & Varinus in Κῆτος.

Ex Aeliano. Eximia(inter cete) magnitudine eſt aries, vel ipſo aſpectu infeſtiſſimus, & periculoſiſſimus. procul enim licet compareat, maris procellas & tempeſtates ciet & agitat. Et alibi, Mare magnum Taprobanen inſulam ambiens infinitos piſceis procreare ferunt, habentes capita leonum, pantherarũ & arietum, aliorumq; animalium. Et rurſus, 15.2. Marini arietes(quorum quidem nomen apud multos peruagatum eſt, ſed non tamen hiſtoria omnino explicata, niſi quatenus à pictoribus & fictoribus oſtenditur) circa Corſicam & Sardoum fretum hybernant, atq; ex ſumma aqua eminentes ſpectantur: Simul & maximi delphini circum eos natant. Mas aries frontem alba vitta redimitam habet, vt vel hanc Lyſimachi, vel Antigoni vel alterius cuiuſpiam regum Macedonię diadema dicas. Aries verò fœmina quẽadmodum barbæ appendiculas gallinacei quaſdam poſſident, ſic ipſa cirros ex imo collo pendentes habet. Neq; modò eorum vterq; mortua, ſed & viua corpora exeſt, & conficit. In natando magnos fluctus facit: tempeſtate quam ex ſua agitatione ciet, naues funditus euertit, ac eos qui ſecundum mare verſantur, rapit. Nam qui Corſicam incolunt dicunt, virum qui ex tempeſtate naufragium feciſſet, natãdi bene peritum, vbi permultum maris natando tranſmiſiſſet, circa Corſicam crepidinem quandam aſſecutum aſcendiſſe, ibiq; conſtitiſſe, tanquam periculo iam omni exemptum atq; ſecurum: poſt verò quàm aries famelicus eum oculis comprehendiſſet: conuolutum agitatumq; poſteriore ſui parte plurimum mare concitaſſe: deinde ab intumeſcente æſtu elatum inſtar procellę & turbinis hominem corripuiſſe. Hæc de ariete circa Corſicam. Cæterum Oceani accolæ fabulantur veteres Atlantidis (*Atlantides vel Atlanticæ inſulæ: quas beatas vocant, duæ ſunt*) reges, qui genus ad Neptunum referunt, in capitibus ſuis arietum marium tænias geſtaſſe, imperii inſigne: & reginas ſimiliter cirros, quos diximus, fœminarum arietum. Tanto narium robore prædita eſt huiuſmodi belua, ſpiritum vt vehementer & permultum anhelet, & immenſum aëra reſpiratione ad ſe attrahat, eaq; aſpiratione marinos vitulos ad hanc rationem comprehendat: Cum enim arietem nouerunt vicinum eſſe ad moliendas ipſis inſidias, in terram celerrimè enatantes, in ſpecus ſaxorum conduntur. is cognita fuga, inſequitur: & contra antrum ſtans, ex corporis odore prędam intus eſſe percipit, & narium illecebra quadã acri inter ſe & vitulos aërem intermedium attrahit. Hi tanquam vel ſagittam, vel ſpiculum, ſic ſanè ſpirationis illius appulſum declinant, & refugiunt. Tandem tamen violentiſſimo anhelitus ductu inuiti, & tanquam loris quibuſdam aut funibus conſtricti, ex latebra extrahuntur, & ab ariete deuorantur. Ex earum naribus enatos pilos harum rerum periti magnos vſus afferre teſtantur, Hæc omnia Aelianus.

De ouibus marinis ſuo loco dicetur. De Aegocerote marino in Quadrupedum hiſtoria ſcripſi in Ibice H. Ziphius apud recentiores dictus, ingens bellua marina(de qua inter Cete in C. elemento ſcribam) quoniam & ipſe Phocas appetit, quęrendum an ſit aries veterum. *Ziphius.*

ARMVS piſcis eſt, vt dicunt, ſaxatilis: qui lapidem geſtat interitus, valde ſpecioſus per latera, & virgulis diſtinctus puniceis: toto etiã corpore reliquo diuerſis gratisq; coloribus depictus, Albertus. Ego hoc nomen corruptum puto ab Amia, ſcribitur & Hamio ab Iſidoro.

ARNEVTES, vide in Hippuro.

DE A.

DE ASELLIS, ET PRIMVM DE MERLVCIO, *vt vulgo vocant, Rondeletius.*



A ONOΣ piscis Græcè dicitur, & ὀνίσκος teste Galeno. Quos Philotimus ὄνους nominauit, alij ὀνίσκους nominant. Ipse quoque eosdem diuersis in locis ὀνίσκους appellat. Aristoteles semper ὄνον. Gaza, Latiniq; omnes, Varro, Ouidius, Plinius asellum vocarunt, perinde ac si semper ὀνίσκος, & nunquam ὄνος à Græcis dictus sit. Ligures hodie quoq; asello nominant. Alii asino, alij nasello. Nostri merlus, quasi maris lucium: huic enim oris scissura caudaque valde similis est. Galli etiam merlus vocant. A colore verò asellus dictus est, teste Varrone. idem innuit Ouidius: *Et tam deformi non dignus nomine Asellus.*

Lib. 3. de Alim. facul. Lib. 8. meth. cap. 2. et lib. 7. cap. 6.
Lib. 4. de ling. Latin.
in Halieut.
Onos & oniscos aliquando differunt.
Gades.
Maximus.
De piscib. quibus vnica spina, inter quos etiam oniscus galarias est.
Lib. 1. ἁλιευτικῶν.
Ονί Oppiani
Oniscus instrumentum.
Oniscus Dorionis non videtur asellus.

Vt ut ista se habeant, non semper ὀνίσκος hunc piscem quem hîc oculis subijcimus qui & ὄνος dicatur, apud veteres significat. Athenæus lib. 7. Differt ὄνος ab onisco, vt ait Dorion in libr. de piscibus sic scribens: ὄνος, quem vocant quidam gadon: galleridas, quem vocant quidam oniscon & μάξεινον. Paulò ante id multò apertius ostendit: Dorion in libro de piscibus scribit fluuiatilem murænam, spinam vnicam solùm habere, onisco qui galarias dictus est, similem. Quî hæc asello competere possunt, quem spinas permultas habere constat? Pauci sanè sunt pisces, quibus vnica sit spina, murænæ fluuiatilis modo, quam lampetram nostram esse suo loco ostendemus. Quin etiam Oppianus manifestè ὄνους & ὀνίσκους distinxit. Nam ὀνίσκους inter eos numerat qui in cœno, lutulentisq; litoribus degunt. Deinde ὄνους inter eos qui in alto mari perpetuò versantur.

Porrò quid simile habet ὀνίσκος chirurgicum instrumentum apud Hippocratem cum asino? Quare etsi ὀνίσκος per diminutionem dicatur ab ὄνος, non vbiq; tamen asellum conuerterim.

Nec ὀνίσκον Dorionis asellum piscem à Latinis nominatum esse crediderim, vt demonstrauimus cum de acipensere diximus: quamuis hunc de quo nunc agimus, modò ὄνον, modò ὀνίσκον Græci, Latini verò asellum tantùm nominasse videantur. Huius aliquot sunt genera in Oceano, veteribus fortasse incognita de quibus deinceps dicemus. Ac primum de eò qui *merlus* à nobis dicitur.

B Asinus igitur siue merlucius piscis est pelagius, cubitali magnitudine, aliquando maiore. Dorso cinereo, ventre candido & argenteo, cauda quadrata, capite prominente & depresso, oculis magnis, magna oris scissura. Maxilla inferior superiore paulò longior est, & latior: in vtraq; non solùm dentes, sed etiam in palato acuti, in os recurui. In interiore oris parte post linguam ossa sunt, parte superna, inferna que aspera? & in gula è regione cordis duo alia reliquis longiora, quæ obstant atq; præpediũt, ne pisces dum deuorantur, in gulæ angustias compulsi, aculeorum asperitate cor vulnerent: est enim valde gulosus hic piscis. Branchias quaternas habet duplices, inter quas situm est cor figurâ ossis dactylorum, id est fructuum palmę, pericardio contectum supra septum transuersum situm, tribus constans partibus, vt in cæteris piscibus, quas suo loco perspicuè declarauimus. Ex quibus liquet minimè verum id esse quod de hoc pisce scribit Athenęus: καὶ μόνος οὗτος ἰχθύων τὴν καρδίαν ἐν τῇ κοιλίᾳ ἔχει. Solus hic ex piscibus cor in ventre habet. Nam si τῆς κοιλίας nomine cauitatem illã intelligit quæ diaphragmati subest, αὐτοψία id falsum esse conuincit. Sin eam etiam cauitatem quæ superior est diaphragmate, eadem in parte cor habet, qua alij omnes pisces. Neq; video cur natura instituti sui oblita, in hoc pisce potius quàm in alio, cor à ventriculo, intestinisq; diaphragmate nõ secluserit, cuius vsum in piscibus alibi exposuimus. Cęterùm asinus ventriculo est magno, superiore parte lato, inferiore in acutum desinente: quem hepar albescens veluti manu complectitur, magis dextra parte, quàm sinistra, ex quo fellis vesica pẽdet, felle viridi distenta. Ventriculum sequitur angusta ecphysis: cui continens est latum & amplum intestinum, quod rursus angustatur, graciliusq; fit. Splen in mesenterii medio situs rubescit. Spinę dorsi subest vesica aëre plena. Pinnis natat quatuor: quæ in supina parte sunt, fluuiatilium quorundam modo ori propiores sunt, quàm quę ad branchias sunt positæ. Podex non multum infrà locatus est, à quo ad caudam pinna continuatur. Huic similis est alia in dorso ad caudam ferè protensa. Hac rursus alia breuior, mox à capite ceruicis loco. Linea à superciliorum loco ad caudam ducitur.

Lib. 3. cap. 14. lib. 7.
De corde aselli.
Lib. 3. cap. 13.

F Galenus scribit asellos, si probo vtantur alimento, & mari puro, carnis bonitate cum saxatilibus contendere. Qui verò prauo alimento vtuntur, aut in aquis mistis, & potissimum si eæ vitiosæ fuerint, degunt, carnis quidem mollitiem non abijcere, sed pinguitudinem & lentorem acquirere: propterea neq; suaues ampliùs, vt ante, manent, sed alimentum ex seipsis excrementitium reddunt. Et in libro methodi medendi septimo, in ijs numerat cibis qui & boni succi, & cõcoctu faciles, minimeq; glutinosi sunt. Et alibi, molli esse carne, nec minus probandos esse quàm saxatiles, atq; ex iure albo febricitantibus esse apponendos scribit. Quare asini carne quidem sunt molli, sed non æquè ac saxatiles friabili. nonnunquam etiam ferinum quid resipiunt, id quod non in hoc tantùm pisce, sed in omnibus ferè aliis piscibus & auibus, atq; omnibus animantibus quæ carne solùm vescuntur, comperias. Idem igitur asinis accidit quod mullis: hi enim quamuis in præstantissimis piscibus habeantur, tamen pro diuersa victus ratione vel meliores, vel deteriores efficiuntur. Iecur aselli delicatissimum est, & cum mulli iecinore comparandum.

Lib. 3 de Aliment. facult.
Cap. 9.
Lib. 8. meth. cap. 8.

C Latet æstate si Aristoteli credimus, longo tempore: indicio est quod non nisi longo tempore pòst capiatur, nostri tamen piscatores omni ferè tempore asellos capiunt.

Lib. 8. de Hist. cap. 5.

A Plinius libro 9. cap. 17. Duo asellorum genera sunt: Callariæ minores, & bacchi qui non nisi in alto capiuntur,

capiuntur, ideoque prælati prioribus. Et libro 32. cap. 11. Callarias asellorum generis, ni minor esset. Et Athenæus, vt initio capitis diximus, ὄνον ab onisco ex Dorione differre tradit. Quę duo ὄνον scilicet & ὀνίσκον, si quis semper confundenda esse putet, fateatur necesse est asellum, qui vulgò nunc ab omnibus pro merlucio habetur, neque ὄνον, neq; ὀνίσκον dici posse secundum Aristotelem ἐν τῷ περὶ ζωικῶν, citante Athenæo libro 7. neque enim merlucius os habet ἀνερρωγὸς ὁμοίως τοῖς γαλεοῖς, id est, apertum & hians similiter ac galei, id est, in parte supina, sed os habet in promptu, parteq; primum obuia: hians quidem, sed non vt galei. Præterea non est μονωαγελαστικός, id est, solitarius: hoc enim falsum esse apparet, ex magna asellorum captura, quæ fit in Anglia, Scotia, alijsq; in locis, ex quibus per totam Europam sale cõditi & exiccati conuehuntur: neq; enim tanta merluciorum copia simul caperetur, nisi gregatim natarent. * Iam verò nec illud quadrat, quod τῷ ὄνῳ tribuit Aristoteles: Obruunt arena sese, asinus, raia, passer, squatina, cumq; nullam sui corporis partem non tectam reliquerint, verberant radiolis sui oris quos piscatores virgulas vocant, quas pisciculi cum aspexerint, adnatant, quasi ad algas quibus vesci soliti sunt. Has * virgas ad alliciendos pisces in merlucio nusquam videas, quæ in squatina manifestissimę sunt. Postremò neq; merlucius ποικιλογάστωρ est, cum Epicharmus apud Athenæum ὄνους ποικιλογάστορας vocet. Nulla, inquam, harum notarum merlucio qui ὄνος & ὀνίσκος appellatur, inest, sed ei apertissimè insunt, quem nos ὀνίσκον capite de acipensere esse demonstrauimus. Quare ὄνον, & inde hypocoristicon nomen ὀνίσκον, fateor à Galeno & veterum permultis pro eo accipi pisce, quem hic depinximus, quiq; merlucius vocatur. Ab alijs verò, vt à Dorione ὀνίσκος pro alio longè diuerso, qui & γαλλερίδας & χελλάρης nominatus fuit, multò maior merlucio. Et si dissentiat Plinius, qui callariam minorem asellum facit. Qui ὀνίσκος cum in magnam molem accrescat, veluti diminutiuum nomen ab ὄνος in hac significatione non considerabitur, in qua etiam ὄνος ab Aristotele dicitur, quum de radiolis oris eius loquitur loco paulò antè citato. Ex his perspicuum est etiam veteres nomina ista confudisse.

Rursus, ὄνον & oniscõ, aliquãdo pro diuersis piscib. accipi. (& asello vel merlucio vulgo dicto nõ cõuenire quæ à veterib. prodita de onisco vel ono:) & quod veteres etiam hæc nomina confuderint.
Lib. 9. de Hist. anim. cap. 37.
† (D)
† (B)
Lib. 7.
Dorionis oniscum gallariã, & Galeni galaxiam esse stationem Rõdeletius sentit.

Hoc tamen capite à vulgari omnium huius temporis doctorum hominum sententia non recedimus, qui merlucium asinum siue asellum esse credant, idq; non sine ratione. Primùm id ostendit cinereus color, qui cũ asinorum color sit, ab eo aselli pisces dicti sunt. Varro, Alia piscium vocabula à coloribus, vt hęc, asellus, vmbra, turdus. Deinde lapides in cerebro, molis similes. Postremo caro mollis & friabilis. Hęc de prima asellorum specie. *Vide etiam paulò pòst, in Mustela vulgari altera ex Rondeletio, &c.*

Merlucium esse asellum.
Lib. 4. de ling. Latin.

ASELLORVM SPECIES PERMVLTÆ, AC PRIMVM *de Marlucio vulgari, Bellonius.*

Multos pisces deinceps enumeraturi sumus: vulgarem in plerisq; Europæ tractibus denominationẽ habentes, quorum nullum peculiare vocabulum apud antiquos reperimus: nisi quis eos sub Asellorũ phalange connumeret: sic.n. omnes tã marinos, quàm fluuiatiles, aut stagnorum pisces, præter cæteros segnes atq; ignauos appellauerunt antiqui: quanquam hos à cinericio colore dictos putet Varro, vnde Epicharmus pœcilogastoras, (nam venter cũ albus sit, à cinereo dorsi colore variat,) appellasse visus est.

A Huius autem notæ primus à nobis hoc loco recensebitur qui Græcis ὀνίσκος, Gallis nostris Marlucius (quasi maris Lucium ab ipsa similitudine dicere vellent) appellatus est: etsi Lucium marinum impropriè Corcyrensium & Cretensium vulgus Sphyręnam hoc nomine appellent. A Genuensibus autẽ piscis hic Nasellus, prima detracta litera (Asellum dicere volentibus) nuncupatur. Mollis omnes hui* generis pisces sunt carnis, quemadmodum Murænæ, Buglossi ac Passeres: quibus Philotimus addit Gobiones, Percas, Turdos, Merulas, ac Lacertos. Hoc autem (ne quis vocũ affinitate hallucinetur) inter molles, & mollis carnis pisces interest: quòd molles absolutè appellentur ij, qui exangues sunt, nullamq; testã, spinas aut squamas habeãt, etsi carne sint in coquẽdo dura ac contumaci: Mollis autẽ carnis, è re ipsa nominantur: qui cum sanguinei ac spinosi sint, tamen habẽt carnem coctu facilẽ ac delicatã.

Pisces mollis carnis differũt à malacijs.

Proinde Marlucius oblongo & tereti est corpore, colore cinericio, glabra cute: in cuius tergo duas habet pinnas, vnicam ab ano ad caudam, caudæ verò pinnam rotundam ostendit. * Cirrhum quoq; sub mento: & branchias vtrinq; quatuor. Ore est pręgrandi, & veluti rescisso: cuius dentes tenues in multos ordines dispositi, palatum vndecunq: exasperant: atque in faucibus ossicula vt in dentali exasperata ostendit. Cor illi ex diaphragmate interseptum est pericardio inclusum: Hepar in duos lobos distinctum. † Stomachus oblongus, innumeris appendicibus ad pylorum circunseptus: à quo ieiunum oritur, laxum ac pallidum: de quo item ileon, duobus semicirculis ad rectum descendens, gracile id quidẽ ac rubicundũ. Folliculum item habet candidissimum, spinæ annexum, quo in natatione plurimum adiuuatur. Calculos in capite duos candidos habet: ijs propemodum similes qui in Sparo reperiuntur. G Cæterum Atherinis ac deiectamentis marinis, vt & Gobionibus vescitur.

† Non apparet in pictura.
** Ventriculus.*

DE SECVNDA ASELLORVM SPECIE, MERLANO, RONDELETIVS.

Merlangus Bellonij in ventre pinnas duas habet, non vnam vt hic.



A QVI vulgò à nostris merlan dicitur, asini species est minor: multumq; ab eo pisce differt; † qui à Venetis pesce molle, à Romanis phyco nominatur, qui est antiquorum phycis, de quo suo loco. Merlan* verò maris Oceani piscis, corporis habitu asino similis est: Oculis magnis, pspicuis, coloris argentei.

Merlan vulgo dictus.
** Notat Bellonium.*

B Squamis paruis tegitur, ore est medio. Dentes paruos habet in maxillis. Pinnarum numero, situq; asi-
Merlanus Oceani. no, similis, hoc dempto quòd asinus duas tantum in dorso habet, hic tres. Linea à branchijs ad caudam
**Contra Bellonium.* sinuola ducta est. Ventriculum magnum habet cum multis appendicibus, hepar ex candido rubescens:
vuluam bifariam tantum diuisam, & non * quadrifariam vt ineptè quidam scripserunt, id quod certo
comperiet ex anatome dissecandi peritus, qui pro vuluæ partibus vasa spermatica temere non accepe-
rit. In capite calculos oblongos habet, non omnino rotundos quales habent plurimi alii pisces.

F Carne quidem friabili est, & molli, sed non perinde ac phycis: vnde hos pisces comesos non maiori
oneri esse ventriculo, quàm si è zona appensi gestarentur, vulgò dicunt Galli, qui duræ carnis pisces
probant, cæterisque præferunt. Merlanus ob carnis mollitiem assus melior est quàm elixus. Quare in
sartagine frigendus, farinaque aspergendus, vt partes contineantur, neque diffluant.

C Vescitur aphyis, caridibus, gobionibusque ignobilibus & paruis, atque alijs huiusmodi pisciculis,
quos integros deuorat, non dentibus in frusta diuidit. dentes enim habet non ad incidendum, sed ad re-
tinendam prædam. Pisciculi verò in ventriculo in frusta discissi ideo reperiuntur, quòd cibi in ventri-
culo dum à calore natiuo immutantur & concoquuntur, comminuuntur & atteruntur. Quæ postrema
ideo adieci, ne mirum quid aut huic pisci peculiare annotasse videretur is qui de piscibus nuper li-
brum edidit.

DE EODEM, BELLONIVS.

F Galliæ tam frequens est Marlangus, vt à carnis leuitate, vulgari prouerbio, locum fecerit, hominem
duodenis Marlangis probè pastum, minore ab his pondere in cursu fatigari, quàm si senos tantùm zonę
appensos gestauerit.

A Dubium est mihi, an is sit piscis, qui à carnis mollitie & candore antiquis Græcis πρόβατον, hoc est
Ouis seu Pecus dici consueuerat. Hoc asseuerare possum, Venetis piscem mollem, Byzantinis Muzum
vel Mazum, vulgo Romano Ficum appellari. Quanquam etiam hoc vocabulum ad permultos alios
asellos transferant, quemadmodum Græci vulgares suum Gaideropsarum, de quo in Callaria docebi-
mus. Est etiam Phycus alius ab hoc, vt ipsa quidem orthographia, sic etiam natura ipsa longè diuersus,
de quo in Phycide agemus.

B Proinde Marlangus noster plurimum albus est ac mollis, argentei coloris, pinnas habens sub ventre
duas, atque in lateribus ad branchias, vtrinque vnam: tres quoque in tergore, duas ab ano ad caudam.
Cęterum ventre est prominulo, quemadmodum & omne asellorum genus: estque lutea quadam linea
à capite ad caudam vtrinque producta, insignis, squamisq; ita tenuibus, vt visum fugiant. rotundis ocu-
lis in media pupilla crystallinis. dentibus in superioris & inferioris maxillæ extremitate tenuib', acu-
tis, albis, ordinatis. Oblongo ac rotundo stomacho, quem Gobijs in frusta discissis. Caridibus atque
alijs pisciculis plenum reperias: pylorumque quadam veluti appendicum seu apophyseon cæsarie cir-
cunsessum cernes. Proinde huius piscis fœminæ vulua quadrifariam diffinditur, quod cæteris piscibus
non accidit, eiusque tergoris spina sexaginta vertebris constat, ac quos in capite calculos ex aliorum
consuetudine gerit, eos oblongos ac minimè rotundos esse conspicies.

DE TERTIA ASELLORVM SPECIE.

EGLEFINO, RONDELETIVS.



A Renvs primum nomina posita sunt ijs in locis, in quibus ipsæ nascuntur & proueniunt, quæ deinde
seruant exteri, ad quas res eæ conuehuntur. Sic Egrefin vel Eglefin vocamus piscem, cui Angli,
Scotique, qui hoc piscis genere abundant, nomen dedernnt. Est is ex Asellorum genere, Græcis, vt ar-
bitror, incognitus.

B Capite est magno, oris scissura magna, oculis magnis, rostro aquilino, (*inde forsan eglefin nomen indu-*
Ouis marina, Notat Bellonium. *ctum. nam egle aquila est Anglis, vt Gallis aigle. sed illud fin quid sibi velit non assequor: malim egle fisch, id est aquila*
piscis. quamuis longe alia est veterum aquila.) Quod nonnullos impulit, vt crederent ouem marinam esse,
sed non sine errore. Quam enim vocauimus vmbram, Græci huius temporis ouem marinam appellant.
Sed de hac re mox. Pisci de quo nunc loquimur, è mento carnosa appendix barbæ instar propendet.
Branchias quaternas habet; circa has, venulas veluti appendices sanguine plenas, instar lumbricorum
contractas & corrugatas. In faucibus ossa aspera asini modo. Similiter pinnas quatuor ad natandum,
sed in dorso tres, à podice duas. Maculas aliquot nigras insparsas habet, sed non multas, vt in asino va-
rio videre licet.

F Carne est molli & friabili.

A Hūc salitū à Britānis *Hadock* quidā vocari existimāt. At mihi aliū ab egrefino pro *Hadock* ostēderūt a-
liquādo ichthyopolę, q latior erat, & ad eū quē *Goberge*, pximo capite appellabimus, propius accedebat.

Hic

Hic mihi falsa eius opinio improbanda, qui egrefinum, veterum Græcorum esse πρόβατον & arietem
autumat: quod crista in ceruice promineat, in quo chamæleonem & † chamæleopardalum terrestrem
æmulatur: quodq; præter apicem, etiam gibbum super naribus gerit, in terrestrium pecudum formam.
Quid quæso pinna ceruicis loco cristæ instar erecta facit, vt πρόβατον, id est, ouis marina dici possit? Ex
ea verò nota sola, quod gibbum super naribus gerat in terrestrium pecudum formam, effici non potest
vt ouis marina dicatur: cum vmbra piscis non rostri solum, sed totius oris forma terrenam ouem multò
melius referat. Ridiculum autem id cum dicit, se credere egrefinum πρόβατον & arietem esse. nam ratio-
nibus confirmare, vel veterum testimonijs comprobare oportet, non temere credere.

Quod non sit ouis marina.
** camelopardalum.*

Deinde si πρόβατον & arietem piscem pro vno & eodem accipit, vehementer errat: quoniam apertè
eos distinxit Oppianus lib. 1. ἁλιευτικῶν, vbi πρόβατον cum ijs numerat qui in alto latent: multò post verò
κριὸν, id est, arietem cum cetaceis. Quorum vim & immanitatem cùm exposuerit, & ex his multos re-
censuerit, addit: κεφαλὴ δ' ἀφραντὸς. Item Plinius cum cetaceis & beluis marinis recenset Arietem. Ex his
efficitur, neq; πρόβατον & arietē eundem esse piscē, neq; si idē esset, vllo modo eum esse, qui nūc egrefinus
nominatur, tum ꝙ mores omnino repugnēt, tum ꝙ cornua quę arieti Plinius attribuit, egrefino desint.

Ouem marinā ab ariete differre cum Bellonio videatur confundere. Lib. 32. ca. 11.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Asellorum generis est qui vulgo Æglifinus vel Aegrefinus dicitur, quem nulli Iecorinum esse autu-
mauerunt Salitus aliud nomen vulgarē adeptus est, præter aliorum morem: vocatur enim Hadou, voce
fortassē à Britannorum vulgo desumpta, apud quos ** Hadox* seu *Hadoche* dici solet: nostro Oceano pe-
culiaris, reliquis litoribus infrequens.

† Hadocke

B Maximam habet cum nostra Morhua vulgari similitudinem: à qua cæteris quibusdam veluti macu-
lis nigris, quibus conspersus est, atque etiam quòd minor est, distingui solet. Cubitalem longitudinem
non excedit: prægrandibus oculis præditus est: crista in ceruice prominente, in quo Chamæleonem
& † Chamelopardalum terrestrem æmulatur: qui quidem apex in salitis magnis est perspicuus, ex quo
antiquis crediderim πρόβατον & Arietem appellatum fuisse. Nā præter apicem, etiam gibbum super na-
ribus gerit in terrestrium pecudum formam. Verumetiam in hoc pisce id præcipuè est admirandum, ꝙ
in singulis branchijs, quas vtrinque quaternas habet, apophyses sanguinei coloris lumbrici contracti
similitudine gerat, in quibus sanguis purus cōtineatur. In faucibus ossa dentibus armata ostendit: qui-
bus quæ ore comprehendit, in stomachum facile immittit. Cirrhum breuem sub inferiori maxilla ge-
rit. Apophyses vermiculorum speciem referentes ferè innumerabiles supra pylorum in multum gre-
gem coeuntes exeunt: reliqua intestina alijs Asellorum generibus propè similia sunt. Lineam in lateri-
bus vtrinque nigram gerit, atq; adeò maculam ad latera etiam nigram, vt sancti Petri pisces.

** Camelopardalum.*

DE QVARTA ASELLORVM SPECIE,

GOBERGO, RONDELETIVS.



A Lia est asinorum species, quæ vulgò *Goberge* dicitur. A
Maris Oceani piscis est, qui ex terræ parte nuper reperta salitus ad nos aduehitur, morhua siue B
molua latior & maior. hæc enim cubiti est magnitudine, aut nō multò maiore: ille duorū cubitorū ma-
gnitudinē superat. Colore est cinereo, ventre falcato. Squamis tegitur. Ore est mediocri sine dentib. o-
culis satis magnis. Pinnarum numero situq; superioribus duobus similis est. Cauda in vnicam desinit.
Linea à branchiarum suprema parte ad caudā obliquè producitur. Partibus internis asino similis est.
Carne constat duriore quàm asinus, minus glutinosa quam molua. Piscis iste in aqua maceratus, vel F
fuste contusus, pauperiorum & rusticorum cibus est.

DE QVINTA ASELLORVM SPECIE,

MOLVA MAIORI, VEL ASINO VARIO,
RONDELETIVS.



Est etiam inter Oceani asinos, is piscis qui à nonnullis molua ab alijs Muschebout, (*vimirum à mu-* A
culis seu punctis. nam mouscheter Gallis stadistinguere significat,) ab alijs leopardà maculis nominatur. Nos
asinum varium appellabimus.

B Piſcis eſt ſquamoſus, gobergo proximè deſcripto ſimilis, item moluę, ſed maior. Dorſo cinereo, multis maculis nigris conſperſo. ventre candido, falcato. Pinnas tres habet in dorſo à podice vnicam, duas ad branchias, duas in ventre, quæ magis ab ore ſunt remotæ, quàm in aſino & gobergo: in quibus duobus hæ ventris pinnæ, fluuiatilium piſcium modo, ori propiores ſunt, & loco firmiori innixæ. Ore eſt magno. Oculis minoribus quàm gobergus. Dẽtes habet in maxillis. Internis partibus aſino ſimilis eſt.

A Hanc moluam maiorem eſſe puto. ei enim ſimilis eſt hic piſcis, & eodem modo maculatus.

F Subſtantia carnis ferè eadem: nam glutinoſus eſt, ſed minus quàm molua.

DE EODEM, BELLONIVS.

Eſt Heberdum piſcis ita nominatus ab oppido Iſlandiæ, à quo ad Scotos primum, deinde ad Britannos peruenit: magni quidem nominis apud Anglos, vt qui præter gratum ſaporem latis ſeſe diffundit artubus: liuente ſurſum tergoris colore, ſub ventre candido: cauda quodammodo anguloſa tribus ſurſum pinnis, infernè duabus, (*vnica, Rondeletius*) ab ano ad caudam exeuntibus inſignis.

DE MOLVA VEL MORHVA (ALTERA, MINORE,) RONDELETIVS.



A QVæ molua vel morhua à Gallis nominatur, ab Anglis *morhuel*.

F Piſcis eſt maris Oceani. magis corporis figurâ, quàm carnis ſubſtantiâ aſinis ſimilis. Cubitum vnum longus eſt, & eo plus, pedem vnum latus. Ore eſt magno, dentes habet in maxillis. Ex inferioris maxillæ extremo appendix carnoſa, veluti pilus è mento propendet. Oculis eſt ſatis magnis, parum acut cernentibus. Inde Gallorum eſt prouerbium, Oculi morhuę, quod iacitur in eos, quibus infirma eſt & hebes oculorum acies: ſic enim ferè ſemper accidit, vt qui magnis ſunt oculis & prominentibus, maximè quibus lata eſt pupilla, parum acutè cernant ob maiorem ſpiritum diſſipationem. Pinnas habet ad branchias & in uentre binas, partibus pronis tres, à podicè duas. Dorſum cinereis ſuluisque maculis notatum, venter falcatus.

F Recens hic piſcis carne eſt multò meliore, quàm ſalitus & exiccatus: quippe cuius caro tum glutinoſa adeò eſt, vt etiam butyro diu immerſa quod, vt pinguia omnia glutinoſarum rerum ad hæſionem impedit) digitis ita hæreat inter edendum, vt vix reuellatur. Cùm contrà fieri oportere ratio ipſa ſuadere videatur, quòd ſal calefaciat, extenuet & incidat. At cur glutinoſior morhua tempore eſticiatur, in cauſa eſſe puto tenuis humoris conſumptionem. Quemadmodum in farina multa aqua diluta euenire videmus, quę ſi aliquandiu coquatur, tenuioribus partibus ab igne abſumptis tam ſpiſſa glutinoſaque redditur, vt ea ad multa ferruminanda vtamur. Idem in ſacchare in aqua diſſoluto experieris: coctione enim glutinoſius multò fiet.

Selpa. A *Lib. 1. cap. 23. Moluam neq; Plinium neq; Dioſcoridis ichthyocollam eſſe.*

Salpam nonnulli pro molua vſurparunt, ſed magno errore, vt iam docuimus.

Alij Plinij ichthyocollam eſſe putauerunt, qui & pro piſce & pro eiuſdem glutino ichthyocollam vſurpat.. Ichthyocolla, inquit libro 32. cap. 7. appellatur piſcis, cui glutinoſum eſt corium, idemque nomen glutino eius. Horum opinionem cum de ichthyocolla dicemus, improbabimus. Multo minus Dioſcoridis lib. 3. cap. 102. ichthyocolla dici poteſt: Η δι ιχθυοκολλα λεγομενη κοιλια ἐστιν ἰχθυος κητων. vbi fortaſſe non κοιλια ſed κωλα legendum. (κοιλια *videtur pro quouis ventriculo aut folliculo accipi poſſe, vt nihil ſit mutandum.*) Nam morhua piſcis eſt Græcis veteribus incognitus, non cetaceus, vt ichthyocolla. Præterea ponticam præferunt Plinius & Dioſcorides: at morhua in toto mari mediterraneo non reperitur. Neque verò, ſi ex morhua ichthyocolla, id eſt, glutinum fiat, recte concluditur morhuam ichthyocollam piſcem eſſe.

*Bellonium notat: forte & alios *muſtellarum Stockfiſch.*

Fuerunt qui piſces quoſdam cum aſellis numerarunt, quos potiùs in * muſtellorum genera referri oportet: ſunt enim longi & læues. Similiter eum quem nos Plinij ophidion eſſe demonſtrabimus, non recte aſelli ſpeciem fecerunt. Poſtremò Angli Germaniq; piſces ſalitos & exiccatos *Stokfiſch* appellant, qui omnes aſellorum generibus non comprehenduntur.

DE EADEM MORHVA VVLGARI, MAXIMA *Aſellorum ſpecie, Bellonius.*

Mirarer antiquos rerum omnium ſolertiſſimos inueſtigatores, ſpeciem hanc Aſellorum, præter cæteros maximam, quam noſtrum vulgus Moluam aut Morhuam vocat, prætermiſiſſe, niſi exiſtimarem Græcos atque Italos, eius penuria multum laboraſſe, quum alioqui noſtræ regioni non minus atque Harengus ſit frequens.

B (F) Vt plurimum ſeſquicubitalis eſt longitudinis: latitudinis verò pedis vnius: ac dum recens eſt, guſtus optimi, & nutritionis ſatis ſalubris. Tres ſupina parte (*ſupinum & pronum contra quam oportebat, viae: ut ai per*,) pinnas gerit, prona duas, ab ano ad caudam protenſas. Oculos habet admodum magnos: vnde illud vulgare Lutetianum in ſtolidos, quique cùm magnis ſint oculis præditi, nihil tamen vident, Morhuæ oculi. Huius piſcis inteſtina, & folliculi (quemadmodum & reliquorum cetaceorum) ichthyocollæ conficiendæ inſeruire poſſent: reliquæ partes internæ ad * Callariam accedunt: de quo proximè diſſeremus.

** Muſtelam marinam.*

DE PISCE

DE PISCE COLFISCH ANGLORVM. BELLONIVS.

Colfiſch Anglorum, cuius caput hic tibi non oſtendimus, (inquit Bellonius,) quod id ne apud Anglos quidem (apud quos ſanè peregrinus eſt) nobis vſquam fuerit compertum.

Glu Anglis eſt glutinum, Col verò carbo vt nobis: vt forſan à colore, non à colla, id eſt glutino, nomen ei fecerint Angli.



NE SCIO qua ratione piſcem hunc Britanni ſic nominauerint, niſi dicas eidem hunc illis eſſe vſui, quo in Ponto in Sturionis genus, ex cuius folliculo ichthyocolla confici ſolet. Huius autem Aſellorum ſpeciei ob id tibi propoſuimus effigiem, quòd à reliquis ipſa caudæ, quam lunatam ac bifurcam gerit, forma diſſideat, quæ cæteris alioqui rotunda eſſe ſolet. Cæterum ex eo tractu Britannico ad nos defertur qui ad Hollandiam ſpectat. Piſcis hic prouectus, alicuius precij eſſe ſolet: paruus autem, carne eſt planè inſipida. Squamis contegitur latioribus, quàm quiuis alius ſui generis: tergore eſt nigricante, ventre candidiore. A capite ad caudam, atram lineam produ&tam habet, ad latera aliquantulum inflexam: pinnasque reliquis ſui generis piſcibus duriores ac robuſtiores. Proinde popularis eſt, atque omnium ſalitorum inferioris notæ.

DE MVSTELLA VVLGARI. RONDELETIVS.

Hic forte choremes eſt, qui & barbatulus & generis aſellorum deſcribitur: & cum muſtela marina comparari ab Æliano videtur.



MVSTELLAM noſtri piſcatores appellant, quam Ligures & Itali galeam, alij peſce moro. Græci hodie gaideropſaro, (*ideſt, aſinum piſcem.*)

A

B Piſcis eſt marinus, lotæ vulgò Lugduni nominatæ ſimilis, vel phycidi alibi à nobis deſcriptæ. Corpore eſt longo, fuſci coloris, ſine ſquamis. Ore ſatis magno, paruis dentibus. Ex maxillæ inferioris extremo cirrhus vnicus & candidus propendet. E ſuprema verò maxillæ ſuperioris ſiue roſtri parte duo cirri eminent, ſed nigri. Pinnis duabus natat poſt branchias poſitis, item duabus alijs paruis in ſupina parte propius os accedentibus. Alia eſt pinna à podice longa ad caudam ferè attingens. Huic ſimilis alia eſt in dorſo, ſed longior. In ceruice cirrus alius eſt, & vnicus velut paruæ pinnæ initium. Corpus in mucronatam caudam definit, & in pinnam vnicam eiuſdem figuræ. I. in ea recta medium corpus interſecans ad caudam ducta eſt. Ventre eſt magno & paulùm prominente. Intus ventriculum habet magnum cum appendicibus. Inteſtina ſine gyris ad podicem demiſſa. Hepar album ſine felle.

Squillis & piſciculis veſcitur.

C

F Carne eſt molli & friabili, & ea in ſaxatilium penuria, etiam ægri veſci poſſunt, ſi elixa ſit, ſani frixa in ſartagine.

A Sitne hæc Plinij & Auſonij muſtella, magna inter doctos contentio eſt. Plinius: Proxima eſt his menſa generis duntaxat muſtellarum, quas mirum dictu, inter alpes lacus Rhetiæ Brigantinus æmulas marinis gerit. Auſonius in Moſella.

Lib. 9. cap. 17. Aliam eſſe Plinij & Auſonij muſtellam.

Quæq; per Illyricum per ſtagna binominis Iſtri
Spumarum indiciis caperis muſtella natantum.

Plures hæc ad lampetras noſtras referunt, quorum verior ſententia mihi videtur, vt fuſius capite de lampetra dicemus. Quare piſcis quem hic oculis ſubiecimus, à veterum muſtella procul abeſt. Ob id muſtellam vulgarem cognominauimus quam ex aſellorum genere eſſe puto, vt fortaſſe collarias ſit, aſellus minor Plinij. Quanquam hac de re certi nihil ſtatui poſſe exiſtimem, niſi quòd affirmare poſſum, erraſſe eum * qui callariam & clariam pro diuerſis piſcibus ponit, cùm ſit planè idem piſcis, ſed clarias ab Oppiano tantum per ſyncopen dicatur pro callarias.

Callarias vel Claras.

**Notat Bellonium.*

Lin. 2. ἀλιευτικων.

Υπ' ἰλαι, καὶ κλαριαι, καὶ τριγλιδες, ἰεραξ τ' ὀνίσκων.

Idem muſtellæ vulgaris picturam aliter quam nos expreſſit. Verùm hęc, vt & multæ aliæ eiuſdem autoris piſcium icones, deprauatiſſima eſt, & à naturali figura alieniſſima.

Alius ex Æliano ſcripſit muſtellam breuem eſſe piſcem ſimilem * iecori. ſed cum in Æliano, qui hodie extat, nihil tale compererim, nihil certi ex Æliano de muſtella proferre poſſum. *Imo habet Elianeus noſter Græcus, lib. 15. cap. 11.*

** iecoraria.*

Bellonij descriptio iconi sua quem ponit pulchrè respondet, vt piscem qualem vidit, pinxisse videatur: nec dubito quin multa sint huius generis differentia. In dorso quidè pinnas duas pingit, superioris minoris, in descriptione non meminit. cirrhos superioris labro nullos appingit. caudam à reliquis pennis separat.

DE EODEM, SIVE GALEA VENETORUM, ASELLORUM ALTERA SPECIE, BELLONIUS.

De figura quam Bellonius exhibuit, vide nostra & Rondeletii verba proximè retro.

A Vt nobis frequens est Merlangus, sic Venatis aselorum speciem ad hunc accedentem multùm communem esse video, cui vulgus Adriaticum Galeæ nomen imposuit. Huius effigies ad mustelam (mox describendam) atque ad nostram barbotam (Lotam) fluuialem, plurimum accedit. hoc tamen ipsa magnitudine à sequenti dissidet, quòd rarò sesquipalmum excedat, atque adulta quidem nigricet, pusilla candicet.

B Glabra cute contecta est, capite magis plano quàm anguillæ, oculisque latioribus, cirrumque sub labro inferiore protensum gerit. Pinnas in lateribus rotundas, nigras, ac rursus sub branchijs (quas vtrinque quatuor habet duas alias, binos veluti cirrulos referentes: pinnam quoque aliam carnosam, à medio dorso ad caudam vtque productam: ac præter hanc etiam aliam ab vmbilico ad caudam abeuntem, quam circina, tam mollem ac nigram habet. Cor illi sub branchijs, vt in alijs Aselli, triquetrũ delitescit, sed paulò magis turbinatum: Hepar stomacho incumbit. duobus lobis præditum. Ventriculum etiam gerit oblongum, pylorum innumeris apophysibus circundatum: à quo intestina tribus inflexibus conuoluta, ad anum demittuntur. Peritonæum illi argentei coloris est. Vulua vtrinque in cornua prominet, perfecta multis ouis referta, inter quæ officulum membrana inuolutum, caput aquilæ referens comperimus, folliculo quoque, commodiori natationi idoneo (vt & cæteri aselli) præditum est: qui latiori spinæ parti incumbens, durus, glutinosus, & plurimo flatu distentus apparet. Cæterum eius caro paucis spinulis referta est

C Vescitur Apuis, Caridibus, & omni pisciculorum genere.

Alia Mustelæ species Gesneri, Venetijs depicta.



DE MVSTELLA ALTERA VVLGARI, SIVE GALEA PISCE RONDELETIVS.

Cirrus à maxilla inferiore simplex & singularis dependere debet, vt in Bellonij figura.



A Piscem quem hic oculis subiecimus, apud nos rarissimum cũ ad me attulisset piscator, diu multumq; nomẽ naturáq; scisscitatus, cõperi eum esse, qui à Massilienſib. mustella vocetur, ob similitudinẽ quã cum superiore habet: ab Illyricis pegorella: à Græcis huius ætatis etiã gaideropsaro, id est piscis asinus.

B Piscis est marinus merlano quodammodo similis: differt autem appendicibus quæ in superiore maxilla eminent. Alia ex inferioris maxillæ extremo, veluti è mento barba protendet. Pinnas ad branchias breues habet. Subsunt in ventre aliæ duæ cirris quàm pinnis similiores. A podice pinnã aliam habet cum pinna caudæ continuam: in dorso duas, prior parua est, altera magna cum pinna caudæ continens.

Partibus

Partibus internis superiori similis est. Hepar ex albo rubescit in tres lobos diuisum, quibus tanquam manu ventriculum amplectitur. In hepate fel habet, Ventriculum magnum cum appendicibus multis. Intestina in spiras conuoluta. Vesicam aëre plenam ex tunica crassiuscula & alba.

Carne est molli & friabili, & cum asinorum vel etiam saxatilium carne conferenda. F

Vt liberè dicam quod sentio, quæ asino siue asello notæ insignes & euidentissimæ tribuuntur ab Aristotele, huic magis competere mihi videntur, quam merlucio, quem omnes hodie asellum veterum esse iudicant, maximè κατὰ ῥᾳθδίαν, id est, virgulæ ad alliciendos & capiendos pisces, quibus prorsus caret merlucius: quòd lapides molares in capite habeat, quòd lateat. A *Asellis Aristotelis.*

Nec illud prætermittendum, autorem libri de Aquatilibus nuper editi non rectè pisci isti squamas ademisse, cum totus squamosus sit. (*Imo squamis, inquit Bellonius, Polam vulgarem refert: sed eas pictor in icone ipsius non expressit.*) B

DE EADEM, BELLONIVS.

Asinum piscem vertere possumus, quem Creticum vulgus Gaideropsarum vocat. Indigenæ ad portum Veneris Pegorellam, Genuenses ac Massilienses Mustelam, puto Aristotelis & Galeni esse Callariam. A *Callariæ.*

Piscis est ad Merlangum nostrum accedens, Græco atque Italico litori frequentissimus, inter mollis carnis pisces connumeratus: trium interdum palmorum longitudinis, ac cruris humani crassitiei: colore ex liuido in opacum abeunte squamis Polam vulgarem referentibus. Duas in tergore pinnas gerit: quarum minima, capiti vicina est: præter quas aliam rursus ad caudam vsque protensam habet: ac rursus ad latera vtrinque vnam, rotundam, sub quibus postremis crassiores ac carnosi quidam cirri, bifidi conspiciuntur: huius quoque caudæ pinna rotunda est: cirrum sub mento habet, maxillas mobiles, dentes confusos, vt & asinorum reliquum genus. Sed hoc ab ijs differt, quod in labro superiore maculam ostendit in cordis figuram denticulis circunfultam, linguam albicantem, & in cuspidem efformatam. Proinde branchias distendit vtrinque quatuor, sub quibus cor delitescit triquetrum, pericardio vt in cæteris piscibus obuolutum. De diaphragmate hepar pallidum ac ferè lacteum appensum est, in tres lobos diuisum: cuius pars sinistra, cæteris maior, vesiculam fellis oblongam admittit tertius lobus superficiei stomachi incumbit. Lien illi est sanguineus, gracilis, oblongus, dorso incumbens, à ventriculo dependens: quem, propter voracitatem, prægrandem vidimus, eius ferè figuræ, cuius est pastorum instrumentum, cui cornutæ musæ nomen est. In pyloro admodum multæ sunt apophyses, vt quinque & triginta facilè connumeres. Eius intestina non amplius quàm tribus reuolutionibus circunflexa sunt, antequam ad rectum pertingant: præter quæ, vesicula quadam cæteris asinis communi præditus est, gemino veluti folliculo tergori coniuncta, quæ illi commodioris natationis vsum exhibere creditur. B C

Cæterum hic piscis sardellis, boopis, trachuris atque alijs pisciculis fese exaturat.

DE OPHIDIO PLINII. RONDELETIVS.

Icon sequentis paginæ, non est quam Rondeletius dedit: sed nostra Venetijs picta: eadem prorsus, vt iudico: nisi quòd innumeris illis & rotundis ferè maculis caret, quas in sua ostendit Rondeletius, Bellonius omittit. Quare genera Ophidij tria statuerim: Barbatum duplex: nempe maculosum, vel sine maculis: tertium imberbe & flauum.

CONGRO simile est ophidion quasi paruum serpentem dicas, diminutiuo nomine ab ὄφις. Est autem ophidion piscículis qui à nostris vocatur donzelle, cuius Plinius duobus locis meminit: vno nominat tantum, in piscium catalogo: altero qualis sit breuiter indicat: Vrinæ incontinentiam hippocampi tosti, & in cibo sæpius sumpti emendant. item ophidion piscículis congro similis, cum lilij radice: Pisciculi minuti ex ventre eius, quos deuorauerit, exempti & cremati: ita vt cinis eorum bibatur ex aqua. Hactenus Plinius. Quoniam verò piscis quem capiti huic præfiximus, tam congro similis sit quàm ouum ouo, vt est in prouerbio: videor mihi verissimè pro Plinij ophidio proposuisse. Est igitur ophidion pisciculus longus & leuis. Pinnas duas habet, in dorso & in ventre (*singulas,*) situ, figura, substantia congri pinnis similes. A congro gemina barba è maxilla inferiore propendente differt, & oris rictu, qui in congro maior est. Binæ lineæ tenues à capite ad caudam productæ sunt, qua nota in eam aliquando sententiam adducebar vt seserinum Athenæi esse crederem. Sed tandem verò seserino cognito, qualem antea demonstrauimus, rem omnem diligentius cùm expendissem, Plinij ophidion esse iudicaui. A *Lib. 3. cap. 11.* *Ibidem cap. 9.* B (G)

Quòd autem aduersus vrinæ incontinentiam prodesse cum lilij radice legitur in Plinio loco modo citato, mendosum esse suspicor, substituendumque seminis incontinentiam cum rutæ radice, quod & rationi consentaneum est, & ita in vetusto quodam exemplari legisse me memini. G

Cæterum ophidion carne est candida, dura veluti draco. B F

Inepte fecit qui ophidion inter asellos numerauit, cùm planè iis dissimilis sit corporis habitu, capite, pinnis, atque cum longis planè connumerandus. A *Contra Bellonium.*

Ophidion alterum flauum vel imberbe. Circa Larinum insulam & Antipolim sæpe capitur piscis superiori omnino similis corporis specie & carnis substantia: eo differt, quòd cirri carnosi barbæ instar è maxilla inferiore non propendent. Colore etiam à superiore dissidet: est enim flauus. Quam ob causam ophidion flauum vel ophidion imberbè, vt à superiore discernatur, appellabimus.



DE EODEM, SIVE GRILLO VVLGARI

Aselli specie, Bellonius.

Hic fortè potius callarias fuerit. Lege quæ inferius scripsi in Corollario primo. De Gryllo vide infra nonnihil Corollario 3. de asellis &c. & de Ophidio plura in elemento.

A. B. F. Mollium Asellorum classis est, Italorum plerisque Grilli nomine cognitus piscis, palmum ex Mediterraneo non excedens: carnis admodum delicatæ, Romanis Antistitibus in delicijs habitus, à quorum vulgo pro congro accipitur, atque interdum ab ichthyopolis eius loco supponitur.

B Cui sententiæ ego quidem facilè accederem, nisi ab hoc longè diuersa esset huius capitis ac pinnarum effigies. Illud enim quaternis cirrhis barbatum apparet: Hæ verò carnosæ, integram in gyrum caudam ambiunt, ac multa nigredine perfunduntur. Verum quidem est lubricam illi pellem esse, Anguillæ ac Gongri modo: sed reliquæ notæ ad Anguillam accedunt.

A Quamobrem tam incerta est mihi huius piscis nomenclatura, vt vix in promptu quid de hoc statuere possim, occurrat video enim communem Grilli & Congri apud authores appellationem esse: & tamen hic Grillus, Congruus nõ est. Scio præterea Venetos, superius descriptum piscem atq; hũc quoq;, Galeã appellare: sed quod hic piscis Mustela sit, ipsi quidẽ pinnę caudã ambiẽtes ac nigricantes, ipsaq; carnis in mãducãdo iucũditas plũrimũ reclamãt. Audio qui Tragũ antiquorũ esse iudicẽt: de quo Oppianus. *Mustela.* *Tragus.*

Mænides, & Tragi simul, & Atherina vagantur

Quorũ sentẽtijs facilè assentirẽ, nisi planè mihi esset ignota, ex antiquorum scriptis, piscis Tragi descriptio. Hoc vnum mihi compertum est (quod & vobis affirmare possũ) piscẽ hunc, mollẽ & delicatũ, Asellorũ esse speciem, ab alijs plurimum dissidentẽ, atque ob id peculiare nomẽ sibi promeritum. *Aselli species.*

B Porrò linguam habet paruam, acutam: cor trigonum, ruberrimum: hepar ad sinistrum latus exporrectum: stomachum oblongum, pylorum permultis apophysibus circundatum: à quo tres intestinorum reuolutiones ad anum pertingunt. lienem rubrum atque oblongum. Cætera ad reliquos asellos, atque adeò ipsa voracitate accedit.

SEQVVNTVR DE ASELLIS COROLLARIA TRIA. PRIMVM DE ASELLIS EX VETERIBVS

ferè. Secundum, De Germanicis & Anglicis Asellorum nominibus. Tertium, de Mustelis marinis.

COROLLARIVM PRIMVM DE ASELLIS.

A Asellus Romæ scarmus & merluzus dicitur, Niphus. Asellorum duo genera, callariæ, minores: & Bacchi, Plinius. Hermolaus (inquit Massarius) videtur hoc loco dicere, posse etiam legi bacchus: sed ego potius bacchus quàm banchus legerem, tum ex vetustis codicibus, tum etiam Athenæo, Euthydemo atque Diphilo, in quibus bacchum scriptum inuenimus, non banchum: ex eo fortè quod asinus (testante Plinio quarto & vicesimo volumine) dicatus est Libero, hoc est baccho, vt banchus alius omnino piscis sit, vti retulimus, inter mugiles minimus Euthydemus in libro de salsamentis, alij (inquit) bacchon appellant, alij γελαρίαν, alij oniscon. Archestratus, τὸν δ' ὄνον ἀνοήσων, τὸν καλλαρίαν καλέουσιν, Ἐκτρέφει εὐμεγέθη, ἀμφίω Fortè εὐμεγέθη σομφὴν) δ' τρέφει πνᾷ σάρκα. Καλῶς, οὐχ ἡδεῖαν ἐμοί. Gallarium aliqui mendacissimè murænam fluuiatalem à Dorione apud Athenæum nuncupari scribunt. vide in Muræna. Calarias asellus minor, dicitur aliter Gallarias & Galleridas, Gillius. item γελαρίης, & χελλαρής. & galaxias, & clarias, κλαρίας, ab Oppiano par syncopen Et fortè reliqua nomina vulgus imperitũ deprauauit probandum est autẽ quod à galacte, id est lacte, deriuatum quàm optimè videri potest, vt galarias vel galaxias, nimirum à lacteo colore, quem ego de Aselli tum gadi tum magis galariæ, iecore imprimis accipiendum censeo. sicut & Germani inferiores genus quoddam mustulæ à lacteo iecinore *Milchling* appellant nisi quis à gale, id est mustelæ similitudine galeriam vocare malit. Videri sanè potest asellus galarias, mustelarum generi adnumerandus, (si sturio non est, vt Rondeletius putat,) tum quòd alij quoque cognati pisces habentur eiusdem generis: tum quòd spina singularis, os rescissum (quamuis non eadem parte situm) ὁμοίως τοῖς γαλεοῖς, καὶ τὸ μὴ συναγελαστικόν, & oris radioli seu virgulæ (barbulas interpretor) fauere huic sententiæ videantur. Plinio Bacchi, maiores aselli sunt callariæ minores: Athenæo verò Bacchus, oniscus & chellares (quòd à callaria corruptum dixerim) idem est piscis. Cremys piscis vel chremys (malim Chremes, vide in Chromi) asellus (oniscus) est apud Grammaticos: videtur autem idem mustelarum generis. Γαλιαι, (Γαλαρίαι potius,) onisci, Hesichius & Varinus. Hoc etiam annotandum, galarias & similia nomina adiectiuæ significationis esse, differentiæ gratia ceu epitheta propria substantiuo suo adijcienda, vt ὀνίας, αἰολίας, ἀλωπεκίας. Γαλαρίας, ἰχθὺς ὁ ὀνικός (lego ὀνίσκος) Hesychius & Varinus. Λαζίνης γαδρίας, (videtur corruptum, fortè à γαλερίδας,) καλλαρίας ἰχθύς, Hesychius. Λαζίνης factum apparet à Latino asino

Bacchus. *Banchus.* *Cremys.* *Chremys.*

asino. Grecus quispiam nauta Massiliæ mihi dixit, etiam nunc Gallariam in Græcia appellari: sed mihi non potuit piscem, cum tamen summè ab eo contenderem, repræsentare, Gillius. Varro ab asini colore hunc piscem dictum scribit. Græci à segnitie dictos asinos innuunt. nam Oppianus lib. 3. de pisc. ὄνων νωθρὸν δέμας, dixit: & Ælianus cum nominasset pisces prægrandes ac pigros, qui in latebris maris abdi solent, nec longè ab eis natando recedere, oues, hepatos, prepontes: asellum quoque inquit eis adnumerari posse. Equidem onon maiorem esse putarim quam sit oniscos, cum Plinio, quamuis aliter Rondeletio videatur. Eberus & Peucerus asellos maiores Germanicè interpretantur *Zanten*: minores, *Sengelin*. Sed *Sengelin* audio esse fœtum funduli pisciculi, id est gobij fluuiatilis minoris. *Zanten* nomẽ mihi ignotum est: nisi idem sit *Zandet* vel *Sandat* piscis, qui apud Borussos & Danos in litoribus capitur, & magna copia dolijs inclusus, in exteras regiones mittitur. Ventre albicat, dorso nigricat, magnitudine qua de asellorum genere *Stockfisch* dictus mediocris, capite non admodum grandi. Caro eius salsa tenacior euadit. Rostochij aiunt *Sandat* nominari, in Prussia *Sant*: piscem esse marinum, percę aliquo modo similem, oblongum ad dodrãtes fere tres cũ dimidio, flumina subire, in cibo laudari. Alij cõparant eum specie trutæ (*einer Lachsförnnen*,) squamis cyprino. In Suerinensi etiã lacu capitur per quadragesimã. *Zandet. Sandat.*

Memini Galenum prodere galaxiam pretiosissimum Romæ piscem è genere galeorũ, id est mustelorum (γαλεῶν, vel galeonymorum) esse, & in Græciæ mari fortè non inueniri, vt in Acipenseris historia Rondeletius refert. sed fieri potest vt mustelarũ mustelorumq; genus non rectè distinxerit Galenus. hos γαλεοὺς, illas γαλᾶς vel γαλέας Græci appellant. Apud Grammaticos etiam in Lexicis γαλέα & γαλεὸ non distinguuntur. Galeonymus quidem ex Galeni verbis videtur aut idem esse qui galaxias, aut genus ad eum ceu speciem: vt long alius sit qui callionymus vocatur & alio nomine vranoscopus. Bellonius Mustelę fluuiatilis genus quod lotam Galli nominant, nostri *Trusch*, *alrupe*, &c. clariam fluuiatilem vocat, pro callariam, Oppiani poëtæ imitatione: & similem ei in Nilo quendam piscem clariam Niloticum: & in mari Mustelam Massiliæ dictam. etsi alium quoque piscem ijdem eodem appellant nomine, quem alij in Italia vulgò grillum, qui mihi verius callarias videtur, & grilli nomen à gallaria corruptum suspicor. carnis, inquit, est admodum delicatæ, & mollis, Romanis antistitibus in delicijs habitus natura ad asellos accedit, &c. Sed de his mox inter Mustellas. Hic satis sit, quod ad nomen, monuisse, asellum gallariam, de quo eruditi disputant, præ omnibus grillum Italorum mihi videri: etsi Rondeletius Plinij ophidion esse coniecerit. Nam aut idem piscis fuerit ophidion: aut si diuersus est, plura argumenta pro gallaria quàm pro ophidio factura arbitror. Idem Rondeletius callariam esse suspicatur galeã (primã) vulgò ab Italis dictã. Quod si q̃d obijci poterit, minus tamẽ id erit, q̃ quæ aduersus aliorũ cõiecturas dici potest: & ꝓpter cõfusa quædã apud veteres tum nomina tũ descriptiones excusari poterit. *Galeonymus.* *Grillus.*

Aristoteles aselli piscis solius omniũ in media aluo corculũ sitũ pro maximo memorauit, Apuleius. B

Onos degit in latibulo aliquo in profundo. passeres verò, καὶ κλαρίαι, καὶ τελγλίδες, ἔργατ' ὀνίσκων, in cœno & palustribus locis (ἐν τενάγεσι) maris, Oppianus: tria genera diuersa ὄνους, ὀνίσκους & καλλαρίας se facere ostendens. Asellum latere plurimum temporis constat, quoniam longo interposito tempore capitur, Aristot. Quidam æstus impatientia medijs feruoribus sexagenis diebus latent, vt glaucus, aselli, auratæ, Plinius. Exortum caniculæ extimescit asellus, Ælianus. Solus (asinus) calidissimus flagrante Sirio diebus occultatur, cum alij per summum hyberni temporis frigus se abdant, Athenæus ex Aristotele. Oniscus quoties anno pariat, nondum exploratum est, Oppianus lib. 1. de pisc. Aselli partum nunquã deprehensum fuisse, in sermonem hominum venit, Gillius tãquam ex Æliano. sed melius videtur Oppianus dixisse; & locum hunc Æliani non reperio.

Asini, (ὄνοι,) boues, oues, raiæ, pisces prægrandes hamo capti, sequi recusant, & magnum sæpe extrahendi laborem piscatoribus pariunt, dum graui corporis mole ad arenam aut aquę fundum renituntur, Oppianus. Orcynus gaudet onisco esca, Oppianus lib. 3. de piscat. E

Post acipenserem apud antiquos præcipuam authoritatem fuisse lupo & asellis Cor. Nepos & Laberius poeta mimorum tradidere, Plinius. Bacchus est boni succi, difficilis concoctu, (ἄπεπτος, Massarius vertit malæ concoctionis. sed εὔπεπτος legendum videtur ex Galeno; cuius verba Rondeletius citat) odore graui, βρωμώδης, Diphilus. Rondeletius etiam carnem eius nonnunquam ferinum quid resipere scribit. Eligantur è piscibus maximè lupi, & aselli mediocri magnitudine, Aëtius in cura colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus. Apud Galenum de asellis hæc leguntur diuersis in locis, vt Brasauoli Elenchus indicat: Pelagici sunt: carne molli, friabili, (sed non æque vt saxatiles:) neque crassi, neq; tenuis succi. Qui in puro mari degunt, ad saliendum non sunt accommodati. Vtiles sunt calidis & siccis. Merlucius sine squamis est. accepit fortasse hoc nomen à merula. lucio tamen persimilem aiunt. Coctum cum sinapio albo comedes, Platina. F

Oniscon piscem Aëtius ad vitia interaneorum commendauit, Massarius: piscem intelligat an uermẽ non satis scio, Hermolaus. Ex asello pisce lapilli, qui plena luna inueniuntur in capite, in frigidis febribus alligantur in linteolo, Plinius. Inueniuntur & in banchi (malim bacchi) piscis capite ceu lapilli. hi poti ex aqua calculosis prǽclarè medentur, Idem. G

Onos, id est asinus marinus, piscis est, quem quidam pulpum (polypum) dicunt, alij octapedem, Kiranides. De onisco insecto multipede, suo loco dicetur. Oniscos etiam Hippocrati vulnerariũ instrumentum ad luxata corporum est, Massarius. Hesychio serra fabrilis. sed de instrumẽtis ab asino nominatis plura in Quadrupedum historia in Asini philologia attuli. Scari genus vnum æolon vocant, alterũ ὀνίαν, Athenæus. Πολὺς γὰρ ὅμιλος πυγίας κύλλου τ' ὀνίων χαίνοντος θυραίοισι (lego, Σαίνοντες χηραίοισιν) ὀνίαν αἰολα, Achæus apud Athenæum paulo post initium septimi. quem verò piscem cylli marini nomine appellet, non constat. si cillum dixisset, de asino intelligerem. grammatici enim κύλλον interpretantur ὄνον. sed malim ad scyllos, id est canes referre, quibus illud Σαίνοντες χηραίοισι melius quadrat. a.

Cor in ventre aselli instar aliquem habere, in hominem ventri deditum, & cui animus semper in patinis sit, scitè torqueri poterit. h.

Merlu nomen est vsitatum Flandris & Gallis de asello pisce. Romani Merlucium vocant id est Lucium marinum, *ein Meerhecht*.

COROL-

COROLLARIVM II.

DE GERMANICIS ET ANGLICIS QVIBVSdam *Asellorum nominibus.*

Stockfisch. — Rodtser. — Dorsch, vel Durst. — Capito. — Sporten. — Pomuchel. — Dorsch. — Flitten. — Sporden. — Nopsen. — Strumulus. — Milago. — Miluago.

Stockfisch, nomen Germanicum est, quo Angli etiam & Galli vtuntur: nec vnam, sed diuersas Asellorum species comprehendit: vt quos appellãt *Capellianen, Schelfisch, Pomuchell.* Nomen à trunco factum est, quem nostri *Stock* nominant. huic enim aridus hic piscis tundendus imponitur, quoniam ariditate adeò riget, vt nisi præmaceratus aqua aut prætunsus, coqui non possit. At longè alius piscis est salpa, qui recens etiam ferulę ictibus ad coctionem præmollitur, Erasmus Roterodamus in epistola quadam fu stuarium piscem hunc vocat à baculo quo contunditur: sed à trunco potiùs sic nominari, Ge. Fabricius monuit. Partes circa ventrem & pinnas resectę & seorsim salitæ, *Rodtser* (vel *Rotscher*) à Germanis nominantur: ea caro aliquanto mollior est, suauior, & facilior concoctu, vt Iustinus Goblerus ad me scripsit. Aliqui *Stockfisch* & *Thortsch* vel *Dorsch* eiusdem generis esse dicunt. Capitur *Dorsch* etiam in lacu Suerinensi. quidam capitonis genus interpretantur, propter capitis ad reliqui corporis magnitudinem, excessum. Veterum quidem capito longè alius piscis est, mugili cognatus. Venter piscis, qui *Torsch* Lubeci vocatur, aptus est cibo. delicatior verò eius pars rostrum & pinnæ, *Sporten* appellant vel *Sporden. Pomuchell* piscis vocatur in Dania, vbi abundat, & Prussia. Caro ei mollis, caput magnum. iecut vt in mustela fluuiatili (*vvie die Truschen*) & similiter suaue. E maioribus in hoc genere fiunt qui vulgò *Stockfisch* & *Rauchfisch* (frigore indurati, vel infumati) dicuntur. è mediocribus, fiunt *Flackfisch* dicti, (nescio qua ratione. *Flach* nobis planum significat.) Parui saliuntur, & dolijs inclusi *Dorsch* appellantur. Minimis vescũtur incolæ, & ita coquunt vti mustellas fluuiatiles mediterranei. Capitibus mutilati pleriq; omnes exportantur. capita enim, maiorum præsertim, caudas & abdomen (*flutten* vocitãt, id est partes ventris inferiores) abscindunt: & pulpas (*die vrvvengelein*) ac si quid esui est, separant: & Sole tostas has partes dolijs condunt, & *Sporden* appellant. Cibus hic delicatissimus est. Dolium plenũ denarijs sedecim, aut ad summum viginti vænit. Hæc vt olim amicus quidam dictauit. *Stockfisch* quo remotius ad Septentrionem capitur, eò melior & pinguior habetur. Aliqui *Nopsen* vocant, si bene memini. Murmellius Latino nomine ficto strumulum nuncupauit, haud scio quamobrem. Eiusdem generis est Capellanus vulgo dictus, qui alio nomine *Bolck* dicitur, vnde Latinum nomen Boca aliqui imperitè posuerunt, quasi vocabuli similitudo ad nomen imponendum satis efficax esset. alij eidem absurdius etiam nomen fecerunt milago, ne vocabuli quidem similitudine astipulante. Miluago quidem seu miluus à Plinio nominari videtur piscis, quem Græci hieraca vocant, aliqui lucernam. Sigismundus Liber Baro inter cætera magni principis Moscouitarum dona, multa quoq; piscium frusta, insalsa, aëre durata, Belugæ, Osetri, & Sterled, accepisse se scribit. Capi solent *Stockfisch* dicti pisces mense Ianuario, vigente frigore. Calor enim eos laxat & emollit, vt exportari non queant: frigus verò indurat. *Stockfisch* vocantur etiam *Bergerfisch* & *Rotscheren*, Eberus & Peucerus Germani. Piscium *Stockfisch* apparatus diuersos, Baltasar Stendelius in Germanico suo libro Magirico describit.

Bolch. — Vvyting. — Schellfisch. — Kodde. — Haddocke. — Hacke.

Molua Gallis, *Bolch, Bolck* vel *Folch*, vel *Koling* Germanis, asinorum species est in Oceano: licet Bellonius linguæ nostræ imperitus, husonem interpretetur *bolich*, & Matthiolus Silurum. Cæterum idem piscis *Back* apud Hollandos, apud Frisios vocatur *ein Kablau*. Mittitur is quoque ad mediterraneos Germanos capite adempto. Sunt qui ita distinguant, vt *Kablau* vocetur piscis viuus aut recens, *Bolch* verò iam capite mutilatus & salsus. Similem esse aiunt pisci quem Rhenanum vulgò vocant (*ein Rhynfisch*) sed capite multò maiore. Nomen *Kablau* scribitur etiam aliter, *Cableau, Cabelleau, Capellengau, Capellian, Capplan*. Huic similem faciunt piscem *Hacke* vel *Hadock* dictum. Non desunt qui *Vvyting* piscem paruum esse dicant, *Schellfisch* mediocrem, *Cableau* vel *Bolch* prægrandẽ, magnitudine ferè viri, nec aliud intercesse discrimen. sed illi certè falluntur. Capellanum piscem Angli (vt audio) vocant *Kodde, Coddefishe, Nevve Kodde*. Bellonio idem est Anglicè dictus *Scarboroughfishe*, & *Nevve Kotte*: haud scio an ea asellorum species, quã ex terræ parte nuper reperta, Rõdeletius mitti scripsit. Qui aliquãdo, rarò tamẽ, ad nos vsque adfertur piscis ex Oceano per quadragesimã, *Bolch* vel *Rhynfisch* nomine, talis ferè est: oblõgus, ad palmos minores ferè septẽ, sqamuis obtectus: corpore caudã versus se attenuãte. dentes multi exigui, oculi magni. caput supra latiusculũ. Linea vẽtrẽ & thoracis cõcauitatẽ à dorso distinguit. Pinnæ in dorso tres sunt. cauda in medio modicè introrsũ caua est. singulos audio denario vno indicari. aut minoris a liquãto. Elixi in aqua, cũ pane (offis panis) & butyro coquũtur denuo. *Stockfisch* similẽ esse aiunt capellano pisci vel Rhenano vulgò dictis: sed capellani (quẽ Flãdri Galliq; sic nominãt) suprà inter Anthias speciem ac descriptionem ex Rondeletio dedi. *Hadock* Anglorum vel *Haddocke*, aselli genus est simile capellano, multo minus. aridum bene magnum vidi Argentinæ in curia suspensum. *Hake* vel *Hacke* Anglis, similiter tum aselli genus, tum capellano similis est. idem fortè *Huyek* apud Hollandos: qui memoratur in prouerbio, *Huycks* (alij *Hucks*) *noch Kabellsavves*, de homine qui sibi viuit, neque vllarum est parcium: simile illi, *Er ist vveder fleisch noch fisch.* Scribitur etiã *Hulck*, vt in prouerbio. *He sonde er een Hulck verthœren, dann een Boch vvinnen*, in hominem prodigũ vel ineptum, qui magna insumit, vix parua lucratur. *An Hacke* piscis est longus, & attenuatur caudam versus vt Lucius: lineam habet in dorso nigram.

Vvhytyng.

Mollo Italorum, Anglis *a Vvhytyng* maxima copia apud Anglos capitur, vt Io. Fauconer' mihi significauit. Sed alius est phycis, quem Galli mole nominant, fortasse ob carnis mollitudinem. Albica in Regimine Salernitano recensetur inter pisces salubres: Arnoldus Villanouanus piscem marinum esse inquit, & interpretatur Germanicè *Vvyting*. Germanis inferioribus *vvyt* album est. alij scribunt Germanicè *Vvyting, Vvytinck, Vvitting, Vvittling.*

Ichthyocolla.

Iconẽ hãc quę pxima pagina sequitur, aselli primi siue Merlucij, Venetijs nact' sum, vbi mollo nominatur. Rõdeletij Merlucius pinnis ab hoc variat, vt lector facile conferẽdo deprehẽdet. Ichtyocolla cũ

ex alijs piscibus fit, tum ex morua & morone. sed moro vel huso est: morua asellorum generis. Ichthyocollam (inquit Ruellius) Galli collam buccæ vocant: alij collam moruę. ita enim cetaceum vocant piscem, quo frequentissimè vescuntur. cuius glutinoso ventre & corio glutinum fieri inter omnes conuenit. quare verisimili coniectura colligi potest, piscem quem Gallicum vulgus appellat moruam, ichthyocollam Grecis fuisse nominatum, cum ferè totus inter coquendum in glutinum lentescat, siccatusq; in idem coalescens redit, Io. Ruellius in historia stirpium. sed huso potius. quem Gallis ignotum puto, ichthycolla fuerit: nam quod inde fit glutinum, nostri vesicam husonis appellant. &c. Morua verò longè alius piscis est, Oceano proprius, Græcis Latinisque veteribus ignotus. Gluten fit ex vesiculis piscium, pręcipuè husonis, & piscis marini qui vocatur murca. (fortè morua,) Albertus. Aliqui mollius moluam pro morua proferunt: vtrum rectius non definio, cum pro vtroque non desint coniecturæ. Molua enim à mollitie carnis dici potuit, vt merlucius Italis mollo, Gallis mole. Morhua verò à Germanico vocabulo, quo & Angli vtuntur, *Morhuel*: quamuis Germani primam syllabam per e. potius efferunt, *Merhuel*. Testis est Rondeletius hebetes esse Morhuæ oculos, vt inde etiam prouerbium sit exortum in eos quibus infirma est & obtusa oculorum acies, &c. Quid si igitur Morhuel dicatur tanquam marina vlula? nam & Merhuel, & Meruel aliqui proferunt. *Vvuel* autem Germanis vlulam significat, (vt *huvv* bubonem,) Anglis *Ovvl* vel *Oull*. Sunt autem oculi vlularum interdiu hebetes, vt & aliarum nocturnarũ auium. Morua iuuenis satis appropinquat prędictis (piscibus salubribus, lucio, percæ, carpæ, tẽcæ, trutæ, &c.) in bonitate, consideratis prædictis conditionibus. est tamen crassior & viscosior prædictis, Arnoldus Villanou. Fortè piscis Merlengus est laudabilior post rogetum. non est enim ita crassus & viscosus vt plagitia & solea (de genere passerum,) & eius caro est satis friabilis: sed cõsideratis sapore & odore cum colore & substantiæ puritate & nobilitate, deficit in bonitate à rogeto & gornato, Idem.

Merhuel.



Schellfisch.

Schellfisch genus aselli, Coloniæ & alibi *Rheynfisch* appellatur, id est Rheni piscis, longitudine pedali, vt audio. Murmellius Latinè ficto nomine piscem capitosum appellare voluit. Scalda siue Sceldis flumen est apud Antuerpiam profluens in mare, in quo capitur, & nomen ab eodem mutuatus videtur. Ad cibum hoc modo paratur; primum in aqua pura elixatur: tum butyro salso aut recenti feruido & apio conditur. aliqui etiam e sinapio condimentum addũt. Cibus est suauis, delitię Vuestphalorum, vt Iustinus Goblerus I. C. ad me scripsit. Quid si ab asello nomen factum diuines? quasi *Selisisch*.

Egrefin Anglis Scotisue dictum piscem non esse hepatum vt quidam putabant, Rondeletius in Hepati historia conuincit.

Labordeau, Laebberdane, scissus & salsus *Rheynfisch*, id est Rheni piscis per excellentiam dictus, vt audio. *Habberdyne* proferunt Angli: Galli aspirationem negligunt, & l. pro articulo addunt. Quærendum ad idem sit qui apud Anglos *grosz Islandfisch* nominatur. Rondeletius à maculis Leopardum vocat, & asinum varium interpretatur, Ego Leouardiam oppidum esse audio vel pagum prope Gtoningam, à quo fortassis nomen pisci factum fuerit, quòd inde nimirũ copiose exportetur, siccus & inter salsamenta. In Holsatia (vt audio) vocatur *Ysfisch*, quod ex Islandia aduehatur.

Lyng, Lyng, Lingfische, Anglis sunt pisces quos asellorum generis Bellonius facit. Ex his recẽtem vocant *greene Lyng*: siccum, *drye Lyng*. mediocrẽ magnitudine. *myddle Lyng*: maximum & pretiosissimum, *organe Lyng*. Vox *organe* quid sibi velit, non assequor: nisi forte ita maximum in hoc genere piscem vocant, vt Græci thunnum maiorem, orcynum.

Permulta alia Asellorum species antiquis incognita: nobis etiam peregrina, Britannis, atq; adeò Hollandis ipso tantum nomine distincta, Bellonius.

Maximus est apud Britannos & Hollandos Asellorum quęstus, quorum tanta est in eorum mari copia, vt post suæ regionis saturiatem, etiam alias longè remotas non sine maximo vectigali expleat. Hos pisces salitos, præsertim maiores Morhuas ac Merlucios generali vocabulo *Stockfisch*, quasi verberatos pisces, (*imò à trunco in quo cadentur*,) appellant, quod tanta sint siccitate post imbibitum salem, vt nisi magnis, frequentibus ac diuturnis malleorum ictibus diuerberati, dissolui non possint, quo fa-

* *condantur.*

cilius coquantur. Nam etiam antequam Merlangi *condiantur, longo tempore exiccari ſolent, vnde ſicciores euadunt. Quamobrem tunc quoque *Buckhorne*, id eſt Capri cornu appellantur, (*Hollandis fortè. nam Anglis Buck platycerotem ſonat, Got verò Caprum.*) Verum particularia quædam nomina hiſce Aſellis attributa, potius nobis hiſtoriæ deſcriptionem, quam populorum, apud quos frequentes ſunt, libidinem ademerunt. Eſt enim *Heberdum* ita nominatus ab oppido Iſlandiæ, &c. (*vt ſupra recitaui.*) Delicatiſſimus omnium eſt qui Britannis vocatur *Right Holland*, quaſi verum ac genuinum Hollandicum dicerent. huius eſt eadem ferè cum ſuperiore forma, niſi latior ac breuior eſſet. Cęterum ichthyopolæ Londinenſes ſalgamariorum ac cetaceorum Britannicis aut etiam Hollandicis nominibus vti, ad Aſellorum diſtinctionem coacti, ſic eos peculiaribus quibuſdam vocibus nominare ſolent, *Lingfiſch, Selandfiſche, Bremerfiſch, Vveſtcontrefiſche, Merlandfiſch, Rotfiſch, Merhuel, Scarborougfiſche*, quod eſt idem cum *Nevve Codde*, grandis. *Iſlandfiſche, Haddocke*. quæ omnia vocabula, uti ſupra dictum eſt, diuerſam potius vulgi, pagorum, aut inſularum nomenclaturam, quàm ipſorum piſcium naturam indicant.

RVRSVS DE PISCE QVEM ALIQVI A RHENO DENOMINANT, *Rheynfiſch*.

PISCIS hic pictus eſt Francfordiæ ad Mœnum. neſcio quàm bene: ſalſi enim duntaxat, ex Oceano aduecti, illic habentur. *Rheynfiſch* appellant, de quo nos quędam ſuperius. Rondeletius capiti de Siluro hanc effigiem à me miſſam præpoſuit. Ego ſilurum eſſe non arbitror. aſellorum Oceani generis eſſe puto, (non Iſtri piſcem.) Danubij piſcem eſſe, & ferocem voracemque adeò vt catulos etiam iniectos flumini deuoret, quæ Rondeletius partim tanquam à me ſcripta, partim tanquam à Germanis accepta recitat, neque ſcripſiſſe me ad illum, neque audiuiſſe tale quid de hoc piſce memini. In præſentia non hunc, quamuis & ipſum miſi, ſed barbatum illum, quem mox in ſequenti capite pingit, quod de Glanide inſcribitur: qui non tantùm in Iuerdunenſi lacu, ſed Danubio etiam alibique capitur, ſilurum eſſe puto: de quo plura ſuo loco dicemus. Bellonius ſoli *Colfiſch* ex Aſellorum genere, caudam lunatam & bifurcam tribuit, cæteris rotundam. Sic hic noſter vt Aſellorum generis eſſe concedatur, *Colfiſch* non eſt, quamuis caudam (ſi rectè pingitur) bifurcam habeat. Nam pinnæ ventris in eo quem Bellonius exhibet, cum noſtro hoc Rheni piſce non conueniunt, de capite quod dicam non habeo, cum acephalum pingat. Cæterum à Rheno cognominatum hunc piſcem opinor, non quòd in eo flumine capiatur, ſed quod ſalitus fortè per Rhenum mittatur.

COROLLARIVM III. DE MVSTELIS VEL POTIVS *Muſtelabus Marinis, vel Aſellis Muſtelinis.*

Muſtelam per l. ſimplex aut duplex ſcribas: nihil intereſt. Muſtela (inquit Aelianus libro 15. cap. 11. Grecè γαλῆ ſcribitur) paruus (μικρὸς) piſcis, nullam cum galeis, id eſt muſtelis, communitatem habet. nam hi quidem cartilaginei ſunt, & pelagij, & magnitudine præſtant, & caniculæ (κυνὸς) ſpeciem ſimilitudinemque gerunt. Muſtelam verò diceres eſſe iecorinum. eſt enim piſcis breuis, (*βραχὺς, id eſt breuis, ſæpe pro paruo accipitur. alioqui enim pro ſua magnitudine longiuſcula eſt muſtela,*) oculis conniuentibus. Pupillæ oculorum ad cyaneum colorem accedunt. eius barba quàm iecorini maior eſt; & minor quã chremetis. Algas depaſcitur, & ſaxatilis eſt: atque ſimiliter vt terrena, omnium cadauerum, in quæ incurrit, oculos exeſt & conficit, vt audio, Hæc ille.

Dux ceti.

Dux ceti quem Oppianus deſcribit, eſt quem vulgò γαλῆν, hoc eſt muſtelam, nuncupant, Paraphraſtes Græcus innominatus Halieuticorum Oppiani, Rondeletius aſellum gallariam, vulgo ſturionem dici, & apud veteres Latinos acipenſerem ſuſpicatur. Et ſane nihil prohibet alium galariam cum muſtela, alium cum muſtelo piſcibus ſimilitudinem habere, vtrunq; etiam cum aſellis commune quippiam. quod ſi ita eſt, vtriuſq; piſcis nomen ab initio per gamma ſcribendum erit, & per l. ſimplex, galarias vel galaridas: & per r. potius quam per x. ne galaxias à lacte dictus videri queat. Sed in vtranq; partem coniecturę non deſunt. lege ſuprà in Corollario de aſellis veterum. Clarias etiam per ſyncopen pro calaria à quibuſdam ſcribitur. C. quidem à Latinis transferentibus Gręca, ſæpe pro G. ſcribi ſolet, & contrà, vt Gobius pro Cobio, & Cygnus pro Cycno.

Chremes etiam, de quo ſupra pluribus, muſtelarum generis videri poteſt: hoc eſt cognatus aut certè ſimilis. Et forſan óliſthos quoq; Oppiani, ſimiliter vt Chremes circa oſtia fluuiorum degens, nomen à corporis lubricitate ſortitus: quę pleriſq; huius generis piſcibus communis eſt.

Alia quædam ſuprà cùm ipſis muſtelarum vulgarium Rondeletii iconibus, & eius quem ophidion appellat, annotata à nobis leges.

Muſtelas omnes Germanicè appellabimus, *Meertrüſchen, Meerquappen*, val aliis à mari & muſtelæ fluuiatilis nominibus (quę in diuerſis regionibus variant) compoſitis vocabulis. Item *Meergrundel*. Eiſdẽ & *Sprallnyle* inferiorib. Germanis nominatũ piſcem (de quo in Anguilla nonnihil dixi) cognatum puto.

Grillus.

Grillus marinus Italis hodie dictus, ab aliis Cepolla (Cepula) marina vulgo vocatur: ab aliis peſce galia. Gryllus Nicandro idem qui conger eſt. Diphilus anguillæ ſimilem facit, ſed inſuauem. nominâ-

rat autem congros in præcedentib. de anguilla loquens: vt gryllum & congrum pro diuerſis eum habuiſſe exiſtimari debeat.

Qui Venetiis Sorce, quaſi ſorex vel mus, vocatur, piſcis marinus, muſtelæ fluuiatili noſtræ (lotæ Gallorum) aſſimilis eſt, ſine ſquamis. caudam & pinnas in dorſo ac ventre oblongas habet, molles, & omnino ſimiliter vt lota, ſed colore nigro. tota pars prona ei nigricat, maculoſa tamẽ videtur: ſupina albicat, Longus erat quem vidi palmos duos, ſiue digitos octo. Nota ei peculiaris, quòd inter caput & pinnæ dorſi principium, media dorſi pars ad longitudinem pollicis tranſuerſi caua eſt, & albicantem intus lineam oſtendit. In ſuperiori labro duo ceu pili breues nigricantes eminent, ab inferiori vnus albicans dependet. Caput ceu ſerpentis denticulos habet: rictum oris latum, & rotundum ſi aperias. Hic nimirum eſt Balęnarum dux piſcis, Muſculus à Plinio dictus: à Paraphraſte Oppiani *Lolum*, vt dictum eſt.

Meduſam Lycophron vocat γαλῆν διειρόπαιδα. id eſt muſtellam colliparam: quoniam capite eius amputando à Perſeo, è ceruice eius Chryſaor homo & Pegaſus equus exilierunt. marina autem, muſtella è ſuo collo parit, Iſacius Tzetzes. repetiit & Varinus in γαλῆ. Sed alij authores de muſtela quadrupede hoc ſcribunt, (quamuis neq; de illa, neq; alio animali id credendum Ariſtoteles cenſet,) vt in eius hiſtoria recitaui cap. 3.

De Muſtelis ſeu Muſtelâbus dulcium aquarum agemus in M. elemento.

DE OESTRO SIVE ASILO. RONDELETIVS.

A

OEſtrum ſiue Aſilum marinum vocarunt veteres, neque à voce neq; à figura, ſed à naturæ ſimilitudine quæ illi eſt cum terreſtri.



Oeſtrus terreſtris Lib. 3. Georg.

Oeſtrus marinus.

Oeſtrus enim terreſtris eſt inſecti genus horriſono ſtrepitu, vulgus talion, Latini Aſilum vocant, teſte Virgilio, (*de quo fuſius in Hiſtoria inſectorum dicetur.*) Græcorum authores οἴστρους appellant, ab eo quod exagitent, nec patiantur examina conquieſcere. Inde Oeſtro perciti dicuntur furore correpti. Et οἰστρεῖν & οἰστρηλατεῖν ſtimulari & concitari ſignificat.

Ab huiuſmodi natura, beſtiola in mari dicitur οἶστρος, id eſt, Aſilus: qui Thynnos & Xiphias ita diuexat & concitat, vt in naues aliquando exiliant, atq; etiam nonnunquam in litus. Adeò nihil eſt quod hoſte careat.

B

Qualis verò ſit Aſilus marinus pauci nouerunt. quia exiguus eſt admodum, & rarò, vigente tantùm canicula, nec in multis piſcibus, ſed in Thynnis & Xiphiis, nonnunquam in Delphinis, nec tamen omnibus, conſpicitur. Eum ſic deſcripſit Ariſtoteles: Aſilus circa Thynnorum quorundam pinnas oritur ſpecie ſcorpionis, aranei magnitudine. *Lib. 4. de Hiſt. cap. 31.* Quæ breuis eſt, & non ſatis explicata Aſili notio: ex qua Aſilum nunquam penitus noſſem, niſi ſub Thynni pinna, quæ ad branchiarum eſt ſciſſuram, affixum conſpexiſſem ęſtuante canicula. Ergo ex ipſa αὐτοψίᾳ ſic fuſiùs depingi poteſt. Pro ore tubulum ſiue fiſtulam habet, pro corporis ratione longam. Vtrinq; ſitę ſunt veluti manus duæ, quæ ad os flectuntur. Sequitur aluus cum inciſuris, cui affixi ſunt ſex pedes: duo qui in extrema aluo ſunt, craſſiores ſunt & longiores: qui ſequũtur vtrinq; locati, paulò minores: reliqui duo qui magis in laterib. ſunt, omniũ minimi. Ore ſiue fiſtula ſcorpionis terreſtris caudæ, pedibus, eiuſdẽ brachijs ſimilis eſt: aluo & magnitudine, araneo.

C

Vt Polypi acetabulis, ita hic ore adhæret parti molliuſculæ & pingui ſub pinna ita tenaciter, vt auelli integer non poſſit. Sanguinem exugit hirudinum ritu, vſq; dum prę plenitudine decidat & moriatur. Cur in ſummo tantùm æſtu & caniculæ tempore piſces dictos infeſtet, id in cauſa eſſe puto, quòd æſtate tantùm naſcatur, autumno pereat. Cur ſub pinna hæreat, in cauſa eſt partis mollitudo, pinguitudo, & ſanguinis copia. Reliquo corpore Thynni cute quidem læui teguntur, ſed illi ſubſunt ſquamæ duriores. Ex his intelligendus eſt Plinii locus libro 9. *Cap. 15.* Animal eſt paruum, ſcorpionis effigie, aranei magnitudine. Hoc ſe & Thynno & ei qui Gladius vocatur, crebrò Delphini magnitudinem excedenti, ſub pinna affigit aculeo: tantoq; infeſtat dolore, vt in naues ſæpenumero exiliant. Dubium non eſt hæc de Oeſtro ſiue Aſilo marino dici. Sumpta ſunt ex maiori parte ex Ariſtotele: Οἱ δὲ θύννοι καὶ ξιφίαι οἰστρῶσι περὶ κυνὸς ἐπιτολήν· ἔχουσι γὰρ ἀμφότεροι τηνικαῦτα παρὰ τὰ πτερύγια, οἷον σκωλήκιον τὸ καλούμενον οἶστρον, ὅμοιον μὲν σκορπίῳ, μέγεθος δὲ ἴσον ἀράχνῃ. ποιοῦσι δὲ ταῦτα πόνον τοιοῦτον, ὥστε ἐξάλλεσθαι ἐνίοτε οὐκ ἔλαττον τὸν ξιφίαν τοῦ δελφῖνος: διὸ καὶ τοῖς πλοίοις πολλάκις ἐμπίπτουσι.

A

Contra Bellonium, qui pediculum marinum pro œſtro exhibuerit.

Hîc animaduertere licet quàm procul à veritate abſit Autor libri de Aquatilib.: qui Pediculum marinum pro Oeſtro exhibuit, cùm in eodem contextu Ariſtoteles hunc ab illo ita diſtinxerit, vt impudentis ſit hominis ſine ratione à vetere & probatiſſimo ſcriptore diſſenſiſſe: vel parum oculati, qui Ariſtotelis locum non viderit, qui eſt huiuſmodi: In mari gignuntur in piſcibus Pediculi, non ex ipſis piſcib. ſed ex limo, aſpectu ſimiles aſellis multipedibus, niſi quòd caudam ampliuſculam habeant. Et mox: Aſilus circa Thynnorum quorundam pinnas oritur, ſpecie ſcorpionis: & cætera quæ ante citauimus. *Lib. 5. de Hiſt. anim. cap. 31.* Vides perſpicuè ab Ariſtotele Pediculum Aſello multipedi conferri, cui ille Aſilum comparat. Deinde cũ Ariſtoteles tam apertè Pediculum ab Aſilo diſcernat: ille ſine cauſa dubitat, an Ariſtoteles Aſilum à Pediculo & Pulice diuerſum conſtituerit. Idem autor, inquit de Ariſtotele, videtur Oeſtrum ſeu Aſilum diuerſum à Pediculo conſtituere. Nos verum Pediculum marinum libro de Cruſtatis expreſſimus. in ijs enim numerari debet, quòd cruſta tenui contegatur.

COROLLARIVM.

Aſilus vexator piſcium Scorpij ſpeciem ſimilitudinemque gerit. is quem vidi albus erat, & ad piſcẽ Pagrum inhæreſcebat. Piſcatores affirmant maximos piſceis conficere poſſe, Ligures vocant Pruſam, Gillius. Aſilus aquaticus thunnum æſtate infeſtat, & vt eo tempore deterior ſit, efficit Ariſtot. Et alibi, Aſilus primades infeſtat iam adultiores, quo tempore larga eſt ipſarum captura. Et rurſus, Thũnus poſt Arcturum melior eſt, iam enim eo tempore ab infeſtantis aſili agitatione requieſcit, quæ facit vt ſit in ęſtate deterior, & largiùs capiatur. Et apud Athenęum, Thunnus dum fœtus adhuc paruos habet, vix capitur: cum verò grandior fuerit, capitur propter aſilum. ἕως μὲν οὖν ἔχει μικρὰ τὰ κυήματα, δυσάλωτος· ὅταν δὲ μείζων γένηται, διὰ τὸν οἶστρον ἁλίσκεται. ASPARGVS, vide in Sparo.

ASPEDOS, conchylij genus Epicharmo: Ἄγε δὲ παντοδαπὰ κογχύλια, λεπάδας, ἀσπέδους, στραβήλους.

DE ASTACO, RONDELETIVS.

Forma hec aſtaci eſt, quem Venetiis Aſteſe vocant, vbi & depictus eſt: ſed minus accurate, vt apparet, quam a Rondeletio.



A ΑΣΤΑΚΟΙ quaſi ἄσκητοι mea quidem ſententia dicuntur, id eſt, non deſtillantes ſed abundè fluentes: quod tubercula plurima tum alba, tum purpurea guttarum ſiue lachrymarum ſpecie forcipib. inſperſa

ſperſa habeant. nominabant etiam ἰσκους Attici pro ἄσκους, vt ἀκαφίδας autore Athenęo lib. 3. Gaza Gammaros conuertit, vulgi Italici appellationem, vt opinor, ſecutus: dicitur enim gammaro, vel cambaro: (*vt & ſquilla crangon, gambaro di mare:*) Non ſum tamen neſcius gammari vocabulum vetuſtum eſſe & Latinum, vt apud Martialem. *Aſtacus & Cammarus vel gammarus veterum diuerſi ſunt, &c.*

Concolor in noſtra gammare lancer rubet. Sed gammarus ſquillarum ſpecies erat veteribus Romanis. Athenęus lib. 7. κάμμαροι, Gammari. Epicharmus in nuptijs Hebes, Prætereà, bocæ, ſmarides, aphyæ, gammari, κάμμαροι. Horum etiam Sophron meminit in muliebribus mimis. Eſt autem ſquillarum ſpecies, & ita à Romanis vocantur. *Gammarus ſquilla ſpecies Athenæo*

At aſtacus non ſquillarum, ſed locuſtarum potius generis eſſet: nam, vt Ariſtoteli placet, locuſtis ſimilis, neq; multis notis ab ijs diſſidet: Cruſtatorum animalium primum genus eſt locuſtarũ, (καρσίων) & huic ſimile aliud, aſtacorum. Prætereà nullus eſt opinor, qui κάμμαρος & καμμαρίδας idem eſſe neget, at has Galenus apertè ab aſtacis ſecernit: Ἀσκοὶ, καὶ πυγμαῖοι, καὶ καρκῖνοί τε, καὶ καράβοι, καὶ καρίδες, καὶ καμμαρίδες, ὅσπερ ἄλλα λεπτὸν ἔχει τὸ στέγος ὀστράκιον. Quòd ſi Latinam ἔσκους appellationem deſideres, eum planè eſſe arbitramur, quem Plinius elephantum appellat, à magnitudine opinor & longitudine pedum & brachiorum. Id ex eius pictura perſpicuum eſt. Elephanti locuſtarum generis, nigri, pedibus quaternis biſulcis: prætereà brachia duo, binis articulis ſingulis forficulis denticulatis. Quæ omnia tam aſtaco conueniunt, vt nulli magis. etenim ſpecie & longitudine corporis locuſtis ſimiles ſunt (aſtaci:) ſed colore differunt: ſunt enim nigri, id eſt, purpurei ſiue violacei coloris exaturati: pedibus biſulcis, brachijs duobus forficulis denticulatis, ad eorum diſcrimen qui pedes quidem habent, ſed ſimplices, vt locuſta, & chelas ſine denticulis. (*vide infra in E elemento, de Elephanto.*) *Lib. 3. de Anim. Elephantes Plinius, Aſtaco ſimiles.*

Sed aſtacum noſtro more fuſiùs deſcribamus. A Gallis & Normanis homar, à Romanis gammaro, vel cambaro di mare, à Venetis aſtaſe vocari audio, ab Illyricis larantola, à noſtris langrout vel eſcreuice de mer. (B)

Aſtacus corporis habitu aſtaco fluuiatili, quem Galli *eſcreuice* vocant, ſimillimus eſt, magnitudine & colore diſſidens: nam marinus multò maior eſt. vidi aliquando forcipis partem alteram, quæ libram aquæ caperet. Colore eſt, dum viuit, purpureo † exaturato, ſed vnà cum vita coloris nitor euaneſcit. maculis varijs, vt cærulæis, rubris, candidis, notatur. Coctus totus rubet, vt cruſtata ōnia. Cornua duo ante oculos habet, initio articulata, longa, tenuiora, quàm locuſta: ſunt & alia duo breuiora. E media frõte exiſtit aliud paruum, vtrinq; ſerratum, latius, obtuſiuſq; quàm in ſquillis, in quib. eſt tenue acutiſſimumq;. Pedes ſitu numeroq; à locuſtarum pedibus non diſtant, bini forcipibus proximi biſulci & hirſuti. chelà glabræ ſunt, magnę, binis articulis diſtinctæ, roſtris auium ſimiles: harũ pars ſuperior mouetur, inferiori immobili, veluti in crocodili maxillis. Interiori parti maiora tubercula affixa dentiũ ſpecie, quam ob cauſam denticulatos forcipes appellant. Cauda, vt in locuſta, ex tabellis contexta, in pinnas deſinit ſed duriores. Dentes duos veluti locuſta habet, carunculam pro lingua, gula, ventriculus, parteſq; internæ omnino ſimiles. B † *violaceo, vt ſupra.*

Vt oſtendamus nos verum Ariſtotelis aſtacum repræſentaſſe, & vehementer erraſſe autorem libri de aquatilibus, qui longè alium ab aſtaco cruſtatum piſcem exhibuerit, aut potiùs ſomniarit: adſcribam integram Ariſtotelis deſcriptionem ex libro quarto de hiſtoria animalium, vt melius omnia intelligi poſſint. *Quod verum aſtacum deſcripſerit Ariſtoteles, & quomodo intelligendus ſit.*

Aſtaco, inquit, nitet color nigro aſperſo. Primùm inferiore loco octo pedes habet, vtrinq; quaternos: deinde duos magnos, vtrinque ſingulos, multò maiores, in extremo latiores, quàm locuſta, ſed inequáles: dextri enim extremum latum eſt, prominens & tenue: ſiniſtri craſſius & rotundius, vtrunque tamen indiuiſum eſt, ſuperiore & inferiore parte, veluti maxilla dentes habens. ſed dexter pes paruos omnes & ſerratos, ſiniſter in ſummo ſerratos, internos veluti maxillares, inferiore in parte quatuor & continuos, ſuperiore tres & non continuos. Aliquando contrà euenit, vt poſtipſemet annotat, vt quod ſiniſtræ tribuitur, dextro inſit, & contrà. Vterq; pes ſuperiorem partem mouet, & ad inferiorem aſtringit. vterq; inferiore ſitu extrorſus obtortus eſt, vnde γαμψώνυχοι ἄσκοι ab Epicharmo dicti ſunt, teſte Athenęo, tanquam ad capiendum & premendum nati. Supra horum magnorum exortum duo alij parui exiſtunt, hirſuti, ore paulò inferiores. paulò adhuc inferiores ſunt branchiæ (τὰ βραγχιοστέγια, id eſt veluti branchiæ) circa os, veluti ex pilis multis compactæ, quæ aſſiduè mouentur. Duos paruos & hirſutos pedes ad os adducit, qui & adnata quædam tenuia gerunt. Dentes duos habent aſtaci locuſtæ modo. ſuperiore loco cornua multò breuiora & tenuiora quàm locuſta: quatuor item alia his forma quidẽ ſimilia, ſed breuiora & tenuiora. Supra hæc oculi parui & breues, non vt in locuſta magni. frons quaſi quædam acuta & aſpera ſupra oculos extat latior, quàm locuſtæ. Deniq; facies acutior, & pectus latius quàm locuſtæ, carnoſius & mollius. Octo pedum inferiorum, quatuor in ſummo biſidi ſunt, vtrinq; ſcilicet bini magnis chelis propiores: reliqui quatuor, vtrinq; ſcilicet bini, minimè. Cauda quinq; tabellis conſtat, quàm τρόχηλον, id eſt, collum vocari ſcripſit Ariſtoteles, niſi mendoſus ſit locus. ſequitur ſexta illa pars latior. Interiora, in quib. fœminę prius pariunt, quam ouà ædant, quatuor ſunt hirta, quibus ſingulis ſpinæ ſingulæ breues ad exteriora prominent. Pectus, corpuſq; totum læue eſt, non quemadmodum in locuſtis aſperum. Fœminæ & maris in hoc genere nullum eſt diſcrimen. Etenim mas & fœmina, vtcunq; contigerit, alterutram chelarum maiorem habent, vtranq; æqualem nunquam. Et alibi idem Ariſtoteles: Locuſtæ, cancriq; omnes chelam dextram grandiorem valentioremq; habent: Aſtaci ſoli nõ hanc vel illam, ſed alterutram, vt ſors tulerit. Quis dilucidius vnquam rem vllam expreſſit, quàm aſtacum Ariſtoteles his verbis? His adde inter omnes doctos conſtare, aſtacum fluuiatilem eſſe, quem Galli *eſcreuice* appellant. Quo magis error præclari illius autoris libri de Aquatilibus contincitur, qui ineptiſſimam & à naturali alieniſſimam aſtaci formam exhibuit, quæ locuſtæ etiam quadrare nullo modo poteſt, vt ex eodem Ariſtotele, & ex præcedente capite colligere facile eſt. Idem autor credit adultum aſtacum à Latinis elephantum dictum, & Plinii elephantum aſtaci delineationi planè conuenire. ſed quĩ ineptè iſta accommodat, conſydera quæſo ſtudioſe lector. Inter marina, inquit, ex Plinio, ſunt elephanti locuſtarum generis, nigri, pedibus biſulcis. Ego verò pro pedibus biſulcis quaternos intelligo, *Lib. 4. de part. anim. cap. 8. Rurſus contrà Bellonii iconem aſtaci, quod ea omnium ſit: quoq; alia pictura, alia alterà Bellonii demonſtrans.*

quos duo etiam brachia vtrinq; ſubſequuntur. Addit prætereà brachia duo, binis articulis, ſingulisque forficulis dēticulata, quæ in aſtacis cernimus. Nam ſingula grandia aſtaci brachia, binis articulis intercipiuntur, & denticulatis forcipibus biſulcis armata ſunt: Hæc ſunt noui illius autoris verba. Primū in aſtaco quem depinxit quaterni pedes biſulci non ſunt, imò nulli, ſed omnes articulis tātùm intercepti, & in vngues ſiue πλῆκτρα deſinentes. Quare aut deliraſſe ipſum oportuit in pingendo aſtaco, aut qui biſulci pedes dicantur non intellexiſſe. Ipſe verò ſecùm pugnat, qui elephanti deſcriptionem aſtaco accommodans, pedes biſulcos quaternos ſe intelligere ait: alio autem in loco qui eum quem modò citaui pręcedit, duos tantum bifidos aſtacis pedes tribuit. Pedes, inquit, vtrinq; quatuor habent, quorum duo priores in extremo bifidi ſunt ad inceſſum: alij duo natatui magis inſeruiunt. Deinde duo brachia in eiuſdem aſtaci delineatione binis articulis, ſingulisq; forficulis denticulata nuſquam comparent, ſed illa ſunt reliquis quaternis craſſiora duntaxat, in ſingulos vngues ſiue πλῆκτρα deſinunt, quæ altera parte vel ſerrata, vel hirſuta ſpectantur. Quare quod pro aſtaco propoſuit, neq; locuſtę neq; aſtaci formam aptè refert, ſed potiùs commentitia res eſt. Prætereà hoc docere non eſt, ſed ſtudioſis imponere, aliud picturâ, aliud verbis demonſtrare.

A Ad aſtacos veros redeamus, quos ex pictura noſtra facilè & verè agnoſces, & eoſdem ſiue adultos ſiue non adultos cum elephantis Plinii eſſe exiſtimabis, ex iis quæ in ſuperioribus diximus.

C Ii in læuibus (ac terrenis) locis naſcūtur, vt ex Ariſtotele citat Athenęus, locuſtæ in aſperis & petroſis, neutri in lutoſis. Quare in Helleſponto & circa Thaſum naſcuntur aſtaci, circa Sigeum & Atho locuſtę. Theophraſtus eodem teſte prodidit aſtacos, locuſtas, ſquillas ſenectutem exuere, (*item Aelianus, vt & alia cruſtis tenuibus tecta.*) *Lib.3.*

DE EODEM, BELLONIVS.

A Aſtacum, Maſſilienſes vn Ligumbault, Genuenſes Lumbardo vocant. Quin etiam Græcum vulgus antiquam Aſtaci appellationem adhuc retinuit. Conſtantinopolitani Liczuda vel Lichuda appellant.

C Sine humore longius è mari deferri nequit. quamobrem rarò viuus Lutetiæ viſitur, putriſq; eſt antequam eò perueniat, quemadmodum & omnia malacoſtraca.

B Aſtacus à Carabo non magnitudine tantum (eſt enim ille grandior) ſed & ipſo etiam colore differt. Carabus enim tantūmmodò rubet. Aſtacus ex rubro fuluoq; liueſcit. Carabus blæſos atq; acuminatos anteriores pedes habet, Vrſæ marinę modo: Aſtacus extentos, ac forcipibus dentatos, partēq; mouentes ſuperiorem adſtringendo ad inferiorem. Cornua præterea ante oculos Aſtacus gemina habet, ſed paulò quàm Carabus minora: quibus eodem modo iter prætendit intus concaua: ſub quibus alia quoque eodem numero minora latent ac tenuiora: ſuper quæ oculi conſtituti ſunt craſſiuſculi, non autem (vt Carabi) maiuſculi. Læuem habet cruſtam ſine aculeis, præterquam anteriore parte, quo loco roſtratam oſtendit, ad robur in certamine. Dimicant enim Aſtaci inter ſe arietum more, cornua attollentes. Pedes vtrinq; quatuor habent: quorum duo priores in extremo bifidi ſunt ad inceſſum: alij duo natatui magis inſeruiunt, quàm apprehenſioni. Tabellas in cauda quinq; videas: In collo autem deinceps, hoc eſt vſque ad caudam pinnulas paulò magis hirſutas, quibus in natando commodè vtuntur.

C Aſtaci à bruma iam oua ferre incipiunt. Ariſtoteles ante Arcturum oua excludere: abigere iam cocta, atq; abſoluta ab Arcturo reddere ſcribit: eſſeq; tum optimum Aſtacum, cum grauidus eſt.

A Plinius medicus de dyſentericorum cibo pertractans, ac de calore nimio, oſtracoderma & aſtagines optimi cibi eſſe tradit. Puto autem Aſtacos eum intellexiſſe. *Aſtagines.*

F Symeon Sethi frigidos eſſe Aſtacos & humidos putat, & multum nutrire: ſed ventrem cohibere, vixque concoqui poſſe, pręſertim magnos, paruos autem meliùs: & eorum caudas, quàm chelas (hoc eſt, crura) difficilius concoqui, craſſioriſq; ſucci eſſe: quapropter condimentis calidis emendari, & ab eorum eſu vinum vetus ac rubellum potare ſuadet. Mneſitheo aſſos elixis meliores eſſe placuit, & ideo clibano incoquendos Non parum in eis ſalſi ſucci contineri, vt in teſtatis creditur, minus tamen quàm in illis.

E Nautæ ſalina ex Aſtacorum forcipibus fabrefaciunt, in quibus ſal in piſcatione deferre conſueuerūt.

A Indigenæ, qui apud vicos & caſtella in riparia Genuę agunt, non Ligumbautum eum, vt Maſſilienſes ſed Lupagam nominant: id quod ab incolis portus Veneris accepimus.

DE ELEPHANTO, BELLONIVS: QVEM EVNDEM FACIT *cum Leone & aſtaco adulto vel grandi. Rondeletius diuerſum, ex quo iconem & hiſtoriam Leonis inter Cancros dabimus.*

B Plinius Elephantum marinum ſic depinxit, vt eius delineatio Aſtaco planè conueniat. Inter marina (inquit) ſunt elephanti Locuſtarum generis, nigri, pedibus biſulcis. Ego verò pro pedibus biſulcis quaternos intelligo, quos duo etiam brachia vtrinq; ſubſequuntur. Addit pręterea brachia duo binis articulis ſingulisq; forficulis denticulata, quæ in Aſtacis cernimus. Nam ſingula grandia Aſtaci brachia

A binis articulis intercipiuntur, & denticulatis forcipibus biſulcis armata ſunt. Quamobrem adultum à Latinis Elephantum etiam dictum fuiſſe crediderim. nam Aſtaci quantò maiores exeunt, eò nigriores euadunt.

Leonem Græcis eundem eſſe eum Elephāto Plinii. Quod autem ad Leonis appellationem attinet, conijciendum eſt Græcos Aſtacis grandibus nomina immutaſſe, & Leones potiùs quàm Elephantos appellare maluiſſe. Nam & Aelianus eam deſcriptionem tribuit Leoni quam Plinius Elephanto. Oppianus.

Τῶν ἤτοι χρύσεις τε λέων, βλοσυρή τε ζύγαινα. quod ſic Lippius vertit,

Magno horrore Leo, poſt hos horrenda Zygæna. *Ego hic de leone bellua, non de malacoſtraco ſentire Oppianum dixerim.*

Aelianus Leonem marinū Locuſtæ ſimilitudinis eſſe ſcribit, ſed corpore magis tenui ac gracili: brachiaq; habere tum maxima, tum Cancris ſimilia: & cæruleo colore eſſe, ſubnigriſq; diſtingui maculis. Conſtat igitur Leonem eundem eſſe piſcem, quem Elephantum: ac plurimum eos hallucinari, qui noſtras Eſcreuiſſas Leones eſſe putant, Hæc Bellonius.

Pleriq;

Pleriq; dum nationes nonnullas etiam nunc Leonem Aſtacum nominantes ſequuntur, arbitrantur Leonem eſſe Aſtacum. Plinius tamen ſeparatim ab Aſtaco Leonem tractat: & Athenęus ſeparatius vtrunq; ab altero diſtinguit, cum inquit, Aſtaco Leonem maiorem eſſe, Gillius. *Aſtacus. A Leone diuerſus.*

COROLLARIVM DE ASTACO.

A Cancrorum genera carabi aſtaci, &c. Plinius. Italicè gambaro vocatur, vel potius gambaro di mare, ad differentiam aſtaci fluuiatilis, quem ſimpliciter multi gambaro nominant. Hiſpanicè camaròn. Germanicè *Humer*. Anglis aſtacus eſt *a creuyſe of the ſea*. nam *lopstar* Anglorum locuſta eſt, non aſtacus: quanquam Eliota diuerſis locis aſtacum, locuſtam & leonem interpretatur *a Lopſter*. Maſſilienſes & leonem & aſtacum, ex Plinio diuerſos piſces, vno eodemque nomine Ligombaudos nominant, Gillius. Aſtacum Græci & qui accolunt Adriaticum ſinum etiam hac ætate ſic vocant, Idem.

Κερίδες, καρίδ[ε]ς: ἢ τὰς μικρὰς, ἐγχλωρους: τὰς δὲ ἐρυθρὰς, καμμάρους. Heſychius & Varinus. Et alibi, καμμάρους, τὰς ἐρυθρὰς καρίδας: vbi legerim καμμάρους μ. duplici, & καρίδας cum ι. Colora Latinè, cammarus, Calepinus: qui ex Apicij libro 2. hæc verba citat: Vel cammarum defrutum mittas, quod Romani coloram vocant. Euſtathius apud Athenęum καμμοροι legit per ο. quod non placet. ſic enim ſcribit in primū Odyſſeę. Κάμμορος, fato ſuo vel morte infelix & miſer homo. ſignificat autem hæc vox aliquando etiam ſquillas, teſte Athenęo, his verbis, Κάμμοροι καὶ τ. (lege ἐστι) γένος καρίδων ἀπὸ Ῥωμαίων οὕτω καλούμενον. Et fortè (inquit Euſtathius) vulgus inde corrupto nomine καβούρους dixit. Aconitum radicem habet modicam, cammaro ſimilem marino, quare quidam cammaron appellauêre, Plinius. Frāciſcus Maſſarius Plinium cammari nomine hîc aſtacum intellexiſſe putat. ego ſquillam potiùs dixerim, nam & Theophraſtus radicem aconiti ſcribit tum ſpecie tum colore ſimilem eſſe καρίδι, id eſt ſquillæ, ſic enim lego, non καρύῳ, vt Gaza qui nuci trāſtulit: neq; σκαρίδι, vt Marcellus Vergilius, qui tamen rect è marinę ſquillæ conuertit. Dioſcorides aconiti gēus alterum radices ait habere ὥσπερ πλεκτάνας καρίδων μελαίνας, cammari vero nomen à Plinio aconito primo tribuitur: qua de re plura ſcripſi in Philologia de Lupo H. a. vbi & Galeni de cammaro vel cammoro apud Hippocratem è Gloſſis verba retulimus. Eſt & inter delphini nomenclaturas apud Dioſcoridem camarus. Cammari anatibus in neſſotrophio pro cibo dantur, Varro & Columella. Didymus eo in loco habet ἀκρίδας ἢ καρίδας: ſed placet καρίδας tantum legi, pro cammaris. Carabi modo pro locuſtis marinis, atque ita hodie Ligures appellant, modò pro cammaris à veteribus, vt Athenęo placuit, accipiuntur, Hermolaus. Bellonio cammarus eſt vulgaris noſter cancer fl dictus. Dimidio conſtrictus gammarus ouo, Ponitur exigua feralis cœna patella, Iuuenalis Saty. 5. Κομμάρους ἢ κα-μάρους, καρίδες, Macedones. Sunt inter cochleas, quæ intra ſe beſtiolas habent ſimiles gammaris puſillis qui vel in flumine gignuntur, Ariſtoteles interprete Gaza, de hiſt. anim. 4. 4. Grecè ſic legitur: εἰσὶ δὲ καὶ νες κόχλοι οἳ ἔχουσιν ἐν αὐτοῖς ὅμοια ζῷα τοῖς ἀστακοῖς τοῖς μικροῖς, ἃ γίνονται καὶ ἐν τοῖς ποταμοῖς. *Cammari. Caburi.*

B Aſtacos in Euxino nullos reperiri author eſt Oppianus lib. 1. de piſcat. Speuſippus lib. 2. Similium, ex malacoſtracis ſimilia eſſe ſcribit, aſtacum, nympham, vrſam, cancrum, pagurum, Athenęus. Leo maior eſt aſtaco, Diphilus. Aſtacus & alia huius generis, Luna decreſcente inaniores infirmioresq; ſunt, Athenęus. Differt à locuſta brachiis, quæ denticulatis forcipibus portendit: atq; etiam quibuſdam alijs diſcriminibus, quanquam non multis, Ariſt. Inteſtinum ei rectè in caudam finit, Idem.

C Scilicet locuſtæ aſperis ſaxoſiſq; locis proueniunt, aſtaci leuioribus. quod & ſequentia indicant: videlicet hyeme aprica litora ſectantur, æſtate in opaca gurgitum recedunt: etiam ſi Oppianus Aſtacos locis petroſis degere prodiderit: Nos autem ſequimur (vti Plinius) Ariſtotelem autorem grauiſſimum, & cæteris fide digniorem: Fr. Maſſarius. qui in his Plinij verbis, Locuſtæ degunt petroſis locis, cancri mollibus, pro cancri legit aſtaci. Aſtaci & locuſtæ teſtas exuunt aut vêre, aut autumno poſt partum, Ariſtotelis.

D Si quem Aſtacum comprehendiſti, eum longiſſimè exportes, relicto ibi ſigno, vnde ipſum cepiſti, eodem ipſum vnde comprehenſus fuerit, arrepſiſſe reperies: ſi inquam modò ita ex mari exportaueris, vt deinde ſic propè depoſueris, vt in mare adrepere queat, Aelianus & Oppianus. Aſtacus polypum extimeſcit, Aelianus & Philes.

E Aſtaci odore eſcarum allectati capiuntur Ariſt.

F Aſtaci in Alexandria magni fiunt, Athenęus: apud quem etiam Matron Parodus carabum & aſtacum inter cæteros piſces lautiores, in conuiuio quodam Attico appoſitos ait. Aſtaci multum alunt, Pſellus. Tympanicis teſtacea, vt aſtacum, vel buccina, vel pectines, rarò & modicè ſolius voluptatis gratia offerre conuenit, Trallianus. Podagram pituitoſam pręcedit ferè plurium ciborum, & vitioſos ſuccus generantium vſus, vt iſiciorum, aſtacorum, &c. In cardialgia quoq; conuenire ait cibos qui non facile corrūpantur, & acribus mordacibuſq; humoribus reſiſtere poſſint, quales etiam aſtaci ſunt. Pſellus eos difficulter concoqui ſcribit. Aëtius in curatione colici affectus ex pituitoſo humore, ſquilla & cancro interdicit, aſtaco autem pro voluptate frui permittit. Sunt aſtaci inſipidiores & duriores è mari quàm è fluminibus: adeò vt in Scotia cum ederem, nullius precij mihi viderentur, Cardanus. De aſtacis iſicia deſcribit Apicius lib. 2. cap. 1. Cammaros marinos, paruos admodum, & quorum teſta tenella eſt, elixos & fœniculo & aceto ſuffundito, Platina.

G Aſtaci teſta incenſa, ſolutaq; in ſucco oryzæ, dyſentericos ſanabit & cœliacos, Kiranides.

H.a Aſtacus vel oſtacus Attice dictus mihi videtur, quaſi oſtracus παρὰ τὸ ὄστρακον eſt enim inter ὀστρακόδερμα inſignis. Akeſtis, id eſt locuſta piſcis, Syluaticus bis, ineptè. aſtacus enim ſcribendum qui tamen locuſta non eſt, ſed ſimilis. Aurium ſiue auricularum pars caua, dicitur aſtacus, ἀστακός, apud Pollucem. Aſtacus vrbs in ora (Aſiæ minoris,) ſinum à ſe cognominat Aſtacenſem, ab Aſtaco Neptuni & Olbiæ Nymphæ filio, &c. adi Volaterranum. Scythæ Bithyniam inuaſerant, ciuitateſq; deleuerant denique Aſtacum, quæ poſtea Nicomedia dicta eſt, grauiter vaſtauerunt, Trebellius Pollio. Meminit & Pauſanias huius vrbis. Aſthacus nomen pueri Calphurnio in Eclogis.

COROLLARIVM DE LEONE.

Leo inter ostracoderma astaco maior est, Diphilus. Massilienses & Leonem & Astacum, ex Plinio diuersos pisces vno eodemque nomine Ligombaudos nominant. Forcipibus firmiter Astaci & Leones retinent, quicquid comprehenderunt. Cum enim Massiliæ permultas Boopes, Mænarum genus, & Leones, & Astacos cepissent, nauiculamq; vbi huiusmodi pisces captiui tenebantur, in littus expulsam reliquissent, & Vulpes in eam ipsam ad exedendas Boopes inuasisset, accidit vt hæc in horum forcipes pedem poneret, ex quo totam noctem retenta, mane à piscatorib. capta fuit, Gillius.

ASTACI MARINI, QVEM HVMER vocant Germani, ex descriptione Septentrionalium regionum Olai Magni, effigies. Ingentem esse scribit, (inter Orchades & Hebrides insulas,) & tam validum vt hominem natantem chelis apprehensum suffocet. Sed non probo, quod pedes omnes biscalcos pinxit: & caudam tabellis tam multis construxit, &c.



IN EADEM TABVLA MAGNVS depingit astacum xii. pedum, qui deuoratur a monstro marino simili rhinoceroti.



CHE-

CHELA ASTACI MARINI, EX OCEANO QVALEM ET QVANTAM domi habeo, sed paulò breuior. Pictoris artificio ita pingi potest vt facies hominis ridicula appareat. nam chelæ pars minor maximum & aquilinum nasum refert: & quæ in vtriusque partis confinio eminent verrucę, oculos, quibus supercilia pictor addet. Superiorem partem, quatenus ceu cornicula quatuor supra nasum & frontem eminent, cæruleo alióue colore inducet, ad repræsentationem pilei auriti, & ad tempora descendentis, vt lateant aures: retro & circa tempora pili prominentnigri. Facies partim albo inducatur pigmento, partim roseo fuco niteat. Linguæ instar partis chelæ maioris tubera (Ron deletius dentes nominat) fuerint, rubicundo co'ore insignienda. Quod si cristam quoque è pennis, caudæ præsertim gallinacei, capi aut pauonis nutantem, foramini summo indideris, planè gorgoneam & terribilem habebis faciem.



DE ASTACO PARVO MARINO.

RONDELETIVS.

A ASTACVM hunc marinum paruum vocamus, vt à magno differat: vt etiam ab elephanto & leone distinguatur, cuius solus, quod sciam, Athenęus meminit. Ex ostracodermis (inquit) sunt Squilla, Astacus, Locusta, Cãcer, Leo: quæ eiusdem cum sint generis, differunt. maior autem est leo astaco.



B Est astacus hic semper paruus, nec ferè vnquam magnitudinẽ picturæ nostræ superat. Capite & thorace est rotundiore quàm fluuiatilis, in lateribus inciso. è capite eminet cornu latiusculum, magnum, si totum corpus spectes, vtrinque serratum, inter oculos situm, quos recondit & exerit. Cornua quatuor oculis præfixa sunt. Duo breuiora cornu serrato viciniora, alia duo multò longiora, flexibilia, articulata. Chelam vtrinque vnicam habet denticulatam, quaternis articulis connexam. Vtrinque quaternos pedes sine forficibus. Collum siue cauda tabellis constat & in pinnulas desinit. Sub cauda appendices sunt ouis reponendis destinatæ. Astaco huic viuo corpus rubescit, alio qui lineis cæruleis transuersis variatum.

F Rarus & bonæ carnis est, firmiorisque quàm elephas, melioris quàm Locusta.

B Differt à fluuiatili, quòd sit, dum viuit, colore fusco, corpore longiore & strictiore, cornu frontis latiore & breuiore.

DE ASTACO FLVVIATILI.

RONDELETIVS.

Pictura hæc Astaci fluuiatilis nostri est, qualis apud Heluetios & Germanos est, maioris scilicet & simpliciter dicti. Krebs enim minor est, & colore diuersus, qui saxatilis cognominatur, Stein krebs. Rondeletii vero Astacus fluuiatilis, nostro latior ac breuior videtur: & cauda quoque figura differre.



A IN fluuijs montium & gelidis riuulorum vndis crustata animalia procreantur, quæ à figura Astacorum marinorum, vel contrà marini à fluuiatilibus nominati sunt.

B Astaci fluuiatiles corpore sunt rotundo: (*terete. nam vt cylindrus & globus vel circulus differunt, ita teres & rotundum. & ipse Rondeletius paulo inferiùs cancros rotundos, astacos longos esse scribit*:) capite in cornu latiusculum, breue & acutum deficiente, sub quo latent oculi. Capiti præposita sunt cornua quatuor, duo breuiora sunt, alia longiora, articulata, flexibilia, in tenuitatem pili desinentia. Vtrinque chela vnica est, aspera, denticulata, articulis quaternis connexa. pedes vtrinque quaterni, bini chelis propiores bifidi sunt & hirsuti, bini posteriores in calcar desinunt. Posterior corporis pars quæ collum appellatur, sex tabellis constat, cauda pinnulis quinque, media scuti formam refert, & articulata est: vtrinque duæ communi articulo, postremæ proprio colligantur. Os dentibus munitum vt in locusta & Cancris. Carnis aliquid est in ore pro lingua. Sub cauda appendices sunt in quibus oua reponuntur. Cocti Astaci rubescunt.

Lunæ vim sentiunt quemadmodum crustata alia & ostracoderma.

Carne

Carne sunt molli & fluida, quamobrem meliùs coquuntur si in feruentem aquam iniiciantur, maximè aceto vel ophacio admisto. feruens enim aqua mox vt carnem contigerit eam firmat, nec diffluere sinit. F

Astaci sarcophagi sunt & scatophagi. Cadauera consectantur. nam si in aqua vel equus, vel canis, vel quoduis aliud animal submergatur, mox tanquam vultures magna frequentia adnatant, nec inde recedunt priusquam quicquid carnis fuerit arroserint. Qui spectaculo quidam aliquando cõmotus, quemadmodum ex boue cæso apes, ex equo vespas, ita Astacos fluuiatiles gigni existimauit. quamobrem equos mortuos in aquam coniiciendos aliquoties curauit, tandẽ euentu ab eadẽ sententia deductus est. C

In Gallia & maximi & frequentissimi capiuntur. B

Non probo medicos qui Astacis eam vim & cibis, & in pulmonum vitijs inesse existimant, quæ in Cancris insit. quoniam Astaci carne sunt præhumida, dissipatu facillima, minimùm nutriente. G

Multò minùs probandi qui cancros fluuiatiles esse putent: cum Cancris corpus sit rotundum testę Aristotele, sine cauda, vel caudà corpori applicata nec extensa. Astacus corpore longo, Locustis simili, quod capite & collo tabellis distincto constet. A

Lapides in capite habere Astaci creduntur, quos Medici quidam ad comminuendum renum calculum in vino albo propinant: sed in senioribus solum reperias. B

De eodem Bellonius: ipse cammarum nominat, nos Cammarum apud veteres marinum duntaxat esse, squillarum generis, iam ostendimus.

Cammarus vel Gammarus, Gallis Escreuisse, Romanis *Gammarella* & Gambarus, vulgo Græco Caranis vel Caranidia, à Caride nomine detorto appellatur: Cammaro seu Gãmaro Padi accolis: apud quos rotundiore est, & magis crenato quàm nostri Sequanici corpore, cuius etiam pes sinister dextro crassior est. Verumetiam Gammaros pusillos, quidam fluuiatiles Astacos vocauerunt. Genus aliud est (inquit Aristoteles) quod magnitudine cancrum non excedit facie Astacis simile. Ex quo apparet Aristotelem huic pisci nullum nomen proprium indidisse. Nam ipse eodem loco testatur, quosdam esse inter crustatos minutiores, nullis penè nominibus annotatos. Athenæus author est Gammarum Latinè dici genus quoddam Caridis, &, *καμμάρους* vocat squillarum quoddam genus. Plinius historicus Cammarum diuersum à Squilla facit, dum lib. 27. cap. 3. radicem modicam, Cammaro marino similẽ esse ait: quo loco cognomento marini adiecto, Squillam intelligere videtur: quod ex Dioscoridis Græca lectione capite de Aconito probatur: *ἰζαι* (inquit) *ὅστε παραπλήσιαι καρίδων μελαίναις*, hoc est, radices nigrescunt in modum cirrhorũ Squillæ. Libro itẽ 32. cap. 21. idẽ Plinius Cãmarũ enumerat cũ sex & septuaginta piscium generibus, cùm tamen paulò pòst Squillam eodẽ capite pronũciet, Astaciq; appellationẽ lib. 9. cap. 31. habeat. Columella etiam Cammari vocẽ retinuit, quem inter animalia parui incrementi numerauit. Martialis: *Gammarus marinus, id est, squilla.*

Immodici tubs flaua tegunt chrysondeta Mulli Concolor in nostra Gammare lancerubes.

Labuntur qui Cammarum pro cancro fluuiatili assumunt. Siquidem cùm Cammarus (vt reliquum Squillarum genus) caudam habeat, Cancer esse non potest. Nullum enim Cancrarium genus caudam habet. Cammarum ergo id esse constat, quod quidam fluuiatilem Astacum pusillum dixerunt. Nã quùm de Locustario genere sit, tota facie Astacum referat, & cancri magnitudinem non excedat, meritò concluditur, Gallorum Escreuissam, antiquorum Latinorum Cammarum esse. *Bellonius Astacum fl. Cammarum vocat cum vulgo Italorum: quod si sic nominare vis, fluuiatilis discrimen addendum est.*

Nam eius bifurca brachia, duabus tantùm articulationibus intercipiuntur, quæ duo pedes vtrinque forficulis in extremo denticulati subsequuntur: reliqui quaterni non diffinduntur. Caudam quoque vt Cammarus quinis tabellis loricatam, pinnulasque in extremo quinas habet: ambobus idem ferendi & excludendi modus: iisdẽque ambo cornibus, dentibus, rostris, mucronibus, tibijs, & externis partibus præditi sunt, quod idem de internis dicere par est. Porrò Cammari ventriculum, Mutis vndecunq; ambit: multi falsò eius stercus esse credunt: ego vero eius hepar esse puto. Multorum ciborum capax est stomachus, tam miro artificio fabrefactus, vt etiam in eius fundo alterũ os comperias suis maxillis ac dentibus refertum. Tot in lateribus branchias habet, quot pedes. Porrò vtrinque in cammaris spiraculum seu foramen sub cortice ad latera oris videas, per quod aquam ore acceptam referunt. Quidam porrò calculi in Cammari capite reperiuntur, quos Carciniæ nomine vocauerunt. B

COROLLARIVM.

Astacus fl. Flandricè dicitur *Kreuits*: Anglicè *Creuis*, *Creuisse*, *Crauisshe*. sed marinum etiam Angli vocant *a sea Creuyse*. Proxima est vox Germanica *Krebs*. Illyricè Kak. Aristoteles cancros caudatos vocat gambaros, (astacos potiùs:) magnos verò marinos, locustas. nos vulgari magis quã vsitato (scriptoribus) nomine cancros dicemus, quos vulgus generaliter cancros appellat: omnia scilicet mollioris testę animalia, quæ multos pedes habẽt, & retrorsum natãdo incedũt, ambulando autẽ antrorsum nituntur, Albertus. Putauerim ego, (inquit Matthiolus Senensis) gammaros (vulgò dictos) Galeno appellari gammarides, mutuato, cùm Romam venisset, à Latinis vocabulo, quod eo carerent Græci, Hæc ille. Sed Rondeletius *καμμαρίδων* à Galeno nominatas libro 111. de alim. facult. à cammaris squillarum generis nihil differre putat. Sunt & alia piscium nomina vtriusque terminationis, quæ nihil differre videntur, nisi sexu forte: vt thynnus, thynnis: perca, percis: cantharus, cantharis: phycus, phycis: carabus. De cãcrorum ab astacis & locustis discrimine, & nominibus Germanicis, lege infra in Cancro, in Elemento C. A

Abũdãt astaci fl. in Heluetici & alpinis regionibus, in riuis, fluuijs, torrẽtibus, lacubus. Sũt autẽ duorum generũ: alij nobiles cognominantur, *Edelkrebs*, maiores nigrioresq; alij *Steinkreb*, id est saxatiles: & *Thuikrebs* nescio vnde dicuntur. reperiuntur in riuis saxosis, minores, parte supina albiores, prona nigriores: elixi non vndiquaque rubescunt, sed partim albicant. Dentes in ore ventriculi ostendũt, serratos. Reperiuntur bini lapilli globi dimidiati figura, in cãcrorum (astacorum) fluuiatilium capitibus, Georg. Agricola. Videntur illi summo ventriculo adiuncti. Gammarus (Astacus) lapides candidos gignit in oculis: cortice deposito duriore, mollem induit: tuncque lapides fiũt maximi, absumpta materia corticis in lapidibus, Cardanus. Puto autem hoc & fluuiatili & de marino astaco rectè accipi. Crescũt eis in plenilunio globi dimidiati duo lapidũ instar sub oculis interius, Albert°. In fœmellis præcipuè, cùm syphar exuerunt. Germani vocant *Krebsaugen*, quòd quasi formam habeant oculi, vel *Krebs-*

stein,

ſtein, Chriſtophorus Encelius. In magnis & annoſis aſtacis lapillum aliquando reperiri in proximo ſupra forcipes articulo audire memini. Mares in ea parte, qua corpus ad caudam cõtinuatur, ſubtus, quatuor longas habent virgulas prominentes, quibus fœminæ carent. Cauda etiam maris, rotundior eſt, & planior & ſpiſſior: fœminę autem magis tenuis, & vacua & lata, quaſi compreſſa, Albertus. Et alibi, Mares à fœminis non differunt: niſi quòd fœminæ membra maiora ſunt: & coopertoriorũ ſiue tunicarum (tabellarum) in cauda, diſtantia eſt maior in fœmina. Ariſtoteles in aſtacis (loquitur ille quidem de marinis, ſed commune hoc eſt omni cruſtatorum generi) non branchias, vt Gaza & Rondeletius transferũt, ſed βραγχιοειδῆ dixit, hoc eſt partes brãchijs ſimiles: rectè Vuotton⁹, veluti brãchias. Hæc os circũdãt (inquit Ariſtot. de hiſt. anim. 4. 2.) non ſine hirſutia frequentes, & aſſiduè mouentur. Τὰ βραγχιοειδῆ τὰ περὶ τὸ ςόμα δασέα καὶ πολλά ταῦτα δὲ διατελεῖ κινῶν. Ego cirros potiùs quã branchias aut βραγχιοειδῆ has partes albidas dixerim. quid. n. branchijs ſimile habent? non ſitum, non ſubſtantiam aut figuram aut vſum. Motum dices ſimilem eſſe, atqui verum non eſt quòd aſſiduè moueantur. Aſtacum enim fluuiatilem cum vitreo vaſe maximè perſpicuo aqua pleno incluſiſſem, cirros illos obſeruaui moueri quidem & celerrimè, non tamen aſſiduè, nec ſemper: ſed in commotione aliqua ipſius aſtaci aut affectu, tum rurſus quieſcere prorſus. Bellonius mollia laterum additamenta, branchias in eis appellat: Tot (inquit) branchias in lateribus habent, quot pedes. Verùm nos illa quanquam ſpecie branchijs non diſſimilia, nec intra nec extra aquam moueri vnquam vidimus. quare alium earum eſſe vſum puto, fortè ne aqua introrſum penetret, vel vt ad motum progreſſionis natationiſue eis adiuuentur: non ad cordis & caloris natiui refrigerationem: qui branchiarum in piſcibus ſanguine & corde præditis vſus eſt, vt in terreſtribus pulmonis. Exanguia verò omnia vt in terra pulmone, ſic in humore eodem & brãchijs carent. Ad hæc quæ branchias habent aquatilium, & aqua ſubeunte refrigerantur, extra aquam diu viuere non poſſunt: cancri verò plurimis diebus poſſunt. ego ſine cibo in ſolâ aqua ad dies tredecim viuum ſeruaui nuper, menſe Octobri: aqua ſingulo vel altero quoq; die mutata, in angulo zetæ noſtræ calefactæ. Sed neque vt aquam ore acceptam reddant, dum cibum in humore capiunt, branchijs opus eſt aſtacis. vtrinque enim ad latera oris per foramina quædam, aquam remittunt: vt in extractis ab aqua apparet, ſi contempleris ſupinos. Et hoc Bellonius quoque obſeruauit. Ariſtoteles verò in libro de reſpiratione, circa finem capitis vndecimi (vt nos diſtinximus) nec branchiarum nec foraminum, ſatis clarè, quibus reddatur aqua, in hoc genere meminit, cum ſcribit: τὰ μὲν οὖν μαλακόστρακα, οἷον οἵ τε καρκίνοι καὶ οἱ κάραβοι παρὰ τὰ δασέα ἀφιᾶσι τὸ ὕδωρ, διὰ τῶν ἐπιπτυγμάτων. paulò ante autẽ dixerat, quòd non refrigerandi gratia, ſed neceſſariò dum cibũ in aqua capiũt, eã admittit, vt & cete & malacia. Itẽ hiſtoriæ animalium 4. 2. Σὴν δὲ θάλατταν δέχονται μὲν πάντα (abundat hæc præpoſitio) τῷ ςόματι πάντα ταῦτα. ἀφιᾶσι δὲ ἐπιλαμβάνοντα (Gaza videtur legiſſe, ἀφιᾶσι δὲ ἐπιλαμβάνοντες) κατὰ μικρὸν τοῦ ςόματος οἱ καρκίνοι, οἱ δὲ κάραβοι παρὰ τὰ βραγχιοειδῆ. ἔχουσι δὲ τὰ βραγχιοειδῆ πολλὰ οἱ κάραβοι. Quæ Gaza ſic trãſtulit: Mare omnia eius generis ore excipiunt, ſed cancri parte oris exigua adducta reſpuunt: locuſtæ ſuas ad branchias tranſmittunt, quas ipſæ plures quàm cætera habent. Quaſi verò hauſtam ore aquam aliunde carabi, aliunde cancri emittant. cum in citato loco ex libro de reſpiratione, vtroſque eadem parte emittere clarum ſit: quare hic etiam pro οἱ καρκίνοι, οἱ δὲ κάραβοι, non aliter quàm illic, legerim, οἵ τε καρκίνοι καὶ οἱ κάραβοι. Hoc etiam conſtat eandem partem Ariſtoteli diuerſis nominibus, modò τὰ βραγχιοειδῆ, modò τὰ δασέα nominari. Hæc in præſentia mihi ſuper hac re in mentem venêre: quòd ſi quid etiamnum deſideratur, inquirant alij.

C Aſtacos fl. aiunt quidam animal eſſe amphibium, herbis veſci, & noctu ad paſcua exire, præſertim Iunio menſe. Cancer fl. vt dicunt periti piſcatores, etiam in gurguſtia (naſſas) intrat ad lucium, & rodit eum. Cancri etiam lapidoſi qui ſub lapidibus degunt, carnes comedunt, adeò vt (quod experimento nouimus) carnibus in Danubio alligatis nauibus & in aquam ſuſpenſis adhæreat magna cancrorum multitudo, Albertus. Aſtaci fl. etiam ranas appetunt. Cãcer lacte potatus ſine aqua multis viuit diebus, Idem. Ego aſtacum domi in aqua ſine vllo cibo dies xiij. viuum ſeruaui, vt retuli in B. Cancri latent hyeme menſibus quinque. Vêris autem tempore procedentes exuunt teſtas, ſicut anguis pellem. dicunt tamen quidam quòd hyeme apparent, & ſectãtur litora: ęſtate autem recedunt gregatim ad aquas optatas, hyeme etiam læduntur frigore. Autumno & vêre pingueſcunt, & maximè in plenilunio, Albertus. Cancrorum humiditas creſcit creſcente Luna, Idem. Teſtas ſuas per ſingulos menſes exuunt: & cum ijs ſpoliatæ ſunt, lapillos in capitè multò maiores gerunt. In coitu mas primum aſcendit ſupra dorſum fœminæ: ea verò mox ſe ſupinam vertit: atque ita mas coit cum ea, confricando ſe ad eam ſine egreſſu ouorum, Albertus. Oua pariunt per anum, per quem etiam excrementa reddunt. neuter verò ſexus membrorum habet, quod in coitu intret corpus alterius, ſed per applicationem portarum (meatuum) coëunt, Idem. Chriſtophorus Encelius Salueldenſis cancros ore coire prodidit. Quibuſdam oua excluſa iuncta manent corpori, donec naſcuntur fœtus, vt in cancris, Cardanus. Ego minimos cancellos caudæ matris adhuc hærentes videre memini, Cardanus. nos quoque idem obſeruauimus. Oua fœminæ primo in corpore ſunt valde compreſſa: deinde paulatim exeunt, & virgulis ſub cauda curtis adhærent, donec complentur, Albertus. Cancri genus terreſtre quoddam in terra latitat, maximè in Occidentali India, Cardanus. In cancris aliquando reperiuntur intricatæ venæ albæ: noſtri *neſtel*, id eſt ligulas nominant. non probantur illi in cibo, vt neque piſces ita affecti.

D Pica inter cætera cancros etiam venatur. & fertur picam quandam à cancro quem ſuper arborem detulerat, collo compreſſo periiſſe.

B Cancri capiuntur virgulis diuiſis in ſummitate, quibus inteſtina aliqua, aut ranarum corpora inſerta ſint, (*aut baculis, quibus iecinora iam fœtentia transfiguntur,*) ordine diſpoſitis, iuxta gurgites aut loca quæ habitare ſolent, denis duodenìſue: inde reticulo circumit piſcator, virgas ſingillatim eleuans, ſubiectoque reticulo cùm cancer non adeò celeriter poſſit ſe explicare, decidit in reticulum. Ita piſcator magna cum voluptate centum aut ducentos refert domum bene robuſtos, & viuaces ac magnos. nam parui ad eſcam ſublimem non tam facile accedunt: & vbi acceſſerint, antequam capiantur, excidunt, Cardanus. Cancros plurimos capies ſi ranos decoriatas (melius autem eſt cutim pendentem relinquere) infixeris baculis fiſſis, & ſic diſpoſueris baculos per riuum diſtantes inter ſe duarum vlnarũ ſpacio,

aut

aut circiter. Mox enim cancri accedentes adhærebunt. Eleuabis igitur baculos, & ſtatim altero reticulum ſubtus tenente decuties. Audiui ab ijs qui rem erant experti. Sunt enim cancri carniuori: nam ſi vel cadaueris alicuius aliquod membrum in aqua iaceat, ſemper multi cancri circumadhærent. Cancri capiuntur per carnem retro ad nauim ſuſpenſam, Albertus. vide ſuperiùs in C. circa principium. Sunt qui naſſæ iecur aliquod imponant, in medio riui. Alij iecur vitulinum diſſectum in aliquot partes oleo frigunt, & in naſſa ſuſpendunt. Alij hircinum iecur bene aſſatum, camphora præparata (ſic inuenio in libello quodam Germanico (illinunt, deinde omento vituli vel ouis recenti circundant. & tabellæ alligant. ſecundum artem, &c. Sic piſces & cancros innumeros capi aiunt.

Eſca ad piſces pro Septembri menſe commodè fit è cancellis paruis & teneris: vel è caudis maiorum. De extremis forcipibus aſtacorum elixorum cutis affricata, rubeo colore ceu fuco tingit: ſed vergit ad croceum. Si aſtacum mortuum in meatum aliquem talpę impoſueris, relinquet illum propter fœtorem: nec repetet, donec fortè multo pòſt tempore fœtor omnis euanuerit. Si quis in vino ſublimato in vaſe cancrum imponat, & accendat, ſtatim rubeſcit cancer, quem deinde viuum & rubeum, ſpectaculi vice ridiculi, conuiuis inter coctos apponet, Ge. Pictorius. præſtabit puto cancrum filo ferreo vel aliter tenere ſuſpenſum, ne vaſis caliditate pereat, vel amburatur: quod aliquando factum vidi. Lapillos aſtacorum fluuiatilium nonnulli funda claudunt, Ge. Agricola.

F Aſtaci fl. præcipuè commendantur Martio & Aprili, & magis creſcente Luna: decreſcente enim, deteriùs ſe habent. Cancri præſertim ſaxatiles dicti nobis, ęgrè concoquuntur, Ge. Pictorius. Sunt aſtaci inſipidiores & duriores è mari, quàm è fluminibus: adeo vt in Scotia cùm ederem, nullius precij mihi viderentur, Cardanus. Fluuiatiles quidem chelis & caudis præcipuè placent vt iocoſis illis mixobarbaris metris noſtri inſinuant: In ſcheris & caudis Mande *gebat nicht fuck*. Cancris edendis eximi debet inteſtinum caudę. Chalybis particula cancris viuis appoſita, multo tempore viuos & recentes eos conſeruat, vt quidam aiunt. Cancrorum fl. temperamentum non inuenio ab authoribus determinatum: ſed quia ſunt de genere piſcium, & ſomnum inducunt, idque vehementer, iudico ipſos frigidos & humidos: ita vt frigefaciant in primo ordine, humectent verò in ſecundo. Quidam calidos putauerunt: quòd inter coquendum rubeſcant, quibus non conſentio. Aegrè concoquuntur, concocti verò multũ alunt, Michaël Sauonarola. Torta ex cammaris tempore ieiunij, vt deſcribit Platina 8. 41. Ex cammaris elixis quod bonum eſt in mortario tundes. Succum deinde amygdalinum cum aqua roſacea per ſetaceũ tranſmiſſum præparabis: aut, ſi id non poteris, ius piſorum aut cicerum alborum ſeruabis. Paſſulas & ficos quinque conteres. Modicum petroſelini, amaraci, betæ parum incoctæ, minutatim concides. Cinnami, gingiberis, ſaccari, quantum ſat erit, addes. Mixta hæc & bene tunſa cum ouis lyci, (lucij,) vt concreta melius coquantur, in textu bene vncto, ac ſubter ſupérue incruſtato, ad focum pones flamma procul. Coctum, ſaccaro & aqua roſacea ſuffundes. Membra omnia hoc edulium lædit.

Ex libro Germanico Baltaſaris Stendelij Coqui: Cancros in olla vel in ſartagine coques, (ſed in ollà ſapidiores fiunt: faciliùs tamen aduruntur, niſi caueatur ſedulò,) affuſo vino vel aqua. condies ſale, & modico pipere. Cura ne exundet ius efferueſcens. Cum pulchrè rubent, ſatis iam cocti ſunt. E cancris ſerum & coagulum: Cancellos paruos, detracta cruſta, quàm & fel ſequetur, & vena caudę media extracta, in pila tundes crudos: lac affundes, colabis, (*vel transfiges per cribrum æneum, id eſt, multis exiguis foraminibus pertuſum.*) Defundes in ſartaginem, & cochleari aſſiduè permiſcebis, ne aduratur: ſic etiam maculis vel punctis pulchrè variabitur. Lento igne coques: guttam aceti affundes, vt coaguletur. Tum in cribrum æneum fundes, modicè onerabis. De ſero iuſculum facies, & croco colorabis. Coagulum in partes ſecabis. cibus eſt delicatus. Cruſtarum fartura: Cancris elixis, cruſtas & chelas ſeparabis: & quicquid bonæ eſt pulpæ, minutatim concides: modicum ſalis, & aromatum pollinem addes: cum ouo permiſcebis: & hac fartura rurſus implebis cruſtas, & in veru ligneo ſuper craticula leuiter aſſabis: ſunt qui butyro frigant, id quoque leuiter. Addit & alios modos de pulpis contuſis, quos omitto.

Sunt qui pulmentum de aſtacis ſic fermè parent: Aſtacos coquunt, terunt cum medulla panis candidi, & cum lacte amygdalino per ſetaceum tranſigunt, agitant cum ſex ouis, modicum aromatici pollinis addunt. In hectica febri laudantur cancri: qui primò in lixiuio bulliant, donec teſta eorum poſſit remoueri: deinde in aqua hordei coquantur perfectè. ſed quoniam concoctu difficiles ſunt, ſi in eadem menſa cum alio cibo ſumantur, leuior præponatur. Vel abiectis extremitatibus toties in lixiuio forti lauentur, donec grauis eorũ odor non ampliùs ſentiatur: deinde in aqua hordei ritè decoquantur, Gaynerius.

G Emplaſtrum ad calidam ſtomachi vomicam: Cancelli (Cancri) marini aut fluuialis in aqua decocti caro cocta & tunſa cum farina hordeacea mixta, impoſita tribus diebus, maturat efficaciſſimè, & plus quàm ſit veriſimile, vt à nobis expertum eſt, Alex. Benedictus. Leonellus Fauentinus carnem cãcrorum remedio cuidam ad phthiſin miſcet. Caro cãcrorum ad antidota analeptica ſecreta, ter lixiuio, vel aqua ſalſa lauetur, donec odor teter abierit: ex aqua hordei, aut ſero butyri coquatur, Syluius. Vide paulò ante in F. circa finem. Electuarium ad maraſmũ & phthiſim ex deſcriptione Bartolomæi Montagnanæ: Caudarum cancrorum fl. præparatorum libræ dimidium: ſeminum intybi, acetoſæ, ſcariolæ, lactucæ, cuiuſq; drachma ſeſqui: nuclei pinei purgati vnciæ duæ: ſacchari ſecundæ decoctionis vnciæ quatuor: mellis violacei quantum ſufficit, miſcentur. Ad tabem aliqui commendant ius de aſtacis fl. in plenilunio captis. Ipſos etiam aſtacos riuales & fluuiatiles, in cibo commendant: & liquore arte chymica ex eis deſtillato partes tabidas, macie & atrophia confectas, illinunt ac perfricant. Tunduntur aſtaci crudi, cum ſuis cruſtis, & chymicis inſtrumentis ad ignem lentum in vaporem ſoluuntur: qui denſatus in aquam colligitur, vtilis ad tabem & atrophiam, Ryffius.

Pthiſicis vtiles ſunt cancri fl. quos nimium, vt puto, ſuperſtitioſè præparari iubat. per ſe. n. proſunt, Alex. Benedictus. Ad icterum: Aſtacis fl. iunioribus numero quinquaginta, contuſis, exprime ſuccum: cui admiſcebis tantundẽ chelidonij, vel deſtillati ex eo liquoris. Hoc æger quaternis hauſtibus ebibet: mane ſcilicet, ac veſperi ſub ſomnũ, per biduũ. Deinde vtẽdũ balneo ſudatorio, de chelidonio ſimiliter, Innominatus. Si vrina impediatur propter calculum, aut ſtranguriam, ſic facies: Cancrum viuum in mortario teres, vinum affundes: ſines ita per noctem: poſtridie manè exprimes, colabis, & propinabis

partem

partem ſuperiorem,id eſt puriorem,ægroto.Miſcebis etiam in potu ſemina vrinã cientia, raphani, apij vel petroſelini,lithoſpermi:& nucleos perſicorum in cibo dabis,Incertus.Inuenio & ſimile remedium commendari ad teneſmum,ac promouendam aluum. Vnguentum ad partiũ corporis conſumptionem & atrophiam:Aſtacos fl. viuos cum iecinore vitulino tere ac læuiga: deinde cum oleo oliuarum & laurino,ana libram ſemis,vnguentum conficito. Ad clauos & alia infixa corpori extrahenda: Adipem leporis miſce cum cancro crudo contrito, & impone loco,quem clauus aut quicquid eſt ſubierit: ex aduerſo autem tres aut quatuor fabarum flores illiga: & per horas xij.relinque,Obſcurus. Remediũ quod efficaciſſimum putant ad cephalæam:Cancrum fluuiatilem coctum & diligenter tritum,refrigeratumque cum oleo ſcilicet cucurbitino aut violaceo,aut roſaceo,naribus ſupponunt,vt olfactu iuuet, Alex. Benedictus.

Ad periculoſam linguæ & gutturis inflammationem,quæ & febribus aliquando ſuperuenit,& exercitus epidemio malo ſæpe inuadit:noſtri à colore vocant *die bruni*,remedia ex aſtaco fluuiatili plurimùm laudantur.fiunt autem ab alijs aliter,vt ſubſcribemus, ex libris Germanicis manuſcriptis. Primum eſt huiuſmodi.Aſtacum viuum contuſum cum aceto,colando exprime per linteum.Purganda autem & radenda lingua eſt. deinde ſpatulam ligneam inductam panno cocci colore, in ſuccum illum intinge, ſic linguam & os perfricato.Secundum.Aſtacus refrigerat,hunc circa caput & caudam euiſceratum in pila contunde diligenter: & aquam inde linteo expreſſam, ore tenere ægrotum iube; ita vt collum ſurſum (retro)ac deorſum moueat,nec tamen deglutiat.Tertium, quod à duce quodam militum frequenti experimento cognitum accepi:Aſtacos circiter decem viuos contere:& ſtillatitios liquores intybi, roſarum,& papaueris erratici affunde.inde expreſſus ſuccus vinum rubellum refert.eo linguam abluere,& diligenter ac penitus gargarizare oportet.deinde etiam hauſtum eius mediocrem bibere. Linguã purgatam & abſterſam larido inſulſo perunge.poſt horam aut dimidiam quicquid viſcidę pituitę inſederit, rurſus abſterge,& ſucco aſtacorum præſcripto denuò laua. Mirè ſanat, etiamſi cruſtæ denſiuſculæ iam occuparint linguam. Quartum. Decocto ſaluiæ in aqua os diligenter collue. deinde ſuccum de aſtaco viuo contrito expreſſum propina.& potionem para huiuſmodi:Fungos de ſambuco,ceraſa viſula (quæ acida ſunt & nigricant) ſicca aut recentia, cum pauco alumine in aqua coquito.quæ colata bibi debet. Poſtremo os colluatur aqua pura alumine permixta. Quintum iam perſcripſi in Equo G. Spuma enim de ore equi primùm abluenda eſt lingua &c.

Remedium ex rubeta & cancris pariter vſtis aduerſus cancrum, in mamillis mulierum, in Rubeta G.reperies.

Ex decoctione aſtacorum in aqua remedium aduerſus articularem morbum,habes in Ciconia G.

Aduerſus vnguem oculi(vt vulgò vocant)in equo:Puluerem de cancris vſtis inſla. Puluis oculorum cancrorum cum aqua foliorum perſici potus(poſt venam ſectam) medetur pleuritidi nothæ,Leonellus Fauentinus.

Lapilli de aſtacis viuis exempti glauco vel ſubcæruleo colore ſunt:& in fontibus aliquando tales inueniri audio.Triti & poti cordis roborare vires dicuntur,Albertus.Dentes infricatus ex eis pollẽ purgat atque dealbat.Idem cum fæce vini albi arida vlceribus cauis pudendorum inſpergitur vtiliter.Carbones è tilia aceto reſtinctos, cum eodem polline de lapillis aſtacorum aliqui propinant aduerſus ſanguinis grumos ex lapſu,& hæmoptoicis, Adamus Lonicerus. Officula de poplitibus leporum cum lapillis cancrorum trita è vino bibuntur, vt prauos in ventriculo aut alibi humores exiccent, Obſcurus. Videtur & ad calculum renum promouendum, & album muliebrem fluxum, & coli à pituita dolores, & epilepſiam,idem remedium per ſe, vel alijs admixtum profuturum. Ad coſtam fractam in lapſis aut præcipitatis:Lapillos aſtacorum cum penidijs, tragacantha,& liquore ſtillatitio de carduo Mariæ, (vt vocant) mane & veſperi propinato.Lapides qui in cancris, & piſcibus quibuſdam gignuntur, prohibent generationem lapidum in renibus,genitoſque diſſoluunt,Cardanus. Vrinam mouent,non in homine tantum,ſed etiam iumentis.Sunt qui æqualem ſeminum vrticæ partem addant, & ad proliciẽdam vrinam propinent noctu in lecto,è ſtillatitio fragorum liquore,aut vino,aut aqua. Idem aduerſus calculum auxiliari promittunt. Puluis contra calculum, vt in libro quodam Germanico manuſcripto reperi:Iecinoris leporini vſti,apij,id eſt petroſelini vulgò dicti,ſeminis aquileiæ, ſingulorum vnciæ duę. Maxillarum lucij,nucleorum perſicorum,ſanguinis hircini,lithoſpermi ſeminum,ſaxifragę ſeminum, lapillorum de aſtacis,zinziberis albi,cinnamomi,ſingulorum vncia. Aniſi, coriandri, vtriuſq; ſemuncia.Macis drachmæ duæ.Sacchari vnciæ quinque.miſceantur. Ad lunaticos oculos equorum: Aliqui lapillos in capitibus cancrorum repertos terunt, & melle exceptos illinunt. quod alij etiam ad cicatrices & vngues oculorum in equis adhibent.

Oua cancri medentur contra venenatos ſerpentium morſus,Albertus. Aduerſus ſcabiem puerorum à phlegmate ſalſo:Teſtas aſtacorum tritas,oleo roſaceo excipe,& inunge. E teſtis aſtacorum in olla toſtis aliqui puluerem faciunt,egregiè ſiccantem.

H *Alciati Emblema in paraſitos:*

Quos tibi donamus fluuiales accipe cancros,
Munera conueniunt moribus iſta tuis.
His oculi vigiles, & forfice plurimus ordo
Chelarum armatus, maximaque aluus adeſt,
Sic tibi propenſus ſtat pingui abdomine venter,
Perniceſque pedes, ſpiculaque apta pedi.
Cum vagus in triuiis, menſæque ſedilibus erras,
Inque alios mordax ſcommata ſalſa iacis.

Vide etiam infrà in Corollario cancri fl.ex Marcello Vergilio H.

ASPIDOCHELONE,vide inter Cete varia,in C .elemento.

ASSVLAS, feſtucas, &c. Apuleius in Apologia prima tanquam maris reiectamenta nominat.

ASTRABELI,qui & Strabeli,inter conchas dicentur.

ASTRALVS(alij Auſtratus)piſcis eſt qui aquarum vndas ore ſuſcipit, & oritur quando Pleiades occidunt,eò quòd tunc tempus eſt pluuium,Albertus.Apparet autẽ ex veteribus nõ intellectis trãſcri-

pſiſſe

pſiſſe eum. Aliàs legitur Auſtratus. Coniicio & Aſtaroz eundem eſſe, nec alium intelligendum quàm apuam.

ASTYANAX, Ἀστυάναξ, piſcis quidam, Varinus.

ATHERINA inter Apuas dicta eſt.

ATHILI, Ἄθιλοι, conchæ marinæ ſpecies, Heſychius.

ATTAGENVS piſcis apud Athenæum, Ἀτταγηνὸς, alio nomine ſcepinus (Σκεπινὸς) dicitur à Dorione. Attageni nomen fortè ei poſitum fuerit ab aue ſimiliter inter aues lautiſſima vt hic inter piſces eſt, aut etiam à maculis ac punctis quibus ſimiliter vt auis diſtinguatur: vtroq; genere piſcẽ, quẽ Venetijs Marzapã vocant, Bellonius lepradem, attagenem eſſe cõieceris. Antiqui Scepanum attagenem marinũ dixerunt, à carnis delicata iucunditate, Bellonius. Et alibi, Liſſa (inquit) vel gliſſa Cretenſibus thynni genus eſt, quod extra Cretam Capanum vocant, contorta fortaſſis à Scepano dictione. hunc enim eſſe Scepanum nihil vetat, quem Dorion Attagenẽ marinum appellauit, ſed non eſt Oppiani Scepanus, qui litoralis ac cœnoſus eſt: hic vero thynnus pelagius, in alto mari, delicatiſſimi ſaporis. Oppianus lib.1. de piſc. Σκεπανοὶ (per α. in medio) (ἐν σπήλοισι καὶ ἐν τενάγεσσι θαλάσσης φέρβονται). Apud Varinum Σκεπινὸς per ι, ſcribitur.

DE ATTILO, RONDELETIVS,

De Attili effigie quam Bellonius exhibuit, vide ſuprà in Antaceo Boryſthenis. Miſit ad me olim etiam Ant. Muſa Braſauolus Ferrarienn. medicus nobiliſſimus Attili effigiem, quæ cum hac Rondeletii pulchrè conuenit: niſi quòd ſpinoſos illos dorſi clypeos, plures, latiores, & contiguos habet.



ATTILVS piſcis eſt magnus,Pado proculdubio peculiaris:etiamſi quidam hac de re dubitent, quibus vix fieri poſſe videatur, tam vaſtæ magnitudinis piſcem in fluuio naſci, quin potius è mari amnem ſubire. Verùm id mihi à vero alienum non videtur, cetaceum piſcem in vaſtis Padi gurgitibus & receſſibus procreari & nutriri. Quòd ſi vel in Mediterraneo mari, vel Oceano naſceretur, vel illic, vel in alijs fluuijs repertum aliquando fuiſſe neceſſe foret, quod nemo vel vidit, vel ſcripſit vnquam. Quare Padi ſolius alumnum dicemus eſſe Attilum, de quo hæc Plinius: Attilus in Pado inertia pingueſcens, ad mille aliquando libras, catenato captus hamo, nec niſi boum iugis extractus. B *Pado peculiaris.* *Plinius.*

Hunc verè à nobis repræſentatum fuiſſe indicat nominis affinitas: ab Italis enim Adello & Adano & Adeno vocatur. Indicat piſcis ipſius figura nuſquam alibi quã in Pado viſa. Poſtremo ipſa magnitudo. Huc accedit doctorum hominũ quibus Italia hodie ornata eſt; conſenſus: in quibus eſt Calcaginus, qui cùm ſæpe in Pado Attilum viderit, in epiſtola quadam optimè expreſſit, quam adſcribere ineptum non fuerit, quod nulla alia deſcriptio Attilum nobis propiùs intuendũ proponere poſſit. ea eſt huiuſmodi: A

Quòd à me percontaris an Attilus, quem Ladanum vulgaris nomẽclatura ſolet appellare, is ſit quem Italia Moronem, Vſonem Pannonia vocitat: paucis reſpondeo, me eundem non exiſtimare, vel ex Plinij teſtimonio, qui eum Pado vult eſſe peculiarem, quo loco de proprijs quorundam amniũ piſcibus agit. Sed ego vt tecum agam liberaliùs, non modo te ad Plinij, ſed ad oculorum etiam tuorum teſtimonium prouoco. Totam itaque Attili effigiem, ac membraturam quãta potui breuitate perſtrinxi, & quia non ſatis perſpicuè id fieri poſſet, niſi noti alicuius piſcis exemplo vteremur: Hyccam ſiue Sturionem, qui nullo fermè loco non naſcitur, mihi propoſui. Qui licet in mari natales habeat, ſolet tamen aduerſus amnes mira ſubire voluptate, donec iam præpinguis redeat. Moronis ſiue Vſonis exemplo vtendũ non duxi, quod neque ij piſces cognoſcantur, neque mihi eorũ imago ſatis memoriæ inhæreat. Sic ergo accipe. Attilus hoc differt ab Hycca ſiue Sturione, quod Sturio pelagius eſt, Attilus amnicus & Pado peculiaris. Sturio non temere viſus æquare quatuor talenta Attica, id eſt trecentas libras. Plinius ſcribit Attilum ad mille libras, id eſt, ſupra XIII. talẽta excreuiſſe. Quæ magnitudo ſanè inſignis, & raro perſpicua. Attilus quum ad certam magnitudinem excreuit, ſquamas hiſpidas abiicit: quas per quinq; verſus diſpoſitas gerit, in ſumma ſcilicet dorſi ſpina, ex vtroq; latere geminatas & ſibi quaſi parallelas, extremus verſus pinnas attingit. His abiectis tactu læuis euadit, nec habet quod vnguem offendit. Contrà Sturio ſemper hiſpidas ſquamas ſuas tota ęſtate retinet. Caro Sturionis callũ habet, & mirificè palatum oblectat: Attili contrà fluxa eſt & mollis, & palato parum iucunda. Exiſtimãt piſcatores τετραπλῆν, id eſt, partem priorem Attili, ad poſteriorem vix eam habere proportionem, quam quatuor ad vnum. Tota.n. vis huius piſcis ſita eſt in capite & parte capiti attigua. Quæ obſeruatio etſi ad Sturionem etiam alioſq; piſces pertineat, autore Ariſtotele ac Plinio: cuius verba ſunt videlicet: Capita piſcibus portione corporum maxima, fortaſſis vt mergantur: tamen in Attilo neſcio quomodo præter cæteros luculẽta eſt atque admirabilis. Parui ſunt oculi Attilo in tanta mole capitis. Sturio & Attilus habẽt os in parte † prona, eo propè in loco cui in cæteris perfectioribus animantibus reſpondent omoplatæ. Os vtriq; ſine dentibus, ſed Sturioni fermè orbiculatũ: Attilo multò maius, & ad lineã obliquã inciſum, quo aperto, vaſto illo hiatu piſces deuorat, quos reſpirando κατὰ διαστολὴν (ita piſcatores putant) contraxit. Loca piſculenta maximè frequentat, hyberno præcipuè tempore verticoſas voragines: ad quas piſces frigoris impatientes, teporis gratia ſe recipiunt. Roſtrum Sturioni reſimum ac latiuſculum, ad imaginem ferè Delphini & oxyrynchi: Attilo planum, & paulò minùs quàm in mucronem deſinens. Attilo tergi color B

Cælius Calcagninus de Attilo, & quid à Sturione differat. B *Sturio.* *Spina Attili.* *† ſupina* C

K albicans

D albicans & lanosus, Sturioni vergit in glaucum. Quod Plinius tradit de Clupea minimo pisciũ, si Attilo comparetur, quæ venam quandam eius faucibus mira cupiditate appetit, eumq; ita (morsu) exanimat: hoc sibi ingenuè incompertũ nostra ætate piscatores testãtur. Cæterũ ꝙ inertia pinguescat, ꝙ catenato capiatur hamo, quòd nisi iugis boum extrahatur, hęc & certa sunt, & Padi accolis dant quotidiana spectacula. Hactenus de Attilo Calcagninus, quibus pauca addemus ad Attilum agnoscendum nõ inutilia.

Clupea.

B Os clausũ ad oblĩq̃ lineã incisũ est, sed aptũ & hiãs arotũdũ. Ante illud pẽdẽtè rostro appẽdices car*no sę & molles. Brãchias optas habet, ad quas pĩnę sitæ sũt. Clypeata† ossa tergo gerit Sturionis ritu, sed eã tẽpore abiicit, ꝙ in causa est cur alij sine ossib⁹ alij cũ ossibus depingãt. post q̃ pĩna dorsi est vnica, cui parte supina subiacẽt duę, quales omnino sũt Sturioni. Cauda etiã in duas deficit. Sed ne ijs q̃ antea à nobis dicta sũt repugnare videatur ꝙ dixit Calcagninus, os Attilo & Sturioni esse in ꝓna parte: cũ diximus Sturioni, Galeis, pluribusq; alijs piscibus, quibus os nõ est in prõptu, sed sub rostro latet, vt in Sturione & Attilo, illis esse in supina nõ in ꝓna parte: animaduertẽdũ est Calcagninũ nõ satis rectè, neq; ex Aristotelis sẽtẽtia ꝓnã partẽ appellasse: supina.n. dicẽda est nõ ꝓna, q̃ sub rostro est, quâ vẽter & viscera cõtinẽtur: quâ verò superior capitis pars & dorsum, ꝓna, vt rectè sic dicamus Attilũ & Sturionẽ os habere in supina parte, Vranoscopũ in ꝓna. Quod Aristotelis authoritate cõꝓbamus. Is.n. de pisciũ genere & differẽtijs tractãs sic scribit: Τῶν δὲ ἐνύδρων ζώων τὸ τῶν ἰχθύων γένος ἕν, ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀφώρισαι, πολλὰς περιέχον ἰδέας. κεφαλὴν μὲν γὰρ ἔχει, καὶ τὰ πρανῆ· καὶ τὰ ὕπτια, ἐν ᾧ τόπῳ ἡ γαστὴρ καὶ τὰ σπλάγχνα. Gaza sic: Piscium genus inter ea quę aquas incolunt, vnũ distingui à cęteris iure potest, cùm forma euariet numerosiore. Habet id caput, & prona, & supina: parte qua venter & viscera continentur supina habet. Id quod non solum de piscibus, sed etiam de quadrupedibus traditur ab Aristotele: Ἔχουσι δὲ τὰ τετράποδα ζῷα, ὅσα μὲν ὁ ἄνθρωπος μόρια ἔχειν ἐν τῷ πρόσθεν, κάτω ἐν τοῖς ὑπτίοις: τὰ δὲ ὄπισθεν, ἐν τοῖς πρανέσιν. id est, Partes quas homo haber priores, quadrupedes infra habent, & supinas: quas autem ille posteriores, hæ pronas.

**squamas Calcagninus appellat.*
proni & supini distinctio.
Lib. 2. de Hist. cap. 13.
Lib. 2. de Hist cap. 2.

F Sed ad Attilum reuertatur oratio. Is carne est molli, parum suaui. pro Sturione delicatissimo aliquando venditur. sed sapore impostura detegitur.

E Pisca tores Ferrarienses mihi aliquando narrarunt Attilum capi sagena per transuersum amnem iniecta, ex cucurbitis exsiccatis suspensa, in quam nauiculis vtrinque dispositis vrgetur & compellitur.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Sturioni magna ex parte respondet piscis cartilagineus, Ferrarię frequentissimus, inter Padi diuitias merito connumeratus, quem Adanum vulgus vocat, quemque puto antiquorum esse Attilum.

B Ingentis est magnitudinis, cætera Sturionem tam internis, quàm externis partibus refert: hoc dẽpto, ꝙ pro eminentioribus ac callosis illis elatis tuberculis, quibus Sturio quinis carinis præditus est, hic stigmatis tãtũ liuidis, sessilibusq; maculis, in cute minus aspera, ad latera sit distinctus. Præterea vnicam tantùm pinnam ab ano ad caudam gerit: Sturio autẽ duas habet. Cęterũ, os Attilo prominet oblongum, fistulosum sublongo etiam naso, sed carne non est vsque adeò delicata, vt Sturionis: nec enim tãti in Ferrariensi aut Bononiensi foro piscario vænire solet.

E Capitur interdum sagena, cucurbitis fulta, & transuersum in amnem cõiecta, præcedentibus vtrinq; sandalijs, in quibus piscatores Attilos secũdum rapidi fluminis cursum in sagenam cogant. Hoc nostra Gallia, atque adeò Germania & Hispania caret.

COROLLARIVM.

Attilus non est Sturio, vt aliqui existimarunt: sed qui nunc Attina siue Adena ab accolis Padi nominatur, Fr. Massarius. Gillius vulgò scribit Ladamum (lego Ladanum, vel potiùs Ladano, l Initiale loco articuli est) appellari. Plinius hunc ait (verba sunt Galli) ad octingentas & mille aliquando libras peruenire. is quem vidi, ad sexcentas libras accedebat. AVLOPIVS vel Aulopias, vide in Anthia.

DE AVRATA, RONDELETIVS.

Iconem hanc dedimus nos, Vt Venetiis expressam habuimus. Rondeletii meliorem esse puto, quæ & dentes in ore, & toto corpore squamas ostendit. & pinnam dorsi non vndiquaque similem, sed anteriore dimidia parte spiculis distinctam per interualla spinosis, posteriore non item.



A ΧΡΥΣΟΦΡΥΣ, Latinè Aurata vel Orata, ab auri colore: nam pro auro orum rustici dicebant, vt orichalcum & oriculam, pro aurichalco & auricula, vt scribit Festus:) ἰωνίσκος ab Ephesiis autore Archestrato dicitur. Prouinciales & Hispani dorade vocant, seruata ab omnibus eadem ferè nominis ratione, nisi quod Græci χρύσοφρυν à parte, supercilijs scilicet aureis, nuncupantes, rem melius indicarunt. Hoc quoque tempore apud Græcos nomen suum retinet. Id etiam non omittendum, à Græcis non solùm piscem hunc, sed etiam Pompilum χρύσοφρυν appellatum.

Athen. lib. 7.

In Gallia

In Gallia Narbonensi pro ætatis differentia, quæ magnitudine definitur, diuersa nomina habet. Quæ palmi magnitudinem nondum attingit, sauquene dicitur: quæ cubiti est magnitudine, daurade: quę inter illas est, meiane, quasi dicas mediam. Piscatores nostri maximam auratam subredaurade vocant, id est supra auratam, quòd communem magnitudinem superet. Galli *daurée*, quem nos fabrum esse dicimus, vocant, ne qui nominis affinitate decipiantur. Auratam verò nostram brame de mer: quo nomine etiam sparum, cantharum, & similis figuræ pisces nuncupant.

Athen. lib. 7.

B Aurata piscis est marinus, litoralis, stagna aliquando marina subit, ibiq; pinguescit. In dulces etiam aquas conuehebatur ab antiquis. Inde lacus Velinus, inde etiam Sabatinus, & item Vulsinensis, & Ciminus lupos auratasque procreauerunt, inquit Columella.

Lib. 8. cap. 16.

Ad cubiti magnitudinem accrescit, lato est corpore, non rotundo sed compresso: squamis integitur medijs, colore est vario varijs in partibus. Dorsum ex cœruleo nigrescit, latera argentea sunt, venter lacteo colore. Supercilijs quidem & palpebris caret, sed per similitudinem, à locis illis in quibus in cæteris animantibus supercilia esse solent, aureo colore fulgentibus, aurea supercilia habere dicitur, maximè cùm satis accreuerit: vnde illis nomen à Græcis positum. Oculis est medijs. Branchiarum opercula sunt ossea, alia parte purpureo, alia nigro colore perfusa. Os mediocre, maxillæ latæ & robustæ. dentes anteriores serrati, latiusculi, in acutum desinẽtes, breues. in superiore & inferiore maxilla ossea tubercula, dura, quibus vice dentium molarium pectines, & tellinas frangit, & mandit. Branchias vtrinque quaternas habet, duplices. Pinnis natat quatuor, binis ad branchias positis, lõgioribus, binis in supina parte, breuioribus. Præter has quatuor pinnas ab Aristotele numeratas, à podice pinnam vnã cõperies ad caudã ferè deductã, tribus nixam aculeis. Dorsum multis & acutis aculeis, tenui mẽbrana connexis horret: quos cùm natat, erigit: dum quiescit, deprimit, ac veluti recondit. Aculeorum primi minores, medij maiores, postremi in mollem quandam & pilis similem substantiam degenerant. A capite ad caudã lineæ aliquot subobscuræ ductæ sunt. Cauda lata & magna, sursum spectat, veluti ex duabus pinnis cõstans trianguli figuram describentibus. Peritonæũ colore nigro. Ventriculus subiacet magnus, cum paucis appẽdicibus, breuibus & latis. splẽ nigrescit. Hepar magnũ est, à quo fellis vesicula pẽdet longa, pĩguedine obducta. Fel viride. Intestina pĩguedine oblita in gyros ducta, lata. Cor in pectore quadratũ.

C Aurata parit æstate, maximè vbi flumina in mare influũt, vt scribit Aristoteles: parit etiã in stagnis marinis. Dormit interdiu tã arctè, vt fuscina sępenumero capiatur, alioq; fuscina capi nõ posse existimatur. Piscis est timidissimus, frigoris impatiens: quia lapides habet in capite, quò fit vt hyemis iniurias maximè patiatur.

Lib. 6 de Hist. ani. cap. 17. & Lib. 5. cap. 10.

F Deinceps qua sit substantia succóue dicendum. Archestratus peritus opsoniorum æstimator auratam Ephesiam laudat apud Athenæum:

Lib. 7.

Χρύσοφρυν ἐξ Ἐφέσου τὸν πίονα μὴ παράλειπε. *Auratam ex Epheso ne prætermittito pinguem.*

Apud eundem Hicesius ait, piscem hunc & suauissimum, & inter omnes ori esse gratissimũ, quique maximè alat. Et Eupolis auratas lupis præfert, cùm scribit: Δραχμῶν ἑκατὸν ἰχθῦς ἐωνημένος, μόνους ὀκτὼ λάβρακας, χρυσόφρυς δώδεκα: i. pisces drachmis centum emptos, octo solùm lupos, auratas duodecim. Nec puduit Sergium Oratam cognomen inde accepisse, quòd ei pisces auratæ fuerint charissimi. Alio loco Athenęus ex Diphilo, auratam rationem melanuri sequi testatur. & Mnesitheus Atheniensis difficilem quidem concoctu auratam esse, sed cùm concocta fuerit, multum alere dixit. Et Cornelius Celsus auratam in ijs recenset cibis, qui duri sunt & robustiores. Romani Tarentinam prætulerunt, eam maximè, quæ Lucrinum lacum ingressa, illic concharum esu pinguerat, Martialis:

Ibidem.
Ibidem.
Lib. 8.
Lib. 2. cap. 18.

Non omnis laudem pretiumque aurata meretur, Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

In precio est apud nos quæ capitur in stagno, quod Martegue, & in eo quod Latera appellatur. Optima quæ in stagno ad montem Cetium pinguit. In hac opinionum varietate sic sentiendum: Auratam carne esse media, neque molli, neque dura, optimumq; succum gignere: & saxatilium carne paulò esse duriorem. vescitur enim non solùm pisciculis, sed tellinis, cõchylijs paruis, quas validis maxillis frangit, scarique rictu ruminat. Cæterùm pro ratione ætatis, locorumq; in quibus degit, succo esse diuerso. nam quas medias prius vocauimus, eæ succi bonitate & suauitate cæteris præstant. Quare qui concoctu difficiles esse dixerunt, eas quæ maiores sunt, & seniores intellexerunt. Eligendæ etiam sunt quę in profundo stagno & puro, vel in mari mediterraneo capiuntur. Nam in Oceano rariores sunt, & sicciore durioreque carne. Quæ in stagnis aquísue alijs impuris degunt, deteriores.

G Aurata in cibo ijs qui venenatum mel deuorarunt auxilio est, Plin. lib. 32. cap. 5.

E In stagno nostro fiunt sepes ex tamarice, quibus retia obtenduntur, in quibus tanta auratarum copia capitur, & sale conditur, vt in tota Gallia Narbonensi & Delphinatu, maximè quo tempore à carnibus omnino abstinetur, non pauperum modò, sed etiam diuitum mensis apponantur. Non multùm dissimilem auratarum capiendarum rationem, veteribus in vsu fuisse testis est Aelianus lib. 11. cap. 34.

Vide plura mox in Aurata stagni mar.
**vt in Corollario refertur.*

F Præparatur varijs modis. Nam si in aqua & vino elixetur, vt Galli parant, palato grata est: item si in aqua & aceto. optima si in oleo & pauca aqua elixetur, croco, pipere, aceto, vuis passis additis: vel vt Itali faciunt, si in craticula assetur, rigata oleo & omphacio. Quòd si ventri inseratur vmbella fœniculi, vel ramus libanotidis, fit odoratior & melior, quod maximè quando in stagno nutrita est, faciendum. Assatur & calida comeditur: vel assatur, & aceto pipereque conspersa asseruatur, frigidaque editur. Farinâ bene subactâ & pistâ conclusa, oleo, omphacio, aromatisque delicatioribus condita, optima etiam est, maximè si è maioribus sit. Sale condita in aqua dulci elixatur, & cum aceto editur. Sunt qui aqua maceratam ad minuendam salsuginem, in sartagine frigunt: & sapa, aceto, cepisque condiẽdo saporem optimum ei conciliant, quò maximè nostri delectantur. Sapa etenim salsuginem dulcedine sua temperat, acetum, acorem iucundum, cepa nidorem gratum addit.

Apparatus.

DE AVRATA STAGNI MARINI.

RONDELETIVS.

STAGNA marina vere cateruatim subeũt Auratæ, vt illic æstatẽ trãsigant. deinde in mare remeãt non impeditæ. Verum nostri ex tamaricum ramis sepes contexunt, trianguli figura, cuius extremum &

 acutum

acutum angulum ingredientibus aperiuut, regredientibus occludunt, nassisque adhibitis, vel retibus, vel †ventriculo quo tempore carnium opsonijs nobis omnino interdictum est, incredibilē Auratarum multitudinem capiunt, quæ piscandi ratio tertio quoque anno tantū repeti potest. Hæ Auratæ figura ab alijs non differunt. Pinguiores quidē sunt, sed lutū magis olēt, vel quia in luto degūt, vel quia Cōchulis pisciculisque luto viuentibus vescuntur, tum etiam limo, lutulentaque aqua. Vnde & Mugiles, qui à piscibus omnino abstinent, lutū resipiūt & omnes pisces qui in puriore stagno versantur, minus lutum resipiunt. Non sunt tamen istæ Auratæ negligendæ in marinarum inopia, sed euisceratæ coquēdæ sunt, & fœniculi, vel origani, vel alterius odoratæ herbæ ramulis infarciendæ, vt virosus ille odor euincatur.

†*verricula.*

DE AVRATA, BELLONIVS.

A Aurata mari mediterraneo cognita, Gallis tamen ignota (nihil enim habet cum Dorada Massiliēsium commune, de qua in Anthijs dictum est†) Oppiano à fuluis supercilijs Chrysophrys appellatur.

** Inter Anthias dixerat piscem S. Petria Gallis Doradā vel Dorce vocari.*

In Dentalis longitudinem ac latitudinem excrescit. Pinnam gerit in tergore continuam, quatuor & viginti aristis munitam, quarum duodecim anteriores in mucronem desinunt. Reliquū pinnę obtusum est. Porrò duos fert aculeos in alia pinna quæ ano vicina est, Sargi aculeis imbecilliores. Duas præterea pinnas sub ventre habet, & vtrinque circa branchias vnam: lineam super oculis vtrinq; ferè obliquam,
B aureo nitore micantem, vnde Græcis nomen habet. Est & in Aurata peculiaris quædam nota, quam tu percipies, vbi est linea illa arcuata, quæ latera vtrinque diuidit, & ad branchias desinit: inibi n. magna quædam vtrinq; litura nigra suggillatur. Dētes habet albos, optimo ordine in gyrū maxillæ dispositos, oblongos & subrotundos, vt Sargus: non autem latos vt Scarus. In interna autem maxillæ parte, multos præterea molares vt Sargus habet, sed in Sargo latiores sunt, quibus plerique in annulis pro gemmis vtuntur: siquidē peroptimè eos lapides referūt, quos Gallico vocabulo Crapaudinas dicimus. Caudam habet latam, bifurcam, & penè lunatam: branchias vtrinque quatuor: labra admodum crassa: squamas latiusculas, vt Dentalis.

C Pelagius piscis est, partim saxosis, partim arenosis locis degens: Litora quoque sequitur.

B Fuscina sæpenumero capitur interdiu, atque etiam noctu dormiens, vt lupus.

F Carnem habet candidam, solidam, & quæ bonum procreat succum, abundeque nutrit, facilè digeritur atque excernitur.

COROLLARIVM.

A Aurata dicta est quòd aureū superciliū gerat, vt in auratis senioribus cernitur Fr. Massarius. Aurata Hispanis alicubi vocatur doradilla. Anglis *Giltheade*, vel *Goldēeie*, quasi Aureus oculus vel, *Gyldenpole.* piscis est sic dictus ab aureo capitis colore. habet is in fronte, vt ferant, aliquid concretum, quod auri instar in aquis lucet. Dētes eo ordine dispositos, quo *checkezeeth*. schachorū seu latrūculorū ludi dētes siue spatia distincta interpretantur) quibus cōminuit & cōfringit (quod sæpe noctu audiuerūt piscatores) cochleas & alia testacea quibus vescitur. alij auratam, alij scarum esse putant. Vocatur etiam *Gyldenpole* piscis apud eosdem similis Lucernæ, vel Cuculo (vt audio) mixti coloris ex cinereo & rubro. *Pole* est occiput, quo lucet vt aurū. Germanicè dici potest *ein Goldbreme. oder Goldbrachsme, oder Meerbrachsmenart.* Aurata in Aquitania Daurade dicitur, Innominatus. Existimant quidam inter Auratas à piscatoribus (Romæ) vendi Scarum, maximè squamarum specie Auratis similem. cæterum ego crediderim eum non facilè à nobis deprehendi errore vendentium, qui similitudine decepti, neque animaduersa saporis nobilitate in foro piscario cum auratis & Sargis commiscere consueuerint. Consensu tamē piscatorum Zaphirus piscis, sic à cyaneo eius gemmæ colore dictus, inter Auratas longè sapidissimus existimatr, qui fortasse Scarus antiquis fuerit, Iouius. Impetitè quidam trutam piscem, *ein Forellen*, interpretantur Auratam.

Zaphirus.

B Circa Berenicen Libyæ fluuius est Λήθων, in quo nascitur labrax & aurata, Ptolemus Euergetes apud Athenæum. Aurata etiam in maritimis lacubus gignitur, Aristoteles. Auratis proxima forma sunt spari: item synodontes, verum maiores, Aristot. Ad sesquipedem eas accedere, & quindecim libras aliquando appendere audio. Binas pinnas parte prona, & totidem supina habent, Aristot. & Plinius. sed meliùs de pinnis earum Rondeletius scripsit. Paucæ appendices eis supernè circa ventriculum exeunt: & in eodem genere alijs plures alijs pauciores.

C Aurata piscis est litoralis, Aristot. In petris & arenis pascitur, Oppianus. Maiorum piscium genus ab alijs τμητοί, ab alijs pelagium dicitur, vt auratæ, glauci, phagri, Athenæus Mnesitheus. Aurata carniuora tantum est, Aristot. Pariunt hyeme, (æstate, vt libri Aristotelis habent) & bis pariunt, Athenæus tanquam ex Aristotele. Plurimum temporis latent, Aristot. Medijs feruoribus sexagenis diebus latent, Plinius. Aurata quoque hyeme laborat vt capito, Aristot.

D Aurata omnium piscium timidissimus est, Aelianus.

E Veteres Romani Auratarum aliorumque pelagiorum piscium semina atq; viuaria in mediterraneos lacus deferebant, Iouius (ex Columella) Arenosi gurgites, planos quidē nō pessimè, sed pelagios meliùs pascunt, vt auratas ac dētices, Punicasq; & indigenas, Columella. Auratæ fuscina interdiu sæpenumero dormiētes capiūtur, Aristot. Mænides esca sunt Auratis, Oppianus lib. 3. de pisc. Aurata omniū piscium timidissimus est. nam sub Arcturi tempus, cum maris accessus & recessus maximè fiunt, & eò altius exaggerata arena, ad littus relinquitur, vt naues sæpe ab omnibus aquis nudæ in terra maneant: tū piscatores postquàm populorum arborum ramos frondibus conuestitos paxillorum modo in mucronem acutos in arenam defixêre, discedunt: pòst autem rursus accedens mare secum imbellem Auratarum multitudinem attrahit. Quæ vbi æstus reciprocauit & recessit, in exigua aqua concauis locis retenta relinquuntur, & verò ramorum metu quiescunt. Adeò nimirum ramos vento agitatos exhorrent, vt ne loco quidem se commouere audeant. Quamobrem primo cuique magnum meticulosorum piscium numerum capere & ferire licet. Neque modo ab vsu piscandi instructi, sed etiam totius piscationis rudes, atque adeò pueri & fœminæ capere possunt, Aelianus.

F Minimè intus vitiātur (in vētriculo corrūpūtur) aues, & eæ potiùs duriores: auratæ pisces. neq; solū aurata pura, aut scarus, sed etiā lolligo, locusta, polypus, Celsus. quid si legamus? neq; solū aurata, coruꝰ, & scarus.

& scarus. Nam & alibi idem author, Piscium (inquit) eorum qui ex media materia sunt (id est mediocriter alunt) ex quibus salsamenta quoq; fieri possunt, qualis lacertus est, (minùs sunt graues:) deinde qui quamuis teneriores, tamē duri sunt, vt aurata, coruus, scarus, oculata. In dysenteria hepatica ex intemperie frigida, ex piscibus dare conuenit merulam, auratam, & præcipuè mullum, Trallianus. Χρύσοφρυν ἐξ Ἐφέσου τὸν πίονα μὴ παράλειπε, Ὅν κεῖνοι καλέουσιν ἰωνίσκον· λάβε αὐτὸν Θρέμμα Σελινοῦντος σεμνοῦ. πλῦνον δέ νιν ὀρθῶς. Εἶθ᾽ ὅλον ὄπτησον παράθες, κἂν ᾖ δεκάπηχυς, Archestratus. Auratæ æstate raro, hyeme autem frequentissimè capiuntur, quæ tum laudatiores existunt. Ipsæ inter cæteros pisces peculiari quadam dote singularem & saporis simul & salubritatis gratiam obtinent. Rectè coquentur, si ex præcepto Galeni eas in craticula subditis mitioribus prunis, oleo & sale acetoque consperseris, Iouius. Ius in auratam describit Apicius lib. 10. cap. 12. & patinam de aurata, lib. 4. cap. 2. Si pinguis est orata, elixam: si macescit, assam facito, ac moreto viridi suffundito, Platina.

H.a. Χρύσοφρυς proparoxytonum in recto singulari probè scribitur, χρυσόφρυς verò paroxytonum in pluralibus recto, accusatiuo, & vocatiuo. Plinius circa finem libri 32. chryson piscem ex Ouidio nominat, apud quem non chrysos sed chrysophrys legitur, Et auri Chrysophrys imitata decus: quare corruptum à librarijs Plinij locum dixerim, vt & alia quædam piscium ex Ouidio vocabula: sicuti nos nuper scholijs in Halieuticon Ouidij æditis ostendimus. Etelis, Ἐτελίς piscis idem qui chrysophrys, Hesychius & Varinus. Etelis Aristoteli piscis est squamosus, & oua parit. hunc piscem Niphus Italus ait à rusticis calonem vocari: quasi verò non innumeri sint pisces squamosi ouipari, vt duabus tantū his notis, quisnam piscis sit etelis, constare non possit. Rondeletius quoque inter pisces sibi ignotos numerat. Ἱερὸν ἰχθῦν, id est sacrum piscem apud Homerū, alij aliter interpretantur, anthiam, callichthyn, auratam, pompilum, &c. Vide suprà inter Anthias. Clitarchus apud Athenæum, Nautæ (inquit) pompilum piscem sacrum appellant, eò quod naues è pelago deducat ad portum vsque: atque ideo pompilum dici, cum sit aurata. Sed nos de Pompilo pisce diuerso ab aurata, suo loco agemus. Χρύσειον ἐν ὀφρύσιν ἱερὸν ἰχθῦν, Callimachus. Ἠδ᾽ ὁμίλει χρύσειον ἐν ὀφρύσιν ἱερὸν ἰχθῦν, Eratosthenes. videtur autem de pompilo sentire, nisi quis auratā potiùs intelligat. Ἐν δ᾽ αὐτῇ πλωτοὶ χρυσώπιδες ἰχθύες ἐλλοὶ Νήχοντες παίζουσι δι᾽ ὕδατος ἀμβροσίοιο, Eumelus vel Arctinus Titanomachiæ autor, apud Athenæum. Alia est fluuiatilis aurata, vt vulgò Padi accolæ Ferrariæ & alibi nominant. quidam Germanicè *Monsisch* mihi interpretabatur. Hunc esse coniicio quem nostri *ein Schuual* vocant, Gardonum Galli, de quo supra inter albos pisces scripsi. iris oculorum aurei in eo coloris est. Chrysophis (malim Χρυσοφανὴς) gemma aurum videtur esse, Plinius. Nónne à piscibus appellati sunt Sergius Orata & Lucius Muræna? Columella lib. 8. Macrobius etiam 3. Saturn. Oratam cognominatum scribit, quòd pisces auratæ ei fuerint charissimi. Varro etiam lib. 3. de re rustica eius meminit, & Val. Maximus. Sed aliter Festus, Sergium quendam prædiuitem (inquit) quòd duobus annulis aureis & grandibus vteretur, Oratam dicunt esse appellatum. Ostrearum viuaria primus omnium Sergius Orata inuenit in Baiano ætate L. Crassi oratoris, &c. Plinius.

Etelis.

Serg. Orata.

Ἀγλαὴ χρύσοφρυς ἐπώνυμος, Oppianus lib. 1. de pisc. Χρύσοφρυς ὃς κάλλιστος ἐν ἄλλοις ἔπλετ᾽ ἰχθύς, Matron Parodus in descriptione conuiuij Attici. b.

Chrysophryos auis (piscis) oculi suspensi tertianarios sanant. Cor quoque eius tritum suspensum febricitantem curat. Lapis capitis eius ad collum suspensus, phthisicos sanat, Kiranides lib. 1. Et rursus libro 4. Oculi tertianam & omnem ophthalmiam sanant. g.

Veneri sacer existimatus est hic piscis: vnde Archippus apud Athenæum, Ἱερὸς Ἀφροδίτης χρύσοφρυς Κυθηρίας. h.

AVRIS marina, alio nomine Patella fera dicitur. Vide in Patella.

AVRIS Veneris inter conchas dicetur.

AVSTRATVS (alij Astratus) piscis est, qui aquarum vndam ore suscipit, & oritur quando Pleiades occidunt, eò quòd tunc tempus est pluuiarum, Albertus. videtur autem vocabulum corruptum, & ad Apuam pertinere quæ de hoc pisce refert.

AVXVMÆ, vide in Thunno.

AZELVS (Arabicè) piscis cetacei generis, ex cuius ventre ambra eximitur. Vide inter Cete.

DE PISCIBVS QVORVM NOMINA B. LITERA INITIALI SCRIBVNTVR.

BABYLONICI pisces. Lege infra in Cordylo.

BACCALEARVM à pisce dicta regio ad Septentrionem, Author Nauigationis Magellanicæ.

BACANTIBVS, malus piscis: Βακαντίβος, κακὸς ἰχθῦς: de homine voluptuario: qui otium sectetur, nec suis negotijs incumbat, Varinus. Suidas piscis non meminit, in huius vocis, quæ Latina videtur, interpretatione. Βακαντης, ὁ σχολαστής, & Βακαντίβος, σχολαστής, μὴ προσεδρεύων τῷ πράγματι αὐτοῦ: homo scilicet vagus, vagabundus, otiosus. Σχολαστὴς quidem Græcis dubiæ significationis est. nam & simpliciter otiosum hominem denotat: & rursus diligentem & assiduum circa vnam rem aliquam, ita vt cæteris omnibus abstineat & otietur: vnde & vacare alicui studio Latini dicunt illum qui in id vnum intentus, alijs omnibus curis studiisque vacuus sit. atq; ita scholastici κατ᾽ ἐξοχὴν dicti, qui bonis literis operam nauant. Itaque Vacantem & Vacantiuum, in bonam partem potius interpretarer, τὸν σχολαστὴν καὶ προσεδρεύοντα τῷ αὐτοῦ πράγματι, hoc est vacantē, potius quàm vagantem. Sed quid hoc ad pisces? quoniam Varinus ita refert, vt Vacantiuus nomen piscis videri queat: errore forsan librariorum, quoniam proximè ante in Bæone pisce parœmiam retulerat, Μή μοι Βαιὼν κακὸς ἰχθῦς, ἐπὶ φιληδόνου.

BACCHVS, vide in Corollario j. de Asello. & in Mugilis Labeonis Corollario.

BÆON, quære infra In Blenno.

DE BALAENA VVLGO DICTA, SIVE DE MYSTICETO ARISTOTELIS, MVSCVLO PLINII.

RONDELETIVS.

Plinius confundere videtur Muſculum beluam, & piſcem balænarum ducem. Hunc cetum infra in C. vbi de Cetis diuerſis agitur, Britannicum cognominabimus: vbi & iconem & deſcriptionem diuerſas habes.





A

ANTIQVI balænę nomine vnicam duntaxat belluam intellexerunt, quo nunc piſcatores Santonici & Hiſpani ad phyſeteres, orcas, alioſque prægrandes, & balænæ perſimiles beluas abutuntur, B quas tamen vernaculis, & proprijs nominibus diſtinguunt, vt ex ſequentibus perſpicuum fiet.

Primùm igitur in Aquitanici maris litore, & in India, immenſa belua capitur, quam balænam vocāt: plurimùm XXXVI. cubitos longa eſt, octo alta, oris ſciſſura ad duodeuiginti pedes porrigitur, dentes in eo nulli, ſed horum loco in vtraque maxilla corneæ ſunt laminæ nigræ, ſenſim in pilos ſuillis ſimiles deſinentes: quæ in interiore, & poſteriore ſiue interiore oris parte breuiores ſunt, in media longiores. ab interioribus lingua intus continetur, & coërcetur, inde educta vel abſciſſa, ita diffunditur, vt in eūdem locum recipi poſteà non poſſit: maxima enim eſt, laxa admodum ſubſtantia. ſale cōditur, & à plurimis in maximis habetur delicijs. eſt enim omnium corporis partium tenerrima, ex ea XXIIII. vaſa implentur, cuiuſmodi ſunt ea quibus in Gallia ſalſamenta conduntur, vt huc & illuc conuehantur. Oculi quatuor vlnarum ſpatio à ſe diſtant, foris parui apparent, intus capitis humani magnitudinē ſuperāt. Quamobrem falluntur ij qui bubulis maiores eſſe negāt. Pinnas duas maximas in lateribus habet, quibus natat & catulos in metu occultat. In dorſo nullam habet. Cauda ſitu caudis delphinorum ſimilis eſt, figurâ non multùm abſimilis: quam quum mouet, ita mare agitat, vt nauiculas ſubmergat, vel ſi cymbam attingit, euertat. Roſtro eſt breui, fiſtula caret. corio duro, nigro, integitur ſine pilis, cui lepades & oſtrea hęrentia aliquando reperiūtur. Internępartes veluti in delphino, pulmones, renes, veſica, teſtes, pudendum. In huius beluæ ventriculo, mucus, ſpuma, aqua, alga fœtida inueniuntur, ſine vllis piſcium fruſtis: vt inde appareat carniuoram non eſſe. In quarundam ventriculo ambra viſa eſt.

Interiora.

A Huiuſmodi planè eſt belua quam capiti huic præfiximus, quam cum vulgo balænam appellauimus alibi. ſed balæna veterum non eſt: fiſtula enim caret, id quod mihi omni aſſeueratione affirmarunt, qui quotannis his beluis inſidiantur, & captas in partes ſecant. Fiſtulam autem veteres omnes vno conſenſu balænæ tribuunt. Quare cùm balæna veterum non ſit, ex vnica nota, propria quidem, & quæ nulli cum hac communis ſit, μυςίκητον Ariſtotelis eſſe colligo, quem Gaza Plinium ſecutus muſculus Latinè appellat. ἔτι καὶ ὁ μυςίκητος ὀδόντας ἐν τῷ ςόματι οὐκ ἔχει, τρίχας δ' ὁμοίας ὑείαις. Gaza, Muſculum etiā piſcis pilos in ore intus habet vice dentium, quibus omnino caret, ſuillis ſimiles. Plinius, Muſculus marinus qui balænam antecedit, dentes nullos habet ſed pro ijs ſetis intus os hirtum, (& linguam etiam ac palatum.) Alio in loco Plinius inter beluas marinas muſculum numerat. Vt à beluis ordiamur, arbores, phyſeteres, balænæ, priſtes, tritones, nereides, elephanti, arietes, muſculi, &c. Quare cū cornec illæ laminæ in pilos ſuillis ita ſimiles deſinant, vt ſi inde auulſos ſeorſum cuipiā oſtendas, aliunde quàm ex porci dorſo auulſos eſſe neget, quibus pilis belua iſta os hirtum habet, quam notā nullis alijs tribui à veteribus comperias: cùm etiam belua ſit à piſcium forma aliena, non eſt quòd dubitem Ariſtotelis μυςίκητον, ſiue, quod idem eſt, Plinij muſculum appellare. Eum alio in loco Plinius balænis viam monſtrare tradit: Amicitiæ exempla ſunt, Balæna, muſculus: quando prægraui ſuperciliorum pondere obrutis eius oculis, infeſtantia magnitudinem vada prænatans demonſtrat, oculorumq; vice fungitur,

Quod belua cuiuſimago eſt poſita, non ſit balæna, cum fiſtula careat: ſed Myſticetus Ariſtotelis, vel Muſculus Plinii.

Lib. 3. de Hiſt. ani. cap. 12.
Lib. 11. cap. 37.
Lib. 32. cap. 11.

A quo

A quo valde diſſentiunt Oppianus, Aelianus, Plutarchus, qui longè diuerſum à muſculo non ſolum balænarum, ſed etiam reliquorum prægrandium cetaceorum ductorem deſcribunt. Primùm Oppianus libro 5. ἁλιευτικῶν, beluis maris immanibus duce opus eſſe docet, tum quia nimia corporis mole & pōdere oppreſſæ tardè mouentur, tum quia omnes demptis canibus parùm acutè cernentes facilè poſſent impingere: idcirco viæ comes illis adeſt paruus quidem aſpectu, ſed longo corpore, cauda tenui, qui anteit viamq; monſtrat, vnde ἡγητῆρες, id eſt, ducem nominant. beluis marinis adeò gratus & amicus eſt, vt quo is velit ſequantur, in eoq; vitæ ſalutiſq; ſpes omnes ſitas habeant. Aelianus de eodem duce hæc prodidit. Omne fere cetaceum genus duce ad ſibi moderandum eget, illiuſq; oculis ducibus ad vidēdū vtitur. Is autem dux eſt, quemadmodum harum rerum periti teſtantur, longus piſcis, colore albo, capite prælongo, anguſta cauda. Húncne ducem vnicuiq; cetaceo natura dederit, an amicitia quadam is adductus cetum vltro antegrediatur, haud ſcio planè, ſed id tamen factum naturæ vi potiùs arbitrarer. nam hic ſeparatim nunquam ab illo natat: ſed ante huius caput antecedens, ipſius dux exiſtit, ac veluti clauus. etenim cuncta illi & prouidet, & pręſentit, caudæq; extremo præmonſtrat ſingula: hac parte cetum contingit & monet. ſic horribilia formidoloſaq; inhibet, ſic cibaria conciliat, inſidiaſq; à piſcatoribus poſitas ſigno quodam oſtēdit: atq; quem locum propter magnitudinem ipſum adire non oporteat, pręſignificat: nequando latenti alicui alliſus petræ aut affixus, funditus intereat. Quod mirum videri debet, minimam beſtiam maximo animali vitę cauſam afferre. Videtur autem cum belua huiuſmodi ad nimiam pinguitudinem peruenit, amplius nec videre nec audire poſſe. carnium enim moles & videndi & audiendi viam intercludit, & horū ſenſuum meatus obſtruit. Nunquam. a. cetus ſine hoc duce apparet. Quod ſi is piſciculus quo ad neceſſaria vtitur, perit, illi quoq; pereūdum eſt. His ſubſcribit Claudianus.

Sic ruit in rupes amiſſo piſce ſodali
Belua, ſulcatas qui præuius edocet vndas,
Immenſumque pecus paruo moderamine caudæ
Temperat, & tanto coniungit fœdera monſtro.

Hæc Aelianum ex Oppiano mutuatum eſſe, facilè perſpiciet is qui Oppiani verſus cum iſtis contulerit. Quare obſeruandum eſt Oppianum ducem balænarum depinxiſſe paruum, longo corpore, tenui cauda: Aelianum verò longum piſcem, colore albo, anguſta cauda, quæ faciunt vt ſuſpicer Oppiani locum mendoſum eſſe, βαιὸς ἰδέσθαι, δολιχόντε δέμας. Si enim paruus eſt piſcis, quo pacto longo corpore eſſe dicetur? Ex Aeliano igitur legendum crediderim λευκὸς ἰδεῖν, vel quid ſimile, vt Oppianus & ſecum & cum Aeliano conſentiat. (*Suſpicatur Rondeletius apud Oppianum pro βαιὸς ἰδεῖν, legendum λευκὸς ἰδεῖν. atqui nihil prohibet paruum aliquid, id eſt non craſſum, ſimul & longum eſſe.*) Quanquam Plutarchus hunc ductorem paruū piſcem eſſe affirmet. Locus eſt in libello, Vtrum prudentiora ſint terrena animalia aquatilibus: Is quem gubernatorem (ἡγεμόνα) vocant, magnitudine formaq, gobii piſciculus, foris quidem auium cum horruêre, propter aſperitatem ſquamæ ſimilis perhibetur. Et grandiorum cetorum cuipiam ſemper hæret: præitq; curſum dirigens, ne vel in breuia cœnumue impingat, vel in anguſtias incidat vnde exitus non detur. Hunc balæna lubens ſequitur veluti temonem nauis. Ac cæterorum quidem quicquid intra barathrum beluæ venit, animal ſeu ſcapha, ſeu ſaxum, peſſum it ſtatim pēritq;, in alui profunda merſum. Hunc autem agnitum, ore velut ancoram recipit intra fauces eius dormiturum, & quieſcente quieſcit: progrediente rurſus, vt antea eum ſequitur, haud vſquam diu noctuue deſtituens. hoc niſi facit, errare impingereque certum eſt. Periêre multæ dum velut gubernatore carens nauigium, delatæ ad terram ſunt, quod ipſi quoq; circa Anticyram vidimus: ac prius etiam haud ita procul à Bunis ceto eiecto, & putreſcente, peſtem inuaſiſſe narrant. Hæ ſunt de balænarum ductore diuerſæ veterum ſententiæ. Ego ſæpe balænarum piſcatores interrogaui, num piſcis aliquis balænas antecederet, qui fabuloſum hoc eſſe mihi affirmarunt.

Muſculum beluam, & piſcem balænarum ducem, aliis autoribus longe diuerſos.

Lib. 10. cap. 6.

Plutarchus.

Belua hæc viuos catulos parit, id quod ex diſſectione certiſſimum eſt. habent mares & teſtes & pudendum, fœminę & vterum & mammas. Quæ cùm ita ſint, iis quæ ex Plinio lib. 9. cap. 13. obiici poſſunt reſpondendum. ſic enim ſcribit: Quæ pilis veſtiuntur animal pariunt, vt priſtes, balæna, vitulus. Et mox ibid. cap. 14. Pilo carentium duo omnino animal pariunt, delphinus & vipera. Quaſi verò nulla ex ijs quæ pilo carent, pariant animal pręter delphinum & viperam; ac proinde μυςίκητος, de quo nunc agimus, animal non gignat etiamſi pilo non veſtiatur. At turſiones, orcę, phyſeteres, pilo carentes animal pariunt ex ſemine non ex ouo. Sunt quidem plures alii piſces vt cartilaginei, galei, ſiue vllis pilis ex ouo animal procreantes, etiam ipſo Plinio autore eodem modo quo vipera. Nam ea delphini modo animal non gignit, ſed ex ouo prius conceptum, delphinus verò ex ſemine ſiue ouo. Quare vterque Plinii locus vt in codicibus excuſis legitur, falſus eſt, vel inemendatus, quem ex Ariſtotele vt & multa alia deſumpſit: Procreant animal homo, equus, vitulus marinus, & reliqua quæ pilis integuntur: atque in genere aquatili quæ cete appellamus, vt delphini, & quæ cartilaginea vocantur: quorum aliis fiſtula data eſt, branchię deſunt, vt delphinis & balænis. Vides hîc balænam ab eorum quę pilis integuntur genere ſeiunctam, & eâdem ſententia cum delphinis & cartilagineis comprehenſam, quæ ſine controuerſia pilis carent, vt fortaſſe apud Plinium ſic legendum ſit: Animal pariunt priſtes, balęna, & quæ pilis integuntur, vt vitulus. Præterea illud non ſine cauſa quis miretur, quòd belua iſta pulmonibus ſpirans fiſtula careat, (*Qui cetum Britannicum deſcripſit, non alium ab hoc Rondeletii ceto, quantum video, tribuit ei foramina duo magna in capite: per quæ, inquit, putatur belluam plurimam aquam veluti per fiſtulas eiectaſſe.*) quam habeat balęna vera, phyleter, orca. quæ fiſtula cùm non ſolum ad reijciendam aquam, ſed ad reſpirandum data ſit, huius vice muſculus rimas ſeu foramina habet, quòd roſtro ſit non oblongo, ſed obtuſiore quàm cetere beluæ, quemadmodum teſtudines & vituli marini.

C

Animaduerſus & emendatus Plinii locus: qui non ſola pilo carentium delphinus & vipera animal pariant.

Lib. 1. de Hiſt. cap. 1.

Fiſtula loco quid habeat Myſticetus.

F Caro muſculi nullo eſt in pretio, lingua ſola commendatur.

E Pinguitudinis maxima copia ex partibus cuti ſubiectis, & ex vētre colligitur, quæ liquefacta non cōcreſcit, ob partium tenuitatem, eam ad lucernarum vſus ſeruant, Oſſibus apud Ichthyophagos populos tecta ſepiuntur: nec non horti in Aquitanico litore, vbi frequenter capiuntur, maxime ad oppida illa quæ lingua vernacula Biarris & Capretō & S. Iean de Lus nominat. Capiūtur illic circa brumā: nō linea & hamis validiſſimis vt fuſiùs deſcribit Oppiāus, & ex eo Aeliāus, ſcribēs balęnas duce ſuo orbatas, & carnea mole oculis imminēte, oculos tēebris circūfundi, ideo ad ſcopulos & litora facilè impingere.

Capturæ.
Lib. 5. ἁλιευτ.

 Tam

Tum robuſtos piſcatores primùm beluæ magnitudinem cõiecturis aſſequi. ſi enim vertex extra aquam emineat,non obſcura ſignificatio eſt beluam ingentem eſſe: contrà ſi dorſum extra ſummam aquam appareat: deinde robuſtiſſimum hamum ad catenam ferream alligatum proijcere. Belua vt eſcam videt,ſine mora effreni auiditate eam rapit,ſimulq; ferro guttur transfigitur: cuius dolore incitata, catẽam exedere & conficere conatur,quod ipſum poſtquam diu multumq; conata eſt,acerrimis doloribus affecta in pelagi profundum demergitur: cui funem omnem relaxant, tum quòd nullis viribus retrahi poſſit, tum ne piſcatores vnà cum nauigio deijciat: ſed vtribus vento plenis funibus appenſis in imum deſidere prohibitam,& fluitantem alij haſtis,alij tridentibus,alii ſecuribus cædunt, & plagis multis euictam in litus pertrahunt. Sed in locis illis quæ paulò antè nominaui,eodem modo capiuntur balænę,quo modo circa Scyllæũ tractũ capi ſolitos olim xiphias,qui & galeotæ vocantur,narrat Strabo: Manentib. in ſtatione multis biremibus ſcaphulis,binorum in ſingulis,alter remigat,alter in prora ſtat haſtam tenẽs. ſignificante autem ſpeculatore galeotam ſupereminere(nam beluæ tertia pars è mari prominet) & ꝓpinquante ſcapha,ille è manu coniecto telo vulnus infligit: deinde relicto ferro haſtile extrahit: ferrũ enim hami figura factum eſt,& leuiter haſtili aptatum de induſtria. ex eo appenſus eſt funiculus longus, quem vulneratæ beluę laxant,dum diſcruciata,& effugiens mortua fuerit.tum vel in litus trahũt,vel in ſcapham recipiunt,niſi omnino grandis fuerit piſcis. Nautæ & piſcatores eorum quę antè dixi oppidorum,in capiendis balęnis admodum ſolertes & expediti,(vt ipſimet mihi narrarunt,vt etiam diligenter rem omnem mihi per literas explicauit Capellanus vir doctiſſimus & humaniſſimus clariſſimi Nauarræ regis Henrici medicus,)ſimili in balænarum piſcatu ratione vtuntur: niſi quod pluribus cymbis opus ſit,& celeriùs actis,atq; vel ad fugiendum,vel ad inſequẽdum habilioribus. Illi igitur è turrib. ſpeculati,ſi quas balænas viderint tympanorum ſonitu omnes conuocant,quo ſigno dato omnes tanquam ad vrbis excidium accurrunt,telis & omnibus q̃ neceſſaria ſunt inſtructiſſimi. In ſingulis igitur cymbis deni collocantur robuſti remiges,alij multa tela,longa,cuſpide hamata,quorum figuram ſub beluæ figura expreſſimus,in beluam conijciunt, quibus infixis & altiùs inhærentibus funes longiſſimos telis annexos relaxant,vſq; dum vitam cum ſanguine fuderit,tunc vnà cum funibus balænam in litus retrahunt adiuti maris vndis,prædam partiuntur,cuius pars vnicuiq; cedit pro telorum coniectorum copia, quæ proprijs notis & inſculptis internoſcuntur. Mares difficilius capiuntur: fœminæ faciliùs, maximè ſi fœtus ſequantur: cum enim in his protegendis immorantur,fugiendi occaſio perit. Eadem ratione orcæ,phyſeteres omnesq; ſimiles beluæ capiuntur,quam hîc ſemel expoſitam alijs locis nõ repetemus: ſuperuacaneum enim id foret.

Lib.1.Geogr.

B Mihi non viderer hominis veritatis ſtudioſi officium feciſſe,niſi priuſquam caput hoc concludã,impudens mendaciũ eius detegerem,qui de aquatilibus libros duos edidit,is initio prioris,cum de balęna loquitur,neſcio qua fronte audet dicere Ariſtotelem partem balęnæ muſculum appellaſſe,quem etiam Oppianus(inquit)veluti quendam alterum piſcem balænę ducem eſſe cecinit,&c. Quid hoc aliud eſt quæſo,quàm grauiſſimo autori iniuriam facere? Muſculum,inquit,partem balænæ appellauit Ariſtoteles,qui ne per ſomnium quidem id vnquam cogitauit.nam muſculi nomine non vtitur, ſed Gaza interpres ex Plinio,vt antea docuimus,quem ſi vel ἀνάλφάβητος legiſſet,in tam fœdũ errorem haud incidiſſet. Eius enim verba ſunt: Muſculus etiam piſcis pilos in ore intus habet vice dentium. Ariſtoteles μυςίκητον nominat,cuius locum prius protulimus. Cùm verò hoc ſolo loco muſculi ſiue μυςικήτε mentio fiat,quis inde colligat partem balænę ſcilicet aſſulas illas muſculum vocari? neq; Plinius tribus in locis,quos initio huius capitis citauimus,muſculum partem balænę facit,ſed beluam marinam. Ex his .a. Latinis verſibus Lippii quos citat, ſatis liquet eum nunquam Oppianum legiſſe: qui tantùm abeſt, vt balęnę partem muſculum faciat,vt muſculum ne nominet quidem,ſed piſcem alium eſſe dicat, qui balænis iter pręmonſtrat,quem paruum,ſiue album (vt ex Aeliano emendauimus,)eſſe ait, lõgo corpore, cauda tenui,nominatum ἡγητῆρα,quo orbata balęna mox perit. Latinus interpres Plinium & Gazam ſecutus muſculum conuertit,in cuius conuerſione legenda mirum quàm ſtupidus fuerit, qui non viderit illic deſcribi piſcem diuerſum à balænis, ſemotum ab illis præcedere,quod prætenturis illis conuenire nullo modo poteſt. His addendum Plutarchi teſtimonium qui piſcem forma & magnitudine gobij, balænarum ducem, ἡγεμόνα vocat. Horum omnium locos antea citauimus conſultò, tum vt quod propoſitum nobis erat demonſtraremus,tum vt deinceps errores iſtos refelleremus. Quare nihil attinet iterũ locos proferre,nec in tam manifeſtis erroribus coarguendis immorari.

Muſculum nõ eſſe partem Balænæ Ariſtoteli contra Bellonium.

Lib. 3. de Hiſt. anim. cap. 21.

DE BALAENA VERA. RONDELETIVS.



EXpreſſa eſt balæna quam hic exhibemus ad veram viuæ effigiem,cuius etiam iconem perſimilem ad me miſit vir doctiſſimus Geſnerus. Eam Santones beluam piſcatores vocant gibbar, à gibbero dorſo,id eſt,in tumorem eleuato,in quo eſt pinna. A

Hæc Balænis vulgò dictis minor non eſt, ſed minus ſpiſſa minusq; obeſa,longiore eſt & acutiore roſtro,ob id fiſtulam habet. pinnæ in ventre breuiores & minores: lingua quoq; minor, vtpote quæ quatuor duntaxat vel quinq; ſalſamentaria vaſa impleat. B

Vorat hæc aphyarum turmas. In mari Indico balænę cùm ſe ſupra modum ingurgitarint,clamant vel mugiunt tam magno & contento ſono,vt qui binis Gallicis miliaribus abſunt exaudire poſſint. Minore pinguitudinis ſaburra premuntur: ideo celeriùs cæteris mouentur & natant. frequentes in India ſunt & nouo orbe. In fronte fiſtulam habent,fœminę mammas,vterum, viuos fœtus pariunt, lacteq; nutriunt,& paruulos pinnis ſuis tegit ac tuetur mater. Dormiunt,atq; adeò quæcunq; fiſtulam habent, elata per ſumma æquoris fiſtula. C (B)

Pinguitudinis,carnis,eadem natura,idem vſus qui ſuperioris,deniq; eadem piſcandi ratio. B

DE BALÆNA BELLONIVS.

Accedit Balænæ figura a Bellonio poſita,ad orcæ figuram,niſi quod capite & dorſo elatioribus eſt,&c. plurimum quidem ab vtraque Rondeletii icone differt.

Ingentiſſimus omnium aquatilium piſcis veluti cæterorũ rex ac princeps Balæna eſt: quo nomine eã omnes tum antiqui,tum recentiores vocauerũ: †Cete per inſignẽ denominationẽ quibuſdam dicitur. Vulgus Italorum(cui nulli præterquã ad lucernas eſt vſui)Capidolium,quod eius adeps velut oleũ minimè concreſcit,appellauit. Maximę molis eſt piſcis,viuiparus,roſtratus,pulmone pręditus: brãchiarũ loco pręgrandem fiſtulam in fronte gerens,haud exertã tamẽ,vt vulgo depingi ſolet,per quã,humorẽ quẽ ore exceperat,magno impetu effundit ac reiicit, vt eo vel onerarias ĩterdũ naues ſubmergere dicat̃. Pinnas habet vtrĩq; vnã,ac præter has tertiã in dorſo veluti alam,qua totũ corpus dirigit: caudãq; lunatam,qua temonis vice,huc atq; illuc corpus inflectit: reſpirat ac dormit ædita per ſumma æquoris fiſtula,exilitq; ad litus interdũ,inquit Oppianus,ſolẽ paſſura calentẽ. Corio glabro ac ſpiſſo ĩtegitur,nigro, duro,firmo ac ſolido,ſquamis & villis carẽte: cui pinguedo nonnũquam pedis altitudine ſubeſt, † noſtratib., præſertim verno ieiunio,ſale condita,eduliis apta,laridũ quadrageſimale appellant. Quin etiã Balænę lingua multarum eſt librarũ pondo,nobis in maximis deliciis haberi ſolita. reliquas eius piſcis carnes,etiam bubularum inſtar ſalitas,audio vel numeroſum exercitum integrum diẽ alere poſſe. †Prętenturas anta oculos habet,ob id appellatas, quòd his ſibi prætendat iter. Sunt autem tenues quædam aſſulæ quaternis vlnis longę,ac ſeſquipedẽ latæ,ad extrema in faſtigium acuminatæ, longiſſimis villis ad latera pęrditę(ſetas aut barbam appelles per me licet)vulgus falsò ĩterdum coſtam Balænę nominat: cuius perpolitis ac bene exiccatis fruſtulis,politiores mulierculę ſua pectoralia(quę buſta vocant) cõmunire, veſtiumq; fibras rigidiores ac rotundiores continere,atq; apparitores publici, virgularum ac faſcium loco geſtare ſolent. Partem hanc Balenę muſculum appellauit Ariſtoteles,quem etiam Oppianus veluti quendam alterum piſcem Balenæ ducem eſſe cecinit:

A B (F)

** Cetus*

†Icon ab eo poſita has non oſtendit.

Hac ratione (inquit) *comes cunctis ductorque viarum*
Et tenui cauda paulo ſemotus ab illo Præcedit. Et paulò pòſt,
Muſculus eſt paruus viſu,ſed corpore longo,
Hunc piſcem vero ductorem nomine dicunt.

Muſculus pars Balenæ. quod Rondeletius impugnat,

Cętera quę ad interiorẽ tam ingentis animalis ſtructuram pertinẽt,puto equidẽ ad Orcã & Delphinũ (quorũ anatomẽ poſtea deſcribemus)referri poſſe,cũ hoc viuiparum Cetacei genus exteriore forma illis reſpondeat,& ab iis incredibili tantũ mole diſcrepet. Huius rei teſtes ſunt oſſa tã vaſta,tamq; numeroſa in pleriſq; regionib. cõſpici ſolita,vt iis ruſtici apud Britannos, Armoricos ac Scotos (quorũ mare magna horum piſciũ copia abũdat)tanquã palis,ſuos hortos,p̃diaq; obſepire conſueuerint. Proinde nõ eſt à nobis huius piſcis forma ita exactè depicta,vt aliorũ omnium.non enim eius tanta nobis facta copia fuit, vt hanc per opportunitatem ad viuum depingere potuerimus, ſed ab antiqua quadam effigie deſumptam tibi proponimus,quàm proximè ad naturalem ipſius piſcis figuram accedere indicauimus.

Interiora.

COROLLARIVM.

Balęnę nomen à Gręco deſcendit. hanc illi φάλαιναν dicunt antiqua conſuetudine,qua πυῤῥὸν burrhũ, πύξον buxum dicebant, Feſtus. Φάλαινα piſcis eſt cetaceus ſiue bellua marina,Heſychius & Varinus. Balęnam belluam marinam,ipſam dicunt eſſe piſtricem,ipſam eſſe & cetum,Feſtus. Ego Capitoleum arbitror Balenam ex eo potius quàm Orcam eſſe,quòd Gręci etiam nunc vocant φαλαίνην, quam vulgo appellamus Capitoleum: & quòd etiam in Capitoleo,& non in ea,quæ nunc alicubi Balena vocatur, fiſtula in fronte ſpectetur. Itaq; cum Orca in nullis ſcriptis(quod iam mihi veniat in mentem) tradatur habere fiſtulam in fronte, mihi tam diu apud nonnullas regiones Italiæ peruulgata Balena videbitur, quoad totam rem melius inquiſiero, Gillius. Phyſeter(inquit Rondeletius) belua eſt admirandę magnitudinis,ex balęnarum genere, quę ab Italis Capidolio dicitur.

Gręcum phalęnę nomen non modò ad Latinos deriuatum eſt,ſed alias pleraſq; nationes. Italis vulgo ballena aut valena dicitur. Hiſpanis *Vallena*, Illyrice *Vvelryb*. Germanis *Vvalfiſch*, *Vvallfiſch*. ſed id nomen aliis quoq; cetacei generis piſcibus contribuunt: balænæ quodnam proprium ſit,quærendum. Ego hoc tempore cetum quem accolę Oceani *Braunfiſch*(neſcio vnde dictum,niſi à colore forſan) nominant,balænam eſſe coniicio. Huius generis vnus captus eſt anno Salutis 1545. ad locum quem vocant *Gripsvuald*,longus ſupra vigintiquatuor pedes. In eius ventriculo reperta eſt ingens copia piſcium non concoctorum adhuc,& inter alios ſalmo ſiue lachſus viuus vlnæ longitudine: ita vt tria dolia(quæ tonnas nominant)inde repleta ſint. Galli & Hiſpani *Tinet* appellant, Angli *Hore*. Hæc ad Sebaſtian. Munſterum ſcripſit, & ſimul piſcis imaginem miſit Iacobus Citzvvitz cancellarius principum Pomeranię. Ea ferè talis eſt,qualem Rondeletius pinxit,ſed dentes oſtendit inter ſe contiguos & latos tanquam hominis: caudam magnam & reliquo etiam corpore latiorem,ſuprà infraq; æqualem, & per margines eleganter criſtę inſtar inciſam: in medio cauam & reductam. pelle nigra vndiq; tegitur,niſi quod maculę duę magnæ candidæ vtrinque ſupra medium oculi incipiunt & retro tendunt. maxilla etiam inferior tota candida eſt,& pars quædam ſub ventre: Hæc vt icon pręſe fert, Aliqui tria huius nominis piſcium

A

Braunfiſch.

Tinet.

genera esse retulerunt. Squamas (vt audio Pelles malim) habent durissimas, quæ ferro penetrari vix queant. Pars eis in ventre sub collo (vel pectore) albicat: mari etiam altera ad pudenda. Cauda similis est caudæ hirundinis. Nimia pinguitudo earum fastigium parit. Cum nauis recens picata est, sentiunt illum odorem: quo delectatæ accedunt vt se naui affricent, vnde illa subuerti periclitatur. Nautæ verò dolia picata eis objiciunt, vt nauim relinquant. Ludunt illi cum doliis, & aquam per fistulas capitis emissam in sublime proiiciunt. Dorsum ad tres vlnas eminet. Cum ventus lenior flat, præsertim Auster, dorsi partem & caput supra aquam erigunt: & modò capite eminent, modò eodem deprimuntur, ita vt dorsum paulatim totum appareat: quod quidem auræ aspirantis oblectatione facere videntur. Rarò capiuntur in Germania inferiore, vt prodigij instar habeatur si quando capi contigerit: circa Frisiam verò & in mari Balthico multi. caro pinguis est, odore graui, & vitulinam quodammodo refert. Lardum habet in dorso. Sunt qui barbam habere negent: genitale verò vlnæ seu brachii longitudine, crassitudine femoris viri corpulenti ei tribuant, Hæc bellua Anglis, vt dixi, *Hore* vocatur: & alio nomine *Horlepoole*, & *Whirlepoole* etiam ni fallor: eadem nimirum omnium significatione, quòd impetu suo & flatu vorticosas in mari tanquam palude procellas excitet. Oleum ex ea colligi aiunt. Κῆτος pro Balæna aut pristi aliquando per excellentiam authores ponere videntur.

Olaus Magnus in regionum Septentrionalium descriptione monstra marina diuersa pingit, ex quibus balænas quædam nominat, siue propriè, siue nimis communi nomine: quas, vt apud illum reperi, exhibeo. etsi picturis eius fidem non admodum habeam, cum fistulas capitum nimis eminentes pingat, & pinnas quorũdam diuisas & vnguibus munitas pedum instar, &c. Reprehendenda est eius audacia, qui Sueuię (Suecię vel Scandiæ) picturam edidit: siquidem balænas canalibus adeò eminẽtibus expressit, vt aures esse dicas: quo fit vt plura alia ex pictoris potiùs arbitrio, quàm ex authoris sententia depicta esse credam, vt ex aliorum piscium figuris coniicere licet, Rondeletius. Idem fistulam in cetis, ab interiore palati parte perforatam, duplicem, septoque distinctam esse scribit: verùm in extima parte (inquit) vnicum foramen est, figura C. literæ, in quo operculum est ex carne pingui fistulis impositũ, quod eas aperit & operit, Hæc ille. At Olai icones prominentes etiam foris meatus geminos ostendunt: cui etiam picturæ, Iacobi Ziegleri descriptio consentit. verba eius inferius in B.

BALÆNA CVM ADIVNCTA ORCA EAM PERSEQVENTE.



BALÆNA ERECTA GRANDEM NAVEM SVBMERGENS.



Videntur & alia quædam cete ex eodem Balęnis adnumeranda, quæ ipse simpliciter cete nominat, cum præter magnitudinem balænis præcipuè conuenientem, nullam in se corporis partem raram aut monstrosam habeant. Eiusmodi sunt:

CETVS

CETVS INGENS, QVEM INCOLÆ FARÆ INSVLÆ ICHthyophagi tempestatibus appulsum, vnco comprehensum ferreo, securibus dissecant & partiuntur inter se.

NAVTÆ IN DORSA CETORVM, QVAE INSVLAS PVTANT, anchoras figentes sæpe periclitantur. Hos cetos Trolual sua lingua appellant, Germanice Teuffelvval.



SIMILIS EST ET ILLORVM ICON APVD EVNDEM, CAPITE, rostro, dentibus, sistulis, quos montium instar grande: esse scribit, & naues euertere, missi sono tubarum aut missis in mare rotundis & vacuis vasis absterreantur: quod & in Balthico mari circa balænam Brunsfich dictam fieri diximus.



Maximum animal in Indico mari pristis & balæna est, Plinius. Et rursus, Plurima & maxima in Indico mari animalia, è quibus balænę quaternũm iugerum, pristes ducenũm cubitorum. Indica maria ba-

læn.as

lænas habent vltra ſpacia quatuor iugerum,Solinus. Quatuor iugera Maſſarius interpretatur nongentorum ſexaginta pedum longitudinem. Ad litora Noruegiæ appelluntur aliquando immenſæ magnitudinis piſces balaenę,quarum nonnullę ad vlnas centum longitudinis accedunt. Hæ per æſtatem circa Noruegiam inter Foſam inſulam & arcem Vardehuſam pariunt: magis eò agminibus adnantes, adeò vt naues quæ fortè inciderint, in maximo verſentur diſcrimine, etiam cum in profundo ſub aqua balænæ fuerint, Incertus. Cum balænæ vi tempeſtatum aut ab alijs cetaceis animalibus in Septentrionalibus oris ad litus expelluntur,multa plauſtra plena de vno piſce ab incolis auehuntur, Olaus. Balænæ & in noſtra maria penetrant. in Gaditano Oceano non ante brumam cōſpici eas tradunt, Plinius. Sunt & prægrandes in mari Britannico. Quantum delphinis balæna Britannica maior,Iuuenalis Sa.10. De balænarum magnitudine plura leges infra in Cetis in genere B.

Balæna quemadmodum Delphinus, lac habet,colore quanquam nigro non eſt, maxime tamen cyaneo, qui medium inter nigrum & viridem locum tenet,conſpicitur: non branchiis, ſed fiſtula (ſic enim huius reſpirandi uiam apellant) ſpiritum ducit, Aelianus. Branchiæ non ſunt balænis, nec delphinis. hæc duo genera fiſtulis ſpirant: quę ad pulmonem pertinēt, balænis à fronte, delphinis à dorſo, Plinius. Et rurſus, Ora balęnæ habent in frontibus: ideoq; ſumma aqua natantes in ſublime nimbos efflant. Per ora (inquit Maſſarius) Plinius intelligit fiſtulas, quas balęnę, vti retulimus,habent à fronte, quod & ſequentia indicant: non autem ora quibus deuorant.ea nanque non à fronte,ſed ſubter habēt, ex Ariſtotele 8.de hiſtoria. Cæteris,inquit,piſcibus captura minorum à fronte agitur ore,vt ſolent meare. At cartilaginei,& delphini,& omnes cetacei generis reſupinati corripiunt: habent enim os ſubter, vnde fit vt periculum minores facilius poſſint euadere. Balæna mammas & lac habet, Ariſtotel. Balæna, delphinus & quæcunque fiſtulam gerunt,tum aërem recipiunt vt terreſtria,tum aquam vt aquatilia, Idem. Balænas & priſtes Plinius inter pilo intecta & animal gignentia numerat. Ceti quidam ſunt hirſuti,iiq; maximi: quidam verò minores & planæ pellis,qui in noſtro mari capiuntur duorum generum, alii dentati: alii ſine dentibus,qui ore ſugunt,ſicut muræna (lampreda,)aliquanto minores dentatis,& multò meloris carnis, Albertus. Et alibi, Balęnę genus quoddam ſugit & extrahit alimentū,ſicuti ſturio & muręna,(ſic vocat lampredam.) Puncta veru balęna nuper in oris Germaniæ emiſit per oculum vndecim amphoras magnas ſagiminis, Idem. Apparet autem ipſum quoque balænę nomine communiùs quàm veteres ſcriptores vſum. Balæna copioſum ſanguinem habet,& reſpirat in aëre miro modo, Galenus ſexto de vſu partium. Cutis eius ſummè dura,& propemodum inſenſibilis eſt, Ibidem libro 3. A caſtro Vuardhus litus totum verno tempore procul infeſtum eſt balænis vaſtæ magnitudinis,adeò quòd ad centum perueniunt cubitos, Spiracula duo habent in ſumma fronte patentia ad cubiti proceritatem. (*negat hoc Rondeletius.*) hæc tecta ſunt folliculo. Reſpirantes efflant vndas in modum denſi nimbi. Spina dorſi reperitur continens amplexu vlnas tres,internodia ſingula vnam, Iac. Zieglerus in deſcriptione Schondię. Oculi cancris, balænis, (*in Græco etiam* φαλαίναις *legitur, ſed perperam vt videtur*) carabis & omnibus animalibus capitis expertibus, ceruicibus prælongis inſunt. Habent enim hæc omnia teſtaceam ac duram cutim: vnde facile erat oculos altis ceruicibus tuto imponere,&c. Galenus de vſu partium 8.5. pro φαλαίναις autem videtur legendum ἀστακοῖς aut aliud teſtati animalis nomen.

C Sedes & commoratio balænis eſt pelagus, Aelianus. In Gaditano Oceano non ante brumam conſpici eas tradunt: condi autem ſtatis temporibus in quodam ſinu placido & capaci, mirè gaudentes ibi parere, Plinius. Balęna, delphinus, atque etiam cete omnia, quę reflant, ſpirant, Ariſtoteles. In mari Taprobanę inſulæ permultas balænas eſſe aiunt delphinis inſidiantes, Aelianus. Ambra eſt fungus quo cete & balænæ pro cibo vtuntur. argumento eſt quòd ambra reperiatur in ventriculis balænarum, Incertus. Nos plura de ambra afferemus in Cetorum hiſtoria Elemento C. Balęnæ ædita per ſumma ęquoris fiſtula dormiunt, Ariſtot. Delphini balęnaeq; ſtertentes etiam in ſomno audiuntur, Plinius. In ſiccū egreditur balęna vt à Solis radiis caleſcat, Aelianus,& Oppianus lib.1.de piſc. Interdum exit ad litus,& proſtrata dormit in arena, Incertus. Adoleſcit celeriter,& decem annis creſcit, Obſcurus. Quæ pilo veſtiuntur animal pariunt, vt priſtis, balæna, Plin. Delphini binos nutriunt vberibus ſicut balæna, Idē. Balænę vel binos complurimum magnaq; ex parte, vel ſingulos procreant, Ariſtoteles. Fœtus (vitulos ſuos) mammis nutriunt, Plinius. Gregatim ad prolificandum vêre conueniunt. rugiunt horrendum, Iac. Zieglerus. Cetus poſtquam ętatem annorum trium excedit, cum balæna coit,& in ipſo mox coitu vi genitalis virgæ emutilatur ita, quòd vltra coire nequit: ſed intrans alti maris pelagus in tantum excreſcit, vt nulla hominum arte capi poſſit, Iſidorus. intra tres autem annos quomodo capiatur, ex eodē ſcribemus in cetaceis in genere E. Cetus, vt legitur, non comedit vt alii piſces maſticando, cibumque dentibus comminuendo, ſed tantummodo glutiendo,& intra corpus retinendo. Idem habet oris meatus, vt dictum eſt, ſtrictos. Vnde non niſi paruos piſciculos deglutit, quos odorifero anhelitu ſuo attrahens ad ſe, ac deuorans in ventrem ſuum mittit. Habet enim in gutture quandam pellem membranæ ſimilem, quæ multis meatibus perforata non ſinit quicquam magni ingredi ventrem, Iſidorus.

D Balęna faucibus filios abſcondit, ſi quando maiorem belluam fugere contigerit, Philoſtratus lib.2.de vita Apollonii. Fœtus ſuos geſtant, cum inualidi ſunt: & ſi parui ſint, eos ore ſuſcipiunt. hoc idem eminente tempeſtate faciunt,& poſt tempeſtatem illos euomunt. Quando autem propter defectum aquę fœtus impediuntur ne matrem ſequantur, mater aquam in ore receptam inſtar fluuii ad eos eiicit, vt ſic inhęrentes terrę liberet. Adultos etiam diu comitatur, Author libri de nat. rerum. Cetum (Balęnam Plinius) duci & dirigi aiunt à paruo quodam piſce prenatante, ita vt cauda piſcis proximè oculos ceti ſit. Indicat autem ei tū prędam, ſi qua prẹſto eſt, tum aduerſus ipſum à piſcatorib. aut aliis belluis inſidias. Hoc viuo cetum nemo facile ceperit. quamobrem piſcatores ſummo ſtudio huic piſci inſidiantur. quo capto, nullo negotio iam oberrans cetus inſtar cęci circa litora & petras capitur. Appellatur autem hic piſcis dux, ὁδηγὸς (ab Oppiano,) quem vulgus γαλλω, id eſt Muſtelam nominat. Porrò eſca ceti eſt hepar taurinum crudum hamo inſertum. Dētes ipſius triplici ſerie collocatos eſſe aiunt, Hæc Grecus author innominatus qui ex Oppiano de piſcib. veluti paraphraſin ſcripſit. Venetiis vulgò Sorce, id eſt ſoricem ſiue murem vocant piſcem, muſtelę ſimilem, quem inter Muſtelas marinas ſuprà poſt Aſellos deſcripſi.

Dux.

Muſtela dux cetorum.

Piſci-

Piſciculus qui balænis oculorum vice fungitur, muſculi nomen habet & iuli, Hermolaus in Plinium. Ἄγρης μοῖραν ἔλειπον ἔτι ζώοντας ἰούλους, Ἠὲ γυρινήτην τρόγλην, ἢ περκάδα κίχλην, Eratoſthenes apud Athenæum. Hippuris ineſcatur iuli, Oppian⁹. Plura de Muſculo afferemus in M. elemento. Delphinus & phalæna inimici ſunt, Philes. In mari Taprobanæ permultas balænas eſſe aiunt, qui thunnis inſidiantes in terrā non exeant, Ælianus 16. 18. Orcę quàm infeſtę balęnis ſint, in ipſarum hiſtoria Rondeletius ex Plinio deſcribit. Nos paulò antè picturam ex Olao Magno dedimus, qua orcam repręſentat perſequētem balænam. Balęna vt quidam mihi retulerunt) gladium tanquam hoſtem capitalem metuit.

Bālęnam audio capi anchoris iniectis, quæ ad viſcera vſque penetrant. anchorę autem alligantur aliquot magnis funibus. funes cordibus magnis, qui in æquore ſupernatant, & vbinam balæna ſaucia ſit, oſtendunt. Cetus vel balæna in mari ludens, ſignum eſt tempeſtatis. Obſcurus. Contra pericula nauium à balænis, ne ſubmergantur, remedium eſt nauigantibus caſtoreum dilutum aqua,& in mare effuſum. hoc tanquam aconito petitus grex balænarum totus repente diſſipatur, & in profundum fertur, Iacobus Zieglerus in Schondia. periclitantur autem (inquit) naues, quę vel in earum corpora, vel in vortices aquarum (quos hæ faciunt inſtar charybdis agitatione ſua) delatę fuerint. Ego ex vndis etiā quas efflant, præſertim phyſeteres, periculum eſſe addiderim. De oſſibus balęnarum & eorum vſu ad ædificia,&c. leges infrà in Cetis in genere E. E

Balænæ ſaporem habent ingratum & mucoſum, Galenus 3. de alim. Carnes earum ſalſę humores melancholicos faciunt, Idem tertio de locis aff. Sunt & viſcera quorundam, quia pinguia, grata: velut ſturionum, balænarum, delphinorum. nam non ſolum ſapore, ſed & odore quaſi violę commendantur, Cardanus. Balænę breuiores cubitis ſexaginta, condiuntur in cetarijs: maiores inutiles cibo ſunt, propter non domabilem aſperitatem, Zieglerus. F

Magi in lethargum vergentibus coagulo balænę aut vituli marini ad olfactum vtuntur, Plinius. G

Balenam multi ſcribunt per e. ego per æ. diphthongum malim, vt & muręnam: quoniam Gręci φάλαιναι & μύραιναι ſcribunt. Balena beſtia immenſę magnitudinis ab emittendo & fundendo aquas vocata eſt. cæteris enim beſtijs maris altius iacit vndas. βάλλειν autem Græcè dicitur emittere, vt ſcribit Iſidorus. ſed melius Feſtus à Gręco φάλαινα deducit. Videri autem poteſt ſic dicta Gracis φάλαινα, propter maculas albas quibus ſplendet, ſi modo vera illa balæna eſt, quam cādidis inſignem maculis *Brunfiſch* Germani parocenitę appellant, quod & Calepinus ſenſiſſe videtur, cum ſcribit balænam ſiue phalęnam dictam, quaſi conſpicuam beluam aut à fiſtula capitis, quia reijcit aquam. nam & in galeis militaribus phálon Græci vocant meatum cui plumas inſerebant. A candicante quidem ſplendore muſcam quoque noctu lucernis aduolantem idem phalænæ nomen ſortitam dixerim: aliter pyrauſten appellant. quanquā Grammatici παρὰ τὸ εἰς φῶς ἄττεσθαι phalænam illam vocitatam conijciunt, vt Varinus ſcribit. φάλαι per apocopen pro φάλαινα apud Lycophronem eſt. Ναὶ μὴν καὶ φαλαινῶν ἀνάιδια φασὶ θαλάσσης ἐκβαίνειν. Oppianus prima producta in φάλαινα, vt & apud Latinos. Quantum delphinis balæna Britannica maior, Iuuenalis. Nicander etiam in phalæna volucri produxit, in Theriacis de cranocolaptis phalangijs ſcribens, Κνώδαλα φαλαίνῃ ἐναλίγκια, τὴν περὶ λύχνους Ἀκρόνυχος δειπνηστὸς ἀπηλαστὶ ποτιφάσσουσαν. Cęterum φάλος & φάλιος pro albo vel ſplendido primam corripiunt. Κρατὶ δ᾽ ἐπ᾽ ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον, Homerus Iliad.. Ariſtophani in Veſpis Phalæna mulieris nomen eſt. Δημηγορεῖν φάλαινα πανδοκεύτρια. Et rurſus, Εἶθ᾽ ἡ μιαρὰ φάλαιν᾽ ἔχουσα τρυτάνην: quibus verſibus de primæ ſyllabæ quātitate ſtatui non poteſt, quòd loco impari vocabulum ſit poſitum. Ἀναγκάσει φάλλαισι (forte φάλαισι. Scholiaſtes legit φαλαίναις. ſed ita non conſtat carmen) κοινωνεῖν δρόμου, Lycophron. Inuenio & φάλλαινα duplici λ. quandoq; ſcriptum, quod minus placet. In Lycia ſacerdos vaticinabatur, è piſcibus δίφων φαινομένων, ἢ φαλλαινῶν, Euſtathius. Cetum deuoraturum Andromedam, Lycophron φάλλαιναν, Scholiaſtes canem marinum vocat. Io. Tzetzes Variorum Chiliade 9. non modo phalænam animalculum lychnis aduolans, παρὰ τὸ ἄλλεσθαι εἰς φῶς dictum ait: ſed etiam belluam marinam eadem ratione, quòd è mari egreſſa in luce Solis apricari gaudeat. Addit, aliud quoq; animal phalęnam nominari,& alijs nominibus, pſychen, pſoran, pyrauſten vel πυραύστου μόρον, vulgo κανδυλοσβέστραν. ego verò hoc non aliud à prędicto animalculo lychnis aduolāte & inibi pereūte dixerim: quod & pſyche vocari poteſt, id eſt papilio, cuius ſpecies quædā minuta eſt: & pſora, à ſcabro ſui corporis alarūq; habitu: & cādylosbeſtra vel cādylosbeſtes potius ab eo quod facit, extinguit.n. cādelas.& pyrauſtes ab eo quod patitur: vritur.n.& perit igni. H.a.

φυσητήρ, fiſtula balęnæ qua reſpirat, vocatur ab Æliano de Animalibus 5.4. Scyllam fabulantur habuiſſe ſex capita,& inter cætera vnum balænæ, Iſacius Tzetzes. b.

DE BALANO RONDELETIVS.

A

ARISTOTELES inter teſtacea Balanos numerat, à ſimilitudine. Sed hæc vox βάλανος multarū arborū fructib. accōmodatur, quēadmodū glās apud Latinos omniū gl‑diferarū arborū fructib. Quamobrē Dioſcorides addito epitheto Palmarū fruct⁹ φοινικοβαλάνους vocauit, & Caſtaneas Σαρδιανὰς βαλάνους vel Διὸς βαλάνους: & βάλανον μυρεψικὴν, glandē vnguentariā, quam Plini⁹ myrobalanū vocauit. In officinis hodie ſemē behē dicitur. Sūt & myrobalani fruct⁹ alij Arabib. dicti, qui ex Ægypto & Syria ad nos deportātur, quorū etiā Dioſcorides meminit, quū ijs fructum palmæ cōparat: Palma in Ægypto naſcitur. ea medio maturitatis vigore, autūno decerpi ſolet, Arabicæ myrobalano ſimilis. Ex his liquet βάλανον addito epitheto ambiguitatis vitādæ cauſa multis arborib. attribui. Sed Balanus* marinus à ſimilitudine glādis querneæ nominatus eſt authore Atheneo: Αἱ δὲ βάλανοι καλούμεναι ἀπὸ τῆς κατὰ τὰς δρυΐνας ὁμοιότητος. Glādes dictę à ſimilitudine fructuū querc⁹. Sic etiā Gaza apud Ariſtotelē cōuertit. Ex quo quidē nō potes colligere quod hodie Glādes appellare poſſimus: earum enim breuiter meminit his verbis:: Rimis cauernisque ſaxorum vertibula generantur & glandes. Atheneus Glandes alias alijs maiores facit. Glandes, ſi maiores fuerint, aluo facilè ſubducuntur, & placent palato. Et rurſus, ex Diphilo: Glandes pro locorum varietate differunt. Ægyptiæ dulces ſunt, teneræ, ori gratæ, copioſi nutrimenti, multi ſucci, vrinas cient, aluum ſoluunt.

Lib. 3. ca. 143.

** marinæ.*

Lib. 5. de Hiſt. anim. cap. 15.

Lib. 3

Glādium differentia.

Aliæ magis ſalſæ ſunt. Eadem pro huiuſmodi locorum differentia alijs etiam competit. Quemadmodũ enim Ægyptiæ glandes ad Nili oſtia captæ dulciores ſunt, copioſioriſq; nutrimẽti & ſucci, ita Oſtrea in oſtijs Rhodani, Sequanæ, Garũnæ capta, dulciora ſunt alijs quæ ꝓcul ab aquis dulcib. capiuntur: ac proinde hęc quòd magis ſalſa ſint, magis aluũ ſolicitant, minùs nutriunt. Hæc de Glandium natura.

Glandes quæ ſint hodie.

Nunc Glandes ipſas demonſtremus. In Liguſtico litore Muſcolorum eſt genus quoddam in ſaxis latẽs, nonnulli Glandes veterum eſſe putant, ſed Pholades eſſe potiùs exiſtimauerim, de quibus poſtea dicemus. Si quis tamen nimis præfractè defenderit Glandes eſſe, non refragabor. Liberè dicam quod ſentio.

Pollicipedes. ** Bellonius.*

Duo mea quidem ſententia Glãdium genera ſunt: vnum quod in Gallia & Britannia noſtra pouſſepiez appellant, Pollicipedes nominant *quidam, quòd pollicum in pedibus ſimilitudinem habeant, quod nomen eiuſque interpretationem non probo. Id genus glandem eſſe colligimus, quod illi cum glandibus magna ſit ſimilitudo. Nam vt glandis quercus, vel ilicis pars prior læuis eſt, & in acutum tendit, po-
B ſterior aſpera: ſic hæc quæ ſaxo affixa exhibem⁹, poſteriore parte qua ſaxis hęrent, rugoſa ſunt & aſpera, glandiumque calyculis poſteriorem earum partem arctè retinentibus, ſimili. Plura ex vnica radice pẽdent è ſaxorum rimis. Ex teſtaceorum genere ſunt: pars enim prior longa, rotunda ex duabus teſtis componitur, colore & læuitate vnguium, in medio rimula eſt, ex qua capillamenta quædam veluti plumæ rubeſcentes prodeunt. Concha vna veluti ex multis acutis vnguibus conſtat, tota in quinque digitorũ longitudinem accreſcit, craſſitudine ſunt pollicis in Hiſpania, in Britannia noſtra ſunt minores. Pars poſterior quæ ſaxo alligatur, corio duro aſperoq; potiùs quàm teſta conſtat, ex nigro flaueſcit. In Hiſpa-
F niæ parte ea quæ Oceano alluitur, reperiuntur: in Normannia & Britannia noſtra frequentiſſimè adeò, vt per vicinas vrbes pagoſq; diuendant. Mulieres & delicatiores homines alia faſtidientes cibaria hoc edulij genere delectantur, & qui Veneri dediti ſunt. Elixantur in aqua, ius quod intus eſt ſugitur, tum priore parte contorta & diſrupta, caro extrahitur & ex aceto editur.

DE BALANI SECVNDA SPECIE, PARVA.

RONDELETIVS.



A SI cui glandes hæ non placeant, alias propono quæ glandibus fructibus ſimiliores ſunt. Naſcuntur in ſaxis, & in rimis nauiũ, quæ diutius immotæ vno in loco manſerint. adnaſcuntur etiam Mytulis. Vidi equidem Mytulos vetuſtos & mortuos totos iſtis glandibus opertos, & naues præ vetuſtate putres, quibus frequẽtiſſimę adnatæ fuerant.

B Hæ Glandęs ſtriatę ſunt, foramen habent è quo veluti frondem emittunt, multæ ſimul naſcuntur. Intus parum carnis continent, paruæ ſemper manent. Quamobrem has paruas Glandes, illas magnas appellare poſſumus.

F Noſtri prorſus negligunt, ac ne deguſtant quidem.

RVRSVS DE PRIMA BALANORVM SPEcie ex Bellonio: ipſe Pollicipedes tantum vocat.

A Pollicipedes vulgò Poulſepieds, (*Rondeletij Vrti aut vmbrã ſuam ab aliquibus Pouſſepir Britannorũ vocari ſcribit*,) quod pollicum in pedibus ſimilitudinem habeant, racematim Oceani cautibus adhærent: nomen antiquum nullum habent.

B Plures ab vno exortu coagmẽtantur, veluti ſi quiſpiam fingat aliquot ocreas ſimul alligatas de quodam loco editiore pendere, quarum ſoleę deorſum ſitę ſint. Minoris digiti craſſitudinem habent: quinque digitos longi ſunt, ac magno aceruo ſimul coagmẽtati, ab eodẽ exortu, ſaxo firmiter adhærentes: teretes, nigro corio veſtiti: quorũ extrema ſeu capita eodẽ modo ꝓminere videtur, quo pes tibiæ alligat⁹ eſt: in qua quidẽ extremitate rima inter duo duriora veluti teſtacea orã apparet, cui brãchiæ ſubſunt.

F Armorici litorales magnam horum copiam in pagos & vrbes vicinas conuehunt, quos vili pretio diuendunt. Sunt autem optimi ſaporis, ac mirum in modum faſtidia ſtomachi ſubleuant, vt etiam mulierum malacijs accommodentur. Elixi ex aqua ſalſa, pulpam habent duriuſculam, quam auferunt ſiniſtra tenentes radicem, ad quam alligantur, dextra verò caput arripientes: quod poſteaquam contorſerint, pulpam à theca extrahunt, vt ambiens corpus relinquatur vacuum calami modo. Pulpa autem quæ inde egreſſa eſt, lumbrici modo oblonga, rubra, teres, aceto piperato maceratur ac manditur.

COROLLARIVM.

A Conchas quas Bellonius balanos facit, Rondeletius Cõchas rhõboides appellauit. eæ inter Cõchas Elemẽto tertio à nobis referentur. Aliqui Balanos putãt, quas Rõdeletius Pholades, de quib. in P. Gen⁹. Concharũ eſt ꝙ Græci noſtrę ætatis, adhuc antiqui nominis retinẽtes, Balanos vulgò nominant. Plaut⁹ & Columella etiã Balanos à glandium ſimilitudine, ſunt enim læues, vt vidimus: in cauernis ſaxorũ ſtabulãtur. Veneti non rectè Dactylos appellant, Per. Gillius. Germanicè nominari poſſunt *Meereicheln*.

B Limoſa regio maximè idonea eſt cõchylijs & oſtreis: purpurarumq; tũ concharũ pectũculis, balanis vel ſphõdylis, Columella 8. 16. Συμφυὲς δὲ, μῦς: μονοφυὲς δὲ καὶ λεπάς, σωλὴν καὶ βάλανος. κοινὸν δ' ἐξ ἀμφοῖν, κόγχη.

D Thynnus non modo glandes, verumetiam purpuras proſequitur prope terram, ab exteriore pelago vſque in Siciliam inchoans, Strabo libro. 5.

Epicharmus in Nuptijs Hebę tanquam in lautiſſimis epulis nominant κογχύλια, λεπάδας, τηθυνάκια, βαλάνους: & Macrobius in conuiuio quo Lentulus flamen Martialis inauguratus eſt balanos nigros & albos inter alia teſtata. Balani ex teſtaceis conueniunt ſtomachicis Archigeni apud Galenum de compoſ. medicam. lib. 8.

Plura vide inferius in Concha rhomboide ſeu balano Bellonij, ex Xenocrate & Galeno, quæ huc relata oportuerat in F.

Macrobius balanos nigros & albos maſc. gen. dixit, Græci ſemper fœm. g. efferunt. Preſſa tuis balanus capillis, Horatius lib. 3. Carm. de balano myrepſica, hoc eſt glãde vnguentaria, quam & myrobalanum vno vocabulo nominant, fœm. gen. non neutro vt recentiores quidam putant. quare apud Pliniũ etiam non Sardianos balanos, vt vulgati codices habent, ſed Sardianas legerim, de caſtaneis. H. a.

DE BALAGRO VEL BARINO.

BALAGRI & Carini piſcium fluuiatilium meminit Ariſtoteles de Hiſt. ani. lib. 4. cap. vltimo, ſed in Græco legitur χυπρῖνος & βαλῖνος, vbi Gaza reddit Carini & Balagri. Epitrageę ſunt, (inquit Ariſtoteles,) hoc eſt ſteriles. nam nec ouum, nec ſemen vllum prolificum vnquam habent: (tales barbi in Rheno aliquando inueniuntur, circa Scaphuſiam, *Junkerlin* vocant.) ſed qui ſolidioros pinguioreſque in eo genere ſunt, ijs inteſtinum paruũ eſt, & laus pręcipua in paſtu. Vide ſupra inter Albos piſces BALLERVM Rondeletij, & Corollarium noſtrum. Ballerus fortè is eſt quem Saxones Germani *Praſem* vocant, Eberus & Peucerus. Sunt piſcium nonnulli epitrageæ, ab hirci ſterilitate appellãti: quo in genere carini & bareni ſiue balagri ex amnicis annotantur, Fr. Maſſarius.

BAMBADONES piſces, βαμβαδόνες, nominantur ab Epicharmo in Nuptijs Hebę, citante Athenæo: ſed melius legetur βεμβραδόνες, vt idem alibi citat. Sunt autem Bebradones quæ aliâs Membrades dicuntur, Apuarum generis.

BANCHVS. Vide in Corollario de Mugile Labeone.

BARACVS, βάρακος, piſcis quidam, Heſychius & Varinus.

BARBOTTA vulgò dictus piſcis, inter Muſtelas fl. dicetur in M. litera.

DE BARBO, RONDELETIVS.

MVGILVM fluuiatilium generi ſubijci poteſt qui à carnoſis cirris barbæ modo dependentibus Barbus ab Auſonio vocatus eſt, à Gallis Barbeau, & Barbet & Barbarin quum minor eſt. A

Piſcis eſt fluuiatilis mugilibus corporis ſpecie, pinnis, earum numero & ſitu ſimilis, niſi quod pinna quę in medio eſt dorſi firmiori aculeo innixa eſt: pinnę ventris magis flauæ ſunt, caudæ pinna rubeſcit. Roſtro eſt longiore & acutiore, cartilagineo & pingui: è cuius extremo duæ appendices, ex lateribus aliæ duæ propendent, à quibus Barbi & Barbati nomen adeptus eſt, dentibus caret. oculis eſt paruis: pupilla nigra, quam ambit aureus circulus. Branchiarum rima parua, quamobrem extra aquam ſatis diu viuit. Linea à branchijs ad caudam porrecta minus euidens eſt quàm in alijs. Colore eſt vario: dorſum enim ex viridi flaueſcit, venter lactei eſt coloris. In hepate fellis veſicam habet: inteſtina in ſpiras contorta, pinguitudine oblita. Veſicam aere plenam. B

Oua venenata eſſe vulgò dicuntur, quòd vim turbandę alvi & ventriculi ſubuertendi habeant. Hoc ideo fit quia bilem mouent & excitant. ijs enim qui affatim oua iſta deuorarunt. & vomitu & alui deiectione, & magno oris ventriculi morſu & moleſtia corpus vacuatur. Hanc vim ouis iſtis ineſſe nonnulli exiſtimant eo maximè tempore, quo ſalicum (quæ ad fluuiorum ripas ſunt) floribus in aquam decidẽtibus veſcantur. Sed cùm eadem neq; ſalicum floribus, nec alijs ipſorum Barborum partibus quę ex ijſdem aluntur, inſit, id idioſyncriſię potius tribuerim quam manifeſtæ cuipiam qualitati. F. G.

Barbus carne eſt candida, molli, ſapore non inſuaui, ſed pituitoſa, ſpinis multis firmata. Circa caput pingueſcit, cum ſquamis coquitur, quia paruę ſunt. Cùm ſenuerit, maiore eſt in pretio, & melior. quod cecinit Auſonius his verſibus. F

Tuq; per obliqui fauces vexate Saraui,
Quum defluxiſti famæ melioris in amnem
*Tu melior peiore æuo. tibi contigit * vni*
Qua bis terna fremunt ſcopuloſis oſtia pilis,
Liberior, laxos exerces Barbe natatus.
Spirandum ex numero non illaudata ſenectus.

** aliàs, omni.*

Vehementer errant qui Mullorum vires Barbis tribuunt, quòd vtrique barbati ſint. cùm maximè à ſeſe diſſideant, hi fluuiatiles, illi marini & rubri. Barbus non ineptè ob roſtrum longius & acutius inter Oxyrynchos connumerari poteſt, quoniam multi eo nomine à veteribus donati ſunt. A

Barbus à Mullo diuerſus. Oxyrynchus.

DE EODEM, BELLONIVS. QVI *Myſtum fluuiatilem nominat.*

Myſtus Nili.

Myſtus frequenter in Nilo capitur. ſed quomodo Lucius Italicus à Gallico differt. ſic Nili Myſtus à noſtro diſſidet. Noſter enim Myſtus oblongus eſt. & quaſi teres: Niloticus vero craſſo & recurto eſt corpore: eiuſdem tamen coloris ſunt: & eodem modo barbis quatuor ſeu myſtacibus exornantur: Niloticus noſtrum Cyprinum ipſa forma ferè æmulatur: ventrem enim habet expanſum. Tanta craſſitudine in Nilo proficit, vt eum Memphis libras viginti pendentem viderim: quo in loco Mythus vel Myſtus dicitur: vulgus Græcum Muſtachato pronunciat. Eſt & aliud quiddam, quod Gręci vocant μυστικῆτον, de quo in Balæna diximus. oblongis aſſulis, cauda tenui: Latini muſculum vocant. ſetas multas habet ſuillis ſimiles, caudę equinæ proximas. Quidam volunt hoc in ore Balænæ contineri: Romæ Barbi Tiberini plurimùm laudantur.

Myſticetus.

Vulgus Mediolanenſe iam adultos Barbos, Barbaros vocat: minores verò Balbetos. Quanquam etiam marinum Mullum Galli Barbatum appellant. A

DE MYSTO MARINO, BELLONIVS.

Myſtum marinum piſcatores quidam Veneti, quum ſemel inter cæteros cepiſſent, oborta eſt, me præſente, inter eos de ipſius nomenclatura contentio. horum enim quidam propter grandia labra & barbulas his adhærentes, Porceletam (genus quoddam Sturionis) eſſe contendebant: alij, propter lineas tranſuerſas, quas in lateribus gerit, Mormyrum vocabant. Tandem autem lis eorum dirempta eſt, quum ego Myſtum illis eſſe diſſerui. etenim quemadmodum marinus Lucius, ſic Myſtus etiam marinus fluuiatilem refert. A

B Proinde Mystus argenteo colore nitet: corpus habet oblõgum in Mormyri modum, denis vtrinq; lineis trãsuersis nigricantibus delibutũ. Véter illi dorso candidior est, ac magis tersus. cauda bifurca: sed pinnę laterales †Fragobreuiores & latiores. verùm quæ in tergore est, decẽ crassioribus ac breuioribus spinis cõstat, quàm Cantharus: quæ verò ab ano ad caudam fertur, ea duobus tantũ aculeis obfirmatur. Cęterum oblongo est capite, vt Sphyræna, aut fluuiatilis Mystus: Oculis non valde magnis, quorũ irides aureę sunt: Labris ꝓminulis, mollibus, crassis, Sturioni similibus, sola antrorsum, pro dẽtibus, scabritie exasperatis. Cirrhi autem tenui membrana maxillæ inferiori coniunguntur. Molares quidẽ habet dẽtes in oris posteriore parte sursum ac deorsum abditos, ordine multiplici dispositos, albos, paruos, breues: branchias vtrinq; quaternas.

F Sapida est illi supra modum caro, mollis, alba, friabilis, spinulis haud valde referta.

B Squamæ cuti fortiter inhærent, quę multò maiores quàm in fluuiatili sunt. Proinde stomachus Mysto est oblongus: in quo arenam, Conchulas, Tellinas, Pectines ac Mitulos cõperies: nullas præterea apophyses in eius pyloro videbis.

Barbus hic à nostro pictore eam, antequam Rondeletij liber adoreturꝰ, delineatus est: maiusculus quã vellem, vt & alij multi.



* *Phagro.*

COROLLARIVM.

A Barbus Ausonij à recẽtioribus quibusdam barbulus, aut barbellus, aut barbo vocatur, à nonnullis ineptè balbus. & quoniã barbatulꝰ est, vt mulli, ab imperitis quibusdã cũ mullo lõgè diuerso & marino pisce confunditur. In plerisq; omnib. linguis à barba nomẽ habet. Barbio Italicè. Bárbo Hispanicè. *Barb, Barbe*, *Baʒbel, Barbele*, Germanicè. *Barme*, Flandricè, & apud Saxones etiam *Parme*, vt Ge. Agricola interpretatur: Anglicè *Barbel, Barbyl*. Illyricè Toporek. Polonicè Beziana. Græci etiã Mystũ vel mystacatũ vulgò vocant, vt Bellonius docet, à mystace, id est barbitio. quanq; superioris labri tantũ barbã propriè sic appellant. Mysticetus etiã inter cete barbatꝰ videtur. Ab accolis Strymonis Græcè loquentib. mustacatꝰ vel mystus dicitur, Bellonius. Barbuli pisces nullã in veterib. scriptis memoriã extare Grapaldus miratur. Alexãder Benedictus mullũ barba insignitũ & marinum fluuiatilẽ nominat, fluuiatilis nomine barbum intelligens.

B Pisces aliqui duas habẽt mãdibulas mobiles in guttĕre suo, quę in laterib. vtrinq;, vna dextrorsum, & altera sinistrorsum, cõtra se inuicẽ mouẽtur: & in ore nullũ habẽt omnino dentẽ, sed in mãdibulis illis, sicut barbellus & carpo. &c. Albertus. Et alibi, Piscium omniũ dẽtes valde acuti sunt, exceptis ꝑpaucis qui in laterib. gutturis mãdibulas habẽt, vt pisces fluuiatilis magnis vetusti squamis, barbellus (at huic squamę sunt exiguæ) monachꝰ, & alij quidã. hi.n. habẽt dẽtes latos aliquantulũ, magis ad cõterẽdum cibũ q̃ ad diuidendũ idoneos: quamobrẽ etiã omnes æquales sunt. & ideo natura abscõdit eos ãn gutture, vt clauso ore aqua nõ suffocet mãdentes hos pisces. Tales. a. dẽtes maximè habet Carpo (Cyprinus) pisces. Pisciũ alij osseũ tegumentum branchiarũ habent, vt Lucius, Barbus & Salmo, Albertus.

C Barbus vescitur algis aquarum, cochleis & piscibus, ne suo quidem generi parcens. Sub collibus & ripis prominentibus versari gaudet, & porcorum instar fodere, ita vt aliquando in cauernis inhæreat ac pereat, vt piscatores aiunt. Barbi apud nos ineunte Augusto pariunt. In villa mea ad Danubium sita, vbi plurimæ sunt cauernæ in muris & lapidib. expertus sum quotannis post æquinoctiũ autũnale congregari pisces quos vulgus barbellos vocat, & tanta copia conuenire, vt manibus etiã capiantur, ita vt meo tempore incolæ loci aliquãdo decem plaustra ferè manibus ciecerint. nam hoc genus piscis frigus non sustinet

sustinet. quare semper languidus hyeme inuenitur, (& latet aliquandiu) æstate verò mundus & sanus est, Albertus. Hirudines barborum pinnas aliquando infestant: quas illi saxis affricãtes in fundo aquæ depellunt, aut rapidiora fluminis loca petunt vt aquæ impetu elidantur, quod piscatores asserunt.

Piscatores mihi retulerunt barbellum in fluuijs oua sua custodire, ne ab alijs deuorentur, Albertus. D

Pisces quidam capiuntur rebus fœtidis, vt barbelli cadaueribus, Albertus. Circa Argentinam retis genus quod vrsam nominant vulgo, nassæ simile, duobus iusti ponderis lapidibus oneratum, inserto per medium ramulo cui alligarint vermes illos, quos *Engerich* Germani vocant, (Engæos dicamus nos, ab eo quod in terra semper delitescant, donec Maij tempore in scarabæos ab eodem mense nominatos transformantur,) in aquæ fundũ demittitur fune: sic & alij quidã Pisces, & barbi præcipue inescantur. E

10 Barbus non sustinet frigus. quare semper languidus hyeme inuenitur, æstate verò mundus & sanus F.G.
est, Albertus. Commendari incipit Maio, usque ad Iulium, vt piscatores circa Rhenum & alia flumina aiunt: nostri etiam Augusto probant: oua verò nunquam. Ganeones labra huius piscis præcipue appetunt. Barbus frequens Insubriæ piscis est, ac vilis. est enim adagium, Barbum neque frigidum, neq; calidum, nec elixum, nec assatum, esse bonum, Cardanus. Alexander Benedictus tamen salubrem pestis tẽpore victum præscribens, mullum barba insignitum & marinum & fluuiatilem (de barbo sentiens) cõmendat. Barbuli inter bonos pisces, quouis modo cocti, non connumerantur. Eorum oua, mense præsertim Maio pernicioſa habentur, Platina. Cum de ouis barbuli piscis cocti duos tantum bolos comedissem, experiundi gratia, nihil inde aliquot horis postea noxæ percepi. demum sub horam cœnæ plurimam in ore ventriculi sensi inflationem, quam vt dissoluerem, anisum sumpsi, sed frustra. post horam
20 facies mea apparuit tanquam in syncope, ita vt astantes & admirari, & de mea salute timere inciperent. Ego interim magnam non solum in stomacho & ventre, sed omnibus membris externis alterationem & inæqualem quandam intemperiem in vnaquaque carnis parte sentiebã. Tum superuenit passio cholerica, donec supra infraq; simul pluries oua purgarentur, magna cum anxietate & virium prostratione & maximo vitę periculo, Ant. Gazius. Ego etiam quosdam his ouis degustatis similiter ferè affectos noui, & quendam intra duas horas ab eis assumptis supra infraq; magna cũ anxietate vehementer inanitũ. quamobrem oua cum piscis exenteratur, statim eximi debent nec vna cum pisce coqui. Oua fluuiatiliũ quorundam piscium, vt mullorum (barborum dicere debuit) ventrem acrius turbant, Alexander Benedictus. Quidam ex ouis lucij quoq; similiter cholericam passionem excitari aiunt. Mollioribus & ociosis hominibus ex horum ouorum esu facilius noxam fieri putant; robustioribus & laborantibus non
30 item. Elixandum vino priùs feruenti imponendum aiunt, est enim carne molli & laxa.

Equorum purgatio ex intestinis tincarum aut barbonum à Rusio Hippiatro describitur.

Mystus marinus Bellonij, Germanice vocari poterit, *ein Meerbarbelaꝛt*, hoc est Barbi marini species. nam & mullum sic nominamus.

Barbum quidam ioco sarctorem cognominant, nescio qua ratione. *Ein Barbist ein schneyder.* H

BARINVS, vide supra in Balagro.

BASILISCI pisces, Βασιλίσκοι, circa petras leprades (humiles, iuxta mare arenosum) pascuntur, Oppianus lib. 1. Hi an Alaudis Rondeletij sint cognati, quærendum.

BATIS, Βατις, genus est piscis, aliud quam batos, (id est Raia,) Varinus. Rondeletius baton esse docet Raiam in vtroque sexu: batida, fœminam tantum. Est & auis Aristoteli Βατις. Videtur & Botis no-
40 men esse piscis.

BEBRAS & Bebradon, Apuæ genus est supra dictum.

BEMBIDION, Βεμβίδιον, pisciculus quidam paruus est, Hesychius & Varinus.

BERBERI Conchæ margaritiferæ genus inter Margaritas dicetur.

BERYS, Βῆρυς, piscis, Varinus.

BLACEAS, Βλακείας, piscis quidam, Hesychius & Varinus. idem nimirum qui Blax.

BLAPSIA piscis est qui alio nomine Cephalinus dicitur, à Cephalo diuersus, vt quidam in Lexicon Græcolatinum retulit.

BLAVTIS aliàs Blanctis. piscis est fluuialis. Huius caput incensum, & cum melle solutum & superlitum, visus acutissimos præstat. Fel quoque eius idem præstat, Kiranides.

50 BLAX, Βλαξ, piscis est quidam siluro similis, sed inutilis adeò vt ne canes quidem eum gustare velint, Suidas. Βλαξ alioqui nomen adiectum Græcis significat mollem, dissolutum, laxum, stolidum ignauum, inertem. Plato de repub. 4. Βλακικὸν πεθ@· dixit animi stuporem & inertiam, vel hebetudinem, quod & πνευμονίαν aliquis dixerit à pulmone marino absque sensu animali. Βλαξ, stultus, à pisce quodam fœtido, ὅστε πν@· ἰχθύ@· δυσώδες, Hesychius. Βλακεύειν, μωραίνειν. ἔφηται δὲ ὅστε ἰχθύος ἡ καλουμένη πλακή, Idem. Blitum herbæ genus est, cui nomen à stupore saporis inditum putant, quasi Βλαξ, quæ vox bardum & stupidum significat Festus in Blito,) Erasmus. Lege apud eundem prouerbium, Inutilior blace, Βλακὸ, ἀχρηςότερ@. Vide etiam in Glanide B. 1. Corollario.

60 DE BLENNO VEL BELENNO. RONDELETIVS.

PISCIS βέλεννος dicitur ab Athenæo lib. 7. qui ab Oppiano libro 1. de pisc. Βλέννος, Βλεννὼν ab Epicharmo, quod breuis sit, opinor, pro corporis crassitudine. Piscículus est ei qui à Tholosatibus Peis de menage vel grauan dicitur, similis. Ei verò qui à Gaza cothus (*Cottus fl. pisciculi*) nominat, tam similis, vt idem planè videatur.

Blennus alius.

A

Lib. 3. de Hist. anim. cap. 2. B (F)

Pelagus est & rarissimus. Corporis specie ranã piscatricem refert: colore & carnis substantia aphyam cobiten. Est igitur capite magno, rostro acuto, ore paruo. Pinnam in ceruice vranoscopi modo habet nigram, qua caret cothus fluuiatilis. duas alias inferiores ori proximas. Squamis caret. Ventre est candido, reliquo corpore fusco: cauda non omnino rotunda, nam vtrinque depressa est. Hanc meam sententiam confirmat Athenæus: Ἐστὶ δ., inquit, ὡσπερ τῶν ἰδέαν τοῦ βατράχου, id est, specie similis est cotho si- *Libro 7.*

ue cothio: nam vtrouis modo legi posse puto, nisi malis κωβιῶ legere. huic enim satis est similis. sed cothonem, de quo nunc loquimur, multo similior. Vix enim quis belennum à cotho discernat, nisi qui noverit hunc in fluuijs, illum in alto mari degere.

F Ex Epicharmi verbis, quæ refert Athenæus, apparet vilem fuisse piscículum, nec immeritò. est enim humida carne, planè insipida. corpore valde breui: quippe cùm caput toto reliquo corpore maius sit. Ἄγε δὲ τρίγλας τε καὶ χαρίεσσας βοώνας. Ibidem Athenæus autor est apud Atticos prouerbiũ fuisse, Μὴ μοι βαίων κακὸς ἰχθύς, ne mihi bæon malus piscis. nec proverbij vsum indicat.

G Blennorum cinis cum ruta vesicę vitia & calculos sanat, inquit Plinius lib. 32. cap. 9.

DE BLENNO BELLONIVS: QVI ALIAM quàm Rondeletius figuram exhibuit.

A Blennum ab ignauia dictum puto: Corcyrenses & Zacynthij Cæpolam à cepæ similitudine vocãt.

B Est autem ea magnitudine, quæ paruam Scorpænam non excedat. Grãdi capite, spiculis vallato, turgido ventre. Rarius quàm alij pisces sagenis capi consueuit. Scorpænam colore refert, atq; ita flauus est vt cæpa. Duas pinnas ad dorsum habet: latam præterea vtrinque vnam ad latera, & sub ventre geminã. Magnos exerit oculos & nigros. Ore est maximo ac deformi vt Scorpius. Superius labrum ipsi capiti, veluti tubus quidam, infixum est. Dentes ei vsque adeò tenues sunt, vt eius maxilla potius exasperata, quã denticulata esse videatur. Squamis integitur leui contactu decidẽtibus. Voracissimus est vt Callionymus. Linguam habet albam ac conspicuam. Squillis, Apuis & piscículis vescitur, quos latens in algis captat. Cor habet laxum, hepar album. Tota huius piscículi moles quadrantalem non excedit longitudinem. Crassitudo eius vt cæpa mediocris consueuit.



F Hunc nisi multo sale condieris, nullius erit saporis: quamobrem Græcorum pauperiorum cibus esse solet.

A Quosdam audiui qui hunc Boacam perperam vocarent. Plinius quum de diæta cardiacis obseruanda loquitur, bulbi cuiusdam piscis litoralis meminit, qui fortassis ad Cæpolam accedit. Oppianus. Smarides, Blenni cum Scaris, Boces vtrique.

COROLLARIVM.

Belennus (vel Blennus) piscis à Sophrone memoratur. est autem specie similis κωβιῷ, (Hermolaus legit κωβιῷ,) Athenæus. Idem nimirum est qui apud Varinum βλῆ ⊙ scribitur per ῆτα circumflexum. licet apud Suidam acuatur. nam βλῆνος per η. circumflexum, tyrannum ei significat. Σκαλὸς, blennus Achæis, Hesychius & Varinus. vide in Sue a. ι. σκαλὸν σῦν. Βαίων (paroxytonum) piscis qui & βλῶνος, (sic scribitur per ῶτα circumflexum, & ν. duplex,) gobio similis est. Varinus. Videtur autem sic dictus à paruitate sua. βραχὺς enim minutus est. Βαιονὰς pisces Epicharmus in Nuptijs Hebæ nominat. Βαιὼν, piscis est, & mensuræ nomen Alexandrinis, Hesychius. De prouerbio Atticis vsitato, Μὴ μοι βαιὼν (oxytonum, quod probo) κακὸς ἰχθύς, vide supra Vacantibus.

Bellonij Blennus, & Rondeletij Scorpioides, pisces planè cognati videntur. Bellonij Blennum ego eodem nomine olim in Italia pictum accepi à Cornelio Sittardo, qui hæc etiam verba adscripserat: Blẽnus vulgò (Italis) borrabozta, & pesce de petre, quòd semper inter petras agat: aliâs etiam pesce de forressa vocatur. boni & suauis est nutrimenti. Siue autem Rondeletij siue Bellonij icon veriorem nobis blennum expressit, Germanicè vocari poterit *ein Meergropff*. Non probo eos qui blennium, aut blembũ, aut blemmũ scribũt. Blenni sunt pisces parui marini, q̃ & lupi (λύκοι) vocãtur, Diophanes in Geoponicis 18. 14. his quomodo capiantur terrestres lupi, dixi in lupo E. Vranoscopum blemmi speciem esse conijciunt eruditi.

C H Blennus pascitur sub herbis in litore algoso, αἰνὰ δίνα πεφυκότα. Oppianus.

Blennos stultos esse Plautus indicat in Bacchidibus, qui ait: Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones, Festus. Potest autem fieri vt vel à blenno pisciculo insipido, quod & Bellonius monuit, stolidum & insulsum hominem veteres blennum dixerint: vel à blenna id est muco. nam quorum muco vel pituita plenum est cerebrum, minus ferè sapiunt, quare & ouis pecus est stolidum, & homines non multo prudentiores ab eo κριόμυξοι dicuntur. Βλέννα quidem Græcis mucus est, μύξα. aliqui per ν. scribunt πλένναι, Varinus. inde Πλεννώδεις, μυξώδεις, Galeno in Glossis.

Bisas, pagurus est marinus, &c. Vide infra in Paguro, in C. elemento.

Blepsias, Βλεψίας, qui & Cephalinus, alius est quàm Cephalus, Athenęus.

Bolbitis ab Epicharmo nominatur, idem fortè quod Bolitæna. Βολβῖτις.

Bolbotine, vel Bolitæna, vide in Polypo, cuius species est.

DE BOOPE, RONDELETIVS.

A Boops in Gallia nostra Narbonensi, Italia, Hispania, & re & nomine notissimus est. Βοώψ, βοῶψ, Βόηξ, Βόωξ dicitur. Βοώψ ab oculorum magnitudine. Βωξ ab Aristotele citante Athen. lib. περὶ ἰχθύων, & lib. 9. de histor. animal. & ab Oppiano lib. 1. Βόηξ à Numenio, βόωξ à Speusippo, & ab aliis Atticis, ὁ δὲ πλὼ βολῶ, id est, à voce, autore Athenæo. quare & Mercurio sacrum esse piscem fama est, vt citharum Apollini. Pherecrate etiam teste, nullus omnino piscis vocem edit, præterquam βόωξ. Eodem in loco Aristophanem Byzantium sic reprehendit Athenæus: Aristophanes Byzantius male ait nos dicere piscem βῶκα, cum dicere oporteat βοώπα, (βόωπα potius proparoxytonum, vt Athenæi nostra ædit. habet. nam βοωψ oxytonum in eadem non probo:) quoniam paruus piscis cum sit, magnos oculos habet. sit igitur βόωψ bouis oculos, id est magnos, habens. Aduersus hunc dicendum: si hoc male nominamus, quare κηφηνῖνον (καρκῖνον non κηφηνῖνον, Massarius) dicimus, non κηφηνῖνοι? dicitur enim ὅτι δὲ κήφηνες κινεῖν. quare etiam non σείκηνον dicimus, sed σίλικροι? cum sic dicatur, ὅτι δὲ σείειν σημαίνει τὸ κρᾶναι. Hæc Athenæus, cuius etymologiam Festus Pompeius secutus est: Bocas, inquit, genus piscis à boando, id est vocem emittendo appellatur. A Plinio box, vel vt alij legunt, boca dicitur, Græco nomine non mutato. Quare miror Gazam idem non feciss̃e, & vocam conuertere maluisse. Venetijs booba: in reliqua Italia, Liguria, Gallia Narbonensi, Hispania, bogue nominatur. *Lib. 7. Cap. 2. Ibidem.*



B Piscis est marinus, litoribus gaudens, ex mænarum genere pedali magnitudine, corpore satis rotundo, non compresso, quale fere est mugilum. Capite breui, & paruo. Oculis maximis pro corporis magnitudine, vtpote qui totam ferè capitis regionem occupent. Colore est vario. In dorso à branchijs ad caudam lineas ductas habet, alias aureas, alias argenteas, minus quam in salpa illustres: ob quas, ab Aristotele in libro περὶ ἰχθύων, ναυτογραφικῶν, id est, in dorso pictus cognominatus est. in ventre nullæ apparent lineæ, sed hic squamis tegitur argenteis. Pinnæ sunt spari, canthari, sargi, pinnis similes: cauda subaurea: ventriculus magnus, cum multis appendicibus: intestina tenuia admodum, hepar rubrum, splen ex rubro nigrescens. *Athen. lib. 7.*

Nutritur alga, carne, luto. C

Athenæus lib. 8. ex Diphilo, Βωξ δὲ ἐφθὸς δ' ὑπερῴου, δ' ἀπόδοτος, ὑγιὲς αὐτὸ ἐσθίειν, ἀκοίλιος. ὁ δὲ ἀπ' ἀνθράκων γλυκύτερος καὶ ὠφελιμώτερος. vbi pro δ' ἀπόδοτος, legendum δ' ἀναίδοτος: id est, Box elixus, coquitur distribuitur que facilè iurulentum quid emittens, facilem aluum reddens. Assus succensis carbonibus suauior est, & tenerior. In Prouincia satis cõmẽdatur, vt etiã ægrotis apponatur. Veteribus vilis, nec vllo in pretio fuit. Reuera piscis iste in sartagine coctus, vel assus super craticulam mediocriter alit, q̃a siccior redditur. F

DE BOOPIS SECVNDA SPECIE, RONDELETIVS.



NVLLVS veterum duas boopis species facere videtur, præter Oppianum lib. 1. ἁλιευτικῶν: A

Καὶ σμαερίδες, καὶ βλένναι, ἰδὲ σκάροι, ἀμφὶ τε τριγλῖται Βῶκαι.

Nostri quoque piscem quendam, in multis superiori similem, bogue rauel appellant. quid verò istud rauel significet, non potui omnino assequi: nisi quod peritiores piscatores, bogue rauel dictum esse putant, quia capiatur & vendatur cum piscibus, vulgo raualle appellatis, id est, minutis, quique simul elixantur, & apponuntur, nec propter paruitatem seliguntur.

Is igitur piscis quem boopis secundã speciem facimus, boopi vel mænæ similis est. rostro magis acuto, dorso ex cæruleo rubescente, ventre argenteo, cauda rubescente: oculis magnis & varijs, nimirum circa pupillam nigram circulo ex aureo virescente: corpore toto latiore quam boops, sed breuiore. B

A Quis ſit is piſcis difficile eſt conijcere, niſi in genere mænarum numeremus, quiq; differat à boope non ſexu tantùm (ſunt enim in hoc genere & mares & fœminæ) ſed etiam ſpecie. ſed propter ſimilitudinem, alteram boopis ſpeciem conſtitui.

DE RARA BOOPIS SPECIE.

RONDELETIVS.



A RARVS eſt piſcis quem hic exhibemus, cuius nomen neque à piſcatoribus noſtris, neque ab alijs potui vnquam extorquere propter raritatem.

B Piſcis eſt palmi maioris longitudine, totus à ſquamis nudus, ore paruo, oculis valde magnis pro corporis ratione, in pronis partibus pinnam habet ad caudam vſque continuam, cauda lata ſpiſſáque eſt.

F Ad branchias & in ventre binas pinnas habet.

Sapore, carnis ſubſtantia, oculis boopem refert.

RVRSVS DE BOOPE, BELLONIVS.

A Boces vel Boopes Maſſilienſium vulgus Bogas, vt & Romanum vocat: apud quos multùm frequenter ſunt, Venetijs non item. Duæ huius piſcis cognoſcuntur differentiæ: ſiquidem earum altera minor

B eſt, & perpetuo parua, altera paulò maior.

Boces à mænis ita diſtinguere poteris, quòd Mænam videas latiori eſſe corporis compage, nigriore colore, & vtrinque lituram vnam habere. Boca perpetuò parua eſt: & pro ſua magnitudine craſſiori conſtat capite, corpore magis tereti. Boces & Mænę ſeu Gerres eandem corporis conſtitutionem, hoc eſt, pinnas, ſquamas & capita habẽt. Boopes nulla litura variãtur, ſed ambo tereti corpore præditi ſunt.

Giruli, a. ſeu Smarides magis nigricãt, & lituris variegãtur. Boces teretiores ſunt, Giruli magis plani.

I Bocũ color hilari ac quodãmodo aureo fulgore nitet, vt tergora colore ad aurũ inclinãte micare credas.

C Oppianus, (de eſcis piſcium,) Denticem Boces, Hippuros fallit Iulus.

L Box, vt Athenæo placet dictus eſt ἀπὸ τοῦ βοᾶν. Gregalis eſt & litoralis piſcis, herboſis gaudens.

Piſcis eſt paruus, oculos pro corporis ratione grandes habens. Duos habet in capite calculos, non

Y prorſus rotundos, vt in paſſeribus, ſed oblongos, vt in merlangis.

Boces multis modis conditæ carnipriuij tempore diuenduntur, potiſſimum Anconæ, more Illyrico, ex gelu conſeruatæ. aliæ ſale inueteratæ vnà cum girulis, id eſt, Smaridibus. Colorem aureum etiam ſale conditæ, retinent.

DE ALIA QVADAM SPECIE BOGÆ, BELLONIVS.

A Qui piſciculus litoralis Bogue & Reneau (*ſum icone ſcribebatur Bogue Reneau, ſine copula,*) Maſſilienſibus dicitur, is Genuenſibus Ruello vocari ſolet.

B Coloris eſt eiuſdem cum Erythrino piſce, dentibus, pinnis ac capite conſimilibus: ſed reliquo corpore differunt. Nam Box vulgarem bocam refert, eodemq; circino tornata eſſet, niſi magis ad Erythrinum accederet. Verum linea quæ corpus Erythrini interſecat, per medium vtrinque arcuata eſt. In hoc autem recta prætenditur, neque Erythrini gibbam habet. Dentes præterea anteriores breues & acutos oſtẽdit, ſed tam ſuperiores quàm inferiores molares ſunt, vt Sargo, quod etiam Pagro & Erythrino accidit. Hanc quoque peculiarem notam inſignem habet, quòd eius branchiarum exterior ſpina ad

A radices nigra eſt.

Nihil vetat quominus eum eſſe piſcem aſſeramus, quem Ouidius Bopgyrum vocauit, in ſcopulis viuentem. Maſſilienſes à Boopa & Gyro, id eſt, Smaride, idem ei nomen indiderunt, ac Bopgyrum, quaſi dicas Bocem Smaridem, appellarunt.

A Sunt & bôces mænæ illo (illa, mæna vel leucomænide) maiores, quas Græci in hodiernũ diem Boopas, vt Ariſtophanes Byzantius, & Veneti Boopas (aliqui bobbas ſcribunt) cognominãt. Frã. Maſſarius. Vocantur & leucomænides quædam, aliqui boaces nominant. Ὅπως σὺ τοσοῦτον μηνοειδὴς πρὸς τῶν θεῶν τὰς βόακας αὖ ποτ' ἐλθὴν λάθημαινίδας Καλεῖ, Polyochus apud Athenæum vbi de Mænidibus agit. Sed leucomænides alię ſunt quæ Smarides vocantur. Quoſdã audiui qui blennum, boacam (boaca) perperam vocarẽt, Bellonius. Numenius βόηκας dixit, hoc verſu: Ἡ κἀκλιλω σωιδόντα, βόηκα τε, τερψιάς τε. Boops autẽ vocatur ab oculis, quibus paruus ipſe præditus eſt magnis, vt Ariſtophanes Byzãtius ſcribit. bouis. n. & equi vocabulũ in compoſitione magnitudinem ſignificat. inde & Iuno Βοῶπις ab oculorũ magnitudine apud poetam. Cæterum bocas à boando dictus Feſto, phoca potiùs fuerit, id eſt vitulus marinus, quãuis ipſe piſcẽ eſſe dicat: grãmatici. n. circa rerũ naturam idonei quib. fidẽ adhibeas nõ ſunt. Atheneus quoque grãmaticus eſt. & licet Mercurio ſacer ſit tanquã vocalis: dici poteſt ſoli⁹ nominis reſpectu hoc dici, vt & alij

& alij plerique piſces nominis tantum ratione alij alijs dijs conſecrantur. Eorum ſanè qui piſcium naturas ſtudioſè indagarunt, qui piſcem hunc ſonũ aut vocẽ ædere prodiderit, nemo eſt. ſed neq; brãchias aut alias partes aſperitate aut aliter ad ſonũ edendũ aptas habet, vt cuculus, faber, & alij qui vocales exiſtimãtur. De phoca autẽ Rõdeletius: φώκη (inquit) à Græcis dicitur, ducto nomine ex βοᾶν, ob boatũ ſiue mugitum quem edit.

Speuſippus mænidi ſimiles eſſe ait boacem & ſmari-

10 dem. Bupes alij buſtos (lego, Boopes, alij bôcas) dicunt, piſces ſunt ſimiles paruis Cephalis, Kiranides. Boopis oculi magni ſunt, & (ni fallor) mobiles.

Bôces (βῶκες) vtrique paſcuntur ſub herbis in litore algoſo, αἱ δὲ βῶκες πεφυτεύσασαι, Oppianus.

Bôces nominãtur Epicharmo in Nuptijs Hebæ. Magna eſt diuerſitas temporis, Ἔνιοτε κρείττων γίνεται θυμὸς βόακος. Coquos apud Nicomachum. Mugiles, mænides, & bopæ, piſces ſunt noxij, & excrementitij, Pſellus.

Boopes in cibo renib. pſunt. fel eorum acuit viſum.

20 De ſpinis verò crematis pollen, vlcera ſanat. Kiranides.

Βῶξ circumflexũ Euſtathio & Varino, Athenæo oxytonum. factum eſt autem per crâſin à βόηξ, vt βώσασπι pro βοήσασθε. Sed præſtat circunflecti. nam ex acuta & graui ſyllabis duabus vna fit contracta, vt βόακος βῶξ, &c. Gaza Βόωψ oxytonum ſcribit Rondeletius, & ita ſemel in Athenæi æditione habetur, librariorum ſcilicet culpa: mihi paroxytonũ magis placet. ſolet enim in cõpoſitionibus accentus oxytonorũ transferri, &c. & ſic in eadẽ æditione βόωπες proparoxytonum rectè ſcribitur, à ſingulari nominatiuo paroxytono. Sic & δίωψ & μύωψ, ppè

30 ſcribuntur paroxytona. Βῶξ ranam ſignificat, & piſcem, Varinus. Βόπαις, puer magnus, nõdum adultus vir. ὁ νέος, ἐφήλιξ: aut piſcis, Idem. videtur autem ſi pro piſce accipias βόπαις corruptum pro βοῶπες in multitudinis numero. Κῆρυξ μὲν λιὼ βόακος, Σάλπιγξ δὲ σείλπιγξ ἐπὶ θοίνας μισθὸν φέρων, Archippus eleganter ex congruentia nominũ piſcibus officia diſtribuẽs. Nã & Mercurio ſacer exiſtimatur bóax, propter vocem, à qua & Bootes nomẽ præconis factum eſt, vt annotauit Euſtathius.

40 Ἀλλ' ἔχουσα γαστρὰ μεσηλὺ βοάκων ἀπηθάδιζεν οἴκαδε, Ariſtophanes apud Athenæum. Pherecrates cum dixiſſet piſcem alium nullum voce præditum ferri, ſubiungit, Νὴ τὼ θεὼ οὐκ ἔστιν εἶλκος ἰχθὺς ἥδεις ἢ βόακος.

Altera ſpecies Boopis Belloni, nihil videtur habere cõmune cũ ſecũda Boopis ſpecie Rõdeletij, ſed neq; cũ teria, ąrendũ. a. an cognat⁹ ſit is piſcis Orpho Rõdeletij.

BOPGYRVM piſcem ex Ouidio Plinius nominat, corrupta nimirum à librarijs voce. nam Cercyrus eo in loco apud Ouidium legitur. Κέρκυροι Oppiano circa petras conchulis plenas degunt.

50

DE BOVE, BELLONIVS.

BOS, vaſtiſſimum Raiarũ genus, latiſſimũ ac magis amplum eſt: vnde illud Oppiani,

Batidesq; bouum genus vſque proterunt. Et alibi,

Incola boos cæni, qui vaſta mole mouetur
Corporis, & latos ſeſe diffundit in armos.

Biſſenis magnos cubitis porrectus in artus. Vaccam Ligurum vulgus appellat: Pariſinis noſtris (apud quos frequentiſſimus eſt, ſed nunquam integer, talis enim è litore deferri non poteſt) nullo alio quàm Raiæ nomine agnoſcitur: quod eius quidem caro non modo ſapore, ſed & colore, atque adeò inſertis

60 cartilaginibus, maiorem Raiam præ ſe ferat.

Proinde trucibus eſt dentibus, atque in hami modum inflexis, tribus ordinibus in maxilla diſpoſitis ijſq; mobilibus, ore maximum rictum oſtendente: vncinos vtrinque ad capitis latera gerit, permultos quidem eos, & ad caudã incuruatos. Colore eſt totius corporis liuido, nullisq; maculis aut vncinis diſtincto. Falluntur qui Bouem marinum cornibus præditum eſſe cenſent: nihil enim tale in eius figura percepi, quam hoc loco proferrem, niſi tot Raiarum pictura abundè tibi ſatisfaceret.

Piſcem hunc Oppianus homicidam cognominat, quòd eum aſſerat vndis immerſos ac natantes homines, ſua corporis mole ac vaſtitate ſuffocare, nec liberam illis reſpirationem permittere.

COROLLARIVM.

Hunc piſcem quẽ Bellonius & eruditi pleriq;, veterum Bouem eſſe arbitrantur, pluribus deſcriptũ depictumq; à Rõdeletio inter Raias dabimus. nã Raiã oxyrynchũ alteram ipſe cognominat, nec tamen

Bouem

Bôcis hæc forma Venetijs picta eſt.



Boopes alij.

Bopgyrus. Cercyrus.

Bouem esse negat: quod nomen ei à sui in hoc genere corporis magnitudine attributum esse apparet. nam vt Bos quadrupes magna est, ita eius nomen etiam in compositione vocabulorum magnitudinem rerum denotat, vt in Philologia de Boue ostendimus. Βῶς & βῶν apud grammaticos Hesychium & Varinum pro pisce legitur. Venetijs vulgò Stramazo dici audio, aliqui Lamiam interpretantur. sed Lamia piscis longus est, vt Rondeletius docet, Bos planus. Bos, quem Plinius inter planos, & cartilagineos commemorat, ad trecentas aliquando libras accedit. Dalmatæ etiam nostra ætate Bouem vocant, Gillius. Augustinus Niphus Caniculas & Boues confundit: Caniculę (inquit) apud nos rusticè pisces Canes vocantur, rustici Canosas appellant, has exponit Plinius. lib. 9. quas Boues præcipui authores nuncupant, quòd sint ingentis latique corporis, natantium hominum deuoratores. hę admirabili calliditate in mari nostro grassantur, portus quę & exculta ædificijs litora sæpius frequentant: inde occultæ & quasi torpentes simulata segnitia natantes adoriuntur. Germanicè Bos piscis nominari poterit *eum Vrouche*: id est Raia ingens, ea ratione qua Vrogallum & bouem vrum pro maximis dicimus. Aristoteli numeratur inter cete, in quibus ouum nunquam cernitur.

B Bos piscis est cartilagineus, Aristoteles, Galenus in Glossis, Suidas. Planus & cartilagineus, Plinius. Strabo libro 17. bouem inter pisces Nili numerat. Oppianus lib. 2. de piscat. Est (inquit) bos piscis vorax incola cœni, latissimus omnium. sæpe enim ad vndecim vel duodecim cubitos latitudinis accedit. sed viribus planè imbecillis, & corpore molli: dentibus obscuris, exiguis, infirmis. Et similiter ferè Ælianus: Bos marinus in limo gignitur: & licet minimus mox à partu. postea tamen maximus euadit. partes supinæ albicant. dorso, facie & lateribus admodum niger est. Vires ei infirmæ, os exiguum, dentes inclusi in conspectum non veniunt. Longitudine & latitudine insignis est.

C D Βοῶν ἀσθενέστατα γένεθλα ἐν ἁλὶ νηλοῖσι κεχὴ ἐν τενάγεσσι θαλάσσης φέρεσθαι, Oppianus. Ouidio in Halieuticis scombriq; bouesq; pelagij sunt. Bos non ouum, sed statim animal gignit. Aristot. In cibo cũ piscib. multis vescitur, tum carnem humanam præcipuè appetit. Porrò cũ virium suarum infirmitatis sibi sit conscius, sola corporis mole fretus est. Itaq; si quę fortè natantem, aut piscationi intentũ viderit, adnans in altũ se tollit. & incuruat⁹ desuper se injcit, ac suo põdere deprimit, & corpore toto grauis illi, tecti instar, superimminẽs, & mẽbris omnibus suis seu vinculis impediẽs, emergere hominẽ & respirare phibet. Quamobrẽ homo spirandi facultate erepta, extinguitur: bos prędа fruitur, Ælianus & Oppianus.

E Boues, Oues, Raiæ, &c. apprehẽsa mordicus esca hamo infixa, sequi nolũt: & magni corporis mole ad aquæ fundum adhęrentes trahentib. renituntur, & sic elabuntur interdum ab hamo, Oppianus.

F Ex cartilagineis Bos carnosus est, sed præfertur ei mustelus stellaris cognomine, Diphilus.

H. a. Alius Bos est, inter cetarios numeratus ab Aristotele: qui etsi nullis est viribus, tamen eum terroribus homines in periculum adducere, Ælianus & Oppianus tradunt, Gillius. Ego Bouem cetarium non alium à cartilagineo fecerim. is ipse enim propter magnitudinem, à qua & Bouis nomen adeptus est, inter cetaceos rectè numerari potest, vt thynnus & alij magni, qui tamen Cete propriè non sunt.

Salpa etiam Bos nominatur, Hesychius & Varinus. quoniam herbis marinis ita vescitur, vt terrestribus Bos quadrupes, Pancrates apud Athenæum.

Phocam Latini Vitulum marinum, Massilienses vulgò Bouem marinum appellant, Gillius. Genuẽses Itali similiter Buo marino. i. Bouem marinum. Phocę sunt marini boues, Seruius.

Boues marini dicti in nostris maribus, & profundo degunt, sicut dicunt piscatores peritissimi, Albertus.

Hunerkuite, belluam quandam in Oceano Septentrionali vocant Germani, trigiata ferè passus longam, in qua medulla & sęuum reperitur similiter vt in Boue.

Cornuta Plinio inter belluas est, siue binis ea cornib. armatur, vt vacca Olai: siue singulis vt Monoceros & Rhinoceros eiusdem. quamuis Rondeleti⁹ inter pisces Cornutã Plinij numeret, & lyram alteram faciat.

Vacca marina ab Olao Magno nominatur & pingitur in tabula regionum Septentrionalium. Vide infra inter Cete diuersa in C.

De Manato bellua Indica, ibidem leges. ea bouem terrestrem (inquit Rondeletius) capite refert. & fortè Bos cẽtus Aristotelis est, à Boue pisce plano cartilagineo diuersus.

In mari iuxta Arabiam nigram variæ animantes degunt terrestribus similes, sed breuioribus cruribus, ijsque pinnatis: corpore pilis obtecto perbreuibus: nempe asini, canes, boues: Ex nauigatione Hamburgensis cuiusdam peracta anno Domini 1549.

Sepum leonis calidius est & siccius sepo ALGEBVT, id est Bouis è mari exeuntis, & præstat apostematibus duris, Rasis. Dioscorides & Galenus nihil huiusmodi habent: nec ego algebut vocem apud quenquam reperio diligenter quæsita.

BOITVS vel Cottus fluuiatilis, vide in Gobio fluuiatili.

BOTIS, Βότις, piscis quidam Sophroni in Mimis: Κέφραι βότιν καὶ λίθακοι. nisi fortè herbam aliquam intelligat, Athenæus.

BOX, vide Boops.

BRADÒN nomen an cognomen sit alicuius piscis dubitari potest. Βεμβρὰς, εἶδος ἰχθύος ἄλιπλεῦς, καὶ βραδὼν ὁ ὀψαῖος καὶ βράδονες κίχλαι, Varinus. Vide suprà in Apua Membrade, & infrà in Corollario De Turdo H. a.

BRICCHVS, piscis quidam, idem fortè Vranoscopo. Ἀνωδέρκας, βρίκχος ὁ ἰχθὺς ὑπὸ Θηβαίων, Hesychius.

BRINCHVS, Βρίγχος, nominatur apud Athenæum ex Mnesimacho inter alios pisces.

BRINGVS, Βρίγκος, piscis est cetaceus, Varinus. Athenæus etiam verba Ephippi referens βρίγκον piscem nominat: & alibi τρύγκον, corrupta forsan à librarijs voce. Numenius in Halieutico trincos pisces nominat, hoc versu: Ἠλεκτλὼ σωιδόντας, βόηκάς τε, τελγκας π. Vide Burynchus.

BRYTIVS, Βρυτὸς, genus echini pelagij, vt Aristoteles ait: alij piscem dicunt, sunt qui tribus syllabis βρυγγόλιν scribant, Varinus.

DE

DE BVCCINO RONDELETIVS.

A

Κήρυκα Aristotẽlis, Buccinam Gaza semper interpretatur: Plinius Buccinum: Buccinũ (inquit) minor cõcha, ad similitudinẽ ei⁹ Buccini, quo sonus editur: vnde & causa nomini, rotunditate oris in margine incisa. Aliquãdo Muricẽ vocat, sicuti alibi docuim⁹. Cur Buccina vocetur, verba Plinij ante citata ostẽdũt.

Est ex turbinatorum genere, longiore testa: in medio latior est, inde in turbinem longum desinit: altera parte margine in longum procurrente, atque illic rotunditate oris incisa. Totus intus læuis est, & candida. Foris tuberculis multis atque exochis aspera. Caro interna partibus quibusdam rufa, quibusdam rubens spectatur, intus candida. Foramen operculo, ꝙ est oui figura, integitur, & arctissimè clauditur. Duo buccina hic exhibemus. Vnum interni nihil ostendens, alterum prominente interno corpore, & inuerso operculo. Antiquorũ Buccina esse declarat succus dilutior, & minus florid⁹ quàm in Purpuris, quod de Buccino tradit Plinius: Buccinum per se damnatur quia fucum remittit. Testa scabra & aspera, sed non aculeata, neq; clauata. Aristoteles: Testarum permagna est inter se varietas: quędam enim læues sunt, vt Vngues, Mytuli, & Conchæ nonnullę quę galades à quibusdam vocãtur: aliæ asperæ, vt Limnostrea, & Pinna, & Cõcharum genera quædam, & Buccina. Plinius: Præterea clauatum est ad turbinem vsque, aculeis in orbem septenis ferè, qui non sunt in Buccino. Quæ notæ omnes cùm certissimæ sint, & in his Buccinis quæ proponimus maximè expresse, non possum non in eadẽ permanere sentẽtia, etiamsi Plinij locus vnus repugnare videatur, in quo hæc scripsit: Concharũ ad Purpuras & Conchylia eadem quidem est materia, sed distat temperamẽto. Duo sunt genera, Buccinum, minor Concha, ad similitudinem eius Buccini, quo sonus editur: vnde & causa nomini, rotũditate oris in margine incisa: alterum Purpura vocatur, & cætera. At contrà euenit in nostro litore: Purpura enim semp minor Buccino reperitur. Sed hunc locum corruptum esse docent nos vetustiora exemplaria, in quibus pro minor, maior legitur, quemadmodum etiam legẽdum esse res ipsa demõstrat. Corrupt⁹ est etiã Athenęi locus, ex quo colligunt omnes qui de piscibus nostro sęculo scripserunt, Buccinũ minus esse Purpura quod filius Purpuræ vocetur. Locus Athenęi est huiusmodi Περὶ δὲ τῶν κηρύκων ὁ Ἄρχιππος παῖδε λέγει· κήρυξ θαλάσσης τρόφιμος ὡς πορφύρας. Vbi pro ὡς legendum ὢν, Id est, Buccinum marinum abundè nutrit vt Purpura.

B *Lib. 9. cap. 36.*

Icon hæc nostra est, siue Cochleæ, siue Buccini: quam apud eiusdẽ quędam nostrũ vidimus, mucrone pertuso, circulo ferreo ambiente, vt apta esset inflari. Rondeletij hoc loco posita effigies, noster & quidẽ simile est, sed tuberculis rotundis setè clauata.

Lib. 9. cap 38. Lib. 4. de Hist. cap. 4.

Buccina cõcremata eadem præstant quæ Purpuræ, sed vehementius vrunt: si quis salis plena fictili crudo adurat. Dẽtifricio conueniunt: ambustis vtiliter illinũtur, quibus solui medicamentũ nõ oportet: nam posteaquã vulnus cicatricẽ duxerit, ipsum in testę modum induratũ, sponte sua decidet. Fit etiam calx è Buccinis, Hæc Dioscorides lib. 2. cap. 5.



Plinii locus emendatus Lib. 9. cap. 63.

Athenæi locus

Lib 3.

G



DE BVCCINO PARVO, ET STRATO RONDELETIVS.



Figura hæc ad nostras cõchas efficta est. aliã Rondeletius posuerat, sed huic similimam.

INTER

INTER Buccinorum genera hæc duo reperi, paruum, lineis frequentibus asperiusculum: vt fortasse illud sit Plinij Buccinum Purpura minus, ijs quibus vetustior Plinij lectio non placeat. neque succo, neq; partibus internis à superiore differt. Alterum huic simile est, nisi quod lineas prominentiores habet, & transuersas, vt striatum meritò dici possit. Est & testa spissiore durioreq;.

DE BVCCINO AVT MVRICE, BELLONIVS.

A Murex à Ceryce nomine Græco κῆρυξ prodijsse mihi videtur, κ litera mutata in m, ρ verò in v, & ι in e. Buccinum alij vocant, vel quod buccis admotum sonos musicos edat, vel quòd buccas inflare tibicines cogat. Eius enim concha antiquis tibicinibus fuit idonea: de qua Ouidium sic cecinisse puto:

caua buccina sumitur illi Tortilis, in latum quæ turbine surgit ab imo:
Buccina, quæ in medio concepit vbi aëra ponto, Litora voce replet sub vtroq; iacentia Phœbo.

B Est enim eius concha etiam turbinata, & in anfractum intorta, sed quàm purpura minor: vnde & à quibusdam filius Purpuræ dicitur: nullisq; aculeis exertis clauata apparet, quemadmodum Purpuræ concha, sed scabra est: habetq; (inter notas à Plinio descriptas) rotunditatem oris in margine incisam.

E F Vterque autem piscis, purpureum colorem fundit: estque Massiliæ, Genuæ ac Venetijs in cibis expetitus: sed Buccini caro Purpuræ carne durior est.

C Ambo quoque fauare Aristoteli dicuntur, quòd sanè hoc pacto faciunt: Oua sub lapide prona parte oblonga, albaque, deinceps pendentia disponunt, quæ ita disposita faui nomen habent, ab apum similitudine. Supini autem sub lapide stabulantur cùm fauificant: quò vero tempore fauos extruunt, si incoquantur & abscindantur, oua intrò continere comperientur: quæ saliuario lentore lapidibus & cautibus ferruminãt, vt inde decidere non possint: quod tam magno artificio cõstruunt, vt nihil coaceruatum esse videatur. hæc autem fauificatio verna esse solet.

B Cæterum Buccini cõcha vt plurimùm minimi oui magnitudinem non excedit. Strias in tergore quinas habet, vt Nerita, plærisq; in gyrum tuberculis obtusis breuibusq; obseptas, multò quam in Purpura frequentioribus. sed vbi in clauiculam desinunt, vnicus tantùm eam comitatur. interna parte incisam oris rotunditatem habet, turbinum modo, & canalem ad latus, per quem linguam exerit, Purpurarum more, eodemque operculo contegitur, quo etiam turbinata omnia, ne in testas contracta ab externis offendantur. Color Buccini testæ intus lacteus, foris est fuluus: tantaq; magnitudine nonnunquam crescit, vt ad Carteiam Purpuræ & Buccini Decacotyli, id est, decẽ cotylarum, capaces reperiantur.

C Cæterum Lunæ incremento pleniores sunt: æstate verò gracilescunt.

G Athenæus, Galenus, Dioscorides, Oribasius plura de Buccinis medicamenta conscripserunt, à quib. singula peti possunt.

COROLLARIVM.

Buccini hoc genus paruum est, ex Conchis nostris depictum.



A Murex à Plinio vertitur aliquando pro Græco ceryce, aliâs buccinum pro eodem. Vide in Murice Elemento M. quæ Rondeletius obseruauit. Buccinum Plinius (alicubi) pro ceryce seu murice dixit. cum enim ex ipso Plinio duo sint genera turbinatorũ continentium florem illum tingendis vestibus expetitum, alterum scilicet buccinum, alterum purpura, (quæ alio nomine ex ipso Plinio pelagia nuncupatur,) necesse est buccinum esse, qui ceryx, murex, & conchylium appellatur, Massarius. Muricum nomen generalius esse video quàm buccini, vtpote quod & purpuram quoque comprehendat. Hermolaus. Conchylium aliqui apud Plinium pro buccino capiunt, & conchyliatam vestem pro eo quod est buccino tinctam. Massario alia quædam species à buccino diuersa videtur: licet quandoque in genere pro quauis concha à Plinio vsurpetur. Buccina quam nos appellamus, Græci buchia à similitudine soni dicunt, Festus. φυκινον hodie à Græcis appellari audio. Strobili dicuntur cochleæ, & buccina marina, οἱ θαλάσσιοι κήρυκες, Suidas. Massilienses purpuras, & Murices & Buccinos vocant Bios, Gillius. Et rursus, Ligures Buccinos nunc vulgò Cornetos nominant, Massilienses Bios cornetos, Græci quidam hac ætate Strophilidas.

B Purpuræ & Buccinæ tantæ sunt in Indico mari, vt facilè congium capiãt, Ælianus. Buccinorum partes vide in Purpuris & Cochleis, quibus similiter constant, teste Aristotele. De buccini & conchylij operculo, leges in Conchylio ex Rondeletio. Speusippus inter se similes esse tradidit ceryces, purpuras, strabelos & conchas. Buccinæ testas habent scabras: turbinatæ vel in anfractum intortæ sunt, caro eorum penitus includitur, nec vlla ex parte conspicitur, excepto capite. In buccinorum paruorum conchis aliquando cancellus reperitur, Aristot. Vidi & aliud buccini genus purpuræ similius figura, & magnitudine propius, quàm vllum ex ijs quæ picta dedimus: sed tuberculis vndiquaque dispositis deinceps rotundis scitè omnino eleganterque στιχηδὸν clauatum: nec in mucronem adeò exporrectum, sed capite obtusiore breuius. Ionia sunt qui florem esse credant eum, quem purpuræ, vt Aristoteles scribit, habent, & buccina, medium inter papauerculum & ceruiculam, vt Athenæus testatur. Est autem papauerculum in buccino pars eius ima esculentaque. quanquam omnis callus pinnæ & conchylii interior papauer quoque dicitur. Ego in Dioscoride non iconia, sed cionia, hoc est verbum è verbo columellam lego: ita scriptum in exemplaribus aliquot inuenias, Hermolaus. Rondeletius in Cancelli historia legit ἰόνια, & interpretatur medias turbinatorum partes, circa quas testæ volumen clauiculatim intorquetur, ex Dioscor. lib. 2. cap. 4. His (inquit) cancellorum mollis cauda cedens implicatur & alligatur, vt testas circumferre possint. Sed de hac parte plura etiam fortè in Purpuris afferemus. Dentale vulgò dictum à recentioribus medicis aliqui buccinum interpretantur, vt Antale purpuram. Nos de vtroque in Purpura dicemus.

Buccina in petris & arenis pascuntur, Oppianus. Hyeme abeunte gignuntur, Arist. Non nisi petris adhærent, circaq; scopulos leguntur, Plinius. quod hic de buccino dicitur, Aristoteles de † aporræde (aporrhaide.) quarto de historia dicere videtur, quam Theodorus muricem conuertit. Verba Aristotelis hæc sunt: Natices saxis adhærescunt more patellarum & aporrædum siue muricum, Fr Massarius. Diocles tradit γλυκυτέρας? μαλακωτέρας τῶν κογχυλίων εἶναι κόγχας, πορφύρας, κήρυκας. (Sed hoc potius ad F. pertinere videtur.) Buccina Canis exortus dies circiter tricenos conduntur, sic & purpuræ & pectines, Aristot. Idem buccinas testatis πορευτικοῖς, id est, gressilibus adnumerat.

Dercylus dicit buccinas commodas esse ad reddendum sonum. Gillius. Buccini ad purpuram tingẽdam vsus, ad Purpuræ historiam differetur. E

Ex ostreorum genere purpuræ & buccina reliquis præferenda, Aëtius in cura colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus. Podagram pituitosam præcedit ferè plurium ciborum & vitiosus succos generantium vsus, vt astacorum, buccinorum, pectinum, &c. Alexander Trallianus. Tympanicis testacea vt astacum, vel buccina, vel pectines, rarò & modicè voluptatis gratiâ offerre conuenit, Idem. Et in cardialgia, Cibaria (inquit) conueniunt, quæ non facilè alterentur aut corrumpantur, & mordacibus acribusq; humoribus resistere possint, vt sunt astaci, pectũculi, cerycia, id est buccina. In dolore etiam oculorum ex bilioso & acri influxu, ægrum vesci iubet alimentis mitibus, minimè mordacib., & incrassantibus: inter alia κηρυκίοις. In purulentis si salsus humor est, pectines aut buccina, aut astacum dare non est alienum, Idem. Buccinorum carnes ori gratæ sunt, & stomacho vtiles, sed aluum non molliunt, Dioscor. Ex testaceis, stomachicis maximè conueniunt buccina, purpuræ, &c. Archigenes apud Galenum. Pinnæ (Πίνναι) vrinam cient, difficilè concoquuntur. & similiter buccina: quorum colla (τράχηλοι) stomacho conueniunt, sed difficulter concoquuntur, quamobrem iis qui stomacho infirmi sunt conducunt, difficulter etiam excernuntur, alunt mediocriter. Papauera verò eorum circa fundum (αἱ μήκωνες λεγόμεναι πρὸς τοῖς πυθμέσι) tenera sunt, & facilè corrumpuntur, (εὔφθαρτοι. Hicesius tamen in κηρύκων τραχήλοι habet δύσφθαρτοι,) Diphilus. Buccinorum colla stomacho apta sunt, & minùs quam mituli, chamæ aut pectines alunt. Conueniunt autem stomachum imbecillem habentibus, & non facilè cibum propellentibus deorsum (μὴ ῥᾳδίως ὑποδιηθοῦσιν εἰς τὴν τροφὴν εἰς τὸ αὐτὸ τῆς κοιλίας:) forte μὴ ῥᾳδίως ὑποδιωθοῦσι τὴν τροφὴν εἰς τὸ κάτω τῆς κοιλίας:) neque enim facilè corrumpuntur. Nam quæ concoctu planè facilia sunt, contraria ratione stomacho infirmo aduersantur, vt quæ, cum tenera ac solubilia sint, leui occasione corrumpantur. quamobrem papauera buccinorum ad stomachi infirmitatem idonea nõ sunt, ventri autem imbecillo conferunt, Hicesius. Alexis apud Athenæum inter cibos Venerem stimulantes, bullos, cochleas & buccina recenset. Vide in Cochleis G. Remedia quæ infrà Muricibus attribuuntur, buccinis quoq; conuenient. nã Plinius ceryces modo buccina, modò murices conuertit. Idem remedia plurima municib. & buccinis vstis communia facit. Vide infra in Muricis corollario G.

Mituli cremati eundem Buccinis effectum præbent, Dioscor. Pro buccinis ostrea substituere licebit, Aegineta in Succedaneis. Contra dorycnium in cibo iuuant strombi, pectines, buccina, Nicander. Kerycia conchylia in cibo contra cicutam dantur, Kiranides. Galenus inter abstergentia quæ pilos attenuant, buccinorum aliorumue ostreorum testas vstas connumerat. *Vt ne cui penis arrigi possit:* Buccinum vstum lotio bouis castrati extinguito: hoc in cibis aut potionibus vtitor: quod remanet in vase reponito, Galenus Euporiston 2.25. Ad auris dolorem à calore, Viua buccina in oleo elixa illine. hoc enim naturalem quandã in se vim obtinet, Nicolaus Myrepsus. Ad oris tetros absq; vlcere odores: Ex ostreis purpura & buccino cum myrrha vtuntur quidam: cumq; cubitum eunt aceto acerrimo colluũt. Galenus Euporist. 2.11. Ad parotides emplastra quædam molliora fiunt cerati forma, ex butyro vel œsypo conflata, ostreis aut buccinis aut purpuris vstis additis, Galenus de composit. med. sec. locos. Ibidem Archigenes aduersus idem malum buccina marina, aut purpuras vstas melle aut axungia excipi & imponi iubet, vt confestim discutiantur. Ad chœrades discutiendas: Cerycia marina vre, & cũ melle cocta impone cataplasmatis instar, Hippiatros quidam. Buccina, purpuræ & ostrea vsta conueniunt indurescentibus ac vetustis parotidum inflammationibus, Galenus de comp. med. sec. loc. Ad alopeciam & omne defluuium capillorum, alphosq; diuturnos, mirabile: Buccina vsta & trita in oleo veteri sufficiẽti subigito, & ad glutinis crassitudinem reducito: raso prius, & fricto, illinito, Nicolaus Myrepsus. Ad ephelidas & lenticulas: Purpuras aut buccina expiscatus in ollulam coniice, & in furnum assanda mitte, deinde ex melle tritis vtere, Galenus Euporiston 2.8. Medicamentis ad impetigines apud Aëtiũ miscentur testæ buccinorum vstorum. Vulgus apud Germanos inferiores & Oceano vicinos contra tussim inanem præsertim & puerorum, potum solitum è buccini vel cochleæ marinæ (*Kinkhorn* ipsi nominant) concha haustum prodesse putant.

Purpuram marinã quidam ceryca vocãt, Kiranides 1.16. sed dicẽdum est potius species esse vnius generis proximi diuersas. Κηρύκιον vox est diminutiua apud Kiranidẽ, Hippiatros, Trallianũ. Κῆρυξ scribitur cum circumflexo in prima, vt φοῖνιξ, δοῖδυξ & huiusmodi, tãquã vltima natura breuis sit, & positione tãtũ extendatur. in obliquis tñ natura producit. Κήρυκές τε, μύες τε, καὶ ἀτερπέες ὄστρεα? πωλοί. Oppianus. Charmus Syracusanus inter cæteras parœmias seu hemistichia q̃ de vnoquoq; ferculo in prõptu habebat, de buccinis hoc vsurpabat, Χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι, ex Homero videlicet, q̃ de præconib. in exercitu hæc verba ptulit: à quib. ẽt conchæ istæ marinæ, præconum suo cũ inflantur sono fungentes vice, nomen sumpserũt. Aggregator interpretatur ceryces cancrorũ (lego concharum) esse speciem, vel limaces marinas, quæ Venetiis dicantur Buouali. Κῆρυξ θαλάσσης τρόφιμος, υἱὸς πορφύρας, Archippus apud Athenæum. fuit .a. is Atheniẽsis veteris Comediæ poëta Athenæo teste, & sæpe eius versus ab Athenæo citãtur. & cum senarium iambicum verbis iam recitatis constitui appareat, non conueniet υἱὸς mutari in ὄις, quod Rõdeletio placuit. τρόφιμον ẽt non vt ipse, quod nutriendi vim habeat, exposuerim hoc loco: sed pro eo quod nutritur & alitur: vt sic Buccinum maris alumnũ, purpuræ filius, vti Cælius Rhodiginus quoq; cõuertit. qua ratione .a. filius purpuræ dicatur, magnitudinisne, an alia quadam, alij indagent. Ciceros (nomẽ corruptum pro Ceryces) id est Buccini marini, Syluaticus. Buccinus ẽt à Petro Gillio masc g. effertur alicubi. Buccinus minor Romanis, Delphinium, vt inter nomenclaturas apud Dioscoridem legitur. Est H.a.

Buccina instrumentum. & instrumentum buccina, quo signum in bellis, prælijs, aut aliâs datur. Equitib. imperauit vt ad tertiã buccinam præsto essent, Liuius. Signum buccina datur, Cicero. Vt ad sonum buccinæ pecus septa repetere consuescat, Columella. Subulcus debet consuefacere omnia vt faciant ad buccinam, Varro. Buccina autem dicta videtur à bucca qua inflatur, aut à similitudine soni. Hinc verbum buccinare Varroni, & nomen buccinator Cæsari. Triton fertur cum concham inuentam (Buccinam proximè vocarat) excauasset, & secum ad gigantes tulisset, & ibi sonitum quendam inauditum per concham misisset: hostes veritos ne qua esset immanis fera ab aduersarijs adducta, cum esset ille mugitus, fugę se mandasse. Higinus. Apibus noctu quies in matutinum, donec vna excitet gemino aut triplici bombo, vt buccino aliquo, Plinius: nisi fortè legendum est, buccina aliqua. Buccinæ meminit Vegetius de re militari 3.5. & buccinatorum 2.7. Ceryces à nostris verbum ex verbo buccina cõuersi sunt, quòd ceryx idem sit quod præco. quanquam & à cera, quam muco similem attritu mutuo saliuant, cognominari posse videntur, ꝙ Græci κηρύζειν dicunt, Hermolaus. Buccina oppidum est in Sicilia vt meminit Dionysius: quo nomine etiam dicta est insula Pontiani pontificis exilio & morte clara.

Archestratus circa nomen κηρύκων iocatur his versibus apud Athenæum: Καὶ Ἐφέσῳ λῆψῃ τοὺς χήμας ... (ἀγέρχει) τοὺς κήρυκας δ' ἐπίτρεψαι Ὀζόλῃ, τούς τε θαλασσογλυφεῖς, καὶ τοὺς ἀγοραίους, Πλὴν ἑνὸς αὐθρώπου ... δέ μοί ἐστιν ἑταῖρος. Stratonicus etiam facetus ille iuuenis in nomine κηρύκων festiuè lusit: Cum enim ciuitatem in qua erat plurimos κήρυκας (id est præcones) habere cognouisset, summis pedum digitis incedebat, metuere se inquiens, ne si pede plano terram calcaret, ceryce aliquo pedi infixo læderetur, tanquam ceryx marinus propter conchylij formam mucrones aliquos circa se habeat, Eustathius.

Buccini marini similitudine est pomum balsaminę fruticis, Hermolaus.

b. Anchusa est herba tingens τὰ ἀληθινὰ κήρυκα, Nic. Myrepsus, in D. litera cap. vltimo. lego ὡς τὰ ἀληθινὰ

c. κήρυκα, & verto, vt veri murices. ἥρια pro κήρυκα.

BVGLOSSVS, id est Solea. Vide inter Passeres.

BVRIDIA vel BORIDIA. Vide supra in fine tractationis de Apuis diuersis.

BVRYNCHVS, Βέρυγχος, piscis cetaceus, Varinus. idem fortassis qui Brincus.

DE AQVATILIBVS, QVORVM NOMINA A C. LITERA INCIPIVNT.

CAECILIA, vide Typhle vel Typhlinus.

CALABOTES, Καλαβώτης, piscis quidam & lacertus, Hesychius & Varinus. Est autem lacertus alius terrestris, alius inter pisces, de quo scribetur infra.

CALAMA, Κάλαμα, ὄγκος, ἰχθῦς, Hesychius.

CALANDRAS pisces quosdam vel aquatilia animãtia Christophorus Columbus in Noui orbis Nauigatione nominat, quatuor prægrandibus calandris se donatum a piscatoribus scribens, easq; in cibo suauissimas fuisse. Quærendum an sint testudines, vt coniicio: quæ etiam in Italia alicubi Gallanæ dicuntur. CALLARIAS, vide in Asello.

CALLIBIVS quidam piscis, Κάλλιβιος, à Diphilo Siphnio nominatur. Pelamys (inquit) multum alit & grauis est, ęgrè concoquitur, vrinam promouet. salsa verò (παραχθεῖσα) Callibio similiter, bonam aluum facit & attenuat. Sed Rondeletius eo in loco pro callibio reponit cybio.

DE CALLICHTHYE.

CAllichthyn Bellonius facit illum piscem qui Romanis atq; Neapolitanis Fietola appelletur, nullo satis efficaci argumento id approbans: nec alio, quàm quòd totus sit pulcher, hoc est aureo atq; A argenteo colore insignis, quod tamen de callychthy veterum nemo prodidit. Eundem piscem (aut alteram eius speciem) Rondeletius Romæ Fiatolam vulgò nuncupari tradit, ab aliquibus Stromatea ob similitudinem quandam: & nos post Stromatea de eo agemus. Callichthyn verò alium ab Anthia non facit: Anthias (inquit) dicitur & callichthys, id est Pulcher piscis, & callionymus id est pulchri nominis. at vranoscopus etiam Atheneo & Plinio teste sic (callionymus) cognominatus est. Sed Oppianus distinguit: cùm enim libr. 3. de piscatione, Anthiæ capiendi morem descripsisset, subiungit, Τοίην καὶ κάλλιχθυς ἔχει σθένος, ἠδὲ γυνὴ θήνη Ὄρκυνος. Dici tamen potest callichthyn anthiæ speciem esse, quoniam differentię eius quatuor assignantur.

Quare nos veterum de callichthy scripta, seorsim colligere operæ precium duximus. Sacrum piscem Homero nominatum alij anthiam, alij auratam, aut callichthyn, aut ellopẽ, &c. interpretantur, vt lib. 5 rib. in Anthia annotatum à nobis est. καλλίχθυς ἐπώνυμος ἱερὸς ἰχθῦς, Oppianus lib. 1. de pisc. Et rursus imal Qui spongias legunt, si callichthyn viderint, animantur. nulla enim bellua, nec aliud noxium animal in mari illic reperitur, vbi hic piscis fuerit: quamobrem & sacrum cognominarunt, quod purum & innoxium circa eum mare sit. Idem Aristoteles de anthia tradit: & Atheneo anthias aliâs callichthys dicitur. Anthiam (inquit Dorion apud eundem) aliqui & callichthyn vocant, & callionymũ, & ellopem.

E Aristoteles callichthyn prodidit dentes habere serratos, & gregatim degere. Oppianus callichthyn

(E) cetaceis adnumerat piscibus: & alibi thunno esca eum gaudere scribit.

E Anthiam piscem hamo captum, qui funi alligatus fuerit, quanta vi & contentione piscatorum extrahi oporteat, in eius historia ex Oppiano diximus. Tale (inquit idem poeta) robur etiam Callichthys habet, & Orcynus, aliiq; pisces cetacei, & talibus capiuntur brachiis. Ad glaucos capiendos escam præscribit Tarentinus, cui & callichthyas admiscet.

F Ἐφθὸς ὁ κάλλιχθυς: νῦν ἔμβαλε τὴν βαλανάγρην, Ἐλθῃ μὴ Πρωτεὺς Ἄγις ὁ τῶν λοπάδων. Γίνεθ' ὕδωρ καὶ πῦρ, καὶ ὅ τι θέλει. ἀλλ' ἀπόκλειε. Ἥξει γὰρ τοιαῦτα μεταπλασθεὶς τυχὸν ὡς Ζεὺς Χρυσορόης, ἐπὶ τὴν δ' Ἀκρισίου λοπάδα, Hedylus in Epigrammate in Agidem obsophagum: quod & propter festiuitatem recitare volui, & quòd in summis deliciis hunc piscem olim habitum inde appareat. Γλαῦκον, καὶ κάλλιχθυν, ὑπὲρ χρόμιν, ἄλλοτε δ' ὀρφόν, Numenius, Ὥσπερ γὰρ τοὺς μαργαρίτας τοῖς μὴ ῥοῦσι δεῖ, ἐν δὲ πολλῇ τῇ τῶν ἰχθύων ἄγρᾳ ὁ κάλλιχθυς ἐκλάμπει. Clemens Stromatum 1. In recto singulari rectè videtur scribi κάλλιχθυς proparoxytonum, vt φίλιχθυς, χρύσοφρυς: non oxytonum, vt quidam. & in accusandi casu similiter κάλλιχθυν, non vt Varinus alicubi habet (librariorum scilicet culpa) paroxytonum.

DE

DE CALLIONYMO VEL VRANOSCOPO, RONDELETIVS.

Pictura hæc Venetiis facta est: satis bona, sed minus elegans & accurata quam Rondeletii: quæ cirrhum etiam a medio inferioris maxillæ propendentem ostendit.



QVI οὐρανοσκόπος à Græcis & καλλιώνυμος vocatur ab Athenæo etiam ἁγνὸς dicitur: quæ vox quanquam castum significet, nihil tamen de huius piscis castitate apud veteres authores legas. Veteri Latino nomine caret: quam ob causam Plinius Græcis semper vsus est. Galeni interpres cœli speculatorẽ appellauit. Gaza pulchrum piscem perinde ac si καλλίχθυν, non καλλιώνυμον, legisset. Atqui tum ob fuscũ colorem, tum ob capitis, totiusque corporis speciem, fœdus est aspectu. Et καλλιώνυμος, id est pulchri nominis piscis nominatur, ob οὐρανοσκόπου appellationem, quæ pulcherrima est, & homine quàm pisce dignior. Hominis enim proprium est sursum aspicere, id est mente naturam rerum & cœlum contẽplari: fragilia & caduca, quęq; falsò in bonis à vulgo habentur despicere, atq; infra se posita arbitrari. Quẽadmodum verò ab ab antiquis pulchro honestoque nomine donatus est hic piscis, ita à Massiliensibus turpi pudendóq;, quod honestę matronę præ pudore nominare vix audeant. Vocant enim ab his tapecon, quòd pessi instar conformatus esse videatur: & raspecon, quòd caput ob asperitatem ad scalpenda muliebria pudenda accommodari possit. Ab italis boca in capo, à nostris rat appellatur. Oppianus † ἡμεροκοίτην nominat, quòd interdiu in arena dormiat, noctu vigilet prędæ quęrendæ causa, vnde & νυκτερὶς vocatus est. Ex quibus liquet non de phoca, vt opinatur Erasmus, etiamsi noctu in terram exeat somni capiendi causa, sed de vranoscopo potius intelligendum esse Suidæ locum, quo scribit: Ἡμερόκοιτος, ἰχθῦς τις, καὶ ὁ κλέπτης. id est, Hemerocœtus piscis est quidam, & fur. Fures enim quòd interdiu dormiant, noctu vigilent, ἡμερόκοιτοι aptè nũcupãtur, et Hesiodi testimonio. Μήποτέ σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται. A

*Lib. 4. ἁλιευτικῶν. * ἡμερόκοιτον*

Vranoscopus piscis est marinus, litoralis, pedali magnitudine, sine squamis. Capite magno, osseo, aspero, ranæ piscatricis capiti quodammodo simili. Os longè secus quàm reliqui pisces situm habet, nimirum supra caput, magnum & patẽs, cuius operculum est maxilla inferior, sursum valde attracta. Lingua breuis sed lata, oris internas partes ita occupat, vt eas, nisi linguam digito valde comprimas & summoueas, videre non possis. Ex ea parte quæ inter linguam est, & maxillam inferiorem, oritur membrana in principio latiuscula, sensim in carnosam rotundamq; apophysin desinens, extra os propendens, qua pisciculos alliceat, allectos deuoret. Eandem cùm vult retrahit & exerit, veluti serpens, linguam. Oculi supra caput siti rectà cęlum intuentur, vnde οὐρανοσκόπος nomen optimo iure datum. Nam dracunculus rana piscatrix, raia, pastinaca, rhombus, passeres, buglossi, sepia, polypus, oculos habent supra caput: sed pupillæ ad latera spectant, non sursum ad cęlum. Ossa capitis, caudam versus in aculeos desinunt tenui membrana opertos. Ab ossibus branchias integentibus itidem duo alii aculei ad caudam spectant membrana tecti, dempto extremo mucrone. Branchias quaternas habet, iuxta quarum scissuram pinnæ duæ magnæ & robustę, & variç exoriuntur. Subsunt in parte supina aliç duæ minores, albæ, maxillę inferiori propinquæ. Has pinnas sequitur os, veluti sternum, quod tribus aculeis horret. Succedit pinna alia à podice ad caudam. In dorso duæ sunt, quarum prior capiti propior parua est & nigra, vt in araneo. Posterior ad caudam vsq; porrigitur, dorso concolor. Cauda in pinnam latam desinit, pauonis caudæ dum piscis viuit æmulam, fimbrię purpurascunt. Dorsum fusco colore est, venter candido: qui colores, dum viuit, manifesti sunt, alioqui vnà cum vita pereunt. A capite lineę duæ ex squamulis constantes ad caudam protenduntur, reliquo corpore cute dura intecto, quęq; facilè excoriari possit. Ventriculus firmissimis tunicis constat, è cuius ore appendices octo dependent. Hepar candidum est, à cuius exteriore parte fellis vesica pendet, admodum magna, si corporis magnitudinem spectes, felle valde distenta. Fellis substantia, oleum colore & consistentia refert. Vulua multùm infra posita est, bifida. F

Carne est alba, dura, non multum à carne ranę piscatricis differente, grauisq; odoris, de qua sic Athenæus: Οὐρανοσκόπος δ', † καὶ ὁ ἁγνὸς καλλιώνυμος, ἢ καλλιώνυμος, βαρύς. In arena & cœno latet, vt piscibus insidietur. Cùm igitur carne, cœnosaq; aqua vescatur, grauem virosiq; saporis esse necesse est. (C)

Lib. 8. † forte ὁ καὶ.

Vranoscopus in venãdo eodem astu, quo rana piscatrix vtitur. cùm enim luto se immerserit, caput paululùm exerens, membranam siue apophysin ex ore demittit, ad quam pisciculi tanquam ad vermem adnatant: qua præmorsa admonitus vranoscopus, statim retrahit, & cum ea pisciculum. Nos primi particulam istam in hoc pisce deprehendimus, quoque astu pisciculos venetur, obseruauimus. nulla enim prorsus, quod sciam, huius mẽtio sit apud vllum aut veterem, aut recentẽ, Græcũ Latinúmue scriptorẽ. B

Vranoscopi meminit Galenus his verbis: Existimare, inquit, ob id hominem rectè stare, vt cælum promptè suspiciat, (& dicere possit Ἀνταυγῶ πρὸς ὄλυμπον ἀπερίτροπον πρόσωπον) hominum est qui nunquam vranoscopum viderunt, qui etiam inuitus cælum semper aspicit. A. (& G.)

Lib. 3. de vsu partium.

Porrò eundem esse piscem qui vranoscopus & callionymus vocatur, confirmant Athenæus, Plinius, reliquiq; veteres autores. Athenęi locus iam citatus est. Plinius: Callionymus siue vranoscopus. Et alibi: Cal-

Vranoscopum & Callionymum eundem esse.

Lib.32.cap.11
Lib.32. cap.7.
Lib.2 cap 90.
Lib.10.de facult.sim med. cap.de felle.

bi: Callionymi fel cicatrices sanat,& carnes oculorum superuacuas consumit. Nulli hoc piscium copiosius,vt existimauit Menander quoque in comœdijs. Idem piscis & vranoscopus vocatur, ab oculo quem in capite habet. Dioscorides de felle loquens. Est vis omnium acris & excalfaciens, intensis tamen & remissis viribus differunt. Siquidem præstantius in effectu esse videtur fel marini scorpionis,& piscis qui callionymus appellatur.

Lib.3 ca.2.

Idem ferè Galenus: Animalium quorundam singulariter bilis à medicis laudatur, tanquam aciem exacuat oculorum,& suffusionum initia digerat: veluti piscis quem vocant callionymum, hyænæ,& scorpii. Ex his omnibus constat nos verum vranoscopum exhibuisse. Nec obstat quod Plinius, vt ante citauimus. scripsit vranoscopum dici ab oculo quem habet in capite, quasi vnicum oculum habeat. Iam enim demonstratum est, nulli animali plures paucioresue oculos duobus esse. Quare enallage numeri vsus Plinius, oculum pro oculis posuit: quemadmodum Dioscorides cum draconem marinum ad ictus spinæ suæ valere dixit, cùm spinarum dixisse oportuisset.

Eundem & Hemerocœton dici.
Lib.2. ἁλιευτικῶν.
**στόμα λάβρον*

Postremò eundem esse vranoscopum siue callionymum,& hemerocœten Oppiani, perspicuè declarat & veluti ob oculos ponit eius pictura: Quam sic conuerti.

Stultitia insignem memorabimus hemerocœten,
Segnitieq; omnes superantem, quos creat æquor.
Scilicet huic sita sunt in vertice lumina, sursum
Conuersa, immodiceque, hæc inter, † hiantia cernes
Ora. dies totos fulua prostratus arena
Dormit: noctu autem vigilat, solusque vagatur:
Nycterida hinc etiam appellant.

C His subiungit adeò voracem esse piscem, vt ciborum copia nimis distento ventre disrumpatur atque emoriatur: quo tristi exitu homines à luxu crapulaq; deterret,& ad temperantiam adhortatur.

DE EODEM BELLONIVS.

A Vulgaris est Callionymus piscis, Aristoteli inter litores adscriptus, multis nominibus pro variis nationibus appellatus. Romani Missorem vocant. Genuenses Vn Prete vel Preue, Veneti Bec in cauo: Massilienses Rascassa bianca, quasi album Scorpionem dicerent. aliud vulgus voce obscœna Tapecon nominat. Aliis etiam Responsadoux dicitur. Oppianus Hemerocœtam vocauit.

C Adeò viuax est piscis, vt si hunc internis omnibus priuaueris, nihilominus moueatur.

B Pinnas molles atq; obtusas habet, translucidas duas in tergore: quarum ea, quæ capiti vicina est, vespertilionis alæ similis esse videtur. Est enim nigra velut in Scorpione mario & Dracone. Pinnam caudę latam habet, ceruicem quasi compressam, in cuius superficie parui oculi positi sunt, atq; interstitium, id quod est inter oculos, concauum apparet. Nec alium reperias quem magis Silonem iudices. Siquidem is non, vt alii pisces, os antè gerit, sed valdè supra caput habet, vnde Veneti supradictum nomen ei indiderunt. Inferiorē maxillam ita sursum retractam habet, vt inter oculos iuncta esse appareat. Oris hiatus cum id expandit, tam grandis est, vt velut in ipsa ceruice infarctum tubulū habere videatur. Ambæ spineę exteriores branchię, vtrinq; ad caudā spectantes, aculeo in extremis pręmunitę inueniuntur. Squamis caret: Cinereus totus in tergore conspicitur, supinus verò cādicat. Brāchias vtrinq; quaternas habet. Cor pericardio inclusum, erui magnitudine. Voracissimus est: quapropter stomacho est amplissimo, villis omnis generis prædito ac bene cōfirmato. Hepate verò pallido, stomacho incumbenti, cuius pars maior sinistrum occupat latus. Vesicula fellis in formam lachrymæ rotūda sub dextro hepatis lobo cōspicitur, nuci auellanæ magnitudine: humoremq; continet oleosum, ad ocularia medicamēta accōmodatum. Porrò lienem habet lētis magnitudine, planum & orbicularem, rubrum, stomachi parti sinistræ incumbētem: Apophyses multas in pyloro, intestina nodis intersepta, quæ propriis nominib. distingui possunt, ter tantum circunflexa, antequā ad rectum perueniāt. Firmum habet œsophagum, vt etiam pisciculos aristis tergoris bene munitos deuoret: cuiusmodi sunt parui Scorpiones ac Dracones: proinde ieiunus piscis contrahitur, satur dilatatur. Vuluam bicornem habet ouis plerunq; refertam: secundum spinam vsq; ad septum protensam: Carnem, qualis est Draconis marini.

Interiora.

A Etsi autem Romani Missorem vocent hunc piscem: Missoris tamenx vo ad eum pisciculum etiam pertinet, quem nos Chabotum, Itali Botulum vocant: is enim Callionymo quodammodo respondet. Cęterùm Gallica huius appellatio alteri etiam conuenit, quem nonnulli Halosurion vocauerunt: de quo in Genitali marino, suo loco disseremus.

COROLLARIVM.

A Vranoscopum esse piscem, cuius effigiem dedimus, inter eruditos omnes conuenit: & ante annos aliquot Aloisius Mundella medicus excellens similem eiusdem piscis iconem ad me misit. Hicesius diuersum piscem anthiam ab aliquibus καλλιώνυμον vocari scribit, quod nomen etiam vranoscopo tribuitur, siue à pulchritudine nominis vranoscopi, vt Rondeletio videtur: siue ab aliqua similitudine pudendorum. nam & tapecon à Massiliensibus nuncupatur (vt Rondeletius scribit) quod pessi instar conformatus esse videatur. Callionymus autem (Hesychio & Varino testibus) tum pro pisce, tum metaphoricè pro vtriusq; sexus genitali accipitur. Sacrum piscem aliqui callionymum interpretantur, non vranoscopum, sed anthiam intelligentes. Vide supra in Anthia. Οὐρανοσκόπος καὶ ὁ ἄγνος καλλιώνυμος, ἢ καὶ καλλιώνυμος, βαρεῖς, Diphilus. Rondeletius legit βαρὺς in singulari numero: & tria hæc nomina de pisce vno accipit. quod si rectè fecit, non solum βαρὺς in singulari legendum fuerit, sed etiam verba καὶ ὁ ἄγνος transponenda vt legatur, ὁ δ᾽ ἄγνος. Alius à callionymo videtur galeonymus piscis: vide in Corollario primo de Asellis. Psammodytes, ψαμμοδύτης, piscis est, qui & Callionymus dicitur, Hesychius & Varinus. Arenarium dixeris, quod in arena se occultet. Αἰεὶ δ᾽ ἐν ψαμάθοισι πανημέριος τετάνυσται Εὕδων Oppianus. Anodorcas, Ἀνώδορκας, βρίγχος ὁ ἰχθὺς ὑπὸ Θηβαίων. Hesychius & Varinus. idem, vt coniicio, qui Vranoscopus. Ammodytes quidem inter serpentes est. Piscem Arabib. dictum Sabot aliqui callionymum Græcorum interpretantur. Vtitur eius felle Rasis libro 9. de morbis curandis, ca.27. ad oculorū suffusionem. Alsabut est piscis notus in Persia, Andreas Bellunensis. Et rursus, Sabot vel Sabut est piscis qui reperitur in flumine dicto Fora apud Persiam. Sabot nomen piscis,& est Spinula Syluaticus. Spinula quidem Scorpius est. Cairion, id est, habens oculum in capite, Syluaticus. apparet autem nomen à callionymo deprauatum.

Callionymi duo diuersi.
Galeonymus.
Psammodytes.
Anodorcas.
Sabot.
Lucerna.

Italicè

Italicè hic piscis vulgò nominatur Bocca in ca, vel Lucerna de petre, vt audio. Alius est qui simpliciter Lucerna vocatur. Germanicum confingi nomen licebit *ein Pfaff*, id est presbyter vel sacerdos. nam & Genuenses preue vel prete vocant: ab eo nimirum quòd cœlum suspiciat, vt solent qui preces ad Deū fundunt, quod sacerdotum præcipuè officium est. Vel, *ein Himmelgucker*, hoc est cęli spectator. Vel periphrasticè *ein Meergroppen art*. nam & Romani eodem nomine, quo gobiū fl. capitatū nuncupant, vt scribit Bellon. & eruditi quidā hūc piscem blēno cognatum iudicāt. est autem blennus quoq; gobio fl. persimilis. *Lucerna.*

B Callionymo Aristoteles ait in dextra iecoris fibra fel situm esse, pro portione corporis maxime omnium copiosum: Iecur autem ad læuum latus collocatum esse. Cui quidem rei testimonio est Menander in Messenia: Facio (inquit) te habere fel Callionymo copiosius. Anaxippus item in Epidicazomeno: Me si moueas & sicut Callionymi feruere efficias omne fel. Sunt qui eum dicant esculentum, alii pleriq; negāt. Poëtę quidem vbi conuiuia & epulas describunt, non facilè eius meminerunt, cum alioqui plerosque quorum vsus est, suis versibus nominarint, Aelianus. (F)

Hamerocœta insigni ad tuitionem sui est temeritate,& singulari segnicie: tum verò suam insaturabilem rabiem nunquam explere potest: imò vsq; eò procedit huius inexhausta cibi helluatio, quoad cibo onustus, in terram se abiecerit,& quispiam alius piscis hūc humi stratum occiderit. Eum autem esse insatiabili abdomine hoc ipsum declarat: Nam si edendum cibum huic capto obieceris, suam satietatem tandiu superare conatur, dum cibus exaggeratus ad ipsum os redundat, Gillius ex Oppiano.

F Delicatissimi hunc piscem gustus esse audio. Hippocrates in libro de internis affectionib. aliquoties victus rationem præscribens callionymum concedit, vel eo vti præcipit. Qui pituita alba laborat (inquit) ex piscib. vescatur scorpio, aut dracone, aut cuculo, aut callionymo, aut gobio, aut aliis piscibus qui similem facultatem habent. Et rursus, Qui ægrotat morbo crasso à pituita putrefacta, obsonium habeat ex piscibus scórpium, aut callionymum, aut cuculum. In morbo splenis, Dentur (inquit) pisces scorpius, draco, cuculus, gobio, callionymus. hos coctos & frigidos dato. Et alibi, A pituita maximè in aquam inter cutem transitus fit,&c. in hac qui curabilis est, ex piscibus vtatur gobio, dracone, callionymo, cuculo, scorpio: & aliis huiusmodi, omnibus coctis non recentibus, & frigidis. hi enim siccissimi sunt,& in iusculum ne intingat,& insulsi sint pisces.

G Callionymi felle quidam putant Thobię oculos curatos fuisse. Ad oculos suffusos prima ferè omniū compositionum est, quæ ex fœniculi succo & hyænæ felle, ac melle Attico constat quidam verò etiam caprinum fel addiderunt. Verùm postea alius aliud fel ammiscuit, galli, aut viperę, aut testudinis marinæ, aut callionymi. nunc verò in precio est pharmacum ex felle scarorum, Galenus de composit. sec. loc. lib. 4. Ad auditus grauitatem senecta anguium cum felle bubulo aut caprino, aut testudinis mar. aut callionymi diluta vtitor, Apollonius libro 3. eiusdem operis Galeni. Auribus vtilissimum callionymi fel cum rosaceo infusum, Plinius.

H.b. Auctor est Galenus, hominem cum sit erectæ staturæ, sic promptùs & commodiùs multò manuum vti ministerio. Quod verò de cœli suspectione à quibusdam affertur, multo excipit risu Galenus idem: quādo procerioris colli auitia longè id facilius valeant implere. Esse quoq; piscem ait ab re cœli inspectorem nuncupatum, quòd vel inuitus suspiciat perpetuò. Addit, qui ista tradant, non videri Platonem intellexisse, à quo proditum sit, suspectari à nobis, non vbi quis caput reclinet oscitans, sed cum mente cœlestium corporum, cœlitumq; naturam attingat, Cęlius.

CALLOS ex Aristotele Gaza modo pro Holothuriis, modo pro Tethyis reddidit.

CALVARIA piscis in Phagiticis Ennii nominatur, citante Apuleio in Apologia 1. hoc versu, Polypus Corcyræ, caluaria pinguia Carne. ego potiùs legerim, Corcyræ polypus, caluaria pinguis Acarne. est.n. A carne Plinio Magāīæ oppidū. quāq; & Carne Phœnicię oppidū est Plinio & Stephano. Dicit ātē Ennius quibus in locis qui pisces sint præstantiores. Quærendum an idem sit orchis vel potius orbis à Plinio nominatus piscis: qui suo globo,& dentibus similibus hominum, caluariam ferè humanam refert. Græci nullum hoc nomine piscem habent integrum, sed cranium partem, quorundam, vt synodontis Antiphanes, inter delicias numerant. *Orbis.*

CAMASENES, Καμασῆνες, ab Empedocle pisces omnes vocantur, Eustathius, & Athenęus, qui hoc etiam Empedoclis carmen recitat: Πῶς καὶ δένδρεα μακρὰ, καὶ εἰνάλιοι καμασῆνες. Καμασὴν (per iôta) ἰχθύς, Hesychius & Varinus. Legimus & Κεμασῆνας (primam per epsilon) apud eosdem pro piscibus, perperam vt iudico. CAMMARVS, vide in Squilla.

DE CANCRO FLVVIATILI RONDELETIVS.

A Cancro fluuiatili carent Galli & Germani. Quamobrem non sine errore Astacos fluuiatiles in Cancrorum vicem vsurpant, in ijs etiam remediis, in quibus veteres Cancros fluuiatiles summopere commendarunt. Reperitur frequens in Gręcia, Creta, Sicilia, Italia, Hetruria. Reperitur & in Nilo, Aeliano teste. Ego in Italia accuratè pingendum,& ad verissimam effigiem exprimendum curaui, quòd viderem à quibusdam † picturam eius à vera alienam fuisse repræsentatam. Dicitur à Græcis καρκίνος ποτάμιος, ab Italis Grancio & Granzo. ** Bellonium notat.*

B Est corporis quidem specie marinis similis, verùm testa tenuiore læuioreq;: corpore minùs rotundo, brachijs primis crassioribus & longioribus pro corporis magnitudine, similiter & pedes habet. Cauda corpori applicata discernuntur mares à fœminis. ea enim in fœminis latior est ad scuti formam, ad oua tutiùs contegenda, in mare est angustior. Carne sunt dulci.

Cancri fluuiatiles crustam tempore (*quo tempore crustam*) exuūt, tunc molliores sunt, & summi Pontificis cardinaliumq; mensis maximè expetuntur. A quibusdam in lacte suffocantur, quo dulciores & meliores fiant. Degunt in riuulis & latent in luto, vnde ligonibus effossa scrobe capiuntur. Qui eos vendūt funiculo alligatos & à sese seiunctos seruant. Etenim si se contingant, pedes mutuò sibi arrodunt & vorant, quod verum esse ipse sum expertus. Cùm enim ducentos Romæ emissem, domiq; in aquam vt sese reficerent coniecissem, ita inter sese conflictati sunt, vt plures quinquaginta mutilatos repererim [illegible]ò tandem deuentum est, vt omnibus necatis vnicus superstes fuerit, quem adhuc exsiccatum seruo. Cancri flu-

cri fluuiatiles ſatis nutriunt, & corpora humectant. Quare Auicenna in febrib. hecticis cum aqua hordei valde probat, quod nihil ſalſi habeant, humidioresq; ſint marinis.



G Permulta alia de iiſdem traduntur à Dioſcoride, Nicandro, Plinio: quę ſuperuacaneum fuerit hîc deſcribere. Solius Galeni ſententiam exponam, quo maiorem authoritatem habeat oratio de Cancri fluuiatilis mira & occulta facultate. Fluuiatilium Cancrorum, inquit, cinis deſiccat, & proprietate totius ſubſtantiæ mirè demorſis à cane rabido auxiliatur, vel ſolus, vel cum thuris parte vna, gentianæ quinq; Cancrorum decem. Vel eo cinere vtendum quemadmodum parabat Aeſchrion longo vſu peritiſſimus: qui viuos Cancros in æneam patinam iniectos tandiu vrebat quoad in cinerem redigerentur, vt facilimè in puluerem tenuarentur.

DE EODEM, BELLONIVS.

A(B) Cancros fluuiatiles in Creta plurimos vidimus circa Colocaſias, & in Atho Macedoniæ monte, atq; adeò in Ciliciæ riuulis qui non longe ab Iſſo defluunt. In Gallia nullos vnquam conſpexi. Crudi comedi poſſunt. Numeroſi circa Romam, ligonibus effoſſa ſcrobe, vel etiam trubla capiuntur: ac dieb. quib.
(C) carni interdictum eſt, baioco (qui noſter dimidius eſt aſſis) ditioribus diſtenduntur, filo appenſi ac traiecti (vnde Romani Filſas vocant) ne duris forcipibus alter alterius tibias amputet, ac mutuis vulneribus ſe conficiant. Amphibios eſſe conſtat: longiùs enim ab aqua ſecedunt: integram tamen hebdomadã, atq; interdum menſem extra aquam degunt. Cęterùm vterque Cancer tam marinus quàm fluuiatilis
B eodem cognomento Romæ appellatur Grancio vel Granzo.

Vterque, craſſitudinem oui gallinacei rarò excedit. Fluuiatiles duriore teſta, rotundioreq; & craſſiore conteguntur, vividioresq; ac delicatiores ſunt quàm marini: Præterea tibiis aſperioribus, & brachiis fortioribus ac rugoſioribus prędi ti ſunt. Ambobus forcipes ſunt multùm crenati: ſed marino frons non vſq; quaq; rotundatur: atque in gyrum crenas habet, quibus fluuiatilis caret. Marinus præterea liuidum Loti corticis colorem refert, fluuiatilis ex rufo nigricat. Marino vngues extremam tibiarum articulationem faciunt. Fluuiatiles multas crenas in gyrum circa vngues habent. Proinde etiam marini læues ſunt, & longiores tibias habent. Ambo in obliquum feruntur, cruſta fragili incluſi, oculiſq; ſunt rigentibus. Fluuiatiles præterea in ſexu differentiam habent. Nam fœminę operculum reflexum ſubtus ferunt latiuſculum, ſub quo oua per ętatem excludunt: maribus contrà anguſtum eſt. Hoc autem vnũ generale eſt in Cancrario & Locuſtario genere, vt dextrum brachium ſit illis ſiniſtro fortius ac crenatius.

F Edules omni tempore anni ſunt fluuiatiles Cancri, ſed ętate longè meliores, poſteaquam durum corticem exuerint. Luna item plena vberiores, ſilente flaccidi ſunt.

D Proinde Caſtorem Dioſcorides Cancris ſe explere tradit: ſed id de fluuialibus intelligi oportere nemini dubium eſt. Etenim Caſtor in ripis fluminum verſari magis eſt conſuetus.

G Simeon Sethus, rectè admodum fluuiatiles Paguros vocat, quos pulmonibus vlceratis mederi, ſed veſicæ nocere ſcribit. Auicenna extenuatis valde conferre dicit, hoc eſt, hecticis, & lenta febre laborantibus: hos enim humidum, leue, ac modicè refrigerans alimentum ſuggerere affirmat: præſertim (ait Galenus) ſi in aqua prius decocti magna ex parte ſalſuginem innatam exuerint.

COROLLARIVM.

A Sarthan vel Sarathan nheri, Arabicè ab Auicenna cancer fluuiatilis (vt Plinius: vel fluuialis, vt Palladius, Marcellus empiricus & alii) nominatur: à medico Elluchaſem, vrbien. Germanicè dici poteſt *ein Krab, Krabbe, Sueſswaſſerkrabi*s. nam Angli cancrum marinum propriè dictum vocant *Crabbe*, quem nos differentiæ cauſa vocabimus *ein Meerkrabbe*: Aſtacos verò *krebs*: & ex iis marinos *Meerkrebs*, cæteros *Sůſswaſſerkrebs*. Pagurum fl. pro cancro fl legimus apud Galenum Euporiſton 3.

D Tradunt aliqui manipulo ocimi cum cancris decem marinis vel fluuiatilibus trito, conuenire ad id ſcorpiones à proximo omnes, Plinius. Vide plura in G, inter remedia ex Cancro fl. intrinſecus contra veneria.

venena Nilum in agros redundaturum præſentientes cancri & crocodoli, altiùs in loca flumini inacceſſa transferunt oua ſua, Aelianus 5.52.

Cancri (fluuiatiles) aquis commodi fuerint nam & venas aperiunt, & hirudines perdunt, Paxamus in Geopon. 2.4. Aduerſus erucas & cancrum fluuiatilem in medio horto ſuſpenſum auxiliari narrant, Plinius. Contra erucas aliqui fluuiales cancros pluribus locis intra hortum clauis figunt, Palladius. Et rurſus Democritus aſſerit neque arboribus, neque ſatis quibuslibet noceri poſſe à quibuſcunque beſtijs, ſi fluuiales cancros plurimos, vel marinos, quos Græci *παγοῦρους* nominant, non minùs quàm decem fictili vaſculo in aqua miſſos tegas, & ſub dio ſtatuas, vt decem (aliâs octo) diebus Sole vaporentur. Poſtea quæcunque illæſa volueris eſſe, ea aqua perfundas: & octonis diebus peractis hoc repetas, donec ſolidè quæ optaueris adoleſcant. admirabere, Palladius lib. 1. & Democritus in Geoponicis libro 10. & quinto etiam ſimiliter. Pes cancri ſi ſuſpendatur ad radicem arboris fructiferæ, cuius fructus decidunt abſque vento, non decident ampliùs, Raſis.

Cancer fl. eſt difficilis concoctu, plurimum alit. emendat ipſum decoctio cum mes, (genus eſt quoddam leguminis, fabis vel piſis natura cognatum.) marinus quidem eſt ſubtilior, Auicenna. Cum tranſiremus per montem Athon, inuenimus riuum quendam cancris adeò abundantem, vt vel mille ſtatim capi potuiſſent. erant autem aſtacis fluuialibus diſſimiles. eos ab itineris duce perſuaſus cum crudos ederem, nihil vnquam ſuauius aut delicatius guſtaſſe mihi viſus ſum, ſiue illi verè eiuſmodi ſint, ſiue eſuries aut nouitas cibi in cauſa fuerint. Hos cancros cum aſtacis fluuialibus diſſimiles viderem, è mari in riuum illum aſcendiſſe ſuſpicabar: ſed mons tam arduus & inacceſſibilis erat, vt illud fieri non poteſſe appareret: & ſpecies ipſa à marinis diſcrepabat, Bellonius. Qui leporem marinum hauſerũt, cum piſces alios omnes auerſentur, ſolos fluuiales cancros libenter edunt. Dioſcor.

Cancri marini poſſunt eadem quæ fluuiatiles: verùm inefficaciùs omnia præſtant, Dioſcor. Et Plinius cum remedia quædam ex fluuiatilibus deſcripſiſſet, Minùs (inquit) in omnibus his marini proſunt, vt Thraſyllus autor eſt.

Contra venena varia. Cancri fluuiales cocti aut aſſati comeſti, contra venena quęlibet auxiliantur, Aëtius. Cancros fl. contritos crudos è lacte potandos dato, ac omniũ reptiliũ ictibus medeberis, Idem. Triti potique ex aqua recentes, ſeu cinere adſeruato, cõtra venena omnia proſunt, priuatim cõtra ſcorpionum ictus cum lacte aſinino: vel, ſi non ſit, caprino, vel quocunque. addi & vinũ oportet Plinius. Et rurſus, Nihil ęquè aduerſari ſerpentibus quàm cancros: ſueſq; percuſſas hoc pabulo ſibi mederi: cũ Sol ſit in Cancro, torqueri ſerpentes, Thraſyllus author eſt. Sues non ęgrotabunt, ſi nouem cancros fluuiales eis comedendos porrexeris, Didymus. Ceruus à ſerpentibus morſus, cancros fluuiatiles quærit, Oppianus. Plura de cancrorum eſu aduerſus venena in ceruo & in homine, leges in Ceruo. Nicander in Theriacis cancrum fl. in lacte tritum, cum nardi drachma miſcet contra morſus ſerpentium: & circa finem eiuſdem poematis, inter cætera compoſiti cuiuſdam medicamenti contra omnes venenatos ictus ac morſus eundem requirit. Cancri fl. aut marini ad viperæ morſum bibuntur è vino per ſe: vel cum ſtaphiſagria & ſole & polio, Aegineta. Cum lacte triti & potati, & plagæ adhibiti, morſis à vipera auxiliantur, Aëtius 13.21. Et rurſus ibidem ad idem remedium: Cancrorum fl. (viginti, Aegineta) carnes terito (cum farina triticea, Aegin.) & adiecta iride (Aegineta nõ habet irin) & calaminthe, rurſus ſufficienter terito: idemque rurſus, modico adiecto ſale, facito: & paſtillos informato, quibus in vmbra exiccatis vtitor: in potu quidem ex aqua mulſa, aut vino: in cataplaſmata verò cum lacte diſſoluito. Aegineta 5.13. hoc remedium Archigeni authori adſcribit. Quòd ſi fluuiatiles (inquit) cancros nõ habueris, marinis vtere. Morſi a cane rab. in cibo proſunt cancri, cammari, echini recentes cum vino mulſo, Rufus. Cancri fl. expreſſi ſuccum cum lacte (aliâs aqua aut lacte) aſſumpto apij ſemine, à phalangijs morſos confeſtim liberare produnt, Dioſcor. Cerui percuſſi à phalangio, quod eſt aranei genus, aut aliquo ſimili, cancros edendo ſibi medentur, Plinius. Triti crudi, potique ex aſinino lacte, auxiliantur contra ſerpentium phalangiorumque morſus, atque ſcorpionum ictus, Dioſcor. Cancer fl. aut mar. ſi potetur cum lacte aſinæ, confert contra morſum aranearum citrinarum peſſimarum) id eſt phalangiorum) & ſcorpionum, Raſis. Medetur morſui ſcorpionum & rutelæ, emplaſtri modo impoſitus aut in cibo ſumptus, Auicenna. Contritum crudum è lacte propina contra omnium reptilium ictus, ſed præcipuè ſcorpionis, Aëtius. Triti potique ex aqua recentes, priuatim contra ſcorpionum ictus cum lacte proſunt, &c. vt ſuprà ex Plinio retuli. Necant ſcorpiones triti cum ocimo admoti, Plinius & Dioſc. item Raſis qui ocimum albe derogi vocat: & Auicenna, qui bedarungi. Vide ſupra in D. Eadem vis cõtra venenatorum omnium morſus, priuatim ſcytalen & angues, & contra leporem mar. ac ranam rubetam. Decem verò cancris cum ocimi manipulo adalligatis, omnes qui ibi ſint ſcorpiones ad eum locum coituros dicũt: & cum ocimo ipſos cinere mue eorum percuſſis imponunt, Plinius. Decocti & cũ iure eſitati ijs proſunt, qui leporem mar. hauſerunt, Dioſcor. Qui leporem mar. ſumpſit, cancros edat aſſiduè. piſcẽ .n. nullum admittit, Aëtius. Crudi è lacte triti dantur cõtra venenatos ictus pręcipuè ſcorpionis, ſic & deſperatum epoto lepore mar. confeſtim ſanabis, neque verò latere puto eorum tantùm carnem terendam eſſe cum lacte, Aëtius. Aliqui decoctos in vino ad quartas è balneo egreſſis bibere ſuadent in quartanis. alij verò ſiniſtrum oculum deuorari iubent, Plinius. Rupta conuulſa cancri fl. triti in aſinino lacte maximè ſanant, Plin. Decocti & cum iure eſitati phthiſicis prodeſſe traduntur, Dioſcor. & Plinius. Caro eorum confert phthiſicis, & propriè cum lacte aſinæ: & ius eorum, &c. Auicenna. Carnes eorum cum iure proſunt in hectica & ſputo ſanguinis, Elluchaſem. Caro eorum cum lacte contrita tabidis confert: vel ipſi in albo iure decocti & ſumpti cum ſuo iure, Aëtius. Cancri fl. triti ſinguli in heminam aquæ angi-
nis medentur gargarizati: aut è vino, aut calida aqua poti, Plinius. Triti ex aqua poti, aluum ſiſtunt, vrinam cient, in vino aluum. (*Obſcurus eſt hic locus, Braſauolus verbum cient reperit: tanquam è vino aluum cient, ex aqua ſiſtant.*) Ademptis brachijs calculos pellunt tribus obolis cum myrrha triti, ſingulis eorũ drachmis, Plin. Aqua decoctionis cancri fl. ventrem ſoluit, & vrinam promouet, Raſis. Si cancri cocti exiccentur, & in puluerem redigantur, ſumãturq; ex vino vel aqua ad duas drachmas: immò ſi quis copioſè cancros edat, ventrem ſubducũt, Braſauolus. Succus cancrorũ fl, cũ melle hydropicis medetur, Plinius.

Ex Archigene ad hydropicos apud Galenū de cōpos.med.sec.locos: Optimè facit & hoc: Cācri fluuiatiles sicci triti, pedibus ac eminētijs omnibus amputatis ʒ.j. asari ʒ.j. misceto aqua ex ipso flumine vnde cācri extracti sunt accepta, & propinato. aliquando verò pro asaro opobalsami par pondus additur. Aquam educens hydropicorum per vniuersum curationis tempus pota aqua: Cancrorum fl. aridorum sine manibus & pedibus ademptis testis lib.j. asari lib.j. Trita & commixta ex aqua pluuiali (fluuiali,) vnde sunt desūpti cācri dato bibēda. Iterdū pro asaro seruatur, (videtur hic aliquid mutilū & ex prçcedētibus Archigenis verbis restitui posse,) Nicolaus Myrepsus. Ad vrinę difficultatē: Pagurū fluuiatilē cōterito, & pāniculo expressum potui exhibeto, Galenus Euporiston 3.226. Cācri fl. triti in vino potiq; profluuia (mensium, vel vteri, Brasauolus hæc verba non rectè de alui profluuio accipit) sistunt Plinius. Si fluxus vteri oboriatur, cancros fl. in vino suffocato, & vinum bibendum dato: & quæ siccāt suffito & apponito, Hippocrates de natura muliebri. Et rursus libro 2. de morbis mulieb. Si fluxus vteri fiat, cancros fl. in vino suffocato & de tali vino cum aqua bibendum dato. Si mortuus fœtus in vtero sit, cācros fl. quinq; & rumicis ac rutæ radicem, & fuliginem de furno, omnia simul trita, & cum aqua mulsa vnita, sub dio per noctem exponat, & ieiuna ter bibat, Idem libro 1. de morbis muliebr. Ad capitis in equo dolorem hac potione vtitor: Cancros fl. septem tritos cum lactis caprini sextario & olei cyatho permisce: tùm purè colatam potionem per os infunde, Pelagonius Hippiatros.

Extrinsecus. Cācer fl. tritus, & cataplasmatis instar impositus, extrahit tela (palos & ἀκίδας) corpori inhærentia, Galenus ad Pisonē & Plinius. Viuus tritus impositus extrahit cuspides sagittarū (res acutas & spinas, Auicenna) infixas carni, Rasis. Similiter applicatus apostemata dura dissipat, Idem. Contritus vel combustus ex melle strumis medetur, Plinius. Pes cancri in charta conuersationis à collo eius qui habet scrophulas, curat, quandiu durat super ipsum, Rasis. Cancri fl. cum canchry, pedicularia, & ruta pari modo miscentur pro epithemate ad scorpionum ictus, apud Galenum libro 2. de antidotis. Triti in oleo & aqua, perunctis ante accessiones in febribus prosunt. aliqui & piper addunt. Magi quoq; oculis earum (eorum, vt emendaui in Rana G.) ante Solis ortū adalligatis ægro, ita vt cæcas (cæcos) dimittant in aquam, tertianas abigi promittunt. eosdemque oculos cum carnibus lusciniæ in pelle ceruina adalligatos, præstare vigiliam somno fugato tradunt, Plinius. Oculus cancri appensus oculorum dolorem mitigat in pueris dentium exitum accelerat, & prohibet tertianam, Rasis.

Vlcera quæ in auribus, aut vlla corporis parte fiant, cancrorū fluuiatiliū succus cū farina hordeacea sanat. Et ad reliquos morbos triti in oleo perunctis prosunt, Plinius. Et rursus, Succus eorum cū farina hordeacea aurium vulneribus efficacissimè prodest. Illitio (stomatica ad anginā, vel alia oris vitia,) seu gargarismus ex cancris fluuiatilibus: Cancros fl. contritos in aquæ cotyla vna coctos & percolatos, præbe gargarisandos. Siquidem crassa multa ducit, & leuat statim, vt ait Galenus, hoc medicamentum, Nicolaus Myrepsus. ego apud Galenum non memini legere. Mulieri vbi mammę inflantur: Cancros fl. viuos contunde, & fac implastrum quod imponatur, Nicolaus Mirepsus. Ad profundas mammarum durities: Cancros fl. cum ouo applicato, quod & lac restinguit, Aëtius.

Lib.12.cap.10

De malo pilar. in mammis.

Li.4?.de h.?? anim.ca.11.

Cancri fluuiatiles illiti, vel marini pilos in mamma, vel muricum carnes appositę tollunt, Plin. Hic locus me impellit, inquit Rōdeletius, vt q̄ sentio dicā, de morbo quē mulierū mammis accidere scribit Aristoteles, vocatq; τριχίαν, Gaza malum pilare interpretatur, de quo morbo Pliniū hîc loqui maximè verisimile est. De eo verò sic Aristoteles interprete Gaza: Vbera tota ita fūgosa sunt, vt si in poculo fortè pilū hauserit mulier, dolor moueatur in māmis, q̄ malū pilare τριχίαν appellāt, nec sedatur donec pilus vel pressus exeat spōte, vel cū lacte exugatur. Ego verò malū ex pilo hausto fieri nullo modo posse cōtendo, etenim planè repugnat anatome. n. pilus haustus per vētriculū in intestina delabitur & inde per anū cum excrementis reliquis egeritur. Quî .n. pilus per venas mesaraicas, & ex his per tot hepatis exiguos ductus & mæandros in cauam venam, à caua vena ad axillares venas, ab ijs ad mammas penetrare possit? Vel si illuc permeârit, cur non per venas in papillā desinētes potiùs delabitur, vel suctu extrahitur, cùm hæ multò latiores sint medijs, idq; sine dolore. Quare cùm huiusmodi malum māmā infestat, id non ex pilo hausto oriri puto: sed ex vermiculo paruo capilli specie, ex pituitosioris & putrescentis sanguinis copia generato, qualē equidē aliquādo vidi ex nobilis & spectatissimæ fœminæ māma natū. Huiusmodi capillares vermiculos aliquando mihi in vrina ostendit excellētissimus medicus præceptor olim meus Gilbertus Griffius, qui facilè parum aduertentes latuissent. huiusmodi etiam sæpe reperi in fontibus, quarum aqua crassa est & viscida, nigros, pedem vnum longos. Fiunt vermiculi etiam in dentibus, in auribus, in intestinis, in vlceribus sordidis. Vidimus etiam è cute vermiculum.

Vermiculi in mammis.

In vrina.

In dentibus, &c

Narrabo aliud cuius non ipse solùm, sed etiā multi spectatores vnà fuimus. Laborauit iuuenis brachij dolore annos aliquot, qui secundum longū sentiebatur, & tumorē excitauerat, factusq; est tandem abscessus, quo scalpello diuiso, acicula ærugine obducta, forficulis inde educta est, eam ex ijs qui aderāt nonnulli à puero vnà cum cibis deuoratā fuisse credebāt tandemq; illuc penetrasse, q̄ fieri nō potuisse arbitror. Ego in ea re aliud coniicere non potui, quàm puerum dū petulantiùs lasciuiret, vel procaciùs colluderet, brachio in aciculam impegisse, idque sine dolore, quemadmodum in ira vel magna animi contentione, mente alio spectante dolor statim nō sentitur: tum quia æruginem acicula contraxisset vi siccandi præditam: progressu tamē tēporis dolor excitatus est, factusq; abscessus. Hactenus Rōdeletius.

Historia aciculæ de abscessu exempta post annorum aliquot dolorem.

Cancri fl. triti, sicque cinere & oleo subacti, perniones emendant, Plinius. Triti verendorum pustulas discutiunt, Idem.

Cancri fl. aridi suffiuntur si fœtus abruptus in vteri collo detineatur, Aëtius 16.19.

Cinis cancrorum, vel cancri vsti intrinsecus. Vruntur cancri in vase figlino, occluso luto quod sapientiæ cognominant, in fornace ad ignem lentum. bibitur autem hic cinis cum syrupo de papauere aduersus sputum sanguinis, Elluchasem. Cancri fl. triti potique ex aqua recentes, seu cinere adseruato contra venena omnia prosunt, (&c vt superiùs recitaui,) Plinius. Et rursus, Cinis eorum seruatus prodest pauore potus periclitantibus ex canis rabiosi morsibus. quidam adiiciunt gētianam, & dāt in vino. nam si iam pauor occupauerit, pastillos vino subactos, deuorandos ita præcipiūt. A scorpione percussis

cancros

cancros fl. vel cinerem eorum cum ocimo imponunt, Idem. Quomodo vri debeant, tradit Bulchasis tractatu 3. Cinis eorum cum melle prodest ad morsum canis rab. potus, Auicenna: perperam forte, vt pro potus legendum sit illitus, sicut habet Aetius. Prodest cinis cancri aspersus aceto, Hali. vel cinis crustarum cancri mar. vt Aggregator citat ex nescio quo authore. Cancrorum fl. exustorum cinis qui duo cochlearia expleat, adiecto dimidio radicis gentianæ modo, triduo (alias quatriduo) potus cum vino, magnopere prodest canis rabiosi morsibus, Dioscor. De antidotis diacarcinon ad morsos à cane rabioso, multa protulimus in Cane G. (*pagina 202. & deinceps*) Hîc aliud addemus ex libello Iacobi Magni. Diacarcinon furentibus, hydrophobis, lycanthropicis vtilis antidotus: recipit cineris cancrorum fl. drach. quinque. gentianæ vnc. semis. rorismarini drach.j. spodij duas. lapidis lazuli scrup. duos. Tere, misce, fiat puluis bibendus mane & serò. Aetius libro 12. cap. 47. inter antidotos podagricas, hanc etiā, quæ ex cancris est, describit: Ex cancris (inquit) pharmacum etiam mollibus corporibus cōducit: quod hoc modo componitur: Cancrorum magnorum viuorum vstorum in æreo vase, trientem. gentianæ incorruptæ quincuncem. thuris integri & indiuidui albi vnc.j. Datur inde cochlearium vnum. Ad cancrorum verò exustionem ligna vitis aduruntur. Et statim, Describam porro & aliud pharmacum, corporibus recrementis abundantibus & mollibus conducens. Est autem id quod à rabido cane morsis datur, cuius compositionem in sermone de rab. canis morsu tradidimus. Adieci autem ego (inquit Philagrius) ad huius pharmaci apparatum, etiam pertroselini drach. octo, vt plurimum verò decem, quo vrinæ ciendæ vim acquirat. & multos sane arthriticos iuuit, præsertim quibus tenerum & album corpus fuit, mediocris mystri mensura ex eo data, aliquando ex aqua mulsa. Quin & melle despumato sæpe ipsum excepi, quo validum & citra transpirationem adseruarem. Deinde vero veluti prædictum est bibendum exhibui, Hucusque Aetius.

Cinis cancrorum vel cancri vsti, extrinsecus. Cancri fl. combusti triti & cum melle adpositi, strumas discutiunt, Plinius & Marcellus. Adusta sanantur cancri mar vel fl. cinere: & ea quæ feruenti aqua cōbusta sunt. hæc curatio etiam pilos restituit cum cancrorum fl. cinere: putantque vtendum cum cera & adipe vrsino, Plinius. Rimas pedum sedisque, perniunculos, & carcinomata cum decocto melle lenit hic cinis, Dioscor. Vtilis est fissuris pedum ex frigore. item ani. & quod de eo adustū est, ponitur in medicamentis morpheæ & panni vtiliter, Auicenna. Ex oleo & cera rimas in sede emendat, Plinius. Cancri mar. cinis vsti cum plumbo carcinomata compescit. ad hoc & fluuiatilis sufficit cum melle, lineaq; lanugine. sed aliqui malunt alumen melque miscere cineri. Equorum carcinomata, inquit Hieronymus, secanda sunt, si locus admittat: sin minus, cancros fl. vstos imponere oportet: & cū acida fæce subigere ac imponere piceæ corticem tritum, Hierocles in Hippiatricis cap.77. Philosophi medicamentum ad cancros vteri: Cancros fl. tres aut quinq;, impares enim esse oportet, sub prunis vstos cum oleo ligustrino terito, & cum penna illinito, Aetius.

H.h.

Vide supra Emblema Alciati in Corollario de Astaco fluuiatili, H.h. Exigit à nobis cancer, ambiguū quidem informeque animal, & cui consueuerint capto pueri libenter illudere: sed humano generi non penitus inutile, pro ope quam contra venenata homini liberaliter affert: multorum cōtra se maledicta & contumelias deleri: quibus iniuste damnari & immerito explodi à pictoribus & poetis se sentit: qui non habentes quam parasitis & adulatoribus aptiorem & concinniorem in natura imaginem redderēt, fluuiatilibus cancris eos comparauerunt: fœliciter ideo comparatione illa vti sibi persuadentes, & ab aliis crediti, quod tota eius animalis figura & species huic hominum generi eorumque studiis ad vnguē congruere videretur: responderetq; glomer & globus ille corporis: nec nisi venter tota in eo moles gulæ cœnarumq; studio & petitis vndiq; à parasitis multa scurrilitate lautioribus epulis. Numerosa autē illa chelarum pro pedibus series, celeritati totaq; vrbe vagis eorum discursibus, quibus ad hilariorem sicubi ea illuxisse videatur fortunam, quotidie properant. Denticulati itidem forfices, quibus in ascēsu & periculo vtitur & hæret id animal, morsibus, maledictis, clandestinisque susurris & delationibus, quibus apud principes alios exagitantes, pro re saluteq; eius curam laboremque suum probare & gratiam inire nituntur. postremoque in summo dorso, veluti in altissima specula positi, exerti, nunquam somno conniuentes, & ad omnia vigiles oculi, ingenio sagaciq; coniecturæ, qua consilia, vota, amores, iras, odiaque eorum quibus blandiuntur, intellexisse volunt: vt inguinum modo corruptis & in pus iā tumentibus affectibus illis adsint. Quam iniuste autem impudenterq; & contumeliose id egerint, naturam intelligentibus cognouisse facile est: quæ ambiguo & in humido siccoq; elemento pariter agenti animali, ventris inanem plerunq; globum illum ideo dedit, vt quemadmodum solent pueri alligato ex humeris subere, rotundioreue & ampliore cucurbita, securam in piscinis primam auspicati natationē, sic posset & cancer glomeris illius ope in summa aqua sine periculo fluitare. Multas verò illas & lōgiores chelas, vt per terram ingredienti aliorum animalium modo infirmam ex inferiore parte aluum altius à terra extollere liceret. Denticulatos itidem forfices, vt maiore profluentis aquæ vrgente impetu, qualis per autumnum & ver largior & inexspectata sæpe descendit, apprehensis stirpibus supra aquam, vsq; dum ea defluat incolumis penderet. Mobiles postremo in omnes partes & in excelso constitutos oculos, nec minus à tergo quam à fronte omnia videntes, vt infirmum tardumq; animal, occursantes vndiq; noxas ex longinquo præcognoscere & cauere: offerentiaq; se vitæ & salutis suæ commoda certius assequi valeret. Quam oculorum sortem in homine desiderantes antiquiores aliqui, negatam nobis tam fœlicem naturam & videndi potestatem, figmentis saltem ostendere conati sunt: bicipitem Ianum & toto corpore oculatum Inachiæ bouis custodem fingentes: vt quales à natura factos nos esse oporteret, imaginibus illis saltem intelligeremus: nulla earū necessitate, si quæ in cācro sunt, sagacis naturæ, non adulationis aut parasiticæ notas diligentius contemplaremur, Hæc omnia Marcellus Vergilius.

Parasiti cancris collati.

DE METROPOLEOS EPHESIÆ CANCRIS HOSTIBVS *serpentium, ex Aeliano libro 16. cap. 38.*

Ad plaudem, quæ iuxta Ephesiam metropolim existit, aiunt cauernam esse serpentium plenam maximorum

ximorum

ximorum: quæ vt magnum acerbitatis uirus habent in mordendo, ita tametsi ex cauerna prodeuntes vsque ad proximam paludem serpunt, tamen natando traijcere conantes, vt in oppositam ripam exeant, Cancrorum, qui eas extensis forcipibus comprehensas interficiunt, metu deterrentur: itaque côquiescunt, atq; à transmittendo se sustinent, cancrorum custodias formidantes, & pœnarum metum exhorrescentes: ac nisi mirabili naturæ dono paludis ripas Cancri incolerêt, & tuta illic omnia præstarent, dudum pestiferis serpentium morsibus incolæ perissent.

ASSERINA (fortè Asterion, vt Plutarchus habet) locus est in Tenedo cum paruo fluuio, in quo etiã cancri sunt τὰ χελώνια διηρθρωμένα ἐπιπλεῖον ἔχοντες ἢ πελέκει ἐμφερῆ, Suidas in Τενέδιος. Tenedij securim (aliquãdo consecrarunt Delphis) à cancris qui nascuntur apud ipsos πελέκει τὸ κάλλιμον Ἀστέριον. soli enim hi cancri in chelonio (testa sua) speciem securis referunt, Plutarchus in libro. De eo quòd Pythia non amplius carmine respondeat. Tenedia quidem securis inter prouerbia ab Erasmo Rot. memoratur.

DE CANCRIS IN GENERE RONDELETIVS.

Cãcri qui proprie, & eorum species. Lib. 9. cap. 31.

CRVSTA intectorum quartum genus est cancer, cuius species sunt permultæ, etiam si hîc non tam late pateat, quam apud Plinium qui ei locustas atque astacos subijciat. Nos verò cancri nomine ea tantum complectimur, quæ cum caudam corpori appressam habeant, rotundo sunt corpore, cum locustæ, astaci, squillæ, lõgum habeant. Cancrorum genus, inquit Aristoteles, multiplex est, nec facile enumerandum, maximum quas mæas apppellant. Secundum paguri, & quos Heracleoticos vocant. Tertiũ fluuiatiles, cæteri minutiores, & nullis pene nominibus annotati. Et genus cancrorum litorale Phœnice fert tantæ velocitatis, vt eos consequi facile non sit, vnde ἱππεῖς, hoc est equites appellant. Genus item aliud est quod magnitudine cancrum non excedit, facie astacis simile. Nos plura genera numerabimus, quæ sub cancris contineri nemo non fatebitur.

Differentiæ & partes.

Ea multiplici varietate à se distinguuntur. Vt magnitudine differunt, mææ, paguri ab albis & pinnophylacibus: hi enim parui sunt, illi magni, inter hos alij sunt medij. Heracleotici fusco sunt colore, paguri & mææ rubescente, vndulati flauo quum è mari extrahũtur: latipes, & qui in ostreis nascitur albescente: qui in pinna, flauescente: vrsus colore corticis mali punici. Distant & pedum longitudine: aliorum enim pedes breues sunt, aliorum mediocriter longi, aliorum longissimi. Oculorum quoq; situ differunt, horum oculi fere se contingunt: illorum, magno interuallo à se disiunguntur. Sunt nonnulla in quibus omnes conueniunt. omnibus enim pars dura & testacea foris pro cute est, mollis & carnea intus: supina corporis planiora & magis tabellata sunt, quibus & oua deponunt, quum pariunt. Omnibus pedes sunt deni cum chelis, cornua tenuia parua & pauca. Cauda omnibus complicata & introrsus reducta, quo fit vt rotundo sint corpore, & omnes cauda carere censuerit Aristoteles. Corporis totius alueum atq; caput indiscretum omnes habent, Hæc ille.

Cauda.

Et rursus post historiam Cancri parui: Quam nos caudam (inquit) appellauimus, quæ ex tabellis manifeste constat, Aristoteles ἐπικαλύμματα πτυχώδες uocat, quia corpus posteriore parte integit, nec in pinnas desinit, nec extenditur ad natationem. Cancri enim magis ingrediuntur quam natant, etiamsi aquatiles sint.

Motus & ingressus eorum.

Cum verò cæteræ animantes & quadrupedes, & multipedes per diametrum, vel in anteriora moueãtur, cancri per transuersum & in latus progredi videntur. Sed quoniam oculis semper prior siue anterior pars ad iter designatur, quia in priore animantis parte siti sunt oculi, cancri in anteriora reuera progrediuntur, ad eam semper partem, ad quam oculi, tendentes: nobis verò in latus ferri videntur, quia oculi membra imitantur, quæ in latus, si ingressus nostri vel aliorum animalium rationem habeas, progrediuntur. Recte igitur Plinius: Cancri in pauore etiam retrorsum pari velocitate redeunt: is autem motus ei qui fit antrorsum ex diametro opponitur.

Aquam ore excipiunt & reddunt.

Crustata omnia aquam marinam ore excipiunt, inquit Aristoteles: sed cancri exceptam oris parte exigua reijciunt: qua de causa circa cancrorum os spuma apparet, ex aqua & aere vna cum aqua hausto attractu & reiectu agitatis: locustæ per branchias (*improprie dicit branchias*) quas maiores habent transmittunt.

Quod se inuicem vorent.

Cancri in ciborũ penuria à suo genere nõ abstinent: q̃ si quis procul amandare velit, eos ita dispon at oportet, vt alteri in alterum impetum faciendi potestas nulla sit. Sunt igitur cancri ex pãphagorũ genere, siue marini sint siue fluuiatiles, siue inter hos medij, qui scilicet in stagno marino nascũtur & degũt.

COROLLARIVM DE CANCRIS IN GENERE: VBI QVÆ AD

speciem nullam cancri peculiarem referuntur ab authoribus. (aut licet referri possent, communia tamen sunt,) commemorantur.

A De cancris in genere plura dicemus, vbi ea quæ crustatis communia sunt omnibus exponentur. hîc ea quæ ad cancros peculiariter, præcipuè: quanq̃ & locustario generi congruentia multa adferentur. Cancri speciem peculiarem constituunt, paguri aliam. Græci tamen recentiores aliquando confundũt. Cancri, qui paguri dicuntur: Symeon Sethi, & Scholiastes Aristophanis. Palladius cãcros marinos memorat, quos Græci paguros nominent, ex Democrito. & in Geoponicis, Democriti hæc verba citantur: καρκίνους, εντέσι πε γυρους ποταμίους, ἢ θαλαττίους, libro 10. Libro 5. autem, καρκίνους ποταμίους, ἢ πουγουρους θαλασσίους. Sarthan vel Sarathan Auicennæ, סרטן, Arabice (Serapionis codex vulgatus nõ rectè habet Sartam per m. in fine) cancrum significat. Cancros vulgo mutatis & inuersis literis grancos vocant, tam fluuiales & è lacuna, quam marinos, Platina Italus. Crustati generis animalia non habent nomen quo summum genus possit dici. Latine fortasse cancer dici poterit, Niphus. Quæ à Græcis malacostraca appellantur, Theodorus in vniuersum crustata Latino nomine nuncupauit: quæ cum apud Græcos communi nomine carere ex Aristotele primo de historia Plinius animaduertisset, crusta intecta omnia sub cancri nomine censuit appellanda, ceu cancer genus esset & species, Massarius. Aloisius Mũdella epistola nona, nihil aliud multis verbis docet, quam cancri nomen generale esse: videri autem aliquando ad fluuiatiles contrahi: cammaros verò esse marinos, & quòd ex fluuialibus tantum antidotus diacarcinon paranda sit. De cancro nigro & aureo Auicennæ, quem sua lingua canissem appellat, vide mox in B. Nos Cancros

Cancros (vt cõmunius accipiam Cancri nomen pro quouis malacostraco) Locustarios, Καραβοειδεῖς, nominare possumus *Lang Krebs*: alterum vero genus, quod Cancrarium quidam nominant, *kurtz Krebs*, *rund Krebs*, *Teschen krebs*. Vide plura de Germanicis nominibus, in Paguro in Corollario A.

B De cancri & aliorum crustatorum partibus quædam in uniuersum agit Aristoteles libro 4. cap. 8. de partib. animalium. Cancri non habent collum neq; caput, Galenus lib. 7. de vsu partium. Quibusdam indiscretum caput est, vt cancris, Plinius. Cancri obliquum aspiciunt. Crusta fragili inclusis rigentes (oculi,) Idem. Cancrorum plurimæ parti oculi sunt tum intro, tum foras in obliquum moueri apti, Aristot. Oculos habent duros. palpebris & pilis carent, Galenus. Lege etiam supra quæ scripsi ex Galeno, in Corollario de Balæna B. de oculis Cancrorum. Cancer pedes habet & brachia, forcipesq; pro manibus, Author libri de nat. rerum. Cancris forcipes, pedesq; haberi, & ij quales essent, dictum iam est. omnibus verò magna ex parte grandior ac validior forceps dexter, quam læuus est. Quinetiam de oculis diximus, visum parti plurimæ esse in obliquum. Alueus verò totius corporis indiscretus est: nec enim caput distinctum, nec aliud quicquam. Oculi non eodem situ omnibus positi, sed alijs è latere supra, †continuo sub prono, amplo distantes discrimine: alijs in medio breui discrimine, vt Heracleoticis, aut maijs. Os oculis subditum, in quo dentes duo, vt locustis: verum non rotundi, sed longi. Tegmina dentes operiunt duo, inter quæ talia interiacent quædam, qualia locustarum dẽtibus adnecti exposui. Humorem igitur ore accipit, tegminibus illis depellendo: emittitque meatu oris superiore, obductis meatibus, qua interfluxit. Duplex ille meatus sub oculis est. Quoties ergo aquam acceperit, vtroque tegumento os obturat, atq; ita respuit humorem. Gula post dentes breuis admodum est, ita ut protinus venter os excipere videatur. Venter bisulcus gulæ subiungitur, cuius ex medio intestinum simplex & tenue procedit, quod sub applicato exteriore operculo desinit, vt dictum est. Quod autem inter tegumenta interiacet, huius, sicuti locustarũ, dentibus adnectitur. Humor intus in alueo pallidus, & minuta quædam oblonga, albida continentur. Ruffa etiam alia, maculis dispersis. Differt à fœmina mas, magnitudine, crassitudine, & operculo. id enim amplius in fœmina est, & distantius, & hirsutius, & opacius, quale etiam fœminæ locustarum sortiuntur Aristot. De ventre & dentibus tum cancrorum, tum crustatorum omnium in genere quædam scribit Aristot. lib. 4. cap. 5. de partib. anim. Cancris pedes octoni, omnes (alias, Pedes octoni omnibus) in obliquũ flexi. Fœminæ primus pes duplex, mari simplex. Præterea bina brachia denticulatis forcipibus. Superior pars in primoribus his mouetur, inferiore immobili. Dextrum brachium omnibus maius, Plinius. De forcipibus cancrorum lege Aristot. lib. 4. de partib. anim. cap. 11. Octonos (pedes) & marinis esse diximus, polypis, sepijs, loliginibus, cancris, qui brachia in contrarium mouent, pedes in orbem aut in obliquum. Iidem soli animalium rotundi, Aristot. Cætera binos pedes duces habent: cancri tantum, quaternos, Idem & Plinius. Cancris primi vtrinque pedes quaterni, tum terni alij, ordinem eodem modo explentes. reliqua bona pars corporis pedibus caret. pedes omnibus in obliquum flectuntur, quo modo etiam insecta mouentur, Aristot. Et rursus, Cancris etiam omnes deni cum forcipibus sunt. Cancri (inquit Aristot. 4. 11. de partibus animalium) superiorẽ sui forcipis partem mouent, non inferiorem. habenti enim pro manu, forcipem esse oportet, mordendi autem secandique officium dentis est. cancris igitur, cæterisq; quibus licet ociosius cibum capere, quũ in humore non sint, oris vsus partitus est, vt manibus aut pedibus capiant, ore secent & mordeant, sicuti crocodilo fluuiatili euenit. qui vnus maxillam mouet superiorem, quoniam pedes ad capiendum retinendumq; inutiles habet: parui enim admodum sunt. itaque ad hunc vsum natura os ei pro pedibus vtile condidit. Ad retinendum verò, vnde ictus inferri vehementius potest, inde motus commodius agitur. infertur autem vehementius desuper quam de parte inferiore. ergo cum vtriusque tum capiendi tum mordendi vsus ore administretur, magis autem necessarium retinendi officium sit, cui nec manus sint neque pedes idonei, commodius ijs est mouere superiorem maxillam quam inferiorem. Videtur Aristoteles sibi aduersari, inquit Niphus lib. 4. de animal. cap. 2. nam primo tribuit cancris pedes decem, connumeratis etiam chelis: nunc cancris assignat pedes quatuordecim. Diluitur hæc incõstantia, quòd hæ sunt duæ indefinitæ (propositiones,) quæ veræ sunt de cancro secundum diuersas species. Vnde Albertus non imperite dicit cancrum, qui communiter cancer dicitur, habere decem pedes qui vero aureus appellatur, eum quatuordecim habere affirmat. Et Auicenna in suo de animalibus libro cancrum, quem Aristoteles asserit decem pedibus fungi, nigrum esse autumat: eũ verò, quem Aristot. dicit habere quatuordecim, vult esse aureũ, quẽ sua lingua canissem appellat, q. aureus interpretatur, hæc Niphus.

† ἐνθὺς continuo, & nullo medio.

Cancer aureus.

Cancer niger. Canissem.

Mares duas habent spinas inter ventrem & caudam, quibus fœminæ carent, quæ oua in ventre habent, Author libri de nat. rerum. Vide etiam in C. Cancris ex crustaceis, solis cauda deest, & corpus rotundum est, cum locustis squillisque longum sit Intestinum eis finit, qua applicatum illud operculum geritur medio applicaminis ipsius: verum ijs quoque parte exteriore, qua oua pariunt, desinit, Aristot. Cum senuerit cancer, duo lapides albi coloris intermixto rubore inueniuntur in eius capite, Author libri de nat. rer. De exuuio cancrorum, leges in C.

C Cancros viuere aqua dulci & salsa, Galenus scribit in libro de boni & mali succi cibis. Mare ore exceptum, exigua oris parte adducta respuunt, Aristot Quicquid ceperint ori admouent suo forcipe, Idem. Saxatiles omniuori sunt, Idem. Cancri & cancelli & alij pisces, polypum Venere exhaustum deuorant: quos prius ipse vorabat, Oppianus & Aelianus. Cancer lacte potatus, sine aqua viuit multis diebus, Author de nat. rerum. Cancros in plenilunio incrementum suscipere Plinius asserere videtur ex verbis Aristotelis de partibus animalium scriptis de echinis. Cancri quanquam aquatiles, tamen gressiles sunt, Aristot. Et rursus, Quædam ambulare possunt, vt genus cancrorum: quippe quod quanquam suapte natura aquatile est, tamen vim habet ambulandi. Cancri quomodo moueantur tradit Aristoteles in libro de communi animalium gressu. Retrogradi sunt, nec vnquam ante faciem suam ambulare norunt, Author de nat. rer. Sed verius Plinius, In pauore (inquit) etiam retrorsum pari velocitate redeunt. Cancri parte priore (*Rondeletius vertit, partibus posterioribus*) copulantur, sua opercula loculosa illa, rugosaq; (τὰ ἐπικαλύμματα τὰ πτυχώδη) mutua consertione cõponẽtes. Primum

Primum cancer minor ab auerſo ſuperuenire ſolet : tum maior vbi ille ſuperuenerit,vertit ſe in latus. Nulla re differt fœmina à mare , niſi quod operculum applicatile illud amplius,& diſtantius,& hirſutius(*magis disiunctum à corpore,& denſius contextum, Rondeletius.* σωνηρεφέστερον)fœminæ gerant , in quo oua pariunt,& qua egerunt excrementum. membrum autem quod alter in alterum inſerat , nullum omnino habetur,Ariſtot.ſed de ſexus diſcrimine ſupra etiam in B.dictum eſt,& in Cancro fl. Locuſtæ , ſquillæ, cancri,ore coeunt.Plinius. Non ſemel ſed ſæpe cruſtam exuunt,Ariſtot.Et rurſus , Cruſta ſua tam nuper nati,quam poſt exuuntur per ver. Et alibi, Cancri etiam exuunt ſenectutem,molliores quidem perſpicue:ſed etiam duriores exuere aiunt,vt maias. Cum verò exuunt , mollis admodum cruſta ſubnaſcitur.& quidem cancri præ teneritate non ſatis ambulare poſſunt. Veris principio ſenectutem angulum more exuũt reuocatione(renouatione,vt Maſſarius legit in vetuſtis codicibus) tergorum , latent menſibus quinis, Plinius.Hyeme aprica loca ſectantur,æſtate in opaca turbatim (*turmatim vſitatius eſt*) recedunt. Omnia eius generis hyeme læduntur,autumno & vere pingueſcunt, maxime plenilunijs : Platina ex Plinio, qui hæc de locuſtis, & de cruſtatis in genere ſcribit. Vniuerſi vbi aliquando congregantur, os Ponti euincere non valent: quamobrem regreſſi circumeunt,apparetq; iter, Plinius. Cancris vita longa, Plinius Ariſtoteles quarto de hiſtoria locuſtis tantum,non cancris , vitam diuturniorem datam teſtatur. Sole Cancri ſignum tranſeunte,cancrorum cum exanimati ſint, corpus transfigurari in ſcorpiones narratur in ſicco, Plinius. Vide etiam inferius in Cancro marino & Paguro.

D Dimicant inter ſe vt arietes,aduerſis cornibus incurſantes, Plinius. Cancer quam callide deuoret oſtrea, vide in H. nomenclaturam Ptyxagris. Cancros interdum vrſus deuorat, Ariſtot. & Plinius. Cancri ignibus aduſti odor(nidor)inuiſus(infeſtus)eſt apibus, Palladius & Columella. Neue rubentes Vre foco cancros, Vergilius. Cancrorum odore, ſi quis iuxta coquat, apes exanimantur, Plinius. Si velis ne in te aper graſſetur, cancrorum brachia illa denticulata tecum appenſa circunfer , Didymus. Cancer admota ipſi polypode herba abijcit chelas ſiue pedes, Zoroaſtres in Geoponicis.

E Vlmi folliculis genus quoddam beſtiolarum innaſcitur. quod cnipes appellant : qui cum in ficis gignuntur, ficarios illos culices(τὰς ψῆνας)deuorant. Huius remedium cancros ſtatuunt alligandos , (ἄκος δὲ τούτου φασὶν εἶναι τοὺς καρκίνους περιπερονᾷν, forte περιπειρονᾷν , pro affigere :) in eos enim vertere ſeſe cnipes inquiunt, Theophraſtus de hiſtoria 2.9. Tanto diſſidio flagrant cancri & erucæ , vt ſi à cornibus ſuſpendantur illi ramis arborum, in quibus irrepunt aut nidulantur erucæ, illico decidant, collabantur ac alio immigrent, Ant. Mizaldus. Quidam tres cancros viuos cremari iubent in arbuſtis, vt carbunculi nõ noceant, Plinius. Ardeola cancrum faſcinationis amuletum nido imponit, Aelianus & Philes. Cancrorum nidore apes exanimantur. vide ſupra in D. Hyeme(tempeſtate, pluuia)imminente cancer ex aqua in terram prodit, Aratus. Καὶ μὴν ἐξ ὕδατος καὶ καρκίνος ᾤχετο χέρσω. Χειμῶνος μέλλοντος ἐπαΐσσεσθαι ὁδοῖο.

F Cancros & huiuſmodi malacoſtraca Galenus ſcribit dura carne conſtare: atque ob id difficillimè cõfici, ſed firmi alimenti eſſe. Cancri piſces ſunt aquatici, *frigidi & humidi, ſeptentrionales,* Author libri de ſpermate Galeno adſcripti. Cancer grauis eſt & difficilis concoctu , Diphilus & Pſellus. Cancri, locuſtæ, ſquillæ & huiuſmodi, difficulter quidem concoquuntur, ſed multo facilius quam alij piſces. cõuenit autem eos aſſari potius quam elixari , Mneſitheus. Cancri fluuiales & marini, multum alunt, & non facile in ſtomacho corrumpuntur: verum ſunt difficilis digeſtionis, Arnoldus Villanouanus. Ex his quæ teſta integuntur, ſquilla omnium minime noxia exiſtit, cancer turbationem inducit, Aetius in curatione colici affectus phlegmatici. Cancros & piſces omnes conchas habentes aluum ſoluere Galenus teſtatur, propter ſalſedinem & acrimoniam eorum : ideoque ſtomacho nocere , maxime neruoſæ eius ſubſtantiæ, Iſaac libro 3. vt quidam citant. Coqui debent ex aqua & aceto & abundanti ſale. Ita efferueant oportet, vt bis terue ſpumam exundanti aheno emittant. Cocti, & in patinas tranſlati, ex aceto (ſuffuſo)comeduntur, Platina. Cancros coqui iubet Galenus in aqua in qua nati ſunt, libro 9. de compoſ. ſec. locos.

G Cancris marinis & fluuiatilibus communia quædam remedia in fluuialibus retuli. Cancri contra ſerpentium ictus medentur, Plinius. Contra ſcorpionum ictus ſilphium cum cancro trito in vino propina, Aegineta. Cancri appoſiti ſcorpio ipſum occidunt, Aetius. alij hoc priuatim de cancro fl. ſcribũt. Cerui morſi vel à phalangio, vel à quouis generis eiuſdem, cancros edunt : quod idem homini etiam prodeſſe putatur. ſed non caret faſtidio Ariſtot. Apri deuorato hyoſcyamo, cancros ſibi pro remedio quærũt , Aelianus in Varijs 1.7. Plinius apros hedera ſibi mederi ſcribit in morbis, & cancros veſcendo, maxime mari eiectos. Carbunculos & carcinomata in mulierum parte præſentiſſimo remedio ſanari tradunt cancro fœmina, cum ſalis flore contuſo poſt plenam lunam, & ex aqua illita, Idem. Cancri cum in electuariis & antidotis reſumpti vis ponuntur , ſic præparari debent: Euellantur extremitates cancrorum è pedibus & corporibus ſuis : & abluantur cum aqua frigida & ſale cum cinere, ter , donec iam puræ ſint carnes, & odoris grauitatem exuerint. deinde coquantur in aqua hordei, aut aqua lactis à quo *extractum eſt butyrum. ſic præparati electuarijs miſceantur* , vt docet Auicenna libro 4. ſui Cano. fen prima , tractatu 3. capite de medicamentis refrigerantibus hecticos , Hæc ex vetere editione Nicolai Præpoſiti.

Cancri ex aqua poti profluuia ſiſtere dicuntur, (vide ſupra in Cãcro fl.) ex hyſſopo purgare. Et ſi partus ſtranguletur, ſimiliter poti auxiliantur. Eoſdem recentes vel aridos bibunt ad partus continendos. Hippocrates ad purgationes mortuoſq; partus vtitur illis, cum quinis lapathi radicibus , cum ruta & fuligine tritis, & in mulſo datis potui. Item in iure cocti cum lapatho & apio , menſtruas purgationes expediunt, lactiſque vbertatem faciunt. Item in febri quæ fit cum capitis doloribus & oculorum palpitatione, mulieribus in vino auſtero poti prodeſſe dicuntur , Plinius. Ad ſtrãguriam quidam iubent tres cancros coqui in cyatho aceti, in mortario ſimul contundi , exprimi, & propinari. Cancri teſtam diligenter teres, & vino ſubdulci miſcebis , & colatam potionem dabis bibendam ei qui calculi moleſtia laborabit, Marcellus. Aetius ad idem remedium cancros vrit, vt nunc ſubſcribetur.

Cancri uſti. Cancros tres aut quinque, aut ſeptem tantum, cum ingenti ſtrepitu indeſinenter ſub teſta viuos exure : & contriti eorum cineris cochlearium vnum cum condito præbe : eoque calculoſos

renes ſanabis, Aetius. Marcellus empiricus ad hoc remedium cancros ſimpliciter terit , vt paulò ante recitaui. Cancrorum cinere aliqui in dentium doloribus vtuntur, Plinius. Cancri, ſcolopendræ marinæ cinis cum oleo à Plinio inter pſilothra numerantur. coniicio autem non cancros ſimpliciter , ſed cinerem eorum intelligendum. Andreas ad lepras cancri cinere cum oleo vſus eſt, Plinius. A beſtiis venenatis rabioſoq; cane demorſos ſanat cancri interiorum cinis ex aqua ſemel ac bis potus, quantum manu capere potes, Galenus Euporiſton 3.32. Prodeſt morſui canis rab. impoſita membrana ſiue ſenectus anguium vernatione exuta, cum cancro maſculo trita Plinius. Cancri oculos adalligatos collo mederi lippitudini dicunt, Plinius. Cancri oculus ſubti iter ſublatus, & in phœnicio conligatus, colloq; ſuſpẽſus, lippitudini incipienti medetur, ſi tamen remedium à caſto homine fiat, Marcellus. Si ramphos erodii(roſtrum ardeæ)cum cancri felle in corio aſinino ſuſpenderis ad collum vigilantis, dormitabit, Kiranides. Lapides in capite cancri repertos , in potu ſumptos cordis punctiones ſanare aiunt , Author de nat. rerum. Καρκίνος nomen eſt paroxytonum, dactylicum, penultima enim à poetis Ariſtophane, Nicandro, Oppiano & aliis, ſemper corripitur : quamobrem non rectè ab aliquibus circunflectitur. Carcinus dictus videtur quaſi coracinus(vt rectè apud Athenæum legit Maſſarius. nam locus in noſtris codicibus corruptus eſt) quòd coras, id eſt pupillas & oculos mobiles habeat. Καρκίνος, καρακινός πως ὤν, ὁ κινῶν ἐπὶ συχνῷ τὴν κάρα, Varinus. Carcinon quaſi caracinon à mouendo capite dictum putãt, Eraſmus Rot. H.a.
Καρκίνιον diminutiuum Ariſtoteli cancellus eſt, qui deſcribetur inferiùs. eundem Galenus καρκινάδια appellauit, inquit Rondeletius. Ἀλάκη, fuligo, cinis, cancer, αἰγνύς, σποδός, καρκίνος. κύπειε , μαρίλη , Varinus & Heſychius. & mox, Ἀλάκη, πάνθ ερωνες, forte ἄνθρακες ſcribendum. & non ἀλάκη per κ. ſed per β. ſic enim ordo literarum poſtulat apud Heſychium : & Ἀλαβώδες eidem eſt ἀνθρακώδες, κεκαπνισμένον. Ἀλάβη etiam magis accedit ad ἀσβόλη vocabulum pro fuligine vſitatum. Cæterum cancri nomine hîc inſtrumentum forcipem intelligo, cui ἀλάβη nomen conuenit ἀπὸ τοῦ λαβεῖν. Πτυξάγρεις vel πύξαγρις, cancer dicitur ab eo quod oſtrea venetur lapillo inter teſtas ſeu valuas (πτύγας ἢ πτύξια) eorum immiſſo, vt pede facilius carnem eorum euellat, Varinus. Κάβειροι, καρκίνοι: coluntur illi in Lemno relligioſe, tanquam Vulcani filii, Heſychius. Κάρχα, cancri, Siculis, Varinus. Nepam quidam cancrum putant, ſed verè nepa ſcorpius dicitur, &c. Nonius. vide in Scorpio.

Apud Syluaticum barbara quædam nomina reperio, Cacunaculæ, Caci, & Cacoctica, cancrum interpretatur pro ſingulis : & oleum cabruinũm, quod ex cancris fiat.

Καρκίνος genus vinculi eſt, Varinus. meminit Galenus in libro de faſciis. & calceamenti caui genus: καὶ τῇ πάργυρος. (lego καὶ ἡ πυεργες ,) Heſychius & Varinus. pro vinculo quidem etiam καρκαρος ſcribi reperio. Κάρκαροι, τραχεῖς, καὶ δεσμοί, Iidem. Καρκίνος paſſio eſt quæ nunc καρκίνωμα dicitur, Suidas & Heſychius. Sed Cor. Celſus cancrum à carcinomate diſtinguit. nam illum oriri & ſerpere dicit ab his quæ extrinſecus incidunt, hoc verò corrupta interiùs aliqua parte innaſci. Suetonius etiam in Auguſto carcinoma dixit. Polluci hoc nomine tumor eſt durus cum inflammatione & magno dolore, qui vlceratur interdum, ſubrubente aut liuido colore, ſanguinem emittens, incurabilis. connaſcuntur autem ei vt plurimum venæ aut pili. Eſt & occultum (inquit) carcinoma, cætera ſimile, ſed non apparens, μὴ ἐπιφανές. Cancro abſceſſui nomen à ſimilitudine ad cancrum animal aquatile factum eſt. oritur autem ex nigra bile in vna quapiam corporis particula redundante. Θηρίον, vlcus ferum quod & cancer dicitur, Varinus. Albarnabet, id eſt cancer in naſo, Vetus gloſſographus Auicennæ. Cancer apud Latinos ſecundæ & tertiæ declinationis maſc. generis nomen eſt morbi. quidam hos Ouidii verſus citant vt neutri generis eſſe probent, ex libro 2. Metam. Vtq; malum latè ſolet immedicabile cancer Serpere, & illæſas vitiatis addere partes. quum hoc, Malum immedicabile, per appoſitionem intelligendum ſit. Gangræna eſt cãcer. Lucilius lib. 1. Serpere vti grangræna malo, ad quem herpectica poſſet. Varro, περὶ εἰσαγωγῆς : Si ob eam rẽ gangræna non ſit ad Bacchium ventura. Idem de vita pop. Rom. lib. 3. Quo facilius animaduertatur per omnes articulos populi hanc mali gangrænam ſanguinolentam permeaſſe, Nonius Marc. Καρκίνοι etiam ſunt oſſa capitis quæ aliter zygomata dicuntur, Pollux. Πυράγρα fabrile inſtrumentum eſt (χαλκευτικὸν ἐργαλεῖον) quod & cancer vocatur, ſeu pagurus, Heſychio, Varino, Euſtathio , hoc eſt forceps , propter chelarum ſimilitudinem, & ſimilem apprehendendi vſum. διὰ ὁμοιότητα λαβῆς. σχηματισμὸς δὲ αὐτῆς καὶ τὴν πυράγραν, Varinus. Καρκίνος λίθους ἔχων Polluci memoratur inter οἰκοδόμου inſtrumenta. Ἰδὼν δὲ τὸν χαλκέα κειμένον, καὶ τὸν ἄσκον, καὶ τὸν καρκίνον εἰκῇ κείμενον, καὶ ἐπ᾽ ἀλλήλοις ἔχοντα τὰ ἔμπροσθεν, Athenæus lib. 10. in gripho Simonidis : in quo χρέτλιον ἰχθῦν alii delphinum, alii hircum interpretantur. Idem inſtrumentum videtur, de quo Galenus in Gloſſis : τομεῖον καὶ τομεὺς καλεῖται σιδηροῦν ἐργαλεῖον δίχηλον, ᾧ οἱ χαλκεῖς πρὸς ἄλλα τέ τινα, καὶ πρὸς τὸ ἀναβάλλειν καὶ μοχλεύσαι ἥλους χρῶνται.

Cancri nominantur à grammaticis verſus retrogradi, hoc eſt qui non ſolum à dextra ad ſiniſtram, vel à principio ad finem, ſed etiam contrà legi poſſunt, vel eodem, vel quod artificioſius eſt contrario plerũque ſenſu. Lectio autem illa conuerſa vel iiſdem manentibus dictionibus fit, vt in his ſenariis ſcazuſi, quibus nos ad Io. Friſium noſtrum aliquando luſimus.

Cancellos mitto vix Friſi hos tibi ternos, *Claudos licet, prorſus ne videar ingratus,*
Cancris pro multis, tu conſule boni rogo. Et in hoc diſticho vbi ſenſus efficitur contrarius: Laus tua non tua fraus, virtus non copia rerum Scandere te fecit hoc decus eximium. Vel ſingulis literis retrò legendis, vt in hoc diſticho: *Signa te ſigna, temere me tangis & angis Roma tibi ſubito motibus ibit amor.* Cancrũ et dixerim retrogradam ſcriptionem, quam nos aliquando excogitauimus alternis Græcis Latiniſque dictionibus: Vt, otot ευλαπ muidimiD. Tæpocon appellarunt Græci genus ſcribendi ſiniſtrorſum, Sextus, Plura quære apud Gyraldum in Sotade in Hiſtoria poetarum.

Καρκινοῦσθαι, cancri brachiorum inſtar comprehendere, vel comprehendi & cõtorqueri ἐπαλλήλως, hoc eſt, alternatim vel mutuò: cancellari Latinè dicemus, pro implicari inuicem, & ita conſtipari. Καρκινοῦται, ὅταν ῥιζοῦται ὁ σῖτος καὶ σκληρύνεται, Heſychius & Varinus. Χειμῶνες δὲ ἐπιγινόμενοι πανταχοῦ μὲν χρήσιμοι. ῥιζοῦται γὰρ καὶ καρκινοῦται μᾶλλον, Theophraſtus de cauſis 3.26. hoc eſt vt Gaza tranſtulit: Sata frigore melius radicantur cãcrificãtq;. Χειμὼν πιλώσας καὶ καρκινώσας τὰς ῥίζας, σύμμετρον εἰς τὸ ἔαρ ποιεῖ τὸ μέγεθος, Idem libro ſecundo de cauſis plantarum. Τὸ ῥιζοῦσθαι τὸν σῖτον, συγκαρκινοῦσθαι(aliâs κεκαρκινῶσθαι) ἔλεγον. ὅθεν καὶ Φερεκράτης ἐν τοῖς Αὐτο-

μόλοις ἔφη, Ὁπόταν χολάζῃς, νῆφον, ἵνα τὰ λήϊα Συγκαρκινωθῇ, Pollux & Suidas. Αὐλητικῶς τε καρκινοῦν τοὺς δακτύλους, Plato Comicus apud Athenęum libro 15. Germanicè dicimus, *Schrencken, krümmen*.

Cancelli. Cancelli (inquit Cælius Rhodiginus) erant veluti septa quędam ex lignis transuersim iunctis obliquatisq; ad defendendam, hoc est repellendam turbam. Cicero de Oratore libro 1. Nam si quis erit qui hoc dicat, esse quasdam oratorum proprias sententias atq; causas, & quasi certarum artium, forensibus cancellis circumscriptam scientiam, fatebor equidem in his magis versari hanc nostram dictionem. Et pro P. Quintio Et me facile vestra existimatione reuocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circundedi. Quin & pro Sextio è fori cancellis plausum excitatum scribit. Sidonius item Apollinaris quadam libr. 5. epistola: Vmbram (inquit) stipitibus altatis, cancellatimq; pendentibus pampinus superducta texuerat. *Cancellatim.* Cancellorum rationem graphicè expinxit Varro rei rust. lib. 3. Preterea (inquit) è perticis inclinatis ex humo ad parietem, & in eis transuersis gradatim, modicis interuallis, perticis adnexis ad speciem cancellorum scenicorum ac theatri. Hinc cancellata elephantorum cutis dicitur Plinio. Riuis, per quos exundat piscina, pręfigantur ænei foraminibus exiguis cancelli, quibus impediatur fuga piscium, Columella 8.17. *Cancri.* Hosce cancellos item cancros dici, quanquam rarenter admodũ, animaduertimus inde scitu dignum prorepsit adagium, vt inter Orci cancros adhæsisse dicatur, qui ita irretitus illaqueatusq; teneatur, ac impeditus, vt nusquam pateat effugium. Est qui cancellos pro abaco sessili interpretatur. *κιγκλίδες.* Sunt porrò qui cancellos dici à Græcis κιγκλίδας putent. Aristophanis interpres in Vespis dicasterii, hoc est stationis iudicialis ianuam dici putat κιγκλίδα, quã (inquit) etiã cancelotẽ dicunt, id est καγκελωτὴν. Hysplax, inquit Theocriti interpres, laquei species est: propriè autem cursorum carceres sic vocantur, quem nos cancellum dicimus. Hæc omnia Cęlius. Et rursus, Cinclidas Romani cancelotas vocant, vti adnotant Gręci. Cancelli per diminutionem vocantur opus subtili materia in transuersum compacta ad similitudinem retis factum, quòd frequentia foramina habeat, Sipontinus. Columella de vite loquens 4.2. Hæc autem quæ toto prostrata corpore, cum inferius solum quasi *Cancellare.* cancellauit atq; irretiuit, cratem facit. Cancellare testamentum aut scripturam pro delere, veteres iurisconsulti dixerunt. Filiumq; eius militem magni Pompeii, & rectos & transuersos cancellatim toto corpore habuisse neruos, author est Varro, Plinius lib. 7. Cancri dicebantur ab antiquis, qui nũc per diminutio- *Cancellarius.* nem cancelli, Festus. Ab his & cancellarium apparet dictum, qui intra cancellos publico scribendi munere fungeretur, ne impediri à plebe posset. Eos qui sunt nobis à commentariis (inquit Cęlius Calcagninus,) quales Gręci ὑπογραμματεῖς vocitant: nos scribas, aut librarios, aut nouo verbo, amanuenses dicere possumus. Nã peruulgatam illam cancellariorum vocem non libenter adeò vsurpare soleo: vel quòd à Latinitate abhorreat, vel quòd non omnes eodem ritu interpretantur. Nam & in vrbe & aliquot in prouinciis Cancellarius summi magistratus nomenclatura est. Nos nostros subsidiarios & quasi optiones hoc nomine honestamus.

Psilothrum herba, quæ & καρκίνωθρον & κλῆμα vocatur, Scholiastes Nicandri. Carcinethron quidem inter nomenclaturas Dioscoridis, polygonus est, quæ & κλῆμα: psilothrum verò vitis alba. sed Nicandei non intelligit polygonum herbam, cum eam proximè antè nominârit. Polygonon aliqui carcinetron vocant, Plinius. Crispula, herba cancri, minuta habens folia crispa, Syluaticus. Centumgrana est herba cancri, Idem. Hieronymus Tragus, si bene memini, *Harr kraut* interpretatur Germanis. Matthiolo Senensi herba cancri heliotropium maius est, sic autem vocari (inquit) Ruellius ait, quòd eius flores in caudę cancri (qui nobis astacos esse putatur) similitudinem inflectatur. Verùm hæc nominis ratio à Ruellio assignata mihi non planè satisfacit, quòd scorpionum & astacorum caudę forma inter se maximè differant. Vnde potius crederem, hoc heliotropium herbę cancri appellationem traxisse, quod efficacissimum sit aduersus carcinomata, & vlcera gangręnosa, ad quę magno admodum successu eo vtuntur chirurgi. Gallos audio herbam cãcrariam (sua lingua Grancherie) nominare, alterum genus geranii, cui folia ferè malue, quòd cancrosis vlceribus mederi existimetur.

Epitheta. Neue rubentes Vre foco cancros, Vergilius 4. Georg. vbi Seruius, id est, cum vruntur, non qui per naturam sint huius coloris. Textor cancri syderis, & animalis aquatici epitheta confudit: nos separabimus. Animanti igitur hæc adscribenda: Octipes, multipes, scopulosus, cæruleus, testudineus, tardigradus, ferus, humens, rubicundus, obscœnus. nam fluuiatilis æquoreus, & littoreus, differentiæ potiùs quàm epitheta fuerint. Syderi verò conueniunt, Lernęus, pluuialis, (nisi fluuialis legendum est, vt sit idem quod fluuiatilis:) & multa à calore ducta, quòd Sol mense Iunio cum vehemens viget æstus, hoc sydus percurrat: Calens, calidus, torrens, ardens, adustus, ęstiuus, æstifer, rapidus, inflammans. Vtrique, Curuans brachia. Σισυρνοδῦται καρκίνοι, Lycophron. sisyra enim vel sisyrna est tunica crassa ex ouilis vel caprinis pellib. cum lana, Varinus. Ῥοδοδάκτυλος cancer apud Athenęum libro 13. cognominatur. Καρκίνον ὀκτάποδα Nicander dixit. *Octapedes.* Octapedes, Ὀκτάποδες, etiam Scythico prouerbio dicebantur, qui duos possiderent boues, & currum vnum. Lucianus in Scytha, Οἱ παρ' αὐτοῖς ὀκτάποδες καλούμενοι. Dici poterit per iocum, inquit Erasmus, in hominem qui sibi locuples videatur, vel in eum cui rusticanę sunt opes. Addit prouerbio gratiam allusio ad scorpium, polypum, sepiam & teuthidem, octonis pedibus animantia & ob id Gręcis dicta ὀκτάποδα. Scorpius etiam prouerbio locum fecit, Octapedem excitas. Siquidem hoc animal sub omni lapide dormire dicitur. Suidas ὀκτώπουν scribit per ω. non per α. Hęc Erasmus. Octipedis frustra quærentur brachia cancri, Ouidius 1. Fastorum. Καρκίνοι ἀλῖται, Oppianus. sed hoc fortè marinis potius conueniet, vel omnibus, vel speciei cuidam. Plura leges inter epitheta paguri inferius.

Ex Batrachomyomachia Homeri circa finem.

Ἦλθον δ' ἐξαίφνης νωτάκμονες, ἀγκυλοχεῖλαι,
Λοξοβάται, στρεβλοί, ψαλιδόστομοι, ὀστρακόδερμοι,
Ὀστοφυεῖς, πλατύνωτοι ἀποστίλβοντες ἐν ὤμοις,
Βλαισοί, χειροτένοντες, ἀπὸ στέρνων ἐσορῶντες,
Ὀκτάποδες, δικάρηνοι, ἀχειρέες. οἱ δὲ καλεῦνται
Καρκίνοι, οἵ ῥα μυῶν οὐρὰς στομάτεσσιν ἔκοπτον, &c.

Propria. Carcini poemata, Καρκίνου ποιήματα. dicebantur ea (inquit Erasmus) quæ videbantur obscuriùs & instar ęnigmatis dicta. Carcinus poëta quispiam fuit, in quem iocatur Aristoph. in Pace Εὐδαιμονέστερος φανεὶς τῶν Καρκίνου στροβίλων. id est, Qui vsus est felicior vel Carcini strobilis. Is finxit Orestẽ ab Ilio coactũ,

vt matricidium confiteretur, per ęnigmata respondentem, autore Suida, qui testatur prouerbium à Menandro vsurpatum in falso Hercule. Stratonicus apud Athenęum libro 8. cum audisset quendam imperitè canentem, rogauit, cuius esset cantio: cum is respondisset Carcini: Πολύ γε μᾶλλον (ἔφη) ἢ ἀνθρώπου. id est, Multò sanè magis (inquit) quàm hominis. nam καρκίνος Græcis & cancrum animal significat. itaq; iocus ex ambiguo captatus est, Hactenus Erasmus. Καρκίνος (paroxytonum inuenio & proparoxytonũ) poeta fuit tragicus: cuius filii tres memorantur à Scholiaste Aristophanis in Pace, ipsi etiam tragici poetæ, à paruitate corporis ὄρτυγες cognominati. aut fortè quòd contentiosi & pugnaces essent, sicut coturnices mares sunt. Idem poëta in Vespis Carcini filios καρκίνων ἀδελφοὺς vocat: & καρκινίτην vnum ex eius filiis. Sed versus eius iocosos & argutos de Carcini filiis aliquos audiamus: Ἐπεί τις τραγῳδὸς Καρκινίτης ἔρχεται, ἀδελφὸς αὐτοῦ. Φιλοκλέων. Νὴ Δί' ὀψώνην ἄρα Βδελυκλέων. Μὰ τὸν Δί' οὐδέν γ' ἄλλο, πλὴν γε καρκίνους. Προσέρχεται γὰρ ἕτερος αὐτῶν Καρκίνου. Φιλ. Τουτὶ τί ἦν τὸ προσέρπον, ὀξὶς, ἢ φάλαγξ; Βδελ. Ὁ πιννοτήρης οὗτος, ἐστι τοῦ γένους, Ὁ σμικρότατος ὃς τὴν τραγῳδίαν ποιεῖ. Φιλ. Ὦ Καρκίν' ὦ μακάριε τῆς εὐπαιδίας, Ὅσον τὸ πλῆθος κατέπεσεν τῶν ὀρχίλων. Item in Nubibus cum quidam exclamasset Ἰώ μοί μοι: Strepsiades subiungit. Τίς οὗτος ποτ' ἔσθ' ὁ θρηνῶν; ἦ που τῶν Καρκίνου τις δαιμόνων ἐφθέγξατο; vbi Scholiastes, δαιμόνων dixit pro παίδων παρ' ὑπόνοιαν. est enim tragica exclamatio illa Ἰώ μοί μοι. Fuerunt autem Carcini filii, Xenocles, Xenotimus, & Demotimus. primus tragicus, cæteri χορευταί. Ironicè autem ludit in Carcinum, tãquam de victoria certus, &c. Vide etiam Suidam ter in Carcino. Carcini filii strobili, id est cochleę vel buccinæ marinæ, vt Gyraldus interpretatur. De hoc carcino, eiusq; filiis, & aliis eiusdem nominis, plura leges apud Gyraldum de poëtarum historia dialogo 7. & in Chiliadibus Erasmi, in prouerbio Fortunatior strobilis Carcini. Memoratur & Carcinus Corinthius in Equitibus Aristophanis.

Θερμαστρὶς, vas simile cancro, quo vtuntur aurifabri, Varinus, vulgò tigillum (aliqui crucibulum) vocant, etiam Germani. Videtur & κεραμὶς dici & χήμη κεραμὶς. vide in Corollario de Chamis A. χηλὴ, cancri pedem significat: & à Latinis etiam chelę vocabulum vsurpatur. hinc δίχηλα dicuntur animantium etiam quadrupeda, quorum pedes nec solidi, nec multifidi, sed bifidi aut bisulci sunt, vt armenta & pecora. Galenus etiam χηλαὶ interpretatur σιδηροῦ ἐργαλεῖον δίχηλον. Ἄλλοι δ' αὐτὴν ἔθεσαν πρὸς τὴν χηλὴν τοῦ τείχους ὑπερβάντες εἰς τὴν πόλιν, Xenophon libro 7 de Cyri minoris expedit. Amasęus vertit, iuxta ipsa portus latera, quę quòd curuatis vtrinq; molibus prominent, chelas, id est acceptabula Gręci vocant. χηλαὶ ἢ φύσιγγες, rhagades, id est rimæ sunt, calcanei, pedũm, pudendi, Pollux. Χηλώματα, τὰ ἐν τοῖς γλυφίδα τοῦ βέλους, ἢ προστιθέασιν ἐν τῷ τοξεύειν νευρὰν τοῦ βέλους, Galenus in Glossis. Brachia cancri Ouidius dixit, furcas Apu- b.
leius. Pedes cancrorum bifurces & bifurculatos Gaza dixit, & post eum Massarius: alii bisulcos & bifidos. Tabellas quidam Latinè vocant, quas Aristoteles πλάκας: quibus crusta cancrorum coagmentatur, & quasi articulatur.

Vt transuersus, non prouersus cedit, quasi cancer solet, Plautus apud Varronem de lingua Lat. Para- c.
lyticum iumentum ambulat pronum in latere ad similitudinem cancri, Vegetius. Cancer dicitur capite gignere, Erasmus in prouerbio, Cancrum ingredi doces.

Astures quidam è regionibus Septentrionalibus ád nos delati, quanquam omne genus auium capi- d.
unt, libentius tamen cancris vescuntur, Albertus.

Prouerbia. Cancros lepori comparas: Vide in Lepore. Cancer leporem capit, Καρκίνος λαγών, vel ple- h.
niùs Καρκίνος λαγὼν αἱρεῖ, de re impossibili. hoc etiam in Lepore dictum est. Nunquam efficies vt rectè ingrediãtur cancri. Aristophanes in Pace, Οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν, Οὐδ' ἐπὶ τῷ τραχὺ θέντι ποιήσεις ὕστερον οὐδέν. Ambulet vt cancer recta haud effeceris vnquam: Nec quicquam efficies vbi res erit antè peracta. Hoc velut oraculum poeta facetus pronunciat, quod à natura sit insitum, nullo corriges negocio. nam cancris genuinum obliquè ingredi. In quorum altero carmine tangit adagium, quòd superiùs dictum est, Actum ne agas, Erasmus Rot. Οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον, &c. Scholiastes Aristophanis addit, ὅτε τοὺς Λακεδαιμονίους δηλοῖ, ὅτι ὀρθὸν, καὶ ἁπλᾶ φρονεῖ. Cancrum rectè ingredi doces. Καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν διδάσκεις. de eo qui docet indocilem. Refertur in Plutarchi Collectaneis. Finitimum vel idem potiùs cum illo, quod paulò superiùs ex Aristophane retulimus in prouerbio, Nunquam efficies. Pertinet ad genus ἀδυνάτων, Aethiopem dealbas, &c. siquidem animal hoc non ingreditur nisi obliquo corpore, & in omnem partem mouet gressum, Erasmus. In seditione vel Androclides belli ducem agit Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ Ἀνδροκλείδης πολεμαρχεῖ. in homines contemptos & humiles, qui per occasionem aliquam incidentem, dignitatem sortiuntur. Effertur etiam ad hunc modum, Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς. Et aliter, Ἐν γὰρ ἀμηχανίῃ καὶ καρκίνος ἔμμορε τιμῆς. id est, Fert rebus desperatis & cancer honorem, Erasmus. Sed in hoc prouerbio Carcinus viri nomen videtur. Imitari nepam, pro retrocedere, vel in peius labi: quod nostri dicunt, *hindersich, wie die Krebs gand.* hoc est, Retrorsum, vt cancri ambulant. Vide in Scorpione h. Nepa enim scorpionem potiùs quàm cancrum significat. Qui homini nimium animo pręsumenti, & gloriosa verborum Plus vltrà iactatione superbienti, illudere nuper Romę voluit Pasquillus, hominem cancro inequitantem pinxit, & verba hæc adscripsit, Plus vltra.

Οἱ ἐν διαλεκτικῇ βαθυνόντες, ἐοίκασι καρκίνοις μασσωμένοις: οἳ δι' ὀλίγον τρόφιμον περὶ πολλὰ ὄστρα ἀσχολοῦνται. Arist. in Similibus. hoc est, Qui dialecticę studium profundè rimantur, cancros edentibus similes sunt: qui propter exiguum alimentum, circa crustas plurimas occupantur.

Sunt qui Alopen Carcini poetę fabulam apud Aristotelem in Ethicis interpretentur: alii ipsius poe- *Alope.*
tę filiam, quæ adultera fuerit, vt est apud Eustratium. Sunt qui saniùs se Aristotelem interpretari putent: & carcini nomen non poetam, sed cancrum significare, eo Aristotelis loco affirmant. nam è cancro Alope morsa fuit sicut Philocteten idem philosophus paulò antę à vipera morsum dixerat, Gyraldus.

Somnia. Cancer viros peruersos & inemendabiles indicat, propter animalis transuersionem vestigiorum. Si quis inueniat marinum cancrum aut pluuialem (fluuialem,) virum peruersum inueniet & inopem. Si marinum, regem: si fluminis, principem, eò quod mare regem, flumen verò principes significat, Incertus.

DE LAPIDE INSTAR CANCRI.

CANCER marinus est cancer in lapidẽ cõuersus, ex India delatus, qui est notus in Syra & Aegypto,

valde vsitatus in collyrijs, Andreas Bellunensis. Rimegi est lapis sicut cancer, Vetus Glossographus Auicennæ. Reiben lapis est sicut cancer, Syluaticus : apud quem etiam Keiben per kappa scribitur. Sed Bellunensis apud Auicennam libro 2. cap. 592. pro Reiben restituit Rathiaha. is (inquit Auicenna) est lapis sicut cancer, refrigerans & humectans in secundo gradu. Exiccat, abstergit, viribus cancro proximis: & visum acuit. Et alibi, Cancer marinus (sarathan seu sarthan bhari) non pro cancro maris intelligi debet, sed pro specie cancri habentis membra omnia lapidea, Auicenna lib. 2. cap. 152. vbi & remedia ex eo addit hæc: Adustum de eo subtilius est reliquis adustis: idq; desiccat vlcera, & confert scabiei. Abstergit dentes, & delet pannum & lentigines. prohibet lachrymas & resoluit cum sale vngulam, & fit ex eo collyrium, & fricatur cum eo scabies palpebrarum. Prohibet quartanam. Et rursus cap. 718. de Testa, Exiccat (inquit) & abstergit testa, præsertim clibani, qua subtilior est testa cancri marini. Et mox, Abstergit scabiem, & propriè testa cancri marini. Carcinas lapis Plinio non speciem cancri marini, vt hic, sed colorem tantum refert.

Cancrum quidem marinum vel pagurum in lapidem conuersum, ipse Venetijs aliquando reperi, & adhuc seruo. Vide inferius in Vrso Rondeletij.

DE CANCRO MARINO, BELLONIVS. GRÆCIS (*inquit*) καρκῖνος θαλάττιος *dicitur, Gallis Cancre.*

Iconem hanc in Italia nactus sum: est autem persimilis illi quam Bellonius exhibuit. Subiicietur & alia Rondeletii.

B CANCER marinus rotundo ac ferè circinato corpore præditus est, anteriori parte crenis diuiso, crustaceo tegmine conuestito: cuius magnitudinem ad Pagurum, Maiam, Astacũ & Locustam facile contuleris. Maiores enim trium aut quatuor digitorum latitudinem non excedunt. Marinorum color certè maribus quidem rubentior, fœminis ex liuido in cyaneum tendit.

C Mares autem fœminas opprimere videntur, antequam incant: atque inter se diutissime dimicant, arietum more. Crura in ventrem reflectuut dum incedunt.

B Ea verò habent blæsa, vtrinq; in latere quaterna, & duo brachia forcipata. Hepate rubro constant, gustui dulcissimo, quod Aristoteles mutim nominare videtur. habent porrò intestina multiplicibus cirrhis obsessa.

C Mouenturque horum partes solidiores albis musculis agẽtibus, vt in paguro docebimus.

B Tanta est marinorum cum fluuiatilibus cancris affinitas, vt vtrique simul mixti, vix nisi à perito discerni possint.

F Sponte mortuus cancer prorsus abdicandus est.

C Diu extra aquam viuit.

A.B. Veneti Granceolum (ad discrimen magni paguri, quem Granciporrum vocant) nominant. Cancros autem à Paguris eiusdem magnitudinis (cum quibus sæpe ab ichthyopolis permiscentur) ipsa glabritie primum discernere oportet. Paguri præterea tibias habent hirtas, & brachia grandibus forcipibus vallata atque in nigrum colorem abeunt: in extremo liuent. Cancri omnino glabri sunt: quorum anterior corporis pars posteriore latior est.

Ferrarienses, mares Grancos, fœminas Grancellas vocant, ac seorsim diuendunt.

G Cancri marini vel fluuiatiles (inquit Plinius Secundus) in cibo ex iure allium viridi cum ficu duplici, malum, hydropicum auocant.

In Cancrorum marinorum genere, Veneti mazanetas (*Infra etiam cancrum paruum latipedem maζenetam ab Italis vocari scribit*) nominant, Molecis similes: quorum alterum marem, alterum fœminam produnt, Mazanetas, fœminas esse volunt, Molecos vero mares, quos mollescere, ac vernationem exuere ferunt: contra autem Mazanetas putant perenni contegi crusta, & nusquam decidere. Molecos quoque aut molecas aiunt, tum quidem torpescere, cum cortice exuuntur: quo tempore pasta molliores aliquando sensimus.

DE CANCRO ANONYMO RONDELETII, QVEM EVNDEM PVto superiori, *hoc est illi quem Bellonius simpliciter cancrum marinum vocat.*

Iconem hanc Rondeletius bis posuit. primum lib. 15. cap. 21. quod nos hic repetimus. deinde Tom. 2. in lib. de piscib. stagni marini, c. 12. quod mox subiicimus.

Vbi. CANCRVM hic exhibemus eum, quo frequentius in Gallia Narbonensi vescimur, qui nascitur in marinis stagnis.



C Diu extra aquam viuit.

A Nomine caret: nisi quòd à nostris generis nomine cancre appellatur.

B Brachia habet non admodum magna, pedes longos, in acutum desinentes: cornicula duo.

F Super carbones assatur, vel elixus & crusta spoliatus in sartagine frigitur. optimus est quum oua habet.

G Qui in stagno marino degit, inter fluuiatilem & marinum medius est: quo in fluuiatilium penuria aduersus canis rabidi morsum vtendum censeo, loto prius in aqua hordei, vel pimpinellæ. Iidem cancri prius etiam loti & decocti in iure carnis, hecticis valde prosunt, multumque nutriunt. Eorundem cinis cum syrupo ex adianto haustus, sanandis pulmonum vlceribus confert. multò verò efficacior fiet, glycirrhiza, seminibus frigidis maioribus additis, & in tenuem pollinem redactis.

DE CANCRO STAGNI MARINI, RONDELETIVS.

Lege quæ annotauimus ad iconem præcedentis capitis.

TRIA potissimum crustatorum genera in stagnis nostris viuere comperio, præter hæc nulla ferè alia: nempe Squillam gibbam & paruam.

Tertium genus est Cancer nomine vacans, magnitudine media, similis marino. Chelas duas habet, pedes quaternos. Fœminę intus est pars quædam crocea qua mares carent, quam ouorum materiam esse puto. Quo tempore ouis turget, optima est. Cæteræ partes internæ albæ in fœmina & in mare omnes. Hoc Cancrorum genus inter marinum & fluuiatilem medium esse comperio, vt in marini & in fluuiatilis vicem vsurpare possimus: stagnorum enim aqua partim marina, partim dulci constat. Quando igitur fluuiatiles desunt, stagni Cancros aqua hordei abluendos censeo, vt in ea si quid sit salsuginis deponant, quibus tum fœliciter vtemur in his affectibus, quibus fluuiatiles valde prodesse prædicantur. Atque hoc expertus profiteor, phthisicis multùm auxiliari. illis enim, ita vt diximus, lotis, & in iure capi, vel cum cremore ptissanę coctis phthisicos diu summo valetudinis eorum commodo alui. Ex iisdem cinis pulmones exulceratos mirè reficit & recreat, si in aqua adianti, vel plantaginis lotus cum lacte asinæ, vel cum cremore ptissanę hauriatur. Ex eodem cinere medicamentum fit, quod à cane demorsis maximè succurrit. Quare minus rectè faciant Medici quidam, qui fluuiatilibus vel stagni marini cancris, fluuiatiles Astacos substituunt, omnibus dotibus Cancris de quibus loquimur; inferiores. illi .n. molli præhumidaq; substantia constant, & quæ facilè diffluat ac dissipetur, neq; corpus satis nutriat neq; peculiarem vim ad pulmones iuuandos insitam habeat. Cancri verò fluuiatiles dulci sunt succo, temperatam substantiam indicante: quem perlibenter amplexatur natura, quo reficitur & fouetur, qui hęret, dissipatuq; facilis non est, & natura sua pulmonum malis succurrit. Cancri stagni marini figuram capiti præfiximus, vt meliùs à ceteris eiusdem formæ distinguatur.

COROLLARIVM DE CANCRO MARINO *simpliciter dicto.*

A CARCINOS Græcè is est qui rotundo corpore habetur: quem nos vulgari nomine dicimus Grãchio. is Venetiis, vbi marinorum numerus propè infinitus habetur, vbi crustam exuerit, à corporis mollitie vulgò vocatur Mollecca. E quorum genere sunt etiam quæ appellantur Macinette. nam & hæ suo tempore crustam exuunt, Matthiolus. Plura vide inferius in Paguro, quod nomen pro cancro simpliciter Græci, præsertim recentiores aliquando ponunt. Cancer marinus Anglis & Germanis inferiorib. vocatur *Krab*, *Crabb*: superioribus dici potest *ein Meerkrabb*. Vide suprà in Corollario Cancri fluuiatilis A, & inferiùs in Paguro.

C Cancri marini in saxis pascuntur & habitant, Oppianus lib. 1. de pisc. Quod autem Plinius dixit cancros locis mollibus vitam degere, haud satis verum videtur. Sunt enim Paguri, cancri, & tamen non nisi locis saxosis capiuntur: & similiter cancri illi alii parum minores, cibo non idonei, præcipuè mares, preterquam cum exuerint senectutem, quos tam petrosis quàm terrenis locis vitam agere perspicuum est: quod ex Aristotele elici etiam potest, tam octauo de historia, vbi cancros saxatiles stercus deuorare inquit: quàm etiam quarto de partibus animalium, cum cancris caudam inutilem esse tradat, quoniam vitam agere terrenam cauernasq; subire soleant. nec defendi satis potest Plinius, nisi quis in Plinio non cancri, sed astaci legendum existimauerit, vt dictum est ex Aristotele, vnde hęc mutuatur, Massarius. Ostracoderma omnia crustam suam exuunt, Oppianus. ergo Mazanetas etiam Venetiis dictas suo spoliari corio probabile est, quod & Matthiolus approbat: etsi Bellonius è vulgi sententia secus tradat. Concaua littoreo si demas brachia cancro, Cętera supponas terrę, de parte sepulta Scorpius exibit, caudaque minabitur vnca, Ouidius Metam. 15. Vide infra in Paguro c. & supra in Cancro in genere.

D Quicunq; perspexerit qua machinatione cancer Ostrea capiat, illius laudabit & diliget solertiam. Ostreum interea suas conchas (cœni & aquę desiderio) cum patefacit, is suis brachiis sublatum calculũ in concharum hiatum iniicit: quo interposito, Ostreum testas claudere non potest, quare à Cancro exeditur & conficitur, Gillius ex Oppiani de piscib. lib. 2. cuius versus Græcos recitat Rondeletius in Cancro paruo qui in alienis testis hospitatur, tanquam de illo senserit Oppianus, quod mihi non videtur: simpliciter enim cancrum hoc facere ait. Vide Πτύξαγγελς apud Varinum, vel suprà in Cancro in genere H.a Meminit etiam diuus Ambrosius, vt in Ostreis recitabimus.

In Bosphoro Thracio cùm ventus ingruit violentus, Cancri aduersus fluctus nituntur: circa promõtoria verò venti vis maior est, ita vt omnino repulsi auersiq; Cancri, impetum sequi vndarum cogerentur. Hoc præuidentes illi, vbi iam propè ad promontorium appulerint, singuli in sinuoso aliquo loco se tenent, simul & reliquos expectant. Deinde in eundem locum congregati, adrepẽtes per præcipites crepidines in siccum ascendunt, & fluctuum vim (qua parte violentior erat) euadunt, iter pedibus conficientes. Cum autem hanc violentiam pedibus prætergressi sunt, rursus per crepidines in mare recurrunt. Parcunt autem eis piscatores, cùm declinandi communis periculi gratia sponte in terram exeunt: neq; homines cùm sint, ipso etiam maris impetu sequiores ipsis videri volunt, Aelianus 7. 24.

G Cancro marino & alia multa cum fluuiatili communia, tum remedia diximus suprà. Dioscorides quidem marinos eadem quæ fluuiatiles præstare scribit omnia, sed ignauius. Apri in morbis cancros venescendo sibi medentur, maximè mari eiectos, Plinius. Aeliano apri cãcros simpliciter remedium sibi cõtra hyoscyamum quærunt. Cancri mar. decocti ius contra dorycnium efficax habetur, Plinius. Marini, non fluuiatiles, cancri assumuntur in theriacam Cl. Apollonii ad rabiosorum canum morsus, apud Galenum de antidotis lib. 2. ca. 73. Si equus cum fœno aut pabulo brassicam syluestrem fortè deuorârit, prodest marinos cancros tritos cum succo brassicæ (satiuæ) miscere, & apprehensa lingua per os infundere bis die, idq; per triduum, donec malum egeratur aluo, Absyrt. Cancros marinos impari numero exustos vel aridos tritos, & baccas laureas impari numero tritas, adiecto melle atq; adipe anserina remissa, ęquis ponderibus, vniuersa permixta vnum corpus facies, atq; æqualiter in duodecim partes diuides, & in cibo aut in potione laboranti phthisico dabis, mirè proderit, Marcellus. Cancri mar. drachmæ duæ à pueris si bibantur, stranguriam sanant, infantibus ex lacte materno vel nutricis, Alexander Benedictus.

Extra corpus. Cancrorum fl. cinis ex oleo & cera rimas in sede emendat, item & marini cancri pollinę (scilicet suo emendant,) Plinius. Cancri mar. ex oleo impositi, pernionibus vtiliter prosunt, ita vt foueantur aqua, in qua eruum discoctum est, Marcellus. Testa cancri mar. abstergit scabiem, Auicenna lib. 2. cap. 172. sed cancrum mar appellat cap. 152. eum qui in lapidem induruerit, de quo suprà scripsimus mox post Cancrum in genere. Cancelli (Cancri) mar. aut fluuiatilis in aqua decocti caro cocta & tunsa cum farina hordeacea mixta, imposita calidę stomachi vomicę tribus diebus, maturat efficacissimè, & plus quàm sit verisimile, vt à nobis expertum est, Alexander Benedictus. Cancri fluu. illiti, vel marini, pilos in mamma tollunt, Plinius. de malo pilari in mammis lege suprà in Cancris fluu. G.

H. a. Cancer marinus à poëtis etiam littoreus & æquoreus dicitur. Concaua littoreo si demas brachia cancro, Ouidius Metam. 15. Sextum scorpii genus καρκίνῳ αἰγιαλῷ simile facit Nicander. Καρκῖνοι ἀλῆται, id est errones ab Oppiano cognominantur, nimirum quòd certam aut stabilem sedem non habeant. Bellonius tamen non quemuis cancrum, sed equitem tantùm cognomine, hoc epitheto dignatur. Carcinias lapis est Plinio marini cancri colore. Nos supra de carcinoide, id est cancriformi lapide marino mox post cancrum in genere quædam attulimus.

DE CANCRIS LVTARIIS, EX AELIANO, 7. 30.

Cancrorvm genus Lutarium colore aliis albius spectatur. hi in luto nascuntur: cum incessit eis timor, humo se excitant ad volatum, & perparuis alis subleuantur, quib. quidem gradientes vti minimè necesse habent. Cum autem iniectus eis est metus, nonnihil in his subsidii, non tamen admodum firmi habent. enimuero comprehenduntur quòd sursum subleuare non queunt. Quidam eos comedunt, & ex coxarum vertebris laborantibus remedio esse ferunt. In Gręcis codicibus manuscriptis duobus hos cancros πετηλίας dici inuenio, nimirum ἀπὸ τοῦ πεπόθω, hoc est à volatu. Gillius legit πηλίας, hoc est lutarii. nam πηλὸς lutum est, in quo gignuntur. Dicuntur & arborum folia πέτηλα, ἀπὸ τοῦ πεπόθω, & cicada πετηλὶς, animal volucre. Πέτηλα verò paruas & fruticosas palmas interpretantur. nam & Latinis petilum, paruũ significat. proximum est eiusdem significationis Gallicum nomen.

Cancrorvm genera diuersa esse audio. sunt enim quidam saxatiles: alii in limo, algis aut arena gignuntur. quamobrem & formis & cognominibus differunt. Aelianus 7. 24.

Sternion ab Alexandro Tralliano nominatur. Diabete morbo laborantibus (inquit) conueniunt ex carnibus βέλτιον ἢ στέρνιον, ἢ πόδες μάλιστα τῶν βοῶν, &c. Annotauimus paulò superiùs (inquit Iacobus Goupylus) accepisse nos ab homine vulgarem Græcię sermonem tenente, στέρνιον esse ex ostracodermorum genere. sed ex hoc loco intelligi potest, eo nomine carnem aliquam significari. Cordis (stomachi vel oris ventriculi) dolore affectis cibi qui non facilè alterentur (aut corrumpantur) conueniunt, & qui acres mordacesq; humores retundant, vt ἡ βύλβα καὶ λευκὸν, καὶ τὸ στέρνιον, καὶ ἀστακοί, καὶ ἰσικοί, καὶ κτένια καὶ τελλίναι χῆμαι, idem Trallianus. Ego vtrobiq; vuluam porcinam intellexerim, & sternii nomine pectus porcinum potiùs quàm marinum aliquod animal. Sic & in canini appetitus à nimio stomachi calore curatione, conuenire inquit στέρνα (στέρνιον ἢ στέρνια) καὶ βύλβια, ἢ δαμαλῶν (δαμαλέων, iuuencarum) πόδας: & si quæ huiusmodi refrigerant simul & non facilè concoquuntur. Item in curatione doloris oculorũ ex biliosо & acri humore. Vescatur ęger alimentis mitibus & minimè mordacibus, & incrassantibus, vt orpho, glauco, bulbio, sternio. Verbum bulbion (inquit Goupylus) à nomine Latino vulua ὑστερικῶν deductum est. eo autem significatur animalium ἡ μήτρα, cuius esu sanguis pituitosus redditur. Quę consequitur dictio στέρνιον, petita est ex vulgari Gręciæ sermone. ea enim significatur ὀστρακοδέρμου εἶδος, vt ex homine doctissimo accepi, Hæc ille. Est quidem cancrorum quorundam eiusmodi species, quæ pectoris figuram pulchrè referat, vt ab eadem nomen adipisci mereantur: an verò Trallianus hoc nomine ostracodermon vllum intelligat, dubito: præsertim cum semper hoc nomen cum vuluę mentione coniungat, tanquam rem cognatam, eiusdem nimirum animantis partem.

DE HERACLEOTICO CANCRO, RONDELETIVS.



A Dicti sunt Heracleotici cancri ab Aristotele, ab Heraclea illustri vrbe ad Pontum Euxinum sita, quæ ob id etiam Põtica dicta est, potiùs quàm ab vlla alia Heraclea. fuerunt enim plures alibi vrbes Heracleę nominatę.

B Hi cancri paguris tam similes sunt, vt vix discernantur: veruntamen specie, vt diximus, differunt, vt ex descriptione iam fit perspicuum. Heracleotici aculeos in fronte habent, & in lateribus: pars testę prona aculeis aspera est & hirta. colore est fusco, quo à paguro differunt. Paguri pedes breuiores multò & tenuiores habent, cornua ante oculos articulata. corpore sunt minore quàm paguri, in alto mari degunt.

F Carne sunt media. Ius ex iis aluum soluit. mediocriter nutriunt. Assi sapidiores sunt quàm elixi. Rariores sunt in nostro mari.

DE EODEM BELLONIVS: QVI EFFIGIEM EIVS DIVERSAM *exhibuit, quam subiicimus: nempe Galli marini vulgo dicti, quem Rondeletius Vrsum facit, & iconem ab hac nonnihil diuersam ponit, quam infra dabimus.*

A Complvres Heracleoticum Cancrum videntes, Gallum marinum ea tantùm ratione vocant, quòd eius brachia videant in cristę Galli modum tornata esse. Robustissimam crustam habet ac spissam. Plurimus in Sicilię litore: quanquam & aliquando ad sacellum Adriani pontis Romæ in foro piscario *Vbi* vulgò diuendatur. Cancrorum genera (inquit Plinius) sunt Carabi, Astaci, Maię, Paguri, Heracleotici. Cancrorum (ait Aristoteles) genus maximum est, quas Maias appellant: secundum paguri, & quos Heracleoticos vocant.

Qui



Qui enim Heracleotici vocantur, crusta quoq; firmiore muniuntur, vt Maię: & oculos habent paruo distantes interuallo. Sed crura illis breuiora sunt quàm Maiis. Heracleotici itaq; cancri dorso non sunt aspero vt Maię, nec tam læui quàm Paguri: tamen idem est crustarum color. His tibię vtrinq; sunt quaternę, brachia duo admodum firma, binis articulis geniculata, forcipibus robustis bisulca, hispida, & bene armata. Horum enim pars superior, elatis crenis vallata est. A

Cum autem Heracleas vrbes viderem adiacentes litori, vnam Ponti, alteram Propontidis, tum quidem facile mihi persuasi ab eis id cancri genus suam desumpsisse nomenclaturam: nisi tu à magnitudine ac robore potius dictum esse putes. B

COROLLARIVM.

Ex cancris qui pelagii sunt, pedes habent longè retardiores ad ambulandum. sunt enim cęteris ipsi nantiores, vt Maię, & qui Heracleotici appellãtur. Crura iis breuia, quia parum mouentur: sed salus eorum beneficio crustæ firmioris contingit. itaq; Maiis crura tenuiora, Heracleoticis breuiora, Aristot. de partibus 4. 10. Gallum marinum qualem Bellonius pingit, Cornelius Sittardus Romę sibi visum exiccatum in ædibus Gysberti medici ad me depictum misit. Aiebat (inquit) Gysbertus, nullum vnquam inter piscatores talem postea vidisse. Rondeletius vrsum veterum eum esse putat, qui Gallus marinus vulgò nominetur. Porrò Bellonii vrsus è locustario genere est, absq; chelis, & à Rondeletio inter Squillas censetur, latę cognomento. Vide etiam infra in ijs quæ ex Petro Gillio de Maiis cancris, & aliis minoribus attuli, post Corollarium nostrum.

DE CANCRO MÆA, RONDELETIVS.



Cancri μαῖαι dicũtur ab Aristotele, à Gaza maię, fortasse à magnitudine: nam μαῖα quæ amitam significat & nutricem aliquando etiam pro grandiore natu sumebatur. Cancer hîc à nonnullis carabo dicitur, ab aliis porroni, à Venetis granci porroni, ab aliis cancharo de Barbarie. Nostris est ἀνώνυμος, quia rarissimè in nostro litore capitur. A

Est omnium cancrorum maximus. vidi ex oceano cancrum męam, cuius latitudo palmum maiorem superabat, longitudo ad semicubitum accedebat. Testa læui contegitur, cuius laterum ambitus in semicirculos desinit. pedes octo & breues habet pro corporis magnitudine, chelas duas, dextram maiorem sinistra. Omnibus enim cancris, vt scripsit Aristoteles, magna ex parte maior est chela dextra quàm sinistra. chelarum extrema nigrescunt. Cornua quatuor ante oculos protenduntur, duo breuiora è media fronte, longiora duo sub oculis nascuntur. ij non magno interuallo à se distant pro corporis totius magnitudine, hos modò promit, modò condit. Cauda subtus est lata, aliorum cancrorum caudis planè similis. Carne constat dura & insuaui, coquitur in furno vel in aqua, & ex aceto editur, difficile concoquitur malumq; succum gignit. B *Lib 4. de hist. cap. 3.* F

A In huius cancri cognitione valde hallucinatus est autor libri de aquatilibus, qui cancrum vulgò Massilię squinado dictum pro cancro męa exhibuit, non intellectis vel fortasse ne lectis quidem notis, quas cancro męę Aristoteles libro 4. de partib. anim. capit. 8. tribuit. Cancrum enim męam omnium maximum esse tradit: deinde crura ei breuia (*tenuia tantum, non etiam breuia videtur ei tribuere*) & tenuia tribuit. Cancris, inquit, qui ex pelagiis sunt, pedes sunt ad ingrediendum tardiores, vt mæis, & Heracleoticis cancris, quia parua (pauca) vtuntur motione, sed salus iis firmioris crustę beneficio (τῷ ὀστρεώδεις εἶναι) contigit. quare męę tenuia crura, Heracleotici parua habent. Qui verò cancrum cuius picturam posuimus cum viuo contulerit, & sępius ac diligenter inspexerit, longè maiorem (*in Oceano quidem, non in mediterraneo, inquit Scaliger &c.*) esse eo quem Massilienses squinado vocant comperiet, & crura pro corporis ratione longè tenuiora & breuiora. His accedit alia nota minimè negligenda, quam idem Aristoteles prodidit: Cancri alii oculos habent è latere suprà, statim sub prona parte multũ à sese dissitos: alii in medio, breui discrimine, vt Heracleotici & męę. Sic in nostro oculi breui spatio à se distant, in altero multò maiore. *Contra Bellonium, qui cancrum Massiliæ Squinado dictum quem Rondeletius Pagurum facit, pro Maia exhibuit. Lib. 4. de hist. cap. 3.*

DE EADEM BELLONIVS. FACIT AVTEM VETERVM *Maiam cancrum illum quem pro paguro Rondeletius exhibet.*

A Maiam ob similitudinem, quam cum araneo habet, vulgus Gallicum *Iraigne de mer*, quasi araneum dicat, nominauit. (*Est & alius Araneus cancellus, de quo supra in Elemento A. ex Rondeletio scripsi.*) Massilienses ab aculeis infinitis, quibus in tergore more locustę horret, & villis quib. vndique est circumseptus, Vne squinaude (ad pectinem ad quem linum attenuatur, alludentes) vocant. Veneti ac Genuenses à speculis, in Maiarum corticib. eleganter inclusis, Specchio, hoc est speculam dicunt. Alii Granceolas vel Cancreolas: Romanum vulgus Grancitellas. Pelagius est piscis. Non enim vt Pagurus inter saxa, neq; in sicco, minusq; temporis extra aquam degit. *Vbi.*

 Iconem

Iconem hanc pro Maia fœmina Venetiis pictam accepi: quæ cum Bellonii picturæ similis esset, pro ea posui. Rondeletii icunem accuratius expressam, maris forsitan in hoc genere, & descriptionem, mox in Paguro eius videbis.



Hoc autem à Paguro differt, quòd Pagurus parte anteriore latus sit, Maia verò posteriore parte in latitudinem se diffundat, anteriore coarctetur, & angustior fiat. magis est præterea orbiculata quàm Pagurus Crura quaternis articulis intercepta gerit, alta & exilia, forcipibus imbecillis dentata, quib. prędam ori applicat. Corpus illi est tam graue, vt ad incessum ineptissima esse videatur, quamobrem in terra segnissima, in aquis velocissima est. Pedes quoq; non habet forpicatos, sed vnguibus bene munitos, vtroq; latere quaternos, quinis articulis interceptos. Cocta eodem modo, quo reliquum crustaceũ genus, rubet: sed viua aut liuet, aut virescit, aut rubore phœniceo aspersa est: quã si supinam contépleris, tria

tria parte anteriore breuia specula ab ipsius crustę tegmine continuata cernes, inter quæ prætenturæ duæ delitescunt. Tibias non habet leues vt Pagurus, sed multa scabricie exasperatas. Maia fœmina, operculum latiusculum habet, sub quo duo foramina membrana occlusa in ipsis posteriorum radicibus collocata apparent. Quatuor prętерea vtrinque semicirculis vtitur in natando, à quorum radicibus octoni prodeunt pinnati ramuli, quib. hærent oua in fœtis.

Interanea cum Paguro aut Heracleotico Cancro conueniunt: quæ quicunque diligentius speculari cupiet, necesse est eum viuentis Maiæ testam superiorem detegere. Comperiet autem in capite, atq; adeò ore ipso dentes extrinsecus duos osseos: in palato autem carunculam qua linguę vice fungitur: prętерea ante dentes bina denticulata officula, atq; in eius ore cauitatem statim ante gulam, in qua quod rubrum continetur, habet multiplices flexus: eius vuluam esse puto. Ex hac enim oua prodire compertum est. Subsequitur cauitas satis capax, vacua quidem ea, dum ieiunus est piscis, vt vel os alterũ, vel eius ventriculum esse dicas: cui etiam dentes adsunt (quemadmodum in Locusta) numero quaterni, incisorii, & vnus molaris: à quibus gula incipit, in cuius summo epiglotidem manifestè videas. Ea autem ad apophyses meatibus committitur adeò exilibus, vt vix appareant. & quemadmodum vulua adimplebat maiorem partem recessuum, sic apophyses vbiq; per cauitates immittuntur, tenuibus tamen ligamentis adstrictę, & maximè musculis. nec est aliud intestinum manifestum, quàm illud in quo desinunt apophyses, excrementi scilicet receptaculum. Est autem id teres, cæteris partibus incumbens, ad caudam vsque protensum. Sed & vesicam vtrinq; vnam in ipsa aluo robustam, magnam & membranosam cernas: cuius exitus est per ea duo foramina quæ sub operimento latent. Branchias habet vtrinque sub testa in lateribus numero senas: quæ certa membrana ab ipso tegumento distinguuntur. aquam enim in ore acceptam per meatus qui ad radices crurum sunt, egerit. *Interiora*

COROLLARIVM.

PICTVRAM Venetiis pro Maia fœmina missam in locum figuræ à Bellonio exhibitæ, cui similis erat posui, is cancer ab Italis Granceola vocatur. Lusitanis Cangreia vel Cangreiola, vel Centola, vt audio. Eandem Hieronymus Fracastorius Maię nomine olim ad me misit, sed magis pyramidata parte anteriore, &c. quòd ad alterum fortè sexum expressa esset. Gillius quoq; hanc Maiam existimauit. Sed contradicit Rondeletius. iudicent eruditi. Maię sunt grandiores, rotundiore ventre, gressu in terra segnes, in aquis autem velocissimæ, Veneti Granceolas vocant: quarum rotundioribus testis specula includere ad elegantiam solent, Iouius. Quæ mæę vocantur, è genere cancrario maximę sunt: quibus cauda deest, & corpus rotundum est, dorso spinoso, cruribus oblongis: quas vulgus cancreolas cognominat, Massarius. Idem, in nono Plinii męę nomine Græco potiùs quàm Latino scribendum ait, vt codices antiqui habent: quamuis Theodorus Latino nomine maias interpretatur. Vtranq; (hoc est Bellonii & Rondeletii) Maiam, Germanicè nominare licebit, *ein grossen Krabb*, id est, Cancrum magnum. Bellonii verò Maiam *a Frysl* cum Anglis: (quod nomen tamen ab aliis pectinum generi cuidam aculeato tribui inuenio.) vel fictis nominibus aliarum imitatione gentium, *ein Meerspinn*, cum Gallis: vel potiùs *grosse Meerspinn*, vt hæc Maia sit: ille pagurus, vel commune ad cancrarium genus nomen. quamuis & sepiam aliqui sic vocitant. Albertus cancrum marinum rotundum sine cauda, scribit Germanicè Araneam maris appellari. *ein Spiegelkrabb*, cum Genuensibus, *ein Hechelkrabb*, cum Massilienſibus.

DE MAIIS CANCRIS: ET ALIIS SIMILIBVS, SED MINORIBUS, *de quibus sint ne Heracleotici an Equites dubitat, Gillius.*

MAIIS, ex Cancrorum genere maximis, cauda deest, atque ex vtroq; latere quinq; pedes tenues valdè eminent, forcipibus carentes, exceptis duobus anterioribus vltimis, qui subtilibus forcipibus dentati sunt: earundemq; os similiter duobus grandibus vt Locustarum dentibus impletur, & tanquam brachiolis quibusdam circummunitur, eiusq; color rubet: corporis figura posterior rotundior, anterior pyramidatior: extremę partes aculeorum serie circumuallantur, quorum duo ex fronte tanquam cornua eminent: crura quibusdam spinulis horrent. B

Massilienses Squinadas nominant: Iidemq; quorũ industria in piscatione versatur, mihi narrarunt, se perraro piscari solere aliud Cancrorum genus, quorum corpus vt longè minus sit, quàm Maiarum, multo tamen longiores pedes existere: sint ne Heracleotici an equites Cancri, diiudicare non queo, cum solam rudem auditionem acceperim quod ipsum idcirco adscripsi vt alios, quibus maius otium est, ad horum inquisitionem incitarem, Hęc Gillius. Videtur autem minor hic, sed similis squinadæ cancer, is esse qui Folia vel Folca in Italia nominatur. cuius effigiem, vt à Cor. Sittardo meo felicis memorię accepi, apponam. Folca (inquit) dicta partim à Maiis differt, nisi quòd asperitatẽ in testa tomẽtosam habet.



Maĩα propriè obstetricem significat, à verbo μαῶ vel μαίω, quod est quæro: abusiuè verò μάμμην (id est matrem vel auiam,) & omnem ętate prouectiorem mulierem μαῖαν salutant, Eustathius. Et alibi, αἱ μαῖαι sunt mulieres natu grandiores, & quæ parturientibus astant, etiamsi iuniores fuerint. Hinc męę cancro nimirum factum nomen à magnitudine: ac si carcinometram aliquis diceret, vt inter echinos echinometrã. Porrò vt ad mulieres μαῖαι, sic ad viros ἄππα, (ad natu maiores fratres vel alumnos,) appellatio honoris gratia est. Fuit & Maia vna Atlantidum siue Pleiadum, quæ ex Ioue Mercurium peperit.

DE PA-

DE PAGVRO, ROMDELETIVS.

Lege quæ annotauimus supra ad Maia Bellonii figuram.



A ΠΑΓΟΥΡΟΣ altera cancri species est: nomine Græco vsi sunt Plinius & Gaza: In Prouincia squinãdo vocatur, ab aliis gritta, squaranchon, grampella, ab Hispanis chabro. Dicitur παγουρος ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν ὑποδύεσθαι τοῖς πάγοις: id est, quod in editioribus & præcipitibus locis versetur. Existimare aliquis posset eosdem esse paguros & Heracleoticos cancros ex Aristotele qui sic illos coniunxerit. Δεύτερον δὲ οἵ τε παγουροι καὶ οἱ ἡρακλεωτικοὶ καρκῖνοι. Secundum cancrorum genus paguri & Heracleotici cancri. Magna vtrorumq; similitudo effecit, vt iidem esse viderentur: reuera tamen diuersæ sunt species Aristoteli ac Plinio paucis differentiis à sese distinctæ, vt ex sequentibus perspicuum fiet. *Heracleotici paguris similes &c.*

B Pagurus post cancrum meam maximus est, parte anteriore, & in lateribus senis aculeis longis & validis riget, è fronte protenduntur appendices duæ rotundæ, acutæ, firmę admodum, sub quibus cornua duo minora articulata. Ex lateribus valde prominent oculi magis ad latera, quàm ad anteriora spectantes, magno interuallo disiuncti, qua nota à cancris męis differunt. Testa tota minimè lęuis sed aspera, vtpote quæ tuberculis & aculeis tota conspersa sit. In ea, maximè in superiore eius parte pictores nostri (E) specula includunt, nec id sine gratia ob aculeos & testæ colorem. Pedes octo habet, longos, crassos sex articulis interceptos: chelas duas magnas, aculeis horrentes. Caudam ex multis tabellis contextam, in cuius parte interna oua æstatis tempore appendicibus racematim hærent rubra. In lateribus branchias, & partes internas easdem quas locusta.

F Carne est media, neque dura, neq; molli, & dulci non tamen æquè ac squillarum caro. In furno assatur ore & ano obturatis, alioqui quicquid intus est liquidi effluit, & fit simlis cancris Phœniciis, quib. mhil est intus ob pabuli inopiam. Sentit & vim lunę, vt reliqui cancri qui crescente luna succulentiores & meliores sunt.

D Veterum scriptis satis celebratus est pagurus: musicam amare, & ea delectari dicitur. Laudatur etiã prouerbio Paguri sapientia, cuius etiam causa puto è collo Ephesiæ Dianæ Pagurum olim suspensum fuisse, prudentię & consilii symbolum. Paguro verò sapientia tribuitur, quia vere quum crustam exuit, aculeis armisq; omnibus spoliatum se sentiens latet, & viribus suis diffidens, nullos aggreditur, quoad testam nouam & duriusculam recuperarit. Vtitur & prudentia in excutienda grauiore testa. Quum enim tempus appetit, huc & illuc tanquam furiis incitatus fertur, alimenta persequens vt ex pleniore victu ad corporis molem facta accessione testa disrumpatur. Quæ omnia Oppianus sic exponit. *Prouerbium.*

Lib. 1. ἁλιευτικῶν. Hæc in Corollario paraphraftice reddentur ex interpretatione Gillii.

-- -- ------ Οἱ δὲ πάγουροι
Πειθὼ μαιομένοισιν ἀοιδῆς ἱμερόεσσης,
Πλησταμόνων. τοὶ δ' αὖ διατμήγοντες ἔρωθι ἁλιοθρῶν,
Λύσσῃ οὔτε βορῆς μεμνημένοι, οὔτε θαλάσσης,
Εἰμένεϊ ῥινῷ λεπταῖς ἀστρομέκεσσιν ἀφωῇ
Ῥαιῶν ῥαισάντεσσι δόσιν ψαμαθοιο πίσσαντο.
Οὐ θρασὺ κεῖνοι μενέουσι νέον σκέπας ἀμφιπαγεῖν.

Ἡ νίκα ῥηγνυμένοιο βίλου φερέοισα πέτηται,
Ῥηϊτέρη μινύθῳ δεδεγμένοισι φέρεσθαι πέτρῃ
Οὐδὲ δή τοι πεζῶν μολυδδαψαμαθίοισι πέτασται
Ἐλπόμενοι, φθιμένοισι μετέμμεναι, οὐδ' ἔτι θερμῶν.
Ἀρπιφύτῳ. ἐξὸλ' αὖτις ἀγειρόμενοι νέον ἦδη
Τέρφεα δὲ θυμὸν ἔχεσκον ἀμήχανον, ἀδρανέοντες,

Id verò sapientię Paguri attribuunt. quod natura edocti, vt & reliquę omnes animantes faciunt: neq; solùm paguri, sed etiam locustę & cancri crusta sua exuuntur vere, quemadmodum angues membrana vernationis quam senectutem appellant, vt tradit Aristoteles. Idem scribit Oppianus, omnes crusta intectos crustam veterem exuere, deinde aliam renasci. Παντες δ' οἱσι πελωλον ὑπο στερεαι κεκρυπται, Ὀστρακον ἐνδυσιστεγεὸν περι, σαρκὶ δ' ἑκαστῳ. Καρκῖνοι ὑπὸ ἐυνεότητος αὐαλέλεπται. Quos versus ideo maximè citauimus, vt admoneremus poetam non adeò verborum sollicitum, ὀστρακον pro crusta, non pro duriore testa, qualis ostrearum est, vsurpasse. Nam quæ verè testacea sunt, integumentum suum non mutant, sed crustata tantum. eius rei causam aliàs reddidimus. *Lib. 5. de Hist. anim cap. 17. Lib. 1. ἁλιευτικῶν.*

D E

DE EODEM, BELLONIVS.

Icon hæc Paguri alia est, quam a Rondeletio exhibita. Posui autem non ipsam hic Bellonii iconem, sed meam, quam olim Venetiis fieri curaui, plane similem.



PAGVRVM Galli Vn Chabre vel Vn Crape nominant. Græcia vbiq; hodie adhuc vulgò Paguri nomine cognoscit. Caue autem ne pro Paguro Pagrum dicas. Est enim Pagrus, piscis squamosus, multum à Paguro diuersus. Pagurum autem hunc Normanni à rubro vel rufo, quem eius testa prę se fert colore, Vn Rousseau appellant: alii quòd coctus in pastilli modum pulmentum ferat, Vn Tourteau, quasi pastillum dicant. Massilienses Carbasse & Fagule, Veneti Granciporrum, nomine fortasse compositio, qua si Cancrum Pagurum dicerent. Sunt alii Galli Mediterranei maris incolę, qui Pagull nomine à Paguro deriuato proferant. A

Respuit læues tract°, asperas cautes incolit, quas æstus maris in refluxu & reciprocatione siccas reliquit. Pagurus, vbi recessit mare, in arido relictus, ob metum crura contrahit, & torpentis modo immobilis quiescit. C

Crusta eius nouem in gyrum crenis imbricis modo incisa est. Adolescit in caluę humanę magnitudinem, sed non ita orbiculatus euadit: cancris enim proportione respondet. Valida crusta integitur ac læui. Crura blæsa, vtrinq; quatuor habet, villis hirta, ternis articulationibus geniculata, in quibus vngues acuti oblongiq; sunt, minimè bifidi. Brachia bisulca parte anteriori binis articulis intercepta, forcipibus crenatis munita, in extremo nigra: quibus quę constringunt vt edant, etiam dura confringere possunt. nam in eis durities est penè ossea. Quamobrem ichthyopolæ captos Paguros arctè ligatos seruant, ne sibi inuicem crura abscindant. Color viuorum multò viuidior est quàm demortuorum. In viuis enim præ nimia rosei exhalatione tergora veluti subnigra apparent. Cæterum cocti (vt aliud omne cancrorum genus) mutant colorem. Caudam sub thorace reflexam habent, vnde hós caudarum expertes esse quidam coniiciunt. Branchias vtrinq; in latere dispositas ostendunt, vt reliquum genus locustariũ, sub tergoris crusta, senis ordinibus ad tibiarum radices insertas. Multò latiores sunt quàm longi, vt ex Oceano in pedalem plerunq; latitudinem abeant. Quidam mihi visus est in Anglia decem libras pendere. In eius ore tot comperies naturę secreta, tot adstantes appendices, tot pelliculas, vt coactus increB dibile naturę artificium necesse sit fatearis. Mutim (ea autem est hepar) habet dulcissimam, maxima ex parte subrubram, cum infinitis propè apophysibus, flauis, grandi stomacho adiacentibus. Reliquæ partes internę musculis albis constant, quibus externę mouentur.

Sethus, Carcini appellatione, Pagurum intellexit, Galenum secutus, Aetium & Paulum. A

Salsi succi esse (minus tamen quàm ostracoderma) & ventrem sistere scribit. Inter lautissimos cibos F hodie receptus est, quem tamen carnis & coctionis durioris Galenus asseuerat. Sed id (vt iam in Cancris dictum est) de musculis potiùs quàm de Muti (qua potissimum parte constat) intelligendum esse puto.

COROLLARIVM.

PAGVRVM eundem quem Bellonius pingit cancrum, in Italia ab eruditis nominari audiui. nec ali- A um ad me pictum Fracastorius dedit: de eodem etiam Gillius sensit. & nomina tum alia, quæ Bellonius recenset, attestantur: tum porri vel pŏri nomen vsitatum Italis per syncopen à paguro contractum videtur. quanquam hoc nomen Rondeletius suæ Maię attribuit, porroni quidem ille, non porri scribens. Ad littus Adriatici sinus hos Cancros Potros vocant, quasi Paguros: Massilienses Carabassos: Gillius, de eo sentiens de quo & Bellonius. Dalmatæ aliquibus in locis in hodiernum diem paguros, & Veneti cancros porros cognominant, Massarius. Paguri hodie Granciporti dicuntur, Iouius. Et in aliis Italiæ locis pauri vel pauari cognomine, pedibus pilosis, testa nigricante. A Palladio Cancri marini vocantur. Pagurus, species est cancri, Hesychius. rectè quidem ille. recentiores verò Græci pleriq; pagurum pro cancro simpliciter & in genere vsurpant. Vide supra in Cancro in genere, A. Sic pagurum fluuiatilem dixit author Euporiston 3. 226. Παγουρες τοὺς ἁβροὺς ἰχθῦς καλοῦσι, Scholiastes in Equit. Aristophanis. Bisas, pagurus est marinus qui vocatur carabus, Kiranides. Ab Anglis hoc genus cãcri vocatur [illegible] à Germanis *ein Meerspinn*, id est araneus marinus. (Maia quam à Gallis Bellonius araneum maris dici scribit, differentiæ causa nominari poterit, *in grosse Meerspinn*.) Sed hoc nomen etiam sepiæ aliqui tribuunt, cã

peneri

generi cancro magis conueniat. *Seekrebs oder Seespinn*, in lacu Suerinensi capitur. & in eodem *Krabbe* dictus, (Frisiis *Kral*, *Krabe* :) hic forte pagurus est, id est cancer marinus maiusculus: ille, minor, simpliciter marinus cancer. Galli quoq; Oceano vicini pagurum vocant Chabre vel Crape. Albertus cancrum marinum rotundum sine cauda, scribit Germanicè cancrum maris appellari. Audio & Lusitanis Aranha dici. Marinos quosdam cancros alicubi *Meertaschen* vocitant, à similitudine marsupii illius quod Germani tascham nominant, corpore fermè rotundo, sine capite & cauda capparente.) Eadem sanè nomina quæ Cancro simpliciter, Paguro etiam aliisq; speciebus, magnitudinis aut alia quapiam differentia simul expressa, conuenerint. B, C. E genere cancrorum Pagurus læui dorso est, (tabellatioreq;,) Massarius.) In vtraq; sede viuit, & in aridum sæpe procedit: huius pedes breuiores quàm Maiarum, quicquid comprehẽdunt strictissimè constringunt: idemq; oculos modò recondit, modò profert, vt interdum tanquã cornua extra emineant, interdum intra in testam abditi recedant, Gillius. In Britannia quàm maximi reperiuntur, Massarius. Paguri Oppiano saxatiles sunt, (item Nicandro,) & amphibii. Scorpii quidam ex paguris generantur, teste Nicandro in Theriacis. Paguri capti & extracti mari à piscatoribus, aliquãdo terræ foramina subeunt, vbi immortui in scorpios mutantur, Idem. Vide supra in Cãcro marino c. item in Cancro in genere. Crusta ipsis rumpitur, & senectutem quemadmodum serpens, sic integumento se ipsi exuunt. Id cùm primùm luxari & à carne abscedere sentiunt, tum huc & illuc tanquam furiis incitati feruntur, pleniorem victum inquirentes, vt tumoris accessione & corporis mole inflati, inuolucrũ suum rumpere possint: ex quo vbi elapsæ sunt, atq; se explicauerunt, in sabulo iacent, mortuorum similitudinem speciemq; gerentes. De nascente autem pelle, etiamnum molli & tenera, maximo afficiuntur timore. Deinde postquam ex dissolutione se paulatim collegerunt, & quodammodo reuixerunt, primũ sanè gustant sabulum. Tandiu autem timidi sunt, & viribus suis diffidentes, quoad tegumento circumuestiantur: id simul vt cœptum fuerit conglutinari & solidescere, continuò tegmini tanquam armaturæ confidentes, adsunt animis, & omittunt timorem, Aelianus 9.43. Est autem paraphrasis Oppiani versuum, quos Græcos Rondeletius posuit. D Impudentes paguros Oppianus dixit. Non modò in mari, sed in terram eiectus, vel captiuus contra facessentes sibi negotium pugnant: quod quidem ipsum vsu percepi. Cum enim Lazarus Bayfius, post præclarè obitam antemeridiano tempore legationem, aliquoties me ad littus Adriatici sinus duceret, vt piscium naturas exploraremus, cum alia pleraq; periclitabamur, tum puerorum ludicram pugnam cum Paguris fortè in sicco repentib. spectabamus: pueros quidem in eorum forcipes festucam inserere: hos verò magno robore animi hominum multitudinem, qua circuncludebantur præclarè contemnentes, pertinaciter quicquid arripuissent, retinere: neq; vel sæpissime victos tandiu obsistendi finem facere, quoad omnibus viribus defecti, tanquam homines pugillatione & luctatione certantes, strenuè decumbebant, Gillius. Musicæ studio delectatos capi, mox in E. referetur. De paguri prudentia, vide suprà in Rondeletii scriptis, & infra in H.

Paguros musicæ illecebræ machinatione piscatores capiunt. ii enim in latibula abditi, primum vt ad instrumentum quoddam musicum (photingium vocant) piscatores suauiter canere ingressos audiuerint, statim tanquam amatorio quodam ad exeundum non modò inducuntur è latebra, verùm etiam voluptate allecti, extra mare egrediuntur: hi quidem retrò, ad tibiam canentes, cedunt: illi autem sequentes, in arido comprehenduntur, Aelianus 6.31. Paguri facula cauernulis vel inuiti euocantur, Plutarchus alicubi vt quidam transtulit. sed inspiciendus est Græcus codex, & considerãdum an facem potiùs vel musicum instrumentum, quod φωτίγγιον Aelianus vocauit, intellexerit author. Grammatici & Lexicorum conditores nullam huius vocabuli mentionem faciunt. Cum decoquuntur, partim ruffescunt & partim nigrescunt, inter lautissimos recepti cibos, quos carnis & digestionis durioris Galenus de virtute alimentorum tradit, Massarius. Psellus etiam paguros & cancros non facilè concoqui author est. Ventrem durum mollit ius pagurorum, Kiranides. Paguri seu cancri falsum quendam succum habent, minus tamen quàm cętera ostracoderma: ventrem verò sistunt, cum aquę incocti succum salsum dimiserint, Symeon Sethi. H. a. Πάγοι sunt loci asperi, præcipites, λισσάδες, vel acutæ petrarum eminentię, *Schrofen* dicũtur à nostris, vt chœrades, id est scrophulæ Græcis. παρὰ τὸ πεπῆχθαι ἐν αὐτοῖς, inde nomen paguris, quòd in huiusmodi locis soleant οὐρεῖν: quod verbum licet obseruare & custodire sonet, accipitur tamen pro morari, vt ἐκφυλαχθῆναι quoq; in illo, δυσκηδῆς νύκτα φυλάξω, Etymologus & Varinus. Paguri dicti sunt, παρὰ τὸ ἐν τοῖς πάγοις διάγειν καὶ ὁρμᾶν: ἢ παρὰ τὸ τοὺς πάγους οὐρεῖν ἢ φυλάττειν, Scholiastes Nicandri. Prima huius nominis corripitur Oppiano: Item Nicandro, Ἄλλοι δ' αὖ ῥαιβοῖσιν ἰσήρεες αἰὲν παγούροις. Sic & in πάγος: Ἔνθεν ἐπεὶ οὐ πάγοι ἐκτός, Odyssę ε. Lycophron Phœnicem Achillis præceptorem iam senem pagurum dixit (ipsum, non cutim eius, vt Cælius Rhodig. putauit,) propter cutis asperitatem, quæ senectute contrahitur, Eustathius, & Tzetzes Scholiastes, κουροτρόφον pariter cognominatum inquiens, quod puerum Achillem educârit, ad differentiam marini paguri (cancelli) pinnotrophi, id est pinam marinam nutrientis. Paguri forma diminutiua à Symeone Sethi παγούρια dicuntur.

Epitheta quæ cancris, pleraq; etiam paguris conuenient, & contrà. Ἀναιδέα φῦλα παγούρων, Oppianus. Ἀμφίβιοι. Idem. Ὀπισθοβάμων, pagurus, Varinus: tanquam non sit epitheton, sed antonomasia. addit & alia epitheta ex innominato authore, periphrasin (vt videtur) siue paguri, siue alterius cancri: ὀπισθοβάμονα, τετράχηλον, ἐκπέτην, νηκτήν. νηκτὴν ego νήκτην paroxytõum malim, id est natatorem. His scriptis Statyllii Flacci epigramma reperi, Anthologii libro 6. titulo 3. qui inscribitur Ἀπὸ ἁλιέων: Ῥαιβοσκελῆ, δίχηλον, ἀμμοδυόταν, Ὀπισθοβάμον' ἀτράχηλον, ἐκπέταν, Νηκτάν τ', ὀμμάτωτον, ὀστρακόχροα Τῷ Πανὶ τὸν πάγουρον ὁρμηβόλος Ἄγρας ἀπαρχὰν αὐτίθησι Κώπασος. Scorpii quidam similes sunt ῥαιβοῖσι παγούροις, Nicander: id est tortuosis, obliquè incedentibus, σκαμβοῖς, Scholiastes. Ab eodem πετραῖοι, hoc est, saxatiles cognominantur: & ὀκριόωντες, hoc est, asperi. Πυράγρα, id est forceps instrumentum fabrile, alio nomine etiam cancer vel pagurus appellatur, Hesychius. Vide in Cancro.

h. Laudatur prouerbio paguri sapientia, &c. Rondeletius, vt supra recitauimus. Ἔσθ' ἁλιεὺς ἀνὴρ, σοφίαν ἐν παγούροις μὲν θεοῖς ἐχθροῖσι, καὶ ἰχθυδίοις εὑρήματα παντοδαπὰς τέχνας, Timocles aut Xenarchus in Purpura apud Atheneum. Erasmus Rot. huius prouerbii non meminit.

Genvæ, vt audio, vulgò nominantur Ogie, cancri quidam marini paguris similes, sed minores.

DE CANCRO LATIPEDE, RONDELETIVS.



PARVVS quidam & ignobilis cancer apud nos frequentissimus est, nomine tamen caret ob vilitatem: nos à nota satis insigni latipedem cognominauimus. A

Cancer est paruus nucis iuglandis magnitudine, aliquando paulo maiore. chelas habet denticulatas, & articulatas, pedes vtrinq; quatuor. Postremus & minimus, à quo latipedem hunc cãcrum nuncupauimus, præter aliorum cancrorum naturam in latitudinem desinit osseam, sex articulationibus constat. E fronte extant cornicula quatuor. Testa est læui, parte superiore albescẽte, anteriore quodammodo nigricante Oua habet pallida. B

Cum maris purgamentis in litus eijcitur, & cum piscibus alijs sagena capitur, neglectusq; in litore relinquitur, vnde magna celeritate regreditur in mare, (*Quærendum an hic cancer sit quem cursorem cognominant, vel ei cognatus. Vide infra in Cancro equite,*) beneficio latitudinis postremorum pedum. C

De huiusmodi cancris locutum puto Aristotelem hoc in loco: οἱ δὲ μικροὶ καρκίνοι οἱ ἁλισκόμενοι ἐν τοῖς μικροῖς ἰχθυδίοις, ἔχουσι τοὺς τελευταίους πλατεῖς πόδας, ἵνα πρὸς τὸ νεῖν αὐτοῖς χρήσιμοι ὦσι, ὥσπερ πτερύγια ἢ πλάτας ἔχοντες τοὺς πόδας. Quæ mihi videntur alium sensum habere quam Gaza in interpretatione sua expresserit. Sic igitur vertendum fuerat: Parui cancri qui capiuntur inter paruos pisciculos, postremos pedes habent latos, vt ad natandum sint vtiles, vt pinnarum vel palmularum vice sint isti pedes. A *Lib. 4. de part. animal. cap. 8.*

Paruus igitur cancer latitudine quidem sua in aqua fluitat: sed vt celerius impellatur, natura pedes postremos latos fecit, vt iis vtatur perinde ac rana posterioribus suis pedibus, & anates, cæteræque aues aquis gaudentes suis pedibus latis: item vt fiber suis, cuius priores pedes diuisi sunt ad cibum capessendum, ad caueam effodiendam, posteriores cute coniuncti ad corpus in aqua impellendum. C

DE EODEM VEL SIMILI CANCRO PARVO LATIPEDE: *& rursus alio, Bellonius.*

Paruum Carcinum aut Cancellum Græci μικρὸν καρκίνον vocarunt, Romæ Grancettum. Nam admodum exiguus inter pisciculos reperitur. Pedes extimos latiusculos habet, quibus ad natãdum ceu pinnulis aut remis vtitur. Massilienses Grittam genuina voce nominant. Veneti ac Ferarienses† Mazenetam. Differt à Cancro marino nouissimis tantum pedibus, quos habet latos, in quibus vngues anterioribus similes esse constat. **Vide supra in Cancro mar.*

Pisciculos alios carcinis aliquo pacto similes Romani rustici frequenter cum Tellinis & Conchulis (quas Gongilas vocant) diuendunt: qui tamen Carcinis multo † maiores sunt: supini albicant, proni autem subcinericii sunt, punctisque frequentibus ac candidis in tergore variantur, Ophitæ modo. Nouissimos pedes in extremo latos habet, Cancellorum modo, quorum magnitudo pollice operiri potest: tamen viuaces admodum sunt. Eos quoties nautæ reperiunt, crudos edunt cũ pane: sed Romæ coquuntur: gratiores tamen sunt crudi, nisi horum copia aluum conturbaret, ac plus æquo cieret. Genus istud nunquam grandescit. Quinos habet pedes, crassiores, forcipatos, crenatos ac robustissimos, in quibus bina numerantur crura. Singulares digiti quaternis constant articulationibus, nisi quis omnes complectatur: tunc enim sex comperiet. Caudæ id quoque rudimenti in eis est, quod omni Cancrario generi, eodemque modo subtus reflectitur. **forte, minores.*

DE CANCRO FLAVO SIVE VNDVLATO, *Rondeletius.*



CAncer quem hic exhibemus inter anonymos & ignobiles magnus est, cancris stagni marini vel fluuiatilibus æqualis. Flauum à colore nominauimus, vndulatum à lineis quæ in prona parte sunt sinuosæ vndarum modo, non aliter quam in cameloto vulgo nuncupato. Capitur circa Antipolim & Lerinum insulam, neç vspiam similes vidi. Caudam extentam depinximus, ex tabellis aliquot contextam. Pedes quaternos habet, longos & hirsutos: chelas duas magnas etiam hirtas: cornua duo satis longa: in fronte aculeos siue appendices duas, in lateribus alios aculeos. A B

DE CANCRO VARIO SIVE MARMORATO, *Rondeletius.*



INsaxis Agathensis litoris degit hic cancer, qui ideo à nobis varius siue marmoratus dicitur, quia testa est læui ac perpolita, coloribus variis consperſa: marmor varium siue iaspidem pulchrè referente, siue splendorem testæ, siue læuitatem, siue colorum varietatem spectes: cernuntur enim in ea maculæ virides, cæruleæ, albæ, nigræ, cinereæ, quæ mortuo cancro maiore ex parte euanescunt. Si mortuus in sole exiccetur, totus fit flauus. Brachijs nõnihil ab alijs differt. forfices enim breuiores habet & crassiores, tubercula veluti gemmæ in eis eminent, vt in astaco. Crusta quam in cæteris durior. Cornicula duo è fronte extant. Oculi satis à sese distant: post oculos hinc & inde serrata est testa.

C In saxorum cauernulis degunt: &, si quem conspexerint, intro subeunt: itaque pedibus hærent, vt auelli vix possint. Metu vacui super saxa in sole apricantur. Id cancri genus in Agathensis litoris scopulis tantum vidi.

DE CANCRO BRACHYCHELO. RONDELETIVS.



B INTER cancros qui circa Lerinum insulam capiuntur, is est quem hic depinximus: ex rubro nigricans, paruus, corporis figura ab alijs cancris nõnihil differente. corpus enim posteriore parte contra quam in cæteris latius est, anteriore acutius. Chelas duas habet valde breues & tenues, vnde βραχυχηλον nomẽ dedimus. His proximi pedes duo longissimi pro corporis ratione, crassi, acutissimi, vt videatur voluisse natura quod chelis detraxerat, pedum horum longitudine pensare: Iidem lanugine quadam obducti sunt. Terni qui sequuntur etiam longi sunt, sed tenues & læues. Supina pars aculeos habet. Rarissimus est alibi cancer in Lerino frequens.

DE CANCRO MACROCHELO.

CANCRI huius picturam Io. Kentmannus medicus doctissimus ad me dedit: nescio vbi natus. Ego amplius de eo quam effigies præ se fert quod dicam non habeo. Macrochelum vel Leptochelum cognominare licebit, quod inter Cancros longissimæ ei tenuissimæque sint chelæ.



DE HIRSVTIS CANCRIS, RONDELETIVS.

Cancri hirsuti.

Paruorum hirsutorum genera tria.

HIRSVTA sunt quædam cancrorum genera, varijs in partibus, alia in supina parte, alia in pedibus.

Paruorum verò cãcrorum qui hirsuti sunt, differentias tres obseruaui. Prima est eorum qui chelas aculeatas habent, & in extremo nigrescentes. Cornicula duo: quæ sequuntur vtrinque partes, serratæ sunt. In testa media cordis humani figura expressa cernitur. Chelis pedibusque omnibus hirtis sunt.

2 Huic generi simile aliud est æque hirsutum, sed magnitudine differt. minus enim est superiore, & chelarum extrema nigricantia non habet.

Tertia differentia eorum est, qui secundis ita similes sunt, vt eosdem cum ijs planè esse diceres, dempta sola magnitudine: nisi ouain vtrisq; reperissem: quod facit vt credam specie differre, tamen, ob magnam cum secundis affinitatẽ, pictura horũ separata nil opus fuit.

C Tria hæc genera cum reliquis piscibus euerruntur, & ob exiguitatem prorsus negliguntur.



CORROL-

COROLLARIVM.

Cancris hirsutis Rondeletij adnumerandus videtur ille, quem Lupum marinum vulgo Romæ, alij somniolo vocant: quod eius crusta in puluerem redacta somnum inducat. alijs papilla pilosa vel castrãgiolo dicitur. Videtur non multum abludere à descriptione Maiæ: vt Cornelius Sittardus ad me scripsit, cui etiam iconem debeo.

DE CANCRO CORDIS FIGVRA. *Rondeletius.*



CANCER hic corporis trunco cordis figuram omnino refert. cornua duo habet è fronte prominentia, brachia duo breui forfice, quaternos pedes. Pelagius est & paruus, vix vnquam inter litorales inuentus: sed panagro ex alto mari cum Pelagicis piscibus in litus perrahitur, neque admodum frequenter, quia ob exiguitatem facilè è retium maculis elabitur. In maiorum asellorum ventriculis huiusmodi cancros sæpe inuenimus.

DE CANCRIS PARVIS QVI IN ALIENIS TESTIS VIVVNT, RONDELETIVS.

Hi cum in pinnis degunt, priuatim pinnotheres dicuntur. Alij sunt Cancelli vel Scyllari, corpore oblongo, qui inanes tantum testas inhabitant. de quibus inferius seorsim.



C *In quibus testis aut ostreis degant.*

CANCROS paruos in alienis testis hospitari Aristoteles prodidit, & idem experientia docet, non tamen in omnibus testis sine discrimine eos reperias, non in lepade, non in tellinis, non in conchulis, nunquam in mitulis marini stagni, sed in mitulis gurgitum, pinnis, pectinibus atque ostreis. Aristoteles: Innascuntur in testaceis quibusdam cãcri albi, omnino parui: plurimi quidem in mitulis soliatis (ἐν τοῖς μυσὶ τοῖς πτελλώδεσι) tum in pinnis quos pinnotheras vocant. Quinetiam in pectunculis atque ostreis, (λιμναρίοις,) verum nullum ij conspicuum capiunt incrementum. Piscatores aiunt cancros istos vna cum illis quorum testam inhabitant nasci. Athenæus in pinnis & conchis margaritiferis nasci ait, cuius locus emendatius, quam in vulgaribus codicibus legi hoc modo potest: Ὅταν δ' αὖ πέτραις ἢ πτιλάσι περὶ φυῶσι, τίκτουσι καὶ ἐν αὐταῖς τὰ ἐνέσαι τὸν μαργαρίτην ἔχοντα, ζώσι (ζωογονοῦντα. habet codex vulgatus) δὲ ἐν τρέφονται μᾶλλον δὲ περὶ τὰ φυκάρια μέρος, τοῦτο (τοῦτο) δὲ συμπέφυκε τῷ δ' κόγχῃ σῶμά τι χηλὰς ἔχον, ἣ νομίζουσιν ὀστρέων, ὃ δὴ ἔστιν ἐοικὸς καρκίνῳ μικρῷ, καλούμενον πιννοφύλακα. Pinnæ quæ petris aut saxorum cauernis (πέτραις ἢ πτιλάσι) adhæserint, radices agunt, illic margaritam generant. Viuunt autem & nutriuntur per partem carni hærentem. Huius autem conchæ ori adnascitur animalculum chelas habens, & cibum assumens, quod cancro paruo simile est, & vocatur pinnophylax. *Lib. 4.*

40 Dicam quod sæpissime vidi. Cancri parui qui in ostreis reperiuntur, minores sunt, paruæ scilicet fabæ magnitudine, toto corpore candidi, præterquam in pronæ crustæ medio, quod rubescit. Qui in pinnis reperiuntur, maiores sunt, & magis rubri quam albi sunt, alioqui chelis pedibus, toto denique corpore tum inter se tum alijs omnibus cancris similes. A cancellis autem differunt, quod parui cancri viuentium pinnarum & ostreorum hospites sunt: cancelli inanes duntaxat testas & turbinatas subeunt, suntque longo corpore locustis non cancris simili. Cur cancelli in alienis testis habitent, postea exponemus, nunc de cancris paruis idem faciendum. Sunt qui miram bestiolæ (*Non cancro paruo, vt Rondeletius putat, is simpliciter cancro Oppianus hoc adscribut. vide supra in Cancro marino D.*) hac in re prudentiam extollunt, inter quos Oppianus: Quum, inquit ostrea testas aperuit, vt limum & aquam ad vitam sustinendam hauriant, cancer lapillum chelis arreptum in testas medias immittit: quo à claudendis testis 50 cum ostrea impediuntur, cancer ingressus epulatur illic, & eorum carnem depascitur.

In ostreis. *In pinnis.* *A cancellis quid differãt.* *Cur in alienis testis habitent.* *Lib. 2. ἁλιευτικῶν.* *Cancrum non arrodere ostrea.*

Ὄστρεα μὲν κλῃδὶς αὐλαπύξαντα βυθέων,
Πέπλατα, ἀγχιγίνηται ἐφηλία πετρήεντα.
Λέχεϊ δ' ἐξείησι φέρει χηλῆσι μεμαρπώς.
Ὄστρεον, ἔνθεν ἔπεστι παρηλύθων ἐλαπίναίζει
Ἀμφιδύμας πλατέσιγγας ἐν ἡθεσι, καὶ σὺν ἀνάγκῃ
Κωὐ λιχμᾶται ὄντα, καὶ ὕδατι ἰχανόωντα.
Καρκίνος αὖ φηφῖδα φέρει μηχῶν ἀείρας,
Λάθρῃ δ' ἐμπελάᾳ, μέσσῳ δ' ἐνεθήκατο λᾶαν
Λιάζεται φίλεον, τὸ δ' ἀρ' ἔτι κραιπνὸν ἐρύσσαι
Οἴγεται δ' ὄφρα θάνῃ πε, καὶ ἀγκυλοτάρσῳ κορέσσῃ.

Sed hoc fabulosum esse puto: nũquam enim mytulos, pectines, pinnas, ostrea in quibus sunt cancri, arrosa vlla ex parte reperias.

Aliter Plinius qui scribit cancrum dapis assectatorem, pinnæ in capiendis piscículis auxilio esse, & 60 communi præda communiter cum pinna vesci: quem locum capite de cancello citauimus, item Athenæi locum illi plane similem. Oppianus quoque lib. 2. Halieut. scribit pinnam in magnis testis esse imbecillam, sine mente, sine astu: sed hospitem cancrum excipere à quo nutriatur & custodiatur, vnde pinnophylax vocatus est. Quum igitur piscis testam subit, pinna morsu à cancro admonita, testam claudit, prædamque communem depascuntur. C *Fabulosum esse cancrum paruum in testis viuere quum ea aut ostrea aut conchæ quantumuis hiantes.*

Ὄφρα κεν αὖ βυθίας μὴν ἔχει πλάτας, ἐν δὲ οἱ ἰχθὺς
Οὐτέ τι μηήσεσθαι ὀδήσεται οὔτέ τι ῥέξαι
Καρκίνος ἐγγυαλίξας, φέρβει δὲ μιν ἠδὲ φυλάσσει,
Γ' ἰχθῦς ἔνδοθεν ἴκηται, δὴ ὁ φρονέουσιν ἀμοῦσαι
Ὄφρα κε συμπαύσῃσι, καὶ ἔνδοθεν ἐφράσσατ' ἄγγελον
Πίννη ναυσιπόρῳ κεκλημένῳ· μὴ μιν ἄμελγε
Ἀλλ' ἄφρα οἱ ξυνόντε δόμον, ξυμμίσγετε κευθμῶνι
Τῷ καὶ πινοφύλαξ κικλήσκεται· αὐτὰρ ὅ γε κείνῃ
Δηγματα περβάλλει πίννῃ ἔλεν, μηδ' ὀδύσσηται
Αὐτῇ τ', μηδ' ἑτέρῳ, ξυνὸν δόμον ἔλσατο.

Sed hæc omnia fabulosa esse, inde necessario efficitur, quod neque pinnæ, neque mytuli, neque ostrea piscium carne pascantur, sed aqua tantum & luto.

Squilla parua. Quod ab his autoribus cancro paruo tribuitur: idem à Cicerone squillæ paruæ, sic enim καρίδιον Aristotelis interpretatur: quæ squilla parua etiam in pinnis reperitur, quemadmodum & cancer paruus, testibus Aristotele & Plinio, vt capite de cancello docebimus. *Cicero.* Ciceronis hæc verba sunt libro 2. de Natura deorum. Pinna verò (sic enim Græce dicitur) duabus grandibus patula conchis cum parua squilla societatem init comparandi cibi. Itaque cum pisciculi parui in concham hiantem innatauerint, tum admonita à squilla pinna morsu comprimit conchas, sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur, in quo admirandum est congressune aliquo inter se, an iam inde ab ortu natura ipsa congregata sint. Quæ eadem ratione falsa esse conuincuntur. quî enim cibo eodem vesci possunt squillæ paruæ & pinnæ, cùm squillæ pisciculorum carne vt crustata omnia viuant, pinnæ verò nullo modo, sed aqua tantum & luto? *Verior causa, cur pinnas & ostrea cancri parui subeant.* Cur igitur in pinnis & ostreis cancri parui reperiuntur? Quia cum omni generi animantium à natura tributum sit, vt se vitamque tueantur, vt pastum & latibula quærant: cancri parui molliore testa tecti, & ideo iniurijs magis opportuni, concharum caua subeunt, vt illic tanquam in specubus & antris tutius degant. Quare non solum in testis, sed etiam in spongiarum cauernulis, in saxorum rimis, in externis testarum, quibus ostrea tecta sunt, cauis, sæpissime cancros paruos reperi. Nec immerito dubitat Cicero congressu ne aliquo inter se, an iã inde ab ortu natura ipsa congregata sint. Piscatores, inquit, Aristoteles, cancros paruos nasci confirmant, vna cum illis, quorum testam inhabitant. *Lib. 3.* Athenæus de cancris & pinnis loquens: φασὶ δέ τινες καὶ συγγίνεσθαι αὐτὰ αὐτοῖς, καὶ ὡς ἂν ἐξ ἑνὸς σπέρματος γίνεσθαι. Aiunt quidam pinnas & cancros paruos simul generari, & tanquam ex eodem semine fieri. Ego verò cum cancros paruos in pinnis & ostreis sæpissime ouis turgentes viderim, affirmare audeo non sponte ex limo aquaue vt testacea, sed ex coitu maris & fœminæ, & ex ouis prouenire. Quare vel in testis pariunt, vel stato tempore testas egrediuntur, & coeundi & oua pariendi gratia. Hactenus de cancris paruis.

DE PINNOPHYLACE, BELLONIVS.

In latiore & capaciore Pinnæ parte, quæ in sublime attollitur, plerunque tres pinnoteres videas, aliquando duas, vt plurimum vnam. Frustra creditum est Pinnam pisciculis ali, morsuque à Pinnophylace admoneri, concludere conchas, & intus pisces exanimari. Quod siquidem verum esset, oporteret omnibus intus inesse Pinnophylacem: sed decem aperies, antequam vnum Pinnophylacem comitem reperias.

COROLLARIVM.

Pinnoteres, πιννοτήρης, idem qui pinnophylax, ἀπὸ τοῦ πίννας (πίννη) φύλαξ id est pinnæ custos, Suidas, Hesychius & Varinus. Est autem masculini generis, non fœminini vt quidam vsurpat. Athenæus etiam ex Chrysippo πιννοτήρην scripsit per τ. nimirum ἀπὸ τοῦ τηρεῖν καὶ φυλάττεσθαι τὴν πίννην. Massarius & Rondeletius pinnother scribunt in tertia declinatione, t. aspirato, nescio quam recte. ex Plinij codicibus vulgatis quidam t. aspiratum habent, alij non. Nunquam nascitur (inquit) pinna sine comite, quem pinnoterem vocant, alij pinnophylacem. is est squilla parua, alibi cancer dapis assectator. Apud Aristotelem de hist. 5. 15. legimus, οἱ καρκίνοι μικροὶ πιννοθῆραι, quod si mendosum nõ est, rectus singularis fuerit, ὁ πιννοθήρας, ἤγουν καρκίνος ὁ ἐν τῇ πίννῃ θηρῶν, hoc est in pinna venari solitus cancer. Germanice hic cancer paruus vocari poterit, *ein kleiner Meerkrab*: cancellus verò, de quo mox dicetur, voce diminutiua *ein Meer krable*: vt eadem sit horum nominum ratio ac differentia in sermone nostro, quæ Græcis inter καρκίνον μικρὸν & καρκίνιον, id est cancrum paruum & cancellum. Vel potius cancer ille paruus vtroque modo ex iam dictis Germanice appelletur: cancellus vero *ein Meerkrebsle*, vt nõ solum paruitas eius, sed etiam corporis figura oblongior qua astacum refert, simul indicetur. Pinnophylacem Aristoteles scillaron quoque & scillarion vocauit, & καρίδιον. Theodorus pro vtroque squillam paruam reddidit, Plinium secutus, Vuottonus. sed Rondeletius hæc nomina diligentius distinxit. Rondeletius in squilla parua scribit σκύλλαρον genere neutro per y. Sed scyllaros mihi genere masculino dicendum videtur: Τοῦτον δὲ καλοῦσι σκύλλαρον Aristoteles historiæ 4. 4.

C Theophrastus de causis. 2. 24. postquam de visco, & polypodio, quæ arboribus innascuntur egisset, subdit, sic esse natura comparatum vt hæc non nisi in aliis valeant prouenire: sicut & animalia quædam non nisi in alijs possunt creari, ceu quæ in conchis (ἐν ταῖς πίνναις) atque in cæteris aptis præstare animalibus pabulum. Et mox, Neque enim vita fortasse conchis posset seruari, nisi opera cancri. Patrem aut hominem qui se ipse non curet, sed à domesticis & propinquis curetur volentes significare, pinnam & cancrum pingunt Aegyptij. hic enim carni pinnæ velut agglutinatus manet: vnde & ex consecutione nominis πιννοφύλαξ, quasi pinnæ custos vocatur. Hæc quidem plane hiat in concha esuriens: quod si interim pisciculus aliquis irrepserit, mordet (vellicat) cancer forcipe pinnam. quod sentiens ea concham claudit, atque ita pisciculum venatur, Orus in Hieroglyphicis 2. 109. Eadem vero Aelianus, cuius verba in Pinna referam. Item Plutarchus, Is, inquit, quo de scribendo atramenti plurimum Chrysippus consumpsit, pinnotheras, primas in omnibus huius & physicis & moralibus libris habens. (Nã spongiotheram non vidit, alioqui haud taciturus.) Pinnotheras igitur cancrorum de genere est, pinnæ semper adhærens, ac ad concham huius atriensis instar excubans. hiare quippe pandique tantisper sinit, dum pisciculi quos capi posse speret, irrepserint. ibi pinnæ carnem vellicatu leni stringit, ac intra fauces ipsius proripit sese. illa mox concham comprimit. prædam postea intra claustra captiuam in cõmune partiuntur & vorant. Et Cicero lib. 3. de Finibus, At illa quæ in Concha patula pinna dicitur, isque qui enat è concha, qui quod eam custodiat, pinnoteres vocatur: in eamque quum se recipit, includitur, vt videatur monuisse vt caueret.

Ὁ πιννοτήρης οὗτός ἐστι τοῦ γένους Ὁ σμικρότατος, Aristoph. in Vespis de Carcini poetæ filijs ludens.

DE CAN-

DE CANCELLO, QVI IN TVRBINATIS: ET SCYLLARO, QVI BREVIOR EST, ET IN NERITIS HABITAT, *Rondeletius.*

Cancellus in testa. *Cancellus nudus.* *Testa vacua.*



QVI cancelli figuram diligentius inspexerit, astacis annumerandum dixerit: qui cancelli nomen audierit, cancrorum potius generi: nam Galenus † cancris minimis comparat. Alius locustis subijciendum esse contendet, quod similem esse τοῖς καραβοειδέσι dicat Aristoteles lib. 4. de hist. anim. cap. 4. alio loco idem cum testaceis recenset. Nos † hoc loco reponere voluimus, vt medius esset inter crustatos, qui longo sunt corpore (hos enim καραβοειδεῖς vocat Aristoteles lib. 5. cap. 15.) & cancros. inest enim in eo, quod & locustis & cancris simile sit. Inter ostracoderma vero referri non potest, quia testas non suas ingrediatur: quemadmodum aliquando & spongias, si quando foramen in eis capax nancisci possit. Eum Aristoteles καρκίνιον vocat, nostri bernard l'ermite. eremitam quidem, quod alios fugiens, in testa perinde ac in solitudine viuat. bernardum autem, quod plebs nostra bernardos etiam vulgari prouerbio fatuos esse dictitet: fatuumque esse cancellum, qui crusta tectus, chelas habens, quæ ad vitam tuendam satis esse possent, alienas domos quærat, in quibus latens viuat. Quod si non hæc solum, sed posteriores etiam cancelli partes spectaueris, prudentem esse iudicaueris, qui nudas & iniuriæ valde opportunas partes dura & firma testa muniat. Ligures brancha vocant vel branchna, Prouinciales bious cambus. Nos primum testam vacuam, deinde cancellum nudum repræsentamus, vt melius particulæ omnes perspici possint: tum cancellum in testa, parte priore exerta, altera latente.

A *Et primum quod sit medius inter astacos & cancros.* *† Lib. 3. de fac. aliment.* *† Nos Rondeletii ordinem non seruauimus.*

Huius descriptionem quam maxime dilucide poterimus proferemus ex Aristotele, qui in minuto animali explicando diligentior videtur fuisse, quam in multis aliis explicatu alioqui dignissimis. Cancellus, inquit, quodammodo inter crustata & testacea animalia ambigit. natura enim ijs quæ specie locustarum sunt, similis est, & ipse per se nascitur: quatenus verò testas ingrediatur illicque viuat, testaceis similis est. Quare cancellus inter hæc anceps videtur esse. Forma autem araneis similis est, præter partem capiti & pectori subiectam, quæ in cancello maior est. cornicula duo rufa tenuia gerit. subiacent oculi duo longi, qui nunquam intus conduntur, neque occluduntur veluti in cancris, sed semper eminent: ijs subest os, circa quod veluti capillamenta quædam plura. His subiuncti sunt pedes duo bisulci, quibus ori cibũ admouet: bini alij vtrinq; hærent lateri, & tertius paruus. Thoracis inferior pars mollis tota, & dissecta pallida est intus. ab ore meatus vnus est ad ventrem: excrementi, nullus est, qui appareat. pedes & thorax duri sunt, minus tamen quam in cancris. Nexu nullo testis adhæret purpurarum modo & buccinorum, sed libere & facile hinc migrat. Hæc Aristoteles, qui alio etiam in loco hæc de cancello: Initio gignitur ex terra & limo cancellus. deinde in vacuas testas ingreditur: vbi cum accreuerit, in ampliorem testam subit, videlicet aut neritæ aut turbinis, & aliorum huiusmodi, sæpe etiam parua buccina. ingressusq; eam circumfert, ibidem nutritur & augetur, deinde capaciorem petit.

B *Lib. 4. de Hist. anim. cap. 4.* *Lib. 5. de Hist. cap. 15.*

Obseruandum est Aristotelem alterum hospitis alienarum testarum genus facere. Longior est, inquit, qui in turbinibus, quam qui in neritis viuit. Genus igitur illud diuersum in neritis habitans, cætera quidem simile est, sed ex pedibus bifidis dexter paruus est, sinister magnus, quo magno potissimum graditur. Idem genus in cõchis reperitur, quibus vt cancelli adhæret. Id genus vocant σκύλλαροι. Et paulo post: Quibus sinister pes grandior est, ij nunquam turbinatorum hospites sunt, sed neritarum duntaxat. Libere dicam quod diu multumq; obseruaui, sola corporis longitudine duo hæc cancellorum genera differre puto, vt cancellus turbinatorum hospes longior sit, quia eorum testa longior sit: neritarum, breuior: quia neritarum testa est læuis, ampla & rotunda.

A *Lib. 4. de Hist. cap. 4. Genus alterum in neritis, breuius. Scyllarus.*

Quantum ad pedum bisulcorum longitudinem attinet, in omnibus cancellis quos plurimos vidi, semper sinistrum pedem crassiorem dextro perspexi, quod non fortuito sed certa ratione mihi videtur contingere. Cum enim viuant in testa circa corporis medium complicati, quantum dextræ parti compressæ alimenti ac proinde incrementi decedit, tantum sinistræ liberiori & laxiori accrescit. (B)

Præterea videtur Aristoteles tertium genus constituere, quum dicit: Sunt inter cochleas, quæ intra se bestiolas habeant astacis paruis similes, qui vel in fluminibus gignuntur, sed ea differentia, vt præmollem intra suam testam carunculam habeant. Forma qualesnam sint, ex dissectionibus contemplare. Quæ quanuis ita sint, vnica tamen descriptione contentus ea tria non admodum differre sensisse videtur, earumque paucas & non insignes differentias esse.

A *Ibidem. Genus tertium.*

In mitulis, & pinnis & ostreis cancri valde minuti nascuntur, de quibus nonnulli ea quæ prius ex A- A

 ristotele

Cancri parui à cancellis distinguuntur, quos aliqui confundunt.

ristotele protulimus, intelligenda esse opinantur: verum toto cælo aberrant. Nam cancris istis quadrare hæc nullo modo possunt, scilicet cornicula duo tenuia, rufa: ijs enim prorsus carent. oculi semper eminentes, cum in cancris modò emineant, modo condantur. præter pedes duos bifidos, duo alij vtrinq;, & tertius paruus: thoracis pars inferior tota mollis. Hæc inquam paruis cancris non conueniunt. His & illud accedit, quod cancelli sine testa nati in alienam ingrediuntur: deinde grandiores facti subinde testas mutant, in ampliores scilicet migrantes. Cancri parui eodem Aristotele autore in testis nati nullum perspicuum accipiunt incrementum, vt subinde testas mutare ijs necesse sit corporis magnitudini accommodatas. Postremo cancelli & cancri parui in varijs (*diuersis*) testis habitant, vt eodem in loco tradit Aristoteles. Absurde igitur faciunt, qui paruos cancros, quos in ostreis viderint, Aristotelis καρκίνια esse putant.

Plinium etiam videri confudisse. Lib. 9. cap 31. Lib. 5. de Hist. anim. cap. 15.

Plinius etiam pinnotheris siue pinnophylacis nomine & cancrum paruum, & τὸ καρκίνιον, id est, cancellum Aristotelis confudisse videtur contra Aristotelis sententiam. Sic enim ille quum de cancris loquitur: Pinnother autem vocatur minimus ex omni genere, ideo opportunus iniuriæ. Huic solertia est inanium ostrearum testis se condere, & cum accreuerit migrare in capaciores. Quum ex cancris minimum dicit, manifestum est locum hunc Aristotelis expressisse: Ἐμφύονται δὲ ἐν ἐνίοις τῶν ὀστρακοδέρμων καρκίνια λευκὰ, τὸ δὲ μέγεθος πάμπαν μικρά· πλεῖστον μὲν ἐν τοῖς μυσὶ πυελώδεσιν, ἔπειτα καὶ ἐν ταῖς πίνναις οἱ καλούμενοι πιννοθῆραι. Quum verò dicit inanium ostrearum testis se condere, &c. hunc interpretatus est: Τὸ δὲ καρκίνιον γίνεται μὲν τὴν ἀρχὴν ἐκ τῆς γῆς καὶ ἰλύος, εἶτα εἰς τὰ κενὰ τῶν ὀστράκων εἰσδύεται, καὶ αὐξανόμενον μετεισδύει πάλιν εἰς ἄλλο μεῖζον ὄστρακον. At quamuis τὸ καρκίνιον ἐκ τοῦ καρκίνου hyyocoristicon sit nomen, tamen, apud Aristotelem valde differunt bestiolæ duæ ὁ καρκίνος μικρὸς & τὸ καρκίνιον, id est, cancer paruus & cancellus: vt ex superioribus liquet, maxime cum ille minimus sit, & in pinnis & nonnullis alijs nascatur, & sedes non mutet, quia nunquam accrescat, nec in inanibus habitet: cancellus verò non adeo paruus, & per se nascatur, & augescat, & subinde in alias testas migret, easque inanes.

L. 9. c. 42. Pinnother à Plinio etiam squilla parua dicitur, & cancer dapis assectator. Cancellum etiam Aristotelem pro cācro paruo alicubi impropriè posuisse. Plinium duos Pinnophylacas facere cācrum paruū, & squillam paruam.

Alio in loco Plinius pinnotherem siue pinnophylacem facit squillam paruam & cancrum, (*cancrum paruum*) propius hîc Aristotelis mentem secutus. Concharum generis est pinna, nascitur in limosis, subrecta semper, nec vnquam sine comite, quem pinnotheren vocant, alij pinnophylacem: id (is) est squilla parua, alibi (*id est in alijs pinnis*) cancer dapis assectator. Quæ ex Aristotele lib. 5. de hist. anim. cap. 15. sumpta sunt: Αἱ δὲ πίνναι ὀρθαὶ φύονται ἐκ τοῦ βύσσου, ἐν τοῖς ἀμμώδεσι καὶ βορβορώδεσιν. ἔχουσι δ' ἐν αὐταῖς πιννοφύλακα, αἱ μὲν καρίδιον, αἱ δὲ καρκίνιον· οὗ στερισκόμεναι διαφθείρονται θᾶττον. quo loco τὸ καρκίνιον ἀντὶ τοῦ καρκίνου μικροῦ, id est, pro cancro paruo non pro cancello antea descripto locustis specie simili vsurpatur. pugnātia enim scriberet Aristoteles, qui cancellum in inanibus testis habitare scripsit. De paruo autem cancro mentionem hîc fieri clarè ostendit Aristoteles, quum mox se explicans subdit: ἐμφύονται δ' ἐν ἐνίοις τῶν ὀστρακοδέρμων καρκίνοι λευκοί, τὸ δὲ μέγεθος πάμπαν μικροί, πλεῖστοι μὲν ἐν τοῖς μυσὶ πυελώδεσι, ἔπειτα δὲ ἐν ταῖς πίνναις οἱ καλούμενοι πιννοθῆραι. Horum duorum discrimen ex ijs quæ antea fusius tradidimus perspicuum est.

Quod vero Plinius loco proxime citato duos pinnotheras siue pinnophylacas faciat, τὸ καρίδιον, id est, squillam paruam siue squillulam, & cancrum paruum, non cancellum (quem eremitam appellari diximus, quod non cum pinna aut vllo alio, verum solus in testa aliena habitet) confirmo ex Athenæo, apud quem eadem plane leguntur de cancro pinnothere, quæ apud Plinium de cancro dapis assectatore. Plinij verba sunt, Alibi cancer dapis assectator. Pandit se pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant alij protinus, & vbi licentia audacia creuit, implent eam. Hoc tempus speculatus index, morsu leui significat. Illa ore compresso quicquid inclusit exanimat, partemq; socio tribuit.

Lib. 3.

Athenæus: Chrysippus Solensis (inquit) in quinto de honesto & voluptate, ait: Pinna & pinnoteres operas mutuas præstant, seorsum viuere non possunt. pinna ex ostreis est, pinnoteres cancer paruus. pinna testam pandit ingredientes pisciculos obseruans, pinnoteres adstans siquid subierit, morsu pinnæ significat: quæ demorsa, testam claudit: eoq; quod inclusum sit communiter vescūtur.

Conclusio.

Vides quod καρκίνιον dixit Aristoteles loco postremo citato, cancrū dici à Plinio, à Chrysippo καρκίνον μικρόν. Quæ omnia huc spectant, vt admoneam diligenter animaduertendum esse in legendis his Aristotelis & Plinij locis, distinguendas esse bestiolas duas quæ ijsdem vel similibus nominibus nuncupantur, scilicet καρκίνιον, id est, cancellū pro eo quem initio capitis depinximus, (quem eremitam vulgo nominamus,) qui locustis specie similis est: & cancellum pro cancro paruo cancris figura omnino simili, qui pinnoter siue pinnophylax est & dicitur: quorum priorem τὸ καρκίνιον semper vocat Aristoteles, alterū sæpius, τὸν καρκίνον μικρὸν, semel tantum quod sciam καρκίνιον.

Herm. Barbarus cancellū cum squilla parua confundit. Καρίδιον.

His illud addam: Hermolaum Barbarum non recte quod sequitur annotasse apud Plinium loco proxime citato: squilla parua, hoc est cancellus quē Græci vocāt καρίδιον: subditur enim, Alibi, inquit, cancer, dapis assectator. Hoc secuti, opinor, qui lexica Græca concinnarunt τὸ καρίδιον cancellum perperam interpretantur. Nam τὸ καρίδιον squillulam siue paruam squillam significat, diminutiuum nomen τοῦ καρίδος, quam squillam esse constat: quæ specie differt à cancello siue cancro paruo, vt ex antedictis liquet, qui καρκίνιον vel καρκίνος μικρὸς nominatur.

C

Non modo cācrum paruum quod Aristot. scribit: sed cācellū quoque in spongiarum cauernulis latere & viuere.

Neq; vero Plinius idem vult esse squillam paruam & cancrum, sed duo diuersa quæ pinnam custodiant, scilicet squillam paruā in quibusdam pinnis reperiri. cancrum paruum in alijs cibi causa, vt ex Athenæo comprobauimus.

Scribit Aristoteles lib. 5. de hist cap. 16. pinnophylacas etiam in spongiarum cauernulis reperiri: Nascuntur etiam in spongiarum cubilibus pinnophylaces, similes araneo paruo: qui aperiendo claudendoque pisciculos venantur: aperiunt antequam ingrediantur, claudunt & contrahūt cum ingressi fuerint. Hæc de cancro paruo dicta sunt, sed idem etiam cancellus, id est eremita noster facit: in spongiarū enim cauernis latet & viuit: eius rei oculatus sum testis. Vidi primum cancellum captum non procul ab Aquis mortuis in eo spongiarum genere quod densissimum est: deinde & alios plures in eodem spōgiarum genere.

D

Cancellus cur quærat alienas domos, testas turbinatorū & spongiarum caua.

Hanc autem ob causam cancellus alienas domos quærit, quod posteriorem corporis partem mollem habeat, & integumento externo egentem: læui quidem, ne lædatur: & non hærente, vt mutare possit, quodq; secum trahere queat cibi quæritandi causa. Nunquam igitur cancellum in saxorum rimis & cauernis reperias tum quod saxa intus aspera, tum quod immobilia sint: contra in turbinatis frequentissime. quia eorum medijs partibus, circa quas testæ volumen clauiculatim intorquetur, (eas Dioscorides

rides ἰούλια vocat,) cancellorū mollis cauda cedens implicatur & alligatur, vt testas circumferre possint. Similiter secundum spongiarum cauarum & intus leuium sinus cauda contorquetur, & accommodatur vt eas trahere possint: nam ob densitatem pauciore aqua sunt imbutæ, ideoq; leues, & in litore allūtur sæpius saxis non hærentes. Cancelli qui in huiusmodi spongijs viuunt, ingratum & pisculentum odorem resipiunt, quem à spongia contrahunt. spongiæ enim genus illud prædurum atq; asperū autore Aristotele τράγος nominatur, lutoq; alitur. Reliqui cācelli q in testis viuūt, hui odoris sunt expertes.

Lib. 2. cap. 6.

Lib. 5. de Hist. cap. 16.

Hæc de cancello satis essent, nisi pauca, quæ Aristoteles in descriptione omisit, supplere oporteret, vt B integra de cancello historia habeatur. Cancellus ex crustaceorum est genere, locustis vel astacis similis. corpore enim longo est: cornua longa, tenuia flauaq; habet. totum corpus ex rubro flauescit. Chelarum quarum alteram crassiorem esse diximus, scissura parua est, qualis in hirsutis cancris spectatur: præter chelas pedes duos vtrinq; magnos, incuruos & acutos cum chelis & capite foras effert, quum ingredi vel pisces capere vult. Duo alij vtrinq; hirsuti, molles intus latent, quibus innixus corpus intro trahit. Pars posterior nullis tabulis constat, sed cute duntaxat: ob id ab Aristotele mollis dicitur. sed ad eam firmandam certis interuallis dissitas lineas tres habet, latas, durioris substantiæ. Corporis extremum duas pinnas tenues, breues, molles, in lateribus sitas gerit. In eiusdem extremi supina parte excrementi meatus cernitur, quem si digitis comprimas, excrementum emitti videas: quo meatu cancellum carere non affimat Aristoteles, sed non euidentem esse ait: quod facit vt credam Aristotelem, non tam diligenter cancellum à testa nudum, quàm eâdem opertum, spectasse. nam meatus is in cancello testa spoliato perspicuus est. Magis auget suspicionem quòd de ouis nihil dixerit, quæ ex parte interna pendent per latera, tanquam racemi vel globuli filo annexi, imò crediderit ex terra limoq; non ex ouis generari. At nos æstate cancellos cum ouis vidimus, eaq; differentia mares à fœminis aperte distingui, quod eodem tem- C pore hæ oua haberent, illi minimè. Ex quibus efficitur ex coitu maris & fœminæ nasci, non sponte vt testacea. Neq; dicendum à coitu omnino præpediri quòd testa integantur. Nam quemadmodum testas suas deserunt, vt in capaciores transeant, ita statis temporibus natura ad coitum incitante testis se exuunt, vt corpora commisceant.

In timore tam citò in testam suam se recipiunt, vt ea sonū edat: itaq; occultantur, vt caput intra che- D las lateat, nihilq; è testa emineat præter cornua.

In saxosis locis versatur, & in litorib. carne, luto, deniq; ijsdē vescitur quib. crustatorum genera. C

Cancellos Galenus lib. 3. de fac. alim. καρκινάδας appellat. Ζωΰφια δ' ἐστὶ ταῦτα, πάνυ σμικροῖς καρκίνοις ἐοικότα, ξανθὰ τὴν χρόαν. Parua, inquit, sunt animalia, flauo colore, minimis cancris similia. Quòd parua sint A animalia, quòd flauo colore hæc cancello nostro perappositè quadrant: quòd minimis cancris similia sint, non item. sunt enim locustis, vel astacis similiora quàm cancris, nisi cancri nomine vniuersè crustata omnia complectatur. Idem Galenus scribit, mullos cancellorum esu deteriores fieri: Αἱ γοῦν τρίγλαι, τὰς καρκινάδας ἐσθίουσαι, καὶ δυσώδεις εἰσί, καὶ ἀηδεῖς, καὶ δύσπεπτοι, καὶ κακόχυμοι. Id de cancellis qui in spōgijs quæ τράγοι à fœtido odore nominantur, rectè intelligetur: ac de cancellis alijs qui in cœnosis litoribus degunt, paruiq; sunt: nam sunt aliquando qui ad astacorum fluuiatilium magnitudinem accrescāt.

Ibidem.

Lutum olent, marinum odorem resipiunt, difficilè concoquuntur, succum salsum & vitiosum gi- F gnunt, à piscatoribus prorsus negliguntur: Denique nomine eremitę, & moribus celebriores sunt, quā vlla alia laude, Nos tamen in eo explicando prolixiores fuimus, quia res minutæ etiam diligentiam postulant, & à multis sæpius ignorantur.

DE EODEM, BELLONIVS.

Partim locustarij est, partim etiam testacei generis cancellus: in quo non minore admiratione dignus B C est, quàm eques. Nam quum oblongus sit, ac seorsim nasci solitus, tamen in vacuis aliorum exanguium testis vitam traducit, modo has, modo illas petens: atq; vbi vnam conspurcauit, tum ad aliam se transfert. Neritas enim ingreditur aut Turbines, sæpe etiam Buccinas & Murices, atque adeò omne genus cochlearum. Pomatiæ limacis molem rarò excedit. per littus graditur in sicco, suam testam ferens, vitq; multos dies sine aqua.

Pedibus vtrinq; ternis brachiatur villosis: quorum duo anteriores seu priores brachijs forcipibus bisulcis constant, quibus cibum ori admouet. Crusta dura pro cute vestitur, rubra, nunc cyaneo, nunc B cæruleo, nunc fuluo, nunc rubro diluta. Duo illi pedes vtrinq;, qui brachia subsequuntur, vnguibus in extremo oblongis & aduncis vallati sunt. Cirrhos antè quidem duos, rubros, sub oculis (Carabi modo) gerit: oculos instar Astaci elatos, quos porrigit ac contrahit, maculis albis distinctos. In summa, eius superior pars, Cancri refert effigiem, inferior autem turbinis, quam in cochlearum clauiculis inserit: cùm tamen Locustæ caudæ similis sit. Tabellis enim loricatur duris, sed obsequiosis: in quibus vtrinq; veluti pinnas duas habet. Extremum verò caudę pinnulis tribus, vt & Cancri, præditum est. Dentes osseos vt Carabus habet, quibus escas comminuit. Cùm autem prædam venatur, totam anteriorem partem suo domicilio exerit, & tunc similis araneis apparet: sed partem capiti & pectori subditam vastiorem quàm Araneus ostendit. Ab ore œsophagus tenuis, vt filum ad stomachum protenditur. Intestina eius bis tantùm reuoluuntur: ac qui in eius stomacho viridis humor spectabatur, is in intestinis apparet candidus.

Edulis non est, sed est ipse alijs piscibus gratissimum obsonium, Iulidibus, Channis, Orphis, Percis, F & id genus saxatilibus.

Quamobrem piscatores cancellos plurimùm appetunt, quos suis cochleis nudatos, ac viuos ha- E mo impositos, suis calamis appendunt. hoc enim modo magnam saxatilium piscium capturam faciunt. Quod Oppianus multis versibus commodè explicat, quos hoc loco producere minimè opus esse videtur.

COROLLARIVM.

Cancelli in buccino effigies, quam olim Cornelius Sittardus mihi communicauit.



A Cancellus(vt idem Sittardus ad me scripsit) hic est extractus ex cochleari domuncula, expetitus in cibis. frequentissimè capite adnascitur buccino, ita vt vi extrahendus cancellus sit quodammodo: quod Valerius Cordus & ego experti sumus cum plures in mari cepissemus apud portum Liburnum vbi copiosissime visitur, non procul à littore maris Ligustici inter saxa.

Scyllarus siue Cancellus in Neritæ concha, Venetijs ad me missus.



Cancellus alius oblongus astaco fl. similis, quem & ipsum Sittardus misit: referendus ad tertium genus cancelli à Rondeletio memorati.



Cãcellus Grecè καρκίνιον: Oppiano (Galeno Æliano) καρκινάς: vocabulo dactylico oxytono fœminino, eo quoq; (vt videtur) diminutiuo, quanquam Grammatici nullam huiusmodi diminutiuorum formã ostendant, nam in ᾶς circumflexum quæ afferunt, Ζωᾶς, Μητρᾶς, pro Zenodoro, Metrodoro, masculina sunt. etsi verò vox καρκινάς magis poetica videri potest, quàm καρκίνιον: tamen Ælianus quoq; & Galenus ea sunt vsi. Hispanicè (vt audio) Cangréio dicitur. Germanicè vocari poterit *ein kleiner Meerkrebs, Meerkrebßle*. Vide supra in Corollario de Cancro paruo A. Albertus Magnus de cancello agens ex Aristotelis de hist. libro 4. cap. 4. Hoc animal (inquit) simile est araneæ, & etiam apud nos vocatur aranea maris. Et sunt illę conchę, quæ sunt rotundæ, magnæ & paruæ: habentq; in parte stricta quasi duas auriculas vtrinque. tales ferre consueuerunt peregrini in peris suis, peregrinationis peractæ signum, quibus ille verbis cancellos & pectines conchas confundere videtur.

B Dalmatia, Istria, & paludes nostræ Venetæ, plurimũ abundant cancellis, Massarius. Oblõgior est(inquit idem) qui turbinẽ subit, quam qui neriten. genus enim diuersum est, quod in nerite degit: cætera quidem non absimile, sed dextrum bifurculatum pedem paruum habens, cum læuum grandiusculum habeat. cuius rei causa est, quoniam turbines omnes si erectos componas, vt pars tenuior & acutior cælum suspiciat, & pars amplior terram despiciat, hiaturam obtinent à sinistris: quamobrem cum læuus pes sine impedimento liber sit, & exerceri possit, suscipere facilius incrementum potest: dexter verò cũ restrictus & impeditus sit, neq; ita commodè vt læuus exerceri possit, augeri minime valet: quã quidẽ rationem Aristoteles cum quarto de historia cancellũ ita describeret, non assignauit, Hæc ille. Cancellum etiã ipse in Adriatico natans reperi in concha muricata: caput solum & pedes, & parum quiddam in extremo caudę (tres articuli videlicet) crusta muniuntur: totus reliquus alueus, nudus mollisq; est. similitudinem, anteriori pręsertim parte, cum cancro fluuiatili habet, oculos in corniculis eminentib. geminas prætendiculas, forcipes breues. Caudam in postrema conchæ parte condit, caput anterius habet, & pedes prætendit, atq; ita concham gerens obambulat: potest autẽ se totum sic in penetralia conchę recondere vt nihil eius apparet. Pedes quos ambulãdo prętendit, partim rubent, partim cęrulei sunt, hirsuti. Cum in mari supra saxum cepissem, domum relatam concham, decoxi, vt extraherẽ cancellum. extractus odore, colore, saporeq; fluuiatilem referebat.

Cancelli parua sunt animalia, flauo colore, minimis cancris similia, Galenus.

C D Ex Æliano & Oppiano: Nudi primum cancelli nascuntur: deinde conchas & domicilia ad habitandũ deligunt, easq; secum gestantes munimento sibi, ita progrediuntur. Cum enim vacuas & inanes offenderunt conchulas purpuræ, aut turbinis, aut neritę aut buccini, (turbines quidem præ cæteris amant, quòd & capaciores sint, & gestatu leuiores,) primò intra eas ingrediuntur, deinde cum in ampliorem magnitudinem excreuerunt, quàm ijs vt capi queant, in testam laxiorem tanquam domum alterã demigrant. neq; modo in supradictorum conchas immigrant, sed & in permultas alias capaciores transeunt: & ampliorẽ nacti, ea tanq̃ maiore domicilio gaudẽt. ac sæpe de spolijs (inanib. cõchis) multo certamine inter se contendũt, viribusq; inferiore repulso, victor exuuias assequitur.

Cancri

Cancri & cancelli, alijque pisces, polypum Venere exhaustum deuorant: quos prius ipse vorabat, Oppianus.

Pisces quidã propriã carnẽ prauo alimẽto corrumpunt. vt mulli qui cãcellos mandunt, Galenus.

De ARANEO Cancello supra in A. elemento scriptum est.

DE CANCRO EQVITE. SIVE CVRSORE.

BELLONIVS.

AMPHIBIOS esse constat cancros equites: quibus hoc natura præter sui generis alios singulari quodam munere tribuit, vt in maximis æstatis ardorib. meridiano tempore agminatim è mari egrediãtur, diemq; sub Sole transigant, aut ad refrigerium: aut potiùs, ne à piscibus qui interdiu discurrunt, edantur. quos ego Mẽphi Hierosolymas proficiscens, fines Ægypti prætergressus, ex Mediterraneo litore sub vesperã mare repetere, atq; inde circa meridiem insequentis diei gregatim exilire obseruaui. Tanta autem velocitate ferebantur (vnde equitum nomen habent) vt ne vnum quidẽ cursu consequi vsquam potuerim. Sed hoc etiam mihi magis admirandum esse visum est, lacertam ex ambrosia (sub qua delitescebat) exilientem, cancrum equitem, quem venaretur, cursus velocitate(me cõspiciente) nusquam assequutam esse: adeò volare potiùs quã currere videbatur eques. Genus est quoddã cãcrorum in litoribus Phœniciæ (inquit Aristoteles) tantæ velocitatis, vt vix quisquam consequi possit: vnde ἱππεῖς, id est equites, appellarunt. ijs nihil ferè intus propter inopiam est pabuli. Cursores Cancri, vti alij referunt, (*dicuntur* :) quòd longè lateque vagentur: modo circum litora errent, modò longius proficiscantur. C

Grande phalangium non excedunt: Corpus habẽt coloris subalbidi, punctis subrubris conspersum, & (vt Pagurus) tornatum: crura autem vt Maia. Soli obiecti toti pellucidi sunt, præterquam in ea corporis parte quæ interanea continet. Oculos grano phaseoli non habent maiores, quibus acutissimè cernunt. Oblongi quidem sunt, ac vitri modo lucidi, per medium fului. Tibiæ sunt illis, leuibus villis obsessæ, vtrinque quinæ: quarum duæ anteriores, brachia sunt forpicata, quibus cuncta (Cancri modo) complectuntur: reliquæ graciles, vnguibus rectis atq; oblongis vallatę. B

Edules non esse rectè quidem docet Aristoteles, propter alimenti inopiam. adeò autem parui sunt, vt singuli sesquiscrupulum vix pendeant. F

De hoc sic Oppianus, Ἐν κείνῃ γενεῇ καὶ καρκίνοι εἰσὶν ἀλῆται. Quod ita reddit Lippius, A

Errones cancri populis numerantur in istis.

COROLLARIVM.

In Phœnice hippœ vocantur cancrorum generis, tantę velocitatis vt consequi non sit, Plinius. Ab Aristotele non ἵπποι, id est, equi: sed ἱππεῖς, id est, equites vocantur. Vide superius in ijs quæ ex Gillio attuli de Maijs cancris & alijs minoribus, mox post Corollarium nostrum, Germanicè appelletur *ein Reuter, oder ein Reuterkrab*. Ferrariæ aliquando mihi demonstratum memini sceleton cancri equitis, quem vir doctus qui ostendebat, Italice caualliero vel caballiero (id est equitem) nominabat. sed is corpore oblongo erat: cum eques veterum rotundo sit corpore, & absque cauda apparente, (vt cancri propriè dicti) quod & Bellonius approbat.

Δρόμων, Dromo, est paruus cancer, Hesychius & Varinus. Bellonius cursores cancros, eosdem equitibus facit, nescio quàm rectè. Inter Cancrorum diuersa & multa genera (inquit Ælianus) quidam appellantur cursores, (δρομίαι) quòd longe lateq; vagentur. hi modo circum littora errant, vbi & nati sunt: modò longius proficiscuntur, non aliter quàm peregrinationum studiosi homines. Causa eis erroris est, vt vel in loca saxosa, vel cœnosa sæpe perueniant: idq; eo proposito, vt amplius aliquid cibi perquirant. Bellonius in Singularibus obseruationibus suis scribit hos cancros non multò maiores esse parua castanea: Ab Aristotele cancrum cursorem vocari, falliq; illos qui dromones appellent, cum ij cetaceorum generis pisces sint. Atqui Aristoteles, equites tantum cancros, non cursores memorat. & nihil prohibet idem dromonis nomẽ tum cetacei generis piscibus, tum cancris cursoribus attribui: qui ab Hesychio etiam dromones, & dromię ab Æliano nominantur. *Dromo. Cursor.*

Dromonum cancrorum generis fortè & cancer latipes fuerit, quem à Rondeletio descriptum pictumq; supra dedimus: Cum piscibus alijs (inquit) sagena capitur, neglectusq; in litore relinquitur, vnde magna celeritate regreditur in mare, beneficio latitudinis postremorum pedum.

Cancrorum epitheton πεδάνεμοι ex Cratete comico refert Athenæus: Latine aëripedem dixeris, vel contractione poëtica æripedem, à volucri pedum velocitate. equitibus autem, vtpote velocissimis cancrorum, præ cæteris conueniet. quanquam enim cancri quidam volare dicuntur, πετηλίαι dicti, (quos supra mox post Cancrum marinum ex Æliano descripsimus,) non pedibus tamen illi volatum, sed pinnis suis conficiunt.

Oppianus lib. I. cum de carabo & astaco scripsisset, degere eos aliq; in petris, subdit, eiusdem generis etiam cancros errones esse: Ἐν κείνῃ γενεῇ καὶ καρκίνοι εἰσὶν ἀλῆται. quem versum Bellonius de cancris equitibus interpretatur. quærendum an cursoribus potiùs conueniat, quos oberrare vagos ex Æliano retulimus, si modò illi alij sunt quàm equites, aut cancri simpliciter dicti. Sunt & formicæ equites, quas Plinius pennatas vocat, similiter à velocitate dictę, vt cancri equites, qui remigio cornuum (πτερυγίων, id est pinnarum, Ælianus) adiuuant se natando, Hermolaus.

DE VRSO, RONDELETIVS.

ATHENÆVS τὸν ἄρκτον inter crustata nominat tantum. Aristoteles cum crustatis etiam recensens, idem ei pariendi tempus esse à natura statutum tradit quod locustis, nihilq; præterea. quo in loco videtur mihi vrsum cancrorum generi subiecisse. Cùm enim locustarum, astacorum, squillarum meminisset, quorum aliquot, easq; certas species alio in loco numerasset: vrsum subdidit, vt à superiorib. diuersum. qui cũ ex crustaceis sit, non potest alteri quã cancrorũ generi subesse. q valde multiplex est, nec facilè enumerandũ. Vrsi nomẽ non à forma impositũ est vt locustis, sed ab actionib. moribusq;, vt lupo, cynædo. A *Lib. 5. Lib. 5. de hist. cap. 17. Lib. 4. de hist. cap. 2.*

Quemad-

B Quemadmodùm igitur pedibus prioribus vt manibus vrſus vtitur, ac in ijs magnam roboris vim ſitam habet: ita cruſtatus hic piſcis, brachijs cum forficulis, breuibus quidem ſed latis & validis, multùm poteſt, vtriuſque forficis pars vna alterius extremum recipit ad id excauata, pars exterior criſtæ galli gallinacei figuram refert. Noſtri migrane, id eſt, malum punicum vulgo vocant à figura & colore valde ſimili. Præter brachia octo pedes paruos habet & tenues quos corpori applicat, brachia ori & oculis opponit, veluti per eorum crenas inſpecturus, ac ſic conglobatus dormit vrſi more.

(A)

F Carne eſt molli, excrementitia, inſuaui, virus reſipiente. Quo ſit vt in luto degere putem. Vrſum mihi oſtendit Iacobus Regius Lugdunenſis Chirurgus in lapidem conuerſum, ea vt arbitror ratione, vt vrſo in ſaxo mortuo & exiccato, aqua marina quę multum corporata eſt, vel ſpuma perpetuò alluente, pedes & brachia corpori continuata ſint, ac cruſta firmior & lapidea corpori obducta.

Vrſus in lapidē conuerſus. vide ſupra de Cancris marinis lapideis.

10

COROLLARIVM.

Rondeletij Squillam latam pro vrſo Bellonius pingit ac deſcribit: vrſum verò eiuſdem, cancrum Heracleoticum facit. quare ipſius de hoc cācro ſcripta, in Heracleotico iam ſuprà poſui. Pro vrſo quidem cruſtaceum illud & caudatum animal quod Bellonius pingit. Sittardus etiam vir diligens & eruditus pictum iam olim ad me miſit. Crediderunt nimirum hunc eſſe vrſum, à corporis forma, quæ craſſa ei & recurta eſt, ſicut terreſtri. deinde quia genus alterum per omnia huic ſimile, magnitudine tantum inferius, Ligures vulgò Vrſetam appellant. Vrſa Rondeletij Germanicè dici poterit *ein Bærenkrab*. Bellonij verò *ein Bærenkrebs*. hic enim longus & caudatus eſt, ille rotundus.

20

Iis etiam quas nomine vrſæ arctos appellant, idem pariendi tēpus natura ſtatuit, quod locuſtis: quocirca per hyemem, & Vere priuſquam oua excludāt, cibo laudantur: cum excluſerint, deterrimæ ſiunt, Ariſtoteles. De vrſis marinis è genere cruſtatorum meminit Hippocrates ſecundo De victus ratione. Maſſarius. Speuſippus ex malacoſtracis ſimilia eſſe ſcribit, aſtacum, nympham, ἄρκτον, id eſt vrſum. cancrum, pagurum. Vrſas (τὰς ἄρκτους) magnas naſci in Pario Archeſtratus author eſt.

30

DE LEONE RONDELETIVS.



40

50

A Athenæus obiter tantùm ex Diphilo leonē inter malacoderma recēſuit, quo in loco μαλακοδέρμων perperam legitur ὀστρακοδέρμων, vt ex contextu apparet: Τῶν δὲ μαλακοδέρμων καὶ ὁ ἀστακὸς, καὶ ὁ καρὰβος, καὶ ὁ καρκῖνος, καὶ λέων τὸ αὐτὸ γένος ὄντος. διαφέρουσι δ' ἀλλήλων τῷ μεγέθει. μείζων δ' ἐστὶν ὁ λέων τοῦ ἀστακοῦ. Ariſtoteles nullā omnino mentionem fecit. Plinius libro 9. cap. 31. nominauit tantùm. Cancrorum genera carabi, aſtaci, mæ, paguri, Heracleotici, leones. libro verò 32. cap. 11. notam addit, qua à ſimilibus ſecerni poſſit: Leones, inquit, quorum brachia cancris ſimilia ſunt, reliqua pars locuſtæ. Ex quib. verbis quinā ſit verus leo poſt lōgam diligentemq; omnis generis cruſtatorum inueſtigationem certò me cognouiſſe exiſtimo, qui cùm minimè contemnendus, imo ſpectatu digniſſimus eſſe videatur, paulò fuſius qualis ſit, exponam,

60

B Λέων à Græcis dicitur, ita à Latinis leo, à colore flauo, vt arbitror, quo coloratus eſt, dum viuit, & è mari captus educitur, & quòd hirſutus ſit. Aſtaco corporis ſpecie affinis eſt, ſed brachia longiora habet, forcipes tenues & latiuſculos, quorum ſciſſura maior quàm in vllo alio cruſtatorum genere pro corporis ratione. Tuberculorum qui in elephantis ſunt loco brachia villis veſtiuntur & aculeata ſunt. Pedes tres, qui proximè brachia ſequuntur longiores ſunt, aculeati, in calcaria terminati: vltimus exiguus, breuis & tenuis, neque aculeis, neq; pilis munitus. Præterea ab aſtaco dorſi aculeis differt, quibus cùm locuſta conuenit. Vtrinque cornua duo longiſſima tenuiſſimaque habet. item alia in frōte breuia, inter quæ vnum è media fronte eminet acutum, neutra parte ſerratum: hęc ſunt oculorū ꝓpugnacula, qui cornei ſunt, & ꝓminent. Corpus totū vndulatum eſt, inſtar panni ex hircorum camelorumque

rumque pilis contexti, camelotum vulgò appellamus. Cauda perinde ac in aſtacis in pinnas quinq; deſinit, ſed lineis magis diſtincta. Captus leo circa Lerinum inſulam (quę nunc inſula D. Honorati dicitur,) non procul ab antipoli, ad me miſſus eſt.

Hæc qui cum Plinij verbis conferet, ex brachijs cancris ſimilibus, locuſtæ corpore. leonem eſſe quē depinximus facilè iudicabit. Ex cancris enim permulti brachia pro corporis magnitudine lōga habēt, hirſuta, forcipata. At corporis locuſtæ figura longa eſt, cauda ex tabellis conſtat, dorſum aculeatum quæ in leone noſtro expreſſa ſpectantur. 4. *Verſū Leonem ſe exhibere.*

Non minus abſurdè de leone quàm de aſtaco loquitur autor libri de aquatilibus. nam quemadmodum aſtacum adultum, à Latinis elephantum dictum fuiſſe credit: ita Græcos aſtacis grandibus nomina immutaſſe, & leones potiùs quàm elephantos appellare maluiſſe. nam Ælianus, inquit, eam deſcriptionem tribuit leoni, quam Plinius elephanto. Eſto idem ſit leo Æliani & elephantus Plinij, an propterea rectè concludetur eundem eſſe Plinij elephantum & leonem? Sic enim ille concludit: Conſtat igitur leonem eundem eſſe piſcem quem elephantum. Non vides Plinium hunc ab illo apertè diſtinxiſſe. Nam cùm Plinius de elephantis dixiſſet, paulò pòſt leones ſubiunxit, & notam diuerſam addidit: quorum brachia, inquit, cancris ſimilia ſunt, reliqua pars leoniſtæ. Alius eſt igitur Plinij elephantus, alius leo quem hoc capite expreſſimus, *Hæc Rondeletius. Nos Bellonij de Elephanto & Leone verba ſupra in Aſtaco recitauimus. Apparet autem non contradicere Rondeletium, quin idem ſit Æliani Leo, & Plinij Elephantus: Plinius verò Leonem & Elephantum diuerſoſeſſe liquidò oſtendit.* *Contra Bellonium, qui Leonē & Elephātem Plinii eidem facit. Lib. 32. cap. 11.*

CANCER quidam Italicè Grancio ſpiantano dicitur.

CANCRORVM quædam genera in India Occidentali venenoſa ſunt, Cardanus.

DE CANIBVS.

POteram de Canibus ſeu Caniculis inter Galeos vel Muſtelos agere. ſed viſum eſt hoc loco de Canibus priuatim ea dare, quæ apud ſcriptores reperi, aut quæ obſeruaui ipſe. In ijs primum locū habebunt, quæ Rondeletius tradidit, de Galeo cane vel Canicula Plinij: de Canicula Ariſtotelis, (quā ex Ariſtotele ſcylium & nebrium vocat, ex Athenęo ſcymnum:) & altera eius ſpecie ſaxatili. His & Bellonij ſcripta & Corollaria noſtra ſubiungam. Poſtremò de Cane Carcharia, ſiue Lamia. nam Rondeletius eundem piſcem iudicat, Bellonius diſtinguit.

DE GALEO CANE, VEL CANICVLA PLINII, RONDELETIVS.



GAlevs Canis à Latinis dici poteſt, qui à Græcis γαλεὸς κύων, à Plinio communi vocabulo canicula vocatur, à Maſſiiienſibus Liguribusque pal, à Græcis huius ętatis σκυλλόρινος, à Romanis lamiola, (*alibi Malthum quoq; ſcribet a Romanis lamiolam vocari*,) quaſi parua lamia quod dentibus lamiæ ſimilis ſit: à noſtris milandre & cagnot, id eſt, paruus canis. A

Corporis ſpecie iam deſcriptis galeis (*iam deſcripterat acanthiam, læuem & aſteriam*) valde ſimilis eſt. Dentes habet acutos ad latera recuruos. Ex parte oculorum inferiore tunica enaſcitur, quæ totum oculum operit. palpebræ auium modo, non quòd reuera palpebra ſit: nam autore etiam Ariſtotele, palpebris carent piſces, & palpebræ ex cute fiunt. hæc autem membrana eſt duntaxat, quam Plinius libro 9. capite 46. nubem appellari tradit, quæ inter dimicandum plurimùm obeſt, oculos obtegendo. B *Li 2. de partib anim. cap. 13.*

Lōgè alia eſt hęc Plinij canicula ſiue canis galeꝰ, ab eo galeo quē Ariſtoteles κυνίδιον appellat, Gaza caniculā. vt ex generādi ratione paulò pòſt cōfirmabimus. Quī verò hic ꝓponimꝰ Plinij caniculā eſſe, duo neceſſario demōſtrāt. Primū nubes illa quæ oculos cōtegit, deinde atrox illa cū hominib. dimicatio, quā hodie quoque piſcatores, litorumq; maris accolę timent. appetit enim canicula hæc calces, inguina, poplitesq; tam auidè, vt aliquādo in terram exiliat. Sed ſatius eſt Plinij verba adſcribere, quoniam partim ex iam dictis, partim ex dicendis totus Plinij locus ſatis obſcurus, longè dilucidior fiet. Caniculārū maxima multitudo circa eas, (ſpongias ſubaudi: de ijs enim ſupra loquebatur Plinius, qui libros ſuos in capita non diſtinxit) vrinantes graui periculo infeſtat. ipſi ferunt vt nubem quandam craſſeſcere ſuper capita † animaliū, planorū piſcium ſimilem, prementē eas (*ahas, eos*) arcentemq; à reciprocanda: & ob id ſtylos ꝓcautos lineis annexos habere ſeſe, quia niſi perfoſſæ ita nū recedāt, caliginis & pauoris, vt arbitror, opere. Nubē, n. & nebulā (cuius nomine id malum appellant) *inter animalia illa haud vltra cōperit quiſquā. At cum caniculis atrox dimicatio, inguina & calces omnemq; candorē corporū appetunt. Salus vna in aduerſas eundi, vltroq; terrendi. Pergit deinceps pugnā exponere caniculārū cum vrinantibus, quā apud ipſum autorem leges. (*Vide infrà in Corollario. Prottonus hanc non ad Canes Galeos, vel Canículas minores: ſed ad cetaceas refert.*) Quam nubē ſuper capita craſſeſcere ſcribit, eam quam dixi tunicam ex inferiore parte oculorum enatam, oculosq; operientem intelligere oportet, qua præpediuntur caniculæ ab ictu iterū inferendo: quā ſi Plinius vidiſſet, nō ab aliis referentibus audiiſſet, non ſuper capita, ſed ſuper oculos craſſeſcere dixiſſet, maxime cū eā comparet planorum piſcium nebulæ: eadē enim eſt in planis piſcibus vt in raijs, niſi quòd in his ex interiore parte oritur, ac in extremo ſerrata eſt. 7 *animaliū, alias nō legitur.* *alias, inter animalia haud vllam.*

Ex his igitur galeum illum quā milandre vocamus caniculam Plinij eſſe, tum ob nubem oculos operientem, quæ in nullo alio galeo præterquam in hoc, & galeo glauco, de quo mox, reperitur: tum ob id ꝙ partes corporis humani nudas candidasq; appetat. Quam ob cauſam etiam ab his qui nūc in mari verſantur, reformidatur. A *Concluſio.*

DE CANICVLA ARISTOTELIS,

qua et Hinnularis co_nominatur. RONDELETIVS.

Testaceum ouum (enquit Rondeletius) separatim depingendum curauimus: & in dissecta canicula mammas illas candidas, bifidamq; vuluam.



A QVÆ τὰ σκύλια vocat Aristoteles, Gaza caniculas interpretatur. Vocari etiam νεβρίας testis est idem Aristoteles, id est, hinnulos, (*Hinnulares a maculis nimirum*) Non vocem, sed significationem secutus Athenæus, σκύμνους appellauit, id est, catulos: vtraq; voce à terrenis animantibus ad marinas translata, illa à ceruorum, hęc à leonum catulis. Nostri caniculas chaz vocant, Galli roussetes.

Lib. 6 de Hist. anim. cap. 10.

B Canicula generis galeorum minima, colore est rufo, nigris maculis aspersis, cute admodum aspera, si à cauda sursum ad caput manum ducas: sin à capite ad caudam, minimè. Oculis ore, branchijs, pinnis, cauda, partibus internis prædictis planè similis est. Vētriculo itaq; est magno, hepate in duos lobos secto, in quo fellis vesica. Prope septum transuersum reliquorum galeorum modo veluti mammas candidas habet: vtrinq; vnam, quæ dum vtero gerit conspiciuntur, alio tempore vix apparent. Vuluam bifidam, in cuius medio ad spinam adhærent oua: quę cùm accreuerint, in vtrumq; vuluę sinum transferuntur: eoq; differt à cæteris galeis, qui ad septam transuersum oua concipiunt, non in vuluæ medio, autore Aristotele. Cęterum caniculæ oua, testacea quędam sunt, colore & perspicuitate cornu similia, in quibus similis ouis humor continetur, figura verò puluinaribus quæ dormituri capiti supponimus similia sunt: ex angulis dependent meat⁹ lōgi, tenues quos Aristoteles πόρους τριχώδεις vocat, id est, meatus capillares: hos lyræ fidibus aptè compares. instar capreolorum vitis conuoluuntur, sed dum explicantur duorum cubitorum longitudinem ęquant. Testa intus rupta, dilapsáq; fœtus prodit, sic ex ouo viuum animal parit canicula. Nos testaceum ouum separatim depingendum curauimus: & in dissecta canicula mammas illas candidas, bifidamq; vuluam, vt Aristotelis locus perspicuè intelligi posset: cui maior etiam lux accedet, si diligentius duo hæc expēderimus, scilicet figuram testaceorum ouorum caniculæ, similem ταῖς τῶν αὐλῶν γλώτταις, id est, tibiarum ligulis. Et sint meatus an non, tenues illę & capillares conuolutęq; apophyses ex ouorum angulis dependentes. Ἡ γλῶττα pręter notum significatum linguam siue ligulam significat, quæ tibijs adhibetur, à figura sic vocatam, quę ex amplo adstrictius tendit, fieri solitam ex arundine. testis est Dioscorides: Καλάμων ὁ μὲν τις καλεῖται ναστὸς, ἐξ οὗ τὰ βέλη γίνεται: ὁ δὲ τις θῆλυς, ἐξ οὗ αἱ γλῶτται τοῖς αὐλοῖς κατασκευάζονται. In arundinum genere quędam ναστὸς, id est, farctior vocatur, ex qua sagittę fieri solent: alia fœmina, qua tibiarum ligulas efficiunt. Eædem ligulæ hodie quoq; tibijs adhibentur: absque ijs enim sonus edi non posset, Galli anches nominant. Huiusmodi ligulas referūt anguli tęstacei oui caniculę: qui ex angusto in amplum latumq; euadūt, vt si quatuor ligulas coniungas, testacei illius oui figuram constituisse videaris.

De uulua & ouis. *Ibidem.* *Tibiarum ligula.* *Lib. 1. cap. 115.*

Locus iste me admonet, vt eum errorem tollam, qui iampridem in medicorum scholis inoleuit, natus ex Latinis quibusdam autoribus, & maximè ex Galeni interpretib⁹, qui ἐπιγλωττίδα ligulam vertūt: perinde ac si ἐπιγλωττὶς & γλωττὶς idem essent, diceretúrq; ligula à linguæ animalium similitudine, non à tibiarum ligula. Idem error in Græcos quoque Galeni codices irrepsit, in quibus sexcenties ἐπιγλωττὶς pro γλωττὶς legitur, cum tamen admodum diuersę sint particulæ. Est autem γλωττὶς, id est, ligula, rima ac scissura quædam veriùs quam foramen, antequam orificia eius patefacta sint: rima, inquam, quam duo tertiæ cartilaginis scilicet arytænam referentis processus in media laryngis amplitudine constituunt. eius figuram linguæ tibiæ Galenus comparat: proprietate verò substantiæ tale eius corpus esse ait, cuiusmodi nullum aliud est eorum quæ corpori insunt. membranosum enim est, simul & adiposum, & glandulosum: estq; primum, & maximè præcipuum vocis instrumentum, minimè vero ἐπιγλωττὶς: deinde ad spiritus cohibitionem confert. Horum omnium fusam explicationem causasq; pete ex Galeni libro 7. cap. 11. 12. & 13. de vsu partium, ac quandiu ea in re versatur Galenus, toties mendum esse existimato quoties ἐπιγλωττὶς legeris, & γλωττὶς reponito. ἐπιγλωττίδα verò instrumentum esse longè diuersum figura, substantia, vsu, Galenus ipse eodem libro declarat. Rotunda enim est, ac cartilaginea, ac magnitudine paulò maior laryngis orificio. vergit autem ad stomachum, positionemque habet tertiæ cartilagini arytænoidi contrariam. hanc ne dum transglutiuus cibus potúsue in laryngem

Glottis in homine quid ab epiglottide differat. *Libro 7. de vsu part. cap. 11. & cap. 12.* *Epiglottis. Cap. 16.*

gem incidat, natura prouidè laryngis orificio admouit velut operculum quoddam, rectam quidem omni alio tempore quo animal respirat: quum autem quiduis transglutit, laryngi ipsi accedentem. Vides γλωττίδα & ἐπιγλωττίδα, figura, substantia, vsu differre: ac γλώττας Aristoteles & Dioscorides vocant, ligulam Latinè dici oportere: ἐπιγλωττίδα verò laryngis siue arteriæ asperæ operculum. Cicero libro 2. de natura deorum: Aspera arteria tegitur quasi quodam operculo.

Conclusio.

His addā locū vnū Galeni, in quo pro γλωττὶς legitur ἐπιγλωττὶς, vt ex eo reliquos studiosi deprehēdere possint, ac emendare. Locus est initio libri primi περὶ τῶν πεπονθότων τόπων. καὶ μὴν ἤδη ποτὲ τοῦ μειρακίου τοῦ μετὰ βηχὸς ἀναπτύσαντός ποτε χιτῶνα παχὺν καὶ γλίσχρον, ἐτεκμηράμεθα κατὰ τὸν λάρυγγα σῶμα τὸ ἔνδον ὃ καὶ τὴν ἐπιγλωττίδα συνίστησιν, εἶναι. Atque etiam in adolescente qui tussi expuerat tunicam crassam viscosamq;, coniecimus partem esse corporis in interna parte laryngis, quod epiglottida constituit. hic γλωττίδα legendum esse manifestissimum est. Nam vt ex supradictis liquet, ligulæ substantia crassa, viscosa, pinguisq; est, laryngis internam partem occupans. Epiglottis cartilaginea solùm est, extra laryngem eamq; operiens. Similes multos errores ex vtriusque figura, situ, substantia, vsu perspectis, emendare quiuis poterit, etiam mediocriter eruditus.

Locus Galeni emendatus.

Superest vt de ijs dicamus, quos, vt diximus, Aristoteles πόρους τριχώδεις, id est, meatus capillares appellauit. Ii proculdubio in tantam tenuitatem degenerant, vt nullum meatum inesse putem: liberè enim proferam quod vidi. Cum caniculas sæpius dissecuerim, recentiaq; earum oua, nullus mihi omnino meatus apparuit: frustraq;, si aliquis esset, illic à natura mihi conditus videretur. Nam aut vt aliunde aliquid hauriatur, quod ad nutritionem accretionemq; necessarium sit, aut vt aliquid ex ouo exhauriatur, meatus illic inesse necesse est. Si per hos trahendum aliquid esset, eorum capita vteri venis adhærere alligariq; oporteret, quemadmodum in quadrupedibus vteri cotyledones cum secundarum venis coalescunt. Præterea meatuum capita, quibus in eos aliquid primùm influit, ampliora esse, sensim verò angustari necesse est. Quare cùm neque capita vtero adhęreant, sintq; angustiora qua parte ampliora esse deberent, neq; esse meatus, neque dici possunt: nihil verò per hos ex ouo effluere perspicuum est ex humoris ipsius consistentia, qui crassior est, quàm vt per tam tenues meatus permeare queat. Non sunt igitur meatus, sed ouorum appendices, capreolorum vitis modo intortæ, ad retinendum ac firmādum vndiquaque in vtero ouum, vt neque sursum, neque deorsum loco moueatur: quoad in eo, calore vteri formatus fœtus stato tempore in lucem exeat. Sed longius fortasse egressa est oratio. Quæ de canicula supersunt persequamur.

Tenues illas & capillares apophyses, quæ ex ouorum angulis dependent, nō esse meatus

Carne vescitur quemadmodum reliqui galei, cœno gaudet: vnde sordida & lutosa semper capitur, maximè hamo. C E

Caro virus resipit, excrementitia est, concoctu difficilis. F

Quam hic delineauimus caniculam esse Aristotelis ostendunt anatome generandiq; ratio ab Aristotele traditæ: deniq; nomen ipsum. cùm enim nunquam ad maiorum galeorum molem accrescat, dicitur σκύλιον ab Aristotele, & ab Athenæo (& Oppiano li. 1.) σκύμνος, id est, catulus. Vt autem penitus nosceretur, non solùm supinam & dissectam, sed & pronam exhibere voluimus. A

BELLONIVS hūc piscē Mustelū Varium seu Stellarē nominat: cuius verba ponā infrà cū Mustelis.

DE CANICVLA SAXATILI.

RONDELETIVS.

(Gillius & Bellonius galeum stellarem hunc esse putabat, sed reprehendit eos Rondeletius.)



CANICVLAM saxatilē appellam⁹ eā q̄ à nostris catto rochiero. A Gallis vt superior, roussete vocat. A Caniculæ Aristotelis pinnis, branchijs, partibus internis, pariendi modo, planè similis est. Vita B verò, magnitudine, cutis asperitate duritiaq; differt, illa in cœno & litoribus degit, hęc in saxis & alto mari frequentius: vnde fit vt illa sæpius, hæc raro capiatur. illa in mari nostro ad summum cubitalis est: hæc binos cubitos aliquādo superat, cuteq; adeò aspera ac dura est, vt ea lignū eburq; perpoliri possint, non aliter quàm cute squatinæ, eadem ensium capuli muniuntur. Præterea maculas corpori aspersas latiores habet. (F) Carne est meliore, nihilominus tamen ferinum quid redolente. Cæterum mammas illas candidas, veluti superior (*Aristotelis*) canicula habet, oua testacea planè similia, nisi quod maiora sint.

Hæ differentiæ me impulerunt, vt à canicula Aristotelis distinguerem, vocaremq; cum nostris caniculam saxatilem. A

COROLLARIVM DE CANICVLA SAXATILI.

Caniculam saxatilem suam Rondeletius Massiliæ cattum algarium nominari scribit. sed ea quā exhibet figura, non conuenit cum illa quam guattum auguerum (pro catto algario) inter mustelos stellares primo loco pingit Bellonius: cui multo obtusius rostrum est, &c magis autem congruit illi quem tertio loco Roussetæ nomine inter stellares pingit, & minorem cognominat.

Quod ad cutis asperitatem, nulli in Mustelorum vel Canum genere, asperiorem tribuit Rondeletius quàm Cani saxatili: Bellonius Caniculę simpliciter ab eo dictæ: sed galei etiam stellaris cute fabros lignarios perpoliendis operibus suis vti solere tradit. At Rondeletio galeus stellaris cute lęuiore est quā galeus læuis. Sunt (inquit idem) qui galeum stellatum esse credunt eum qui à nostris catto rochiero, à Massiliensibus catto algario vocatur: sed non rectè, &c. Aristotelis caniculę cutis admodum quidem

Asperitas cutis mustelorū.

aſpera eſt, ſi à cauda ſurſum ad caput manũ ducas: ſin à capite ad caudã, minimè. Galeus leuis etſi aſpera cute cõueſtitur, tamẽ aculeis caret, Bellonius. Varij, molliore ſemper ſunt pelle: Cẽtrinę dura Ælian⁹.

DE GALEO CANICVLA, BELLONIVS.

A ΚΥ´ΝΑ Græci, Latini Caniculam nominarunt, Muſtelorum ac Galeorum poſtremum genus: maximum tamen, & minimè aculeatum, vorax, ac cęteris piſcibus infenſiſſimum: denteſq; omnium ma-

B iores, acutiores, latiores, crenatos habens.

E Eius cutis admodum aſpera, fabris noſtris lignarijs non minus expetitur, quam apud Italos Rhinæ cutis. Valet enim ad arcus & ſagittas expoliendas, ligniq́; aſperiora vitia emendanda, maculaſq́; eius ſuperficiem inficientes protinus eluendas. Hoc etiam enſium ac pugionum manubria contegunt, ne tam facilè manu diſſiliant.

Duas habet in tergore pinnas, rectas quidem eas, ſpiniſq́; carentes: duas item ad latera, vtrinque vnam: branchiarum foramina quinq; in quolibet latere: ani verò foramen inter duas pinnas poſitum, nullamq; ſub cauda pinnam oſtendit. Cætera cum reliquis conuenit.

DE CANIBVS ET CANICVLIS, SIVE PLINII,

A *ſiue Ariſtotelis, ſiue alijs ſimpliciter ita dictus, Corollarium.*

Vocabula piſcium pleraq; tranſlata ſunt à terreſtribus ex aliqua parte ſimilib. reb. vt anguilla, lingulaca, &c. alia à vi quadam, vt lupus, canicula, torpedo, Varro. Canis marinus à ſimilitudine morũ canis terreſtris dicitur, et ſcilicet ꝙ mordeat, Obſcur⁹. Muſteli & canes, piſces ſunt cartilaginei, Athenæus.

Canicularum marinarum (κυνῶν θαλαττίων) tria ſunt genera: quarum maximæ quædam inter cete robuſtiſſima numerari poſſunt. Ex reliquis duobus generib, (quæ in cœno degunt, & ad cubiti menſuram excreſcunt, aliud Galeos, aliud Centrines (alias, Centrites) appellari ſolet. Quod colore varium eſt, Galeos nominatur: reliquũ genus qui Centrinas appellarit, non errabit. Rurſus varij molliore ſemper pelle, & capite latiore ſunt: Centrinę parui & pelle dura, & capite acutiore, &c. (de Cẽtrinis inter Muſtelos in M. litera dicetur.) Ælianus, & partim Philes quoq;. Et ſimiliter ferè Oppianus lib. 1. de piſcat.

Καὶ κύνες ἁρπακτῆρες, ἀναιδέες· ἐν δὲ κύνεσσι   Τριχθαδίη γενεή· τὸ μὲν ἄγριον ἐν πελάγεσσι
Κήτεσι λευγαλέοις ἐναρίθμιον: ἄλλα δὲ φῦλα   Δὴ πλόα καρπίζουσι μετ' ἰχθύσι δινεύοντα
Πηλοῖς ἐν βαθέεσσι· τὸ μὲν κέντροισι κελαινοῖς   Κεντρίναι αὐδώωνται ἐπώνυμοι· ἄλλο δ' ὁμαρτῇ
Κλείονται γαλεοί· γαλεῶν δ' ἑτερότροπα φῦλα: Σκύμνοι, καὶ λεῖοι καὶ ἀκανθίαι· ἐν δ' ἄρα τοῖσι
Ῥῖναι, ἀλωπεκίαι, καὶ ποικίλοι· εἴκελα δ' ἔργα   Πᾶσιν ὁμῶς, μορφή τε, σὺν ἀλλήλοις δὲ νέμονται.

Ex his Oppiani carminibus Canis nomen videtur latiùs etiam patere quàm Galei, id eſt muſteli: & ſimiliter ex Æliano: vt quod non ſolum genus omne muſtelorum, ſed etiam canem cetaceum pelagium comprehendat, nimirum illum carcharian cognomine, de quo infrà ſeorſim dicetur. Alij tamen ſcriptores pleriq; Muſteli nomen aut æquè, aut etiã latiùs quàm Canis extendunt. Cæterum quomodo ῥῖναι, id eſt ſquatinas inter Galeos numeret, non video, quanquam enim cartilaginei ſint generis, latę tamen ſeu planæ, non longe ſunt vt Galei: quare ſuſpectus mihi hic locus eſt, vt pro ῥῖναι malim legere εἰσί. Athenæus ex Ariſtotele eaſdem galeorum ſpecies numerans, his verbis, Ἀριστοτέλης δὲ εἴδη αὐτῶν φησιν εἶναι πλείω: ἀκανθίαν, λεῖον, ποικίλον, σκύμνον, ἀλωπεκίαν, &c. nihil de rhina vt neq; Ælian⁹. Scyllion piſcis è genere galeorum ab Ariſtotele nominatur: Maſſilienſes Palum: nonnullæ regiones Caniculam vocant, Gillius. Ligures & Maſſilienſes Pal, Rondeletius. fortè à pali quadam ſimilitudine circa roſtrum acuminatum, vt in ſphyræna. vel à palumbo. nam Galeum lęuem à cutis colore Maſſilienſes palumbum vocare Bellonius ſcribit. Rondeletius galeum læuem à Romanis piſcem columbum vocari. non quòd ſcyllion vel caniculam galeum læuem eſſe dicam: ſed quoniam ſpecies ei cognata eſt, nomen ab eo mutuari potuit. Galeorum generis eſt canicula, quam Gręci κύνα vocant, alij ἔνελοι: alij σκύλιον, vel σκύμνον, vel σκύμνιον, Vuottonus. Gillius ſcyllion per λ. duplex ſcripſit. eſt autem diminutiuum nomen, generis neutri, & videtur vtroque modo ſcribi poſſe quando primitiuum etiam tum σκύλος tum σκύλαξ ſcriptum reperitur, pro canicula vel catulo: qui & ſcylax & ſcylacion dicitur. Sed de his vocibus, & ſcymno quoq; & ſcymnio, annotauimus quædam in Philologia de Cane H.a. Carchariam canem, alias lamiam & ſcyllam vocari author eſt Nicander Colophonius in Gloſſis. ergo ſcylla maior eſt canis, σκύλλιον minor. Nebrij etiam vocabulum ab alijs aliter ſcribitur. Vuottonus (aut librarius) ι. pro ρ. non rectè poſuit. ab hinnulo enim (qui Gracis νεβρὸς eſt) dictum apparet, propter variam & maculoſam cutem. A Bellonio νέβρος ſcribitur, paroxytonum: quod nomen apud idoneos authores nuſquã extare puto. nam νεβρὶς oxytonum, hinnuli vel cerui pellem ſignificat: de qua nos multa in Ceruo H. e. Σκύλια vocari etiam νεβρίας teſtis eſt Ariſtoteles, id eſt hinnulos, Rondeletius: tanquam rectus ſingularis ſit νέβρος, in tertia inflexione. Apud Ariſtotelem quidem de hiſt. lib. 6. cap. 10. legitur in codicibus vulgatis, τὰ μὲν σκύλια, ἃ καλοῦσί τινες νεβρίας γαλεοὺς: Gaza vertit, Caniculæ, quas aliqui ab hinnulo nebrios muſtelos appellant. vbi νεβρίας eſſe legẽdum in accuſatiuo plurali primæ inflexionis non dubitarim nempe à recto ſingulari ſimiliter νεβρίας ſcribendo, vt Αἰνείας. Sic & aliæ galeorum differentiæ quædam in ίας terminantur, vt γαλεὸς ἀκανθίας, ἀστερίας, ἀλωπεκίας. Sic & ποικιλίας fit à ποικίλος. & ipſum piſcis nomen, ſed diuerſi à galeo pœcilo, id eſt vario vel ſtellari. item à κάρχαρος, καρχαρίας canis. Cæterũ νέβρειος cuius meminit Euſtathius per ει. diphthongum in medio, poſſeſſiuum eſt, ad hinnulum pertinens. Dicatur igitur galeus nebrias, & Latinè hinnularis non hinnulus. vt & aquila hinnularia vocatur à Gaza, quę νεβροφόνος Ariſtoteli. Athenęus ex Achęo poeta cyllum piſcem nominat, vbi vel cillũm, hoc eſt aſinum aſellúmue piſcem intelligo: vel ſcyllum pro ſcyllio. Piſcis de quo agimus, ferè coniunctis nominibus γαλεὸς κύων dicitur, vt Vuottonus etiam & Rondeletius obſeruarunt, hinc eſt nimirum quod Oppianus ſcribit, Ἄλλο δ' ὁμαρτῇ (φῦλον κυνῶν) Κλείονται γαλεοί. hoc eſt: Alij vero Canes pariter appellantur muſteli. nam Κεντρίναι abſolutè vocantur, tanquã genus è galea diuerſum, quamuis & ipſi piſces ſint γαλεώδεις. Plinius alicubi ex Theophraſto caniculas pro canibus carcharijs reddidit: quod Hermolaus quoque annotauit. Ergo canicula non vnius ſpeciei nomen, nec ſemper tanquam diminutiuũ fuerit accipiendum.

Ariſtotelis

Ariſtotelis caniculam, item alteram ſaxatilem, inter Muſtelos ſtellares ponere videtur Bellonius: nebriam quidem diuerſum facit. Læuium Muſtelorum (inquit) altera ſpecies Νέβρις (Νεβρίας, id eſt Hinnularis, vt ſuprà emendaui) apud Græcos, apud Latinos autem Hinnulus, ab albis maculis, per eius cutem ad dorſum vndecunq; diſperſis, nomen habet. Maſſilienſium vulgus, apud quos frequentiſſimus eſt, Niſſolam (vide an hic ſit ille Galeus læuis, quem Rondeletius ſcribit in Prouincia Emiſſole vocari) appellat. Oceano noſtro nullo ſeorſum nomine ab alijs ſecernitur, cum tamen multum à cæteris differat. Eſt enim roſtro latiore, naribus patulis: ore magis capaci, dentibus obſcuris atque obtuſis, vt in Raia flaſſada dicemus: colore candidiore, corpore rotundo, & in longitudinem protenſo. Atque hac pręcipuè nota à Spinace differt, quòd inter duas ani pinnas & caudam, tertiam quandam minorem gerat, nullis alijs præterquam Stellato galeo communem. Porro carne præditus eſt ſapidiore, ac melioris ſucci: cute admodũ glabra, hepate quoq; nigricante, atque in duos lobos diuiſo, præter aliorum morem. Hæc Bellonius, qui & picturam addit, ab ea quam Rondeletius caniculæ Ariſtotelis vel nebriæ dedit diuerſam, in hoc pręcipuè conſpicuam quod per latera maculas nouem rotundas, deinceps in ea per interualla pingit. *Bellonius de Nebria Muſtelo.*

Canicula è galeorum genere etiamnum apud Venetos nomen ſeruat, Maſſarius. Ego Venetijs aliquando peſce cane nominari audiui muſtelorum generis piſcem, pinnis cinereis, membraneis, ore lato: & huic ſimilem alium la caneglia, & la gatta. Luſitani Caſſaun appellant. Quos Græci galeos tam marinos quam terreſtres (atqui terreſtres quadrupedes vt Græcis pleriſque omnibus (nam apud Trallianum γαλεοὶ ἐνοικίδιοι leguntur) γαλέαι vel γαλαῖ; non γαλεοί: ſic Latinis muſtelæ fœm. g. non muſteli vocantur. nam γαλαῖ, id eſt muſtelæ piſces fœm. g. dicti, longè alij quàm galei, id eſt muſteli, ſunt:) Latini autem Muſtelas, (Muſtelos,) noſtri nullo diſcrimine marinos Canes appellant, Bellonius. Galeum glaucum, vt Rondeletius docet, vulgò vocant cagnot blau, id eſt canem glaucum ſiue cæruleum, à cane galeo diſtinguentes, Rondeletius. Galeum acanthiam quoq; à Gallis vocari inuenio chien de mer. Rondeletius caniculam Ariſtotelis & ſimilem ei ſaxatilem, Gallicè Rouſſete nominari ſcribit: Bellonius Roſſetam Gallice dictam primum galei ſtellati genus facit: cuius de hoc genere verba inter Muſtelos in M. elemento referemus.

Hundfiſch Germanis, *Doggefiſche* Anglis, dicuntur Canes piſces tum maiores tum minores. Videntur autem omnes cartilaginei piſces oblongi, (hoc eſt Galei vel Muſteli omnes,) ſic appellari poſſe. Ego differentię cauſa caniculam Plinij ſimpliciter nominarim *ein Hundfiſch*, vel *ein kleinen Hundfiſch*: Ariſtotelis verò, *ein Fleckhund*, *ein gefleckten Hundfiſch*. Conijcio & centrinen galeum nullo diſcrimine *Hundfiſch* nuncupari ab accolis Oceani Balthici. Piſces quidam corium habent aſperum, ita vt lignum eo arido radatur: vt piſcis qui dicitur iuxta mare Flandricum *ein Seerohe*, (*Seehund* fortè,) quod eſt canicula marina, Albertus. Cæterum Flandri & alij Oceani Germanici accolæ *Seehund* appellant non Canem marinum, ſed Phocam, vt pluribus in Phoca dicam. Bellonius libro 1. de piſcib. marinis peregrinis Gallicè ædito, ſua memoria inquit ſtagnis quibuſdam Gallię (de Fontaine bleau, & de Chantilli) canes quoſdam marinos à vulgo dictos, fuiſſe immiſſos, longè alterius generis quàm canes muſteli ſunt, qui omnes ſtagnorum piſces trucidarint, ita vt Comeſtabilis coactus fuerit ſagittis & bombardis interfici iubere, nec plura addit, vt quinam aut quales illi Canes fuerint diuinare nequeam. neque enim Phocas, vbi eas Latinè deſcribit, Canes, ſed vitulos, boues & lupos marinos nominat. Aug. Niphus caniculas & boues marinos confundit, vt ſcripſi in Corollario Bouis A. *Phoca. Albus canis marinus incognitus.*

B Galeus, canis (κυνὸς) ſpeciem ſimilitudinemq; gerit, Ælianus. Piſcis quem vocam⁹ maris caniculam pellis exiccata & indurata ad ſolem, adeò exaſperatur, vt ea ferrum & ligna aliquãdo inciderim, Albertus. Scyllia ſiue Canes minores, non in roſtro os, ſed infra parte ſupina dentatum (denticulatum) habent, Gillius & Maſſarius. Delphinorum ſimilitudinem habent turſiones, maximè tamen roſtris canicularum maleficentię aſſimilati, Plinius. Caniculis medio vuluæ circa ſpinam oua adhærent; quæ cum accreuerint, abſoluta feruntur per vuluam bifurcam, annexamq́; ad pręcordia quomodo & cæteris eiuſdem generis in vtranq; partem transferuntur, Ariſtoteles. Caniculę & raię teſtacea quædam gerunt, figura eius teſtæ ſimilis tibiarum ligulis eſt, Idem. hæc ſententia (inquit Vuottonus) non habetur in veteri Ariſtotelis traductione, & mihi certè videtur ſuſpecta. Rondeletius approbat, interpretatur, & pingit quoque.

C Margaritæ frequentari ſueta litora propter piſcantium inſidias declinantes, vt quidam conijciunt, circa deuios ſcopulos & marinorum canum receptacula deliteſcũt: Ammianus Marcellinus, & Solinus. Κύνα λάβρον καὶ ἁρπακτῆρα, id eſt Canem voracem & rapacem Oppianus cognominat. Piſcem Anglicè dictum *Dogfiyſſhe*, id eſt, Canem, aiunt captum edere vocem aut ſonum latratus canini inſtar, Eliota: ex vulgóne an aliquo authore haud ſcio, mihi quidem de canibus muſtelis hoc minimè veriſimile videtur. Polypi in terram verſo capite coeunt: reliqua mollium tergis, vt canes, Plinius. Canicula ſemel tantum anno parit, veris tempore, Ariſtoteles. Κύνα ζωοτόκον, id eſt, Canem viuiparum Oppianus eſſe canit. Aparine flores in orbiculis ſuis aſperis continet concoquitq;, fructum deinde parit: vt illis ſimile ſit quod in galeis ac viperis euenit, (ἐπὶ γαλεῶν καὶ ἐχιδνῶν. Gaza interpres videtur legiſſe κιδνῶν vel ἰχθύων, ſed legendum fortè κυνῶν. ſunt enim canes galeorum generis, etſi in viperis quoq; idem contingit.) illa enim vbi intra ſe oua pepererunt, mox animalia gignunt, Theophraſtus de hiſt. 7.14. Vidi aliquando canem exigui corporis fœtus vndecim vno partu ediddiſſe, ita vt caput (more ſolito in cæterarum quoq; animantium partubus) primò naſceretur, non tunicis inuolutos, vt in delphinis, ſed vmbilicari tantum meatu vtero matris coniunctos, Bellonius.

De alga quadam marina noctu lucente, Caniculis marinis venenoſa, ex Æliani de animalibus libro 14. capite 24.

Caniculæ (κύνες) & alia maris alumna animalia, quibus audaciam natura inſeuit, cum ſummus per ęſtatem calor viget, ad litora ſe recipiunt, & verſus pręcipitia natant, & expoſita fluctibus promontoria ſubeunt & anguſtis profundiſq́; fretis ſeſe inſinuant. Refugiunt enim pelagus, & quæ in eo ſunt paſcua eo tempore negligunt. Naſcitur autem genus quoddam algæ ſeu fuci in petris profundis: quæ magnitudine myricam, fructu papauer refert. Fructus reliquo anni tẽpore occluſus ſolidusq́;, & oſtrei

inſtar

instar durus est. dehiscit autem ab æstiuo solstitio, vt calyces rosarum. Exterior pars fructus, nempe crusta quædam siue membrana, testæ vel ostrei modo dura, & visu quàm maximè flaua, interiorem, cui color cœruleus, substantia mollis & tanquam vēsicæ inflatæ pellucida, valli modo ambit ac munit. Ex hac (interiore parte) noxium stillat venenum. Emittit autem noctu igneum quendam, & veluti scintillātem splendorem: & oriente iam Sirio veneni vehemētia crescit. Quamobrem piscatorum natio omnis, quæ pancynicum (*lego cynosphastum: vel cynosphæstum potius, vt Gillius: quod canes mari os occidat. nam & aglaophotis terrestris, vel cynosph. stus similiter rectè dicetur, à canum terrestrium pernicie: vel cynospastus, quòd cani alligata extrahatur. nam φάω, φῶ, occidere significat: σπάω autem trahere*) hanc stirpem appellat, à Canis ortu venenum hoc gigni arbitrantur. Porrò Canes marini ad igneum istum in hac marina myrica floris splendorem, tanquam inopinati alicuius lucri spe allecti, veneno partim aspersi, partim deuorato, & branchijs etiam hausto, extincti fluitant. Vnde his in rebus exercitati homines venenum secundarium ex piscium istorum tum ore, tum partibus cæteris colligunt. Simile malum ex terrestri etiam aglaophotide est, de qua mox dicemus, Hactenus Ælianus.

D Κύνες ἁρπακτῆρες, ἀναιδέες, id est, Canes rapaces & impudentes, ab Oppiano appellantur. Canicula marina simul atq; peperit, nulla mora interposita, suos paruulos secū natantes habet. Si quis verò eorū timeat, ingreditur rursus per genitalia in ventrē matris: & vbi timor abierit, denuo prodit, tanquam rursus editus, Ælianus 1.17. & Philes similiter, & Oppianus lib. 1. de pisc. Ioannes Tzetzes verò glaucum & galeū catulos sibi metuentes ore occultare scribit, canem vtero. Plinius vrinātium aduersus caniculas pugnam describens, præter ea quę Rondeletius recitat, addit: Salus vna in aduersas eundi, vltroq; terrendi. Pauet enim hominem æquè ac terret. Et sors æqua in gurgite. Vt ad summa aquæ vētum est, ibi periculum anceps. Adempta ratione contrà eundi, dum conetur emergere, & salus omnis in socijs. funē illi relegatum ab humeris eius trahunt. Hunc dimicans, vt sit periculi signum, læua quatit: dextra apprehenso stilo in pugna est: modicus aliâs tractus. Vt prope carinam ventum est, nisi præceleri vi repente rapiant, absumi spectant. Ac sæpe iam subducti, è manibus auferuntur, si non trahentiū opem, conglobato corpore in pilæ modum, ipsi adiuuere. Protendunt quidem tridentes alij, sed monstro solertia est nauigium subeundi, atque ita è tuto præliandi. Omnis ergo cura ad speculandum hoc malum insumitur. Certissima est securitas vidisse planos pisces, quia nunquam sunt, vbi maleficæ bestię: qua de causa vrinantes sacros appellant eos.

E Duo genera paruarum caniculārum (galei & centrinę) in cœno capiuntur. Piscandarum ratio hæc est: Album piscem illecebram ad eas captandas demittunt. ex his si qua capietur, cæteræ omnes hoc videntes circa captam assiliunt: ac eam, dum hamo ex profundo extrahitur, ad nauem vsque insequi non cessant. Inuidia quadam hoc eas facere existimares, quasi illa quę capta est, sibi vni escam aliquam prædata alicunde esset. atque ex ipsis nonnullę in nauem insilientes, sæpe sua sponte capiuntur, Ælianus 1. 55. & Oppianus lib. 4. de pisc. qui hoc præ studio & amore quo inter se mutuò ardent Caniculas facere canit. Vnū aliquem (inquit) hamo captum, cęteri omnes statim tam auide insequuntur ad nauim vsque, seu simul volentes perire: nec antè fugiūt, quā sociū extractum viderint. Quare magnꝰ eorum numerus partim reti (hypocha) conclusi, partim tridente saucij, partim alijs decepti dolis capiuntur.

F Quæ de alimento ex canibus marinis Galenus tradit, ad Carcharias canes potissimum videntur pertinere: quare eò vsq; differam. Canicularum genera quædam audio non edi recentia, sed exēterata insolari absq; sale, vt etiam raias. Galei omnes carnē duram habēt. Canicula galeus, vt Xenocrates tradit, & qui illi sunt similes, sapore virus referunt, & malum procreant succum, Vuottonus.

G Pro crocodili adipe, canis marini adeps in remedijs substituitur, Author ἀντιβαλλομένων incertus, & Rasis. Hic si coquatur cum aqua & aceto, & os colluatur, sedat dolorem dentium, Rasis. Dentium dolores sedantur cerebro caniculæ in oleo decocto adseruatoq;, vt ex eo dentes semel anno colluantur, Plinius. Infantium gingiuis dentitionibusq; multum confert delphini cum melle dentium cinis, & si ipso dente gingiuæ tangantur. adalligatusq; idem pauores repentinos tollit. idem effectus & caniculæ dētis, Plinius. Cinis dentium tum caniculæ Plinij, tum galei glauci, infantium gingiuis dentitionibusq; multum confert, Rondeletius. Idem ex dentibus carchariæ canis dentifricia parari optima scribit.

Ad vlcera oculorū & albugines: Felle canis marini vnge, aut felle galli, Galenus Euporistō 2. 99. Fel quod à cane pisce (cane aquatico) eximitur, letiferū est. quippe quod potū vel esitatū: lētis tantū quātitate, intra septē dies interficiat, curātur tamē qui hauserint, epoto bubulo butyro cū gētianę (Romanę) radice & cinnamomo, & (& iterū) coagulo leporis. Prodest & corpus vniuersum odoratis oleis illinire, & victu tenuissimo vti, Auicenna 4. 6. 2. 14. ex quo & Matthiolus repetijt. An verò canis ille piscis, & mustelorū generis sit, aut aliud quodpiā animal, nō habeo quod dicam. Lutra quidē etiā quadrupes à nonnullis, canis fluuiatilis appellatur. Ferdinādus Pōzettus fel hoc canis piscis esse scribit. Etsi, inq̃t, vix possit curari (qui hoc sumpserit:) nec fortè reperiri (hoc genus veneni:) remediū tamē fieri debet à vomitu cū aqua, oleo rosaceo & butyro. Bertrucius verò medicus: Fel (inq̃t) canis aquatici, vel canis rabidi, lētis magnitudine sumptū, intra septē dies interficit: quib. superatis potest esse salutis spes. De veneno quod ex canū marinorū ore, & alijs partib. legitur, cū algā quandā noctu lucentē deuorarint, aut ea aspersi fuerint, dictū est suprà in C. Fel etiā leopardi, leonis & viperæ, à quibusdā inter venena numeratur.

H. a. Γαλεοὶ κύνες, id est Musteli canes nominātur ab Oppiano lib. 4. Delphini etiā à Tiberio in epigrammate canes marini dicuntur, πελάγευς ἰχθυφάγοι σκύλακες. Epitheta. Ἀλίπλαγκτος, hoc est mariuagus, Oppianus. sed hoc potiùs differētiæ vocabulū est, vt à terrestri discernatur. Λάβρος, ἀναιδής, & ἁρπακτής, apud eundem. Κυνοκοπήσω σε, (τυπτήσω σε καθάπερ κύνα) coquus inquit apud Aristophanē: & aptè quidē pro sua persona. est. n. canis piscis quidā. ἅμα δὲ καὶ κυνείῳ σε δέρματι παίσω. ἔστι γὰρ τραχύτατον, Varinus è Scholiaste in Equites Aristophanis. Apud Suidā Κυνοκοπήσω τὸν νῶτον legit. aliâs Κυνοσκοπήσω per σκ. Ausonij epigrāma in leporē captum à cane marino, qui dū canem terrestrem concitatius fugit, in mare se pręcipitarat, recitaui in Quadrupedibus de Lepore H. e. Leguntur & duo Germanici Cęsaris epigrāmata de eodem, & vnum Tiberij, in Anthologio Græco. 1. 31. Cynos euna. Γαλεῶ σμυρνίδα, ἣν ἔνιοι καλοῦσι, κυνὸς εὐνά, Epęnetus in libro de piscibus apud Athenæum. Vide infra in Cyn. vbi & alia à Cane deriuata nomina dicentur.

D E

DE CANIBVS ALIIS DIVERSIS.

Mustelus stellaris videtur qui Italicè Catto di mare dicitur, Anglicè *Donehovvnd* vel *Donecovv*: id est Canis fuscus. nam *Done* Anglis colorem fuscum significat, qui ad cæruleum inclinet.

Xiphiā, hoc est Gladiū piscē Strabo Galeoten appellat, (quasi cū galeis, id est mustelis, aliquid cōmune habeat) quē etiā canem marinū & Thurionem & Tomum Thurianum quidā opinantur, Gillius.

Canis pinguis à Syracusanis dictus, κύων πίων: Rhodijs verò galeus vulpes, ab Archestrato Accipenser existimatus, & omnium lautissimus piscis creditus est. Vide inter Mustelos.

In mari iuxta Arabiam nigram varię animantes degunt, terrestribus similes, sed breuioribus cruribus, pinnatis: pilis obtecto corpore perbreuibus: nempe asini, cati, canes & boues, Ex nauigatione Hīburgensis cuiusdam, quæ peracta est anno Domini 1 5 4 9.

Canis marinus belua terribilis & hostilis omni animanti, quod eius verberibus cedit. Robustissimos habet branchos (pedes, quasi brachia) clauorum modo formatos. Hi venantur per mare greges piscium instar canum in terra feras venantium, excepto quòd latrare nequeunt, sed pro latratu afflatum horribilem habent. Insequentes ergo piscium greges ad loca angusta coartāt, & sic in coartatos crudeli morte grassantur. Piscatores vero loca notantes, in quibus abscōditi pisces à fuga latebant, retibus capiunt circumclusos. Hæ verò beluæ difficulter multis tridentibus confici possunt, Isidorus.

Canita, vel Canata, vel vt quidam codices habent Cauata, piscis nomen videtur. Festus enim ex Plauto hæc verba adfert: Muriaticam video in vasis stanneis, naricam bonam & canatam, & taguma, quinas fartas conchas piscinarias.

DE CANE CARCHARIA, SEV LAMIA.

RONDELETIVS.

Qvod Lamiam in cartilagineis longis, cetaceisq; numerem, reprehendent fortasse multi, qui apud Plinium lib. 9. cap. 24. in planorum piscium numero legerint. Planorum piscium, inquit, alterum est genus quod pro spina cartilaginem habet, ranæ, pastinacę, squatinæ, torpedo, & quos bouis, lamiæ, aquilæ nominibus Græcia appellat. Sed cùm lamiam cęterorum galeorum instar longum esse spissumq; piscem, ac rotundum sensus ipse doceat: dempta sola dorsi latitudine qua à cæteris galeis differt, quæq; Plinium impulit, vt cum planis cartilagineis numeraret: proculdubio in longis cartilagineis, & cetaceis censendus est. *Lamiā longis esse adnumerandam contra Plinium.*

A Λαμία dicta est ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λαιμόν, id est, quod magnam habeat gulam. λαιμὸς enim guttur siue gulam significat, vnde λαιμαργία & λαίμαργος. Nicander Colophonius ἐν ταῖς γλώσσαις citante Athenæo lamiam & καρχαρίαν, & σκύλλαν vocari scripsit. καρχαρίαν verò à dentium asperitate, acumineq; dici puto: κάρχαρος enim asperum acutumq; significat. vnde καρχαρόδοντα animalia, quibus acuti pectinatimq; coeuntes sunt dentes. Λάμναν Oppianus vocat, *Libro. 7. Lib. 1. ἁλιευτικῶν.*

Δυσαντέα χάσματα λάμνης. Et alibi:

Τίς δὲ τόσον φορέει χλούνης σθένος, ὅσσον ἄαπλοι Λάμναι;

Gaza Gręca appellatione vsus est in conuersione sua. In Italia, Prouincia, Hispania idem nomen seruatum est. A nostris quoq; lamio vocatur: Baionę frax.

B Lamia piscis est galeorum omnium maximus. nam aliquando ad tantam magnitudinem accrescit, vt currui imposita, vix à duobus equis vehi possit. Quare euiscerata, & in frusta dissecta, curribus duobus aliquando imponenda fuit. Vidimus mediocrem lamiam mille librarum pondere. Capite est dorsoque latissimis. Cauda si reliqui corporis magnitudinem spectes, minꝰ crassa spissaq;, in lateribus compressa, pinnis duabus constans. Non procul à cauda aliæ duæ sunt pinnulę, vna inferior, altera superior, ad brāchias, & ad podicem aliæ binæ, in medio ferè dorso vna alia. Cute aspera integitur, cui pingue quiddā subest. Capite est magno, dorso breui, sed lato, oris scissura maxima. Dentibus acutissimis, durissimis, trianguli figura, vtrinq; serratis, quorum sex sunt ordines, primi ordinis dentes extra os prominent, & in anteriorem partem vergunt, secundi recti sunt, tertij, quarti, quinti, & sexti in os recurui maxima ex parte, in vtraque maxilla carne molli, fungosaq; contecti. Ventriculo est vastissimo gulaq; amplissima. ob id rectè Oppianus δυσαντέα χάσματα λάμνης dixit, id est, periculosos vastosq; lamię hiatus. Hepate est adipato, in duos maximos lobos diuiso. Oculis maximis, rotundis: quorum musculi qui sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum mouent, manifestè conspiciuntur. Qui oculos quodammodo intrò trahunt, & veluti in contemplantibus diligenterq; aliud intuentibus fixos, immotosq; tenent, non radicē neruorum opticorum ambiunt: sed à superiore parte ossis regionis oculorum orti, in longum extendūtur. Similem huiusmodi musculorum situm etiam in humanis oculis sæpius ostendimus, quum in scholis nostris publice anatomen corporis humani doceremus. Est aliud in lamiæ oculis obseruatu dignissimum. Neruorū opticorum loco, qui in hominibus cæterisque animantibus insunt, substantia est car-

P 3 tilaginea,

tilaginea, dura, omnisq; mollitudinis expers. Tunica cornea parte anteriore posterioreq; dura est, parte etiam anteriore exquisitissimè perpolita. Cæterum in lamiæ oculis humores omnes, tunicæque longè manifestius, quàm in bubulis oculis conspiciuntur, maximè quæ humorem crystallinum inuoluit. tẽlis aranearum tenuior maximeq; pellucida.

C Piscis est carniuorus, voracissim⁹ & anthropophagus: cadauera enim mortuorum etiam integra vorat, quod ex dissectione compertum est, Massiliæ enim & Niceæ aliquando captę sunt lamiæ, in quarum ventriculo homo loricatus inuentus est. Ab hac insigni ingluuie lamias appellatas fuisse opinor mulieres quasdam maleficas, quę cum carnes humanas auidissimè expeterẽt, Veneris illecebris forma præstantes iuuenes, quiq; optima essent corporis constitutione, delinitos atque allectos deglutiebant: ꝙ Menippo Lucio contigisset, nisi grauis & prudentis viri consilium ab amore iuuenem auocasset, eumque hoc dicto deterruisset, ὄφιν θάλπεις, καὶ σὺ ὄφιν: Serpentem foues, & serpens te: quod percommodè de eo dicitur, qui id amat, fouet, amplectitur quod tandem certum exitium est allaturum. Sed ad piscem redeamus. Vidi equidem in Santonico litore lamiam, cuius os gulaq; tanta erant vastitate, vt hominem etiam obesum capere posset. Magnarum itaq; lamiarum os si hians seruetur, reliquo corpore contecto canes (*scilicet terrestres*) ventriculum facilè subeunt piscium reliquias voraturi. Quæ cum accuratius considerarem, mihi in mentem venit lamiam fuisse, in quam ingressus est Ionas, illicq; triduo diuina prouidentia conseruatus, tandemq; incolumis electus, quod sacræ Bibliorum scripturæ nullo modo repugnat. Legitur enim Ionas in ventre magni piscis siue in ventre ceti fuisse: quod nomen generis est, quo grandes pisces comprehenduntur: non omnes quidem si Aristotelis authoritatem sequamur, sed ij tantum qui statim animal concipiunt, & non ex ouo, perfectum pariunt. Sic enim scribit lib. 1. de hist. anim. cap. 5. Alia animal pariunt, alia ouum, alia vermem. Animal pariunt homo equus, vitulus marinus, & alia pilis intecta: & ex aquatilibus cete, vt delphin & quæ cartilaginea nominantur. Et alibi lib. 3. de hist. anim. cap. 20. Mammas habent quæcunq; animal pariunt intra se, & in lucem edunt: quæq; pilis intecta sunt, vt homo, equus: & cete, vt delphin, vitulus marinus, balenæ. Veruntamen Galenus lib. 3. de fac. alim. inter cete numerat canes, zygænas, thũnos magnos: qui non statim animal, sed ouum pariunt, vt videatur pisces omnes prægrandes cetaceos appellare. Et apud Athenęum lib. 7. Sostratus thũnum qui permultum accreuit, cetum vocat. Eadem significatione cete vsurparunt Paulus Ægineta & Varro. Quicquid sit, ceti nomine non potiùs balæna, quàm quiuis alius immanis piscis intelligetur, maximè cum balenæ pulmonibus spirent: quibus, asperæ, arteriæ cùm cedant ventriculus, gulaq;, angustiores eas partes esse necesse est id quod etiam ex dissectione constat. Harum verò partium in lamia ea est vastitas, vt Ionam capere potuerit, quemadmodum cadauera tota in ea inuenta fuisse experientia compertum est.

Lamiæ mulieres.

Ionas.

Ceti qui proprie, & qui cõmunius vocentur.

B Lamiæ cuti pingue aliquid subesse videtur.

F Carne est candida non multùm dura, neq; ferini saporis, ob id multorum galeorum carni præferẽda: neque ideo reijcienda quòd lamia hominum cadaueribus vescatur: nam mullus qui in præstantissimis & optimis piscibus habetur, hominum etiam cadauera persequitur. Lamiam igitur esse opinor, de qua carchariæ nomine multa apud Athenæum Archestratus ille (obsonatorum Hesiodus vel Theognis,) qui in suis pręclaris præceptis maximè hypogastria extollit, quoq; modo præparanda sint, docet. Quibus subiungit multos ignorare quàm præstans sit is cibus, hisq; leuem insultamq; esse mẽtem, qui ideo ab hoc cibo abstinent, quòd ἀνθρωποφαγῷ sit piscis.

Lib. 7.

** alias κύφλω ἐναιβώδη. apud Athenæũ lib. 4.*

Αὐτὰρ ὁ τοὺς ἰσχει βροτῶν τοὺς θεσπεσίους ἐθέσμους: Οὐδ' ἔοδεν ἐθέλων τὸν *κέφαν ἐλεφαίρεσθαι
Ψυχλῷ κέκτηνται γυναῖκες δ' εἰσὶν ἀπόπληκτοι: Ὡς ἀνθρωποφόνῳ τῷ θηρὶ δύπτῳ. πάντες δὲ
Χοῖρ' ἁρπακα φιλεῖ βροτάλιον, αὖπερ ἀλκυόνι.

Nostri carnem lamiæ allijs, cepisue atque aromatis conditam edunt.

G Dentes argento aurifices includunt, quos serpentis dentes vocant: hos mulieres è collo puerorum suspendunt: quia dentitionem iuuare creduntur, & puerorum pauores arcere. Ex ijsdem dentifricia parantur optima, quorum asperitate dealbantur dentes, siccitate conseruantur & firmantur, ne quis à cæco quopiam effectu id prodire putet.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Carcharias, caniculæ genus est admodum ferox, inter cetacea connumeratum: magnitudine Thynos superans, quos & deuorare creditur. Marinos canes nentium voracitate, ordine multiplici, atque acumine refert. Vnde Asiaticorum vulgo marini canis nomen habuit.

B Proinde ad Zygænam, Simiam, Vulpeculam, ac Galeos omnes qui pisces cartilaginei sunt generis) branchijs, pinnis, cauda, cute, atque adeò corporis habitu (demptatamen magnitudine) accedere vi-
(E) detur. Iantę est apud Noruegios magnitudinis, apud quos *Perksich* (quasi montanum piscem dicerẽt) appellatur, vt ducentarum librarum pondus nonnunquam excedat. Exiccatos autem asseruare, atque ex eorum cadaueribus marina monstra ementiri solent. Cæterum capite est amplo, rostroq; in mucronem exporrecto: ore vsque adeò vasto atque capaci vt quodlibet eius maxillæ latus sex & triginta dentibus præditum sit quælibet autem maxilla duos & septuaginta comprehendit dentes: quæ summa est in vtraque centum quadraginta quatuor dentium: quorum anteriores magis rotundi, posteriores verò lati, atq; in cuspidem efformati sunt, validi tamen omnes, quales in Lamia describemus. Laterum ac tergoris pinnas long⁹ quàm in quouis sui generis cartilagineo pisce maiores gerit: quibus minor est quæ ad caudam protenditur. Podicem inter duas pinnulas habet: ac quod ad eius caudam attinet, ea cubitalem æquat longitudinem, eoque ad Vulpeculam accedit, (*Kouelet ogaleus centrinus est, quem Vulgus facit Squalum*) quam Veneti Porcum marinum vocant: quod eius superior pars, quæ vertebris communita est, altius attollitur, quàm inferior quæ crescentis lunæ figuram exprimit, quarum intercapedinem dimidia linea explere potest.

D E

DE LAMIA BELLONIVS: QVAM A CANE *Carcharia distinguit.*

Latorum ac planorum piscium viuiparorum, ac cartilagineorum, longe maximæ molis euadit, qui A Græcis λάμια, Latinis Lamia dicitur, ipsa voce ad lamiam quodammodo accedente: de quo sic Oppianus, Et quis vastus aper superabit robore Lamnam?

Galeorum generis est, scabraque cute integitur: atque os habet in anteriore capitis parte, rhinæ aut B ranæ modo positum: in quo mirum hoc esse videtur, quod dentibus plus minus ducentis sit refertum, in vtraque maxilla per quaternos versus dispositis: ad radicem latis, in acutum ac pyramidem desinentibus, atque ad latera crenatis: quibus nostri fabri aurarij plurimum vtuntur: linguas serpentinas falꝙ appellant. Lamias enim qui capiunt, ex earum dentibus ac maxillis magnum quæstum facere solent, quos aiunt aduersus venena conferre: quamobrem auro atque argento vulgus includere soler. Nostris alioqui piscatoribus incognitus est piscis.

Genuensibus ac Neapolitanis veteri Lamiæ appellatione notissimus: cuius carne vesci minime de- A. F. dignantur.

Hanc picturam Carchariæ Canis ad scheleton olim fieri curauit.

COROLLARIVM AD CANEM CARCHARIAM SImul & Lamiam: *siue vnum duobus his nominibus piscem, siue diuersos, veteres appellarunt.*

A Carcharias, canis marinus est, Varinus. Athenæo κύων καρχαρίας dicitur. neque enim recte apud eum inter has duas dictiones comma interponitur. apud eundem Archestratus τοῦ καρχαρία (per α. in vltima, quæ & per ε. diphthongum recte efferetur) κυνὸς dixit. Carchari & elacatæ ventriculos, Columella: vt rectus sit carcharus, idem quod carcharias. sed Massarius legit carchariæ: Καρχαρόδοντα Græci vocant animalia quorum serrati sunt dentes. huiusmodi autem pisces pleriq; omnes sunt: sed præ cæteris, serratis robustisque dentibus hic canis est, vt κατ᾽ ἐξοχὴν tum καρχαρίας, tum κύων (quod maximus validissimusq; inter canes sit) dictus videatur. nam & carchariæ simpliciter dicuntur, vt à Theophrasto de hist. 4.8. Mare rubrum (inquit) belluis refertum est, plurimasq; caniculas (καρχαρίας) habet, in tantum, vt nare tutum non sit. Quem locum Plinius ita repetijt lib.13.cap.25. In mari rubro syluæ viuunt, laurus maxime & oliua. fruticum magnitudo ternorũ est cubitorum, caniculis referta, vix vt prospicere è naui tutum sit, remos plerunq; ipsis inuadentibus. Canis ille cetaceus pelagius, de quo meminimus in Corollario de Canibus A. non alius, ni fallor, quam canis carcharias fuerit. Oppianus quidem aliquoties Canes numerat inter cete. de lamijs vero priuatim agit, cum alias, tum libro 5. de piscatione, diuersum vtrosque capiendi modum describens, vt referemus in E. Fieri quidem potest, quod Nicander Colophonius refert vt in nonnullis locis, carcharias alio nomine lamia dictus sit, propter similitudinem: ab alijs verò exactius suo discretus nomine. Aristoteles semel duntaxat puto lamiæ meminit, cartilagineis piscibus adscribens, lib.5. de hist. cap.5. Canicula ferox cetacei generis, illa est quæ vrinantes circa spongias graui periculo infestat, &c. Vuottonus. atqui Rondeletius hoc non ad cetaceam, sed minorẽ caniculam refert, quam Plinij cognominat, vt à scylio siue canicula Aristotelis discernat. Rondeletius lamiam à cane carcharia non distinguit: Bellonius distinguit, in hoc potissimum, quod lamiæ os in anteriore capitis parte tribuit, carchariæ verò rostrum in mucronem exporrectum. Dentes interim & carchariæ lamiæve Rondeletius, & lámiæ priuatim Bellonius, linguas serpentium vocari aiunt, & auro argentoue includi, &c. Canis carchariæ pars est etiam qui à Romanis thyrsio (θυρσίων) vocatur, suauissimus ille & delicatissimus, Atheneus libro 7. Sed de Thursione & tomo Thuriano plura scribam in Gladio pisce, quem ipsum quoque canem & galeoten vocari testis est Strabo. Piscem Italis vulgo dictum Stramazo, aliqui bouem cartilagineum esse putant, qui & lamia dicatur. sed lamia piscis longus est, vt Rondeletius docet, bos planus. Gillio quoque carcharitas & lamia piscis vnus videtur. Massiliẽses (inquit) suæ antiquitatis retinentes, propriè lamiam vulgo nominant. Siculi ranam marinam (eodem teste) lamiam vocant. Maltham quoque Romani lamiolam à dentium similitudine nuncupant, vt Rondeletius scribit. dentes enim latos & acutos lamiæ modo habet.

Lamiam a Cane Carch. differre.

Thyrsio.

Carcharias & lamia siue vnus siue duo sunt pisces, propter generis tamen naturæque cognationem vno nomine à Germanicis appellari potest, *ein Frass oder Frasshund*, à voracitate, vt Græci quoque à gula lamiam dixere: vel à magnitudine *ein Vrhund, ein grosser Hundfisch, ein VValhund*. Bellonius apud Noruegos *Pergfisch* vocari scribit, quasi montanum piscem. Quærendum adipemne an aliud quippiam commune habeat cum eo galei genere, quod porcum marinum Veneti vocant: vt nomen *Perkfisch* à porco sit corruptum. quid enim illi cum montibus? Porci autem nomen vel ab Anglis vel Italis vel Gallis mutuari potuerunt Noruegi, quorum alioqui Germanica lingua est. Alius est *Bergerfisch* Germanicè dictus alicubi, inter asellos Oceani. De hoc pisce Io. Caius ex Anglia nuper ita ad nos scripsit: Canem carcha- (F) riam ea plane figura, qua Bellonius pinxit, (*nos similem Rondeletij picturam dedimus*,) vidi in sicco relictum per littus. Erat iustum onus plaustri. Caro illi adeo insulsa, vt ne conditura quidem gratiam ieiunis & egétibus stomachis dare potuerit vllam, Os nullum per totum corpus, sed cartilago. Eum nostri piscatores *à Doggefische*, id est piscem canarium vel caninum vocaban t, Hæc ille. Sed Anglicum hoc nomen, vt & Germanicum *Hunefisch*, & Græcum Κύων, & Latinum Canis vel Canicula, latius patere, ostendimus supra in Canibus A. possunt tamen hæc omnia per excellentiam, de carcharia priuatim accipi.

B Carcharias os in rostro non parte supina, habet, Gillius & Massarius. Bellonius verò os lamiæ in anteriori capitis parte tribuit, carchariæ rostrum in mucronem exporrectum facit. Carchariæ os multis dentium ordinibus dentatum est, dentibus retrouersis, hoc est introrsus spectantibus, Massarius. Magnam admirationem habet id quod mihi Nicenses testati sunt, se cum huiuscemodi piscem ad quatuor millia librarum accedentem cepissent, in eiusdem ventre solidum hominem reperisse. Simile quiddam Massilienses mihi narrarunt, se aliquando Lamiam comprehendisse, in eademque loricatum hominem inuenisse. Huius dentes ab aliorum canum dentibus diuersi sunt. nam aliorum incurui in partem oris interiorem spectant, & teretes sunt: Lamiæ vero (siue Carchariæ) lati & pyramidati, mucronem ensiũ, quibus hac ætate vtimur, referunt: preciosi existimantur, & in argento includuntur. Cum vnum ad huius naturam diligentius cõsiderandam licitarer, alius quispiam ad delicias hunc maiore proposito præmio mihi præripuit, Gillius. Lamiæ dentes incuruos esse Oppianus tradit vt referam in E. Canis piscis, phoca, delphini & cete omnia pulmonem habent, & plus caloris quam cæteri pisces, Author libelli de vtilitate respirationis Galeno adscripti. Sed canis tum carcharias tum cæteri omnes, branchias non pulmones habent: & falli potuit scriptor ille quisquis fuit, quod inter cete propriè & impropriè dicta discrimen non agnouit.

Canis carchariæ iconem Ge. Fabricius olim ad me dedit, scite quidem expressam, sed (vt conijcio) ad sceleton: ac simul descriptionem his verbis adiecit: Κύων rapacissimus & velocissimus piscis. Rapacitatem ostendit, figura oris, velocitatem, pinnarum in dorso, ventre, corpore & cauda multitudo & magnitudo. Rictum canis habet, cum triplici acutorum inflexorumque dentium ordine. Oris pars superior, acutior & eminentior est inferiore. Spina à collo per dorsum tendens cum cauda finitur. Collum oblongum, pectus torosum. post quod duæ validæ pinnæ, quibus pro remis nandõ vtitur. Initio dorsi vna ingens pinna erigitur. Sequuntur postea inferiore corporis parte, binæ minores pinnæ, intra quas pudẽdum muliebri simile habet. Rursus aliæ duæ, altera in superiore, altera in inferiore parte. Post has

ad cau-

ad caudæ finem ingens pinna erigitur, illi quæ in dorsi initio est similis. & hæc pinna cum ipsa cauda quasi forcipis figuram exprimit. Totum corpus validum, cuius etiam magnitudinem pictura (ea ad quinque dodrantes ferè longa erat) refert. Balthici populi littorales *ein Hunafisch* vocant.

C Canis cetaceus ferox (ἀγέλαιος) in pelago degit, non vt minores in cœno, Oppianus. In amnes nonnũquam subit canicula: Vuottonus, de cetacea priuatim hoc referens. Carchariam marinum piscem omnium canicularum robustissimum & maleficentissimum vidi Niceæ & Massiliæ, Gillius. Εἰσὶ δ᾽ ἐνὶ τετραφέρῃ λάφροι κύνες· ἀλλὰ κύνεσσιν Εἰναλίοις οὐκ ἄντις ἀναιδείῃ ἐρίσειε Oppianus libro 5. inter cete. Et mox: Τίς δὲ τόσον φορέει χλούνης δέμας, ὅσσον ἄαπτοι Λάμναι; canes marinos cetaceos (id est carcharias, vt ego interpretor) à Lamijs distinguens. Alibi etiam canes rapaces & impudentes vocans, mox canis genus in tres distinguit species, vt recitaui in Canibus in genere A. Cetis omnibus corpora sunt grauiora, & motus (natatio) in mari tardior, exceptis canibus, νόσφι κυνῶν, Idem libro 5.

D De canum ingenio, vide mox in E. initio. Lamia nonnunquam amiarum gregem aggressa, vulnera accepisse visa est, Vuottonus. Thynni (inquit Strabo lib.1.) cum gregatim præter Italiam acti elabuntur, & Siciliam attingere prohibentur, in maiores incurrunt beluas, vtputa delphinos, canes, aliasq; balænis similes: è quorũ venatione canes & galeotas pinguescere ferũt, quos xiphias, id est gladios appellãt.

E Inter cete inprimis canes lasciui, superbi, contumeliosi ac impudentes sunt, Ἀεὶ κυμαίνουσιν ἐπὶ φρεσὶ λύσσαν ἔχοντες. itaque sæpe pisces etiam in retibus & nassis piscatorum populantur ac deuorant. atq; interea quandoq; dum ventri indulgent, pisce aliquo eis grato pro esca in hamum infixo à piscatore capiuntur, Oppianus libro 5. Et proxime ante: Lamiæ vero catulos vt capiant, sæpe eis vinculũ remi (τροπὸν αὐτὸν ἐπαρτέα δεσμὸν ἐρετμοῦ) solutum porrigunt: quo illi viso dentes infligunt: qui quoniam recurui (ἀγκύλοι) sunt, impediti ceu vinculo aut catena retinentur, atque ita tridente percussi pereunt. Corium canis marini gestatum, canes terrestres fugat, Kiranides. Esca iacentium piscium in piscinis mollior esse debet, q̃ saxatilium. itaque præberi conuenit scombri carchariq; ventriculos, &c. Columella.

F Canis cetacei (Carchariæ) caro, quæ prædura atque excrementitia est, in vulgi cibum sale maceratur in quatuor partes dissecta. ingrati autem saporis est atque mucosa: ideoq; non nisi raro absq; sinapi aut oxelæo, aut alio id genus acri quopiam condimento edi solita, Vuottonus è Galeni de alimentorum facultatibus libro. Canis marini caro salsa facit sanguinem melancholicum, Galenus lib.3. de locis affectis. Multi ex damnato victus genere stulti effecti sunt, ex suilla carne, bubula, asinina, canina, salsamentis continuis, canibus marinis, cetarijsque omnibus, &c. Alex. Benedictus. Pisces qui neq; solitarij apparent, neque rursus gregarij sunt, facilius concoquuntur, vt congri, & carchariæ, & similes, Athenæus Mnesitheus. Ὀρφῶ, αὐλωπίαν, πολυόδοντά τε, καρχαρίαν τε. Μὴ τέμνειν, μή ποι νέμεσις θεόθεν καταπνεύσῃ, Ἀλλ᾽ ὅλον ὀπτήσας παράθες, πολλὸν γὰρ ἄμεινον, Plato Comicus apud Athenæum. Idem Archestrati de huius piscis apparatu hos versus recitat:

Ἐν δὲ Τορωναίων ἄστει τοῦ καρχαρίου χρὴ
Τοῦ κυνὸς ὀψωνεῖν ὑπογάστρια κοῖλα κάτωθεν.
Εἶτα κυμίνῳ αὐτὰ πάσας ἁλὶ μὴ συχνῷ ὄπτα.
Ἄλλο δ᾽ ἐκεῖσε φίλη κεφαλὴ μηδὲν προσενέγκῃς,
Εἰ μὴ γλαυκὸν ἔλαιον. ἐπειδὰν δ᾽ ὀπτὰ γένηται
Ἤδη τριμμάτιον δὲ φέρειν, καὶ ἐκεῖνα μετ᾽ αὐτοῦ
Ὅσα δ᾽ ἂν ἐν λοπάδος κοίλοις πληρώμασιν ἕψῃς,
Μηθ᾽ ὕδατος πηγὴν, μήτ᾽ οἴνινον ὄξος
Συμμίξῃς. ἀλλ᾽ αὐτὸ μόνον καταχέας ἔλαιον,
Αὐχμηρόν τε κύμινον, ὁμοῦ δ᾽ εὐώδεα φύλλα.
Ἕψε δ᾽ ἐπ᾽ ἀνθρακιῆς, φλόγα τοῖς μὴ προσενεγκὼν,
Καὶ κίνει πυκνῶς, μὴ προσκαυθέντα λάθῃ σε.

Ἀλλ᾽ οὐ πολλοὶ ἴσασι βροτῶν τόδε θεῖον ἔδεσμα, &c. vt supra Rondeletius recitauit. Cum scombri, carchari, (carchariæ legit Massarius) & elacatenæ ventriculos, & quæ per singula enumerem, salsamentorum omnium purgamenta quæ cetariorum officinis euerruntur, Columella lib.8. ὀρφὼς, γλαῦκος, ἔγχελυς, κύων, Cratinus in Plutis tanq̃ de lautis piscibus vt conijcio. Κυνὸς κρανίον. τοῦ καρχαρίου (vltima circũflectenda erat) nominatur ab Athenæo ex Mnesimacho. & alibi Κυνὸς ὡραῖον (penultima circunflexa) ex Menandro.

G Canis marini dentes vsti & cum melle soluti, gingiuas purgant, Kiranides. Dentifricia è Carchariæ dentibus parantur optima, &c. vt Rondeletius docet: qui & alibi cinerem dentium tum caniculæ Plinij, tum galei glauci, infantium gingiuis dentitionibusque multum conferre scribit.

PHILOLOGIA DE CANE CARCHARIA SEORSIM.

H.a. Scylla apud Homerum piscatur. δελφῖνάς τε, κύνας τε, καὶ εἴποτε μεῖζον ἕλῃσι, κῆτος. vbi Eustathius, Delphines n. (inquit) & canes, non sunt pisces, sed cete. Est apud Oppianum scytale, quæ in alto degit pelago, raro litora adiens. vide an sit eadem, quæ scylla, an Oppiani exemplaria sint mendosa, & legendum potius sit σκύλλαι τε, pro σκυτάλαι τε, Vuottonus. Canem quidem carchariã alio nomine scyllam dici Nicander refert. vnde & scyllion diminutiuum pro canicula. Achæus apud Athenæum lib.12. Ponticum cyllum, nisi malis scyllum, nominat, canem Ponticum forte intelligens: Πολὺς γὰρ ὅμιλος ποντίου κύλλου στόμων (ἐνάλιος θεωρία,) χοιρίνης τε θυρνίς σιν (forte σαγηνευτὸς γέραισι) ἄλις. Canem marinum carchariam dici nonnulli voluerunt: à cane Pontico longe diuersum, Franciscus Massarius. Cetum deuoraturum Andromedam Lycophron phallænam vocat, Scholiastes verò canem marinum & phallænam. Ἀλλ᾽ ὅτε καρχαρίην, ὅτε δὲ ῥόθιον ψαμαθῖτα, Numenius Heracleotes in Halieutico. Θυννοθηρᾷα δὲ γαστρὶ ὑμῶν καρχαρίας ὁ κάπτων δῆθε: Sophron apud Athenæum, sed locus apparet corruptus. Epitheta. Sæuas pistres & æquoreos canes Pædo dixit, vt Seneca citat Suasoria 1. sed differentia hoc, nõ epitheton est. Κυνῶν ὑπέροπλα γένεθλα: Κύνες ὑβρισταί, ἀγήνορες, ἀγέλαιοι, Oppianus. Cõuenient etiam epitheta quæ in cæteris Canibus prædicta sunt. De Scylla aue scripsimus in Historia Auium, tum in S. elemento tũ in A. mox post Ac- h. cipitrẽ circum. Nisi filiam hoc nomine fuisse fabulantur, & mutatã in auem. Scyllam nisi filiam Minos occidit, cum patrem ei prodidisset, vt in commentarijs in Dionysium Afrum diximus, Eustathius in Odysseæ A. Porro in Dionysium, de Saronico mari scribens: Ferunt (inquit) Minoem cum Megara cepisset opera Scyllæ, quæ ipsum amans patris caput absciderat, cogitasse eam quæ prodidisset parentẽ, nulli parsuram: ideoque patris proditricem & parricidam nauis temoni alligasse vt ita traheretur per mare. tum ipsam in auem esse conuersam, vt tradit Parthenius Metamorphoseon scriptor: sinum verò illum maris Saronicum esse dictum (quasi Syronicum) inde quod Scylla per eum tracta esset. Porro ab hac Scylla, Scyllæum etiamnum vocatur locus in Hermione Peloponnesi, vbi mulier è mari, in quod se præcipitem dederat, eiecta est. Idem in Odysseæ M. Scyllam (inquit) Phorcynis & Hecatæ filiam esse

fabulantur, quæ ſcylaces (id eſt canes) lateribus adiunctos habeat, in freto Siculo. Homerus quidem Cratæin Scyllæ matrem nominat, Magi verò Hecaten. Steſichorus Lamiæ filiam facit. Sunt qui Tritonem eius patrem eſſe dicant. Scyllæ Homerus ſex capita tribuit: alij tria tantum, vt Anaxilas Comicus vbi huiuſmodi fabuloſa monſtra pro improbis ſcortis interpretatur, his verbis: Ὅστις ἀνθρώπων ἑταίραν ἠγάπησεν, οὐ γένος ἂν δυναιτο παρανομώτατον φράσαι. τίς γὰρ ἢ δράκαιν' ἄμικτος, ἢ χίμαιρα πύρπνοος (al πυρπνόος) ἢ Χάρυβδις, ἢ τρίκρανος σκύλλα ποντία κύων, σφίγξ, ὕδρα, λέαιν', ἔχιδνα, πτηνά θ' ἁρπυιῶν γένη, εἰς ὑπερβολὴν ἀφῖκται τοῦ καταπτύστου γένους; Notandū eſt autem ad canina ſpectra inclinare fabulam: quæ Hecubam quoque in canem conuertit, & Hecatæ caput affingit caninum. Callimachus etiam in Commentarijs, Dianam ait aliquādo diuertiſſe apud Epheſum Cayſtri filium: & cum ab vxore eius eijceretur, primum eam in canem mutaſſe: tum rurſus miſeratione ductam, in ſpeciem humanam reſtituiſſe. illam verò præ pudore, vitam laqueo finiuiſſe: deam verò ornatum proprium ei circundediſſe, & appellaſſe Hecaten. Porro quod Hercules Scyllam occiderit, & fabula ipſam reuocarit in vitam, vt malum immortale foret, agnoſcit etiam Lycophron. Qui allegorias quærunt, Scyllam interpretantur cōtumaciam, (αὐθάδειαν,) & caninam audaciam: quæ in Vlyſſem quidem arrogantia ſua nihil potuit, ſed ſocios eius aliquos læſit. Huic allegoriæ conuenit etiam Phorcyn pater, vt in Rhapſodia A. ſcriptum eſt: & matris Hecates vel ſimpliciter canina forma, vel ſecundum alios facies canina, Hæc omnia Euſtathius. Plura leges apud Eraſmum Rot. in prouerbio, Incidit in Scyllam. A Lycophrone μιξοπάρθενος κύων vocatur. Pedes ei fuiſſe duodecim fabulātur: capita ſex, vnum campæ, (id eſt erucæ, *quamquam & campe Libyca quadā quadrupes memoratur Diodoro Siculo, a Dionyſio interfecta,*) alterum canis, tertium leonis, quartum gorgonis, quintum balænæ, ſextum hominis, Iſacius Tzetzes. Centauros itaque, & ſcyllarum membra videmus, Cerbereaſque canum facies, &c. Omnigenum quoniam paſſim ſimulachra feruntur, Lucretius libro 4.

PHILOLOGIA DE LAMIA SEORSIM.

Λάμια proparoxytonum ab Euſtathio & alijs pleriſq; ſcribitur, vt Θέσπια & Ἴχνια, inquit Euſtathius. aliter Λάμνη Oppiano (non Λάμνης vt quidam putauit) in recto ſingulari: vnde genitiuus λάμνης, & accuſatiuus λάμνην, & rectus pluralis λάμναι apud eundem leguntur. Λάμβαι, τὰ χάσματα, ἢ οἱ μόνοι τῶν ἀνθρώπων ἢ ἰχθύων, Varinus. Lamiam grammatici παρὰ τὸν λαιμὸν, id eſt à gula deducunt. vſurpatur autem & Græcis & Latinis id vocabulum pro voracitate. Ἔξοχα δ' ἐχθοδοπῇσιν ἐνὶ κήτεσι μαργαίνουσι Λαιμῷ λαβροσύνῃ τε κυνῶν ... Oppianus. Euſtathius lamiæ nomen deriuari voluit à verbo λάπτω, λέλαφα, λέλαμμαι. Bellonius quid ſibi velit quod lamiam ipſa voce ad hamiam accedere ſcribit, non video. neque enim cū amia piſce (quem hamiam cum aſpiratione nō rectè videtur appellare) quicquam commune eſt lamiæ, præter literas quibus ſcribuntur, accentibus quidem variant. ἀμία enim paroxytonum eſt, λάμια proparoxytonum. Ab eodem qua ratione lamia piſcis latus planuſque, & tamen galeorum generis qui longi ſunt, eſſe dicatur, miretur aliquis. De lamia, tum quadrupede, tum huius nominis ſpectro ſiue dæmonio, plurima diximus in Quadrupedum hiſtoria. Amia alicubi pro lamia deprauate legitur in Athenæo, Maſſarius. Nominatur & Lamyros piſcis ab Ouidio, hoc verſu: Fœcundumque genus Mænæ, Lamyroſq;, Smariſq;. ſic.n.lego. vulgati codices corrupte habent, Menerelamiroſq;. Vide in Lamyro.

Lamyros.

Epitheta. Ἄπλατοι λάμναι, Oppianus. Ἀταρτηρῆς τε δυσαντέα χάσματα λάμνης, Idem.

Lamiæ ſcorti inſignis meminit Aelianus Variorum 12.13.

Lamiam aliqui Scyllæ matrem faciunt, quam quidam in fabulis dæmonium quoddam eſſe fingunt: Comicus etiam libidinem eius traducit, his verbis: Λαμίας ὄρχεις ἀπλύτους, Euſtathius. Sibyllam primam aiunt fuiſſe filiam Lamiæ, hanc verò Neptuni, Plutarchus in libro Cur non amplius carmine Pythia reſpondeat. Lamia oppidum eſt celebre Phthiotarum, Plinius 4.7. Scoppa grammaticus lamiam Italice interpretatur, la ianara, ſtrea, magara. Vide in Strige in Hiſtoria Auium noſtra. Solus homo mammas habet in pectore, vt ſcribit Ariſtoteles. Epheſius in Scholijs narrat. Ariſtophanem Comicum tradidiſſe lamiā habere in pectore mammas, eodem ſcilicet loco, quo ipſas homo obtinet, id quod fabuloſum videtur, Niphus.

Quoniam de dentibus lamiæ Gillij & Rondeletij verba retulimus ſupra: & aliqui lapidis genus, quem ego gloſſopetram Plinij eſſe conijcio, à linguæ figura ſic dictum, dentem lamiæ nominant, alij ſerpentis linguam, iconem eius ex Coſmographia Orientis Andreæ Theuet monachi Galli, quam Gallice nuper edidit, hîc appoſui.



Genus quoddam linguarum (inquit, cum lapidum dicere debuiſſet, linguas referentium figura) in Melite inſula reperitur: quas aliqui lamiarum dentes vocant, quod mihi veriſimile non fit: alij ſerpentium linguas, quod magis probo. Inter ſaxa & rupes adhærent, tanquam adnatæ aut glaciei cōgelantis vinculo aſtrictæ. Superficies earum pulchrè polita eſt, ambitu dēticulato, tam ſcitè vt vix aliquis artifex æmularetur. Cōmendantur aduerſus venenum maximopere, vnde etiā cōijcio has eſſe ſerpentiū linguas

DE CANTHARO, RONDELETIVS.

A QVEM Græci κάνθαρον vocant, Gaza ſcarabeum in conuerſione ſua nominat. In Gallia Narbonenſi, Prouincia, Hiſpania parum mutato nomine Cantheno dicitur. Hodie quoq; Græci quidam corrupto vocabulo σκαθάρον appellant. Ligures tanado à colore, illis enim tanat, color eſt, qui pullus Latinis, Gallis enfumé. Cantharus verò à ſimilitudine canthari terreni, qui è fimo ingentes pilas auerſis pedibus volutat, inquit Plinius, dictus mihi videtur. Vt enim hic fimo delectatur, & in eo hyeme conditur: ſic cantharus piſcis, in luto & ſordibus libenter verſatur. Quare in litoribus & portubus degit, in quæ loca maris ſordes fluctibus pelluntur, cœnumq; ex proxima terra pluuijſque confluit.

Lib 8. de Hiſt. anim. cap. 13. *Lib. 11. cap. 28*

Iconem

Iconem hanc canthari quod iam prius in Italia factam haberem, poſui. Rondeletii icon corpus oſtendit latius, & (ſi caudam excipias) infra ſupraque rotundius, os minus prominens, & denticulatum, &c.



Piſcis eſt litoralis, auratæ vel ſargo corporis forma, branchijs, pinnis, aculeiſque ſimilis. ſquamis integitur paruis: caput & quæ circa oculos ſunt partes, ex nigro rubeſcunt, quæ permiſtio pullum ſiue fuſcum colorem efficit. Ore eſt minore, quam aurata vel ſparus, dentibus paruis. A brāchijs ad caudam lineæ ductæ, ſunt ſubaureæ: non manifeſtæ, vt in ſalpa, ſed obſcuræ. Internis partibus non differt à ſparo. Lapides habet in cerebro. B

Aqua & ſtercore veſcitur. C

Huius obiter inter litorales meminit ſolum Ariſtoteles lib. 8. de hiſt. anim. cap. 13. & in catalogo piſcium nominauit tantum Plinius lib. 32. cap. 11. A

Sed Oppianus de eius caſtitate hæc cecinit: D

Καὶ τοὶ μὲν πλεόνεσσιν ὁμευναίαις ἀλόχοισι
Τέρπονται, σαργῶν τε γένος, καὶ κόσσυφος αἴθων.
Τοὶ δὲ μίαν στέργουσι καὶ ἀμφιέπουσιν ἄκοιτιν,
Κάνθαρος, αἰτναῖοί τε, καὶ οὐ πλεόνεσσι γάνυνται.

Lib. 1. ἁλιευτικῶν.

Quæ ſic vertit interpres:

Vxores ſargi multas & † merulus ardens
Ducunt: aſt alii contenti coniuge ſola,
Cantharus † ætnæus ſpernentes agmina lecti.

**In merulo primā breuem producit.* *† Poſt cantharus diſtinxerim.*

Oppianum imitatus Aelianus ſcribit cantharos non more ſargorum pro multis coniugibus, ſed non aliter quàm Menelaum cum paride, prò vna tantū decertare. Hic obſeruandum eſt, videri Oppianū ætnæum nomen piſcis facere, id quod etiam facit Aelianus multo apertius. Cuius hæc ſunt verba: Sunt & caſtitate præſtantes piſces. Aetnæus ita appellatus, poſteaquam cum pari ſuo tanquam cum vxore quadam coniunctus, eam ſortitus ſit, aliam non attingit, neq; ad fidē tuendam ſponſaliū tabulis illi opus eſt, neq; malæ tractationis pœnam timet: neque Solonem veretur, ex quo leges nobiles, & vrbes graues profectæ ſunt, quibus libidinoſi homines non parere nihil verentur. Mihi verò longe ſecus videtur. Exiſtimo enim ætnæum epitheton eſſe canthari, quoniam nulla omnino, quod ſciam, mentio ætnæi piſcis fiat apud Ariſtotelem, Plinium, Athenæū, aut vllum aliū vel Græcum vel Latinū ſcriptorem veterem. Præterea autorem habeo Phauorinum, cuius verba hæc ſunt, in dictione Κάνθαρος. Κάνθαροι αἰτναῖοι, μεγάλοι ἀπὸ τῆς Αἴτνης, id eſt, Canthari magni ab Aetna. quanquā hîc legatur in vulgaribus codicibus, κάνθαροι αἴτναι pro αἰτναῖοι. id quod indicat alter eiuſdem locus in dictione Αἰτναῖοι. Αἰτναῖος κάνθαρος, ὁ μέγας, ὡς τοιοῦτον λέγει Ἀριστοφάνης κάνθαρον τὸν ὑπερμεγέθη. μέγιστον γὰρ ὄρος ἡ Αἴτνη. ἢ ὅτι διάφοροι κάνθαροι εὑρίσκονται. id eſt, Cantharus ætnæus magnus. ætnæum dicit Ariſtophanes cantharum permagnum: maximus enim mons Aetna, aut quod varij (διάφοροι, *peculiares vel excellentes*) canthari inueniantur. Neq; vero ſum neſcius his in locis de cantharo terreno mentionem fieri: ſed ex his colligo cantharum marinum ætnæum pro vario ſiue pro fœdo dici, quorum vtrumque illi apte conuenit, ſiue corporis colorem, ſiue victus rationem locumque, in quo degit ſpectes.

De Aetnæo. nos quod Aetnæus epitheton tantum canthari videatur, refutauimus in Aetnæo. *In pace.*

Cantharus molli eſt nimium præhumidaque carne, nec boni ſucci: quare merito viliſſimus eſt piſcis nec niſi pauperiorum cibus. Ventrem mollit elixus. In ſartagine coctus vel elixus cum croco, cinamomo, pipere, zingibere, vel cepa & oleo, vel exiccatus, multo melior redditur. F

DE EODEM BELLONIVS: QVI CITHARVM CVM CANTHARO *confudit, vt ab initio apparet, in ſequentibus enim aliquoties pro citharo cantharum repoſuit.*

A Citharus (*Cantharus*) piſcis Lutetiæ ex Oceano tritiſſimus, à cuius vulgo Bremma marina, dū † Abramidem nominare conatur, appellari ſolet. Maſſilienſes Cantenam, Genuenſes Cannā, (*cum icone ſcribebatur Tauna, in libro Gallico de piſcibus Tanua: malim Tanna*) alij Daphanum, Dephanum vel Tephanum vocant. Cantharū autē minime ex hoc dictū puto, quod Canthari vaſis exprimat effigiem, aut quod Cantharo, id eſt, ſcarabeo (ſic.n. Theodorus vocat) ſimilis ſit: vel quod cantare ſciat: ſed potius (vt ait Apollodorus) quod Apollini ſacer ſit, vt & mullus Proſerpinæ, Bocas Mercurio, Catulus (*κυτῖς Athenæus habet, voce corrupta vt coniicio. Bellonium, aut quiſquis eſt, Catulum vertiſſe miror. Citton quidem hederam, non piſcē, Dionyſio ſacram eſſe conſtat.*) Libero patri, Apua Veneri, Neptuno quoq; Pompilus. B Citharus in Melanuri formā circinatus eſt: ſquamis integitur ex Indico ſplendentibus: vnde Romano vulgo Zaphile dictus. Os habet paruum, inferiorem maxillam latam, in qua breues ſunt dentes, confuſo ordine diſpoſiti: labrum ſuperius, veluti in calua infarctum: caudā bifurcam, cuius ſuperior pars longior eſt, quam inferior: Supercilia nigricantia atque oculos cæſios, quorum pupilla nigra eſt, in ambitu pallida: lineam arcuatā, vtrinque in lateribus cyaneam.

† Cyprinum latum.

Gregalis

C Gregalis est: raro enim solus capitur. Vescitur herbis, carne, pane & caseo, ex nauibus in mare proiectis. In locis quæ ἄσπρα nominant, gignitur. Aelianus. 1.26.

E Capitur nassis, hamo & Sagenis.

B Branchias habet vtrinq; quaternas: quarum suprema spinea siue ossea flexilis est. Pinna tergoris duodecim aculeis rigentibus est communita: cui quæ vicina est, tribus tantum vncinis obfirmatur. Video porro Sargum Melanurum, Auratam, Sparum, Synodontem, Dentalem eodem ferè circino tornatos esse, vt vix ab oculatissimo atq; assuetissimo distingui possint. Ego vero in foro piscario Londinensi memini me vidisse Cantharos quosdam lineis albicantibus variegatos, alios cyaneis, alios ex luteo nigricantibus, rectis quidem, sed non ita conspicuis, vt in Salpæ tergore videas.

F Xenocrates hunc piscem (*forte citharum, non cantharum*) inter grati saporis & boni succi edulia, qui & abunde nutriant, facileqne in corpus digerantur, & aluum modice cieant, connumerat.

COROLLARIVM.

A Cantharus idem piscis videtur qui alias fœm. gen. κανθαρὶς vocatur. Κανθαρίδα περιφανέεσαν, ὕαινάν τε, τρίγλην τε, Numenius. Κανθαρὶς χρυσοειδὴς ἰχθὺς, id est piscis aureoli coloris, Varinus. Ducuntur enim in cantharo à branchijs ad caudam lineæ subaureæ, obscuræ, vt Rondeletius scribit. Idem nomen huic pisci inditum suspicatur, quod non aliter in cœno maris versetur, quam in stercore terrestris cantharus. Ego à colore dictum existimarim, quo cantharum, id est scarabeum refert, siue nigricante, vt in pilulario siue ex nigro rubescente, vt in scarabeo magno: qualem in eò colorem pictura etiam quam Venetijs nactus sum repræsentat. nam & Ligures tanado à colore vocant. illis enim tanat is color est, qui pullus aut fuscus Latinis, Rondeletio teste. Galli tanne colorem castaneæ corticis qui intra echinum est, appellant, ni fallor: qui si dilutior sit, ceruinus dicitur: saturatior, Bæticus, vt Rob. Stephanus interpretatur. Castaneus in vestibus is color, quem sublata prima syllaba vulgo taneum dicimus, cuius meminit Ouidius de arte amandi, Baysius Gallus.

Cantharus ingratus succo, tum concolor illi Orphus, Ouidius. Massilienses etiamnum cantharum vulgo, Ligures tamidum (forte tanadum, vt Rondeletius habet,) Græci corrupte scatarum nominant, Gillius. La cantara nomen est Italis vsitatum: Romanis Zaphile, Bellonio teste, forsitan à sapphiri colore. sunt enim è cantharis quidam cyaneis lineis variegati, vt Bellonius scribit. sed Iouius Sapphirum piscem Romæ dictum à cyaneo eius gemmæ colore, scarum interpretatur. Nos Germanice circumloquemur, *ein brune Meerbrachsm*, à colore & piscis fluuiatilis bramæ vulgo dicti similitudine.

B Cantharus sargo similis est, Gillius. De colore eius iam dictum est in A.

C Piscis est litoralis Aristoteli, Ouidius inter pelagios numerare videtur. Gignuntur in locis quæ ἄσπρα nominant Aelianus. Κάνθαρος δ' ὃς πέτρῃσιν ἀεὶ λεπρῇσι μέμηλε, Oppianus lib. 3.

D Turgent amore in fœminas canthari marini: & quoniam zelotypi sunt, acerrime pro suis coniugibus pugnant Aelianus.

E Canthari inescantur polypo aut carabo asso in nassam vimineam amplam indito, ad saxum aliquod inclinatam: cuius non modo venter sit bene capax, sed os quoque satis amplum. Ingredietur enim primum cantharus aliquis, & mox postquam pastus est, tanquam sibi metuens rursus exibit. Piscator nouam subinde escam reponet: donec multis magnisque tandem collectis, hos iam ceu domicilio gaudentes operculo ori tractu obfirmato capiat, Oppianus.

F Cantharus ingratus succo, tum concolor illi Orphus, Ouidius. videtur enim succum pro sapore dixisse, vt & Græci χυμόν.

Nam & alecula modo capta, & cantharus, exiguusque gobio, &c. Columella lib. 8.

a. Cantharus & cantharis etiam inter insecta vaginipennia sunt.

Cantharus quoque poculum est, quo vsus est Liber pater. Scyphus Herculi tribuitur, vt cantharus Libero patri, qui & ipse à naui nomen sumpsit. nam & Herculem scypho poculo maria transuectum aliqui narrant, Perottus. C. Marij penè insolens factum. nam post Iugurthinum, Cimbricumque & Teutonicum triumphum, cantharo semper potauit, quod Liber pater inclytum ex Asia deducens triumphum, hoc vsus poculi genere ferebatur, Valerius Max. 3.30. & Plinius lib. 33. Cantharo mulsum date, Plautus Asin. Et grauis attrita pendebat cantharus ansa, Vergilius in Bucolicis. Paruulus cantharus, Iuuenalis Sat. 3. Germanis etiam cantharus nomen est vasis è quo vinum ministratur mensis, vt Italis quoque. eius apud nos forma est talis: circunferentia à summo ad imum æqualis, à tertia ferè altitudinis parte canalis obliquus eminens ascendit ipso vase paulo altius: quo inclinato vinum funditur. Operculum vasi accommodatum est huiusmodi vt inseri adimique possit. è stanno fieri solet. Seruant & Itali canthari vasis nomen, haud scio an eiusdem formæ. Noster quidem cantharus, vas est haustorium in quod è dolio hauritur vinum: vel pocillatorium, vt ita dicam, è quo vinum in pocula minora funditur in mensas, & fundo simplici constat: veterum vero cantharus potorium vas fuit, hoc est poculi genus, & fundo duplici sic enim apud Athenæum legimus libro. 11 Poculorum (inquit) aliqua fundum vnum habent, naturale scilicet, hoc est, simul cum ipso vase conflatum aut fabricatum, aut sunt cymbia, phialæ, & huiusmodi: alia verò duo funda habent, vt ooscyphia, cantharia, (κανθάρεια,) Seleucides, carchesia, & similia. alterum enim fundum hæc habent cum vase simul factum, (vt superiora:) & insuper alterum addititium, quod ab acuto incipiens & in latius desinens, pedis loco est, cui poculum insistit, Hæc ille. Conuenit autem hæc forma duplicis fundi, vasis illis quæ Stizas vulgus nostrum appellat. Pollux inter pocula θηρίκλειον & κάνθαρον nominata scribit ab inuentoribus. Menander cantharum pro nauicula posuit, Macrobius autor libro 5. Ant. Mancinellus. Canthari, per quos aquæ saliunt, inquit Africanus iureconsultus. Cantharus, nodus sub lingua Apis bouis, quē Ægyptij colebant numinis vice, Plin. lib. 8.

h. Athenæus pisces quosdam refert deorum consecratos illis, quibus cum nomine aliqua in re conuenirent, vt boacem Mercurio: citharum Apollini, &c. κιττὸν Baccho, ego cyttum piscem nusquam legi. citton vero hederam huic deo sacram esse constat. Ex piscibus vero bacchum potius eiusdem nominis deo consecrarim: aut cantharum, quod is quoque eiusdem nominis vase potorio vteretur.

CAPRON piscem ab Aristotele dictum, supra in Apro quæres.

DE CA-

DE CAPRISCO RONDELETIVS.



ΚΑΠΡΙΣΚΟΣ piscis à Græcis dicitur, & μῦς, & à Strabone li. 17. χοῖρος, qui à nostris & Siculis porco. A

Est autem piscis marinus, corporis forma pagro quodammodo similis, magis rotundus, compressus. squamis tam firmè cohærentibus, tamq; asperis, vt iis lignum, & ebora poliri possint, veluti squatinæ cute. Ore est paruo, pro corporis magnitudine, sed dentibus acutissimis & validissimis, oculis rotundissimis. Branchiarum operculum non est osseum, neq; scissum, sed est rimula tantum orthragorisci modo, ad quam vtrinq; posita est pinna. In dorso tres habet aculeos robustos, asperos, rectos, membrana iūctos. A loco in quo branchiæ coeunt, ossa duo iuncta per ventrem ad podicem extensa, in aculeum vnicum & eui dentem desinunt: quæ ventrem sic firmant, vt non minus dura sit tota epigastrii regio, quàm dorsum ipsum. Internis partib. auratæ similis est, hepate magis albo. Hunc piscem esse qui μῦς dicatur, notæ eędem ab Oppiano traditæ comprobant: B

Μῦς Oppiani. Lib. 1. ἁλιευτικῶν.

Ἐν δ' ἔμυων χαλεπὸν γένος, οἳ περὶ πάντων Θαρσαλέοι νεπόδων, καὶ τ' ἀνδράσιν ἀντιφέρονται,
Οὔτι τόσοι περ ἐόντες: ἐπὶ στερεῇ δὲ μάλιστα Ῥινῷ, καὶ πυκινοῖσι πεποιθότες ἔνδον ὀδοῦσι.
Est quoque præ reliquis sæuum muris genus audet Bella inferre viris gens tantula, tergore duro
Fidens, & densis armato dentibus ore.

† Inter pisces qui degunt in petris & arenis sunt etiam mures.

Nullus est omnino piscis ex squamosis qui tam duro tegumento opertus, tamq; firmis dentibus armatus sit quàm hic piscis, adeò vt expertus ipse sim, ne acutissimo quidem gladio penetrari posse. Ex quibus colligas piscem hūc planè μάχιμον esse, cum nihil frustra fiat à natura. His adducor, vt credam eum piscem quem hîc depingimus, μῦν esse Oppiani, qui ab Athenęo lib. 8. dicitur καπρίσκος, & μῦς: vt hoc in loco non assentiar Hermolao, qui legendum putat ὗς, nisi eodē modo apud Oppianum quoq; legatur. Sed pręstat locum Athenęi proferre: Καπρίσκος καλεῖται μῦς καὶ μῦς, βρομώδης δ' ἐστὶ καὶ σκληρός, κιθάρου δὲ ἐστὶ δυσαπεπτότερος, δέρμα δ' ἔχει εὔστομον. Capriscus vocatur etiam μῦς, virus resipit, & durus est, citharoq; concoctu difficilior. quod sequitur δέρμα δ' ἔχει, &c. indistinctum est in vulgaribus nostris codicibus: nam post δυσαπεπτότερος oratio commate distinguenda, & nomine εὔστομον claudenda. Illud verò εὔστομον, non significat ori gratum: hoc enim superioribus planè repugnaret: sed bene firmum, durum & robustum: ἀπὸ τοῦ στομῶσαι, quod inter cætera significat σκληρῦναι, id est, roborare & indurare. Hunc verò piscem ea esse substantia, succoq; quem tradit Athenęus, ego gustatu ipso deprehendi. De eodem Strabonem locutum fuisse existimamus, cùm pisces Nili recenset: τῶν χοίρων ἀπέχεσθαι τοὺς κροκοδείλους, στρογγύλων ὄντων καὶ ἐχόντων ἀκάνθας ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, φερούσας κίνδυνον τοῖς θηρίοις. id est Crocodilos abstinere à porcis, qui cum rotundi sint, & spinas ad caput habeant, periculum beluis afferunt. Quæ adscripsi, vt intelligant omnes vel hunc piscem, de quo agimus: vel eum de quo proximo capite dicemus, (*nos supra posuimus in Apro.*) verum esse Nili porcum: non magnum illum qui in hortis Pontificis Romani Belueder nuncupatis, circa Nili statuam sculptus spectatur, porcusq; vulgo dicitur, cum sit Hippopotamus. F A

Athenæi locus peruersus. Hermolaus.

Εὔστομον pro duro.

Χοῖρος Strabonis. Nili porcus.

Hippopotamus.

COROLLARIVM.

Cum Capriscus hic Rondeletii vulgò à Gallis Siculisq; porcus appelletur, & aculeis in dorso armetur validis, asperis, acutis: quærendum an idem fortè sit Plinii porcus, de quo scribit: Inter venena sūt piscium porci marini spinæ in dorso, cruciatu magno læsorum: remedium est limus ex reliquo piscium eorum corpore. Aprum suum Bellonius squamas habere negat: Rondeletii verò tum aper tum capriscus squamosi sunt. In cæteris plerisq; descriptio apri Bellonii (in A, elemento à nobis posita) & caprisci Rōdeletii ferè conueniunt: vt vel ijdem vel omninò cognati inter se pisces videri possint. Vtriq; pellis dura & aspera, qua ligna expoliri possunt: duę in tergo pinnę, quarum prior fortibus aculeis obfirmatur. Branchię non detectæ. corpus rotundum ferè. lineę cancellatę in cute. vna vtrinque in lateribus pinna. Oculi sursum in capite. Os paruum: in quo dētes, acutissimi & validissimi Rondeletio: humanis æmuli, in gyrum siti, Bellonio. hactenus descriptiones conueniunt: icones verò ab vtroq; positę multū dissimiles sunt. Quod Rondeletius ex Diphilo δέρμα εὔστομον pellem duram interpretatur, rarum est, & (ni fallor) exemplo caret: & si à verbo στομῶν deriues, vt ipsi placet, εὐστόμωτον dicendum erat. Massarius quidē ex hoc Athenęi loco εὔστομον, suaue transtulit. nec prohibet fortè durities, quò minus aliquid ori gratum sit, prę sertim mediocris & cartilaginea vt sic dicam: imò etiam iuuat. & dura etiam cutis coctione mitigari potest. Pręterea cum ipse Diphilus in eodem de piscibus sermone, contrario sensu vocabulum ἄστομον aliquoties vsurpet pro eò quod insuaue est & ori ingratum, ineptè sanè ἄστομον alia quam contraria ad εὔστομον significatione posuisset. Apud eundem Athenęum Hicesius de sphyrænis scribit ... καὶ εὔστομοι. & εὐστομίαν Plutarchus accipit pro adlubescentia palati, orisq; commendatione. Cæterum in iisdem Diphili verbis nomen βρομώδης malim per o. magnum in prima scribere. etsi aliquoties in eodem sermone ἄβρομος quoq; per o. breue scribatur, contrario sensu. βρῶμος ἐπὶ δυσωδίας λέγεται. Varinus. fortè & virus Latini ab hac voce deduxerint.

Εὔστομον.

Ἄστομον.

βρομώδης.

Q Germa-

Germanicum caprisci nomen his verbis circumscribere licebit, *ein Savvfisch im Meer*: ad differentiam apri, qui in Acheloo reperitur, *ein Savvfisch in rinnenden oder fiessen vuass.r.n.*

Vide num Rondeletii aper marinus hyęnę, vel porci, vel caprisci, quo cum plurima habet communia, species sit.

DE CAPITONE SEV CEPHALO FLVVIATILI, RONDELETIVS.



A C Ephalus fluuiatilis is est, qui ab Ausonio Latinè Capito nominatus est, à Gallis *Munier*, quod circa moletrinas plurimus sit: ab aliis *Vilain*, id est turpis ac fœdus, a victus ratione: quia stercore, cœno, sordibus delectetur & viuat. Alii à capitis magnitudine *Testard*. Sunt qui squalum Latinè appellandū esse contendant, quia Romani hodie squalum vocant. Sed alias ostendimus Squali nomen solis Galeis conuenire à squalore & cutis asperitate. Capitonis nomen quo vsus est Ausonius in Mosella, ad marinū referri non posse, vel hinc potissimum colligas, quod aristis Capitonem abundare scribat, id quod fluuiatilibus commune est. Versus eius sunt: *Squalus.*

Squameus herbosas Capito interlucet arenas, Viscere prætenero fartim congestus aristis.

B Est igitur Capito hic, marino Capitoni similis, nisi quod dorso est minus lato, & corpore magis compresso. Vnicam habet pinnam in dorso, duas branchiarum ima parte, inferiore ventris loco duas alias, à podice vnicam. Capite est crasso & magno. Os sine dentibus est, sed asperum: palatum carnosum, sed minus quam in Cyprino, item ossa in palato. oculos habet medios, pupillam nigram. Branchias quaternas & geminas. Ventriculum paruum, intestina parua, hepar ex albo rubescens, fel in medio viride, vesicam geminam aere plenam, peritonęum nigricans. Caro frequentibus spinis firmata est. Vescitur cęno & aqua, à carne abstinet, vt ex frequenti dissectione & ventriculi inspectione cognouimus.

B In pura aqua diu seruari potest, modo aqua mutetur sæpius, & vas ad summum vsq; non impleatur, nec mica panis, nec quicquam aliud in aquam iniiciatur: alioqui moriuntur suffocati.

F Carne est candida, gustus insipidi. Sale conditus melior efficitur & à marino salito vix distinguitur.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Veneti & Romani Squalum vocant, quem piscem Insubres Cauedanum, Placentini & his finitimi *Cauezale*, Parisienses *Testaraum*, alii *Vn Cheuesne*, Lugdunenses *Vn Musnier*, prouisores aulici *Vn Vilain*, alii Calliastro, Cenomani & Andegauenses *Vn Cheu...*, vel *Vn Testard*, Angli *Chieuen* vel *Pollarde* appellant, quorum nominum bona pars à capite, quod crassiusculum hic piscis habet, profecta est. Eum nondum adultum *Gauetum Romæ* vocari audiui. In morem Cephali extuberat. Cum autem Cephalorum quatuor sint genera (vt Hicesio placet) quorum omnium deterrimus est is qui Chelon siue Bacchus appellatur, nos non sine ratione eum quarto Cephalorum generi adscribi debere existimamus. Siquidem hic Cephalum capitis effigie, ipsoq; adeò colore refert, atq; omnium Cephalorum magis est insuauis: vnde Villanum aut vilem aulici ichthyopolæ commodè nominarunt. De hoc meminit Ausonius, cùm de Thedone scribit.

Et nullo spinæ nociturus acumine Thedo. Cæterum genuina Testardi appellatio, Gallica quidem est, ad Thedonem nonnihil alludens: sed Cheuinęi magis Anglica est ad maiores pisces huius generis pertinens. minores enim palmum non excedentes *Polara*: paulò autem maiores *Chius* vocant.

B Pedales enim sunt, & persæpe longiores: hoc à Mugilibus differentes, quòd Mugiles duas ferant in tergo pinnas, hi verò vnicam tantum eo loci paruam. duas in lateribus, ac rursus vtrinque vnam: duas rursus sub ventre, superiori oppositas, caudam bifurcam. Leucisco prorsus persimilis esset, nisi squamis paulò latioribus contegeretur. Ceruicem & caluam quodammodo planam habet vt Mugil; patulas nares, inferius labrum admodum grande. Os dentibus vacuum pupillam in medio oculi nigram, quarum iris lucida plurimum apparet.

COROLLARIVM.

A Capito & Squalus vnius piscis fluuiatilis nomina vetera Latinis vsitata ab Italis etiamnum retinentur. Græci eius nullo peculiari nomine meminerunt: mugilis tamen fluuiatilis nomine comprehendi poterit: vt κεστρεὺς ποτάμιος, vel potius κέφαλος ποτάμιος dicatur. Est enim apud eos cephalus species mugilis marini, quem Capitonem Latinè transferunt. & hic quoq; à mari aliquando longius recedens flumina subit: à nostro autem hoc fluuiatili diuersus est. Capitonis fluuiatilis, hoc nomine Ausonius tantum meminit, quod sciam, hoc versu: Squameus herbosas capito interlucet arenas, &c. Plinius, neq; is solus vt Gillius putauit, sed Ouidius quoq; & Varro squalum vocarunt. Squali quidem nomen vulgus à cephalo deprauasse videtur. Neq; verò me pręterit, semel alicubi apud Plinium squalos pro galeis legi, siue id corruperunt librarii, siue vulgus seculi Pliniani literas aliquas immutauit.

Qui

Qui Adriaticum sinum accolunt, etiam hac ætate Squalum vocant, Gillius. Proferunt autem Italice *squalo*, vel *squallo*, Venetiis etiam *squadro* aliqui: Tridenti *squaio*, & de minore *squalloto*. Ferrarienses & alii accolæ Padi capitonem nominant, Capidon. similiter circa Larium lacum: alii cauedo, caueden, coueano, vel potius caueano. omnia enim hæc nomina à capite facta videntur, quod reliqui corporis proportione grandiusculum habet. Miratur Grapaldus cauęduli piscis nullam in veteribus scriptoribus memoriam extare. Ab aliis, ni fallor, Scieuolo d'aqua dolce, id est cephalus aquæ dulcis dicitur. Papię Kabacelli quidam pisces dicuntur, similiter puto a capite, haud scio an ijdem. Lugdunenses Munium vocant, Gillius. *Vn Musnier*, Bellonius: qui alibi etiam gobium fluuiatilem alterum à suis Cenomanis *Musnier* appellari scribit. Munii quidem vocabulum Rondeletius à moletrinis deductum ait: quęrendum an à mugile potius (cuius est species) deductum sit. Carolus Figulus piscem quem Gallicè *Monnier* appellat, (& à quibusdam mullum existimari scribit, ineptissimè quidem à sola primę syllabæ in Gallico nomine congruentia) Germanos ad Mosellam *Moenie* vocare ait, nomine (vt apparet) à Gallis deducto: alii *Moene* scribunt n simplici. in regione Vuesterica & alibi vocatur *ein Myn*, vel *Minvue*. Colonię (ni fallor) *Menethen*. Albertus monachum nominat, vt coniicio. nam in Danubio & aquis in eum influentibus, nasum esse piscem scribit similem monacho, tenuiorem, & nasum valde crassum habere. Est autem capito noster similis pisci quem nasum vocant Germani. Idem Albertus maxillas & dentes monacho tribuit, quales in capitone nostro visuntur, vt retuli in Barbo B. Vide infra in Monacho M.elemento. Haud scio an idem sit pisçis, quem in nonnullis Germanię partibus *Monfisch* appellari aiunt. Argentinę nominatur *ein Furn, oder Forn.* quod nomen alii (vt piscatores circa Acronium lacum) diuerso pisci attribuunt, quem nostri vocant *ein Schvval*, nos supra Leucisci seu Mugilis fluuiatilis speciem fecimus, inter Albos pisces. Circa Argentinam etiam *Miesesser* ab aliquibus cognominari audio: vnde illud natum puto, quòd inter iocos piscatorios catus appellatur: *Ein Furn ist ein Katz*. tanquam muribus felium instar vescatur, quod falsum esse dixerim. muscis enim potius quàm muribus vescitur. Heluetii *Alet* nominant Bauari *Alt*. Angli *Cheuyn vel Cheui*. Belloniua *Chieuen* & *Chius* non rectè videtur scribere tanquam Anglica vocabula. Huic simillimum esse audio quem iidem Angli vocitant *a Chubbe* sed minorem, si bene memini. Sunt & *Mylvvynfisshe*, pisces quidam Anglis. Bellonius hunc piscem ab Ausonio non capitonem, vt mihi cum Rondeletio videtur, sed Thedonem vocari suspicatur, leui admodum coniectura, ex vocabulo motus, quod id ad Gallicum *Testard* nonnihil alludat. Ausonius nihil aliud de Thedone præter hunc versum reliquit scriptum, Et nullo spinę nociturus acumine Thedo. ex quo facile de quo pisce sentiat coniicere non est. Carolus Figulus Thedonem opinatur esse piscem, quem vulgò Trutam nominant. quidam verò inquit thedonem aiunt esse piscem quem fundulum vocant. Atqui Trutā spinas habere, easq; etiam validas constat. quare mustelam minimam illam, quam nostri enneophthalmon vocant, cætera lamprede similem, quod spinis prorsus careat, si diuinandum est, thedonem esse cōiecerim. Est igitur piscis de quo agimus, mugilis fluuiatilis species: ad quod genus etiam alii quidam pisces, partim inter Albos prędicti Leuciscorum nomine communi, partim in Mugilibus dicendi, referuntur, sed hic peculiare, vt diximus, Capitonis aut Squali nomen sibi vendicat. Piscis quidem *Schval* dictus à nostris, etsi sub eodem mugilum genere comprehenditur, & nomine accedit proximè, alius est tamen à Squalo Latiorum. *Monnier.* *Monachus.* *Furn.* *Miesesser.* *Alet.* *Thedo.*

B Squalus piscis squamosus est, & Barbi piscis speciem similitudinemq; gerit, exceptis pilis, quib. barbus ornatur. Gillius. De maxillis & dentibus monachi piscis. Alberti verba recitaui in Barbo B. Hæc dū scriberem Capitonem mihi allatum è foro piscario inspexi, maiorem multò quàm capi soleat: appendebat enim libras nostras quinq; cum dimidia. libra autem nostra, octodecim vnciarum est. longus erat sesquipedem. Pinna dorsi denis constabat ceu neruis spinosis, quæ primo simplices. in latum superius eleganter findnntur. Pinnę binę ad branchias, totidem in medio ventre infrà: vnà à podice. color earum ruffus: vt & caudæ, in qua tamen extrema ad cęruleum inclinat. Bellonius pinnas duas in lateribus ei tribuit, ad branchias intelligo: ac rursus vtrinq; vnam, duas rursus sub ventre. ego hæc verba *ac rursus* abundare dixerim. pinnas enim duas ad branchias habet, vtrinq; vnam: ac rursus duas sub ventre, vnam à podice: vt res ipsa ostendit, & Rondeletius quoq; recte scripsit. Pinnæ in dorso initium æquidistabat ab initio capitis, & initio caudę. Squamæ splendidę, albicantes, angulosæ, latę (vnde squammeum Ausonius cognominauit, ab earum magnitudine) cute vltra medium obductæ, minimis variante punctis. Oculi nigri, in circuitu aureoli, tempora subflaua. os rubicundum. Linea quędam à brāchiis versus caudam per medium corpus leuiter apparebat. Latitudo inter vtrunq; oculum trium digitorum erat. Dentes latent in faucibus, in maxilla ferè semicirculari, supernè leuiter adunci, ordine duplici, exterius qui ni, interius bini. Cum maximus est, vlnę mensuram ęquare audio. Aristis in carne multis abundat: nec omni tamen tempore vel ętate puto: nec vndiquaq;, sed versus caudam præcipuè. Nostro quidem

C seculo piscinam nemo ferè habet nisi dulcem, & in ea duntaxat squalos ac mugiles pisces, Varro. Squalus lacustris & fluuiatilis est, Gillius. & apud nos similiter: maior tamen in fluuio nostro, vt aiunt, quàm lacu. in Rheno quoq; magnus. Capitur & in Lario lacu: in Constantiensi lacu nullus, neq; inferiore neque superiore. Inuenio Cephalum, etiam inter Strymonis fluuii pisces nominatum a Bellonio: nec scio an de marino intelligat. mugiles enim Nilum subire Strato author est, Squameus herbosas capito interlucet arenas, Ausonius. Ouidius etiam inter pisces degentes in herbosa arena squalum numerat, sed marinos, (cephalum marinum fortè intelligens,) hoc versu: Et squalus, (addo, &) tenui suffusus sanguine mullus. Gregatim natat. Carnem & pisces non attingit: sed scarabeis & quibusuis animalculis, quę in aquę superficie viderit, saltu mordicus apprehensis pascitur: vt ineptè à quibusdam *Miesesser*, id est, muriuorus cognominetur. non enim mures, sed muscas captat, & cantharos. Vide in E. quib. inescetur. Mense Maio parit: vel, vt quidam dicunt, Maio, ab vno latere: ab altero verò posteà, cum cerasa quę amarella nostri vocant, iam matura sunt. *Cephalus.*

E Hamo capiuntur, cui piscatores inserunt, vel gryllum campestrem, vel acinum vuæ: vel muscæ genus, quod piscatores nostri *Alemuggen* appellant. ea musca est magna, oblonga, nigricans: per hyemem in fluuiis latens, alia specie apparet, vt in Historia Insectorū dicemus. Cerebro et bubulo delectantur: cuius particulam subtiliter circa hamum piscatores quidam alligant.

F Viſcere prętenero fartim congeſtus ariſtis, Nec duraturus poſt bina trihoria menſis, Auſonius de capitone. Squalus ſanè noſter vilis eſt piſcis,&cum molli ſit carne mox extra aquas flacceſcit. Qui maior fuerit,minus eſt mollis: vt hic etiam,ſicut de barbo Auſonius ſcribit,in ſenecta præferendus videatur. Commendantur apud nos Decembri potiſſimum. Scribunt aliqui per hyemem totam eos admitti menſis poſſe, & vêre etiam vſq; ad initium Maii.æſtate non probari. Placent & circa Octobris calēdas, quo tempore hæc dum ſcriberem, vnum ouis grauidum reperi.magnus is & præpinguis erat. oua quoq; ſapiebant palato.Nec vllæ apparebant ariſtę,ſiue illæ non omni temore,ſiue non omni ætate in eis reperiuntur. Menſura ſquali qua minorem vendi in Bauaria nō licet, ſeptem vel octo mediocres viri digitos implet.Caput in eo pręfertur.Fluuiatilem lacuſtribus,tum ſaporis odoriſq;,tum ſalubritatis gratia,antetulerim. Aſſus plerunque magis laudatur.ſi elixari placeat,vino frigido imponendus eſt: & cum iam prope eſt vt ſatis coctus ſit,butyro calido perfundendus.Sunt qui hunc piſcem maiuſculum, in tres diſſectum tomos, ad quadrageſimale ieiunium reponant.

H.a. Capitonem recentiotes aliqui vocant gobii fluuiatilis genus alterum,cui caput eſt grandius. Capito etiam dicitur de homine qui magnum caput habet, Ciceroni 1.de Nat.& duri capitones,qui nunquam de ſua ſententia immutantur apud Plautum in Perſa.

CARABVS, vide in Locuſta.

CARINVS, vide ſupra in Balagro. CARIS Grçce, Latinè Squilla eſt.

CARO marina è Trotula in libro Muliebrium capite viceſimonono, miſcetur medicamento ad maculas oculorum. Adarce eſt. Vide Syluaticum.

DE CARPIONE BENACI. RONDELETIVS.



A INter lacuſtres Truttas vel Salmones Carpio ab Italis nominatus reponetur: quod figura,partium numero & carnis ſubſtantia illis ſit ſimilis,vt ex collatione cuiq; perſpicuum eſſe poterit. Rectè igitur vocabitur Salmo vel Trutta Benaci lacus,quod in nullo alio reperiri omnes affirment.Ferunt olim in Italia Pione appellatum.deinde cum quidam,cui carius piſcis hic venditus fuerat, facetè dixiſſet ſe carpione emiſſe inde vocari cœptum pro Pione,Carpione.

B Eſt igitur Carpio piſcis pedali magnitudine,capite,ore,dentibus,branchiis,pinnis,cauda, ſquamarum paruitate Truttis ſimilis.Corpori maculas aſperſas habet nigricantes & ruſas. Ventre eſt candido, laterib. aureis,dorſo nigricante.Pinnulam dorſi poſteriorem adipoſam habet,quę Salmonum & Truttarum nota eſt.Hoc tantum à Truttis differt,quòd ventre ſit paulò prominentiore,& roſtro longiore.

F Cæterum partibus internis,carnis ſuauitate & ſubſtantia Truttas optimas refert,quantum guſtu deprehendere mihi licuit,cum per littora Benaci iter facerem.illic enim diligentius Carpiones contemplatus,& aſſos,& elixos mihi parari iuſſi ſine vllo condimento,vt veriùs de ſucco & ſubſtantia iudicare poſſem.Tanti faciunt piſcem hunc Itali,vt vix vllum alium vel marinum, vel fluuiatilem cum eo cōferendum putent. Et eſt reuera piſcis bonus,carne duriuſcula,ſiccaq;, minimè glutinoſa,rubeſcente,denique omnino Truttis vel Salmonibus ſimili.Editur Carpio elixus ex aceto.Solent & Benaci accolæ in ſartagine frixum,foliis inuolutum,aceto irrigatum per vicinas vrbes circunferre. Idē mos eſt apud nos Cemeneorum montium oculis in Truttis ſeruandis & aliò mittendis. Aiunt Carpiones diu ſeruatos cōtabeſcere & deteriores fieri,quod & multis aliis piſcibus accidit,maximè iis qui delicatiore & friabili ſunt carne. Contrà qui duri & glutinoſi ſunt,aſſeruati meliores fiunt,& concoctu faciliores.

DE EODEM, BELLONIVS.

B Carpio non ita magnus piſcis,Benaci lacus alumnus,lautioribus Italorum menſis plurimum expeti ſolet. Quamobrem illi certis,quibus frequens atq; edulis eſt, anni temporibus, captum ſagenis piſcatoriis,rarò autem hamo,piſcinis ad litus includunt: quem haud diutiſſime adſeruant, ne nimium macilentus ac deterior euadat.frixus .n.& ſalitus,atq; interdū aromatib.conſperſus, longius circūferri ac per vrbes Italię diuendi ſolet. Sed & Genuenſes ad huius rei imitationē,vulgarē ſuam Carpionatam cōficiunt,atq; in multa loca per verna ieiunia transferunt. Ea .a.pleriſq; bonorū ac ſaxatiliū piſciū generib.in ſartagine feruenti oleo incoctis conſtat. Trachuros enim Atherinas,Sargos,Sparos,Erythrinos, Bocas,Mænas,Pagros,Auratas,& huius generis permultos prius frixos,ac modico ſale inſperſos, & in caniſtris cancellatim diſpoſitos,latifolia myrto ac lauro intertexunt. Romani nunc fricturam,nunc Peſce de Sfollia nominant. *Carpionata Genuenſium.* (A) Atq; hos eſſe piſces exiſtimo,quos Plinius medicus Viſcellatos vocauit. De piſcibus(inquit) aſpratilibus viſcellatum cum aniſo conditum aut pipere modico dabis. Item lib.5.capite 24. Dabis Echinos,Pectines,Pipiones,& piſces viſcellatos. Puto quidem eum fiſcellatos, quaſi fiſcella vel vimine concluſos atq; aſſeruatos intelligere voluiſſe. *Viſcellati piſces.*

B Carpio Benaci lacus truttarū generis piſcis eſt: ſed teretius illi eſt corpus,barbi ſiue myſti in modum carniuorus & phryganii edax. Quamobrem oblōgis dentib.non in maxillis modò,ſed & in palato & ſuper ipſa lingua prçditus eſt. Squamas habet tenues,lituras in tergore ſubruffas ac nigras. Ventrem candidum atq; argenteum,tergus ſubnigrum. Vnicam ac breuē pinnam, ſecundum dorſum extenſam atq; eminentem carunculam iuxta caudam: obſcuram in laterib. lineam,in quib. nullæ ſint pinnæ, ſed ipſarū quoddam veluti rudimentum ſub ventre ad branchias. Huius piſcis corpus aliquantulum falcatum eſt,neq; pedem excedere vnquam eſt viſum: cętera Troctam refert. nam ſquammarum & pinnarum ſeriem eandem eſſe in vtroq, facilè conſpicies,capite tamen eſt longiore.

COROLLARIVM.

A Carpionem multi vocant piſcem,quem alii carpam,hoc eſt cyprinum veterum; de quo nos infrà in Cyprino ſcribemus. Capitur in lacu Benaco propè medio,quaq; altiſſima eſt aqua,piſcis clarus,Carpio ab incolis dictus,pedis plerunq; longitudine, qui omnino piſcis alibi non capitur. eum piſcem capere, atq; cognoſcere Federico(imperatori)voluptati fuit,Petrus Bembus Hiſtoriæ Venetæ lib.1. Germanicè nominari poterit *ein Gartſer ine*,vel per circumſcriptionem, *ein Seefoerinen art im Gardtſee*: id eſt, Trutæ Salmonatæ genus in Benaco. Nullam huius piſcis in veterum ſcriptis mentionem extare Grapaldus miratur.

B Carpionem è Benaco Tridenti olim vidi,thymallo ferè ſimilem vel Biſolæ lacuſtri piſci, quatuor aut quinq; palmos longum,tres aut quatuor digitos in ventre latum,dentibus per labia multis,ſquamis exiguis. Punctis nigris notatur,vt trutæ lacuſtres ferè,plurimis,in ſpineo quidem branchiarum operimēto,denis aut duodenis aliqui. Audio nonnullos ad quatuor libras appendere. Spinam in capite geſtant pernicioſam,Platina.

Piſces quoſdam auro veſci vulgò creditur,vt thymallos,carpiones Benaci,& alios quoſdam. hinc & carpiones dictos aliqui ſuſpicantur à carpendo auro. ego aurum & argentum è loculis guloſorum hominum potius ab eis conſumi dixerim,qui vt ſuo gratificentur palato nullos non ſumptus faciunt. eſt aūt pretioſiſſimus hic piſcis,vt diſtichon illud apud Italos de eo circunferatur:

Chi beue maluaſia,& mangia carpion, In capo d'an va in prigion.

B Benacum lacum profundiſſimum eſſe aiunt: & in eo carpiones gregatim capi circa medium ferè profunditatis lacus. nam quo tempore in profundo degunt,capi non poſſunt. Maximum rete in altū recta dimittunt,hoc modo: Deinde duo c.d hoc eſt partem inferiorem retis trahendo eleuant, donec ſuperiori a.b.æquetur. Deinde quaterni totū rete ſurſum trahunt,itavt ſecundum latitudinem planum ferè extrahatur. aliquādo inane, aliquādo cum paucis piſcibus extrahitur. quamobrem magno vęneunt.



F Caro huius piſcis ſolida eſt, & rubicunda, vt truttis. Coquuntur,vt audio,in aqua ſalſa, vt Iudęi ſolent ſuos piſces coquere: deinde oleo friguntur. Saluberrimos iudicant,vt ęgrotis etiam,& capite vulneratis concedant. Ego olim oleo frixos, quos vir pereruditus & liberalis Aloiſius Mundella medicus pręſtantiſſimus(vnà cum icone ſimili illi quàm Rondeletius exhibuit)Brixia Tigurum ad me miſerat, quàm optimos guſtaui. Tridenti aliquando vidi paruum etiam carpionem duobus denariis argenteis & quadrante, hoc eſt obolis argēteis octonis vęnire. Alexander Benedictus tempore peſtis carpionem inter cęteros piſces commendat. hic (inquit) in Benaco lacu noſtro omnium laudatiſſimus eſt. Idem nutrimenta quę Venerem concitant recenſens: Ex piſcibus (inquit) delicatiores conueniunt,aromate conditi, quales anguillæ, ex Benaco lacu carpiones,&c. ſic enim diſtinguendum eſt. Coquuntur carpiones Benaci quouis modo: verùm vt diu durent, captos ſtatim ac in ſalimola biduo retentos,in optimo oleo diu friges,vt bene coquātur. Seruari(*ſic habet codex noſter*)hoc modo per menſem: etſi minùs ſalubres & inſuaues ſint,& eo amplius ſi recocti fuerint,ſeruabuntur vt alii piſces,non tamen adeò, ſi hoc modo fuerint fricti,Platina.

G Cauendum eſt,ne à ſpina quam in capite geſtat,lædaris. pernicioſa.n.ac ſi veneno tincta eſſet habetur.

H Carpionis fabula inter Pierii Valeriani poëmata eſt: in qua fingit Catulli poetę per Benacum nauigantis poemata incidiſſe in aquam. In carpiones(ſic habet argumentum fabulæ) inde mutantur libri:

Membrana namque piſcium id genus parit. | *Ramenta in auri transferuntur literæ:*
Cognata quæ eſſe conſcii piſces ſibi, | *Sola illa deinceps deſtinarunt carpere,*
Vnde hæc ſecuta carpionum nomina,

Et in ipſo poemate:

Candor adhuc remanet membranæ, vtut ante nitebat, | *Aridula docta pumice raſa manus.*
Puniceusq, color tergo, qui frontibus, & qui | *Argenti fuerat cornibus ille decor.*
Fulua caro fuluum manifeſtius indicat aurum, | *Et ſapor ambroſia gratior & melior.*
Aureus hinc lentor, vis aurea, inutilis ægris | *Non cibus eſt: aurum noſcere vt inde queat.*
Hic ſatiare nequit, nequeunt ſatiare libelli. | *Spinula pungentis monſtrat amœna iocos.*
At ſale quod veſco longos conditur in vſus, | *Victuros pandit tempus in omne ſales.*

Παρέργως quędam de viſcellatis piſcibus apud Plinium medicum Bellonius in carpione ſcribit, & à fiſcella ſic dictos ſuſpicatur. ego iuſcellatos potius dixerim,hoc eſt iure conditos: quos quidam Grçcè,ſi bene memini, ζωμισοὺς appellant. iuſcellum enim (librarii aliquando perperam viſcellum ſcribunt) vocem à iuſculo diminutam,apud Cęlium Aurelianum & Gariopontum legimus. Galenus quidem in iure albo coctos potiſſimum laudat.

DE CASTORE, RONDELETIVS.

A DE fibris ancipitis naturę animalibus etſi multi multa ſcripſerint,partim ex veterum & probatorum ſcriptorum libris,partim ex iis quæ ipſi viderunt & obſeruarunt,tamen inutilis non fuerit hic labor meus eadem rurſus pertractandi: quia quędam proferimus quę ad partiū tū internarū tū externarū cognitionē pertinent,quę à nullo,quod ſciam,literis prodita ſunt,maximè ex percontatione & colloquio optimi doctiſſimique viri Gulielmi Pelicerii Monſpelienſis epiſcopi accepta: qui diu domi Caſtores aluit tum minores tum maiores, vt eorum partes,naturam,mores penitus noſſet.

A Κάστωρ à Grçcis dicitur à dictione γαστὴρ, quæ ventrem ſignificat,quod ventroſum ſit animal. Reiicienda igitur quorundam Grammaticorum etymologia,qui dictum Caſtorem volunt quod ſeipſum caſtret, vel quod ob Caſtorium à quęrentibus caſtretur. Καστόρειον teſtes Caſtoris vocant,vt annotat Galenus. Fi-

brum Latinè dictum volunt à fibris, id est, amnium ripis quas incolit. Canem Ponticum alii vocant. Galli *bifre*, alii *bieure* nominant. Ab Italis *biuare*, à Germanis *Biber* appellatur. Sunt qui à Lutra non distinguunt, cùm maximè cauda differat, & viribus Lutra Castore multò sit inferior.

Lutra.



B Castor animal est amphibium, ac veluti Sciurus aquatilis. Capite, oculis, dentibus murem refert: lingua suem, maxillis leporem, rostro canem barbatum. Dentes longi sunt, lati, recurui. Animal horrendi morsus, arbores iuxta flumina vt ferro cædit. hominis parte comprehensa, non antequam fracta concrepuerint ossa morsum resoluit. In interiore maxillæ vtriusq; parte octoni sunt molares, inæquales. Auriculæ paruæ pilis obtectæ. Priores pedes simiæ pedibus, posteriores anserinis similes quibus potissimũ & caudæ latitudine natat: prioribus foueam sibi cauat in ripis amnium, eamq; componit lignis à se cęsis ea arte collocatis, vt vel decrescente vel increscente aqua partem anteriorem corporis in sicco, caudam verò in aqua habere possit. quia cauda extra aquam exsiccatur, durior, rigidiorq; redditur, atq; ideò minus obsequens prçsertim in excernendis alui excrementis. quam ob causam partem posteriorem in aqua tenere existimant diligentes rerum peruestigatores. alioqui ęgrè admodum excrementa reiicit: tum quia fellis parum in intestina influit, illud enim frequenter euomit. tum quia alimentis siccis maximè vescitur, vt ramis & corticibus arborum. Anterioribus pedibus simiarum vel sciurorum ritu tanquam manibus cibum ori admouet. Cauda illi piscium, id est, squamosa, quemadmodum pisces squamosi sunt, prona parte, supina, glabra & lęuis. Partibus internis porco quàm alteri animali similior, scilicet lingua, pulmone, corde, ventriculo, intestinis: hepate in quinq; lobos diuiso, in minoribus lobis fel latet. splen paruus pro corporis magnitudine: renes magni, pinguitudine obducti non aliter quàm in vitulo anniculo. Vesica suillę similis: testes parui, substrictiq; & adhærentes spinę, qui adimi sine vita animalis non possunt.

)D) *Caudam cur in aqua habeat.*

Fibri in inguinibus geminos tumores habent, vtrinq; vnicum membrana sua conclusum, oui anserini magnitudine. inter hos est mentula in maribus. in fœminis pudendum. Hi tumores testes non sunt, sed folliculi membrana contecti, in quorum medio singuli sunt meatus, è quibus exudat liquor pinguis & cerosus: quem ipse Castor sæpe admoto ore lambit & exugit, postea hoc veluti oleo quas potest corporis partes contingere, oblinit: non aliter quàm aues, præsertim eę quas ad aucupium ὀρνιθοκόμοι alunt: quibus supra podicem siue prona in parte caudę vesicula est, in qua inest liquor quidam pinguis, oleo similis, quem rostro exhauriunt, ac pennas primum maiores, deinde minimas quasq; pinnas perungunt. id quod Galli aucupio dediti Proindre vocant, id est, perũgere, atq; hoc maxime prognostico pluuiam præsagiri aiunt: natura aues sub diode gere solitas ad id stimulante, vt veluti oleo illitæ peñnę non madefiant. Hos tumores testes non esse hinc maximè colligas, quod ab his nulla sit ad mentulam via, neq; ductus quo humor in mentulæ meatum deriuetur & foras emittatur. Prçterea quod testes intus reperiant. Liquor ille de quo loq mur, cũ recẽs est, oleũ refert, cũ vetustior mellis liquidi colore est & crassitudine.

Tumores quosdam peculiares, non testes esse in castorum inguinib. &c.

Idem leporum exemplo declarare non inutile fuerit. Iis in vtroq; inguine tumor est, glandulę prominentis modo intus meatus est varicosus, capreoli modo intortus, è quo liquor effluit. Hos tumores cum in omnibus leporibus obseruasset vulgus, lepores omnes simul mares & fœminas esse credidit. Eosdem tumores Moscho animali esse puto à quibus odoratum illud pus emanat. Neq; sunt audiendi qui putant tuberculi, vel vmbilici inflammati saniem esse. Tumorem esse glandulæ vel testiculo similem, mẽbrana circundatum, norunt qui adulterant. nam in testiculi formam effingunt, ac testiculum Moschi appellant.

Leporum tumores similes.

Moschus animal.

Hæc quę de tumoribus inguinum castoris & liquore inde manante à nobis prodita sunt, cum ita se habere doceat ipsa inspectio atq; experientia, nunc inquirendum, sint ne Castoris testes quib. olim vsi sunt veteres in prçstantissimis remediis, quibus hodie quoq; sæpius vtimur: an verò tumores illi liquore ceroso grauidi, de quib. iam diximus. Et si testibus vsi sint veteres, possimusne in eorum vicem tumores illos vtiliter vsurpare. Primum testibus vsos fuisse antiquos perspicuè docent ipsorum scripta. ὁ χεσκηνὸς ὄρχεσιν ὀνομαζόμενος..., inquit Galenus. ... Sestius apud Plinium, paruos esse ait substrictosq;, & adherentes spinę. Adulterari autem renibus eiusdem qui sint grandes, cum veri testes parui admodum reperiantur. Prętereà ne vesicas quidem esse cum sint geminę, quot nulli animantium Itaq; inter probationes falsi esse geminos folliculos in vno nexu dependentes. In his folliculis inueniri liquorem, & asseruari sale, & corrumpi fraude, coniicientibus gummi cũ sanguine aut ammoniaco: quoniã ammoniaci coloris esse debeãt, tunicis circundati, liquore veluti mellis cerosi, odoris granis, gusto amaro & acri, friabiles. Quæ postrema nota de exsiccato teste cum suo liquore intelligenda est. friabile. n. humori competere non põt. Idem de testibus Castoris ex Dioscoride colligitur, qui eligi vult castoreum quod habeat testęs ex vno ortu connexos, liquore intus ceroso, odore graui & virus redolente,

De castoreo veterum.

Lib. 32. cap. 3.

dolente, gustu acri, mordente, friabile, naturalibus tunicis circundatum. Nunc quod venditur Castorium etiam si adulteratum non sit, testes non esse, magnitudo ipsa conuincit. illi enim parui sunt admodum, & gallorum gallinaceorum testiculos magnitudine non multum excedunt: Castorium verò nostrum multò maius est, nihilq; aliud planè quam tumores ii quos & oratione & pictura expressimus, exectì atque exsiccati tunica veluti scroto inuoluti, qui pro testibus habentur: quia eo loco sunt quo in quadrupedibus pendent testes ex vtraque penis parte. Quare non mirum si pro testibus hodie vęnales proponuntur. Sed facultatibusne differant, vocari in disceptationem potest. Qua de re dicã quod sentio: Tumorum liquorem, liquidiorem esse, tenuiorumq; partium quàm testium, quod saporis odorisque maior acrimonia declarat: ac proinde in remediis quæ extrinsecus adhibentur efficacior erit: iis verò quæ assumuntur vis minuenda pro affectus ratione. Atq; existimo veteres ipsos tumorum potius quàm testium liquorem medicamentis permiscuisse, vt ex liquoris cerosi consistentia, odore graui, virus redolente, ex gustu acri, mordente colligere licet: quas omnes notas veriorẹs esse in tumorum quam in testium liquore comperies.

Reliquas corporis particulas actiones moresq; persequamur. Fœminę quam hic depinximus, vnicus est meatus & ad excernenda excrementa, & ad pariendum. Cute tegitur & pilis densis breuibusque & mollibus Lutrę modo. *Icon.*

F Carne est dura, pingui, bubulę simili, semper virus olet. quoquomodo condiatur, malum succum gignit. assa melior est aromatis aspersis.

C Dioscorides cum piscibus & cancris in aqua viuere, non piscibus & cancris vesci intellexisse videtur. Verba eius sunt ζῶον ἀμφίβιόν ἐστι, τὸ πλεῖστον ἐν ὕδασι σὺν ἰχθύσι καὶ καρκίνοις τρεφόμενον. id est, Fiber ancipitis vitę animal plerumque cum piscibus & cancris victum in aqua capessit. Et reuera corticibus & ramis arborum, maximè salicum, ac foliis & fructibus potius vesci experientia comperit Gulielmus Pelicerius Monspeliensis Episcopus, qui fibris quos alebat, frequenter pisces & viuos & mortuos obiecit, à quibus omnino abstinerent, ac ne degustarent quidem cum tamen versari in aqua maximè cibi caussa videri possint.

D Permirum illud quoq; est quod idem mihi affirmauit de Castore fœmina, quæ catulis ereptis conclusa: portis firmissimis arrosis, & clauis ferreis euulsis patefacto aditu, ex alto loco præcipitem se dedit.

G Magnus est Castoris in medicina vsus. nam, vt à pelle incipiam, vtile est podagricis, calceari pellibus fibrinis ponticis. Vrina venenis resistit, quę commode seruatur in sua vesica ad antidota Fel ad oculorũ suffusiones & ad venerem in mulieribus excitandam valet. Coagulum epilepticis conuenire creditur. Tumores inguinum & testes in frigidis & humidis morbis magno sunt auxilio, cum sicco sint & frigido (*calido*) temperamento, quod ex acri odore & sapore colligas. Serpẽtũ venenis aduersantur, sternutamenta mouent, & in vniuersum varios obtinent vsus, quos declarat Dioscorid. li. 2. Galen. lib. 11. de facultatib. simpl. medic. & Plinius variis in locis, quæ omnia describere superuacaneum foret. Venenis resistere castoreum, declarant antidoti quibus miscetur, vt Theriaca Opii vires debilitat, ob id narcoticis adhibetur: purgantibus verò, ad crassam pituitam incidendam & educendam. Efficacissimum est castorium ex Ponto Galatiæ, mox Africæ vt tradit Plinius. quod tamen Strabonis autoritate impulsi nonnulli improbare possent, cum scribat castorium Ponticum esse φαρμακῶδες, si id venenatum interpretarentur, quod tamen verum non est. Nam Strabo de Hispania loquens castorium Hispanicum cum Pontico conferens hoc efficacissimum, illud imbecillum esse intelligit. verba eius sunt: Κάστορας μὲν φέρουσιν οἱ ποταμοί, τὸ δὲ καστόριον οὐκ ἔχει τὴν αὐτὴν δύναμιν τῷ ποντικῷ. ἴδιον γὰρ τῷ ποντικῷ πάρεστι φαρμακῶδες καθάπερ ἄλλοις πολλοῖς. Id est, Castores quidem in fluuiis inueniuntur, sed castorium eandem vim minimè habet cum Pontico, cui proprium est efficacissimam habere in medicamentis vim. Neq; huic sententię nostrę refragatur quod Auicenna, aliiq; aduersus morbos à Castorio tanquam venenato excitatos, remedia & antidota præscribũt. Nam de castorio nigro, fœtido, rancido, corrupto loquuntur: quod venenatum esse vnoq; die hominem perimere traditur, & insaniam agere ob immodicam siccandi facultatem.

Lib. 32. cap. 3.
φαρμακῶδες.
Lib. 3. Georg.

A Est & hoc loco non dissimulandus error autoris libri de aquatilibus, qui Castorem siue Fibrum, Aristotelis Latacem esse scribit, cum Aristoteles ipse eodem in loco Castorem & Latacem ceu diuersos ponat: τοιαῦτα δ' ἐστὶν ὅ τε καλούμενος κάστωρ, καὶ τὸ σαθέριον, καὶ σατύριον, καὶ ἐνυδρίς, καὶ ἡ καλουμένη λάταξ. Neq; est quod quenquam id moueat quod scribit Aristoteles Lataci dentes esse robustos, noctuq; egredi, virgulta proxima suis dentibus vt ferro præcidere, quæ Castori tribuit Plinius. Etenim id Castori, Lataci, & Lutræ commune est. Vnde Varro Lutras quasi Lytras dictas esse existimat, quod arborum radices in ripa succidat & dissoluat, quod Græcis est, λύειν. Lutra quidem præter differentias quas alii adferunt, à Castore differt renibus: qui in Lutra magni sunt, ac veluti ex multis paruis renibus compacti, quales esse Delphinis & Vitulis terrestribus alibi diximus. Latax verò à castore, quòd Lataci pilus sit durior, medius inter pilum vituli marini & cerui.

Castorem non esse Latacem contra Bellonium.

Lutra & Latax quid commune castori habeant, & quid diuersum.

COROLLARIVM.

A Castoris & figuram (parte prona, vt Rondeletius supina) & historiam cum quadrupedibus viuiparis dedimus: Bellonii verò de eodem obseruationes in Appendice de iisdem: vbi & quędam ab eo scripta non approbaui: & inter alia quòd calculi interdum in testibus existimatis reperiantur: intellexi autem postea Bellonium calculos illos dum castores ipsos secaret, reuera in eis reperisse: quod vt viro docto & diligenti concedam, rarò tamen & pręter naturam id fieri dixerim. hîc, quoniam Rondeletio quoque & Bellonio, de hoc & aliis quibusdam amphibiis animalibus in Aquatilium historia agere visum est, quædam superpondii loco adiiciemus. Kiranides castorem alio nomine canem fluuiatilem nuncupat, alii potius lutrę hoc nomen attribuunt, & ęquius quidem vt mihi videtur. quandoquidẽ lutra in pisces, ceu canis in feras inuadit: castor nõ itẽ. Pro latace, Auicennę ex Aristotele translatio lamyakiz habet: Albertus falsò castorem exponit, cum Auicennę interpres pro latace habeat lamyakiz, pro castore fastoz. Eadem voce alibi deceptus Albertus lamię quædam attribuit, quę omnino castoris sunt. Fiber Germanice *Biber* dicitur, apud Saxones *Pever* vt Ge. Agricola scribit. Apud Anglos quosdam nomen Latinũ seruat: nec mirum si nullum ei positum sit vernaculum, quando in ea insula non reperitur, vt audio: & forte ne in aliis quidem insulis marinis. Sed nonnulli Anglorum *Beuer* vocitant.

B Caſtorem Soſtratus ſcribit inueniri in deſertis Scythię,& teſtes habere latos inſtar apri, Scholiaſtes Nicandri. Caſtores aliqui androgynos eſſe putant,(vt etiam lepores,)quod tumores teſtibus ſimiles in vtroq; ſexu habeantur. Caſtoreum circa vrbem Balaſcham abundat, & in alias regiones inde effertur, Ludouicus Romanus. Enydrus animal eſt fluuiatile amphibium,ſimile caſtori, Heſychius. Apud Gelonos lacus eſt ingens,ex quo lutrę capiuntur & caſtores,Herodotus. Noſtri fibros circa fluentes tantum aquas morari aiunt,lutras etiam circa lacus, Nicander tamen caſtorem λιμναῖον,id eſt lacuſtrem dixit. Auicenna ſcribit ſe vidiſſe caſtorem, cuius omnes dentes fuerint rubei,& curui,& longi. & huius cauſſa fuit,quia hoc animal eſt venaticum,& niſi venetur non habet cibum. quamobrem natura produxit ei dentes longos,qui fortiter prędæ infigantur: & curuos,ad fortiter retinendum. rubedinis autem cauſa fuit,influxus ſanguinis in eos, Albertus. Caſtorem fœminam in Albi captam Georgius Fabricius (in epiſtola ad me) ſibi inſpectam ſcribit,cuius vtriuſq; pedis digitus qui eſt minimo proximus,vngulam bifidam habuerit,roſtro auis ſimilem. cętera bellè conueniſſe cum icone quam lib. 1. poſui. Iulius Pomponius Sabinus,qui ante annos octoginta in Scythia peregrinatus eſt,in hunc modum de caſtore ſcribit libro 1. commentariorum ſuorum in Virgilii Georgica, Fiber animal horrendum, infra magnitudinem porcelli,pedes habet breuiſſimos. ventroſus eſt. Dentes habet peracutos. Habitat ripas Boryſthenis amnis, qui è palude inacceſſibili oritur. Differunt inter ſe colore,(vt in D. referetur.) Cauda pedalis,aut paulo amplior,in longitudine formam habet linguę humanę,ſed tamen amplitudo modum non (*forte abundat negatio*) ſuperat. eadem pilos non habet,cortex verò ſimilis eſt cortici piſciũ,qui ſunt ſine ſquãma. Si requiras ſimilitudinem, fibri ſimiles ſunt lutris,&c. quæ referemus in ſequentibus capitibus.

C Circa fluuios tantum degit: vel,vt quidam putant,etiam circa lacus: vide in A. Caſtor etiam, vt feles & ſciuri,pedibus prioribus caput,aures,os demulcere ſolet,Ge.Fabricius. Nullam arborem, pręter populos,ab eo expeti & abſcindi audio,easq; ſæpe mediocris in Germanorum zetis vſitatę fornicis craſſitudine. Ad arboris truncum erecti dentibus deorſum actis ſecant: & poſt vnam aut alteram ſectionem ſemper retrocedunt curſu,inſpecturi caſumne minetur arbor. Domicilia ſua ad trãquillos profundosque amnium receſſus aut ſinus ferè conſtituunt.

Fiber morſu arbores iuxta flumina,vt ferro,cædit. Pedes habet breuiſſimos: vnde fit vt currere non poſſit. Cum vocem dat,infans eſſe creditur. Paſcitur pomis & arborum corticibus,Iul. Pomponius Sabinus.

D Caſtor ſeipſum caſtrat,Iuuenalis Sat.12. Minimè mordet,Pomponius Sabinus. id enim niſi laceſſitus non facit. irritatus verò adeo ſæuit,vt etiam oſſa eius,quem inuaſerit,morſu diminuat, Geo. Fabricius. Tria domicilia ſeu cauernas in ripis per gradus excauat, vt cum fluuius intumeſcat, ſuperiora petat: quoniam prope aquas habitare gaudet,Pomponius Sabinus.

Fibri inter ſe differunt colore,quę in pilo differentia eſt. Qui nigriores ſunt,vt dominos cęteri venerantur: proxima nobilitas illis eſt,qui non ſunt adeò nigri: qui ruffeſcunt,ſerui ſunt. Ita obſeruatum eſt à Scythis. Hi,id eſt,ſerui,poma legunt: hi cædunt cortices. inde duo iunguntur, in quorum dorſum alii ex bacillis veluti cratem conficiunt,& poſtea poma & cortices ſuperimponunt. Illi autem qui ſubiêre,iuncti procedunt pari greſſu,vſq; ad regiam,& ibi exonerantur. Cum domini capiuntur, mœrore quodam afficitur plebs,& luctum inceſſu vultuq; indicat. Si domi nutriuntur,tantus ineſt eis pudor,vt domum neq; ſtercore neq; vrina maculent: & ſi egredi non datur,queritur,& clamat, donec poteſtas ei fiat exeundi. Et quanto nobilior,tanto modeſtior eſt fiber,Idem Pomponius. Quod ſeruos caſtorum loco plauſtrorum eſſe Pomponius ſcribit,id cum mure alpino commune habet hoc animal,Ge.Fabricius.

E Fibri apud Valleſios aliquando capiuntur in canalibus ſeu aquæductibus, qui è Rhodano fluuio in prata irriganda ducuntur. Caſtorum pelles apud Gelonos ad rhenones faciendos conſuuntur,Herodotus lib.4. Eædem apud Moſcouitas habentur in magno precio: omnesq; iuxta ex his, quòd nigro eoque natiuo ſint colore,fimbrias veſtium habent, Sigiſmundus Liber Baro. In Polonia etiam caſtorum pelles elegantiores pretioſiſſimę ſunt. nam & diutiſſimè durant. Pelles dorſi veſtium pellitarum addunt oris, tum vt decoris gratia emineant,tum quia eiſdem conſeruari putant alias pelles. Fiunt & integrę veſtes ex eis,quibus pannus nullus ſuperinducitur, vt è lupinis. E pilis mollioribus & interioribus de ventre præſertim,inuicem intricatis lanę feltrię inſtar tibialia & pilei fiunt,quæ reſiſtunt pluuiis. Adipis fibri piſcatoribus etiam vſum eſſe audio,ſimiliter vt ardeę. Dentib. fibri ne collis puerorum ſuſpenſis, aiunt vim ineſſe,ne membrorum aliquod cadentes perfringant: quod quia ratione caret, ſuperſtitioſum arbitror,Ge.Fabricius.

F Sunt ex venatoribus Germanorum,qui fibri etiam carnes ad cibum parant: pręcipuè verò poſteriorem eius partem á ſalubritate commendant: ego pernam aut petaſonem pinguem prætulerim,Hier.Tragus. Scythæ caudam comedunt,& in deliciis habent,& ſale condiunt, vt nos petaſones: eſt enim ita pinguis cauda,vt apud nos lardum,Pomponius Sabinus.

G Dentes caſtoris anteriores aliqui poculis immittunt,aduerſus regium morbum vim eis ineſſe medicam perſuaſi,à colore forſan quo & ipſi flaueſcunt è ruffo. Vrina fibri reſiſtit venenis,& ob id in antidota additur. adſeruatur autem optimè in ſua veſica,vt aliqui exiſtimant,Plinius. Apri quoque vrinam in veſica ſua ſeruari & ſiccari ad remedia quædam iubent.

Probatur ammoniacum τὸ καστορίζον τῇ ὀσμῇ,hoc eſt odore caſtoreum referens, Dioſcorides. Galenus non καστορίου ſed κορίου,id eſt coriandri odorem in ammoniaco requirit,niſi librarii erratum hoc eſt. ego caſtorei odorem in ammoniaco vel inde probârim, quod adulterantes verum caſtoreum, gummi aut ammoniacum in follem coniiciebant,vt pluribus ſcripſi libro de animalibus in Caſtore G. Moſchi odor horribilis (viroſus) redditur,ſi prope aſſa fœtida vel caſtoreum fuerit, Arnoldus Villanouanus. Caſtoreum abundat in Perſide,ſed ex Balaſcham vrbe aduehitur. tanta ineſt illi vis, cum nondum conſenuit, neq; adulteratum eſt, vt Vertomannus referat (interpres eius Germanus, non rectè hæc ad moſchum tranſtulit) quaternos homines, qui ſinguli poſt ſingulos illud naribus admouerant, ſanguinem protinus ex ipſis naribus miſiſſe. Sed Perſæ ob auaritiam nullum ſyncerum caſtoreum ad nos venire ſinunt. Inuenitur & iuxta Iſtrum flumen,& iuxta Rhenum etiam,in frigidis ſcilicet regionibus, ſed longè infirmius eo quod in Oriente ac Meridie gignitur, Cardanus. Caſtoreum annis ſex poſſe ſeruari recentiores qui-

res qui-

ores quidam ſcribunt. Efficacius eſſe aiunt quod viuis caſtoribus ſit exemptum. Pro caſtoreo ſubſtitui ad remedia poteſt agalochum aut ſilphium, vt legimus in Antiballomenis Galeno adſcriptis. ego pro agalocho ſagapenum legerim,vt ſcripſi libro 1. de animalib. in Caſtore. Cęterum in Antiballomenis quę cum Aeginetę codice habentur,in caſtorei locum non ſilphium ſuccedit,ſed ſilpharum, id eſt blattarũ fœtentium inteſtina, σίλφων (σιλφῶν) βδεσῶν ἔντερα: nimirum extra corpus,vbi fermè quęuis fœtida aut viroſa pro caſtoreo vſurpari licet. à ſilphis quidem ad ſilphium facilis eſt tranſitus. In multis diuerſiſq; remediis apud veteres caſtoreum opio,nimiam eius ſtupefaciendi vim inhibendi cauſſa miſceri ſolitum animaduertimus: vt in medicamentis ad oculos,aures,ad hæmoptoicos,cœliacos, dyſentericos, apud Galenum de compoſ. med. ſec. locos, Nicander in Theriacis aduerſus venena commendat κάστορος οὖλον ὄρχιν, id eſt caſtoris teſtem (vt Scholiaſtes exponit,) ὁλόκληρον ἢ ὀλέθριον αὐτῷ: hoc eſt integrum, vel caſtori ipſi pernicioſum. ſed integrum ſemel dandum non puto ſenſiſſe Nicandrum,cum nullus ferè medicorũ ſupra drachmam vno tempore propinet. Caſtoreum inunctum emollit neruos & ſiccitatem aufert, Kiranides. Aluum mollit,& ſcybala educit,Braſauolus: quod nos aliquando experti ſumus.

Si manus & caput contremiſcant (inquit Aretęus in curatione lethargi ſeu veterni) caſtoreum dimidiæ drachmę pondere ex mulſæ cyathis tribus ad plures dies bibendum eſt. ſi bibi verò non poſſit, ad demoliendam calamitatem cum olei cyathis tribus,in quo ruta incocta ſit, duplum in imum inteſtinum infundatur: idq; per plures dies faciendum. Vltra verò vtilitatem, quæ ex hoc prouenit, (nam ſupra infraq; flatus expellit: & nonnullis vrinam ſtercuſq; detrudit:) ſi fortè in omne corpus dilabens penetrat, firmi atq; robuſti nerui efficiuntur,& habitus ad calidum ſiccumq; permutat: morborumq; cõſtitutiones conuertit. Optimè etiam proficit ſi in nares inſpiretur. nam & ea ex parte ſpiritus ſternutamentis educit. Et quemadmodum per veſicam vrinam expellit, ita & per nares mucum. Hos autem effectus hoc loco ſuaui caliditate pręſtat,& melius quàm alia ſternutatoria: ſcilicet quàm piper, veratrum, radicula, euphorbium. nam hæc ad primum atq; vltimum attactum immitia ſunt,& caput ſenſumq; perturbant. Caſtoreum verò paulatim adhibitum calefacit, cum & alioqui capiti conducat: quandoquidem nerui vndiq; ex capite oriantur: morbis autem neruorum caſtoreum medetur. Cęterum ipſum cum aliquo aut aliquib. ex ſupra comprehenſis admiſcere non ingratum fuerit. nam ſi admixtum ſit, non protinus quidem caput mediocriter cõturbauerit, diutius verò caliditatem accenderit, Hæc Aretęus. Et paulò poſt: Eadem huic vitio, quæ & catocho expediunt. ſimilis enim atq; eadem eſt horum morborum ſpecies. Caſtoreum vtiq; iſtis opportunius eſt atq; lenius & potui datum,& illitum,& in inteſtinum infuſum. Et mox in capite ad apoplexiam: Miram habet vim ad reſolutos caſtoreum, & illitum cum aliquo ex antedictis oleis,(Sicyonio vel gleucino:) ſed longè potentius eſt ſi cum mulſa potui detur. portio verò tanta ſit, quantam in veternoſis nouimus. coniectare autem oportet & ætatem ægrotantis: & mentem, an pluribus diebus bibere ſit paratus. Et paulò poſt: Inunctionum verò materia eſt (in hoc morbo) quæcunque à me ſupradicta ſunt, cum ipſis verò caſtoreum. Item inter auxilia rigoris quem tetanum vocant: Perungendę (inquit) ſunt nares caſtoreo cum crocino vnguento, permixto. quinetiam caſtoreum trium obolorum pondere aſſiduè bibere expediet. Verum ſi ab hac potione gula laboret, interiicienda eſt laſerpitii radicis exhibitio,&c. Ego puellę aliquãdo à laqueo paulò poſtquam ſe aſtrinxiſſet (nimio mœrore, quod adoleſcens, qui coniugium ei promiſerat, negaret) ereptę, caſtorei pollinem in iure calido per os infudi, vnde illa mox reuiuiſcere videbatur, viuitq; etiamnum. Ad capitis dolorem caſtoreum cum oleo & aceto Archigenes apud Galen. commendat. idem id admiſcet cataplaſmati cuidam in capitis dolore,& aliis ad eundem remediis. In curandis phreniticis vehementer noxium eſt aceto vti, atq; peucedano, & ruta,& caſtoreo. premunt hæc enim,& vertigines ingerunt,& ob acrimoniam ſui tumentes diſſecant membranas. Hin etiam alienationem geminant, aut preſſuram ingerunt vehementem, Cęlius Aurelianus. Arnoldus Villanouanus de memorię conſeruatione ſcribens ad vnctionem occipitii cum cæteris miſcet caſtoreum duorum vel trium annorum. Collyriis monohemeris dictis quibuſdam adduntur ea quę mediocriter aſtringunt,& concoquunt,& diſcutiunt. talia autem ſunt, crocus, myrrha, lycium Indicum. caſtorium etiam & thus citra adſtrictionẽ concoquunt, ſimulq; diſcutiunt, Galenus. qui alibi etiam idem ſcribit, caſtoreum inter ocularia medicamenta concoquere ſimul & diſcutere. Apud eundem iter Aſclepiadis medicamenta ad fluxiones oculorum cohibendas caſtoreum cum opio commendatur. Ad auditus grauitatẽ ac ſurditatem Caſtorium cum baccis lauri & aceto infunditur, Archigenes apud Galenum de compoſ. ſec. loc. Ibidem caſtoriũ ab Andromacho & aliis miſcetur compoſitionib. ad aurium dolores, iis pręſertim quibus & opium accedit, vt vim eius infringat. Caſtorii & papaueris ſucci par põdus in teſta attica aut Romana torrefacito,& trita paſſo diluta aurib. dolentib. inſtillato, Apollonius in eodem opere. Cęterum quęret fortaſſis aliquis,(inquit paulò poſt Galenus,) quam ob cauſam, cum nõ ſolum Apollonius, ſed alii etiam quidam celebres viri papaueris ſuccum & caſtoreum torrefacere iuſſerint, quo videlicet vehementia virium ipſorum minueretur, ego ad priorem meum ſermonem id apponere reliqui, nimirum ſupra, cum auris doloris curandi rationem ſcribebam. Huic ego reſpondebo in hunc modum: Caſtorium quidem igitur neq; omnino torreri operę prętium exiſtimo. neq; enim tãquam ſenſus ſtupefactiuum ad papaueris ſuccum ammiſcemus, ſed ob contrariam omnino rationem. vt videlicet vehementiam refrigerandi facultatis in eo obtundat. Quare qui papaueris quidem ſuccũ torreri iubent, non ſimpliciter id faciunt. In caſtorio verò omnino abſurdè id pręcipiunt: ipſum enim per ſe concoctoriã ægrè ſolubiliũ & in ſcirrhum induratarum affectionum vim habet. Sufficiens itaq; eſt etiam papaueris ſucci facultas, ſi ex eo quod eorum compoſitio diu ante pręparata & iam inueterata ſit, ipſius vires leniantur: torrefactus enim efficaciam perdit. Si verò caſtorio mixtus ad tempus aliquod inueteraſcet, manebit quidem adhuc in eo multa efficacia ipſius facultatis: malignitas verò ipſius extinguetur. Ad dolorem auris ex inflammatione obortum: Miſcetur caſtorio opium, verum multo ante vſum tempore, ſiue pari pondere, ſiue duplo caſtorio ammiſceatur, pręparatum id eſſe conuenit: & miſcetur quidem in vehementiſſimis doloribus pari, in minoribus verò duplo. Liquor verò quo hæc diluuntur ex muſto ſapa ſit. multò.n. magis quam dulcia vina, dolorem hæc ſedat, &c. Galenus ibidem. Emplaſtro cuidam molari, id eſt ad dentes molares dolentes, caſtoreum addit Aſclepiades apud Galenum.

Caſtore-

Castoreum potum & olfactum, & oleum de castoreo stomacho inunctum, prosunt singultientibus, Trallianus. Colicis medicamentis quàm plurimis castorium miscetur apud Galenum lib. 9. de comp. sec.locos. Cum oleo seu(&)nitro submissum (clystere immissum) colicos sanat, Kiranides. Castorii drachma cum opopanacis obolis tribus pota(vel deuorata) summè facit ad ischiadicos, Aëtius. Semen non emittenti in coitu (cum tamen in somnis emitteret) ob humidam vasorum seminariorum frigiditatem, castoreum inter cætera propinatum est, Aetius in fine libri vndecimi. Castorum testiculi ad curandas vuluas sunt vtiles, (ἐς ὑστέρας ἀκεσιν : Valla non rectè transtulit ad curanda posteriora,) Herodotus libro 4. Suffitum castorium olfactu excitet ex vtero strangulatas, Galenus ex Asclepiade. Vtero strāgulatis subuenit fœdè olentium olfactus, vt liquidę picis, capillorum lanęq; exustorum, flammæ in lucernæ extinctæ nidoris, castorei: quod præter fœditatem odoris neruos etiam refrigeratos calefacit, Aretęus. Castoreum cum vino iniunctum, suffocationes matricis sanat, Kiranides. Castoreum pessis veterum mollientibus miscet Hippocrates in libro de superfœtatione. Idem lib. 2. de morbis muliebribus, ad fluxum rubrum ex vtero, castorii obolum ex vino nigro austero propinat. Kiranides verò, Castorium (inquit) tritum, in pesso, menses educit. idem potum cum cerumine (sordibus) de auribus mulæ, conceptum prohibet. Cum fœtus mortuus est, dictamnum Creticum propinari, aut si is defuerit, castores (κάστορας, castorium potius) in vino Chio coqui(& propinari) iubet Hippocrates in libro περὶ ἐγκατατομῆς ἐμβρύου.

Qui corruptum castoreum sumpserunt, calidę phrenitidis accidentia incidunt, & citò mori periclitantur. His postquam vomitus fuerit prouocatus, succum propinato acetosę herbæ, aut acetum vini, aut lac vaccinum acetosum, aut malorum acetosorum succum. Est enim hæc vis propria pomorum acidorum succo, vt huic veneno aduersetur. Lac etiam asininum prodest, Rasis 8. 33.

H.a. Epitheton. λιμναῖος κάστωρ Nicander dixit, id est lacustris: quanquam nostri circa fluuios tantum, nō etiam lacus reperiri castores aiunt.

Centaurium minus alicubi audio *Biberkraut* Germanicè vocari: non à fibro, vt coniicio, sed à febre, cui medetur corrupto nomine. Herba quædam in humidis pratis, & fossis pratorum aquam continentibus crescit, ternis foliis, fabæ ferè: radice longa, transuersa, geniculata quam Adamus Lonicerus scribit *Biberklee*, id est fibri trifolium appellari.

Vulpanserem Galli sua lingua fibrum appellant, vn bieure: eo quòd similiter vt fiber viuariis noxius sit, deuorandis scilicet piscibus, Bellonius. De Castori dicetur mox.

c. Castor puto, sic me subes, apud Pompeium: Perottus legit subis. Sed rectè puto subes legi, pro eo quòd est, subtus arrodis, vt castor arborem.

DE CASTORIDE.

CAstorides animal marinum ad littora & saxa eminentia vlulatum diritatis plenum edunt, & grauissime rugiunt: earum sonitum quicunq; audierit, non effugiet, quin paulo post excedat è vita, Aelianus 9. 49. ex Oppiani Halieuticorum libro primo, vbi is Castorides inter cete recenset, quæ è mari in siccum aliquando exeant his versibus:

Δηρὸν δ' ἠιόνεσσι καὶ ἀγχιάλοισιν ἀρούραις Μίσγοντ', ἔγχελυές τε καὶ ἀσπιδόεσσα χελώνη:
Καστορίδες τ' ὀλοαὶ δυσαπενθέες, αἵτ' ἀλεγεινὴν Ὄσσαν ἐπὶ κροκάλῃσιν ἀπαίσιον ὠρύονται.

Ἀνδράσι &c. vbi Μίσγονται ἠιόνεσσι καὶ ἀρούραις, id est misceri litori & terrę, pro eo quod est in litus & terram exire interpretor: non autem in litore coitu cum aliis animalibus misceri, vt innominatus Oppiani paraphrastes intellexit, his verbis: Μίγνυνται, ἔγχελυς τῇ ἀσπιδοειδεῖ χελώνῃ ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς, ὥσπερ καὶ ἡ καστορίς. δυσοιωνιστὸς δέ ἐστιν ἡ καστορίς. ὁ γὰρ ἀκούσῃ τῆς φωνῆς αὐτῆς, τελευτᾷ. Io. Tzetzes in Variis scarum & castoridem solos piscium vocales esse scribit.

CATVLLVS cetus quadrupes noui Orbis, describetur infra inter Cete diuersa.

CATVS. In mari iuxta Arabiam nigram varię animantes degunt, terrestribus similes, sed breuioribus cruribus, iisq; pinnatis: corpore pilis obtecto perbreuibus, nempe Asini, Cati, Canes & Boues, Ex nauigatione Hamburgensis cuiusdam peractæ anno Salutis 1549. Itali etiam canes vel mustelos marinos, vulgò catos appellare solent,

CAVATA. Vide Canita superius.

CAVLINES, vide in Gobiis.

Κιμασῖναι, ἰχθύες, Hesychius. Vide Camasenes supra.

CEMMOR, Κέμμορ, cetus est ingens, Hesychius & Varinus.

CENTRISCVS. vide in Pungitio.

CEPHALINVS, Κεφαλῖνος piscis, à Dorione in libro de piscibus nominatur, & alio nomine Blepsias, à Cephalo diuersus, Athenęus. In Phauorini dictionario κεφαλῆνος non recte per η. scribitur in penultima.

CEPHALVS piscis, id est Capito, marinus, inter Mugiles describetur.

DE CERCVRO.

CErcuri pisces manent in Petris quæ plenę sunt chamis & patellis, Oppianus libro 1. Halieut. scribit autem Κέρκουρο proparoxytonum, per ι. diphthongum in penultima. Ouidius inter pelagios pisces cercyron ponit, per y. in medio. Cercyrosq; ferox scopulorum fine moratus. Plinius ex Ouidio non rectè bopgyrum, nisi librarios causemur, pro cercyto posuit. Varinus etiam κέρκουρον piscem agnoscit. Rondeletius inter pisces sibi ignotos numerat. Apud Hesychium κερκοῦρος, properispomenon, tum nauigii tum piscis nomen est. Cercurus siue Cercuron, nauis Asiana pręgrandis, authore Nonio: à Cypriis inuenta, teste Plinio libro 7. Plautus Sticho, Ibidem in cercuro. stega. Ibidem: Cercurum, quo ego me maiorem non vidisse censeo. Arianus libr. 8. pro genere nauigii κέρκουροι nominat.

DE

DE CERIDE VEL CIRRHIDE.

VIX alius piscis est, cuius nomen tam variis scriptum modis reperiam, quàm de quo nunc dicemus. Nā apud medicos Diphilum Siphnium, & Trallianum, κηρὶς vocatur, vocabulo oxytono fœminino per ἴδος paroxytonum inflectendo: nimirum à colore cerę, vnde & pruna cereola dicuntur. ab aliis cirrhis, κιρρὶς, à cirrho (vt Gręci vocant) colore, Latini giluum interpretantur. is autem subflauus est, ita inter vini colores κιρρὸν legimus. Κίρρις (malim oxytonum fœmininum) ὁ ἰχθύς, ἐπειδὴ κιρρὸς ἐστι τὴν χροιάν, κιρρὶς δὲ διὰ τοῦ ι ψιλοῦ. Κίρρις, εἶδος ἱέρακος. ὁμοίως δὲ λέγεται παρὰ Κυπρίοις κίρρις ὁ ἄδωνις· παρὰ δὲ Λάκωσι δὲ ὁ λύχνος. Κάκωσι δὲ λύχνος. Vnus enim piscis est Lychnus & Adonis. vide in Lychno. Varinus. qui tamen paulò ante scripserat Κιρίς (oxytonum cum simplici rhô vt et Hesychius) λύχνος, ἱέραξ, ἢ ἄδωνις, Λάκωνες. Videtur autem sentire piscem alio nomine Adonin dictum, à Cypriis aut Laconibus cirrhidem vocari. & color quidem subflauus, vtrisq; conuenit. Sed Oppianus pisces hos facit diuersos. De adonide enim vel exocœto alia scribit: de cirrhide verò libro 1. Halieut. quod circa petras leprades degat: libr. tertio cirrhadem vocans, à percā deuorari refert. Ceris piscis carne est molli, bonam facit aluum, stomacho commodus est. succus verò eius incrassat & abstergit, (παχυμερὴς καὶ σμηκτικός, quæ duo videri possunt inuicem aduersari,) Diphilus. Ex piscibus dare conuenit κόσσυφον, κηρίδα, χρύσοφρυν, Trallianus de hepatica dysenteria ex intemperie frigida. In colico affectu sumantur pisces duriore carne prędi ti, vt ceris, (*atqui Diphilus κηρίδα ἁπαλόσαρκον facit*,) orphus, glaucus, Idem. Κίρις nomen est fluuii, & piscis, & proprium, Suidas & Varinus. Κερρὶς, nomen piscis, Suidas. Κίρρα; piscis quidam, Hesychius & Varinus. Κιρυλος, piscis, & auis genus, Varinus. Reperitur & κιρυλος rhô simplici, ni fallor, apud grammaticos. sed pro aue carulo, id est alcyone mare, κήρυλος apud authores vsitatum est. Septimum turdi genus à Prouincialibus cero dicitur, maximè Antipoli, & nostri speciem vnam turdi cero vocant. hoc genus esse puto quod κηρὶς ab Athenęo dicitur, Rondeletius, ex quo & iconēm & descriptionem huius piscis inter turdos ponemus. Vide etiam Corollarium nostrum super eodem. Alius est coris piscis, qui & escharus à Dorione vocatur. Idem nimirum est piscis Scier hic Wottono dictus circa nuda saxa degens, inter ignotos ab eo numeratus.

DE CERNVA FLVVIATILI. BELLONIVS.

PIscis saxatilis (*fluuiatiles pisces non propriè saxatiles dicuntur*) est Cernua, Gallicis amnibus ignota. Britannis *Ruffe* vel *Kuchl* dicitur. Non est autem perca marina aut orphus, vt in Orpho contendimus. A B

Neq; aliorum quispiam est qui Channam melius exanimem referat. Nam mortua hiat, & oris rictum apertum tenet. Etsi. a. saxatilis est, plurimùm tamen habet viscosi lentoris squamis adiuncti. Gobium marinum (dum natat) hoc potissimum refert, quòd pinnas omnes laterum, caudæ & tergoris, multis trāsuersis lituris nigris, variegatas ostendat. Cęterum recens capta, hilari quadam ac subvirenti opacitate, ceu Pauonis torques, refulget. Imo vero extra aquam educta, ac suo humore detersa, aureo fulgore in cæruleum abeunte insignis est. Percam plurimum ęmulatur, nisi trausuersis lineamentis (quę Perca insunt careret, oreq; esset magis recurto. Huius caput ad Sparum accedit, atq; eosdem habet colores: oculos elatos, cæsios, admodum perspicuos & transparentes. Cernua hoc potissimum signo dignoscitur, quod spineum branchiarum tegumentum, crenatum vt in lupo, & sua rima luxatum habet. Vbi autem linea quæ piscium latera secat, ad branchias incipit, ibi aculeum ad caudam spectantem draconis marini modo videas: Sed & hoc à Perca dissidet, quòd Perca duas in tergore pinnas habeat, Cernua verò tantum vnicam: nullisq; dentibus, sed neq; lingua manifesta prędita est: squamisq; est quadrangulis, robustis, crenulis tenuibus in gyrum incisis contecta, quæ piscem hunc scabrum admodum efficiunt; vnde Anglis nomen habet *Ruchl*: in quo etiam † Cynędum & Paganellum imitatur. *Cinædum.

Rarus est apud Tamesin: plurimus autem in Ranello, quod Oxonium præterfluit. Nam is piscis apud Britannos Perca salubrior esse creditur. F

Æstate tantùm capitur: latet enim per totam hyemem. C

Proinde à (*forte abundat*) Cernua radiis solaribus obiecta, maculis nigris per dorsum distingui percipitur: at tota sub ventre candicat. Ad œsophagi ingressum in faucibus quatuor officula dentata, duo in suprema, duo in infima parte gerit, quibus cibum in stomachum demittit. B *Interiora.*

Eius cor suo pericardio inclusum, & septo aliis visceribus seiunctum est: quod è corpore extractum Callionymi, Scorpionis, Exocœti, Orphi, Channę, & multorum aliorum in morem diu moueri non desinit, atq; in systole quidem exangue & contractum: in diastole autem multo sanguine madere atque expansum esse conspicitur. Huius porrò hepar ex pallido russescit, sinistrę stomachi parti incumbens: à quo lobi duo exiles dextram regionem occupant, ac pylorum fouent. Interanea omnia Cernuę peritonęo argentei coloris circuncluduntur. Vasculum fellis tenui villo alligatum à sima iocineris parte dependet, atq; è longo stomacho pylorus exit: cui tres tantùm apophyses breues & albę annectuntur. Lienem inter spinam & stomachum maiorem in hoc pisce pro magnitudine eius quàm in aliis vidimus, parum lunatum, venis, neruis, & arteriis sanguineis ipsi stomacho alligatum. Duodecim quoque veluti vniones, erui magnitudine, carnosos tamen, candidos, & calli duritiem habentes, in quibusdam Cernuis conspexi: quorum vnusquisque vermem inclusum, gracilem, oblongum, teretem contineret, qui ex venis mesaraicis dependerent inter colon & ileon, ad eos anfractus, in quibus lactes esse solent. nam etiam Lumbricos, Ascarides (*Ascarides vox videtur abundare*) in sesquiulnam longos aliquando comperimus. Cęterum Cernuę rectum intestinum rubrum est, quod cęteris alioqui piscibus pallidum apparere solet.

Ego verò puto Acerinam Plinii medici, recentiorum Cernuam esse: cumque Exocœtum Romanis piscatoribus semel ostenderem, vt vulgare eius nomen ab iis sciscitarer, illi Cernam vocabant; quod tamen vocabulum etiam ad Percam fluuiatilem transferre solebant. A *Acerina.*

CO-

COROLLARIVM.

Cernuæ fluuiatilis icon, Argentinæ facta.



Alia eiusdem accuratior, quam Io. Caius ex Anglia misit.



Hæc est muricatus, vt in scelato quoq; vidi, & rectè scit Bellonius.

Marinus piſcis, quem Ariſtoteles orphum vocat, Theodorus cernuam interpretatur, Græci quoque orphum hodie cognominant, Maſſarius. Theodorus quidem Siculos ſecutus videtur, qui orphum vulgò cernuam appellant, Maſſilienſes Ernham corruptè, Gillius. Venetiis chergua dicitur. Piſces qui vulgo cernuæ, Græce dicuntur orphi, Niphus. Sed de orpho piſce diuerſo quàm hîc propoſuimus, ſuo loco agetur. Auſonius cernuę meminit, ſed ea fluuiatilis eſt, Rondeletius. Item Maſſarius, De cernua piſce (inquit) meminit & Auſonius: ſed quoniam inter fluuiatiles, orphumne intellexerit, haud equidem affirmare poſſum. Ego cernuę nomen apud Auſonium neq; in Moſella, neq; alibi legiſſe memini. Nullus eſt inter Latinos authores antiquos, qui vnquam pro piſce marino cernuam Latinè pronunciauerit, Bellonius: cum tamen neq; de marino, neq; de vllo alio dulcium aquarum piſce, cernuę nomen apud veteres reperiatur, quod ſciam. Vt ex Ariſtotele Gaza, ſic ex Galeno etiam pleriq; interpretes illum imitati, cernuam pro orpho reddiderunt. nos hîc non de orpho, neq; cernua marina, ſed de fluuiatili ſcribimus quam cum Bellonio ſic appellamus, vel cum Io. Caio Anglo aſpredinem.

Ruffe Anglis, vel *Ruche* etiam, ſi rectè ita ſcribit Bellonius, ab aſperitate dictus eſt piſcis. nam & Germãis *Rauch* aſperum ſignificat. Piſcem audio ſpinoſum eſſe pinnis, quas in dorſo & in ventre habet: easque ad tactum erigere in ſui defenſionem: ita vt nuſquam contingas: niſi te lædas. Perca paulo minorẽ & rotundiorem eſſe. Non video (inquit Bellonius) quòd ille piſcis (marinus) quem vulgus Romanum & Neapolitanum cernam vocat, cum eo conueniat quem Græci orphum nominant. (*nempe vulgus Græcorum hodie. nam diuerſum ab eo orphum veterum Rondeletius pingit.*) Idem Bellonius cernuam fluuiatilem vocat Ruffum ab Anglis dictum piſcem, nimirum quod nullum eius antiquum haberet nomen. Habet is ſimilitudinem aliquam cum perca marina, & partim etiam cum channa: quorum vtrunq; piſcatores aliqui Italiæ cernam vel cernuam vocant, vt alii exocœtum quoq; & percam fl. *Ruff* piſcis etiam in Danubio neſcio qualis appellatur. Piſces magni (inquit Albertus libro 4. de animalibus, tract. 2. cap. 3.) non poſſunt intrare in cauernas, itaq; dormientes in arena percutiuntur tridente. & ſic piſcatores venãtur in Danubio Ruffos, Huſones & Sturiones. Eliota Anglus Melanurum interpretatur *a Ruffe*. ſed hic fluuiatilis piſcis eſt, ille marinus. Sunt qui ficto nomine Porcellionem appellent, quoniã à Friſiis *Porces* dicitur. ſimilem eſſe aiunt percæ, ſed punctis luteis aſperſum. Colonię *Poeſch*. Vide an Porcus Latinè dici poſſit propter ſpinas. nam Strabo χοῖρον, id eſt, porcum Nili piſcem facit, rotundum, & ſpinas ei noxias in capite tribuit, propter quas Crocodili eo abſtineant: & Plinius ſuo porco ſpinas in dorſo. Eſt. a. & noſter fluuiatilis, rotundus, ſpinoſus, abſtinentq; eo Lucii propter ſpinas. & nomen *Porces* conuenit. In dorſo quidem pinnas aculeatas, ita vt porci ſetas erigit. Vide ſuperiùs in Capriſco, & in verbis Rondeletii ad finem eius hiſtoriæ. Idem eſt qui *Kutt*, *Kouit*, *Kaulparſs*, & *Gulelfiſch* appellatur Germanis. Hæc ſcripſeram cum iconem piſcis *Ruffi*, à Ioanne Caio Anglo accepi, quæ plane cum piſce Kutto Argentinæ & alibi dicto conuenit. ſed verba etiam Caii, quibus hunc piſcem graphicè nobis repręſentauit, adſcribam. Aſpredo (inquit) fluuialis piſcis eſt, toto corpore aſper, pinnis ſpinoſus, percę forma & magnitudine

Cernua vel cernuæ nomen vagum, ad quinquæ piſces diuerſos. Ruff. Danubri.

Porcellio. Porcet.

Aſprado.

tudine, colore per ſumma fuſcus, per ima cum pallore flauus: duplici per maxillas ſemi circulorum ordine notatus: (*quorum poſterior in ſpinalas aliquot exit, & à ſubiecta branchiarum parte deduci clauariique potest*) oculo ex dimidio ſuperiori fuſcus, ex inferiori ſubauteus: pupilla niger. linea per dorſi longitudinem porrecta, & veluti filo tranſuerſo corpori affixa ſingularis. Notis per caudam atque pinnas nigris maculoſus: quæ (pinnæ) cum ira ſubeſt, inhorreſcunt: cum animi conquieſcunt, reſidunt. Caro aſpredini quæ percæ, & friabilitate & ſalubritate laudata. Locis gaudet arenoſis: & cum alibi in Britannia, tum præcipuè in Hiero flumine (quod noſtrum Nordouicum alluens, in Baradeuum æſtuarium ad Hieri oſtium, oppidum tum piſcatura tum portu celebre, illabitur) frequens eſt. Noſtri Ruffum vocant: quod cum Latinis aſperum ſignificet, aſpredinem piſcem nominauimus. Hæcille: qui & iconem miſit, ſuæ deſcriptioni pulchrè reſpondentem.

Qui gulam magis quàm ſanitatem curant, ſæpius etiam aſpratili neglecta, mugiles, oculatas, fundulos, & quos moruas nominant, ſaturatim deuorant, Georgius Pictorius. Videtur autem aſpratilis nomine piſcem, quo de agimus, indicare.

Ego Cuttum piſcem Germanis dictum hactenus non vidi. piſcem aiunt eſſe digiti longitudine, miimis ſquamulis, ita vt deſquamari opus non habeat: gobio fluuiatili maiori ſimilem aliquo modo, eadem ferè magnitudine & figura, ſed capite minori: viridiorem, delicatiſſimum, præſertim tempore vêris, & cum parit, quod fit menſe Martio, quando & percæ fl. pariunt. In Germanicis de piſcibus iocis aurifrabri cognomen ei tribuitur, *Ein kutt iſt ein goldſchmaul*: eam fortè ob cauſam quod auro veſci vulgò exiſtimetur, vnde & *Goldfiſch* appellatur. niſi quis à colore potiùs hoc nomen ei inditum velit: nam etiam extra aquam eductus (ait Bellonius) ac ſuo humore deterſus, aureo fulgore in cœruleum abeunte inſignis eſt. Percæ fl. cognatus videtur. vnde & Germanica nomina hæc inuenit, *Kaulbarſs*, *Kulberſing*, à figura terete, & percæ ſimilitudine. nam pinnam in dorſo inſtar percæ erigit. Gualtherus Riſſius in magirico ſuo libro Germanicè ædito inter piſces ſalubres (proijs qui ventris profluuio laborant) commendat percas, & piſces *Kaurten*, qui aliter *Goldfiſch*, & *Kulberſing* dicantur. Alius eſt *Goldfiſch* qui in lacu Suerinenſi capitur, & alio nomine *Zieg* vocatur, Sturionis è mari flumina ſubeuntis comes, &c. De quo inter Paralipomena in Alauſæ mentione ſcribemus. *Goldfiſch. Zieg.*

E percarum genere qui *Kulperfiſch* dicuntur vel *Kaulperfiſch*, ſalubriores exiſtimantur, etiã ægrotis, ſpinis in dorſo maioribus. Alterum earum genus *Grauberfiſch*, id eſt percas fuſcas appellant, de quibus in P. elemento ſcribemus.

Chriſtophorus Encelius hunc piſcem, percam minorẽ nuncupat. Perca minor (inquit) à Germanis propter rotunditatem corporis dicitur *ein Kaulparſs*. In huius capite binæ reperiuntur gemmæ, candidiſſimæ, oſſeæ, magnitudine ſeminis lini, proportione tamen piſcis. Hac gẽma nihil præſentius in frangendo calculo veſicæ, propterea etiam meritò & cautè ab his qui eius vires ſciunt colligitur. Poloni Ieſch appellant: & callidum eſſe aiunt adeò, vt Lucio caudam obuertat, & pinnas erigat, ne voretur.

CERRVS eſt in trãslatione Gazæ, qui Smaris Ariſtoteli, mænæ ſpecies: qua cũ eius hiſtoria ponemus.

CESTRA, vide in Sphyræna.

CESTREVS, vide in Mugile.

DE CETIS VEL CETACEIS PISCIBVS, ET BELLVIS MARINIS IN GENERE. RONDELETIVS.

CETACEI piſces, autore Ariſtotele, ij propriè dicuntur, qui magni ſunt, & perfectum animal ex ſemine non ex ouo gignunt, vt delphini, balænæ, phocæ. Quanquam alij tum Latini tum Græci veteres cetaceos acceperint pro grandibus cuiuſuis generis piſcibus, vt aliàs monuimus, veluti in thunnorum & galeorum genere quidam cetacei ſunt. De prioribus maxima ex parte hîc loquemur, quos Latini beluas marinas etiam vocarunt ab immanitate, opinor, & magna cum terreſtribus beluis ſimilitudine: nam eodem modo concipiuntur & gignuntur, † & pulmones habent, renes, veſicam, teſtes, mentulam: fœminæ vuluam, teſtes, mammas. Carnis quoq; ſubſtantia non multùm à terrenis diſcrepant, quæ res patres noſtros impulit, vt dubitarint aliquando, an quadraginta dierum ſpatio, quo carnium eſu nobis eſt omnino interdictum, beluarum marinarum carne veſci liceat. ſed vt multa ijs ſunt cum terrenis animalibus communia, ita quædam ſunt, in quibus diſſident: externis enim partib. mutilati ſunt, naribus carent, pedibus, (*præter phocas, teſtudines, hippopotamos, & ſi qua alia nobis ignota ſunt,*) auriculis, mammæ papillis. A *Cetacei qui.* (B)

Nunc conſiderandum num potiùs in terrenarum quàm aquatilium genere habendæ ſint eæ, quæ præterquàm quòd aërem recipiant, in terra etiam pariant, & catulos educent. Etenim animantium diſcrimen à locis ſumitur, quòd aliæ terrenæ ſint, aliæ aquatiles: terrenæ, quæ aërẽ recipiunt: aquatiles, quæ aquam. Et nulla earum, quæ humorem recipiunt, aut volucris eſt, aut pedeſtris, nec cibum ſibi ex terra petit autore Ariſtotele. At ſunt quæ inter has ambigunt, in quo genere ſunt beluæ marinæ: & quæcunque fiſtulam vel quid ſimile cum pulmonibus habent, vt delphini, balænæ, teſtudines & ſimiles: quod genus, inquit Ariſtoteles, neque aquatile facilè dixerim, ſiquidem terrenum eſt, quod aërem recipit: aquatile, quo aquam ſecundum naturam. vtriuſque enim participant, cùm & aquam hauriant reddantq; per fiſtulam, (vel foramina narium loco,) & aërem per pulmones. Vel fortaſſe rectius aquatile genus ita diſtinguemus, vt aliud ſit quod aquam admittat emittatq;, (vt vnà cum aqua admiſſo aëre refrigeretur.) *Verba hæc includimus parentheſi, vt Rondeletij eſſe, non Ariſtotelis, qui nunquam id ſenſerit, nec tuerimur.* aliud propter cibum, cum enim in humore cibum accipiunt, fieri non poteſt quin aliquid humoris ſimul hauriatur, quod hauſtum, quo emittant, inſtrumentum habeant neceſſe eſt: refrigerationis verò cauſa aërem per pulmones trahunt, cuiuſmodi ſunt cetacei, de quibus nũc tractaturi ſumus. Hìà ſeſe differentijs quibuſdã ſecernũtur. Sunt qui corporis magnitudine reliquis præſtant, vt balænæ, phyſeteres, orcæ. priſtes delphinis & phocænis longè ſunt immaniores, teſtudines marinæ mediæ ſunt magnitudinis. Differunt & partib. quibuſdam internis & externis. Orca truculentos dentes habet, delphin multos quidem ſed paruos & minùs noxios, phocæ luporum terreſtrium dentibus ſimiles: muſculus

Ex Ariſtotele.

Lib. 8. de Hiſt. anim. cap. 2.

Ibidem.

Diſſrentia à corpore & eius partibus.

Dentes.

nullos, sed horum vice setas longas suillis similes. Testudines etiam dentibus carent, sed pro his maxillarum pyxidatas commissuras habent. Cetacei multi fistulam habent, præsertim maximi, vt balænæ, physeteres: quæ deest testudinibus & phocis, sed ijs sunt foramina duo ante oculos narium loco.

Fistula.

C Vita differunt. nam balænæ aqua & spuma maris vescuntur: orca & phoca piscibus. Balænæ, delphini, & omnes ferè belluæ ex semine concipiunt, & viuum animal pariunt. Testudines ob integumenti duritiem, & compressius latiusque corpus, viuum animal in vtero gestare non possunt.

DE IISDEM, BELLONIVS.

Cetacei pisces, Græci κητώδεις ἰχθύες, vocantur, nempe qui grandiori copore præditi sunt, Herodoto Antacei, (*Nos hoc supra deprehendimus in Antaceorum historia*) Pomponio magni, quibusdam beluini ac feroces appellantur: cuiusmodi nonnulla marina monstra reperias, quo nomine non solum viuipara maiora antiqui intellexerunt, verum etiam ouipara: atq; adeò quæcunque aquatilia (vt ait Oppianus) vastis membris immensa mole feruntur. Quinetiam Dioscorides Ichthyocollam, Galenus Libellam, ac præter hanc, Canes: Paulus, Thynnum: Oppianus, Amiam, Xiphiam, Bouem inter aquatilia cetacea collocauerunt: quæ Galenus salita recentibus meliora euadere tradidit. Et rursus, Ita comparatum est, à natura piscium generi, vt quos præter cæteros maiores, ac sanguine præditos efformauit, eos ad terrestrium animalium imitationem, non carnibus atque ossibus modò communierit, verùm etiam reliquorum more coire, ac viuos fœtus ædere voluerit.

COROLLARIVM.

A De Cetis in vniuersum hoc in loco præter institutum quædam congessimus: quod & pauca ea sint, & hac occasione de cetorum nõnullis speciebus tum apud veteres memoratis, sed anonymis, tum alijs de quibus breuissimè quædam recentiores tradiderunt, mentionem deinceps facere opportunum sit visum. Cetaceo generi communia quædam, in Balænis etiam prædicta reperies. Cete plurali numero genere neutro Latini veteres ferè dicunt, Græcos imitati, nec alium ferè casum Græcæ declinationis apud Latinos reperias: Celsus quidē cētos, in singulari numero genere neutro dixit, & similiter Plinius accusandi casu singulari. Græca declinatio τὸ κῆτος, κήτη, vt βέλος, βέλη. nam Latinè sic declinari non potest, Seruius. Plautus & Festus cetum in accusandi casu singulari genere masc. dixerunt, declinatione secunda Latinorum more, in qua casus formari omnes possunt & nos etiam ita vtemur. Si quis marinas belluas (aut l. simplici beluas) pro cetis dicere malit, non impedio. nam cetarium aut cetaceum piscem non tam de ceto propriè dicto & pulmonibus spirante, quàm de maximo pisce branchias habente, vt thunno & similibus acceperim. Thunni quidem & alij maximi etiam cete vocantur ab ijs qui minus propriè loquuntur, vt Rondeletius docet pluribus, tum in ijs verbis quæ proxime posuimus De cetis in genere, tum superius in Cane vel Lamia. Plautus quoque cetum cum trygone, scombro & molli caseo nominans, thunnum aut alium piscem magnum, non cetum propriè dictum intellexisse videtur. Iam cum omnes pisces maximi siue ouipari siue cartilaginei ceti nomine communius sumpto comprehendantur, peculiariter tamen inter ouiparos thunnus vbi ad summum peruenisset incrementum κῆτος appellabatur. Inter cartilagineos longos Canem siue Lamiā magnitudine præcipua esse puto, inter planos eiusdem generis fortasse bouem. quanquam & alius bos esse videtur generis cetorum propriè dicti. Cete maiores in mari sunt pisces perfectum animal parientes, vt delphini, balænæ, pristes, & cætera huiusmodi genera: in quo quidem videntur haberi & thunni magni, non animal sed ouū parientes, ex verbis M. Varronis superiùs allegatis, Archestrato, Athenæo & Paulo Aegineta de tuenda valetudine, tradente cetacea, vt balæna, vitulus marinus, libella, delphini & thunni prægrandes: qua in sententia & Galenum fuisse video. Aristoteles verò his tanto antiquior cui maior fides adhibetur, eos tantùm pisces qui animal pariunt, vt delphini, balænæ, & cætera id genus cete appellauit, Massarius. Pisces maiores, qui in ταμάχη, id est romos seu segmenta scissi venduntur, ταμαχῖται nominant Græci, vt Phauorinus scribit: licebit autem eosdem ferè cetaceos appellare. Quoties Aratus κῆτος habet, à Cicerone semper vertitur pistrix, Perionius. Omnib. maximis beluis dux est exiguus, oblongo corpore, cauda tenui: καὶ [illegible] κήτεος, Op. lib. 5. vbi κῆτος generis nomen pro specie posuit, balæna fortè. nam & Festus, Balænā (inquit) beluam marinā, ipsam dicunt esse pistricem, ipsam esse & cetum. Et vulgò quidā pro balæna accipiunt, κατ' ἐξοχὴν, quòd hæc in cetaceo genere ferè maxima sit. Beluam pro ceto Plinius dixit, Festus beluam marinam. Horatius belluam Ponti, Ouidius feram Metam. 4. Græci etiam θῆρας aut θηρία vocant (cete, præsertim homini noxia, vt feras etiam quadrupedes & serpentes quæ homini nocent.) τὸ δὲ θηρίον [illegible], ἀφανίζεται τῇ ἀκάνθῃ τοῦ δελφῖνος, Varinus in dictione Ἄκανθα, quam interpretatur spinam dorsi in ceto. Pausanias de fluuijs quibusdam scribit, θηρία, id est, noxios homini pisces seu beluas (vt siluros, glanides) alentibus. Εἰς κῆτος πόντιον, hoc est in beluam marinam, extat epigramma Græcum, quod referemus infra in Capite de Cetis diuersis ex veteribus. Monstra Vergilius dixit pro cetis raræ & inusitatæ formæ. Et quæ marmoreo fert monstra sub equore pontus.

Thannin. Leuiathan.

Thannin vel thannim, תַּנִּין, תַּנִּים, Hebraica dictio, Munstero est draco, coluber, species quædam magni serpentis marini itē piscis magnus, specie serpentina, qui & Leuiathan, siue cete, vt Kimhi exponit, Ezech. 29. in plurali thanninim, Gen. 1. & Thannot (gen. fœm.) Malachiæ 1. & thannin Threnorum 4. vbi interpres vertit lamiæ, Hæc ille. Thannim Dauid Kimhi author est, in terra esse Genus serpentiū, in aquis vero pisces magnos serpentib. assimiles Hieronymus Esaiæ 27. cetū interpretatur. Occidet cetum qui in mari, &c Esaiæ 27. sirenas: quas nos (inquit) aut dæmones, aut monstra quædā, vel certè dracones magnos interpretati sumus: qui cristati sunt & volantes. Septuaginta σειρῆνας, id est hericij. Aquila, Symmachus & Theod. sirenas interpretati sunt, significantes vel bestias aliquas esse, vel dæmones iuxta errorem gentilium, dulce cantantes, & decipientes homines. Eodem nomine (inquit Aug. Steuchus) vocantur dracones terrestres atque marini. nec enim cete & maximi pisces aliud in aquis sunt, quàm dracones & serpentes in terra. Geneseos 1. Chaldæus interpres habet tanianiah. Arabs tananin. Persa agdehaan, Leuiathā, vel Liuiathan, (tribus syllabis, vt liu prima syllaba sit, ia secunda,) לִוְיָתָן, Iob 3. Abraham Ezra, Leui ben Gerson & Moses & Prizol ex magistrorū sententia, אֵבֶל, ebel, id est luctum interpretantur, vt translatio Hierosolymitana קִינָה, kina, ploratū dicit liuiethah Hieronymus leuiathan. Septuaginta μέγα κῆτος, hoc est cetum ingentem. Sed rectius Abraham Ezra Iob. 3. & Psalmo 74. & 104. dag gadol, quod est, piscis magnus. ita & Rabi Moses Psalmo 74. comment. & Kimhi thannin gadol, hoc est, cetus magnus. Iob 40. belluam marinam apertè significat. Psalmo 74. Arabs conuertit althannin. Septuaginta δράκοντος. Psalmo 104. Chaldæus vocem Hebraicam reliquit. Arabs posuit לתנין: quod vitiose scriptum videtur pro אלתנין, althannin, Hæc ex obseruationibus præceptoris mei Bibliandri. Latini thunni nomē à Græcis habent, qui thynnon dixerunt, mutuati nimirum ab Hebraico nomine thannin. quanquā enim thunnus nō propriè cetus est, vt qui pulmonibus careat, inter cetaceos pisces tamen numeratur, qui magnitudinis suæ respectu, quanquam branchias habeant, vt propriè dicti pisces, cete vel cetacei dicuntur. Thunnus quidē adeò excrescit, vt etiam nomen mutet, ac primùm orcynus, deinde cetus appelletur. Est & lamia, idem qui canis carcharias, aut similis, non cetus quidem propriè, sed longè maximus piscis, adeò vt etiam integros homines voret, vt & ipsa thannin meritò dicatur, vt cetacei pisces omnes: sed Threnorum 4. vbi pro thannin lamias reddidit interpres Latinus, feræ aut belluæ terrestres intelliguntur. Lamiæ (inquit) nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos: quod non de serpentibus aut draconibus accipi potest, qui nec mammas habent, nec lactant: sed feris quadrupedibus viuiparis: non quibuslibet, sed magnis & immanibus, hominiq; horrendis: vt & in mari nō quiuis pisces, sed magni & noxij thannin vocātur. Porrò vocabulū leuiathā compositū videri potest, à thannin per apocopen, & verbo לוה, laua, quod adhærere vel addi significat: vnde לְוִית, liuiath apud Gramaticos Hebręos, additionem vel augmentū notat: vt leuiathan nō sit simpliciter thannin, id est magn⁹ piscis, vel cetus: sed maxim⁹ omnino, quales in cetorū genere physeteres, pristes & balænæ sunt. Porrò de Leuiathan quē in aduentu Messiæ comesturi sint Iudæi, mira fabulātur.

Thunnus.

Germani cētos omne *Wallfisch* appellant. nomen à balæna factum videtur, & ad illam propriè pertinere. Angli similiter *Whale*, *Walefishe*. Illyrij Sum, vt quidam aiunt. ego silurum propriè ab eis Sum appellari puto. B

Cete nulla in Euxino reperiuntur præter paruos delphinos, Oppianus lib. 1. & alij. Cete magna in mari exteriore pascuntur, & pisces multò maiores, quàm in mari interno apud nos, Nearchus apud Arrianum. Cadara appellatur rubri maris peninsula ingens. Huius obiectu vastus efficitur sinus, duodecim dierum & noctium remigio enauigatus Ptolemæo regi, quando nullius auræ recipit afflatū. Huius loci quiete præcipua ad immobilem magnitudinem beluæ adolescunt, Plinius. Magnitudinem balęnarum Plinius quatuor iugerum, id est nongentorum sexaginta pedum esse meminit. Ingens enim longitudo CCLX. pedum à Plinio XVIII. volumine tradita est. Nearchus vero viginti trium passuum balenarum magnitudinem constare tradit, qui ex insulis ante Euphratem cetum mari eiectum centum & quinquaginta cubitorum se vidisse refert. sit hic balena, vel pristis haud certe constat, Massarius. Mompelij in æde d. Petri costa balænæ 28. pedes longa ostenditur. De magnitudine ossium in cetis plura leges infra in E. In mari figuræ omnes effictæ videntur animalium, & non solum animalium, sed etiam instrumentorum. Et in Indico præcipuè monstra immensæ sunt & incredibilis magnitudinis, Cardanus libro X. operis de subtilitate. deinde variarum & monstrosarum in mari formarum assignatis causis. subdit: Eadem verò ratio de magnitudine belluarum in mari, præcipueq; Indico quæ de forma. Nam ob humidum, & calorem, & alimentum fermè vbique præsens, tum quia absque pedibus sustinentur, & grandia superant maris spatia absque labore, ideo maximi sunt pisces terrestrium animalium comparatione, auium autem longè magis. Nam finge vastum animal, & elephanto quadruplo maius, si esse potest, in terra, nonne plurimo cibo indigebit, quo absumto cogetur magnū illud pondus maximo incommodo alias quærere terras. itaque facilè contracto morbo peribit: aut inedia, si sensim & lentè ex vna regione in aliam transierit. Deinde etiam si tutò transeat & absque labore, quis modus erit ne hominum insidijs capiatur? Horum nullum est periculorum aut incommodorum in mari. nam neque cibus deesse piscibus, nec trāsitus ex vna regione in aliam cum labore est, nec vllis hominum insidijs medio mari etiamsi monarcha imperet, subijci poterunt. Ob id igitur pisces maximi inter animalia, aues minimæ: terrestria magnitudine sunt mediocria, Hęc ille. Equus ceto similis post pectus in templo quodam Gabalis spectatur, Pausanias in Corinthiacis. Cetus piscium maximus habet os in fronte magnum & patulum, & oris meatus strictos, Author de nat. rerum.

Delphini, tursiones & reliqua cetacei generis, corio duntaxat integuntur. Massarius.

Delphini, balænæ & reliquum cetarium genus branchijs carent, sed fistulam sui pulmonis causa cōtinent, qua humorem quem in ore acceperint respuant. nam & humorem admitti necesse est, cum cibū in aqua submersum capiant, & admissum emitti necesse est. nam branchiæ ijs quæ spirant incommodæ habentur. haud enim fieri potest, vt idem & branchias habeat, & spiret. sed enim ijs ad respuendam aquam fistula data est, quæ ante cerebrum sita est, ne postposita id interciperetur à spina, (æditaq; † per suma æquoris fistula dormiunt & spirant, quòd maiora animalia plus caloris sibi requirunt, vt possint moueri, quapropter pulmo ijs inditus est plenus caloris sanguinei, Aristot. de partib. animal. 4. 13. Physseter (φυσητὴρ) nominatur fistula (αὐλὸς) cetaceorum piscium, Varinus. Plura de fistula cetorum leges, vbi ex Rondeletio piscium partes in vniuersum describentur. Cete osculis (fistulis) cubitalibus, iuxta nares positis, tantum aquæ effundunt, vt naues etiam prægrandes obruant. Ex earum pinnis virgæ sunt pulcherrimæ, quæ osseæ seu corneæ videntur. sunt enim nigræ, similes cornibus bubalorum, & adeò flexiles, vt nunquam rumpantur. nitent præcipuè in Sole, sic vt aureæ videantur. Singula fila virgam vnam habent, atque ob id in vna pinna plurimæ: virgis enim pinnæ constare videntur. Os verò capitis adeò patens, vt ex eo nauiculam efficere queas, Cardanus lib. 10. de subtil. Cetaria omnia carent auriculis, Aristot. Cetacei generis pisces (propè, addit Vuottonus) omnes resupinati corripiunt escas, (pisces minores) habent enim os subter, Idem. Vnde fit vt periculum minores pisces facilius possint euadere. alioqui pauci admodum seruarentur. quippe cum delphini celeritas atque edendi facultas mira esse videatur, Vuottonus. Cetus in iuuentute dentes habet nigros, in senecta albos, Obscurus. Cete aliqui dicunt dentium tres ordines habere, vt & Scyllam Homerus, Io. Tzetzes. Albertus cetorum alios dentatos esse scribit, alios sine dentibus. Ego ex picturis quas vidi cetorum diuerso-

† Parenthesi inclusa Massarius hæc citans adiecit.

rum, in alijs dentes serratos, in alijs planos humanis similes animaduerti: & in quodam genere etiam longos exertos, vt Rosmaro appellato. Cetaceis cur anteriores dentes obtusi sint, & cur adeps eorum non concrescat, Cardanus quærit in opere de varietate rerum. Cete mammas habent & lac, Aristot. Fel habent cete omnia, excepto vno delphino, Vuottonus. Delphinus testes habet intus conditos, & qui ad aluum nectuntur, Idem. De balænæ genitali, & cur cete genitale habeant, lege Cardanum De varietate rerum.

C Spirant quæ fistulam habent omnia & recipiunt aërem: haud enim carent pulmone, Aristot. Cete marina nihilo sunt inferiora carniuoris terrestribus belluis, sed viribus etiam & magnitudine excedunt, Oppianus. Cete (quædam) rugiunt, Cardanus. Ad littora, aut minime profunda loca, aut breuia nullum appropinquat: sed in alto versatur, Aelianus. Multa in alto versantur: Παῦρα δὲ ῥηγμίνων σχεδὸν ἔρχεται, οὔ σφε φέρουσιν. Ἠϊόνες βαρύθοντα, καὶ οὐκ ἀπολείπεται ἅλμης. Oppianus. Ceti semper in fundo maris degunt, molis suæ pondere: semper famelica, vt quorum vasta ventris vorago sit inexplebilis: quare & se inuicem conficiunt, robustior infirmiorem, Idem. In mari beluæ circa solstitia maximè visuntur. Tunc illic ruunt turbines, tunc imbres, tunc deiectæ montium iugis procellæ ab imo vertunt maria, pulsatasque ex profundo beluas cum fluctibus voluunt, Plinius. Visus omnibus hebetior, Vuottonus. Omnibus corpora sunt grauiora, & motus (natatio) in mari tardior, præter canes, Oppianus lib. 5.

Cete.

Cetacei generis pisces eodem, quo reliqui, modo coëunt. planis enim admotis partibus agunt: nec parum multúmue temporis, sed mediocre in coitu ipso consumunt, Aristot. Omnia tum intra se, tum foras animal generant, Idem. Et rursus: Delphini & balenæ & reliqua cete, quæ non branchias, sed fistulam habent, animal generant. Additur ijs pristes, & bos. nullum ex ijs enim oua habere cernitur: sed statim fœtum, (κύημα,) ex quo redacto in formam animal constat: quemadodum homo & quadrupes, quæ animal pariunt. Scymni, Σκύμνοι, id est catuli, dicitur etiam fœtura piscium viuiparorum, vt cetorum, Oppiano. Cete intra se generant, perfectumque animal pariunt: mammas habent & lac, catulosque interdum binos nutriunt, Massarius. Nullum genus piscium habet collum vel virgam vel vuluam manifestam, aut omnino exteriores vel interiores: aut etiam mamillas, præter delphinum & cetorum genera, quæ generant ex vtero sibi similia: & ideo habent mamillas: non quidem in superiori parte corporis sui, sed inferiùs prope iuncturam: & mamilla eorum similis est iuncturæ quæ est sine ligamento, ac si sit addita corpori: & terminatur in conum papularem. Tendunt autem in eis duo meatus ad interiora mamillarum, canalibus assimiles: è quibus lac manat alendis catulis, qui teneri adhuc sequuntur matrem: vt omnium cetorum soboles: quod visum est à piscatoribus in diuersis maribus Germanico, Anglico, Flandrico, Illyrico & alijs, Albertus.

D Omne ferè cetaceum genus duce ad sibi moderandum eget, illiusque oculis ducibus ad videndum vtitur, Aelianus. vide plura superiùs in Balæna. Cete quædam in metu deuorare suos fœtus legimus. deinde rursus euomere, Cælius. sed hoc glauci facere dicuntur, vt musteli quidam vtero recipere, non propriè cicta cete.

E Cete sæpe obuias terrent naues in mari Iberico vbi proximè reliquerunt Oceanum, νήεσσιν ἐοικότα, σώροισιν ὁμοῖα, Oppianus. Cete aliquando fluctus haustos ita eructant, vt alluie nimbosa plerunq; classem nauigantium deprimant, (hoc veteres priuatim de physeteribus tradunt.) Sed & cùm in mari tempestas oritur, se super fluctus attollunt, & commotionibus ac turbinibus naues mergunt, (Hoc de balænis Olaus Magnus scribit: Vide in Corollario de Balæna, Picturam hoc repræsentantem: & alteram illud quod sequitur.) Arenas aliquando dorsis tollunt, in quibus ingruente tempestate, nautæ terram se inuenisse gaudentes, anchora iacta falsa firmitate quiescunt at ignes accensos belua sentiens subitò commota se mergit, & homines cum nauibus in profundum trahit, Obscurus. Thynni non voce, non sonitu, non ictu, sed fragore terrentur, Plinius. Huic contrarium nō est quod apud Strabonem legitur & Arrianum qui res gestas Alexandri Magni condidit, beluas in Indico mari clamore ac tubarum sonitu exterritas fuisse. Plinius enim non beluis cetarijs viuiparis vt Strabo & Arrianus, sed thynnis ouiparis hanc constantiam tantummodo tribuit, Massarius. Vide plura infrà in Physeteris historia, Elemento p. Arabici maris pars multis varijsq; belluis referta est. cete etiam illic vagari feruntur. quapropter naues tutelæ causa tintinabula quædam, tam à prora, quàm à puppi deferunt: quorum sonitu terrefactæ belluæ nauibus non appropinquant, Philostratus de vita Apollonij libro 3. Repetit hæc Gillius & physeteres priuatim refert. Castoreo aqua diluto, & in mare profuso, cete diffugiunt, & in profundum se recipiunt, vt scripsimus in Balæna E. In Indico mari beluæ circa solstitia maximè visuntur. tunc illic runt turbines, tunc imbres, tunc deiectæ montium iugis procellæ ab imo vertunt maria, pulsatasque ex profundo beluas cum fluctibus voluunt: & aliâs tanta thynnorum multitudine, vt magni Alexandri classis haud alio modo, quàm hostium acie obuia, contrarium agmen aduersa fronte direxerit: aliter sparsis non erat euadere: qui non voce, non sonitu, non ictu, sed fragore terrentur, nec nisi ruina turbantur, Plinius. Vide Massarij verba paulò ante. Plinius quidem sentire videtur, Alexandri naues agmen contrarium fronte aduersa, non contra thunnos, sed ipsas inter se instituisse, vt ex collisione mutua excitatus fragor thynnos terreret. Macedones narrabant in multa & incredibilis magnitudinis cete se incidisse, vnde consternati spem omnem vitæ abiecerint: quippe qui arbitrarentur viros omneis vnà cum nauibus ab illis subitò absumptum iri. Sed posteà animis resumptis, clamorem magnū omnes se pariter edidisse, simulque armis collisis & personantibus tubis tantū strepitus fecisse, vt perterritæ belluæ subter aquam se demerserint, Diodorus Sic. de gestis Alexandri. Arrianus etiam hoc de cetis simpliciter refert: Strabo priuatim physeteres nominat. In Canariam insulam vnam ex Fortunatis perhibent expui vndoso mari belluas, deinde cum monstra illa putredine tabefacta sunt, omnia illic infici tetro odore, ideoq; non penitus ad nuncupationem suam congruere insularum qualitatem, Solinus. In multis Indiæ locis aiunt cete quædam ad litus appellere, vbi ἀνάπωτις (aquæ reciprocatio quæ exundationem sequitur) quædam ea reliquerit. Alia à magnis tempestatibus in continentem expelli, & inibi computrescere, Arrianus. Πολλάκι δὲ πλαγχθέντα καὶ ἠϊόνος ἐγγὺς ἱκάνει Ἀγχιβαθοῦς, ὅτε κέν τις ἐπὶ σφίσιν ὁπλίζοιτο, Oppianus.

Callichthys, orcynus & alij pisces cetacei similiter hamo capiuntur vt anthias, Oppianus libro 3. De anthiæ autem captura suo loco scripsimus. sed orcynus & callichthys, cetacei pisces sunt, non cete.

Omnia cetacea (inquit Gillius ex Oppiani Halieut. libro 5. exceptis canibus, tarda in natando sunt, neque sine pisciculo duce quoquam progrediuntur. Hic singula illis ostendit, siue præda capienda sit, siue quodpiam periculum instet, siue propinqua vada vitanda: huic ad solam caudæ motionem illa parent, per hunc audiunt & vident: neque tantopere vastis beluis vires prosunt, quàm astutia pusilli pisciculi. Quamobrem astutus piscator vt huiusmodi beluas capere possit, varia & multiplici escarum illecebra hunc primum (hamo) capit, deinde nullo labore monstra comprehendit. neque enim à duce orba amplius maris vias vident, non propinquum periculum sentiunt, sed tanquam pondera quædam temere vagantur, ignara quónam fluctibus deferantur. Nam quod duce priuata sint, & carnea mole in oculos eminente, (τοίη οἱ ἐπ' ὄμμασι πέπταται ἀχλύς, Oppianus,) eorum aspectus tenebris circumfunditur: Ideo ad scopulos & litora offensionem accipiunt. Tum robusti piscatores ex eiusmodi beluis quampiā insidijs attentare deliberant, sed primo illius magnitudinem pondusq; coniecturis assequuntur. Nam si illius vertex extra aquam paululum eminet, non obscura significatio est, beluam ingentem esse: quod si dorsum bene emineat extra summam aquam, non tanta est: nam minores quia leuiores sint, idcirco altiùs eminent. Piscatores lineam ex frequentibus funiculis contortam faciunt, crassitudine rudentis (πρότονος, funem interpretantur qui malum nauis vtrinque confirmet, à prora scilicet & puppi) nauis mediocris, longitudine quæ sufficere videatur. Huic addunt catenam ferream, quam hamo inserunt, ne dentibus belluæ laceretur. Hamum magnum faciunt, quantus faucibus belluæ comprehendi commodè possit, adeò validum vt ne saxo quidem cedat, Ἄγκιστρον δ' εὐεργὲς ἐπημοιβαῖ [illegible] γλωχίνων [illegible] ἀκαχμένον ἀμφοτέρωθεν. In media fune (catena potiùs, Δεσμῷ δ' ἐν μεσάτῳ) orbes quidā frequentes sunt, qui furiosos belluæ motus cohibeant, ne ferrum perfringat contorquendo. cedunt enim illi in gyrum, vnde fit vt catena loco non maneat. Esca est iecur aut scapula tauri. Multi autē sunt piscatorum socij & opiferi, qui in promptu habent spicula, fuscinas, harpas seu falces, secures, & alia huiusmodi fabrorum arte incudibus confecta. Tum tacitè remigantes, nutu si quid opus est significant, & summopere cauent ne vllo sono percepto bellua in profundum refugiat. Vbi verò iam propè sunt, escam è prora demissam beluæ offerunt. Hæc vt escam videt, nulla cunctatione interposita, effreni auiditate eam appetit, atque statim ferro eius guttur trāsfigitur: cuius dolore incitata, catenam exedere & conficere conatur: quod ipsum postquam diu multumque conata est, acerrimis doloribus affecta, in pelagi profundum demergitur. Tum omnem funem huic relaxant, quòd nullis viribus humanis retrahi possit, & facilè exagitata fera nauem cum remigibus in profundum detraheret: simul & amplos vtres venti plenos ex funibus belua mare subeunte appendunt. Illa vulneris dolore stimulata, vtres contemnit, & reluctantes, & summam aquam semper appetentes, in altitudinem maris deprimit. Cum autem peruenit ad imam maris sedem defatigata quiescit, ingentes fluctus anhelans. at enim quiescere cupientem vtres non permittunt, sese in sublime efferentes. Itaque contra hos renouat atq; instaurat pugnam. & veluti animalia sibi infesta persequitur vlciscendi animo. & iterū ac sæpius frustra vtres detrahit. hi sursum versus subuolant: illa verò grauiter dolens, rursus profundum petit: & modò alieno impulsu, modò sua sponte trahitur, & tantopere furit, & aquarum procellas anhelando commouet, vt existimes sub fluctibus Boream stabulari. Tum piscatorum aliquis illico ad litus remigans, lineā saxo alicui alligat, & in mare redit. Tandem defessa & viribus iā exhausta bellua, vter aliquis victoriæ nuncius effertur sublimis: mox etiam cæteri, & cum ijs cetus vel inuitus attrahitur. Mox piscatores suis nauigijs congregantur, & cohortatione mutua tanquam in prælio, magnis animis, magno tumultu, feram aggrediuntur. Alij hastis seu iaculis, alij tridentibus, alij securibus, falcibus, alijsue instrumentis armati cædunt vtcunque renitentem statuque cientem procellas: & vulneribus, quibus inflictis mare rubescit, putridam sentinam infundunt, acrem & ignis instar mordacem. Expugnatam denique ad litus trahunt atque eijciunt. Vbi illa nequicquā iam moribunda palpitat, pinnasq; motitat, & graue spirat. Et hoc quidem modo cete grandia capiuntur: minorum verò vt facilior est captura, sic instrumenta, vt par est, minora: hamus inquam, esca & linea. & pro vtribus caprinis, cucurbitæ (φῦσαι κολοκυντίδες) aridæ adhibentur, Hæc omnia Oppianus, partim ex nostra translatione.

Belluæ marinæ frequenter capiuntur (inquit Albertus) quando auiditate nimia persequendi harengas in littus impingunt vadosius ac breuius quàm vt inde redire possint. Nam non ita pridem vna quædam impegit in littus Frisiæ: quam incolę, ne cum maris refluxu euaderet, ligauerunt omnibus qui per totam insulam reperiebantur funibus: quorum extrema palis profundè in terram adactis, & lapidibus & ædificijs proximis alligabant. Mari autem refluente piscis aqua adiutus perrupit omnia, & cum funibus euasit in altum mare, incolis ob illorum iacturam mœstis. Sed cum saturatus non esset, tertio die rursus harengas insecutus, eodem quo priùs loco hærens inuentus est vnà cum funibus, quos insulani pisce occiso recuperarunt. Cum verò diuiderent piscem, ceruix amputata suo casu non aliter ac si domus rueret fragorem & sonum edidit. Cæterum piscatores (inquit idem) qui in nostris maribus cetos venantur, duobus ferè modis vtuntur. Primus est, cum tres piscatores paruis nauiculis vehuntur ad locum, in quo belluas esse sciunt aut suspicantur. ex illis duo remigant, tertius in naui stat paratus ad feriendum. habet autem instrumentum, cuius hastile est de ligno abiegno, leuitatis causa. in eius extremo, qua comprehenditur manu, foramen est: cui inseritur funis validus longissimusque, qui in orbem complicatus in naui iacet, ita aptè vt nullo impedimento statim emissum hastile sequatur. Cuspis inferiùs triangula est sagittæ instar, mucrone perquam acuto politissimoque, vt facillimè penetret. Duæ autem lineæ (extrema latera) quæ ad medium mucronem vtrinque tendunt, non minùs quàm vel acutissima nouacula incidunt. Superficies tota tenuis (læuis) est, & optimè polita. In medio lateris quod opponitur angulo inferiori acuto, erigitur perpendiculariter ferrum illi lateri continuatum, ad cubiti altitudinem vel paulò plus. & ibi habetur foramen cui infigitur hastile. Porrò cum iā cetus apparet, is qui hastile manu extensum tenet, alios quotquot potest similiter instructos aduocat. Tum natantem in superficie aquæ cetum, dum pisces ex alto persequitur, quàm possunt profundissimè feriunt: & mox

relictis in vulnere instrumentis recedunt. Quòd si cetus percussus statim in mare abeat, funes abscindunt, & oleum atq; operam se perdidisse conqueruntur. Sin statim in fundum descendat, vtpote valde læsus vulneribus: fundo se affricat, propter salsedinem vulneribus se insinuantem: atque ita magis magisque cuspidem sibi in corpus adigit altiùs: & mox laborem piscis è profundo ebulliens sanguis prodit. Ipse debilitatus, paulatim fundi solum sequens appropinquat littori, donec apparere incipiat: & tunc ab incolis turmatim collectis multitudine nauium & spiculorum circundatus occiditur. Huic alter venandi modus similis est, nisi quòd spiculum non verbere, (manu:) sed ictu validissimæ balistæ ceto infigitur. & in hoc quoque funis immittitur, sicut diximus, Hucusq; Albertus. Cetus (inquit Isidorus) postquam ætatem annorum trium excedit, cum balæna coit, & in ipso mox coitu virtute virgæ genitalis emutilatur ita, quòd vltra coire nequit: sed intrans alti maris pelagus in tantũ excrescit, vt nulla hominum arte capi possit. Infra tres igitur annos ætatis suæ capi potest. Capiuntur autem sic: piscatores locum vbi cetus est notantes, illic congregantur cum nauibus multis, factoq; circa eum fistularũ ac tubarum concentu, alliciunt insequentem. quia gaudet huiusmodi sonis: cumque iuxta naues hærentem sono modulationis attonitum cernunt, instrumentum quoddam ad instar rastri dentib. ferreis acuminatum in eius dorsum clam proijciunt, atque diffugiunt. Nec mora, si certũ vulneris locum dederit, fundum maris cetus petit, seque ad terram dorso fricans vulneri ferrum violenter intrudit, quousque perfossa pinguedine viuam carnẽ interiùs penetrauerit, sicq; ferrum subse cuta salsa maris aqua vulnus intrat, ac vulneratum perimit. Mortuum ergo super mare fluitantem piscatores cum funibus adeunt, & ad littus cum magno tripudio trahunt.

Ichthyophagi vrbem incolunt nomine Steiuram, vbi ex magnorum piscium membranis vestes intexunt, Philostratus libro 3. Lora è corijs cetorum validissima sunt ad magna pondera subleuanda per trochleas, & Coloniæ in foro semper venalia habentur, Albertus. Iuba tradit cetos ingens in flumen Arabiæ intrasse, pinguique eius negociatores, & omnium piscium adipe camelos perungere in eo situ, vt asilos ab his fugent odore, Plinius. Circa Cythera insulam cete prædicant maiori granditate generari: eorumque neruos accommodatos esse ad conficiendas, non solum psalteriorum, & musicorum aliorum organorum fidiculas, sed ad bellica etiam instrumenta ex his confectæ chordæ (arcuum, addit Gillius) censentur optimæ, Aelianus, Qui cultui student in Britannia, dentibus mari nantium belluarum insigniunt ensium capulos. candicant enim ad eburneam claritatem, Solinus. Ex dentib. cetorum, quos Moscouitæ Morss appellant, manubria & tenacula ensium, framearum & cultellorum faciunt ijdem Moscouitæ, & Turci & Tartari, vt impetuosiores ictus grauitate adiuuante impellant, Matthias à Michou. Candidi sunt cetorum dentes, vt ebur, sed in opere longè firmiores, Cardanus. Fiunt & pectines & alia instrumenta ex ijsdem, eburneorum æmula, & candoris sui in multam ætatem tenaciora: sed leuiora sunt, & ex halitu hominis sudorem minùs concipiunt. & cum in terram cadunt, non ita facile franguntur. Gedrosos qui Arbin amnem accolunt, Alexandri Magni classium præfecti prodidêre domibus fores è maxillis beluarum facere, ossibus tecta cõtignare: ex quibus multa quadragenûm cubitorum longitudinis reperta, Plinius. Gedrosi (inquit Massarius) cum fores è maxillis beluarum marinarum in domibus fieri, & tecta contignari præfecto classium Magni Alexandri retulissent: non à Gedrosis ipsis hæc fieri, sed ab Ichthyophagis populis, qui citra Gedrosos habitant, non procul ab eis, ex Diodoro, Arriano Straboneque videntur prodidisse. libro enim 15. Ichthyophagorum regio, inquit, secus mare est, & magna ex parte arboribus caret. raritas in ea palmarum, acanthi, myricæ, aquarum, & domestici cibi maxima est. Vescuntur piscibus tum ipsi, tum eorum pecora, & aquas pluuiales fossiles potant, pecoribus carnes piscium præbent. domicilia ex ossibus cetorum scilicet (vt Arrianus tradit) balænarum, & ostreorum conchis, magna ex parte faciunt. nam trabium & fulcrorum vsum costæ præstant, portarum maxillæ vertebris fiunt mortaria in quibus pisces subiguntur, ad solem assantur. Postea ex his panem conficiunt, frumenti paululum admiscentes. quos subactos Alexander Magnus iussit à piscibus abstinere. vt Plinius meminit libro sexto, cum antea solis piscibus alerentur, à quibus nomẽ habent. quod etiam confirmatur ex eodem Strabone inferiùs, vbi ait: Qui nunc in Indiam nauigant, beluarum quidem magnitudines referunt, quæ nec gregatim, nec sæpius se offerant, sed discedant clamore ac tubis repulsæ. dicunt eas terræ nequaquã appropinquare: ossa vero iam dissolutarum à fluctibus facile eijci, & materiam faciendarum tegetum (*ineptum hoc videtur. Græcè forsitan leguntur* σφωτῆρες, *hoc est asseres, vt nos paulo post ex Arriano interpretati sumus*) Ichthyophagis suppeditare. Ichthyophagi ergo quoniam arboribus, & lignis ex consequenti, carent, ex ossibus beluarum domicilia construunt, Hæc Massarius. Ichthyophagi pisces teneriores, crudos, vt ex aqua extrahunt, esitant. maiores verò durioresque Sole siccant, & ex aridis molitisque farinã & panes conficiunt. alij mazas ex ea farina coquunt. Ditiores apud eos domicilia ex ossibus cetorum, quos mare expulerit, extruunt. & è latioribus eorum ianuas parant. Vulgus verò & tenuioris fortunæ homines è spinis piscium suas domos ædificant, Arrianus libro 8. Et rursus, In multis Indiæ locis aliqua ex cetis ad littus appelluntur, cum recedente æstu in vadis hæsere, alia fluctu iactata quasi naues tempestate victæ in terram deferuntur. Ex quibus putrefactis ossa ad domos ædificandas legunt: ossa laterum grandiora pro tabulis sunt, (sic vertit Massarius: Græce δοκὸς legimus, id est trabes, vel tigna, non tabulas:) minora, pro asseribus, (Arrianus σφωτῆρας dixit:) maxillarum ossibus (ἐν τοῖσιν ἀγῶσι legendum ἐν τοῖς σιαγόσι) pro portis vtuntur, ex quib. multa quinque & viginti cubitos (ὀργυιὰ, vlnas, passus,) accedunt, Arrianus interprete Massario. Ichthyophagi in speluncis habitant, vel tugurijs oleæ frondibus contectis, & trabibus ac tignis ex ossibus ac spinis cetorum perfectis, Strabo lib. 16. In Septentrionalib. maximis Europæ insulis ecclesiæ & domus (sacræ priuatæq; ædes) ex costis & ossibus cetaceis extruuntur, Olaus Magnus.

Cetus aut balæna ludens in mari, signum est tempestatis, Obscurus.

F Ichthyophagi quomodo cùm alijs piscib. vescantur, tum è magnis siccatis farinam, panem & mazas conficiant, scriptum est supra in E. Multi ex damnato victus genere stulti effecti sunt, ex suilla carne bubula, asinina, salsamentis continuis, canibus marinis, cetarijsq; omnib. Alexander Benedictus. Durã habent carnem cetacea omnia & excrementosam, prauiq; succi. Atq; recens eorum caro, ni optimè cõcoquatur, crudi succi plurimum in venis congerit: sensibusq; cibus omnino inutilis habetur. Quam-

obrẽ ipsis sale conditis ferè in cibis vtimur: ita.n. fit vt alimentũ quod ex ipsis in corpus digeritur, & tenuius reddat, concoctioniq; & sanguini generando accomodatius, Vuottonꝰ ex Galeno ni fallor. Brasauolꝰ in suo in Galenum Indice hæc annotauit: Cetacea condiuntur sale: salsa enim meliora euadunt, & sanguini faciendo magis sunt accommodata: caro autem eorum recens facit succos crudos copiose in venis. lib. 3. de alim. facult. Cetacea succum habent crassum & glutinosum, in libro de cibis boni aut mali succi. Omnium carnes salsæ sanguinem melancholicum creant, tertio de locis affectis. Cetacei pisces nulli vtiles sunt senibus, quinto de san. tuenda. Vitari debent in victu attenuante, De atten. victu. Epilepsiæ obnoxij auersentur pisces pingues & cetaceos, vt scombrum, pelamydas. hi enim omnes crassum terrestremq; & inimicum naturæ succum congregant, Trallianus.

Scabies equorum linitur vnguine ceti, vel quod in lancib. salitus thynnus remittit, Columella. Sunt qui pro ceti spermate, vt vulgo nominant, adipe cuiusuis ceti vtãtur. hoc modo: Adipẽ in vase reponũt, loco frigido, vt cella vinaria, deinde prælo exprimunt, & quod remanet crassum sperma ceti vocant: vires quidem easdem esse aiunt. Plura leges inferius in Ceti ex quo ambra legitur historia. Cetaceorum piscium coria aspera tuberculis vlceratis conueniunt, vt scribit Galenus in 2. de morbis vulgar. cõmentario 2.

Cetarij dicuntur à cete, qui maiores in mari sunt pisces, Massarius: quasi cete etiã in ablatiuo, & alijs quàm nominandi accusandiq; casibus pluralis numeri efferre liceat. Cete grandius, Cælius Rhodiginus. H.a.
Κέϐλος, cynocephalus, cetos, Hesychius & Varinus. Καμποσίγγα, ὁμοίως καμπτοκῆτος, apud Epicharmum, Hesychius & Varinus: nescio quàm rectè. malim κάμπος, κῆτος. nam & apud Lycophronem legimus, Βρωθεὶς πολυστοίχοισι καμπέων γνάθοις: Scholiastes interpretatur κητῶν. Oppianus cetum modò piscem vocat, ἰχθὺν: modo feram, κλόμενον θῆρα: modo δάκος ἅλμης. item πέλωρ vel πέλωρον substantiuè, & ἄχθος πόντου. Circa Taprobanen maxima cete sunt, quæ Dion. Afer Ἐρυθραίης πόντου βοτὰ appellat, Eustathius. Elacatênes nõ quiuis cetacei pisces in mari sunt, vt Varinꝰ scribere videt: sed thũnorũ generis dũtaxat.

Epitheta. Immania cete, Vergilius 5. Æneid. Armigeri Tritones eunt, scopulosaq; cete, Statius 1. Achill. Cognominantur etiam grandia & horrida. Ἠ᾽ ἔτι μοι καὶ κῆτος ἐπισσεύῃ μέγα δαίμων Ἐξ ἁλὸς, οἷά τε πολλὰ τρέφει κλυτὸς Ἀμφιτρίτη, Vlysses naufragus Odyss. ε. Κήτεα δ᾽ ὀβριμόγυια, πελώρια θαύματα πόντου, Ἀλκῇ ἀμαιμακέτῳ βεβριθότα, δεῖμα μὲν ὄσσοις Εἰσιδέειν: αἰεὶ δ᾽ ὀλοῇ κεκορυθμένα λύσσῃ, Oppianus lib. 1. Hal. Et rursus. Ὅσσα δέμας στεφάνωκεν ὑπέρφυες ἄχθεα πόντου. Idem nominat cete περιμέτρεα κήτεα, πέλωρα, αἰνοπέλωρα, ἀναιδέα δείματα πόντου, θῆρας ὑπερφυέας, πολυδήεντον πέλωρον, βλοσυρὸν δάκος Ἀμφιτρίτης, μέγα κῆτος, βριθὺ πέλωρ, nam πέλωρ substantiue accipit. & ceti cadauer δυσδερκὲς, ἄπιστον ἰδέσθαι.

Cetarius, qui cete & magnos pisces venditat, & bolonas exercet, authore Donato. Cetarij, lanij, coqui, fartores, Terentius Eunucho. Minimè artes eæ probandæ quæ ministræ sunt voluptatum, cetarij, lanij, coqui, &c. Cicero 1. Offic. Et ne per singula enumerem salsamentorum omnium purgamenta, quæ cetariorum officinis euerruntur. Columella. Cetarij genus est piscatorum, quod maiores pisces capit, dictum ab eo quòd cete in mari maiora sunt piscium genera. Varro, Non animaduertis cetarios, cum videre volunt in mari thunnos, ascendere in mâlum altè, vt penitus per aquam perspiciant pisces, Nonius. Garum apud Turcas etiamnum in magno est vsu, præcipuè Byzantij. Eius venditores olim cetarij vocabantur. Gallicum nomen non habent, nisi quis velit Harenniers (quasi harengarios) appellare. Romę Piscigaroli dicuntur, composito nimirum à piscibus & garo nomine, Bellonius. Cetarius etiam adiectiuum est grammaticis, vt cetarij fines vbi capiuntur cete, Plinio 31. 8. Pisces maximi inter cetarios habentur, vt thunni, Massarius. Græci ἰχθῦς κητώδεις dicunt, Latinè cetarios vel cetaceos dixerim. Cetariæ, cetariarum (vt grammatici recentiores annotant) sunt loca iuxta mare stagnante lacu: in quibus thynni, & alij huiusmodi pisces capiuntur, & iuxta saliuntur, Plinio libro 37. Horatius cetaria dixit g.n. Plures annabunt thunni, & cetaria crescent, Serm. 2. 4. Scoppa Italus cetariam, id est locum vbi capiuntur thynni, Italicè interpretatur, la tunnera, tunnara. Polypus Carteiæ in cetarijs assuetus exire è mari in lacus eorum apertos, atq; ibi salsaméta populari, Plinius. Vide inferius in deriuatis Grę canicis circa finem, Græcis adiectiuum est κήτειος: Oppianus hominum contra phocas pugnam, κήτειον μόθον dixit. Κητείης χλούνης, generis cetarij, Idem. Et alibi, Κητείοισιν ὑπ᾽ ἄσθμασι. Nereides κητείοις νώτοισιν ἐφήμεναι αὐτοχέοντο, Theocritus Idyllio 20. Πολλοὶ δ᾽ ἀμφ᾽ αὐτὸν ἑταῖροι Κήτειοι κτείνοντο γυναίων εἵνεκα δώρων, Homerus Odysseę λ. vbi Eustathius, Κήτειοι, id est magni, παρὰ τὸ κῆτος, vt à κῆδος fit κήδειος. &c. Sed milites mercenarios quoq; κητείους nominabant, διὰ τὸ ἀκόρεστον, metaphora à cetis ducta. Alij populos Mysię huius nominis faciunt, qui postea Eleatæ dicti sint, à Cetio (ἀπὸ κητείου) fluuio torrentis instar in Eleatide, quem & κητώεντα nuncupant. Alij Ceteos putant esse Pergamenos. Sunt qui κήδειοι scribant, & interpretentur, affines, cognatos, vel κηδεστάς: alij verò χήλειοι, & aliter interpretentur, vt pluribus exponit Eustathius. Geographus verò (inquit) quinam sint Cetij populi apud Homerum constare negat. grammaticos enim fabulas quasdam & coniecturas tantum afferre. Cetium (Κήτειον) autem fluuium Caico misceri, cuius circa Idam fontes sint, Hęc Eustathius. Alij ex Strabonis libro 13. recitant, Cetios esse populos inter Cilices & Pelasgos, qui dicti videantur à Cetio fluuiolo quodam in eorum agro, cuiꝰ etiam meminerit Plinius 5. 30. Vocatur & Cetius mons inter Noricum & Pannoniam, hodie vulgò *Kalenberg*. Κητώδεις, id est Cetacei vel cetarij ab authoribus pisces maiores, vt thunni cognominantur. Φυσητὴρ, ὁ τῶν κητωδῶν ἰχθύων αὐλός, Varinus. Orcynus & callichthys, ὅσσοι τε δέμας κητώδεες ἄλλοι, Oppianus. Homerꝰ Lacedæmona κητώεσσαν cognominat, vt Odysseæ quarti initio. In Lacedæmonico (Laconico) mari accepi ingentia cete gigni: eamq; ab causam quidam Cretenses Homerum dicunt Lacedæmonem cetosam appellasse, Ælianus. Μεγακήτει νηὶ μελαίνῃ, Homerus Iliad. Θ. nauim maximam indicans, à magnitudine cetorum, à qua vt nonnullis videtur, sed nimis μικροπρεπῶς, etiam Lacedæmon κητώεσσα dicitur, Eustathius. Lacedęmona cetóessan nuncupant, & magnam interpretantur, vel quia cete habet grandius. Verum καιετάεσσαν Zenodotus mauult scribere, vt intelligamus καλαμινθώδη. Astipulari videtur & Callimachus vbi ait: ἵππους καιετάοντας ἀπ᾽ Εὐρώταο κομίσσαι. In Laconica verò scatet herba calaminthe, quam nepetam Romani dixere. Alij ab rimis sic nuncupatam opinantur, quas terræmotuum vi cõtingit fieri. eas autem cæetos (καιέτους) appellant. terræmotibus verò Lacedæmon obnoxia est, Cęlius Rhod. ex Eustathij commentarijs in secundum Iliados, & in Odysseæ quartum ab initio.

Videtur autem calamintha καλέτα alio nomine dicta, à feruore suæ facultatis, qua tantum non vrit. παρὰ τὸ καίειν. Quærendum (inquit Eustathius) an Lacedæmon cetóessa dicatur eo quod ambiens regionem mare κητοτρόφος & θηλώδης sit, hoc est multas producat belluas. sic & Herodotus circa Atho montem dixit esse θάλασσαν θηριωδεστάτην. Μεγακήτης Iliad. o. epitheton est nauis ingentis, vt superius recitaui. Sic & Iliados Λ. Εἱστήκει γὰρ ἐπὶ πρύμνη μεγακήτεϊ νηΐ. Odysseę verò Γ. μεγακήτεα πόντον legimus: Varinus interpretatur magnos cetos habentem, vel simpliciter magnum: & μεγακήτεα nauim, μεγάλην, παρὰ τὸ κῆτος. ἢ μέγα κύτος (sed ita per ypsilon scribi deberet antepenultima) ἔχουσαν, ὅ ἐστι πλατεῖαν. Πολυκήτεα Νεῖλον. Theocritus Idyllio 17. Ἐπ' ἀξάμενος μακάρεσσι κητοφόνοις, Oppianus 3. Halieut. Omotarichó aliqui vocāt cetema, (κήτημα,) ait Diphilus apud Athenæū: addit id graue esse, & viscosum, & cōctu difficile. Thynnorū piscationē Itali & Siculi cetiā (κητίαν) appellare solent: tū loca vbi reponere soliti sunt magna retia, cæterumq; instrumentū quo captari assueuerūt, cetotheria (κητοθηρία) ideo nominantur, quod magni thynni in numerū cetorū ab eis referantur, Ælianus de animalibus 13. 16. Ego κητοθηρίαν Latinè cotariā dixerim: fortè & κητίαν similiter. De Mystoceto pisce supra in Balæna scriptum est.

Propria. Ex dignioribus quidam in Regem assumptus est, quem Ægyptij Cetem, Grȩci Πρωτέα appellant, Diodorus Sic. Cetò, Κητώ, ex Phorcyne peperit draconem velleris aurei custodem. Hesiodus in Theogonia. De Cetijs populis & Cetio fluuio & monte, supra inter deriuata diximus, Ceteus quidā in Tanagra fertur fuisse corpore crassissimo, κητώδης. Vide infrà de Cetis diuersis, mox ab initio. Ceton rex quidam ab Hercule circa Troiam occisus est, vt infrà dicetur in Ceto cui exposita est Hesione.

b. Ἄλλοι δ' ὠτειλὰς πολυδηλήτοιο πελώρου Χαλκηπόρες ἀφόωσιν, ὁ δ' ὀξύπτερον ἄκανθαν Θηεῖται σμερδνοῖσιν ἀνισταμένην στυγλήτεσσιν. Ἄλλοι δ' ἀλκαίην, ἕτεροι πολυχανδέα νηδὺν, Καὶ κεφαλὴν ἀπέλεθρον ὀρώμενοι ἠγάσσαντο, Oppianus 5. Halieut. vbi notandum quod alcæam de cauda ceti dicit, propter magnam eius vim, παρὰ τὴν ἀλκήν: cū alioqui de leonina ferè tantum vsurpari soleat. plurimum enim hac parte leo valet, & ea flagellans latera ad fortitudinem (πρὸς τὴν ἀλκήν) seipsum animat. Idem poeta de corpore ceti θήρειον δέμας dixit pro κήτειον, & δέμας ὑπέρφυές. item μέλη ἄπλατα, πτέρυγας σμερδαλέας: & ὀδόντων λευγαλέην βίην καὶ χάσματος αἰχμάς. Et rursus de dentibus, Ἔνθ' οἱ μὲν γενύων ὀλοὰς στίχας ἠγάσσαντο Δεινὰς, χαυλιόδοντας, ἀναιδέας, ἠΰτ' ἄκοντας, Τετραστιχεὶ πεφυῶτας ἐπασσυτέρησιν ἀκωκαῖς. Βρωθεὶς πολυστοίχοισι καμπέων γνάθοις, Lycophron. Καὶ πελώροις κήτεσι δομὴν ἀτάλαντοι ἰδέσθαι. Apollonius Argonaut: Ἄκανθα, ἡ ῥάχις τοῦ κήτους, Varinus: id est dorsum ceti. nam alioqui ossa, non spinas cete habent.

c. Naufragi non modo misere pereunt in mari: ἀλλ' ἐπὶ τοῖς Δαιτυμόνας μίμνουσιν, ἀτυμβεύτου δὲ τάφοιο Θηρείου λαιμοῖο μυχοῖς πλήσαντο τυχόντες, Oppianus de cetis loquens.

h. De Epopeo piscatore deuorato à cetacea belua, in Pompilo dicemus. Ἄταλλε (ἐσκίρτα καὶ ἔχαιρε) δὲ κήτε' ὑπ' αὐτοῦ Πάντοθεν ἐκ κευθμῶν, οὐδ' ἠγνοίησεν ἄνακτα, Homerus Iliad. Ν. de Neptuno. Ὤλεσε κήτεος ὀδμὴν, alicubi apud Homerum ni fallor.

DE CETIS DIVERSIS INNOMINATIS FERE, ET PRIMVM EX VETERIBVS.

TANAGRÆVS cetus, Ταναγραῖον κῆτος. Obesum ac prægrandi corporis mole sic appellabant, à Tanagra Bœotiȩ ciuitate, quam Homerus Γραῖαν, Lycophron Pœmandriam appellat, maritimam. ad quam delatus cetus immani magnitudine prouerbio locum dedit. Refertur ab Athenæo lib. 12. Ταναγραίον φυλὴν κήτει ὁμοιότητα. Κῆτος λέγει εἶναί τινα ἐν Τανάγρᾳ παχύτητα, (lego παχύτατον, ὃς ἐλέγετο Κητοῦς, Varinus. videntur autem verba poetȩ cuiusdam, sic fortè legenda: Ταναγραίῳ φυλὴν Κήτει ὁμοιότατον, vt sit finis senarij, & initium alterius, hoc sensu: Tanagræo ceto corpore simillimum. Πόσῳ καλλίον ἐστι πενόμενον εἶναι λεπτότερον, ἢ ὑπερπλουτοῦντα τῷ Ταναγραίῳ κήτει ἐοικέναι; Hermippus apud Athenæum lib. 12. Quod si de ceto marina bellua accipiamus, rectè scribitur κήτει paroxytonum: sin de Ceteo homine crassissimo, vltima erit circunflectenda à recto κητοῦς.

CEMMOR, Κέμμορ, μέγα κῆτος, Hesychius & Varinus.

DE cetis ingentibus quæ classem Alexandri terruerunt, magna vi aquæ flando in sublime emissa, ex Arriano & Strabone scribam infrà in Physetêre.

MACEDONIBVS dum è Mesambria Tocam nauigarent, Nearchus author est, visum cetos in litus eiectum, cubitorum quinquaginta, corio squamoso, tam crasso vt cubitum ȩquaret, innatis ei ostreis. patellis & algis multis, Arrianus de rebus Indicis.

IVBA in his voluminib. quæ scripsit ad Caiū Cæsarem Augusti filium de Arabia, tradit cetos sexcētorū pedū longitudinis, & trecentorū sexaginta latitudinis in flumen Arabię intrasse, pinguiq; eius negociatores, & omnium pisciū adipe camelos perungere in eo situ, vt asilos ab his fugent odore, Plinius.

TVRANNIVS prodidit expulsam beluam in Gaditana littora, cuius inter duas pinnas vltimȩ caudæ cubita XVI. fuissent, dentes eiusdem CXX. maximi dodrantium mensura, minimi semipedū, Plinius.

CIRCA Gedrosiā Indiæ regionē ferūt cete lōgitudine dimidiati stadij, & latitudine pro rata lōgitudinis portione nasci, &c. Ælianus, vide infra in Physetêre, vbi & Plinij verba referā de ijsdem cetis ex libri 9. cap. 3. CIRCA Cythera insulam cete prædicant maiori granditate generari; eorumq; neruos accommodatos esse ad conficiendas non solum musicorum organorum fidiculas, sed ad bellica etiā instrumenta ex his confectȩ (arcuum, vt Gillius addit) chordæ censentur optimæ, Ælianus 17. 6.

IN templo Æsculapij Sicyône in porticu spectatur os ingens ceti marini, Pausanias.

IN eo mari admirandæ magnitudinis cete reperiuntur: quȩ sæpenumero Oceanum eum nauigantibus, pelago innatantia & emergentia apparuerunt, Nicephorus Callistus Ecclesiasticæ historiæ 9. 19. ex Philostorgio describens Paradisi situm ad Orientem sub æquinoctiali.

ERATOSTHENES dicit in Persicæ præternauigationis initio insulam esse, vbi cetum viderit mari eiectum, quinquaginta cubitorum, Strabo lib. 16.

AD Cadaram rubri maris peninsulam exeunt pecori similes beluȩ in terram, pastæq; radices fruticum, remeant: & quædam equorum, asinorum, taurorum capitibus, quæ depascuntur sata, Plinius.

THEO-

THEOCLES, libro 4. ad Syrtim ait cete procreari triremibus maiora, Ælianus. A Tauro vertitur littus orientem versus, flumina decurrunt à Psebeis montibus. Nauigatio insulis impeditur. Mare deinceps sequitur profundum, habens cete magnitudine eximia: haud infesta hominibus, nisi quod fortè quis inscius in earum cristas (vide ne in Græco sit λοφιὰς, id est ceruices) inciderit. Neq; enim nauigantes insequi aduerso Sole possunt, splendore eorum oculos obumbrante. Diodorus Sic. lib. 4. de fabulosis antiquorum gestis.

DE CETO CVI EXPOSITA EST ANDROMEDA: ET ALTERO, CVI HESIONE.

DE Ceto sydere Higinus scribens, De hoc (inquit) dicitur, quòd à Neptuno sit missus vt Andromedam interficeret. de qua ante diximus: sed à Perseo sit interfectus, propter immanitatem corporis: & per illius virtutem inter sidera collocatus. Et superius, Antromeda Mineruæ beneficio dicitur inter astra collocata, propter Persei virtutē, quod eam ceto propositā à periculo liberarat, &c. Fortè & apud Aratū eiusq; Scholiastē aliqd de hoc ceto reperies. Ouidius Metā lib. 4. fabulā sic describit: Perseus per aerem volitans, Æthiopum populos Cephæaq; conspicit arua. Illic immeritam maternæ pendere linguæ Andromedam pœnas iniustus iusserat Ammon (Cassiope enim mater fiducia formȩ ausa fuerat se Nereidibus præferre.) Quam simul ad duras religatam brachia cautes Vidit Abantiades. Vt stetit, ô, dixit, non istis digna catenis, &c. & nondum memoratis omnibus, vnda Insonuit, veniensque immenso bellua ponto. Imminet, & latum sub pectore possidet æquor. Tum Perseus à parentibus vt sua sit seruata sua virtute pacíscitur. Accipiunt legem. Ecce velut nauis prȩfixo concitata rostro Sulcat aquas iuuenum sudantibus acta lacertis: Sic fera dimotis impulsu pectoris vndis, fundæ iactu aberat. Tum Perseus pedibus tellure repulsa Arduus in nubes abijt.

Et celeri misso præceps per inane volatu Terga feræ pressit: dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curuo tenus abdidit hamo. Vulnere læsa graui modò se sublimis in auras
Attollit, modo subdit aquis, modo more ferocis Versat apri, quem turba canum circunsona terret.
Ille auidos morsus velocibus effugit alis: Quaque patet, nunc terga canis super obsita conchis,
Nunc lateram costas, nunc qua tenuissima cauda Desinit in piscem falcato vulnerat ense.

Beluæ cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe, ostēdit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus, longitudine pedum XL. altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali, Plinius. Ioppe oppidum antiquissimum orbe toto, saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet, &c. Solinus. reliqua enim habet vt Plinius: nisi quod addit, Verticuli spinæ ipsius latitudine semipedem (sesquipedem, ex Plinio) sunt supergressi. Cetos deuoraturum Andromeden Lycophron phallȩnam (φάλλαιναν) vocat. Scholiastes verò canem marinum & phallænā. Exposita, vt scribit Plinius, bellua est in mari circa Ioppen aliquando inuenta, quæ multos longissimosq; dentes habet, & pinguedinem quinq; cubitorum: & est de genere cetorum: Albertus, ridiculè à Plinio expositam nominatam putans, cum non hoc belluæ nomen Plinius, sed Andromedam ei expositam fuisse scribat. Plura reperies in Onomastico nostro in Ioppe, per duplex, & Iope per simplex p.

Hesionem Laomedontis regis Troiæ filiam monstro marino expositam Hercules liberauit, occiso prius ceto: sed cum Laomedon equos præstantissimos in præmium illi promissos denegaret, Hercules indignatus Troiam euertit, & occiso rege Hesionem Telamoni, qui primus murum conscenderat, in prȩdæ partem concessit, vt Grammatici inter Herculis labores referunt. Fuit Hesione soror Priami, mater Aiacis & Teucri. de qua Vergilius 8. Æneid.

Nam memini Hesiones visentem regna sororis Laomedontiaden Priamum Salamina petentem, &c.

De ceto (inquit Palæphatus interprete Phasianino) hoc memoratur, quòd Troianos è mari exiens inuadebat. Et si quidem ei puellas aliquas Troiani obtulissent, ab eis recedebat: si minus, eorum totam regionem deuastabat. Quàm verò id fatuum sit credere, Troianos filias proprias ceto exponere solitos fuisse, quis non videt? Virum namq; potius magnum quempiam hunc fuisse dicendum est: qui cū rex esset, multum roboris viriumq; habens, ac in re nauali valde potens, paludem quandam in Asia, quam Troiani possidebāt, circa mare subuertit tributumq; ab eis sibi ob id persoluebatur: quod quidam dasmon, hoc est vectigal vocant. Argento autem eius temporis homines minimè vtebantur: sed vasis solū, ac suppellectile omni alia. Imperauit ideo rex ille qui Ceton (Κήτων) dicebatur, vt ciuitates quædam tributi nomine equos sibi darent, aliȩ verò puellas darent. Hunc verò regem cui nomen erat Ceton, barbari Cetum vocabant. hic circunquaque loca illa adibat & debito necessarioq; tempore tributum ab ijs promissum exigebat. Quod si quæpiam ciuitates persoluere recusarent, eorum regiones ac loca malè tractabat, Peruenit & is quoq; ad Troiam, eo potissimum tempore quando Hercules illuc etiam exercitum Græcorum habens, venit, Vnde Herculem tunc Laomedon rex in Troianorum præsidium conduxit. Ceton verò exercitum suū cum impetu in eos duxit. Cui cum obuiam Hercules & Laomedō cum copijs suis facti essent, illū interfecerūt. Quo ex facto sermo fabulosus cōfictus est, Hæc Palȩphatus. *Ceton rex.*

CVM Ionas propheta à nautis nauigantibus Tharsis eiectus esset è naui in mare, propter tempestatē ipsius causa, quod Dei mandato non paruisset, exortam, vt ipse confitebatur: præsto fuit piscis magnus (רִיצְחוּל) à quo deuoratus, tres dies & noctes in ventre ipsius vixit: tum demum propter feruorem precū quas ad Deū fundebat, ab eodē pisce in terram eructatus est. vt copiosius in historia Ionæ inter prophetas minores in vetere instrumento legitur. Iosephus libro 9. Antiquitatum asserit Ionam ad littus maris Euxini eiectum. hinc enim non longum iter pedestre ei fuit in Assyriam conficiendum, vt patet intuenti tabulas Ptolomȩi, Munsterus. Ionam à lamia pisce potius quàm balæna (cui gula angustior & propter pulmones & arteriam asperam) deuoratū fuisse, &c. Rondeletius probabiliter ostendit, vt recitauimus supra in Cane. A Ionæ historiæ, fortè triesperi Herculis orta est fabula: cuius meminit Cælius Rhod. his verbis: Lycophron in Alexandria Herculem λέοντα dicit τριέσπερον, ex insiti roboris prȩstantia, & quia in eius generatione triplex in vnā coiuit nox: vel quia triduū in vētre ceti trāsmiserit,

à quo

à quo Hesionem liberauit, quum ei immortales equos esset pollicitus Laomedon, quos illi pro Ganymede fuerat dilargitus Iupiter. Τελέστερ© Ἡρακλῆς, διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας ποιῆσαι, ὡς ἑαυτέρας καλεῖ (Λυκόφρων,) διὰ τὸ ἀφώτιστον καὶ σκοτεινὴν εἶναι τὴν τοῦ θηρίου γαστέρα, Varinus.

Eximia magnitudine existimantur, Leo, Libella, Pardalis, Physalus, Prestis, Maltha, Aries, Ælianus. Nos de his & alijs multis suo loco & ordine agemus.

Tiberio principe contra Lugdunensis prouinciç littus in insula simul trecentas amplius beluas reciprocans destituit Oceanus, mirç varietatis ac magnitudinis: nec pauciores in Santonum littore: interq; reliquas elephantos & arietes, candore tantũ cornibus assimulatis: Nereidas verò multas, Plini.

Ganges alicubi (vbi altissimus latissimusq; fluit) cete procreat, quorum adeps vnguenti vsum præstat, καὶ ἐκ τῶν τούτων πιμελῆς ἄλιφα ἐργάζονται, Aelianus 12. 14. Gillius legit ἄλφιτα: vertit enim, è quorum adipe farinæ conficiuntur, quod verisimile non est.

Cete in mari Indico quintupla ad Elephantum vel maximum magnitudine degunt. Nam vna etiã costa ceti ad viginti cubita accedit. Labrum (χελώνην)habent quindecim cubitorum. pinnam ad vtrãque branchiam septem cubitos longam: Ælianus 16. 12. vbi pro χελώνην voce inusitata, & corrupta, vt iudico, aliâs legitur χελώνην, id est testudinem. quid si legamus χελώνην? id est labrum. nam & Aristophanes in hac significatione vtitur. Quod si quis testudinem malit: pinnarum nomine pedes intelligat, quos etiam Nicander in testudine marina πτέρυγας dixit. Sed cum nec ceti, nec testudines branchias habeant, branchiarum tamen locus in cetis commodius, quam in testudinibus intelligi mihi videtur.

Mare quod Taprobanem ambit, infinitos pisces & cete procreare ferunt: & eorum quædam habere capita Leonum, Pantherarum & Arietum, aliorumq; animalium: &, quod magnam admirationem habet, Satyrorum speciem similitudinemq; cete nonnulla gerunt. Alia existunt muliebri facie, eisque pro crinib. spinæ dependẽt. Addũt & alia reperiri absurda, quorum genera tam monstrosa exactè explicari ne à peritissimis quidẽ pictorib. possent. Caudæ eis oblõgæ & inuolutæ. pro pedibus forfices (chelç) aut pinnç. Ac in eodẽ mari belluas in vtraq; sede viuẽtes audio: & noctu segetes & herbas depasci, instar gregaliũ & seminibus victitantiũ animaliũ: quodq; palmarum fructu iam maturo gaudeant, iccirco eas arbores amplexu suo molli flexiliq; concutere, excussas violento impetu palmulas exedere, easdemq; crepusculo matutino, cum iam incipit dilucescere, in mare redire abdiq; mersas, Ælianus 16. 18.

Macedones in obsidione Tyri cum ad teli iactum aggerem produxissent, ostentum à Deo quopiã ad imminentem cladem denũciandam, immissum est. Fluctus enim è mari ad molem eam incredibilis magnitudinis cetum appulerunt, vnde nihil incommodi factum est. Corporis enim parte altera aggeri acclinata, diutius ibi constitit, cum maximo inspicientium omnium terrore. Rursus demum in mare enatauit Hincq; religio maxima vtrosq; occupauit, existimanteis illud portendere Neptunum sibi auxiliarem fore, animo vtiq; id id quod optabant inclinato, Diodorus Sic. de gestis Alexandri.

De Cetis Gedrosiis circa Arabiam (Albertus ineptè Zedrosos vocat, tum circa orthographiam lapsus, tum quòd vocabulum gentile, cetorum proprium existimauit) quarum maxima ossa ædificijs apta sunt, diximus suprà in Cetaceis in genere.

In Feram marinam quæ hominis cadauer capillis aut ceruice (λοφιῆς ὕπερθε) apprehensum ad litus extulit, (ne scilicet periret in mari:) & ibidẽ interijt, quòd in mare nimis relictum non posset redire: Antiphili epigramma Græcum extat huiusmodi libro primo Epigrammatum Grçcorum, sectione 40.

Ἀνέρα θὴρ χερσαῖον ὁ πόντι©, ἄπνοον ἔμπνους
Ἀράμεν© λοφιῆς ὑγρὸν ὕπερθε νέκυν,
Ἐς ψαμάθους ἐκόμισσα. τὸ δ' ἔσχατον ἔκβαλον εἰς γῆν
Νηξάμεν©, φόρτου μισθὸν ἔχω θάνατον.
Δαίμονας δ' ἀλλήλων ἠμείψαμεν. ἡ μὲν ἐκείνου
Χθὼν, ἐμὲ: τὸν δ' ἀπὸ γῆς ἔκτανε τοὐμὸν ὕδωρ.

Brodæus de delphino interpretatur, quem solum ferè in mari homines diligere, seruare, efferre, historijs proditur. Avctor Procopius est apud Byzantium Gotici belli temooribus cete (κῆτ©, sing. numero) comparuisse magnitudinis miræ: Porphyrium (inquit) illi vocant. Id verò annis quinquaginta locis infestius circuniectis omnibus fuerat: nec ab Iustiniano, etiamsi percupido, vlla quiuerat ratione expugnari. Demum delphinos insectatum auidè ac ita limo impactum explicari haud amplius eualuit. sed accolis hinc inde accurrentibus, funium ac machinarum vi pertractum in siccum, cubitorum triginta mensum per longitudinem excessit, per latum verò decem, Cælius Rhod. Porphyrion, Πορφυρίων, auis quçdam, & piscis, Hesychius.

DE CETIS DIVERSIS EX RECENTIORIBVS.

Leviathan (inquit obscurus & barbarus scriptor) Hebraicè dicitur draco. Fertur autem quòd (hic) draco & in terra serpit, & in aquis natat, & in aëre volat, vnde & in Asia tribus nominibus appellatur, scilicet serpens, cetus & leuiathan. Loquens enim in spiritu de diabolo, sub leuiathan typo, ita dicit propheta: In die illa visitabit dominus in gladio suo duro, & grandi & forti, super leuiathan serpentem, & vectem: & super leuiathan serpentem tortuosam, & occidet cetũ qui in mari est. Iorath, Leuin (inquit) & leuiathan piscibus aspedo, id est ceto (aspidochelonen obscuri quidam cetum maximum faciunt, inde aspedi nomen fortè Iorath fecerit) frequenter insidiatur: & pugnat cum eo. Omnesq; pisces maris, qui pugnam vident inter illos, subitò ad caudam ceti confluunt. Et si cetus ab illo deuictus fuerit, morietur & ipse statim. Quos enim cauda cinxerit, mox deglutit. Quod si cetus superari non potuerit, tunc leuin à faucibus suis fœtidissimum odorem cum aqua emittit, cetus autẽ econtrario aquam haurit, & respuit. & odorem fœtidissimum repellit: & sic se suosq; saluat & defendit, Hæc barbari illi. Nos suprà de cetaceis in genere A, Leuiathan ad omnes maiores çetos commune nomen esse docuimus.

Aspidochelone (inquit Physiologus, scriptor barbarus) Græcè dicitur belua quçdã in mari, quæ Latinè dicitur aspidotestudo. Est autem cetus magnus, habens super corium suum, tanquam sabulum, quod est iuxta littus maris. Vnde plerunque eleuato dorso suo super vndas, à nauigantibus nihil aliud creditur esse quàm insula: itaque applicantes † dentes super eam alligant naues: accendunt focos ad coquendos cibos. Ille vero vbi sentit odorem & calorem ignis, mouet se à loco, & sic mergit naues

† nauta.

naues in profundum: Alia quoq; huius beluæ natura est, quando esurit, aperit os suum, & quasi quendam odorem bene olentem exhalat de ore suo, quem sentientes minores pisces confluunt in os eius, quòd vt impletum fuerit, claudit, & eos transglutit, Hçc ille. Ego aspidochelones nomen apud nullum ex veteribus legi, nisi quòd Epiphanius Cypri episcopus, in libro quem physiologum inscripsit, ea quæ paulò ante Physiologi tanquam authoris nomine recitaui, tradit, cap. 30. Oppianus quidem 1. Halieut. aspidóessa (id est scutata, corio scuti instar operta) epitheton facit testudinis:

Δηρὸν δ' ἠιόνεσσι καὶ ἀγχιάλοισιν ἀρούραις
Μίσγοντ' ἐγχέλυές τε, καὶ ἀσπιδόεσσα χελώνη.

Hoc est, Aliquando è mari in proxima litora egrediũtur anguillæ & scutata testudo. Nam Græcus paraphrastes innominatus non rectè hunc locum reddit his verbis: Μίγνυνται δὲ καὶ ἡ ἔγχελυς τῇ ἀσπιδοειδεῖ χελώνῃ ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς. hoc est, Miscetur (Coit) etiam anguilla cum scutiformi testudine in littoribus. Ad Aspidochelonen attinent quæ Isidorus de Zitiron monstro scribit: quod nomen fortè à ceto corruptum est, quasi κητεῖρον vel potius κήτειον dicas. Zitiron (inquit) monstrum est, quod vulgus militem vocat, ingens atque fortissimum. anteriori parte formam ferè militis armati prçfert: & caput quasi casside galeatum, ex cute rugosa, dura firmissimaq;, ostendit. Ab eius collo dependet scutum longum, latum & magnũ, & interius cauum: vt in eo possit contra ictus pugnantium more defendi. Est enim forma triangulare, firmitate, duritieq; tam validum, vt vix vnquam possit iaculo penetrari. De collo eius & de spondylis venæ quædam ac nerui fortissimi protenduntur in humerum, à quibus prædictum scutum pendet in scapula. Brachia quoq; (longa) fortissima nimis habet, & quasi manum bisulcam cum qua validissimè percutit: vnde fit vt difficulter nimis ab homine capi possit: & si captus fuerit difficulter etiam necari, nisi cum malleis poterit, Hæc ille, ex quo Albertus etiam repetijt: qui addit in mari Britannico hoc animal apparuisse, & esse de genere tortucarum, id est, testudinum. Et rursus, Barchora (id est, testudo) tantum excrescit, vt scutum eius octo vel nouem pedum inueniatur, cornu habet in capite, sicut tortuca agrestis: & hoc circundat caput ad modum galeæ. Piscatores Germaniæ & Flandriæ militem vocãt hoc animal, quòd scutum & galeam gerat. Est autem scutum eius ac si de quinq; asseribus sit compositum. Pedes quatuor habet, multorum digitorum, & caudam instar serpentis. Plura etiam Albertus Barchoræ adscribit, quæ veteres de testudine marina prodiderunt.

Zitiron. Miles.

Vacca marina monstrum est magnum ac validum, & ad iniurias iracundum. Non oua sed fœtum parit, plerunq; vnum, aliquando binos aut plures. Fœtum tenerè diligit, & secum ducit quocunq; pergit. Annis triginta hoc animal cauda etiam amputata viuere constat. Author libri de natura rerum.

EX ALBERTI MAGNI DE ANIMALIBVS LIBRO XXIV.

Cetvs est maximus piscium cognitorum, cuius fœmina balæna vocatur. Est autem hic piscis multorum generum. Quidam enim hirsuti (asperi) sunt, ijq; maximi: alij corium habent planum, (leue,) minores: horum in nostro mari genera duo visuntur. Vnũ habet rictũ oris vallatum prægrandibus & longis dentibus: qui plerunq; cubitales, aliquando duorum aut trium, rarissimè quatuor cubitorum reperiuntur. Prçcipuè verò canini duo, cæteris longiores eminent: & sunt subtus sicut cornu, instar elephanti vel apri dentium, qui culmi vocantur: comparati nimirum ad pugnam. Et hoc quidem genus ceti os habet idoneum quo mandat & cõminuat cibum. Alterum, nostra memoria visum, os edentulum habet, aptum duntaxat ad sugendum, vt muræna, (*lampreda:*) aliquanto minus priore, & multo suauiore carne. Vtrunq; branchijs caret, & spirat sicut delphinus, nempe per cannam fistularem. Vtriq; coriũ super oculos densum & nigrũ. Oculi tanti, vt vnius etiam oculi fouea (ceu lacus quidam) homines quindecim largè capiat, interdum viginti. Oculis adiuncta sunt additamenta ciliorum instar, cornea, (*radios for è dixeris, vt de Rota belua Plinius scribit, quaternis eam distingui radiis, modiolos earum (earum leges, scilicet radiorum) oculis duobus vtrinq; claudentibus,*) longitudinis octo pedum, plus minus pro magnitudine piscis: horum singula figuram propè referunt magnæ falcis fœnisecum. Sunt autem numero ducenta & quinquaginta super oculum vnum, ac totidem super alterum. pars singulorum latior radicẽ figit in corio: angustior prominet. non rigent tamen, sed iacent disposita à radice oculi versus tempora piscis: ita vt appareat vnum os latum, ceu magnus quidã vannus: & vtitur eo piscis ad operiẽdũ oculũ suũ in magnis tẽpestatibus. Os.a. habet amplũ: & cũ spirat, eructat ex eo copiosam aquã, qua aliquando implet nauiculas & submergit. Pinnas etiã magnas, & ea qua delphinus specie. caudã bifurcã: cuius latitudo est plus quàm vigintiquatuor pedũ, cũ piscis ad incrementi sui statũ peruenerit. Costas.a. habet curuas, & longas ad spissitudinem piscis, magnitudine tignorũ in magnis domib. Tigna.a. voco super quç cõclauantur (*clauis affigũtur*) laquearia, quib. tegulæ domus affigũtur Hũc piscẽ scribũt veteres quatuor iugera terrç occupare vẽtris sui latitudine: quã ego magnitudinẽ nunquã à nostris piscatorib. qui multos sæpe viderũt, inquirẽdo cognoscere potui. Maximus illorũ, de quib. audiui, onus trecentorũ curruũ fuit, in carnes & ossa diuisus. Sed hçc moles rara est: qui verò ducẽtos, vel centũ & quinquaginta currus onerẽt, plus minus, frequẽter apud nos capiũtur. Colẽ habet hic piscis & testes intus in corpore, sicut delphinus: & tẽpore coitus colẽ emittit. Fœminç vulua eiusmodi ferè est, vt muliebris. Fœmina in coitu mari se submittit, vt delphinus quoq;. Velocis autem sunt coitus, sicut animalia omnia quorum testes intus conditi sunt. Mas genitura abũdat: & quòd præterfluxerit eius (neq; enim totũ capitur ab vtero fœminæ) collectũ, ambra vocatur, maximi precij, & vsitatũ medicis in curãda (gutta) arthritide ac resolutione. Iccirco autẽ genitales cetorũ partes condũtur, ne vel natando impediant, vel aquæ frigiditate lædantur. Quod autẽ aliqui dicũt, cetũ post vnum coitum cum balæna, impotentẽ ad coeundum amplius effici: itaq; in profundum pelagus se abdere: atque illic adeò augeri mole, vt insula quædam maris videri queat: nõ puto esse verũ, nec talia referunt fide digni aut oculati testes. Ceti quidẽ cum pugnant pro fœminis & catulis suis, victus in altum gurgitem se recipit, & præ metu aliquandiu manet, & quòd non moueatur, obesus admodum fit. Lardum his piscibus in dorso est, vt porcis. pingui abundant, prçsertim in capite circa cerebrũ. Tẽpore meo multi sũnt capti. Vnus in Frisia circa locũ qui Stauria vocatur: cuius cum caput per oculũ cuspide punctũ esset, vndecim lagenas adipis emisit, quarũ vnaquçq; vix

vix portabatur ab homine vno. cuius res testis ego sum oculatus. Adeps lucidus & purus est, cum defecatus fuerit. Alter captus est vltra Traiectum versus Hollandiam : cuius caput quadraginta reddidit adipis lagenas. Huius piscis lardum est, quod (*Gallicè*) graspois vocatur. Porrò concipit balana (fœmina ceti) catulum vnum, & nutrit eum (*lactando.*) is multo tempore sequitur matrem, ad tres fortè aut quatuor annos. Hic piscis cum in arcto aliquo profundo concluditur, & nauibus circundatur, submittit se in fundum, & subitò emergens naues (*quas subierit*) submergit. Hæc omnia Albertus.

DE CETO AMBARI.

EST odoramenti genus (inquit Ruellius libro 1. de Stirpibus, cap. 17.) quod recentiores Græci modo ampar, modo ambar nominant. hoc diuersis in locis scaturit, vti Aetius (*imò Actuarius, & Symeon Sethi in libro de alimentorum facultatibus*) literarum monimentis tradidit. sunt autem huius fontes quemadmodum picis, (πηγελαῖα, *Sethi,*) bituminis, sulfuris, & similium, qui huiuscemodi ambarum eructent. Sed in eo genere præfertur quod fuluum est, κιῤῥόν,) prępingue. tale in Indica ciuitate, quæ Selachitum (Silache, Symeon) nominatur, vendi solet. Aliud subalbidum, quod in oppidulo maritimo felicis Arabię, cui Sinchrio (iuxta Sichrim oppidulum, Cardanus. Sethi Sycheon nominat, Συχέον) nomen est, gignitur. Tertium atro colore micat, quod viribus infirmius est. Colligitur hoc ex piscibus qui fontes & ambari scaturigines degustarint. Vim habet excalfaciendi. humorum lentitiam digerit, (incidit, Sethi.) quare medicamentis quæ secandi naturam sortiuntur, (stomachicis. Sethi) immisceri solet. Caput & cor olfactu roborat. sed temulentis largius in vinum coniectum, ebrietatem exasperat. (Si quis ante potum [ἐπὶ πότῳ. post potum] eius odorem olfecerit, ebrietatem accelerat, [ταχύνει: Ruellius legit τραχύνει] & si in vino ponatur, multò magis, Sethi interprete Gyraldo.) Cæterũ Mauritanorum familiæ authores (vt Serapio) in mari tradunt ambar, non secus atq; in terra fungos nasci: sequentibusq; procellis agitatum pelagus, cum prouolutis impetuosè saxis expuit in litus, tum homines qui præsentiunt maris insultus, ad vada se conferunt: & quod eructarint ambarum, congerunt. Pręcellit quod in insulis, harum regionum litoribus, eiectum inuenitur, colore cæsio (cæruleo, Serapio.) in globi formam coactum. Improbatur quod struthiocameli oui more candicat. Damnatur quoq; ambarum, quod è piscium ventribus exemptum fuerit. Namq; cetaceus piscis nimium auidus huius ambari, hoc esu sibi necem consciscit: præsertim dum copiosius estur.

Azelus.

Azelum vernaculo nomine vocant piscem. is emortuus fluitat, & vndis maris emergit. tum insulani coniectis vncis & funibus extrahunt, ambarumq; cęso ventre eximunt. Sed quòd proximè spinam dorsi inuenietur coaluisse, longè magis præfertur: vtpote quod & purius & synceriꝰ tradatur, longioremq; moram in piscis ventre fecerit. Addunt calfacere & siccare ambarum, cerebrum & cor roborare, omnesq; sensus vegetiores efficere: quare senibus & frigidis auxiliari.

Succinum.

Officinæ nostræ ambram chryseam (griseam) vocant. Confundunt sub hoc nominis ambitu succinum magno errore. nam ambarum peregrinum nomen est, illius duntaxat rei proprium. Quapropter sunt, qui sentientes hoc discrimen, ne committeretur error, orientale succinũ maluerunt appellare.

Ambarum. Ambar.

Sed nos vt alia quædam, quod patrio vocant nomine ambar, edocti à veteribus Latinis ambarum diximus: sicut & sachar, sacharum. Liberum tamen fuerit vel ambar vel ambarum proferre. Hæc omnia Ruellius, & mutuatus ab eo Matthiolus Senensis. Azel est piscis quidam magnꝰ Syluaticus. Quod de genitura ceti cum sua fœmina coeuntis abundat, id mari supernatans colligitur ambræ nomine, Iorath.

Suffitus.

Aëtius lib. 16. cap. 133. ambram suffumigio moschato admiscet, & aliquot alijs deinceps suffumigijs.

Ambarium.

Ambarium inijcitur in thymiama Esdrę apud Nicolaum Myrepsum. Sultanus olim Ægypti tyrannus solebat cereis immiscere ambram, voluptati atque valetudini simul consulens. nos, quibus carior est ambra, nec opes regiæ, laseris succum aut thus possemus immiscere. nam vt illa regibus, ita hæc priuatis magnifica atq; decora, ac delicijs apta, Cardanus. Succino fragrantior est ambra, vt cum pretiosissimis conferatur mercibus, Idem. Permutatur vncia aureis duobus, Alexander Benedictus, cum musci vnciam senis aureis emi scripsisset. His scriptis inspexi catalogos, de medicamentorum precijs in pharmacopolijs diuersarum vrbium, quos habeo: in quibus magna quidem diuersitas est, vbique tamen ferè maius precium ambræ, quam moscho. Ambræ vncia Lugduni alibiq; in Gallia coronatis duodecim vęnit: in Germania florenis duodecim. Alicubi tamẽ (vt Augustę Vindelicorum) ambram & moschum eodem precio vænundari audio, vtriusq; vnciam florenis octo. Alibi, vt Norimbergę, ita distinguunt, vt ambrę griseę precium sit floreni duodecim in semunciam: communis verò, floreni tres, alibi duo cum dimidio ferè. Moschi vnciam Galli coronatis septẽ vendunt, præstantissimũ (quem orientalem cognominant) octonis. Cęterum spermatis ceti vnciã, floreno indicant Germani.

Mira illius vis ad cerebrum, multa graue olet propter odoris magnitudinem. Tenues habet crassis partes immixtas. Creditum est esse semen piscis horrendi monstrosiq; ex cetaceo genere, cuius caput lapidis referat duritiem. Hic in Africæ Oceano oritur, eiusq; nomen Ambar: vnde thymiamati nomen inditum. Sunt illius tria genera, colore, odore atq; pondere sibi inuicem respondentia. Album, leuissimum, odoratum, optimumq; : nigrum, grauissimum, odore carens, atq; ignauum: cinereum, omnibus his mediocre, Cardanus. In mari circa Madaigascar insulam maximam ditissimamq;, cete grandia capiuntur, ex quibus ambrum colligitur, M. Paulus Venetus.

Præter Europæum succinum, quod Mauri & Officinæ Persica voce Caraben appellant, aliud est (inquit Le. Fuchsius) quod in Africa, & item aliud quod in Asia gignitur: ob id hoc Asiaticum, illud verò Africanum appellatur: vtrunque Arabes Ambram vocant. Recentioribus quoque Græcis ἄμπαρ & ἄμβαρ nominatur. Latinè ambarum dixeris. Colligitur hoc ex piscibus cetaceis. nonnulli semen, vel Græca vtentes voce, sperma ceti: alij, vt Auicenna, stercus eiusdem magno errore putant: quum non sit nisi succinum quod balænæ siue cete deuorarunt.

Auicennã confundere florẽ salis cũ succino vel ambra.

Vnde liquet Auicennam maximo in errore versari, qui sub ambræ voce vnica duas inter se diuersissimas res, nempe spumam siue florem salis, & succinum hoc Africanum & Asiaticum, describit ac confundit. Et ex eodem etiam posteriores medici, & horũ officinæ errandi occasionẽ sumpserunt. Nam illi res has discernere nequeuntes, florẽ maris sperma ceti vocant:

vocant: quum potius succinum quòd è cetaceis piscibus eximitur, vulgi & imperitorum more ita nominandum illis fuisset. hoc enim ad alterius differentiam sperma ceti nominari posset, quamuis parum propriè. Ambarum fuluũ, vel, vt hodie loquuntur, ambra citrina, (discriminis † gratia appellari posset.) Ad nos hoc tempore non affertur: sed in eius locum substituitur ambarum factitium, quod hodie in officinis sub ambræ nomine prostat, & magnis impensis à pharmacopœis comparatur: atq; à colore cinericio, vt illam à citrina, quæ succinũ est, vt diximus, discernant, griseam appellant. Modum autem conficiendi alibi ostendimus: (*Fortè libro 9. in suis Commentarijs de simplicium medic. facultatibus, mox enim etiam de camphora factitia in eodem libro se scripsisse ait.*) Vt iam perspicuum sit omnibus, recentioribus medicis triplicem esse ambram: vnam subalbidam, quæ est flos maris, illisq; ineptè sperma ceti dicitur. Alteram fuluam & pinguem, quam citrinã nominant: quæ certè rectiùs quã prior sperma ceti, quũ nonnũq̃ ex illis eximatur, diceretur. Tertia grisea, q̃ natiua nõ est, sed factitia, & hodie in officinis sub ambræ nomine ꝓstat. Hæc oĩa Fuchsius, qui inter ea etiã quæ secundo ordine calefaciunt ambarũ numerat: & rursus inter ea quæ caput, & cor & vterum iuuant. Frigidis temperamẽtis vtilissima est, Aben Mesuai.

** Videtur hæc verba parẽthesi inclusa abũdare: & sequẽtia construẽda cũ præcedentibus.*

Ambra, Arabicè Hambar (vt scribit Auicenna libro 2. cap. 63.) videtur è suo fonte scaturire in mari. Illud verò quod dicitur quod est de spuma maris, aut stercore animalis maris, lõginquum (*parum probabile*) est. Præfertur grisea (alsheb) fortis: deinde varia, (alazarach:) post eam citrina: & deterior est nigra. Adulteratur gypso, cera, ladano, & ambra bona (al', & mixtura odorifera facta ex ambra & moscho quæ mixtura appellatur alned (vel almend,) aliàs almende.) Eius species nigra mala est: quæ sæpe colligitur è ventre piscis ea deuorata mortui. Calfacere videtur in secundo abscessu, siccare in primo. Senibus decrepitis subtili calore suo prodest. Eius quod almend vocant species vna si tangatur digitis, denigrat eos, & conuenit denigrandis radicibus pilorum, qui vt paulatim enascuntur, ita tingantur. Iuuat cerebrum, sensus & cor. Hæc Auicenna.

Almend.

Quæ supra ex Ruellio de ambra scripsimus, hæc ille partim ex Serapione, partim ex Symeone Sethi mutuatus est. Nos hic insuper quędam ex Serapione addemus. De hambra (inquit capite 196.) ex mari est, in terris Zin (alias Zing) in Occidente, & illa defertur almahadiæ. Inferunt enim eam illuc homines qui nominantur Miheræ, id est veloces, qui noverunt quòd mare ipsorum eijcit ambram. Ea quę reperitur in ventre ceti non est bona: quam Persæ pharmacopolæ mandi nominant.

Mandi.

Ambra (vt scribit Elluchasem) est instar cerebelli. maxima eius massa ad mille aureos accedit. Scaturit autem è fontibus in mari, & supernatat aquæ. de qua supernatantes aues (superuolantes aues, vel supernatantes pisces legerim) si gustarint, moriuntur. Alij animalis cuiusdam excrementum esse putant: alij sordes seu purgamentum maris. Inter omnes eius species grisea pręfertur: deterior est cui color niueus. Tertio loco habetur picea, (nigra.) Ambra piscis est horribilis odoris. nam pisces qui ipsum degustarint, rursus euomunt. & cum præparatur (ad cibum) decollaturq;, (aliàs, decoquitur) egreditur ex eo arena. Est etiam alia species ambræ pinealis: & alia quę dicitur mundus, (mandi potius, vel mende,) carens odore, Hæc ille. Ambræ pinealis nomine fortè succinum commune intelligendum fuerit: quod plerique olim putabant à quibusdam pinei generis arboribus exudare.

Alexander Benedictus (de curandis morbis libro 13. capite 26. quod inscribitur de victus ratione in vomentibus ex nauigatione maritima) de ambaro, succini odorati nomine hæc prodit: Quid succinũ odoratum sit paucis referemus. non satis enim liquidò de eo habetur. Commendatur albo ac nigro mixtum ac leue: odore, primo olfactu, ingratum: consuetudine gratiam acquirit, cum prędicta (moschus & zibethum) fastidium pariant. Prolificum piscis cuiusdam vel ceti semen esse arbitrantur, durum, glebæ terræ simile, in mari inueniri ac supernatare ad litora, vbi & aliud succinum inuenitur, fama est. Aliqui ex Caspio mari aduehi volunt. Didicêre matronæ baccas auellanæ magnitudinis vel gallę, filo insuere, ad religionis cultum, Maiores quoque pilæ ex ijs contra pestilentiæ virus (vt in eius obseruatione diximus) conformantur.

Electio.

Pilę ab ambra denominatæ, quę suauis & medicati odoris gratia parantur in Seplasijs, quo modo fieri & misceri debeant, pleriq; medici, quorum de peste scripta extant, literis mandarunt.

Ἄμπαρ seu ἄμβαρ, Ambarum seu ambra Arabum & Actuarij ac Simeonis recentiorum Græcorum, odoramenti genus locis diuersis scaturit, vt bitumen, sulfur. Nobis hodie larga & præstantissima ex litore Aquitanico mittitur, cinericio colore. Indicam rufam, (κιῤῥὰν, citrinam) pinguem, Arabes & Simeon præferunt Arabicæ subalbæ, &c. Syluius.

Ambar Aquitanicum.

Gallijs quibusdam, id est trochiscis odoratis, Mesue moschum & ambram miscet. Platearius suppositorium factum ex styrace calamita, ambra & moscho commendat ad educendos menses, & promouendum conceptum ex causa frigida impeditum.

Ambra (inquit Manardus) res noua est, quam non tanti facio quanti ęstimatur. Et rursus de camphora agens, in Annotationibus in Mesuen, Simeon (inquit) ampar vocat dicitq; multis in locis emanare à quibusdam veluti fontibus, &c. vt nos ex Simeone retulimus, qui vel ipsius Manardi memoriæ lapsus est, vel negligentiæ potius typographorum error, qui hęc non ad camphoram, sed ad paulò superiorem de ambra locum referre debuerant. Idem Manardus vbi Mesue in confectione ambrę muscatæ ambram canni nominat, nihil aliud quàm ambræ epitheton hoc esse ait.

Ambarum (inquit Adamus Lonicerus) calidum est & siccum in primo gradu. digerendi vim possidet. Membris paralyticis medetur, pectus purgat, memoriam custodire aiunt. Contra vertiginem (frigiditatem vel humiditatem dicere voluit, puto) capitis & vertiginem ex ea prouenientem: Recipe ambari drachmam, ligni aloës semunciam, ossis de corde cerui dicti vncias duas. Dissoluantur cum aqua rosacea, & formentur catapotia. Fumus ambrę & cornu cerui, æquali portione prunis impositorum, comitiales ore exceptus recreat. Procidentem matricem per inferna suffitus idem admissus, assa fœtida interim naribus admota, retrahit. Capiti frigido prodest ambarum, & frigiditate debilitatam ratiocinandi vim restaurat. Melancholiam pellit.

Georgius Agricola libro 1. de natura eorum quæ effluunt ex terra: Bitumen liquidum (inquit) differt colore, &c. Effunditur quoque in mare Germanicum, atq; ex eo fit succinum, è candido candidũ.

Quoddam est in cinereo candidum: quale emanat ad maritimum Arabiæ felicis oppidulũ, quod Sichrin appellant. id ipsum etiam concretum Arabes ambram vocant. Serapio etiam Germanicum succinũ videtur ambram vocare. Asiaticum succinum Psellus in Arabia felici subcandidum, in India fuluum nasci scribit. vtrunq; Mauri appellant ambram. M. Paulus Venetus asserit in balænis inueniri, vt fortè inuenitur: tametsi in nostris piscibus repertum esse succinũ nescio. Itaque etiam Asiaticum succinum vt Europæum, in mare è fontibus defluit: ibiq; induratum ejcitur in littora. sed ad nos non affertur. verum in eius locum substituitur ambra factitia, muscum vel cibetum redolens: quę fit aut ex benzoo, cera candida noui examinis, carie fraxini, arborum musco: aut ex styrace, ladano, ramentis xyloaloes. additurq; ad vtranque compositionem muscus vel cibetum: atq; omnia cum aqua rosacea commiscẽtur, (*auctis mb amodus*,) sed facile fraus deprehenditur. etenim natiua non ita celeriter vt factitia, aquis mollescit: & ab eadem colore & odore differt, Hæc Agricola. Fictitia manibus subigi potest, cerę instar, vera non potest, Platearius: ex quo etiam Agricola adulterandi modum describit. De viribus ambræ aduersus comitialem, & ab vtero strangulationem plura tradit idem Platearius.

Ambra factitia.

Ambra non est species bituminis è terra effluens: neq; semen ceti. nam hoc non liquescit, ambra verò liquescit. sed est fungus, quo cete & balænæ vescuntur. argumento est, quod ambra reperiatur in vẽtriculis balænarum, Innominatus.

DE EO QVOD PHARMACOPOLÆ ET VVLGVS HODIE SPERMA CETI NOMINANT.

INTER salis genera maximè tenuium partium est flos salis. est enim non modo tanquam fauilla tenuissimus & leuissimus: sed etiam candidissimus. At maris flos ab eo totus est diuersus. etenim humidus, pinguis, croceus, vt qui sit semen balęnarum: quod alias explicabo, Georgius Agricola libro tertio de natura fossilium. Interpretatur autem Germanice *Vvolram*.

Halosanthos, flos salis, à mari mihi nomen habere videtur, inquit Christophorus Encelius: estque quędam efflorescentia maris. & emittit hoc mare medicamentum. alio sub nomine habetur in officinis: nempe dicitur sperma vel semen ceti, vel balænæ, seu ambar subalbidum. Saxones vocant *Vvalrath*, vel *Balrath*, forsitan ab effectu in nonnullis morbis. Veteres non fecerunt mentionem spermatis ceti, sed floris salis: estque idem. Reperitur autem ipso in mari, vt mihi nautæ aliquoties & mercatores retulerunt (licet & supra petras in Nilo reperiri volunt, aut in paludibus ad mare, & in stagnantibus maris partibus. Dioscorides libro 5. cap. 77. in Nilo & lacubus natare dicit, &c.) color illi croceus aut lateritius: sed vt deponat ruborem, & fiat candidum, purgatur. hinc russi quasi grumi, adhuc inueniuntur, in ipsa eius massa, vt ita dicam. Est autem res pinguedine virus olens, & ingrati odoris: quæ aqua non resoluitur, sed tantum oleo. Cassius Felix Halosachnes meminit, & Plinius libro 31. cap. 7. qui primum florem salis definit esse leuissimam ex ipso sale fauillam & candidissimam. Deinde & florem salis dicit rem diuersæ naturæ, vtpote humidioris, & coloris crocei aut russi: veluti rubigo salis, odore quoque (G) ceu gari dissentientem à sale, non modo à spuma. inueniri autem in Ægyto, & differri Nilo, & innatare quibusdam fontibus, fierique flantibus Aquilonibus. In Saxonia eius vsus adeò vulgaris est, vt nescio ad quem non morbum illio vtantur. Scio ego propter nimium eius vsum perijsse honestissimam matronam ad ostium Tangræ. Quidam & ambram vocant hoc sperma ceti. alij ambram fructum arboris vel gummi sub mare crescentis: alij iecur, alij stercus piscis, alij spumam quandam maris esse putauerunt. Vide Almansorem tractatu 3. Hucusq; Encelius.

Halos anthos, id est flos salis, vox ambigua est. nã & fauillã, hoc est siccam, leuissimam, & candidissimã salis in salinis collecti partẽ, & aliã quandã rem humidioris naturæ, ac crocei aut rusi coloris, & ingrati odoris, quæ summo mari & fluminib. ac lacubus, qui maris etiã appellatione veniũt, innatat, significat. Præstaret autẽ ad euitandã confusionẽ Latinos, priorẽ salis florẽ: alterã autẽ maris florem, appellare, qꝑ scilicet reuera maris flos sit: & ἅλς vox quum sine articulo à Græcis efferatur, pro mari vsurpari possit.

(G) Maris autẽ flos ille, qui Dioscoridi ἅλὸς ἄνθος dicitur nõ est nisi balænarũ semen, qꝑ in officinis medicorũ non tamẽ sine errore, Sperma ceti, & Auicennę (vt infra fusius dicetur) Ambra simpliciter nominatur, &c. Fuchsius, ab Encelio vt apparet mutuat⁹. Idem in cerato quodam ad grumos sanguinis in vesica dissoluẽdos sperma ceti cæteris admiscet. Ex casu, lapsu, aut ictu, si quid in corpore conuulsum, ruptum aut fractum est, si quid ex ijsdem causis intumuit, sperma (vt vocant) ceti propinant, multi populi, præsertim verò Septentrionales & maritimi Germani, quibus & recẽtius & copiosius hoc remedium est. nã & saggillata discutere, & sanguinem cõcretum dissoluere putant, dolores mitigare, calores remittere: &, si non admodũ prosit, nihil obesse. Sunt qui adipẽ cuiusuis ceti, vase exceptũ, in cella frigida deponant, deinde prælo exprimant, vt pars tenuior effluat, quę instar olei est, & ijsdem viribus, quibus pars crassior quæ remanet, licet tenuiorum partium. Crassiorẽ pro genitura ceti vendũt, cuius vim quidem repræsentat, sed ignauius. Diligériores dignoscũt, qꝑ vera genitura ceti (si modo genitura est, vt vocat) maculis candidis, latis & dulcibus insignitur: adipis verò pars crassior, pinguior compactior, & minoribus maculis videtur. Quod apud nos venditur sperma ceti albũ & pingue est, friabile ferè, & in squamas resolubile. Medici & pharmacopœi quidam Germaniæ & Vngariæ, inter remedia sua habẽt quod vnguentũ potabile vocãt, quo medici, præsertim vulnerarij, vtũtur in concussis, vulneratis, hæmoptoicis, & huiusmodi affectibus. Habetur & aliud vnguentũ de spermate ceti, quo aliptę quidam, præcipuè Itali, vtũtur in dolorib. neruorũ ex morbo Gallico. Vnguentũ potabile à Valerio Cordo & Leonardo Fuchsio describitur huiusmodi: Butyri recẽtis, salis expertis, libræ ij. Rubeæ tinctorum, castorei, floris maris (id est, spermatis ceti,) radicis tormẽtillę, ana unc. j. Bulliãt simul in vino odoro ad eius consumptionẽ, ac formetur vnguentũ. Datur ijs qui ex alto ceciderunt. Fuchsius addit, glutinat. n. vulnera. Ola⁹ Magnus in descriptione Septẽtrionaliũ insularũ, Sperma ceti à nauigantib. in Oceano diuersis in locis colligi meminit. Germanicũ vocabulũ *Vvalrath*, non à celeritate auxilij, vt quidã putãt & scribũt *Balrath*, sed à nomine *Vval*, qꝑ est cetus vel balæna, & *Rum*, qꝑ est genitura mihi factũ videt, & scribendi efferendiq; *Vvalrã*, vt idẽ hoc Germanis significet, qꝑ Latinis sperma ceti. Feles ad libidinẽ ꝓnas *ramling* nostri esse dicunt: & *Ramsoren* allij syluestris genus à viroso odore nominatur.

DE

DE CETIS QVIBVSDAM EX OLAI MAGNI SEPTENTRIONALIS OCEANI EVRO. PÆI DESCRIPTIONE.

Iconum fides penes authorem esto: nos enim eas omnes ex tabula ipsius Septentrionali pingendas curauimus: Apparet autem eum ex narratione nautarum, non ad viuum, pleraque depinxisse. Vix probarim capita quorundam nimis ad terrestrium similitudinem efficta: vt neque pedes vnguibus armatos: & fistulas adeò prominentes, cùm balænarum quas supra dedimus: tum hic pristis s. u physeteris.

Verba & descriptiones authoris, partim ex ipsa tabula, partim ex libello Germanicè paulo copiosius edito, adiecimus.

IN Septentrionalibus maribus copia variorum cetorum est ob immensam marium profunditatem, quæ tanta est alicubi vt nulla funium longitudine attingi queat: & multis in locis anchorarum vsus non est, sed circulos ferreos plumbo inclusos earum loco demittunt.

NOMINA quædam confingemus à similitudine terrestrium, vt apri, hyænæ, monocerotis, rhinocerotis, &c. literarum ferè seriem sequemur.

BALÆNAS & eis cognatas quasdam belluas in B. elemento ex eodem hoc authore posuimus.

DE APRO CETACEO.



OLAVS Magnus in tabula sua quam literis distinxit, in B.b. belluam hanc marinam sine nomine pingit, ingentem esse scribit, & dentibus truculentis excelsisq;. Nos à dentium figura sitúque aprum nominauimus: sed cetaceum, vt à pisce eiusdem nominis discerneretur.

DE CETO BARBATO.



EODEM in loco B. b. Olaus hoc quoq; monſtrum pingit: Maximum, vt ait, & cornibus, & viſu flãmeo horrendum: oculi circunferentia ſedecim vel viginti pedum menſuram continet. Caput (quadratum, Cardanus) in quatuor mucrones diuiditur. barba prolixa eſt. pars poſterior parua (anguſtior & breuior, Cardanus) exiſtimatur. Nos cetum barbatum appellauimus, imitati Cardanum, qui libro decimo operis De ſubtilitate, cete aliquot ex eodem hoc authore commemorat: vbi Barbato huic cornua bina tribuit quod neque Olaus dixit, neque repræſentat icon non. binis enim ſed quatuordecim ceu cornibus radiatum caput eſt. cornua vtrinq; ab oculo incipiunt, & per occipitium tranſeunt, neſcio quàm rectè. Albertus enim (cuius verbis paulò antè in cetis Oceani Germanici deſcribendis vſus ſum) cetis noſtrorum marium appendices quaſdam eſſe ſcribit (circa oculos) ciliorum inſtar, corneas, octo fer· pedes lõgas, plus minus pro magnitudine piſcis, ſpecie magnæ falcis fœniſecum, ducentas & quinquaginta ſuper oculum vnum, & totidem ſuper alterum, ex lato in acutum deſinentes, non rigidas, ſed iacentes, & diſpoſitas verſus tempora piſcis, ita vt veluti os vnum latum magni vanni inſtar efficiant, quo belua aduerſus tempeſtates oculos muniens operiat. Oculi vnius foueam homines quindecim, aliquando viginti capere.

DE CETO CAPILLATO.

CETVM Capillatum vel crinitum hunc piſcem nomino, cuius caput tantum Olaus delineauit in tabula, paulò infra A. l. in explicatione verò nullam eius mentionem fecit.

DE HYÆNA CETACEA.



HANC feram marinam Olaus exhibuit in D. K. porco ſimilem eſſe ait, & apparuiſſe in mari iuxta Thylen inſulam, quæ ſupra Orchades Septentrionem verſus ſita eſt, anno Domini 1537. Ego hyænam voco, à ſimilitudine, ſiue ſuis, ſiue hyænæ, quadrupedum. De veterum hyænis piſcibus aut cetis dicam in H. elemento. In hac Olai icone non probo auriculas animali marino appictas. roſtrum quoq; nimis porcinum videtur. Hoc mirum quod in eius latere tres velut oculi apparent expreſſi.

DE CETIS DVOBVS, IVBATO, ET MONOCEROTE.



MONSTRVM hoc potius quam cetum, iubatum ſimul barbatumq; in mari glaciali pingit Olaus, paulò infra Gruntlandiam, remotiſſimam ad Septentriones regionem, intra B. litteræ cõplexum: facie viri ferè, in explicatione verò tabulæ nuſquam eius meminit: vt neque Monocerotis, id eſt, vnicornis, cuius caput paulo infra A. m. ex æquore prominet. Vide infrà, elemento M. de Monocerote plura.

DE

DE PISTRI AVT PHYSETERE.

CAPVT & ceruicem ceti, quem piſtrin aut phyſeterem putat, Olaus exhibuit in A. o. Nos de vtroque plura in P. elemento referemus.

DE RHINOCEROTE CETO.



MONSTRVM Rhinoceroti ſimile (inquit Olaus, qui hanc figuram in Tabula E. e. exhibuit) naſo & dorſo acutis, deuorat gambarum (*en Humer, vtacum potius*,) duodecim pedum. Rhinoceros (inquit Cardanus) faſtigiatum dorſum habet: & narem occultam, & in cornu deſinentem: pedes habet duodecim & cancros deuorat. Sic ille, cum dicere debuiſſet, pedum duodecim cancros deuorat.

DE VACCA MARINA.

VACCÆ marinæ caput, vt ipſe nominat, in tabula Olai circa D. e. prominet huiuſmodi. Plinius cornutam inter belluas maris nominat, nec vllam eius deſcriptionem addit. nos Vaccam Olai ſic nominare poterimus: neque enim cornutum alium piſcem ſcriptores memorant, præter monocerotem eidem Olao à ſingulari cornu dictum, & arietem.

Cornuta.

DE ZIPHIO.

ZIPHIVS (Ziphio ſimile, in libello Germanico) monſtrum marinum horribile, phocam nigram deglutit, teſte Olao: qui in tabula D. d. & D. e. hanc effigiem propoſuit: delineato ſimul etiam alio monſtro innominato terribili, quod ziphio ad latus inſidiatur. Aries quoque veterum & ingens belua eſt, & ſimiliter phocas appetit.



Zifius vel Ziphius (à Cardano Ziphus ſcribitur) eſt bellua marina, valde formidabilis, (ingens, de genere cetorum, Albertus,) & omnium animalium generi valde diſſimilis, forma ſingularis. Huius nanque caput ſi videris, monſtroſum eſt omnino: ſi oris abyſſum, fugies velut imaginem mortis: ſi oculos, horrebis: ſi reliquum corpus, nihil in rebus ſimile te vidiſſe fatebris, Author libri de nat. rerum. Germanicè *Ziffvval* dici poterit: vel *Sauffvval* à deglutiendo, quod etiam magna animalia, vt phocas, deuoret.

DE ROSMARO.

Figura ab Olao Magno exhibita in Tabula E. c.



ROSMARVS eſt bellua marina ad magnitudinem elephantis. Littorum montes ſcandit, & gramine paſcitur. Somni gratia dentibus ſe à rupe ſuſpendit, & adeò profundè dormit, vt piſcatores laqueis & funibus vinctum comprehendant: id quomodo fiat, alias explicabimus, Olaus. nos hactenus aliud nihil præter hanc tabulam, & breuiſſimam eius explicationem ab eo æditum vidimus. Pedes in hoc ceto expreſſi non placent: quanquam pictura etiam illa quæ Argẽtinæ in Curia ſpectatur, pedes oſtendit, ſed in ea caput tantum ad ſceleton veri capitis factum audio, reliquum corpus ex coniectura aut narratione adiectum. Poſſunt in ſceletis, præſertim maiorum piſcium, pinnę, ad aliquam pedum vnguiumque ſpeciem arte formari. Dentes etiam in Olai icone ſurſum tendentes minus placent, quam qui in capite Argentinæ picto, (cum Romam ad pontificem Leonem tale caput è Scandinauia mitteretur, vt audio,) deorſum è ſuperiore mandibula vergunt, ſicut in elephantis, ſiue dẽtes ſiue cornua potius. Sic enim commodius à ſcopulis & rupibus ſe ſuſpendent. Author qui chorographicam Moſchouiæ tabulam ante paucos annos ædidit. Mors hanc belluam nominat: & ſimiliter dentes exertos binos à ſuperiore mandibula deſcendentes ei appingit: homines alij ab alia rupis parte haſtis & lapidibus ſcandentem vel dormientem oppugnant. Dentibus (inquit) ſuſpenſa, greſſum per altas rupes promouet in verticem vſq; , vnde citiùs ſe demittit per ſubiectos campos graſſatura. Libet etiam verſus Germanicos qui in curia Argentinæ leguntur ſuper huius monſtri effigie, hic adſcribere.

Ruſor

Pictura quæ Argentinæ in caldario Curiæ viſitur, in panno expreſſa.

†*Indocto alicui cetus mas viſus eſt, balæna fœmina: cum cetus totius generis nomen ſit, balæna ſpeciei in vtroque ſexu.*

Noſtinger.

Morſz.

Ruſor.

Ruſſmal.

(E

Ruſor in Norweg nennt man mich/
Cetus denatus bin doch ich.
Mein Weibet balena iſt genannt/
Im Orientiſchen Meer bekannt:
Macht vngewitter groß im Meer/
Schreckt Alexandrum vnd ſein Heer.
Dem kalten Meer dem ſtreich ich nach/
In ſtreit vnnd fechten iſt mir gach.
Man findt viel tauſendt mein genoſſen/
Die lang Zän hand aus der maſſen.
Die ſind 2.3.4. elen lang/
Vnd ſo dick wie ein Ziligſtang.
Da iſt ein fechten vnd ein reiſſen/
Mit den Walfiſchen wir vns beiſſen.
Vnd all Fiſch die wir kummen an/
Die mögen für vns nicht beſtan.
Doch hand mich etlich ſo getrieben/
Daß ich im Meer nicht bin geblieben:
Sonder mußt weichen an den ſtaden/
Da nam ich mein tödtlichen ſchaden.
Zweintzig acht Schuch man mich aus mas/
Wiewol ein klein Ruſor ich war.
Solt ich mein zeit aus ſollen leben/
Ich hett nichts vmb all Walfiſch geben.
Von Nidroſia der Biſchoff har
Mich ſtechen laſſen an dem gſtad.
Papſt Leo meinen Kopff geſchickt
Gen Rom da mich manch Menſch anblickt.
Zu Straßburg hat man den auch geſehen/
Tauſent fünffhundert iſts geſchehen.
Vnd neintzehen Jahr vmb Weinacht zeit/
Ein ſtarck gebiß hat mich geholffen nicht.

Audio hanc belluam binis dentibus è ſcopulis tanquam clauo ſe ſuſpendẽtem, à Germanis Oceani litora colẽtibus *Roſtunger* appellari. In extrema Moſcouia, vel Hungaria Scythica, non longe à Tanais ortu, Morſz dicitur. A Germanico *Ruſor*, (quod nomen factum videtur ab impetu & ſonitu quo per mare fertur, *von dem rauſchen vnd grauſch*, ἀπὸ τῆς ὁρμῆς καὶ ῥύμης,) quidã Roſmarũ Latina terminatione dicere voluerunt. Vel *Ruſor* dictus eſt, quaſi *Ruſor*, (nam *Rus* lingua noſtra gigantem ſignificat,) à magnitudine & robore quo cæteris cũ piſcibus tũ cetis pleriſq; præſtat. Alium eſſe puto qui *Ruſſvval* nominatur, quinquaginta paſſuum longitudine: deuorãs homines & cymbas, & inuertens naues. In Iuhra & Corela Scythicis regionibus ad Septẽtriones remotiſſimis, ſunt aliq mõtes mediocris tumoris, qui Oceano p totũ Septẽtrionẽ adiacẽt. Super hos ſcandũt ex mari piſces Morſz nuncupati, dẽte ſeſe ſupra montẽ cõtinendo, fricando, & aſcenſũ promouendo: cũq; ad ſummitatẽ mõtis peruenerint, ad vlteriora greſsũ ꝓmouẽdo, ad alterã partẽ montiũ volutando decidunt. Hos illæ gẽtes colligẽdo, dẽtes eorum ſatis magnos, latos & albos, põdere grauiſſimos capiũt, & Moſcouitis pẽdunt atq; vendunt. Moſcouitæ vero his vtũtur. ad Tartariam quoq; & Turciam mittunt, ad parãdũ manubria gladiorũ, framearum & cultrorũ: quoniã grauitate ſui maiorẽ ac fortiorẽ impreſſionem impingunt, & præbẽt impellẽtibus in laboribus, pugnis, prælijs, Matthias à Michou. Ceti quidã habẽt rictũ oris dẽtatũ prægrãdibus & lõgis dẽtibus: ita vt plerũq; inueniãtur cubitales: aliquãdo duorũ aut triũ aut quatuor cubitorũ. Inter cæteros lõgius ꝓminent duo canini: & ſunt ſubtus ſicut cornu, inſtar dentiũ elephantis & apri, qui culmi vocãtur. Vidẽtur autẽ ad pugnãdũ eſſe facti, Albertus Magnus. Cõijcere autẽ licet de his præcipue piſcibus quos Roſmaros vocamus, eũ ſentire. Et rurſus, Ceti hirſuti & alij, longiſſimos habẽt culmos, (dẽtes exertos,) & illis ad ſaxa in rupibus ſe ſuſpẽdũt dormituri. Tum piſcator appropinquans quãtũ poteſt corij à lardo ſubiecto ſeparat iuxta caudã, & funẽ validũ immittit: quem mox ad circulos (ferrẽos) mõtiũ infixos, vel palos robuſtos vel arbores ligat. Tũ lapidibus è magna fũda proiectis caput piſcis feriẽs, excitat eũ. Is cõcitatus qũ conatur recedere, pellem à cauda per dorſum & caput extractam relinquit. nec longe à loco illo poſtea debilitatus capitur: vel natans in aqua exanguis, vel ſemiuiuus iacens in litore.

Balænam etiam aiunt è mari aliquando egredi, & in sole se calefacere. Cemmor, Κέμμορ, ceti magni nomen est apud Hesychium: accedit autem ad Scythicum vocabulum Morsz. Quod si idem elephas veterum non est, recte tamen, & magnitudinis ratione, q̃ parem elephanto Olaus ei attribuit: & dẽtium siue cornuũ quæ similia exerit, & similiter, & ad eosdem vsus, elephantum hunc cetũ appellabimus. Tiberio principe cõtra Lugdunensis prouinciæ littus in insula, simul trecentas amplius beluas reciprocans destituit Oceanus, miræ varietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonum littore: interq; reliquas elephantos & arietes, cãdore tantũ cornibus assimulatis. Quoniã autẽ de ambabus beluis, scilicet elephantis & arietibus simul loquitur, dẽtes elephanti marini Plinius hîc cornua videtur appellasse, ne si dentes dixisset, arietes, de quorum cornibus non dentibus sermo est, ab appellatione cornuũ excluſisse videretur, &c. (vt in Elephanto terrestri B. recitauimus,) Massarius. Est & elephantus testaceus, qui non alius videtur quam astacus.

DE CETO BRITANNICO.

Effigies ceti huius publicata est in charta typis excusa, Londini primum, deinde in Italia, vnde nos desumpsimus: cum corporis eiusdem ac partium descriptione huiusmodi.

Apographum ex literis ad Polydorum Vergiliũ, ex vrbe Tynemutko in partibus Angliæ Borealibus.

Proiecit in arenas apud Tynemuthum mare hoc nostrum mẽse Augusto (anno Domini 1532.) mortuã beluam, molis & magnitudinis ingentissimæ: quæ iam magna ex parte discerpta est, remanet adhuc tamen, quantũ centum fermè ingentia plaustra auehere vix poterunt. Aiunt qui primum beluã viderunt, & vti poterant diligenter perscripserunt, lõgitudinis illam fuisse triginta vlnarũ, hoc est pedum nonaginta. A ventre ad spinam dorsi, quæ arenis profunde immersa iacet, spacium esse circiter octo aut nouem vlnarũ: certũ nõ habetur. nam vicesimoseptimo die Augusti ipse ibi affui, fœtente iã belua, vt vix ferri posset odor. Cõiectãt dorsũ ipsius ad spaciũ trium vlnarũ in arena immersum, nã quotidie alluitur & operitur fluctibus maris. Rictus oris, sex vlnæ & dimidia. Longitudo mandibulæ, septem vlnæ cũ dimidia, (viginti duo palmi, Gillius.) circuitus alicubi vlna vna cũ dimidia. omnino sicut quercus grandis est. Triginta costas in lateribus habet, magna ex parte longitudinis pedum vnius & viginti, circuitu vnius pedis & dimidij. Tres vẽtres veluti vastos specus: & triginta guttura, quorum quinq; prægrãdia sunt. Habet duas pinnas, vtranq; quindecim pedũ in longitudine. vix poterant decẽ boues alterã earũ abstrahere, (*trahendo è corpore auellere.*) Palato adhærebãt quasi laminæ corneæ, vna ex parte pilosæ: qualẽ iam vnã vides, supra mille, (nõ est fabula Polydore, sed res verissima,) quãuis nõ omnes vnius magnitudinis. Lõgitudo capitis à principio vsq; ad rictum, septem vlnæ. De lingua variatur. maior pars censet septem fuisse vlnarum lõgitudine. (linguam viginti pedes latam fuisse, Gillius.) Aiunt genitale ei fuisse prodigiosæ magnitudinis, membrum inquam masculum. Vir quidam cum dilaniaret, ferme mersus fuisset in ventrem beluæ cadens, nisi costa arrepta se sustentasset. Spacium inter oculos sex (quinq;, Gillius) vlnæ. Oculi & nares tanto corpori valde impares, quales bobus esse solent. Gillius etiam oculos pro corporis portione perparuulos, nimirum bubulis non maiores extitisse scribit.) Cauda bifurcata & serrata, latitudine septem vlnarum. In capite duo magna foramina erant: per quæ putatur beluam, plurimam aquam veluti per fistulas eiectasse. Nulli illi fuêre dentes. vnde colligitur non fuisse balænam: nam balænis aiunt maximos esse dentes, exceptis laminis aliquot corneis, quæ in ore huius piscis erant, Hucusq; author epistolæ ad Polydorum Vergilium. Videtur autem & Gillius inde mutuatus in Aelianum suum transtulisse, sed quædam parum recte. In charta, quam dixi Londini & in Italia publicatam esse, scalæ etiam ceto adhibitæ erant cum homine ascendente: & alij duo in tergo ceti

Britannici ceti & iconem & descriptionem aliam habes supra in B. in Balæna vulgo dicta Rondeletij.



go ceti insidebant. Nares huic belluæ non deesse mireris, cum foramina, vt dictum est, in capite habeat: quæ narium loco cetaceo generi data esse testis est Aristoteles. Anglus quidam vir bonus olim piscem hũc in litore se vidisse mihi asseuerauit, & Lõdini adhuc eius effigiẽ in domo quadã spectari. Nomẽ eius apud veteres an aliquod extet, nõ facile dixerim. Laminæ quidẽ illæ corneæ quibus os dentiũ loco exasperatur, quandã serræ speciem præ se ferunt. quærendum an sit pristis. nam & ingens & oblongo corpore bellua pristis est, de qua in P. elemento scribemus: vbi & aliam Rondeletij pristin ponemus. *Pristis.*

DE CETIS ALIQVOT EX DESCRIPTORIBVS ORBIS NOVI.

DE TIBVRONE, RONDELETIVS.

Tiburo piscis est Indicus, quem ex genere vitulorum marinorum esse puto, si vera sunt quæ scribit autor historiæ Indicæ. A

Plurimum decem pedes longus est, sex crassus, corio contectus sine pilis. Dormiens stertit in litoribus. Mari genitale esse aiunt duplex, longum. Fœminæ vulua est bifida, & mammæ plures. Viuos parit, & lacte nutrit. Latissimo est oris rictu pro corporis magnitudine. Duplicem dentium ordinem habet, qui continui sunt, admodum densi & truculenti, crenati. B C

Sæpius è mari egrediuntur in continentem, magna obuiorum pernicie. nam in homines, vaccas, equas impetum faciunt. Subeũt & fluuios. Velocissimũ est animal, sarcophagum, admodum vorax. Qua de causa hac arte capitur. Accedentes ad naues ita è mari eminent vt facile videantur, nautæ hamum vtrinq; vncinatũ ex catena appensum è puppi in mare demittunt. hami extremo annexi sunt annuli aliquot ferrei, quorum vltimo alligatur funis cannabinus, hamo crassior multo. Eidem hamo affigitur, pro esca, particula piscis alicuius, aut thunni, aut alterius tiburonis assi, si quando alias captum asseruarint. His igitur veluti præparatis insidijs, etiamsi celerrime currat nauis, secũdis ventis remisq; impulsa, eã tiburones non solum assequuntur, sed etiam præteruolant aliquando: colludentes modo à prora ad puppim & contra currunt, modo circa nauem gyros aliquot faciunt, idque adeo sine defatigatione, vt interdum quadrigentorum miliarium spatio naues sequantur, quicquid purgamentorum e naui eijcitur vorantes. Quod si contingat ab aliquo hamum arripi, magis ac magis impactus hæret, ob celerẽ nauis tractum. Quemadmodum si vncum in fixeris quo magis trahas, eo firmius hæret, & altius penetrat. Sic capiuntur tiburones, quorum nonnulli tam magni sunt, vt vix à duodecim vel quindecim viris robustis in nauem pertrahi possint. Quum naui propinquus est, tam validis caudæ ictibus eam quatit, vt in periculo versetur. *Quomodo capiatur.*

Necati tiburonis carnes in particulas longas & tenues secantur, quæ vt exiccentur aeri exponuntur funibus nauis appensæ. His deinde vescuntur elixis vel assis. Cibus est in mari versatis non insuauis: nautis vtilis. quia in multos dies veluti succidia seruatur, Hæc Rondeletius.

Si vitulo marino cognatus est, cur nulli pedes ei tribuuntur? & si pedes non habet, quomodo in continentem egreditur magna obuiorum animalium, in quæ impetum facit, pernicie? Quærendum igitur si pedes habet, cum pilis careat an ad hippopotami naturam potius accedat: vel sui omnino generis sit. & similiter de Maraxo, Manato, Catulloque mox describendis considerandum.

DE MARAXO, RONDELETIVS.

Tiburone multo maior & truculentior est belua maraxus, sed celeritate tiburone multo inferior. Corio intẽgitur vt tiburo, eique in multis similis est. Nouem aliquando dentium ordinibus ora maraxorum armata vidisse se affirmat autor historiæ Indicæ. Hi eadem arte qua tiburones capiũtur, sed rarius. neque eorum carne vescuntur nautæ, verum in mare reijciunt, nisi in summa omnium ciborum penuria. Huiusmodi beluas aliquando in Hispanico etiã mari reperiri aiunt, qui in eo mari versantur.

Vide quæ supra in fine Tiburonis historiæ annotauimus.

DE MANATO, RONDELETIVS.

Alia est belua Indica, quam manatum vocant Hispani, qui in Indiam nauigant, bouem capite refert, dorso est plano, pelle durissima. Fœmina duas maximas mammas habet, & lac, viuos fœtus edit & nutrit. Ad eam magnitudinem accedit vt mortuus vix à terrestrium boum iugo trahi possit. Caro vitulinæ similis, sed pinguior & insipidior. In capite lapides reperiri aiunt, ad renum calculum remedio efficaci. Cicuratur hæc belua & docilis est canum more, sed iniuriarum memor est. Hæc de Maraxo literis prodita sunt ab ijs qui eum viderunt. Quibus addemus hunc fortasse bouem esse marinum, beluam scilicet bouis nomine: cuius meminit Aristoteles, quam etiam viuos catulos parere scribit: Delphinus, balæna, & reliqua cete quæ branchias non habent sed fistulam, animal generant. præterea pristes & bos. Est & bos alterius piscis plani cartilaginei nomen, de quo alibi diximus: Cartilaginea sunt iam dicta, præterea bos, lamia, aquila, torpedo, rana. *Bos belua. Lib. 6. de Hist. anim. cap. 11. Bos cartilagineus. Lib. 5. de Hist. cap. 5.*

Lege superius annotata circa finem historiæ Tiburonis.

DE CATVLLO CETO QVADRVPEDE, EX PETRI MARTYRIS OCEANEA DECADE I. VITÆ LIBRO OCTAVO.

In Bainoa prouincia noui Orbis, vallis amplissima est Maguana dicta, & eius pars quædam Atiei vocatur. Huius regionis regulus piscatione delectabatur. In eius retia piscis Catullus incidit, de genere piscium immanium qui dicuntur Manati ab incolis. Minime notum arbitror genus id monstri per nostra maria. Est nanque testudineæ formæ quadrupes: squamis tamen, non concha munitus: corio durissimo, ita vt neque sagittam vereatur. mille verrucis armatus: tergo autem plano, & capite prorsus bubulo. Aquatilis et terrestris piscis: mitis, iners vti elephas: vtique delphin hominibus sociabilis, sensu mirabili. Infantulum piscem domi regulus aluit dies aliquot pane patrio, ex iucca & panico puta confecto: radicibus etiam alijs quibus homines vescuntur. (Deinde) adhuc paruulum proiecit piscem in lacum suis ædibus proximum, tanquam ad viuaria: qui lacus & ipse suscipit aquas, nec illas *Manatus.*

nec illas euomit.est lacui nomen Guaurabo:qui dehinc lacus Manati est appellatus. Liber in aquis piscis annos vagatus est quinq; ac viginti.adoleuit in immensum. Quæ de Baiano, quæue de Arioneo delphinis feruntur,distãt ab huius piscis gestis.Pisci nomen est impositum Matum: quod significat generosum aut nobilem. Quando ergo ex reguli familiaribus ei notis præcipuè, quisquam in lacunæ ripa Matum Matum, hoc est, generose generose proclamabat:humani beneficij memor, caput eleuans ad vocantem pergebat.Pascebatur hominum manu. Si vero quispiam transfretandi cupidus signa dabat:prostratu suo traiecturos inuitabat.Decem aliquando monstrum conscendisse vno receptu, transportatosq; fuisse omnes incolumes psallendo & cantando, compertum est. Sed si Christianum quenquam erigens caput cerneret,summergebatur , & parere recusabat, quia fuerat à Christiano iuuene quodam petulante affectus iniuria. In piscem nanq; mitem & domesticum fuerat iaculatus hastam acutam:licet haud quaquã læsus fuerit ob duritiam corij,quod habet verrucosum, asperumq;: illatam tamen sensit iniuriam. Et si quando vocabatur à notis, ex illo die circumaspectabat prius diligentissime,ne quis vestitus Christiano more adesset.Luctabatur in ripa cum reguli cubicularibus: sed præcipue cum adolescente regulo grato,cum quo domi cibos aliquando sumpserat. Cercopitheco lepidior erat. Fuit longo tempore vniuersæ insulæ singulari solatio.nam & incolarum & Christianorum multitudo ingens ad monstri miraculum quotidie confluebat. Sapidas inquiunt esse illius speciei piscium carnes, multosq; maria illa generant. Amissus est tandem facetus piscis Matum: ad mare deuectus ab Attibunico,vno e quatuor æque diuidentibus insulã fluminibus: ex alluuie inaudita tiphonibus horrendis comitata.superauit enim Attibunicus ripas adeo,vt vniuersam impleuerit vallem, & sese lacubus omnibus immiscuerit.

Vide etiam superius quæ ad finem historiæ Tiburonis adscripsimus.

Regio circa Tarnasari vrbem Indiæ piscibus nostro more scatet: in tantamq; adolescunt magnitudinem,vt bini cantari(centenarium puto cantarum vocat) pondo nonnulli inueniantur , Ludouicus Romanus.Interpres Germanicus non bonæ fidei, si ex Latino transtulit:de piscis spina duodecim centenariorum à Ludouico visa,hoc in loco meminit.

Cetus ingens cũ ala instar molendini.

Die septimo dum redirem secus littus nauigans , vidi Caput album:quo postridie superato circiter meridiem in mari apparuit beluaimmanissima,habens effigiem piscis,quæ in nos gradu citatissimo cõtendebat.Hæc à nobis in priora existentibus conspecta est illico.quam vt vidimus,cœpimus trepidare: quippe qui vastiorem nusquam videramus.Ibat igitur bellua tanto impetu ac fragore,celsoque capite, vt nos perterrefaceret plurimum.Nos datis vento velis quam celerrime altum petentes, euasimus Deo fauente discrimen.Præuentus est ergo piscis spacio vnius miliarij, nec propius accessit. Tunc est à nobis conspectus ad regulam. nam diligentius formam beluæ considerauimus. Quum enim caput supra aquam efferebat,videbatur alas quasdam habere instar alarum molendini , quod vento circumagitur, vbi non adest aquarum copia.Ob id nostra sententia visa est belua non minor liburcinis , id est galleis nostris.Hispani quidem omnes qui assueuere magnis nauigationibus, fatebantur nunquam se vidisse atrociorem vastioremve beluam,licet innumeras vidissent balænas,Aloysius Cadamustus.

Ceti frontem condentes & retegentes.

Cum circa diuæ Helenæ insulam nauigaremus,enormes pisces conspicati sumus, tantæ quidem vastitatis,vt singuli singulis magnis ædibus conferri possint. Ii enim vbi supra aquas tolluntur, hianti ore eminent:videnturq; cum supernatant frontem retegere instar loricati militis,dum à congressu temperat lumen admissuras.Idem dum vrinant frontem condunt latam ternos passus. Quum enim innatant pelago,adeo conturbãt aquas,vt nos agitatione huiusmodi, præsertim vt belluas submoueremus, omnia tormenta exonerauerimus, Ludouicus Romanus. Hic forte est Zytyron dictus ab Alberto,de quo superius scripsimus. Anteriori parte(inquit)armati militis ferme speciem refert. caput ceu casside galeatum est,ex cute rugosa & dura,&c.

In mari iuxta Arabiam nigram variæ animantes degunt,terrestribus similes: sed breuioribus cruribus,ijsque pinnatis:corpore pilis obtecto perbreuibus:nempe asini,cati,canes & boues:Ex nauigatione Hamburgensis cuiusdam,quæ peracta est anno Domini 1549.

DE CETIS, QVI IN OCEANO GERMANICO ET *Septentrionali ad Europam visuntur, præter illos quos superius ex Tabula Olai Magni descripsimus.*

ANno Domini M. D. XXXI. eiectum est in Hollandia ex Oceano ingentis piscis cadauer non procul ab Harlemio. is longus fuit pedes LXVIII. crassus vel altus pedes XXX. oris rictus latitudine patuit pedum XII. vt in Naucleri Chronicorum Appendice legitur , & Hedio in suis Chronicis Germanicis prodidit.

CETORVM NOMINA GERMANICA QVÆ SEQVVNTVR PLERAQVE OMNIA, PAVCIS EXCEPTIS, *Hubertus Lagnetus dum Hamburgo in Islandiam proficisceretur,sibi obseruata Georgio Fabricio communicauit: à quo ego accepi.*

Ndvval longus est orgyias XXIII.in cibum non venit. *Blotevval*, hoc est cetus sanguineus, si recte interpretor.non est edendo. *Fischskeck*,passus triginta longus, persequitur agmen harengarum. *Gervval*, cetaceus quidam piscis est, qui in cibum non recipitur , nescio vnde sic dictus,nisi rostri figura forte aliquid cum *Gerfisch*,id est,Acu pisce ei conuenit. *Hanerkeute* longus est passus XXX. medullam & seuum habet instar bouis.Hunc bouem cetaceum appellare licebit. *Karckvval* similiter ad passus XXX.porrigitur.dentes autem habet LXX.quos fabri expetunt ad suos vsus. Cetus hic forte dentatus cognominari poterit:vel Carcharias,etsi alius est canis Carcharias. nam & Germanici nominis ratio,nisi id à dentium veluti serrata asperitate factum est,quæ sit alia nescio. Sed alium quoque cetum(quem vulgo *Rusor* nominant)aliqui dentatum appellant:qui idem an alius sit ignoro. *Nachtvval*,hoc est cetus nocturnus,vlnas viginti lõgitudine æquat:dẽtes vero eius ad vlnas tres extendũtur.

Bos cetaceus.

Nonvverf-

Nonvverfrack,vlnarum est quinquaginta. homines & cymbas deuorat , & naues inuertit, vt etiam *Rosivval* dictus.Nos cetum naues submergentem in Balæna pinximus,ex Tabula Olai.

Nordvval,id est Septentrionalis cetus,viuit ex rore & pluuia,latitudine eadem qua lõgitudine, duodecim passuum vtraque.

Rauenschvval,quasi coruinus cetus,à nigro cõlore,non estur.

Rore cetus bona natura præditus (sic ille scripsit) corpore immenso & valde crasso , passus triginta longus.

Rusivval, quinquaginta passuum est.deuorat homines & cymbas.inuertit naues; vt & *Nonvverfrocke*. Nomen ab impetu ei factum puto.

Schellevvinck,octoginta passus longus. submergit naues. Eius grana(sic quidam scripsit;oua forte) medentur lepræ.

Schiltvval,id est,cetus scutatus.non editur.

Schluchtback, cetus à duritie cor ij dictus,triginta passuum longitudine:homines timet.

Schvvinvval,id est cetus porcinus,longus est passus XXXIII.in cibum non venit.

VVangvval,passuum duodecim est,canis instar dentatus. Nostri maxillas vocant *VVangen*, à quibus an huic ceto nomen sit impositum,dubito.

VVintuger dicti ceti versantur prope insulas & sinus insularum,longi passus XX.esui sunt.

VVittevval,id est cetus albus.non est edendo.

Hæc hactenus ex Huberti Lagneti obseruationibus.

Herill dicta belua anno Salutis M. D. XXII. postridie paschatis , eiecta ad litus in Selandia reperta est inter Vuikkam,& locum(vel oppidũ)qui à diuo Vuerpio denominatur, longitudinis pedũ LXXII. siue passuum duodecim,si pedes VI. pro passu computes: altitudinis pedum XIV. Interstitio ab oculis ad rictum,pedum VII.De hoc pisce conciso dolia quæ ab harengis denominant nostri, centum & quadraginta auecta sunt.iecur etiam dolia quinque repleuit.Capitis figura tanquam apri fuit, corium munitum tanquam conchis pectinum. Hunc piscem Fridericus Schmidemanus mercator Spirensis vidit. Hæc ab optimo & doctissimo felicis memoriæ viro Christophoro Clausero vrbis nostræ archiatro accepi. Poterit autem hic cetus Aper marinus, vel Aper cetaceus appellari. Quærendum an idem sit monstrum illud marinum aprispecie,quod supra inter Cete Olai Magni depictum dedimus. *Aper marinus.*

Gripsualdi in Pomerania captus olim ingens & mirabilis piscis,ibidem in templo summo depictus hodie visitur, cum epigrammatis duobus,quæ vir doctissimus Georgius Curio medicus ducalis Stettini ad me misit.ea sunt,

Hilla vocor piscis ad fœmina fertilis Hilda
Nec dubita quisquis picturam videris istam,
Indigenis captus præda stupenda fui.
Sic caput & dorsum,sic me hic cauda fuit.

Aliud,

Talis fluctuomie est captus piscis in vndis,
Hic vbi dines agri Pomerania numine deum
Quisquis in hac tantam miraris imagine molem,
Qui sita ad Arctoum est Hilda vetusta salum:
Subiacet imperio celsi Philippe tuo.
Picturæ credito certus habeto fidem.

De eodem postea Io.Culmannus meus è Monte Pessulano sic ad me scripsit: Sunt quidam hic nobiles Pomerani, à quibus accepi annis superioribus in Pomerania ad Gripsualdum oppidum , cetum quempiam captum longitudine pedum XXII. latitudinis immensæ:in summa, molis tantæ, vt quatuor equis fortissimis oneri fuerit. Genitale aiunt habuisse instar equi Flandrici: in ceruice foramen amplissimum,per quod ceu fistulam aquas reiecerit,carne delphino haud absimili. Cetum illum quem Germanorum quidam *Braunfisch* appellant, (balænam esse arbitror, & plura de eo in Corollario super Balæna scripsi)à Gallis ad Oceanum Hillam vocari audio.

DE ALIIS QVIBVSDAM CETIS OCEANI GERMANICI.



VALENTINVS Grauius felicis memoriæ,vir clarissimus,Decimarius & Senator Ftibergensis, cui ego librum De quadrupedibus ouiparis nuncupaui , de me & communibus literarum studijs optime meritus,trium Germanici maris beluarum effigies aliquando delineatas ad me misit : non satis accuratè quidem expressas,(ad sceletos forte capitum duntaxat,factas, reliquo corpore pro coniectura appicto,)vt suspicor,quod in duabus rimæ post oculos tanquam brãchiæ apparerent, quibus cetæ carent . cætera propemodum inter se similes erant. quamobrem vnam tantum ex tribus hic apposui. Caudam non probe expressam opinor : magisq; ad delphinorum caudam debere accedere. Dentes omnibus plani erant,sicut in homine.Maxilla inferior in duabus multo breuior superiore: in tertia ferè par.Pin-

par. Pinna in dorſo vnica, capitis extremo quam caudæ aliquanto propior. Aliæ duæ eo fere loco quo branchiæ ſunt in piſcibus. Ea quam exhibeo, cetum repræſentat, cuius longitudo fuit pedes XXXVI. cum triente. altitudo pedes IX. Ex reliquis duobus, vnus longus fuit pedes XXXIV. cum dimidio: altus ſeptenos. alter vero longus pedes XXVII. altus octonos.

VVhirlepoole ab Anglis dictus cetus, balæna eſt, vt quidam exiſtimant, Eliota Anglus. Videtur autem à vorticibus quos turbinis inſtar in aqua excitat, nomen habere: Nam & profundiora & vorticoſa circa molarum rotas loca ſic vocant. & turbinem ventum, qui fœnum eleuat, *a VVhirle vvind.* nos verticem *ein vvirbel*, à vertendo. nam & verticem capitis ſimiliter vocamus, vbi capilli in partes vertuntur diuerſas ab vno veluti centro. Apparet aliquando hic cetus Anglis in mari prope Cantium: qui an Phyſeter potius quam Balæna ſit, doctiores illic inquirant. Nec alius puto piſcis eſt ille, quem *Horlepole* vocitant Angli: & alio nomine *Hore* vt accepi: eadem nimirum omnium ſignificatione, quod impetu ſuo flatuq; vorticoſas in mari tanquam palude procellas excitet. Idem igitur Germanorum *Braunfiſch* fuerit: aut vna ſaltem ſpecies piſcium *Braunfiſch*. ſunt enim qui ſpecies eorum ternas faciant. *Pole* quidē Anglis palus eſt, & Germanis inferioribus *Pol.* Quanquam *Pole* etiam ſynciput Anglis ſignificat: vnde *Guldenpole* piſci ab aureo ſyncipite nomen poſuerunt. Anglicum nomen *Hore* accedit ad Germanicum *Rore*: quem paulo ante diximus, craſſiſſimum eſſe & triginta paſſuum longitudine cetum.

DE MACVLONE ANGLICO CETO.



Piſa. *Piſis.*

PISA in litore noſtro Britannico, quod Orientem ſpectat, certo quodam in loco Suffolciæ, inter Alburnum & Ortfordium oppida, ſaxis inſidentia (mirabile dictu) nulla terra circunfuſa, autumnali tempore anni M. D. L V, ſponte nata ſunt, adeo magna copia vt ſuffecerint vel millibus hominum. Eodem tempore Lynni, oppidi Norfolciæ in Anglia portuoſi, piſcis hic maculoſus, rudi figura depictus (vt in charta impreſſa per Angliam publicatus eſt) in ſiccum à piſcatoribus deductus fuit, longus amplius pedes LX. carne pingui, clara & candicante, guſtus ſuauitate ceruinam referente. Nomen noſtrates neſciuēre piſcatores, nos Maculonem vocitemus. Io. Caius medicus Anglus in epiſtola ad me. Porro quod in icone apparent branchiæ, neſcio an ſit probandum. magnitudo enim omnino cetacei piſcis eſt, cui branchiæ non conueniunt. Numerus quoque, figura, ſituſque pinnarum & caudæ, non reſpondet cetaceis. Pictor fortè imperitus ſat habuit piſcem vtcunque pingere, & oſtendere maculas. Ex veterum cetis pardalis maculoſa eſt, de qua nonnihil ſuo loco dicetur.

CHALANDRI tanquam piſces nominantur ab Epicharmo apud Athenæum, niſi erratum eſt à librarijs, vt ſuſpicor, hoc verſu: Γρυγόνες τ' ὀπισθόκεντροι, καὶ χάλανδροι, (alias χαλαροὶ) κωβιοί.

DE CHALCIDE, BELLONIVS: QVEM PISCEM IN OCEANO CELERINVM, IN MEDITERRANEO Sardinam dici putat.

Celerinus piſci, Rondeletio Membras videtur, &c. Bellonio Oceani piſcis eſt, magnitudine tantum differens a Sardina mediterranei maris.

GALLI, qui ad mare Oceanum ſiti ſunt, nullum piſcem agnoſcunt, qui Sardinæ nomine vocetur,
A quod nullus apud eos piſcis ſit, qui Gallicè Sardina dicatur, niſi aliunde ſalſus adferatur. Mutant enim nomē Sardinis Galli, & Celerinos vocāt. Sed nonnihil intereſt diſcriminis in magnitudine, quod quidem mox indicabimus. Celerini maris ſunt Oceani alumni, Sardinæ Mediterranei. Quemadmodū autem Boops & Mæna, Erythrinus & Phagrus, Sparus & Aurata, Cantharus & Melanurus, Bulbus ſeu Blennus & Scorpæna. Fleſus & Quadratulus, Barbula & Limanda, Rhombus & Fletelus, maximam habent inter ſe ſimilitudinem: ſic Celerinus cum Harengo ita æquiparatur, vt niſi exacte inſpiciantur, nō dignoſci poſſint. Quod ſi quiſpiam Celerinos idem cum Sardinis eſſe mihi non credat, imprimis eum intelligere oportet, Celerinū tā popularē eſſe in Gallia piſcē, quam Sardinam in Mediterraneo mari.

B Celerinus ſiue Sardina paulo Harengo minor eſt, ſquamis intectus latiuſculis; leuiter ſuperficiei corporis vti in Mullo hærentibus, & facile decidentibus & tranſparentibus. Pellis quæ ſubeſt, omni argento lucidior eſſe ſolet: Harengus vero magis compreſſo corpore conſtat. Ambo ora aperiunt grandia, dentium rudimentis carentia, linguam habentes conſpicuam. Celerinorum branchiæ variæ annulos deſcribunt. Circinati enim ſunt in circuli formam interna parte multum ſerrata, quibus cibos ſe-
C cernunt in mari, eo modo quo anates & anſeres ſuis roſtris ſerratis in cœno. Ex quo plane liquet, Celerinum ſpurcitijs maris veſci & arena, non autem piſcibus vel præda. Imbecilla enim labia, & maxillas nullis dentibus horrentes habet. Dum autem irritatum mare eſt, & procellis compulſum, tunc in modum nubis per mare nunc huc, nunc illuc circunferri ſolent. Quam rem cum non ignoraret Oppianus, hæc ſcripſit,

Chalcides & Thriſſæ paſſim Abramideſque feruntur,
Et curuis habitant ſcopulis, & littora viſunt,
Hoſpitium mutant ſemper, Pontoque vagantur.
Atque cateruatim percurrunt æquoris vndas,
Alternantque imas Ponti, curruntque per æquor,

Stomachum talibus, quibus dixi, ſpurcitijs ſemper
B plenum habent. Circa pylorum innummeræ ſunt Apophyſes, vt facile ſexaginta connumeres. A pyloro reliqua inteſtina vſque ad rectum deſcendunt. Hepar vero habet in duos lobos partitum, fel hepati annexum. Cum deſierint amplius videri Celerini, Harengi nobis adferuntur. de quibus tempeſtiuum eſt

uum eſt vt diſſeratur. Hæc Bellonius, qui Harengum quoq; piſcem de genere Chalcidum eſſe conijcit. A
Et mox. Harengi mihi de genere Chalcidum eſſe videntur, quos in Mediterraneo mari etiamnum capi planum faciam. Etenim Carniſpriuii tempore, cum Romæ agerem, hos in foro vulgo ferri conſpicatus ſum: non tamen illic Harengi nominabantur, ſed Sardoni: promiſcuè enim nulla habita differentię ratione vnà cum Sardinis vendi ſolent, vt ſic commixti, Sardini vulgo vocentur. Sardini vel Sardellam maris Mediterranei, eundem eſſe piſcem quem Celerinum Oceani, nemo dubitare poteſt: cuius natura ea eſt, vt paulò magis in mari Oceano, quàm in Mediterraneo excreſcat. Nec verò mihi ipſi quiſpiam impoſuiſſe me credat, cum dico quotidie Romæ Harengum videri, & Celerinum eundem cum Sardina vel Sardella eſſe: hoc mihi adiiciendum operę pretium fuit, quod omnes diligenter obſeruaui, & ariſtas, quas ſub ventre in linea recta habent, numeraui, ſed Celerino aſperiorem, quàm Harengo deprehendi. Lineam itaq; in his aſperam tranſuerſis ariſtis obfirmatam cernito, qualem Lechia & Liparis habent, ſed multò valentiorem, Harengo debiliorem, cuius latera nullis teguntur Squamis. Celerinis verò contra, aſperiores ſunt hamuli, qui inter duas ſquamas coarctantur. Harengus præterea corpore eſt multo Celerino ſiue Sardonio latiore præditus, ad Liparem piſcem magis accedens. Vterq; lineam ſub ventre trigintaquinq; vncinulis aſperulam habet. Gallia nihil iſto piſce vulgarius nouit: nec commodius aliquid quo homines ſua ieiunia exaturent. Iconem Harengi adpoſui. nam tanta eſt illius cum Sardella ſiue Celerino affinitas, vt ex pictura vix poſſint diſcerni.

Rondeletius Sardonum Romæ dictum, Harengum eſſe negat: & Harengum Clupeæ potius quā Chalcidis generi attribuit.

Rondeletii verò de piſce quē Galli hodie Celerinum vocant, ſentētiā, ſuprà in Apua Mēbrade leges.

COROLLARIVM.

A Chalcidem Rondeletius conijcit eſſe piſcem illum, qui hodie in magnis Italiæ lacubus Agoni nominatur, in Allobrogum vero lacubus Celerin nuncupatur: ob ſimilitudinem maximam quam piſcis hic lacuſtris cum marino Oceani eiuſdem apud Gallos nominis habet. Vide ſupra in Agono plura de Chalcide, Rondeletii ſcripta. *Celerinus alius lacuſtris, alius marinus.* Chalcis nomen eſt auis, & piſcis, Heſychius. imò lacerti etiam, qui alio nomine zygnis appellatur: *Zygnis.* Cęlius Rhodiginus cum piſce confundit, Chalcidicę quidem appellatio ad piſcem ſimul & lacertum refertur, zygnis non item. Chalcides piſces Dorion Chalcidicas nominat, Athenęus. *Chalcidicæ.* Chalcidem Theodorum non rectè conuertiſſe æricam oſtenderem, ſi vel iam mihi otium eſſet, vel multum ad rei notionem intereſſet. Ego non audeo eas appellare neq; Meletas, neq; aliam ex iis quas vulgo *Aerica.* vocamus Sardinas: ſed tandiu meum iudiciū ſuſtinebo, quoad rem melius inquiſiero: neq; ob aliam cauſam chalcidis notionem meam implicatam hic ibidem profiteor, niſi vt ſi mihi maior facultas inquirendi non permittatur, harum rerum ſtudioſos ex mea ignoratione admoneam, & incitem ad exploratio rē notitiā. *Anchoae. Meletae. Sardinae.* Cum ex Græculis piſcatoribus percunctarer, quaſnam putarent chalcidas, tandem quiſpiam dixit, à ſuis ciuibus accolis Acheloi fluuii hac ętate Nungrias nuncupari, Gillius. *Nungriae.* Rondeletius Harengū à Sardina differre contra Bellonium oſtendit, vt in Harengi hiſtoria referemus. *Harengum a Sardina tota ſpecie differre.* τριχῶδες, (τριχάδες potius, vel τριχίδες, vel τριχιάδες,) αἱ χαλκίδες: Ἡρακλέων, μεμβράδες, Varinus, τριχίδια, χαλκίς, Callimachus in Nomenclaturis gentium. Athenæus Chalcides & Thriſſas & Sardinas ſimiles eſſe dicit: Oppianus ſemper in Thriſſæ commemoratione ēt Chalcidis meminit: & ſimiliter Columella, cum inquit, piſcibus in piſcinis præberi conuenit, tabentes Haleculas, & ſalibus exeſam Chalcidē putrēq; Sardinam. Θρίσσα, καὶ τὰ ὁμόφυλα, χαλκὶς καὶ ἐρίτιμος, (alias ἐρέτιμος,) ἁπαλόσαρκοι, Diphilus. Χαλκίδας τάς (αἳ) καλοῦσι καὶ σαρδίνους, ἐρίτιμους, ἴρακα, Epænetus in libro de piſcib. apud Athenæū: *Σαρδῖνοι.* Euſtathius quoq; ſimiliter citat. Ariſtoteles eritimos, ſardinos dixit, Vuottonus ex Athenæo, nō rectè: vide inf. in Eritimo. Et rurſus, Ariſtoteles (inquit Athenęus) li.5. σαρδῖνας αὐτὰς καλεῖ. Gaza ex Ariſtotele trichides vertit ſardinas: Varinus verò (vt paulò ſuprà recitaui) trichades (vel trichides,) chalcides aliter vocari ſcribit. itaq; chalcides ēt ſardinas vertere licebit, ſiue ſpecies eadem eſt, ſiue potius generis proximi ſpecies duę diuerſę: quōiam & ab Ariſtotele tanquā diuerſæ nominantur, & à Columella li.8.ca.17. Sic & chalcides lacuſtres ſeu fluuiatiles Ariſtoteli, & marinas Oppiani, propter naturę & generis affinitatem, vtraſq; chalcidum nomine probè appellari dixerim. nam & ſardinas vel ſardellas lacuſtres hodie quaſdam Itali nominant, (quas alii agonos,) cum marinas duntaxat videantur memorare antiqui. Similiter percę tum marinæ tū fluuiatiles dicuntur, etſi ſpecie diuerſæ. Nominatur & apud Galenū ſardina, vel ſardena, σαρδήνη Vuottonus. Chalcis eum ſit Thriſſis & Sardinis ſimilis non eſſe poteſt, vt falsò Merula putat, è genere Rhomborū, Gillius. Merulæ forte impoſuit, quod Chalceus piſcis deſcribatur rotūdus & orbicularis. Sed chalceus alius piſcis eſt quem in Fabro deſcribemus, à chalcide diuerſus, veterum teſtimonio. *Chalceus.* Chalcidem Theodorus ęricam interpretatur, alii fabrum. ſed piſcis eſt ſpurius, ex diuerſis generib. genitus, ſicut mulus, Niphus in Ariſtotelis hiſtoriam 8.20. *Spurius.* Imperitè .a. chalcidem cum chalceo, .i. fabro, confundit. & ex diuerſis parentib. gigni, ideoq; ſpurium eſſe, temere ac ſine authore ſcribit. neq; enim hoc aſſerēdum eſt ex ſolo vocabulo quod Gaza confinxit. nam Hiſtoriæ animalium li.5.ca.9. vbi Ariſtoteles piſcium plurimos ſemel anno parere ſcribit, vt ex fuſaneis thunnos, chalcides, &c. Gaza chalcides non vt alibi ęricas, ſed ſpurias interpretatur. quem locū explicans Niphus; Spuriæ, (inquit) chalcides vocantur, & ęricæ piſces vulgò: cum ęricæ vocabulum nuſquā opinor vulgare ſit, ſed à Theodoro ad imitationē Græci confictū. Hoc in loco Ariſtotelis (inquit Vuottonus,) videntur exemplaria oīa mendoſa: nam chalcis gregarius eſt, non fuſaneus: & ter parit. Chalcis Germanicè poterit circumſcribi, *ein Hering art*, id eſt Harengi genus. vel Chalcis marina, *ein Meeragūne*, id eſt Agonus marinus. & chalcis lacuſtris, *ein Agūne, oder Agūnen art.*

Χαλκίδας ἥν ᾗ φέρῃς φίλ' ἀκανθίδας, Phanias in Epigrammatis. Chalcidem Ariſtotelis inter fluuiatile B
& lacuſtre genus recenſere videtur hiſtorię 8.20. Oppianus vagis marinis adnumerat, qui nunc petras, C
nunc pelagus, nunc litora ſequuntur. Vide ſuperius in A. & Rondeletium in Agono. Vuottonus vt paulò ante recitaui ad finem A. chalcidem non fuſaneum eſſe ait, ſed gregarium piſcem. *Fuſanei.* quæ nos occaſio inuitarat, plura de fuſaneis, vt Gaza nominat, & alia quædam afferendi, quæ ab aliis ſcriptoribus obſeruata non ſunt. Plurimi piſces (inquit Ariſtot. hiſtorię 5.9.) ſemel anno pariunt: vt ii quos fuſaneos ex argumento cognominant, quia fuſim (in Gręco non eſt fuſim: ſed ſimpliciter, καλοῦνται δὲ χυτοὶ οἱ τῷ δικτύῳ περιεχόμενοι) retibus capiantur: *Χυτοί.* vt thunni, limarię, mugiles, chalcides, (ſed has alibi ter anno parere ſcribit, vt Plinius quoq;,) monedulæ, chremes, paſſeres, & reliqua huius generis:

Ῥυάδες.

Et rursus 8.13, Pontũ (inquit) subeunt plurimi fusanei & gregatilis generis, &c. Grecè est πλεῖστοι τῶν ῥυάδων τε καὶ ἀγελαίων ἰχθύων εἰσὶ δὲ οἱ πλεῖστοι ἀγελαῖοι. ἔχουσι δὲ οἱ ἀγελαῖοι ἡγεμόνα, Et paulò post κολίας quoq; inter ῥυάδας nominat, quos supra inter χυτοὺς: vt iidẽ videant χυτοὶ & ῥυάδες, qui retib. capiuntur, (migrantes prȩsertim,) & ducem non habent: etsi etiam ipsi frequentes & simul multi natent, (vt equidem coniicio) quemadmodum propriè ἀγελαῖοι dicti. Nam ex iis quos Aristoteles χυτοῖς adnumerat, thunnos gregales esse constat: & passeres quoq; gregales esse suspicor, cum in tanta copia capiantur. Vidimus mugilum luporumq; capturam (inquit Rondeletius) vno retis iactu, centum aureis coronatis vænisse. Χυτοὶ sanè dicti videntur, διὰ τὸ χύδην ἁλίσκεσθαι, hoc est quod fusim capiantur, vt Gazæ etiam placuit: fusim accipio pro copiose. Eiusdem originis est vocabulum χυδαῖοι, de quo Eustathius: Χυδαῖοι ἄνθρωποι, πάλαι μὲν οἱ ἀγελαῖοι, πεπληθυσμένοι. ὕστερον δὲ οἱ τοῦ ὄχλου καὶ εὐδαιμονοι. asserit autem ab aduerbio χύδην hoc nomen deriuari. Ergo χυτοὶ pisces huiusmodi erunt, vt quæ in cȩteris animalibus Aristoteles libr. 1. historię capite primo ἀγελαῖα ἄναρχα (id est gregaria sine duce) nominat, vt sunt formicæ & alia innumera. Hoc etiam quod retibus includantur, non solitarios, sed gregales esse arguit. Quod si ita est, & chalcides rectè ab Aristotele fusaneis adnumerantur, vtpote ἀθρόα, id est conferctæ & frequentes Oppiano teste: & non rectè à Vuottono scribitur, atherinam è solitariorum genere esse: quoniam rhyadas ita interpretetur Gaza li.6. hist. cap.17. neq; enim tanti interpretatio Gazæ est, certè atherina solitaria non est, sed vt reliquæ ferè apuæ, quarum generi subscribitur, gregalis pisciculus. Et Aristoteles ipse expressius alibi (si bene memini) gregales esse atherinas scribit. Idem solitarios Grȩcè alio vocabulo, μονήρεις nominat, vt de citharo ex Aristotele citat Atheneus. Nõ est igitur quod suspicetur quisquam cum Vuottono omnes Aristotelis codices corruptos esse lib.5. hist. vbi chalcides inter fusaneos nominantur. quin & Atheneus eundem locum ex Aristotele sic recitat, vt codices nostri rectè habent. Aristoteles vocabulo rhyades genere masculino vtitur, vt libro 4. hist. cap.8. Rhyades quoties piscium lotura vel nauis sentina eiecta est, fugiunt vt odorẽ sentientes: vbi Gaza flutas conuertit: cum alii ex anguillis & murȩnis quæ supernatant sole torrefactæ, πλωτὰς vocant Græci, flutas reddiderint. Cæterum libro quinto vbi rhyades per ȩstatem parere Aristoteles tradit, Gaza spargos transtulit. Spargi etiam (inquit, ca.11.) per æstatem pariunt, mugilum labeones, sargones, mucones, capitones. Deniq; lib.6. ca.17. σποράδας piscium genera dixit solitaria: id est, quæ solitariè vagantur. οἱ δὲ πικροὶ γίνονται τοῖς μὲν ῥυάσι τὸ σπάρος. Hanc Gazæ interpretis inconstantiam, Vuottonus quoq; obseruauit: sed delectum non probè fecit. Rondeletius sparum, spargum, aspargum, eundem piscem suæ speciei facit, qui Græcè dicatur rhyàs: cum σπάρος nomen huius speciei apud authores legatur, rhyàs verò Aristoteli generalis differentię vocabulum sit. Hoc postremò addiderim, pisces quosdam inter solitarios & gregales ambigere, vt scripsi in Congro c.

Ἀγελαῖοι. *Solitarii.*

Chalcis an sonum aliquem edat.

Chalcis quodammodo stridet, ψοφεῖ οἷον τετριγμὸν (lego τετριγμόν, nam & proximè τετριγμὸς dixerat,) Aristo. historiæ 4.9. Chalcis sibilat, συρίττει, Aelianus 10.11. Ego pro χαλκὶς repono χαλκεὺς, id est Faber piscis: vt deprauatum in Aristotelis codice vocabulum, quale reperit, descripserit Aelianus. Sed integrum hunc Aristotelis locum audiamus: Pisces vocis quidem expertes sunt: sed sonos quosdam stridoresque mouent, qui vocales esse existimantur, vt lyra, vt chromis: his enim quasi grunnitus quidam emittitur. aper etiam piscis in Achelo vocalis habitus est, & chalcis, & cuculus. alter enim quodammodo stridet, alter perinde vt cuculus auis obstrepit. Quæ omnia creditam illam vocem emittunt, aut attritu branchiarum, quas horridiusculas continent: aut suis interioribus quæ circa ventrem habentur. spiritus enim inclusus in his est, Hæc Aristot. atqui chalcidi branchiæ horridiusculæ seu spinosæ (nam ἀκανθώδεις verbo vtitur Aristoteles) non sunt: in chalceo verò branchiarum operimenta foris horrent, sicut in lyra & similibus piscibus: ipsȩ verò branchiæ intus an spinosæ sint, nescio: qui piscem ipsum nondum viderim. Chalceum prȩterea Massilienses Trueie vocant, quia dum capitur suum more grunniat. Hoc igitur & verȩ lectionis apud Aristotelem & Aelianum restituendæ: & piscem quem diui Petri vulgò nominant, chalceum esse, de quo multi antehac dubitarunt, argumentum esto.

Chalcis ter anno parit, Aristot. & Plinius. Alibi verò (vt in A. recitaui) χυτοῖς eam adnumerat Aristoteles, qui semel anno pariant. Oua sua gregatim gurgiti altiori mandat congesta, Aristoteles. Quamuis carne pascatur, non vagatur tamen, Idem. sed hic quoq; locus mihi suspectus est, vt addubitem ad chalceumne potius referenda sint hęc verba. nam chalcidem edentulam esse puto, & minimè carniuoram: Vide mox in E. vagari autem eam, nec stabilem habere in mari sedem ex Oppiano retulimus. Pediculi quibusdam innascuntur, quo in numero chalcis accipitur, Plinius. Vide supra in Chalcide altera Rondeletii, in A. elemento. in historia Agoni.

E Oppianus thrissas capi scribit nassa in mari suspensa, cui inclusa sit esca, maza videlicet de eruis frictis & myrrha vino odorato excepta: & similiter chalcides. vnde coniicimus hos pisces carniuoros non esse. Vespas hoc modo comprehendunt: Ante earum nidos nassam, in quam prius paruulam mȩnam, aut membradem cum chalcide imponi conuenit, appendunt, &c. Aelianus. Esca iacentium (piscium, passerum vel concharum genera videtur intelligere: loquitur autem de piscinis) mollior esse debet quàm saxatilium. itaq; præberi conuenit tabenteis haleculas, & salib. exesam chalcidem, putremque sardinam. &c.

F Chalcidem sale exesam Columella dixit: qui etiam inter mollis carnis pisces cum sardina & halecula eam numerat. Chalcides, tragi, acus & thrissæ, pisces sunt ἀχυρώδεις, καὶ ἀλιπεῖς, ἢ ἄχυλοι, Hicesius apud Athenæum. quæ verba vnà cum illis quę in A. retuli ex Diphilo, Vuottonus sic vertit: Chalcis trichidi atq; thrissę similis est, piscis aristosus spinosusue: aut siccus & squalidus, hoc est ἀχυρώδης: neque multum in se pinguedinis continet, neque succum copiosum in alimentum prȩbet: facile tamen in corpus digeritur. Acum quoque piscem supra ex Hicesio ἀχυρώδη & ἄχυλον esse diximus.

H.a. Χαλκίδας τε, (alias κουαρίδας, quod non placet,) Epicharmus apud Athenæum. Βύγλωσσον ταύτην θήρα, καὶ χαλκίδα κεδνήν. Archestratus apud eundem. Est & chalcis accipitrum generis: item lacertorum, vbi philologiam huius vocabuli requires.

f. Αἱ δὲ λῆς, σαρκοί τε, χαλκίδες τε καὶ τοιπτύλιοι, Epicharmus in Nuptiis Hebæ. Et rursus, Χαλκίδες, ὗές θ', ἱέρακές τε, χ' ὁ πίων κύων.

CHALCIDIBUS, aut sardinis, apuarumue generi potius (vt Turnero placet) cognatus videtur piscis quem Germani accolæ Oceani *Stinckeling, Stinckfisch*, vel *Spirinch* appellant. de quo plura dicemus in fine Operis.

DE CHANNA, RONDELETIUS.



SPeusippus apud Athenęum percam, channam, phycidem similes esse dicit: quamobrem cognita perca, reliquæ facilius cognoscentur. B *Lib.7.*

A Dicitur à Grȩcis χάννη & χαύνη, vtrunque enim nomen reperio: nam à verbo χαίνω, quod significat hio, deducitur χαυνὸς & per pleonasmum τοῦ υ, vel υ dicitur χαῦνος vel χάννος vel χάννη & χαύνη: vtroque enim genere pro pisce sumitur. à verbo autem χαίνω deducitur, quod semper ore hiante sit, vnde à Gaza hiatula vertitur. Eandem ob causam ab Epicharmo dictas fuisse channas μεγαλοχάσμονας opinor, id est, multum hiantes. à Massiliensibus, nostratibus & Hispanis serran dicitur, à quibusdam thanna.

B *Lib. 1. ἁλιευτικῶν* *Color.*

Channa piscis est pelagius, autore Aristot. lib.8. de hist. anim. cap.13. nihilominus saxatili similis & cũ saxatilibus ab Oppiano numeratus, lupum corporis habitu referens, & oris scissura. Maxillam inferiorem superiore prominentiorem habet, ob quam causam ore ferè semper est aperto. Dentes acutos, oculos paruos. Pinnis, cauda, aculeis, branchiis internisq; partibus cȩteris saxatilibus est similis, sed ventriculo est maiore & laxiore. Colore est vario, dorsum ex rubro nigrescit: lineæ à capite ad caudam ductæ rufæ sunt. Cauda maculis rufis notata, item pinna à podice ad caudam. Pinna dorsi rufa est. Inde Aristoteles, citante Atheneo ποικιλέρυθρον μέλαιναν appellauit & ποικιλόγραμμον, quod partim nigro, partim rufo, siue rubescente colore variata sit. Adhæc cum permultas viderimus & dissecuerimus, omnes vuluas habere comperimus, & sæpius ouis, sed non multis plenas, quòd omnes fœminę sint, vt annotauit Aristoteles libro 4. de hist. anim, cap.6. *Sexus.*

A *Channa Massilia alia, Canadella alia.*

Quæ omnia mihi fidem faciunt nos channam veterum hîc proponere: quanuis Massilienses piscem alium isti similem channam vocitent: & stagni quod lingua nostra Martegue dicitur, accolæ pisciculum alium canadelle: quod fieri propter similitudinem reor, & hos pisçes cum channis confundi: quemadmodum in turdis, quorum plura genera recensuimus, vsuuenit, quos omnes communi nomine turdo appellant.

De channa Ouidius libro de piscibus.

Et ex se *Concipiens channe gemino fraudata parente est.*

C *An channæ omnes fœminæ sint.*

Et Aristoteles Pliniusq; locis capite de erythrino citatis prodiderunt, channas omnes fœminas esse, quod omnes vuluas habeant, nullæ seminis vasa, quibus mares à fœminis discernuntur: quòd omnes grauidæ capiantur. Verum qui fieri istud possit, non sine causa quis dubitauerit. quemadmodum & de phoxinis, de quib. Aristoteles libro 6. cap.13. de animalium historia: Formantur oua per coitum in iis, qui venere vtuntur: fiunt & sine coitu. ostendunt id fluuiatilium quidam: nam statim atq; nati sunt, propè dixerim, & parui adhuc phoxini oua habent. Iam verò perdices non solum hypenemia oua, sed etiam fœcunda concipere aiunt: si, quo tempore gliscunt & ad venerem incitantur, aduersæ maribus steterint, vento inde flante. Et equas quasdam in Lusitania sine coitu parere, sunt qui affirment. Quæ naturali & insigni animalium istorum fœcunditati tribuere oportet. Sunt & mulieres tam fœcundæ natura, vt primo statim concubitu concipiant: vnde prouerbium, τίκτει κόρη ὅταν κακῶς ἀνδρὶ παρείη, Parit puella etiam si malè adsit viro. Noui equidem matronas integerrimas & castissimas ex senibus & prope effœtis maritis ob naturalem fœcunditatem liberos suscepisse. Ex quib. efficitur, vt minus mirum videri debeat in mari, in quo fœcundissima sunt animalia, erythrinos & channas ex se concipere, & sine mare oua parere: quæ posteà mare diuina & procreatrice sua vi perficit, masculiq; vicem gerit. qua de re plura legere potes li. 4. cap.3. & 4. Dicet fortasse aliquis erythrinos & channas vtriusq; esse sexus, quod de leporibus terrenis credunt aliqui: quod etiam in quibusdam comperi aiunt, vt in mugilibus, in quibus modo oua, modo lac videri ferunt, (semen autem lac vocant.) idq; mihi affirmauit Ioannes Laurentius vir iam senex, & in piscandi arte exercitatissimus: vtpote quam & in nostro litore, & in Hispania, & in Italia exercuerit. Eam nunc in insula quæ Martegue dicitur, non procul à Massilia exercet. At huic opinioni refragatur Aristoteles, qui oua semper in iis reperiri affirmat. Verùm de hac re nihil statuo. Sed liberum cuiq; iudicium relinquo. Cætera quæ de channa dicenda sunt persequamur.

Maris vis diuina & procreatrix.

Channa ex sarcophagis (.i. Carniuoris est, teste Aristotele libro 8. de hist. anim. cap.2. cui & synodonti euenit, vt cum minores insequuntur, venter excidat, propterea quod piscium vẽtriculus iuxta os positus est. nec gulam habent. Et lib.2. de hist. animal. cap.17. Pisces magna ex parte gula carent, vt qui coniunctum statim ori ventriculum habeant. quocirca sæpius euenit grandibus, vt dum per impetum insectantur minores, ventriculus in os procidat. Sola igitur causa cur ventriculus in ore channæ & synodontis, & aliorum quorundam sæpe reperiatur, non est ventriculi situs ad os. omnibus enim piscib. qui pulmonibus non spirant, quique ob id, & arteria aspera, & gula carent, id accideret. Sed voracitas & tanta cibi appetentia vt ventriculus, cui rectæ sunt fibræ ad trahendos cibos, sursum feratur, & tum ob

Cur channæ, synodonti, & aliis quibusdã piscibus ventriculus in os excidat.

Galeni verba ac eadem re.

propinquum ſitum, tum ob laxitatem in os procidat, id quod declarat Galenus li 3. de facult. naturalib. quo etiam in loco Ariſtotelis ſententiam profert imò verba ipſa adſcribere videtur longe quidem diffuſius quam in noſtris exemplaribus legantur. Sunt hæc Galeni verba: Ergo ex iam dictis patet. internã gulæ & ventriculi tunicam, cui rectæ ſunt fibræ, quæ ab ore in ſe attrahat, eſſe inſtitutam, eoq; in deglutiendo tantum agere: externam verò, cui tranſuerſæ ſunt fibræ, quò conſtringat ea quæ continet, ac protrudat, talem eſſe factam, eandem tamen non minus in vomendo, quam deglutiendo operam ſuam nauantem Clariſſimè ſubſcribit iis, quæ dicimus & quod in channis, & quod in iis qui Græcè σπάροντες appellantur, accidit, vt quorum ventriculus interim in ore inueniatur, veluti Ariſtoteles in libris de animalium hiſtoria prodidit, reddita etiam cauſſa, præ guloſitate id inquiens illis contingere. Ita enim ſcribit: In vehementiore appetentia, ventriculus omnibus animalibus ſurſum procurrit, adeo vt nonnulli cum primum incipere manifeſte eum affectum ſentiunt, foras repere ſibi ventrem dicant: alii vero cibos quos adhuc mandunt, necdum ſatis eos confecerunt, eripi planè inuitis. Ergo in iis animalibus quæ natura ſunt guloſa, quibuśque oris laxitas eſt multa, ac ventris ſitus propinquus, (veluti in ſynodonte, ac channa cernitur,) nihil mirum eſt, cum in admodum vehementi eſurie, minorum piſcium aliquem proſequuntur, ac iam in eo propè ſunt vt comprehendant, ſi auiditate perurgente venter eorum in os ſurſũ rapitur. Fieri autem id aliter prorſus nequit niſi venter cibos per gulam veluti per manum ad ſe trahat. Sicuti & nos præ ſtudio aliquando nos totos vnà cum manu extendimus, quo promptius corpus quod petimus apprehendamus: ita & ventriculus cum guia, veluti cum manu vnà extenditur. Proinde in quibus animalibus hęc tria ſimul incidunt vehemens nutrimẽti auiditas, gula parua, & oris laxitas ampla, in his paulum extenſionis momentum totum ventriculum ſurſum in os agit. His verbis Galenus & Ariſtoteles apertè oſtendunt cauſam rei, quam quærebamus, cur ſcilicet channis & aliis piſcib. ventriculus in os excidat.

A *Channas pro chamis quidam accepit imperite.*

Hoc loco me etiam inuitum cogit veritas vt lectores admoneam, virum alioqui doctiſſimum, & mihi amiciſſimum, qui his Galeni libris annotationes aliquas in margine aſperſit, lapſum eſſe cum channas, id eſt, hiatulas, concharum genus eſſe annotauit, ſimilitudine nominis, vt opinor, deceptus. Sunt enim chamæ conchulæ quibus channę nomine tantum ſimiles, re valde diſſimiles ſunt: quippe quæ ſquamoſæ ſint, ex pelagiis vel litoralibus piſcibus, vt initio huius capitis diximus.

F Channa tenera eſt carne, vt ſcribit Diphilus, durior tamen percâ. Paratur vt reliqui ſaxatiles.

DE EADEM, BELLONIVS.

Channum Græcis dictum volunt, quod is piſcis moriens, perpetuo hiet ac rictum ædat. Maſſilienſes apud quos plurimus eſt, Serranos vel Serratanos vocant, Genuenſes Bolaſſos, incolæ Portus Venetis Barquetas, Græcorum vulgus, Channo.

B Tanta eſt huius piſcis cum Orpho, Hepato & Perca marina (cum qua publice diuendi ſolet) ſimilitudo, vt piſcem penè eundem eſſe credas: ſed Percæ marinę Channis ſunt maiores, lineisq; latis tranſuerſis ex rufo nigricantibus tergora diſtincta habent. Channi autem promiſcuè tranſuerſus & rectas lineas ferunt.

E Oppianus, - - - *Phagrus Channi ſedocitur eſca.* Piſcem iſtum irretitum non capiunt: ſed calamo fallunt ex hamo, & maximè ſi carcinis pro eſca vtantur: eos enim appetunt auidiſſimè. Channa calculos in capite gerit, vt Perca, Scorpio, Cephalus & Vmbrina.

C Omnes porrò Channos oua ferre ac fœminas dici poſſe Ariſtoteles tertio de generatione animalium ait. partim enim receptacula habent ſeminis genitalis, partim vuluas.

Sextus.

COROLLARIVM.

Channa vel Channe piſcis, vel Channus, Græcè duobus modis rectè ſcribitur, χαίνη fœminin. vel χαννο- maſculino genere, Oppiano bis. non probo qui per ypſilon ſcribunt, (etſi Ariſtotelis codices ſic alicubi habent, deprauati nimirum, vt innumeris aliis in locis?) vt neq; eos qui per alpha in fine, aut per n. ſimplex in medio. A verbo χαίνειν fit χάος, & χανδὸν. & χαννο- piſcis, liquida Aeolicè duplicata, vt ſciunt etymologi, Euſtathius. Hoc & Gaza animaduertit, qui Hiatulam ab hiando conuertit. Sed idem pro chama concha quoque hiatulam vertit, vt ſatius ſit Græcis vti vocabulis, ne res diuerſæ confundantur. Cęterum an moriens tantum hiet, vt Belloniusvoluit: aut etiam viuens plerunque, quod ſuſpicor, quod vorax admodum piſcis ſit, & mandibulas ferè ita conſtitutas habeat vt Rondeletius annotauit, obſeruent quib. nondeerit occaſio. Channe à noſtris ruſticis dicitur orcana, Niphus. In Lemno inſula hodie cano, Bellonius. Græci etiam hac ętate & Veneti vocant chanen, Gillius. Germanicè circumloquemur, *Ein fiſch gleich dem Meerberſich, Ein Mee. berſich art.*

B Perca, channe & phycis, ſimiles ſunt, Speuſippus. Channe ſpinas in dorſo robuſtas & acuta habet. eius labrum inferius & rubet & eminet. exiguis eſt dentibus & acutis, itemque aculeatis branchiis, Gillius. Erythrini & channę (omnes, vt addit Rondeletius) vuluas habere traduntur, Plinius. Channę omnes oua habent, Ariſtot & Plinius.

C Channe pelagus eſt piſcis, Gillius. Ouidius etiam inter pelagios numerat. Oppiano chami, χάννοι, degunt circa ſaxa muſcoſa. Piſces ſunt libidinoſi, Aelianus.

H.a. Χαννὸς τε πελὸς τε ἠὲ ἔννυχ' ἵμεν πίτνοι, Numenius apud Athenęum: ſed verſus videtur corruptus. Chennion etiam genus piſcis dictum fuiſſe apud Varinum legimus.

DE CHANADELLA, VEL CHANNADELLA

pot us, à ſimilitudine Channæ:

MAſſilienſes alium piſcem Channæ prædictæ ſimilem, channam vocitant: & ſtagni, quod lingua noſtra *Marteque* dicitur, accolæ, piſciculum alium *canadelle*: quod fieri propter ſimilitudinem reor, & hos piſces cum channis confundi, Rondeletius.

DE

DE EADEM, BELLONIVS.



Liguſtico mari cognitiſſima Canadella, elegantem ac varium habet colorem, bona tamen ex parte purpureum: neque vnquam ad eam magnitudinem extuberat, ad quam alii piſces ſaxatiles. Sacheti Veneti vocant, qui dum viuus capitur, ſpinoſum quiddam è branchiis vibrat, quo manus contrectantium ferit. Labiis eſt magnis vt Cynędus, ſed dentibus ab hoc & à Phycide longè diſſimilibus: quorum cum anteriores acutos, & ferè caninos habeat, poſteriores tamen obtuſos oſtendit. Pinnam dorſi continuam, & (vt in Scorpione marino) crenatam: reliquas branchiarum pinnas vtrinq; luteas: qui color etſi vt in aliis ſaxatilibus vt plurimum euariet, eadem tamen corporis moles, eadem forma huic permanet. Squamas habet lituris viridibus, cinereis, rubris, & interdum caſtanei coloris variegatas, atque extremam branchiam (quę illi oſſea eſt) crenatam vt lupus. Roſtro eſt acutiore quam Lambena: optimumque, vt reliqui piſces ſaxatiles, alimentum præbet. Cognatus huic eſt hepatus, qui ſimiliter à Venetis ſacheto vocatur, (inquit Bellonius) ſolo colore differens: de quo in H. elemento dicetur: quanquam is cuius [illegible] iconem nunc ſubiicimus, hepatus Bellonii videtur.

COROLLARIVM.



Canadellę piſcis nomen hodie vulgo vſitatum Gallis ad Liguſticum mare, vel per diminutionem à channa factum eſt, vel aliquam eius cum channa cognationem ſignificat. Veneti Saccheto vocant, vt etiam hepatum (ſed alius eſt Rondeletii hepatus) indifferenti nomine, inquit Bellonius. Ea quam ego hic exhibui effigies, Venetiis Saccheti nomine mihi confecta eſt. piſcem ſparo congenerem aliqui eſſe putant. Ego Bellonii hepatum eſſe ſuſpicor. ipſe quidem hepati ſui iconem non poſuit. Noſtra colores varios oſtendit: pinnis ad branchias & cauda flaueſcit, ſed cauda innumeris etiam maculis ruffis diſtinguitur. pinnę in ventre Indici coloris ſunt: illa quæ podicem ſequitur primum Indica, deinde flaua, in extremo rubicunda, &c. Sed Bellonius inſpectis meis iconibus, piſcem rubicundum A. 18. quem turdo xi. Rondeletii cognatum ſuſpicor, hepatum ſuum eſſe dicebat: & eum quoque Venetiis Saccheto vocari indifferenti nomine. Vide Corollarium ad Turdos Rondeletii: videtur enim Bellonii Hepatus vndecimo Rondeletii turdo cognatus.

DE CHARACE. IANVS DVBRAVIVS PISCEM *Cyprino similem, vulgò Karas dictum, characem nominat, ab aculeis scilicet, παρὰ τὸ χαλάσσειν.*

CHarax in petris & arenis pascitur, Oppianus lib.1.his verbis: Ἐν δὲ χάραξ, καὶ σφοί τε κυβιστητῆρες ἔασι Κωβιοί. Χαράκιοι à Tarentino inter piscium marinorum genera recensentur. Dentex & charax eiusdem generis sunt: sed hic præstat, (διαφέρει δὲ ὁ χάραξ,) Diphilus Siphnius apud Athenæum de alimento ex piscibus loquens. quamuis quod eiusdem generis cum dentice esse tradit characem, non modo ad nutrimenti rationem, sed formam quoq; vtriq; communem retulerim. Et forte charax hoc nomen inuenit, quòd firmis dentibus os vallatum, similiter vt synodon ab iisdem appellatus habeat. χάραξ enim vallum significat, sicut etiam ἕρκος, quo vocabulo de serie dentium poeta vsus est. Ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; Quarè vt synodonti Germanicum nomen finximus *ein Zanbrachsmen oder Zanfisch*: ita & characem veluti alteram eius speciem nominare poterimus, *Ein Zanbrachsmen art, oder ein art vom Zanfisch.*

Haud scio an idem sit charax Aeliani quem libro 12.cap.25.his verbis depingit: Charax piscis fœtura est maris rubr[illegible]is pinnas habet & vtrinq; & in tergo auricolores. Inferiores partes purpureis cingulis illustrantur. Similiter eiusdem cauda, auri colorem gerit. Purpureus color medios oculos pulchre adumbrat. Sed Græca illa adscribam, quæ etiam aliter conuerti posse videntur, vt non pinnæ tantum, sed latera tota cum dorso aurei coloris sint. Ἔχει δὲ πτερύγια, καὶ χρυσῷ προσείκασται, ὅσα δὲ (ὅσα τε) ἰδεῖν τὰ παρ' ἑκάτερα. καὶ νῶτα [illegible] καὶ ταῦτα ἔχει χρυσοειδῆ. Χάραξ fœminino genere palum seu perticam significat, masculino autem vallum militare, Eustathius.

DE CHELIDONIA. VIDE ETIAM IN HIRVNDINE, COROLLARIO A.

CHelear piscis nomen videtur, eiusdem qui & chelidonias dicitur. Χελεάρ, χελιδὼν, χελιδονίας, καὶ ἰχθύς τις. id est, Chelar, hirundo, chelidonias. & piscis quidam, Hesychius & Varinus. Χελιδόνας, piscis quidam, Suidas: melius χελιδονίας. Piscem boreum inter sydera iuxta Andromedam hirundinis piscis præferre caput, propterea; à Chaldæis piscem nuncupari chelidoniam Theon scribit, Cælius Rhodig. ex Theone in Aratum. Cum sexaginta dies à solstitio brumali abierint, initio noctis arcturus oritur: post illum vero, hirundo (*piscis nimirum, saltem sidus*) apparet, Hesiodus. Pelamydum generis maxima apolectũ vocatur, durius [illegible] tritone, Plinius 32.11. vt Hermolaus legit. Est autem, vt coniectura consequor, (inquit idem Hermolaus,) triton id quod Græci chelidoniam vocant: apolectus verò, quam synodontida. Athenæus. Maior (inquit) pelamys, synodontis appellatur, durior quàm chelidonias. Item paulo post: Orcynus (inquit) similis est chelidoniæ cum magnus est. Confer hæc verba cum Plinio: Orcynus (inquit) pelamidum generis maximus non redit in Mæotin, similis tritoni, Hæc Hermolaus. Græca Athenæi (imo Diphili apud Athenæum) verba hæc sunt: Πηλαμὺς ἡ μείζων, συνοδοντὶς καλεῖται. ἀναλογῶν μέντοι ὁ χελιδονίας τῇ πηλαμύδι, σκληρότερός ἐστιν. ἡ δὲ χελιδὼν ἡ τῷ πολύποδι ἐοικυῖα, ἔχει τὸ ἀφ' αὐτῆς ὑγρὸν, εὔχροιαν ποιεῖ, καὶ κινεῖ αἷμα. Ὁ δὲ ὄρκυνος, βορβορώδης: καὶ ὁ μείζων προσέοικε τῷ χελιδονίᾳ κατὰ τὴν σκληρότητα. In his verbis quid à Rondeletio mutetur, requires infra in capite De thunni, pelamydis, aliisq; similibus nominibus. Et quia chelidoniæ nomen apud nullum veterum aut recentiorum pro pisce reperiri putat, pro eo substituit χελιδών. Cum n. (inquit) semel χελιδὼν legatur, cui alii pisces comparantur, cur in eadem comparatione perseuerante sententia, non chelidon deinceps, sed chelidonias legatur? Atqui verisimilius contrarium dixisset Rondeletius. cũ enim in hoc Diphili loco, chelidonias bis legatur, chelidòn semel, probabilius fuerit, in eo quod semel ponitur errorem esse commissum, quam in eo quod bis. Quid quod χελιδὼν fœminini generis vocabulum est, χελιδονίας masculini? Rondeletius lectionem emendans, chelidonias quidem mutat in χελιδὼν fœmininum, attributa verò ei masculina nomen ac participium relinquit. sic enim legi vult: Ἀναλογῶν μὲν ταύτῃ (τῇ συνοδοντίδι) ἡ χελιδὼν, τῆς πηλαμύδος σκληρότερός ἐστι: cum ἀναλογοῦσα & σκληροτέρα dicere oporteret. Sed neq; hoc approbârim quod Rondeletius ait, Diphili sententiam in eadem comparatione perseuerare, tanquam omnia de pelamydis tantum generibus sint, cum ipse interim chelidonem genere differre fateatur, nutrimenti verò succiq; ratione accedere eam ad pompilum. sic enim legit, non polypum. Ego potius dixerim Diphilum à pelamydum genere discedentem, de heledona loqui, quæ & specie & viribus polypo similis esse, & sanguinem mouere, & bonum colorem facere dici potest, (si bene scripta veterum memini. vide infra in Polypo.) chelidòn non potest. quamobrem apud Diphilum ego sic legerim, ἡ δὲ ἐλεδώνη ἡ τῷ πολύποδι ἐοικυῖα. neq; enim tam perseuerationis in vno genere apud authores, quã sæpe negligunt, quàm rerum ipsarum habenda est ratio. Mihi quidem non temere verba authorum videntur immutanda, sed omni studio quærendum quo pacto ea quæ posita sunt, tueamur. Verum hac de re plus quàm institueram, dixi. Alterum exocœti genus circa Byzantium quidam chelidonium nominant, Bellonius. Et rursus, Tertium exocœti genus à nonnullis (piscatorib. in Græcia hodie) chelidonius appellatur. Coloris ratio chelidoniis leporibus, & ficubus quoq;, nomen dedit: quæ an similiter piscib. ab hirundine dictis conueniat, nunc non habeo quod affirmem. Fieri enim posset à figura nomen eis factum fuisse: sicut & de balæna Oceani Germani B[illegible]*nfisch* dicta fertur, caudæ pinnam ei similem esse hirũdinis caudæ. De chelidone, id est hirundine pisce, in H. elemento dicetur. CHELLARES, Χελλάρης, qui aliter bacchus, & oniscus, id est asellus vocatur, Dorion apud Athenæum. Vide in Asellis. CHELMON, Χελμὼν, piscis qui & chelidon, id est hirundo dicitur, Varinus.

Triton. *Apolectus.* *Synodontis.* *Heledona.*

CHELON, id est Labeo, de genere mugilum est.

CHENNION, Χέννιον, auicula quædam in Aegypto sale condiri solita, (coturnix parua. quære in Coturnice a.) & genus piscis, Varinus.

CHERABAS, Χηράβας, Sophron nominat: sunt autem ostracoderma. & Archilochus quoq; χηράβος meminit, Athenæus.

CHLOSSVS, Χλοσσὸς, piscis Ionicè, Hesychius & Varinus: ἰχθὺς ἀπὸ Ἰώνων. tanquam non aliquam speciem, sed genus totum hoc vocabulum Ionibus significet.

CHO-

CHOLIX, Χόλιξ, bouis venter aut crassum eius intestinum, vel genus piscis secundum aliquos, Varinus.

DE CHROMI, RONDELETIVS.



ΧΡΟΜΙΣ & κρέμυς an ijdem, an diuersi sint pisces, equidem me adhuc nescire fateor: A malo enim id fateri quàm sciens studiosis imponere, & rem incertam pro certa proponere. Athenæo videntur diuersi esse pisces. diuersis enim locis vtriusq; meminit, vno loco ex Epicharmo. Καὶ σκιφίας, χρόμις τε, ὃς ἐν τῷ ἦρι κατὰ τὸν Ἀνάνιον, ἰχθύων πάντων ἄριστος. vbi σκιφίας ponitur pro ξιφίας per diæresim ξ in κσ. & hyperthesim τοῦ σ. altero loco: Καὶ τὰ μὲν λιθοκέφαλα, ὡς κρέμυς. quem locum citat ex Aristotele περὶ ζώων. *Cremys.* Chromis Latinum nomen nullum habet, nostris verò piscatoribus incognita est: ob id nomine caret. Chromin esse puto, & eam hîc exhibeo, quæ in ora Liguriæ, Antipoli, & in insula Lerino, (quæ nũc diui Honorati insula dicitur,) frequentissima est, vocaturque à Liguribus castagno à castaneæ colore. B

Piscis est litoralis corporis figura, pinnis & spinis melanuro similis: sed oculis est minoribus; nota nigra in cauda caret, sed totum corpus nigricat. lineas habet rectas à branchiis ad caudam. ore est paruo, squamis paruis. interna omnia auratæ similia habet. potest etiam non ineptè corporis figura, & colore cantharo comparari, nisi quòd chromis paulò nigrior est. Lapides habet in cerebro, ob id hyeme malè habet.

Aristoteles semel anno parere scribit, & inter τοὺς χυτοὺς collocat, id est fusaneos pisces, vt Gaza vertit. C Et alibi cum iis recenset, qui exquisito sunt auditu, & grunnitum quendam edere scribit. *Lib 5. de histo. anim. cap. 9.*

Piscis hîc paruus est, & vilis habetur: humidior enim est, ideo in craticula assandus. Archestratus tamen dixit: F

Τὸν χρόμιν ἐν Πέλλῃ λήψῃ μέγαν. ἔστι δὲ πίων
Ἂν θέρος ᾖ, ἢ καὶ ἐν Ἀμβρακίᾳ.
Maiorem chromin in Pella cape, tempore messis,
Pinguis enim est: vel in Ambracia.

Lib. 4. de hist. anim. cap. 8. *Ibidem cap. 9.*

Ouidius immundam chromin appellauit.

DE EODEM, SEV CASTAGNOLA PECVLIARI *Massiliensium pisciculo, Bellonius.*

Castagnola à colore corticis castaneæ vulgo Genuensium, Massiliensium, & incolarum Portus Veneris dicta. A Grandem pro sua magnitudine habet in tergore pinnam, caudam longam & bifurcam, pinnam B vtrinq; ad branchias vnam, & duas sub ventre. Squamis contegitur latis. Corporis figuram in Cyprini modum circinatam habet. Brãchias vtrinq; ternas, quarta dempta quæ claui culæ ipsi corpori iungitur. Hepate est vnius tantum lobi, stomacho incumbentis, vt in Delphino diximus. Stomachum rotundum habet: & duodenum, sine apophysibus inhærens ieiunio: colon admodum gracile, ter tantum cum aliis intestinis obuolutum.

Vêre & æstate copiosissimus capi solet: nihili tamen à piscatorib. fit: est enim popularis. C.F.

Magna est Chromidis cum Glauco (*Rondeletius Glaucum longe alium facit*) pusillo vt & Glauci prouecti A cum Vmbra similitudo. Ea putatur esse quam Athenæus Chremydem, Oppianus Chremitem Aristoteles Chrempum appellat, quem inter eos pisces annumerat, qui acutissimo auditu præditi sunt. Turdum Veneti, vt & Massilienses Vmbrinam falsò appellant: & horum etiam nonnulli Vn † chrom. *† Chrau.*

Fusaneus est piscis, nostris Parisinis ignotus, simus in Lauareti modum, mediæq; inter lupum & coruum magnitudinis: herbis virentibus præcipuè vescitur, ac litoralis est: vnde Oppianus: B C

Per molles habitant ripas, herbasq; virentes *Labrax, audaces Amiæ, placidæque Chremites.*

Cui etiam Ouidius eas notas dedisse videtur, quæ aliàs Phycidi debentur:

Atque immunda Chromis, merito vilissima Salpa, *Atque auium dulces nidos imitata sub vndis.*

Est enim Chromis, etsi litoralis, succi tamen gratissimi, & qui non minus iucundam nutritionem, F quàm pisces saxatiles exhibeat.

Proinde tenuibus squamis vestitur, ex auro nitentib., ac cæruleum interdum colorem concinnè vibrantib. B Binas gerit pinnas in tergore, quarum anterior, quæ minor est, nouem obfirmatur aculeis. alias quoq; ad latera, etiam acutas ac pusillas habet, atq; vnam etiam sub ano ad caudam vnico aculeo roboratam. Huius item exterior branchia, spinea est, atq; in gyrum nigra, &, vt in lupo, denticulata. Caudam habet subrotundam, veluti Vmbra & Glaucus. Atq; hoc præsertim à reliquis piscib. distinguitur: quod vndantibus ac transuersis veluti lituris ex cæruleo in cinereum colorem abeuntibus sit aspersus: quas † tamen pusillum Glaucum habere diximus: nam hæ quidem in prouectiore Glauco euanescunt. **etiam* Cæterum caput habet obtusum, maxillamq; in superiore labro veluti infarctam, ac quoddam ceu linguæ rudimentum, dentiumq; loco scabritiam sub labiis apparentem. Multis abundat lactibus circum intestina, ac folliculum tergori annexum gerit, medio geniculo interseptum: Vuluam bicornem, ouis vtrinq; plenam: Hepar subrubrum: ad quod fel vasculo tenui contentum, à duodeno incipiens, deferri videtur: Lienem stomacho inhærentem, oblongum, tenuem, rubrum: Cor triquetrum, albo pericardio contentum: Stomachum per tergoris longitudinem protensum, cuius pylorus octonis apophysib. seu appendicibus ambitur, Hæc Bellonius.

 DE

DE ALIO PISCE, QVEM BELLONIVS CHROMIN ESSE CONIICIT.

De hac icone vide quæ notauimus mox ab initio Corollarii ad Chromin Bellonii.



COROLLARIVM, AD CHROMIN BELLONII.

Icon. A Nos non è Bellonii libro iconem, sed quam prius Venetiis nacti eramus eiusdem piscis, posuimus: quę in hoc tantum differt, quòd cirrhum sub mento seu inferiore labro non ostendit: nec caput, præsertim labro superiore, adeò simum & obtusum. quin & maculam nigram effigies nostra, quam cum coloribus depictam habeo, ad branchias ostendit, cuius non meminit Bellonius. Idem chromin & glaucum pisces persimiles inter se pingit corporis specie. vtriq; cirrhus à mento dependet. vterq; peculiari nota, lineis vndantibus & transuersis passim è dorso ad media latera tendentib. insignis est: quę tamen in glauco prouectiore euanescunt, ait. Pinnę in dorso binę vtrique: ad branchias etiam, & sub eis binę in ventre

Glaucus cum Chromi collatus.

ventre similiter ferè. sed à podice pinnam in chromi pingit, in glauco non pingit. Vtrunq; etiam, falso vmbrinam vocari, ait, ab vmbrę marinę similitudine. Glaucus pusillus (inquit alibi) chromidi adeò similis est, vt pro ea plerunq; diuendatur. Rondeletius Vmbram hunc piscem vocat, & dentib. carêre ait, cũ suæ Vmbrę dentes Bellonius appingat, nomina interim eadem quæ suæ Vmbræ Rondeletius tribuit. Plura diligens lector in Vmbrę historia requiret, & conferet, dabitq; operam ne pisces inter se diuersos confundat, vmbram dico, coracinum & latum, λάβρακα, prima correpta, qui tam similes sunt Rondeletio, vt magnitudine potius quàm aliis notis discernantur, & piscatores aliqui ętate tantum (sed non rectè) eos differre existiment. Coracinus ad cubitalem peruenit magnitudinem, vmbra ad multo maiorem, præsertim in Oceano: latus maximus est. Vmbra verrucam seu tuberculum in mento habet, coracinus & latus carent. Bellonius cirrhum non verrucam nominat. Glaucus (inquit) prouectior adeò vmbram refert (præsertim cirrho quem sub labro inferiori erectum habet) vt à plerisque alter pro altero assumatur. Idem tamen in vmbrę pictura cirrhum illum non exprimit. Quod ad lineas siue lituras illas elegantes, Rondeletius vmbrę tantum eas attribuit, his verbis: Vmbra videtur dicta à lineis obliquis à dorso descendentib. aureis: & obscuris, quę aliarum videntur vmbræ, vna enim manifesta est, sequens obscura, & sic deinceps à capite ad caudam vsq; Bellonius verò chromidis suę lineis alium colorem tribuit: Hoc præsertim (inquit) à reliquis piscibus distinguitur, quod vndantibus ac transuersis veluti lituris ex cœruleo in cinereum colorem abeuntibus, sit aspersus: quas etiam pusillus glaucus adeò similes habet, vt pro chromide plerunq; vendatur. Sed vt finem faciam, (vix enim ipse me extrico, magis tamen Rondeletii sententiis accedo,) quosdam veluti aphorismos distinctionis horum piscium gratia subiiciam.

Vmbram & Chromin forte aliqui confundunt.

Vmbræ, coracini & lati simillitudo & differentia.

Glaucus Rondeletii toto genere, à chromi & vmbris diuersus est. 1

Glaucus Bellonii vmbrę cognatus est, vel species vmbrę, à Rondeletio non descripta, quod sciam: quanquam à Venetis corbetum quasi coruulum vocari scribat: Rondeletius vero, Coracinum (inquit) Italia ferè tota coruum nuncupat. 2

Vmbra Rondeletii & Bellonii vnus est piscis, & iisdem nominibus ab vtroq; nominatur; sed non similiter describitur. Rondeletio enim dentibus caret: Bellonio dentes habet in oris ambitu raros, firmos acutos, &c. 3

Coracinus Bellonii longè alius est quàm Rondeletii, vt & figurę & descriptiones ostendunt: vnde non specie modo, sed toto genere diuersos esse pisces apparet. 4

Chromin & vmbram confundere videtur Bellonius.

Chromin & coracinum vt confunderent aliqui, occasionem dedit vicinitas nominum, tum veterum tum illorum quibus hodie quidam vtuntur. 5

GERMANI vmbram & cognatos ei pisces, corui marini nomine circunscribere poterunt, adiecta magnitudinis differentia: ita vt vmbra simpliciter dicatur *ein Seerapp*, à colore, qui Græci etiam & Latini nominis causa fuit: latus, *ein grosser Seerapp*: coracinus inter hos minimus, sed corpore latiusculo, *ein kleiner Seerapp, ein Meerbrachsmen oder Meerkarpffen art*. nam & Melanuro comparatur. Sed & chromin Rondeletii, quanquam toto genere differt, cum corporis non figura tantum, sed & pinnis spinisq; Melanuro similis sit, quin & cantharo figura atq; colore comparetur, Germanicè appellemus *ein schwartz Lachte oder braune* (à castaneæ colore, vnde & Galli castagnolæ nomen indiderunt) *Meerbrachsmen art*. 6

Chromis Rondeletii.

Chromin Ligures etsi corrupte, tamen non longè à nominis gentilitate chro etiam nunc vocant, falso Veneti Coruum, Gillius. vnde apparet eundem cum Bellonio Chromin ipsum existimasse. Eundem piscem Lusitanos audio Celema vocare.

ALIVD COROLLARIVM DE CHREMETE,

Cremye, & Chrempe ex veteribus.

CHREMYN, Chromin, & Chremetem ex recentioribus nullus quod sciam, discernit: nos recitatis veterum scriptis distinguemus. Mustela piscis nihil cum Mustelo commune habet. Iecorinum esse diceres. nam piscis est breuis, oculis conniuentibus, pupillis cyaneis: barba quàm Iecorinus maiore, sed minore quàm chremes. Καὶ τὸ μὲν ἥδιον ἔχει τὸ τῆς μυὸς ζωνίτιδα ἀλλ' οὐ πόλιν τὸ χρέμπτ(ον) καταγελᾶς. Aelianus 15. 11. Ex quibus verbis colligimus Mustelam Aeliani & hepatum (diuersum ab aliorum veterum hepato, vt Rondeletio quoq; videtur) & chremetem similes esse pisces, ac similiter barbatulos. Χρεμὺς, ὁ ὀνίσκῳ ἐοικὼς ἰχθύς: id est Chremys, asellus piscis, Hesychius & Varinus. Γένειον ex Aeliano barbam interpretor: non mentum, vt Gillius. quanuis enim Eustathius γένεια τε (hoc est in multitudinis numero) barbam interpretatur, γένειοι verò mentum: idem tamen leonis & mulli piscis quoq; γένειον dici ait, hoc est barbam. Mentum enim nulli præter hominem, nec male, authore Plinio. Ergo de Aeliani chremete non est dubitandum quin sit diuersus à chromide, quæ pagro & synodonti comparatur ab Hicesio. his enim piscibus nulla prorsus cum mustela Aeliani similitudo est. Ego mustelam marinam Germanicè nomino *ein Meerrauschen*: Chremetem verò *ein Meerrauschen art*, hoc est Mustelæ marinę speciem. Nec alius videtur Hesychii χρεμὺς, quem asellum esse ait, nam & mustelæ marinæ aselliorum generi attribuuntur. Vide ne Mustela vulgaris Rondeletii, Chremes hic sit. Oppiano chremetes amant mare vicinum fluuiis aut stagnis ob dulcem aquam, & limum illic se colligentem: Λαβρακίδες τ', ἁμίαι τε θρασυφόρων, ἠδὲ χρέμπται, Πηλαμίδες, γόγγροι τε, ἠμὲ ὄνηκαλέουσιν ὄλισθον &c. Videtur, & ὄλισθος à corpore lubrico dictus piscis, chremeti mustelęq; cognatus esse. Athenæo cremys, κρέμυς, piscis lapidem in capite gerit, ex Aristotele. In nostris verò codicibus Aristotelis cremys piscis ne nominatur quidem chromis verò (vt mox referam) in capite lapides habere ab eo scribitur. Chremps etiam piscis, si rectè scribitur, semel apud Aristotelem nominatur, lib. 4. cap. 8. Sunt (inquit) inter pisces qui liquidius audiant, mugil, chremps, (κρέμψ, Gaza omisit, vt & Plinius in huius loci conuersione) lupus, salpa, chromis. Quamobrem non probè Bellonius, Chromin (inquit) Athenæus chremydem. Oppianus chremitem, Aristoteles chrempum vocat. Primum enim an idem sit piscis cui diuersa hæc nomina conueniant, non satis constat: & vt idem sit, non tamen chremydem accusandi casum, à recto χρέμυς paroxytono, sed cremyn, quantum assequor, (vt *horyn*, non botrydem,) deducere oportebat. vt neque chrempum à recto χρέμψ: neque chremitem ex Oppiano, qui penultimam per ι. id est e. longum scripsit: vt Aelianus quoque & Suidas. Lippius ex Op-

Chromin Rondeletii.

Cremys.

Chremps.

ex Oppiano placidæs chremetes dixit, sed epitheton de suo adiecit: & in fœminino gen. protulit, cum de beret in masculino efferre, sicut Aelianus fecit. Χρεμὶς quidem per ι. oxytonum apud Hesychium ineptè mihi scribi videtur. Chremetis nomen vnde sit natum nescio, nisi forte quod Chremes in quibusdam veterum comicorum fabulis barbatus inducitur: qualis & hic piscis est. nam cum barba tribus his inter se similibus (vt coniicio) piscibus data sit, hepato, mustelæ & chremeti, prolixior huic quam cæteris cõtingit, Aeliano teste. Quærendum an chremes sit ex asellorum genere paruus & barbatulus piscis, quem in Adriatico pesce molio vel moro nominant: atq; idem callarias Plinii, quasi γαλαρίας, id est mustelaris id est asellus mustelæ similis. Galenus pretiosissimum Romæ piscem γαλαξίαν nominat è genere galeorũ id est mustelorum, (qui longè alii sunt quàm mustelę:) & Athenęus eundem γαλερίδαν & γαλλαρίαν: Dorion oniscum (hoc est asellum) gallariam. Rondeletius vulgò hunc sturionem dici, & apud veteres Latinos acipenserem suspicatur. Et sanè nihil prohibet alium galerian cum mustela, alium cum mustelo piscibus similitudinem habere: vtrunq; etiam cum asellis commune quippiam. vel potius coniiciendum Galenum vbi scribit galaxian galeorum generis esse non γαλεῶν, sed γαλῶν dicere debuisse: nisi quis γαλεῶι à recto γαλέα, non à γαλεὸς formare velit. Vide supra in Corollario primo de Asellis.

ALIVD COROLLARIVM DE CHROMI.

A Chromis apud Aristotelem quater nominatur, nec amplius quod sciam: semper cum acuto in vltima, ter cum o. breui in prima: semel cum o. magno ego neq; acui vltimam in hac dictione, neq; o. magnum in prima syllaba scribi laudârim. Genus quidem ex verbis Aristotelis non apparet: oxytonum necessario fœmininum foret: ego paroxytonum & masculinum probo. quare ita inflectetur vt ophis, nec d. in obliquis assumet. Χρόμις, genus piscis, Hesychius & Varinus. Apud Athenęum quoque similiter scribitur: Ex Epicharmo, Καὶ σπιφίας χρόμιδάς τι: Rondeletius legit χρόμις τι. Ex Numenio, Γκλευκολίχθυι, ἢ χρόμι, ἀλλ' οτε δ' ὀρφόν. Ex Archestrato, Τὸν χρόμιν ἐν πλέκτῃ λήψῃ μέγαν. Et similiter aliquot in locis apud Aelianum. Scio Ouidium immundas chromes dixisse genere fœminino. Sed Græcorum in suæ linguæ vocabulis tum authoritas tum ratio grammatica apud me maioris est.

B Orphum, chromin, pagrum, anthiam, acarnanem, synodontem & synagridem, genere similes existere Hicesius dicit. Chromis in capite lapidem gerit. & algore vehementer infestatur, vt & alii qui lapidem habent. Aristot. Κρέμυν Athenęo ex Aristotele in capite lapidem gerit. Prægelidam hyemem omnes sentiunt, sed maximè qui lapidem habere in capite existimantur, vt lupi, coracini, (aliàs chromes,) pagri, Plinius. Coracinus apud Plinium libro 9. cap. 17. scribitur lapidem habere in capite, legendum est autem chromis, non coracinus, tam ex vetustis codicibus, quàm ex Aristotele, Massarius. Atqui coracinum quoq; lapillos habere in posteriore capitis parte Rondeletius refert.

C In quodam genere non sunt mares, sicut in erythrinis & chromibus, Plinius. sed pro chromibus alii codices melius habent channis. Chromis fusaneus est piscis, γυνὸς: & semel anno parit, Aristot. quos aũt fusaneos appellet, in Chalcide dixi. Semel anno parit, Idem. In herbosa arena degit, Ouidius: qui & immundam cognominat, ex eo fortè quod senum quendam veluti grunnitum cum sue quadrupede immunda communem habeat, à quo sono forsan & chromis nomen per onomatopœiam factum est. Pisces qui vocales falsò existimantur, omnes sonum illum emittunt, aut attritu branchiarum, quas horridiores & spinosas continent: aut spiritu circa ventrem incluso, Arist. vide supra in Chalcide c. in Corollario. Chromis veluti grunnitum ædere videtur, Idem. Inde numirum per onomatopoliam Chromis est dictus. Coruus marinus à cordis (corui) voce dictus est, quia pectore grunnit, suaq; voce proditus capitur, Isidorus. sed hoc de chromi non de coruo pisce accipiendum videtur: sicut & quod Iorath scribit: Pisces qui dicuntur corui, cum pariunt, voce sua produntur: quia semper gemitus vel grunnitus proferunt, & sic capiuntur. Inter pisces liquidius audire chromin, (τὸν γρόμον, Aelianus) fertur, Idem. Produntur clarissimè audire mugil, lupus, salpa, chromis, Plinius: ab Aristotele etiam chremps additur. Atq; immunda chromis meritò vilissima salpa, Atq; auium dulces nidos imitata sub vndis, Ouidius. est autem posterior versus periphrasis Phycidis. quod si ad præcedentium aliquem referri deberet, ad salpam potius vtpote proximum, referri, quam ad chromin conueniret. Quamobrem Plinius (nisi librariorum hic lapsus est) non recte ex Ouidio memorat chromin qui nidificet in aquis: nec recte eum sequitur Bellonius. Est etiam Chromis viri nomen, Theocrito Idyllio primo.

Chryson piscem ex Ouidio nominat Plinius in calce libri 32. errore puto librariorum. Chrysophrys enim apud Ouidium legitur, hoc est Aurata, non Chrysos.

Cicadae marinę, vt Ælianus nominat, & Galli ad mare mediterraneum hodie vulgò, inter Squillas locus erit. vbi & Squillam mantin Rondeletii, quam Cicadam marinam Bellonius appellat: & aliam quandam reperies.

DE CICADA FLVVIATILI. RONDELETIVS.

Cernuntur etiam in riuulis bestiolæ cicadis terrenis persimiles, quas ob id cicadas fluuiatiles nomino. Et ventris latitudine, & pedibus natant: quos vtrinq; ternos habent, postremi longissimi sunt. Hoc à terrestribus differunt, quod capite sint magis exerto, & ceruicis aliquid habere videantur.

Cillvs, Cyllus vel Scyllus, vide in fine ferè Corollarii de Asellis ex veteribus.

Cinædvs in Alpheste descriptus est.

Κινανὶὰ ς, ἰχθύς, Hesychius & Varinus. corruptum fortè nomen à cinędo pisce.

Cinermi, Κινερμὸ, ἰμικοιλίχθυες, Iidem. hoc est pisces parui, quos nimirum simili vocabulo, sed transpositis literis naricos Latini vocant.

Cires, Cirrha, Cirrhas, Cyrrhylus: vide Cêris.

DE

DE CITHARO, RONDELETIVS.



De citharo ex Aristotelis lib. de animalibus & piscibus hæc profert Athenęus: Citharus serratis est dentibus, solitarius, alga vescitur, linguam solutam habet, cor album & latum. Prætereà Galenus citharo rhombum similem esse scripsit. Ex quibus colligo hunc verum citharum esse, quem hîc exhibemus, qui hodie Romæ satis frequens est, & folio nominatur. Cum enim piscibus à natura lingua data sit, vt ait Aristoteles, ossea & non soluta: vel dura, spinea & adhærens: isq; vnicus sit ex planis cui lingua soluta sit, teste Aristotele, contra aliorum piscium naturam, rectè mihi videor hunc citharum esse affirmare. His adde notas reliquas, quę aptissimè quadrant, quod serratos habeat dentes, quod solus capiatur, quod alga vescatur quemadmodum salpa, quo fit, vt insuauiore sit carne quam bugglossum. Vnde Phérecrates apud Athenęum, Ὦ πάγαθοί ἐνεστιν ἐν κιβωτίῳ κιθαρῖνοι.

B C

Lib. 3. de animal. facul. *Lingua* *Lib. 4. de hist. cap. 8. & lib. 2 cap. 13.* *Reliqua notate*

Est igitur citharus piscis planus, rhombo quodammodo similis: bugloſso similior, si squamas excipias, quæ in citharo sunt magnę rhombi figura. A capite ad caudam linea tenuis ducta est. Partibus internis reliquis planis similis.

B

Ex his liquet de citharo non rectè sensisse eum qui piscem à Gallis egrefinum siue eglefinum nominatum citharum esse crediderit: cum ex Galeno citharum planum piscem esse constet, linguamq; ei solutam esse: quæ egrefino nullo modo conueniunt.

A *Egrefinus altius est piscis. Contra Bellonium qui citharum & cẽtharum confudit.*

Longè grauior est, minimeq; dissimulandus error illius qui citharum cum cantharo confundit, cum toto genere differant. nam cantharus litoralis est piscis, quem cum aurata, orpho, synodõte numerat Aristoteles. iis enim similis est corporis figura. citharus verò planus piscis bugloſso similis, vel rhombo Galeno authore. At cantena (sic enim à Massiliensibus citharum appellari scribit) non solum planus piscis non est, sed etiam carnis substantia, vita, moribus, à citharo plurimum differt.

Lib. 8. de H. st. anim. cap. 13.

DE CITHARO FLAVO SIVE ASPERO. RONDELETIVS.



Alterius cithari ex Archestrato meminit Athenęus rufi siue subflaui, qui assandus est, caseo multo oleoq; condiendus, quique sine sumptu apparari non potest: prior verò albus, & in aqua saleque multo elixandus, additis herbis. Versuum Archestrati hic ferè sensus est, qui cum apud Athenæum satis mendose legantur, sic restitui possunt:

A *Lib. 7.*

Κίθαρον δὲ κελεύω,	Αὖ μὲν λοῦκος ἔη †(παρὰ,) στερεὸς πτερύγων,	†*deerat hoc verbum.*
Ἔψειν εἰς ἅλμην καθαρὴν, καὶ †φύλλα καθέντας·	Αὖ δ' ἢ πυῤῥὸς ἰδεῖν, καὶ μὴ λίαν μέγας, ὀπτῶν,	†*φύλλα vulgatis codicibus.*
Θρῦψαι κεντήσαντα δέμας νεοθηγεῖ μαχαίρᾳ,	Καὶ πολλῷ τυρῷ, καὶ ἐλαίῳ τέτρυν ἁλ φε,	
Χαίρει γὰρ ὁ λεπανώδης ὁρῶ, τῷ δ' ὠκύλας ☞.		

90 Hunc citharum esse puto, qui asper etiam dici potest: est enim superiori figurâ similis: lingua magis soluta, oris scissura magna, dentibus serratis, squamis intectus rotundis, asperis. Virgam habet à capite ad caudam protensam, latiusculam, maioribus squamis constantem. Partibus internis superioribus similis est. Is Venetiis reperitur optimus.

B

Sunt qui verum bugloſſum esse credant, nec sine ratione: non ob figuram solum, sed etiam ob asperitatem. Est enim bouis lingua magna & aspera: vnde & bugloſſum herba vulgò borrago appellata. & à figura, & ab asperitate. Licebit igitur mea quidem sententia hunc piscem verum citharum esse rufum siue asperum existimare, vel bugloſſi nomine comprehendere, de cuius differentiis postea dicemus.

A *Bugloſſus.*

COROLLARIVM DE CITHARO ET CITHAROEDO.

Citharus aliorum & Citharœdus Aeliani, piscis est, cuius in mari rubro genera duo Aelianus describit,

A

bit, corporum pigmentis (vt inquit Rondeletius) à nostro diuersa, In mari rubro (inquit) piscis procreatur, cuius corpus ita figuratum est, vt similitudinem Lingulacæ (buglossi) eius latitudo gerere feratur. Squammæ non magnam tangenti asperitatem habent. Cum subaureo est colore: tum lineis à summo capitis vertice ad extremam caudam nigris sic distinguitur, vt eas citharæ fidiculas contentas esse dicas, vnde is Citharœdus appellatur. Os ei pessum it & subsidet, (τὸ στόμα δὲ αὐτῷ συνίζει) idemque nigerrimum est, cinguloq; croceo circumligatur: vertex varietate distinguitur, fulgore aureo & nigris quibusdam lineis, (περιγραφαί.) (Pinnas aureas habet, ruffo colore multipliciter variatur.) Cauda est nigra præter extrema: ea .n. candidissimo colore asperguntur. Alii item Citharœdi picti (στικτοί) nasci dicuntur, toto corpore purpurei, certis interuallis aureolas lineas possidentes. Eorum verò caput cingulis violaceis illustratur, vno (quod est ante oculos) ad branchias pertinente: altero secundum oculos, vsq; ad medium caput excurrente: alio autem tanquam monili sic collum circumplicante, Hæc Aelianus lib. 11. ca. 23. vnde & Cælius Rhod. transtulit libro 23. ca. 33, sed parum bene, quibusdam omissis.

Parenthesi inclusa ex Gillii versione reliquimus, in nostris codicibus Græcis non inuenta.

Ab Oppiano li. 1. κιθαρὴ scribitur: Καὶ κιθάρη, καὶ τε γλαῦκος, καὶ ἀδηφαγέες μελάνουροι, inter litorales. A Varino κίθαρος vel κιθάρα, in vocabulo Πόλκη. Iac. Syluius in libro de simplicibus medicamentis citharum Gallicè interpretatur rousetam: quod nomen minimo Galeorum Rondeletius adscribit. Non probo quod quidam nuper scripserunt citharum (cum lyra confundentes) à grandicapite Romanis caponem nominari. hic enim miluorum generis piscis est, non passerum vt citharus. Gaza ex Aristotele Fidiculam conuertit, lib. 2. cap. 17. historiæ anim. Fidicula apud nonnullos phycis piscis est, qui authore Plinio colorē suum mutat, alias candidus, vere varius: idem solus piscium ex alga nidum facit, in quo & parit: Niphus, ineptissimè citharum cum phycide confundens. Germanicè circunloquemur, *Ein Plateißle, oder Zungen art*, hoc est Passeris aut Soleæ species. Massilienses cuiusdam piscis, quem vnum aut alterum in omni vita tantum cepissent, cuiusq; nomen ignorarent, mihi formam adumbratè designarunt, qualem Aelianus Cithari piscis describit: eundemq; similiter Rhombo similem testati sunt, vt Galenus dicit: & Aelianus etiam addit Lingulacæ similitudinem gerere, Gillius. Quidam hunc piscem Tæniam esse putauerunt, quæ Romæ vulgò pecten vel pectenorzo dicatur. Sed nos alias Tænias Rondeletii dabimus. Rondeletio Citharus Romæ folio appellatur: Bellonio Tænia ibidem sfolia vel sfolio: quo & Veneti nomine (inquit) Soleam vocare consueuerunt.

Capo. Fidicula.

B Citharo complures appendices supernè circa ventriculum exeunt, Aristot. Piscis planus, rhombo similis est, Galenus. In pictura huius piscis, quam ex Italia accepi, diuersi colores apparent: plerisque in locis subflauus: cæruleus maiori ex parte oculorum, circa branchias, & infrà: maculæ per singulas squamas albæ, singulæ: post oculos, & post branchias ruffus, &c.

C Litoralis est Oppiano. Alga pascitur, in arenosis locis victitat, Vuottonus.

F Citharus, vt Xenocrates prodidit, stomacho ingratus est: malum procreat succum, sed non facilè corrumpitur. Quod ad citharos attinet (inquit Galenus li. 3. de alim. facult.) Philotimum vehementer miror: quibus cum rhombus sit adsimilis, carnem tamen habet ipsis molliorem: (à Philotimo verò inter μαλακοσάρκους non numeratur:) cum interim asellis longè sit inferior. Et hos igitur (citharos) & iecorarios, &c. scito in medio esse piscium duræ carnis ac mollis. His autem quidam frixis in sartagine vescuntur: alii assant, aut in patinis condiunt, vt rhombos & citharos Verum hi coquorum in patinis apparatus, cruditatis in totum sunt causæ. Ad coquendum autem sunt præstantissimi, qui albo iure condiuntur. Post hæc albi iuris apparatum docet. Capriscus piscis virosus & durus est, & concoctu difficilior quam citharus, Diphilus. Κίθαρος ὀπτὸς ἢ θύννου τὸ κεφάλαιον τοδί, Callias aut Diocles apud Athenæum. Ὡς ἀγαθόν γε ὁ κίθαρος καὶ πρὸς Ἀπόλλωνος πάνυ. Ἐκεῖνο θερμὸν (Λυπεῖ) ὅτι λέγουσιν: ὦ ἀγαθὲ ἔνεστιν ἐν (Ἔνεστι καὶ) κιθάρῳ τι κακόν, Pherecrates apud Athenæum. videtur autem prouerbialiter dici, In citharo etiam aliquid boni inesse: ad significandum, nihil tam prosperum, tam lautum aut lætum esse, cui non aliqua molestia comes sit.

H.a. κιθαρὸς, (oxytonum, malim proparoxytonum,) significat pectus, costam & piscem quendam, Hesychius & Suidas. Κιθαρὸς, thoracem interpretatur Galenus in Glossis. Κίθαρος, (addo θώραξ, interpretationis gratia.) quod ossa in eo ita ferè digesta sunt, vt in cithara musico instrumento fides, Varinus. Κιθαρὶς etiam dicitur, idem piscis vt videtur, & κίθαρυγος apud Pollucem, Vuottonus: Ego κιθαρὶς oxytonum non legi sed pro paroxytonum semel in versu Epicharmi noster Athenæi codex habet: sed idem alibi melius in eodem versu κίθαρος. Κίθαρυγος quoq; apud Pollucem 6. 8. corruptum apparet, vt & alia ibidem piscium nomina. Κίθαρος ἐνῆς, Epicharmus apud Athenæum. sic autem scribitur tribus diuersis in locis, & epitheton cithari esse videtur: nisi quis potius legat ἐνῆν, pro inerat, in mensa scilicet vel patina: cum & alias hoc verbum adiungat Epicharmus: & pro ἐνῆς oxytono alibi vltima circumflectatur. innumeris enim locis Athenæi codices deprauatissimi sunt.

Pisces multi, alii aliis diis consecrati sunt, nominis saltem ratione: sic citharo cum Apolline conuenit, boaci cum Mercurio sermonis deo, Athenæus ex Apollodoro. Eustathius quoque & Varinus (in Πόλκη) citharum Apollini sacrum esse repetunt, à nominis similitudine cum cithara, quoniam hic Deus tanquam citharœdus celebratur.

CITTVLVS. vide Cittus.

CLARIAS. quære in Mustela, supra post Asellos.

CLVPEAM in Alausa habes.

COBII. lege Gobii.

COBITIS Apuæ genus post Gobios describetur: & Cobites quoq; fluuiatilis pisciculus ibidem.

DE COCHLEIS.

1. In genere.
2. De Cochleis marinis & earum speciebus.
3. De Cochleis fluuiatilibus.
4. De Cochleis terrestribus, & earum differentiis.

DE COCHLEIS IN GENERE.

RONDELETIVS.

PERMVLTA Cochlearum sunt genera. Aliæ terrenæ sunt, aliæ aquatiles, & hæ vel in aqua dulci, vel in mari degentes. Horum trium generum meminit Dioscorides, vnicuiq; peculiares vires tribuēs. Κοχλίας χερσαῖος εὐστόμαχος, δυσφθαρτος. Cochleæ terrestres stomacho vtiles sunt, & non facilè corrūpuntur. Et mox: Καὶ ὁ θαλάσσιος δὲ εὐστόμαχος, καὶ εὐέκκριτος: ὁ δὲ ποτάμιος, βρωμώδης. Marina stomacho idonea, & facilè aluo excernitur: fluuiatilis verò resipit virus. Totidem Cochlearum genera enumerat Plinius: In eodem genere sunt Cochleæ aquatiles, terrestresq;, exerentes se domicilio, binaq; ceu cornua prodentes contrahentesq;. De marinis loquitur quū scribit: Echini oua plenilunijs habent hyeme, & cochleæ hyberno tempore nascuntur. Dioscorides κοχλίου nomine omnes comprehendit addito epitheto. Aristoteles cochleas terrestres alio nomine distingui tradit, vocariq; à nonnullis σέσιλοι.

Lib. 2. cap. 11.

Lib. 9. cap. 32.

Massarius vir admodum doctus in suis annotationibus in nonum librum Plinij existimat cochleas à Græcis appellari στρόμβους, id est, Turbines. Eius hæc sunt verba: Sunt autem cochleæ inter testacea, quæ sanguine carent. Verum aliæ aquatiles, aliæ terrestres sunt, quæ item in plures species distinguntur. Aquatiles cochleæ sunt, quæ Græcè strombi, Latineque turbines communi alio nomine nuncupantur, quod ex amplo in tenue deficiant in vertiginem torti. Sed ille mea quidem sententia fallitur. Nam strōbi à cochleis secernuntur, vel ipso Plinio autore, qui in piscium marinorum catalogo, seorsum concharum genera & strombos recensuit. Et alio in loco pro diuersis ponit. Quartanis cochleæ fluuiatiles in cibo recētes. Deinde: Strombi in aceto putrefacti, lethargicos excitant odore. Reuera cochleæ τῶν στρομβωδῶν nomine concluduntur, veruntamen στρομβώδη καὶ στρόμβοι multò latius patent. Nam στρομβωδῶν nomine intelliguntur etiam, quæ in longum turbinem desinunt, & in anfractus contortum, à quibus differunt cochleæ, quod testa quidem sint clauiculatim intorta, sed rotunda & non in longum protensa. dicuntur enim κοχλίαι, quod habeant τὰ ὄστρακα κυκλοτερῆ. στρόμβοι verò etiam dicuntur, quibus testa quidem in turbinem desinit, etiamsi clauiculatim contorta non sit, vt ex strombis quos depinximus perspicuum fit. Quod si quando apud autores confundantur hæ significationes, obseruandum est præter rerum ipsarum naturam id fieri. Id silentio præteriri non debet, quod κόχλος apud Aristotelem, Vmbilicus à Gaza conuertitur, perinde ac si quædam alia species esset. Sed hoc vocabulo null[us] veterum Latinorum, quod sciam, pro cochleæ specie vsus est, præter Ciceronem libro secundo de oratore. Sæpe ex socero meo audiui quum diceret, socerum suum Lælium semper ferè cum Scipione solitum rusticari, eosq; incredibiliter repuerascere esse solitos, cum rus ex vrbe tanquam ex vinculis euolassent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scæuola, Conchas eos & Vmbilicos ad Caietam, & ad Lucrinum legere consueuisse. Neque sum nescius doctos homines Vmbilicos, paruos rotundosq; lapillos & politos interpretari, qui in litoribus reperiuntur. Alij vel ad lapidem, vel ad Concham, vel ad herbam referunt. Verùm ad herbam referre ineptum est, cum Vmbilicus herba in vmbrosis & præhumidis locis proueniat. Quid lapilli parui similitudinis cum Vmbilico habeant, non video. Quare cochleæ speciem per Vmbilicum intelligendam puto, quod facilè sibi persuaserit is, qui ea quæ de Vmbilicis deinceps dicentur, attentè legerit.

Aquatiles cochleas priuatim strombos dici Græcis Massarius putat.

Contra Massarium.

Lib. 31. cap 11.

Cap 10. eiusdē lib.

Κόχλος autem vmbilicus a Gaza vertatur.

COROLLARIVM DE COCHLEIS IN GENERE.

A Cochleæ inter testacea sunt quæ sanguine carent. In eodem genere sunt cochleæ aquatiles terrestresque, Plinius. Massarius aquatiles propriè strombos dici putat, terrestres cochlias vel cochlia: sed eius sententiam satis redarguit Rondeletius. Concha vocabulum generale videtur, (etsi ad biualuia magis propriè videatur referendum:) huius species aliæ turbinatæ sunt, & cochleæ dicuntur: idq; vel hebetius, quæ generis proximi nomen seruant, aut etiam superioris: vel acutiùs, id est longiore magisq; fastigiato vel mucronato ductu, & vocantur strombi. Aliæ turbinatæ non sunt, quæ & ipsæ communi vocabulo adhuc conchæ dicuntur, siue in orbem ferè æquabili ac plana superficiei curuatione se colligant: vt Venereæ & Porcellanæ dictæ: siue biualues, siue vniualues sint: vt conchæ vocabulo genus totum testaceum comprehendamus: sicuti crustaceum, cancri. quorum vtrunq; vel veterum scriptorum testimonijs comprobari potest: vel certè est permittendum, vt de rebus ipsis commodius verba faciamus. Vuottonus tamen aliter accipere videtur: Turbinati generis (inquit) alia in anfractum intorta sunt, vt Cochlearum genera: alia in globum circumacta vt Echinorum (vide ne Concharum potius) genera: sic & Massarius habet, qui citat Aristot. 4. de part. animal. Cochleas de terrestribus plerunque intelligo, cum simpliciter proferuntur: sæpe enim de vtra loquantur authores exprimunt, terrenæ aut marinæ discrimine expresso. Aristoteles quidem etiam pro marinis aliquando simpliciter cochleas nominat, sed vbi argumentum eiusmodi est, vt distinctione opus non sit. Est quando generis instar ponitur, & communem aquatilibus pariter ac terrenis naturam indicat. Et nos hoc in loco quæ authores in genere de cochleis prodiderunt, collegimus: aut si quæ etiam magis speciatim dicta sunt, generi tamen toti congruere possunt. Κόχλους & κοχλίας Theodorus nonnunquam vmbilicos vertit: quasi sit vmbilicus gen[us] quoddam testaceum aliud à cochleis, vti sentit etiam Massarius. verum quod vmbilicus quem Theodorus pro κοχλίᾳ dixit libro 5. historiæ animalium, idem sit quod cochlea, videtur ex Athenæo libro 2. Vuottonus. ego cum Rondeletio senserim, Vmbilicum Ciceroni non totum genus cochlearum marinarum, sed speciem aliquam significare. Confunduntur apud Græcos, vel ipsum Aristotelem, κόχλος & κοχλίας: ferè tamen Aristoteli cochlos vmbilicum, id est, cochleam marinam significat, cochlias verò terrestrem cochleam. Cochlos nonnunquam etiam generale est: vt Pausanias in Laconis, κόχλους ad purpuræ tincturam maximè idoneos ferunt Laconicæ maritima, Vuottonus. Est cochlos apud Aristotelem animal testaceum, & aliud quàm limaces, à Theodoro dictum Vmbilicus. hoc & cochlian est vbi Aristoteles appellet, sicut limacem quoq; cochlon, Massarius. Τὰ ὀστρακόδερμα τῶν ζώων, οἷον οἵ τε κοχλίαι, καὶ οἱ κόχλοι, καὶ πάντα τὰ καλούμενα ὄστρεα, Aristot. 4. 4. historiæ. Gaza vertit, Vt vmbilici, cochleæ, purpuræ, (quod non est in Græcis codicibus nostris,) & omnia quæ ostrei aut conchæ nomine appellamus.

Vmbilici.

Limax.

mus. Et paulò mox, Οἷον οἱ τε χερσαῖοι κοχλίαι· καὶ τῶν ἐν τῇ θαλάττῃ ὁ κόχλος, καὶ πολλὰ τὰ στρομβώδη. Apellas Lacedæmonios ait σέμελον (fortè σέσιλον. de quo inter terrestres cochleas agetur) τὸν κοχλίαν λέγειν, Athenæus. Cancellus incolit testam vacuam Neritæ, buccini, aut strombi. quæ vbi ipsum iam auctũ capere amplius non potest, Δίζεται δ' εὐρύτερον κόχλου κύτος ἀμφιβαλέσθαι, Oppianus. *Concha.* Concham pro cochlea (sed marina. pro terestris enim vix, quod sciam, aliquis conchę nomine vsus est, nisi in carmine fortè, vt Columella: Implicitus conchæ limax: vbi tamen concham pro testa dixit) genus pro specie, dixit Plinius: Auditũ in quodã specu concha canentem Tritonem. Item Vergilius similiter de Tritone, Sed tum fortè caua dum personat æquora concha, *Limax.* Cochlea grammaticis recentioribus, propriè teste limacis est, licet quandoq; pro ipso limace qui testã habet, accipiatur. est autẽ propriè limax (inquiunt) quæ sine testa est: cochlea verò quæ testam habet. Cochleas & testudines Albertus & alij indocti confundunt.

Cochleæ omnes equinam, seu potius bouinam, effigiem præferunt. quapropter Veneti ab eiusmodi similitudine eas bubalos appellant, Massarius. Sunt qui cochleam Italicè interpretantur, *la maruza*, *la Zameruca*. Germanicè *ein Schneck* vel *Schnegg*, communi ad terrenas & marines nomine. Angli non propriè dicendas cochleas, sed conchas biualues quasdam, vt pectunculos *Cokles* appellant. *Schablul* Hebraicam vocem, cochleam transferunt, alij limacem, ceram, vermem. vide in Testudine A. in libro de Quadrup. ouip. Arabicum eius nomen est Halzum, vt Syluaticus citat capite 324. ex Serapione. Auicennę interpres libro 2. halzun scribit, & interpretatur limaces. In trilingui Lexico Munsteri inuenio Iul & mesibata pro cochlea, לול, מסבתא. pro limace vero *chomet*, *chemuta*, *sachel*, *limaza* חמט, חימטא, זחיל, לימצא.

B Turbinati generis cochlea est, & in anfractum intorta. Cochlearum omnium caro testis penitus inclusa continetur, nec vlla ex parte conspicua est, excepto capite. Quòd si testam detraxeris, hebetescit cochlea atq; expirat, Wottonus. Omnes sanguine carent, ac repunt tegmina sua secum ferentes. Rerũ, non solum animalium simulacra insunt in mari. quo minus miremur equorum capita in tam paruis eminere cochleis, Plinius. Cochleæ omnes siliceo tegmine clauduntur, clauiculatim intorto: quæ cum exerunt caput, bina cornicula prętendunt, equinamq; seu potius bouinam effigiem pręferunt. quapropter Veneti ab eiusmodi similitudine eas bubalos appellant, Massarius. In eodem genere (exanguium) cochleæ, aquatiles terrestresq;, exerentes se domicilio, binaq; ceu cornua protendentes, contrahentesq;: oculis carent, itaque corniculis prætentant iter, Plinius. Et alibi, Cochleis oculorũ vicem cornicula bina prætentatu implent. Et rursus, Cochleis ad prętentandum iter corporea (id est carnosa) sunt cornua, bina semper, & vt prætendantur ac resiliant. Saliua cochlearum, quę punctis acu vel stilo carnibus manat, à Græcis vt Galenus inquit myxa dicitur, hoc est mucosus lentor siue mucor mucúsue, Massarius.

C Augentur hęc & alia testatorum genera crescente Luna, & cum eadem minuuntur, Albertus. Mouẽtur cochleę omnes & serpunt parte dextra, non ad vertiginem siue clauiculam, sed in aduersum, Aristoteles de marinis. quærendum autem an terrestribus quoq; idem conueniat: vt hoc etiam quod scribit, Cochlearum genus coire perspectum esse: sed an ortus earum per coitum sit, necne, nondum exploratũ satis haberi, vtrisque forsan conueniet. Sic & epitheta illa in gripho quem Athenæus recitat, Ὑλογενής, ἀνάκανθος, ἀναίμακτος, ὑγροκέλευθος, vtriq; generi accommodantur. Primum etiam, si interpreteris, terrigenam, vt Cicero: quod non ex coitu, sed ex terra, limóue, vt hæc τῆς ὕλης nomine accipiamus, potiùs quàm syluas) oriantur. Cęterum ὑγροκέλευθος marina dicetur, quod per humorem repat: nam & ipsius maris periphrasis est ὑγρὰ κέλευθα: terrestris verò à molli incessu. ὑγρὸν enim pro molli vsitatum est. Mouentur contractione & emissione corporis, & testas suas aliquando relinquunt, Albertus. Ex marinis etiam nudas inueniri Brasauolus scribit. Vicistis cochleam tarditudine, Plautus Pœnulo.

E Formicas abiges, cochlearum vacuas testas si vsseris, & eo cinere foramen inculces, Palladius. Paxamus ad idem testas cochlearum cum styrace vri iubet, finibusq; (foraminibus) comminutas inijci. Esca ad omnes pisciculos: Cochlearum (κόχλων) carnem accipiens, exemptis membranosis caudiculis, (χωρὶς τῶν ἐρφδίων,) ex ea escam inijcito. sed non vtaris totius cochleæ magnitudine, (μὴ ἀποχρώμενος τῷ μεγέθει τῆς κοχλίου, Cornarius vertit, neque magnitudine cochleę abutaris,) Tarentinus.

F Cornelius Celsus Cochleas boni succi esse author est. Duri ex media materia pisces stomacho apti sunt, ostrea, pectines, murices, cochleæ, Idem. Et rursus, Minimè intus vitiantur, (id est, minime in ventriculo corrumpuntur,) aues bubula, omnisq; dura caro: omnia salsamenta, cochleæ, murices. Eodem teste cochleæ aluum mouent: interq; ea numerantur quæ imbecillissimæ materiæ sunt, id est quæ minimum alunt. quod equidẽ non probârim: omnes enim cochleæ duræ, & concoctu difficiles sunt: si tamẽ rectè concoquantur, vberrimè alunt. Cochleæ & limaces difficulter concoquantur Psello. Cibi qui aliquid viscosum habent, vt oua, acrocolia, cochleæ, τὸ ἐπιγράφεσθαι τὴν πολλὴν βρῶσιν, (hoc est, cibi auiditatem prohibent, vel potius ne quis denuò nouũ capere cibũ statim indigeat, efficiunt.) diu .n. in vẽtriculo manẽt, & succi sui lentore inhęrẽt, aliosq; pariter succos cõprehendunt, Quidam aqud Athenæum si bene memini. Ab exolutione & deliquio animi refocillabis, panem in vino diluto exhibendo: aut aliud quippiã ex his q̃ aceruatim reficere vires possint, vt sunt oua sorbilia, bulbi, cochleę, Archigenes apud Galenum de compos. med. secundum locos, vbi de stomacho affecto loquitur: Sed vinum præcipuè aceruatim reficit vires, quod subtilitate sua illico penetret: oua etiã tum facilè concoquuntur, tũ probè copioseq; alunt. bulbi & cochleæ, vt crassioris succi sunt, ita ventriculo immorantur diutiùs. sed quia solidius alimentũ præstant, & cochleæ insuper non facile corrumpuntur in ventriculo, vires eius confirmare possunt. Alioqui .n. tardiùs & paulatim alũt, (ac difficilè coquũtur,) bubula, cochleæ, sphõdyli, &c. authore Galeno in Aphorismos. Eadẽ quę iã nominaui alimẽta, (oua, bulbi, cochleę, & similia, modicè glutinosa scilicet,) semen augere videntur, δ' (negationẽ sustulerim) διὰ τὸ ὁμοειδὲς ἔχειν τῆς πρώτας φύσεις, καὶ τὰς αὐτὰς δυνάμεις τῷ σπέρματι, Herac. Alexis quoq; apud Athenæũ eadẽ hæc tria cum buccinis & acrocolijs, id est, trunculis suillis, inter ea quæ Venerem mouent, recenset. Galenus diuersis in locis, de cochleis hæc tradit, vt in Elencho suo annotauit Brasauolus: Eas esse crassi succi: sanguinẽ crassum, ac ni-

ac nigrum generare: victum esse Alexandrinorum, vires reficere posse, cibum esse hyemis: à multo earum esu cauendum senibus, non admittendas epilepticis: stomachicis conuenire (de composit. sec. locos. 8. 4.) tota substantia iecori conferre videri: (quare & pharmacum hepaticum libro octauo de cõpos. secundum locos, describit.) deniq; carnem earum astringere, in libro de theriaca ad Pisonem. Sed ea emplastica potius quam astrictoria fuerit. Causæ elephantis, hoc est, aëris vitium, & cibaria quæ nimis crassum & melancholicum humorem nutriunt vel gignunt, vt sunt lens continua, & salsamenta multa, & cochleæ, & carnes asininæ, abũdant maximè in Ægypto & Alexandria, Gariopontus. (G) Cochleæ bullientis (elixę) frustella in cibo conueniunt stomacho soluto, vel resoluto & incontinenti, Marcellus. In iliaco affectu exhibeantur alimenta aluum ducentia. aut dentur cochleæ valde elixę & ipsarum succus, Aretæus. Aluum mouent, authore Celso. Cato cap. 158. in descriptione iuris ad aluum deijciẽdam, inter cætera requirit, cochleas sex, marinas nimirum, vt & reliqua in eâdem. Cochlearum cib. stomacho medetur. in aqua eas subferuefieri intacto corpore earum oportet: mox in pruna torreri nihilo addito, atq; ita è vino garoq; sumi, præcipuè Africanas. nuper hoc compertum plurimis prodesse. id quoq; obseruãt, vt numero impari sumantur. virus tamen earũ grauitatẽ halitus facit, Plinius. Vide etiã infra in c. inter remedia ex eis ad stomachum. Oribasius etiã quomodo sint præparandæ, docet.

Ex Apicij lib. 7. cap. 16. In cochleas lacte pastas: Accipies cochleas, spongizabis, (spongia deterges & emundabis:) membranam (pelliculam & operimentum quod conchæ foramen operit & claudit) tolles vt possint prodire: adijcies in vas lac & salem vno die: cæteris diebus in lac per se: & omni hora mundabis stercus, cum pastę fuerint, vt non possint se retrahere, ex oleo friges: mittes œnogarum. Similiter & pulte (farre in farinam redacto, & in pultis modum cum lacte aut sapa confecto,) pasci possunt. Cochleas sale puro & oleo assabis: lasere, liquamine, pipere, oleo suffundis. Aliter. Cochleas assas, liquamine, pipere, cumino, suffundis adsiduè. Aliter. Cochleas viuentes in lac siligineum (siliginea farina nutritum & mixtum) infundis: vbi pastæ fuerint, coques. G

DE REMEDIIS EX COCHLEIS, QVÆ PRÆCIPVE QVIDEM TERRESTRIBVS CONVENIRE *videntur: quia tamen non distinxerunt authores, nos quoque non distinximus.*

In remedijs marinę discrimen nunquam ferè adijci reperias: nisi semel, cum stomacho marinæ traduntur vtiliores: & iterum ad sanandas scissuras manuum, &c. Vide in Cochleis marinis G. Quamobrem cum marinę nomen non adijcitur, plerunq; semper de terrestri intelligemus: terrestris vero differentia quandoq; exprimitur, tanquam parabilioris aut etiam melioris.

1. Ex cochleis, in genere.
2. Particulatim, à capite ad pedes, intus forisq;, indistinctè.
3. Ex muco earum.
4. Ex fimo.
5. Ex cochleis vstis, siue totis, siue testis tantum.

Remedia quędam è cochleis supra quoq; in F. descripta sunt.

EX COCHLEIS REMEDIA IN VNIVERSVM.

Cochleæ tritæ si vnà cum testis imponantur, & toti ventri aqua inter cutem laborantium, & in arthriticis articulorum tumoribus, *Ad tumores.* ægrè quidem diuelli poterunt, cæterum impensè desiccant. & omnino inhærere ipsas sinere oportet quoad sponte decidant. Idemq; faciendum in tumoribus ex ictu natis difficile solubilibus, & ex contusione facta in auribus. Desiccant enim illos magnopere vniuersos, etiamsi viscosus crassusq; in alto humor cõtineatur, Galenus. Et rursus, Cochlearum caro prius in mortario contusa, ac postea ad lęuorem redacta, omnium valentissimè desiccat partes superfluo humore grauatas, adeò vt & hydericis conueniat, Hæc Galenus. sed magis placet, vt vnà cum testis suis imponantur: his enim desiccandi uis etiam maior est. Et Dioscorides, Crudæ (inquit, addo & contritæ) cũ tegumentis impositæ, aquę inter cutem tumores exugunt: sed non ante soluuntur, (καὶ οὐκ ἀφίενται, non prius decidũt, interprete Marcello,) quam omnis hauriatur humor. (Sic &) podagricas inflãmationes leniunt. *Ad panos.* Vt panos discutiant, quidam sinopidem admiscent cochleę contusę, Plinius. Marcellus simpliciter cochleas contusas, aduersus paniculas commendat. Pelagonij hippiatri ad quamuis inflammationem: *Ad inflammationes.* Cretã Cimoliam cum oleo Hispano & aceto, & polline thuris, vnciarum quatuor põdere, & bulbos & cochleas tritas miscens, adhibe, ęstate frigidum, hyeme calidum. *Molliunt.* Cochlea cocta mollit, Celsus. *Concoquunt.* Cochleæ tum crudæ tum coctæ, cum testis suis aut sine eis contritæ, emplastris concoquentibus & saniem è vomicis fracta cute educentibus, *Educunt.* vtiliter immiscentur. Matthiolus. Caro cochleæ aperit apostemata: oportet autem vt misceatur ei farina hordei, & puluis molendini, Rasis. Glutinant vulnus cõtusę cum testis suis cochleę, Celsus. *Ad ea quæ serpunt.* Cochleæ prosunt eis quæ serpunt cum testis suis tusæ: cum myrrha quidem & thure etiam preciosos neruos sanare dicuntur Plinius. *Ad vulnera cum alia, tum neruorum.* Carnes earum cum thure & myrrha illitę, cum vulnera alia, tum maximè quæ nerui acceperunt, conglutinant, Dioscorides. Equidem ego aliquando in agro carnes ipsas solas in vulnus cum nerui vulneratione & contusione factum tritas imposui, ipsumq; vulnus pulchrè glutinatum est, & neruus phlegmonem haud perpessus. erat autem homo durus & agrestis. miscui tamen illis contritis pollinem farinę acceptum à pariete molæ proximo. Scripsêre autem maiores me nonnulli medici, ad eiusdem vsum miscendum ipsis thus, aut myrrham. Verum horum habebam tum neutrum, vt qui tunc ab vrbe abessem in villa. Possis autem & resinæ frictę contritę admiscere, si adsit, quippiam, Galenus. Remedium quod peculiariter neruos coniungit: Carnis limacum vnciæ duæ: myrrhę, thuris, picis torrefactæ ana. ℥.j. tunduntur carnes, reliqua verò in puluerem trita sedulò intermiscentur. Aliud: Carnis cochlearum bene contusæ vnciæ tres, farinæ pistrinalis, picis siccę, pulueris lumbricorum, & radicis symphyti, ana scrupuli duo. terebinthinæ è vino lotę

Infixa corpori extrahunt. ſemuncia, iungantur omnia, Iacobus Hollerius. Crudæ cum teſtis impoſitæ (ad lęuorem tritæ) impactos corpori aculeos (palos) extrahunt, Dioſcorides ex quo etiam Galenus repetijt. Cochlearum & limacum carnes, aliàs per ſe, alias cum ſuis volutis tritę, miſto interdum coagulo, tela ex alto rapiunt, atque hydropicis aquas exugunt, Iac. Hollerius. Limaces extingunt (reſtringuũt) ſanguinem, Auicenna libro 2. Vide inferius de ſanguine narium ſiſtendo.

REMEDIA EX COCHLEIS A CAPITE AD PEDES.

Ad capitis morbos. Hemicranicis proſunt lumbrici terrę triti, & cochlearum carnes lateri affecto illitæ, Aëtius ex Galeno. Cochleæ in cibo medentur his quos linquit animus, aut quorum alienatur mens, aut quibus vertigines fiunt. ex paſſi cyathis tribus ſingulę contritę cum ſua teſta & calefactæ, in potu datæ, diebus plurimum nouem. Aliqui ſingulas primo die dedêre, ſequenti binas, tertio ternas, quarto duas, quinto vnam. Sic & ſuſpiria emendant, & vomicas, Plinius. Quibus vertigines fiunt aut quibus mens perturbatione capitis alienatur, cochleæ ſingulę cõtritæ maiores cum ſuis teſtis ex calida paſſi vel defruti potione datæ diebus plurimis, proſunt, ſi poſt triduum continuum interpoſitum, iterum plurimis diebus accipiantur. Qui vnam cochleam maiorem ſemicoctam comederit die primo, ſequenti duas, tertio tres, quarto duas, quinto vnam, remedium experietur, non ſolum ad vertiginem, ſed etiam ad ſuſpiria & vomitus (vomicas, Plinius) prodeſt, Marcellus. Et rurſus, Ad eos quos ſubito linquit animus, & quibus mens alienatur, aut vertigo eſt, cochleæ cum ſuis teſtis tritæ incoctę ita dantur per dies quinq;, vt prima die cochlea vna cum paſſi cyatho potanda detur: alia die duæ, cum duobus cyathis: tertia die tres, cum tribus cyathis: quarta die duæ, cum duobus cyathis: quinta die vna, cum cyatho vno. *Ad oculos.* Ad fluxionem oculorũ: Cochleam cum teſta ſua & oui candido ad ſtrigmentitiam formam redactam, in ſplenio altero ac alterum extendendo imponito: ſua ſponte decidit, vbi reſtiterit fluxus. Archigenes apud Galenũ de compoſitione med. 4. 8. Pili genarum euulſi ne renaſcantur: Cochlearum carnes cum viridium ranarum harundineta incolentium vel erinacei terreſtris ſanguine ſubigito, & adiecta atramenti ſutorij commenſurata quantitate exiccari ſinito, & vtere cauendo ne pupillam attingas, Aëtius 7. 67. *Ad aures. Cochlearum colla.* Ad exulceratas ex plaga & fractas aures: Cochlearum colla vna cum teſtis terito, & dimidiam myrrhæ partem addito ac imponito, Apolloni⁹ apud Galenum de compoſ. ſec. locos. Remedium ex cochleis ad tumores ex contuſione in auribus, lege ſuperius inter remedia ad tumores in genere. *Ad ſanguinis fluxum e naribus.* Cochleæ contritæ & fronti illitæ è naribus fluentem ſanguinem ſiſtunt, Plinius, Marcellus, Serenus. Tritæ cochleæ (Carnes earum, Dioſcor.) cum aceto naribus inditæ, quamuis magnos fluores ſanguinis compeſcunt, Marcellus. Cum ſanguis è naribus nimium erumpit, præter cætera, inijcere intus in narem oportebit cochleæ viuæ carnem per ſe, aut cum thuris polline tritam, Idem. *Ad dentes. Cochleæ cornu.* Si infans cui dentes prouenire incipiunt dolores habeat, veteris (magnæ nimirum & adultæ) cochleæ cornu pelliculæ illigatum pro amuleto appende Galenus de compoſ. ſec. locos lib. 5. ex Archigene vt videtur. *Ad tonſillas.* Ad inflammatas tonſillas: Extrinſecus autem fouere conuenit ſpondia, aut abſinthio, aut cochleis (...... Fuchſius legendum putat κοχλίοις) *Ad ſtomachũ.* crudis ex aqua pluuia calida, Nicolaus Myrepſus. Stomacho laboranti cochleę proſunt, ſi in aqua ferueant, & ſic carbonibus torreantur, atque ita ex œnogaro ſumantur impari numero Marcellus. Idem remedium ſupra in F. ex Plinio recitaui. quod etiam Serenus his verſibus deſcribit: Seu cochleas vndis calefactas ac propè victas Suppoſitis torre prunis, vinoq; garoq; Perfuſas cape: ſed prodeſt magis eſſe marinas. Plinius non marinas, ſed Africanas magis ad hoc auxilium commendat. Cochlea cruda deuorata, ita vt dentibus non tangatur, ſtomachum curat: certè languentem, ſi per triduũ ſic ſumatur, emendat, Marcellus. Viuæ caro, & præſertim Aphricanæ, cum aceto deuorata, ſtomachi dolores mitigat, Dioſcor. Ad choleræ vexationem, cochlea cum teſta contuſa potui danda eſt, Galenus Euporiſton 2. 37. Pro ijs quos ſubito linquit animus remedium ex cochleis, deſcriptum eſt ſuperius inter capitis remedia. Inflationem (ventriculi) diſcutit cochlearum cibus, Plinius. *Ad excreationẽ ſanguinis.* Ad excreationem cruentam remedium ſic: Cochleę elixatæ teruntur, & ex aqua calida à ieiuno bibuntur. nec non ad idem cochleæ inlotæ ex aqua marina coquuntur & deuorantur, Marcellus. Præcipiunt cochleæ crudæ carnem tritam bibere ex aqua calida in tuſſi cruenta, Plinius. *Ad orthopn.* Contra orthopnœas ſanguinemq; expuentibus, eſt qui cochleis illotis quibuſdam protropum infundat, vel marinam aquam, ita decoquat, & in cibo ſumat: aut ſi tritæ cum teſtis ſuis ſumantur cum protropo, ſic & tuſſi medentur, Idem. *Ad tuſſim, ſuſpiria, vomicas, phthiſin.* Cochleæ crudæ tritæ cũ aquæ tepidæ cyathis tribus ſi ſorbeantur, tuſſim ſedant, Plinius. Suſpiria & vomicę quomodo emendẽtur, lege ſuprà inter remedia capitis ex Plinio & Marcello. Ad phthiſin, Intritas vino cochleas hauſiſſe iuuabit, Serenus. *Ad lateris dolores.* Cochleæ exemptæ teſta ſua, & cum ptiſſana coctæ, lateris doloribus medentur: meli⁹ ſi humorem ptiſſanæ ipſius ſorbendum dederis, ipſas quoq; cochleas contuſas velut malagma, ſupra dolentem locum lateris imponi ſatis, vtile eſt, Marcellus. In lateris doloribus cochleæ illinuntur, Plinius. *Ad hepar.* Scripſit & ex cochleis pharmacum hepaticum Aſclepiades huiuſmodi: Cochlearum trium carnẽ valde probe tertio, & affuſis vini nigri cyathis tribus calfacito, ac bibendum dato. Videntur autem hæc iuxta totam ſubſtantiam efficacia eſſe, non ſecundum vnam aut alteram qualitatẽ. Quale eſt & lupinum hepar cuius abunde experimentum habemus. Vſus autem ipſius conſimilis cochleis eſt. teritur exactè hepar lupum, & datur drach. j. cum vino aliquo dulci, qualia ſunt Theræum, Creticum, & ſcybelites, ac dulce protropum. Benigna enim hęc ſunt viſceri, ipſum nutrire potentia, & media iuxta calidi & frigidi oppoſitionem: & ob id talia pharmaca omnibus intemperaturis conuenire videntur, vt quæ ex ſubſtantię proprietate commoditatem de ſe exhibent, & neq; calidas, neq; frigidas intemperies lędant. Atqui in febricitantibus manifeſta febri, aut non obſcure, velut ſolet aliquibus hepaticis accidere, melius eſt ex aqua calida pharmacum præbere, aut ex aliquo prædictorum ſuccorum, velut eſt ſeridis ſuccus, Galenus de compoſit. ſecundum locos: vnde & Aëtius repetijt. De remedio ex cochleis ad tumores hydericos, lege ſuprà ad tumores in genere. Cochleæ frixæ vel aſſatæ, mirum in modũ hydropicos

Ad dyſentericos & cœliacos. hydropicos iuuant, ſiccandi nimirum vi, Iac. Hollerius. Dyſentericis medentur cochleę duæ cum ouo, vtraque cum putamine contrita, atque in vaſe nouo, addito ſale, & paſſi cyathis duobus aut palmarum ſucco, & aquæ cyathis tribus ſubferuefactis, & in potu datis, Plinius. Cochleæ cum teſtis ſuis contritę duæ, & oua cruda duo, & paſſi cyathi duo, aquæ cyathi tres: ſimul permixta omnia, ac diu coagitata, & in vaſe fictili calefacta, ad modum potionis cœliaco data medentur. Marcellus. Et rurſus, Ad dyſentericos ſolitaneos: Cochleam (*Lego, Ad dyſentericos: Solitanam cochleam plenam, &c. de Solitana autem cochlea in diuerſis terreſtrium formis dicetur infra cum Aphricanis*) plenam cum teſta ſua viuam teres. ad cuius pondus infra ſcripta trita miſcebis: id eſt caſei veteris quantum eſt cochleæ dimidium, oui medullam in aceto coctam, panem candidum vetuſtum vel toſtum, vel (quod eſt melius) nauticum, rutam piper ex vino quod cum prius ferro candenti calefeceris potui ſine aqua miniſtrabis, ſed & baccas myrteas adijcies. hæc omnia conteres, & in potione vini veteris ieiuno dabis.

Ad iecur. Cochleas inter hepatis remedia laudant: Aëtius & Syluius terrenas expreſſe. *Ad ileon. An colon.* Ileo reſiſtit & cochlea, ſicut diximus in ſuſpirioſis temperata, Plinius. Cochleas valde elixas, & earum ſuccum, in iliaco affectu præberi, Aretęus etiam ſuadet. Cochlea tota trita cum teſta, vino & myrrha, (& dactyl. addit Kiranides) ſi exiguum inde bibatur, colli veſicæq; cruciatus ſanat, Dioſcorides. Scribonius apud Galenum de compoſ. ſec. locos, cochleam vnam crudam tritam cum vini cyathis duobus, & aqua calida, colicis propinat. *Ad ramicem.* Caro cochlearum emplaſtro ad ramicem cum alijs quibuſdam miſcetur apud Aetium 14. 2. *Ad veſicam. Ad calculum.* Cochlea tota trita cum teſta, vino & myrrha, ſi exiguum inde bibatur, coli veſicæq; cruciatus ſanat, Dioſcor. Cocleæ crudæ contritæ cum teſtis ſuis, & ex paſſo per dies ſeptem, aut vt plurimum nouem potui datæ, efficaciter dyſuriæ proſunt, Marcellus. Cocleam grandem vnam viuam prendes, & eius carnem eximes, ac ſolam teres in mortario, & cum aceti acris coclearibus tribus dabis bibendam, atq; hoc per triduum facies. deinde intermiſſo triduo, niſi ſtatim expulerit calculum, ſimiliter remedium, & ſi neceſſe fuerit, ſępius dabis, Idem. Ad comminuendos calculos iubent vermes terrenos bibi ex vino aut paſſo, vel cochleas decoctas vti ſuſpirioſis, (*id eſt contritas cum ſuis teſtis, & calefactas ex paſſo: vide ſupra inter auxilia ad caput.*) *Ad ſtranguriam.* Eaſdem exemptas teſtis, tritasq;, tres in vini cyatho bibi, ſequenti die duas tertia die vnam, vt ſtillicidia vrinæ emendent, Plinius. *Ad menſes.* Cochleæ (crudæ cum ſuis teſtis) tritæ & admotę, menſes ciunt, ἐμμήνια ἄγουσι λεῖοι προστεθέντες σὺν τοῖς κογχλίοις, Dioſcor. Galenus tamen vim contrariam eis attribuit, libro 11. cap. 3. de facultatibus ſimplic. med. Sunt (inquit) qui ad menſium retentionem (πρὸς τὴν καταμηνίων ἐπίσχεσιν) eis vtantur. Vter verius dixerit, experimento cognoſcendum. verbis enim in vtranq; partem dici poteſt: pro Dioſcoride, quod totius ſubſtãtiæ proprietate, qua hydropicorum aquã & humores etiam craſſos tumorum exugunt, qua corpori infixa extrahunt, eadem vteri ſanguinem eliciant: pro Galeno, quòd nimium fluentem ſiſtant ea vi, qua erumpentem etiam e naribus compeſcunt, & vulnera glutinant. Ad vtrumuis effectum an ſolæ aut alijs admixtę, cum teſtis aut ſine eis adhibeantur, refert. Fortè & locus: videntur enim humorem cui imponuntur, ſiccare, & ſiſtere, ſi ad principiũ ex quo fluxus fit imponantur: tum vi ſiccandi tum attrahendi ad ſe. ſin adhibeantur extra illud principium, præſertim inferius, eadem vi attractrice fluxum commouere. Ego Dioſcoridis ſententiæ potius aſſentiar, ex quo Galenus & hoc & cætera pleraq; tranſcripſit, donec experimentis (vnum quidem vel pauca ad confirmationem non ſufficiunt) contrarium approbetur. *Ad partum.* Vt facilè pariat mulier, Dictamnũ bibitur, cochleæ manduntur edules, Serenus.

Ad teſtes & inguina. Caro cochleæ curat vlcera teſticulorum, Raſis. Cocleæ viuæ contritæ cum myrrha & impoſitæ inguibus, efficaci auxilio ſubueniunt: ſed relinquendę ſunt loco cui appoſitę fuerint tam diu donec ſpõte decidant, quod fiet cum perſanauerint, Marcellus.

Ad artuũ, pedum & liuorum dolores. Ex cochleis remedium ad articulares tumores, reperies ſuprà inter præſidia ad tumores in genere. Crudæ tritæque cum ſuis teſtis impoſitę, podagricas inflammationes leniunt, Dioſcorides. vide ibidẽ ſuprà. Cochleæ tres contritæ cum teſtis ſuis, atq; in vino decoctæ cum piperis granis quindecim, lumborum dolori medentur, Plinius & Serenus. Et rurſus, Iſchiadicis cochleas crudas tritas cum vino Aminęo & pipere, potu prodeſſe dicunt, Plinius. Aut in Aminęo cochleas haurire Lyæo Conueniet, Serenus ad iſchiadem.

EX MVCO VEL SALIVA, (PLINIVS SPVMAM *et ſuccum vocat, alii muccum ſaliuoſum*) *cochlearum remedia: quæ tamen ad terreſtres maximè referenda videntur.*

Humor cochleæ, qui loco ſanguinis eſt, efficaciter impedit ortum capillorum, Albertus. Vide mox de pilis palpebrarum. Vbi multum muci cochlearum accipere voles ſeorſim, ſtylo carnem earum pungito. ſed non ante multos dies collectas eſſe expedit: alioquin enim tempore deſiccantur. nam recentes plurimum habent viſcoſæ illius humiditatis, quam ſtylo compunctæ effundunt. Humiditatis hæc pilorum in palpebris (alias ſupercilijs, non rectè: nam Grecè βλεφάροις legitur) præter naturam glutẽ eſt, Galenus lib. 11. de ſimpl. med. Et alibi in eodem libro, Cochlearum humor ſolus per ſe citra carnẽ ſumptus (qui à multis μύξα, id eſt mucus nominatur) thuri miſtus aut aloæ aut myrrhæ, ſiue quibuſdam horum, ſiue omnibus, quoad habeat cerati craſſitiem, medicamentum fit glutinatorium, (κολλητικόν, id eſt glutinoſum,) deſiccatq; pulchrè purulentos mucos aurium, ſed & fronti impoſitum inhæret, oculorum fluxiones reſiccans. Item in Hippocratis librum de arte, comment. ſecundo, Cochleæ mucus cum thure, ſiccat abſque morſu. Mucus ſi miſceatur cum thure aut aloe, & teratur donec fiat ſicut mel, & ponatur ſuper frontem, & circa caput in modum ligaturæ vel coronæ infantibus, quando accidit eis ventus in capite, qui caput magnum efficiat. Et fit huius cura, donec reſtringat caput omnia oſſa tumefacta, & redeat caput ad metam naturæ propriæ, Raſis. Pilos in palpebris incommodos, euulſos renaſci non patitur ſpuma cochlearum, Plinius. Muccus ſaliuoſus, qui compunctis cochleis & limacibus redditur, emplaſticus eſt: in quo cineres & puluiſculos qui ſanguinem claudant, conuenienter adhibebis, Iac. Hollerius. Vua mitigatur ſucco cochleæ acu transfoſſæ illita, vt cochlea ipſa in fumo (poſteà, Marcellus) ſuſpendatur: hirundinum cinere cũ melle. ſic & tonſillis ſuccurritur, Plinius. Muccus

cochleæ potus per se, vel cum myrrha, vel aloe confert obstructo iecori, Rasis. Testibus qui descenderint, spumam coclearum inlitam mederi certum est, si inde tangantur, Marcellus & Plinius. Si decidat testium alter, spumam cochlearum remedio esse tradunt, Plinius. Procidentia alui illito cochlearum succo punctis euocato curatur, Plinius.

E FIMO REMEDIVM.

Fimum vel cinerem coclearum & granum sinapis cum aceto ad ternos scrupulos miscere, & temporibus inlinire prodest ad hemicranium, Marcellus. Venerem inhibet & fimum cochleæ, & columbinũ, cum oleo & vino potum, Plinius.

EX COCHLEIS VSTIS, SIVE INTEgris, *siue testis tantum*.

Cinis cochlearum admodum resiccantis est facultatis, obtinens item nonnihil ex vstione calidum, Galenus. Cochlearum omnium (terrestrium, aut marinarum, aut fluuiatilium) testæ crematæ excalfaciendi & vrendi naturam sortiuntur, Dioscor. Cochleę cum suis volutis & saliua cremantur nouis fictilibus: cinis sectę arterię inspergitur, & sanguinem sistit, Iac. Hollerius. Ad sanguinis reiectionem è pectore: Onorum cinis, aut cochlearum prodesse putatur, Serenus. Auicennæ libro 2. limax simpliciter (malim, concha eius vsta) extinguit (restringit) sanguinem. Cinis inanium cochlearum ceræ mixtus, discutit panos, (paniculas Marcellus,) Plinius. Vstæ cochleæ testæ purgant lepras & vitiligines, & vitia cutis in facie, (ἐφήλεις,) Dioscorides. Apud Aëtium quoq; miscentur medicamento ad psoras & elephantiases. Ambustis medetur murium cinis & cochlearum: eoq; (eiq;) sic, vt ne cicatrix quidẽ appareat, Plinius. Fimum vel cinerem coclearum & granum sinapis cum aceto ad ternos scrupulos miscere, & temporibus inlinire prodest ad hemicranium, Marcellus. Comitiales sanat cochlearum cinis addito semine lini & vrticæ, cum melle inunctos, Plinius. Albugines extenuat, Idem, Aetius quoq; auxilio cuidam ad albugines eum ammiscet. Emendat oculorum cicatrices & albugines, (leucômata,) & dentes purgat, Dioscorides: loquitur autem de cinere è testis per se crematis. Cum carne verò sua vstæ cochleæ, tritæq; ex melle, ad visus hebetudines illinuntur, Idem. Limaces adustæ vlceribus oculorum conferunt Auicenna. Ad vuam laxatam facit cinis ex cochlea, Serenus. Ad abscessus in tonsillis: Cochleas testa nudatas in ollam inijce: deinde torrens & in cinerem redigens, puro melle ac leni excipe, atque perunge. vis eius est incredibilis, Galenus Euporiston 2. 25. Cinis de interioribus cochleæ curat vlcera gutturis, Rasis. Cinis cochleę vstę super testa, cum melle tritus, digito illinatur gutturi dolenti, Idem. Ad hæmoptoicos: vide inferius in remedijs dysenteriæ ex hoc cinere. In lateris doloribus laudatur cochlearum cinis in ptisana decoctarum, quæ & per se illinuntur, Plinius. Cochlearum cinerem potum in vino, phthisin sentientibus vtilem tradunt esse, Idem. Ouum in aceto coctum si edatur, fluxiones ventris desiccat. quod si quippiam eorum quæ ad dysenteriam aut cœliacum affectum cõueniunt, adiunxeris, & frixum in cibo dederis, non parum laborantes adiuueris. Eiusdem autem sunt facultatis omphacium, rhus, galla, sidia, cinis cochlearum integrarum vstarum, Galenus. Et alibi: Cochleæ si totæ cum testis vrantur, admista galla omphacitide, simulq; pipere albo, mirificè prosunt dysenterijs, in quibus vlcera nondum putredinosa sunt. Conuenit autem vt piperis sit pars vna, gallæ verò duæ, quatuor cineris cochlearum. Hæc vbi ad vnguem læuigâris, cibis inspergito, bibendumq;, aut ex aqua, aut ex vino albo & austero præbeto. Idem Aetius 9. 48. ex Oribasio repetit. Recenset idem remedium Ægineta. In opere etiam de compos. sec. locos, Galenus ex Andromacho medicamentum ad dysentericos hæmoptoicosq; describens, quod statim à prima potione fluxum cohibeat, cum alijs multis astringentibus, siccantibus, & refrigerantibus medicamentis, cochlearum vstarum drachmas xij. nominat. Dysentericis prodest cochlearum cinerem bibisse in vino, addito resinæ momento, Plinius Galenus Euporiston 1. 112. cochleas integras vstas miscet cum duplo cornu cerui vsti, & plantaginis succo excipit. inde dysentericis fabæ magnitudinem ex vino aut aqua propinat. Cinis cochlearum quæ viuæ crematæ sunt, ex vino austero potus, ileo resistit, Idem Ad lienis dolorem aliqui dant cochlearum cinerem, cum semine lini & vrticæ, addito melle, donec persaner, Plinius. hoc remedium assiduè à ieiuno lienoso acceptum, intra paucos dies eum sanat, Marcellus. Testarum inanium cinere ad calculos pellendos vti quidam iubent, Plinius. Ad inuoluntarium mictum: Cochleam cum testa vstam tritamq; que ex vino cubitum eunti potui offerto, Galenus Euporiston 3. 258. Ad procidentem sedem Cochleã vstam & tritam ano exeunti prius loto applica, & sanabis, Aetius. Ad infantium procidentem sedem Fabrorum aqua, in qua candens ferrum extinguunt, calefacta subluito: deinde cochleam combustam, & in puluisculum redactam, inspergito, Galenus Euporiston 3. 155. Kiranides ad idem cochleæ cinerem cerato exceptum imponit.

Coclea apud Marcellum Empiricum passim scribitur sine aspiratione. Cælius Rhodig. alicubi cochliam per. i. in penultima scripsit. Latinis vocabulum hoc generis fœminini est, Græcis masculini, κοχλίας vt Αἰνείας: vnde genitiuus pluralis κοχλιῶν circumflexus non paroxytonus, vt quidam ineptè scribunt, formatur. omnis enim primæ declinationis genitiuus pluralis circunflecti debet, tribus exceptis, χλουνῶν, χρήστων, ἐτησίων. Primam huius vocabuli Græci & Latini aliquando corripiunt. Contritis prodest cochleis perducere frontem, Serenus. Muribus in Batrachomyomachia κέρυθες κοχλιῶν λαπῶν καμαι' ἀμφεκαλυπτής. Anaxilas apud Athenæum in senario, Α'πηστότερ@ εἶ τῶν κοχλιῶν πολλῷ πάνυ, Pausanias κόχλον Λακωνικὴν fœminin. gen. protulit. Et in Arcadicis, Τὰς Τρίτωνας φυσᾶν φασὶ διὰ κόχλων τετρυπημένων. Aristoteles masculino genere effert. Κόγχ@, κοχλίας, Hesychius. Κοχλίας dicitur παρὰ τὸ κόχλω, τὸ γυρίζω: ἢ παρὰ τὸ δ. ω τὸ συστρέφω, δολίας, καὶ πλεονασμῷ τοῦ κ. κοχλίας, Etymologus. Α'κροπός, κοχλίας, Hesychius & Varinus: fortè παρὰ τὸ ἄνω ει. Α'χραδλάμυλ@, ὁ κοχλίας, Tarentinis, Iidem: videtur autẽ terrestrẽ cochleam, aut speciem ipsius significare. ἀχράδες, pyri sylvestres sunt. μυλλοι Grammatici interpretantur πλησιάζειν. μύλλοι. obliquum, incuruum, tortuosum: & læue, vt videtur. μυλλ.ν, λεῖα, Hesychius: vbi λεῖα paroxytonum adiectiuè scribo à masculino λεῖος: nam λεία penanflexum, prædam significat: (nam & mox subiungit, μυλώτατοι, περιελωές,) nõ pro substantiuo prædã significante. Μυμεῖ verò pro λεῖα, ibidẽ corruptum est: vt & ordo literarũ, & terminatio vocabuli indicat. Ξιφίδρια, κοχλία. Hesych. & Varin⁹: sed ordo collocationis & analogia vocabuli antepenultimam per y. scribi postulant: vt à ξίφ@ diminutiuũ ξιφύ-

δριον fiat, sicut à μέλος μελύδριον. quanquam & alterum diminutiuum ξιφίδιον in vsu est, & receptiore vt puto. Pro κοχλίαι, in multitudinis numero κοχλίαι scripserim. Sed magis probo quod alibi apud eosdem reperio, σκιφύδρια, genus conchylij, pro ξίφ@ quidem, etiam σκίφ@ aliter proferri scio. Πιλός, κοχλιός, Hesychius. malim, Πῖλος, κοχλία: vt pîlus sit genus cochleæ quodpiam, à figura pilei (quem Græci etiam πῖλον vocant) sic dicti, siue is in acutum exeat vt strombi, siue forma sit rotunda. vtraque enim cochleæ tum in mari tum in mari tum in terra reperiuntur. Σελάτης, κοχλίας, Hesych. & Varinus. hic fortè sesilus est, de quo in terrenis cochleis dicetur. Φερέοικος, id est domiporta, epitheton cochleæ, pro ipsa cochlea vsurpatur ab Hesiodo, Α'λλ' ὁπότ' ἂν φερέοικος ἀπὸ χθονὸς ἂν φυτὰ βαίνῃ. quanquam enim de terrestri loquitur, cochleis tamen omnibus testa opertis, commune est epitheton: & testudini quoque. Φερέοικος καὶ φέροικος, κοχλίας, ἢ χελώνη, Varinus. Sunt qui pherecœcon describant animal album, simile mustelæ, quod sub quercubus & oleis nascatur aut versetur, (ὑπὸ δρυσὶ καὶ ἐλαίαις γινόμενον, & glandibus vescatur, sic dictum ab Arcadibus: alij insecti genus vespa maius faciunt, Etymologus & partim Hesychius. Colias piscis est, pro quo apud Aristotelem alicubi perperam legitur cochlias. Κοχλίδιον diminutiuum fit à κόχλος, Etymologus. Et rursus, Κοχλίδιον fit à κοχλίας, vt à κοιλία, κοχλίδιον. Κοχλίδιον, genus animalculi, Suidas. Grapaldus etiam Latinè cochleolam dixit. Cochlea ponitur modò pro toto animali, modò pro tota testa, Syluaticus. Cochlea per diminutionem dicitur, quasi conchula, Isidorus: sed ineptè.

Syllaba prima in carminib. apud Latinos sæpe corripitur Οὐκ εἰμὶ τέττιξ. οὐδὲ κοχλίας ὦ γυναι, Philyllius. Homerus etiam in Batrachomyom. corripuit. Sed cochleas prius est vrtica aut furfure pasci, Serenus.

Cochlearum figura in se clauiculatim, cuniculatim, spirulatim capreolatim, retorta, anfractuosa, sinuosa, ἑλικοειδής, alijs etiam rebus nomen dedit, instrumentis, scalis, vijs. Stagnum piscinæ habere debet specus iuxta solum: eorumque alios simplices & rectos, quo secedant squamosi greges. alios in cochleam retortos, nec nimis spaciosos, in quibus Murænæ delitescant, Columell. Vitruuius lib. 10. cap. 19. nominat ascentem machinam. de qua Gul. Philander, Mox (inquit) vocabitur accessus, Grecè ἐπιβάθρα. Suspicor autem fuisse machinam, quæ occulto quodam artificio & expeditis machinationibus in sublime cresceret: & in eam altitudinem educeretur, quæ opus erat: tum retinaculis sistebatur. Poterant & tabulata excitari cochleis, quo pacto in torculari prælum tollimus atque deprimimus: nisi interpretari velimus dictum de machina quam tollenonem Vegetius appellat. Sentina in naui maxima Hieronis etsi plurima erat, exhauriebatur tamen ab vno homine διὰ κοχλίου, (hoc est cochlea sic dicta machina,) commento Archimedis, Athenæus. Diodorus libro 5. De fabulosis antiquorum gestis, de Hispania scribens, eiusque fodinis: Subtus terram (inquit) reperiuntur nonnunquam flumina decurrentia, quorum cursus spe quæstus vi magna recidunt aut, quod mirabilius videtur, cochleis, quas dicunt Aegyptiacas, diuertunt, ab Archimede quum in Aegyptum profectus est, adinuentas. Eiusmodi instrumentis loca, vbi metalla effodiuntur, eiecta superiùs aqua, summa arte diligentiaque exiccant. Cochlea (inquit scriptor Promptuarij, nescio ex quo authore) haustorium organũ, quod vulgus pompam appellat. In medio rota est: quæ dum a calcantibus versatur, machina introrsus clauiculatim detorta, inter strias & strigiles aquas exorbet ex aquario septo, & retrorsus emittit. Huius autem machinæ conficiendæ ratio, à Vitruuio libro 10. cap. 11. describitur: Est autem, inquit, etiam cochleæ ratio, quæ magnam vim haurit aquæ, sed tam altè tollit, quàm rota. Cochlea in torculari (inquit idem scriptor Promptuarij) lignum est erectum clauiculatim striatũ: id est spirulatim & capreolatim striatũ: quod per medium prælum striatum & ipsum transactum, vertigine sua tollendo, demittendoq; prælo inuentum est. Vulgo (à Gallis puto) visa torcularis dicitur. In cochlea exprimis, Palladius 4. 10. circa finem. Ergo prælũ Germani appellant, *ein trotbaum, ein preß*. Cochleam verò *ein trottspill, ein straub*: quæ vox posterior ad strombum accedit, παρὰ τὸ στρέφειν, à figura versatili. *Strombus.* Intra centum annos inuenta torcula Græcanica, mali rugis per cochleas bullantibus, palis affixa arbori stella, à palis arcas lapidum attollent secũ arbore, quod maximè probatur, Plin. Κοχλίαι, τὰ ἐσθιόμενα χόα, (lego ζῶα) τὰ ἐν τοῖς ὀργάνοις ξύλινα, Hesychius. Oribasius in libro de machinis cap. 4. & 5. cochleas instrumenta chirurgica describit. item cochleam fœminam, quæ Græcè περικόχλιον appellatur. nos breuitatis causa lectorem ad ipsum remittimus. Obseruauimus Romæ iuxta forum fuisse locum, quem Scalas vocabant annularias: quas eruditiores ita nuncupatas augurantur ab annularijs officinis, vel à proponentib. annulis. *Scala annularia.* Aliorum cõiectatio est, sic eas dici, quæ in cocleæ formã effingantur, & orbiculata figura rotundentur: quod genus coclium dicitur, cuius commeminit etiam Strabo: siue coclides, quæ per circuitum scanduntur: sicuti *Coclium.* & torcularia, ad cocleæ similitudinem substructa, cocleæ dicuntur. Cochlidium, scala rotunda. Strabo *Coclis.* libro vltimo: Altitudo quædam manu facta, turbinea, petrosæ ripæ persimilis, in quam per cochlidium ascenditur. Fuit Romæ Traiani forum cum templo, & equo æneo, ac columna cochlide, cuius erat altitudo centum & vigintiocto pedum, intus erant gradus centum & octogintaquinque, fenestellæ quadragintaquinque, Cælius. Cochleæ & scalæ cochlides in ædificijs dicuntur, quòd anfractuosæ sint, in modum cochlearis testæ, & quod clauiculata & tortili structura à triclinijs in cœnacula euadant, cuiusmodi ferè sunt in ædificijs Gallicis scalæ, Budæus. Germani quoq; tum ipsum animal, tum huiusmodi scalas *Schnecken* appellant Scoppa Italus coclidẽ interpretatur, scala a babaluxa, à garagoso, lo caracho. Est etiam cochlea genus ostij. Varro 3. 5. de re rustica: Ornithônis ostium esse debet humile & angustum: & potissimùm eius generis quod cochleam appellant, vt solet esse in cauea, in qua tauri pugnare solent. Κοχλίας, δόλος εἰς ἑκάτερον περιηγμένος, Suidas & Varinus: hoc est, via quæ in vtranque vicissim partem circumagitur: siue de gradibus per scalas huiusmodi accipias: siue de vijs itinerum: huiusmodi enim per montes præsertim aliquando viæ sunt. Coclis etiam capitis ornamentum videtur, (inquit Cælius Rhodiginus) ab similitudine scalarum vel animalis verbo corriuato. Pollio Treuellius in Zenobia: Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo gemmis dependentibus per vltimam fimbriam: media est coclide, velut fibula muliebri astricta, brachio sæpe nudo. Aures, siue auriculæ veriùs, sinuosæ, quæ cochliæ nuncupantur, homini immobiles omnino sunt, Cælius Rhod. Κοχλίας, extrinsecus aurium ambitus est, ἡ ἔξωθεν περιβολὴ τῶν ὤτων, Pollux. Κόχλον ἡ γυναικεία γλῶσσα καλεῖ τὸ σῖμα: ὃ δηλοῖ τὸν καὶ χολάδα λεγόμενον apud veteres ac recentiores, Eustath. tanquam cochlos, stimi, & cholâs synonyma sint.

Cocleæ nominantur inter morbos fici arboris Hermolao. Ἀπόϐρασμα, κόχλασμα, Hesychius & Varinus. fortè quòd à mari eructatur & reijcitur, vt cochleæ, vmbilici, conchæ. nam & ἀποϐράσματα sunt τὰ σκύϐαλα τῶν πυρῶν. Διακόχλα, ὁ μεταξὺ χρόνος, καὶ διάστημα χρόνου, Hesychius. ego διακωχὴν, in ea significatione potiùs dixerim. nam hæc quoque διάστασις χρόνου τινὸς ἢ διάλειψις definitur. Κοχλιοειδῶς, clauiculatim aut cuniculatim, Plinio interprete. Πολύδοτος, κοχλιοειδής, Suidas & Varinus. malim ego πολυδίνητος. Hesychio idem est πολυέλικτος, πολύκυκλος. Item βοστρυχιδὴς, (meliùs βοστρυχοειδὴς,) πολυκαμπής: hoc est tortilis, tortuosus, anfractuosus, Neritus est conchylium κοχλιῶδες, Hesychius. Budæus cochlearem testam dixit, tanquam sic rectè fiat à cochlea cochlearis: sicut à mola, molaris. Cochlear, cochleare vel cochlearium, instrumentum est notum: vide Dictionaria. item mensuræ genus, de quo consules medicos, & illos qui de ponderibus ac mensuris scripserunt, præsertim Ge. Agricolam. Cochleari mensura, Plinius lib. 20. (nisi legendum cochlearij,) tanquam adiectiuè, à recto cochlearis. In Martialis disticho enallage generis est: Sum cochleis habilis, nec non minus vtilis ouis. Nunquid scis potiùs cur cochleare vocer? Κοχλιάριον, τὸ παρ' ἡμῖν, Suidas: sed locus est mutilus. Videtur autem à κοχλίας diminutiuum fieri κοχλιάριοι: potiùs quàm à κόχλος, κοχλάριον, & abundante iôta cochliarion, vt Varinus habet. Τὰ δὲ κοχλιάριοι, καλοῖς αὖ μυστιλάριον ἢ κοχλιώρυχον, Pollux. Μυστιλάριον diminutiuum esse apparet à μυστίλη. μυστίλη & μύστροι rursus diminutiua dixerim à μῦς, quod est musculus in concharum genere. quin & concha quanquam generis nomen, & chama vel chema, χήμη, species, pro mensuris vsurpantur. Μυστίλη μὲν οὖν ἐστι ψωμὸς κοῖλος, ἔτυμος (εἰς ἔτυμος) ἢ ζωμὸν βαθυνθείς: ἀφ' οὗ καὶ τὸ μυστιλήσασθαι λέγουσιν. ἐμοὶ δὲ καὶ τὴν καλουμένην αἴγλαν, μυστίλην ἴδιον (ἴδιον καλεῖν) ἢ αἴγλαν, Pollux. tanquam ægla idem quod mystile significet, sed vocabulo idiotico minusque recepto. Cochlearium, locus quo reponuntur cochleæ. Varro libro 3. de re rustic. Nam & idoneus sub dio sumendus locus cochlearijs.

Cochlos & cochlax marinos calculos significat, Massarius. Cochlacæ dicuntur lapides ex flumine rotundi, ad cochlearum similitudinem, Festus. Calculi frequenti motu in maris littore rotundati, quos Latini vmbilicos vocant, (vt est apud Ciceronem De oratore libro secundo) à Græcis, vt nos commonuit Aristoteles in Mechanicis quæstionibus, appellantur crocæ. Quærit enim quid sit, quòd in littoribus ex lapidibus aut testis grandioribus fiant quæ vocantur crocæ. Sunt qui ea voce littus intelligant, vnde & marino conciliatum sit nomen crocodilo: quoniam ad terræ & littoris contactũ compauescat, Cælius Rhod. (κροκάλην etiam vel κρόκαλον, littus & calculum interpretantur.) Et rursus, in Græcis adnotatum auctoribus est, fluuiales aut marinos lapides dici quoque trochalos, itẽ chermadia & cochlacas. Τρόχαλοι, οἱ λίθοι οἱ κόχλακες, (κόχλακες,) καὶ χερμάδια (χερμάδια) λέγονται, nempè fluuiatiles & marini lapides, Varinus. Vt à νέος, νέαξ fit: sic à κόχλος, κόχλαξ. Thucydider tamen κάχληκας dixit per alpha, Etymologus. Κάχληξ, τοῦ κόχλου, Hesychius & Varinus. malim κάχληκος per η. in penultima. Λελεγίαι, κόχλακες, ἢ κοχλώδεις τόποι, Iidem. Κοχλάδες, lapides attriti perpetua in aquis volutatione, glareæ, vt quidam in Lexicon Græcolatinum retulit. sed sine authore. ego dictionem deprauatam puto & κόχλακας legendum. Χλαρὸν, κόχλαξ, Hesychius & Varinus. accedit ea vox ad Latinam glarea. grammatici interpretantur minutissimos lapillos, qui in fluuiorum ripis, vel maris littoribus reperiuntur. inde glareola, glareosus. Στρόμϐος, κόχλος, ῥόμϐος, περιφερὴς λίθος, Hesychius. Iuxta pyramides Aegypti lapilli reperiuntur, forma & magnitudine lentis, ex reliquijs ciborum, quibus operæ vescebantur, in lapides indurati. Maritimi quoque & fluuiatiles calculi) (αἱ θαλάττιαι καὶ ποτάμιαι ψῆφοι) eandem ferè ambiguitatem præstant: sed propter motum qui in aqua fit, rationem aliquam habent, in illis verò consideratio dubia est, Strabo. Cochlea, (Cochlaca, Festo) lapis ex flumine rotundus, ad similitudinem cochleæ: qui aquæ inditus, eam contra laterum dolorem efficacem reddere creditur, quod & nos aliquando experti testamur, Humelbergius.

Vbi insilui in cocleatum equuleum, ibi tolutim tortor, Nonius ex Pomponio: vbi nomen cocleatum quid sibi velit, non assequor: nisi vel tardum, vel cochleis ornatum intelligas. conchis enim quibusdã lora & frenos equorum aliqui ornant, tanquam bullis ex metallo.

Epitheta & griphi. Γηλοφυής, ἀνάκανθος, ἀναίματος, ὑγροκέλευθος, Achei in Symposijs griphus (id est ludicra quæstio) est de cochlea apud Athenæum. Qui & alibi alium ex Teucri definitionibus recitat: Ζῶον ἄπουν, ἀνάκανθον, ἀνόστεον, ὀστρακόνωτον, Ὄμματα τ' εἰσκύπτοντα προμήκεα, κ' εἰσκύπτοντα. sed alterutro loco ἐκκύπτοντα legendum. Ὀστρακόνωτον hîc aliqui non rectè crustatum vertunt, cum cochleæ inter testata sint, Massarius. Γηλοφυής, è materia, luto nimirum seu cœno, & terra, natũ significat: eodem sensu ac si ἰλυοφυής diceretur. Gyraldus sic transtulit: Exos est animal pedibus sine, & sine spina, Testea terga, oculos producens, atque recondens. Achæi autem carmen Cicero 2. de diuinat. transtulit, cum inquit: Vt si quis medicus ægroto imperet, vt sumat Terrigenam, herbigradam, (aliâs tardigradam, sed carmen non admittit,) domiportam, sanguine cassam (inquit Massarius) vt excluderet ab hac descriptione testudinem sanguinis compotem. Κοχλίας κεράστας, id est cochleas cornutas, Achæus cognominat: Statius curuas.

Lapides quidam cum in turbinem deficiant, cochlearum instar sunt torti, Ge. Agricola. Vide etiam in Strombo H.

Cochlis, Κοχλίς, nomen meretricis apud Lucianum. Cochliusa insula est iuxta Lyciam, à cochleis, quæ ibi inueniuntur, dicta.

b. Testa cui includitur cochlea, alijs quoque nominibus appellatur: tegumentum & voluta à recentioribus quibusdam: cochlearis testa, à Budæo. Cochlea synecdochicè à Celso, si bene memini, cum ait Serpere in cochlea. sic & conchyliorum κόχλους, hoc est testas, apud Pollucem legimus. Curuarum domus cochlearum, Statius. Cochleas cum suis domibus franges, Samonicus. Germani quoque domunculas cochlearum appellanr, *Schneckenheüsle*. Σὺν τοῖς κελύφοις, Dioscorides: quasi κέλυφος vt λόγος flectatur, cum vsitatius sit in neutro genere vt τεῖχος. Idem & Galenus ὄστρακα dixerunt: Plinius calices vt apparet: vide mox in f. Aristoteles historiæ anim. 4. 4. ἕλικα dixit de cochlearum in testis anfractu. Vertiginem vel clauiculam in earum testa nominant eruditi, spiram ipsam qua veluti articulatur, quam & volutam posse vocari puto: etsi hanc synecdochycè pro tota testa quidam accipiunt. Folijs & volutis ornata opera, decent templa teneriorum dearum, vt Veneris, Floræ, Vitruuius.

Tinea-

Tinearum genus est tunicas suas trahentium, quo cochleæ modo, Plinius. c,

Ad superstitionem pertinet, ouorum, vt exorbuerit quisque, calices, cochlearumq; protinus frangi aut eosdem cochlearibus perforari, Plinius. Ego calyces potiùs scripserim per ypsilon, quàm per iôta: plurimum enim inter hæc vocabula interest, vt nunc docebo, diligentius quàm hactenus à quoquã sit factum, quod ego sciam. Calix igitur cum poculum significat, à Græco κύλιξ deriuatur, ypsilo in alpha mutato: non à caldo, vt Festus putauit, quòd in eo calda puls apponeretur, & caldũ eo biberent. Martialis calices vitreos dixit, qui à Græcis κύλικες ὑάλινοι, verbum è verbo scilicet nuncupãtur, authore Iulio Polluce, Baysius. Coronatus stabit & ipse calyx, Tibullus. Sed Græci semper fœminino genere κύλικα efferunt, vt in Athenæi & Eustathij scriptis apparet. Κύλιξ inquiunt ijdem, dicta est ἀπὸ τοῦ κυλίειν, id est à voluendo vel circumagendo, quod ad rotam figlinam vel fabrilem (τροχῷ ἢ κεραμεικῷ ἢ χαλκευτικῷ) circumagatur. vnde & medicinalem pyxidem quod ad tornum circumuoluta sit κυλιχίδα nominant. Plura de calice eiusque forma & differentijs Athenæus. Cæterùm calyx per y. est conceptaculum aut inuolucrum florum priusquam dehiscant, & in rosa præcipuè sic appellatur, pyramidis figura in eâdem insignis. *Ein rosenknopff*. Cum modicè iam se aperit, nympha dicitur, de rosa quoque potiùs quàm alio flore κατ' ἐξοχὴν. Vbi verò iam apertus est flos, & postea etiam cum semen continetur, calyx hæc tanquã basis est, foliata plerunque, aut aliter compacta, aut squamata, aut quibusdam ceu digitis imam floris fructusue partem comprehendens. Sed magis propriè calyx dici videtur priusquam se aperiat flos, dum adhuc tegit ipsum & includit, vnde & nomen ei factum. nam à verbo καλύπτω, idem quod καλύπτειν significante, cuius futurum est καλύψω, deriuatur ὁ κάλυξ, alibi τὸ κάλυξ, Eustathius. Κάλυκες eidem sunt annuli rosarum calycibus similes: vel aurei quidam canaliculi, (solenisci,) quibus capilli (πλόκαμοι in mulieribus) continentur. Pollux simpliciter inter muliebria ornamenta nominat, Homerum & Anacreontem citans. Τραγοπώγων τὴν κάλυκα ἔχει μεγάλην, Theophrastus 7. 7. historiæ, calycem amplam vertit Gaza. nam Dioscorides (qui sæpe Græci sermonis proprietatem aut elegantiam mihi negligere videtur, masculino genere protulit: Ἐπὶ δὲ τοῦ καυλοῦ κάλυξ μέγας, itidem de tragopogone. Αἱ ἐν ῥοδωνιαῖς κάλυκες, Aelianus de animalibus 14. 24. Sed vnde vestes lineas faciunt, folijs moro similis, calyce pomi cynorrhodo, Plinius libro 12. de pala arbore loquens. Calix in rosis dicitur nondum totis folijs patens & explicitus rosæ globus, Marcellus Vergilius: qui alibi meliùs hanc dictionem per y. scribit. Clymenon aliqui calycanthemon appellant: in clymeno autem hac (inquit idẽ Marcellus) calyces folliculos eos intelligebant, quæ Dioscorides nominat θυλάκια ἐπὶ τοῦ καυλοῦ εἰς ἄλληλα νεύοντα. Κάλυξ, ἄνθος ῥόδου μεμυκός, Suidas. Κάλυκας, σύριγγας, ῥόδα κεκαλυμμένα, Idem. Ex Hesychio & Varino: Κάλυκας, ὅρμους, περιτραχήλιους κόσμους. Καλυκίζειν, ἀνθεῖν. Καλυκὸν, μικρὸν ῥόδον. Καλύκων, τῶν ὀμματοφύλλων (palpebras intelligo.) Κάλυξ, flos rosæ, flos nondũ apertus, nympha: inauris: & fistula aurea, capillos continens. Sunt qui embrya, id est fœtus in vtero, κάλυκας interpretẽtur: alij germina, (*in quib. scilicet folia adhuc inclusa & obtecta sunt: gemmæ, vel è gemmis recens nata germina.*) Calyx etiam purpuram marinam significat. sed ea κάλχη quoque dicitur. Καλύξεις, ῥόδων καλύκια. Κάλυξις, κόσμος τις ἐκ ῥόδων. Καλυκῶπις, ὀφθαλμός. Καλυχές, (lego κάλυκες) τὰ ἔμϐρυα: (*quod ita in vtero latitant, vt in germinibus folia, in suis calycibus rosæ, in testis oua, in domibus suis cochleæ.*) Scribitur & καμακίς apud Hesychium pro fistula seu tubulo capillos continente. Κάλυξ, ἡ τοῦ ῥόδου κεφαλὴ, Etymologus. Καλυκώδης λοϐὸς, calyculata siliqua, Dioscor. lib. 2. cap. 135. Dicitur & papaueris calyx, aliâs κώδεια, vt quidam annotauerunt. Echinorum calyculos Apuleius nominat Apologia prima. Calycem enim echinatum instar castaneæ echinus marinus habet. Glandiũ calyculos (quos cupulas vulgò vocant) pulchrè dixit Rondeletius. Cochlearum calices apud Varronem & Plinium legimus. Ῥόδα ἐκκύψαντα τῶν καλύκων, Aelianus de anim. 15. 12. Ergo ouorum & cochlearum calyces per y. non per iôta, dicemus: & fœminino genere potiùs quàm masculino, vt à calice poculo certiùs distinguamus. Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebit: Et cocleas tibi habe: perdere nolo famem, Martialis. f. *Calix & calyx.*

h. Ἀπιστότερος εἶ τῶν κοχλιῶν πολλῷ πάνυ, Οἳ περιφέρουσ' ὑπ' ἀπιστίας τὰς οἰκίας, Anaxilas apud Athenæum. hoc est, Vel cochleis cuipiam fidis minus, Quæ testeam circunferunt semper domum. prouerbialiter dici potest in hominem suspicacem, & nemini satis confidentem, adeò vt res suas secum semper habere velit. Domiportam cocleam Cicero appellauit. nec malè vna hac ratione laudata est, necessario homini exemplo, vt sua omnia secum ipse etiam ferat: & Prienæi sapientis modo, eas domi suæ opes coaceruet, quas nec hostis ferat, nec populetur bellum, Marcellus Vergilius. Vicisti cochleam tarditudine Plautus Pœnulo. Ὦ Πλάτων, Ὡς οὐδὲν ᾔδεις (fortè οἶδας) πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον, Ὥσπερ κοχλίας σεμνῶς ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς, Suidas in Σκυθρωπάζω. Conueniet in hominem qui grauitatem simulat: vel grauitatis plus vultu præ se fert, quàm sapientiæ in pectore recondat.

DE COCHLEIS MARINIS IN GENERE, BELLONIVS.

A

Turbinatum exanguium genus, cochleæ nomen Latinis habuit: quod tametsi specie distinguatur, tamen omnes in anfractum intorquentur.

E

Quod autem Plinius de cochleis altilibus tradit: id, ni fallor, de marinis est intelligendum. Nam neque Illyricæ, neque Aphricanæ, aut Solitanæ, terrestres esse censentur ac (*aut*) fluuiatiles. Omne enim fluuiatilium cochlearum genus (κοχλίας Græci vocant) virus olet. Prætereа terrestribus viuaria non instituuntur. *Videtis Corollario nostro contrariam opinionem.*

A

Quamobrem ne cochleæ nomen nobis imponat, id est, ne terrestrium nomenclaturam cum marinis confundamus, dicendum est, cochlearum varias esse species, quarum singulas persequi longioris esset operæ: vnam enim quicunque intus norit, omnes nouerit. sed hîc duas tantùm tibi proponam, vt ex harum varietate diuersas reliquarum species agnoscas ac consyderes. Hæc Bellonius. Icones autem subiungit primum cochleæ cuiusdam paruo buccino similis, quam nos etiã apponere non opus est visum, cum alias aliquot huius generis species posuerimus: deinde alterius quam Rondeletius Cylindroidem cognominat, ex quo eius & iconem & descriptionem paulò pòst dabimus.

COROL-

Cochlearium.

COROLLARIVM DE COCHLEIS MArinis in genere.

A Cochleam marinam genus esse, quod ab Aristotele & alijs Græcis cóchlos vel cochlías dicatur, modò simpliciter, modò expressa marinæ differentia, & Gazam pro cochlo vmbilicum vertere, (vt alibi, & libro 9. hist. anim. cap. 51.) cũ vmbilicus species duntaxat vna sit, non generis nomen: suprà partim Rondeletij verbis, partim etiam nostris, ostensum est. Item Strombon pro quo turbinẽ Gaza reddidit, non omnen marinam cochleam significare, vt Massarius & Gillius putauerunt: sed speciem eius oblongiori ductu turbinatam. Strobilum quoque, & Strabelum, & Cochlon & concham, pro cochlea marina, siue omni, siue genere isto quo ad buccinandum vtebantur, authores vsurpare, ijs quæ subijciemus testimonijs constabit. Strobili, Στρόβιλοι dicuntur cochleæ, & buccina marina, Suidas. Στραβήλα, τῷ κόγχῳ ᾧ ἐσάλπιζον Hesychius. Τὰς Τρίτωνας φυσᾶν φασὶ διὰ κόχλον τετρυπημένη, Pausanias. Sed tũ fortè caua dum personat æquora concha, Vergilius de tubicine. Auditum in quodam specu concha canentem Tritonem, Plinius. Sadaf, id est cochlea marina, Syluaticus. Vide in Conchylio A. in Corollario. Halzum Serapioni comune est nomen marinæ & terrestri. Buoualo similiter Italis commune est: non tamen quamuis marinam cochleam puto, sed maiusculam significat. Hispanis & Lusitanis Caramuyo dicitur, Amatus Lusitanus. ab alijs Alméia, vel caracól de la mar. Sed hoc posterius, vt & Caragolo, fortè ad Neriten priuatim pertinet. Limaces marinas vulgò Massilienses nũcupant, Gillius. Germani *ein Meerschneck*. Flandri *een Seeslecke*, *en een bunicken*. Alij *een Kinckhorn*: quod nomen factum audio à vulgari persuasione, tanquam tussi sicca laborantes, si ex tali cochlea biberint, liberentur. Angli *a Whelk*: & alteram speciem minorem *a pervvyncle*. Vtranque audio esse cochleam similem terrenæ, sed graciliorem, oblongiorem, magisque conuolutam, & ore angustiore. nam quas Cochleas vocitant, cochleæ non sunt, sed pectines vel aliæ quædam biualues conchæ.

Vmbilicus.

B Vidi cochleam marinam quæ ad eam magnitudinem accederet, vt tantum vini caperet, quantum piscator exsiccare vno prandio posset, Gillius. Cochleæ turbinatæ sunt. earum caro penitus est inclusa, nec vlla ex parte conspicitur, præterquam capite, Aristoteles. Os eis inest: & dentes acuti, breues, tenues, præduri: & quod interiacet dentibus carnosum. Promuscides item gerunt modo muscarũ: quod quidem membrum linguæ effigiem præ se fert, Idem. Plura de cochleæ dentibus, lingua, ingluuie, ventre & papauere, leges apud eundem de partibus animalium libro 4. cap. Cætera etiam turbinata (inquit) vt purpuræ, buccina, similiter vt cochleæ constant. Vmbilicorum (Cochlearum) venter similis est gutturi auium, Aristot.

Membrana in grandiusculis vmbilicis (κόχλοις) ventre gulæ attexitur continua, per quam meatus prolixior albicans, colore similis superioribus illis mamillantibus carunculis (*de quibus dixit in turbinatorum genere sub ventriculum statim esse, binas, albas, solidasque*) tendit. Habet etiam incisuras, quales in ouo locustarum habentur: verum hoc albidum, illud rubidum est. Nullus exitus huic, nullũ foramen postremum patet, sed prætenui membrana cauo intus angusto continetur. Tendunt ab intestino ad imum nigrantia quædam aspera, atque continua, qualia vel in testudine visuntur, sed minus nigra. Cæteri quoque vmbilici hæc habent eadem: sed quo minores, eo minutiora, Aristoteles historiæ 4.4. Vmbilicis albugo à natura data est, Ibidem. Græcè est τὸ λευκόν: id autem inquit tale quid esse in cochleis, quale quod appellatur ouum in biualuibus. Partes exteriores eius generis differentijs variantur. nam biualuibus turbinata quodam modo assimulantur. quippe quæ omnia operculo quodam cõgenito carni patulæ opposito claudantur, vt purpuræ, buccinæ, natices, & reliqua generis eiusdem, idque præsidij causa: qua enim testa non protegit, facilè offendi possent ab ijs quæ extrinsecus inciderent. Turbinati etiam generis alia in anfractum intorta sunt, vt buccina: alia in globum tantum circumacta, vt echinorum genus, Massarius ex Aristotele quarto de partibus animalium. Ostracodermorum & concharum capita ferè latent (aut nulla sunt:) cuius rei causa est, quia non pascuntur nisi more plantæ per poros vndique trahentia nutrimentum. cuius signum est, quòd piscatores Flandriæ & Germaniæ colligunt ostreum, quod est vnius testæ spiralis, instar cochleæ: & ponunt sub arena iuxta mare. id in fluxu maris aperitur & impinguatur humore vndique per corpus suum attracto. idem ego expertus sum de canna (vngue seu dactylo concha) stante sub arena iuxta mare: quamobrem natura non format eis caput, Albertus.

C Cochleæ omnes mouentur & serpunt parte dextra, non ad vertiginem siue clauiculam, sed in aduersum, Massarius. Sed Aristot. de anim. 4. 4. priuatim hoc de strombis & similibus, id est turbinatis scribit. Ex testatis cochleas tantum coire perspectum est: sed an ortus earum per coitum fit, necne, nondũ exploratum satis habetur, Aristot. Vmbilici (Cochleæ) pariter omnes sua oua habere visuntur verno autumnalique tempore, Idem. Videtur etiam τὸ λευκόν appellare ouum in cochleis, vt dictum est in B.

E Cochleas altiles in viuarijs apud veteres Romanos, nõ marinas, vt Bellonius putauit, sed terrestres fuisse, in terrestrium historia asseremus. Prisci homines ante tubam inuentam vtebantur aut fumo, aut cochlea marina, Scholiastes Homeri in Iliad. σ. Κόχλῳ θαλασσίῳ ἐσάλπιζον. Tritones aliqui fabulantur concha perforata buccinare, φυσᾶν διὰ κόχλον τετρυπημένης, Pausanias. Plinius etiam concha canentem Tritonem dixit: & Vergilius de Miseno tubicine, Sed tum fortè caua dum personat æquora concha.

F Marinæ in Italiæ mediterraneis perquàm raro in cibos veniunt: ijs verò qui maris litora inhabitant, frequentiori sunt vsui, Matthiolus Senensis. Terrestres cochleæ stomacho vtiles sunt, & non facilè corrumpuntur. marina etiam stomacho idonea est, & facile aluo excernitur, Dioscor. Ad stomachi remedium: Cochleas vndis calefactas ac prope victas Suppositis torre prunis, vinoq; garoq; Perfusas cape: sed prodest magis esse marinas, Samonicus. Vide supra in Cochleis in genere G. & infra in terrestrib. Marinæ stomacho vtiliores sunt. efficacissimæ tamẽ (etiam) in dolore stomachi, Plin. Marinæ etiã cochleæ, quamuis cito deijciuntur, propter salsuginem qua aluum iritant: non tamen vniuersum aut citò nutriunt, sed paulatim, ea scilicet sui parte quæ à superfluo eijciendo vel eiecto seiungitur & remanet, Brasauolus. Cochlearum marin. humor (ius decoctarum) aluum mouet, Galenus de theriaca ad Pisonem, & Kiranides. In colico affectu sumantur pisces duriori carne præditi: & ex testaceis pectines, ostrea, cochleæ marinæ, Trallianus.

De

G De remedio ex eis ad stomachum, leges proximè retrò in F. Ad ventris, mammarum, femorum, coxendicumque scissuras: Marinam cochleam oblongam cremato & conterito: deinde oui albo, aut asinino lacte adiecto illinito, Galenus in Euporistis. In buccinum aut cochleam aliquam marinam potum solitum infundi ac inde bibi iubent, aduersus siccam tussim, præsertim puerorum, vulgus inferioris Germaniæ.

Conada, id est coclea marina, Syluaticus.

H. a. Lari aues, vt Eudemus scribit, sublimeis cochleas surripiunt, ac ex alto deijcientes, magna vi ad saxa allidunt: itaque esculenta testis seiunctis eligunt, Aelianus.

f.

h. Ἤδη γάρ με κέκληκε θαλάσσιος οἴκαδε νεκρός, Τεθνηκὼς ζωῷ φθεγγόμενος στόματι, Theognis. sentit autem de cochlea, Athenæus. Gyraldus hos versus in libro ænigmatum sic transtulit:

Mortua conciuit pelagi de fluctibus orta, Mortua, quæ viuo me vocat ore domum.

Similem de testudine griphum Gyraldus affert, Amphion (inquit) apud Pacuuium ænigma hoc protulit: Quadrupes domiporta, tardigrada, agrestis, humilis, aspera, capite breui, ceruice anguina, aspectu truci, euiscerata, inanima, cum animali sono.

DE COCHLEA QVÆ IN OLEARIO VSV ERAT RONDELETIVS.



Cochlea hæc rotunda est, & testa intorta & magna admodum, adeò vt sic quæ aquæ quatuor libras capiat. Ob id eam esse puto, quam Plinius memoriæ mandauit in oleario vsu fuisse, quòd ea oleum decapelarent, vel ea in vsus quotidianos oleum haurirent: cuius figura ad id percommodè quadrat, quemadmodum vasis eius, quod arytænã vocant, veluti rostro prominentiore ad hauriendum, fundo cauo & capaci ad retinendum. Huiusmodi Cochleam etiam aurifices, additis ansa & basi in vrceos efformant eleganti artificio, quod eam contra venena aliquid valere credant.

Lib. 32. cap. 11.

Huic cochleæ similis Margaritifera vulgò dicta, referetur in M.

DE COCHLEA MARGARITIFERA VVLGO DICTA RONDELETIVS.



A

Cochleam hanc margaritiferam, quæ ex India, & sinu Persico adfertur, vulgus appellat: quia vnionum colore sit, & splendore. In ea verò vniones non reperiuntur, sed in ijs quæ conchis binis constant, vt iam ostendimus. Auro argentoq; hæc includitur in poculorum speciem. Ex eadem in frustra dissecta, imagunculæ, globuli ad nuncupandas preces, monilia conficiuntur.

Sunt qui hanc secundam esse Nautili Conchæ speciem tradunt, sed falsò, vt ex Aristotele dilucidè colligitur his verbis: Præter dicta Polyporum genera duo sunt Conchis indita: quorum alterum à quibusdam nautilus & nauticus vocatur, ab alijs ouum polypi. Testa ipsius similis est Pectini cauo, & ei non cohæret. Sæpiùs iuxta terram pascitur. Vnde euenit vt fluctibus iactatus in terram deijciatur, cumque testa exciderit capiatur & in terra emoriatur. Sunt autem parui, & specie similes Bolitænis. Alterum genus veluti Cochlea in testa latet, nec vnquam egreditur, sed sua interdum brachia exerit. Primùm stupidi est non animaduertisse Aristotelẽ duo tantùm Polyporum genera conchis conclusa constituisse, vt ex verbis eius liquet, contra cuius mentem author libri de aquatilib. tria ponit. Tertia, inquit Nautili species ab Aristotele prodita. Sed hæc secunda quam adfert, Nautilus Aristotelis esse nequit, neque enim Pectini cauo vlla ex parte comparari potest. Deinde cùm Nautili corpore sint exiguo, trahere concham tantæ magnitudinis non possent. Hoc non est artificiosè fingere: qui enim fingit, saltem probabilia debet dicere.

Contra Bellonium qui hoc cochleæ genus Nautili concha speciem facit.

Neque concha nauplij quam depinxit Plinius lib. 9. cap. 30. esse potest, vtpote cuius figura ab hac concha alienissima sit. Nauigeram similitudinem & aliam (inquit) in Propontide sibi visam prodidit Mutianus: concham esse acatij modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hac condi nauplium animal Sepiæ simile.

Nauplij non esse hanc cochleam.

DE

DE EADEM, BELLONIVS, QVI NAVTILVM ALTERUM NOMINANT: *quod reprehendit Rondeletius.*

Secundam Nautili conchæ ſpeciem ab Ariſtotele traditam eſſe hanc puto, quam noſtri artifices in magno pretio ad vaſa ditioribus abacis accommoda conficienda habere ſolent. Porcellanam ob id vocant, quod Muricis conchæ (de qua in Buccino differemus) formam habeat. Eam enim etiam Porcellanam nominant, ex qua antiquis vaſa quæ murrhina dicebantur, fieri ſolebant: id enim mihi conijcere per vos licebit: quanquam alij à myrrhæ (quam Græci σμύρναν vocant) fragrantia dicta fuiſſe putent. Murrhinum igitur Nautilum hunc dicere poterimus.

B Huius amplitudo cum † ſuperiore conuenit, ſed paulò magis eſt craſſus: prior præterea pectunculorum more ſtriatus eſt: hic omnino glaber, parte interna infinita habens interſtitia: vndecũq; nitidius, ac mira colorum varietate ſplendens: ſubinde circumagentibus ſe in purpuram candoremq; maculis, Hæc Bellonius.

† *Nautilo proprie dicto.*

(A) Gallica nomina iconi adſcripta erant hæc: Coquille de Pour celene: vel Groſſe coquille de nacre de perle. Vide etiam infrà in Conchis diuerſis c. de concha porcellana.

In Conchis margaritiferis color (inquit Cardanus) nõ abſimilis eſt Cochleis, quas India, vt dicunt, mittit. De colore, forma, ac ſubſtantia dicere poſſum, quòd eas viderim ſæpius: vnde veniant, non ſat dicere poſſum. Eſt igitur forma triremis cum alta puppi: in qua vaſculum aliud, diceres poculum à natura excogitatum. nam & magnitudo tanta eſt eius quam vidi, vt cotylam capiat: res profectò vſus elegantiſſimi, & pulcerrimæ formæ. Limacis igitur hæc eſt concha, margaritarũ conchis ſimillima: tanto verò noſtris nobilior limacum conchis, quanto Indicus aër, ac terra, tum aqua, noſtris elementis ſunt præſtantiora. multorum ſeculorum curſu res meliores euadunt, Hæc ille.

DE COCHLEA CÆLATA CVM SVO OPERCVLO, RONDELETIVS.

A In mari permultæ ſunt Cochlearum formæ. Hoc genus quod proponimus ad Turbinum ſpeciẽ accedit. A noſtris, i rouincialibus, & Hiſpanis Scaragol, vel cagarolo de mar nominatur, quòd ad Cochlearum terreſtrium quas cagaroles vocant, formam accedat.



B Teſta eſt turbinata, & ſatis longa, cælaturis inæqualis & ſcabra, ſpiſſiore quàm in Cochleis terreſtribus, intus læui. Operculum ſpiſſum eſt, rotundum, ſuperiore parte non aſperum, in qua voluta expreſſa eſt, vel figura turbinis Cochleæ clauiculatim intorti. Intus, qua ſcilicet parte carnem Cochleæ contingit, tuberoſum, & inæquale, rubri coloris. Partibus internis hæc Cochlea à terreſtribus non differt.

F Carne eſt dura, & ad concoquendum difficili. Succum ſulſum gignit, ventrem extimulat Elixa melior eſt.

E Teſta in aceto macerata, ſuperiore veluti cute vel cruſta ſpoliatur, redditurque Cochleæ margaritiferæ modo ſplendens, nitida & vnionis modo colorata.

A Sunt qui Cochleam quam hic exhibemus, Vmbilicum appellent: ſed non ſine errore, vt perſpicuum fiet, quum docebimus qui ſint Vmbilici, & quid à cæteris Cochleis differant.

Quod non ſit Vmbilicus, contra Bellonium.

DE EADEM BELLONIVS, QVI VMBILICVM MARINUM *aut Fabam marinam nominat.*

A Cochli (Κόχλου) nomine Vmbilicum marinum vel Fabam marinam vulgarẽ intellexit Ariſtoteles, atque adeò marinam cochleam, (*Vide quæ nos ſuperius ſcripſimus in Cochleis in genere A.*) quemadmodum & terreſtres Cochleas, κοχλίας vocauit: noſtris limaces dicuntur.

B Eſt autem Vmbilicus marinus à medicis vulgaribus dictus Nerite multò maior: cuius tamen moles vaſtior non euadit quàm commune Buccinum. Quumque turbinatum genus omne, prætenui cruſta, carnem patulam ambiente, operculi loco ſeſe tueatur: hic vnus lapidi rubro perſimili tegumento occluditur. Rotunda eſt eius forma, vmbilicum planè referens, vnde ei nomen. Aurifices lapidem eſſe putant, cuius ego duas ſpecies animaduerti. Alteram cinerei coloris, ſurſum tumentem, deorſum planam: alteram verò rotundam, atque (vt dictum eſt) rubram. Huius teſta ſola inter noſtri Oceani turbinata politiem admittit. Rotundiori hiat ore, quàm vllum aliud genus. Nam cùm alij turbines, opercula ſua habeant vel longiora vel latiora, pro ſui oris ratione, hic ſemper rotundum operimentum habet. Edulis eſt, vulgoque Buccinarum, Purpurarum, & Neritum modo diuenditur. Rugoſo tegmine (F) ſcabroque conſtat: cuius clauicula earum herbarum more, quæ ſeſe arboribus alligant, à dextra ad ſi- (F) niſtram inuertitur. Papauer (πηκωνα Ariſtoteles vocat) vt Purpura & Buccinum in κόγλοις eſt conſpicuum, quod in clauicula teſtæ continetur. Cæterùm cochleam marinam Dioſcorides ſcribit ſtomacho idoneam eſſe, & facilè aluo excerni: quumque ex marinarum cochlearum teſtis, vti & reliquorum turG binum optima calx fiat, nihil vetat quò minùs eas excalfaciendi & vrendi facultatem obtinere, lepras purgare, vitilinges & oculorum cicatrices emendare aſſueueremus.

Plura vide infra poſt cochleas vmbilicatas Rondeletij.

DE COCHLEA ECHINOPHORA, RONDELETIVS.

PARVIS Buccinis figura ſimilis eſt hæc Cochlea, quam echinophoram ab aſperitate nominamus: tota enim tuberculis, ſiue aculeis conſperſa eſt. Operculo, ſucco, ſubſtantia, à paruo Buccino non differt.

DE COCHLEA CYLINDROIDE, RONDELETIVS.

NATVRA adeò fœcunda eſt in turbinatorum & Cochlearum varietate, vt omnes nominibus exprimere perdifficile ſit: quod etiam veteres nõ fecerunt, alioqui rerum indagatores ſeduli, & in nominibus inueniendis fœlices. Nos tamen diſtinctionis gratia, atque vt aliæ ab alijs internoſcantur, nomina ponimus quæ præſertim figuram exprimant, vt in ea facimus quæ hîc à nobis proponitur, κυλινδροειδὴς que vocatur, à figura cylindro proxima. Pyramidem etiam refert. Pyri modo turbinata eſt, punctis varijs notata. Pollicis craſſitudinem vix vnquam ſuperat.



DE COCHLEA LÆVI TVRBINE OBTVSO RONDELETIVS.

LÆVIS eſt & polita admodum Cochlea iſta atque in turbinem longiuſculum deſinens, ſed obtuſum. Operculo tegitur. Teſta eſt craſſiore quàm cætere, carneque minus dura. Frequentiſſimè circa Lerinum inſulam capitur.

DE COCHLEA DEPRESSA, RONDELETIVS.

OPERCVLVM Cochleæ cælatæ refert Cochlea quam hic repræſentamus: quæ concaua eſt, & carnem intus habet. Simillima eſt cochleis terreſtribus, quæ aliquando in terra effoſſa reperiuntur. Altera parte plana eſt, altera excauata in voluminibus: quæ initio parua, paulatim creſcunt ad foramen vſque.



DE VMBILICO, RONDELETIVS.

DIXIMVS ex Ciceronis loco qui eſt libro 2. de oratore, Vmbilicos eſſe Concharum ſiue Cochlearum ſpecies: id quod verum eſſe indicat ipſa rerum natura: quæ nobis, à turbinatis, conchis, cochleiſque omnibus ſpeciem diuerſam exhibet earum, quæ præter foramen illud quo Cochleæ ſaxis inhærent, quoque corpus exerunt, alterum habent, vmbilico ita ſimile, vt nullus ſit qui has viderit, qui negare poſſit vmbilicatas meritò vocari. Id foramen profundum conuolutionum veluti centrum eſt, vel circa quod anfractus Cochleæ conuoluuntur veluti circa σφαιρόκλιον. Hac de cauſa Vmbilicus vocatur: nam μεταφορικῶς vmbilicus dicitur, quicquid in aliqua re medium eſt. Hic vmbilicus in Cochlea quam hîc exhibemus, manifeſtiſſimus eſt. Ea Cochleæ, quam cælatam prius nuncupauimus ſimilis eſt: figurâ differt, colore, & cælaturis. nam picta quidem eſt variè, quòd lineas quaſdam purpureas habet, alibi vnionum more ſplendet: nihilominus tamen tota teſta læuis eſt, denſa ac ſpiſſa, lumine immiſſo varietatem colorum iucundam repræſentans.

DE VMBILICO VARIO, ET DE PARVO, RONDELETIVS.

ECCE Vmbilicum priorem mira varietate à natura diſtinctum, ſcilicet, nigris, rubris, & albis tuberculis, coralliorum omniũ colorem & naturam referentibus. ſuperiore parte latior eſt, mox in turbinem breuem deſinit. Alter Vmbilicus eſt valde exiguus, ciceris magnitudine, aliquando paulò maior, qui in ſpongijs reperitur, veluti granulis rubri corallij ęmulis conſperſus. Inter vmbilicum & foramen quo corpus exerit, teſtam inciſam habet: inciſuræ operculi vice ſunt.



DE COCHLEA VMBILICATA CVM OPERCVLO SVO RONDELETIVS.

* *Alia alio.*

COCHLEA hæc in magnitudinem satis insignem accrescit, quæ turbinata est, & in medio vmbilicata. Variæ * vario sunt colore: aliæ enim nigricant, aliæ corneo sunt colore, aliæ maculosæ. Proximè accedunt ad formam cochlearum terrestrium paruarum, quæ conglomeratæ fœniculi crassioribus caulibus adhærent: quæ etiam, præter reliquarum cochlearum terrestrium naturam, vmbilicatæ sunt: carneque sunt bona.



DE ALIA COCHLEA VMBILICATA, RONDELETIVS.

INTER cochleas vmbilicatas ea quoque fuerit, longior, & multis anfractibus contorta: quorum longitudo & obliquitas in causa est, quominus vmbilici extremum perspici possit. Testa lęuis est, & quasi cornea, vel vnguium substantiæ similis.

DE COCHLEA RVGOSA ET VMBILICATA RONDELETIVS.

TOTA huius cochleæ testa rugas per transuersum ductas habet, ita elatas vt striata dici possit. Colore intus est albo, foris flauescente, valde fragili.
Turbinis clauiculæ in acumen non desinunt. pars superior longiùs procurrit. Foramẽ valde apertum & longum.



Contra Bellonium hanc esse certam Nautili speciẽ

A Hanc tertiam esse nautili speciem ab Aristotele proditam falsò tradidit author libri de aquatilib. duas enim tantum polyporum species conchis concluforum ponit Aristoteles, vt antè ostendimus. Neque vllus est qui viderit in ea Concha Nautilum, qui minor est, quàm vt tãtam Concham secũ trahat: cuius etiam structura à facili oatione aliena est, ob transuersas rugas: cùm in marinis animantibus hoc diligentissimè cauerit natura, ne quid esset, quod natationi morã aut impedimentum afferret.

COROLLARIVM.

Bellonius inter Nautilos hanc Cochleam pinxit, sed descriptionem nullam addidit.

Vmbilici in testatorum genere varia significatio.

DE vmbilici marini significatione lege suprà de Cochleis mar. in genere, nostra & Rondeletij scripta. Sunt enim qui cochleam marinam omnẽ hoc ceu generis vocabulo comprehendant inter recentiores, quorum sententiam non probamus. Alij speciem vnam, quę & ipsa tamen alias sub se comprehendat, turbinati & cochlearũ generis, vt Rondeletius. Sed Arnoldus Villanouanus, Aggregator & alij, porcellanas vulgò dictas, quarum lęuis est, non turbinata concha, (de quib. inferius dicetur, in Conchis Porcellanis,) vmbilicos vocant: aliqui corrupta voce belliculos, quasi vmbilicos. Sunt postremò qui vmbilicum mar. & fabam marinam nominent, non animal aliquod integrum cum sua testa, sed operculum eius duntaxat, nempe Cochleę cęlatæ vt Rondeletius nominat: cuius iconem ac descriptionem paulò antè posuimus: Germani *Meerbonen*. Vmbilicus marinus (inquit Leonardus Fuchsius in Annotationibus in Nicolai Myrepsi librum 2. de compos. medicamentorum, in vnguenti citrini descriptione) lapis est exiguus, coloris infernè sui parte candidi, superna rubei, in litore maris repertus: & in altero sui latere, superno nimirum, hominis, puellarum maximè formosarum vmbilicum referens: vnde etiam illi nomen inditum est, vt vel Vmbilicus, vel Veneris vmbilicus à quibusdam vocetur. in altero autem planus, nisi quòd lineas veluti in domunculis ac testis cochlearum ductas in gyrum obtinet. Barbari ßelliculos nominant. ad quod Nicolaus noster respexit, qui habet, *ἀπὸ τοῦ βελλίου βελλίκιον*: ita vt potiùs Belliricus, quã belliculus, barbaris hic lapis appellandus veniat. Fertur puellis gratiam conciliare, (& plurimum facere ad formam amoremque: & ad morbos puellarum, Encelius: ex cuius de lapidibus libro, reliqua etiam ferè transcripsit Fuchsius.) Hodie pueris argento & auro inclusum, pro amuleto appendunt mulieres, Hæc illi.

DE

DE COCHLEIS STAGNI MARINI, RONDELETIVS.



TESTACEA pauca in stagnis marinis procreantur, plura tamen quàm in aqua dulci. crassiorum enim partium est aqua stagni quàm fluuiorum, & magis corporata calidioreque, ideo ad duriora & magis terrea gignenda aptior. In stagnis igitur reperias ostrea quædam, & Conchas nonnullas: & Cochleas, eam maximè rotundam & striatam quam hìc expressimus. Cæteras cum de marinis diceremus, exhibuimus.

COROLLARIVM DE COCHLEIS *marinis diuersis.*

MARINÆ etiam Cochleæ aliæ in testis sunt, aliæ sine testis, Brasauolus in Aphorismos 2. 18.

COCHLEAS quasdam peregrinas ex Oceano orientali, magnas, in Italia Boubali de Leuant, cognominant.

COCHLEÆ Ponticæ Persarum regem imitantur, æstiuos dies Susis agentem, hybernis vero Ecbatanis: etenim ad nuncupatam Propontidem calidam hyemant, æstiuum autem tempus ad Ægialum agitant, propter molles auras quas hoc mare eis afflat, Aelianus de animal. 10. 6.

IN Rubro mari Cochlea tum specie pulcherrima, tum maxima nascitur. Testa ei purpurea: & in eius medio spira siue voluta, mira colorum varietate & veluti floribus natiuis distincta. Sertum diceres summo artificio & ornatu contextum, è floribus multijugis, viridibus, aureis, rubicundis per æqua digestis interualla, Aelianus de animal. 11. 21.

Stromborum historia tradetur infrà in S. elemento: Neritæ in N.

Echinophori. VARIA sunt Cochlearum genera. Sunt oblongæ, quibus tubæ loco vtuntur tubicines: (echinophoros vocant aliqui, aut eclinophoros. Sunt & rotundæ in oleario vsu, quibus scilicet oleum effunditur: & pentadactyli: & quibus clauicula in acutissimum acumen intorquetur, Vuottonus. Oblongas fortè omnes strombos rectè dicemus. Obtusiorum verò ac rotundiorum, plerasque vmbilicos præsertim quæ magnæ non sunt vt oleariæ. De pentadactylis vide in Purpuris. *Strombi.*

COCHLEIS nonnullis innascuntur bestiolę similes gammaris pusillis, &c. Aristoteles. Vide suprà in Cancello.

DE COCHLEIS FLVVIATILIBVS. RONDELETIVS.

COCHLEAS paruas gignunt flumina & riuuli multi, Cochleis terrestribus similes sunt, similiter cornib. iter prætentantes, nisi quòd cornua habeant breuiora latioraque pinnularum ferè forma. Testa longiuscula in acutum deficiens Stromborum modo. Harum postrema depressa est magis, aculeis aspera, à quibus echinatam fluuiatilem nominare possumus. Similem aliquando in Ranarum ventre reperi.

COROLLARIVM.

Cochleæ perexiguę turbinati generis in ripis, lacuum præsertim nostrorum reperiuntur, quarum aliæ latiores sunt: aliæ oblongiores acutioresque. illos vmbilicos lacustres, hos verò strombos appellãris. *Wasserschneckle.* A B

Fluuiatilibus cochleis quæ in fluminibus & fossis nascuntur, non vescimur, Matthiolus. Cochleæ fluuiatiles virus olent, Dioscorides. Fluuiatiles & albæ virus habent, Plinius. Idem tamen paulò antè de cochleis in genere (nisi quis de terrestribus tantum accipere malit) dixerat, virus earum grauitatem halitus facere. F

Quartanis mederi dicuntur cochleæ fluuiatiles in cibo recentes: quidam ob id asseruant sale, vt dent tritas in potu, Idem. Et alibi, Ictibus scorpionum carnes fluuiatilium cochlearum resistunt crudæ vel coctæ. quidam ob id salsas quoq; adseruant. imponuntur & ipsis plagis. Venerem concitant cochlearum fl. carnes sale adseruatæ, & in potu ex vino datæ, Plinius. G

In Nilo inueniuntur Cochleæ ingentes, quæ vocem vlulatui similem ædunt, (nimirum si inflentur,) Strabo lib. 17. Cochleas Ægyptias quoque memorant authores, vt infrà in Terrestrium differentijs ostendam, hoc an aliud genus intelligentes, ignoro.

Cochleæ in lacu noſtro circa ripam inueniuntur diuerſorum generum: quę differunt inter ſe figura, colore, ſoliditate. Sunt enim quędam ex eis rotundiores, & in ſummitate, quam centrum ſeu principium ſpiræ dixeris, planiores hebetioreſque, ita vt vmbilicum ea parte referant. magnitudo quæ ſeſilis, id eſt terrenis ſylueſtribus illis quę fruticibus adhærent. harum aliæ candidæ ſunt, aliæ flaueſcunt: aliæ varię & maculoſę, ſolidiores. candidis hoc peculiare (neſcio an omnibus) vt foramen, quod ad alteram labiorum extremitatem eſt (labia voco oram ipſius teſtæ quà dehiſcit, quaque animal caput exerit) centro vel mucroni ferè oppoſitum, non ſicut in cæteris, terreſtribus quoque in obliquum, ſed recta mucronem verſus pateat. Labia in his, rotundioribus dico, præſertim varijs, eleganter in margines prominent, intus candida omnibus. Eſt & genus vnum, minimum, planè compreſſum & ſeſſile, tubæ cuiuſdam in ſe retortæ inſtar. Aliæ ſunt oblongæ, candidę, pallidæue: quas ſtrombos potius quàm cochleas dixerim: teſta in mucronem turbinata, fragiliores. foramen mucroni oppoſitum in eis non apparet. mucrone differunt, qui alijs longior eſt: alijs perbreuis. marem & fœminam fortè dixeris. Maximę tres circiter digitos longę ſunt. Videtur & proprium quoddam genus candidum, turbinatum, minus iam dictis.

Mituli quoque in lacu noſtro reperiuntur, paruuli. albicantes: & quidam fuſci, maiores vtrique fragiles. Et aliud quoddam biualue genus, ad fabę magnitudinem, dorſo (vt ita dicam) gibbo, vt in tellinis & chamis quibuſdam. Cochleis aquaticis piſces quidam veſcuntur.

DE COCHLEIS TERRESTRIBVS, QVAS LIMACES APPELLANT.





TESTATORVM genus naturam proportione plantis reſpondentē (ἀντίστροφον) habet: hinc eſt quòd nullum in terra gignitur, aut paruum, quale genus limacum eſt, (τὸ τῶν κοχλιῶν:) & ſi quid eiuſmodi aliud ſit ſed rarum. at in mari ſimili que humore multa & varia gignuntur. Genus plantarum contrà, &c. Ariſtot. de generatione anim. 3 11. Quamobrem nos hoc in loco poſt marinas cochleas, de terrenis etiam agere voluimus: propter naturæ cognationem: & quod in terreſtribus nullum genus, cui aptè adſcribi queant, reperiatur. quamuis enim exangues, inſecta tamen non ſunt. Iſidorus limacem vermem limi appellauit, ſed impropriè. vermes enim inſecta ſunt. Limaces, cochleæ à limo appellatæ, Feſtus Pomp. (& Columella libro 10.) intelligit autem, vt ſentio, terreſtres, Grapaldus. In limo quidem & generantur & nutriuntur, Albertus. Λειμα, animal ſimile cochleæ, Heſychius & Varinus. A. Græcorum vulgo hodie κοχλιοι vel σέλιγγας nominatur. Beſtiolarum genera quædam herbis innaſcuntur, raphano erucæ & vermiculi: item lactucis & oleri: vtriſque hoc amplius, limaces & cochleę, Plinius. Idem cum nominat cochleas quæ eduntur, hoc genus de quo ſcribimus, intelligere videtur: cuius ſpecies alias non edules deſcribemus infrà. Chometh, חמט, Hebraicā dictionem, Leu. 11. & Num. 14. alij limacem, concham, teſtudinem, alij lacertam interpretantur. Sed teſtudinis nomine pro cochlea multi Latini ſermonis imperiti abutūtur. ego omnino lacertū ſignificare puto. vide in Lacerto A. inter Quadrup. ouip. Schablul שבלול, potius limax eſt, vt Dauid Kimhi interpretatur: & Rabi Salomon Pſalmo 58. conſentit Abraham Eſra quoque quanquam aliqui veluti שבלול intellexerunt. Chaldæus vertit tibelela תיבללא: Arabs liſchmat, ſi rectè ſcribo vocales לשמעה. Septuaginta κηρὸς. Hieronymus cera. item vermis. Vide in Teſtudine A. Auicennæ & Serapioni limax dicitur Halzun: (Albertus ex interprete in hiſtoria animalium vocabulum alzun ponit. (vel oſtrei,) vbi Græce apud Ariſtotelem concha legitur. Vnde & Haalcena, vox corrupta puto, apud Syluaticum.

Idem

Idem barbara hæc nomina, Caſia, Cotia, Coliris, pro limace accipit. Limaces noſtræ maiores vulgares & edules, à Matthiolo pomatiæ exiſtimantur. Vide infra in Pomatijs.

Limax Italis eſt lumaca, lumacha, limaca: & apud Tuſcos, chiocciola: Venetis bubalo vel bouualo. Hiſpanis, *concha* vel *caracòl.* Prouincialibus & Hiſpanis *Scaragol* vel *Cagarolo*, cochleam terreſtrem ſignificat, Rondeletius. Gallis, *limaſſon, eſcarcot*. Germanis, *ein Schneck, Schnegg, Schnegel.* Flandris, *Slecke.* Anglis, *a Snayle.* Bohemis & Illyrijs *hlemyzd*, vel *hlemayzd.* Albertus ineptè teſtudinem cum limace confudit. Vide etiam ſuprà in Cochlea in genere A.

Limaces terreſtres teſta intectis adnumerātur: eorum caro penitus includitur, nec vlla ex parte conſpicitur excepto capite, Ariſtot. Capitis figura carent. oculorum loco habent cornua quædam mollia: in quibus ſunt duo nigra puncta, quæ vſum quendam & actum perficiunt oculorum, Albertus. Græci etiam quidam oculos vocant impropriè: vt ille in gripho: Ὄμματα τ' ἐκκύπτοντα ἀρέμικ α, κ' εἰσκύπτοντα. B

Teſtudo (Cochlea) & limax oculos ſuos habent in ſummitate cornuum ſuorum: & cum appropinquat aliquid, retrahunt oculum in cornu, cornua verò in caput, & caput in corpus. ſic & pectē oſtreum ſi quis digitos admoueat: ſubitò claudit oculum: ex quo cognoſcitur habere viſum, Albertus. Limax cornua quatuor habet, duo breuia, & duo longa: quæ extendit, cum progreditur: contrahit, cum recolligitur in ſeipſum, Idem. Inueniuntur in corniculis cochlearum harenaceæ duriciæ, Plinius. Et cochleæ dentes habent indicio eſt à minimis earum deroſa vitis, Plinius. Qui echeneidem vidêre, limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt, Idem. Limacum teſta clauiculatim intorta eſt. hæ cum de teſta exerunt caput, quoniam oculis carent, bina cornicula prætentandi iter cauſa prætendunt: quæ ſi quid obſtaculi reperiunt, reſiliunt, equinamque ſeu potius bouinam effigiem præferunt: vnde Veneti ab eiuſmodi imagine bubalos eas vocant, Maſſarius.

Limax è putredine herbarum & viſcoſo rore generatur: viſcoſitas autem terreſtris circumquaque dureſcit in teſtam, in qua habitat, Albertus. Limax teſta detracta hebeteſcit, Maſſarius. Sale ſuper eam proiecto tota liqueſcit ferè, & in aquam viſcoſam conuertitur, Albertus. Circa initium Auguſti exire eas è teſtis ſuis audio, & nouis ſuperinduci. Limax nomen accepit à limo, in quo generatur & nutritur, Albertus. Limaces naſcuntur in vicia, & aliquando è terra cochleæ minutæ, mirum in modum erodentes eam, Plinius. Rore paſcuntur cochleæ, vt cicadæ: hinc illud fortè ex Philyllio poëta Atheneus citat: Nō ſum cicada, neq; cochlea, ô mulier. οὐκ εἰμὶ τέττιξ, οὐδὲ κοχλίας, ὦ γυναι. Marcellus ex amputato capite cochleæ matutinum rorem paſcentis, remedium quoddam dictat. Teneras audent erodere frondes Implicitus conchæ limax, hirſutaque campe, Columella. Dentes habent, indicio eſt à minimis earum deroſa vitis, Plinius. Plura de cibo limacum reperies mox in E. Cochleæ mirè in Campania caulem aſphodeli perſequuntur, & ſugendo arefaciunt, Idem. Quaſi cum caletur cochleæ in occulto latent, Plautus Capt. Limaces hyeme deliteſcunt, Ariſtot. Hyeme latent, vêre prodeunt, Albertus. E terra exeunt cum vêre pluit, Braſauolus. Vêre pectines, limaces, hirudines eodem tempore euaneſcunt, Plinius. Cochleæ etiam (vt ſerpentes) conduntur (hyeme:) illæ quidem iterum & æſtatibus adhærentes maximè ſaxis: vt etiam iniuria reſupinatæ auulſæque, non tamen exeant, Plinius. De Cauaticis, quæ è cauis terræ non prorepunt, inferiùs dicetur. Cochleæ latitant etiam hyeme, ſed magis æſtate. quamobrem plurimæ apparent cum autumno pluerit, τοῖς μετοπωρινοῖς ὕδασι. Latent autem tum in terra, tum in arboribus æſtate, Theophraſtus citante Athenæo. Limaces omnes leuiore quodam tegmine ſibi ſuperimpoſito hyeme latent: ſed pomatiæ peculiare ab hac re nomen ſibi inuenerunt, Vuottonus. Limaces etiam coëunt, & oua pariunt (vt audio) candida, magnitudine oculorum lucij piſcis: quibus incubantes aliquando reperiuntur Maio menſe. C

Perdices & ardeas hoſtes ſuos cochleæ agnoſcunt, & fuga ſibi cauent. itaque vbi aues illæ paſcuntur, nuſquam reptantes videris cochleas. At qui è cochlearum genere Ariones Ἀρείοντες) ſâila Ἀρειονε,) vocantur, naturali quadam calliditate iam dictas aues decipiunt & eludunt. Egreſſi enim è teſtis ſuis, abſque metu paſcuntur. Aues verò ad teſtas vacuas fruſtra aduolant: & cum inanes viderint, tāquam inutiles abiiciunt, & ſe recipiunt alió. redeunt illi, ad ſuam quiſque domum, & cibo iam ſatur, & dolo ſuo incolumis, Aelianus 10.5. Perdices in Sciatho inſula cochleas edunt, Athenæus. Lacertę inimiciſſimum genus cochleis, Plinius. Deuorant cochleas, bruchos, &c. Matthiolus. Simiam audio timere limaces: qui ſi circumponantur ei, comprimit ſe, metuit, nec audet contingere. D *Ariones.*

Cochlearum non marinarum, vt putauit Bellonius, ſed terreſtrium viuaria fuiſſe Romanis quondam in vſu, quiuis vel mediocriter attentus, ex locis authorum mox recitandis, perſuaderi poterit. Ex Varronis de re ruſtica libro 3. Leporarij alterum genus illud venaticum duas habet diuerſas ſpecies: vnam, in qua eſt aper, caprea, lepus: alteram item extra villam, quæ ſunt, vt apes, cochleæ, glires. Et alibi: T. Pompeius in Gallia tranſalpina tantum ſeptum venationis habere dicitur, vt circiter triginta millia paſſuum locum incluſum habeat. Præterea in eodem conſepto habere ſolet, de animalibus coclearia atque aluearia, &c. Et rurſus: De cochleis ac gliribus, inquit Axius, quod reliquum eſt, non quæro. neque enim magnum emolumentum eſſe poteſt. Non iſtuc tam ſimplex eſt, inquit Appius, quàm tu putas ô Axi noſter. Nam & idoneus ſub dio ſumendus eſt locus coclearijs, quem totum circum aqua claudas, ne quas ibi poſueris ad partum, non liberos earum, ſed ipſas quæras. Aqua inquam cludendæ, ne fugitiuarius ſit parandus locus. Is melior, quem & non coquit ſol, & tangit ros. Qui ſi naturalis non eſt, vt ferè non ſunt (*non ſunt aquæ, vel ros non eſt,*) in aprico loco: neque habeas in opaco, vbi facias, vt ſunt ſub rupibus, ac montibus, quorum alluant radices lacus, ac fluuij: manu facere oportet roſcidum: qui fit, ſi adduxeris fiſtulam, & in eam papillas impoſueris tenues, quæ eructent aquam, ita vt in aliquem lapidem incidat, ac latè diſſipetur. Paruus his cibus opus eſt, & is ſine adminiſtratore. Et hunc, dum ſerpit, non ſolū in area reperit: ſed etiā, ſi riuus nō prohibet, in parietes ſtantes inuenit. Denique ipſæ exgruminantes ad propalam vitam diu producunt, cū ad eam rē pauca laurea folia interiiciant, & aſpergant furfures non multos. Itaq; coquus has viuas an mortuas coquat, plerūq; neſcit. Genera coclearū ſunt plura, vt minutæ albulæ, quæ afferūtur è Reatino: & maximæ, q̄ de Illyrico E *Viuaria limacum.* *Ex Varrone.* *Albula minuta.* *Illyrica.*

 apportantur:

Africanæ. Solitanæ. apportantur: & me'iocres, quę ex Affrica afferuntur. (Non quod in his regionibus quibuſdam locis, eæ magnitudinibus non ſint diſpariles. nam & valde amplæ ſunt quædam ex Africa, quæ vocãtur Solitanæ, ita vt earum calices quadrantes octoginta capere poſſint. & ſic in alijs regionibus eædem inter ſe collatę & minores ſunt, & maiores.) Hæ (*Africanis fœcunditas præcipua. Plinius*) in fœtura pariunt innumerabilia. Earum ſemen minutum, & teſta molli diuturnitate obdureſcit. Magnis inſulis in areis factis, magnum bolum deferunt æris. Has (*Africanas*) quoq; ſaginare ſolent ita, vt ollã cũ foraminibus incruſtent ſapa, & farre, vbi paſcantur, quæ foramina habeat, vt intrare aër poſſit. Viuax. n. hæc natura. Hæc omnia Varro.

Varronis quædã explicata. Sunt autem quædam in eius verbis obſcura, & fortè deprauata, quæ fortè olim reſtituent qui codices nacti fuerint vetuſtos & emendatiores. Verbum exgruminantes Georgius Alexandrinus interpretatur, de menſura & recta via excedentes, vel grumos eruentes. Author Prumptuarij (vel quiſquis eſt, è quo ille tranſcripſit) exgrumantes legit, & interpretatur grumos eruentes, & ex grumis exilientes. grumus enim eſt terræ collectio, à congerie dictus. De cochleis Africanis, Solitanis, aliiſque ſpeciebus, dicemus infra. Propalam aduerbium ſignificat clarè, apertè, in propatulo. Sed quid ſibi volunt hæc verba? Exgruminantes ad propalam vitam diu producunt, &c. Ego ſanè ſenſum eruere nullum poſſum: niſi quod ex ſequentibus colligo, è cochlearum ſaliua ſuo tempore tanquam exgrumante, concreſcenteque opercula gigni: ita vt incluſa intus animalia viuant an mortua ſint dubites. & fortè vt opercula citiùs aut melius obducantur, interiecta laurea folia & furfures aſperſi, nonnihil adiuuant. Cæterum quòd in fine ollam perforatam eſſe iubet, vt intrare aër poſſit: & cauſam addit: Viuax enim hæc natura eſt: ad aërem refero: quòd hoc elementum non modò reſpirantibus ad vitam neceſſarium: ſed alijs etiam pleriſque, licet reſpirantibus, vitalis vigor ab aëre foueatur ac conſeruetur. Cochlearia ipſa, id eſt loca in quibus aluntur cochleæ, inſulas vocat, quod vndique includantur aquis.

Cochlearum viuaria (inquit Plinius) inſtituit Fuluius Hirpinus in Tarquinienſi, paulo ante ciuile bellum, quod cum Pompeio Magno geſtum eſt, diſtinctis quidem generibus earum, ſeparatim vt eſſent albæ, quæ in Reatino agro naſcuntur: ſeparatim Illyricę, quibus magnitudo præcipua: Africanę, quibus fœcunditas: Solitanæ, quibus nobilitas. Quin & ſaginam earum commentatus eſt, ſapa & farre, aliiſque generibus, vt cochleæ quoque altiles ganeam implerent: cuius artis gloria in eam magnitudinem perducta ſit, vt octoginta quadrantes caperent ſingularum calices, autor eſt M. Varro. Hæc Plinius, qui ex Varrone, vt apparet, hæc omnia tranſcripſit: ſed poſtremum illud non verè, ſaginandi arte cochleas ad eam magnitudinem perductas, vt octoginta quadrantes caperent ſingularum calices. non enim hoc de altilibus Varro, ſed ſimpliciter de Solitanis dixit, quæ in Africa tantæ proueniant. Cæterum Fuluius Hirpinus hic fuit, qui (vt memi it Plinius lib. 8. primus togati generis ſuum, cęterorumque ſylueſtrium animalium viuaria inſtituit. De hoc & alibi Varro, capite 12. libri 3. Quintus Fuluius leporarium dicitur habere in Tarquinienſi ſeptum, iugerum quadraginta: in quo ſunt incluſa, non ſolum ea quæ dixi: ſed etiam oues feræ, etiam hoc maius hic in Statonenſi: & quidam in locis alijs. Deinde de T. Pompeij ſepto ſubiungit, in quo is cochleas habuerit altiles, vt ſupra recitauit. de Fuluio id non dicit, vt in hoc etiam fortè memoria aut feſtinatione lapſus ſit Plinius. Sed hæc cochlearum ſaginatio non multum temporis durauit, iam Macrobij ſeculo ignota. is enim Saturnaliorum 3. 13. Si cui (inquit) mirum videtur, quòd ait Varro lepores ætate illa ſolitos ſaginari, accipiat aliud quod maiore admiratione ſit dignum, cochleas ſaginatas, quod idem Varro refert. Plinium quidem de terreſtrium ſaginatione locutum, Platinæ etiam & Grapaldo viſum eſt.

Cochleæ vites & ſtirpes varias erodunt, folia, cymas, germina, gemmas inuadunt. Contra culices & limaces, vel amurcam recentem, vel ex cameris (caminis) fuliginem ſpargimus, Palladius. Deſtillatur è limacibus Maio vel Octobri menſe aqua, in qua ferrum extinctum chalybis induere duritiem tradunt, Adamus Lonicerus.

F Sunt qui meliores ex mari piſces faſtidientes, mucoſum cochlearum callum in cœnis amant, Marcellus Vergilius. Cochleæ terreſtres quæ in altioribus & montanis locis inueniuntur, ſapidiores ſunt, Braſauolus. Cochleæ omnes in vniuerſum, licet colore & magnitudine differant, eandem naturam obtinent. Si verò aliquo pacto inter ſe differunt, id natalis ſoli cauſæ aſcribitur. nam quę in apricis admodum locis, odoratis victitant herbis, ijs ſanè præſtant, quæ in opacis degunt ac paluſtribus. Id enim guſtu facile deprehenditur: quòd hæ inſipidæ habeantur, vel paluſtrem reſipiant limum: illę verò ſapidiores, eſuique gratiores exiſtant. Quandoquidem abſinthium depaſtæ, amaritudinem reddunt: ſicuti quæ ſerpyllum, pulegium, calamintham, origanum, (petroſelinum, fœniculum, ſtichadem, Amatus Luſit.) aliaſque odoratas herbas aſſumunt, odoris gratia commendantur, Matthiolus. Carnes limacum an præ cæteris ſint laudandæ, Petrus Aponenſis diſputat in Quæſtionibus ſuis 68. In Alexandria Aegypti ſalſamenta & limaces, quidam etiam aſininas carnes edunt, &c. vnde elephantiaſin eis frequentem eſſe contingit, Cælius Rhod. ex Galeniad Glauconem lib. 2. Cochleæ terr. ſtomacho vtiles ſunt, & non facilè corrumpuntur. Optimæ Sardonicæ, Aphricanæ, Aſtypalaicæ, & quæ in Sicilia ac Chio gignuntur: & quæ in Liguriæ alpibus, pomatiæ id eſt operculares cognominatæ. Marina & ſtomacho idonea, & faciè aluo excernitur: Fluuiatilis virus olet, Dioſcor. Cochlearũ cibus (inquit Plinius) præcipuè medetur ſtomacho. In aqua eas ſubferuefieri, intacto corpore earũ oportet: mox in pruna torreri nihilo addito: atq; ita è vino garoq; ſumi, præcipuè Africanas. Nup hoc cõpertũ plurimis prodeſſe. Id quoq; obſeruãt, vt numero impari ſumant. Virus tamen earum grauitatẽ halitus facit. Laudatiſſimæ autẽ ſunt Africanæ, ex his Solitanæ: Aſtypaleicę, Siculę modicę: quoniã magnitudo duras facit & ſine ſucco. Balearicę, quas cauaticas vocant, quoniam in ſpeluncis naſcuntur. Laudatæ & ex inſulis Caprearum. Nullæ autẽ cibis gratæ neque veteres neque recentes: *Hoc ita accipio: tanquam dicat, neque multo tempore reſeruatas domi placere in cibo, neque etiam recenter lectas.*) Marinæ ſtomacho vtiliores. efficaciſſimæ tamen in dolore ſtomachi. Laudatiores traduntur quæcunq; viuæ cum aceto deuoratæ, Hæc ille. In Italia hodie quouis ferè anni tempore limaces edi audio. colligi eas autũno cœlo pluuio: ſeruari in cella aliqua, vbi ſtrati ſint furfures, vel arena, vt purgentur. deinde parietibus & paſſim ſe affigentes per hyemẽ relinqui, vt verno & quadrageſimalis ieiunij tempore in cibum veniant. Veſcuntur eis qui ad populum declamant eam ob cauſam, quòd

Q. Fuluius

pectus & vocem roborare credantur. E noſtris etiam & quæ nobis ciſalpinæ ſunt regionibus colligi, & trans alpes vehi Italiam verſus audio. Non ita pridem apud nos quoque menſis ganeonum quæri cœperunt. Parantur autem plerunque ſic: Vbi ita purgauerint & elixauerint, vt paulò poſt ex Platina ſequetur: frigunt demum butyro, vel piſcium inſtar elixant: vel in teſtas ſuas reponunt, cum butyro & pipere modico: ac ſuper craticula aſſant parum, dum liqueſcat butyrum: & cum teſtis ceu oſtrea miſis inferunt. Dura eſt cochlearum terreſtrium caro, Græcis vbique in quotidiano menſarum vſu, eoque concoqui pertinax: eadem tamen ſi conficiatur, valentiſſimè nutrit. Succus earum, vt teſtaceorũ in aquis, ventrem ſubducit. quamobrem aliqui conditis eis cum oleo, garo & vino, iuſculo inde facto vtuntur ad aluum ſubducendam. At ſi nutrimenti tantùm gratia carne earũ veſci libuerit: in aqua priùs feruefacito: eaque pòſt effuſa, rurſus in altera elixato: deinde decenter condiens tertiùm decoquito, vſque dum caro tota præ teneritudine intabeſcat. Nam hunc in modum præparata, vt aluum retinet, ita alimentum nõ contemnendum corpori præſtat, Galenus de aliment. fac. 3. 2. Limaces ſua humiditate & lentore nutriunt, & agunt reſiſtendo acrimoniæ caloris infixi membris. Eduntur elixæ, ſaccharo & cinnamomo aſperſæ: raro tamen, quoniam difficilis coctionis ſunt, Nic. Maſſa. Noſtræ mulieres ſecretum quoddam genus coctur æ ſciunt, quo adeò tenellæ efficiuntur, vt in ore liqueſcant, & nihil callositatis habere videantur, Braſauolus. Et rurſus, Cochleæ quæ in frutetis naſcuntur, aluum circumagunt & ſtomachũ, vomitiones mouent, ſed & aluum emolliendi vim habent. (*De his infrà ſeorſim.*) De paruis loquor, quæ in arboribus & frutetis naſcuntur: non de maioribus. Et hoc etiam (*maiores addendum puto*) efficiũt, (*hoc eſt alcum mollient; non etiam vomitum mouent,*) ſi elixatæ fuerint ex petroſelino, porro, oleo & ſale: & iuſculum hoc ſimul edatur. illæ etenim quę friguntur, & è viridi ſapore (*embammate*) eduntur, aluum non emolliunt: pleraunque verò difficilioris ſunt coctionis niſi ritè percoctæ ſint. Coqui multifariam cochleæ poſſunt. Iactæ in vas vbi modicum aquæ inſit, per noctem aut diem reponendæ, cooperculo addito ne prodeant, purgabuntur vehementer. Sunt qui eas lacte per noctem paſcant & purgent. Illatas deinde in cacabum, cum recenti aqua ad focum tandiu retineãt, quoad ſemicoctę ac bene ſpumatę fuerint. Ex cochleis verò erutæ, ac primum ex aqua calida bene lotæ, ſubinde ex aceto & ſale confricatæ, rurſumque lotæ ac farina inuolutæ, in feruenti oleo aut liquamine ſunt frigendæ: frictas, aut mentha ſylueſtri, allio, pipere, coriãdro, tunſis & agreſta diſſolutis: aut ſalſa viridi ſuffundes. Elixæ, vt mihi quidem videtur, aut alliatum, aut moretum requirunt. Cochleæ ſi ſine multo allio aut moreto fuerint, boni alimenti ſunt. pectori & pulmoni opitulantur. Hepar, eius fibras laxando, iuuant: hecticis proſunt, Platina. Nonnulli hodie cochleas hecticæ febri laborantibus concedunt, non contẽnendo auxilio, Amatus Luſitanus. Qui phthiſi afficiuntur, maritima loca vitare debent: atque illic maximè, vbi pix conficitur, commorari, ibique cochlearum carne cũm vino excoctarum aſſiduè veſci, Marcellus Empiricus.

REMEDIA EX LIMACIBVS DIVERSA.

1. A capite ad pedes intus & foris.
2. Ex ſaliua.
3. Ex lapide, arena, oſſiculo, cornu.
4. Ex aqua deſtillata.
5. Et teſtis inanibus.
6. Ex iiſdem vel integris vſtis.

Cochlearum genus omne ſimili ferè ad remedia facultate pollet: nos tamen vt authores diſtinxere, ſeparauimus. itaque ſeorſim & hiſtoriam & remedia cochlearũ in genere perſcripſimus, deinceps etiam diuerſas terreſtrium ſpecies & ex eis medicinam tradituri. Maiores, candidæ & teſtatæ cochleæ, vt ad cibum ſic ad remedia & præcipuè in vſu ſunt. Teſtudinem pro limace dixit interpres Raſis, cap. 75. de remedijs ex animalibus.

Aſclepiades apud Aëtium carnem cochleæ terr. acopo cuidam ſiue vnguento ad ſedandos iſchiadis dolores admiſcet. Sanguinem ſiſtunt cochleæ terr. extractæ teſtis, Plinius. Limaces Io. Tagautius addit emplaſtro ad maturanda œdemata: aliqui etiam ad reſoluendum. Limaces per ſe vel cum alijs miſcentur cũm melle & felle bouis: ſic autem impoſitæ anthraci vel alijs apoſtematibus venenoſis maturant ea & rumpunt, & quemlibet tumorem eorum diſſoluunt, Arnoldus Villanou. Limacem ſi quis contuſum vlceri impoſuerit, præſentaneum fertur eſſe remedium, Dauid Kimhi vt citat Munſterus in voce Schablul. Terrenæ cochleæ totæ exemptæ, tuſæ & impoſitæ, recentia vulnera conglutinant, & nomas ſiſtunt quæ non adhærent, Plinius. Remedia & cochleis & limacibus ad vulnera cum alia tum neruorum glutinanda, recitaui ſuprà in cochleis in genere. Cartilagines glutinant caro & ſaliua cochlearum. ſed ſi magna vulnera ſunt fibula priùs conducere vel acu oportet: deinde medicamento impingere. id in cartilaginibus aurium narium ſieri debet: Cochleæ cum ſuis volutis diu teruntur in mortario, vt nihil aſperi reliquum ſit. ſanguis draconis ſubquadruplâ, manna ſuboctuplâ ratione adiungitur. permiſcentur in mortario, & effinguntur, Hollerius. Et rurſus, Aurium caua argilla impleri debent. argilla prius cochleæ ſaliua, & acidi Punici liquore ſubigatur. Ad phlegmonen crurum aut pedum, laudatum: Limaces terreſtres cum teſtis viginti ſubactis, cimoliam, & oui lutei quantum ſatis eſt, imposito mortario, vt ceræ conſiſtentiam acquirant: & probe confectum cum penna illinito, Nicolaus Myrepſus. Limacibus medici noſtri ad veterum imitationem pro tuberculis maturandis per ſe, uel alijs admixtis medicamentis vtuntur, Amatus Luſitanus. Ad fœminarum ſtrumas veteres (*hoc uel ad ſtrumas uel ad cochleas referri potest*) cochleæ cum teſta ſua tuſæ illinuntur, maximè quæ frutetis adhærent, Plinius. Cochleæ quæ ſalinis (*fortè ſentibus*) inhærent, cũ teſtis ſuis tunſę, atq; impoſitæ ſtrumis, efficaciter proſunt, Marcellus. Cochlea terr. contrita & illita ſcrophulas deſtruit, Kiranides. Aëtius libro 8. cap. 10. remedia deſcribens ad facieilentigines, quibus etiam ad maculas à Sole prouocatas, & ad varos vti liceat: Poſt cætera, Ad diuturnas autem lentigines (inquit) hoc vtere: Bulborum depuratorum, thuris, vtriuſque vnciam vnam: contere, adiecto cochlearum terreſtrium magnarum cruore, (muco.) Oportet autem ipſas adhuc viuas ſtilo pungere: atq; id quod effluit mucoſum

Ad cartilagines reſarcptas.

Ad ſtrumas.

Ad lentigines.

Oleum de limacibus. pharmaco iniicere. quod vbi vſus tempore diſſolueris melle exceptum inunge. Oleum de limacibus ad dolores membrorum & artuum, etiam internos & latentes, quacunque ex cauſa, vt arthritide vel Venerea lue, ex libro quodam manuſcripto: Cochleas albas quæ per arbores ſcandunt, centum in pila contunde: & impone in ſaccum, longum ferè dimidium brachij, latum quadrantem. ſed ſalis manipulum plenum infrà ſupraque cochleas ſimul inde oportet. Suſpende loco calido, & quod effluxerit oleum collige: eoque perunge partes affectas & dolentes, in quibus nullus rubor forinſecus neque tumor apparet. Argentum viuum poteſt etiam extingui butyro, vel limaciarum (limonum potiùs de genere citriorum) ſucco, ſed minùs efficaciter, Thomas Philologus. Limacem (viuam ni fallor) ſuperſtitioſi quidam panno incluſam, pro febris amuleto commendant, ſi collo pendens geſtetur. Harundines & tela, quæque alia extrahenda ſunt corpori euocant cochleæ, ex his quæ gregatim folia ſectantur, contuſæ impoſitæque cum teſtis: & eæ quæ manduntur, exemptæ teſtis: ſed cum leporis coagulo efficaciſſimè, Plinius. *Ad caput.* Cocleæ matutinum rorem paſcentis caput arundine præciditur, & in linteolo licio alligatur, colloque ſuſpenditur, continuo medetur capiti dolenti, Marcellus. Kiranides ſimile amuletum ex limace nuda refert. vide inferiùs. Vt capilli multiplicentur: Limaces trecentas ſuis teſtis exemptas, in aqua diſcoques: & extractis denuò pingue quod ſupernatat colliges: idque in vaſe vitreato reſpondes, & ſuperinfundes ſextarium aquæ, in qua folia lauri decocta fuerint: & tria cochlearia olei de oliuis, mellis cochleare vnum, croci ſcrupulum, & parum ſaponis Veneti, & cochlearium communis modicè conquaſſati. Bulliant ſimul omnia. Hoc liquore capillos ſæpiùs inunges: & lauabis lixiuio facto de cinere combuſtorum braſſicæ caulium, &c. (locus eſt obſcurus vel corruptus.) & percipies quotidie pilos augeri, Andreas Furnerius in libro Gallico de decoratione. Quærito cum duro quas geſto corpore dotes, Cui ſpuma Gerculeo defluit ore malo, Io. Vrſinus: cuius interpres Iacobus Oliuarius, Vtilis eſt cochlearum cibus epilepticis inquit: neſcio quàm veriſimiliter. Vnguentum quo capilli flaueſcunt: Cochleas quotquot voles in vas impone, & ſalem ſuper eas iniice: ſic veluti vnguentum fieri aiunt, quo capilli nigri illiti colorem flauum trahant, & magis etiam ſi præraſi fuerint, Ex libro Germanico manuſcripto. *Ad oculos.* Ad oculorum dolores: Limaces teſtis exemptas in aqua coquito: quæ vbi refrixerit, adipem ſuperna tantem colligito. medetur is omnifarijs oculorum doloribus, Incertus. Anacollema ad reſtringendas fluxiones: Limacem cum teſta tuſam, toti fronti & temporibus illinito, Galenus Euporiſton 1.36. Cochlea terr. contrita & illita fronti, dolorem & rheûma oculorum ſiſtit, Kiranides. Ad epiphoras oculorum ſedandas, limaces complures tere in mortario nouo vel nitido, & adiice ibi ouum gallinaceum incoctum, & tinge illic lanam ſuccidam, & fronti impone, Marcellus Empiricus. vide etiam infrà in remedijs è ſaliua limacum. *Ad aures.* Cochleæ quæ ſunt in vſu cibi cum myrrha aut thuris polline appoſitæ, item minutæ & latæ, fracturis aurium illinuntur cum melle, Plinius. Cochlea terr. circumfotu aurium plagas & rupturas ſanat, Kiranides. Vide ſuperiùs in auxilijs ad vulnera cartilaginum. *Ad nares.* Compoſitio è limacibus ad narium vitia, præcipuè ozænam & polypum, deſcribitur à Galeno Euporiſton 1.25. *Ad fauces.* Aſperitatem faucium & deſtillationes leniunt cochleæ: coqui debent in lacte, demptoque tantum terreno conteri, & in paſſo dari potui, Plinius. Cochleæ terra tantum excuſſa, illotæ coquuntur, dehinc tritæ cum paſſo Cretico aduerſum faucium moleſtias hauriuntur, Marcellus Empir. *Ad tuſsim.* Ad ſputum educendum & contra tuſſim, quidam limaces teſtis exemptas cum hordeo decoquunt, & ius colatum tepidum propinant. hoc remedium humores craſſos valde attenuat, & per ſputum educit, Arnoldus Villanou. in libro de aquis medicinalibus. Ad tuſſim ſiccam in equo curandam: Limaces integras cum frumento aut hordeo diſcoques, & equo dabis eam aquam in potu, ita vt aliud non bibat, donec conſumpſerit, Ruſius. *Ad ſanguinis excreat.* Proſunt cochleæ (terrenæ) & ſanguinem excreantibus dempta teſta tritæ in aquæ potu, Plinius. *Ad phthiſin.* Aduerſus phthiſin: Viginti aut triginta limaces contere in mortario, contritaſque proiice in menſuras quatuor aquæ, & coque ad dimidium, offerque ægrotanti ſingulis matutinis menſuram conuenientem. & ieiunet duas aut tres horas, ſemper reiterando quouſque conualeſcat, &c. Incertus. *Ad ſtomachũ.* Cochleæ marinæ efficaciſſimæ ſunt in dolore ſtomachi. laudatiores traduntur quæcunque viuæ cum aceto deuoratæ, Plinius. *Ad aluũ mou.* Aluum molliunt cochleæ, ſed magis marinæ. eas enim faciliùs excerni Dioſcorides dixit, & ſalſedinis plus habent. Serenus de terrenis ſenſiſſe videtur, ex eo quòd vrtica aut furfure priùs paſci iubeat cochleas ventris molliendi gratia ſumendas. Purior hinc guſtus noxa ſine moueritaluum. Vide etiam ſuprà in F. *Ad vmbilicũ eminentem.* Ad vmbilicos infantum eminentes: Carnes coclearum teres, & his myrrhæ puluerem miſcebis, & in linteolo inductum impones: & ſubfaſcia, vt faciliùs reprimat: & cum acacia tritum, & aqua ſimiliter temperatum ſubponendum eſt, Theod. Priſcianus. *Ad hepar.* Ad inflammationem hepatis: Cochlearum terr. carnem optimè conterito, & vini nigri cyathos tres affundito, calefacito, ac bibendum præbeto. ſecundum omnem ſubſtantiam ſuam efficax eſt, ſicut & hepar lupinum, Aëtius ex Galeno. Caro limacum hepatis intemperiei tum calidæ tum frigidæ, ſalubris eſt tota ſua ſubſtantia, ablato limacum lentore multis lotionibus & frictionibus in lixiuio calido, vel aqua calida ſali aut arenis miſta: frigida enim dureſcunt. Syluius. *Ad lienem.* Cochleæ vtiles ſunt phthiſico, Splen retro nimium cuiue cruore tumet, Io. Vrſinus, nimium indiſtinctè. Iacobus Oliuarius ſcholiaſtes eius in cibo eas lienoſis prodeſſe putat: ego foris potiùs applicauerim, vt & alijs tumoribus duris. *Ad colicam.* Cochleæ terr. ſucculentæ in cibo ſumptæ, obluctari & ſeſe opponere colicæ affectioni videntur, Aëtius. Ex eodem remedium aduerſus eundem morbum, quod conſtat cornu cerui tenero vſto, cochleis terr. pipere & myrrha, in Ceruo deſcripſimus. *Ad hydropem.* Ad hydropem aſciten: Limaces cum ſuis conchis tritæ ventri imponantur emplaſtri modo, donec ſponte cadant. exiccant enim vehementer, Leonellus Fauentinus. *Ad calculum.* Ad calculum renum: Limaces coctæ cum teſtis ſuis contritæ tres numero in vino bibuntur, ſequenti die binæ, & tertio vna, Alexander Benedictus.

Remedia muliebria. Cochleæ in cibo ſumptæ accelerant partum: Item conceptum impoſitæ cum croco. Eædem ex amylo & tragacantha illitæ, profluuia ſiſtunt. Proſunt & purgationibus ſumptæ in cibo, & vuluam auerſam corrigunt cum medulla ceruina, ita vt vni cochleæ denarij pondus addatur & cyperi. Inflationes quo-

que

que vuluarum diſcutiunt exemptæ teſtis, tritæq; cum roſaceo. Ad hoc Aſtypalæicæ maximè eliguntur, Plinius. Ad ſtrangulationem vteri, quidam è cochleis ſuffitum infernè adhibent.

E SALIVA.

Cartilagines glutinantia remedia, natura conſtant tenaci & viſcida, vt caro & ſaliua cochlearum, Hollerius. Vide ſuprà in auxilijs ad vulnera. Ad fiſtulam remedium vſu approbatum: Impleatur olla limacibus ſine aqua & ponatur cooperta ſuper ignem. & eleuabitur ſpuma ſuper eas, quę collecta & ſiccata fiſtulas mortificat, Arnoldus in Breuiario 3.21. Si quis traiecto per earum carnem acu mucoſo lentore quem ſecum acus retulerit, (Si quis abraſo acu lentore earum) pilos inunxerit, incommodos palpebrarum pilos reglutinabit, replicabit,) Dioſcorides. Cochlearum ſaliua illita infantium oculis, palpebras corrigit gignitq;, Plinius. Mucus cochleæ potus per ſe, vel cum myrrha, vel aloe, conducit obſtructo iecori, Raſis: fortè in emplaſtro. nam caro alioqui eſitata hepati prodeſt, vt ſupra diximus.

EX LAPIDE, ARENA, OSSICVLO: CORNV.

Arenulę quæ inueniuntur in cornibus cochlearum (in cochleis, Marcellus) cauis dentium inditæ, ſtatim liberant dolore, Plinius. Et alibi, Inueniuntur in corniculis cochlearum harenaceę duriciæ: eæ dentitioně facilem præſtant adalligatæ. Et rurſus, Limacis lapillum, ſiue oſſiculum quod inuenitur in dorſo, adalligatum dentitioni mirè prodeſſe tradunt. Ad exeſos dentes: Limacis lapidem in fruſtula ſeſami magnitudinem ęquantia confringe, & in dentis foramen immitte, illico dolorem ſedat: ſed ex cera operculum facito, Galenus Euporiſton 2.12. Cum ſtrophus & ventris dolor animalia (iumenta, equos,) affligit: phyſicum (remedium) traditur, os limacis neque manu immunda, neque terra, neque dente contactum, alligatum vmbilico dolentis, curare continuo. Vegetius artis veterinariæ 1.62. Lapides omnes qui in animalibus, vt cancris, limacibus, alijsq; gignuntur, prohibent generationē lapidum in renibus, genitoſq; diſſoluunt, Cardanus. Aliqui non de limace ſimpliciter, ſed de limace nuda lapillum celebrant: de quo inferius ſuo loco dicetur. Limacis inter duas orbitas inuentę oſſiculū per aurem cum ebore traiectum, vel in pellicula canina adalligatum, aduerſus capitis dolorem plurib. ſemperq; prodeſt. Plinius. Limaci calculum quem in capite habet tolle, quod non facile facies, niſi ei dum in via repit caput ſubito abſcideris: quem lapidem quandiu tecum habueris, nunquam vllum dolorem capitis nec ſenties nec patieris, Marcellus. Si infans, cui dentes prouenire incipiunt, dolores habeat, veteris cochleæ cornu pelliculę illigatum pro amuleto appende, Archigenes apud Galenum.

Ex limace vel eius capitibus amuletum. Limacem in pellicula, vel quatuor limacum capita præciſa harundine, (& geſtata,) Magi quartanā amoliri pollicentur, Plinius. alii lapidem de cochlea nuda, &c.

LIQVOR STILLATITIVS E LIMACIBVS.

Exudato igne ex cochleis humore, noſtrę ętatis medicina præſenti remedio vtitur in his, quorum corpora ad tabem lubrica ſunt & macie conficiuntur, Marcellus Vergilius. Aqua ex limacibus deſtillata, mane ad vncias ſex ſumpta, hepar imbecillum mirè roborat: & phthiſicis gracilibuſq; eſt remedio, Syluius. In curanda hectica febri, vſitata eſt aqua de limacibus prępāratis. has colliges cum rore, & viuas in furfure pones vt expurgentur. expurgatas cum aqua hordei benè lauabis, & deſtillabis Antonius Guainerius. Ad maculam oculorum: Limaces octies aqua ablutas deſtilla in alembico: deinde fimum lacerti, corallium rubeum & ſaccarum candi admiſce, & rurſus deſtilla. Huius liquoris guttam mane & ſerò oculis immittit, Io. Gœurotus medicus regis Gallorum.

EX ANDREÆ FVRNERII LIBRO GALLICO DE

decoratione naturæ humanæ, liquorum aliquod coſmeticorum è limacibus deſtillatorum deſcriptio.

Aqua ad omnes faciei maculas tollendas: Cryſtalli & corollij partes æquales pone in vaſe vitreo, cum aqua limonum digitum tranſuerſum ſuperante. hoc vas obſtructum in loco aliquo frigido, vt cella vinaria, in terram impones, (adddendum erat per quot dies:) deinde limaces abiectis teſtis aqua modicè ſalſa toties lauabis, donec omnis eorum viſcoſitas abierit. tum deſtillabis & ſeruabis aquam. Deinde ex rapis etiam minutatim conciſis aquam elicies in alembico. Vſus tempore accipe primæ aquæ cochlearium, ſecundæ quatuor, & tertiæ quatuor. miſce & ablue faciem, quæ tamen prius abluta ſit aqua pura & abſterſa. Alia ad idem mirabilis: Accipe limaces ſine teſtis ſuis, & laua vt ſuprà dictum eſt. deinde ſalis (alias ſalis gemmæ) contriti vnciam in vaſe vitreo ſparges, & limaces ſuperimpones: idque alternis facere perges, donec tertia pars vaſis impleatur. Tunc affundes ſucci limonum tantum, vt ſupra ſalem & limaces duobus digitis excedat, & deſtillabis. Aqua iſta vteris vt ſuprâ ſcriptū eſt. Quod ſi deſtillandi commoditas non fuerit, ſimul omnia mixta in ſolabis vaſe clauſo, donec vngenti formam recipiant, eoq; vteris veſperi vt alijs ſupraſcriptis vngētis, & facie prius abluta abſterſaque: & poſtridie mane ablues faciem cum aqua de floribus fabarum. Hoc etiam in Antidotario Gordonij legimus. Alia. Limaces albæ triginta. lactis caprini libræ duæ. adipis porci vel hœdi recentis vnciæ tres. camphoræ tritæ drachma. deſtillentur in alembico vitreo. Deſtillata è limacibus Maio vel Octobri menſe aqua, clauum reſectum, ſi inſtilletur, ſanat. manuum verrucas purgat ferrum in ea exſtinctum chalybis induere duritiem tradunt, Adamus Lonicerus. Gualtherus Ryffius verrucas & clauos præcidi prius iubet, quoad eius fieri commode poteſt, deinde linteum hoc liquore madidum imponi.

EX TESTIS INANIBVS REMEDIA.

Pollen de teſtis limacum inanibus contritis fiſſuras manuum pedumque inſperſus ſanat, Obſcurus.

Idem

Idem pollen cum cera & fermento ſubactus & impoſitus, paronychiam emendat, Incertus. Teſtæ limacum contritæ cum peſtilentia ſuibus vel bobus ingruit, in potu dantur, per ſe, vel cum radice gentianę illius cæruleę quę ſemper diſſecta naſcitur, vnde cruciatam Germani appellant, Ex libris manuſcriptis Germanicis. Ad maculas oculorum in homine aut pecore abolendas: Teſtas limacum collige pridie diui Ioannis per æſtatem. lotas & mundas contunde, per ſetaceum incerne: & pollinem in oculū affectum inſla per calamum, Innominatus. Cochleæ inanes, id eſt ſine carne ſua, caſu inuentæ, contuſæ & in puluerem tenuiſſimum redactę, in potione calculoſis datæ medentur, Marcellus. Vtuntur hoc remedio hodieq; nonnulli apud nos.

EX COCHLEIS VSTIS, PRIMVM SIMPLICITER,

(intelligo autem cochleas vna cum teſtis vri:) deinde inanibus, id eſt teſtis earum.

Cochlearum omnium cinis ſpiſſat, calfacit ſmectica vi: & ideo cauſticis commiſcetur: pſorisq; & lepris & lentigini illinitur, Plinius. Smegma ad pruritus & pſoras: Cochleas terreſtres vſtas & tritas cum melle adfrica, Aëtius. Eaſdem etiam alibi ſimiliter cum melle tritas poſt modicum temporis interuallum affricari iubet ad vitiligines nigras. Sanguinem ſiſtit cinis cochlearum terrenarum, Plinius. Ad vlcera capitis & achores: Cochleam albam cum teſta exurito & applicato, Aetius. Anacollema quod lachrymas & lippitudinem ſiſtit: Limaces & cornu cerui vres: oui albumine excipies, ac fronti applicabis, Incertus. Ad vmbilicos infantium eminentes: Cocleas ex arboribus lauri collectas comburimus, & tritas imponimus, vt vmbilicum in naturam propriam reuocemus, Theodorus Priſcianus. Ramicoſis cochlearum cinis cum thure ex oui albi ſucco illius per dies xxx. medetur, Plinius. Paſſionib. ani vtilis eſt limacum cinis cum aceto, Aggregator ex Kiranide. Cochleæ aduſtæ cancro in pene vtiliter inſperguntur, Iacobus Oliuarius.

Cochlearum inanium cinis cum myrrha gingiuis prodeſt, Plinius. Et alibi, Idem cinis admixtus ceræ procidentium interaneorum partes extremas prohibet. oportet autem cineri miſceri ſaniem punctis emiſſam è cerebro viperæ. Ad ficos ani: teſtas cochlearum candidarum cremato, (& pollinem inſpergito,) Innominatus. Si quid in tergore equi ruptum fuerit: & ſanguinis aliquid concretum, adipe veteri mollies, vino ablues: & ſi quid putridę carnis fuerit, æruginem tritam inſperges: decocto eupatorij vel thuris lauabis: denique puluiſculum inſperges: qui cinere de ſambuco & limacum maiorū teſtis crematis, contritis, & æqualiter mixtis conſtat, Incertus. Si quippiam ex teſta cochleæ aduſta in lotium mulieris grauidæ miſeris, petet fundum, ſi maſculum geſtet: ſi puellam, ſupernatabit, Iacobus Oliuarius.

H.a. Plinius modo limacem nominat, modò cochleam terrenam, alii terreſtrem. Eſt autem limax maſculini generis Columellæ, Implicitus conchae limax, hirſutaq; campe. Plinio fœminini, Limacis inter duas orbitas inuentæ. Recentioribus indoctis limacia pro limace nominatur. Limaces viri qui atterunt & conſumunt, Nonius Marcellus. Plautus, Limaces viri. Sic autem è lima inſtrumento dicuntur, qui exquirunt vt aliquid auferant, Perottus. Forte & ipſa animalia ab hoc inſtrumento potius quam à limo dicta fuerint, quod ſtirpes, folia, germina limæ inſtar arrodant & conſumant. Penultima in obliquis longa videtur: vt in adiectiuis Latinis ſagax, dicax, loquax, &c. nam in Græcis ſubſtantiuis breuis eſt. Λιμακώδεις, οἱ ὑγροὶ καὶ βοτανώδεις, Galenus in Gloſſis: rigui, herbidi, vt prata rigua ſunt, qua λειμῶνες Gręcis dicuntur, à verbo λείβω, vt videtur. Lymax fluuius eſt in Arcadia apud Phigaliam, in quem purgamina ſordesq; (Greci λύματα vocant) coniecerunt Nymphæ, cum Iouem peperiſſet Rhea. Dicuntur & lymaces petræ, Cælius. Λύμακες, πέτραι, Varinus. Χαμαιδύται, κοχλίαι, Heſychius & Varinus. videntur autem cochleę terreſtres ſignificari, ab eo quod terram ſubeant, quod & troglodytę vocabulum ſonat. Χερμαδοῖλαι, χελῶναι, καὶ αἱ νωθρότατοι τῶν κινῶν: οἱ δὲ τὰς κοχλίας, Heſychius & Varinus.

Epitheton limacum κεράσται, id eſt cornuti. Ἠ (Οὐ) ποσὸς δ' Ἄλτνη (Αἴτνη) τρέφει κοχλίας κεράστας, Achæus. Reliqua ſunt ſuprà cum Cochleis in genere. Ἀλλ' ὁπόταν φερέοικος ἀπὸ χθονὸς ἀν φυτὰ βαίνῃ. Πληϊάδας φεύγων, (id eſt, magno iam ęſtu incipiente,) Sole ingrediente geminos, (κοχλίας, Scholia) pręparate ad meſſem, Heſiodus.

b. In limacum teſtis ſpectamus volumina, conuolutiones, anfractus, &c.

h. Limace tardior, ab Eraſmo Rot. prouerbialiter dici poſſe inſinuatur. Κοχλίας αὐτομάτως βαδίζων ϖτερύγεϊτο καὶ πομπῆς αὐτῶ σίαλον ἀναπλύων, Suidas ex innominato authore. Cochleis cornua protēdentibus territi olim Narnienſes, vt dicitur, pontem celeberrimum ad illas arcendas ſunt demoliti, Grapaldus.

Prouerbia. Cochleæ vita, Κοχλίου βίος: de ijs qui parcè paruoq; viuunt: aut contracti à negocijs luceque forenſi ſemoti. Plutarchus in libello ϖερὶ τῆς φιλοπλουτίας: Tu verò (inquit) tantū moleſtiarū ſuſtines, turbans ac torquens teipſum, cum ob parſimoniā cochleæ vitam viuas, Eraſmus Rot. Victitāt ſucco ſuo: Prouerbiali figura dictum eſt (inquit idem) in paraſitos. qui ſi quando cœna contigit lautior ingurgitant ſeſe: rurſus vbi nulla arridet ſpes cœnatica, coguntur que οἰκόσιτοι viuere, fortiter ferūt inediā, & in conuiuij ſpem durant. Sumpta metaphora à cochleis, quæ per æſtum intra teſtam contractæ, vtcunque ſucco ſuo aluntur, donec acciderit pluuia. Plautus in Captiui duo: Cum res, inquit, prolatę ſunt, cum rus homines eunt, Simul prolatę res ſunt noſtris dentibus. Quaſi cum caletur, cochleę in occulto latent, Suo ſibi ſucco viuunt, ros ſi non cadit. Itidem paraſiti rebus prolatis latent: In occulto miſeri victitant ſucco ſuo. Adagium Domus chara, domus optima, quanquam à teſtudine natum ſuo loco retulimus: videtur tamen etiam à cochlea potuiſſe eius origo trahi. conuenit enim vtrique τὸ φερέοικον. Scribit Epictetus, vt citat Stobęus in ſermone de temperantia, cicadas animal muſicum gaudere calore: & excitari Solis calore vt in ipſo cantillent. Cochleas contra animal mutum, (& à Muſis alienum) gaudere irrigatione: elici à rore, eiuſq; gratia prodire. Quamobrem (inquit) ſi volueris vir eſſe muſicus & concinnus, cum tibi vino irrorata fuerit anima, tunc ipſam non ſines egreſſam inquinari: ſed cum in conſeſſibus à ratione fuerit accenſa, tū vaticinari eā & canere iuſtitię oracula iubebis, Hęc ille.

ille. Pro Græcis verbis ab initio, οἱ πέτιγες μυστικοί, οἱ κοχλίαι ξηροί: quoniam & manifeſto falſa ſunt, & cum ſequentibus non congruunt: Legerim, Οἱ πέτιγες ξηροὶ καὶ μυστικοί: οἱ κοχλίαι ὑγροὶ καὶ ἄφωνοι. Per cochleam diuinæ lectionis interpretes animum terrenis affectibus mancipatum intelligunt, &c. Pierius in Hieroglyphicis.

DE COCHLEARVM TERRESTRIVM

ſpeciebus diuerſis.

De Cochleis terrenis in genere iam dictum eſt, & ſimul ſpecie illa maiori vulgari, teſtata, quæ & ad cibos & ad remedia in vſu frequentiori eſt. Nunc differentias earum ſingulatim perſequemur. quæ quidem ſumuntur, vel à magnitudine, vnde maiores & minutæ dicuntur. Vel a figura, vnde longę, latæ. Vel à colore. ſunt enim albæ, nigræ, fuſcæ, ruffæ, variæ. Vel à teſta, qua aliæ carent, teguntur aliæ: vnde nudas & tectas cognominant. Vel regionibus: quod aliæ ſint vulgares, indigenę, noſtrates: alię peregrinę. Vel victu, pręſertim ex plantis. adhęrent enim aliæ alijs, quas appetunt, fico, lauro, aſphodelo, carduis, aut folijs gregatim, vt ait Plinius: forſan earum quædā gregatiles ſunt: alię vel omnino nō ſunt: vel minus gregales. Vel à vita, ſeu locis in quibus degunt. Cauaticæ ſemper in cauis latitant. pomatiæ etiam Plinio terra ſemper obrutæ ſunt. exeunt alię, ſed in herbas humiliores: aliæ altius frutices aut arbores ſcandunt. Vel cibi ratione ad homines. alijs enim veſcuntur, vt vulgaribus teſtatis maioribus: alijs abſtinent, vt minutis & nudis omnibus noſtri. in Aphrica enim aliud nudarum genus eſt.

Abrotonen inuenio limacis genus vocari. quamquam ſunt qui locuſtam putāt. itē qui apem, alij qui paratā in eo vocabulo intelligant: Hermolaus, & eū ſecuti Maſſar. & Vuotton⁹. Ego apud Etymologū, ex quo Phauorinus etiā trāſcripſit, hęc verba inuenio: Ἀβρότων, κοχλίων (κοχλιῶ.) εἶδος. οἱ δὲ, ἀκρίδων, οἱ δὲ τινες πολλαὶ γίνονται τοὺς καρποὺς διαφθείρουσιν. οἱ δὲ μελιττῶν. οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ φασὶν, δέστιν αὐτῆ λυκων. Vnde apparet rectum ſingularē eſſe ἀβρότων: ἀβρότων verò genitiuum multitudinis, ꝗ in eo caſu interpretationes omnes reddantur. Hermolaus fortè putauit Ἀβρότων eſſe rectum ſingularem: & abrotonem accuſandi caſum informauit. Sunt igitur Abroti vel cochleæ, nimirum quę gregatim folia & germina inuadunt: vel locuſtæ quę fruges & fructus perdunt, à voracitate forſan dictę vt alpha ab initio abundet vel intendat.

Aceratæ vocantur cochleę quędam, latè multifariamq; naſcentes: de quarū vſu ſuis dicemus locis, Plinius. Sed quoniam alibi nuſquam de aceratis meminit, latarum verò ſæpius: non latè forſan aduerbialiter legendum, ſed latæ nomine adiectiuo fœminino plurali: vt aceratæ eædē ſint quæ latę: de quib. inferius agetur. Sic etiam Maſſarius legit. Sunt & aceratæ (inquit) latæq;, multifariam naſcētes.

Aegyptiam cochleā contuſam ſuggillatis cū inflammatione imponi iubet Apollonius apud Galenum de compoſ. ſecundum locos libro 5. cap. 1. De Ægyptia fluuiatili è Nilo dictum eſt ſupra.

Africanæ, Vide Aphricanæ.

DE COCHLEIS TERRESTRIBVS ALBIS, ET

aliis earum coloribus diuerſis.

Habemus & ſylueſtres cochleas ſeu arboreas, quę frutetis adhærent & ſentib⁹. Ex his aliæ albę ſunt: alię pręter albedinem nigris, rubris, vel luteis (*punctis vel lineis*) impreſſæ ſunt, & ferè opere vermiculato à natura elaboratæ, Braſauolus. Cochleę terr. reperiuntur albæ, nigrę, magnæ paruæ, mediocres, Matthiolus. Limax inuenitur alba, rubea, crocea & nigra, Albertus. Albæ ſiue Albulę minutæ, quæ in Reatino agro naſcuntur, Varroni Plinioq; memorantur inter veſcas, & altiles quondam. Vide inferius de Minutis. Limaces quidam ruffi, alij nigri conſpiciuntur, Adamus Lonicerus. De ruſſis infrà poſt Nudas agetur. Sunt & minuti quidam nudi in hortis, fuſci coloris.

DE COCHLEIS APHRICANIS, TE-

ctis, Nudis, Solitanis.

Cochleæ maximę ex Illyrico apportantur, mediocres ex Africa: non quod in his regionibus quibuſdam locis eæ magnitudinibus non ſint diſpariles. Nam & valde amplæ ſunt quędam ex Africa quę vocātur Solitanae, ita vt earum calices quadrantes octoginta (*quadrans ſextarij quarta pars eſt, & vncias quinque capit menſura vini. Ergo quadrantes octoginta, ſextarios viginti efficient: hoc eſt tres congios cum duobus ſextariis*) capere poſſint. & ſic in alijs regionibus eędem inter ſe collatæ, minores ſunt & maiores. Hæ fœcundiſſimæ ſunt, &c. vt ſupra ex Varrone recitaui, in Cochleis terr. vulgaribus E. vbi de viuarijs earum ſermo eſt. Africanis fœcunditas præcipua, Solitanis nobilitas, Plinius. Dicuntur autem Solitanę à patria, authore Maſſario. Remedium dyſenteriæ ex cochleis Solitanis ex Marcello Empirico deſcripſi in Cochleis in genere G. Solitanam vel Solitaneam cochleam inquit, cum teſta ſua viuam teres, &c. *Solitanæ.* Cochleæ Africanæ genus vnum tectum eſſe, alterum nudum, apparebit paulo poſt ex remedio ad dyſenteriam, quod è Plinio tranſcripſimus: In Africa genus quoddam cochlearum nudum eſt, quo veſcuntur, vi dicunt authores: & noſtri Ferrarienſes retulere qui anno Salutis M. D. XXXV. cum Imperatore Carolo V. in Africam commigrarunt, vt Tuneti regem in ſuam ditionem reſtituerent, Braſauolus. *Nudæ.* Sed Africanas ſimpliciter in vſu cibi fuiſſe, ex Plinio & Varrone conſtat: ego de teſtatis accipio. nudas verò Africanas Plinius ſolus (quod ſciam) nominat, ad remedia quædam, foris imponens, aut cinerem propinans. quare ſi quæ nudę hodie in Africa eſitantur, eſto: authores tamen hoc non prodiderunt. Ex cochleis terrenis optimæ ſunt Sardonicæ, Aphricanæ, &c. Dioſcorides, vocat autem κοχλίαν λιβυκόν. *Ad ſtomachū.* Et rurſus, Viuæ caro, & pręſertim Aphricanę, cum aceto deuorato, ſtomachi dolores mitigat. Laudatiſſimę ſunt Africanæ, ex his Solitanæ, Plinius. Et mox, Laudatiores traduntur quæcunque viuæ, cum aceto deuoratæ. Cocleas, ſed veras Africanas, conditas ex ſale, & paulo olei coctas, ſed non purgatas, qui ieiunus ternas aut quinas cotidie & frequenter ſumpſerit, rariſſimo ſtomachi dolore vexabitur. certè ſi carbonibus toſtę ſumantur, melius proſunt, Marcellus Empiricus. Omnes circa ſtomachum dolores ac moleſtias ſedari aiunt, cochlea Aphricana cruda integra vorata, Archigenes apud Galenum de compoſitione ſecundum locos.

Ad oculos caligantes: Cocleas Africanas veras ſuper ſpiſſam craticulam diſpoſitas ponito, & carbones acres aſſidue ſuggerito, vt æqualiter comburantur: deinde mortario terito, vt tenuiſſimum ex his puluerem facias: adiectaque mellis Attici cotyla vna, iterum validiſſime terito & poſtmodum in vaſculo fictili repone, & ſigna. & cum alicui mederi voles, ſpicillo inde eum inunge, intra paucos dies integram aciem eius claramq; reſtitues, Marcellus Empir. Ad aurium dolores facit Aphricana cochlea in propria teſta, cum oleo nardino aut roſaceo feruefacta, Aſclepiades apud Galenum de compoſ. ſec. locos lib. 3. Ad eoſdem, Cochleam, Africanam putridam compungito, & roſaceo impleto, & feruefactū calidius per ſtrigilem infundito, Archigenes ibidem. Laboranti vuæ diuturno labore hæc cura ſuccurrit: Hirundinem vnam teſta Africanæ cochleæ includes, eamq; phœnicio inuolutam, lino circa collum ſubligabis, intraq; diem nonum omni moleſtia liberaberis, Marcellus.

Ad ventris profluuium: Cochleam Aphricanam ſumens, in eam, liquidam picem infunde, & calefactæ carnem exime, & in anum bis aut ter immitte, Galenus Euporiſton 2. 46. Galenus de compoſ. ſec. locos lib. 9. ex Aſclepiade remedium hoc affert, hydropicis imponendum. Quidam (inquit) cumini libram vnam, ſulfuris viui quadrantem, cochlearum Africanarum libram: arida tundunt, cribrant, & tuſis ficubus vna cum carne cochlearum excepta, ac in linteolum infarcta imponunt, melle cocto ſufficienti addito. Antidotus Paccii Antiochi a tota affectione (colica) liberans, vt a Galeno deſcribitur libro 9. de compoſ. ſec. locos, capite quarto, inter Aſclepiadis auxilia: Cornu cerui recens enati molliſſimi, uſti ad albedinem, cochlearia tria magna. piperis albi grana x. aut ix. myrrhę parum, odoris gratia. Omnia teruntur. & cochlea Africana (*terreſtris ſimpliciter, Aetius & Galenus rurſus, cochlea ſimpliciter, e Scribonio*) varii coloris vna cum teſta itidem teritur, vino Falerno per ſaccum non excolato affuſo. Sit autem vini menſura cyathorum trium. Hæc omnia in fictili vaſe permiſta ad prunas calfacimus, diligenter mouentes, ne quid ex pharmaco ſubſidat. Calfactum in ipſis irritationibus bibendum dato: itemq; ſequentibus duobus diebus. Oportet autem diem vnam ante, cibum differre: & reliquis diebus prandio ſolo vti, in eoq; aſſumere cibum qui facile confici poteſt. Plura vide in Ceruo G. Marcellus cochleam veram Africanam, ex Africa allatam interpretatur: & aduerſus colicam probat eam, quæ quam maculoſiſſima ſit. Ad emendandam vrinæ incontinentiam iubent cochleas Africanas cum ſua carne comburi cineremque ex vino Signino dari, Plinius & Marcellus. Cochleæ nudæ, de quibus diximus, in Africa maxime inueniuntur, vtiliſſimę dyſentericis, quinæ combuſtæ cum denarij pondere dimidij acaciæ: exq; eo cinere dantur cochlearia bina in vino myrtite, aut quolibet auſtero cum pari modo caldę. Quidam omnibus Africanis ita vtuntur. Alij totidem Africanas, vel latas infundunt potius. Et ſi maior fluxio ſit, addunt acaciam fabæ magnitudine, Plinius. Hydrocelicis mirè prodeſſe tradunt cochleas Africanas cum ſua carne & teſta crematas poto cinere, Idem. Cochleæ nudæ Africanæ tritæ cum thuris polline & ouorum albo, tetris teſtium vlceribus & manantibus auxiliantur: aliqui pro thure bulbum admiſcent: reſoluunt autem triceſimo die, Plinius. Cochleæ Aphricanę cum ſua carne comburuntur, cinis earum illinitur & medetur podagris, Marcellus. Inflationes vuluarum diſcutiunt cochleæ Africanæ binæ, cum fœnigręci quod tribus digitis capiatur, additis mellis cochlearibus quatuor. illinuntur aluo priùs irino ſucco perunctę, Idem.

Nudæ. (beside "Ad emendandam vrinæ incontinentiam … comburi")

Nudæ. (beside "polline & ouorum albo …")

A RBOREÆ cochleæ. Lege ſuprà in Albis.

A RIONES nominantur ab Æliano de animal. 10. 5. Græcè Ἀρείονες ſcribitur, alias Ἀρείοντες. Sunt autem ſic dicti fortè quaſi ἀρ ιόντες, ὅτι αὐτῶν ῥινὸς ἤτοι δειράδος, καὶ χυμοῦ εὐελίσσοντες. exeunt hi è teſtis ſuis, vt perdices & ardeas inſidiantes eis deuitent: poſtea repetunt: vt recitaui ex Æliano in Cochleis terreſtribus in genere D.

ASTYPALÆA inſula cochleas omnium laudatiſſimas (in cibo) habet, Plinius: qui & alibi Aſtypalæicas commendat poſt Africanas & Solitanas in cibo, ad confirmandum ſtomachum. Optimę Sardonicæ, Aphricanæ, Aſtypaleicę, (οἱ ἐν Ἀςυπαλαίᾳ, lego Ἀςυπαλαῖαι φρυνώμενοι.) Dioſcorides. Stephanus Aſtypalæas quinque numerat. Vnam è Cycladibus: Secundam, oppidum in Co: Tertiam, inſulam cum oppido inter Rhodum & Cretam: Quartam, oppidum in Samo: Quintam promontorium prope Atticam. Hinc Aſtypalaicus deriuarim, ſicut ab Athenis Athenaicus: vt antepenultima per a. ſcribi debeat, non per e. vel æ. Aſperitatem faucium & deſtillationes leniunt cochleæ. coqui debent in lacte, deptoque tantum terreno conteri, & in paſſo dari potui. Sunt qui Aſtypalæicas efficaciſſimas putent, & in ijs ſmegma earum, Plinius.

BALEARICÆ etiam, quas Cauaticas vocant, quoniam in ſpeluncis naſcuntur, inter cochleas (ad cibum, & confirmandum ſtomachum) laudantur, Plinius. Et rurſus: In Balearibus inſulis Cauaticę appellatæ non prorepunt è cauis terrę, neque herba viuunt: ſed vuæ modo inter ſe cohęrent.

CAPREARVM ex inſulis quoq; laudantur cochleæ, (ad cibum,) Plinius.

CAVATICÆ. vide Balearicæ.

CHIVS inſula cochleas optimas (ad cibum & robur ſtomachi) gignit, Dioſcorides.

COCALIA (Κωκάλια, τά) vt quidam vocant, teſtis integuntur: eorum caro, vt & aliorum limacum terreſtrium, penitus includitur, nec vlla ex parte conſpicitur, excepto capite, Ariſtot. hiſtor. anim. 4. 4. Inuenio limacis genus cocalian ab Ariſtotele vocari, Maſſarius. Sed Ariſtoteles eo quo citauimus loco cocalium genere neutro dixit: & per κ. ſimplex, non duplex vt habet Vuottonus. Eſt apud Ariſtotelem inquit ille κωκάλιον, apud Athenæum κόκκαλον (niſi in alterutro codicum inſit menda) cochleæ genus, &, vt videtur, terreſtre genus teſtaceum, à limace diuerſum.

COLYSIDIPNOS, Κωλυσίδειπνος, vocari cochleas quaſdam Apollodorus libro 2. Etymologiarum author eſt. In Plutarchi Sympoſiacis tardiores conuiuæ nuncupantur colyſidipni, Cælius. Quibus autem cochleis hoc nomen conueniat, & quam ob cauſam, dubito. Conijcio autem terrenum eſſe genus, quod vel cito ſaturet, & edendi auiditatem circumcidat: vel vomitu aut aluo cibos ingeſtos egerat.

DE COCHLEIS QVÆ ARBORES, FRVtices aut Herbas inuadunt.

SCabies & cochleę adnaſci ſolitæ, ficorum peculiares morbi ſunt, Theophraſtus de hiſt. 2. 16. Impetigo, & quę adnaſci ſolent cochleę, peculiaria ficorum vitia. nec vbique: ſunt enim quædam ęgritudines & locorum, Plinius. Cochleę ex his quæ gregatim folia ſectantur, contuſæ impoſitaeq; cum teſtis, & eæ quę manduntur exemptae teſtis, infixa corpori extrahunt, Plinius. Habemus & ſylueſtres cochleas, vel arbores, quę frutetis adhærent & ſentibus ex his alię albę ſunt, (alię aliis coloribus, vt ſuprà in Albis dictum eſt.) His vulgo non veſcuntur. Nos verò (inquit Braſauolus de ſeipſo) plerunq; comedimus. nā etſi paruę ſint tales cochleæ, multis tamen ſapidiores ſunt: nec vnquam vel circumagi (turbari) aluum, vel vomitum prouocari perſenſi. Fortè ab aliis eduliis oppreſſę ſuum hoc opus à Dioſcoride ſcriptū perficere non potuerunt, Hæc ille. Dioſcorides ſeſilon, qui vepribus frutetisq; adhæret, ventrem & ſtomachum turbare: vomitiones excitare prodidit: de quo nos infra ſeorſim: & rurſum dę ſylueſtribus priuatim, quoniam nomina differunt, rei enim ipſius diſcrimen nullum eſſe puto. Limaces naſcūtur in vicia, & aliquando è terra cochleæ mirum in modum erodentes eam, Plinius. Aunici, id eſt limaces terrenæ, quæ degunt in planta agni caſti, Syluaticus. ſed fortè ab agno limaces illi, agnici potius dicendi fuerint. Cochleę quædam lupinis paulo maiores in agro Romano leguntur, vbi autumno quorundam carduorum caulibus aceruatim cohaerentes innumerę viſuntur, Matthiolus De cochleis appetentibus aſphodeli caulem, Plinius alicubi meminit. Idem (ni fallor) remedium præſcribit è cochleis ex lauro arbore ſumptis. De Cochleis quibuſdam vmbilicatis marinis Rondeletius ſcribens, proximè (inquit) ac cedunt ad formam cochlearum terreſtrium paruarum, quæ conglomeratę fœniculi craſſioribus caulib. adhærent: quæ etiam præter reliquarum cochlearum terreſtrium naturam vmbilicatę ſunt: carneque ſunt bona, (ſed hoc poſtremum fortè de marinis tantum accipit.)

Sylueſtres, de quibus etiam infra in S. (beside the first lines)

Seſilos. (beside "Fortè ab aliis eduliis …")

GERMANAS Cochleas nominat Demetrius qui Gręcè de accipitribus ſcripſit, lib. 2. ca. 66. Vegetius etiam in potione equi prophylactica inter caetera cochleas Germanas admiſcet. Vuam caniculatam & cochleam germanam combure & contere, atq; ex eo puluere mixto, pollice ſummo, vel certè cochleario, vuam ieiuno tange per triduum, Marcellus. An verò germanam cochleam à gente & regione dixerint, an alio quodam ſenſu, non habeo quod affirmem. Africanas quidem cum ad remedia requirit Marcellus, veras interdum (quas & Germanas vel genuinas dixeris) deligi iubet.

ILLYRICIS magnitudo præcipua eſt, Varro. Vide ſupra vbi de viuariis cochlearum ſcripſimus, in Cochleis terr. E.

LINVSIAS Cochleas Strabo prædicat, ab agro cui nomen eſt Lino, iuxta Pityûntem, medio inter Parianam coloniam & Priapum ſpatio, Hermolaus & Maſſarius.

LIPSACES. Vide in Nudis.

LATÆ Cochleæ. vide Aceratæ ſuperius. Nominantur autem à Plinio aliàs latæ & minutæ, de quib. leges mox in Minutis: aliàs Latæ ſimpliciter. Ad dyſenteriam: Aliqui cochleas Africanas, vel latas infundunt (clyſtêre) quinas: &, ſi maior fluxio ſit, addunt acaciam fabæ magnitudine, Plinius. Cochleæ latæ potę tollere dicuntur pedum & articulorum dolorem. bibuntur autem binæ in vino tritæ. Eædem illinuntur cum helxines herbę ſucco. Quidam ex aceto intriuiſſe contenti ſunt, Idem.

LVLIENTIA, ſpecies limacum, Syluaticus. ſed innumera apud illum vocabula corrupta ſunt.

DE MINVTIS COCHLEIS, TVM SIMPLIciter, tum latis longisque.

MInutæ à Plinio aliâs ſimpliciter dicuntur: alias latæ longaeue cognominantur. De latis quidem ſimpliciter, proxime dictum eſt. Albæ vel Albulæ minutæ è Reatino, edules & altiles olim vſitatæ fuerunt, vt ſup. diximus. Reperiuntur apud nos in terra, vt hortorum, & collibus apricis, exiles quædam teſtae cochlearum in mucronem turbinatæ, plerunq; ſemper vacuæ: animal in eis deprehendere non memini. Strombos terreſtres dixeris. Idem in hortis nudæ minutæ, fuſci coloris. Cochleæ quædam lupinis paulò maiores in agro Romano leguntur, vbi autumno quorundam carduorum caulib. aceruatim cohærentes innumeræ viſuntur, Matthiolus. De cochleis paruis, quæ arboribus, fruteis & ſentibus adhærent, Braſauoli verba recitaui ſuprà in Albis. Limaces naſcuntur in vicia, & aliquando è terra cochleae minutæ, mirum in modum erodentes eam, Plinius. Cochleae minutæ fronti illinuntur tritae, in capitis dolorib. Idem. Cochleae ſylueſtres ſtomacho inutiles aluum ſoluunt, item omnes minutae, Idem, Pruritus ſalſos leuat maris rabidi ſudor, cochleęq; minutæ, Quarum contactu perimetur acerba libido, Serenus. Plinio cochleæ minutæ latæ, contritae, illitae, pruritum ſedant. Et alibi, Scabendi (inquit) deſideria tollunt minutae & latae cum polenta. Tetris teſtium vlceribus & manantibus auxiliantur cochleae latae paruae contritae ex aceto, vel cinis eius, (*earum,*) Idem. Tollit ex facie vitia & cochlearum, quæ latae & minutæ paſſim inueniuntur, cum melle cinis, Plinius: lentigines quoq; & liuores abolet, Marcellus. Capiti medendo: Profuit & cochleis frontem tractare minutis, Serenus. Cochleas noſtrates minutas etiā inanes collige, & in mortario marmoreo diligenter tere, deinde puluere ipſo molliſſimo dentes tibi perfrica, quo facto dolorem ſedabis. Inguinum tumorem cochleę minutæ (tritę) cum melle illitę leniunt: Plinius, Serenus, Marcellus. Si humerus (armus) fractus aut luxatus fuerit iumento, & claudicet: ſanguinem ab eodem humero detractum, vaſe excipito, & admiſceto oleum, oua tria, defrutum, bulbos crudos bene tritos, & cochleas paruas quinquaginta. hoc remedio calido probè perunge, &c. Theomneſtus in Hippiatricis Græcis, cap. 26. Cochleę minutæ & latæ fracturis aurium illinuntur cum melle, Plinius.

Sunt & minutæ longæque candidæ cochleæ, paſſim oberrantes: te arefactæ Sôle in tegulis, tuſæque in farina miſcentur lomento æquis portionibus: candoremque & leuorem corpori afferunt, Plinius.

Longæ. (beside "Sunt & minutæ longæque …")

DE COCHLEIS NVDIS, PRIMVM SIMPLICITER: DEINDE RVFFIS MAGNIS, ET NIGRIS.

COchleas, non etiam limaces, nudas apud veteres Latinos nominari inuenio. Sunt autem ex nudis aliæ magnæ, vt quas à colore nostri cognominant ruffas, (in quo genere etiam nigrę sunt,) de quibus præcipuè sentire puto scriptores cum ad medendum cochleas nudas postulant: aliæ paruę, vt quæ gregatim folia sectantur, & hortos infestant, cinerei aut fusci coloris. Et hæ quidem semper nudæ sunt, quod sciam: Ariones Aeliano memoratæ, vt suprà retuli, non semper. Σέμελοι, κοχλίαι. Σεμελοιείδαι οἱ ἀν ὠκελύφεις, ἤ ἔνιοι λίψακες Hesychius & Varinus. Sunt & Africanę nudæ, eęque edendo, vt Brasauolus voluit: Vide supra in Aphricanis. Cochleæ nudæ apud nos abiiciuntur. degunt fere in latrinis, cloacis, & humentibus locis, Brasauolus. Sunt in cochlearum genere quæ tegumento vel testa carent, quæ nobis (Italis) speciatim Lumacho vulgò appellantur, noctu potius quam interdiu ad pascua exeuntes. degunt hæ non modo in campis & hortis: sed in cellis viuariis, & aliis subterraneis vliginosisq; ædium locis. Geruntin capite lapidem, non tamen omnes, Matthiolus. Lepus marinus specie cochleæ tegmine nudatæ cernitur, Aelianus.

Semelœridae. Lipsaces.

Ad quartanas magi adalligant cochleas quę nudę inueniuntur, Plinius. Limax nudus cum manna (polline) thuris solutus & nari immissus, ex ea sanguinis eruptionem sistit, & matricis sinum clausum aperit, Kirānides. Illitio (ad anginam) ex limacibus: Limaces nudas sine testis in hortis repertas in ollula vrito: & in cinerem redactas excipe melle Attico quod satis est, & illinito. Alii piperis grana decem iniiciunt. Oportet verò eodem modo parare cancrorum vstorum fluuialium cinerem cum melle, Nicolaus Myrepsus. Cocleis quæ nudę inueniuntur, adiicitur aliquid triti turis, & albi ouorum, atq; inde vlcera testiculorum tumentia, & hydrocelæ puerorum siue ramices superliniuntur, vt modo glutinis adhaerescat: pueri verò continctur in lectulo donec omnis turpitudo reprimatur, Marcellus Empiricus. Cochlearum quæ nudæ inueniuntur exustarum cinis, omnem exulcerationem pedum sanat, Idem. Cochlearum quę nudæ inueniuntur, cinis, si viuę combustæ sint, vlcera omnia pedum sanat, Plinius.

Cochleæ quę testa carent expetuntur mulieribus ad expoliendam faciem. nanq; ex iis in stillatorium vas coniectis, additis quibusdam aliis, aquam eliciunt, qua inde earum elota facies læuorem mentitur, Matthiolus. Medicamen pro mulieribus cosmeticum: Limaces nouas sine testa in vase vitreo pones, & asperges sale gemmeo contrito: tum aquam limonum superinfundes vt emineat, & vas obstructum insolabis donec fiat quasi vnguentum. eo facies illita mirificè abstergitur. debet autem ablui aqua de floribus fabarum, aut aqua furfuris frumenti, Bertapallia & Gordonius.

Remedia ex lapillo vel ossiculo cochleae nudæ. Vide etiam supra ex lapillo vel ossiculo cochleę terr. simpliciter in G. Cochleę nudæ gerunt in capite lapidem, non tamen omnes: quem febribus tertianis adalligatum vulgus prodesse existimat, Plinius. dentitionem facilem præstare, Matthiolus, Limacius lapis in capite limacis quæ cortice non integitur, solet generari. Hunc, vt ostendere possum, candido colore, & aspera superficie esse oportet, quod ex aquea substantia coactus sit frigore, & ob id etiam paruus, quod in paruo animali inuentus. Putant alligatum quartanam patientibus prodesse non parum, Cardanus. Lapillus quem ego vidi & accepi à quodam qui se exemisse dicebat è capite nudę cochleę, postquam in multis frustra quęsiuisset, fabæ ferè magnitudine erat, humilior compressusque magis, albidus, modicè trãsparens. inæqualis, asper, parte altera veluti in oculum protuberans, durus, sed friabilis dentibus, ita vt in arenulas atteratur. Lapis de capite limacis longæ non scutatę, lucidus instar crystalli, tritus impositus oculo omnem pannum & oculi telam tollit: quod si fel hircinum misceatur, fortius erit, Author Additionum in Breuiarium Arnoldi. Nudæ cochleę, (sesili,) postquam Sol ascendit, medio inter cornua abscisso, calamo acutissimo, exime os quod habet: & inuolutum albissimo panno habe ad omnimodam ophthalmiam, pro custodia omnis ophthalmię, & faucium, gulae, tussis, & cephalagiae, & quotquot circa caput ceruicemq; passiones contingunt, non sinit fieri: &, si iam fuerint, circunligatum curat, Kiranides. Cochleae (simpliciter) matutinum rorem pascentis caput arundine praeciditur, & in linteolo licio alligatur, colloq; suspenditur: continuo medetur capiti dolenti, Marcellus Empiricus. Ad quartanas alligant Magi limacem in pellicula, vel quatuor limacum capita praecisa harundine, Plinius. Capitis doloribus remedia sunt cochlearum quae nudae inueniuntur nondum peractae, ablata capita: ex his lapidea duritia exempta (est autem calculi latitudine, quae alligantur, Idem.

DE COCHLEIS NVDIS MAIORIBVS, QVÆ RVFFO *plerunque colore sunt, quandoque nigro.*



DE Cochleis nudis maioribus oblongis, quae plerunque ruffo, aliquando etiam nigro colore reperiuntur, etsi dictum sit nonnihil in praecedenti capite de cochleis nudis in genere: hîc tamen priuatim quaedam, praesertim remedia, quae de ruffis in Germanicis quibusdam manuscriptis libris, peculiariter annotata animaduerti, adferam. Laha, vt putatur, est testudo nigra sine domo vadens in syluis, Albertus de animal. lib. 4. tract. 1. cap. 3. Germani quidam hoc genus appellant *Vvegschnecken*, vt Carinthii. Itali quidam Limaga, Romani Limagot.

Si de vulneribus articulorum liquor iste manet, quem ab articulis nostri denominant, limacis ruffæ tostę farinam inspergere quidam consulunt. Tela corpori infixa dicuntur extrahere limaces rufi, Incertus. Vt verrucæ, ganglia, & claui, (*Vuertzen, vberbein vnd ægerstenaug,*) in hominibus & iumentis aboleantur: Limacem ruffam bene salito, vel sali imponito, inde liquato humore verrucas aut ganglia perungito, & partem limacis superilligato. Clauis verò linum eodem liquore madidum imponito. Experimentis hæc constant. Similiter fici vel mariscæ emendantur. Vt pili in iumentis proueniant: Limaces ruffas aperies, exenterabis, multo sale asperges: & facto inde vngento inunges. pilos copiosè euocat. Si quæ corporis partes macie aut atrophia laborent, sic curabis: Cochleas ruffas (numerus non exprimitur) in vase bene operculato sale consperges, & sines per dies IX. deinde mensuram (vncias mensurales circiter quadraginta) olei laurini, vini stillatitii (quod aquam vitæ nominant) vncias quinq; diu permixtis vtere. partem vel atrophia vel arthritide laborantem inunge. quanquam arthritidi etiam sola cochlearum aqua (*nimirum quæ ex eis salsis manarit*) vtilis est. Limaces ruffas aliqui miscent emplastris quibus hernia curatur: Sunt qui ad suppurandum vtantur. Si boues sanguinem è vesica aut ano excreuerint, aut eo morbo quem nostri à gramine denominant (*grassieche*) laborarint, limaces ruffas in sero acido (quo lac finditur) imponunt, & tepidum præbent bibendum.

DE POMATIIS COCHLEIS.

IN Liguriæ alpibus pomatiæ, id est operculares cognominatę cochleę, à Dioscoride inter optimas & stomacho vtiles numerantur. De iisdem sentire Plinius videtur cum scribit: Est & aliud genus minus vulgare, adhærente operculo eiusdem testę se operiens. obrutæ semper terra hæ: & circa maritimas tantum alpes quondam effossæ, cœpere iam erui & in Veliterno. Matthiolus Senensis pomatias cochleas, vulgares nostras maiores, quæ pręcipuè in cibum veniunt, nominauit, vt cum ex descriptione, tum figura adiuncta apparet. nec ego dissenserim. Non me fugit (inquit) quas Dioscorides pomatias vocat, plurimas reperiri in montibus Tridentinis, vicinisq; aliis locis. & eas quidem pręstantissimas. Eruuntur n. è terra hyeme, & frutetis, vncis quibusdam ferreis, prope fruticum radices terra circunfossa. Concluduntur hæ contra frigoris iniuriam, quodam albo operimento, duro, gypsi speciem referente: sicq; contectæ terra se condunt. Fit enim ob hoc, vt in cibis iis longè suauiores, gratioresq; habeantur, quę vere & æstate imbribus excitatę hinc inde vagantur. Quod autem sic hyeme recondantur, delitescantq; sub terra, circum fruticum radices, Hetruria planè ignorat: cum tamen & ibi eodem modo ab his eruantur, qui alibi artem didicerunt, Hæc Matthiolus. Limaces omnes leuiore quodam tegmine sibi superimposito hyeme latent: sed pomatię ab hac re peculiare sibi nomen sortitæ sunt, Vuottonus. Πομάτιαι, οἱ κοχλίαι, Varinus: per o. breue in prima ineptè. debet enim per ô. productum scribi Πωμάτιαι. quoniam πῶμα operculum est. Limacis pomaceæ (pomatiæ scribendum) magnitudinem rarò excedit cancellus qui testas vacuas ingreditur, Bellonius.

SALINIS inhærentes Cochleę, cum testis suis tunsæ atq; impositę, strumis efficaciter prosunt, Marcellus. Sed & cochleę terr. simpliciter, maximè quæ frutetis adhærent, cum testa sua tusæ strumis & scrophulis vtiliter illinuntur. Vide supra. Quid si pro salinis legas sentibus?

SARDONICÆ cochleę, ἐν Σαρδόνι, hoc est è Sardinia insula, optimæ sunt (in cibo,) Dioscorides.

SEMELI. Vide Seseli.

DE SESILIS COCHLEIS.

SEsilum Kiranides vel eius interpres Gerardus Cremonensis, libr. quarto in Cochlias, cochleam nudam interpretatur, si bene memini, aliorum quod sciam nemo. Cochleam quæ vepribus frutetisque glutinata cohæret, nonnulli sesilou vocant ventrem & stomachum turbat, vomitiones excitat, Dioscorides: Grεcè legitur σέσιλον ἤ σεσέλιτα. ego posteriorem vocem non probo. Brasauolus hoc genus syluestre & arboreum vocat, paruum, &c. vide supra in Capite De Cochleis quæ arbores, frutices aut herbas inuadunt. Quærendum an eędem sint de quibus Plinius scribit, Cochleæ ex his quæ gregatim folia sectantur, &c. Vel potius quæ syluestres ab eo dicuntur: Syluestres (inquit) stomacho inutiles, aluum soluũt. Limax syluestris Italicè Corniolo dicitur. Cochleæ quædam σέσιλοι dicuntur, vt ab Epicharmo: Τούτων ἁπάντων ἀκρίδας αὐτᾳ ἀλάσοντι, Κόγχον δὲ τὸν σέσιλον ἄπαγ' ἐς τὸν φθέρον. (Senarii duo erunt si legas κὐταλάσετε: & mediam in sesilo producas. Videtur autem vsum eius in cibo damnare.) Apellâs verò Lacedæmonios ait σέμελον τὸν κοχλίαν λέγειν, Athenæus. Σέμελος, κοχλίας. Σεμελοειδία, οἱ ἀν ὠκελύφεις, ὡς ἔνιοι λίψακας, Hesychius & Varinus. Σεσῆλοι, κοχλίαι, Λάκωνες, Hesychius. Σελάτης, κοχλίας, Hesychius & Varinus. Σίσπ©, νόμισμα (νόσημα forte) καθάπερ σκωλὴν ἰῶσι, καὶ ζῶόν τι, Iidem.

SICVLAS Cochleas Dioscorides optimis (in cibo & stomacho salubribus adnumerat. Siculæ commendantur quandiu paruæ sunt: quia magnitudo duras facit, aufertq; succum, Massarius ex Plinio.

SYLVESTRES Cochleæ stomacho inutiles sunt, & aluum soluunt: item omnes minutæ, Plinius. Massarius syluestres interpretatur adhærescentes frutetis & sentibus, quarum genus (inquit) sesilon nominant. sic & Brasauolus. quorum ego vestigia libenter sequor. Demetrius scriptor Græcus libr. 2. de accipitribus cap. 71. cochleam syluestrem nominat.

Sunt igitur Cochleæ terrestres nobis cognitæ: Aliæ

Tectæ
- Maiores, vulgares, in vsu cibi, pomatiæ.
- Minores, syluestres, sesili, diuersis coloribus. eædem fortè quæ minutæ & latæ à Plinio dicuntur.
- Minimæ, non rotundæ, vt superiores, sed στρομβοειδεῖς. Minutæ & longæ fortè Plinio.

Nudæ. { Maiores, ruffæ, in vsu remediorum. / Minores, fuscæ, non vsitatę medicis.

Coervlei nomine & colore vermes in Gange, elephantos ad potum ventitantes, mordicus comprehensos ipsorum manu rapiunt in profundum, Solinus. Statius Sebosus haud modico miraculo affert, esse in Gange Indię vermes branchiis binis, sexaginta cubitorum, Cæruleos, qui nomen à facie traxerunt. his tantas esse vires, vt elephantos ad potum venientes, mordicus comprehensa manu eorum abstrahant, Plinius 9.15. Hoc monstrum habet brachia (sic legitur, non branchias) instar cancri, longitudine septem (aliâs, sex) cubitorum, (vnius cubiti, valde sęua, Albertus,) quibus elephantem corripit, & vndis submergit, Author de nat. r. Plura lege infrà in Vermibus aquatilibus elemento V.

DE COLIA, RONDELETIVS.



A Κολίας piscis à Græcis dicitur, quem Gaza monedulam interpretatur, parum rectè, vt opinor, *monedula* enim auis non κολίας sed κολοιὸς ab Aristotele, & aliis nominatur. Quare Gazam κολοιὸν legisse crediderim: neq; enim aliter vir Græcè & Latinè doctissimus monedulam vertisset. Sed piscé de quo nunc loquimur, Iulius Pollux, & Athenęus κολίαν appellant: & κολίαν non κολοιὸν in Aristotelis exemplaribus quæ nunc extant, legimus. Quare Græco nomine vtendum censemus, eumque piscem coliam esse putamus, qui à Massiliensibus coguiol vocatur.

Lib. 9. de hist. animal. c. 2. Lib. 3. cap. 9.

B Est igitur colias lacerto minori, vel scombro omnino similis, his tantum notis exceptis, quod colias maior sit & spissior, squamisq; integatur paruis & tenuibus, ac lineas obliquas à dorso, breues, punctis nigris notatas habeat. Vnde ab Aristotele in lib. περὶ ζῴων ἢ περὶ ἰχθύων, citante Athenęo ποικιλόγραμμος dicitur. Pars est capitis vsque adeo pellucida, vt nerui optici cum cerebro veluti per vitrum appareant. Vêre sanguinem emittit purpuræ splendorem perbellè referentem. Rarus est apud nos piscis, in Hispania & quibusdam aliis locis frequens.

A F Hunc verò quem exhibemus, veterum esse coliam certò colligere possumus ex eorundem monimentis. Noster enim hic piscis aut scomber est aut colias: neq; vllus est, qui non primo intuitu ita non iudicet. Et piscatores nostri à scombris ob similitudinem non distingunt. Scombrum verò non esse satis perspicuè ostendit. Athenęus lib. 3. quum scribit sardã magnitudine colię parem esse. Atqui sarda pelamys longa est, autore Plinio lib. 32. ca. 11. Quę sanè magnitudo scombro pręcedenti capite descripto competere non potest. Idem indicare videtur Hicesius apud Athenęum: ait enim, τοὺς σκόμβρους ἐλαχίστους μὲν εἶναι κατὰ τὸ μέγεθος, τροφιμωτέρους δὲ τῶν κολιῶν καὶ εὐχυλοτέρους, μὴ εὐεκκρίτους. Sic enim legendum esse, vel τροφιμωτέρους δὲ τῶν κολιῶν καὶ εὐχυλοτέρους, non autem vt in exemplaribus excusis legitur, manifestum fiet, locum istum, cum alio eiusdem autoris loco qui est in libro tertio, conferenti. Hicesius igitur scombros colię comparans, minores esse & melioris succi, qui tamen non facilius excernantur, apertè dicit. Quod & cuiuis qui piscem hunc nostrum nactus fuerit, experiri licet. Nam scombros meliores esse, quia humidiores pinguioresq; sint, coliam multò deteriorem comperiet. Locus ille alter Athenæi est huiusmodi: Ἡ σάρδα παρεμφερὴς ἐστι τῷ κολίᾳ μεγέθει, ὁ δὲ σκόμβρος κοῦφος καὶ ταχέως ἀποχωρῶν τοῦ στομάχου. ὁ κολίας δὲ, κολλωδέστερος, δηκτικώτερος, κακοχυλώτερος, τρόφιμος. κρείσσων δὲ ὁ Ἀμυκλανὸς, καὶ Ἱσπανὸς ὁ Σεξιτανὸς λεγόμενος: λεπτότερος γὰρ καὶ γλυκύτερος. Qui locus rursus mendo non vacat, quid enim significare potest κολλωδέστερος? reponẽdum itaque puto κολλωδέστερος. Coliæ sarda magnitudine assimilata est. scomber autem leuiter & subito è ventriculo descendit. Colias verò glutinosior, acrior siue mordacior, deterioris succi, multum nutriens. melior autem Amyclanus, & Hispanus qui Sexitanus dicitur: gracilior enim est & suauior. Mutua horum duorum locorum collatio, vtrunq; dilucidiorem emendatioremq; reddit. In loco proximè citato, dicitur colias deterioris esse succi quàm scomber: in altero dicitur scomber melioris esse succi quàm colias. Adhæc dicitur illic scomber leuis, nec diu in ventriculo immorari: colias autem glutinosior, durior, mordacior: quam ob causam excernendi vim statim excitat. hîc verò, scomber non facilius excerni, quã colias dicitur. Quare cùm colias maior sit, deterioris acriorisq; succi: scomber minor, meliorq;, alioqui corporis specie similes, rectè mihi videor hoc capite coliam repręsentasse, pręcedenti verò scombrum qui à Gallis Maquereau nominatur.

Iconem exhibitam coliæ, non scombri esse.

Libro 7.

Superest scrupulus eximendus, quem nobis iniicit Plinii locus. Colias, siue Parianus, siue Sexitanus à patria Bętica lacertorum minima. Sed locus hic adeò mutilus & deprauatus fuit, vt in eo omnino restituendo & corrigendo plurimum sudârit Hermolaus. Primum igitur sic legendum: Colias Parianus, siue Sexitanus è patria Bętica. Id liquet ex Athenęo libro tertio cum de colia scribit: Κρείσσων δ' ὁ Ἀμυκλανὸς, καὶ Ἱσπανὸς λεγόμενος. Quibus mox subiungit: Στράβων δ' ἐν τρίτῳ γεωγραφικῶν, πρὸς ταῖς Ἡρακλέους φησὶ νήσοις κατὰ Καρχηδόνα τὴν καινὴν πόλιν εἶναι Σεξιτανίαν: ἐξ ἧς καὶ τὰ ταρίχη ἐπωνύμως λέγεσθαι: καὶ ἄλλην Σκομβροαρίαν, ἀπὸ τῶν ἁλισκομένων σκόμβρων, ἐξ ὧν τὸ ἄριστον σκευάζεσθαι γάρον.

Plinii locus lib. 32. cap. 10.

Vides

Vides hîc etiam Hispanos siue Sexitanos commendari colias, & Amyclanos, (*Amyclæ ciuitas fuit Latij item Amyclæ Tacitæ, inter Caietam & Tarracinum,*) à Plinio verò Parianos. Quanquam quę ex Strabone citantur, paulò aliter apud ipsum reperias: scribit enim libro tertio: Ἡ δὲ Μάλακα καὶ πλησίον μᾶλλον Φοινικῆς τῷ σχήματι: ἐφεξῆς δ' ἐστιν ἡ τῶν Ἐξιτανῶν πόλις, ἐξ ἧς καὶ τὰ ταρίχη ἐπωνύμως λέγεται. id est, Malaca autem ad Phœniceę ciuitatis formam propiùs accedit. sequitur Hexitanorum ciuitas, à qua salsamenta cognominantur. (*Vide ne à Malaca lacerti Malacani potius dicendi sint quam Amyclani:*) Et aliquanto post, Εἶθ' ἡ τοῦ Ἡρακλέους ἤδη νῆσος πρὸς Καρχηδόνα, ἣν καλοῦσι Σκομβροαρίαν, ἀπὸ τῶν ἁλισκομένων σκόμβρων, ἐξ ὧν ἄριστον σκευάζεται γάρον. Deinde Herculis insula obiacet Carthagini Scombroaria vocata, quod ibi capiantur scombri, ex quibus optimum garum conficitur. Et Sexti autore Plinio lib. 3. cap. 1. oppidum est Beticæ Hispanię. Postremo verò illud lacertorum minima cum superioribus non congruit, nisi genera subaudias: ex quibus tamen nemo rectè colligat coliæ inter lacertos magnitudinem minimam esse: cùm sarda, vt diximus, sit coliæ magnitudine par, quæ sarda pelamys longa est. Sed ad pręstantiam non magnitudinem id referendum esse, dicique per collationem cum melioribus, demonstrant quæ sequuntur: Ab his Mæotici & cybium & cætera. vt sit sensus: Colias Parianos & Sexitanos sequuntur præstantiores maioresq; pisces, vt Męotici, pelamys concisa, cordyla, & cętera.

Colię, inquit Aristot. lib. 8. de hist. anim. ca. 13. subeuntes Pontum capitur, exeuntes autem minimè, (ob id fortasse quod aquarum dulcedine allecti illic perpetuò desident.) Optimi in Propontide sunt, antequam pariant. C F

COROLLARIVM.

Coliam Bellonii, Scombro minorem, & siue ętate, siue etiam specie ab eo differentem, cum Scombro ponemus. Rondeletius suum Coliam Scombro maiorem facit. Vterque tamen Massiliæ Coliam piscem vulgò Coguiol (vel Cogniol) vocari scribit. Nos Coliam Bellonii, minorem appellabimus: quoniam & Gręci hodie Colion vocant, qui Lemnum, Thasum, Samothracen & Imbrum incolunt: Rondeletii, maiorem, vt sententię vtriusque faueamus. Colias etiam hac ætate à Gręcis colios corruptè vocatur: ab iis qui Niceam incolunt, *Coguiol* corruptè, quasi Colias appellatur, Gillius. Item Bellonii Coliam Germanicè nominabimus, *ein kleiner Macrell*: id est Scombrum paruum. Rondeletii verò, *ein grosser Macrell*: id est, Scombrum magnum: vel potius magnam Scombri speciem, ne quis magnitudine tantùm aut ætate differre putet. Coliæ vocabulum in Gręcis codicibus Aristotelis vulgatis, variis modis scribitur, κολίας, κοιλίας, κοχλίας, in diuersis: ego vnum tantum probo, nempe κολίας, idq; paroxytonum, ita vt Αἰνείας αἰνειῶν, vnde genitiuus multitudinis formabitur τῶν κολιῶν, circunflexus. Colian Theodorus non rectè, vt inquit Hermolaus, monedulam vertit, tanquam legerit κολοιόν. Plinius graculum reddidisse videtur, vt cum draconem piscem graculo similem esse scribit, nam & auem κολοιὸν Plinius graculum interpretatur. Galeni interpres in libris de alimentis pro coracino graculum conuertit, vt prius etiam Gaza ex Aristotele A *Monedula. Graculus.*

B Νωτόγραπτος, ὁ βῶξ: ποικιλόγραμμος, κολίας, Athenęus: sed etiam κοιλιόγραμμος legi potest: vt intelligatur βῶξ dorso, κολίας in aluo (ventre) picturas gerere, Hermolaus. Bellonius quidem suum Goliam ventre vario esse scribit. Colias (inquit Vuottonus) quasi lineas quasdam habet depictas, non in dorso, sed obliquas.

C Colię magna ex parte non subeunt Pontum: sed in Propontide trahunt ęstatem, & pariunt: hyemem in Aegeo: Κοχλίαι ab Aristotele Histor anim. 5. 9. Gaza κολίαι legit. vertit enim monedulas. Athenęus hunc locum repetens vocabulum repetens vocabulum κοχλίαι omittit.

F Xenocrates author est, & scõbrum & colian carnem habere nõ aliter atq; thunni stomachõ incommodam, aridam, malique succi, & quæ non facile aluo excernitur, atque copiosè nutrit: verùm colię caro ori minus grata est, minusq; succi habet. Vt Coliæ Pariani commendantur, sic & Scombri circa Parium, (Vuottonus suspicatur Pariam, vel Parum forsitan legendum) præstantissimi habentur. Sed Parium etiam Athenæus libro tertio memorat ex Hesiodo (Archestratum alibi opsophagorum Hesiodũ aut Theognim vocat) hoc versu: Καὶ Πάριον κολίων (κολιῶν) κυδρὴ τροφὸς ἔσκε πολίχνη. Pityûs Straboni medio inter Parianam coloniam & Priapum spatio est. Athenęus Amyclanos (non Parianos) & Sexitanos colias commendat. Sexi quidem Plinio oppidum est Bęticæ Hispanię. quare & in Martialis versu libro 7. Cum Saxetani ponatur cauda lacerta, legendum erit Sexitani. Galenus de alim. facult. lib. 3. ca. 41 quod de cibis sale conditis inscribitur: Pisces (inquit) mollis carnis & excrementis vacui, vt saxatiles & aselli, ad saliendum non sunt accommodi: coracini verò, pelamydes, myli, sardę, sardenæ, quęque Saxatina vocant, & salsamenta, ad saliendum sunt apposita. Græcè legimus: καὶ τὰ Σαξάτινα καλούμενα καὶ (καὶ fortè abundat) ταρίχη, πρὸς ταριχείαν εἰσὶν ἐπιτήδεια. Et paulò post: Pręstantissima omnium sunt, Sardica salsamenta, hodie sardas vocant: & myli ex Ponto. secundum autem post illa locum habent coracini, & pelamydes, & quæ Saxatina appellant. Hippocrates in libro de internis affectionibus in primo splenis morbo, obsonium dat salsamentum Gaditanum, &c. scombrum fortè aut coliam intelligens: & rursus idem si hydrops à splene fuerit.

Quod ad locum hunc Plinii: Colias siue Pariãus, siue Sexitãus à patria Bætica, lacertorũ minima, pro minima lego genera: vt & cõstructio constet, & quod res postulat dicatur, nec ita interpretari opus sit vt Rondeletius facit contra vsitatum loquendi morem, certe Plinio non receptum, vt minimum simpliciter pro eo quod minimi sit precii, vel bonitate & pręstantia infimum, dicatur. Legamus igitur, non minima, sed genera. nam & Helacatenes paulo ante dixerat sunt lacertorum genera. sic enim legendum, Vuottonus hoc in loco legit minima genera. Sed hæ coniecturæ sunt. *Plinii locus.*

Σαπέρδαι, λέβιοι & κολίαι, pisces nominantur ab Aristopane in Holcadibus, Athenęus. Κολοφών, κολοιὸς, & piscis quidam marinus, Hesychius. videtur autem idem qui colias esse. De voce κολλωδέστερος iudicium nostrum, lege infra in Conchis mitulis.

Colon piscis generis Mugilum, inter Mugiles dicetur. Κόλων

Colophon. vide superius in fine Corollarii de Colia.

Colvber in aquis viuens à Græcis enhydris vocatur, Plinius. Vide in Serpentibus aquaticis.

COLYBÆNA, vide in Pudendo marino.

COLYCÆNA genus quoddam vrticę marinę vulgo Græcorum.

COLYCIA inter Murices sunt, aliàs Corycia, vel Corythia.

COLYMBÆNÆ cum gammaris, squillis, sepiis, &c. stomachicis in cibo conueniunt, apud Galenum de compos. sec. locos 8. 4.

COMARIDES, Κομαρίδες, in quodam Epicharmi versu apud Athenęum leguntur, aliàs Χαλκίδες, quod magis probarim.

DE CONCHIS IN GENERE, RONDELETIVS.

Conchæ nomen quam late pateat.

CONchæ nomen latissimè patere iam diximus: hoc verò Plinii lib. 9. ca. 33. authoritate maximè confirmatur, qui Pectines, Cochleas, Buccina concharum nomine comprehendit. Verba eius adscribere superuacaneum haud fuerit, vtpote quorum iucunda & eleganti varietate & copia, naturæ fœcunditatem, miramque ac multiplicem in procreandis omnibus solertiam ingenioſe imitatus est.

B

Differentiæ concharum ex Plinio.

Concharum genera, (inquit) in quibus mira, (alias, magna) ludentis naturę varietas, tot colorum differentiæ, tot figurę, planis & (aliàs comma sine copula intercedit) concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cęsis, in dorsum elatis, læuibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine ac mucronem emisso, foris effuso, intus replicato: iam distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, (aliàs, canaliculatim) pectinatim, imbricatim vndata, cancellatim reticulata in obliquum, in rectum expansa, prædensata, (aliàs, densata, porrecta, sinuata:) breui nodo ligatis, toto latere connexis ad plausum apertis, ad buccinum incuruis, (aliàs, ad buccinam recuruis.) Quum planas & concauas dicit, pectines intelligit quibus solis hæc nota contigit: cum ad buccinum recuruas, Cochleas & Buccina comprehendit. Concharum genus, quibus testa durior est, quęq; duabus testis constant, vtrisque cauis, δίθυρα vocat Aristoteles, τὸ δυσὶν ὀστράκοις πεφυκὸς ἔχομενον, quod gemina testa continetur: biual ue conuertit Gaza, sicut κονίθυρα vniualue. θύραι enim valuę sunt, eas Cicero lib. 2. de natura Deorum Cochas Latinè dixit. Pinna enim (sic Græcè dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parua squilla quasi societatem coit cibi comparandi.

Biualues.

Vniualues. Concha pro testa altera in biualuibus Concharum colores,

Concharum multæ sunt differentiæ etiam præter eas quas ex Plinio protulimus: sunt enim aliæ albae, aliae nigrae: quædam albo nigroque distinctae.

DE EISDEM, BELLONIVS.

In Testatorum exanguium numero biualues (conchae) censentur: quibus interna pars carnea est, nihil dūrum habens: foris autem solida: quales sunt conchæ, ostrea, & id genus, gemina testa conclusa. Biualues igitur conchae, altera ligata, altera soluta constant: &, vt concludi possint & aperiri, alia binis quidem conclusa valuulis sunt, verum vtroque latere connexis, vt sunt vngues, quos etiam digitos vocant.

COROLLARIVM.

A

Conchæ vocabulum commune esse ad omnia malacostraca, contrahi verò plerunq; ad biualuia, scripsi suprà in Cochleis in genere A. Conchæ nomen (inquit Vuottonus) vnam speciem significat, nempe chamen, vt apud Aristotelem libro quarto historiæ animalium: sed & priuatim chamen tracheam, vt li. 5. & apud Oribasium lib. 2. Plinius conchas appellauit, non quæ testa adeò fragili clauduntur atq; cochleæ, pectines, digiti: sed quæ firmiore, vt purpuræ, buccina, pinna. Concha etiam quibusdam non minus generale est, quàm ostreum. continet enim omnia quæcunq; testa intecta sunt. Nonnunquam etiam pro testa ipsa accipitur: vt Columellæ in Horto, Implicitus conchæ limax, (*de testa singulari. item de duplici*:) vt Ciceroni libro secundo de nat. deorum. de pinna, Duabus patula conchis: &, Comprimit conchas. Polypi vescuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt, Plinius. Fir mioris iam testę (*de quibusdam f. aqilis testæ dixerat prius, nempe vnguibus, cochleis, echinis & caneris*) murices & concharum genera, Plinius. Theodorus in translatione Aristotelis historiæ anim. 4. 4. ostrei & conchæ nomine vtitur, pro vniuerso genere testato. Conchylii quoq; nomen quandoq; generale est ad omnes conchas: Vide Rondeletium in Conchylio, & Corollarium nostrum. Conchae dicuntur quæ testam læuem habent ac politam, siue vniformiter rugatam, siue denticulatam: ostrea verò, quæ asperā, scabramque. quamuis generali nomine ostrea quoq; conchæ vocentur. item quæ ex vno tantum latere testam habent, altero scopulis, lapidibus aut alteri materiae adhaerent. Nam testae ipsae duriores, propriè conchæ dicuntur, quales sunt coclearum. Ouidius, Ostreaq; in conchis tuta fure suis. Cicero de pinna loquens: Duabus grandibus obsita conchis. Perottus. Et rursus, Itaque purpura inter conchas potius numerabitur: murices inter ostrea, ob scabriciem corticis. Haec ille. Sed scabricies testarum diuersa est. alia scilicet in ostreis, per totam testae superficiem: alia in muricibus & purpuris, eminentibus quibusdam aculeis. Conchae omnes celerrimè crescunt, praecipuè purpurae, Plinius. Concharum ad purpuras & conchylia eadem quidem est materia, sed distat temperamento, Idem. κόγχοι, πλὴν κόγχλοι, πλὴν χήμαι: Galenus in Glossis, & Varinus. Hesychius etiam & Varinus conchas interpretantur χήμας. Augustinus Niphus discrimen quoddam inter concam & concham ridiculè somniat. Vbicunq; (inquit) conca scribitur c exili, id est sine h. significat genus, id est omne testatum. nam concha cum h. speciem vnam eorum tantum importat: quae si sit canaliculis distincta, dicitur etiam concha. si sit laeuis & plana, chama vocatur. Concha Lucrini delicatior stagni, Martialis de ostreo in Erotion puellam. Et alibi, Tu Lucrina voras, me pascit aquosa Peloris. Concharum generis & pinna est, Plinius. Gaza alicubi ex Theophrasto pro pinna, simpliciter concham transtulit. Populatio morum atque luxuria non aliunde maior, quàm è concharum genere prouenit, Plinius: de margaritis nimirum & purpuris sentiens. Inter conchas principatum tenent margaritę, Quidam ex Plinio. Imperito nonnunquam concha videtur margaritum, Festus ex Varrone. Lęuis ab æquorea cortex Marçotica concha Fiat, inoffensa curret arundo via: Martialis de concha Venerea vel lęuigatoria. Concham pro cochlea veteres quidam dixerunt,

Chama. Chamę trachea.

Concha pro testa.

Ostreum. Pinna.

runt, sed marina præcipuè. Vide in Cochlea A. Auditum in quodam specu concha canente Tritonem, Plinius. De terrestri rarissimè: vt Epicharmus hoc versu, Κόγχον ἢ τὸν σέσιλον ἅπαγ' ἐς τὸν φθόρον κόγχος, κοχλίας, Hesychius & Varinus. Conchæ genera complura saxis affixa vitam omnem traducunt, Aristoteles interprete Gaza. Plinius & Apuleius conchulas forma diminutiua dixerunt: & Græci similiter κογχία, Strabo & Diocles. Conchylium quandoque in genere pro quauis concha à Plinio vsurpatur. Animalia iacentia pro generibus concharum Columella dixisse videtur 8. 17. aut fortè pro soleis & huiusmodi planis. Concha Italicè adhuc dicitur conca: vt & Hispanicè *concha*. Nichio etiam Tuscis conchā sonat. Galli circunloquuntur, *Toute sorte de poisson à coquille*. Germanis *Muscheln*: Flandris *Mosseln*: conchas omne genus, sed præcipuè pectines, chamas, & alias biualues significat. & videtur ea vox à musculis vel mytulis facta, specie vna concharum. Cochleas verò & turbinata *Schnecken* appellant, & *Rinckhorn*, vt dictum est. *Schal*, vel *Schall*, testa est, siue simplex, siue ex binis valuis altera. Vnde *Shelfisch* Angli nominant omne testatum animal, nos *Schalfisch* proferemus, vel *Schellfisch*. sed priori nomine vti præstiterit ad vitandam homonymiam. quoniam aselli quoque species, quām à Rheno inferiores Germani denominant *Rheynfisch*, alio nomine *Schellfisch* dicitur à fluuio Scalda vel Scaldi, qui iuxta Antuerpiam in mare profluit. Poloni concham *Czaszka* interpretantur. Sadaf est conchula marina, Vetus glossographus Auicennę. Haly medici Punici interpres Sadephum scribit. In Auicennæ animalium historia, quam ex Aristotele magna ex parte transtulit, pro concha, alzun eum dixisse inuenio: interpres posuit alzun vel ostreum.

Conchylium

Silicum duritia teguntur ostreę & conchæ, Plinius. Speusippus in libro Similium similes inter se facit purpuras, strabelos, conchas.

B

Conchyorum & testatorum in vniuersum differentia.

Differentias concharum quod ad testas graphicè elegantissimeq; Plinius describit, & ex eo repetiit Rondeletius. Nos easdem hic Græcè proponemus, vt Athenęus libro tertio recitat. Aristoteles (inquit) in libro de animalibus sic scribit: Ostrea sunt, (id est testata,) vt pinna, ostreum (speciatim dictum,) mitilus, pecten, vnguis, concha patella, têthos, balanus. Gressilia verò, buccinum, purpura, hedyprurpura, echinus & strabelus: (*tanquam ostrea dicantur proprie quæcunque testatorum biualuia sunt, & patella quoque vniualuis: eademque omnia progrediendi vi & instrumentio careant. Gressilia vero sint buccinum, purpura, & aliqua turbinata. non tamen sola hæc, sed ex biualuibus quoque nonnulla moueri constat, vt pectines.*) Et mox: Τῶν δὲ ὀστράκων τὰ μὲν ἐστιν αὐλοπυκτά, (αὐλοπυκτὰ, de partibus animal. 4. 7. Gaza vertit reseratilia) οἷον οἱ κτένες, καὶ οἱ μῦες. ἅπαντα γὰρ τὰ τοιαῦτα, τῇ μὲν συμπέφυκε τῇ δὲ ἀφεῖται, ὥστε συγκλείεσθαι καὶ αὐοίγεσθαι. Τὰ δὲ δίθυρα μέν ἐστιν, ὁμοίως δὲ συμπέφυκεν ἑκάτερα ἀμφότερα, οἷον οἱ σωλῆνες. Ἔτι δὲ αὐτῶν τῶν ὀστράκων διαφοραὶ πρὸς ἀλλήλα εἰσί. τὰ μὲν γὰρ λειόστρακά εἰσιν, ὥσπερ σωλὴν καὶ μύες, καὶ κόγχαι ἐνιαὶ καὶ χαλάσμυαι. τὰ δὲ πίνναι γαλαίδεις τε δὲ τραχέα, οἷον τὰ λιμνόστρεα καὶ πίννα, καὶ κόγχων ἐνιαι, καὶ κήρυκες. καὶ τέτων τὰ μὲν ῥαβδωτά ἐστιν, οἷον κτεὶς, καὶ κόγχων τι γένος: τὰ δὲ ἀῤῥάβδωτα, οἷον αἵ τε πίνναι, καὶ κόγχων τι γένος. item quędam λεπτόχειλα sunt, alia παχύχειλα. Quædam κινητικὰ: alia ἀκίνητα καὶ στερεοῦ-

Conchylium

Digressio de vniualuibus Patella.

Concha Venerea.

Concharum differentiae ex Aristot.

Vide inferius de Conchis læuib. ex Rondeletio: vbi is iam recitata Aristotelis verba, melius quàm Gaza interpretatur. Similis ferè, sed breuior testati generis diuisio exstat apud Aristot. de partibus anim. 4. 7. Conchulam testam habentem striatam nominat Apuleius.

Concharum spondyli seu corpora in plenilunio incrementum suscipiunt. Dicuntur autem spondyli carnes eorum interiores. Latinè calli. Omnis callus pinnæ & conchylii interior; papauer quoq; dicitur, Hermolaus. Aristoteles nominat τὴν σάρκα, τὸ σαρκῶδες, τὸ ἔσω τῶν ὀστρείων τὸ σαρκῶδες. Germanicè licebit nominare, *den kernen, das fleisch*: sed elegantius priore modo. Conchæ dentibus etiam binis fulciuntur vt crustata, Aristot. de partib. 4. 5. Carent conchæ visu, omnique sensu alio quam cibi & periculi, Plinius. Conchæ alię habent in se margaritam, alię non habent: licet conchæ omnes aliquid habeant de natura margaritæ, Albertus. Oculi ostreis nulli, quibusdam concharum dubii, Plinius.

Conchis optimis abundat Lucrinus, Bibaga Indiæ insula, & mare rubrum, Textor, sed è Lucrino Italiæ lacu ostrea, non simpliciter conchæ, commendabantur olim.

C Conchæ in limo arenoso nascuntur, Aristot. Et rursus, Conchæ, chamę, vngues, pectines, locis arenosis sui ortus initia capiunt. Et alibi, Nascitur concharum genus quemadmodum expositum est, sed locis variis: nam alia vadis, alia gurgite, alia duris locis atq; asperis, alia arenosis: & alia sedem mutant, alia stabiliter degunt. Vidi factas ex æquore terras, Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ, Ouidius Metam. 15. Alexander ab Alexandro vir sane doctus & diligens Genialium dierum lib. 5. ca. 9. hæc tradit: In memoria mihi est, lapidem duri marmoris, non vnius coloris, vidisse in montibus Calabris, longo à maris recessu, in quo multiplices conchas maris congestas & simul concretas cum ipso marmore in vnum corpus coaluisse videres, quas quidem osseas & non lapideas esse, & quales in littoralibus vadis inspicimus, facile erat cernere. quod si marmor in frusta dissectum resecasses, etiam multiplices conchas singulis frustis quasi natiuas considere, & cum lapide vnà discindi videres. Quod profectò multum præstat argumenti dissimilia corpora disiuncta priùs, postea colluuione rerum mista & longo æuo coaceruata coaluisse. Quod genus marmoris, in quo conchylia videantur plurima in Thessalia & Hæmonia præcipuè apparere authores memorant: atq; in Ægypto salsuginem esudare, Herodotus tradit; ita vt in collibus editioribus ea quę mari incito expuuntur, facilè conspiciantur. Apud Megarenses quoq; & omnem Macedoniam ex rupium præruptissimis saxis lapides excauari nonnulli testati sunt, in quib. pleraq; specie appareant littorali, multaq; ędificia & magnas moles ex illis construi. Conchę omnes celerrimè crescũt, præcipuè purpurę, Plinius. Concharum quoq; corpora Lunę effectu (*in plenilunio*) augescunt, Plinius. Luna incremento suo omnium clausorum maris animalium atq; concharum membra turgere iubet, Palladius. videtur autem clausa maris animalia pro ostracodermis in vniuersum dicere. Conchæ & cochleæ inde vocatę sunt, quia deficiente Luna cauantur, id est euacuantur & minuuntur, Isidorus. Conchæ et vngues nulla innitentes radice permanent, Aristot. Conchas tenuiores scabrasq; polypum aiunt efficere circum se, velut loricam duram, de qua re in Polypo dicetur. Concha marina toto corpore simul aperto miscetur in coitum, sicut Iuba refert in Physiologicis; Fulgentius in Mythologiis. Non murmura vestra columbæ, Brachia non hederę, non vincant oscula conchæ, Gallienus imperator in Epithalamio. In alto mari nascuntur abies & quercus, cubitali altitudine: ramis earum adhærent conchae, Plin. Negant in aqua vllum esse animal ad conficiendum hominem atrocius conchis, Platina. Conchæ cur capitibus careant, & quomodo nutriantur, ex Alberto scripsi in Cochleis mar. in genere c. Conchæ (αἱ κόγχυλαι) quamuis careant visu, escas tamen sequi videntur, odorandi scilicet facultate, Suidas in Κογχύλη.

D Pelecanas aiunt in fluuiis conchas fodiendo eruere, & cum iam multas ingesserint, reuomere, tum carnes lectas deuorare testis relictis, Aristot. in Mirab. Concha vescuntur mulli, & aliis quibusdam Aristot. Conchularum carne vescuntur polypi: vnde fit, vt eorum cubilia cognoscant, qui venantur, congerie testarum. Trebius Niger prodidit polypos auidissimos esse concharum: illas ad tactum comprimi præcidentes brachia eorum, vltroq; escam ex prædante capere. insidiantur ergo polypi apertis: impositoq; lapillo (&c. vt in Polypo exponetur,) Plinius. Negant in aqua vllum esse animal ad conficiendum hominem atrocius conchis, Platina.

E Limosa regio (maris) idonea est conchyliis, muricibus & ostreis, purpurarumq; tum concharum pectunculis, Columella 8. 16. vbi de piscinis loquitur. Vide mox in F. circa initium. Conchæ inter instrumenta pictorum numerantur à Martiano I.C. ff. ne Fundo instructo & instrum. legat. Concharum non quarumuis, sed buccini aut cochleæ, tubarum loco ante illas inuentas vsus olim fuit. Vide in Cochleis mar. E. Cœruleum Tritona vocat, conchaq; sonanti Inspirare iubet, Vergilius. Conchas aliquas, pręsertim illas quæ margaritas ferunt, & berberi dicuntur, polire solent artifices. eæ politę nitore placent pulcherrimo, & iridis colorum æmulo proq; diuersa ad lucem cõuersione, vt columbarum colla, vario inde opera varia ornamentaq; conficiuntur. Conchis, vt chamarum & mytulorum testis, pigmenta sua infundunt pictores. Quod superest, quæcunq; premes virgulta (de vitibus loquitur) per agros, Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra: Aut lapidem bibulum, aut squalenteis infode conchas. Inter enim labentur aquę: tenuisq; subibit Halitus: atq; animos tollent sata, Vergilius 2. Georg. Vbi Seruius, Cochleę (melius conchæ) propter admittenda spiramina infodiuntur: lapis verò arenarius & propter spiramina, & propter immodicum hauriendum humorem si forte nimius fuerit. Conchę adhęrescentes tempestatis signa sunt, Plinius.

F De concharum alimento leges etiam infrà in Ostreis F. Ichthyophagi quidam conchas quę carnem habeant, hoc modo nutriunt: Iiis in fossam vel lacunam aliquam immissis, pisciculos in cibum iniiciunt, atque in penuria piscium vtuntur, Strabo libro 16. Conchula marina, purpura, pelorides, tanquam cibi stomachum roborantes, laudantur à Scribonio Largo, Compositione 104. vt ab aliis cochleę mar. Corpus auget ius mitulorum & concharum, Plinius. Qui re Venerea vti non possunt, edant polypos, concharum genera omnia, Aetius. Ῥωμαλεώτερα τῶν κογχ[illegible] φησὶν εἶναι Διοκλῆς, κόγχας, πορφύρας, κήρυκας, Athenæus. Conchulæ maris & cæterorum ferè ostreorum succus planè tum salsus est, tum ventrem soluendi vim obtinet. quamuis earum caro ventrem reprimat, Galenus 3. de simplic. Aluum mouent

cochleę, ostrea, pelorides, musculi, & omnes ferè conchulæ, Celsus. Vrticam coctam cum conchulis ciere aluum, Phanias Physicus prodidit, Plinius. Chamarum, conchularumque in exigua aqua decoctarum ius, aluum ciet. id cum vino assumitur, Dioscorides. Ventri molliendo, Quodq; satis melius verbis dicemus Horati, Mugilis & viles pellent obstantia conchæ, Serenus.

Multi ex damnato victus genere stulti effecti sunt, ex suilla carne, bubula, asinina, cetariis omnibus, conchulis, &c. Alexander Benedictus. Conchas omnes epilepticis nocere, Galenus author est.

Concham coctam pipere, petroselino, mentha sicca, cinnamo obligas, Platina. Et alibi, Capę ex genere conchyliorum sunt. coqui in patella sine aqua debent. Conchas vbi videris prę calore aperiri, agrestã cum modico piperis triti & petroselini concisi indes, admiscebisq;: ac statim in patinas transferes. In aqua bene salita per noctem & diem retinendę prius sunt, vt amaritudinem innatam relinquant. Humescunt omnes conchæ, nimis ostrea friget: His inflare salax est tibi caussa Venus, Bapt. Fiera.

G Conchæ marinę, eædem ferè quæ cochleæ tum marinę tum terrestres pręstare videntur. Conchulæ marinę adduntur remediis ad superfluum medicamentorum (à medicamentis purgantibus) fluxum sistendum, Incertus. Sadephum, id est, concha marina: pręfertur alba, Hali. Conchæ mar. adustæ abstergendo purgant dentes. ex non adustis contritis emplastrum applicatum adustionem ignis sanat, Rasis ad Almansorem. Ad ægilopes: Conchulas cum testis suis tere, & appone. aliqui verò miscent etiam aloën vel myrrham, Galenus Euporiston 2. 106. Conchæ vstæ vnum ex validissimis medicamentis ad achores sunt, Galenus de compositione secundum locos. *Conchæ marinae.*

H.a. Conchæ vocabulum Seruius à Gręco κόγχη deducit. alii Latinum putant à concauitate dictum. itaq; sine aspiratione scribunt. Conchæ inde vocatę sunt, quia deficiente Luna cauantur, id est enacuantur, Isidorus. Speusippus seorsim nominat κόγχας, μῦς, τελλίνας, &c. κόγχοι, μύες, καὶ ὄστρεα, Aeschylus. Nihil autem interest κόγχαι fœminino, an κόγχοι masculino genere dicantur, vt apud Athenęum legimus. Sed & κόγχος interdum fœmininè effertur: κόγχος μέλαινα, Epicharmus. apud Sophronem quoq; αἱ κόγχοι μ[illegible]νίδες nominantur. Κυματοφορτίδες, κόγχοι, Hesychius & Varinus. Κογχάριον id est conchula, diminutiuum apud Dioscoridem est. Πύμφυκα, τὸν κόγχον, Varinus. Scafium, id est, concha, Syluaticus. vide inferius in Mitulis. Λεβηρίδα, id est, Leberidem aliqui senectam serpentis, alii concham vacuam interpretantur, Galenus in Glossis. Calculos fuisse lapillos ab initio, quales in ora per lusum sæpe legimus, & quos spolia Oceani Claudius Cæsar vocauit, cum parata expeditione milites iussit galeas conchis & hoc genus lapillis implere, hac ratione de Oceano triumphaturus: nomen ipsum ostendit, Cælius Calcagninus lib. de calculorum ludo.

Epitheta. Conchæ apud Ouidium cognominantur, marinæ, tenues: Terga cauis super obsita conchis 4. Metam. de ceto. Detritis conchis læuior, 15. Metam. Viles, capaces, Horatio. Squalentes, (aliqui sordidas interpretantur, malim aridas vel asperas,) Vergilio 2. Georg. Conchæ grandes, Cicero 2. de Nat. sed hoc differentia, non epitheton est. *Epitheta.*

Concha nomen est mensurę, teste Galeno in libro de ponderibus & mens. Est autem alia magna, alia parua. Sic cochlearium etiam chama & mystrum, mensurarum nomina sunt, à capacitate testarum quibus eiusdem nominis ostracoderma aquatilium animantium conteguntur, desumpta. Mensuram quanta est conchæ testa terito, Hippocrates de nat. muli. Tota capitis humani ossium structura, vocatur κρανίον, & κόγχος apud Lycophronem, hoc versu: [illegible] apud Aristophanem σκαφίον, Pollux. Sed scaphium etiam species concharum marinum est, quæ mys alio nomine dicitur. Conchos dicunt oculorum caua, Cęlius. Τὰ γε μὴν ἔγκοιλα τῶν ὀφθαλμῶν κόγχοι καλοῦνται, ὁ [illegible] τοῖς βλεφάροις περίδρομος, Pollux. Auris etiam concha dicitur pars caua extrinsecus τὸ [illegible] περιαγωγὴ τοῦ ὠτός, Pollux. Sed de conchis dictis in corpore humano, plura fortè in Anatomicis Vesalii lector curiosus inueniet.) Item patella in genu apud eundẽ κόγχη vel κόγχος appellatur: aliàs μύλη, &c. Mensis remotis puer euerrat καὶ κογχυλίων κόγχας, καὶ ὀστρέων κόγχυς (malim κόγχας vel κόγχας) καὶ ἰχθύων λέπη, Pollux: hoc est concharum testas, & piscium squamas. Sigilla etiam imagunculæque relictis in parietibus ædiculis (Italia nichios appellat, credo quod imbricatis conchis soleat earum superior pars ornari. conchas enim Ethrures nichios nominant) collocandę, Gulielmus Philander in Vitruuium. Vasis genus concauum ac superius patulum, à conchæ naturalis similitudine concham vocamus. Plinius, Puluis, semper in catinos digeritur, & ex aceto maceratur, vt omnis duritia soluatur: ac rursus tunditur, deinde lauatur in conchis, siccaturq;, Perottus: qui & alibi concham vas oblongum & concauum interpretatur. Conchæ nomen pro vase Lugduni etiamnum seruant. quidam vas interpretantur valde apertũ instar illius quo tonsores lauandis barbis calidam adhibent. Ego concham dici rectè puto uas omne, cibo, potui, aliisue vsibus accommodatum, quod marginum aut labiorum latitudine careat, præsertim si longitudo eius latitudinem vicerit. eiusmodi enim concharum testę sunt. talis & cochlearium figura est, sed manubrio addito. paterę verò, obbæ, catini, lances & huiusmodi vasa, quamuis latitudine illa carent, quam habent patinę, plattæ vulgo dictæ, (ὧδέ γε τὸ πλάτος ἤτοι τοῦ ἄγγους ὅλου, ἢ τῶν χειλῶν.) rotundiora tamen sunt, quàm vt conchæ nomen mereantur. Cato de re rust. In cellam oleariam hæc opus sunt: Dolia olearia, opercula; labra olearia quatuordecim: conchas maiores duas, & minores duas. Cum bibitur concha, cum iam vertigine tectum Ambulat, Iuuenalis Sat. 6. Plinius lib. 33. ferream concham dixit. In sacra historia Regum 3. 7. proditur decem fuisse luteres seu conchas æneas, quarum quæq; tenebat quadraginta batos, &c. Rob. Cenalis. Κόγχην [illegible], Galenus in Glossis. Concha salis puri, pro salino continente salem, Horatius Serm. 1. 3. Pectinum (quos vulgus nostrum conchas diui Iacobi nominat,) vsus est alicubi pro sale, quo aquam sacerdotes consecrant.

Concha mensura. *Conchae partes aliquot corporis hum. dictae.* *Conchae pro testis.* *Conchae imbricatae.* *Concha uas.*

Simul vmbræ quosdam repercussus cæteris (coloribus,) qui in opaco clarius micant, conchata quærit cauda, Plinius de pauone: vbi conchatam aliqui interpretantur in modum conchæ curuam. *Conchatus.*

Conchyliarii. Conchyta. Inter vrinatores sunt, κογχυλιόδυται Plautus conchytas appellat, qui conchylia conquirunt in mari. In Codice Iustiniani Murileguli dicuntur, quasi muricarii à muricibus, Budęus in Pãdectas. Saluete fures maritimi, conchytæ atq; hamiotæ, Plautus Rudente. Dicuntur & conchilegi, Cod. de metallariis, qui cõchylia, murices seu purpuras colligunt. Anarites ostreum est κογχώδες (conchiforme) quod petris, vt patellæ adhæret, Athenęus. Α' μέλαινά τε Κόγχῳ, ἄπερ κογχόθηκα πᾶσιν ἐστ τελσώνια, Epicharmus apud Athenęum. Locus apparet deprauatus.

Conchilegi.

Κογχοίδης. Conchites lapis eruitur in fossa Hildesheimię vrbis: qui in curuis liris ad scapulas redeuntibus, & aurei coloris armatura decoratur, longus esse solet palmos duos, latus palmum, Ge. Agricola.. Κογχίτης lapidis genus: & κογχυλίαν, lapis durus conchyliorum in se formas habens, in Lexicis Gręcis leguntur. Conchitæ lapidi alii etiam cognati sunt, similiter à similitudine, qua conchas aliquas siue testacea animalium referunt, dicti: vt cochlites, myites, ctenites, strombites. Est & Conchites saxi vel marmoris genus, cuius Pausanias meminit in Atticis: Ex Gręcis (inquit) soli Megarenses conchiten habent, & in ciuitate multa ex eo ædificarunt. Imprimis verò candidus est, & reliquis lapidibus mollior, cui conchæ marinæ semper insunt.

In subterraneo domicilio quod ostenditur iuxta Cumas Italiæ, (quod vulgus fingit fuisse antrum Sibyllæ, cumveri simile sit fuisse speluncam prædonum ac piratarũm,) visuntur parietes vario concharum contextu musaicum opus imitantes, Erasmus Rot. in prouerbio Conchas legere. Mirantur aliqui quomodo fiat vt duobus tribusq; stadiorum millibus longè à mari in mediterraneis locis frequentibus concharum & ostreorum & cheramydum magna cernatur multitudo, & salsi lacus, Strabo lib. 1. Et mox, Eratosthenes ait se multis in locis à mari longinquis, vidisse lapidibus inhærentes conchulas, pectines, & ostracorum formas, salsumq; lacum in Armeniis, &c. Herodotus etiam in montibus Ægypti conchylia quędam nasci ac procreari tradit. Lege suprà in c. Meminit & Solinus ca. 15. & Plutarchus in libro de Iside & Osyride. etsi conchylia illi pro conchis dicant. Vide etiam in Ostreis H.C.

Conchis fœm. gen. est faba (inquit Sipontinus) cum cortice suo elixa, ad differentiam fabæ fresæ, quæ sine cortice coquitur: à similitudine concharum, quod confracto cortice velut implicita conchis suis caruncula videatur. Si sumet rubra conchis tibi pallida testa, Martialis lib. 3. Si conchem toties meam comesses, Idem libro 5. Cuius conche tumes? Iuuenalis Sat. 3. Eadem puto apud Athenęum Grecè κόγχῃ dicitur, si bene memini, nescio ex quo authore hos versus citantis:

Λιτῇ ἢ κ' αὐσκελέῃ ἐνὶ κόγχῳ Ἐλλιλύω, ἢ πῶσι φιλιοστρόφῳ· ὀΐζύς. Epicharmus etiam conchon legumen nominauit. Et Antiphanes: Κογχίον τε μικρὸν, ἁλμαύτῳ τε σπεφ τετρημένον. Κογχυλαγόνες, γυμνᾶτες, νύμφαι, Hesychius & Varinus. Volucrum maius, id est concha maior. Syluaticus. Κόγχναι, αἱ ὄχναι, Hesychius & Varinus.

Zenobia Odenati vxor capta ab Aureliano, vixit prope Tybur in Zenobii agris, vbi visebatur Conche locus, Cælius ex Trebellio Pollione.

c. Troglodytarum mulieres circa collum gestant κογχία αὐτῆ βασκανίων, Strabo: id est conchulas pro amuletis fascinationum. Καὶ τὴν κόγχην τῷ πόνῳ σημεῖόσιν ἐπῶσῃ, Aristophanes in Vespis. Scholiastes addit dictum hoc à Comico, ὡς κόγχας ἤτοι κογχύλια θετιτιθέντων παῖς σφεγγίσι ἀσφαλείας ἕνεκα, εἰς τὸ μὴ ἀφανίζεσθαι τὰς τύπας αὐτῶν. Solebant nimirum sigilla ceu vasculis quibusdam includere, vt hodie ligneis torno factis, vel è laminis stanneis, quo typi diutius conseruentur.

f Λ'νέχασκον εἰς ἑκας@· ἐμφιρέσατο Ο'ατωμύας κογχασιν ἐπὶ τῶν αὐθράκων. Et Sophron similiter, Κόγχαν, ὥσπερ ἐξ ἑνὸς κελεύματ@·, κεχάνασι ἅμμιν πᾶσαι. τᾷ ὥρης ἑκάστης ἐξέχει. Quinas fartas conchas piscinarias, Festus ex Plauto.

h Venerem concha Cyprum deuectam canunt, quod nonnulli ad salacitatem referunt, quæ concitetur ex earum cibo. non secus enim ac ostrea libidinosa esse perhibentur, Pierius Valerianus. Videntur autem conchæ & ipsę libidinosę esse, vt in c. dictum est: & libidinem vescentibus excitare.

Prouerbia. Prouerbia. Concha dignus, Κόγχης ἄξι@·. Rem nullius precii concham dicunt Gręci, quemadmodũ Latini nauci aut floccũ. Vnde quod cõtemptissimum, nullius q; rei significabant, id κόγχης ἄξιον dicebãt, Erasmus Rot. Κόγχη. τὸ ἐλάχιστον. καὶ κόγχης ἄξιον, τὸ μηδενὸς ἄξιον, Suidas & Varinus. Κόγχης, ἀπὶ τῦ ἄξιον ὑτέλεσαν ἐπίθεσαι, Hesychius. locus est corruptus. legerim, Κόγχης ἄξιον ἀπὶ τῦ ὁτελῶς ἐπίθεσαν. vel, Κόγχλω, ἀπὶ τῦ μηδενὸς ἄξίν καὶ ὁτελῶς. Concham diuidere, κόγχλω διελεῖν, de iis qui nullo negocio quippiam perficiunt: Suidas, Hesychius & Varinus: ἀπὶ τῶν ῥᾳδίως πραττόντων. οἷον, πανοῦργόν ἐστι τόδε τῶν κόγχον διελεῖν. Et Suidas, Ὥσπερ κόγχυλιον διελεῖν, παροιμία ἐπὶ τῶν σφόδρα ὑτελῶν. Erasmus Rot. reddit, Tanquam concham dilacerare, vel conchylium discerpere. de imbecillis (inquit) & viribus longè inferioribus dicebatur. nam illisæ solo rumpuntur conchæ, quò cibus eximatur: aut inciso neruo, quo se contrahunt ac diducunt, aperiuntur, Hæc ille. Videtur autem angustiorem fecisse prouerbii vsum, qui communior esse potest ad rem quamuis quæ nullo negocio peragatur. Conchas legere. Summi ocii est (inquit Erasm. Rot.) conchas & vmbilicos legere in littoribus, qui lusus esse solet puerorum. quanquam transferri potest ad eos qui aliud agentes, obitæ etiam leuiora quędam animi gratia admiscent. Crassus orator apud Ciceronem libro De oratore secundo, de Lælio & Scipione loquens: Non audeo (inquit) dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scęuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & ad Lucrinum legere consueuisse, & ad omnem animi remissionem ludumq; descendere. Idem Valerius Maximus libro 8. cap. 8. de Scipione & Lęlio refert.

DE

DE CONCHIS DIVERSIS.

DE CONCHA IMBRICATA, RONDELETIVS.



CONcha hæc est distinctione testæ imbricatim vndata, vt loquitur Plinius, quamobrem Concham imbricatam vocauimus. testa enim ad vndarum sese attollentium similitudinem distincta est, quæ distinctiones cum aliæ aliis insidiant imbricum modo, Cõcha imbricata dicitur, quemadmodum à Vitruuio imbricata cęmenta: Incerta, inquit, cęmenta alia super alia sedentia, inter se imbricata, non speciosam, sed firmiorem quàm reticula præstant structuram. Imbricata, inquit Budęus, appellat inter se hærentia imbricum modo, Sunt autem imbrices tegulæ curuæ, quarum aliæ aliis imponuntur ad arcendas à tectis pluuias. Easdem Conchę hulus distinctiones non ineptè squamis compares, sic enim squamę piscium rotundę dispositæ sunt. A *Lib. 9. cap. 33.* *Lib. 2.*

Concha hæc magna est, & lata ambitu inferiore, lacinioso ac eo firmiter cohærente. Testa dura est, intus læuis. B

Caro dura ac concoctu difficilis, alioqui superioribus similis. F

Frequens est concha in oriente, reperitur etiam in Oceano. *Vbi.*

A Gręcorum vulgo aganon vocari audio, & à Caloieris Arabię, id est, cœnobitis qui illic sunt Tridacnam, (vt annotauit Bellonius) Verum Tridacna quorum meminit Plinius, esse non possunt. Sic enim ille cum de ostreis loquitur: In Indico mari Alexandri rerum autores pedalia inueniri prodiderunt. Nec non inter nos nepotis cuiusdam nomenclator Tridacna appellauit: tantæ amplitudinis intelligi cupiens, vt ter mordenda essent. Ex his verbis nihil aliud rectè colligas, quàm Ostrea in India valde magna reperiri, vbi omnia grandiora esse quàm apud nos sæpe diximus: quæ magna ostrea quidam Tridacna appellauit, quia non nisi tribus morsibus deglutiri possunt. Hæc Rondeletius. A *Lib. 32. cap. 6*

At Plinius quæ Tridacna nominat, non est necesse de Indicis intelligi, sed de genere altero potius, quę vel apud Italos reperiantur, quemadmodum inter nos inquit. Vide infra in Ostreis diuersis, Bellonii verba: & nostra in Corollario.

DE CONCHIS STRIATIS.

RONDELETIVS.



STriatas Conchas nunc exequimur, quarum primam exhibemus eam quæ communi nomine à nostris Coquille vocatur, ab Italis Capa tonda, à rotunditatae. A

Duabus enim testis constat multum cauis, & in dorsum multum elatis vt ad rotundam figuram multum accedant: intus læues sunt, foris striatæ Pectinum modo, in ambitu serratę. Harum aliæ sunt albæ, aliæ nigricant, aliæ flauescunt, per ginglymum colligantur: vtriusq; enim testæ apophyses sese inuicem subeuntes coniunguntur. B

Caro dura est, difficilisq; concoctu. Ius ex ea aluum soluit. F

Ex Concha hac & cæteris quæ sequuntur vstis, & in cinerem redactis dentifricia optima conficiuntur. G



Altera Concha striata priori similis est, nisi quod illa aliquot lineas tantum à latere ad latus per striatum transuersum ductas habet: hęc non lineas simplices, sed virgas latas sicuti fascias per transuersum ductas habet. Est etiam rufa: vnde Concha striata, fasciata, & rufa dici potest.

Tertia



Tertia Concha ſtriata cæteris longior eſt, oui figura, teſtis multum cauis, canaliculis parum profundis aliquot lineis per tranſuerſum ductis.

COROLLARIVM.



Conchis ſtriatis Rondeletii, ſubieci ſpeciem illam quam Venetiis rotundæ nomine pictam accepi. Rondeletius primam è cribus ſtatis ſuis rotundam vocat.

DE CONCHA ECHINATA, RONDELETIVS.

ECHinatam Concham ab aſperitate vocamus, ſicut aculeatam ab aculeis vocare poſſumus. In hac vniones reperiri teſtatur Plinius. Nam & Iuba tradit Arabicis, (margaritis) concham eſſe ſimilem Pectini inſecto, hirſuti Echinorũ modo, ipſum vnionẽ in carne ipſa eſſe grandini ſimilem. Hęc Concha ſuperioribꝰ: & Pectini ſimilis eſt, teſtis admodum concauis, ſtriatis in ambitu inciſis. In ſtriis ſiue exochis eminent aculei fre quẽtes, incurui, certis interuallis à ſeſe diſſiti, qui ſi vi aut alia ratione exciderint, veſtigium ſui relinquunt. Quod à me temere dictum non eſt: ſunt enim qui putant Conchas oẽs ſtriatas aculeis illis armatas eſſe, ſed crebro attritu & maris iactatione rumpi, quod falſum eſſe experientia docet. Nam in Echinatis fractorum aculeorum veſtigia ſemper apparent: Cõchas verò ſtratas tantum ẽt poſt magnas procellas in litore ſępiſſimè videas ſine vllis aculeis, eorumue notis. Vidimus etiã ſæpe conchas ſtriatas ſine vllis aculeis retibus captas. Quare hanc à cæteris differre certum eſt aſperitate & aculeis. Carne verò interna & ſubſtantia planè ſimilis eſt, Hæc Rondeletius.

Lib. 9. ca. 35.



Iuba tradit Arabicis (margaritis) concham eſſe ſimilem pectini inſecto, hirſutam echinorum modo: ipſum vnionem in carne, grandini ſimilem. Vide inferius in Corollario inter Conchas diuerſas M. de Concha maris Rubri. item in Corollario de Margarita A.

COROLLARIVM.



Conchæ echinatę Rondeletii, ſpeciem aliam ſimilem, quam Venetiis olim accepi, non puto tamen in Adriatico aut mediterraneo inueniri, ſed Orientali Oceano, adiungere volui. Teſtæ vtręque figura tum foris, tum cauitate interna, quæ caput verſus recurua eſt, inuicem ſimiles ſunt. hoc pulchram in eis: tribus in ſummitate articulis ginglymo iunguntur, ita vt eminentes vtrinque mucrones mutua inſertione, vterq; in oppoſitę teſtę acetabula, cohæreant: atq; ita fit, vt quoniam concha tota alternatim & ſtriis eminentibus exaſperatur, & canaliculis cauis (quos & ſtriges vel ſtrigiles dixeris) ſulcatur, infima parte ſtrigiles oppoſitis committantur & reſpondeant ſtriis, his prominentibus, illis ſubeuntibus.

D E

DE CONCHA LONGA, RONDELETIVS.



HÆc Concha duabus magnis & longis conſtat teſtis. Chamæglycymeridi ſimilis eſt: ſed teſtæ multò ſpiſſiores ſunt. magis rugatæ, colore vario, in ambitu rubeſcente, in medio albeſcente, intus candido cum lęuitate. Ex hac calx conficitur. B

Dentifricia optima ex eiuſdem cinere parantur. C

COROLLARIVM.



Conchę longæ ſpecies etiam in dulcibus aquis reperitur: cuius teſtam alteram parte eius interna expreſſam hic exhibemus. alteram non vidi: ſed binas ſimiles eſſe puto, & ginglymo articulari. Superficies externa ſcabra eſt, qua adempta interior lævis candicat margaritiferæ conchæ inſtar. &, ſi bene memini, in his etiam conchis margaritas exiles inueniri aiunt.

DE CONCHA ALTERA LONGA, RONDELETIVS.

CONCHAM hanc Dactylum eſſe ſeu Vnguem falſum † eſt. Neque audiendi ſunt, ij qui his quinque vocibus, Aulo, Dactylo, Solene, Donace & Concha longa, Plinium ſeorſum ad hunc piſcem ſignificandum vti tradunt. Neque illud rectè ab alijs ſcriptum eſt, Digitos Conchas longas vocari. Nam Plinius lib. 32. cap. 9. diuerſis locis de his locutus eſt, vt de diuerſis rebus. Iecinoris doloribus, inquit, ſcorpio marinus in vino necatus, vt deinde bibatur: Conchæ longæ carnes ex mulſo potæ cum áqua pari modo, aut ſi febres ſint ex aqua mulſa. Deinde multò pòſt. Mares alij Donacas, alij Aulos vocant, fœminas Onychas. Vrinam mouent mares: dulciores fœminæ ſunt, & vnicolores. Quid verò de hoc Plinij loco ſentiam, poſtea exponam, atque alios eſſe Dactylos à Conchis longis demonſtrabimus.

† *Notat Bellonium. Videtur Vnguibus ex Bellonio.*

Conchas longas Plinii a dictis differre.

Hanc quam hic exhibemus Concham longam Plinij eſſe affirmamus, quod nulla ſit hac longior & ſtrictior. Noſtri *Culiier* vocant. A

Teſta eſt alba, aſpera, lineis multis & diuerſis diſtincta. Qua parte replicatur, foramina multa habet ordine diſpoſita. In noſtro litore frequenter iacentes reperiuntur. B

DE CONCHA PICTORVM, RONDELETIVS,

INTER Conchas eam numerat Ariſtoteles qua pictores vtebantur, non in diluendis aut aſſeruandis coloribus, ad quam rem pictores hodie Muſculorum teſtis vtũtur: ſed cuiũs teſtae radebantur, quòd conficiendis coloribus vtiles eſſent, ne quis exiſtimet ex interno corpore ſaniem aliquam veluti ex Pur-

puris & Buccinis infecturæ vel picturæ vtilem colligi. Verba
Lib. 5. de Hist. cap. 15. sunt Aristotelis: Ὧν δὲ οἱ γραφεῖς δεῖται χρῶντες, πάγει τε πολὺ ὑπερφάλλει, καὶ ἐξωθεν τῆς τοῦ ὀστέου θιγγάνεται. εἰσὶ δὲ τοιαῦται μάλιστα πελλῆς πόντου τοῦ περὶ Καρίαν. Concha quę pictoribus vsui est, crassitudine plurimum excedit: & florem illum non intra testam, sed foris habet. reperitur id genus maximè circa Cariam. Huiusmodi est cōcha quam hic proponimus, testis spissis, intus lęuibus, foris inęqualibus & asperis, Cinnabaris aut Sandarachæ colore, figura spondylorum aut minorum Ostreorum. Hanc accepi à Gulielmo du Choul Allobrogum præfecto, viro varię admodum & antiquę eruditionis, cuius egregrium specimen est editurus his libris quos propediem publicabit. Is ad singularum doctrinam, summam erga literatos omnes liberalitatem atque humanitatem adiecit, qua in me quoque vsus Conchas aliquot, atque turbinata depingendo dedit.



DE CONCHA CORALLINA, RONDELETIVS.

A CONCHÆ supradictę similis est hæc quę in mari nostro reperitur
colore scilicet. rubra enim est, corallum planè imitata, vnde
B corallinam nuncupauimus, figura dissimilis: externa enim testarum partę pectinem refert: nisi quod hæc striata non est, sed lineis tantū aspera, & tuberculis rubris inæqualis, intus læuissima, candidi marmoris colore, Spondylorum modo colligantur testæ vinculo nigro, tenues sunt, sed satis duræ: Caro dura, odore viroso, sapore salso. Rarò reperitur hæc concha: & vix, nisi post diutinos austri flatus, & caniculæ exortum in litus eijciatur.



DE CONCHA RVGATA, RONDELETIVS.

B MAGNA hæc concha, & lineis multis, & elatis per transuersum ductis valde rugata est: testis valde spissis, intus
læuibus & splendoris argentei, qua parte concham margaritiferam, matrem perlarum vulgò dictam refert, per ginglymum articulatur: testarum enim in in summo apophyses vicissim recipiunt & recipiuntur: quibus accessit vinculum robustum, dicas esse dentes pectinatim coeuntes.

E Test. ob spissitudinem in lamias & frusta dissecantur, ex quib. sphęrulæ precum conficiuntur. dentiscalpia quemadmodum ex matre perlarum, sed non adeo splendida.

B In hac concha vniones reperiri non dubito.



DE CONCHVLA RVGATA. RONDELETIVS.

NON ab imo ad summum lineas ductas habet hæc conchula, sed à latere ad latus multas veluti rugas sparsim & sine ordine: quarum quædam imperfectæ sunt, & in mediam testam desinūt. Testę non sunt tumidę & in dorsum elatæ, quemadmodum striatæ omnes, sed depressę: colore vario. sunt enim ex albo cinereę, & ad liuidum accedentes. Labra testarum crassa sunt: & tam arctè connexa, vt sine vi nō aperiantur, faciliusque rumpantur testæ, quam pateriant, quòd à Chamarum natura prorsus alienum est. quarum testæ hiant. Vnde eos errare † constat qui hanc Conchulam pro Chamepeloride exhibent. Hæc concha arenæ modicum recipit per lateris rimam. aquam fugit ore quod illic situm est, rotundum & in ambitu sinuosum. Istas conchas Veneti biueronos siue piueronos vocant. Massilienses Clonissas. Ligures Arsellas.

† *Bellonius taxat.*

DE EADEM, BELLONIVS, QVI CHAMAM *peloridem nominat, quod reprehendit Rondeletius.*

A Regias aut basilicas Chamas Galli Pelourdes, ad Peloridarum vocem accedentes dixerunt, (*Rondeletius ex Conchylam variam Gallice Pelourde nominat, & è luto eruì scribit, &c.*) Massilienses Clonissas, Veneti Biueronos, Genuenses Arsallas, Hispani Armillas; Anconitani, Rauennates & Ariminenses Pouerazos, quasi pauperculos nominant, quod illic nimium popularis, pauperibusq; offerri solita sit. A luto autem, in quo tum manibus, tum retibus euerruntur, nomen habent. ἀπὸ enim lutum est. (*Reprehendit hanc etymologiam Rondeletius, infra in Chamis Peloricis.*) Alii dictas à Peloro monte Siciliæ volunt.

B Differunt autem à Calcinellis, (chamis piperatis,) quod turbinatiori & grandiori corpore constēt. Calcinellæ enim (quæ & Beueraze dicuntur) compressiore sunt forma, testa translucida, ac multo quā chameleios teneriores. Media autem est inter asperam & læuem constitutione & natura. non enim ita horret, vt aspera: neq; ita glabrescit, vt læuis, albo præterea ac fuluo emblemate distinguitur: vnde Caparozolā (*chamā lanē quoq; caparozolam vulgò dici, alibi scribit: Quæ quidem Venetiis cappa rozza vel rozzole vulgo dicuntur*

dicuntur, ab eruditis quibusdam illic pelorides existimantur, & à Græcorum vulgo hodie ξηρικαὶ dicuntur, hoc est fossiles, nam in fundo seu limo maris a fodientibus eruuntur. Testam earum lauem & albidam esse puto.) dici puto, quòd ex rubro subfulua sit,

Eius autem caro durior est, quam lænium Tellinarum & Peuerazarum. Emollire aluum traditur. Sed & Diphilus copiosum, bonumq; succum gignere tradit, & stomacho gratum: nec facilè excerni.



F

COROLLARIVM.

Hæc quoq; aut Conchulæ rugatæ Rondeletij eadem est, aut planè similis: neque posuissem, nisi iam prius habuissem sculptam.

DE CONCHVLA VARIA. RONDELETIVS.

AD fauces Malgurianas capitur frequenter Concha parua, testis spissis & depressis, quę lineolis multis & admodum varijs distinctę sunt, ob id variam nominauimus. Chamæ asperę non valde dissimilis sed minus aspera est.

A B

Carne est dura, lutum redolente, sapore salso, ob id ius ventrem multùm ciet. A pauperibus solum emitur.

F

Vocant vulgò nostri pelorde, (*hoc nomen etiam conchulæ rugatæ Rondeletii Bellonius tribuit, de qua proximè scripsimus est.*) quæ vox etsi Peloridi affinis sit, tamen longè alia est Concha à Chame peloride, dictamq; puto à nostris à luto & sordibus: fœdas enim res & sordidas lordes appellant. Reperitur eadem frequens haud procul à Narbone, toto luto oblita, vocaturq; illic Pholado, quasi Φωλάδα dicas à verbo Φωλάδειν: quod latere, vel in latibulis degere significat, quę appellatio aptè conuenit: nam conchę istæ in luto latentes degunt, sæpius ad pedem vnum depressæ. Has mulierculæ venantur gladijs latioribus, aut alijs ferramentis in lutum altius immissis vt eleuent. Ob hāc concharum naturā in eam sententiam inclinat animus, vt eas Φωλάδας Athenæi esse putem, quarum his meminit: Αἱ δὲ Φωλάδες πολυτροφώτεροι, βραμώδεις δέ. Pholades multum nutriunt, sed virosæ sunt. Et: Αἱ δὲ φαλάδες ἧττον, βραμώδεις δὲ καὶ κακόχυλοι. Pholades ori gratæ sunt, sed virus resipiunt, & mali sunt succi. Et Phauorinus Φωλαίδες ὀστράκινα τινα βραμώδη. Quod si cui hæc sententia non probetur, easq; tantū Pholadas esse velit, quæ in saxorum cauernulis, non in luto lateāt, de quibus posteà dicemus, (*elemento P.*) non valdè repugno.

Pholades.

Lib. 3.

DE CONCHA RHOMBOIDE, VEL MVSCVLO STRIATO, RONDELETIVS.

QVAM hic repræsentamus Veneti Musso lo vocant. (*Vide infra in Corollario de Musculis, in Conchis diuersis* M.) Græcorū vulgus Calagnone, apud nostros κάνιυμα est. Falsò βάλανον quidam vocant: nam nihil similitudinis cum quernis glandib. habet, neque in saxorum rimis nascitur, quod temere nonnulli asserunt. neque testa leui contecta est. neq; huius caro tenera est, neque palato grata, quod de Balanis scripsit Athenęus: sed dura, virus olens atque insuauis. Opinionem etiam eorum qui spondylum appellant, satis refellit testarum connexus, de quo in spondylis dicemus. Huius nomen nullum equidem apud veteres reperi: quare Musculum striatum rectè dici posse puto, quod testa sit Musculorum marinorum testæ simili, sed spissiore & firmiore. Præterea pars qua cohærent testæ, recta est ferè, veluti in Musculis, altera parte rōtunda: recta ferè, inquam, dempto testarum capite, quod in angulum satis prominet, vt figuram rhomboidem satis aptè tota testa repræsentet, vnde Concham rhomboidem propriè appellari posse putem.



A

Balanum non esse.

Lib. 3. Spondylum non esse.

Ab angulo capitis testarum ducuntur paruæ striæ, aliæ rectæ, aliæ obliquæ. Tota concha nigricat.

B

Dura est admodum carne, si cum alijs Musculis comparetur.

F

Rara est hęc concha, quod in alto mari degat.

C

DE EADEM CONCHA, BELLONIVS: IPSE BALANUM *nominat: quod taxat. Rondeletius.*

Balani saxis multùm adhærent, immobilesq; sunt, testa lęui contecti. Vulgus Græcum Calagnones vocat. Veneti (apud quos frequentes sunt) Mousolos, dum fortasse mytulos dicere studeant: sunt enim his satis similes. Porrò quercinæ glandis formam habent, vnde & Balani & glandes Græcis ac Latinis dicti sunt qui Spondylos Latinis vocari putent. Plinius verò ad diuersa animalia vtrūque nomen trāsfert. Columella inter Concharum genera annumerat. Paulus concharum genus Condylos scribit, quos tu fortasse Spondylos dixeris.

A

Decoctum eorum (vt prodit Xenocrates, *Sed hæc de veris balanis accipi debent: de quibus supra in B. Elemento scripsimus*) aluum ciet: qui verò saxis non adhærescunt, acres sunt ac medicamentosi, magisq; aluū perturbant: atque vrinam minus concitant. Galenus eos in cibo præcipuè commendat, qui eo loci proueniunt, vbi aquæ marinæ admiscetur fluuiatilis, saxisq; adhærent: ij namq; inquit) dulces & habitiores, plenioresq; ; copiosum præbent succum, quo & abundè nutriunt, aluumque permouent, ori ac stomacho pergrati, tenerioremq; habent carnem, & vrinam cient.

F

Iconem Bellonij omiſimus, quanquam diſſimilem illi quam Rondeletius exhibuit: teſtis breuioribus & obtuſioribus, nó ita in anguſtum ab altera parte exeũtibus. Eiuſdem generis eſſe puto hanc etiam concham Venetijs ad viuum effictam hac forma.



DE CONCHIS LÆVIBVS.

Rondeletivs.

Lib. 4. de hiſt. anim. cap. 4.

ASPERAS cõchas, ſtriatas, rugatas, executi ſumus, ſequũtur læues & non ſtriatæ. has .n. itadiuidit Ariſtoteles: τῶν δὲ αὐτῶν τῶν ὀστρακων διαφοραι πρὸς ἀλληλαί εἰσι. τὰ μὲν γὰρ λεύσσοντα ἐστιν, ὥσπερ σωλὴν καὶ μύες, καὶ κόγχαι ἔνιαι καὶ καλάμυκες χαλάδες. Τὰ δὲ τραχέα, οἷον τὰ λιμνοστρεα, καὶ πίνναι, καὶ ἠχὶν κόγχων ἔνιαι, καὶ κήρυκες. καὶ τούτων τὰ μὲν ἁβρόδωτά ἐστιν οἷον κτεὶς, καὶ κόγχων πλῆθος: τὰ δὲ ἀβρόδωτα, οἷον αἵτε πίνναι, καὶ κόγχων τι πλῆθος. Quem locum non ſatis expreſſit Gaza hoc modo: Ipſarum etiam teſtarum magna varietas: nam aliæ lęues, vt Vngues, Mytuli, & Concharum quædam quas galadas appellant. Aliæ ſcabræ, vt Oſtreæ, Pinnæ, & Conchæ nonnullæ, & Buccina. Quædam etiam pectinatim diuiſæ, vt Pectunculi & Concharum nonnullæ. Ariſtoteles teſtas diuidit in læues & aſperas. Rurſus aſperas: in virgatas & non virgatas. Sunt igitur teſtæ quædam aſperæ & non virgatæ, vt Pinnarum teſtæ. Sunt quędam aſperæ & virgatæ, vt Pectinum teſtæ. Quare ſic vertendum fuerat. Teſtarum magna eſt varietas. aliæ enim læues ſunt, vt Vngues, Mytuli, & Conchę quædam quæ galades nominantur. Quędam aſperæ, vt Limnoſtrea & pinnæ, & Conchæ nonnullæ & Buccina. Et aſperarum quidem aliæ ſunt virgatæ, vt Pecten: alię non virgatæ, vt Pinna. Hactenus Ariſtoteles: qui virgatas teſtas appellat non ſimplicibus lineis aut tuberculis, ſed virgis elatis & ſtrijs aſperas, de quibus ac de alijs aliter aſperis iam diximus.

Virgatæ quæ.

Lęuium differentia.

Lęuium inter ſe differentia eſt à magnitudine & paruitate, à craſſitudine & tenuitate teſtæ, à colore, quędam enim totæ nigræ ſunt, quædam albæ: quædam nigris lineis diſtinctę, aliæ purpureas, tranſuerſas & rectas lineas habent, de quibus deinceps.

DE CONCHA GALADE, ET CONCHA NIGRA, Rondeletivs.



ACONCHAE χαλάδες Latinum nomen nullum inuenerunt, quare Gaza Latino nomine vſus eſt. Has inter lęues numerat Ariſtoteles, vt ſuperiori capite protulimus.

B Fortaſſe à lacteo colore dictæ ſunt χαλάδες: ſunt enim candidiſſimæ, maximæ, & læuiſſimę. Nonnullę parum purpuraſcentes, quędam flaueſcentes reperiuntur, ſed intus omnes candidiſſimæ ſunt.

F Caro alba eſt, dura, concoctu difficilis, ſuccum craſſum gignit. ius ex his aluum mouet, ſi per ſe coquantur, vel ſine multæ aquę admiſtione, ſatis raro capitur.

Conchæ nigræ.

His conchas nigras opponimus, quas propria pictura non egere exiſtimauimus, quod ſuperioribus planè ſimiles ſint, niſi quod intus & foris nigricant. caro quoque minus candida eſt, vtraq; non admodum concaua eſt, & teſta una cauitate ſua alterius apophyſim recipiente firmè colligantur, Hæc ille. Bellonius Galades eſſe putat, quæ alio nomine chamę lęues dicuntur: de quibus inferius, Rondeletius negat.

DE CONCHA FASCIATA, Rondeletivs.



A B SVPERIORIBVS duabus ſimilis eſt Concha quã hic repręſentamus, niſi quòd paulò latior eſt, quod lęuibus videtur peculiare. Prętereà quinque veluti faſcias à latere ad latus ductas habet, ijs ſimiles quibus puellæ noſtræ capillum redimire ſolent: quas Vettes appellant, id eſt, vnde & hanc Concham coquille vetade nuncupant. Inde Latinè faſciatam vocauimus, non ineptè, vt arbitror.

B Teſta eſt admodum læui, dura, marmorea.

F Hæc ſucco & ſubſtantia à ſuperioribus non differt.

Alia ſimilis.

Huic ſimilem planè adiungimus, quam ob id peculiariter non depinximus. Differt tantum lineis purpuraſcentib. quas per tranſuerſum ductas habet à ſummo ad imum, alias partim flaueſcentes, partim albas, intus tota violacea eſt. Teſta eſt lęuiſſima, ſi qua ſit alia, tenuis. Vna linea caua alterius teſtę longam apophyſim excipit, & ſic arctè colligantur.

DE

DE CONCHA CRASSÆ TESTÆ, ET CONCHYLIS VARIIS, Rondeletivs.



AGALADE & chama aſpera hæc concha figura non differt, neque vita aut ſubſtantia, ſed craſſitudine tantum teſtarum. Hæ lineis aliquot à latere ductis diſtinctæ ſunt, nihilominus tamen læues ſunt.

Ex his vſtis & in cinerem redactis præſtantiſſimum antiſpodium fit, quod in ſpodij veri vicem commodè vſurpatur. Fiunt & ex his dentifricia, & exſiccantibus admodum medicamentis vtiliſſimè admiſcentur. fit & ex ijſdem calx.

Sunt & conchulæ quædam aſperæ, quædam læues nucis iuglandis magnitudine, quæ maiores nunquam fiunt, Greci κογχάρια vocant: de quibus Dioſcorides loquitur, vt citauimus quũ de Chamis ageremus. Ius earũ, inquit, cũ aqua modica elixarum aluum ciet.

Conchulæ iuglandis magnitudine.

DE CONCHA MATRE VNIONVM, Rondeletivs.



PVLCHERRIMA Concha & margaritifera, lingua Indica βέρβερι dicta fuit. (*Vide infra in Corollario de Margaritis.*) A Gallis *Nacre de perles*, pro Matre perlarum (nos enim perlas vocamus, quas Græci μαργαρίτας, Latini vniones) quod frequentiores & meliores vniones in his quàm in alijs Conchis vel Oſtreis inueniantur: nam in alijs etiam conchis margaritæ proueniunt, de quibus ſuo loco tractabimus.

Hæc concha magna eſt, ſpiſſa, modicè caua, figurâ Pectinum æmula: vna enim parte aurem habet, & foramina parua quæ non permeant. Altera rotũda eſt, argentei coloris & ſplendoris, maximè in interna parte. externa nonnihil flaueſcit. Tota lævis vnionum modo. Hanc pro Matre vnionum veriſſimè repræſentatam fuiſſe docet Athenæus his verbis: Androſthenes in Nauigatione Indiæ ſcribit, Turbinum & Chœriorum, & aliarum Concharum formas ibi longè alias (ἰδέας ποικίλας, καὶ πολὺ διαφέρους τῶν παρ' ἡμῖν, *id eſt formas varias & multo præſtantiores*) eſſe quàm apud nos. Illic & Purpuram naſci, & cætetorum Oſtreorum magnum numerum. Sed inter alia peculiare id eſſe quod Berberi vocant, in quo margarita gemma naſcitur, magni pretij in Aſia, venditurq; Perſis & nationibus quæ ad Orientem ſpectant pari auro repenſo. Oſtreum aſpectu Pectini ſimile eſt, Concha non ſtriata ſed plana, ſpiſſa, (λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει, καὶ σμαραγῶδες,) non vtrinq; aurita Pectinis modo, ſed altera tantùm parte. In eius carne gęma concreſcit, vt in ſuilla grando: modò colore adeò ſimilis auro, vt cum eo collata non facilè internoſcatur, modò argentei coloris, modò omnino alba & oculis piſcium ſimilis. Hæc ſunt quæ certò confirmant nos veram concham Indicam quæ βέρβερι dicta eſt, repręſentaſſe.

Eadem ratione arbitror vnionem in conchis concreſcere, qua grandinem in porcis, calculum in renibus, vel veſica. Quo anno hæc ſcriberemus mortuus eſt quidam, cui in altero rene erat lapillus tot particulis conſtans, quot in rene venularum erant ramuli, quarum particularum lapilli, extremum veluti caput marmoris rotundi & candidi ruſtulum referebat, vel margaritæ maiuſculæ figuram & ſplendorem. id ex pituita vitrea concretum fuiſſe exiſtimo. Quare nec mirum ſi in Oſtreis & Conchis ſenęſcentibus vniones reperiantur. De quibus plura ſuo loco. Vide infra in ijs quæ de Margarita ſcribit.

Vnio in Conchis quomodo concreſcat.

COROLLARIVM DE CONCHIS DIVERSIS.

Concharum è genere ſunt Dactyli, Plinius. Vide in vnguibus. Itali hodie Capas (id eſt conchas) lõgas appellant. Sed aliæ ſunt conchæ longæ à Plinio nominatæ, cum inquit: Conchę longę carnes ex mullo potę cum aqua pari modo, aut ſi febres ſint ex aqua mulſa, iocineris doloribus medentur, Μακραὶ κόγχαι τωλίσσες, τὴν μὲν γαυλώδεων, κωγχύλιον, χηραῖ γυναικῶν λίχνόμαι, Sophron qui conchas longas videtur ſolenes, id eſt dactylos interpretari. (Boëthij Scoti conchas margariti ſeros in Scotia vulgò viduarũ cupodias dici ſcribit.) Conchulam oblongam alij tellinem, alij chemam macràn vocant, Marcellus Empiricus.

CONCHÆ genera plura ſaxis affixa omnem vitam traducunt, Ariſtoteles.

LEPADES, id eſt Patellę, conchæ ſunt petris adhæreſcentes, Galenus in Gloſſis. Vide ſuprà etiam in Conchis in genere A. ad duas ſpecies commune vocabulum conchę ſoleat exiendi.

ICHTHYOPHAGI cum per tempeſtatem piſcari non poſſunt, Conchas legunt permagnas: quarũ teſta ſaxis attrita, interiore carne cruda, ſapore oſtreis perſimili, veſcuntur, Diodorus Siculus.

CONCHÆ quædam habent teſtas ſubtilis & tenuis labij in extremo vbi coniunguntur: aliæ per quã denſas: vt genus illud è cuius teſta fiunt monilia & manubria cultellorum, Albertus. videtur autem de margaritifera quadam concha ſentire.

CEVSILES mordaceſq; Conchę, ceu mituli, pro eſca imponuntur paruulis rariſq; textu veluti naſſis, in alto iactis, quibus purpuræ capiuntur, Plinius.

CONCHÆ quædam ſatis magnæ in piſcinis & lacubus reperiuntur. Has quidam in lixiuio decoquunt, donec cortices teſtarum nigri emolliantur vt demi poſſint. reliquum album contundunt, & rore inter Pentecoſten & Auguſtum collecto deſtillatoq;, excipiunt. & ſubigunt: inde globulos formant minimos, pertunduntq; acicula, & filo inſertos ad Solem indurant, &c. vt pluribus ſcripſi in Columba E. ſic Margaritas mentiuntur.

COROLLARIVM ALTERVN DE CONCHIS *diuerſis apud veteres memoratis, ſecundum ordinem literarum.*

De Concha ACATII modo carinata, vide in Nauptilo.

ALBAE conchę, Ἀλβηναὶ: vide Androphyctides.

AMATHITIDES Conchæ nominantur ab Epicharmo, eædem nimirum quas infrà Venereas nominabimus.

ANARITES, vel Anartes, Ἀναρίτης ἢ ἀνάρτης, ostreum est (id est, testaceum animal) conchæ simile, κογχῶδες. Varinus habet κογλιῶδες,) quod petris vt patellæ adhæret. Meminit eius Ibycus. item Herodas, Προσφὺς ὅκως τις χοιράδων ἀναρίτης. sunt autem chœrades, scopuli marini. Et Æschylus insulas quasdam ἀναριτοτρόφους nominat, Athenæus. Fortè autem dicti sunt Anaritæ, ἀπὸ τοῦ ἀναρτᾶν, ἢ ἀνηρτῆσθαι, quòd à petris pendeant. Ἀνηρίτης, κοχλίδιον, id est cochlea parua, à Nereo dæmone marino, Varino. Vide etiam in Nerite, in N. elemento.

Ἄθιλοι, κόγχαι (κόχλοι, Varinus) θαλασσίας εἶδος, Hesychius.

ANDROPHYCTIDES quædam Conchæ memorantur ab Epicharmo, his verbis: Κακοδόκιμοί τε κυηγόνοι, τὰς Ἀνδροφυκτίδας τήνας ἄνθρωποι καλέοντ' ἁμὲς δὲ λεύκας (λευκὰς τοὶ θεοί). Hæ conchæ fortassis contraria quàm reliquæ facultate. Venerem non promouent, sed inhibent: aut etiam sterilitatem inducunt, vt inde κακοδόκιμοι κυηγόνοι, hoc est malè probatæ ad fœcunditatem, & Androphyctides fortè à virorum & concubitus tædio ac fuga dicantur.

G CALCENDIX genus conchæ, Festus. Tellinas Anconitani Calcinellos nominant, ad discrimen alterius conchæ, quæ ab ijs Chalcene appellatur, Bellonius. Inditum autem hoc nomen fortassis est à calce, quam è conchis quibusdam fieri testis est Rondeletius. non enim placet quod Bellonius scribit, Anconitanos Chalenam vel Chalcenam appellare Chamam piperatam, nomine à Chamula detorto.

DE CHAMIS RONDELETIVS.

Difficultas. *Hermolaus.* *Marcellus Virgilius.*

DE Chamis omnibus certi aliquid scribere certè perdifficile est, tum ob earum varietatem, tum ob parum certas & distinctas earum notas à veteribus traditas. Quapropter minimè miror Hermolaum virum optimarum rerum cognitione præstantem in suis in Dioscoridem corollarijs de ostreis & conchylijs paucissima scripsisse, copia eorum & varietate, vt opinor, deterritum. Marcellus Virgilius Græcè & Latinè doctissimus, in suis in eundem autorem commentarijs, ab ijsdem abstinuit, earundē distinctiones peritioribus relinquens. In genere, inquit, minorum ostreorum Chamæ sunt, tanta cum alijs affinitate, vt facilè in antiquis scriptoribus confundatur earum historia. Nihil difficilius in tota huiusmodi rerum commentatione, quàm in appellationibus his concordem veterum historiam ostendere. Ob id peritoribus relinquimus: Hactenus Marcellus.

Bellonium notat. *Concham aliquando generis nomen esse, alias speciei a Chamis diuersæ.* *Concha speciei peculiaris.* *Lib. 4. cap. 4.* *Lib. 2. cap. 9.*

Ab horum modestia alienissimi quidam, perinde ac si harum rerum distinctioni difficultas nulla inesset: Chamas aliquot ineptè depinxerunt, pro arbitrio scilicet, nulla veterum scriptorum autoritate freti, vnde pro Chamis Conchas speciatim dictas vsurparunt. (*Atqui hoc & veteres quidam fecerunt. vide in Corollario nostro de Conchis in genere.*) Concha enim vniuersè quidem testam omnem significat, vt iam annotauimus: & vt aliquando nos quoq; accipimus, quum nulla rerum confusio inde sequitur. Sed quum speciatim de reb. dicitur, rerum singularū proprijs nominibus vtendum. Hanc ob causam Aristoteles Conchas à Chamis distinxit libro 5. de hist. animal. cap. 5. Αἱ δὲ κόγχαι, καὶ χῆμαι, καὶ σωλῆνες, καὶ κτένες ἐν τοῖς ἀμμώδεσι λαμβάνουσι τὴν σύστασιν. Conchæ, Chamæ, Pectines, Vngues, locis arenosis sui ortus initia capiunt. Alio loco eiusdem operis concharū species aliquot recensens: Testę (inquit) à sese differunt: aliæ enim læues sunt, vt Vngues, Mytuli, Conchę quædam quæ galades dicuntur: aliæ asperę, vt Limnostrea, Pinna, concharum species quędam. Neq; est quod quis in Chamarum & Concharum confusa tractatione Dioscoridis autoritate se tueatur, qui scribit: Καὶ ὁ ζωμὸς τῶν χημῶν δὲ καὶ τῶν ἄλλων κογχυλίων ζωμὸς, κοιλίαν κινεῖ ἑψόμενος μετ' ὀλίγου ὕδατος· μετ' οἴνου δὲ λαμβάνεται. Chamarum conchularumque aliarum in exigua aqua decoctarum ius aluum ciet, id cum vino assumitur. Hic Chamas & Conchulas coniungit, non quod eædem sint, sed quod ius ex vtrisque eadem sit facultate. Id quod omnibus etiam testaceis commune est: ius enim ex omnibus, aluæ subducendæ vim habet.

Chamæ quomodo distinguantur a conchis. *Lib. 3.* *Lib. 6. cap. 9*

Nunc inquiramus quid sit Chamis proprium, quo à Conchis, quibus in multis similes sunt, distinguantur. Athenæus: Τῶν δὲ χημῶν μνημονεύει Ἴων ὁ Χῖος ἐν Ἐπιδημίαις, τάχα ἴσως οὕτως ὀνομασθεισῶν τῶν κογχυλίων παρὰ τὸ κεχηνέναι. id est, Chamarum meminit Ion Chius in Epidemijs, quæ fortassis χῆμαι à Græcis nominatæ sunt ἀπὸ τοῦ κεχηνέναι, id est ab hiando. Id etymum secuti quidam Hiatulas Latinè appellant. Sed cum eadem voce etiam Channæ nuncupentur, quæ à Chamis maximè distant, vt in priore operis nostri parte ostendimus, tutius esse puto Græca appellatione vti Plinij exemplo, à quo Chamæ nominantur, & Chamæpelorides, & Chamętrachęę, atque aliæ eiusdem generis, Chamæ igitur etsi concharum generi subsint, hoc tamen à cæteris conchis distabunt, quod semper hiant, & testas apertas habent.

Chamarum differentiæ.

Harum multæ sunt differentiæ. Athenæus libro 3. Hicesius Erasistratius (inquit) Chamarum alias ait dici asperas, alias regias, asperas quidem mali esse succi, pauci nutrimenti, facilè excerni, ipsis pro esca eos vti qui purpuras piscantur. Lęuium autem præstantiæ differentias magnitudine ęstimari. Aliquanto post idem Athenęus ex Diphilo: Chamarum crassiorum (χημῶν δὲ τῶν παχειτῶν) quæ paruę sunt, & tenui carne (ostrea vocantur) stomacho gratæ sunt, & excretu faciles, Crassę verò, quas & regias, & pelorias appellant, multum nutriunt, difficilè excernuntur, boni sunt succi, stomacho conueniunt, præsertim magnę. Priore loco Chamę in asperas & regias diuiduntur, videnturq; lęues pro regijs accipi. Posteriore in crassas paruas & crassas magnas quę cum lęuibus eædem esse videntur. A Plinio species hę numerantur, Cametrachea, Chameleos, Chamępelorides, generis varietate distantes & rotunditate, Chamęglycymerides. Nos ita distinguimus vt Chamarum alię leues sint, alię asperę. Lęuib. Chamępelorides & Chamęglycymerides subijcientur, de quibus ordine dicemus.

DE CHAME LÆVI, RONDELETIVS.

CHAMELEIA à testę læuitate nomen inuenit.

Testa duplici constat, Conchis læuibus quæ galades dicuntur, similis est. Ab his testarum fragilitate differt. digitorum enim compressu frangitur facilè, quod conchis & pectinibus non euenit. Intus & foris candidissimæ sunt, caro quoque intus candida, in qua duo foramina cernuntur: alterum

alterum os est, alterum excrementi meatus, vtrunque sinuosum est, vt dilatari & constringi possit: hoc ad attrahendam aquam illud ad reijciendum excrementum. Habet & μήκωνα vt conchæ cæteræ. Latere magis protuberante semper hiat.

A B
B

B E F

Conchis galades, a chamis læuib. differre.

In arena cum Tellinis capitur, quà de causa sæpiùs aqua pura olui debet ad arenam expurgandam, qua expurgata dulcis est & tenera, alioqui vix edi potest.

Chamas easdem esse cum læuibus conchis quæ γαλάδες dicuntur, falsum est: nam Aristoteles, vt antea docuimus, chamas à conchis seiunxit, *Hac ille. Sed Aristotelem aliquis dixerit conchas a chamis distinxisse quidem, sed specie potius quam genere, & nihil prohibere idem nomen tum generi toti, tum speciei sub eo vni attribui: vt inualidum hoc Rondeletij argumentum sit. Quæ de hac concha Bellonius scripsit, paulò pòst adferentur.*

DE CHAME PELORIDE, RONDELETIVS.



A PELORIDAS Athenæus vno loco à Chamarum genere segregasse videtur ex sententia fortasse Philillij: Αἱ δὲ πελωρίδες ὀνομασθήσονται διὰ τὸ πελώριον, μείζων γάρ ἐστι χήμης, καὶ παρηλλαγμένον. Pelorides vocatę sunt à dictione πέλωρος: maiores enim sunt Chamis, & ab ijs diuersæ. Alio loco ex Diphilo pelorias Chamas crassarum speciem facit, quas & regias appellat, quæ & maiores sunt. Chamas etiam peloridas appellat Plinius. Hos sequimur, ac Chamas peloridas, siue pelorias, siue pelorinas à magnitudine dictas fuisse cum veteribus existimamus, id quod innuit Athenæus priore loco modò citato: nam πελώριον siue πέλωρον significat τὸ μέγα καὶ τεράστιον id est, magnum & prodigiosum. Vel dictæ sunt pelorides à Peloro Siciliæ promontorio, quòd iuxta illud Pelorides optimæ reperiant. Iulius Pollux de ciborūanti quorū præstantia verba faciens: Apud veteres in pretio fuit Muræna ex freto & Muræna Tartæsia: Placebat Thynn⁹ Tyrius, & Mugil ex Sciatho, Hœd⁹ ex Melo, Cōchæ etiā Pelorinæ, (Πελωριναί,) vnde fortè nomē adeptæ quæ nunc Pelorides (Πελωρίδες) vocantur. Ex his apparet insignis error eorum † qui scribunt Peloridas nomen habere à luto, in quo tū manibus, tum retib. eueruntur: pilos enim lutum est: sic enim eorum scripta verba reperio. πηλὸς quidem lutum est, à quo πηλωρίδας & πηλωρίας dixisse oportuerat, non πελωρίδας, & πελωρίας, & πελωρινάς, sicuti omnes extulerunt. Præterea illud è memoria exciderat, aut fortasse ne legerant quidem, quod scripsit Aristoteles, Conchas, Chamas, Pectines, Vngues, locis arenosis prouenire, non cœnosis. Sed omissis nominibus rem ipsam depingamus.

Libro 3. *Lib. 32. cap. 11.* *† Bellonius notatur.* *Lib. 5. de Hist. anim. cap. 15.*

B Chama peloris duabus conchis constat, quæ nunquam ita iunguntur quin semper hient, & viuo & mortuo animante, etiam sine calidi contactu. Eæ oblongæ sunt & lęues, ex albo purpurascentes, in medio connexæ. Caro intus alba est: quæ etiam contracta tota testa vix capi potest, extenta multò longior est, rotunda, spissa, pudendo virili non absimilis, digiti medij crassitudine. In extremo altero foramina duo apparent, alterum oris est, rotudum, alterum excrementi.

A Santones conchæ strictæ & non hiantis speciem *Pelourde* appellant, quæ vox à Peloride deducta esse videtur. Sed ea Chama peloris non est, cùm magna non sit, neque hiet. (*Vide supra in Conchula rugata ex Bellonio. Alia est etiam* pelourde *à Gallis ad mare Mediterraneum dicta, Rondeletio superius Conchula varia.*)

Palourde Santonum non est Peloris.

Caro Peloridis dura est, ob id difficile excernitur & multùm nutrit.

F

DE CHAME GLYCYMERIDE RONDELETIVS.



A CHAMARVM generi γλυκυμερίδες accedent, Plinij & Macrobij testimonijs. Chamæglycymerides, inquit Plinius, quæ sunt maiores quàm Pelorides. Macrobius in cœna adijcitiali Lentuli flaminis appositas fuisse dixit, & ne quis easdem esse Peloridas & Glycymeridas existimet, maiores scilicet Chamas, legat Macrobium libro tertio. Saturnalium. Ante cœnam (inquit) Echinos,

Oſtreas crudas quantum vellent, Peloridas, Spondylos &c. Paulò poſt alia edulia enumerans, Glycymeridas, vrticas, &c. Sunt autem Glycyameridas vocent, quaſi ex dulci amaras. Quod ſi ita ſit, compoſitum nomen ex Græco & Latino fuerit, quam compoſitionem improbat Quintilianus.

B Glycymerides igitur chamæ ſunt maiores quàm Pelorides: teſta oblonga, Mytulorum fluuiatilium teſtæ modo, ſed duriore & ſpiſſiore, rugoſa, non tamen ob id aſpera, ex albo rufeſcente: carne & ſucci F bonitate Peloridi ſimiles.

A Eaſdem eſſe puto cum ijs quas Pelorides maiores Athenæus libro 3. vocat.

Pelorides maiores. *Corycia & Crij chamæ ſunt aſperæ, non glycymerides.*

Hermolaus Barbarus conijcit apud Pliniũ poſt verba hæc, Chamæ glycymerides quæ ſunt maiores quàm Pelorides, pro colycia ſiue corophia, legendum corycia ex Athenæo qui ſcribit conchas quaſdã à Macedonibus vocari κωρύκους, quas Athenienſes κρεῖους nominant. Sed vtut apud Plinium legendum ſit, non potes corycia ad chamas glycymeridas referre: ſic enim conchas aſperas vocari ſcripſit ex Hegeſandro Athenæus: Hegeſander (inquit) in commentarijs ait conchas aſperas vocari à Macedonib. Corycos, ab Athenienſibus κρεῖους, id eſt, arietinas, *Hæc Rondeletius: ſed an κρεῖους rectè arietinas interpretetur, dubitari poteſt. Apud Heſychium penultima per iôta ſcribitur*: Ἀ᾽θηναῖοι τὰς τραχείας κόγχας κρίους καλοῦσι.

DE CHAMA ASPERA.

RONDELETIVS.



A B Χῆμαι τραχείας, id eſt aſperæ, à teſtarum externa parte dictæ ſunt, ob lineas tranſuerſas, oblipuas multas, cauas, eamque ob cauſam muſco ſæpe oppletas. Superiorum modo oblongæ ſunt, intus læues.

F Carne ſunt mali ſucci, pauci nutrimenti, ad excretionem facili, qua tamen delectantur purpuræ: vnde pro eſca vtuntur ea purpurarum piſcatores, vt ante ex Athenæo diximus.

De eadem Bellonij ſcripta paulo poſt reperies.

DE CHAMA NIGRA,

RONDELETIVS.



Chamarũ differentiæ ex Aeliano.

AELIANVS lib. 15. cap. 12. Chamas marinas, varias & multiplices eſſe tradit. nam quædam ipſarum (inquit) nigerrimæ ſunt: nonnullæ argentei coloris ſimilitudinem gerere videntur: Aliæ vtroq; colore mixto inſignes. Ex his colligunt nonnulli Chamas pro conchulis accepiſſe, quæ colorum varietate à ſeſe diſtant, ſed non rectè, vt ego quidem ſentio: nam ſunt vt conchulæ, ita chamæ variç, albæ, nigræ, ex albo rubeſcentes, aliæ fractu faciles, aliæ difficiles. Idem de Cochleis & Pectinibus verè dicitur. Quare ineptè † fecerunt, qui concham nigram pro chama nigra exhibuerunt, cùm conchæ rotundiores chamis eſſe ſoleant, neque hient: Chamæ verò teſta ſint longiore, quali, chama nigra quam hîc proponimus. teſtis oblongis, læuibus, duris, ſpiſſiſque, ac veluti marmoreis.

† Bellonius reprehenſus, quod conchã nigram pro chama nigra exhibuerit.

DE CHAMIS, BELLONIVS.

A IN Chamis nominandis vulgus Gallicum cum Italico conuenit. Siquidem noſtri maiores Chamas *des Flammes*, minores verò *des Flammettes* nominant, quòd cum iure incoctæ, non ſecus ac piper fauces & os inflammare ſoleant. Italicum vulgus maiores Chamas Peuerazas, quaſi piperatas, nominat: minores verò Peueronos, quod piper haud tantopere redoleant. (*Rondeletius Conchulas rugatas, quas ſupra exhibuimus, a Venetis Peueronos dici ſcribit. Vide mox de Piperata Chama.*) Harum enim è mari recens aduectarum carnem quicunque paulò liberaliùs deguſtauerit, quendam ſaporem in eis gratum, ſed gulã prouocantem ac piper redolentem comperiet. Cæterũ quæ Chama Latinis dicitur, eadem Italis *Cappa*, Gallis autem *Coquille* appellatur. Alias autem his congeneres Itali addito cognomento Cappas ſanctas, Capperozolas, cappas longas, & huiuſmodi vocabulis nominant: De quibus nunc eſt ſeorſim diſſerendum.

DE PIPERATA CHAMA, E GENERE

læuium, Bellonius.

A Chamam piperatam Veneti Beuerazas vel Peuerazas vocant ad diſcrimen minorem, quas Biueronos appellant. Paluſtre eſt concharum genus in cœno degens, quod Anconitani & Rauenates Chalenam vel Chalcenam nomine à Chamula detorto vocitant. Biueroni autem dicuntur, vel quòd ob piperis ſaporem ſitim excitent, vel quòd illç perpetuò bibant, neque diu ſine aqua ſeruari poſſint: atque in forum allatæ, & aquæ immerſæ, geminam atque oblongam exerant ligulam, vt cochleæ modo perpetuò ſitientes moueri percipiantur.

B Supra modum fragiles habent teſtas, læues ac compreſſas, non autem vt aliæ conchæ orbiculares: verùm vſque adeò tenues, vt tranſpareant. Cardinibus non iunguntur inuicem infractis, ſed neruo, vt oſtrea. Labra non habent crenata, ſed læuia, magiſque in rotunditatis ambitum circinantur, quàm Tellinæ.

CHAMA LÆVIS

A Omnium concharum albiſſimæ ſunt, quas chamas leias Græci vocauerunt: Galladæ autem (vt reor) Ariſtoteli dicuntur. (*Non probat hoc Rondeletius: cuius Galades conchas ſuperius poſuimus.*)

B Tantam magnitudinem adipiſcuntur in Oceano, vt quaternorum digitorum latitudinem, ſenorum autem longitudinem exuperent. quæ res multò perſpicatiùs innoteſcet ex ijs qui à Diuorũ Iacobi aut Michaëlis perſolutis votis redeuntes, teſtas ea qua dixi magnitudine de ſuis pileis appendũt. Frequentiùs Romæ, quàm in quauis alia vrbe diuenduntur cum Tellinis ac Pectinibus: magnitudine quidem iuglandis, corpore ferè orbiculari, glabro, fragili, pellucido, rotundo. labris ac teſtis tenuibus, læuibus, non autem denticulatis.

Facilè à calido tanguntur, (*afficiuntur:*) quamobrem mox hiantes ſua labra pandunt: quo fit vt parum C diu abſint à mari quin exanimentur, læuique illiſu frangantur. ſuam quoque aquam facilè amittunt, multaſque arenulas recipiunt, à quibus quòd elui difficile poſſunt, vulgò reſpuuntur. Sed recentes, & F adhuc viuæ, Tellinis certè poſthabendæ non ſunt.

Indigenæ *caparozzas* vel *caparozolas* vocant. (*Vide ſuperius in Conchula rugata.*) Nam cappæ nomine Itali A chamas intelligunt. Aëtius Dioſcoridem ac Galenum ſecutus, chamulas vocauit.

Moueri autem à ſe Chamas leias, ac ſedem in litore mutare compertum habeo. quæ res ei innoteſcet, C qui has in vaſe aqua oppleto immerſerit, quod Veneti plerunque faciunt, vt minus exanimes ſeruent, neue arenis conſpurcentur, aut deteriores euadant.

Chamarum (inquit Dioſcor.) conhcularumque exigua aqua decoctarum ius, aluum ciet. F

DE CHAMA TRACHEA, BELLONIVS.

Chama trachea, valuas eodem modo quo læuis tornatas habet, eſtque rotunditate penè orbiculari B conſtructa. hoc tamen inter ſe differunt, quod illa læui quidem teſta: hæc verò, aſpera claudatur, pectinis modo ſtriata: ſed Pecten rectas habet ſtrias, illa verò tranſuerſas, crebras & profundas. Dura eſt admodum chamarum aſperiorum teſta, ſi cum læuib. conferatur. Ea enim non niſi valido ictu perfringi poteſt, cum tamen aliorum ferè omnium læuium debili digitorum compreſſu aperiri poſſit. Chama (C) præterea trachea in arena circa litora reperitur: extremas enim iniurias ob teſtam duriorem minus reformidat. Labra haudquaquam in gyrum (vt Pecten) denticulata, ſed Mytulorum more læuia habet.

Mouetur vt limax, vt eius concham nonnunquam profundius ſaburrantem conſpexerimus. fortibus C nanque ſpondylis conſtat, quibus teſtas mouendo etiam per arenam lumbricorum more conſcendit.

Hiceſius carnem eius duriuſculam, mali ſucci, parum nutrire, facilè excerni, mariſque ſalſuginem F referre pronunciauit. Diphilus autem ſtomacho gratam eſſe tradidit: cuius ego ſententiæ expertus facilè aſtipulor.

DE CHAMA (SEV POTIVS CONCHA, VT

Rondeletio placet) *nigra*, *Bellonius*.

Eſt & alia læuis chama à cæteris hoc diſtans, quòd cùm læuis ſit, tamen & robore teſtæ cũ aſpera facilè certare poteſt. Cloniſſa quidem maior eſt, & plerunque nigricat. Cardinibus quoque, quib. valuas coniunctas habet, à prædictis etiam differt. Præterea non ita vt prima læuis in rotunditatem turbinatur, nec vt Peloris plana eſt. Crenas haud ita profundas in labris habet. Quum autem Aelianus in chamis quaſdam eſſe nigras, ac reliqua genera alba eſſe protulit, hancque vnicam pro maiore teſtæ parte nigricare videam, facile mihi fuit conijcere, hanc Aeliani chamam eſſe, ac fortaſſis antiquorum Glycymeridem. Nam & Peloride maior eſt & dulcior; neque piperato guſtu percipitur, *Hæc Bellonius. Nos* Icon. *Glycymeridem Rondeletij chamam, quam magis probamus, exhibuimus ſupra.*

COROLLARIA DE CHAMIS. ET

primum in genere.

Χῆμαι, genus oſtrei. Suidas. A verbo χάω, χῶ, quod eſt χωρῶ (hoc eſt capio) fit χαίνω, vt à χρῶ, χραίνω: A ῥῶ, ῥαίνω. Ab eodem verbo χῶ fit etiam χήμη, τὸ ὄργανον, ἀπὸ τοῦ κεχηνέναι, vt ex Athenæo liquet, Euſtath. Sed videri poteſt chama à verbo χῶ deriuari in vtrauis ſignificatione: hoc eſt, ſiue quoniam ora hiant, ſiue à capacitate. caua quidem & capacia omnia, hiare videntur: ſicut & caua animantium ora hiant, cum accipere aliquid auent. & licet conchæ omnes tum cauæ tum ad capiendum aptæ ſint, chamis tamen priuatim hoc nominis contigit, fortè tanquam maiuſculis, & capacioribus. Χήμην χηραμίδα, τὴν κοιλοτέραν κόγχην καὶ μείζονα, Galenus in Gloſſis: nimirum pro vaſis genere, capaciore quàm concha communis ſit. Cæterum pro χηραμίδα (χηραμὸς vel χηραμίς, nihil quàm cauernam ſignificat) legerim ego κεραμίδα, hoc eſt figlinam. vt concha figlina (à figulo facta) maior intelligatur, quàm marina & naturalis concha. nam in eodem libro ſic habet Galenus, κόγχην κεραμίδα, οὐδὲν πλέον δηλοῖ τῆς κεραμίδος. hoc eſt, Concha ceramis, idem quod ceramis ſimpliciter ſonat. Sic & Latinè vas figlinum, aut figlinum ſimpliciter dicas, nihil intereſt. Κεραμεὺς figulus eſt: ἀγγεῖον κεραμεοῦν, vas figlinum. κεραμὶς fortè de minorib. tantum, vt conchis dicitur qualia noſtri vocant *tigel*, quidam vulgò crucibula: Græci etiam thermaſtridem. nam θερμαστρὶς Heſychio vas eſt ſimile cancro quo vtuntur aurifabri. Vt autẽ κεραμὶς pro vaſe figlino accipitur: ſic pro argenteo ἀργυρίς, pro aureo χρυσίς, vtrumque dupliciter. φιάλη enim vel additur vel ſubauditur. nempe oxytona hæc nomina in ις fœminina Græcis ſunt, ſed vim adiectiuam habent, terminationẽ verò maſculinam, à qua formentur, nullam. nam eorũ maſculina adiectiua in εος vel ους, fœminina faciunt in ῆτα circunflexũ, vt ἀργυρέη, χρυσῆ, & κεραμέη, ni fallor. legimus enim κεραμεοῦ & κεραμεοῦν apud Grammaticos. Chama Latinè efferri poteſt, aut chame, aut chema, aut cheme. & diminutiuũ, chamula: vt à concha, conchula. Apud Plinium compoſita videtur chameleos, chamepeloris, &c. quæ quidem Græca ſunt, & Græcis in compoſitione non vſitata. quòd ſi quis ita voluerit vti, caſus obliquos etiam ex integrè inflexis componat, vt chamenleon dicat, & chamasleas, &c. non vt quidã recentiores, chameleon, & chameleas, inepte. ſed omnino pſtabit diuiſis vocabulis efferre. Chama fœmininũ eſt, λεῖος, id eſt læuis, communis generis Atticè: communiter maſculinum eſt, & fœmininum facit λεία. quare & χήμη λεῖος, & χήμη λεία rectè dicetur. Concha generale nomen, interdum ad chamas apud veteres contrahitur: vt oſtendimus ſuprà in Concha in genere. Gaza non modo chamam teſtaceũ animal hiatulam conuertit ſed etiam chamem piſcem alicubi ſimiliter. nos Græca vocabula retinere præſtiterit. Contra eum qui channam piſcem cum chama concha confudit, Rondeletij verba, qui voluerit, leget in Channa. Χημαὶ, οἱ ἰχθύς, Suidas. ſed corruptum eſſe tum vocabulum tum interpretationem conijcio: χήμας enim boni authores paroxytonum ſcribunt in accuſandi caſu multitudinis, nõ pro piſce, ſed ꝑ conchis.

Spar-

Ostrea. Lithostrea. Spartianus ostreas & liostreas cum dixit in Heliogabalo, chamas tracheas & chamas leas intellexit, etiamsi lithostreæ scriptum erat. id ex Athenæo sumitur: qui ait, chamas tracheas ostrea quandoq; dictitata, Hermolaus. Chamas Itali *Peuerazze* nominant, à pipere, siue ob causas à Bellonio recitatas, siue quòd cum coquuntur pipere condiantur. Germanice *Muscheln* dici possunt: sed id nomen nimiũ patet. contrahetur autem si differentiam addas, ita vt conchæ propriè dictæ, cognominentur rotundæ, *runde Muscheln*: chamæ verò, longæ *lange Muscheln*. Licebit & Italos imitari, *Pfeffermuscheln*: vel etymologiam Græcam, *Gynmuschlen*, (vel euphoniæ causa n. in m. mutando, *Gymmuschelen*.) nam *gynen*, vel *ghinen* nobis hiare est, verbum (vt apparet) à Græco χαίνειν desumptum. Chamæ marinæ & variæ & multiplices sunt: aliæ asperæ, aliæ læues: & hæ quidem digitorum compressu confringuntur, illæ verò vel ægerrimè saxo cõteruntur. Quædam ipsarum nigerrimæ sunt, nonnullæ argẽtei coloris similitudinẽ gerere videntur: aliæ vtroque colore mixto insignes, Aelianus 15. 12.

Chamarum vt varium & multiplex genus, sic multas & diuersas sedes habent. Quædam enim in littoribus dispersæ, iacent in arena, nonnullæ sub algam subijciuntur, aliæ in limo commorantur: aliæ saxis tanquam mordicus adhærent. Aestiuo tempore cum incipit messis, in Istrico mari gregatim natant & leuiter feruntur, cum ante id tempus sua sibi mole graues efferri non possent. Euri, Boreę, & Austri idcirco fugientes sunt, quòd eos ventos ferre non possint. Contra ex tranquillo mari mirifica voluptate afficiuntur, & Fauonij mollibus auris afflari gaudent: eamque ob rem in latebras abditæ, cum à tempestatibus mare sentiunt conquiescere, & Fauonium flare, tum relictis sedibus, ad summam maris aquam natant, & apertis testis eminent, (sic tanquam vel sponsæ è thalamis prodeunt, vel rosæ ad solis radios exporrectæ, ex inuolucris ac calycibus suis erumpunt,) & quiescentes ventum expectant placidum ac secundum: qui si contigerit, alteram concham substernentes, alteram erigentes, altera pro velo, altera pro naui ad nauigandum vtuntur, vt si eas procul videas sic per tranquillum mare natantes, classem nauium existimes. Quòd si nauem ad se accedere sentiunt, aut belluæ impetum, aut valentioris piscis nationem, metu perculsæ, contractis testis, frequentes delabuntur, & occultantur, Aelianus, 15. 12.

E Strombis & chamis (chamis asperis, Hicesius apud Athenæum) inescantur purpuræ, vt in ipsarum historia ex Oppiano referam, In exiguis nassis inquit, Στρόμβυς συγκέλσαντες ἅμα χήμῃσι τίθεντες. Plinius in his nassis escam inesse scribit clusiles mordacesque conchas ceu mitulos, chamas nimirum ita circumloquutus.

F Chamæ Ephesiæ commendantur ab Archestrato: vt & mituli (μῦες) ab alijs: de quibus Hicesius: Mituli (inquit) Ephesij, & similes eis succi bonitate, vt pectinibus præstant, ita inferiores sunt chamis. E conchylijs aluum simul & vrinam cient præcipuè mituli, ostrea, pectines, chamæ, Athenæus. Chamarum aliarumque conchularum in exigua aqua decoctarum ius, aluum ciet. id cum vino assumitur, Dioscorides. Chamæ paruæ sunt conchæ, quæ passim peuerazæ vocantur: Ex his, vel tellinis, (quæ vulgò peueracinæ,) vel illis quæ cauæ vulgò dicũtur, *Caua vulgo.* circiter triginta in quatuor aquæ vncijs ebulliant: quoniam ab ipsis aqua marina exit, quæ aquæ miscetur. postea cum decoctæ fuerint, ius in cyathum fundatur, & vini optimi dimidio cyatho addito, bibatur. idem ius solum etiam sine vino præstat: idq; non solum ratione salsedinis vel aquæ marinæ: sed quia concharum etiam substantia emollientem quandã naturam habet, Brasauolus.

H. a. Χήμη, χάσμη, Varinus. id est oscitatio. vtrunque fit à verbo χαίνειν. Pandentes se quadam oscitatione, Plinius de conchis margaritarum. Χημείαν interpretantur aliqui argenti & auri præparationem, quam vulgò chymisticam vel alchimisticam artem nominant: quasi à chymis & liquoribus quos parat, nomen hoc tulerit. sed χημεία cum ἦτα habeat in prima, aliunde dicta fuerit, fortè quod vasis illis quæ vulgò crucibula nominant, fundendis metallis idonea, subinde vtatur. hæc enim χήμας & χήμας κεραμίδας vocari, suprà in A. monui. Χήμωσις apud medicos affectus est oculorum ambientis oculum membranæ, quod album quoq; appellatur, albæ carni persimilis: & numeratur inter oculorum vlcerationes. Alij chymosin per y. scribunt, & rubram carnosamque corneæ oculi pelliculæ inflammationem interpretantur, &c. Chema etiam mensuræ nomen est. Vide suprà in Cochlea.

DE CHAMA LÆVI, ET LONGA VEL PARVA.

GALADES sui ne generis sint, an chamæ læues Aristotelis, addubitat Vuottonus. Bellonius concham ab Italis *Capparozola* vulgò dictam chamam læuem interpretatur: & alibi chamam peloridẽ suam, hoc est conchulam rugatam Rondeletij. Venetijs quidem duorum generum conchas hoc nomine indigetant. à Clamme, Anglis.

CHEMÆ oblongæ Marcellus Epiricus meminit, capite cap. 21. Sisymbrij succum (inquit) bibat ad plenitudinem conchulæ oblongæ, quam Græci telynen (tellinen) alij chemam macram vocaut. Verum telline parua quidem, non tamen longa est conchula. & chema pro mensura apud medicos, alia magna, alia parua est: vt Marcellus fortè pro μικρὰν legerit μακρὰν, vt sępe hæc duo vocabula inter se à parum attentis permutantur.

CHAMAM nigram Bellonius glycymeridem facit, Rondeletius quasdam è galadum genere nigras describit, Epicharmus κόγχον μέλαιναν nominauit: & κόγχυς μελαινίδας Sophron.

DE CHAMA PELORIDE.

PELORIS est species ostrei (ὀστρέυ, non ὀρνέυ, vt Phauorini Lexicon ineptè habet) à magnitudine dicta, qua chamam & alia similia ostrea excedit, Etymologus & Eustathius in Dionysium. Clemens in Pædagogo pisces & alia esculenta, è diuersis regionibus celebrata commemorans, vt ostrea Abydena, Męnides Liparæas, conchas πελωρίδας quoque nominat: sentiens nimirum non à magnitudine, sed à regione

regione hoc nomen eis impositum. Et similiter Athenæus. Item Archestratus, Μεσσήνη δὲ πελωριάδας γενοπορθμίδι κόγχας (scilicet μεγάλας ἢ καλὰς παρέχει.) hoc est, Iuxta Messenen autem in freto Pelorides conchæ magnæ vel optimę proueniunt. Messenen hîc accipio pro vrbe Siciliæ propinqua Peloro monti, quæ Messana dicitur à Latinis: non eiusdem nominis Græciæ in Peloponneso ciuitatem. Dixit autem Peloriades Archestratus per parenthesin carminis gratia. Vt Nicander Colophonius etiam, Νηρίτῃ, στρόμβοιτε, πελωριάδες τε, μύες τε. Dicuntur & πελωρίναι vltima acuta Polluci. πελωρίς quidem vocare non libet: nec eruditus quisquam sic protulit, nisi deprauati fortè sint codices. Peloridem absolutè dicas, aut conchæ chamæ ve nomen adijcias, parum refert. Bellonius conchulam rugatam Rondeletij, peloridem existimauit cuius opinionem reprehendit Rondeletius. Nos suprà Bellonij super ea concha verbis, de cappis rossolis quædam inseruimus. sic enim eruditi quidam pelorides hodie à vulgo Italorum vocari putant. Germanicè circumloqui licebit, *Ein grosse Muscheln art*, *Grosse Gymmuscheln*.

F Murice Baiano potior Lucrina Peloris, Horatius. Et fatuam summa cœnare Pelorida mensa, Martialis. Fatuam autem vocat, hoc est insipidam: qua ratione alibi (libro 6.) aquosa etiam cognominatur, hoc versu: Tu Lucrina voras, me pascit aquosa Peloris. E Lucrino quidem alia quoq; ostrea commendata puto. *Lucrinum.* Concha Lucrini delicatior stagni, Martialis lib. 5. de Erotio puella. Summam mensam in recitato Martialis versu, primam interpretor. alui enim molliendæ gratia vt alias conchas, sic & chamas & pelorides, vel potiùs ius earum, ante alios cibos sumi conuenit. Peloridum ius cum vino ventrem emollit, Kiranides. Et alibi, Ventrem durum mollit ius Peloridum. Pelorides emolliunt aluum, Plinius & Celsus. Quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, cœna hæc fuit: Ante cœnam, echinos, ostreas crudas, peloridas, sphondylos, patinam ostreorum, peloridum, &c. Chamæ pelorinæ (πελώριαι, lego πελωρίναι) dictæ, multum alunt bonique succi sunt, difficilè excernũtur (δυσέκκριται. nisi legendum sit εὐέκκριτοι) id est facile excernuntur quòd aluum molliant, vt dictum est) stomacho conueniunt, præcipuè maiores, Diphilus. An caro ipsarum difficilè, ius verò facile excernitur? Murices, pelorides, &c. tanquam cibi stomachum roborantes laudantur à è Scribonio Largo, compositione 104. Ex ostreorum genere purpuræ & buccina reliquis præferenda in cibo, deinde pelorides præstant, Aëtius in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus.

H. a. Pelorus, Πέλωρος, promontorium est Siciliæ Italiam versus, à Peloro gubernatore nauis Annibalis ibi sepulto, &c. Vide Onomasticon nostrum. Πελωρὶς, insula vel locus per e. breue in prima, vt in hoc versu, Ἠνεμόεσσα πελωρὶς ἐς Αὐσονίην ὁρόωσα, Etymologus. est autem versus Dionisij Afri de Peloro Siciliæ promontorio: quod πελωρὶς ab eo adiectiuè dicitur. subauditur enim ἄκρα. Πελώρια festa & Iupiter πέλωρ memorantur ab Athenæo libro 14. in mentione festorum vbi seruis domini inseruiebant.

CYEGONI videntur conchæ quædam nominari ab Epicharmo, nisi epitheton hoc earũ potius est. Lege superiùs Androphyctides in hoc Concharum catalogo alphabetico.

CICOBAVLITIDES, Κικοβαυλιτίδες, conchylij genus nigrum, καὶ τὰ ἐκ στέατος σκωλήκια, Hesychius.

D CONCHVLÆ DELMES, & caro porcelli maris, (de concha porcellana videtur sentire,) combustæ, si bibantur drachmæ pondere, cum serapio aliquo astringente, medentur vlceribus intestinorum & dysenteriæ. Ex eisdem cinis ano prolapso inspersus, eo in suum locum reducto, efficaciter cohibet, Complutus apud R. Mosen. Authores hæc remedia Cochleis terrestribus attribuunt. Vide suprà inter remedia ex Cochleis terr. vstis.

G GALADES conchæ. Vide superiùs inter Conchas ex opere Rondeletij.

L CONCHÆ longæ genera duo suprà in Conchis diuersis ex Rondeletio dedimus. Græci aliquando dactylum concham longam vocitare videtur, vt & hodie Itali at Concham longam Plinij à dactylo differre Rondeletius ostendit. Scaphidem Hippocrates nominat concham marinam oblongiorem, quam aliqui vulgò myacem vocitant. Vide mox in Myace.

M MARGARITA & Margaritiferæ conchæ, in M. elemento locum habebunt.

IN mari rubro Conchæ quædam nascuntur, quarum testæ secturas quasdam & cauitates (ἐντομὰς καὶ κοιλάδας,) & labra acuta habent. quæ cum coëunt inter se sic alterno incursu coniunguntur, vt tanquã duarum serrarum coëuntiũ dentes videantur inter se conuenire: vnde fit, vt si piscatoris nantis quamcunque partem, etiamsi sub eam os subest, mordicus apprehenderint, amputent: & similiter si articuli locum comprehenderint, neque id mirum, cum tanta sit marginum acies, Aelianus 10. 20. Eadem fortè est de qua Plinius: Iuba tradit Arabicis concham esse similem pectini insecto, hirsutam echinorum modo, &c. vide suprà in Concha echinata Rondeletij.

CONCHÆ minutæ in spongijs repertæ, manifestò eas esca viuere ostendunt, Plinius.

DE MYTVLO, (MVSCVLO PARVO RONDELETII,) BELLONIVS.

AD Græcorum antiquorum Balanum, (*Bellonius balanos vocat, quas Rondeletius conchas rhomboides, superius descriptas*, recentiorumque Calagnonem, ac Venetorum Mussolum plurimum accedit Mytulus qui & Musculus, Oceano frequentissimus vulgo Gallico Moule. Parcius in Adriatico capitur, Venetis Conchola nominatur, Romam rarissimè adfertur. Mitylenenses Midia vocant.

B Clusiles & reseratiles habet testas, intus ac foris læues: labra tenuia, corpus oblongum, altera parte latum, altera turbinatum.

C Connectuntur Musculi inter se; fauificant & aceruantur Muricum modo. Algosis & arenosis locis degunt.

A Falluntur autem qui duo marinorum Mytulorum genera constituunt: eorum nempe alterum fluuiatile est. Nam μῦς vel μύαξ, omnium Græcorum consensu, idem cum Mytulo & Myace, vel musculo Latinorum est.

C Marinus autem villos habet extrorsum more pinnæ, ab ea parte testæ qua scopulis hæret, per quos alimen-

alimentum (*Reprehendit hoc Rondeletius*,) exugit, atque arenulas & marina deiectamenta attrahit. Hinc fit vt qui musculi locis arenosis crescunt, aut inter testas figlinas gignuntur, deteriores euadant: qui verò algosis tractibus nutriuntur, meliores ac multò gratiores fiunt, vbi multa dulcis aqua marinæ permiscetur. Mytuli cancrum pinnæ modo in concha nutriunt, orbicularem, paruum, suis sic membris absolutum, vt & incedat, & alatur, & oua excludat, grandi lente multò maiora ac crassiora. Humi accubant Mytuli, cùm tamen Glandes siue Mussoli adhærendo pendeant.

G Dioscorides Ponticos laudat myaces. Plinius Myacũ iusculum aluum & vesicã exinanire tradit, interanea distringere, omnia adaperire, renes purgare, sanguinem adipemque minuere. Itaque vtilissimi sunt hydropicis, mulierum purgationibus, morbo regio, articulari, inflationibus. Idem prodesse fellis pituitæque: pulmonis, iocineris, splenisq; vitijs ac rheumatismis ait: fauces tamen vexare, vocesque obtundere: sed & vlcera quæ serpunt, aut sint purganda, item carcinomata persanare.

De Mure pisce, leges in M. elemento.

DE MYTVLO FLVVIATILI, BELLONIVS.

Fluuiatiles Mytulos Insubres *Squiozole* vocant, Marinis alioqui similes, nisi magnitudine differrent, & sub recti apparerent, atque humi pinnæ modo insigerentur. Sedem non mutant. Grandi hiatu suas testas pandunt, quas reseratiles clusilesque habent, tenues, intus glabras, pictorum coloribus accommodatissimas. Gustus ingrati percipiuntur, ex quo μύες κυνώδεις (immò σκιλλώδεις, vide in Corollario) ab Athenæo vocari putantur, ac si Mytulos caninos dicat. Gallis *Moules d'estuc* dici consueuerunt.

DE MVSCVLIS (IN GENERE) RONDELETIVS.

De significationibus vocabulorum, Mus, musculus, mytulus, mys, myax.

A per totum. NON facile est dicere qui sint Musculi à quibusdam Latinis dicti, qui μῦες à Græcis masculino & fœminino genere. Item qui sint μύακες Dioscoridi, Mytuli & myes Plinio. Cum ostracodermis Musculos Plautus in Rudente recenset. Habemus Echinos, Lepadas, Ostreas, Balanos captamus, Conchas, marinam vrticam, Musculos, Plagosas, (*Plaonsius legit Mossarius*) Striatas, &c. Sic & Celsus libro 2. Ostrea, Pelorides, Echini, Musculi, & omnes ferè Conchulæ aluum mouent. Gaza Aristotelis μυςίκητοι, *Mysticetus.* musculum interpretatus est Plinium secutus: vt docuimus priore parte operis nostri, μύας verò semper Mytilos. *Tellina.* Athenæus μύτλον à Romanis appellatã fuisse Tellinam scribit, quã Græci quidam ἀντέλλω nominabant. Hermolaus Barbarus mytulũ & mytlum idem esse putat. Athenæus μύας in diuerso genere *Athenæus.* diuersa significare demõstrat his verbis: Οἱ δὲ μύες μέτρως εἰσὶ τρόφιμοι, διαχωρητικοὶ οὐρητικοί· κράτιστοι δὲ οἱ Ἐφέσιοι,

F καὶ τούτων οἱ φθινοπωρινοί. αἱ δὲ μύες καὶ τῶν μυῶν ὅσαι μικρότεραι, γλυκεῖαί τε καὶ εὔχυλοί εἰσι, πρόσετι καὶ τρόφιμοι. Myes mares mediocriter nutriunt, aluũ cient & vrinas. Optimi sunt Ephesij, præsertim autumno. Myes fœminæ, maribus minores, dulces sunt, boni succi, copiosè nutriunt.

A Tria, inquit Hermolaus, inuenio quæ μύες dicuntur. Primùm Testudines sunt, ideoque non μύες in *Hermolaus.* plurali, sed μύδες & ἐμύδες vocantur. Genus hoc, aquatilis mus, & lutaria Testudo à Theodoro, mari- *Testudines.* nus mus à Plinio quandoque libro 9. vertitur. Alterum interum inter pisces. Tertium inter Ostrea *Mus aquatilis & marinus.* pro Mytulo.

G Quos μύακας appellat Dioscorides libro 2. cap. 7. Plinius Mytulos nuncupasse videtur: Quoniam quæ περὶ μυάκων scripsit Dioscorides, eadem planè de Mytulis Plinius. *Myaces Dioscoridis, Plinii mytulos esse.* Μύακες καέντες τὸν αὐτὸν δρῶσι τοῖς κήρυξιν. ἰδιαίτερον δὲ πλυθέντες ὡς μόλιβδος, χρησιμεύουσιν εἰς τὰ ὀφθαλμικὰ σὺν μέλιτι, ἐκτήκοντες παχύτητας βλεφάρων, καὶ σμήχοντες λευκώματα, καὶ τὰ ἄλλως ἐπισκοτοῦντα ταῖς κόραις. ἡ δὲ σὰρξ αὐτῶν κυνοδήκτοις ἐπιτίθεται ὠφελίμως. Plinius lib. 32. cap. 9. hæc ferè sic conuertit: Mytuli quoque vt Murices cinere vim causticam habent, & ad lepras, lentigines, maculas. Lauantur quoque plumbi modo, ad genarum crassitudines, & oculorum albugines, caliginesque, atque in alijs partibus sordida vlcera, capitisque postulas. Carnes verò eorum ad canis morsus imponuntur. Ante locum hunc tradit Myacas degenerare in duas species in Mytulos myiasque.

Rondeletii sententia. In hac nominum dissensione & varietate hæc rectè statui posse iudico. Myacas generis nomine appellat Plinius huiusmodi testacea, quæ Aristoteles μύας vocant, Gaza Mytulos, Athenæus μύας vtroque *Lib. 32. cap. 9.* genere. Aceruantur, inquit Plinius, Muricum modo, viuunque in algosis gratissimi autumno. Sic A- *Lib. 5. de Hist. anim. cap. 15.* ristoteles cùm exposuisset quomodo Purpuræ & Buccina congregentur & fauificent, idẽ post περὶ μυῶν *Myia vel Myisca.* dicit. κηριάζουσι δὲ καὶ οἱ μύες. Athenæi locum περὶ μυῶν vtriusque generis paulò antè protulimus. Myacum verò duæ erunt species, Myiæ siue Myiscæ, quæ à Plinio dicuntur, & Mytuli. Hermolaus in hoc Plinij *Mysci.* loco Myiscas in exemplaribus aliquot vetustis legi affirmat. Sed si quid in rebus marinis coniectura iu- *Lib. 3. de gene. anim. cap. 11.* diciumque meum valere debent, Myscos rectè legi posse arbitror, vt sint parui μῦες, vt declarat Plinius: qui dicuntur ab alijs Latinis Musculi diminutiuo nomine à Mus, vt μυΐσκος diminutiuum nomen est à μῦ, Myiæ siue Myiscæ siue Mysci ἐλάττους μύες Aristotelis, qui plurimi circa vnum principium aliquod adnascuntur. Μῦες in fœminino genere Athenæi. Hos Musculos à Latinis appellari puto, vt iam dixi. His maiores Mytuli erunt, Dioscoridis μύακες, vt prius demonstratum est. Vel Dioscorides μυάκων nomine vtrunque genus comprehendit. Quod si nominum horum rationem haberi nolis, sed rei tantùm, dicemus in mari reperiri Mytulos, siue Musculos, siue μύακας, maiores, & minores simul colligatos. De quibus deinceps dicemus.

DE MVSCVLIS (PARVIS AVT FOEMINIS, PLINII MYIIS, VEL MYISCIS, *vel myscis,*) *Rondeletius.*

A MVSCVLOS paruos & rotundos Plinius Myias vocat, id est, Muscas: nostri *mousches de mar*: Galli. *moules*, Græci hodie midia: Veneti conchole.

Sunt

Sunt ex ostracodermorum genere, quæ tenui testa, & duplici conteguntur. Circa saxa aut ligna nascuntur, pilis & veluti lana alligantur. Testa foris nigra, ferè semper vel musco, vel lanugine obducta, intùs læuis splendens, ex albo cærulea, parte acutiore crassior & spissior, reliquo ambitu rotundo tenuior. Caro intus pallida, quùm cruda est, cocta vitellis ouorum similis, in ambitu fimbriata: in ea foramen est euidens ad attrahẽdam aquam, neque enim per villos attrahit, quod ineptissimè quidam † asserunt, lanæ illius siue byssi vsum ignorantes. In media carne est particula carnosa, linguæ similis. Inest & mutis, & pituita quædam glutinosa. Callo albo adhæret.



B

† Bellonium taxat.

Excutiendus est hic locus Aristotelis libro 5. de histo. anim. cap. 15. Ἐμφύονται δὲ ἐν ἐνίοις τῶν ὀστρακοδέρμων καρκίνοι λευκοί, τὸ δὲ μέγεθος πάμπαν μικροί. πλεῖστοι μὲν ἐν τοῖς μυσὶ τοῖς πυελώδεσι. Quem sic conuertit Gaza. Cancri colore albido, corpore admodum parui in nonnullis testa operti generis nascuntur, & plurimi quidem in Mytulis soliatis: neq; id satis rectè, vt opinor, deceptus vocis τοῦ τῆς πυέλου significatione, in qua pro balneorum solio siue labro propriè vsurpatur. Sed hinc ad alia concaua & profunda transfertur, sumiturque ἀντὶ τῆς κοιλότητος. Sic Galenus lib. 9. de vsu part. cauitatem cerebri meatus per quos excrementa crassiora expurgantur excipientem, πύελον nominauit. Cauitas igitur quæ meatus hos excipit, quam alij à figura πύελον, alij ab vtilitate χοάνην, id est infundibulum nominant, superiore parte veluti lacunæ (δεξαμενῆς τινὸς *id est lacus, solij, cisternæ, eruditi in recto vltimam acuunt, vt scribendum sit* δεξαμενῆς τινὸς) vtilitatem præbet: inferiore autem, vt & nomen indicat, infundibulis similis est. Non sum nescius hoc in loco πύελον in vulgatis codicibus legi, sed melius πύελον doctiorum iudicio legas. Dioscorides de Titymali characiæ semine loquens, cauitatem in qua fructus continetur πυέλοις comparat. Ἐπ' ἄκρων δὲ τῶν καυλῶν κόμη σχοινοειδῶν ῥαβδίων, καὶ ὑπ' αὐτῇ κοιλώματα ὅμοια πυέλοισιν, ἐν οἷς ὁ καρπός. Pendet in cacuminibus caulium, coma iunci, sub qua caueolæ foliolis balneorum similes, in quibus semen continetur. Quare cùm πύελος cauum locum significet, Mytulos πυελώδεις non soliatos dixerim, sed in imo maris, siue in gurgite natos, ad eorum testaceorum discrimen qui in limo cœnoso, vel in arenoso proueniunt. Hanc interpretationem meam confirmo ipsiusmet Gazæ autoritate, locum enim qui mox sequitur, ita vertit: Φύεται μὲν οὖν τὰ ὄστρεα καθάπερ εἴρηται: φύεται δ' αὐτῶν τὰ μὲν ἐν τοῖς πυελώδεσι τόποις, τὰ δὲ ἐν τοῖς σκληροῖς καὶ τραχώδεσι. (*malim* παγώδεσι) τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀμμώδεσι. Nascitur enim Concharum genus quemadmodum expositum est, sed locis varijs: nam alia vadis, alia gurgite, alia duris locis atque asperis, alia arenosis. Perspicuè vides Ostrea ἐν τοῖς πυελώδεσι nata, in gurgite nata dici. In Mytulis igitur in imo maris natis cancri parui proueniunt, nec in Mytulis in stagno marino, aut in quouis loco alio lutoso & sordido procreatis Cancros paruos vnquam reperias.

Expensus Aristotelis locus. μύας πυελώδεις ab eo, non a figura dici, sed in imo maris nascentes, quod nos in Corollario reprobabimus.

Lib. 4. cap. 165

A Nos verò Myas, siue Myiscas, siue Myscos Plinij siue Musculos, & Athenæi τὰς ἐλάττονας μύας, siue τὰς μύας repræsentasse perspicuè ostendunt sapor dulcior in his, & suauior: paruitas, rotunditas, testa hirta, atque alia quæ his à Plinio & Athenæo tribuuntur. Plinius: Myaces degenerant (*Digeruntur malim, vt genera in species digeri dicimus*) in duas species, in mytulos qui salem virusque resipiunt: Myiasque (*aliàs Myscas*) quæ rotunditate differunt, minores aliquanto, atque hirtæ, tenuioribus testis, carne dulciores, (*dulciores, ex Athenæo.*) Athenæus Οἱ δ' ἐλάσσονες τούτων, καὶ δασεῖς ἔξωθεν, οὐρητικώτεροι μέν εἰσι καὶ εὐχυλότεροι τῶν σκιλλωδῶν. ἀτροφώτεροι δὲ διὰ τὸ μέγεθος καὶ τῶν φύσει ὄντες τοιοῦτοι. id est, Minores & veluti hirti, magis vrinam prouocant, & melioris succi sunt ijs qui scillæ similes sunt: minus tamen alunt, quia minores & quia natura sunt huiusmodi. Aliquanto pòst: Αἱ δὲ μύες καὶ τῶν μυῶν ὅσαι μικρότεραι, γλυκεῖαί τε, καὶ εὔχυλοί εἰσι: πρόσετι δὲ καὶ τρόφιμοι. Quæ Myes dicuntur, alijs minores sunt, dulces, boni succi. præterea satis nutriunt.

Musculos paruos veros se exhibuisse.

Lib. 32. cap. 9.

Lib. 3.

DE MYTVLIS, (SEV MVSCVLIS MAIORIBVS, MARIBVS, QVOS ET MYACES *Dioscorides vocat,*) *Rondeletius.*

Bellonius huic persimilem suum mytulum pingit, cum cancello intra valuas apparente: cùm nomina & reliquam descriptionem, mytulo minori conuenientia ponat.

MYTVLOS nostri muscles vocant, & consalmes de mar, ad differẽtiam fluuiatilium vel palustrium mytulorum, quib. figura tantùm similes sunt.

A Musculis differunt magnitudine & rotunditate: gustu etiam inferiores sunt. nam salem virusque resipiunt, ait Plinius.



A

B

(F)

A

(G)

Eosdem esse Mytulos cũ Dioscor. libro 32. cap. 9. Myacib. antè ostendimus ex eadem præparãdarum testarũ ratione, & ex ijsdẽ facultatibus. Quarum postremã non probat Gal. de facult. medic. libro 11. cap. 3 Τὴν δὲ μυάκων σάρκα λειωθεῖσαν ἐπιτιθεμένην ἁρμόττειν φασὶν ἕλκεσιν ὑπὸ κυνὸς δακόντος γεγονόσιν. ἐγὼ δ' οὐδεμίαν εὑρίσκω δύναμιν ἧς δεῖται τὰ τοιαῦτα τῶν ἑλκῶν, ὥσπερ τὰ ὑπὸ τοῦ λυττῶντος κυνὸς δακόντος γινόμενα. Porrò Mytulorum carnem tradunt vlceribus à mordente cane inflictis competere. Ego verò nullam (peculiarem) facultatem inuenio, quam requirant id genus vlcera, sicut ea quæ à rabido cane mordente sunt inflicta.

E In oleorum præparatione testa Mytulorum vtebantur veteres: est enim caua & labris tenuibus. Dioscorides de cicino oleo: Ὅταν δὲ ἀνῶσι τὴν ἐν αὐτοῖς ὑγρότητα πᾶσαν, ἄρας τὸν λέβητα ἀπὸ τοῦ πυρός, ἀπόψα μύακι τὸ ἐπιπλέον ἔλαιον καὶ ἀποτίθεσο. Vbi insitum prorsus humorem reddiderunt, sublato ab igne vase, innatans oleum Mytuli concha tollitur, & reconditur. Et mox de oleo amygdalino: εἶτα ἀποθλίβων ταῖς παλάμαις τὸ ἀπὸ τῶν δακτύλων εἰς μύακα ἀναλάμβανε. Mox tabellis premitur, & quod digitis hæsit, Mytuli cõ-

Lib. 1. cap. 32.

cha excipitur. In hac concha pictores hodie colores suos diluunt: tùm quod ij à testa nihil immutentur: tum quòd sustinenti manui nulli sint oneri.

DE MYTVLIS, IN STAGNIS MARINIS, RONDELETIVS.

MYTVLI in stagnis etiam reperiuntur: sed non nisi vbi saxa sunt, vel ligna hærentia. Circa hæc enim nascuntur, bysso alligati, ex duabus testis constantes, foris nigris, intus plumbeis. Carne sunt molli, flauescente. Marinis sunt longiores: sed marini spissiore testa, palato gratiores.

COROLLARIVM DE MYE, MYACE, MYTILO, *Musculo. Ex his Myax & Musculus passim maiusculis characteribus scribentur.*

A Vocabulum μῦς circunflecti debet, non acui. In petris & arenis viuunt, Κήρυκές τε, μύες τε, καὶ ἀτρεκὲς οὔνομα σωλῆν, Oppianus. Potest & μύες scribi in plurali penultima longa, quanquam aliquando producitur etiam sine circunflexo: Ἦν δέ τις ἐν μύεσσι νέος παῖς, Homerus in Batrachomyomachia. Vide plura in Mure quadrupede H. a. Myes à Theodoro vertuntur mytuli, sed quàm rectè, iudicare nondum audeo. Cum Græcis hominibus eos quos vulgò Veneti vocant MVSCVLOS & Cuniculos ostenderem, dixerunt esse Mydia, hoc est Musculos, Gillius. Conchas illas quas rhomboides Rondeletius cognominat (descriptas & exhibitas superiùs) Veneti Mussoli nominant, hoc est musculos aut mytulos, sunt enim his satis similes, teste Bellonio, eorum icones in fine huius Corollarij dabimus. Mutilum Aggregator vulgò Venetijs ait *Gozonell.* dici: quod nomen idem forsitan fuerit cum Gillij cuniculo concha. Vniones in nostro mari reperiri solebant, crebriùs circa Bosphorum Thracium, rufi ac parui in conchis quas myas appellant, Plinius 9.35. quem locum explicans Massarius: Myes (inquit) quos Latini mytulos interpretantur, conchæ sunt testis leuibus, sed interius nitentibus & perlucidis, vt ostreæ margaritiferæ, labijs quoque tenuioribus quàm ostreis, eiusdem propè generis cum ijs, qui vel in flumine generantur. nos tales non modo in Bosphoro Thracio, sed alijs quoque locis conspeximus, quos nunc MVSCVLOS appellant. Et mox, Huic proximum genus est, quas myias, hoc est muscas vocant. differunt à mytulo rotunditate, minores aliquanto atque hirtæ, tenuioribus testis, de quibus Plinius & Athenæus meminerunt. Et alibi, Non desunt qui myacas in Dioscoride myas siue mytulos easdem esse conchas putent, cum tamen Plinius hoc ipso volumine mytulos in harenosis prouenire prodiderit, & libro tricesimo secundo myacas in mytulos degenerare, atque in algosis non harenosis viuere testatum reliquerit. Maiores in hoc genere conchas, Plinius mitulos, Oribasius myacas, Athenæus μύας σκιλλώδεις vocat, & μύας genere masc. absolutè. Minores verò Plinius myiscas, Oribasius & Athenæus myas appellant, Vuottonus. Minores Rondeletius myas vocat cum diphthongo in prima syllaba, & muscas interpretatur. quod equidem non probârim, quoniam ea vox Græca est, & Græcorum nemo sic vsurpauit. Athenæus enim myas de paruis musculis fœminino quidem genere extulit, sed sine diphthongo, inflexione tertia, in qua etiam μῦ, id est musculus mas declinatur. quare & myiscam proferentibus non assenserim. Mytuli à Romanis Græco nomine tellinæ nuncupantur, Niphus. Scapidem (Σκαφίδα) Attici vocant scapham pastoralem, καθὼς καὶ ἄλλοι alias καθ' ὥσπερ λέγουσι: fortè ἐν ᾗ ἀμέλγουσι) in qua mulgent: vt poëta in hoc versu: Γαυλοί τε, σκαφίδες τε τετυγμένα, τοῖσιν ἀμέλγεν. Hippocrates verò sic vocat concham marinam oblongiorem, quam multi (οἱ πολλοί, multi, vel vulgus) MYACEM appellant, μύακα προσαγορεύουσι, Galenus in Glossis, & Varinus. sed hic aut librarij pro μύακα posuerunt μύα. id quod fieri facilius potuit, quòd finalis huius vocis syllaba κα, in proximo verbo καλοῦσι (hoc enim ipse vtitur,) non προσαγορεύουσι, repetatur. Quærendum an MVSCVLVS vulgò dictus Venetijs, (Concha rhomboides Rondeletij,) hic MYAX sit, quoniam & testa oblongior, & nomen ei congruunt. Scafium, id est concha, Syluaticus. MYACES pisces intelliguntur murices, (*hoc ex idoneis autoribus quod sciam, nullus docet*) sed & pro conchula accipitur MYAX, qua humores excipiuntur, Cælius. Ὄστρεα, κογχύλια, μυάκια θαλάσσια, Varinus.

Cuniculi. Mydia. *Scaphis.*

De Italicis nominibus *Mussolo* & *Gozonello* in præcentib. dictum est. Lusitani mytilum nigricantem, Mexilam vocant. Germanicum nomen *Muschel* à MVSCVLO Latinorum factum videri potest: sed ad conchas biualues omnes extenditur. quamobrem circumloquemur ita vt Mytilum siue Musculum maiorem, nominemus *kleine schwartze Muscheln*: minorem verò, *Miesmuscheln*, *Harmuscheln*, à musco. quoniam, vt scribit Rondeletius, testa eorum ferè semper vel musco vel lanugine obducitur. Angli *Muscle* non communiter vt nos concham omnem biualuem, sed propriè & peculiariter paruam hanc nigricantem appellant. MVSCVLI in inferiore Germania (vt Cornelius Sittardus aliquando ad me scripsit) ex Oceano Germanico capiuntur, & suauissimi gustus sunt, elixantur in aqua, deinde addito pipere & butyro comeduntur. Germanicè *Moeschelen* vocantur.

Μύες πυελώδεις.

Μύας πυελώδεις Gaza ex Aristotele vertit mytilos foliatos, à figura. Niphus mitulos latioris vel amplioris conchæ interpretatur. Rondeletius reprehendit, & in imo maris siue gurgite nascentes conuertit. quoniam Gaza eodem apud Aristotelem loco (historiæ animalium 5.15.) pro πυελώδεσι τόποις interpretetur, gurgite: cùm nõ gurgite tantũ Gaza eo in loco verterit pro hac voce: sed (Ostrea nascuntur,) alia vadis, alia gurgite. ego non πυελώδεσι, sed omnino πηλώδεσι, id est limosis, eo in loco legerim. nam vt hoc in loco, ita rursus in eodem capite, Aristoteles triplicem natalis soli differentiam facit. Ὀστρακώδη (inquit) omnia nascuntur ἐν τῇ ἰλύϊ. ἐν μὲν τῇ βορβορώδει τὰ ὄστρεα, ἐν δὲ τῇ ἀμμώδει, κόγχαι. περὶ τὰς σήραγγας δὲ τῶν πετριδίων, τήθεια καὶ βάλανοι. Πύελος non modo solium, sed alia vasa diuersa similis figuræ significat: quę nostri vocant *Standen, Zuber, Bütinen, Multen.* &c. est autem in fœminino tantùm genere bonis authoribus vsitatum. Πύελον ὑελίνην dixit Aelianus in Varijs 13.3. Πυέλιοι, (paroxytonum. ego proparoxytonũ prætulerim) πύελος χαλκῆ, Hesychius. sed mox in masculino dicit Πύελος ἐν ᾧ οἱ πυροὶ ἐπλύνοντο: σκάφη, ἐμβάτη. vnde aliquis conijciat πύελον à verbo πλύνειν per metathesin fieri. sed diuersæ super huius dictionis origine grammaticorum sententiæ sunt. πύελος (inquit Etymologus) propriè dicitur ὅπου τοὺς πυροὺς πλύνουσι, (*quid si legas πιαίνουσι, ἀντὶ τοῦ βρέχουσι; nam Appion πιαίνειν interpretatur μαλάσσειν, βρέχειν. quid si dicamus, pyleon esse vas in quo triticum, id est, farina triticea aqua perfundatur & subigatur?*) quasi πύρελος. πυοὺς δὲ λέγουσι καὶ δίχα τοῦ ρ, τοὺς πυρούς. εἰσὶ δὲ (πύελοι) σκαφίδες ἐν αἷς λούονται, παρὰ τὸ πεπυθός. τουτέστι τὸ σεσηπὸς ἐλεῖν. οὕτω δὲ ἔλεγον τοὺς πλυνούς, ὡς Φέρων ἐν ὑπομνήματι Ὀδυσσείας.

Eustathius verò, ex quo Varinus etiam repetijt, sic tradit: Πύελος συνήθως ἡ λεκάνη: dicta fortè non à verbo πλύνειν, sed παρὰ τὸ πυόν, quod est crema (ἀπάνθισμα, *der nydel oder ramen*) lactis: tanquam vas huiusmodi commodum sit pastoribus excipiendæ cremæ. Sunt & πέλλαι pastorum vasa, lacti dum emulgetur excipiendo accommodata, mulctræ, *Melchkübel.* Γαυλοὶ emulsum seruant, vt & σκαφίδες: sed γαυλοὶ videntur fuisse vasa rotunda, *Brennten, Gelten, Näpff* (nam & nauigia quædam rotunda dicebantur γαῦλοι, voce penanflexa. pro vase enim lactario vltimam acuit.) σκαφίδες oblonga, *Multen, Multle.* Lege Varinum in Γαυλοί. Quæ torno cauantur vasa, omnia rotunda sunt: scaphas verò oblongas fuisse conijcio, non torno forte, sed alijs instrumentis excauata: quoniam sic dictæ sunt παρὰ τὸ σκάπτειν τὸ κοιλαίνειν, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν σκαπτομένων καὶ γινομένων βαθέων, vt Varinus scribit. inde & scaphæ naues dictæ, minores propriè & monoxylæ, vt lintres, ex trunco vnico excauato & veluti effosso: quibus similia sunt vasa illa, quæ *Multen* appellant nostri: quorum alia fundum ęquale & planum habent: alia magis propriè sic dicta & nauibus similiora, in medio profundiora sunt, vtrinque verò altiora se explicant, & ad summos margines surgunt, vt in nauibus proram ac puppim versus. Hæc figura in mytilis etiam spectatur: magisque in maioribus, quòd longiores sint, (minores enim, vt ait Plinius, rotunditate differunt:) ita nimirum vt è duabus mytili testis vtraque per se scapham vel πύελον referat: vnde πυελώδεις ab Aristotele dictas suspicor: idque κατ' ἐξοχὴν: quod quanuis & aliæ forsan longiusculæ conchæ reperiantur, non dissimili figura, pyelon tamen minùs exactè repræsentent. Scribit Aristoteles cancellos in mytilis istis reperiri: quod & ipsum maioribus conuenire magis videtur. in minoribus enim vix suppeteret cancellis capiendis locus. Et quanquam pyelos solium quoq;, hoc est labrum in quo balneantur significat, eius tamen figura propter fundum æquale & planum, mytilis non conuenit, quare foliatas à Theodoro conuersas non probo. Aristophanes Vespis, Ἀλλ' ἄθρει Κατὰ τῆς πυέλου πρηνῆ, ὅπως μὴ 'κδύσεται. Vbi Scholiastes: Αἱ γὰρ πύελοι τρώγλας εἶχον ἐπὶ τὴν ὁδόν, δι' ἧς ἀπολουόμενοι ἐξεχέουσι τὸ θερμόν. παίζει δὲ καὶ τοῦτο ὡς ἐπὶ μυός. Item in Equitibus, Τὰς πυέλους φησὶ καταλήψεσθ' ἐν βαλανείῳ. Scholiastes interpretatur τὰς ἐμβάσεις. πύελος γὰρ ὄρυγμα, ἐμβάτη ἔνθα ἀπολούονται. Hoc & Suidas repetit. Θερμὴν εἰς πύελον εἰσελήλυθεν, Suidas ex innominato. Vt hoc etiam: Τῇ πυέλῳ τῶν ἱερῶν λειψάνων τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου. pro theca vel loculo funeris. Χλαίνας πυρρὸν ἐρεπτομένους παρὰ πύελον, legimus Odyssææ Ψ. Eustathius λεκανίδα interpretatur, & alia addit quæ iam ante recitauimus. Πύελος, ἡ λεκάνη, Varinus. hoc est peluis. Quin & palam siue fundam annuli, cui gemma includitur, hæc vox aliquando significat. Τοῦ δακτυλίου, τὸ μὲν ὁ κύκλος: τὸ δέ, ἵνα ὁ λίθος ἐναρμόζεται, πύελός τε καὶ πυελίς. ὡς ἔφη Λυσίας, Pollux. Πυελίδα Lysias & Aristophanes dixerunt, quod nos sphragidophylacion, Suidas & Varinus. Πυελίς, σφραγιδοφύλαξ. καὶ πύνη, ἀρτοθήκη, ἀλφιτοθήκη. ἔνθα ἡ ψῆφος ἐν δακτυλίῳ, Hesychius. sed ordo verborum confusus apparet. ego sic legerim: Πυελίς, σφραγιδοφύλαξ, ἔνθα ἡ ψῆφος ἐν δακτυλίῳ. καὶ πύνη, ἀρτοθήκη, ἀλφιτοθήκη.

Sed pyelos quid sit, quæ conchæ πυελώδεις, explicatum abunde est: nunc ad vocabulum σκιλλώδεις aggrediar: cuius similiter obscuritate viros nostri seculi eruditos cæcutiuisse video. ego mytilos eosdem nempe maiores, quos πυελώδεις Aristoteles dixit, ab Hicesio rectè σκιλλώδεις cognominatos ostendam. Verba eius apud Atheneum sunt hæc: Τῶν δὲ μυῶν οἱ μὲν Ἐφέσιοι, καὶ οἱ τούτοις ὅμοιοι τῇ εὐχυλίᾳ, τῶν μὲν κτενῶν βελτίονες, τῶν δὲ χημῶν λειπόμενοι: οὐρητικώτεροι δὲ μᾶλλον, ἢ ἐπὶ τὴν κοιλίαν φερόμενοι. εἰσὶ δ' αὐτῶν ἔνιοι καὶ σκιλλώδεις, κακόχυλοί τε, καὶ πρὸς τὴν γεῦσιν ἀπειθεῖς. οἱ δ' ἐλάσσονες τούτων, καὶ δασεῖς ἔξωθεν, οὐρητικώτεροι μέν εἰσι καὶ εὐχυλότεροι τῶν σκιλλωδῶν: ἀτροφώτεροι δέ, διά τε τὸ μέγεθος (ἔλαττον) καὶ τῷ γένει ὄντες τοιοῦτοι. Hoc est, Ex Mytilis Ephesij, & qui succi bonitate eis pares sunt, tantum sunt chamis inferiores, quantum pectinibus præstant. Vrinam magis quàm aluum cient. Sunt qui ex eis scillam resipiant, mali succi, & gustu ingrati. Qui verò his minores sunt, & foris hirsuti, ijs qui scillam referunt & vrinam magis promouent, & succum generant probiorem, minus tamen nutriunt, tum paruitatis suæ causa, tum sui generis natura, Hęc ille. Facile autem ex verbis eius est animaduertere, scillæ saporem ingratum insuauemque dici, & vt ipse interpretatur, πρὸς τὴν γεῦσιν ἀπειθῆ. qualem scilicet in scillæ maritimæ herbę tunicato ceparum instar bulbo, medicis celebrato, experimur: amarum & acrem. & similiter in pancratio, altera & minore scilla: cui authores gustum amarum quique os accendat, attribuunt. Colias piscis κολλοσκιλλωδέστερος est, ἀηδέστερος καὶ κακοχυλώτερος. κρείσσων δὲ ὁ Σεξιτανός. λεπτότερος γὰρ καὶ γλυκύτερος, Athenæus ex Diphilo de salsamentis. vbi itidem σκιλλωδέστερον ipse interpretatur, acriorem & mordaciorem: cui Sexitanum dulciorem opponit. Rondeletius hoc in loco κολλωδέστερος (hoc est, glutinosior) legere mauult. ego vel σκιλλωδέστερος tantùm, vel κολλώδης (aut κολλωδέστερος) καὶ σκιλλωδέστερος pariter legerim: vt colias Sexitano non solùm mordacior amariorque sit, sed etiam glutinosior. quod & ipsum scillæ bulbo proprium est. succus enim eius glutinosus est, & fila tenacia tunicis bulbi diductis in longum ducuntur. sic ad κολλωδέστερος opponetur λεπτότερος, ad σκιλλωδέστερος verò γλυκύτερος. Plinio etiam mytili maiores salem (fortè scillam legendum) virusque resipiunt, ideo gustui ingrati. minorum caro mollior dulciorque (aliâs durior, minùs rectè) est. Oribasius quoque molliorem carnem minoribus adscribit. Diphilo quoque (vt Græcè Latineque Rondeletius in capite de Musculis, paulò antè posito, recitauit) αἱ μύες, id est mytili minores, vt ipse testatur, dulciores sunt ac melioris succi quàm maiores: πρόσφοροι τε καὶ τρόφιμοι. Hicesius tamen minores ἀτροφωτέρους esse refert maioribus: quòd & parui sint, ideoque minùs alant, & toto genere eiusmodi. Idem author bulbos quosdam σκιλλώδεις esse scribit, hoc est nihilo scilla gratiores in gustu. solênes verò κολλώδεις, id est glutinosos. Rursus Hicesius, τοὺς τῶν πορφυρῶν μήκωνας σκιλλωδεστέρας: ἢ τοὺς τῶν κηρύκων esse ait. Succum hunc in mytilis nitrosum vt ita dicam, id est cum amaritudine acrem, mare dulcius & cœlum autumnale temperat. Quamobrem myaces, Plinio teste, gratissimi sunt autumno, & vbi multa dulcis aqua miscetur mari, ob id in Aegypto laudatissimi. Procedente hyeme amaritudinem trahunt, coloremque rubrum. Eiusdem acrimoniæ causa fauces ab eis vexari, (quod idem Plinius scribit,) & vocem obtundi credendum est. Mituli ora mandentium atque fauces acri mordacitate vexant, gulam arteriamque exasperant: tussim quoque siccam & raucedinem efficiunt, vocemque obtundunt, Vuottonus tanquam ex Plinio. Hæc (inquit) Plinius non vni speciei, sed myacum, id est mitulorum, generi

Σκιλλώδεις.

generi tribuit. Ego hunc locum in Plinio iam non reperio: quòd si tamen myacum generi toti hæc tribuat Plinius, non rectè facit: ex maioribus enim duntaxat hæc mala sentiuntur. Libro quidem 32 cap. 9. verba hæc, Fauces vexant, vocemque obtundunt, de myacum genere toto profert. Σκιλλώδεις ergo mytili sunt quales diximus: qui scillam resipiunt: Latinè scillosos dicere forsan licebit ad imitationem Græci vocabuli: vt a vino odorem saporemque vinosum dicimus, Græci οἰνώδη. Nec admittenda est Bellonij opinio, qui pro σκιλλώδεις legit χιωώδεις.

B Mytili biualues sunt & clusiles, cum & concludi & aperiri possint. tuentur autem se concludendo. Reseratiles sunt. & ab altero latere nodo ligantur. Testas habent læues, labra tenuia, Aristot. Capiuntur purpuræ paruis rarisque textu veluti nassis in alto iactis. inest ijs esca clusiles mordacesq; conchæ, ceu mitulos videmus, Plinius. Iuba tradit mytulos (*alij vitulos legunt, Rondeletius lepores, neutrum probo*) ternas heminas capere in Oceano Arabico, Plinius. Sumitur inciso mytilus ore mihi, Martialis libro 3. De ouo mytulorum, dicetur mox in c.

C Myaces aceruantur muricum modo, viuuntque in algosis, Plinius. Deteriores ad cibum sunt qui in locis arenosis aut inter testas figlinas proueniunt, ijs qui in algosis gignuntur, Vuottonus ex Oribasio ni fallor. Mituli etiam fauificare solent, Aristot. Mituli ita gignuntur, vt inter plantas quædam sobole, (vt cepe,) quippe qui minores subinde iuxta principium adnascuntur, Aristot. Et mituli, & pectines, sponte naturæ in harenosis proueniunt, Plinius: Aristoteles (inquit Massarius) aliter sentire videtur tertio de generatione animalium his verbis: Natura testati generis consistit, partim sponte, partim aliqua ab ipsis emissa facultate quanquam sæpenumero ea quoque spontina oriantur constitutione. Sed generationes plantarum accepisse hoc loco congruit. oriuntur enim earum aliæ semine, aliæ auulsione, nonnullæ etiam sobole, vt cepe: hoc igitur tertio modo mytili gignuntur, quippe qui minores subinde iuxta principium adnascuntur. buccina, & purpuræ, & quæ fauare dicuntur, quasi à seminali natura humores quosdam mucosos emittunt. semẽ verò nullum esse eorum putandum est, sed quo diximus modo plantis assimulantur: quamobrem larga eorum copia prouenit cum primum constiterit aliquid. hæc enim omnia vel sponte vt oriantur euenit: itaque ratione tunc magis cum origo præcesserit, consistunt. aliquid enim excrementi singulis proficisci credẽdum meritò est ab eo principio, cui soboles quæque adnascitur. Sed cum similem habeant facultatem cibus excrementumq; cibi, fauantium substantiam similem esse constitutioni primæ consentaneum est: quapropter excremento hoc gigni probabile est. Quæ autem vel sobolem nullam procreant, vel non fauant, eorum omnium ortus spontinus est. Cum igitur dicat eorum quæ sobolem nullam procreant, vel non fauant, ortũ spontinũ esse, Mytuli qui ex ipso Aristotele sobole generantur, & fauificare soliti sunt, vt quinto de historia scriptum est, non sponte prouenient. Sunt inter testata, quæ ouum in ipsis impropriè dictum (nutricationis enim duntaxat melioris signum est, vt in sanguineis pingue) non semper sed vêre tantum habeant. mox enim tempore procedente minuitur, demumque totum aboletur: vt pectines, mituli, ostreæ. tempus hoc enim prodest eorum corporibus, Aristot.

Mituli an spõte proueniant.

E Mvscvlorvm testis hodie vtuntur pictores diluendis & asseruandis coloribus, Rondeletius.

F De alimento ex Mytilis, leges quædam superiùs in Rondeletij capite de Musculis in genere, & in Chamis Corollario F & infrà in Ostreis. De sapore eorum acri & amaro paulò antè in A. vbi quinam μύες σκιλλώδεις essent, enucleauimus. Τῆς μυὸς λίθ. ἔχει μεγάλας, ὄστρεια δ' Ἄβυδος, Archestratus. Corpus auget ius mitulorum & concharum, Plinius. E conchylijs aluum simul & vrinam cient præcipuè mituli, ostrea, Athenæus. Cato capite 158. in descriptione iuris ad aluum deijciendam inter cætera requirit mutulos (mytulos) LII. Myaces maiores duri sunt & concoctioni renitentes, sanguinem procreant crassum, & pituitæ multum, & succum denique non adeò probum. Copiosè alunt, ventremque & vrinam cient. Hi si assentur, sitim vehementem excitant. si verò elixentur, & acrioribus quibusdam, vt sinapi nasturtioue condiantur, non adeò virus resipiunt. Minores carne sunt molliore & dulciore, boni que succi: verùm minùs alunt, & vrinam cient magis: Vuottonus, ex Oribasio ni fallor.

G Remedia quædam & vires Myacvm siue mytilorum, reperies suprà in Rondeletij capite de Musculis in genere: & proximè antè in Bellonij scriptis. Aluum purgant myaces, (*my cum ius,*) Plinius. Et mox, Myaces cremati vt murices, morsus canum hominum sanant cum melle, lepras, lentigines. Cinis eorum potus emendat caligines, gingiuarum & dentium vitia, eruptiones pituitæ: & contra dorycnium aut opocarpathon antidoti vicem obtinent. Mvscvlvs marinus tritus ex oleo vetere, talorum tumoribus & doloribus impositus medetur, Marcellus Empiricus. Ex conchis marinis foris nigris, intus splendidis (Myacas intelligere videtur) ad consolidanda vulnera remedium pulchrum Marianus Sanctus in Compendio chirurgiæ describit

Ad infirmos & caliginosos oculos, & nebulas oculorum in iumento: Musculos aquatiles vre super carbonibus: & corium externum detrahe vsque ad medium quod album apparet: id serua, & adde zinzibe: & chalcanthum, pares singulorum portiones. paratum ex his tribus mixtis pollinem in oculos equi inflato. proderit, Ex Hippiatrico libro Germanico.

Myon marinorum coctorum cum smyrnijs, & porris & apijs (ius) cũ vino potum, ischiadicos curat, Kiranides. Myacvm coctura pota ventrem mollit. testæ verò combustæ in pollinem redactæ, apostemationes sistunt, & cicatrices ferunt, (*auferunt fortè cicatrices oculorum*) cum melle verò illitæ, crassas palpebras attenuant, & leucomata. Eadem quę buccins præstant. Oportet autem lauare cinerẽ aqua, Idem.

H. a. Mvscvlvs à mure diminutiuum est nomen, siue pro concha siue pro quadrupede accipiatur: pro concha tamen à musco etiam factum videri potest, quo obductæ huius generis conchæ quæ propriè Musculi dicuntur (hoc est minores ferè omnes,) videntur. Speusippus seorsim nominat κόγχας, μῦς, σωλῆνας. &c. Κόγχοι, μύες, κ' ὄστρεα, Æschylus. Νηρῖται, στρόμβοι τε, πελωριάδες τε, μύες τε, Nicander Colophonius. Mytilus vocabulum est dactylicum. Sumitur inciso mytilus ore mihi, Martialis lib. 3. Vuottonus Græcè μίτυλος scribit. ego nusquam Græcè scriptum reperio, præterquam apud Athenęum, qui tradit tellinam à Romanis vocari μύτλον: malim μύτιλον. quanquam tellina à mytilo nostro diuersa est.

In

In nostro Plinij codice mitulus plerunque scribitur, tanquam à Græco μιτύλος, ypsilo in u. conuerso. Etsi verò Græci hac voce, vt dixi, non vtuntur, Græcæ tamen originis videtur: & similiter à μῦς fieri dimintiuũ μυτίλος, vt à ναύτης ναυτίλος. quamobrem Latinè etiam vel mytilũ rectè scribemus: vel mutilum u. pro y. si quis tamen mitulum vitandæ causa homonymiæ (quoniam adiectiuum quoque Latinũ mutilus est) scribere malit, per me quidem licebit. Myax etiam diminutiuum fortè fuerit à μῦς: vt à ῥόδος, ῥόδαξ. quanquam & alterum à μύαξ diminutiuum, μυάκιον reperiri puto. Mvscvlvm hodie Græci Μύδιον appellant, forma itidem diminutiua à μῦς: vt ab ὗς & σῦς ducuntur ὕδιον & σύδιον. verum in his iôta accedit: in mydio nullum, vt vulgus profert: eruditi etiam μύδιον efferre possent. Μύκης etiam & μύκιον nominibus Græcia alicubi hodie vtitur, ni fallor. sed melius μύσκη aut μυσκίον dicetur. μύσκη quidem fœm. genere, tanquam à μῦς fœminino: quod mytilum minorem significat Athenæo. & in Plinij codicibus de eodem myscam vel myiscam legimus. Cælius Rhodiginus μύσκον murem quadrupedem paruum significare scribit: ego apud authores legere non memini. Cochlearium, chema, mystrus instrumentorum nomina sunt, quibus vel ius hauritur, vel mensuratur aliquid, omnia à generibus concharum facta: vide in Cochlea in genere H. a. Μῦστρον diminutiuum est τοῦ μυός, id est à Mvscvlo genere conchylij, Ge. Agricola. sed hæc diminutiuorum forma vsitata non est: simpliciter verò deriuata huiusmodi multa sunt, vt σεῖστρον, στέργηστρον, μίσητρον, &c. à tertia persona præteriti passiui singularis. & alia, vt κλεῖθρον à κλείς. item ῥόπτρον, quod fortè deriuatum non est: & alia complura. Pollux τὸν μύστρον genere masculino dixit, cum acuto in prima: quæ cum natura longa sit, circunflectenda videtur in recto & ijs casibus qui vltimam corripiunt. Μύστρα & μυστία Eustathio idem sunt quod μυστίλαι, ὅ ἐστι κοῖλοι ψωμοὶ πρὸς ἄρυσιν ψωμοῦ ἐπιτήδειοι. Amystrio diminutiuo dicuntur etiam μυστριοπῶλαι apud eundem. Μυστίλη quoq; videri diminutiuum potest à μῦς fœminino, vt μυτίλος à masculino. hinc verbum μυστιλᾶσθαι Eustathio, διὰ μυστιλῶν ἀρύεσθαι, ἢ τὸ κοιλαίνειν τοὺς ψωμούς. Μυστίλημ', ὁ μυστίλλων ἄλμας, καὶ ἐκ τῶν ἐντελεστάτων ἢ ἐπιπόνως ζῶ, Eustathius. Ctenites lapis (inquit Ge. Agricola) striatus est omninoque pectinis effigiem repræsentat. Myites verò, quia striatus non est, Mvscvli speciem præ se fert. is duplex, oblongus, & pectinis modo rotundus. hic colore cinereus reperitur in Chattis ad Spangebergum arcem, vbi & trochitæ: & in Saxonibus ad Hildesheimum in lapicidinis eius tractus qui est vltra montem Mauricij: ille modo subfuscus, modo subflauus effoditur ex fossa mœniorum Hildesheimiæ vrbis, quà ad Septentriones spectat: Hæc Agricola, qui Germanicè hunc lapidem interpretatur *Muschelstein*.

Genera concharum duo, quas Venetijs vulgò Musculos nominant: alterum musco prorsus hirsutum est.

O Olvrides, Ὀλυρίδες, genus concharum, Hesychius & Varinus.

P Pelorides iam priùs in Chamis dictæ sunt.

Pholades Conchæ in P. Elemento describentur.

Piscinaria quædam Concha vulgò hodiè ab Italis dicitur, Cappa pisciota: haud scio an eadem cuius meminit Plautus his verbis, quæ à Festo citantur: Muriaticam video in vasis stanneis, naricam bonam & cauatam, & taguma, quinas fartas conchas piscinarias.

Plagosæ, vt Rondeletius legit: Plagusiæ, vt Massarius, à Plauto in Rudente inter Conchas commemorantur.

DE MVSCVLIS AQVÆ DVLCIS, RONDELETIVS.

Longe plura & maiora in mari quàm in fluuijs vel lacubus gignuntur ostracoderma, cuius rei causam sæpe aliâs marinæ aquæ vi attribuimus. In aqua dulci stagnante maximè reperiuntur Musculi, ferè nunquam in rapidis fluminibus. Galli Moules vocant. Duplici constant concha tenui & fragili, foris nigricat & veluti ex multis additamentis conflata est, ob id asperior. Intus læues sunt, ex cæruleo nigricantes. Carne sunt dura, concoctu difficili, mali succi, quo fit vt qui ijs copiosius vescuntur, in febres incidant.

DE PORCELLANA VVLGO DICTA: HOC EST CONCHA VENERIS, SIVE MVRICE aut Remora Mutiani, Rondeletius.

Icon hæc non est Rondeletij: sed similis, ad vnam è nostris Porcellanis conchis depicta. Ea in hoc genere maxima est: nos in Corollario ruffam cognominabimus.

A Hermolavs Barbarus Plinij locũ libro 23. emendans, pro Veneri cymbia, legi posse censet Veneriæ, Senecam citans: Veneriæ, inquit, Spondyli & Ostrea, Venereæ Conchæ nusquam alibi mentionem factam fuisse scio. Eam esse puto quæ apud Gnidiorum Venerem colebatur, vnde Concha siue *Venerea.*



Lib.9.cap.25. Cochlea Venerea dicta sit, quam describit Plinius ex Mutiano, qui Muricem appellabat. Mutianus, inquit, Muricem esse latioré Purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neq; in angulos prodeunte rostro, sed simplice Cócha, vtroq; latere sese colligente: quibus inhærentibus plenam ventis stetisse nauem, portantem nuncios à Periandro, vt castrarentur nobiles pueri: Conchasque quæ id præstiterunt, apud Gnidiorum Venerem coli. Quam descriptionẽ nulli alteri meliùs quadrare cõtenderim, quàm ei Conchæ, quam Porcelaine vocamus: nonnulli læuigatoriam, quia læuissima est testa, qua mulieres nostræ ornamẽta quædam sua linea, in amyloaqua multa diluto, lota, deinde exsiccata poliunt, adeò vt splendeant. Eãdem Italiatque Græci hodie chartas læuigant, quod & Plinius olim factitatum fuisse memorat. Scabritia, inquit, chartæ læuigatur dente Conchaue, sed caducæ literę fiunt.

(E)

Lib.13.cap.12.

B Concha ista oui figura est, Purpura maior & latior: sunt enim quæ in magnam amplitudinem accrescant. testa læui, in cuius extremo vtroque foramen est, alterum capessendi gratia non asperum, non rotundum, sed parum prominens non tamen in angulos procurrens: alterum ad excrementa reijcienda: concha simplice atque vna, vtrinque sese colligente. quod vt intelligas, concipias animo conchã simplicem per planum extensam: deinde vtranque in partem reduci & complicari, ad rotundam siue ouatam conchã efformandam, duobus extremis, quæ prius in plano oppositaiacebant, nunc inter se iunctis & cohærentibus; dempta rima quæ denticulis asperiuscula est: qua parte compressa est, & saxis adhæret in mari Rubro, & Oceano. Hac eadem parte nauibus vel earundem clauo affigi puto, atq; earum cursum remorari, elleque Remoram Mutiani, cuiusmodi plures cùm inhæsissent, vt iam ex Plinio dictum est, plena vẽtis stetit nauis, portans nuncios à Periandro, vt castrarentur nobiles pueri, ob eamque causam Conchæ eæ apud Gnidiorum Venerem celebrantur. Testam duram esse admodum vel inde agnoscas quòd nunquam eam arrosam comperias, quemadmodum in alijs testaceis: quæ à tineis vel alijs eiusdem generis bestiolis marinis corrosa vel perforata sæpe videas. Tota intus candida est, foris varietate colorum insignis, in diuersis conchis.

(D)

Remora Mutiani.

E Huic Conchę perforatæ in alte: o extremo multi hodie clâues appendunt, & zonæ accommodant, ob Conchæ elegantiam & læuorem, ob quem nihil sordium colligit, neque vestes atterit. Eandem aurifices in duo secant, & cochlearia conficiunt.

G Huius aliquis est in medicina vsus: nam reperitur in descriptione pilularum de bdellio, ad alui fluxus constringendos, & intestinorum, atq; veteri vlcera, sed pharmacopœorum vulgus pro Concha venerea Pectines vsurpat. Ex ea dentifricia optima parantur. Vtilis est ad vlcera canthi oculorum, & ad ægilopas, resiccandi vim habet insignem sine caliditate.

Pectines.

DE SECVNDA SPECIE CONCHÆ VENEREÆ, RONDELETIVS.



A B Conchamhanc raram non possumus non vocare Conchę Venereæ speciem, ob magnam & figuræ, & naturæ affinitatem. est enim oui figura, Concha simplice vtrinque sese colligente. Vtrinque foramen vnum habet, inter hæc rimam.

G Ad vlcera, & alia exsiccanda non minus probanda, quàm superior. Varia quoque est, sed ita maculas inspersas non habet, sed pro his lineolas. testa est tenuiore & minore, magisque perspicua.

DE TERTIA SPECIE CONCHÆ VENEREÆ, RONDELETIVS.

Conchæ hoc genus non minùs Venereis Conchis subijci potest, quàm secundum, ob testam vtrinque sese colligentem, & rimam inter foramina duo. Parte qua plana est, compressa est magis quam supradictæ, altera magis rotunda. Maculis rotundis notata est, durior & spissior secunda, colore candido.

DE QVARTA SPECIE CONCHÆ VENEREÆ, RONDELETIVS.

Parva semper manet hæc Concha, quæ superiorum modo rimam habet, & nulli rectiùs quàm Concharum venerearum generi subijci potest. Parte altera plana est, altera in tumorem elata, in qua circulus est aurei coloris, alioqui tota foris candida est, intus cærulea. Testa est valde dura, eadem vi exsiccandi prędita, qua superiores.

DE EISDEM CONCHIS, BELLONIVS: QVI

Lævigatoriasvellævigatas eas cognominat.

B Conchę genus lęuigatissimę in Rubro mari capitur: cuius cochleę ad nos vsque deferuntur.

E Earum apud Græcos & Turcas quoque chartis expoliendis vsus est. Chartarum scabritia (inquit Plinius lib. 13,) lęuigatur dente conchaue, sed caducę literę fiunt: minùs sorbet polita charta, magis splen-

det. Vulgus nostrum talem vsum inexpertum, ijs tantum ad suspendendas claues, vel conficienda cochlearia vtitur.

Porrò lęuigatoria concha oualem habet formã: eiusq; est politissima testa atq; æquabilis, nullis (*quædã multis, præsertim maiores, de quibus hic scribit Bellonius: aliæ nullis, vt minores*) punctis distincta ac stellata: ore oblongo, parte prona patulo, in ambitu denticulato: in cuius lateribus breues canales videas, per quos linguam exerit. B

Harum autem concharum tres aut quatuor differentias comperi: alię enim ingenti dorso tument, alię verò oblongiore, ac veluti tereti forma protenduntur. Alię rursus pusillæ, aliæ magis capaces, minusque stellatæ aut maculatæ reperiuntur. E

His rubri maris incolæ magno labore in acernos collectis, ingentẽ quæstũ ab ijs q. Memphim adeãt, facere solent. His enim Ægypti sualintea glutino imbuta lęuigare atque expolire consueuerunt.

COROLLARIVM.

Porcellanę conchę vnde sint dictæ, non constat mihi, quanquam & Græci χοιρίναι vocarunt, vt mox ostendam. Conijcio tamen hoc nomen eis factum, à quadam oris suilli specie, quam parte sui interlabra denticulata dehiscente, vel potius altero extremo testæ, nempe acutiore & eminentiore, rostri suilli instar quodãmodo referunt, ἢ διὰ τὸ μοιῶν γυναικείῳ πως ἐοικέναι, τῇ τεμεταξὺ τῶν χειλῶν ὀρίσει, καὶ τῇ ἐυδοτίρῳ χειλότητι, τῇ μήτρᾳ. vnde & vterinos calculos, qui in hoc genere candidi & minores sunt, vulgus nostrũ appellat. & quòd figura quodammodo vterum referant, superstitiosi homines corporiappensas vteri morbis salutares mentiuntur. hęc superstitio vt & in alijs plerisq; amuletis, luxurię superbięq; pretextus est, quæ vt hęc & alia ornamenta, ceu valetudinis gratia, auro argentóue inclusa, collo pendentia ostententur, efficit: amatorum veriùs inuitamenta in mulieribus, quæ venalem suam pudicitiam hac hedera produnt, quàm sanitatis tuendæ instrumenta aut amuleta morborum. Sed redeo ad propositum, super etymologia huius vocabuli. Mulieres, inquit Varro, nostrę nutrices maximè, naturam qua fœminę sunt appellant porcum: & Græci eadem significatione chœron. siue (vt Athenæus inquit) delphaca, vt copiosius in Philologia de sue ostendimus. Sunto igitur dictæ porcellanae διὰ πνα πρὸς τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον ὁμοιότητα, donec alius certiora afferat. Bellonius porcellanę nomen à purpura detortum videtur innuere: Purpurarum testas (inquit) Itali porcellanas vocant, quo etiam nomine conchylij genus omne intelligunt. Fiunt & globuli, quibus suas preces mulierculæ nũcupare solent, ex testis maiorũ purpurarum aut muricum, Galli patenostres de porceleine vocãt. Ab Ennio nominantur matriculi, citãte Apuleio, inter res marinas: de quibus, nisi conchę Venereę species sunt, non habeo quod diuinem.

A *Porcellanarum dicta.*

A mulcta omnia, aut superstitiosa, aut superbie prætexta.

Matriculi.

Aludha est genus conchyliorũ, quæ appellantur porcelletae. sic exponitur tertio Canone Auicennæ, capite de cura apostematum in radice auris: & tertio Can. capite de cura ascitæ, Andreas Bellunẽsis. Vide Vadaha inferius mox in Vmbilicis marinis. item Canone 3. Fen. 21. tract. 3. cap. 4. de curatione fluxus sanguinis & mensium, legitur alhuda: vbi Cremonensis non rectè interpretatur conchulas quæ adferũtur à S. Iacobo. De Cochlea margaritifera vulgò dicta, ab vnionum colore splendoreq;, (nam vniones in ea non reperiuntur, sed in ijs quæ conchis binis constant,) suprà inter Cochleas scriptum est. Hanc & porcellanam (*maiorem: talem cuius quidam apud nos argento inclusam pro poculo habet*) vulgò vocant artifices, quod muricis conchæ (quam similiter porcellanam nominant) formam habeat, Bellonius. Idem in volumine Gallico de piscibus marinis peregrinis, lib. 2 cap. 26. Porcellliones conchas inquit à Pandectario & Nicolao nominari: & coniectura vtitur murrhina vasa olim ex porcellanis maiorib. conchatũ generis facta fuisse, quę muricibus quodammodo similia sint. constare ea è terra nostro tempore, incrustari verò morochtho siue leucographide lapide, in Italia quidem viliora, in Cairo preciosissima, splẽdida & translucida, ita vt vel exiguum vas numis duobus aureis, quos ducatos appellant, veneat, &c. Scoppa quidem Italus in Dictionario suo, murrham gemmã agatham vulgò dictam vel porcellanam interpretatur. Ge. Agricola murrhina vocat, neutro genere numero plurali, vt ipsa etiam ex eo vasa murrhina dicuntur: & onychis in Oriente speciem esse docet: vt eiusdem alia species apud nos est Chalcedonius appellata vulgò. Martialis libro 14. myrrham vocat siue gemmam, siue ex ea poculum, hoc districho: Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno Conuenit, & melior fit sapor inde mero. Cardanus lib. 5. de subtilitate, cum Plinij verba è libri 27. cap. 2. de myrrhinis vasis (*sic ipse scribit, non murrhina*) recitasset, subiungit: Ergo quis non videt figulina hæc esse, & eius generis, quod hodie Procellanas (*sic scribit, non Porcellanas*) solemus appellare? constant enim & hę ex succo quodam sub terra densato, & ex Oriente vehuntur. At nostra pallidiora, & odore carent. (*sicut myrrhina à myrrha odore, vel myri, id est, vngenti odorati, nomen traxerunt. nam vt Plinius inquit, aliqua his vasis & in odore commendatio est.*) & quæ ex his etiam translucent (*translucere in eis quicquam, aut pallere vitium est, Plinius*) magis probantur: folijsq; ac imaginibus placent: nullumq; purpuræ vestigium. Quę omnia videntur ab antiqua myrrhina dissidere. verum temporum varietas & opificũ, tum vsus hoc pepererunt, &c. Vtcunq; res se habeat, & precium, & locꝰ & materia, & modus quo fiunt, eadẽ esse docent hæc myrrhinis. Nunc longo Indiæ tractu fiunt, maximè apud Chinam: hi olim Seres. Fieri dicuntur ex conchyliorum atque ouorũ corticibus: sepeliunturque constanti fama in octoginta vel centum annos, quasi hęreditatum loco. Inde eruta obducũtur vitro, ne combibant. Succi autem quibus cortices excipiuntur, non satis noti sunt. Pinguntur etiã ante quã vitrũ superaddatur. Incertum est an excoquantur ob nitorem ac duriciẽ. Maiora in precio sunt, sed multum ab antiquis degenerant. Et quamuis ita sit, non tamen minus est superbum his cœnare, quã auratis atq; ex argento vasis. Hęc totidem verbis Cardanus. Addiderim ego testas tandiu sepultas, præsertim loco mediocriter humido, verisimile esse, ita marcidas & molles fieri, vt massã luti aut argillæ instar sit: subigiq;, formari, & tornari figlina rotã similiter possit. Sed Murrhinæ Plinij amplitudo nunquã paruos excedit abacos, nec crassitudo ferè maior est, quã necessaria vasi potorio. quod conchylijs defossis, aut factę ex eis argillę non conuenit. eorum. n. quæ arte aut voluntate hominis fiunt, definita magnitudo non est. Inueniri etiam in pluribus locis murrhina cum scribit, humoréque putari calore sub terra densatum: lapidẽ esse (non argillam, non arte factũ aliquid,) qui effodiatur insinuat. Sic & crystallũ inueniri

Murrhina.

Cardanus.

(non fieri) scribunt authores, humore densato vi frigoris. Sed hac de re hoc in loco plurib. inquirere, intempestiuum videtur. Catinus de Sceni, est vas quod adfertur è regione Sceni, & à Venetis dicitur porcellana, Andreas Bellunensis. Catini & lances, quas porcellanas vocant, fiunt in prouincijs Cim (Cini) & Macim, Iosaphat Barbarus in descriptione itineris sui in Persiam. De Murrhinis plura leges infrà in Purpura H. a. In libro medicinali R. Mosis porcellum maris pro genere quodam conchæ interpres transtulit.

PORCELLANA Ruffa dici potest concha ex genere illarum quæ propriè porcellanę nominantur, maxima, (cuius iconem suprà posuimus, sub lemmate Rondeletij,) testa simplici vtrinque se colligente, ita vt latus vnum in parte plana, vbi labrum denticulatum constituit, terminetur: alterum verò, cui dentes aut striæ longiores ac minùs prominentes, introrsum conuertitur, & in sese conuoluitur vt in cochleis. superior pars (dorsum Bellonio) gibba hæmisphęrij figura, sed maior est, specie ouali: longiuscula enim est, & terminatur in partem alteram acutiorem, alteram obtusiorem. Magnitudo est ferè quę anserini oui. nusquam inniti potest, nisi parte plana, quæ candida est, vt intus quoq;. gibba quæ hęmisphærium constituit, ruffa, maculis nigris distincta, sed paucioribus, minusq́; scitè quã stellata. Læuitate ita resplendet, vt imagines reddat, sed obscurè.

STELLATA per excellentiam dicta, superiori similis est, paulò minor: oui gallinacei magnitudine penè. ex albo liuescit, hoc est ad cœruleum colorem vergit parte conuexa, præsertim in summo: ad latera candidior: parte sima, candidissima. Intus quoq; subcœrulea videtur testa, translucida ferè. transparent enim stellæ siue maculæ partis gibbæ, quę multo plures in ea sunt, & situ splendoreq́; superioris elegantiam vincunt, singulæ in medio sui atræ, ambitu ruffæ, pleraq; rotundæ, lenticularum ferè magnitudine, quædam dimidia, nullo ordine.

RVFFA minor appelletur, parua in hoc genere, quadruplo minor aut amplius quam stellata: longiuscula. Ventre (sic partem simam appello) ruffo: qui in reliquis omnibus, quas vidi, candidus est. In labris etiam denticulatis striges ruffæ sunt, striæ candidæ. Striam nomino, vt in columnis striatis Vitruuius, partem eminulam: strigem verò, cauam. Dorsum in summo varium est, albis, pallidis & glaucis maculis. Vtrinque per latera glaucum: in imo ruffum. Pars interna candicat. Magnitudinem eius & formam icone adiuncta aliqua ex parte repræsentauimus.

MINIMA, quæ priuatim *Muterstein*, hoc est calculus vteri vel matricis à nostris vocatur, Lusitanis & Æthiopibus Buzios: vndiquaque alba est: nisi quod in dorso lineæ binæ flauent, in oualem ferè speciem coniunctæ: & dorsum ipsum inæqualius quàm cęteris, & gibbosum, ita vt illi quoque testa incumbere possit sed obliqué. idem per medium, pallidum est siue subluteum. Pars interior è roseo ad cœruleum tendit. De eius vsu leges infra in E. Icon eius huiusmodi est, parte sima, gibbum Rondeletius pinxit, quartam Conchæ Venereæ speciem nominans.



Belliculi. BELLICVLI marini quoque à medicis & pharmacopolis dicti, eędem videntur conchulæ. Sic enim de eis scribit Aggregator ex libro Circa instans (id est Platearij de simplicib. med.) Belliculi mar. species sunt conchyliorum alborum, oblongorum, magnitudine castaneę paruę, quæ dicuntur porcellanæ, & adferuntur è regionibus transmarinis. Ego apud Platearium in litera B. cap. II. nihil huiusmodi, sed hæc tantum verba reperio: Belliculi marini frigidæ & siccę naturæ sunt. excessus eorum ab authoribus non exprimuntur. Sunt autem quasi vmbilici, & circa littora maris inueniuntur. Vnguentis ad faciem clarificandam miscentur, vt vnguento citrino. Est autem vsus eorum ad faciem, talis: Puluis ex eis tenuissimus subigitur cum adipe gallinaceo liquato, ad modum vnguenti. Seruari diutissimè possunt, tanquam lapides. Belliculi vel Bellirici marini, Arabicè astor, vmbilici humani speciem referunt. sunt autem lapides parui & albi, qui inueniuntur in *Vadaha.* littoribus maris cohærentes sicut dentales, (&c. sicut Platearius,) Syluaticus. Vadaha, id est vmbilicus vel belliculus marinus, Syluaticus. Vide Aludha superius, paulo post initium huius Corollarij. Nicolao Myrepso in vnguento citrino vel è citrijs dicto, ad varia faciei vitia abstergenda, inter alia nominantur μπελίκοι θαλάσσιοι. Fuchsius vmbilicos marinos vertit. Barbari medici (inquit) Belliculos nominant. sunt autem lapilli ex illorum traditione exigui & candidi, in litore maris reperti, vmbilicũ hominis referentes, abstergendi facultate præditi. Cæterum in opere de compositione medicamentorum belliculos siue vmbilicos mar. interpretatur fabas marinas vulgò dictas, in qua sententia ante ipsum Euricius Cordus fuit: qui porcellanam hanc nostram Dentalium vocat: Dentalium (inquit) est conchula marina parua, dentatam rimam habens. Lege quæ annotauimus suprà mox post Cochleas vmbilicatas Rondeletii. Vmbilici marini vel porcellanæ ponuntur cum medicamentis quæ abstergũt & dealbant faciem, Arnoldus Villanou. Vmbilici in testatorum genere variam significationem ostendi supra, vbi de Cochleis marinis diuersis egimus.

Venereas conchas indocti quidam superiore seculo, vt Syluaticus & alij, vt ineptè scribebant Veneras, Soneras: sic etiam imperite interpretabantur pro conchis quas peregrini à d. Iacobi sepulcro auferunt, hoc est pectinibus. In compositionem pilularum de bdellio, Venereæ adustę recipiuntur apud Mesuen & Serapionem. Monachi Mesuæi interpretes purpurarum testas aut matris perlarum (vt vocant) supponi iubent. Ego Rondeletij sententiam porcellanas interpretantis amplector. Nauigant Neritæ (alias Veneriæ præbentesq; concauam sui partem, & auræ opponentes per summa æquorum velificant, Plinius 9. 33. vbi in Annotationibus suis Gelenius: Rectius legitur Veneriæ. sunt enim cõchæ non gratæ modo Veneri, sed etiam cognatæ, ob communem è mari originem: celebrisque est eius deæ effigies, concham, atq; haud scio an ex hoc ipso genere, pede premens. deinde mirum quod non concauam partem aurę præbeat concha, sed diuersam, cum concaua sit velificationi aptior, sequenda igitur & hic vetera exemplaria: Nauigant ex his Veneriæ, pręebentesq́; concauam sui partem, & auræ opponentes per summa æquorum velificant. Venereas etiam à Seneca nominatas Rondeletius meminit: & sanè à pulchritudine, splendoreq; & lęuiore, quæ dotes Venerei formosiq; corporis pręcipuæ sunt

sunt, nomen hoc meretur præ cæteris conchis porcellanæ: & quas eodem nomine appellant margaritoideis conchę. Martialis libro 14. lemmate 209. Læuis ab æquoreo cortex Mareotica concha Fiat, inoffensa curret arundo via: Veneream seu Porcellanam concham generis nomine propter pręstantiam simpliciter Concham nominat.

Hedyle Poetria scribit de Glauco marino dæmone, venisse eum in antrum Scyllæ, cuius amore captus erat, Ἢ κόγχης ἀλώνημα (*abundat aliquid ad hexametrum*) φέροντα Ἐρυθραίης ἀπὸ πέτρης, Ἢ τὰς ἀλκυόνων παῖδας ἔτ' ἀπτερύγας. Ad mare rubrum vicus est, nomine Tor: vbi oneratos vidimus viginti camelos cõchis *Concha Erythræa.* istis rotundis, à quibus appensæ claues in Europa gestari solent: incolę verò Cairi eis vtũtur ad poliẽdam papyrum & lintea quę gummi (aqua gummata) delibuta fuerint, Bellonius libro 2. de ijs quæ in peregrinationibus suis obseruauit. Cum igitur hoc genus conchæ à mari rubro feratur, quærendum an inde nomen ei factum, vt Erythræa à nonnullis dicatur: nam hoc mare Gręci Erythræum vocant, vel ἐρυθρὰν θάλασσαν. vel à testæ suæ colore, qui ruffus est in maioribus omnibus, & in minorum quoque nonnullis. Venit & è rubro concha Erycina solo, Propertius libro 3. dicta est autem Erycina ab epitheto Veneris, vel quòd ipsa est Veneri Erycinæ sacra, vel quod dicitur Venus è concha marina prodijsse, Αἱ κόγχοι αἱ Ἀμαθήτιδες, nominantur ab Epicharmo in Nuptijs Hebę inter alias quasdam conchas. Est autem Amathûs insula maris Ægæi Veneri sacra. Est Amathûs, est celsa mihi Paphos, atque Cythera, *Amathitis.* Ouidius. Piscosamq; Gnidon, grauidamq́; Amathũnta metallis, Idem. Et eodem nomine Cypri ciuitas Veneri sacra, vnde totam insulam Amathusam (alias Amathusiam) olim dictam aiunt. Cytheriacã quoq; concham Martialis nominat hoc versu: Læuior & conchis Galle Cytheriacis. *Cytheriaca.*

OTARIA (Ὠτάρια, id est Auriculę) ostrea sic dicta, in Pharo insula iuxta Alexandriam gignũtur, *Auris Veneris* cęteris iam dictis conchis & ostreis omnibus magis nutrientia, sed excretioni non facilia. Antigonus Carystius hoc ostreum Æolicè aurem Veneris (οὖς Ἀφροδίτης) nominari scribit, Athenæus. Ex quo Hesychius etiam, & Varinus repetierunt. Κῶπις, διὰ τὸ κυφόν τε καὶ κοχλοειδὲς, καὶ τοῖς ὠτίοις ἐοικέναι. καὶ κυψελίτης ῥύπος ὁ ἐν τῷ ὠτὶ φυόμενος, καὶ πτηνὰ ἄγγη. καὶ τὰ κενὰ σμήνη, Etymologus statim ante Κῶον. apparet autem duas esse voces, κῶπις, pro καὶ ὦπις, ex aliquo versu. nec scio an de aure tantùm audiendi instrumento ei hic sermo sit, an de concha etiam, propter vocem κοχλοειδές. Ab οὖς diminutiuum est ὠτίον: ab hoc aliud ὠτάριον. Puto autem cum otion Athenæus ostrei speciem esse dicit, non priuatim dictum ostreum, sed concham omnem in genere intelligi. Nec assero tamen Veneream concham & Veneris aurem, rem eandem esse: sed propter nominum similitudinem, de vtrisque dicendum hic existimaui. Auris marina, quæ aliter Patella fera nominatur. Aristot.

Χοιρίναι Grecorũ non alię q̃ porcellanæ videntur: quoniã & nomen conuenit, & res, hoc est cõmunis *Χοιρίναι.* concharũ natura: & forma, calculos.n. siue lapillos tum duritie tum figura porcellanæ minores referũt: quamobrẽ calculorum loco ad suffragia eis vtebantur, φ calculos elegantiores reperirent nullos. Mirũ est.a. cum Aristophanes & alij Græci earum meminerint, Aristotelem diligentissimum huiusmodi rerum scrutatorem silentio præterijsse. Ad quod respõderi potest, ex rubro mari vel Oceano illas in Græciam olim, vt hodie in nostras regiones aduehi solitas, ideoque naturam earum Aristoteli perspectam non fuisse, etiamsi nomen vulgò agnosceretur. ὁ δ' ἐκεῖνος ὁρῶν τετιγοφόρος, ἀρχαίῳ σχήματι λαμπρὸς, Οὐ χοιρίνων (*fortè & hoc excipiendum fuerit è nominibus secundæ declinationis genitiui pluralis vltimam non circumflectẽtibus*) ὄζων, ἀλλὰ σπονδῶν, σμύρνῃ κατάλειπτος, Aristophanes in Equitibus. vbi Scholiastes, Chœrinę (Χοιρίναι) conchæ quædam marinæ sunt, quibus vtebantur Athenis ante calculorum vsum inductum. Idẽ Suidas repetit, & insuper: Χοιρίναι καὶ ἡ θέλξις τοῦ χοίρου. οὕτω κιχλῶ διὰ τῶν σανίδων μετὰ χοιρίνης προσελθεῖν, qui versus in Vespis Aristophanis legitur. Et hi paulò antè, Ἢ δῆτα λίθον μεποίησον, ἐφ' οὗ τὰς χοιρίνας ἀριθμοῦσι. In eadẽ fabula χοιροθλίψ vocatur ὁ φιλοδικαστής, qui chœrinas conchulas ad ferenda suffragia sæpe manib. premat. alij interpretantur eũ qui χοῖρον (τὸ γυναικεῖον μόριον) contrectet. Hesychius χοιρίνας calculos marinos (ψήφους θαλασσίας) interpretatur, cum non calculi, sed conchulæ sint, quæ calculorum vicem in suffragijs olim obtinebãt. φ Pollux etiã testatur: Πάλαι γὰρ χοιρίναις ἀντὶ ψήφων ἐχρῶντο, αἳ περιῆσαν κόγχαι θαλάσσιαι. Χοιρίναι placentæ ἄλλα τίθεν τῃ ταῖς παννυχίσι τῷ διαγρυπνήσαντι, Atheneus. Ab eodem, libro 14. nominãtur χοίριναι (proparoxytonũ) placentę, quarũ Iatrocles in libro de placẽtis meminerit. Porcellanã minimã aliqui hodie (si bene memini) coruinã aut coruiolam vocant. tanquã è coruo pisce desumptam: quũ in eo pisce lapillus longè alius reperiatur. Sed coruinæ vocabulũ ab illis qui pro lapillo è coruo pisce accipiunt, propriè accipi videtur: ab illis verò qui pro porcellana, à Græcorum chœrina detortum.

Porcellanæ omnis generis. Germanicè vocari poterunt *Mutermuschele, Venusmuschele.*

E

Æthiopes ex rebus communibus vix quicquam tantopere curant, quam vt habeant conchulas por- *Cuχi.* cellanas albas, quas Buzios nominant: pro quibus vel aurum quandoque copiose permutant: aut pro eis filios suos parentes vendunt. apud Thongrum Æthiopum regnum pro comperto hoc habetur. Eisdem loco monetæ vtuntur, vt Lusitanus quidam nihil affirmauit. Locus est vbi loco monetæ vsurpatur porcellana alba, quæ in mari reperitur ad Coromara fluuium, Obscurus. Conchylia minuta & candida vmbilicosq́;, quidam funda claudunt, Ge. Agricola. nos de hoc tum luxu tum superstitione plura diximus suprà in A. Affiguntur & loris ephippiorum ornatus gratia. In concha læuigatoria, id est porcellana maiore, faciem sculptam & pulchrè expressam vidi.

Caro porcelli maris & conchulæ delmes combustæ dysenterię in potu medentur, & anũ prolapsum G aspersus ex eis pollen restituit. Vide suprà in Conchis diuersis D.

SAPERDA. vide Tragus mox.

TELLINIS locus erit in T. elemento.

TRAGVS genus est conchæ mali saporis, Festus. Grammaticis quibusdam recentioribus saperda genus est conchæ mali saporis, & nonnunquam pro sterquilinio ponitur. Nos de saperdæ vocabulo plura diximus in Coracino.

CONCHÆ nonnullæ etiam inter Murices describentur, in M. elemento.

D E

A

DE CONCHYLIO, RONDELETIVS.

Vocabulū commune.

DVBITANT nonnulli sitne Conchylium turbinatorum genus vnicum, vel nomen omnibus, vel multis turbinatis commune, qua in significatione vsurpauit Plinius lib. 9. cap. 36. Sed vnde Cōchylijs precia? Et: Lingua Purpurę longitudine digitali, qua pascitur perforando reliqua Conchylia.

Purpura.

Vitruuius lib. 7. cap. 13. pro purpura: Incipiam nunc de ostro dicere, quod & charissimam & excellentissimam habet pręter hos colores aspectus suauitatem. Id autem excipitur ex Conchylio marino, è quo purpura inficitur. Quare Conchylij nomen est polysemum apud Poetas, Historicos, Philosophos, & Iurisperitos.

Species certa, a purpura diuersa.

Sed & speciei nomen esse puto, quæ qualis sit, nunc inuestigandum. Sunt qui nihil aliud esse Con-



chylium quàm Purpuram arbitrentur. Quod haud verum esse ex Plinio lib. 9. cap. 35. sic comprobamus: Ait enim, Conchylia & Purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria penè etiam margaritis precia fecit. Et de Purpuris loquens: Calculosę appellantur à calculo maris, mirè apto Cōchyliis, & longè optimo Purpuris. His manifestè Plinius Conchylia à Purpuris seiunxit.

Conchyliū aliud quā buccinū & murex. Lib. 9. cap. 36. — Lib. 9. cap. 39. — Lib 21. cap. 8

Alijs Conchylium idem est quod Buccinum: quod Plinius, cùm duo tantum genera turbinatorum continentium florem illum tingendis vestibus tantopere expetitum posuerit, alterum Purpuram, alterum Buccinum: necesse esse videatur Buccinum esse qui Murex, κῆρυξ, & Conchylium appelletur: cum etiam constet, & Murice Tyrio infectas vestes dici, & conchyliatas. Quæ ratio etiam si valida nōnullis videatur, eā tamen facilè conuellere possum eiusdem Plinij autoritate, qui euidentissimè Conchylium à Buccino seiunxit. In Conchyliata veste cætera eadē sine Buccino, præterque ius tēperaturæ, (*alias, ius temperatur aqua pro inuisō humani potus excremento.*) Et alio loco, Conchyliis suum flore coloremq́; proprium tribuit. Luxuria vestibus quoq; prouocauit eos flores qui colore commendantur. Hos animaduerto tres esse principales. Vnū in cocco, qui in rosis micat, gratius nihil traditur aspectu. Et in Purpura Tyria, dibaphaq́; Laconica. Alium in amethysto, qui in viola, & ipsum purpureum, quemq́ue ianthinū appellamus. Genera enim tractamus in species multas sese spargentia. Tertius est, qui propriè Conchylij intelligitur, idque multis modis. His adiungemus Dioscoridis testimoniū, qui cum dixisset de Purpura & Buccino, aliquātò post de Cōchylij operculo seorsum scripsit, & in fine addit. αὐτὸ δὲ τὸ κογχύλιον καυθὲν ποιεῖ ὅσα καὶ ἡ πορφύρα, καὶ ὁ κῆρυξ. Crematum Conchyliū idem efficit, quæ Purpura & Buccinum.

Conchyliū species qualis. Ostraciū, onyx, operculū conchylij, idē

Quare cū ex his constet Conchyliū diuersam esse à Purpura & Buccino turbinati speciē, iā quale ipsum sit explicemus. Conchyliū seruato Gręco nomine vocatur à Latinis, Sunt qui Ostraciū putēt dici. Sed illi nomen partis toti accōmodant, vel Plinius nomē totius parti dedit: sic. n. libro 32. cap. 10. Inuenio apud quosdā ostraciū vocari, q aliqui onychē vocāt. At onyx (inquit Dioscorides) ἐστὶ πῶμα τοῦ κογχυλίου, id est operculum Conchylij, pro quo etiam ostraciū sumi à Plinio declarāt ipsiusmet verba: Hoc suffitū vuluæ pœnis mirè resistere. Odore castorei, meliusq́; cū eo vstum proficere. Quę eadem sunt cū his quę operculo Conchylij tribuit Dioscorides. commendat enim vngues, qui odorem castorei referunt, eorundemq́; suffitu excitari tradit fœminas, quę vuluarum strangulatione conciderint.

B

Conchylijs succum inesse purpureum.

Conchylium est ex magnorum turbinatorum genere, ea parte latius qua in turbinem deficit, sine aculeis tuberculisue vllis. Foramen quo caro interior ostenditur, non rotundum, vt in Purpura & Buccino, sed longum. Tale etiam est operculum, de quo mox dicemus. Conchylijs succum inesse purpureū satis testatur Plinius libro 21. cap. 8. Tertius est qui propriè Conchylij intelligitur multis modis. Vnus in heliotropio, & in aliquo ex his plerunq; saturatior: alius in malua ad Purpuram inclinans, alius in viola serotina Conchyliorum vegetissima. Ex eodem succo lanas tingi solitas facilè est ex veterum scriptis confirmare. Marcellus Medicus de affectibus aurium scribens, claudendam aurem lana infecta Conchylio marino monet: exsiccandi enim vires habet. Et Crito apud Galenum libro 3. medicament. κατὰ τόπους, Conchylio infectos flocculos in aurem immittendos. Plinius per se Conchylio infectam lanā magnopere prodesse auribus tradit. Qui Conchylia legebant Conchyliarij dicebantur, & Conchylileguli, & Conchytę à Plauto.

Lib. 32. cap. 7.

G

Lib. 2. cap. 10. Perpensus Galeni locus.

Conchylij partes omnes in medicamentis vsurpantur. Crematum Conchyliū idē efficit q Purpura & Buccinū, ait Dioscorides. Operculū suffitu excitat fœminas vuluę strāgulatu oppressas, comitialesq́;. Carnē internā medicamentis dolorē aurium sedātib. admiscet Galen° in fine libri tertij de medicamētis κατὰ τόπους: quū myrrhā, adipē anserinū, vel butyrū vel resinam, & Conchylij internā partem æquis partib. trita super aurē ponenda monet. Quo in loco Cornarius legendum suspicatur non κογχυλίου τὸ ἐντὸς, sed τὸ ἐκτὸς, opinionemq́; suam hac ratione firmare conatur, q testa & operculum vim habeant resiccandi sine morsu, & quod cauum Purpuræ, Plinio teste, valeat ad præcisos neruos. sed malim ego priorem lectionē sequi. Nā eo in loco magis dolorē sedare studet Galen°, quā exsiccare, vt alia quæ enumerata sunt, ostendunt, scilicet adeps anserinus butyrum, resina quæ doloris alleuamentū afferūt, calore & humore. Quare p κογχυλίου τὸ ἐντὸς carnē intelligo, quæ ob salsum succū

digerendi

digerendi vim aliquā obtinet: & ob substantiā pinguem, glutinosamq; παρηγορικὸν quid habet. Ob eam causam vermes & aselli qui sub aquario vase stabulantur, in eodem aurium affectu à veteribus commēdantur. Testa verò magis exsiccat, quàm vt dolorem leuantibus medicamentis admisceri debeat: exsiccando enim constringendoq;, dolorem augerent potius quàm lenirent.

Conchylia minima in spongiis.

Reperiuntur Conchylia parua eiusdem figuræ quæ superius depicta est in spongijs, fabæ magnitudinem non superantia.

DE OPERCVLO CONCHYLII, ET BVCCINI, (HVIVS ROTVNDVM, ILLIVS LONGVM *est,*) *Rondeletius.*



IN Purpura satis demonstrasse nos arbitror, operculum eius βλάττιον siue βλάττιον Βυζάντιον, siue Βυζάντιον appellari debuisse. Nunc ostendendum nobis est blattam Byzantiam Arabum nihil aliud esse, quàm Conchylii operculum: quos imitati Pharmacopolæ nostri Conchyliorum, Buccinorumque opercula permista vendentes, blattas Byzantias vocant, has rotundas, illas longas.

Serapionis verba de vnguib. aromat. vel blattis Byzantiis, e Dioscoride transcripta.

Serapio libro de Simplicib. cap. 91. Athfar atheb, id est, vngula aromatica, & blatta Byzantia Dioscoridis, est Conchylium ex speciebus Ostreorum, & est similiter de Conchylijs palpir, & reperiuntur in regionibus Indię, in aquis iuxta quas oritur spica nardi. odor autem eius est aromaticus. quoniam istud animal comedit nardum, & ipsa colliguntur tempore æstiuo, quando aquæ desiccantur. Reperiuntur etiam ex eis in litoribus maris Euzim, & color eius est declinans ad albedinem, & est pinguis. sed illa quę nascitur in Babylonia est coloris subnigri, & est maior illa, & omnes habēt bonum odorem: quando fumigantur, cum eis sentitur sicut odor castorei. Quando igitur fit fumigatio cum eis mulieri habenti suffocationem matricis, & similiter habenti epilepsiam, confert, & quando bibuntur molliunt ventrem: & faciunt omnes operationes quas faciunt ostraca de paraca, vel portura. Eadem repetit Serapio eodem in libro de Purpurarum operculis agens. Quæ omnia ex Dioscoride transcripta esse nemo est qui neget, si illa cum Dioscoridis verbis contulerit, quę sunt huiusmodi. Vnguis, siue onyx, Cōchylij tegumentum est, ei simile quo Purpura integitur, quod in Indię nardiferis lacubus inuenitur, suauem ideo spirans odorem, quod Conchylia inibi nardi pabulo vescantur. Colligitur postea quam stagnantes aquæ æstiuis squaloribus inaruerint. Laudatissimus qui à mari rubro defertur, candicans, pinguis. Babylonicus nigrescit, atq; minor conspicitur. Ambo odoris gratia suffiuntur, sed aliquatenus castoreum olent. Iidem suffitu excitant fœminas vuluę strangulatu oppressas, comitialesq;. Poti ventrem molliunt. Hæc Dioscorides, quibus planè similia sunt quæ Serapio de blatta Byzantia literis mandauit.

Purpurarum.

Dioscor. lib. 2. cap. 10.

Vnguis vnde dicatur, &c.

Dicitur autem vnguis à figura: est enim operculum oblongum, auium carniuorarum vnguibus simile. Altera tantum parte adhærens, id est, crassiore. Quum inceditur fumum multum emittit, valetque ad ea quę tradidit Dioscorides.

Conchylia an in lacubus reperiantur.

Sed id propius intuendum, quod scribit in Indię nardiferis lacubus inueniri, suauem ideo spirare odorem, quod Conchylia inibi nardi pabulo vescantur, colligique posteaquam ęstiuis squaloribus inaruerint. Nam si Conchylia marina sint animalia, quomodo in lacubus inueniuntur, colligūturq; aquis æstu exsiccatis? An mare deserunt turbinata, vt fluuios lacusq; subeant? Hæc à Dioscoride ex aliorum sententia dicta esse crediderim, eaq; ex alijs descripsisse, quibus expositis, præfert ea quæ ex mari adferuntur.

A

Εὐώδες de graui odore. Lib. 1. cap. 98.

Sunt qui blattas Byzantias longas, negent esse onychas, siue opercula Conchyliorum, quod blattæ Byzantiæ non sint odoratæ, sed fœtidæ. Quam opinionem facile ex eo possum refellere, quod Dioscorides non semper εὐώδες vocet id, quod grato solum & iucundo odore placet. sed aliquando id quod vehementi & graui est odore. Sic pix dicitur ab eo εὐώδης, quam tamen suauis odoris esse nemo dixerit. Sed de hac re plura alias dicturi sumus. Quod autem hoc loco εὐώδες rectè interpretemur, id maximo est argumento, quod qualitatem odoris exprimere volens Dioscorides dixit: ἀμφότεροι δὲ εὐώδεις, ὑπομέμφοι, καστορίζοντες πως τῇ ὀσμῇ. Ambo grauis odoris (de illo e mari rubro & Babylonico loquitur) incensi castoreum quodammodo redolent: quod castoreum odore graui & virus redolente esse debere tradidit idem Dioscorides. Huc accedit quod non nisi à fœtidis rebus facto suffitu, suffocatione vuluæ oppressę excitantur, neque comitiales. Quare si, quę blattę Byzantię hodie venduntur à seplasiarijs, grati & suauis odoris non sint, ideo Conchyliorum opercula, vel Vngues esse non rectè inficiaberis.

Lib. 2. cap. 26.

Eximen-

Quomodo vnguis conchylii similis sit ei quo purpura tegitur. Eximendus scrupulus alius, quem nobis inijcit Dioscorides quum dicit: Vnguis Conchylij tegumentum est, ei simile quo purpura integitur. Quæ consentire non possunt cum ijs quæ diximus de Cōchylij operculo, longo strictoq;, Buccini verò & purpuræ rotundo, nisi hanc similitudinem ad vsum substantiamq;, non ad figuram referamus: vt sit sensus: Quemadmodum Purpura operculum habet, quo foramen clauditur veluti testâ alterâ, ita & Conchylium. vel substantiâ, viribusq; simile est Conchylij operculum Purpuræ operculo, non autem figura. Hęc sunt quæ de Conchylij & Buccini operculis dicenda putaui.

COROLLARIVM.

A Conchylium quandoq; generale nomen est ad omnes conchas, à quibus nomen accepit, Massarius. *Conchyliū nomē commune.* Spiritum (inquit Plinius libro 2.) sidus lunæ existimari: & hoc esse quod terras saturet: accedensque corpora impleat, abscendensq; inaniat: ideo cum incremento eius augeri conchylia, & spiritum sentire quibus sanguis non sit. E conchylijs aluum simul & vrinam cient præcipuè mituli, ostrea, pectines, chamæ, Athenæus. Apud eundem Epicharmus, Ἄγε δὴ παντοδαπὰ κογχύλια, λεπάδας, ἀσπέδους, στραβήλους, τηθυωάκια, βαλάνους, πορφύρας, ὄστρεα, συμμεμυκότα, &c. Rondeletius ostendit Plinium accepisse Cōchyliū, ceu nomen multis turbinatis commune. Conchis seu conchylijs solebant sigilla (sphragides) includere, ne typi eorum facilè abolerentur, Scholiastes Aristophanis. Conchylium (id est testa) purpurarū crematum, additur collyrijs absterforijs apud Aëtium 1.345. *Species vna.* Alias pro specie vna accipitur, siue murice, purpuraue, vt quidam putarunt: siue certa quadam quæ aliud nomen non habeat, quod Rondeletius approbat. Murex conchylium per excellentiam dicitur: vnde vestis tincta murice, conchyliata dicitur, Massarius. Et rursus: Hæc verba Plinij, In conchyliata veste cætera eadem sine buccino, si volumus exponere, vti certè aliqui exponunt, conchyliata veste, id est tincta murice, erit contradictio in verbis Plinij. nam si verum est, quod supra ex verbis Aristotelis & Plinij inuicem collatis ostendimus. hoc est Plinium cerycem modo muricem, modo buccinum conuertisse, ac propterea buccinum esse, qui ceryx, murex & conchylium appelletur, cum duo præsertim concharum dixerit esse genera, quæ tingendis vestibus vsui essent, videlicet buccinum minor concha, & purpura, quo pacto verba hęc, scilicet conchyliata veste, exponi poterunt tincta murice, sine buccino, cum buccinum & murex vti retulimus eadem esse constet? Necesse igitur erit vel negare coniecturam nostram Aristotelis fundamentis superius roboratam: vel dicere, quod verba conchyliata veste hoc loco non significent tincta murice, sed ipso conchylio, vt conchilium sit concharum genus diuersum à murice siue buccino. Plinius tricesimosecundo volumine inquit, muricum vel conchyliorum testæ cinis maculas in facie mulierum purgat cum melle illitus. vt sit sensus: cinis testę earum concharum quæ murices vel earum quæ conchylia appellantur, maculas in facie mulierum purgat. sicuti etiam inferius eodem tricesimosecundo libro muricem à purpura distinxit his verbis: muricum, vel purpurarum cinis vtroq; modo &c.

Conchylia diuersa. Κογχύλη, purpura, Varinus: Κογχύλη, ὅθεν ἡ πορφύρα: id est concha, è qua purpura sumitur, Suidas. Κογχύλια, τὰ ὄστρια, Varinus. Ὄστρεα, τὰ κογχύλια, μυάκια θαλάσσια, Idem. Athenæus chamas etiam conchyliorum nomine comprehendit. Κικοβαυλιτίδες, conchylij genus nigrum, & vermiculi ex adipe, ἐκ στέατος, Hesychius & Varinus. Nerites quoq; Hesychio est conchylium, κοχλιῶδες, & pinna, ὀστρεῶδες κογχύλιον. Σκιφύδρια genus est conchylij, Hesychius. vide in Cochleis in genere. Alchel, id est, conchylium marinum, Syluaticus. Et rursus, Alhelh, id est cotula (lego conchula) maris. Guada, conchylium vel ostracum, Idem. Calsaz, species conchylij. Idem. Sedeph, id est. conchylium, interpres Serapionis. quidam codices, habent achafar. Sadaf id est, cochlea marina, Syluaticus. Sedafa, est quod fit de cochleis quæ adferuntur à sepulchro diui Iacobi, postquam exterior cortex fricando ademptus est: similitudine margaritæ, Idem. Conchylia quædam in montibus Ægypti nasci tradit Herodotus. Conchylium Indicum Paulus Ægineta nominat genus illud purpuræ, cuius testa (operculum) onyx à Dioscoride nominatur, Hermolaus.

B In Ponto conchylia non sunt, cum ostreæ abundent, Plinius. vbi de specie certa eum sentire apparet. nā cū communius accipitur conchylium, ostreā quoq; cōplectitur. Byblus insula parua est apud Indos, vbi maxima conchylia, muricesq; eximiæ magnitudinis nasci perhibēt, Philostratus de vita Apoll. lib. 3.

Vnguis. Vnguem conchylij operculum, nonnulli ostracium appellant, siue ostracon. Galenus pôma, hoc est canum, siue (quod idem est) operculum, etiam in purpuris. Onychem verò Paulus testam vocari dicit conchylij, duntaxat Indici, quod & condylion appellat. condylos certè ostrei genus est eidē Paulo & ampulla vngenti onyx quandoq; dicitur, Massarius. Blattas Byzantias pharmacopolæ quidam vulgò amarilium nominant, Obscurus. Sed de blattis Byzantijs plura leges in historia Purpuræ ex Rondeletio: & in Corollario ibidem. Est & onyx sui generis concha integra, alio nomine dactylus: de qua in Vngue dicemus in v. litera.

D Polypi vescuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt, Plinius: qui testudines marinas etiam, conchylia petere scribit.

E Cemus (Κημὸς) instrumentum est contextum è iuncis, coli figura, in quod purpurę & conchylia ingressa capiuntur, &c. Varinus. vide in Equo H. e. Stagna quæ limo cœnoque lutescunt, conchylijs magis & iacentibus apta sunt animalibus, Columella 8. 17. de piscinis loquens.

Ponitur conchylium & pro ipso colore, sicut purpura murexq;, Massarius. Lanæ purpureæ optimè in conchylio tinctæ, Marcellus Empiricus meminit. Spartana chlamys, conchylia Coa. Iuuenalis Sat. 8. Plinius cum de luxuria concharum in cibo dixisset, subdit: Sed quota hæc portio est reputantibus purpuras, conchylia, margaritas? &c. vt in Purpura H. e. recitabimus. Castorium genus est tincturę è cōchylio, Suidas & Varinus: nimirum ipse conchylij color, qui & ipse forsan aliquem castorij odorem, sicut & operculum eius referebat. In Apēnino frutex est, qui vocatur cotinus, ad lineamenta modò, cōchylij colore insignis, Plinius. Transalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit, nec quærit in profundis murices, Plinius. Et alibi, Tyri nobilitas nunc omnis conchylio atque purpura constat. Vidimus iam & viuentium vellera, purpura, cocco, conchylio sesquilibris infecta, velut illa sic nasci

cogente

cogente luxuria, Idem. De conchylio, murice, purpura, coloribus ac vestibus multa Plinius lib. 9. ca. 36. & deinceps, quæ nos pleraq; in purpura referemus. Sed vnde (inquit) conchyliis precia? quîs (quibus) virus graue (vnde & castorii nomen fortè, vt diximus, ei inditum) in fuco, (id est colore vel tinctura: alias fusco, quod non probârim:) color austerus in glauco, & irascenti similis mari. Et mox, Concharum ad purpuras & conchylia eadem quidem est materia, sed distat temperamento. duo sunt genera, buccinum minor (maior, Rondeletius) concha: alterum purpura, &c. Et cap. 37. Purpurę calculosæ appellatur à calculo maris, mirè apto conchyliis, & longè optimo (alii aliter legunt) purpuris, &c. In conchyliata veste cætera eadem sine buccino: pręterq; ius temperatur aqua pro inuiso humani potus excremento, dimidia & medicamenta adduntur. Sic gignitur laudatus ille pallor, saturitate fraudata: tantoq; dilucidior, quanto magis vellera esuriunt, (id est non saturantur.) Et alibi, Phycos thalassion (id est, fucus marinus) conchyliis substernitur.

Glires censorię leges, principesq; M. Scaurus in consulatu, non alio modo cœnis ademêre, quàm Conchylia, aut ex alio orbe conuectas aues, Plinius. Cochleæ & conchylia à Celso numerantur inter ea quæ imbecillissimę materiæ sunt, id est quę minimum alunt: quod iam supra in Cochleis comprehendi. Multum alunt ostrea, conchylia, astaci, &c. Psellas. Minima inflatio fit ex piscibus, conchyliis, Celsus. Nihil ex eis quod pingue est, sumant, vt pectines & conchylia, Plinius medicus 5.1. Conchylia viduarum cupedię sunt, vt est apud Sophronem mimographum & Phaleręum Demetrium, Hermolaus. Τεττίγες γλυκύκρεων Κογχύλιον, χηρᾶν γυναικῶν λίχνευμα, Sophron apud Athenęum. Conchylia adeò proceribus gulæ probata sunt, vt vel inde sit conformatum adagium, Esse conchylia viduarum cupedias, sicuti Phaleręus commeminit Demetrius, Cęlius Rhodig. ex Hermolao. In omne genus conchyliorum: Piper, ligusticum, petroselinum, mentham siccam, cuminum plusculum: mel, liquamen: si voles, folium & malobathrum addes, Apicius 9. 7. F

G Contra dorycnii venenum conchylia omnia cruda vel assa in cibo prosunt, Dioscorides. Apud Galenum libro 2. de antidotis conchyliorum ius contra idem venenum propinatur. Sanguis conchylii misce tur auriculari cuidam compositioni Andromachi, vt recitat Galenus de compos. medic. lib. 3. Capitis vlceribus vtiliter illinitur muricum vel purpurarum testę cinis cum melle, conchyliorum (vel si non vrantur) farina ex aqua doloribus, Plinius. Conchylia quomodo vri debeant, Bulcasis docet tract. tertio. Crematum conchylium eadem efficit quæ purpura & buccinum, Dioscorides. Muricum vel conchyliorum testę cinis maculas in facie mulierum purgat cum melle illitus, cutemque erugat, extenditq; septenis diebus illitus, ita vt octauo candido ouorum foueantur, Plinius. Parotides muricum testæ cinere cum melle, vel conchyliorum ex mulso curantur, Idem. Conchylium (id est testa) purpurarum crematum, miscetur collyriis absterforiis apud Aëtium.

Si vero infrenus manat de vulnere sanguis,
Huius & atra cinis currentem detinet vndam.
Purpura torretur conchyli † perdita fuco,
Verruca quoq; desecta frenare cruorem.

** forte prædita.*

Dicitur ambustus Tyrio de vellere puluis, Serenus. purpuram autem conchyli fuco præditam, interpretor lanam conchylio tinctam: vt Marcellus Empiricus quoque accepit: Si quis (inquit) maleficiis capillos perdiderit, hac eos ad pristinam formam ratione reparabit: si lacertum salsum martensem cum suo capite, & lanę purpureæ optimè in conchylio tinctæ duas ligulas, & chartam cubitalis mensurę separatim comburat, ceremq; permisceat, cōteratq; cum oleo cedrino paulatim adiecto, vt crassitudinem velut glutinis faciat: eoq; medicamine glabrum locum perfricet, ita vt prius diu linteo asperiore detergeat. Lanam conchylio infectam auribus indi iubet Crito apud Galenum li. 3. de compos. sec. locos, post infusum pharmacum ad dolores earum. Andromachus similiter, lanę purpura infectæ tomentum indi, vel conchylio eas obturari. Lana conchylio infecta, per se etiam auribus magnopere prodest: quidam aceto & nitro madefaciunt, Plinius.

Lapis conchylii admiscetur electuario cuidam Auicennę contra calculum. aliqui cochleam marinam vel conchylium interpretantur: alii cochleam (testam) limacum. sed verius lapis conchylii, est cochlea (testa) purpuræ marinæ, Syluaticus.

H.a. Κογχύλη in fœm. gen. aliquoties apud Suidam legitur, in Castorio & alibi Κογχυλίαις (melius Κογχύλια, τὰ) ostrea & purpuræ sunt, Hesychius. Βριττάχεα apud Epicharmum aliqui conchylia, alii σελάχια exponunt, Hesychius & Varinus. Λιχάδες, ostrea omnia. alii interpretantur calculos & conchylia, Hesychius & Varinus. Purpuræ appellatione omnis generis purpuram contineri puto, itaq; buccinum & conchylium continebitur, l. Si cui lana. supra De legat. tertio, Bayfius. Ypsilon in conchylio producitur, à Iuuenali, Petronio, & aliis. Purpura torretur conchyli (pro conchylii) perdita (prædita) fuco, Serenus.

Epitheta. Lubrica conchylia, Horatius 2. Serm. Conchylia Côa, Iuuenalis Sat. 8.

Conchylium etiam colorem aut ipsam vestem infectam significat. Nondum prima verba exprimit, & iam coccum intelligit, iam conchylium poscit, Quintilianus lib. 1. de pueris nimium molliter educatis loquens: Horum ego non fugiam conchylia? Iuuenalis Sat. 3. Perottus interpretatur luxuriosas vestes & murice infectas. Coloris quoq; nomen in (est) conchylium, & chliaroconchylium, & concha Ægyptia, paralios cognomine, quam & pinnam vocat Democritus. Idem chrysoconchylium fieri docet, sed fictitium & metallicum: sicut & chrysocorallium, quod item & gemmæ est nomen, Hermolaus. Murex conchylium per excellentiam dicitur, vnde vestis tincta murice conchyliata dicitur. Plinius infra: In conchyliata veste cętera eadem sine buccina. Et Cicero in Phil. Conchyliata peristromata appellat, quæ infecta erant succo conchyliorum, Massarius. Scoppa Italus conchylium colorem non rectè interpretatur scarlatta, quod coccus est: vel carmosino, qui color ex ouis vermiculorum seu seminibus quibusdam tingitur, quæ reperiuntur ac radices herbarum quarundam.

Conchyliarii, κογχυλιάται, vel conchytæ, conchylia conquirunt in mari in codice Iustiniani murileguli dicuntur, à muricibus legendis, Budæus. Vide supra in Conchis in genere a. Κογχύλαι, κηκῖδες, id est, gallę, Hesychius & Varinus. κογχυλίας λίθος in Aristophanis Dædalo nominatur, & apud Xenophontem κογχυλιάτης, Pollux de lapidibus scribens 7. 23. Κογχυλίας lapis est durus, habens in se conchyliorum for-

 mas,

mas, Hesychius & Varinus. [illegible] : forte κογχυλίων legendum, nisi κογχυλίας adiectiuum esse dicas. Vide supra in Conchite lapide, in Conchis in genere a. Quod genus cretæ sit illa, quã conchylium Xenophon, alii cenchilium vocant lapidem, vt inquit Pollux, ignoro, Hermolaus: cuius verba & librarii deprauarunt: & sensum Pollucis ipse non consequutus est. Pollux enim non de creta, sed lapide loquitur: quem conchylian vel conchyliaten nominat, vt modo recitaui. Κογχυλιάζοντες, κογχύλια ... , Hesychius & Varinus. Malim, κογχυλιάζοντες, κογχύλιον ... πάζοντες, vt interpretemur conchylia expiscantes, qui scilicet conchyliarii dicuntur, & à Budæo Grecè κογχυλιοθῆραι. Hesychius ... habet per ... in antepenultima, hoc est eximentes, è mari colligentes. nam πάζειν recentioribus Græcis accipere sonat. in Lexico Græcolat. vulgari πιάω verbum reperio, pro comprehendo: & πιάζω Doricè pro πιέζω. ... , Aristoph. in Vespis, pro ... (allusione forsan ad verbum ...) ... κογχύλην ... aiũt autem quartam syllabam huius verbi ἀνακογχυλ. breuem esse, Scholiastes. ... gargarizatio, Athenęo lib. 5. ex Platone. dicit autem aquę ana conchylia sinõn remedium esse singultus.

b Conchylia lunata quædam Plinius nominat, Grecè dixeris μηνοειδῆ, Cęlius. Solinus cap. 15. reduuias conchyliorum nominat, spolia vel testas inanes. idem reduuias escarum crocodili dixit, quas in faucib. eius trochilus appetat, reliquias interpretor. Mensis remotis puer euerrat κογχυλίων κόγχας, id est, conchyliorum testas, Pollux.

c [illegible] , Suidas, Didymus apud Athenęum ait, solitos esse quosdam, lyrę loco, conchyliis & ostracis (ostreis vel testis) inter se collisis, numerosum quendam sonum saltationibus aptum ede. e.

f Extructa mensa, non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida, Cicero in Pisonem. Atque Lucrinis Fruta littoribus vendunt conchylia cœnas, Vt renouent per damna famem, Petronius Arbiter. Multorum laudatissimi qui conchylium sapiunt, Plinius.

Conchylii instar dissecpere, prouerbium explicatum est supra in Conchis in genere h. Conchylia vi duarum capediç, prouerbiali sensu olim dicebatur: vide superius in f.

DE CONGRO, RONDELETIVS.



A LOngi pisces ferè omnes cartilaginei sunt. Dicuntur autem longi à corporis specie: & à galeis, qui longo etiam sunt corpore, differunt: quòd rotundiores sint quodq, illi mustellis. (*Galeos mustelas ... quatuor pedes intelli...*) hi serpentibus similiores sunt. Præterea galei neq. femum, neq; pinguedinem habent, vt Athenęo placet, ex longis autem sunt qui pinguedinem habent. *Lib. 7.*

Ex longis conger omnium notissimus est, qui γόγγρος à Grecis dicitur, à verbo γράω, quod vorare significat. Callimachus, ... Hæc Phauorinus. Nicander teste Athenæo γρύλλους etiam congros vocatos fuisse tradidit, id est porcos. ab eadem, vt opinor, voracitate. A nostris congre vocatur. A Massiliensibus filat, quia instar retis pisces involuit & implicat. Duo sunt congrorum genera, vnum albicat, & pela- *Lib. 7.* *Genera duo.*

B gium est: alterum nigricat, & litorale magis est, quam pelagium.

Conger piscis est longissimus, scilicet quatuor vel quinq; cubitorum longitudinem attingens. Athenæus: Eudoxus in libro sexto de terrę ambitu scribit congros multos in Sicyone capi (... , id est) quos homo vix ferat, horum aliquos esse etiam plaustrales, ἁμαξιαίους. Aspectu ac læui lubricaq; cute anguillę proximus est. Rostri extrema siue labra habet carnosa, in superiore apparent appendiculæ duæ carnosæ. Dentes habet paruos pectinatim coeuntes, oculos magnos, branchias binas, vtrinq; duplices, earum vnicum vtrinq; foramen, non osseo operculo, sed cute contectum. Pinnas duas, vnam à ceruicis extremo ad caudam, altera à podice ad caudam porrecta est: vtraq; non membranæ, sed cutis potius substantia constat, & tota ora nigricat. Cauda in acutum terminatur. A capite ad caudam linea ducta est. Circa caput puncta sunt aliquot, æqualibus interuallis dissita. Venter lacteo colore est, dorsum nigricat in vno genere, in altero etiam dorsum candidum est. Quod ad partes internas attinet, gula ventriculo præponitur, idq; ad corporis longitudinem & tenuitatem accommodatè. Ventriculus longus est podicem ferè attingens. Hepar rubrum, à quo pendentem fellis vesicam semper vidi: quod Aristotelis causa dico, qui in quibusdam ad iecur, in aliis infra iecur situm fel esse scripsit. Sæpe etiam idem genus, vtrunq; fellis situ habet, veluti conger. alii enim ad iecur, alii infra iecur annexum (χολὴν ἀπηρτημένην, *fel à iecore sem...tum, Gaza vertit posuit*) habent. Hæc Aristoteles. Cæterum fel aqueum est. Splen nigricat. Congri oua intra se pinguedine obducta longa serie continent, quod perspicuè declarat Aristoteles his verbis: Habent congri fœturam, sed non in omnibus locis similiter conspicuam, neq; enim ob pinguedinem apparet. Est autem in longum protensa, quemadmodum in serpentibus, verum in ignem coniecta manifesta fit: quod enim pingue est liquitur & in vaporem abit: oua verò exiliunt, & ab igne elisa crepitant. Præterea si digitis contrectes & teras, subesse pinguedinem læuem, oua crassiuscula (*... forte ... enim ... Gaza vertit ...*) sentias. Congri igitur alii pinguedinem solã habent, ouum nullum: alii contrà pinguedinem nullam ouũ aũt quale modo exposui.

Interiora. *Lib. 2. de hist. anim. c. 15.* *Oua.* *Lib. 6. de hist. anim. cap. 15.*

C Oppianus libro 1. ἁλιευτικῶν, cum exposuisset anguillas mutuo corporum internexu coire, & ex his lentorem

lentorem quendam spumę similem destillare in arenam & in limum, ex quo anguilla procreetur; subdidit: Τοῖς καὶ γόγγροισιν ὀλισθηροῖσι γενέθλη. Quod si ita intelligas, vt ex strigmentitio quodam humore arena, limoq; excepto concipiantur, gignanturq; congri, quemadmodum & anguillæ, id verò consentaneum non est. Congri enim oua pariunt, ex quibus aliorum piscium modo qui oua concipiũt, congri alii procreantur, vt paulò ante ex Aristotele docuimus. Sin mutuo corporum innexu complexuque coire accipias, id verum est; ita enim longi pisces corpora commiscent. Aristoteles: Quæ pedibus carent, & quæ longo sunt corpore, vt serpentes & murenę, circumplexu mutuo supinarum partium coitum peragunt. Congri carniuori sunt tantum, vt scribit Aristoteles. Ob id fluuiorum ostia petunt, maioris prędę causa, non solum verò ob dulcis aquæ desiderium, vt scribit Oppianus. *Libr. 5. de hist. animal. cap. 4* *Lib. 8. de hist. anim cap. 2.* *Lib. 1. ἁλιευτικῶν.*

Πηλαμύδες, γόγγροι τε, καὶ ὃν καλέουσιν ὀλισθον, Γείτονα ναιετάουσιν ἀεὶ ποταμοῖσι θαλάσσας,
Ἠ λίμναις, ὅθι λαβρὸν ὕδωρ μεταπαύεται ἅλμης. Πολλὴ γὰρ προχύσις συμβάλλεται ἰλυόεσσα.
Ἑλκομένη δίνῃσιν ἀπὸ χθονὸς, ἔνθα νέμονται Φορβὴν ἱμερτὴν, γλυκερῇ δ' ἁλὶ πιαίνονται.

D Congri etsi magni & validi sint, vincuntur à locustis, sed polypos ipsi vincunt: quibus repugnare videtur Plinius. Polypum tantum locusta pauet, vt si iuxta viderit, moriatur. Locustam conger, rursus polypum congri lacerant. Qui locus ex Aristotele, à quo permulta mutuatus est Plinius, vel emendandus est, vel explicandus. Aristotelis verba hæc sunt: Locustę magnos etiam pisces superant, & mirabilis quidam casus horum nonnullis accidit. Locustas enim polypi superant, vt si iuxta in iisdem retibus polypos senserint, prę metu locustę moriantur. Locustę verò congros, quia propter crustę asperitatem elabi congri non possunt: At congri polypos deuorant. neque enim congris propter corporis (*congrorum*) lęuitaté polypi resistere possunt. Ex his falsum esse liquet locustam à congro lacerari. Quare vel legendum in Plinio: Locusta congrum, rursus polypum congri lacerant. Vel sic distinguendus & intelligendus est contextus: Polypum in tantum locusta pauet, vt si iuxtà viderit, omnino moriatur. locustam conger, subaudi pauet: rursus polypum congri lacerant. *Lib. 9. ca. 62.* *Lib. 8. de hist. anim. cap. 2.*

F Archestratus apud Athenęum libro 7. congri è Sicyone magni & pinguis caput, & interanea commendat. Hicesio placet congros durę esse carnis, inter gregales, item rarę carnis, & minus nutrientes, mali succi, stomacho tamen gratos. Apud nos nullo est in pretio. Hispanis satis probatur. Galenus inter duræ carnis pisces rectè à Philotimo numeratos esse ait. Albertus Magnus scripsit congros occulta quadam vi lepram generare. *Ibidem.* *Lib. 3. de alim. facult.*

C D Viuunt abscissa cauda congri & murænæ capitales hostes, authore Aristotele: Viuunt sępe mugiles ablata cauda, & congri vsq; ad excrementorum meatum. Deuoratur autem mugilis cauda à lupo, congri à murena. Plinius: Mugil & lupus mutuo odio flagrant. Conger & muræna, caudas inter se prerodentes. *Lib. 9. de hist. anim. cap. 2.* *Lib. 9. cap. 62.*

DE EODEM BELLONIVS

F Congros inter pisces durâ carne præditos Galenus libro secundo alimentorum connumerat, succosque salsos & crassos in corpore generare asseuerat.

A Nostris Gallis (apud quos maxima ex Oceano Congrorum copia est, maximorum quidem ac ferè Cetaceorum per æstatem: minores autem aliis anni temporibus adferri solent) Græcum atq; adeo Latinum vocabulum ferè retinuit, *Vn Congre*: Massiliensibus Fiela vel Fielaz vocatur. Romanis, apud quos ex Tyrrheno non ita frequens piscis adfertur, Drongo vel Brongo appellatur.

Huius quidem piscis duo discrimina esse compertum habui. Alii enim nigri sunt, alii paulò magis candidi, hoc est, quidpiam in tergore atq; extremis pinnis nigrum referentes. *Genera duo.*

B Omnes glabra atq; lubrica pelle integuntur: Oculos (quos etiam argenteus circulus iridis loco ambire videtur) nigros habent: Dorsum in summo tergore elatum. Lineam vtrinq; rectam, corpus ad latera intersecantem. Dentes pro capitis magnitudine breues, per ordinem in maxillis dispositos: Labra admodum crassa, quorum superius rudimenta quædam cirrosa præ se ferre videtur: quæ dum comprimuntur, mucosum quiddam emittunt. Os prægrande: Linguam Anserinæ ferè similem, albam. Hepar quoq; pallidum, Lupino simillimum, cui sinister lobus dextro multò longior est. Stomachum admodũ grandem, à quo ad rectum intestinum vnica est tantum reuolutio. Conger paruus ab Anguilla, hac præcipuè nota distinguitur, quod rectam lineam, pallidam, vtrinq; per medium corpus à branchiis ad caudam delatam habeat, venterq; illi magis albicet. Dentes præterea Anguillæ in hoc à Congro differunt, quod confusi in vtraq; maxilla dispositi sint, eiusq; labrum superius horrescat. *Interiora.* *Discrimen ab anguilla.*

E Congros ita decipiunt piscatores: Minores pisces funibus copulatos (quorum singuli singulos hamos habent) maioribus scopulis, qui sicci, posteaquam mare decessit, remanere solent, alligant: quos, cũ maris fluctus rediit, à Congris deuoratos comperiunt: & eos in siccis scopulis altera die relinquit mare: ipsosq; Congros ob escam deuoratam relictos reperiunt.

COROLLARIVM.

A Conger an Congrus dicatur, hoc Grecã, illud Latina terminatione, parum interest. Conger & murena, Plinius 9. 62. Conger, quem & gongrum, vt modo (*Venetis hodie*) nominant, Plinius 32 volumine appellasse videtur, Massarius. Γόγγρος Græcè per duplex in medio γ. rectè scribitur, non simplex vt in vulgato Hesychii codice est. Nicander Epopœus (in libro de linguis, Massarius) congros aliter gryllos vocari scribit. nos de Gryllo plura inter Mustelas post Asellos, diximus. Almarmaheigi, Arabicum vel Persicum nomen est, commune longis & lubricis. quære in Anguilla A. Venetiis hodie el *grongo* vocatur. Antiates brunchum appellant, Platina. Græcum Latinumque nomen apud plerasque gentes retinet, Gallos, Italos, Hispanos, Anglos: sed interpolatum nonnullis. soli Massilienses (inquit Gillius) non Massilicè, sed planè barbarè Phialassum appellant. Congri à quibusdam (*Germanis*) anguillæ marinæ vocantur, & abundant in mari Normanniæ, Albertus. Eberus & Peucerus Germanicè interpretantur *Meeraal*: alii scribunt *Meer all, vel Seeoll.* Quidam in parte Germaniæ inferioris, *palen* vocari mihi retulit, nescio quam rectè. *Palynck* quidem Flandris anguilla est. Polonicum congri nomen aut periphrasin inuenio lezior-

mas, Hesychius & Varinus. ἔχων ἐν ἑαυτῷ κογχύλια πύπας: forte κογχυλίων legendum, nisi κογχυλίας adiectiuum esse dicas. Vide supra in Conchite lapide, in Conchis in genere a. Quod genus cretæ sit illa, quã conchylium Xenophon, alii cenchilium vocant lapidem, vt inquit Pollux, ignoro, Hermolaus: cuius verba & librarii deprauarunt: & sensum Pollucis ipse non consequutus est. Pollux enim non de creta, sed lapide loquitur: quem conchylian vel conchyliaten nominat, vt modo recitaui. Κογχυλιάζοντες, κογχύλιον ἐκπιέζοντες, Hesychius & Varinus. Malim, Κογχυλιάζοντες, κογχύλιον ἐκπιάζοντες, vt interpretemur conchylia expiscantes, qui scilicet conchyliarii dicuntur, & à Budæo Grecè κογχυλιάσται. Hesychius ἐκπιάζοντες habet per α. in antepenultima, hoc est eximentes, è mari colligentes. nam πιάσαι recentioribus Græcis accipere sonat. in Lexico Græcolat. vulgari πιάω verbum reperio, pro comprehendo: & πιάζω Doricè pro πιέζω. Ἀνακογχυλιάζων τὸ ἐπικλήρου τὴν διαθήκην, Aristoph. in Vespis, pro κωλύων (allusione forsan ad verbum ἀνακωχεύειν) πρὸς τὴν κογχύλην πέπηχεν. aiũt autem quartam syllabam huius verbi ἀνακογχυλ. breuem esse, Scholiastes. Ἀνακογχυλιασμός, gargarizatio, Atheneo lib. 5. ex Platone. dicit autem aquę ana conchyliasmõn remedium esse singultus.

b Conchylia lunata quædam Plinius nominat, Grecè dixeris μηνοειδῆ, Cęlius. Solinus cap. 15. reduuias conchyliorum nominat, spolia vel testas inanes. idem reduuias escarum crocodili dixit, quas in faucib. eius trochilus appetat, reliquias interpretor. Mensis remotis puer euerrat κογχυλίων κόχλους, id est, conchyliorum testas, Pollux.

c Καὶ αἱ κογχύλαι ὄφιν σὺν ἔχουσαι φαίνονται δελέατι ἐφεπόμεναι, Suidas, Didymus apud Atheneum ait, solitos esse quosdam, lyrę loco, conchyliis & ostracis (ostreis vel testis) inter se collisis, numerosum quendam sonum saltationibus aptum ędere.

f Extructa mensa, non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida, Cicero in Pisonem. Atque Lucrinis Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas, Vt renouent per damna famem, Petronius Arbiter. Mullorum laudatissimi qui conchylium sapiunt, Plinius.

Conchylij instar discerpere, prouerbium explicatum est supra in Conchis in genere h. Conchylia vi duarum cupedię, prouerbiali sensu olim dicebatur: vide superiùs in F.

DE CONGRO, RONDELETIVS.



A LOngi pisces ferè omnes cartilaginei sunt. Dicuntur autem longi à corporis specie: & à galeis, qui longo etiam sunt corpore, differunt: quòd rotundiores sint quodq; illi mustellis, (*Galeos mustellis similes dicit, cum galei ipsi mustelæ sint: nisi mustelas quadrupedes intelligas:*) hi serpentibus similiores sint. Præterea galei neq; seuum, neq; pinguedinem habent, vt Atheneo placet, ex longis autem sunt qui pinguedinem habent. *Lib. 7.*

Ex longis conger omnium notissimus est, qui γόγγρος à Grecis dicitur, à verbo γρῶ, quod vorare significat. Callimachus, ὅς ἔγκατα κηδεμόνα, αὐτὸ τὸ ἦθεν ἀφ' οὗ ῥήματος ὀνομαγρὸς, καὶ ἐν διαστάσει ἀσμῷ γόγγρος: ἐσθίει γὰρ τῶν πολλῶν ὄψων τοὺς πλοκάμους, Hæc Phauorinus. Nicander teste Athenæo γρύλλους etiam congros vocatos fuisse tradidit, id est porcos, ab eadem, vt opinor, voracitate. A nostris congre vocatur. A Massiliensibus filat, quia instar retis pisces inuoluit & implicat. Duo sunt congrorum genera, vnum albicat, & pelagium est: alterum nigricat, & litorale magis est, quam pelagium. *Lib. 7.* *Genera duo.*

B Conger piscis est longissimus, scilicet quatuor vel quinq; cubitorum longitudinem attingẽs. Atheneus: Eudoxus in libro sexto de terrę ambitu scribit congros multos in Sicyone capi (ἀνδραχθεῖς, id est) quos homo vix ferat, horum aliquos esse etiam plaustrales, ἁμαξιαίους. Aspectu ac læui lubricaq; cute anguillę proximus est. Rostri extrema siue labra habet carnosa, in superiore apparent appendiculæ duæ carnosæ. Dentes habet paruos pectinatim coeuntes, oculos magnos, branchias binas, vtrinq; duplices, earum vnicum vtrinq; foramen, non osseo operculo, sed cute contectum. Pinnas duas, vnam à ceruicis extremo ad caudam, altera à podice ad caudam porrecta est: vtraq; non membranæ, sed cutis potius substantia constat, & tota ora nigricat. Cauda in acutum terminatur. A capite ad caudam linea ducta est. Circa caput puncta sunt aliquot, æqualibus interuallis dissita. Venter lacteo colore est, dorsum nigricat in vno genere, in altero etiam dorsum candidum est. Quod ad partes internas attinet, gula ventriculo præponitur, idq; ad corporis longitudinem & tenuitatem accommodatè. Ventriculus longus est podicem ferè attingens. Hepar rubrum, à quo pendentem fellis vesicam semper vidi: quod Aristotelis causa dico, qui in quibusdam ad iecur, in aliis infra iecur situm fel esse scripsit. Sæpe etiam idem genus, vtrunq; fellis situ habet, veluti conger. alii enim ad iecur, alii infra iecur annexum (χολὴν ἀπηρτημένην, *fel à iecore seiunctum, Gaza vertit sepositum*) habent. Hæc Aristoteles. Cæterum fel aqueum est. Splen nigricat. Congri oua intra se pinguedine obducta longa serie continent, quod perspicuè declarat Aristoteles his verbis: Habent congri fœturam, sed non in omnibus locis similiter conspicuam, neq; enim ob pinguedinem apparet. Est autem in longum protensa, quemadmodum in serpentibus, verum in ignem coniecta manifesta fit: quod enim pingue est liquitur & in vaporem abit: oua verò exiliunt, & ab igne elisa crepitant. Præterea si digitis contrectes & teras, subesse pinguedinem læuem, oua crassiuscula (*sperusiuscula forte: ad λεῖον enim non λευκὸν, sed τραχὺ opponitur, facili librariorum transitu. Gaza vertit duriusculum*) sentias. Congri igitur alii pinguedinẽ solũ habent, ouum nullum: alii contrà pinguedinem nullam, ouũ aũt quale modo exposui. *Interiora.* *Lib. 2. de hist. anim. c. 15.* *Oua.* *Lib. 6. de hist. anim. cap. 15.*

C Oppianus libro 1. ἁλιευτικῶν, cum exposuisset anguillas mutuo corporum internexu coire, & ex his lentorem

lentorem quendam spumę similem destillare in arenam & in limum, ex quo anguilla procreetur; subdit: Τοῖς καὶ γόγγροισιν ὀλισθηροῖσι γενέθλη. Quod si ita intelligas, vt ex strigmentitio quodam humore arena, limoq; excepto concipiantur, gignanturq; congri, quemadmodum & anguillæ, id vero consentaneum non est. Congri enim oua pariunt, ex quibus aliorum piscium modo qui oua concipiunt, congri alii procreantur, vt paulò ante ex Aristotele docuimus. Sin mutuo corporum innexu complexuque coire accipias, id verum est; ita enim longi pisces corpora commiscent. Aristoteles: Quæ pedibus carent, & quæ longo sunt corpore, vt serpentes & murenę, circumplexu mutuo supinarum partium coitum peragunt. Congri carniuori sunt tantùm, vt scribit Aristoteles. Ob id fluuiorum ostia petunt, maioris prędę causa, non solum verò ob dulcis aquæ desiderium, vt scribit Oppianus. *Libr. 5. de hist. animal. cap. 4* *Lib. 8. de hist. anim. cap. 2.* *Lib. 1. ἁλιευτικῶν.*

Πηλαμύδες, γόγγροι τε, καὶ ὃν καλέουσιν ὀλισθον, Γείτονα ναιετάουσιν ἀεὶ ποταμοῖσι θαλάσσαι,
Ἠδὲ λίμναις, ὅθι λαβρὸν ὕδωρ μεταναιέται ἅλμης. Πολλὴ γὰρ προχυσις συμβάλλεται ἰλυόεσσα.
Ἑλκομένη δίνῃσιν ἀπὸ χθονὸς, ἔνθα νέμονται Φορβὴν ἱμερτὴν, γλυκερῇ δ' ἁλὶ πιαίνονται.

D Congri etsi magni & validi sint, vincuntur à locustis, sed polypos ipsi vincunt: quibus repugnare videtur Plinius. Polypum tantum locusta pauet, vt si iuxta viderit, moriatur. Locustam conger, rursus polypum congri lacerant. Qui locus ex Aristotele, à quo permulta mutuatus est Plinius, vel emendandus est, vel explicandus. Aristotelis verba hæc sunt: Locustę magnos etiam pisces superant, & mirabilis quidam casus horum nonnullis accidit. Locustas enim polypi superant, vt si iuxta in iisdem retibus polypos senserint, prę metu locustę moriantur. Locustę verò congros, quia propter crustę asperitatem elabi congri non possunt: At congri polypos deuorant, neque enim congris propter corporis (*congrorum*) lęnitatẽ polypi resistere possunt. Ex his falsum esse liquet locustam à congro lacerari. Quare vel legendum in Plinio: Locusta congrum, rursus polypum congri lacerant. Vel sic distinguendus & intelligendus est contextus: Polypum in tantum locusta pauet, vt si iuxta viderit, omnino moriatur. locustam conger, subaudi pauet: rursus polypum congri lacerant. *Lib. 9. ca. 62.* *Lib. 8. de hist. anim. cap. 2.*

F Archestratus apud Atheneum libro 7. congri è Sicyone magni & pinguis caput, & interanea commendat. Hicesio placet congros durę esse carnis, inter gregales, item rarę carnis, & minus nutrientes, mali succi, stomacho tamen gratos. Apud nos nullo est in pretio. Hispanis satis probatur. Galenus inter duræ carnis pisces rectè à Philotimo numeratos esse ait. Albertus Magnus scripsit congros occulta quadam vi lepram generare. *Ibidem.* *Lib. 3. de alim. facult.*

C D Viuunt abscissa cauda congri & murænæ capitales hostes, authore Aristotele: Viuunt sępe mugiles ablata cauda, & congri vsq; ad excrementorum meatum. Deuoratur autem mugilis cauda à lupo, congri à murena. Plinius: Mugil & lupus mutuo odio flagrant. Conger & muræna, caudas inter se prerodentes. *Lib. 9. de hist. anim. cap. 2.* *Lib. 9. cap. 62.*

DE EODEM BELLONIVS

F Congros inter pisces dura carne præditos Galenus libro secundo alimentorum connumerat, succosque salsos & crassos in corpore generare asseuerat.

A Nostris Gallis (apud quos maxima ex Oceano Congrorum copia est, maximorum quidem ac ferè Cetaceorum per æstatem: minores autem aliis anni temporibus adferri solent) Græcum atq; adeo Latinum vocabulum ferè retinuit, *Vn Congre*: Massiliensibus Fiela vel Fielaz vocatur. Romanis, apud quos ex Tyrrheno non ita frequens piscis adfertur, Drongo vel Brongo appellatur.

Huius quidem piscis duo discrimina esse compertum habui. Alii enim nigri sunt, alii paulò magis candidi, hoc est, quidpiam in tergore atq; extremis pinnis nigrum referentes. *Genera duo.*

B Omnes glabra atq; lubrica pelle integuntur: Oculos (quos etiam argenteus circulus iridis loco ambire videtur) nigros habent: Dorsum in summo tergore elatum. Lineam vtrinq; rectam, corpus ad latera intersecantem. Dentes pro capitis magnitudine breues, per ordinem in maxillis dispositos: Labra admodum crassa, quorum superius rudimenta quædam cirrosa præ se ferre videtur: quæ dum comprimuntur, mucosum quiddam emittunt. Os prægrande: Linguam Anserinæ ferè similem, albam. Hepar quoq; pallidum, Lupino simillimum, cui sinister lobus dextro multò longior est. Stomachum admodũ grandem, à quo ad rectum intestinum vnica est tantum reuolutio. Conger paruus ab Anguilla, hac præcipuè nota distinguitur, quod rectam lineam, pallidam, vtrinq; per medium corpus à branchiis ad caudam delatam habeat, venterq; illi magis albicet. Dentes præterea Anguillæ in hoc à Congro differunt, quod confusi in vtraq; maxilla dispositi sint, eiusq; labrum superius horrescat. *Interiora.* *Discrimen ab anguilla.*

E Congros ita decipiunt piscatores: Minores pisces funibus copulatos (quorum singuli singulos hamos habent) maioribus scopulis, qui sicci, posteaquam mare decessit, remanere solent, alligant: quos, cũ maris fluctus rediit, à Congris deuoratos comperiunt: & eos in siccis scopulis altera die relinquit mare: ipsosq; Congros ob escam deuoratam relictos reperiunt.

COROLLARIVM.

A Conger an Congrus dicatur, hoc Grecà, illud Latina terminatione, parum interest. Conger & murena, Plinius 9. 62. Conger, quem & gongrum, vt modo (*Veneti hodie*) nominant, Plinius 32 volumine appellasse videtur, Massarius. Γόγγρος Græcè per duplex in medio γ. rectè scribitur, non simplex vt in vulgato Hesychii codice est. Nicander Epopœus (in libro de linguis, Massarius) congros aliter gryllos vocari scribit. nos de Gryllo plura inter Mustelas post Asellos, diximus. Almarmaheigi, Arabicum vel Persicum nomen est, commune longis & lubricis. quære in Anguilla A. Venetiis hodie el *grongo* vocatur. Antiates brunchum appellant, Platina. Græcum Latinumque nomen apud plerasque gentes retinet, Gallos, Italos, Hispanos, Anglos: sed interpolatum nonnullis. soli Massilienses (inquit Gillius) non Massilicè, sed planè barbarè Phialassum appellant. Congri à quibusdam (*Germanis*) anguillæ marinæ vocantur, & abundant in mari Normanniæ, Albertus. Eberus & Peucerus Germanicè interpretantur *Meeraal*: alii scribunt *Meer oll, vel Seeoll*. Quidam in parte Germaniæ inferioris, *palen* vocari mihi retulit, nescio quam rectè. *Palynck* quidem Flandris anguilla est. Polonicum congri nomen aut periphrasin inuenio le

 zior-

ziorny vuegorz. Anglica sunt, *à Conger, à Gongre, à Conger ele.* Dicuntur & *Eluerig* in Anglia Congri pusilli, Capiuntur noctibus obscuris in fluuio Sabrina propè Glocestriam & Teuxberiam in magna copia. ita enim sunt aggregati, vt reticuli quodam genere ex aqua veluti hauriantur. Captos & elixos, conuoluunt ac vendunt. Habentur autem in delitiis: & cum aceto ferè aut sinapio eduntur. Ascendunt autem è mari in fluuium pusilli tantum illi. Nomen eis ab Anguillarum similitudine factum videtur. Et hæc de Congris pusillis, ex optimo doctissimoque viro Ioanne Parkhursto Anglo accepi.

B Conger est piscis longus, vt anguilla vel murena, Plinius. Magnus est, & anguillæ similis, Kiranides. Longus est, vt murena, sed corpore multò maior, Author de nat. rerum. Ophidion pisciculus est similis gongro (alias scombro, quod non placet,) Plinius. Prælongus est piscis, rotundus, (teres,) & albissimæ carnis, Albertus. Congri longi & lubrici (λεῖοι, Aristoteles, læues reddit Gaza) sunt Plin. Congro binæ vtrinq; sunt branchiæ, alteræ simplices, alteræ duplices, Aristot. Binas tantum pinnas habet, Idem & Plinius. Pinnulis supinis caret, Aristot. Inest ei gula, sed exigua, Idem. Non ędit ouum arenidum, quale pisces squamosi, Idem.

C Congrorum albicantium genus pelagium est, nigrantes ambigunt littorales ne an pelagii sint. Arist. Vuottonus vertit, partim pelagii, partim littorales sunt. Victitant frequenter in paludibus, & ad fluuiorum ostia, vbi copia influit aquę dulcis. Et fluctus cœno commixtus vortice multo Voluitur à terra: Vuottonus, ex Oppiano vt apparet. Pusilli tantum fluuios alicubi subeunt, vt Sabrinam in Anglia. In siccum repunt etiam congri, vt quidam ex Plinio citant. Carniuori sunt, Plinius. carniuori tantum, Arist. Dubitet tamen super hoc aliquis, quoniam circa fluuiorum ostia & aqua dulci pinguescere ab Oppiano traduntur. ἔνθα νέμονται φορβὴν ἱμερτήν, γλυκερῇ δ' ἁλὶ πιαίνονται. Obscurus etiam ille de naturis rerum scriptor, vento vehementiori flante pinguescere eos scribit, limo fortè & fundo aquæ sic concitato. Congri maximè se inuicem vorant, Aristot. Immitisq; suæ Conger per vulnera gentis, Ouidius inter pelagios pisces. Cadaueribus etiam naufragorum vesci hunc piscem audio. Hicesius scribit congros esse σκληροτέρους τῶν ἀγελαίων, hoc est duriores inter gregales, vt Rondeletius vertit: (quod magis probarem si Grecè σκληρότερες τῶν ἀγελαίων legeretur: sic enim & ipsum ἀγελαῖον esse insinuaretur: id quod in cõparatione per comparatiuum facta non fit) vel asperiores gregalibus, vt Natalis de Comitibus ex huius quidem versione congros gregales esse negaris, ex Rondeletii esse dixeris. sed alia lectio habet τῶν ἐγχέλεων, hoc est duriores anguillis. vide in F. Pisces squamis (*addenda est negatio, nam thunni, scombri, &c. squamis carent*) contecti. vt thynni, scombri, thynnides, scombri, solent (ferè) etiam gregarii esse. Cęterum illi qui neq; solitarii apparent, neq; rursus gregarii sunt, facilius concoquuntur, vt congri, & carcharię & similes, Mnesitheus Atheniensis apud Athenęum lib. 8. videtur autem locus deprauatus, ex eo quod congros primum gregariis adnumerat, deinde illis qui inter solitarios & gregarios ambigant. Natalis quidem interpres ita ad verbum transtulit, vt codex vulgaris Grecus habet. Conger flexuoso impulsu corporis, ita mari vtitur natando, vt serpens terra rependo, Plinius & Aristot. Sed omnes huiusmodi longi ac lubrici pisces quomodo natent, & de pinnis eorum, plura leges apud Aristotelem in libro de communi animalium gressu. Hybernis mensibus latet conger, Aristot. Multi hoc tempore in speluncis conditi latent: maximè hippurus & coracinus hyeme non capti, preterquam statis diebus paucis, & iisdem semper. item murena, conger, &c. Plinius. Congri cauda à murena abscinditur: & superuiuunt congri licet abscissa cauda meatu tenus excrementario, Aristot.

D Immitisq; suæ conger per vulnera gentis, Ouidius in Halieutico. Congri enim maximè se inuicem vorant, authore Aristotele. Congri cauda à murena abscinditur, Aristot. & Athenęus ex eodem. Sunt & inimicitiarum miracula: Conger & murena caudas inter se prerodunt, Plin. Congri polyporum brachia erodunt. falluntur autem qui aiunt polypum seipsum esse, Aristot. Congrus polypodum cirros deuorat: Suidas, Etymologus, & Varinus. Polypum sua rodere brachia, falsa opinio est. id enim à congris euenit ei, Plin. Polypum in tantum locusta pauet, vt si iuxta viderit, omnino moriatur. Locustam conger, rursus polypum congri lacerant, Idem Congri polypos superant, sed edere non possunt. læue enim & lapsum polypi corpus, vsum hostis effugit, Gaza ex Aristotelis historia 8. 2. Grecè sic legitur: οἱ δὲ γόγγροι τοὺς πολύποδας κατεσθίουσιν, οὐ δύνανται γὰρ αὐτοῖς διὰ τὴν λειότητα ἀντέχειν (lego ἀντέχειν) χρῆσθαι, hoc est, vt ego interpretor: Congri polypos deuorant. polypi enim congros propter corporis lubricitatem prehensare aut retinere non possunt. Rondeletius vertit: Neque enim congris propter corporis læuitatem polypi resistere possunt: obscuriùs, & minùs aptè ad sententiam Aristotelis: non enim non posse resistere polypum congro Aristoteles scribit, sed apprehendere ipsum & retinere non posse. etiamsi sensus eõdem recidit, nempe vt polypus vincatur. Sic igitur res se habet: Polypus quicquid suis cirris aut flagellis comprehendere potest, (& sic eo χρῆσθαι, & in ipsum agere) id etiam vincere potest, comprimendo videlicet, quod validissimè facit. itaq; locustam vincit, quæ cum aspera sit, elabi ab eius cirris non potest. congrum lubricũ & incomprehensibilem sibi non vincit, sed vincitur. Rursus conger, quicquid dentibus & morsu impetere potest, vincit: polypum autem qui mollis est, mordere potest: locustam, cuius dura est crusta, non potest. quare ab hac vincitur, illum vincit. Hoc vt breuius commodiusq; & intelligat quisque & meminerit, hac figura delineauimus.

Vincit.

P Z L P. Polypum, L. Locustam, C. Congrum significat. Ergo Polypus vincit locustam, Locusta Con-
C Z P grum, Conger denique polypum. Vel sic.

L Z C vel sic C Z P
P Z L L Z C Sic ex tribus istis piscibus vnusquisque à victi sui victo vincitur.

E De congris pusillis quomodo capiantur in Anglia, lege supra in A.

F Congri carnem pinguem esse audio. In cibo dulcissima est, Author de natur. rerum. Albissima est & dulcis, sed concoctu difficilis, & ideo dicitur lepram (*falsa præsertim, vt quidam scribunt*) generare, Albertus. Archestratus inquit: Congros tantum cæteris piscibus prestare, quantum thunnus vilissimis

coracinis præfertur: quos & stomacho conferre Hicesius testatus est, Massarius. Congri habent carnem duram, ægrè conficiuntur, & pariunt succos crassos & salsos, Galenus lib. 3. de alim. facult. At contrariũ Mnesitheus ille Atheniensis apud Athenęum scribit: Pisces illi qui neq; solitarii apparent, neq; rursus gregarii sunt, faciliùs concoquuntur, vt congri, & carcharię, & similes. Coquus quidam apud Philemonem, recitante Athenęo: Inuasit me (inquit) cupido terrę cœloq; narrare, quantam voluptatem ceperim ex egregio illo congro, quem paraui, nullis conditum caseis, nec vllis desuper floribus aspersum: sed qualis viuus, talis etiam assus erat, tener omnino & molli igne tostus, &c. Et sicut gallinę persequuntur sui generis auem, quem cibum ore tenet maiorem quàm deuorare queat: Sic illum qui primus congrũ ex olla arripuit, cum quàm delicatus esset hic piscis primum cognouisset, alii (conuiuę) persecuti sunt. quod si illi qui vilioribus vescuntur piscibus, scarum haberent, &c. aut è Sicyone congrum, quem Neptunus ipse diis affert, omnes sanè eo gustato facti fuissent dii. nam si vel mortui hunc odorentur, reuiuiscunt, Hæc ille. Sphyrænæ plus alunt quàm congri, Diphilus Siphnius. ego pro σφύραιναι, legerim σμύραιναι. nam & Hicesius murenas ait multum alere, non minus anguillis & congris, Athenęus. Et alibi: Sphyrænas ait Hicesius plus congris alere, ingratas tamen ori & insuaues esse, succi bonitate mediocres, Hicesius scribit congros σκληροτέρους εἶναι τῶν ἀγελαίων &c. hoc est duriores gregariis, & rarioris carnis, minus que alere, succi bonitate multò inferiores, stomacho tamen gratos, εὐστομάχους. sed pro ἀγελαίων quidam legunt ἐγχέλεων, vt Volaterranus: quod mihi etiam placet. (vide in c. superius.) nam Diphilus quoq; de gryllo scribit, similem esse anguillæ, ἄστομον δέ, hoc est, sed ori minus gratum. Gryllus autem conger est Nicandro. Et conuenit similes alioqui specie naturaq; inter se pisces, quod ad nutrimenti quoq; ex eis rationem attinet, comparari. Γόγγρῳ τε λευκῷ πᾶσι τοῖς κολλώδεσι βοσκηθείς. τούτοις γὰρ τρέφεται τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ φωνάριον ἡμῶν περίλαμπρον γίνεται, Clearchus apud Athenęum libro 14. ego primum versum sic lego: Γόγγρον τε λευκὸν πᾶσι σὺν κολλώδεσι. Et tertium sic, Τὸ φωνάριον ἡμῶν περίλαμπρον γίνεται. Proferuntur enim hæc verba à citharœdo paulò post ad citharam canente. Natalis etiam interpres sic vertit, Vorato congrum cãdidum, ac tenacia: Nutritur illis quando certè spiritus, Tum vox fit ipsa prępotens nobis bona. Anguillas quoque vocem claram reddere Elluchasem medicus author est. Dulcia enim & viscosa arterię prosunt, & superficiem eius leniunt, quod ad vocis claritatem facit. De congro sic narrat Archestratus in Gastronomia: Ex Sicyone caput congri capiatur amice, Prægrandis, fortis, pinguis, tum concaua (κοῖλα, viscera puto: nam & Rondeletius interanea interpretatur) cuncta. Spargendam coquito inde herbam in salsugine multa. Posteà idem quæ in diuersis Italiæ locis sunt, exponens, hæc inquit: Optimus hîc capitur conger, qui obsonia tantum Exuperat, quantum thunnus pinguissimus olim Exuperat viles coracinos. Ephippus etiam & Antiphanes apud Athenęum congri caput inter delicias recensent. Diocles opsophagus interrogatus conger an lupus prestaret: hic assus, ille elixus, respondit, Athenęus ex Hegesandro. Antiphanes anguillam in aqua sale & origano condita lixari iubet: & congrum similiter. Congrum in frusta concisum eo modo coquito, quo anguillam: locato inter frusta saluiæ aut lauri folia, Platina. Ex Apicio: Ius in congro asso, Piper, ligusticum, cuminum frictum, origanum, cepam siccam, ouorum vitella cocta: vinum, mulsum, acetum, liquamen, defrutum, & coques.

G Conger cum oleo coquitur donec dissoluatur, & inde colatum oleum cum cera conficitur. hoc cerotum mulieribus pregnantibus non sinit rumpi ventrem. prodest etiam arthriticis & scissuris pedum, Kiranides.

H. a. Congrum istum maximum in aqua sinito ludere Paulisper: vbi ego venero, exossabitur, Terentius Adelphis. Γόγγρος à voracitate dictus est. nam γρῶ Grecis est voro, &c. Varinus ex Etymologo qui ideo tantum voracem hunc piscem putat quod polypi cirros prærodat: ego toto genere voracem dixerim. vide in c. Potuit & γόγγρος fortè dici quasi γογγύλος, id est rotundus vel teres potius. Gongrus etiam, γόγγρος, morbus est arborum. Arbores nonnullę gongros à quibusdam vocatos habent, vel simile quiddam pro arboris natura, nam gongrus maximè oleæ conuenit, eoq; morbo plus quam cæteræ laborare videtur. Premnum id nonnulli appellant, alii crotonem, alii alio nomine. Rectis vnistirpibus, minusq; abimo plantigeris, id aut nullo pacto, aut minus accidere solet, Theophrastus de hist. plant. 1. 13. puto autem tuber aliquod durum & contortum in arboribus nonnullis gongrum dici: sicut & bruscum & mollu-scum tubera quædam in arboribus à Latinis dicuntur. Et hæc in plantis similiter ferè se habere puto, vt in animalibus varices.

Epitheta. Congri ὀλισθηροί, id est, lubrici, Oppiano. Παχεῖς, id est, crassi, Epicharmo. Πίονες, ἰσχυροί, μεγάλοι, Archestrato. Verum ex his primum duntaxat omnibus commune & perpetuum est: reliqua differentiæ accidentium. Λευκοὶ καὶ μέλανες, albus & niger, differentiæ generis, non epitheta sunt.

F Tu Machærio Congrum, murænam exdorsua quantum potes, Plautus Aulularia. Exdorsuare quidã interpretantur dorsum confringere, dum apparantur pisces & exenterantur. Sed fortè etiam pro eo quod est spinam dorsi eximere acceperis, si ea congris ita eximitur vt anguillis: aut pro pellem detrahere, si id quoq; in congris, vt in anguillis fit.

Καὶ Τιτυὸν εἶδον λίμνης ἐρικυδέα γόγγρον, Κείμενον ἐν λοπάδεσσ', ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο τραπέζας.
Τῷ δὲ μετ' ἴχνια βαῖνε θεὰ λευκώλενος ἰχθὺς Ἔγχελυς, Matron Parodus in descriptione conuiuii Attici. Dorion opsophagus (id est piscium helluo) cum puer pisces non emisset, eum flagris cecidit, iussitq; optimorum piscium nomina dicere. cum puer autem orphum, glauciscum, congrum, & similes alios cõmemorasset: Piscium iussit te, inquit) nõ deorũ nomina dicere. Γόγγρος δ' ὅμως μέλ... ἐλλ... Alexis apud Athenæum. Καὶ τὸν Σικυώνιον γόγγρον ἤδη παχύτερον ... ἀκάνθας, Antiphanes. Agris Rhodius primus piscẽ optimè assauit; Nireus verò Chius cõgrũ elixauit dijs, Euphron Adelphis. ὁ μὲν ἀγωγὸς τρεφόμενος, Θαλάττιον μὲν ὄντα ... τῶν περὶ γλαῦκον γόγγρον τινά, ἢ νάρκην τινά, Antiphanes. Cũ Antagoras poëta congrum coqueret, & ollam ipse moueret, Antigonus rex à tergo assistens, Putasne ait Antagora Homerum Agamemnonis gesta describentem congrum elixasse? Cui ille, Tu ne verò putas, ô rex, Agamemnonem tantis rebus agendis intentum, adeò curiosum fuisse, vt quisnam in castris congrũ coqueret, non ignorare voluerit? Plutarchus in Apophthegmatis, & Symposiacorum quarto. Pauperes sibi emere non possunt cranium lupi, non gongri, οὐδὲ σηπίας, ἃς οὐδὲ μακράν (μάκαρας) ... οἴομαι θεούς, Strattis.

Coquus quidam apud Archedicum ſcribit ſe emiſſe quinque drachmis caput congri, & fruſtra(πμαχια) priora,(propiora capiti:) item drachma τραχήλους colla aut ceruices congrorum fortè intelligens: additque dignam coquo facetiam: ἀλλὰ νὴ τὸν ἥλιον κ'αμοὶ τράχηλον ἕτερον εἴποθεν λαβεῖν ἦν, καὶ πρίασθαι δυνατὸν, ὅν ἐγὼ τοῦτον αὖ Πρὶν ἐξενεγκεῖν ταῦτα δεῦρ', ἀπηγξάμην. hoc eſt, Quod ſi aliunde mihi caput & ceruicem alium acquirere vel emere liceret, ſtrangularem me potius, quam has lautitias conuiuis inferrem. nihil enim tam cupiebat quàm ipſe deuorare.

DE CORACINO SVBNIGRO, ET CORACINO ALBO, RONDELETIVS.

A Coracinus Melanuro ſimilis eſt, (inquit apud Athenæum Speuſippus,) melanuro verò melanderinus. Κορακῖνος appellatio Grȩca eſt, qua ſeruata coracinus Latinè melius dicetur, quàm coruulus vel graculus, vt à Gaza in libris de hiſtoria animal. conuertitur. Neq; enim apud omnes conſtat. à corui graculiue, id eſt à nigro colore dictum eſſe coracinum, vt docet Athenȩus libro 7. Ὠνομάσθησαν δὲ διὰ τὸ διηνεκῶς τὰς κόρας κινεῖν καὶ μηδέποτε παύεσθαι. dicti ſunt coracini, quia perpetuo oculos moueant, & nunquam mouere deſinant. & alio in loco. Ὠνομάσθη γὰρ ἀπὸ τοῦ κόρας κινεῖν. dictus eſt à mouendis oculis. Contrà Cȩlius Rhod. παρὰ τὸ κόραξ, id eſt, τὸ μέλαν, à colore nigro dici putat. & Oppianus:

Lib. 8. cap. 30. & lib. 5. ca. 17.
Vnde dictus.
Lib. 7. cap. 5. Li... ἁλιευτικῶν.

Καὶ κόρακες τῶν ἐπώνυμον αἴθοπι χροιῇ. *Et nigro cui nomina dicta colore*

Coracinus. Et Vitruuius, vt dictum eſt libro 2. cap. 13. coracinum colorem, pro nigro dixit. At non omnes coracini nigri ſunt, teſte Athenȩo lib. 8. Κορακῖνος ὁ ἐκ τοῦ Νείλου ἥττων δὲ ὁ μέλας τοῦ λευκοῦ. Coracinus ex Nilo, minor autem niger albo. Vel melius κρείττων, id eſt melior niger albo. Numenius αἰωλίαν vocat, id eſt varium. ῥηιδίως εἵλκοιτο, καὶ αἰολίαν κορακῖνον. & Athenæus teſtis eſt, κηροειδέας appellatos coracinos, id eſt cerei coloris.

Athen libr. 7.
Aeolias.

Suſpicari licet Gazam qui coruulum interpretatur, hypocoriſticon nomen facere, κορακῖνον τοῦ κόρακος, ſed non rectè: nam κόραξ alius eſt piſcis, cuius poſt coracinum album & nigrum, meminit Athenæus lib. 8. ὁ κόραξ ἱέραξος σκληρότερος. Cuius hypocoriſticon nomen, non eſt κορακῖνος, ſed κορακινίδιον, (*Hoc coracini hypocoriſticon eſt: non coracis, à quo diminutiua deduxeris, κοράκιον, κορακίδιον, κορακίσκος.*) Athenȩus libr. 7. de coracinis ſcribens: Ὑποκοριστικῶς δὲ ὠνόμασεν αὐτοὺς Φερεκράτης ἐν Ἐπιλήσμονι, Τοῖς αὐτοῖσιν κορακινιδίοις καὶ μαινιδίοις. Has ob cauſas in Athenȩi ſententiam magis inclinat animus: & coracinum Latinè nominandum, retenta Grȩcorum appellatione, non coruulum neque graculum iudico. Græci enim pluribus nominibus piſcem hunc deſignarunt. Nam authore Athenȩo lib. 7. coracinus σαπέρδης & πλατίστακος (*Dorion myllum ... quit platiſtacum vocari. cum auctor eſt, non coracinum*) dictus fuit. Nili incolæ πέλτην vocant, Alexandrini μαιώτην. Sed quod in aurata, idem in hoc piſce vſuuenit, vt pro ȩtatis ratione, diuerſa numina ſortiatur, eodem Athenȩo authore: nam maiores coracini πλατίστακοι: qui mediȩ ætatis ſunt, μύλλοι: minimi, γνωτίδιοι nominantur. Noſtra Gallia Narbonenſis corp, per apocopen vocat: alii durdo, alii vergo, alii corbau. Italia ferè tota coruo. Grȩci hodie κόρακοι.

Cor ax alius piſcis.
Saperda.
Platiſtacus.
Pelta.
Ηλίνηρ.
Myllos.
Gnotidion.

Bellonii coracinus omnino alius eſt. cantharum enim pro coracino pingit: & alibi cantharum cum citharo confundit.



Coracinum nigrum Rondeletius maiorem ne an minorem hic pictum intelligat neſcio. in deſcriptione non explicat: ſed ſimpliciter tanquam de uno loquitur, niſi quod ex Athenæo coloris differentiam affert: qui vero hic pinguntur, magnitudine etiam, & reliqua ſpecie, differunt.

Coracinus non eſt qui Liguribus tãnado dicitur, (*Gillium, qui tamen nihil affert, & Bellonium notat,*) quem cantharum eſſe prius diximus: eſt enim coracino minor, & multis aliis notis caret, quȩ coracino inſunt. Neq; enim tanado ſic varius eſt, neq; cereus, neque nigras pinnas veluti alas habet, vnde μελανόπτερον coracinum appellauit Ariſtophanes. Verum ex ſequenti deſcriptione, quid à cantharo & aliis differat perſpicuum fiet.

Tanado Ligurum alius eſt piſcis.

Co-

Coracinus piſcis eſt marinus, maris ſtagna etiam aliquando ſubiens, & Nilum fluuium, & Æȩotidem lacum, ex ſquamoſorum genere, Auratȩ vel Melanuro quodammodo ſimilis eſt, cubitali magnitudine, aliquando multo maior, dorſo repando, colore ſubnigro, circa caput vario: maximè enim cum è mari extrahitur, caput ſubaureo eſt colore, ad purpureum exaturatum vel ad nigrum accedente, ita vt aurum ſubeſſe videatur, colore ex purpureo nigreſcente perfuſum. Squamis tegitur magnis & latis: oculos magnos habet, prope hos duo foramina ad odorandum, vel ad audiendum. Ore eſt mediocri, dentibus paruis. In ſummo roſtro, & inferiore maxilla foramina quædam parua apparent. Ad branchias pinnæ magnæ & latæ: in ventre maiores, nigrȩ, qua nota ab aliis ſquamoſis diſſidet. Podex magnus & rotundus: quem ſequitur pinna longa & nigra, aculeis nigris & robuſtis innixa. In dorſo alia longiſſima eſt, conſtans aculeis tenui membrana reuinctis. duas eſſe poſſis dicere. His maiores, pro corporis magnitudine nullas equidem vidi. Cauda in pinnam vnicam latam deſinit. Ventriculum magnum habet, cum appendicibus octo vel nouem. Omnia inteſtina tenuia, hepar magnum, fel in hepate, ſplenem oblongum & rubrum. In poſteriore capitis parte lapillos albos, veluti lupus, quos ad morbos quoſdam vulgus vſurpat. B

Gregalis eſt piſcis. Semper enim non vnicus, ſed multi ſimul capiuntur. Maximè Hippurus & Coracinus hyeme non capiuntur, inquit Plinius, preterquam † æſtatis paucis diebus, & iiſdem ſemper. Ariſtoteles libro 8. de hiſtoria animal. Piſcium complures hyeme latent, ſed apertiſſimè hippurus & coracinus: nam hi non capiuntur niſi ſtatis quibuſdam diebus, eiſdemq; ſemper. Ex quibus nemo rectè colliget eum non eſſe coracinum quem nos proponimus, quod plerunq; hyeme in mari noſtro capiatur: quoniam ea eſt noſtra piſcandi ratio per ſagenam, vt omnes piſces qui in iis ſunt locis ad quos ſagena pertingit, quouis tempore capi poſſint. C

† ſtatis.

Quod in marinis ſtagnis reperiri dixerim, veriſſimum eſſe docet experientia. Etenim in ſtagnis noſtris cum auratis & mugilibus capiuntur, in noſtris autem fluuiis minimè. Veruntamen in Nilo degere ſcribit Athenæus libro 8. Φέρει δὲ ὁ Νεῖλος καὶ ἄλλα γένη πολλὰ ἰχθύων, καὶ πάντα ἥδιστα, μάλιστα δὲ τὸ τῶν κορακίνων, πολλὰ γὰρ καὶ τούτων γένη. Idem alibi, Κορακῖνος ἐκ τοῦ Νείλου &c. Prius enim locum citauimus & emendauimus. Et Strabo libro 17. Ἰχθύες ἐν τῷ Νείλῳ πολλοὶ μὲν ἄλλοι χαρακτηριστικοὶ ὄν ἔχοντες καὶ ἐπιχώριοι: γνωριμώτατοι δ' ὅ, τε ὀξύρυγχος, καὶ ὁ λεπιδωτὸς, καὶ λάτος, καὶ ἀλάβης, καὶ κορακῖνος, &c. Et Plinius lib. 32. ca. 5. Coracini Piſces Nilo peculiares ſunt. Et alibi li. 5. ca. 9. Nilus incertis ortus fontibus, & per deſerta & arentia, originem in mõte inferioris Mauritaniȩ, non procul oceano habet, lacu protinus ſtagnante, quem vocant Nilidem. ibi piſces reperiuntur alebetȩ, coracini, ſiluri. Sunt qui coracinum Nili, à marino diuerſum eſſe dicãt, quod nomen mutent: nam πέλτην vocant Aegyptii, & ἠλίνηρον, vt prius ex Athenȩo diximus. At in aliis qui flumina ſubeunt idem non euenit: nam mugil dicitur, tam qui in ſtagnis marinis & fluminibus, quàm qui in mari degit. & lupus ſiue Tyberinus, ſiue marinus, & ſalmo, lampetra, ſturio, eodem ſemper nomine dicuntur, ſiue in mari ſint, ſiue in fluuiis. Sed ex his effici minimè poteſt, diuerſos eſſe ſpecie, coracinum marinum, & coracinum fluuiatilem, vt nec ſalmo marinus à fluuiatili ſpecie differt, neque aloſa fluuiatilis à marina, ſed ſucci bonitate & ſuauitate differunt. nam piſces huiuſmodi in fluminibus nutriti, longè præſtantiores ſunt iis qui in mari capiuntur, & qui propè fluuiorum fontes, iis qui in oſtiis, quibus in mare influunt: vt ſturio marinus multum ſuauitate inferior eſt eo, qui in Rhodano vel Garumna nutritus eſt. aqua enim dulcis pingues piſces reddit, & odorem illum marinum veluti euit. Huius rei guſtatũ iudicem optimum quilibet adhibere poteſt. Quare nominis varietas differre ſpecie non facit, ſed ea à fretorum & gentium varietate inducta eſt. Exempli gratia: Amia in Gallia Narbonenſi boniton, in Prouincia palamide. Trachurus à Vaſconibus chicharou, à noſtris ſieurel nominatur.

Vbi. Quod fluuiatilis etiam ſit. & Coracinum Nili non alium eſſe quã marinum, licet & alia nomina habeat.
De marinis flumina ſubeuntibus: quodque iidem in fluuiis præſtent.
Amia.

Nunc de ſubſtantia coracini & ſucco. Fluuiatilis & maximè è Nilo melior eſt, niger albo. & elixus aſſo. eſt enim ſtomacho gratior, aluo facilis. & apud Athenȩum libro 7. Amphis: Qui coracino marino veſcitur præſente glauco, ſanæ mentis non eſt. Niloticos verò coracinos (inquit Athenȩus) dulces, bonȩ carnis, & ſuaues eſſe ſciunt, qui periculum fecerunt. Apud eundem (*fluuiatilis coracinus, authore Diphilo*) dicitur eſſe ſubpinguis, minimè mali ſucci, carnoſus, qui multum alat, facilè concoquatur, & diſtribuatur, omnino myllo preſtantior Marinus ſiccior duriorq eſt, & ob id minus palato gratus. Idem eſto iudicium de mugilibus, lupis, cæterisq; huiuſmodi, quin in marino ſtagno, vel in fluminum oſtiis capti pinguiores ſunt & ſuauiores marinis. ſed omnes huiuſmodi minus ſalubri eſſe ſucco, magisq; excrementis abundare cenſeo, tum ob alimentorum copiam, tum quod minus exercentur: quæ etiam in cauſa ſunt, cur citius putreſcant. Eaſdem ob cauſas Galenus mugiles ſtagnorum marinorum & in fluminum oſtiis altos vituperat. Coracinus ſale condiebatur. Galenus: Poſt ſardas(σάρδας)ac pelamydas mylli, qui ex Ponto adferuntur, precipuè commendantur, poſt hos coracini. Et Perſius, Saperdamq; aduehe ponto Coracinum autem ſaperdam etiam dici prius oſtendimus. Athenȩus verò loco paulò antè citato, in quo coracinum myllo in omnibus prefert, Galeno apertè aduerſatur, niſi dicamus à Galeno coracinum maiorem intelligi, ab Athenȩo verò minorem: qui myllum pro mediȩ ætatis coracino vſurpat, vt antea docuimus: qui vero in ſuo genere minores ſunt, maioribus longè præſtant, id quod Galenus ipſe de thunnis declarat. Thunnorum caro, qui & ȩtate & corporis mole ſunt minores, non perinde dura eſt, eoq; hi facilius coquuntur. Coracinus igitur maior, durior eſt & inſuauior; minor contrà, (*mollior, & ſuauior:*) & myllo, qui iam ſatis accreuit, melior. F

Lib. 3 de alim. facult.
Ibidem.
Galenus myllum coracino præfert, Athenæus contra.
Ibidem.

Carbunculos coracinorum ſalſamenta illita diſcutiunt, inquit Plinius: & carnes eorundem aduerſus ſcorpiones valent impoſitȩ. & coracini fel excitat viſum. Lapides in capite repertos valere ad nephriticũ vel colicum dolorem, vulgus exiſtimat. Alii collo ſuſpenſos ad morbum regiũ conferre credunt. Qua ratione aut facultate equidem neſcire me fateor. Et experientia ipſa hoc falſum eſſe arguit. Ad nephriticum verò dolorem valere ſum expertus. Comminuit enim lapides renum: vel pituitam, ex qua calculi gignũtur, & retinentur, exiccãdo, vel pondere ſuo propellendo, vt lapis Indicus, vel Iudaicus, vel lapis Lyncis. Cȩlius Rhodiginus, vir & multȩ, & variæ eruditionis, lib. 12. Lectionum Antiq. hæc ſcribit, Palladii locum caſtigare volens. Scitu non indignum eſſe, ab eruditis obſeruatum, vbi Palladius ſcripſit, G E

Lib. 32. cap. 10.
Ibidem. cap. 5.
Ibid. cap. 7.

cora-

coracinam picem aduersus arborum formicas pollere, reponendum, coracinum piscem, & id ex agricolationum magistris in Græcorum scientia, At nos rem ipsam experiri voluimus, num coracinus piscis antipathia quadam formicas ab arboribus arceat, quemadmodum cancer boues à Galicibus aliisq; arboribus. Sed rem aliter habere experientia ipsa comperi. Quare coracinam picem, vt à resina, quæ nihil aliud est quàm pix alba, differat, legendum esse iudico, vt & Vitruuius coracinum coloré dixit pro nigro.

F Coracinus piscis, si paruus sit, vt aurata à nostris præparatur, vel in sartagine frigitur, vel in craticula assatur. Si magnus, elixus in aqua, aceto & vino albo apponitur, & cum succo oxalidis, vel aceto editur. Si diutius seruandus, assus, aceto & pauco pipere conditur, additis foliis lauri vel myrti vel iuglandis, salsus, elixus ex aceto editur.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Glaucorum generis est, qui Græcis κοράκινος, Latinis quoq; Coracinus à paulò magis nigro, quàm Cyprini fluuiatilis colore dicitur. Massiliensi-us pes Carpa, Comensibus, & qui Lemanum incolunt (marinus enim & fluuiatilis est) pesce Scarpa vocatur. Græcorum vulgus corruptè †Caralzidia nominat.

† forte Koracidia.

B F Media est inter Vmbram & Chromidem magnitudine: Salituris est idoneus; quod & Galenus testatur libris de alimentis, in quibus hoc etiam animaduertendum est, vbicunq; Gracculum perperam ab A interpretibus conuersum comperies, illic Coracinum scribi atq; intelligi debere. quemadmodum & vbi Plinius ex Ouidio Rhacinum pullum esse scribit, illic etiam Coracinum legi oportere. Plinius autem medicus hunc piscem Coruum aspratilem vocat: saxatilem puto dicere voluisse.

Coruus aspratilis.

B Ad Melanurum ipsa forma accedere videtur, latisq; integitur squamis, admodum nigris, vnde nomé habet: capite est ac dorso in Cyprini modum gibberoso, atq; in arcum conuexo, pinnamq; gerit in tergore continuam, duas rursus in lateribus nigras, & vnam sub ventre firmis aculeis vallatam, quibus Glaucus caret: calculosque binos in capite valde magnos, quos nonnulli in pretio habere solent.

F Hunc piscem Galenus duræ esse carnis asseuerat.

COROLLARIVM.

A Nominatur ab Hesychio & Varino κορακῖνος piscis, idem nimirum qui coracinus: & à Tarentino rei rusticæ scriptore κορακῖνος. Coracinum hodie Græci coraca nominant, Massarius. Bellonius à Græcorum vulgo Carakidia dici scribit, malim Korakidia. Coracini à veteribus descripti notę, conueniunt ei qué nos hodie coruum appellamus. aliqui tamen inter coracinum & coruum differentiam non paruam faciunt, huic à colore, illi à motu pupillarum nomen factum dictitantes. sed fortè non aliter differunt, nisi quia coracinus est coruulus, corax verò coruus, Niphus. Differunt genere coracini fluuiatiles à marinis, quod ex Strabonis & Aristobuli verbis coniicitur. Ita enim Strabo decimoseptimo libro loquitur: Pisces in Nilo permulti sunt ac diuersi, qui propriam quandam & suam formam habent, sed maximè noti sunt oxyrynchus & lepidotus, & latus & alabes & coracinus & porcus & phagorius, quem etiam phagrum vocant. Item silurus & citharus & alosa & mugil: ex testaceis (*melius, Ostracion, piscis nomen,*) dilychnus, physa, bos: item cochliæ ingentes, quę vocem vlulatui similem edunt. Posteà paulò post inquit ex opinione Aristobuli, nullum piscem ex mari ascendere præter mugilem, alosam, & delphinum, propter crocodilos. Quare cum coracinum è mari non subire Nilum, & in eo tamen reperiri constet, coracinus marinus erit ab eo qui fluuiatilis est, specie omnino distinctus, quemadmodum & perca. nam eius duo genera etiam uersa sunt, alterum scilicet marinum, alterum fluuiatile, Massarius. Rondeletius verò eundem marinum & Nili coracinum esse asserit: etsi nominibus varient.

Myllus an idem coracino sit dubitatur.

Myllus an idem coracino sit, vt pro ętatis & magnitudinis ratione tantum nomina euarient, vt Rondeletius asserit, diligentius considerandum est. Authorem quidem aliæ suæ opinionis quàm Athenęum habere ipsum non puto: qui hoc non asserit, sed insinuare videtur, eò quod coracinum eundem saperdę facit: & platistacum quoq;, qui myllus maior est, saperdam vocari ait. quod argumentum non sufficit. nam apua salita quoq; saperda vocatur, & coracinus non est. Sed quoniam corporis quoq; species, nempe latitudo quæ & nomen platistaco dedit, coracino astipulatur, idem fortassis fuerit: præsertim cũ coracini fluuiatiles ab Alexandrinis etiam plataces appellentur: & mylli maiores facti, platistaci. quanquam Dorion in lib. de piscibus separat. Coracinum (inquit) multi saperdam vocant, estq; optimus illorum qui è Mæotide palude adferuntur. Deinde de mugilibus ait: tum de myllis: γνωτίδια (inquit, vel ἀγνωτίδια, lego ἀγνωτίδια quinq; syllabis, vt ibidem proximè sequitur) vocantur parui mylli: platistaci verò magni, mediocres mylli. Euthydemus coracinum scribit à multis saperdam nominari, cui Heracleon Ephesius & Philotimus quoq; assentiuntur. Cęterum quod saperdes etiam platistacus vocetur, (ὅτι ἢ καὶ πλατιστακὸς [*lego πλατιστακὸ, vt alibi habet ex Dorione quatuor syllabis, cum acnto in vltima, quanquam & πλατίστακος pro paroxytonum ibidem scribitur in vulgatis codicibus, vt in Varini quoq; Lexico*] ἀλεῖται ὁ σαπέρδης,) vt coracinus quoq; Parmeno Rhodius in Magaricis docet, Athenæus. Coracinos Alexandrini πλάτακας vocant ἀπὸ τοῦ ὑπερέχοντος, (per excellentiam interpretor, quod Græci aliter κατ' ἐξοχὴν dicunt,) Idem. Μύλλος paroxytonum genus est piscis, Hesychius & Varinus. Μυλλὸς vero oxytonum, qui strabis vel peruersis oculis est: item placenta quædam ex sesamo & melle, Siculis vsitata, Athenæus lib. 14. quanquam apud eundem lib. 9. μυλλὸς piscem vltima acuta (errore nimirum librariorum) inter alios quosdam ex Mnesimacho nominari reperio. Oppianus Halieut. primo, carminis causa primam corripuit, lambda altero abiecto: Petræ quædam humiles (inquit) iuxta arenosum mare sunt, leprades cognominatæ, id est nudæ: [illegible] coracini verò eidem circa petras herbosas degunt, vt statim subiicit. Myllus vulgò myllocopion à Græcis dicitur, Hermolaus in Plinium. hoc si verum est, non idem fuerit coracino: quem Græci hodie coracem, vel karakidion nominant, vt prædictum est. nisi quis diuersis in locis Græciæ, nomina etiam eiusdem piscis diuersa vsurpari causetur. Nicea non procul à Varo amne in Ligustico littore sita, piscem vocat Figon, quem nostræ ætatis Græci Myllocopion appellant. Oppianus, & Plinius inter pisces numerant Myllon, quem Oppiani commentaria eum interpretantur, quem vul-

Figon.

gò no-

gò nominant Græci Myllocopion. Hunc Massiliæ videre non potui, an sit Iecorinus, an Myllus, an alius, certi nihil habeo. Hoc duntaxat dixi, vt ex mea inscitia alios exacuam ad diligentiorem inquisitionem, Gillius. De pisce Figon Italicè dicto plura leges infra in Corollario de Hepato. Coracinus æolias quoq; dicitur à nonnullis: quãquam alius piscis est ęolias Epicharmo, Hermolaus. Vide suprà Aeoli in A. elemento. Coracinum Alexandrini Heminero (ἡμίνηρον per η. in prima & penultima) vocant, Athenęus lib. 3. vbi & hæc eius verba leguntur: Ἢ τῶν καλῶν ἡμινίρων (*sic habet codex noster per iota in penultima & antepen.*) ἢ τῶν πελαχηρῶν σιλούρων. addit, Heminirus quid differat ab hemitaricho Archestratus dixit. Meminit eius & Sopatrus Paphius: Ἐδέξατ' ἀντακαῖον, ὃν τρέφει μέγας Ἴστρος, Σκυθαισιν ἡμίνηρον ἡδονήν: sentiens nimirum Scythas non minus antacęo suo Istriano gaudere, quàm Alexandrinos heminiro aut coracino salso. de salsamentis enim agit eo in loco Athenęus.

Aeolias. *Heminerus.*

Saperdam Photion pro apua inueterata, & harundinibus infixa capit, Hermolaus: qui Etymologum Photionem vocare solet: cuius verba hic adscribam, Saperdas quinq; & quatuor percas Lycophron dixit. Sunt autem saperdę, apuę calamis transfixę (διηρημέναι, nimirum à διείρω, vt iota subscribendum sit sub ἦτα. etsi Varinus habet διηρημέναι) & inueteratę: vel succidia & laridum (πάνθεια τευάχη, ἃ ἔνδον πᾶ Λαγόνες καλοῦσι). Sunt & percæ pisces: & forsitan ab iis saperdę nomen factum est, quod apuas exiccatas significat. Sed eruditiores saperdam aiunt esse tomum piscis inueterati. carcinum (lege coracinum, & similiter apud Hesychium) enim piscem, Pontici saperdam nuncupant. Coracidia pro apuarum genere quodam, vide suprà in fine scriptorum de Apuis diuersis. Saperda, genus pessimi piscis, Festus. Saperdę pisces nominantur ab Aristophane in Holcadibus, Athenęus. Καὶ σαπέρδας τοὺς περὶ Μαιανδρον [illegible] κα-λοῦσι, Porphyrius lib. 3. de abstinentia ab animatis. Τὰς μαινώτας, καὶ σαπέρδας, καὶ γλανίδας, Archippus. Saperdes (σαπερδὴς, oxytonum per iota, malim σαπέρδης paroxytonum per ἦτα, genere masc. Gaza vertit saperdis, Niphus saperdes) semel tantum ab Aristotele memoratur, quod sciam, circa finem libri 8. de animalibus. idq; inter fluuiatiles (& lacustres, vt Vuottonus addit) vt eundem esse coracinum fluuiatilem nõ dubitem: Saperdes (inquit) grauidus commendatur. Idem verò alibi de marino scribit: Coracinus cum vtero fert optimus est, vt mæna. Et quid agam rogitas? en saperdam aduehō Ponto? Sat. 5. Grammatici quidam recentiores indocti, Saperda (inquiunt) genus est conchæ mali saporis, & nonnunquam pro sterquilinio ponitur. Saperdę, quasi sapientes & elegantes. Varro Modio, Omnes videmur nobis esse belli, festiui, saperdæ, cum simus κάπροι, Nonius. Perottus habet, cum simus canopi. nam quod Festus Pompeius (inquit) scribit saperdam genus esse pessimi piscis, vbi legerit ipse dicat. Volebat quispiam apud Diogenem Cynicum philosophari cui ille saperdam (interpres pernam transtulit, dedit, ac sequi se iussit. Vt autem ille prę uerecundia abiecto quod ferebat, abscessit. post aliquãtulum occurrens illi ridens ait: tuam & meam amicitiam saperdes (σαπέρδης) dissoluit. Apollodorus refert Phrynas meretrices duas fuisse, quarum vna Clausigelos cognominata sit, altera Saperdium, Athenæus & Eustathius. Cæterum scaperda Hesychio genus ludi est in Bacchanalibus vsitati. trabs ad hominis staturam erigebatur, perforata vt inserendum reciperet funem, quem viri vtrinq; singuli certantes obuersis inter se dorsis, omni conatu in diuersas partes trahebant. Omne etiam quod difficile est σκαπέρδα vocatur: καὶ ὁ πάχων, σκαπέρδης. Σκαπερδεῦσαι, λοιδορῆσαι. Σκάπαρδος, ὁ ταραχώδης καὶ ἀνάγωγος: hoc est irrequietus aliquis & malè educatus. Λακκοσκαπέρδον, λακκόπρωκτον, Omnia apud Hesychium.

Saperda. *Coracidia.*

Gaza ex Aristotele pro coracino coruulum vel graculum vertit: & coracian autem generis monedularum interpretatur graculum. nam & Itali multi vulgo coruum hunc piscem aut coruulum vocant. Celsus coruum piscem nominat inter eos qui teneriores leuioresq; sunt illis ex quibus salsamenta fieri possunt, cum aurata, scaro, oculata. Vbicunq; graculum interpretes Galeni verterunt, coracinus scribi & intelligi debet, Bellonius. Graculo similem draconem marinum dixit Plinius: colian puto graculi nomine intelligens.

Coruulus. *Graculus.* *Coruus.*

Coruus piscis subniger est ad corui similitudinem, vnde nomen accepisse putatur, Platina. Vulgò quidem corbo, corno, vel corf ab Italis, Venetiis & alibi vocatur. Corbetto autem Venetis dictus, Bellonio glaucus est, à Rondeletii glaucis omnino diuersus. Chromin aliqui cum coruo confundunt, vt in eius historia diximus. itaq; coruo marino etiam vocem attribuunt, quę ad chromin pertinet. Coracinus pisciculus est spinosus: vulgò dictus *loguarracino*, Scoppa Italus. Guarracini nomen à coracino factum apparet. fortè autem non coracinus maior & albus, sed minor & nigrior sic ab eis appellatur. quoniam Scoppa pisciculum esse ait, & alibi coruulus diminutiuo nomine appellatur. Sic enim ad me aliquando Cornelius Sittardus scripsit: Cornulus piscis est, quem alii coruulum vocant in Italia: vulgo coracino dicitur, & capo grosso, & coruafili: erythrinus ab aliis vocatur, sed malè vt existimabat Gisbertus Horstius. est in deliciis mensarum. Hæc ille, qui & iconem misit suis coloribus expressam: capite crassiusculo, &c. colore passim, pinnis etiam (quas binas parte prona ostendit, coracino non conuenientes) caudaq; rubentem, alibi subflauus ei, alibi niger color est. Erit igitur triplex, vt videtur, coracinus, albus ac niger, quorum meminit Rondeletius: ac tertius, paruus, rubescens. Coracinum Bellonius scribit in Lario (et si in codice eius Lemanus non rectè scribitur pro Lario) lacu vulgò pesce scarpa vel carpa vocitari. In Lario equidem piscem carpam reperiri vix puto, nisi cyprinum aliqui in eo fortè sic vocent, quem tamẽ vulgò burbarum vocant, vt Romæ etiam. Benedictus Iouius qui Larii lacus pisces carmine descripsit, carpam nullam, sed bulbulum nominat, hoc est burbarum siue cyprinum. Piscis quem pro citharo siue cantharo (confundit enim) Bellonius pinxit, & ille quem pro coracino, quomodo distinguendi sint, nõ dum satis video. Verunq; ad melanuri formam accedere ait, &c. Cum piscem, inquit Gillius, quem Massilienses vocant Castaneum, à colore castaneæ, piscatori cuipiam ostendissem, dixit in Corsica, vnde ille ortus esset, vocari Cornulum. Cum Neapolitano etiam piscatori demonstrassem statim respondit, Coracinum Neapoli vulgò nominari: à quorum probando tandiu iudicio me sustinebo, quoad videro magis similem (*veterum descriptioni*) Coracinum, quem Speusippus, in libro Similium, Melanuri dicit similitudinem gerere. Hæc ille. Sed à castaneæ colore dictum piscem, cantharum esse, non coracinum, Rondeletius docet.

Cora-

Coracinus piscis latus & squamosus. Germanis per Saxoniam vocatur *ein Rab*, (hoc est coruus,) vt Eberus & Peucerus scribunt. Nos inter Paralipomena *Rab* piscem inter Capitones fluuiat. exhibebimus & describemus. Sed *Karass* etiam piscis inter albos eiusdem fluminis numeratur: cyprino tum specie, tum squamis, non dissimilis, vt audio, minor, sed latior & sapidior, albior. ad libram (sedecim vnciarum puto) vnam accedunt, maximi ad duas. Habentur & in Bohemia, & Polonia (in Vistula & stagnis, vbi aluntur) eodem nomine: in quo scribendo Germani variant, *Karas, Karuontss, Kariss, Gariss*. Nomen sanè ad coracem vel coracinum alludit. Circa operis finem vtriusq; iconem exhibiturum me spero, beneficio Kentmani. Nos interim coracinum fluuiatilem vocabimus cum eruditis illis viris, *ein Rab*, vel *Rapp*, id est coruum simpliciter: marinum verò, *ein kleinen Seerab*, vt ab vmbra & lato piscibus cognatis distinguatur. vide supra in Corollario ad Chromin Bellonii. vel per periphrasin, *ein Meerbremen oder Meerkarpfen art*.

B Nilus multa piscium genera, eaq; omnia suauissima nutrit, maximè verò coracinorum, Athenęus. Coracini pisces Nilo quidem peculiares sunt, Plinius. In Istro flumine permulti diuersiq; pisces nascuntur, & coracini quoq;, Aelianus. Et rursus, Istri confluente per hyemem glacie astricta, piscatores alicubi ea perfracta veluti puteum excauant: vbi vt in stricta scrobe cum permulti alii pisces facilè capiuntur, tum plurimi cyprini, & coracini, Aelianus. Speusippus similes esse ait melanurum & coracinum, Athenęus. Coruus piscis marinus fuluus est, è stagno nigricans, alga vescitur, & bis anno parit, Volaterranus Athenęum citans: apud quem hæc verba iam non reperio. A fuluo quidem colore coracini κηροειδεῖς Epicharmo dicuntur μελανοπτέρυγοι Aristophani à nigritia pinnarum, αἰόλαι Numenio ob varietatem coloris. Coracinus apud Plinium lib. 9. cap. 17. scribitur lapidem habere in capite, legendum est autem chromis, non coracinus, tam ex vetustis codicibus, quàm ex Aristotele, Massarius. *Lapides in capite coracini.* Atqui coracinum quoque lapillos habere in posteriore capitis parte Rondeletius scribit, quibus ad morbos quosdam vulgus vtatur, &c. vide verba eius in G. Coruina lapis in capite corui piscis reperitur, & semper bini sunt. *Coruina.* color eius albus opacus est, cum oblonga ac gibbosa figura ab vna parte, in altera concaua cum aliqua eminentia in medio, extrahitur palpitante pisce, ac Luna crescente, mense Maio. Gestatus vt carni adhæreat, ilium dolores aufert, tritus ac sumptus idem facit, Camillus Leonardus Pisaurensis: qui & alium quendam coruinam lapidem memorat, ex decoctis ouis de nido corui, &c. In coracini capite lapillus inuenitur, quem puerorum collo pro amuletis suspensum regio morbo aduersari, ignobiles quidam authores tradiderunt, Incertus. Sunt qui coruinam lapidem aliter synodontidem dictum tradunt. Sed alius est Synodontites, è Synodonte pisce: de quo infra in Synagride dicemus. qui è coracino est, coracinites vocari potest: qui è chromi, chromites: è sciæna, sciænites, quem Bellonius Pierre de coliq; vulgò, Gallis nominari scribit. Coruus subniger est ad corui similitudinem, vnde nomen accepisse putatur. pinnas in tergo oblongas gestat, lapidemq; in capite, Platina. Coracinus est latus piscis, subniger, atq; squamosus, pinnis nigricantibus. quæ notæ ei quem nos hodie coruum appellamus pulchrè conueniunt. is enim gibberosus est, & proportione cæterorum squamosorum, admodum latus videtur, Niphus.

C Coracinus locis saxosis degit, Aristot. Oppiano coracini circa petras herbosas degunt, myli circa lepades, hoc est nudas. Plinius ex Ouidio nominat orphum rubentem, rhacinumq; pullum, perperam vt apparet, nisi coracinum legas pullum, & forte versus ille desit in vulgatis codicibus, in quo nominatus ab Ouidio fuerat. Sed versus Ouidii inter pelagios pisces, sic habent: Cantharus ingratus succo, tum cõcolor illi Orphus, cæruleaq; rubens erythrinus in vnda. Ouidius quidem pelagios aliquos facit, quos alii fide digniores inter saxatiles numerant. Coracini pisces gregales sunt, Aristot. Coracinos Grammatici quidam Græci ab assiduo pupillarum motu dictos volunt, (ἀπὸ τοῦ διηνεκῶς τὰς κόρας κινεῖν, καὶ μηδέποτε παύεσθαι, Athenęus) quod etymon alii in carcinon, id est cancrum aptius mihi referre videntur, qui oculos totos mobiles habet: vt coracino potius, vt Oppiano placet, color ater nomen fecerit. Coruus alga vescitur, & bis anno parit, Volaterranus tanquam ex Athenęo: apud quem nihil tale nunc reperio. Coracini nonnusquam messe tritici pariunt, Aristot. Et rursus, Coracinus & mullus pariunt autumno. sed ille post mullum fœtificat inter algas, vtpote qui locis saxosis degat. fert vterum longo temporis spacio. Et alibi, Coracinus pręcipuè inter minora genera piscium celeri incremento perficitur. solet hic parere iuxta litora, algosis densisq; locis, lib. 5. ca. 10. historię anim. vnde Athenæus etiam repetiit. Sed interest nonnihil: Συμβαίνει μὲν οὖν (Athenæus addit σχεδὸν) πᾶσι ταχεῖαν γίνεσθαι τὴν αὔξησιν τοῖς ἰχθύσιν, οὐχ (Athenęus negationem non habet) ἥκιστα δὲ κορακίνῳ τῶν μικρῶν, &c. Prodest coracinis ferè pręter cæteros pisces annus squalens: quod his quoq; ob eam rem commodior est, quia per siccitatem potius tepor accidit, Arist.

E Coracini aliiq; pisces in Istro congelato, scrobe putei instar excauata, facilè capiuntur, Aelianus. Esca ad capiendos tantum coracinos pisces magnitudine pręstantes, ob excellentiam ipsius compositionis: Recipit lenticulæ torrefactæ. scrup. viij. cumini torrefacti, drach. 1. vuę immaturę, betonicę viridis ana drach. iiij. Coronopodis herbæ tantundem, anthyllidis amaricantis, hoc est viridis, drac. j. palmularum iam flaccescentium, drach. iiij. castorei, drach. j. Omnibus propè contusis addens succum anethi, trochiscosq; fingens, eis vtitor, Tarentinus.

Thynnus & anthię capiuntur esca coracini, Oppianus lib. 3. Halieut. Aulopiæ quomodo coracinis inescentur, ex Aeliano dictum est in Aulopia inter Anthias. Tarentinus in Geoponicis, ad tenues pisciculos arundine capiendos escam describens: Caridum fluuiatilium (inquit) drachmam accipito, buccinarum tantundem. quos pisces vbi in garo ex coracino pisce (ἐκ κορακινιδῶν) confecto, delituerint integrum biduum infusi, tertia die extractos, inescandi vsui exponito, &c. Palladius coracinam picem nominat contra formicas arborum; sed mendosa lectio est, & coracinum piscem legendum, id quod ex Græcis rei rusticæ scriptoribus elicias, Hermolaus. Locus est ex Paxamo in Geoponicis Gręcis, lib. 13. cap. 10. Sunt qui piscem coracinum dictum (ἰχθὺν τὸν καλούμενον κορακῖνον) arbori appendant, ac sic interficiant formicas. Vide Rondeletium supra in E.

F Quantum thunnus vilissimis coracinis pręfertur, tantundem conger cæteris piscibus pręstat, Archestratus. Alii alibi pisces principatum obtinent, coracinus in Ægypto, Plinius. Princeps Niliaci raperis coracine macelli, Pellææ prior est gloria nulla gulæ, Martialis lib. 13. Coracinum Niloticum nobilibus

etiam

etiam marinis piscibus adæquari tradit Xenocrates, Κορακῖνος δὲ ὁ ἐκ τοῦ Νείλου, ἥττων δὲ ὁ μέλας τοῦ λευκοῦ, καὶ ὁ ἑφθὸς τοῦ ὀπτοῦ. οὗτος γὰρ εὐστόμαχος καὶ εὐκοίλιος, Diphilus Siphnius. Quem locum Natalis de Comitibus sic cõuertit: Coracinus è Nilo peior niger candido: ac elixus assato. hic siquidem stomacho ventriq; confert: Rondeletius pro ἥττων legit κρείττων: cui assentior: & pro δὲ sequente καὶ repono, vt ita legatur: Κορακῖνος δὲ ὁ ἐκ τοῦ Νείλου, κρείττων: καὶ ὁ μέλας τοῦ λευκοῦ, &c. & Latinè vertatur: Coracinus è Nilo pręstantior est, (*quàm marinus*:) & niger quàm albus: & elixus quam assus. elixus enim tum stomacho tum ventri conducit. Niloum quidem anteferri marino, satis iam probatum est. elixum verò asso salubriorem esse, quoniam duriusculæ carnis est, (pręsertim adultior paulò,) & ventrem magis mollire, (quod Diphilus εὐκοίλιον esse dixit, hoc est bonam aluum facere,) non est dubitandum. Ἥττων quidem vocabulum Gręcis non modò minus & inferius magnitudine, sed etiam bonitate, hoc est deterius, significare scio. *Ἥττων.* Et ita Diphilus quoque paulò pòst vtitur: Τῶν δὲ κεφάλων κατὰ μὲν τὴν τροφὴν ὁ κεστρεὺς, ἥττων δὲ ὁ μύξος, ... Item Hicesius, Λέγονται δὲ εἶναι οἱ κέφαλοι, καὶ πρὸς τὴν γεῦσιν, καὶ πρὸς τὴν εὐχυλίαν, δεύτεροι δὲ εἰσὶ τούτων οἱ λεγόμενοι κορακῖνοι, ἥττονες δὲ οἱ μύξινοι. Saperdes etiam grauidus commendatur, Aristoteles circa finem libri 8. de fluuiatilibus agẽs. Alibi idem de marino dicere videtur: Coracinus cum vtero fert, optimus est, vt alec, (męna.) Minimè intus vitiantur (id est in ventriculo corrumpuntur) auratæ pisces. neq; solum aurata pura aut scarus, sed etiam lolligo, &c. Celsus. malim, neq; solum aurata, coruus, & scarus &c. nam & alibi sic habet: Piscium (inquit) eorum qui ex media materia sunt, (id est, mediocriter alunt.) quibus maximè vtimur, tamen grauissimi sunt, ex quibus salsamenta quoq; fieri possunt, qualis lacertus est: deinde qui quamuis teneriores, tamen duri sunt, vt aurata, coruus, scarus, oculata. Coracini marini parum alunt, & facilè excernuntur, bonitate succi mediocres, Hicesius. Hippocrates in libro de internis affectionibus, in primo splenis morbo obsonium Gaditanum, aut saperdam: Et hæc eadem rursus commendat, si hydrops à splene fuerit. Tarentinus escas piscium describens, meminit gari, ἐκ κορακινιδῶν, id est è coracinis: nisi quis coracidia fortè apuarum generis intelligat. Heminerus, id est Coracinus fluuiatilis, inter salsamenta facilè cõcoquitur, digeriturq;: abunde nutrit, minimeq; mali est succi, Vuottonus. Coruus optimis piscibus annumeratur. Coqui, siue magnus, siue paruus vt de varrolo (Varrolus Romæ dictus lupus est) diximus, potest. frictum moreto cui modicum allii insit, aut sinapio suffundito, Platina.

G Coracini pisces Nilo quidem peculiares sunt sed nos hæc omnibus terris demonstramus. carnes eorum aduersus scorpiones valent impositę, Plinius: quasi non omnes coracini, neque marini, sed Niloi tantum hoc pręstent. Panos salsamenta coracini discutiunt, Idem. Carbunculos coracinorum salsamenta illita discutiunt: item muliorum salsamenti cinis. quidam capite tantum vtuntur cum melle, vel coracinorum carne, Plinius. Corui marini fel inunctione adhibitum, caligines tollit, albugines & cicatrices extenuat, carnes excrescentes compescit, fluoresq; oculorum reprimit, Marcellus Empiricus. Corasi (lego coracini) fel cum melle cuncta (cunctam, vel inunctum) visus hebetudinem sanat. Huius quidem fel & corui, & perdicis, & scari, & scorpionis, ęqualiter, cum melle & opobalsamo illita, summè iuuant hebetudine visus laborantes senes: & vulturis fel, Kiranides libro 3. inter remedia ex piscibus. Affirmat Palladius dolorem laterum sedari, si sub annulo gestatus lapis de capite corui piscis, carnem attigerit, Platina. Lapides omnes qui in piscibus, cancris, coruo, & aliis gignuntur, prohibent generationem lapidum in renibus, genitosq; dissoluunt, Cardanus.

H.a. Coracinus dicitur vel à colore nigro (qui κορὸς Gręcis est, vnde & κόραξ, id est, coruus,) vel ab assiduo pupillę motu, Cælius ex Oppiani interprete. Vide etiam in Cancro a. nam is quoq; καρκῖνος, quasi κορόκινος dicitur. Κορακίας, ὁ μέλας, ὁ κολοιὸς, καὶ κορακῖνος ἰχθύς, Hesychius. Suidæ etiam κορακίας, nigrum significat. Aristoteles primum graculi genus coracian appellat. Antiphanes & Pherecrates apud Athenęum κορακινίδια forma diminutiua protulerunt. Coracinus fortè est coruulus, corax verò coruus, Niphus. sed forma diminutiuorum in ινος Gręcis vsitata non est. Coracinus penultimam circunflectit & semper producit: Χαλκέα, καὶ κορακῖνον ἐπώνυμον αἴθοπι χροιῇ, Oppianus. Καρκῖνος verò corripit. Ἀλλ' ἱέρακα (Cleonem intelligit) φιλεῖ μεμνημένος ἐν φρεσὶ, ὅς σοι Ἥρπαγε σπουδήσας Λακεδαιμονίων κορακῖνον, pro κόρας per iocum, Aristophanes in Equitibus. Archippus τοὺς κορακιῶντας dixit pro iis qui coracinos pisces in cibis appetant.

Epitheta. Coracinum (quamuis rhacinum habent vitiati codices) pullum Plinius ex Ouidio cognominat. Μελανοπτερύγων κορακίνων Aristophanes in Telmissensibus. Αἰολίαν κορακῖνον, Numenius. Κηροειδέες coracini Epicharmo cognominantur.

Coracina pix, apud Palladium, vt quidam legunt, hoc est atra: alii ibidem coracinum piscem legere malunt. vide supra in Rondeletii scriptis E. Vitruuius lib. 8. coracinum colorem dixit pro nigro, à coruo aue nimirum. Coracina sacra legimus apud Ambrosium in Pauli epistolam ad Romanos, quæ Coraci pręstarentur, siue is intelligatur coruus seu eius nomenclaturę deorum mutorum (*forte multorum*) vnus, Cælius Rhodig. Coracine sphragis, pastillus quidam Asclepiadis est apud Galenum de compos. medic. sec. genera lib. 5. ca. 2. Coracinus viri nomen est in Epigrammatum Martialis lib. 6.

Τῶν δ' ἐν κορακίνων πέραν οὐχὶ λαμβάνεις, Οὐδὲ τριχίδος, οὐδ' οἷον ἑψητῶν τινων, Alexis. Apud Athenæum nominantur ex Mnesimacho φυξῖνος ὅλος, κορακῖνος ὅλος, ἠλακατῖνος, &c. E

DE CORACE, RONDELETIVS.



ΚΟ'ΡΑΞ

A KO'PAΞ piſcis à Grecis, à Latinis coruus, à noſtris cabote à capitis magnitudine dicitur, (*àqua & lyram Rondeletii, aliqui caponem vel capitonem vocant,*) à Romanis gallina, (*Cuculus etiam à Maſſilienſibus Galline dicitur, Rondeletio teſte*) à Burgegalenſibus perlon, vt reliqui ſimiles.

B Piſces eſt marinus, corporis forma miluo ſimilis, aculeorum pinnarumque magnitudine diſcrepans. Oſſa branchias integentia cælata in aculeos deſinunt. Pinnæ quæ ad branchias, minores quam in hirundine, maiores quàm in miluo ſunt, ex viridi nigricantes parte interiore, exteriore albeſcunt, cum maculis rubeſcentibus. Dorſum ex cæruleo nigricat, latera rubeſcunt. Venter lactei eſt coloris. Caput eſt magnum, locus inter oculos cælatus. In dorſo virgas ex oſſiculis contextas, inſtar cuculi habet: in eodem pinnas duas, prior eſt breuior cum aculeis longioribus acutioribusq; poſterior longior eſt, cum multo minoribus aculeis. Linea ſimplex à capite ad caudam ducta eſt. Palato minus eſt flauo quàm miluus. Ventriculum paruum habet cum multis appendicibus, inteſtina tenuia, hepar ex albo rubeſcens.

Carne puriore eſt quàm miluus, teſte Atheneo, lib. 8.

Coracem eſſe, quem hic exhibuit, in Lucerna ſeu Miluo probat Rondeletius.

COROLLARIVM.

Qui Coruus piſcis & apud Latinos veteres quoſdam vocatur, vt Celſum: & hodie vulgò apud Italos vt diximus, non alius quam coracinus eſt. Rondeletius diuerſum vt faceret, vno opinor Athenęi loco commotus eſt, vbi is ſcribit corui carnem duriorem eſſe quàm milui: inſinuans ſpeciem reliquam eſſe ſimilem, carnem duntaxat in cibo duriorem. Quæ igitur de coracino corui nomine dicta ſunt, non repetemus. Κόραξ piſcis quidam, Heſychius & Varinus. Corax Rondeletii quomodo Germanice nominari poſſit, lege in Cuculo A. in Corollario. Xenocrates κόρακον ſcribit piſcem eſſe predurę carnis, qui & in maiorem auctus magnitudinem durior euadit, ſapore viroſo: difficulter in corpus digeritur, Vuottonus. Coriax, ſalſamenti genus eſt, fortè coracinis. Diuturnos frequenter dolores diſcuſſit allium: item ſalſamentum, vt encatera dicta, & coriax, Trallianus in curatione hemicraneæ. Iacobus Goupylus in Annotationibus ſuis: Suſpicamur (inquit) hæc duo verba, ἐγκατηρὰ & κορίαξ vel κορίαξος, ex ſermone vulgi Græcorum petita, quibus τῶν ταρίχων genus aliquod ſignificatur: quo ęgris vtendum in his morbis, quos humor frigidus, craſſus, & viſcidus creauiſſet, auctor præcipere ſolebat, vt ex multis huius libri locis facile omnes videre poterunt. Verbum autem ἐγκατηρὰ deductum arbitror à nomine ἔγκατα, quo ſignificantur inteſtina, tum piſcium, tum quadrupedum: quę etiamnum ταριχεύεται, id eſt ſale cōdiuntur. Scio ſitim à ſalſa pituita obortam, ſedatam eſſe ſalſorum cibariorū vſu, veluti à ſalſamento, & coriaxo, & encatera, & cappari, οἷον ἀπὸ ταρίχου, καὶ κοριάξου, ἢ ἐγκατηρᾶς, ἢ καππάρεως, Idem Trallianus in capite de ſiti. Hoc in loco (inquit Goupylus) κορίαξος dicit, quod ſuperius κορίαξ dixerat.

Coraxus. *Coriax.* *Encatera.*

CORACON, Κορακὸν, aſtacum, nympham, vrſam, cancrum, pagurum, ex malacoſtracis inter ſe ſimilia eſſe, dicit Speuſippus libro 2. Similium, apud Athenęum. Vide an pro coracon, legendum ſit cárabō.

CORCHORVS, Κόρχορος (vt Suidas habet, quod magis probo,) vel Corcorus, Κόρκορος, (vt Heſychius & Varinus.) vile quoddam olus ſylueſtre eſt, à quo & prouerbium natum, Corchorus inter olera: in homines viles & nullius æſtimationis, qui ad maiorem quàm mereantur dignitatem aſpirant. Sunt qui corchorum piſcem interpretentur, ſicut hippurum, vilem in cibo, Hęc Suidas. Lycophron falſus eſt, κόρχορον putans eſſe piſciculum quendam, Eratoſthene teſte. eſt enim olus quoddam agreſte & vile in Peloponneſo: vnde prouerbium: Καὶ κόρχορος ἐν λαχάνοις, Scholiaſtes in Veſpas Ariſtophanis.

DE CORDYLO, RONDELETIVS.

Hanc iconem ex Bellonii libro ſumptam, poſuimus etiam in Appendice de Quadrupedibus vna cum Bellonii deſcriptione.



QVod hic exhibetur animal Crocodilum terreſtrem non eſſe in eius hiſtoria docuimus, ſed Cordylum Ariſtotelis eſſe crediderim, cuius tribus in locis meminit, annotans ex iis animalibus quæ pedes habent vnum tantum eſſe Cordylum qui branchias habeat. Vnus eſt li. 4. de partib. anim. ca. 13. Cordyli branchias habent & pedes, pinnis enim carent, ſed cauda illis ſoluta & lata. Alter eſt in libro de reſpiratione: Pedibus carent piſces omnes: etenim quæcunq; habēt, ad ſimilitudinē pinnarū habent. Verum ex iis quæ pedes habēt, vnū nouimus cui ſint branchiæ, Cordylus appellatur. Tertius hiſtoriæ animalium 1. 1. Hic diſſimulare non oportet in exemplaribus excuſis aliquando Crocodilū vel crocodiliū repertū fuiſſe. At rectè Cordylum legas teſtimōio Athenæi Ariſtotelē citantis. Κόρδυλος, τοῦτον Ἀριστοτέλης φησὶν ἀμφίβιον εἶναι, ὃ τελευτᾶν ἀπὸ τοῦ ἡλίου καιαθέντα, (ἀναυθέντα, fortè) Νουμήνιος δ' ἐν ἁλιευτικῷ κόρυλον αὐτὸν καλεῖ.

Cum igi-

Cum igitur quod hic proponitur quadrupes ſciſſuram branchiarum & branchias habeat, non poſſum non exiſtimare Cordylum eſſe Ariſtotelis, cui ſoli ex quadrupedibus contigit branchias habere. Eſt quidem Crocodilo ſimilis, ſed minor. In dorſo cute tantum integitur: cortice ſquamoſo, cauda, pedib. capite tectis. Capite eſt minore, breuiore minusq; acuto quam Crocodilus. poſt oris rictum foramen vnicum ſeu rimam branchiarum habet. pedes in digitos quinq; diuiſos, his & cauda natat.

COROLLARIVM.

DE Cordulo quadrupede amphibio iam ſcripſimus in libro de quadrupedibus ouiparis, item in Appendice hic etiam alia quædam addemus. In Ariſtotelis codice Gręco, libro 4. de partibus animalium, cap. 13. crocodili pro cordyli, mendoſe legitur, Maſſarius. Libro 7. cap. 2. hiſtoriæ animal. Ariſtotelis verba explicans Niphus: Non exploratum eſt (inquit) quid cordulus ſit. in noſtris quidem codicibus loco corduli, habetur κροκόδειλος, crocodilus: de quo loquens Epheſius tradit crocodilum ſolum branchias habere, & pulmone carere, paſci tamen in terra. ideo mihi conſonum (probabile) eſt Ariſtotelem hæc dicere de crocodilo aquatili, non de cordulo piſce aliquo, neque de cordyla fœtu thūni, Hęc ille. Ego in meo Ariſtotelis codice Baſiliæ vulgato, κορδύλος paroxytonum ſcribi reperio, in libro de reſpiratione capite 10. noſtræ diuiſionis: & ſimiliter Hiſtoriæ anim. lib. 7. cap. 2. Tractationis verò de partib. anim. lib. 4. cap. 13. οἱ δὲ κόρδυλοι, proparoxytonum: atq; hęc omnia maſc. genere: Rurſus Hiſtoriæ lib. 1. cap. 1. κορδύλη genere fœm. quod non placet. diſtinctionis enim cauſa cordylum quadrupedem maſc. genere ſemper dixerim: cordylam verò thunni fœtum fœminino. Et κορδύλη quidem pro quadrupede cum ſemel duntaxat apud Ariſtot. inueniatur, vitioſè ſcriptum facilè aliquis ſuſpicetur: in maſculino autem genere & ſæpius ſcribitur, & ex adiunctis vt articulis, & participijs, rectè ſic ſcribi confirmatur. An verò cordylus paroxytonum aut proparoxytonum ſcribatur rectius, conſiderandum eſt. ego paroxytonum malim, ſicut apud Ariſtotelem bis reperio, proparoxytonum ſemel, apud Athenæum quoque proparoxytonum eſt. ſed video nomina in λος triſſyllaba per lambda ſimplex. pleraque omnia proparoxytona eſſe: vt αἰόλος, adiectiuum (nam proprium antepenacuitur) [illegible], μυτίλος, μυρτίλος, (nam Σίμυλος apud Suidam non rectè ſcribi puto:) [illegible], Δουγίλος, [illegible], ὄρχιλος, Χοιρίλος, Ἥδυλος, κορμύλος, &c. per lambda verò duplex, proparoxytona ſunt, vt [illegible]: & ſi alia etiam conſona præcedat lambda, vt Ἴφικλος, [illegible]. nam Αἴφικλος compoſitum eſt, & accentum tranſtulit, vt & alia huiuſmodi, Θεόφιλος, Σώφιλος, item [illegible], ſed hoc plurium ſyllabarum eſt. proparoxytona etiam inuenio, βίθυλος, [illegible], κόρυλος, κόνδυλος, [illegible], [illegible], ἔρθυλος, ſed hoc quoq; tres ſyllabas excedit. Hæc mihi curioſius fortè indagantur: ſed occaſionem fecit negligentia grammaticorum, qui hac de re nihil, quod ſciam, obſeruarunt. nam neque apud Gazam aut Euſtathium nunc reperio: neq; aliâs apud alios tale quid legiſſe memini. Vide an Cordylo nomen ſit factum à ſpecie & mobilitate caudę, qua cordylam, id eſt ligulam fortè refert, quod vel inde cōijcimus, quoniam ſiluri caudæ comparatur, cui à motu caudæ inditum nomen eſt.

Crocodili di... lo ſcri... *De genere accentu huius vocabuli.*

Vidimus in fonte paruulo Lugduni (inquit Cardanus) piſciculos cum duobus pedibus in parte anteriore, quaſi ſub alis. Erant autem veri piſces: quos ego capitones libenter à capitis magnitudine, quod ranis ſimile habent, lato ſcilicet & humili, ac magno ore, appellauerim. In his videtur natura prouidiſſe, vt è ripa firmius cibum ſumere poſſent. An verò è ranarum naſcentium numero? an Cordulus Ariſtotelis? ſed Cordulus quatuor pedes habet, Hæc ille. Mihi quidem planè de gyrinis loqui videtur, hoc eſt imperfecto ranarum fœtu: de quibus multa ſcripſi in libro de Quadrup. ouiparis in Rana c. hos bipedes primum eſſe puto, poſtea quadrupedes. De ijſdem nuper Martinus Benedictus Bernenſis, vir pereruditus, rem miram ad me ſcripſit: nempe in Stocchornio monte altiſſimo ditionis Bernenſium lacus duos ſpectari meridiem verſus: in quibus animal nullum reperiatur præter lacertas aquaticas, ſalamandras, & ranarum ſoboles magno capite, cauda longa, quatuor pedibus, quos Græci (inquit) gyrinos vocant: ranæ verò omnino nullæ iſthic comparent, inſident hæ beſtiolę ripam ad Solem ſe apricantes.

Caudiuerberæ, quam Bellonius Crocodilum terreſtrem, Rondeletius cordylum Ariſtotelis, facit, copioſa deſcriptio, ex literis ad me datis Bononia, à Thoma Eraſto Heluetico medico & philoſopho doctiſſimo. Animal eſt crocodilo ſimile, minus, inferius labrum mouens, ore & capite teſtudini ſimilibus. Collum breue habet, in parte inferiore inflatum, ita vt qua parte corpori & capiti coniungitur exiguum, in medio longè capacius exiſtat, quaſi tumefactum, idque parte tantum inferiore. Pedes quinis † digitis quatuor habet inſtar lacertarum aut crocodilorum. Reliquum corpus non ſquamoſum ſed pelle duriuſcula contectum, cui ſuperinductum eſt veluti ſerpentis exuuium album. Forma eius talis eſt cum ſubiecta cute, qualis cera molliuſcula, cui pannus lineus impreſſus eſt, quaſi poroſa. Caudam habet rotundam in circulos diuiſam, modo ferè inexplicabili mihi in his rebus deſcribendis nunquam verſato, dicam vt potero. Squamæ ſunt duriſſimæ, videnturque oſſeæ, & ferè quadrangulę & planæ, niſi quod cauę ſunt leuiter, vt caudam efficiant rotundam. Ita vna alij coniuncta eſt, vt tegulæ, cerniturq; quaſi rimula quædam inter adiunctas mutuo ſquammas in circuitu, ſed in extremitate prorſus pares ſunt, vt finis in circuitu efficiat circulum. Sequentes poſtea ſub his ortæ eodem quo illæ modo circulum faciunt, ſed tanto minorem, quanta eſt ſquammarū craſſitudo, quę tanta eſt, quanta ferè cultelli ea in parte, qua acie caret. Hoc ordine vſque ad extremum deuenitur vbi tres ſquamę circumeūt & tegunt caudę corpus, vtpote minimum iam redditum. Dicendum autem hoc quoq; eſt, in extremo cuiuslibet ſquamę in parte ſuperiore quaſi ſpina acutiſſima inſidet, non tamē longa, & ſurſum ſpectat, non verſus finem caudæ prominet. Fines enim ſquamarum exactè pares ſunt. Depingam in charta, quātum mihi pingendi imperitiſſimo licebit, diligenter imaginem. Pictor cuius opera vtimur, iam pridem laborat, & qui habet non pharmacopola eſt, ſed vir nobilis, neq; vult cuiquā dare. Vocat caudiuerberam, quia continuo caudę agitatione diuerberet. Putant quidam genus lacertæ eſſe, cuius fecerit mētionem Ariſtot. in ſuis de animalibus alicubi libris. Hoc quod vidi eſt paruum, decies maius vix æqua-

† In Bellonii pictura crocodili terreſtris, 4. tantum digiti pinguntur. *Cauda.* *Caudiuerbera.* *Lacertæ genus.*

 ret

ret crocod. magnitudinem. Squamæ, vt dixi, ferè sunt quadrangulę. Punctum quod in fine est, pede latiore extremitati insidet, & sursum spectat, nisi parum versus caput reflecti quis dicat. Desinunt autem in circulum hoc modo. Oportet tamē intelligere, vt est dictum, alios sub alijs ordines ortos, perinde atque tegulæ sub tegulis prodeūt, & tantum semper in ambitu de magnitudine caudę decedere, quanta est squamarum crassities.



Pellucidæ videntur, flauescentes aut pallentes & osseę, seu potius corneæ. Cauda tota eā habet flexionem fer , & corporis proportionem, quam cauda crocodili ad reliquum corpus. Venter tamen in hoc quam in crocodilo magis plenus, rotundus & inflatus est instar sacci cuius extremitates paulò sint angustiores. Tergum latum & quodammodo planum, vt ima quoque pars ventris, quæ tamen rotunda magis est. Tergum non videtur prorsus instar lacertorum tergoris planum, sed quandam, leuem tamen, habet rotunditatem efficiens prominentiam. Si aliqua saltem spinarum similitudo requiritur, in Raiæ piscis cauda fortassis reperiuntur: id quod affirmare non audeo, cum ad manum non habeam.

De Salamandra aquatica, siue Lacerto aquatico, quem Bellonius cordylum esse putauit, multa scripsi in libro de quadrupedibus ouiparis: & plura etiam hoc in libro adferam, infra in Salamandra aquatica: vnde Cordylum hoc animal non esse, facilè constabit.

Phattages.

Nunc quid sit caudiuerbera vulgò dicta, (quam Gręcè vromastigem vel poti' vræomastigem Latini vocabuli imitatione dixeris.) inquirendum est diligentius: & primum potissimumq; an reuera branchias habeat, sicut Bellonij icon repræsentare videtur, quod mireris, cum in descriptione earum non meminerit, vt neque Thomas Erastus qui sceleton mihi descripsit. Rondeletius Bellonij iconem imitatus videtur, nec animal ipsum vidisse. Quid si hic Phattages ille Indicus sit? de quo Ælianus libro 16. cap. 6. de animalibus, sic prodidit: In Indis nascitur bestia, quę crocodili terreni speciem similitudinemque gerit. magnitudine est Melitensis catelli. pellis eius adeo aspera densaq; cortice munitur. (περιπέφρακται δὲ δορᾷ τραχείᾳ ...) vt detracta ei limæ (ῥίνης. Gillius non rectè serram reddidit) vsum prębeat, & vel æs dissecet ac ferrum exedat & conficiat. eam Indi Phattagen vocant. καλοῦσι δὲ φαττάγην ... (... .) Inscriptio capitis habet, Περὶ τοῦ ἐν Ἰνδοῖς ὃς καλεῖται φαττάγης. vt phattages in recto singulari masculino proferatur.

Pisces Babylonis.

Cordyli amphibij & pedibus gradientis historia, admonet me piscium quorundam, qui pinnulis ceu pedibus gradiuntur: & hoc cum cordylo commune habent, quod etsi branchias habeant, egressi tamen cibum petant in terra: quod Aristoteles alicubi soli aquatilium cordylo attribuit. Nam exocetus egreditur quidem, sed non pabuli causa: vt & ceracea quædam pedibus prædita. Piscium genera etiamnum à Theophrasto mira produntur: circa Babylonis rigua, decedentibus fluuijs, in cauernis aquas habentibus remanere. Quosdam inde exire ad pabula pinnulis gradientes, crebro caudæ motu, contraque venanteis refugere in suas cauernas, & in ijs obuersos (ἀντιπρόσωπους) stare. capita eorum esse ranæ marinę similia. reliquas partes gobiorum, branchias vt cęteris piscibus, Plinius. Leguntur autem eadem apud Aristotelem in libro Mirabilium narrationum: & in Theophrasti de piscibus libello copiosius. Aristoteles inquit eos exire εἰς τὰς ἅλως, id est ad areas, quasi frugibus aut seminibus vescantur. Theophrastus cum cætera omnia similiter habeat, hoc non habet: vt neq; Plinius. Sunt apud Indos pisciculi (inquit Theophrastus) qui è fluuijs in terram exeunt, & saltant, ac rursus in aquam abeunt, sicuti ranæ: aspectu similes τοῖς μαξίνοις, (μαξίνοις, Athenæus ab initio libri 8. hæc citans.) Sunt & circa Babylonem, &c. vt iam ex Plinio retuli:) qui in terram exeunt: & si quis insequatur, recipiunt se fuga in aquam: & facies obuertunt. Sępe enim accedentes aliqui eos iritant. quod autem pedibus careant, & pinnis, quas bene magnas habent, ad ingressum se promoueant, ab ijs qui persequendo multos ceperunt, cognitum esse. Hi pisces fortè cognati sunt gobio fluuiatili nostro maiori & capitato, vel potius mustelę fluuiatilis generi quod lotam appellant Galli circa Lugdunum: quorum genus vnum etiam alicubi fossile reperit: potest .n. carere aqua: astipulatur oris species, ranæ siue palustri, siue marinæ similis, & corpus reliquum gobio. Et circa Heracleam Ponticam Lyco amne decedente, ouis relictis in limo generari pisces aiunt, qui ad pabula petenda palpitent exiguis branchijs, author Plinius.

Cordyla thunni partus.

Corydelis idē.

Κόρδυλος piscis quidam est, Varinus. Scordyli à Tarentino inter piscium marinorum genera numerantur. Σκόρδυλα, θαλάσσιοι ἰχθῦς, ἔνιοι κορδύλη, Hesychius. sed scórdyla scribi non placet, κορδύλη placet. Σκορδύλη, ζῶον τι τῶν τελματιαίων (τελματιαίων) ἐμφερὲς ἀσκαλαβώτῃ. Idem. hoc est, Scordyle, animal est palustre, stellioni simile: non aliud nimirum quàm cordylus. Córdylus etiam vrbs est Pamphyliæ Hecatęo in Asia, Stephanus. Cordylla (Cordyla potius per l. simplex. vel Cordyle, κορδύλη, appellatur partus qui fœtas redeuntes in mare autumno comitatur, Plinius. De hac plura leges in historia thunni. Ne toga cordylis, & penula desit oliuis, Martialis lib. 13. Corydelis salsamentarius piscis est, quem nos cordyllam vocamus, Græci & cordylida & dorylum, (*fortè cordylum.*) at cordila (*cordyle*) tumores in capite significat. & mitellam quoque Cyprijs eam, quam Persæ cidarin, Athenienses crobylon appellant, Hermolaus. Numenius corydelidis (κορδυλίδος, lego κορυδηλίδος) meminit hoc versu: Ἢ μύας, ἢ ἵππους ἠὲ γλαυκὴν κορύδηλιν, Athenæus. Καὶ γοργὸν ἐξήγειρεν ἐκ τῆς ἀσπίδος, Aristophanes. id est, durum tumorem ex ictu clypei in capite ei excitauit. παρ᾽ ὑπόνοιαν (inquit Suidas) γοργόνα dixit pro κορδύλην. nostri bullam vocant tumorem in capite ex ictu obortum, *ein beülen*. Ὑπώπιά εἰσιν ἐκχυμώματα ὄψεων, καὶ ... ἀπὸ κορδύλας φασί: καὶ χαλκοῖς ὀξυβάφοις ταῦτα ἀνατρίβοντες, ἀφανῆ ποιοῦσι: Scholiastes Aristophanis in Pacem, μώλωπας etiam mox, id est vibices, suggillata hęc appellans: quę apud nos etiam stanneis vasis impositis, delentur. Κορδύλη, τὸ περὶ τῇ κεφαλῇ περιείλημα, Persis Κίδαρις, Suidas in Κίδαρον. Sed rectius fortè κίδαριν legeretur. cidaris enim Persicum capitis inuolucrum, tegumentum, aut pileus est; vt idem Suidas in Cappadocem. Κορδύλα (vel potius κορδύλη) baculus pastoralis, vel clauæ caput (hoc est pars crassior) est, Varinus καλαῦροψ. Forsitan & cordylus quadrupes à figura sic nominatur, quod caput ei pro reliqui corporis portione maius sit, instar ranæ marinæ, vt dictum est: quæ ratio an etiam

etiam cordylis thunnorum conueniat, nescio. conuenire tamen coniecerim. semper enim in fœtu nouello caput præ cæteris magnum apparet. Κορδύλη, πᾶν τὸ ἐξέχον καὶ συνεστραμμένον: καὶ ὁ περὶ τὸν ὦμον δεσμός. id est, omne quod prominet, & contortum est vel nodosum: & vinculum(fortè nodus vestimenti) iuxta humerum, Suidas & Varinus. qui prouerbium etiam, Κορδύλης οὐκ ἄξιος, memorant. De quo Erasmus Rot. Ne ligula (sic cordylam interpretatur) quidem dignus, inquit, dicebatur homo nequam & nullius precij. quod prouerbij durat etiam hodiernis diebus apud Latinos (*Germanos fortè ... ere voluit*) vulgo iactatum. Tametsi magis arbitror piscis cordulæ vilitatem prouerbio fecisse locum: cuius vilitatem ostēdit & Martialis lib. 11. Primum(inquit) apponentur lactuca & porrum: Mox vetus & tenui maior cordyla lacerto, Sed quæ cum rutæ frondibus oua tegat. Hęc Erasmus. An verò cordulam rectè verterit ligulam, dubitari potest. Ligula sanè non à ligādo dicitur, sed à lingua diminutum est lingula, & per syncopen ligula: quod nomen inter alias significationes, segmētum quoq; corij oblongum cui fibula calcei inseritur, denotat. Non extrema sedet lunata ligula (alias lingua) planta, Martialis. Et ligulas dimittere, solicitus, ne Tota salutatrix iam turba peregerit orbem, Iuuenalis. hanc ligulam si Erasmus Gręcè κορδύλην dici putauit, idonei alicuius scriptoris testimonio comprobari debuit. Imposuit ei fortè (si modo errauit, vt suspicor, nondum assero) quod grammatici quidam cordylen appellent, vinculum circa humeros. Ego cordylen non pro ligula calciamenti: sed pro fascia acceperim, qua caput vel alia pars corporis obuoluitur. in prouerbio autem, fasciam ne vel piscem cordylam, accipere pręstet dubitari potest: ideoque vocem Græcam relinqui præstat. Ligulas calceorum, Græcè etiam γλώττας vocari solitas puto. Μέρη δὲ ὑποδημάτων, γλῶτται, καττύματα, ἴχνοι, Pollux 7. 20. vbi quid sibi velit vox ἴχνοι non assequor: nisi quis ἴχνη legat, & calceamentorum vestigium intelligat, quo terra calcatur. Quod si quis ligulam à ligando dictam esse putat, & cordylam, quasi chordulā, id est funiculum aut lorū accipit, ineptus homo est. Dormit adolescens in Nubibus Aristophanis Ἐν πέντε σισύραις ἐγκεκορδυλημένος: ἤγουν ἐγκεκρυμμένος. κορδύλην γὰρ οἱ Κύπριοι λέγουσι τὸ περιείλημα τῆς κεφαλῆς, Scholiastes. Cordulas intestinorum hœdi Vegetius dixit: malim chordulas. Chorda, χορδή, vocatur intestinum crassum ouillum, Varinus.

CORIDESTRAES, Κωριδεστραές, animal marinum, Hesychius & Varinus.

CORIS nomen est piscis. Vide infra in Escharo, in E. litera.

DE CORNVTA.

Lyra piscis.

ATTOLLIT cornua è mari sexquipedalia ferè cornuta, quæ ab his nomen traxit, Plinius libro 9. Ipse potius legerem, (inquit Massarius:) Attollit cornuta è mari sexquipedalia ferè cornua, vt omnes codices habent. Quis enim tam rudis est qui sequentia verba scilicet quæ ab his nomen traxit, non ad cornutam referat? Cornuta videtur esse piscis magnus, cum Plinius inter pisces maiores connumerauerit tricesimosecundo. Cornua habens sexquipedalia, hoc est longitudinis pedes vnius & semis, vnde nomen accepit. Piscatores Massilienses mihi narrarunt, se aliquando piscem cepisse, cuius cauda accederet ad duorum cubitorum longitudinem, largo ore, & duobus cornibus cubiti longitudine fuisse, & ad ducentas libras accessisse, eiusq; nomen ignorasse. equidem ipse ex Plinio arbitrabar Cornutam esse: is enim hunc inter maiores pisces numerat, & cornua ait sesquipedalia habere, Gillius. Cornuta Plinij belua est. Rondeletius etiam piscem cornutam vocat, & alio nomine lyram alteram: eumque etiam Plinij cornutam esse conijcit, quòd à maxilla superiore promineant veluti cornua ad semipedem ferè interdum, vnde semipedalia fortè legendum apud Plinium suspicatur. Ius in cornutam Piper, ligusticum, origanum, cepam, vuam passam enucleatam: vinum, mel, acetum, liquamen, oleum, & coques, Apicius 10. 3.

CORONE, Κορώνη, grammaticis Græcis, pręter cornicem auem, & alia quędam, piscis quoque genus significat.

COROPHIA, vel Corycia, vel Corythia, vide in Muricum historia: & superius in Colycijs.

CORYCI, Κώρυκοι, à Macedonibus conchæ asperæ vocantur, Athenęus.

CORYDELIS. Vide superius in Cordylo.

CORYPHÆNA piscis idem qui Hippurus est. Quære in H.

CORYTHIA, lege Colycia.

COSTAS, Κόστας, vocauit Diphilus pisces quosdam salsamentarios, Hermolaus.

COTHVS, Κῶθος, idem qui gobius, Numenio, hoc versu: Ἠὲ σκάρον, ἢ κῶθον τρόφιμον. Et Sophron fortassis τὸν τοῦ θυννοθήρα υἱόν, id est thunnorum piscatoris filium ab hoc pisce Cothoniam Κωθωνίαν, appellauit. Siculi quidem pro gobio κώθωνα dicunt, Athenæus. Κῶθιν, κῶθος, genus piscis. Varinus.

COTTVS fluuiatilis pisciculus Aristoteli, vt Gaza transtulit: Græcè enim Boitus legitur, in Gobio fl. maiori dicetur.

CRANGÆ, vel CRANGONES, Crangines vertit Gaza, è genere Squillarum sunt.

CRAPATALLI, Κραπάταλλοι, pisces quidam, Hesychius. Κραπάταλλος παρὰ πολλοῖς ὁ μωρός. ἢ νόμισμα, Idem. Κραπαταλλίας, ἀνεμώδης καὶ ἀσθενής, ἢ ἀνίσχυρα λέγων, ἄμεινον δὲ ληρώδη. Idem, hoc est, ventosus, infirmus, nugator. CREMYS. Vide in Chromi.

CRIOS, Κρειὸς, Athenienses vocant conchas asperas, Athenæus.

CRISSAS, Κρίσσα, nomen est ciuitatis, & piscis, Suidas. Nos thrissam semper, non crissam, apud authores pro pisce legimus.

DE CROCODILO, RONDELETIVS.

CROCODILVS aqua destitutus diu viuere nequit. Animal est partim fluuiatile, scilicet Niloticū, C
partim terrestre: quod ad quindecim cubita excrescit authore Aristotele, vel plerunq; ad duodeviginti vt tradit Plinius. *Vbi.* Inuenitur etiam in India noua in insulis Honoratę vrbis. Et flumen Darat Crocodilos gignit in Mauritania. Magno est oris rictu, dentibus longissimis & validissimis, exertis, B
in vtraq; maxilla pectinatim dispositis. Lingua caret Crocodilus Ægyptius, inquit Aristot. ea enim in re piscibus quibusdam similis est. cum enim pisces spineam nec absolutam contineant linguam, tum vel *Lingua.*

maximè nonnulli adeò lęuem indiſcretumq; eum ipſum linguæ tribuerum locum ſortiti ſunt, vt niſi labrum admodum diduxeris, ne veſtigium quidem linguæ inſpicere poſſis. At reuera linguam habet, ſed latam & breuẽ vt in exiccatis Crocodilis cernere licet, quos mercatores ex Ægypto deferendos curant: linguam, inquam, multò interiore quàm in cæteris animantibus oris parte ſitam, & hærentem. Cum igitur valde imperfecta ſit, ea carere exiſtimatur. Maxillam ſuperiorem mouet Crocodilus, vt docet experientia, id quod annotat etiam Ariſtoteles lib. 2. de hiſt. cap. 7. Maxillæ à capite protendũtur oſſa duo quarum inferiorẽ animalia omnia mouent, excepto fluuiatili Crocodilo. Hic enim vnus non inferiorẽ, ſed ſuperiorem mouet. Sed id non ſoli ex omnibus animalibus Crocodilo peculiare: nam inter aues phœnicopter⁹ ſuperiorem partem roſtri mouet, vt annotauit Menippus Philoſophus libro de Homine. Cute eſt corticea, dura, contra omnem ictum inuicta, in dorſo tuberculis inæqualibus aſpera, in vẽtre læui. Pedes quatuor habet breues, p corporis magnitudine, qui in digitos vngulo⁹ acutiſſimis munitos diuiſi ſunt. Lateribus aduexa crura tum priora tum poſteriora, retro inflexa, & paulum ad latus vergentia vt in lacertis. His in ſumma aqua expanſis natat & cauda, in qua magnum ineſt robur. Interna lacertis ſimilia habet.

Maxillæ ſuperiorum motus.

Phœnicopterus.

D Terribilis hæc contra † fugaces belua eſt, fugax contra inſequentes. Tradit Plinius, lib. 8. cap. 25. alium eſſe Crocodilo hoſtem Delphinum, qui ſe vt territus immergens, cultellata dorſi pinna Crocodili aluum, cuius mollis tenuisque eſt cutis, ſecat. Quã de re quid ſentiam, in Delphino expoſui.

** fugaces.*

B Sunt qui Crocodilum podice carere credant, ſed falsò. Cum enim oua pariat, meatu aliquo ea emitti neceſſe eſt, atque eodem excrementa excerni, vt in lacertis & alijs animalibus quæ oua pariunt euenit. Sed vt in lacertis, ita in Crocodilis meatus non apparet ſquama ſiue cortice tectus, quamobrem eo carere exiſtimantur. At ij quum egerere volunt, cerni poteſt.

Podex.

E Crocodilos aliquando cicurari poſſe author eſt Ariſtoteles lib. 9. de hiſt. cap. 1. Carniuora manſueſcunt commodi ſui ratione, quale ſe genus Crocodili exhibet ſacerdoti locis quibuſdam propter cibi curam quæ ibi inſumitur, quod idem fieri cęteris etiam locis intelligi licet. Strabo narrat in Arſinoe, quę prius Crocodilorum ciuitas dicebatur, cultui habitos ſacrosq; fuiſſe Crocodilos, & à ſacerdotibus nutritos pane, carne & vino, quę à peregrinis afferrentur ad huiuſmodi ſpectaculum venientibus, à ſacerdote vno Crocodili os aperiri, ab alio panem, carnem, vinum injici, tum Crocodilos in lacum exilire.

Lib. 17. Geogr.

De Eodem quę Bellonius ſcripſit, recitaui in Appendice de Quadrupedib. ouiparis.

DE CROCODILO TERRESTRI, RONDELETIVS.

Quinam autem reuera ſit Crocodilus terreſtris, neſcire ſe fatetur ingenuè, quod eo etiam fatetur.

Plinivs libro 28. cap. 8. genera duo Crocodilorum conſtituit. Proximè fabuloſus eſt Crocodilus, inquit, ingenio quoque illo, cui vita in aqua terráq; communis, &c. Alter illi ſimilis multum infra magnitudinem, in terra tantum, odoratiſſimisq; floribus viuit, ob id inteſtina eius diligenter exquirũtur iucundo odore referta. Crocodileam vocant, oculorum vitijs vtiliſſimam, cum porri ſucco inunctã & contra ſuffuſiones vel caligines. Hoc ſecundum Crocodili genus quale ſit, ingenuè fateor me neſcire, malo enim id fateri, quã mihi ipſi ſtudioſisque imponere ac res incertas pro certis proponere. Igitur an hęc ſecunda Crocodili ſpecies Scinc⁹ ſit, mihi nondum certum eſt: quamuis dicat Plinius Scincum querundam ſententia terreſtrem eſſe Crocodilum. Non ſum neſcius pro Crocodilo terreſtri à viris doctis haberi, à quibuſdam etiam exhiberi animal Crocodilo aſpectu ſimile, corpore quidem læui, cæterum capite, cauda & pedibus, cortice ſquamoſo contectis. Verùm quia poſt oris rictum branchiarum

branchiarum rima apparet, neque Scincum, neque Crocodili ſpeciem eſſe dixerim, propterea quod Crocodili branchijs careant, ſed ſolus Cordylus ex pedeſtribus habeant, quas ſubeſſe rimas illa etiam in pictura authoris librorum de aquatilibus expreſſa indicat. Neque verò Cordylus Ariſtotelis, Crocodilus terreſtris eſſe poteſt, quoniam Cordylus partim in aqua degit, partim in terra, Crocodilus terreſtris in terra tantùm, ad diſcrimen illius qui ancipitis eſt naturæ.

COROLLARIVM.

Crocodili multi ſunt in India, Germanicè dicti *Allegarden*: quorum crura ſunt quatuor, breuia, magnis munita vnguibus, cauda longa, corpore grandi. Captiui (in carceribus aqua circunfluis, vel inſulis) horum metu, ne ab eis rapiantur, aquæ ad enatandum ſe committere non audent, Ex nauigatione Hamburgenſis cuiuſdam peracta anno Domini M.D.XLIX. Nomen quidem *Allegarde* Germanicum non eſt, ſed factum (vt conijcio) ab Hiſpanico legarto, quod lacertũ ſignificat. Cui vacat, plura de crocodilis in Hieroglyphicis Pierij Valeriani leget. A

Nilus & Indus crocodilos gignunt, Pauſanias. Nearchus tradit in Indo flumine nec multos crocodilos inueniri, nec hominibus infeſtos, Strabo. B

Crocodilus de teſteis ouis naſcitur, qualia ſunt volãtium, Macrobius. Oua parit candida, Bellonius. Oua crocodilorum cooperiuntur in arena calida & ſicca, vt pullificent, Petrus Aponenſis in Problemate 20. 26. Vt primum ab incubatione ouorum crocodili catuli fuerint excluſi, ſcorpium ex ipſo (ἐξ αὐτοῦ, Philes habet ἐξ αὐτῶν, id eſt ex ipſis ouis) naſci audio, cuius caudæ aculeo venenato ille ictus intereat, Ælianus de animalibus 2. 33. Duo dicuntur eſſe pelecanorum genera, vnum aquaticum quod piſcibus: alterum terreſtre, quod ſerpentibus & vermibus viuit: & dicitur delectari lacte crocodilorũ quod crocodilus ſpargit ſuper lutum paludum: vnde & pelecanus ſequitur crocodilum, Albertus: ſed ouiparo animali lac tribuere, ridiculum eſt. Circa Xaguaguara in Orbe nouo Hiſpani Colonum ducé ſecuti, crocodilis alicubi occurrerunt: qui aufugiebant aut mergebantur, odorem à tergo muſco vel caſtoreo ſuauiorem relinquebant. Nili accolæ de crocodili fœmina idem mihi retulerunt: de abdomine præſertim, quòd Arabicos æquet odores quoſq;. Petrus Martyr Oceaneæ decadis libro 4. Veteres non aquatici, ſed terreſtris crocodili inteſtina (vt Plinius) iucundo odore referta eſſe aiũt, quod odoratiſſimis floribus viuat. C

Iſin aiunt cum fratris Oſiridis corpus à Typhone diſiectum quęreret, in nauicula è papyro confecta per paludes nauigaſſe. quamobrem in nauiculis è papyro contextis nauigantes, lædi à crocodilis negãt, ac ſi illi papyrum propter hanc deam vel colant vel metuant, Plutarchus in libro de Iſide. D

Adeps crocodili illitus, draconis marini morſus curat, vt quidam ex Auicenna citant. G

Labyrinthi ædificia ſubterranea præpoſiti Ægyptiorum nolebant vllo pacto nobis monſtrari, quòd dicerent illic tum regum ſepulchra eſſe, tum ſacrorum crocodilorum, Herodotus lib. 2. H. a.

Scincvm aliqui crocodilum terreſtrem vocant: de quo nos copioſe ſcripſimus in libro de quadrupedibus ouiparis: & Bellonij de eo ſcripta in Paralipomenis recitauimus. De Salamandra aquatica, quam pro ſcinco indocti aut impoſtores pharmacopolæ ſupponunt (venenum pro medicamento) quãque cordulum Bellonius eſſe putat, itidem in libro de quadrup. ouip. & in Paralipomenis ſcripſi, addãque plura, infra in S. elemento. Ranæ, quas ſcincoides vocant, numeroſiores quàm par ſit, peſtilentiæ futuræ aliquando præſagia ſunt, Alex. Benedictus.

Ctara, Κτάρα, piſcis omnium minimus, Heſychius & Varinus. Hictar, ἵκταρ, à Callimacho in nomenclaturis gentium cum encraſicholo, trichidijs, & calcide nominatur, vt refert Athenæus, idque in nominandi caſu. Quærendum eſt autem de genere eius, an ſit maſculinum vt μάκαρ, an fœmininum vt θάλαττα, an neutrum vt nectar, item an aſpirari debeat, quod probabile eſt, vtpote à verbo ἵκτω, à quo etiã ἰχθὺς formari videtur, tenuibus in denſas conuerſis. Eſt autem hictar piſciculus viliſſimus: id quod vel corruptum Byzantij in vſu nomen indicat: κταῦρας enim appellãt, Euſtathius in Odyſſeæ Ψ. Eſt & aduerbium ἵκταρ, propè ſignificans: vnde paræmia, Οὐδ' ἵκταρ βοᾷλει, αὐτὸ τὸ δοῦ, ἐγγὺς τῆ σκηπῆ μένετω, Idem. Inuenio & cum tenui (apud Heſychium & alios, ἴκταρ ſcribi aduerbialiter. Ἰκτάρα, ἐθνικῶς, ἰχθῦς (τις) Heſychius. *Hictar.*

Ctedon, Κτηδών piſcis quidam Κτηδόνες. τελοδοντες (hic diſtinxerim) ἰχθύες. καὶ θηλάδια, καὶ αἱ ἐπ' ἀλθείας τῶν ξύλων ἐκφύσεις, Varinus. Κτένδων, (malim oxytonum,) τριόδους, Heſychius. Quidam in Lexico Græcolatino vulgari κτηδόνα interpretatur floſculum qualis lanę eſt pectinem ligneum: venas & diuiſiones in lignis pectinum modo, hoc eſt, διαφύσεις, diſcriminationes. Vide Marcellum Vergilium lib. 3. cap. 1. & lib. 1, cap. 110.

DE CVCVLO, RONDELETIVS.



A ΚΟ'ΚΚΥΞ Latinè cuculus, vt auis ita piscis à voce dicitur, à nostris morrude ab ore; quia morre vocant os cum prominentibus labris. Galli à mullis non distinguentes, quod eiusdem sint coloris, rouget vocant, (*vt lyram quoque:*) Santones hunc & similes perlon, Massilienses galline, (*Corax etiam similis piscis à Romanis Gallina dicitur, Rondeletio teste.*) Agathenses rondelle à corporis rotunditate. Neapolitani Græci nominis vestigia seruantes cocchou, quasi coccygem, Maris Illyrici accolæ organo (*Lyram quoque similiter à voce organo vocari scribit apud Lanore*) à voce.

Pisces vocales qui & quomodo, ex Aristotele.

Aper piscis Acheloi amnis, vocalis est, & chalcis, & cuculus. alter enim quodammodo stridet: alter perinde vt cuculus auis obstrepit, vnde nomen accepit. Quæ omnia creditam vocem emittunt, aut attritu branchiarum (horridi enim asperiq; sunt ij loci) aut ventris internis partibus, in quibus spiritum inclusum habent: quem dum atterunt atque agitant, sonos illos edunt.

B Cuculus piscis est marinus, hirundini marinæ corporis specie similis, si os, alarum magnitudinem, squamarum copiam excipias. Ventre est candido, reliquo corpore rubro. Capite magno, angulato. Rostrum in duos aculeos breues terminatur. Palpebrarum loco duo itidem sunt aculei parvi. Capitis quoque posterior, & superior pars in duos aculeos ad caudam spectantes desinit. Item os branchias operiēs aculeos habet. Cute tenui integitur, præterquam in medio corporis latere, in quo virga protensa est, ex squamis tenuibus contexta: & in dorso, in quo à capite ad caudam duo squamarum aculeatarum ordines protenduntur, locum medium cauum relinquentes: è quo pinnæ duæ exoriuntur, quæ natando eriguntur, quiescendo in cauo veluti in vagina conduntur. Harum prior minor quidem est, sed primos aculeos longiores & acutiores habet. Posterior longior est, à medio dorso ad caudam ferè protensa: sed aculeos minores, & pilis similes habet. Pinnis quatuor natat, duabus ad branchias positis, mediæ longitudinis, quæ extremis partibus rubescunt: duabus alijs in supina parte æqualibus, candidis. ante has pendent veluti fila, quemadmodum in hirundine diximus. Pinna alia est à podice ad caudam, qui ori quàm caudæ propior est. Toto corpore est carnoso, spisso, rotundo, circa caudam latiusculo. Cauda in pinnam latam terminatur, perinde ferè ac in hirundine. Branchias duplices habet, palatum flauū, gulā breuem. Ventriculi appendices multas. Hepar ex albo rubescens, sine felle: splenem rubrum, vesicam
(A) aeris plenam, spissam. Musculos magnos habet & carnosos, vnde à Gallis quibusdā refait vocatur quasi dicas bene curatum & saginatum: vtuntur enim hoc nomine πολυσαρκίαν significare volentes.

F Ob spissitudinem lateram commodè in sartagine frigi non potest: ideo Itali in duas partes sectum frigunt, quam præparandi rationem per manus ab antiquis acceperunt. Nam Epicharmus & Dorion apud Athenæum libro 7. per spinam diuisos diu coqui iubent. (*Hæc in Corollario fidelius recitantur.*) Nostri elixos in aqua & vino, ex aceto vel oxalidis succo edendos apponunt. Vel in olla coquunt, omphaico, croco, pipere, folijs apij condientes. Cuculus dura, siccaq; est carne, nihil aut parum admodum glutinosa, est tamen miluo tenerior, teste Athenæo libro 8. Ὁ δ' ἱέραξ, κολλώδης σαρκώδης μὲν κόκκυγος.

A Hunc quem depinximus verum antiquorum cuculum esse, docet illa cum hirundine & mullo similitudo: maxime vox illa [illegible]. quam edit, cum retibus capitur: tum color ruber, à quo Numenius apud Athenæum libro 7. [illegible] appellat.

RVRSVS DE CVCVLO, EX BELLONIO: IPSE CVCVLVM *simpliciter nominat, vel minoris cognomen addit. maiorem enim illum facit, quem Rondeletius Lyram appellat, cui pinnæ cæruleas, minori rubentes tribuit.*

Icon Bellonij omnino alia quam Rondeletij est, similis Lucernæ Venetijs dictæ, cuius iconem in L. elemento dabimus, (vbi nos aliquando pingi curauimus, quæ quam carne est ad branchias pinnis, quem colorem maiori cuculo suo Bellonius adscribit) nisi quod vtrinq; infra branchias cirros ostendit: quales in Rondeletij cuculo, ab altera tantum parte terni spectantur.

A Nihil est cuculo pisce in piscarijs Gallicis frequentius, cuius corporis compages & habitus ad Callionymum accedit, & Miluo quodammodo est similis. Grandibus est pinnis præditus. quamobrem Oppianus Cuculum celerem cognominauit. Cuculum rufum esse, Numenius est author, vnde nostris à rubedine Rougetus dicitur. Speusippus tradit Mulo esse similem. vnde nonnulli Trigolam à similitudine appellant, vt iam in Trigla diximus.

B Corio contegitur membraneo, squamis carente: nisi hę sint admodum subtiles, atq; in dorso minus quam in ventre. Duos habet ordines asperitatum in tergore, veluti squamas in se inuicem incumbētes,
** nouenis.* inter quas duæ pinnæ tergoris continentur: quarum, quæ capiti vicina est, † nonis obfirmatur aculeis: altera ad caudam obtusa sine aculeo exporrigitur. verum etiam vnam iterum vtrinque ad latera habet: ac pro pinnis anterioribus, cirrhos hinc atque inde ternos, spineos, qui in alijs piscibus non visuntur: branchias vtrinq; quatuor: Caput osseū, rugis exasperatū, in quo aculeū vtrinq; vnū (vt in dracone marino dicetur) circa branchias exertum reperias, Dentibus caret. quorū loco aspera tantùm habet labia.

F Carnem habet duram, friabilem, albam: quapropter à Romanis Caponis nomine appellatur. (*aut forte potius à capite magno, vt & corax, & lyra Rondeletij,*) Tellinas, Chamas, Conchulas, Cancros, Vr-
(C) sos, Astacos Locustas, & id genus crustatula edere solet: quibus eius stomachus dum secatur, distentus esse cōperitur. Diphilus Cuculum cum Miluo contulit. Ait enim Miluum durioris esse carnis quā Cuculum: reliqua huic per totum fere similis est, Hæc ille. COROLL.

Bellonij cuculus, quonam à Rondeletio nomine dicatur, non constat mihi. nam figurę ab eo positæ similem nullam Rondeletius exhibet. Descriptio autem Bellonij angustior est: & ea quæ affert, duobus aut pluribus ferè huius generis piscibus accommodari possunt, vt Cuculo Rondeletij, Lyræ eiusdem, & coraci. Figuræ Bellonij adscriptum erat piscem hunc à Venetis Lucernam vocari: Rondeletius miluum suum Lucernam vocari scribit à suis, quod noctu splendeat. sed figura & descriptio milui ipsius non conueniunt. Esto igitur Bellonij cuculus, siue primus, siue secundus, piscis qui Venetijs Lucerna vocatur, (à Plinio etiam sic dictus libro 32. cap. vltimo) cuius mortui etiam oculos noctu in cubiculo splendentes obseruaui, à Rondeletij tum cuculo, tum miluo, quem item Lucernam vocari scribit, tum hirundine, quem Lucernam Plinij esse suspica-

tur.

tur, diuersus: pinnis circa branchias rotundioribus: eminentijs à maxilla superiore nullis vel breuissimis: donec certiora alius quispiam docuerit. in præsentia enim (ingenuè fateor) extricare me satis, & Bellonium ac Rondeletium inter se conciliare non possum. Interim Rondeletij distinctionem magis probo: qui nigriorem in hoc genere piscem, coracē facit: rubicundum, cuculū. Vide plura in Lucerna.

DE ALTERO CVCVLI GENERE, BELLONIVS.

Est & alius piscis Romæ tritissimus, quem piscatores Griczo vel Riczo vocant: hic squamis obducitur crassissimis, & tangenti asperulis, velut in Galeorum pellibus videmus. Rougetum Gallicum, atq; etiam Grundinum, (*lyram Rondeletij*) capite, pinnis, cauda, & toto corporis habitu refert, vnde piscatores pleriq; caponem nominant. Hirta squamarum congerie horret: duos habet aculeos in pinna, ad caudam spectantes, vt Draco. Rostrum vtrinque ossiculis duobus prominentib. communitum est, multò quàm in Grundino seu Gournauto longioribus. Rubet vt Cuculus & Lyra: Lyręque ferè similis esset, nisi aculeis illis minacibus & rostro bifurcato careret.

CVCVLVS maior Belloni;, Rondeletij Lyra est: & Lyra Bellonij, Rondeletij Lyra altera: de vtroq; in L. litera dicemus.

COROLLARIVM.

Coccyx nominatur coccygium diminutiua forma: nam apud Trallianum in curatione colicæ affectionis pro κόγχια, Iacobus Goupylus restituit κοκκύγια, è Psello de diæta. Coccyx similis est triglæ, id est mullo. & Typhon in libris de animalibus author est putare aliquos trigolam, τριγόλαν, eundem esse cuculo piscem, propter similitudinem formæ, & partium posteriorum siccitatem, Athenæus. Apud quem Sophron etiam hunc piscem nominat, his verbis: Τριγόλας διφαλοτέρως, καὶ τριγόλαν τὸν ὀπισθ... & rursus Τριγόλας γε πίονας· τριγόλαν δ' ὀπισθίαν. (ὀπισθίαν puto legendum: videtur enim masculinum esse, ὁ τριγόλας.) Coccygem Massilienses Gallinam appellant: Neapolitani etiam nunc antiquitatis retinentes, Cocchum, (*Itali quidem el cocche*) Siculi Cochum corruptè quasi Coccygem. Hunc piscem cum à voce, quam Coccygis volucris similem mittit, nomen traxisse non ignorarem, ex piscatoribus percontatus sum, nunquamnam vocem mitteret? Responderunt hunc cum se irretitum sentit, quiddam vocale strepere, nihil præterea se obseruasse. Quod quidē ipsum facilè credidi. Quicquid enim habent auriū, in quæstum piscium conferentes, ad piscium voces obsurduerunt, Gillius. Cuculus Agathensib. Rondelle vocatur, à corporis rotunditate, Rondeletius. ego potiùs ab hirundinis piscis similitudine sic dictum coniecerim, quam rondelam aut arondellam Itali & Galli quidam vocitant. Esse autem cuculum tum mullo tum hirundini piscibus similem, testis est Speusippus. Aut cuculus est, aut cuculo simillimus, magnitudine solùm fortassis aut colore differens piscis, quem inferiores Germani *Gornart*, vel *Gaernaert* appellant: Angli *Gurnarde*: non à grunnitu (opinor) quòd more suis grunniat, vt conijcit Rondeletius: neque enim Germanis aut Anglis vsitatum verbi grunnire vocabulum est: sed à crasso (grossum vulgus dicit) naso fortassis, omnibus enim huius generis piscibus capitis magnitudo communis est. Galli quidam *Gronau* profarunt: & hæc etymologia à grosso naso Gallicæ, Anglicæ, Germanicæque linguis conuenit: nec non Latinæ, si crasso dicas pro grosso. Si quis tamen onomatopœiā esse contendat, quoniam & Ligures organo, ob sonum quem ædit, appellent, concedo. *Redfische* id est piscē rubentem Angli gurnardo suo similem esse aiunt. quare cuculum, cui color rubicundus in hoc genere maximè conuenit, Numenio teste, *Redfische* appellarim: lyram verò Rondeletij Gurnardum. (Sed alius est *Rotfisch* Anglorum inter Oceani asellos à Bellonio nominatus.) Licebit & *Redfisch* nomen (*aliqui Germanorum Rotabart vel Roetabert vocitant: Adamus Lonicerus scribit Rodtbart. ab authore Regiminis Salernitani Galbio vel Rogetus dicitur, marinus, notus, duræ carnis & salubris*) ceu genus ad species aliquot inter se similes extendere: nam & Galli Rogeti (Rouget) nomine similiter à rubore facto, mullum, cuculum & lyram comprehendunt. Græcè λυροειδεῖς, id est Lyriformes huiusmodi pisces appellârim, vt hirundinem, miluum, coracem, lyram vtranque, cuculum. hi enim omnes multa habent communia. Mullus quoque parum ab eorum forma recedit: longiùs aliquanto vranoscopus. Omnes ferè corpore tereti sunt, capitibus crassiores, posticis partibus exiliores: asperi & aculeati, præsertim circa caput & branchias: infra quas etiam cartilaginei cirri peculiares eis dependent: plerique etiam versus binos spinosos per dorsum habent. pinnas in dorso duas omnes, quarum prior breuior altiorque, & maioribus munita aculeis est. Quorundam vel os vel oculi noctu lucent, vt hirundinis, lucernæ, siue hæc eadem quæ miluus Plinij est, siue diuersa. Vocem quoque aut sonum potiùs ædunt, asperitate branchiarum, (vt in Chalcide expositum est) cuculus, lyra, fortè & alij. Volant, hirundo, miluus siue miluago. Itaque genus vnum commune statui poterit: cuius species Germani differentijs expressis circunloquentur, Cuculus generis nomine appelletur *ein Redfisch*, ab excellentia rubicundi coloris, quamuis & lyra Rondeletio rubeat: & Galli Ronget ab hoc colore indistinctè appellant, cuculum, lyram & mullum, quoniam & colore, & corporis ferè figura similes sunt. Hirundo & Miluus, *fliegende Redfische*, id est volantes lyriformes: Corax *ein schwartzlechter Redfisch*. Mullus *ein Rotbart*: Lyra, *ein Gornart oder Seehan, oder Seehaß*: Lyra altera, *ein geharnischter Redfisch*. Diuersus ab his piscis est Gornus marinus, minimus, albus, ad longitudinem mediæ partis medij digiti: editur cum capite & spinis, vt legitur in Regimine Salernitano. Est autem nimirum apuarum generis pisciculus, vt tamen rectè Germanicè etiam Gaernart dici illic adijciatur. In quibusdam Angliæ locis huius generis fusco colore piscem, *Curre* indigetant: de quo Io. Caius his verbis ad me scripsit: Hunc piscem an in alijs partibus Angli Gournautum (vt Bellonius scribit) appellent nescio. Id scio, in partibus Australibus vocant *Curre*, à voce quam ædit eo sono quo homo cum profert vocem *curre*. quod ipse aliquando in mare obseruaui, in vno huius generis capto: qui quoties tetigeram erigebat spinas, & *curre* sonabat. Pisces quidam lati corporis habent quatuor alas, duas in ventre, & duas in dorso, & alæ vocantur hæ pinnæ. & sic per omnia habent hi pisces, quos nos Lepores maris, Galli autem Gornais vocant. hi enim duas pinnas habent in ventre, & duas directè super eas in latere versus dorsum, Albertus. Et rursus libro 24. Lepus

Margin notes: A — *Trigola.* — *Gornart.* — *Redfische.* — *Curre.*

(F) *Gornellus.* marinus (inquit) præter venenosum (veteribus memoratum,) alius est, (*Germanis sic dictus*) capite lepori similis, reliquo corpore piscis, & ille bonus est, rubicundæ pellis, & duræ, & indigestibilis carnis: quem lepram generare ferunt, & vulgò gornellum vocant. Is habet post caput quatuor pinnas: duas, quarum motus est secundum longitudinem piscis: & hæ sunt longę, sicut aures leporis: & duas, quarũ motus est à dorso ad ventrem secundum profunditatem piscis, quibus se eleuat antè, propter pondus sui capitis respectu reliqui corporis sui. Alibi etiam leporem maris inter pisces litorales Germanię nominat. *Seehan.* Lyra (inquit Rondeletius) à Germanis inferioribus *Lechan* (lego *Seehan*) dicitur, quasi gallus marinus. *Seehass.* Puto autem eundem piscem ab alijs Germanis *Seehaß*, id est leporem marinum dici, à longiusculis iuxta branchias pinnis, (vel cirris sub branchijs,) tanquam auriculis: ab alijs *Seehan*, id est gallum marinum. Et fortè galli marini nomen lyræ imprimis conuenerit, quòd pinnam in dorso cristæ gallinaceæ similem erigat: vel quòd huiusmodi pisces suspendi soleant aridi, vt pro vario corporis motu & capitis obuersione ventos ac tempestatis mutationem, sicut cantu gallinaceus, indicent. Lyra altera in ædibus exiccata suspenditur, cauda, vnde vetus spiret, indicante, Rondeletius. Talem nomine *Seehan*, id est gallum marinum, ad sceleton (vt apparet) depictum, G. Fabricius ad me misit: capite crasso, spinoso, sed rostro rotundiore, non ita oblongo neque acuto vt in cæteris huius generis, si modo probè expressum est. nam sceletorum forma plerunque à natura deflectit, tum sponte, tum vi aut artificio. Quidam *Seehan* caponem interpretantur: quo nomine Lyram quoque Itali quidam nominant. Galli marini & Pergolici inter pisces numerantur à Christophoro Encelio. Antuerpiæ piscem longè diuersum leporem marinum nominant, qui totus est mucosus, & orbis scutatus à Rondeletio vocatur, suo loco nobis describendus. *Gyldenpolle.* *Gyldenpolle* piscis apud Anglos similis est lucernæ (vel cuculo, vt audio) mixti coloris ex cinereo & rubro. *Polle* est caput, quo lucet (nimirum etiam noctu) vt aurum, quod Angli *gylde*, nostri *gold* appellant. Io. Caius de hoc nomine aliquid sibi constare negat.

B De similitudine cuculi ad alios pisces, deque colore eius & alia quædam ad B. referenda, diximus in A. Cuculus piscis aliquam cum lucerna formæ similitudinem habet, Gillius.

C Cuculi pisces litorales sunt, arena & ijs quæ in arena nascuntur, vescentes, Oppianus. Inter litorales & pelagios ambigunt. Cuculus piscis vocalis fertur, & perinde vt auis eiusdem nominis obstrepere, Aristot. & Aelianus.

F Egregij cuculi, quos esitare solent omnes, dissectos (διαρραχιζομένους, dorso nimirum aliquot per trãsuersum sectionibus inciso,) assos atque conditos, Epicharmus apud Athenæũ. pro χαύομες lege χναύομεν. Dorion quoque assari eos iubet διαρραχίζαντας κατὰ ῥάχιν, id est per dorsum incisos, & condire herba (σελίνῳ, apio nimirum, aut etiam ruta) caseo, rhoë, silphio, sale, oleo. & inter assandum versos inungere, & sale modico spargere, & ablatos aceto conspergere. Hierax (id est miluus vel lucerna piscis) durior est cuculo, cætera similis, Diphilus. A Galeno etiam libro 3. de alimentis inter duræ carnis pisces numeratur. Diocles libro 1. sicciores ait esse carnes recentium piscium, (τῶν νεαρῶν:) scorpios, cuculos, passeres, &c. (fortè in genitiuo legendum, scorpiorum, cuculorum, &c.) mullos verò his minùs siccos esse, Athenæus. Typhon ait trigolan aliquos putare cuculum esse, propter formæ (ad mullum) similitudinem, & partium posteriorum siccitatem: quam Sophron etiam indicauit, scribens: Τρίγλας γε πίονας, τετρίγλαν δ' ὀπισθίαν. Hippocrates in libro de internis affectibus eandem ferè vim alimentariam tribuit scorpio, draconi, cuculo, callionymo, gobio, in morbis crassis & pituitosis vsum eorum concedens, vti in Callionymo recitauimus. In colico affectu ex calidis & biliosis humoribus, sumantur pisces duriore carne præciti vt ceris, orphus, glaucus, scorpius, coccyx, (Goupylus enim ex Psello coccygia hîc legit, vt in A. prædictum est,) Trallianus. Leporem mar. lepram generare ferunt, & vulgò gornellum vocant: Albertus, vt recitaui in A.

a. Ypsilon in coccyge producitur, Oppiano & Numenio. Ἵπποι, κόκκυγές τε θοοί, ξανθοί τ' ἐρυθῖνοι, Oppian. Epitheta. Κοκκυγος ἀγλαοί, Epicharmo. Θοοί Oppiano. Ἐρυθροί, Numenio.

DE CVCVMERE MARINO, RONDELETIVS.

CVCVMERIS marini meminit Plinius lib. 9. cap. 2. qui & colore & odore cucumeri terrestri similis est. Is est proculdubio quem proponimus, cucumerem paruum figurâ, colore odore referens. Digiti est crassitudine & longitudine, tuberculis aliquot aspersis, veluti in cucumere terrestri paruo. Partes internas indiscretas habet.



COROLLARIVM.

RERVM quidem non solum animalium, simulacra inesse in mari, licet intelligere intuentibus vuã, gladium, serras: cucumim verò & colore & odore similem, Plinius. Cucumis piscis à Plinio dicitur, colore & odore Cucumeri similis. Sed is magis similis est ei, quem vulgo Peponẽ vocamus: nisi arbitremur Plinium per vulgatum Melonem Cucumerem appellare: quod ipsum simile vero videtur legenti ea quæ idem scribit de Cucumeribus, Gillius.

CVRSIONES vel CVRSORES. Vide Dromades.

CVRYLVS. Vide in Cordylo.

DE CYBIO.

Vide etiam infrà in Corollario de Thunno F.

CYBIVM dictum, quia eius medium æquè patet in omnes partes, quod genus à geometris κύβος dicitur. vnde etiam tessellæ quadratæ κύβοι. Hinc & cybios genus piscis: quia piscantes id genus piscium velut aleam ludant, Festus. Post lacertos (Sexitanum & Parianum) sequuntur (inquit Plinius, nimirum quod ad pretium & saporis bonitatem, prętantiores alijs) Mæotici: Cybium. ita vocatur concisa pelamys, quæ post 40. dies à Ponto in Mæotim reuertitur. Cordyla etiam dicitur pelamys pusilla, cum in Pontum è Mæotide exit.

Plura

Plura de Cybio leges infra in Thunno: vbi Rondeletij caput ponemus, inscriptum, De thunni, pelamydis, orcyni, alijsque similibus nominibus. Κυβεῖαι ab Oppiano libro 1. inter pelagios pisces nominantur, hoc versu: Ὀρκυνων φυσίη, καὶ πηλαμύδες, ἠδὲ κυβεῖαι: à recto singulari κυβεία, vt conijcio. Orcynorum genera statuere videtur Oppianus πηλαμύδας & κυβείας, Vuottonus: ex iam citato poëtæ versu id suspicatus, cum in eo simpliciter orcynos, prenades & cybeas pelagios esse dicat: non genus aliquod in species distinguat. nam ὀρκυνων φυσίη, periphrasis est pro ὄρκυνοι. Sed rectè quidem videtur Vuottonus dicere, non tamen ex hoc Oppiani versu. Vræa quidem vel horæa cybia, sunt salsamenta de partibus caudę proximis è pelamyde magna, quam & tritonem vocant. cybia verò simpliciter dicuntur, ex alijs etiam partibus concisis à quadam figura cubi: quod multo magis probârim, quàm quod piscantes id genus piscis velut aleam ludant: hoc enim omni ferè piscationi commune est. Vrenę apud Varronem quæ sint dubitatur. Soleę, (inquit,) mustellæ, vrenæque. Legendum fortè vręa: quæ & alibi à Varrone nominantur: Cybium (inquit) & thynnus, & cuius partes Græcis vocabulis omnes, vt melandrya atque vræa. Horęa quidem dici cœpta videntur, tanquam modestiore & elegantiore vocabulo, pro vræis.

Imponuntur salsamenta & contra morsum canis rabiosi: & contra draconem marinum ex aceto. idẽ & cybij profectus, Plinius. Cybium aiunt vtiliter imponi vulneri à cane facto, Galenus lib. 11. de medic. simplic. Cybia vetera eluta in nouo vase, deinde trita, prosunt doloribus dentium, Plinius. Cybium optimum ac vetustissimum ollę inditur, atque argilla circumlinitur, & furno ardenti obijcitur, vt ad cinerem cybium excoquatur. tunc adiecto Pario lapide contuso, salsamenti suprà dicti fauilla cõteritur. hoc dentifricium ita bonum est, vt ad inanitatem dentes non sinat peruenire, Marcellus Empiricus. Vide & alia in Thunno G. G

Cybium (inquit Budęus) appellatur illud vas à Græcis, quod prisci Latini quadrantal appellabant: ea ratione dictum, quæ iam in cybio pisce posita est. H. a.

CYLLVS vel Scyllus. vide in fine ferè Corollarij de Asellis ex veteribus.

CYNOGLOSSVM in P. litera post Soleam (quam Græci buglossum nominant) dabimus inter passeres.

CYNOPS, id est Canis oculus: vel CYNOPVS, id est Pes canis, nominatur tantùm à Plinio libro 22. capite vltimo, inter aquatilia animantium: vt & CYNOSDEXIA, id est dextera canis, aliqui sine s. cynodexia legunt, ibidem. Rondeletius ignota sibi fatetur. quis verò nosset quod nemo describit? Fortè zoophyta quædam fuerint, qualia in mari fœcundissima rerum variarum parente, & æmulatricę terrestrium, innumera sunt: vt etiam manus marina, quam suo loco exhibebimus.

CYNOS EVNA, piscis idem qui smaris apud Athenæum. qui circa finem libri 7. in Chalcidũ mentione ex Epæneti de piscibus libro hæc verba profert: Γαλλιὰ σμυρνίδα ἣν ἔνιοι καλοῦσι, κυνὸς εὐνα. Massarius in nonum Plinij capite 26. Smarides (inquit) vocantur etiam marides & cynoseuma (sic enim perperam habet codex eius impressus per m.) à nonnullis, vt inquit Athenæus. vnde apparet eum pro σμυρνίδα, legisse σμαρίδα: & rectè quidem: nam eodem libro de mænidibus scribens Athenæus Epæneti ex Opsartytico verba hæc recitat: Σμαρίδα, ἣν ἔνιοι καλοῦσι κυνὸς εὐνα. quare illic etiam similiter legendum: post γαλλιὰ distinguendum, ceu piscem diuersum. Cynossema loci nomen est in Ægypto Straboni, Cynossema Stephano Libyæ locus, &c.

DE CYPRINO, RONDELETIVS.

Cyprini iconem ex nostris posuimus, quod eam iam ante expressam haberemus.

SCyprinorum nota propria sit palatum carnosum habere linguæ vice, plurima quidem sunt Cyprinorum genera. Nam quæ Tinca & Brama nominatur, atque plures alij pisces palatum carnosum habent. Quoniam verò quę Carpa à Gallis omnibus vocatur, inter cęteros omnes pisces maximè carnosum palatum habet, eam pro veterum Cyprino hîc describemus, & Cyprinũ esse comprobabimus. Aliquę alios quibus nota hęc communis est cum quibusdam alijs huic tanquam species subijciemus. A *Cyprini species.*

C *Cyprinus in quibus aquis degat.* Sed primùm id peruestigandum, sit ne Cyprinus piscis marinus an fluuiatilis, an lacustris. Oppianus libro 4. ἁλιευτικῶν cum marinis litoralibus recenset: Σκόμβροι, κυπρῖνοί τε, καὶ οἳ φίλοι αἰγιαλοῖσι. Et aliquanto post de partu marinorum piscium loquens: Πέντε δὲ κυπρίνοισι γοναὶ μήνεσσιν ἔασι. Neque hunc solum, sed etiam alios omnes quorum Aristoteles meminit, Oppianus marinos facit. Athenęus à marinis non seiunxit, etiam Aristotelem citans. Κυπριανὸς, ὁ σαρκοφάγων καὶ ἀγελαῖος, ὡς Ἀριστοτέλης στρεῖ, καὶ συναγελαστικῶν. *Lib. 7.* At Dorion eodem Athenæo citante inter fluuiatiles & lacustres collocat. Δωρίων δ' αὐτοὺς ἐν τοῖς λιμναίοις καὶ ποταμίοις καταλέγων γράφει οὕτως· Λεπιδωτὸν, ὃν καλοῦσί τινες κυπριανόν. *Lepidotus.* Prior locus est: Cyprianus ex carniuoris & gregalibus est piscibus, vt tradit Aristoteles. Sed hunc locum postea excutiemus. Alter est: Dorion verò in lacustrib. & fluuiatilibus numerans sic scribit: Lepidotum quem vocant quidam Cyprianum. *Lib. 4 de hist. anim. cap. 8.* Aristoteles sine controuersia aliquot in locis fluuiatiles Cyprinos esse facit, vt cum nonnullis piscibus palatum carnosum pro lingua datum esse ait, veluti inter fluuiatiles Cyprino. *Lib. 6. de hist. cap. 14.* Et alio in loco de fluuiatilibus & lacustribus tractans, vt Silurum, (Glanim,) ita Cyprinum tonitruo sopiri magno scribit, sed leuius. Item alibi de partu lacustrium & fluuiatilium scribens. *Lib. 8. de hist. cap. 20.* Iam verò experientia docet non solum in fluuijs, sed in lacubus magnis & in stagnis Cyprinos nasci. Quare non refert si inter fluuiatiles vel lacustres annumeres.

A A Gallis omnibus Carpe vocantur. Genere ab Italorum Carpione differt, vt post dicetur: quod propter eos dico, qui nominis affinitate in eum errorem inducti sunt, vt Carpionem Italorum cum Carpa nostra confuderint. Κυπρῖνος & Κυπριανὸ à Græcis vocatur.

B In lacubus & in fluuijs quibusdam ad insignem magnitudinem accrescit. vidimus .n. qui triũ cubitorum magnitudinem attigerit, non solùm longo sed spisso est corpore, squamis tegitur maximis & latissimis, à quib. Λεπιδωτὸν appellatũ fuisse puto à Dorione. Vix .n. aliũ repias q̃ validiores vel latiores habeat squamas. Colore est flauescẽte, maximè cũ senuit. Iunior colore est magis ad fuscũ inclinãte. Capite est breui, p corporis ratione, Tincis hac parte similis. Ore est medio, labris adiposis, carnosis, flauescẽtib.

Ex



Ex superioris labri lateribus iuxta angulum scissurę oris extat appendix vtrinque vna, mollis, flauescens, in acutum deficiens, μιστακας possis appellare. Supra has aliæ breuiores sunt, & ideo minùs euidentes, nigricantes. Dentibus caret Cyprinus: sed horum vice os palati medio infixum planum habet, læue, triangulare: ex aduerso, in parte inferiore ossa duo incisa, in gulam recurua. Oculis est medijs, ante quos sunt foramina. Pinnis natat latis: duæ sitæ sunt ad branchias magnæ, in medio ventre duæ: inter quas & caudam alia est vnica, quæ serrato aculeo & valido innititur: inter hanc & præcedentes est excrementi meatus. Ex medio dorso vnica erigitur ad caudam ferè cõtinua robusto etiam incisoque aculeo fulta. Cauda lata est, ex nigro rubescens, vt & postrema pinna.

Lingua an careat. Lingua caret, vt iam diximus, sed eius loco palatum carnosum dedit natura saporum percipiendorum causa. quod euulsum linguæ formam adeò refert, vt non solùm vulgus, sed etiam viri docti linguam vocent, & linguam veram esse præfractè defendant, adeò difficile est opinionem euellere, quæ in animis hominum penitus insedit. At qui in os viuorum Cyprinorum digitos immiserit, qui viuos mortuosue dissecuerit, cernet superiori oris parti siue palato carnosam substantiam affixam, inferiori nullo modo hærentem, nec vllo pacto solutam aut liberam, vt lingua dici non debeat, nisi imperfecta admodum incertaque. Itaque non iam falsæ & inueteratæ opinioni nemo fidem adhibeat, sed τῇ ἀληθείᾳ, Aristotelique sic scribenti: *Lib. 4. de hist. cap. 8.* Aquatilium generi quos pisces vocamus, data quidem est lingua, sed imperfecta, incertaque, ossea enim nec absoluta, ἀπολελυμένη. Sed palatum nõnullis carnosum pro lingua est, velut inter fluuiatiles Cyprino, ita vt nisi diligenter inspexeris, lingua id esse videatur. Huiusmodi palato carnoso præditi sunt & alij pisces, vt Baler. (*Cyprinus & Balerus dentes habent, vt nos obseruauimus in faucibus sicut & Tinca*) Tinca, & plures lacustres qui lingua & dentibus carent. Qui dentes habent, quibus alimentum retinere queant, ijdem & linguam obtinent osseam, imperfectam, inferiorique parti hærentem, velut linguę illi osseę dentes infigi possent, quemadmodum nonnullis in palato: nullis autem horum palatum est carnosum. Sed ad Cyprinum redeamus. Is pro corporis ratione ventriculum vel magnum, vel paruum habet. Hepar medium, in quo fellis vesica nigricans. Splenem magnum, pinguedine obducta intestina.

C Ouis distentum ventrem semper reperias, quia quinquies aut sexies anno parit, authore Aristotele: *De ouis & partu cyprini.* sed ex ouis incrementum tardum est, ouaque edita à mare seruantur quum congesta reperit, reliqua pereunt. Cyprinus enim, Balerus, & similes, vadis se intrudunt quum parturiunt, ac sæpenumero singulas fœminas, mares tredecim vel quatuordecim persequuntur, fœmina oua progrediendo emittit, mares sectantes semen suum ouis aspergunt, verùm plurima pereunt: cùm fœmina non stabilis, sed mutans continuè pariat, dissipari oua necesse est, videlicet ea quæ non in materiam inciderint aliquam, sed excepta ab vnda ferantur. *Cyprinos etiã sponte nasci.* Illud verò notandum, non solum maris & fœminæ commistione Cyprinos nasci, sed etiam sponte, & sine vllo maris & fœminæ semine, id quod experientia mihi confirmauit. vidi enim in aquis in caua loca & montibus septa receptis & collectis sponte generatos Cyprinos, in quæ loca nec riuus, nec stagnum, nec palus, nec lacus, nec fluuius vllus, nulla denique aqua præter cœlestem influxisset.

A Quam Galli omnes Carpam vocant, veterum Cyprinum esse ex superioribus notis perspicuum est, *Carpã vere Cyprinũ esse.* maximè ex frequenti partu, ex squamarum magnitudine: ex eo quòd lacustris sit, & fluuiatilis, sententia Dorionis & Aristotelis. Nam quantum ad Athenæi locum iam citatum attinet, dicimus integrum non esse. *Carniuorum non esse.* neque enim carniuorus Cyprinus ab Aristotele ponitur, cùm herbis, muco, luto vescatur. Neque verba hæc sensum vllum habent: τὴν γλῶτταν οὐκ ἔχει ἐν τῷ στόματι, ἀλλ᾽ ὑπὸ τὸ στόμα κέκτηται. tradit

enim Aristoteles linguam Cyprino deesse, sed eius loco palatum carnosum habere, idq; maximè in pisce quem exhibemus conspicitur. Sed de hac nota satis iam diximus.

E Nostri Cyprinos in piscinis & viuarijs includunt, alij in paludes & stagna conijciunt, magno prouentu: nam tertio vel quarto quoq; anno maximos quosq; diuendunt, relictis paruis ad propagationẽ.

B *Vbi, & magnitudo.* In lacubus Allobrogum & Italiæ, vt in Lario, capiuntur Cyprini admirandæ magnitudinis. Capiuntur in fluminibus & riuis, vt in Sequana, Arari, Lado.

F Vniuersè quidem carne sunt molliore, humida, parum glutinosa, satis insipida, sed pro locorum in quibus proueniunt, & nutriuntur differentia, magis minusue salubres vel insalubres sunt. Qui in fluuijs magnis vrbibus vicinis, earumque sordes excipientibus degunt, mali sunt succi, à quibusdam tamen cupediarum amatoribus valde probantur, quod pingues sint & prægrandes. magis probandi qui rapidis & puris aquis nascuntur & viuunt. Qui in palustribus & stagnantibus aquis, lutum olent.

G Lapis palati ægris in graui febris æstu alleuamentum aliquod adferre traditur, quòd sitim sedet & refrigeret. Eodem sanguinis è naribus fluxiones cohiberi, si ore contineatur, sunt qui affirment.

DE EODEM BELLONIVS

A Inter amnicos pisces antiqui Cyprinum optimè descripserunt: Galli Carpam (quæ ex Sequana & Arari laudatissima est) Placentini Carpanum, Ferrarienses (vt & multi accolæ Padi) Carpenam, Veneti Rainam, Romani Burbarum, Græci (qui Turcis inseruiunt) corruptè Sasan, Strymonis amnis accolę Grinadi vocant. Sed Aetoli antiquam Cyprini nomenclaturam retinent. Kyprinos enim adhuc vocant. Proinde ne Carpam cum Carpione confundas, imprimis tibi cauendum est: differunt enim inter se plurimum. habent quoque Padi accolæ ad Comascum, piscem marinum Cyprino persimilem, cui vnica est in tergore pinna, atq; vtrinq; in lateribus ad branchias vna, duæ sub ventre, piscem Scarpam vocant: de quo iam in Coracino dictum est: de Cyprino sic Oppianus, Scombri, Cyprini, stabulantur littora iuxta. Ac paulò pòst, In pelago fœtus quinos edit Cyprianus. (*Græcè est κυπρίνοισιν, à recto κυπρῖνος.*)

B Fluuiatilis & lacustris est, & (vt Dorion author est) gregalis & carniuorus. cuius latera vtrinque latiore carne turgent. Squamarum quoque rotundarum serie tam firmiter vallatur, vt meritò Lepidotus appellari possit: lapidum enim ictus facilè repellunt eius squamę. Communis Cyprinorum longitudo sesquipedalis esse solet: at bipedalem mensuram excedere rarum est. Post Glanim (ait Aristoteles) tardissimè augentur Cyprinorum oua: augentur tamen quæ mares custodiunt ad milii magnitudinem: Sopitur quandoque.

F Cæterum ex Cyprinorum ouis Cauiarium rubrum fieri solet, Iudęis dicatum: nigro enim (quod ex Sturionum ovis conficitur) eis ex lege est interdictum. Quapropter qui ad Capham vrbem ad Tanaim siti sunt, magnum ex rubro Cauiario lucrum consequuntur.

Cyprinus dentes in ore non habet, sed tantum in ingressu faucium.

COROLLARIVM. B

A CYPRINVS nomen est piscis, Hesychius & Varinus: qui primã acuunt: ego penultimam potiùs circunflexerim, quam Oppianus producere solet, vt coracini quoq;. Κυπριανὸς verò quatuor syllabis vltimam acuit, vt & alia in ανος. Oppianus cyperium nuncupauit, Vuottonus. Sed Oppianus κυπρῖνος tantùm dixit tribus syllabis: interpres verò Latinus cyparinum semel. Balagri piscis fluuiatilis meminit Aristoteles libro 4. historiæ, cap. vltimo: qui nec oua, nec semen prolificum habeat: sed Græcè perperam legitur κυπρῖνος καὶ βαρῖνος, vbi Gaza reddit carini & balagri.

Lepidotus. Lepidotum aliqui cyprianum vocant, Dorion. Λεπιδωτὸς inter pisces à Tarentino nominatur: à Strabone & Athenæo inter pisces Nili. Orpheus in libello de lapidibus, squamis nitentem argenteis lepidotum dixit. --- καὶ φολίδεσσιν Ἀργυφέοις λεπιδωτὸν ἀποστίλβοντα κελεύω. Osiridis corpore dilaniato Typhonem aiunt pudendum eius in Nilum abiecisse: & de eo gustasse ex piscibus lepidotum, phagrum & oxyrynchum: ideoque Aegyptios hos pisces detestari, ἀφοσιοῦσθαι. Plutarchus in libro de Iside. Huic aduersatur quod Strabo scribit libro 17. Animalia quædam Aegyptij vniuersi colunt: vt ex aquatilibus duo, lepidotum piscem & oxyrynchum. Et vbi Herodotus, Lepidotum & anguillam pisces, sacros censent Aegyptij: Valla interpres squamosum vertit: quod non probârim. seruandum enim est homonymiæ vitandæ gratia Græcum huius piscis nomen.

Cyprinus à quibusdam recentioribus carpa nominatur, quo nomine aut simili, multi hodie Europę populi in vulgaribus linguis vtuntur. Destinet carpam Danubius, à Rheno veniat an chorago, Cassiodorus in epistolis 12.4. de regio conuiuio scribens. Miratur Grapaldus nullam in veterum scriptis carpani mentionem extare. Erasmus Carpas dixit. alij quidam carpones, (vt Albertus) & carpiones, Carolus Figulus. Nos de Carpione Benaci, planè diuerso, & truttarum generi adnumerando pisce, suprà scripsimus. Græci (nonnulli, Gillius) in hodiernum diem antiquo nomine Cyprinum vocant, Massarius. Circa Larium lacum Italicè Burbaro vel Bulbers vocatur, maximus qui in eo nascuntur, pisciũ. Bulbulus, ante alios immani corpore pisces, Benedictus Iouius in Larij descriptione. Venetijs carpano, alibi reina: quod nomen à regina factũ videtur, quòd magnitudine inter fluuiatiles & lacustres excedat: & à ganeonibus pinguiores ex eis præcipuè appetantur. sic inter radices alpinas oreoselini, vel petroselini, vel laseris genus, quod alij vulgò astrantiam vel magistrantiam nominant, Rhęti & alij qui Italiam versus montana incolunt, reinam appellant. Brasauolus in libro de purgantibus medic. pro carpa reginam dixit. Carpas Mantuæ Bulbaros vocant, Platina. Hispani Carpa, Germani superiores *ein Karpff*: inferiores *Karp*, vel *Karpe*: & alicubi, vt audio, *ein Bub*: quod ad Bulbulum vel Burbarum Italorum accedit. alibi *een Carper*, Flandri *Carpel*. Angli *a Carpe*. Bohemi Capr. Poloni Karp. Apud nos pro ętate etiam nominibus distinguitur. vocatur enim primo anno *ein Setzling*: secundo *ein Sproll* vel *Sprall*: tertio *ein Karpff*.

Spiegelkarpen, Cyprini quidam sunt in Franconia, sic dicti à maculis. Cyprini nigricantes Venetias & Venedis aduehuntur. Coracini quoque in quibusdam lacubus scarpę vel carpe pisces vulgò dicuntur, vt Bellonius tradit: capite ac dorso in Cyprini modum gibberoso, atq; in arcum conuexo. vide in Coracino A.

B Cyprinus piſcis fluuiatilis eſt Kiranides. Cyprini nigri in Danubio capiuntur, Aelianus. In lacu Suerinenſi cum alij piſces abunde, tum cyprini capiuntur. Carpæ plerunque non minùs latæ quàm longæ ſunt. Craſſiores ſunt quàm longiores ſecundum proportionem, Albertus. Carpo piſcis eſt magnitudinis mediocris, decem interdum librarum, Adamus Lonicerus. In vnguibus egregij accipitris videntur eſſe veluti lineæ quædam aut ſciſſuræ, & ſquamæ tanquã in cyprino piſce, Demetrius Conſtantinopolites. A ſquamarum quidem magnitudine lepidotus alio nomine vocatur: quas etſi ἀργυφέας, id eſt argenteas Orpheus dicat: non tamen neceſſe eſt albas eſſe: cum de coloribus poetæ ſæpe loquantur impropriè, & epithetis aliquando abutantur. dixeris autem commune hoc ſquamarum epitheton eſſe. Squamas habet quaſi aureas, Author de nat. rerum. Carpa plus ſanguinis habet quàm cæteri piſces, pro ſua magnitudine: ideoque minùs eſſe frigidi temperamenti probabile eſt, Greg. Mangoldus. Lapillum in capite iuxta linguam habet, candidũ, durum, ad minimi numiſmatis magnitudinem, interdum paulò maiorem. Habet & in medio capitis ſubſtantiam quandam maiuſculam, craſſam, cordis ferè figura, duram ſed tenacem & flexilem dum recens eſt, ſub dentibus mordentis: tanquam in acetabulo quodã repoſitam: ſimiliter vt leuciſcus fluuiat. quem Gardonum vocant Galli. De hac fortè ſenſit Encelius, & impropriè lapidis nomine appellauit, his verbis: In carpæ faucibus reperitur gemma ſeu lapis, forma triangulari, magnitudine pro portione piſcis, coloris candidi extrà, intus flaui. Linguã (vt vocant) ſeparatam à palato, in parua etiam carpa duos digitos latam vidi, linguæ in quadrupedibus propriè dictæ figura: ſubſtantia quoque & guſtu ſaporeue ſimili. vſum quoque eius & facultatem guſtandi, ſimilẽ eſſe dixerim. quare linguam appellari nihil prohibet. neq; enim vt lingua vel ſit vel dicatur propriè, locus & ſitus facit: cum aliæ etiam partes ſitu diuerſo nomen idem retineant. Cæterum quod apud Athenæũ legitur de hoc piſce, Τὴν δὲ γλῶτταν οὐχ ὑπὸ τῷ στόματι, ἀλλ' ὑπὸ τὸ στόμα κέκτηται, & Natalis interpres Latinus ſimiliter ad verbũ tranſtulit, linguã ei non ſub ore, ſed ſub os eſſe: ineptè dictum & deprauatũ apparet. legi poterat τὴν δὲ γλῶτταν οὐκ ἔχει ἐν τῷ στόματι, ἀλλ' ὑπὲρ τὸ στόμα κέκτηται, hoc eſt, linguã nõ inferiore parte oris, ſed ſuperiore habet. Dentes etiã cyprinũ habere dixerim οὐκ ἐν τῷ στόματι, ἀλλ' ὑπὸ τὸ στόμα: hoc eſt, non in ore, ſed ſubtus. intra fauces enim dentes ipſius latent, neque vel oculis diducto ore, neque tactui immiſſo digito apparent: ſicut & balero, & alijs quibuſdam. Sunt autem in maxillæ recuruæ medio dẽtes quini ferè accumulati, chœradum inſtar, ſitu & magnitudine inæquales, tres maiuſculi, duo exigui, præduri, caui, ſuperficie ſumma lata, ſiue plana, obtuſa, ſed lineis quibuſdam exaſperata, vnus tantum & candidior cæteris, & ſuperficie læui eſt in mucronem breuiſſimum faſtigiata. Hęc de cyprini dentib. ſtudioſiùs tradere viſum eſt, quòd Bellonius nullã eorũ mentionem faciat. Carpo & alij quidã piſces in lateribus gutturis mandibulas habent, ſub branchijs, nec vllum in ore dentem, Albertus. vide in Barbo B. Cyprino quaternæ ſunt branchiæ, duplici ordine, nouiſſima excepta, Ariſtoteles. ego quaternas in eo reperi, ſed omnes duplices. Lactes in carpa circa calendas Nouembris reperi turgidulos.

Lingua. *Dentes.*

C Cyprini piſces litorales ſunt, Oppianus: gregales, & in arenoſis locis victitant, Vuottonus. De carpa fertur, quòd cum fœmina eius grauidam ſe ſentit, & tempus pariendi inſtat, motu oris (*ore innuens pulſu lenit, vt adiuuet parituram: tunc illum loco ſeminis lac emittere, quod fœmina ſuſcipiens ore, ſtatim oua pariat in ſobolem profutura, Author de nat. rerum: qui & etymologiam quoque ridiculam addit, carperam appellari, quod carpens, videlicet maſculi ſemen, pariat*) maſculum excitet, vt lac ſpargat: & ita demum eam parere. Eſt autem lac (genitura) huius piſcis valde ſpiſſum. Quòd autem quidam dicunt fœminam lac ore ſuſcipere, & inde futura concipere oua, omnino falſum & alibi à nobis improbatum eſt, Albertus. Cyprinos, tincas, anguillas, apuas, è putredine, ſeu abſque ſemine generari certum eſt, Cardanus in Varijs. Audio in piſcinis ſeu viuarijs quibuſdam carpas reperiri, in quibus neutrum ſexum agnoſcas, in cibo ſuaueis. Quærendum an hæ ſint quæ abſque ſemine procreantur. Cyprinus, balerus, & cæteri ferè omnes vadis intrudunt ſeſe cum parturiunt, Ariſtot. Paritura carpa ad ripam, vbi tepidior eſt aqua, ſe recipit, & oua emittit. ſequuntur autem eam mares duo: qui genitura ſua tanquam linteolo oua excipiunt, & ad loca tuta commodaq; educationi ſeu cuſtodiæ deducunt, Greg. Mangoldus. Cyprini quinquies aut ſexies anno pariunt: partumq; ſyderum ratione potiſſimùm faciunt, Ariſtot. Soli quinquies anno pariunt, Oppianus: ſexies, Plinius. Carpę noſtræ ſub Iunium & in Ipſo Iunio parere ſolent. Cyprini poſt glanin tardiſſimè augentur, ouaque ædita à mare ſeruantur. Ouum eorum, & reliquorũ eiuſdem generis eodem die, & poſt, magnitudine milij fit, Ariſtot. Et alibi, Tũ ſolùm oua ſua cuſtodit cyprinus, cum ea congeſta repererit. Cum autem cyprinus hoc faciat quod & Ariſtoteles teſtatur, & experientia piſcatorum in carpa noſtra obſeruatum affirmat: mireris Plinium ſcribere, ſilurum ſolum omnium ædita cuſtodire oua. Carpæ cerebrum ad augmentum & decremẽtum Lunæ creſcere vel decreſcere dicitur. quod etſi omnibus piſcibus accidat, huic tamen præ cæteris: ſicut inter quadrupedes lupo & cani, Author de nat. rerum. Cyprinus canis exortu potiſſimum ſideratur, & tonitruo ſopitur magno. ſed hoc leuius ei accidit quàm glanidi, Ariſtot. 8. 20. Quem locum Plinius ſic tranſtulit: Fluuiatiliũ ſilurus (*glanis dicere debuit*) caniculę exortu ſyderatur, & aliâs fulgure (*tonitruo*) ſopitur. hoc & in mari (*Ariſtoteles nihil de mari: ſed ex profeſſo de fluuiatilibus hæc ſcribens agit*) accidere cyprino putant. Semini (*Soboli*) carperæ nonnunquam in anno primo natiuitatis niger vermiculus quidam poſt aurem tabificus innaſcitur: & hoc ſæpius poſt Auguſtum, eaque tabe moritur. remedium eius eſt aqua dulcis & fluuialis, Author. de nat. rerum. Vide in Corollario De vermibus aquatilibus. Ariſtoteles ballero & tilloni ex fluuiatilibus ac lacuſtribus vermem (helmintha, lumbricum) innaſci ait ſub Cane: quo illi infirmati ad ſummum aquæ efferantur: & illic æſtu (vi Solis) intereant. Lucijs & carpis (vt ex perito quodam piſcatore accepi) peſtis aliquando ingruit, vnde tumores etiam in corpore ipſorum apparent: carpis etiam ſquamæ decidunt. itaque pereunt plerique omnes infecti præſertim cũ in piſcina aut (F) viuario plures coniuncti fuerint. Carpis priuatim ſanguis interdum circa coſtas coagulatur, quod vel ex coloris, qui alb. iſthic eſſe debebat, mutatione apparet. Sic affecti in cibo etiam inſalubres ſunt, etiam ſi vulgus id non obſeruet. Et hi morbi præcipuè accidunt, cum annus ſiccior fuerit, & aquæ imminutę. In Palatina regione Germaniæ, in loco cui nomen à Michaele & campo, vel agro, (*Michelsfeld*) in foſſa circa arcem carpam eſſe, quæ centeſimum vitæ annum attigerit, ex homine fide digno cognoui. Carpani herbas depaſcuntur cum fluuij aucti alueos excedunt, Platina.

D Marem oua ſua cuſtodire, in c. dictum eſt. Aſtutus eſt piſcis, & vt reti capiendus euadat, varia machinatur. Primum enim circumiens foramen quærit: quo non reperto, tranſilire conatur, vibrato in aërem corpore. aliquando ſub reti effugium quærit, (ſuffodiens in fundo, Albertus.) Aliâs herbam ore tenens, retinet ſe ne trahatur à reti. aliâs de ſuperficie veniens, quantum poteſt caput fundo infigit, ita quòd rete non niſi caudam tangens illabitur, (aliâs ſuperueniens eliditur,) Auth. de nat. rerum.

E Interdictum eſt apud nos piſcatorijs legibus, ne quis eo retis genere vtatur quod ab arundinibus denominant, (*den Rorʒug*,) imprimis verò ne reti cuius anguſtæ ſunt maculę inter arundines quiſquam piſcari auſit: cyprinos tamen & praſinos (vt appellant) retibus quorum amplæ ſunt maculæ expiſcari licet: modo praſini in eam ſint adulti longitudinem, quæ legibus piſcatorijs determinata eſt. Iſtri confluente per hyemem glacie aſtricta, piſcatores alicubi ea perfracta, ſcrobem inſtar putei excauant, in qua cum alij piſces permulti, tum plurimi cyprini & coracini capiuntur, Aelianus. Placentas è papaueris ſeminibus ad olei vſum expreſſis, piſcatores aliqui in fruſtula comminutas mane, veſperi & circa mediam noctem aquis inijciunt: & rete ſemper ſuperinijciunt: itaque piſcium magnam copiam aliquando capiunt, & in forum aduehunt. guſtantur enim hæ placentæ ab omni piſcium genere, carpis tantum & lucijs exceptis. Circa Argentoratum hęc ars noſtro ſeculo primùm exerceri cœpit: & cum increbreſceret, prohibita primùm, poſtea rurſus conceſſa eſt: à monacho Carthuſiano inuentã aut demonſtratam aiunt. Argentorati quidem papauer copioſè colitur: ex ea vrbe placentæ huiuſmodi in piſcandi vſum, aliò etiam conuehuntur. Quòd ſi medicos audiret magiſtratus, piſcationis hoc genus, quo piſces ſiue papauere ſiue alio medicamento torpore ſtuporeque quodam affecti, veluti ſopiti, capiuntur, omnino damnaret. Carpo optimè valet in fundo argilloſo tritico primo ſeminato, & poſtea argilla deſuper ſparſa, & poſtea aqua ſuper effuſa, Albertus. Carperæ ſoboles paucis aquis (*fortè annis*) prouenit: ſi in ſingulis foſſis decem cubitorum recenter factis ponantur ſingulę carperæ cum parib. ſuis ante partum proximè. opinio vulgi eſt earum ſic ſobolẽ prouenire. ſed poſtquam pepererunt, eximuntur. Soboles quoque trium vel quatuor menſium tempore roborata, foſſis reiecta (*exempta*) reponitur, vbi habet creſcere cum perfectis, Author de nat. rerum.

F Carpæ pingues ſunt & dulces, ſed non ſalubres, & mollis carnis, Albertus. Gaynerius Italus carpiones concedit hecticis, carpas an carpiones Benaci intelligens neſcio. Carpa piſcis eſt admodum viſcoſus: quare & vino coquitur ad tollendã eius viſcoſitatem, Encelius. Carpa etſi ſquamoſior ſit alijs quibuſdam, vt perca & lucio, carnem tamen non habet adeò albam, friabilem & ſubtilem, ſicut lucius & perca: & ſæpius reperitur in ſtagnis, Arnoldus in Regimine Salernitano. Inſalubres ſunt carpæ cum morbis laborant: quod ex ſquamarum defluuio, aut ſanguine circa coſtas coagulato apparet, vt diximus in c. Nuper audiui mulierem albo quod circa branchias eſt è carpa ſtagnenſi deguſtato, mox inflatam eſſe, & multo pòſt tempore ægrotaſſe: cuius rei cauſa fortè in vermem aliquem venenatum, qui branchijs hæſerit, reijcienda fuerit. Commendantur apud nos circa Martium menſem præcipuè: bene habitæ tamen & pingues omni tempore placent, Maio & Iunio menſibus exceptis, cum geniturã emittunt, aut emiſerunt recens. Cibus ex eis mollis & phlegmaticus eſt, Adamus Lonicerus. Reginæ etſi tanta mollicie non ſunt præditæ, quanta mænæ & anguillæ, eſitatæ tamen & ipſæ paulò copioſius, aluum ſubducunt, Braſauolus. Præſtat mas fœminæ, vt etiam inter cæteros pleroſq;: lacuſtris ſtagnenſi, præſertim ijs in locis lacuum, vbi fluuios ſubire poteſt. in his enim multò pręſtantior euadit. Maiuſculum etiam minori præferendum puto, quod idem in cæteris carne molli præditis piſcibus obſeruatur. Quorum color flaueſcit, minus probantur cæteris, (nigris.) Carpæ caput ganeones imprimis expetunt, linguæ maximè gratia. Lingua eius perdulcis eſt, (præſertim) aſſa, Albertus. Carpani groſſi (obeſi,) & herbas, vbi flumina ob increſcentiam ex alueis exeunt, depaſti, non inſuaues, cum leucophago aut alliato habentur. parui friguntur, Platina. Sanguine abundat carpa præ cæteris piſcibus. exenterata intrinſecus abluenda eſt vino illo in quo elixabitur, ab initio ſtatim frigido immiſſa, non vt alij molles feruido, (nimirum propter pulparũ craſſitiem.) Quod ſi gelu in patina facere libuerit, ſquamæ eius linteolo illigatæ ſimul cum piſce coquantur, vt ius reddatur craſſius. Acetum elixandis carpis additur, ſed mox aufertur colando, ne ſquamæ eis decidant, (ſed locus hic in Germanico libro vnde transferimus, obſcurus eſt.) fruſta capitis primùm imponi debent, deinde quæ craſſiora fuerint, prius elixa donec ſpuma rubeſcat. cola inuerſo lebete ſuper linteo puro, & calida infer, Baltaſar Stendel. Idem paulò poſt docet ius nigrum cum pane in carpa fieri.

G Cyprini piſcis fluuiatilis fel inunctum (oculis) omnem obſcuritatem ſanat. Adeps Venerem excitat. Hoc liquato ſi quis in balneo ſexum ſe (*fortè, pudenda ſibi*) inunxerit, colorem (*calorem*) bonum, & poſt concubitum ſtatim conceptionem parit, Kiranides. Orpheus in Opallij gemmæ mentione, lepidotum ait neruorum affectionibus mederi: quæ autem eius pars vel quomodo id præſtet, non exprimit. de adipe inungendo fortè intelligendum, ad ſedandos dolores, præſertim in affectibus calidis. Καὶ νεύρων ἀλεγεινὰ πάθη λεπιδωτὸς ἀμύνει. Lapillus de capite cyprini ad remedia quædam vſurpatur: extractum de piſce crudo efficaciorem putant. Sed ne pro lapide aliam quandam duram in faucibus ſubſtantiam accipias, cauendum. Lege ſuprà in B. contritus ſanguinem è vulneribus manantem ſiſtit inſperſus, Incertus. Sanguis è naribus fluens ſi ſuper hunc lapidẽ defluat aut deſtillet, ſiſti creditur à Bohemis. Prodeſt calculoſis: & ore contentus aduerſatur ebullitioni flauæ bilis circa os ventriculi, quam Germani feruorem appellant, (*den ſod, oder ſoth*) pręſeruat contra colicam paſſionem, & alia quædam efficit, Encelius. Vt carpæ, ſic & aliorum piſcium lapilli calculos renum pellere creduntur: quorundam etiam pro amuletis aduerſus morbos quoſdam geſtantur, vt clupeæ contra quartanam: & coracini vel chromidis, contra coli malum.

H. a. Cyprinus penultima producta effertur, quæ & circumflectitur Grecis. Nomen ei à Cypride, id eſt Venere factum videtur, tanquam fœcundiſſimo piſci. quinquies enim vel ſexies anno parit: & adeps eius, ſi verum Kiranides dicit, ad fœcunditatem facit. Ioannes Herterus ciuis & amicus meus, iuuenis eruditus, cum aliquando carpis aliquot me donaſſet, hoc tetraſticho ei gratias egi: Tu mihi cyprinos donas Hertere natanteis, Sic tibi ſit facilis Cypria diua potens.

Sic te formosa donet Venus aurea nympha,
Augeat & pulchra prole benigna patrem.

Inter iocularia piscium nomina, quæ in libello quodam Germanico circumferuntur, carpam nequam vel nebulonem esse (nescio qua ratione) legitur: *Ein Karpff'ist ein Schelm.* Melius diceretur, *ein Bub.* nam & sic alicubi vocari audio. Lingua carponis vel herba vulpis vel digitalis dicta quædam, inter lunarias species ab obscuris scriptoribus collocatur: tumoribus vtilis, & ne nimia obesitate corpora luxurientur, prohibens, vt aiunt. Sunt qui linguam piscis appellent, vulgò *fischzung*, montanam quandam sedi (aut phylli, secundum aliquos) speciem, albicãtem, præsertim marginibus foliorum, magis quam sedum maius vrbanũ in tectis nascens, à quo etiam magnitudine & succi copia vincitur. Carpæ nominãtur in oleis vermiculi, flatibus austrinis creati, vt *vim.* in vitib. Hermol. Barb.

c. Cyprini adeps & hepar suffitu dæmones fugant, Kiranid. Orpheus superstitionum pater in Opallij gemmæ mentione, misceri cum ea iubet electrum, myrrham, & squamas lepidoti (nimirum ad suffitum,) vt futura omnia præuideantur.

DE CYPRINIS RARIS ET monstruosis.

Hac forma Cyprinus captus est in Acronio siue Costantiensi lacu, prope Retz, duos ferè dodrantes longus, in præsentia illustris & generosi viri comitis Wolff de Schaũburg, anno Salutis M. D. XLV. idib. Nouembris. Picturam ad me misit Achilles Pyminius Gassarus medicus hoc tẽpore Augustę præstantissimus. Prona pars nigro colore picta est, latera fusco, suprema luteo. Spectabilis in eo præcipuè facies, æmula humanæ latitudine lua. nec non oculis, ore, naso, buccis ac mento.

Hæc scripseram cum eundem piscem Raphael Seuerus iuuenis Augustanus clarissimi medici Geryonis filius, cùm omnimoda eruditione, tum iuris scientia, & comitis Palatini dignitate nobilis, pictum ad me dedit, cum descriptione huiusmodi: Piscem hunc omnino qualem depictum mitto, fuisse captum in flumine Austriæ (quod vocant *die Ens*) in ditione comitis Iulij de Hardegg prope vrbem Retz, anno 1545. mense Octobri, viri quidam eruditi & graues, mihi veluti testes oculati confirmauerunt. Faciem non auersam, sed repressam, ab obliquo in planum aspectu tendente, cum temporibus vtrinque latis, oculis, narib. ore, mandibula, omnia effigie humana habuit. Pinnis squama, cauda. totoque corpore posteriore, ipsaque adeo magnitudine, atque colore, carpam præ se tulit. Rete captus est solus, & ob raritatem, ac maximè quòd senib. etiam ignotus esset, diu cõseruatus: & veluti miraculũ quoddã passim asportatus.

Cyprinus rarus & monstrosus.



DE ALIA CYPRINI MIRA SPECIE, RONDELETIVS.

Iconem omisi. monstra enim pingere non instituimus.

Nec potui nec debui studiose lector silentio præterire miram Cyprini speciem quę Lugduni in foro piscario viua empta est, dum hæc commentaria mea prælo iamiam committenda essent. Nullus fuit qui non demptis capite & rostro, Cyprinum esse iudicarit hunc piscem. Nam squamarum figura & colore, pinnis, earundem situ, cauda, idem planè est cum Cyprino. Pinna dorsi initio aculeum incisum habet, vt in Cyprino. Eundem aculeum habet alia pinna quæ excrementorum meatũ sequitur, quæ rubescit, item caudæ pars ei respõdens. Tota cauda lata est vt in Cyprino. Duas alias pinnas habet ad branchias, similiter duas in ventre. Caput habet non protensum vt Cyprinus, sed Delphini capiti simile, rostrum satis longum sed obtusum, quale reuera pictura repræsentat. ex superiore rostri parte iuxta oris scissuram appendix carnosa vtrinque vna dependet, vt in Cyprino, hac superior est alia breuis & vix apparens, nisi propius inspicias vtrinque etiam vnica, Hæc Rondeletius.

Similem

Similem cypriho monstroso, (sed barbulis insignem, quas in suo Rondeletius non expressit) quem Rondeletius exhibuit; Gilbertus Cognatus Nozerenus [illegible] ad me misit: in Nozerethano stagno repertum, anno Salutis M. D. LIIII. Februario mense. In cognati viuario nouem tantum diebus vixit.

Sed longè pulcherrimus fuit, nec specie, sed coloribus ratus & admirandus cyprinus ille, qui anno Domini M. D. XLVI. Omburgi in ditione Comitis Palatini Marchionis Ioachimi Brandenburgensis captus, & Augustam missus est ad Carolum V. Cæsarem in comitijs illic agentem, qui eum sorori Marię donauit. Coctus etiam colores retinuit. Picturam eius mihi communicauit Ioannes Thannmyllerus iunior, chirurgus Augustanus peritissimus, in qua longitudo apparet trium dodrantum: latitudo digitorum nouem, quæ est à medio dorso ad ventrem medium. Pinnæ dorsi initium partim aureo, partim rubro colore est, deinceps verò pulcherrimè cœrulea. reliquis pinnis omnibus color aureolus, vt capiti etiam magna ex parte, ac ventri: sed passim etiam rubedo interuenit, quæ barbulas quoque quaternas tingit. Dorsum ex viridi cœruleum: latera superiùs viridia, inferiùs aurea &c. In summa suauissimis floridissimisque coloribus vndiquaque adeo eleganter pictus atque distinctus est, vt vel cum rubri maris elegantissimis quibusdam maximéque varijs piscibus certare posset.

Captvs est aliquando apud nos Cyprinus hermaphroditus, in quo vtriusque sexus notæ (hoc est & genitura & ouorum vasa) comparuerunt. In piscinis verò contrarium quandoq; reperitur, nempe neutrius sexus cyprini, nec mares, nec fœminæ. Et hi forte sunt, quos sponte nasci Rondeletius author est.

In Albi flumine pisciculi quidam carpis exiguis similes capiuntur, latiusculi, amari, ingrati: piscib. albis adnumerant, & *Oberkottichen* vulgò appellant: aliqui per conuicium rusticorum vel sarctorũ carpas, *Baurenkarpffen, Schneiderkarpffen.*

DE CYPRINO CLAVATO SIVE PIGO, Rondeletivs.



A Mediolanensibus Pigus vocatur piscis, Græcis veteribus vt arbitror incognitus, quamobrem nomine Græco atque etiam Latino vacat: etiamsi Plinius huius mentionem fecerit, vt mox dicemus, nullo tamen proprio nomine impositò. Vulgi ergo appellatione sequentes Pigum nominare possumus: vel, quia ex Cyprinorum est genere, à clauis, qui è medijs squamis existunt: Cyprinum clauatum vel aculeatum rectè vocabimus, vt hoc maximè discrimine à cæteris distinguatur. Hunc optimè expressum Pisis mihi dedit Guinus Medicus. A

Est igitur Pigus ex Cyprinorum genere, qui in Lario & Verbano lacu tantùm reperitur, vt asserunt Mediolanenses: Cyprino ita similis, vt demptis aculeis Cyprinum esse affirmes. Est enim eodem corporis habitu. Pinnas totidem eodem in loco sitas, os, oculos, palatum eodem modo carnosum, interna omnia similia habet. A branchijs linea curua ducta est, punctis notata. colore est glauco, ventre rubescente. Squamis magnis tegitur, è quarum medio oriuntur aculei acuti veluti crystallini. Vita, morib. sapore, succo, Cyprino superiori similis, nisi quod paulò melior est. B

Pigum esse cuius meminit Plinius lib. 9. cap. 18. duę certissimæ notæ demonstrant. Plinij verba primum subijciemus, deinde notas declarabimus. Duo lacus, inquit, Italiæ in radicibus Alpium, Larius & Verbanus appellantur, in quibus pisces omnibus annis Vergiliarum ortu existunt, squamis conspicui, crebris atque præacutis, clauorum caligarium effigie, nec amplius quam circa eum mensem visuntur. Notę sunt hæ, prior quod in Lario & Verbano tantum lacu reperiuntur. hi pisces, testibus omnib. horum lacuum accolis, reliquisque Italię populis. Altera sumitur ex clauis è medijs squamis enatis, vt pictura ostendit, quos clauis caligaribus comparat Plinius. Sunt autem caligę calceamenti militaris genus ad mediam vsque tibiam, vt in antiquis marmoribus, & numismatis perspicitur, vnde claui caligares, qui caligis affigebantur vel ad constringendum vel ad ornandum, quales Turcæ etiam hodie calceis suis affigunt. A

COROLLARIVM.

Ego similem huius piscis picturam Comi ad Larium expressam olim accepi: sed caudę pinna maiore quàm Rondeletius pingat: & ventre albo, non rubescente, propter sexus discrimen forte. Pigum appellatum coniicio, quòd clauis siue aculeis suis pungat, quasi picum. nam & aui pico rostro pungenti inde nomen esse factum arbitror. Tolosani rostrum olim vocabant beccum, vnde beccasse, id est gallinagini, apud Gallos nomen. Et nostri verba *hecken & hacken*, pro tundere vel pungere, vt aues rostro solent, (κόπτειν dicunt Græci,) vsurpant. Circa Verbanum *pic* à vulgo nuncupatur: alijs pigo vel picquo. Albertus hos pisces Vergiliades vocat: quoniam, vt scripsit Plinius, Vergiliarum ortu apparent. Hi pisces (inquit idem) pulchras habent squamas, acutas vt claui, in capite autem sunt parui: & postea (post caput) caligarum modo dilatantur: atque hoc ridiculè, vt ex Rondeletij scriptis apparet, ne plura addam. Qui Larium lacum accolunt, Aprili & Maio mensibus pisces hunc florere dicunt, nempe cum clauos emittit duros, prominentes pyramidis aut claui caligaris instar, ita vt dimidium lati digiti è corpore extent, (vti Franciscus Niger ad me scripsit) eosque turbinatos, nullo ordine. Audio & cyprinũ

De 2 vel cy-

vel cyprini genus candidum capi aliquando in Atheſi, ſimilibus per ſquamas dorſi aculeis, frequentibus. Et huic rurſus ſimilem eſſe amarum piſcem, cui Germanicum nomen eſt *Erſten*. Eſt apud nos lacus piſcoſus nomine Gryphius: in quo piſcium quos bramas (vulgò *Brachſmen*) vocitant, genus peculiare reperitur: (nam in noſtro lacu nulli ſunt,) quod *Steinbra hſmen* (vt in Acronio etiã Lindauiæ, alibi *Thornbrachſmen*) appellant: lautius ac delicatius cæteris, & ſub tempus quo generationi vacat, aculeatum, vt fertur, & albius euadit: mares duntaxat, quanquam & alij cyprini lati quum generant, ſquamis exaſperantur, & alij fortè plerique piſces: eoque tempore ad cibum minùs probantur. Quòd ſi hoc cyprini genus, cyprinus clauatus non eſt: Germanicè tamen eum piſcẽ ſic appellemus licet, *ein Thornbrachſmen oder Steinbrachſmen, oder Steinkopff aus dem Kummer See, oder aus dem Langen See.*

DE CYPRINO LATO SIVE BRAMA, RONDELETIVS.



A SI Cyprinorum genera plura ſtatuenda ſunt, eis non ineptè piſcem ſubijciemus, quem Galli Bramam
B vocant. Itali Scardolam & Scardam. Squamis enim, corporis ſpecie, vita Cyprino ſimilis eſt: ſed latiore corpore & compreſſo, quod illi ex lacuſtribus & fluuiatilibus maximè conuenit, ac proinde ea differentia à Cyprino diſtinguetur.

(A) Sunt qui ob nominis affinitatem quam Bramam vulgus vocat, Abramidem eſſe putent, ſed non ſine errore, (vt in Abramide dictum eſt.)

B Eſt autem piſcis fluuiatilis & lacuſtris, maximus & latiſſimus, capite paruo pro corporis magnitudine, dorſo repando & cultellato, corpore compreſſo, ſquamis magnis tecto. Linea à branchijs ad caudam ducta curua eſt. Ad branchias pinnæ duæ aliæ, ab excrementi meatu alia eſt ad caudam continua. Huiuſmodi piſces in lacubus maximi naſcuntur. Vidi in Aruerniæ lacu quodã Bramas quæ binùm cubitorum longitudinem, pedum totidem latitudinem æquarent.

C Stagnantibus aquis delectantur, illicque muco, herbis, luto veſcuntur.

B Quare in his tantùm fluuijs reperiuntur, qui tardè fluunt, turbidaque ſunt, & craſſiore aqua qualis
Vbi. eſt Araris, multi item in Gallia Belgica: nec in ijs ad eam vnquam magnitudinem accreſcunt, ad quam in lacubus & ſtagnis.

F Carne ſunt molli, pingui, excrementitia, à nonnullis tamen habetur in pretio. In craticula aſſatur, vel farina bene ſubacta & piſta includitur aromatis condita: ſed ſuauior eſt quam ſalubrior.

DE EODEM BELLONIVS,
Ab eo eundem fluuium incolunt. Vocẽ ſpectat ad Abramide.

Abramidem Galli atque Angli Græcam dictionem ſecuti vne Breſme, Placentini Arbolicam, Itali Scardolam ſiue Scardam, Veneti Ruſſatam vocauerunt. Latior & planior eſt piſcis quam Laſca: cuius generis qui mediocri ſunt magnitudine, Lutetiæ Haſcaux nuncupantur.

COROLLARIVM.
Ico hac Cyprini latioris varietas facta eſt ad vnum ex lacuſtribus noſtris.

A PRASINVM piſcem recentiores quidam Germani vocant Cyprinum latum Rondeletij, Germanici nominis imitatione: Albertus Breſmam. Is an Ballerus Ariſtotelis ſit, Eberus & Peucerus dubitant. nos de Ballero ſupra ſcripſimus. Itali circa Larium Scardua vocant, alij ſcardulam. Scarda dicitur à Platina. Scarduæ piſcis nullam in veteribus ſcriptis mentionem haberi Grapaldus miratur. Scardula, & Incobia ex Pigis, & Plota, Salena, Benedictus Iouius in deſcriptione Larij lacus. Galli Braſme. Germanicè à noſtris nominatur *ein Brachſmen*. Sunt qui putant primo anno eundem eſſe piſcem dictum *in Blick*, (quem nos ſic genere *Ballerum* exiſtimamus:) ſecundo demum vocari *ein Brachſme*: atque id nomen retinere. Alij Germanorum aliter proferunt: *Prahſen* Saxones: *Braſen*, Friſij: circa Coloniam Agrippinam, *Breſen*: alibi *Preſem* (vt circa Coniuentiam,) *Preſſen Brechſam, Praxme, Breme*: quod nomen poſtremũ, ad Gallicum accedit: vt *Schaw.* Tridenti, ad Italicum Scardula.

B Prasinum piſcem vidi Aprilis die 22. qui aculeos, ſeu clauos quoſdam, paruos & paucos in capite habebat: & alios complures in ſquamis verſus caudam, ſingulos aut binos in ſingulis ſquamis. Breſma piſcis lapidem albũ habet in capite, Albertus. Truyeue (id eſt porcus vel porca) Mediolani dicitur piſcis paruus ſimilis ſcardulæ, Bellonius in Gallico libro de piſcibus. hunc eſſe puto quem Galli Gardonum vocant, nos Leuciſci nomine inter Albos piſces deſcripſimus. Abundant bramæ in lacubus Heluetię. Item in lacu qui Suerinum oppidum alluit, aulam principum Megalopolenſium non procul Oceano Balthico. Ex hoc enim lacu (vt Simon Paulus Suerinenſis prodidit) biduo ante ſacrum nuptiale, quod fœlicis memoriæ Henricus dux Megalopolenſis cum illuſtriſſima principe Helena electoris Palatini filia celebrauit, quinque millia Praſinorum, vt nominant, ſimul capta ſunt. Quam piſcium nobilium vbertatem mirificam dux Henricus ipſe ſolebat narrare, ſe velut teſtimonium diuinę benedictionis ſecutum, fauſtiſſimi ominis loco accepiſſe.

Scardulæ

Scardulę apud nos in lacu Tigurino, non paſſim, ſed ſuperiore eius parte capiuntur, vſque ad pagum *Stefen* vel *Menedorff*, vt plurimum, ſoli nimirum ſeu fundi ratione, vadum enim argilloſum, vel albicanti argillæ ſimile amant. Scardulæ marinę (ſpecie forſan differentes) vêre iam adulto circa paſcha ex Oceano Germanico per flumẽ Varuon in lacũ quendam prope Roſtochium tam denſis agminibus biduo triduoue ingrediuntur, vt haſta etiã conſiſtentibus eis inſerta, recta manere poſſet. Quidam in Polonia permultos horum piſcium coniecit in piſcinam, quæ mox ſuperueniente hyeme tota congelata eſt: & cum parandi conuiuij cauſa remoto gelu piſces capere vellet, ne vnum quidẽ inuenire potuit, licet equis per fundũ deductis excitandorum piſcium cauſa. Sequenti autem vere rurſus omnes apparuerunt, ut audio.

Brenna (lego Brema, vel Breſma) eſt piſcis fluuialis: qui cum videt ſibi lucium imminere, declinat ad cœnoſa, aquarum limpiditatem à tergo perturbans, Alexander quidã obſcurus.

De legibus piſcatorijs apud nos capturam cyprinorum & ſcardularum attinentibus, lege ſupra in Cyprino E. ab initio nonnihil. Præfectus piſcatorũ apud nos tabellam è ligno habet tres ferè digitos latam, triente digiti craſſam, cui filum bis circunuolutũ menſuram conſtituit maculæ retis, quo bramas capere licet. ambitus totus maculæ, duodecim ferè digitorum eſt. In huiuſmodi reti brama ferè quinq; digitos lata contineri poteſt, minores euadunt. ſed refert etiam craſſitudo piſcis. nam in eadem latitudine alius alio craſſior eſt. In Bauaricis conſtitutionibus eandem eſſe longitudinem video, quatum carpas tum bramas capi licet, nempe 16. digitorum: aut ſi quis menſuram à latitudine malit, ea requiritur in carpa, digitorum quatuor: in brama, ſex. In lacubus Suedię vel Scandinauiæ vno retis tractu interdum ſcardulas ter mille, aut etiam quater mille capi aiunt. menſe Maio quidem per gramen eas ferri animaduertunt, & veſtigia ſequentes indagant, non aliter quàm feras in terra venatores ſolent.



Bramæ apud nos, vt & alij quidam piſces, è Gryphio lacu præſtantiores, quàm in Tigurino qui vrbẽ alluit, habentur. In Aruernia, vbi in lacu quodam magnæ & pingues capiuntur, in pretio ſunt: & vulgò Gallicum hoc diuerbium ab accolis vſurpatur: Qui ha braſme, peut bien braſmer ſes amys hoc eſt, Ad lautum conuiuium, in quo opulentiam ſuam oſtentet, vocare amicos poteſt, qui bramas habet. Reginæ, ſcardulæ & huiuſmodi non videntur reprobari, ſicut tincæ, anguillę, & ſimiles qui ſquamas nõ habent, Ant. Gazius. Cupediarum periti, vt lucij caudam, cyprini caput, ſic ſcardulæ Iulio menſe: ego Tiguri circa finem Aprilis ſuaues & longè pinguiſſimas edi. Alibi Februario Martioque menſibus, & quo tempore ſalices ſtillant (ſic enim in Germanico de piſcibus adeſpoto libello reperi) maximè probantur. Scardæ quouis modo coquantur, inſipidæ ſunt: & plus moleſtiæ ob minutiſſimas ſpinas inter edendum, quàm voluptatis afferunt, Platina. Aliqui ſuper craticula torrent oleo vel butyro inunctas.

DE PISCIBVS DIVERSIS GERMANIÆ NOstris, *Cyprino lato cognatis.*

CIRCA Roſtochium Praſinos vulgò (*Praſem*) vocant piſces è mari per fluuium Varuon in lacum quendam circa paſcha conferctiſſimè ſe recipientes, vt ſuprà dixi. qui an ijdem ſint praſinis noſtris, vel generis eiuſdem potius ſpecies diuerſa, non habeo quod affirmem.

DE Cyprinorum genere, quod Germani *Steinbrachſmen* vel *Thornbrachſmen* nominant, dictum eſt ſuprà in Cyprino clauato.

Karaus, Karaunis, Kariſs, Gariſs, piſcis in Albi fluuio inter albos connumeratur, carpæ fermè ſimilis, latior & albior. ſed minor. Maiores enim ex hoc genere, carpam vnius aut alterius libræ æquare aiunt: colore etiam, formaque accedere, breuiores tamen eſſe, in cibo laudari in piſcinis apud Bohemos nutriri. De hoc an coracinus vel ei cognatus ſit, ſubdubito. Vide ſuprà in Corollario de Coracino A. ad finem. Figuram eius qualem olim adumbratam accepi, hìc appoſui: in operis fine meliorem exhibiturus.



ROTFISCH, in Norùegia piſcis marinus, Praſino noſtro magnitudine & figura ferè ſimilis, minoribus pinnis, totus rubens mus & foris. Laudatur in cibo. Erythrinus hic an pagrus ſit quærendum. Bellonius ab Anglis Londini etiam aſellorum quoddam genus *Rotſiſh* appellari ait.

ROSEMVCKES in Pruſſia appellantur piſces, qui in ſtagnantibus aquis, lacubus aut piſcinis profundis capiuntur, cyprinis latis congeneres, quadruplo ferè maiores (vt audio:) præpingues. aſſari ſolent cum aromatibus. caput eis ferè ſpongioſum vel muſcoſum eſt præ corpulentia. Idem eſt puto piſcis quem Albertus de animalibus libro -. tractatu 1. cap. 7. nominat *Hoſemus*, mendosè forſan librariorum culpa, quem capi ſcribit in mari Flandriæ & inferioris Germaniæ.

GOLDAMI dictus Germanicè piſcis ab auro (aureo fortè colore) ſimilis eſt praſino nondum adulto, quod ad formam. ſapore enim plurimùm differt. hyeme capitur ſub glacie in lacu Suerinenſi. Eſt & *Goldamer* p. ſteris auis genus, à colore dictum Non diſſimilis etiam apud Anglos praſino eſt, latior tamen (vt audio) & colore tincæ, quem *Dorce* vocitant. alij *Dace*, alij *Dorry* ſcribunt, aliqui *aureos*, vocabulo Gallico, quod regium ſignificat, piſcem enim lautiſſimum aiunt. Galli Fabrum piſcem, ſiue Gallum marinum, ab aureo & micante colore, vocant Dorée, quaſi Doradam, id eſt, Auratam, à qua tamen multum differt.

Maſſilienſes veram auratam Dorée vocitant, quam (vt alios complures ſimilis figuræ) Galli Oceani accolæ (& ſimiliter puto Angli) nimis communi Bremæ marinæ nomine comprehendunt.

BREMA marinæ nomen, vt iam dixi, Gallis, Anglis & Germanis latè patet, ad piſces diuerſos, qui omnes tamen ſquamoſi latique ſunt. & cyprino præſertim lato, vt Rondeletius cognominat, aliqua ex parte ſimiles. *Seebrame, Meerbrachſme*. quanquam certis in regionibus fortè ſpeciem vnam quampiam ſic appellant: alicubi enim marinum piſcem bremæ lacuſtri ſimilem, ſed craſſiorem & maioribus oculis, priuatim ſic nominari audio.

BVBVLCA Bellonij, piſciculus eſt ſuprà inter Albos piſces deſcriptus. Is (inquit) Bremmam ac Caſtagnolam marinam toto habitu æmularetur, niſi corpore eſſet minimo, &c.

IN Picardia (inquit Rondeletius) Roſiere vocatur piſciculus, qui dimidiati pedis longitudinem nunquam ſuperat, bramis minimis corporis ſpecie ſimillimus, colore luteo, &c.

PISCES MARINI ALIQVOT, A VETERIBVS MEMORATI,

ſquamoſi & lati, qui omnes vno generali nomine Brema, vel Brama marina, Seebremen, *nominantur aut nominari poſſunt, adiecta alicuius (ſi videbitur) coloris aliaue differentia: ordine literarum enumerati.*

ANTHIAS. vide mox in Aurata.

Auratam Galli ad Oceanum Brame de mer vocitant: quo nomine etiam Sparum, Cantharum, & ſimilis figuræ piſces nuncupant, Rondeletius. Video Sargum, Melanurum, Auratam, Sparum, Synodontem, Dentalem, ita ſimiles eſſe, vt vix ab oculatiſſimo diſtingui poſſint Bellonius. Chromis, Pagrus, Erythrinus, Hepatus, Orphus, Anthias, Dentex, Synagris, ſimiles ſunt, Gillius ex Athenæo.

Cantharus Lutetiæ vulgo Bremma marina dicitur, Bellonius.

Charax Synodonti ſimilis eſt, ſed præſtantior, Diphilus. At Synodon Auratæ perſimilis eſt.

Chro-

Chromis. Vide in Aurata. *Ein ſchwartzlechte oder braune Meerbrachſme.*
Coracinus Melanuro confertur, *ein ſchwartze Meerbrachſmen art.*
Dentex vel Dentalis. *ein Zanfiſch oder Zanbrachſme im meer.*
Erythrinus, id eſt Rubellio. *ein rote Meerbrachſmen art. ein Rotfiſch.*
Hepatus Ariſtotelis & Athenæi. *ein Meerbrachſmen art mit einem ſchwartzen flecken am ſchwantz vnie auch der* Melanurus. Alius eſt Æliani Hepatus.
Melanurus. *ein Meerbrachſmen art mit ſchwartzen flecken am ſchwantz: vnie auch der* Hepatus.
Orphus. Vide in Aurata paulò ſuperius.
Pagrus vel Phagrus. *Ein anderer rote Meerbrachſme, ein andere Rotfiſch.* nam & Erythrinum paulò antè ſimiliter interpretatus ſum. ſed hic è ruffo ad cœruleum vergit, & rotundior latiorq; eſt: erythrinus ſimpliciter rubet, &c. Pagri nomen proprium Galli non habent. fecit hoc affinitas, quam hic piſcis habet cum Bremma fluuiatili, qui Latinorum & Græcorum eſt Cantharus, (*Cantharus Bremma marina eſt, fluuiatili ſimilis*) vnde non Galli ſolùm, ſed & Angli quoq; Cantharum & Pagrum, licet plurimum inter ſe diſſidentes piſces, Bremmam fluuiatilem (*lego marinam.*) appellauerunt, Bellonius.
Rubellio. Vide Erythrinus ſuperius.
Sargus, vide in Aurata ſuprà, *ein Meerbrachſmen art. ein Geißbrachſme.*
Scarus. *ein Meerbrachſmen art, blawvlecht, vnd mit breiten zanen vvie ein menſch. Ein Zanbrachſmen art.*
Sparus. *ein kleine Meerbrachſmen art, ein Sparbrachſmen.*
Synagris. *ein anderer Zanfiſch oder Zanbrachſme.* nam & Denticem ſic interpretatus ſum. Synagridem & Synodontem aliqui non genere, ſed ſpecie differre arbitrantur, Rondeletius ſola ætate.
Synodus. vide in Aurata: & proximè in Synagride.
Venetijs Raina de mer, id eſt, Carpam marinam vocant piſcem quendam, quem exhibebimus ad finẽ hiſtoriæ Turdorum.

CYTTVS, Κυττος, piſcis nominatur ab Athenæo inter piſces tanquam Dionyſio ſacer. ex quo & Maſſarius repetijt: ſed is aliter ſcribit: Cittulum (inquit) Libero patri ſacrum fecere Græci. Euſtathius Athenæi verba de ſacris piſcibus repetens: nihil de cytto. Ego cantharum inter piſces potius conſecrarim Baccho, vt inter frutices cittum, κιττος, id eſt hederam.

DE AQVATILIBVS, QVORVM NOMINA D. LITERA INCHOAT,

DACTYLEVS, Δακτυλευς, id eſt Digitalis: alias Didactylæus, id eſt Bidigitalis, Mugilis genus eſt, à latitudinis menſura dictum, qua digitos duos non explet, Athenæus.

DACVS piſcis quidam à Tarentino nominatur, ſi modo in recto ſingulari ſic vocandus eſt. ipſe id gignendi cauſa plurali ponit δακων. Dyces quidem Cyrenæis erythrini ſunt.

DASCILLVS cœno & ſtercore veſcitur, Ariſtoteles hiſtoriæ 8. c. 2. necalibi, quod ſciam, eius meminit, nec alius quiſquam. Codex Græcus noſter ſic habet, Ο' δασκιλλος τον βορβορωδη ἡ μηκωνα τρεφεται. Theodorus Daſcullum tranſtulit, ſicut pro ſcilla ſquillam dicimus. In expoſitione Niphi inuenio δασκυλλαι, in margine etiam δασκυλλος & δασκυλος. Idem daſcyllos ruſticè ait dici celace: quod ita accipi poteſt ac ſi vulgò in Italia ſic appellentur: & ita, vt poëta canit, Noſtri ſic rure loquuntur. ſed hoc verum non eſt. rectius & clarius in Alberti commentarijs, qui Arabicam tranſlationem ſequuntur, (in qua pleraq; omnia piſcium nomina à Græcis quidem detorta ſunt, ſed adeò corrupta vt veſtigium vix agnoſcas,) ita nominari daſcillum dixiſſet: quamuis noſtra Alberti æditio non celace habet, ſed celeka: & eodem in loco ab Ariſtotele ſcarus & melanurus algis veſcentes: & ſalpa, ſtercore & algis, nominantur: pro quibus omnibus Albertus ſic habet: Celekà cibatur ſtercore ſiue cœno & herbis, & paſcitur quaſi quolibet & ſolus tempore per eſcam vuechim ſiue ſtercoris deprehẽditur. Vnde pro daſcillo potiùs an ſalpa, Albertus Celeka poſuerit, neſcias. Abſurdiora hæc ſunt quam immorari nos deceat: adferre tamen volui, vt Niphi ineptiæ proderentur. Daſcyllum piſcem ſibi ignotum Rondeletius fatetur.

Ruſtice dicit, quid Niphoſignificet.

Niphi ineptiæ.

Leptinus. Lebianus.

DELCANVM, Δελκανον, piſcem à Delcone fluuio nominari, in quo etiam capiatur, & ſalſus ſtomacho quam commodiſſimus ſit, author eſt Euthydemus in libro de ſalſamentis. Dorion verò in libro de piſcibus, Leptinum Lebianum nominans (τον λεπτινον, λεβιανον ὀνομαζων) eundem & Delphicanum eſſe quoſdam aſſerere ait, Athenæus. Lebia, Λεβια, piſces quidam lacuſtres ſunt Heſychio & Varino. παλαιδας ἐχοντα, τὰ βυγχη, καὶ ἰχθυς λιμναιους. Si Rhodios inuitaris, ἐστιν ὁδ. Α' τοξεσας σι ἀκρον, ἡ Λεβιανον, ἐφ' ᾧ χαιρῃ πολυ μαλλον, ἡ μυελῳλιν σπεσογγιας, Diphilus apud Athenæum. hoc eſt, Silurum aut lebiam coctum ſi appoſueris Rhodijs, multo magis quàm murrhino (generoſo aliquo vino) eis gratificaberis. Delcus, Δελκος, lacus eſt piſcoſus circa Thraciam, Heſychius.

DELEDONE Δελεδωνη, ὁ μυλαὶ & ἰχθυς, Heſychius & Varinus.

DE DELPHINO, BELLONIVS.

DELPHINI nomen magis vbique receptum eſſe video, quàm eius carnis eſum, quà apud orientales plagas veſci ſumma religio eſt.

Piſcis eſt omnibus maris litoribus frequens: in Ponto quidem minor, in Galliæ litoribus maximus, ditiorum popinas multis modis apparatus lautiores reddens, inter viuipara connumeratus.

Fœtum enim producit, quadrupedum terreſtrium inſtar: vnde illud Oppiani,

Et Delphin Ponti princeps, vitulíq; marini Hi parium fœtus, fœtus æquare parenti Poſſe.

B Quinque vel sex pedes longus est: crassus autem, quantum hominis amplexus concludere possit. Cæterùm glaber, ac sine squamis, liuente tergo: ventre albicante, rostro tereti, tenui & oblongo in anseris modum. Quamobrem vulgus nostrum marinum anserem appellauit, Oye de mer. Pinna illa vtrinque (A) ad latera vnica est, altera in dorso erectior. Dentibus, quibus centum & sexaginta post rostri cuspidem os communitum habet, pro armis vtitur. branchiarumque loco, fistulam inter oculos gerit, per quam & aerem attrahit, & aquam reijcit. Cauda illi est nigra, lunata, leuiter fissa, ac præter aliorum piscium constitutionem transuersa: cumq; vt cæteri pisces oculis præditus sit, palpebras tamen præter eorum naturam gerit, quemadmodum & meatus ad audiendum, in quos si festucam adegeris, protinus eos ad ossa petræa desinere comperies. Proinde quod ad sexus differentiam attinet, masculo foramen quoddã apparet in ventre medio, è quo pudendum exerit quadrupedibus ferè simile. Fœminæ pudendi orificiũ, ano vicinum est, etiam ad terrestria animalia accedens.

Asilus. C Mirum est, hunc piscẽ inter marinos principes connumeratũ, etiam à minoribꝰ vilissimisq; deiectamentis infestari, quale est œstrũ, q̃ Latini asilum appellauerunt, à quo laterali pinnę inhęrenti tantopere cruciarur, vt magno interdum impetu ex mari in siccum exiliat, illicq; vitã plerunq; finire cogatur.

Harmiæ. D Iam quæ de Hamiarum cum delphinis pugna ab authoribus tradita sunt, vera esse comperimus: siquidem vtrorumque agmina ad Hellesponti fauces spectabili prælio dimicantia vidimus: sed omnium qui nobiscum in naui erant iudicio, Delphini victoriam consecuti sunt: ea scilicet coniectura, quòd Delphini Hamias vi compellere ac prę se agere viderentur.

Hæc sequebatur icon Delphini, cum nomenclaturis: Delphinus, Gallicè Oye de mer, vel Marsouin. Nos Rondeletii icone contenti fuimus.

Non esse Delphinum incuruum. B Falluntur plurimum, qui tales esse putant Delphinos, quales in antiquis marmoribus & numismatis depictos vident, hoc est, repando dorso incuruos atque inflexos: id enim statuariorum ac pictorum libido effecit potius, quàm vt aliqua nos ad id credendum ratio adducere posset. Verum quidem est, ingruente tempestate, dum saltantes Delphini, atque ab vndis exilientes, in mare præcipites ferri conspiciuntur, nostros oculos fallere solere, atq; incuruum quiddam præ se ferre: sed ea ratio geometrica, qua oculus ob motus celeritatem plerunq; decipitur, quemadmodum si rectum lignum in obliquum præcipitem (*præceps*) trudas. Quamobrem statuarijs ac pictoribus hoc concedendum est, quibus Gallica etiam lilia longè ab ipsa natura diuersa primum confingere placuit. Hoc tamen in antiquorum marmorum ac numismatum delphinis placidius ferendum est, quòd dempta incuruata figura, reliquum totius corporis naturam probè imitetur.

Quid Delphinus à Tursione distet.

Interiora delphini & tursionis. B Equidem non omnino absurdè sensisse mihi videntur, qui marinum suem, quem Marsuinum vocãt, pro Delphino vsurparunt. Quanquam enim re vera Marsuinus sit marinus Tursio, tamen tanta est vtriusque piscis partium interiorum cum porci terrestris, atq; adeo hominis partibus similitudo, vt Delphinum etiam marinum porcum dicere possis: adeo mollibus partibus, cerebro, corde, hepate, ventriculo, renibus, ac vasis inde prodeuntibus: durisq;, hoc est ossibus, atque ab his cartilaginibus, inter se conuenit. Hoc interest, quod Delphini lien compactus non est, sed in multos globulos distinctus: felliq; folliculo, ac cæco intestino caret. Hoc præterea à Tursione distat, quod Delphini intestina multò graciliora sint: itemque epiglottis quæ in palati foramen inseritur, triplóq; minore sit pudendo, matere corde, liene, hepate, pulmone ac ventriculo: lingua quoq; multò longiore ob rostri prominentiam. Præterea Delphini dentes in inferiore maxilla tempedem longa, serratos, & acutos, vtrinq; quadraginta, superioribus minores conspicies. Tursionis verò obtusiores in latũ se diffundũt, vt in pecudũ anteriorib. incisorijs cernere est. Cauda etiã lunata Delphinis apparet, Tursionib. laciniata, magisque quadrãgula. Deniq; Delphinꝰ, vt plurimũ Tursione gracilior est, magis tamẽ carnosus, ac minꝰ pinguis.

Porrò vt nihil intactum prætermitteremus, quod ad pręcipuam huius piscis cognitionem spectaret, vtriusque piscis fœminæ vterum aliquando dissecuimus, quem conspeximus ad humani formam propemodum accedentem. Cuius dissecti formam ac figuram sequens tibi pictura ostendet.

Matricis Delphini cum fœtu effigiati: quæ Tursioni etiam conuenit.



Delphini caluaria.

Vt Delphinus quatuor & viginti vertebras, atq; vtrinque duodecim veras costas habet: vtq; in eodẽ clauiculas, scapulas, cubitos, radios & vlnas facilè agnoscere possis, & in lateralibus pinnis quandam veluti manum in quinq; digitos articulatos diffissam: sic eius caluaria, quantam habeat cum porco similitudinem, videto ex ea figura, qualis à nobis aliquando in Rauennati litore perspecta est.

Simile

Simile huic delphini cranium nos quoque olim accepimus à Cornelio Suttardo, Romã depictum apud Gisbertum Horstium medicum.



DE DELPHINO, RONDELETIVS.

Delphinus fœmina, cum fœtu masculo.



Bellonii icon rostrum longius ostendit: & caput à rostro non adeò præcipiti, sed leni acclivitate dorsum versus: sicut & Giberti Horstij pictura Romæ ad viuum facta, quam habeo: in qua etiam fistula in capite apparet è regione oculorum fixè, sed paulo anteriùs, &c.

A QVI à Græcis δελφὶς vel δελφὶν & δελφίνιος, à Latinis non mutato nomine delphin vel delphinus, & delphinulus dicitur, ab accolis maris meditetranei delphin vel dauphin, à quibusdam oceani accolis marsouin vel meerschouin, quasi maris suem dicas: à Gallis becdoye, quod prominentiore sit rostro. Cognominatur ἱερὸς ἰχθὺς, & παιδερασὴς & φιλανθρωπος ab amore, quo pueros & homines prosequitur, & Simo, quòd hoc nomine delectetur. Nonnulli delphinos berellos vocant, eo quòd (vt Alberti verbis vtar) ante naues aquã euomãt. Delphinus tanquã genus phocænã sub se cõprehendit teste Aristotele lib. 6. de hist. anim. cap. 12. quũ scribit phocænã delphino similẽ esse, sed minorẽ, & à cõpluribus delphini genus esse existimari. Et Ælianus libro 16. cap. 18. de Taprobanæ insulæ piscibꝰ loquẽs, balænas delphinis (*thynnis est in Græco*) insidiari scribit, horum duo genera illic nasci: alterum ferum, dentibus serratis, & inexorabili immanitate piscatoribus infestum: alterum natura mansuetum circum homines natare, & more canũ blandiri, & se contrectari sustinere, atque obiectum cibum sumere. De delphino eo qui omnibus notior est, & hominum amans primum diceimus, cuius partes tum internas tum externas eò diligentius explicabimus, quò plura ab Aristotele, Plinio, cæterisq; probatis authoribus de eo scripta sunt, & vt quæ prętermissa sunt addamus, & vt quæ ab ijs tradita sunt, dilucidiora reddamus: postremò vt intelligant studiosi, quantopere cetacei quidam siue beluæ marinę cum quadrupedibus terrenis conueniant. Ex delphinis quos multos vidimus, duos, fœminam matrem, & fœtum matrem proponimus graphicè depictos, & ad viuorũ delphinorũ verissimã imaginem expressos. Delphinus igitur cetaceus est piscis, corio læui & sine pilis, sed duro, cõtectus, corpore oblõgo, terete, dorso repãdo, rostro lõgo, rotũdo, resimo, oris scissura longa, quæ ad vnguẽ clauditur veluti ceruorum os, dentibus paruis, acutis, pectinatim coëuntibus: lingua carnosa, exerta, in ambitu parum serrata, mobili suillæ simili. Oculis magnis, sed cute adeò tectis vt pupilla solũ appareat, si non procul ab oris scissura siti sunt, in eadẽ ferè linea. Nullum meatũ neq; ad odorandũ, neq; ad audiendũ habet, si Aristoteli credimus, eũ tamẽ & odorari & audire certũ est. At meatus habere quib. audit nos ex anatome deprehendimus. Hi post oculos sunt tenues admodũ & exigui veluti in vitulis marinis, & multa pinguedine circũtecti, vt vix appareant, sed in caluaria auris internæ cõstitutio tota manifesta est. Post rostrũ siue supra rostrũ fistulã habet geminã, quæ ad caput arteriæ asperæ pertingit foris figura C. internus sinus carne quadã molli & pingui oppletur, qua vtrumq; foramen arctè clauditur, eaq; fistula ante cerebrũ est, ne quis credat post cerebrũ esse: nam spinę dorsi continuus ductus fistula interciperetur, sed à veteribus dicitur in dorso esse; quia magis ad partem posteriorẽ spectat, quàm in balæna, in qua fistula magis ad anteriora vergit. Eius vsus est, vt per eam respiratio fiat & aqua cũ cibo hausta reiiciatur. Pinnis natat duabus validis, quæ veluti hominis brachia cum omoplatis articulis iunguntur, earũ musculi quatuor robusti dorso pectoriq; annectũtur. In medio dorso pinna vnica surrigitur, partim ossea, partim cartilaginea, sine vllis spinis aculeisue: etsi Plinius, Appiõ, Pausanias spinas in dorso habere dixerint. Cauda ex duabus pinnis constat è lateribus ortis, quæ in semicirculũ sinuantur. Inferior vẽtris pars æquali spatio à sese distincta lit. e continet

Delphinẽ species sub se cõprehendere.

De iconibus.

B

Fistula.

Interiora. Ventris inferioris partes.

tinet, vmbilicum, pudendum, anum. dorso est nigro, ventre candido. Cute spissa & firma, sed molli ob pinguedinem, quę subest veluti in porcis terrestribus. Caro est nigricans, suillę vel bubulę similis. Non spinis vel cartilagine, sed ossibus, sustinetur. Sub peritonæo partes quæ ad nutritionem & generationem conformatæ sunt ad quadrupedum terrestrium magis quàm ad piscium partes accedunt. Nam epiploum habet, sed minus pingue, quo ventriculus & intestina incalescunt & fouentur. Ventriculum magnum, cum ad iustam magnitudinem accreuerit: in recens nato exiguus est, & geminus videtur, ei* fundo pancreas hæret, desinit in intestina, quę in multos gyros conuoluuntur, eadem ferè vbique crassitudine, præterquam in extremis, quę medijs paulò sunt latiora. Mesenterium vertebris annectitur, glandulas nigras, venas arteriasque intertextas gerens. Lien in recens natis magnus pro corporis ratione, in adultis paruus & niger. Hepar coloris sanguinei, septo transuerso annexum, ventriculum totum complectens, in duos lobos diuisum. In caua parte vmbilicalem venam habet, quo loco vena porta exoritur. A gibba parte caua vena prodit sursum & deorsum ramos quamplurimos mittens. Fel nullum conspicitur. Renes venę magnæ trunco arteriæque magnæ per emulgentes alligantur, sunt corporis proportione amplissimi inter hepar & testes siti numerosis carunculis racematim compactis veluti acinis constantes. Vrina per vreteras in vesicam percolatur: quæ terrestrium animalium vesicis similis, sita est inferiore ventris parte. In ijs qui vtero adhuc gestantur, in vrachum desinit, per quem vrinam deponit in allontoidem tunicã ad diẽ vsque partus. Editi in lucem per pudendum vrinam sicuti terrestria emittunt, & per musculum sphincterem retinent. Vracho arteriæ vmbilicales adhærent, arteriæ magnæ inferioribus ramis insertę. Vtrinque sunt testes oblongi, quibus pręparantia vasa præposita sunt, infiniti scilicet venarum & arteriarum è magna vena arteriaque ortarum ramuli, qui post varios & multiplices anfractus in epididymin inseruntur. Cum enim magna sanguinis copia multo semini generando necessaria sit, quæ longo vasorum ductu ob spatij breuitatem transmutari & elaborari nõ potest, solerter admodum natura gyros illos vasorum instituit, vt illis, id quod longitudini deest pensaretur, & quibus singuli meatus capreoli modo intorti dependent, & in glandulosa corpora radici pudendi adnata desinunt, ex quibus, meatu vrinario, neruo cauo genitale constat humano simile, cuius extremum foris propendet. in glandem tenuem linguis auium similem desinens, quæ præputio non omnino integitur, intus replicatum latet, ad veneris vsum exeritur. Oppianus:

Lib. 1. ἁλιευτικῶν.

Μήδεα δ' ἀνδρομέοισι πανείκελα καρτυνόνται: Οὐδ' αἰεὶ προφανὴς πέρος ἄρσενος, ἀλλά οἱ εἴσω
Κέκρυπται, λαχέων δὲ κατὰ χρέος ἕλκεται ἔξω.

Thorax. Pulmones.

Venas suas, neruos, arterias idem pudendum habet, ossi innititur quod ossi pubis proportione respondet. Inferiorem ventrem sumus executi, de superiore iam dicamus. Thorax costis veris & mendosis. sterno, vertebris, musculis constat cuius capacitatem pulmones magni complent, densiore substantia quàm in terrestribus: crassitudine & colore hepar quadrupedum referunt, tum ne aqua in rariorem substantiam altius penetrans eijci non posset, tum ne in magnis expirationibus, quibus in aquis ferè semper vti coguntur, tenuior substantia facilè disrumperetur. Hi in duas partes diuulsi sunt, parte inferiore adeò gracilescunt, vt membranam esse affirmes, vndique cor complectuntur pericardio conclusum, in medio thorace locatum, nulla in re porcorum cordi absimile: duos sinus, totidem auriculas, denique similia omnia habet. Adhæc asperam arteriam, œsophagum, musculos, & quęcunque in terrestrium corporibus sunt, clauicula exempta reperire est. Caput cum vertebris articulatur. Cerebri dispositio est diuersa. nam in anterius & posterius diuisum est, non in dextrum & sinistrum, vt in homine. Neruorum coniugationes ex eo nascuntur, plexus χοροειδὴς in eo, rete mirabile, meninges duæ pro integumento. Vt omnia hæc in summam contraham, porco terrrstri maximè similis est: differt autem colore, felle, renum forma.

Cor. Caput. Cerebrum.

Fœminarum partes internæ.

Superest vt fœminarum partes internas explicemus, quò fœtus generatio intelligi possit. Vulua ceruicem palmum vnum longam habet: ea deinde in ramos duos distribuitur, veluti in quadrupedibus terrenis videre est, testes ad vteri cornua positi, pudendum inter vmbilicum & podicem.

C

Conceptus fœtus & partus. Perpensus Plinii locus lib. 9. cap. 8.

Fœtum ex semine concipit, sine ouo, & perfectum in lucem edit singulos vno partu, interdum tamẽ & binos, vterum gerit decem mensibus. Æstate parit, nec vllo tempore alio, vt rectè scripsit Aristoteles lib. 6. de hist. animal cap. 13. Vnde Plinij locus is falsus videri potest. Agunt vere coniugia, pariũt catulos decimo mense, æstiuo tempore. Nam si vere delphini cum fœminis commisceantur, gerantque vterum decem mensibus, qui fieri potest vt æstate pariant? Dicam quod ipse experientia comprobaui. Quum hæc scriberem, è matris vtero fœtum, quem hic depingendum curauimus vere extraxi. Alteram Octobri mense dissecui, in cuius vtero tum primum formari cœptos catulos inueni. Ex quib. effici necesse est, eum quem ferè perfectum vere comperi proximæ æstatis initio in lucem edi oportuisse: alterum initio autumni conceptum decem mensibus pòst nimirum æstate, gignendum fore. Quare Plinij locum mendosum esse existimo: neque eum intellexisse delphinos veris tempore coire, cum mox subiungat decimo mense catulos parere, æstiuo tempore. Sed legendum: Agunt vera coniugia, φ ex Aristotele sumptum est. Διατελοῦσι δὲ μετ' ἀλλήλων κατὰ συζυγίας οἱ ἄρρενες ταῖς θηλείαις. degunt coniugatim mares cum fœminis. Chorio, amnio, allontoide tunicis fœtus in vtero inuoluitur: sanguine nutritur per venas vmbilicales, spiritum per arterias easdem trahit. Deniq; eodem planè modo quo quadrupes animal vel homo in vtero concipitur & nutritur, & in lucem editur. Coeunt delphini supinis partibus admotis mutuis amplexibus inhærentes, hominum more. Oppianus lib. 1. ἁλιευτικῶν:

Lib. 9. de hist. anim. cap. 49.

Coitus.

Λ... Φῖνες δὲ ἀνδρεσσιν ὁμῶς γάμον ἐντυπίωντες. *Quæ παραφραστικῶς vertit interpres.*
In faciem versi dulces celebrant hymenæos Delphines, similes hominis complexibus hærent.

Nutritio.

Id quod à me aliquando in mari nostro spectatum est. Lacte nutriunt catulos, gestantq; eosdem infirmos, adutos diu comitantur. Adolescunt autem celerrime, quippe annis decem ad summã perueniunt magnitudinem. Viuunt annis compluribus. Constat enim nonnullos vixisse annis vigintiquinq;, alios triginta: quod cognitũ fuisse testatur Aristoteles, præcisa à piscatoribus cauda, vt quos ita reddidissent mari, captos itẽ agnoscerent, & spacium temporis scirent. Item Albertus tricenis annis viuere scripsit.

Incrementum. Vita.

Dormiunt

Somnus.

Dormiunt rostro sublato, siue fistula elata per summa æquoris, qua etiam spirant, pinnas suas leuiter mouendo, stertentes etiam leuiter audiere nonnulli.

E

Tempestatis prognosticon. Mutuatus est hæc Rond. ex Cæli Rhod. li. 8. cap. 6.

Certissimum & hoc esse futuræ tempestatis prognosticon aiunt, vbi in maris superficiem frequentius se vibret, & quodammodo colludat. cuius rei causam D. Thomas hanc reddidit: Hyemali, inquit, procella ingruente, ab imo maris consurgunt exhalationes, quæ hyemi fomenta suggerunt, tuncque calor excitatur in delphinis. quoniam verò calidi propria est agitatio, inde contingit id animal crebrius erumpere, ac sese ostentare. Ex quo illud est Plinij lib. 8. cap. 15. delphini tranquillo mari lasciuientes, flatus ex qua veniunt parte præsagiunt. item spargentes aquam, item turbantes (*alias: item spargentes aquam turbato (scilicet mari,) tranquillitatem*) tranquillitatem. Id verum esse affirmant piscatores & nautæ. Non solum verò delphini, sed & alia etiam animalia tempestatem pręsentiunt, vt echini arena se saburrantes, vt ranæ vltra solitum vocales. Sunt & multò plura, quæ tempestates præsagiunt, de quibus Plinius libro 18. cap. 35. Quare crediderim pisces in aqua aeris agitatione mutationeq; affici, non aliter quàm imbecillos & valetudinarios ob austrinos instantes flatus, dolorem in capite, vel articulis sentire, quod euenit ijs qui cum Neapolitano morbo diu conflictati sunt, vel arthricis. Sic laterum vel thoracis doloribus obnoxij septentrionales ventos pręnunciant. Nam paulatim magis ac magis immutatur aer, priusquam omnino in contrarium permutetur. Leues autem immutationes facile ferunt, qui prospera sunt valetudine, magisq; externis causis morborum resistunt. Ad alias delphini actiones transeamus.

C

Strider et vox. Lingua. Lib. 9. cap. 8. Lib. 4. de hist. anim. cap. 9.

Stridorem edit, vocisq; nonnihil, quia asperam arteriam & pulmones habet & linguam mobilem, quod vt intelligerent studiosi exertam in pictura expressimus. Sed statim reclamabit aliquis ex Aristotele, vnaq; cum Plinio nos errare affirmabit, de delphini lingua hæc scribente: Lingua est his contra naturam aquatilium mobilis, breuis atque lata, haud differens suillæ. Pro voce gemitus humano similis. Aristoteles autem dissentire videtur his verbis: Ἀφίησι δὲ καὶ ὁ δελφὶς τετριγμὸν, καὶ μύζει ὅταν ἐξέλθῃ ἐν τῷ ἀέρι, οὐχ ὁμοίως δὲ τοῖς εἰρημένοις. ἔστι γὰρ τούτῳ (*apparet hic aliquid vitiatum, ego legerim* ὄντως γὰρ ὄντος) φωνὴν ἔχει καὶ πνεύμονα, καὶ ἀρτηρίαν: ἀλλὰ τὴν γλῶτταν οὐκ ἀπολελυμένην, οὐδὲ χείλη, ὥστε ἄρθρον τι τῆς φωνῆς ποιεῖν. Delphinus stridet ac mutit efferens sese in aerem, sed non quemadmodum ea quæ superius enumeraui (*non vt pisces illi qui vocales existimantur, vt cuculus, chromis, lyra, &c.*) hic enim vocem & pulmonem, & arteriam habet: sed linguam non solutam, neq; labra, vt articulatam vocem possit edere. At qui Aristotelis contextum propiùs inspexerit, nobis Plinioq; minimè aduersari intelliget. Etenim Aristoteles hoc capite ostensurus, quæ animalia vocem, quę locutionem, quæ sonum aliquem siue strepitum edant, subtiliter hæc omnia distinxit: vt vox à pharynge & pulmonibus pendeat, vt quibus pulmo desit, ijs nulla vocis emittendæ sit facultas, locutio verò non nisi vocis per linguam explanatio sit. quamobrem quę linguam non habẽt, aut μὴ ἀπολελυμένην, id est, non liberam & solutam, ea neq; vocem emittunt, neque loquuntur, at sonos edere vel alijs partibus possunt. Lyra igitur & chromis sonos stridoresq; mouent, quia neq; pulmonem, neq; arteriam habent, & pectines quoties per summa humoris nitibundi feruntur, quod volitare dicũt, stridere sentiuntur, atque etiam marinę hirundines quæ sublimes volitant mare non attingentes. Delphinus verò non eodem modo stridet ac mutit, quo hæc omnia, quia vocem habet ob pulmonem & arteriam: præterea linguam mobilem ac liberam, sed non ita liberam & solutam vt voci articulatæ & locutioni efferendæ satis esse possit. Quare non negat Aristoteles delphinum linguam mobilem habere, sed non ita mobilem & solutam, (*Aristotelis verba,* τὴν γλῶτταν οὐκ ἀπολελυμένην, *ita accipit ac si dixisset,* οὐκ οὕτω ἀπολελυμένην, *vel* οὐχ ἱκανῶς ἀπολελυμένην) vt vocem articulatam efferre possit. est enim breuis, vt ait Plinius. Atque hunc esse germanum Aristotelis sensum confirmo ex ipsiusmet testimonio, cuius paulo post hęc sunt verba: Pueri vt cętera sua membra continere ac regere nequeunt, sic etiam linguæ sunt impotentes, & quidem imperfecti, & serò lingua absoluuntur, itaque magna ex parte balbutiunt, tortique sunt lingua. Pueris igitur lingua non deest, neque adhærens est, sed mobilis & lata, quæq; exeri potest: sed nondum ita libera, vt vocem distinctè articulateq; enunciare possint. Ita delphinis lingua est lata, mobilis, quæ modo exeri, modo cõdi possit, nõ hærẽs palato, neq; ossea, nõ ita tamẽ soluta vt vocẽ explanatè efferre queant. Porro neque labra, neq; palatum cameratum habet, quæ locutioni conferũt.

Auditus, eiusque organum in delphino & piscib.

Delphinum audire, cęterosque omnes pisces constat ex ijs quæ diximus, quum de piscium sensibus ageremus. Huius verò sensus organum nullum manifestum reperiri potest, ne in delphino quidem, vt putat Aristoteles lib. 4. de hist. anim. cap. 8. At audire sine meatu vllo parteq; huic rei destinata, nullũ animal potest, per quam soni vocesq; ad cerebrum perferantur. Qua ratione impulsus cum delphini cranium diligentissimè contemplatus essem, manifestissimum audiendi meatum, qui ad cerebrum vsq; patet, inueni: è regione verò in viui delphini capite foramen tam exiguum, vt ferè oculorum aciem fugiat, statim post oculum, qui situs in causa est, cur difficilius reperiatur. sunt enim oculi & foramina illa in eadem ferè linea cum oris scissura.

Odoratus, eiusque organum in delphino et piscibus.

Cũ verò sagacissimè odoretur, multo difficilius est inuenire quæ pars huius sensus ministra sit: quod non solùm in delphino, sed in omnibus alijs piscibus admiratione dignum est: neque est quòd quis per foramina illa, quę ante oculos sunt narium loco, pisces odores percipere certò credat: ad cerebrum enim vsque non permeant, sed partim obsepta & cæca mox desinunt, partim ad branchias feruntur. Omnes tamen odorari certum est, cum esca recenti abstineant, nec ijsdem escarum generibus omnes capiantur, sed varijs, scilicet sui agnitione odoris, quippe cùm vel fœtidis nonnulli alliciantur. Quare meatus istos cæcos esse existimo, & qui oculis nostris cerni non possunt, per quos tamen odori ad cerebrum pateat aditus, vt qui tenuioris essentiæ sit quàm humor. Quòd si in his qui branchias habent perspicui nõ sunt, quantò minùs esse debent in ijs qui pulmonib. spirant? In illis. n. branchiæ valde patent, vt sine inspiratione magna odorari possint: hi, cum respirationis organũ intus lateat, sine magna inspiratione & aëris tractu odores non percipiunt, vt docet Gal. in libro de odoratu, quibuscũ vna in cerebrum penetraret aqua, si per apertos meatus permearent. Odores autẽ in cerebrũ pisciũ sese insinuare id maximo est argumento, quod ad escam nidorosam accedũt, odoribusq; caput repleatur & grauitate tentetur. Et vt de cæteris taceamus, de delphino odore vnguenti grauiter offenso historiam ex Plinio narremus,

Libro. 9. cap. 8

(D) narremus. Alius delphinus inter hos annos in Africo litore Hipponis Diarrhyti, simili modo ex hominū manibus vescens, prębensq; se tractandum, & alludens natantibus, impositosq; portans, vnguēto perunctus à Flauiano proconsule Africę, & sopitus (vt apparuit) odoris nouitate, fluctuatusque similis exanimi, caruit hominum conuersatione, vt iniuria fugatus, per aliquot menses: mox reuersus in eodem miraculo fuit. Qua in re delphino cum suibus conuenit, quibus amaracinum inimicum est, si Lucretio credimus, libro 9.

Deniq; amaracinum fugitat sus, & timet omne Vnguentum

B

De delphini ore.

Quoniam verò actiones sine partibus, quæ harum gratia à natura conditę sunt, explicari vix possunt: ijs addamus quædam de delphini ore ab Aristotele & Plinio prodita, quibus fit vt dubitare possit aliquis, sit ne delphinus veterum, quem hic exhibemus. Cum enim delphino nostro sit os ante & in prōptu, longa etiam scissura & multum infra rostrum descendens, tamen Aristoteles hæc scripsit: Cartilaginei, delphini & omnes cetacei resupinati (ὕπτιοι) cibos capiunt. habent enim os subter, vnde fit vt minores periculum facilius possint euadere, alioqui pauci admodum seruarentur: quippe cum delphini celeritas, atque edendi facultas mira esse videatur. Et alio loco apertius: Sunt & oris differentię. alijs enim os est ante & in promptu, alijs infrà parte supina, vt delphinis & cartilagineo generi. quamobrē hæc nisi conuersa resupinentur, cibum corripere nequeunt. quod natura non solum salutis gratia reliquorum piscium fecisse videtur (dum enim illa sese conuertunt, mora intercedit, qua piscis quem insectantur euadere possit: nam omnia id genus rapina piscium viuunt) verùm etiam ne nimis deuorandi auiditatem explerent. si enim facilius caperent, breui præ immodica satietate perirent. Prętereà rostrum rotundum est & tenue, quoque diuidi in os non possit. (*Postrema Græcè sic leguntur.* Πρὸς δὲ τούτοις περιφερῆ καὶ λεπτὴν ἔχοντα τὴν τοῦ ῥύγχους φύσιν, οὐχ οἷόν τε ἀδιαίρετον ἔχειν.) Ex ijs sua mutuatus est Plinius: Nisi multum infra rostrum os illi foret, medio penè in ventre, nullus piscium celeritatem eius euaderet. Sed affert moram prouidentia naturę: quia nisi resupini atque conuersi non corripiunt, quæ causa pręcipuè celeritatem eorum offendit.

Lib. 9. de hist. anim. cap. 2.
Lib. 4. de part. anim. cap. 13.
Lib. 9. cap. 8.

Conclusio.

In his Aristoteles & Plinius videntur delphinis os in supina parte tribuere, quod galeis & alijs multis cartilagineis proculdubio competit, delphinis non item: de quibus id verissimè dici crediderim quòd † in supini conuersi cibos corripiant: tum propter causas quas reddit Aristoteles, tum propter longam oris scissuram, & multum infra descendentem, ob quam si proni vescerentur, cibi vix bene corripi possent, atq; hinc & inde diffluerent, nec recta in oris fundum, ac inde in œsophagum deferrentur.

† in abundat. vel resupini legendum.

Nullos in pinna dorsi delphino aculeos esse. contra Gelliū & Plinium.

Addam aliud quod à veteribus dictum est, vero haud consentaneum. Aulus Gellius inquit: Verba Appionis subscripsi eruditi viri ex Ægyptiacorum libro quinto, quibus & delphini amantis, & pueri non abhorrentis consuetudines, lusus, gestationes, aurigationes refert: eaq; omnia seipsum, multosq; alios vidisse dicit. Καὶ αὐτὸς δ' οὖν εἶδον περὶ Δικαιαρχίαν δελφῖνα ἐρῶντα παιδὸς, ᾗ πρὸς παιδικὴν ἐπικεκλημένον φωνήν. ἀτὰρ ὃν καὶ προσοικειωμένος ὁ ἰχθὺς, ἀνεδέχετο τὸν παῖδα ἐπὶ τῶν νώτων, καὶ τὰς ἀκάνθας περιεστέλλων, ἵνα μὴ τὸ ποθούμενον χρῶτα ἀμύξειε, καὶ ἱππηδὸν περιβεβηκότα μέχρι διακοσίων ἀνῆγε σταδίων. Ἐξέρχετο (Ἐξεχεῖτο, *in nostra æditione: & sic Gellius legisse videtur. auertit enim, confluebat*) δ' ἄρα ἡ Ῥώμη καὶ πᾶσα ἡ Ἰταλία θεάσασθαι ἰχθὺν νηχόμενον ὑπὸ ἔρωτος, id est, Et nos quidem vidimus apud Puteolos delphinum amantem mirè puerum, inclamatum à puero acciri. Quinetiam adnatans dorso puerum admittebat, ita vt pinnæ aculeos velut vagina conderet, ne dilectum sibi corpus laceraret, receptumq; equitis modo insidentem per magnum æquor, per ducenta stadia (*triginta ferè passuum millia, Gellius*) deferret. Roma igitur tota, omnisq; Italia confluebat, vt piscem amoris causa vectorem pueri spectaret. Paulò aliter rem narrat Plinius. Diuo Augusto principe Delphinus (*in Campaniam, Solinus*) Lucrinum lacum inuectus, pauperis cuiusdam puerū, ex Baiano (*litore Solinus addit*) Puteolos in ludum literarium itantem, cum meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine sępius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexisset, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni res Mœcenatis & Flauiani, (*Fabiani, Solinus*) & Flauij Alfij, multorumq; esset literis mandata. Quocunq; diei tempore inclamatus à puero, quanuis occultus atq; abditus, ex imo aduolabat, pastusq; è manu præbebat ascensuro dorsum, pinnę aculeos velut vagina condens, receptumque Puteolos per magnum ęquor in ludum ferebat. Simili modo reuehens pluribus annis, donec morbo extincto puero subinde ad consuetum locum ventitans, tristis & mœrenti similis, ipse quoq; (quod nemo dubitaret) desiderio expirauit. Hi delphino aculeos in pinna dorsi tribuunt, quod falsum esse sensus ipse conuincit: nullas enim omnino spinas, neq; aculeos in vlla corporis parte habet delphin. Quare vel fabulosa ista esse oportet, vel eos qui ista scripserunt parum diligenter delphinos inspexisse. Pinna vnica est in medio dorso satis rigida: aliæ duæ in ventre, ita sitæ vt non solum natatum, sed etiam vt motum quo sursum sese effert respirandi causa adiuuent. Aliæ duæ in cauda, quarum etiā magnus est vsus, & diuersus ac in alijs situs. Non ex recto spinæ dorsi ductu oriuntur, vt altera sursum, altera deorsum spectet, sed ex caudæ lateribus, altera dextram, altera sinistram partem versus, ita vt cauda sua latitudine aquam verberet. Cuius tanta vis est, vt prouerbio dictum sit, δελφῖνα πρὸς τ' οὐραῖον δεῖν, id est, delphinum cauda ligare, in eos qui frustra quidpiam conantur, quod non dictum est propter caudam lubricam, etsi læuis sit, sed propter eius robur: nullus enim quantumuis viribus præstans delphinum hac parte retinere potest.

Pinna delphini.
Cauda.

C

Velocitas & impetus.

Quum deorsum contendit, caudam sursum mouet, contra quum in summa aquæ sese effert: sed ea celeritate, vt nullum eo velocius animal esse dicatur. Aristoteles lib. 9. de hist. anim. cap. 48. Omnium tum aquatilium tum terrestrium animalium velocissimi mihi videntur esse delphini: supersiliunt enim nauigiorum magnorum malos: quod maximè faciunt, quum piscem quempiam cibi causa persequuntur: tunc enim si is fugit, ad fundum vsq; fame vrgente insequuntur: quod si longior fuerit reuersio, spiritum continent, quasi spatium apud se reputantes, & conuersi sagittæ modo feruntur, celerrimè itineris longitudinem emetiri volentes respirandi causa, quo impetu nauigiorum, quæ fortè illic fuerint, malos superant. Hoc idem vrinatores faciunt, cum se in profundum demiserunt. pro viribus enim cōuersi enixius efferuntur, vt spirent. Quæ Plinins maiore ex parte expressit. Velocissimum omnium animalium non solum marinorum delphinus, sed ocyor volucre, acrior telo. Nam cum fame concitati, fu-

Lib. 9. cap. 8.

gientem

gientem in vada ima persecuti piscem, diutiùs spiritum continuêre, vt arcu dimissi ad respirandum emicant, tantaque vi exiliunt, vt plerunque vela nauium transuolent vento euntium. Vnde qui hieroglyphicis literis res significabant, velocitatem per delphinum expresserunt: quod indicat celeberrima illa & omni Principe dignissima sententia σπεῦδε βραδέως, id est, festina lentè, quæ Octauio Augusto adeò arrisit, vt non in sermonibus modò quotidianis crebrius vsurparet, verum etiam epistolis suis frequenter insereret: admonens his duabus vocibus, vt ad rem agendam adhiberetur simul & industriæ celeritas & diligentię tarditas. Eadem Tito Vespasiano adeò placuit, vt numismatis insculpserit, quæ altera ex parte faciem Titi Vespasiani cum inscriptione præferrent, altera ancoram, cuius mediū ceu temonem delphin obuolutus complectitur, ancora tarditatem, delphino celeritatem designante. Eandem delphini celeritatem comparat sagittę Oppianus:

Delphini icon in Hieroglyphicis.
Lib. 2. ἁλιευτικῶν.

Δελφῖνες δ' ἀγέλῃσιν ἁλὸς μέγα κοιρανέουσιν Ἔξοχοι ἠνορέῃ τε, καὶ ἀγλαΐῃ κομόωντες,
Ῥιπῇ τ' ὠκυκάλῳ: δὴ γὰρ βέλος ὥστε θάλασσαν Ἴπτανται.

Ab hoc delphini in natando impetu ortum est prouerbium. δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκειν, delphinum nare doces, in eos competens, qui monere quempiam conantur in ea re, in qua cùm sit ipse exercitatissimus, nihil eget doctore.

D

De hostib. delphini amiis & crocodilis.

Veruntamen delphinus etsi velocissimus & fortissimus sit, aduersario non caret: amiæ enim cum eo pugnant, & expugnant, vt capite de amia fusius exposuimus. Idem crocodilos necat in Nilo, vt tradit Plinius lib. 8. cap. 25. Verum in crocodilo maior erat pestis, quàm vt vno esset eius hoste natura contenta. Itaque & delphini immeantes Nilo, quorum dorso tanquam ad hunc vsum cultellata inest penna, abigentes eos præda, ac velut in suo tantum amne regnantes: alioqui impares viribus ipsi astu interimunt. Callent enim in hoc cuncta animalia, sciuntq; non modo sua commoda, verumetiam & hostium aduersa, norunt sua tela, norunt occasiones, partesque diffidentium imbelles. In ventre mollis est tenuisque cutis crocodilo, ideo se vt territi immergunt delphini, subeuntesque aluum, illam secant spina. Superius annotauimus delphinum non in dorso tantū, sed in toto corpore spinas omnino nullas habere, quamobrem pro spina, legendum opinor, pinna vel penna, quemadmodum ante cultellatā pennam dixit. Sed non sine causa dubitauerit is qui delphinum & crocodilum diligentius inspexerit, qui fieri possit, vt delphinus dorsi pinna crocodili aluum dilaceret. Nam crocodili cutis minus est in aluo dura quam in dorso, non tamen ita mollis, vt cultro etiam peracuto penetrari possit: delphini verò pinna non vsqueadeo dura est neque acuta, cui tamen vim magnam à celeritate addi non negarim.

A

Sturionem āli qui delphinum putarunt.

Non desunt qui sturionem nostrum, veterum esse delphinum crediderint, ob dorsi cultellata ossa, quæ clypeos referunt, quibus etiam ligna veluti serta secari possunt. A que in ea sententia fuisse scio virum doctissimum, cuius iudicium in his rebus plurimi facio.

D

Delphinus an præeat balænæ.

Vulgus piscatorum ait delphinum balænæ præire, & iter præmonstrare, quod veteres musculo tribuerunt. Sed eius opinionis occasionem inde ortam arbitror, quod vbi balænæ sunt, ibi delphini & lamiæ frequentes sint, à quibus balænę dilacerantur. Delphinos fama est, si pompilum aut vrgente fame, aut casu aliquo degustarint, stupidos fieri subitò, & viribus defectos nullo postea negotio maris æstu in litus eijci, ibique à mergis, cæterisque auibus maritimis dilaniari & absumi.

C

Occultatio delphinorum.
Eruptio in terram.

Tricenis diebus latêre circa canis ortum, occultariq; incognito modo, scribit ex Aristotele Plinius lib. 9. cap. 8. quod eo magis mirum est, inquit, si spirare in aqua nequeunt. Neq; ego id verum esse crediderim, nisi in scopulorum specubus lateant, in quib. liberè spirare possunt, quemadmodum faciunt & vituli marini. (*Sic & Massarius sentit.*) Solent etiam in terram erumpere, incerta causa, ijsdem authoribus: sed id œstro diuexati faciunt, veluti thunni & gladij. Præ dolore igitur in terram exiliunt, cuius rei oculatus sum testis. reperi ipse œstrum siue asilum delphino, qui in litore iacebat, inhęrentem. Idē eis accidit mugiles veloces admodum persequentibus: quum enim citatum cursum inhibere non possunt, in terram vsque impelluntur. Statim tellure tacta moriuntur, ait Plinius libro 9. cap. 8. Et Ouidius:

Terra cōtacta non statim mori eos.

Quem postquam bibulis iniecit fluctus arenis, Vnda simul miserum vitaque destituit.

Ex eo natum fuisse prouerbium author est Plutarchus: delphini in terra vis, de ijs dictum, qui id in quo minùs valeant toto conatu petunt, quod delphinus tam stupendæ agilitatis animal terræ contactum nō patiatur. Sed hoc falsum esse docet experientia. Nam fœmina quam dissecuimus, vt eam cum fœtu exhiberemus, viua diu iacuit, & delphini viui à nostratibus Lugdunum vsque aliquando deportati sunt. Citiùs moriuntur si ijsdem retibus quibus thunni capiantur, ob id quod inuiti sub aqua retinentur, respiratione priuati. Si sagena nostra vulgari capiantur, non capiuntur, (*fortè, mori mu* :) quia sese efferendo respirant. Multò ocyùs moriuntur fistula obturata, quod argumento est magis per fistulam quàm per os respirare. Ichthyopolæ nostri longius asportare volentes, & viuos seruare, in fistulam vinum instillant, quod fistulam non obstruit, sed per eam in os & ventriculum penetrat, & diutius spiritus conseruat.

Quod dignoscant, qui è delphinis degustarint.
Opera hominū in piscatione, ex Plinio.

Ferunt eos dignoscere, qui è delphinis degustarint, illosque deuorare: ab alijs verò abstinere, qui nunquam delphinum contigerunt vt ederent, tanta beneuolentia sese mutuo prosequuntur. Tradunt etiam veteres, delphinorum opera homines in piscatu vsos fuisse. Vnicum ex Plinio exemplum proferemus, & eò libentius, quòd in Gallia nostra Narbonensi solitum fieri narrat eo in loco, qui à Montepelio parum distat, quique Monspeliensibus nostris tam notus est, quam sua cuique domus. Præterea locum Plinij in vulgaribus codicib. corruptis aliquot locis restituimus opera Guilielmi Pelicerij Monspeliensis Episcopi antiquitatis peritissimi. Locus est huiusmodi. Est in Nemausiensi agro stagnum, Latera appellatum, vbi cum homine delphini societate piscantur. Innumera vis mugilum stato tempore, angustis faucibus stagni in mare erumpit, obseruata ęstus reciprocatione. Qua de causa pętendi non possunt retia, quæ molem ponderis vllo modo tolerent. Etiam si non solertia insidietur tempori: simili ratione in altum protinus tendunt, quod vicino gurgite efficitur: locumq; solum pandendis retib. habilem effugere festinant. Quod vbi animaduertere piscantes (concurrit autem multitudo temporis gonra, & magis etiam voluptatis huius auida) totusq; populus è litore quanto potest clamore conciet

Simonem ad spectaculi euentum: celeriter delphini exaudiunt desideria, Aquilonum flatu vocem prosequente, Austro verò tardiùs ex aduerso referente. Sed tunc quoq; improuisò in auxilium aduolant, properè apparet acies, quę protinus disponitur in loco, vbi coniectus est, pugna opponente sese ab alto, trepidosque in vada vrgent. Tunc piscatores circundant retia, furcisque subleuant. at mugilum nihilominus velocitas transilit. At illos excipiunt delphini, & occidisse ad præsens contenti, cibos in victoriam differunt. Opere prælium feruet, includique retibus se fortissimè vrgentes gaudent: ac ne id ipsum fugam hostium stimulet, inter nauigia & retia, natantesque homines ita sensim elabuntur, vt exitus non appareat. Saltu (quod est alias blandissimum his) nullus conatur euadere, ni summittantur sibi retia. egressus protinus ante vallum præliatur. Ita peracta captura quos interemere diripiunt. Sed enixioris operæ quàm in vnius diei præmium conscij sibi, operiuntur in posterum: ne piscibus tantùm, sed intrita panis è vino satiantur. Quę de eodem genere piscandi in Iassio sinu Mutianus tradit: hoc differunt, quod vltro neque inclamati præsto sint, partesque è manibus accipiant, & suum quæque cymba è delphinis socium habeat, quamuis noctu & ad faces. Hac piscãdi ratione audio Hispanos aliquando vsos fuisse non procul ab vrbe Palamos nuncupata. Eadem hodie quoque vti possent piscatores nostri, nec dubito quin delphini offa vinoque cicurari possent, & inclamati accurrere, cum aliquoties sibilo euocatos accessisse ad naues, & circumnatasse viderimus, nec minùs hodie quàm olim ad id accommodatæ sunt stagni fauces ad oppidum Malgurium vocatum. Quæ si vera sunt, nec illud mirum esse debet, quod Plinius scribit delphinum hominis amicum animal esse, nec hominem expauescere vt alienum, obuiam nauigijs venire, alludere exultantem, certare etiam, & quamuis plena præterire vela: verum & musica arte mulceri symphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli sono. Hinc tantopere ab Herodoto primùm, deinde ab alijs celebrata historia, qua ferunt Arionem Methymnæum delphino insidentem ad Tænaron fuisse euectum, qui erat citharœdorum sui seculi nulli secundus, quique primus hominũ, quod nouimus, & fecit, & nominauit, & docuit Corinthi Dithyrambum. Hunc Arionem ferunt cùm permultum temporis triuisset apud Periandrum, concupijsse in Italiam Siciliamque nauigare: rursus parta ingenti pecunia voluisse Corinthum reuerti, & quum profecturus è Tarento esset, quia nullis magis quam Corinthijs fideret, nauigium virorum Corinthiorum conduxisse. Quum altum tenerent, istos Arioni insidiatos, vt eo deturbato pecunia potirentur. hoc illum intelligentem oblata eis pecunia, mortem tantùm fuisse deprecatum. Non persuadenti nauitas iussisse, vt aut sibi manus inferret, vt sepulturam in terra nancisceretur, aut illico in mare desiliret. Arionem ad hanc necessitatem redactum obsecrasse, vt, quandoquidem ipsis ita placitum esset, cernerent se omni suo ornatu coopertum, stantemque super foros audirent cantantem, & cum decantasset sibi se manus illaturum, atque istos permittentes (inuaserat enim eos libido audiendi præstantissimum inter homines modulatorem) è puppe in mediam nauem concessisse. illum inducto sibi ornatu, ac sumpta cithara super foros inchoasse carmẽ quod dicitur Orthium, eoque decantato sese vt erat ornatus, in mare iecisse. Et hos quidem cursum tenuisse in Corinthum, illum verò aiunt à delphino exceptum in Tænarum fuisse transuectum. Et cùm è delphino descendisset, Corinthum eodem habitu perrexisse. Et vbi peruenit, quicquid contigerat enarrasse: & Periandrum (quia non crederet) tenuisse hominem in custodia, ne quò prodiret: cæterum curauisse vt nautas haberet: eos accitos, vbi adfuerunt, percontatum si quid de Arione memorarent. & referentibus illum sospitem circa Italiam agere, fortunatumque Tarenti se reliquisse, Arionem apparuisse eodem quo desilijsset habitu, istos terrefactos nihil amplius habuisse quod cõuicti inficiarentur. Hęc Corinthij ac Lesbij aiunt: extatque in Tænaro ingens Arionis ex ære donarium super delphinum sedens, (*Hucusque Herodotus.*) Eadem cecinit Oppianus. Iam ad magis necessaria conuertimur.

Ex Mutiano.

Erga homines amor.

Arionis historia, ex Herodoto lib. 1.

F

Delphinum in mensas principum venire, magnoque in precio esse in principum aulis vidimus, sępeque mirati sumus: cum ferinus ille odor omnem cibi gratiam, si qua sit, ingratissimam reddat. Apud nos fossores ipsi atque infima plebs omnino abstinent. hinc fit vt rarius in foro nostro conspiciantur venales. Ad eos mittuntur qui longiùs à mari absunt, vt ad Auenionenses & Lugdunenses, quia extra mare diutius viuit, longiusq; asportari potest circa putredinem, quoniam dura est carne & corruptu non ita facili. Qualem succum gignat in corpore delphini caro, satis ex eo perspicuum est, quod ex cetaceorum sit genere. Qua de re Galenus libro 3. de alimentorum facultatibus, Philotinum reprehendens: Posthæc autem (inquit) canem adscribit, quem in cetaceorum genere numerare oportebat, vt qui carnem duram & excrementitiam habeat. Quapropter in partes secto atque salito vulgares homines vescuntur, ingrati enim saporis ac mucosus: ideóq; cum sinapi & ex oleo atq; acrib. condimentis eum mandunt. Ex hoc genere sunt balænæ, delphini & vituli marini, ad quos proximè magni thunni accedunt. Item alio in loco: *Diximus quidem iam antè de cetaceis animalibus, quæ marina sunt, in quo numero sunt phocæ, balænæ, delphini, libellę, ac grandiores thunni, & pręter illa canes; quæque his similia sunt. Nunc autem de ipsis in summa dicendum, quod omnia eiusdem duram & praui succi, atque excrementitiam habent carnem. Quapropter sale potius condientes, ipsis vt plurimum vtuntur, alimentum quod ex ipsis in corpus distribuitur, ea salitura tenuius facientes, eoque coctioni & sanguini faciendo commodius. Nam recens eorum caro ni valdè probè coquatur, crudorum succorum copiam magnam in venis congerit.* His addam quod experientia ipse didici, delphini carnẽ præterquam quod dura sit & difficilis concoctu, etiam pinguem esse. quo fit vt ventriculum relaxet, & nauseam moueat. Nunc de pręparatione dicendum, cuius vniuersè duo sunt potissimum genera. Vnum quo cibi vitium aliquod corrigitur, veluti quum salitur, vt crassus humor salis vi extenuetur, & generando sanguini accommodatior fiat: vel quum cibus decoquitur veterum more, cepa, porro, apio, anetho, atque alijs huiusmodi coctioni additis ad crassi humoris attenuationem, quæ præparatione meliora redduntur omnia, quæ crassum glutinosumque succum gignunt. Alterum est præparationis genus quo sępius vtimur, voluptatis potius quam valetudinis rationem habentes, cum condimentis ea permiscemus quę ad gulam irritandam titillandumque palatum faciunt. Sic delphini carnem quidam præparant in veru torrentes, quemadmodum & suillam recentem, & mali arantij succo intinctam edunt, vel ex condimento quod aceto, sacchare & cinnamomo constat. Alij in craticula assant. Alij farina bene subacta concludunt caryophylis, pipere, zingibere, nuce moschata condientes, quib. odor

Galen. de nutrimento ex cetaceis, delphinis, &c.

Præparatio ad esum.

ille ingratus euincatur. Elixam magis probârim quàm assam, modo in aceto & vino coquatur, iniectis apio, hyssopo, origano. Partes delphini quæ magis commendantur sunt hepar, & lingua. Hepar tenera quidem est substantia, sed malum succum gignit. Lingua autem tenerior & pinguior, atque hepati præferenda.

Hepar & lingua.

G

Delphini cinerem in medicamentis numerat Plinius, quæ lichenas & lepras tollunt, ex aqua illitum. Exulcerationem (inquit) sequi debet curatio, quæ perducit ad cicatricem. Quidam delphinis iecur in fictili torrent, donec pinguitudo similitudine olei fluat, ac perungunt. Et febrium circuitus tollit iecur delphini gustatum ante accessiones Plinio authore. Et hydropicis medetur adeps delphini liquatus, & cum vino potus. grauitati saporis (*fortè, odoris*) occurritur tactis naribus vnguento, aut odoribus, vel quoquo modo obturatis. Pręterea delphini adipe linamenta accensa excitant vuluæ strangulatu oppressas. Infantium quoque gingiuis dentitionibusq; multum confert delphini cum melle dentium cinis, & si ipso dente gingiuę tangantur: adalligatusque idem pauores repentinos tollit.

Lib. 32. cap. 7.

Ibidem cap. 10

A

Absurdum planè est, quod scripserunt quidam, matres in os catulos recipere, quod fieri non posse perspicuè ostendit oris compositio, œsophagi angustia, catulorum ipsorum magnitudo. Id faciunt galei, vt suo loco diximus.

Matres in os non recipere catulos.

COROLLARIVM.

A

Scylla apud Homerum piscatur δελφῖνάς τε, κύνάς τε, καὶ εἴποτε μεῖζον ἕλῃσι κῆτος. vbi Eustathius, Delphînes enim & canes (inquit) non sunt pisces, sed cete. Delphin apud Græcos nomen retinet hodieque: à vulgò enim δέλφινας effertur. apud cæteras verò plerasque Europæ gentes, etsi delphini nomen passim audiatur, & à pictoribus alijsque figura eius effingatur: in Oceano tamen eo nomine piscem nullum norunt piscatores. alijs enim nominibus barbaris, singulæ suis, delphinum nuncupant, vt copiosè tradit Bellonius in Gallico libro, quem De delphino alijsque diuersis piscibus maris ędidit. In hoc pleræque gentes conueniunt, quòd porcum marinum suis vocabulis appellant: & sanè Græca etiam Delphini nomenclatio, ad delphacem, id est porcum in eadem lingua sic dictum accedit. pinguissimum enim animal est: & porco terrestri, pinguedine lardoque non cedit: cui & interiora similia habet, costas, iecur, intestina, & reliqua pleraque. Porci quidẽ marini pisces diuersi à veteribus dicti longè alij sunt, de quib. suo loco. *Meerschvvein* à Germanis dicitur, circa Suerinũ & alibi, cõmune nomine phocæna & delphin. sunt enim inter se similes, nisi quod rostro porrectiore & anserini instar prominente delphinus est, & vt plurimum gracilior, magis carnosus, minus pinguis, maior alioqui. Phocęna minor, sed dorso latiore, rostro obtuso, vt icones ostendunt. Orcæ etiam quam Oudre Galli vocent, Bellonius commune hoc nomen (Marsopia) facit: quæ delphino non parum maior est. Nos distinctionis causa, nomina imponemus, vt Delphinus dicatur *ein Gansschvvein*, composito ab ansere & porco nomine, vel *Meergans*, quod est anser marinus. nam & Galli quidam sic vocitant. Phocæna simpliciter *ein Meerschvvein*, vel *ein klein Meerschvvein*, id est porcus marinus minor. orca vero, maior: *ein groß Meerschvvein*. Porcum marinum † in Oceano Germanico dictum præpinguem esse, varijs circa latera coloribus, cauda transuersa, capite feè vt Salmonis, ex Rostochiensi quodam accepi. Vtuntur & Galli Germanico nomine, sed corrupto, Marsouin. Britanni & Armorici seu Brittones, in Gallia Morhouch appellant, idem significante vocabulo: quo & Galli eis vicini vtuntur, alij perperam morho pronunciant, vt Bellonius obseruauit. Angli *Porpeis* appellant, Gallico nomine (vt apparet) ex porco & pisce composito, quanquam Gallis ipsis non vsitato. alij *Porpose* scribunt: Bellonius *Porcpisch* tanquam Anglicũ profert, nescio quàm recte. Ge. Agricola delphinum Germanice interpretatur, *Meerschvvein, dar von kumpt salspeck*. Sed lardum illud quod *salspeck* appellant, phocæ potiùs fuerit. Poloni Morska svvinia nuncupant, idem puto significantibus vocabulis.

Phocæna.

** Hæc & sequentia pleraque nomina, delphino & phocænæ communia sunt, aut esse possunt.*

Circa Propontidem delphinorum genera duo cognoscuntur, maiores scilicet & minores, Bellonius. Delphini, vt Plinius, Seneca, Strabo: vel, vt Solinus, delphinum genus: vt Marcellinus, Delphinis similes, Nilum immeantes è mari, vel (vt alij) simpliciter in Nilo, quomodo cristatis serratisue dorsis suis, in quibus cultellata inest pinna (spina) crocodilorum ventres (quòd ea tantùm parte molliores sint) subeant, & saucient, pluribus è nobis expositum est in Crocodilo D. Meminit & Solinus cap. 35. Delphinorum in mari, animal est nigræ pellis, caput habens breue, & dentes in ore continuos, sicut sunt molares dentes porci, Albertus: videtur autem phocænam intelligere, cum caput breue ei tribuat. Cæterum alibi porcum marinũ nominans, & Pliniũ citans Plinij porcum (cui venenatæ in dorso spinæ, neq; .n. aliud de eo Plin.) & phocænã aliumue similem piscẽ confundere videri potest. Porcus marinus (inquit) est piscis esculentus, porco magna ex parte similis, capite enim similis est porco, & linguam similiter solutam habet. partes etiam interiores & costas vt porcus. tota fere caro eius transit in pinguedinem. voce tamen differt à porco. In dorso eius quædam spinę sunt venenum efficassimum habentes. sed fel eius est remedium contra puncturam spinarum illarum. Labore magno victum conquirit. in fundo enim maris fodit terram sicut porci, vnde hunc alium esse apparet à porco (*delphino scilicet, aut phocæna*) quem nos sic appellare consueuimus. Hæc Albertus. Et alibi: Aliud est (inquit) genus delphinorum, quod os in medio sui corporis habere ferunt. & hoc genus odit catulos suos, ita vt mas deuoraret eos, nisi fœmina occultaret, &c. vt in D. referemus. Carolus Figulus in Ichthyologia Sturionem, Silurum & Delphinum, tria vnus piscis nomina esse suspicatur. Sed huius opinionem ipsa singulorum pictura & historia triplex in volumine nostro facilè refellit. Bellonius in Gallico de piscibus libro sturionem non esse delphinum asserit, hac maximè nota quòd non habeat caudam lunatam, vel ita falcatam, qualia dimidiæ sinuantur cornua Lunę. talem enim delphino authores tribuunt: cum alijs pluribus & validioribus argumentis idem conficere potuisset.

Porcus mar. Alberti.

B

In Pontum nulla intrat bestia piscibus malefica, præter vitulos & paruos delphinos: Plinius ex Aristotele de historia animal. lib. 8. Οὐδὲν ἐστιν ἐν τῷ Πόντῳ θηρίον ἔξω δελφῖνος καὶ φωκαίνης. hoc est, In Ponto fera nulla est pręter delphinos & phocænas. Theodorus phocænas, tursiones interpretatur: vt necesse videatur, aut Plinium, aut Theodorum perperam vertisse. Phocas quidem vitulos marinos esse, ambo nouerant. sed Theodorus aliud genus phocænas, aliud phocas accipit, quoniam Aristoteles libro 6. ita

Vbi. Phocæna.

dicat, Theodoro interprete: Idem & phocęnæ, id eſt, turſioni partus, qui delphino. ſimilis hic paruo delphino eſt, naſcens in Ponto: ſed intereſt, quòd minor eſt turſio, ampliore dorſo, colore cœruleo. complures id genus eſſe delphini opinantur, Hæc Ariſtoteles. Theodorũ mouere potuit, quòd Plinius dixerat, libro nono capite nono: Delphinorum ſimilitudinem habere qui vocantur turſiones. diſtant & triſtitia aſpectus: abeſt enim illa laſciuia. maximè tamen roſtris (inquit) canicularum aſſimilati. Fortaſſe verò dicat aliquis paruos delphinos à Plinio hîc relatos, pro phocęnis capi, atque ita cum Ariſtotele Theodoroque conſentiat: niſi quatenus vitulos adiungit, & maiores delphinos præterijt, Hermolaus qui multò ſimpliciùs fateri poterat, hallucinatum Plinium, vt ſæpe ſolet: pro phocænis non rectè phocas, qui vituli marini ſunt, legiſſe aut vertiſſe. Ammianus quoque tradit nullam beluam immeare Ponto inimicam piſcibus, extra quàm paucos, inquit, delphinos. quem locum, vt pleraque omnia in eo authore, deprauatum cenſeo: nec paucos, ſed aut paruos, aut phocas & delphinos ſcribendum, Idẽ Hermolaus. Ælianus quidem de animalibus 9.59. ex Ariſtotele φώνης legit, non φωκαίνης, ſimiliter Plinio. Oppianus libro 1. de piſcibus de Ponto Euxino ſcribens:

Παῦροι μὲν δελφῖνες, ἀκιδνότεροι δ' αὐτοὶ Κητείης γενεῆς, καὶ ἀκυδέες ἐννεμέθονται.

Nomen παῦρος, magnum paruum, non numero paucum propriè ſignificat. Pontus à feris beſtijs liber eſt: ſoli delphini minuti illic errant, Gillius. Kiranides ſcribit, ſi modò rectè tranſtulit Cremonẽſis, delphinum plurimum eſſe circa Euxinum Pontum. In Adriatico mari non niſi rariſſimè capiuntur, vt Bellonius obſeruauit. Ariſtobolus author eſt nullum piſcem ex mari in Nilum aſcendere, præter mugilem, thriſſam vel delphinum, crocodilorum metu: delphinos, quia præſtantiores ſunt: mugiles, quia à porcis piſcibus (quibus crocodili propter ſpinas abſtinent) ob naturæ quendam conſenſum ſecus terram ducuntur, Strabo. Intrant aliquando delphini aquas dulces, vbi aliquandiu piſcibus paſcuntur, non multum temporis tamen immorantur, Bellonius.

Delphini cete.

Natura omnium maximè animalium ſuperflua peculiariſque delphino, & ſi quid aliud tale in cetaceo genere, vel reliquo aquatili ſit, vt balæna & quæcunque fiſtulam gerunt. nam & terreſtrium naturæ participant recipiendo aëre, & aquatilium quod aquam recipiant, (in qua degant) Ariſtot. Et alibi, Delphinus inter cete numeratur: branchijs enim caret. arteriam & pulmonem habet: itemque fiſtulam, à dorſo (ante cerebrum, Rondeletius: inter oculos, Bellon.) ſtatim animal generat. Cete fiſtulã habent propè cerebrum, Wottonus: qui πρὸς τὸν ἐγκέφαλον apud Ariſtotelem legere mauult, quàm πρὸ τοῦ ἐγκεφάλου id eſt, ante cerebrum, ex ipſo Ariſtotele (inquit) de delphino, qui non à fronte, ſed à dorſo fiſtulam gerit. quanquam libro quarto de partibus animalium, & de reſpiratione, habetur, non πρὸς, ſed πρὸ τοῦ ἐγκεφάλου, id eſt ante cerebrum, Hæc Wottonus. ego cùm viris doctis & oculatis teſtibus, quos nominaui, ante cerebrum fiſtulam delphini poſuerim, inter oculos, vt Giſberti Horſtij etiã icon *Species vel similitudo.* mihi communicata oſtendit: quanuis Plinius ſcribat, Balænæ & delphini fiſtulis ſpirant, quæ ad pulmonem pertinent, balænis à fronte, delphinis à dorſo. Delphinorum ſimilitudinem habent qui vocantur turſiones, (&c. vt ſuperiùs circa initium huius capitis B. recitaui,) Plinius. Phocæna in Ponto, delphino ſimilis eſt, Ariſtot. φῶκος (malim φώκαινα) κῆτος θαλάττιον ὅμοιον δελφῖνι, Heſychius. Habet & ſilurus aliquam cum delphino ſimilitudinem, fortè magnitudinis tantum, & ſimilis venandi naturæ: quãobrem Auſonius de eo canit, Amnicolam delphîna reor. Sic & thunnum maiorem aliquos delphino *Magnitudo.* comparantes audiui. In Gange Indiæ plataniſtas vocant, roſtro delphini & cauda, magnitudine autem quindecim cubitorum, Plinius. Delphinis magnitudine pares antacæi ſunt, Strabo lib. 17. Gladius piſcis crebrò delphini magnitudinem excedit, Plinius. Quintum delphinis balęna Britannica maior, Iuuenalis Sat. 10. Delphinos in Oceano Indico maiores apparere quàm in mediterraneo, Arrianus lib. 8. refert. Longè tamen maiores ijs, qui noſtris maribus ſunt, ſe vidiſſe Nearchus refert, cum e Meſſambria in Taornum annauigaſſet, Maſſarius. De longitudine, magnitudine, pennis, dentibus, cute, cauda, & alijs exterioribus delphini partibus, multa diligenter annotauit Bellonius in libro Gallico ſuo de *Figura.* delphino, &c. lib. 1. cap. 40. Dorſum delphino repandum, roſtrum ſimum, vnde & Simonis nomine gaudent, Plinius. Corporeque & preſſo ſpinæ curuamine flecti Incipit, & lati rictus ſunt, Ouidius: qui & alibi curuos, alibi pandos delphines dixit. Sed curuos non eſſe, ſuprà Bellonij verbis oſtenſum eſt: idemque copioſius in libro Gallico ſuo id approbat. tales quidem eſſe videri poſſunt vel in ipſa aqua lu- *Partes exteriores.* dentes, vel ſaltu ſuper æquora ſe vibrantes: Vt infra etiam dicetur in loco de iconibus.

Delphini corio duntaxat integuntur, vt reliqua cetacea, Plinius. Delphini oculos habent in dorſo, & ora in parte oppoſita: vnde non bene prædam ſuam capiunt propter diſtortionem oris à parte oculorum. hinc eſt quòd ora ſua conuertunt ad cœlum, & dorſum oculoſque ad terram, vt prædam ſuam conſequantur, Phyſiologus. Non parum miror Ariſtotelem, & Plinium, ſcribentes infrà parte ſupina Delphinos ora habere. Equidem Delphinum cum in manibus haberem, ſole clarius vidi non infra parte ſupina, ſed in roſtro Thunni modo ſciſſa ora habere, Gillius. De ore delphini, quodque niſi inuerſus piſces capere nequeat, (de quo etiam libro 2. cap. 3.) Bellonius in opere Gallico multa ſcribit, lib. 1. *Auditus, & eius organa.* cap. 35. & de gulæ ipſius anguſtia, cap. 36. quæ nos hîc non repetimus, quòd cum ipſius ex Latino de piſcibus libro, tum Rondeletij verbis, eadem ferè ſummatim ſuperius à nobis comprehenſa ſint. Delphinus & reliqua cetaria carent auriculis, Ariſtoteles. Delphinus audit quidem, ſed nullis cauernis quæ vicem præſtent aurium, Idem. Rondeletius cauernas eſſe oſtendit, ſed minimas & quæ viſum propè effugiant. Auriculæ omnibus, animal duntaxat generantibus, excepto vitulo marino atque delphino: & quę cartilaginea appellauimus, & viperis. hæc cauernas tantum habent aurium loco, præter cartilaginea, & delphinum: quem tamen audire manifeſtum eſt. nam & cantu mulcentur, & capiuntur attoniti ſono. Quonam modo audiant, mirum, Plinius. Iidem nec olfactus veſtigia habent, cum olfaciant ſagaciſſimè, Idem & Ariſtoteles. Contra naturam aquatilium ſoli linguas mouent, So- *Interiora, Ossa.* linus. Falcata nouiſſima cauda eſt, Qualia dimidię ſinuantur cornua Lunę, Ouidius de delphino. Tritonis Romę à ſe viſi caudam Pauſanias delphini caudæ comparat.

De partibus internis delphini & phocęnæ Bellonius voluminis ſui Gallici lib. 2 prolixè ſcribit, primis ferè octodecim capitibus. Delphinis oſſa, non ſpinę: animal enim pariunt, (*adde, & concipiunt initio,*

initio, vt excludantur cartilaginea, quæ animal quidem pariunt, ſed ouum concipiunt,) Plinius. Delphinus felle caret, idque ſolus inter ea quæ pulmone carent, & mare excipiunt, Plinius & Ariſtot. Delphino genitale foris eſt, teſtes intus ad aluum nectuntur, Ariſtot. Et alibi, Delphino meatus genitales ad ſpinæ locum adhærent: teſtes verò ſub aluo latent. Teſtes intus habet vltima conditos aluo: nec meatus, ſed penem pertendentem habet, vt boues. Penes delphini perinde quaſi hominum arrigitur: nõ tamen ſemper patet, ſed occultatur. cum autem ad coitionem inflammantur, extra eminentem proferunt, Gillius ex Oppiano. Teſtes delphino prælongi, vltima conduntur aluo, Plinius. *Fel. Genitalia.*

Delphinus etiam mammas habet: animal enim concipit illico, & creat. Continet hic ſuas mammas non parte ſuperiore, ſed prope genitale. nec modo quadrupedum papillas conſpicuas habet, ſed velut alueolos quoſdam humoris duos, vtroque de latere ſingularem, è quibus lac fluit, quod ore catulorum ſectantium parentem excipiatur: idque iam à nonnullis perſpectum eſt, Ariſtot. Delphini binas in ima aluo papillas tantùm gerunt, nec euidentes, & paulò in obliquum porrectas. neq; aliud animal in curſu lambitur, Plin. De maris & fœminæ delphini diſcrimine Bellonius ſcribit Gallicè libro 1. cap. 42. *Mãma, & lac.*

C

Delphini & circa litora ſaxoſa degunt, ἀκταῖσι πολυρραθάγοισι γάνυνται: & mare profundum (pelagus) habitant: vt nuſquam mare ſine delphinis ſit, Oppianus. Delphinorum gregatim natantium mirum ordinem exponemus in D. *Gregaria natatio.* Delphinus cum mare accipit, redditque per fiſtulam, tum aërem per pulmonem. *Respiratio.* habet enim hoc membrum, & ſpirat. Quamobrem retibus apprehenſus, breui tempore ſtrangulatur, vt qui ſpirandi facultatem amiſerit. foris verò diutius viuere poteſt mutiens, & anhelans modo cæterorum ſpirantium. quinetiam dormiens roſtrum exerit ſupra mare, vt ſpiret, Ariſtot. Viſus delphinis acutiſſimus, ------ φλογόεν τε σέλας πέμπουσιν ὀπωπαί: ὀξύτατον, ita vt piſcem etiam ſub lapide vel *Visus.* in cauerna aliqua latitantem videant, Oppianus. De auditu & odoratu, horumque ſenſuum organis in delphinis, leges ſuprà in B. Delphini carniuori tantum ſunt, Ariſtot. Delphini celeritas edendiq; facultas mira eſſe videtur, Ariſtot. Quomodo in omne piſcium genus dominetur, & robore celeritateq; *Cibus.* præſtantes, longè lateque venando perſquantur piſces, refereturin D. Piſcium quos ceperint, capita ſolum deuorant, Bellonius. Pompilo deguſtato diſcruciantur & conuelluntur. vide in D. Delphinis os parte ſupina poſitum eſſe, (quod docti ferè omnes hodie negant) eoſque reſupinatos ſolùm corripere eſcas, & quamobrem ita fiat, Ariſtoteles diſſerit libro 4. de partib. animal cap. 10. Delphinum non aquatilibus tantùm, ſed etiam terrenis omnibus velocitate ſaltuque præſtare, *Velocitas & saltus.* (ὀξύτατον καὶ ἀλτικώτατον εἶναι,) ita vt nauium malos etiam tranſiliat, author eſt Ariſtoteles: & cauſam conatur afferre eiuſmodi. Quemadmodum enim vrinatores animam continent, ſic ille primo ſpiritum comprimit, deinde corpus ſicut ſagittam neruo expulſam iaculatur. nam ſpiritus intus compreſſus, & illum & vrinatores compellit, ac iaculatur, Ælianus de animal. 12.12. Velociſſimum omnium animalium, non ſolùm marinorum, delphinus eſt, ocyor volucre, ocyor telo. nam cum fame concitati fugientem in vada ima perſecuti piſcem, diutius ſpiritum continuêre, vt arcu emiſſi ad reſpirandum emicant: tantaque vi exiliunt, vt plerunque vela nauium tranſuolent ſaltu, Plinius. quam apud eum lectionem Maſſarius approbat. Celeritatem delphinorum ego ipſe (inquit Bellonius) in mari obſeruaui: & nauim noſtram pleno velo & ventis ſecundis ocyſſime inuectam, delphinos celeritate vincentes animaduerti: quę tanta eſt, vt nullius ſit maior in aëre volucrium. huius autem velocitatis cauſam non equidem pinnas fecerim, quæ ad tanti corporis molem exiguę ſunt, ſed corporis duntaxat pondus, (*imò robur & vires corporis, quibus vibrare ſeipſum, & niruor in agili contentione, tanquam eiaculari poteſt: vt non ſufficiat per ſe robur tantæ celeritati, niſi accedat agilitas, neque contra: robur autem non in corporis magnitudine, ſed in tendinibus & neruis maximè poſitum eſt.*) nam ſi pinnarum magnitudo promoueret velocitatem, hirundinem piſcem paruum, cuius pinnæ tamen nihilo quàm delphini minores ſunt, celeriorem eſſe oporteret, Bellonius. Delphino non minus interdum exilit gladius aſilo infeſtatus, Ariſtot. Nec ſe ſuper æquora curui Tollere conſuetas audent delphînes in auras, Ouidius 2. Metam. Turſiones (Phocænæ) delphinis ſimiles, diſtant triſtitia aſpectus. abeſt enim illa laſciuia, Plinius. Delphinum ſimiles (de pueris ludentibus Troiam equeſtre certamen, nunc fugiendo, nunc renouando pugnam) qui per maria humida nando Carpathium, Libycumque ſecant, luduntque per vndas, Vergil 5. Æn. à recto delphin, vel pro delphinorum, Seruius. Delphinorum celeritatem in nando, quæ prouerbio locũ dedit, eleganter deſcribit Manilius 5. Aſtronomicôn: vt non minus eleganter eorum impetum in piſces reliquos cecinit Papinius nono Thebaidos, his verſibus:

Qualis cœruleis tumido ſub gurgite terror Piſcibus: arcani quoties deuexa profundi
Scrutantem delphina vident, fugit omnis in imos Turba lacus, viridéſque metu ſtipantur in algas,
Nec prius emerſi, (emergunt) *quam ſumma per æquora flexus*
Emicet, & viſis malit certare carinis. Ad idem Silius lib. 15. ----*rabidi ceu bellua ponti*
Per longum ſterili ad paſtus iactata profundo Cum procul in fluctu piſcem malè ſaucia vidit,
Æſtuat, & luſtrans nantem ſub gurgite prædam, Abſorbet latè permixtum piſcibus æquor.

Hinc contrario ſenſu prouerbiali figura in diris à Marone dictum eſt:

Ante lupos rapient hœdi, vituli ante leones: Delphini fugient piſces, aquilæ ante columbas.

Quæritur quamobrem in terram erumpant. hoc enim interdum eos facere incerta de cauſa dicitur, *Eruptio in terram.* Ariſtoteles & Plinius. Videntur autem vel aſilo infeſtati, vel morbi alicuius vi, vt ſub mortem, (vnde aliqui ſepulturæ deſiderio in litus erumpere eos nugantur,) vel nimio dum perſequuntur piſces impetu, in terram aliquando efferri. nam quòd poſtquam erupêre, ſtatim tellure tacta moriuntur, vt Plin. tradit, morbo aliquo eos conflictari indicium eſt. alioqui enim diutius in terra viuere poſſunt, vt Rondeletius & Bellonius docent. Erumpunt etiam in litus nimio ſtrepitu piſcatorum eis inſidiantium grauati, & capiuntur, teſte Ariſtotele. Delphinis pro voce gemitus eſt, humano ſimilis, Plinius & Solinus. *Vox.* quia pulmonem habent & venam aſperam, & eorum lingua non eſt abſoluta, nec eorum labia proueniunt vel prominent ad diſtinguendam vocem, Author de nat. rerum. Sonum ędit delphin per fiſtulam, qua & aquam emittit, τῇ στεινῇ ὀξείᾳ διεξόδῳ, Paraphraſtes Oppiani. Edita per ſumma æquoris fiſtula, re- *Somnus.* ſpirationis cauſa, dormiunt. & iam delphinum ſtertentem etiam nonnulli audiuere, Ariſtoteles bis

vel ter. Delphinum perpetuo motu præditum esse ferunt, nec quoad viuit, ne dormiens quidem, à motione conquiescit: Cum enim necesse habet dormire, ex alto ad summam aquam elatus, vt totus videatur, dormit: non enim somni expers est: atque ita dormiens, in profundum tandiu depellitur, quoad imam sedem maris contingat: ad quam postquam funditus delapsus est, terræ pulsu è somno excitatur: deinde ex alto emergit, ac repetito somno similiter atque priùs ad maris fundum appulsus, expergiscitur, tum rursus eminet extra aquam, & hoc ipsum sæpe facit. eamque ob causam inter quietem ac actionem agens, nunquam omnino à motu quiescit, Ælian. de animalib. 11. 22. Plutarchus etiam in libro Vtra animantium prudentiora, eadem refert: Dormiens (inquit, interprete Grynæo,) à summo per altum demittitur, tantisper dum in vadum impingat, solumque sentiat. hic excusso somno, ronchoq; ædito ad summum rursus meat, rursusque demittitur, ac pronus fertur motu quodã mirabiliter composito quietem captans. Idem facere thynnus, ac eadem de causa fertur, Hæc ille. Sed de thynni somno aliter Aristoteles scribit: & cum delphinus respirationis causa subinde superficiem petat, thynnus respirare opus non habet. Delphini similiter atque homines complexu Venereo iunguntur, Oppianus. hoc & Rondeletius à se spectatum refert. Aristoteles vero, Delphinis quoque (inquit lib. 5. hist. animal. cap. 5.) omnique cetario generi hic idem (qui piscibus) modus est coeundi. planis enim admotis partibus agunt; nec parum multumue temporis, sed mediocre in coitu ipso consumunt. Et rursus de generatione animalium lib. 3. cap. 5. interprete Gaza. Eodem modo quo delphini pisces etiam coeunt, ammouendo supina per lapsum, quibus impedimento cauda est. sed delphinorum abiunctio diuturnior est: piscium verò huiuscemodi celerrima est. Qui locus Græcè sic legitur: Τὸν αὐτὸν γὰρ τρόπον οἱ τε δελφῖνες ὀχεύονται παραπίπτοντες, καὶ οἱ ἰχθύες ὅσοις ἐμποδίζει τὸ οὐραῖον. ἀλλὰ τῶν μὲν δελφίνων χρονιωτέρα ἡ ἀπόλυσίς ἐστι, τῶν δὲ τοιούτων ἰχθύων ταχεῖα. Clarior autem fiet hic locus lectori, si conferat cum ijs quæ historiæ lib. 5. cap. 5. ab Aristotele produntur. nos festinantes præterimus. Pisces attritu ventrium coeunt, tanta celeritate, vt visum fallant: delphini & reliqua cete simili modo & paulò diutius, Plinius. Delphinus vtero gestatur decem mensibus, Aristot. Pilo carentium duo omnino animal pariunt, delphinus (*mmo & reliqua cete*) ac vipera, Plinius. Delphinos Oppianus ζωοτόκους, id est, viuiparos esse dicit. Geminos parere (*vt plurimum*) Oppianus refert. Parit binos, & singulis singulas præbet mamillas, Paraphrastes Oppiani. Delphini singulos magna ex parte ædunt, interdum tamen & binos, Aristot. Adolescit celeriùs proles delphini, quippe quæ annis decem ad summam perueniat magnitudinem Aristoteles & Plinius. Delphinorum catulos Plinius dixit libro 9. De mammis lacte & lactatione delphinorum, vide suprà in B. Delphinorum & cetorum fœtus, lactantur, & sequuntur matrem, Albertus. vide supra in Cetis in genere c. A Græcis qui circa Propontidem habitant, accepi, delphinos etiam instar aliorum (quorundam) piscium migrare, è mari mediterraneo videlicet Septentrionem versus Hellespontum & Propontidem emetiri, & Euxinum ingressos certo tempore immorari: tum denuo loca priùs relicta repetere, Bellonius. Delphinus felle caret: quare & longæuus est, Aristot. Viuunt delphini (quidam) annis tricenis, quod cognitum præcisa cauda in experimentum, Plinius. Solent in terram erumpere incerta de causa, & statim (*aliâs nec statim, quod non placet: non .r. hoc sensisse Plinius videtur, etsi sententiam eius non probo*) tellure tacta moriuntur, multoque ocyus fistula obturata, Plinius. Mortem suam præsagiunt: & ad litus se recipiunt, vt in terra expirent, & vel ab homine aliquo, vel inducta maris æstu arena, sepeliantur: ne principem marinorum animantium insepultum iacere quisquam videat, Oppianus. Nos causas aliquas cur in terram erumpat, suprà indicauimus. Extra aquam diu viuere potest mutiens & anhelans, modo cæterorum spirantium, Aristoteles. Extra aquam diutius viuere possunt, dum aere fruantur, quàm intra aquam si prohibeantur respirare. nam & retibus inclusi aliquando suffocantur. Arimini captus nostra memoria tres dies in terra vixit. Delphinus (inquit Cælius Rhodiginus) tam stupendæ agilitatis animal, terræ tamen contactum non patitur: quin inuectum in harenam emoritur confestim. Propterea in Demosthenis vita Plutarchus: Delphinis, inquit, vim ignorans Cęcilius, in omnibus nimius, iuuenili calore, Demosthenis & M. Tullij collationem ædere adortus est. quod si vnicuique obuium foret τὸ γνῶθι σαυτόν, haud fortè diuinum videretur præceptum, Hæc ille: sed concisius quàm oportebat: Sic enim Plutarchi verba sonant: Τὸ δὲ τοὺς λόγους ἀντεξετάζειν, καὶ ἀποφαίνεσθαι, πότερος ἡδίων ἢ δεινότερος εἰπεῖν, ἐάσομεν. κακὸν γὰρ ὥς φησιν ὁ Ἴων, δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία. ἣν ὁ περιττὸς ἐν ἅπασι Καικίλιος ἀγνοήσας, ἐνεανιεύσατο σύγκρισιν τοῦ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος: Tanquam diceret, Si ego comparare vellem Demosthenis & Ciceronis eloquentiam, obijci mihi posset Ionis illud, Delphini in terra vis. Videtur autem hoc prouerbium conuenire in eum qui alicubi quidem excellat, in diuerso autem genere nihil possit. sicut delphinus in mari velocissimus, nihil potest in terra: quod quidem verè dici arbitror: non tamen inde conficitur eum in terra statim expirare. Plenius quidem prouerbium sic efferri posse videtur, Δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία οὐδεμία. Ergo qui rem in qua nihil potest aggreditur, vires suas ignorat, & delphinus in terra dici poterit. Erasmus Rot. huius prouerbij non meminit. In epistolis Plinius collusorem delphinum in terram extrahi solitum scribit, harenisque siccatum, vbi incaluisset, in mare dilabi rursum, Cælius Rhodiginus.

Coitus. — *Gestatio vteri.* — *Partus.* — *Incrementum.* — *Migratio.* — *Vita & mors.* — *Prouerbium.*

D. Degunt coniugatim mares cum fœminis, Aristot. Quoquo eant coniuges euagantur, Solinus. Agunt vere (*aliâs fere, & melius*) coniugia, Plinius. Delphini aliâs gregatim nant, aliâs mas & fœmina simul: nunquam verò solitarij, Bellonius. Magna erga gnatos charitas in hoc animali est, Aristot. Nutriunt lacte & vberibus catulos, sicut balænæ: atque etiam gestant fœtus infantia infirmos, Plinius & Aristot. Quin & adultos diu comitantur, magna erga partum charitate, Iidem. Inualidos aliquantisper prosequuntur, Solinus. Teneros in faucibus receptant, Idem. Sed hoc verum esse aut fieri posse, Rondeletius negat: propter rostri & gulę delphinorum angustiam, & catulorum magnitudinem. Admitti tamen posse videtur, si catulos ore tantum ab eis gestari interdum, non penitus includi, intelligamus, quod Aristoteles dixit. Oppianus verò prorsus recipi & subire canit:

Coniugium. — *In fœtum amor.*

Εὖ τε γὰρ ὠδίνων δίδυμον γόνον ἐς φάος ἔλθοι
Νηχόμενοι σπαίρουσι, καὶ ἐνδύνουσιν ὀδόντων
Αὐτίχ᾽ ὁμοῦ ἐρχόμενοι περὶ σφετέρῃ τε τεκούσῃ
Εἴσω, καὶ μητρῷον ὑπὸ στόμα δηθύνουσι.

Mater verò (inquit) gaudens facilè patitur, & mamillam vtrisque lactandam præbet. Iam robustioribus mater ad venationem præit, nec prius quàm adultos deserit. Ἀλλ᾽ αἰεὶ ῥυτῆρες ἐπίσκοποι ἐγγὺς ἕπονται. Catuli, si quod periculum sit, in ora parentum ingrediuntur, Paraphrastes Oppiani. Paruos semper aliquis grandior comitatur vt custos, Plinius & Aristot. Maiores natu (parentes nimirum) duces se præbent minoribus, donec adoleuerint. Cùm verò grex eorum procedit, minores in prima acie sunt, Oppiani paraphrastes. Delphin & phoca vna cum catulis suis capiuntur, commoriunturque. captis quoq; matribus pulli pariter capiuntur, Io. Tzetzes. Mulierum (inquit Aelianus de animalibus lib. 1. cap. 18.) in filios studium magnam quidem hominum admirationem habet. Veruntamen perspicio filiis qui è vita excesserunt superesse matres, nec ex eorum casu more delphinorum perire, sed tristitia mitigata, in doloris obliuionem venire. Delphinus autem fœmina, omnium maximè animalium, eorum quæ procreauerit studio tenetur. Ex sese geminos parere solet. Cum autem piscator aut tridente eius sobolem vulnerauit, aut spiculo feriit (enimuero spicula ex parte superiori vbi funis oblongus inseritur, perforata sunt (cuspides vncinatæ defixæ in Delphini corpore eum retinent. Is quandiu dolens, & in omnes partes resiliendo se versans aliquod robur habet, piscator funem relaxat, ne vi abrumpatur, eiusque culpa cum ferro delphinus discedens ex captiuitate euadat. Cum autem ex vulnere delphinum labori succumbere, atque aliquantum de contentione insultandi remittere piscator animaduertit, sensim ad nauim subducit, prædaque potitur. Iam verò mater nec catuli sui casum perhorrescit, nec metu reprimitur, sed incredibili desiderio filium insequitur: & quod filium in media cæde versantem sibi deserendum non existimat, nullis terroribus ab insequendo deterretur: atque adeo eam filio venientem subsidio percutere manu facile est, vt collibuerit volenti cædere, adeò propè accedit. itaque vna cum filio capitur, cui sese ex periculis seruare & discedere integrum erat. Ac si adsint ei ambo catuli, intelligatq; alterum læsum esse, atque, vt diximus, captiuum abduci, integrum alterum caudæ verberatione persequitur, ac mordicus premens ablegat, atque aspirationem quandam occultam mittit, tanquam tesseram, vt fuga salutem adipiscatur. Cuius admonitu discedit ille, ipsa verò remanet, vt capiatur, atque simul cum filio altero moriatur, Hæc Aelianus. Eadem ex Oppiano referam in E. Aliud est genus delphinorum, quod os habere aiunt in medio sui corporis, &c. & hoc odit catulos suos, ita vt mas deuoraret eos, nisi à fœmina occultarentur. mater enim abscondit eos, & dum adolescant secum ducit. adultos demum & ipsa odisse incipit, ac deuoraret tandem eos adiuuante etiam mare, nisi propriis viribus ipsi sese defenderent, Albertus.

Cum catulis capi parentem, & contra.

Delphini parentes senio confectos alunt, & natationem etiam ipsorum corporis sui nisu promouent, Io. Tzetzes. Mare tranquillo solent natare delphini gregatim vt minores præcedant, maiores verò sequantur: nec recedunt ab eis non magis quàm à teneris agnis pastores, Oppianus. Ex ætatum ratione dispositi, gregatim natant, etenim perparuuli etiamnum ex ætate infirmi in primo ordine locantur, hos natatione proximi sequuntur qui sunt cõfirmata ætate. nam Delphinus cum catulorum suorum amantissimum animal est: tum de iis vehementer metuens, diligenti custodia eos conseruat: ac nimirum sic natant, vt tanquam in militari cuneo alii in prima acie, alii secunda, alii tertia constituantur. natu minimi antè prænatant, post verò hos fœminæ sequuntur, deinde mares extremum agmen ducentes, filiorum & vxorum natationem inspiciunt, atque obseruant. Quid ad hos Nestor bone Homere? quem ais ad instruendas acies principum suæ ætatis præstantissimum fuisse, Aelianus de anim. 10. 8. Fertur delphino apud Cariam capto atq; saucio, ingentem reliquorum multitudinem conuenisse ad portum, immoratamque, donec piscator dimiserit eum, quem ceperat. tum omnes simul recepto captiuo rediisse, Aristot. Ipsis quoque inter se publica est societas. Capto à rege Cariæ, alligatoque in portu delphino, ingens reliquorum conuenit multitudo; mœstitia quadam, quæ posset intelligi, miserationem petens, donec dimitti rex eum iussit. Vrbs Thraciæ, cui nomen est Aenos, præclarum dat testimonium Delphini amoris, quem erga suam nationem habet. Cum fortè euenisset, Delphinus vt vulnere accepto, non mortifero quidem, sed sanguinem mittenti, caperetur: reliqui non comprehensi, id ipsum vt senserunt, maximis saltibus ad portum gregatim profecti, probè studium suum captiuo nauarunt. Piscatores igitur de suis periculis pertimescentes, captiuum deseruerunt. Itaque delphini natu maiores, tanquam socium quendam homines genere se contingentem, sic tristes pergebant illum comitari, & magno studio subleuare: Cum vel homines ipsi cum intimis & necessariis infelicibus suis studium & curam perraro communicare soliti sint, Aelianus 5. 6.

In parentes pietas. — *Amor mutuus.*

Conspecti sunt iam defunctum portantes, ne laceraretur à beluis, Plinius. Iam conspectus est delphinorum grex, maiorum & minorum promiscuus, post quem, duo quidam paulo post viderentur delphinulum defunctum labentem in imum subire, & in summa pelagi dorso euehere, quasi miserantes, ne ab aliqua bellua deuoraretur, Aristoteles. Delphinum Io. Tzetzes animalium iis adnumerat, quæ cadauera sui generis sepeliant. Delphini etiam (inquit Aelianus 16. 6.) mortuorum memoriam non abiiciunt: & eos quibuscum consuetudinem viuis habuerant, extinctos quoque non deserunt. Itaq; sui generis cadauera subeuntes, ad summam aquam alleuant: tum ad continentem (velut funere) illos efferentes, hominibus ipsos sepeliendos tradunt, Aristotele teste: post vero sequitur magna Delphinorum multitudo, tanquam funeri operam dantium, atque in extinctos honorem conferentium, aut certè eos ab impetu aliarum beluarum ne deuorentur defendentium. Itaque homines rei musicæ intelligentes reuerentia studii in Delphinorum musicam adducti, humatione eos afficiunt. Vos verò inscitiæ veniam agrestibus hominibus qui à Musis & Gratiis, quod aiunt, auersi sunt, Delphini tribuite: quandoquidem vel ipsi Athenienses Phocionem probum virum inhumatum proiecerunt: tum Olympias, quæ filium Iouis peperisset, vt ipsa gloriabatur, & ille profitebatur, insepulta iacuit. Pompeius item Magnus cùm tot tantasque res præclaras gessisset, ac summis victoriis partis, ter triumphasset, interfectoris sui patrem seruasset, & in regnum restituisset, Aegyptii non modo interfecerunt, sed capite mulctatum, proiectum ad litus reliquerunt.

Cura in mortuos.

Amor hominum.

Complura animalium nec placida, nec fera, ſed mediæ inter vtrunque naturæ ſunt, vt in volucribus hirundines, apes: in mari, delphini, Plinius. Et alibi, Hominis amicum animal eſt, obuiam nauigiis venit, & alludit exultans. Delphini nauibus appropinquare gaudent: & nautis ſonum aliquem ſibilumvé edentibus, diutius circa naueis immorantur. cumque ad naues accedunt, ſonitus euidens ex fiſtulis earum, propter reſpirationem multo tempore ſuppreſſam auditur, Bellonius. Nomen Simonis omnes miro modo agnoſcunt, maluntque ita appellari, (*quam delphini,*) Plinius. Hoc quidem ipſum non eſſe fabulam expertus ſum, cum ad Antipolim vrbem Prouinciæ Narbonenſis nauigarem, & Delphinum vel longinquo interuallo contenta voce Simonem appellarem, confeſtim ad me propè acceſſit, vt manibus attingere potuiſſem, Gillius. Delphini quidam quomodo nauigationis quorundam duces fuerint, in Philologia dicetur infra in Apollinis Delphinii mentione. Delphinos piſcationis alicubi ſocios eſſe, & auxilium piſcatoribus ferre tanquam de induſtria, (inquit Bellonius) veriſimile quidem videri poteſt: ego vero fortuitò id euenire dixerim, qui diuerſis in locis & portubus maris hæc obſeruaui: & cum amico quodam meo homine induſtrio ſæpe in diuerſis inſulis Illyriæ aut Græciæ magna cum voluptate ſpectaui delphinos, qui modo gregatim: modo bini, mas & fœmina coniugati (neque enim inuicem ſeparantur) venantes, poſtquam minores piſces ex diuerſis partibus maris, vbi liberius vagabantur, in anguſtiam aliquam, aut locum minus profundum complures compuliſſent, impetu tandem in eos graſſari, & obuiis quibusque promiſcuè paſci. Quod ſi in conferctos celerinorum aut ſardinarum greges inciderint, immodica helluatione, capita tantum expetentes, reliquo corpore neglecto, detrimentum ingens populando afferunt. Itaque magnus ſæpe confectorum piſcium numerus in æquore fluitat. Sunt qui irruentis delphini impetu conſternati perplexique in aerem quantum poſſunt exiliant, vnde tam denſo agmine in mare relabuntur, vt pluuiam repræſentent. Itaque partim ab auibus laris & aliis, qui turmatim delphinos ſequuntur, deuorantur in aere, partim in mari à delphinis. Partim etiam, ſi piſcatores adſint, vel manibus vel retibus capiuntur. Sic delphini venantur mane, vt ientaculum ſibi parent, ſic in meridie vt prandeant, ſic veſperi vt cœnent, totos ferè dies venando occupati. Quamobrem non temerè à piſcatoribus amantur, quoniam piſces vndequaque in retia ipſorum compellunt. pro quo beneficio hanc gratiam eis rependunt piſcatores, quod nunquam eos offendunt: & retibus etiam incluſos, liberant: in Græcia videlicet, & iis in locis, vbi delphinis veſci religio eſt, Hæc Bellonius. Euboicorum hominum ſermone huc narratio quædam perlata eſt: illorum piſcatores pariter æqualiterq; cum delphinis piſceis quos ceperint, communicare audio: ad huiuſmodi piſcatum tempeſtatum quietem opus eſſe. id quod ſi acciderit, tum de prora laternas quaſdam piſcatores ſuſpendunt. quæ etſi intra ſe ignem habeant ſic tamen lucem tranſmittunt, vt ignis quidem obtegatur, lumen verò tranſluceat, piſcibus ſplendor timorem facit, & moleſtiam affert, quare inſidiarum ignoratione obſtupeſcẽtes quid ſibi velit quod vident appropinquare aggrediuntur, cauſam tanti ſui timoris cognoſcere ſtudentes. Cuius rei conſideratione perterriti, aut ad ſaxum quoddam ſtant frequentes cum tremore & metu, aut ad littus impulſi exiliunt, ſic obſtupefacti, vt de cœlo tacti eſſe videantur, facileque iam ſit tridente percutere. Delphini cum ignem à piſcatoribus incendi animaduertunt, ſeipſos ſtatim ad ſubſidium iis ferendum comparant. Et illi quidem ſenſim & pedetentim remigant: ii verò formidine exterrentes impellunt piſces, eorumque effugia reprimunt, ne elabi queant. ii igitur & ex delphinorum natatu, & piſcatorum remigatione vndique in anguſtias compulſi, quod ſentiunt ſibi nullum ex tantis anguſtiis exitum patere, idcirco ſtant & manent: vnde efficitur, vt eorum magnus numerus capiatur. At cum delphini velut repetentes communis laboris remunerationem, ſibi debitam ex illa piſcatione, eò procedunt. Quibus prædæ auxiliatoribus ſi cum fide & grato animo piſcatores æquabilitatem diſtribuant, perſuaſum his habetur, qui in re maritima verſantur, rurſus ad piſcandum, etiamſi minus inuitentur, adiutores fore: ſin autem piſcatores prędam cum his communicare omiſerint, hoſteis experientur, quos antè amicos habuerant, Hæc omnia Gillius ex Oppiani Halieuticorum quinto.

Societas cum piſcatoribus.

In pueros amor.

In marino etiam genere plurima de delphinis narrantur indicia morum placidorum ac mitium. amores quoque in pueros, & affectus libidinis, cum circa Tarentum, & Cariam, tum etiam locis aliis referunt, Ariſtot. Hiſtoriæ de manſuetudine delphinorum à Græcis veluti planè recentes hodieq; paſſim memorantur, Petrus Bellonius. φιλοπαιδία eorum multis exemplis exprimitur.

DELPHINORVM IN HOMINES, PRÆSERTIM PVEros, *amoris hiſtoriæ aliquot ordine literarum expoſitæ.*

A.

In Alexandria vrbe Ptolemæo ſecundo regnante Delphinum amore ſimili (in puerum quendam) flagraſſe audio, quo alter Iaſenſem puerũ proſecutus eſt, Aelianus. De Iaſenſe puero inferius leges.

Amphilochi de pueris delphiniſq; eadem narrant, quæ de Arione circunferuntur, Plinius.

ARIONIS LESBII EX OPPIDO MEthymna, *hiſtoria.*

Arionis hiſtoriam, ſicut ab Herodoto deſcripta eſt, Rondeletius recitauit, nobis hic quæ præterea apud alios authores obſeruauimus, adiicientur. Ex Herodoto repetiit etiam Gellius lib. 16. c. 19. Quanto delphinis in ſtudio muſica ſit, ex Arione Methymnæo Aegyptii (Corinthii, Herodotus) & Lesbii teſtantur, Aelianus 2. 6. Idem lib. 12. de animal. cap. 6. quantopere (inquit) delphini φιλῳδοὶ & φίλαυλοι ſint, hoc eſt cantu & tibiis delectentur, Arionis hiſtoria nobis teſtimonium fuerit: quam & ſtatua eius in Tænaro, & ſubſcriptum epigramma repræſentant, hoc videlicet diſtichon:

Ἀθανάτων πομπαῖσιν Ἀρίονα Κύκλονος υἱὸν, Ἐκ Σικελοῦ πελάγους σῶσεν ὄχημα τόδε.

E pelago ſeruauit Ariona Cyclone natum Delphinus vector, diis ducibus, Siculo.

Cæterum hymnus quo ſe Arion gratum Neptuno declarare, & ſimul delphinorum in muſicam ſtudium teſtari voluit, tanq̃ & illis mercedem pro ſe ſeruato & ſuperſtite exoluens, ab eo conditus eiuſmodi eſt: Ὕψιστε θεῶν πόντιε, Χρυσοτρίαινε Πόσειδον, Γαιήοχ', ἐγκυμονάλμαν, (alias ἔγκυμον ἅλμαν:) Βράγχιοι περὶ δὲ σὲ πλωτοὶ θῆρες

θῆρες Χορεύουσι κύκλῳ, Κούφοισι ποδῶν (πτερύγων) ῥίμμασι Ἐλαφρὰ ἀναπαλλόμενοι: Σιμοὶ (Σειροί τε) φριξαύχενες, Ὠκυδρόμοι σκύλακες Φιλόμουσοι δελφῖνες, Ἔναλα θρέμματα κουρᾶν Νηρηΐδων θεᾶν, Ἅς γείνατ' Ἀμφιτρίτη, Οἵ μ' ἐς Πέλοπος γᾶν ἐπὶ Ταιναρίαν ἀκτὰν ἐπορεύσατε Πλαζόμενον Σικελῷ ἐνὶ πόντῳ, Κυρτοῖσι νώτοις, χορεύοντες Ἄλοκα Νηρείας πλακὸς, Τέμνοντες ἀστιβῆ πόρον. Φῶτες δ' ἐλίοιμε (Φῶτες δ' αὐίλεώ με) ἀπὸ ἁλιπλόου γλαφυρᾶς νεὼς εἰς οἶδμα Ἁλιπόρφυρον λίμνας ῥῖψαν. Quæ nos ita reddidimus Latinè: Neptune Deum maximè, Qui rex maris profundi Tridente clarus aureo Complecteris vndique terram: Te branchiis & pinnis Inſigne piſcium genus Mutæ colunt natantes. Præ cæteris te pandi Circumnatant delphines Canes marini, & errant Iuxta, leuesque ſaliunt: Quandoque & inſtar iaculi Vibrant ſeipſos eminus Pernicitate mira, Ceruice rigidi recta. Oblectat hoſce Muſica, Amant eos Nereides Suum pecus puellæ, Quas Amphitrite peperit. Vos me vagantem Siculo In æquore, ad Tænarium Litus tuliſtis equitem, Vectumque dorſis veſtris. Veſter chorus me placidè Non peruium mortalibus Longè ſalum lateque Sulcans natando eduxit: In quod viri me nautæ Deiecerant è naui Curua, marina, perfidi. Eandem hiſtoriam Gorgias apud Plutarchum in Conuiuio ſeptem ſapientum prolixè ac eleganter perſequitur, euarians nonnihil ab Herodoto, cum alias, tum quòd delphinos plures fuiſſe ait, qui alternis onus vehendi Arionis ſubeuntes, comitantibus aliis, præeuntibus item & ſequentibus aliis, ad Tænarum tandem ipſum expoſuerint, &c. Inter alia ad Tænarum donaria & Arion eſt citharœdus æneus, ſupra delphinum, Pauſanias in Laconicis. In Helicone cum alia quædam dedicata ſunt, tum Arion Delphino inſidens, Idem in Bœoticis. Io. Tzetzes in Variis l. 17. eadem hiſtoria ex Herodoto & Oppiano recitata: Sic illi (inquit) hiſtoriam veluti veriſſimam referunt: Allegoricè autem ſic ſe habet: Vbi periclitans cecinit orthium carmen, Phœnices, viri piratæ, naui delphino inſignita, (νηὶ δελφινομόρφῳ) eum miſerati in Tænarum euexerunt. Meminit & Plinius, veroque ſimilem hiſtoriam eſſe putat, ex eo quod alia multa miri in homines amoris delphinorum argumenta celebrentur. De nomo ſiue carmine orthio, quod Arion decantauit, lege Cælium Rhod. lib. 9. cap. 8. Tænaron (inquit Solinus) eſt promontorium aduerſum Africæ, in quo fanum eſt Methymnæi Arionis, quem delphine eo aduectum imago teſtis eſt ærea, ad effigiem caſus & veri operis expreſſa. pręterea tempus ſignatum. olympiade enim vndetrigeſima, qua in certamine Siculo idẽ Arion victor ſcribitur, id ipſum geſtum probatur. Eſt & Arion equus in fabulis, natus ex concubitu Neptuni in equum mutati cum Cerere in equam mutata, &c. Cælius Rhod. Alciati emblema de Arione leges infra inter icones. Aliqui dicunt lyram cœleſtem fuiſſe ſydus Arionis citharœdi omnium primi. Sunt qui delphinũ Arionis in mari ſeruatorem, in ſidera relatum ſcribant. Strabo lib. 13. Herodotum de Arione per delphinum ſeruato fabulari ſcribit.

B.

Byne, eadem quæ Leucothea. hæc perſequentem Athamantem fugiens, cum filio Palæmone incidit in mare: & circa Corinthum à delphino expoſita eſt, ἐξεχύθη, &c. Varinus in Byne. Vide etiam infra in Melicerte.

C.

In Campania delphinem puer fragmentis panis primo allexit, &c. Vide infra.

Ad referendam gratiam delphini hominibus iuſtiores ſunt, cum tamen lege Perſarum (quam laudibus tollit Xenophon) minime teneantur. Cœranus ſic nuncupatus natione Parius, à piſcatoribus delphinos ad Byzantium captos argento redemit, & liberos dimiſit: ex ea libertatis largitione hanc collegit gratiam, vt naue actuaria quinquaginta remorum (ſicut in ſermonem hominum venit) Mileſiis vectoribus (quinquaginta, Plutarchus: *piratas cæteros fuiſſe ſcribens*) *plena, in qua & ipſe vehebatur*, in freto Parii maris funditus euerſa, & vectoribus naufragio perditis, illum ipſum delphini ex hoc periculo ſeruarint, eique ad parem gratiam cum beneficio quod priores ab ipſo accepiſſent, perſoluendam ſatisfecerint: quod quidem ipſum, promontorium nomine Cœranium, quo ipſum expoſuerunt, vbi & ſpelunca in ſaxo viſitur, (iuxta Zacynthi ſpecum, Plutarchus) facile oſtendit. Itaque poſtea Cœranum mortuum ſecundum mare illud cognatione ei proximi ſepultura affecerunt: quod quidem ipſum, vt delphini ſenſerunt, frequentes tanquam ad iuſta funeri perſoluenda ad littus conuenerunt: & quoad pyra arderet, tandiu ſicut amicis fidi amici permanſerunt: Deinde reſtincto rogo diſceſſerunt. Non item certè homines, ſed potius viuos colunt, & eos quidem diuitiis diffluentes & opibus. Contrà verò ab iis defunctis, vel aliquo infortunio preſſis, ſe totos auertunt, vt ne gratiam pro beneficiis, quibus ab eis, dum viuerent, affecti fuerunt, perſoluant, Aelianus de animal. 8. 3. Eandem hiſtoriam Plutarchus refert in libro, Vtra animalium, &c. & Athenæus lib. 13.

E.

Enalum Aeolium aiunt cum Phinei filiam quam amauerat, Amphitrites oraculo monitæ præficæ in mare mortuam abieciſſent, eodem loci deſiliiſſe, & hinc à delphinis Lesbum incolumem deportatũ, Lesbius Myrtilus author eſt, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. interprete Grynæo. Eandem verò hiſtoriam in Conuiuio ſeptem ſapientum paulo aliter refert.

H.

Hermias puer in Iaſſo inuectus delphino. vide mox in I.

Hesiodi à latronibus interempti cadauer cum in mare iniiceretur, delphinorum grex ſuſcipiens ad Rhium & Molycriam exportauit, vt pluribus tradit in Conuiuio ſeptem ſapientum Plutarchus.

In Africano mox (*dixerat proximè de inſigni illo in Campania d. Auguſti tempore*) litore apud Hipponem Diarrhyton delphin ab Hipponenſibus paſtus tractandum ſe præbuit, impoſitos quoq; frequenter geſtauit. Nec populi tantum manibus acta res eſt. Nã & proconſul Africæ Flauianus ipſe eũ contigit, vnguentis etiam delibuit. qui odoris nouitate obſopitus, aliquantiſper pro exanimi iactatus (iactitatus, vt legit

vt legit Hermolaus)est, multisque mensibus desciuit à solita conuersatione. Eandem historiam Plinii Hippones (oppida) duo sunt, inquit Hermolaus, Regius & Diarrhytus. De hoc autem delphino Hipponensi, non Solinus modò, sed Cæcilius quoque Plinius scribit ad Cannium Ruffum: vbi vnguentum id non à Flauiano proconsule, sed ab Octauio Auito proconsulis legato superfusum tradit.

DE PVERIS DVOBVS IASENSIBVS.

Ante hæc (*Ante insignes illos, in Campania alterum d. Augusti tempore, alterum in Africo litore*) similia de puero in Iasso vrbe memorantur, cuius amore spectatus longo tempore dum abeũtem in littus auidè sequitur, in harenam inuectus expirauit. Puerum Alexander Magnus Babylone Neptuni sacerdotio præfecit, amorem illum numinis propicii fuisse interpretatus. In eadem vrbe Iasso † Egesidemus scribit & alium puerum Hermiam nomine, similiter maria perequitantem, cum repentinæ procellæ fluctibus exanimatus esset, relatum: delphinumque causam leti fatentem non reuersum in maria, atque in sicco expirasse. Hoc idem & Naupacti accidisse Theophrastus tradit. Nec modus exemplorum. Eadem Amphilochi & Tarentini de pueris delphinisque narrant Plinius. Apud Assum vrbem Babyloniç puerum delphinus adamauit. quem dum post assueta colludia recedentem impatientius sequitur, arenis inuectus hæsit, (&c. similiter vt Plinius,) Solinus. Ad Iasum vrbem (inquit Aelianus de animalib. lib. 6. cap. 15.) Delphini amores iamdudum decantati erga formosum puerum, non sine mea commemoratione, & literarum memoria mihi relinquendi videntur: Itaque cum Iasium gymnasium, vbi pubes Iasia exerceri solita esset, mari adiaceret, vnde pueri, qui nondum ex ephebis excessissent, post exercitationes in curriculo ad mare peruenientes, antiquo more lauarentur, ex iis natantibus ad vnum aliquem formæ pulchritudine prçstantem Delphinus quem ardentissime amaret, proximè profectus, primo exterruit puerum: post verò consuetudine vterq; in alterius amorem se insinuans, beneuolentia coniuncti fuerunt: atque inter se firmam amicitiam fecerunt: ac iam inuicem ludere cœperunt, modo adnantes inter se certabant, modò puer tanquam pullum equiso, sic in Delphinum subnatantem ascendens & audacius exultans, in amasio sedebat: quod quidem facinus summam Iasensium & hospitum admirationem habebat. Enimuero Delphinus puerum amores ac delicias suas vehens longissimè in mari procedebat, atque adeò tam longè, quam puero insidenti placeret, progrediebatur: Deinde ex alto reuertens, eundem illum litori reddebat, atque mutua dimissione vterque ab altero, hic quidem in maris altitudinem, ille verò domum suam discedebat. Iam porrò ad tempus cum gymnasia dimittebantur, ad excipiendum puerum Delphinus præsto erat: Puer autem cum ex amasii expectatione, & eius collusione voluptate afficiebatur, tum supra humanam conditionem formosus circumspiciebatur, qui sanè non modo hominibus, sed beluis quoque ratione carentibus formosissimus, & si non certè diu, videretur: siquidem fato quodam succubuit. Nimium enim exercitatus & fessus aliquando puer, cum toto ventre in vectorem suum delphinum temere se iniecisset, non animaduertens aculeatam spinam dorsi erectam esse, atque horrentem, acuminibus eius vmbilicum sibi exulcerauit. ex eoque factum est, vt & venæ quædam abrumperentur, & permultus sanguis efflueret, ibique puer extremum spiritum effunderet. Id delphinus partim ex pondere sentiens: non enim iam vt consueuerat tam leuis & expeditus insidebat, nempe qui spiritibus sese non subleuaret: partim sanguine imbutum mare cernens, id quod res erat vt intellexit, amoribus suis superstes viuere noluit. Quamobrem multo robore, quemadmodum Rhodia nauis (*plenis velis propulsa,*) sic simul cum defuncto in litus se eiecit: amboque, hic iam mortuus, ille animi defectione expirans humi strati iacuerunt. Iasenses ciues vt illorum vehementem amorem cum honoris gloria compensarent, sepulchri monumentum commune amborum, & formosi pueri, & delphini amatoris, constituerunt: & statuam quæ forma eximia puerum in delphini dorso sedentem haberet, excitarunt: atque etiam numismata ex argento atque ære fecerunt, & eorum imaginibus signauerunt, Hactenus Aelianus. Ex Aeliano repetiuit etiam Io. Tzetzes Chiliade 3. cap. 117. Eandem historiam Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. refert. & post reliqua: Sed enim (inquit) oborta iam aliquando tempestate, nymboque & grandine validis incumbentibus, delapsus puer sub vndis extinctus est. delphinus re animaduersa & cadauer quocunque iactaretur secutus, in continentem impete se tandem vna eiecit, nec ante diuulsus est quam in sicco expirasset. Monumentum calamitatis eius Iasensium monetæ etiamnum insculptum, puer delphinum inequitans est. Duris author est à delphino in Iaso amatum puerum, ac per mare vectum, Dionysium (Massarius scribit Poterum) nomine, tempore Alexandri Magni, à quo etiam accersitus fuerit: de morte verò eius non meminit. Quòd ad Iasum vrbem multum variant scriptores, in quibusdam Plinii codicibus Ialysus legitur: sed legendum Iassus (inquit Hermolaus) cum ex vetustis codicibus, tum ex Oppiano Aelianoque, hoc ipsum de Iassio delphine paucis immutatis tradentibus. sed & Solino, qui tamen Babyloniæ putauit vrbem Iassũm, falsò. ipse Plinium & Strabonem secutus in Caria ea statuo, Hæc ille. Nostra Solini æditio Assum habet, duabus syllabis. Ad oram Cariæ est Iassus insula continenti adiacens, sterilis, sed piscosa, Strabo lib. 14. Sed Iasum per s. simplex authores Græci, in quos incidi, plerique habent: poeta fortè aliquis carminis gratia geminarit. Μεπτέμψατο τὸν ἐκ τῆς Ἰασοῦ παῖδα, Duris apud Athenæum. In nostris Aeliani codicibus Ἴασος proparoxytonum legitur: vnde ciues Iasenses, Ἰασεῖς, dicuntur, eidem & Plutarcho. Stephano grammatico regio Ἰασσὸς oxytonum cum s. duplici insula est Cariæ. Iasos verò proparoxytonum, s. simplici, ciuitas Peloponnesi. Ἴασον Ἄργος, id est Peloponnesus, dicta est ab Iaso rege, filio Phoronei & Ἰοῦς: meminit Eustathius ex Strabone, & inde Iasides denominari scribit. Iasensium reipublicæ mentio est apud Heraclidem.

†Hegesidemus.

L

Lesbii siue Methymnæi Arionis historiam recitauimus suprà. eam Oppianus quoque describit libro quinto Halieuticorum. Καὶ μὴν τις Λέσβοιο παλαίφατον ἔργον ἀοιδοῦ Ἔκλυεν, &c. deinde alias quoque historias addit, Libyci cuiusdam pueri, & alterius Aeolii delphinis amatorum. Ioannes Tzetzes Chiliade 3. cap. 117. memoria aut festinatione lapsus, Lesbium puerum ex Oppiano nominat, quem Aeolium dicere debuerat: de quo scribemus mox in P. litera. habitauit enim Pordoselenen.

In Libycum quendam puerum, qui pecora ad litus in Africa pascebat, delphini amores Oppianus eodem in loco his carminibus celebrauit:

Καί που τις Λίβυος κοῦρος πόθον οἶδεν ἀκούων,
Τὸν ποτε ποιμαίνοντος ἐράσσατο θερμὸν ἔρωτα
Δελφὶς, σὺν δ' ἤθυρε παρ' ἠϊόσι, καὶ κελαδεινῇ
Τερπόμενος σύριγγι, λιλαίετο πῶεσιν αὐτοῖς
Μίσγεσθαι, πόντον τε λιπεῖν, ξυλόχους τ' ἀφικέσθαι.

Delphinus qui puerum per Lucrinum lacum Puteolos in ludum ferre solebat, mox in P. memorabitur.

M.

Ino Athamantis mariti iracundiam fugiens, in mare seipsam, & puerum (filium Melicerten) de rupe Moluride abiecit. Melicertæ autem puero, quem delphinus in Corinthiorum Isthmum deportauit, quemque mutato nomine Palæmonem appellant, honores cum alii sunt oblati, tum Isthmia quoque in eius laudem quotannis celebrant, Pausanias in Atticis. Item in Corinthiacis, In Isthmo templũ (Neptuni est,) vbi & alia quędam simulacra spectantur: & puer Palæmon delphino insistit, qui ipsi quoque ex ebore autque auro sunt effícti. Et rursus, In via quæ recta ad Lechæum deducit, simulacrum Neptuni est & Leucotheæ, & super delphinum Palæmonis. Vide etiam superius in Byne, ex Varino, & inferius in iconibus.

N.

Naupacti idem accidit circa delphini in puerum amorem, quod in Iaso. Vide suprà in Iasensibus pueris. Sub Cæsaribus in Puteolano mari, & aliquot sæculis ante apud Naupactum, vt Theophrastus tradidit, amatores flagrantissimi delphinorum quidam cogniti compertique sunt, Gellius 7. 8.

P.

Palæmon delphino insistens. vide supra in Melicerte.

Tarentini Delphis consecrarunt quasdam de barbaris Peucetiis decimas. inter alia sunt etiam Calynthi opera, statuæ tum peditum, tum equitum. Rex item Iapygum Opis, qui sociis Peucetiis venerat suppetias, ita est effictus, ac si in acie cecidisset. Imminet Iacenti ei heros Taras, & Phalanthus (Φάλανθος, *vt Strabo & Eustathius scribunt: is Tarentum coloniam duxit*) Lacedæmonius, & non procul à Phalantho delphinus. Priusquam enim in Italiam appulit, facto in mari Crissæo (alias Crisæo) naufragio, in terram aiunt exportatum Phalanthum à delphino. Pausanias in Phocicis.

Leonides autem Byzantius in vrbe Pleroseleno nuncupata, se cum Aeolida nauigando præterueheretur, delphinum in illius portu vrbis habitantem, ciuibus huius tanquam hospitibus suis vtentem vidisse confirmat. Idemque affert hunc delphinum de manu aniculæ cuiuspiam, eiusque mariti educari solitum fuisse, plenosque inuitamentis cibos illi ab eisdem suppeditatos: neq; tamen, puer cum eis esset infans pariter alendus, illum alere destitisse, sed ambos educasse: ex quo conuictu delphinus puerque mutuum inter se amorem conciliarunt. Delphinus vrbem, quam dixi, veluti patriam suam flagranti studio amplexabatur, portumq; tanquam domum suam amanter incolebat: & suis nutritiis gratiam educationis sic persoluebat, vt cum ætate grandis factus esset, deque manu educantium cibum capere non haberet necesse, iam longius progrediens, ex prædis quas capiebat partim sibi ad prandium haberet, partim suis educatoribus adferret: quod illi cum scirent, hoc ceu vectigal libentissimè expectabant. nomen quoque similiter delphino vt puero imposuerant. Puer ex illa viuendi cum delphino consuetudine hanc collegerat fiduciam, vt ex crepidine, locisque è mari eminentibus illum auderet appellare, facileque ad se leni appellatione euocaret. Ac siue ille cum alicuius nauis remigatione contenderet, siue cum aliis gregatim errantibus luderet, & variis in quosuis assultibus gestiret, siue multa fame pressus venaretur, ad puerum tamen tanta celeritate redibat, vt vehementi impetu more nauis plenissimis velis impulsæ ferretur, atque ad suos amores appropinquans luderet, & adsiliret, nunc circum illum adnans, nunc illum ipsum velut prouocans, ad certamen secum amasium suum alliciebat. Et, quod magis mireris, vt honore ei cederet, seque vinci in gratiam ipsius simularet, submittere se illi natando aliquando visus est. Hæc suo tempore celebrata, inquit Leonides, tum peregrinis admirationi inter cætera vrbis spectacula, tum puero simul cum parentibus lucro fuisse, Aelianus de animalib. lib. 2. cap. 6. Eandem historiam describere videtur Oppianus Halieuticorum quinto, quæ suo seculo contigerit. Puerum enim insulæ Aeolidis, cuius nomen non dicit, fuisse ait, à pueritia cum delphino paruulo educatum, & mutuum inter eos amorem atque familiarem vna cum ætate increuisse: ita vt delphin per omnia se illi præberet, colluderet, vocanti ocyssimè adesset, ac dorso susceptum quoquo vellet gestaret: nec ipsum tantum, sed alium etiam quemcunque ab eo suscipi imperasset. Mortuo tandem adolescente, non amplius vsquam apparuisse delphinum, creditumque ipsum etiam illius quem tantopere adamasset fata secutum. Cæterùm apud Aelianum vitiatum esse insulæ nomen puto, nec Pleroselenos legendum, sed Poroselenos. Πορδοσελήνη (inquit Stephanus) insula est iuxta Lesbum, cum vrbe eiusdem nominis. ciuis Pordoselenites. aliqui vt ciuilius loquantur (vel vt prolationis asperitatem (δυσφημίαν) effugiant, Strabo lib. 13.) Poroselenen nominant. Delphinum in Poroselene (Ioniæ ciuitate) qui præmia puero ob salutem persoluit (nam à piscatoribus vulnerato ei sanitatem medicamentis restituerat) hunc inquam delphinum vidi, & puero accersenti obtemperare, & quoties vellet insidere, eũ auehere, Pausanias in Laconicis circa finem: vnde & Lonicerus in Varia historia transtulit lib. 1. c. 35. Delphinos Venereos & amasios esse (inquit Gellius lib. 7. c. 8.) non modo historiæ veteres, sed recentes quoque memoriæ declarant. Nam & sub Cæsaribus in Puteolano mari, vt Appion scriptum reliquit, & aliquot sæculis ante apud Naupactum, vt Theophrastus tradidit, amatores flagrantissimi delphinorũ quidam cogniti compertiq; sunt. Neq; ii amauerunt quod sunt ipsi genus: sed pueros forma liberali, in nauiculis fortè aut in vadis littorum conspectos, miris & humanis modis arserunt. (*deinde Appionis verba subiungit Græcè Latineq́; quæ Rondeletius ex eo repetiit, vbi aculeos in pinna dorsi delphinum habere negat. Et mox:*) Ad hæc adiicit (Appion) rem non minus mirandam. Postea, inquit, idem ille puer delphino amatus, morbo affectus obiit suum diem. at ille amans, vbi sæpe ad littus solitum annauit: & puer, qui in primo vado aduentum eius opperiri consueuerat, nusquam fuit, desiderio tabuit: exanimatusque est: & in littore iacens inuentus ab iis qui rem cognouerant, in sui pueri sepulchro humatus est, Hæc ille.

S.

De Delphino duce eorum, quibus SERAPIDIS & Dionysii reuehendi negotium datum fuerat à Ptolemæo Sotere, dicetur infra ex Plutarcho in Propriis.

T.

TARENTINI eadem de pueris delphinisque narrant, quæ Iasenses, Plinius. Iasensium puerorum historiæ expositæ sunt superius in I. De Tarentinis vide infra inter icones.

TEITÆ (*ciues Teo Ioniæ oppidi*) ex delphini amore erga eleganti forma puerum, quantopere amatorio affectu genus hoc animantis flagret, prædicant, Aelianus de animalib. 2.6.

Vlyssis parma quod insigne delphinum habuerit, Stesichorus docet: qua verò maximè de causa Zacynthii memorant, quemadmodum Critheus testatur. Puerulus adhuc TELEMACHVS cùm fortè in mare quod iuxta vorticosum erat, per lubrica decidisset, excipientibus delphinis ab imoque reuehentibus, euasit. hinc sculpturam annulo, & vmboni signum pater delphinum inscripsit, gratia sic animali relata, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c.

NEMEÆVM quêdam cum fluctibus exanimis iactaretur, delphini excepêre: mox alter alteri alacritate mira tradentes exposuere Rhium, vt iugulatum ostenderent, Plutarchus ibidem.

EPIGRAMMA Græcum in feram marinam, quæ hominis cadauer capillis aut ceruice apprehensum ad litus tulit, & nimium relicto mari in litore periit, recitaui in Cetis diuersis D. Brodæus de delphino interpretatur.

Ipsa delphini humanitas grata diis esse videtur. Solus enim delphinus hominem hoc quidem solum nomine diligit quia sit homo, cæterorum quæ per continentem degunt, vel nullum, vel quæ mansuetiora sunt tantum, canis, equus, elephas nutricatores modo & familiares colunt suos. Hirundines dum vmbra & opportunitate necessaria potiantur, commigrant cohabitantque nobis, per cætera hominem velut bestiam fugere & auersari solent. Delphinis autem longè quam cæteris secus, illa summis philosophorum tantopere desiderata, sordibus omnibus, omni fraude carens amicitia, solis cum homine natura intercedit. Nam qui haud vllius vlla in re mortalis opus habent opera, benigni omnibus, omnibus amici, etiam opem tulere multis, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c.

RELIQVA IN D.

De lasciuia & lusibus delphinorum & quomodo nauigiis alludant exultantes, & de collusore delphino in harenam extracto, scripsimus supra in C. Delphino lasciuior prouerbialiter dici potest, Erasmo Rot. teste.

Vndique dant saltus, multaque aspergine rorant: | *Emerguntque iterum, redeuntque sub æquora rursus:*
Inque chori ludunt speciem, lasciuaque iactant | *Corpora: & acceptum patulis mare naribus efflant,*

Ouidius de delphinis. Delphinorum similitudinem habent qui vocantur tursiones: distant verò tristitia aspectus. abest enim illa lasciuia, Plinius.

Delphini cantu mulcentur, Plinius. Extat Philippi cuiusdam carmen Græcum inter Epigrammata 1.40.d. luscinia, quæ boream fugiens quum per mare volaret, delphini dorso suscepta vectaque sit, & illum nantem carminibus suis delectarit, vt vel hoc historiæ Arionis fidem faciat. Quam vehementi Delphini musicæ amore teneantur, quamque admirabili ad vocis cantum studio concitentur, sermone & literis multorum longe lateque peruagatum est, Aelianus. Supra in Arionis historia leges delphinos esse φιλῳδοὺς καὶ φιλαύλους, hoc est cantu & tibiis præcipuè delectari. Cantu delphines moueri, testis locuples est Pindarus, Cælius. Ioannes Aelmerus Anglus, eximiæ eruditionis vir, narrauit mihi gregem delphinorum ad buccinam se erigentium, aliquando sibi visum in ora Angliæ.

Naufragum (hominem, vel aliter in mare delatum) si delphini carnes vnquam gustarit, à delphinis, si qui adfuerint, deuorari aiunt: sin minus, mortuum etiam ad littus euehi, Albertus. Persuasio quædam vulgaris est (inquit Bellonius) non inter Græcos solum, sed Italos quoque, præsertim Venetos nautas, si quisquam coorta tempestate in naui ipsorum inueniretur, qui aliquando occidisset delphinum, omnes circunquaque delphinos collectum iri, vt naui perniciem moliantur, in vltionem eius qui delphinum peremisset. Itaque religiosè eis lædendis, aut etiamsi alius interemerit in cibo sumendis, abstinent. Contrà verò, homines eorum generi innoxios ab ipsis amari putant, ideoque comitari eos naues, præsertim in periculis à tempestate, vt si opus esset, naufragos seruarent. Ab Italis delphinus non comeditur, nec eum piscatores venantur: in nostro autem mari Germaniæ adiacenti delphini capiuntur, & comeduntur, & ideo fugiunt homines, Albertus.

Delphinus frater hominis dicitur: quia moribus humanis quodammodo assimilatur, Obscurus. Delphini cum homines essent, à Dionysio in pisces mutati sunt, vt fabulatur Oppianus.

Ἀλλ᾽ ἄρα θυμὸς ἐν αὐτοῖς ἔτι ... ῥύεται ἀνδρομέην ἠμὲν φρένιν, ἠδὲ καὶ ἔργα.

Intellectus delphinorum. Nunc iam de intelligendi prudentia Delphini dicere, non alienum est. Simul enim vt in retia Delphinus incidit, statim primo quidem quietè & liberè manet, neque omnino fugere meminit: sed & epulatur, & alios secum captos depascitur: & tanquam huic condictum esset conuiuium ex iis exsaturatur. Deinde cū se extrahi atq; ad littus appropinquare intelligit, dentibus, lacerato reti, è seruitute liberatur. Iam si quando piscatores posteaquam captiui Delphini nares holoschœno iunco traiecerint: quodā obsequio atq; indulgētia eū ex potestate idcirco dimittant seruituteq; liberent, vt hac notionis nota inusta, si iterum capiatur, apertiora det indicia, se alias captum & seruatum fuisse: is velut indicium & notam pristinæ captiuitatis veritus, nō amplius ad sagenam appropinquat, Aelianus de animalib. 11.12. Et similiter Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Irretitus delphinus (inquit, &c. vt Aelianus.) vbi verò ad litus ventum est, eroso perruptoque reti auolat. quòd si fuga quidem euadere primum capto non datur, periculi tamen nihil est iunco quippe circa collum insuto signant, dimittuntque rursus: deprehensum postea verberibus, suturæ cicatricibus agnitum, castigant. quod quidem perraro accidit. nam venia data, vitaque semel restituta, plerique omnes in posterum cōtinent se, ac ab iniuria facessunt.

Præsagien-

tes mortem suam, in terram erumpunt, Oppianus. Eruptionis quidem eorum in terram causæ diuersæ esse ponuntur, vt in C. retuli.

Captiuorũ gemitus. A captis Delphinis (inquit Gillius) tanti fletus gemitusq; fiunt, vt cum in naui, vbi permulti Delphini tenebantur, pernoctarem, mihi acerbissimum dolorem inusserint: adeò eos animaduerti humano gemitu, & lamentatione, & magna lachrymarum vi suam conditionem deplorare, vt ego huiusmodi piscium misericordia lachrymas tenere non potuerim: vt proximum, quē magis gemere sentiebam, dormiente piscatore in mare abiecerim: malui enim lædere piscatorem, quam mihi ad pedes stratum, quasi supplicantem non subleuare: sed nihil promoui hoc abiecto, reliqui alii magis magisq; gemitum auxerunt: vt non obscuris signis mihi viderentur petere similem liberationem. Itaque totam noctem in acerbissimo luctu versatus sum.

Consensio & dissensio cum aliis animalibus. Delphinus pediculo pisci pabuli copiam suppeditat, Aristot. Vide in pediculo. Sunt & in piscium genere parasiti, vt pedunculus (φθείρ) appellatus, qui ex ijs quę delphinus ceperit (*superfluis nimirum & intercidentibus*) victitat. itaque ex eius prēda, tanquam ex locupleti mensa refertus pinguescit. Eo nimirum delphinus tantopere delectatur, vt cum ipso libenter quæ comprehenderit, communicet, Ælianus de anim. 9.7. Hirci marini in Cyrenaico & Sardoo mari cum delphinis oberrant, Volaterranus ex Æliano. Mansuetudine, amore, celeritate, forma atq; robore, non in hoc tantum cetaceo, sed in omni marino genere, reliqua facile superat delphinus, Vuottonus. Delphinus (inquit Gillius ex Oppiano) in omne propemodum piscium genus dominatur: neque modo robore præstat, sed & formæ pulchritudine & celeritate excellit: nam tanquam sagitta neruo expulsa, sic ad natandum velox est. Et similiter atque volucribus aquila, terrenis leo imperat, & serpentibus draco, in piscium natione hic dominatur. neque enim ad eum pisces appropinquare, neq; intueri audent: quod sanè eum regem suum timeant. Is cum cibum inquirit, multos piscium greges turbat. eorundemque longam & latam fugam facit, omnesq; maris meatus timore implet: nimirum optimum quenq; diripit & prædatur. In media natura quędam communitas retrusa leoni est, & affinitas cum delphino, (inquit Ælianus de anim. 5.17.) non ex ea parte solum ꝙ vterq; imperat, ille quidē terrenis bestijs, hic verò aquatilibus: sed etiam quod siue senectute, siue morbo infirmis ambobus simia medetur, illi terrestris, huic marina. Delphini τὸ ἡγεμονικὸν καὶ κρατιστεῦον τῶν ἄλλων, indicat poeta, hoc versu: Ὡς δ᾽ ὑπὸ δελφῖνος μεγακήτεος ἰχθύες ἄλλοι.

De amiarum siue troctarum pugna contra delphinos, ex Æliano & Oppiano leges supra in Amiæ historia. Pompilum hostili odio delphini persequuntur: neq; hoc ipsum tamen impunè faciunt. cū enim hunc gustauerunt, discruciantur & conuelluntur continuò: & quod furore inflammati consistere non queunt, idcirco in litora expelluntur, atq; fluctu eiecti, à cornicibus marinis gauijsque exeduntur & conficiuntur, Ælianus de anim. 15.23. & Athenæus libro 7. Pancratem authorem nominans. In mari circa Taprobanen permultas balænas delphinis insidiantes esse aiunt, Ælianus interprete Gillio. nostri codices Græci non delphinis, sed thunnis, habent: locus est libro 16. de anim. cap. 18. Apud Philen tamen legimus, delphinum & phalænam inimicos esse.

E. Captura delphinorum. Delphinum capere (vt canit Oppianus) nefas & impium est: & quisquis ceperit (sua sponte occiderit,) is vtpote impurus neq; ad deos accedere supplex, neq; aram attingere piè riteq; potest: & suos quoq; contubernales polluit. nec minus infestus est dijs, quàm homicida aliquis. sensus enim & ingenium hominis habent, quare etiam amore prosequuntur hominem. (hoc deinde historijs aliquot approbat, iam enumeratis in D.) Thraces tamen & qui circa Byzantium habitant, barbari & immanes, eos capere audent. Tridentem siue iaculum trisulcum parant, longissimo funi annexum, piscatores, & matrem alicubi cum geminis catulis oberrantem obseruant: eisq; adnauigant: delphini sine metu vllá vel suspicione loco manent, donec alter ex catulis iaculo feriatur. percussum piscatores non attrahunt, neq; enim possent: sed funem laxant, & remigando celeriter sequuntur, donec ille tandem viribus exhaustus in summam effertur aquam. illum vbiq; misera & mœsta sequitur mater, nec vsquam deserit: alterum interim adhuc incolumem, à se propellere, & vt fuga sibi consulat hortari videtur. Saucio verò adeò adhæret, vt nullo modo absterreri, ne ictibus quidem, aut diuelli ab eo queat: itaque simul cū filio capitur & occiditur, Hæc Oppianus. Eadem ex Æliano retuli supra in D. vbi de amore huius animantis in fœtum mentio est. Capiuntur attoniti sono, Plinius. Delphinorum captura talis est: Cum enim piscatores repentè alueis vniuersum circundederint gregem delphinorum, inde obstrepentes in mare, efficiunt vt territi erumpant vniuersi in littora, capianturq; tentato grauatoq; capite, præ strepitus inflicti nimietate. Aristoteles. Retibus comprehensi, breui tempore strangulantur, Idem. quando videlicet respirare eis integrum non est. Caput retibus facilè ferunt, (*dummodo respirare liceat,*) donec ad littus ventum sit. ibi enim reti mox lacerato euadunt, Philes. vide supra in D.

Ex delphinis fit delphinelæum, id est piscium colla, Kiranides interprete Gerardo Cremonensi. sed verisimile est cùm adipem ex delphinis liquatum seruari ad varios vsus, quemadmodum & ex alijs cetis: tum ex alijs eius partibus confici ichthyocollā rem ab oleo seu adipe diuersam. fit enim ea ex diuersis piscibus, vt in Antacęi historia supra docuimus. Psyllo animali si piscator vtitur ad inescando pisces, multis piscibus potietur. ligari autem debet in pelle delphini, Kiranides.

Cum thynni circumretiti tenentur, Neptuno piscatores vota faciunt, ne gladius piscis, nē ve delphinus in captiuorum numero sit. hic enim ad moliendas retibus insidias acerrimus, ijs perniciem affert, ac dentibus conficit. ille verò, si ætate sit confirmata, sæpe lacerato reti, thynnorum gregi irretito ad se exuendum ex laqueis facultatem dedit, Ælianus.

Tempestatis prognosticum. Delphini inflatus (*natatus potius*) versus arcton, boream flare facit: ad meridiem cōtra, austrum: similiter & in alios ventos operatur, Kiranides. Cum delphini in portū se conijciūt, tēpestatem significari putant, Incertus. Nō assentior illis, qui delphinos salientes tēpestatem præsagire scripserūt. Diligēter .n. pluries & diuersis in locis per mare obseruaui, delphinos non minus sequi ventum, quam contraire: nec minus turbato mari, q̄ trāquillo placidoq; apparere. subinde enim per æquoris summa se ostendūt respirationis causa, qua vt semper, ita & ante & post tempestates indigent, Bellonius. sed aliud est apparere, aliud ludere & lasciuire. Vide etiam Pierium Valerianum in Hieroglyphicis.

Ff Denu-

F De nutrimento ex cetis & cetaceis in genere, Galeni verba & Rondeletij, habes ſuperius in hiſtoria Delphini ex Rondeletio. Delphinus quam delicatus & precioſus exiſtimetur apud Gallos circa Oceanum, & quàm opiparè ſoleat apparari, & quę gentes eo veſcantur, quæ abſtineant, Bellonius prolixe ſcribit operis Gallici de piſcibus libro 1. capitibus quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octauo & nono. & rurſus de carne ipſorum libro 2. capite duodecimo & deinceps. In Britannia quidem hodie negligi, neque in cibo expeti niſi à pauperculis fortè, audio. Ab Italis delphinus non comeditur, nec eum piſcatores venantur. in noſtro autem mari Germanię adiacenti delphini capiuntur, & comeduntur, & ideo fugiunt homines, Albertus. Cauendum eſt ne piſces magni & duræ pellis, vt delphinus, ſturio & ſimiles comedantur recentes capti: ſed tandiu piſcis reſeruetur, & maxime euiſceratus, donec abſq; corruptione ſubſtantiæ tenereſcat, Arnoldus in libro de cōſeruatione ſanitatis. Sunt & viſcera quorundam, quia pinguia, grata: velut ſturionum, balænarum, delphinorum. nam non ſolum ſapore, ſed & odore quaſi violę commendantur, Cardanus.

G Echinus marinus combuſtus alopeciam ſanat cum adipe vrſino, vel delphini, aut porci, Kiranides. Dentes delphini à collo ſuſpenſi, emittentibus dentes (pueris dentientibus) proſunt. Venter autem eius ſiccus & tritus potus, ſpleneticos ſanat. Iecur aſſum in cibo tertianam & quartanam, & omnem typum nocturnum ſummè ſanat, Idem.

H.a. Nomina quędam apud Græcos dicatálecta ſunt, (vt veteres grammatici ſcribunt,) hoc eſt duplicis terminationis, vt in ἱ oxytona, θὶς, ἀκτὶν, δελφὶν, quæ per ἱς etiam proferuntur: verum terminatio in ἱν eis magis conuenit, quod vel obliqui caſus oſtendunt, in quibus ν ſeruetur. Sunt qui in his vocabulis ν in ς conuerti aiunt Dorum dialectio, qua λέγομεν etiam & ſimilia dicuntur, Euſtathius. In Oppiani libris δελφῖς aliquoties legere memini, δελφὶν nunquam: quo modo & Pindarus, & Pauſanias alijq; proferunt. apud Theocritum duntaxat δελφὶν reperio. Latinè quidem delphis in recto ſingulari vſitatum non eſt, ſed delphin, aut delphinus. Delphinum ſimiles, qui per maria humida nando, &c. Vergilius 5. Æneid. vbi Seruius, Delphinum (inquit) vel venit ab eo quod eſt delphin, delphinis: vel pro delphinorum, à delphinus, delphini. Delphina Ouidius dixit in accuſandi caſu ſingulari. Δελφὶν maſculino aut fœminino genere effertur, vt quidam in Lexicon retulit, authorem non citat. ego, quod meminerim maſculinum ſemper legi. vltima natura longa eſt. Δελφὶς ἠϊόνεσσιν ἐπεδήσατο, Oppianus. Δελφῖνάς τε, κύνας τε, Marinus ſic dictus eſt ἀπὸ τοῦ δέλφω, Varinus: quaſi verbum quoddam ſit δέλφω, quod equidem nuſquam legiſſe memini. ego delphinem potius dictum reor à nomine delphax, quod eſt porcellus. eſt enim porcus quidam marinus, & ſic à noſtris quoque nominatur, &c. Vide in A. Nec à nomine δελφὺς, quod vulua vel vterus eſt, appellatos abſurdum videatur: quod fœtum viuum hac parte contineant, vt quadrupedes viuiparæ, & reliqua etiam cete. Obſcurus quidam delphinum fratrem hominis dixit, propter ingenium & mores, tanquam inſinuans delphinum quaſi ἀδελφὸν vocitari. Delphinis roſtrum eſt ſimum. qua de cauſa nomen Simonis omnes miro modo agnoſcunt, maluntque ita appellari, (*quam delphini*,) Plinius. mihi eos hoc nomen agnoſcere videtur, non tanquam roſtri ſui figuræ conueniens: ſed quod & ſibilum propter ſ. literarum. & ſonum altiſſimum propter o. magnum exprimat: ita vt ſi quis magno clamore ſenſim id modulateq; proferat, & procul exaudiant delphini, & non ſine voluptate aliqua: ſibilo enim gaudere eos dixerim, ſicut & tibiarum aliorumq; inſtrumentorum ſono. Laſciuū Nerei ſimum pecus. Liuius Ægiſtho de delphinis. Delphiniſcum Ariſtoteles paruum vocat delphina, ſic Paniſcum & Satyriſcum dicimus, Cælius. Delphines, Aeolicè βελφῖνες, Heſychius. Delphini canes quidam marini ſunt, ſicut & canes caniculæq; piſces. nam & hi & illi ſic in mari venantur, vt canes quadrupedes in terra. Δελφῖνες ἀεὶ ἀγροὺς ἰχθυοφάγοι σκύλακες, Philippus in epigrammate. ---- ὁ δ' ἀρνευτῆρι ἐοικὼς Κάππεσ' ἀφ' ὑψηλοῦ δίφρου, Homerus Iliad. μ. Scholiaſtes ἀρνευτῆρι interpretatur vrinatorem, Κυβιστητῆρι ἐοικὼς, Ἤ τοι μὲν βαθὺ κῦμα διατρέχει, ἠὺτ λαῖλαψ, &c. Oppianus de delphino ab amijs infeſtato. Vide plura in Agno a. & in Vrinatrice aue. Σχέτλιος ἰχθῦς pro delphino, in gripho Simonidis apud Athenæum.

Epitheta. Epitheta delphini à Textore obſeruata hæc ſunt: Amaſius, Arionis, Cæruleus, Blandus, Curuus, Incuruiceruicus, Laſciuiens, Pandus, Repandiroſtrus, Vagus, Venereus, Viridis. Pandos quidem & curuos delphines Ouidius dixit. Laſciuum Nerei ſimum pecus, Liuius Ægiſtho de delphinis. Δελφῖνος μεγακήτεος, Homerus Iliad. φ. Ἀλιοι δελφῖνες, Theocritus. Πελάγιοι ἰχθυοφάγοι σκύλακες, Philippus in epigrammate. Φελξαύχενες, ὠκυδρόμοι σκύλακες, φιλόμουσοι δελφῖνες, in hymno Arionis. Item in Halieuticis Oppiani, Ἐναλίων ἡγητῆρ: Δελφῖσι βασιλεῦσι: Ἰχθυόεντων βασιλήων δελφίνων: Δελφίνων ἀγέλαι οὐλιδέες ἱμεροι ἅλμης: Ἱερὸν τέκνον (τροχιάς Varino eſt ἄγγελος ἀκόλουθος,) Ἐννοσιγαίου: Πρόπολοι Ζηνὸς ἁλιγδούποιο, Miniſtri Iouis mariſoni, id eſt Neptuni: & Δελφὶς ἠΰγένειος, non à barba iubáve, ſed à maxillarum & dentium vi.

Icones. Delphin inſigne Gallorum &c. Delphinum tanquam regem marinorum animalium, in ſuis inſignibus Gallorum reges habent, ita vt ſecundus ei poſt lilia locus attribuatur. quamobrem effigiem eius repræſentant in numis diuerſis ex auro, argento, ære, picturis inſignium, & vexillis. ſed ea falſa & monſtroſa eſt, ac minimè genuina, Bellonius: qui hac de re copioſius ſcribit libro 1. (quem Gallicè de delphino &c. edidit,) capitibus 28. & 29. Et eiuſdem libri capite 27. Athenæus author Gręcus (*inquit, ego nihil eiuſmodi apud Athenæum reperi*) & Valturnus in commentario de rebus Britonum, ſcribūt Cęſarem principi delphinatus regionis delphinum donaſſe, vt eo vteretur inſigni, quod ad debellandos Gallos ſuppetias ei tuliſſet, vnde in quanta exiſtimatione delphinus etiam olim fuerit conijcimus. Porro vt delphin regioni nomen fecit in Gallia, (Delphinatum vocant:) ſic filio regis primogenito. nam hunc etiam Galli delphinum cognominare ſolent, & delphino vtitur inſigni. In numis pleriſq; & marmoribus antiquis, vbi delphini effigies ſpectatur, curua apparet: non φ is verè curuus ſit, (vide ſuprà in B.) ſed quod delphinus cum in perpetuo ferè motu & agilitate ſit, ſiue per laſciuiam ludens & ſaliens, ſiue piſces inſequens venando, ſiue nauigia comitans, plerunque talis apparet, præſertim cum capite prominente (ſępius autem emergit & effert caput neceſſitate reſpirationis, aut etiam admiratione circumſpiciendi audiendive aliquid,) mox eo rurſus in gurgitē fertur pronus, vrinatori ſe demergenti ſimilis. vnde & κυβιστητῆρα eū Oppianus cognominat,

Delphini effigies curua cur fieri ſolita.

cognominat, & ἀρνευτῆρα apud Homerum alij vrinatorem, alij delphinum interpretantur. Partim igitur hanc delphini vrinantis agilitatem & geſtum, partim quia viuacior elegantiorque huiuſmodi eius forma, quàm ſimplex & recta, videbatur, curuum hoc animal pictores & ſtatuarij expreſſerunt: non temere aut libidine aliqua, vt Bellonius putat, neq; (vt idem) decepto eorum viſu ob motus celeritatem, ſicut rectum lignum ſi pręceps in obliquum trudas (curuum apparet.) non enim apparere tantum curuos, ſed reuera incuruare corpus eos dixerim, cum ſaltu alió ve impetu ſe vibrant. nam cum pinnas ad natandum binas tantùm habeant, vi & contentione corporis neruorum ac muſculorum ſeſe quam celerrimè promouent. Cum deorſum contendit delphinus, (inquit Rondeletius,) caudam ſurſum mouet, (*hoc niſi incuruato corpore non fit*:) contrà, quum in ſumma aquæ ſeſe effert. Cum fame concitati fugientem in vada ima perſecuti piſcem diutius ſpiritum continuere, vt arcu dimiſſi (*corpore nimirum ſimiliter incuruato, vt ita validius ſeſe eiaculentur*) ad reſpirandum emicant, &c. Plinius. Delphinorum effigies curuas Bellonius duas exhibuit, alteram è numiſmate ſumptam, quam nos quoq; poſuimus ſuprà cum ipſius deſcriptione: alteram è marmore antiquo, quam repetere nobis operæprecium nō eſt viſum.

Emblemata Alciati in eum qui truculentia ſuorum perierit:

Delphinem inuitum me in littora compulit æſtus, Exemplum inſido quanta pericla mari.
Nam ſi nec propriis Neptunus parcit alumnis, Quis tutos homines nauibus eſſe putet?

Eiuſdem aliud in auaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur:

Delphini inſidens vada cærula ſulcat Arion, Hocq; aures mulcet, frenat & ora ſono,
Quam ſit auari hominis, non tam mens dira ferarum eſt. Quiq; viris rapimur, piſcibus eripimur.

Hoc quidem Io. Oporinus noſter [redacted] typographus, ſuos quos ſubinde plurimos optimosque excudit libros, inſignire ſolet. In Tænaro Arionis ſtatua eſt, & ſimulacrum delphini, Higinus. *Pueri inſidentes delphinis in nummis ...*

Puerum delphino inuectum numis inſculpebat Aſis, Ἄσις, Pollux libro nono: ex quo Cælius etiam Aſis reddidit. ego pro Ἄσις mallem Ἴασος, vt de puero Iaſenſi intelligatur: Ælianus enim & Plutarchus ſcribunt, ſtatuam ab Iaſenſibus excitatam quæ forma eximia puerum in delphini dorſo ſedentem haberet: & numiſmata quoq; ex argento & ære, imaginibus eorum ſignaſſe. Scio Aſidem terram ab Ouidio libro 9. dici pro Aſia: ſed de hac Pollucis verba non accipio. vt neque de rege vllo huius nominis; ſicut nuper quidam putauit. Pierius Valerianus tamen, Apud Aſiaticos (inquit) puerum delphino inſidentem fuiſſe in nummis tradit Strabo. Ego Strabonis hęc verba hoc tempore non inuenio: interpres quidem multa ineptè tranſtulit, quare rem in medio relinquo. Non temere frenatus delphinus pictus (inquit Pierius Valerianus) incolumitatis indicium fuit: quod dubio procul ob multos ab vndis eius opera ſeruatos factum opinamur. In Neptuni ſiquidem templo, quod apud Iſthmon erat, viſebatur Palæmon puer ſuper delphine & auro et ebore confectus, quem Herodes Athenienſis dicauerat. Nam & Palæmoni nautę pro incolumi nauigatione vota faciunt. idem enim & Melicerta & Portunus eſt: cui, vt apud Virgilium habetur, Seruati votum ſoluunt in littore nautæ, vt Glauco & Panopeæ. Huius Melicertę corpus in Iſthmo à delphino expoſitum inuenit Siſyphus. Vide ſuprà quoq; in D. Taras Herculis (filius) delphino inuectus in numiſmate Tarentinorum fuit, teſte Ariſtotele, qui numiſma apud illos nummum appellari ſcribit, Pierius Valerianus. Alij Taram Neptuni filium faciunt, à quo Tarentū vrbs Italiæ ædificata ſit, quæ ſimiliter à Græcis Τάρας dicitur. Tarentini quondam (inquit Bellonius in libro Gallico) numis ſuis inſculpſerunt delphinum, ad memoriam Tarentis filij Neptuni, quem, (Neptunum) ab aliis dijs in delphinum conuerſum fuiſſe fingunt. quamobrem Tarentem delphino frænato inequitantem fecerunt. Tarentini eadem de pueris delphinisq; narrant, quę Iaſenſes, Plinius. Iidem Delphis Phalanthi Lacedæmonij ſtatuam dedicarunt, & non procul ab eo delphinum: illum enim facto in mari naufragio, à delphino exportatum aiunt, vt ſupra in D. retuli. Delphinos repræſentatos vidimus in numis diuerſis, Auguſti, Ruffi, Tiberij, Domitiani, & Vitellij: & pręterea in Græcis quibuſdam, (vt conijcio, inſcriptio enim nulla erat) qui multò melius expreſſi ſunt: qualē hic exhibemus vnū vtrinq; depictum: cuius margo rotundus erat, non anguloſus: & anſulę binæ, vna vtrinq;, Bellonius. *Taras...*

Duo delphini incurui, dorſo repando, ex antiquiſſimo numiſmate æreo.



Vidi etiam (inquit Bellonius) numos Claudij Cæſaris, in quibus exprimitur Neptunus cum tridēte inſidens piſci, delphino ſimili: mihi tamen orcam potius repræſentare voluiſſe Claudius videtur. is enim (teſte Plinio) in portu Oſtiæ orcam expugnauit, & ſpectandam populo Rom. exhibuit: cuius nimirum rei memoriam in numis ſuis relinquere voluit. Illud Varronis monumentis proditum eſt, inſtitutum fuiſſe veteribus, vt circa Liberum patrem delphini appingerentur, Cælius Rhod. Quod delphinum Baccho adpingunt (inquit Pierius Valerianus) non ſolum ad fabulam ſpectat, (*qua nimirum* *Bacch...*

 Tyrrhen

Tyrrheni nautæ à Baccho in delphines mutati finguntur. sed etiam ad historiam; quòd vinum marina aqua mixtum facilius conseruatur, vt Columella scribit se ab agricola patruo didicisse. & Dionysius hac de causa ad mare fugisse fingitur. quod apud Athenæum habemus. Circa forum Corinthi constructus est fons, & super eo Neptunus æreus, cuius sub pedibus delphinus aquam emittit, Pausanias in Corinthiacis. Phigalenses in antro quodam Cereris simulacrum consecrarunt, cætera mulieri persimile, præter caput, quod cum coma erat equinum, adnexis draconum & ferarum id genus item iconibus, delphin manu sustinebatur: columbę verò altera, Cælius Rhod. Pierius Valerianus Veneris potius hoc simulacrum fuisse conijcit: Delphinum enim (inquit) amoris simulacrum esse, tam ex historia, quam ex tot Veneris signis, quibus id genus piscis admouetur, alibi comprobauimus. Pictores Amorem, formosum adolescentem pingunt, sagittarium, igniferum, alatum: qui manu altera delphinum, altera herbam teneat: alis eum aeri dominari indicantes: herba, terræ: delphino, mari, &c. Io Tzetzes 5.11. in Varijs.

Neptunus. Ceres.

Cupido.

Emblema Alciati de potentia amoris:

Nudus Amor viden' vt ridet, placidumq; tuetur? *Nec faculas, nec quæ cornua flectat habet.*
Alt[e]r[a] sed manuum flores gerit, altera piscem, *Scilicet vt terræ iura det atque mari.*

Inuenio etiam ex delphini simulacro amorem in simpliciorem ætatem significari, quem puerilis ętatis amasium non vno exploratum est exemplo, vt non immeritò tot in nummis delphinum cernere sit ab alato Cupidine frænatum. Et Veneris statuas plerasque vidimus, quibus adsculptus est Cupido, qui vel delphino insideat, vel alio quoquo modo regat eum apprehensum, Pierius Valerianus. Ita verò delphinus (inquit idem) maris regem significat, vt pro aqua mariq; ipso passim in nummis excudatur. Prępuè autem Sunij Neptunus sub delphinis imaginę colebatur, Neptuno verò aquarum domino nullo non in signo eius adsculpebatur. (*Vide infrà in Delphino sidere.*) Pulcherrimus extat nummus, cuius inscriptio est, NERO CLAVDIVS CÆSAR AVG. GER. P. M. TRI. P. IMP. PP. vbi Neptunum ipsum videas in portu sedentem, id enim quietis indicium: dextera temonem terræ adprimentem, quod signum nauigationis est in portum fossilem: læua verò delphinum amplectentem, quod maris blanditias & tranquillitatem ostendit, &c. Atq; vt hinc hieroglyphicum quo de agitur interpretari aggrediamur, epigramma Gręcum extat, cur Cupidinis signum vna manu delphinum, altera flores contineat, in hunc modum interpretatione facta:

Neptunus iterum.

Οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχει δελφῖνα καὶ ἄνθος, Τῇ μὲν γὰρ γαῖαν τῇ δὲ θάλασσαν ἔχει.

Est & in nummo M. Agrippæ L. F. COS. III. Neptuno reduci signum s. c, cusum, in quo Neptunus læua tridenti altè innititur. dextra verò delphinum exporrigit. In Q. Nasidij nummo nauis est cum stella & velo pleno, ab altera parte caput, tridente ab occipitio posito: infra delphinus est: inscriptio, Neptuni. quod tutam Q. Nasidij nauigationem Neptuni beneficio peractam indicat. Hæc omnia Valerianus. In maxima dignatione operum è marmore Scopæ artificis, Cn. Domitij delubra, in Circo Flaminio (sunt,) Neptunus ipse, & Thetis, atque Achilles: Nereides supra delphinos & cete & hippocampos sedentes, Plinius.

Athenęus libro 10. inter cęteros griphos, hunc etiam Simonidis refert:

Μιξονόμου τε πατὴρ ἐρίφου, καὶ σχέτλιος ἰχθὺς Πλησίον ἠρείσαντο καρήατα. παῖδα δὲ νυκτὸς
Δεξάμενοι βλεφάροισι Διωνύσοιο ἄνακτος Βουφόνον οὐκ ἐθέλουσι τιθήνην εἶναι θεράποντα.

Hos versus aiunt in Chalcide veteri cuidam donario inscriptos fuisse in quo hirci & delphini effigies fuerint. Alij in epitonio psalterio hęc animalia expressa fuisse aiunt: & βουφόνον Bacchi ministrum, dithyrambum interpretantur. Alij aliter, &c. In Olympicorum carcerum embolo, id est rostro, delphis æreus in canone erectus visitur: & in medio ara, quę aquilam ex ęre alis longè extensis sustinet. Est autē machina huiusmodi, vt ea commota delphinus in terram cadat, aquila verò sursum prosiliat, Pausanias Eliacorum 2. Peruulgatum signum illud est, quòd maturè agendum significat, si delphinus anchorę vel alligetur, vel, vt veteres fecerunt, obuoluatur, vno contationem, altero celeritatem significante: quæ simul iuncta, inuicemq; temperata, maturitatem faciunt: & quod Horatius ait, & properare loco & cessare indicant. Sunt qui hieroglyphici huius inuentum Augusto tribuant, quòd & adagium & signū huiusmodi solitus sit identidem repetere. Habetur ea species, qua delphinus anchoræ se circumuoluit, in Titi Vespasiani nummis. Sed fortè non displiceat in huiusmodi significatum trahere, quod in nummo quodam æreo apud Massæos inspexi Romæ, bouem humana facie personatum, supra quem delphinus imminet. per hunc enim celeritatem, per bouem tarditatem intelligimus, quæ illius animalis propria est. Actionem verò ex humana facie colligimus: quod hominum proprium in primis sit res gerere, Pierius Valerianus in Delphino. Et rursus in Anchora: Animaduertendum (inquit) anchoram quę in nummo Titi habetur, extrema dentium in vomeris speciem dilatare: cuiusmodi figuram Aldus noster imitatus est in omnibus quos impressit libris. alia verò forma esse, dentibus quippe in acutum recto ductu mucronatis, quam in nummo veteri apud eruditissimum virum Romulum Amasæum vidimus. Hæc Valerianus, qui alterius etiam huius anchoræ figuram in Hieroglyphicis suis delineauit. Lege etiam superius de hoc signo in Rondeletij scriptis.

Delphinus cū anchora.

Emblema Alciati, cuius lemma est, Princeps subditorum incolumitatem procurans.

Titanij quoties conturbant æquora fratres, *Tum miseros nautas anchora iacta iuuat.*
Hanc pius erga homines delphin complectitur, imis *Tutius vt possit figier illa vadis.*
Quàm decet hæc memores gestare insignia reges, *Anchora quod nautis, se populo esse suo?*

Vlyssis insigne.

Vlysses in parma & annulo (& ense, Pierius Valerianus) insigne delphinum habuit, in memoriam Telemachi, quem puerum mari illapsum delphini seruarunt, vt in D. retuli supra ex Plutarcho. Lycophron Vlyssem vocat δελφινόσημον κλῶπα: vbi Scholiastes, Stesichorus (inquit) & similiter Euphorion, Vlyssem in clypeo delphini typum habuisse tradunt, Isacius Tzetzes & Varinus. Sed δελφινόσημον dictū Vlyssem à Lycophrone, etiam ea de causa existimes, quòd Philostratus eum sublimum fuisse dicit. delphini enim simo admodum rostro sunt. Hesiodus in scuto Herculis delphinos argenteos cælatos fuisse canit, qui pisces æneos persequerentur, his versibus: Πολλοὶ γε μὲν ἀμμέσον αὐτῆς Δελφῖνες τῇ καὶ τῇ ἐθύνεον ἰχθυάοντες, Νηχομένοις ἴκελοι. δοιοὶ δ' ἀναφυσιόωντες Ἀργύρεοι δελφῖνες ἐφοίτων ἔλλοπας ἰχθῦς: Τῶν ὕπο χάλκειοι τρέμον ἰχθύες.

In Herculis scuto.

Delphi-

Delphinum syluis appingit, fluctibus aprum, &c Vide infrà inter prouerbia.

Delphin inter sydera numeratur apud Proclum de sphęra. Nominatur & à Varrone libro 2. de re rust. Arati interpres delphinum Musicum ideo signum dici scribit, quia nouem sit stellis insignitus, qui est Musarum numerus: sed stellas tamen in eo decem recensent alij, Cęlius Rhod. Delphinus qua de causa sit inter astra collocatus, (inquit Higinus) Eratosthenes ita cum cæteris dicit: Neptunum quo tempore voluerit Amphitritem ducere vxorem, & illa cupiens conseruare virginitatem fugeret ad Atlanta, complures eam quæsitum dimisisse: in his & Delphina quendam nomine, qui peruagatus insulas, aliquando ad virginem peruenit, eiq; persuasit vt nuberet Neptuno, & ipse nuptias eorum administrauit: (*Vide hac de re etiam infra aliter ex Oppiano, in h. circa initium, vbi de delphinis sacris agitur*) pro quo facto inter sidera delphini effigiem collocauit. Et hoc amplius: qui Neptuno simulachra faciunt, delphinum aut in manu, aut sub pede eius constituere videmus, quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur. Aglaosthenes autem qui Naxica conscripsit, Tyrrhenos ait fuisse quosdam nauicularios, qui puerum etiam Liberum patrem receptum, vt Naxum cum suis comitibus transuectum, redderent nutricibus nymphis. Nauicularij spe prædæ inducti, nauem auertere voluerunt: quod Liber suspicatus, comites suos iubet symphoniam canere: quo sonitu inaudito Tyrrheni, cum vsqueadeò delectarētur, vt etiam in saltationibus essent occupati, cupiditate saltandi se in mare inscij proiecerunt, & ibi delphines sunt facti: quorum cogitationem cum Liber memoriæ hominum tradere voluisset, vnius effigiem inter sidera collocauit. Alij autem dicunt hunc esse delphina, qui Ariona citharœdum ex Siculo mari Tænarum transuexit. & reliqua. nos in Arionis recensenda historia satis prolixi fuimus in D. Idem Higinus capite 3. vbi ea quæ deinceps dicturus est proponit, paruum delphinem nominat. Et in cœlestium corporum efformatione: Delphin (inquit) non longè ab Aquilæ signo figuratus, in curuatione caudę nouissimæ tangit æquinoctialis circuli circumductionem, &c. Stellarum est omnino nouem. Aliqui dicunt lyram cœlestem fuisse sidus Arionis citharœdi omnium primi.

Delphin sydus.

Neptuni fabula.

Tyrrheni nautæ à Baccho in delphinos conuersi.

Delphinus Arionis.

Δελφὶς non modo masculinum est pro delphino, sed etiam fœmininum adiectiuum pro Δελφική, vt in versu: Δελφὶς γὰρ φάμα τοῦδ' ἐθέσπισεν, apud Suidam. Δελφίσι βάκχαις, in Delphide regione habitantibus, Varinus.

Delphis pro Delphica

Τοὺς δελφῖνας μετεωρίζε, καὶ τὴν ἄκατον παραβάλλε, Aristophanes in Equitibus, vbi Scholiastes: Delphis (inquit) est organum nauticum: quod in altum attollere iubet poeta: nam & delphinorum sublimes sunt saltus. Aliter, Delphis, ἐξάρτημα τῶν νεῶν, ἀγκύρωμα: hoc est, instrumentum quod à nauibus suspendebatur, anchora quædam. Vel instrumentum quoddam è ferro plumbóve delphini specie factum, quod ab antennis mali (ἀπὸ τῆς κεραίας) in pugna nauali solebant in hostium nauim, eius deprimendę causa, immittere. (*Huiusmodi massam è ferro aut plumbo Galli hodie Salmonem vocant, Bellonius.*) Insinuat hoc Pherecrates in Agris scribens: Ὁ δὲ δὴ δελφίς ἐστι μολιβδοῦς. δελφινοφόρος τε κέρδος διακόψει τοὔδαφος αὐτῶν ἐμπίπτων καὶ καταδύων. Et Thucydides dixit δελφινοφόρον τὴν ναῦν ἐξηρτῆσθαι (*vide an verbum* ἐξηρτῆσθαι *abundet*) τὴν ἐξηρτημένην ἔχουσαν δελφῖνα τὸ πλοῖον. Nam libro septimo verba eius hæc sunt: Ἐπεὶ τὰ αὐτοῖς αἱ κεραῖαι ἀπὸ τῶν ὁλκάδων δελφινοφόροι ἠρμέναι ἐκώλυον: Hæc ille, & similiter Suidas. De eodem Eustathius: Καὶ δελφῖνα δὲ ναύτην (fortè ναυτικὸν vel ναύτῃ) φασὶ, id est delphinum appellant (instrumentum) à malo suspensum, è ferro aut plumbo, vt cataractæ instar (hoc est è sublimi magno cum impetu) nauigijs piratarum illideretur, authore Pausania. qui & alibi sic scribit: Delphinum esse quod & κεικέτης nominetur, machinamentum ferreum, quod à naui suspendatur in tēpestate, vt contra ventos firmetur. Ex Eustathio Varinus quoq; repetijt. Delphines, moles vel pondera quædam, delphinorum forma, suspensa, vt in piratarum naues inijcerentur, Hesychius. Ἐπὶ δὲ τὸ ἔμβολον δελφὶς ἵσταται. ὅταν ἡ ναῦς δελφινοφόρος ᾖ, Pollux. id est, Super embolum stat delphis, quando nauis fuerit delphinophoros, interprete Cælio Rhod. Nostris temporibus (inquit idem Cælius) celocium artius (*fortè altius*) surrectum rostrum recuruum, vulgus nauticum delphina appellat. Delphis supra embolum, ęreum instrumentum est, quo naues hostium diripi possunt, Cælius Calcagninus. Oppianus Halieut. libro 3. de anthiarum captura canens, lupum piscem hamo transfigi ait, si viuus habeatur. sin minus, plumbum quod piscatores delphinum nominant, in os inseri, cuius pondere piscis commotus, capite modo nutet, modo sublimior sit, veluti viuus. Εἰ δὲ θάνῃ τάχα οἵ τις ἀπὸ στόμα θῆκε μόλιβδον, Δελφῖν' ὃν καλέουσιν: ὁ δὲ βεβριθότι μολίβδῳ Νεύει τ', ἀγκλίνει τε κάρη, ζώοντι ἐοικώς. Et rursus libro 4. similiter de scarorum captura scribit, optimum esse si scarus fœmina viua trahatur ad alliciendos alios: ---- ἢν δὲ θάνῃσι, Δελφῖνες μολίβοιο μετὰ στόμα δέξατο τέχνην. Nec multò post de merulis capiendis, piscator (inquit) hamo inserit Καρῖδα ζώουσαν. ἐπ' ἀγκίστροιο δ' ὕπερθε Βελθὺς ἀνήρτηται μολίβδου κύβος, &c. In organis chirurgicis quibusdam delphines dentibus (tympani, quod est rotunda machina dentata) inclusi, machinas motu prohibent, quod vnci quoq; efficiunt, Oribasius libro de machinis, cap. 4. Genus quoddam vasis Romani olim delphinum nominarunt, quo in conuiuijs vtebantur: cuius meminit Plinius vbi scribit de vasis antiquis (lib. 33. cap. 11.) his verbis: Delphinos quinis milibus sestertijs in libras emptos C. Gracchus habuit. Videntur autem huiusmodi vasa, quibus ministri regum & principum vtuntur, quę vulgo Naues appellant, &c. Bellonius in libro Gallico. Delphinida, poculorum mensam vocat in Lexiphane Lucianus his verbis: Ποτήρια δ' ἔκειτο παντοῖα ἐπὶ τῆς δελφινίδος τραπέζης. Id est, Pocula verò omnimoda iacebant in mensa delphinide. Hanc Porphyrio Latinè Delphicam vocauit, quum in sermonibus ait Horatius: Et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet. Iuuenalis item significauit: Et recubans sub eodem marmore Chiron, Cælius Rhod. Quidam in Lexico Græcolatino delphinidem mensam interpretatur quæ pedes habeat ad similitudinem delphinis.

Delphis instrumentum nauticum.

Delphin plumbū, cuius ad piscationem vsus est.

Delphin chirurgicus.

Delphinus uas.

Delphinis mēsa.

Δέλφακες sunt sues, & propriè quidem fœminæ, αἱ δελφῖνας (lego δελφύας) ἔχουσαι: id est, quæ vuluas habent. δελφὺς enim vulua, vterus, seu matrix est, vnde ἀδελφοὶ (id est, fratres vterini) dicti, Athenæus. Delphines nuncupatur ab Apollonio libro Argonauticôn secundo, draco ab Apolline confectus. cuius etiam versiculos apposui:

Delphax. Delphys. Delphines draco.

Ὥς ποτε πετραίῃ ὑπὸ δειράδι Παρνησσοῖο Δελφύνην τόξοισι πελώριον ἐξενάριξεν.

 Idipsum

Id ipſum verò interpres item comprobauit: additq; à quibuſdam maſculino genere pronunciari, ab alijs fœminino: quod (inquit) meliuseſt. Quod autem delphines vocaretur, qui Delphicum cuſtodiebat oraculum, Leandrus dixit & Callimachus, Cælius. Varinus etiam è Scholiaſte Apollonij repetijt: qui hoc addit, Callimachum tradere dracænam fuiſſe, hoc eſt draconem fœminam, & rectè fœm. g. efferri, Δελφίνης, παρὰ τὸ δελφυ, ἤγουν μήτρα, Idem. Ab hoc dracone occiſo Delphinium cognominatum Apollinem aiunt, de quo plura referemus mox inter propria. Apollonij verſus paulò antè recitatos à Cælio, Varinus Heliodoro adſcribit. Δελφύς, μήτρα: καὶ ὁ ἐν Δελφοῖς δράκων, Heſychius: ſed pro dracone Delphico δελφυνης ſcribendum fuerit. Dionyſius Afer fœm. gen. delphynen dixit per ypſilon in penultima: In Pythico campo (inquit) iuxta Cephiſſum fluuiū, δράκοντος Δελφύνης τελμίδεσσι θεοῦ παρακέκλιται ὁλκας, Ὁ λκὸς ἀπειρεσίοισιν ἐπὶ φελλοτῶν Φολίδεσσι, quem locum enarrans Euſtathius: Videtur (inquit) hoc in loco exuuium ſerpentis ſuſpenſum fuiſſe, & locus ipſe Pythòn ab eo denominatus. Vocat autē pellē ipſam ſynecdochicè ὁλκόν, totum pro parte, vt βοῦς pro corio: & ἐλέφας pro dente vel cornu elephantis dicitur. Cæterum pro maſculino ὁ δελφυνης, fœminino genere ἡ δελφύνη eum protuliſſe dicunt, more poetico ἐξ ἀρσενικοῦ τὸ θηλυκόν. Porrò locus Πυθὼν Græcè dictus eſt, quod draco in eo computruerit, à verbo πύθω, quod eſt putreſco: vel ab oraculis quę illic rogabantur & audiebantur: παρὰ τὸ πυθέσθαι, τὸ μαθεῖν (ἢ ἐρωτᾶν, Suidas,) Hęc ille. Delphi, Δελφοί, Apollinis templum ſic dictum eſt, ab eo quod delphinen

Triton. draconem ibi confecerit Apollo, Suidas in Πυθώ. Triton filius Neptuni & Amphitrites, à capite ad vmbilicum homo, inde delphinus: & tanquam ἰχθυοκένταυρος, Varinus.

Stirpes. Delphinicum. Delphides, vt quidam ſcribunt, fructus ſunt de genere carotarum. Δελφίνιος, herba quædam, Heſychius. Delphinium Dioſcorides libro 3. deſcribit, maius & minus. Surculos (inquit) emittit à radice vna ſeſquipedales, aut maiores, à quibus folia exeunt parua tenuia, diuiſa (φυλλάρια ἐσχισμένα, λεπτὰ: Marcellus vertit tenuia & candida, quaſi λεπτὰ καὶ λευκὰ legerit,) prælonga, quæ delphinorum effigiē repræſentant, vnde tractum nomen eſt. flos leucoio non diſſimilis, purpureus, (ὑπόπορφυρος.) Semen in ſiliquis, milio proximum: quo non aliud vtilius bibi poteſt à ſcorpione percuſſis. aiunt enim obiecta herba ſcorpiones reſolui, atque ignauos torpeſcere. ſemota verò ea, ſeſe colligere. Prouenit in aſperis & apricis. Alterum delphinium ſuperiori ſimile, ſed folijs & ramis longè gracilius eſt. Viribus eiſdem pollet, ſed non ita efficacibus, Hæc ille. Hoc de delphinio caput Matthiolo & Cordo adiectitium videtur: quod Galenus & Paulus nullum huius in cenſu ſimplicium mentionē faciant, quos tamen Dioſcoridem imitatos conſtat. Adde quòd id antiqua exemplaria non habent: nec vllam Dioſcoridi fuiſſe cauſam, cur ſiliquiferam vmbelliferis herbis immiſceret, inſtituto ſuo compugnans, Anonymus qui ſcholia condidit in Dioſcoridis libros Lugduni excuſos apud Baltaſarem Arnolletum anno Domini M. D. L. Marcellus Vergilius quoq; nihil de hac planta Plinium & Æginetā agere miratur. Dubitamus (inquit) ob eam cauſam, latere in antiqua etiam medicina delphinium hoc ſub appellatione aliqua alia, auxitq; ſuſpicionem noſtram, quod is quem vetuſtiſſimum habemus Longobardis literis ſcriptum Latinum Dioſcoridem, nullum hoc loco delphinium oſtendit. Ego an delphinij deſcriptio Dioſcoridis ſit, & an ſuo loco repoſita, iam non controuerſor: & ſi cui ita videatur, donabo neque à Dioſcoride deſcriptam eſſe, neque hunc locum inter vmbelliferas eius deſcriptioni conuenire. Hoc potius nobis quærendum quę nam herba ſit delphinium, quę nam eius loco vſurpari poſſint, & quo cæteri veteres medici nomine eam appellarint. quibus de rebus quoniā non pauca ſcripſi libro primo huius hiſtorię. in Philologia de Lupo, pag. 745. non eſt quod ijſdem hic repetendis negotium lectori faceſſam. Sed quæ illic omiſſa

Lychnis. ſunt, hic addamus. Lychnis à Dioſcoride deſcripta, & alijs antiquis medicis plerſq; memorata, ſi non eadem delphinio eſt, proximè omnium ſaltem & deſcriptione & viribus accedit. Nam & leucoio ſimilis in ea flos eſt, & is purpureus: quorum vtrunq; delphinio quoq; tribuitur. Semen (aut flos) contra ſcorpionum ictus bibitur. ferunt etiam admota ſcorpijs herba hac (lychnide ſylueſtri) torpidos & inefficaces eos ad nocendum fieri. Horum etiam vtrunq; de delphinio Dioſcor. tradit, nec plura de eius virib⁹: vt neq; de lychnide, niſi ꝙ ſemē eius potū bilē per inferna exigat. Sed delphinium aſperis apricisque locis ꝓuenit Dioſcoridi: lychnis in humentibus, vt Marcellus Virgilius ſcribit. atqui Marcellus authorē non adfert: quemadmodum neq; quod lychnidis flos noctu fulgere credatur, quod vt ſcriberet ſola puto etymologia commotus eſt. Sed vt aliquis conuincat delphinium & lychnin diuerſas eſſe plantas, nos magnam earum & formæ & virium cognationem eſſe oſtendimus. Theophraſtus (ex quo Gaza lucernulam tranſtulit) & Plinius eum ſecutus, lychnidem primum inter ęſtiuos flores numerant. Folijs quidē quo pacto delphinum imitetur lychnis, nemo ſatis expoſuit. mihi animus inclinat, hanc ſimilitudinem in eo eſſe, non modo quod oblonga ſint, & ampliora initio paulatim attenuentur, (hoc enim cū multis commune habent,) ſed quod inſuper in alteram partem, id eſt alterum marginem nonnihil incuruētur, vt vrinantes & ludentes delphini aſſolent. Marcellus Vergilius ſenam hodie dictam delphiniū eſſe putabat: & alij quidam conſolidam regalem vt vulgò nominant. ſed vtroſque procul aberrare, ipſa delphinij deſcriptione mediocriter conſiderata, manifeſtum eſt. Ruellius herbam in aquoſis naſcentem, quam aliqui filium ante patrem vocant, (quòd ſiliquam (inquit) & intus ſemen ante floris exitum oſtendat, rectius ſi partus ante conceptum ab eis appellaretur. Iam audio aptius ab teretis ſiliquulæ per extremum in expanſum florem exeunte figura, buccinarum quadā ſimilitudine dici) delphiniū eſſe putat. Eius ſententiæ accedit Amatus Luſitanus: & herbam à Ruellio demonſtratam in Hiſpania etiam creſcere ſcribit. quod facile credo, cū & apud nos, & in omnibus quas vidi regionibus reperiatur abunde circa ripas riuorum, fluuiorum, & alijs humentib. locis. quanquam Ruellius in aſperis & locis toti⁹ diei ſolem accipientibus emicarē referat: ſed hæc etiam humida ſimul eſſe nil ꝓhibet. Ego in parietib. etiam reperi, & vmbroſis nō raró. omnino vbi naſcitur, aqua vel eſt, vel nuper fuit. In Italia quidā aliud delphinium oſtendunt: verum nullus adhuc Matthioli ſententia legitimum oſtendit. Idem demonſtratum à Ruellio delphinium, nunquam verum ac legitimum ſibi viſum ait. Ego neq; lychnidem verā hactenus quenquā protuliſſe puto. Et miror in Italia vbi frequentes ſunt ſcorpiones has herbas ignorari. Lunaria Græca, quam in libello de Lunarijs exhibui, ſi lychnis non eſt, ei tamen affinis tum natura tum viribus

viribus videri poterit, & forſitan thlaſpi maius appellari: nam & folia magna habet, & ſiliquas πεπλατυσμένας, id eſt in latitudinem compreſſas: & vires thlaſpeos aut naſturtij, hoc eſt inſignem acrimoniam, quæ bilem per aluum exigere poteſt, ſeminum vna aut altera drachma in potu ſumpta de quocunque iſtorum trium. Scorpijs autem aduerſatur nimirum non alia vi, quàm naſturtium, raphanus, eruca, & calaminthe, vt tradiderunt authores. In Græco libello de medicinis ſubſtitutis, (qui & cum Galeni, & cum Pauli Aegin. operibus habetur,) legimus pro acanthij ſemine lychnidem poſſe ſubſtitui: ſed meliùs Martianus Rota ex emendatiore codice, pro lyſimachio ſpinæ Aegyptiæ ſemen ad ſupprimendum ſanguinem in vſum recipiendum tranſtulit. Delphinij certè vim magnam eſſe ex hoc etiam cōſtat, quòd in Conſtantini Geoponicis legimus: ſi delphinium herba maſcula trita & cribrata in aquam inijciatur, adeò piſces conuocari vt poſſint manibus comprehendi. Lunarię Gręcę cognatam iudico herbam, quàm aliqui hodie oſyrin eſſe putant: Caulis eſt ſingularis, (vt pictura, quàm à Io. Kentmano accepi, oſtendit, ipſam enim nondum vidi,) cubitalis, vt conijcio: in quo folia circiter ſeptem ſingulatim digeruntur, ſimplicia, ſeſquidigitum lata in medio, vnde finem verſus mucronantur, palmum ferè longa, in alterum latus recurua, delphinorum quadam ſpecie, idque natura, vt audio: ne quis picturam in hoc fallere arbitretur. ſuperiora duo parua & marginibus inciſa ſunt. Superiùs ſiliquæ aliquot, ſicut in leucoijs, ſunt, ſurſum conuerſæ: in ſummo caule corymbi florum, qui ex albo purpuraſcunt, folijs quaternis, leucoij floribus ſimiles, vel potiùs lunariæ Græcæ. Herbam ouorum (*Eierkraut*) appellari vulgò in Saxonia & alibi, ab eo quòd folia diſſecta ouis frixis aſpergantur, ſaporis gratia, acrimoniam enim habent, à Bellonio cognoui: & eam ob cauſam in hortis coli. Hanc neminem hactenus vel deſcripſiſſe vel exhibuiſſe pictam miror. Foliorum magnitudo fortè remorabitur aſſenſionem, quo minùs credatur delphinium. ſed ſi conueniant reliqua, hanc ſolam impedire æquum non eſt: cum generis vnius vbique ſpecies reperiantur multæ.

Nomina propria. Apollo Delphinius, & forū Delphinium. Dictynnæ Dianæ & Delphinij Apollinis (inquit Plutarchus in libro Vtra animalium, &c.) aræ templaque per Græciam multa paſſim ſunt. Enimuero quem locum ipſe ſibi deus peculiarem elegit, eum Cretenſium poſteri delphino duce tenuerunt. Neque enim quod fabulantur quidam, ſumpta delphini ſpecie deus ipſe, ſed ab illo delphinus miſſus perque mare curſum dirigens, claſſem perduxit Cirrham. Iis etiam quibus à Ptolemæo Sotere Sinopi relictis, Serapidis & Dionyſij reuehendi negotium datum fuerat, ventorum vi præter animi ſententiam, ſupra Maleam abreptis, & iam à dextera Peloponneſum habentibus, ac ob id perturbatis triſtibusque, delphinum ante proram cōſpectum narrant, veluti vocantem, ac ducem ſe in ſtationem quandam leni curſu præbentem: illos verò de via iam nihil ſolicitos tantiſper prænatantem viamque monſtrantem ſecutos, dum conſtituerentur Cirrhæ. ibi factis prorediti ſacris, intellexiſſe è duobus ſimulacris alterum, Plutonis quod erat, tolli auferrique: alterum Proſerpinæ, effictum expreſſumque, relinqui oportere. Eſt autem veriſimile, etiam quia muſicen delphinus amat, charum eſſe deo. Qua quidem in re huic ſe Pindarus conferens, non delphinum, inquit, abditum elici:

Quem placido ponti de pelago, Exciuit amabile tibiæ melos, Hucuſque Plutarchus.

Delphinium Athenis locus erat in quo ius dicebatur. huius appellatio (inquit Cælius) inde videtur fluxiſſe, quia Apollo ibi coleretur Delphinius: cuius & Plutarchus meminit, Marathonium taurū illi à Theſeo immolatum prodens, qui Tetrapolim infeſtaret. Sic verò Apollo dicitur, quoniam Caſtalio Cretenſi coloniam deducenti ſe obtulit ducem, (*meminit etiam Stephanus in Δελφοί*) delphini pręferens imaginē, qui & nauem præceſſerit vſque ad Criſſęum Phocidis ſinum: vnde & Delphi quoq; dicti, qui locum tenuêre ab illo munitum: vel quòd draconem delphina (*delphinen*, τὸν δράκοντα δελφίνην: *vide ſuprà in H. ex Suid.*) peremerit in Pythone. Colebatur Delphinia itē Diana, vt in theſauris Iulij Pollucis obſeruauimus. Fuit & apud Aeginetas Delphinius menſis Apolli ſacer Delphinio, Hæc Cælius. Non Neptuno & Baccho ſolùm, (inquit Pierius Valerianus) verùm etiam Apollini delphines dedicantur: multasque eius aras apud Gręcos delphinis inſculptas fuiſſe Plutarchus atteſtatur. Adhęc nonnulli adduntur, Apollinem delphini ſpecie adnaſſe ad Delphos, apud quos præcipuè colitur. Sed Creticum hoc commentum aiunt: illi enim Apollinem omnis ſalutis authorem celebrabant, & ab vnoquoq; malo liberationem Apollini ferebant acceptam. nam & quòd fabulę fabulantur homines in delphinos tranſmutatos, ea de cauſa confictum aiunt, quòd delphinis ducib. nautæ ſeruati fuerint. Templi Apollinis Delphinij Athenis Pauſanias quoque in Atticis meminit.

Delphinia, Diana. Delphinus menſis. Delphinia feſtum. Delphinia quoniam in Aegina feſtum & certamen penthalum in Apollinis honorem celebrari ſolita fuiſſe, author eſt Pindari Scholiaſtes in Pythijs Carmine 8. Et rurſus in Nemeis Carmine 5. Delphinius menſis (inquit) apud Aeginetas dictus fuit, Delphinio Apollini ſacer, in quo ſacrificant Apollini οἰκιστῇ καὶ δωματίτῃ, vel in quo Apollinis certamen Hydrophoria dictum peragebatur. Δελφινίου παρ' ἄντρα κερδῴου θεοῦ, Lycophron: cuius ſcholiaſtes Iſacius Tzetzes Apollinem Delphicum interpretatur, & ea affert quæ nos iam ſuperiùs Cælij Rhodigini verbis retulimus. Et inſuper: Aliqui vero dicunt Apollinem ſub forma delphini ingreſſum eſſe in nauim (Caſtalij è Creta ducentis coloniam,) & hoc in loco, vbi Delphi ab eo vocati ſunt, & Delphinius Apollo, σωθῆναι εἰς τὴν θάλασσαν: ſed magis placet vt Etymologus & Varinus habent, πηδῆσαι τὴν θάλασσαν, hoc eſt in marę exilijſſe. Itaque Caſtalius illic occupata regione & Delphos à delphino nominauit, & Delphinij Apollinis templum extruxit.

Delphinium forum iudiciale. Delphinium Athenis (inquit Pollux libro 8.) dicaſterium erat, id eſt ſtatio iuri dicendo, ab Aegeo conſtructum. iudicium in eo primum Theſei factum eſt, dum interfectos quidem à ſe latrones fateretur, ſed iure diceret interfectos, Cælius. Pollux forum hoc iudiciale vocat δικαστήριον τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ: (hoc eſt ad Apollinis Delphinij templum:) ſicut & alia quædam Athenis ſimiliter præpoſitione ἐπὶ adiecta nominabantur, vt τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, (Aelianus in Varijs habet ἐν Παλλαδίῳ) τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ, τὸ ἐπὶ Λύκῳ. Pauſanias in Atticis, Ad Delphinium (inquit, ἐπὶ Δελφινίῳ) iudicium de his exercebatur, qui iuſtam ſe cędis cauſſam habuiſſe contendebant: quo iudicio & Theſeum abſolutum perhibent, cum Pallantem qui ſeditionem mouerat, eiuſque filios occidiſſet. Priuſquam verò Theſeus abſolutus eſt, occiſorem ſemper fugere: aut ſi maneret, eadem morte perire neceſſe erat. Apud Suidam quoque & Varinum Ἐπὶ Δελφινίῳ hic locus dicitur, item apud Aelianum in

num in Varijs. 5. 15. & mihi semper ita nominandus videtur, non autem Delphinium vt Cælius habet. non refert autem ad Appollinem Delphinium interpretemur, (deorum enim nomina non rarò pro templis ipsorum ponuntur:) an ad Delphinium templum. Delphinium (inquit Scholiastes Aristophanis) templum est Apollinis Athenis, ἐνταῦθα τὸ ἐν (meliùs ἐπὶ) Δελφινίῳ δικαστήριον. Eustathius tamen Iliad. φ. locum hunc vtroque modo nominari scribit, tum Δελφίνιον, tum ἐπὶ Δελφινίῳ, sed authorem non adfert. Delphinium regio (χωρίον, Stephano φρούριον) est in Chio, Scholiastes Aristophanis. Delphûsa, fons Delphis in Phocide, Stephanus. Delphusia, vrbs Arcadię, Idem. Euboici litoris principium est Oropus, portusque sacer quem Delphinium vocant, ad quem antiqua iacet Eretria, Strabo libro 9. Delphis paroxytonum, nomen viri apud Theocritum Idyllio 2. Delphinatus hodie pars Galliæ vocatur vt dictũ est suprà inter icones. Delphinos hodie quidam canes suos appellant: non ineptè. nam & animantes alias venantur in terra, & hominem amant, vt delphini in mari.

b. Γένεια γλαυκά, λοφιὴν αὐχένα, & alias in delphini corpore partes nominat Oppianus 2. Halieut. Et acceptum patulis mare naribus efflant: Ouidius. nares pro fistula dixit. hac enim efflant mare.

c. Texuntque fugas & prælia ludo, Delphinum similes, qui per maria humida nando, Carpathium Libycumque secant: luduntque per vndas, Vergilius 5. Aeneidos. Αἵ τε καμπύλαι Καρίδες ἐξήλλοντο δελφίνων δίκην, Ἀραρὼς author apud Athenæum. Ὑφ᾽ ἅρμασιν ἵπποις, ἐν δ᾽ αὐρᾶ βοῶν: παρὰ ναῦν δ᾽ ἰθύνει τάχιστα δελφίς, Pindarus. Vide inferiùs inter prouerbia. Equis Iberis velocissimis (inquit Oppianus) sola fortè aquila contenderit in aëre volans, aut circus, aut in aquis natans delphinus, Ἡ δελφὶς πολιοῖσιν ἁλιθαλάσσων ῥοθίοισιν. Et alibi, Δελφὶς δ᾽ ἀνὰ βένθεα ... Κραιπνὰ θέων ἀκάτοιο φίλης ἄγχιστα ἱκάνεν. Ἐξέπτυσθε Σκύμνος ἀεξηθείς, Oppianus de delphino. Delphinus fœmina πάνυ ἀφθόνῳ καὶ πολλῷ τῷ γάλακτι θηλάζει τὸ βρέφος, Aelianus. Echneidem quæ limacis rubri testa carentis effigiem refert, vulgus Græcum partum delphini vocat, Bellonius.

d. Ὡς δ᾽ ὁπόταν δελφῖνες ὑπ᾽ ἐξ ἁλὸς εὐδιόωντες / Σπερχομένην ἀγεληδὸν ἑλίσσωνται περὶ νῆα, / Ἄλλοτε μὲν προπάροιθεν ὁρώμενοι, ἄλλοτ᾽ ὄπισθεν, / Ἄλλοτε παρβολάδην: ναύτησι δὲ χάρμα τέτυκται: / Ὣς αἳ ὑπεκπροθέουσαι ἐπήτριμοι εἱλίσσοντο, Apollonius in Argonauticis libro 4. de Nereidibus circa nauim se ostendentibus loquens. De lusu delphinorum lege etiam paulò antè in c.

Ὡς δ᾽ ὑπὸ δελφῖνος μεγακήτεος ἰχθύες ἄλλοι / Φεύγοντες, πιμπλᾶσι μυχοὺς λιμένος εὐόρμου / Δειδιότες, μάλα γάρ τε κατεσθίει ὅν κε λάβῃσιν: / Ὣς Τρῶες, &c. Homerus Iliad. φ. de Achille Troianos fugientes in fluuio occidente. ipse quidem fluuium ingressus meritò delphino confertur. Οὐ τόσον εἰναλίαισιν ἐπ᾽ ἀϊόσι μύρατο δελφίς, Οὐδὲ τόσον ... χελιδών, Theocritus Idyll. 19. in epitaphio Bionis. Bianoris in delphinum Arionis epigramma legitur Anthologij Græci lib. 1. sectione 40. item Philippi in lusciniam delphino insidentem natanti per mare. Cephi aues in mari thunnos maximè comitantur, &c. sequuntur etiam delphinos, & piscium ab illis occisorum sanguine pascuntur, Oppianus.

e. In canem caprophónon extinctum in mari, cum visis delphinis, feras esse ratus, insilijsset, Philippi epigramma legitur in Anthologio lib. 1. sectione 33. Aduertendum quod qui ἀῤῥητογράφα litteris mandarunt, haud omisere: Si quis ex delphine vtrem sibi quæsierit, secumque habeat, flaturum quem is optârit ventum, Cælius Rhod. ex scholijs Isacij Tzetzis in Lycophronem: cuius hæc verba sunt, Ὡς ἐάν τις δελφῖνος (fortè δελφῖνα vel ἐκ δελφῖνος) ... &c.

h. Delphinos sacros esse pisces Epimenides tradit, Massarius. Nos sacros olim eos fuisse habitos, & quantum nefas existimatum sit eos occidisse, ex Oppiano suprà diximus in E. circa principium: & plura de piscibus sacris in Anthia. Ὦ δελφίνων μεδέων Σουνιάρατε, Aristoph. in Equitibus. videtur autem Neptunum Suniaratum dicere, à Sunio Atticę promontorio, vbi ἀραῖς & precibus inuocabatur. Oppianus Ζηνὸς ἁλιγδούποιο περιπόλους, hoc est Iouis Marini (Neptuni) ministros nominans, delphinos intelligit. Et alibi delphinos, inquit, vbique in mari spectari. charos enim esse Neptuno: eò quòd Amphitriten aliquando connubium eius fugientem, & in ædibus Oceani latitantem ipsi prodiderint: vbi rapta ab eo Amphitrite coniunx eius & maris regina sit facta, & eam ob causam summus in aquatilium genere honor delphinis decretus. Vide etiam suprà in Delphino sydere, ex Higino. & paulò antè inter icones, quibusnam dijs consecrati quondam fuerint delphini. Neptuni & delphinorum colloquium, inter Luciani dialogos marinos extat. Nonius Marcellus Menandri quosdam versus recitat, quos etsi corruptos in codicibus nostris, vt reperi, adscribam: Vehutos hippocampus in eternę vsus scire nocitur delphino cinctis vehiculis. Plinius quidem Scopam artificem tradit Nereides supra delphinos & cete & hippocampos sedentes fecisse.

Delphini sacri

Delphinus qui Puteolis puerum amauit, eoque mortuo eius desiderio expirauit, inuentus in litore in eiusdem pueri sepulchro humatus est, vt retuli in D. Delphinos morituros in litus erumpere aiunt, tanquam sepulturæ desiderio. vide suprà in c.

Sepulti.

Authoris incerti epigramma, quod habetur Anthologij libro 3. sectione 17. in delphinum in litore sepultum, & rursus marinis ædibus erutum, perelegans est huiusmodi.

Κύματα καὶ τρηχύς με κλύδων ἐπὶ χέρσον ἔσυραν / Δελφῖνα, ξείνοις κοινὸν ὅραμα τύχης. / Ἀλλ᾽ ἐπὶ μὲν γαίης, ἐλέῳ τόπος. οἱ γὰρ ἰδόντες / Εὐθύ με πρὸς τύμβον ἐστέφον εὐσεβέες. / Νῦν δ᾽ ἡ τεκοῦσα θάλασσα, διώλεσε. τίς παρὰ πόντῳ / Πίστις, ὅς οὐδ᾽ ἰδίης φείσατο συντροφίης;

Metamorphoses. Tyrrheni nautæ à Bacho in delphinos conuersi sunt, (ex hominibus mutati sensus adhuc humanos retinent, Oppianus:) vide suprà in Delphino sydere. Et te (Neptunũ) flaua comas frugũ mitissima mater, Sensit equum. te sensit equũ crinita colubris Mater equi volucris: sensit delphina Melantho, Ouid.

Prouerbia. Prouerbium Delphinus in terra, vel Delphini in terra vis: explicatum est suprà in c. ad finem. Delphinum cauda ligas, vel alligas, in eos q. quippiam incassum conantur. vel qui ea via quempiam aggrediuntur, qua nequaquam possit superari, Erasmus Rot. Δελφῖνα πρὸς τὸ οὐραῖον δεῖς, ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων, διὰ τὸ δυσκίνητον καὶ ὀλισθηρόν, Suidas. Delphinum natare doces, in eos qui monere quempiam conantur in ea re, in qua cùm sit ipse exercitatissimus, nihil eget doctore, Erasmus. Δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκεις, ἐπὶ τῶν ἐν ἐκείνοις τινὰς παιδοτριβούντων, ἐν οἷς ἤσκηνται, Suidas. Delphino & boui nihil esse commune Aelianus ceu prouerbio dixit de animalibus 14. 25. item Suidas ex innominato, Τί γὰρ δὴ δελφῖνι καὶ βοΐ φασι κοινὸν εἶναι.

ξύλα τε καὶ φιλοσόφοις; Lecane peluim indicat, vnde illud parœmiodes in Lucullo apud Plutarchum. Λεκάνη δελφῖνα οὐ χωρεῖ, Delphina peluis non capit. vtimur innuentes re pretiosa quem videri indignum: sicuti apud Seleuciam superbè pronunciauit rhetor Amphicrates, quum amplius rogaretur, artis suæ documenta inibi promeret, Cælius Rhod. Ὑφ᾽ ἅρμασιν ἵπποις, ἐν δ᾽ αὐρᾶ βοῶν, παρὰ ναῦν δ᾽ ἰθύνει τάχιστα δελφίς, Pindarus. Delphinum syluis appingit, fluctibus aprum, Qui variare cupit rem prodigialiter vnam, Horatius De arte, indocti poetæ (inquit Erasmus Rot.) stultitiam taxans, qui multa non suo loco neque tempestiuiter describit, perinde quasi pictor delphinum piscem, iuxta Callimachi dictum, in nemoribus pingeret, rursus aprum in vndis. Confine est illi in lenticula vnguentum. Οὐδ᾽ ἅλιοι δελφῖνες ἐπὶ χθονὸς, οὔτε πταῦροι Ἐν πόντῳ σείχουσ', Theocritus Idyllio 20. Delphino lasciuior, prouerbiali specie dici potest, vt placuit Erasmo Rot.

DENTALES sunt ossa satis alba, quę dentes caninos referunt: quibus tamen longiores sunt, inanes intus & perforati. Oriuntur in cauernis lapidum in profundo maris: Siccantis, refrigerantis & abstergentis naturæ. Miscentur autem inter cætera vnguento citrino vel citrio dicto (Nicolai,) Syluaticus. Et alibi, Belliculi (vel Bellirici) marini, lapides parui & albi inueniuntur in ripis (litoribus) maris, cohærentes sicut dentales. Dentales & maiores eis Antales, nascuntur in fundo maris, in cauernis quibusdam petrarum: sunt autem ossa candida, dentibus caninis similia, pertusa instar cannæ, Innominatus. Indocti quidam Dentale putarunt esse dentes piscis, quem Itali vulgò Dentale vocant, (de quo in Synagride scribemus) Brasauolus Dentale, Buccinum marinum interpretatur, Antale verò purpuram. Plura de vtroque in Purpura leges.

Antalen.

DENTEX, vt Columella, Apicius: vel Dentalis, vt recentiores quidam vocant, Synodus vel Synodon Græcorum est: & in S. litera depingetur. Aliud verò est Dentalis vulgò dictus pharmacopœis, de quo iam diximus.

DIES piscis eodem die oritur, & completur, & moritur, & habet duos pedes, & duas alas pinnales, quidam diutius eum ab ortu viuere dicunt, à perfectione verò diem vnum duntaxat, Albertus. Sed apparet eum ineptè hæc ex Aristotele transtulisse, qui non de pisce aliquo, sed de ephemero insecto hæc scripsit.

DIDACTYLÆVS. vide Dactylus.

DIGITVS, quem Græci Solênem vocant, describetur in Vngue.

DILYCHNVS, Δίλυχνος, à Strabone libro 17. inter pisces Nili nominatur.

DIOX genus est piscis frequens in Ponto, Festus. Idem fortè qui Ezox vel Izox.

DOEES, Δοίης, tanquam piscis nomen in carmine Numenij legitur apud Athenæum: Ἠ σκάρον, ἢ κῶνθον τροφίην, καὶ ἀναιδέα δοίην. sed diuersa lectio habet λείην. Quærendum an per ἀναιδέα, id est impudentem, intellexerit canem. Sunt autem canes è mustelorum genere: & musteli quidam λεῖοι, id est læues.

DRACO marinus. vide in Araneo pisce. Dracænis inter pisces ab Ephippo nominatur apud Athenæum. Hermolaus dracunculum Græcè δρακαινίδα putat nominatum Athenæo.

DROMONES à cursu fortasse, Plinius pro specie beluæ vsurpat. Aristoteles δρομάδας à cursu pisces omnes eos appellat, qui in Pontum aliunde excurrunt, quique vix vno loco conquiescunt, cuiusmodi sunt thunni, pelamydes, amię. Sic enim libro 1. cap. 1. de Historia animalium: Καὶ τῶν πλωτῶν πολλὰ γένη τῶν ἰχθύων, οἷον οὓς καλοῦσι δρομάδας, θύννοι, πηλαμύδες, ἀμίαι. Complura inter nantes piscium genera gregatim degere scimus, vt quos cursores vocant. vt thunnos, pelamydas, amias, Rondeletius. Δρομάδας Theodorus cursores vocat, & cursiones, vt libro 6. animalium historię: Aestate omnes, qui cursiones vocantur, vltimi gregalium pariunt. Sunt enim pisces gregales. Sic & anadromi dicuntur, qui certo tempore è mari exeuntes fluuios subeunt & ascendunt. Δρόμων Hesychio & Varino paruum cancrum significat. Ἡ δρομίην χρύσειον ἐπ᾽ ὀφρύσιν ἰχθὺν, Eratosthenes. videtur autem de pompilo sentire, nisi quis auratam potiùs intelligat.

Dromo. Dromas.

DYCEN (Δύκην) piscem Cyrenæi erythrinum appellant, vt Clitarchus scribit, Athenæus. Vocantur & daci quidam pisces in Geoponicis Græcis.

DE AQVATILIBVS, QVORVM NOMINA E. VOCALIS INCHOAT.

DE ECHENEIDE VEL REMORA, BELLONIVS.

REMORA, quæ & Echeneis, piscis minimè edulis est, totus exossis ac mollis. Huic vulgus Græcum partum Delphini vocat. A

Limacis rubri testa carentis effigiem refert: lubricus est: serpit circa saxa in mari, sed lentè, & iter B prætendit cornibus. Ad spithamę longitudinem, & ad manubrij ligonis crassitiem plerunque excrescit. Coloris est herbacei, inferiorem partem planam habet, dorsum repandum in gibbum conuexum, (*à qua specie forsan delphini partus est appellata*) lentoremque aut mucaginem, vt limax, serpendo relinquit. Ac quod ad eius interanea pertinet, in eo reperies hepar, stomachum, intestina, lienem, fel, & reliqua terrestris animalis potiùs, quàm aquatici effigiem ac naturam referre. In Corcyra frequentissimè euerriculis extrahitur.

DE EADEM, RONDELETIVS.

EXENHIΣ à Græcis dicitur piscis, ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὰς ναῦς, id est, à retinendis nauibus, sic & à Latinis remora & remiligio ab ijsdem remorandis. Huius piscis quanuis frequens fiat & celebris ab effectu mentio à veteribus, rarò tamen hodie cernitur, imò paucissimis cognitum esse putauerim, qua de causa inter peregrinos & ignotos repono. A

Cur autem parum notus sit, in causa fuerunt diuersæ à diuersis scriptoribus traditæ huius piscis descriptiones, vt si omnes verã scribant, necesse sit pluribus piscibus nauium retinendarum vim inesse,

Diuersæ veterum descriptiones.

id quod

id quod non animaduertentes plurimi, quum remoræ notas ab Aristotele, Plinio, Oppiano tradita confundunt, perinde ac si omnes de eodem pisce loquerentur, euenit, vt neque Aristotelis, neq; Plinij neque Oppiani echeneida internoscant. Quòd autem alia atque alia sit variorum autorum remora, iam demonstrandum est.

Oppiani descriptio.

Oppianus tradit echeneida pelago amicam esse, longam cubitum vnum, subfusco colore, anguillæ similem, acutum os habere subter, contortum, rotundi hami cuspidi simile. de qua nautæ rem mirabilem narrant, omnibus qui non viderunt incredibilem: nauem enim secundi venti vi impulsam, passisq; velis per mare currentem, echeneis tanquam eam voratura ore admoto sistit, inuitisque nautis retinet, perinde ac si in tranquillo portu quiesceret. Oppiani versus citauimus, quum de lampetra diceremus, quos hîc omitto, ne prolixior sim.

Lampetra. Plinij loca diuersa. Cap. 25.

Plinius lib. 32. cap. 1. limaci magnæ similem esse dicit eorum testimonio, qui eam viderunt, quæ Caij Principis quinqueremem tenuit. Libro autem nono diuersorum diuersas sententias de eadem profert, vt ipse monet libro trigesimosecundo: Nos, inquit, plurimorum opiniones posuimus in natura aquatilium, cùm de eo diceremus, libri noni locum intelligens. quem iam citamus. Est paruus admodũ piscis assuetus petris echeneis appellatus: hoc carinis adhærente naues tardiùs ire creduntur, &c. Ibidem: Mutianus muricem esse latiorem purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice, concha vtroque latere sese colligente. Et mox: Trebius Niger sesquipedalem esse, & crassitudine quinque digitorum, naues morari. Quàm dissimilia sunt ista? remoram anguillæ similem esse, longam cubitum vnum, & piscem admodùm paruum esse petris assuetum: deinde muricem esse purpura latiorem, tum limaci similem esse. Postremo sesquipedalem esse, & quinque digitos crassam. Sed interim annotatione dignus est Plinij locus libro nono: Est paruus admodum piscis assuetus petris, echeneis appellatus. hoc carinis adhærente naues tardiùs ire creduntur, inde nomine imposito: quam ob causam amatorijs quoque veneficijs infamis est, & iudiciorum ac litium mora, quæ crimina vna laude pensat, fluxus grauidarum vtero sistens, partusque continens ad puerperiũ. Pedes eum habere arbitratur Aristoteles, ita posita pennarum (aliâs pinnarum) similitudine. Imò reprehendit Aristoteles lib. 2. de hist. animal. cap. 14. eos qui remoræ pedes tribuunt. Ἔστι δὲ ἰχθύδιόν τι τῶν πετραίων, ὃ καλοῦσί τινες ἐχενηΐδα, καὶ χρῶνταί τινες αὐτῷ πρὸς δίκας, καὶ φίλτρα. ἔστι δὲ ἄβρωτον. Τοῦτο δὲ ἔνιοί φασιν ἔχειν πόδας, οὐκ ἔχον, ἀλλὰ φαίνεται, διὰ τὸ τὰς πτέρυγας ὁμοίως ἔχειν ποσί. Legendum igitur apud Plinium, pedes habere arbitrantur ex Aristotele, ita posita pennarum (*pinnarum*) similitudine, vt rectè emendauit Massarius.

Emendatus Plinii locus.

Aelianus 2.17

Ælianus eandem quam Oppianus remoram describere videtur. Echeneis pelagius est piscis, aspectu niger, longitudine cum mediocri anguilla æquandus. Nomen à rebus, quas agit habet, ab inhibendis nauibus. Echeneida Grǽcè scientes appellarunt. Nauis secundo vento & plenis velis propulsæ extremam puppim mordicus premens tanquam indomitum atque effrænatum equum fręno robusto inhibens, violentissimè ab impetu reprimit, & constrictam tenet: frustraq; ventis vela dantur, frustra venti afflant, quæ res vectores angit, & sollicitos vehementer habet.

Ex his id constare puto, quod initio proposueramus, nimirum non vnam echeneida à veteribus descriptam fuisse.

Vis mira remorandi naues.

D Nunc de eiusdem piscis vi facultateque dicendum, quam cùm cęteri authores, tum maximè Plinius lib. 32. cap. 1. ad stuporem vsque admiratur, in diuersis locis. Quid violentius mari ventisue, & turbinibus ac procellis? quo maiore hominum ingenio vlla sui parte adiuta est (natura) quàm velis remisq;? Addatur his & reciproci ęstus inenarrabilis vis, versumque totum mare in flumen, tamen omnia hæc pariterque eodem impellentia, vnus ac paruus admodùm pisciculus echeneis appellatus in se tenet. Ruant venti licet & sæuiant procellæ, imperat furori, viresque tantas compescit, & cogit stare nauigia: quod non vincula vlla, non ancoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrenat impetus, & domat mundi rabiem nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo quàm adhærendo. Hæc tantilla est satis contra tot impetus, vt vetet ire nauigia. Sed armatę classes imponunt sibi turrium propugnacula, vt in mari quoque pugnetur velut è muris. Heu vanitas humana, cùm rostra illa ære ferroque ad ictus armata semipedalis inhibere possit ac tenere deuincta pisciculus. Fertur Actiaco † mari tenuisse pretoriam nauim Antonij, properantis circumire & exhortari suos, donec transiret in aliam: Ideoque Cæsariana classis impetu maiore protinus venit. Tenuit & nostra memoria Caij Principis ab Astura Antium remigantis, vt res est, etiam auspicalis pisciculus. Siquidem nouissimè tum in vrbem reuersus ille imperator suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio, statim causa intellecta, cùm è tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus qui id quærerent circa nauim, inuenêre adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Caio, indignanti hoc fuisse quod se reuocaret, quadringentorumque remigum (*Notandum, videri ex Plinio, nisi in codice sit menda, quinqueremem remos quadringentos, ex Polybio autem trecentos tantùm obtinuisse, qui hunc ordinem tam à Carthaginensibus quàm Romanis seruatum fuisse scribit, Massarius*) obsequio contra se intercederet. Constabat peculiariter miratum quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in nauigium receptus. Qui tunc posteaque videre, eum limaci magnę similem esse dicunt. Nos plurium opiniones posuimus in natura Aquatilium cùm de eo diceremus. Nec dubitamus idem valere omnia genera, cum celebri & consecrato etiam exemplo apud Gnidiam Venerem, conchas quoque eiusdem potentiæ credi necesse sit. E nostris quidam Latinis remoram appellauêre eam. Mirumque è Græcis, alij lubricos partus atque procidentes contineri ad maturitatem alligato eo prodiderunt. Alij sale asseruatum alligatumque grauidis partus soluere, ob id alio nomine odinolyontem appellari. Quocunq; modo ista se habeant, quis ab hoc tenendi nauigia exemplo de vlla potentia naturæ atque effectu, in remedijs sponte nascentium rerum dubitet? Et alibi: Mutianus muricem esse purpura latiorem, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice, concha vtroque latere sese colligente: quibus inhærentibus plenam ventis stetisse nauem portantem nuncios à Periandro, vt castrarentur nobiles pueri, conchasque quæ id præstiterunt, apud Gnidiorum Venerem coli. Trebius Niger sesquipedalem (aliâs pedalem) esse, & crassitudine quinque di-

**Marte Antonii nauis. Caii nauis.*

Echeneidis genera plura eiusdem effectus.

(G) (A)

Odinolyon. Lib. 9. cap. 25.

Gnidiorum Venus.

gitorum,

gitorum, naues morari. Præterea hanc esse vim eius asseruati in sale, vt aurum quod deciderit in altissimos puteos, admotus extrahat. Huius tam mirandi effectus cęcam, planeque occultam esse causam, videtur significare Plinius.

Adamus Lonicerus, quod nulla omnino causa naturalis inueniatur, cur pisciculus tantillus nauim moretur.

Adamus Lonicerus in libro de aquatilibus huius nullam omnino causam naturalem reddi posse existimat. Non immerito, inquit, tantas in tantillo pisciculo vires aliquis miretur. magneti quidem sua est in ferrum facultas, adamantem coram toxico ferunt madere, turchesiam appetente periculo aut scindi, aut omnino rimam aut maculam aliquam concipere, sed longè alia natura venit admiratio in nostra echeneide. lapidibus siquidẽ & metallicis naturalis pro materiei varia conflatione, cælestiumque corporum in ea elaboratione quadantenus caussa assignari potest, partim etiam natura secretis est relinquenda. Basiliscum serpentem adeò venenatum esse scribunt, vt visu etiam in hominem virus transfundat. Torpedo piscis non tangenti piscatori per hamum & virgam torporem, (vnde nomen etiam accepit. sicut & Græcis νάρκη dicitur,) immittit, ac totum deinde corpus occupat, in quibus veneno ea vis tribuitur. sed quid de hoc pisciculo afferemus in medium? quam eius viribus & potentiæ ascribemus rationem? Hic sicut & reliqui pisces in aquis agit. Non alibi nisi in aquis vires suas exercet, nulla adest magnitudinis in eo violentia, minutulus ipse naui se adiungit, nulla vis cõtra ipsũ satis est, nullus impetus loco mouere nauẽ potest, nisi pisciculus hic naui adhęrere inuentus esset. Adscribi illud potest, cur non aliæ similiter naues fixæ manent? cur hæc tantum, cui pisciculus hic se adiunxit? cur inuento hoc & amoto plenis mox velis nauis procedit, nec impedimentum ampliùs sentit? Fatendum est rationem hîc naturalem adferri nullam posse. Et quis non videt in eodem fatale quoddam indicium & præsagium quasi futuri mali præscium, periculum imminens cupiens auertere? Tenuit legatos Periandri de castrandis pueris nobilibus, tanquàm indignum iudicante natura homini id quod conseruationi ipsius donatum esset auferri: & idcirco nauem inhibuit, & à cursu reuocauit, sed securum & improuidũ genus hominum velut rem nihili floccipendit. Tenuit nauem Caij Cæsaris, non multò pòst Romæ interfecti. Condolens misero Cæsaris exitio, ipsa natura cupit ab ipso malum auertere, atque à cursu infausto & infelici reuocare. Hactenus Lonicerus, cuius verba ideo adscripsi, tum quod ea quę de aquatilibus scripsit, rariùs leguntur, tum quod huic loco sint accommodata: Recensemus enim quæ de remora literis prodita sunt admiratione quidem dignissima, sed quæ magna ex parte cessauerit, si tam mirabilis euentus causa reddita sit. Nam, vt rectè dixit Aristoteles, Θαυμάζεται τῶν μὲν κατὰ φύσιν συμβαινόντων ὅσων ἀγνοεῖται τὸ αἴτιον. Idem in libro, quem Μηχανικὰ inscripsit, quærit cur clauus cum paruus sit, & in extrema naui tantas habeat vires vt ab exiguo temone, & ab hominis vnius viribus alioqui modicè nitentis magnę nauium moles moueantur. Cui quæstioni præter alia respondet facillimum esse mouenti ab extremo, mouere aliud: quia prima pars fertur celerrimè, ac quemadmodum in his quæ feruntur, in fine cessat impetus, ita in continui quod mouetur fine, maximè imbecillis motus est. qui verò maximè imbecillis est, facilè dimouetur: vel, vt dilucidius loquar, in puppi (extrema scilicet nauis parte) rectè collocatur clauus, quoniam moles omnis continua ab eo extremo, cui admotum sit aliquid, quod moueat, facilè tota mouetur. Etenim sicuti in ijs quę vibrantur, initio vehemens est motio, quæ in fine languescit: sic contiuæ molis prius extremum, cui id quod mouet coniunctum est, celerrimè fertur: alterius verò extremi imbecillis admodùm est motio & renixus. Imbecille autem omne facilè in quamlibet partem leui momento impellitur. Ex quibus efficitur si in hanc vel illam partem clauus moueatur, proram quoque vel dextrorsum vel sinistrorsum ferri in rectum verò remorum impulsu. Idem alijs rationibus demonstrat Aristoteles, quas volens omitto. Quare si rectà & celerrimè currat nauis, & echeneis ore clauo vel puppi affixo caudam vel se totam modò in dextrum modò in sinistrum moueat, necesse est etiam in prora motionem hanc percipi, & ad echeneidis motum ambiguum, ambiguè quoque moueri, ac proinde impetum eius inhiberi, cùm ab Aristotele demonstratum sit, & experientia comprobatum, ad exiguam vnius extremi motionem, extremum alterum, atq; adeò totam molem continuam nutare. Lampetra igitur, verbi gratia, vel quęuis alia remora, non in ipsa naue neque ipsius lateribus, sed puppi vel gubernaculo adhærente, & caudam vel reliquum corpus motitante fluctuat nauis, nec progreditur, nec vltra fertur, non aliter quàm si tranquillo mari in prospero & celeri nauis cursu gubernator imperitiorem ad gubernandum admittat, qui clauum rectè tenere non possit. firmissimè enim in cursu tenendus est, ne fluctuet nauis, alioqui mox retardabitur impetus. Eadem de causa validis retinaculis ad puppim clauus alligatur, etiam in fluuiatilibus nauigijs, libero in obliquũ motu non impedito, atque in rapidis amnibus in terram altè defixis palis in vtraque ripa funes alligantur ad dirigendum iter, ne aquarum vi fluctuante naue progressus inhibeatur, neque rectà fluuius traijci possit. E

Rondeletius causam, quã ipse putat, huius miraculi exponit.

Vires aliæ huic pisci adscripta.

Alias remoræ vires tribuit Aristoteles: hac enim vti quosdam scripsit ad iudicia & philtra: quod apertius Plinius: Amatorijs quoque veneficijs infamis est & iudiciorum ac litium mora: quæ verò parũ consentanea esse mihi videntur, nec id affirmat Aristoteles, sed ex aliorũ potiùs sententia, quàm ex sua profert. Qui id crediderunt, videtur cæcam illam, quam putabant, remorandi naues facultatem ad mulieres firma amicitia deuinciendas transtulisse: quæ cum natura leues sint & inconstantes, nulla efficaciore remora quàm auro conciliari vel in amicitia retineri possunt. Non ad conciliandos vel irretiendos amatores, sed ad eorum liberalitatem eliciendam & exhauriendos loculos scorta Romana hypoglossum herbam domi curiosè alunt, quam ab effectu bonifaciam appellant. A

Contra Hier. Cardanũ, qui echeneidem, echinum, & torpedinem cõfuderit, &c.

Sed ne in remora explicanda diutius lectores remorer, iam finem facio, hoc vno annotato quod Hieronymus Cardanus libro 10. de subtilitatibus parum rectè de remora sensisse videatur hoc in loco. Sunt & pisces (inquit) viribus clari, vt torpedo, quam Ianuenses vocant tremorizam. Frequentissimus est, & ex echinorum genere, qui spinis abundat, quorum captura piscatorum manus hebescunt & obstupescunt innata quadam vi, quæ tamen solùm viuentibus inest. Sed est alius echinus non è genere spinosæ torpedinis, sed ex concharum genere, quem remoram Latini vocant. Dictus echinus ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὰς ναῦς, quòd naues sistat fundo illarũ hærens. Vnde C. Caligulæ Cæsaris triremem moratus est, malo illius omine, limaci magnæ persimilis est rarusq;, vt qui post ea tempora non visus sit: vnde remorã aliã

esse à

esse à torpedine constat, quanuis Aristoteles nominis similitudine & effectus vnum genus existimauerit. Vide quot errores paucis complexus sit. Primum Aristoteli falsò adscribit, quòd remoram & torpedinem nominis similitudine & effectus genus vnum esse existimauerit, cum id ne per somnium quidem Aristoteli vnquam in mentem venerit. Nam libro 2. de histor. animal. disertè scripsit remoram pisciculum esse saxis assuetum, torpedinem verò libro quinto eiusdem operis inter cartilagineos Plinius libro nono. Deinde torpedinem ex echinorum genere facere videtur, quod planè à veritate abhorret, vt ex ijs quę de torpedine diximus, & ijs quæ de echinis dicemus, perspicuum est. Tum remoram echinum appellat, ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὴν ναῦν, cùm echeneida appellare oporteat: echinus enim longè aliud significat, nempe hirtum & asperum. Adhæc id omnino contra veterum sententiam dicit, quod remora naues sistat fundo illarum hærens. Scribit enim Plinius, circa nauim adhærentem gubernaculo inuentam fuisse remoram, quę Caij Cæsaris nauem retinuerit, miratumque eum fuisse quomodo adhęrens tenuisset piscis, nec idem polleret in nauigium receptus. Postremo vehementer errat qui remoram Aristotelis limaci magnæ persimilem esse credit, cùm Aristoteles pisciculum esse dicat saxatilem.

Cap. 14.
Cap. 5.
Cap. 24.
Lib. 32. cap. 1.

COROLLARIVM.

A Echeneis piscis alio nomine Naucrates dicitur, Ναυκράτης, Kiranides: & Suidas ex diuo Basilio. Vtriusque nominis ratio eadem est, à nauibus scilicet retinendis: ἀπὸ τοῦ ἔχειν καὶ κρατεῖν τὴν ναῦν: ἢ ἀπὸ τοῦ ἔχεσθαι τῶν θεόντων νεῶν, Suidas. Καὶ πήγνυται ναῦς ἐντυχοῦσα ναυκράτει, Philes. Echeneidem non vidi, neq; ex quantūlibet infinitis percunctatus sim, quenquam piscatorem reperire potui, qui hunc ipsum hac ætate viderit, Gillius. Qui ad hanc diem echeneida, vel concham hanc (à Mutiano proditam) viderint, neminem comperi vel nautam vel piscatorem, L. Greg. Gyraldus. Oppianus proculdubio quam lampetram nunc vocamus, ἐχενηΐδα ab effectu appellauit, quæ Latinè remora dicitur: quam ita graphicè depinxit, vt nullus sit sanę mentis qui eam pro lampetra nostra non agnoscat, Rondeletius: cuius plura hac de re verba leges infra in Mustela Ausonij. De Murice Mutiani, siue Concha Veneris, vide supra in conchis diuersis. Echeneis Latinè remora & remiligo dicitur: authores, Festus & Plautus. nam echinus piscis alius est, erinaceus Latinè dictus: pudendo philosophi cuiusdam noui errore, qui piscium duorum quasi vnius figuram proprietatesque describit, in vnum ceu monstrum diuersissimas naturas confundens, vtinamque solum hoc in historiam naturalem peccasset, ne de nihilo cognomentum Magni meruisset, Hermolaus. In Plinij quidem & Lucani codicibus echinus pro echeneide ab imperitis librarijs positum erat, à quibus deceptus videtur Cardanus: quod verò idem remoram cum torpedine confundit, occasionem sumpsisse videtur ab Italico tremorizę vocabulo, quo torpedinem alicubi nuncupant, colludentibus vtriusque vocabuli literis. Albertus obscurum de naturis rerum scriptorem secutus, echinum cum echeneide confudit. Echeneidem Germanicè nominemus licebit, *ein Schiffheber, ein Schiffsumer*, de quocunque genere intelligatur: Bellonij echeneidem limaci similem, priuatim, *ein Schneckfisch*.

Lampetra.

B Echeneis pisciculus est, magnitudine gobij, pinnis quatuor, Suidas ex Basilio. Corpore est oblongo, cubitali, colore verò αἰθαλόεσσα, (id est fuliginis: paraphrastes innominatus habet σακτόχροος, malim στικτόχροος, vt idem significet quod στικτός, hoc est varius, maculosus: Aelianus qui ex hoc poëta transtulisse videtur, habet [illegible], hoc est aspectu niger: poeta paulò post αἰόλος ἰχθῦς, varius piscis,) ore paruo, acuto, quod infra caput deorsum retorquetur, (&c. vt Rondeletius recitat) Oppianus. Massarius formam turbinatam ei attribuit ex Oppiano, cum is simpliciter longam esse dicat. Chæremonianus Trallianus pisciculis aliquando varijs appositis, vnum oblongum capite paruo & acuminato ostendebat, eique similem esse echeneidem dicebat, in mari Siculo à se visam, Plutarchus in Symposiacis. Trebius Niger echeneidem (piscem tradidit) sesquipedalem esse, Plinius. Vetusti codices omnes (inquit Massarius) pedalem habent, non sesquipedalem. nam si sesquipedalis esset, hoc est vnius pedis & semis, non esset paruę mensurę. neque Aristoteles & Plinius echeneidem pisciculum seu piscem admodū paruum esse retulissent. Quare vel pedalem, vt antiqua lectio, vel semipedalem legendum, vt in tricesimo secundo volumine testatum reliquit, licet ad cubiti magnitudinem peruenire posse Oppianus tradiderit, cui quidem hac in re non astipulor, Hæc ille. Isidorus etiam ex Plinio semipedalem legit.

D Parua echeneis adest, mirum, mora puppibus ingens, Ouidius in Halieutico inter pelagios. Non (defuit) puppim retinens Euro tendente rudentes. In medijs echeneis aquis, oculique draconum, Lucanus lib. 6. de venefica necyomantiam exercente. Meatus nauium echeneis (echeneidis) morsus inter vndas liquidas alligauit: aut Indici maris conchæ simili potentia labris suis nauiū dorsa fixerunt: quarum quietus tactus plus dicitur retinere, quàm exagitata possit elementa compellere. stat pigra ratis tumentibus altè velis, & cursum non habet cui ventus arridet, sine anchoris figitur, sine rudentibus alligatur, & reliqua: Cassiodorus libro 1. Variarum, vt recitat Gyraldus in libro de nauigijs. Rondeletius Cardanum reprehendit, quod scripserit remoram fundo nauis hærentem, eam sistere, cum idem Oppianus tradat: Ἰχθῦς ἀμφιχανὼν ὀλίγον στόμα νέρθεν ἐρύκει Πάσαν (ναῦν) ἀποτρέπτης βεβιημένος. id est, vim naui sub carina inferens, mordicus totam detinet. Et paraphrastes, δάκνουσα τῆς νεὼς τὴν τρόπιν. Et Plutarchus in Symposiacis 2. 7. ad latus nauis hærentem echeneidem, remoratam esse nauim refert. Quod si ita est, Rondeletius dum huius miraculi causam indagat, & piscem hunc circa puppim tantùm aut temonem hærendo nauim remorari putat, frustra laborârit. Ego ne nihil ad hoc propositum conferam, cum quod de meo depromam ingenio, in re tam abdita non habeam, Plutarchi saltem hac de re inquisitionem ex Symposiacorum lib. 2. Problemate 7. (quamuis obscuram deprauati codicis vitio) Latinè interpretabor, quoad eius possum: Chæremonianus Trallianus pisciculis aliquando varijs appositis, vnum oblongum capite paruo acutoq; ostendebat, cui similem esse echeneidem dicebat, quam in mari Siculo vidisset, eiusque vim admiratus esset, cum non parum impedimenti & moræ nauigationi attulisset, donec à proreta lateri nauis forinsecus adhærens caperetur. Tum alij Chæremonianum irridebant, seu qui rei fabulosæ absurdæque fidem adhiberet. Alij alias quoque mirabiles in rerum natura discordias commemorabant, (tanquam ad confirmationem potentiæ echeneidis:) vt sunt, quòd aries conspectus elephantum furentem compescit: quòd viperam ramulus fagi admotus suo contactu immobilem

Plutarchi inquisitio causæ, ob quam echeneis moretur naues.

mobilem reddit: quòd taurus ferus (ἄγριος, *ferus vel efferatus*) ad ficum arborem alligatus, quietus & placidus manet: quòd succinum leuia omnia, præter ocymum & oleo madida, mouet & attrahit: quòd siderites lapis non attrahit ferrum, si alio inungatur. Hęc enim cum sic se habere indubitatis experimentis constet, eorum tamen causas eruere vel difficile vel etiam impossibile esse dicebant. Ego verò hanc quęstionis depulsionem magis, quàm solutionem esse aiebã. Quin ita potius vsu venire existimandum est, sicut aliâs sæpe fit, vt quę rebus quibusdam accidunt, causæ ipsarum esse non rectè iudicentur. Veluti si quis ex vulgari dicto, Ἡ ἄγνος ἀνθεῖ, καὶ ὁ βότρυς πεπαίνεται: Salix amerina floret, vua coquitur: ipsam salicis amerinæ florum germinationem, maturitatis vuarum causam faciat: vel propter fungos lucernarum aërem densari & obnubilari existimet: vel vnguium curuationem, causam non accidens esse vlceris pulmonis. Quemadmodum enim quæ iam diximus singula ad aliud quidpiam consequuntur, propter communem aliquam efficientem causam: sic ego similiter vnam esse causam dicebam, quæ & tarditatem nauigio inferat, & echeneidem ad idem alliciat. Nempe cum siccior nauis est, neque admodum grauatur humore, consentaneum est carinam leuitate sua facile per mare delabi, & aquas ligno puro meanti facile cedere. Contrà cum humidior est, & aquæ nimium imbibit, multa alga & musco innascente obducitur: quibus hirsutum lignum & aquam obtusiùs secat, & aqua ipsa ligno tenaciori adiuncta difficiliùs separatur. quamobrem nautæ latera nauium abradere solent, vt muscum atque algam abstergant: quibus adhærescentem echeneidem, propter earum viscositatem (*quasi siccitatis eiusmodi appetens*) tarditatis nauigij non quidem causam esse, sed causę illam efficientis accidens (σύμπτωμα καὶ ἐπακολούθημα) eique superuenire, iudicandum est, Hucusque Plutarchus. Echeneidis piscis (breue quid, parum aliquid.) ex ossibus si consueris in corio equi, & habueris tecum, & ascenderis nauim, non mouebitur nauis in aqua, nisi auferatur quod positum est, vel exieris de naui, Kiranides 1. 13. Atqui Caius princeps (vti refert Plinius) peculiariter mirabatur, quomodo adhęrens hic piscis tenuisset, nec idem polleret in nauigium receptus. Aliqui testudinis etiam pedem dextrum vehentia nauigia, tardiùs ire tradunt, Plinius.

Accidentia rerum ab imperitis sæpe pro causis haberi.

F Echeneis in cibos non admittitur, Aristoteles & Plinius.

G Venerem inhibet echeneis, Plinius. Abortus cohibere echeneidem qua occasione aliqui crediderint, dicemus mox in Echino G. Venenosa an sit dubitatur. lege infrà in Corollario de Echino G. ab initio remediorum ex eo intra corpus.

H. a. Remeligines & remoræ à morando dictæ sunt. Plautus in Patina: Nam quid illę nunc iam diutius remorantur remiligines? Festus. Ἐχενηΐς, vocabulum est oxytonum quadrisyllabum: nec piscem modo significat, sed ancoram quoque in epigrammate: Ἄγκυραν τ' ἐπὶ τοῖς ἐχενηΐδα, δεσμὸν ἀέλλης, Varinus.

Epitheta. Parua, Ouidio. Ὀλιγοθηρή, Oppiano.

Ἐχένηος, nomen proprium viri cuiusdam rei nauticę periti apud Homerum, Eustathius.

Emblema Alciati inscriptum, In facile à virtute desciscentes:

Parua velut limax spreto Remora impete venti,
Remorumque, ratem sistere sola potest:
Sic quosdam ingenio & virtute ad sydera vectos,
Detinet in medio tramite causa leuis.
Anxia lis veluti est: vel qui meretricius ardor
Egregijs iuuenes seuocat à studijs.

Aliud eiusdem, sub lemmate Maturandum:

Maturare iubent propere, & cunctarier omnes,
Ne nimium præceps, neu mora longa nimis:
Hoc tibi declaret connexum echeneide telum.
Hæc tarda est, volitant spicula missa manu.

PISCICVLVS quidam Emdæ in Frisia ad Oceanum (vt amicus quidam mihi retulit) repertus est, quatuor digitos longus, cuticula tenuissima, sine squamis. capite, pro corporis magnitudine, maximo. oculis paruis. reliquo corpore turbinato. sub mento quiddam habebat figura acetabuli, quo probabile est eum saxis adhærere. nam cum cauitatem illam digito premeret, qui hæc narrauit, ita adhęrebat, vt circumferri posset.

DE ECHINIS, RONDELETIVS.

DVBITARI non immeritò possit, inter crustatáne, an inter testacea numerandi sint echini: nam eos inter testacea Aristoteles recensuisse videtur, quum scribit: Τὰ δὲ ὀστρακόδερμα τῶν ζώων, οἷον οἵ τε κοχλίαι, καὶ οἱ κόχλοι, καὶ πάντα τὰ καλούμενα ὄστρεα, ἔτι δὲ τὸ τῶν ἐχίνων γένος, &c. Plinius verò inter crustata, cùm enim de cancris & locustis dixisset, subiunxit: Ex eodem genere sunt echini, &c. quanquam non nesciam Massarium horum genus ad exanguium genus, de quo multò antè Plinius, referri voluisse: sed ad propinquius crustatorum genus rectius mihi referri videtur. Si enim horum integumentum propiùs inspicias, non durum, neque siliceum, sed fragile potiùs crustæ tenuioris modo esse iudicabis. Sed quilibet ad vtrum voluerit genus referat pro arbitrio. Vtut res habeat, de his commodè isto in loco dicetur, post reliqua crustata, antequam ad testacea aggrediamur.

Aristotelem videri testaceis adnumerare: se cũ Plinio malle crustaceis.

H. a. Dicitur ἐχῖνος, ἀπὸ τοῦ ἔχειν ἑαυτοῦ, τῶν σαρκῶν ἀφανῶν οὐσῶν: vel per antiphrasim, ἀπὸ τοῦ μὴ δύνασθαι ἔχεσθαι διὰ τὰς ἀκάνθας, ὡς ἀκράτητος, quòd teneri ob aculeos non possit.

A Duplex est echinus, terrestris, & aquatilis. terrestrem Gaza erinaceum conuertit: aquatilis nomen Græcum retinuit, Plinium opinor secutus, qui echinum appellat. Vocantur echini à nostris vrsins corrupto ex erinaceis vocabulo, ab alijs castagnes de mar, quòd veluti castaneæ echinato calyce contecti sint. A Massiliensibus vrsins & doulcins, qui sint edules, etiam si dulces non sint, sed salsi & subamari: maiores, quique edendo non sunt, rascasses ab ijsdem appellantur. Hos nostri migranes vocant, qui cùm detriti aculei deciderint, putaminibus malorum punicorum similes sint. Germanis dicuntur *meerigel*, Hispanis erizo di mar, Liguribus zinzin.

B (C) Omnibus crusta est tenuis, vndique spinis siue aculeis armata, quæ pro pedibus sunt. Ingredi est his in orbem volui, itaque detritis sæpe aculeis inueniuntur. Omnes carnem intus nullam continent: sed nigra quædam vice carnis sunt in omnibus oua, sed nonnullis exigua, nec cibo apta. Alij nigricant, alij purpurei sunt. Ampliorem partium descriptionem in singulis trademus.

De Aquatilibus.

DE ECHIMO MAIORE, VEL OVARIO ET ESCVLENTO, RONDELETIVS.

Echinus integer.



Echinus in duas partes dissectus.

A PRIMVM echini genus, quod cibo idoneum est, in quo oua multa & magna sunt, esculentaq; , non solùm in maioribus, sed etiam in minoribus: statim enim parui ouis pleni reperiuntur: & maximè plenilunijs diebusque tepidis redduntur pleniores. Ab ouorum multitudine & magnitudine ouarium hunc echinum appellat Hermolaus.

Ex Aristotelis quinto de hist. animal.

B Forma eius in rotunditatem conglobata est, dempta vna parte parum compressa, in qua os est rotundum quinque dentibus incuruis intus cauis, & in idem punctum coeuntibus munitum: ij quinq; maxillis internis connexi sunt, quę ab ore intus erectæ, ex acuto in latum tendentes, & ambienti calyci non continuæ: tam mirabili stupendoque artificio sunt constructę & cælatæ, vt nihil sit in toto mari elegantius spectatuque iucundius. Quinque igitur sunt officula per symphysim coniuncta, quorum suprema pars latior rosæ pictæ figuram repræsentat: ex ea dependent quinque alia officula minora, tenui membrana alligata, id totum est quod comparat Aristoteles τῷ καυλῷ τῷ κυλικοειδεῖ, id est, laterna quæ pellucida aliqua pellicula siue membrana circundata non sit. Inter dentes interna caruncula quædam est, quæ linguæ vice est, mox iungitur gula quæ in intestinum desinit, longum per testam stellatim dispositum eius tenuibus fibris suspensum, tandem in paruum foramen terminatur, quod foramen ad egerenda excrementa destinatum est, ex aduerso oris situm, ita vt os in terram versum sit, excrementi foramen supra habeatur, pastus enim ex imo petitur, vnde fit vt os ad pastum sit versum, excrementum verò superiùs parte prona testæ contineatur. Excrementa rotunda sunt exiguarum pilularum instar. Qualis intestinorum, talis ouorum ordo est. nam inter nigrum id quod carnis vice est & intestinum oua flaua cernuntur, quæ sola eduntur cruda, orique grata sunt etiam si salsa & subamara sint. Sunt quidem omnibus echininis oua, inquit Aristoteles, sed nonnullis exigua, nec cibo apta, (nisi in hoc echino,) Et alibi: Omnia testacea vêre & autumno ea quæ oua appellant habent: echini verò edules, his quidem temporibus ouorum copia abundant, sed & omni alio tempore habent, nec vnquam ijs carent, ac maximè plenilunijs diebus ouorum copia abundant, sed & omni alio tempore habent, nec vnquam ijs carent, ac maximè plenilunijs diebusque tepidis restituuntur, redduntur que pleniores, præterquam illi quos Pyrræus fert Eripus: nam illi hybernis mensib. meliores sunt, parui quidem, sed pleni ouorum. Testa tota intrinsecus foraminibus paruis plena est, per quę mouendi facultatem nerui aculeis suppeditant: extrinsecus in exigua tubercula eriguntur aculeorum cotylen excipientia, vinculo, membranula scilicet obligata, vt in orbem moueri possint. Talis radij cum brachio articulatio. Aculeorum igitur caput cauum est, crassius, & in acutum illi desinunt. His in gyrum moluntur. Hoc est admirandum Dei opt. max. in hoc animante opificium, quod vt clariùs perspiceretur, superiore loco echinum integrum, inferiore dissectum in partes duas depingendum curauimus, vt quantum pictura plana assequi pictor potuit, internę huius echini partes intelligi possent. Traduntur fœuitiam maris echinos præsapire, correptisq; operiri lapillis, mobilitatem pondere stabilientes, nolunt voluptatione spinas atterere. Quod vbi videre nautici, pluribus ancoris nauigia infrænant. autore Plinio. Vescuntur aqua, luto, arena.

Ibidem.

Lib. 4. de hist. anim. cap. 12.

De picturis supra sitis.

C

B Maiore ex parte quum viuunt purpureo sunt colore, in mortuis floridus color euanescit.

Ab acu-

Prouerbia ab echino.

Ab aculeorum quibus obducti sunt asperitate ortum est prouerbium ἐχῖνος παχύτερος, id est, echino asperior, in hominem intractabilem & insuauibus moribus dictum. metaphora ducta est à marino, & à terrestri. vterque enim asper est, sed marinus toto corpore asper, terrestris non item. Est & aliud ab his prouerbium, Περὶν δὲ δύο ἐχῖνοι εἰς φιλίαν ἦλθοιεν, ὁ μὲν ὄσι πενάγκης, ὁ δ' ὄσι χέρσου. Priùs echini duo inierint amicitiam, alter è mari, alter è terra, de ijs qui moribus ac studijs inter se sunt ita dissidentes, vt nulla spes sit aliquando necessitudinem inter eos coitùram.

Olim ante cœnam echini integri & crudi cum ostreis, spondylis, pectunculis apponebantur, quia horum succus aluum ciet. Vnde Athenæus ex Demetrio Scepsio festiuam narrat historiã de eo qui echinos integros deuorare voluit. Laconem ait, ad cœnam vocatum appositis echinis, qui quomodo edendi essent cum ignoraret, ac quomodo alij ederent non animaduerteret, vnum in os immissum cum testa, dentibus comminuit, & stridere fecit. Cùm igitur miserè os discruciaretur ob duram cibi asperitatem: O sceleratum, inquit, edulium, neque nunc te omittam emollitum, neq; posthac vnquam sumpsero. Nostri lapide testam frangunt, & flauam siue croceam partem, id est, oua edunt. Olim ex mulso & garo subducendæ alui gratia deglutiebantur, vrinam etiam mouent.

F

G

Lib. 11. de fac. cu. simp. medic. Lib. 32. cap. 10

Crusta in medicamentis vtilis est. Nam vt scribit Galenus, Erinacei vtriusque tam marini quàm terrestris corpus (*testa potissimum, & aculei*) vstum cinerem efficit facultatis tum detergentis, tum digerentis, tum detrahentis. Itaque eo quidam ad excrescentia, & ad sordida vsi sunt vlcera. Ad capitis vlcera manantia valere expertus sum, & ad eadem Paulus Aegineta commendat. Ex ijsdem cineribus fiunt dentifricia sicca, aut melle scillitico excepta. Plinius tradit echinis viuentibus tusis, & in vino dulci potis, egregiè profluuia purgari.

DE ECHINO SPATAGO ET BRISSO, RONDELETIVS.



A

SECVNDI & tertij generis echinorum breuiter Aristoteles meminit his verbis: Ἄλλα δὲ δύο γένη, τῶν τετῶν ἀσπατάγων, (*alias aspatagos, vt Athen. istat libro 3.*) καὶ τῶν καλῶν βράττων, γίνονται ἤδη πελάγιοι, καὶ ἀστέριοι. Secundum ac tertium echinorum genus, spatagi & brissi: quæ genera pelagia sunt, raraque inuentu. Ex his Aristotelis verbis, neq; ex vllo alio authore vetere notas aliquas colligere possis, quibus hos echinos ab alijs differre intelligas. Sed cùm echinum, quem hic exhibemus, pelagium & inuentu rarissimũ esse certo sciam, qui ab echinometrę, echini ouarij, echini parui, notis à veteribus traditis facilè distinguatur, non dubitaui pro spatago vel brisso proponere.

Hic igitur echinus siue spatagus, vel spatangus (vtroque enim modo legitur) siue brissus, minùs rotundus est, quàm superior, à cordis figura non valde recedens, aculeis paruis & raris septus, altera parte (in qua scilicet os est) magis planus quàm superior. Os dentibus caret: verùm maxilla inferior superiore prominentior est, ad hauriendum aquam, arenamque accommodata: his enim & luto vescitur. In interiore testa nulla talis spectatur fabrica, qualem in echino ouario descripsimus: sed est intestinum conuolutum, aqua & arena plenum, neque oua, neque nigrum illud continet, quod carnis loco est.

DE ECHINOMETRA, RONDELETIVS.



A

Lib. 4. de hist. anim. cap. 5.

Gyllius.

QVARTVM echinorum genus echinometram numerat Aristoteles, quasi matrem aut matricẽ dicas echinorum, inquit Gaza. quanquam sciendum est, in hoc genere marem à fœmina non distingui: neque enim ex semine vel ex ouo generantur, sed sponte oriuntur, vt ostracoderma. Echinometras magnitudine ab alijs omnibus distinguit Aristoteles: ὅτι αἱ ἐχινομήτραι καλλέμβιαι μεγέθει πάντων μάλιστα. Sed hanc magnitudinem nõ ad corpus siue calycem, verum ad spinas refert Plin. quum scribit: Ex his echinometræ appellantur, quorum spinæ longissimæ, calyces minimi. Cuius sententiam Gyllius Aristotelis sententiæ præfert his verbis: Aristoteles dicit echinometras cæteros magnitudine calycis superare. Plinius Echinometras spinis longissimis, & calycibus minimis descripsit: quod ipsum mihi verosimilius videtur, cùm ab aculeis nomen omnes echini traxerint, rectiùs nominantur echinometræ, qui aculeorum proceritate præstant, quàm ob magnitudinem calycis. Ego verò à corporis siue calycis potiùs quàm aculeorum proceritate echinometras dici existimo. cur enim echinorum matrem vel matricem ab aculeis longis nominassent veteres, cum sit aliud quintum scilicet genus paruo calyce spinis longis durisque? hoc quidem genus pro echinometra vsurpasse videtur Plinius, & eum secuti contra Aristotelis mentem, cùm perspicuè vtrunque genus separet. Quare Aristotelem hîc sequendum censeo ex quo sua transcripsit Plinius.

Aristotelis igitur echinometram hîc exhibeo, qui magnitudine reliquis præstat, adeò vt ambabus manibus quaquauersum extensis capi vix possit: aculeisque est mediocribus. Internæ partes ouarijs echinis similes sunt, demptis ouis siue flaua illa parte eduli, quæ exigua est & planè exucca.

B

F

DE ECHINORVM QVINTO GENERE, RONDELETIVS.

Infra A. proximè est echinus paruus.
Infra B. Vrtica cinerea.
Iuxta C. Lepas adhærens è regione.
Supra D. Lepas inuersa.
Supra E. Lepas parua.



AQVINTVM echinorum genus id est, quod saxo inhærens repræsentamus, calyce paruo, spinis longis pro corporis ratione, & duris, quo ad vrinæ destillationes fœlici successu sum vsus. vnde affirmare non dubitamus id esse quintum genus echinorum, de quo sic Aristoteles: Genus item aliud est minutum spinis longis, præduriſque, gigni in alto gurgite solitum, quo nonnulli ad stillicidia vrinæ medicamento vtuntur. *Lib. 4 de hist. anim. cap. 5.*

Echini candidi Aristotel. s author est echinos alios nasci, circa Toronem, qui candidi sunt, & spinis, & testa, & ouo. augentur forma productiore quàm cæteri, spina ijs parua, nec rigida, sed mollior: nigra autem illa ori applicata, plura à sese distincta, & ad foramen exterius coëuntia. *Circa Toronum candidi nascuntur, spina parua, Plautt.*

DE ECHINIS, BELLONIVS.

A Echinum, Gallicum vulgus à similitudine tegminis castaneę, vocauit Chastaigne de mer, quodque Erinaceo terrestris modo in orbem conglobatus & contractus, vndique aculeis circunvalletur, Erinaceus etiam dictus est: quod nomen imitati quidam Oceani incolæ Herisson de mer appellarunt: Massilienses à dulcedine saporis, Dulcinum, Vn Douſſin: eumque qui magis est albus ac pelagius, addito cognomento, Douſſin rasas nominarunt. Genuenses Zinzin, Itali Riccio marino. Nomen antiquum retinet in Græcia.

F Verum Echinorum speciem descripturus, Aristotelicam secutus authoritatem, ab ijs qui sunt edendo inchoandum esse putaui. Nam nigri, minuti, spinis longis & calycibus exiguis præditi, nullius sunt ponderis in popinis: de quibus singulatim est dicendum.

E Frustra traditum est echinos sæuitiam maris præsagire. Nam quum tam multis proboscidibus muniti sint, à fluctu minimè volutari possunt: neque spinas (vt creditum est) atterunt.

F Multis verbis ius echinorum Galenus, Paulus, Actius & Plinius Secundus commendant: quo vocabulo aquam internam esse intelligendam puto: nam nisi recentes & crudi, non sunt edendo.

G Manducandus est echinus (inquit Plinius medicus) ex intestinis phreneticis & epilepticis. aptus est stomacho, & vrinam mouet. Melancholicorum quoque cibus est idoneus. Dioscorides autem scribit, ijs quibus atra bilis stomachum infestare solet, pisces in aquis petrosis degentes & erinaceos recentes conuenire. Echini marini (inquit Aetius) ex vino mulso & garo præsumpti ventrem leuiter subducunt. Referuntur autem inter edulia modici alimenti. Cibos auersantibus appetentiam excitant, vesicam expurgant, vrinam laxant: quod & Galenus libro de attenuante victu, & item Dioscorides confirmant.

DE ECHINOMETRA, BELLONIVS.

A B Echinometræ appellantur, inquit Plinius, quorum spinæ longissimę, calyces minimi. Ego verò Aristotelis sententiam secutus, Echinometras cæteros echinos calycis magnitudine superare asseuero, minimisque aculeis esse præditos, breuibus & obtusis interceptos spiculis, colore ad extrema albicantibus ad radices liuentibus, & ex purpureo nitentibus. Horum autem testa cinerea est, pugni aut oui anserini magnitudine, rapi modo in vastitatem extuberans: vt quò antiquiores euadant, eò maiores reddantur, parte prona planæ, supina autem rotundæ.

C F Pelagiæ magis sunt Echinometræ, quòd autem reliquis maiores sunt, ideo cæteris anteponuntur. Longu-

Longurijs longioribus nautę multò egent magis, quàm in alijs echinis: Siquidem Echinometræ altiori gurgite merguntur: quas in insulis maris Aegæi tanta crassitudine profeciſſe contemplatus sum, vt ad crassitudinem binorum pugnorum extuberauisse viderim: rariusculè quàm alij echini capi consueuerunt, sed quo maiores sunt, eò delicatiores existimantur. E (F)

DE ALIIS ECHINIS EDVLIBVS, BELLONIVS.

Ab Echinometris, qui echini sunt edules, maiores quidem aculeos habent: crassitie autem minores sunt. vixque grandis gallinæ ouum magnitudine excedunt. Diuersa in his colorum varietas, & mutatio multiplex. Alij enim omninò nigri, alij albi, quidam vitrei, alij ruffi, aut flaui, alij gemmarum nitore conspiciuntur: quidam sunt cyanei, alij purpura splendent, subinde circumagentibus se igniculis micantibus ad aculeos, scintillæ modo. B

Hos piscatores venantur hoc pacto: Manum ferream conto longiore alligant, vel tridentem, cuius incurui sint dentes. hanc manum echinis submouent, vt eos ab imo in sublime attollant, qui suis promuscidibus sese ita stabiliunt, vt plerunque piscatores testam priùs atterant, quàm inde integros diuellere possint. E

Semper crudi eduntur: ouis quæ eius testæ inhærent, in modum stellæ radiantibus, ac quinque ordinibus distinctis, digito vel pane attritis atque diuulsis, vt liberiùs absorberi possint, emundata aqua ac stercoribus, quibus (vt ostrea) interdum scatent. Ea autē oua gustui dulcia sentiuntur, ceu Ricini pulpa, quibusdam echinis pallida, alijs flaua, alijs autem rubentia. F

Quòd autem ad eorum anatomicam descriptionem attinet: sciendum est edules echinos in orbem conglobatos, ac spiculorum serie armatos esse. Os parte prona, in medio corpore terram versus inclinatum habere: in cuius ambitu quina ossicula bene dispositа dentium officio funguntur: prona autem parte plani sunt, breuissimosque aculeos ac promuscides numerosas habent. Supina rotundiorem ostendunt testam perforatam, in qua quidam est meatus ad excrementi exitum: quod vt muribus, cylindreum est, lapidosum ac terreum, quibusdam veluti spiculis intertextum. Promuscides autem Echinorum edulium, linguis Cicadarum vel Muscarum similes sunt, Stellarum & Pudendorum marinorum modo, easque tam crebras habent, vt dinumerari nequeant, quibus vndique circunsepti adhærescunt: extrorsum autem non apparent: concidunt enim in seipsos contracti. Spinis constant paulò quàm Echinometræ longioribus. B

DE MINORI ECHINO, BELLONIVS.

Rondeletius hoc genus quintum facit.

Genus Echinorum aliud est (inquit Aristoteles) minutum, pelagium, spinis grandib. longis, præduriſque, modo penè lapidis, gigni in alto gurgite solitum, quo nonnulli ad distillationes vrinæ vtuntur. Vulgus tum Italicum, tum Gallicum, atque etiam Græcum Iudæ vocat, quòd perpetuò nigrescat, fordescat, & gustus ingrati perciplatur. Passim reperitur: quod aliter Brissis & Spatagis euenit ex philosophi sententia. Hic porrò minimus Echinus reliqua genera spinarum longitudine superat: neque colorem vt illa varium habet: testam iugiande maiorem non promit, estque reliquis omnibus viuidior. Nā si supinum ponas, mox suas spinas deprimit, & se in pronam partem conuertit. Plures habet quàm alij proboscides: idcirco citiùs repetit, firmiusque hæret. Oua non fert vt alij, sed sanguineum quiddam nigrum, saniei simile, quo manus cruentat atque inficit. Dentes itidem in verticilli modum habet quinos, circulari ordine dispositos, vt & cæteri, quibus algas, saxa, & conchyliorum testas arrodit. In interna eius parte multos neruos annexos cernas: ex quo indigenæ coaceruatam dentium congeriem ita cum neruis exiccari siunt, vt annuli vice ad signandum panem vtantur: refert enim quinquefolium, vel quidpiam simile affabrè delineatum. Ventrem in quinque partes distinctum habent, perinde ac si plures illis ventres essent membrana quadam obducti. Ab oris autem verticillo ventres illi testæ quoq; appensi ad foramen excrementi coëunt, sed disiuncti sunt, & quasi interuentu liminum discriminantur. Totidem promuscides habent Echini, quot in testis foraminulis pertusi apparent: sunt enim vltra sex millia in quolibet echino. B (E)

Echinum vidimus in rubri maris litore, inter fontes amaros, & vrbem quam vocant el Tor, prona parte planum, superiore gibbum semipedem latum, minus quàm alij rotundum, paucioribusque, ac minus frequentibus aculeis aut spiculis præditum: cuius os in terram conuersum esset, super quo excrementorum exitus appareret. *Echinus maris rubri.*

COROLLARIVM, DE ECHINIS IN GENERE.

De echinis in genere quædam scripsit Rondeletius in descriptione Echini maioris vel ouarij. Plin. aliàs Herinaceorum tegmentum vocat crustam, aliàs testam: cum tamen Aristoteles religiosè semper Herinaceos inter testaceos numeret, & tegmentum eorum testam appellet: Gillius, qui Aristoteli subscribit. Rondeletius crustatis echinos adnumerat. Ericius marinus species est habentium ostraca, Auicenna. Ἐχῖνος, παλαιστιαῖον πάχος, Suidas. Vter meliùs sentiat experiantur qui in manibus habere possunt. Rondeletius integumentum earum non durum, neq; siliceum esse ait, sed fragile crustæ tenuioris modo. Verùm etiam dura & silicea, si tenuitas accedat, planè fragilia sunt & magis etiam quàm minùs dura. flexilia autem, vt crustatorum corium, præsertim recens, non sunt. Conchulas quoque multas testam tenuem prorsus & fragilem habere videmus, quæ tamen crustati generis non sunt. Hesychio echinus est animal marinum edule: sed species echini quasdam non esse edendo, ex Rondeletij obseruationibus satis apparet. Echinus non est erinaceus marinus, vt exponit Albertus: sed est veluti casteus (*castanea*) cardus, plenus rubro humore, Niphus. qui alibi etiam echinum marinum, vulgò cardum (*carduum*) marinum appellari scribit. quòd autem echinus non sit erinaceus marinus, contra Albertum absurdè negat. Echinus alibi in Italia vocatur el riccio, rizzo de mare, zino, lo inc no. Scoppa grammaticus Italus echinum interpretatur lincino de mare, bogancitola: & genus cancrorum facit, inepetè, Albertum & huiusmodi solœcos authores secutus. Hispanis dicitur erizo de la mar. Ger- A

manis *Seeapffel*, id est malum marinum, circa Daniam, Noruegiam & alibi: quòd & rotunditate figuræ, præsertim aculeis demptis, & magnitudine mâlum referat. ad summum enim instar magni mali inueniri audio in Oceano Balthico, durum, punicei ferè coloris, & spiculis ademptis maculosum: nullum eius vsum esse, sed pro ornamento in domibus suspendi. Quòd si quis aliarum gentium ferè omnium similiter appellantium imitatione, *Meerigel*, id est echinum marinum vocare voluerit, reprehendi non poterit. Recentiores quidam echeneidem pisciculum de quo proximè dictum est, & echinum, qui piscis non est, (branchijs enim caret,) imperitissimè confundunt. Vide superius in Echeneide A. Echinus Græcis commune tum terrestri tum aquatili nomen est: Latini veteres ericium & erinaceum de terrestri di unt, de marino vix vnquam, sed Græcum echini nomen seruant, vt pluribus annotaui in Echino terrestri inter Quadrupedes.

B Eratosthenes dicit in insulis ante Euphraten, miræ magnitudinis cancros atque echinos reperiri: quorum alij pileis maiores sint: alij διχότυλοι, id est binas cotylas capiant, Strabo libro 16. Haberi & fluuiatiles echinos Paulus Aegineta prodidit, Hermolaus & Massarius. Ostrea (*meliora*) Circeis, Miseno (*promontorio*) oriuntur echini, Horatius Serm. 2. 4. Echinus (maris) omnium maximè à natura munitus est: quippe qui testa vndique spinis frequentibus circumuallata cæletur: quam rem peculiarem hunc in genere testato sortiri diximus, Aristot. libro 4. de part. Echinus nihil habet carnis, in globum circumactus est, Ibidem. Plinius & Scholiastes Nicandri echini carnes nominant, oua nimirum eius & partem esculentam intelligentes. Crustis & spinis teguntur echini, Plinius. Calyculos echinorum Apuleius dixit. Iste licet digitos testudine pungat acuta, Cortice deposito mollis echinus erit, Martialis lib. 13. Vidi ego (inquit Nicolaus Perottus) & sæpe piscatus sum piscem hunc (*echinum impropriè piscem vocat*) in scopulis quibusdam maris nostri aqua contectis apud Antij reliquias, & iuxta Baias purpureo colore, cæruleo ac viridi misto: vsque adeò grata oculis ea varietate, vt si colores durarent, nulla esset cum gemmis comparatio: sed mortuo pisce colores tabescunt, Hæc ille: & similiter Gillius. Euenit, vt quod caput appellant & os, versum in terram sit: quod verò ad excrementi exitum deputatum est, id suprà habeatur. quod idem omnibus turbinatis, patellisque euenit. pastus enim de imis petatur, necesse est. Vnde fit, vt os inuersum ad pastum sit, excrementũ verò superius parte prona testæ contineatur, Aristoteles in historia. Ex eodem genere (*quo locustæ, scilicet crustatorum*) sunt echini. oua omnium amara, quina numero. ora in medio corpore, in terram versa, Plinius. Dentes echinis quinos esse, vnde intelligi potuerit, miror, Idem. Dentes quini echinis omnibus sunt, caui int: insecus: inter quos caruncula quædam interiacens linguæ officio fungitur, mox iungitur gula: deinde venter in partes quinq; distinctus, (*prout dicas ac si plures numero ventres hoc animal habeat. sunt enim omnes distincti, plenique vacantis materiæ ex stomacho vno dependent, &c. vt hic, Aristot. in opere de partibus anim. lib. 4.*) plenus excrementi: cuius meatus omnes in exitu excrementi coëunt, quà testa forata est. Ventri autem subdita sunt, quæ oua appellant, membrana obducta diuersa, eodem in omnibus impari quinario numero: quorum quod nigricat, parti creditum est superiori, ex dentium origine pendens, amarum, nec esculentum, quale in multis inesse animaduertimus, aut certè eius proportionale. nam & in testudine, & in rubeta & in rana, atque etiam in turbinato genere, & in molli sed colore diuerso, & aut omnino ingustabili, aut magis ab vsu cibario alieno. Corpus echinis priore atque nouissima parte spissum, & continens: cætera verò non continuum, sed simile lat rnæ, cui non obducta membrana est, Aristoteles in hist. animalium. Et rursus, Echinis caro negata est: id ipsumque habent peculiare, vt nullam intus carnem contineant. Nigra quædam in omnibus vice carnis spectamus. Echini oua stellę speciem similitudinemque gerentia, etsi amaro non ingrato tamen sapore sunt Gillius.

EX ARISTOTELIS DE PARTIBVS ANIMALIVM

libro 4. cap. 6. de ouis echinorum.

Caro in echinis, vt dictum est, nulla est circa ventrem: sed quæ oua appellantur, numerosiora testæ adhærent, membranulis singula obuoluta, & paribus distincta interuallis. Nigra etiam quædam circum ab ore fusa sparguntur, nomine adhuc nullo appellata. Sed cum non vnum, sed plura genera echinorum sint, omnium partes quidem eas omnes sortiuntur: sed oua appellata nec omnes cibo idonea, & parua admodũ continent, exceptis ijs qui vada incolũt. Omnino idipsum cæteris quoq; testatis euenit. caro enim non æquè omnium esculenta est. & excrementum quod papauer vocatur, quibusdam cibo idoneũ, quibusdam non idoneũ est. Cõtinent hoc turbinata omnia sua clauicula: vniualuia, suo fundo, vt patellæ biualuia, qua nodo ligantur. Quod autẽ ouum vocatur, latere dextro biualuia habent: altero latere ostium excrementi continet. Sed errore ouum id vocitatur, quippe ꝙ tale sit, quale est pingue in sanguineo genere, cum viget. quamobrem fieri solet per id tempus anni quo vigent, scilicet vere & autumno. laborant enim testata omnia per frigus & æstum, atque exuperantiam temporis pati nequeunt. argumento est quod echinis euenit. habent enim id iam inde ab ortu naturæ, & plenilunijs vberius: non quia per id tempus copiosiùs pascuntur, vt quidam putant: sed quod noctes tepidiores sint propter lucem pleniorem. calorem enim desiderant quoniam frigori patent, vtpote quę sanguine careant. ex quo fit, vt æstate potiùs vbique vigeant, præterquam in Pyrensi (*Pyrræo, Massarius*) Euripo. nam ibi nõ minùs tempore hyberno probantur. Cuius rei causa est, quòd tunc vberiùs pabulentur, cum pisces per id tempus ea loca relinquant. Habent echini omnes oua eodem numero, atq; impari: quina enim. dentes etiam ventresque totidem. ratio, quod non ouum est quod ouum vocatur, sed quòd bona animalis enutritione, alimoniaque proueniat. fit ostreis quidem in altero tantummodo latere, id quod oui nomine appellatur. idemque quod echinos habere dicimus: sed cum testa echini non modo cæterorum ostreorum orbem colligat vnum, sed in globum circumagatur, vt non partim talis, partim non talis formetur, sed vsquequaq; similis sit: (vndiq; enim in se nutibus suis conglobatur:) idcirco ouũ quoq; simili modo habeat necesse est. non enim ambitu, vt cætera, dissimili constat echinus. nanq; ijs omnib. caput in medio situm est: quam quidem corporis partem situm tenere superiorem certum est. Nec verò

ouum habere continuum potest: quando neque cętera generis eiusdem sic habent, sic altero latere tantum sui orbis. Ergo cum id commune omnium sit, proprium autem illius, vt globi speciem gerat, oua numero impari sint necesse est: nam si pari essent, per diametrum disposita haberentur, cùm similem hinc atque inde seruari rationem interualli conueniat. sic autem dispositis vtroq; latere orbis ouũ haberetur, quod in cęteris ostreis non est. altero enim latere suæ orę id habent & ostreę & pectines. itaque terna aut quina, aut quolibet alio numero impari esse necesse est. at si terna essent, diducta inter se laxo admodum interuallo haberentur. si plura quàm quina, continuum propè ouum redderetur: quorum alterum non melius est, alterum fieri non potest. quina igitur oua echinos habere necesse est. quam ob causam venter quoque quinquepartitus est, & dentes totidem habentur. singula enim oua, cum quasi corpora quædam animalis sint, modum quoq; viuendi similem habeant necesse est. hinc enim capitur incrementum. nam si venter vnus tantummodo esset, oua aut longè distarent, aut totum alueum occuparent, vt echinus & difficile moueretur, & cibi minus impleretur. Cum autem quinq; numero interualla sint, ventrem singulis adiunctum quinquepartitum esse necesse est, eademque de causa dentes etiam totidem habentur: ita enim natura similem rationem prędictis membris reddiderit. Sed quam ob causam oua numero impari, totq; numero echinus habeat, dictum est. cur autem alij parua admodum, alij magna, causa est quòd natura constant alij alijs calidiore. calor enim cibum cõcoquere plenius potest: quamobrem qui cibo inutiles sunt, in ijs excrementi plus est. mobiliores etiam facit natura caloris, vt pascantur, nec stabiles maneant: cuius rei indicium est, quòd eorum spinis aliquid semper adhęreat, tanquam crebrò moueantur. spinis enim vt retulimus, vt pedibus vtuntur.

Echinus Plinio carnes habet rubentes sicut minium, Albertus. Ego hunc Plinij locum legisse non memini. Aristoteles carnem echinis omnino negat. Non omnibus idem vitreus (minij hic fortè legit Albertus) color. circa Toronem candidi nascuntur, &c. Plinius. Idem Albertus & eiusdem monetæ scriptores, echino partes quasdam attribuunt quæ echeneides sunt.

C Spinis suis echini vtuntur perinde ac pedibus. his enim nitibundi mouentur, sedemq; permutant, Aristot. Et alibi, Echinorum spinę vicem pedum eis præstant, non villorum vt erinaceis (terrestribus.) Echinis spinæ pro pedibus sunt. ingredi est his in orbem volui. itaq; detritis sępe aculeis inueniuntur, Plinius. Mouentur agilius & frequentius qui sunt cibo idonei: cuius rei argumentum, quod semper aliquid algæ suis spinis implexum gerant, Aristot. Κογχύλιο· θ' ἵκοντ' ἐχῖνός τε, τοὶ καθ' ἁλμυρὰν ἅλα νεῖν μὲν οὐκ ἴσαντι, πεζοὶ δ' ἐμπορεύονται μόνοι, Epicharmus in Nuptijs Hebes. Ἐχῖνος ἄριστον προβλητικόν, Athenæus ex Aristotele. Echin᷒ inter testacea quib. facultas ingrediẽdi est, olfactũ minimè habere videt᷑, Aristot. Echinos marinos viuentes obductos testa, atque aculeis communitos, si quis contriuerit, & alia separatim ab alijs frusta in mare abiecerit, hęc tamen cohærentiam & coitionem inter se faciunt, & affinem partem recognoscunt, & applicata cohęrescunt, velutique conferuntur simul, & naturali rursus quadã conciliatione (mirum dictu) integrantur, Ælianus 9. 47. & Philes. Echini oua plenilunijs habent hyeme, Plinius. sed melius Aristoteles, Nullo tempore ouis omnino carent: sed maximè plenilunijs diebusq; tepidis redduntur pleniores: præterquã ij quos Pyrrhæus fert Euripus. nam illi hybernis mẽsi bus meliores sunt. Luna alit ostrea, & implet echinos, muribus fibras, Lucilius apud Gellium: à quo etiã Plinius mutuatus cernitur, vt scripsi in Mure B. De ouis echinorum plura retulimus suprà in B.

D Fluctus & tempestas ad terram Echinos deuoluens è mari funditus in aridum expellit & violenter allidit. hi eius periculi metuentes, cum sentiunt mare inhorrescere, & ventorum acerbitate procellas cieri, suis spinis lapillos ad gestandum faciles tollunt, vt libramentum ac firmamentum habeant, vt ne procellarum incursus, ac suę eiectionis periculum, à quo sibi timent, subeant, Ælianus de animal. 7. 33. Oppianus libro 2. tradit echinum præsagire tempestates, & lapillis operiri, (*vide etiam infra in E.*) ne agitatione procellę spinas atterat. Massarius. Atqui Oppianus nihil de spinarum attritione, sed ne in litus à fluctibus cijciantur metuentes, lapide vnumquenq; dorsum suum aggrauare scribit. ----νώτοισι δ' ἀνοχλίζουσιν ἕκαστος Λᾶαν: ὅσον βαρύθοντα περὶ σφετέρῃσιν ἀκάνθαις ῥηϊδίως φορέοιεν, &c. Echini marini quoties æstum procellasq; presensêre, saburra grauant sese, ne propter leuitatem iactentur, néve tempestate ingruente auferantur, sed petris firmè inhæreant, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Simone Grynæo interprete. Echini tum terrestres tum marini spinarum suarum obiectu & rigore, ceu uallo quodam, sese tuentur quo minus capiantur, Athenæus. Vide in Echino terrestri h. inter prouerbia. Echini corporis partes disiectas rursus coire & redintegrari, peculiaris & admirandæ naturę vis est, si verè hoc tradit Ælianus, vt in C. retulimus. Vrticæ genus quoddam echinos, in quos offenderit, corrodit, Aristot. Vrtica noctu pectines & echinos perquirit, Plinius. Echinum (*marinum, vt coniicio*) interimit potamogiton, Ælianus & Philes. Et mox idem Ælianus: Echinus autẽ mergi fel non tolerat: vbi echini vocabulum non rectè repeti suspicio est.

E Echini affigentes sese, aut harena saburrantes, tempestatis signa sunt, Plinius. Echinus in mari cum ventorum procellam præsenserit, calculum validum arripit, eumq; velut saburram vehit, & tanquam anchoram trahit, ne excutiatur à fluctibus: sicq; qui non potest se suis viribus liberare, alieno regitur pondere. Quo indicio etiam nautæ velut signum futuræ perturbationis capessunt, & sibi præcauent ne hos imperitos turbo inueniat, Ambrosius. Vide supra quoq; in D.

F Author libri de naturis rerum & Albertus, echinum piscem cum echeneide confundũt, vt dictũ est: & echinum venenosum esse, nec edi posse, nisi mortis periculo aiunt: cũ Aristoteles echeneidẽ piscẽ nõ edulẽ esse scripserit. Echinorum verò alij sunt edules, alij ἄβρωτοι, id est cibo inepti. Vide inferius in G. ab initio de remedijs ex echino intra corpus. Sunt echinis omnibus oua sed nonnullis exigua, nec cibo apta, Aristot. De ouis quidem echinorũ suprà etiam in B. diximus. Quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, cœna hæc fuit: Ante cœnam echini, ostreæ crudæ, &c, Macrobius. Echini (vt Athenęus libro 3. recitat ex Diphilo, Natali de Comitibus interprete) sunt teneri, bonumq; habent succum: virosi sunt, facilè corrumpuntur. Si cum oxymelite, apio, & mentha comedantur; stomacho sunt vtiles, boniq; succi & dulces. Leniores sunt inter hos rubicundi, melini (*μήλινοι, id est lutei, Natalis vertit fraxinei: non probo*) crassiores, & qui cum raduntur lacteum quiddam emittunt: Eorum qui circa Cephaleniam,

..riam & Adriam nascuntur, quidam sunt subamari. Qui circa Siciliæ scopulum capiuntur, ventrem s..unt. Mense Decembri (inquit Palladius) quibus litus in fructu est, vbi Lunæ iuuabit augmentum, q..e omnium clausorum maris animalium atque concharum iubet incremento suo membra turgere) e..hini carnes salibus condire curabunt. quod solito more conficitur. Hanc quoq; rem per omnes mē-ses bene faciemus hybernos, Hæc ille. atqui Bellonius non nisi recentes & crudos edendo esse ait. Marinus echinus stomacho ventriq; vtilis est, vrinam cit, Dioscor. Vrtica, echinorum oua, & huiusmodi, nutrimentum exiguum & humidum præbent: ventrem tamen soluunt, & vrinam promouent, Mnesitheus. Echini mar. caro esitata ventrem mollit, & calculos qui per vrinam redduntur summè sanat cum condito sumpta, Kiranides. Echini aluum mouent, Celsus & Galenus in libro de attenuante victu. Ventrem deiiciunt conchularum iura & echinorum mar. Aëtius. Echini ex mulso eduntur & garo alui subducendæ gratia. Paranturq; in patinis, ouis, pipere, melleq; iniectis. Imbecillis sunt alimenti, ac medij inter ea quæ humores extenuant ac densant, Galenus libro 3. De alim. facult. In echino: Accipies pultarium nouum, oleum modicum, liquamen, vinum dulce, piper minutum: facies vt ferueat: cū ferbuerit, in singulos echinos mittes, agitabis: iterum bulliat: cum coxeris, piper asperges, & inferes. Aliter in echino: Piper, costum modicè, mentham siccam, mulsum, liquamen, spicam Indicam & folium.

Aliter: Echinum totum mittes in aqua calida, coques, leuas, in patella compones: addes folium, piper, mel, liquamen, olei modicè, oua, & sic obligas: in thermospodio coques: piper asperges & inferes. In echino salso: Echinum salsum cum liquamine optimo, carœno, pipere temperabis & appones. Aliter echinus salsus: Liquamen optimum admisces, & quasi recentes apparebunt, ita vt a balneo sumi possint, Apicius 9. 8. Echinos vbi coxeris, pipere & croco asperges, Platina. Scinditur leui percussu hirta testudo, (cortex echini,) in duasq; partes diuiditur: abijcitur altera: altera verò leuiter aqua abluitur: decidunt sordes, quæ in ijs pro visceribus sunt: remanent quinque partita oua subrufa, ad stellæ imaginem formata. hæc cruda sumuntur, sapore non iniucundo, quamuis nescio quid amaritudinis habeāt, Nicol. Perottus. Præstant qui Miseni nascuntur. Ostrea Circeis, Miseni oriuntur echini, Horatius. Inulas ego primus amaras Monstraui incoquere, illutos Cotillus echinos, Vt melius muria, quam testa marina remittat, Idem Sermonum 2. 28. Alex peruenit ad ostreas, echinos, vrticas, &c. Plinius. Echinus non ignotus est principum mensis, spinoso castaneæ tegumento assimulatus, Iouius.

G

Remedia ex echinis & ipsis extra corpus. Echinorum testæ contusæ, & ex aqua illitæ, incipientibus panis resistunt, Plin. Echini mar. apud Galenum (De compos. medic. sec. loc. lib. 1. cap. 1.) recipiuntur in medicamento quodam quod caluescentes etiam prohibere, & pilis vestire promittitur: & paulò pòst etiam terrestris acanthion, Galenus erinaceum interpretatur. Ibidem cum medicamenta quædam pilos disperdentia ex comptorijs libris Critonis enumerasset, subiungit: Quin & fortiora his componunt ex echinis (*marinis nimirum*) & salamandra in oleo coctis. ammiscent autem ipsis & alcyonia & sandarachen, & quæcunq; alia eius generis existunt. Testa cruda inassata commodè medicamentis admiscetur quæ psoras abstergunt, Dioscor. Echino mar. si corpus scabie infectum perungatur, ad sanitatem redit, Ælianus. Testis contusis & ex aceto illitis (adpositis, Marcellus) strumæ curantur, Plinius. discutiuntur, Marcellus. Echini ex aceto epinyctidas tollunt, Plinius.

Echini tum terrestris tum marini corpus vstum, eadem præstat. Vide in terrestri inter Quadrupedes. Testæ crematæ cinis (Echinus cū testis crematus, Aelianus) sordida vlcera expurgat, Dioscor. & Plinius. Luxuriantem carnem reprimit, Dioscor. Echini combusti cinis illitus lepram sanat, & omne vlcus illicò ad cicatricem & soliditatem reducit, Kiranides. Alopeciam quoq; idem cinis sanat & densat, cum adipe vrsino, vel delphinio, aut porcino illitus, Idem. Cutem (in alopeciis) replet echini cum carnibus suis cremati cinis, Plinius. Galenus lib. 1. de compos. sec. loc. cum remedia quædam ad alopecias ex Sorano præscripsisset: Oportet autem (inquit) & partem affectam præfricare vel per alcyonium vstum, donec morsum persentiscat, vel per echini marini vsti cinerem linteolo inuolutum, donec locus rubefiat. Et paulò post: Echinorum mar. testas vstas, ex melle & aceto prærasis illine. Ad alopeciam expertum: Testæ echini mar. vsti, muscerdarum, iridis, singulorum vncia. bene contusa irrigato cum oleo omphacino, & vtere. Hoc in vulnerum etiam cicatricibus pilos creat, Nic. Myrepsus. Et rursus: Aut echinorum mar. testas crematas bene tritas irrigato cum melle, & illine. Echinum comburi cum viperinis pellibus ranisque, & cinerem aspergi potioni iubent magi, claritatem visus promittentes, Plinius. His quæ ob naturalem retentricis facultatis imbecillitatem abortiuntur, innata quadam proprietate erinacei terrestris corium crematum opitulatur si aqua aut vino dilutum propinetur, & pudendi mulieris orificio illinatur. idem potest echinus marinus, & mitulæ viuentes vstæ, Aetius 16. 21. Licet autem suspicari, vt echeneidē aliqui crediderunt alligatam partus continere ad maturitatem, sic eandem contra abortus vim echino ēt adtribuisse, occasione vtrobiq; à vocabulo sumpta. ἀπὸ τοῦ ἔχειν, ac si non solum naues illa retinere, hic verò suis infixa aculeis, sed omnino arcana quędam cohibēdi vis vtrique inesset. Et huiusmodi quidem superstitiones in aliis quoq; rebus innumeræ sunt.

Intra corpus. Arcesilaus Batti Eudæmonis filius, cum in letalem morbum incidisset, marino echino in potionem per Learchum ei tradito, ad mortem compulsus est. Plutarchus de virtutibus mulierum, in Eryxonæ mentione. Echinum quidem venenatum esse alius veterum nemo prodidit, quod sciam: sed tantum echinorum quosdam non esse edules, (de quibus inferius dicemus:) sicut & echeneidem edendo esse negarunt. recentiores verò echinum cum echeneide, vt diximus, confundentes, vim ei venenosam attribuunt. Contra dorycnium echini maximè prosunt: & ijs qui succum carpathi biberint, præcipuè eius (*eorum, scilicet echinorum*) iure sumpto, Plinius. Contra dorycnium succurrunt animalia quæ in litore & petris marinis degunt, vt gobij, & huiusmodi, (siue cruda, siue elixa tostáue edantur,) sed multo magis iuuabunt in cibo strombi, echini, &c. Nicander & Scholiastes. Morsis a cane rabioso prosunt in cibo echini recentes cum vino mulso, Rufus. Aretæus in curatione elephantiasis: In cœna (inquit apponantur marina quotquot ventrem subducunt, ostrea, echini, &c. Epileptici si ex echino sumere per interualla cupiant, non alienum est. quippe habet aliquid ventri ducendo, stomachoq; firmando, & vrinæ citandæ

citandæ commodum, Trallianus. Eorum qui vomica (empyemate) laborant, si sordidum vlcus fuerit, vt puris euacuatio promoueatur, echinum eos sumere non prohibeto, Idem. Ex ostreorum genere purpuræ & buccina reliquis præferenda sunt: deinde pelorides præstant: postea echini recentes: deinde quæ propriè ostrea appellantur, reliqua verò relinquenda sunt, Aetius in cura colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus. In diabete echinus cauendus est, Trallianus. Ad stomachum hebescentem non parum proficit echinus mar. etenim vel omnium ciborum fastidio laborantem, in pristinæ valetudinis statum restituit, atq; vesicam (quemadmodum harum rerum bene periti affirmant) vacuam facit, Ælianus 14. 4. In colico affectu sumantur pisces duriore carne. vtilis & echinus est: vt qui præterquam quod contemperet refrigeretque, præterea etiam stomacho gratus est, aluumq; & vrinam mouet: quibus nihil est præstantius, Trallianus. Ad dysuriam id est vrinæ difficultatem & calculum, echinos tere cum aculeis suis, & ex mulsa aqua frequenter accipito, Marcellus. Echini cum spinis suis contusi, & è vino poti, calculos pellunt. modis singulis hemina bibitur, donec prosit: & aliàs in cibis ad hoc proficiunt, Plinius. Echini viuentes tusi, & in vino dulci poti, egregiè profluuia purgant, (*menses promouent*,) Plinius. Vt secundæ expellantur: Echinos marinos tres totos tenuiter tritos, in vino odorato bibendos dato, Hippocrates libro 1. De mulieb. morbis.

Si echini aculei pedicus inhæserint, aut alicui corporis parti, in lotio humano calenti pedem diu tene, facilè excutientur, Marcellus empiricus.

Plurima ad philologiam de echino pertinentia, iam in terrestri echino à nobis exposita sunt. hic paralipómena adferemus. Σχῦρος, ἐχῖνος, Hesychius & Varinus. Hystrix, animal testatum, marinum, edule, Varinus. Vide in Hystriche quadrupede A. ad finem. Βατράχιον, χῖνα, σφάκελος, Hesychius & Varinus. Euboi, id est luscinia, echinus maris, Kiranides 1. 5. Est & echinus pars ventris ruminantium. Ἠ' ἐλάφοιο νηδυῖ, τὴν δὴ καλέουσιν ἐχῖνον, Ἄλλοι δ' ἐγκατόεντα κεκρύφαλον, Nicander in Theriacis. Scholiastes ἐχῖνον interpretatur πολύπτυχον, (melius πολύπτυχον. nostri vulgò hanc ventris partem multiplex appellant: *das manigfalt*:) & propriè de boue dici addit. Ἀ' τὶ δ' ἐχῖνον, τὸν καὶ κεκρύφαλον ἔχῖνον ... τοὺς ἀποπατ..., Varinus. Dorion ... Atheneus. Echinis marinis, absq; aculeis, similes etiam lapides vidi: vnum hemisphærica figura, parui mali magnitudine: alterum lenticulari figura, magnitudine rapi mediocris, lati compressiq; vtrinque. clauduntur crusta quadam albicante, quinis distincta radijs, quæ circa basin latiores. paulatim ..., hoc est veluti caudæ quædam, angustiores fiunt: inter binos radios interstitium binos tuberculorum ordines habet, quæ veluti verrucæ rotundæ aut veluti oua quædam sunt: ordo vnusquisque in minori lapide quina aut sena tubercula continebat, in maiori iam pleraque (vetustate, vel attritione, in fluuio enim quodam apud nos repertum audio) allisa & obtusa vix apparebant. Vide infrà vbi de anguib᷒ scripsi in Hydri historia. Squinada Massiliensibus Maia (*bellonu*) appellatur, à similitudine pectinis ad quem lina attenuantur, Bellonius. Squinada quidem Gallicum nomen per aphæresin ab echino factum videtur. Nostri hoc instrumentum vocāt *ein Hechel*. Squinada Gallis quasi echinada dicta videtur. Latinè pecten appellari potest. Ad huius similitudinem, quidam conligant acus, ita vt cuspides ipsarum in eundem locum porrigātur, & per ipsas cutem compungunt in alopeciæ curatione, vt Galenus ex Sorano annotauit. Pecten echini vocatur iureconsultis echini pellis vestiū detersui accommodè cōcinnata, cuius auctor rei Plinius est, Cælius. Nostris in vsu est tabella è ligno quadrata, & multis pertusa foraminibus, quibus setarum penicilli infarciuntur, & vt asperior, rigidior, æqualisq; superficies sit, tondentur. hac vestes purgandæ perfricantur. *ein ryberle*. Echinum dixerīs. Et similiter instrumentum, quo pocula aliquando exterguntur, setis in manubrij lignei vel è filis ferreis confecti altero extremo transuersè impactis, ad capituli in dipsaco, (quem aliqui simpliciter carduum appellant) effigiem, oualem ferè. Item instrumentum quo panni lanei pectuntur. vulgus à cardui capitulorum similitudine, *Carten* ... appellat.

H.a.

Epitheta. Echinus marinus, Horatius. sed differentia hoc, non epitheton est. ὀξυλεῖς, ὀξυκόμος, Oppianus. Ἀλιθνής, Nicāder. Scoliastes interpretatur cuius caro sit ruffa, ... Matron Parodus. Plura in Echino quadrupede dedimus, quorum multa marino etiam quadrant.

Deriuata. Echinophora, genus conchæ, Plinio, lib. 32. Sinope sita est in collo peninsulæ cuiusdam: cuius litora petrosa sunt, & fossas quasdam in petris excauatas habent, quæ mari tempestate elato complentur: quam ob causam non facilè adire possunt: & insuper quod petrarum superficies omnis sit ἐχινώδης (id est aspera & acuminata, echinata: interpres vertit echinis plena,) nudo pedi inaccessibilis, Strabo libro 12.

Icones. Marinus huc echinus obuoluitur, (inquit in Hieroglyphicis Io. Pierius,) lenticulari propemodum figura, cochleari crusta, scabritie varia, crebris lineamentis rectilineis, quatenus in sphærica figura fieri potest, picturata, &c. Atque vt ad eius significata aggrediamur, hominem difficilem atque morosum, qui cum difficulter, vel nulla vnquam ratione consuetudinem inire possis, ex hieroglyphico eius commonstrabant: quippe quem quaqua tractare volueris, asperitate renitentiaque horridum experiare. atque itidem ex hoc asperitatem eam, quam Horatius damnat, agrestem, inconcinnam, atque grauem, per hoc animal notabant. Item iudiciorum seueritatem, (*picto echino designare iubebit*.) erant enim apud veteres vasa (ahenea aut opere fictili facta) echini nomine nuncupata, quæ scilicet animalis istius imaginem referebant, quorum in iudiciis vsus erat: in quæ testium dicta scriptaque iudicia coniicerentur: ex quo significabatur, non licere cuipiam impune illis manus admouere, neque inuertere, aut immutare quicquam, sine graui supplicio. Sunt etiam qui per echinum nauigationem tutam intelligant. ille siquidem imminentem tempestatem præsentiens, attractis lapillis sese munit, arenaq; nauium instar saburrat, ne vi fluctuum vlla versari iactariue possit. Ad hæc macilentissimum hominem per idem animal intelligebant, cui quidem sit hoc peculiare, vt nullam intus carnem contineat, foris & spinulas & crustam tantum habeat. Annum integrum cibo eum abstinere aiunt. Postremò exercitum, aut quid huiusmodi ex dissipatis reliquijs instauratum, si quis pingendo significare voluerit, non imperitè echini marini dilaniationem quandam figurabit. ille enim in frusta discerptus, si proijciatur in mare, confluentibus sponte in vnum partibus, iterum committitur, & efficacissimè solidescit.

Echinion.

Planta. Echiniô, hippophaes Dioscoridi. Echinopus herba ab echinis dicta est, & memoratur in prouerbio, Τὰς ἀκάνθας συνάγων ὥσὰν ἐχινόποδας, Eustathius in Iliad. β. Echinopus genus est spinæ sic dictæ, quod pedes ingredientium super ea detineat & remoretur: vel quod echini marini pedibus similis sit, Etymologus & Varinus. Λυκόφανον, τὸ ἐχινόποδα, Μεσλώιοι, Hesychius & Varinus. Risu vti licet ad multa vtiliter & serio monenda: Ὡς ἀν' ἐχινόποδας ἢ ἀνὰ τρηχεῖαν ὄνωνιν φύονται μαλακῶν ἄνθεα λαθείων, Plutarchus in Symposiacis 1. 4. Ceras ex omnium arborum satorumq; floribus apes confingunt, excepta rumice & chenopode, Plinius. legerim potius echinopode: licet herbam quandam suibus venenosam, nostri chenopodem, id est anseris pedem vocitent. Bellonius in singularibus obseruationibus suis herbam vulgò Achinopoda vel Cachynopoda dictam in Lemno abundare scribit, quam incolæ in lignorum inopia vtant. Vide etiam in Echino quadrupede. Glycyrrhizæ folia echinata sunt Plinio: ego σχῖνε, id est lentisci folia glycyrrhizam habere dixerim, non ἐχῖνε nec ἐχινώδη.

Propria. Echini ciuitatis meminit Strabo lib. 1. Item lib. 9. supra Phalaram (inquit) à mari ora vrbium XV. stadia L. imminet. Inde porrò nauiganti stadia C. Echinus incumbit. Plinius Acarnaniæ oppidum esse scribit. Echinæ vel Echinades insulæ quædam sunt: de quibus plura diximus in Echino quadrupede inter propria. Οἱ δ' ἐκ Δουλιχίοιο, Ἐχινάων θ' ἱεράων Νήσων αἳ ναίουσι πέρην ἁλὸς Ἤλιδος ἄντα, Homerus Iliad. β. vbi Eustathius: Rectus (inquit) est Ἐχίνη, apud posteriores autem Homero Ἐχινὰς, siue deriuatum ab Ἐχίνη, siue diminutiuum. Echinadum incolæ Epei dicebantur, Varinus. Apparet autem ab echinorum copia nomen eis esse factum, Eustathius & Athenæus. Easdem Homerus in Odyssea Θοὰς nominauit, Varinus. Dulychium insula vna est Echinadum: quę quidem iuxta Acheloi fluuij ostiũ sitę sunt, Eustathius in Odysseæ α. Echinades insulæ ab Acheloo amne congestę sunt, Plinius. Et alibi, Ante Aetoliã Echinades. Echinades insulæ (inquit Pausanias in Arcadicis) quod ab Acheloo non fuerint dissipatæ, nec ad nostram vsq; ætatem in continentem redactæ, in causa sunt Aetoli: qui cum ipsi sunt expulsi, tũ ager omnis est desolatus. Ergo in Echinadas, quippe cum sementem in Aetolia non faciant, cœnum Achelous non similiter inuehit.

b. Iuba tradit Arabicis margaritis concham esse similem pectini insecto, hirsutam echinorum modo, Plinius. Κίλλεια, spinę echinorum, Hesychius. In mari Indico purpuræ & buccina tanta sunt, vt facilè congium capiant: & echinorum testę similiter, (Καὶ μὲν τοι καὶ τῶν ἐχίνων τὰ χελώνια δέξαιτ' ἂν τοσοῦτον στέγειν,) Ælian. 16. 12. Echinopus herba dicta est fortè quod similis sit echini mar. pedibus, ποσὶ, Etymologus & Varinus. Et semel aspecti litus dicebat echini, Iuuenalis Sat. 4.

d. Τοῖς δὲ Νηρεὺς τῶν ἐχίνων τοῖς σκέλοις
Προσβλεπτικοῖς δίδωσιν ἐν βυθῷ κέρας,
Οὕτως φύγωσι πρὸ ζάλης τὰ τῆς ζάλης, Suidas ex innominato.

f. Vtra magis pisces & echinos (*tanquam de cibo lauto*) ęquora cælent, Pinguis vt inde domum possim, Phęaxq; reuerti, Horatius lib. 1. Epist. Lynceus conuiuium Atticum seu paruum describens apud Athenæum libro 4. appositos ait quinque paruos pinaciscos, in quorum vno fuerit allium, in altero duo echini, &c. Primum ostrea vidi & echinos: quę quidem procœmia sunt δείπνε χαριέντως πεπεισμένε, Quidam apud Athenęum. [illegible] Ἐχῖνον ἐχῖνον, [illegible], Nicostratus apud eundem. Posidippus nominat ἐγχέλυα, ἐχίνες στρόφατες. &c. Athenæus.

Αὐτὰρ ἐχίνες ῥίψα καρηκομόωντας ἀκάνθας. Οἱ δ' ἢ κυλινδόμενοι καναχὴν ἔχον ἐν ποσὶ παίδων
Ἐν καθαρῷ, ὅθι κύματ' ἐπ' ἠϊόνος κλύζεσκε. Πολλὰς δ' ἐκ κεφαλῆς πεφθελυμένους εἷλκον ἀκάνθας, Matron Parodus.

Echini superficiem Venetiis pictam hic adiecimus.

h. Magi Zoroastrem secuti canes, gallinas, & terrestres echinos bono Deo attribuunt: aquaticos autem, malo, Plutarchus in libro de Iside & Osiride. Prius duo echini amicitiam incant, alter è mari, alter è terra. Vide inter prouerbia ab echino quadrupede sumpta. Ὥσπερ ἐχῖνον λαβεῖν μὲν ῥᾴδιον, συνέχειν δὲ χαλεπὸν, οὕτω τὰ χρήματα, Ælianus in Varijs 4. 14. Lege in Echino terrestri in fine Philologiæ.

DE ECHINOMETRA, ET RELIQVIS ECHINIS.

Echinometras Iulius Pollux metras appellat, Hermolaus. Aristoteles (inquit Gillius) dicit Echinometras cæteros magnitudine calicis superare. Plinius Echinometras spinis longissimis & calicibus minimis descripsit, quod ipsum mihi vero similius videtur, cum ab aculeis nomen omnes Echini traxerint. rectius igitur nominantur Echinometræ, qui aculeorũ proceritate præstant, quã ob magnitudinẽ calicis. Ex hoc genere maximi vt vidimus, minimis aculeis sunt: hos Massilienses vocant Rascassos. Huiuscemodi vidi, qui quoquoversus palmos dirigeres, plusquam duorũ essent palmorum crassitudine. alios etiam inspexi calice exiguo, & aculeis digiti longitudinem superantibus, longitudine aculeorum pręstantes: à Siculis Masculi appellantur. Massilienses vulgò omnes nominat Ericios, Hæc Gillius. Rondeletius Aristotelis sententiam potius sequitur. Theophrastus ἐχίνε tres species facit, ex quibus tertia magnitudine & crassitudine pręstans ὁλοέχινος dicatur, Varinus. Verùm Theophrastus de historia plantarum lib. 4. cap. 13. non echini sed σχοίνε, id est iunci tres species facit, quarum tertia maior holoschœnos, ὁλόσχοινος, dicatur.

Spatanga. SPATANGAS aut Patangas Hermolaus dicit, Vuottonus. Πάταγγας ἔνιοι καλοῦσιν ἐχίνων τι εἶδος, Pollux. Σπατάγγαι. οἱ μεγάλοι ἐχῖνοι οἱ θαλάσσιοι, Hesychius. Spatagus echini genus à Gillio & Rondeletio nominatur, ac si σπάταγος vt λόγος dicendum esset. sed video authores σπατάγγης vt Χρύσης, in prima declinatione posuisse, vnde rectus pluralis σπατάγγαι apud Hesychium probè legitur. pro πατάγγας apud Pollucem, legerim σπατάγγας. Genitiuus pluralis est σπατάγγων apud Athenæum, qui Aristotelis etiam verba recitans similiter hunc casum profert, non vt vulgati codices habẽt σπαταγων. Requirebat quidem

quidem inflexio prima genitiui pluralis vltimam circumflexam: sed fieri potest vt hoc vocabulum, licet non animaduerterint grammatici, excipiatur, sicut & χλούνων, χρήστων, ἐτησίων Aristophanes in Holcadibus, Δαρδάπτοντα, μισύλλοντα διαλείχοντά μου τὸν κάτω σπαταγγῶν, (melius σπατάγγων, paroxytonum) vt citat Athenęus.

Brissi, bryttii &c. Aristoteles, & ex eo Athenęus, echinorum genus quoddam brissos nominant. βελόνους. Idem aliter bryttus in Lexicis Græcis scribitur. Αρόττος genus est echini pelagii, vt ait Aristoteles. alij piscem esse dicunt. aliqui tribus syllabis βρυγγόνλω scribunt, Hesychius & Varinus. Βρυτίνη quoque animal quoddã est Hesychio. Ἄβρωτοι, echinorum marinorum genus, Iidem. Et alibi, Ἀμβρυτα. (Hesychius duplex habet) echini quidam marini, quos Atistoteles βρωμώνους (imò βρίσσους) vocat. Sed hęc vocabula corrupta videntur ab ἄβρωτοι. sic enim Aristoteles nominat, echinos qui edendo non sunt. de quibus etiam Michael Ephesius quærit libro 4. de partibus animalium. Quomodo (inquit) Aristoteles echinos calidiores, qui etiam ad motum agiliores sunt, plenos excrementis, ideoque cibis ineptos dixit? nam si calidiores sunt, melius eos concoquere & excrementorum minus habere par erat, nec esse ineptos cibo. an dicendum calidos quidem esse, sed voraces, & præ copia ingestorum, quæ calor natiuus eorum vincere non potest, cruditatem in eis fieri? Ibidem Ephesius Scholiastes plura adfert de dentium & ventriculorum in echinis ratione, quæ ne sim prolixior, omitto. Non ἄβρωτος modo, sed etiam venenosus fuit echinus ille marinus, quem in potione per Learchum ei tradita Arcesilaus Batti Eudęmonis filius cum letali morbo laboraret, hauriens ad mortem compulsus est. meminit Plutarchus in libro de virtutibus mulierum. Ἀβρότων, genus cochlearum, vel locustarum, (quæ cum abundant fructus perdunt) vel apicularum οἱ δὲ ἀσπέτων φασὶν, ὅ ἐστιν αὐτὶ τῶν λῃστῶν, Varinus.

Quintũ genus Rondeletio. In causa est frigiditas (inquit Aristoteles) non solum vt pilus, sed etiam cutis, terrena duraq; euadat. indicium vel echini pelagij (πόντιοι) faciunt: quorum vsus contra vrinæ stillicidia est, quippe qui frigiditate maris prǽalti, in quo degunt (sexaginta enim, atque etiam amplius, passuum gurgite oriuntur) ipsi quidem exigui sint, sed aculeos grandes durosque gerunt. causa magnitudinis est, quod incrementum corporis in ipsos conuertitur. cum enim parum caloris obtineant, neq; concoquere possint, multũ ob eam rem habent excrementi. aculei autem, & pili, & reliqua generis eiusdem excrementa nascuntur. Duri verò & rigidi modo penè lapidis constant, propter frigus & gelu, Hæc ille de generatione anim. 5. 3. Hoc genus echini medici conterunt (vt scribit Philoponus) ac stranguria laborantibus, humori alicui admiscentes, in potu tradere solent, Niphus.

Sagittarius. SAGITTARIVS (Τοξότης) in mari rubro procreatur: & quoniam echini speciem ac similitudinem habet, firmis & bene longis armatur aculeis, Ælianus 12. 25.

EDCNE piscis, qui & ophidion, Kiranides 1. 7, Vide in Ophidio.

DE ELACATENE, RONDELETIVS.

IN piscium Catalogo statim post hepãr helacatenas Plinius numerauit, & Athenæus post hepatum. Sed animaduertendum apud Plinium scribi helaeathenes, apud Athenæum elacatenes: quã postremam lectionem secuti Festus & Columella elacatenãm dixerunt; quanquam apud Columellam non elacatena, sed elacata legebatur, cui voci elacatenam rectè substituit Hermolaus. Qui sint autem elacatenes, declarat Athenæus ex Mnesimacho: Μνησίμαχος Ἱπποτρόφῳ, Σκόμβρος, θύννος, κωβιὸς, ἠλακατῆνες, εἰσὶ δὲ κητώδεις, ἐπιτήδειοι εἰς ταριχείαν. Mnesimachus in Hippotropho, Scomber, thynnus, gobius, elacatenes: sunt autem elacatenes cetacei ad saliendum idonei. Festus: Elacatena genus est salsamenti, quod appellatur vulgò melandrya. Columella: Scombri, carchari, elacatenæq; ventriculos: &, ne singula enumerem, salsamentorum, omnium purgamenta. (*Loquitur de esca, quam piscibus in piscinis præberi monet.*) Ex his colligo elacatenam piscem fuisse ex thunnorum genere, vel thunnis & lacertis corporis specie consimilem, longum scilicet & cetaceum, iaculi vel coli vel fusi figura, in extremis tenuiore, in medio crassiuscula, à verbo ἠλάσκω, quod significat circumuoluor & circumuertor. Cum salituræ idoneus esset piscis, factum est, vt non pro pisce solum, sed pro salsamento sumeretur: quemadmodum garum, liquor, qui ex garo fit pisce. *Lib. 8. cap.*

Libro 3. Quòd ex thunnorum genere sit, vel thunnis similis elacatena, suspicari licet ex Festô, qui elacatenam genus esse salsamenti scribit, quod melandrya vocatur: nam μέλανδρυς autore Pamphilo & Athenæo, τῶν μεγίστων θύννων εἶδος ἐστι. Sunt & μελανδρύαι, τὰ τεμάχη αὐτῶν λιπαρώτερα. id est, particulæ thynnorũ pinguiores: quę alibi, vt opinor, dicuntur Κόσμοι τῶν ὀρκύνων. His subscribit Plinius de thynnis membratim cęsis loquens: Melandrya vocatur cæsis quernis assulis simillima. Præterea ex eo quod similes pisces coniũgit Athenæus, in ijs quæ ex Mnesimacho profert, quæ iam citauimus perspicuum esse potest, mendum vnum esse, vt pro κωβιὸς, κολίας legendum sit. nam κωβιὸς dissimilis est & vitã & corporis forma, κολίας verò eiusdem generis, vt ex superioribus libris constat.

COROLLARIVM.

Elacatenẽ ego masculino tantũ genere citra vllã aspirationẽ protulerim, à recto ἠλακατῆν, sicut δελφίν. Videtur .a. salsamentarius hic piscis, vel pars aliqua eius & salsamentũ ex eo factũ, non quidẽ à verbo ἠλάσκω (vt Rondeletius conijcit) sed à nomine ἠλακάτη, quod colũ significat, denominari: quod fortè coli speciem aliquo modo repræsentet, in extremis tenuior, in medio crassior, quod idem Rondeletius suspicatur. Ἠλακάτην verò muliebre nendi instrumentum ab ἠλάσκω deduci Etymologus coniectat. Apud eũdem & alios grammaticos Lexicorum scriptores, plures vocabuli ἠλακάτη significationes qui voluerit leget. Porrò elacatenem ex thunnorum genere piscem fuisse: vel thunnis & lacertis corporis specie consimilem, longũ scilicet & cetaceũ, idem Rondeletius putat: cui facilè assenserim. itaq; apud Plinium: *Helacatenes sunt lacertorum genera*, continuò orationis ductu legerim. Ἠλακατῆνες, θαλασσίων ἰχθύων οἱ κητώδεις, Varinus. apud Hesychium alpha in secunda perperam omittitur. Κωβιὸς, ἠλακατῆνες, ἢ κιὼς οὐραῖον. Menander apud Athenęũ libro 7. vbi similiter fortè pro cobio colias legẽdũ fuerit, vt eodem in loco in Mnesimachi verbis Rondeletius castigat. Μνασέας δ' ὁ Πατρεύς φησιν, Ἰχθὺς δὲ γίνεται ἢ ἡσυχίας ἢ ἀδελφῆς γαλλιώη, ἢ μύραινα ἢ ἠλακατῆνες, Idẽ Athenæus. Apud eundẽ libro 9. nominãtur ex Mnesimacho, θέρμιος ὁλος, ἠλακατῖνος, (lego ἠλακατὴν vel in plurali numero ἠλακατῆνες) κυνὸς οὐραῖον, &c. Ἠλακάτη vsurpatur pro fuso, colo, telo, arundine, suprema mali parte, quibus omnibus figura oblonga & recta conuenit.

Festo

Melandrya. Festo Elacatena genus est salsamenti, quod appellatur (inquit) vulgo melandria, quanquam aliud est propriè melandryum, Hermolaus in Plinium. Et in Corollario, Ex orcyno sunt & melandryæ: sed & pubes eius tota salem accipit, admodumq; pinguis est. Melandrys masculino genere piscis est, thunnus scilicet magnus, siue orcynus, siue ei similis: melandryũ verò neutro genere, aut fœminino melandrya, tomus & salsamentũ ex eo pisce. Μελανδρύα inter salsamenta sunt: vnde τέμαχος ὑπομελανδρυῶδες (ὑπομαλανδρυῶδες apud Hesychium, perperam) Epicharmus dixit, Athenæus. Teq; iuuant gerres, & pelle melandrya cana, Martialis lib. 3.

Σταυροὺς δ' ἐκτὸς ἔλασσε διαμπερὲς ἔνθα καὶ ἔνθα Πυκνοὺς καὶ θαμέας, τὸ μέλαν δρυὸς ἀμφικεάσσας, Homerus Iliad. Ξ. de hara Eumæi subulci. Eustathius μέλαν δρυὸς alij (inquit) interpretantur medullam quercus, (τὴν ἐντεριώνην, τὸ ἐγκάρδιον, τὴν μήτραν,) quę vt plurimum nigra est. Aristarchus corticem (τὸν φλοῦν, lego φλοιὸν) intelligit. Crates verò opacam & densam foliorum abundantiam, μελάνδρυον vocat, quod ea propter vmbram nigredinem ligno inducat. Κρεμάσας τὸ ξόον πίτυος ἐκ μελανδρύου, Æschylus in Philoctete. Iocineri medetur herba melandryũ, nascens in segete ac pratis, flore albo, odorata. (odorato, Ruellius: & idem alibi odorata) eius cauliculus conteritur ex vino vetere, Plinius 26. 7. Melandryum (inquit Ruellius) aliqui nominis sequentes etymum pro quodam roboris genere sumũt, queis vel Theophrastus astipulatur. Alij censent apud Plinium melampyrum legendum: quando id Theophrasto inter Siculi frumenti vitia numeratur, lolio quidem simile, sed innocens, neque tentans caput, Hæc ille. Mihi melandryon herba Plinio descripta, cognata tum facie tum viribus videtur scandici seu pectini Veneris, & caucalidi seu dauco aruensi. Nam & Veneris pecté frutice est odorato, floribus candidis, è quibus cornicula acuum effigie prodeunt, &c. & scandicis decoctæ succus, renibus, vesicę iocineri medetur. Et caucalidis succus bibitur arenis pellendis & vesicæ pruritibus vtilis. idem lienis, iocineris, tenũque pituitas extenuat. Melandryon apud Theophrastum est exalburnatum robur, de nigricie cõciliato nomine, Cælius Rhod. Long: alius piscis est Melanderinus, de quo in M. elemento dicemus.

Elegini, Ἐλεγῖνοι, inter marinos pisces gregales numerantur ab Aristotele, historię animalium 9. 2. Rondeletius sibi ignotos fatetur.

Eleotris, Ἐλεωτρίς, inter Nili pisces nominatur ab Athenæo libro 7. Strabo libro 17. Nili piscium genera enumerans, nullam eius mentionem facit. Aleantris in Catalogo piscium Tarentini legitur in Geoponicis, idem an diuersis haud scio.

DE ELEPHANTO LOCVSTARVM GENERIS, ET ALTERO BELLVA.

Plinivs tradit Elephantum locustarum nigrum genus, pedibus quaternis, bisulcis, brachijs duobus, duplici articulo, & forcipibus dentatis. Neapolitani genus quoddam crustatorum etiam nũc Elephantum vulgò nominant: sed húncne, an alium appellent, iudicare non possum, cum piscem non viderim, Gillius. Elephantus Plinij Rondeletio non alius videtur, quàm astacus. vide suprà in Astaco A. ex Rondeletio. In eadem sententia Bellonius est, qui Leonem insuper ostracodermum non alium esse putat: Rondeletius diuersum facit, ex quo & iconem & historiam Leonis inter cancros dedimus.

Est & bellua marina Elephas, Plinio libro 9. cap. 5. Tiberio principe (inquit) contra Lugdunẽsis prouincię litus in insula simul trecentas amplius beluas reciprocans destituit Oceanus, mirę varietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonum litore: interq; reliquas elephantos & arietes, candore tantum cornibus assimulatis. Massarius hunc locum ita interpretatur: Cornua (inquit) harum beluarum, hoc est elephantorum & arietum, non in effigie siue forma, sed in candore tantum inter se similia sunt. vtraq; enim cornua eboris candorem præferunt. ex quo facilè redarguuntur qui elephantos marinos candidam promuscidem habere prodiderunt. Posses & aliter interpretari, vt cornua harum beluarum non eodem modo quo diximus assimulata à Plinio fuisse credas: sed quod cornua elephanti marini sint candore similia cornibus, siue dentibus elephanti terrestris, & ea quæ sunt marini arietis, sint cornibus arietis quadrupedis, candore similia. Arietis nanque quadrupedis cornua sunt magna ex parte candida.

Ceti genus in Oceano quod Rosmarum aliqui recentiores nominant, Galli Oceani accolæ vn Rohart, elephantum tum magnitudine refert, vt Olaus Magnus prodidit: tum dentibus, quibus à rupe aliqua se suspendere solet somni capiendi gratia, (montes enim scãdit, & gramine vescitur: & somno tam alto opprimitur, vt piscatores eum funibus ligatum capiant.) Plura de eo leges superius inter Cete.

Serratam spinam siue aculeum in paucis piscibus obseruaui, vt in pastinaca, & eo quem elephãtem vel ibin vocant. Rondeletius in descriptione Anthiæ primi. Quémnam verò piscem, elephantem aut ibin appellet, alibi (quod sciam) nusquam explicat.

Elepoces, Ἐλέποκες, piscis quidam similis phycidi, Hesychius & Varinus.

Ellyes. Ἔλλυες, animalia quædam in Smaragdo fluuio, Hesychius & Varinus. Smaragdus quidẽ fluuius cuius regionis sit, iam non inuenio.

DE ELOPE, RONDELETIVS.

Elopem ab acipensere & anthia differre anteà docuimus. Hunc sacrum piscem à poeta vocari existimant, vt scribit Ælianus. rarus inuentu creditur. In profundo Pamphylio capitur: sed tamen etiã inde non nisi vix & admodum rarò. Quòd si capiatur, coronis ob secundam piscationem sese non modò piscatores ornant, sed & piscatoria nauigia sertis redimiri curant, & plausu & tibiarum sono prædam testantes, ad terram nauem applicant. Alij non hunc, sed anthiam, sacrum existimant: quia locus quẽ anthias incolit, & beluarum expers, & vrinatoribus tutus est, & cum piscibus pacem seruat: cuius fiducia pisces confirmati ibidem pariunt, Hęc ille, & similiter Plutarchus. De eodem elope ex Columella & Plinio plura, quum de acipensere ageremus. Hoc vnum non possum non mirari, quòd scripserunt antiquorum

antiquorum quidam elopi soli squamas esse ad os versas. hic enim squamarum situs maximè mihi à naturali constitutione alienus esse videtur. Nam cum piscibus, vt cæteris animantibus, sensuum sedes sint in capite, quorum ope nocitura declinent, profutura persequantur, necesse est in anteriora natationem dirigi. quod si ad os versæ essent squamæ, etiam in leniter fluente aqua impetus retardaretur, in rapida vero prorsus inhiberetur. vndis enim squamas subeuntibus, & leuantibus in aduersum, pellerentur pisces. Cogitare itaque non possum quid causæ sit cur optimum & piscium constitutioni accommodatissimum squamarum positum natura in elope mutarit: quæ id in piscibus creandis maxime obseruasse videtur, ne quid esset quod natationem impediret: qua de causa auriculis, pedibus, manibus, pudendis propendentibus, mammisq; omnes priuat. Hanc tam insignem in elope notam non prætermisset Aristoteles, qui elopem vidit, vt indicare licet ex iis locis, in quibus particularum elopis meminit, de brãchiis piscium loquens. Alii (inquit) binas vtrinq; branchias habent, alteras simplices, alteras duplices, vt conger, scarus: alii quaternas vtrinq; simplices, vt elops, synagris, muręna, anguilla. Item alibi cum de fellis situ verba facit. Alii in intestinis, (πρὸς τοῖς ἐντέροις) situm fel habent: hi longius à iecore, illi propius, vt rana, elops, synagris. *Libr. 2. de hist. anim. capi. 13* *Libr. 2. de hist. anim. cap. 15*

COROLLARIVM.

Elops, Ἔλοψ, piscis cuiusdam nomen sine aspiratione, lambda simplici, & ο breui in vltima scribi debet. Quamobrem non laudo qui primam aspirarunt, vt in carmine Ouidii, Et preciosus helops, &c. In Catalogo piscium Tarentini ἔλαψ, legitur, perperam puto pro ἔλοψ, quanquam Andreas à Lacuna vertit salpam, diuersam fortè lectionem secutus. In Iulii Pollucis Onomastici lib. 6. cap. 9. piscium aliquot nomina leguntur, sed pleraq; à librariis corrupta: vt σινώδης, κίχλη, ἔλαψ, κόχλη, ἔλοψ, σκάλπη &c. suspicetur autem aliquis ἔλαψ in contextu ab aliquo per α imperitè scriptum fuisse, & doctiorem aliquem in margine notasse ἔλοψ, idque postea in textum irrepsisse, & aspiratum etiam imperitè. (nam: ante λ attenuari obseruarunt grammatici, paucis exceptis, inter quę tamen helops non est.) Idem circa κόχλη & κίχλη accidisse coniicio. Matron Parodus de conuiuio quodam apud Atheneum, Appositus est (inquit) & ἔλωψ, (per ω in vltima, melius per ο breue) omnium nobilissimus, vt vel deorum cibus videri possit. Σέλοψ, piscis quidam, Hesychius & Varinus, (quanquam apud Varinum non recte σέλοψ scribitur, quod literarum ordo arguit:) quod nomen an bene se habeat, an corruptum sit pro ἔλοψ, aut alio quopiam, asserere nequeo.

Bellonius piscem qui Romæ & Neapoli Fietola dicitur, callichthyn esse putat: Et de eodem. Sunt (inquit) qui callionymum, nonnulli hellopem, alii lycon esse credunt. Anthiam aliqui ἔλλοπα vocarunt, Rondeletius in Anthia ex Dorione. & mox de suo addit: Sed est etiam piscis alius ἔλλοψ qui squamas ad os versas habet. In quibus verbis duo mihi animaduertenda videntur: primum quod ellopes duos diuersos facit: vnum, eundem anthię: alterum sui generis: ac si ipse certum aliquid ea in re haberet, de qua scriptores veteres pleriq; omnes dubitarunt. Deinde quod elopi squamas ad os conuerti ait, sine authore facit. non enim hoc de ellope, sed de accipensere Plinius scripsit: quos pisces inuicem diuersos esse, Rondeletius ipse in Accipensere approbauit. Gręcorum quidem nemo (quod sciam) neq; de ellope, neq; de acipensere tale quid prodidit: pręter Plutarchum, qui ellopem acipẽserem putauit, & squamas eum ad os versas habere scripsit: id quod ex Latinis scriptoribus transtulisse videtur. Helopem dicit Ouidius esse nostris incognitum vndis. ex quo apparet falli eos, qui eundem accipenserem existimauerunt, Plinius: quasi accipenser Romæ cognitus esset, cum tamen Ouidius eum quoq; peregrinum esse canat. Dici potest vtrinq; quidem peregrinum fuisse Romæ, sed acipenserem notum & Romam conuehi solitum, elopem non item. Theodorus secutus Appionem & Plutarchum ellopem conuertit accipenserem, Gillius. Plura de elope scripsimus in Corollario super Anthia. Elops piscis est magnus, similis glauco, & lapides in capite habet, Kiranides. Nec helopem nostro mari, nec scarum duas, Quintilianus libro 5. Et preciosus helops nostris incognitus vndis, Ouidius inter pelagios. Πολυτίματος ἔλοψ, Epicharmus. Non si murænæ optimæ flutæ sunt in Sicilia, & elops in Rhodo, continuo hi pisces omni mari similes nascuntur, Varro libro 2. de rust.

Apriculum piscem scito primum esse Tarenti, Surrenti ælopem facemas, (al. facemus, locus est vitiatus:) Glaucum apud Cumas: Ennius, vt recitat Apuleius Apologia 1.

Τὸν δ' ἔλοπ' ἔσθε μάλιστα Συρακούσαις ἐνὶ κλειναῖς, Τόν γε κρατιστεύοντ', ὅτι πρῶτος ἐστὶν ἐκεῖθεν
Τὴν ἀρχὴν γεγονώς, (deest pes) καὶ ἢ περὶ νήσους Ἤ περὶ τὴν ἄλλην που ἀλωῇ γῆν, ἢ περὶ Κρήτην.
Λεπτὸς καὶ στερεὸς καὶ κυματοπλὴξ ἀφικνεῖται, Archestratus apud Atheneum. Dicere autem videtur, ellopem alibi durum & macrum esse. circa solas verò Syracusas optimum. Nec multum (magnum vel preciosum) munus piscis ex salo captus helops, neq; ostrea illa magna capta quiuit palatum suscitare, Varro in fabula quadam recitante Nonio. Lynceus Samius (authore Atheneo) pisces aliquot Rhodios Atticis comparans. opponit glaucisco ellopem & orphum.

Elopis adeps & fel omnem caliginem oculorum curant. Iecur autem assum in cibo, hepaticos sanat. In capite verò lapides eius suspensi, omnem cephalalgiam & hemicraneam sanant: dexter dextro, & læuus læuo (lateri competit.) Oculi verò gestati omnem ophthalmiam curant, Kiranides. G

Elops vel elaps etiam serpentis cuiusdam nomen est, quod inter innoxios Nicander in Theriacis recenset: Ἀλλὰ γὲ μὴν ἀβλαβῆ κινώπετα βόσκεται ὕλην, Οὓς ἔλοπας, λίβυάς τε, πολυστεφέας τε μυάγρους Φράζονται. Scholiastes interpretatur ἔλοπας, τουτέστιν ἀσθενεῖς. Plinius lib. 32. cap. 5. scribit salsamenta prodesse ab elape percussis. Eiusdem serpentis meminit Aetius libro 13. cap. 32. Ἔλλοψ λ geminato, commune piscium epitheton est, vt & Rondeletius docet in Accipensere: pro specie vero piscis λ simplici plerunq; ab eruditioribus scribitur, (nisi carminis causa geminetur,) etsi codices Aristotelis vulgati aliquoties ellops pro specie habeant. Δοιοὶ δ' ἀναφυσιόωντες Ἀργύρεοι δελφῖνες ἐφοίτων ἔλλοπας ἰχθῦς, Hesiodus in Scuto Herculis. *Ἔλλοι.* Ἔλλοπες, ἐλλείποντες τῆς ὀπός. τουτέστιν ἄφθογγοι, ἄφωνοι· καὶ δασεῖ, καὶ τραχεῖ, ἢ ... Ἔλλοπες, ἄφωνοι, καὶ οἱ λεπιδωτοί. Ἐλλοπιδεύειν, ἰχθυᾶσθαι, ἰχθῦς ἀγρεύειν, ἰχνεύειν. ἔλλοπες δ' οἱ ἰχθῦς, Varinus. Est & ἔλλοψ (prima aspirata) epitheton piscium apud Atheneum paulò post initium libri septimi. Ἐφίλει ἐλλοπας ἰχθῦσιν ἀμφιθῆραν, Sophocles in Aiace flagellifero. Ἐν δ' αὐτῇ πλωτοὶ χρυσωπιδες ἰχθύες ἐλλοί, Νήχοντες παίζουσι δι' ὕδατος ἀμβροσίοιο, Au-

thor Titanomachię. Varinus ἐλὸν interpretatur ἐνυαλάσιον, id est marinum: item hinnulum, (aliqui etiam ceruum,) & Dodonęum, & Grȩcum.

ENCATERA dicta muria purulentis semel aut iterum sumenda à Tralliano prȩscribitur, vt vomicæ ruptura promoueatur, prȩsertim si id quod expuitur fœdi odoris sit & sordidũ, indigeatq; repurgatione. Si quis tamen immoderatius ipsa (aut salsamentis) vtatur, magis ora vasorum adaperit, & humidiora excrementa efficit. Idem alibi refert diuturnos hemicraneę dolores à salsamento, vel encatera dicta & coriax, discussos esse. Et de quartana scribens, vbi melancholicus humor, & tenaces in stomacho humores abundant, aut lien obstruitur: Optima (inquit) est quæ encatera dicitur. Iacobus Goupylus in Annotationibus suis in Trallianum: Suspicamur (inquit) hæc duo verba ἐγκατηεὰ & κοιλίαξ vel κοιλιάξ@, ex sermone vulgus Grȩcorum petita, quibus τῶν ταριχῶν genus aliquod significatur: quo ægris vtendum in his morbis, quos humor frigidus, crassus, & viscidus creauisset, auctor prȩcipere solebat, vt ex multis huius libri locis facilè omnes videre poterunt. Verbum autem ἐγκατηεὰ deductum arbitror à nomine ἔγκατα, quo significantur intestina tum piscium, tum quadrupedum: quę etiamnum sale condiuntur, Hæc ille.

Ego non salsamentum sed potiùs liquamen intellexerim, non ex quadrupedum profectò, sed piscium quorundam salsis intestinis & liquatis. quidam enim integri salsi liquabantur, aliorum certæ partes, iecur, intestina, &c. vt in garo dicetur.

ENCRASICHOLI vel ENCRAVLI, inter Apuas descripti sunt.

ENHYDRIS est coluber in aquis viuens, de quo inter serpentes aquaticos dicemus, in s. elemento, vt de ENHYDRO, id est, Lutra quadrupede in L.

ENIÆVS pro Aetnęo à paraphraste Oppiani cap. 52. perperam nominatur, culpa nimirum librarii.

ENNEÆ apud Aelianum de animalibus lib. 16. ca. 12. pisces quidam sunt. In India (inquit) quo tempore fluuii augentur, & maiore iam profluentes impetu in agros exundant, hos pisces etiam (*lupos, amias & auratas, proxime nam manauerat*) simul abreptos inundationem sequi, & per agros in pauca & tenui aqua ferri & oberrare aiunt. Postquam verò imbres, ex quibus augentur fluuii, cessarint, & cõfluentes ad suos redierint alueos, in humilibus, planis, palustribus, & sinuosis locis, vbi & enneę (ἐννέαι, alias αἰννέαι) dicti reperiri solent, pisces vel octo cubitorum relicti, & ægrè propter aquæ breuitatem tum natantes, tum vitam vtcunq; sustinentes, ab agricolis capiuntur.

DE EPERLANO, RONDELETIVS.



INostiis fluuiorum in Oceanũ influentium, vt Rhotomagi & Antuerpiæ, frequens est piscis qui *Eperlan* dicitur, à nitido & splendido colore quo vnionem (*perlam*) refert. Alia & prȩclara nota insignitur, nam violæ odorem resipit. Eius duplex est genus. Alius marinus est & litoralis, alius fluuiatilis (*Bellonius fluuiatilem & marinum eodem loco diuersos facere videtur. icones etiam duas ponit.*) Marinus asinos paruos refert, pedis magnitudinem vix superat, tenui est corpore & rotundo, oris hiatu satis magno. Dentes habet in maxillis, & in lingua. Carne est pellucida. Lapides habet in capite: pinnas easdem quas Salmonum genus, maximè posteriorem illam dorsi pinnam subrotũdam & pinguem. Hepar illi rubescit. Ventriculus appendices aliquot habet, intestina sine gyris. Carne est molli & friabili, quodammodo violam redolente. Aestatis fine vel autumni initio capitur. In Sequanę ostiis optimus est, & in Angliæ fluuijs.

DE EODEM BELLONIVS.

CF Saxatilis est Epelanus noster, vel hoc nomine prȩter saporem delicatissimum commendamus, quod
A violam gratissimè redoleat: quamobrem quidam hunc piscem violam posse vocari censent, argumento Aeliani, qui ab odore thymi Thymalum nominatum putat. Cæterum Epelanus, Sequanę litorum alumnus, partim marina, partim fluuiatili gaudet aqua. Neustricis Caudebeccanis vberrimus, cuius maior prouentus est circa vindemias: quanquam etiam toto anni tempore capiatur, sed non est post vindemias ita delicatus. *Schmelt* ab odore vel a pinguedine (*non a pinguedine, sed ab odore. nam Smelts Anglis odorari est*) vulgus Anglorum (apud quos copiosissimus est) vocat. Tereti ac tenui est corporis compage, nonnun-
B quam dimidium pedem æquante. Totus argenteus, transparetq; modo Atherinæ. Truttam prȩter cæteradentibus refert. Quinetiam appendicem mollem habet ad caudam, quam Carpio, Thymalus, Vmbra, Salmo, Trutta, Sario, Lauaretus & Vmbla gerunt. Oris rictu est amplo, dentibus (vt Vmbla) circumuallato: qui etiam linguam vsq; ad fauces in gyrum reflexi obsepiunt. Cæterum glabro est corpore: vnde falso quidam asellorum generis esse iudicarunt: capite ad Merlucium accedente: lingua quasi gemina, hoc est, in cuius radice posterior quædam appareat, in qua multo plures dentes sunt, quam in anteriore. Pinnam in tergore fert paruam, totum piscem in æquales ferè partes diuidentem. Caudam quoq; bifurcam, branchias vtrinque quaternas, decolores & violam olentes: Quatuor sub ventre pinnas profert, duas sub branchiis, alias huic oppositas, quas in tergore gerit. Transparenti est corpore, demptâ linea nigra quæ spinæ internę parti inhæret. Calculos habet in capite rotundos, albos, quosque facilè forinsecus propter piscis transparentiam per cranium videre potes, sub posteriore cerebri parte sitos, vbi medulla in cerebro desinit. Cor branchiis semicircularibus & fimbriatis est admodum vicinum, ac scutiforme: desinit quoque in angulos, rubrumque est, cui molles ac sanguineæ subsunt carunculæ, quæ huic tanquam aures in terrestribus famulantur. Illæ enim mouentur cum corde

corde, quod septo ab hepate dirimitur: vnius tantum lobi, in longum demissi ad sinistrum latus. Stomachum desinentem in mucronem habet in v. literam efformatum: lienem admodum rubrum, seminis Atriplicis in modum latum. Cumq; stomachi dextrum latus sursum vsq; ad hepar reflectit, illic geniculo intercipitur: vbi apophyses duas latas emittit, quę veluti secundum ventrem constituuntur. Aliud post hunc subsequitur, quod nec pylorum, neq; ieiunum, neq; ileon commodè nominare possis: siquidem sine anfractibus rectà ad anum procedit. Sed rectum geniculo intercipitur, estq; ruberrimum. Mesenterio nullam admixtam pinguedinem habet; quo stomachus & intestina obsidentur, vt nihil aliud in ventre quàm adipem esse dixeris. Caridibus, culicibus, aphyis, œstro, lendibus, millepedibus, pediculis, & & eiusmodi deiectamentis vescitur.

DE EPELANO SEQVANÆ SEV FLVVIATILI, IDEM.



Epelanum Sequanicum Lutetię frequentem, quasi excellanum, à prȩstantia qua cæteros sui generis piscículos excedit, Ferrarienses Borbulum vocant, Alburno similimum, atq; hoc tantum ab eo dissidẽtem, quod rufas radices pinnarum Gardonis & Veronis modo habet, ac lineam quę latera eius secat, versus caudam admodum inflexam & velut arcuatam. Quinq; digitorum longitudinem, pollicis latitudinem interdum exuperat. Piscículus est odoratus, de bonitate & principatu cum aliis omnibus contendens. Rothomagenses Ouellam eo argumento nominant, quod semper ouis prȩgnans sit. Epelanum si suas squamas habentem conspicias, prę nimia albedinis tersitudine tibi refulgere videbitur. Squamis a. exutus tergus ostendit variis coloribus emicans, in iridis aut arcus cœlestis morem. Marino crassior est & breuior. A1

COROLLARIVM.

Celebratur & thymallus piscis ex Ticino amne, aut Athesi, cui à flore conciliatum creditur nomen, inuulgato etiamnum dicto de eo qui gratam redolet suauitatem, Aut piscem olet, aut florem: quo pronunciatum facete est, eundem videri odorem piscis, qui & floris sit. Illius enim specie nil gratius, nil suauitate iucundius, aut odore fragrantius. Quod ipsum in pisce contingit quem Galli epelanum vocant, in Sequanę ostio frequentem Rothomagum vsq; alioqui, & squammis argenti modo nitescentibus. si in propinquo sit, putes violis te circumsusum, Cælius Rhod. Eperlanum piscem Angli *Smelte* vel *Schmelte* appellant ab odore.

Eperlano planè cognatus est piscis lacustris apud nos, quem vulgo *Roetele* nominant, (quidam Latinè, vt coniicio, Vmbram lacustrem minorem,) à colore, quo forsitan differt, rubicundo: reliqua enim conueniunt, figura, magnitudo, pinnę, dentes in maxillis & lingua, mollities carnis, suauitas saporis, lapides in capite. In Eperlano pinnæ ventris medii binę, è regione videntur respondere pinnę dorsi mediæ: in Vmbla Bellonii posteriores sunt. Rondeletii non item. Sed illi Vmblam siue Vmbram maiorem pingunt, specie diuersam à minore. Eperlanus oris rictu est amplo, dentibus vt Vmbla circumuallato, Bellonius. Quamobrem Eperlanum Germanicè appellemus licet *ein Meerrœtele*. Pisces sunt forte chalcidibus & sardinis, vel apuarum generi cognati. Audio & *Hagen* Germanicè dictum piscículum simílem esse Eperlango.

Alburnus, ex Sequana Epelano est simillimus, Bellonius. Eidem Epelano fluuiatili Bellonii perquam similis est piscis. quem Io. Caius medicus Anglię ornamentum variatam appellauit, & his verbis mihi descripsit, delineata etiam quæ hic apposita est, figura.



Variata (inquit) piſcis eſt marinus, illuſtris, aureus & reſplendens magis, verſicolor tamen, vt ſi multo colori & ſplendeſcenti exiguum purpureum admiſceas. Is color, prout ad ſolem in hanc autillam partem verſes piſcem, ita alius atq; alius eſt, vt in collo columbino, vnde piſci flariatæ nomen dedimus, ea analogia qua aurata dicimus. Magnitudine eſt alburni, cute & carne percæ: in auſtrali noſtrę Britannię mari plurimus, inter ſcopulos atq; ſaxa frequens. Ipſe menſe Iulio anni 1555. captum vidi, & contrectaui, per ſerenitatem atque tranquillitatem animi gratia expatiatus in mare in ſcapha piſcatoria ad mille paſſus, & ludentem colore naturam ſuſpexi. Mortuo marceſcit color, & ad pallorem degenerat. Hæc ille. Germani à coloris variatione vocare poterunt *ein Schiler*.

EPISCOPVS piſcis, vide in N. elemento inter Homini ſimiles piſces.

EPITRAGEÆ, id eſt ſteriles: vide in Balagro.

EPODES piſces latos Ouidius numerat inter piſces in herboſa arena degentes. Tunc Epodes lati, tum molles tergore Ranę. Sunt de Anthiarum genere piſces plani & lati, quos vulgus Romanum Lopidas & Leczias appellat, &c. Bellonius.

EPVRVS, ἔπυρος, genus piſcis, Heſychius & Varinus.

EQVISELIS. vide Hippurus.

EQVVS, ἵππος, piſcis quidam, idem forte quem Epicharmus ἱππίδιον vocat, κορακοειδὲς πίονα, ἱππίδι μαλᾶα, (id eſt Piſces coraci ſimiles, & equulei læues, nimirum ſine ſquamis vel ſpinis,) Athenęus ex Epicharmo. ὕπυρος, (*forte* ὕπερ, *prouter carmen*) ἢ ἵππος, ἢ ἑνάλιχλωρος καλέεσιν, Idem ex Antiphane Colophonio. ἱππίδιον, piſcis quidam, Heſychius & Varinus. Differt ab hippuro qui ab Oppiano vocatur hippus, ab Epicharmo dictus iſpidion, vel (vt alii legunt) liſpidion, Maſſarius. Ego vtrunq; vocabulum corruptum eſſe puto, & in noſtris Athenęi codicibus rectè legi hippidion. Heſychius & Varinus Hippon magnum piſcem marinum eſſe ſcribunt, vt à magnitudine hoc nominis ei factum, (ſicut hipposelino, &c.) non à ſpecie aut forma, coniiciamus. Hiſpani ſcombrum vocant cauallo, Rondeletius.

Hippalectryon. Hippalectryonem quoq; aliqui eſſe putant marinum animal: qua de voce plura diximus in Equo quadrupede a. vbi mentio ſit animalium ab equo denominatorum. Oppiano libro 1. Halieut. hippi piſces literales ſunt. ἱππαλεκτρυὼν, γραμμαῖς κεκοσμημένος. Numenius.

Equus belua maris. Ad Cadaram rubri maris peninſulam exeunt & pecori ſimiles beluę in terram, paſteq; radiſces fruticũ remeant: & quædam equorum, aſinorum, taurorum capitibus, quę depaſcuntur ſata, Plinius. Nauta rei piſcatorię bene peritus, & cætera quàm bonus, & à mendaciis alienus, mihi religioſe affirmauit, ſe beluam vidiſſe marinam, cuius non modo caput, ſicut Plinius ait, ſed etiam pedes Equi ſpeciem ſimilitudi nemq; gererent, Gillius. Equus certo ſimilis poſt pectus in templo quodam Gabalis ſpectatur, Pauſanias in Corinthiacis.

Hippocampus. Hippocampum Plinius & Oppianus hippum vocarunt, Athenæus hippidum (lege hippidium,) Bellonius. ſed coniectura hæc tantum eſt (ſunt enim ſanè hippocampi, & hippidia, hoc eſt veluti paruuli quidam equi & λαῖα, hoc eſt lævæ, ſine pilis & ſquamis.) Hippus piſcis quæ ſit Athenęo & Plinio, nondum planè ſcio: niſi idem ſit cum hippocampo, Rondeletius. plura de Hippocampo in ſuo elemento; vbi etiam de Hippopotamo id eſt equo fluuiatili dicemus.

Hippopotamus. Zygæth. Zydeath animal eſſe dicitur marinum, forma mirabile, ſed innocuum. Caput enim habet vt equus, ſed minus: corpus verò draconi habet in omni parte ſimile: caudam longam, ſed proportione corporis ſui gracilem: & eſt tortuoſa cauda ſicut ſerpentis: corpus totum diuerſimode coloratum. loco alarum pinnas habet ſicut piſcis: & mouetur de loco ad locum natando, Albertus. & author de nat. rerum, apud quem *Zid. a. i.* ſcribitur. Omnino quidem hunc eſſe quem Græci Latiniq; hippocampum vocant, ex hiſtoria eius facile conſtabit.

DE FABVLOSO EQVO NEPTVNI, QVEM FALSO QVIBVSdam *Hippocampum & Hippopotamum appellare libuit, Bellonius.*



PErmagna fuit antiquorum in ſuis fabulis libertas, quarum venuſtatem, dum obſcura quadam veritatis vmbra obtegere conarentur, veriſimile quiddam efformauerunt, quod credulas hominum mẽtes fumoſa quadam inanitate obtenebraret. Itaq; factum eſt ab eis, vt quemadmodum volanteis in aere columbas, pauones, aquilas, ſuorum Veteris, Iunonis ac Iouis numinum currus ducere confinxerunt: ſic etiam tridente inſignem Neptunum à quibuſdam veluti hippopotamis per aquas deduci præeuntibus Nereidi-

Nereidibus voluerint. Horum autem hippopotamorum ac Nereidum formam pro pictorum libidine in magnam ſpectantium admirationem ſic commenti ſunt, vt Hippocampi cuiuſdam potius, quam Hippopotami rationem habuiſſe videantur: quod etiam in Auguſti, multa inſigniora reddente numiſmata, capricorno facilè apparet. Quis enim hanc capricorni formam genuinam eſſe vnquam iudicauerit? Falluntur ergo plurimum, qui vanis antiquorum picturis tantam adhibent fidem. non enim eſt vera Hippopotamus cauda Delphinea, aut in girum contorta: neq; Romanis aliis vnquam apparuit fluuialis equus ab hoc, quem ſupra oſtendimus. Sed ea fuit principum, nominis ſui celebritati atq; admirationi ſtudentium ambitio: vt dum ſe terra mariq; dominari ſignificare vellent, duo inſignia vtriuſq; elemẽti animalia, equum ac Delphinum, inter ſe coniungerent: quod effictum monſtrum quia ad deiectamẽti marini figuram (Hippocampum vocant) accederet, etiam Hippocampi nomen quibuſdam retinuit, *Hæc Bellonius.* Bipedes equos Protei Vergilius dixit quarto Georg. & bipedes equos marinos Valerius 2. Argonaut. ἵππῳ, πεζοῦρον ἄθμα δ' ἰωκων, Orpheus in hymnis de Neptuno.

ΕΡΙΘΑΚΩΔΕΕΣ γραῖαι, cum aliis quibuſdam piſcibus nominantur ab Epicharmo apud Athenęum.

DE ERITIMO.

ERitimos piſces Dorion inquit eadem facere (in cibo nimirum) quæ chalcides, & ſuaues eas eſſe in hypotrimmate. Epenetus in Piſcibus, Muſtelam ait, ſmyrnidem (lege, ſmaridem) quam canis cubile (cynoſeuna) nonnulli vocant, chalcidas quas & ſardinos dicunt, eritimos, miluum, &c. (*Simplex hæc piſcium enumeratio eſt, non interpretatio, niſi quod ſardinos interpretatur chalcides: vt Wottonus bis erraverit, ſcribens Ariſtotelem eritimos dixiſſe ſardinos: non enim ex Ariſtotele verba hæc, ſed ex Epæneto, non id tamen quod Wottonus ſentit, dicente, Athenæus recitat.*) Ariſtoteles libr. 5. hiſtorię animalium ſardinos ipſas appellat. Callimachus in Appellationibus gentium ita ſcribit: Encraſicholus, eritimus, Chalcedonii. Et alibi, ἴωπες, ἰρὶς, μυ, Athenienſes, Athenęus: tanquam vnius piſcis tria ſint nomina, encraſicholus, eritimus, iops: vel duorum. Iopem quidem inter hepſetos, id eſt minutos piſciculos nominauit Athenęus: & Nicander etiam in Bœotico eorum meminit his verſibus: Ὡς δ' ὁτὲ μὲν ἀγέλησιν ἐυθρύεσσιν ἰώπων, Η' φάγροι, ἢ σπιῶπες ἀφειονες, ἢὲ καὶ ὀρφώ. Dorion encraſicholorum mentionem facit inter hepſetos, (& ab iopibus diſcernit:) Ἐψητὸς εἶναι μᾶλλον δοκεῖ ἐγκρασιχόλης, ἢ ἴωπας, ἢ ἀγχέλυας, ἢ κωβιούς, &c. Thriſſa & cognati piſces, chalcis & eritimus (aliàs ἐρέτιμος, non probo) facilè digeruntur, Diphilus. Ἴωψ. piſcis quidam eſt Callimacho. Heſychius, Varinus & Suidas. Eritimos ſarda eſt, (*hoc ſallum eſſe ex præcedenti ut apparet.*) vel ſardæ ſimilis, Hermolaus. Eſt & adiectium ἐρίτιμος, pro valde precioſo, vt Ariſtophani in Equitibus, ἐρετίμων δοτε τεμάχεα.

DE ERVCA MARINA, BELLONIVS.

QVO modo terreſtres erucæ ſtirpes depaſcuntur, ſic marinę veſcuntur algis. C

Marinę colore & figura terreſtres æmularentur, niſi pedibus carerent. Horum loco villos habẽt, B in ordinem ad tergus vtrinq; diſpoſitos, alumine fiſſili tenuiores, (*ſingulos*) ſtoccis ſeptuaginta quatuor tam in prona quàm in ſupina parte conſtantes, penicillis tubo infarctis ſimiles: quibus pro pinnis ac pedibus vtuntur. Horum enim inferiores greſſum, ſuperiores natatum ſubminiſtrant. Non natant autem more piſcium pinnis prędictorum, ſed ſuis villis aquam impellunt, ac perpetuo in imo conſidunt: moueri enim non poſſunt, niſi inferioribus villis aliquid pertingant. Coloribus tam numeroſis variegatæ ſunt, vt nulla ars pictoria hanc venuſtatem imitari poſſit. Sex digitis longiores, vnico craſſiores, rarò cõſpicies. Maculas permultas, albas & rubras vtrinq; in lateribus habent, lineam rectam, liuidam, in ſummo tergore, totidemq; articulis loricantur, quot floccis conſtant. Supina pars neruo rubro diſtinguitur quo ſeipſas contrahunt ac dilatant, quatuor villorum ordinibus circumſtipatæ: totidemq; in dorſo lineas tranſuerſas luteas inter articulationes, quot villorum tubulos habent. Cæterum erucæ inerti & molli ſunt corpore. Has teſtudines marinę, quæ potiſſimum algas depaſcuntur, plurimum appetunt, D vt iis diſſectis integras erucas plerunq; repererim, Hæc ille. Aliud videtur erucæ marinæ genus quod Rondeletius Phyſſalum Aeliani eſſe ſuſpicatur, aut ei non valde diſſimile: cuius & imaginem & hiſtoriam in Phyſſalo dabimus. Eſt & phryganium Belloniі animal tenue, oblõgum, paruę erucæ ſimile, &c, vt in P. referemus. *Phyſſalus.*

DE ERYTHRINO, RONDELETIVS.

Pro Rondeletii icone noſtram iam olim Venetiis pictam poſuimus, etſi minus accurate.



A ΕΡΥΘΡΙΝΟΣ vel ἐρυθρῖνος, aliquando à Plinio rubellio, aliquando seruato Græco nomine erythrinus dicitur. Gaza Plinium imitatus rubellionem vertit. nomen à rubro colore positum est. Cyrenæi autore Zenodoto apud Athenæum (*ubi ex professo de hycca agit lib. 7.*) ὕκκην vocabant, autore verò Clitarcho vt idem alibi scribit (*eodem libro*) ἴκκον. Qui Græciam nunc incolunt λιθρίνον corrupto vocabulo, pro erythrinum. In Gallia Narbonensi & Hispania pagel, Romæ phrangolino, vel phragolino, quasi paruum pagrum. Confundunt enim isti omnes pagros cum erythrinis. In Liguria, & quadam Italię parte pago. Obseruandum est cuculum, lucernam, aliosq; rubros pisces, Gallis, & maximè Parisiensibus dici rougetz: nobis autem Monspeliensibus, mullos, rougetz nuncupari: ne quis Gallica nomina cum Græcis temerè confundens, illos erythrinos esse putet.

Lib. 32. capit. 10.
Lib. 32. & 9.

C Erythrinus piscis est marinus, pelagius, autore Aristotele: secundum Oppianum, litoralis.

Lib 8. de hist. anim. cap. 13.
Lib. 1 ἁλιευτικῶν.

Οἱ μὲν ἄρα χθαμαλοῖσι παρ' αἰγιαλοῖσι νέμονται — *Nonnulli flauam pisces in litore arenam*
Ψάμμον ἐρεπτόμενοι, καὶ ὅσ' ἐν ψαμάθοισι φύονται, — *Mandunt, & terra quicquid nutritur in alta,*
Ἵπποι, κόκκυγές τε θοοί, ξανθοί τ' ἐρυθῖνοι — *Hippi, coccyges celeres, flauiq; erythrini.*

Hyeme quidem in alto mari degunt, æstate verò terram petunt, & circa litora capiuntur. Sunt & quædam profunda litora in quibus etiam quouis tempore degere possint.

B Erythrinus colore est rufo siue rubescente, ventre candido, corporis forma, pinnarum situ, numero, cauda, aculeis, branchiis, pagro similis, rostro acutiore & strictiore, corpore minus lato, oculis magnis, in quorum tunica cornea binę maculæ aureę apparent: ore est paruo, dentibus admodum paruis, rotundis acutisq;. Intus candidissimus est, ventriculum medium habet, cum paucis appendicibus sed crassis & magnis: intestina crassa, hepar ex albo rubescens, à quo pendet fellis vesica oblonga, mesenterio & spleni alligata. Splē ex rubro nigrescit, & magnus est, si corpus spectes. Lapides habet in cerebro. In erythrinis, passerum generibus, & channis, nulla est distinctio maris & fœminæ, sed omnes fœminas esse argumento est, quod in omnibus oua reperiuntur æstate, cum parere debent.

Sexus.

E Capiuntur æstate, rarò hyeme, vel quia pelagii cum sint, æstate ad litus accedunt: vel quia piscatores æstate quàm longissimè possunt à litore, retia sua expandunt.

A Falsum est hos verti in dentices. Qui error inde ortus est, quod cum maiores fiunt, propius ad synagridis, denticis ue formam & colorem accedunt, minusque solito rufi sunt, ac veluti canescunt: quem colorem aptè refert minium pauco candido dilutum. sed facilè peritus maculis, & dentibus, à synagride distinguet, de qua postea.

Quod non vertantur in dentices

Et & illius error coarguendus, (*Pauli Iouii lib. 1. cap. 13.*) qui vulgo dictum pagellum siue phragolinum quem hic repręsentamus non esse veterum erythrinum existimat. Verùm id me plurimum mouet, inquit, vt ab illorum opinione recedam, quod Aristoteles & Plinius erythrinos vel rubeculas grauidas, & ouis plenas toto anni tempore capi asserant: cum in eo genere mares non sint, quod phragolinis minimè accidit, qui pluribus anni temporibus, sine vllo ouorum vestigio comeduntur. locus Aristotelis est lib. IIII. De hist. anim. Quemadmodum in ostracodermis & plantis est quod parit & generat, non autem coeat: sic & in piscibus passerum genus & erythrinorum & channę, omnia ex his oua habere comperiuntur. Et libro VI. de erythrino & channa ambigitur: omnes enim grauidi capiuntur: & Plinius in quodam genere omnino non sunt mares, sicut in erythrinis & channis: omnes enim ouis grauidę capiuntur. Est & alius de eadem re Aristotelis locus libro de gen. anim. His in locis, & omnibus aliis in quibus aut Aristoteles, aut veterum autorum quiuis, piscis huius meminerunt, omni anni tempore ouis plenos erythrinos minimè dixerunt, sed quo tempore vterum ferunt, (hoc autem illis vere accidit) omnes ouis pleni semper reperiuntur, vnde omnes fœminas esse colligunt autores. Quis verò tam fœcundus est piscis, qui omni anni tempore ouis grauidus capiatur? (*Nullus opinor,*) ne mullus quidem, qui ter anno parere dicitur. Ex quibus perspicuum est, ex eo quod pagelli nostri siue phragolini, aliquando sine ouis reperiantur, non effici eos non esse veterum erythrinos.

Erythrinos ab Aristotele & Plinio non omni anni tempore grauidos dici: sed quo tempore grauidi sunt, oua reperiri in omnibus.
Cap 11.
Lib. 9 cap. 16.
Lib. 3 cap. 5.

Qui pisces inter se similiores sunt quàm phagrus, erythrinus, hepatus, synagris? At hepatum & synagridem manifestæ notę, & minimè dubiæ, à phagro & erythrino distinguunt vt mox dicemus. vnde fit, vt phagrus & erythrinus supersint quàm simillimi, adeò vt etiam à vulgo confundantur, vt ex horum descriptionibus liquet. At de nostro pagro nemo dubitat, quin is antiquorum sit pagrus. Quare restat erythrinus, proculdubio is qui pagel à nobis, à Romanis phragolino dicitur, quasi paruus pagrus.

Quod verus erythrinus exhibeat, eiusque a simil. distinctio.

F Olim piscem istum neq; vilem, neque commendatum fuisse comperio. Si quis tamen illius substantiam mediam glutinosi humoris expertem cōsideret, & degustet, is murę nis & buglosso aliisq; permultis, qui & apud veteres fuerunt, & apud nos sunt magno in pretio, præferet. nam neq; dura carne est, vt cuculus, draco: neque molli vel diffluente, vt aphya: neq; tenaci glutinosoq; succo ut anguilla: sed carne auratis cæterisque medię substantiæ piscibus similis: ideoq; bonum succum gignit, satis alit, non difficilè coquitur, aluum non ciet: quia mediocriter sicca est carne. Paratur vt aurata, frigitur etiam, & aceto, foliis lauri, myrti, citri, iuglandis aspergitur, diutiusq; seruatur. Aestate elixus, ex aceto rosaceo suauissime editur.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Erythrinus Grȩcis à colore rufo, & à rubro Rubellio Latinis appellatur: alii Rubeonem vocant: qui, quod Phagro similis esse (dempta magnitudine) videatur, ob id vulgo Gallico Pageu nominari cœpit, vel quod impuberes nobilium pueri principibus seruientes Paggi dicantur. Massilienses enim Pagium intelligunt, ad discrimen Pagri, quem etiam Pagre nominant: Veneti arborem: Grȩcum vulgus, mutatis literis Lethrinum: Romani Fragolinum appellant.

B Proinde Erythrini rubedo languet, neque (quod ad eius formam attinet) vt Mulus, teres est, sed latus vt Aurata. Rubet equidem vt Mulus: sed rubedo ambobus non conuenit. De qua Ouidius ita cecinit,

Orphus

Orphus, cæruleaq; rubens Erythrinus in vnda.

Pager Erythrino maior est: cætera satis inter se conueniunt. Erythrino frequentes quidem insunt squamæ, & firmiter inter se coniunctæ: caput vtrinq; planum, ad Abramidem fluuiatilem accedens: caudam habet bifurcam, latam: pinnas oblongas, in cuspidem abeuntes: quarum quę in tergore magis exporrecta est, ea continua esse conspicitur, in qua spinulæ seu aculei duodecim (*Rondeletii icon XV. ostendit, nostra XIX. numerantur.*) Oculos habet latos, quorum iris pupillam ambiens, argentea apparet: pupilla aūt illis nigerrima est, nares patulæ: dentes exerti ac prominentes, supernè octo atq; infra totidem, quorum molares multum obtusi sunt. Rictum oris non valde grandem ostendit, in quo linguam albam facilè cōspicies, branchias vtrinq; quatuor: cor, eruo paulò maius: Hepar lacteum, in mediocres lobos partitum, (C) quorum pars sinistra longior exit, cui stomachus oblōgus subsidet. Cicadas, Locustas, Carides, Pisciculos & Cancros venatur. Splenem non habet aliis piscibus proportione respondentem: paulò enim maior esse solet. Ouis plenus circa Aprilem esse comperitur.

COROLLARIVM.

A ERYTHRINVS piscis à rubore dictus Grȩcis, variis modis scribitur. Oppianus & Eustathius habent ἐρυθῖνος properispomenon, rhô in penultima ablato, euphonię causa: & Ouidii Halieuticon in Gryphii æditione, quæ Aldinam imitata est. Massarius etiam apud Plinium similiter legit. Artemidorus rhô non omisit: vt neq; Athenęus, qui etiam penultimam circumflexit, (quanquam alibi in eius codice, vitiato opinor, antepenultima acuitur,) Oppianus quidem & Ouidius in carne producūt. Ἐρυθῖνοι genus piscis, Hesychius & Varinus, vltima acuta, non probo. In Aristotelis libris euulgatis alicubi etiam ἐρυθρῖνος reperitur, per ι, in quod facilè transitur ex ει. Nos erythrinum semper dicemus penultima longa, & Græcè circumflexa, & c. ὕκνος, (Varinus primam circumflectit, melius puto ὕκνης. Vide infra in Hycca, Elemento H.) ἐρυθεῖνος, Hesychius. Est erythinus qui rubellio, & rubellus, & rubrus (*ruber potius in recto: Gaza ex Aristotele alicubi rubrum transtulit*) Latinè dicitur, Massarius. Apicius rubellionem vocat, quo nomine Plinius etiam semel vsus est. Rubellio, à colore rufo, ni fallor: quanquam Oppianus libr. I. ξανθοί τ' ἐρυθῖνοι, id est flauiq; erythini. dixit, Vuottonus. Rondeletius in Alpheste ξανθὸν & ἐρυθρὸν colorum nomina inuicem aliquando transponi disertè docuit. Rubeonem etiam vocat Theodorus ex Plinio, Idem Vuottonus: cū rubellionem dicere debuisset. Paulus Iouius rubeculam pro erythrino dixit, quo vocabulo erithacum auem ex Aristotele Gaza interpretatur. Rubellus piscis vulgo rubella, Niphus italus. Venetiis arboro vel lalboro vocatur, in Sicilia Sarofano. Arborem Michael Sauonarola Latinè nominauit: Platina Rouillionem, sed hoc dubium est: vide infrà in F. Phagros (*immo Erythrinos*) Romani, & magna pars Tyrrheni litoris accolarum Fragolinos, Veneti Albores: ipsi verò Ligures antiquo nomine Pagros appellant: quos, cum sesquipalmi magnitudinem excesserint, in Dentices siue Synodontas euadere, communis piscatorum consensus existimauit. Ii pisces à colore ipso (apparent enim rubro vino madefacti) Erythrinis & Iecinoribus piscibus assimilantur à Speusippo, Iouius. Erythrini ex miluorum genere *Rotfeder*, *Plazen*, rubris pinnis, Eberus & Peucerus. Sed miluis piscibus & erythrinis commune nihil est, nisi color fortassis, & facta à colore nomina, quæ ne cui imponerent circa hos pisces Rondeletius quoque monuit.

Quamobrem Angli etiam errant, qui erythrinum interpretantur *a rochet*, similem caponi pisci, sed vndiquaque rubentem. Cuculum, Lucernam, & alios rubros pisces, Galli & maximè Parisienses vocant *Rouget*: nostri verò Monspelienses mullum sic nominant. Cauendum autem ne quis Gallice cum Grȩcis temere confundens, illos erythrinos esse putet, Rondeletius. *Rotabert* (Adamus Lonicerus scribit *Rotbart*, ęnobarbum sonat) in Regimine Salernitano Galbio, Rogetus, piscis est marinus, notus, duræ carnis, & salubris: cognatus nimirum Lucernę & Cuculis. Flandri *Rosbaert* proferunt, & vulgo rubelionē interpretantur. Quoniam igitur Germanicum Erythrini vocabulum nondum inueni (vt neque Anglicū,) periphrasi interim appellabo, *Die kleiner rot Meerbrachsmen*, hoc est Cyprini lati marinum genus rubicundum minus: pagrum enim ei similem, sed maiorem esse aiunt. Pager erythrino maior est, Bellonius.

Erythrinum Hispani *pagel*, (*Lusitani parge,*) Romani phragolinum vocant, quasi paruum pagrum, Rondeletius. Qui Istriam incolunt, Illyrii puto, Rybon, vt audio. *Rotfisch*, (id est piscis ruber,) in Noruegia piscis est marinus prasino (cyprino lato) nostro magnitudine & figura ferè similis, minoribus pinnis, totus rubens intus & foris. Laudatur in cibo. Hic pagro aut erythrino cognatus fuerit, si non alteruter est.

Sed cauenda est homonymia: quoniam Angli alium quoq; piscem Lucernis aut miluis congenerem *Redfisshe* vocitant: & *Rotfisch* Anglorum inter Oceani asellos à Bellonio nominatur. Coruulus piscis quidam, alio nomine capo grosso circa Romam dicitur, & erythrinus ob colorem à quibusdam creditur, sed malè. Ruscupa & Ruburnus (*duo nomina de vno pisce*) barbaris vocabulis inter pisces nominantur à Murmellio. Hunc pisciculum (inquit idem,) si quando edisset Cicero, proculdubio elegans ei nomen indidisset. Harengam infumatam aliqui Ruscupam nescio quo idiomate appellant, Ge. Fabricius. Aliqui & Ruburnum pro eadem accipiunt.

Ruburni quidem nomen à rubicundo colore fictum (qualis in fumatis videtur,) à recentiore quodam vetera ignorante apparet.

An in piscibus quoque fiat conceptus sine mare, non æquè apertum est. sed potissimum in fluuiatili genere rubellionibus id accidere visum est. etenim nonnulli statim habere oua videntur, vt de his in historiis scripsimus, Aristot. de generat. anim. 3. 1. Hunc locum legenti (inquit Vuottonus) Erythrinus fluuiatilis etiam fortasse videbitur: nisi mendosus sit codex, quod certe suspicor. nam quod statim in eo loco sequitur, (Etenim nonnulli statim habere oua videntur, vt de his in historiis scripsimus,) de phoxinis potius verum est. Sexto enim libro historiæ animalium probat Aristoteles oua etiam sine coitu consistere: quod argumento constat nonnullorum fluuiatilium: nam phoxini statim, prope dixerim cum nati sunt, & admodum parui adhuc oua habent, Hæc ille: vt erythrinus marinus tantum intelligatur.

Phoxini.

B Simon Paulus Suerinensis erythrinos capi scribit in lacu Suerinum alluente non procul Oceano Germanico. Dat rhombos Sinuessa, Dicarchi litora pagros: Actius Syncerus Neapolitanus, erythrinos puto pagrorum nomine intelligens. Aristoteles, Dorion & Speusippus in secundo Similium pisces similes esse dicunt phagrum, erythrinum, hepatum, Athenæus. Et rursus, Erythrinis hepatisq; similes pagri sunt rostro duntaxat breuiore. Mihi aliquando erythrini Venetiis considerati, pisces pulchri videbantur, subrufi, magnitudine ferè qua auratæ, sed figura oblongiores, ac minus rotundi, punctis quibusdam cœruleis insignes, præsertim in dorso, oculis magnis, carne in cibo bona & albissima. In omnibus piscib., excepto rubro (erythrino) & hiatula hoc discrimen est, vt aut conceptacula seminis prolifici habeant, aut vuluas, Aristot.

Et rursus libro 7. de generatione animalium capite 4. Si quod genus est (inquit) quod fœminina sit, & marem distinctum non habeat, id ex seipso animal generare potest. quod etsi nondum fide digna exploratum habemus, tamen facit vt in genere piscium dubiretur. eorum enim quos rubros siue rubelliones vocant, mas nullus adhuc visus est, sed fœminæ omnes fœtu plenæ reperiuntur. Verùm de his nondum compertum habemus, quod fidem faciat satis. Erythrini & channæ (*omnes, vt addit Rondeletius*) vuluas habere traduntur, Plinius. De sexu erythrinorum & channarum, vide Rondeletii scripta superius in Channa.

F Optimi sunt marini pisces & subtilis carnis illi nempe qui degunt in litoribus petrosis aut arenosis, vt auratæ, passeres, arbores, &c. Mich. Sauonarola. Rouilliones trilliæ (*i. est mullæ*) persimiles, in lacu Albano & Tiberi præcipuè nascuntur. parui sunt & suaues. coquuntur & condiuntur perinde ac lacteolini, Platina. nomen quidem Rouillionis à rufo colore factum videtur, ab erythrinis tamen genus diuersum: cum lacustris & fluuiatilis piscis sit, & magnitudine saporeq; diuersus, vt apparet. Ius in pisce rubellione: Piper, ligusticum, careum, serpillum, apii semen, cepam siccam: vinum, passum, acetum, liquamen, oleum: anyso oblitas, Apicius 10. 7. Fragolini vulgo dicti (inquit Iouius) ex his qui assantur piscibus longe probatissimi. Sūt enim & gustui gratiores, & stomacho nequaquam molesti, vtpote qui rationabiliter febricitantibus ipsis conceduntur. nam præter id quod de omnibus saxatilibus Auicenna intellexit, Pagri (*Erythini*) nullam viscosi lenti q; humoris exuberantiam habent: qui etiam ipso iure conceduntur. quoniam cum vniuersum piscium genus frigidæ atq; humidę sit naturę, humida frigidaq; cibaria febricitantibus Hippocratis authoritate debentur, vt aliquando mirer quosdam scrupulosiores medicos, cum febris adsit, totum propè piscium genus perdamnare. Hos pisces hyeme longè sapidissimos experimur. sed ad summam saporis gratiam accersendam, ganeonum iudicio tres omnino conditiones requirere dicuntur, scilicet vt sint & recentes, & frixi, & frigidi: ita tamen vt Arancii mali succo ac modico pipere torpescentes eorum pulpæ aliqua ex parte molliantur & excitentur.

G Erychini in cibo sumpti Venerem concitant, aluum sistunt, Plinius. Erythrinus sapore iucundo est, & alimentum præbet copiosum. in cibo sistit aluum: si in vino suffocatus moriatur, Venerem cieri dicitur vinum illud epotum, vt ait Xenocrates: vel, vti refert Plinius, rubellio in vino putrefactus, iis qui inde biberint, tædium vini (*idem Plinius refert de vino in quo anguilla diu fuit recens*) affert, Vuottonus.

H.a Erythrini epitheton ἐρυθῖνος est Oppiano, rubens Ouidio. Κρωμυωνάντ', Αἰγιαλέν τε, καὶ ὑψηλὸν Ἐρυθῖνον, Homerus Iliad. 2. Scholiastes Erythinos, montes Paphlagoniæ aut Ponti interpretatur: Hesychius (in cuius vulgato codice vltima male acuitur) ἐρύθινα, inquit, montana & regiones Paphlagoniæ, & genus piscis. Erythini, ἐρύθινοι, inquit Eustathius, vrbs est Paphlagoniæ, dicta à rubore, vt refert qui scripsit περὶ ἐθνικῶν (*Stephanus de vrbibus, & Eustathius eadem fere verba vltima accentu variat.*) Strabo autem duos scopulos esse tradit, qui nunc Erythini dicantur. idq; à colore, qui pisci etiam erythino nomen dedit.

f. Super omnia erythrino & sepia vesci prohibebat Pythagoras, Laertius. Gyraldus in libro de symbolis Pythagoræ, symbolum τοῦ ἐρυθίνου ἀφέξου: hoc est, Ne Erythinum edito, interpretans: Cum verò (inquit) erythinus piscis genus sit coloris rubri, nos è sanguine & vindicta abstinere monet Pythagoras, imitatus Hebræos, quibus ideo præceptum est ne sanguine vescantur. Ficinus non rectè hoc symbolum transtulit, Rubrum quid ne suscipias.

ERYTROPHTHALMVM Carolus Figulus nominauit piscem fluuiatilem, qui Germanis alicubi idem significante vocabulo *Rotenale* dicitur. Circa Acronium lacum, alburnum Ausonii sic vocant, pisciculum minimum, cui rubescentes oculos etiam Rondeletius tribuit. Vide supra inter Albos pisces, in Corollario ad Leuciscum Rondeletii, pagina 30. Sed & alium parnum pisciculum fluuiatilem, quem Galli Veron appellant, Rondeletius Varium, Græci quidam (eodem teste) ab oculorum colore ἐρυθροφθάλμους vocant.

ESOX piscis à Plinio semel nominatur, his verbis: Præcipua magnitudine thynni sunt, &c. Sunt & in quibusdam amnibus haud minores, silurus in Nilo, esox (al' esos) in Rheno. Rondeletius exos legendum putat, & piscem Antacæum intelligit qui sine ossibus est. Plura leges supra in Corollario de Husone, (quem docti plerique antacæum interpretantur,) pagina 60. Albertus ezox per z. scribit, & alios lachsium (id est salmonem) vulgo dictum: alios husonem interpretari ait. sed Plinium de salmone sensisse verisimile non est, cum eum piscem alibi suo nomine appellet. neq; de husone vel antacæo, opinor. is enim non in Rheno, sed Danubio & quibusdam aquis in Danubium influentibus (teste Alberto) capitur. Cæterum in Rheno maximum esse puto sturionem, deinde lucium, quem Germani *Hechi*, circa Coloniam *Schnechi* appellant: alii *Schnack* vel *Snuk*. Vltimum quidem vocabulum e. litera preposita (præponi autem potuit pro Germanico *ein*, quod nostri cum nominibus pro more, vt Galli & Itali Vn, præponunt, plærunque decurtant, & e. vel a. duntaxat efferunt,) ad esox Plinii satis accedit. Plinium sanè Germanicum nomen, vt potuit, expressisse coniecerim, non autem Latino nomine (vt Rondeletius, nulla veterum codicum authoritate fretus, coniicit) exosem appellasse. De Lucii autem magnitudine suo loco dicetur. Scutioni magnitudo quidem faueret, sed nomen non item. Si *Lachs* vulgo dictus, id est, Salmo, esox Plinii esset, elox potius per l. scribi deberet, *ein Lax*. Idem videtur l'οὐξ Hesychii, quem piscem quendam cetaceum facit. Est & Diox genus piscis frequens in Ponto, authore Festo.

Esox. *Diox.*

Adpri-

Ad primum iactum in reti Cato diaconus pro modico (pisce) immanem esocem extraxit, & ad monasterium lætus accurrens detulit: nec mirum, vt dixit poeta nescio quis (vtimur enim versu scholastico,) Captiuumq; suem mirantibus intulit Argis, Sulpitius Seuerus in vita B. Martini episcopi Turonensis.

DE ESCHARA, RONDELETIVS.



QVod hic representamus nostri piscatores giroflade appellant: à similitudine pulchri & bene odorati floris, quem nostri giroflade, Galli œillet vocant. Suspicor tantum, nec dum pro certo habeo, sit ne veterum Eschara, cuius mentionem à solo Athenęo fieri comperio ex Archippo. Super saxa enascitur ex pediculo exurgens, aliquando supra ligna in mare deiecta, nonnunquam pediculo caret. Ex dura terreaque substantia constat: cute rubra contegitur, qua sublata totum corpus spectatur cribri instar perforatum, lactucæ crispæ, siue capitatę foliis simile. In cibis inutile prorsus est. Aduersus vlcera maligna prodest. Veliementer enim siccat, & superuacuam carnem absumit.

COROLLARIVM.

Dorion nominat pisces latos buglossum, ψῆτταν, ἐχαφρον, quem & κάρηνον vocitent, Athenæus. Rondeletius dubitat an hæc sit species illa soleę, quam oculatam ipse cognominat. Κορις, piscis quidam, vel herba, quam aliqui chamæpityn vocant, Hesychius & Varinus. Λευκαστν, ἐχίνοις, ἐχαφρεις, θεανιναις τε, τοῖς κτένοσι τε, Archippus apud Athenęum. Escharum quidem Dorionis, piscem esse apparet, de genere latorum, quem Mnesimachus etiam cum aliis piscibus nominat: eschara verò Rondeletii piscis non est, sed planta quædam marina, fuco vel bryo marino fortè cognata, describitur enim hoc lactucæ foliis, rugosum, veluti contractum, sine caule, plusculis ab ima radice exeuntibus foliis. Nascitur in lapidibus testaceisque. Præcipua ei siccandi spissandiq; vis, &c.

Κωριδοσφάκες, animal marinum, Hesychius & Varinus. Coniicio autem corruptum esse vocabulum, & diuidendum in duo, vt legatur, Κόρις, ἰσχάδες: quoniam, vt iam retuli, κάρην piscem alio nomine escharon nuncupant.

ETELIS squamosus est, & oua parit, Aristot. Hesychius auratam interpretatur. Vide in Corollario H.a.

EVONES pisces ab Epicharmo memorantur hoc versu, Εὐόνες, χάλκιδες πυρὶ, λαβράκες πιόνες, vt citat Athenęus in Salpe. sed inferius in Phagro pro Εὐόνες legitur Λάβρες. Natalis de Comitibus interpres posterioreloco præteriuit, priore viles transtulit, ac si legisset, ἀώνοι. Sunt & Euopes vel Euopi pisces, de quibus supra in Anthiis scripsimus: sed in iis secunda syllaba per o. magnum scribitur.

EXOCOETVS Adonidis nomine descriptus est.

DE AQVATILIBVS, QVAE F ELEMENTO INITIALI SCRIBVNTVR.

DE FABRO SIVE GALLO MARINO, RONDELETIVS.



Cur planis adnumerauerit hunc piscem.

DVbitaui aliquando in quam piscium classem piscem hunc referrem, neque enim inter squamosos, neque inter cartilagineos, neq; inter beluas recte collocari potest, quoniam iis omnibus dissimilis est. neq; inter ψηττοειδεῖς recensendus: quippe qui vna parte candidus, altera, nigricans, non sit, sed corpore concolore dempta vnica macula. A planis verò oculorum situ differt. At cum exigua sit hæc differentia, corporeq; plano sit & figurâ rhombo capite tenus quodammodo simili, non inepte planis piscibus adnumerari posse videtur.

Cyttus.

A Sequitur alia multoq; maior dubitatio, quo nimirum nomine piscis hic à veteribus nuncupatus sit. Variç enim hac de re fuerunt sententiæ. Sunt qui κύττον Athenęi esse suspicentur, sola nominis affinitate moti, quia à Romanis hodie citula, (*cetola, Bellonius*) nominatur. Sed iis, cum nulla prorsus ratione suspicionem hanc confirment, assentiendum non arbitror.

Non est acanthias, qui in Mustellorum genere est.

Iidem aliquando Acanthiam esse putauerunt, ob dorsi aculeos, sed non sine magno errore: cum Acanthias veterum Grçcorum Latinorumq; sententia ex Galeorum sit genere, hic autem piscis de quo nunc agimus minimè sit γαλεώδης.

Non est Chalcis. Lib. 8. cap. 17. Lib. 7. Lib. 8.

Quibusdam videtur esse chalcis de genere rhomborum apud Columellam. Hinc esca iacentium mollior esse debet, quàm saxatilium: nam quia dentibus carent, aut lambunt cibos, aut integros hauriunt, mandere quidem non possunt: itaque prçberi conuenit tabentes huleculas, & salibus exesam chalcidē putremq; sardinam, nec minus squalorum branchias, & quicquid intestini pelamys, vel lacertus gerit. Ex his liquet chalcidem inter viles pisciculos numerari, qui ad aliorum escam in viuaria coniiciebātur. Atheneus quoq; trichiis & thrissis assimilat: Χαλκίδες δὲ, καὶ τὰ ὅμοια, θρίσσαι, τριχίδες. & , Θρίσσαι καὶ τὰ ὁμογενῆ, χαλκὶς καὶ ἐρίτιμος. Postremo hanc opinionem funditus euertit Aristotelis lib. 6. de hist. animal. ca. 14. authoritas, qui chalcidem inter fluuiatiles pisces recenset.

Chalceus. Faber. Ζεύς. Libr. 7. Cap. 18. Cap. 11. Vulgaria nomina.

His igitur refutatis nostra quidem sententia, piscis iste fuerit qui ab Atheneo χαλκεύς, à Chalcide dissidens, vocatur: Διαφέρει δὲ τῆς χαλκίδος ὁ χαλκεύς, A Plinio faber siue zeus. libr. IX. Zeus, inquit, idem faber appellatur. Et libro XXXII. faber siue zeus. A Massiliensibus trueie, quia dū capitur, suum more grunnit. In Lerino insula, & Antipoli rode vocatur, id est, rota, quia rotæ modo rotundus ferè sit, rostro non exerto nec hiante, & in medio corpore maculam nigram habeat, veluti centrum.

Rota Plinii li. 9 cap. 4. Citula. S. Petri piscis. Christopsarus.

Caue autem rotam Plinii hic accipias: eam enim inter vastissimas beluas commemorat. Apparent rotæ appellatæ à similitudine, quaternis distinctæ radiis, modiolos earum oculis duobus vtrinq; claudentibus. Romæ piscis hic noster citula, vt dictum est, & piscis sancti Petri cognominatur. ferunt hunc piscem fuisse quem iubente Christo d. Petrus ceperit, vt in eius ore numisma pro tributo repetiret, vnde digitorum impressorum vestigia in medio corpore relicta fuerunt. Galli doree vocant, ab aureo laterum colore. Nostri cum Hispanis gal. Santones & Baionenses iau, id est, gallum, à dorsi pinnis surrectis, velvti gallorum gallinaceorum cristis. Grçci hodie χριστόψαρον, aiuntq; Christophorum, dum Christum humeris gestans, mare traiiceret, piscem hunc apprehendisse, & impressa digitorum vestigia reliquisse.

B Faber piscis est planus, vel certè compresso admodum corpore, varii coloris: caput enim & dorsum obscura sunt, pinnæ nigricant, latera aurea sunt. In medio corpore nigram (*Hinc forte dictus faber à fuliginis colore*) maculam habet vtrinq; minimi nummuli magnitudine. Squamis tegitur tam paruis tenuibusque vt nisi digito scalpas, vix appareant, læuiq; corpore esse videatur. Linea obliqua à capite ad caudam ducta est. Oculum vnum vtrinq; magnum habet. Supra oculos aculei duo sunt acuti. Spina dorsi decem aculeis inçqualibus firmatur, postremi minimi sunt, primi maiores, medii maximi. Inter binos aculeos eminent veluti pili longissimi, setis porcinis similes, ad quorum radices officula sunt, veluti claui bifidi & inçquales: quorum alter in anteriorem, alter in posteriorem partem vergit: è quorum medio nascit pinna tenuibus radiis contexta, vsque ad caudam protensa. Huic similis alia est in ventre pinna, quinque tantum aculeis constans. Pars ventris, vtrinq; ossibus instar acuti cultri secantibus firmatur. Ex ea duç longissimæ pinnç propendent. Duæ sunt aliç ad branchias. Cauda in vnicam desinit. Ore est admodum hiante. Branchias quaternas habet. Gulam manifestam. Intestina tenuia in gyros conuoluta. Hepar candidum sine felle. Lienem rubescētem, exiguum, mesenterio hærentem. Inter intestina oua rubra latent. Cordis pars infima rubet: suprema quemadmodum & media, ex albo rubescit, quod in paucis piscibus spectatur.

Orthragoriscū alium esse piscem. Lib. 32. ca. 2. Ibidem cap. 5.

Carne est minus dura quàm rhombus. Non desunt qui orthragoriscum Lacedçmoniorum esse putēt, & porcum marinum Latinorum, nec sine ratione, nempe quod grunniat dum capitur. Plinius: Appion maximum piscium esse tradit porcum, quem Lacedçmonii orthragoriscum vocant, grunnire eum cum capiatur. Eandem sententiam confirmant dorsi spinæ, quas idem Plinius porco marino tribuit. Inter venena sunt piscium (inquit) porci marini spinç in dorso, cruciatu magno læsorum. remedium est limus ex reliquo piscium eorum corpore. Sed cum porcus vel orthragoriscus in maximis piscibus habeatur, is esse non potest de quo nunc loquimur, & si satis magnum in Oceano captum Antuerpiç viderim.

Fabri color. Lib. 1 ἁλιευτικῶν

Duo sunt quibus à nostra sententia deduci aliquis possit. Vnum est quod faber ab atrç fuliginis colore dictus esse videatur, idq; ab Oppiano indicari his verbis:

Πέτραις σαργὸν ἄγχουρον ἐφέστιον, ἠδὲ σκίαιναν, Χαλκέα, καὶ κορακῖνον ἐπώνυμον αἴθοπι χροιῇ.

Faber vbi capiatur. Lib. 8.

Sed quod de nigro colore hîc dicitur, ad coracinum solum referendum esse perspicue liquet ei, qui versus recte distinxerit. Alterum est quòd columellæ Gadium freto, & Atlantico mari fabrum proprium esse placet. Vt litorum (inquit) sic & fretorum differentias nosse oportet, ne nos alienigeni pisces decipiant: non enim omni mari potest omnis esse, vt elops qui Pamphylio profundo, nec alio pascitur, vt Atlantico faber, qui & in nostro Gadium municipio genercsissimis piscibus adnumeratur, eumq; prisca consuetudine Zeum appellemus. Quæ sit accipienda esse puto, vt maximè in Atlantico mari, & Gaditano freto reperiatur faber, illicq; potius quam alibi principatum obtineat, non quod nullo alio in loço nascatur. Quod Plinii authoritate confirmatur. Et hæc natura, vt alii alibi pisces principatum obtineat,

Lib. 9. ca. 18.

coracinus in Ægypto: Zeus, idem faber, Gadibus. Non equidem diffiteor pisces quosdam esse, qui quibusdam in litoribus solum aut fluuiis aut lacubus reperiantur. At plurimos etiam pisces esse constat, certis locis

tis locis à veteribus assignatos, qui aliis in partibus maris etiam tum capiebantur, vel postea capti sunt: ita tamen antiquorum literis proditum fuit, vel quia horum locorum pisces optimos & frequētissimos, alibi rarissimos celebrare voluerunt: vel quia indigenarum incuria, aliarum maris partium siue aliarum aquarum, quas ipsi non perlustrauerant, pisces ignoti erant. Quare cum nulla satis firma ratio esse videatur quæ propositam sententiam possit conuellere, in ea permaneo, veterumq; fabrum seu zeum esse puto, qui hoc capite descriptus fuit.

DE EODEM, BELLONIVS.

Conspicuus & insignis est admodum piscis, cui ob colorem, ex auro ad latera concinnè admodum refulgentem, vulgus nostrum (etiamsi antiquorum Auratam planè ignoret) Doradæ, hoc est auratç nomen indidit. quem piscem, alii Christo, alii Diuo Petro dedicarunt: Gillius ab antiquis Grçcis Zefs dictum fuisse putat, à Ioue qui Zefs Grçcis dicebatur. Massilienses ob insignem eius voracitatem Trueiam quasi Porcam vocauerunt. Genuenses ab orbiculari eius forma Rotulum: Baionenses ab aureo atque micante colore, quem habet cum adulti Galli rustici maioribus plumis communem, appellauerunt *Vn Iau*, vel *Vn Cocq*. A

Romæ paruo erat in precio, antequam Galli Cardinales, mortuo Paulo Pontifice tertio, illuc proficiscerentur: estq; in ea regione multo minor, quàm Lutetiæ: squamis caret, tenuiq; est ac lato corpore, carniuorus, ore extento atque latissimo, oculis magnis, ac profundis. F B

COROLLARIVM.

Quidam (inquit Massarius) confundunt zeum, siue quod idem est, fabrum piscem cum coracino, eūdem esse volentes, vtpote qui Plinii verba hoc modo perperam interpretati fuerint. Coracinus in Ægypto. Zeus idem, scilicet Coracinus, qui & faber Gadibus appellatur. qui quidem sensus peruersus est, & præter intentionem Plinii, qui libro trigesimo secundo coracinum à zeo siue fabro apertè distinxerit. Verus tamen sensus Plinii talis est. Coracinus in Ægypto principatum inter pisces obtinet: similiter zeus qui & faber appellatur, obtinet principatum Gadibus. Iidem fabrum à colore atræ fuliginis minus rectè appellari prodidere, in sensu verborum Oppiani fortè decepti, libro primo Halieuticōn dicentis, vt Lippii vtar interpretatione, haud medius fidius vsquequaq; aspernanda: Et faber, & nigro cui nomina dicta colore, Hæc coracinus habet. quæ verba non ad fabrum sed ad coracinum referenda sunt. Hi enim crediderant vt zeus piscis faber diceretur à similitudine fabri ferrarii, qui fuliginosus est, Hæc ille. Fabrum piscem figura orbiculata nunc in templis suspendunt & Christopsaron ideo arbitror appellant, quia olim Zeus Iupiter nuncuparetur. Romani vocant piscem sancti Petri, siue Situlam. Dalmatç etiā hac ætate Fabrum: qui, cum ex eis percunctarer, cur sic nominarent, mihi pulchrè responderunt, se ideo ita nuncupare, quod omnia instrumenta fabrilia in ipso reperiantur: quod quidem ipsum statim verum esse periclitatus sum. Hispani nuncupant Gallum: & quemadmodum olim inter lautissimos pisces, sic nunc apud eos numeratur.

Quod autem quibusdam modo videatur Chalcis, modò Galeos, modo Citharus & Situlus, (*Citulum dicere voluit, vel potius cyttum. nam Athenæi cyttum, vt Rondel. scribit, aliqui hunc piscem esse suspicati sunt. Hæ quidem tam variæ opiniones super antiquo huius piscis nomine Pauli Iouii sunt,*) possem amplissimè confutare, nisi amarē eos, qui primi conati sunt huic parti lucem aliquam afferre, Gillius. Bellonius hūc piscem Anthiis (quo nomine alios quoq; pisces latos, vt fietolam vulgò dictam, ceu generali vocat) adnumerat. Ζεὺς, id est Iupiter qua ratione sit appellatus miror: coniecerim autem ab alio eius nomine Χαλκεὺς, prima syllaba ablata, & κ. in ζ. mutato sic appellari potuisse.

Ζαιὸς, genus piscis, Hesychius & Varinus, videtur autem non alius esse piscis quam ζεὺς. Et rarus faber, Ouidius in Halieutico inter pelagios. Chalceus, (Χαλκεὺς, id est Faber) alius quam chalcis, in Cyzicenorum regione nascitur, rotundus & orbicularis, (περιφερὴς καὶ κυκλοειδής,) Atheneus, & qui ex eo repetiit Eustathius. Vide plura in Corollario nostro de Chalcide. Cetola nomen, vt Romæ vocant, à ζεὺς fortè factū est, ceu diminutiuum. Doree quasi aurata, à Gallis appellatur: quod nomen Anglis quoq;, vt & *Dare*, nescio an de eodem pisce, vsitatum esse audio. Germanicè nominemus licet *S. Petersfisch*, hoc est S. Petri piscem, vt & Romani appellant. Ligures Zaphirum appellant, Iouius. alibi tamen de aurata scribens, scarum ei similem faciens, zaphirum vulgo nominari insinuat.

Piscem è genere planorum, similitudine histricis, ipsa dorsi acie aculeatum, capite extento, ore latissimo, cuius maxillæ ex perspicua membrana constare videntur, Romani Citulam appellant. Iouius. B

Chalceus circa petras herbosas pascitur, Oppianus libro 1. Chalcis quamuis carnem pascatur, non vagatur tamen, Aristot. hoc forte de chalceo, non de chalcide accipiendum est: sicuti etiam quod vocē aut sonum aliquem ædat chalcis, verum non est, sed de chalceo intelligendum: vt pluribus ostendi in Corollario de Chalcide. C

Sapore, precio & effigie, si caput abscideris, rhombo persimilis est, Iouius.

FALX piscis Venetiis dictus. Quære in Tęnia. F

FARIO. Vide in Salmone.

FESTVCAS, assulas, resticulas, algam, Apuleius in Apologia 1. nominat, tanquam maris eiectamenta.

FLVTAS pisces Gaza ex Aristotele conuertit pro Grçco ῥυάδες. Flutç (Rhyades) quoties piscium lotura, vel nauis sentina eiecta est, fugiunt vt odorem sentientes, Alii ex anguillis & murçnis quæ supernatant sole torrefactæ, πλωτὰς vocant Grçci, flutas reddiderunt. Idem Gaza rhyádas aliâs spargos alias piscium genera solitaria vertit. Vide in Corollario de Chalcide C. Spargus, rhyas, vulgo fluta, Niphus. ego flutæ nomen nusquam in Italia vulgo vsitatum puto.

DE FOSSILIBVS PISCIBVS.

Ex Theophrasto.

EXtat Theophrasti libellus de piscibus inscriptus, in quo ille aliud nihil quū de illis aquatilibus inquirit quæ in terram egrediuntur, & aerem videntur haurire: deinde de piscibus fossilibus. quam posteriorem eius libelli partem, etsi valde deprauatam, nos hic interpretabimur Latinè. Multa

quidem

quidem in Mirandis narrationibus Aristoteles,& Athenęus ab initio libri 8.eadem habent: vnde nos quædam emendauimus. Pisces(inquit) alicubi fossiles(ὀρυκτοὶ terreni Plinio, ὑπόγειοι, id est subterranei, Polybio) sunt, vt circa Heracleam & alibi in Ponto, (& circa Tium Ponti, Milesiorum coloniam, Athenęus. in Rhegio, Aristot. Cromnina forte legendum, ex Plinio 9.57. vbi tamen aliqui Torone legunt.) Nascuntur autem circa fluuios & aquosa loca. quæ cum siccantur(certis temporibus) paulatim, pisces subinde humorem sectando terram subeunt: qua demum(prorsus)siccata, remanent in ea, veluti viui sepulti (ἐνταφιαζόμενοι ἐν τῷ ζῆν) vel vt animantia quędam in suis latibulis hyeme condita durant, sine sensu ferè & motu torpida. Quod si loca illa, priusquam denuo aqua accedat, fodiantur, pisces illi mouentur Sic & in Ponto contingit pisces glacie & gelu occupari, neq; sentire aut moueri prius, quàm in ollas coquendi iniiciantur. Prę cęteris autem gobio hoc accidere videtur. Ferè autem (ὅλως) fossiles pisces fiunt, eò quòd ab inundatione fluuiorum, in locis quæ resiccantur vel oua, vel alia principia gignendis idonea piscibus relinquantur. nonnulla enim non ex ouis oriuntur, vt anguilla & centriscus. Et hoc in Heraclea circa Lycum fluuium contingit. Principia autem hæc in terra relicta, perficiuntur durantq;. neq; absurdum est hos pisces durare. Multa enim huiusmodi animantium exiguo egent nutrimēto, sicuti serpentes quoq;, & quę latibulis se abdunt. Primum scilicet ipsa oua humore è terra manante, deinde eodem nati ex ouis pisces nutriuntur. Ad magnitudinem tamen aliquam eos excrescere neq; verisimile est, neq; fertur, cum & loci angustia & alimenti penuria impediant. Cęterum durare in aere hi pisces non ęquè valent, ac illi qui ab aquis ad pastum egrediuntur: qui scilicet exigua refrigeratione, & quę ab aere eis pręstari possit, indigent: nam vel ipsa branchiarum angustia indicat, non multa refrigeratione eis opus esse; quamobrem & anguilla tum in aere multum temporis viuit, tum in aquis turbidis illico suffocatur. Et similiter fossiles pisces à terra eos ambiente quantum satis est refrigerantur. Sed quod circa fossiles in Paphlagonia pisces contingit, peculiarem & abditam rationem habet. Illic enim profunde admodum multos & bonos pisces effodi aiunt: cum neq; inundare aquam amnium iis in locis, neq; aliter (*neque ab aquis calidis, Athenæus,* ἀπὸ θερμῶν ὑδάτων: *sed præstat* φανερῶν *legere ex Aristotele, hoc est neque ab aquis manifestis*) colligi animaduertatur, vnde semina & principia generationis relinqui dicimus. Reliquum est vt sua sponte nascantur, idq; continuo. neque enim coire inter se possunt. Aut igitur hoc fieri existimandum est ratione loci, qui humidus sit, & omnino ferax huiusmodi piscium, propter certam calidi humidiq; commoderationem. oriuntur autem quandoq; & alii quidam (καὶ ἕτεροί τινες, Plin. legit καὶ ἐν φρέασί τινες, id est in puteis quoq; aliqui) pisces sponte: aut humores quosdam alicunde manare cogitandum est, qui generationis principia secum adferant: quæ mox locus idoneus & recipiat & alat. Pręterea hoc inquirendum de vtrisque, tum illis qui in aere viuunt, tum fossilibus, vtrum in aquā immissi viuere valeant, an in proprio duntaxat loco, qui eis naturalis sit, sicuti sua & marinis & fluuiatilibus aqua. nam ex his quoq; nō nisi pauci mutationem sustinent. Nam qui aquis resiccatis terram subeunt, & qui glacie gelati detinentur, iis familiarem esse humorem, magis quam aliis (è fossilium genere) constat. Ergo piscium alii simplicis naturę videri debent, alii amphibii secundum Democritum, vt & aliæ quædam animantes. Vtuntur enim aere quædam(ex aquaticis,) sicuti prædictum est. Hucusq; Theophrastus. Transtulit multa ex hoc libello Plinius lib.9.ca.57. ex quibus quæ huius argumenti sunt, ad-

Ex Plinio. scribam: Circa Heracleam & Cromnam, (*alias additur & Lycum amnem: prope nimirum, mox enim sequitur: eodemque Lyco amne*) & multifariam in Ponto vnum genus esse Theophrastus prodit, quod extremas fluminum aquas sectetur, cauernasq; faciat sibi in terra, atque in his viuat, etiam reciprocis amnibus siccato littore. effodi ergo. motu demum corporum videre eos approbant. Circa Heracleam eandem, eodemque Lyco amne decedente ouis relictis in limo generari pisces, qui ad pabula petenda palpitent, exiguis brāchiis, quod fieri non indigo humoris, (*Angustas idcirco branchias habent: quod non multa refrigeratione indigeant: & quæ non ab aqua solum exigua, sed etiam ab aere extra aquam eis præstari possit, Theophrastus:*) propter quod & anguillas diutius viuere exemptas aquis. Oua autem in sicco maturari, vt testudinum. Eadem in Ponti regione apprehendi glacie piscium maximè gobiones, non nisi patinarum calore vitalem motum fatentes. In his quidem, tametsi mirabilis, est tamen aliqua ratio. Idem tradit in Paphlagonia effodi pisces gratissimos cibis, terrenos, altis scrobibus, in his locis vbi nullæ restagnent aquę, miraturq; & ipse gigni sine coitu. Humoris quidem vim aliquam inesse, quam (*qualem &*) puteis arbitratur, cum in nonnullis reperiantur pisces. Quicquid est, hoc certè minus admirabile talparum facit vita subterranei anima-

Theophr. lis: nisi fortè vermium terrenorum & piscibus natura est, Hæc Plinius. In Rubro mari dissectis lapidib. innati intus pisciculi, & squillæ, & alia quędam animalia apparent, Theophrastus in fine libri de odoribus: ad quem quidem non pertinere hæc obseruatio videtur: sed potius ad libellum de piscibus iam citatum, si vera animalia intelligit, vt eadem fermè ratione lapidibus inclusi pisces, sicut fossiles terræ, vitam degant. Sin animantes non veras, sed lapideas earum species, (quales multæ reperiuntur, tum saxis

Albertus. inclusæ, tum extrà,) ad librum de lapidibus referenda hæc erant. Albertus libro 24. Eracloides hos pisces vocat, Theophrastum citās, cum Heracleoticos dicere debuisset. Hic piscis (inquit) multum sequitur aquam dulcem, ita quod terram scindens de aqua transit ad aquam, & aliquando in cauernis latitat,

Aristoteles. vbi amnes sub terra confluere inuenerit. Aristoteles tradit in Massiliensium regiōe stagnum esse quoddam, quod statis quibusdam exæstuans temporibus tantam ex sese piscium effundat copiam, vt audiens quiuis haud facilè dictis fidem præstare possit. Idem spirantibus postea etesiis sic repleri scribit, vt camporum planitie pauimenti in morem æquata, latè omnia profundo etiam puluere obducantur. Rastris igitur incolæ & sarculis altas defodientes scrobes, inde copiosissimos cibisque gratissimos nullo nego-

Ex Polybio. tio pisces extrahere perhibentur, Nic. Leonicus Variæ historiæ 1.5. His subscribit Polybius libro 34. historiarum (vt recitat Athenæus circa initium octaui) qui narrat in agro qui Pyrenæos montes & Narbonem fluuium interiacet, agrum esse per quem feruntur fluuii Illeberis & Roscinus (qui vrbes eiusdem nominis alluant, Gallis inhabitatas) in quo fossiles pisces reperiuntur, solo macro, copioso gramine, sub quo terra arenosa est, ad duos & tres cubitos altitudine, subterfluente aqua quæ à fluuio aberrauit. eam pisces pabuli gratia sequuntur. graminis enim radicibus imprimis delectantur, sic locus iste piscibus subterraneis repletur, quos effodiunt incolæ. Transtulit hæc ferè similiter Nic. Leonicus Variæ histo-

riæ 3.12. Idem (inquit Rondeletius) experientia nostra frequens nobis persuadet, nam in terra anguillas, ranas, aliosq; pisciculos ibidem etiam generatos sępenumero vidim⁹: & è terra defossas anguillas aliquoties spectauimus in villa Ioannis Scironij viri doctissimi, Monspeliensisq; scholæ principis, in qua sophistarum barbarie medicinam miserè conspurcatam suo nitore restituit. *Rondeletius.*

Mela. Pomponius Mela libro 2. cap. 5. in Gallię Narbonensis descriptione: Atan fluuium (inquit) ex Pyrenæo monte digressum lacus accipit Rubresus nomine. Vltra est Leucata (*nomen hodie retinet*) littoris nomen, & Salsusæ fons, *hodie Salses*. Iuxta campus minuta arundine gracilique peruiridis, cęterum stagno subeunte suspensus. Id manifestat media pars eius, quæ abscissa proximis, velut insula natat, pellique se atque attrahi patitur: quin & ex ijs quæ ad imum perfossa sunt, suffusum mare ostenditur. Vnde Graijs, nostrisque etiam autoribus, verine ignorantia, an prudentibus etiam mendacij libidine, visum est tradere posteris, in ea regione piscem è terra penitus erui, qui vbi ex alto hucvsque penetrauit, per ea foramina ictu captantium interfectus extrahitur. Inde est ora Sardonum, & parua flumina Thelis & Thicis, vbi accreuere persæua, colonia Ruscino, (*Perpinnan hodie, caput comitatus Rosilionis,*) vicus Eliberri magnæ quondam vrbis & magnarum opum tenue vestigium. Seneca naturalium quæstionum li-

Seneca. bro 3. cap.19. Magna vis aquarum in subterraneis occulitur, fertilis fœdo situ piscium. Si quando erupit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspici, & turpem ac noxiam gustu. Certe cū in Caria circa Myndum vrbem talis exilisset vnda, periere quicunq; illos ederant pisces, quos ignoto ante eum diem cœlo nouus amnis ostendit. Nec id mirum. Erant enim pinguia & differta, vt ex longo ocio, corpora, cęterum inexercitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex qua salubritas ducitur. Nasci autem posse pisces in illo terrarum profundo, sit indicium, quod anguillæ quoque latebrosis locis nascuntur, grauis & ipse cibus ob ignauiam, vtique si altitudo luti penitus abscondit. Virum bonum tam rarum fuisse suo tempore Iuuenalis Sat. 13. conqueritur, vt pro monstro haberi potuerit, non minus quam pisces inuenti sub aratro &c. Pisces fossiles (inquit Ge. Agricola in libro de animantibus

Ge. Agricola. subterraneis duorum generum inueniuntur, sed intra terram nonnihil teretes, vt anguillæ, sed pelle carent tenaci: squamis etiam, vt & gobij. duramque, nec admodum iucundam gustui habent carnem. Maiores crassi sunt fere duos digitos: minores, digitum. illi longi, circiter palmos quatuor: hi tres. Sonū edunt acutum. Eos pharmacopolæ in vitrum inclusos de trabe suspendunt, vt spectaculum hominibus præbeant: longoque tempore alunt pane & alijs quibusdam. Ex fluminibus autem quæ currunt in locis paludinosis egressi per riparum venas longius penetrant in terram: & interdum in proximi oppidi cellas vsque subterraneas, in quibus vinum vel zythum solet condi. Deinde cum Theophrasti verba de piscibus fossilibus recensuisset, subdit: Verum nullos pisces, qui in fluuijs versari semper soliti fuerunt, post inundationes in locis siccis relictos subire terram videmus, sed omnes de vita decedere. Itaque cum fossiles pisces etiam in locis, quos non inundauit aqua, soleant inueniri, certum est illos eò per venas & fibras penetrare. De qua re vltra Albim Orteranti, quod oppidum est ad Polsenicium fluuium,

Ge. Fabricius. diligenter aduerti. Pisces fossiles (vt Ge. Fabricius ad me scripsit,) qui à nostratibus *Peisker* nominantur, sunt longitudine palmi, crassitudine digiti: quanquam maiores etiam multò reperiuntur. Dorsum coloris cinerei, cum punctis multis, maculisq; transuersis, partim nigris, partim cœruleis. In laterib. linea vtrinque nigra & alba. Venter flauus, cum maculis albis, & punctis rubris ac nigris, ita paruis, ac si acu factæ essent. Ab ore carneæ particulę eminent, quas nando extendunt, extra aquam contrahunt. In Misena trans Albim duobus locis, quod scio, fodiuntur. Ad Polnitium amnem, prope Ortrantum: & ad Dobram riuum, prope Hanam oppidum. Item in pratis ad Rederam fluuium copiosè effodiuntur, si flumen inundet. Ex terrę cauernis ingrediuntur etiam lacus & paludes. Cum aquæ extra ripas excrescunt, è terra prodeunt. Aquis autem residentibus, in pratis campisue relinquuntur, & vbi greges sunt, relicti vorantur à suibus. Sordes amant: & in cloacas, quę alia purgari ratione nequeunt, iniecti, omnia consumunt. Cum in riuis paludibusve capiuntur recentes, solent à tenuioribus etiam mensis adhiberi. Seruiunt in primis fraudi Agyrtarum, qui eos alunt, & vitris inclusos multitudini ostentant pro serpentibus, quia à paruo serpente non multum figura differunt. Sunt qui eos spirare putent. Vbi enim plures huius generis pisces simul sunt, spuma supra eos effertur. Vitro inclusi ore angusto, crescūt & suo quodam succo viuunt vsque ad semestre. Eudoxus scripsit pisces fossiles reperiri in Paphlagonia etiam in locis siccis. In humidis circa lacum Ascanium, qui apud Chium est, & in Cestriade; vbi è limosa aqua fuscinis extrahi tradit Strabo libro XII. & libro IIII. Germanici nominis *Beisker* vel *Beisecker*, rationem ignoro. Eruditi quidam piscem mustelis cognatum esse putant, & Mustelam fossilem nuncupant. alij *Meerputten* (*nos Meertruschen diceremus*) vocant, inquit: qui sunt crassiores. E riuis in Albim venire aiunt. Iconem eius à Io: Kentmanno medico accepi huiusmodi.



Pfulfisch Germanicè, pisces fossiles: vt Henricus Eppendorfius interpretatur ex Plinio, nescio qua ratione.

Anguillas fossiles memorauimus in earum historia in C. paulo post initium.

FVCA. vide Phycis.

FVLLO piscis est in Theodori Gazæ translatione ex Aristotelis de histor. anim. libro 6. capite 14. quem Aristoteles φύλωνα nominauit. est autem gregalis, & pariturus litora petit tranquilliora. Quærēdum an idem sit γναφεὺς piscis apud Athenæum ex Dorione, cuius decoctum (τὸ ἐκ τῆς ἑψήσεως αὐτοῦ ὑγρὸν) omnes

omnes maculas & ſordes eluere aiunt. Meminit eius Epænetus quoque. γναφεὺς quidem Græcis idem ſonat quod Latinis fullo, qui artem fulloniam exercet, & (vt ait Vlpianus) curanda poliendáue veſtimenta accipit: vt piſcis cuius decocti ſucco abſterguntur veſtes, non immerito Latinè etiam fullo dicatur. Ψύλων verò cur fullo dicatur, ratio nulla eſt, niſi nominis ſimilitudo, ψ in Græco in f. Latinum (nulla etiam ratione) mutato. Quamobrem miror Aug. Niphum ita ſcribentem: Fullo piſcis (inquit) Græcè Chylon, Latinè tum tullo, tum fullo, ruſticè apud nos tyllon appellatur. Eſt & tillo piſcis Ariſtoteli memoratus inter fluuiatile & lacuſtre genus. Carabo ſcarabeo (quem Theodorus modo taurum vocat, modo fullonem) antennæ ante oculos prætenduntur, vt papilioni: & albis inſignitur guttis, (*à quibus fullonem fortè Gaza nominauit.*) Γναφεὺς, idem quod κναφεὺς, mutato κ. in γ. Heſychius. Et alibi, γναφεὺς & γναφεῖον facta ſint à γνάπτω, quod eſt βάπτω. Γναφεὺς, genus piſcis, Idem. Sunt qui tincam, Ariſtotelis Ψύλωνα eſſe putent, &c. Vide plura in Tinca Rondeletij.

FVNDVLVS. quęre inter muſtelas fluuiatiles.

FVNGVS marinus. vide in Lepore mar. A.

DE AQVATILIBVS, IN QVORVM NOMINIBVS G. CONSONANS INITIALIS EST.

GADVS in Aſello eſt.

GALEOTES idem qui Gladius eſt.

GALE Græcis γαλῆ vel γαλέα, Latinis Muſtela.

GALEVS eiſdem, γαλεὸς, Latinè Muſtelus, Theodoro Gaza interprete.

GALARIAS, vel Gallarias, vel Callarias, vel Clarias, Aſelli ſpecies.

GALEONYMVS alius videtur à Callionymo. Vide in Corollario primo de aſellis.

GALLINA vulgò nominatur Maſſiliæ Cuculus piſcis, vt Romę Corax, ſpecie inter ſe ſimiles.

GALLVM Hiſpani & Celtę circa Monſpelium, Santones quoque & Baionenſes Iau, id eſt gallum vocant piſcem quem antiquo fabri nomine ſupra deſcripſimus: à dorſi pinnis ſurrectis (inquit Rondeletius) veluti gallorum gallinaceorum criſtis. Lyra etiam piſcis (inquit idem) à Germanis inferioribus *Seehan*, quaſi gallus marinus vocatur. Conuenerit autem ei (vt ipſe conijcio) galli nomen, fortè quod pinnam in dorſo ariſtæ gallinacei ſimilem erigat: vel quod huiuſmodi piſces ſuſpendi ſoleant aridi, vt pro vario corporis motu & capitis obuerſione ventos ac tempeſtatis mutationem, ſicut cantu gallinacei indicent. Audio & alium quendam piſcem Oceani Septentrionalis, dorſi parte media valde eminente, ſpinis quibuſdam diſtincta pelle, &c. quem in fine operis dabimus delineatum, ab agyrtis circumferẽtibus gallum nominari. Bellonius cancrum Heracleoticum ſuum, qui Rondeletii vrſus eſt, vulgo Italorum gallo de mare nominari ſcribit, quod eius brachia in criſtę galli modũ tornata ſint. De Hippalectryone marino animante quære in H. elemento.

GAMMARVS à nonnullis Latinis dicitur, Græcorum cammarus, de quo dicemus in Squilla.

DE GARO, ALECE, ET MVRIA.

De Muria leges & infra quadam in M. elemento.

GARVS, γάρος, gen. maſ. dicitur, quamuis in Conſtantini Geoponicis etiam neutro gen. legatur: apud Dioſcoridem γάῤῥον rhô duplici. eſt autem nihil aliud quam σηπεδὼν, (id eſt ſanies quædam, Seneca tabem dixit,) Suidas & Varinus. Athenæus gáron gen. neutro protulit, vt Latini fere ſemper. Grammaticus quidam interpretatur liquamen piſcium ſaxatilium & minutulorum, quæ ſalamuria vulgò (Italis) dicatur: Maſſarius rectè diſtinguit, vt paulò pòſt referam. Scoppa grammaticus Italus non rectè interpretatur *lo caviale*. Cauiarium enim vulgò dictum, oà taricha ſunt, hoc eſt oua piſcium ſalita & exiccata, vt ſturionum, mugilum, luporum: Galli *botargues* vocant. Fiunt & ex ouis cyprinorum pro Iudæis, vt ſcribit Bellonius. hi enim ſturiones, & alios ſine ſquamis piſces non guſtant. Garum appellatus liquor (inquit Bellonius in Singularibus Obſeru.) non minus in frequente vſu Romæ erat olim, quàm nobis hodie eſt acetum. Ego Turcis hodieque vſitatiſſimum eſſe reperi, ita vt nulla ſit ichthyopolarum taberna Cõſtantinopoli, in qua non væneat. Qui garum vendebant, cetarij olim dicebantur, Galli nullũ eorũ nomẽ habẽt, niſi quis harengarios (haréniers) vocare velit. Romæ vulgò piſcigaroli vocãtur, cõpoſito nimirũ à piſcibus & garo nomine. Huiuſmodi inſtitores Cõſtantinopoli vt plurimũ degũt in loco Pere dicto, & cum quotidie piſces recẽtes vẽdant, pleroſq; iã frixos, inteſtina & branchias eis auferũt, immittuntq; muriæ (ipſe Gallicè ſcribit, en la ſaulmure,) vt in garũ vertãtur. Imprimis verò trachuri & ſcõbri ad hoc vtiles ſunt, alij perpauci. Nõ dubitarim tamẽ è piſcibus ſquamoſis etiã fieri poſſe, Iudæis idoneũ: ſicut oà taricha quoq; pro eis fiũt ex ouis cyprinorũ, cũ ſturione (ex cuius ouis alioqui plerunq; fieri ſolent) eo quod ſquamis caret, abſtineãt. Hæc ille. Germanicè garum appellabimus *Schmeltzbru von fiſchen*, ad imitationẽ Latini liquamen. tabeſcere enim & liquari, noſtri *Schmeltzen* dicunt. Partẽ verò eius puriorem, & defæcatam, quam liquamen per excellentiã vocant, *Feine oder lautere ſchmeltzbru*: alecem verò quę impurior eſt, *Grobe ſchmeltzbru, Die hepfe von der ſchmeltzbru*. Eſt etiamnum (inquit Plinius lib. 31. cap. 7. & 8.) liquoris exquiſiti genus, quod garon vocauere, inteſtinis piſcium, cæteriſque quæ abijcienda eſſent (*vt branchiis*) ſale maceratis, vt ſit illa putreſcentiũ ſanies. Hoc olim conficiebatur ex piſce, quem Gręci garon vocabant. nunc è ſcombro piſce laudatiſſimum in Carthaginis Spartariæ (*nihil ſuper hoc loco Hermolaus, aut Gelenius. equidem conijcio Carthaginem à Plinio hic intelligi, non illam quæ in Africa fuit, ſed Hiſpanicam ſiue veterem ſiue nouam. ambæ enim in eodem litore fuerunt. illic ... cetariæ inſignes, & ſcombrorũ, quib. de loquitur Plinius, captura fuit. Cornarii cõiecturas ponã inferius*) cetarijs: ſociorũ appellat, ſingulis milib. nummũ permutantib. cõgios penè binos. Nec liquor vllus penè pręter vnguenta

Oataricha.

Bellonius.

Ex Plinio.

vnguenta maiore in pretio eſſe cœpit, nobilitatis etiam gentibus. Scombros quidem & Mauritania, Bęticaq; & Carteia ex Oceano intrantes capiunt, ad nihil aliud vtiles. Laudantur & Clazomenę garo, Pompeijq; & Leptis: ſicut muria Antipolis ac Thurij: iam verò & Dalmatia. Vitium huius (*gari ſcilicet, non muriæ, vt Rondeletius ſcripſit*) eſt alex, imperfecta, nec colata fæx. Cœpit tamen & priuatim ex inutili piſciculo minimoq; confici, apuam noſtri vocant. Foroiulienſes piſcem ex quo faciunt lupum (*lycoſtomum apuarum generis intelligo*) appellant. Tranſiit deinde in luxuriam, creueruntque genera ad infinitum ſicuti garum ad colorem mulſi veteris, adeoque dilutam ſuauitatem, vt bibi poſſit. Aliud verò ad caſtimoniarum ſuperſtitionem, etiam ſacris Iudęis dicatum, quod fit è piſcibus ſquama carentibus, (*legerim non carentibus: vt ſint duo genera gari, vnum è piſcibus ſquama carentibus, ſcombris, apuis, lycoſtomis: alterum è ſquamoſis quibuſdam, Iudæis dicatum, qui piſcibus non ſquamoſis abſtinent: vt Bellonius quoque ſentit, in Plinij tamen lectione nihil mutat, vt neq; Hermolaus.*) Sic alex peruenit ad oſtrea, echinos, vrticas, cammaros, mullorum iocinera, innumeriſque generibus ad ſaporem gulæ cœpit ſal tabeſcere. Hęc obiter indicata ſint deſiderijs vitæ, & ipſa tamen nonnulli vſus in medendo, Hucvſque Plinius. Garum ſanies inteſtinorum piſcium eſt. halme (ἅλμη) verò muries & ſalſugo piſcium inueteratorum: hoc eſt, ius ſalſum in quo ſeruantur, quam vulgò ſalimuriam appellant, Maſſarius. Plura de alece leges ſuprà in elemento A. Smaridem piſcem (qui leucomęnis, id eſt męna alba etiam à Græcis dicitur) garum eſſe vt ſuſpicer, nominis affinitas facit, (inquit Rondeletius,) cum pro garo cerrus (vt Gaza vertit, Neapoli vulgò cerres nominantur, Venetijs giroli, & gerruli) dicatur, & à Plinio & Martiali multitudinis numero gerres: & Antipoli hodie garon. Præterea ex hoc piſciculo optimum fieri garum, experientia quemlibet docere poteſt. E ſcombris optimum conficitur garum, Athenæus. Ad ſaliendum autem idonei ſunt ſcombri garumq; parandum: quia eorum caro facilè conficitur, ſpinis caret, vere pinguis eſt. quæ enim dura, ſicca, macraq; ſunt, ſaliri (*vel liquari ad garum*) commodè nequeunt. Rondeletius. Garum eſt liquamen ex piſce ſiluro confectum, Cęlius Aurelianus.

Alex.

Maſſarius.

Halme.

Muria.

Salimuria.

Rondeletius.

EX IANI CORNARII COMMENTARIIS IN GALENI

libros de compoſ. med. ſec. locos, De garo ſociorum vel primario, & de gari ſignificatione & odore in vniuerſum.

Garum Hiſpanum calefactum per ſtrigilem inſtillato, Archigenes ad aurium dolores apud Galenum de compoſ. med. ſec. loc. libro 3. cap. 1. vbi Cornarius in Commentarijs: Garum Hiſpanum (inquit) hic Archigenes appellat, quod infrà Aſclepiades ſociorum, itemque Nigrum vocat. Hoc enim ex omnibus laudatiſſimum, & ingentis precij fuit, è ſcombro piſce. & hoc ipſum Plinius quoque pro aurium medicamento celebrat. Ad fœtorem & nomen (ſiue vlcus depaſcendo proſerpens) aurium, compoſitio Hiſpanorum appellata: Gari nigri quod Romani ſociorum appellant: aceti ſcillitici, vtriuſque ſextarium, mellis Attici ſeſquiſextarium. ad denſitudinem iuſtam coquito, & in vitreo vaſe repoſitis vtitor, Aſclepiades eodem libro & cap. Hoc loco (inquit Cornarius) exemplar Græcum habet γάρου μέλανος ῥωμαιστὶ λεγομένου ὀ..ιτόρου, (noſter codex Baſileæ cuſus, ὀξυπόρου, oxyporum quidem genus eſſe gari, quod aliter oxygarum dicitur, Hermolaus ex Columella affert) ſed falſo. nam σωκίων legi debet. Nulla eſt enim in Romana ac Latina lingua ocitori vox: verũ garum optimum Hiſpanum ac Carthaginenſe, Sociorum Romę fuit appellatum: nimirum quod ganeones & gulæ dediti lurcones, ſociatim eo vterentur, ipſumque in maximis delicijs haberent. Plinius lib. 9. cap. 17 de mullo loquens: M. Apicius ad omnem luxum ingenio mirus in ſociorum garo (nam ea quoq; res cognomen inuenit) necari eos pręcellens putauit. At verò mirum videri poſſit, hodie garo penitus exoleto, hoc liquoris genus, præſertim è ſcombro piſce, ob præcipuam quę inter ſocios caperetur voluptatem, Sociorum appellatum eſſe: quando ſanè Plinius alias inteſtinis piſcium, cæteriſque quæ abijcienda eſſent ſale maceratis id fieri prodit, vt ſit illa putreſcentium ſanies: quę vtique res non videtur adeò magni luxus eſſe: maximè cum Plinius eodem loco (lib. 31. cap. 7.) florem ſalis appellari dicat, rem odore quoq; ingrato ceu gari: & Martialis poeta vnguenti odorem in gari fœtorem corruptum olfactu Papili libro 7. epigrammatum ait, his verſibus: Vngentum fuerat quod onyx modo parua gerebat, Nunc poſtquam olfecit Papilus, ecce garum eſt. Verum eodem item Plinij capite, apparet hunc liquorem certo ſalis condimentarij genere pręparatum fuiſſe, vt ex eo & iucũditas, & gulæ inuitamenta ſint quęſita. Et (*Quanquam*) quid adeo mirum ſit gari ita expetitum fuiſſe liquorem? cum etiam hoc noſtro ſeculo, multa ſalſamentorum genera, apud Septentrionales maximè, & vltra citraque Oceanum magnum habitantes in delicijs ſint, quæ mediterranei homines, & ſuperior adeò Germania, penitus non expetant, imò etiam faſtidiant. Plinij verba hæc ſunt de ſale: Conditur etiam odoribus additis, & pulmentarij vicem implet, excitans auiditatem, inuitansque in omnibus cibis, ita vt ſit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condita. Ita eſt in mandendo quæſitus & garo. Ex his verbis Plinij, velut dixi, apparet garum certo ſalis condimentarij genere præparatum fuiſſe. Cæterum Martialis poeta ex ſcombri ſanguine primo, quẽ adhuc ſpirans effudit, garum Sociorum quod fęcoſum nominat, conſtare dixit in Xenijs. Garum Sociorum. Expirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo Accipe fæcoſum munera cara (*al. chara*) garum. Quare quod Nigrum hic appellat Aſclepiades garum, idem eſſe videtur quod Martialis dixit fęcoſum, à colore videlicet cruoris appellationibus deductis. Videtur autem Paulus Ægineta lib. 3. cap. 59. hoc ipſum garum πρωτεῖον, hoc eſt, primarium, appellare, reliquorum ex alijs piſcibus reſpectu. nam ad infinitum gari genera creuiſſe Plinius teſtatur. Dioſcorides non piſcium tantum, ſed etiam carnium garum dixit. Democritus apud Conſtantinum Cęſarem locuſtarum quoq; garum dixit, tanquam generalem muriarum nomenclaturam, quæ poſtea tamen ſit ad certum liquorem contracta, ex ſcombri videlicet ſanguine, & certo ſalis condimentarij genere conſtantem. adiectæq; certæ poſtea diſtinguendi gratia voces, vt ſcilicet Hiſpanum, Nigrum, Sociorum, Fęcoſum, & Primarium vocaretur. Conſtantinus certè Cæſar libri 20. de agricultura fine αἱμάτιον γάρος ex thynno habet, ſic appellatum quod vnà cum branchijs ac inteſtinis thynni, etiam cruor ſanioſus ac ſanguis (*vnde nimirum color niger accedebat, vt idem ſit Nigrum, Io. Langius*) ſale condiatur, ita vt ex his omnibus emanans liquor garum hæmatium appelletur. Quo

Sociorũ garũ.

Miratur garũ liquorem fœtidum in tanto pretio fuiſſe.

Garum certo ſalis condimentarij genere præparatum fuiſſe.

Ex thynno.

Liculmen.

loco etiam liculmen, barbara, vt opinor, voce, appellatum garum habet, ex intestinis piscium, & paruis pisciculis atherinis, mullis, mænulis, lycostomis, aut alijs quibuscunque paruis salitis ac insolitis constans, ita vt sit liquamentum ex vase in cophinum perstillans, & quod restat crassius retrimentum Alex vocetur, quanquam sociorum pro liculmen legere debere suspicarer, nisi ex scombro non fieret, & Bithynum ac hæmatium ipsi præfertur. (*Ego liculmen corruptum esse coniicio pro liquamen, vt Hermolaus quoque. & Apicio frequens liquaminis vox est.*) Quod ad verba Plinij: Nunc è scombro pisce laudatissimum in finibus Carthaginis spartariæ & cetarijs: ita sanè in omnibus exemplaribus quæ ego vidi legitur, verùm corruptam lectionem existimo, sic restituendam. Nunc è scombro pisce laudatissimum in finibus Carthaginis, & Hispaniæ cetarijs, atq; vt ita legendum putem, ex eiusdem Plinij loco lib. 9. cap. 15. adducor, vbi de scombris loquens ait, Hispaniæ cetarias his replent. Neq; enim placet quod quidam Spartariam epitheton Carthaginis esse volunt, ob sparti abundantiam, de qua idem Plinius testatur. Quod si quis autem hanc lectionem non admittat, & tamen coniecturæ locum ampliorem concedat, ausim credere Scombrariæ pro Spartarię legendum esse. Scombrariam enim Strabo libro 3. ait insulam à noua Carthagine stadijs 24. sitam, quę à scombrorum captura, ex quibus optimũ garum fit, nomẽ acceperit. Porrò non aliud quàm Sociorum garum esse opinor, quod Martialis libro 7. arcanũ appellauit. Sed coquus ingentem piperis consumet aceruum, Addet & arcano mista Falerna garo, Hæc omnia Cornarius.

Locus Plinii emendatus. — *Scombraria.* — *Garũ arcanũ.*

Garus associorum (inquit Io. Langius in epistolis medicinalibus) fuit olim præcipuè ex piscibus, & aliquando ex carnibus sale maceratis, putrilaginis liquamen. Quamuis enim sal reliqua à putredine conseruat, ingeniosa tamen gula ipsum ad gari, alecis & murię liquorem tabescere multiferam coegit. Deinde Garorum compositiones ex fine operis Geoponicorum Constantini pręscribit: quas nos, vt in eo opere inuenimus, ijsdem verbis, authoris scilicet Tarentini, ex translatione Andreę à Lacuna (à nobis collata ad Græcum codicem) adscribere maluimus. Sic autem habent: Quod liculmen (*liquamen*) dicitur, sic præparatur. Viscera (*ἔγκατα, intestina. vide ne Encatera quoq; suprà nobis memorata, aliqua gari species sit*) piscium (scombri aut scari, addit Io. Langius, malim scauri) in vas aliquod inijciuntur, vbi cõdiuntur sale: ac similiter tenues pisciculi, potissimumque atherinę, mulliúe exigui, aut mænides paruæ, aut lycostomi, aut ij prorsus qui admodum minuti videantur: omnesq; sale pariter insperguntur: Soliq; expositi inueterantur crebrò & assiduè agitando: vbi autem inueterati iam fuerint per calorem (τῇ θέρει, Io. Langius vertit in vere. Andreas à Lacuna postridie, legit. n. τῇ ὑστεραίᾳ, & ad sequentia retulit) & dissoluti, sic ex illis garum extrahitur. Oblongus corbis denso vimine intextus, in vas pisciculis plenũ inseritur: garũ autem ipsum confluit in corbem, colatumq; per ipsius corbis rimulas colligitur (*vasculo nimirum aliquo exhauriendum*) quod liculmen vocatur. Reliquum verò quod superest, alex efficitur. τὸ δὲ λοιπὸν πέτημα, γίνεται ἄλιξ. Bithyni porrò garum hoc modo pręparant: Accipiunt scallium, (Cornarius hanc vocem omittit,) aut mænas exiguas, aut etiam magnas: sin minus, lycostomos, aut scuros, aut scõbros: aut horum omnium miscellam: quos quidem conijciunt in pistoriam scapham aut mactram, in qua scilicet mos est farinam subigere. Cæterum ad modium piscium salis sextarios duos Italicos adijcientes tandiu permiscent, donec exactè pisces sali misceantur. Quos quidem sic relinquentes nocte vna postea in fictilem ollam inijciunt, Soliq; sine operculo exponunt duum aut triũ mensium spacio, ferula agitantes per interualla. postea verò operculum imponentes, reponunt. Sunt qui singulis sextarijs piscium, vini veteris sextarios duos infundant. (*sic præparatum, bene coopertam reponunt in varios vsus, œnogarũ vocant, Io. Langius.*) Si velis garo confestim vti, hoc est minimè soli exponere, sed elixare, sic facies: Accipito salsuginem liquidam (ἅλμην στακτὴν: Cornarius vertit, muriam stillatitiam & excolatam) probatamque sic, vt ouum, si illi inijciatur, natet: siquidem si descenderit, nondum satis sufficientem portionem est nacta. Dein verò in salsuginem ipsam infusam nouæ ollæ canijciens piscem, addensq; origanum ollam igni moderato admoueto, donec feruescat, hoc est, paululum minui incipiat. nõnulli sapam adijciunt, posteaq; vbi totum refrigeratum fuerit id in colum infundito, eodemq; secundò & tertio, donec euaserit quàm purissimum, percolato. Quo tempore garum ipsum, ollam operculo obturans, reponito. At verò Garum præstantius, quod nimirum cruentũ (αἱματεῖον) dicitur, sic præparatur. Viscera Thynni, (aut scombri, addit Io. Langius) vna cum branchijs, sanie, & sanguine sufficienti salis portione insperguntur: vaseq; aliquo inclusa ad duos menses, vt plurimum, sic immata seruantur: Quibus expletis, vaseq; ipso pertuso egreditur garum hæmatium dictum, ac si dixeris sanguiculum, aut sanguinolẽtum, Hactenus ex Geoponicis.

Io. Langius. — *Geoponica.* — *Garũ ex tẽpore* — *Garum hæmatius.*

Io. Langius in epistolis suis, eruditis sanè & cognitu dignis, garum non sociorum, sed associorum dicendum putat, quasi asotorum. asoti enim (inquit) dicebantur prodigi helluones, qui cibariorum & potus luxuria paterna decoxerant bona. quare gari cognomen apud Apicium, Plinium ac Martialem, abiecta litera a. mutilasse credo librarios, Sic ille. Mihi verisimile non est apud hos omnes, eodem modo corruptam fuisse lectionem: & similiter apud Senecam. Quid illud sociorum garum, preciosam malorum piscium saniem, non credis vrere salsa tabe præcordia? Quod si asotorum legendum intelligendumque est, quorsum attinet scribi associorum?

Sociorũ garũ.

Quod ad muriem attinet, (inquit idem Langius,) vt varios eius ad salgamorum, vini, & salsamentorum vsus, ita tres ipsius species reperio. Prima ex aqua cœlesti vel fontana, sale & melle vnà maceratis, constabat: qua solum in vindemijs vina vt fierent defæcatoria, condiebant. cuius præparationem in epistola de vini cum sale mistura, ex veterum commentarijs abunde docuimus. *De muria qua vina curabantur scribit Columella lib. 12. cap. 25. & M. Cato cap. 104.* Altera verò murię species, qua veteres ad olerũ, radicum, pomorum, salgamorumq; omnium condituras vtebantur, Græci ἅλμην στακτὴν, muriam vel salsilaginem colatam, & à fęcibus depuratam (*Ex Geoponicis paulò ante ἅλμην στακτὴν nominauimus, &c.*) Columella verò aridam (& duram lib. 12. cap. 6.) appellat: quam hac methodo conficere docet. Dolium patentissimi orificij in aprica parte villæ, qua plurimum Sol feruet, locato, & id aqua cœlesti repleto, aut fontana: tum indito sportam iunceam, vel ex sparto plicatam, sale candido, quo muria candidior fiat repletam. Cum salem per aliquot dies videris liquescere, nec dũ muriam esse maturam intellexeris, tum

Muriæ species tres. — *Prima ad vinũ curãdũ.* — *Altera ad salgamorũ conditurã.*

tum subinde alium salem ingeres, donec integer in sporta permaneat, nec diminuatur amplius, quod murię maturitatem indicat. Et si meliorem habere volueris, hanc in vasa picata diffundes, & opertam Soli exponito. omnem enim mucorem vis Solis auferet, & odorem bonum præbebit. Est & aliud, inquit, maturitatis murię experimentum, vbi dulcem caseum in eam dimiseris, si pessum ibit, immaturã: si verò emerget, maturam esse scito. Et quoniam ex sale candido fiebat, illius præparationem, vt ex M. Catonis libro de re rust. cap. 88. adscribam, esse operæprecium arbitror. Salem, inquit, candidum sic facito. Amphoram defracto collo puram impleto aquæ puræ, in Sole ponito. ibi fiscellam cum sale populari suspẽdito, quassato, & identidẽ suppleto. id aliquoties in die facito, vsq; adeò donec sal desierit tabescere biduum. id signi erit: mænam aridam vel ouum demittito: si natabit ea, muries erit, quo (*qua*) carnem vel caseos vel salsamenta condias. Porrò, ait, muriam in labello vel patina ponito in Sole: & vsque adeò in Sole habeto, donec concreuerit: inde flos salis fiet. vbi nubilabitur, sub tecto ponito. quotidie cum Sol erit, in Solem reponito. De oliuis muria conditis scribit Dioscorides libro 1. cap. 129. & Athenæus libro 2. Dicitur quoque postremò muria, quum de salgamis, carnibus ac piscibus sale sicco maceratis, illorum madore sal tabescit, liquamen. Vnde Hesychius, inquit, Ἅλμη, τῶν ἰχθύων ζωμός. & muria in Xenijs Martialis ait: Antipolitani, fateor, sum filia thynni: Essem si scõbri, nõ tibi missa forem.

Tertia, sal[illegible]

Muria (inquit Christophorus Encelius) habet effectum salis, & aquæ marinę: à Germanis dicitur *saltz vvasser, oder salle*. Estque duplex, scilicet: quędam est natiua, vnde fit seu coquitur sal nostrum cõmune, vt fit Hallis in Saxonia & alijs locis. Quædam est factitia, cũ miscemus cœlesti aquæ salis parum. Hinc sal leue (*imo muria liquida, & muria dura, vt supra retulit Langius*) dicimus, cum liquefit sal iniectum: & econtra sal durum, cùm non liquefit. & ita probatur etiam obiter sal an sit bonum. Huius species sunt, garum liquamen illud ex piscibus carnibusq; sale maceratis, *fischlacken, oder peckel*, (*de harengis Heringlack*) vt vocant Saxones. Pręterea huius altera est species, oxalme, id est acida muria, quæ fit ex aceto & aqua marina. Plinius muriam cum garo miscere videtur, Hęc ille. Ego quod Garum ipse putat, & Germanicè *fischlacken* interpretatur, garum esse non puto, sed alteram speciem muriæ: nos nostra lingua *Heringbrue, Brue von heringen oder dergleichen gesaltzner fischen*: nominare possumus. Muriam de carnibus salsis manantem, vocamus *beitze oder saltzvvasser*.

Horatius Serm. 2. 8. in principio conuiuij, inquit, fuit Lucanus aper, &c, - - acria circa Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum Peruellũt stomachum, siser, alec, fæcula Coa, &c. Et mox, Adfertur squillas inter muræna natanteis. His mistum ius est oleo, quod prima Venafri Pressit cella, garo de succis piscis Iberi.

Insectorum garro legebatur apud Pliniũ in codicibus quibusdam corruptis, libro 9. cap. 17, Vbi Hermolaus, Scribendum in sociorum garo: partim ex vetustis codicib. partim ex Plinio, vbi garum laudatissimum in cetarijs, sociorum appellari tradit: item Martiali, & Ausonio, sed & Seneca. Fiebat hoc è scombris in Hispania, quod & Strabo affirmat: Herculis (inquit) insula obiacet Carthagini, Scombraria vocata, quod ibi capiantur scombri, ex quibus optimum garum conficitur. Castigauerit locum hunc Merula prior an Domitius, ambigitur. Iam & aliquot exemplaria Romę impressa, non Insectorũ garo, sed sociorum habent.

Ex Hermolao

Garus Latinum non habet nomen, vt Ausonius poeta author est, qui & liquorem sociorum vocauit. Nec sentio cum quibusdam, qui Ausonium id velint dicere, quod non dicit, quasi sociorum garum appellauerit antiquitas, vt Græcum nomen garum, Latini nominis, hoc est, sociorum, accessione mollesceret, ita vt quasi Gręcum videri desineret. Non hoc Ausonius intelligit, sed illud: Malle se, inquit, vocare muriam, cum scientissimi veterum & vocabula Græca fastidientes Latinum in gari appellatione non habeant. Sed quocunque (inquit) nomine liquor iste sociorum vocetur: Iam patinas implebo meas, vt parcior ille Maiorum mensis apuarum succus inundet.

Differt porrò garum à muria & alece, quod garum ex extis scombri, & quondam gari piscis fiebat: muria ex thynno ferè Antipolim, Thuriam, inde verò & Dalmatiam nobilitans. (*a quibus hoc quoque garum in Geoponicis vocatur, non muria.*) quanquam muria, siue muries Catoni, Palladio, Columellę, non liquamen ex piscibus, sed salsilaginem factitiam ad caseos condiendos vinaque significat. Erat & sua Vestalium muries, vt inquit apud Festum Verrius, certis præscriptisq; rebus condita, vt quæ ritualis esset, & ad religionis quęsita cerimonias. Habetur & halme dicta, Latinè salsugo & salsilago apud Dioscoridem & Plinium: quanquam in medendi vsu salsugo hęc à muria nihil distat. Habetur & oxalme appellata, quæ ex aceto & sale fiat. nam gari genus acidi oxygarum appellatum, ipso nomine significatur. Columella oxygarum moreti genus facit, & oxyporum quoque dici posse vult, rationem eius condendi totius operis fine reddit. Videtur id nominis habere, quia cum vsus exigit, aceto garoq; diluitur. Sunt & sua medicis oxypora, sicut & hydrogara, & œnogara, & elæogara. alioq; elęogarõ & ferculi genus erat delicati, quod Sybariticũ missũ in cœnis appellabãt: quoniã Sybaritæ, quo anno id ganeę inuenissent, perijssent, autore Spartiano, Hęc Hermolaus Corollario 234. Et rursus Corollario 963. Salsugo, id est halme, itẽque muria vocari potest: quanquam & aliud genus muriæ inter sales diximus. A garo differt halme etiamsi vtrunq; ad pisces, Galeno teste, pertinet. Garus est sanies intestinorum ipsa. halme verò muries & salsilago piscium inueteratorum, hoc est ius salsum in quo seruantur, quam mulieres nostræ vulgò salimuriam appellant. Hæc à veteribus & salsugo Thasia vocari solita est: ita condebantur inueterabanturque pisces ij, quicunque in pruna & craticula commode coqui possent. ob id eos Aristophanes anthracidas, hoc est prunarios & carbonarios vocauit: nos, vt arbitror, aleculas. Huiusmodi sunt smarides & mænæ: item chalcides, quas & chalcidicas & sardas, & sardinos quoque appellant. item trichides vel trichię, &c. Eiusdem sortis arbitror hepsetos à coquendo nominatos, quos Artemidorus etiam plestos vocauit. His generibus proximæ sunt & thrissæ. Ex aceto & muria fit quod oxalme dicitur: sicut apud Cratinum ex allio & muria scorodalme. Qui iocularem quæstionem siue gryphum in conuiuio propositũ non soluissent, multabantur haustu muriæ: sed ita, vt in vino paulatim, & cum interspiratione biberetur. Apud alios victis meracum, victoribus osculum dabatur, Hermolaus. Ebria Baiano veni modo cõcha Lucrino,

Halme. — *Oxalme.* — *Oxygarum.* — *Halme. Muria.* — *Anthracides.*

Nobile nunc sitio luxuriosa garum, Martialis libro 13. de ostrea. Garì vel potius oxelæogari ex encraſicholis parandi rationem meliorem quam veteres tradiderint, ex Rondeletio ſuprà inter apuas præſcripſimus. Prouinciæ vulgus & qui litora Liguſtica colunt, macheta vulgò vocant liquamen ex piſciculo eiuſdem nominis, vt à Bellonio cognoui. Garum quomodo fiat alicubi in Germania piſciculis ſupra lapides ſale conſperſis, Bernardus Deſſennius in libro de compoſitione medicamétorum alicubi deſcribit. His miſtum ius eſt oleo, quod prima Venafri Preſſit cella, garo de ſuccis piſcis Iberi, Vino, &c. Horatius 2. Serm.

Macheta piſciculus, & liquamen.

Apicius Cælius libro 1. cap. 7. De liquamine emendando, ſi odorem malum fecerit. Cap. 31. Oenogarum in tubera. Cap. 34. Oxygarum digeſtibile. Libro 2. cap. 2. Iſicia hydrogarata.

G Siſtit omne ex ſalſis piſcibus, itemq; animalium carnibus garum, nomas, hoc eſt quæcunque paſcendo ſerpunt, ſi eo foueantur, (καταπλασσόμενον .i. illitum. ſed Marcellus legit καταντλούμενον ex codicib. manuſcriptis: & conuenit, inquit, quoniam liquidum eſt.) Medetur idem Morſibus canū (*Marcellus addit rabiosorum. αὐτοῖς λύτταις λέγω.*) Inijcitur præterea clyſtere in dyſenteria, vt quæ exulcerata ſunt ſiſtat & emendet: & in dolore coxendicis, vt quæ exulcerata non ſunt, proritet, (Marcellus addit, ad exulcerationem. ἐπὶ τὸ ἀνέλκωτα ἐρεθίζειν,) Dioſcorides libro 2. Vbi Matthiolus: Fuit olim (inquit) garum, compluriam ciborum condimentum, adeò vt nullus ferè liquor, qui ad gulæ luxum magis præſtaret, ab antiquis fuerit excogitatus. Veruntamen de hoc non intellexit Dioſcorides: ſed generatim de omni piſcium & carnium muria, qua hæc diutius aſſeruari ſolent. Garum plurimum calefacit & exiccat: quāobrem a nonnullis medicis ad putrida vlcera adhibetur. Clyſtere etiam inijcitur ad dyſentericos & coxendicum dolores, Galenus & Aetius. Muria ſalſorum piſcium more gari putridis vlceribus congruit, dyſentericiſque ac coxendicum doloribus iniecta medetur. ſui enim acrimonia humores coxendicem vexantes trahit, ac per inteſtina educit. putrida verò vlcera in dyſenteriis abluit & exiccat. præcipuè tamen ſilurorum mænularumque muria quidam medici ad huiuſmodi morbos vtuntur, quam nos interdum ad putrida oris vlcera accommodauimus, Iidem. Salſarum verò oliuarum muria ad dyſentericos iugiter vtimur inijcientes expurgandorum vlcerum gratia, horæ ſpatio anteaquam clyſter pro cruſta inducenda infundatur, Aetius. Garo ambuſta recentia ſanantur, ſi quis infundat, ac non nominet garum. Contra canum quoq; morſus prodeſt, maximeque crocodili, & vlceribus quæ ſerpunt, aut ſordidis. Oris quoque & aurium vlcerib. aut doloribus mirificè prodeſt. Muria quoq, ſiue illa ſalſugo ſpiſſat, mordet, extenuat, ſiccat. Dyſentericis vtilis eſt, etiamſi nome inteſtina corripit. Iſchiadicis, cœliacis veteribus infunditur. Fotu quoq; apud mediterraneos aquæ marinæ vicē penſat, Plinius. Gari piſcis capite vſto, ſuffitu extrahi ſecundas morantes aiunt, Idem. De medicina ad aures ex garo, lege ſuperius vbi Cornarij verba retulimus, circa principium. Garus piſcis eſt cuius fel recens, & inueteratum vino, auribus vtiliſſimum eſt vt quidam (Textor Rauiſius, ſi bene memini) ex Plinio recitat. Sunt qui præcipuè contra omnia aurium vitia laudent gari excellentis ſociorum cyathum in calice nouo lenta pruna decoquere: deinde ſpuma pennis deterſa poſtquam deſierit ſpumare, tepidum infundere: ſi tumeant aures, coriandri ſucco prius mitigandas ijdem præcipiunt, Vuottonus. Et vuæ medetur garum cochlearibus ſubditum, Idem. Cornu cerui in acido garo incoquitur, & inde dentes dolentes vtiliter colluuntur, Galenus ex Archigene, libro 5. de compoſ. ſec. locos. Alex deferuefacta vnguium ſcabriciam extenuat, Plinius. Sed de Alece, & remedijs ex ea, pluribus ſcriptum nobis eſt in A. elemento. Hoc amplius hic notabimus, haleculam diminutiuum ſemper pro piſciculo accipi, nec legi niſi bis apud Columellam, vt illic citauimus. Alex verò in fœm. gen. ſine aſpiratione, etſi in Græci codicis Geoponicorum fine (ἅλ) legitur: & halec gen. neutro apud Horatium ac Plautum (alibi tamen apud Horatium non aſpiratur, Siſer, alec, fæcula Coa. Mihi quoquo modo ſcribatur hoc nomen ſemper aſpirandum videtur) ſemper liquorem tantùm, ſiue æmulum gari, ſiue vitium eius ſignificare apparet. nam ſicubi grammatici pro piſce accipiunt, vt apud Plautum aut Martialem, pro liquore etiam commodè, aut commodius, interpretari licebit. Garum catharticum, melancholicum humorem educens, deſcribitur in libro de dynamidijs, inter nothos Galeni.

Alex.

Halecula.

F Garum facit ad delectationem, Galenus de victus ratione in morbis acut. Commentario 1. Caricæ ſi cum alio quopiam eorum quę facultatem habent acrē, aut omnino incidendi ac extenuādi, aſſumātur, iuuabunt non ſolum illos quibus iecur (aut lien) obſtructum aut ſcirrho affectū eſt, ſed etiā ſanos. Siquidē iecoris meatus apertos eſſe, non ęgrotis modò, ſed ſanis etiam eſt tutiſſimum. Ad eum igitur modū vulgò ſicubus cum ſale tenuante, aceto & garo præparatis veſcuntur, quod ipſas vtiles eſſe experientia didicerint, Idem lib. 2. de aliment. fac. cap. 8. Et rurſus cap. 11. Ex cibis omnium primi ſumendi ſunt, qui celeriter peruadunt, corrumpuntur autem ſi in ventriculo morentur diutius. Nec omnino ignorare homines mihi videtur, qui ordo in ijs quæ mandunt, ſibi ſit ſeruandus: quandoquidem ipſos videas in plurimis cibarijs eū ſeruare. Præſumunt enim radiculas, oliuas, & fœnumgræcum ex garo: poſt hęc, maluas, betam, & alia id genus olera cum oleo & garo. Et capite 20. Cum Protas rhetor quidā ventrem ſibi poſt eſum pomorū ac pirorū auſterorum deijci narraret, rogaui vt mecum vel vnū diem viueret, vt ſcirē quo tempore & quàm multis veſceretur aſtringentibus. Ac primum hominem ſtatim ſum hortatus, vt more ſuo viueret, néue vlla in re conſuetam ſibi victus rationem immutaret. ipſe autem cū poſt balneum paucula aqua præbibita, fœnumgrçcum, radiculam, & id genus alia (quç ante alios cibos omnes ferè ſumere conſueuerunt) ſimiliter & ipſe ſumpſiſſet, vinumq; dulce quantitate mediocri adbibiſſet, comedit deinceps maluas cum oleo & garo, & pauco vini: & poſt illa piſcis quidpiam, ſuillę & auis: deinde, cum ſecundo bibiſſet, pauco tempore intermiſſo, ſumpſit pira auſtera. Poſtea deambulatū progreſſi, non multū deambulauimus, cum venter illi maiorem in modum eſt ſolutus. Quæ cum eſſem conſpicatus, pactus ſum cū amico, vt poſtridie, quæ ad ſuam victus rationē pertinerent mihi cōmitteret. Qui cum mihi promptè eſſet aſſenſus, prima omniū, poſt balneū, pira exhibui: deinde alia deinceps vt conſueuerat. quibus peractis, non modò non vehementer, ſed ne mediocriter quidē aluū deiecit. Mirabatur ſanè (vt par eſt) rei euentū, cauſamq; eius à me ſciſcitabatur. Cui ego: Nā cum garum (inquā) vnà

vnà cum ijs quæ cum eo ſumpſeras, aluum ſuapte natura ſubducat. idque iam antè fecerit, aſtringentia poſtremo loco ſumpta, ijs potiſſimum, qui ſtomachum habent imbecillum, deiectionis ſunt cauſa, ventriculum roborantia, & ad expellendum, quę in ſeſe continet, incitantia: quod magis (inquam) fatebere, ſi cras prima omnium aſtringentia ſumpſeris: ſecunda autem poſt illa, carnoſa: omnium poſtrema, quæ cum oleo & garo manduntur. Minimè, inquit: repentè enim vomerem, ſi maluas vltimas cum oleo & garo manderem, &c. Idem Galenus libro 5. de ſanitate tuenda, (& rurſus libro 6.) ex garo & oleo ante cibum aſſumptis oleribus, aluum (præcipuè in ſenibus) ſolui ſcribit. Et Commentario 1. Hippocratis librum de victus ratione in morbis acutis: Qui cerebrum (inquit) cum oleo & garo condiunt, totū ex ipſis tum diſſimilare, tum ſibiipſi pugnans efficiunt: cerebro quidem ſtabili & tardè meante, miſtis verò ipſi ad deiectionem excitare idoneis. Pari modo & de ouo dicendum, ſiue cum melle, ſiue cum ſale, ſiue cum garo aſſumatur. Et lib 1. de alim. facult. Ex beta & lente edulium ſi cum garo dulci paretur, aluum magis ſubducit. Idem lib. 5. de compoſ. ſec. locos, acidi gari meminit. Confectio gari Ioachi martyropolitæ, ex Galeni de medicamentis parabilibus libro 3. cap. 134. (quanquam ſpurius eſt.) Accipe fruſtulorum panis non fermentati, non conditi, putrefacti libram: nigellæ tziaricam; ſemicontuſam mentham, calamintham buniſam, aridam. vtranque ſemilibræ pondere. rutæ, ſylueſtris thymbræ, fœniculi, ſingulorum tramia quadraginta. aneſi tramia triginta. nanachuam tramia quadraginta. vuarum paſſarum pinguium maturarum ſemilibram. palmularum mundarum tziaricam. mellis veri hilari meliſij ſemilibram. ſacchari cantij tziaricam. roſarum aridarum, aut humoris ab ipſis per ignem extracti tramia centum. Hæc in doliolum cum aqua conijcienda ſunt, Soliq; per quadraginta dies exponenda. Ipſis verò adijcere oportet in puro linteolo deligata ligni aloës tramia quinque. ſpicæ tramia ſeptē. caryophyllorū tramia duo. croci tramia tria. maſtiches, thuris, vtriuſq; tramia decē. ſtruthij corticis tramia quindecim. muſci tramium. ampar tramia duo. Omnia linteolo incluſa in dolioli medium ſuccum demittito: & per quadraginta dies quotidie terito, & exprimito, ſuſpendens videlicet in dolio, in medio ſucco. Et poſt quadraginta dies aquam ſucco ſuperfluitantem colligito, & in altero vaſe reponito: & in ſuccum alteram aquam inijcito, & vtraque inſolato. ſed poſtquam totum ius coactum fuerit in altero vaſe, tunc in nitido cacabo, aut in olla vſque ad tertias decoquito, & cotoneis maturis impleto. Linteolum autem nunquam de medio garo eximito. Et optimum garum, omnibuſque hominibus vtile conficies. Apicius mullos piſces in garo enecatos ſapidiores fieri docuit, Io. Langius. Sic congrum quoque coquus apud Sotadem Comicum ſuffocat ἐν ἅλμῃ διανθεστέρᾳ: & noſtri ganeones lampredam in vino Cretico.

Γάρελον, γάρος καὶ ἔλαιον, Heſychius. elæogarum.

GAZAS, Γάζας, ἰχθύς ποιός γάζης, κατακορεστικός, Heſychius. Videtur autem Gazas piſcem ſignificare: & Γάζης alia eſſe dictio à nouo principio, ſatiatum ſignificans.

GENARIDES, Γεναρίδες, nominantur à Tarentino in Geoponicis Græcis.

GERRES in numero multitudinis à Martiale poeta nominantur piſces ſaliri & inueterari ſoliti, ideoque odoris fœtidi: vt libro 3. In Bæticum:

Capparin, & putri cepas alece natantes, *Et pulpam dubio de petaſone voras.*
Teque iuuant gerres, & pelle melandria cana, *Reſinata bibis vina, Falerna fugis.*

Et alibi, *Fuiſſe gerres aut inutiles menas,* *Odor impudicus vrcei fatebatur.*

Rondeletius eundem hunc piſcem eſſe putat, quem Græci Garum, & alio nomine ſmaridem vocarint, Gaza cerrum reddidit, Neapoli etiamnum vulgò dicuntur cerres, Maſſiliæ gerres, &c. vt ſuprà in Garo recitaui. Plinius tamen in piſcium catalogo ad finem libri 32. gerres à garo ſegregat. Indocti quidam literatores, gerres piſciculos generi locuſtarum adſcribunt. Cæterùm gerræ à Græcis primùm crates vimineæ appellabantur, ea vox poſteà vulgò pro nugamentis rebuſque friuolis vſurpata eſt, authore Feſto Pompeio, &c. Plura leges in Dictionarijs.

Gerræ.

DE GLADIO SEV XIPHIA PISCE, BELLONIVS.

Iconem Bellonius nullam dedit, nos qualem olim accepimus à nobili quodam viro in Oceano Germanico delineatam, etſi minus accuratè, hic appoſuimus.

XIPHIAS Græcis, Latinis gladius, Venetis Spada, Genuenſibus Imperator, noſtris Ardea marina, Heron de mer: Burdegalenſibus, Grand eſpadas. A

Cetaceus eſt piſcis, ad Thynnum plurimùm accedens: quo, ſale condito, noſtrates (quibus infrequens eſt) pro Thynno interdum vtuntur. Pelagius magis eſt, quàm litoralis, Byzantinis frequens: hoc à Simia marina (quam etiam Genuenſes piſcem ſpādam nominant) diſtans, quòd hæc cauda, ille verò roſtro ſit enſiformi. Proinde à Thynno non ipſo tantum roſtro, verumetiam cute minus nigricante differt: ſub qua pręter aliorum piſcium morem, plurimæ ſquamę deliteſcunt. Cætera Thynnum refert, nempe ipſa corporis craſſitie, pinnis lateralibus, atque adeo cauda, quæ illi etiam lunata eſt. Quin etiā prouectiori Xiphiæ enſis ſeſquicubitalis longitudinis vice roſtri à natura exhibitus eſt. B (F) (C)

DE EODEM, RONDELETIVS.

Ξιφίας à Grçcis dictus, à Gaza & Plinio gladius vertitur. Strabo γαλεώτην & κύνα nominari teſtis eſt. Et Plinius: Tomus Thurianus, quem alij xiphiam vocant. Et marini canis partem à Romanis thurſionem dictam fuiſſe apud Athenæum legimus. A noſtris emperador. A Maſſilienſibus & Italis peſce ſpada. Hîc aduertendum alium eſſe piſcem ex galeorum genere qui à noſtris peis eſpaſe (*Hanc in Muſtelorum genere vulpem alibi facit Rondeletius, Bellonius ſimiam*) nominatur, ne quis ob nominis noſtri cum Italico affinitatem decipiatur. (A)

Lib. 1. geogra.
Lib. 32. cap. 11.
Thurianus tomus.
Thurſio.

B Xiphias piſcis eſt cetaceus, aliquãdo decem cubitorum magnitudinem attingens in noſtro mari, roſtro mucronato, maxilla ſuperiore ad duorum cubitorum longitudinem accedente, valde dura & oſſea, gladij figuram referente, quę ob id ξίφος dicitur, id eſt gladius, vnde toti piſci nomen. Inferiore maxilla breuiſſima, trianguli forma. Dentibus caret ξιφίας, ſed horum vice quatuor oſſa oblonga & aſpera in palato habet. Oculi rotundi ſunt & prominentes, ante hos foramina. Pinnas habet duas ad branchias, in medio ferè ventre vnicam. Magnã aliam in medio dorſo, & paruam non procul à cauda. Extremum corporis priuſquam cauda incipiat, latum & planum: in cuius plani medio erigitur tuberculum, vnde incipit cauda creſcentis lunæ figura, thynni modo, ſed latior. Reliquo corpore eſt rotundo, cute aſpera, ſi à cauda ſurſum manus ducatur: ſin contra, læui. Dorſum nigricat, ſplendeſcitque panni ſerici inſtar. Venter candidus eſt planeq; argenteo & ſplendente colore, maximè in aquis. *Lib. 2. de hiſt. cap. 13.* Branchias octonas & duplices habet, teſte etiam Ariſtotele. Internæ partes eædem cum internis partibus thynni.

F Carne eſt longè candidiore quàm thunnus, non inſuaui, ſed concoctu difficili, multum nutriente.

C & D Æſtate ab œſtro ita diuexatur, quemadmodum & thunnus, vt in terram & naues inſiliat. Sub pinna verò hæret exiguum animal: quia ob pinnæ articulum cutis iliic mollior tenerioreque ſit, faciliusque illinc ſanguiné exugere poſſit: & ita tenaciter hæret, vt nulla corporis agitatione poſſit excuti. Roſtro xiphiæ tantũ ineſt robur, vt eo naues perforen- *Lib. 32. cap. 2* tur. Trebius Niger, vt refert Plinius, xiphiam, id eſt, gladium roſtro mucronato eſſe tradit, ab hoc naues perfoſſas mergi in Oceano ad locum Mauritaniæ, qui Cotta videtur non procul à Lyco (Lyxo, Vuortonus, alias Luxo) flumine.

E Piſcem hunc maximè pertimeſcunt piſcatores noſtri: ſi enim in retia inciderit, roſtro, ſummaque vi omnia diſrumpit, vt multò plus damni adferat quam lucri, quod ex eius captura ſperare poſſit.

COROLLARIVM.

A Gladius non cetus eſt, ſed piſcis cetaceus. Græcè xiphias dicitur & inflectitur, vt Æneas nõ xiphius, vt lupus, ſicut recentiores quidam imperitè vſurpant: quanquam in Heſychij dictionario, in quo innumera ſunt corrupta, legitur: ξιφίας, ἰχθὺς θαλάττιος, ξιφὸς, διασίων. Apud eundem pro ξιφίας ſcribitur etiam σιφίας pro ξιφίας. Σκιφίων, ξιφῶν, ἰχθὺς παρὰ Κυπρίοις, ὃν τινὲς θύνν τὸν ἀλλᾶντιον. Athenæus quoque ex Epicharmo σιφίαν nominat. Ælianus de animalibus 13. 4. ex Meſſenia Menandri hos verſus recitat: *Gladij, alias canes dicti.* Ἐκὰν μὲ κυνῆς, ἢν πίωσιν ἡδὺ χολλὶ Ἀττικὸν, ὥστ' ὀ καπηλονύμευν ζέσαι, Οὔφ' ὅλῳ φέρων τὸ ἐγξίφιν κυνῶν. Verſus quidem poſtremus apparet corruptus. Λιτὸν δ' ἰχθυάριον σκόπελον πέρα μαμμώσσης Δελφῖνάς τε, κύνας τε, καὶ εἴ τι μείζονες ἄλλοι Κῆτος, Homerus Odyſſeæ M. de Scylla. Thynni (inquit Polybius, vt Strabo recitat libro 1.) cum gregatim præter Italiam acti elabuntur, & Siciliam attingere prohibentur, in maiores incurrunt belluas, vtpote delphinos, canes, alioſque cetaceos piſces. Ex quorum venatione galeotas, quos & xiphias aiunt, & canes nominari, (ὑπὸ καὶ ξιφίας λέγεσθαι καὶ κυνῶς φασι, Strabo, ὃς καὶ ξιφ[illegible], καὶ κυνᾶς καλοῦσιν, Euſtathius) pingueſcere ferunt. Latinus interpres ineptius hęc tranſtulit. Scribitur autem Græcè γαλεώτης, vt ἰχθύης, prima inflexione pariſyllaba. Quanquam Maſſarius galeos etiam in recto proferri putat, vnde genitiuus galeotis formetur. Huius piſcis (inquit) Plinius meminit libro XXXII. cum dixit: Nihil eſt venenatius viſquam quàm in mari paſtinaca, vtpote cum radio eius arbores necari dixerimus. hanc tamen perſequitur galeos, idem & alios quidem piſces, ſed paſtinacas præcipuè. Nam & Oppianus trygona, id eſt paſtinacam: & xiphiam, hoc eſt gladium, ſiue galeotem, diras pugnas inter ſe committere ſecundo volumine tradidit: quod quidem retulimus, vt errorem Sipontini, aliorumque refelleremus. nõ enim galeus, hoc eſt muſtellus, ſequitur paſtinacam, & alios piſces vt ait Plinius, cum ſit generale, non ſpeciale nomen, vt autor eſt Ariſtoteles & Galenus: ſed galeos, quem xiphiam ſiue gladium vocari diximus in hodiernum diem Græcis xiphiam, & noſtris piſcem ſpatham cognominatum, Hæc ille. qui in hoc fallitur quòd Oppianum ſcribit libro 2. pugnæ inter paſtinacam & gladium meminiſſe, cùm is ſimpliciter, & gladio & paſtinacæ, vtrique ſua arma naturam eſſe largitam dicat, huic in cauda, illi in roſtro, vt in B. recitabimus. Mihi ſanè rectus



Galeotæ.

ctus γαλεώς, à quo γαλεώτου gignendi caſus procedat, minimè placet: neque enim apud Græcum authorem aliquem reperitur: neque aliud ſimile nomen proparoxytonum, nam ἰὼς, (cuius accuſatiuus ἰῶτα cum εἰς præpoſitione in vſu eſt,) accentu differt: μιθύλεως declinatione, vt εὐήνεως quoque & huiuſmodi: εὐφυέστερως, εὐκερως, & ſimilia, his quidem vtriſque conueniunt, ſed in ὼς purum non exeunt. Galeos quoque vocatur xiphias, & ἰχάνις, Wottonus: Maſſarium ſcilicet ſecutus. Canes quidem alioqui piſces de muſtelorum genere vocantur, de quibus ſuo loco diximus: (quamquam veteres cane potiùs faciunt genus ad muſtelum: quam contra.) Gladios verò poëta eodem nomine nuncupaſſe videtur, quod ſimiliter vt canes galei (id eſt muſteli) cæteros piſces perſequantur. Quamobrem vt canum nomine ab illis, ſic etiam galeotæ, tanquam galei quidam dicti ſunt. cetaceos enim galeos referunt magnitudine, robore, pinnarum ſitu: cauda etiam lamiam Rondeletij, quæ & ipſa galeorum generis eſt.

Gladij piſcis roſtrum expreſſum eſt, ad figuram à Ioan. Caio Anglo nobis miſſam (cuius deſcriptionem in Corollario poſuimus,) corpus reliquum, vt à Rondeletio exhibitum eſt.



Fuit etiam marinus canis carmine Homeri celebris, cuius fruſta Romę thuriani pulmenti nomine vendebantur Rutilij Ruffi ætate, qui res geſtas populi Romani condidit, Maſſarius ex Hermolao. Marinus canis eſt (inquit Athenæus interprete Hermolao) cuius fruſta Romæ Thuriani tomi ſiue pulmenti nomine vendebantur trib. obolis in libras. Hoc & thurſionem dici ſolitum affirmat Latina lingua, ſuauiſſimum id ac lautiſſimum prodendo. Galeoten & Xiphian quoque dici ab aliquibus hunc piſcem video, ex Strabonis & Plinij hoc in loco ſententia. Fortè verò thurianum vel thurionem dictum quis putet à Thurijs oppido Italiæ, ceu illuc primò ſit conuectus è Sicilia, vbi frequens eſt. De Thurſione delphino ſimili, & roſtrato vt canicula, dictum eſt alibi, vt inde forſitan & huic nomen datum ſit. Hermolaus in Plinij librum 32. cap. vltimo. Et in Corollario, vbi de fibro quadrupede agit: Hic & à Plinio Tomus Thurianus, vt ego quidem primus cõperiſſe ſuſpicor, appellatus eſt. Athenęus & Thurionem ſiue Thurſionem dici obſonium hoc Latina lingua ſolitum affirmat, ſuauiſſimumque id ac laudatiſſimum fuiſſe. Dictum (hunc piſcem) & ſcyllam, & lamiam & carchariam quoque arbitror à nonnullis: vnde coniectari liceat, aut eum eſſe thurionem, quem nos vulgò ſturionẽ appellamus: aut quod verius exiſtimandum eſt, ab eo quaſi delicato & cupediario piſce nomen accepiſſe. Notandum Ariſtoteli aliud quodammodo, ſed affine tamen genus videri ſcyllam, & canem marinum, Hæc ille. Et mox, cum & prædictos piſces nominaſſet, & phocænam: quæ Latinè à Gaza tirſio ſiue turſio vertitur: in Plinij codicibus torſio: ſubdit: Aut ſi non ijdem omnino ſunt piſces, quod & ratio nonnulla ſuadet, certè ſimiles fateri eos neceſſe eſt. Nos de ſturione longè alio piſce in Acipenſere ſcripſimus. Lamiam quoq; vel ſcyllam aut carchariam canem, ſui diuerſique à gladio ſimul & ſturione generis eſſe, ex ijs quæ ſupra in Canum piſcium hiſtoria ſcripſimus, liquido conſtat. Tomus de parte ſeu ſegmento piſcis propriè dicitur, ſed totus etiam piſcis gladius ſynecdochicè tomus Thurianus dici fortaſſis poterit, vt Cybium & ſalſamentum eſt à cubi figura dictum, & κυβιάς piſcis Oppiano. Rutilius Rufus à piſcatoribus proprijs, tribus obolis minam opſonij, & maximè Thuriani dicti, emebat. Eſt autem hęc pars marini canis ſic appellata, Athenæus. Θορνεύς, xiphias piſcis, Heſychius, & Varinus. eſt quidem hoc vocabulum Thuriano confine, vt ab eo corruptum videri queat. Gladius à noſtrę ætatis Græcis etiam rectè Xiphias appellatur: Maſſilienſes piſcem piſcem imperatorem nominant, quod gladium veluti imperatores, picti gerat. Iidem q; alium piſcem Spatam ex eo appellant, quod eius cauda gladij ſpeciem ſimilitudinẽq; gerat. Itaque cum audies in prouincia Narbonenſi nominare Spatam, non exiſtimes eſſe, quem Itali Spatam piſcem appellant, ſed alium hunc, quem modò dixi, Petrus Gillius. Gladius eſt piſcis quem noſtrates militem vocant, Albertus.

Sed idem alibi barchoram, id eſt teſtudinem marinam, aut eius ſpeciem quandam vulgò militem vocari ſcribit. Roſtri quidem enſiformis in hoc piſce tam euidens eſt nota, vt ab eadem in diuerſis linguis nomen ei eadem ſignificatione ſit factum, Xiphias Græcis, Gladius Latinis, Spada (pro ſpatha) Italis, *Ardea mar.* *Schwerdtfiſch* Germanis, *Schwerdaefiſhe* Anglis. Bellonius gladium apud Cenomanos Gallos ardeam ma- *Acus.* rinam nominari ſcribit, à roſtri ſcilicet recta producti longitudine. quare cum acum etiam piſcem in Oceano (*Hamfiſch* appellant in lacu Suerinenſi & alibi) roſtro ardeam referre dicant qui viderant, & gladio piſcis non diſſimilem eſſe, ſed non longiorem cubito, idem vtrique nomen in vulgaribus lin- *Grus mar.* guis, maioris duntaxat & minoris expreſſo diſcrimine, attribui licebit: quod tamen, cum toto genere differant, non probo: præſertim cum alia eorum nomina propria habeamus. Eſt & grus marinus in Corinthiaco ingri, quindecim pedũ magnitudine, cuius caput & os gruis alitis ſimilitudinem gerit. Quærendum anſerra quoque piſcis gladio cognatus ſit, non verè cetus vt Rondeletius pingit. B

Xiphias in Danubio capi, Aelianus duobus in locis refert. In Dania, in lacu Suerinenſi, & paſſim ad Oceanum Germanicum notiſſimi ſunt. Capiuntur xiphiæ circa Zephyrium, quod extremum eſt Italiæ promontorium, Spartiuentũ à nautis hodie nuncupatum. Noſtra quidem (*ci. ca Romã nimirum.*)

litora rarò adeunt, veluti qui perpetuis maris æstibus, vt in freto accidit Siculo, gaudere videantur, Iouius. Gladius à rostri mucrone sic dictus, branchias habet octonas duplices, (*Idem Rondeletius confirmat, Gillius verò quadruplices ei adtribuit,*) Aristot. Fel eius collectim intestinis commissum est, Aristot. Vnicum ei intestinum esse rectà extensum audire memini: quod si verum est, miror & veteres & recentiores hoc tacuisse. Fel habet à iecore semotum, Vuottonus. In mari Tyrrheno xiphiæ nauicularum magnitudinē æquant: quorum, dum natant, tertia fere corporis pars supra mare eminens fertur, vt Strabo author est. Crebrò delphini magnitudinem excedunt, Massarius. Ge. Fabricius effigiem gladij ad sceleton delineati ad me misit, cuius longitudinem fuisse scribit pedes viginti, latitudinem tres. rostri per se, pedes sex cum tribus quadrantibus. Xiphiam Aristoteles habere ait rostri partem inferiorem paruam: superiorem magnam, reliquo corpori longitudine æqualem, osseā. hoc & ξίφος vocari, id est gladium. dentibus carere, Athenæus. In ipsis quidem Aristotelis qui extant libris, hæc de gladio prodita non reperio: neque verum fortassis est quod de rostri longitudine scribitur, τὸ δὲ καθύπερθεν ὀστῶδες, μέγα, ἴσον τῷ ὅλῳ αὐτοῦ μεγέθει. Rondeletius piscem hunc aliquando decem cubitorum magnitudinem attingere dicit in mari ad Narbonen prouinciam, maxilla superiore ad duorum cubitorū longitudinē accedente. In pictura verò quam proponit, maxilla eadem (si à mucrone ad oculum vsque & interiorem oris angulum metiaris) paulò minùs (cauda dempta) quàm tertiam totius longitudinis partem explet: (quam proportionem in illa quoque icone, quam Bellonij scriptis apposui, obseruatam deprehendi: & fermè in illa etiam, quam ad sceleton factam Ge. Fabricius ad me dedit.) si verò accuratiùs consideres, ita se habet maxilla superior ad totam longitudinem, vt tria ad decem: inferior verò (in Rondeletij icone, similiter à mucrone eius ad angulum oris interiorem sumpta mensura) vt vnum ad decem. Rerum quidem, non solùm animalium, simulacra inesse mari, licet intelligere intuentibus vuam, gladium, serras, Plin. Oppianus ξιφίας φερωνύμους cognominat, hoc est verè à gladij similitudine sic dictos. Xiphiæ gladium Oppianus ait acutiorem ferro existere, cuius horribilem mucronem haudquaquam durus lapis ferre possit, neque priusquam spiculo transfixerit, quidquam comedit. Idemque scribit, extincto pisce, simul etiam corrumpi gladium, armaque vna cum domino extingui, & deinde os manere inefficax, neq; cum eo quidquam effici posse. Ego tamen cum ad portum Monœci Herculis, à pisce huius gladij iam abscissi robur tentarem, dura saxa mucrone excauabam. Gillius. Sed ipsos Oppiani versus recitemus aliquot super hac re, tum quòd perelegantes sunt, tum vt Massarij lapsus, qui pastinacam & gladium inuicem pugnare ex hoc loco asseruit, redarguatur.

Τρυγόνι τε, ξιφίῃ τε θεὸς κρατερώτατα δῶρα | Γυίοις ἐγκατέθηκεν, ὑπέρβιον ὅπλον ἑκάστῳ
Καρτυνέας. καὶ τῷ μὲν ὑπὲρ γένυν ἐξετέλεσσεν | Ὄρθιον, αὐτόῤῥιζον, ἀκαμπέον, οὔτι σιδήρου
Φάσγανον, ἀλλ' ἀδάμαντος ἰσοσθενές, ὄμβριμον ἄορ. | Οὐ κείνου κρυόεσσαν ἐπιβρίσαντος ἀκωκὴν
Οὐδὲ μάλα στερεὴ πλαίη λίθος οὐ τυθεῖσα. | Τοίη οἱ ζαμενής τε πέλει, πυρόεσσά τ' ἐρωή.

Τρυγόνι δ' ἐκ νεάτης ἀνατέλλεται ἄγριον οὐρῆς Κέντρον, ὃ οὐ χαλεπόν τε βίη, καὶ ὀλέθριον ἰῷ, & reliqua.

Gladii qui in Istro capiuntur (inquit Aelianus de animalibus lib. 14. cap. 23.) conuenientissimum nomen habent. cum enim omni reliquo corpore teneri sunt & tactu mites: tum dentes eorum nec admodum curui, neq; immanes spectantur: Καὶ ὀδόντες οἱ οὐ πάντες (aliâs πάντη) σκολιοί, οὐδὲ ἀπλωεῖς ἰδεῖν. (*Athenæus ex Aristotele dentes omnino eis negat, vt Rondeletius quoque. & verisimile est materiam omnem quæ dentibus cedere debuerat, in talem tantumque gladium esse consumptam: sicut in ruminantibus cornutis quadrupedibus superioris maxillæ dentes primores desunt, in cornua nimirum materia eorum translata. Albertus maxillam inferiorem huius piscis dentatam facit.*) nec sic horret spina in dorso quemadmodum delphinorum, nec in cauda: sed quod magnam vel audientium vel videntium admirationem moueat, sub ipsis naribus, qua respirant, (*at pisces aut non respirant, aut non per nares*) & aqua ad branchias eis influit ac refluit, in mucronem rostrū procedit, & rectum porrigitur, sensimque & leniter in longitudinem & crassitudinem augetur: & dum ad cetaceam magnitudinem peruenit, illius etiam mucro tandem vel triremis rostro comparari potest. neque modò cum cibi inopia vrgetur mucronati rostri incursu pisces interficit atque exest, sed etiam maxima cete propellit & vlciscitur, non quidem armis ex ferro confectis, sed natura comparatis: vt ij qui magnitudine processerunt, contra nauem mucronem in eam desigentes, venire audeant. Quidam gloriantur se spectauisse nauem Bithynicam in litus extractam, vt carina eius iā vetustate fathiscens resarciretur, atque in ea Gladij caput affixum inspexisse: cuius, cum in nauem mucronem suum defixisset, & nullis viribus ipsum retrahere quiuisset, corpus quidem reliquum à ceruice auulsum fuerit: rostrum verò infixum, vt à principio inhæserat, remanserit, Hactenus Aelianus: qui maxillam huius piscis γένυν appellat, his verbis, εἰς ὀξὺ οἱ προήκει ἡ γένυς, &c. quamobrem libro 9. cap. 40. mendum esse apparet. In qua parte (inquit) insitam vim habeat præclarè nouit quodque animal, cuius & cum insidias facit, & cum se defendit, fiducia nititur. Itaque gladius piscis pinna (τῇ πτέρυγι. lego τῇ γένυϊ, id est maxilla) tanquam gladio, vnde & nomen traxit, ad se defendendum vtitur. Pastinaca aculeo se tuetur, muræna dentib. Hunc piscem vidi mortuum integrum & manibus contrectaui. est autem præpinguis, & adipem in dorso habet instar porci, Albertus. Et alibi, Pellem habet delphini, & formam sturionis: nisi quòd pellis plana est, non aspera: & vbi finitur ad caudam, paulatim terminatur in gracilitatem, tum statim quasi abscisso corpori infigitur cauda lata & bifurca. Dicitur autem gladius, quia nasus (maxilla superior) eius longus est, vltra cubitum cum dimidio, & directè habet mucronem & figuram gladij: substantia eius durior est cornu, mollior osse, colore nigra. Sub naso autem non habet os ad sugendum vt sturio, sed ad mandendum vt salmo. Inferior maxilla eius triangula & dentata est. Gladij rostrum leuiter in ensem procedit, non minus durus hic quàm ferrum existit: Dentibus & squammis caret, aspero corio vt natio canum obducitur: pinnam, ex membrana constantem, in dorso habet: adeò hebetibus aculeis, vt officula diceres intertexta, Gillius. Gladius piscis longum rostrum habet, simile rostro ciconiæ, seu gladiolo, cetera non multum dissimilis lucio, Eberus & Peucerus. Extremum gladij eius mucronem paulatim attenuante se maxilla, prorsus acutum esse audio, quod & Io. Caius nobis pulchrè expressit, in Rondeletij figura nō apparet. Cognationem aliquam huic pisci cum thunnis intercedere, ex ijs quę Rondeletius & Bellonius tradiderunt, non est obscurum: nam & internæ partes eędem ei sunt: & cauda similiter Lunæ crescentis specie: & æstate œstro vt thunnus diuexatur.

XIPHIÆ ROSTRI DESCRIPTIO ACCVRATA, AD SCELEton, *Io. Caio medico Anglo authore, in epistola ad nos.*

Xiphię piscis summam rostri partem, quę gladio similis est, ad naturale rostrum depinximus industria Ioannis Betti nobilis apud nos pictoris. Ima enim rostri pars, oculus, & reliquum corpus vetustate absumpta sunt. Pars illa rostri superior, tota ossea est & dura. Sicca etiam nostra est. Superficie sua summa & extima leuiter aspera est: intima & prona, læuior. Componitur ex duobus ossibus, quæ ab vltimo suo fine mucronato ad caput vsque ita coniuncta sunt, vt vnum quid esse toto processu videantur. Vbi ad caput peruentum est, paulatim se diuidunt & diducunt. ita vt superior pars ad cranium conficiendū latius assurgat: alterum, palati os facit, rectoque ductu à lato in acutum tendit, pari cum superiori longitudine. Medium rictum & hiatum inter vtrunque os bona sua parte occuparunt cerebrum atque oculi, quæ iam vetustate deleta sunt. Reliquum adhuc occupat in modum cunei materia quædam russa, cariosa, pinguedine quadam vnctuosa, etiam in tanta vetustate, medio modo se habens inter durum & molle, friabilis, ita vt digitis facile deteratur, materiei illi cariosæ, quæ in salicum putredine visitur, non absimilis, intertextis quibusdam membranulis continentię caussa. Aquè & ea parte qua se findere occipiunt, ossi superiori incumbit media sua parte alterum os tenue & mucronatum, eo modo quo vaginis gladiorum incumbit altera ad cultrum excipiendum vaginula. Ab eo mucrone ad extremum rostrum, in medio latitudinis suæ spatio, sulculus quidā est, vti in multis ensibus ferreis videre est. vtrinq; eius sulci, leuiter in summo decurrit ad vltimum ferè mucronem alter sulculus, sed non ita altè impressus aut excauatus, vt est medius ille. In intima seu prona sua parte suturam quandam habet, in media latitudine per omnem longitudinem se attollentem. Conspicua tamen hæc non ita sunt, nisi in sicco rostro, propter περιόστεον & cutem, quibus obducuntur adhuc recentia, vt in hoc nostro quantumuis sicco quibusdam in locis, maximè vbi se diuidit, apertum est. Gladius ipse sine pelliculis, colore est obscurè pallido. Vnde tamen diuisio illa incipit, semper est nigrior vnctuositate materiæ, quæ in ipso rictu inter os vtrumque continetur. Longum est os illud nostrum (quod parui xiphiæ rostrum videtur esse) à fine ad summum capitis, pedes tres & semissem. Sed ad hiatum (quotenus gladij armati hominis refert figuram) pedes duos, palmos tres. Pendit libras tres, vncias duas, siccatum iam & annosum.

Xiphias Opp. inter pelagios pisces numerat, vt Ouid. quoque. Vide etiam superius in B. circa principium. Rarò litus adeunt, Vuottonus. Capiuntur in mari & Danubio, quod & salsa & dulci aqua delectentur, Aelianus. Ac durus xiphias ictu non mitior ensis, Ouidius. C

Quanta vi & pisces infestet, & rostrum in naues adigat, leges inferiùs, hoc in E. illud in D. Gladij & thunni agitantur asilo canis exortu. hic tanto dolore infestat, vt non minus interdum, quàm delphinus exiliant. vnde fit, vt vel in nauigia sæpenumero incidant, Aristot. Animal est paruum, scorpionis effigie, aranei magnitudine, &c. vt dictum est supra in Asilo in A. elemento. Sub canis ortum asilum circa pinnas habent: alio autem certo quodam tempore, etiam in capite, Eustathius in Odysseæ X. Idem malum Oppianus secundo Halieuticorum eleganter describit.

Ex Aeliano superius retuli, (in B.) quòd in esurie rostri sui incursu, non pisces modò interficiat, ac D
voret: sed magna etiam cete propellat & vlciscatur. Cetus quidē aut balæna (*der Wallfisch*) à gladio tanquam hoste capitali sibi timere, accolæ Oceani Germani referunt. De galeotis aut galeotæ potiùs pugna cum pastinaca, lege quæ supra in A. annotauimus. Xiphias balænam conspicatus vsque adeo metu consternatur, vt gladium suum in terram, aut saxum, aut obuium alium quemcunque vadi (fundi) locum impingat, & ita capite infixo se contineat. Balæna verò truncum aut aliud quidpiam esse putans, negligens pręternatat. Solæ autem mænides eum conficiunt, eò quòd pellem tenuissimā habeat. nam cū viderint eum, adproperant & exedunt, Oppiani paraphrastes capite 47. Retulit Ioannes Marius Cataneus Nouariensis multarum notitia insignis, qui Locrensi in litore xiphiarum piscationi interfuit, eos tanta esse ingenij docilitate, vt Græcanicum sermonem quo ille magnę Gręciæ tractus vtitur, ab Italico distinguere videantur: idque admirandis argumentis deprehendi, quum Græcas voces minimè reformident, ad Italicarum verò sonum repentè diffugiant, quod complures Brutij testati sunt, Iouius.

Istri confluente per hyemem glacie astricta, piscatores alicubi ea perfracta veluti puteum excauant: E
vbi vt in stricta scrobe cum permulti alij pisces facile capiuntur, tum xiphias qui necdum confirmata ætate, nec confirmato rostro existit, (καὶ ξιφίαι, ἀλλ' οὔπω μέγας, καὶ ἔτι τοῦ κέντρου τοῦ προμετωπιδίου ἄμοιρος,) Aelianus 14. 26. Polybius (vt recitat Strabo libro 1.) Vlyssis errores circa Siciliam contigisse colligit. nam & venatio galeotarum piscium (quos à Scylla Homerus deuorari fabulatur, canes eos nominans, vnà cū delphinis & alijs cetis) circa Scyllæum Sicilię tractum (περὶ τὸ Σκύλλαιον. *Scyllæi freti meminit Archestratus apud Athenæum in Lato pisce*) fit huiusmodi. Manentibus in statione frequentibus remorum duorum scaphis, speculator aliquis communis constitutus est. Duos singulæ scaphæ tenent: quorum alter remigat, alter hastatus in prora stat. Cum primum verò speculator supereminentiam galeotæ signo indicat, (beluæ quidem supra mare pars tertia eminens fertur,) scapha propius appellitur. Deinde iacto manu telo, (ὁ μὲν ἐπλήξεν ἐκ χειρὸς,) vulnus incutit. Tū euulsa sine cuspide de corpore hasta, quod telum sanè est hamatum (ἀγκιστρώδης γάρ ἐστιν ἡ ἐπιδορατίς,) & cui hastile laxius inseratur idoneum. Ab eadem cuspide alligatus est funiculus longus, quem pisci sauciato relaxāt, donec agitatus suffugiensq; lassetur. Tunc in terram subducunt, aut intra scapham accipiunt, nisi prorsus immensum corpus existat. Quòd si etiam in mare telum exciderit, haud sane perit. est nanque è quercu pariter & abiete compactum, adeò vt querna grauitate demersum, deinde in sublime relatum facilè possit apprehendi. Contingit autem interdum & remigem in scapha (διὰ τοῦ σκαφιδίου, id est per scapham) propter magnitudinem galeotarum gladij vulnerari, & quod vis beluæ veluti apri (συαγρώδης) fit, & similis ferè venatio. Talibus ex rebus quadam coniectura colligi posse, inquit Polybius, Vlyssis errorem circa Siciliam secundum Homerum fuisse, quoniam huiusmodi venationem Scyllæ adtribuit, quæ Scyllæo tractui vsitata

Oppianus. vſitata eſt. Et ex ijs quæ de Charybdi memorant, quę freti illius periculis ſimilia ſunt, &c. Oppianus libro 3. Halieuticorũ, xiphiam canit etiam hamis capi, licet nulla eis infixa ſit eſca. nudus enim hamus, nec occultatus à linea dependet, duplici recuruus vnco. Supra eum verò, mollem aliquem piſcem è genere alborum, palmos (palęſtas) circiter tres ſuperius, ſummo labro artificioſe alligant. quem dum inuadens xiphias vorat, partes eis aliquæ delabentes circa hamum inhærent, quas ille dolo non animaduerſo ſimiliter deuoraturus capitur & extrahitur. Porrò circa Tyrrhenum mare, Maſſiliam & Galliam, vbi ingentes xiphię reperiuntur, piſcatores nauiculas ipſis piſcibus tum corpore tum gladio & mucrone roſtri ſimiles fabricant. Illi alios ſui generis piſces videre ſe rati, non refugiunt, donec à cymbis vndiquaque circundati fuſcinis feriantur, adeò vt effugere nequeant. Fit quidem quandoque vt gladio ſuo belua nauim penetrando perforet, tum piſcatores illico ſecuri maxillas eius confringunt, & nauim perforatam clauo obturant, ac piſcem viribus defectum extrahunt. Quin etiam ſinuoſis retibus incluſus aliquando xiphias capitur: & ſtolidus oblitusque roboris ſui ad maculas trepidat, nec audet appropinquare. itaque ad litus extracti caput clauis aut ſudibus comminuunt piſcatores, (*Atqui contrarium Aelianus & Rondeletius tradunt, piſcatores à gladio ſummopere ſibi timere, quod ſi in retia inciderit, ſumma vi omnia diſrumpat,*) Hæc Oppianus. Hippuro iuli & xiphiæ ineſcantur, Idem. Cum thynni circumretiti tenentur Neptuno malorum depulſori piſcatores vota faciunt, ne gladius piſcis, neue delphinus in captiuorum numero ſit. nam ſępe ſtrenuus aliquis gladius, lacerato reti thynnorum gregi irretito ad ſe exuendum ex laqueis facultatem dedit, Aelianus de animalibus 15. 6.

Xiphiæ in Oceano Indico in tantam augentur magnitudinem, vt validiſſimis roſtris Luſitanarum nauium latera ad ſeſquipalmum aliquando perforarint, Iouius. Retulit mihi quondam amicus, vir doctus & fide dignus, affinem ſe habuiſſe, qui cum in Syriam nauigaret, natantem iuxta nauim hominem viderit medium ab hoc piſce roſtro diſcindi.

F Gladius præpinguis eſt, & adipem habet in dorſo inſtar porci, Albertus. Ego etiam pinguiſſimum vel ad faſtidium eſſe audiui. Xiphiæ bonitate & pretio ſiluris (ſic ſturiones vocat, non rectè) fermè ſunt æquales, Iouius. Et rurſus, Thynni pariter ac Xiphiæ quum œſtrum patiuntur, veluti noxij damnantur menſis. Salſamentis commendatiſſimi ſunt, Maſſarius. Xiphias piſcis eſt mali ſucci, & multarum ſuperfluitatum, difficilisque concoctu, ac nauſeam afferens, & propterea ab hoc edulio prorſus abſtinere melius eſt. At ſi quis nonnunquam eo vti velit, acrioribus condimentis vitia eius emendet, vinoque ſuperpotet & valde vetuſtum & tenue, Symeon Sethi. In fruſtra ſecatur xiphias. carnem habet aridam. concoquitur difficulter, ſed plurimum nutrit ſi rectè conficiatur, ſicuti & cæteri grandiores piſces omnes, vt inquit Mneſitheus. In cibum ſinapi conditur. eſt enim ſapore ingrato, viroſo. eius abdomen cæteris partibus pręfertur, Vuottonus. Xiphiæ crudos humores generant, Pſellus.

Ἀλλὰ λαβὲ ξιφίου τέμαχος Βυζάντιον ἐλθών, Οὐραίου τ' αὐτὸν σφόνδυλον. ἔστι δὲ κεδνὸς
Κἀν πορθμῷ στενοῖς ἄκραισι Πελωριάδος προχοαῖσι, Archeſtratus apud Athenæum.

H. a. Γαλεώτην etiam ſtellionem, aliqui felem interpretantur. Vide in Stellione A inter Quadrupedes ouiparas. Item Galeotæ dicebantur vates quidam in Sicilia. lege ibidem H. a. Ξιφίαι etiam cometę genus eſt in mucronem faſtigiati Plinio, Theon ξιφοειδεῖς appellat. Ξιφοειδὲς, id eſt enſiforme, vel potius χόνδρος ξιφοειδὴς id eſt cartilago enſem referens, in fine ſterni, hoc eſt oſſis medij pectoris, à medicis appellatur. Deriuatiua quidem nomina rerum in ίας non pauca vſitata ſunt, vt ab ὠχρὸς, ἐρυθρὸς, ὠχρίας, ἐρυθρίας, de homine natura pallidi aut rubicundi coloris: ſic à ξίφος ξιφίας. Trebius eſt in Oceano qui duro naues perforat roſtro, Obſcurus: ſed ineptiſſimè: cum Plinius à Trebio Nigro hoc de gladio piſce tradi referat.

Epitheta. Ἄλκιμος ἰχθῦς, φερώνυμος, Oppianus. Ἄπλατοι ξιφίαι μεγακήτεες, Idem de xiphijs circa mare Tyrrhenum.

c. Caput xiphiæ piſcis ſuffitum cum myrrha velut dæmoniacos faciet adorantes. Tu autem nares tuas vngue vnguento valido, & nullo modo fies rabidus vel inſanus, Autor Kœranidum lib. 1.

Xiphius lapis. Xiphiũ herba. In xiphia lapide, id eſt ſapphiro, ſculpe accipitrem, & ſub pedibus eius xiphiam piſcem: & reclude ſub lapide radicem herbæ, (*xiphij, id eſt gladioli,*) & habe. hic annulus eſt caſtus, quem ſi habueris circa te, in oraculo videbis quicquid volueris. Et ſi poſueris eum in animali vel idolo aliquo, oraculum ædet de omnibus rebus quas volueris ſcire, Idem.

Tiburonus. Gladius fortè aut gladio cognatus eſt TIBVRONVS piſcis, de quo Petrus Martyr Oceaneæ Decadis tertiæ libro 8. ſic ſcribit: Bainoa prouincia eſt (noui Orbis,) in qua lacus eſt ſalſus & amarus. Putant autem eſſe amplas adeò profundaſque cauernas eius, vt è mari per eas magni etiam marini piſces emergant: inter quos piſcis quidam ab eis dictus Tiburonus, qui hominem in ictu dentis (*vt radius roſtri*) ſecat medium & vorat. In Hozamam vrbis primarię fluuium è pelago aſcendunt tiburoni, & multos dilacerant ex incolis: præcipuè qui ſe nullo pacto abſtinent, quin quotidie lauandi gratia ſe immergant fluuio. Et paulò poſt: Tempeſtates in hoc lacu excitatæ, Tiburonum lauta conuiuia ſunt. Sed & alius quidam noui Orbis piſcis cetaceus eodem nomine dictus videtur, de quo ſuprà leges in Cetis diuerſis,

DE GLANIDE, RONDELETIVS.

Alteram iconem piſcis barbati, quam ego olim ad Rondeletium miſi, hîc non poſui, in Siluro eandem melius expreſſam exhibiturus.

A DOCEBIMVS proximo capite Silurum eundem cum Glanide piſcem non eſſe, ſed ei perſimilem: qualis eſt quem hîc exhibemus, capite craſſo & magno, ore dentibus armato. qualem à bono & docto viro figuram accepi, talem exhibeo: (*Atqui in primis libris, vbi de manſuetudine piſcium agit, Glanos ſe inquit vidiſſe ad manum venire:*) nec certi aliquid ſtatuo: nunquam enim temere mihi iudicandum, & affirmandum aliquid ſtatui de ijs piſcibus quos neque vidi, neq; diſſecui. Piſcem alium pro Glanide vſur-

pant nonnulli, qui ab Heluetijs Saluz nominatur, & in Iuerdunenſi lacu capitur, ea adducti ratione, quòd ab accolis lacus modò dicti obſeruatum ſit quod de Glanide ſcripſit Ariſtoteles: Fluuiatiles & lacuſtres à peſte quidem immunes ſunt, ſed nonnullis morbi incidunt proprij. Glanis enim maximè canis exortu, quod ſublimis natet, ſyderatur, & tonitruo ſopitur magno.

B Piſcis hic in eam accreſcit magnitudinem, vt centum librarum pondus ſuperet, cute dura contegitur ſine ſquamis, capite lato & compreſſo, circa os appendices multas habet. ex ſuperiore maxilla dependent duæ, ex inferiore ſex. Pinnæ duæ (*vnica & parua eſſe debebat, in ſummo dorſo, pictor male expreſſit,*) ſunt in dorſo, alię ad branchias, ab ano vnicam cum pinna caudæ continuam habet. Cauda ipſa lata eſt, & depreſſa.

F E Carne eſt dura & inſuaui, & ab ipſis lacus in quo capitur, accolis negligitur. credunt enim ab eo tempeſtates induci, nec vnquam maiores capi ſine proxima tempeſtate, *Hæc Rondeletius. Nos plura in Siluro de hoc piſce.*

DE EODEM BELLONIVS. GLANIN ENIM ESSE PVTO

quem ipſe ſilurum nominauit, nec vllam adiecit iconem.



A B Ichthyocollam refert, qui Græcis à motus caudę celeritate Ælurus & Silurus: Oppiano, ab animalis terreſtris ſimilitudine, Hyæna dicitur: habet enim veluti iubas quaſdã à ceruice deorſum exporrectas, quę totam ipſius caudam ambiunt. Byzantinum vulgus, apud quos frequens ex Strymone conſpicitur, antiquam dictionem retinens, Glagnum ab inſigni glabritie nominauit.

C F Piſcis eſt fluuiatilis, haud ita delicatus. cuius caro ſale condita, pręter alimentum, eum etiam vſum præbet, quòd ſpiculis corporibus infixis extrahendis ſit vtilis.

G E Pellis, quæ in morem anguillæ læuis, ſed multò magis dura eſt, contegendorum Turcarum tympanis, membranæ loco, inſeruit.

B Agonum Mediolanenſem referret, niſi maior eſſet: atque etiam hoc dempto, quòd Agonus caudam ſeorſum à tergoris pinnis ſeiunctam habet. Hyęnę autem cauda, Corduli caudæ ſimilis eſt, quemadmodum & Corduli anguillæ, qui tres piſces in natando corpus in ſpiras agunt ſerpentium more. Verum etiam confuſos in ore dentes habet Silurus, multis ordinib. in maxilla diſpoſitos: os magnũ & amplum: branchias vtrique quaternas, eaſque duplices, nouiſſima excepta: fel maximum iecori annexum, maiorque in fluminibus quàm in æquore euadit, in quo etiam rarius reperitur.

F Huius piſcis eſu, ex ſuæ legis interdicto, Iudæi abſtinent, quòd glaber ſit, & ſquamis careat.

COROLLARIVM.

Glanin eſſe puto ſiluri ſpeciem minorem: icones autem ſpecierum eius duarum aut trium, cum ipſius hiſtoria dabimus.

A *Orthographia vocabuli.* Glanis nomen piſcis apud Græcos, & Latinos varijs modis ſcriptum reperio: ex quibus Latinè quidem glanis, (non glanus, aut glanius,) ſcribi laudo, duabus ſyllabis, maſculino gen. inflectendum vt Paris, Paridis. ſi quis tamen etiam fœmininè vti velit, vt Pauſanias, & inflectere ita vt nauis, nauis, eſto. Græcè verò γλάνις rectè ſcribitur, vocabulum paroxytonum, cum iôta in vltima, ſimiliter flectendum, vt genitiuus ſit γλάνιδος: vel etiam Atticè γλάνεως, vt ὄφις, ὄφεως, quod tamen rarius eſt. Et paucas alias in ις dictiones, quæ ſimiliter duobus his modis declinentur, inueniri puto. Euſtathius tamen nominum in ις quę per ιος flectuntur, quædam etiam per εως Atticè declinari ait, vt Ἄμαστρις, Ἀμάστριδος vel Ἀμάστρεως. Glanus qui & glanis vocatur, in quibuſdam Plinij exemplaribus legitur. ſed vetus lectio (inquit Maſſarius) melior eſt. non enim glanius, neque glaucius, ſed cautiùs qui & (*& abundat*) glanis vocatur (*agit*) &c. Apud Volaterranum modo glanius, modo lagnis, (ex Æliano nimirum, cuius codices quidam manuſcripti λάγνεις pro γλάνεις habent) diuerſis in locis, vtrunque pro glanide perperam ſcribitur. Sic in vulgatis Athenæi codicibus χλανίδος pro γλάνιδος: & apud Ariſtotelem γλανεῖς circumflexum in plurali numero Attico propenacuto: & γλανὶς in ſingulari oxytonum pro paroxytono: & γλανέων ſemel ac iterum in genitiuo plurali, penacutum pro antepenacuto. Glani iecur, pro glanidis, apud Plinium alicubi. In libro de remedijs paratu facilibus inter nothos Galeni, γλανέων, pro γλάνεων genitiuo plur. proparoxytono Attice. Cæterum in alijs Athenæi locis probè legitur γλάνιδος & γλανίδες. In Equitibus Ariſtophanis cum quidam interrogaſſet, vtrum Bacidis haberet oracula: reſpondit alter, nõ Bacidis, ſed Glanidis fratris ſenioris, γλάνιδος ἀδελφοῦ τοῦ Βάκιδος γεραιτέρου. vbi Scholiaſtes: locatus eſt (inquit) terminationum ſimilitudine, τὸν Βάκιν καὶ τὸν γλάνιν εἰπών. eſt autẽ genus piſcis ὁ γλάνις. γεραιτέρου δὲ, σοφωτέρου. Pauſanias fœm. genere effert αἱ γλάνεις & ταῖς γλανίσι, quod melius proparoxytonum ſcribetur γλάνισι communiter: & γλανέων Atticè, Ioniceùe ὁ γλάνις ὁ ἄφρων, Ariſt. hiſtoriæ 9. 37. alibi etiã maſc. genere vtitur. *Glanis fl.* Glanis, γλάνις, fluuius eſt Cumæ, (Italiæ & Cumę, Varinus: apud quem vltima non rectè per ypſilon ſcribitur:) cuius meminit Lycophron: γλάνης (ſic habet codex impreſſus per η. in

vltima) δὲ ῥείθροις δέξεται πέγγων χθόνα. Ab hoc etiam piscis glanis dicitur, qui nominatur γλάνος, (hac terminatione apud nullum alium Græcum inueni.) Est & Iberiæ fluuius. item tertius Italiæ circa Tiberim amnem, Stephanus. Idem puto fluuius apud Latinos Glanicus vel Lyris appellatur, in cuius ripa templum fuit Maricę nymphæ Minturnensis. Vide Clanius, Glanicus & Lyris in Onomastico nostro.

Hyæna. Bellonius in Obseruationibus Singularibus quoque silurum ad Strymonem fluuium vulgò hodie glaignon aut glanon vocari scribit, eundemque piscem alio nomine hyænam vocari: & Constantinopoli in foro frequentissimum glagnion appellari. Itaque vel duos, vel tres diuersos pisces in vnum confundere videtur. Glanin enim & silurum diuersos esse iam constat: Nuper cum per vrbem nostram iter Bellonio esset, ac varijs de rebus inter nos conferremus, inspecta piscis quem *Schaid* & *Weller* nostri vocant pictura apud me, cum hunc planè silurum esse mihi videri dicerem, assentiebatur. Leonicenus Plinium reprehendit, qui vt aliorum quorundam animalium nomina alibi Græcè, alibi Latinè proponat, tanquam de rebus diuersis agens, vt capreæ, dorcadis: vespertilionis, nycteridis, &c. ita siluri & glanidis quoque, quasi non vtrunque vocabulum Græcum sit: aut si hoc non dixit Leonicenus, quasi tamen res non sint diuersæ. Decepit illum forsan Theodori Gazæ authoritas, vt & alios quosdam eruditis: Theodorum autem Plinius, qui alicubi ex Aristotele transferens, pro glanide silurum posuit. Rondeletius in Siluri historia à glanide eum differre monstrat. Silurum Plinio (inquit Hermolaus) eundem videri qui sit & glanis, probamus ad hunc modum. Aristoteles libro 6. Glanis (inquit) tardissimū habet incrementum ex ouo. quamobrem mas sæpe vel quadraginta & quinquaginta diebus assidet, ouorum custos, ne absumantur à piscibus. Plinius autem libro nono: Silurus (inquit) solus omnium ædita custodit oua, sæpe quinquagenis diebus, ne absumantur ab alijs. Sed cum hoc ipsum, vt ait Aristoteles, cyprinus faciat. mirum vnde Plinius siluro tantum tribuerit. an solus ideo, non quòd solus oua custodiat, sed quod solus quinquagenis diebus? Hæc ille. Sæpe tamen aliâs Plinius in commemorandis ex glanide & siluro medicinis, eos tanquam diuersos ponit: atque etiam vno eodemque capite, primùm medicinas siluri, deinde glanidis commemorat, Gillius. Aelianus disertè distinguit, cum glanim incolam facit Mæandri & Lyci Asianorum fluminum, & in Europa Strymonis, specie ac similitudine siluri. Quin & Pausanias cum dicit Rhenum, Istrum, Euphraten & Phasin, feras similes glanibus hominum deuoratoribus in Hermo & Mæandro vèrsantibus procreare: per feras quarum nomen non exprimit, siluros intelligere videtur. Non probo Vuottoni coniecturam: Si quis authorum loca (inquit) diligenter conferat, videbitur eadem esse belua apud Pausaniam, cui nullum nomen ab eo est inditum, cum eo qui silurus vocatur ab Æliano, & qui silurus est grassator Plinio, & vorax D. Ambrosio, & item glanis Athenæo. Alius deinde erit silurus qui mari extrahitur porculo marino similis: & in Borysthene memoratur, &c. Et qui ab Ausonio describitur: atque fortasse idem qui Antacæus Herodoto & Straboni. Et mox, Glanius, ni fallor, alius est, vt qui marinus est, non fluuiatilis. de glani non memini legisse quòd sit marinus, Hæc ille. Sed falsus vtrobique codicum Plinianorum vitijs videtur. Ego silurum vnum duntaxat descriptum contenderim. quòd si hodie species eius piscis, quem ego silurum arbitror, diuersæ reperiuntur, sicuti puto, & in Siluri historia exhibitis declarabo iconibus: id vel non tradiderunt veteres, vel altera ex eis, minor nimirum, glanis est. Glanium verò piscem nullū esse dixerim: sed hoc nomen sicubi legitur, à glanide corruptum: & glanin tamen marinum non esse, sed fluuiatilem tantùm: silurum autem & marinum, & fluuiatilem & lacustrem. Silurum Germanicè nominari puto *ein Schaid, ein Weller, ein Welss, ein Saluz*: & similiter glanidem quoque parui tantum differentia adiecta nominârim, *ein kleiner Schaid*, &c. *Schaidle*: (quanquam & alium fortè piscem in Danubio *Schaidle* vocitent:) *ein grossen ieschen art*.

Qui glanin in vulgo Lucium marinum dici rentur, ij plurimum à vero aberrant.

Garcanen. Sumus. Solaris. Albertus magnus libro de animalibus 24. Garcanen pro glanide scripsit. nam ouorum custodiam similiter ei, vt Aristoteles, attribuit, ijsdem penè verbis: vt postea etiam Sumo pisci. quod nomen ab Illyrico Sum deriuatum videtur. sic enim illi silurum vocant. Et mox Solarem piscem, (quod à siluro factum nomen apparet,) vt Aristoteles glanin tardius cæteris piscibus increscere tradit. Solaris (inquit) est piscis qui Soli (*quasi à sole potius ei nomen factum sit, quàm à Siluro corruptum*) in ripis fluminum se exponit libenter. caput habet magnum, orificium (*os vel rictum oris*) latum. cutem nigram & lubricam, sicut est cutis anguillæ: iecur vescum & dulce. Excrescit autem in longum & vastum piscem cum diu vixerit. tardius enim quàm cæteri pisces incrementum capit. Idem in mentione mustelæ piscis, quem truschiū nostri vocant, ipse *Borboth*: De hoc pisce (inquit) dicitur, quòd cum duodecimum superauit annum, in maximam molem excrescit, & tunc Solaus (*Solaris, Sabauiæ & finitimis Heluetijs Salut* nominant) appellatur. Silurus nusquam ab Aristotele nominatur, quod sciam: vnde nimirum facilius Gaza piscem glanidi eundem existimauit, &c. Quærendum an Siluri (vt ego puto) è mari semper ascendant in flumina maiora, Rhenum, Danubium, Vistulam, Albim &c. *die Welsen oder Schaiden*. Glanides verò non item, minus nigri, infirmioresque. *Silurorum species aliquot.* Ego picturas quinque huius generis diuersas habeo, vnam ex Murtio lacu Bernensium, breuiore, crassiore, & albiore corpore: alteram nigriorem, & longiorem è lacu prope Rauenspurgum. tertiam ex Danubio. quartam sine coloribus delineatam, nescio ex Rheno an Oceano circa ostia Rheni. quintam è stagno iuxta Argentinam. Pinnis inter se, & oris rictu, barbulisque, & reliqua ferè specie omnes conueniunt. Magnitudine, caudę figura, & coloribus differunt. Omnes quidem siluros generali nomine propter formæ natureque similitudinem, & agilem caudæ mobilitatem appellari nihil prohibet. Species autem ex prædictis picturis non pauciores tribus esse video.

B Silurum piscem (*Glanim dicere debuit*) Byzantinum vulgus, apud quos frequens ex Strymone conspicitur, antiquam dictionem retinens glagnum, ab insigni glabritie nominauit, Bellonius. Nos suprà à Glani Italię fluuio denominari hunc piscem ostendimus. Glabrum Grçci dicunt ψιλὸ. & λεῖοι, & alijs fortè vocabulis, non autem glanum. imposuit fortè Bellonio glaber vox Latina.

Quòd si à Glani fluuio etymologia non approbetur, cuius tamen author Stephanus est, grammaticus ille regius

ille regius: ab adiectiuo γλανὸς quod ἀχρεῖον, id est inutile significat Varino, deducere licebit, potiùs quàm ab vllo nomine glabrum significante. (De origine vocabuli discepto. ipsum enim piscem reuera glabrum esse, non dubito.) Vilem autem hunc piscem esse videtur & Bellonius fateri, haud ita delicatum esse scribens. *Blax.* Ita Blax etiam piscis, si non idem, omnino tamen cognatus, videri potest: nam & ipse siluro similis perhibetur: sed inutilis adeò, vt ne canes quidem eum gustare velint. & adiectiuum nomen βλὰξ significat mollem, dissolutum, inertem. Vide suprà in Elemento B. Sed obijciat aliquis, latum sic dictum in Nilo piscem, albissimum esse, suauissimumque, quoquo modo apparetur, similem glanidi qui in Istro capitur, vt scribit Athenæus. Non potest autem hæc similitudo de specie corporis intelligi. Latus enim de genere coracini est, sed maior. restat vt de sapore ac bonitate in cibo accipiatur. Quamobrem nihil dum definio. Glanis piscis incola Mæandri & Lyci Asianorum fluminū, & Europæi Strymonis, speciem siluri similitudinemque gerit, Ælianus. Beluas hominibus perniciosas Græcorum fluuij ferre non solent, sicut Indus, Nilus Ægyptius, Rhenus, Ister, Euphrates, & Phasis. hi enim feras inter se similes, & maximè hominum voraces alunt, similes specie glanib. Hermi & Mæandri alumnis: nisi quod & color eis nigrior est, & vires præstantiores: glanides nigrę minus sunt, & imbecilliores. His verbis Pausanias non quidem glanides, homines deuorare ait, vt Gillius transtulit: sed feras quasdam in alijs quibusdam (extra Græciam) fluuijs, tum inter se, tum glanibus similes in homines grassari ait. Οὗτοι γὰρ δὴ (οἱ εἰρημένοι ποταμοὶ) θηρία ὅμοια τῷ (videtur hic aliquid corruptum, καὶ fortè vel [illegible] pro τοῖς legendum) μάλιστα ἀνδροφάγα αὔξουσι, τοῖς ἐν Ἕρμῳ καὶ Μαιάνδρῳ γλανίσιν ἐοικότα ἰδέας, πλὴν χρόας τε μελαντέρας καὶ ἀλκῆς. ταῦτα δὲ αἱ γλάνεις ἀποδέουσι. Aristoteles glanin ætate prouectum ἀγκιστροφάγον dixit, Gaza vertit hamifragam, Ælianus sic protulit: Ἱκανὸς δὲ ἐστι καὶ ἄγκιστρον καταπιεῖν, ὡς Ἀριστοτέλης φησί. tanquam faucibus, vtpote laxis, eum deuoret: non autem dentibus confringat. Sed Aristoteles aliter: Si glanis, inquit, peritus sit & hamifraga, morsu dentis sui durissimi rumpit hamum: τῷ ὀδόντι τῷ σκληροτάτῳ [illegible] κῶν, διαφθείρει τὸ ἄγκιστρον. Glanis in Nilo capitur, & corij eius vsus est Ægyptijs ad lyras, Bellonius in Singularibus. Atqui nullus veterum hunc piscem in Nilo etiam inueniri prodidit: & Athenæus scribens Latum in Nilo piscem, similem esse glanidi Istriano, eundem in Nilo capi negare videtur. quamobrem ad silurum potiùs hoc, quàm glanidem, retulerim. Idem silurum suum (hoc est glanin, quanquam similis vtriusque forma est) agonum Mediolani dictum piscem referre ait, nisi maior esset: in ea comparatione memoria forsitan lapsus. nihil enim agonus piscis siluro simile habet. Strinsiam vel Botarissam Mediolani dictum piscem dicere debuit, qui mustelæ lacustris genus est, *ein grosse Steinbeiß*. in huius enim descriptione sic tradit: Glanum piscem refert, quem Insubres & Taurini Botarissam nominant, dempta tamen magnitudine. Sunt enim tam propinqua similitudine, vt eorum alterum maiorem, alterum minorem dicere possimus. Quin & ichthyocollam hunc piscem referre inquit. nimirum corporis magnitudine glabritate, & barbulis.

Silurus Bellonio in diuisione piscium, similiter vt sturio, ouiparus & cartilagineus est, ossibus, spinis & squamis caret. Ego cum Massario silurum (& similiter cognatum ei glanin) spinas habere sentio. Cinis spinæ siluri vicem spodij præbet, Plinius. Glanidi quaternæ branchiæ duplici ordine sunt, nouissima excepta, Aristot. Fel in iecore habet, Idem.

Fluuiatilium silurus caniculę exortu syderatur, & aliâs fulgore (tonitruo, Aristot. historiæ lib. 8. C cap. 20. vbi glanin fluuiatili & lacustri piscium generi adnumerat) sopitur, Plinius. Aristoteles verò hoc de glanide tradit: vt non semel tantum, sicut opinatur Rondeletius, pro glanide silurum ex Aristotele conuerterit Plinius, vbi silurum marem solum omnium edita custodire oua ait: sed hic etiā denuò. Glanides vel à dracone angue (ὑπὸ δράκοντος τοῦ ὄφεω) gurgite parum alto icti intereunt, Aristot. Et alibi, Glanides & percæ continentem emittunt suum fœtum, vt ranæ. adeò enim fœtus ipse continuo filo sibi cohæret, vt percę quidem, quoniam latior est, piscatores in lacu arundine glomerent. pariunt glanides grandiores stagno altiore, (ἐν τοῖς βαθέσι:) quippe cum nonnulli vel trium passuum altitudine pariant. minores breuiore contenti sunt gurgite, præcipuè ad radices salicis, aut cuiusuis arboris. atque etiam inter arundines, & algas & muscosam congeriem, non solum pares cum paribus, sed etiam admodum grandes cum paruis veniunt: admotisque meatibus, quos aliqui vmbilicos vocant, fœmina ouum, mas liquorem venereum depromit. & oua, quę liquor ille vitalis contigerit, candidiora ex templo cernuntur, maioraque reddi eodem die propemodum dixerim. Paulò autem post oculi fœtus existunt conspicui, qui in quouis piscium genere perinde vt in cæteris animalibus statim patescunt, prægrandesque apparent. Quæ ex ouis non attigerit liquor masculi ille vitalis, hæc sterilescunt, & superuacua sunt: vt in marino etiam genere incidit. fœcundis iam ouis pisciculo increscente, detrahitur velut putamen, quod membrana est ouum ambiens, & pisciculum oua tacta à fœtifico maris semine, admodum glutinosa redduntur, ad cespites coëuntia, aut vbi pepererint. Mas oua quæ ædita sunt, custodit: fœmina abit cum pepererit. Tardissimum glanidis incrementum ex ouo est: quamobrem mas sępe vel quadraginta & quinquaginta diebus assidet, custodiens oua, ne à piscibus occurrentibus absumantur. Secundę est tarditatis generatio cyprinorum: parique modo oua ædita à mare seruantur. At minorum nonnulla oua vel tertio die speciem pisciculi capiunt. augentur oua, quæ semen maris attigerit, vt dictum est: & eodem die, & post, fit ouum glanidis, quantum eruum, Hæc Aristoteles historiæ animal. 6. 14.

Ex piscibus suorum fœtuum amantissimus est glanis. nam simul vt fœmina peperit, cura quidem illa D de partu suo liberatur, ac veluti puerpera quiescit. At verò assiduum se præstans mas custodem, ad conseruationem eius, quam procreauerit, sobolis, eam tuetur, & insidias omnes arcet, Ælianus. Glanis fœmina vbi pepererit, mas plurimum curæ proli impendit: fœmina vt peperit, abit. sed mas quo in loco plurimus fœtus constiterit, perseuerans oua custodit. nec alium prębet vsum, nisi vt pisciculos ne diripiant fœtum, arceat: idq; ad quadragesimum & quinquagesimum diem facit, donec satis iam aucta soboles se tueri à cæteris piscibus valeat. præhenditur sępe à piscatoribus vbi oua custodit. dum enim arcet pisciculos, quatit, prosilit, & ictum sonumque mouet. manet apud oua tam ardente animo, vt cum

sæpe à piscatoribus ova si prærupti gurgitibus subsidunt, educantur, quoad magis fieri potest, in vadum, ipse tamen eodem studio fœtum sequatur, neque deserere vsquam (al' vnquam) patiatur. tunc si minor sit natu, minusque vsu exercitatus, facilè hamo capitur: sed si peritus & hamifraga est, morsu dentis sui durissimi rumpit hamum, & fœtum assiduè custodit, Ex Aristotele de historia animalium libro nono. Silurus (*Ὁ σίλουρος ἐκβάλλει*) solus omnium ædita custodit ova, sæpe & quinquagenis diebus, ne absumantur ab alijs. Cæteræ fœminæ in triduo excludunt, si mas attigit, Plinius. Glaucius (*Cauettes, altàs, idq; raritas, Cauettes scilicet quam vt lues marinæ faciant & scolopendræ, &c.*) qui & (*copula ab -ndat*) glanis vocatur, auersos (aliàs auersus) mordet hamos, nec deuorat, sed esca spoliat, Plinius. Atqui Aristoteles hunc piscem hamos deuorare scribit, (*ἀγκιστροφάγον* nominans,) Massarius.

E De glanidis fœtum sequentis captura dictum est suprà in D.

F Archippus pariter nominat mæotas, saperdas, & glanidas, apud Athenæum; & Ephippus ac Mnesimachus apud eundem *τιμαχηγλανιδ@*. Latus in Nilo albissimus est, suauissimusque, quoquo modo paretur, glanidi Istriano similis, (nimirũ sapore & carne. de corporis enim forma intelligi hoc non potest,) Athenæus. Sunt contrà aliæ rationes, quę vilem & non adeò lautum hunc piscem esse persuadent, vt in B. dixi. Glanis in cibo damnatur cum vterum fert: & cum cæteri omnes mares suis fœminis sint præstantiores, glanis fœmina præstat suo mari. Iudæi hoc pisce abstinent, quòd squamis careat, Bellonius. Totus est *κιμαχ@*, Kiranides.

G Glani (Glauci, Wottonus) iecur illitum verrucas tollit, Plinius. Ad pharmacias: Caridij & platycymini & zo. lij radicis in vino vetere ad tertias decoctum bibat: & gestet etiam glanidum (*γλανίων*) ossa, hæc enim suffitu dęmones pellunt, Author libri de paratu facilibus Galeno adscripti cap. 241. Idé scribit Kiranides, & præterea fel inunctum albulas curare, & iecur elitatum ab epilepsia liberare.

G. a. A Matrone Parodo inter alos pisces conuiuij nominantur & *γλανίδες*, qui nominatiuus plur. communis est, flectendo vt *ἰχθύς*. *Γλανὶς, ἐχενὶς, (Γλανὸς, κλεβίας* vide suprà in A. *ἡωσεῖδ@ ἰχθύ@. οἱ δὲ γλανεῖς. Γλανὶς* nomen est viri *ἐν ἀκαπνίσταις* in Equitibus Aristophanis. Glanis frater Bacidis vatis. quære suprà in A. vbi & de Glani fluuio diximus.

GLANDES. vide Balani.

DE GLAVCISCO.

A EST & glauciscus Diphilo & Athenæo piscis, qui alius videtur esse quàm glaucus, ex Plinio tricesimo secundo volumine post mentionem de glauciscо & cęteris alijs tradente, Massarius. Vocabulum ipsum diminutiuę à glauco formę est, vt glaucidium quoque. Glaucidium eundem esse glauco pi-
Glaucidium. scem dubium mihi non est quoniam Amphis apud Athenęum similiter glaucidij caput, vt alij glauci, in dicbus ponat. sed & glauciscus idem videri potest. vide mox in F.

F Quòd si illi qui vilioribus vescuntur piscibus, scarum habeant, aut ex Attica glauciscum, aut ex Argo caprum, aut è Sicyone congrum, omnes sanè his gustatis fierent dij, Eudoxus apud Athenæum. Dorion etiam opsophagus glauciscum, orphum & congrum, non pisces, sed deos esse dicebat, vt retulit in Congrorum. Lynceus Samius pisces aliquot Rhodios Atticis comparans, ellopem & orphum glau-
(A) cisco opponit. Quum igitur adeò lautus & preciosus existimatus sit glauciscus, idem cum glauco videri poterit, cuius caput præcipuè in summis erat delicijs. Et sicut elops vel Ellops, cui confertur glauciscus, piscis sacer habitus fuit: ita etiam glaucus, vt aliqui legunt apud Theocritum in Berenice: *Σφίζοντα δέλτα τὸ μέσσον ἀνὰ ῥόον ἰχθύα, Ὀγκὸν ν (aliàs γλαῦκα) τανύσσαν. ὑγρὰ δ' ἴυγρὸς πετ@ κ@ωι.* Kiranides simpliciter elopem glauco similem esse tradit: quod ego non de forma, sed sapore & bonitate acceperim. Coquus apud Archedicum, glauciscum drachmis tribus se opsonasse ait, item congri caput, &c. tanquam summas delicias.

Peritum esse oportet coquum, & nosse *Τὸν ἐχθὺν ἅ Φορβὰς, ποῶν@, ὠβίλια τοῦ Γλαυκίσκ@. ἐκ χειμῶνι, καὶ θέρει*, Athenæus libro 3. Glauciscus in cibo similis est cephalo & mugili, Diphilus.

(A) Non desunt qui mugiles etiam *γλαυκίσκους* vocauerint. sed perperam, cum *λευκίσκους* legere oporteat. Leuciscum autem aliqui genus faciunt mugilum omnium, siue marinorum, siue fluuiatilium. Galenus leuciscum fluuiatilem tantum mugilem facit, Rondeletius. Mulieribus lactis copiam facit glauciscus è iure sumptus, Plinius.

DE GLAVCO (MAIORE HEXACENTRO,) RONDELETIVS.

A PISCIS *γλαῦκ@*, Latinè seruato Græco nomine Glaucus: is est proculdubio qui à nostris Derbio, à Romanis Lechia, (*Vide mox in Glauco secundo, vbi à Romanis Lapida vocari dicit hunc piscem. Lacca quidem est illustris:*) à Prouincialibus Biche, & Cabrolle, & Damo, (*quasi caprolus & dama, nescio quam ob causam:*) ab Illyricis Polauda: à quibusdam Lampugo (*vt à Bellonio,*) sed falsò vocatur. (*Rondeletio Lampugo piscis est Hispanis marinis, quem inde hippurum facit.*)

B Glaucus est dictus à Colore. Est autem glaucus color cæruleus, qui & cæsius dicitur & cyaneus: qui
Color. duplex est, aliquando ex albo cæruleus, vt cum glaucos oculos dicimus: vnde toties apud Homerum *γλαυκῶπις Ἀθήνη*, id est, cæsia. vt ait apud Gellium Nigidius, de colore cæli, quasi cælia. Aliquando est cæruleus exaturatus, & veluti nigricans ac obscurior, vt cæruleum mare cum turbatum fuerit. lacessita enim & incitata superficie, paucis in eam incidentibus radijs, luce iam diuulsa atque dissipata vmbrosum nigricans se offert, vt docet Aristoteles in libro de coloribus. Item Plinius: Color austerus in
Lib 9. cap 36. glauco & irascenti similis mari.
B. reliquum. Glaucus piscis est in alto mari degens, corpore longo, compresso ventre, dorso falcato. A branchijs ad caudam linea recta protenditur. Tricubitalem aliquando vidimus. Nitida est cute, squamis paruis tecta, sed vix apparentibus nisi cute exiccata. Dorso est planè cæruleo, ventre candidissimo, ore paruo, oculis medijs. Statim à capite aculeos habet, quorũ primus in anteriorem partem vergit: quinq; alij ad caudam spectant, breues sed acuti, nulla membrana connexi. Iuxta anum duo alij sunt, qui veluti in vagina

in vagina conduntur. Aculeos pinna sequitur ad caudam vsque continua, initio magna, macula nigra lata notata, inde breuis & tenuis, non aculeis sed tenuibus tanquam villis constans. Ore est paruo, maxillis asperis potiùs quàm dentibus munitis. Corpus à capite ad podicem latius est. A podice sensim gracilius fit, in caudam desinens instar semicirculi rotundatam, deinde duab. pinnis terminatam. Pinnæ aurei coloris breues & latæ ad branchias sitæ sunt. Aliæ duæ in ventre paruæ & tenues. Rima potius quàm foramen est pro podice. Ventriculo est magno cum vnica appendice. Hepar felle caret: eius enim vesica intestino adhæret. Splen paruus est, caro candida, pinguis & suauis.



Piscem hunc falsò lechiam existimari iam diximus. Glaucum autem verum esse conuincit color, à quo nomen pisci positum. Præterea appendiees ventriculi paucæ teste Aristotele, quodque æstate lateat, eodem autore. Denique *ἀεργοσιν* illa, id est, pars anterior corporis cum capite, olim ab Archestrato, delicatiorisque gulæ hominibus tantopere celebrata, quæ in hoc pisce pinguis suauissimaque est. A *Lib 2. de hist. anim. cap. 17. & lib. 8. ca. 15. Athe. lib. 7.*

De glauco pisce (*Glaucus, non hic, vt mox dicu, sed galeus glaucus fœtum suum timentem ore admittit*) mirum quiddam scripsit Ælianus: Glaucus piscis pater factus, quos sustulit ex coniuge, diligentissimè cauet, ne insidijs impetantur, & ne pernicies vlla eis inferatur. itaque donec læti ac sine timore natant tandiu ille custodire nõ intermittit, nunc verò nõ à tergo, sed adnatat modò ad vnũ eorũ latus, modò ad alterũ. Si quis verò ex paruulis timere cœperit, ille timore cognito, ore hiante paruulũ excipit: deinde timore præterito quẽ deuorauerat, reuomit qualéq; acceperat, ille rursus natat. Id. de galeis & torpedine scribit Arist. Galei fœtus suos & emittunt, & intra seipsos recipiunt, & squatinę, & torpedines. Solus ex galeis acanthias non recipit propter spinam, ex planis autem pastinaca & raia non recipiunt propter caudæ asperitatem. Quare nec glaucus ille quem depinximus, catulos suos in se recipere potest, propter dorsi aculeos semper erectos. De hoc igitur glauco illa non scripsit Aelianus, sed de galeo glauco, qui vulgò à nostris cagnot blau nuncupatur, id est canicula glauca: quæ cum aculeis careat cute que sit leui cæterorum galeorum modo, catulos suos intra se recipit & emittit. Sed de galeo glauco plura, quum de galeis scribemus. B *Lib. 6. de hist. cap. 10.*

DE SECVNDA GLAVCI SPECIE, VEL GLAVCIDIO, RONDELETIVS.



GLAVCORVM non vnicum esse genus, non solum appellationum varietas, sed etiam notarum differentia demonstrat. Secundam igitur glauci speciem dicimus esse eam quam prouinciales liche vocant, cùm superiorem biche appellarint. Romani piscatores stellam, qui priorem lopida vocant. *Glaucidium. Libro 7.* Nostri illam derbio, hanc palamide vel vadigo. Hæc autem glauci species à priore differt, quod eius magnitudinem nunquam attingat, vnde *γλαυκίδιον* iure dici potest, cuius etiam meminit Athenæus.

Præterea quòd hic septem aculeos in dorso habeat ad caudam spectantes, prior quinque duntaxat. In hoc glauco à superiore branchiarũ parte ad medium corpus linea tortuosa admodum demittitur, hinc recta ad caudam protenditur, in illo à branchijs ad caudam, rectam lineã duci diximus. Pinnęq; posteriores tam superna quàm inferna parte maculam nigram habent, qua hic caret. Ille corpore est latiore, hic strictiore: alioqui corporis figura, reliquisque partibus tum internis, tum externis valde similis.

DE TERTIA GLAVCI SPECIE, (VEL Glavco Sinvoso,) Rondeletivs.



TERTIVM Glauci genus à ſecundo non multum differt, niſi quòd huic dentes acuti, linea à branchijs ducta longè magis flexuoſa tortuoſaque eſt. nimirum inſtar ſerpentum aut vermium corporis flexibus gradientium, vel vndarum ſeſe attollentium & mox deprimentium. Dorſum ex cæruleo nigreſcit ad lineam prædictam vſque, lineæ pars ſubiecta candidiſſima. Pinnis, aculeis, cauda, partib, internis, alijs glaucis planè ſimilis.

F Carne eſt pingui, ſuaui, dura. Hic litoribus noſtris vix notus eſt.

A Hæ ſunt tres glauci ſpecies, quibus color glaucus, id eſt, cæſius ſiue cæruleus nomen dedit, diſtinctionis verò gratia primum glaucum ſimpliciter appellabimus, ſecundum γλαυκίδιον, tertium glaucum ſinuoſum.

DE ALIO PISCE, GLAVCO BELLONII.

Hic quanquam Vmbræ cognatus ſit, à Rondeletio tamen deſcribi non videtur, nec Vmbra, nec Coracinus, nec Lati nomine: quos piſces ires cognatos & ſimillimos facit.



A GLAVCVS (inquit Bellonius) pelagius piſcis, à ſquamarum colore dictus, ex eorum piſcium numero, qui in partes diuiduntur, pluresque patinas implent, Lutetiæ inuiſus, Genuenſibus frequens: apud quos Fegarus appellatur: Venetis Corbetus, quaſi Coruulum dicerent: Maſſilienſibus & Romanis nullo alio quàm Vmbrinę nomine cognoſcitur: quamuis ab hac quibuſdam notis diſſideat, vti poſtea oſtendemus.

B Puſillus dum eſt, tranſuerſis atque vndantibus lituris ſuggillatur: in quo Chromidi adeò ſimilis eſt, vt pro ea plerunque diuendatur. Prouectior autem adeò Vmbram marinam refert (præſertim cirrho quem ſub labro inferiori erectum habet) vt à pleriſque, veluti iam dictum eſt, alter pro altero aſſumatur. Cæterum huius piſcis color ex liuido in aureum effulget: roſtroque eſt obtuſo, cuius labri pars inferior quinque exiguis foraminibus, ſuperior tribus tantum peruia eſt. Oculi magni & nigri, ſub quorum canthis, gemina ſunt vtrinque foramina. dentes in maxillis confuſi atque exigui. lingua rotunda: ad cuius radicem quæ ad fauces eſt, circa epiglottidem aſperitas quædam oſſea aliorum quorundã dentium formam præſe fert: atque ob hoc magis expetitur Glauci caput, quòd in eo lapillos duos gerat medicamentis vtiles. Tergoris pinnam non habet continuam vt Coruus, (*Cornum pro coracino ſuo dixit*) ſed diuiſam vt Chromis & Vmbrina. Laterum quoque pinnas acutas non habet, verùm quæ ab ano ad caudam fertur: ea certè robuſto aculeo vallata eſt, quo ſe aduerſus piſces defendat. Caudam gerit ſubrotundam, ani foramen magnum ac diſtentum: multas intus lactes: omentum admodum pingue, circunfuſa, ac multis in gyrum reuolutionibus complicata & nodulis intercepta inteſtina complectens. Hepar habet ſpongioſum, in duos lobos diſtinctum: quorum ſiniſter latior eſt: à dextro autem lobo veſicula fellis parua, piſi magnitudine, velut ex filo trium digitorum longo dependet, atque in fundo ſtomachi quandam apophyſin in nullo alio piſce à me conſpectam gerit, præter quinque alias in pyloro ventriculum obſepientes. Porrò veſica non caret, vt nec etiam renibus (*Ex iis quæ ouipara parunt anas piſcesq; neque veſicam nequerentes habent, &c. Rondeletius in Teſtudine corticata*) atque ab his ad hanc productis vreteribus, filis tenuiſſimis haud abſimilibus.

C Veſcitur hic piſcis carcinis, ſcolopendris, caridibus, & alga: quorum reliquiæ in eius ſtomacho nonnunquam reperiuntur.

RVRSVS

RVRSVS DE RONDELETII GLAVCIS, QVOS *Bellonius Anthias eſſe putauit.*

Sunt etiam de genere Anthiarum (inquit Bellonius) piſces plani & lati, quos vulgus Romanum Lopidas & Leczias appellat. Quorum vt rariores quidam Lopidæ, ſic etiam maiores: Stellæ verò, minores, non vſqueadeò frequentes: Lecziæ frequentiſſimæ ſunt, quas cum his piſcibus libenter contulerim, quibus Maſſilienſes Lampugarum (*ſed falsò, Rondeletius*) nomen indiderunt. A

Omnino Romanorum Leczia Thynnum ac Pelamydem (*Hinc nimirum ſecundam ſpeciem Galli in Prouincia palamide vocant, & forſan prioris etiam nomen lopida, per metathesin inde corruptum eſt*) referret, niſi corpore eſſet latiuſculo, cauda magis lunata, & maiore corporis mole. Proinde ſeptem ſunt illi in tergore aculei ſingulares, firmi ac breues: cutis glabra, minimè ipſo conſpectu ſquamoſa, niſi impacto vngue ſcarificetur. Nam tunc ſquamulæ quædam exiliunt iis ferè perſimiles, quibus Dryinus ſerpens præditus eſt. Branchias habet duplices vtrinque quaternas. Tergus atrum, ventrem candidum, anum in medio ferè corporis: cui quæ vicina eſt pinna, duobus aculeis armata eſt. Os illi paruum, dentes exigui, duæ ſub ventre pinnæ. Linea arquata, nigra, totum piſcem per medium diuidens, lingua candicans. Superioris quoque & inferioris pinnæ extremitates, nigris & latis maculis ſuggillatæ. Cæterum corpore eſt compreſſo ac tenui, vt planus ac latus eſſe videatur. Septem vtrinque ſpinas pro coſtis habet: quæ vbi deſinunt, illuc vertebræ, vt in Rhombis & paſſeribus, protenduntur, atque ad vtranque pinnam tergoris ac ventris pertingunt. Cor ſub branchiis poſitum eſt, triangulum, membrana incluſum. Hepar arctiſſimè ſtomachum amplectitur, in duos lobos diſtinctum: quorum dexter oblongo folliculo incluſam plurimam bilem flauam continet. Stomachus ſub inteſtinis ſic collocatus eſt, vt niſi detegatur, viſum protinus effugiat. Apophyſes innumeræ pylorum ambiunt, tribusque in obliquum reflexionibus inteſtina contorquentur. Oua fert in vulua bicorni, ſquillasque in mari deuorare ſolet. B

Hunc piſcem Romani in maximis deliciis habere ſolent, apud quos eſt etiam admodum vulgaris. C. F.

COROLLARIVM.

Glaucus & coloris, & piſcis ab eodem dicti nomen eſt apud Græcos: accentu tamen diſtinguitur. γλαυκὸς enim oxytonum, adiectiuum eſt & colorem ſignificat, ſiue cæruleum, &c. vt Rondeletius docet: ſiue ſubalbum, & qualis eſt in foliis oleæ, Ἐστὶ δὲ λευκὸν καὶ ἀόριστον τοῦτο τὸ γλαυκὸν ὃ ἔστιν ὠχρόν, Euſtathius. Γλαῦκος verò penanſlexum, ſubſtantiuum, piſcis nomen, & ſic à pleriſque omnibus eruditis ſcribitur, niſi librariorum culpa fortè erratum ſit alicubi: item proprium hominis & dei marini. Glaucus piſcis à colore dictus eſt, eo quòd ſit albus. Græci enim album glaucon dicunt, Iſidorus. Dorſo eſt planè cæruleo, ventre candidiſſimo, Rondel. Sic etiã λεῦκος piſcis eſt, λάικος color. & apud Theocritũ vbi λεῦκος piſcis facer nominatur; alii γλαῦκος legunt, vt in Glauciſco paulò ante notaui. Scripſi. n. de glauciſco ſeorſim, quòd nonnullis recentioribus à glauco differre videatur: nos coniecturam cur idem videri poſſit, attulimus. Glaucidium quoque, Γλαυκίσκοι, ſimiliter diminutiuum à glauco quin idem ſit piſcis dubium non eſt, ſicut itidem in Glauciſco dixi. Amphidis quidem & Antiphanis de eo verba referam in H.ſ. Glauci Hippocrates quoque meminit, & Polycharmus, Maſſarius. Glaucis Rondeletii tribus vnum commune Germanicum nomen finxerim, *groſ Meerſtichling*. ſunt enim magni piſces marini, & in dorſo aculeos habent, ſimiliter vt fluuiatiles piſciculi quos *Stichling* Argentinæ nominant. Bellonius glaucum coracino cognatum eſſe putat. Vide ſupra in Corollario ad Chromin Bellonii, de confuſione, diſtinctione & nominibus Germanicis, coracini, lati, vmbræ, & glauci Bellonii. Ego Rondeletii potius ſententiam ſequor. Λεῦκος Glaucus piſcis. *Glaucidium. Coracini genus diuerſum à glauco eſſe.*

Glaucus piſcis eſt maximus, ſimilis elopi, Kiranides. Athenienſis Mneſitheus quoque in genere magnorum piſcium, qui τμητοὶ & pelagii nominantur, glaucum ponit. Ennius in Phagiticis, recitante Apuleio, glaucum apud Cumas optimum eſſe canit. nos glanin piſcem à fluuio eiuſdem nominis apud Cumas Italiæ nominatum, ſuprà ſcripſimus. Glaucus ſquamis tegitur. Paucæ appendices ſupernè circa ventriculum ei exeunt, Ariſtot. Glaucum Ariſtoteles è genere ſerratorum & carniuororum facit, colore nigrum, Volaterranus. ego hæc Ariſtotelis verba non reperio. Glauci illius, quem Rõdeletius tertium facit, dorſum ex cæruleo nigreſcit. dentes eidem ſunt acuti vt carniuorum eſſe veriſimile ſit. nam & piſcibus inſcantur, vt dicemus in E. Hippurus glauco colore interniſque partibus ſimilis eſt. ſed ille à capite ſenſim tenuior fit, ſtrictiorque: glaucus à podice tantum, donec in latam caudam deſinat, Rondeletius. B

Piſcis eſt generoſus (inquit Iouius) magnitudine & colore medius inter thynnum & vmbram, quem Romani pariter & Ligures Lechiam appellant. Eam aliqui centrinam antiquatus fuiſſe arbitrantur, (*ſed falsò, quoniam centrines inter galeos eſt,*) quoniam pugnaciſſima ſit, & atris ſolidioribuſque aculeis, quãquam non omnino longis, circa dorſum armata, vt Oppianus de centrina expreſſit. At Lechia corio integitur minimè ſquameo, ſicuti in thynnis videmus: ſed læui & ſplendido: quod argenteum eſt, & cæruleo colore perfuſum. Cauda verò pinna creſcentis Lunæ figuram efficit, concaua illa rotunditate ad circini ductum effigiata. Eiuſdem generis piſcem, qui latiorem habet ventrem, vulgo piſcatores Lopidam: & alium Lopida aliquanto minorem, Stellam appellant. Hęc ille, qui hunc piſcem antiquis à miam fuiſſe putat, & rationes aliquot adducit, ſed friuolas. A B

Glauci piſces ſunt pelagii, Athenæus, Ariſtoteles, & Ouidius. In petris & arenis paſcuntur, Oppianus lib. 1. Συκλίδες, ἠκαὶ ἀκτὴν βίον, ἠὲ μέλαιναν, ἀλλοτε δ' ἀρφίν, Ἠ γλαυκὸν πεδόωντα, κατὰ μυῖα τηγενέντα, Numenius apud Athenæum. Volaterranus glaucum carniuorum eſſe ſcribit. Vide ſuperius in B. ad finem. Glaucus æſtate etiam latet circiter dies ſexaginta, Ariſtot. Quidam æſtus impatientia mediis feruoribus ſexagenis diebus latent, vt glaucus, aſelli, Plinius. Glaucus æſtate rarò apparet, niſi in nubilo, Iſidorus. Ac nunquam æſtiuo conſpectus ſydere glaucus, Ouidius. Plinius libro 32. cap. vltimo. cum piſces ab authoribus nominatos enumeraſſet: His adiiciemus (inquit) apud Ouidium poſita nomina quæ apud neminem alium reperiuntur: & inter cæteros glaucum dicit æſtate nunquam apparere, ac ſi ab Ariſtotele à quo oblitus eſt accepiſſet, & aliis de eo mentio facta non fuiſſet, Maſſarius. C

D Glaucus fœtum cum metuit ore recipit, rursusque emittit, vt Oppianus libro 1, Halieut. Ælianus, & Io. Tzetzes authores sunt. Sic & pithecalopex quadrupes fœtum, non ore quidem, sed intra ventrem quendam receptat.

E Mugil esca est glauci, Oppianus libro 3. Esca ad pisces omnes magnos in mari, cuiusmodi existunt glauci, galei, orphi, atque alij id genus: Testiculorum gallorum exiccatorum drachmas octo strobilorum torrefactorum drachmas XVI. ex quibus accuratè contusis atque farinę permistis fingũtur pastilli, quibus postea inescantur pisces, Tarentinus in Geoponicis. Et rursus: Ad glaucos: Amias, callichthyas & alausas marinas assans, exossansque, bryon illis hordeaceamq; farinam adijcito, ijsque in pastam coactis vtitor ad inescandum.

F Glaucus eadem bonitate est, siue vterum ferat, siue non. cæteri verò squamis tecti, omnes ferè deteriores sunt grauidi, Aristot. Pelagii & magni pisces, vt auratæ, glauci, phagri, difficilius concoquuntur: concocti verò permultum alimenti præbent, Mnesitheus. Glauci capitis in cibo præcipua laus: vel, vt Archestrato videtur, rostri maximè, προτομὴν vocant: sicuti in congro capitis totius. Caro illi dura est, in omnibus lupo inferior est. &, vt Xenocrates prodidit, non minus à lupo vincitur, quam ipse sparum superat, Vuottonus. Plura vide in Glaucisco superius. Plinius medicus ait glaucum cibos meliores & sine mordicatione generare, humoresque reddere in corpore pinguiores, Bellonius. Κρανίον γλαύκου εὐδόκιμον ἦν, Pollux. Cõmendatur huius piscis caput, & maximè oculi, Eustathi⁹. Ὅστις κρέας κινῶν ἐσθίει θαλάττιον Γλαύκου παρόντος, οὗτος οὐκ ἔχει φρένας, Amphis apud Athenæum. Glaucus cum oleribus & marto (garo) coquitur ac comeditur, Kiranides. Qui dolore oculorum ex bilioso & acri humore laborat, vescatur alimentis mitibus, minimè mordacibus, & incrassantibus, vt orpho, & alijs durioribus piscibus, glauco, buccinis, Trallianus. In colico affectu sumantur pisces duriore carne prẹditi, vt ceris, orphus, glaucus, &c. Idem. Stomachicis in cibo conueniuut, ex his qui duras carnes habent mulli. ex testaceis maximè buccina, purpuræ, pectines: (item) glauci, smarides. Galenus de compositione sec. locos 8. 4. ex Archigene. Lechia (inquit Iouius) laudatissimo sumine & sapore præpinguium pulparum preciosa est. Eius capita sturionum vmbrinarumque capitibus Romæ omnium iudicio præferuntur. Probatissima in Ligustinis litoribus capitur. Ottobonus Fliscus genere ac hospitalitate illustris, quum Genuæ essem, festiuo matronarum conuiuio tricubitalem nobis apposuit Lechiam: quæ non modò Romanorum, sed & pelagiorum piscium omnium laudes magno interuallo superauit, ita vt aliqui subtilioris gulę homines pulparum suauitate allecti semesa ex Lechijs opsonia, in contumeliam auium atque quadrupedum, in alterum diem reponi sibi plerunque præcipiant.

G Ius glauci potum lac multum creat, Kiranides. Glaucus è iure sumptus, (vel, vti alijs placet, glaucicus) mulieribus lactis copiam facit, Vuottonus. nostri quidem codices Pliniani glaucisco, non glauco hanc vim adtribuunt. Glauci (Hermolaus legit glani) iecur verrucas tollit, Plinius. Fel eius glaucophthalmiam puerorum denigrat, & albulas sanat. Adeps autem ad multa vtilis est, maximè ad ani & matricis passionem, Kiranides.

H.a Philologiam aliquam circa vocabula glaux & glaucus, noctuæ aui adiunximus. Plura etiam dabit Eustathij enarrationum in Homerum index. Galalca pro glauco apud Albertum lib. 24. deprauatũ est.

Δύο μὲν ἁπαλοὶ καὶ καλοὶ τοῖς ναυτίλοισι πολλάκις
Ἤδη φανέντες πλαγίοις ἐν ἀγκάλαις,
Οἳ καὶ τὰ θνητῶν φασὶν ἀγγέλλειν πάθη.

Γλαῦκον λέγεις; Ἔγωγε, Nausicrates apud Athenæum libro 7. vbi etiam plura de Glauco dęmone marino traduntur. Γλαύκην ἢ ὀρφῶ ἐνάλων γένος, Numenius.

Ἐν πυκνοῖς δεσμοῖσιν ἐμπεπλεγμένη Κήτει βορὰ γλαυκέτῃ προὔκειμαι, Aristophanes in Thesmophoriazusis: Andromeda loquitur.

Ἔξω Γλαῦκος: prouerbiale dictum est, quo vti aiunt eos qui tempestatibus in mari periclitantur. Videtur enim Glaucus (*nimirum marinus dæmon*) conspectus, tempestatem significare, Hesychius.

c. Ex Kiranide. Glasti auis & glasti piscis (*ego Glaucis, id est noctuæ auis, & glauci piscis*) oculos cum modica aqua marina contere & repone in ampulla vitrea. præstat autem & fel vtrorumque soluere, & recondere in vitreo vase. Quando autem vis admirandam vim naturæ ostentare, scribe de prædicto molli collyrio in mundis membranis: & in die quidem non apparebit: in tenebris autem legetur quod scriptum est. Quòd si libuerit in pariete depingere animal quoduis, nocte facta qui sunt in tenebris videbũt, putantes dæmones aut Deos esse qui viderint. Vt videatur aliquis robustus & gloriosus, & fidelis erga omnes, & vt somnia conspiciat vera: Si quis in lapide gnatio (sic habet codex noster manuscriptus) sculpserit glastum (glaucem) volucrem, & sub pedibus eius piscem (glaucum,) & hic oculos clauserit subtus ac portauerit, abstinens se à porcina carne, & ab omni immunditia, obscurato aere apparebit elegans homo. putabunt enim conspicientes diuinum esse. In die etiam quicquid dixerit, credetur ei. In lecto verò habitus visiones ostendet veras, Hæc nugator ille libro 1. Et rursus his similia quædam libro 2. Elemento 3. in Hyæna quadrupede. Item libro 4. in Glauco pisce, vbi glaucus bis scribitur: priore quidem loco pro glanide.

f. Θύννος, ὀρφώς, γλαῦκος: Cratinus in Plutis, tanquam de lautis piscibus, vt coniicio. Σαῦροι, καὶ γλαῦκοι πίονες, Epicharmus in Nuptiis Hebæ. Ἐγκωμιάζων τοῦτον ἀπέλαβον χθὲς, Γλαύκου βεβρωκὼς τέμαχος ἑφθὸν τήμερον, λύχνον ἕωλον τοῦτ' ἔχων οὐκ ἄχθομαι, Parasitus quidam apud Axionicum referente Athenæo. Idem anguillam Bœoticam, glaucum, & thynni abdomen inter summas delicias ex Eubulo recenset. Οὐκοῦν τὸ μὲν γλαυκίδιον ὥσπερ ἄλλοτε Ἕψειν ἐν ἅλμῃ φημί, Antiphanes.

Γλαύκου φέρω κεφάλαια παμμεγέθη δύο Ἐν λοπάδι μεγάλῃ, ταῦτα λιτῶς περιάγων Χλιαρῶς, κύμινον ἅλας, ὕδωρ, ἔλαιον, Coquus apud Sotadem Comicum. Cranium (Caput vel cerebrum) lupi piscis Aristophanes in Lemniis nominat ceu rem lautissimam, sicut & glaucorum cerebrum est, Scholiastes Aristophanis in Equitibus. Archestratus inquit, Sit nobis glauci anterior pars, congri caput, &c. Massarius. Ἀλλά μοι ἕψω (forte ἕψειν) γλαύκου κεφαλὴν ἐν Ὀλύνθῳ καὶ Μεγάροις. σπουδαῖος γὰρ ἁλίσκεται ἐν τενάγεσσιν, Archestratus

Ἔχειν

Ἔχειν καθαρείως ἐγχελύδιον τι, καὶ γλαυκίδιον κεφάλαια, Amphis. Γλαύκου προτομὴ nominatur Antiphani apud Athenæum, cum aliis quibusdam lautissimis cibis. Ὦ βατίδες, ὦ γλαυκίσκων κάρα, Sannyrion, tanquam de magnis deliciis. Ὁ πρῶτος εὑρὼν πολυτελὲς τμητὸν μέγα Γλαύκου πρόσωπον, τοῦτ' ἄκυμον (forte κύμινον) δέμας Θύννου, τἄτ' ἄλλα βρώματ' ἐξ ὑγρᾶς ἁλὸς Νηρεὺς κατοικεῖ τόνδε πάντα τὸν τόπον, Anaxandrides apud Athenæum. Γλαῦκοι δὲ ὅλοι, ῥάχιστα κρανίων μέρη Εὔσαρκα, Amphis. Τὴν τ' εὐπρόσωπον λοπάδα τοῦδε τοῦ Θαλαττίου γλαύκου φέρουσαν εὐχυλότερον, λάβρακα θ' ἑφθὸν ἅλμῃ μίαν, Eubulus apud Athenæum.

GNOTIDIA. Vide in Myllo.

DE GOBIIS. ET PRIMVM DE GOBIONE MARINO NIGRO, BELLONIVS.

Gobius hic niger Bellonii, ab omnibus Rondeletii gobiis diuersus videtur, etiam à nigro ipsius gobio.

GOBIONES marini, Venetis Goi, Genuensibus Guigiones, Romanis Missori vocantur: quanquam A Missoris vox ad plerosque alios pisces transferatur. Incolæ vrbis de le Specie, & qui Portum Veneris ac Genuam inhabitant, Zozeros nominant.

Eminentes ac turgentes supra caput oculos gerunt, cornea tunica, alba, &, vt serpentibus, dura ob- B ductos: aduersus aquarum impetum, aut vt sursum facilius (quemadmodum Vranoscopus) cernant. Vix excedunt duorum pollicum crassitiem, aut palmi longitudinem. Raro enim pedales & brachiales euadunt. Etsi autem lubrici sunt, tamen squamis integuntur hirtis, pinnamque habent vnam in tergore, continuam, mollem, & sine aculeis: Branchias (*Pinnas*) vtrinque quatuor, latas atque obtusas: ac pręter has sub ventre etiam duas, sed ea quæ caudam constituit, rotunda est. Dentes præterea exerunt paruos, tenues & subrubros. Corpus teres est, paucis spinis refertum: color varius. etenim qui gobiones circa algas versantur, ad viridem inclinant, alii ad cinereum colorem accedunt, nonnulli albicant, alii ex fuluo in nigrum degenerant. Omnes grandiore sunt capite, & lata ceruice, Ac, quod ad internas eius *Interiora.* piscis partes attinet, peritonæum gobionibus foris album est, intus nigerrimum: Hepar dextro lateri magis incumbit, pallidum: de quo fel dependet, veluti ianthinum: intestina multis circumvolutionibus inflectuntur. Stomachus illi est oblongus, pylorus multis apophysibus præditus, vulua vndecunque ouis referta.

Gobio (inquit Galenus) litoralis est piscis, ex eorum numero qui parui perpetuo permanent. Præ- F stantissimus autem ad voluptatem, coctionem, distributionem, & succi bonitatem est is qui in arenosis litoribus aut saxosis promontoriis viuit. Non autem æquè est iucundus, neque boni succi, neque ad coquendum facilis, qui in fluuiorum ostiis aut stagnis maritimis vers tur.

Hic subiungebatur gobii non marini, sed fluuiatilis figura, à librariis transposita.

DE GOBIO ALBO, BELLONIVS.

Hic Rondeletii gobius simpliciter est, maior flauescens, &c.

Gobius albus qui etiam marinus est, à priore multum differt. Veneti Paganellum nominant. Hice- A sio magis quàm niger commendatus.

Cute integitur scabriore, neque vnquam ita adolescit, crassioreque est capite. Ac quod ad insigne v- B triusque discrimen attinet, aduertendum est Gobios vnicam in tergore pinnam gerere: Paganellos geminam. Præterea ut Paganelli saxatiles sunt: sic magis ad rufum colorem vergunt, teneriorémque ha- F bent carnem, vt Diocles prodidit. Gobii (Diphilus ait) Percis simile prẹstant alimentum: qui verò ex iis parui sunt & candidi, teneram habent carnem, minimeque virus olent. Gobionem saxatilem κωβιὸν vocant: De quo plura in fluuiatili dicemus.

DE GOBIORVM DIFFERENTIIS PRIMVM IN GENERE: *Deinde de gobio marino maximo, flauescenti (Viridem non rectè appellant, Græci χλωρὸν & καυλίνην) & verè saxatili, quem subiecta effigies repræsentat.*

RONDELETIVS.



Gobionũ multę sunt differentię: quocirca nihil mirum, si diuersi autores diuersa de his scripserint, *Gobiorum differentia.* & rerum ipsarum distinctio difficilior inde facta fuerit. Horum igitur, vt aliorum omnium differentiæ, sumuntur à loco vivendique ratione, à substantia, à magnitudine, à colore. A loco quidem & vita, quod *A loco & vita.* gobiones quidam litorales sint, teste Aristotele: teste etiam Galeno libro tertio de facultatibus aliment. *Lib. 8. de hist. anim. cap. 13.* Gobio litoralis est piscis, ex eorum etiam numero, qui parui perpetuo manent. Alii sunt saxatiles, vt Athenæus ex Diocle profert, cui Galenus etiam subscribit: Præstantissimus autem ad voluptatem, co- *Libro 7.* ctioné simul ac distributionem, & succi bonitatẽ est is gobius, qui in arenosis litoribus, aut saxosis pro- *Ibidem.* montoriis viuit. His verbis perspicuè distinxit Galenus litorales à saxatilibus. Nam inter veros saxatiles nullum manifestum discrimen ipse constituit, vt qui perpetuò in purissimo mari degant. Quare

quum

quum litorales saxatilibus prçstare dicit, hos ab illis apertè secernit. Sunt eodem Galeno authore, qui in fluuiorum ostijs, aut marinis stagnis viuunt. Prçterea fluuiatiles globiones facit Dorion apud Atheneum. & Ausonius:

Gobio non maior geminis sine pollice palmis.

Substantia. Substantia differre liquet ex ijs, quę modò ex Galeno citauimus. Hicesius apud Athenæum albos nigris præfert. *Color.* Flauorum verò caro siccior est & macra. Porrò alij albi sunt, alij nigri, alij flauescentes siue pallidi, quos virides non rectè appellant, vt mox docebimus.

Magnitudo. Postremò alij magni, nimirum flauescentes: alij parui, albi: alij inter hos medij, nigri.

A Primùm de marino omnium maximo, & verè saxatili. Κωβιὸς nomen est omnium commune, Latinè *Athen. lib. 7.* gobio siue gobius, siue gouius. Numenius in Halieutico suo κώθης gobiones appellauit, & Siculi testib. Nicandro Colophonio & Apollodoro κώθωνας vocabant. Et gobij χλωροὶ dicti sunt etiam καυλῖναι, (*à recto singulari καυλίνης, prima declinatione*) A nostris boulerotz, (*Atqui inferius gobionem nigrum priuatim boulerot dici scribit.* à Massiliensibus gobi, à Venetis paganelli nominantur.

B Is, cuius iconem capiti huic præfiximus, saxatilis est, palmi longitudine, toto corpore rotundo, non compresso & spisso, squamis rotundis tecto, colore vario. Etenim χλωρὸς est, & dicitur, id est, flauescēs siue pallidus, maculisque nigris conspersus, oculis sursum potius quàm deorsum spectantibus. Ad branchias pinnas duas habet, in ventre non duas cęterorum modo, sed vnicam non diuisam, qua nota gobii maximè à reliquis piscibus internoscuntur. A podice aliam. In dorso non vnicam, veluti alij saxatiles, sed duas, quarum prior minor est, altera ad caudam vsque extenditur. Caudam latam habet non diuisam. Labijs caret. Dentes habet paruos, os magnum, ventriculum satis capacem cum multis appendicibus: hepar album, & in eo fel.

G Gobii ad litora inter saxa pariunt oua lata & friabilia, similiter & alij. quoniam tepidiora sunt litora, *Lib. 6. de hist. anima. cap. 13.* & plus alimenti suppeditant, & tutiora ne fœtus à maioribus absumantur. Quare in Pōto circa Thermodoontem fluuium plurimi pariunt. tranquillus enim locus est, tepidus, & aquis dulcibus abundans. Gobiones aliquando etiam in alga nidificant. Iidem alga, musco & reliqua euanescente materia viuūt, vt Aristoteli placet libro 8. de hist. animal. cap. 2. Athenæus: Gobij χλωροὶ sicci sunt & macri. Præpa- *Lib. 8.* rantur aliorum saxatilium modo. Hæc de gobiorum differentijs & prima eorum specie, qui χλωροὶ vo-

A cati sunt: quibus finem faceremus, nisi scrupulus eximendus esset, qui nonnullos impulit, vt crederent, eum quem depinximus gobionē χλωρὸν non esse. Tota.n. difficultas in nominis χλωροῦ significatione vertitur. Cū n. Galeni, Dioscoridis, & aliorum veterū interpretes χλωρὸν viride conuerterint, hic verò noster gobius minimè viridis sit, sed flauus siue pallidus, concludunt eū gobionem χλωρὸν esse non posse. Quibus respondemus, χλωρὸν non semper viride, sed ex flauo virescens, vel ex viridi flauescens significare: qualis est color in segetibus messis tempore, infelici & macro solo natis, aut humoris penuria laborantibus: ex viridi enim flauescunt. Eundem colorem exemplis alijs illustrauimus libro secundo. Deinde χλωρὸν non solùm in hac significatione, sed etiam pro pallido vsurpari autor est Galenus in commentarijs in librū secundū Hippocratis de ratione victus in morbis acutis. Ἀλλὰ μὴν ἢ ἐκκρεμάσθαι δοκεῖν τὰ σπλάγχνα τοῖς ἐν ἀρχῇ δυσεντερίαις φησι, ἢ οὐρεῖν θερμὸν ἢ χλωρόν: θερμὸν λέγων δηλονότι, τὸ σύνηθες θερμότερον. Χλωρὸν δὲ, κατὰ τινων ἔθη τῶν Ἀσιανῶν Ἑλλήνων ἔθος, δηλοῖ ἢ ὠχρὸν ... (*Exhibitum à se gobium χλωρὸν Græcorū esse. Χλωρὸν non semper viridem colorem sed etiam vel subflauum significare. Cap. 13.*) ... ἰδόντες, ἐρωτῶσιν ... χλωρὸν ... τὸν ὠχρότερον ... οἷον πῦρ, ἢ τῆς καλουμένης ὠχρᾶς ... τῆς ξανθῆς ὀνομαζομένης χολῆς ... τὸ λευκότερον ... τὸ ὠχρόν.

Hactenus Galenus, qui quanuis χλωρὸν interpretetur ὠχρὸν, adhibito etiam exemplo bilis flauæ cum aquoso excremēto permistę, (quæ permistio colorē viridē non efficit, sed flaui & nigri permistio,) tamen Latinus interpres à vulgari significatione nō recessit, & χλωρὸν viride conuertit, nō satis aptè gradū coloris quē Galenus declarat, exprimens. Rectius Linacer qui libro VIII. methodi med. capite II. locū Hippocrat. ex libro II. de ratione victus in morbis acutis à Galeno citatum sic interpretatus est. Κρεμᾶσθαι δοκεῖ αὐτοῖς τὰ σπλάγχνα, καὶ οὐρέουσι θερμὸν καὶ χλωρόν. Suspensa illis viscera videntur, & calidū pallidumq; mingunt. Sic igitur Galeni locus conuertendus fuit. (*Galeni locus conuersus.*) Quin etiam suspensa esse viscera ijs videri ait, qui parcius cibū sumpserūt, eosq; calidū & pallidum meiere. Calidū intelligens solido calidius: χλωρὸν verò id est, pallidū, secundum quandā Asiaticorum Græcorū consuetudinē, quę etiā nunc seruatur: quū enim pallidos aliquos vident, causam quærunt cur ita χλωροὶ facti sint, nihil interesse rati, an χλωρὸν dicāt an ὠχρὸν, id est, pallidum. Vidisse autem aiunt aliquem seipso χλωρότερον, pallidiorem volentes dicere. Est autem pallidus color reuera, qualis est ignis color, & ὤχραι vocatæ, (cuius prior syllaba in pronūciatione acuitur,) & fit is color bile quę pallida siue amara siue flaua dicitur cum aquoso excremēto permista. Quantum enim à rubro colore ad candidum abscedit flauus, tantū à flauo pallidus. Vides, vt Galenus χλωρὸν pro ὠχρῷ sumi dicat, & ne qua in χλωροῦ significatione sit ambiguitas, ὠχρὸν id esse docet, quod à flauo ad candidū recedit. Eiusdem τοῦ χλωροῦ significationis ignorantia multos impulit, vt crederēt nos optima myrrha carere, omnemq; quæ ad nos aduehitur vnà cū medicamentis, quę eā recipiunt, esse reijciendā, quòd nulla subuiridis reperiatur. Sic enim Dioscoridis interpres Ruellius ὑπόχλωρον cōuertit. (*Cap. 78.*) cū subflauam dixisse debuisset: talis enim myrrhæ laudatissimæ color est. Dioscorides libro primo cap. de myrrha. Πρωτεύει δὲ ἡ τρωγλοδυτικὴ καλουμένη ἀπὸ τῆς φυούσης αὐτὴν χώρας, ὑπόχλωρος καὶ δηκτικὴ καὶ διαυγής, id est: omnium prima est quæ Troglodytica appellatur, accepto cognomine à loco in quo prouenit, subflaua, mordens ac splendens. His accedit Phauorini testimonium. Χλωροὶ ταυτόν ἐστι τῷ ὠχροί. διὸ καὶ τὸ ὠχρὸν ὠνομάσθαι τινές φασιν ἐκ τοῦ χλωροῦ, μετατεθέντος τοῦ ω, καὶ ἀποβληθέντος τοῦ λ. ἀποτέλεσμα δὲ τὸ αὐτὴ ἐν τῷ κάλλει χλωρό της φυγή. Id est, Χλωροὶ idem quod ὠχροί, id est, pallidi. quare etiam dictionē ὠχρὸς, ex dictione χλωρὸς deductam esse nonnulli affirmant, transposita litera ω, & sublata λ. effectus huius in bello palloris est fuga. His satis comprobatum esse arbitror χλωρὸν pro eo gradu coloris sumi, qui aliter pallidus, siue flauescens, vel subflauus à Latinis dicitur, aliter à Græcis ὠχρὸς vel ὑπόξανθος. Et ea significatione gobionem χλωρὸν

à veteribus

à veteribus dictum fuisse contendo, qualis est hic, cuius iconem oculis subiecimus. Non tamen negarim pro viridi & herbaceo colore, sed diluto etiam à veteribus nonnunquam vsurpari, vt Aristoteles in libello de coloribus vsurpasse videri potest. cuius verba ideo libentius adscribam, quod ex ijs facilè colligi possit, cur χλωρὸν non solum pro viridi, sed etiam pro pallido siue subflauo sumatur. Ἐν πᾶσι γὰρ τοῖς φυτοῖς ἀρχὴ τὸ ποῶδές ἐστι τῶν χρωμάτων: καὶ γὰρ οἱ βλαστοί, καὶ τὰ φύλλα, καὶ οἱ καρποὶ γίνονται κατ' ἀρχὰς ποώδεις. ἴδοι δ' ἄν τις τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ὀμβρίων ὑδάτων, ὅπου ἂν πλείονα χρόνον συστῇ τὸ ὕδωρ, πάλιν ἀποξηραινόμενον γίνεται τῷ χρώματι ποῶδες. κατὰ λόγον δὲ συμβαίνει καὶ τὸ πρῶτον ἐν πᾶσι τοῖς φυομένοις τοῦτο συνίστασθαι τῶν χρωμάτων. τὰ γὰρ ὕδατα πάντα χρονιζόμενα, κατ' ἀρχὰς μὲν γίνεται χλωρὰ κεραννύμενα ταῖς τοῦ ἡλίου αὐγαῖς, κατὰ μικρὸν δὲ μελαινόμενα, πάλιν μιγνύμενα τῷ χλωρῷ, γίνεται ποώδη. τὸ γὰρ ὑγρόν, ὥσπερ εἴρηται, καθ' ἑαυτὸ παλαιούμενον, καὶ καταξηραινόμενον μελαίνεται, καθάπερ καὶ τὰ ἐν ταῖς δεξαμεναῖς κονιάματα. καὶ γὰρ τούτων ὅσα μὲν ἐστὶν ἀεὶ καθ' ὕδατος, ταῦτα μὲν ἅπαντα γίνεται μέλανα, διὰ τὸ κατ' αὐτὰ μὲν ξηραίνεσθαι διαψυχόμενον τὸ ὑγρόν. ὅσον δὲ ἀπαντλούμενον ἡλιοῦται, τὸ μὲν ποῶδες γίνεται διὰ τὸ ξανθὸν τῷ μέλανι κεράννυσθαι: τὸ δὲ μᾶλλον τοῦ ὑγροῦ μελαινομένου, τὸ ποῶδες γίνεται κατακορὲς ἰσχυρῶς, καὶ πρασοειδές. διὸ καὶ πάντων οἱ βλαστοὶ πολὺ μᾶλλόν εἰσι τῶν νέων μέλανες: οἱ δὲ ξανθότεροι, διὰ τὸ μήπω τὸ ὑγρὸν ἐν αὐτοῖς μελαίνεσθαι. Plura sequūtur quæ ad id quod volumus demonstrandum pertinent, sed quia vereor ne in his citandis prolixior sim, ad ea studiosum lectorem remitto. Primùm igitur quum dicit plantas omnes initio ποώδεις esse, id est herbacei coloris: id de colore herbaceo diluto, nec dum exaturato, sed in quo flaui aliquid insit, intelligi, liquet ex ijs quæ consequuntur. quum dicit ramulos recentiores veteribus flauiores esse, causamque cur id fiat exponit. Item ex eo quod ait humidum, nisi splendore & radijs solis illustretur, illisque permisceatur, candidum manere, nisi inueterascens, & siccescens prius nigrum redditum sit. ob eamque causam omnia ex plantis quæ supra terram sunt, primum χλωρὰ fieri: quę sub terra, alba, vt radices. Hunc primum plantarum colorem aquarum exemplo declarat, quæ diutius loco vno moratæ initio fiunt χλωραὶ solis radijs permistę, paulatim verò nigrescunt: rursus τῷ χλωρῷ commistæ, fiūt herbacei coloris. Quòd si aquas χλωρὰς, virides interpretari libet, non admodum repugno, modò flauitie diluta viriditas intelligatur. nam cum dixerit τῷ χλωρῷ permistum nigrum, fieri ποῶδες: idem aquæ exemplum persequens mox subiunxit, τὸ ποῶδες fieri διὰ τὸ ξανθὸν nigro permistum, id est, herbaceum colorem fieri flauo cum nigro commisto: maiore verò nigrore admisto fieri ποῶδες κατακορὲς, καὶ πρασοειδὲς, id est, herbaceum exaturatum, & porracei coloris, vt differat ab herbaceo diluto, de quo prius. Quæ differentia in ratione maioris minorisq; tantum consistit. Iam verò coloris τοῦ χλωροῦ gradum flauo colori affinem esse alio loco eiusdem libelli ad finem ostendit Aristoteles, docens frumentum & omnia quæ à terra existunt, postremum fieri flaua. humor enim, ait, nondum nigrescens, ideo quod citius exiccetur, coloris mutationem facit. nam quod nigrescit τῷ χλωρῷ commistum, fit herbacei coloris. Imbecilliore verò humore & semper magis ac magis euanescente, rursus paulatim fit color χλωρὸς, id est, ex viridi flauescens, postremò flauus. Quare cum τὸ χλωρὸν significet viridi flauescens, siue viride flauitie aliqua dilutum, & non exaturatum, deflexa est ad pallidum & subflauum significatio, factumque vt Græci τὸ χλωρὸν pro pallido vsurpauerint, quemadmodum ex Galeno docuimus. Neque solum τὸ χλωρὸν colorem significat, sed etiam quia eorum quę è terra existunt prima germina, ramuli, folia, statim χλωρὰ sunt, id est, ex flauo viridia, ἀντὶ τοῦ προσφάτου καὶ νεαροῦ sumitur, id est pro recenti & nouo. Sic dicitur χλωρὸς τυρὸς caseus recēs, cui opponitur ξηρὸς, id est, siccus. Coegit me inueteratus error prolixus περὶ τοῦ χλωροῦ dicere, ne ob voculæ vnius malè intellectę significationem, in rerum cognitione cæcutiamus.

DE GOBIONE NIGRO, RONDELETIVS.



A Κωβιὸς μέλας gobio niger, à nostris boulerot, à Venetis go dicitur.

B Digiti est magnitudine & crassitie, corpore ferè rotundo, non compresso: priori similis, ni minor esset, & nigri coloris maximè parte anteriore. Loco binarum pinnarum quę cęteris sunt in ventre, vnicam habet nigram, barbam esse diceres. Quæ nota facit vt credam hunc esse pisciculum, quem Athenęus libro 8. τράγον vocat, id est, hircum, cui ἐξώκοιτον confert. his verbis. Τὸ δὲ σμικρόν, ὁμοιότατός ἐστι τῷ καλουμένῳ τράγῳ ἰχθυδίῳ, πλὴν τοῦ ὑπὸ τοῦ στομάχου μέλανος, ὃ καλοῦσι τοῦ τράγου πώγωνα. (*Τράγος.*) Exocœtus omnino similis est pisciculo qui hircus dicitur, præter nigrum illud quod ventriculo subest, quod hirci barbam vocant.

Quòd hic Athenęi hircus, non possit is esse qui ab Aristotele libro 8. de hist. animal. cap. 30. mæna mas dicitur, quum fœmina fœtu impleri incipit, perspicuum est ex his quę de męna diximus. neque enim mæna barbæ nigræ simile quid habet, sed duas in ventre pinnas, cæterorum piscium modo: neque rotundo est corpore, sed lato & compresso. At si similis sit hic hircus exocœto, rotundo corpore esse debet. Quare distinctionis gratia, alium Aristotelis, alium Athenæi τράγον esse dicemus. (*Athenæi hircū alium esse ab Aristotelis hirco id est mæna mare.*)

Viuit gobius niger in litoribus & stagnis marinis. Quamobrem semper ferè sordibus obsitus C capitur.

DE

DE GOBIONE ALBO, RONDELETIVS.



AB Gobius albus, qui à Græcis dicitur κωβιὸς λευκός, omnium minimus est, non ita quidem candidus, vt cum aliorum multorum piscium candore possit cõtendere, sed quòd cæteris gobionibus candidior sit.

F De his Athenæus: Gobij (inquit) percis similes sunt, (ἀναλογοῦσι) ex quibus parui & albi, teneri sunt, virº nõ resipiẽtes, boni succi, cõcocu faciles, subflaui (χλωροὶ) verò, qui caulinæ (καυλῖναι) vocantur, sicci sunt & macri, ἀλιπεῖς. *Caulinæ.*

Iconem gobii nigri, vt Rondeletius nominat, Venetiis expressam, quanquam maiorem quàm paganelli, qui maximus gobiorum à Rondeletio dicitur, hic apposui.



DE GOBIONIBVS IN STAGNIS *marinis*, *Rondeletius.*

Gobionibus litoralibus similes reperiuntur in marinis stagnis ἐπιχλωροι, id est, subflaui, nigricantes, & albi, qui quanuis in stagnis degant, litoralibus tamen multò inferiores non sunt, licet q; ijs in litoralium penuria vti. neq; enim lutum multum olent, quia herbulis & pisciculis alijs magis vescuntur, quàm aqua lutõue.

COROLLARIVM.

A Gobius & gobio vocatur, & Cobio quoque per c. à Plinio libro 32. Græcos imitante. nam Græcè κωβιὸς oxytonum scribitur. Gouius in Halieuticis Ouidij legitur, u. pro b. posito. Cubiones in Gariopõti medici libro pro cobiones. Cobij & cobitides Athenæo inter hepsetos pisciculos continentur, de quibus dictum est suprà in A puis. Athenæus de gobijs agens, Διοκλῆς φησι τοὺς πετραίους αὐτῶν μαλακοστομωτέρους εἶναι. Νεμήνιος δὲ κωβιοὺς αὐτοὺς καλεῖ, &c. Ex quibus verbis vel gobios simpliciter & omnes cothos vocari à Numenio, & à Siculis cothones: vel saxatiles tantũ, de quibus proximè dixerat, vt Massarius & Vuottonus sentire videntur, aliquis colligat. Mihi rem diligentius æstimanti, prior sententia magis placet. Κωβιός, κωβιός, Varinus. sic enim legendũ est. Σωσίβιοι, οἱ κωβιοί, Hesychius & Varinus. Gobiorum alij sunt palustres (*nigris nimirum Rondeletij*) qui foraminibus quibusdam in cœno victitant, Venetijs frequẽtissimi, eosque voce mutilata, hoc est prima tantũ syllaba profe rimº. Alij verò saxatiles paganelli Venetijs appellati, carne, vt Diocles author est, molliore, quos & Cothonas à Siculis cognominari Nicãder & Apollodorus prodidere, atq; etiã cottos (κόττους, cothos) Numenius appellauit, Massariº. Gobiorum alij palustres sunt, alij saxatiles, vulgò Goatæ vocati, quos Cothonas, sicut Nicander inquit, Siculi appellant: quosdam alios Gobioni saxatili propemodum similes, Aristoteles Cottos (*τοὺς κόττους Athenæus*) nominat, quos adhuc nonnulli Coranos nuncupãt, Gillius. Vercellenses rustici gobium fluuiatilem (quem alij chabotum) paganellum vocant, Rondeletius. Italicum nomen go, ab alijs guo scribitur. nominatur & gobi, nescio an eadem species: & paganello, (cui fortè nomen inditum à ruffo colore quo ad pagrum accedit,) alias faganello. Germanicum nomen fingo *ein Meergob*. quoniam & gobij fluuiatilis genus *kob* vel *cab* Germani vocant, nostri *gropp*. Sed blennum superius, interpretati sumus, *ein Meergropp*, quòd fluuiatili persimilis sit: itaque differentiæ causa gobiũ, *ein Meergob* (alludentes simul ad Latinum gobij vocabulum) interpretabimur: album quidem vel nigrum significaturi, colorum differentias exprimemus.

Paganelli

Paganelli, id est gobii maioris (licet pictor superiorem fecerit maiorem) & sulsiani, Venetijs delineata effigies.



Gobijs, aut potiùs mustelarum generi cognati videntur pisces, alauda sed galerita vtraque Rondeletij, pholis & scorpioides eiusdem: blennus Bellonij, & piscis gutturosula Venetijs dictus, quem suprà cum alaudis Rondeletij exhibuimus: & galetta (vel galleta) ibidem dicta, forma deminutiua tanquam galea, id est mustela parua. Omnes enim ferè corporis specie, in qua caput prægrande est, & cutis plerunque maculosa, cum gobijs conueniunt: vt pinnis quoq;. Sed iisdem cum mustelarum genere congruunt, ac insuper læuitate cutis, & molli mucosaq; carne. Galletam Venetijs cum Petro Gillio ostenderem, gobij genus pessimum esse dicebat. Nos eam inter Mustelas pluribus describemus. Mustelæ sanè fluuiatiles, quas Galli lotas vocant, & lacustres quoque minores aliqua similitudine gobios referunt. Blennus est specie similis κωβίῳ, Athenæus: hoc est cotho, vel cothio, Rondeletio interprete. nam vtrouis modo (inquit) legi posse puto, nisi malis κωβιῷ legere. huic enim satis est similis: sed cotho (*cotto*) multò similior. Vix enim quis blennum à cotho discernat: nisi qui nouerit hunc in fluuiis, illum in alto mari degere. *Gobijs cognati*

Apua cobitis (id est gobionaria, vt Theodorus vertit) fœtus est gobiorum paruorum & prauorum qui terram subeunt, Aristotel. Gaza hunc locum peruertit. Vide suprà in A. elemento de Apua cobitide Rondeletij scriptum, qui figuram quoque posuit, & ibidem Corollarium nostrum, quo cum pisciculum depinximus quem Venetijs Marsionem vocant. hunc enim aliqui veterum cottum esse putant. Eberus & Peucerus cobitas interpretantur Germanis *Kauelhouptlin*: ego potiùs *Meergrundel*, *Mersmertlin*, id est fundulos marinos: nam Galli quoque eodem sensu loches de meer vocant. Sunt enim iis pisciculis quos Galli loches nominant tam similes, vt vix ab eis distinguantur, inquit Rondeletius, & idẽ loquitur pictura. At *Kauelhouptlin* Saxonum, genus illud gobij fluuiatilis est cui blennum in mari simillimum esse diximus: nostri *Gropp*, alij *Kop* uocitant. Cobitides fluuiatiles Rondeletij trium generum, paulò pòst dabimus. Gobio similis est gubernator ceti, Plutarchus.

Scorpios & gobios (in mari rubros, Ælianus de animalibus 17. 6.) nasci aiunt, bicubitales, & tricubitales etiam, non tamen maiores, Io. Tzetzes. Venenum pisces quidam pungendo immittunt, non tamen letale, vt gobius, draco, hirundo, Ælianus de animal. 2. 50. ex Halieuticorum Oppiani secundo: B

Κέντρα δ' ἐπὶ κηρύκεσσι μεθ' ἱχθύσιν ὠκὰ λόεντες,
Σκορπίος, ὑκαῖός τε χελιδόνες, ἠδὲ δράκοντες:
Πάντες ἀπ' ἀκροτόμοιο τετρυμένοι ἰὸν ἵενται.

Κωβίοι, οἷς ψαμάθοισι μετ' ἰχθύσιν ἐγκατάκειται,
Καὶ κυνὸς, οἱ κέντροισιν ἐπώνυμοι δηγαλέησι:

Hoc si verum est, non rectè scripsit Ouidius, Lubricus & spina nocuus non gouius vlla. vbi Lubricus pro epitheto gobij accipio, etsi Oliſthos, id est Lubricus, sui generis piscis est Oppiano prope ostia fluuiorum. Gobio Venetiis frequens tarissimè Romæ conspicitur: pro squamis uariam cutem habet, & valde lubricam, Iouius & Niphus.

Semipedalem longitudinem non excedit, Niphus. Cobiones omnes uarij sunt, & squamosi; ex quo apparet falli eos, qui Cobionis pro squamis variam habere cutem prodiderunt, Massarius. Gobioni complures appendices supernè circa ventriculum exeunt, Aristot. Piscis paruus gobio est, & ex iis qui parui perpetuò manent, Vuottonus. Turdi genus vnum aureo colore est, & gobionem flauum refert, Rondeletius. Paganelli Venetis vulgò dicti, ruffi vel punicei coloris sunt, varij, &c. specie autem & magnitudine mustelas fluuiatiles fermè referunt, vt suprà quoque diximus.

Gobionem Aristoteles alibi saxatilem, alibi litoralem esse tradit. Ouidius inter litorales ponit. In petris & arenis degunt Oppiano & Symeoni Sethi. Ἐν δὲ χάεσι τε φοὶ τε κωβιηγόρες ἔασι κωβιοί. Non quòd non aliæ gobionum species sint, quæ in cœno vel paludibus degunt. E gobionibus sunt qui in fluuiorũ ostiis, aut paludibus maritimis victitant, Vuottonus. Gobionem album Euripi non esse pelagium, certum est, Aristot. Et alibi; Gobio hyeme manet in Euripo Pyrrhæo, cæteris propter frigus enatantibus. C

Theophrastus in libello de piscibus, cum de fossilibus dixisset, qui in terra torpidi manent, nec mouentur donec effodiantur, subdit: Huic simile contingit circa pisces (quosdam) in Ponto, qui glacie occupati gelantur, neque mouentur priùs quàm in patinas coquendi iniiciantur: quod vel imprimis gobio accidit. A Theophrasto proditur in Ponti regione apprehendi in glacie piscium maximè gobiones, non nisi patinarum calore vitalem motum fatentes, Plinius. C Plinius paulò minus quàm in eo genere gobium numerauit, in quo terreni pisces censentur: quoniam palustris & quasi incola terræ sit contra aliorum piscium naturam, Marcellus Vergilius. Gobij palustris (*nigri nimirum Rondeletij*) foraminibus quibusdam in cœno victitant, (Goi Venetiis dicuntur,) Massarius. Cobitis apuæ genus gobiones parvos ignobiles creat, qui terram subeunt, Aristot. Gobij gregatim degunt, Idem. Apud Cretam satis

pinguescunt, Aristot. In fluuiis etiam pinguescunt, Idem. Vuottonus in fluuios subire, & ibi pinguescere scribit. An verò Aristoteles hoc senserit, vel gobionum genus & fluuiis peculiare esse, (vt est) considerandum. Gobius in salsis pariter & dulcibus aquis viuit, Galenus. Pariunt iuxta litora gobiones, suaque ouа lapidum amplexibus (lapidibus Vuottonus) mandant, latiuscula & arenida, Aristot.

E Gobij verriculis & plagulis capiuntur, Plutarchus Simone Grynæo interprete. Piscibus inclusis in piscinas, nutrimentum iniicere oportet, herbas teneras, piscium portiunculas, squillas, gobios, &c. Florentinus.

F Gobius piscis est vilissimus inquit Marcellus Vergilius. ob quam causam in Satyra Iuuenalis ait: Nec mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum In loculis. Laudauit contrà Martialis in Xeniis, dicens: In Venetis sint lauta licet conuiuia terris, Principium cœnę gobius esse solet. Gobius pingui tenerितudine delicatus est, Iouius. Gustu persuauis est, quod carnem habeat tum pinguem, tum etiam friabilem; Matthiolus. Gobiorum caro, inquit Galenus, vt asellorum & saxatilium piscium carne durior, ita mollior est quàm mullorum: crassitudine verò & tenuitate mediocrem generat succum. Prestantissimus autem est gobio, tum ad voluptatem, tum verò ad concoctionem digestionemq;, & ad probum gignendum succũ, is qui in arenosis litoribus aut inter saxa viuit. qui verò in fluuiorum ostiis aut paludibus maritimis degunt, (*vt plurибus scribemus in tupo pisce*) diuersam planè carnem habent ab iis, qui in puro mari victitant. neq; enim equè iucundi sunt saporis, neque succum tam bonum prestant. Quod si limosa fuerit aqua, aut vrbem fluuius expurget, deterrimus euadet qui in illa aqua gignitur gobio. Non igitur simpliciter gobius siue litoralis siue saxatilis, boni succi est & facilis concoctionis, vt Symeon Sethi scribit: sed litoralis aut saxatilis, si comparetur illis qui in ostiis fluuiorum aut paludibus degunt, prestantior est, succi presertim bonitate, vt Galenus scribit. Copiosum (inquit Hicesius) sed non bonum procreant succum gobiones, sapore grati: facilè excernuntur, nec multum nutriunt. Gustui gratiores sunt candidi nigris. viridium (χλωρῶν) autem gobionum caro, substantia est rariore, magis pinguedinis expers, succumque præstat tenuiorem, neq, adeò copiosum: ob magnitudinem magis alit. Gobios, qui saxatiles sunt, tenuiorem habere carnem Diocles prodidit. Fucæ, gobii & cæteri μαλακόστρακοι omnes, facilius quàm alii (scilicet durę carnis pisces) conficiuntur, Philotimus apud Galenum. Saxatiles pisces, gobii, scorpii, passeres, & similes, corporibus nostris siccum præbent alimentum, sed δύσπεπτοι sunt & τρόφιμοι, (hoc est, nutrimenti solidioris & corpulentiæ satis addunt,) & breui concoquuntur. nec multa excrementa relinquunt, nec flatus excitant, Mnesitheus. Gobii tenerrimi sunt, & facillimè secedunt: alimentum autem plurimum roburq; corpori addunt, Aetius in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis humorib. Hippocrates in libro de internis affectibus eandem ferè vim alimentariam tribuit scorpio, draconi, cuculo, callionymo, gobio: in morbis crassis & pituitosis vsum eorum concedens, vti in Callionymo recitaui. Gariopontus hydropicis dari iubet turdos, cubiones, ostreas.

G Si recentem gobium suillo ventri insutum in aquæ sextariis duodecim, donec duo tantum supersint, decoxeris: tum percolatum & sub dio expositum propinaueris, aluum leniter deiicies. Contra canum serpentiumq; morsus, idem illitus (καταπλασθεὶς) auxilio est, Dioscorides. Contra dorycnium iuuat animalia quę in litore & petris marinis degũt, vt gobii, & huiusmodi, siue cruda, siue elixa tostaue edas, Scholiastes Nicandri. Gobium in mortario tusum antea iubet ad deiiciendum aluum Paulus Aegineta decoqui in aqua, Marcellus Vergilius. Gobii cocti in aqua & salibus, donec soluatur, potum ius, maximè cũ lacte, solutionem ventris facit, Kiranides. Gobius allius sine sale & comestus, dysenterias & lienterias, & inania egerendi desideria cum dolore facta (πυκτενεσμωδεῖς πεσθυμίας) sanat, Symeon Sethi.

De venenoso gobii ictu, lege suprà in B.

H. a. Κωβίδια Sotades Comicus dixit: κωβιδάρια & κωβίδια Anaxandrides. κ Θων non modo gobium Siculis significat: sed etiam pro poculi genere, & pro ipso conuiuio accipitur, vt notat Eustathius.

Epitheta. Lubricus & spina nocuus non gouius vlla, Ouidius. Κόφοι κυβιστητῆρες κωβιοί, Oppianus. Χάλκανθροι (aliàs χαλκεῖς) κωβιοί, Epicharmus.

Gobios, tithymalli nomenclatura apud Dioscoridem.

Propria. Κωβιὸς proprium nomen viri est apud Athenæum libro 8. Idem κωβιὸν δ' Σαλαμινίᾳ πόκον ex Archippo memorat. Alexidi apud eundem κωβίων parasiti nomen est. Thynnotherę (id est piscatoris thynnorum) filium Cothonian (Κωθωνίαν) appellauit, fortè à gobiis quos cothones Siculi vocitant, Athenęus. Κρώμναν, Αἰγιαλέν τε, (aliàs Κρωβιαλόν τε) καὶ ὑψηλὰς Ἐρυθίνας, carmen Homeri ex Catalogo, refertur à Strabone libro 12.

b. Physsalus piscis in mari rubro gobio ætatis perfectæ magnitudine non est inferior, Aelianus. Circa Babylonis rigua pisces quidam in siccum egressi, in arido pascuntur: capita eorum aiunt ranæ marinæ similia esse, reliquas partes gobiorum, vt in Cordylo dixi.

c. Piscantes circa quoddam Africæ litus loco petroso, commeatu destituti in nauigatione, οἱ μὲν ἐπιλεῖν, μυραίνας τε καὶ καρίδας ἀμεγέθεις ἁρπάσαντες· τὰς δὲ μεραίκια κωβιοὺς ἀπέλειπε καὶ ἰλύας, Synesius in Epistolis.

f. Κωβιὸς ἰφθὺς, hoc est gobios elixos Anaxandrides nominat, in Cotyis Thracum regis conuiuio. Τῶν ἰχθυοπωλῶν ἀρτίως τις τετμαίρων δρεπανηδὸν ἑπτὰ κωβιοὺς σφόδρα, Menander apud Athenęum. Antiphanes in Timone κωβιοὺς laudat, & vnde habeantur optimi his versibus indicat, Diis (inquit) thus emi, heroibus liba (ψαιστὰ) offero, Vobis verò mortalibus κωβιοὺς emi, Ὡς πρεσβεύειν (effundere) δ' ὀκάλδια τὸν ἰχθυοπώλην, πρεσβεύσειν ἡμεῖς (φησί σε) Τὸν δῆμον αὐτῶν εἰσιόντ' Φαληρικοί. Ἅπαντ' ἐπαλαύνει, οἷς ἔοικε, τερετίσκος, κωβίδια ἅλα, καὶ πετραῖα δεῖ πιεῖν ἰχθύδια. Τούτων δοτικίσας τὸν κηρύκα, Ἐμοὶ λάβ' ἀλδέμα τουτουτί τινί, Coquus apud Sotadem Comicum. Arcephon parasitus à Ptolemæo rege vocatus, cum ex Attica in Aegyptum nauigaret:

Οὖψου πετραίου φαπηδόντος ποικίλου,
Ἐπὶ πᾶσι λοπάδος τ' εἰσενεχθείσης ἀδρᾶς,
Οὓς κατεπλάγησαν πάντες οἱ κεκλημένοι:
Καὶ Φυκίδων ὅδ' ἦν ἄριστον Ἀρχεφῶν πάνυ,
Φαληρικῆς ἀφύης τε ἀμφοτεραγκυλῶν:
Πάνυ δὴ φαδδόξ' ἡμιμυλῶς ἔχ' πρᾶγματος,
Μὴ περιφέρειν Ἀρχεφῶν τοὺς κωβιούς;
Πτολεμαῖ, ἐώρακε πρῶτος, ἀλλ' ἴχ ἅπεπτα.
Οὐδ' ἔστιν αὐτῷ πάντ' ἐπιον, ὄντ' ἀσύμβολον
Ἐπὶ τ' ἀμπέζης, καρφίδων τ' ἀληθινῶν.
Ἐν ᾗ τεμαχίσιοι τρεῖς ὑπῆσαν κωβιοί,
Τῶν μὲν σπάρων ἀπέλαυε, τῷ τριγλῶν θ' ἅμα,
Ἄνθρωπος ὄντ' μαινίδων καὶ μεμβράδων,
Τῶν κωβιῶν δ' ἀπέσχετ' ἐγκρατέστατα.
Καὶ βασιλέως πυθομένου τ' Ἀλκιλόου,
Ὁ κυρτὸς εἶπε, πάνυ μὲν ἦν τἀνάντιον
Τοὖψον δὲ σεσεπτικός, καὶ δέδοικέ πως.
Γ' χθυῖ, ἔχοντ' ἀψηφον ἀδικῶν κἀδένα. Machon apud Athen.

10 Mnesimachus in Hippotropho: Σκόμβρον, θυννίδος, κωβιούς, (Rondeletius mauult κολίας,) ἠλακατίδας. h.

DE GOBIONE FLVVIATILI, RONDELETIVS.

A



F

Græci Latinique veteres Gobionis fluuiatilis nullam, quod sciam, mentionem fecerunt, sed solum marinum agnouerunt, qui litoralis est, & saxatilis. Primus Ausonius, vt arbitror Gobionis fluuiatilis nomen pisciculo ei posuit, qui si non alimenti natura, saltem figura marino valde similis est. Falluntur ergo 20 medici, qui gobiones fluuiatiles ægris apponi volunt, his eam inesse succi bonitatem existimãtes quam Galenus in marinis commendat, à quibus illi hac dote multum superantur.

Notissimus est in Gallia Gobio fluuiatilis, Gouion dictus, Lugdunenses Goifon, Germani *Gob* vocant. De eo hæc cecinit Ausonius in Mosella: A

Tu quoque flumineas inter memoranda cohortes *Gobio, non maior geminis sine pollice palmis,*
Prapinguis, teres, ouipara congestior aluo, *Propexique iubas imitatus Gobio Barbi.*

Propter duas oris appendices quæ breues sunt quasi μύσακες imitatum esse ait Barbi iubas. Cæterum B squamis tegitur paruis. In dorso pinnam vnicam habet, maculis nigris variatam, reliquas in ventre re- 30 liquorum fluuiatilium modo.

Carne sunt molli, insipida, virus nonnunquam resipiente: vescuntur enim aqua, luto, & cadauerum F carne. Qui enim piscsiculis istis insidiantur, capita equorum boumue in aquam coniiciunt: quo statim C permulti coeunt, & cerebrum saniemque hauriunt. dentibus enim carent. E

DE EODEM, BELLONIVS.

Piscículum quendam fluuiat. Parisienses Gouion vocãt, Lugdunenses Goifor, Mediolanensibus Vai- A ron dicitur. (Etenim quem nos Gallicè Veron vocamus, illi Esbrefon, Hetrusci Ionctium appellant: *nempe phoxinum Aristotelis, vt conijcio.*) Vulgus Italicum ad mare positum nullum agnoscit gobionem fluuiatilem sub nomine Gobii, quod neq; olim Latini & Græci: imò *nusquam gobionis fluuiatilis meminerunt* 40 prisci. Nam etsi è gobionibus dixerint quosdam in fluuiorum ostiis aut paludibus victitare, tamen semper de marinis intellectum est. Fluuiatilis sic est vbique promiscuus, vt non alter frequentior piscis, aut magis plebeius occurrat. Itaque de illo Gobione agimus, quem Ausonius barbis insignitum hoc carmine notauit: Propexique iubas imitatus Gobio Barbi. De marino minimè intellexit: siquidem ille barbis caret. Porrò Gobii fluuiatiles retinent in popinis Gallicis claritatem, quam eis idem poeta tribuit,

Gobio non maior geminis sine pollice palmis, *Prapinguis, teres, ouipara congestior aluo.*

Romani pisciculorum minutorum nullum habent discrimen, omnesque mixtim conchulis exceptos diuendunt, & Morellos nominant.

Porro noster hic Gobius caluariis bubulis in aqua proiectis oblectatur, illicque degit: quod scientes C 50 Ligeris accolæ, boum caluarias studiosè adseruant, quibus in Ligerim immersis Gobios alliciunt, quo facilius eos postea capiant.

Quemadmodum autem duo sunt in mari Gobiorum genera nominibus distincta, sic altera etiam est E Gobii fluuiatilis species à superiore diffidens, de qua sequenti capite docebitur.

COROLLARIVM.

Pictura hac gobii fluuiat. melius quam Rondeletii expressa est, sed maior iusto.



6a

A In fluuiis etiam Cobiones pinguescere Aristoteles testatur: qui de marinis ne an fluuiatili aliquo peculiari genere intelligat, quærendum est. Fluuiatilium quoq; cobiorum Dorion apud Athenæum meminit. Italicum gobii fl. nomen Varon vel Vairon, Latinæ originis videtur à varietate factum. varius enim & distinctus est pisciculus vtrinque maculis rotundis nigris. Phoxinus quoque, quem Galli Veronum vocant, cute est maculosa varius. Gobius fluuiatilis à nostris vocatur *Gressling*, ab aliis *Kresling*, *Gress, Kressen, Bachkressen*: à quibusdam *Grundele*, quod nomen nostri cobitidi barbatulæ Rondeletii adtribuunt. Vterque piscis forsan circa fundum seu vadum aquæ degere solet, vt ab eo Germanicè *Grundele*, id est fundulus, vt recentiores quidam loquuntur, denominetur. *Schmerle* pisciculum id est fundulum nostrum, in Alsatia vocant *ein Kress*, quod Ge. Fabricius nos admonuit. quare cauendum, ne res etiam diuersæ, propter vocabulorum homonymiam confundantur. Sunt qui thymalos paruos *Kressling* appellent, imperitè. hi enim & sui generis sunt, & cum alias, tum pinnula dorsi altera parua discernuntur. Gobii fluuiatiles Tiguri *Gressling* appellantur, in superiore verò nostri lacus parte *Grundelen* (vt ab accolis Albis fluuii, *Grundling*) aliqui *Lueteffer*, id est anthropophagos nominant, quod cadaueribus hominibus submersis vescantur. Argentinæ gobiones paruos *Sand kressen* appellant. Ad Acronium lacum circa Lindauiam longè diuersum pisciculum (præsertim nondum adultum) *Graesig* nuncupant, quem nostri *Laugelen*, Galli Vendosiam vocant, inter pisces albos leucisci nomine nobis descriptum.

Gobium (fluuiatilem) vulgari lingua Germani (inferiores) appellant *ein goebe*, Galli ung gouuion. descriptio quidem Ausonii ei conuenit, Carolus Figulus. Eberus & Peucerus gobionem interpretantur Saxonicè *Cob*, *Quapp*. sed quærendum inquiunt, an *Coben* differant à *Quappen*. Ego omnino differre puto: & *Cob* vel gobium esse de quo hic agimus, vel alterum de quo proximè agemus: quem alii *Cab*, & *Gropp* vocant. *Quapp* certè mustela fluuiatilis nostra est, *ein treusch* nobis dicta. De hoc pisce etiam Iodocum Vuillichium sentire puto cum scribit: Sueui fluminis aqua nigricat propter alnorum copiam per quas fluit, vt coniicimus: & pisces in eodem, præsertim gobiones nigriores: & cute & carne densiore, palatoque sapidiores. idem fit in Varta flumine Bohemiæ. *Gusen* dictus Coloniæ pisciculus, nominis vicinitate gobius videtur: nisi fortè is sit fundulus noster, id est cobitis barbatula: & *Grundele* ibidem vocatus, gobius. Anglis appellatur *Gojon*: vel, vt alii scribunt, *Gougeon, Gogion, Gudgione*.

B Gobio pisciculus est forma rotunda, squamis paruis argento similibus, Author de nat. rerum. Paruus est pisciculus, forma ferè rotunda, squamis albis, interpositis maculis nigris depictus, Albertus. Pisciculus fluuialis albus, sed nigris maculis respersus, Obscurus. Alburnus Ausonii pinnas easdem habet quas gobio, Rondeletius. Gobius noster (*der Gressling*) quem nuper captũ in lacu nostro, inspexi, mense Ianuario ouis grauidus erat: barbatulus cirris singulis in angulis labiorum perbreuibus. Pupilla oculorum nigra, ambitu candicante. Maculæ à capite caudam versus per media vtrinque latera nigricantes, rotundæ, magnæ proportione, circiter decem, singulæ deinceps digeruntur: & similiter per medium dorsum. Cauda etiam maculosa est, & dorsi pinna. Vesica bifida, magna proportione. Longus est plerunque quinque aut sex digitos. Fel habet subuiride, caudam bifurcam. Os cum aperitur rotundum, & veluti è præputio se exerens, deorsum nutat. Lapilli in cerebro perexigui sunt.

C Pisciculi sunt gregales, qui cadauera hominum submersa depasci creduntur, vnde & anthropophagos quidam appellant. In fundo & cœno degunt: vnde & funduli à quibusdam dicuntur, sicut & cobitides barbatæ. Vtrique etiam cadaueribus vesci putantur. vnde & inter iocularia piscium cognomenta hoc vsitatum arbitror, Gobium fluuiatilem esse pollinctorem aut vespillonem, (ταφέα) *Ein kressist ein todtengraeber*. Gobionem quidam dixerunt vesci cadaueribus. sed à piscatoribus deprehenditur hoc esse fabulosum: qui dicunt eos potius in aqua liquidissima versari, & pabulo nutriri, Obscurus. Hic piscis apud nos (*Misenus*) è cerebro equi nasci dicitur, quod non credo: sed eo in aquas abiecto vesci, verisimile est, Ge. Fabricius. Degunt in lacubus & fluuiis. Vescuntur musco vel alga, item arenulis, vermiculis, & hirudinibus minimis lacuum. Fœmine Ianuario & Februario mensibus, vt puto, grauidæ sunt: memini & in fine Maii ouis plenam reperire. Aliquando bis aut ter anno pariunt. Aestate vermiculis quibusdam in ventre vitiari dicuntur, Albertus.

E Hamis infiguntur ad inescandos lucios. Capiuntur facilè & magna in copia circa ripas lacus nostri retis genere quod *stosberen* appellant.

F Cœnum aliqui resipiunt. In cibo viles ac despicabiles reputantur, vtpote aquosi & minimè solidi, Obscurus. Vbi aquas arenosas lapillulis in nutrimentum habent, salubrius alunt, Author de nat. rerum. Salubres sunt qui in fundo degunt arenoso. æstate quidem dicuntur vermiculis in ventre vitiari, Albertus. Optimi iudicantur Martio & Aprili mensibus, Maio deteriores fieri incipiunt. Galbio, aliâs Gouio, in Regimine Salernitano piscibus cibo idoneis adnumeratur. vbi Villanouanus interpres: Gouio (inquit) est piscis paruus dulcis aquæ, longitudine digiti longi, rotundus & suauissimus, Gallicè gouion. Pisciculus hic elixus satis solidus est, nec contemnendus in cibo.

DE COTTO, RONDELETIVS: QVEM ITIDEM GOBIVM *fluuiatilem, ab Ausonii Gobio diuersum, eruditi quidam appellant.*

Eicon hæc Cotti nostri est, diuersa nonnihil ab illa quam Rondeletius exhibuit pinna dorsi singulari, & cauda penicilli instar longiuscula, &c. vt genus aliud cotti circa Monspelium haberi suspicer.

Piscem qui ab Aristotele βόιτος dicitur, Gaza Cottum conuertit, nescio qua ratione motus. Quod si Latinum hoc nomen seruemus, interim meminerimus diuersum esse piscem ab eo qui à Numenio ex Athenæo κῶθος dicitur: sic enim ille Gobionem appellabat, qui à reliquis Græcis κωβιὸς vocatus est. Galli Cottum chabot nominant à capitis magnitudine. Nostri eadem de causa teste daze. A

Lib. 4. de hist. cap. 8.

B Pisciculus est fluuiatilis Ranæ piscatrici similis, si parua magnis conferre licet, corporis figura & colore. Capite enim magno est, lato, & depresso: oris magno hiatu, sine dentibus. Oculi sursum spectant. Pinnas habet duas ad branchias, magnas pro corporis ratione, in ventre duas minores, in dorso vnicam continuam ad caudam vsque, cauda in vnicam deficit. Intus branchias quaternas habet, hepar magnum cum felle. Si corpusculum spectes, ventriculum magnum. E Aristoteles huius piscis meminit, quo loco pisces in aqua audire probat. Ἔπι δὲ ἐν τοῖς ποταμοῖς εἰσιν ἰχθύδια ὑπὸ ταῖς πέτραις, ἃ καλοῦσί τινες βόιτους, (editio nostra habet βόιτυς duabus syllabis.) καὶ ταῦτα θηρεύουσί τινες, διὰ τὸ ὑπὸ ταῖς πέτραις ὑποδεδυκέναι, κόπτοντες τὰς πέτρας λίθοις. τὰ δὲ ἐμπίπτουσι παραφερόμενα, ὡς ἀκούοντα, καὶ καρηβαροῦντα ὑπὸ τοῦ ψόφου. Sunt præterea pisciculi fluuiatiles qui sub saxis stabulantur, quos Cottos (*Boitos*) vocant. Capiuntur à nonnullis saxo percusso sub quo latent: protinus enim inde exturbantur, vt qui audiant, & caput per strepitum tententur.

C Capiuntur cum Cobite fluuiatili in fluuiis & in fontibus.

F Carne sunt molli, suaui, & minimè negligenda.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Multis cognominibus exprimitur alter fluuiatilis gobio. Nam quòd grandi capite constet, Galli Chabotum dicunt, Romani Misoris nomine appellant. Quòd autem in riuis pristinorum aquaticorum versetur, Cenomani Vn Musnier appellauerunt, Mediolanenses Vn Scatzot & Bot. Hic enim est cui propriè vox Botuli adscribi debet, quo nomine eum Ferraria quoque vocare consueuit. Quemadmodum autem Paganellum marinum iam diximus plurimum à Gobione diuersum esse: sic de hoc fluuiatili dicendum est, (*eum à Gobione altero fl. quem sic Ausonius nominat, plurimum distare.*) Communis autem Botorum appellatio alludit ad antiquam Boitorum nomenclationem. Eos enim Aristoteles βόιτυς appellat, quos in fluuiis sub saxis stabulari tradit. Vercellenses Bouteiolum vocant: rustici verò Paganellum.

COROLLARIVM DE EODEM COTTO, SEV GOBIO- *ne fl. capitato. Sic enim perspicuitatis causa nominare libet.*

A *Cottus.* Apud Aristotelem historiæ anim. 4.8. boitus semel legitur, βόιτος, duabus syllabis, in nostra æditione: non tribus vt alii quidam legunt, & per τ. non per θ. Gaza videtur κόττος legisse, quoniam ita transtulit. Nos suprà post Apuam Cobitidem Rondeletii pisciculum pinximus, qui Venetiis Marsio nominatur. Petrus Gillius veterum cottum esse putabat. Pisces quosdam (inquit) gobioni saxatili propemodum similes, Aristoteles cottos nominat: quos adhuc nonnulli coranos nuncupant. Est sanè piscis hic quo de agimus, blenno marino simillimus, vt dictum est, vt æquius ferè blennus fluuiatilis, quam gobius fluuiatilis dici mereatur. *Germanica.* Capitonem recentiores quidam Latinè vocant, sed alius est capito Ausonii, de quo suo loco diximus. alii capitellum minus probando vocabulo: Alberti Magni ætas capitatum. Nos differentiæ causa gobionem capitatum vocare poterimus. In agro Tridentino pauci admodum sunt fluuii qui gobios non alant: hos inibi quidam vulgo vocant Capitoni, quidam verò Marsoni. at in Hetruria, vbi tamen rarissimi habentur, corrupto à gobiis vocabulo, vulgo dicitur Ghiozzi, Matthiolus. *Italica nomina.* Sunt etiam fluuiales gobii, ex Verbano præsertim & Lario lacubus, (inquit Iouius,) qui insignes habentur, ipsis iecinoribus palato gratissimis. eos & Strincios & Botetrissias Insubres appellant. (*Hos quidem pisces nos mustelarum fluuiatilium generi potius quam gobionum adtribuimus. Treuschen appellant nostri.*) In Etruria quoque, in Marina præsertim amniculo, qui ex Appennini iugis apud Pratum oppidum in Arnum euoluitur, Ioctii (*Ghiozzi scribit Matthiolus*) sunt pisciculi delicatiores, gobionibus admodum similes: qui quum effigiem illam mirè exprimant, etiam in tantula carne eundem saporem habent, Hæc ille. Ego pisciculum Iozzo Florentiæ vulgo dictum sub lapidibus inueniri audire memini, paulo minorem cotto nostro, sine ossibus, (sine spinis nimirum, vel mollissimis illis:) qui fortè non cottus noster seu gobio, quo de scribimus, sed cobitis barbatula, id est fundulus barbatulus noster fuerit. Bellonius gobium fluuiatilem Ausonii ab Hetruscis Ionctiun vocari scribit. In diuersis Italiæ locis gobius hic capitatus aliter atque aliter nominatur: Scazon vel Scazion circa Comum: Maieron, Veronæ: Marson Vincentiæ, Michael Sauonarola Marsiones dixit, quamuis codex impressus Mansiones habet. Botto Cremonæ, Botulus à Grapaldo dicitur. hinc & Botetrissia compositum Insubribus vocabulum est, pro genere mustelæ fluuiatilis, vt paulò antè dictum est. Italicum nomen botto, ad Græcum βόιτος accedit. Bellonius caput de gobio fl. Ausonii inscribit de boeta, nescio quomodo. in ipsa enim descriptione huius nominis non meminit. videri autem potest confictum à Græco βόιτος: quod tamen masculini generis est, & non Ausonii gobium, sed capitatum significat. Cardanus mustelam fluuiat. illam, quam Galli lotam, bottam vocat: alii Itali botatrissiam. Germani quidam *Quap* vocant, alii verò *Puut*: quæ duo nomina alioqui ranam rubetam significant: vt botto Italis quoque. Itaque bott vel botto hunc pisciculum appellatum arbitror: quod patulo ac deformi oris rictu tum ranam, tum mustelam fluuiatilem, quam diximus, referat. Capidono, id est capito, Tridenti. Albi Iouians, quasi gobiani: vt goi quoque id est gobii, alibi Lagioni, si rectè quondam notaui, appellantur. Cæterum Bassianus Landus Italus in libro de peste, cum scribit: Ex putrescente aqua oriuntur vermes, magna copia ranarum & aliorum animalium, quæ ortum habent de putredine: cuiusmodi sunt pisces capitones vulgo dicti: non propriè dicendos pisces, neque gobiones capitatos, sed gyrinos, id est ranarum fœtus, quos nos etiam à capitis magnitudine hippocephalos vocitamus vulgo, intelligere videtur. Cagador circa Lusitaniam in mari vocatur piscis gobioni fl. capitato persimilis, blennus fortassis. *Hispanicum.* Gallicè Chabot: circa Neocomum verò Sabaudicè Chasso vel Chassot: quod nomen ad Italicum Scazon accedit. *Gallica.*

Iuxta Tolosam Caburlaut. Capito Ausonii etiam à capitis magnitudine Gallicum nomen Testart adeptus est, quod quidam gobio capitato non rectè adscribunt: quanquam idem capito Ausonii Lugduni appellatur Vn Musnier: quo nomine Cenomanis etiam gobius capitatus venit, vt Bellonius refert. Germanica. Germanicè *Gropp* inter Helueticos: *Co:* vel *Kropp* in Carinthia, alibi *Kab, Kopt, Gropt*, Kaolrapp in Franconia: alicubi *Babst*, id est Papa, quod episcopum Romanum forte triplici mitra insignem, capitis sui mole quodammodo referat. Est & *Mu:* vsitatum nonnullis nomen, & *Thollman* circa Tridentum. Saxones & Miseni à capite, quod ferè globi instar rotundum habet, sed compressum, varia ei nomina fecerunt: *Keeling Kulingk K:ling, Kulhet, K:ulheupt*. Eberus & Peucerus qui in Saxonia scripserunt, κωβίτας interpretantur K:aulheuptl:n. Sed cobitides pisciculi quorum veteres meminerunt, marini sunt, quos in fluuiatilium genere non capitati gobii, sed omnium minimi & barbatuli repræsentant: de quibus mox scribemus. Anglica. Anglicè *a Bulhed* à capite taurino: quasi bucephalum dicas: nempe ob magnitudinem, non similitudinem formæ. nam *bul* Anglis taurus est. nisi fortè corruptum hoc nomen est à Saxonico *K:lhet*, hoc est Rotundiceps. Alibi *a Gull:* vel *a Mylle: sth:mb:*, hoc est Molitoris pollex. Glauoche, id est capitatus, Illyric:, Polonis Glouuacz nominatur, vt audio. Illyricum. Inter ludicra piscium nomina hoc etiam legitur, Gobionem capitatum esse clauum equi, hoc est quo soleæ ferreæ equorum vngulis affiguntur, à similitudine formæ nimirum, id est capitis ad reliquum corpus proportione. *ein kopt ist ein Rossnagel.*

Lacustres gobii capitati apud nos à fluuiatilibus specie differunt, vt in B. exponetur.

B Capitatus (piscis perparuus, ore rotundo & amplo, Author de nat. rerum) caput habet ferè ad magnitudinem reliqui totius corporis. colore niger aut fuscus est, raro semipedem æquat: bonæ commixtionis & duræ carnis: figura ceu clauæ. Abundat in fluuiis Germaniæ & Galliæ. Maior quidem inuenitur in Danubio, & aquis Danubium influentibus, quàm aliis aquis, Albertus. Dracunculus cotto fluuiatili non multum absimilis est, rostro acutiore, & capite latiore, Rondeletius. Gobius capitatus, piscem marinum quem Angli Curre vocant (is cuculus aut lyra est) refert, magnitudine, figura & colore similis, si spinas demas. nempe magnum habet caput, minori corpore, vt Io. Caius Britannus nos admonuit. Pro dentibus labra instar limæ aspera habet: pinnas binas ad branchias, rotundas, & ambitu pulchrè cristatas: duas alias inferius paruas, longiusculas, albicantes in medio summi ventris, aliam ab ano ad caudam: in dorso quoque geminas, non singularem vt Rondeletius scribit, qui aliam fortè speciem nobis ignotam vidit: nam & cauda quam suo adtribuit cotto, proportione multo longior est quam in nostro. Ex his dorsi pinnis breuior est, quæ capiti propior, altera longior, caudam versus, quam tamen non attingit: idque in fluuiatili & lacustri genere similiter. Fœmina ouis immodicè turget, quæ in pectore in globos collecta geminas veluti mamillas præ se ferunt: & membrana vestiuntur nigricante. Lapillos in capite habent. Gobii non in mari tantum reperiuntur verùm etiam in fluminibus & lacubus, quod Galenus etiam annotauit: (*At p: t Galenus sentire videtur, ... nempe marinos, dulces aquas subire, libro de cibis boni & mali succi, cap. 9. nost ... omnes à marinis genere differunt*) quemadmodum testantur ii qui in Lario lacu, itemque Verbano capiuntur, laudatissimi quidem, propterea quod eorum iecur maximam cum palato ineat gratiam. In fluuiis vniuersum minores existunt, quanquam ex iis etiam nonnullos inuenias, qui duas aut tres vn:ias pendant. In agro Tridentino pauci admodum sunt fluuii, qui Gobios non alant. nanque & Athesis, & Nosius, & Lausius & Sarca iis refertissimi sunt. Hos inibi quidam vulgò vocant Capitoni, quidam verò Marsoni, & in Hetruria Ghiozzi, Matthiolus. Videtur autem ille diuersa gobionum genera his verbis confudisse: nempe Mustelas fluuiatiles, quas Insubres Strincios & Botetrissias nominant, vt Iouius tradit: qui similiter illas gobiorum generi adscripsit, earumque iecur commendauit. Et hæ in lacubus maiores reperiri solent, quam in fluuiis, etiamsi species earum videntur diuersæ, vt suo loco docebimus. Gobii vero capitati, qui capitoni ab Italis & Marsoni vocantur, nec magnum, neque deliciis quæsitum habent iecur. neque in fluuiis maiores quam in lacubus reperiuntur: sed contrà.

Certè in lacu Tigurino nostro capitati gobii non solum magnitudine inferiores sunt fluuiatilibus: raro enim vltra digiti medii longitudinem excrescunt. sed specie etiam differunt: etsi vulgus fortè non discernat. nempe colore magis albicant, cum illi nigriores sint. (corpus varium est, partimque albicantibus, partim fuscis punctis, & maculis etiam nigricantibus transuersis distinguitur.) Spinulis circa branchias pluribus & acutioribus, breuissimis tamen illis & visum penè latentibus horrent: quibus digiti etiam, si retrò ducas, configuntur. Pupilla oculorum aliqua ex parte pulchrè virescit, & gemmæ instar resplendet, præsertim ad Solem. E lacu in fluuium non migrant, vt neq. fluuiatiles in lacum. Gustus etiam suauitate fluuiatilibus longè sunt deteriores.

C De lacustribus dictum est. Fluuiatiles in riuis montanis præcipuè, aut frigidis, & fluuiis quanquam rapidis ac præcipitibus capiuntur. Fluuios incolunt, & sub lapidibus aut inter saxa libenter delitescũt, Albertus & Obscurus. Plura leges inferius in Cobitide fl. barbatula. In aquæ fundo non tam natant, quam subito impetu teli instar se vibrant, & quo volunt eiaculantur ac traiiciunt, magis quam vlli alii pisces: Græci eos Ἀφρίτας dicerent, nostri *schiessen*. Omniuoros esse puto: à se mutuo etiam eos vorari certum est. Pariunt (parere incipiunt) circa pascha, vel mense Martio.

E Capiuntur nassis per fluuios præsertim, in lacu, longissimis retibus: quę propter vmbras lacustres minores fiunt & denominantur à nostris *Kottelegarn*, & ad passus circiter quadraginta demittuntur. Fuscina etiam in fluuiorum ripis feriuntur à piscatore, qui ocreatus circumit, & lapidibus cautè leuiterq; motis, eis insidiatur, nempe interdiu: nam noctè ad Lunæ splendorem latibula sua relinquunt, vt facilè feriantur, nec opus sit lapides dimoueri. In riuis montanis & hi & alii pisces qui insunt, nullo negotio affatim capiuntur, si diuertantur ita vt aluei sine aqua relinquantur. Gobios capi in flumine a Calendis Nouembris vsque ad pascha legibus piscatoriis apud nos licet: extra verò illud tempus nec genere illo retis, quod *Sornetzen* appellant, neque fuscina, (*Groppysen* vocant,) neq; alio modo. Hamo capi nunquam licet. Retibus illis quæ *Groppenbaeren* appellant, certa mensura est constituta. Nassis vti permissum est à die d. Mar-

die d. Marci vsq; ad exitum Maij, non arctius tamen contextis, quàm vt gobij capitati, & pisciculi bambeli vulgò dicti euadere queant. Gobiones capitatos à mustelis (strincijs vel trissijs) appeti audio, eisq; hamo infixis inescari, lineis ad LX. passus longis, in lacu nostro.

Sunt hi pisciculi non modo concoctu facillimi: sed & ori suauissimi, atq; gratissimi, præsertim cùm ouis turgent. hæc enim in his & pinguia, & copiosa sunt, gustui verò suauissima. Quo fit vt solertissimi piscatores, horum fœturas obseruantes, non minus expiscandis ouis operam nauent, quàm piscibus ipsis, Matthiolus. qui iecur etiam eorum maximam cum palato inire gratiam scripsit id quod non gobijs capitatis sed trissijs mustelarum generis conuenire monui suprà in B.

F Ioctij in Etruria dicuntur pisciculi delicatiores, gobionibus (*mustelarum scilicet generis, non marinis, vt puto*) admodum similes, qui quum effigiem illam mirè exprimant, etiam in tantula carne eundem saporem habent, Iouius. Vescentes capita reijciunt, quæ spinis tantum cute sine pulpa constant. In delicijs habentur apud nos quoque, propter saporis bonitatem, sed fluuiatiles duntaxat, lacustres non item: idque circa brumam & mense Ianuario potissimum. Sunt qui à calendis Decembris vsque ad calendas Aprilis eos commendent: alij circa calendas Februarij optimos faciunt, & paulo post vsque ad eundem terminum. Capitatus piscis est bonæ commixtionis, & durę carnis, Albertus. Alexander Benedictus in curatione inexplebilis auiditatis: Iuuant (inquit) etiã pisciculi recẽtes (in cibo) fluuiatiles, gobijs marinis similes, ac præpingues auiculæ. Et in libro de peste: Saxatiles pisces omnes à nostris medicis maximè probantur: inter quos à magnitudine capitis Foroiulenses nostri capitones vocant. Verùm hi propriè saxatiles non sunt: quod Michaël Sauonarola etiam animaduertit, de nutrimento ex piscibus scribens: Medici veteres cum pisces paruos saxatiles laudant, non videntur mihi de marsionibus sentire, vt quidam interpretantur. Marsiones enim carent duabus conditionibus vnde pisces boni commendantur. nam & muscilaginosi sunt: & parum exercentur, cum in locis petrosis iaceant sub lapidib. Elixari debent vt cobitides barbatulæ: hoc est, in vinum calidum impositi elixari, non diu, & tandem aceto modico affuso ad eius ferè consumptionem coqui. Placent etiam frixi, Greg. Mangoldus.

DE ASPERO PISCICVLO, GOBIONI PERSIMILI, RONDELETIVS.



Lugdunenses pisciculum Gobioni persimilem Apron vocant ab asperitate squamarum. A

In Rhodano tantùm inuenitur sed non quouis eius loco, verùm ea ferè in parte quæ inter Viennam & Lugdunum est interiecta. Est igitur pisciculus Rhodano peculiaris, capite latiore quam Gobio, in acutum desinente. Ore est medio, dentibus caret: sed maxillas asperas habet, foramina ante oculos. Colore est rufo, maculis nigris latis, à dorso ad ventrem oblique descendentibus variato. Pinnas ad branchias & in ventre similes cum Cottis habet, sed in dorso dissimiles: duæ enim sunt (*in nostris quoq; id est Heluetiæ cottis, vna sunt*) à sese seiunctæ. B

Vulgus ait pisciculum hunc auro vesci, quia arenam, cum qua nonnunquam auri laminulæ sunt, haurit. C

Carne est ficciore quàm Gobio. F

DE COBITE FLVVIATILI, RONDELETIVS.



A Cum antiquis pisciculi fluuiatiles minùs cogniti sint, euenit vt nomine vetere careant. Qua de causa marinorum eis similium appellationes ijs accommodare visum fuit. Hunc igitur quem hic proponimus Cobitem fluuiatilem nominamus, quòd marinæ (*. p: a c:bitidi m:rinæ, non hic exhibitus cobites fluuiatilis: sed qua mox subij:ietur cobitis barbatula similis est, tum specie corporis tum q:od sq:amis caret*) persimilis sit, cuius tria sunt genera, quæ nominib. suis Galli distinxeruut. Primum genus loche franche vocant, alterum loche. Vtrunque genus, quum paruum est, lochete. De primo genere nunc agimus, quæ loche franche nominatur, vel quod tota læuis sit, (*an totam læuem dixit, quod etiam squamis careat? has tamen pictura repræsentat, descriptio non meminit,*) & aculeis careat, vel quòd mollior sit & salubrior.

B Est autem Cobites hæc fluuiatilis pisciculus, in riuulorum & fluuiorum ripis degens, digitali magnitudine, rostro satis prominente. Corpus flauescit. & maculis nigricantib. notatur, subrotundum est & carnosum. Pinnæ duę sunt ad branchias, duæ in ventre, vnica ab excrementi meatu, vnica in dorso.

F Carne eſt humida & viſcida. Si in aqua ſordida & cœnoſa nutriatur, pingueſcit: ſed multò inſalubrior redditur. *Piſcis hic* Ryſerle *vel* Riſele *noſtris vocatur. Alij* Ryſsling *vocant. Digiti longitudinem parum excedit, colore per dorſum è cœruleo vireſcente, per latera & ventrem candido. In Silo torrente ad vrbem noſtram capitur* (ſed rarò) *circa lapides: & ex eo Limagum amnem ingreditur, inter lautos piſciculos habitus. Effigies eius hæc eſt.*



DE COBITE ACVLEATA, ET ALTERA BARBATVLA RONDELETIVS.

E Cobites ſecunda, quę non ſolum Loche, ſed etiam Perce (*id eſt aculeata*) à Gallis vocatur, ſupradictæ ſimilis eſt, ni paulò maior eſſet & latior, non rotunda, ſed compreſſa. In branchiarum operculis aculeũ vtrinque habet. Spina interna dura rigidior eſt, quo fit vt piſciculus iſte inter edẽdum moleſtior ſit quàm cobites læuis. Sæpius ichthyopolæ parum cautis imponunt, & pro leuibus vendunt, quæ impoſtura inter edendum facilè deprehenditur.



Cobitis barbatula.

F Tertia cobites barbatula, omnium minima eſt, quæ ipſo nomine ſtatim ſeſe prodit. nomen dedimus à cirris tenuibus, è roſtro barbæ modo pendentibus, quemadmodum in Barbo.

DE EISDEM, BELLONIVS.

A Delicatiſſimus eſt ſaxatilis piſciculus vbi frequentiſſimus, quem Galli vne *Loche*, Mediolanenſes *Vſel*, Placentini & Parmenſes *Gouſangle*, Locham Romani piſcatores, alij Morellam vocant, quod poſtremum noſtro Veroni fluuiatili magis debetur: Ladenſes *Zedole*, Ferrarienſes *Squaiola* nominant. In Riſileto amne (finitimo vrbis Italiæ cui nomen eſt *Ciuita de Caſtella*) Lopole vocantur. Duo ſunt horum genera: quorum quæ Gallis *Loche* franche dicitur, palato quidem delicatior eſt: quæ verò cœnoſum limoſumque tractum incolit, craſſo & obeſo corpore conſtans, atque ob id pinguis Lochia cognominatur: valetudinarijs admodum pernicioſa eſt. Cæterum Lochias quidam Galli nominare malunt des Perces, quòd cùm riuulorum indigenę oblongo, tereti ac lubrico ſint corpore, petras videantur perforare: Duos enim habent in branchijs aculeos, vtrinque vnum, ad caudam ſpectantes, dentium ceraſtis longitudine, quibus ſeſe impellunt, vt minima inter lapides foraminula ſubeant.

Genera duo.

Viuax eſt admodum piſciculus, minoris digiti craſſitudinem non excedens.

Lochia pinguis. B.

Pinguis verò lochia, indicis digiti craſſitudine eſt, quinque digitos longa, tota lituris ſeu punctis diſtincta: notaſque in tergore & lateribus habet, nunc grandes, nunc paruas ac nigricantes, quibus ipſa etiam quodammodo pulla apparet: ſed ventre eſt candido. Pinnam vtrinque vnam in lateribus gerit: item ſub ventre duas: in tergore verò ſummo vnam admodum paruam, item ſub cauda ad anum alterã. Pinna caudæ rotunda eſt: reliquæ omnes tranſparentes, obtuſæ & latæ. Cirrhis quaternis (*vtrinque*) duobus (barbi modo) tanquam myſtacibus inſignis eſt. Os habet paruum ſub longo naſo: eiusque inteſtinum ſtatim à ſtomacho (quem hepar fouet) rectà per ventrem ad anum ducitur. Fel dextro hepatis lobo adſutum: Lienem inſignem, & rubrum habet. Cor ſub branchijs, ſuo pericardio obuolutum. Oua ſingulari veſicula, vt alijs piſcibus bicorni folliculo concluſa.

COROLLARIVM I. DE COBITIDE FLVVIATILI BARBATVLA: *Et primum de tribus huius generis ſpeciebus.*

Iconem hanc addidi, etſi maiuſculam quàm vellem, quod plenius & accuratius facta videatur quàm Rondeletij.



A Rondeletius Lochæ piſciculi ſic dicti à Galiis, genera tria facit, & picturas totidem exhibet: Bellonius duo tantum, & neutrum depingit. Idem Lochias ab alijs inquit Perces Gallicè vocari, quaſi vocabulum commune hoc ſit, non vnius ſpeciei, vt Rondeletius docet, cui aſſentior: ea puto *Steinbeiſſer* à noſtris dicitur. Hoc etiam notandum Lochiam pinguem Bellonij, cobitidem barbatulam Rondeletij eſſe: noſtri *Smerlin* vel *Grundelin* vocant. An verò Loche france Rondeletij eadem ſit, quæ à Bellonio ſic vocatur, non facilè dixerim. in pręſentia quidem non videtur. Hoc vtique mireris, cobiten ſecundam Rondeletij, ſimilem dici primæ, cùm ex pictura tum ſpecie corporis planè diſſimilis ſit, tum ſquamis: quibus altera caret, prima habet, ſi pictor probè expreſſit. Sed dubijs hiſce & ſimilibus relictis, ad certiora accedamus. Et primum quidem de cobitide barbatula dicamus.

Placet

Placet autem non cobiten efferri, ſed cobitidem, à recto ſingulari fœminino Cobitis: nam & Græcè κωβῖτις ſcribitur, & ſubauditur apua marinus piſcis: cui fluuiatiles illi, quib. de agimus, præſertim barbatulus, comparantur, adeò vt etiam nomen ab eo ſibi aſſumant.

Latina nomina.

Albertus Magnus de animalibus lib. 7. tract. 1. cap. 8. hunc piſciculum fundulam vocat genere fœminino: Piſciculi parui, inquit, quos loſtas vel loxas (*lochas Galli*) ſiue fundulas vocant, latent hyeme in luto, &c. Recentiores gen. maſculino potius fundulum dicunt, Germanici vocabuli imitatione à fundo aquæ, vbi degere ſolent. Carolus Figulus fundulum ſeu grundulum dixit. Idem Auſonij chedonem ab aliquibus fundulum exiſtimari ſcribit: ipſam trutam, Bellonius capitonem fluuiatilem eſſe putat. Vide in Capitone fl. in Corollario A. Quidam turdos *Grundling* (ſiue fundulos hoſce noſtros, ſiue Gobiones Auſonij intelligentes) interpretantur. ſed imperitè. neque enim macularum varietas ad imponendum hoc nomen ſatis eſt, adde quod turdi, marini ſunt, Rondeletius cobitides barbatulas appellat: quòd marinos piſciculos apuarum generis, quos cobitides cognominant, omnino referant, vt dictum eſt: quam ego nomenclaturam magis probârim, quàm Bellonij, qui lochias nuncupat, vulgare Gallis vocabulum imitatus. Quòd ſicubi nomenclaturas vulgi imitari libet, eruditas, hoc eſt quæ Græcam aut Latinam originem præ ſe ferant, præcipuè deligendas cenſeo. Ita hunc piſciculum muſtelam fluuiatilem vocare poterimus, adiecta minimæ differentia. Muſtelam enim marinã quodammodo refert, corporis longitudine, lęuitate, barbulis: & muſtela Burgundis hodie dicitur, vulgò *vne Moutelle*. ſolent enim Galli ſ. ante t. mollioris pronunciationis cauſa omittere. alij ſcribunt *Mouttoile*: alij deprauatiùs *Eſtoille*, (niſi quis à punctis & maculis tanquã ſtellares, ita dictos conijciat.) Aliqui apud eoſdem Burgundos muſtelam fœminam eſſe dicunt, & marem *Veron* appellant. Sed cæteri Galli piſciculum quem Phoxinum putamus *Veron* vocant, nimirum à varietate: vt inſubres gobium fl. Auſonij *Vairon*. Brabantos etiam, qui ferè Gallicè loquuntur, *Muſtele* vel *Muſc* appellare audio: & Germanos quoſdam *Moſ*. Vocabulum etiam *Vſel*, Mediolani vſitatum, & *Griſella* circa Verbanum, à muſtela detortum videri poteſt, (licet aliqui à colore id factum putent:) vt & Germanicum quadrupedis nomen *Wiſel*. Vocatur & fondola alicubi in Italia: quod nomen Albertus videtur imitatus, eodem gen. fœminino. Heluetij & Germani plerique *Grundeln* appellant. aliqui apud nos *Zirle*, quod ad Saxonicum *Smerl*. accedit. alij *Zerdel*, cui ſimile eſt nomen, quo in Italia Lodenſes vtuntur, Zedole. Carolus Figulus, qui ad Confluentiam Rheni literas docuit, *Grundel* vel *Gründlin* ſcribit. Saxones *Schmerle* vocant: Ge. Agricola gobionem fluuiatilem interpretatur, Auſonij puto gobionem intelligens, quòd. vt ille de ſuo canit, barbatulatus ſit: ſed nos diuerſum ab hoc Auſonij gobionem dedimus ſuprà, cui præter barbulas vulgare etiam nomen aſtipulatur: (Auſonium autem in Gallia ſcripſiſſe conſtat:) & eruditorum conſenſus. Saxonicum nomen alij aliter ſcribunt, dum c. aſpiratum vel addunt, vel omittunt: & in terminatione variant, vt ſolent in pleriſq; vocabulis Germani: *Schmerel, Schmerling, Smerling, Schmerlin, Smerlin, Schmorle*. Verbum *Schmiere*. Germanis vngere ſonat, (μύρον Græcis vnguentum: & iiſdem vſitatum, vt ſ. ab initio ſæpe abundet, præſertim ante μ.) & *Schmaer* aruinam vel axungiam vnctioni aptam. Quare & piſci huic nomen impoſitum à pinguedine conijcio: quod cute non quidem pingui ſit, ſed ita lubrica tanquam pingui vel lardo eſſet inuncta. *Smerlin* & *Grundele* vnus idemque piſcis eſt: primum nomen Miſenenſibus vſitatum à lubricitate, vt opinor: alterum Sileſijs, à fundo, in quo capiuntur, Ge. Fabricius in epiſtola ad nos. Et rurſus, Piſciculum *Schmerle* in Alſatia appellant *ein Kreſſ*, (quod nomen Germanorum plerique gobioni Auſonij adtribuunt. vide in Corollario de eo.) Vocabulum etiam *Meergrundel*, memini olim nominatum audire, de gobij marini quodam genere puto, aut muſtelæ marinæ. Apua ſanè cobitis Rondeletij hoc nomen meretur, quoniam & perſimilis fundulo fluuiatili eſt, & Gallicè quoque locha marina nominatur. In Heſſia vel alibi in Germania fundulus vocatur *ein Moeſſ*, vel *Moſ*, Brabantis *Muſc*, vt dixi. Coloniæ *Gaſen*, neſcio hic noſter fundulus, an gobius Auſonij potiùs. nam & alius ibidem piſciculus *Grundele* vocatur.

Muſtela minima. Gallica nomina. Italica. Germanica.

Inter iocos Germanicos de piſcium nomenclaturis fundulus cognominatur virgo: *ein Grundele iſt ein Jungfravv*. Encelius ſcribit caput funduli repræſentare caput virginis ornatum.

Illyrica. Anglicum.

Sengle vel *Sengele* à Sueuis & alijs appellantur funduli adhuc teneri & recens nati. Poloni hunc piſciculum indigetant Kielb vel Slyſs. Bohemi Mrzen. Angli Gallicum nomen retinet, *a loche*.

Genera duo.

Duo ſunt huius piſciculi genera, (inquit Ge. Fabricius in epiſtola:) vnum commune, quod in delicijs habetur, & inſigni magnitudine capitur apud nos (*Miſenos*) in Flohi amne: alterum & tenuitate corporis, & colore & ſapore diuerſum, quod à ſaxis nomen eſt conſecutum, *Steinſmerlin*. Fundulus in noſtris aquis cum circa ripas ſtagnantes & paluſtres degit, vocatur *Moſgrundel*. Bellonius nuper cum apud me fundulos vidiſſet, in hoc diſſimiles eſſe lochijs Gallicis aiebat, quod in branchijs ſpinas nullas haberent, & breuiores eſſent, barbatuli quidem ſimiliter. Sed hoc diligentius conſiderandum. Rondeletius quidem melius diſtinxiſſe mihi videtur.

Lochiæ francæ Bellonij, quærendum an ijdem ſint piſciculi *Pfell* dicti Germanis (de quibus infrà in Phoxino agemus, elemento P.) nam & minores ſunt & eiuſdem puto naturę, maculoſi, læues: & coquuntur vt gobij capitati: & eodem tempore placent à Decembri ad Paſcha.

Longi ſunt palmo, vel paulò plus: læues, lubrici, maculoſi. B

C Capiuntur funduli in lacu apud nos, & fluuio Limago: plurimi in riuis, præſertim illo quem Glattum vocamus. Apud Miſenos optimi in Floha fluuio. E riuis in flumina maiora ingrediuntur, vt in Albim apud Miſenos. Capiuntur & in Atheſi: & magni apud nos Arouię, in riuis puto & Arula. Limpidis & ſaxatilibus locis gaudent, Adamus Lonicerus. In lacu tamen apud nos circa ripas etiam & in cœno degunt. Piſces quidam cauernas ſibi faciunt in arena: alij in luto, & extra eas non emittunt niſi os; vt puram aquam frigidam attrahant, reddantque per branchias: vt piſcis apud nos ſimilis anguillæ, quem *Quappen* vocant: & ſimiliter ferè piſciculi parui, quos fundulas nominant,

& alij

& alij quidam parui magnis capitibus, (*gobij capitati,*) Albertus. Medio Maij mensis fundulos hîc è lacu captos, ouis grauidos vidi. Post pascha parere incipiunt: quamuis non desint qui vel singulis mensibus eos parere asserant.

E Vêre apud nos præcipuè capiuntur, Februario, Martio & Aprili, retis genere quod *Storbaeren* appellant, iuxta ripam lacus, locis herbosis, non autem nudis: & simul cum eis plerumq; gobij capitati. Hamis quibus mustelæ, trissiæ dictæ, in lacu apud nos capiuntur, longissima linea ad LX. ferè passus demissa, infigi solent gobij capitati aut funduli, quibus inescentur.

F Fundulus pisciculus inter omnes ferè primatum tenet, Adamus Lonicerus. Teneri præsertim & nuper nati in delicijs habentur. ijque cum iure cocti, ex eodem cum pane cochlearibus eduntur: quas delicias aliquando circa summum Acronium lacum gustaui: apud nos enim tantillos capi vetitum esse puto. Miseni optimos esse aiunt circa pascha priusquam migrant, *ehe sie streichen*: de migratione puto è riuis in fluuios vel contrà intelligentes. Salubres vulgò existimantur, ita vt medici etiam ægrotis alicubi eos permittant. Sunt sanè solidiuscula carne, & odore non piscosco vt alij plerique, sed satis grato: & cum exigui sint, nec pingues, non multum replent. Præferunt Miseni maiores: nam qui *Steinsmierlin* à saxis denominantur, colore saporeque differunt. corpore tenuiore, carne duriore. & quæ in elixis tenaciùs spinis hæreat. Commendantur maximè à natali domini vsque ad pascha. tum enim parere incipiunt, vt diximus.

Alij Februario, Martio & Aprili mensibus eos præferunt, vsque ad initium Maij. Teneros verò nunquam non laudant, si cum apio edantur. Vino calido iniecti elixari debent, idque breui tempore, & sub finem modico aceto affuso ad eius ferè consumptionem coquendi: quo modo gobij etiam capitati parantur, & pisciculi vulgò *Esellen* dicti. Baltasar Stendelius qui artem coquendi Germanicè condidit, fundulos bene coqui iubet: tum (colari) & acetum (calidum) affundi, in quo parum adhuc bulliant. ita colorem cœruleum eis induci, & carnem solidiorem fieri. Plura vide infrà in Corollario de Phoxinis F.

G Caput funduli piscis euisceratum, (repræsentans vultum virginis ornatum,) præsens esse remedium dicitur in frangendo calculo vesicæ, Christophorus Encelius. Ad achores capitis: *Wider den erbgrind*: Funduli decoquantur in butyro quod mense Maio collectum sit: & inde expresso liquore linatur caput, Innominatus. Quidam catis ęgrotis fundulos mederi aiunt.

COROLLARIVM II. DE COBITIDE ALIA, QVAM *Rondeletius aculeatam cognominat.*

Iconem adiecimus, quod ab ea quam Rondeletius Cobitidis aculeatæ nomine exhibuit, discrepet, pinnis & aliter.



A Cobitis aculeata, vel Cobites aculeatus Rondeletii, sui generis pisciculus est, lochiis seu fundulis cognatus, & similis, rostro acutiore, à quo si quis cobiten oxyrynchum appellet, non fecerit ineptè. Albertus Magnus nullo alio nomine hunc piscem nouit quàm Germanico: Vulgò (inquit) Mordens lapidem vocatur. Gręcè eadem significatione dacólithum dixeris. Nam & Gallis Perce vocatur, quòd rostro penetret velut perforaturus: & à Sabaudis circa Neocomum & Bielam, Mort pierre. At qui Perce pierre à Gallis vocatur, piscis marinus est, alauda Rondeletij. Foragua circa Vincentiam Venetorũ in Italia: Gua enim Italicè est genus reticuli à baculo suspensum, cui inclusus hic piscis non continetur, sed foras euadit, & egrediens veluti perforat.

Circa Verbanum lacum Grisella dicitur, alibi Vsella vel Vrsella, quemadmodum & lochia barbatula prædicta, nominibus scilicet à mustela corruptis. quare hanc etiam si Latine circumloquendo mustelam fluuiatilem paruam imberbem nomines, bene erit. Sed nomen vnum singulare ei imponi præstiterit, quale est dacólithus: aut periphrasin non pluribus quàm duobus fieri, vt cobites aculeatus vel oxyrynchus: vel echeneis fluuiatilis. non quòd reuera vi retinendi naues aut aliud quicquam polleat: sed quoniam ore mordens retentionem minatur. In iocosis piscium cognominib. quæ in libello Germanico circunferũtur, nescio quã ob causam custodis seu vigilis nomen hic pisciculus inuenerit: *ein Steinbeyss ist ein Wechter*. Nostri *Steinbeysser* proferunt.

B Nullus aut rarissimus apud nos est, frequens circa Argentinam. In Misena optimi capiuntur in Mulda prope Doblam oppidum, Geor. Fabricius. Rondeletius & Bellonius suæ percæ, id est dacolitho (quanquam hic non æquè distinguit) aculeos in branchijs attribuunt. Albertus libro 2. de animalibus, tract. 1. cap. 7. branchijs omnino carere ipsum ait: Ge. Fabricius verò nuper foramina parua circa oculos eis, sicut in lampredis, esse nos monuit. Sed quoniam hîc non reperitur. quod affirmem in præsentia non habeo. Ibidem Albertus: Pisciculus (inquit) qui vulgò Mordens lapidem vocatur, eodem colore est quo Fundula. non est autem rotundus, sed quasi columnalis compressus, & habet spinam acutam iuxta os, qua cum recuruato capite vulnerat manum se tangentis. Pisciculus est exilis seu tenuis, & oblongus, fundulo similis, paulò longior: nam quatuor aut quinque digitos æquare solet: maculosus, capite acuto & deorsum vergente.

C In aquis fontanis & riuis præcipuè degit. E riuis migrans cum alios fluuios tum Albim subit. Rostro lapidibus mordicus se affigit, & aliquando vasis etiam, licet æneis, quibus in foro piscario à mulieribus empti inijciuntur, ita vt sugere videantur. Est quando complures gregatim lapidi hęrentes inueniuntur. In herbis, algis & cœno degunt, atque inde victitant. Maio mense cum fundulis pariunt. aliquando vel bis aut ter pariunt, vt gobiones Ausonij etiam, & leucisci illi quos vendosias Galli vel dardos vocant.

Retibus

Retibus angustis (id est quorum perangustæ sunt maculæ) capiuntur cum aliis pisciculis circa ripas E fluminum.

Vilissimi sunt, carne tenaci, fundulis multo ignobiliores. Aprili mense & Maio minus improbantur. F Preferuntur grauidi. Frigi debent butyro. Miseni circa Bacchanalia & Martio mense eos commendant, antequam migrent, quod tum ouis grauidi sint. Prestantiores apud eosdem non in Albi, sed in Mulda capiuntur.

COROLLARIVM III.

De aspero pisciculo Gobioni persimili, ex Paralipomenis.

GRINADIES pisces Strymonis fluuii, memorantur à Bellonio in libro Gallico Obseruationum, inter Strymonis fluuii pisces, quorum nomina à molitoribus ad eum amnem Græcè loquentibus se cognouisse scribit: vt Platones quoq;, Celli, & Turnes.

DE GRVE MARINO, EX ÆLIANI DE ANIMALIBVS LIBRO XV. CAP. IX.

GRuem piscem marinum Corinthiaci pelagi alumnum esse audiui. Declinabat autem ea pars Corinthiaci maris, qua grus piscis captus est, Atticam versus, iuxta latus Isthmi quod Athenas respicit. Procedebat hic piscis ad quindecim iustæ mensurę pedum longitudinem: crassitudine anguillam, non tamen maximam (vt audio) æquabat. Eius & caput & os, alitis gruis speciem similitudinemq; gerit. Squamæ (Λεπίδες, fortè Πτέρυγες, id est pinnę, dicere voluit author) pennis gentilis auis ei similes sunt. Natat autem non conuoluto in spiras corpore, vt alii pisces anguillarum instar angusti & oblongi. Tanto robore saliendi est, vt tanquam emissum à contento neruo telum feratur. In sermonem Epidauriorum venit, hoc animal ex nullo pisce generari: sed cum volucres grues Thracium frigus & reliquum ad Occidentem fugientes obuio vento, tum fœminę ad coitum exardescentes, tum mares veneris libidine cõflagrantes, inter se complexu venereo iungi cupiunt: fœminas suspensum coitum sustinere non posse, idcircoq; semen temere emittere quod voti compotes fieri non possint. Ac si suprà terram volent, id ipsũ ad nihilum recidere & perire: sin supra mare, id delapsum, tanquam thesaurum per manus traditum, sic à mari hunc fœtum asseruari, animantemq; effici, neq; velut in aluum sterilem illapsum perire. Hæc Epidaurii. Sed & Demostratus, cuius ante mentionem feci, Hunc, inquit, piscem vidi, & magnopere consideraui, cumque (vt aliis ostendere possem) exiccare vellem, atq; coquis ipsum secantibus viscera intuerer, tum ex vtroq; latere spinas exortas, rursum inferiùs inter se suis extremis coire: & (similiter atque tabulas legum) triangulas esse: tum eius iecur in longitudinem procedere, aspexi: tum iecori subiectũ fel longum, instar manticę aut bulgę, vt faba (*synecdochice forte pro siliqua fabæ*) recens videretur. Vbi verò primum iecur & fel exempta fuissent, ambo statim intumuisse, vt iecur instar hepatis maximi piscis videretur: fel verò lapidem, super quem fortè positum fuerat, liquefecisse.

GRACVLVS. Vide Coracinus. nam Gaza & quidam eum secuti pro coracino graculum vertunt. Plinius draconem graculo similem dixit.

GRÆÆ ab Epicharmo in Nuptiis Hebæ nominantur inter pisces apud Athenæum: Πώλυποί τε, σηπίαι τε, καὶ πτέρυγαι τευθίδες, χαλυσώδεις βολβῖτις, γρᾶιαί τ' ἐλθακώδεις.

GRAMON, aliàs GRANVS, apud Albertum & alios obscuros scriptores, pro thynno corruptum est nomen: vt constat ex iis quæ ei adtribuunt.

GRYLLVS piscis similis est anguillæ, sed insuauis, Diphilus. Vide suprà inter Mustelas post Asellos, & in Congro A.

GRYLLVS insectum fluuiatile: Vide Squilla fluuiatilis.

GRYTE. Γρύτη. Tarentini codex noster sic habet: Προσπαυσάμενον, σκορδύλων πρὸς τὴν ἀεπίλω κωβιῶν θαλάσσιαν. ego sic legerim, Πρὸς ποταμίαν γρύτην, καὶ πρὸς τὴν λεπτήν. nam in sequentibus etiam capitibus Γρύτη ποταμία legitur, & Γρύτη λεπτή: minutos pisciculos tum fluuiatiles tum marinos intelligo. (nam & friuola fictilia vasa γρυτάρια nominant, & γρυτοπώλην eum qui talia vendit.) Licebit ita interpretari: Esca ad pisciculos fluuiatiles, (quorum aliquos fortè scordylos vel scordylas vocat, quo nomine in mari dicuntur parui thunnorum fœtus) & marinos minutos, vt gobios.

DE GVAICANO VEL REVERSO PISCE INDICO.

Figura hæc desumpta est ex tabula quadam descriptionis orbis terrarum.

DE nouo piscationis genere Petrus Martyr Oceaneæ Decadis primæ lib. 3. Non aliter (inquit) ac nos canibus Gallicis per ęquora campi lepores insectamur, illi (*piscatores Cubæ insulæ in Nouo orbe: in cymba, id est caua arbore piscantes, Christ. Columbus*) venatorio pisce pisces alios capiebant. Piscis erat formę nobis ignotæ, corpus eius anguillę grandiori persimile: sed habens in occipite pellem tenacissimi in modum magnę crumenæ. Hunc vinctum tenent in nauis spõda funiculo, sed tantùm demisso quantum piscis intra aquam carinę queat inhærere: neq; enim patitur vllo pacto aeris aspectum. Viso autem aliquo pisce grandi, aut testudine, quæ ibi sunt magno scuto grandiores, piscem soluunt. ille quum se solutum sentit, sagitta velociùs piscem aut testudinem, qua extra testam partem aliquam eductam teneat, adoritur: pelleque illa crumenaria iniecta,

prædam

prędam raptam ita tenaciter apprehendit, vt exoluere ipsam eo viuo nulla vis sufficiat, nisi extra aquæ marginem paulatim glomerato funiculo extrahatur. Viso enim aeris fulgore, statim prædam deserit. Prẹda igitur iam circa aquę marginem euecta, in mare saltat piscatorum copia tanta, quanta ad prędam sufficiat sustinendam, donec è naui comites eam apprehendant. Prẹda in nauim tracta, funiculi tantum soluunt, quantum satis est venatori vt ad locum suę sedis intra aquam redeat, ibiq; de prẹda ipsa per alium funiculum escas ei demittunt. Piscem incolę Gaicanum, nostri Reuersum appellãt, quod versus venetur. Quatuor testudines (Calandras pręgrandes iiij. Columbus) eo modo captas, quę nauiculam illis ferè implebant, nostris dono dant. Cibus est enim apud eos non illautus. Hæc ille. Huius piscis, (inquit Christ. Columbus) forma est nobis incognita: & nisi grãdiusculum caput habet, instar anguillæ formetur. capite gestat pelliculam quandam, ad similitudinem crumenę alicuius, & reliqua similiter.

DE ALIO PISCE INDICO EIVSDEM NATVRÆ, SED FORma diuersa, quem Rondeletius describit, & similiter REVERSVM nominat, nescio ex quo authore.

A Mirabilis est piscis, quem Indi reuersum vocant.

D E Eodem quo elephas ingenio esse videtur. nam facilè cicuratur, docilis est, & loquẽtes intelligere videtur, adeò vt Indi cum eo piscari soleant. Piscis est palmi magnitudine, squamis rugosis contectus: spinis acutissimis, & maximè in dorso, munitus est, & ab vmbilico ad caudam, quib. pisces etiam maximos ferit, & veluti affixis hamis retinet atq; trahit. Hunc cum aliis captum seruant & cicurant, vt eo posteà phocas, tiburones, manatos venentur, aliosq; huiusmodi pisces, qui ideo quod pulmonibus spirent, in summa aqua sæpius natant. Funiculis igitur alligant, annexis aliquot suberis frustis: blandisque verbis hortantur & incitant, vt magno animo in fortiores & meliores impetum faciant, atq; ad litus cogant. tũ in mare iniectum natare sinunt, atq; cum prẹda reuersum laudant, & gratias agunt: perinde ac si piscis ratione prẹditus & in eos beneficus, monitus atq; hortationes audiat, cum ipse αὐτοδίδακτος & solutus idem faciat, quemadmodum alij plurimi sunt, qui alios etiam feroces persequuntur, vt in singulorum historia sæpe dictum est.

Aiunt piscem hunc in cibis bonis haberi, quod neq; sicca sit nimiùm carne, neq; glutinosa.

F Gellisci, γυλλίσκοι, pisces quidam, Hesychius & Varinus. γύλιος (sicut & γρύλλος) porcus est, vnde fortè γυλλίσκος diminutiuum, porcellus. vt hys etiam & hysca, de pisce, eadem significatione.

DE AQVATILIBVS ANIMALIVM, QVORVM NOMINA INITIO ASPIRANTVR.

HAbramis. vide Abramis.

Halec, genus liquoris: gari fæx aut vitium: garum imperfectum. vide supra in Alec, & in Garo.

Halecvla pro pisciculo vili & sale inueterari solito. Vide ibidem. Si bos cibum non appetat, proderit fauces allio tunso, & hallecula (*malim per l. simplex*) linire, Columella.

Halesvrion Rondeletius inter aquatilia sibi ignota ponit. Hermolaus inquit quosdam pro Callionymo pisce accipere, nescio qua ratione. nam genitale marinum non temere Halesurion dicitur, vel potius Halosurion, quasi ἁλὸς οὐρά, id est marina cauda. Vegetius quoq; zoophytis quibusdam marinis caudam adnumerat. Vide in Pudendo marino, Elemento P.

Haliplevmon in Pulmone marino tradetur.

Hamia & Hamio à quibusdam imperitè pro Amia scribitur.

DE HARENGO, RONDELETIVS.

A HArengi nomen barbarum est: neq; vlla est, quod sciam, huius appellatio siue Latina siue Gręca. sunt qui non rectè halecem vocent. Quid autem sit halec vel alex suprà declarauimus. In penurie igitur Gręci Latiniq; nominis, notissimo & vulgatissimo vtemur.

B Harengus ex thrissarum est genere, qui in Oceano tantum reperitur, minoribus thrissis, & sardinis maioribus planè similis, dorso cæruleo, ventre albo & falcato, squamis acutis & tenacius hærentibus munito alosæ modo, reliquis facilè deciduis. Inferiores (*Interiores*) partes alosæ similes habet.

C Aqua viuit. Gregalis est piscis.

E Tam magni sunt aliquando harengorum greges, vt prę multitudine capi non possint. Sed post autumni ęquinoctium in acies se diuidunt, locaq; mutant, & gregatim per Oceanum vagantur. Quo fit vt multi simul capiantur.

Icon Harengi partim ad Rondeletii, partim ad Bellonii iconem expressa est.



Con-

Condiuntur, & in muria seruantur. Alios modicè salitos suspensosque in fumo exiccant. Illos harengos albos, hos nigros Gallicè sorez appellant: siue harengos nocturnos, vel à nigrore, vel quia quæ noctu fit captura felicior, & iis diutius seruandis accommodatior meliorque iudicatur. F A

Citissimè extra aquam moriuntur, ob magnam branchiarum scissuram. C

Pingui sunt & molli carne. Tam sunt alosis paruis thrattisque paruis similes, vt eas in craticula coctas, butyroque immersas Normanis apponi iubens, eis imposuerim, credentibus harengos esse: adeò figura, sapore, spinis similes sunt, vt vix discerni queant, nisi à diligenter animaduertentibus. Sunt tamen harengi dorso spissiore, maculisque carent, quas alosæ paruæ habent. F B

Quare vehementer errat, qui mediterraneo mari harengos nasci asserit, seque Romæ vidisse in foro: nam formæ similitudine decipitur. Qui enim harengi specie, non solùm Romæ, sed etiam Massiliæ & Venetiis videntur, harengi non sunt, sed thrattæ paruæ, harengis & sardinis adeò similes, vt eas pro harengis facilè accipiant etiam Galli, quibus hi notissimi sunt. Sed his notis distinguuntur. Thrattis & alosis spinæ multò asperiores ventrem firmant, harengis minus asperę: quam ob causam si paulo diutius asseruentur, disrupto ventre intestina procidunt. Præterea spinæ in his tenuiores, & edendo minus molestæ, in alosis & thrattis & chalcidibus multo molestiores. A.

Contra Bellonium, quod non capiantur in Mediterraneo mari, & qui à thrattis vel thrissis (ipse enim eosdem putat, nos in Alausa distinximus) & chalcidib. differant.

Bellonii de Harengo scripta in Chalcide supra posui.

COROLLARIVM.

A Belgæ Menapii & Germani aleces vocant pisces quosdam sale inueteratos, harengas dictas, clupeis similes, Massarius. Gaza mænas diuersos pisces ex Aristotele aleces interpretatur. Author de naturis rerum, & Isidorus, deinde Albertus & imperita posteritas barbaros authores secuta, alec vel allec pro harengo dixerunt. nos Germanicum nomen ad Latinitatem deflexum vsurpare malumus, quàm antiquo alecis nomine longè aliud significante, (vt in A. elemento, & in Garo copiosè docuimus,) abuti. Germani plerique *Hering* scribũt & efferunt, e. obscuro, & ad a. vel æ accedente: Flandri *Harinck*. Galli aspiratione, vt sæpe solent, omissa, per a. vn areng. Vnde Latinum vocabulum aliter formant, aspiratione vel addita vel omissa & secunda syllaba per e. vel per i. scripta: terminatione verò alii masculina, alii fœminina arenga, aringa, Haringa, Arengus, Harengus. Ego quoniam Germanicam dictionem esse agnosco, & Gallos quoque à Germanis accepisse, Haringus vel Heringus scribendum putarim, vt & genus masculinum, quo Germani proferunt, seruetur, & orthographia reliqua magis suam originem fateatur. Arengam Iouianus Pontanus dixit in libro de libert. vt quidam citat: Vnusquisque suam manibus contrectat arengam. Ego hunc Iouiani librum inter opera eius nõ reperio: neq; in libro de liberalitate, qui extat, hunc versum. Harengi Bellonio videntur dicti ab ordinibus, quibus in doliis conduntur. rengus enim Gallis est ordo: ad quam vocem accedunt nostræ *ein rey, ein ranck*. Ego potius à Græco ταρῖχος deduxerim, quod salsamẽtum significat: t in spiritum conuerso, vt haringus quasi harichos, id est tarichos appelletur. nullum enim salsamenti genus vsitatius per omnem Germaniam reperias. quamuis autem propriè ταρῖχη partes ipsæ piscium maiorum concisorum salsę & inueteratæ nominantur, tamen ipsos quoque minores pisces inueteratos eodem nomine venire, in Salsamentorum mentione ostendemus. Haringa piscis ex Cimbricis ac Daciæ & Noruegiæ Borussiæque littoribus (*quæ omnia ad Germaniam pertinent*) vasis inclusus & sale conditus: aut sale fumoque inueteratus, tum haringa passa, Germanicè *Bückling* (*nostri Bücking nominant, Saxones Bückling*) appellatus, cratibus aut sportulis impositus ad nos perfertur, Ioannes Langius. Arenga passa seu infumata, Germanicè *ein Bücking, oder Bückling*. Aliqui ruscupam nescio quo idiomate appellant. Arenga muriata, *ein Pickelhering, ein Rotchering*. Arenga macerata, *ein gevvesserten Hering, ein Bratering*, Ge. Fabricius. Illyricum vel Polonicum eius nomen est Sledz, vel Sliedz. Infumati verò, Platanii Sliedz. Sigismundus Gelenius in Lexico symphono Germanicum nomen à Gręco ἄρεξ deducit, quod ego hoc tempore apud nullum authorem inuenio. Et rursus hæc quatuor inter se componit, Haraca Latinum, *Haring* Germanicum, ἀραχὶ Græcum, Herynk Illyricum vel Bohemicum. Bellonius Sarachum nominari docet ab Epirotis seu Albanensibus hodie piscem qui Agonus Mediolani dicitur. Anglis harengus dicitur *an Heryng*, vel *an Hearyng*: alii geminato *Herryng*. Infumatus verò *a redde Heryng*, à colore rubeo. Qui piscem hunc Anglicè adultum duntaxat *Hering* vocant: paruulum adhuc, *Sprat*: mediocrem, *Pylcherd*, falluntur. non enim ętate tãtum hi pisces differunt, sed prorsus diuersa sunt genera, vt Ioannes Caius nos admonuit.

Alec piscis est perparuus in occiduo mari, quod mediterraneum est inter maiorem Britanniam & Germaniam, Author de nat. rerum. Longus est palmum, (*dodrantem. ad nos quidem vix vnquam longiores, dodrante cum tribus digitis vehuntur*) maximè abundans in Oceano circa Galliam, Angliam, Germaniam & Daciam, Albertus. *Heringsee* Oceani partem vel sinum nominant Germani, ex quo harengi capti copiosè ad nos mittuntur. Harenga longitudinis est pedalis aut spithames, obesus pisciculus, Io. Langius. Harengades Massiliæ dicti pisces, paruis alosis similes sunt: vide in Apua membrade Rondeletii. Lacus Suerinum alluens, non procul Oceano Germanico, gignit inter cęteros pisces halecem, (harengum,) & Murenas vulgo Germanicè dictas (*Marenen*) haleci (harengo) similes, sed aliquanto minores, argenteis squamis, carne dura & friabili, Simon Paulus Suerinensis. Est & *Murte* pisciculus quidam vilis in Noruegia, magnitudine harengi. Oculi harengorum nocte lucent instar luminis: quę vis cum ipso pisce emoritur, Author de nat. rerum. Audio harengos recens captos per aliquot etiam dies posteà à noctu relucere. item noctu gregatim natantes, ventribus versus summum ęquor obuersis, tantum de se (*quamis nimium, sed maximè circa oculos, vt audio*) splendorem emittere, vt mare fulgurare videatur. Itaque noctibus etiam facilè ex splendore à piscatoribus deprehenduntur. Agmen huiusmodi harengorum densissimè natantium Angli vocant *a Scul*. Piscis est squamosus, nec aliud intestinum habet quam ieiunum, Albertus. B

Mm Fertur

C Fertur halecem ex puro aquæ elemento viuere, ſicut ſalamandram ex igne, Obſcurus. Omnium ferè piſcium ſolus aqua viuit tantum, nec niſi in aqua viuere poteſt. Nam ſtatim vt aeris ſerena contigerit, expirat: nec vlla mora eſt inter contactum aeris & expirationem, Author de nat rerum. Inteſtinum ieiunum duntaxat habet: & ideo in ventre eius nihil inuenitur: propter quod quidam falsò dixerunt, harengum ſolo & ſimplici elemento viuere: quod nos alibi falſum eſſe oſtendimus, Albertus. Litoralis eſt, & ſemel parit autumno, (circa æquinoctiũ autumnale,) Idem. Harengi ſimiles ſunt thriſſis, ſed minores, nec in dulces aquas aſcendunt. Cardan.

D Acus piſcis (*der Hornfiſch*) perſequitur harengos, & perquam damnoſus eſt piſcatoribus, vt audio: ego de gladio piſce id potius dixerim. Belluæ marinæ ſæpius capiuntur, dum perſequuntur harengos, & in litus impingunt vadoſius, quàm vt inde redire valeant. Albertus.

E Agmina horum piſcium noctu ex ſplendore deprehendi à piſcatoribus, dictum eſt ſupra in B. Dum in grege toto natat, capi præ multitudine non poteſt. Cum autem poſt æquinoctium autumnale acies ſe diuidunt, capiuntur: tumque aliquando in magnis & multis ſagenis colliguntur, adeò vt funes retium incidi oporteat, eò quod trahi retia non poſſunt, Albertus. Vbicunque ſuper aquas in mari lumen vident, gregatim adnatant. Et hoc actutum (*hoc eſtu*) ad retia dictis, (*certis, nempe autumno*) tẽporibus alliciuntur, quaſi parati ad capiendum diuino munere in vſus hominum deducantur. Hybernis autem temporibus ſecreti mari vſque ad tempus debitum abſconduntur, & hoc circa Germaniam, Author de nat. rerum. Iuſtinus Goblerus vir iuriſconſultiſſimus capturæ harengorum veterem quandam & veram mappam ad Sebaſtianum Munſterum pro illuſtranda ſua coſmographia miſerat ſuperioribus annis: quam à morte Munſteri non apparere doleo. Certi ſunt piſcatores ad Oceani litora inferioris Germaniæ, quibus ſolis hos piſces piſcari permiſſum eſt. Ex iis ſi quis diem obeat, relicta eius vidua niſi intra triduum alteri nupſerit, ius ſuum harengos intra deſtinatum ei ſpatium (*das Fach*) capiendi amittit, vt audio. Capiuntur interdum vno tractu innumeri. Mirum hoc: cum quidam à vidua, quæ maritum nuperrimè amiſerat, iactum vnum trecentis florenis emiſſet, ſperans ſe plurimum lucri facturum, quoniam plerunque ſemper ingens eorum copia pariter irretitur: eo iactu tribus tantum piſcibus captis miſer longè fruſtratus eſt. Sed admirabilius quod fertur de Terra ſancta Oceani Germanici inſula, circa annum Virginei partus M. D. XXX. ex captura harengorum bis mille homines vitam ſuſtinuiſſe: & cum aliquando per petulantiam harengum virgis cecidiſſent, adeò imminuti ſunt piſces, vt hoc tẽpore (annis poſt XXIV.) vix centum homines ex eo quæſtu viuant, quod Hubertus Lagnetus, vir doctus & fide dignus, Ge. Fabricio noſtro retulit. Harengorum copia in Oceano incredibilis eſt, vt ad C C. millia coronatorum in ſingulos annos capturæ precium aſcendat, ſæpe etiam multò amplius. Card.

Figuram hanc, quã olim Haringam inueteratam repræſentauimus, non omittendam duxi.



Harengorum capita plura filo conſerta, pone inter ſtramina lecti, & fugabis cimices, Andreas Furnerius. *He inglack* Germani vocant muriam columbarum. Eſcam columbarum quo multas alias venentur è radice carlinæ conficiunt hac ratione: Radici adlungunt lutum aduſtum de clinabo, mel, vrinam, muriamque qua harengæ conditæ fuerint: & maſſam inde formatam columbariis imponunt, Hieronymus Tragus interprete Dauide Kybero. Pinguedine harengæ plurimum vtuntur ad corium ſutores, Adamus Lonicerus.

F Piſcis eſt ſapidus, Albertus. Ex Cimbricis litoribus Aringhæ pedales piſces, in cratibus, ſale ac fumo inueterati nobis afferuntur, Ionius. Aringarum muria conditarum eſu crudo ſuperior Germania abhorret, qui tamen proximis Oceano & mediterraneis Germaniæ populis, æquè diuitum ac pauperum menſis expetitur: & à Liuonibus ac Rutenis vna cum muria voratur: ac quantò putridior eſt, tanto magis appetitur ac probatur, Cornarius. Harengus ad cibum vel recens vſurpatur: vel paſſus infumatuſque elixandus: vel muriatus, vel maceratus aqua recenti. Halece ſalito crudo cum aceto &

aceto & cæpe, nihil vel meo ſtomacho gratius eſt, Ioachimus Vadianus. Harẽgus etiam, vt vnumquodque ferè genus piſcium marinorum habet tempus ſuum, in quo ſolo ſit bonus, ſcilicet ab Auguſto vſq; ad Decembrem. Cum recens captus fuerit, delicatiorem cibum præbet, ſalſus autem in vſum hominum diutius quam alii piſces ſanus durare poteſt, Author de nat. rerum. Inter marinos piſces præcipuè laudantur Rogetus & Gornatus, ſiue Gornus. poſt hos Plagitia (Paſſer) & Solea: aut potius Merlangus: minus ſcilicet craſſus & viſcoſus Paſſere & Solea, ſatis friabilis. ſed conſideratis ſapore, odore, colore & ſubſtantiæ puritate & nobilitate, minus bonus eſt Rogeto & Gornato. quod de Alece quoque ſimiliter accipi debet, Arnoldus Villanouanus. Harengi piſces ſunt ſuaues, ſimiles thriſſis, Cardanus. Et rurſus,

10 Sunt hi, & Sardoni, ac Celerini ex eodem genere: ſed harengi ſapore cæteris præſtant. G

Veſicas harengorum, noſtri animas eorum appellant. has equis in cibo vel potu dant, vt impeditum lotium promoveant: & ſimiliter hominibus, his quidem circiter nouem numero. Muria exiſtis piſcibus ad quid prodeſſe queat, lege ſuprà in Garo, elemento G. Pinguedo harengæ exulceratam cutem pectoris ſanat, & morſis à ſerpente medetur, Adamus Lonicerus: ineptè. aliter enim Plinius. Alece (liquore, non piſce) ſcabies pectoris ſanatur, &c.

Inferiores Germani prouerbiis quibusdam ab hoc piſce ſumptis vtuntur: quale eſt: Mittetur pro harengis recentib. *Man vvirdt jn nach gruenen hering ſchicken.* Sic Latini Mittere in aquam, pro auferre è medio. H.h. *Proverbia.*

Heledona. Vide in Polypis.

Helops. Lege Elops.

Hemerocoetvs piſcis nomen eſt, vt indicat Suidas: Phoca, vt opinatur Eraſmus. Olim vulgari ioco ἡμεροκοίτους fures dicti videntur. Sic enim Heſiodus: Μή ποτε' ἡμεροκοίτου ἀνὴρ δόσ' ἄλγεα πολλά. Sed 20 Oppianus callionymum piſcem ἡμεροκοίτην nominat, quod interdiu in arena dormiat, &c.

Heminervs, Ἡ μίνηρ. quære in Coracino.

DE HEPATE DEIECTAMENTO MARINO, BELLONIVS.

NOn ſolum per mare diſcurrit ac diuagatur Hepar, verumetiam algarum profundo implicitum perſæpe reperitur: vnde Propontidis piſcatores, quoties ſagenas in mare demiſerunt, Hepar ſolent ad litus cum algis attrahere: quumque vile prorſus deiectamentum ſit, hepati cocto (vt omnino hepatis lobum referant) perſimile, fœtidum, fragile, rubrum, poroſum, ob id tanquam inutile reſpuunt. vomitiones enim comeſtum excitat, aut ſaltem nauſeas.

30

DE HEPATO PISCE, BELLONIVS.

Hepatis color ac magnitudo Hepato piſci nomen dedit Græcis ac Latinis. vocatur etiam à colore A rutilo & ſubobſcuro ἡπατίας. Vulgus Venetorum Sachetum, vt etiam Canadellam, (*cur ſuprà locum dederim in C. mox poſt Channam*) indifferenti nomine appellat: ſolo enim colore (qui paulò magis in Hepato fuſcus eſt) inter ſe differunt.

Eius dentes obtuſiores ſunt quam Phycidis, & pectinatim coeunt, vt in Cinædo: ſquamis integitur B aſperis, colore cum Phagro aut Erythrino ſimili.

Calamis vt plurimum decipi ſolet: rarò enim euerriculis capitur. E

Huic piſci Galenus carnem inter duritiem ac mollitiem mediocrem eſſe docet. F.

40 Saxatilis eſt, vt Diocles prodidit, & in cauernis latitat in alto mari. C.

Calculos in capite gerit vt Saxatiles omnes. B

DE HEPATO (ALIO QVAM BELLONII,) RONDELETIVS.

50



60

Hepatus ſimilis eſt pagro & erythrino, inquit Speuſippus. Ἡ πατὼ, ἡ ἡπατία Græcis dicitur. Gaza verbum è verbo exprimens iecorinum interpretatus eſt. Hermolaus modò iecur marinum, modo hepatum appellat. Huius piſcis nullum vulgare nomen, neque in Gallia, neque in Hiſpania, neque in Italia po-

tui à piscatoribus extorquere, à solis Græcis huius temporis didici σείπυρὸν hodie vocari: cæteri omnes anonymum esse dicunt ob raritatem, & pro mæna vendunt, à quo tamen plurimum oculorum magnitudine, corporis latitudine, colore differt.

B Hepatus piscis est pagro similis, oculis maioribus quàm pro ratione corporis, vt melanurus, colore obscuro, seu ex cæruleo nigrescente, pinnarum numero, situ aculeisque pagro similis, latiore, maioreque cauda: nigram in ea maculam habet, melanuri modo: ad quem (*quam*) alluditis, qui apud Athenęum dicit se bilem non habere, vt nec hepatus habet, seque ex iis esse, qui μελανόπυγοι (μελάμπυγοι) sunt. Dentes non latos, sed rotundos, acutos, serratos. ventriculum magnum cum appendicibus quatuor, intestina tenuia, hepar album sine felle, cor angulatum, branchias quaternas vtrinq;, in cerebro lapides duos. *Lib. 5.*

A Hunc piscem, quem proponimus, veterum hepatum esse, notis omnibus diu multumque consideratis, & cum aliis frequenter collatis, mihi ipse persuadeo, & æquos rerum æstimatores mihi assentiri cogunt notæ omnes, hepato à veteribus tributæ: quarum nulla omnino huic nostro pisci repugnat. Primum pagro similis est, deinde colore est nigro, postremo sine felle: quæ tres præcipuè sunt hepati notæ. Quas ne comminisci videamur, audiamus Athenæum de hepato loquentem: Diocles hunc ex saxatilibus esse dicit, Speusippus autem similem pagro hepatum. est autem solitarius, vt ait Aristoteles. carne vescitur, serratis est dentibus, καρχαρόδους (*Vuottonius nescio qua ratione dubitat an legendum sit* καυλιόδους:) colore nigro, oculis, habita totius ratione, maioribus, cor trigonum, album. Et alio in loco Athenæus ex Archilocho scribit eum felle carere: ex Hegesandro duos lapides in capite habere. Huc accedit, quod paucas ventriculi (*supernè circa ventriculum*) appendices tribuit Aristoteles, sicuti in hoc quatuor tantum inuenimus, vt priùs est dictum. Quod solitarius sit, id ipsimet piscatores fatebuntur, qui & raro vel potius nunquam multos simul capiunt. Quod carniuorus, ostendunt ea quæ in ventre & intestinis reperiuntur. Dentibus esse serratis, colore nigro, oculis maioribus αὐτοψία ipsa docet. Quòd cor angulatum habeat, hoc illi cum multis commune est. Quum verò album esse dicit, mendum subesse opinor. Cùm enim in corde maximè abundet, & perfectius coquatur sanguis, ne in candidissimis quidem piscibus, album esse potest, nisi partem supremam cordis accipias, quam αὐλὸν φλεβονευρώδη vocat Aristoteles, de qua fusius libro tertio. quare legendum esse puto ἧπαρ λευκόν. huic enim pisci hepar est huiusmodi, vt prius diximus.

Verum se dare hepatum. *Libro 7.* *Libro 3.* *Lib. 2. de hist. anim. cap. 17.* *Cap. 14.*

Sed argutus quispiam fortasse hic obstrepet, & nos nostro iugulabit gladio. Cùm enim, dicet, in hepate sanguinis sit officina, cur non rubrum erit, vt cor, vel quî candidum dici poterit? Animaduertendum est hepar in piscibus nonnullis, vt in mustella marina, in asellis, & aliis multis album ab autoribus dici, non certè quòd de candore, cum niue possit contendere: sed quòd cum aliorum piscium, vel animantium hepate collatum, candidum dici possit, & vt magis exprimamus ex rubro albescat. qui enim branchiis spirant, minusque calidi sunt, sanguinem magis pituitosum & magis album gignunt, non aliter quàm qui anasarca laborant, quod pituitam pro sanguine gignant, candidiores fiunt. Quare in istis hepar minus rubescit. Cor verò multò calidius sanguinem coquit, perficit, rubrumque efficit: splen verò quia sanguinem atrum trahit, non potest non rubere quouis sanguine cum atro permisto. Hæc omnia me impulerunt, vt apud Athenæum legendum putem καρδίαν τρίγωνον, ἧπαρ λευκόν. *Hepatis color.*

Sunt qui piscem eum qui Lutetiæ egresin vulgò dicitur, hepatum esse arbitrétur, ob id fortasse quod magno & delicato sit hepate. Sed hoc falsum esse multa coarguunt: nihil enim illi est cum pagro seu erythrino commune. Præterea nigro colore non est, vt hepatus: denique notis ferè nullis hepato similis est qui egresin dicitur: quis verò is sit, suo loco ostendi. *Piscem vulgò Egresin dictũ non esse hepatum.*

Aelianus vno loco iecorini meminit quem si ἥπατοι Græcè vocat (penuria enim codicis Greci facit, vt dubitem) certè is hepatus non est, quem ex Aristotelis & Athenæi sententia exhibemus: scribit enim citante Petro Gyllio iecorinum mustellæ similem esse, quę ab hepato nostro plusquam δὶς διὰ πασῶν distat. Alio loco ait in specubus (ἐν τοῖς μυχοῖς τῆς θαλάττης) abditos latere maris incolas oues, & hepatos, & à piscatoribus prépontes nominari solitos. ii quidem quanquam maximi videantur, tamen ad natandum segnes sunt. non enim à suis latibulis longè aberrant. imò verò circum ea ipsa semper volutantur, infirmioribus piscibus adnatantibus insidias faciunt. Et Oppianus libro 1. πετραῖον καὶ ἥπατον in fundo & saxis cauis delitescere scripsit. Sit ne is hepatus noster, non facilè est iudicare: nullas enim notas appingunt, quibus internoscatur. *Hepatus Aeliani alius. Nos eius verba Græcam Corollario da limus. Lib. 9. cap. 38.*

Diocles apud Athenæum saxatilem facit. verùm saxatilis propriè non est, vt saxatiles pisces appellant Medici, qui sunt omnium optimi, carne molli & friabili. Hic autem quia carniuorus est, duriore F est carne. Rectè igitur dicemus cum Galeno hepatum in medio esse piscium duræ carnis & mollis: quẽadmodum auratam, pagrum, vmbram & alios huiusmodi. Pręparatur vt pagrus vel aurata. *Autumno vilescit, vt author est Xenocrates, Vuottonius.* *An hepatus saxatilis sit.* *Lib. 3. de alim. facul.*

COROLLARIVM.

Piscis cuius iconem adiecimus, Venetiis depictus est. Hunc primum hepatum esse coniiciebam, A quoniam à Venetis Figo nominatur: & Italicè iecur quoque figato, quasi ficatum, id est συκωτόν: (fortè quòd non minus sapidus sit hic piscis, quàm animantis alicuius ficubus pastæ, vt anseris aut suis iecur. Ἔξεστι δὲ εἰπεῖν ἥπατα σεσυκασμένα, ἥπατα συῶν σεσυκωμένων, ἢ χηνῶν σεσυκασμένων, ἢ χηνείων ἡπάτων, Pollux:) & figura hepati à Rondeletio posita ad hanc proximè accedere videbatur, color etiam nigricans conueniebat. Sed cum nuper hac iter faceret Bellonius, admonuit, me, piscem hunc potius esse Callichthyn suum (Rondeletius Stromateum facit:) quanquam non sint eidem colores & maculæ: idque animaduerti cum ex figura eius, tum quòd, vt dicebat, & in Callichthye etiam scribit, solus hic piscium pinnis sub ventre careat, nec aliam parte supina habeat, quàm quæ ab ano est. Rotundior etiam apparet, magisque rhomboides, quàm Hepatus Rondeletii, à quo & capitis figura multum differt, & quòd squamis careat, vt pictura ostendit, cum ille squammosus sit. Superior corporis pars magis fusca est, in summo subcærulea: inferior ex cinereo albicat (sicut & cauda quam gerit lunatam) perbreuibus etiam lineis candicantibus aliquot parallelis distincta. Venetiis, vt dixi, vulgare ei nomen est figo, vel etiam Truellia. à Græcis vulgò Gondaria vocatur, vt audio: & à Lusitanis Pampano. Bellonius etiam glaucum suum (qui piscis est Vmbræ cognatus,) Fegaro nominari scribit à Genuensibus, ei quoque forsan à iecore nomine posito. Nicea non procul à Varo amne in Ligustico littore sita, piscem vocat Figon, quem nostræ ætatis Græci Myllocopion appellant. Oppianus & Plinius inter pisces numerant Myllon, quem Oppiani commentaria eum interpretantur, quem vulgo nominant Græci Myllocopion. Hunc Massiliæ videre non potui, an sit iecorinus, an myllus, an alius, certi nihil habeo, Pet. Gillius.



Hepar pro pisce legitur apud Plinium in Catalogo, qui est ad finem libri XXXII. à Græcis semper tribus syllabis Hepatus, Ἥπατος, nominatur: quanquam & Kiranidæ, interprete Cremonensi, hepar dicitur. Hepatus aliter lebias dicitur, λεβίας, apud Athenæum libro 7. scribitur autem λεβίας ea terminatione & accentu, qua αἰνθίας, Αἰνείας: non λεβιὰς oxytonum, vt alibi reperitur, librariorum vitio: neque λέβιος, vt λόγος. Saperdæ, lebiæ & coliæ ab Aristophane in Holcadibus nominantur: myllus, lebias, sparus, à Mnesimacho comico, Athenæus. Plura de lebia vel lebiano, fluuiatili lacustriue pisce, scripsimus supra in Delcano. *Lebias.*

De Hepato Bellonii plura lege supra in Corollario ad Chanadellam, pagina 221. vbi etiam figura posita est.

Eos qui piscem vulgo Egresin vel Eglesin Lutetiæ dictum, hepatum arbitrantur, redarguit Rondeletius. Nos huius piscis iconem & historiam, ex Rondeletio ac Bellonio dedimus supra inter Asellos, pag. 86.

Rondeletii hepatum circumscribemus Germanicè, *ein Meerbrachsmen art mit einem schwartzen flecken am schwantz, wie auch der* Melanurus. Bellonii verò, *ein Meerbersich art*, sicut & channam & channadellam. Aeliani vero, *ein Meertreuschen art*, hoc est Mustelæ marinę cognatum piscem. Sic enim scribit Aelianus libro 15. cap. 11. Εἴη δ᾽ ἂν καὶ ἰχθὺς γαλῆ μικρὸς οὗτος, καὶ οὐδὲν τι κοινὸν πρὸς τοὺς καλουμένους γαλεοὺς ἔχων. οἱ μὲν γάρ εἰσι σελάχιοι καὶ πελάγιοι, καὶ μέγεθος προήκοντες: εἶτα μέντοι καὶ κυσὶ ἐοίκασιν. ἡ γαλῆ δὲ, φαίην ἂν αὐτὴν εἶναι τὸν καλούμενον ἥπατον. ἰχθὺς δέ ἐστιν αὕτη βραχὺς, καὶ τὼ ὀφθαλμὼ ἐπιμέμυκε. κόρας δὲ ἔχει κυανοῦ χρόας προσεικασθείσας. καὶ τὸ μὲν γένειον ἔχει τοῦ ἡπάτου μεῖζον: ἡττᾶται δ᾽ αὖ πάλιν τοῦ χρέμητος κατά γε τοῦτο. Hoc est: Est & paruus piscis Mustela nomine, qui nullam cum Mustelo dicto pisce communitatem habet. hic enim cartilagineus est, & pelagius, & magnitudine præstans, simul & Caniculæ piscis speciem similitudinemque gerit. Mustelam verò diceres esse Iecorinum. nam piscis est breuis, & oculis conniuentibus. Pupillæ oculorum ad cyaneum colorem accedunt. Eius barba quàm Iecorini maior est, & minor quàm Chremetis. Quærendum an Ophidion Rondeletii, Gryllus marinus Bellonii (de quibus scriptum est supra, paginis 91. & 92. inter Asellos, & nonnihil pag. 96.) idem sit piscis qui Hepatus Aeliani. nam & piscis galia alicubi in Italia vocatur, à similitudine mustelæ, quæ γαλῆ vel γαλέα est.

Hepatis & erythrinis similes pagri sunt, rostro duntaxat breuiore, Athenæus. Apud eundem Aristoteles, Speusippus in secundo Similium, & Dorion pisces similes esse dicunt phagrum, erythrinum, & B hepatum. Hepar piscis molle, pigrum (fortè pingue) & magnum iecur habet, Kiranides. Item fel eius cum melicrato potum hepaticos sanare tradit, cum Athenæus fellis prorsus expertem eum faciat. nam libro 3. sic scribit: Hepatum piscem Eubulus in Laconibus ait carere felle, his verbis: Οὐκ ᾤου δέ με χολὴν ἔχειν, ὡς δ᾽ ἡπάτῳ μοι διελέγου. ἐγὼ δὲ γ᾽ εἰμὶ τῶν μελαμπύγων ἔτι. id est: Rebaris carere bili me, nec mecum aliter quàm cum hepato pisce loquebaris: Ego verò nondum melampygus esse desij. Quasi diceret, Mitionem me putabas, qui adhuc sum Demea. Vide in Melanuro H. Hegesander etiam hepatum in capite duos lapides habere ait, colore splendoreque ostreis similes, figura autem rhombi.

Καὶ λεβίαν λαβεῖν δ᾽ ὀχετοῦ ἥπατον (Malim, Καὶ λεβίαν λαβὲ, ὃν φασιν ἥπατον, ἐν περικλύστῳ Δήλῳ καὶ Τήνῳ, Archestratus. Vide supra in Corollario de Citharo F. ex Galeno. F

Fel eius (Aelianus fellis expertem facit) cum melicrato potum, hepaticos sanat. Hepar autem eius tritum, & emplastri modo impositum, omnem tumorem & podagram sanat. Capitis eius combusti & G triti cinis inspersus antiqua vlcera & depascentem carnem sanat, Idem.

HEPSETI pisciculi memorati sunt supra inter Apuas, Theodorus ex Aristotele pro hepsetis naricas transtulit. Hepseti pisciculi eiusdem generis sunt, cuius est cobitis, Athenæus. Ἕψητος, edulium quoddam ex paruis pisciculis, Eustathius. Ἑψητῶν λέπας (lege Ἑψητῶν λοπὰς) ἀπελές τι βρωμάτιον ἦν ὥσπερ καὶ (τριγλίαι,) Pollux 6.9. Ἀκάνθας ἐκλέγειν ἑψητῶν τε καὶ ἀθερινῶν, Minimorum pisciculorum spinas excerpere, &c. in eos qui scrupulosius & curiosius in rebus minutis versantur. Vide supra in Corollario de atherina, Ἀφύων τε καὶ ἑψητὸν ἐν τοῖς τλοις ἕνα Δ:ὰ δωδεκάτης ἑψόμενον ἡμέρας ἤδη, Eubulus.

HERACLOIDES pisces Albertus nominat ineptè, fossiles illos qui circa Heracleam Ponti eruuntur: de quibus in F. elemento diximus.

HERPILLA apud Athenæum libro 7. genus insecti marini longis pedibus præditi videtur, quo pisces inescare solebant, sicut & lumbricis. Τοῖσί κεν ἄρμενα πάντα, πεπλίσαιο δὲ μῦρα, Κέρυλον, ἢ πειρῖνα, ἢ εἰναλίην ἕρπιλλαι, Numenius. Cuius etiam paulo antè, verba hæc de escis piscium recitat: Ἠὲ καὶ ἕρπηλας (legerim ἑρπίλλας) δολιχήποδας, ὁππότε πέτραι Ἀμμώδεις κλύζονται ἐπ' ἄκρῃ κύματος ἀγνῇ, (fortè pro ἀγνῇ legendum ἀγῇ.) nam Apollonius lib. I. Argonaut. dixit ἀγὴν πολιήν, littus canum, vbi franguntur vndæ & expumant:) ἔνθεν ὀρυξάσθη, θέμεναί τ' εἰς ἄγγος ἀολλεῖς.

HESYCHI, Ἥσυχοι pisces nominantur ab Aeliano de animalibus libro 14. cap. 23. In Danubio (inquit) capiuntur multi & diuersi pisces: Coracini, Mylli, Antacæi, & nigri colore Cyprini, item Porci, & Hesychi albi, Percæ & Gladii. Quinam verò sint Hesychi illi, à Danubii in Pannonia & inferius accolis inquirendum fuerit, qui forsitan huius nominis vestigium aliquod sua retinent lingua: qua enim per Germaniam & Austriam rex ille fluuiorum descendit, neque piscem hunc, neque nomen extare suspicor.

HIATVLÆ nomen à Theodoro confictum est, quo aliâs pro Channa pisce vtitur, aliâs pro chama concha. Nos Græca retinere vocabula præstiterit, ne res diuersæ confundantur.

HICTAR minimus pisciculus. Vide in Ctara superius item in Atherinæ Corollario inter Apuas.

HIPPALECTRYON, HIPPIDION, HIPPVS, Piscium nomina. Vide supra in Equo.

DE HIPPOCAMPO, RONDELETIVS.

Icon hæc Venetiis facta est: Rondeletii melior erat, quoniam & pilos ab eminentibus singulis in capite & dorso partibus singulos ostendit, & pinnulam in extremo dorso.



A ἹΠΠΌΚΑΜΠΟΣ à Græcis dictus, apud Latinos idem nomen retinuit: compositum est ex dictione ἵππος, quæ equum significat, & κάμπη, quæ flexuram: nam ἱππ hic magnitudinem non significat, quemadmodum Marcellus Dioscoridis interpres arbitratus est, vt fusius postea demonstrabimus, sed figuræ & similitudinis nota est. Capite enim & iuba equum æmulatur: κάμπη vero vox addita, quia repando est corpore, & in arcum se curuante, præterea villoso, & incisuris multis distincto, quemadmodum quæ in arboribus & oleribus reperiuntur κάμπαι à Græcis dictæ, à Latinis Erucæ, à nonnullis Bruci, sed non sine errore. est enim Brucus aliud insecti genus. Ergo cùm Hippocampus Erucas maximè cauda referat, reliquo corpore equum, vt pictura exprimit, ἱππόκαμπος optimo iure vocatus est. Romani, Illyrici, Genuenses Chaual, Massilienses, & nostri Cheual & Cheualot vocant. Veneti Draconem. Nonnulli Gallum marinum. Qui nunc Græciam incolunt ἀσπίδα. Quidam Salamandram marinam.

B Hippocampus toto corpore incisuras habet. dodrantalem magnitudinem non superat, sæpe minor reperitur. Pollicis est crassitudine: rostrò oblongo, tubuli modo cauo sine scissura. ab inferiore eius parte operculum foramini opponitur, ad claudendum, vel demittitur ad aperiendum. Oculos habet rotundos, satis prominentes. In capitis vertice pili erecti sunt qui adeò tenues sunt, vt non in mortuis & exsiccatis, sed in viuentibus tantum Hippocampis, & natantibus appareant, quemadmodum & qui in reliquo sunt corpore. Toto capite, collo graciliore, ventre protuberante, equo valde similis est. Post oculos quo in loco in cæteris piscibus branchię esse solent, pinnulæ duæ auriculis similes sunt, maximè ob situm, vtrinque vnica. Branchiæ verò nullæ sunt, neque tectæ neq; detectæ, sed supra dictas pinnulas duo sunt foramina sursum spectantia. Sub ventre rimulas duas habet. Ex vna alui excrementa, ex altera oua foras emittuntur. Cauda reliquo corpore tenuior est, quadrata, cum exochis aculeatis. toto etiam est corpore similiter aculeato, veluti ex cartilagineis circulis compacto, ex quibus aculei extant, membranis intermediis, vt nulla caro appareat. Colore est fusco, punctis albis notato, ventre albicante. Ventriculum pro corporis ratione satis magnum habet, hepar rubrum, similiter oua rubra, cor exiguum. Caudam, quouis modo inflectas, & qualem viuo figuram tribueris, talem mortuus & exsiccatus seruat.

seruat. Est profectò & cognitu & aspectu pulcherrimus, iucundissimusque hic pisciculus, denique huiusmodi vt in eo Naturæ solertiam, atque Dei Optimi Max. summum artificium admireris. Ob id summi olim pictores artis peritiam in eo ostentarunt, tum ob difficultatem, tum ob elegantiam. Plinius de nobilitate operum & artificum loquens, Hippocampi meminit, Sed in maxima (ait) dignatione operum è marmore Scopę artificis, Cn. Domitij delubro, in Circo Flaminio Neptunus ipse, & Tethys, atque Achilles: Nereides supra Delphinos & Cete, & Hippocampos sedentes. Tritones, chorusque Phorci, Pristes, ac multa alia marina, eiusdem manus omnia, magnum & pręclarum opus, etiam si totius vitæ fuisset.

A Hæc est veri Hippocampi descriptio, quę vt certissima ab omnibus esse iudicetur, quæ ab alijs de eo literis prodita sunt refellemus. Primum in eo lapsus est Marcellus Dioscoridis interpres, quod voce ἱππο magnitudinem denotari scripsit in Hippocampo, vt in Hipposelino, Hippomarathro. eius verba sunt. Credimus olerum & plantarum erucas, quas Græci κάμπας dicunt, marino pisci à similitudine nomen dedisse. In locustarum enim genere Hippocampus à veteribus numeratur. Breuem paruumque piscem scriptor hic esse ait, & nihilominus magnitudinis nota ei coniuncta est. Quòd enim Græci multis in natura ἱππ adijciunt, grande significat, vt in Hipposelino, Hippomarathro, & Hippolapatho indicauimus. Sed id sic intelligendum est, vt hoc animal comparatum olerum aut plantarum erucis, grande sit: marinis verò beluis, aut piscibus, breue & paruum. Nec aliud hîc intelligi voluit dicens paruum esse animal, Hęc Marcellus. Primùm à nullo veterum Hippocampus in locustarum genere recensetur. nullus enim est apud veteres recentioresue Græcos aut Latinos scriptores locus, in quo non solum disertè id scriptum sit, sed ex quo vel leuissima coniectura, vel suspicio huius rei colligi possit. Deinde voculæ vnius significatione, & rei ipsius ignoratione, coactus est à Dioscoride dissentire, friuola quadam excusatione adhibita. Cum enim scribat Dioscorides Hippocampum θαλάσσιον εἶναι ζῶον μικρόν, id est marinum esse animal exiguum, tamen ob magnitudinis notam adiectam, ait breue esse animal cum beluis marinis collatum: cum olerum aut plantarum erucis, grande. Quid obstat quæso, quo minus ἵππος in compositionem nominum admittatur pro equo? an oportet verba rebus, an res verbis accommodari? Cum igitur Hippocampus corpore maximè equum referat, cauda erucam, cur non dicemus dictionem ex vtraque compositam, eaq; significari paruum animal, cum id disertè scribat Dioscorides, qui & viderat, & penitus nouerat?

Verum se Hippocampum descr. Contra Marcellum Vergilium. Lib. 2. cap. 3.

Anceps est hac de re Andreæ Matthioli sententia, qui in suis in Dioscoridem commentarijs duos Hippocampos descripsit. vnum ex locustarum genere, quod tamen veterum scriptorum nullus tradidit, vt iam diximus, & vt magis perspicuum fiet ex locis quos postea citabimus. Alterum verum, si modo veram eius picturam expressisset, ea enim in multis à naturali dissidet. Hanc de Hippocampo opinionem nec probat, nec improbat. Non dubito tamen quin si insecti huius naturam & vires, de quibus postea dicemus, penitus prospexisset expertusque fuisset, in meam sententiam discessionem faceret.

De Matthioli sententia ancipiti.

Multò magis ridiculè Hippocampum depinxit autor libri de aquatilibus. Cùm enim equinum caput & collum ei tribuisset, os ei equi modo rescissum, narium foramina addidit: collum verò, caudam, corpus reliquum tam absurdè pinxit vt monstrum potiùs aut commentitium quoddam animal exhibuerit, quam Hippocampum. Sed in his redarguendis prolixior esse nolò. De viribus Hippocampi dicamus.

Contra Belonii iconem.

G Hippocampi cremati cinis exceptus cum liquida pice, aut axungia, seu amaricino vnguento illitus, alopecias replet, ait Dioscorides. Ex quo hæc descripsit Galenus his verbis: Hippocampum animal marinum si totum vsseris, alopecijs prodesse à quibusdam proditum est, ipsumque videlicet desiccantis esse facultatis, & tenuium partium, aut certè eius cinerem, quem quidam vnguento amaricino commiscent, quidam pici liquidę, alij veteri adipi suillo. Plura tradit Plinius: Lèporis marini veneficium restingunt poti Hippocampi. Et alio in loco inter ea quæ lichenas & lepras tollunt, ponit Hippocampi & Delphini cinerem ex aqua illitum. Et Hippocampi necantur in rosaceo, vt perungantur ægri in frigidis febribus. Et ipsi adalligantur ægris.

Lib. 11. simpl. med. cap. 41. Lib. 32. cap. 5. Ibidem cap. 7. Ibid. cap. 10.

De Hippocampi ventre venenato solus Ælianus scripsit, hoc modo: Rei piscatoriæ bene periti homines dicunt Hippocampi ventrem in vino decoctum, si quis dederit cuipiam bibere, eum primo ex ea potione acerrimo singultu affici, deinde tussire, & sicca quidem tussi vehementer torqueri: etenim nihil excreare, sed & superiorem ei ventrem intumescere, & calidas fluxiones in summum caput efferri, & verò per nares rursus tenues & aquosas defluere, ac pisculentum odorem reddere. simul & oculos eius sanguine suffusos igneo colore flagrantes videri, & eorundem oculorum genas inflari: & vomendi quidem cupiditate ardere ferunt, verum nihil emittere. Quòd si natura etiam euicerit, (*vomitum promouerit,*) id tamen mortis esse signum, & hominem mox in obliuionem & dementiam incurrere. Sin in ventrem inferiorem delapsum fuerit, nihil horum iam fieri, omnino tamen hominem è vita excedere. Ex morte porrò qui euadunt, mente capti aquam summo studio persequuntur. Hanc enim ipsam idcirco expetunt aspicere, tum stillantem audire, quòd sanè eis ægritudinis leuationem afferat, & somnum conciliet. Itaque ad perennes fluuios, aut ad litora, aut iuges fontes, aut lacus, commorationes eis gratę sunt, cum tamen non magnopere desyderent bibere: sed & natare, & pedes aqua madefacere, & abluere manus eis plurimum iucunditatis affert. Sunt qui non hæc mala dicant huius bestiæ ventrem creare, sed Hippocampum algam peramaram, ex qua ita afficiatur, depasci. Hæc Ælianus de Hippocampi veneno, quo etiamsi hodie nulli vescantur, tamen solo ventre non alijs partibus venenatum crediderim, quod, vt alia animantia omittam, in alijs piscibus euenit. Draco siue Araneus spinis solis, Pastinaca solo radio, Iulides solo morsu venenũ infundunt, aliæ partes sine pernicie sunt edules. Quòd hanc venenati ventris causam quidam ad algam referunt, id non verè dicitur. neque enim alga vescitur Hippocampus, vt oris structura demonstrat, sed aqua tantum & luto. Neque alij multi pisces alga victitantes perniciosi sunt, sed quidam ex his optimi, vt scarus, atque saxatilum maior pars, quorum intestina non reijciuntur.

De venenato ventre Hippocampi, ex Æliano. Lib. 14. ca. 20.

(F)

(C)

De remedio ex eodem, aduersus Canis rab. morsum.

Vt ex Hippocampo venenum, ita ex eodem remedium docet Ælianus. Solertia, inquit veterani piscatoris, & ad res maritimas bene prudentis, salutaris etiã repertus est Hippocampus. is & Cretensis erat, & filios adolescentes piscatores etiam habebat. Accidit autem, vt hic piscator Hippocampos simul cum alijs pisciculis caperet, & adolescentes à rabida Canicula morderentur. Cum verò eorum in Methymna Cretica ad litus iacentium vicem dolentes spectatores, interficiendam caniculam censerent, & illius iecur medicamentum ad rabiem edendum iuuenibus dandum esse: alij consulerent à Diana salutem petendam esse, senex piscator eos de consilijs quæ adferrent, laudatos dimisit, & Hippocamporum diligẽter exenteratorum (ventriculo & intestinis abiectis) alios assos eis comedendos dedit, alios in acetum & mel contriuit, eoque cataplasmate morsus vlcera obligauit, atque filiorum adolescentiũ (excitato in ipsis per Hippocampos aquæ desiderio) rabiem vicit, eosque ad incolumitatem quanuis serò restituit. Hęc Ælianus de remedio aduersus canis rabidi morsum ex Hippocampo petito. Quod mihi cum ratione coniunctum esse videtur: Venenum enim veneno alio expugnatur, & sæpe, vt ait Ausonius, Bina venena iuuant. Quare cum ob canis rabidi morsum ὑδροφοβίᾳ ægri laborent, rectè malum hoc curatur Hippocamporum cibo qui ὑδροφιλίαν inducit. Ad pellendos vermes plurimum valere mihi indicauit Gręcus quidam si tosti sumendi dentur, cum aqua absinthij, vel portulacæ, vel vino.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Hippocampus nomen ab equo & eruca contraxit. Equinum enim caput & collum gerit; corpus autem erucæ. Plinius hippum, vt Oppianus vocauit, Athenæus hippidium. (*Coniectura hæc Bellonij est, sine autore. Videtur enim potius sui generis piscis esse hippus, vt & hippidium, siue idem cum illo, siue diuersus. Vide suprà in Equo pisce.*) Piscatores Veneti Faloppa, Massilienses & Genuenses Gaballum marinum.

B Digito crassior non euadit. estque ferè cornea cute contectus: nemini, imò neque ipsis quidem piscibus edulis: quibusdam locis nigrior, alijs autem candidior. Branchias ad latera habet, estque collo, vt equus, contorto. Pinnam in tergore latiusculam, alteram in latere vtrinque ad branchias exerit, aliam quoque modicam supra ceruicem: tubulum oblongum, in quo eius os situm est. Viuus in mari nõ est ita contractus, vt nobis iam siccus extra aquam apparet. Contrahit enim caudam in orbem cum moritur: quod etiam Chamælus (*Chamæleo*) facit. Spiculis in gyrum obtusis vallatur ac communitur. Caudam habet quadrangularem. Eius longitudo non excedit senos digitos. Iubam habet obtusis spiculis, vt equus crinibus, exornatam, atque aurium loco elata etiam spicula ostendit. Strias quoque in transuersum actas, quæ ab obtusis eius spiculis procedunt. Natura enim ad equum terrestrem alludens, caput, ceruicem, collum, thoracem ita affabre in hoc pisce ementita est, vt hæc omnia sibi inuicem respondeant.

G Hippocampi cinerem alopecias replere cum pice liquida aut axungia seu amaracino vnguento illitum, tostosque & assumptos lateris dolores sedare, & vrinæ continentiam cohibere authores tradunt. Hippocampi quoque in rosaceo enecati, frigidisque febribus illiti, aut etiam adalligati, multùm prodesse censentur.

COROLLARIVM.

A Καμπὴ oxytonum Græcis flexuram significat, vnde & gambæ, id est cruris nomen, Italis, & iambæ Gallis factum apparet. inde & hippocampo animalculo flexuoso, præcipuè cauda. Κάμπη verò paroxytonum erucam significat, genus vermis, quod & ipsum παρὰ τὸ κάμπτεσθαι, quod verbum flecti & incuruari significat, dictum est. imitatur autem hippocampus erucam, non modo corporis flexura in arcum se incuruante, sed etiam circulis quibus vt insecta distinguitur, & insuper villis. Siue igitur ab eruca, siue ab oxytono nomine flexionem significante, hippocampum aliquis alteram sui nominis partem habere dicat, nihil interest, modò orthographiæ & accentuum ratio habeatur. Campas (meliùs Hippocampos) marinos equos Græci à flexu posteriorum partium appellant, Varro. Marcellus Empiricus hippocampum intellexit, pisciculum nominans qui equum marinũ similet. Hippocampi, equi marini, à flexu caudarum quæ piscosę sunt, & est Græcum, Nonius. Veri quidem hippocampi cauda piscosa (id est piscium caudæ similis) non est, sed fabuloso Neptuni equo, (quem falsò quidam hippocampũ & hippopotamum appellarunt,) talem affingebant olim pictores, vt superius in Equo retulimus ex Bellonio: vbi hippocampum etiam Zydeath barbaro vocabulo Albertum nominasse ostendimus. Caballiones marini (hippocampos interpretor) nominantur à Vegetio in Hippiatricis 4. 12. Sunt qui pro certo velint hippocampum esse pisciculum illum, vel potiùs marinum monstrum, qui quibusdam dracunculus, alijs verò equiculus marinus vocatur, cuius nullus in cibis vsus, Matthiolus. Germanicè nominari licebit, *ein Meerroß: ein Seeroßle*. nam & Hispanicè, vt Amatus Lusitanus scribit, vocatur Caualinho marino. Italicè Caualin marino, Caualin ritorto, Dragonetto, Gallicè Draconeto. Indoctus quidam nuper hippocampi iconem pro basilisco ridiculè exhibuit & publicauit in tabella typis excusa per Germaniam.

B Hippocampum piscem equi in piscis caudam desinere Nic. Perottus scribit, Nonium puto sequutus. hoc autem falsum esse (quod ad caudę speciem, nam capite equum refert,) iam in A. diximus, & figura ipsa ad viuum expressa, monstrat. Marinum animal est, exiguum, Dioscorides. Capite & collo equino & rostro oblongo sunt, & sic ab eorum fronte tanquam equorum coma propendet, & eo loco quo equi iubam habẽt pilis diffluunt, horum cauda draconis speciem similitudinemque gerit, Gillius. Hæc autem quæ de coma & pilis scribit Gillius, amicus quidam meus, qui viuos aliquot Venetijs apud piscatores inspexit, vidisse se negat: fortè quòd hęc in viuis tantum & natantibus, Rondeletio teste, appareant. Marcellus Empiricus fel etiam ei attribuit. Aëtius sanguinem.

F Nullus in cibis vsus est per Italiam, vt Rondeletius & Matthiolus scribunt. credit interim ille, quanquam in cibum non veniat, non alijs partibus quàm ventre veneniatum esse.

G Venerem concitat hippocampus alligatus, Plinius. Philes eadem de veneno & remedio ex hippocampis scribit, quę Ælianus: sed in hoc aberrat, quod non hippocampos ipsos exenteratos, ac tostos, vt Ælianus,

vt Ælianus, sed ventriculum eorum tostum, (qui tamen venenum est) in cibo aduersus canis rab. morsum sumi iubet. Hippocampus marinus tostus, vtiliter comedi proditur à rab. cane morsis. illius enim sanguinem aquæ amorem inducere, & proprietate opponi terrori aquę. propterea bis ac ter hippocampum comedi cogunt. eundemque ex acerrimo aceto tritum vulneri applicant, rabiemque hoc medicamento frequenter peruicerunt, Aëtius. Sepia aceto suffocetur, idque acetum cum oleo mixtum propinetur illi, qui marini hippocampi venenum hauserit, Idem lib. 2. cap. 188. Alopecias replet hippocampinus cinis nitro & adipe suillo mixtus, aut syncerus ex aceto, Plinius. Probè faciunt etiam post excitatas bullas hippocampi marini vsti, & cum modico atramento sutorio crudo trito inspersi, Archigenes ad alopecias apud Galenum de composit. sec. locos libro 1. Mulieres Anconitanæ pisciculo isto in puluerem redacto, & vino excepto, pro lacte euocando, in potu vtuntur. Ad ea quoque, ad quæ à Dioscoride commendatur (*ad defluuium capillorum & alopeciam*) ipsum potentem esse, experimento compertum habeo, Amatus Lusitanus. Lateris dolores leniunt hippocampi tosti sumpti. Plinius Pisculi qui equum marinum similat fel, ouorum albumini mixtum, & cum lana succida oculis adpositum, melius remedium suprascriptis oculorum causis, (*proximè nominauerat caligines, albugines, cicatrices, &c.*) quàm vllum aliud medicamen præstare manifestum est, Marcellus Empiricus. Hippocampi tosti & in cibo sæpius sumpti, vrinæ incontinentiam emendant, ex Plinio: Rondeletius (in Ophidio) legendum putat non vrinæ, sed seminis incontinentiam. Hippocampus cum syluestris ficus nigræ folijs vel rusticinæ (rusticanæ) cũ aceto solutus, albositatem (leucen vel alphos) & leprã curat. Circumligatus autem ischiadem quietat, & tremulis prodest, Kiranid. Caballiones marini nominantur à Vegetio de re veterinaria lib. 4. cap. 12. in suffitu contra languorem morbi pestilentis, cum alijs quibusdam medicamentis.

H Ἱππόκαμπος, στρουθίον τι hoc est auicula quędam, Hesychius & Varinus. Ἱπποκάμπη, ὕλην λίαν μεγάλην, ἱπποκε * λεκεμμαίνλω, οἱ δὲ ζῶον, Hesychius. His Menandri & Lucilij verba ex Nonio, vtcunque deprauata, adscribam. Menander, Vehutor hippocampus in æternæ vsus scire nocitur, Delphino cinctis vehiculis, hippocampisque asperis. Lucilius, Transuerso ordine posuit hippocampi elephanto camillos. Hippocampum interpretantur aurigarum scuticam, flectendis equis accommodam, vnde nomen. Et apud Helicen ciuitatem dicitur stetisse Neptunus æneus, habens hippocampum in manu, Cælius Rhodig.

DE HIPPOPOTAMO, BELLONIVS.

Hippopotamus ex Colosso, qui Nilum Ægyptium Romæ in Vaticano refert.



C Vnde quoque mergitur hippopotamus, & dubiam vitam agit. quadrupes est, monstrique aquatici speciem referens: sed marinus non est, Niloque tantum gaudere percepimus.

A De eius nomenclatura, hoc non sine magna ratione controuersum esse video, quòd non tam eius species ac forma equum terrestrem, quàm porcum, vitulum ac bouem referat. Est enim eius formæ capite, quod vel bouinum, vel vitulinum dici possit: reliquo corpore ad porci figuram magis accedente. Quamobrem Byzantini, apud quos mihi aliquando viuus hippopotamus conspectus est, vulgari lingua modò porcum, modo bouem marinum appellarunt: quæ res nonnullos, eosque paulò eruditiores, commouit vt dicerent, nostris temporibus visum nunquam fuisse hippopotamum. Cui sententiæ nisi ego rerum potiùs, quam vocabulorum essem studiosus, facilè subscriberem. Verum in diuersum me pertrahit antiquorum numismatum atq; hippopotamorum figura: quæ si (quemadmodum in Delphino diximus) naturalem referat, certè plurimum accedit ad eam quam ante viuum animalis corpus Byzantij delineare iussimus. Priùs igitur antiquam effigiem te inspicere cupio, vt quantum ad nostram quæ deinceps tibi proponetur, accedat, facilius iudices. Desumpta est autem ab aurei Adriani numismatis altera facie, cuius nobis aliquando fecit copiam Io. Grollerius Insubrium quæstor, antiquarum rerum studiosissimus.

Hippopota-

Hippopotamus numiſmatis Adriani, cuius nobis copiam fecit Quæſtor Grollerius: quia alia quoque argentea & ærea numiſmata habet, in quibus eadem belua ſimiliter expreſſa eſt. Facies eſt Adriani imperatoris. ſphingi innititur ſiniſtra, dextra tenet Cornu copiæ: circa baſim Crocodilus & Hippopotamus: in quibuſdam etiam ibides adduntur. Figura tota Nilũ repræſentat.

B Talis autem eſt hippopotami, quem Byzantij vidimus, figura. Caput huic enorme fuit, & ad reliqui corporis collationem indecentiſſimum, quale vaccinum eſſe diceres, nullis præditum cornibus, auribus vrſinis, breuibus ac ſubrotundis: oris rictu vſque adeò vaſto, vt leoninum ſuperaret: certè humanum caput æquare potuiſſet. Patulas habebat nares, labra repanda atque reſima: dentes prorſus equinos, obtuſos tamen: oculos ac linguam prægrandes: collum, vt piſcibus nullum, aut admodum breue: caudam, vt porci ac teſtudines, rotundam: reliquum obeſiſſimi cuiuſdam porci corpus eſſe diceres: pedes ita breues, vt quatuor à terra digitos vix attolleretur: vngulæ in porci formam diffiſſę: quæ res nos inducebant, vt id animal non bene natare, ſed fundum fluminis inhabitare, ac paſſim in Nili profundo diuagari crederemus. Omnino enim quicquid huius monſtri, ludis publicis à Romanis imperatoribus populo oſtendebatur, id è Nili paludibus adferri ſolebat: imò etiam quod Turcarum imperatori oblatum, atque à nobis conſpectum fuerat, inde proceſſiſſe certiſſimum eſt: cuius rei fidem faciet Coloſſi figura, Nilum Ægyptium Romę in Vaticano referens, ex qua nos Hippopotami picturam excerpſimus. Inſunt autem & aliæ aliorum animalium picturæ.

COROLLARIVM.

De hac figura & ſymbolo Hieroglyphico, lege infrà in H.



A Bellonius etiam in libro Gallico de piſcibus aliquot marinis rariorib. conſcripto, multa de Hippopotamo affert, quæ nos breuius excerpta ſuis locis digeremus. Itali (inquit) præſertim qui Conſtantinopoli degunt, Bo marin, id eſt Bouem marinũ nominant. Turcę & Græci, vtriq; vocabulis ſuæ linguæ porcum marinum. Etenim vetus Hippopotami nomen prorſus vbique hodie obliteratum eſt, & ne in Cairo quidem in Ægypto cognitum amplius. nam cum de Hippopotamo ſeu Equo fluuiali illic interrogaſſem, nihil præter fabulam referre poterant: aliqui veterem hanc de ipſis famam repetebant, animal eſſe perquam terribile & crudele: quòd non niſi ſcrobibus effoſſis caperetur. aliam quidem eius ac diuerſam ab ea quam exhibui formam nemo docere me potuit. Rondeletius de capriſco piſce ſcribens, eum inquit verum eſſe Nili porcum (*à veteribus ſcilicet ita nominatum, Græcè* χοῖρον) non magnum illum qui in hortis Pontificis Romani Belueder nuncupatis, circa Nili ſtatuam ſculptus ſpectatur, porcuſq; vulgò dicitur cum ſit Hippopotamus. Hippopotamum verum me exhibuiſſe confirmare poſſum (inquit Bellonius) antiquis Ægyptiorum & Romanorum ſtatuis, & priſcis imperatorum Romanorum numiſmatis: in quib. Hippopotami tã exactè repræſentantur, in porphyrite, marmore, ære, auro, argento: vt eundem eſſe quem viuum Conſtantinopoli vidi, nihil omnino dubitationis mihi relinquatur. Vidi etiam effigies in obeliſcis repræſentatas, ab ijs quas exhibemus nihilo differẽtes. Equus fluuiatilis in Nilo iamdudum amphibius eſſe deſijt: Sigiſmundus Gelenius, quaſi vel in Nilo non amplius ſit, vel prorſus nuſquam inueniatur, vel in continente tantum iam degat: quorum nihil opinor verum eſt, vt ex ijs quæ

quæ deinceps referemus apparebit. Æquoreos ego cum certantibus vrſis Spectaui vitulos, & equorum nomine dignum, Sed deforme pecus, quod in Nilo naſcitur, Lycotas ruſticus in Bucolicis Calphurnij referens quæ Romæ in ſpectaculis viderit. Ἱπποπόταμος Græcè dicitur, quod nomen etiam Latini plerique omnes vſurpant: Herodotus duabus dictionibus ἵππον ποτάμιον, id eſt Equum fluuiatilem dixit. Obſcurus de naturis rerum ſcriptor Equonilum appellat, Albertus diuiſis dictionibus Equum Nili, & Equum fluminis, & Ipodromum corrupto vocabulo pro Hippopotamo. Equus aquaticus eſt ſpecies piſcis ſimilis equo, Andreas Bellunenſis: de hippocampo ne an hippopotamo ſentiens, neſcio. De fabuloſo Neptuni equo, quem falsò quidam hippocampum & hippopotamum appellarunt, ſuprà in E. elemento, Bellonij obſeruationes dedimus: & de Equo belua marina etiam nonnihil annotauimus. Germanicum Hippopotami nomen fingemus vel ad Græcorum imitationem, *ein Waſſerroſs*: vel vt hodie quidam appellant, *ein Waſſerochs, ein Waſſerſchvveyn.* Et Gallicè ſimiliter Cheual de riuiere, &c.

B Nilus Hippopotamos Crocodiloſque vaſtas beluas gignit, Mela. Plurimi ſuper Saiticam præfecturam, Plin. Ἵππους τὸν Νεῖλος ὑπὲρ Σάϊν αἰθαλόεσσαν βόσκει, Nicander. Bellonius etiam illum quem Conſtantinopoli vidit, captum ait in Ægypto inter Cairum & Sain vrbem, quæ hodieque Saet dicatur. Bambothum amnis iuxta Atlantem Africæ mõtem, crocodilis & hippopotamis refertus eſt, Solinus cap. 27. *Vbi.* In extremę Africæ ora circa Licham lacus quidam dulcis hippopotamos alit, & crocodilos, Strabo lib. 16. Non igitur in ſolo flumine Nilo naſcitur, vt Solinus ſcripſit. In India quoque reperitur, vt Oneſicritus eſt autor, amne Indo, Hermolaus. Soli fluuiorum Indus ac Nilus crocodilos educant & fluuiatiles equos, Philoſtratus. Apollonius & ſocij cum per flumen Indum nauigarent, equos fluuiales complures ferunt ſibi occurriſſe, Idem. Hippopotamos in ædilitate Scauri vidit Romanus populus primitus: & per ætates exinde plures ſæpe huc ducti, nunc inueniri nuſquam poſſunt, vt coniectantes regionum incolę dicunt, inſectantis multitudinis tędio ad Blemmyas migraſſe compulſi, Ammianus Marcell. Blemmyæ (Βλέμυες Stephano m. ſimplici) monſtroſi populi apud Æthiopes ſunt, Plinio 5. 8. meminit & Mela libro 1. in fine deſcriptionis Africæ. Atqui hodie Conſtantinopoli è Nilo aduecti oſtenduntur, non quidem eo in loco, vbi multæ beſtiæ imanes habentur cicuratę (vt lynces, tigrides, leones, pantheræ, vrſi, lupi,) qui locus Hippodromo vicinus eſt, in via ad ædem S. Sophię: ſed in Palatio Conſtantini, vt nominant. Iacobus Gaſſotus etiam qui iter ſuum Conſtantinopolim literis mandauit, (*Gallicè puto:*) Porcum marinum, vel, vt alij nominant, bouem marinum, in ea vrbe ſpectari refert, è Nilo aduectum, nec porco tamen nec boui ſimile animal, omnium turpiſſimum deformiſſimumque. Equus fluminis dicitur eſſe animal aquaticum in partibus noſtris (*pro noſtris, lego Ægypti,*) Albertus.

Apud Æthiopes eſt etiam fera quæ vocatur eale, magnitudine equi fluuiatilis, cauda elephanti, &c. *Magnitudo.* Plinius. Hippopotamis comparatur eale, & ipſa ſanè aquis fluminum gaudet, Solinus cap. 55. Herodotus maximi bouis, Ariſtoteles aſini magnitudinem ei tribuit: Bellonius etiam minorem aſino facit: capite (inquit) excepto, reliquum corpus obeſiſſimi cuiuſdam porci eſſe diceres. Equi quem vocant magnitudo haud minor eſt cubitis quinque, Diodorus Sic. ſi rectè tranſtulit interpres. Sed ad magnitudinem plurimum refert ætas, regio, & vita: nam eos qui liberè & ſecundum naturam ſuam vtroque elemento fruuntur, maiores fieri probabile eſt. captiuos autem minus excreſcere. nam is quem Bellon. vidit, duob. aut trib. annis aquã ingreſſus non erat. Et ad cicurãdũ minores ferè capiuntur, nõ iã adulti.

Equum fluuiatilem (inquit Ariſtot.) gignit Ægyptus: cui iuba (χαίτη, Herodotus λοφιὴν dixit,) equi, *Partes corporis.* vngula biſulca qualis bubus, roſtrum reſimum, (ἀνὰ δ' ὄψιν σιμός.) Talus etiam biſulcorum modo: dentes exerti, ſed leuiter (χαυλιόδοντας ἀπὸ φαινόμενος:) Cauda ſuis, vox equi, (Herodotus λοφιὴν dixit) magnitudo aſini: tergoris craſſitudo tanta, vt ex eo venabula (δόρατα, *vide in* E.) faciant. Interiora omnia equi & aſini ſimilia. Maior (inquit Plinius) quàm Crocodilus altitudine in eodem Nilo belua hippopotamus æditur, vngulis binis (bifidis, Solinus) quales bubus: dorſo equi, & iuba, & hinnitu: roſtro reſimo, (reſupino, Solinus,) cauda & dentibus aprorum aduncis, ſed minus noxijs: (Cauda tortuoſa, Solinus: & apud Plinium quoque aliqui caudam tortam legunt. cauda & voce equi, Herodotus. cuius interpres Valla non rectè tranſtulit, fulgida cauda. quanuis equi etiã cauda ei non conuenit, etſi Diodorus quoque equinam ei caudam tribuat.) Tergoris ad ſcuta galeaſque impenetrabilis, præterquam ſi humore madeat. Valla ex Herodoto χαυλιόδοντας, dentes eminentes & cancellatos tranſtulit: cum eminentes ſimpliciter vertiſſe ſatis ſit. Dentes ex vtroque latere tres habet, vltra reliquas feras eminentiores: aures, caudam, vocẽ equis ſimilem. reliquum corpus haud diſſimile elephanto. pellis eſt vltra cęteras beluas duriſſima, Diodorus Sic. ſi rectè reddidit interpres. Græcum enim codicem deſideramus. Dentes è parte læua, dolorem dentium ſcarificatis gingiuis ſanant, Plinius. quod ſi dentes eius ſcarificare poſſunt, acutos eſſe oportet. Bellonius tamen, vt mox recitabo, acutos eſſe negat. Hippopotamus is quem vidi, (inquit Bellonius) erat corpore tanquam porci optimè ſaginati, vndiquaque pleni & craſſi, & ſatis proceri. pellis etiam cum porcina conuenit, tum colore tum aliàs. de porco loquor domeſtico, neque nigro. Hiatus oris tantus eſt, vt facile moles aut pila aliqua humano etiam capite maior immitteretur. Frons depreſſa eſt, veluti in orca. *Dentes.* Dentes habet equinos, eadem forma, validos, oblongos, à maxillis prominẽtes, nõ acutos vt in animalib. carniuoris. Oculos magnos & veluti bubulos. linguam omnino ſolutam. Caudam breuem, rotundam & craſſam, tanquam porci, aut teſtudinis potius. Et, ſi bene memini, pedes quoq; porcinis ſimiles habet, non admodum diuiſos: (*atqui picturæ à Bellonio exhibitæ multifidos, nempe quinq. partitos, eos oſtendunt: Pierij Valeriani verò biſulcos ceu bouis.*) Nuper tamen quidam Conſtantinopoli reuerſus, pedes teſtudinum pedibus ſimiles, in hoc animali ſe obſeruaſſe nobis retulit, Hæc ille. Crura, pedes & vngues habet vt crocodilus, ſed multò maiora, Obſcurus. Hippopotami ſunt ad ſpeciem equorum, bifidas habentes vngulas, caudaſque breues, Marcellinus. Corio & pilis teguntur, Plinius. Et alibi, Corij craſſitudo talis eſt, vt inde tornentur haſtæ: & tamen quædam ingenio medica diligentia: vt non omnino vera ſit illorum opinio, qui ſubtilitatem animi conſtare non tenuitate ſanguinis putant, ſed cute operimentiſque corporum magis aut minus bruta eſſe, &c. Pellis vnius cubiti ſpiſſitudinem habere dicitur, Obſcurus: qui apud Plinium fortè pro talis legit cubitalis. Hippopotamis & apris dentes exertos inferior maxilla profert, Pauſanias. *Dentes.*

Plinius

Plinius ſimpliciter dentes eis exertos eſſe tradit. Apud Proconneſios matris Dindymenæ ſimulachrum fuit aureum, cuius facies pro ebore è dentibus equorum fluuiatilium erat confecta. id Cyziceni bello victis abſtulerunt, Pauſanias in Arcadicis. Nympharena gem̃a vrbis & gentis Perſicę nomen habet, ſimilis Hippopotami dentibus, Plinius. Vide etiam paulò antè ex Bellonio. qui quoniã equinis hos dentes comparat, eoſdemque validos, oblongos & obtuſos eſſe dicit, in mentem mihi venit dens neſcio cuius animalis, qualem nuper amicus meus Chriſtianus Hoſpinianus vir eruditus in torrente quodã, ni fallor, agri Tigurini à ſe inuentum mihi donauit. Formam & magnitudinem hîc delineauimus. Accepi & ante annos aliquot alium ſimilem à ciue quodam noſtro, qui adhuc alterum habet. Tales autem ac tanti aliquot, (vt idem mihi retulit) ante paucos annos in agro Salodorenſi Heluetiorum inuenti ſunt. Aiunt à foſſore quodam ædificij cauſa terram eruente, repertum craneum figura rotũdum, vnde hominis id fuiſſe coniecerit: quod inſtrumento foſſorio ab eo percuſſum (apparuiſſe enim tum primum cum iam deſtinaret ictum, nec poſſet cohibere) mox vniuerſum in puluerem abierit, ita vt ſoli dentes ſuperfuerint. An vero hominis hoc craneum, an alterius animantis, hippopotami, aut cameli, elephantis fortè, fuerit, non habeo quod dicam. Dens quem habeo, quamuis circa radicem non integer, duas vncias appendit, cum humani dentes plærique omnes, etiam maiuſculi, drachmam, id eſt octauam vnciæ partem ſinguli non excedant: vnde conijciendum eſſet, quemadmodum dens ille communem ſedecies excedit, ita hominem quoque illum, ſi homo fuit, toties aliorum hominum corpora exceſſiſſe. Qua ferè proportione Antæi gigantis corpus (illius enim eſſe putabatur, quod in Tinge Mauritaniæ vrbe in ſepulchro repertum eſt) noſtra ſuperauit, vtpote ſexaginta cubitos longum, qui exceſſus ad quatuor quindecuplus eſt. Sed figura humanis dentibus abſimilis videtur: quadrangula ferè. latera duo vtrinque plana ſunt: ex cæteris alterum partem extantem latam oſtendit, alias vtrinque depreſſas: alterum media parte anguſta eminente, vtrinque in ſulcos carinatur. Io. Boccatius in deorum genealogia ſcribit temporibus ſuis in Sicilia haud longè à Drepano vrbe, gigantis corpus inuentum, quod attrectatum in puluerem eſt reſolutum. Coniectura autẽ ex coxæ oſſe inita, quod integrum remanſerat, longitudinis ducentorũ cubitorũ fuiſſe exiſtimatũ eſt. Tres autẽ illius dentes, qui ſoli inuenti fuêre, ponderis trium rotulorum (ita regio pondera nominat) fuiſſe ait: qui vt memoria rei ſeruaretur, ante aram Virginis (cuius titulus Annunciationis dicitur) poſiti fuerunt, pleriſque exiſtimantibus illud Erycis corpus fuiſſe.

HIPPOPOTAMI AVT SIMILIVM FERARVM DESCRIPTIONES *ex recentioribus Noui orbis deſcriptoribus.*

Bellonium equidem verum hippopotamum nobis primum noſtro ſeculo, cũ iam extra naturam abijſſe & nuſquam amplius apparere hanc feram, aliqui crederent, exhibuiſſe iudico, & magnas ei gratias habeo. Quanquam enim equini corporis ſpecies, quam nomen præ ſe fert, in eo non ſit, notæ tamen pleræque omnes à veteribus traditæ, ei conueniunt. Quòd ſi dorſo iubaque, vt Plinius ſcribit, equum refert, & inſuper hinnitu: item interioribus omnibus, non eſt quòd aliam roſtri corporiſue equinam formam in eo requiramus. Fieri etiam poteſt vt in diuerſis regionibus, Ægypto, Æthiopia, India, ſpecies huius feræ diuerſæ reperiantur, aut magnitudine ſaltem formaque nonnihil euarient: vt ex ijs, quæ apud recentiores ſcriptores duos habentur deſcriptionibus (qui tamen hippopotamum veterum quod vtrique depingunt animal eſſe ignorarunt) hîc ſubijciendis lector ſtudioſus colliget.

Qui nouum orbem obiuerunt, in flumine Gambra nuncupato, teſtantur piſcem procreari Vituli marini ſpeciem ſimilitudinemque gerentem, præter caput, quod equinum exiſtit. Nam quemadmodum vitulus partim aquatilis, partim terrenus habetur, ſic is in vtraque ſede viuit, eademque eſt qua vacca corporis vaſtitate, præterquam quòd cruribus eſt longè gracilioribus: Itemque biſulcis pedibus, cum duobus dentibus ad latera eminentibus, atque adeò magnitudine ad duos dodrantes (*Gillius dodrantes dixit, author ex quo tranſcribit palmos, eodem puto ſenſu*) accedentibus, ſicut aper, armatur. Egreditur interdum hoc animal flumen, & terram petit, vt quadrupedes: nec alibi quàm hac in regione huiuſmodi animal inuenitur, Aloyſius Cadamuſtus Nauigationis ad terras ignotas capite 44.

Ex libro Nauigationis Hamburgenſis cuiuſdam, quæ peracta eſt anno Salutis M. D. XLIX. Inſula Noui orbis eſt *Merſenbick* nomine, regi Portugalliæ ſubdita, non procul Arabia Nigra in Oriente ſita, religionis Mahumedicæ: illic ad litus maris viſuntur piſces equina ſpecie, cruribus breuibus & pinnatis, pilis breuiſſimis. Verſantur illi vt plurimum circa litora fruticoſa aut ſyluoſa (Germanicè ſcribit, *an den Seekanten vvo buſche ſeind,*) & hominibus inſidiantur, quos comprehenſos vorant. Quamobrem accolę fruteta reſecant, ne in eis latitare poſſint. qui prę̨uiderit, facilè euadit.

Morſi animal. Circa oſtia Petzorę fluuij (inquit Sigiſmundus Liber Baro in Commẽtarijs rerum Moſcouiticarum) quæ ſunt dextroſum ab oſtijs Duuinę, varia magnaque in Oceano dicuntur eſſe animalia. Inter alia autem animal quoddam magnitudine bouis, quod accolę Mors appellant. Breues huic, inſtar caſtorum, ſunt pedes: pectore pro reliqui corporis ſui proportione aliquanto altiore, latioreque, dentibus ſuperioribus duobus in longum prominentibus. Hoc animal ſobolis ac quietis cauſa cum ſui generis animalibus, Oceano relicto, gregatim montes petit: vbi antequam ſomno, quo naturâ profundiore opprimitur, ſe dederit, vigilem, gruum inſtar, ex ſuo numero conſtituit. qui ſi obdormiſcat, aut fortè à venatore occidatur, reliqua tum facilè capi poſſunt. ſin mugitu, vt ſolet, ſignum dederit, mox reliquus grex excitatus, poſterioribus pedibus dentibus admotis, ſumma celeritate, tanquam vehiculo, per montem delapſi, in Oceanum ſe præcipitant: vbi in ſupernatantibus glacierum fruſtis pro tempore etiam quieſcere ſolent. Ea animalia venatores, ſolos propter dentes inſectantur: ex quibus Moſci, Tartari, & inprimis Turci, gladiorum & pugionum manubria affabrè faciunt: hiſque pro ornamento magis, quàm vt grauiores ictus (vt quidam fabulatus eſt) incutiant, vtuntur. Porrò apud Turcos, Moſcos & Tar-

Tartaros hi dentes pondere væneunt, piſciumque dentes vocantur, Hactenus ille. Ego quanquam ſuprà elemento C. inter Cete Roſmari nomine de hac belua egerim, libuit tamen hoc in loco tam exactam nobiliſſimi ac fide digni ſcriptoris de eodem hiſtoriam proponere: ex qua cum Hippopotamo nonnihil ei commune eſſe conieceris: nempe vitam ambiguam, magnitudinem bouis, pedes quaternos, eoſque breues, dentes eminentes: quæ omnia etiam præter dentes cum phoca quoque ei conueniunt, & inſuper mugitus, & vita in mari, non in aqua dulci: vt inter phocam & hippopotamum ambigere quodammodo videatur. Reperitur etiam in Oceano apud Samogetas, eodem teſte. Alibi etiam è Moſcouia in Lithuaniam & Turciam hos dentes exportari ait.

Tiburo Indicus inter Cete deſcriptus nunquid ad hippopotami naturam accedat, vti & Manatus & Catullus, an ſui omnino generis ſint, quærendum.

C *Amphibius.* Equi fluuiatilis natura eſt, vt viuere niſi in humore non queat. Nam & terreſtres equi balneũ omnino adamant, & aquæ dediti ſunt, Ariſtot. Et rurſus: Equi fluuiatiles pariunt educantque in ſicco. Humore nec omnino carere poſſunt, nec in ipſo aliter agere quin certis interuallis reſpirent. Eſt crocodilo cognatio quædam amnis eiuſdem (Nili,) geminique victus cum hippopotamo, Plinius. Hippopotamus animal eſt terræ, mari atque amni commune, Wottonus. ſed in mari etiam reperiri, veterum, quod ſciam, nemo tradidit. Albertus libro 24. de animalib. ex authore obſcuro de naturis rerum, cuius verba plerunque recitat. *Equus marinus Alberti.* Equus marinus (inquit) anteriore parte ſpeciem equi præ ſe fert, poſterius deſinit in piſcem. Pugnat contra multas in mari animantes. veſcitur piſcibus. Hominem valde timet, & extra aquam nihil poteſt. Statim enim moritur ab aqua extractus. Sed tale animal nullus ex idoneis authoribus nobis deſcripſit: neque, ſi in rerũ natura extet, hippopotamus fuerit. Hippopotamus aquatilis ac terreſtris beſtia, die quidem in imis aquis latet: noctu in terram egreſſus, fruges & fœnum depaſcitur, deſtruens paſſim propinquas agrorum meſſeis, Diodorus. Quo aſtu quidem ſegetes depaſcatur, vt inſidias caueat, ampliùs explicabitur mox in D. De Hippopotamo dubium eſt an rectè ſcripſerint veteres, ſine humore eum viuere non poſſe, non minùs quàm caſtorem, phocam & crocodilum. is enim quem viuum vidi, per duos aut tres annos in aquam ingreſſus non fuerat, vt referebant illi à quibus regebatur, Bellonius. Idem hoc animal negat habere dentes acutos vt carniuora. *Cibus.* Viuit enim (inquit) arundinibus, & cannis ſacchari, & folijs papyri herbæ. Cicuribus braſſica, melopepon, fœnum, panis, & huiuſmodi obijciuntur. Animal crudeliſſimum eſt hominibus occidendis, & nauib. ſubuertendis, Albertus. Nilus producit etiam equos, non minus malum hominibus quàm crocodili: Pauſanias in Meſſenicis, de beluis fluuiatilibus androphagis loquens. *Vox.* Lingua ei penitus ſoluta eſt: qualem verò vocem emittat, cum intendere libet, neſcio: cum non audierim niſi ſonum quendam gutturis, ab eo fauces aperiente, ædi. Veteres aliqui hinnire eum, equi inſtar, tradiderunt, Bellonius. Fœcundiſſimum prole animal eſt, vt quod ſingulis annis parturiat, Diodorus. *Partus.* Parit educatque in ſicco, Ariſtot. *Natationi ineptus.* In aqua natationi non videtur idoneus, ſed ingredi tantum in fundo ſeu vado fluminum. quare & Nicander, Τόσσαν ἐπισείων λείπει βυθόν. vbi Scholiaſtes Στείβων· πεζὸς ἀντὶ ... οὐ κολυμβᾶν εἶπε. νήχεσθαι γὰρ ἔστι τὸ ζῷον. Veréne autem animal natatile eſſe dicat, dubitari poteſt.

D Hippopotami vltra animalia cuncta ratione carentia ſagaciſſimi ſunt, Marcellinus. Atqui fluuiatilem equum quidam dixit pro homine ſtupido, vt infrà referemus in H. h. Corium adeo craſſum habent, vt inde tornentur haſtę, nec medica interim quædam diligentia ingenio deeſt, vt non omnino verum ſit ſubtilitatem animi cute operimentiſque corporum conſtare, vt in B. recitauimus. Cum diſtenditur nimia ſatietate, arundines recens cæſas petit, per quas tandiu obuerſatur, quoad ſtirpium acuta pedes vulnerent, vt profluuio ſanguis leuetur ſagina. Plagam deinde cœno oblinit, vſq; dum vulnus conducatur in cicatricem, Solinus. In quadam medendi parte etiam magiſter extitit. aſſidua nanquè ſatietate obeſus exit in littus, recentes harundinum cæſuras perſpeculatus: atque vbi acutiſſimum videt ſtipitem, imprimens corpus venam quandam in ventre (al' crure. ſuper calamos recens exectos, femora conuoluit & crura, Marcellinus) vulnerat: atque ita profluuio ſanguinis morbidum aliâs corpus exonerat, & plagam limo rurſus obducit, Plinius. Ab hoc medici eximere in morbis ſanguinem, quod phlebotomiam vocant, didicere, Maſſarius.

Alibi & Plinius repertorẽ detrahendi ſanguinis eum appellat. Depaſcitur ſegetes, deſtinatione antè (vt ferunt) derminatas in diem, & ex agro ferentibus veſtigijs, ne quæ reuertenti inſidiæ comparentur, Plinius. Noctibus ſegetes depaſcitur, ad quas pergit auerſus, aſtu doloſo, vt fallente veſtigio reuertenti nullę ei inſidiæ præparentur, Solinus. Ego rem aliter accipio: nempe aduerſum eum ingredi ſegetes: auerſum deinde, id eſt retro paſcentem, in fluuium regredi, non tam vt veſtigijs fallat, quàm vt ſi quæ inſidię à terra ei tenderentur (ex fluuio enim nihil metuit,) ita non lateant. Fluuiatiles equi Nili alumni, ſegetum vt maturitas venit, & flauent ſpicę, non eas contiuò depaſci ingrediuntur, ſed extrinſecus coniecturis aſſequuntur quantum ad ſe explendos ſatis ſit. Poſt talem conſiderationem paſcere in agrum ingrediuntur, & inter paſcendum retrouerſus Nilum cedunt. Hoc enim ipſum eo pacto machinantur, vt agricolas, quos ante ſe, non à tergo adfuturos expectant, longiùs videre, & in Nilum faciliùs ſe recipere poſſint, Ælianus de animalibus 5. 53. In eandem ſententiam Nicander in Theriacis canit: --- τὸν Νεῖλος ὑπὲρ Σάϊν αἰθαλόεσσαν Βόσκει, ἀρούρῃσιν δὲ κακὴν ἐπιβάλλεται ἅρπην. Ὅς τε καὶ ἐκ ποταμοῖο λιπὼν ζαλὸν εἰλυόεντα, Χλοῦ ὅτε χλοάουσι, νέον δ' ἀπεχεύατο (enallage eſt numeri, ſingularis pro plurali) πάλιν: Τόσσον ἐπισείβων λείπει βυθόν, ὅσσα τ' ἀπ' ... Ἐκνέμεται ... Inter arundines celſas & ſqualentes nimia denſitate hęc belua cubilib. poſitis, otium peruigili ſtudio circumſpectat, laxataque copia ad ſegetes depaſcendas egreditur. Cumque iam cœperit redire diſtenta, auerſis veſtigijs diſtinguit tramites multos, ne vnius plani itineris lineas inſidiatores ſecuti, repertum ſine difficultate confodiant, Ammianus. Equus Nili, vt dicit Michael, monſtrum eſt ingens ac fortiſſimum in Nilo: crura, pedes & vngues (Crura & dentes, Albertus) habet vt crocodilus, ſed multò maiora. Humanarum mortium cupidiſſimum eſt. nam cum ei nauis in portu occurrerit, vnum pedem in terra figens, altero nauem anteriùs arripiens facillimè ſcindit, vel inclinatam aliquando mergit. vnde in locis quæ frequentat magna multitudo hominum ab eo perditur. ſed hoc malum rariſſimè inuenitur, Albertus &

Author de nat. rerum. Qui hippopotamum animal terribile & crudele esse mihi putarunt, falsi mihi videntur. vidimus enim nos adeò mansuetum hoc animal, vt homines minimè reformidaret, sed benigne sequeretur. Ingenio tam miti est, vt nullo negocio cicuretur, nec vnquam morsu lædere conatur, Bellonius. Antiquitus (vt author est Suidas) in regum summo sceptro ciconiæ figura ponebatur, in imo hippopotamus: vt ipso gestamine admonerentur pietatem plurimi facere oportere, violentiam cohibere. nam hippopotamus animal efferum est, ac violentum, atque adeò, impium: quippe quod interfecto patre matrem init, teste Plutarcho, Erasmus Rot. in prouerbio Ἀντιπελαργεῖν, de quo plura scripsimus in Ciconia D. Meminit etiam Varinus, & Aristophanis Scholiastes in Aues. Impijssimus est fluuiatilis equus, qui patrem quoque suum exest & conficit, Ælianus. Cum ad confirmatam ætatem peruenit, statim periclitatur an viribus superior parente suo euaserit: ac si pater cedit, eum viuere permittit, ipse vero cum matre coit. Sin quo minus cum matre libere venereo complexu implicari possit, pater obsistit, eum ipsum interficit, Gillius. Equi terrestres alunt suos parentes: fluuiatiles verò occidunt, vt ipsi matres ineant, Porphyrius libro 3 de abstinendo ab animatis.

E Scrobibus effossis aliqui capi hoc animal dicunt, Bellonius. Capiuntur arte quadam hominum, illos telis appetentium. Quum enim apparent, circumstant vndique homines, vulnerantque telorum, quæ alligant funibus, iactu, laxantque, quoad exangues facti capiantur, Diodorus Siculus. Nullis capi potest hęc belua instrumentis, nisi reti ferreo, ex cathenis apud Damascenos in hoc opus fabricatis. Capta quoque malleis tantum ferreis occiditur, propter pellis crassitudinem, Author de nat. rerum & Albertus. Captus facile cicuratur. Vide in D. Primus hippopotamum & quinque crocodilos Romæ ædilitatis suæ ludis M. Scaurus temporario euripo ostendit, Plinius & Solinus. Fuit hic Scaurus pater illius Scauri, quem defendens Tullius imperat Sardis, vt de familia nobili ipsi quoque cum orbis terrarum autoritate sentirent. Et per ætates exinde plures sæpe huc (Romam) ducti, nunc inueniri nusquā possunt, (&c. vt in B. retuli,) Ammianus. Hippopotamum & rhinocerota primùm visos Romæ scribit Dion, Augusto de Cleopatra triumphante: etiamsi Pompeij ludis factum id Plinius tradat, Cælius. Edita munera in quibus crocodilos atque hippopotamos (&c.) exhibuit, Iulius Capitolinus in Antonino Pio. Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti XXXII. hippopotamus & rhinoceros vnus, & alia animalia innumera, quæ omnia Philippus ludis secularibus vel dedit vel occidit, Idem. Constantinopoli nostro tempore in palatio Constantini dicto elephanti & hippopotami ostēduntur peregrinis pecunia aliqua oblata. Hippopotamum è stabulo solutum exire permittunt, nec metuunt ne mordeat. Rector eius, cum spectatores oblectare libet, caput aliquod brassicę capitatæ, aut melopeponis partem, aut fascem herbarum aut panem, è manu sublimi protendit feræ: quod ea conspicata tanto rictum hiatu diducit, vt leonis etiam hiantis caput facile suis faucibus caperet. Tum rector quod manu tenebat, in voraginem illam ceu saccum quempiam immittit. Manducat illa & deuorat, Bellonius.

Captura.

In spectaculis exhibitus.

Noxa ab eo.

Segetes & fœnum in proximis Nilo agris vastat hæc belua, vt in D. dictum est. Homines an inuadat & voret, dubitatur. Vide in C. de cibo eius. Recentiores quidam, naues quoque in Nilo ab eo deprimi tradunt. Aduliton oppidum, maximum emporium est Troglodytarum & Æthiopum: deferunt plurimum ebur, hippopotamorum coria, &c. Plinius. Tergoris hippopotami crassitudo tanta est, vt ex eo venabula (δόρατα, Niphus non rectè scuta interpretatur) faciant Aristoteles, interprete Gaza. Herodotus corium tam crassum esse prodidit, vt ex eo arefacto fiant ξυστὰ ἀκόντια, hoc est pila missilia, interprete Valla. Corij crassitudo talis (*quidam ineptè cubitalis legunt*) vt inde tornentur hastæ, Plin. Et rursus: Tergus ad scuta galeasque impenetrabile, (*quod nullo ictu aut telo penetrari queat,*) præterquam si humore madeat. De vsu dentium diximus in B. Sanguine vtuntur pictores, Plinius.

Vsus.

F Carnibus est durissimis, & ad digerendum difficillimis. Interiora singula inutilia ad vescendum, Diodorus Sic.

G De iconibus hippopotami cum aqua illitus, panos sanat, Plinius. Panos discutit, Galenus ad Pisonem. Eundem Archigenes apud Galenum ad alopecias illini iubet: & Galenus in Parabilibus 2. 86. Alopecias explet, Plinius. Maculas oculorum & totius corporis abstergit, Bellonius. Pellis è sinistra parte frontis in linteolo adalligata inguinibus, Venerē, inhibet Plin. Adeps eius febres frigidas sanat, Plin. Dentes è parte læua dolores dentium scarificatis gingiuis sanant, Plinius. Testes exiccati ac triti contra serpentium morsus bibuntur, Dioscorides. Plinius & Nicander ad idem auxilium drachmam ex aqua bibendam pręcipiunt.

Fimum suffitu febres frigidas sanat, Plinius. Praxagoras in epilepsia cum accessionem viderit commoueri, deprimit partes quæ fuerint in querela, atque defricat castoreo, & vituli marini veretro, siue virilibus hippopotami, Cælius Aurelianus hæc illum facientem improbans.

H De iconibus hippopotamorum antiquis, in statuis & numismatis, vide supra in A. Ciconia in regū summo sceptro antiquitus effingebatur, hippopotamus in imo, vt docuimus in Ciconia D. & superius etiam in hac ipsa historia D. Celebratissima est species illa (inquit Pierius Valerianus in explicatione symboli illius, cuius ab initio Corollarij picturam posui) quæ visebatur olim Hermopoli: ea scilicet pictura, vt Hippopotamus esset, supra quem sculptus erat accipiter cum serpente dimicans. Cuius argumenti significatum id esse tradunt Ægyptiarum literarum periti, vt Typhonem ab Osiride vi domitum, cum de principatu certamen conseruissent, intelligendum autument: per fluuialem equū Typhonem ab Osiride vi domitum, per anguem principatum interpretantes: (*per accipitrem verò vim & principatum: quo ille violenter sibi quæsito, sæpe per improbitatem tum ipse turbari, tum alios perturbare sua sponte voluerit, Plutarchus in libro de Iside & Osiride:*) atque ita improbitatem potiores sibi partes asserere conantem, virtuti demum cedere subinnuant. Eadem de causa cum sacra faceret eo die, quo Isidis aduentus è Phœnicia celebratur, fluuialē equum religatū libis incessere per ludibrium consuerant. Non dissimularim hîc Aureoli tyranni tumulū ad pontē Aureolum Insubriæ superesse, à Claudio Cæsare sex elegorū versuū epitaphio nobilitatū, in cuius conditorij parte prima Hippopotamus sit incisus: quē serpens cauda mordicus apprehensa complectitur. Id puto significare, tyrannidem tandē temporis spatio domitā, &c.

Icones.

Hæc

Hęc ille sub lemmate Improbitas edomita. Porrò pedes ne & vngulæ hippopotami in hoc Pierij symbolo melius expressi sint, an in ijs quas Bellonius exhibuit iconibus, oculatus tantum testis aliquis probè dijudicârit. In Sai in vestibulo ędis Mineruę sculptura visebatur huiusmodi: Primò infans, deinde senex, accipiter, piscis, postremo equus fluuiatilis impudentiam significans, &c. Reliquam interpretationem leges in Accipitre H.h. Meritò etiam Ægyptij sacerdotes (inquit idem Pierius) cùm impium, cum ingratum, cum iniustum quempiam notare vellent, Hippopotamum proponebant. Admonituri verò mortales omnes, vitia ea omnino esse declinanda, totaque animi fortitudine supprimenda, duas eius animalis vngulas deorsum inuersas facere consueuerunt. siquidem is ab ineunte statim adolescentia patri incipit infestus esse tentatque si possit eum decertando superare, quem sæpe in pugnam prouocat. quòd si acciderit vt victor euadat, matris coitum affectat, vitā patri condonata: sin victus aut cohibitus à patre fuerit, neque tam scelerati voti compos fieri potuerit, perdurante tamen prauitate tantisper conatum differt, donec adolescat: factusque iam robustior atque validior, deteriorem ætate factum patrem inuadit, fœdissimeque necatum petulantissimè dilaniat. Inuersas igitur vngulas eas ideo statuebant, vt qui rem spectarent, quid illę sibi vellent commonefacti, propensiores fierent ad pietatem. Id quod tantæ apud eos curæ fuit, vt principum sceptra, & huiusmodi pleraque insignia, atque gestamina & monumenta, armaque aliquot, quorum quotidianus esset vsus, ita insignirent, vt in summa potioreque parte ciconiam præfigerent ex ære, vel ex auro argentóue factam, infernè verò vngulam Hippopotami subijcerent, quod impietati præferendam esse pietatem indicaret. Horas etiam Ægyptij sacerdotes (inquit idem) per fluuialem equum significare soliti sunt. qua verò de causa id facerent, neque Horus scripsit, neque nos apud quempiam traditum inuenimus. si quid tamen ariolari liceat, dixerim ego: quia depascit segetes destinatione, vt ferunt, ante determinatas in diem, &c. Horæ verò nomen plerunque pro tempore cuiuscunque maturitatis accipitur apud Græcos. (*An quia certum agri spatium ingreditur, quantum sibi retrogredienti pascendo sufficere iudicârit? Est autem hora quoque certum temporis spatium.*) Vel ea fortè de causa horas indicare dictus, quòd diem & noctem duplici natura dimetitur. Siquidem interdiu in imis aquis latet, noctu in terram egreditur. Apud Ægyptios autem nox cum die pari propemodum horarum numero assiduè dispescitur.

h. Heliogabalus hippopotamos habuit, Lampridius. Ἄνοιγ᾽, ἄνοιγε τὴν θύραν· ἐλαύνομεν Πάλαι σε προσπατῶν, ἀνδριάς, ἀλήθων ὄνος, Ποτάμιος ἵππος, τοῖχος, ὁ Σελεύκου πήγεις, Alexis in Pyrauno apud Athenæum: videntur autem hæc omnia prouerbialia quędam conuicia in hominem stupidum, quem asinum aut lapidem dixeris. Fluuiatiles equi in plaga Papremitana sacri sunt, in cætera Ægypto non sacri, Herod.

DE HIPPVRO, RONDELETIVS.



A ΙΠΠΟΥΡΟΝ Gaza equiselem vertit. Plinius Græco nomine vti maluit. Dorion & Epænetus κορυφαίναν etiam vocari scripserunt. Hicesius ἵππουρος nominauit ἱππουρεῖς. Numenius ἵππουρον ἀγκυλωτήν vocat. Hispani lampugo. (*Suprà Glaucum maiorem à quibusdam lampugo vocari scripsit, sed falsò.*)

Athen. lib. 7.

B Piscis est marinus nostris vndis incognitus. Ego quidem in Hispania tantū natos hactenus vidi. Hæc præ alijs omnibus piscibus illustris est & spectabilis in isto pisce nota, quòd statim à rostro vel à capite veluti crista erigitur, continensque pinna magna ad caudam vsque protensa. Huic similis alia est à podice ad caudam vsque, sed breuior. Pinnæ branchiarum breues, latæ, auri æmulæ. Quæ in ventre, sunt longiores, nigricantes, podicem ferè attingentes, qui in medio corpore situs est. Os mediocre est, dentes exigui, acuti in maxillis, palato & lingua. Oculi magni. Squamæ minutissimæ. Glauco, colore internisque partibus similis est, ab eo dissidens, quòd hic à capite sensim tenuior fit strictiorque, ille à podice tantum donec in latam caudam desinat.

A Hunc veterum hippurum esse rationibus confirmare oportet. Ac primùm ipsius etymum id docet. ἵππουρος enim à cauda equina nomen habet, quòd pinna à capite incipiens caudæ equinæ similima sit, id est, longa continens villisque multis constans, cuiusmodi in nullis alijs piscibus reperitur. Nemo enim existimet à cauda piscis, equi caudæ simili hippurum nominatum, id esset hominis (*omnino fortè, non hominis*) partium vsum ignorantis. Cùm enim cauda ad dirigendam natationem claui instar à natura condita sit, si tam longa propenderet, villisque à sese seiunctis constaret, non facilè huc illucque flecti posset, neque solùm natationem non iuuaret, sed ei maximè obesset.

Quod veterū hippurus hic sit.

Præterea κορυφαίνης nomen ad id alludit. Nam à pinna quæ à vertice incipit, in eoque veluti crista erigitur, κορυφαίνα dicitur ἀπὸ τῆς κορυφῆς: est enim κορυφὴ vertex, pars capitis inter occiput & sinciput, & per metaphoram cuiuslibet rei summum & extremum. Quæ sequuntur rationes magis ex piscis natura petitæ sunt. Aristoteles lib. 5. de hist. animal. cap. 10. scribit, hippuri ex ouis fœtus ex minimis celerrimè in maximos euadere, quod in nullo pisce manifestius quàm in hoc obseruari potest. Cum enim Hispani piscatores paruos hippuros ceperint, nassis includunt, illicq; crescere sinunt breui tempore, vtpote quorum incrementum indies conspiciatur. Pręterea hippurus (vt Arist. ibid. tradit) vêre tantùm parit. Et eodem Aristotele authore, cum pisces multi serpentum more hyeme lateant, apertis-

Coryphænæ vnde dicta.

Ex piscis natura, & primum incremento.

Partus.

Occultatio.

 simè

Lib. 5. cap. 10. ſimè hippurus id facit & coracinus. Nam hi ſoli nuſquam capiuntur niſi ſtatis quibuſdam temporibus eiſdemque ſemper. Id Plinius literis prodidit. Quũ aſperæ hyemes fuerint, multi cæci capiuntur: itaq; his menſibus latent in ſpeluncis conditi, ſicuti in terreſtrium genere retulimus, maximè hippurus & coracinus hyeme non capti, præterquam æſtatis paucis diebus & ijſdem ſemper. Quæ in hoc piſce veriſſima eſſe comperi. Cùm enim in Hiſpaniam huius piſcis recipiendi gratia ſcripſiſſem frequentius, diuerſis anni temporibus, nunquam niſi autumno ad me miſſus eſt, id omni aſſeueratione affirmantibus piſcatoribus nunquam niſi ęſtatis certis dieb. capi. Gaudet hippurus naufragijs & naufragiorum fragmentis, quia carniuorus eſt.

Carniuorus.

F Carne eſt pingui, ſuaui & dura, qualis thynnorum, glaucorumq; eſt caro. Archeſtratus apud Athenæum hippurum Caryſtium commendat.

Hippus. Meminerunt Athenæus lib. 7. & Plinius lib. 32. cap. 11. hippi piſcis, quis is ſit nondum planè ſcio; niſi idem ſit cum hippocampo, de quo ſuo loco dicemus.

COROLLARIVM.

A Hippuro piſci nomen vnde ſit impoſitum, non conſtat: caudam enim eius equinæ ſimilem eſſe, etſi nomen pręſe fert, probabile non eſt, neque authorum aliquis tradit. Fortè ita dictus fuerit διὰ τὸ ἵππου δίκην ὀρούειν καὶ ἐξάλλεσθαι, vnde & ἀρνευτὴς vocatur. Apud Homerum quidem ἀρνευτὴν aliqui delphinum interpretantur, hoc eſt vrinatorem. quæ vox Latina detorta eſt à Græcis.

Scribitur autem Græcè tum ἀρνευτὴς, tum ἀρευτὴς, ἀπὸ τῶν ἀρνῶν, id eſt ab agnis ſimiliter ſalientibus, demiſſo capite, parte poſteriore ſublimi, vt dixi in Agno H. a. Gaza equiſelim tranſtulit. Κορύφαινα, piſcis quidam, Heſychius & Varinus. Ἵππουρος genus piſcis apud eoſdem, corruptum fortè ab hippuro nomen. Alius eſt Σίπουρος vulgò dictus à Græcis, nempe hepatus Rondeletij. Hippuri nomen Germanicum fingemus *ein Federkopff*, id eſt Pinniceps, quoniam pinna dorſi à capite ei incipiat. vel circumſcribemus, *ein Meerfiſch auß Hiſpanien* Lampugo *genannt*.

C Hippurus piſcis eſt pelagius Oppiano libro 1. Hippuri celeres, Ouidio in Halieut. inter pelagios.

E Hippuri (vt canit Oppianus Halieut. quarto) ſi quid in mari vagum & fluctibus obnoxium viderint, omnes ſtatim frequentes proximè comitantur: maximè verò ſi naufragæ nauis diſiecta oberrent fragmenta. In hæc qui inciderit piſcator facilè vberem horum piſcium prædam conſequitur. Sed naufragia deus auertat. nam aliter quoque capiuntur hippuri. Conferctos harundinum faſces lapide inferiùs alligato quo deprimantur in mare deijciunt: Circa hos illico hippuri vmbræ amantes congregantur, & dorſa harundinibus affricare gaudentes manent. Tum piſcatores hamos eſcis inſtructos demittunt: quos illi certatim apprehendere feſtinant, ita vt permultos deinceps facillimè capiāt: magis enim auiditas piſcium nimia in hamos propera ruit, quàm piſcatores ipſi feſtinare hamis immittendis & extrahendis queant. Hippuris xiphiæ & iuli ineſcantur, Idem.

F Hippurus valde aptus eſt & ſuauis ad comedendum, Kiranides. Hippurus Caryſtius optimus eſt, cũ alioqui viles ferè piſces circa Caryſtum ſint, Archeſtratus. ὁ ῥύγχοι, ῥαφίδες, ἵππουροί τε, Epicharmus in Nuptijs Hebæ. Τοῖσί τε θαῤῥήσαις φαγεῖν λελιμμένος ἰχθῦν, Ἠὲ μέγαν σκώδοντ', ἢ ἀρνευτὴν ἵππουρον, Numenius. A Matrone Parodo quoque in deſcriptione conuiuij Attici nominantur hippuri.

G Fel eius cum melle ſine fumo inunctum, omnem hebetudinem, vel nigredinem, vel obſcuritatem ſanat. Et omni modo eandem habet vim quam fel hyænæ, Kiranides.

H Hippurus etiam muſcæ fluuiatilis genus eſt, magnitudine anthedonis, colore veſpæ, piſcibus expetitum, Æliano 5. 1. Sciurus animalculum quadrupes, alio nomine campſiurus & hippurus vocatur, Heſychius & Varinus. Hippuris etiam herba eſt, equiſetum Latinè dicta. Huius genera duo à Dioſcoride deſcribuntur. Tertium videtur, quod polygonum ſylueſtre à Plinio vocatur, circa Bergomum in Italia hodie vulgò ab herbarijs Cauda equina maior, alibi ferè hactenus incognita, neq; deſcripta quod ſciam à quoquam noſtri ſeculi. Deniq; hippuris Homero galeam ſignificat. vide in Equo quadrupede.

Epitheta. Hippuri celeres, Ouidio. Ἀρνευτὴς ἵππουρος, Numenius. Φιλόσκια φῦλα ἱππούρων, Oppian.

HIPPVS. Vide ſuprà in Equo piſce.

DE HIRCIS PISCIBVS.

HIRCVS piſcis, Τράγος, alius eſt Ariſtotelis, nempe Mæna mas: alius Athenæi. Vide ſupra in Gobione nigro Rondeletij. & infra elemento T. in Tragis. Nominantur & ſpongiæ quędam hirci, de quibus infrà. Hirci quadrupedis hiſtoriam, & huius vocabuli philologiam in Quadrupedibus habes. Hircos marinos ex Aeliano Volaterranus non rectè pro arietibus marinis conuertit.

DE HIRVDINE, RONDELETIVS.

A HIRVDO à Græcis βδέλλα nominata eſt ἀπὸ τοῦ βδάλλειν, id eſt à ſugendo, quemadmodum à Latinis quibuſdam Sanguiſuga.

B Paluſtre eſt inſectum, vnde à Theocrito λιμνᾶτις cognominata eſt.

(C) Sub lapidibus latet. quieſcitque in ſeſe contracta fabæ latitudine & longitudine, ac veluti ex circulis aliquot conſtans. Priore parte os eſt, poſteriore acetabulum, quum repit os acetabuli modo ita applicat vt hęreat, reliquumque corpus trahat, tum extenta vermis ſpecie eſt. In ore tres illi dentes eſſe contrario occurſu ſeſe collidentes ex eius demorſu colligimus. Partes internas indiſcretas habet. Variæ hirudines reperiuntur, aliæ nigræ ſunt, aliæ rufæ, alię diuerſis coloribus notatę.

Hirudinis diuerſæ.

G Nullus eſt planè earum in cibis vſus, ſed in medicina non infrequens. nam ad hæmorrhoidũ ſanguinem exugendum admouentur vel alijs partib. ad ſanguinis euacuationem, quando ęgri exciſorij ſcalpri vim ferre non poſſunt, vel pars tolerare nõ poteſt. Equorum ora ſubeunt, & ſugendo emaciant. Venenatę creduntur potiſſimùm rufæ. Quod ſi dentes reliquerint in carne infixos, vlcera fiunt dyſepulota.

COROL-

COROLLARIVM.

Icon hæc hirudinis maioris & variæ eſt.



Hirudo quanquam inſectorum generis eſt, & vermis quidam: quia tamen in aquis viuit, Aquatilium hiſtoriæ accedit. Hirudinem priſci ſemper dixerunt, Plautus, Horatius, Cicero. Poſteriores ſanguiſu- A gam quoque. Hirudinem ſanguiſugam vulgò cœpiſſe appellari aduerto, Plinius.

Sunt qui irudinem ſine aſpiratione ſcribant, quod non probârim. Hirudo ſi dicatur ex eo quòd hærendo ſanguinem ducat. aſpirationem habebit, ſed non conuenit in quantitate ſyllabę, Iouianus Pontanus. Aluka, עלוקה, Dauid Kimhi ex magiſtrorum ſententia multis verbis deſcribit hirudinem vel ſanguiſugam, quę vulgò dicatur אורגבי״ר. Quanquam R. Saadias priuationem intellexit tantum Prouerbiorum 30. R. Leui ben Gerſon & interpres Cabuenaki ſanguiſugam intelligunt. Septuaginta interpretes βδέλλα. Hieronymus ſanguiſuga. Chaldæus vocem Ebræam retinet. Plura de hac voce leges in Quadrupedibus ouiparis in Crocodilo A. quidam enim crocodilum conuertunt. ego hirudinem potiùs dixerim: quoniam Arabicæ voces huic finitimæ ſunt, quas apud Syluaticum legimus pro ſanguiſuga, nempe Aleca, Alelica, & Aletha: item Alag apud veterem gloſſographum Auicennę. Anaka, אנקה, alij aliter interpretantur, ericium, viuerram, (vel fibrum potiùs,) mygalen, hirudinem. vide in Echino quadrupede. Græcè βδέλλα ſcribitur per alpha, dictione trochaica, vt & reliqua quæ Λ. duplex habent, σκίλλα, κόλλα, &c. vt docet Herodianus & alij grammatici. deriuatur autem à verbo βδάλλειν, quod ἀμυζᾶν, id eſt exugere ſignificat. Idem & Nicander inſinuat hoc verſu: Ἀθρόα προσφύονται ἀμελγόμεναι πρὸς αἷμα. Eſt & βδέλλιον diminutiuum, apud Etymologum. Βδάλλα, (prima videtur circumflectenda, vt in ...) hirudo, Heſychius & Varinus. Apud eoſdem βλέτυες, βλίτυες, δευθελεῖς, & θρίλακες ſecundum Elienſes pro hirudinibus exponuntur. Scoppa Italus hirudinē interpretatur la ſanguiſuca.

Alibi in Italia ſanguettole vocant, vt audio, alibi magnate. Gali Sanſue. Germani *Egle*, nomine forſan facto ab aculeo. os enim aculei inſtar, & quidem triſulci, morſu infligit. Sic & perca fluuiatilis *Egle* à pinnis dorſi aculeatis. Inferiores Germani, vt Flandri, *Lake*, vel *Lyckelake*. Angli *Horſe leche*, vel *Horſeluh* (proferunt autem *ch*. vt nos *tſch*.) quòd medeatur equorum cruribus admota. nam *Horſe* eiſdem equus eſt. alij [illegible] *leache*. Eliota Anglus ſcribit *a Horſleach*. vel *Blut ſucker*. Poloni *Pijawka*.

Hirudines ruffæ à medicis damnantur, vt in G. referam: vbi in electione earum ad remedia alias quoque earum differentias recenſebimus. Apud nos ſunt nigræ penitus & planæ: & ſunt virgulas rubeas in dorſo habentes, & aliquantulum rugatæ, Albertus. Et rurſus, Quædam earum inuiſibiles ſunt, & filares. Nigræ vel fuſcæ apud nos (Tiguri) minores ſunt, & frequentiores, eædem ignauiores: aliæ maiores, ſubuirides (ex nigro ferè) lineis ſeu ſtrijs per longitudinem ſubflauis, aut ruffis, in quibus puncta aliquot nigricant, diſtinctæ: hæ commodæ ſunt medicis. Venetijs virides videre memini, ceu paruas lacertas, maculis hinc inde nigris. Germani maximas hirudines ab equis denominant *Roſsaeglen*: quarum nouem aiunt ſugentes vel equum occidere poſſe. Sanguinem illas aiunt quidam inter ſugendum ſtatim ano reddere, & inſatiabiles hærere. Mihi hoc probabile non eſt. In aquis ſtagnantibus & paludibus, hirudines quales dixi, reperiuntur: nigræ ſcilicet, ſubuirides, varię. In purioribus & fluentibus etiam albæ perexiguæ, quales vel piſcibus nonnunquam adhærent: ore vtrinque lato in circulum; ſed altero duplò latiore.

In iecinoribus etiam boum & ouium aliquando genus quoddam hirudinum adnatum reperitur, putrefacto corruptoque hoc viſcere. Vermes quidam ſunt albicantes, tertiam digiti partem longi, dimidium digitum tranſuerſum lati, folliculis quibuſdam incluſi, pertenues: neque in ventriculo illi, neq; alibi quàm in iecinore inueniuntur, viui quidem, & mobiles: quod non vbique, non circa montanas & recentes aquas, ſed putridas tantum contingit. Sic affectum iecur lanij abijcere iubentur. In Mauritanię quodam flumine aiunt hirudines gigni ſeptenum cubitorum, quæ gulam perforatam habeant per quam reſpirent, Strabo.

Sanguiſugæ oſſibus carent & pedibus, ac pinnis, nec vllum membrum habent, vt videtur. ſed toto B corpore ſimiles ſunt, vt columna. Os habent inſtar trianguli, quod ex inflicto ab eis vulnere apparet. Albertus & Author de nat. rerum. Culex fiſtulam in ore habet, qua terebrat cutem vt ſanguiſuga, Arnoldus Villanou. Eraſmus Rot. hirudini tribuit linguam biſulcam ac fiſtulatam, quam penitus infigat cuti. Obſeruaui in genere maiore, quod aptius medicis eſt, os non ita rotundum vt in minoribus, ſed acutius, quod facillime cutim penetrat, & per lintea etiam tenuiora euadit. In minore os planius & rotundius, inſtar ſphincteris aut muſculi rotundi. In omnibus, foramen medio exile eſt: ab ore ad aluum vnus continuus meatus. corpus totum circulis quibuſdam, vt in lumbricis, ambitur: quibus extenſis contractiſue mouetur & εἰλυσπᾶται lumbricorum inſtar. In mortuis pleriſque longitudo circiter digiti. Lineis & punctis nigris notantur omnes: reliquo colore variant, vt dictum eſt.

Hirudines aquis ſtagnantibus & algoſis gaudent, paludibus ad ripas lacuum præcipuè. nigræ magis C in aquis putridis & foſſis degunt. albæ paruę, vt diximus, etiam in riuis & fluuijs. Si quis è fluuio biberit ſiti vrgente, Λεπτὰ διασείλας παλάμῃ μνιώδεα θεῖα, periculum eſt ne hirudinem ſimul cum potu deglutiat. Hominem impediunt ac beſtias, vt ſanguinem eorum ſugant, cuius ſatietate nimia mortem ſibi ſępius accerſunt, Author de nat. rerum. Æquè eſt mira, vt ricini, ſanguinis & hirudinum generi in paluſtri aqua ſitis. nanque & hę toto capite conduntur, Plinius.

Auiditate ſugendi dulcem ſanguinem hominis, ſuccum emittunt, & alium continuè recentiorem

ſugunt,

fugunt, Albertus. Cum carni adhęrescunt, quanto magis trahuntur, tantò fortiùs insident, donec rumpantur. itaque e sanguinem putridum extrahunt, & alios sanando seipsos occidunt, Author de nat. rerum. Sugendo trifidum vulnusculum imprimunt, ita vt radij ab vno centro terni ęquidistantes procedant. Lutum capitis boni odoris & saporis est, quod in regionibus ad orientem seplasiarij vulgò vendunt. id edi solet, & à mulieribus prægnantibus & alijs quorum corruptus & alij vulgò vendunt. id edi solet, & à mulieribus prægnantibus & alijs quorum corruptus est appetitus expetitur. mulieres maximè vtuntur eo in balneis, illinendis capillis (vnde nomen ei à capite factum) vt in longitudinem excrescant. Dicunt etiam Arabes gratissimum id esse sanguisugis: & si locus aliquis eo illinatur, sanguisugas sponte illi adhæsuras. Vocatur & alijs nominibus Arabicè, Lutum Corascenum, Lutum alnisaburi, & aromaticum & alcubrugi, & Cyprium, & alnahagi, Andreas Bellunensis. Gradiendo quædam volutationibus vtuntur, vt quæ terrę intestina vocantur, & hirudines. Siquidem hæc præcedente parte progrediuntur, & reliquum corporis ad eandem ipsam conducunt, atq; ita certis abiuncta sedibus vagantur, Aristoteles in libro de communi animalium gressu. Mouetur sanè hirudo extensione & contractione corporis sui ceu annulis constituti, sicut lumbrici: non tamẽ cuiuis corporis parti, vt illi, innititur, sed caudæ tantum & ori. nam caudæ innitens corpus reliquum quantum potest aut vult extendit, siue rectà ante se, siue retro & reflexum: tum ore fixo caudam & reliquum corpus arcuatum attrahit, vel ad os vsque contiguè, vel quousque libuerit os versus, vt ad medium spacium, non tamen vltra os. Potest & retro moueri, quod vidi cum vnam inclusissem cannæ. retrorsum enim exibat. Eluctatur corpore suo etiam per angustissima loca, si vas non obturatum optimè fuerit, vbi nemo putaret: adeo enim in tenuitatem se extendere, & os acuere potest, maior præsertim, vt per linteũ etiam rariùs contextum euadat. Generentur ne ex putredine tantum, an etiam ex ouis, nondum satis consideraui. Tepôrem amant, nec priùs in aqua comperiuntur, quam sol tepefecerit. nam circa calendas Maij apud nos primum apparere incipiunt, & circa meridiem potissimum: autumno rursus conduntur & latent. Per hyemem nunquam inueniri puto: aliqui ad vsum seruant eas in aquæ pleno vase. Vêre pectines, limaces, hirudines eodem tempore euanescunt, Plinius. Ex hirudine procreatur œstrus, id est asilus, Scholiastes Nicandri. mihi id verisimile non fit.

D Crocodilus cum in aqua vitam degat, os fert introrsum hirudinibus refertum. postquam igitur ex aqua in terram egressus est, ac deinde hiauit (semper enim ferè hoc ad zephyrũ facere solet) tunc in eius os trochilus penetrans deuorat sanguisugas. qua vtilitate delectatus crocodilus, nihil omnino trochilum lædit, Herodotus. Noctua sanguisugis contraria est, Plinius.

Gobius fluuiat. Ausonij inter alia vescitur etiam hirudinibus minimis. Silurus (*der Welß*) post solstitium æstate inter saxa latitat, nisi ab hirudinibus extimuletur.

E Cimices extinguuntur (è lectis aut locis vbi sunt) incensis sanguisugis, Palladius. Sanguisugæ suffitæ interficiunt cimices: & contrà, cimices suffiti educunt potas (ab homine vel quouis animali) sanguisugas, (*Vide inferius in G.*) est enim antipathia, Kiranides. Natura earum aduersatur cimicibus, & suffitu eos necat, Plinius. Quidam vt fugentur cimices, hirudinibus vstis locum suffiri, aut decoctione earum lauari iubent, Plinium citantes testem. Cancri fluuiatiles aquis commodi fuerint. nam & venas aperiunt, & sanguisugas perdunt, Paxamus in Geoponicis 2.4. Sanctus Gulielmus Lausannensis episcopus nostro tempore (inquit Felix Malleolus in tractatu de exorcismis: qui vixit circa annum domini 1554.) contra sanguisugas diebus nostris pisces maiores, præsertim salmones, mirabiliter inficientes, letaliter quoque pungentes, & ad ripas aquarum propellentes, exorcismi dictamina de sacris scripturis collecta dictari fecit, & per certa dierum interstitia publicari. itaq; ad effugandum & repellendum huiusmodi bestiolas multipliciter profecit.

DE HIRVDINIBVS EX GALENO: VEL POTIVS VT AVGVstinus Gadaldinus Mutinensis transtulit, ex sermonibus Antylli de euacuantibus remedijs. Gadaldinus in sua translatione vtiliter quædam adiecit, quæ in vulgatis Galeni codicibus Græcis non leguntur, perfectiorem fortè aliquem codicem nactus.

Quidam captas hirudines diu includunt, eisque ad multa vtuntur. Ipsæ enim si mitescunt (ἐκμειλίξονται. malim λιμώττουσαι, id est famelicæ,) carnem facilè apprehendunt: cum aliæ nonnunquam peregrinè sese gerant. Oportet autem has quidem, cum primum eas experti fuerimus, applicare: quæ verò nuper captę sunt, per dies (*diem*) seruare, exiguum sanguinis pro nutrimento inijcientes. ita enim earum virulentia transpirabit (ἀποπνευσθήσεται, quidam verit, exprimetur. Gadaldinus videtur legisse ἀποπνευσθήσεται.) Sanè cum eis vti volumus, locus cui hirudines appplicandæ sunt, (τὸ βδελλισθησόμενον μέρος) nitro prius fricandus, ac sanguine alicuius animalis, vel argilla humida inungendus, vel fouendus, vel vnguibus scalpendus: (*pars cui applicandæ sunt, nitro fricari debet, dulcissimaque lauari aqua, deinde sanguine illini, Aetius.*) promptius enim apprehendent. oportet autem ipsas in aquam tepidam & puram, in vase lato magnoq; contentam inijcere, vt commotæ virus abijciant: mox, vbi eas spongia comprehenderimus, ac mucorem lentoremque purgauerimus, manu admouebimus. Atque vbi (omnes) inhęserint, oleum tepidum particulæ, ne refrigescat, infundemus. At si manibus pedibusue affigendæ sunt, pars ipsa in aquam, vbi hirudines sunt, immittenda est. Quòd si etiam eis vbi repletæ fuerint, vti oportuerit, vel quia paucæ hirudines præsto adfuerint, vel quia paucæ apprehenderint, earum caudas forpice incidere oportet. Nam effluente sanguine trahere nunquam desinunt, quousque nos salem, vel nitrum, vel cinerem, earum osculis inspergamus. Vbi verò exciderint, si locus cucurbitulam capere potuerit, per eius appositionem, virus extrahere debemus: validè nimirum ipsam apponentes celeriterque auellentes. Si verò cucurbitulæ capax non fuerit, spongijs fouendus is est. Cęterum si corpora vel oscula sublacryment, mannam, vel cuminum, vel farinam inspergito, ac postea lanam pauco madentem oleo conuoluito. sin sanguis etiam inde erumpat, linteola, vel aranearum telas ex aceto inijcito: aut gallam vstam aut spongiã nouam pice liquida intinctam ac vstam imponito: deinde chartula aceto irrigata, imponenda ac illiganda est. Hæc autem in partibus quæ in medio corpore habentur, sunt peragenda. Nã in brachijs & cruribus,

cruribus, quæ Græcè vno nomine κῶλα, id est, membra longa appellantur, solum etiam vinculum pro cohibendo sanguine satis est: quod postero die soluendum est: Sique sanguis constiterit, abiiciendum: si verò non constiterit, eisdem vtendum est. Scire autem oportet hirudines non ex profundo sanguinem trahere, sed eum qui carnibus adiacet, exugere. Eas autem in illis vsurpamus hominibus, qui scarificationum incisiones pertimescunt: vel in illis partibus, in quibus cucurbitula ob earum paruitatem, vel gibbositatem & inæqualitatem aptari non potest. Hirudines auellimus, quando eius sanguinis quem arbitramur exhauriri oportere, dimidiam partem attractam fuisse coniecerimus. Et postea vsque adeò effluere permittimus, quoad qui satis sit, excretus fuerit. Quoniam verò particula tum ab hirudinibus, quæ natura frigidæ sunt, tum ab aere refrigeratur, fouenda ipsa est, ac recalfacienda: sanguinisque fluxus non per refrigerantia, sed per astringentia & emplastica, vt diximus, est cohibendus.

DE HIRVDINIBVS EX MENEMACHO, EODEM INTERprete. Hæc non sunt in nostris codicibus Græcis impressis.

Hirudines locis affectis applicantur, vel (*in*) eis qui proximi non pinguibus sunt. Nam oleum, earum appetentiam subuertit. Porrò in angustiam stricti calami ab vtraque parte haud (*negatio abundat*) perforati, vel per quidpiam simile, cum aptandæ sunt, demitti debent. Earum numerus à duabus magnitudinibus, loci nimirum & affectionis, sumendus est. Auferantur, oleo calido earum labiis infuso. †† Quod post earum ablationem effluit, digitus impositus cohibet. Excretionis quantitas ab hirudinum erectione conspicitur: sed euidentius ea etiam apparet, si congregata fuerit, quando hirudines à corporibus diuulsæ, sanguinem euomuerint. †† Sanè loci, quibus aptari hirudines debent, superficietenus scarificandi sunt: vbi enim illæ sanguinem gustauerint, auidius ipsum appetunt. Aetius 3.22. Galeni verba, vt in impressis nostris codicibus habentur, repetiit: & Oribasius Synopseos libro 1. cap. 15.

Hirudinum ad extrahendum sanguinem vsus est, quippe eadem ratio earum, quæ cucurbitarum medicinalium ad corpora leuanda sanguine, spiramenta laxanda, indicatur, Plinius. Hirudo non eum qui in profundo est attrahit sanguinem, sed eum modo qui adiacet carni emulget, Campegius. Non probè igitur forsan Auicennæ interpres, profundius hirudines trahere conuertit, quam ventosas. Huic etiam pugnare videtur, quod paulò post scribit: hirudinum vsum aduersus morbos subcutaneos prodesse, vt safati, impetiginem & similes. Galenus scribit hirudinum vsum pro cucurbitulis esse posse, cum tamen hirudines dicat eum qui circa cutim est sanguinem tantum attrahere, cucurbitulas verò etiam profundius, & exuberantem materiam in corpore minuere, in capite scilicet de scarificatione. Sed scarificatio alia in superficie cutis tantum fit, pro qua nimirum hirudines vsurpari licet: alia profundius adigitur: quod & ante nos doctissimus Mundella scripsit: qui dialogo Medicinalium suorum tertio, plura de hirudinibus admouendis scribit, & quomodo earum vsus pro cucurbitulis esse possit. Sed vitium, quod admissæ semel, desiderium faciunt circa eadem tempora anni semper eiusdem medicinæ, Plinius. quod tamen ita euenire necessarium mihi non videtur: si vel sublata fuerit causa, propter quam adhibebantur: vel non sublata quidem illa, conueniens tamen victus & auxilia alia adhibita. Hirudinum vsus non tam ad nimium in sanis, quam vitiatum in neutris vel ægrotis sanguinem extrahendum admittendus est Incertus. Hoc epithemate pro cucurbitis & hirudinibus vtimur ad arthriticas & podagricas affectiones. nam serosos sanguinis humores exugit. facit & ad tofos ac duritias, vt inde dissoluantur: Farinæ fœni græci, floris lapidis Asii, lomenti fabæ nigræ molitæ, farinæ lupinorum, singulorum sextarium vnum. Omnia mixta, & aqua calida subacta, calida imponito, & fascia constringito. Oportet autem prius affectos locos perfundere, aut etiam in solito lauare. Cum verò fasciæ circundatæ, madidæ ac cruentæ factæ fuerint, pharmacum tollimus, & fotis locis, pastillo ex amygdalis amaris vtimur, & malagmate quod crocum, iridem & aristolochiam habet. Hirudinum vsum nostro seculo frequentiorem esse, quàm Galeni tempore fuerit, Mundella testatur. docetque idem non ante quam tempus inanitioni opportunum in morbo aduenerit, admoueri debere: ac ne in hæmorrhoidibus quidem cum dolor viget: sed in remissione morbi, vel symptomatum, doloris, tumoris, calorisque, ne materia magis attrahatur. Sanguisugæ non passim adhibentur, sed iis tantum particulis, quibus propter angustiam cucurbitulæ affigi non possunt, vt sunt labia, gingiuæ, & similes: aut quæ excarnes sunt, vt digitus, nasus, & similes, Albucasis. Applicantur aliquando illis qui venæ sectionem non sustinent.

Alia quædam in genere, de hirudinum applicatione.

Capiendæ sunt in aquis dulcibus, non putridis, Albucasis. Ruffæ maximè formidandæ vt inferius recitabo ex Plinio. Indi quidam (inquit Auicenna libro 1. Fen. 4. cap. 22.) hirudines aliquas non sine veneno esse tradunt. Cauendæ quarum magna sunt capita: & quę colore nigro, vel antimonium referente, vel virides sunt. item lanuginosæ, & similes marmaheigi: & in quibus apparent striæ coloris cærulei: & quarum color similis est almebacalbum. Siquidem hæ omnes venenosæ sunt: & excitantur ab eis apostemata, syncope, sanguinis fluxus, febris, laxitas, & vlcera mala. Vitandæ etiam quæ degunt in aquis prauis: quarum limus aluei est niger & cœnosus, & quæ commotione statim turbantur & fœtent. Eligendæ autem sunt ex aquis in quibus est altaleb, & in quibus morantur ranæ. neque auscultandum illis, qui hirudines ex aquis vbi versantur ranæ, vituperant. Color earum sit similis colori almes, in quibus est viriditas: & tendantur super eas fila duo colore arsenici. Probantur etiam ruffæ, rotundæ, colore iecinoris: Et similes paruæ locustæ, vel caudę muris similes; item minutę parua habentes capita. Pręstantissimę in quibus venter rubet, dorsum viret, pręsertim si ex aquis fluentibus fuerint. Meliores ac minus noxię ducuntur, quę rugatę ac lineatę in dorso sunt, (quę virgulas rubeas in dorso habent, aliquantulum rugatę, Albertus:) deteriores verò nigrę, Scriptor de nat. rerum. Varias eligit Trotula. Pręferuntur apud nos maiores, subuirides ex nigro, striis per longitudinem ruffis in quibus maculę nigrę sunt. facilius enim & amplius sugunt. minores & nigrę, ne incipiunt quidem, aut minimum sugunt.

Electio.

Præparatio. Sanguisugæ priusquam applicentur per vnum ferè diem colligendæ sunt, & constrictione (*conuersione capitis earum ad inferiora, Bellunensis. vide ne potius dicendum, compressione corporis earum, quæ veluti emulgeatur contentus in eis succus*) faciendum est vt euomant, donec quod in earum ventribus inest effluxerit, si fieri potest. deinde parum sanguinis agni aut alterius rei (*animalis alterius, aut lactis*) ipsis obiiciatur, vt inde nutriantur antequam adhibeantur. Tum comprehendantur spongia, aut aliquo simili, vt viscositas & sordes earum abstergantur. Locus præterea cui apponentur, cum baurach lauetur, & fricatione rubificetur. Demum cum admouere libuerit, in aquam dulcem proiiciantur, mundentur, & apponantur, Auicenna. Captæ dimittantur die & nocte in aqua dulci, donec famelicæ sint, & nihil in ventribus earum relinquatur. Euacuandum est autem corpus inprimis phlebotomia & ventosis: deinde fricetur membrum infirmi donec rubeat, & sanguisugæ iterum apponendæ, Albucasis. Adhibentur corporibus, vt superfluum sanguinem exugant. Sed quia etiam venenosa aliquando sugunt, & timendum est ne veneno infecti sint, prius in olla noua pauco sale aspersæ sunt maturandæ, vt venenum euomant, & postea calido sanguine agni parum cibandæ, ita quod eo aspergantur, & post duas horas vel tres post hoc corpori apponendæ, Albertus. Sanguisuga vrticis ac tribulis pungitur, vt venenum euomat: scilicet quod è bestiis, vt bufonibus, aut serpentibus aquaticis hauserit, Author de nat. rerum. In canna tum hæmorrhoidibus, tum aliis venis locisque, commodè apponuntur. Trotula locum prius vino lauat, cui hærere debent.

Vt libentius adhæreant. Vt libentius adhæreant, locus luto capitis (*de hoc scripsimus supra in C.*) linatur, aut sanguine, Auicenna. Si detrectent mordere & sugere, aspergatur locus sanguine recenti: aut fige acum in locis, donec emanet aliquid sanguinis: quem vbi senserint admotæ, statim adhærebunt, Albucasis. Sanguine vel potius lacte locus madefiat, Amatus Lusitanus. Adhærent etiam cauda, non sugunt tamen vt vix queant auelli. In aqua calida, (tepida,) & tempore calido, citius ad sugendum se applicant, Incertus. Dum mordent & sugunt, dolor quidam, sed exiguus sentitur, tanquam pungant simul & attrahant.

Vt cadant. Cum eas cadere volueris, insperge eis parum salis, aut cineris, aut baurach, aut setæ combustæ, aut lini, aut spongiæ combustæ, aut lanæ combustæ, (aut aloes tritæ, Albucasis,) & cadent, Albertus. Sale multo asperso, statim remittunt, Albertus. Violenter reuellendæ non sunt, ne capita aut dentes in vulnere relinquant. sale asperso, vel irrorato aceto decidere vidi: cùm cinis frustrà aspergeretur. Audio posse etiam remoueri pilo equino, inter os sanguisugæ & cutem districto. sed modus hic minus placet. Cum iam repleri sugentes incipiunt, emittunt primò humorem quendam phlegmaticum, albicantem: quo scilicet ipsæ nutriebantur. postea repletæ cadunt. Decidunt satietate, & pondere ipso sanguinis detractæ, aut sale aspersæ. Aliquando tamen adfixa relinquunt capita, quę causa vulnera insanabilia facit, & multos interimit, sicut Messalinum è consularibus patriciis cum ad genua admisisset. Inuehunt virus

Caudæ præcidendæ. remedio verso, maximeque ruffæ ita formidantur. Ergo sugentia ora (sic habent editiones Plinii vulgatæ. malim sugentium caudas) forficibus præcidunt, ac veluti siphonibus defluit sanguis, paulatimque morientium capita se contrahunt, nec relinquuntur, Plinius. Si velimus hirudines appositas easdem subinde sugere vt non decidant, donec nobis iam satis suxisse videantur: caudas forcipe incidere (ψαλίζειν τὰς οὐρὰς, amputare, quàm incidere, potius verterim (oportet, vt Galenus vel Antyllus monet. Debet autem abscindi cauda cum iam sugere cœperunt, (quanquam memini caudas iam sugentibus sectas videre, ipsasque mox cecidisse. fortè quod iam ferè plenæ essent. quare diligentius hoc considerandum,) non antea, ne apprehendere recusent. ea resecta dum sugere pergunt, sæpiusculè digitis pertractandæ sunt, vt non repleantur & sanguis transeat.

Si necessaria est iteratio sanguisugarum, mutare eas oportet, si plures sunt, Albucasis. Aceto perfusæ aut sale aspersæ, postquam remoueris aut ceciderint, sanguinem reuomunt.

Apotherapia, postquam ceciderint. Consultum est postquam cecidere, cucurbitulam loco applicari, & de sanguine loci parum detrahi, vt morsus earum malignitas (*si quæ est*) remoueatur, Auicenna. Cum impletæ ceciderint, optimum fuerit cucurbitulam adhiberi, si fieri poterit. Sin minus, vt si locus angustior est, abluatur aceto, deinde aqua multa, & fricetur, & exprimatur, Albucasis. Iubebat Galenus cucurbitulam hirudinibus remotis apponere, & locum per spongiam fouere, vt si quid ab illis venenosum relictum esset tolleretur. At nostræ hirudines nihil venenosi habere videntur, quamobrem ista negliguntur, Mundella.

Modus detrahendi sanguinis. Cum ceciderunt iam plenæ, permittunt eas aliqui in vase quopiam sanguinem reuomere, vt appareat quantum suxerint: & nisi sufficere videatur, admouent denuò, locum interim aqua mediocriter calida fouentes, ne sanguis densetur, vt rursus sugere possint. Sed quoniam vulnuscula multo pòst etiam fluunt, plus minus pro diuersis corporum constitutionibus, non satis certò ex ea quam revomuerint hirudines copia, modus coniici potest.

Vt sanguis cohibeatur. Sanguis etiam postea aliquandiu fluit, præsertim si parum ipsæ suxerint. Quòd si sanguis non constringatur, gallæ combustæ, aut calx, aut cinis, aut tegula læuissimè trita superponatur, aut alia ex eis quæ sanguinem constringunt, Auicenna. Si nimius sanguis profluat, zegi tritum insperges, aut gallas, & similia illis ex stypticis, donec sedetur. Aut ponantur super locum medietates fabarum excorticatarum, & dimittantur donec adhæreant fabæ in loco. nam sanguis sistitur hoc modo, Albucasis. Sanguisugæ in testa combustæ cinis imponatur, Albertus. Potest & bolo Armenia sisti, vel aloe cum aqua rosacea applicata. Ego vnam aliquando cum apposuissem manui experiundi gratia, & mox sale insperso remouissem, per horam vnam postea sanguis effluxit, sed parum & guttatim. Aegroto cuidam ex crure tumido & vlceroso hirudines aliquot adhibui, crasso, corpulento & multi sanguinis homini, fluxit autem per biduum ferè postea sanguis è vulnusculis, & bene tulit. Mulier quædam cum nimis multas (circiter XX.) hirudines admouisset cruri, donec iam plenæ caderent (nesciebat enim modum asperso sale eas pellendi) & sanguis etiam posteà aliquandiu copiosus fluxisset, in maximam debilitatem & periculum incidit, crure tamen posteà melius habuit.

Vbi adhibeantur. Quauis parte corporis adhibentur, venis etiam magnis pro venæ sectione, in manibus, pedibus, malleolis,

malleolis, post aures, fronti, capiti, dorso, &c. Sunt qui venis ipsis semper admouendas putent, alii nihil referre vbi sugant, tantundem prodesse. Sed hoc dignoscere prudentis medici est: refert enim qua parte sit morbus, & in superficie ne an altius. Medicum qui hirudinem venæ nigræ brachii dextri adhibuerat puero octo annorum in febri continua ob succos biliosos vna cum pituita corruptos, reprehendit Mundella in dialogis medicinalibus 3.2. Amatus Lusitanus Curationum suarum 1.10. vbi de febris sanguineæ curatione in puella septem annorum scribit: Alui beneficio præcedente (inquit) venam internam brachii secare iussi, & si non (sponte) flueret, vulneri hirudinem admoueri, vt inde sanguinem traheret, donec sua sponte caderet. quòd si casus (inquit) maiorem postulat euacuationem, aliam subiungimus. Idem alio in loco scribit de hirudine venæ sectæ apposita in puero quatuor annorum.

PER QVÆ CORPORIS LOCA VTILITER APPOnantur hirudines, particulatim, à capite ad pedes.

Ad quamlibet partem. Vulnus ab animali venenato inflictū, si angustum sit, amplietur phlebotomo, (loco prius ligato arctè post vulnus:) deinde cucurbitula imponatur, aut sanguisugæ circa vulnus, Arnoldus Villanou. Nicander etiam ictibus vel morsibus venenatis hirudines vtiliter admoueri monet. Sanguisugæ & cucurbitulæ super vulnus canis rabidi ponantur, Arnoldus Vill. Io. de Vigo in curatione gangrænæ: Cùm videris (inquit) locum ad nigredinem tendere, tùm statim nulla melior curatio est, quàm ipsam nigredinem diuersis scarificationibus scarificare & profundè, cum applicatione etiam sanguisugarum in circuitu corruptionis gangrenosæ, &c. Ad impetiginem & alia cutis vitia applicatas prodesse Auicenna testatur.

Ad capitis partes. In lethargo hirudines occipitio vel syncipiti adhibendas Gariopontus docet. Cum epilepsia fit ex melancholia, sanguisugæ apponendæ spleni: Vide infra ad splenem. In capitis fluxione vel dolore aliisque morbis, quidam eas admouent venis retro aures. item ad venas quasdam in osse coronali, quæ loco raso ad cutem & confricato apparent. Hippocrates cucurbitulas ossi coronali apponi iubet. Aliqui sanguisugas post aures ad exhauriendum sanguinem collocari docuêre, quæ omnem ferè vertiginis causam leuant, Alexander Benedictus. Insano cuidam venis post aures feliciter admotas audio. Oculis rheumatizantibus fronti superpositæ conueniunt, Kiranides. In doloribus & rheumatismis dentium aliqui sanguisugas gingiuis collocant, Alex. Benedictus. Idem sub mento eas apponi scribit, (certas ob causas vel dentium, vel alias.) Ad tollendos rubores faciei; Sanguisugas, quæ variæ sunt, apponimus in calamo, loco prius loto cum vino cui debent adhærere; scilicet circa nares & aures ex vtraque parte: aut ventosas ponimus super scapulas, Trotula. Io. Bauerius in Consilio ad ruborem faciei pustulosum, post alia remedia, Post tres dies (inquit) ponantur sanguisugæ duæ, primo iuxta aures, vna in quolibet latere: demum ponantur aliæ duæ, vna ab vtroque latere nasi vt sanguinem exugant. Author Additionum ad Breuiarium Arnoldi Villanou. lib. 2. cap. 4. in curatione botii gulæ, Cum botium (inquit) post remedia præscripta iam diminuitur in defectu Lunæ antequam deficiat Luna triduo ante; plures sanguisugæ ponantur in circuitu loci: quantum scilicet locus fuerit capax. Et remotis sanguisugis, dum exiuerit de sanguine competenter, appone in plagis quas ibi fecerunt, pulueris ellebori nigri: & id fiat semel quotidie per hoc triduum. Demum cura plagas illas vngento albo. Probatissimum est.

Ad iecur. Archigenes apud Aetium in curatione iecoris indurati circa initium: Si cataplasmatis (inquit) & malagmatis idoneis nihil proficias, hirudines admouendæ; plurimum enim momenti habet ad curationem sanguis earum suctu extractus. Admotę hydropicis conueniunt, Kiranides. coniecerit autem aliquis, quoniam iecur ferè in hydrope primo affectum est, iecori applicandas esse. quanquam & aliis partibus nimio humore turgidis eas adhiberi alienum non fuerit.

Ad splenem. Spleneticis, qui ex liene malè affecto laborant; hirudines ad ipsum viscus vtiliter imponi tradunt Serenus, Gariopontus, Kiranides: Cum epilepsia fit ex bile atra, stercus columbinum tritum, cum ouis coruorum misce; & ceu cataplasma spleni impone; appositis prius sanguisugis. hoc enim cataplasma materiam trahit à capite ad splenem; & generat febrem, & sic epilepticum liberat; & maximè si fiat in autumno, Arnoldus.

Ad satyriasin. Ad depulsionem satyriaci mali, defigantur in coxa cucurbitulę: optimę sunt autem & hirudines ad sanguinem deorsum attrahendum: & super vulnera cataplasma imponatur micę panis cum althęa, Aretęus. Alexander Benedictus quoque de satyriaca intemperantia & seminis incontinentia scribens: Si superabundans (inquit) materia fuerit; etiam sanguisugę impactę (*nimirum circa renes & lumbos: vel in coxis, vt Aretæus voluit*) iuuant.

Ad hæmorrhoides. Vt hęmorrhoides diuersas ob causas, aperiantur; & sanguinem atribiliarium remittant; hirudines vel manu vel potius per cannulam applicandę sunt: quod vtiliter fieri Alex. Benedictus & Amatus Lusitanus monuerunt: & nos etiam obseruauimus in homine melancholico feliciter hoc genus auxilii successisse. Hirudines in febri continua cum melācholia hypochondriaca; ano apponi, & sanguinis vncias sex detrahi, Mundella consuluit, vt ipse scribit in Dialogis 4.3. Idem Dialogo tertio refert, ad hęmorrhoides cuiusdam hirudines suo iussu appositas: quem post illas admotas cum iam saturę cecidissent, ministri in balneo aquæ tepidę posuerunt, vt amplius exiret. exiuit autem tantum vt is ferè exanimatus sit, nesciente medico: pulsus omnino paruus, & visus ferè amissus. Addit quod alii etiam in simili casu (multo sanguinis profluuio aut visus aut alterius sensus, aut membri alicuius, vt brachii; crurum) maximam debilitatem inciderint. Leniri dolores hęmorrhoidum, vapore aquę calidę: sed eo solo interdum vlcuscula à sanguisugis inflicta ita aperiri vt sanguis sisti vix possit: quodque ipse aliquando non aliter sistere potuerit quam medicamento Galeni ex aloe, thuris manna, & oui albumine, & pilis leporinis.

Sunt qui mensium prouocandorum gratia mulieribus ad venas malleolorum applicant.

Ad malleolos, crura, & pedes.

Mundella cruri inflammato apposuit, Dialogi primi 3.3. Multi podagræ quoque admittendas censuere, Plinius. Sunt quibus apposita siccatur hirudine sanguis, Serenus ad podagræ malum iam fixum. Nouimus nos podagricum cui ad malleolum apposita sanguisuga profuit. Equorum cruribus admotæ, salutares existimantur, vnde etiam ab equis hirudines ab Anglis denominari putant: nostri non quasuis sed maiores tantum ab equis denominant.

ADVERSVS HIRVDINES SI CVM POTV HAVSTÆ *fuerint, & vel ori ventriculi vel faucibus adhæreant.*

Galenus de signis haustæ hirudinis.

Quòd si pluribus deinceps diebus aliquis cruorem & screauerit, & emunxerit, idque citra capitis vel dolorem, vel grauitatem siue præsentem, siue præteritam: neque is ex ictu procedat: huius & totum per nares meatum, atque eam oris partem, qua ad nares foramen tendit, accuratè considerare oportet. Nam fieri potest huiusmodi accidens, hirudine huic loco adhærente, quæ quidem in dies augeri solet. quamuis enim primis diebus, vtpote exigua, sensum effugiat, tertio tamen, quartoue die, haud obscurè videri potest. Eadem ratione ex ventriculo quoq; cruor epota sanguisuga euomitur: sed est huiusmodi cruor tenuis ac serosus, siue is ex ventriculo, siue naribus, siue ex ore feratur. Igitur cum talem videris, ac hominis considerato habitu, super præteritis eum interrogaueris, ex omnibus, rei ipsius veritatem facile coniicies.

Historia.

Equidem cum viderem hominem integra valetudine, huiusmodi cruorem euomentem, interrogaui qua victus ratione antea fuisset vsus: ille verò inter alia quæ narrauit, hoc quoque addidit: quòd cum nocte quadam sitiret, misso puero qui aquam afferret, ex immundo fonte bibisset. Quibus auditis, sciscitatus sum, apparuissent ne aliquando sanguisugæ in ipso fonte. Qui cum id quoque faterentur, epoto subinde idoneo pharmaco hirudinem vomitione reiecit.

Alia historia.

Porrò cum alius quispiam huiusmodi cruorem emungeret, & expueret, ipso narrante audiui, eum ruri æstatis tempore, in stagno quodam, cum cæteris iuuenibus iuuenili ludo, qualem adolescentes in aqua ludere solent, exercitatum. Tum ego sciens in eo stagno sanguisugas esse, duxi laborantem ad splendorem, conuersoque directè ad Solis radios narium foramine, in eo meatu vbi nasus ad oris regioné perforatur, hirudinis in meatu latentis caudam conspexi.

Dioscorides.

Deuoratæ cum aqua hirudines, si ori ventriculi adhęrent, tractione partium, nonnullam suctionis imaginem præbent. eo enim argumento hausta hirudo deprehenditur. Has muria sorbitione excutit, & Cyrenaicus succus, aut laserpitii folia, aut betæ, cum aceto, aut pota niuis glebula cum oxycrato. nitrũ ex aqua gargarizatur, aut atramentum sutorium aceto dilutum. Si faucibus hęreant, iniecta lupinorum farina, aqua frigida ore contineatur: & ad eam hirudines exilient, Dioscorides libro 6. cap. 32. Io. Ruellio interprete. Participium ἑλκύσας ab initio, vbi vertit tractione partium, à verbo ἕλκω, licebit etiam vlcerantes interpretari, à verbo ἑλκόω. Sed maioris est momenti, quod circa finem transtulit, iniecta lupinorum farina, vbi Græca verba sunt, ἐμβιβάσας εἰς ἔμβασιν θερμὴν: Marcellus Vergilius meliori fide, facito (transfert) in calidam aquam descendant. Eadem ex Dioscoride verba Paulus Aegineta repetiit, qui causam quoque huius consilii addit. Si in embasin (id est solium vel labrum) aqua calida plenum descẽderit, cui faucibus hirudines adhærent, simulque frigidam ore continuerit, exibunt illæ, frigidioris aquę desiderio. Vnde coniicimus sic affectum non simpliciter aquæ calidę insidere oportere, sed profundius vt collum etiam mergatur: ita vt locum calentem refugiant hirudines, neq; in gulam descendant, sed frigidam quæ in ore est sequantur: quam sententiam Aetius quoque, cuius mox verba recitabimus: & alii quidam veteres, probant. De lupinis nemo quicquam. lupinos quidem Gręci θέρμους appellant. sed quid hoc ad illud ἐμβιβάσας εἰς ἔμβασιν θερμὴν; Non probo quod Alexander Benedictus scribit, conuenire balneum pleno aquæ tepentis ore. frigidam enim, non tepidam, ore contineri oportet. Remedium ex niue cum oxycrato pota, in quibusdam Dioscoridis ęditionibus non legitur, vt Goupyli: Marcellus Vergilius quoque notat tanquam in quibusdam exemplaribus Gręcis non reperiantur. apud Aeginetam tamen & Aetium legitur. Nicander quoque oxycratum vel per se dari iubet, vel cum niue. Καί ποτ' ἐν δεπάεσσι κεραιόμενον ποτὸν ὄξευς Νείμειας, ποτὲ δαῖτα συνήρεα χιόνι δέσσαν, Πολλάκι κρυστάλλοιο νέον βορέησι παγέντα. Mixtum aceti potum, oxycratum interpretor. δαῖτα συνήρεα, potum mixtum. πολλάκι videtur abundare ad sensum. Niuem enim si haberi queat, vt cum nuper boreas aquam gelauit, misceri iubet: sin minus, oxycratum per se dari. Sed hirudines eo tempore quo niues cadunt, vix reperiri puto, in terra occultatas per hyemem. Per ęstatem niuis repositę & seruatę vsus esse poterat, aut pro niue glaciei. In Polonia hodie locis hypogeis & glaciei frusta complura sibi inuicem imposita, sine alio tegumento, & niuem ipsam scobe lignorum (quę colligitur vbi runcinatum [sic serras magnas appello, quę rotarum impetu vt molę apud nos aguntur] raptu arbores diuiduntur in axes) opertam, facilè seruari audio: & similiter olim Romę etiam seruare solebant. Salsa quidem omnia sanguisugis aduersantur, pręsertim si cum aqua calida sumantur, vt sal ipse, & salis flos, & aqua marina. hęc enim Nicander commendat: qui cum fodere iubet salsam terrę glebam, de sale fossili loquitur, quem bibi cum aqua pręcipit. cum verò dicit,

Nicander.

ἢ αὐτὴν ἅλα βάλλε, &c. de sale marino, siue Solis siue ignis vi densato. Deinde πολλάκι δ' ἢ ἅλα πηκτὸν, de vtroque intelligi poterat, sed de marino potius sentit poeta, (cum de altero satis iam dixerit,) quem bibi similiter iubet. Scholiastes nec satis aptè distinguit, neque rem satis declarat. Acida muria hirudines sorbitione aut gargarizatu necat, Dioscor. 5. 16. Acetum si sorbeatur voratas hirudines eiicit, Idem 5. 14.

Aetius.

Aetius lib. 13. cap. 56. distinctius & melius cęteris plerisq; de hirudinibus haustis tradidisse mihi videtur: quamobrem eius primum, deinde aliorum quoque verba recitabo. Hirudines (inquit) cum aqua deuoratę faucibus adhęrent, aut iuxta quempiam stomachi locum, aut ipsi ori ventris. Et primum quidem sensim exugunt sanguinem: expletę autem, his quę deglutimus viam obstruunt. Super expletę verò etiam sanguinem quem exuxerunt foras profundunt, (sanguis floridus screando expultur, Aegineta,) vt imaginationem inducant tanquam sanguis ex internis locis reiectetur. Cęterum qui affectis cõtingit exuctionis sensus, (ex eo quòd veluti sugitur & mordetur os ventriculi, Aegineta.) is signum sit tibi hirudinem deglutitam esse. Excutit autem ipsas muria, continuè & paulatim absorpta: atque multo magis

to magis muria acida (oxalmè) cui admixtum est laser. Idem facit & nix aceto dissoluta, & assiduè absorpta. Gargarisset insuper nitrum cum aqua, aut aquam marinam, aut atramentum sutorium cum aceto, aut sinapi aut hyssopum, aut origanum. Si verò infernè circa os ventris hirudo adhæreat, prædicta itidem omnia bibenda dato, præter sutorium atramentum. Vtendum etiam his quæ aluum soluere possunt, aut medicamento purgante. cum excrementis enim exire consueuerunt. Nos autem per allii multi esum (*ex Galeno de simplic. medic. lib 11.*) has eiicientes, nullo ex prædictis opus habemus.

Allium.

Quòd si allia ad manum non sint, cepe aut porri, aut nepita viridis, aut lepidium proderunt. At si hirudo in narium meatibus adhæserit, per medicinas purgantes per nares curationem moliemur: quæ ex aceto acri, nigella, elleboro, elaterio & similibus constant. Et cum specilli nucleo in os impellemus hirudinem: vel cimices tritos narium foramini, in quo hirudo est, imponemus. Quæ postremò gutturi affixæ sunt, hoc modo excutere oportet: Aegrum in solium calida expletum vsq; ad collum immittito, & frigidissimam aquam ore tenendam exhibeto, eamque frequenter permutato. egredietur enim inde hirudo, frigidæ appetentia prolecta, Hucusque Aetius.

Aegineta. Galenus.

Aegineta lib. 5. cap. 37. præterea nihil affert, & pauciora etiam quàm ille. Galenus lib. 2. de antidotis sic scribit: Hirudinem deuoratam alii muriæ potu, alii niuis excutere hortantur. Asclepiades autem lauare præcipiebat, & spongiam teneram frigida imbutam faucibus demittere, vt hirudo spongiæ infixa extraheretur, ac deinde lenticulæ succum porrigebat. Externam colli refrigerantibus obducere (καταπλάττειν) hortabatur. At Mys Apollonius acetum quàm acerrimum propinabat item cum muria. ille niuis gleba calefacta solutaque vtebatur: & esculentis poculentisque aluum tempestiuè purgantibus hirudinum excernendarum gratia. nam has vna cum iis quæ per aluum eiiciuntur deferri sæpe adfirmat. Idem Euporiston 3. 147. Eos qui hirudines deuorarunt, aduersus solem constituito, & locum vbi inhæreant, animaduertito, & garum ipsis instillato, statim enim locum relinquunt & expuuntur. aut acetum cum butyro mistum, in quo ferrum candens extinctum sit, potui dato: hirudines enim eiicit. aut eum, qui hirudinem deuorarit, in calidam aquam mento tenus demittito: phialam verò frigidæ, plenam ori eius admoueto, sed potui ne dato: statim hirudo exibit. Aliud. Hirudines deuoratas calidum acetum absorptum excutit, aut succus syrincus epotus, aut suffiti cimices. Et rursus cap. 225. Ad hirudines: Aristolochiam terito, & sale conspergito. In eo aceto, in quo prius ferrum feruens sit extinctum, butyrum missum & calefactum paulatim, (*malim vel lum paulatim ad sequentia referre*) si absorbeatur, eiiciet de stomacho sanguisugas, Marcel. & Plin. Si sanguisuga epota est, acetum cum sale bibendum est, Celsus.

Celsus. Largus.

Hirudinem deuoratam & adhærentem faucibus, eoque ipso molestiam titillationemque quandam præstantem, excutere oportebit aceto quamplurimo epoto per se, vel cum sale, aut nitro, aut lasere. Idem faciunt & niuis glebulæ quamplurimum deuoratæ, Scribonius Largus. Fructus arboris garab (*quæ nascitur iuxta Euphraten, Bellunensis. nostro orbi, & eruditis hodie ignotam puto*) extrahit sanguisugas, Auicenna.

Auicenna.

De sanguisugis in potu haustis Auicenna lib. 2 Fen. 9. cap. 5. Hirudines quædam (inquit) adeò sunt paruæ, (filares, Albertus) vt difficile sit ab eis cauere. hæ deglutitæ aliquando ita adhærent gutturi vt visu deprehendantur: alias interius gulam (meri) aut stomachum (os ventriculi) ipsum infestant: & immorantes multum sanguinis exugunt: vnde auctis eorum corporibus manifesta earum magnitudo fit. Inde affecto accidit angustia, tristitia, sputum sanguinis. Ergo si quis sanus aliquoties sanguinem expuerit subtilem, fauces inspiciat, an alicubi hæreat hirudo. Pelluntur autem gargarismis & vaporibus, si prope guttur fuerint, vel chirurgia, sicut dicetur: caputpurgiis, si circa nasum. Si verò in profundo & in stomacho fuerint, cum eis quæ vomitu & solutione vermes educunt, & similibus. Aut submergat se homo in aqua calida, pręsertim post assumpta allia (*si hirudo circa fauces affixa sit, ac sursum educi posse spes fuerit, non conuenient fortassis allia, deorsum impellentia.*) Deinde indesinenter aquam frigidã subinde recentẽ ore assumat, donec hirudo remittat, & locum frigidum sequatur. quod si etiã opus fit ob nimium calorem syncopem sustinere; fiat. optima enim hęc educendi ratio est. Sæpe quidem vel allia sumpsisse satis est, & morari in Sole, ore aperto iuxta aquẽ frigidã. Sunt qui alfesafes, id est cimices propinent cum aceto & vino. aut suffitum ex eis ad guttur emittant per collũ. Acetũ solũ etiã quandoq; extrahit eas è gutture, præsertim cum sale. Ex gargarismis confert qui fit cũ aceto & assa fœtida solũ: vel de sinapi cũ duplo baurach: vel de sinapi cũ ęquali sale ammoniaco: aut gargarismus cum sceha cum dimidio sulphuris, aut absinthii cum æquali nigella: aut acetum cui incocta sint allia, & sceha, & lupini, & colocynthis, & sirachs. aut aceti vnicę duę cum drachmis tribus baurach, & salis ammoniaci drachmaj. & allii dentibus duobus. Succus etiam foliorum algarab, peculiari quadam vi gargarissatus eas educit, sicut & acetum cum assa fœtida. aut alchalchotar & aqua. Sin iam descenderit ad stomachum, remedio vtemur, quod recipit scehę, abrotoni, absinthii, nigellę, lupinorum, costi, brengi, (*Vetus interpres pro brengi habet nasturtii, & mentastri*) kebuli sirachs, ana drachmas duas. misceantur cũ aceto. Vescatur etiam affectus alliis, cepis, porris, calamintha aquatica, sinapi condito, & alliis calidis atq; acribus. deinde vomat, si facilis ad vomitũ fuerit. sin minus, res salsę & acres ei conuenient. At si naribus inhęserit hirudo, fiat caputpurgium cum aceto & nigella, & succo cucumeris asinini, & elleboro. Cumque iam remiserit, caueat sibi affectus à clamore & loquela. Quod si fluat sanguis, siue euomatur, siue per aluum copiosius descendat, curatione fluxui sanguinis debita curetur. Hermodactyli vim insignem habent expellendi illud (*nimirum hirudines stomacho aut ventriculo hærentes.*) Porrò è faucibus chirurgico instrumento extrahetur hac ratione: Affectus os suum in sole aperiat, & lingua eius extremitate instrumenti cochleario similis deprimatur. cumque apparuerit sanguisuga, ponatur instrumentum chirurgicum in radice colli eius, vt non incidatur. Eodem quidem instrumento hæmorrhoides quoq; remouentur, scilicet ex naso, Hæc Auicenna.

Matthiolus.

Hirudines rarò in aliis aquis inueniuntur, quàm in palustribus, lacustribus, & stagnantibus. quandoquidem in probatissimis fontibus, & arenosis & saxosis fluuiis non nisi rarissimè viuunt, cum suapte natura cœno ac limo delectentur. Quamobrem caueant qui palustres vel stagnantes aquas bibunt, ne hirudines simul ingerant; quemadmodum inexpertis viatoribus nonnunquam euenit. nanque æstatis tẽpore, calore & siti defatigati, dũ aquã, cuicunq; in itinere obuiauẽrint, auidè potant, sæpe imprudenter hirudines hauriunt. quo fit vt & sanguinẽ sibi exugi sentiãt, & (vt Auicenna

C Auicenna inquit) cruenta expuant, ac præ timore melancholici fiant. (*Angustiam & tristitiam Auicenna sic affectos comitari ait, non melancholiam. Aetius imaginationem induci ait, t inquam sanguis ex internis locis reiectetur, vnde tristitia nimirum & quasi melancholica quædam excitatur.*) Inuestigandum igitur primo est, an animal ori ventriculi, an gulæ adhæserit, an ipsis faucibus, id quod facile intelligi potest ex eorum, qui hirudines hauserint, relatione. quoniam vbi suctionem sentiunt, nimirum ibi hirudinem fixam esse significatur. Quòd si ori ventriculi affixa fuerit, auxilium præstat lixiuium cum sale & aceto, aut raphani domestici succus cum aceto: aut oleum crudum haustum, quod per se tantum hæc interficit animalia. Si verò guttur medium ab hirudine obsideatur, proderit acre lixiuium gargarizare, aut aquam in qua alumen cum aceto inferbuerit, vel chalcanthum: aut muriam cum lixiuio, aceto & sinapi simul cõmistis. Interdum contingit quod statim sub linguæ radicibus, vel in primis faucium partibus adhærescit, ita vt depressa lingua videri possit: tunc rostratis forcipibus facile extrahi poterit, vel quouis alio instrumento quod cuique in promptu fuerit. *Alex. Benedictus.* Ex Alexandri Benedicti Curationum 7.27. Sanguis (vt tradit Galenus) tenuis destillat, cum angustia animi ac languore, irrequieto corpore, cæteris membris immunibus. Aceto calido (vt tradit Dioscorides) sponte abscedit è gula, mali medici item succo, vel folio ficulneo commanducato, allioque ex aceto, ebuli succo salicis, sinapi ex aceto, melanthio, lupini decocto. Omnia denique amara & salsa gargarismate efficacissima sunt. Armoniacum cum rutæ succo potum valet, & melanthion quoque suffitu. *Cimices.* Butyrum quoquo modo datum valet. Florentinus ait cimices suffitu adhibitos, hirudines pernecare: ab illisque pari vicissitudine & ipsas è medio tolli, si tentoriis vndique circumcludatur grabatulus, vt graueolentia expirare non possit. Sanguisugæ suffitæ cimices interficiunt: & contra cimices suffiti, educunt potas sanguisugas. est enim mutuum naturæ dissidium, Kiranides. Suffitu cimicum abigere sanguisugas adhærentes (docent aliqui:) haustasq; ab animalibus restringere in potu datos, Plinius. Cimices poti cum vino aut aceto, adhærentes sanguisugas abigunt, Dioscor. Cimicum in carbonibus positorum fumus remedio est, si ore hianti & faucibus apertis excipiatur. eiici enim & expelli deuoratas sanguisugas hac ratione certissimum est, Marcellus Empiricus. Quærendum an fumus omnis per se aduersari eis possit, vtpote mordens & penetrans, & calefaciens: vt nihil momenti huc odoris adferat fœditas. Constantinus Afer de morbis noscendis & curandis 5.9. præter ea quæ cum aliis scriptoribus communia habet: Hirudo (inquit) si in palato aut vicinis partibus, ore ad Solem aperto videatur, forficibus extrahi debet. Si verò non apparet, gargarismi & alia remedia idonea adhibeantur. Affectus aquam ne bibat. Mittamus vasa vitrea in Sole aqua plena, quæ moueamus ante os infirmi. Tragacanthæ pollinem insflemus ori, (*item*) carbonum (*cineris*) nigellæ vel absinthii. Gargarismus fiat è sapa vel aceto: vel lotio caprino cum sale. Quòd si reiectis illis sanguis adhuc nimium fluat, astringatur remediis in capite de sanguinis screatu traditis.

Si sanguisuga (inquit Albucasis libro 2. chirurgiæ, cap. 39.) apparuerit in gutture alicuius ad Solem, lingua instrumento depressa, extrahe eam vncino paruo, aut gesti (*instrumentis*) subtilibus & idoneis. Hoc si fieri nequit, cannulam concauam in guttur immitte, & per concauitatem cannulę ferrum ignitum insere. Fac hoc multoties, & abstineat infirmus ab aqua die tota. deinde accipiat vitreatam (*pateram vitream*) plenam aqua frigida, & aperiat os suum in ea, & simul colluat os eadem, nec inde quicquam deglutiat, & moueat aquam vna atque altera hora manu sua. Sanguisuga enim illico cum sentit aquam cadit. Si autem non egreditur hac ratione, suffiatur cimicibus, aut asa, instrumento de quo dixi in mentione de suffitu vuæ. Hoc fac multoties, & cadet. Suffitus autem cõmodè fiet per ollam, in qua sint prunæ ignitæ, & olla sit clausa operculo suo per medium perforato. foramini inseratur extremitas instrumenti: alteram extremitatem recipiat ore affectus, & os claudat, ne fumus egrediatur, donec ad sanguisugam peruenerit. Impatiens enim illa fumi, cadet. Quòd si non cito cadat, perseuerandum in suffitu, quandiu infirmus ferre potest. In cibis conueniunt salsa & allia: abstinendum autem aqua. (*Post hæc verba delineatur instrumentum, quo extrahitur sanguisuga si in conspectum venerit.*) Et est simile, inquit, forcipibus, nisi quod curuum est vt possit intromitti ad guttur. Extremitas eius est similis rostro ciconiæ, limæ instar exasperata (*intus,*) vt, quod apprehenderit, nullo modo remittat.

SI QVADRVPES ALIQVA HIRVDINES HAVSERIT,

Eadem quæ homini qui hirudines hauserit, remedia & obseruationes, quadrupedibus etiam conueniunt, quæ tamen in quibusdam, præsertim iumentis, efficaciora maioráue copia dari oportet. Ruta quadrupedum quoque morbis in maximo vsu est, &c. si sanguisuga exhauserit, ex aceto: & quocunque in simili morborum genere, vt in homine, temperato, Plinius. De hirudinis à boue hausti pernicie in Boue diximus: item à cane, elephanto, equo, oue, in singulorum historia, litera C. Absyrtus equo resupinato, oleum calidum vino mixtum, per cornu infundit: aut cimices prope nares eius vrit, aut in ipsis naribus eius occidit. sic enim (inquit) statim vel excident, vel morientur. idemque auxilium bobus quoque & aliis animalibus vtile est. Si bos aut alia quadrupes hauserit potu hirudinem, contundens cimices animali eos olfaciendos apponito, statimque illam abiiciet, Anatolius in Geoponicis 13.17. Cruciatum elephantes in potu maximum sentiunt hausta hirudine. hæc vbi in ipso animæ canali se fixit, intolerando afficit dolore Plinius.

ALIA EX HIRVDINIBVS REMEDIA: ET PRImum ex eis crematis ad psilothra: deinde in vino vel aceto putrefactis, &c.

Sanguisugarum in olla combustarum tritus delicatissimè cinis, & vulsis pilis palpebrarum impositus vel inspersus, renasci eos non finit: Marcellus Empiricus, & Aetius 7.67. Sanguisugæ tostæ in vase fictili (nouo) & ex aceto illitę, psilothri contra pilos (palpebrarum euulsos) habent effectum, Plinius duobus in locis. Idem Kiranides tradit, additque non amplius renasci. Et Samonicus his versibus, sub lemmate

lemmate Si oculi infestentur pilis palpebrarum: Nec non & stagnis cessantibus exul hirudo Sumitur, & viuens Samia torretur in aula. Hæc acidis vngit permista liquoribus artus. Probabile autem est non in palpebris solum, sed in aliis etiam corporis partibus eandem vim valere similiter. Capillum denigrant sanguisugæ, quæ in vino nigro diebus sexaginta (*alias quadraginta, vt Marcellus quoque habet*) computruere. Alii in aceti sextariis duobus sanguisugarum sextarium in vase plumbeo iubent putrescere totidem diebus, mox illini in sole. Sornatius tantam vim habere tradit, vt nisi oleum ore contineant qui tingunt, dentes quoque eorum denigrare dicat, Plinius. Idem remedium Marcellus Empiricus his verbis transcripsit: Sanguisugarum sextarius duobus sextariis nigri vini miscetur, & 40. diebus in vasculo plumbeo diligenter clauso maceratur, postmodum cum ipso vino conteruntur hirudines, & in sole calido capiti deraso, ad permutandos capillos, earum succus imponitur. oleo, ne dentes inficiantur, donec siccetur medicamen, in ore detento. Sanguisugas quomodo naturalibus adhibeant sponsæ mentientes virginitatem, Arnoldus Villanouanus describit in Breuiario 3.6.

Sanguisugas super tegulis vrunt quidam, & miscent cum aliis quibusdam aduersus tineas accipitrũ, vt locos affectos illinant, vt scripsi in Accipitre E. Easdem in cibo datas per se, vel cum carnibus, vel puluerem ex eis, mutationem pennarum in accipitre accelerare aiunt, Albertus.

H.a. Hirudo, quod ad prosodiam, primam breuem, mediam productam habet. Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo, Horatius. Per translationem vsurpatur pro exhaustrix. Accedit illud, quod illa concionalis hirudo ærarii, misera & ieiuna plebecula me ab hoc magno vnicè diligi putat, Cic. ad Att. lib. 1. Βδέλλα trochæus est Nicandro & Theocrito. Ineptè quidam pisciculos Germanis *Pfellen* dictos, βδέλλας appellant, vocabuli quadam similitudine, nulla rerum affinitate, nullo veterum exemplo. Βδέλλω (lege βδέλλα) apud Hippocratem in maiore Prorrhetico & secundo, vt quidam inscribunt, venam varicosam sic nominari scribit Dioscorides. mihi verò nomen hoc propriè de animali illic positum videtur, Galenus in Glossis. Locus est circa medium eius libri. Quibus guttur (inquit) sanguine impletur die & nocte, neque vllus dolor capitis, &c. (neque certa alia causa) præcessit, nares illius & fauces inspicito, si fortè vlcus in ea parte vel βδέλλα appareat. Βδελλίζειν verbum pro eo quod est hirudines exugendi sanguinis causa apponere, Anthyllus vsurpat. βδελλολάρυγγες, homines gulosi, tanquam hirudines epularum lautiorum. Τῶν βδελλολαρύγγων ἀνεπαγγέλτων (ἀκλήτων interpretatur Suidas) αὐτῷ φοιτήσας ἐπὶ δεῖπνον, Cratinus ad Dionysalexandrum.

Epitheta. Fluuialis hirudo, Serenus: sed palustris potius cognominari debebat. Limosa, Pierius Valerianus. Βδέλλα αἱμοχαρής, Philes. φιλαίματος, Nicander. λιμνᾶτις, Theocritus. Διεροὺς δὲ γονὰς κυανόχροα λίμνης Ἑρπετὰ τειρομένοιο κατὰ χροὸς ἐστήριξε, Oppianus de medico hirudines apponente.

Icones. Hirudo quoq; aquatile animal significata quædam habet hieroglyphica, inquit Pierius Valerianus. Primum enim sanguinarius homo, deinde insatiabilitas per eam innuuntur. Crudelissimum siquidem hominem, & humani cruoris auidissimum, per eam significari notius est, quam adnotare oporteat. Et Cimætha apud Theocritum pharmaceutria, non aliter ab amore sibi sanguinem exuctum lamentatur, quam si limosa hirudo corpori suo applicata fuisset.

Αἰαῖ ἔρως ἀνιαρέ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα Ἐμφὺς ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

Heu crudelis amor, nostro saturate cruore, Summæ affixa cuti velut hunc suxisset hirudo. Verùm ea etiam insatiabilitatis est signum: quandoquidem ad suctum admota non prius ab opere desistit, quam tota sit supra modum sanguine tumefacta. quod ita expressit Horatius: Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Hirudinaria herba quædam, palustris, vt puto, alicubi à Germanis quibusdam appellatur: qua deuorata oues hirudinibus repletas emori aiunt. Galli, vt audio, herbam Duue, nuncupant: & similiter ipsas hirudines paruas, quæ in corrupto ouium iecore sæpius reperiuntur.

Iam ego me vortam in hirudinem, atq; horum exugebo sanguinem, Plautus Epid. c.

Prouerbii speciem habet Horatianum illud in Arte poetica: Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo. h. Quadrabit in homines nimium sedulos, & quibusuis in rebus immodicos. Cuiusmodi nonnullos videas, qui cum semel cœperint, nullum faciunt finem, donec defatigati desistant: nec rationem vllam habent alieni fastidii, sed suo tantum animo negotii modum metiuntur, Erasmus Rot. Horatiani carminis veluti paraphrasin Oppianus dedit his versibus:

Ὡς δ᾽ ὅταν ἰητὴρ πολυμήχανος ἕλκος ἀφύσσων Οἰδαλέον, τῷ πολλὸν ἀνάρσιον ἔνδοθεν αἷμα
Ἐννέμεται, διεροὺς δὲ γονὰς κυανόχροα λίμνης Ἑρπετὰ τειρομένοιο κατὰ χροὸς ἐστήριξε·
Δαίνυνται μέλαν αἷμα. τὰ δ᾽ αὐτίκα γυρωθέντα Κυρτοῦται· καὶ λύθρον ἐφέλκεται, οὐδ᾽ ἀνίησιν
Εἰσόκεν αἱμοβαρῆ, ζωρὸν ποτὸν αὖ ἐρύσαντα Ἐκ χροὸς αὐτοκύλιστα πέσῃ μεθύουσιν ὁμοῖα.

Hirudine bibacior prouerbialiter ab Erasmo Rot. dicitur. sic Græcè superiùs βδελλολάρυγξ. Sanguisuga duas habet filias clamantes, Affer, affer, Prouerbiorum Salomonis 30. Vide in Crocodilo A. inter Quadrupedes ouiparas.

DE HIRVDINE MARINA, RONDELETIVS.

B In mari Hirudo & marinis stagnis viuit, ei quæ in aquis dulcibus nascitur persimilis. Digiti est magnitudine. Ceruice est graciliore, cauda paulo crassiore. Os & caudæ extremum Polyporum acetabulis similia sunt, vt eorum adhæsione sese trahant. Corpus insectorum modo ex multis annulis circulisve constat, sed duriore cute quàm palustres: quod in causa est, cur non ita in globum se contrahere, nec ita se colligere possint, sed caudam tantum & caput proferunt & retrahunt. Interna omnia continuo ductu producta & indistincta.

C In luto viuit, virus olet.

F Cibo idonea non est: pisces tamen lutosi & litorales ea vescuntur.

G In oleo antiquiſſimo decocta aurium dolorem ſedat: in oleo amygdalino, vel chamæmelino, dolorem hæmorrhoidum. In vino, vulneribus neruorum & conuulſionibus vtilis eſt. Vſtæ alopecias cum aceto curant.

Lampetra. Idem Rondeletius alibi de lampetra piſce ſic ſcribit: Bdellam, id eſt hirundinem, marinam vocemus licet, Strabonis exemplo, qui ſcripſit in quodam Libyæ fluuio naſci βδέλλας ſeptenûm cubitorum, quæ branchias habeant perforatas, ita vt per eas reſpirare poſſint. Nam lampetræ ore ita ſaxis & nauium clauis hærent, vt optimo iure βδέλλαι ἀπὸ τοῦ βδάλλειν, id eſt ab emulgendo dicantur.

DE HIRVNDINE, RONDELETIVS.



A EX piſcibus rotundis rubeſcentibus (quorum alii ſunt ſquamoſi, alii minimè) omnes vel apud antiquos celeberrimi ſunt, vel notas certiſſimas & maximè illuſtres habent, quibus ab aliis diſſident. Ex his eſt χελιδὼν Græcis, hirundo Latinis dicta, ſanè perquam ſimilis volucri hirundini. Quam ob cauſam idem nomen ab omnibus ferè gentibus ſeruatum eſt. nam huius ætatis Græci χελιδόνα vocant addita voce ψάρι, ad diſtinguendum piſcem ab aue. Noſtri arondelle. Maris Adriatici accolæ rondela vel rondola. Maſſilienſes rondole. Hiſpani Volador. Gallorum nonnulli Volant, quod auis inſtar ad lapidis iactum extra aquam volet. Alii papilionem. Alii ratepenade, id eſt veſpertilionem, quod colore, alarum magnitudine maculiſq; veſpertilionem æmuletur. Quæ tamen ſi attentius conſideres, tum etiam volatum (demiſſe enim volat, quemadmodum aues è flumine aquam hauſturæ, vel è terra feſtucas cibumve collecturæ) hirundini volucri magis quam veſpertilioni aſſimulaueris.

B Hirundo igitur piſcis eſt marinus, pinnis caudaque expanſis hirundini volucri perſimilis. Capite eſt oſſeo vt teſtudo, quadrato, duro, aſpero, cuius poſterior pars in aculeos duos deſinit ad caudam ſpectantes. Branchiarum opercula oſſea ſunt, in duos itidem aculeos deſinentia, qui pinnam quæ ad branchias eſt ferè attingunt. Vtrinque in oris ſciſſuræ extremo duos globulos vnionibus ſimiles conſpicias. Oculis eſt magnis, rotundis, rufis vel rubeſcentibus, veluti noctuæ oculi. Corpus totum ſquamis aſperis & oſſeis contegitur: quarum ſinguli ordines ſingulas lineas efficiunt, corpuſq; vtcunque angulatum vel ſtrictum reddunt. Circa caput caudamq; quadrato eſt corpore, circa ventrem rotundo & candido, dorſo verò ex nigro rubeſcente. Pinnæ ad branchias ſitæ longiſſimæ ſunt & latiſſimæ, ad caudam ferè pertingentes, nigreſcentes, ſtellulis, maculiſq; variis aſperſæ, veluti papilionum alæ. Ante has pinnas pendent veluti pinnarum appendices, quæ omnibus ferè piſcibus de quibus hoc libro (*nos hunc ordinem non ſeruamus*) agimus, propriæ ſunt. vt cuculo & miluo. In his enim ante branchiarum pinnas ſiti ſunt veluti cartilaginei pili. Sunt aliæ duæ pinnæ in dorſo erectæ. eiſdem coloribus notiſq;, quibus brāchiarum pinnæ, depictæ. Cauda in pinnam vnicam deſinit, hirundinis auis caudæ ſimillimam. Corporis color maiore ex parte ex nigro rubeſcit. Aliquando hirundines omnino rubræ Romæ viſæ ſunt. Noſtræ magis nigricant, maioreſq; ſunt. Oris partes internæ rubræ ſunt, coloris iucunditate & ſplendore, ſandaracham vel cinnabarin ſuperantes. Iis partibus hirundo noctu lucet, videturq; candentes carbones ore continere. Quę faciunt vt hoc loco nō dubitem ꝙ ſentio exponere: Hirundinem ſcilicet ob cauſam modo dictam, piſcem eum exiſtimari poſſe, qui à veteribus lucerna appellatur, Pliniiq; locum hunc (lib. 9. cap. 26. & 27.) inemendatum eſſe. *De lucerna Plinii de qua etiam in Miluo ſcribit.* Volat hirundo perquam ſimilis volucri hirundini. Item miluus ſubit in ſumma maria, piſcis ex argumento appellatus lucerna, linguaq; ignea per os exerta tranquillis noctibus relucet. Verba iſta, Item miluus ſubit in ſumma maria, loco ſuo mota eſſe ſuſpicor, vt ſit hoc pacto legendum: Volat hirundo ſanè perquam ſimilis (*volucri*) hirundini, piſcis ex argumento appellatus lucerna, linguaque ignea per os exerta tranquillis noctibus relucet. Item miluus ſubit in ſumma maria: vel verba iſta, Item miluus, &c. ſi ita legantur vt in vulgaribus noſtris codicibus extant, parentheſi eſſe includenda, & reliqua ad hirundinem non ad miluum eſſe referenda. Piſci enim qui à noſtris lucerna dicitur, lingua ignea non eſt, neque is aliter in tenebris ſplendet, quam cæteri piſces quibus oſſea ſunt branchiarum opercula. Quare non dubito quin æquus lector, lucernæ hirundiniſque palatum linguamque & oculos contemplatus, ſententiæ meæ ſubſcripturus ſit. Eſt etiam aliud cuius admonitum lectorem velim, nimirum neque lucernam, neque hirundinem, lingua per os exerta noctu relucere, quicquid dicat Plinius. Piſces enim linguam habent affixam hærentemque, præter paucos, vt delphinum, cui libera eſt, ſoluta & exerta. Reliquas hirundinis particulas perſequamur. Gulam breuem habet. Ventriculum cum multis appendicibus. Fellis veſicam in hepate, cor angulatum. Oua rubra,

Volat

Volat extra aquam hirūdo, ne piſcium maiorum præda fiat, vt ſcribit Oppianus. Et Ariſtoteles: Strident etiam marinæ hirundines, & ſublimes volant, haudquaquam mare attingentes: ſunt enim iis pennæ longæ & latæ. Stridoris autem cauſa eſt branchiarum ſciſſura parua & ſtricta. aer enim affatim per anguſta loca emiſſus, ſonum ſtridoremve ædit. Eadem de cauſa cuculus piſcis obſtrepit, vt eodem in loco docet Ariſtoteles. Præterea eandem ob cauſam hirundo diutius in aere viuere poteſt extra aquam, quoniam aer neque ſubito, neque affatim per anguſta branchiarum foramina ingreditur permeatq;, & ingreſſus facilius intus retinetur. *Lib. 1. ἁλιευτικῶν. Lib. 4. de hiſt. anim. cap. 9.*

F Hirundo carne conſtat dura ſiccaque, quæ multum nutrit, ſed difficilè concoquitur. Hanc Athenæus *Lib. 8.* Polypi, ſeu potius Pompili carni comparat. (*Vide in Corollario A. circa finem.*) Quo Athenæi loco ineptiſſimè abutuntur nonnulli, vt hirundinem marinam polypo aſſimilent, cum Athenæo ne per ſomnium quidem, id vnquam in mentem venerit: nam ſubſtantiam cum ſubſtantia, non figuram corporis cum figura confert, vt in Thunno fuſius declarauimus. Cùm hirundo carne ſit dura, diutius ſeruata tenerior fit & melior, vnde fit vt Romam aduecta melior ſit quam in litore.

G Hirundinis fel contra oculorum ſuffuſiones valere ipſe ſum expertus.

A Ne quis ſimilitudine deceptus pro hirundine aut mugilem alatum, aut quemlibet alium volantem piſcem vſurpet, illius loci Athenæi libro 7. meminerit: Speuſippus ait ſimiles eſſe cuculum, hirundinem, mullum. Sic is, quem hic depinximus, cuculo, mulloque, colore, corporis ſpecie ſimilis eſt. longiſſimas latiſſimaſque pinnas habet, volat extra aquam, cuius rei teſtes ſumus oculati. ſunt & teſtes qui ad Herculis columnas nauigarunt, vbi tanta aliquando volantium hirundinum turba conſpicitur, vt non piſces ſed aues aquatiles eſſe credantur. *Hirundo piſcis quid ab aliis alatis & volantibus differat. Volatus.*

DE EADEM, BELLONIVS.

A Hirundo Gallis Arondelle de mer vocatur, Maſſilienſibus Landola.

B Nullis horret aculeis, quaternis admodum grandibus alis in lateribus prædita. Grandi eſt vt Cephalus capite, oculis magnis, ore non ita amplo, nulliſque dentibus referto: ceruice plana: Vnicam fert in tergore pinnam, caudæ vicinam. Lineam, quam alii piſces in lateribus ſurſum habent, illa deorſum ſub pinna gerit, quod nulli præterea piſci accidere memini. Hæc enim linea piſcem in partes ęquales minimè interſecat. nam quæ ad ventrem ſpectat, ea minor eſt: quæ verò ad tergus, maior. Cephalum ferè magnitudine æquat, iiſdem contegitur ſquamis. Caudam bifurcam & latam habet: in qua peculiarem obſeruare notam poteris, quòd inferior pars, ſuperiori latior ſit. Præterea, ſi pinnas laterum ad caudam conuertas, eas totum corpus longitudine præcellere videbis. Squamas habet latas, nigras pinnas. Caput & reliquum corpus ad Harengum accedit. Oppian.

Lolligo, miluusque rapax, & mitis hirundo.

C Volat (inquit Plinius) hirundo ſanè perquam ſimilis volucri hirundini. Nobis alioqui rarior, neque adeò cognita, niſi propter naturæ miraculum (quod tam grandes alas habeat) homines eam ſiccam aſſeruarent, & in domibus ſuſpenderent.

COROLLARIVM.

A Miluus à Bellonio pictus hirundinem Rondeletii propius refert, quam hirundo ab eo picta, quæ ad ſceleton fortè facta eſt, non ad viuum piſcem. miluus autem Rondeletii diuerſus eſt. Sunt qui piſcem quem Veneti Lucernam vocant, Miluum eſſe credant; Bellonius. ipſe verò Lucernam Venetorum, Cuculum facit. Piſcem Romæ Nibio dictum, quem pro miluo exhibet Bellonius, multi (inquit) contendunt vocari debere hirundinem: ſed quum ferat minaces aculeos, & pinnas ſpinis munitas, non video quod rectè ita eſſe poſſit, Sic ille: qui forte hirundinem piſcem ſine aculeis eſſe putauit, ex eo quod ab Oppiani interprete Lippio mitis cognominatur, libro primo Halieut. vbi de piſcibus volantibus ſcribit poeta: Lolligo, miluusque rapax, & mitis hirundo. ſed Oppianus ipſe nullum huiuſmodi epitheton ei tribuit: Τευθίδες, ἰρήκων τε γένος, βυθίη τε χελιδών. Imo lib. 2. inter piſces quorum venenati ſint aculei, hirundines recenſet. Rondeletius hirundinem coniicit eſſe lucernam, & Plinii locum, vt ad ſuam opinionem quadret, mutare conatur, nulla codicum fide ei ſuffragante. Quin & hodie vulgo Venetiis alium piſcem hirundinem vocant, (rondola vel zifila vulgus dicit,) alium lucernam. Nos de Lucerna quædam ſcripſimus iam in Cuculi hiſtoria, & plura in L. elemento addemus, vbi iconem quoque exhibebimus. Hirundinem noctu lucere, ita vt Rondeletius ſcribit, non dubito: ſed non continuo omnis qui noctu lucet piſcis, in hoc etiam genere, Lucerna fuerit. Vidi ego Lucernam Venetiis ab Hirundine diuerſam, noctu in cubiculo meo, mortuam quoque recens, oculis lucere. Non me latet, inquit Vottonus, locum Plinii (lib. 9. in fine capitis 26. & principio capitis 27.) à nōnullis aliter diſtingui. Sunt enim qui ita legant: Volat hirundo perquam ſimilis volucri hirundini: item miluus: vt ſcilicet hic finis ſit illius capitis. *Plinii locus de lucerna.* Deinde alterius principium: Subit in ſumma maria piſcis ex argumento appellatus lucerna, &c. vt ſcilicet diuerſi ſint piſces miluus & lucerna. Nos à vetuſtis exemplaribus non recedimus. Et certè Plinius ipſe lib. 32. cum lucernam inter marina numerat, miluum non numerat, Hæc ille. Atqui Sigiſmundus Gelenius, qui & ipſe nihil, quam ex vetuſtis codicibus ſummo iudicio in Frobeniorum Baſilienſi æditione immutauit, eam lectionem quam Vuottonus reprobat, aſſerit, ab initio capitis 27. ſic annotans: Has voces, item miluus, adiunximus fini præcedentis capitis, quas inde reſectas neſcio quis non ſuo loco aſſuit. Hermolaus nihil hîc annotauit, Maſſarius ſimiliter vt Vuottonus legit. Ego Gelenio meo aſſentior, & codicum quos ipſe ſecutus eſt authoritati: cui & phraſis ipſa accedit, magis Pliniana, ni fallor, ſi has voces item miluus (ſubaudi, volat,) in fine capitis 26. legeris. Sed hæ coniecturæ ſunt noſtræ, aliorum oppoſitæ coniecturis, ne quem illorum moueat authoritas, quo minus res in medio relinquatur, aut in noſtram potius ſententiam eatur. Hirundo piſcis lucernæ valde ſimilis eſt, Maſſarius. Χελμών piſcis quidam eſt, Heſychius & Varinus: fortè idem qui χελιδών, id eſt hirundo: Vel qui χελών, id eſt labeo, ex mugilum genere fuerit. Græcus quidam non ineruditus Venetiis χελιδόνα piſcem Ita-

Hirundinem adſcelaton efficiam cum hanc olim habuerem, hic etiam apponere libuit.



ſcem Italicè caponem dici mihi narrabat, & ſpecies eius duas haberi, maiorẽ ac minorem. ego caponis nomen cuculo & ſimilibus quibuſdam piſcibus, (quorum ſpecies eadem quæ hirundinis, ſed alæ breuiores ſunt) attribui puto. Romæ Rondeletii lyras, capones vocant. Miluus ſiue Lucerna piſcis, tam ſimilis eſt hirundini piſci, vt Græci hodie falsò eum chelidonem vocent: Adriatici ſinus accolæ Lucernam appellant, Gillius. Hirundo Venetiis rondola vel zifila vocatur, in Sicilia rondine: quæ tria nomina etiam aui hirundini tribuuntur. Veſpertilio marinus tam natatilis quàm volatilis eſt, Niphus. videtur autem hirundinem piſcem intelligere, quem Rondeletius à Gallis etiam aliquibus veſpertilionem vocari tradit. Luſitanis peixe voator, vel potius volator, vocatur. Maſſilienſes nominis Græci extremas ſyllabas adhuc ex antiquitate ſua retinentes, Lendolas appellant, quaſi Chelidonas, Gillius. Germanicè nominari poterit, *ein Schwalmfiſch*, vel *ein flieyender Rotfiſch*. De aliis Germanicis nominibus huius generis piſcium plura leges in Cuculo, Corollario A.

Chelidonias piſcis alius eſt, qui pelamydi comparatur, duriorea, &c. Vide ſupra in Elemento C. Chelidonias pelamydum genus eſt, quem & tritonem appellari diximus. Maſſarius. Horcynus maior ſimilis eſt chelidoniẽ duritieſua, Diphilus. Idem χελιδόνα piſcem polypo ſimilem memorat, &c. vbi vocabulum deprauatum eſſe puto, & non χελιδόνα, ſed ἐλεδόνλαν legendum, vt in Chelidonia piſce declaraui. Hirundinis piſcis, quem Chaldæi vocant ἰχθὺν χελιδονίαν, caput habere fertur piſcis cœleſtis iuxta Andromedam, Theon in Aratum.

Maſſarius ex Strabone repetit hirundines (*hirudines dicere debuit, Βδέλλας enim Græcè legimus*) in quodam Mauritaniæ flumine gigni ſeptenũm cubitorum, &c.

B Chelidòn piſcis eſt paruus, Kiranides. Belonio ſua hirundo nullis horret aculeis: atqui Rondeletius ſuæ & caput in binos aculeos, & branchias in totidem deſinere ſcribit. Vnicam fert in tergore (*tergo dicere voluit*) pinnam, Belonius. at Rondelẽtio duas in dorſo erigit. Fel habet ſeorſum à iecore inteſtinis commiſſum: Vuottonus, nimirum ex Ariſtotelis hiſtoriæ anim. 2. 15. vbi Rondeletius de aliis quibuſdam piſcibus probè hoc dici putat, de hirundine & paſſere non item: Vide infra in Paſſeris hiſtoria ex Rondeletio circa initium. Henricus Stephanus, Caroli filius, multiiugę eruditionis vir, hirundinem piſcem ex Italia ſuperioribus annis pulcherrimè pictum ad me dedit, alis in latum, piſcis nimirum volantis ſpecie expanſis: ea colorum varietate & pulchritudine vt verbis exprimere ſatis non poſſim. Circuli oculorum tres in pictura apparent, medius rubet, interior & extimus cœrulei ſunt. Rubent & oris interiora: & cirri veluti pinnæ exiles ſub branchiis. Pinnę omnes, & cauda quoque, maculis rotundis elegantiſſimè diſtinguuntur. Alarum ſtrię ſeu virgę cœruleę ſunt, inter has partium alię virides, aliæ nigræ, aliæ ad luteum colorem tendunt. Maculę in eiſdem rotundę, alię maiores atro colore ſplendent, minores alię cœruleę ſunt, &c. Similem huic, ſpecie, coloribus diuerſum, pleriſq; partibus magis rubentem, Io. Voglerus, ciuis meus, clariſſimi viri Ioannis filius, itidem ex Italia ad me miſit, hirundinis nomine, quanuis eruditi quidam miluum eſſe arbitrentur.

C Membranis volant humentibus hirundines in mari, Plinius. Ex piſcibus volantibus lolligines ſublimius & longiore tractu per aerem feruntur. hirundines humilius volant. accipitres verò paulò ſupra ſummam aquam maris tolli ſolent, vt natentne an volitent dubites, Aelianus. 9. 51. ex Oppiani Halieut. primo. vnde alas accipitrum, quam hirundinum breuiores eſſe coniicio. Euolare autem tum ſolent, cum in mari quippiam metuunt, Aelianus: ὅταν παρθήσωσιν ἐκφέρεσθον ἐγγύθεν ἰχθύων. Hirundo in naui gia veſtis euntia ſępe volitat, Maſſarius. Alas (*id eſt pinnas latas*) habet, & ad amœna eleuatur aeris, Albertus. Quatuor cubitis extra ſummam aquam piſcem hunc eminentem in Gallico littore maris interni vidi ad iactum lapidis volare, Gillius. Piſces etiam volantes in mari naſcuntur, (inquit Cardanus lib. 10. de ſubtilitate, videtur autem non de aliis quã hirundinibus ſentire,) quos ego vidi. Parui ſunt, &

alati. alas habent iuxta branchias, longas vt ipſi piſces, palmo ſcilicet amplius: quæ dum hument, piſcem ſuſtinent: cùm ſiccantur, decidunt. Gregatim eunt, & cum Oratis inimicitia intercedit. Multi iuxta Bernudam ſeu Garzam inſulam inueniuntur.

Intercedere eis inimicitiam cum auratis, in C. iam diximus. D

In nauigia velis euntia ſæpe volitant, nautæ verò piſces huiuſmodi captos ſolent templis offerre ac E ſuſpendere, Maſſarius. Mox volat ſuper vndas in tempeſtatibus. His multis emergentibus ſimul, & iterũ ſe ſubmergentibus, norunt nautæ, qui ventum & tempeſtatem futuram prædicunt, Kiranides.

Chelidon (*lego heledona, vt in Chelidonia piſce expoſui*) polypo ſimilis, ſucco ſuo bonum colorem facit, & F ſanguinem mouet, Diphilus.

Chelidonis philologiam in Hirundine aue dedimus. H.a.

Mitis hirundo, Lippius Oppiani interpres dixit, vbi Græcè legitur βυθὶη χελιδὼν, hoc eſt marina hi- *Epitheta.* rundo, ad differentiam auis. Ὠκεῖαι χελιδόνες, Idem Oppianus.

Chelidonem ſi quis aridam portet in naui, erit velociter currens, & (voti) compos in omnibus rebus, c. Kiranides.

Χελιδόνας piſces Epicharmus nominat in Nuptiis Hebæ. f.

Cum inter Breſiliam & Portugalliam nauigaremus, tandem omnino meridiem verſus defleximus, in, uenimusque paſſim plurimos volantes piſces, qui alios fortè perſequentes fugiebant, denſis agminibus, ita vt cateruæ aliæ circiter centenos, aliæ ad millenos caperentur. Eorum aliquando vnus & alter in nauim noſtram incidebat. Longi ſunt circiter pedem, ſpecie ferè gobii fluuiatilis illius, quem muſtelam aliqui vocant, non plenè adulti: cute læui, pinnis in dorſo geminis: Ex nauigatione Hamburgenſis cuiuſdam, peracta anno Salutis 1549.

Holostevs piſcis Nili. vide Oſtracion.

DE HOLOTHVRIIS, RONDELETIVS.

A Gaza conuertendis Ariſtotelis libris de Hiſtoria, partibus, generatione animalium, & Theophraſti libris de Hiſtoria & cauſis plantarum Latinam linguam locupletiorem, auctioremque reddere ſtuduit. Sed quoniam Latinè ſcribendo Græca maximè fugiens, nominibus Latinis omnia exprimere voluit, aliquando tenebras rebus ipſis offundit, ita vt de ipſis difficile anceps que iudicium reliquerit. Id quod in Holothuriis & Tethyis dilucidè apparet: Grecis enim vocibus abſtinens ὁλοθύρια vertibula vocauit, Callos, & Tubera. Τήθυα verò iiſdem nominibus Latinis exprimit, (*vt libro 4. hiſtoriæ cap. 4.*) ex quibus vocibus rerum confuſio ſequitur: neque enim eadem ſunt ὁλοθύρια, quæ τήθυα. Quare diuerſis nominibus vocanda fuerunt. Hanc ſententiam noſtram Ariſtotelis autoritate confirmamus. De Holothuriis enim ita ſcripſit: Ποῖα δὲ ἀστολέυμβια μὴ ἔστιν, ἀκίνητα δι᾽ οἷον ὄστρεα, καὶ τὰ καλούμενα ὁλοθύρια. Multa ſaxis quidem ſoluta ſunt, veruntamen immobilia, vt oſtrea, & quæ Holothuria vocantur, quibus de ſuo quædam addit Gaza ita interpretatus. Non deſunt complura quæ cum abſoluta ſunt, mouere tamen ſe nequeunt, vt Oſtreæ, & quæ tota ſimplici, mitiorique teſta operta, vertibula appellantur, & Calli, aut Tubera. De Tethyis verò ſic lib. 4. de hiſt. cap. 6. Τὰ δὲ καλούμενα τήθυα τούτων πάντων ἔχει φύσιν παραπλησίαν κέ- *Tethya.* κρυπται γὰρ αὐτῶν μόνον (μόνον) τὸ σῶμα ὑπὸ τῷ ὀστράκῳπερ. Τὸ δὲ ὄστρακον ἔστι μεταξὺ δέρματος καὶ ὀστράκου. διὸ καὶ τέμνεται ὥσπερ βύρσα σκληρά. παχὺ δὲ φύκει μὲν ὑπὸ ταῖς πτέρυξιν τῶν ὀστράκων. Quæ Tethya dicuntur, inter hæc (teſtata) omnia naturam maximè particularem (*peculiarem*) ſortita ſunt. His enim ſolum vniuerſum corpus teſta occulitur, quæ inter corium & teſtam mediæ eſt naturæ. Quare bubuli corii modo ſecatur, ſaxis igitur teſta ſua adhæret. Quare cum Holothuriorum genus à ſaxis liberum ſit, Tethya verò his affixa ſint, non dubium quin Ariſtoteles diuerſas res eſſe exiſtimauerit. Idem de Tethyis ſcripſit Plinius: Tethyæ tor- *Lib. 32. cap. 9.* minibus & inflationibus ſuccurrunt. inueniuntur hæ in foliis marinis ſugentes, fungorum verius ge- *Plinii locus* neris quam piſcium. Ex quo loco, etiam ſi corruptus ſit, ſatis clarè colligitur Tethya hærere. Sic verò *emendatus.* emendant, vt pro Tethyæ legamus Tethya, ex Ariſtotele, & Athenęo. Cui emendationi illa etiam adiungenda, vt pro foliis, ſcopulis legamus ex Ariſtotelis loco ſupra citato, maximè cum fungis comparet, qui ſemper hærentes reperiuntur. (*Inueniuntur tethya etiam in muſco marino, aut aliis in herbis foliisve mari-* *Lib. 9. cap. 47.* *nis, Vuottonus. Vide in Tethyis Elemento* T.) Holothuriorum verò alibi meminit Plinius: Multis eadem natura quę frutici, vt Holothuriis, Pulmonibus, Stellis. Sunt igitur diuerſa Holothuria à Tethyis. Quare ſeparatim de ipſis agendum, idq; inter Zoophyta de vtriſq; quia minimum ſenſus & motus habent.

DE HOLOTHVRIORVM PRIMA SPECIE, RONDELETIVS.



Pauciſſima ſunt ab Ariſtotele & Plinio de Holothuriis literis prodita, ab aliis nihil: quia inter cibos F non habentur, ſed in litoribus neglecta iacent. C.3

Sunt autem Zoophyta saxis non hærentia, aspero corio contecta.

B Id genus quod hic proponimus altero extremo obtusum est & planum, in quo rosæ pictæ imaginem insculptam esse dicas, circa quam sunt acetabula. Inde parua appendix & mollis dependet. Piscu lentum odorem resipit, nec minus ingratum ac insuauem quam Lepus marinus. Altero extremo tenuius est. Intus partes omnes sunt indiscretæ.

DE HOLOTHVRIORVM PRIMA SPECIE, RONDELETIVS.



B Inter maris purgamenta id reperi, quod hic repræsentatur: quod quia vita, integumenti asperitate & duritia, partibus internis indiscretis cum Holothurio conueniat, Holothuriorum speciem esse puto. Altero extremo caput discretum habere videtur rotundum, os in medio rotundum, rugosum, quod aliquando dilatatur, aliquando constringitur. Sequitur corpus crassius, aculeis multis rigens: videtur in caudam deficere, ex cuius vtraque parte duæ sunt appendices, pedum, pinnarumve loco, sed differentes. Superior enim strictior est, in ambitu incisa, in acutum desinens, ad quam à ceruice producta est linea: altera latior vbique. Harum beneficio motum aliquem habere videtur, cuius prorsus expers est primum
C genus: quod aliquando acetabulis suis, saxis hæret, sed soluitur: quo differt à Tethyis quæ semper hærent firmissimè, vel saxis, vel ostreorum testis.

COROLLARIVM.

A Bellonius Holothuria & Tethya modo confundit, (vt Massarius quoq; à Theodoro deceptus,) modo res esse diuersas suspicatur ex Plinio. Tethya Theodorus vertibula & callos conuertit, holothuriæ verò, tubera. Vuottonus, quæ eius obseruatio vera est libro 4. de partibus animalium, capite quinto vbi holothuria interpretatur tubera: tethya verò vertibula, eademque alibi callos. At historiæ lib. 1. cap. 1. vt Rondeletius obseruauit, omnia hæc Latina nomina holothuriis attribuit: vbi etiam de suo addit, tota ipsa (holothuria dico,) simplici mitiorique testa operta esse. Testatorum quidem generis ea esse non dubito, quoniam lib. 4. de partib. anim. loco iam citato, testatorum differentias explicans, ipsorum quoque inter alia meminit: quanquam & spongiarum ibidem, non tanquam eiusdem generis, sed quòd similiter ferè vt tethya, in medio plantarum animantiumque generis ambigant. sed integrum (ferè) Aristotelis locum recitari non abs re fuerit. Tethya (inquit) parum sua natura à plantis differunt. sunt tamen spongiis viuaciora, (ζωτικώτερα, hoc est propius ad animalia accedunt.) Spongia quidem cum adhærendo tantum viuere possit, absoluta autem nequeat viuere, similis plantis omnino est. Quæ autem holothuria vocant, & pulmones, atque etiam plura eiusmodi alia in mari, parum ab iis (à plantis) differunt, sua ipsa absolutione. Viuunt enim sine vllo, perinde ac plantæ absolutæ. Nam & in terrestribus plantis sunt nonnulla eiusmodi, quæ & viuant & gignantur, aut in aliis plantis, aut absoluta, quale etiam est quod Parnasus fert, vocatum à quibusdam epipetrum. hoc enim diu viuere potest, etiam à paxillis suspensum, Hæc Arist. Ὁλοθούριον, genus (animalis) marinum, Hesychius & Varinus. Vocabulum compositum esse apparet: sed vnde & quaratione, non video. Θερμὸν & θύειν, Hesychius interpretatur, impetuosum, salientem, bellicosum, audacem, fortem, magnum, validum, libidinosum, cupiditate in aliquid procliuem. Sic & θύελλα· ἄνεμος dicitur: & ἀνεμοθύελλαι· πολεμικαὶ, ὅσαι ἐξ ὑσμίνης θύουσαι. Sed θυμὸς libidinosum significat, & θυμήρεα ὀχεῖα, & θοὸς genituram. Holothuria quidem Rondeletii, præsertim secunda species, genitalis virilis quandam similitudinem præ se ferunt: vt holothurium dictum videri possit, quasi toto corpore suo ad huiusmodi speciem conformatum. Niphus non cum tethys tantum holothuria, sed cum vrticis quoque confundit.

DE HOMINIBVS MARINIS. ET PRIMVM DE MONACHO & Episcopo piscibus, ex Rondeletio.

DE PISCE MONACHI HABITV, RONDELETIVS.

A Inter marina monstra est & illud quod nostra ætate in Norruegia captum est mari procelloso. id quotquot viderunt, statim monachi nomen imposuerunt.

Humana

B Humana facie esse videbatur, sed rustica & agresti, capite raso & læui, humeros contegebat veluti monachorum nostrorum cucullus. Pinnas duas longas pro brachijs habebat. Pars infima in caudam latam desinebat, media multò erat latior, sagi militaris figura. Hanc effigiẽ mihi dono dedit illustrissima Margareta Nauarræ Regina, generis splendore, ingenij, doctrinæ, virtutis, summę pietatis laudibus ita cumulata, vt omnes eius ætatis spectatas & illustres fœminas superârit. Ea à viro nobili effigiem hanc acceperat, qui similem ad Carolum quintum Imperatorem in Hispania tum agentem deferebat: illæ reginæ affirmauit se mõstrum hoc in Norruegia captum vidisse post grauissimas tempestates vndis & fluctibus in litus eiectum, locumque designabat Diezum iuxta oppum Den Elepoch. Eiusdem monstri picturam mihi ostendit Gisbertus medicus ex eadem Norruegia Romã ad se missam, quæ pictura nonnihil à mea differebat. Quare, vt dicam quod sentio, quædam præter rei veritatem à pictoribus addita fuisse puto, vt res mirabilior haberetur. Crediderim igitur monstrum hoc humanam formam eo modo referre, quo pars capitis ranarum: tum quia post caput partes erant vtrinq; latæ, hominum omoplatis respondentes, musculis mouebantur, qui cuculli monachorum figuram repræsentant: qualis in nobis spectatur secundus musculis omoplatas mouens, scilicet eas partim ad sese attrahens, partim attollens, cuculli monachorum formam aptissimè referens. Adhæc non squamis, sed cute dura & rugosa veluti cortice contectum putârim, quemadmodum de leone marino dicemus.



Est inter beluas marinas homo marinus, est & triton. Harum vtrauis belua sit quam proponimus, nõ affirmo. De homine marino Plinius libro 32. cap. 11. & libro 9. cap. 5. Autores habeo in equestri ordine splendentes, visum ab his in Gaditano Oceano marinum hominem, toto corpore absoluta similitudine, ascendere eum nauigia nocturnis temporibus, statimque degrauari quas insederit partes: &, si diutius permaneat, etiam mergi. De tritone ibidem lib. 9. cap. 5. Tiberio Principi nuntiauit Olysiponensium legatio ob id missa, visum, auditumque in quodam specu concha canentem tritonem, qua noscitur forma. De quo & Vergilius: A *Homo mar.* *Triton.*

Frons hominem præfert, in pisce desinit aluus.

Pausanias verò tritonem vidisse meminit Romæ, capite specie comoso, vt ranis palustribus, etiam colore, ne discerni tamen capillus à capillo queat: sed corpore squamoso, forma veluti squatinæ, branchijs sub aures, naso hominis, ore ampliore, dentibus ferinis, oculis glaucis, manibus, digitis, & vnguib. conchularum testis similibus, cauda subtus aluum vice pedũ, vt delphini. Quæ fabulosa esse puto. Est & triton pelamydum generis magni, de quo cum thunnis dicetur.

DE PISCE EPISCOPI HABITV, RONDELETIVS.

Monstrũ aliud multò superiore mirabilius subiungo, quod accepi à Gisberto Germano medico, cuius antè aliquoties memini, quod ipse ab Amsterodamo cum literis acceperat: quib. ille affirmabat anno 1531. in Polonia visum id monstrum marinum, Episcopi habitu, & ad Poloniæ Regem delatũ: cui signis quibusdam significare videbatur, vehemẽter se cupere ad mare reuerti, quo deductus statim in id se conlecit. Sciens omitto plura, quæ de hoc monstro mihi narrata sunt, quia fabulosa esse arbitror. Ea est enim hominum vanitas, vt rei per se satis mirabili præter verum plura etiam affingant. Ego qualem monstri iconem accepi, talem omnino exhibeo: vera ea sit an non, nec affirmo, nec refello. Hæc Rondeletius.

Vt sunt permulta naturæ in terris pro arbitrio ludentis miracula: sic etiam in mari ob raritatem, & formæ varietatẽ propè incredibilia eiusdem artificij monstra obuersantur. Quis enim non admiretur, quòd ab antiquis de Tritonibus, Sirenib. Nereidibus, Naiadibus, ac plerisq; alijs marinis monstris scriptum est? Vix enim fabulosa esse putant quidam, quæ de Tritone, quæque de Nereidibus tradunt veteres, Bellonius.

COROLLARIVM.

Primùm de hominibus marinis in genere, deinde de monacho & episcopo.

De Tritone, deque Nereidibus & Sirenibus, quibus faciem humanam vetustas adtribuit, plura in singulorum historijs, Elementis T. N. & S. dicemus: nunc de ijs qui simpliciter marini homines à quibusdam vocati sunt.

Alchusi est piscis habens formam humanam, non certa tamen de eo habetur cognitio apud Arabes, Andreas Bellunensis.

Rumor est, postremis hisce diebus in Noruegia, ab infinita populi magnitudine, squamis armatum piscem visum fuisse, atque humana facie: qui posteaquam secundum maris litus diutissime ambulasset, confestim in mare se proiecerit, Bellonius.

Cum Venetijs essem (inquit Gillius) quidam Dalmatę, spectata fide viri, mihi religiosè testati sunt, se ad oppidum Dalmatiæ, Spalatum nuncupatum, vidisse marinum hominem: qui se spectantibus summum terrorem iniecisset, cùm se in terram incitauisset, vt mulierem, quę circum littus fortè tum versabatur, corriperet: verum vbi eam fugere prospexisset, statim ad mare regressus, imam maris sedem petiuit. Eundem mihi descripserunt, hominis omnino speciem similitudinemque gerere. Itemque magna fide homines, qui ad mare rubrum permultum temporis versati essent, sanctissima asseueratione mihi affirmarunt, illic marinos homines sæpe capi solere, quorum durissimis pellibus calceamenta tam robusta conficiant, vt ad quindecim annos durent.

Non igitur quod de Tritonibus, & Nereidibus, hominibusque marinis iam vsque ab heroicis temporibus in sermonem hominum venit, vanum esse constat. Cum ex Plinio, tum ex hominibus, & patrū & memoriæ nostræ: nam (vt prætercam veteranos piscatores, qui mihi testati sunt, cum mare vicinum est ad pariendas tempestates, se ex alto humanos gemitus sæpe exaudiuisse:) cum nuper Massiliæ essem, piscator & senex & probus mihi narrabat, se puerum de parente suo audiuisse regi Renato à piscatoribus captum muneri missum fuisse marinum hominem. Et similiter Alexander Neapolitanus ait, Draconettum Bonifacium ciuem suum sibi narrasse, dum in Hispania militaret, non dissimilem hominem marinum ex Mauritaniæ Oceano ad regulos suos, sub quibus stipendia faceret, allatum fuisse: senili facie, capillo & barba horrida, colore cœruleo, & maiore proceritate quàm humana, tum pinnis membranula interlucente intertextis.

Autor innominatus qui de Terra sancta Italicè scripsit, se vidisse testatur piscem capite insignem humano, facie videlicet, ore, dentibus, naso, oculis, & modica colli parte. reliquum corpus omne à piscium forma non recessisse.

In Tachnin remotissimo Moscouiæ fluuio piscis quidam capitur, capite, oculis, naso, ore, manib. pedibus, alijsq; (partibus) humana prorsus forma, nulla tamen voce. qui, vt alij pisces, suaue ex se præbet opsoniū, Autor incertus itinerarij Moscouiæ lingua Ruthenica scripti, vnde Sigismundus Liber Baro interpretatus est. Verum is parum fide dignum in quibusdam itinerarij illius autorem iudicat, cū alijs, tum illis quę de monstrosis hominum formis, pisceque humana effigie. de quibus etsi ipse quoq; (inquit) diligenter inuestigauerim, nihil tamen certi à quopiam, qui ea oculis suis vidisset (quamuis omnium fama rem ita se habere prædicarent) cognoscere potui.

Sub Gregorio & Mauricio, in Nilo Ægypti fluuio visa sunt animalia humana forma, vir & mulier, vsq; ad lumbos, qui adiurati per deum, à matutino tempore vsq; ad nonam se videndos dederunt. Vir erat pectorosus, ruffa coma canis permixta. mulier mamillas habebat & cæsariem prolixam. erant nudi, Nauclerus. Idem habet Palmerius in suis Chronicis referente Vadiano in Melam.

In lacum quendam Pomeraniæ per inundationes maximas (post sęuas maris tempestates, Cardanus in Varijs) delatum piscem mulierem, captumque, & ad Edam eius regionis vrbem deportatum, Cornelius Amsterodamus scripsit: cui ad muliebria munera exequenda, promptitudinem quandam fuisse recenset, (mutam & salacissimam fuisse Cardanus scribit): atque aliquot post annos, cum eius loci mulieribus vixisse: sed ea nunquam loqui potuit, Bellonius.

Ad homines marinos Moschopuli quoque ænigma pertinet, quod extat huiusmodi:

Ἐγκύρσας νεπόδεσσιν ἀνὴρ δείλαιος ἀέλπτως, Καὐτὸς ἐν οὐ πολλαῖς ὥραις νέπος ἐξεφαάνθη,
Καὶ φωνῆς μὲν ὅδ' ἴσιν ἀπηδευής, ἄλλοτι ἴσα. Αὐγασάμην δ' ἕτερον νέποδα βροτῷ εἴκελον ἀνδρί,
Καὶ θαῦμ' ἦεν ἀκούειν, ἀφραδέεσσιν ἄπιστον.

Derceto (Δερκετώ) nomen est cuiusdam deæ, de qua Diodorus libro 3. Iuxta Ascalonem lacus est, vbi templum insignis deę, quam Syri vocant Δερκετοῦς, muliebri facie. reliquum vero corpus figura piscis: cuius filia Semiramis à columbis educata sit. Ob id sacras genti aues eas esse ostendit Tibullus: Alba Palæstino sacra columba Syro. Plura Gyraldus dabit in historia deorum, Syntagmate 1. & alijs in locis. Eadem dea aliter Derce vocatur, à Syris Atergatis: Hebraicè Dagon in sacris historijs Regum 1. 5. Idolum hoc (inquit Munsterus) ab vmbilico & infrà, habuit figuram piscis: suprà verò figuram hominis: vnde truncatis brachijs habuit integram formam piscis.

Monachus mar. Venio ad Monachum piscem à Rondeletio descriptum, cuius similem ferè iconem Ge. Fabricius ad nos misit, cum descriptione huiusmodi: Piscis hic captus est in mari Balthico iuxta Elboæam oppidum, quod quatuor milliaribus distat à Coppenhaga, Danici regni metropoli. Caput, collum, humeri, thorax, humana specie. caput rasum, vt monachi, de collo, humeris, thorace cucullus quasi pependit, qui nigris & rubeis maculis fuit variatus. Cucullus desijt in fimbriam, quali perizomate lumbos & femora tegere solemus. brachiorum loco pinnæ fuerunt, pedum quoque, cauda piscis. Totius monstri longitudo IIII. cubitorum. ad Regem delatum & tostum ob raritatem & miraculum asseruatum est. captum anno Salutis M. D. XLVI. Picturam eius typis quoque excusam & publicatam vidi cum metris Germanicis: in quibus præter alia iam indicata, faciem tanquam Æthiopis nigram fuisse legitur: & veluti vestem thoraci inductam, similem illi qua missam celebraturi sacerdotes induuntur, punctis & maculis variam: thoraci inferius gremium sinuosum veluti assutum apparuisse: triduo postquam captus est su-

peruixis-

peruixisse: regi oblatum eius iussu à pictore delineatum, inde multos apographa in diuersas orbis partes, ad suum quenque amicum misisse. Eandem picturam Hector Mythobius quoque, iuuenis eruditus, nobilissimi medici Burchardi filius, cum superiore anno hac iter in Italiam faceret, mihi attulit: qua cum præter cætera, hæc etiam annotabantur: Monstrum hoc reti eodem cum harengis piscibus captum, & regi oblatum, à rege ad ducem Meccelburgi missum: inde picturam eius ad Senatum Luneburgensem peruenisse. Bellonius addit: Tres tantum dies vixisse aiunt, ac nullam vocem edidisse, præterquam suspiria quędam, summum mœrorem ac luctum referentia. Huic simile monstrum in Gallico etiam Oceano prope Burdegalas nostro seculo captum, Gallus quidam mihi retulit.

Monachum maris (inquit Albertus) quidam dicunt piscem in mari Britannico aliquoties visum. Is in craneo habet pellem albam, & circa eam est niger circulus, sicut pili monachi recenter rasi. Sed os & mandibulas habet sicut piscis. Hoc animal blanditur super mare euntibus, donec illiciat, in profundum demergat, & saturetur de carnibus eorum.

Neq; hoc quoque prætermittendum, quòd in Batauinis annalibus de pisce Episcopo scriptum est, quem prope Poloniam anno 1531. captū fuisse Cornelius Amsterodamus Gilberto Physico Romæ scripsit, ac Regi Poloniæ oblatum: cuius corporis magnitudo, facies ac cultus talis erat omnino, qualem uidemus Episcopi cuiusdam Romani, sua mitra, suisq; reliquis ornamentis induti figuram, Bellonius. *Episcopus mar.*

MONSTRVM MARINVM, EX TABVLA QVAdam impressa in Germania olim.

Monstrum hoc marinū visum est Romæ in Ripa maiori, tertio de Nouēbris, anni Salutis millesimi quingentesimi vicesimi tertij: magnitudine pueri quinquennis, ea omnino specie qualis hîc exprimitur. Eodem anno, Septembris die XVIII. quanuis sereno, nimbus ingens Neapoli tanto impetu & abundantia cecidit, vt damni inde illati ratio iniri non potuerit, &c.

HORCYNVS, alij Orcynus scribunt sine aspiratione. Vide in Thunno.

DE HYÆNA.

HYÆNA, quadrupedis & piscis nomen est, Hesychius & Varinus. Χέρσον μὲν ἐπιστείχουσιν ὕαιναι, Πολλῷ δ' ἐν ῥοθίοις κρυερώτεραι, Oppianus libro 5. Halieutic. terrestres feras cum marinis comparans. Idem libro primo cete enumerans, ἀπαίσιον ἄχθος ὑαίνης nominat, cum lamia, maltha, arietibus & canibus. Vnde maximum quidem, voracem & crudelem hunc piscem in mari esse apparet: sit ne verò propriè cetus, dubium est: cùm alios etiam pisces magnos, qui cete propriè dicta non sunt, ibidem adnumeret poëta. Hyænam piscem nominat Dionysius in Opsartytico. item Numenius in Halieutico, Κανθαρίδας τε σφανέοντας, ὑαινάν τε, τρίγλην τε. Athenæus dubitare videtur, vtrum tria hæc nomina ὕαινα, ὗς, & κάπρος, trium, vel duorum vel vnius piscis nomina sint. Ego hyænam aliquando eundem cum glanide piscem esse conieci. quoniam quadrupes etiam hyæna (vt apud Aristotelem legitur,) alio nomine glanus, γλάνος, appellatur: vt pluribus scripsi in Hyęna quadrupede A. Bellonius, qui glanidem & silurum piscem vnum existimauit, hyænæ etiam nomen ei adtribuit. Ταινίδες τε βούγλωσσοί τε, καὶ κίθαρος, Epicharmus in Nuptijs Hebes. Syænam piscem Græci recentiores chœrillam interpretantur, hoc est porculum, Hermolaus in Plinium. Oppianus Syænam circa petras leprades degere meminit. Hyænam piscem nonnulli centrinam esse putant, Hermolaus. nos inter Mustelos infrà, diuersos esse ostendemus. Quęrendum an Rondeletij aper marinus, hyænæ, vel porci, vel caprisci (quo cum plurima habet cōmunia) species fortè sit. In Septentrionali ad Scandinauiam Oceano, cetus quidam comparuit anno domini 1537. effigie porci, quem suprà inter Cete hyænam cetaceam nominauit. *Hyæna cetacea.*

Fel hyænæ adhibetur ad oculorum cicatrices, suffusiones, & alias hebetudines, apud Aetium 7. 111. sed hyænæ quadrupedis, non piscis, acceperim: ex qua alia quoque multa remedia in Quadrupedum historia indicauimus. G

Si piscis hyęnę nuncupati (eodem quo terrestris nomine) pinnam dextram ad hominem somno consopitum admoueas, sanè quàm eum ipsum perturbabis. Etenim formidolosa secundum quietem spectra & simulacra videbit, acerbaque insomnia perpetietur, Ælianus de animalibus 13. 26. In hyetio (*hyænio*) lapide sculpe aquilam dilaniantem piscem hymon (*hyænam*) & sub lapide mitte radiculam hyperici herbæ, & extremitatem pennæ alarum aquilæ vel accipitris, & claudens habebis magnum phylacterium ad omnes affectus matricis, &c, Kiranides 1. 20. H.

DE HYCCA ET HYSCA.

HYCCES masculino genere, Ὕκκης, vt Anchises, vel Hycca fœminino, Ὕκκη vt Φθίη, piscis nomen est, vt ex diuersis ab Athenæo prolatis authorum locis iam apparebit.

Nam quod apud Hesychium & Varinum ὗκος legitur, vt λόγος, non probo. interpretantur autem erythrinum piscem. Zenodotus Cyrenæos ait τὴν ὕκκην vocare erythrinum. Hermippus verò Smyrnæus in ijs quę de Hipponacte scripsit, hyccam (ὕκκην) pro iulide accipit: & captu difficilem esse ait, (εἶναι δὲ αὐτὴν δυσθήρατον) vnde Philetas etiam dixerit: οὐδ' ὕκκη ἰχθὺς ἔσχατος ἐξέφυγε.

Ὕκκη

Hύκκιν (fortè ὕκιν propter versum) ἢ ἵππον, ἢ ὃν κίχλην καλέουσιν, Antiphanes Colophonius. Ὕκην Callimachus in Epigrammate sacrum piscem nominat, Θεὸς δὲ οἱ ἱερὸς ὕκκης. Ἠ σάργον, ἢ ὕκκας ἀγεληΐδας, ἢ ἐπὶ φάγρον Πέτρῃ ἀλωόμενον, Numenius. Timæus historia 13. scribens de Hyccaris oppidulo Siciliæ, sic nominatum id ait, διὰ τὸ τοὺς πρώτους τῶν ἀνθρώπων ἐλθόντας ἐπὶ τὸν τόπον, ἰχθῦς εὑρεῖν τοὺς καλουμένους ὕκκας, καὶ τούτους ἐγκύους, δι᾽ οὓς οἰωνισαμένους ὕκκαρον ὀνομάσαι τὸ χωρίον, Athenæus. *Hysca.* Sunt qui hyscam siue hyccam, hoc est porculum, pro sturione capiant. Hermolaus. sed illi solam vocabuli affinitatem, argumentum suę sententiæ habent: nec merentur audiri, cum hyccam sturionem faciunt. nam alius piscis hysca est, quem sturionem esse non negauerim. Id verò nomen haud scio an apud alium autorem, quàm Simeonem Sethi in libro de alimentis, reperiatur. Hysca, Ὕσκα (inquit Symeon,) piscis qui communiter ὕσχα nominatur (Porculum interpretatur Gyraldus) succum phlegmaticum & prauum generat: quanquam multi suauiter eo vescantur, tanquam cognationem quandam cum nostra natura habeat: ac simile vel potius analogum in piscium genere nutrimentum ex eo, vt inter quadrupedes ex porcis, homini accedat. vnde & nomen hysca factum videtur ab hys quod porcum significat. Condiri debet hic piscis condimentis calidissimis, & vinum superbibendum est tenuissimum vetustissimumque, Hæc ille. Itali etiam sturiones paruos, porcellas appellant. Gyllisci pisces quidam sunt Hesychio. apparet autem diminutiuum hoc esse à gylio, id est porco.

HYGROPHOENIX. vide Phœnix.

HYDRECHOES, Ὑδρηχόες, pisces, Hesychius & Varinus. Videtur autem hoc piscium omnium epitheton esse, vel per antonomasiam pro piscibus poni posse.

DE HYDRO, ID EST SERPENTE PALVSTRI AVT FLVVIATILI, RONDELETIVS.



SERPENTES vt in terra, ita in mari, lacubus, paludibus, fluuijs nascuntur & viuunt. De marinis aliâs. nunc de palustribus, siue fluuiatilibus, dicendum.

A Serpens aquatilis, ὕδρος ab Aristotele nominatur. Gaza Natricem conuertit, similiter & apud Dioscoridem Ruellius. *Lib. 1. de hist. cap. 1.*

Eum Vergilius libro III. Georg. sic depinxit.

B C
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squammea conuoluens sublato pectore terga,
Atque notis longam maculosus grandibus aluum:
Qui dum amnes vlli rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent vdo terræ ac pluuialibus austris,
Stagna colit, ripisque habitans hic piscibus atram
Improbus ingluuiem, ranisque loquacibus explet.

A Vocatur & Chersydrus παρὰ τὴν χέρσον καὶ τὸ ὕδωρ, quoniam in aqua & in terra degit. In huius appellatione Plinio non conuenit cum Aristotele. *Enhydris Aristoteli quadrupes, Plinio serpens.* Nam ἐνυδρὶς Aristoteli (lib. 1. de hist. cap. 1.) est Lutris, Plinio verò (lib. 32. cap. 7.) serpens aquatilis, sic enim scribit: Enhydris vocatur à Grecis Coluber in aquis viuens. Et alibi: Item Enhydris. Est autem serpens masculus & albus. Eundem his duobus locis serpentem intelligi declarant vires, quas similes omnino vtrique tribuit, ijs ferè verbis. Enhydris, inquit, vocatur à Græcis Coluber in aquis viuens. Huius quatuor dentium superioribus in dolore superiorum gingiuas scarificant: inferiorum, inferioribus. Et: Item Enhydridis. Est autem serpens masculus & albus. Huius maximo dente dętes dolentes circumscarificant. At in superiorum dolore, duos superiores adalligant: ediuersò, inferiores.

B Serpens fluuiatilis in longum valde accrescit, colore vario est: nam viridi, flauo, albo, cinereo notatur, qua varietate à terrestribus differt.

C In Lado nostro capiuntur Serpentes cum anguillis mutuo complexu colligatæ, qua de causa multi ab Anguillis abstinent.

COROLLARIVM, DE HYDRO, CHERSYDRO, NATRICE, HYDRA.

Quoniam Rondeletio in Aquatilium historia de Serpentibus etiam aquatilibus scribere visum est, addam & ipse hoc in loco quę inter nostra de serpentibus Collectanea reperi: plura fortassis aut certiora quædam in libro de serpentibus traditurus: præsertim si Bellonij (qui multas exteras regiones adijt, in quibus complures à veteribus memorati serpentes inueniuntur) de eisdē Obseruationes ædantur: nam apud nos quidem dei gratia paucæ serpentium species, quas nosse hactenus potuerim, deprehenduntur. Serpentium alij terrestres sunt, alij aquatiles, quanquam maxima pars sit terrestris, exigua ve-

gua verò aquatilis, scilicet fluminum incola. Sunt etiam maris indigenę serpentes terrestribus similes, Aristoteles.

Ὕδρος, ὄφεως εἶδος, id est, Hydrus, genus est serpentis, Hesychius & Varinus. Accipitur quidem hydri nomen apud Græcos plerunque pro certa specie, quæ in aquis dulcibus degit. verùm Ælianus marinos etiam hydros dixit, quos alij (vt Arrianus in Periplo) simpliciter ὄφεις θαλαττίους. Indicum mare (inquit ille libro 16. cap. 8.) hydros gignit marinos. Lacus etiam (*nimirum Indiæ, λίμνας. marinos lacus & salsos acceperim, non mediterraneos aut dulcis aquæ*) hydros maximos producunt. A *Hydrus:*

Solinus etiam capite 57. hydros marinos nominat. Quam Larini natricem. & Dioscorides hydrum vocat, Nicander Chersydrum appellare videtur. hic in locis parum aquæ habentibus aut paludib. versans, ranis infestissimus existit. Cum verò palus iam Solis ardoribus exiccata est, tum in arido viuens, mortiferam plagam infligit, Gillius ex Nicandro. Canit autem Nicander similem esse Chersydrum aspidi. Scholiastes ἴσας interpretatur tum specie corporis similes, tum magnitudine pares: & hydrum ait primùm esse appellatum: postea etiam Chersydrum, quòd in vtroque elemento viuat. Cum Sol aquas in quibus degebat, siccârit, καὶ τόθ᾽ ὅγ᾽ ἐν χέρσῳ πελιδνὸς ἀφαυρός τε καὶ ἄχρους, Nicander. hoc est, tum verò in terra manet squalidus & decolor: quasi in aqua pulchrior colore & nitidior sit. Chersydrus principio in aquosis degit locis (inquit Aetius) vnde & hydrus appellatur: posteà verò siccos incolit locos, & compositum chersydri nomen inuenit. redditurque seipso sęuior. Cęterum similitudine est aspidis terrestris paruæ, præterquam quòd ceruicem non ita latam habet. hoc enim insigne solum aspides præ his habent. Sophocles alibi hydram, alibi echidnam nominat serpentem qui læsit Philoctetem, quare inquirendum, an duo hæc vnius serpentis nomina sint, Eustathius. mihi quidem proculdubio serpentes duo diuersi videntur, echidnam verò dixisse poetam speciem pro specie, vel speciem pro genere accipiendo, vt sæpe fit à poetis. hodie etiam viperarum & natricum nomine tum vulgò, tum eruditi quidā abutuntur. Viperæ quæ aquas habitant (*id est Colubri aquatiles*) parum aut nihil veneni retinent, Cardanus. Enydris (melius Enhydris cum aspiratione) Plinio coluber est in aquis viuens, lutrix à Theodoro dicta, Hermolaus in Plinium. Vide in Lutra quadrupede A. Miror ego cur nouum potiùs nomen Gaza comminisci voluerit, quàm prisco natricis vocabulo vti, quo Cicero, Columella, Lucanus & alij boni authores vsi sunt. aquatilem autem esse serpentem etymologia indicat, à nando vel natando dictam. Natrix cum speciem anguis significat masculinum quoque inuenitur, Priscianus libro 5. Et natrix violator aquæ, Lucanus libro 9. Et natrix inimicus aquis, Mantuanus in Alphonso. Cur deus omnia nostri causa cum faceret (sic enim vultis) tantam vim natricum viperarumque fecerit, Cic. 4. Acad. Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arua Chersydros, Lucanus. Hydra, fœmina est hydri, Perottus. *Hydra.* Hydram (Lernæam) se arbitrari Pausanias scribit, feram magnitudine hydros excedentem alios, Cælius. Sed de hydra illa ab Hercule confecta, paulò post seorsim agetur. Hydra, ὄχις, id est vipera, Hesychius: qui hydram, etiam hydrum interpretatur, & iuxta alios chersydrum. Ælianus etiam hydras (fœm. genere) in Corcyra procreari dixit, serpentes vel afflatu venenosos, qui chelydri vel dryini videntur. Ὑδραλής, serpens aquaticus, Hesychius. Καρορύς, hydra, apud Cretenses, Idem & Varinus. *Ὑδραλής. Καρορύς.*

Boa serpens est aquatilis, quam Græci hydron vocant, à qua icti obturgescunt, Festus. *Boa.*

Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam à Regulo imperatore ballistis tormentisque, vt oppidum aliquod, expugnata serpens CXX. pedum longitudinis. Pellis eius maxillęque vsque ad bellum Numantinum durauêre Romæ in templo.

Faciunt his fidem in Italia appellatæ boę: in tantam magnitudinem exeuntes, vt diuo Claudio principe, occisę in Vaticano solidus in aluo spectatus sit infans. Aluntur primo bubuli lactis succo, vndę nomen traxere, Plinius. Solinus capite octauo, boā à chersydro disertè separat. Calabria (inquit) chersydris frequentissima est: & boam gignit. quem anguem ad immensam molē ferunt coalescere. Captat prima greges bubulos: & si quæ plurimo lacte rigua bos est, eius se vberibus innectit: suctuque continuo saginata, longo seculo ita funebri satietate vltimo extuberatur, vt obsistere magnitudini eius nulla vis queat. postremo depopulatis animantibus, regiones quas obsederit ad vastitatem cogit, &c. vt Plinius. Turpi boa flexilis aluo, Mantuanus. Boa vel Boua (vtroque enim modo dicitur) serpentis genus est, Perottus. Albertus boæ morsum venenatum & malignum esse scribit, sicut & aliorum draconum: in quo sibi non constat, nisi librariorum lapsus est. paulò antè enim boam de genere draconum tertij ordinis esse dixerat. Venenum autem tertij ordinis statuit, quod minimum sit, & non curandum. Ge. Agricola boam Germanicę *Vnke* interpretatur. Boæ (inquit idem) ex natricum sunt genere. aluntur primò (Plinio authore) bubuli lactis suctu. sunt enim nihil aliud quàm domesticę atque vernaculæ natrices. *Vnke.* In regno Senegæ miræ magnitudinis absque pedibus & alis inueniuntur, quales boas esse diximus, Cardanus. Boa appellatur morbus papularum, quum rubent corpora: sambuci ramo verberatur. Opinor (inquit quidam) morbum esse hactenus incognitum, qui vulgò rubello dicitur.

Crurum quoque tumor viæ labore collectus, boa appellatur, Festus. Boua siue Boa morbi genus est, cum corpora papularum multitudine rubent, ad similitudinem eorum qui boa serpente icti obturgescunt. Ignorauit hoc Festus Pompeius, qui boam scripsit esse crurum tumorem viæ labore collectum, Perottus: qui papularum, quibus corpus exasperatur & rubet, genera duo describit: & à Græcis hydrcia nominari scribit, ab hydro (vt quidam existimant) cuius ictus huiusmodi papulas excitet cum tumore. Ebuli folia contrita, & veteri vino imposita, boam sanant, id est rubenteis papulas. Est & Boa meretricis nomen apud Athenęum libro 13. Βόα. Munsterus in trilingui Lexico Zepha nomen Hebraicum, צפע, hydrum interpretatur: in dictionario autem Hebraicolatino aspidem, aut regulum: nocentiorem esse addens quàm sit nachasch, id est serpens simpliciter dictus.

Barbara aut corrupta è Græco nomina apud Auicennæ interpretem, item Arnoldum, & Albertum leguntur hæc; Handrius, Andrius, Audrius, Abides. Tyrus animal aquaticum est, vocatum trihane, Al-

hanc, Albertus, Echidrus, ſerpens in aqua degens, Syluaticus. Aſpiſticon, id eſt ſerpens qui degit in aqua propter vehementiam ſiccitatis ſuę, Idem.

Hydrum, Cherſydrum & Natricem Ge. Agricola Germanicè interpretatur *Natter*. alij *Waſſernater*, *Waſſerſchlan*. Eliota Anglus chelydrum *a ſea ſnayle* Poloni hydrum vvodnyvvaz, id eſt aquatilem ſerpentem. Albertus Naderum ſerpentem nominat, quaſi Latinam vocem, quę à Germanica deflexa eſt. Angli *Nadre* proferunt, noſtri *Nater*. apud Vincentium monachum Belluac. Padera nomen corruptum eſt, vt & Pader, & Panthera, pro Nadera. Videtur autem Germanicum nomen à Latino, quod eſt natrix, factum.

Nater. Quę nam ſit ſerpens à Germanis propriè *Nater* dicta, niſi cherſydrus fuerit, ignoro. De ea quę apud Vincentium Belluacenſem, & innominatum de naturis rerum ſcriptorem reperi, huc adſcribam. Nadera eſt ſerpens in Germania, craſſamento brachij, colore ventris aureo, dorſo virenti. Huius flatus adeò noxius eſſe dicitur, vt ſi virgam recenter cæſam ori eius adhibeas, in cortice virgæ veſicæ felleæ excitentur. Quin & fulgentem gladium ori eius admotum, linguâ veneno inficit: quod vſque ad ſummũ gladij delatum, tetro cœruleoque colore ipſum tingit ac ſi flamma violenta corriperetur. Hominem ſi in pede momorderit, momento venenum per corpus omne ſpargitur. Vim enim habet igneam, quare ſemper ſuperiora petit: & cum ad cor peruenerit, cadit ac moritur homo. Remedium inuentum eſt, vt morſus pedibus ſuſpendatur, capite demiſſo. ita venenum aſcendere non poteſt. Locus infectus excinditur, & medicamentis ſanatur ęger, Hæc illi. Naderam ſerpentem (inquit Albertus) aiunt eſſe ordinis ſecundi (hoc eſt veneni interficientis, licet non intra paucas horas.) Inuenitur in Germania, duorum & ampliùs cubitorum longitudine, & craſſitie brachij humani ſub cubito. Venter eius declinat ad cinereitatem (ſic loquitur) auream, & dorſum viret aliquantulum. Venenum eius ſerpit ex loco morſus in totum corpus, niſi citiùs excindatur. dicitur etiam inficere virgas & gladios contactu linguæ, ita vt colorem eorum immutet. Si nadera in ventre fuerit, vrinam propriam cum ſudore equi in balneo propinato, Ex Germanico libro manuſcripto.

Natrix. Tiberius ſagaciſſimus ſenex C. Caligulæ ingenium ita perſpexerat, vt aliquoties prædicaret, exitio ſuo omniumque Caium viuere: & ſe natricem (ſerpentis id genus) pop. Romano, Phaethontem orbi terrarum educare, Suetonius. Natrix vocatur herba, cuius radix euulſa virus hirci redolet, Plinius. Natrix pro ſerpente: Lucilius lib. 2. Si natibus natricem (*penultima breui, ſi probè legitur. ſenticam fortè [illegible] intelligit, quę ſerpenti inſtar [illegible] & mordeat*) impręſſit craſſam & capitatam. Quòd ſi pro fœmina nardi perita accipiatur, notum eſt produci, Deſpauterius.

Vnck à Saxonibus & alibi vocari audio ſerpentem magnum, ij. cubitos longum, percraſſum, viridem, collo varium, innoxium ferè. Eundem quoque aut alium ei ſimilem, alio nomine *Hauſunck*, id eſt ſerpentem domeſticum nominant, (noſtri *Hauſſ. ſchlang* proferunt) in huius capite vtrinque aliquid eminere aiunt ceu murium auriculas: non eſſe nocentem, & circa domos verſari: oberrare noctu potiùs. parci eis à pleriſque. ſępe magna caudæ parte abſciſſa diu eos ſuperuiuere. *Myagrus.* Hic forſitan Myagrus veterum fuerit: quem cum alijs ſerpentibus plerunque innoxijs Nicander in Theriacis numerat, & πολυστεφεῖς (multis coronis & lineis inſignes, Schol.) cognominat. Scholiaſtes μυάγρους, id eſt murium venatores eſſe ſcribit, & alio nomine ὀροφίας dici. *Ophias.* ego ὀροφίας ſcribendum aſſeruerim, id eſt domeſticos. Nam ὀροφίας ὄφις apud Pollucem legitur. Mures ac ſerpentes ὀροφίαι dicuntur, qui circa ὀροφὰς (hoc eſt ædium tecta) verſantur, eaſque erodunt, Varinus ex Scholijs in Veſpas Ariſtophanis. Mures quidem ab hoc genere ſerpentum captari veriſimile eſt, cum circa domos degat, vbi victus alius non facilè ſuppetit. *Spathiurus.* Spathiurus quoque ſerpens Aetio, ſimiliter vt Pareas innoxius, (non enim interimunt morſu, ſed inflammationem tantum inducunt,) mures comedit. ex craſſo in caudam abit tenuem, latum caput habet. In locis iuxta Chalcidem pręcipuè inuenitur. Dictus fortè quòd ex corpore craſſiore & latiore ſpathæ inſtar in οὐρὰν, id eſt caudam, tenuem deſinat. Nomen *Vnck* ab Italico ancca factum videri poteſt. Vide infrà in Angue: vnde & *Schlang* fortaſſis, conſonantibus aliquot prępoſitis. Idem ſcilicet fuerit coluber Vergilij Georg. 3 Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere & vmbræ. ſed de colubro plura dicam inferius. Plura occurrunt de ſerpente domeſtico noſtro nigricante, partim ex auditu hæc dum conderem, partim ex inſpectione aliàs mihi animaduerſa. Circa Lucarnum & Verbanum lacum, ideo non occiditur in vinetis, quoniã infeſtus eſt murib. quin & muſcis eum inſidiari audio, vnde non myagros modò à muribus, ſed à muſcis etiam μυίαγρος vocari poterit. Aliqui in Italia ſerpentem nigrum appellant, vt Matthiolus Senenſis, vulgò Serpe nero: alij ab eodem colore, Carbon vel Carbonazzo. Circa Verbanum Amiroldo vel Baron, (ſed Baronis nomen Pareæ potiùs cõuenit, de quo infrà.) Luſitani Cabra, ſiue à carbone, ſiue a colubra per metatheſin facto nomine. ſed aliud id genus eſſe puto. morſu enim occidere aiunt. Galli Anguille de haye, id eſt anguillam ſæpium. Homines ferè non lædit, nec impetit morſu: ſed caudà verberat, vt qui percutitur ab eo videatur ſibi ſe baculo percuti. Requiritur à Matthiolo ad remedia morbi Gallici. Capite & cauda amputatis, (Inteſtina quoque, viſcera, pingue & fel auferuntur,) corpus reliquum ad remedia quædam editur. Aluntur à nonnullis furfure in ampullis vitreis. Circa domos & ſterquilinia verſantur, caloris nimirum gratia, & in ijſdem aliquando pariunt. Vaccas aliquando ſugunt cauda cruribus earum circumplicata. Ante annos aliquot ex pago *Horgen* ad lacum noſtrum ſito, Maio menſe ſerpentem hunc ad me delatum his verbis deſcripſi. Caput ei latum eſt, compreſſum & reſimum. Color in ſyncipite cinereus, obſcurior quàm alibi: dorſo toto cinereus, color obſcurus. Maculæ vtrinque ad latera nigræ, oblongæ, paribus interuallis. maximas autem & latiſſimas ſplendentes maculas nigras vtrinque in collo gerit. Latera capitis poſt oculos ceu calli quidam eminent, vt de aſpidibus ſcribit Nicander. Poſt medium corporis ante principium caudæ, ſquamæ magis diſtant: ſic vt appareat inter ſingulas cutis nigricans: alibi verò admodum conferctæ ſunt. Lingua nigra, biſida. Longitudo totius pedes hominis mediocris tres cum dimidio. Collum anguſtius, venter per craſſus. Laterum ſquamæ parte ima & latiores ſunt, & paululum candicant. Venter ſquamas habet tranſuerſas, ita vt ſemicirculis ſquamoſis compactus videatur. Illorum quidam in extremo maculas nigras

nigras refulgentes habent, quæ per interualla ordine inter oblongiores laterum maculas (de quibus iam dixi) conſpiciuntur. Sunt autem iſti ſemicirculi varij. in ſupino capite paruę & multæ ſquamæ albæ. deinde in collo ſemicirculi albi, cum paucis maculis nigris. hinc dorſum verſus plus eis nigri, minus albi ineſt: paulatim ampliante ſe nigredine, hoc eſt plus ſpacij obtinente, decreſcente autem albedine. Eſt autem iſta ventris nigredo, præſertim quæ longius à capite diſceſſit, obtuſior, nec ita ſplendet vt in maculis quas prædiximus. Cauda longa digitos viij. paulatim attenuatur. initium eius ſupina parte maximè conſpicuum eſt, vbi deſinunt ſemicirculi, & excrementi foramen patet. deinceps autem inferior eius pars, binis ad exitum vſque ſquamis conſtat, ſuperior pluribus & minoribus. Dentes habet multos, paruos, ſerratos, duplici ordine.

In Thermis noſtris ad Limagum fluuium ſitis angues aliquando reperiuntur, in ipſis balneorum alueis, à quibus tamen neminem hactenus læſum audiui. Ego catulos tantum binos vidi, initio Maij, dodrante paulò longiores, colore fuſco vel cinereo obſcuro. Vnius cauda paulatim ſe attinuabat: alterius verò ventrem verſus incraſſabatur citius, quæ nimirum fœmina erat. Venter albus maculis nigris diſtinguebatur, vt in alijs ferè ſerpentibus. Oculi adhuc pulchri & integri erant, (quanuis ante biduum occiſi eſſent,) parui: pars media albicans, ambientibus circulis duobus pallidis, ſiue ex luteo albicantibus. Caput longiuſculum, non latũ. Redemptores balneorum qui cauere volunt ne alueos ſubeant, laminas ferreas crebris pertuſas foraminibus emiſſarijs addunt: per hæc enim caloris deſiderio irrepere ſolent. Satis magnos fieri audio. Vnum ex his pictum cum apud me videret Bellonius, hydrum eſſe dicebat. Similis quidem & Rondeletij pictura eſt. ſed in noſtra non adeo in exilem & longam tenuitatem cauda deſinit, & ceruix minus craſſa eſt: niſi per ætatem forſan increſcat. Solent enim capita in minori ætate proportione maiuſcula eſſe.

Aliud ſerpentis genus apud nos reperitur, (cuius effigiem hîc exhibemus,) quod ſimiliter in aquis aliquando reperiri audio, & apparere interdum per lacum à felibus denominatum noſtris, veloci natatione traijcere. *Natrix torquata.* Colore ferè cinereo ſunt, & ad magnam longitudinem perueniunt, craſſitiem verò minorem quàm nigri noſtræ regionis ſerpentes. Nota eorum inſignis in collo maculæ candicantes è pallido, torquis inſtar, non tamen abſoluentis circulum. Inter vtraſque maculas in ſummo ceruicis



anguſtum eſt interſtitium, duarum fortè ſquamularum, vbi maculæ vtrinque tanquam trianguli forma in acutum deſinunt. Dentes omnino exigui, & mihi ferè inuiſibiles, ore in duas partes diſſecto, & ſupino inſpecto, apparebant: ſunt enim interius, hamati retrorſum. Maculę nigræ ſplendidę vtrinque ſingulæ poſt torquem ſunt. Vidi huius generis vnum, Septembris decimo mihi allatum, tres dodrantes cum quatuor digitis longum, alias etiam maiorem: venter albus eſt, præſertim ſuperiore parte, (quam pectus dixeris, oblongum, album,) inferius nigricat. Maculæ latera verſus nigrę ſunt. Dorſi color fuſcus vel cinereus eſt. Caput ſimum, depreſſum. Has natrices torquatas aliqui noſtratium *Natern*, alij *Hecknatern*, id eſt natrices venenum infligentes vocant: inferiores Germani, præſertim Flandri *Schaeken*. Iidem vaccarum vbera (vt veteres de bois ſcribunt) ab his ſerpentibus ſugi aiunt, & poſtridie ſequi ſanguinem. Eoſdem aliquando in dormientium ora irrepere fertur: & homines illos, quos ſubierint, ſuauiter canere. Elici autem ſerpentes, ſi ſupra lactis feruidi vaporem hiantes ſe contineant. Non morſu tantum, ſed aſtrictione etiam partium quas inuaſerint, nocere audio: degere fermè in pratis & locis vmbroſis: interdum in aquis vel has ipſas, vel ſimillimas. vocem ædere ſatis ſonoram, ſimilem rubetarum quarundam voci, ſed magis continuam & ſuauiorem. Ego huius generis ſerpentem torquatam, vnã aliquando viuam habui, prope finem Iunij menſis: quæ poſtridie quàm mihi allata eſt, oua quatuordecim peperit. Erat is annus admodum pluuioſus: quamobrem plurimos huiuſmodi ſerpentes apparere aiebant. Hydros Chriſtophorus Encelius interpretatur *Vnſere grauuen Waſſerſchlanger*: id eſt, aquaticos ſerpentes noſtros (Germanicos) coloris fuſci. Angli *Watter ader* nominant: Itali Maraſſo de aqua.

Acontias. Acontias, vt aiunt, idem eſt cherſydro ſerpens: qui (*primum in aqua, deinde*) multo tempore in ſicco degit, & omni animantium generi inſidias molitur. Huius cautio in faciendis inſidijs eiuſmodi eſt, vt ſecundum vias publicas abditè lateat, perſępe etiam correpens in arborem aſcendat: ibique ſeſe contortè conclùdens, & in orbem coarctans, caputque in ſpiram occultans, vt prætereuntes tacitus ex occulto perſpexerit, in id ipſum quod præterit, ſiue fuerit beſtia, ſiue homo, ſe iaculetur. Nam valet ſaltu, vt viginti cubitorum ſpatium tranſilire queat, protinuſq; ad ea quæ ſaltu appetit, inhęreſcat, Ælianus 8.13. de animalibus. Quanquam autem nullus aliorum authorum, quod ſciam, acontian eundem cherſydro faciat, & ſerpentes diuerſos eſſe ipſe etiam ſentiam, quoniam tamen pauca de ijs veteres prodiderunt,

diderunt, omnia huc adſcribam: eo maximè conſilio, vt docti in externis regionibus viri, ſi qui hæc legere meque propter ſtudium meum amare dignabuntur, de pluribus quæ in hoc de hydro capite ſcripſi, (propter aliquam ad hydrum vel nominis vel rei cognationem,) maturè me admonendi docendiq; occaſionem habeant, vt Serpentium quoque hiſtoriam olim, ſi deus fauerit, pleniorem conſcribere mihi liceat. Acontias Ammianus Marcellinus inter Ægypti ſerpentes numerat. Nicandro ἀκοντίαι innoxij ſunt ſerpentes, οἱ κατὰ τὰ ἀκόντια διατρέχοντες, vt Scholiaſtes annotat: qui tamen & alia quædam animalia eodem nomine dicta ait, διὰ τὸ ἰσοδρομεῖν ὥσπερ τὰ ἀκόντια quaſi inſinuet, acontias ſerpentes, alios curſu celerrimos eſſe, eoſque innoxios: alios verò non curſu, ſed eiaculandi ſe impetu. Nos inter inſecta nouimus cantharides quaſdam paruas, colore fuſco, in hortis, quæ ſeipſas cum crepitu quodam eiaculantur, tactæ præſertim & in timore. Acontiæ ſerpentes, qui & ἀκοντίαι à quibuſdam dicuntur, Heſychius. Κόνπλος, auis quędam, aut coturnix: & genus ſerpentis, Heſychius & Varinus. Videtur autem κόνπλος cum ſerpentem ſignificat ſic nominari quaſi ἀκόντιλος: quo modo ſcriptum nomen magis probarim quàm illud apud Heſychium ἀκοντίζος. Serpens eſt quæ Græcis Acontia (*inquit Matthiolus Senen. ſed melius Acontias gen. maſc. effertur, prima declinatione*) appellatur quòd iaculi vel ſagittę modo in hominē proſiliat. de hac cum nihil à Dioſcoride proditum ſit, ſciamque eam in Italia reperiri, non alienum duxi de eius hiſtoria ac veneni curatione, ea hoc loco commemorare, quæ ex probatis authoribus excerpſi. Hanc itaque deſcribens Galenus, libro de Theriaca ad Piſonem, inquit: Acontias ſerpens, vbi ſe multum extenderit, (*modum quo ſe eiaculatur, indicat. Aelianus etiam libro 6. cap. 18. de animalib. cum ſerpentium gulam & oblongam eſſe dixiſſet, ideoque ipſas cum cibum ingeſtum deſcendere volunt, celſas & erectas ſe conſtituere, extrema cauda nitentes, vt in aluum procliuior delabatur cibus: mox etiam iaculos ſerpentes memorat, qui iaculorum inſtar ſemetipſos iaculentur, tanquam hi quoque eodem modo, corpore ſcilicet extenſo erectique id faciant,*) ceu iaculum quoddam corporibus inſiliens ſic perimit. *Aetius.* Hæc, vt Aetius ſcriptis tradidit, ſerpens eſt duorum cubitorum magnitudine, figura autem craſſa in tenuem abeunte, colore viridi (*Græcè puto χλωρὸν legi, quod nomen non ſolum viridem, ſed etiam luteum colorem ſignificat. milij quidem color, non viridis, ſed luteus eſt. Et rectè Syluaticus: Miliares [inquit] ſerpentes ſunt, quorum color propter citrinitatem, eſt quaſi color milij*) præſertim iuxta ventrem, vt milium colore referat, vnde & cenchras, hoc eſt miliaris appellatur, (*noſter Aetij codex lib. 13. cap. 27. cenchrites habet in titulo, cenchrias in contextu.*) Aiunt hanc fortiorem fieri cum milium floret. Porrò vbi ſe ad lædendum parat, extendit ſe ipſam, ac veluti iaculum vibratum corporibus inuolat, atq; hoc modo verberat, (*mordet*). Ad huius morſum omnia quæ de vipera dicta ſunt ſequuntur accidentia, atque etiam grauiora, adeò vt etiam putrefactiones & carnium defluxus conſequantur, ac grauior item mors ſuccedat. Cæterum remedia ſimiliter eadem quæ ad viperæ morſum his conducunt. *Hiſtoria.* Eſt qui referat inter recentiores non obſcurus author, quòd cùm paſtor quidam miſellus, ſub cuiuſdam arboris vmbra ęſtate media quietem ſomnumque caperet, cuius ſocij non procul oues paſcebant, ab acontia, quæ in arborem aſcenderat ita percuſſus fuerit in ſiniſtram mamillam, vt illico perierit. At ſocij audito percuſſionis ſonitu, viſo ſerpente, quem nouerant ſuper defuncti pectus, relicto grege in propinquum rus, pauore territi, aufugerunt. Reperitur hoc ſæuiſſimi ſerpentis genus, vt quidam mihi retulerunt in quibuſdam Calabriæ & Siciliæ locis, vbi ipſam incolæ à ſagitta ſaettone vernaculo nomine appellant, Hucuſque Matthiolus. Serpens qui in Lemno ſagittar: vocatur (inquit Bellonius) is eſt quem veteres (Latini) Iaculum dixerunt. Sed Lemnij non conueniunt cum Andreis & Parijs in huius ſerpentis nomenclatura. Verus quidem Iaculus maculis nigris dorſum diſtinguentibus pingitur, quæ oculum planè referunt, quales in Torpedine oculatæ etiam notæ conſpiciuntur, Bellonius in Singularib. lib. 1. cap. 31. Et rurſus lib. 2. cap. 14. (vbi iconem etiam huius ſerpentis ponit) Iaculum in Rhodo ſe vidiſſe ſcribit, maculis exiguis (non maioribus lente, nigris rotundis, oculi inſtar circulo ſingulas ambiente candido,) quales in parua torpedine apparent, diſtinctum. A Græcis (inquit) hodie Saëtta, id eſt Sagitta vocatur: à Turcis Ochilanne, à veterib. (Gręcis) Acontias. Longus eſt tres palmos, non craſſior paruo digito. color eſt cinereus, & ad lactis colorem accedit, ſub ventre omnino albus: ſquamis per dorſum, laminis per ventrem ſimiliter vt in reliquo ſerpentium genere digeſtis. Collum supernè nigricat, lineis duabus albis diſtinctum, quæ cum à capite incipiant, per totum dorſum ad caudam vſque extenduntur. Iaculum ex arborum ramis vibrari: nec pedib. (*deſunt enim pedes noſtr. è terra inuadimus*) pauendas tantum ſerpentes, ſed & miſſili volare tormento, vulgatum eſt, Plinius. Et natrix violator aquæ, iaculiq; volucres, Lucanus. Iaculum dicunt Plin. & Iorach eſſe ſerpentem alatum (*non hoc Plinius dicit, ſed dum ſe vibrat & iaculatur volare videtur: vnde & Lucanus iaculos volucres cognominat*) in arboribus latere, & inficere fructus arborū (*ex idoneis ſcriptoribus nemo hoc tradit*) ita vt omne animal, quod inde guſtauerit, moriatur. Addit Iorach hunc ſerpentem eſſe duorum generum: vnum morſu ſine ſenſu doloris interimere: alium verò, dolore diuturno fatigare, & demum conſequi mortem. Vtroſq; eſſe ordinis primi, Albertus. Idem: Altynatyti (inquit) ſerpentes dicuntur, ſicut & Caſezati (aliâs Caſezaci, in c. litera lib. 25. de animalib. vbi hæc duo nomina non omnino eiſdem ſerpentibus, ſed duab. vnius generis ſpecieb. attribuit) parui, breues, & minuti: ſed perquam aſtuti, callidi & maligni: qui quandoque occultant ſe inter folia ſub arboribus, vt inijciant ſe tranſeuntibus ſub arborib. & interficiant eos, vt ſcribit Auicenna: aut ſi hoc non poſſunt, procedunt ex antris & inſiliunt in tranſeuntes. Colore ad rubedinem declinant. Morſum eorum conſequitur dolor vehemens: qui à loco morſus ſerpit in totum corpus: & qui morſus eſt, moritur: quamobrem ſunt ordinis primi. Acoran (corruptum pro Acontias) iaculus ſerpens, Syluaticus. Acontiam Germanis ignotum Ge. Agricola putauit. Ego quanquam ſerpentem ipſum hoc nomine à veteribus deſcriptum non noui: hiſtoriam ſaltem ſiue eiuſdem, ſiue alterius ſerpentis ſimiliter ſe vibrantis, recitabo. quoniam & apud nos contigit, & hominem à ſerpente afflictū ego ipſe vidi. *Hiſtoria.* Riuus eſt ſatis magnus in agro Tigurino, *Glatt* nomine: & denominatus ab eo pagus *Glattfelden*: Iuxta hunc tum riuum tum pagum, ante paucos annos, ſerpens quidam baculi craſſitudine, & trium aut amplius pedū longitudine, in ruſticū frondes illic colligētem inſilire conatus eſt, corpore in quatuor ſpiras ſeu arcus conuoluto: quod ille cernens ſacco, quē in vſum colligendi ferebat, relicto fugit.

Serpens autem proſilijt ſpacio circiter xvi. pedum, non tamen attigit ruſticum. Deinde cum ſacci accipiendi cauſa rediret, ſerpens denuo in eum proſiliens, brachium eius ſiniſtrum totum ſpiris ſuis implicauit, (parte caudæ adhuc dependente, collo autem erecto,) idque comprimendo (non ſatis memini an nudum, induſio tectum fuiſſe puto) adeò arctè conſtrinxit, vt veſtigia ſpirarum imprimeret. non tamen momordit. nam ruſticus ſtatim altera manu capite comprehenſum abſtraxit reiecitque. Brachiū verò paulatim putrida quadam ſanie contabeſcens carne nudatum eſt, & tandem curatus ęger omni carne putrida extracta per chirurgum pulchrè reſtitutus eſt, quotannis in eo brachio bis venam incidere iuſſus. fluit autem ſanguis craſſus & niger. Hæc ego ab ipſo ruſtico audiui, & plurimas brachij cicatrices vidi. Serpentem carbonario quem pictum oſtendebam ſimilem fuiſſe aiebat. Idem mihi retulit ſerpentes illic circa Glattum fluuium eſſe cum diademate flauo vel aureo in capite: intrare illos interdum aquam & piſces vorare præſertim ſub lapidibus latentes, vt gobios fluuiatiles aut alios. Complecti eos ſpiris ſuis lapidem, vt fuga piſci nulla pateat, & ſic eum capere. *Decurtati.* In Vngaria (vt narrauit mihi Ioannes Vitus Vngarus iuuenis pereruditus) reperiuntur ſerpentes breues, duorum palmorum longitudine tantum, nulla cauda. Vulgò decurtatos vocant. æquali per totum corpus craſſitudine. Hos in hominem eminus, etiam iaculi inſtar, inſilire aiunt. Veteres quidam (vt Aetius) amphiſbęnam & ſcytalam ſerpentes, non ex craſſis in caudam tenuem abire, ſed ęqualis craſſitudinis per totum exiſtere dicunt, vt neque cognoſcant videntes eas iuxta vtramque partem caput aut cauda ſint ſita. Ἀκοντιὰς herba qua canes à ſerpentibus morſi curantur, Varinus. quęrendum an hæc eadem quæ dracontium ſit, id eſt dracunculus.

Cenchrias. Iam quoniam Aetius acontiam alio nomine cenchriten quoque vel cenchriam appellari dixit, quòd milium colore referat, & cum milium floret maximè vigeat, eadem digrediendi occaſione, de ſerpentibus etiam à milio denominatis nonnihil adferemus. Κεγχρίνης vel κεγχρίνης, genus eſt ſerpentis, & hydrus, Varinus. Nominatur & à Lycophrone κεγχρίνη. A Lucano & Plinio cenchris. *Nicander.* Cenchrines & maxima magnitudine eſt, & leonem vocant, ſiue quod eius ſquammæ varijs maculis diſtinctæ ſunt, (*hoc leontibus non conuenit: niſi fortè Libycis, quorum omnia membra nigris floribus cyaneo colore diſtinctis ornantur, vt refert Ælianus:*) ſiue quod caudâ erectâ ſe ad pugnam incitat, ſiue etiam quia leonum more humanum ſanguinem exſorbet, Gillius ex Scholijs Nicandri. Et mox ex ipſo poeta: In maximis caloribus inſidias pecori molitur per montes. Caue quantumlibet magno animi robore ſis, neue occuras, neue contra hunc pugnes: ne ille te implicatum cauda flagellet, & iugulis vtrinque apertis ſanguinem exugat. Quin potius fugias, non tamen rectà: ſed diuerticulis, flexionibusque beſtiæ curſum retardes. Nam ſerpentum hoc genus cum rectà iter facit velociſſimum eſt, cum autem viam ſæpius flectit, tardiùs ſerpit, (propter corporis nimirum longitudinem.) Hinc & Lucanus libro 9.

Et ſemper recto lapſurus limite cenchris:
Pluribus ille notis variatam tingitur aluum,
Quam paruis tinctus maculis Thebanus ephites.

Nicander non aluum eius modò, ſed totum hunc ſerpentem varium eſſe canit: In Lemno (inquit & Samothracia (ſic enim Σάμον δυσχείμερον interpretantur) inſulis ſitis in Thracio ſinu, cenchrinen ſerpentem oblongum reperies: quem leonem varium ſquamis diſtinctum appellant: cuius magna eſt corporis & craſſities & longitudo. Δήεις κεγχρείνεω (malim per iôta in ſecunda) δολιχὸν τέρας, ὅν τε λέοντα Αἰόλον αὐδάξαντο περίστικτον φολίδεσσι. Τοῦ πάχετος, μῆκός τε πολύστροφον, malim πολύτροφον. Ad huius morſum caro putreſcit, ſerpitque per membra putredo, & hydrops ventrem cum dolore medium circa vmbilicum grauat, Hæc Nicander. *Dioſcorid.* A Dioſcoride Cenchrus, κέγχρος vocatur: quanquā facilè κέγχρος pro κεγχρίνης à recto κεγχρίνη: vel pro κεγχρίς, à recto κεγχρίας, ſcribi potuit: quorum vtrumuis magis probârim: Ægineta qui Dioſcoridis verba tranſcripſit, κεγχρίνη habet. Cenchri morſum (inquit Dioſcorides) qui viperino ſimilis eſt, putridum vlcus ſequitur. Carnes antea, vt in aqua inter cutem, prætumidæ, defluunt. Lethargo corripiuntur, & veterno preſſi ſomnos captant. Eraſiſtratus eos iocinere, inteſtino ieiuno, coloque conflictari author eſt. quippe diſſectis ipſis omnes ferè partes corruptæ reperiuntur. Morſis ab hac ſerpente (ἀπὸ κεγχρίδος, rurſus lego κεγχρίνης) auxiliatur lactucę fructus cum lini ſemine illitus, & ſatureia trita, & ſylueſtris ruta: & ſerpyllum cum aphodelo tritum. In potu autem confeſtim: (*Reſtituimus hæc ex Ægineta, & ſimiliter legit Hermolaus Barb.*) Centaurij radicis drachmæ duæ cum vini cyathis tribus, aut ariſtolochiæ radix ſimiliter. item naſturtium (*καρδάμου, Ægineta. Dioſcorides habet cardamomum, vtrunque conuenit*) & gentiana eodem modo. Hunc in locum annotans Matthiolus: Quanuis (inquit) Aetius cenchrum ammoditen appellauit, & acontiam cenchriten: non tamen propterea cenſendum eſt, cenchrum Dioſcoridis ammoditen aut cenchriam eſſe: quod hic nullam cum illis habeat cognationem aut ſimilitudinem. Ea autem de cauſa cenchrus dictus eſt, quod maculis perquam minimis (vt Lucanus eſt author) milij magnitudine, & colore, vniuerſum eius corpus reſperſum appareat. Auicenna cenchrum famoſum appellat. Serpyllum ſylueſtre aduerſus ſerpentes efficax eſt, maximè cenchrin & ſcolopendras terreſtres ac marinas, & ſcorpiones, decoctis in vino ramis folijsque, fugat & odore omnes, ſi vratur, Plinius. Bellonius in Singularibus lib. 1. cap. 31. In Lemmo (inquit) cenchriti vulgò nominatur ſerpens, cenchris dictus antiquis. Apponit & iconem eius, in qua per ſingulas ſquamas ſingula puncta notantur. Vnde cenchrinem dictū apparet: (Germanicè nominare licebit *ein Punterſchlang, ein Bergſchlang*) ſicut & tinnunculus auis accipitrum generis ſimiliter cenchris vel cenchrines à Græcis vocatur. Vide in Auium hiſtoria philologiam de tinnunculo. Ammodytes ſerpens diuerſus cenchrias dicitur, à caudę milij inſtar duritie, vt tradit Aetius. Ammodytas Aetius cenchrias nominat, cubitales eos deſcribens, cauda ſuperiore parte ſciſſa & prædura: vnde nomen, inquit, cenchriæ: vt cerchriam potius quàm cenchriam putem legendum. nam cenchrites, ſiue cenchrinus, ſiue cancros, (*cenchros legendum,*) aliud ſerpentis genus eſt, quod & acontion & acontitem, & acontiam aſpidem, hoc eſt iaculum, vocant aliqui, vt idem voluit Aetius, (*noſtra Aetij æditio Latina hæc nomina non habet, ſed caput 27. libri 13. ſimpliciter de cenchrite ſiue acontia inſcribitur. neque Oroſcius qui tranſlationem Latinam cum Græco codice*

contulit, quicquam hic annotauit,) longitudine cubitorum binûm, in exilitatem fastigiata, viride, præsertim sub aluum, vt milio (cum recens eius seges est,) [*parentkesin de suo addit Hermolaus*] videatur persimile, robustum, Hermolaus. qui quod ammodytem serpentem alio nomine cerchriam potius quàm cen- *Cerchrias.* chriam nominandum putârit, nescio vnde sit motus: nisi κέρχρον pro duro fortè acceperit: quam vocem ego nusquam reperio, sed κέρχνον pro aspero accipiendum videtur. Κερχνεῖ, τραχύνει. Κέρχνωμα, τράχυσμα. Κερχνοειδῆ, ποικίλας, τραχέα, πολύπκεσα, Varinus. Κέρχνον vocant asperitatem gutturis & sonitum in pulmone. inde adiectiuum κερχναλέον quod cerchnon inducit. Καὶ τὸ κέρχνεται δὲ, καὶ οἱ κερχνασμοί, τὸ ἀνάλογον δηλοῦσι, Galenus in Glossis. Quare non cerchrias, sed cerchnias potius dicendum esset. sed cum Aetius ipse, si probè transtulit Cornarius, rationem nominis in milium referat, quid est quod mutemus? Mirari tamen subit, quod rei duræ à milio semine parum duro, nomen fecerit: à quo aspera variaque magis quàm dura denominari debebant. *Centrites.* quare centriam aut centritem serpentem, si caudæ durities nominis causa esse debeat, potiùs appellarim. *Centrum pro duritie.* Centrum enim authoribus pro duritie vsurpatur. Inueniuntur in arboribus quibusdam, sicut in marmore, centra, id est duritia clauo similis, inimica ferris, Plinius libro 16. Ab eodem lib. 13. centrosa scobs dicitur, id est limatura admodum dura, veluti centrum quod in marmore vel iunipero inuenitur. Facit cum coniectura nostra Ælian. lib. 6. de animalib. cap. 51. vbi dipsadem alijs nominibus melanurum, ammobeten, & centridem, κεντρίδα, vocari scribit: vt probabile sit, cum ammobates etiam centris dicatur: ammodyten quoque, etsi diuersum à dipsade, alio nomine similiter centridem centriamue nuncupari. Idem lib. 9. cap. 11. Aspis (inquit) vel solo tactu interdum interimit, & afflatu quoque, vt & centrites & rubeta, ὥσπερ οὖν ὁ κεντρίτης καὶ ἡ φρύνη. Al- *Miliaris.* bertus Lucani carmen recitans, Et semper recto s. s. c. pro cenchris, legit centris, quod non probo. Idem miliares nominat, cenchrinas intelligens: vt & Auicennæ interpres 4. 6. 3. 44. Serpentiũ (inquit) huius generis color propter citrinitatem suam est quasi color milij. Et accidunt ei quem mordent accidentia malarum viperarum. Et cura eorum est eadem. Deinde capite 45. quod inscribitur, Serpens Aracis vel Aspis, habens colores diuersos: Quidam (inquit) dixerunt quòd est malignus, interficiens in die secundo, cum corrosione hepatis, & confractione intestinorum. Et curatio eius est curatio viperarum prauarum. Videntur autem hæc quoque ad Cenchrinen pertinere, nec rectè ab Auicenna disiuncta esse. In Sicilia audio reperiri serpentem, qui vulgò dicatur serpa Serena: qui an cenchrines veterum sit, considerandum est. accedit enim nomen ferè, & longitudo & crassities corporis. Eum Hierony- *Serena vulgo in Sicilia.* mus Massarius Vicentinus, medicus eruditus, his verbis mihi descripsit: Serpa Serena, est serpens venenosus, albus, vel potiùs subpallidus, in Sicilia frequens, longitudinis aliquando corporis humani, & crassitudinis brachij circa carpum. *Syrena.* Alij sunt apud Isidorum Syrenæ (aliâs prima per iôta scribitur,) serpentes in Arabia alati, qui & æquis velocius currere, & etiam volare dicuntur: tam vehementis veneni, vt morsum ante mors insequatur quàm dolor.

Coluber A. COLVBRVM etiamsi veteres videantur aliquando pro serpente in genere nominare, aliâs tamen speciem peculiarem hoc nomine denotant, vt ex sequentibus testimonijs patebit: Gaza pro aquatico accepisse videtur. nam cũ Theophrastus historię plantarum 2.6. scribat hydrũ stagnis exiccatis marcescere: ipse pro hydro colubrum transtulit. Deceptus est autem fortè Gaza, non intellectis Plinij verbis: Coluber enim (inquit Plinius) est in aqua viuens, &c. vbi certè colubri nomen tanquam generis, non tanquam speciei posuit. Et alibi, Enhydris vocatur à Græcis, coluber in aquis viuens. Wottonus etiã vir nostro seculo in Anglia eruditus, de colubro inter aquaticos serpentes agit: & colubri nomine pro genere quosdam abuti scribit. Certè viri eruditi pro communi Græco serpentium nomine ὄφις, colubrum aliquando reddunt latinè. Erasmus Rot. & alij.

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graues nidore chelydros.
Sæpe sub immotis præsæpibus, aut mala tactu
Vipera delituit: cœlumque exterrita fugit.
Aut tecto assuetus coluber succedere, & vmbræ,
Pestis acerba boum, pecorique aspergere virus,
Fouit humum. cape saxa manu cape robora pastor:
Tollentemque minas, & sibila colla tumentem
Deijce. iamq; fuga timidum caput abdidit altè:
Cum medij nexus, extremęq; agmina caudæ
Soluuntur, tardosq; trahit sinus vltimus orbes,
Est etiam ille malus Calabris in saltib. anguis, &c.

Vergil. tertio Georg. vbi colubrum videtur speciem serpentis facere, eam quam nos suprà orophiam & myagrum nominauimus: eamque ab alijs speciebus, chelydro, vipera & chersydro, (quem anguem in saltibus Calabriæ nominat ac describit in sequentibus,) distinguit. In anserum struendis cellis seruanda sunt eadem quæ in alijs generibus pullorum, ne coluber, ne vipera, felesque, aut etiam mustela possit aspirare. Iecur aquatici colubri, item hydri tritum potumque calculosis prodest, Plin. ac si coluber aquaticus alius quàm hydrus esset: non separârim. Coluber ab eo dictus est, quod colat vmbras (*quasi ad hoc allusérit poeta tum recitato carmine, Aut tecto assuetus coluber succedere, & vmbræ:*) vel quod in lubricos tractus flexibus sinuosis labatur. nam lubricum dicitur, quicquid labitur dum tenetur, vt piscis, serpens, Isidorus. Gelenius noster Latinum deducit à Græco κολόβουρος: quod vbi ipse legerit nescio. ego neq; apud authores, neq; apud grammaticos reperire memini. significat autem mutilum cauda. Quod si de origine huius vocabuli diuinandum est, á chelydro vel chersydro, non magna literarum mutatione, colubrum aliquis deduxerit, etsi pro vocabulo vel communi, vt dictum est, vel speciei diuersæ à Latinis plerunque vsurpetur. Domestici quidem angues, sæpe caudis per homines mutilatis reperiuntur, ac viuunt, potius quàm syluestres. Coluber à Scoppa Italicè redditur lo scorzone, scorsoni. colubra, la scorzonara, la scorsona. Galli coleuure, Hispani culébra proferunt. Νερόφις Græcè hodie vulgò dictus serpens, ab aliquibus coluber vertitur. Coluber, gen. mascul. est: quandoque fœmininum etiam colubra in vsu est. Lucilius Satyr. lib. 20. Iam disrumpetur medius, iam vt Marsus colubras Disrumpit cantu, venas cum extenderit omnes. Turpilius Leucadia, Arripuit colubram mordicus. Varro Eudęmonibus, Quid dubitatis vtrum nunc sitis cercopitheci, an colubrę, an bellæ? Notauit hæc Nonius Marcellus. ego Horatium quoque, Vergilium, & Corn. Celsum fœm. gen. colubram dixisse obseruaui.

Coluber

Coluber longus est vt anguilla, Obscurus. Colubros virides Horatius dixit: longos, Virgilius: variç cum dente colubræ, Ouidius. Linguis micat ore trisulcis, Vergilius de colubro. Columella hirtum colubrum cognominat, nimirum à squamarum asperitate. *Coluber B.*

Grammatici quidam colubrum scribunt vmbras nemorum incolere, alludentes ad etymologiam. *Coluber C.* Vergilius non nemorum, sed simpliciter vmbram, eum subire canit, Aut tecto assuetus col. s. & vmbræ. Cum omnis serpens, tum coluber speciatim, per foramen transiens senectutem exuit: sed ieiunio prius carnes attenuat, vt faciliùs transeat. Tortuosè incedit & sibilat, Obscurus.

Qualis vbi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat:
Nunc positis nouus exuuijs, nitidusque iuuenta,
Lubrica conuoluit sublato pectore terga.
Arduus ad solem, & linguis micat ore trisulcis, Vergilius Æneid. 2. Est autem comparatio sumpta ex Homeri Iliad. x. vt Macrobius annotat lib. 5. cap. 6. Saturnal.

Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι, &c.

Hirtus & vt coluber nodoso gramine tectus
Ventre cubat flexo, semper collectus in orbem, Columella.

Coluber (vt scribitur in epistolis d. Hieronymi) bibiturus venenum prius euomit, ne ipse suum cum aqua exhauriat. *Coluber D.* Nudum hominem timet, operimentis indutum persequitur, Cælius Rhod. Bufo quandoque cum colubro, vel etiam cum serpente prælium subit, Physiologus. Optima vinetis satio est, cũ vêre rubenti Candida venit auis, longis inuisa colubris, (id est, ciconia,) Vergilius 2. Georg. Coluber ceruũ fugit, leonem interficit, Ambrosius. Coluber est in aqua viuens: huius adipem & fel habentes qui crocodilos venentur, mirè adiuuari produntur, nihil contrà belua audente: efficacius etiamnũ si herba potamogiton misceatur, Plinius.

Spargantur cęcis nasturtia dira colubris, Columella. *Coluber E.*

Venenum serpentis, vt quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipuè vtuntur, non gustu, sed in vulnere nocent. ideoque colubra ipsa tutò estur, ictus eius occidit, Celsus. *Coluber F.*

Colubra ipsa tutò estur, ictus eius occidit. vide proximè retrò in F. Hirtus & vt coluber nodoso gramine tectus, Noxius exacuit morbos æstatis iniquæ. *Coluber G.* Coluber transeuntibus insidiatur: & mordens, lingua venenum infundit. Vnde scriptum est in sacris: Fiat Dan coluber in via. Et alibi: Qui dissipat sæpem, mordebit eum coluber, Obscurus. In anserum struendis cellis seruanda sunt eadem, quæ in alijs generibus pullorum, ne coluber, ne vipera, felesque, aut etiam mustela possit aspirare: quæ ferè pernicies ad internecionem prosternunt teneros, Columella.

Si animal (*iumentum*) mordeatur à venenatis bestiolis bestiolis, vt colubris, scorpijs, quomodo curari debeat Vegetius docet Artis Veterinariæ 3. 77. Nec virides metuunt colubros, Nec Martiales hœdilia lupos, Horatius 1. Carm. Contra rubetæ venena auxiliatur coluber viuens in aqua, Plinius lib. 33. Colubri, aut viperæ, olla noua inclusi & operculati, maza vel luto circunlita, vruntur igni ex sarmentis vitium in clibano. amborum cinis ex oleo illitus scrofulas liquefacit, Syluius. Senecta anguis (Γῆρας ὄφεων, aliqui reddunt colubri,) maximè verò viperæ, à Dioscoride ad remedia quædam laudatur, vt referemus in Serpentium historia, de serpentibus in genere G.

a. Epitheta. Breues colubri, Ouidius in Epist. Longi, Vergil. 2. Georg. Venenati, Lucretius lib. 5. *Coluber H.* Virides, Horatius 1. Carm. Niueisque frequens Sinuessa colubris, Ouidius 15. Metam. de specie quadam peculiari, vt apparet. Erebeæ felle colubræ, Idem. Et alibi, Variæ cum dente colubrę. Hirtus, Columellæ. Et apud Rauisium: Tumidus, lubricus cæcus, noxius, latens, terrificus, sæuus, cæruleus, Medusæus, squamosus, tristis, Cinyphius, tortus ater, lethifer, dirus, Libyssinus, sinuatus, mordens, maculosus, tortilis, gorgoneus, niger, venenosus, flexilis, trux, immanis. Lac colubri (Laict de coleuure) vulgò vocant Galli genus tithymali, folijs myrti, circa vias & sæpes vulgare. Iisdem colubrina est vitis alba, vt Ruellius scribit: & eodem nomine Romanis, lonchitis altera. Ruellius etiam cantabricam herbam in Gallia colubrinam vocari author est. Nummularia quoque Fuchsij, colubraria quibusdam dicitur, nostris vulgò Natricum herba. De hac Ruellius lib. 2. de natura stirpium cap. 12. Inuenitur (inquit) fruticans herba cubitalibus penè ramulis, humi reptans serpuli modo, folijs lenticulæ, sed maioribus, vtrinque in ordinem digestis, radicibus paruis per summa cespitum vagantibus. Pratis & humentibus locis serpit. super cuius nomine rusticos consului: qui referebant se audiuisse de suis maioribus colubrorum herbam appellari, quod dissectum in partes anguem huius herbę confrictu in pristinam coire vnitatem, & vnà partes diuortio secretas coalescere adfirmabant. Colubraria maris mediterranei Iberici insula est, de qua Pomponius Mela lib. 2. Colubraria (inquit) cum scateat multo ac malefico genere serpentum, & sit ideo inhabitabilis, tamen ingressis eam intra id spacium quod Ebusitana humo circunsignauerunt, sine pernicie tuta est: ijsdem illis serpentibus, qui solent obuios appetere, aspectum eius pulueris, aliudue (quod verius) procul & cum pauore fugientibus. De eadem Plinius lib. 3. cap. 5. Ebusi terra serpentes fugat, Colubrarię parit: ideo infesta omnibus, nisi Ebusitanam terram inferentibus. Græci Ophiusam dixere. Ebusus hodie Ayiussa vocatur, Colubraria verò la Dragonera, vt Oliuarius annotauit. Ophiusa, Ὀφιοῦσσα, etiam olim Rhodus vocabatur propter serpentiũ multitudinem, quasi serpentaria, authores sunt Strabo lib. 3. & Plinius 5. 31. item ex Cycladib. tum Cythnus, tum Tenus apud Stephanum. b. Mutilatæ cauda colubrę, Ouidius 6. Metamorph. e. Vtque lupi barbam, variæ cum dente colubræ Abdiderint furtim terris, Horatius Serm. 1. 8. de mulieribus veneficis. Pectoraque (*Furiæ Ibidis inimici*) vnxerunt Erebeæ felle colubræ, Ouidius. h Te sensit equum crinita colubris Mater equi volucris, (id est, Medusa,) Ouidius de Neptuno. Dic qua Tisiphone, quib. exagitare colubris? Iuuenalis Sat. 6. Tam sæuę facies, tot pullulat atra colubris. Vergilius 7. Æneid. de Alecto furia. Colubriferum monstrum, Ouid. 5. Metam. Cerbero colla colubris horrent, sexto Æneidos Vergilij. Idem lib. 7. de Alectone furia quæ in sinum Amatæ serpentem iniecerit, vt discordia domum turbaret eleganter sic canit: nunc anguem, nunc colubrum, nunc viperam appellans:

Huic dea cœruleis vnum de crinibus anguem
Conijcit: inque sinum præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Illæ inter vestes, & læuia pectora lapsus
Voluitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipereā inspirans animam. fit tortile collo
Aurū ingens coluber: fit longæ tænia vittæ:
Innectitq; comas, & membris lubricus errat.

Colubrum in sinu fouere Erasmus Rot. dixit, translato Græcorum prouerbio quod sonat, ὄφιν ἐν τῷ κόλπῳ θάλπειν.

Anguis.

ANGVES aquarum sunt, serpentes terrarum, dracones templorum, Seruius in secundum Æneidos: vbi poeta cum primum angues nominasset, eosdem paulò post serpentes nominat. Sic & Æneidos septimo, canens de Alectone furia, quæ serpentem in sinum Amatæ iniecerit: anguem primum appellat, deinde colubrum, & viperam. versus poetæ paulò antè recitaui, ad finem eorum quæ de colubro scripsi. Ex his & alijs quæ subijciam testimonijs, anguem nomen generis esse constat, & vt serpentem, magis etiam quàm colubrum. contrahitur enim aliquando coluber ad serpentem domesticum, vt indicaui Anguium genus est quod in aqua viuit, hydri vocantur, nullis serpentium inferiores veneno. Plin. Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis, &c. Vergilius de Chersydro. ὄφεις Gaza angues transtulit (de hist. animal. lib. 1.) vetus interpres serpentes. interest autem. nam serpens est nomen generis. at anguem Valerius lib. 1. pro serpente in aquis degente accepit. Sed nimirum angues in genere pro serpentibus dixit more oratorum, Niphus. Sed melius Wottonus, vir circa vocabulorum & linguarū proprietatem longè præferendus Nipho, serpentem, anguem & ὄφιν pro synonymis accipit. Serpens, inquit, nonnunquam vnam speciem significat. Plinio lib. 29. serpentis oculorum dexter adalligatus contra epiphoras prodest, si serpens viua dimittatur. Nec aliter apud Græcos ὄφις pro vna specie, scilicet vipera accipitur: vt apud Oppianum de murænæ & serpentis coitu, id est viperæ. Anguis generale nomen non minus est, quam serpens, vt apud Celsum lib. 5. Serpentium quoque morsus (inquit) non nimium distantem curationem desiderant. quanuis in ea multum antiqui variarunt, vt in singula genera anguiū, singula medendi genera præciperent: atque alijs alia. Item illud ignorari non oportet, omnis serpentis ictum & ieiuno magis nocere. vtilissimumque est, vbi ex anguibus metus est, non ante progredi, quàm quis aliquid assumpsit. Et aliâs frequenter anguis vnam etiam speciem, vt apud Plinium lib. 29. cap. 4. (*de angue sacro Æsculapio, quem locum inferius mox recitabimus,*) Hęc ille. Nos pleraq; anguis nomine de serpentibus in vniuersum prodita hic omittemus, ad Serpentium historiam differenda: referemus tamen aliqua, vt bonos autores hoc nomine pro genere vsos nemo dubitet. Baculus quo angui rana excussa sit, parturientes adiuuat, Plin. videtur autem chersydrum, aut alium quempiam aquaticum serpentem intelligere: quoniam ranæ ferè in aquis morantur. Anguis venenatus non est, (inquit Plin. 29. 4.) nisi per mensem luna instigatus. Sed prodest viuus comprehensus, & in aqua contusus, si foueatur ita morsus. Quin & inesse ei remedia multa creduntur, vt dicemus, & ideo Æsculapio dicatur. Democritus quidem monstra quædam ex his conficit, vt possint auium sermones intelligi. Atqui anguis Æsculapius Epidauro Romam aduectus est, vulgóque pascitur & in domibus. Ac nisi incendijs semina exurerentur, non esset fœcunditati eorum resistere, Hæc Plinius. Serpentis hoc genus per excellentiam anguem vocatum existimo, quod solus Æsculapio sanitatis numini sacer sit, meritò quidem cum solus ferè inter serpentes innoxius & homini tractabilis sit. Hunc ego esse conijcio qui in Italia, præsertim circa Bononiam Ange, vel bisse Ange, vel bisse simpliciter vocatur, non tanquā angelus, vt quidam putant, sed interpolato anguis nomine. Alij ancca (vnde fortassis & Germanicum nomen *Vnk* detortum est, siue eiusdem, siue similis serpentis domestici) vel antza proferunt. Serpentem aiunt esse oblongum, colore subluteo, morsu innoxio, ab aliquibus etiam in cibo sumi. Sceleton eius Bononia Ioannes Pellinus Lucensis vir literis clarus & medicus egregius ad me misit, & hæc verba adiecit in epistola: Hoc serpentis genus vbique ferè in agro Bononiensi, multisque alijs in locis Italiæ reperitur: & ita domesticè se gerit cum hominibus, vt multoties in lectis, ab his qui dormitum eunt (*sine pauore*) inueniantur: animosioresque pueri sępe sinu manibusque absconditos gerunt, vt timidas mulieres & pueros alios perterrefaciant. Per hyemem propter frigus aut moritur, aut (*potius*) latitat. Hæc tibi significare volui, vt eius natura faciliùs innotesceret, serpentemque hunc verè innocuum intelligeres, Hæc ille. Ex alijs audiui Patauij hunc serpentem antza vocari, excrementum eius instar moschi bene olere, notam quandam ceu crucis (fortè ex squamarum seu laminarum certo positu: quanquam ego in arido nihil tale deprehendi) in capite habere.

Anguis Aesculapio sacer. *Serpens pro specie.* *Ὄφις similiter.*

Io. Pellinus.

Is quem Pellinus misit, longus est dodrantes quinque cum totidem digitis: caput proportione oblongum. in ceruice vtrinque duę eminentiæ paruæ & inter eas locus vacuus apparet in sceleto, nescio an similiter in viuis. Postrema pars paulatim attenuatur in magnam caudę exilitatem. Dentes in maxillis vtrinque plusculi, acuti reflexique apparent.

Thomas Erastus.

Aiunt aliquos vel refrigerij vel ostentationis causa, collo eos appendere viuos, & in sinum inserere. De eodem Thomas Erastus Heluetius medicus & philosophus [redacted], cū Bononiæ adhuc hæreret, his verbis ad me scripsit. Hic serpentē videmus porracei coloris obscurioris, & magis nigricātis in tergore, prorsus viridis (albescentis tamen) coloris in parte inferiore, longum, à pueris omnibus circumferri sine noxa aliqua aut læsione: quem ipsi vocant biscia buona, id est serpentem benignum. Videtur herba pastus, indeque colorem illum adeptus. Mordet iratus alijs serpentibus, sed innoxiè. Vidi ego monachum habere vnum, longiorem credo duab. vlnis, quem in nodum implicauit, hoc est nodum ex eo formauit, non aliter ac si funem habuisset. cumque extremas partes caput & caudam in diuersas partes traheret, vt nodus magis coiret in medio: ex eaque re doleret serpens, inflixit caput: & dentes in manum monachi ita defixit, vt per quatuor vulnuscula copiosè efflueret sanguis: neque vllum nocumentum inde consecutum est, nullo prorsus remedio adhibito. Veneni itaq; expers animal existimo: quod vulgares omnes pueri intelligentes sine metu persequuntur, & capiunt audacter manib. & toto die in sinu & manibus circumportant. Reliquos omnes fugiunt & metuunt, vt par est, perniciosi cū sint, Hactenus Erastus. Valerius maximus lib. 1. Exemplorum, capite 8. Triennio (inquit) continuo vexa-

ta pesti-

ta pestilentia ciuitas nostra (*Roma,*) cum finem tanti & tam diuturni mali, neque diuina misericordia, neque humano auxilio imponi videret, cura sacerdotum inspectis Sibyllinis libris animaduertit, non aliter pristinam recuperari sanitatem posse, quam sibi ab Epidauro Aesculapius (anguis) esset accersitus. Itaque eo legatis missis, quod petebant, benignissimè impetrarūt. Et tam promptam Epidauriorum indulgentiam numen ipsius dei subsecutum, verba mortalium cœlesti obsequio comprobauit. Siquidem is anguis quem Epidaurii raro, sed nunquam sine magno ipsorum bono visum, in modum Aesculapii venerati fuerunt, per vrbis celeberrimas partes, mitibus oculis & leni tractu labi cœpit, triduoque inter religiosam omnium admirationem conspectus, haud dubiam præ se appetitæ clarioris sedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit: pauentibusque inusitato spectaculo nautis: eo conscendit, vbi Q. Ogulini legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per summam quietem est conuolutus. Tum legati perinde atque exoptatæ rei compotes, expleta gratiarum actione, cultuque anguis à peritis accepto, læti inde soluerunt: ac prosperam emensi nauigationem, postquam Antium appulerunt, anguis qui vbique in nauigio remanserat, prolapsus in vestibulo ædis Aesculapii (*Apollinis. Sic Ouidius 15. Metam. Templa parentis init flauum tangentia litus*) myrto frequentibus ramis diffusæ supereminentem excelsæ altitudinis palmam circundedit: perque tres dies positis quibus vesci solebat, non sine magno metu legatorum, ne in triremem reuerti nollet, Antiensis templi hospitio vsus, vrbi se nostræ aduehendum restituit: atq; in ripam Tyberis egressis legatis, in insulam vbi templum dicatum est, trāsnauit: aduentuque suo tempestatem cui remedio quæsitus erat, dispulit. Eandem historiam persequitur Ouidius libro xv. Metamorph. & inter alia Aesculapium noctu legato dormienti apparuisse canit, baculum agreste manu tenentem: & his verbis allocutum esse:

Pone metus, veniam, simulacraq; nostra relinquam:
Perspice, & vsq; nota, visum vt cognoscere possis.
In quantum verti cœlestia corpora possunt.
Hunc modo serpētē, baculū qui nexibus ambit
Vertar in hūc: sed maior ero, tantusq; videbor,
Et paulò pòst, Cum cristis aureus altis
In serpente deus prænunci sibila misit.

Verum vt ex aliorum poetarum carminibus ferè licentiosis, vt ne historias quidem sine aliquo figmento puras proponant, formæ rerum genuinæ non satis agnosci possunt: ita neque Ouidii autoritas, vt anguem Asculapio sacrum, cristatum esse dicamus, sufficerit: neq, tantum, vt triremis eius pondere moueatur. Finxit hæc nimirum poeta ad excitandam in animis hominum religionem, augendamque admirationem. Dici etiam potest non naturalem ei fuisse serpentem: sed Aesculapium, aut alium quempiam genium, anguinam hanc speciem maiestatis aliquid præ se ferentem sibi assumpsisse. Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? Horatius Serm. 1. 3. Aesculapius cum aliis in locis cultus est, tum Romæ, præcipuè in insula Tiberina: quæ biremis formam habere videtur, & formam accepisse eius nauis, qua Aesculapius Romam est aduectus. Nunc quoque in D. Bartholomæi hortis nauis marmorea cernitur, in cuius nauis sponda serpentis reptantis imago efficta est, in rei memoriam, Gyraldus Syntagmate vii. de diis. Et paulò ante in eodē: Aesculapii simulachra (inquit) variè effinxit antiquitas. Pausanias, Aesculapii simulachrum ex auro & ebore à Thrasymede Pario elaboratum describit. Is in throno sedebat, virgam tenens in manu: supra vero draconis caput manum alteram habebat cui etiam canis assistere videbatur. Hæc Pausanias, qui & alibi, hoc est, apud Sicyonios, Aesculapii templum fuisse ait: in cuius vestibulo imberbis erat Aesculapius, ex auro atque ebore confectus, Calamidis opus. sceptrum vna: altera verò manu domesticæ pinus pomum tenebat. Dicebant ipsum in draconis speciem ad se ex Epidauro, mulorum bigis vectum. Adeo non Romanis tantum serpens Epidaurius est imperitus. Eusebius etiam simulachris Aesculapii in manu baculum attribuit, quasi (vt ait) ægrotantium sustentaculum. Serpentem verò inuolutum, animæ & corporis salutare signum: quo loco multa Eusebius de serpentibus tradit, vt spiritualibus, ex recondita disciplina. Hinc & Macrobius, Aesculapii simulachrum ait draconem salutis symbolum subiungi, Idem & Phurnutus: qui & cur baculum gerat, exponit. Sed & Hyginus in Astronomico de baculo & angue, seu dracone, ita in Ophiucho scribit: Cum Aesculapius Glaucum cogeretur sanare, inclusus quodam loco secreto, bacillum tenens manu, cum quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum eius arrepsisse: quem Aesculapius mente commotus interfecit, bacillo fugientem feriens sæpius. Postea fertur alter anguis eodem venisse, ore ferens herbam & in caput eius imposuisse: quo facto, loco fugisse. quare Aesculapium vsum esse herba eadem, Glaucum reuixisse. Itaque anguis in tutela Aesculapii esse dicitur.

H.a. Anguis.

Est apud authores anguis nomen sæpius masculini generis: rarius fœminini. Cuius vt aspexit torta caput angue reuinctum, Varro. Subito ab vna parte aræ prolapsum anguem prospexit, Valerius. Vnum omnino anguem in cubiculo visam narrare solitus est, Tacitus. Ablatiuus casus inuenitur angue & angui, vt Priscianus obseruauit. Angue ter excusso, Statius lib. 4. Alter Mileti textam cane peius & angue Vitabit Chlamydem, Horatius 1. Epist. Anguiculus diminutiuum, apud Ciceronem 5. de finib. Serpere anguiculos, nare anaticulas.

Anguium epitheta.

Addemus & epitheta ex authoribus: quorū tamen alia communia toti serpentiū generi sunt, alia certarū specierū differentiæ. Aliger anguis, Valerius 1. Argonaut. Ater, Ouid. 4. Metam. Atrox, Statius lib. 6. Auidus Ouidius in Ibin. Cœruleus, Verg. 4. Georg. Cristatus. Seneca in Herc. Cristis præsignis, Ouidius 3. Metam. Ferus, idem 11. Metam. Frigidus, Verg. 3. Aegl. Gorgoneus, Ouidius 3. de Arte. Intortus capillis Eumenidum, Horatius 2. Carmi. Lætifer, Statius 5. Theb. Lubricus, Verg. 5. Aen. Lucidus, 1. Georg. Maculosus, 3. Georg. Martius, Ouid. 3. Metam. Minax, Statius 4. Theb. Purpureus, Claud. in Ruff. Salutifer, Statius 3. Sylu. Squalens, Silius Ital. libro 13. Squameus, Verg. 2 Georg. Terribilis, Ouidius 3. Amor. Teter, Claud. Tortus, Ouid. 2. Metamor. & Vergilius. 3. Georg. Toruus, 6. Aeneid. Trux, Ouidius 4. Trist. Tumidus, 5. Trist. Venenatus, in Ibin. Venenosus, in Philom. Viridis, Claud. Et præterea apud Rauisium Horrendus, Horridus, Horribilis, Implicitus, Libycus, Marsus, Maurus, Pestifer, Reflexus, Retortus, Sæuus, Sibilans, Squamiger, Squamosus, Sinuosus, Textilis, Veneniger.

Ab Angue deriuata.

Angueus, adiectiuum. Vt visentibus procul lapsus angueos, fracta vertigine mentiatur, Solinus cap. 37. Anguifer sydus est cœleste, (quod & Anguitenens vocatur, Cic. 2. de Nat.) de quo sic Columella lib. 11. Anguifer, qui

 à Græ-

consequentium accessionum proportionem adhibitis, Hucvsque Aetius, cui & Aegineta multa similiter tradit. A dryino (inquit Dioscor. ἀπὸ δρυΐνου, *qui genitiuus potest à recto tum* δρυΐνος, *tum* δρυΐνας *qui potior est formari. apud Aeginetam legitur* ὁ δρυΐνος *paroxytonum in* ος, *in nostro codice: vnde corruptum esse apparet. nam in* ος *proparoxytonum esse deberet: in* ας *vero, quod probamus, rectè penacuitur*) morsis vehementes ciuntur dolores, & pustulæ circumcirca oriuntur, (*emendauimus hæc ex Aegineta,*) aliquando (ὅπου *loci aduerbium pro temporis aduerbio*) & aquosa sanies emanat (*nimirum ex iisdem pustulis.*) Consequitur & erosio (δηγμὸς, *mordicatio scilicet stomachi. nam Aegineta habet* καρδιωγμὸς: *dolor in ore stomachi, Constantinus:*) & strophi, id est torsiones. Prodest autem eis aristolochia cum vino pota. trifolium præterea, & asphodeli radix similiter sumpta. Prosunt tritæ potæque de quouis quercuum genere glandes. Ilicis etiam radices tusæ & loco pro cataplasmate impositæ, dolorem leniunt, προσηγορῶσιν. Aeginetæ nostri æditio habet ἀρήγουσιν, id est auxiliantur. Hæc ille, & Actuarius inde mutuatus. Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arua Chersydros, tractique via fumante chelydri Lucanus lib. 9. fumum enim eum emittere dicunt (grammatici) qua serpit: ego non tam fumum quam tetrum odorem ab eis moueri puto. Hinc & Mantuanus, ---clades fumosa chelydrus. Et Pamphilus, O quæ fumiuomos geris chelydros. Et Macer, vt quidam citant: --- seu terga expirant spumantia virus, Seu terra (*tellus*) fumat, qua teter labitur anguis. Chelydrum ex recentioribus quidam cum chersydro confundunt. Seruius quoque, Chelydri (inquit) dicti sunt quasi chersydri, quia in aquis & in terris morantur. Sed & veteres quidam, vt Vergilius, Lucanus, & Aelianus scriptor Græcus non distinxerunt, quod ex tetro, quem ei attribuunt odore deprehenditur: qui chelydro proprius est, non hydro hydræve aut chersydro, nec alii, de quo authores meminerint, serpenti. Verba eorum referam. Vipereo generi & grauiter spirantibus hydris Spargere qui somnos cantuque manuque solebat, Vergilius Aeneid. 7. de Vmbrone sacerdote. Ab hydro percussum dicunt statim odorem teterrimum reddere, ex eoque quod tam malè oleat, ei neminem appropinquare posse. Idem quoque ait, eundem percussum cum obliuione circunfundi, eiusque oculis multam caliginem offundi, tum rabiem & summum tremorem eidem exoriri, tertioque die perire, Aelianus de animalib. lib. 4. cap. 57. Et rursus libro 8. cap. 7. In libro Theriaco (inquit) Apollodorus ait, eum qui Chersydrum conculcauerit, etiam si morsus non fuerit, mortem cum vita commutare: quod eius tractus quiddam omnino tabificum habere dicatur: tum ei qui curare & quoquo modo remedium afferre morienti tentauerit, ex sola eius, qui conculcauit, tactione pustulas ipsi exoriri. Et rursus eiusdem libri cap. 3. In Corcyra hydræ (ὕδραι) serpentes procreantur, quæ se retrouersus ad insequentes retorquent: & spiritum malum anhelantes (φυσήσασαι πνεῦμα ἄτοπον) ab impetu suos insectatores reprimunt, ab seque auertunt. Tum modo dependens trichili, modò more chelydri Intortus cucumis, prægnansque cucurbita serpit, Columella. Et bellare manu, & chelydris cantare soporem, Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem, Silius de Marsis. Georgius Fabricius scribit vidisse se Romæ in templo Bacchi, quod nunc est S. Constantiæ, propè infracto sepulchri marmore Bacchantium turbam, qui angues ore gestarent, & caprum ducerent: de quo more Prudentius Christianus poeta in libris contra Symmachum: ---Baccho caper omnibus aris Cæditur, & virides discindunt ore chelydros, Qui Bromium placare volunt, quod & ebria iam tum Ante oculos regis Satyrorum insania fecit. Semper directi ambulant: nam si torserint se dum currunt, statim crepant, Solinus vt quidam citant. Lucanus cenchrin semper recto limite ferre cecinit. Epitheta chelydri apud Rauisium. Medusæi, Silius lib. 7. à Medusa dicti, cuius crines erant serpentes. Fumiuomus, fumosus, sinuosus, maculosus rigidus. Item teter, & nigri Vergilio 2. Georg. nocentes interpretatur Seruius. Cherisidal siue alidras (Chersydrus vel potius chelydrus) legerim: genus serpentis quod terram fumare facit, nascitur in Africæ parte interiore, Obscurus quidam author descriptionis orbis terrarum in tabula. Ilicinus siue durissos, (pro dryinos,) Auicenna 4.6.3.42. & Albertus. A Constantino glandosa dicitur. Chelydrus dictus anthoroma, Arnoldus. Aliqui marinam quoque testudinem chelydrum vocāt, ὡς τραχύδερμον διὰ τὸ γῆρας, Varinus. Apud eundem & Hesychium Cylindri, κύλινδροι, serpentes memorantur. Dryini nomen Germanicum fingi licebit *ein Eichschlang*, vt Ge. Agricola quoque finxit, à quercubus: vel à fœtore, *ein Stinckschlang*. Christophorus Encelius serpentem à corylis denominatum alicubi in Germania rarissimum describit: qui an chelydro sit cognatus, inquirendum. Credibile est, (inquit) quod aucupes & venatores ferunt, gallos de syluestribus gallinis, quæ à corylis nomen inuenere (bonosas vocant recentiores) senio confectos oua more fœmellæ ponere, quæ excludant buffones, & ex illis nasci basilicos syluestres, (non probo hoc nomen,) *die Haselwuerm*: sicuti ex ouo Galli domestici post nouem annos excluditur basiliscus per rubetam domesticus. id quod testatur experientia, (*fama, imò fabula, non experientia,*) &c. vt recitaui in historia auium inter Gallinas feras in Attagene. Sed redeo tandem ad Hydrum.

Dioscorid. *Cylindri.*

DE HYDRO B.

Quæ ad nostros hydros & cognatos eis serpentes vndequaque pertinent, à recentioribus tradita vel à nobis obseruata, in præcedentibus dicta sunt. His attexemus deinceps quæ de hydro veteres tradiderunt quod ad B. & sequentes literas. Calabria chersydris frequentissima est, Solinus. Calabris in saltibus anguis Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arua Chersydros, Lucanus. In Corcyra hydræ (ὕδραι) procreantur, Aelianus. Enydris est serpens masculus & albus, Plinius. Quædam in fluido degunt, partim gressilia: partim sine pedibus, vt natrix, Aristot. Orpheus hydrum nigrum cognominat. Dryinæ caput est planum (& humile) sicut hydro, Nicander. De lapide in capite eius paulo post dicam. Chersydri linguas duas habent, Scholiastes Nicandri. atqui hoc serpentibus omnibus & lacertis commune puto, vt linguas non quidem duas sed bifidas habeant. Linguis micat ore trisulcis, Vergilius. Natricum fel adnexum iecori est, Aristot.

Hydri lapis. Hydrus lapidem habet in capite, quem excoriatus euomit. Suspende serpentem viuum, & suffito eum cum lauro, coniurans eum sic: Per dominum qui te creauit, (*superstitiosum & impium vniuersum hoc genus incantandi est,*) quem sæpe digeoras (*forte, digne oras*) bifida lingua tua: quod si dederis mihi lapidem non tibi nocebo, immo remittam ad propinquos tuos. Postquam autem euomuerit lapidem, collige eum panno serico mundo, & serua. Vis eius ita probatur. Imple concham æneam aqua, & circunliga lapidem conchæ signatæ: & inuenies quotidie decrescere cotylas duas, id est vncias xviij. aquæ. Ego enim cuidam mulieri hydropicæ circuncinxi lapidem, & liberata est, cuius ventrem cum mensurarem, quotidie decrescebat vltra quatuor digitos, donec ad locum suum venter rediit: quo tempore mox abstuli. Nam si diutius reliquissem lapidem, naturalem quoque humiditatem desiccassem. Amplius itaque est lapis (*sic habet codex noster manuscriptus, pro amplius legi potest vtilis*) ad mensuram gestatus. Neque verò hydropi solum, sed etiam rheumati pedum, & fluxui lachrymarum, & capiti, denique cuiuis particulæ fluxionibus tentatæ strenuè succurrit, & naturali quadam vi omnem nimiam humiditatem consumit, Kiranides. Hydrinus (inquit Camillus Leonardus Pisaurensis lib. 3. de lapidibus) ab aliquibus serpentinus dicitur. rheumatizantibus compatitur: & ab omni nimia humiditate humanum corpus curat. Hydropicorum corpora ad pristinum statum reducuntur, si per tres horas cum eo in sole steterint. nam fœtidissimam aquam per sudorem emittent. Sed cautè vtendum monent: quoniam non solum extraneam humiditatem, verum etiam naturalem & complantatam ex naturali humido extrahit. Venenosos vermes fugat, ac eorum morsibus remedium præstat. Sumptum verò dicunt lapidem vesicæ frangere, Hæc ille. Scribit & Guido de Cauliaco aliquid de colubri lapide. locum iam non inuenio. Mirum est quod affirmant: Coluber fluuiatilis funiculo à cauda præligatus suspenditur, subiecto vase aqua pleno, in quod dehiscat: ore aliquot post horis vel diebus lapidem eructat, qui exceptus vase quod subiacet, totam aquā ebibat. Alligatur lapis hydropicorum ventri, atque in totum exhausta aqua liberat, Iacobus Hollerius. Christophorus Encelius cum de draconite lapide scripsisset, subdit: Nostri quoque hydri & chelydri (*chersydri*) *vnsere grawen Wasserschlangen* in capitibus gemmas ferunt nonnunquam, vt vidi, (*lapides eum vidisse apparet, an verò in serpentibus vel alibi nascantur, non constituisse,*) quas dicere possis draconites à similitudine. Forsitan hæ quoque ex illorum cerebris nascuntur: vel, vt volunt alii, ex spuma quam verno tēpore excitant attritione mutua, (*sic superius ex Plinio ouum anguinum quibusdam dictum generari retulimus:*) vel ore sibilanti, indurata sole: *wann sie den schlangenstein blasen*, vt de bufonibus diximus. Tales nostras draconites vidi coloris cærulei, aut nigri, in forma pyramidis. Albertus sese draconitem vidisse dicit exemptam tali nostro chelydro, (*hydro vel chersydro,*) nigram, non perlucidam, in circuitu coloris pallidi, pulcherrimam habentem descriptam serpentem in superficie. Fugat & hæc venenata, vt vera dracontias, & sanat venenatos morsus Hæc ille. Et mox in capite de ophite lapide: Ophites (veterum) sic dicitur, quia colore serpentes repræsentat. Et illa species lineis cinereis & nigricantibus omnino est nostris chelydris (*hydris*) colore similis ad ostium Tangræ, vbi fuit olim regia sedes Caroli IIII. In arce templum est variis ornatum gemmis, in quo vndique parietes ophite tali splendent. Videtur autem cum huiusmodi lapides forma pyramidis à se visos ait, de illis sentire quos linguas natricum vulgo nominant, *Naterzungen*: ego glossopetras Plinii esse coniicio: quarum speciem maiorem delineatam exhibui supra inter canes in Lamiæ historia. Ad linguam penè habet similitudinem ea glossopetra nigricans, quam Germani natricis linguam vocant, cui similis non est, sed magis linguæ pici. In Saxonibus Luneburgi reperitur in terra aluminosa, Ge. Agricola. Sunt qui sudore hunc lapidem venenum prodere dicant, vt & alia quædam: mihi quidem rationi cōsentaneum non videtur, quando tot venenorum discrimina sunt, ex æquo ad omnia affici Oppidum Germaniæ Aenipontem nominant, in quo glossopetram huiusmodi sesquicubitalem ostendi audio. Sed de his lapidibus plura fortassis olim, si vitā dederit deus, in libro lapidibus dicato adferemus. Olim Gallus quidam sua lingua Suyne vocari gemmam retulit è serpentibus septem caudas complicantibus: colore pullo, quæ aureis denariis Gallicis denis væneat. Ego serpentes huiusmodi reperiri, aut omnino in vllis serpentibus lapides, antequam grauior aliquis & oculatus id testetur, non facile assensero.

Glossopetra.

Natrix in aquis degit, victumque inde emolitur: sed aerem non humorem recipit, & foris parit, Arist. C
Paludes pleræque omnes quod aquas contineant corruptas, piscibus carent, ranis & serpentibus plenæ sunt: atque interdum Hirundinum (*fortè hirudinum*) nexibus, vt palus Agnaui inter Puteolos & Neapolim, Ge. Agricola. Hydrus in aquis plurimum degit, & in paludibus frequenter natat, super aquas pectus erigens, Kiranides. In thermis etiam, id est calidis aquis reperiri, supra dictum est. Hydrus primum in terra viuit, & chersydrus appellatur, deinde in aqua, Hermolaus. sed authores veteres contrarium tradunt. Hydrum in ἔχιν, id est viperam transire, stagnis exiccatis, legimus Geoponicorum Græcorum 15.1. Aristides chersydros λίχνους, id est gulosos esse scribit, Scholiastes Nicandri. Interit & curuis frustra defensa latebris Vipera, & attoniti squamis astantibus hydri, Vergilius de peste canens.

Hydros ranis vesci authores sunt Nicander, Aratus, Vergilius. Hydrum valde & metuit & odit rana: quamobrem multo clamore illum vicissim terrere ac perturbare conatur, Aelianus 12.15. de animalibus. Idem Variorum 1.3. Peculiari quadam sapientia (inquit) præditum est genus ranarum Aegyptiarū. Si enim in Hydrum Nili alumnum incidat Rana, subito demordet frustum arundinis, & id obliquum gerens, fortiterque tenens, non remittit pro virili parte. Ille verò Ranam cum ipsa arundine simul deglutire non potest. Non enim tantam amplitudinem os habet, quantum arundo extenditur. Atque ita Ranæ prudentia vincunt, & superant Hydrorum robur. Hydro conspecto rana Physignathus murem in dorso gestans submergitur, in Batrachomyomachia Homeri. Audio terrestres etiam ranas à serpentibus quæ in terra & syluis degunt, vorari.

Enydridis serpentis masculi & albi (*Hydriè Nilo nimirum*) adipe perunguntur qui crocodilū captant, Plinius. E

Hydrus animal est astutum, Kiranides. Vulpes & Nili angues dissident, Plinius. D
Hydri in aqua vivunt, nullis serpentium inferiores veneno, Plinius. Paludem (inquit Columella 1.5.) G non oportet esse ædificiis vicinam. nam caloribus noxium virus eructat, &c. & natricum serpentiumque pestes

Hydri venenum.

que pestes hyberna destitutas vligine, cœno & fermentata colluuie venenatas emittit: ex quibus sæpe contrahuntur cæci morbi, quorum causas ne medici quidem perspicere queunt. Rubeta ranæ species est, quæ palustris vitæ conditionem in terrestrem mutauit. hac autem mutatione, similiter vt chersydrus, ægrè curabilem afflictionem eis qui in eam inciderint, inducit, Aetius. Et rursus in capite de chersydro: Equidem in humectis locis humido victu exsatiatus, non purum venenum habet: quum verè terrestris fit, maximè merum & nocentius id acquirit. Aqua in qua hydrus vel habitat, vel moritur, assumpta, eadem quæ cantharides mala infert, Bertrutius. Natrix serpens aquas etiam & fontes veneno inficit, Isidorus. Et natrix violator aquæ, Lucanus. Viperæ quæ aquas habitant, parum aut nihil veneni retinent, Cardanus. Πικρὸς δ' ἀποσκήπτει ὕδρης ἰὸς, Nicander de toxico: quasi id ex hydræ hydriue sanguine fiat: Vide mox in Hydra fabulam Herculis. Hydro simpliciter & chersydro, quidam etiam veterum attribuunt quæ dryini sunt, in Dryino superius, hoc ipso capite, requirenda. De serpentis quem Germani natricem vulgo (*Nater*) vocant veneno, supra in A. dictum est. Ab hydro demorsis vlcus dilatatur, &

Morsus signa.

ampliatur (*subinde*) & liuidum euadit. Sanies ex eo multa & atra & malè olens, non secus atque ex nomis, id est iis quæ serpunt vlceribus, expuitur, Dioscor. & Aegineta. Qui à chersydro morsi sunt, eis cõmuniter eadem accidunt, quæ in aliorum serpentium morsu: veluti est tumor, continuus dolor ardens, liuidus locus & feculentus, vertigo oculorum, exolutio, vomitus bilosi fœtidi. propriè autem motus totius corporis inordinatus, vt & per ventrem quædam inordinatè ferantur. Mors autem intra tres dies, Aetius. Nicander cutim circa morsum putridum humidumque aridam intrinsecus tendi ait, & putredine rumpi: dolores ingentes & æstuantes affligere: frequentes passim per membra pustulas (πεηδόνας)

Curatio.

exoriri. Morsis medentur, origanum tritum & aqua subactum (φυραθὲν, *Marcellus maceratum: sed præstat subactum vertere, vt commodius imponatur morsui, imponendum enim esse Aegineta monet.*) Lixiuia cum oleo indita, (*vt Ruellius vertit. Lixiuia oleo temperata, vt Marcellus. neutrum probo. Græcè legitur κονία τε ἐνεθεῖσα ἐλαίῳ: pro ἐνεθεῖσα repono δευθεῖσα, vocabulum idem quod φυραθεῖσα significans, ex Paulo: qui tamen non simpliciter lixiuium, sed è quercu requirit: & quod mox sequitur è quercus radice remedium omittit. Lixiuium igitur iubet Dioscorides cum oleo subigi & agitari: nisi quis κονίαν hic non lixiuium, sed vel calcem vel cinerem interpretetur: nam hæc quoque eadem voce interdum significari Cornarius in suis in Galen. libros de compos. sec. locos commentariis docet, Viruminis cum oleo subactum mazæ instar commodius imponeretur, quam lixiuium oleo, nimis liquida mixtura. Aetius etiam (Cornario interprete) iuxta locum affectum calcem viuum & similia cum oleo imponi iubet.*) Aut Aristolochiæ cortex, aut querna radix minutim contrita: & hordei farina cum aqua & melle ad ignem pariter colliquata. Bibuntur autem (*locus hic apud Aeginetam corruptus est. nam præcedens medicamentum imponi, non bibi oportet*) binæ aristolochiæ drachmæ in oxycrato (*vel cramate, id est vino aqua permixto, Aegineta*) cyathis duobus, (sex, vt Marcellus Vergilius habet, & codices Græci nostri. Ruellius vertit duobus ex Aegineta.) Marrubii (πρασίου, *Hermolaus non rectè legit πράσου, id est porri*) succus vel decoctum alterius (ὁ πότερον, *Aegineta omisit*) cum vino. Fauus etiam recens datur in aceto, Dioscorides. Aegineta addit inter ea quæ sumuntur, nasturtium syluestre, aut asphodeli fructum floremve, aut fœniculi semen cum vino, salutaria esse. Eadem & Actuarius habet, sed mutilata eius lectio est quam à Ruellio conuersam habemus. Curatio multo vix tempore & magno negocio procedit, Aegineta. Communia remedia & antidoti theriacæ aduersus hunc quoque morsum auxiliantur: priuatim verò cupressi pilularum, & myrti baccarum, vtriusque drachma trita, & cum melle rosacco aut vino mulso in potu exhibita. Aduersus chersydri ictum proficit panaces, aut laser, quod sit scrupulorum P. II. † (alias III S. † I.) vel porri (*prasinum irum legit pro pasi*) succus cum hemina vini sumendus est, & edenda multa satureia. Imponendum autem super vulnus stercus caprinum ex aceto coctum, aut ex eodem ordeacea farina, aut ruta, vel nepeta cum sale contrita melle adiecto: quod in eo quoque vulnere, quod cerastes fecit, æquè valet, Celsus 5.27. Hydrorum iecur seruatum aduersus percussos ab ipsis auxilium est, Plinius. Ad canis rab. & hydri morsum: Verbenacam in vulnus apponito, Apuleius si bene memini. Morsus à chersydro moritur vt plurimum hora tertia, (*die tertio Aetius,*) & non transit tertiam. Si autem euadit, quoniam est aquosus, (*an quoniam hydrus in aquis degit, & nondum in terram egressus est?*) aut quoniam natura morsi est fortis, comitantur eum ægritudines à quibus forsitan non sanabitur, Auicenna 4.6.3.29. sequenti deinde capite curationem adiungit, similiter vt Aetius: ex quo & cætera pleraque mutuatus videtur. Et mox capite 31. de hydra agit, (hydro scribendum,) signa

Historia morsorum. Philoctetes.

morsus eius eadem quę Dioscorides exponens. Auicennę verba Albertus etiam transcripsit libro 25. de animalibus, in vocabulo Andrius. Homerus Iliad. B. in Catalogo, Philocteten nauium aliquot ex Methone, Thaumacia, Melibœa & Olizone ducem, in Lemno morsum ab hydro, ibidem à Gręcis relictum, & magnis doloribus afflictum fuisse tradit: Ἕλκει μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονος ὕδρου. Philoctetes in Lemnó cum purgaret aram Mineruę aureę cognominatę, ab hydro morsus est, & propter incurabile vulnus ibidem à Gręcis relictus. nouerant enim Vulcani (cui ea insula sacra est) sacerdotes à serpentibus morsos curare. Sed cum in fatis esset Ilium capi non posse absque sagittis Herculis, quas ille Philocteti reliquerat, (eo quod rogum in quo vitam finiturus erat in Oeta, aliis omnibus detrectantibus, ipse succendisset,) postea à Gręcis vocatus est, Scholiastes. Philoctetes ab Hercule amatus est, Porphyrius. Hic cum ab hydro morsus esset in pede, & vulnere, neque lethali, neque tamen facilè curabili, affectus: eo serpente & erodente, cum perpetuis lamentationibus & clamoribus, Gręcis molestus esset, in Lemnum ab eis expositus est, postea verò vocatus authorem malorum Paridem occidit. Porphyrius secundum aliquos Philocteten morsum esse ait circa Tenedum aut Imbrum, & deinde in Lemno demum expositum esse, alii circa insulam quandam Chrysen nomine. Hydri quidem morsum dolor & putredo comitatur: sistitur autem putredo aqua marina aspersa. Cum autem Sophocles non modo hydrum, sed echidnam quoque nominauerit in Philoctetę historia, eiusdemne animantis duo nomina sint hydrus & echidna quęrendum, Eustathius. Philoctetes (vt memorant Grammatici) Pęantis filius & comes Herculis fuit: cui idem moriens in Oeta monte mandauit, ne cui corporis sui reliquias indicaret: idque iurare eum adegit, deditque pro munere pharetram, & sagittas Hydrę felle intinctas, &c. Vide Onomasticon nostrum. Dędala (τὰ) vrbs Lycię, à Dędalo ibi sepulto: cum eum coluber aquaticus ex amne Nilo in paludem, in

dem, in quam Dædalus commeabat egressus, momordisset, Plinius 5.27. Meminit etiam Stephanus. Orpheus, Melanippum consobrinum suum, venatorem & amatorem Euphorbi cum ater hydrus in pede momordisset, atque is periclitaretur de vita, scobem ostritæ (alias oritæ) lapidis iussit inspergere vulneri. quo facto mox liberatus est, vt canit Orpheus ipse in carmine de ostrite lapide.

---tibi has miserabilis Orpheus
Haudquaquam ob meritum pœnas (ni fata resistant)
Suscitat: & rapta grauiter pro coniuge (Eurydice) sæuit.
Illa quidem dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Seruantem ripas alta non vidit in herba, Proteus ad Aristæum apud Vergilium 4. Georg.

Ex hydro remedia.

Dentes dolentes circunscarificant enydridis serpentis masculi & albi maximo dente. At (*Ac*) in superiorum dolore duos superiores adalligant: e diuerso, inferiores. Huius adipe perunguntur qui crocodilum captant, Plinius. Iecur aquatici colubri, item hydri, tritum potumque calculosis prodest, Idem. Et alibi, Hydri iecur (vtiliter) bibi contra calculos traditur. Hydrorum iecur seruatum aduersus percussus ab ipsis auxilium est, Idem. Habet syphar hydrorum nostrorum suas vires in medicina. suffitu enim sanat sedem & vuluam prolapsam, Christophorus Encelius. De lapide hydri, & remedio ex eo, dictum est supra in B. Baculus quo angui rana excussa sit, parturientes adiuuat, Plinius.

H.a.

Epitheta. Μέλας ὕδρος, id est niger hydrus, Orpheus. Vergilius etiam hydros nigros dixit: Ouidius longum. Sunt & hæc apud Rauisium: Immanis, turpis, stridens, sæuus, Cadmæus, Echionius, sons, Gorgoneus, pinguis, toruus, liuens, rabidus, Niligena, cæruleus, Libycus, intortus, sepulchralis. Chelydri superius dicta epitheta pleraque, huic etiam conuenient: præsertim cum chelydrum ab hydro multi non distinguant.

Propria.

De hydro quadrupede, hoc est lutra, suo loco diximus in Quadrupedum historia: & dicemus plura inferius hoc in libro in L. elemento. quoniam amphibium est animal. Hydrus, Ὕδρος, nomen syderis est Proclo: aliis Hydra. vide inferius in Hydra. Corinthi erat palma ærea, sub qua sculpti erant hydri, & ranæ, anathema è templo Apollinis Delphici allatum. Vide in Rana h. inter Quadrupedes ouiparas. Insulæ paruæ, Africæ adiacentes prope terram à Ptolemæo numerantur, Ὕδρας, Δρακόντιον, &c. Alias legitur Hydra, insula Libyæ iuxta Carthaginem. Hydrus, Hydrūtis, vrbs est in litore Adriatici maris inter Leucas & Brundusium, Perottus. dicitur & Hydruntum, Italiæ oppidum in Calabria. Est & montis Apuliæ nomen, & fluuii, &c. Vide onomasticon nostrum.

Prouerbia.

Fabulam de hydro ranarum rege constituto à Ioue, & ranis vescente, in Rana h. ex Seruio recitaui. Hydris immitior, prouerbiali sensu dicitur ab Erasmo Rot. Hydrus in dolio, Ὕδρος ἐν πίθῳ: Prouerbium hoc, vt ingenuè fatear (inquit Erasmus,) nondum apud vllum veterum authorum reperi, neque Græcum, neque Latinum: & haud scio an de vulgo sumptum sit. neque enim libet credere virum eloquentem, & in literis non postremi nominis ex sese commentum esse. Nam refertur ab Antonio Sabellico in epistola quadam familiari. Addit & fabulam prouerbii parentem, huiusmodi. Rusticus quidam cum sensisset minui vinum in dolio conditum, admiratus quid esset rei, circumspicere cœpit, num qua rima extillaret liquor. vbi nihil eiusmodi comperisset, pergit vicinos in suspicionem apud sese vocare, ne se absente vas relinerent, vinumque potitarent. Obsignat itaque diligenter dolium ad opus exiturus. At reuersus signis illæsis vinum nihilominus imminui videt. Tum verò fortunam agricolarum deplorare, quibus non in vite solum, verum etiam in doliis calamitas præsto esset. Ad extremum exhausto dolio hydrus in imo repertus est, vini potor. Ea res in vulgi iocum abiit. Admonet Plinius lib. 10. cap. 72. serpentes quanquam exiguo indigeant potu, tamen vinum, cum est occasio, præcipuè appetere. Iuuenalis de muliere vinosa Satyra 6. Tanquam alta in dolia longus Deciderit serpens, bibit & vomit. Adagium ipsum haudquaquam inelegans, nec aspernandum. Quod si quem nihil mouet recens author, licebit vsurpare, cum quis occulta calamitate premitur, causa atque authore non extante. Aut cum diuturni mali tandem author deprehenditur. Coruus aquatum missus ab Apolline, cum diutissimè expectasset dum ficus maturescerent, iis tandem maturis saturatus, nigris longum capit vnguibus hydrum, & hunc aquarum obsessorem in mora sibi fuisse fingit, vt retuli in Coruo h. Diriguere oculi: tot Erinnys sibilat hydris, Vergilius 7. Aeneid. Hæc loca (Italiam) non tauri spirantes naribus ignem Inuertere satis immanis dentibus hydri, Idem 2. Georg.

DE HYDRA MVLTICIPITE, FABVLOSA,

quam Hercules confecit.

HYDRAM fœminino genere veteres aliqui pro hydro, aut chersydro, chelydroue dixerunt: vt supra in Hydro indicauimus. Nos hic de fabulosa tantum illa multorum capitum fera, quam Hercules confecit, agemus. Fera est multorum capitum, & multas serpentium facies habens, Varinus. Iuxta Amymonæ fontem platanus excreuit, sub qua hydram fuisse alitam asserunt, Pausanias circa finem Corinthiacorum: vbi etiam scribit hydram se arbitrari feram magnitudine hydros excedentem alios, cuius venenum ita foret ἀνίατον, (incurabile,) vt Hercules eius felle sagittarum spicula tingeret. Caput præterea habuisse vnum probabile esse, etiamsi Pisander Camireus, quo videretur res meticulosior, & poema plausibilius, plura ei contribuit. Hydra serpens cristatus ab authore Culicis (poematii Virgilio attributi) multis describitur. Serpentes alati quidam sunt in Arabia: quorum figura qualis hydrarum est, alæ non pennatæ, sed glabræ, Herodotus.

Ex Lil. Gre. Gyraldi Hercule.

Hydram nonaginta capitum serpentem, vt Simonides: vt Alcæus, quinquaginta: vt alii septem, vel quinque: (*vel octo, vt Erasmus Rot. vel nouem, vt Suidas,*) quorum vnum immortale vocabatur, in Lerna palude, vnde tot sunt vulgo facta adagia, igne superauit: vel, vt ab aliis proditur, sagittis (τόξοις) confecit. à quibus hydræ sanguine infectis toxici vocabulum effluxit, vel quod ex ipsius hydræ sanguine natum est, vt Nicandri scribunt expositores. Cum autem hydræ vno amputato capite alia (*plura, Suidas: duo in vnius excisi locum, Palaphatus: tria, Isidorus*) facem ferunt ab Iolao vulneri apponi solitam, atque sic demum deuictam & extinctam hydram tradunt, (ex Diodoro.) Cancrum quoque hydræ suppetias ferentem inter-

emit,implorato, vt dicitur, Iolaï auxilio:ex qua re illud emanauit, Ne Hercules quidem contra duos: tametsi alii in alias historias prouerbium hoc referant. Sunt qui hydram & cancrum sophistas fuisse interpretentur ex Platone:quorum sophismata & cauillos Hercules ingenii ac mentis vi absoluerit: (*Sophistarum quidem mos est cauillari, & quæstiones dubias ita proponere, vt vno soluto dubio multa renascantur, Perottus. Platonem Euthydemo asserit Hydram fuisse callidissimum sophistã, cui pro vno sermone capite amputato, multa repullulabant, Innominatus*) licet id potius, si quis modo sane verba perpendat, per similitudinem quandam à Platone dicatur. Alii (vt pluribus refert Palæphatus in libro de fabulis) Hydram arcem seu turrim quampiam minutissimam (*oppidulum, Palephatus*) fuisse opinantur, quæ à quinquaginta viris custodiretur. arcis verò rex Lernus vocabatur: qui à Carcino, id est Cancro viro quodam fortissimo adiutus contra Herculem pugnauit. Hercules autem ab Iolao Thebanis copiis auctus ambos superauit, Hydramque castellum euertit incenditque. Alii secretiore arcano fabulæ locum datum volunt, quod scilicet Hercules animi sui ac continentiæ ignita tanquam face identidem renascentia libidinum cæterorumque vitiorum Lernæa capita represserit, atque penitus extinxerit. Nec desunt qui per Hydram & Lernam, inuidiam, seu mauis inuidentiam, significari existiment: quæ difficillimè extinguitur, cum abiecti animi indicium sit, vt plane ex Ouidii & Plutarchi descriptione conspicitur. Græci scriptores illud de Hercule Lernæ viru infecto obseruant, eum oraculum accepisse, se aliter liberari non posse, nisi ad flumen herbam inquireret: cuius radix colocasion, caulis vero qui supra terram est, ciborion vocatur, quo nomine vas etiam dicitur. Vnde cum apud Bellum Iuuium eam reperisset, veneno est liberatus, idque quoniam in Phœnicia contigit, vrbs in eo loco condita est, quæ Ace ex re (*remedio*) nomen sumpsit, quæ & Ptolemais dicta est, Hæc omnia Gyraldus in Hercule.

Lerna malorum. Lerna malorum, Λέρνα κακῶν, prouerbium est (vt & Ilias malorum, & mare malorum, & thesaurus malorum) de malis plurimis simul in vnum congestis & accumulatis. Parœmiam Strabo commemorat libro 8. scribens, Lernam lacum fuisse quempiam, Argiuorum ac Mycenæorum agro communem, in quem cum passim ab omnibus purgamenta deportarentur, vulgo fit natum prouerbium Lerna malorum. In hoc lacu poetæ fingunt Hydram illam septem capitum constitisse, quam Hercules igni Græco confecerit. Eam autem Hydram Hesiodus scribit, ex Echidna & Typhaone prognatam, alitam à Iunone: nimirum in odium Herculis. Zenodotus ait, locum quempiam fuisse in Argolica: in quem cum omne sordium genus promiscuè coniicerent, fœtidas inde ac pestilentes nebulas solitas exhalare. quanquam rectius autumant vt adagium ad Danaidum fabulam referatur, &c. Itaque quoties hominem significamus vehementer infamem, atque omni turpitudinis genere cõtaminatum, aut cœtum hominum pestilentium, quasique sentinam & colluuiem facinorosorum, recte dicemus Lernam malorum. Apud Hesychium Cratinus comicus theatrum, quod ex varia mixtaque hominum colluuie constaret, Λέρνην θεατῶν appellauit, Erasmus Rot.

Poetæ inxerunt (inquit Perottus) Hydram multorum capitum in Lernæa palude fuisse, quorum aliquot excisis totidem (*pro vno duo vel plura, vt supra dictum est*) continuo renascebantur. Quod monstrum cum totam eam regionem deuastaret, tandem ab Hercule claua primo ictum, deinde propter pestiferum afflatum sagittis petitum, postremo cum se se solitis cauernis condidisset, lignorum congesta strue igne consumptum est Seneca: Quid sæua Lernæ monstra, numerosum malum? Non igne demum vicit. & docuit mori? Hoc ideo factum quidam existimant: quia cum Lernæ palus frequenter siccaretur, ac denuo impleretur aquis, Hercules deprehendit venas terræ incendio posse præcludi: atque ideo postquam exhausit eam, ignem adhibuit, & si qua vnda prorumpebat, obstruxit. Hinc monstro Hydræ nomen fabulæ imposuerũt: quoniam ὕδωρ, aquam significat. Ego inde datum huic fabulæ locum existimo, quod anguiũ genus, sub quo hydra continetur, omnium fertilissimum sit: & nisi incendiis semina exurerentur, non esset fœcunditati eorum resistere, Hæc ille.

Constat (secundum Historicos) Hydram in Lerna palude extitisse aquas euomentem, quæ vastabant vicinas ciuitates: in qua vno meatu clauso multi erumpebãt. quod Hercules videns loca ipsa excussit, & sic aquæ meatus clausit. nam Hydra ἀπὸ τοῦ ὕδατος, id est ab aqua, nomẽ accepit, Isidorus. Hydram Echidnæ filiam Hesiodus facit. matrem Chimæræ Ouidius ipsam quoque Echidnam nuncupauit. Pars quota Lernææ serpens eris vnus Echidnæ. Latinè quidam excetram, quod vno exciso capite tria excrescerent, inquit Isidorus. Cum excetra, cum Anteo deluctari mauelim, quam cum amore, Plautus in Pers. Hiberam excetram scitè obtrectatorem dixit virulentum Hieronymus, Cælius. Idem in Proœmio Esdræ cõtra detractores suos loquens: Licet hydra (*alias excetra*) sibilet, victorque Sinon incendia iactet, nunquã meum tuuante Christo silebit eloquium. Panaces Asclepium contra serpentium morsus prodest. Hoc Aesculapius decerpsit iuxta ripam Melanis fluuii Bœotiæ, & percussum ab Hydra Iolaum Iphicli filium hoc remedio sanauit, Nicander in Theriacis.

H.a. Anaxilas comicus fabulosa quædam veterum monstra pro improbis scortis interpretatur. Eius verba recitaui in philologia de cane carcharia. Plangon meretrix tanquam Chimæra quædam πυρπολεῖτὲς βαρβάρους. Οἱ Σινωπῆς δ' αὖ σαύνας, οὐχ ὑδρίαν πέπεσται νυί; Γραῦς μὲν αὕτη. ὥσπερ Φοῖνιξ δ' ἡ Χιμαίρα πλησίον, Ὧν τὸ πρόσω γ' ἐστὶ ταύτην, ἢ διπλάσιον κακόν, vt Athenæus lib. 13. ex eodem refert. Versus vltimi sensus videtur, Gnathænam Sinopæ vetulæ subnascentem, duplo ipsa deteriorem esse. Et centumgeminus Briareus, & bellua Lernæ, Vergilius 6. Aen. Hydram Lernæam decantent poetæ, & veterum fabularum opifices, quorum è numero est Hecatæus historicus, Aelianus.

Epitheta. Hydræ epitheta à Rauisio memorantur hæc: Renascens, Lernæa, stridens, immanis, colubrifera, dira, vallata colubris, ramosa, improba, fœcunda, virens, Argolis, superba, nocens, ferox, multiplex, horrenda, septemplex, frigida, rediuiua, tumens, populosa.

Icones. ---clypeoque insigne paternum.
Centum angues, cinctamq; gerit serpentibus hydram, Vergilius 7. Aeneid. In Elide Iunonis templum est, in quo (præter alia simulacra) Hydram fluuii Amymonæ beluam sagittis conficienti Herculi, astãt Pallas, Paulanias in Eliacis.

Hydra

Sydus. Hydra sydus est in cœlo (Proclus Hydrum nominat) in qua coruus insidere existimatur, &c. vt scribit Higinus, & nos in Coruo h. recitauimus. Ea tamen non est quam Hercules confecit. Cancer etiam ille qui Hydram aduersus Herculem defendit, à Iunone inter sydera relatus existimatur: vt in Cancro fluuiatili. H. recitauimus.

Propria. Hydra insula est Dolopum. Plura vide superius in Hydro h.

Toxicum aliqui natum fabulantur è sanguine Hydræ, quam Hercules τόξοις, id est, sagittis interemit, Scholiastes Nicandri. Hercules Philoctetæ donauit pharetram & sagittas Hydræ felle intinctas. Vide in Onomastico nostro. Vespæ in viperam quam mortuam perspexerint inuolantes, veneno aculeum imbuunt: sic & Hercules hydræ veneno iacula tinxit, Aelianus. Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra Intus habet sedem, Vergilius 6. Aeneid. de inferis. Proxima (*pugna*) Lernæam ferro & face contudit hydram, Vergilius de laboribus Herculis. Hydram secas, prouerbium est apud Platonem libro de repub. quarto: Ἀγνοοῦντες (inquit) ὅτι τῷ ὄντι ὥσπερ ὕδραν πέμπουσιν. id est, Ignari se reuera tanquam hydram secare. Est autem hydram incidere, ita vnum aliquod incommodum tollere, vt in eius locum alia plura recipias. Adagium natum à fabula Hydræ Lernææ, cuius vno reciso capite plura renascebantur. Plutarchus in Commentario de fortuna Alexandri: Γ' ὅραν γὰρ ἔφασαν ἀεὶ τῶν πολεμίων ἀναλαμβάνουσαν. id est, Hydram secans semper aliquibus bellis repullulantem. De Alexandro loquitur, cui vno bello confecto subinde aliud atque aliud exoriebatur. Cyneas cognita Romanorum multitudine identidem post acceptam eladem copias instaurantium, dixit sibi videri aduersus Lernæam hydram pugnare. Hinc Horatius in Odis, Non hydra secto corpore firmior Vinci dolentem creuit in Herculem. Accommodari potest ad eos qui litibus inuoluuntur nunquam finiendis. Lis enim litem parit, & sepenumero vna enecta tres subnascuntur, &c. Erasmus Rot. Meminit & Suidas huius prouerbii, & vsum esse dicit ἐπὶ τῶν πολυμόχθων, id est de rebus quas nunquam aliquis perficiat, (vtpote quæ subinde grauiores & intricatiores se exerãt. (Magis varius quam hydra prouerbium ad hydrum pertinet, & explicatum est superius.

Prouerbia.

Hydram septicipitem esse (inquit Nic. Erythræus) tam verum est, quam Castorem & Pollucem ortos ouo, Plutonem in ferno regnare, natos è serpentum dentibus armis instructos homines: & quæ præter alia primus finxit Homerus, arma à Vulcano Achilli fabricata, vulneratam à Diomede Venerem, perlatum vtribus Vlyssem, &c. Hęc autem admonuimus propter nonnullos vsque adeò rerum imperitos homines, qui proximis diebus Venetiis hydram septem capitibus terrifico monstro naturam ipsam vehementer accusantes, Hæc ille. Videtur autem de fictitio illo monstro sentire, cuius hic figuram subiiciemus, qualis in charta quadam typis impressa & vulgata est. Inscriptio erat hæc: Anno à Christo incarnato tricesimo supra sesquimillesimum, mense Ianuario, serpens monstrosus, cuius typum imago hęc cum magnitudine, tum colore refert, è Turquia ad Venetos perlatus: deinde Francorum regi datus, sexque millibus ducatorum æstimatus est. Additur & coniectatio authoris innominati, sed Germani, vt appareret, his verbis: Non dubium est monstra significare mutationem rerum. Sed Germania aut orbis Christianus ita est afflictus, vt ei præter exitium accidere nil grauius queat. Vnde in spe sum ea monstra non esse ipsi ad maiorem calamitatem extimescenda. Sed res Turchæ ad summum potentię & felicitatis per-



tenuerunt, quali etiam statu maxima quæ hactenus fuerunt imperia, corruerunt. Illi minari ista diuinarim, sub cuius ditione monstrum natum & repertum est. & capita eius ab occipitio referunt gestamen pilei Turchici, &c. Hic diuinator quisquis est, primum res ne vera an ficta esset quærere debuerat. Mihi cum Erythræo planè commentum artis videtur. Auriculæ, lingua, nasus, facies, toto genere à serpentium natura discrepant: quod si figmenti author, rerum naturæ (quæ in ipsis etiam monstris plerunque non vndiquaque degenerat) non imperitus fuisset, multo artificiosius potuisset imponere spectatoribus. Sed esto res vera: cur tamen Turcæ potius quam nobis minabitur? Itane molles & blandi nobis, ne dicam cæci, erimus, vt culpam nostram non agnoscamus, & omne malum omen in hostes nostros reiiciamus? Quod si ab illis malis & peccatis, quorum causa Deus hunc potentissimum hostem tot iam seculis in nos grassari permisit, pœnitudo aliqua & emendatio in nobis appareret, vt propitium deum, sic mala omnia à nobis auertenda, & nostros ac veræ religionis inimicos ruituros, spes non dubia foret. Nunc quoniam nulli aut (proh dolor) paucissimi resipiscunt ac emendantur, quis non metuat magis magisque semper hanc pœnam, & hoc flagellum aduersum nos inutili tutum, donec vel funditus pereamus, vel causa malorum communi tandem ad optima quæque consensu (quod equidem opto magis quã spero) tollatur. Venetiis in thesauro principum septicipitem serpentem asseruatum, incredibili ferè pretio ob raritatem redemptum, olim quidam mihi ceu testis oculatus retulit, haud scio quam verè.

DE SERPENTIBVS AQVATICIS DIVERSIS.

Anius lacus Puteolis vicinus est, quem ego arbitror hodie Sudatorii lacum vocari à balneo, quod in eius est margine, &c. Eminet inter alios huic ad Austrum mons silicibus plenus, ex quo Iunio veniente mense tot serpentum inuicem glomeratorum globi se præcipitant, vt mirabile visu sit, omnesque in subditum se demergunt lacum: nec est qui vnquam exeuntem viderit aliquem, aut innatantem, vel aliter prodeuntem, Io. Bocatius in libro de lacubus.

Iuba dicit in Troglodytis lacum insanum malefica vi appellatum, ter die fieri amarum salsumque, ac deinde dulcem: totiesque etiam noctu, scatentem albis serpentibus vicenûm cubitorum, Plinius.

Aspides quædam chersææ, id est terrestres cognominantur: ad discrimen earum quæ chelidoniæ dicuntur, & circa fluuiorum ripas, præcipuè Nili, latent.

Palustribus draconibus crista non est: montanis verò, iuuenibus quidem adnascitur crista, mediocriter prominens: prouectis verò ætate, grandior, Philostratus.

Olaus Magnus in Tabula Septentrionali aues duas aquatiles pingit in lacu quodam, quarum altera serpentem ore tenet.

In Cuba insula serpentes noua totius corporis specie ac forma prędíti, sesquipedis plerunque longitudine, qui ex terra & ex aqua viuunt, in lautioribus erant epulis, Pet. Bembus historiæ Venetę lib. 6.

MERGVLI dicti serpentes, vt audio, ex Africa adferuntur: qui quales sint, & an in aqua mergantur vt nomen sonat, non habeo quod dicam.

Ctesias Cnidius refert in flumine, cui nomen Argades, quod ad Persicam Sittacen est, Serpentes abunde gigni, capite albas, reliquo corpore nigras, quatuor cubitorum lõgitudinem habere, & quos percusserint interimere. interdiu eas haudquaquam videri solere, sub aqua natantes: noctu verò vel aquãtibus vel lintea lauantibus (idque fieri non raro) perniciem inferre, Aelianus de animalibus 16.42.

Anno natiuitatis domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, Maii die 21. Lucernæ in Heluetiis vrbe pręclara, insuitatę formę & magnitudinis serpens sub ponte Vrsę fluminis tranare visus est, cum è lacu descenderet: auriculis latis, longitudine ad sex passus, vt coniiciebant qui viderunt, corpore alioqui similis (*æqualis*) vitulo: Ex codice manuscripto qui Chronica Tigurinorum continet.

Draco Romæ visus in Tyberi. Scriptum est in Rom. annalibus ac sępius notatum, quo tempore dracones, vel qua magnitudine in vrbem Romam delati sint: Nam inundante maximè Tyberis fluuio uisi per vrbem traduntur: quod ipsũ temporibus nostris contigit. Sed illud propè incredendum quibusdam videri solet, quod imperante quidem Mauricio Aug. Romę accidit: qua videlicet tempestate exundationes aliquot maximę extiterunt & Athesis & Tyberis fluminum, (quando ob ingentem vim vndarum Veronę vrbis mœnia dicuntur alicubi disiecta ac diruta: Tyberis autem fluuius in tantam excreuisse magnitudinem traditur, vt eiusdem alluiones supra muros vrbis influerent, ac regiones latè occuparent:) quo factum est, vt cùm multa serpentum genera per alueum Tyberis ęstuante fluuio essent deuecta, inter hęc draco miræ quadam & insigni magnitudine, per vrbem transiens vsque ad ipsum mare descendit. quod & mox horribili prodigio pestis maxima secuta est, Petrus Crinitus de honesta discipl. 20.3.

HYS, Ὗς, id est Sus vel Porcus, piscis quidam est. Athenęus dubitat an ὕες pisces Epicharmo nominati iidem sint κάπροι. Vide in Hyęna pisce A. De piscibus diuersis qui porcorum quadrupedum nominibus appellantur, aut cum eis aliquid simile habent, in P. elemento scribemus.

HYSCA. Vide Hycca superius.

DE AQVATILIBVS ANIMANTIVM, QVORVM NOMINIBVS I. LITERA ANTEPONITVR.

IBIS vel Elephas piscis aculeum habet vt pastinaca, Rondeletius vbi de Anthię prima specie scribit: alibi quidem nusquam ibidis piscis mentionem ab eo factam reperio hoc nomine. Sed Scolopacem alibi vocat. Vide in S. elemento.

ICHNEVMON quadrupes & piscis, Varinus.

IOTAR pisciculus. Vide in Corollario ad Apuam Atherinam. Ἰκτάρ, ἰθυνῶς, ἰχθῦς, Hesychius.

IECVR

IECVR marinum, Iecorinus. Lege Hepatus.

ILLI, (Ἴλλοι paroxytonum, alias oxytonum,) pisces quidam magni nominantur à Tarentino in Geoponicis.

MEGASTHENEM audio dicentem in mari INDICO quendam pisciculum nasci, eumque quoad vixit, in profundo quidem natantem non apparere: mortuum verò ad summam aquam existere, & fluitare. qui eum contigerit, animi defectionibus primum tentari, deinde obire mortem, Aelianus de animal. 8.6. & Philes.

INDICI pisciculi in terram exeuntes, &c. Vide in Maxinis.

DE INSECTIS ALIQVOT AQVATICIS, QVÆ AB ANTIQVIS MEMORIA NON SVNT.

ANIMALIA quæ faciunt tædium in nullis aquis plura gignuntur quàm cisternarum, Plinius 31.3. In cisternis quidem aquæ pluuiæ per tecta, canales, & aliter (vt Venetiis per uicos etiam loco circa cisternam decliui vndique versus medium, vt confluere possit; & per foramina quædam quibus arena subest cisternæ colata influere) collectæ, minus puræ, si animalia plura generent, mirum non est. Nam & aqua pluuia mollior est, tepidior, fœcũdior, & facilius immutatur: & aqua minus pura, tum per se, tum quia seminaria quædam fortè per tecta & aliunde secũ trahit, facilius aut putrescens generat: aut quorum semina accepit, perficit animalia. Nec nihil huc facit fundum cisternarum immobile; in fundo enim ferè gignuntur: quod in natiuis fontibus perpetua scaturigine semper mouetur. Pulchrè autem aquarum tædia communi vocabulo quæcunq; in aquis nascentia homines abominantur animalium, Plinius dixit: vt pro pediculis alibi ciuilius capitis tædia.

DE SQVILLA FLVVIATILI, (GRYLLVM FLVuiat. fortè commodius nominabimus,) Rondeletius.



In fluuiis insecta quædam viuere deprehendi, quæ varia sunt. quædam enim vermium, quædam muscarum, quædam scarabeorum forma sunt. De his cum nihil apud scriptores veteres legerim, non ineptè facturus videor si aliarum bestiolarum quarum imaginem similitudinemque habent, nomina eis imponam. Ab his incipiam quæ tenui crusta integuntur; qualis est Squilla fluuiatilis quam hic exhibemus.

A

Ea pedes ternos vtrinque habet. Cauda in duo longa & tenuia veluti fila desinit: digitali est longitudine. Capite est rotundo & compresso instar lentis leguminis. Cornicula quatuor habet: Cum squillis marinis magna est figuræ affinitas: Quare non video quo aptiore nomine donetur quam Squillæ fluuiatilis. B

DE PHRYGANIO VERMICVLO FLVVIAtili & marino, Bellonius.

Phryganium fluuiatile æquè ac marinum deiectamentum; Galli Charree appellant, quod cinerum recrementis sit persimile. Pisciculus est aut potius vermiculus, quo piscatores vtuntur pro esca: sic appellatus, quod Phrygana, id est fremia, cremia, siue festucas suæ thecæ aut tegumenti lateribus; filo tanquam araneæ ab eius ore dependente (nouit enim nere vt aranea) agglutinans atque alligans, circumponat: ex quibus augescens, casam ampliorem sibi construit. in quo pinnoterem imitaretur: nisi pinnoteres sibiipsi domum facere nescirent. Senos vtrinque pedes habet, quibus in aquæ etiam rapidissimæ riuulis incedit: nare enim nescit: estque animal tenue, oblongum, paruæ erucæ simile; quem auidissimè appetunt Truttæ: est enim profluentibus aquis ac torrentibus frequens. Eo etiam pisciculi, si sua theca seu inuolucro nudetur, affatim capiuntur. Chrysippus Philosophus (inquit Plinius) tradit Phryganion alligatum remedio esse quartanis. quod autem esset id animal nec ipse descripsit, nec nos inuenimus qui nouisset.

COROLLARIVM, DE EODEM ET SIMILIbus aliis fluuiorum animalculis.

Phryganii nomen vetus Plinio vsitatum, sed quid esset ignoratum, an rectè aquatico vermiculo, quẽ Galli Charee vocant, attribuerit Bellonius; ne de nominibus magis quam rebus videar esse sollicitus; non disceptabo. hoc tantum dixero, à sola etymologia argumentum minimè firmum sumi: nec quoduis animal quod phryganis hæreat (*quæ phrygania Bellonius nominat; non ipsa hærent phryganis, sed phrygana ipsorum thecis*) phryganium dici posse. Sed ita appellemus licet, potius quam contendamus: quoniam nullum inde incommodum sequetur opinor. Gallicum nomen Charree; ad Germanicum *Kerder* vel *Kaerder* accedit, quod vermiculis aquaticis plerisq; puto commune est: vsus omnium ad inescandos pisces, à quibus appetuntur. Ex omnibus æstate muscarum quædam genera nascuntur, ex aliis alia. Neque hæc animalcula tantum nostri, sed escam omnem ad pisces capiendos comparatam & infigendam hamis, Kerder appellant à qua voce non aliena est δέλεαρ Græca. Priuatim verò *Steinbeissen* appellant; quasi dacolithos Græcè à morsu lapidum dicas, (quo nomine gobii etiam fluuiatilis genus quoddã indicauimus supra) vermiculos thecis quibusdam arenaceis inclusos; qui in aquis fluentibus & lacu etiam adhærent lapidibus infernè, & à piscatoribus leguntur ad inescandos pisces. mouentur vna cum thecis suis, quibus forma cylindri: caput & pedes senos exerunt. Audio & in frigidis quibusdam fontibus vermiculos thecis duris inclusos inueniri. Nostrates plerique hoc genus *Kerder*, vt dixi, vel *Kaerderle* nominant: *Reckle* genus diuersum appellant in lacu nostro, in fundo aquæ, quod nec lapidibus hæret, nec thecis includitur: fortè quasi eruculas. videri enim possunt erucæ quædam aquaticæ. alii *Querle*, & *VVasserleüss*; id est pediculos aquaticos. Eadem enim hęc nomina puto, hoc est eorundem animalium, vel omnino, vel saltem gene-

Kerder.

Steinbeiss.

tem genere proximo. Vermium quædam genera & multipedum ex aqua cum retibus piscatorum frequenter extrahuntur, Albertus. Ego hyeme aliquando, circa Ianuarii calendas insecta huiusmodi erucis similia inspexi: digiti aut pollicis transuersi longitudine, senis pedibus, ore forcipato, cauda bicuspide: anterius, vbi caput & pedes sunt, nigricant: posterius è viridi colore fusca sunt. Quędam ex eis maiuscula, alia perparua erant. Reperiuntur maximè locis aquarum limosis, & vbi algæ nascuntur, præsertim illæ, quarum vna fœniculum, altera abietem vel hippurim foliis refert.

Feruentium aquarum scaturiginibus vermiculi quidam innascuntur, qui alibi ducere vitam nequeunt, Cælius 16.10.

Mertz. Mira videtur Martii ratio mensis, (vt doctissimus Iuuenis Samuel Quiccelbergius ad nos scripsit) qui procreet tantum fœtum in aquis fœtentibus, & aliquando satis claris, vulgo rusticorum (in Germania) notum: qui si pedibus nudis in illam ingrediantur aquam, vbi hoc genus animalis in summo aquæ detinetur, circulum sibi fieri narrant, ad eum vsque locum quo aqua peruenerat in cruribus, eumq; circulum ita punctum, vt sanguis confluat, & inflammationem aliquam vel scabiem crura præ se ferant: verum hoc sine noxa. Animalcula ipsa à mense appellantur *der Me tz.*

Muscarum genus quoddam exile publicum instar, per summam aquam innatans, è fundo euectum, apud nos reperitur: nec puto volare.

Sunt & Cantharides aquaticæ, in paludib. circa lacum apud nos, quæ per superficiem aquæ motu irrequieto huc illuc circa eundem ferè semper locum mira celeritate se traiiciunt: nec in summo tantum, sed etiam profundius feruntur. Magnitudine & forma cimices referunt. Cruscula sena habent subrussa. Vaginæ è nigro virides, præsertim ad Solem, & splendentes, alas tegunt: sed non penitus: ad caudam enim alarum extremitas prominet, quę cum in aqua celeriter feruntur, vt solent, mirabili candore splendoreque conspicua argentum viuum quodammodo refert. vnde & pygolampides aquaticas si quis appellet, nomen ipsorum naturæ conueniens posuerit. In aerem si prorepserint, volare etiam possunt.

VVassergugen. Scarabeos quosdam maiusculos, corpore lato compressoque, *VVassergugen* appellari audio: qui in quarumuis aquarum fundo reptent.

DE TINEIS VEL SCROPHVLIS AQVATICIS.

Limus aquarum vitium est: si tamen idem amnis anguillis scateat, salubritatis indicium habetur: sicuti frigoris. tineas in fonte gigni, Plinius. Hermolaus lampetras vocat fontanas tineas. Ego verò has Plinii tineas esse puto quas nostri *Gyzen* appellant, alibi *Gypser*, *Stabysen*, *Meschen* vel *Maeschen*. & *VVasserschaber*: ex quibus postremum tineas aquaticas significat. Reperiuntur in fontibus, non quibusuis, sed bonis & frigidis duntaxat, præsertim Martio mense. Sunt autem vermiculi perparui: & quoniam conglobari conuolui que tanquam in arcum solent, minores etiam apparent, vt fallant aliquando bibentes. Colore albicant. Pedibus nituntur plurimis, contiguis per totius ferè corporis alueum, si bene memini: ab ore etiam veluti pedes prominent: vt multipedes vel aselli aquatici nominari mereantur. Pedes molliores sunt, quam vt extra aquam ingredi queant: nisi fortè non mollities in causa est, sed pedum contiguorum multitudo, quos nisi in aqua non facilè diducunt. In aqua mouentur & currunt corpore non recto aut æquali, sed in alterum latus inclinato. Retrorsum quoque incedunt si bene memini. Cauda oblonga in aculeum desinit. Oculi sunt perexilia puncta alba, cum centro nigro longè minutissimo. Cũ potu hausti periculum creant, vt aliqui putant, etiam vitæ. Ventrem iis qui biberint, inflari audio. Rusticum noui qui cum huius generis vermem in potu hausisset, mox in stomacho dolorem percepit: qui sumpta theriaca descendit ad vmbilicum. Medicamento purgatus est frustra, quamuis copiosè soluta aluo. Demum cum vinum abundè bibisset vermem viuum aluo reddidit, cum iam tres dies retinuisset. Et verisimile est, nisi cum potu multo promoueatur ac proluatur hoc animal, expelli non posse: quoniam in sicco, vt diximus, moueri nequit: humorem autem siue sponte sequatur, siue ablutionis vi, exibit facilius. Prodesset fortè & terebinthina aut larigna resina, aut oleum butyrumve copiosius sumpta. hæc vt intestina lubrica fierent: illæ, vt animal secum inuoluerent descendendo. Quòd si quis aut aquæ aut vini potum copiosiorem vitare velit, minore periculo forsan lac aut lactis serum, polypodio præsertim aut alio molliente aluum incocto medicamento, affatim hauriet. Quod si non cesserit malum, idem remedium clystere infundi poterit. Ab initio autem statim, antequam ad intestina descendat vermis, à multo tepidæ oleique potu vomitum concitandum suaserim. Iidem sunt vermes Gallicè dicti *Scrophula aquat.* Scrophulæ aquaticæ (vulgo Agroueles, vel Escrouelles:) Aiunt enim multipedes esse, corpusculo breui, cauda reflexa: inueniri in fluuiis, puteis, fontibus: & bibi aliquando ab imprudentibus: vnde vulgo scrophulas illas (strumas seu chœrades) vlceratas & exedentes, sine tumore, in gutture, procedente etiam aures versus interdum malo, & fauces aliquando penetrante, oriri putant. Hinc & vermibus ipsis nomen impositum. Hoc scrophularum genus à regibus Gallorum solo contactu curari aiunt. Tu princeps generosissime (inquit Dionysius Corronius in epistola, qua Actuarii librum de compositione medicamentorum à Ruellio translatum Francisco Valesio Gallorum regi nuncupat) plerisque veteris memoriæ regibus, & inuentis tuendis solertior, & sanando fortunatior diuiniorque extitisti: qui non carmine, non superstitione vlla, vt veteres fecisse produntur, sed sincera in Christum fide ductus, eiusq; vt videre est, spiritu afflatus duce, tuo cœlestisque dei digito, tot millia strumosorum, hoc est morbo perditorum, nulli mortalium quam tibi curabili, etiam leuiter contacta sanas & seruas, deorum (quos imitatis) instituto, qui soli quosdam in nobis affectus amoliri creduntur, Hæc ille. Ferunt autem omnes Galliarum reges hac eadem sanandi vi ceu miraculo pollere: candemq; communicare posse filio cuiuscũq; hominis septimo nato, ita vt nulla filia interim nata sit: id quod aut verum non esse, aut superstitione nõ vacare puto. Audio & Anglorum reges hoc malum sanare solitos, & qui id sanent legitimos reges existimari. Vocant autem morbum regis, vel malum regium. Per annum semel aut bis aiunt admitti ad regem hoc morbo laborantes: inspectos prius à chirurgis, qui & morbum hũc esse, & remediis incurabilem

bilem indicarint. Genus esse serpiginis vel impetiginis audio in lateribus colli, profundioris, leuiter exulceratæ & fluentis. Rege igitur admittente, ęger accedit in genua procidens. Rex precibus quibusdam dictis (fortè & ceremonijs peractis,) numum aureum, cui ab angelo, quo insignitur, nomen, manu flectit: eoque malum (auulso, si quod impositum est, medicamento, prohibens deinceps quicquam imponi) contingit: & numum ægro donat. Tum malum paulatim arescit & curatur. Interdicitur autem singulis ita contactis, vt per septennium intra septem miliaria non accedant ad locum vbicunque rex moratur: sin minùs, malum repetiturum. Sed hoc etiam superstitiosum esse quis non credat?

In aquis nonnullis audio vermes esse breues, capite & proxima parte crassos, retro exiles, articuli longitudine, colore subfusco vel incano, noxios si in potu hauriantur.

DE SETA VEL VITVLO AQVATICO.

Vituli aquatici icon, qua setæ equinæ crassitiem excedere non debebat.



Vitulus Aquaticus à nostris, *ein Wasserkalb*, nescio qua ratione vocatur: nisi quod à vitulis per ætatem incautioribus, nonnunquam in aqua bibatur, magno etiam vitæ periculo.

Alij ex recentioribus Setam aptiùs vocarunt, siue à simplici & tenuissima corporis oblongi figura, siue quod è seta equina in aquis putrefacta nasci existimetur. Seta est vermis, vt quidam dicunt, serpens à re nomen habens. est enim tenuissimus instar setę, (vt seta vel pilus, de iuba caudaue equi putetur, Albertus) ferè cubitalis longitudine, durus & albus: nihil differens vtraque extremitate, quippe cui caput non est, sed serpit in vtranque partem, (*inde amphisbænam aquaticam fortè dixeris.*) In aquis corruptis, (In aquis stantibus non multum corruptis, Albertus) nec tamen fœtidis nascitur. durus est adeò vt vix pede conteri possit, (& si bulliatur, non emollitur, Albertus) Author de natur. rer. Caput ei nullum esse videtur, & ad vtranque partem natat. Fortè autem de pilis nascitur equorum. hi enim in aqua stante positi, vitam & spiritum accipiunt, & mouentur, sicut multoties experti sumus, Albertus. Huius vermis è pilo equino in paludes vel stagna coniecto nascentis (vt vulgò creditur) caput & caudam primùm crescere aiunt. Insectorumne generis sit dubitari potest, quoniam pellis vna continua ei est, nec ita vt lubrici mouetur. Eadem per totum crassitudine est, dodrante longior, albicans. In fonte bono & frigido olim reperire memini: & aliâs in horto super folio quodam. hic longus erat quinque aut sex digitos, crassitudine setæ: dorso fusco, ventre albicante. Cauda vndiquaq; albebat. Intricare se solet instar Gordij nodi, vt duobus aut tribus in locis nodi huiusmodi elegantissimè ducti in eius corpore appareant. Huius veneni tanta vis est, vt ab homine potu haustus, elanguere eum & tabescere faciat, donec cum diro cruciatu vitam exuat, Author de nat. rerum. Haustus ab homine crum cruciatu & languore vitam aufert. aliter autem tactus, non nocet, Albertus. Ego etiam vitulis aquaticis potis quosdam mortuos accepi. Vir quidam hoc verme epoto mox malè habuit circa præcordia: tum mulier quædam centaurij minoris in vino decoctum ei propinauit. Vomuit ille ac simul vermem reiecit.

Si cui vitulus aquaticus in ventre nascitur, perungendus est ventre ac ventriculo liquefactis pariter butyro, cera & oleo. Vitulus aquaticus (inquit Bertrucius in Methodo de cognoscendis morbis) vermis paruus est, veluti duos cubitos (*immò palmos duos, id est octo digitos*) longus, subalbo colore, habitans in paludibus & aquis corruptis: quem qui videt, putat esse caudæ equinæ pilum. huic nanque similis est. Potus hic bufonis mala comparat. Mihi ratio curandi eadem profutura videtur, quæ aduersus tineas aquaticas à nobis præscripta est. Vituli, præsertim per ætatem incautiores, hos vermes aliquando deglutiunt, autumno maximè cum herbis: in potu verò rariùs. Sunt qui ex bruchis, quos nostri *Hevvstessel* appellant, oriri eos existiment: quod mihi verisimile non sit: alij ex herbis in aquarũ alueos, vnde pecus potat, dependentibus. Deglutiti illi circa guttur & arteriam hærent: vnde vituli paulatim contabescunt: succurri aiunt quidam vino per nares cornu infuso in quo decocta sint allia: alij remedium contra hoc malum exploratũ esse negant. Ololygon, animal est palustre, simplex, gracile, Theon in Aratum. Et paulò antè, Ololygon auis est solitudine gaudens: vel ἡμερον (vox videtur corrupta) ζῶον, palustre, frigiditate gaudens, oblongum, indistinctè, (ἀδιάρθρωτον,) terrę intestino simile; sed multò gracilius: (*quærendum an idem qui Vitulus aquaticus à nostris dicitur,*) ignoratum Aristoteli, qui ololygona vocat tantum maris ranę vocem, allicientis ad coitum fœminam. Plura leges in Rana c. inter Quadrup. ouip. Reperiuntur & in mari vermes aliqui huiusmodi, vt nulla alia pictura, quam vna linea continua exprimi possint, &c. Vide infrà elemento v. ab initio capitis Rondeletij de verme microrynchotero.

IONISCVS, Ἰωνίσκος, ab Ephesijs appellatur aurata, authore Ephesio apud Athenæum.

IONVS, Ἰωνὶς, piscis quidam, Hesychius & Varinus.

IOPS. Vide in Eritimo.

ISICVM pro pisce Trallianus aliquoties nominat, solus opinor apud Græcos: & imitatus eum inter Latinos Plinius medicus. Si capilli defluant propter raritatem meatuum, & quòd digesto humore consumptoque vnde nutriebantur excremento, contabescant, refrigerantibus & astringentibus auxilijs vti conuenit, & victu minimè acri. Proderunt igitur lactucæ, maluæ, pepones, pisces duriores, & carnes suillę non pingues, maximè bubulę, & pedes bubuli, & isycus, & pectunculi, & buccina, Trallianus 1. 2. Quo in loco Goupylus, pro ἴσυκος (inquit) emendamus ἴσικος, ex Athenæo & Alexandro Aphrodisiensi. Athenæus quidem lib. 9. Dipnosoph. in ventre porcelli miro artificio parati & conditi, cum alia quædam, tum isicia reposita fuisse ait, his verbis: Καὶ τὰ ἐκ σαρκῶν εἰς λεπτὰ κατακνιζόμενα, καὶ μετὰ πεπέρων συμπεπλασμένα. Ἰσίκια γὰρ ὀνομάζειν αἰδοῦμαι τὸν Οὐλπιανὸν, καίπερ αὐτὸν εἰδὼς ἡδέως αὐτοῖς χρώμενον. Apicius Celsus etiam multa quæ ad hanc rem spectant, scribit lib. 2. de opsonijs & condimentis: quo in loco isicia ex piscib. fieri docet, cuius rei auctorem fuisse Heliogabalũ historiæ narrant, Hæc Goupyl.

Athenæus quidem non esse Græcum hoc vocabulum insinuat, ideoque circumscribere maluit, Vlpianum hoc vocabulo vti, cum verecundia miratus. A recentioribus Græcis ἴσικος genere masculino, tribus syllabis scribitur: Latinis neutri generis est, & quatuor syllabarum, isicium. Alex. Aphrodisiensis problematum physicorum 1. 21. ad quæstionem, Cur ægrè id genus edulij concoquitur, quod insitium (ἴσικος) appellatum est? Quoniam (respondet) sua leuitate fluitat in ventriculo per cibi humidi medium, nec eius (*ventriculi*) corpus attingit: quo tactu fieri concoctio potest: sed iuxta gulam redundat: cuius officium cibis non coquendis, sed appetendis delegatum est. Quinetiam foris aquæ iniectum non subsidet, sed innatat. quoniam dum carnes teruntur, (ἐν τῇ τρίψει τῶν κρεῶν,) spiritus admittitur præleuis, qui corpus eleuet, & in humore fluitare aptissimum reddat. Hinc etiam molle laxumque, propter inclusum spiritum, isicium euadat necesse est. Transtulit hunc locum in suas quæstiones Macrobius Saturnaliorum 7. 8. Dicas quæso (inquit) quę causa difficile digestu facit isitium: (quod ab insectione insitium dictum est. amissione enim literæ, postea, quod nunc habet nomen obtinuit,) cum multum in eo digestionem futuram iuuerit tritura tam diligens? &c. In cardialgia conueniunt cibaria quę non facilè corrumpantur, & quæ acrimoniæ ac mordacitati infestantium humorum aduersentur, vt sunt astaci, isici, (ἰσικοί oxytonum, malim proparoxytonum,) pectunculi, buccina, (&c.) Trallianus. Diabete laborantibus conueniunt ex piscibus, isicus, orphus, aut alius quispiam duræ carnis, Idem. Et alibi in curatione doloris oculorum ex bilioso & acri humore: Vescatur æger alimentis mitibus, minimè mordacibus, & incrassantibus, & orpho & alijs piscibus durioribus, glauco, buccinis, ἢ τοῖς ἐξ αὐτῶν ἢ σικῷ. vbi Goupylus legendum censet, ἢ τῷ ἐξ αὐτῶν ἰσίκῳ. Nihil ex eis quod pingue est sumant, vt (*sed*) isicos, pectines & conchylia, Plinius medicus 5. 1.

ISOX. Vide Esox.

ISPIDION. Vide in Equo suprà.

ITELLINÆ. Lege Tellinæ. A.

DE IVLIDE, BELLONIVS.

A PVLCHRIOREM piscem Iulide mare non habet. quamobrem hunc Veneti & Massilienses Donsellam & Domisellam vocant: Genuenses vna Zigurella, hoc est, pullam, nominant. Vulgus Græcum non Iulidem, sed Illecam, vel Iglecquam pronunciat, Rhodium Afdelles. Nonnulli etiam Zillo malunt pronunciare. (*In singularibus obseruationibus Græcis hodie Sgourdelles vocari scribit.*) Vulgaris est admodum pisciculus.

B Et quanquam cum Phycidibus & Iecorinis, quas Lambenas vocant (*alibi Phycidem tantum vulgò Lambenam Venetis vocari docet: Hepatum vero Sachetum, à Rondeletij Hepato diuersum*) magnam habeat similitudinem: vulgus tamen hos pisces ab inuicem peroptimè distinguere nouit. Non vna est Iulidum species. euariant enim colore, sed semper reuertuntur ad suas notas, quibus ab inuicem discernuntur. Iulis vix excedit palmum longitudine. Habet enim corpus gracile & oblongum vt Sphyræna: cuius crassitudo rarò excedit, quantum pollex cum indice capere possit. Tanta est colorum in huius tergore varietas, vt in eo Iridem depictam vtrinque videas. Squamis enim contegitur tenuissimis multorum colorum, super quibus ductæ lineæ rectæ, cæruleæ, virides, melinę, rubrę ac fuscæ apparent. Pinnam in tergore continuam, ac reliquas totius corporis, vt & rotundam caudam, habet, omnes versicolores. Verùm linea quæ vtrinque corpus intercipit, haud recta fertur, sed ad caudam aliquantulum incuruatur. Oculos habet paruos, pupillam nigram, horumque rubentem iridem. Dentes ostendit albos, acutos, aduncos, vt vespertilio, multo plures in inferiore maxilla, quam in superiore: labia quoq; crassa.

F Rarò quidem retibus, calamis & hamo frequentius capitur.

C Singularis inter saxa degit. Quamobrem Galeno & Dioscoridi meritò inter generosos saxatiles, &
E qui mollem ac friabilem habent carnem, annumeratur.

DE EADEM, RONDELETIVS.

Rondeletij figuram non posui, sed nostram eiusdem piscis, elegantiùs expressam. Bellonij pictura oris acumen non satis ostendit: variam vero illam medij corporis lineam, similiter ferè vt nostra, multo clarius quam Rondeletius monstrat.



A Ἰουλὶς à Græcis dicitur, quæ à Gaza Iulia, cuius nominis vice, Græcum retinere maluissem. à Liguribus girello siue girella, à nonnullis donzella. nostris incognita est, quia vix in toto nostro litore reperiatur.

B Piscis est marinus, gregalis, teste Aristot. ex saxatilium genere, autore Galeno lib. 3. de facultatibus alimentorum. Digiti magnitudinem vix superat. varius est: nimirum dorso violaceo. à capite ad caudam subauream lineam ductam habet, hinc & inde rostri modo dentatam, cui pars quæ subest colore est cæruleo, ventre candido flauescente. Squamis tegitur paruis, pinnarum numero, situ, labijs, dentibus, recuruis, cauda, alijs saxatilibus similis. Rostro est acutiore, oculis paruis, rotundis. Podicem habet in medio ferè corpore. internis partibus à saxatilibus alijs non differt, corpore est breuiore strictioreque. Antipoli & in toto Ligustico sinu frequentissimus est pisciculus, & ob paruitatem vilis. *Lib. 9. de hist. animal. cap. 2.*

C Numenius apud Athenæum ἰουλίδα μάργον appellat, id est, voracem, siue edacem. Memorabile est id quod de hoc pisce scribit Ælianus, Iulides pisces saxatiles sunt, quibus os veneno refertum est. Quemcumq; piscem degustarunt, inhabilem ad edendum, perniciosumque ei qui posteà gustauerit, efficiunt. Piscatores cum squillam quam media ex parte iulides exedissent & confecissent, sine vllo precio parabilem offendissent, cumque inopia pressi gustare cœpissent, illorum aluos vehementes cruciatus exceperunt. In piscatu vrinatores & natatores infestissimè persequuntur. ac vt terrenæ muscæ mordicus premunt, similiter iulides frequentes, in eos, quos dixi incurrentes, morsu affligunt, quas repellere necesse habent, aut ab his demorsi cruciabuntur: in quibus repulsandis totus vrinandi & natandi labor perit. Haud dissimilia de eisdem scribit Oppianus. Iulides hominibus saxa rimantibus, (*vrinantibus & spongiatoribus.*) ore venenato infestissimas esse. denso enim agmine saxis erūpunt & circundant, nec morsu petere desistunt, quantumuis illi pedibus manibusque excutere à se conentur: easque muscis comparat, quæ messores fessos & sudore diffluētes cateruatim inuadunt nec nisi sanguine plenæ abigi possunt.

Lib. 2. E G

D. Quod hominem mordicus infestent.

Αἱ δ' ἀπὸ πετράων μάλα μυρίαι ὁρμηθεῖσαι Ἄνδρα περιπτώσσουσι, καὶ ἀθρόαι ἀμφιχέονται:
Καί μιν ὀδοῦσι βλάπτουσι πονεύμενον ἄλλοθεν ἄλλαι Κνίζουσι στομάτεσσιν ἀναιδέες, αὐτὰρ ὁ καί μιν
Ὕδασι καὶ σπογγῆσιν ἰουλίσιν ἀντιβολήσας. Χερσὶ δ' ὅσον σθένος ἐστίν, ἐπειγομένοις τε πόδεσσιν
Σεύει ἀμυνόμενος δηρὸν χρόνον: αἱ δ' ἐφέπονται Ἀστεμφεῖς μυίῃς ἐναλίγκιοι, αἵ ῥά τ' ἐπ' ἔργοις
Ἀνέρας ἀμητῆρας ὀπωρινὸν μογέοντας Πάντοσ', ἀνιηραὶ θέρεος σίχες, ἀμφιπέτονται.

Cùm aliquando Antipoli & sanitatis & voluptatis causa, corpus in aqua marina lauare & pisciculos capere vellem, vidi equidem pisciculos istos non aliter quàm fucos adproperare, & morsu tibias petere, ne calce quidem, etiamsi pars callosa sit & dura, abstinentes. Idem mihi narrarunt, qui in comitatu erant Gulielmi Pelicerij episcopi Monspeliensis, viri in vario doctrinæ genere excellentissimi, cum Niceam nauigaret, ad conuentum trium summorum totius Europæ principum FRANCISCI Gallorum Regis, literarum alumni, Caroli quinti Imperatoris, & PAVLI tertij Pontificis Romani. His adducor, vt credam iulidem veterum eam esse quàm hîc exhibemus.

Cùm Pisis Portius magni nominis philosophus eundem piscem affabrè atque egregiò artificio depictum mihi ostendisset, sciscitatusque essem quem piscem existimaret, ille iulidem respondit: non vt aiebat, veterum scriptorum descriptione aliqua persuasus, sed suspicionibus quibusdam & communi consensu. Sunt enim qui iurelam alij iulam nuncupent, quæ magis ac magis opinionem meam confirmant. A

Huius obiter tantùm meminit Aristoteles, inter gregales recensens. Galenus quarto loco inter saxatiles collocat. Oppianus & Artemidorus in libro de somniorum interpretatione inter varios pisces numerant. Plinius nullam omnino mentionem facit.

Est carne tenera & fragili. (*friabil.*) Sed quæ litorum & portuum saxa frequentat, deterior est: quæ procul inde viuit in saxis, melior. Ius ex ea aluum subducit. Paratur vt reliqui saxatiles, sed meliùs farina conspersa coquitur in sartagine. F

COROLLARIVM.

Cum Venetijs pictum piscem, quem suprà exhibui, Gillio ostendissem, is statim iulidem esse me docuit, idque se omnium primum obseruasse. Ex picturis Gor. Sittardi habeo non forma sed coloribus ab ea quam exhibui nonnihil differentem: quæ & dentes ore aperto ostendit. tincam marinam ab aliquibus vocari adscriptum erat, nimirum quod magna ex parte viridi colore sit iulidis illa species. Sed Itali merulam ac phycidem pisces tincam marinam vocitant, vt scribit Bellonius. Hyccam pro iulide Hermippus Smyrnæus accipit. vide superius in Hycca: & mox in E. Differt ab Iulide iulus piscis: qui balænis oculorum vice fungitur, Musculus aliàs dictus: de quo in Balæna D. diximus, alia quædam in M. elemento additurí. Est & insectum iulus, asellum & multipedam alij vocant. Numenius etiam terræ intestina ἰούλους nominauit. Synesius tamen in epistolis iulos pro nostris iulidibus dixisse videtur: Piscantes (inquit) circa quoddam Africę litus loco petroso, adulti quidem capiebant murænas & locustas grandes: minores verò natu, viles gobios & iulos κωβιοὺς εὐτελεῖς καὶ ἰούλους, ex quibus verbis & vile & paruum esse hunc piscem apparet. Donzellam vel domicellam pisciculum Venetijs dictum, squamis & colorum varietate spectabilem, quo nomine antiquo vocitetur Cælius Calcagninus à Iacobo Zieglero petit vt à Massario inquirat. Piscem alium rubicundū, Donsellæ nomine alicubi (in Italia puto) dictum, descripsi suprà in Corollario de Alpheste. Rondeletio Ophidion Plinij quoque (asellorum generis pisciculus, suprà nobis descriptus) circa Monspelium vulgò Donzelle vocatur. A

Iulis à Græcis hodie nonnullis ζῆλος appellatur, quod nomen fortè per aphæresin à donzella factū est; hoc per syncopen à domicella. Dōzella piscis (vt Sigis. Gelenius ad nos scripsit) Sclauonico more scribitur knezik: nec significatu discrepat ab Italica voce, nisi quod hoc masculinum est, æquè vt illud diminutiuæ formulæ à knez primitiuo. Germanicè diceres *Junckerlin* diminutiuū knezik: (fortè quasi γνήσιος, hoc est, germanè nobilis, quos vulgus Italorū gentilhomines vocat.) Causa nominum vulgariū vna eadēq; apparet, quòd inter pisces videatur cultior, nimirū prasinatus, ceu quispiā aulicus, aut puella aulica.

Alauda

Alauda non cristata (piscis suprà in A. exhibitus) piscatores mordet: vnde iulidem esse aliquando sum suspicatus: sed cum minimè venenatum esse eius morsum comperissem, veramque iulidem tandem cognouissem, vtrunque piscem rectè mihi videor distinxisse, Rondeletius. Doncellæ vel iulidi cognatus videtur piscis, cuius meminit Ouidius, Tum viridis teragus paruo saxatilis ore. Vulgati codices habent, Tum viridis squamis paruo s. o. Sed ita deesset pisci huic nomen suum (nam præcedentes & sequentes versus nullum ei conueniens habent:) & nullus alius piscis ab Ouidio paruus appellatur, in his qui extant versibus, cum alioqui extent omnes qui piscium nomina à Plinio citatorum continent. Citat autem Plinius etiam inter cæteros paruum teragrum. quamobrem pro squamis repono teragus. qui piscis quoniam & saxatilis est, & ore paruo, & colore viridi, iulis vel aliqua potiùs species eius videri potest. Habet ciuis quidam noster pisciculum aridum, Venetijs ad se missum, vndiquaque viridē, iulide breuiorem, sed proportione latiorem, tenuem admodum quod ad crassitiem, ore paruo, dentato per margines. inferior pars oris paulò magis prominet quàm superior. In Italia alicubi vel hunc vel iulidem regis piscem, & regis priapum appellari audio. Quid si hęc decima turdorum species Rondeletij sit? viridis ore paruo, &c. vt neque teragus fortè neque squamis legendum sit apud Ouidium, sed turdus. Effigiem quidem ad sceleton delineare non libuit: quod eadem vel simillima sit, quam pro decima turdorum genere Rondeletius exhibuit.

B Donzellæ nostræ os paruum & oblongum est. Kiranides piscem esse marinum scribit, paruum & varium, facilem inuentu, omnibus notum. Καλιάς, id est varias iulides Oppianus quoque dixit, & alibi σῶμα ποικίλον ἰουλίδος.

C Gregales sunt Aristoteli: & Oppiano. nam in vrinantes (inquit hic) densis agminibus ingruunt: μυρίαι ὁρμηθεῖσαι Ἄνδρα περιπληθέουσι, καὶ ἀθρόαι ἀμφιχέονται. vnde & muscis comparantur: quæ æstate (ἀνιηραὶ θέρεος στίχες), molestus æstiuus exercitus. hyeme enim non comparent) messores vndiq; frequentes molestant. Circa petras muscosas degunt, Idem Oppianus lib. I. Numenius iulidem μάργον, id est voracem cognominat.

D Callidas esse audio: nec mordere hamum, sed escam paulatim prēmordere.

E Hippuris inescantur iuli, (duces balænę intelligo:) iulide verò lolligines, Oppianus. Astutæ creduntur, vt dixi, nec mordere hamum, sed escam paulatim præmordere. Hinc est nimirum quòd Hermippus Smyrnæus iulidem (quam alio nomine Hyccam appellat) captu difficilem esse dixit: ideoque Philetam dixisse: Οὐδ᾽ ὕκκη ἰχθὺς ἔσχατος ἐξέφυγεν, Athenæus: nisi quis propter paruitatem & vilitatem contemptum hunc piscem arbitretur, vt nisi in magna penuria, nulla eius capiendi ratio habita sit. Sed Athenæi sententia in explicando Philetæ dicto magis arridet. Plutarcho etiam iulides verriculis & plagulis capiuntur: nimirum quod hamis non facile decipiantur. Kiranides quidem piscem omnibus notum & inuentu facilem esse ait: quod prædictis non aduersatur.

Iulides quomodo venenatæ.

Cardanus in libris de varietate rerum scribit iulidem, murēnam, & colubrum dentibus venenum F atque saliua continere: & quod vario colore distinctæ sint iulides, (varium autem inquit aliter accipiendum quàm maculosum, qualis in hinnulis & turdis piscibus est,) venenatæ earum siccæq; naturæ indicium facit. Ego venenum in his pisciculis si quod est, perexiguum esse dixerim: idque non ex humore aliquo aut saliua. sed solo morsu prouenire putârim: ita vt morsum eorum molestia potius & dolor breuis temporis, quam aliud veneni periculum consequatur: sicuti ad apum & vesparum puncturas. Gillius quidem ex Æliano non rectè transtulit his piscibus os sceleratissimi veneni refertum esse: cum sceleratissimi vox in Gręco nulla sit, sed simpliciter veneni. Oppianus lib. 2. cum de venenosis morsu piscibus agit: primum scolopendram suo morsu in corpore pruritum, & calidum ruborem tanquam ab vrtica herba excitatum inducere ait. deinde iulides simile illis ore venenum continere ait, molestas infestasque vrinantibus muscarum (& culicum) instar: (quasi non maius etiam quàm illæ venenum relinquant.) postremò polypum & sepiam morsu noxio & venenato esse. Rondeletius morsus & molestias earum in mari se expertum ait, periculi verò non meminit vllius. Donzella Venetijs hodie in cibo vilis habetur. Galeno iulides & phycides & percæ commendantur inter saxatiles post scarum, merulam & turdum. Dorion iulides coqui iubet in muria vel aqua marina, (ἐν ἅλμῃ:) assari autem in sartagine.

G Iulides an venenatæ sint, & quomodo, dictum est in F. Ex iulide pisce priuatim ius fit ad alui subductionem, Dioscorid. Omnium piscium ius aluum emollit. idem & vrinas ciet, è vino maximè. optimū è scorpionibus & iulide, & saxatilibus, nec virus resipientibus, &c. Plinius. Iulis esitata epilepsiam sanat, & illæsum facit, Kiranides.

H. a. *Epitheta.*

Epitheta. Variæ & voraces à Latinis cognominari possunt. nam & Græcè Oppianus βαλιὰς & ποικίλας dixit & Numenius μάργον, his versibus apud Athenæum, Κεῖνο δὲ δὴ σκέπτοιο, τό κεν καὶ ἰουλίδα μάργον Πολλὸν ὑποτρωπῶτο, καὶ ἰοβόρον σκολόπενδραν. descripserat autem, vt conijcimus, pharmacum aliquod his bestijs arcendis potens.

Propria.

Iulis, Ἰουλίς, oppidum fuit insulæ Ceæ vel Co, Simonidis patria. Ἔστ᾽ ἐπεὸν τάδε θῖνας Ἰουλίδας, ὄφρα γένωμαι Σοὶ τὸ περίσκεπτον παίγνιον Ἀρσινόης, Callimachus in Epigrammate in Nautilum piscem. Reliqua propria nomina hominum & locorum, vt sunt, Iulus, Iulius, Iulianus, Iulium, Iuliobona, &c. quid attinet referre.

e. Iulidis dentes gestati dæmonia & phantasmata exagitant frequenter, Kiranides.

g. In iaspide sculpas miluum dilaniantem serpentem: & sub lapide iulidem (piscem) reclude. Hoc in pectore gestatum omnem dolorem stomachi fugabit, & appetitum comedendi & bonam concoctionem præstabit. Habet & alias vires similiter gestatum, Kiranides. Superstitio fortè hinc orta est, quoniam vt miluus auis, sic iulis piscis animalia sunt voracia.

IXYAS, Ἰξύας, piscis quidam est, Hesychius & Varinus.

DE

DE AQVATILIBVS, QVORVM NOMINA L. CONSONANS INCHOAT.

LABRVS Ouidij. Vide in Melanuro A.

LACERTI Aquatici quadrupedes. Vide Salamandræ aquaticæ.

DE LACERTO, BELLONIVS.



Effigies hæc est Trachuri Venetiis olim mihi delineata. Rondeletii icon pinnas duas dorsi contiguas ostendit: & lineam per medium vtrinq. corpus serratam melius exprimit, circulis perexiguis in medio cohærentibus deinceps, eminentibus sursum ac deorsum spinis. A Colias.

GENVENSES quoddam Scombri genus vulgò Lacertum vocant, cuius tergus multò magis, quàm alijs Scombris viret, & venter est variegatus, quem re vera Coliam esse Scōbrini corporis paruitate liquet. Cæterum quod ad Lacertum attinet, ego equidem genus pisciculorum cū Galeno & Philotimo esse censuerim, non autem speciem. Constituit enim ille tertio alimentorum Lacertos inter pisces mediæ carnis inter duram & mollem, aitq; facilè eos in ventriculo confici posse. Fatebor quidem picturam cuiusdā pisciculi ostendisse mihi Romę agenti dominum Amsterdamum. (*Gisbertum Horstium*) cuius caput veluti lacertæ terrestris esset, insignibus dentibus præditum: ex quo contendebat Lacertum piscem vocari debere: Verùm eius quidem generis non est, de quo antiquissimi authores intellexerint. Vnde etiā illud Oppiani: (F)

Atque lacertorum gentes, quæ putrida pascunt
Inter cœnosas voluentes corpora sordes, Saurides, Scepani, &c.

DE LACERTORVM GENERE QVOD *trachurum Græci vocant, Idem.*

A Romanum vulgus non Trachurum, sed Suuarum vocat, quem Veneti vn Suro, Massilienses autem maiorem huius generis piscē Suueram, (vn Suuereau:) minorem verò vn Egau, vel vn Coquin appellant. Genuenses vn Sou vel Surelle nominant. De hoc pisce nusquam dubitatū fuit: quandoquidē vsqueadeò insignib. notis prędit⁹ est, vt facilè vbiq; cognoscatur. Reflexos enim versus caudam quadragenos vtrinque habet vncinos, vnde nomen illi inditum. Trachuris Genuenses vasa viminea implent, quibus (maximè verno ieiunio) Mediolanenses ac Laodicenses, alijque Longobardi, mari remotiores vescūtur: Argentinosque, à colore quem sale conditi præ se ferunt, appellant. Trachuros de genere lacertorum esse confessum est: Scombrosque colore, figura, & sapore referre. (F) B

Branchias vt Harengus & Celerinus duplices vtrinque quaternas, atque in ore crenatas habent. Os vt Scombri admodū grande, in quo dētium loco quædam apparet scabrities: magnos (vt Melanurus) oculos: dorsum ex cyaneo in cerulæum relucens. reliquum corpus quod sine squamis est, argentū tersissimum de coloris principatu prouocare imo etiam superare potest. Vndantes in tergore habent lituras. Mugilē aliquando magnitudine ęquant. Caudam bifurcam & oblongam gerunt: pinnas laterum valde fastigiatas, vtrinq; vnam ad branchias & sub ventre. Ea autem pinna, quæ est vicina ano, duob. aculeis præmunita est. Porrò lineam vtrinq; tabellis asperulam per latera à branchijs ad caudam productā ostendit, quæ etiam illi nomen dedit: vnde illū quadrangularem caudam habere dixeris. Linea hæc vbi caudā pertingere incipit, in arcū reflectitur, quo in loco tabellę multò asperiores apparent. Duas in tergore pinnas habet, spinis non multum rigentibus premunitas: Cor subrubrum, oblongum, & quasi trigonum. Hepatis lobos duos, quorū sinister dextro longior, ex quo fel dependet: vuluā ouis vndecunque refertam: vesiculam ventre turgidā, spinæ incumbentē. Τράχουρον eundem & Σαῦρον, à nōnullis vocari proditū est. Quę A appellationes mihi lacertum quærenti exhibuerunt negotium: nam cum vulgare nomen id significare videatur, facilè credidi, ex Græco Sauro, qui Latinis Lacertus dicitur, vulgus in Italia Surum effecisse. Cū autem Oppianum diuerso carmine Trachurū à Sauro distinxisse animaduerterē, credidi diuersum à Trachuro esse debere. Trachurum Galenus & Aetius ęgrè confici putauerunt, neque enim hoc pisce, F nisi salito, Græci, Itali, atque adeò Galli vescuntur. Gallis nullum peculiare nomen habuit: hi enim cū A Trachurum Scombris esse persimilem animaduertent, (vt Rothomagenses & Parisini,) Spuriū Scombrum nominarunt, Maquereau bastard.

DE EODEM LACERTO SIVE TRACHVRO (SCOMBRIS SIMILI.) RONDELETIVS.

Τράχουρος idem esse creditur qui & σαῦρος: cui opinioni vulgaris appellatio consentit. A ... A

enim saurel (*forma diminutiua videtur à sauro*) vel sieurel dicitur. A Romanis, sauro. Aliquibus nostrum gascon. A Santonibus cicharou. A Gallis maquereau bastard, id est, scombrus spurius. Aristoteles trachuri nusquam meminit: sed σαύρυ tantùm, quem gregalem esse scribit, quod trachuro quoque conuenit. Nam æstate in nostro & Hispanico litore, multi simul magnâ copiâ cum scombris capiuntur. Athenęus diuersis locis de sauro & trachuro loquitur, vt diuersos existimasse videri possit. Oppian. procul dubio diuersos fecit Τραχούρων τ' ἀγέλας. Et paulò pòst σαῦροί τε σκέπανοί τε: illic enim varios & differentes pisces recenset. Siue eundem cum Sauro, siue diuersum trachurum existimes, haud equidem ponam in magno discrimine. nam vtut res habeat, verum trachurum nos certè depingimus.

Lib 9. de hist. anim, cap. 2. *Lib. 2. ἁλιευτικῶν.*

B Piscis est marinus, gregalis, minoribus lacertis seu scombris colore similis, corpore minùs spisso, rotundoque, sed paulum compresso. Squamis caret. In medio corpore lineam habet à capite ad caudã deductam multis officulis ita horridam vt serra esse videatur: non rectam quidem, sed media sui parte inflexam & obliquam, in cauda eminentiorem, asperioremque quàm in alijs partibus, quæque ob id caudam veluti quadratam efficiat. Ab hac caudæ asperitate nomen traxit. Rostro est minus acuto quàm scombrus, oris scissura media, maxillis asperis, oculis magnis & virescentibus. Pinnis quatuor natat, duæ maiores ad branchias sitę sunt, duę aliæ minores in ventre. Alię duæ in dorso eriguntur, prior aculeis membrana connexis constat, posterior mollioribus veluti pilis & longioribus. Postrema est à podice ad caudam continua, duobus statim à podice aculeis nixa. Podex in medio ferè est corpore. Cauda similis caudæ acus vulgaris.

F Trachurus carne est sicca durioreque quam scombri. Rectè igitur, Galeno etiam approbante, Philotimus inter pisces duræ carnis reposuit. Illud non omittendum, vehementer errare eos, qui trachurum eum esse credant, qui etiam trachinus dicatur. Nam trachinum eum esse ex Plinio constat, qui araneus vel draco nominatur.

DE LACERTO VEL SAVRO ACVBVS SIMILI, RONDELETIVS.

A Speusippus apud Athenæum sphyrænam, belonen, saurida similes esse ait. Nos hîc de eo tantùm, qui σαυρὶς vel σαῦρος dicitur, tractabimus. A Gaza lacertus nominatur, à quibusdam ex nostris aiguille, ab alijs becasse.

Libro 7. *Lib. 9. de hist. anim. cap. 2.*

Quærendum an hæc sit acus Bellonij, maximè propter pinnas illas paruas versus caudam, &c. Sed cognatus videtur potius piscis, quam idem. Suum ex Oceano Bellonius habuit, hunc ex Mediterraneo Rondeletius.



B Piscis est marinus, pedis magnitudine, acubus breuior & crassior. Rostro acutiore, sed breuiore & sursum recuruo Huic, loco dentium maxillæ sunt serratæ. Branchiæ quaternæ: quibus, & oculis, & ante hos foraminibus, ventrisque squamis ac lineis, quæ ventrem ferè quadratum efficiunt firmantq;, acubus est similis. Reliqua verò corporis parte à podice ad caudam, caudaque ipsa scombris par, siue partis huius, caudæque figuram, siue eiusdem pinnulas spectes. Ventriculo est oblongo, intestinis gracilibus, longis, in gyrum non conuolutis. Hepate longo, rubescente, in eo fellis vesica est. Fel & splen nigricant.

F Carne pinguiore est quàm acus, nec à scombris differente.

A Quare cum & carnis substantia, & posteriore corporis parte scombris, qui etiam lacerti dicuntur, similis sit, rostro verò & priore corporis parte acubus, existimaui acubus subiungendum esse, & ob similitudinem saûrum nuncupandum.

C Rarus est admodum piscis, & à piscatoribus nostris veluti nouus aliquando ad me delatus.

DE LACERTO PEREGRINO, SEV MARIS RVBRI, RONDELETIVS.



A **Viriditate iucunda coloratus est piscis, quem præfiximus, à quo colore, necnon ab oris totiusque capitis similitudine cum lacerto terrestri, multi (*Dracunculum etiam vulgò Lacertum vocari scribit*) lacertum vocant.**

Piscis

Piscis est cubiti magnitudinem attingens, capite crasso, ore magno & hiante, dentib. acutis munito. B

Sunt qui σαῦρον vel σαυρίδα esse credant, non sine errore: quia, vt anteà docuimus, σαῦρος vel σαυρὶς acui & sphyrænæ similis est, quibus nulla est cum eo de quo nunc loquimur affinitas. A

Alijs placet lacertum esse maris rubri, quem his verbis descripsit Ælianus de piscibus maris rubri loquens. Eiusdem maris lacertus est, cuius magnitudo ei qui nascitur apud nos, æqualis est: sed virgatus spectatur, lineis nimirum aureolis circundatur à branchijs ad caudam pertinentibus, quas media argentea distinguit. Ore est hiante, maxilla inferior eminet in superiorem, virides oculos habet, quos aureo fulgore palpebrę ambiunt. Hæ omnes notæ cũ satis expressæ sint, non dubito quin maris rubri lacertus sit. His accedit aliud quo magis in eadem sententiâ cõfirmor, quod piscem hunc ex eâ regione in qua est mare rubrum, delatum & mihi à viro pereruditо Gulielmo Pelicerio episcopo Monspeliensi dono datum depinximus.

Lacertus maris rubri.

COROLLARIVM I. DE LACERTO LATINORVM *& sauro Græcorum.*

A Lacertus & quadrupes animal est, & piscis: sic & σαῦρος Græcis, vocabulum masculinum penanflexum. Apud Hesychium tamen & Varinum σαῦρα (penanflexum, sed meliùs penacuitur) fœm. genere quadrupes est: σαυρὸς verò masculino (oxytonum: melius penanflexum,) piscis maximus. Nominatur & ab Ephippo, vt Athenæus citat: apud quem semel rectè penanflectitur: ter malè acuitur. Καλαβώτης piscis quidam, & lacertus, Hesychius & Varinus. Alexander Trallianus in curatione podagræ pituitosæ vitare iubet inter cętera cancros, astacos, sepias, smylas, betas, &c. quem locum explicans Iacobus Goupylus: Legimus (inquit) in Grammaticorum commentarijs σμύλλαι: quâ voce significatur piscis σαῦρος. Atqui Hesychio μύλλα non piscis, sed simpliciter σαύρα, exponitur: quod pro quadrupede ouipara potiùs acceperis. adde quòd apud Trallianum per λ. simplex scribitur. Fortè legendum ὀσμύλας, hoc est osmylas pisces polypis cognatos. Alij quidem authores, osmylos vel osmylias (vtrunq; masc. gen.) eos appellant. Videtur ex Plinio lacertus genus esse, (q; species aliquot contineat,) & in his colian esse minimum: Hicesius tamen scombrum colia minorem affirmat, Wottonus. Plura leges suprà in colia. Elacatênes etiam sunt lacertorum genera Plinio: sic enim videtur legendum: (vt suprà in Elacatenis historia notauimus.) Rondeletius quoque elacatênes thunnis & lacertis corporis specie consimiles esse putat. Saurus (inquit Iouius) antiquum nomen adhuc retinet, nec pedis magnitudinem excedit. minores, frictурę nomine veniunt. Sunt enim multa piscium genera, quæ ob paruitatem in sartagine frixoria feruenti oleo coquuntur, sicut triglæ, bocæ, scombri, trachuri, (*dracones vel araneos non rectè trachuros vocat,*) pagri & auratę. ac propterea vno nomine frictura vulgariter appellantur. Scõbrum verò nostri lacertum appellant, qui a Venetis antiquo nomine nuncupatur. Cornelius quoque Celsus eum pro lacerto accipere videtur, ex quo salsamentum fieri ait. Interpres etiã Galeni antiquior, Saurum Lacertum appellauit. Rondeletio σαῦρος & σαυρὶς piscis vnus videtur: Considerandum enim an sauris forma diminutiuã, non alius speciei nomen sit, quàm illius quæ ad acum parte anteriore accedit. Saurida enim, acum & sphyrænam similes esse Speusippus prodidit. Σαῦρος quidem & de hoc ipso & de trachuro tanquam genus prædicari videtur. non tamen ita latè patet apud Græcos hoc vocabulum, vt lacertum Plinius accepisse videtur. Lacerta raro capitur. vagatur enim in alto mari. pellucida est. estur: vulgò racamus dicitur. Lacerta autem vocatur, quod caput eius quandam cum lacerta similitudinem habeat. Dentes omnes habet mobiles. Hæc ex Cor. Sittardi annotationibus: de quo autem pisce loquatur, mihi non liquet. Pancrates Arcas turdum piscem multis nominibus ait vocari, & inter cætera σαῦρον quoque, (σαυρὸν oxytonum habet codex noster,) Athenæus. Lacerta, chromis & aper pisces, grunniunt, Ælianus de animalib. 10. 11. sed pro lacerta, quanquam & Græcè legitur σαύρα librariorum culpa. lyra legendum est, ex Aristotele. Dracunculum piscem Plinij hunc esse puto qui à nostris (inquit Rondeletius) lacert vocatur, quod lacertis terrenis corporis figura similis sit. Historiam eius requires suprà cum Araneo pisce. Stauris vulgò hodie in Græcia alicubi vocatur, & alio nomine Sarachus, Italorum Agonus: alius quàm Sauris. Piscis Iberus, ex quo garum fieri canit Horatius, scomber videtur: aut genus aliquod lacerti, colias nimirum. nam & Athenæus inter colias laudat Amyclanum, vel Hispanum qui Sexitanus dicitur: & Martialis lacerti Saxetani (*forè Sexitani*) meminit. Plura leges in Colia.

Frictura. *Sauris.* *Piscis Iberus.*

C Viuunt lacerti in cœno & paludibus maris, ἐν πηλοῖσι καὶ ἐν πελάγεσσι θαλάσσης, Oppianus. in litoribus cœnosis & in saxorum cauernis, Wottonus.

F *Mox vetus & tenui maior cordyla lacerto, Sed quam cum rutæ frondibus oua tegant,* Martialis. Et alibi: *Secta coronabunt rutatos oua lacertos, Et madidum thynni de sale sumen erit.* Et alibi: *Vel duo frusta rogat cybij, tenuemue lacertum, Nec dignam toto se botryone putat.* Hermolaus citato hoc loco botryonem interpretatur ollares vuas, & condititios racemos. *Cum Saxetani ponatur cauda lacerti, Et bene si cœnas conchis inuncta tibi est: Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos Mittis, habes nec cor Papile, nec genium,* Martialis lib. 7. *In thermis sumit lactucas, oua, lacertum,* Idem Lib. 12. *Alterius conchem, æstiui cum parte lacerti,* (al' æstiuæ lacertæ,) Iuuenalis Sat. 14. Aut Byzantiacos colunt lacertos, Papinius in risu Saturnalitio ad Plotium. Gobiones, fucæ, iulię, percæ, lacerti, &c. atque molles carnes habentium genus vniuersum, faciliùs quàm alij pisces conficiuntur, Philotimus apud Galenum: non quidem μαλακοσάρκοις piscibus lacertos adnumerans puto, sed similiter illis facilè eos concoqui indicans. Galenus indistinctè Philotimum scripsisse ait: & lacertos medios quodammodo esse inter pisces carnis mollis ac duræ. nullus tamen (inquit) memoratorum piscium aceto aut sinapi, aut origano indiget, veluti pingues, lenti ac duri. Pisciũ eorum qui ex media materia sunt, (*hoc est mediocriter alunt,*) quibus maximè vtimur, tamen grauissimi sunt, ex quibus salsamenta quoque fieri possunt, qualis lacertus est, Celsus. Crudos humores generant thynni, lacerti, &c. Psellus Ge. Valla interprete. Patina ex lacertis & cerebellis: Friges

bua

oua dura, cerebella elixas & eneruas, gigeria pullorum coques. hæc omnia diuides præter piscem, cõponesin patina præmista. salsum coctum in medio pones. Teres piper, ligusticum. Suffundes passum vel mulsum, vt dulcis sit. Piperatum mittes in patinam, facies vt ferueat. cum ferbuerit ramo rutæ agitabis, & amylo obligabis, Apicius lib. 4. cap. 2. Et paulo post. Patina de lacertis: Lacertos rades, lauas. oua confringis, & cum lacertis commisces. adijcies liquamen, vinum, oleum. facies vt ferueat. cũ ferbuerit, œnogarum simplex perfundis, piper asperges & inferes. Et libro 10. cap. 9. Ius in lacertos elixos: Piper, ligusticum, cuminum, rutam viridem, cepam: mel, acetum, liquamen, vinum, oleum, defrutum: calefacies, & agitabis rutę furculo, & obligabis amylo. Alexis coquum de sauri apparatu cum altero colloquentem his verbis inducit:

Ἐπίσκεψαι τὸν σαῦρον ὡς δεῖ σκεύασαι; Ἀλλ' οὐ διδάσκεις. Ἔξελων τὰ βραγχία
Πλύνας, ἀφελκύψας πὶς ἀκάνθας πὶς κύκλῳ Παράσχισον χρηστῶς, ἀλφίτου ξας θ' ὅλον
Τῶν σιλφίου, μάσιχον εὖ γε καὶ καλῶς, Τυρῷ τε σαύξον, ὄλσιτ', ἡδὺ θερμανῳ.

Bithynicùm ex alijs piscibus, vt mænis, lycostomis, scombris, tum sauris quoque garum pręparant, vt in Garo recitauimus. Σαῦροι πίονες, Epicharmus in Musis.

G Ad dentium dolorem bene facit muria ex piscibus lacertis veteribus, si quis ea subinde os colluat, Marcellus. Sauri piscis fel illitum mammis lac multum confert, Kiranides.

a. Κάκυγος, ἢ ὀλίγας πεμφηλδω, ἄλλοτε σαῦροι, Numenius. Philologia sauri lacertique nominum, cum Lacerto quadrupede ouipara requiratur.

COROLLARIVM II. DE TRACHVRO PRIVATIM.

A Trachurum Iouius non rectè putauit eum esse piscem, qui vulgò Trachina dicitur. is enim araneus siue draco piscis est, quod ex ipsius Iouij descriptione apparet. Σισηράκῳ, τραχύρῳ, Hesychius & Varinus. *Grossen* in Germaniæ maritimis vocari audio piscem lacerto trachuroue similem, qui hamum ex ore emittat. Ego donec certiùs aliquid cognouero, lacertorum genera Germanicè sic nominabo, plerosque à similitudine quam cum scombro habent, (scombrum autem Germani & Angli vocant *Macrel*, *Macrell*, *Maurell*.) Lacertum simpliciter, *ein Macrellen geschlecht*. Trachurum, (qui scombrum figura, colore & sapore refert: & à Gallis quoque Maquereau bastard dicitur,) *ein Bastard Macrell, oder ein wircher Macrell*. Sauridem, *ein Macqueralsen*, compositio ex duobus piscib. quos refert nomine, scombro inquam & acu. (scio *alsen* à quibusdam Germanis alausam vocari: sed quoniam eadem vox subulam quoq; quæ veluti acus ansata est, significat, accommodare ad hoc nomen libuit, cui componendo cæteræ acus piscis vsitatæ Germanis nomenclaturæ ineptiores sunt.) Coliam Rondeletij, *ein grosse Macrellen art*. Coliam Bellonij, *ein kleine Macrellen art*. Denique lacertum peregrinum, qui toto genere à prædictis differt, *ein Meerhexdox*, *ein Hexdoxfisch aus dem rothen Meer*. Qui lacertum Germanis *Olrupen* (quod mustelæ fluuiatilis genus est) interpretantur, prorsus aberrant.

C Trachurus piscis est gregarius & litoralis, quod ex Oppiano constat: qui τραχύρων ἀγέλας & ὕθνη nominat.

E Ad capiendas thrissas, chalcides larimos, & trachuros, nassam in mari suspende, cui inclusa sit esca, maza videlicet de eruis frictis, & myrrha vino odorato excepta, Oppianus.

F De trachuris tanquam siccioris nutrimenti piscibus mentionem facit Diocles.

G Si postea quam Trachuri caudam abscideris, ipsumque in liberum mare remiseris, eam equæ ventré ferenti appendas, non multò certè post abortum pariet.

a. Ἀκανθίας κυκλάδας τε, καὶ ἀλικοπίλλω τραχύρον, Numenius. sed versum apparet esse corruptum cum alias, tum quòd syllabarum ratio non constet. Oppianus primam in trachuro producit.

LACHIA hodie Romanis dicta, Alausa est. Nec scio an eadem sit lacia, cuius Platina (si bene memini) his verbis meminit: Pisces quos optabis integros, ad focum pones, dempta salpa & lacia, quorum intestinum per branchias euellitur. Sunt & Lecziæ vel Lechiæ vt alij scribunt, pisces lati, glaucorum generis Rondeletio.

Quos vulgus LACTERINOS, (Lattarini vulgò Romæ,) ego Lacteolinos appellauerim à lacte & albido colore, quo etiam translucentem spinam integro & viuo licet cernere: adeò diaphani sunt. Mari & lacubus (*riuorum marinus*) capiuntur. Fricti, moreto viridi aut agresta suffundi debent, Platina. Est autem omnino veterum Ætherina hic piscículus, inter Apuas iam exhibitus.

LAGOIS nominatur ab Horatio 2. Serm. Nec scarus aut poterit peregrina iuuare lagois. Vbi Acron, Aut auis est quæ carnem leporis habere perhibetur: aut genus piscis quòd in mari Italo non inuenitur. Hesychio quidem λαγωΐνη, auis quędam est, eadem fortè aut cognata lagopodi & attageni.

LAMBA; eadem quæ Lamia. Vide in Cane Carcharia.

LAMIÆ historia explicata est in Cane Carcharia. Thannin nomen Hebraicum legitur in Sacris Threnorum 4. vbi interpres vertit Lamiæ.

LAMYRVS. Lege Larimus.

LARIMVS, λάρμος, piscis, nomen dactylicum, legitur apud Oppianum lib. 3. Halieuticorum: qui quomodo capiatur, diximus paulò antè in Corollario de Lacerto E. Idem fortè fuerit qui Plinio Lamyrus nominatur. In Ouidiano carmine corrupto, Fœcundumque genus Menelamirosque, Smarisque: nisi quis Larimum malit ex Oppiano, cuius tamen primam ille producit. Mænas quidem fœcundas esse constat. Apud Varinum λαρμῷ scribitur per ν. λαρμῷ adiectiuum (proparoxytonum: ego oxytonum malim) hominem voracem significat. Γάστριν καλὴν καὶ λάρμυον, ὃς αἰὲν φαγῇ, Ἡμῶν πιτάλων, Antiphanes & Epicrates apud Athenæum lib. 6.

LARVS auis nomen accepit à laris piscículis, quos appetit. ij verò sic appellantur & capiuntur, in lacu quodam, qui Thessalonica distat itinere bidui, Siderocapsa verò dimidij diei, Bellonius.

DE

DE LATO, RONDELETIVS.



10

OB similitudinem à coracino & vmbra latus disiungi non debet, (*nos ordine literarum ita ferente disiun-ximus.*) Λάτος Græcis dicitur, Latino nomine caret. eum esse putamus, quem nonnulli pro vmbrina vendunt. Sunt qui coracinum album esse credant, quorum sententiam nec probo nec improbo. A
20 fit enim perspę vt idem piscis, diuersis in litoribus, diuersis nominibus nuncupetur.

Piscis est marinus, reperitur & in Nilo: coracino & vmbræ similis, verum maior, candidior tum B carne tum squamis. Tuberculo in mento caret, qua nota ab vmbra discernitur. Corpore minus est lato quàm coracinus: squamis obliquè sitis, argenteis. Cauda, pinnis, oculis, naribus, foraminibus ante oculos, branchijs, partibus alijs internis coracinum æmulatur. Dentes euidentes habet, lapides in capite. Frequentissimus est Romæ & in Adriatico mari, apud nos non ita frequens. Vocamus Peis rei, vt in Capite de Vmbra diximus, (*Audio & athenæum Gallj, qua ampuellis Venetijs dicuntur, ab Hispanis sic vocari,*) quod delicatissimus, suauissimusque sit, & dignus Regum mensis. De hoc plura Athenæus, quàm veterum quiuis. Τὸν δὲ λάτον τὸν ἰταλικὸν κράτιστον εἶναι φησιν Ἀρχέστρατος· λέγων κατὰ τοῦτο. Τὸν δὲ λάτον τὸν ἰταλικὸν, τὸν ἐν τῷ πολυδένδρῳ, ὁ σικελικὸς ἔχει πορθμὸς, θαυμαστὸν ἔδεσμα. id est, Archestratus in Italia optimum dicit esse latum, his verbis: *Lib. 7*

Arboribus fœcunda, latum celebrem Italia gignit
Terra sinus Scylleo, gratum & suaue alimentum.

Qui verò (*addit ibidem Athenæus*) in Nilo fluuio sunt lati, inueniuntur tanta magnitudine, vt ducentarum librarum pondus superent. Piscis hic candidissimus est, & quouis modo paratus suauissimus, similis glanidi Istri. Hęc Athenæi verba potissimum me in eam opinionem induxerunt vt credam piscem quem nunc exhibemus, verum esse latum. nam nullibi frequentius vidi, quam in Italia, eo potissimum in loco, qui Schilazo hodie quoque dicitur. Romam quoque aduehuntur quamplurimi ex Caieta, Neapoli, & tota illa extrema Italię ora, quę magna Græcia olim dicta est. Præterea, vt annotauit Athenæus, candidissimus est, & suauissimus. Eum etiam Strabo in piscibus Nili numerat, libro 17. locum
40 protulimus capite de Coracino. *Verum esse latum quem exhibeat.*

Præparatur latus vmbræ vel coracini modo, succi bonitate & suauitate minimè his inferior. F

COROLLARIVM.

Latilus piscis, Λατῖλος, à Tarentino nominatur: Cornarius lamiam vertit, quod non probo. Andreas Lacuna vocem Græcam reliquit. Idemne sit qui Latus piscis, quærendum. De Coracini; glauci Bellonij, lati & vmbræ piscium confusione distinctioneque, & nominibus Germanicis, lege suprà in Corollario ad Chromin Bellonij. Apud Strabonem in codicibus nostris Græcis λάτης habetur, perperam pro λάτος. Latopolites inter Ægypti præfecturas est, Plinius. Latum piscem in Nilo Latopolitani colunt, Strabo lib. 17. A

50 LEBIANVS & LEBIAS. Vide suprà partim in Delcano, partim in Hepato.

LEIES, Λείης. Quære Dœes.

LELEPRIS, idem qui Phycis, Hesychius. Liparis piscis nominatur à Plinio, tanquam à pinguedine dictus: quo tamen in loco aliqui Lelepris legunt, Rondeletius.

LELIGCVS, Λελιγκὸς, piscis quidam, Hesychius & Varinus.

DE LEONE CRVSTACEO.

60 DE Leonibus marinis Hippocrates, Aristoteles verò nullibi pertractat, Massarius. Bellonius Astacum adultum, à Latinis (vt Plinio) elephantum etiam dictũ fuisse putat, eundemque à Græcis Leonem. nam & Ælianus (inquit) eam descriptionem tribuit Leoni, quam Plinius Elephanto, &c. Rondeletius quin idem sit Æliani Leo & Plinij Elephantus non contradicit: Plinij verò Leonem & Elephantum diuersos esse liquidò ostendit. (Iouius quoque Leonem Plinij ab Astaco non separauit.) Leonis autem Rondeletij iconem & historiam dedimus suprà, post Cancros. Hoc in loco, quæ Corollarij vice illic addenda fuerant, ponemus. Marinum Leonem (inquit Ælianus de animalib. 14. 9.) Locustę fermè similem esse scio, præterquam quod tenuior & graciliór apparet, & ex aliqua crustarum suarum parte cæruleus, (*cæruleo colore est & subnigris maculis distinguitur; Gillius.*) Ignauus est, (πονηρὸς.) Forcipes illius maximę Cancrorum forcipibus figura similes sunt. A piscatoribus bene peritis, membranas quasdam habere dicitur appensas ex testis & colligatas, sub quas subiectæ sint molles caruncułæ

& tenerę, quę Leonis adeps appellentur. Is ad hoc ipsum (aiunt) homines adituat, vt squalidam & in-
fuscatam faciem ad nitorem adducat. Cum rosaceo in vnguentum conformatus, formæ pulchritudi-
nem conciliat, & venustum splendorem enitere facit. Id etiam auditione accepi, terrenum Leonem
summè timere marini aspectum, absurdū scilicet ac formidabilem: sed neque odorem eius ferre: item-
que illum ipsum (terrestrem leonem) dicunt marini extritarum crustarum puluerem in aquam infusum
bibentem à ventris morbo liberatum iri. Leonem marinum ideo cancrum (*cammarum legerim. sic enim*
astacum aliqui vocant, quem à Leone, vti Ionius quoque non separant) à vulgaribus dictum puto, quòd Leonis &
colorem, & similitudinem quandam habet. Eius os, id est, foramen quod sub cauda habet, lana occlu-
ditur, & in fumo admodum calido, sine aqua, liquamine vel oleo lentè coquitur. Sunt qui eum carbo-
nibus circumuallent, crebroq; voluant, ne comburatur. Coqui item ex aqua & aceto potest, vt cancros
(ἄστακοι) fluuiales solemus. Plus tamen coctura requirit, quia crassior & durior est, Platina 10. 47.

Astacus.

DE MONSTRO LEONINO,
RONDELETIVS.



MONSTRVM est id, quod hîc exhibemus, & perfectum animal, partibus nullis ad natandum aptis præditum. Quamobrem quum dubitarem extitissetne reuera aliquando monstrum istud marinum, Gisbertus (*Horstius*) Germanus, (qui Romæ medicinam facit, vir proculdubio in rerum cognitione præcellens & minimè vanus,) omni asseueratione affirmauit certò se scire, non diu ante obitū Pontificis Pauli tertij Centucellis captum in medio mari fuisse. Quare ex illius fide quale fuerit hoc monstrum describere non dubitaui. Id, vt referebat, magnitudine & figura leonis erat: quatuor pedes habebat, non mutilatos nec imperfectos, vt vitulus marinus, non membranis medijs iunctos velut fiber & anas, sed perfectos, in vngues & digitos diuisos: caudam longam, tenuem, in pilos desinentem: aures valde patentes, squamas in toto corpore. non diu vixit proprio naturalique loco & alimento destitutum.

*Astaci quadam hinc mō-
strorum visi.*

Hæc quanuis bona fide mihi narrârit Gisbertus medicus, tamen existimo pro pictoris arbitrio quædam detracta, quædam addita fuisse, vt pedes longiores factos fuisse quàm aquatilib. bestijs esse soleant, vel omissam membranam digitos coniungentem, aures patentiores contra aquatilium naturam: squamas præter veritatem additas pro cute aspera & rugosa, quali cute pedes & alæ testudinum marinarum conteguntur. neque enim squamas habent quæ pulmonibus spirant, & ossib. sustinentur. Non solum in hoc, sed in alijs monstris & beluis marinis pictores multa pro arbitrio appinxerunt, vt intueri licet in tabulis illis regionum pictis, quas chartas septentrionales appellant. In quib. & Munsteri cosmographia, balenæ pictæ sunt cum fistulis duabus prominentibus, cum fistulam vnicam habeant, id est foramen in fronte in asperam arteriam desinens. Item cum branchiarum scissura, cum pedibus, vnguibus, squamis: quib. omnibus certissimum est balænas carere. Præterea ex testudine marina finxerunt monstrum à quo vitulus marinus auriculas habens præter veritatem, deuoratur. Nec minùs absurdè orcam pinxerunt, quæ balænam persequitur, & naues euertit. Absurdissimè verò physeterem forma equi cum patulis naribus & fistulis duabus prominentibus, cum auriculis asininis, cum lingua longissima & prominente. Nec minus monstrosam finxerunt Scolopendram cetaceam quadrato capite, promissa barba. Non minore errore porcum marinum repræsentarunt, & orcæ speciem quādam cui à celeritate nomen posuerunt, & vaccam marinam, & monstrum aliud rhinoceroti simile.

*Cancri pictu-
ra Olai Ma-
gni vitiosa
quædam in-
ter Cete dele-
xam.*

Hæc sibi in chorographia illa septentrionali permiserunt pictores, quæ tamen vera nonnulla continet, vt astacum marinum, onocrotalum satis rectè expressum, & terrestria aliquot.

COROLLARIVM DE LEONE MONSTRO, ET BELVA marina huius nominis apud veteres.

Ad Castrum oppidum in mari Tyrrheno captus piscis est, leonis forma, anno supra millesimum ducentesimū quarto & octuagesimo, (*alias anno 1274. at 1295. mense Februario, Seb. Franc. 1. ego Martinum IIII. pontificem, ad quem allatus est, electum inuento anno domini 1281. & quinto deinde anno successisse et Honorium V.*) clamorem hominis vlulatui similem edidit, & cū admiratione in vrbem missus est spectaculi causa ad Martinum IIII. Romanum pontificem, Innominatus: & Philippus Forestus lib. 13. Chronicorum.

Leo

Leo κρυβεις, id est terribilis, ab Oppiano lib. 1. Halieut. inter cete numeratur, ex quo & Ælianus & Suidas repetiêre. In mari circa Taprobanen insulam Cete quædam habere ferunt capita pantherarum, leonum, & arietum, Ælianus 16. 18.

LEPIDOTVS & Oxyrynchus à Strabone inter pisces Nili, tanquam maximè noti, numerantur. Lepidotum appellabant etiam πλατὺ ταριχῶν, vt Plato comicus: Καὶ ταριχῶν ἅμα πλατὺ ταριχῶν ἐπεῖτ' ἀμύλευτοι οἰκέται. Aristophanes verò, Τὸν σκιτέρδιον λοπτοπίλαι χρὴ, καὶ καταπλυῦαι, καὶ κατεκπλυῦαι, καὶ ἀξαπλυῦαι, Pollux 6. 9. Verbum λοπτοπίλαι euellere significat, vt & πίλειν verbum primitiuum, vnde nomen πλατὺς fit, quod est vulsile, oxytonum: vt fortassis salsamentum πλατὺν, id est vulsile nominandum sit: cuius fibræ exiccatæ euelli queant: vel quod diuelli soleat antequam coquatur. Quidam apud Antiphanem recitante Athenæo: Emi, inquit, Τίλιπον (fortè πίλατον vel πλατὺν) μέγαθος ἄξιον δραχμῆς, δυοῖν Ὀβολοῖν, ὃν ἐγὼ αὐτὸς καταφάγοιμ' ἂν ἡμερῶν τριῶν Ἢ δὴ κατεσθίοντες, ἃ δώδεκά γ'. ὑπὲρ Μεγεθῶς γάρ ἐστι. Τίλιπον, εἶδος ταριχίου, Hesychius & Varinus.

DE LEPRADE VEL PSORO,
BELLONIVS.

Ψώρᾳ καὶ Λεπρὰς Græcis, Lelepris Latinis: Vieille Gallis: Poulle de mer, Armoricis: alijs Rosse.



SAXATILES quidam pisces ab Oceano in mediterraneis deferri solent, Leprades, Mærulæ, Turdi, Phycides, & id genus cæteri: quibus varia (ob antiquæ vocis defectum) nomina imponere solent: alij enim des Rosses: alij (vt Amorici) Gallinas marinas vocant. A

Nihil istius piscis colorum varietate pulchrius. Vix autem palmo longior in mari Adriatico excrescere solet, cum pedem & amplius in Oceano excedere comperiatur. Proinde Lepradi nomen è reipsa probè inditum est, quod eadem sugillationes habeat, quæ in psora vel lepra laborantibus visuntur: quamobrem Numenius etiam Ψόρον appellauit. Caudam & pinnas, quas vtrinque ad branchias & sub ventre habet, eodem modo rotundas esse videmus. Continuam tergoris pinnam gerit, sed decim aculeis munitam, atque aliam sub ventre ano vicinam. Multiplici colorum respersu distinctus est: omnesque pinnas transparentes habet, leues, molles luteo: rubro, cæruleo, viridi, & alijs coloribus maculatas: totum deniq; corpus tam exactè polymitum, vt maculas nunc cancellatas, nunc rectas, nunc in obliquum sparsas, in ipso pisce comperias: quanquam omnes ferè squamas, ad oram rubore suffusas habeat. Cæterum os habet paruum, dentes albos, acutos, Cynędo breuiores & obtusiores: maxillam superiorem tubi in modum cranio infarctam, vt penè duo labia carnosa esse credas. Squamas exerit latas: linguam albam, pene solutam. Spinea pinnula exterior branchiarum carnosa est. Linea quæ piscibus vtrinque latera diuidit, nequaquam in hoc pisce recta procedit, sed à superiori branchiæ angulo arcuata secundum tergus deducta est: mox vbi tergoris pinna desinit, illuc quidem linea reflectitur, & quidem arcuatur: deinde recta per mediam caudam defertur. Caput ipsum non ita multis coloribus cancellatum est, sed lineas hinc inde diductas, ex cæruleo, viridi ac rubro mixtas ostendit. Oculos habet paruos, rotundos, quorum pupilla nigra est: iris verò aëri similis, quem si quando in girū contorqueat, cyaneū, deinde aureum, postremò argenteum circulum in crystallini coloris fulgorem referre conspicies. Quod autem ad internas eius partes attinet, peritonæum illi conspicies esse album: Cor exactè triquetrum: Hepar ex pallido lacteum, ad sinistram magis protensum, tribus constitutum lobis, sed vno tantum longo & duobus breuibus, multis venulis rubicundis circunductum: Lienem planum, oblongum, minoris digiti magnitudine rubrum: fellis autem vesicula duos digitos longa est. Ventriculus omnium ferè eius intestinorum eadem capacitas, vt propriè in eo stomachus videri non possit. semel tantùm à stomacho ad anum reuoluuntur, multisque obducuntur omentis, ac multa pinguedine perfunduntur. Lactes habet copiosas. vuluam vtrinque bicornem. B

Eius est naturæ Lelepris, vt etiam omnes saxatiles deuoret, nihilque in stomacum demittat, quod non antè optimè dentibus attriuerit. C

COROLLARIVM.

Icon hæc piscis est qui Venetijs Marzapan vocatur: quam apud me visam Bellon. eandem suæ lepradi esse asseruit.
Cognatus huic mihi videtur scarus varius Rond. letij, quem Belloni simpliciter nominat,
sed differt dentibus, quos planos (suprà) habet scarus, & in Oceano non capitur: cum hic quo de agimus, & medite rarei & Oceani pisces sit.

Melanderini mentionem Athenæus duntaxat fecit: qui significare videtur Melanderinum à Speusippo ψώρεον, à Numenio ψόρον appellatum: quod si ita res habeat, vtrobique mendum esse suspicor, atq; in priore loco (legendum) ψωρεόν, id est, ψωρικὸν & turpem: in altero ψόρ. id est, nigrum & squalidum, Rondeletius. Ego circa nomina non facile quicquam mutauerim. Ψωρὸς adiectiuum est: nec solent adiectiua nomina pro substantiuis piscium vsurpari, præter pauca admodum, eaque mutato accentu, vt



γλαῦκος, λεῦκος. Hesychius ψοθὸν, interpretatur nigrum, & ψοθίον fuliginosum: vt coloris ratione coniecerit Rondeletius, si idem piscis sit melanderinus qui psorus, psothum potiùs appellandum esse, præsertim cùm melanuro similis sit, qui & ipse à nigredine denominatur. quæ coniectura si nos mouet, nō magis ψόθον quàm ψόλον, à fuligine, (vsitatiore ni fallor vocabulo,) nominandum aliquis diuinauerit. Sed verba Athenæi quoniam ambigua sunt, vt in nostris codicibus habentur, recitabo. Μελανδέρινος. ὅμοιον εἶναι τῷ μελανούρῳ φησί. Σπεύσιππος ἐν δευτέρῳ ὁμοίων, τὸν καλούμενον ψύγρον, ὃν Νουμήνιος καλεῖ ψόρον, οὕτως. Ἢ ψόρον, ἢ σάλπας, ἢ αἰγιαλῆα δράκοντα. Ego in præsentia nomē μελανδέρινος hoc in loco abundare puto, vt præcedentia sequentib. respondeant: neq; piscis nomen ponatur, nullo cuiusquam authoris testimonio adhibito, quod alibi nusquam negligit Athenæus. Ergo cum de Melanuro proximè dixisset, psygrum melanuro similem esse subiungit, authore Speusippo: atque eundem à Numenio psorum appellari. Vt autem & constructionis verborum & sententiæ integritas magis constet, sic legerim: ὅμοιον δ' εἶναι τῷ μελανούρῳ φησὶ Σπεύσιππος ἐν δευτέρῳ ὁμοίων τὸν καλούμενον ψύγρον, &c. Melanderini vox alijs scriptoribus inusitata, adscripta fortè ad marginem fuit, & in textum ab aliquo ascita. aut si ad contextum pertinet, locus fuerit mutilus. Natalis de Comitibus locum hunc Athenęi sic transtulit: Tum melanderinum similem esse ait melanuro Speusippus secundo similium, purum (*psygrum.*) dictum: quem sic Numenius psorum vocat: Aut psoron, aut salpā, vel littoreum inde draconem. Melandrys quidem piscis est alius, nempe thunnus magnus, aut ei similis. melandryū verò aut melandrya tomus ac salsamentum ex eo, vt in Elacatene diximus. Hæc Hactenus. Iam quod Bellonius exhibitum à se piscem psorum & lepradem Græcorū esse putat. & leleprin Latinorū, multifariam lapsus videtur. Primum leuis est coniectura, eaque solo ex nomine, psorum piscē iccirco esse putantis, quod eædem in eo suggillationes, quales in psora vel lepra laborantibus visantur. atqui psora vel lepra affectus est turpissimus, & fœda cutis asperaque facies: huius verò piscis colorum varietate (vt Bellonius ipse refert) nihil pulchrius. Hoc etiam non animaduertit huius piscis nomen per o. breue scribi, psoram cutis vitium per ω. longum. quanquam ψωροπέταλοι pisces sunt viles apud Hesychium. Deinde lepradem piscē cum nullus, quod ego sciam, authorum dixerit, non debuit nobis tanquam vsitatum veterib. Græcis nomen proponere: neque Lelepris, quod Græcum est, Latinum facere: neque eundem cum psoro piscem, est enim λελεπρίς, Hesychio teste, non alius quā phycis. Vide Lelepris superiùs. Quod ad Gallica nomina, Vieille inquit à Gallis nominari, nempe Lutetię, quod addit in Gallico suo de piscibus libro. At Rondeletius turdum suum à Gallis vielle vocari author est, in primo turdorū genere: & rursus similiter duodecimū atq; vltimum. Videtur autem mihi hic quoque piscis turdis cognatus esse, tum specie corporis, tum colorum varietate insigni, primo præsertim generi quod Rondeletius ponit. Alterum nomen Gallicum Rosse, à colore rubicundo factum opinor. nam & alius quidā fluuiatilis (aut lacustris piscis) Rose vocatur Gallicè, à rubore caudæ: vt in Phoxinis memorat Rondeletius. Piscis, quem exhibui, Venetijs Marzapan vocatur, nimirum quod ęque in delicijs appetatur, ac Martius panis vulgò dictus, qui cum amygdalis, sacchаro, aqua rosacea, &c. parari solet. Pictura quam habeo quatuordecim ferè digitorū est. quanquam Bel. in Adriatico vix palmo (dodrante) lōgiores excrescere scribit. Pinna dorsi non sedecim tantum, vt Bellon. scribit, (quanuis ab illo quoq; exhibita figura plures ostendat,) sed pluribus aculeis munitur. Colorib. omnino multis & variè distinctis ornatur, sed plurimū rubri habet: maculas rotundas plerasq; cæruleas præsertim superiori corporis parte, quæ dorsū versus est: inferiore albicantes. Attagenus apud Athenæum piscis est, qui nomine scepinus dicitur à Dorione: cui fortè à maculis aut punctis, quib. similiter vt auis attagen distinguatur, nomen impositum fuerit: aut quòd inter pisces

Lepras. Lelepris.

ferè

ferè lautissimus sit, vt attagen inter aues. hic an sit quem exhibemus, cōsiderandum. Scepani tamen (per a. non per i. in medio) Oppiano pascuntur in cœno & paludibus maris: hic de quo agimus saxatilis est. Germanicè vocari poterit, *Ein roter Punterfisch, ein roter Krametfisch*: hoc est Turdi genus rubicundum.

LEPTINVS. Vide in Delcano.

DE LEPORE MARINO, RONDELETIVS.



LEPVS marinus hactenus à paucis cognitus fuit, tum ob raritatem, tum ob variam à veteribus traditam eius descriptionem. Fuerunt etiam qui quæ legendo vel percontando, non oculata fide didicerant, de lepore marino literis mandarunt. Plinius offam informem vocat. Aelianus cochleæ exenteratæ similem facit; Dioscorides loligini paruæ. Sunt qui (*vt Albertus*) gronaut vulgo dictum leporem marinum esse putent, (*Germani vulgo genus orbis mar. vocant Seehasß:*) piscatores nostri eum qui φωλὶς à nobis existimatur leporis nomine vendunt, alii liparim esse credunt. Quæ omnia vnica ratione falsa esse conuincuntur. nam modo nominati pisces frequentissimè mensis apponuntur, iisque sine vllo periculo vesci omnibus licet: cùm veterum omnium testimonio lepus marinus maximè sit venenatus, & eo magis cognoscendus, non solum vt à mensis omnino reiiciatur, sed etiam ne vel odoratu vel diutino eius intuitu lædamur: verùm ad alia quæ præstat remedia vtamur, vel noxæ ab eo fortè contractæ antipharmacis occurramus.

A Varia circa leporis mar. formam sententia.

Lib. 9. cap. 48.

Lib. 2. cap. 20.

Lepus igitur marinus à Latinis dicitur Græcorum imitatione, qui λαγωὸν θαλάσσιον vocant, nostri imbriago, (*vt mullum imberbem quoq;, ab insigni rubore.*) A

Piscis est ex mollium genere in mari nascens, atque in stagnis præsertim cœnosis: substantia loligini similis est, autore Dioscoride. *Vbi.*

Aelianus cochleæ testa exemptæ aptissimè comparat. ei enim perquàm similis est. Plinius offam informem id est, massam carneam potius quam piscem vocat. neque enim oculos, neque pinnas neque alia membra aptè distincta in hoc videas, quemadmodum in aliis piscibus, ob id substantia siue carne loligini, non corporis specie, assimilauit Dioscorides. Quum viuit, colore est ex rubro nigricante, vnde nostri imbriago, id est ebrios vocauerunt, quod ebriosi eo colore esse soleant: mortuus, ex fusco albicat. Sed cum hoc sit colore, quomodo ab eo nomen illi positum est? nam vt scribit Plinius, colore tantum lepori terrestri similis est. Veteres colorem leporinum ἐπίπερκνον vocabāt, quod sit percnę (ea est oliuę non acerbæ, nec omnino nigrescentis species) similis. ab eo igitur colore lepus marinus dictus. B *Color.*

Huius genera aliquot reperimus: quæ causa esse potuit cur diuersæ ab autoribus traditæ sint eius descriptiones. Primum genus quod hic exhibemus maximè letale est, ex mollium genere, cochleæ exenteratę valde simile, maximè posteriore corporis parte. Os habet in dorso veluti sepia, tenue, volutæ instar contortum, qua parte ad caudam spectat. in lateribus sepiarum modo pinnas habet alueum ambientes, replicatas. mox cornicula duo carnosa, qualia sunt in cochleis. altera tantum capitis parte zygænæ caput imitatur: altera parte foramen est, per quod carnosam quandam substantiam exerit, vt in pictura vides: eandem pro arbitrio retrahit. In harum duarum partium medio rima est pro ore. Atramento, & reliquis partibus internis loliginem refert. Id in hac leporis specie mirandum, quod cum in omnibus animantibus partes sinistræ dextris similes sint, in hoc valde sint dissimiles, vnde offa informis meritò dicitur. O dore est pisculento tetroque. *Leporis mar. genera aliquot. Primum genus.*

Vescitur limo, aqua, sordibusque: ob eam causam in stagnis marinis lutulentis libens versatur. C

Venenatum esse piscem ex Nicandro, Dioscoride, Galeno, Paulo Aegineta, Aetio, Plinio (libro 32. cap. 1.) didicimus. Plinius: Non sunt minus mira quæ de lepore marino traduntur. Venenum est aliis in potu, aut in cibo datus, aliis etiam visus. siquidem grauidæ si omnino aspexerint, fœminam ex eo genere duntaxat, statim nausea & redundatione stomachi vitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio est mas, ob id induratus sale, vt in brachialibus habeant. Eadem res in mari & tactu quidem nocet. Vescitur eo vnum tantum animalium, vt non intereat, mullus piscis: & tenerescit tantum, & ingratior viliorque fit. Homines quibus in pastu est, piscem olent. hoc primo argumento veneficium id deprehenditur. Cætero moriuntur totidem diebus quot vixerit lepus. incertique temporis veneficium id esse author est Licinius Macer. In India affirmant non capi viuentem, inuicemque ibi hominem pro veneno esse, ac vel digito omnino in mari tactum mori. esse autem ampliorem multo; sicut reliqua animalia. Iuba in his voluminibus quæ scripsit ad C. Cæsarem Augusti filium de Arabia, tradit lepores marinos (*Nostra aditio Frobeniana, habet, tradit mitulos ternas heminas capere; quod placet: loquitur enim de capacitate testæ tanquam vasis*) ternas heminas capere: sic enim legendum non vitulos marinos; vt habent vulgata exemplaria, qui longe plures heminas capere possunt. Sunt enim valde magni, maximè in India, vbi omnia maiora sunt. Mirum verò leporem marinum modicæ magnitudinis ternas heminas in India capere. G *De Veneno ex lepore mar. Plinius.* *(B. Magnitudo.)*

Dioscorides lib. 6. cap. 30. veneni eiusdem indicia, symptomataque sic docet. Qui leporem marinum biberunt, piscium virus olent. (παρακολουθεῖ γεῦσις ὁμοία ἰχθύσι βρωμώδεσιν, *id est, pisculentus quidam & virosus in ore sapor ab eis percipitur.*) procedente tempore aluus dolore afficitur, & vrina sistitur: & si quādo eam reddere contingat purpureum colorem refert. Omne piscis genus auersantur, & odio habent. fœtido ac graui sudore manant: bilosus vomitus interdū sanguini promiscuus subsequitur. Eadem Aetius lib. 13. cap. 53. & paulò apertius. Lepus marinus (inquit) reperitur ferè inter loligines, animal paruum, virosum odorem habens. Comitatur autē eos qui in corpus eum ingesserūt, sapor in ore similis piscibus, virosus: *Dioscorid.* *Aetius.*

paulò pôst aluum dolét: & color corporis ad arquati similitudinem permutatur, deinde plumbeus redditur, cum faciei tumore. Incenduntur autem pedum plantæ, (---ἄλλοτε ῥινὸς Ἄκρον ἐπιδαίνον σφυρῶν πίμπραται, Nicander. vbi verbum πίμπραται forsan simpliciter turgere & plenitudine extendi significat, non incendi.) & pudendum tumefactum cohibet vrinę effusionem. Progrediente verò malo etiam cærulei coloris lotium (οὖρον θαλάσσινον, *violaciam vrinam, Auicennæ interpres*) emingunt, quandoque etiam sanguinolentum: deinde nauseabundi facti biliosa vomunt sanguine permista, & piscium loturam olentia. Exudant item graueolentia, & omne piscis genus auersantur præter cancrum. Idem tradit Paulus Aegineta lib. 5. Leporis marini venenum epotum sequitur gustus piscem redolens, virosus, (*& reliqua, vt Dioscorides: nisi quod locus postremus in Aegineta codice mutilatus videtur.*)

Aegineta.

Leporis mar. veneno nõ vlcerari pulmonem, contra Galenum.

Hæc ideo ex variis autoribus fusius à me citata fuerunt, vt diligentius expendatur Galeni locus de lepore marino ex libro de Theriaca ad Pisonem: Quædam (inquit) inueniuntur quæ corporis partes quasdam peculiariter lædũt. lepus enim marinus pulmonem vlcerat. Et lib. 1. de medicamentorum compositione κατὰ γένη statim initio sophistis eos cauillantibus qui de medicamentis scripserunt, quæ certas corporis partes vel lædunt, vel iuuant, respondet: At hoc cauillum inquit, eos qui ita iocantur arguit facultatis medicamentorum adeo esse imperitos, vt pulmonem solum ex omnibus corporis partibus à lepore marino exulcerari ignorent. Quod quidem vt verissimè à Galeno scriptum est, medicamenta esse quæ certis corporis partibus vel prosint vel obsint, idque quotidiana experientia cognitum nobis sit: non ita veritati consentaneum esse puto solum pulmonem à lepore marino lædi. Nam Paulus Aegineta, Aetius, qui omnia ferè sua ex Galeno transtulerunt, veneni huius grauia ac sæua symptomata variis in partibus tradiderunt, de peculiari pulmonis solius affectu ne verbum quidem. Dioscorides & Plinius quanta sit eiusdem veneni pernicies satis fusè declarant, at de solius pulmonis noxa mentionem nullam fecerunt. Neque solum sententiis omnium qui de lepore marino scripserunt, sed etiam experientiæ aduersatur Galenus, quam paulò pôst fusius enarrabo. Nicander piscis istius venenum non omisit, cuius versus eleganter vertit Ioannes Gorræus medicus:

Nicander.

Disce venenatos leporis cognoscere potus   *Pestiferi, medÿs peperit quem fluctibus æquor,*
Virosisquamas & purgamenta marini   *Piscis olet, &c.*

Is interpres sententiam Galeni huc quantum potest accommodat, maximè quum dicit Nicander carnes tabescere sensim, & paulò pôst:

Vndique malas,   *Ceu flos exoriens, tumidas rubor occupat ambas.*

Corpus, inquit interpres in Annotationibus, nutriri desinit, vel quod corruptos à lepore humores non possit sibi assimilare, vel propterea quod pulmones malo quodam leporini veneni occulto tandem exulcerentur, vnde febris & tabes fiunt: quod quidem vlcerati pulmonis malum Nicander apertè indicauit, scribens genas rubescere, & velut roseo colore pictas videri genas. hoc enim fit humorum in pulmonibus putrescentium calore in faciem sublato. At hæc multorum aliorum morborum & symptomatum communis est nota, neque necessario ex febre & tabe pulmonum exulcerato concluditur. potest enim vel ob erysipelatis, vel ob alicuius interioris partis, vt cordis aut hepatis inflammationem rubor in facie apparere, & tabes vitiatam nutritionem & assimilationem sequitur. Denique malarum rubor peripneumoniæ nota est propria atque certa, non vlceris pulmonum, nisi vlcus cum inflammatione coniunctum sit. Quare Nicander ex his quæ de veneni vi tradit, effici non vult pulmones solos à lepore exulcerari.

Remedia contra sumpti leporis mar. venenum.

Sed hæc de veneno satis: de antipharmacis nunc dicendum. Ea ferè omnia paucis complexus est Dioscorides lib. 6. cap. 30. His, inquit, qui leporem marinum biberunt, dandum lac asininum, vel passum continuè, aut radicis maluæ foliorumque decoctum, aut trita cyclamini radix cum vino, aut veratri nigri, aut scammonii succi drachma cum aqua mulsa, punicique mali acinis. Cedria contrita cum vino efficax est. Anserinus sanguis, vt tepebit potus. Sed cum pisces omnes respuant, aspernenturque, solis fluuiatilibus cancris vesci possunt, bibuntque eos admisto vino, adiutique ab his percoquunt. Quumque appetere & comesse pisces cœperunt, suæ salutis indicium habent. Eadem ex Dioscoride mutuati sunt, qui de veneni huius remediis scripserunt.

Remedia ex lepore mar. Lib. 2. cap. 8.

Age iam, si qua sint piscis istius commoda, inquiramus. Dioscorides: Lepus marinus per se tritus, aut cum vrtica marina illitus, capillos euellit. Plinius aduersus strumas valere scripsit: Pungi (inquit) piscis eius qui rana in mari appellatur ossiculo de cauda, ita vt non vulneret, prodest. Idem faciendum quotidiè donec percurentur. Eadem vis est pastinacæ radio & lepori marino imposito, ita vt celeriter remoueatur. Idem tradit leporis marini sanguinem, vel fel, vel oleum in quo lepus necatus fuerit, psilothrum esse.

Verum se leporem mar. veterũ exhibere.

A Superest vt ostendam veterum leporem mar. esse, de quo nunc agimus. Sunt enim qui aliter existimauerunt, in quibus est Latinus Nicandri interpres: Lepus marinus, inquit, ex lacertorum genere est, (*apud Lonicerum, qui Nicandrum Latinè reddidit prosa, & scholia adiecit, hoc non inuenio:*) paruæq; loligini similis, informis magis offa quam piscis, solo colore leporem refert. Quod si ex genere lacertorum sit, quomodo paruæ loligini similis esse potest, quæ corporis figura, substantia, toto denique genere à lacertis differt? Nam hi sanguine præditi sunt, læues, corporis partibus distinctis: lepus verò ex mollium genere & ἀναίμων, informis: qui cum loliginibus capitur, in cœnoso stagno degit, stomachum dissoluit, abortus facit, ventrem sæuis doloribus torquet: denique nisi succurratur mortem affert, quæ omnia quomodo à me experientia comperta sint, verissimè exponam.

De lepore marino sibi allato, cuius odor tantum nauseam mouebat.

Cum ego piscium naturæ varietatisq; cognoscendæ studiosissimus piscatorium forum frequentissimè inuiserem, cumque piscatores proposito præmio allecti, certatim si quid rari aut noui in mari caperent, vel in litus eiectum reperirent, ad me deferrent: ecce piscator leporem marinum cum aphyis & loliginibus in faucibus Malgurianis captum, nunquam à se alias antè visum aspectu fœdo, odore tetro, betæ foliis inuolutum mihi offert. quem cum diligentius contemplarer, mihi multisque, qui vna mecũ erant, nauseam mouit. Sed ne hac quidem à piscis inspectione reuocatus, dissecabam, partesque omnes internas sedulò rimabar: quum interuenit mulier quædam de mariti morbo me cõsultura. cui quum ad dissectio-

dissectionem attentior statim non responderem, odor piscisq; conspectus vomitum dissolutionemque ventriculi protinus creauit, & de ventris dolore (erat autem grauida) grauiter queri cœpit, vt iam abortus timendus foret: quem adstringentibus emplastris ad retinendum fœtum ventri lumbisque admotis prohibui, & vt aliquot dies cancris vesceretur consului. Permulti sunt huiusce rei locupletissimi testes viri boni & studiosi, qui ea quæ dixi symptomata, & in se, & in grauida muliere experti sunt. & viderunt: vt omnino ex his, quæ de lepore marino veterum literis prodita sunt, huic nostro competere experientia docuerit, à qua ita sum confirmatus, vt ab ea sententia deduci nunquam possim vel debeam.

Alius ei allatus.

Post menses aliquot alius ad me delatus est, sed lingua illa carnosa, de qua initio locuti sumus, carebat: os in dorso nullum erat: cæteris omnibus partibus internis & externis omnino similis. Hũc, de quo nunc loquor, marem esse iudico, alterum fœminam, quod in ea simile quid polyporum ouis repererim. Esse autem in hoc genere marem & fœminam testis est Plinius. Grauidæ, inquit, si omnino aspexerint fœminam ex eo genere duntaxat, statim nausea & redũdatione stomachi vitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio est mas, ob id induratus sale, vt in brachialibus habeant.

Lib. 32. cap. 1.

Alius lepus Aeliani terrestri similis. lib. 16. cap. 19.

Aelianus aliam leporis marini speciem adfert, quam etsi nunquam viderim, nec eius εἰκόνα proferam, tamen eius verba subiungam: quoniam in leporum marinorum tractationem incidimus, vt si quis fortè in hunc inciderit ex descriptione possit agnoscere. Magni maris lepus, inquit (nam alterum, qui in alio (*mediterraneo*) mari nascitur, antè dixi) ex omni parte ad terreni similitudinem accedit, præter pilos. nam terrestris pili & molles sunt, & ad tactum haudquaquam resistentes. contra illius spinosi & erecti. huc qui contigerit, lædetur. Ipsum in summa aqua maris natare, non in altitudinem demergi dicunt. Celeri ac concitata natatione vti. Viuum ego difficillimum ad capiendum esse, quod neque in rete incidit, neque ad lineæ escam accedit. Quum ægritudine afficitur, natare nequit, simul & funditus expellitur atque eiicitur. Quisquis tum manum ad eum admouet, nisi medicina adhibeatur, perit. ac si bacillo eum tetigerit, hoc idem periculum ei procreatur, quo basiliscus baculo tactus afficit. *Quæ sequuntur omnia, ex Græco Aeliani nostri codice adiecimus.* Radicem ad idem mare in insula quadam nasci ferunt, haudquaquam in vulgus ignotam, quæ animi defectionibus illius qui sic affectus fuerit, medetur. Ea enim animo deficientis naribus admota, facit vt is reuiuiscat & recreetur. Sin negligitur, tum sanè valida pernicie hic lepus præditus est, vt ad mortem vsque homini morbus procedat. Hæc Aelianus. Idem fortassis fuerit, eiusdem certè naturæ ac loci, pisciculus, de quo idem Aelianus sine nomine, lib. 8. cap. 7. Megasthenem (inquit) audio dicentem, in mari Indico quendam pisciculum nasci, eumque quoad viuit, in profundo quidem natantem non apparere: mortuum verò ad summam aquam existere, & fluitare: qui eum contigerit, animi defectionibus primum tentari, deinde obire mortem.

DE SECVNDA LEPORIS MARINI SPECIE, RONDELETIVS.



Secundum leporis genus substantia, atramento, partibus internis superiori simile est. Differt autem partibus externis. sinistræ & dextræ similes sunt. Parte priore duas latas appendices carnosas habet, in quarum medio rima est: paulo infra, cornicula duo, qualia in superiore descripta sunt, nisi quod acutiora & breuiora sint. In dorso os nullum, neque posterior pars cochleæ exenteratæ similis est. huius posterioris partis vtroque latere, veluti in sepia sunt pinnæ, magis expansæ & non replicatæ. Est & hoc genus superiore maius.

DE TERTIA LEPORIS MARINI SPECIE, RONDELETIVS.



Tertium

Tertium genus leporis marini ſubſtantia, viribus & facultatibus ſimile eſt, quam ob cauſam inter lepores marinos numerandum duximus Hic partem pronam & ſupinam repræſentamus. Quod in partis ſupinę ferè medio vides, eſt os: ſuprapoſita ori pars, alueus, qualis in ſepiis, oui figura, ſed in ambitu crenatus. Ori ſubiecta pars, membrana eſt tenuis, carnoſa, magis expanſa in rotundum, cuius ora fimbriata eſt, fimbriæ nigræ ſunt. Intus cerebri nigri parum eſt, gulam excipit ventriculus, ex quo oritur inteſtinū inſtar capreolorum vitis conuolutum. In medio ſubſtantia quædam eſt fungoſa ſuccum fuſcum continens: fortaſſe μήκων eſt cum atramento ſuo, (*Hæc ad Bellonii leporem accedunt.*) Toto corpore ſplēdido, cryſtallum vel pituitæ maſſam concretam congelatamque eſſe dicas. Rarò admodum capitur, & vix vnquā niſi in ſummo æſtu. tum enim à ſummis feruoribus omnia conturbantur, ea etiam quæ in maris imo latent. Odore eſt valde ingrato & piſculento, nauſeam mouet. Splendore diutius inſpectantibus dolorem oculorum capitiſque adfert, id quod in me ipſo ſum expertus. Deniq; iiſdem viribus ſed imbecillioribus eum eſſe cenſeo, quas ex veterum ſententia & experientia noſtra primo generi tribuimus. Hoc etiam fortaſſe diſcrimen fuerit, quod hic in alto mari, ille in cœnoſis locis maris, ſtagnisve lutulētis degit.

DE LEPORE MARINO, BELLONIVS.

Bellonii lepus ab iis quos Rondeletius exhibet omnibus diuerſus videtur, niſi cum poſtremo conueniat.

Autorum variæ ſententiæ.

Leporis marini deſcriptio apud antiquos authores admodum varia eſt: Hunc enim Dioſcorides Lolligini paruæ, alii verò caudatæ ſimilem fecerunt. Aelianus ex omni parte ad terreni leporis ſimilitudinem præter pilos accedere tradit. Apuleius (*in Apologetico de lepore marino: dubitat tamen an ſic ſit vocandus*) Cùm ſit cætera exoſſis (inquit) duodecim tamen numero oſſa ad ſimilitudinem talorum ſuillorum in ventre connexa & catenata gerit. Ariſtoteles huius deſcriptionem ſubticuit, quod fortè deiectamentū inutile eſſe videret: imo neque Oppianus de hoc quicquam meminiſſe viſus eſt.

B Ego verò (vt quod de hoc piſce comperi liberè affirmem) dicam leporem marinum animal paruum eſſe inter Lolligines, Lollios, aut Sepias: nonnunquam etiam vna cum Apuis capi ſolitum, odore tetro, nullam aliam habens formam, quam (vt ſcribit Plinius) offæ cuiuſdam informis: cuius inter Cycladas magna eſt copia. Fuluum leporis terreſtris colorem imitatur. Pulmonis marini more per mare diuagatur, tametſi pinnis careat. Pellucidum habet corpus, oui anſerini craſſitiem non excedens, quod pro libidine huc atque illuc transfert. Gibba eſt illi forma parte externa, qua etiam glaber eſt: conuexam internam partem oſtendit: qua eadem parte nerui permulti recti atque obliqui apparent: quibus eo modo ferè ſtriatus eſt, vt conuexa fungi pars, iiſdemque adſtrictum corpus diffundit, diffuſum verò contrahit: ſeſe enim conſtringendo aquam percutit, vt in ipſa natatione fungi figuram referat. Septem habet appendices, innumeris promuſcidibus ſtipatas, ex indico in cyaneum vergentes, quibus ſugendo alimentum corpori ſuggerit: appendicum autem ſubſtātia fungoſa eſt. Cæterum ex aqua emergens, ſuam figuram amittit, & in ſeipſum concidit, vt Pulmo marinus, quapropter in vaſe aquam habente hunc contemplari oportet.

C Natat tranquillo mari: facileque digitis cedit ſi comprimatur. Tota nanque corporis eius ſubſtantia
(B) mucoſa eſt, ac veluti cartilaginoſa. Os ad cirrorum radices in concaua parte ſitum habet. Linguam demorſus vellicat vt Ari radix, paulo tamen remiſſius. Quinetiam in tenuia fruſta diſciſſus, & in mare coniectus, viuit tamen ac mouetur. Marinam præterea ſquillam, ſi quando ſuis cirris contigerit, eam non ſecus atque Vrtica marina retinet. Viuit abſolutus, & liberè vagatur in mari, nullisque flatibus aut procellis euinci, aut ad litus eiici poteſt.

COROLLARIVM.

A Lepus dirum & venenatum animal, in noſtro mari offa informis, colore tantum lepori ſimilis: in Indis & magnitudine & pilo, duriore tantum. nec viuus ibi capitur, Plinius lib. 9. Alia lectio erat: & pilo duriore. tantum viuus ibi capitur. Sed Plinius (inquit Maſſarius trigeſimo ſecundo libro) negat in India capi viuentem his verbis, In India affirmant non capi viuentem, quod veriſimilius eſt, tum quia id animal viſu etiam venenoſum eſt, tum etiam quia ſequitur, inuicemque ibi hominem pro veneno eſſe, ac vel digito omnino in mari tactum mori. Quare legendum exiſtimo: In Indis & magnitudine, & pilo, duriore tantum, nec viuus ibi capitur: quaſi viuens pernicioſior ſit, & ſic non erit contradictio. Leporis quidem nomen veneno huic aquatico à lepore quadrupede inditum eſſe, quod eum colore tantum referat, in noſtro quidem mari, & Plinius ſcripſit, & approbauit Rondeletius: vt mirer Cardanum libro de rerum varietate ſeptimo, cum tria leporinis marini genera ex Rondeletii opere deſcripſiſſet, hæc ſubdere: Hæc velut reiectanea quædam maris (inquit) non vt lepores marinos deſcripſi. quid enim his cum leporibus ſimile? nec veneni quod potiſſimum ſignum, quodque in eis letaliſſimum habetur, vlla mentio fermè habita. Propior forſan deſcriptio alterius reiectanei à Bellonio recitati, quanquam nec hoc forſan lepus marinus dici poſſit &c. Atqui color rebus multis nomina fecit, & inter piſces, leuco, leuciſco, melanuro, glauco, erythrino: & animantium diuerſi generis nomina, cum terreſtrium aquatilibus, tum aliis, coloris tantum ratione communicata ſunt quędam. ſic ab auibus, paſſere, merula, turdo, forſan & attagēne, ad piſces concolores tracta ſunt nomina. Coloris ratio chelidoniis leporibus & ficubus quoque, nomen dedit: quæ an chelidoniæ etiam conueniat, nunc non habeo quod afferam. A iumento ad aſellos inſecta translatum eſt nomen, propter colorem tantum: fortè & ab inſecto cantharo ad piſcem eiuſdem nominis. Nihil igitur prohibet cum Plinio fateri terreſtri marinoquę lepori præter colorem communem nihil eſſe. nec refert ſi non idem omnibus marini leporis ſpeciebus color fuerit. Satis enim eſt vnam aliquam eo colore eſſe, quæ nomen ſuum deinde cæteris cognatis communicarit. Eſt & Lageos vua, quam Latinè leporariam interpretantur, & ipſa fortaſſis à colore nominata. De percno & epipercno, vt Græci nominant, leporis colore, plura ſcripſi in Lepore quadrupede B. Quod autem veneni nul-

A colore multis animantiū indita nomina.

neni nullam ferè mentionem in lepore marino ſuo feciſſe Rondeletium ſcribit Cardanus: in eo vel non perlegiſſe ſe Rondeletii ſcripta, vel non meminiſſe declarat. Amelbacarim, id eſt lepus marinus, Syluaticus. Alarnabo, id eſt baccarine, id eſt lepus marinus, Idem. Sed vitioſa hæc iudico, & melius legi Arnebbahari apud Auicennam 2.397. ex editione Andreæ Bellunenſis. Pulmo marinus Bellonii plurima habet communia cum lepore marino, vt ſpecies vnius generis videantur. Pulmo quidē Bellonii à Gallis vulgo obſcœna voce Pota marina dicitur: Rondeletius non pulmonem mar. ſed vrticæ genus hoc facit. (Germanicè honeſtius dicetur *Meerſchaam*.) Aliqui *Meerſchum*, vt audio, vocitant: hoc eſt ſpumam maris. edendo eſſe negant. ferri in ſumma aqua. radiis ab vno quodam centro ſtriatam eſſe: colore candido. nec viuere extra aquam. (Holothurii etiam Rondeletii prima ſpecies non minus ingratum ac inſuauem odorem reſipit, quam lepus marinus.) Lepus marinus veterum, maſſa quædam ſiue offa carnea informis, Rondeletio teſte, ne oculos quidem habet. Idem videtur animal, quod Albertus hiſtoriæ animalium libro quarto tractatu primo capite 8. his verbis deſcribit: Animal quoddam abūdat in maribus Germaniæ & Flandriæ, oui albo ſubſtantia ſimile, figura hemiſphærii: in extremis tenue; & in medio circa polum hemiſphærii ſui ſubſtantiæ eſt ſpiſſioris: vbi etiam lucent duo quaſi oculi (*Nota Albertum non oculos dicere, ſed quaſi oculos*) magni intra ſuperficiem ſphæræ contenti. Membrum in eo nullum eſt diſtinctum. Extra aquam immobile eſt, & omnino non diffunditur, amiſſa figura ſua, ſicut album oui, & concidit totum. Rurſus aquæ immiſſum paulò pòſt recipit figuram ſuam, & mouetur (ſicut antè) motu dilatationis & conſtrictionis. (Idem eſt fortè, vel cognatum, quod *Meerſchum* appellant.) In Aquatilium genere vnum eſt quod valde abūdat in mari Germanico: & vocatur phlegmaticum, eo quod phlegmati viſcoſo, ſicut eſt albumen oui, omnino ſimile ſit, Albertus. Phlegma & mucum pituitoſum Germani vocant *Schnuder*, alii *Schnot*, vt inferiores Germani: à quibus hoc phlegmaticum animal *Schnottolf* vocatur: quod nomen tamen etiam aliis quibuſdam pituitoſis & mucoſis piſcibus attribuitur. Nam *Seehaſs*, id eſt Lepus marinus Germanorum (alius quàm Græcorum & Latinorum) ſiue ab oris figura, ſiue aliam ob cauſam dictus, & à muco, *Snottolf*, duorum aut trium generum (ni fallor) reperitur; quibus communis eſt figura orbicularis. Eſt & alius piſcis oblongus eodem nomine. Nos de omnibus poſt Orbes Rondeletii ſcribemus. Ab alio quodam accepi *Snottolf* alicubi appellari, non piſcis forma animal, ſed rotūdum quiddam, oculis binis, menſibus Aprili & Maio: ab eo tempore mutari in alium piſcem. aliqui genituram piſcium eſſe aiunt. Muſtelæ videri poterat, aut muſteli marini genus, nomine tantum conſyderato, quod *Seequapp* appellant maris accolæ Saxones. iiſdem enim vocabulum *Quapp* (& *Alquapp*) muſtelam fl. noſtram ſignificat. Sed audio animal eſſe marinum: ſubſtantiæ flauæ, oui propè vitello ſimilis; glabræ, mollis, & quæ ictibus cedat, tenuis, & inſtar oui in aquam effuſi: moueri, contrahi, dilatari, inſtrumenta corporis nulla habere. Eximi ab aqua non poſſe, niſi aliquo vaſe excipiatur, exemptum protinus motu deſtitui nullius omnino vſus. Quærendum an hic ſit Lepus mar. Bellonii. Hoc animal Germanicè puto nominari poſſet *gelber Meerſchum*; ad differentiam alterius ei cognati quod ſupra deſcripſimus colore albo. Licebit & *Meerſchvvumm*, id eſt fungum marinum, nominari à ſubſtantia fungoſa & molli: & quia convexa etiam ſiue interna eius pars fungi modo ſtriata eſt, & in natatione fungi figuram refert, vt ſcribit de ſuo lepore marino Bellonius. Quod ſi rectè leporibus adnumerari poterit hoc animal *Seequapp* dictum, id eſt Rubeta marina: (Saxones enim & rubetam, & muſtelam fl. *Quapp* vocant:) alterum etiam illi maximè cognatum, ſed albi coloris, quod *Meerſchum* nominauimus, id eſt marinam ſpumam, Leporum aliquod genus fuerit. Rubetæ quidem nomen vel à veneni, vel alia ſimilitudine indi potuit. Hæc hactenus dixerim, non vt afferam quicquam, qui nihil iſtorum viderim: ſed vt aliis inquirenda diligentius proponam: vt proximè dicta Germanis ad Oceanum vſitata vocabula, cum leporis, pulmonis & vrticæ marinorum hiſtoriis conferant & iudicent. Vide etiam infra in Corollario de Vrticis diuerſis. Fongo marino, (id eſt fungus marinus, appellatur) vulgo, materia quædam coagulata (*tanquam*) è ſpuma marina: quæ quidem viuit, mouetur, & ſentit, ſed corpus membris diſtinctum non habet, Alunnus Italus. Lyram piſcem vulgo Gallis Gronaut, (aliis Gornart) dictum aliqui leporem marinum eſſe putant. Germani quidam *Seehan*, id eſt Gallum marinum appellant, vt Rondeletius ſcribit. ego ab aliis etiam *Seehaſs*, id eſt Leporem marinum dici puto: quanquam hic lepus ille veterum venenatus non eſt; cum in cibo commendetur. Lepus marinus duplex eſt: vnus vulgo Gornellus dicitur, Gallicè Gornais, Albertus. Plura lege ſupra in Corollario de Cuculo piſce, A. circa finem. Nos Germanicè leporem marinum veterum, hoc eſt venenatum, ne quid cōfundamus, circumloquutione nominabimus, *ein giffiger Meerhaſs, oder ein gifftiger kleiner Kuttelfiſch*: donec certiora aliquis protulerit. Liebre de la mar, Hiſpanicum eſt.

Lepus marinus ſuperficie niger eſt, Scholiaſtes Nicandri. ῥυπόεις, id eſt ſordidus à Nicandro cognominatur. Scholiaſtes dicit: quoniam γλιωώδης eſt. ego γλινώδης legerim per iota in prima. nam γλίνη per iota, rhypon, id eſt ſordes ſignificat Varino. Lepus mar. (inquit Auicenna 2.397.) eſt animal oſtracoſum; lutoſum, (*Bellonius pro lutoſo reponit durum: oſtracoſ, id eſt cruſta teſtaue hoc animal tegi nullus idoneus author ſcripſit,*) declinans ad rubedinem aliquantulam: inter partes cuius ſunt quædam ſimilia foliis aluſnen. Lolligini paruæ ſimilis eſt, Dioſcorides. Specie cochleæ nudæ (*natura nimirum tegmine carentis, non eo ſpoliata*) cernitur, Aelianus. Hic in mentem venit quod Echeneis quoque in mari (vt Plinius ſcribit) limaci magnæ ſimilis eſſe dicitur à quibuſdam: & eidem an vis aliqua veneni inſit, dubitari poteſt, vt ſcripſi in Corollario de Echino ab initio remediorum quæ ex eo intra corpus dantur. B

Lepus marinus in cœno gignitur, & ſæpe vna cum apuis capitur, Aelianus. Inter lolligines ferè verſatur. Ὅς δή ποι ῥυπόεις μὲν ὑπ' ὀσλίγγεσσιν (ſub comis, flagellis, crinibus) ἀραιαῖς Τευθίδος ἐμφέρεται νεαλῇ: γόνος, ἢ ἀπὸ τεύθου, Ἢ ἀπὸ σηπιάδος φυξήλιδος: ἥ τε μελαινῇ Οἴδμα χολῇ (atramento) δολόεντα (pro δολόεσσαν) μαθοῦσ' ἀγρώστορος ὁρμιήν. In his carminibus leporem marinum inter lolligines & huiuſmodi piſces tum verſari, tum paruo eorum fœtui ſimilem eſſe exprimitur: quod Aetius quoq; tetulit. Verbum ἐμφέρεται interpre- C

interpretantur ἐνδιατρίβει, quod magis placet, quam ſi pro ſimilis eſt accipiatur. ſimilitudo enim per aduerbium ἅτε indicatur: id quod vt cum lollio & ſepia exprimitur, ita cum lolligine ſubaudiendum eſt. Hic enim ſenſus eſt: Lepus mar. inter cirros lolliginis aut lollii ſepiæve degit, tanquam paruus quidam eorum fœtus. ſemper enim ſi illis conferas magnitudine minor eſt, & tanquam imperfectus cirros ipſe non habet. quod ſi ἐμφέρεται pro ſimilis eſt accipias, præpoſitio ὑπὸ abundabit.

D Lepus mar. vt ipſe homini pernicioſus, ſic apud Indos inuicem homo ei pro veneno eſt: vt vel digito omnino in mari tactus mori dicatur, teſte Plinio. Veſcitur eo vnum animalium, vt non intereat, mullus piſcis, Plinius. Scari recentes non carent ſuſpicione (veneni,) quoniam lepores mar. captant ac deuorant: quare & interanea eorum choleram mouent, Diphilus.

G Nulli fermè piſces venenoſi ſunt: (propter humiditatem, quæ venenum, cuius vis in ſiccitate eſt, diluit.) quod ſi ſint, ſicciſſima parte tales ſunt, vt lepores marini felle: & ſpinis aranei piſces, &c. vt quidam ſcribit, Cardanus ſi bene memini. ego tota ſubſtantia, non felle tantum, venenatum eſſe leporem mar. putarim. Eleuſine ſacris initiati, idcirco Mullo piſci honores habet, vel quod is ter anno parit: vel quia mortiferum homini leporem mar. exeſt, planeque conficit, Aelianus 9.51. At Hegeſander Delphus, referente Athenæo, in Artemiſiis (Dianæ ſacris) Mullum inter cetera geſtari (περιφέρεσθαι) ait, eo quod videatur lepores mar. homini letales magno cum ſtudio venari, & conſumere: vt piſcis magna hominum vtilitate venator deæ etiam venatrici conſecretur. Non indignum relatu, imperatorem Titum ab Domitiano leporis marini peſtifera vi peremptum: quum eo ſciſcitante, Ἀποθανοῦμαι δὲ τίνα τρόπον; prædictum fuiſſet ſatis, moriturum videlicet, ſicuti fertur deceſſiſſe Vlyſſes, ἐκ τῆς θαλάττης. Sed is tamen trygonis, id eſt paſtinacæ ictu periit, Cælius. Locus eſt apud Philoſtratum lib. 6, vbi hęc etiam addit: Titum cum poſt mortem patris annos duos regnaſſet, à marino lepore interfectum dicunt. Is autė piſcis humores quoſdam occultos habet, mortiferos ſupra omnia venena quæ mari terraue naſcuntur. Et Neronem hunc ipſum piſcem epulis miſcuiſſe quandoque tradunt, aduerſus homines ſibi inimiciſſimos. Domitianus quoque hoc eodem contra Titum fratrem vſus fuiſſe putatur, quod graue moleſtumque ſibi videretur ſimul cum fratre humano benignoque viro imperare. Io. Tzetzes quoque in Variis 6 43. Titum hoc veneno extinctum tradit. Lepore mar. cibis admixto multos ſuſtulit Domitianus, eodemque Titum fratrem ſuſtuliſſe creditur, Eraſmus Rot.

Leporem mar. venenatū eſſe.

Hiſtoria.

Signa & remedia hauſti leporis mar. Dioſcor.

Dioſcoridis & Aetii partim verba Rondeletius recitauit. Notandum autem in Dioſcoridis verbis, iubere eum dari decoctum maluæ, aut cyclamini radicem cum vino, ἢ ἐλλεβόρου μέλανος, ἢ σκαμμωνίας ὀπῶ: id eſt aut elleborum nigrum, aut ſcammoniæ liquorem, (*non expreſſo pondere: vt verbum* δοτέον, *in eadem periodo & cum accuſatiuo conſtruatur, & cum genitiuo, partem ſcilicet rei ſignificante, quod vſitatum eſt Græcis: Ruellius pondus expreſſit, nempe drachmam vtriuſq; ex Aegineta, qui modus tamen in ſcammonio nimius videtur.*) Deinde cum vertit Ruellius hoc veneno tentatos, ex piſcibus ſolos fluuiatiles cancros in cibo admittere, addédum, elixos, quoniam Græcè ſcribitur ἑφθούς. Et mox pro his verbis, Καὶ πίνουσιν οἴνῳ μεμιγμένῳ ἐπ᾽ αὐτῶν, in antiquis codicibus (inquit Goupylus) legitur, καὶ πέσσουσιν ὠφελούμενοι. hoc eſt, Cancros ſolos ex piſcibus admittunt, & concoquunt, & vtilitatem ex eis percipiunt. Codex quidam noſter manuſcriptus habet, καὶ τοὺς τῆς μόνους πέσσουσι. Aegineta cancros, fluuiatiles duntaxat, pro remedio dari iubet, ſi admiſerint. cuius loci lectio fortè melior eſt apud Aetium: Edat & cancros (inquit) adſiduè. piſcem enim nullum admittit. Quod ſi piſcem edere poſſit, ſignum id ſalutis iudicabis. Et Actuarius, Quod ſi ægri piſces ingerere nequeunt, ſolos fluuiatiles cancros coctos edant, bibantque vinum cui ipſi ſint admixti. cæterum ſalutare eſt, ſi piſcem edere ſuſtinent. Solus Plinius Valerianus cancros marinos coqui, & in cibo ſumi iubet. Cancri fluuiatiles triti potique ex aqua recentes, ſeu cinere adſeruato, contra venena omnia proſunt, priuatim contra ſcorpionum ictus cum lacte aſinino, vel quocunque. Eadem vis contra venenatorum omnium morſus, & contra leporem marinum, Plinius. Cancrorum fluuiatilium carnem contritam crudam è lacte propinato, ac omnium reptilium ictibus medeberis: & deſperatum epoto marino lepore confeſtim ſanabis, Aetius. His qui leporem mar. hauſerunt (inquit idem libro 13. cap. 53.) lac aſininum recens mulctum cum paſſo aſſiduè præbeatur: aut, ſi hoc non adſit, bubulum, aut maluæ decoctum. indeque confeſtim vomant. Deinde radicis cyclamini tritæ drachmæ quatuor (*contra regium morbum cyclamini drachmæ tres dantur. &c.*) cum vino diluto dentur. Aut veratri nigri drachma vna: aut ſcammoniæ ſcrupuli duo cum bubulo lacte aut aqua mulſa. Aut mali punici acini. Vel cedrides, hoc eſt, cedri fructus, triti ex vino. Aut picem liquidam, aut cedriam modicam cum paſſo delingendam dato. Anſeris item ſanguinem adhuc calentem cum paſſo bibendum præbeto. Aegineta non cyclamini, ſed peucedani radicem è vino propinat: qui lapſus fortè librariorum eſt. nam Dioſcorides ſecundo etiam libro de cyclamino agens, radicem eius contra venena, præſertim leporis marini, è vino bibi docet. Lepori mar. aduerſatur & cyclaminos, Plinius. Pro κεδρίας λείας μετ᾽ οἴνου apud Dioſcoridem, legerim κεδρίδας, id eſt cedri fructus, ſicut & ἀρκευθίδας dicimus, multitudinis numero, idque ex Aetio. nam reſinam cedri, numero ſingulari cedriam dicimus: quam itidem Aetius in hoc malo, non cum vino bibi, ſed cum paſſo delingi pręcipit. Sic & Dioſcorides libro 1. Cedria in paſſo ſumpta contra hauſta leporis marini venena auxiliatur. Contra venenum leporis mar. ſuadent cedrum (*lego cedriam*) bibere in paſſo, Plinius. Et alibi, Cedrides, id eſt fructus cedri, contra lepores marinos commendantur. Has & alius quidam innominatus per ſe edi iubet. Punici mali acinos Dioſcorides cum ſcammonii ſucco & melicrato ſumi iubet. Aetius per ſe etiam commendat. Dioſcorides in libro de remediis morborum ſec. locos, author Græcus, mala Punica vinoſa in cibo & eorum nucleos laudat. Ex malo Punico acerbo (inquit Plinius 25.6. fit medicamentum, quod Stomaticè vocatur, vtiliſſimum oris vitiis, narium, aurium, oculorum caligini, &c. Contra leporem marinum hoc modo: Acinis detracto cortice tuſis, ſuccoque decocto ad tertias, cum croci & aluminis ſciſſi, myrrhæ, mellis Attici ſelibris. Sed hic locus apud me ſuſpectus eſt. quoniam remedia aduerſus leporem mar. intra corpus ſumuntur, Stomaticè verò iſta propter alumen non tuto videtur intra corpus ſumi poſſe: & cætera vitia omnia à Plinio enumerata, quibus medetur, externa ſunt. Lepore marino

Cancri.

Aetius.

Cyclaminus.

marino aſſumpto (inquit Aſclepiades apud Galenum lib. 2. de antidotis) prodeſt lac bibere; maximè aſininum: ſin minus, vaccinum, aut caprinum. Dari autem debent eſui etiam caules maluæ diligenter incocti: vel pulegii quantum manu comprehendi poteſt cum paſſo triti, potandum. vel cyclamini radix trita cum vino. cedriæve obolus aut ſemiobolus paſſo ſolutus potui datur. Leporis mar. guſtus (inquit Scribonius Largus cap. 186.) non abſimilis eſt illotis piſcibus, aut etiam putentibus, (*ſic & Nicander.*) Qui ſumpſerunt autem, ſtomacho veſicaque adficiuntur: ita vt vrinam quidem difficulter, & cum dolore, purpureique coloris reddant. Stomacho item tento & dolenti ſunt, auerſoque ab omni eſca, præcipuè piſce. Nauſeant præterea, & ſubinde reiiciunt ſpumoſa: interdum bilioſa aut ſanguinolenta, & maximè cum ſimulauit aut nominauit aliquis piſcem. In ſomnis litoris pulſi fluctus videntur ſubinde audire. Oculi eorum exhulcerantur, genæ inflantur. Coloris mali & veluti plumbei fiunt: minutatimque per tabem quaſi phthiſici conſumuntur. Adiuuari autem debent hoc malo circumuenti lacte muliebri, vel equino, vel vaccino; aut aſinino quamplurimo quotidie per ſe, aut cum melle ſumpto. Prodeſt & maluæ ſorbitio bene vncta & ſalſa. Item proſunt malorum Punicorum grana adſidue data. Beneficit & pix cedria, ſiquis inde bina ternave cochlearia eius ſumpſerit per ſe, vel ex paſſi cyathis duobus tribusve. Item benefaciunt (*baccæ*) iuniperi tritæ, quamplurimo cum paſſo; aut per ſe datæ. Nicander inter remedia genus omne mali Punici commendat: & muſtum quoque uuis expreſſum, ita vt ex oliuis oleum ſolet exprimi.

Aſclepiades.

Scrib. Larg.

Ni.

> Βρύκοι δ᾽ ἄλλοτε καρπὸν ἅλις φοινώδεα σίδης
> Σιδὲ καὶ Αἰγινῆτιν: ὅσαι τὰ σκληρέα κάρφη
> Ἄλλοτε δ᾽ οἰνοβαρῶ τὰ βοήλῳ ἐν κυρτίδι θλίψας,
> Κρησίδος, οἰνωπῆς τε, καὶ ἣν Προμένειον ἔπουσι,
> Φοινὶ δ᾽ ἐραχνήεντι διαφράσσουσι καλύπτρῃ:
> Ὥσπερ νοτιεύουσαν ἀπὸ τριπτῆρος ἐλαίην.

Scholiaſtes Οἰνωπὴν, Προμένειον, & Αἰγινῆτιν, tres diuerſas mali Punicæ ſpecies facit. & forſan tres illæ ſpecies ſunt, quorum vna acidum ac vinoſum, altera dulce, tertia μέσον (id eſt medii ſaporis, muzum vulgo nuncupant) pomum profert. His quartam ſpeciem addiderim apyrenon dictam, quam Nicander quoque videbitur comprehendiſſe, ſi ita legamus, ὅσαι τ᾽ ἀσκληρέα κάρφη, &c. id eſt, & quæ molles nucleos rubentes tenuiſſima diſtinguunt membrana. nam licet τὰ σκληρέα legamus, per antiphraſin tamen molles nucleos interpretatur Scholiaſtes. Idem inter ſigna ſumpti huius veneni ponit colorem per membra tanquam icteri, ſed obſcurum: corporis imminutionem & carnium tabem paulatim: faſtidium cibi: cutis tumorem, præſertim circa malleolos in pedibus: & in malis faciei non ſine rubore. vrinæ perpaucam excretionem, colore aliquando purpureo, vel cruento. quod poſtremum Aegineta de ſudore dixit, Dioſcorides de vomitu. His addam quæ ſcripſit Auicenna 4.6.2.4. omiſſis tamen quibuſdam, quæ à Græcis omnino eadem tradita videntur. Accidunt (inquit) ex ipſo in potu dato conſtricto anhelitus, & difficultas eius, & rubedo oculorum, & tuſſis ſicca, & ſputum ſanguinis, &c. & icterus, & anguſtia, & dolor renum. Vrinæ violaceæ: & eiuſdem coloris egeſtio, quandoque mucoſa. Aeger à cibo abhorret: & ſaporem piſcis fœtidi in ore ſentit, & in ructibus cum ſalſedine etiam. Plures qui euadũt, incidunt in phthiſin. Auxilio eſt potare lac caprinum, & aſininum, & muliebre ex mamilla. Iuuant & coliculi maluæ; & folia althææ recentia elixata, (al', ſemen althææ recens elixatum,) & ius cancri fluuialis propriè: quo quidem veſci poteſt ſine reliquis lenificantibus. & echinus aſſus recens, aut ſanguis eius. Et lacertum marinum non refugit, & comedit ex eo. Remedia autem validiora ſunt calamintha fluuiatilis, calida, recens (*hoc potius ad ſequens remedium referatur, nempe ſanguinem anſeris, qui recens extractus tepiduſque bibi debet:*) & ſanguis anſeris: & vrina hominis antiqua. & radicum buchor marien (cyclamini) octo oboli cum vino. aut kitram (*cedrus*) illa quantitas, & in vino: & ellebori parum cum vino. Cum autem aduenit dies ſecundus excitationis accidentium & quieſcunt, fiant ei pilulæ de elleboro nigro & ſcammonio, & agarico, cum ſucco liquiritiæ & tragacontho, partibus æqualibus. Inde exhibeatur drachma vel paulo plus cum iuleb. Quod ſi in phthiſin inciderit æger, curetur vt phthiſicus. Raſis etiam lib. 8. cap. 2. poſt ſigna tradita, vt ſunt, ventris ſolutio, anhelitus anguſtia, aſthma, &c. niſi cito (inquit) morte præoccupetur, incidet in phthiſin, ſi non congrua medendi ratione ei ſuccurratur: & ſi non lac & vinum, ſiue mixta, ſiue vnumquodque per ſe multoties data fuerint. Ante hoc (remedium) tamen dari conuenit ſcitrolorum (&) ſuccum, & maluauiſci viridis foliorum ſuccum in potu ſumant. In die autem ſecũda poſtquam accidentia quieuerint, pilulæ fiant de elleboro nigro (*&c. vt iam ex Auicenna retulimus.*) Hoc ſi perduxerit ad tuſſim, & aſthma ſuperuenerit, iſtarum affectionum curatio, vt ſuo conſcriptum eſt loco, perficiatur. prius tamen ſecetur vena, & remediis abſceſſum in pulmone patientium curetur ægrotus. Codex Græcus quem manuſcriptum habeo de remediis κατὰ τόπους Dioſcoridi: Lac muliebre laudat: & elleborũ album. neque enim (inquit) metuendus ab eo vomitus eſt. Iuuat ab initio vrina humana quoque pota; & vomitu reddita, οὖρον ἀνθρώπινον ποθὲν καὶ ἐξεραθέν. Lepus marinus ſumptus ſæpenumero mortem intulit: ventris ſaltem dolores excitauit, Aelianus 2.45. Lepus dirum & venenatum animal, in Indico mari etiam tactu peſtilens: (*Vide plura ex Aeliano, ad finem hiſtoriæ Leporis primi Rondeletii ſuperius:*) vomitum diſſolutionemque ſtomachi protinus creat, Plinius. Ex leporis mar. aſſumptione laboratur vt à cantharidibus, Bertrutius. Aliſmatis vtriuſque vſus eſt in radice, aduerſus ranas (*rubetas;*) & lepores mar. drachmæ pondere in vino pota, Plinius. Maluæ (*tum reliqua genera, tum althæa*) decoctæ cum radice ſua, leporis mar. venena reſtringunt: &, vt quidam dicunt, ſi vomatur, Idem. E lepore mar. veneficium reſtringũt poti hippocampi, Plinius. Aſinino lacte poto venena reſtinguuntur: peculiariter, ſi hyoſcyamum potum ſit, aut lepus marinus, &c. Idem. Lac bubulum priuatim medetur his qui biberint leporem mar. Plinius. Lacte equino venena leporis mar. & toxica expugnantur, Idem. Contra hauſtum leporem mar. præſidio eſt humanum lac. Dioſcorides. Lac muliebre peculiariter valet potum contra venena quæ data ſunt è marino lepore, bupreſtique, Plinius. Contra venena marini leporis, & rubetæ, remedio eſt cinis eorum in aqua potus, Innominatus & Albertus. Peculiariter contra leporis mar. venena, oſtrea aduerſantur, Plinius. Oſtrea fricta & in cibo ſumpta proſunt, Plinius Valerianus. Ranæ fluuiatiles, ſi carnes edantur, ius ve decoctarum ſorbeatur, proſunt contra leporem mar. Idem. Anſeris ſanguis calidus

Auicenna.

Raſis.

vt fluit de vulnere, Kiranides) bibitur contra lep. marini venenum, Dioſcor. Eundem Aetius calidum adhuc cum paſſo bibendum conſulit: Plinius verò cum olei æqua portione. Galli ſanguis ſanat eos qui leporem marinum comederunt, Kiranides. Scammoniæ liquor à Dioſcoride & Nicandro commendatur: ab hoc etiam contra ſalamandram.

Præterea (vt Aggregator citat) fiſtulæ paſtoris aureus vnus vel alter liberat, Auicenna. Item lutum ſigillatum, Idem. Terra quoque ſigillata, authore Galeno, pota, liberat vomitu, Aggregator. Oſſa aſinini pota remedio ſunt, Plinius lib. 28. & Auicenna. Idem Aggregator auxilia quædam aduerſus morſum leporis mar. recenſet: ridiculæ nimirum, cum nullus authorum periculi ex eius morſu meminerit: nec alia quam quæ ſimpliciter prius contra venenum eius ſumpti retulerat: niſi quod ex Haliabbate (lapſu forte interpretis) leporem ipſum mar. emplaſtri inſtar impoſitum, ſuo morſui mederi recitat. Præfertur quibuſdam aduerſus hoc malum humanus ſanguis calens è venis potus: humanum item lac, ab ipſis vberibus exuctum: & vulpis caro inaſſata. quin & theriaca diateſſaron tribus diebus pota, Matthiolus Senenſis.

REMEDIA EX LEPORE MAR. HOMINI VTILIA.

Pro lepore mar. cancrum fluuiatilem ſubſtitui ad remedia poſſe, tanquam æquipollentem, in libello Ἀντιβαλλομένων, qui cum Galeni & Aeginetæ libris coniungi ſolet, legimus: ſed proculdubio vitioſe. nam cancros fluuiatiles vim leporis mar. veneno aduerſam habere, non ſimilem, ex ſupradictis conſtat. Lepus mar. per ſeſe tritus, aut cum vrtica mar. illitus pilos euellit, Dioſcor. Solutus & inunctus præuulſos pilos palpebrarum non ſinit renaſci, Kiranides. Galenus etiam de ſimplicib. med. lib. 11. lepore marino aliquos vſos ſcribit perdendi pilos gratia: & pſilothris eum miſceri, Crito apud eundem lib. 1. de compoſ. ſec. locos. Oleum in quo incoctus ſit marinus lepus, ne pili renaſcantur efficere nõnulli prodidere: Ita Galenus, Vuottonus. Pſilothrum: Sanguinem recentem leporis mar. inunge, Galenus Euporiſton 2.85. Pſilothrum eſt lepus mar. ſanguine & felle, vel ipſe in oleo necatus, Plinius. Leporem mar. vel eius ſanguinem cum oleo tere: atque ex eo vulſorum de oculis pilorum loca frequenter perunge: poſt quod etſi renaſcentur pili, molliores erunt: quibus iterum euulſis, ſupradictum medicamen inducitur, tum verò non renaſcentur, Marcellus. Ad ægilopes: Lanæ tomentum cum ſanguine marini leporis tinctum inde, Archigenes apud Galenum de compoſ. ſec. locos. Lepore mar. impoſito, ita vt celeriter remoueatur, ſtrumas ſanari aiunt, Plinius. Marini lepores oleo veteri iniecti benefaciunt diſcutiendis ſtrumis, ſed cum ipſo oleo in plumbeo pyxide cluſi: quam diebus quadraginta diligenter alligatam oportet haberi. poſtea ex eo pinnula oblinendæ ſunt ſtrumæ, ſuperque eas pellis lanata non nimium tonſa, tegendi gratia imponenda eſt. præcipi autem oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet, aut inquinatas, priuſquam bene eluerit, ad os referat, Marcellus empiricus. Iubent & lepore marino recenti podagram fricari, Plinius. Sanguis eius & fel in oleo necati contra carbunculos valet, vt quidam è Plinio citat. Leporis mar. ſanguis (inquit Auicenna 2.397.) eſt calidus, purgans morpheam & pannum. Caput eius aduſtum generat pilos in alopecia, propriè cum adipe vrſi, & in tyria valde. Cum autem ex eo fit emplaſtrum ſicut eſt, abradit pilos. Abſtergit viſum more emplaſtri ſuperpoſitum, & ſicut collyrium. Hæc ille. qui præcedenti etiam capite de lepore terreſtri ſic ſcripſerat: Sanguis eius expurgat pannum: & cinis capitis eius remedium eſt vtile aduerſus alopeciam, & propriè marini. Sed hoc videtur echinis magis conuenire, (nempe vt echinus mar. efficacior contra alopeciam ſit quam terreſtris) & forſan ex diuerſis animalibus remedia in vnum permiſcuit Auicenna. Lepus mar. ipſe quidem venenatus eſt, ſed cinis eius in palpebris pilos inutiles euulſos cohibet. & ad hunc vſum vtiliſſimi minimi, Plinius. Contra venena marini leporis & rubetæ remedio eſt cinis eorum in aqua potus, Albertus. Dionyſii Mileſii ad pilos palpebrarum pungentes: Leporem mar. in figulino nouo vrito, & cinerem tritum ricinorum ſanguine excipito: & repoſito in cornea pyxide vtitor, euulſis antea pilis, Galenus de compoſ. ſec. locos 4.7. inter Aſclepiadæ oculares compoſitiones. Enterocelæ lepus illinitur tritus cum melle, Vuottonus ex Plinio, tanquam de lepore mar. cum Plinius proculdubio de terreſtri hoc ſcripſerit.

H.a. Leporis philologiam habes in Terreſtri inter Quadrupedes viuiparas. Leporis marini meminit etiam Hipponax, Scholiaſtes Nicãdri. Λαγὼς de terreſtri, per α. λαγὸς verò per ο. breue de marino & fluuiatili dicitur, Heſychius & Varinus. Ego hanc diſtinctionem non probo, neque fluuiatilem leporem vllum agnoſco, vt in Terreſtri dictum eſt. Βαμβαι ὄνες, κίχλαι τε καὶ λαγοὶ, Epicharmus in Nuptiis Hebæ, vt citat Athenæus. ſed melius alibi, βεμβράδες (id eſt membrades) & λαγοί. quanquam ſi qui piſces λαγοὶ dicũtur, nuptiis & conuiuiis apti, illi planè à lepore venenato, quo de agimus, diuerſi fuerint. Nec ſcarus, aut poterit peregrina iuuare lagois, Horatius 2. Serm. vbi Acron dubitat an lagois ſit genus piſcis quod in mari Italo non inueniatur, aut auis quæ carnem leporis habeat.

Epitheta. Λαγῶο κακοφθόρου, Nicander. Ῥυποεις, Idem.

Icon. Qui marinum leporem pingunt (inquit Pierius Valerianus) humano tactum digito, mihi videntur ſignificare voluiſſe, vel hominem minima de cauſa exanimatum: quandoquidem ferunt eum qui non modo digito, verum etiam virga Leporem mar. attigerit, quamprimum exanimaſcere, & niſi promptuarium ſit remedium, etiam mori. Vel mutua damna ex eadem pictura libet interpretari: (nam hieroglyphicum hoc apud veteres non inueni:) quia humanus attactus Lepori etiam eſt exitialis, in Indico præſertim mari.

h. In eos qui contabeſcunt, nec vlla medicorum ope poſſunt reſtitui, dici poterit, Edit leporem marinum, Eraſmus Rot.

LEVCISCOS ex noſtris quidam appellant piſces in fluuiis genitos, à Capitonibus ſpecie diuerſos eſſe exiſtimantes, &c. Galenus lib. 3. de aliment. facult. cap. 24. vt recitatum eſt ſupra, in ſecunda Leucisci fluuiatilis ſpecie Rondeletii. Hiceſius marinos etiam mugiles omnes generali Leuciſcorum nomine comprehendit. Leuciſcorum (inquit) plura ſunt genera, nempe κέφαλοι, κεστρεῖς, χελῶνες, μύξινοι. Nos in Mugilibus de ſingulis agemus.

LEVCOPIS,

LEVCOPIS, Λευκῶπις, à Tarentino in Geoponicis Græcis nominatur.

LEVCOMÆNIDES, alias Smarides, in Mænis ſunt.

LEVCVS, ΛΕΥΚΟΣ, piſcis nomen, quem aliqui ſacrum ab Homero nominatum putant, vt refert Varinus in ἱερὸ. Lege ſupra in Glauciſco A.

LIBELLA piſcis cetaceus à Græcis Zygæna vocatur. Vide in Z. elemento.

DE LIBELLA INSECTO FLVVIATILI, RONDELETIVS.

Libella.

INſectum hoc libellam fluuiatilem libuit appellare, à ſimilitudine quæ illi eſt cum fabrili inſtrumento, & cum Libella marina. Hæc beſtiola parua eſt admodum, T. literæ figuram referens, pedes ternos vtrinque habet. Cauda in tres appendices deſinit, quæ viridi ſunt colore iiſdem & pedibus natat.

LIBIBATTES piſcis nomen videtur. Nam Athenæus lib. 3. inter Heſiodi cuiuſdam de ſalſamentis omnibus carmina hoc quoque citat: Καὶ σκόμβρων φυθίων τε, καὶ εὔχ' ἐρκ λιβιβάτην.

LIGNEI cuiuſdam zoophyti meminit Albertus libro quarto de animalibus, tractatus primi cap. 8. Iam expertus eſt (inquit) aliquis piſcatorum maris, in mari eſſe animal, cuius creatio (*forma*) eſt tanquam fruſti alicuius ligni. neque cognoſcitur eſſe animal: niſi quia dum eſt in mari, mouetur natando de loco ad locum. Eſt autem nigrum, rotundum, æqualis per totam longitudinem ſpiſſitudinis. nec paſcitur niſi in ſe reſudanti humore. nec excrementum vllum in ſe, nec excrementorum meatus habet, nec vlla ſenſuum organa. Eſt enim animal valde imperfectum: &, propriè loquẽdo, medium inter plantam ac animal. quamobrem etiam animal ligneum vocatur.

LIMARIÆ & LIMOSÆ. vide in Thunnis. Limoſæ à luto pelamides incipiunt vocari, &c. Plinius.

LINGVLACA genus piſcis, vel mulier auguratrix, Feſtus. ſed pro auguratrix, fortè garritrix vel blateratrix legendum, id eſt multiloqua. Lingulacæ (inquit Nonius) dicuntur verboſi. Varro περὶ ἐγκωμίων: Quare reſident lingulacæ, obtrectatores tui iam nunc murmurantes dicunt, Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται, (lego, Μωμήσεταί τις θᾶσσον ἢ μιμήσεται.) Plautus Caſina: Vin' lingulacas? S. Quid opus eſt, quando vxor domi eſt? Ea lingulaca eſt nobis. nam nunquam tacet. Vocabula piſcium pleraque translata a terreſtribus ex aliqua parte ſimilibus rebus ſunt, vt anguilla, lingulaca, Varro. Lingulaca piſcis aut ſolea eſt, aut ei non abſimilis, Hermolaus in Plinium. Et alibi: Lingulacæ piſcis nomen à Græco ſumptum eſt: quando Ariſtoteles glottida eum vocauit, ſi Theodoro credimus: aut bugloſſon, vt lib. 9. diximus. Nos plura de ſolea in Paſſerum hiſtoria. Glottis apud Ariſtotelem nuſquam pro piſce (quod ſciam) accipitur, ſed pro aue duntaxat. Gaza Lingulacam tranſtulit. Piſces qui dicuntur linguæ (*vulgo etiam Tungen, vel Zungen proferimus*) in inferiori Germania litorales ſunt, Albertus. Eſt & herba Plinio Lingulaca nomine, circa fontes naſcens: ea fortè quam Fuchſius ophiogloſſon nominauit, vulgarem Germanorum imitationem ſecutus, parum propriè tamen cum folium ſimplex ſit, ſerpentium autem linguæ ſpectentur bifidæ. Linguas (vulgo Lengue) in Italia circa Genuam dici audio piſciculos quoſdam paruos ſine ſquamis & inteſtinis. ſed inteſtinis forte animal nullum caret. Apuarum generis eſſe putarim. Lingua promontorii genus, non excellentis, ſed molliter in planum deuexi, Feſtus. noſtri non promontoria, ſed colles & cliuos huiuſmodi, vocant *Halder*. nam & verbum *halden* leuiter inclinare ſignificat. ſic & cliuus Latinorum ab inclinatione, ἀπὸ τοῦ κλίνειν, dictus videtur.

DE LIPARI, RONDELETIVS.



A NOluit te, candide lector, piſcem hunc tam rarum & ſpectatu digniſſimum celare: quem cum aliquandiu ſeruare vellem, totus in oleum abiit, qui euentus me impulit, vt liparim, cuius meminit Plinius, nominem, quaſi λιπαρὸν, id eſt, pinguem. Quanquam ſint qui Plinii locum emendent: & proliparis, legant lelepris, qui piſcis alio nomine ab Heſychio φυκὶς dicitur. *Lib. 32. cap. 11.*

B Piſcis hic, quem liparim vocamus, capite terreſtrem cuniculum refert: ore eſt paruo, ſine dentibus, ſed maxillis aſperis, virgam haber ſatis latam à capite ad caudam, ſquamis paruis tegitur. Pinnas ad brãchias, & in ventre binas habet, aliam à podice ad caudam, aliam à ceruicis loco ad eandem continuam, ſine aculeis. Cauda in duas deſinit. Adeo pinguis eſt, vt non ventri inteſtiniſque ſolum infarcta ſit pinguedo, veluti in mugilibus & lupis, ſed etiam ſub cute carnis loco nihil aliud videatur eſſe quam pinguedo, vt liparis ſiue λιπαρὸς optimo iure nuncupetur.

F Succo eſt molli, pingui, inſipido, quo ventriculus euertitur, aluuſque cietur.

Eum non temere huic loco (*ordini mugilum. nos eum ordinem non ſumus ſequuti*) propoſuimus. eſt enim corporis habitu, & victus ratione mugilibus ſimilis.

A Audio ab his, qui nunc Græciam incolunt, aloſam quandam λιπαρὶν (λιπαρίδα melius) vocari. Hactenus Ron-

nus Rondeletus. qui agonum quoque liparin à nonnullis appellari ſcribit à pinguitudine, quod cum in craticula aſſatur, pinguitudo velut oleum deſtillet.

DE LIPARIDE, MACEDONIÆ PISCICVLO
BELLONIVS.



A Eſt in Macedonia lacus, quem vulgus Conium vel Limnum Piſchiac nuncupare ſolet: in quo Liparides aſſatim capiuntur. quæ toto habitu Sardinam referrent, niſi ventrem magis in latitudinem diſtentum haberent. His merito à pinguedine nomen eſt inditum, quod vel leuiori ignis calori appoſiti piſciculi, toti ferè pinguedinem reſoluantur.

B Caput illis eſt vt harengis tornatum: labrum tantum inferius aſperitate leui denticulatum. Cutis argentea. Leui contactu ſquamas exuunt. Laterum, ventris, tergi & caudæ pinnæ vt Sardinis eſſe ſolent. lineam quoque ſub ventre aſperam habent ac tranſuerſam, quam piſcatores circa anum ſecant, vt inde F humor, qui in ventre continetur, effluat: deinde ſale conditas holoſchœno per oculos traiiciunt, atque ita diuendunt.

E Liparidum captura veris vigore vberior eſſe ſolet: ſunt enim eo tempore meliores. Horum piſciculorum ex Conio pago multa ſcortomata Theſſalonicam mittuntur, & ad Chryſitem (quam nunc Sideſ rocapſam vocant) tranſmittuntur: quas illic Harengum guſtu æmulari, & ori gratiſſimas ac delicatiſſimas eſſe comperi. Liparis plerunque mixtim cum Leſtya (*Pleſtya*) ferri conſueuit: quæ quanquam multo minor ſit, tamen eodem quo Leſtya (*Pleſtya*) pretio venditur. Ea pars lacus Peſchiaci, quæ Conium pagum alluit, Liparidibus tantum ſcatet: quas eodem ferè modo, quo thriſſas in palude Mæotide decipere ſolent, nempe cantu & teſtarum concrepantium harmonia: ad quam ſaltantes accurrunt, atque incautæ retia ſubeunt. Macedones autem ſcientes Liparides turmatim vagari, retia circumponunt, earumque examen quærunt: quod vbi inuenerint lintribus obſident: deinde remis aquam quatientes eas terrent, quas pecudum modo, magno grege abigunt, perſequunturque quouſque in retia inciderint: mox omnes ad litus adducunt.

LISPIDION. Vide in Hippuro.

DE LOCVSTA MARINA, SEV CARABO,
BELLONIVS.

A QVanquam Aſtaci Oceano quidem multum ſint populares, Locuſtæ tamen in eo maris tractu rariores eſſe ſolent. Has Maſſilienſes Langouſtes, Genuenſes Alagouſtas vocant.

B Locuſta ſiue Carabus & Vrſa tam maior quam minor, nullos habent forcipes: quo nomine ab Aſtaco maxime differunt. Cruſta intectorum (inquit Ariſtoteles) primum genus Carabus, id eſt Locuſta: cui proximum alterum eſt quem Aſtacum vocant. Differt is à Locuſta brachiis, quæ denticulatis forcipibus protendit: atque etiam quibuſdam aliis diſcriminibus, quanquam non multis. Hæc ille. Proinde quod ad reliquas differentias attinet, Carabus & Maia hirto (*aſpero*) ſunt corpore: Vrſa verò, Aſtacus, Pagurus, Cicadaque læui. Et quemadmodum Maia à Paguro, ſic Carabus ab Aſtaco ipſa aſperitate diſſidet. tota enim corporis anterioris pars Carabi aculeis riget. Dentes primores binos habent magnos & concauos, in quibus humor continetur: atque inter hos quædam eſt caruncula, quoddam veluti linguæ rudimentum oſtendens. Gula quoque illis eſtante ventrem exigua: Stomachum habent conſpicuum, in quo etiam dentes ineſſe conſpiciuntur. Mox à ventre inteſtinum recta ad caudam finit. Meatus quoque à pectore dependens, ad excrementi oſtium pertinet: qui fœminis pro vulua, maribus pro genitalis ſeminis eſt receptaculo. Is in deſcriptæ carnis parte concaua, inteſtinum verò in deuexa apparet, vt media inter hos caro inſideat.

C Locuſtæ dum coeunt, fœmina caudam ſupinam exponit, cui mas ſuam applicat. Fœminæ item ſub aluo oua in rugas deponunt. Cornibus duobus, aſperis, longis, ſine prætenturis ante oculos longe proiectis palpant iter, more Aſtaci, quibus alia minuta & leuiora ſubiacent: inceduntque ſua natura ante (cum nihil metuunt) demiſſis in latera cornibus: at vbi metuunt, fugiunt retrò, longeque ſua cornua porrigunt. Natat Carabus pinnulis quas ſub cauda gerit, atque extrema etiam caudæ pinna, tum quaternis pedibus quos vtrinque habet. Anteriores autem pedes maiores in natatu non mouentur.

B Pinnas habet in cauda quinas: reliquum quoque caudæ corpus, quinis tabellis læuibus loricatur. Cor Locuſtæ ex nigro ruffeſcit.

F Conſulto quidem Locuſtas clibanis aliquando incoximus, atque hoc pacto ſapidiores eſſe perſpeximus, quam quæ inferbuiſſent. Nam quouis modo aliter incoctæ, Mutim (id autem eſſe putant piſcis (D) ſtercus) exputit: cum tamen ea Mutis totius piſcis pars ſapidior ſit. reliquæ. n. pulpæ duriores ſunt, hæc verò fluida & mollis: vnde vulgare illud apud Prouinciales, De la languſta, meglior la merda, que la gruſta.

gruſta. Eſt aũt reuera Mutis in oſtracodermis, ea humida ac mollis pars, ad quã tẽdit gula: eiq; parti proportione reſpõdet, qus in ſanguineo genere hepar vel cor appellatur. Galenus locuſtas inter ſolidè carnis piſces enumerat. Has porro Simeon Sethus difficulter concoqui ſcribit; ſed admodum nutrire, & ſalſi humoris ſiccique participes eſſe: &, ſiquidem ſæpius aqua dulci coquantur, ventrem cohibere: ferunt que (inquit) ſi eorum teſte combuſtæ bibantur cum meraco, renes calculoſos repurgare; multumque arenoſi lotii educere. G

DE EADEM, RONDELETIVS.

Afferuntur etiam in hoc capite quædam cruſtaceis omnibus communia.



Cruſtatorum quatuor ſunt ſumma genera autore Ariſtotele, locuſtæ, aſtaci, ſquillæ, cancri.

Dicitur locuſta à Græcis κάραβος, quem etiam ἄκανθον vocauit Archeſtratus, vt ex Epicharmo confirmat Athenæus. Dicta etiam eſt locuſta γεγραμμένος à Græcis, vt Diphilus ſcribit. A noſtris langouſte, à Liguribus alagouſta, ab aliis lanchrina. A

Locuſta duo habet cornua ante oculos magna, initio aſpera & aculeata: deinde rotunditate præpilata, in exortu craſſiſſima, quæ paulatim magis ac magis ita gracileſcunt, vt tandem in tenuiſſimum cirrum deſinant, in omnemque partem pili inſtar flecti poſſint. initio quaternis articulis diſtincta ſunt, vt cum nullus ingruat metus recto meatu cornibus ad latera porrectis, in pauore iiſdem erectis obliquè in latera procedant. His alia duo cornua articulata, læuiora, minora, tenuiora ſubſunt: quibus piſciculos, vt opinor, allicit & venatur. Oculi cornei ſemper prominentes & exerti, in obliquum mobiles, aculeis acutiſſimis firmiſſimiſque vtrinque tanquam propugnaculis munit. Otis lateribus additæ appendiculæ tanquam parui pedes ad tutelam. Dorſum aſperrimum eſt & aculeatum, veluti è fronte aculeus magnus eminet. In lateribus branchias (βραγχιοδήκεα δέρη, *velut branchiæ*) habet veluti è pilis coagmentatas: pedes plures quaternis: quia ſanguine carentia pluribus mouentur notis quam quatuor, ſiue terrena ſint vt ſcolopendræ, multipedæ: ſiue aquatilia, vt mollia & cruſtata. Sunt igitur locuſtis pedes vtrinque quini, annumeratis extremis chelis, quas Gaza modo forcipes denticulatos, modo brachia forcipata interpretatus eſt. Χηλὴ propriè eſt ὄνυξ, vngula, & dicitur ὅτι τὸ δακνόμενον ζώων, de animalibus quibus bifida eſt vngula, quaſi σχιζὴ, ἀπὸ τοῦ διεσχίσθαι· ἐπὶ δὲ μονονύχων. Inde igitur acceptâ ſignificatione chelas in cruſtatis dixerunt non vnico aculeo conſtantes, ſed duplici & articulato veluti in forfice. Flectuntur omnium pedes in obliquum, chelæ verò introrſum. Cauda læuis & ſine aculeis exquinque tabellis contexta, in pinnas quinque deſinens, natandi cauſa. ei quaſi remo locuſta innititur, eſtque in ea ſitum totius corporis robur. quod experieris ſi ea parte locuſtam apprehendas: nam valida frequentique agitatione è manu elabitur, nec niſi cauda corpori appreſſa, vel è cornibus ſuſpenſam, retinere queas. Differt mas à fœmina, quod fœminæ primus pes duplex, mari ſimplex. Præterea in caudæ ſupina parte fœmina appendices pinnis ſimiles, duplices habet, ad contegenda & conſeruanda oua: mas ſimplices, & paruas. (*Hæc ex Ariſtotele: apud quem nos aliter legimus Gaza interpretẽ: vt referetur in Corollario.*) Sunt & qui magnitudine corporis diſtinguant, vt fœminæ maiores ſint, mares minores. Poſtremo mari in nouiſſimis pedibus veluti calcaria maiuſcula prominent, acuta: quæ fœmina paruã habet, & læuiora. (Omnia hæc ex Ariſtotele ſunt.) Locuſtis bini ſunt dentes magni (*maſ. ſcrib. primores*) in lateribus poſiti contra quam in cæteris piſcibus. in ore caruncula linguæ ſpecie, ſequitur gula breuis. Hanc ventriculus membraneus excipit, cuius oſtio tres infixi ſunt denticuli duo aduerſi, reliquus infra. Inde inteſtinum ex ventriculi latere ſimplex, pari ſemper craſſitudine in caudam terminatur, qua excrementa excernit, & oua edit. Præter iſta in locuſtis meatus eſt, qui à pectore pendens in anum terminatur: in fœminis vulua eſt, in maribus ſeminis receptaculum. hic meatus iuxta carnis cauum continetur, ita vt media caro inter inteſtinum & meatum ſita ſit. meatu, carnis cauum, inteſtino conuexum contingente.

Hoc meatu, mas à fœmina non differt: nam in vtroque à pectore pendet, tenuis est, candidus, humorem quendam pallidum intra se continens. Hæc Aristoteles. quæ vera esse docet dissectio, nisi quod in fœminæ meatu qui pro vulua est, non semper humor pallidus inest: sed oua, quæ cocta rubescunt: vnde corallum appellant nostri, quo tempore melior est locusta. Capitis collique testa subtus tota perforata apparet.

C Coeunt locustæ (*inquit Aristot.*) more quadrupedum retro meientium, scilicet vt fœmina caudam supinam exponat, mas suam superponat & applicet. Coeunt vêre iuxta terram, oua vtero gerunt tribus mensibus, Maio, Iunio, Iulio. Deinde oua in appendicibus illis supinæ partis caudæ (*sub aluo in rugas deponunt, Gaza*) reponunt, quæ deinde uermium more augentur, (*quod idem de mollibus etiam ac piscibus ouiparis intelligitur. ouum enim omnium ita accrescit.*) Crusta exuuntur quemadmodũ angues senectute, id quod consulto à natura factum est. crusta enim densior reddita motum impedit, eique veluti grauiori oneri succumbentes locustę longè segniores ad motum redduntur. ijs igitur excremẽtis quæ in eam abibant, in aliam quæ subest gignendam absumptis, formaque à superiore accepta, illa alimentis destituta siccior efficitur, facillimeque colliditur. Testaceis idem non euenit, quia locum non mutant, sed stabili in sede viuunt. Locustæ carniuoræ sunt. Murænas interimunt & vorant, contra à polypis vincuntur. Cibos ore conterunt. hoc ostendit oris constitutio & gulæ angustia. Lædi non possunt nisi sub cauda.

F Duræ sunt carnis & difficilis concoctu. quæ superiora, teneriora sunt: quæ caudæ proxima, duriora, candida. Nostri ore & ano diligenter stupa obturatis, ne succus interior effluat, in furno assant, alij in feruente aqua elixant, alij crusta spoliatas in frusta diuidunt, aromatis, aceto condientes, apijque folijs aspersis. *Libro 8.* Dorion quidam tibicen apud Athenæum festiuè admodum dixit locustam tria in se habere, διατριβὼ, καὶ ὀψοχίαν, καὶ θεωρίαν, id est exercitationem, (*Græci διατριβὴν dicunt, quod animi gratia, & terendi temporis consumendique ocij gratia fit.*) edulium, & contemplationem. Quum enim integra mensis apponitur, frangendis pedibus & brachijs, thorace diuellendo, cauda distrahenda, manus oculique exercentur, tum edulium est cibusque conuiuis non ingratus. Interea mirabilis & ingeniosa spectatur animalis huius fabrica: cornua mobilia, tum ad prætentandum iter, tum ad pugnandum: item aculei: magna toto in dorso & capite asperitas tum ad propulsandas, tum ad inferendas iniurias: articulorum vincula, tabellarum connexus: quæ omnia imitati milites loricas suas fabricati sunt. Hic, inquam, triplex fructus ex locusta integra apposita percipitur in conuiuio minimè muto, & in quo non solum corpus cibo potuque reficitur, sed animus doctis sermonibus lepôre aliquo semper conditis recreatur.

COROLLARIVM.

A Locustarum marinarum genera plura sunt, vt ex Aristotele secundo & quarto de partibus animaliũ intelligi potest. ita enim libro quarto inquit: Crustata omnia ingredi possunt: itaque pedes complures obtinuerunt. Summa eorum genera quatuor numero sunt: locustæ, astaci, squillæ, cancri: quæ singula in plures species diuiduntur: quæ non modò formâ verum magnitudine etiam multo inter se differant. alia enim magna, alia parua admodum sunt, Massarius. Marinus Leo cum Locusta similitudinem habet præterquàm quòd maiori habitus tenuitate & gracilitate est, Ælianus. Elephantum etiam aliqui Locustarum generis faciunt. vide in E. elemento, & in Astaco A. Iouius Leonem Plinij esse putat eum qui vulgò cammarus dicitur, eundemque astacum Oppiani: quasi non idem huius poetæ & aliorum authorum astacus sit. Idem rursus, Oppianus (inquit) pro carabo (*per carabum*) leonem intelligit, qui Theodoro sit cammarus. Mihi Oppiani Carabus, non alius quàm aliorum scriptorum, nec à Locusta differre videtur. Minime intus vitiantur lolligo, locusta, polypus, Celsus libro 2. Locustas hoc in loco cum legis (inquit Gulielmus Pantinus) tenui testa totum genus contectum comprehende, vt gammaros, cancros, astacos, &c. Sed verba hæc de ratione alimenti accipi debent, quæ vna propemodum his omnibus est, non quod Locusta veluti genus reliqua ceu species sub se comprehendat. Quæ ex crustatis oblongiora sunt, Aristoteles καραβοειδῆ nominat, Gaza vertit locustacea: vt rotunda, cancros, vel cancrarij generis. Cancrorum genera, carabi, astaci, maiæ, paguri, leones, & alia ignobiliora, Plinius. Locustis communia quædam in Cancris diximus. Carabi modò pro locustis marinis, modò pro cammaris (*de astacis sentire videtur, non de illis quas cammaros vocari Athen. tradit*) à veterib. accipiuntur, vt Athenæo placuit. Plinius lib. 9. cum de locustis scripsisset, de carabis protinus subiunxit, quasi genus aliud existimaret, etsi non diuersum maximè, Hermolaus. Locusta, sine controuersia carab. est, quanquã, vt ait Hermolaus, hæc nomina confundantur, Iouius. Cum verba Plinij mutuata esse cernantur ab Aristotele, atque id quod carab. in illo legitur, locusta conuerti Plinio Latine videatur: erunt locusta & carabus eadem non diuersa, etiam si Barbarus in castigationibus Plinianis libro tricesimosecundo, carabum & locustam pro diuersis haberi hoc loco à Plinio existimauerit. nam quando Plinius inferius, Cancrorum genera, inquit, carabi, astaci, mææ, &c non propterea fecit, vt carabos diuersos esse à locustis superius nominatis ostenderet, sed vt cancrorum genera quæ nobiliora forent indicaret, Massarius. Trallianus lib. 7. nominat λυκίσκας vel carabides (καραβίδας) dictas. vbi Iacobus Goupylus: Inducimus (inquit) hæc verba, ἢ λυκίσκας, suspicantes ab aliquo adscripta, vt τῶν καραβίδων significatio ostenderetur. Nam κάραβοι & καραβίδες à Latinis locustæ appellantur: Hæc ille. Sic cammari etiam & cammarides non differunt. Ex recentioribus qui locustas (marinas) Græcè ἀκρίδας dici putant, longè falluntur. insecta enim duntaxat, quæ Latini locustas, Græci ἀκρίδας vocant. Bisas (aliâs Visas) pagurus est marinus, qui & carabus dicitur, à similitudine visalon, id est, tegularum rubearum, Kiranides i. 2. κἀπὸ βησάλων ἐπιθέτου, Trallianus in capite de dysenteria hepatica. vbi Goupylus: Vir quidam Cretensis (inquit) doctissimus nos docuit hac voce significari à vulgo Græciæ carbones incensos ad assandos pisces comparatos, (*fortè quasi physalos, quod inflando ignem soleant.*) Παγὺρ, τοὺς παρ' ἡμῖν καράβους, Scholiastes in Equites Aristophanis. Græci carabon, & Itali locustam modò etiam cognominant, Massarius. Locustam memoria nostra nominant Massilienses & Ligures, Gillius. Hispani etiam logusta, vt audio. Syluaticus astacum non rectè locustam interpretatur.

Karabus,

Karabus, astacus dictus est ab Archestrato, Wottonus. A locusta corruptum est Anglicum nomen *Lopster*, vel *Lopstar*. Eliota Anglus diuersis locis astacum, Locustam & Leonem interpretatur *a Lopster*. Io. Caius Creuise Anglorum locustam esse ad me scripsit. Germanicè circunscribemus *ein Meerkrebs oder Humerart*. vide in Corollario Astaci A. Obscurus quidam & Albertus fluuiatilem quoque karabum nominant, quem astacum fluuiat. melius dixissent. Karabus marinus similis est karabo fluuiatili, sed multò maior, Albertus.

B Locustæ ab astaco discrimen, suprà in Astaco expositum est. Locusta omnis forcipem dextrum grandiorem valentioremque habet: astaci verò non certum, sed alterutrum æquè vt fors tulerit, forcipem habent grandiorem, tam mares quàm fœminæ, Vuottonus. Et mox: In locustis quæ brachia chelæue dicuntur, longa sunt, pedes verò parui. In pectoris carne bina quædam candicantia constant, discreta à cæteris partibus, colore formaque, (τὴν σύστασιν, id est substantia:) Hæc ille ex Aristotele. Locustæ in Euripo nullæ sunt, Aristot. Carabi carnosiores sunt cancris, Diphilus. Crustis teguntur locustæ, Plin. Et alibi: Locustæ crusta fragili muniuntur in eo genere quod caret sanguine. Quod autem hic Plinius (inquit Massarius) locustas crusta fragili muniri tradidit: ei est in oppositum quod Aristoteles quarto de historia, vbi post mollium genus, quod inter ea quæ sanguine vacant primum vt modo dixi obtinet locum, mox crustatorum genus subiungit, dixit: Secundum quæ crustis tenuibus operiuntur, hoc est quæ partem solidam foris, mollem carnosamque intus continent. Durum illud eorum tegmen non fragile sed collisile est, quale cancrorum genus & locustarum. ea autem quæ tegmine siliceo non crustaceo muniuntur, testa fragili atque ruptili (*ruptile & fragile confundere videtur: quæ quomodo differant, petendum à medicis de continui solutione agentibus: & ex quarto Meteororum Aristotelis*) esse prodidit. ita enim subsequitur ibidem, tertium quæ silicea testa conclusa muniuntur, hoc est quibus pars carnea intus solida, foris fragilis atq; ruptilis, non collisilis, quale genus concharum & ostrearum est, Hæc Massarius. Crusta fragili inclusis oculi rigent, locustis squillisque magna ex parte sub eodem munimento præduri eminent, Plinius. Apud Plautum cum quidam interrogasset, Oculi num tibi obdurescunt? Audit, Vah quasi ego locusta sim. Plinius cum inter cancrorum genera carabos numerasset: mox subijcit: Carabi cauda à cæteris cancris distant. Locusta marina iuxta Plinium, quatuor habet cubitos in longitudine, Obscurus. ego corruptum hunc Plinij locum vel nullum esse iudico.

Ex Aristotele quædam. Differt mas locusta à fœmina, quod fœminæ primus pes duplex, mari simplex. pinnæ etiam parti supinæ adnexæ, fœminæ maiores, & quæ collo proximæ sunt, minores habentur. mari omnes æquè minores, nec vsquam per diminutionem dissimiles. Ad hæc, mari in nouissimis cruribus, velut calcaria maiuscula prominent, acuta: quæ fœmina parua habet, & læuiora. vtrique tamen cornua ante oculos bina, longa, & aspera, quibus alia minuta, & læuiora cornicula subiacent. Oculi ijs omnibus duri, & apti, tum intro, tum foras, tum etiam in obliquum moueri: quales etiam sunt parti plurimæ cancrorum, imò vero mobiliores. Item lib. 4. de animalibus capite quinto: Crustata etiam (inquit) tum locustacea, (καραβοειδῆ,) tum cancri, binos dentes habent primores, & inter dentes carunculam linguæ effigie illam, vt dictum iam est. tum stomachum ori continuò iunctum, exiguum, proportione suorum corporum magnitudinis. Hunc excipit venter, in quo locustæ & cancrorum nonnulli dentes alios habent. quoniam superiores illi secare non satis queant. Hinc intestinum simplex vsque ad exitum excrementi (rectà) dirigitur.

Et in eodem libro: Carabi, (inquit) hoc est, locustæ caudam habent: cancri non habent. locustis enim vt nantibus cauda vtilis est. natant enim cauda quasi remo innitendo. At cancris inutilis est, quum vitam agere terrenam, cauernasque subire soleant. Et alibi: Locustæ cum mare excipiunt ore, id transmittunt ad suas branchias, (τὰ βραγχοειδῆ) quas ipsæ plures quàm cætera crusta intecta habent. Gula eis ante ventrem exigua est: in cæteris crusta tectis, nulla. Item alibi: Pedes locustis vtroque ex latere quini, vltimis annumeratis, qui in forcipem exeunt denticulatũ. (Πόδας ἐφ' ἑκάτερα πέντε ἔχουσι σὺν ταῖς ἐσχάταις χηλαῖς.) Locus est historiæ anim. 4. 2. Gaza chelam forcipem denticulatum transtulit, At Rondeletius astaci chelas sine denticulis esse scribit, dentium vel denticulorum nomine tubercula chelarum seu forcipum interiora intelligens. Gaza fortassis vtranque chelæ partem dentis nomine accepit. Gillius reliquos locustæ pedes dentatos, postremos forcipatos facit. Pectus eius aculeatum & asperum est: pinnæ in cauda quinæ. Hæc omnia Aristoteles.

De oculis cancrorum & caraborum (interpres non rectè vertit scarabeorum) vide quæ scripsi ex Galeno suprà in Corollario de balæna B. ad finem. Rondeletius in locusta chelas nominat, quas etiam Gillius eas habere contendit, vt nunc recitabitur: at pictura à Rondeletio exhibita, non chelas in anterioribus pedibus, sed rudimentum aliquod earum ostendit. perexigua enim & vix subquadrupla pars altera chelæ ad maiorem dentem seu digitum articulatum & mobilem apparet. Bellonius (in cuius libro de piscibus Latino, locustæ figura à librarijs ad astaci locum transposita est) ne rudimentũ quidem hoc, sed pedes omnes ex æquo simplices pinxit. Locusta (inquit Gillius) astaci speciem similitudinẽq; gerit: ex pedib. quos vtrinque quinq; dentatos habet, postremi forcipib. armantur. Valde miror quosdam etiam doctos scripsisse ex Aristotele Locustis forcipes deesse, cum non semel Aristoteles aliter doceat. Eius dorsum quod ad caput pertinet, aculeis horret: quorum duo ferrea duritate tanquam cornua supra oculos eminent, nec minus duri: alij duo infra oculos ad horum tuitionem eriguntur: simul & inter aculeos, tanquã vuæ ex racemo longa radice nitentes, oculi foras eminent: os habet in parte supina, duob. dentib. buccam implentibus, munitum: in rostro bina flagella bene longa prætendit, quorũ rostro vicina pars spinis horrida est, cætera caret aculeis: huius cauda crustaceis obducitur vertebris violaceis, supinæ partes molli pelle vestiuntur. Locustæ pars anterior (inquit Massarius) quam caput appellant, tota spinulis horret. eminent à fronte duo officula acuta denticulataque, quibus subiacent oculi exerti duri, myrti seminis magnitudine: cornua ante oculos bina longa & aspera prodeunt, à principio crassa, dura, articulata & spinulis hirta, cætero lenta & flexilia, in tenuitatem deficientia: quibus

bina item alia minora, leuiora articulataque & in extremitate bifurcata cornicula subiacent. Pars autem posterior quæ ad caudam exit carne solida intus crustaceis obducta vertebris constat. Locusta marina gammari (*astaci*) fluuialis similitudinem habet, longè tamen maior atque vastior est, & albicantior, cum grammari subnigricent: quanquam & nigricantes admodum locustas in Ligustico mari esse conspexi, Pierius Valerianus.

C

Asperis & saxosis locis degunt.

Locustæ viuunt petrosis locis, cancri mollibus. Hyeme aprica litora sectantur: æstate in opaca gurgitum recedunt, Plinius. Carabus & astacus petras incolunt, & in eis pascuntur, Oppianus. Locustæ asperis, saxosisque locis proueniunt: astaci læuioribus ac terrenis. neutrum genus limosa amat: vnde fit, vt grammari apud Hellespontum, & circa Thasum gignantur: locustæ circa Sigæum, & Athon.

Coniectantur loca aspera, limosáue piscatores, oris littoralibus, atque alijs id genus indicijs, quoties capturam in alto libet exercere. littora potius vernis, hybernisque temporibus expetunt. conferunt se in altum, æstate videlicet, cum aliàs calorem, aliàs frigus persequuntur, Aristot. Crustata, velut locustæ, etiam natant, Aristot. Idem in libro de communi animalium gressu: Locustæ (inquit) pedibus non gressus (vt cancri) sed natatus causa subnituntur. Cancri nandi studiosi non sunt, & vropygio carent, quo tamen locustæ præditæ sunt: quandoquidem ad natatum vsui est, illi autem à natatione abhorrent. Locustæ suis caudis natant, celerrimeque retrorsum, pinnarum caudę adiunctarum beneficio, Idem. Cætera in aquis natant, locustæ reptantium modo fluitant, Plinius. id est, Crustata omnia in profundo natant, exceptis locustis, quæ anguium modo supernatant: Massarius. Incedit locusta sua natura ante, cum nihil metuit, demissis in latera cornibus: at vbi metuit, fugit retro, longeque sua cornua porrigit, Aristoteles. Verba Græca eius hæc sunt, hist. anim. 8.2. βαδίζει δὲ κατὰ φύσιν μὲν εἰς τὸ πρόσθεν, ὅταν ἄφοβος ᾖ, καταβάλλων τὰ κέρατα πλάγια. ὅταν δὲ φοβηθῇ, φεύγει ἀνάπαλιν, καὶ μακρὰν ἐξακοντίζει. Wottonus vertit, seque longius eiaculatur. sed videtur ἐξακοντίζει referendum ad κέρατα, vt Gaza quoque fecit. Non conuenit hac in re cum Aristotele Æliano, qui hist. animal. lib. 9. cap. 25. Locusta (inquit) cum nullius rei metu afficitur, tum ante versus progreditur, obliquatis in latera cornibus, πλαγιάσας δεῦρο καὶ ἐκεῖσε τὰ κέρατα, vt ne aqua contra natationem veniens reprimat cornua, & inde vltra progredi prohibeatur. Sin fugit & retrocedit, tum penitus demittit & laxat sua cornua, περῆκεν αὐτὰ τελέως: & tãquam remis altius demissis scapham propellens, sic sese commouens, multum conficit itineris. Si nullus ingruat metus, recto meatu cornibus, quæ sunt rotunditate præpilata, ad latera porrectis: ijsdem erectis in pauore, oblique in latera procedunt, Plinius.

Victus.

Pascuntur venatu pisciculorum circa sua cubilia, quę in alto locis asperis, saxosis, cauernosisque faciunt. quicquid ceperint ori admouent suo forcipe, vt cancri, (& pisces etiam maiores vincere possunt,) Aristot. Lutum & herbas comedunt, Albertus.

Latitatio. Coitus, oua & partus.

Latent mensibus quinis: similiter cancri, qui eodem tempore occultantur, Plinius. Locustæ, squillæ & cancri ore coeunt, Plinius. Fit locustarum ouum (inquit Aristoteles) arenidum (*rubidum, ad carnem vsque protensum, Vuottonus*) in partes octo diductum: singulis enim operimentis, quæ de latere extant, singula quędam cartilaginea iunguntur, quibus oua adhærent: totumque quasi species vuæ consistit: vnumquodque enim illorum cartilagineorum in plura scinditur: quæ si discreueris, patent: sin aspicis tantum, compositum quiddam apparet. fiunt maxima, non quæ iuxta meatum, sed quę media sita sunt. minimaque nouissima continentur. Magnitudo minimis, quanta granis ficuum est. nec meatum ipsum vlla contingunt, sed per medium hærent: vtraque enim ex parte, caudam dico, & aluum, bino maximè distinguitur interuallo: sic enim operimenta quoque disposita sunt. Sed quoniam latera ipsa complecti satis nõ possint, addito extremo cuncta teguntur, idque velut operculum obturat. Videtur prorsus locusta cartilaginosis illis particulis mandare oua, cum enititur, caudam adducens, & protinus comprimens, inflectensque sese, parere. Cartilagineæ verò illæ appendices per id tempus augentur, atque ouorum capaces redduntur. partus enim in iis recipitur, vt sepiarum in sarmentis, & qualibet colluuione collocatur. locustæ ad hunc pariunt modum. mox vbi ea sui corporis parte intra diem maxime vigesimum oua concoxerint, abigunt vniuersa, conglomerataque ita in idem, vt & foris congesta appareant. Tum ex eo locustę proueniunt intra diem maxime decimumquintum. & sępe minores, quam vt digiti magnitudinem expleant, capiuntur. excludunt igitur oua ante arcturum: abigunt iam concocta, atque absoluunt ab arcturo. Locustę & reliqua tenuioris crustæ ponunt oua super oua, atque ita incubant, Plinius.

Crustam veterem exuunt.

Theophrastus astacos, & squillas senectam exuere ait, Athenæus. Crusta sua, & locustæ & cancri, tam nuper nati, quàm post, exuuntur per Ver, quemadmodum angues membrana vernationis, quam senectutem appellant, Aristoteles. Locustæ & cancri vêris principio senectutem anguium more exuunt renouatione tergorum, Plinius. Locustæ inter marina, & astaci exuunt aut vere, aut autumno post partum. Iam captæ aliquæ sunt locustæ, mollem habentes partem superiorem, quod crusta iam circumrupta detractàque esset: inferiorem autem duram, quia nondum esset disrupta. non enim similis in his atque in anguibus exutio fit. latent locustæ menses circiter quinque, Aristoteles.

Corporis habitus.

Locusta (Omnia eius generis, Plinius) hyeme læditur, autumno & vêre pinguescit, & plenilunio magis, Physiologus. Locustis omnibus vita diuturnior data est, Aristoteles.

D

Cornibus inter se dimicant, Plinius. Dimicant inter se more arietum cornibus, quæ extollentes vibrantesque feriunt aduersarium. sed vniuersæ etiam plerunque tanquam gregis collegium visuntur, Aristoteles & Ælianus. Gregatim & aciebus instructis pugnant cum alijs aciebus generis sui pro pascuis, vel fœtu, vel fœminis, Albertus. Locustæ vel pisces maiores conuincere possunt. euenit vsu, vt locustis polypi superiores sint, & adeò, vt si eisdem in retibus senserit locusta polypum, præ metu emoriatur, Aristoteles & Ælianus. Polypum intantum locusta pauet, vt si iuxta viderit omnino moriatur. Locustam conger, rursus polypum congri lacerant, Plinius. Locusta ideo inimicitias cum Polypo graueis habet: quòd hic cum illius brachia circumplexus fuerit, aculeis, quos in dorso insitos habet, præclarè contemptis, & pro nihilo habitis, illam ipsam circumplicans, suffocat. Cuius sanè rei haud inscia Locusta, à Polypo summè refugit, Ælianus 9. 25. Carabum polypus odit, carabus murænam, Philes. Locustæ congros cõuincunt, nam elabi non queunt propter asperitatem, Aristoteles. Rursus con-

sus conger polypum superat. Qua ratione autem ex tribus istis vnusquisque à victi sui victo, hoc est ab alio, qui inferior sit illo quem ipse vincere solet,) explicatum est pluribus clariusque suprà in Congro D. Carabus murænas & congros intra brachiorum complexum nactus conficit quidem, nil læuore aduersus asperitatem proficiente. ipse verò intra polypi acetabula compulsus, perit, Plutarchus. Malum ingens (inquit Ælianus de animalibus 1. 32.) & morbus agrestis & inhumanus inimicitiæ, atq; odium inhærens, penitusque insitum: quod etiam ratione carentibus natura ingenuit inexpiabile, atque implacabile. Murena cum Polypo capitali odio dissidet. Polypus cum Locusta graues gerit inimicitias. Murænæ etiam teterrima hostis est Locusta, atque infestissima. Muræna polypo brachia abscindit, dentium firmitate: post autem in eius ventrem subiens, his malis eum, quibus verisimile est, afficit. Hæc enim è genere nantium est, ille verò serpentium more graditur. Quòd si Polypus in saxorum colorem se vertat, nihil ei astutiæ hæ fallaces prosunt. Muræna enim eius veteratoriam planè tenet. Cum verò Polypus Locustas à se comprehensas strangulârit, exugit carnes, atque earum succum exhaurit, ac nimirum Locusta cornibus erectis iracundia furens, in eum modum Murenam mulieri iratæ similem lacessit. Hæc igitur aculeos quibus hostis præmunita est, mordicus tenet. illa verò pedes acutos tanquam manus prætendens, vtrinque cuti inhærere fortissimè non intermittit. Muræna indignatur seseque huc & illuc versat, & acutas testas amplectitur, quibus confixa remollescit & succumbit: denique remissa iacet. Locusta ex hoste instituit prandium, Hęc Ælianus 1. 32. ex primo Halieuticorum Oppiani: vnde infrà etiam eadem copiosiùs in Muræna D, ex Pętri Gillij paraphrasi referemus. Horus locustam polypo superiorem facit, id quod falsum est. Vide inferius H. a. inter icones.

E

Ad carabos (capiendos:) Vbi mormyrum ad forte quid alligaueris, purpuras decem cum oleo contundito, & musci parum (καὶ βρύον τι μικρὸν, *And. Lacuna vertit, ex bryoque pauxillum miscens,*) inspuito, (sic Andr. Lacuna: exponito, Cornarius, Græcè est πτύσει) in saxum, & capies. Tarentinus in Geoponicis 20. 44. Carabus esca est cantharo pisci capiendo idonea, Oppianus lib. 3. Halieut. Locustam corpore rubenti, aculeato, & aspero esse constat: vt ex Suetonio etiam apparet: qui Tyberium (Cęsarem) ait apud Capreas piscatori faciem (os, Rondeletius) locusta perfricari (crudeliter dilacerari) iussisse: quòd ille à tergo insulę per deuia atque aspera, vt locustam dudum captam offerret, ad se improuisus erepsisset, Iouius. Vide in Mullo h.

F

Carabi apponuntur dipnosophistis apud Athenæum. Carabum & Astacum inter cæteros pisces lautiores Matron parodus in conuiuio quodam Attico appositos ait, apud eundem. Locustæ optimæ habentur cum grauidæ sunt, vt & reliqua testa crustaue intecta, Aristot. Vnum hoc animalium nisi viuum feruenti aqua incoquatur, fluida carne non habet callum, Plinius. Locustę coqui possunt similiter vt leones marini, (*astacos sic nominat:*) quæ ex genere cancrorum, sed leone maiores habentur, Platina. Ex Apicij libro 9. cap. 1. Ius in locusta & carabo induta: Cepam pallacanam concisam, piper, ligusticum, careum, cuminum, caryotam: mel, acetum, vinum, liquamen, oleum, defrutum: hoc ius adijcito sinapi in elixaturis. Locustas assas sic facies: Aperiuntur locustæ (vt assolet) cum testa sua: & infunditur eis piperatum, coriandratum: & sic in craticula assantur. cum siccauerint, adijcies eis in craticula quoties siccauerint, quousque assantur bene, inferes. In locusta elixa cum cuminato: Teres piper, ligusticum, petroselinum, mentham siccam, cuminum plusculum: mel, acetum, liquamen: si voles, folium & malobathrum addes. Aliter locusta: Isicia de cauda eius sic facies: Folium nardi, vuam prius demes & elixas: deinde pulpam concides: & cum liquamine, pipere & ouis isicia formabis. In locusta elixa: Piper, cuminum, rutam, nucleos: mel, acetum, liquamen & vinum. Idem Apicius lib. 2. cap. 1. Isicia (inquit) fiunt marina de cammaris, astacis, locusta, loligine, sepia. isicium condies pipere, ligustico, cumino, laseris radice. Carabi, cancri, squillæ, & similia: ægrè quidem coquuntur, multò tamen facilius quam alij pisces. conuenit autem ea assari potius quàm elixari, Mnesitheus. Locusta hyeme lęditur, autumno & vêre pinguescit, & plenilunio magis, Obscurus quidam ex Plinio. at Plinius hæc nõ de locustis tantum, sed omnibus huius generis (id est malacostracis) scribit. Galenus in aphorismos 2. 18. locustas inter ea quę tardiùs & paulatim alunt & difficulter concoquuntur, carabides nominat. Et rursus: Duræ carnis pisces difficulter concoquuntur & multum nutriunt, vt astaci, paguri, fluuiatiles & marini (*Vide ne hac differentia paguris, non carabis sit attribuenda*) carabi, & alia id genus. Celsus locustam minimè intus vitiari (*in ventriculo corrumpi*) docet. quem locum explicans Gulielmus Pantinus: Locustas (inquit) cum legis, tenui testa totum genus contectum comprehende: vt gammaros, cancros, astacos: quæ duritie carnis quadam, similiter ac testacea, constant. quanquam minus salsi humoris continent, & vix ægrè tandem concoquuntur. verum concocta firmum item præbent alimentum. Secus autem, crudum humorem mirum in modum accumulant. Carabum cibarijs Venerem mouentibus adnumerat Alexis. vide in Cochleis G. Locustas stomachicis in cibo conuenire docet Archigenes apud Galenum de composit. sec. locos 8. 4. Ostracoderma in cibo non admodum vtilia sunt partibus circa thoracem vlceratis & pus excreantibus: tamen cum humor (morbi causa) salsus & biliosus fuerit, nihil absurdi est præbere pectunculos, buccinas, astacos, locustas, Trallianus lib. 7. in capite de empyematicis.

G

Puerpera edat polypos, & locustas vt melius purgetur, Hippocrates lib. 1. de muliebribus. Carabi astacique (*coctiesitati,*) & eorum ius potum, contra dorycnij venenum prosunt, Dioscorides. Confectio medicaminis miri aduersum dysenteriam: Testam locustę, id est illam spinosam vel aculeatam quæ est iuxta caput, combures nitidè, & postea teres, vt in tenuissimum puluerem redigas: & sic ei qui ventris fluxu vel rasura laborabit, ex vino vetere, si non febricitabit: aut si inæqualis erit, ex calida aqua dabis: ita vt de singulis locustis testas singulas integras exustas per triduum bibat. mirè sanabitur, Marcellus empiricus.

H. a.

Κάραβος, animal marinum, inde dictum quod capite incedat, παρὰ τὸ τῇ κάρᾳ βαίνειν: hoc est capite multum

multum prominente: (*cancrorum enim genus capite caret.*) De naui etiam κάραβος dicitur: (*quod super carina videatur ingredi.*) κάρα enim carinam significat, Etymologus & Varinus. Καραβίδες, γραῖες, Methymnæis, Hesychius & Varinus. Ego carabides non alios quàm carabos esse puto, vt in A. dixi. ijdem autem vt aliquibus γραψαῖοι dicti sunt, nimirum ab aculeis πρὸς τὸ γράφειν καὶ χαράττειν idoneis: ita fortè etiã γραῖες alijs, id est vetulæ, à siccitate & scabritie testæ suæ, quam nimis exiccatam quoq; (vt & reliqua huius generis) veluti senectam exuunt. At Cęlius Rhod. simpliciter hunc locum ita vertit. Carabides vetulæ dicuntur apud Methymnęos. Αἰγιλοῦρος, carabus, Hesychius & Varinus: forsan à caudæ motu, à quo ęlurus etiam (id est felis) alio nomine ægilurus dictus videtur. Καρβάρεο, carabi, Iidem. Κήραφις, carabus, Iidem. Karbanus (*malim Karabus*) id est, cancer marinus, Syluaticus. Agasti (*fortè Astaci vel Locustæ*) sunt cancri marini, Idem. Κάραβος vocabulum est dactylicum Oppiano. Καραγος (Varinus nõ rectè habet Κάραβος) ὀθρασὺς (fortè τραχὺς) ψόφος, οἷον πρίων, Hesychius.

Epitheta. Carabi epitheta Oppiano vsitata sunt hęc: Αἰητήρ, τρηχύς, κεραιπνὸς, ὀξυπαγής.

Aristoteles carabos nominat, quos Latinè scarabeos tauros dicere licet, Cælius Rhod.

Carabus, genus edulij super prunis assi: & porta, Macedonum lingua: & qui in arentibus lignis succrescit vermiculus: & animal marinum, Hesychius. Καραβαία, lignum bifurcum, Hesychius & Varinus: nimirum quod similiter bifurcatur, vt carabi chela: furca. Αἰγίπυρος, herba quædam, vel carabus, Hesychius. sed pro herba legerim αἰγίπυρος. nam apud Varinum ægipyrus planta est spinosa, vel herbæ genus, folio lato, vt φακὸς: colore subglauco: vlceribus inflammatis vtile. Pro carabo autem αἰγίπυρος, eiusdem significationis videtur: cuius supra αἰγιλοῦρος. Ægipyros herba quasi caprarum triticum, quòd eam fortè appetant in pabulo, vel quòd ad promouendam in eis copiam lactis, sicut & cytisus, vtilis sit ipsis, eandem esse conijcio cum glauce. Glaux enim Dioscoridis cytisi aut φακῆ, id est lenticulę folia habet, quæ supernè virent, auersaque candidiora (*magis glauca nimirum, vt ab hoc colore ei nomen sit factum*) spectantur, &c. Nascitur iuxta mare. Coquitur cum polenta, sale & oleo, vt in sorbitione extincti lactis vbertatem reuocet. Quòd autem additur apud Varinum vlceribus inflammatis eam prodesse, ad glaucium herbæ refrigerantis succum, non ad glaucem retulerim. Quòd si folia lenticulę sunt, non erunt lata: vt in hoc etiam error sit apud Varinum: & in his verbis, τὸ δὲ φύλλον ἔχει πλατὺ ὥσπερ φακὸς, vel omittendum πλατύ: vel legendum, τὸ δὲ φύλλον ἔχει ὡς κύτισος ἢ φακός, ex Dioscoride: cuius tamen codex Græcus noster pro κυτίσῳ habet κιττῷ. Sed de ægipyro plura scripsimus in Corollar. de Capra.

Icones. Quòd si hominem Ægyptij (inquit Pierius Valerianus) municipij sui longè principem, sed tyrannica in ciues dominatione vtentem, notare vellent, polypum & locustam adpingebant. locustæ siquidem dominationem videntur in polypos exercere, primasque inter eos obtinere parteis, vt apud Horum legitur. Cæterum Aristoteles priores polypo tribuit. &c. *& verè quidem. vide suprà in* D. Popularis seditionis studiosum hominem (inquit alibi idem Pierius) significare qui volunt, locustas duas marinas sese inuicem incusantes pingunt. videre enim sæpe est vniuersas tanquam gregis collegium celebrare, dimicare interim inter se cornibus arietum modo, ac mutua flagellatione inuicem sæuire: & genuinum est ciuibus (inquit Pindarus) inuicem inuidere.

Propria. Callimedon rhetor Carabi cognomen est assequutus quòd eo cibo insigniter oblectaretur. Vixit is Demosthenis tempestate, opsophagia præcipuè celebratus. propterea in eum Alexis: Ὑπὲρ πατρίδος μὲν πᾶς τις ἀποθνήσκειν θέλει, Ὑπὲρ δὲ μήτρας Καλλιμέδων ὁ Κάραβος, Cælius. Ab eodem Alexide inter parasitos Καλλιμέδων ὁ Κάραβος numeratur. Pueri accedebant (inquit Athenęus lib. 3.) in discis ferentes carabos maiores Callimedonte rhetore, qui Carabus inde cognominatus est, quod hoc opsonio apprime delectaretur. hunc ait Alexis æneam statuam Στῆσαι Παναθηναίοισιν ἐν τοῖς ἰχθύσιν Ἔχουσαν ὀπτὸν κάραβον ἐν τῇ δεξιᾷ. Euphronis etiam elegantem hunc iocum Athenæus recitat: Οὑμὸς διδάσκαλος δὲ μήτραν σκευάσας Παρέθηκε Καλλιμέδοντι, κᾆθ' ἰονθ' ἅμα ἐποίησε πηδᾶν, ὅθεν ἐκλήθη κάραβος. hoc est, Magister meus (coquus aliquis) vuluam adeò lautè apparatam Callimedonti apposuit, vt ille voluptate & delicijs captus inter edendum saltârit, atque inde Carabi sit nomen adeptus. Et rursus libro 8. Callimedon quidam (inquit) φίλιχθυς καὶ διάστροφος τοὺς ὀφθαλμοὺς, Carabus cognominabatur. Vbi & Antiphanis versus hos recitat: Τὸν κάραβον δὲ τόνδε πρὸς τὰς μαινίδας Ἀπόδος. Παχύς γε νὴ Δί'. ὦ Ζεῦ: τίς ποτε Ὁ Καλλιμέδων σε κατέδετ' ἄρτι τῶν φίλων; Οὐδεὶς ὃς ἂν μὴ καταθῇ τὰς συμβολάς. Sarambus quidam caupo Carabus cognomine celebratur quod optima vina parârit, apud Athenæum lib. 3. Carambis, Κάραμβις promontorium Paphlagoniæ, παρὰ τὸ κάρα καὶ τὸ βαίνειν. caput enim eius multum in pelagus procedit, Etymologus: qui & carabi animalis eandem originem facit. Carabis, nomen loci, Suidas: legendum fortè Carambis.

b. Speusippus ex malacostracis similia esse scribit, κορακόν, (malim κάραβον,) ἀστακὸν, νύμφην, πάγουρον, &c. Athenæus. Squillæ Indicæ locustis maiores sunt, Ælianus. Cicada marina maxima parui carabi speciẽ similitudinemque gerit, Idem. Mensis remotis puer euerrat ὀστρέων κόγχους, καὶ καράβων ὄστρακα, Pollux. Oppianus dixit carabi, νῶτα ἐξυβελῆ, ἄγγος ὀξύπορον. & de eodem, σκληροῖσιν ἀρηρὼς γυῖα χιτῶσιν. Item, Ἐν δ' ἐπάγη σκολόπεσσι καὶ ὀξείῃσιν ἀκωκαῖς Ὀστράκου, de murena aculeis testæ locustę transfixa. Cornua locustæ idem poeta vocat κέντρα id est stimulos: & chelas eius δολιχάς, id est, oblongas cognominat: ijsque murænam ab ea comprehendi ait, & forcipibus comparat. Medicus apud Plautum à Menæhmo interrogat, an vnquam ei soleant oculi duri fieri. respondet ille: Quid, tu me locustam censes esse homo ignauissime?

f. Multi olim locustas in cibo affectasse dicuntur, Athen. Locustæ Scyriæ, id est, circa Scyrum captæ, ab Antiphane apud Athenæum commẽdantur. Piscantes circa quoddam Africę litus loco petroso, adulti quidem murenas & carabos bene magnos capiebant: minores verò natu, gobios, &c. Synesius in epistolis. Aristophanes in Thesmophoriazusis inter alios cibos carabum magnum nominat: Anaxandrides apud Athenæum carabos assos.

g. Ad dispnoicos, hepaticos, & nephriticos: In beryllo sculpe cornicem, & sub pedibus eius carabũ reclude, & modicum sauinæ, & modicum cordis volucris sub lapide, & porta vt vis, Kiranides lib. 1.

Mætij Quinti epigramma in carabi testam Priapo dicatã à piscatore, ex Anthologij lib. 6. sectione 3.

Ἀκταίης

Ἀκταίης νησῖδος ἀλεξάντοισι Πελώρῳ Χοιράδι, καὶ τρηχεῖ περιπόμενος σκοπέλῳ,
Σοὶ Πάρις ὀστρακόδερμον ἀπ' εὐθήροισι δαμέντα Ὀγρίπευς καλάμοις κάραβον ἐκρέμασε.
Σάρκα μὲν ἔμπυρον αὐτὸς ὑφ' ἡμίβρωτον ὀδόντα Θεὶς μάκαρ, αὐτὸ δέ σοι τοῦτο πόρε σκύβαλον.
Τῷ σὺ δίδου, μὴ πολλά: δι' εὐάγρου δὲ λίνοιο Δαῖμον, ὑλακτοῦσης νηδύος ἡσυχίην.

DE LOLIGINE MAGNA, TEVTHO GRÆCORVM, LOLIO GAZÆ, RONDELETIVS.

Insunt huic capiti communia quædam vtrique vel potius triplici loligini.

B

Teuthus & teuthis quid differant in magnitudine & figura & parui quoque teuthi esse genus quoddam. Lib. 4. de hist. anim. cap. 1. Figura. Ibidem. Lib. 4. de par. anim. cap. 9.

PRIVSQVAM ad loliginum historiam veniamus, de nominibus τευθὶς καὶ τευθὸς aliquid dicendum, ne nominum varietas rerum cognitioni obstare possit. Aristoteles lib. 4. de hist. animal. cap. 1. τευθίδα καὶ τευθὸν magnitudine differre scripsit, vt τευθοὶ maiores sint, τευθίδες minores. Sunt hæc eius verba. Τῶν τευθίδων οἱ τευθοὶ καλούμενοι ἐπὶ πολὺ μείζους. γίγνονται γὰρ καὶ πέντε πήχεων τὸ μέγεθος. Teuthidib. multò maiores sunt teuthi, quippe qui in cubita quinque excrescant. Athen. ex Aristotele cum de teuthide dixisset, subdidit: ὁ δὲ τευθὸς μόνῳ τούτῳ διαφέρει τῷ μεγέθει. γίνεται δὲ καὶ τριῶν σπιθαμῶν. A teuthide magnitudine sola teuthus differt: accrescit autem ad tres palmos maiores. Voruntamen parui etiam sunt teuthi. Aristoteles: ἔστι δὲ τὸ γένος ὀλίγον τῶν τευθῶν. Est etiam paruum teuthorum genus. Vides hîc τῶν τευθίδων καὶ τῶν τευθῶν in magnitudine discrimen. Præterea τῶν τευθῶν alios magnos, alios paruos esse. Iam verò figura etiam differre τὰς τευθίδας καὶ τοὺς τευθοὺς docet idem Aristot. Διαφέρουσι δὲ τῷ σχήματι τῶν τευθίδων οἱ τευθοί: πλατύτερον γάρ ἐστι τὸ ὀξὺ τῶν τευθῶν. ἔτι δὲ τῷ κύκλῳ πτερύγιον περὶ ἅπαν ἐστὶ τὸ κύτος. τῇ δὲ τευθίδι ἔλασσον. ἔστι δὲ πελάγιον ὥσπερ ἡ τευθίς. Figura à teuthidibus dissident teuthi. pars enim teuthorum quæ exit in acutum, latior est. Præterea pinnulæ totam aluum (*totum alueum, Gaza*) ambiunt. quæ in teuthide sunt minores, (*ἔλασσον Græcè, gen. neutro, quod referendum videtur potius ad τὸ ὀξὺ quàm ad pinnas, quanquam Gaza ad pinnulas retulit, his verbis: cum in lolligine partem aliquam relinquant.*) Pelagius verò est teuthus, veluti & teuthis. Et alio in loco Aristoteles de mollibus loquens: Πτερύγιον δ' ἔχουσι πάντα ταῦτα κύκλῳ περὶ τὸ κύτος, τοῖς δ' ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων συναπτόμενον καὶ συνεχές ἐστι, καὶ ἐπὶ τῶν μεγάλων τευθῶν. αἱ δὲ ἐλάττους, καὶ καλούμεναι τευθίδες, πλατύτερόν τι τοῦτο ἔχουσι, καὶ οὐ στενὸν, ὥσπερ αἱ σηπίαι, καὶ οἱ πολύποδες: καὶ τοῦτο ἀπὸ μέσου ἠργμένον, καὶ οὐ κύκλῳ διὰ παντός. Pinnam habent omnia hæc aluũ ambientem, quæ quidẽ in alijs iuncta continuaq; est, atq; etiam in magnis teuthis: minores autem quæ teuthides nominantur, latiorem habent, & non angustam veluti habent sepiæ & polypi, non totam aluum ambientem, sed à medio initium sumentem. Hac natant & se dirigunt, vt aues cauda pennis condita. Rursus hic habes, teuthos magnos, vt à paruis discernantur, & teuthidas paruas, earumque à teuthis differentiam.

Τευθὸς Gazæ lolius, nouo vocabulo. Plinius tum τευθὸν tum τευθίδα loliginem conuertit. Lib. 9. cap. 30. Lib. 5. de Hist. anim cap. 6. Τευθώδη, omnia mollia.

His declaratis, quibus nominibus τευθίδα καὶ τευθὸν veteres Latini expresserint, inquirendum. Gaza τευθοὺς lolios, τευθίδας loligines interpretatus est. At lolij vocabulo nullus veterum Latinorum, quod sciam, vsus est. Ideo nomen hoc à Gaza factum fuisse perspicuitatis gratia iudico. Etenim si eodem, loliginis scilicet nomine τευθίδα καὶ τευθὸν expressisset, incertam obscuramque interpretationem reddidisset. Plinius quem τευθὸν vocauit Aristoteles, loliginem Latinè dixit. Quę enim Aristoteles περὶ τευθῶν dixit: Γίγνονται γὰρ καὶ πέντε πήχεων τὸ μέγεθος, γίγνονται δὲ καὶ σηπίαι διπήχεις: Plinius sic conuertit: In nostro mari loligines quinûm cubitorum capiuntur, sepiæ binûm. Alibi quas Aristoteles τευθίδας dixit, Plinius etiam loligines interpretatus est. Αἱ δὲ σηπίαι καὶ αἱ τευθίδες νέουσιν ἅμα συμπεπλεγμέναι, τὰ στόματα καὶ τὰς πλεκτάνας ἐφαρμόττουσαι, καταντικρὺ ἀλλήλαις νέοντες ἐναντίως. Plinius: Sepiæ & loligines coeunt linguis componentes inter se brachia, & in contrarium nantes. Ex quibus efficitur, vt interim maculam vnam deleamus, pro νέουσι legendum esse ὀχεύουσι vel ὀχεύονται. Idem confirmat ipse contextus & Gazæ interpretatio. His addam ex Athenæo lib. 7. mollia omnia τὰ τευθώδη nominata fuisse. Μαλάκια, inquit, καλεῖται τὰ τευθώδη. Quare cum Plinius & veteres alij loliginem dixerint, eodem nomine semper vtemur. Dicemusque aliam loliginem esse magnam, aliam paruam, illudque inter has discrimen esse quòd Aristoteles explicauit.

A B

Loligo igitur magna, quæ τευθὸς rectè dicitur, ea est quam calamar nostri vocant, à thecæ scriptorię (*quam calamarium vulgo nominant*) similitudine: siue quod in ea reperiantur, quæ ad scribendum necessaria sunt, videlicet atramentum & gladiolus, qui altera parte cultrum, altera calamum siue pennam refert, minimè verò officula duo vt quidam (*Grammaticus aliquis in Promptuario linguæ Lat.*) impudenter contra αὐτοψίαν scripserunt, quorum alter cultri, alter calami loco sit. Prouinciales tothenã corrupto nomine pro teutho vocant. Baionenses cornetz & corniches magnam loliginem à parua distinguentes.

B

Cum sepia quid ei commune, diuersum.

Piscis est pelagius, gregalis, ex mollium genere, pedibus, promuscidibus, capite, oculis, ore, lingua, fistula, partibus internis quibusdam, coeundi modo, sepiæ similis. His verò dissidet. Corpore est longiore, rotundiore, in acutum desinente. Sepia breuior est & latior, durioreque carne. Sepiæ os internum in prona parte situm quod sepium vocatur, robustum, latum, media natura inter os & spinam, friabile quid & fungosũ continens. Loliginis τὸ ξίφος, id est, gladius, tenuis est, angustus, cartilagineus, pellucidus;

lucidus. Promuſcis dextra craſſior. Atramentum nigrum non infra vt in ſepia, ſed prope mutin. Pinnulæ latiores ſunt quàm in ſepia, non totam aluum ambientes, & in angulum acutum in lateribus deſinentes. Loligo mas à fœmina differt, quòd intus meatus duos habeat, quibus mas caret, ſicuti in ſepijs euenit. Quamobrem errant qui loliginem fœminam eſſe putant, lolium verò à Gaza nominatum, marem, cùm etiam in lolio differentia maris & fœminæ modo dicta reperiatur. Præter atramentum, ſuccum quendam purpuraſcentem continet, vnde ſubpurpureas loligines coctas reddi puto. Hunc ſuccum loliginem in metu effundere, vt ſe ſeruet, ſcripſit Oppianus lib. 3. ἁλιευτικῶν, quemadmodum à ſepia atramentum, negatque loligini atramentum eſſe. Ταῖς δ' ἴσα τεχνάζουσι καὶ ἠερόφοιτα γένεθλα Τευθίδες: οὐ δ' ἄρα τῇσι μέλας δολὸς, ἀλλ' ὑπέρυθρος Ἐντρέφεται: μῆτιν δὲ πανείκελον ἐντύνονται. Hac in re ab Ariſtotele diſſentit Oppianus. Ariſtoteles enim autor eſt mollia omnia viſceribus carere: ſed mutin habere, & atramentum, quod omnia in metu effundunt.

Sexus differentia. — *Atramentum eis ineſſe, & (D) inſuper ſuccum quendam purpureũ.* — *Lib. 4. de hiſt. cap. 1.*

C Parit loligo oua connexa ſepiarum modo, in in litore vt ſepię, ſed in alto: quam ob cauſam rarius oua loliginum quàm ſepiarum inueniuntur. Promuſcidibus cibum capit orique admouet ſepiarum more. Neque huic, neque ſepiæ bimatu vita longior.

F Habetur hodie inter delicatos & bonos cibos. Sed de carnis ſubſtantia & præparatione proximè dicetur.

DE LOLIGINE PARVA, QVAM TEVTHIDEM *Græci vocant, Rondeletius.*

Vide quædam huic communia in præcedenti capite.



A Loligo parua ea eſt quæ à Gallis, præſertim Santonibus, caſſeron dicitur: à noſtris glaugio, corrupta voce, opinor, ex gladiolo. quanquam Monſpelienſes noſtri calamar & glaugio ſæpe confundant. Alij magnitudine diſtinguunt. Τευθὶς eſt Ariſtotelis: nunquam enim in magnitudinem accreſcit.

B Pinna lata inferiore loco oritur quàm in loligine magna, quam τευθὸν appellauimus cum Ariſtotele. præterea extremum acutius eſt, gladiolus etiam ipſe acutior: quibus notis τευθίδα à teutho ſecreuit Ariſtoteles. Alioqui pediculorum numero, promuſcidibus, oculis, capite, corporis forma, gladioli ſubſtantia, atramentro, denique partibus omnibus tum internis, tum externis perſimiles ſunt.

F Mollitie & teneritudine carnis præſtant loligines paruæ, magiſq; à noſtris commendantur. Hæc Athenæus de teuthide ex Ariſtotele: Ariſtot. ſcribit teuthidem (loliginem paruam) ex gregalib. eſſe, in plurimis ſepię ſimilem, maximè pedum numero, promuſcidibus. Pedum autem alij minores, qui inferiores: alij maiores, qui ſuperiores ſunt. Ex promuſcidibus dextra craſſior. Huius corpuſculum totum tenerum ac longiuſculum eſt. Habet autem in veſica humorem, non nigrum, ſed pallidum, teſtam (oſtracum) paruam admodum & cartilagineam. Quæ omnia perappoſitè quadrant, & ex Ariſtotelis ſententia dicta ſunt, præter illud quod de atramento dicit: negat enim nigrum humorem Teuthidi ineſſe, cum Ariſtoteles mollibus omnibus τὸν θολὸν tribuat, id eſt, atramentum quod in metu effundunt, vt eo infuſcata aqua abſcondantur. Quare quum Athenęus atramenti vice humorem pallidum loliginibus ineſſe ſcribit: mutim quæ pallido vel ſubflauo humore ſuffuſa eſt, pro humoris huius folliculo ſiue veſica vſurpauit. Atrum loliginis humorem μεταφορικῶς pro liuore hominis atri, id eſt, maleuoli poſuit Horatius: Hic nigræ ſuccus loliginis, hęc eſt Ærugo mera. Vbi Porphyrio ex loliginis ſucco liuorem mentis vult intelligi, ex ærugine venenum.

Libro 7. — *Contra Athenæum de atramenti colore.* — *Lib. 1. ſermo. ſatyra 4.*

C Loligines paruę ob mollitiem à multis carniuoris piſcibus expetuntur, maximè à lupis marinis, ſed volatu vitæ ſuæ conſulunt, teſte Oppiano.

Volatus. — *Lib. 1. ἁλιευτικῶν.*

Ἠέρα δ' αὖ τέμνουσι καὶ εἰνάλιοί περ ἐόντες Τευθίδες, ἱρήκων τε γένος, βυθίη τε χελιδών.
Οἱ δ' ὅτε ταρβήσωσιν ὑπέρτερον ἐγγύθεν ἰχθὺν Ἐξ ἁλὸς ἀνθρώσκουσι, καὶ ἠέριοι πέτονται.

Quanquam etiam ſine metu & citra periculum loligines extra aquam volitantes ſeſe efferant, tanta multitudine aliquando vt nauigia demergant, inquit ex Trebio nigro Plinius, quod omnino incredibile non eſt. nam loligines plurimæ mutuò ſeſe complexæ natant, qua de cauſa euenit vt multæ ſimul capiantur.

Lib. 32. cap. 2.

A Plutarchi interpres τευθίδας gladiolos interpretatur, non ſatis rectè, cum longè alius ſit piſcis qui à Latinis gladius, à Gręcis ξιφίας dicatur. *Monſpelienſes quidem hunc piſcem glaugio vocare quaſi gladiolum, ſuprà dictum eſt: audio & circa Rupellam in Gallia, eadem ſignificatione Conteau nominari, ſiue per ſynecdochen ab oſſis ſiue ſpecie, ſiue ab alui eius ad capulum cultri ſimilitudine.*

H.h. Minimè ſilentio prætereundum perelegans Themiſtoclis in Eretrienſes ſcomma, quo eos timidita-

tis &

tis & ignauiæ notans loliginibus ſimiles eſſe dixit, & μάχαιραν μὲν ἔχειν, καρδίαν δὲ οὐκ ἔχειν, id eſt, habere quidem gladium, cor verò non habere: *vt annotauit Cælius Lection. antiquarum 24. 28. ex Plutarcho.*

Vilem hunc fuiſſe piſciculum præſertim Athenis indicat prouerbium inde ſumptum, vt qui ita inopia premeretur, vt ei viliſſima quæque corroganda eſſent, etiam teuthide egere diceretur. Ariſtophanes in comœdia cui titulus Ἀχαρνῆς: Οὐκ ἔτ' ἴδοιμι τευθίδος δεόμενον, id eſt, quem etiam videam teuthide egentem. (*Meminit Suidas in* Τευθίδες: *& Cælius Antiquarum lectionum 24. 28.*) Contra hoc tempore loligines paruæ à diuitibus, & à gulæ proceribus maximè appetuntur, & magnopere commendantur, præſertim à perito coquo apparatæ. Sunt autem cum atramento ſuo coquendæ, & oleo ſiue butyro, pipere, omphacio condiendæ. Alij farina conſperſas cum oleo vel butyro in ſartagine frigunt. Sed mihi duriuſcula carne ac proinde difficilioris concoctionis eſſe videntur, maximè ſi paulò grandiores ſint. Alexis (citante Athenæo) in Eretrico coquum exponentem facit, quonam pacto ex loligine placentæ, ſiue libi, ſiue farciminis genus fieret, ſcilicet abſciſſis pinnis, infarcta pinguedine, & aſperſis recentioribus & delicatioribus aromatis. Atque id farcimen (τέμμα *quoddam [panificij genus intelligo] ab Iatrocle in Artopœico teuthidem vocari Pamphilus refert, Athenæus*) etiam τευθίδα appellatum fuiſſe ſcripſit Pamphilus. Τευθὶς, τέμμα πλακουντῶδες Varinus. *Panificij aut placentæ genus fortè fuit inſtar teuthidis in cirros quoſdam diuiſum.* F

Lib. 7.

DE LOLLIGINE BELLONIVS.

Lolligo longiori, quàm Sepia, corpore prædita eſt, atque eodem modo mollis eſt. Pinnulam habet non adeò anguſtam, neque per totum alueum circumactam, ſed de medio orſam. B

Gallis Caſſeron vocatur: Romanis, Venetis ac Neapolitanis Calamaro, quaſi atramentarium dicere vellent: Genuenſibus & Maſſilienſibus Totena: ijs verò qui Baionã incolunt, Cornet vel Corniche. A

Octo cirros vt Sepia habet, multò quàm Polypus breuiores, Sepia tamen longiores. Atramentũ nigrum continet Sepiæ modo. Grandem quoque habet aluum & fiſtulam vt Sepia: gladium etiam in tergore, alteri tantum huius parti inhærentem. Duo crura ſiue duas proboſcides longas exerit ex cirrorum congerie, teretes, multis in extremo torulis ſeu acetabulis concauas, quibus cuncta quæ venatur, capit, & ori admouet: & ad ſaxa quibuſdam veluti iactis anchoris confirmat. His etiam vtitur, quoties de more palpat, & piſciculos retinet: quibus maiores quoque nonnunquam euincit. Roſtrum porrò illi eſt Pſittaco ſimillimum. B

Lolligo diligenter, quicquid in ſtomachum demitttit, roſtro atterit. quocirca cuncta, quæ in eius ſtomacho percipiuntur, pulmenti faciem habent. C

Bina ſunt illi ventris conceptacula, vt & alijs mollibus: ſed alterum magis ingluuiem imitatur. Inter Lolliginem marem & fœminam hoc intereſt, quòd fœmina inteſtina contineat duo, quibus mas omnino caret. B

Coeunt ora applicantes, & brachia inter ſe complectentes, pariuntque in alto. Sola enim ex mollĩũ genere pelagia eſt Lolligo: conſertumque ac continuum huic ouum quale Sepijs eſt. Viuendi quoque ſpatium vt Sepijs breue. nam exceptis paucis, bimatum non complet. Inter eos piſces qui ſe extra aquã in aere efferunt, Lolligo numeratur ab Oppiano his verſibus: C

Volatus.

Lolligo, miluuſque rapax, & mitis hirundo,
Cum timeant magnum venientem è marmore piſcem,
Proſiliunt ponto ſcindentes aera branchis, (pinnis.) Et paulò pòſt.
Effugit horrendos piſces hominemque ſagacem Lolligo.

Eſt autem, vt Diphilo placet, concoctu facilior quàm Sepia, atque ori magis grata: quanquam vterque vilis eſt piſcis apud omnes nationes. F

DE LOLLIO, BELLONIVS.

Lollius, Romanis ac Venetis Totena dictus, ipſa quidem Lolligine maior eſt, vt cubitorum interdum quinque eſſe ſoleat, inquit Ariſtoteles. Exteriore quoq; corporis nota aliquantulum à Lolligine diſcernitur. Pars enim Lollij, quæ exit in acutum, in Lolligine latior eſt. Quinetiã pinnulæ totum Lollium ambiunt, (*pictura Rondeletij hoc non oſtendit*) iunctæ perpetuæque, quæ alioqui in Lolligine partem aliquam vacuam relinquunt. Minus autem accedit ad Polypum quàm Sepia. nam corpus ei oblongum eſt, cartilagineum, duabus pellibus obductum: gladium arctiorem & magis cartilaginoſum in tergore continens, tranſlucidum vitri modo, tenui theca incluſum. roſtrum aquilinum, pſittaci figura. Sed eodem modo atramentum, quo Sepia, emittit. & cirros octonos habet, breues tamen: in quibus totidem acetabula conſpicies, quot in Sepijs. Ac præter illos octonos, duo quoque longa flagella ſeu promuſcides multis in extremo acetabulis circunſeſſa videbis: quibus à longè cancros, vrſos, aſtacos, paguros, & omne piſciculorum genus arripit. Porrò Lollij acetabula, præter Sepiarum & Polyporum morem, tribus introrſum aculeis oſſeis robuſtis, in gyrum munita ſunt: quib. veluti vncinis arripit quod cupit, vt non omnino ſit tutum Lollium manu in ipſo mari contrectare ac prehendere. Latas in gyrum diffundit pinnas: à cuius ore corneo gula prætenditur anguſta, & vſque ad ſtomachum longa, quem habet ampliſſimum, atque adeò ingluuiem oblongam, quæ hunc præcedit. (A) B

Quicquid exeſt, multum ante comminuit ac mandit. Non ſecus natat, ac Polypus & Sepia. C

Eius caro eadem eſt eſt quæ & Sepiæ vel Lolliginis, atque eodem modo cum ſuo atramento elixari ex aceto ſolet. F

COROLLARIVM I. DE LOLLIO, VEL *Lolligine maiori.*

Lollius à lolligine an ſpecie differat, an ſolo ſexu, quod ſcilicet lollius mas ſit, lolligo fœmina, conſiderandum: videbitur certè eadem ſpecies ex Ariſtotele, tam libro hiſtoriæ quarto, quam quarto de partibus. Wottonus. Nicandri etiam Scholiaſtes Græcus τευθὸν marem eſſe putat, τευθίδα fœminam. Sed Rondeletius ſpecie quoque hos piſces differre, ſatis oſtendit. Lollium, qui maior eſt Lolligine, & A

pinnas

pinnas propius accedentes ad extremam caudam habet, Massilienses quasi Latinè nuncupant Lollium. ad Sepiæ quidem similitudinem accedit, sed & longior & strictior est: octo pedibus, ijsque quam Polypi minoribus nititur, Gillius. Τευθὸς in nostris Aristotelis codicibus plerunque oxytonum scribitur: vnde & genitiuus pluralis τευθῶν vltimam circunflectit: quem tamen etiam paroxytonum reperias τεύθων (lib. 4. cap. 1. hist. anim.) à recto singulari penanflexo τεῦθος: sicut apud Athenæum quoque scribitur. Hoc peculiare, τεῦθος & τευθὶς, species significare diuersas: cum in alijs plerisq; piscium nominibus similiter dicatalectis, nihil diuersum nisi fortè sexu tantum indicent. *Piscium nomina in is terminata* Cantharus & cantharis, piscis vnus videtur. sic cammarus & cammaris: carabus & carabis: phycus & phycis Wottono. at batus & batis sexu differunt, vt thynnus quoq; & thynnis. Ex his fœminina in is omnia apud Græcos oxytona sunt: masculina in os barytona. nisi quis τευθὸν excipere velit: ego propter analogiam, & ea quæ citaui loca authorum, τεῦθον quoque barytonum fecerim: vti apud Nicandrum quoq; reperio in Lepore mar. & eius Scholiasten. Calamaro nomen Italis vsitatum est pro lolligine minore: ei similem esse aiunt qui vulgò Totano dicatur, Lollium intelligo: quanquam aliqui per e. in penultima scribunt, Totena, Romanis ac Venetis de Lollio vsitatum nomen, vt Bellonius: Genuensib. verò & Massiliensibus, de Lolligine (*minori*) Rondeletius similiter per e. scribit, & Prouincialibus Lolium (id est Loliginem maiorem) sonare docet. De Germanico nomine dicetur paulò post in Lolligine minori. Ἔστι δὲ τὸ γένος ὀλίγον τῶν τευθῶν. διαφέρουσι δὲ τῷ σχήματι τῶν τευθίδων οἱ τεῦθοι, Aristoteles historiæ 4.1. Gaza sic vertit: Sed lolliorum (teuthorum) genus pusillum admodum est, & facie quoque à lolligine diffidens. Mihi verò Aristotelis sententia hæc videtur: Cum paulò antè dixisset: Teuthi multò maiores sunt quàm teuthides: subiungit: Est autem & paruum quoddam teuthorum genus. Differunt præterea teuthi & teuthides figura quoque. Similiter & Rondeletius sentit: sed Gazæ translationem non reprehendit: nec Græca Aristotelis verba emendat. apparet sanè legendum, ἔστι δέ τι (nō τὸ) γένος ὀλίγον, &c. vel Ἔστι δὲ καὶ γένος ὀλίγον.

B Teuthus à teuthide magnitudine tantum differt. accedit autem ad tres dodrantes. colore subrusso est, ὑπέρυθρος. Ex dentibus inferior in eo minor est: superior verò maior. vterque niger, & accipitris rostro figurâ non absimilis. discisso alueo ventriculus suillo similis videbitur, Athenæus tanquam ex Aristotele. Aristoteli teuthi pisces sunt molles: peculiares binas sortiũtur promuscides, &c. Vide in genere de mollibus.

C Teuthi gregales sunt, Aristot. Teuthum & sepiam breuis esse vitæ Aristoteles author est, Athenæus.

Loliginis maioris hanc formam, etsi minus exquisitam quàm Rondeletij opinor, vt Venetijs olim mihi confecta est, addidi.



COROLLARIVM II. DE LOLLIGINE *minore, & de Lolligine simpliciter.*

A Loligo vt & cætera mollia, ossibus, sanguine & visceribus carent, Ælianus. Loligo sic dicta est quasi Voligo, quòd subuolat, litera commutata prima, Varro. Sed hæc origo primam breuem requireret, quæ tamen produci solet, ab Horatio, Ouidio: & per l. duplex à Gaza & alijs recentiorib. ferè scribitur: doctiores plerique l. simplici scribunt, veterum opinor codicum imitatione. nonnulli in carmine gemino l. scribi debere tradunt, cum producitur: tanquam innuant, corripi etiam posse cum per simplex l. effertur: vt relliquiæ, relligio. Vligines indocti quidam (vt Syluaticus) pro loligines dicunt. Lolliginem Ligures, atque plerique alij Itali ex eo Calamarium appellant. A Massiliensibus etiam nunc antiquitatis suæ retinentibus Taute appellatur, quasi Græcè τευθὶς, Gillius. Hispanis etiam Calamar vocatur. Sepias & lolligines Germani vna voce vocant *Blackfisch* ab humore atramento simili, quem habent loco sanguinis. eum enim humorem Germani *black* appellant, Eberus & Peucerus. Anglis *blak* nigrum significat. Adamus Lonicerus sepiam duntaxat *blackfisch* appellari scribit. Quòd si generale nomen hoc ad mollia faciamus, species sub eo contentas differentijs adiectis, Germanis nostris ita interpretabimur: Loligo maior, *ein grosser langer Blackfisch*. Loligo minor, *ein kleiner langer Blackfisch*.

Sepia, *ein breiter Blackfisch. Diese drey haben all kurtze Fueß, ein grosslachten Leib, kommen nit gehn.* Polypus *ein Blackfisch mit eim kleinen Leib, vnd langen Fuessen, darauff er auch gehen kan.* Sepiam quidem Angli vocant *Cuttel* vel *Cutle*: quòd carnis mollitie & substantia, intestina quadrupedum referat. inde genus omne mollium Germanicè rectè nominabimus *Kuttelfisch*, (vocabulo nostræ dialecto magis cõueniente quam *Blackfisch*,) & differentias præscriptas adijciemus. vel sic, Lolligo *ein Raankuttel*: nam *raan* gracile & oblongum nobis significat. Germani presertim superiores ad quos aduehitur, Sepiam *Meerspinn*, id est Araneum marinum nominant. quo nomine si quis pro genere vti voluerit, vtatur: mihi quidem non placet, quoniam alia quoque marina quædam animalia, præsertim crustata, araneæ nomine veniunt, vt suprà in A. elemento ostendi. Quòd si quis commune Gallis, Hispanis, & Italis calamarij de loligine nomen, Germanicum facere voluerit, & expresso magnitudinis discrimine duo eius genera distinguere, sic efferat licebit: *Kleiner Schreibzeug: Grosser Schreibzeug.* Loliginem piscem quem Itali calamarium vocent, *Sleue* ab Anglis nominari, Io. Fauconerus me docuit.

In Ponto sepia non est, cum loligo reperiatur, Plinius. Speusippus sepiam & teuthidem similes esse B ait. Loligo sepiæ similis est, verum oblongior & angustior, (nam sepia latior est, Aristoteles.) Sepias quoque & loligines eiusdem magnitudinis, (*cuius Polypus, ad Carteiam captus, hoc est, pondo* DCC.) expulsas in litus Bæticum, Trebius Niger author est. In nostro mari loligines quinum cubitorum capiuntur, sepiæ binum, Plinius. Inest loligini gladiolus perspicuus & crystallo persimilis. Eidem & sepiæ, sunt barbæ, crines & acceptabula, aliquanto breuiora quàm polypo, quibus escam corripiunt: corporum verò aluei, aliquanto capaciores quàm in polypis: quod natura prolixioribus postea capillamentis in polypo compensauit, Iouius. Aquatilium mollibus ossa nulla: sed corpus circulis carnis vinctum, vt sepiæ atque lolligini, Plinius. Inter lolliginem marem & fœminam hoc interest, quòd fœmina intestina continet duo, veluti mammas: quæ si aluo dissecta inspectes, facile videris. Mas omnino ijs caret, Aristot. Mollia sunt loligo, sepia, polypus, & cætera eius generis. his caput inter pedes & ventrem: pediculi octoni omnibus, Plinius. Sepiæ, lolligini & lollio alueus amplus est, crura breuia, ita vt potestas nulla sit ingrediendi, cum polypi vel ingredi possint. Eadem genera peculiares binas sortiuntur promuscides, longas, asperiusculas: quibus capiunt & ad ora admouent cibos, Vuottonus ex Aristotele & Plinio. Cæteri (*id est reliqui sex pedes*) cirri sunt quibus venantur, Plinius. Ὀκτάποδα quædam animalia sunt, vt mollia in mari, Polypus, sepia, teuthis: inter insecta scorpius, de quo prouerbium extat, Octapedem excitas. Lolliginum ligulas Apuleius dixit Apologia 1. Proboscis, προβοσκὶς, de elephantis dicitur, (& pronomæa quoque,) προνομαία: nec impropriè idem vocabulum in muscis quoq;, sepijs & loliginibus vsitatum est, Athenæo teste. Nos de proboscidis voce plura in Elephanto diximus. Sepijs & loliginibus oua gemina apparent: quoniam vulua earum ita articulata est, vt bifida cernatur, Aristot. de generat. 3.8. Lolliginibus bina conceptacula ventris speciem gerunt: sed alterum minus ingluuiem imitatur, & tactu discrepat. quoniam corpus etiam totum carne molliore constat. Eædem & polypi suprà apud mutim positum atramentum habent, Aristot. de partibus. Loligini partes duræ ac solidæ intus per dorsum & corporis prona continentur, gladiolum vocant, Idem. in sepia priuatim sepium vocatur, quod tamen vocabulum etiam pro gladiolo vsurpat idem author in opere de partibus alicubi, Gaza interprete scribens: Lolligo sepium cartilaginosum ac tenue gerit, & minus atramenti continet quàm sepia. Locus iam non occurrit, & an Græcè etiam sepium hic legatur, dubito. Albertus & Isidorus imperitè lolligini squamas adtribuunt.

Sola è genere mollium pelagia est lolligo, Aristoteles interprete Gaza. sed hoc in loco Græcè τευθὶς C legi, quem Gaza lollium vertit, à Vuottono animaduersum est: vt Gaza videatur legisse τεῦθοι. Ouidio lolligo inter litorales pisces numeratur. Sepiæ & loligini pedes duo ex octonis longissimi & & asperi, quibus ad ora admouent cibos, & in fluctibus se velut anchoris stabiliunt: cæteri (sunt) cirri, quibus venantur, Plinius. Sepiæ & loligines binas, quibus pascuntur, promuscides (προβοσκίδας, vt ita appellem, propter figuram earum simul & vsum) prætendunt. Eisdem (ταῖς αὐταῖς προβοσκίσι) veluti anchoris, cum tempestas & fluctus mare agitant, petris firmissimè adhærentes, aduersus omnem concussionem ac fluctuationem tutæ existunt. Et rursus cum tranquillitas redierit, ijs solutis liberè natant, non inutili hac scientia, qua se contra hyemem & pericula muniunt, instructæ, Ælian. de animalib. 5.41. *Volatus.* Lolligo tum pedibus tum pinnis natat, Aristot. Loligo etiam volitat extra aquam se efferens, quod & pectunculi faciunt, sagittæ modo, Plinius. Vbi Massarius: Hoc (inquit) excerpsit à Trebio Nigro, & M. Varrone, vbi de lingua Latina dicit: Loligo (*dicta*) quòd subuolat, litera commutata prima voligo. Trebius Niger loligines euolare ex aqua tradit, tanta multitudine vt nauigia demergant, Plinius. Loligines, accipitres marini, hirundo pelagia cum quippiam metuunt, ex mari exilire dicuntur: ac loligines quidem pinnis suis longissimo & sublimi tractu & gregatim more auium efferri. hirũdines verò humilius volant. accipitres paulò supra summam aquam maris tolli solent, vt natentne an volitent ad iudicandũ sit difficile, Ælian. 9.52. ex Oppiani Halieut. 1. Loligo alis (*pinnis*) suis in aerem se attollit. sed quia flatus ventorum sustinere non potest, paulò post vbi ventis cõcutitur, ad aquas redire cogitur, & in profundum relabitur, Isidorus & Albertus. Loligo & polypus atramentum præ metu mittunt: sed accrescit denuo postquam miserunt, vt nunquam copia desit atramenti Aristot. Loligines atque sepiæ vel maiores pisces euincunt, Aristot. Loliginum idem coitus est qui mollium omnium. Aristoteles *Coitus.* libro. 5. histor. cap. 6. de coitu ipsorum loquens: primum in genere, similiter omnia coire inquit: ore scilicet iuncto ex aduerso, & cirris ad cirros applicatis. Sed polypus (*fœmina nimirum*) quod in eo caput vocatur, ad terrã inclinat, eiq; innititur. Sepiæ verò & loligines νέουσιν ἅμα συμπεπλεγμέναι, τὰ στόματα καὶ τὰς πλεκτάνας ἐφαρμόττουσαι καταντικρὺ ἀλλήλαις, νέουσαι ἐναντίως. id est natant inuicem complicatæ ex aduerso, ita vt os ori, cirri cirris respondeant è regione, natantes (*interim*) in contrariũ. Nasum etiam dictũ (τὸν μυκτῆρα) alter in alterius nasum inserit. Hoc in loco Rondelet. pro νέουσι ponit ὀχεύουσι vel ὀχεύονται: quod quidem clarius dicitur, si quis iam recitata Aristotelis verba seorsim consideret. si verò apud ipsum Aristotelem argumentum, hoc est ea quæ præcedunt & sequuntur, respicias: nihil mutari opus est. tra-

ctat enim ex professo de animalium coitu. & cum polypos terræ niti dixisset in coitu, ὁ μὲν οὖν πολύπους ὅταν τὴν λεγομένην κεφαλὴν ἐρείσῃ πρὸς τὴν γῆν, &c. sepias & loligines natare simul & coire subiungit: natando autem vtrunq; sexum in contrarium ferri, vtpoti corporibus è regione & ex aduerso applicatis. Athenæus quoque & Eustathius Aristotelis verba recitantes, νέουσι legunt. Plinius lib. 9. cap. 51. Sepiæ & loligines (inquit) coëunt linguis, componentes inter se brachia, & in contrarium nantes, ore & pariunt. Sed polypi in terram verso capite coëunt. reliqua mollium tergis, vt canes. Qui locus cum ex Aristotele sit conuersus, linguis tamen mollium vlla coire is non dixit: sed neque tergis vt canes. In verbis Aristotelis ἅμα συμπεπλεγμέναι τὰ στόματα καὶ τὰς πλεκτάνας ἐφαρμόττουσι, nostri codices rectè post συμπεπλεγμέναι distinguunt, & sequentia pariter construunt, hoc est στόματα similiter vt πλεκτάνας referunt ad ἐφαρμόττουσι: apud Athenæum verò recitantem, distinctio est post στόματα: quod Plinium induxisse videtur, vt ore & linguis ea coire putaret: cum tamen proximè dixerit Aristoteles eundem coeundi modum mollibus cunctis esse. κατὰ στόμα γὰρ συμπλέκοντες, &c. sed longè aliud ei est συμπλέκεσθαι, aliud ὀχεύειν & σπερμαίνειν, quod non animaduerit Plinius. quamobrem quòd Gaza etiam lib. 1. cap. 15. de generatione animalium vertit, mollia ore coeunt, non probo: cum Græcè legatur συμπλέκεται. Aristoteles certè de partibus 4. 5. mollia non linguas, sed pro ijs carnosum quiddam habere tradit, quo voluptatem esculentorum discernant. *Partus.* Ore etiam parere sepias & loligines, vt contra Aristotelis sententiam, sic omnino contra naturam Plinius dixit. Scio legi hęc Aristotelis verba historiæ 5. 6. Ἐκτίκτει δὲ κατὰ τὸν φυτῆρα καλούμενον, καθ' ὃν ἔνιοι καὶ ὀχεύεσθαί φασιν αὐτάς. Gaza reddit: Pariunt (*sepiæ nimirum & loligines, forsan & polypi: nam & de ijs simile quid proximè dixerat*) ea sui corporis parte, quæ fistula dicitur: qua & coire eas nonnulli arbitrantur. Sed hoc ex vulgi, vel piscatorum quorundam potius quàm sua sententia ab Aristotele dictum apparet. alioqui dubium non est quin & coitus & partus eadem omnino parte, non locis diuersis, fiant. Gazam video pro φυτῆρα legisse φυσητῆρα. sic enim aliqui vocant fistulam seu foramen, qua animalia quædam aquam cum cibo receptam reijciunt: Aristoteles αὐλὸν vocare solet: vt lib. 8. historiæ cap. 2. Quibus per cibum (inquit) humor illabitur, ijs fistula (αὐλός) in sanguineo genere data est, (*vt cete:*) mollibus etiam & crustaceis hoc idem adhibitum est. Ego κατὰ τὸν μυκτῆρα καλούμενον, legere malim. quoniam & proximè τὸν καλούμενον μυκτῆρα nominauit, hoc est appellatum nasum in mollibus: nasus enim verus (hoc est figura simul & vsu nasus) non habetur nisi in sanguineis respirantibus. & polypum marem paulò antè dixerat, existimatum eius à nonnullis genitale in vno crinium, inseri εἰς τὸν μυκτῆρα τῆς θηλείας. Et rursus de loliginibus & sepijs: ἐναρμόττει δὲ καὶ τὸν καλούμενον μυκτῆρα εἰς τὸν μυκτῆρα. Sed siue fistulam siue nasum legamus: neutrâ istarum partium vel coire reuera vel parere possunt mollia. Clarius sententiam suam exponit Aristoteles lib. 1. de generatione anim. capit. 15. Mollia (inquit) ore iunguntur, renixu complexuque mutuo brachiorum. sic enim coniungi necesse est: quoniam natura exitum excrementi in os inflectendo adduxit. Habere fœminas omnes in hoc genere membrum vuluale apertum est. Continent enim ouum primò indiscretum, mox discretum in plura. & pariunt omnia imperfecta modo ouiparorũ piscium. Meatus (*Gaza de suo addit, ille interior*) idē excrementi & vuluæ est, tũ in ijs tum etiam in crustatis. est enim qua semen genitale (τὸν θορὸν, *vt habet æditio nostra & Gaza similiter legit. malim* τὸν θολὸν *per* λ. *in medio, hoc est atramentum. excrementum enim quoddam hoc in mollibus est: semen verò an emittant mollia, incertum esse eiusdem libri mox capite 17. testatur*) per meatum emittunt, idque parte corporis supina, qua putamen distat, (ᾗ τὸ κέλυφος ἀφέστηκε, *qua cutis dehiscit, vel rimam ostendit,*) & mare illabitur. (*Dubium mihi hoc, nec verisimile mare illabi eâdem parte.*) Quamobrem ea parte mas cum fœmina copulatur. nam si mas siue semen, siue membrum, siue vim aliam mittat, admoueri ad meatum vulualem necesse est. crinis verò insertio maris polypi per fistulam, (διὰ τοῦ αὐλοῦ,) qua piscatores crine coire polypos aiunt, complexus gratia fit, non quasi instrumentũ id sit vtile ad generationem. etenim extra meatum corpusque est. Interdum tergis quoque (ἐπὶ τὰ πρανῆ. *Plinius cum ex historia anim. rectè vertisset, polypi [fœminæ nimirum] in terram verso capite coeunt: ex hoc loco non rectè adiecit, reliqua mollium tergis, vt canes*) mollia copulantur: sed generationisne gratia, an alia causa, nondum exploratum habetur. Quod Aristoteles historiæ 6. 5. de coitu sepiarum & loliginum agens scribit: τὴν δὲ νεῦσιν, ἡ μὲν ἐπὶ τὸ ὄπισθεν, ἡ δὲ ἐπὶ τὸ στόμα ποιεῖται: & Gaza transtulit: Natatus alteri retrorsum, alteri anteuersus in os agitur: quo pacto quadret, non assequor. nam si partibus supinis iunctis coeunt: & os ori, cirri cirris è regione respondent, vt dixerat, νέουσι δ' ἐναντίως, id est & opposita inuicem natatione vtuntur: non conuenit sexum alterum retro, alterum os versus natare, sed os versus vtrunque. Clarius hæc explicent, qui inspicere ipsi hæc possunt, vel ex oculatis testibus idoneis audire. Loligines in alto pariunt. consertum ijs quoque ouum, quale sepijs est. è singulis ouis singuli fœtus exeunt, Aristot. In alto conserta oua ædunt, vt sepiæ, Plinius. *Oua.* Sepijs & loliginibus oua gemina apparent: quoniam vulua earum ita articulata est, vt bifida cernatur, Aristoteles. *Vita.* Sepijs & loliginibus vita non longior bimatu, Plinius. Viuendi spacium eis breue est, nam, exceptis paucis, bimatum non complent.

D Lepus mar. inter loligines ferè, ceu paruus earum fœtus, versatur, vt dictum est in Lepore mar. Aliquod earum genus asperrimum est, quæ pugnaturæ turmis se munientes stabiliunt, Obscurus: sed ineptè. de locustis enim non loliginibus hoc tradunt authores. Atramentum in metu fundunt, vt alia quoque mollia.

E Sepiæ & loligines in metu atramentum emittunt, vt in aqua sic infuscata lateant, Oppianus. Idem quarto Halieuticorum, ad capiendas loligines lignum simile fuso parari iubet, & frequentes in eo hamos infigi, eosque inserta (superinducta) eis iulide pisce occultari. hanc escam linea per mare trahi, mox enim ea conspecta loliginem suis inuadentem cirris, transfixam & comprehensam iri. Loligo volitans, tempestatis signum est, Plinius. Gubernatores cum exultantes loligines viderint, tempestatem significari putant. Incertus. Quid est quòd loligo conspecta magnæ tempestatis prænuncia est? An quia mollium genus omne natura frigoris impatiens est? caro enim eorum nuda & glabra est: non testa, non pelle, non squamis munitur: duram verò osseamque partem interius gerunt. vnde & mollium nomen eis datum est. quamobrem cum adeo facilè patiantur, imminentem tempestatem illico percipiunt. Vnde polypus in aridum procurrit, & lapidibus (πετριδίοις) adhærens, ventum iam iam adesse significat.

Loligo autem exultat, frigiditatem & in profundo maris commotionem fugiens. habet enim hæc mollium omnium partem carnosam imprimis mollem ac teneram, Plutarch. Quæstionum Naturalium 18.

Mollia dicta, (vt polypi, sepiæ, loligines,) cutem instar humanæ mollem, neque squamosam, neque asperam, nec testaceam habent: & mollia sunt tangenti, duræ tamen sunt carnis, & ad coquendum difficilia, exiguumq; in se succum salsum continentia. Si tamen concoquantur, alimentum non paucum corpori exhibebunt. cæterum hæc quoque succi crudi (*nimirum vt etiam testacea,*) plurimum gignunt, Galenus de alimentorum facultatibus 3. 35. Et rursus in libro de succorum bonitate & vitio: Ex aquatilibus (inquit) mollia omnia crasso glutinosoque succo constant, sicuti & inter pisces, cetacea. Loligo facilius quàm sepia concoquitur: καὶ οὐκ εὔστομος, Diphilus apud Athenæum. Massarius vertit, sed insuauis est, id quod Diphili verba sonant: Vuottonus contrario sensu, ori gratam esse, Bellonius etiam magis gratam dixit. Iudicent quibus recentes hos pisces gustandi facultas est. Lolligo à Celso ponitur inter ea quæ minimè intus vitiantur (*in ventriculo corrumpuntur*) cibaria. Aetius lib. 9. cap. 13. in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis humorib. Loligines (inquit) sepiasq;, & polypos, omniaq; simpliciter mollia, vt quæ difficulter concoquantur, inflationes pariant, noxios humores generent, censeo reprobanda. At in colico affectu ex calidis & biliosis humoribus orto: Sumantur pisces (inquit Trallianus) duriore carne præditi, vt sepiæ & loligo. In Cotyis Thracum regis conuiuij descriptione Anaxandrides τευθίδας ὀπτάς, id est, loligines assas nominat. Antiphanes τευθίδα σακτὴν, id est, loliginem farctam, inter lautissimos cibos. Eadem fortè fuerit τευθὶς ἀνθυλευμένη, nominata à coquo apud Sotadem comicum: Ἀστεῖον ὤφθη τευθὶς ἀνθυλευμένη. in quam & Charmus Syracusanus, (qui in promptu habebat versiculos & parœmias de vnoquoque ferculo,) hæc verba accommodabat: Σοφή, σοφή σύ: scitè nimirũ & sapienter coctam & apparatam insinuans. est enim & sua coquorum sapientia. Ἀνθυλευμένον, τὸ διεσαγμένον (fortè διασεσαγμένον) ἄρτυμα, ὅπερ ἔνιοι μεμονθυλευμένον, Varinus. Ἀλλὰ τὰς μὲν τευθίδας, Τὰ πτερύγι' αὐτῶν συντεμὼν, στεατίον Μικρὸν παραμίξας, πασπάσας ἡδύσμασι Λεπτοῖσι. χλωροῖς ἀνθύλευσα, Coquus apud Alexim. Rondeletius loliginem ita paratam, placentæ aut farciminis genus esse putat, quod & ipsum teuthis appelletur. Τὸ μὲν τάγηνον τευθίδων ἐφεστάναι σίζον: id est, Ad sartaginem loliginum (*in qua loligines friguntur*) stridentem, astare, Aristophanes in equitibus. Scholiastes addit piscem esse vilem. Isicia de loligine: Sublatis crinibus in pulmentum tundes, sicuti assolet pulpa: & in mortario & in liquamine diligenter fricatur: & exinde isicia plassantur, Apicius 2. 1. In loligine in patina: Teres piper, rutam: mel modicum, liquamen, carænum, olei guttas, Idem 9. 3. Et mox. In loligine farsili: Piper, ligusticum, coriandrum, apij semen, oui vitellum, mel, acetum, liquamen, vinum, oleum, & obligabis. Loligines & sepiæ stomachicis in cibo conueniunt, Archigenes apud Galenum de compositione sec. loc. Polypi assati, item lolligines, torminosis in cibo prosunt, Marcellus Empiricus.

H.a. Sunt ex Græcis qui teuthidas nunc sepias interpretentur, nunc viliorem pisciculum, Plin. & Theodorus loligines interpretantur, Cælius. Theulis (Scripserim Teuthis) genus piscis, Syluaticus. Emito sepiolas lepidas, loligunculas ordeias, Plautus casina. Sic Græcè etiam diminutiua voce τευθίδια frequenter ab authoribus, quos Athenæus citat, nominantur. Dorion etiam hepsetis (de quibus inter apuas scripsimus) σηπίδια καὶ τευθίδια adnumerat. Τευθῖδες penanflexum aliquoties in codicibus Aristotelis perperam habetur. corripitur enim media ab Oppiano & Nicandro. Lepus marinus in cirris τευθίδος ἐμφέρεται νεαλὴς γόνος, ἢ ἀπὸ τεύθου, Nicander.

Epitheta. Loligo nigra, Horatio. Ἠερόφοιτα γένεθλα τευθίδες, Oppianus: quoniam per aerem volant. Ποταναὶ τευθίδες, Epicharmus. sed hoc recentes fortè significat, non epitheton est. Ποταινέα, τὰ πρόσφατα, Doricè. Ποταινὴ, πρόσφατος. At πετειναὶ, & ποταναὶ epitheta fuerint, eiusdem significationis, volucres, volaces. Τευθιδίοις ἁπαλοῖς, Pherecrates.

Mollia omnia cõmuni vocabulo τευθώδη nominantur, hoc est loligini similia, apud Athenæum. Τευθὶς, ὁ κατάσκοπος, Suidas. Fuit & Arcadiæ ciuitas Teuthis: & eodem nomine dux in Aulide cum Græcis alijs, quem tamen Hornytum vocant quidam, &c. Cælius. Vide Onomasticon nostrum.

b. Τευθίδας ἐν Δίῳ τῷ Πιερικῷ παρὰ χεῦμα Βαφύρα, καὶ ἐν Ἀμβρακίᾳ παμπληθέας ὄψει, Archestratus.

Loligini paruæ similis est lepus marinus, Dioscorides. Ὑπ' ὀσλίγγεσιν ἀραιαῖς τευθίδος, Nicander. Τευθίδων ἢ σηπιῶν κόμας ἢ τρίχας Nicander ὀσλίγγας vocat, Scholiastes. Ἰκμαλέοις θυσάνοισιν, Oppianus de cirris loliginis. Sciendum sepiæ, lolligini, lollio, capillamenta inesse quædam, Cæl. De his in Polypo plura.

f. Τευθίδιον nominatur in conuiuio, quod Philoxenus Cytherius describit. Τευθίσιν ὀπταῖς, Metagenes. Τευθὶς ἐξωπλισμένη, Eubulus. Κοινῇ τε χναύειν τευθίσιν σηπίδια, Ephippus. Τευθὶς μεταλλάξασα λευκαυγῆ φύσιν Σαρκὸς, πυρωθεῖσ' ἀνθράκων ῥιπίσμασι Ξανθαῖσιν αὔραις (id est flammis) σῶμα πᾶν ἀγάλλεται Δεῖπνα πρόσφατον λιμὸν ἐκκαλουμένη, Antiphanes apud Athenæum.

h. De sepijs & loliginibus pronunciat Matro apud Græcos poeta, piscium solos nosse, quid album sit, quidue atrum, Cælius: fortè quia caro earum alba est, atramentum verò in se continet. Sed Athenæus ex Matrone de sepia tantum hoc refert: potest tamen etiam de loligine alijsque mollibus atramentum fundentibus accipi. Infamiam atramenti symbolo poetæ significant, vt Horatius: Hic nigræ succus loliginis, hæc est Aerugo mera, Erasmus Rot. in prouerbio, Sutorium atramentum. Themistocles, vt in ipsius vita refert Plutarchus, Eretrieo cuidam exprobans ignauiam dixit, Ἦ γὰρ ἔφη καὶ ἡμῖν περὶ πολέμου τίς ἐστι λόγος: οἳ, καθάπερ αἱ τευθίδες, μάχαιραν μὲν ἔχετε, καρδίαν δὲ οὐκ ἔχετε. id est, Sanè, (*videtur interrogatio potius,*) inquit, & vobis aliquid de bello dicendum est, qui teuthidum in morem gladium quidem habetis, cor autem non habetis; Erasmus Roter.

Lones. Vide Euones.

Lvbricvs. Vide Olisthos.

DE LVCERNA, MILVO ET MILVAGINE.

Svbit in summa maria, piscis ex argumento appellatus lucerna: linguaq; ignea per os exerta, tranquillis noctibus relucet, Plin. Lucernam Venetijs vulgo vocant, quem exhibuimus piscem: vel po-

tius ſimilem ei alium, nigriorem, cœruleis ad branchias pinnis, cuius ego recens extincti oculos noctu lucere obſeruaui. Rondeletius conijcit hirundinem piſcem eundem eſſe qui à Plinio lucerna ſit appellatus: Lucernam verò hodie vulgò dictam, miluum eſſe Plinij, ἱερακα (id eſt accipitrẽ) Græcorum. Vide ſuprà Rondeletij ſcripta in Hirundine A. Vbi & locum Plinij de his piſcibus perpenſum reperies: & eundem rurſus à nobis in Corollario. In Cuculo hos & alios quoſdam piſces generis nomine λυρoειδῆ, id eſt Lyriformes appellaui: & multa eis communia oſtendi.

Bellonius hirundinem piſcem lęuem & nullis horrentem aculeis putauit: cum Oppianus lib. 2. Halieut. piſcib. quorum etiam venenati ſint aculei, eas adnumeret. Miluus ſiue Lucerna piſcis eſt rufus, ſine ſquammis, aſpera cuticula, pinnis longis, & tam bene latis, vt multũ accedant ad Hirundinis piſcis pinnas: & Græci hodie ob eam ſimilitudinem falsò Chelidonem vocent. Accolæ Adriatici ſinus, etiam noſtra ætate antiqui nominis retinentes, Lucernam appellant: Maſſilienſes Belugam: Romani Caponem. Hunc Plinius Lucernam nuncupari ait, quod huius lingua per os exerta tranquillis noctibus luceat: ſed id omnes piſcatores negant, & non vero proximum videtur, ex Ariſtotelis libro ſecundo de partibus animalium: atque ex eiuſdem Plinij libro nono, cum de Delphinis loquitur: itemque ex vndecimo, vbi ait, piſces linguam explanatam & mobilem non habere. Itaque ſi immobilis ſit, atque minus explanata, quomodo exerta eſſe poterit? Fortè potius lucerna appellata fuit, vel quod pinnæ verſicolores noctu fulgorem quendam mittunt, vel quia antiquæ lucernæ ſpeciem ſimilitudinemq; gerit, Gillius. Et nigro tergore milui, Ouidius in Halieutico inter Pelagios. Miluago (*idem qui miluus piſcis, vt ex Rondeletio videtur*) quoties cernatur extra aquam volitans, tempeſtates mutari Trebius Niger author eſt, Plinius. Cuculus piſcis aliquam cum lucerna formæ ſimilitudinem habet, Gil. Vranoſcopus: vulgò Italis Bocca in ca, nominatur: à b alijs lucerna de petre, id eſt lucerna ſaxatilis. Vt lucernæ Venetijs dictæ oculos noctu lucentes pridie captæ obſeruaſſe me dixi: ſic Plinius, Quin & in tenebris (inquit) multorum piſciũ oculi refulgent aridi: ſicut robuſti caudices vetuſtate putres. Priuatim de harengo author de naturis rerum tradit: oculos eius inſtar luminis de nocte lucere in mari: ſed eam vim cum ipſo piſce emori. Dilychnus à Strabone lib. 17. inter piſces Nili numeratur: dictus forſitan, vt ex nomine eſt conijcere, quod vel oculis, vel branchijs, vel aliunde noctu duplici lumine fulgeat. Nos rebus quæ in renebris lucent peculiarem commentarium nuper dicauimus. Miluus ſiue lucerna, quem Græci hieraca & irica vocant. De hoc piſce meminit Oppianus, Athenæus, & Diphilus, qui durioris eſſe carnis quàm cuculus, in reliquis *quod ad alimentum ſcilicet*) ſimilem teſtatus eſt. hunc piſcem Romani piſcem caponem hodie cognominant, vt mirer aliquos (*ſonum notat: qui forte non lucernam de qua hic agitur, ſed lyram Rondeletij, capones Romæ vocari ſentes*) lucernam piſcem Venetijs minime reperiri, ac de genere mullorum eſſe aſſerentes: cum mulli ſquammas habeant, vt author eſt Plin. quib, lucerna omnino caret. ſed hi non nouerant caponem piſcé antiquis Rom. pariterq; Venetis lucernam cognominari, Sciendũ tamẽ, volucrẽ q̃ Ariſtot. Ictinon vocauit, miluũ à Theodoro conuerti: qui & volucrem hieraca ab Ariſtotele vocatam, accipitrem interpretatus eſt, Maſſarius. Ἱέραξ piſcis quidã eſt, Dorica dialecto (*nam ἰχθὺς Ionicũ eſt, ἱέραξ commune:*) ſic dictus, quod eiuſdẽ nominis aui ſimilis ſit. & lychnus in ſacris adhiberi ſolitus Heſ. & Var. Lychnis quidẽ ſiue candelabris templorum

Venetijs hunc piſcem Lucernam vocant: Monſpelienſes Gabo vt audio, vel Cabote: Galli quidam Rouchet, vel Rougetculos noctu lucere obſeruaui. Rondeletius te. Luſitani peſce Cabra. Angli Redfiſch vel Gurnard: & ſiconijcit hirundinem piſcem eundem eſſe qui à mulam huic, ſed nigriorem, minorem Rotchet. Sed pleraque ex Plinio lucerna ſit appellatus: Lucernam verò his nominibus, alijs etiam eiuſdem generis piſcibus adtribuuntur. hodie vulgò dictam, miluum eſſe Plinij, ἱέρακα quare cauenda eſt confuſio. nam ne eruditi quidem, ſpecies huius (id eſt accipitrẽ) Græcorum. Vide ſuprà Rongeneris omnes, etſi non multas, ſatis adhuc diſtinxerunt.



lorum alæ affingi ſolent, tanquam accipitrum. Aquila piſcis eſt ſine ſquamis, ſimilis hieraci, id eſt, accipitri (*aus ſciluce, non piſci. Bellonius eam capite & oculis ferè milui similis eſſe tradit*) ſed nigrior, per omnia ſimilis trygoni piſci, Kiranides. Hieraces paulo ſupra ſummam aquam maris tolli ſolent, vt natent an volitent dubites, Ælianus ex Oppiano. Hirundines enim paulo altius volant, vtriſq; ſublimius loliginęs. Corax durior eſt hierace, hierax autem coccyge durior, Diphilus. Milago ab Alberto pro Miluago ſcribitur. Murmellius Germanicè interpretatur *ein Bolch*: ſed imperitè, quoniam piſcis *Bolch* dictus de aſellorum genere eſt. Nibium (ſic Itali miluum vocant) marinum vulgo dictum piſcem volare tradunt piſcatores, Niphus. Haud ſcio an idem ſit piſcis, de quo nuper amicus quidam meus ex Galliarijs verbis ad me ſcripſit: In mari mediterraneo Galliæ prope Aquas mortuas, inuenitur piſcis, qui extra mare cũ euolat (quod ſæpe fit) moritur: vocatur Vit volãt, à ſimilitudine membri virilis: cui caput perſimile habet. Miluus ſi ſit capo Italicè dictus, nobis erit *a Garnard*, Ioan. Fauconerus Anglus. Inter marinos piſces ad cibum præcipuè laudantur Rogetus & Gornatus ſiue Gornus. nam eorum caro & ſubſtantia eſt puriſſima, Arnoldus Villanou. De nomine *Gornard* Anglis & Germanis inferioribus vſitato: deque Anglico *Redfiſch*, & Germanico *Rothart*, quibus vel miluus vel cuculus, vel vterque tanquam communi nomine indicantur, plura leges ſuprà in Cuculo A. & alia quædam ibidem. Miluus piſcis nominari poſſet Germanicè *ein Meervvye*: niſi id nomen ad Haliætum potius pertineret. Circumloquemur igitur, *ein art vom Gornard, oder Currfiſch, oder Redfiſch: ein fliegende Redfiſch art, die bey nacht ſcheinet*: vel vno nomine ficto appellabimus *ein Scheinfiſch*. Sunt ad Oceanum Germani qui *Seehan* indigetent, hoc eſt, gallum marinum: de quo nomine plura ſcripſi ſuprà in Cuculo A. hic quæ Ge. Fabricius mecum communicauit, adſcribam. Gallus paruus Oceani piſciculus, *ein Seehan*, ſono vocis ſignificare tempeſtates futuras dicitur. In gutture tenuiſſimæ ſunt, & planè perſpicuæ membranulæ, aptæ nimirum ad formandum ſonum: videtur enim non tam à forma, quam à voce adeptus nomen, vt Gallus vocetur. Capite grandiuſculo eſt. Corpus totum palmi longitudine. Per vndas celerrimè, quaſi volatu quodam fertur, propter membranarũ in branchijs & pinnis ſubtilitatem. Pinnæ ſtriatæ ſunt, & maculis variatæ, & transuerſim coloratæ. Inter branchias in imo ventre pinnulæ binæ ſunt, quæ curſus celeritatem adiuuant. ijs enim quaſi remulis vtitur. Hæc ex relatione amicorum, & ex inſpectione corporis cognoui. Affertur ad nos è Dantiſco: nam eſt in Boruſſiæ littoribus frequens, Hucuſque Fabricius. Erythrinum qui putant eſſe piſcem Gallis rouget, Anglis *rochet*, vtriſque à rubicundo colore dictum (Murmellius Ruburnum vocare videtur,) falluntur. miluus enim is vel miluorum generis eſt. Germani *Rotfeder* & *Plotzen* appellant. vide in Erythrino A.

RVRSVS DE LVCERNA SEV MILVO, RONDELETIVS.

Icon hæc quid à noſtra differat, partim pictura ipſa, partim deſcriptio author is oſtendunt. Generis quidem vnius ſpecies proximas eſſe certum eſt.



Ἱέραξ non ſolum auis, ſed etiam piſcis à Græcis dicitur: quem cum Latini accipitrem conuerterint, non miluum, qui ab ijſdem ἰκτῖνος nominatur: ἱέρακα, vel vt eſt apud Oppianum ἱέρακα, piſcem eum eſſe exiſtimo, qui miluus ſiue miluago à Plinio appellatur. A noſtris lucerna, quod noctu ſplendeat, eâdem de cauſa à Prouincialibus belugo: nam beluguez fauillas appellant. A *Lib. 1. ἁλιευτικῶν. Lib. 9. cap 27. & lib. 32. cap. 2*

Miluus igitur piſcis eſt marinus, corporis formâ coruo perſimilis, colore magis rubro, capite minus lato, vtrinque compreſſo: Pinnarum numero, caudaq; ſimilis, magnitudine & colore diſſidens. Quantum ad colorem attinet, parti pinnarum quæ ad branchias ſunt externæ, nullæ maculæ rubræ inſunt: interna ex viridi non nigricat, ſed pinnæ iſtæ partim flaueſcunt, partim nigricant. Linea à branchijs ad caudam ducta ſimplex non eſt, neque læuis, vt in coruo: ſed ex acutis breuibuſque aculeis horret. Non ſquamis ſed cute aſpera contegitur. Partib. internis mullo imberbi ſimilis. Palatum parũ flauũ eſt. B

Carne eſt ſicca duraque, vt ſcripſit Athenæus lib. 8. Ὁ δ' ἱέραξ σκληροσαρκότερος μιλύακκυος. F

Miluago quoties cernatur extra aquam volitans, tempeſtates mutari Trebius niger author eſt, tradente Plinio lib. 32. cap. 2. E

Oppianus etiam lib. 1. ἁλιευτικῶν prodidit miluum in ſummo mari volitare. C

Ἱρηκες δ' αὐτῆς ἅλμης σχεδὸν ἠερέθοντες — Ἄκρον ὑπαιθαίοντες ἁλὸς πέρον, ὅσσον ἰδέσθαι
Ἀμφωνυχορέμβοισι, ἢ ἱπτάμενοισιν ὁμοῖοι. — *Attradunt ſummam milui lata æquoris vndam,*
Hos nanti ſimiles dicas, ſimileſque volanti.

Quam noſtri lucernam vocant, miluum: quem verò cabote, coruum (coracem) eſſe exiſtimamus, his adducti rationibus. Coruo piſci à nigrore nomen eſt datum: ſic coruus noſter, omnium huius generis, de quo nunc agimus, piſcium nigerrimus eſt. Præterea carne eſt multò duriore quàm miluus: quod coruo tribuit Athenæus. Miluus verò poſt coruum minus cæteris rubet, per ſummum mare volitat, vt ſæpe vidimus. Neque me latet alios aliter huiuſmodi piſces diſtinxiſſe, vt eum qui à nobis cornus (corax) dicitur, cuculum eſſe aſſerant: non animaduertentes cuculum ἐρυθρὸν, id eſt rubrum dici, eũ verò quem pro cuculo exhibent nigrum eſſe. Deinde miluum eſſe quem coruum appellamus, ob pinnarum quæ ad branchias ſunt longitudinem. Sed ſatius eſt ob prædictas cauſas ita diſtinguere, vt nos diſtinximus. A *Miluum hic, & ſupra Coracem, verum ſe exhibuiſſe.*

De Aquatilibus.

DE ALIO MILVO, BELLONIVS.

Miluus à Bellonio pictus, squamosus solus in hoc genere, ad hirundinem Rondeletij propius, quam hirundo ipsius (Bellonij) accedit.

A Milui pisces Massiliæ cognoscuntur, sed falsò vulgari nomine Landolæ appellantur, cum id nomen potius hirundini debeatur. Venetijs rarò in foro piscario adferri vidimus: Romæ verò tam populares sunt, vt ferè pro nihilo habeantur: vulgus Nibium vocat. Est autem vulgari eorum lingua Nibius, idem quod Miluus. Multi contendunt eum vocari debere hirundinem, sed quum ferat minaces aculeos, & pinnas spinis munitas, non video quòd rectè ita esse possit. Sunt qui piscem, quem Veneti Lucernam vocant, Miluum esse credant: (*ipse (inculum hunc facit.*)

B Nullum scio piscem (dempta hirundine) cuius alæ maiores sint, quàm Milui. volatu enim opus habuit. Vnde Oppianus, Quumque timent magnum venientem è marmore piscem, Hos nanti similes dices, similesque volanti. Ita enim in sublime efferuntur Milui, dum ab alio pisce in mari percussi sunt, vt alati esse videantur. Horum tria genera obseruari solent. Proinde tereti corpore Miluus est, sessilib. squamis vndique contectus, vt in serpentibus dicemus. Pinnas vtrinque ad latera habet, sed tam longas, vt palmum excedant: latas verò totidem, quæ corpus ipsum longitudine superant. Posset Miluus totus à suis pinnis circumduci: ex quarum latitudine non miror, si aliquando perculsus metu in aërem se efferat. Si quis Milui ventrem, caudam & cutem obseruet, in vtroq; latere duos squamarum ordines (asperarum ferè, vt in Trachuro) videbit, quas pro maximo robore habet: quibus fit, vt ea parte ferè quadrangularis appareat. Rostrum illi est simum & recuruum. Oculi magni atque elati. Caput osseum, in quo sunt aculei quatuor, ad caudam spectantes. Cucullam habet osseam, cuius duo superiores aculei, nequaquam mouentur: inferiores verò attolli ac deprimi possunt. Lituris in tergore notatur ex cyaneo virentibus: dentibus caret. Lienem habet oblongum, subrubrum.

LVDOLATRA, vt dicunt, animal est marinum, quatuor alis præditum, duabus in facie, & totidem in dorso, quibus magna velocitate fertur quocunque libuerit, Albertus. ego nec nomen apud bonos authores huiusmodi, neque animal ipsum in natura extare puto.

DE LVCIO, RONDELETIVS.

C *vbi.* INTER fluuiatiles Lucium collocamus: quanuis non solum in fluminibus, sed etiam in paludibus, stagnis & lacubus viuere comperiatur. Est igitur Lucius omnium dulcium aquarum communis, quem cetaceis fluuiatilibus ante descriptis (*nos enim ordinem non sequimur*) subiungimus, quia in magnitudinem insignem accrescit.

Marinus planè non est, nec nisi rarò in ipsis etiam fluuiorum ostijs reperitur, nisi aut vndarum vi, aut fluuio impetu illuc feratur. Has ob causas aliquando in ostijs Rhodani, vel in stagnis marinis capitur, sed prorsus exuccus & insuauis, ac veluti tabidus, non alimenti quidem penuria: nam ibidem permulti pisces commodè degunt, & pinguescunt, sed quod in alienum locum & à natiuo diuersum vltro compulsus sit.

A Ausonius primus ex Latinis, quod sciam, Lucij nomine vsus est, deducto, vt opinor, à Græco nomine λάβραξ, quod Lupum significat: quia hic inter fluuiatiles sit voracissimus & edacissimus, quemadmodum inter marinos Lupus, cui Græci à voracitate λάβραξ nomen dederunt. Sunt qui Sphyrænam Lucium marinum vocent, quem Itali spetto, nostri spet appellant. Sed Sphyræna & Lucius valde à sese seiuncti sunt, vt ex capite de Sphyræna colligere licet. Burdigalæ Lucz nominatur, à Gallis Brochet, vel ab alijs Bequet, vel Bechet, à rostro prominente: Bec enim lingua nostra rostrum significat. Aulici nostri Lucium pede vno minorem Brocheton vocant: maiorem, Lanceron: qui pedum duum triumue est magnitudine, Brochet.

B *Descriptio.* Est igitur Lucius piscis longus ad duum triumue cubitorum magnitudinem attingens in magnis lacubus Galliæ & Germaniæ: quadrato ferè dorso & perpetuò æquali, donec ad postremas pinnas ventum sit: aliquando tamen ventre distento & prominentiore quum pinguior factus est. quod etiam aliquando Ichthyopolarum impostura accidit: qui piscium quorundam ventrem herbis infarcientes, algam & viles alias herbulas cariùs vendunt, quam pisces ipsos, quod Romæ fieri deprehendi. Cauda est breui, capite quadrato, striato, foraminibus paruis excauato. Rostrum anserino rostro non absimile est: maxilla inferior superiore longior, & cochlearis modo excauata. Dentes multos habet vario modo dispositos. nam in maxillæ inferioris anteriore parte dentes parui sunt, in os recurui: in superiore maxilla nulli sunt. quia cum ea latior sit, dentes extra os prominentes, & inferioribus non occurrentes inutiles forent. Horum igitur loco natura duos dentium ordines palato infixit. Oculi coloris aurei sunt æmuli, ante quos duo sunt foramina in vnicam cauitatem coeuntia. Corpus squamis tegitur paruis tenuibusque adeo, vt ijs carere videatur, & cum ijs coquatur: & inter edendum, si paruus sit Lucius, negligantur, sin maior, duriores & euidentiores abijciuntur. Corpori maculæ quædã aspersæ sunt. Venter candidus est: dorsum nigricat vel liuescit: latera argentea sunt, in magnis & senioribus aurea. Pinnis natat quatuor, duæ sunt ad branchiarum ima: qui pinnarum situs est fluuiatilibus piscibus communis, vt facilius in aqua suspendantur & effarantur, contra altius sitæ sunt eædem pinnæ in marinis, quia dulcis aqua tenuior est & liquidior, marina crassior & spissior. ob id hæc pondus magis sustinet, illa minus. Inferiore ventris loco duæ aliæ sunt magnæ & validæ. In dorso nulla est: sed non procul à cauda duæ sunt, vna superior, altera inferior. Superior aurea est, nigris maculis notata. Cauda in duas pinnas desinit similiter pictas. Linea medium corpus dirimens vix cernitur, quia ex minutis punctis constat. Interna omnia corporis figuram sequuntur. Etenim oblonga simul, (*sint forte, non simul legendum.*) maximè ventriculus pinguitudine obductus, cuius permultæ sunt appendices: in quib. chylus confectus seruatur, ne ob gulæ laxitatẽ facilè reijciatur. Intestina trib. longis conuolutionib. constant. Hepar ventriculum amplectitur, in quo vesica est felle viridi distenta, in suffusionibus & oculorum maculis vtili.

G Carne

Carne est dura, nec valdè glutinosa, si in fluuijs & magnis lacub. alatur: sed mali succi & glutinosa, si in stagnantibus aquis & palustribus degat. De quo Ausonius in Mosella:

Lucius obscuras vlnas, cœnoque lacunas
Oliidet, hic nullos mensarum lectus ad vsus
Feruet fumosis olido nidore popinis.

In piscinis etiam cum Tincis & Cyprinis includuntur Lucij. hi omnes pro loci & victus ratione, vel meliore vel deteriore sunt succo. Galli magnos Lucios & impuris aquis educatos valde commendant, alios item pisces duræ carnis: eosque rident qui vt carnes, ita pisces asseruant, vt teneriores reddantur. Qua in re vehementer errant: quæ enim dura difficilius concoquuntur quàm mollia: quæ intelligo teneta & friabilia; non humore nimio & superuacaneo diffluentia.

Ossa maxillarum à quibusdam in medicamentis vsurpantur vsta, in cinerem & in puluerem redacta. Drachmæ pondere ad calculos renum cõminuendos valere creduntur, non alia opinor ratione, quàm calculum in meatibus vrinæ morantem deorsum pellendo, vel pituitam qua calculus retinetur absumendo. Itaq; ad vesicæ calculum nihil prodest. Alij ex ijsdem maxillis cinerem mentulæ vlceribus aspergunt ad exsiccandum, quod efficacius præstant saliti Lucij ossa, vt spodij vice esse possint, quemadmodum & Siluri saliti ossa.



DE EODEM BELLONIVS.

Quantum fallantur, qui Lucium Lupum esse putant, in Labrace ac Sphyræna diximus. Nam & Græci qui Venetis seruiunt, Sphyrænam Lucium marinum nominant: qui verò Turcis subijciuntur, Turcies vocant. Minores Lucij in Anglia *Pike*: cum autem adoleuerint, *Luz* vocantur. Gregalis non est Lucius: & quanquam nuper editus sit, tamen nunquam nisi solus euagatur. Solertis est in comparando sibi victu naturę piscis. siquidem stans contra fluentis aquæ raptum, quoties ranam vel aliud quidpiam delubi aut moueri aduertit, illuc sese protinus emittit, atque eiaculatur in prædam: vnde Galli Lanzon vel Lanceron vocant. Alij ab eius ore prægrandi Becquetum: alij quòd oblongo sit corpore vt veru, Brochetum dicunt.

Angli pingues admodum Lucios habent ac magnos. Omnes autẽ Lucij tereti atque oblongo sunt corpore, capite in acutum protenso, albo, ac liuido, aut etiam subnigro: Squamis paruis, hiatu grandi: dentibus caninis, longis & transparentib. in gyrum per maxillas inflexis: branchijs vtrinque quaternis, cauda bifurca, quatuor sub ventre pinnas habent: duas caudæ vicinas, quæ inter se mutuò opponuntur ad pinnarum teli effigiem. Hepar illis est pallidum, per ventrem ad latus stomachi porrectum: à cuius lobo fel porraceum in grandi vasculo pendet: lien sub reuolutione stomachi, ad quẽ fibra ex felle demittitur. Tres tantum reuolutiones intestinorũ habent, apophyses nullas. Cor magis turbinatum, quam trigonum. Cæterum inter Italicos & Gallicos hoc est discriminis, quòd Gallici in longum protenduntur, sintque delicatiores: Italici verò ventre sunt prominente, & corporis veluti truncata mole atque in latum exporrecta.

Cæterum an sit Oxyrynchus Strabonis, quem Niliaci piscatores sacrum habent, id mihi controuersum est.

COROLLARIVM.

Lucij nomine ex idoneis scriptoribus primus & solus (quod sciam) Ausonius vsus est. Author de naturis rerum & secutus eum Albertus, lucium & lupum aquatilem nominarunt. Lucius vbique stagnis ac lacubus frequentissimè reperitur: nusquam mari. qua vna ratione qui eum antiquitus lupum fuisse existimant, manifestè conuincuntur, Iouius Lucius fl. longè à lupo veterum differre, contra Simonem Genuensem & Franciscum Philelphum, Massarius docet. & Lupi historiam mox subijciendam

A *Lupus.*

Murus. Oxyrynchus. Macrella.

consideranti, dubij hac in re nihil relinquetur. Eruditus quidam nuper silurum esse putauit: cuius opinionem Rondeletius in Siluro refellit. Bellonius in Singularibus lucium in Nilo frequentem esse scribit: eundemque videri veterum oxyrynchum. Nili quidem oxyrynchum carniuorum fuisse in o. elemento confirmabimus. Macrella piscis quidam apud inferiores Germanos vocatur, *(nomine etiam Gallis noto: nescio an de fluuiatili pisce: nam scombrum piscem marinum Galli Maquereau vocant, Angli Macrel)* quem Carolus Figulus Lucium Ausonij esse suspicatur: & Lupum veterum quem nostri *Hecht*, Galli brochetum appellant: vtraque opinione plurimùm deceptus. Sequitur eum Adamus Lonicerus quoque: quoniam Lucius Ausonij vilis sit piscis, brochetus verò maximè inter omnes nobilis. Atqui regionibus diuersis eiusdem piscis non eandem esse bonitatem: aut si eadem esset, meliores tamen pisces alibi deesse, alibi abundare: denique temporum & ætatum iudicia variare, cogitare illi debuerant. Lucium ergo (inquit Lonicerus) putamus esse Macrellam vulgò dictam, Germanicè *ein Macrell*, per antiphrasin videlicet, quòd lucem fugiat. Confirmat etiam hoc quòd ferunt Macrellam in aquarum fundis, tanquam fugientem lucem, delitescere: vnde noctu cum face piscatores adnauigant. quam conspiciens Macrella, velut attonita stupet & capitur. Editur hic piscis tostus potissimum igni, vnde Germani etiam *Bratfisch* eum vocant, Hæc Lonicerus. Esocem Plinij quem maximum in Rheno piscem esse tradit, lucium esse non desunt coniecturæ, quas in E. elemento retuli. nam si qui alij etiam maiores in Rheno reperiuntur, ij Rheno proprij non sunt cum è mari ascendant, vt salmo & sturio. Lucium Itali Luzzo nuncupant. Hispani Sollo. Galli (inquit Gillius) qui accolunt Lygerim & Sequanam, Brochetum appellant: prouincia Narbonensis Lucium. Brochet Gallicum nomen factum conijcio à broche quod eis verum significat: vnde diminutiuum brochette: quòd os acuminatum hi pisces habeant, vnde & oxyrynchi putantur. Nostri *Hecht* appellant, & differentiam à locis faciunt: eorum enim qui in lacu degunt, alios qui circa harundines versantur, *Rorhecht* vocitant, alios qui in altiori gurgite, *Seehecht*. In Albi, alij à Martio mense *Mertzenhecht* vocantur: alij post pascha, *grosse hecht*, id est, magni lucij. Circa Coloniam vsitatum est nomen *Schnuchi*, alijs *Schnack*, *Snok*, *Snouk* vt Flandris: à rostri figura forsan prominente: nam & culices Germani *Schnaken* nominant à promuscide longiuscula. Argentinæ lucios minores & eodem anno natos, *Harling* appellant: quod nomen percis fluuiat. paruis nostri attribuunt. Apud Anglos Lucij maximi *Luces* dicuntur: medij, *Pykes*: minimi, *Pickerelles*. Angli Lucium piscem Lusitanica voce Picque nuncupant, Amatus. Angli plerique scribunt *a Pyke*: quod ad Gallicum Bequet accedit, à rostro factum, ac si rostricem dicas. Polonicum eius nomen Szuka vel Stzuka. Bohemicum Sscika.

Esox.

B Lucio caret Hispania vniuersa Amatus Lusitanus. Thrasymenus lacus in Italia huius generis pisces (inquit Iouius) longè maximos atque optimos nutrit. bicubitalem enim aliquando excessere magnitudinem. Post Thrasymenios è Cymino (qui hodie Rusilloni lacus dicitur. fuit is vicus antiquitus Syllanum) laudatiores Romæ habentur. nam quos præbet Bracciani lacus, qui olim Sabatinus fuit, & sapore & magnitudine sunt inferiores. In Germania passim abundant: præcipuè in Heluetijs, quorum regio amnes & lacus multos magnosque habet. Mediocres ab Odera flumine multis plaustris euehi audio. Simon Paulus Suerinensis in lacu alluente Suerinũ non procul Oceano Germanico, cum alijs piscibus lupos (*lucios autem intelligere videtur*) capi ait. Si fluuialis aqua & alimentum lucio abunde suppetat, progressu temporis in longitudinem maximam eualescit, Author de nat. rer. Argentinæ anno Christiano M. D. XLIIII. lucius in Illo amne captus est qui libras (sedecim vnciarum puto) 26. appendit: iecur autem eius vncias tredecim cum dimidia. Spyrænam aliqui lucium marinum vocant, à similitudine quadam, alij turdi genus quoddam, vndecimum Rondeletij, aut ei persimile: quem piscem Bellonius Hepatum facit: sed illi Lucij mar. nomen minus conuenit. In Oceano Germanico circa Borussiam, piscis quidam marinus *Zant* vocatur, lucio ferè similis, magnitudine, figura, squamulis, vt ferunt. Audio & piscem, qui à Rheno denominatur in mari, *Rheinfisch*, (asellorum generis, ni fallor,) vna ex parte salmonem, altera lucium referre. Lucium à lucendo Bellonius dictum arbitratur (vt ipse mihi retulit) quòd siccatus nocte luceat. In viuo etiam squamæ quodammodo aureo colore lucent singulæ extremo margine medio, reliquum enim cute obductum est. Pantheram fluuiatilem hunc piscem dicas, cum propter voracitatem: cum quoniam maculis plurimis albicantibus latera eius distinguuntur, plerisque oblongis. Rostrum habet longum, & rictum magnum, Albertus. Et alibi, Os magnum, & valde scissum, instar quadrupedum quorundam. Os latum & dentes acutissimos, Obscurus. In cerebro lapidem crystallo similem gerit, sed hoc cum ætate in longum duxerit, Author de natur. rer. Ego in capite lucij etiam parui lapillos geminos candidos reperi. Ossium seu spinarum in capite eius formæ diuersæ reperiuntur: vnam vulgò crucem comparant: aliam lanceæ: tres alias clauis seu paxillis, passionis Dominicæ instrumentis. In quibusdam (*piscibus*) non apparet aliquid simile linguæ omnino: sed locus inuenitur lenis, continuus: eo quod gustus animalium non est in lingua, sed in tota oris interioris superficie: & talis piscis est apud nos lucius, qui fauces superiores habet plenas dentibus, Albertus. Dentes habet acutos diuersarum acierum, Idem. Soli equidem lucio piscium qui apud nos capiuntur, branchiarum exortus spinosos ac dentatos esse puto. Branchiæ quædam sunt diuaricatæ & extensæ à corpore piscis, vt lucij & salmonis. Lucius quidem paucas habet branchias, & operimentum earum osseum, Albertus. Sunt qui ventriculos tres eis attribuant. Fellis color è viridi subluteus est. folliculus è cœruleo viridis apparet. est autem meatus à fellea vesica longo ductu (ad sex digitos fortè) per intestina extensus. Minores lucij colore elegantiores, magisque virides sunt. Nullæ pulpis earum spinulæ intercursant, vt alijs fluuiatilium plerisque.

Vbi. Cibus & voracitas.

C Lucius stagna, paludes, fluuios incolit, Gillius. Lucius vbiq; stagnis ac lacubus cum tinca frequentissimè reperitur, nusquam mari. Ausonius quoque lucium nominat cum tinca, Iouius.

Lucius obscuras vlua cœnoque lacunas Obsidet, Ausonius. In lacubus nostris alij ad ripas inter harundines, alij in alto degunt, vnde & denominantur, *Rorhecht*, *Seehecht*. Differunt pisces plurimum secundum loca, in quibus versantur. omnes enim saxatiles pinguiores sunt, & saniores (*sanum Alberti*

Alberti atras & prosano & prosalubri accepit. vtraque significatio hic conuenit.) vt truta, lucius, thymallus, Albertus. Stomachum (*ventriculum*) habet ita continuatum gutturi, vt aliquando eum eijciat auiditate glutiendi piscem. quos autem ceperit pisces, capite introrsum verso digerit: & aliquando parum ipso breuiorem glutit piscem: & tunc capite introrsum verso, & aliquanta parte extra os dependente, paulatim digerit, attrahitque partes piscis secundum longitudinem, donec totum digesserit, Albertus. Tantæ auiditatis est, vt piscem, quem totum quantitas eius deglutire non sustinet, dimidium incorporet, Obscurus. Cibus eius sunt pisces, & quicquid ranarum more repit. Piscem ad magnitudinem propè sui comedit: nam vbi victam subegerit, caput primum ore deuorat: quo digesto, paulatim addit sequentia, donec totum consumat, Author de nat. rer. Lucius voracissimus (inquit Rondeletius in Siluro) dentibus acutis, longis, firmisque armatus est, quem verè dicere possemus in animalia grassari. Cuius rei exemplum proferam. Narrauit mihi vir fide dignissimus, vidisse se mulæ, quam iter faciens in Rhodanum potatum duxerat, labrum inferius à lucio dentibus apprehensum, cuius demorsu cruciatam & territam inde fugisse: & crebra capitis quassatione lucium in terram deiecisse, quem ille palpitantem & in aquam redire conantem cepit, domumque tulit. Certum est feles paruos & canes in viuaria luciorum coniectos ab ijs deuorari. Cracouiensis quidam Polonus nuper nobis retulit, auferis pullos duos in ventre lucij à se visos: & huius generis piscem aliquando pedem ancillæ in piscina apprehendisse. Apud nos etiam fulica in ventriculo lucij reperta est. Pisces minores deuorat. vescitur etiam venenosis, vt bufonibus & huiusmodi, Obscurus. Si quando piscem asperæ squamæ & acutæ spinæ inuenerit, (sicut est perca, Albertus:) hunc apprehenso capite vorat. nam si per caudam arripuerit, glutire non potest: sic enim & squamæ & spinæ in aduersum rigentes impediunt, Author de nat. rer. Ego tamen vidi & considerauì, quod cum piscem (*percam rimirum*) capit, primũ in ore per transuersum dentibus perforatum diu portat, & denique mortuum glutit, Albertus. Perca squamis & branchijs (*armis pinnis dorsi*) aspertimis armata ei resistit, ne dentibus eius præda fiat, Obscurus. Sunt qui percam piscem lucij socium esse aiunt: ex eo fortè id suspicati, quòd percæ, præsertim maiores, illæsæ circa lucios degant: non quòd eis faueat, sed quia nocere non potest. Piscibus vescitur, & ne suo quidem generi parcit, (cum pastus aliunde non suppetit,) Albertus. Hinc versiculus ille Arnoldo Villanouano citatus ex authore incerto, Lucius est piscis rex & tyrannus aquarum. Pari quoque generis sui parcere recusat, vel ob naturalem crudelitatem: vel quia auidus est cibi, rapinæque impatiens. Nam & propria semina persequitur vbi piscis formam susceperint, Author de nat. rerum. Animalia eiusdem speciei non sunt cibi animalibus suæ speciei, vt lucius & alia id genus, Niphus. Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέπουσι Κρονίων, Ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσί, καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς· Ἔσθειν ἀλλήλους· ἐπεὶ οὐ δίκη ἔστιν ἐπ' αὐτοῖς. Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, Hesiodus in Operibus. Lucium Germani inter iocularia piscium cognomenta, prædonem appellant: *Ein Hecht ist ein Rauber*. Trutæ & lucij dum pisces ab ima aqua ad summam persequuntur, nimio celeritatis impetu aliquando supra aquam efferuntur, vt vel in scaphas interdum incidant. Lucius velox est natatu, Arnoldus Villanou. Dicunt aliqui eum per flumina ascendere dulcioris aquæ desiderio, quæ tanto semper est dulcior, quanto fonti propior, Incertus. Albertus fœminam lucij tantum, cum oua spargit, fontes versus ascendere prodit. Lucium Britanni ligneis viuarijs innatantem vendunt: ventremque illis vltro cultris aperiunt ad ostentandam eorum pinguedinem, quæ plagis exprimitur, vt emptores aspectu suminis alliciantur: neque refutati propterea commoriuntur. Coeunt enim protinus patentia vulnera tincarum contactu: quod earum tenaci illuuie, veluti glutinoso medicamine solidentur, Iouius. Mirum est illud quod à tot audiui viris, vt impudentius fuerit tot testibus mendacium non credere, quàm veritatem aduersus eorum autoritatem tueri: Lucium scisso ventre ostendendi lactes causa, inde consueto, atque inter tincas in viuarijs repositio, sanari humore earum, dum se illis lucius ventre affricat. Hoc tamen causam habet manifestam, cum viscera non sint oblæsa, & humor ipse glutinosus sit, aërque ad corruptionem minim̃ paratus, nec scio an in Italia experimenti hoc sit successurũ, Cardanus. Audiui & ipse ab oculato teste, fieri hoc solere apud Anglos, ventrem lucij dico ad duos aut amplius digitos rescindi: & si emptorem non inueniat, piscem vulnere consuto, reddi viuario, in quo tincæ insint. Et fortè cognatio quædam lucijs est cum tincis. siquidem lucios (inquit Cardanus) è tincarum semine generari creditum est amicitiamque inter illos intercedere. Certum est verè lucios in piscinis ex alieno semine generari, quod neque soli, neque sati, spote procreentur in eis, Cardanus. Tincæ & lucij & absque semine & ex semine generantur. nam in piscinis non sati inueniuntur, Idem. Luciorum oua viuarijs immissa facile prouenire putant. nam si vel ardea lucij oua deuorârit, & de arbore in piscinam aliquam excreuerit, lucios inde prouenire creditur. Fœmina lucij cum oua spargit multum ad originem aquarum ascendit propter dulcedinem aquarum, quæ conuenit ouis imperfectis: quæ in aquam proiecta incrementum debent accipere, Albertus. Paritura quò longius potest à loco suo, vbi morari consueuit, ascendit: ne oua pateant prædæ sobolis suæ, (aliorum luciorum,) Author de natur. rerum. Lucij vt primùm ex ouo editi sunt, susceptì intra branchias certorum piscium, (vt sunt murileguli, *Deuels* Germanis dicti & Ploceni, Gusteri, Vkelangi, & qui à rubore oculorum denominantur *Rotaugen*) fouentur. quamobrem etiam tales non comedunt, nec lædunt, ne nutrici malam referant gratiam, Christophorus Encelius. Vide in Anguillæ Corollario c. Mihi quidem verisimile hoc non fit: vt neque hoc, quod aliqui putant, anguillas è luciorum semine oriri: quòd ijs in locis vbi oua sua sparserint sæpius anguillæ minutæ reperiantur. In Albi fluuio lucij mense Martio ouis abundant, & pariunt. apud nos & in Acronio lacu mense Aprili oua spargere incipiunt, perguntque per duos menses. Morbus etiam pestilens lucios aliquando inuadit, & tubercula quædam satis magna lateribus innascuntur: vnde plurimi pereunt, & si in piscina aliqua concluſi fuerint, plerique omnes.

Natatus.

Venter eorum apertus, tincarum tactu sanatur.

Generatio.

De lucij crudelitate cum in alienos, tum in sui generis pisces, abunde diximus in c. Socium aiunt esse tincæ, aliqui etiam percæ, & alijs quibusdam tum amicũ esse, tum parcere: vt ibidé dictum est. alij verò

verò percam, si cauda ipsam arripuerit, ab eo vorari aiunt. Cernua fluuiatilis à Bellonio dicta, lucio caudam obuertit, & pinnas erigit, ne possit deuorari. Brema piscis est fluuialis, qui cum videt sibi lucium imminere, declinat ad cœnosa, aquarum limpiditatem, à tergo perturbans, Alexander quidam obscurus. Cancer (Astacus) fluuiatilis, vt referunt periti piscatores, etiam in gurgustia ad lucium accedit, & arrodit eum, Albertus.

E. Lucium in nostro lacu capi vendique non licet, qui non digitos sedecim mediocres magnitudine (in Bauaria quatuordecim) æquet. Pœna etiam iis constituta est, qui lucium hamo ceperint, drachmæ ferè quatuor cum dimidia. Interdictum est quoque ne quis à medio Aprilis vsque ad finem Maii, retium genere vllo (*vveder hecht baeren, noch hecht netze*) aliisve instrumentis lucium capere ausit. pœna est, argenti Marca dimidia. Capitis supplicium olim illis erat decretum, qui lucios iusto minores, aliosq; pisces prohibitos retibus ab harundinibus denominatis (*mit Rorz.negen*) aliisque instrumentis cepissent, nec reddidissent aquæ. sed mitigata est pœna, & ad communem (drachmarum ferè quatuor cum dimidia, puto) reuocata. Genus retis *VVytgarn* appellant nostri à laxitate macularum, quo lucios & percas piscãtur in lacu, duobus trahentibus: & ministro in nauicula sequente: id quod à fine Maii vsq; ad diui Martini diem concessum est. Sunt qui lineæ hamos quatuor acutos annectant, & linea raptim sursum attracta lucii, quem stantem, id est in loco manentem obseruarint, (manere autem aliquando per horam ferè solent,) ventrem configant, capiantque. Sunt qui gobiones fluuiatiles hamis inserant ad inescandos lucios. Apud Anglos capiuntur ranis & pisciculis quos Blecas nominant, affixis hamo, trahendo funem per ripam. non statim autem extrahuntur, sed iam defatigati. Placentis relictis ab expressione seminum papaueris ad olei vsum, aliqui ad pisces stupore ita inducto capiendis vtuntur. omne autem genus piscium eas degustat, cyprino & lucio tantum exceptis: vt pluribus scripsi in Cyprino E. Si quando nassa, cui inclusus fuerit, ex aqua leuata lucem diei viderit lucius, raro vel nunquam accidit vt postea diutius remaneat: sed quæsita sibi via euadit, Obscurus. Lucii sanguis in Sole siccatus & tritus, vino albo iniectus, rubellum subito facit, Ex libro manuscripto.

F. Lucius Ausonii tempore nullo in precio fuit, nunc inter lautos fluuiatiles censetur, Gillius. Hic nullos mensarum lectus ad vsus, Feruet fumosis olido nidore popinis, Ausonius de lucio. Lucii plebeia inter obsonia censentur: ita vt nunquam, nisi in summa marinorum penuria, sicut aliquando accidit piscatione tempestatibus sublata, in mensam veniant: & id tum etiam ad honestandum potius patinam, vt dicunt, quam ad conuiuas eo edulio conciliandos. Dicebat Pogius Lucio, etiam ex Cymino lacu, & ei quidem præpingui, nullam vnquam inesse gratiam, nisi quum solus in maxima conuiuarum inedia prandiis apponeretur, Iouius. In quibus Italiæ aquis magis minusve laudati sint lucii, ex eodem Iouio relatum est supra in B. Lucium Belgæ omni tempore viuum venditant, Iouius. Et mox: Hic piscis admodum salubris omnium medicorum iudicio putatur. Cæterum ab insulsa quadam pulparũ siccitate nullam vnquam in optimarum mensis laudem vel commendationem adeptus est: ita vt ii nostrates lucii cũ Gallicis dignitate minimè sint comparandi: & te tuosque conuiuas lautissime Ludouice aliquando deceperint: quum obsonatores Galli incomperto adhuc agresti illorum sapore deum merent, sola proceritatis specie ducerentur. non enim maximi semper optimi. nam in omni genere piscium media ætas, quæ nondum summam magnitudinem impleuit, Cornelii Celsi autoritate commendatur. Anguilla ætate prouectior, salubrior est minore, vt quidam volunt: lucii & percæ, contra, Arnoldus. Lucii parui delicatissimi habentur circa Argentinam, mense Iulio. Cauda & pars posterior in hoc pisce præfertur. Lucii etiam in Germania alicubi satis preciosi sunt, vt circa Basileam non minus quam truttæ, apud nos viliores. Inter pisces dulcis aquæ consideratis prædictis conditionibus, perca & lucius mediocris primum gradum bonitatis obtinent, modo sint pingues: deinde vendosia, tertio lopia. Et quamuis carpa sit squamosior prædictis, carnem non adeò albam, friabilem & subtilem habet, sicut lucius & perca, & sæpius reperitur in stagnis, Arnoldus Villanou. Iulio mense optimus existimatur: apud nos etiam Octobri. ætate prouectior omni tempore probatur, præterquam cum oua spargit: id quod facere incipit Aprili mense, & pergit ad duos menses. Mas (ut in cæteris etiam) fœminæ præfertur. Pisces saxatiles (*qui in aquis saxosis & purioribus degunt*) pinguiores & saniores (*salubriores bene interpretor: quanquam & ipsos in talibus aquis melius valere dicendum est*) sunt: vt truta, thymallus, lucius, Albertus. Lucius quanquam venenosis interdum vescitur, vt bufonibus & huiusmodi, ægrotis tamen salubris esse dicitur, Obscurus. ego piscem illum qui venenis vescitur, eo præsertim tempore, omnino noxium putârim. Lucium piscem commendat inter salubres, vt & trutam Amatus Lusitanus. Piscis est duræ carnis, Arnoldus. Alexander Benedictus tempore pestis quoque commendat ex piscib. procerum lupum tum marinum tum fluuiatilem, (*id est lucium:*) eiusdem enim (inquit) sunt nominis atq; similitudinis. Luc. piscis est salubris, & carnis bonæ: *vnde esus eius puerperis*, cum reliquorũ sit interdictus, conceditur, Adamus Lonicerus. Piscium in tenui victu vsus esse, præcipuè lucij, temeli, carpionis: quodq; carnibus præferantur optimi pisces ad tenuem victum, Aloysius Mundella docet Medicinalium Dialogo 2. sect. 4. particula 5. Sed lucius, & carpio, (Benaci) ampliùs fortè crassiusq; nutriunt, quam alij quidam fluuiatiles lacustresq; pisces ac pisciculi, vt leucisci, alburni, &c. Hecticis conceduntur pisces aquæ dulcis saxatiles, vt striguli, lucij, temuli, &c. Gaynerius.

Lucium fluuialem exenteratum elixabis. cocto squamam cum pelle auferes: ac ex leucophago aut alliato, aut sinapio comedes. Paruum lucium, si voles, assato. Hic piscis inter alios minùs insalubris habetur, Platina lib. 10. cap. 39. Et rursus cap. 62. quod inscribitur Pisces in gelu. Gelu ex aqua, vino & aceto fit: & quò diutiùs seruetur, multa aromata indi oportebit. Ex iure mænæ (*tincam ipse mænam vocat*) aut lucij præpinguis, exenterati tantùm, nec exquamati, optimum fiet gelu. Sed is piscis lento igne, & in tanta aqua vt vix tegatur, bene coquendus est. Cocti & exempti pellem rursum in cacabum pones, ac ebulliat aliquandiu sines. Reliqua deinde quæ in gelu carnium facienda diximus, obseruabis. Congelari ac constringi & reliqui pisces, elixi præsertim, tam marini quàm fluuiales, hac conditura poterunt. Lucij oua aliqui similiter vt barbi, cholericam passionem excitare aiunt. Platina tamen lib. 8, cap. 41. tortam ex cammaris componens, lyci (sic lucium vocat) oua adijcit. Vide in G. Ex Gre-

gorij Mangoldi libello Germanico: Laudatur lucius elixus, assus, & frixus. Cum exenteratur & ad elixandum præparatur, felle eius superficies tota oblini debet. vt sanguine suo Cyprinus. vel cum reliquis intestinis coquatur fel. Elixandus aquæ feruidæ immittatur, & sal affatim adiiciatur. non amplius enim salis sibi attrahit quàm conueniat. Quòd si ità elixare libuerit, vt cœruleus in eo color eniteat, sic facies: Concides in tomos, & sanguinem diligenter ablues: deinde per horæ dimidium aut ampliùs in acetum acre infusos sines. Tum aquam (quæ sit dupla ad acetum) in cacabo feruefacies, bene salies: & cum iam satis feruet, piscem vnà cum aceto aquæ feruenti infundes, & decoques quantum satis est. Ita piscem planè cœruleum, pulchrum & boni saporis habebis. Lucius paruus ritè paratus, cauda in os immissa, butyro in sartagine frigitur: & in iure mensis infertur: qui cibus hodie nostris in delicijs habetur. Ius autem hoc modo fit: Acetum, aqua, vinum, saccharum, modicè miscentur, cum polline aromatico, ex caryophyllis ferè, cinnamomo ac pipere aut zinzibere. hæc omniũ mistura pisci frixo, butyri parte cum eo relicto, superinfunditur: & tantum adhuc temporis coquitur quantum elixando ouo sufficeret. Baltasar Stendelius in opere Germanico artis Magiricæ libro 4. de lucijs frixis artocreas conficere docet: & rursus ferculum quoddam in integram lucij pellem detractam farciminis instar ingerendum. & rursus eodem libro de lucijs frigidis apponendis: deque iisdem cum lardo parandis. Habent & Gallicè conditi Magirices libri suos apparatus, quos tanquam curiosos prætereo.

G. De luciorum ventriculis particulam aliqui clauis (quos nostri picarum oculos vocant) imponunt, & tertio quoque die nouam: idque ter repetunt. *Ventriculus.* Sunt qui cor lucij viuum deglutiant, vt febrim depellant. *Cor.* Fel de lucijs paruis aliqui tuendæ valetudinis gratia edunt. *Fel.* Nonnulli luciorum trium fella cruda aduersus febres deuorant. Pro callionymi felle ad oculorum remedia, sunt qui lucij fel vsurpent ex eruditis. *Maxillæ & ossa capitis.* Farina de lucij maxillis egregiè siccat, quare & inueteratis vlceribus inspergitur. Ad ficos ani: Maxillas luciorum inferiores, & quæ in capite gerit ossicula peculiaribus distincta figuris, pariter cremabis super testa vitreata, inde læuigatum puluerem mariscis insperges, & linamenta vulsa indes. sic biduo sanabis, Ex libro Germanico manuscripto. Si sanguis è vulneribus nimium profluat, & vt meliceria (sic appellatur à Celso 2.26. humor ex neruosis articulorum partibus vulneratis emanans, *das glidvvasser*) sistatur: aliqui componunt medicamentum è bolo Armenia, ossibus lucij, thure, mastiche, tormentilla, sulfure, oleo, &c. Maxillæ lucij puluis vel cinis ex vino potus vrinam ciet efficacissimè, Alexander Benedictus. Mandibulæ tostæ in pulueremque redactæ, si aurei pondere cum vino sumantur, in vesica & renibus calculos frangere consueuerunt, Iouius. Inuenio in Germanicis quibusdam codicibus manuscriptis remedia quædam composita, quibus hæ mandibulæ adduntur: quorum vnum in Astaco fluuiatili G. præscripsi. Calculum renum comminuit, & vrinam prouocat mandibularum lucij (vel ericij terrestris) cinis è vino albo potus, Marianus sanctus: Piscis quidam vstus antidoto nephriticæ è cicadis miscetur apud Nicolaum, interprete Fuchsio. Ossa faucium lucij adusta aliqui compositis ad alba mulierum profluuia medicamentis addunt: alij dentes eius tritos per se exhibent. Ad pleuritin vel puncturam laterum remedium experimento constãs: Ossa de solo capite lucij, & folia ilicis aquifoliæ trita mixtaque dabis, Incertus. Ad secundas pellendas: Maxillarum lucij, sacchari, ana vnciam 1. lapidis specularis, macis, ana vnciam semis. Trita misce & propina. proderit, Ex libro manuscripto Germanico. modus exhibendi non exprimitur. videntur autem sufficere drachmæ binæ. Ex eodem, ad punctionis sensum, (pleuritin fortè intelligit,) in corpore: Vnde nos oculos (humores crystallinos nimirum induratos) luciorum tere, & cum pauca theriaca è vini cochleario bibe: si morbus cum perfrictione inuaserit: sin cum calore, ex aceto. bene tectus sudato. hoc ter aut quater continuè repetito, & sanaberis. *Oculi.* Apud Rolandum chirurgum oculi lucij adduntur medicamento contra morpheam albam. *Oua.* Oua luciorum piscatores circa Argentinam tanquam medicata abiiciunt: videntur enim æquè noxia vt barbi oua: similiterque cholericam affectionem inducere. Sunt qui arida trita purgandi aluum causa exhibeant. Eorundem cinis mitigat dolores in locis pudendis, Incertus.

Morsus Lucii. Morsum lucij non innoxium esse audio, & ægrè sanari.

H.a. Platina lucium piscem lycum etiam, & lycium appellat. Sed lycus nomen Græcis pro pisce rarissimum est, pro lucio quidem pisce nunquam vsurpatum. Blennos pisciculos Græcis quidam, etiam λύκους, id est lupos appellant. Lycostomum apuarum generis pisciculum, Foroiulienses lupum nominant, & garum ex eo faciunt, vti ex Plinio colligimus. Lucij nomen Græcum, nisi oxyrynchus est, nescio. Bellonius (vt dixi in B.) à lucendo deriuat. Lucium non deduci à lyco, hinc probo, quod lycos corripit priorem syllabam: sed lucius apud Ausonium producit antepenultimam, Carolus Figulus.

Epitheta esse possunt, vorax, auidus, agilis, crudelis.

Lapis Eislebanus refert aliquando effigiem lucij, percæ, aut alterius piscis, Ge. Agricola.

Lucij cœperunt appellari (viri) qui ipso initio lucis orti erant, aut (vt quidam arbitrantur) à Lucumonibus Hetruscis, Author libri de prænominibus qui Valerio Maximo attribuitur. Claudiorum familia Romæ Lucij cognomen consensu repudiauit, postquam è duobus gentilibus præditis eo, alter latrocinij, cædis alter conuictus est, Suetonius.

H. Teutones in generoso equo cum aliorum animantum aliquot virtutes requirunt, tum de lupo (lucio) pisce voracitatem & exiliendi facultatem, Ioach. Camerarius. Rusticus quidam iureconsulto lucium attulerat, ille respondit, nunquam se in iure Lucium sine Titio reperisse; innuens tincam quoque ab eo (aut alium quempiam piscem) afferri oportuisse. Scarduam dat vt lucium lucretur, qui vili aliquo dato, maius sperat, Italicum prouerbium.

His scriptis à piscatore quodam nostrâte accepi, lucios in lacu nostro capi non rarò quindecim librarum: vendi sæpe drachmis septem aut octo etiam. percas quoque mediocris magnitudinis ab eis vorari: & percas paruas hamo infixas, præ cæteris ferè pisciculis eos appetere. Parere circa medium Martij in Gryphio lacu, in nostro verò circa finem Martij.

DE LVMBRICIS, SEV VERMIBVS MARIS, RONDELETIVS.



A VErmium eadem genera in ſtagnis proueniunt, quæ in mari, à marinis non diuerſa. ſed inter ſtagni vermes frequentior eſt longus lumbricus, ijs qui in corpore humano procreantur ſimilis, ſed bre-
B uior, ſi modo verum eſt lumbricos quoſdam ad ternùm cubitorum magnitudinem aliquando peruenisſe. Lumbrici ſtagni binùm cubitorum magnitudinem non ſuperant: pollicis ſunt craſſitudine, nullas partes diſcretas habent. Dicas eſſe inteſtinum tenue arena plenum.

G In ſedandis doloribus terreſtribus non cedunt, ſi priùs arena expurgati & in oleo amygdalino cocti artuum doloribus adhibeantur vel tepidè in aurem dolentem immmittantur.

F A menſis omnino reiici debent.

DE EISDEM, BELLONIVS.

C Lumbricus marinus, terreſtri maior, ſtabulatur in littore intra arenam, atque in eo potiſſimùm tractu, quem æſtus alti maris contegit: vnde interdum diſcedens ſiccum relinquit. Piſcatoribus ad eſcam plurimùm confert: quem dum conſectantur à recrementis, quæ more terreſtris ſuper arena relinquit,
(E) agnoſcunt: quæ quo loco perceperint, eo pala ferrea impacta lumbricos è profundo extrahere ſolent, quos caniſtris in vſum diligenter adſeruant. His natura ad excauandam humum mucorem in anteriore parte dedit, quem humi applicant: ex quo cum impetu ſpongioſum quidpiam egerit, quod euomuiſſe videtur: paulatimque in arenam ſubingreſſus, iterum in corpus regerit, quoad ſe totum arena contexerit, quod idem terreſtri lumbrico accidere ſolet.

B Vtriſque tranſuerſi branchi (*circuli*) per ambitum inſunt, quibus totam corporis molem contrahunt atque extendunt, vt ex pedali longitudine breuiſſimi, & ferè orbiculares euadant. Verùm marinus lumbricus teres eſt, pedem longus, digitum craſſus, viſcoſus admodum: croceum colorem fundens, quo
C naues inficiuntur, qui etiam triduum perdurat. Villos in articulationibus pro pinnis habet. Arena & limo veſcitur.

LVMBRICOS fluuiatiles Alexãder Benedictus Lãpetras nominat: de quibus inter Muſtelas agetur. De Lumbricis qui piſcibus innaſcuntur, leges infrà in Vermibus aquatilibus elemento V.

LVNA piſcis. vide in Orthragoriſco.

DE LVPO, RONDELETIVS.

Icon prior, maioris Lupi & lanati eſt: poſterior varii & minoris.



ΛΑΒΡΑΞ

ΛΑΒΡΑΞ piſcis à Græcis dicitur, qui à Latinis lupus. Hodie à Romanis lupaſſo & ſpigola. A Liguribus louazzo. A Venetis varolo. A ſolis Hetruſcis araneo, ab Hiſpanis lupo. A Gallis lubin pro lupin à lupo. Apud nos pro ætate nomenclationem habet. minor enim lupaſſon, quaſi paruum lupum dicas, vt apud Λαβρακίσκον, maior loup vocatur. Lupi verò nomen à voracitate poſuerunt Latini, non quòd à Græcis λύκος, ſed λάβρακας à vi & voracitate dicatur. Athenæus: Nominatus eſt λάβραξ ὡσεὶ λαβρότητος, & Suidas: Τῶν δὲ περὶ θοίνην ἐμπεσόντων, διότι κέχηνεν αὐτῶν τὸ στόμα, καὶ ἀθρόως καὶ λάβρως τὰ ἐδέσματα καταπίνει, ἤγουν καὶ εὐχερῶς ἁλίσκεται. Ideoque appellatus eſt λάβραξ, quia illi hiat os, & repente ac cum impetu voracitate que eſcam deuorat, qua de cauſa facilè capitur. A

Luporum duo videntur eſſe genera. Alius enim varius eſt teſte Columella, id eſt, cuius dorſum ex al- B
1 c bo cæruleum eſt, venter candidus, nigris maculis conſperſus. Alius ſine maculis, qui appellatur laneus, ſiue lanatus à candore mollitiaq; carnis, authore Plinio lib. 9. cap. 17. Vterque in mari, marinis ſtagnis, fluuiorum oſtijs, & fluuijs reperitur, non quòd in fluuijs naſcatur, ſed quòd è mari mariniſue ſtagnis fluuios ſubeat. *Lib. 8. cap. 17.* (C)

Eſt igitur lupus piſcis marinus, magnus, ſpiſſus, ſquamis tectus medijs, ſerratis: capite oblongo, magno oris rictu & hiatu, ſine dentibus, vel quia ob oris magnitudinem facilè prædam deuoret, vel quòd ita voluerit natura, vt illi piſcibuſque re liquis conſuleret. Si enim os dentibus armatum foret, vix piſces eius impetum effugerent, ipſeque prę inſatiabili vorandi cupiditate interiret. Dentium autem loco aſſa habet aſpera in palato, linguam oſſeam & adhærentem. Operculum branchiarum oſſeum, ſerratũ. Branchias quaternas. Oculos magnos. Lapides in capite: quapropter lupum in ijs numerat Ariſtoteles, qui à
2 o frigore infeſtantur. Ob lapides enim à frigore congelantur & moriuntur. cui aliam rationẽ addere poſſumus: quod lupi in ſublimi natent, eoque magis frigoris iniurijs opportuni ſint, maximè ſeniores. Qua de cauſa frigoris vi mortuos ſæpe in noſtris ſtagnis reperiũt piſcatores. Qui verò in imis & abditis gurgitibus hyeme latent, minus à frigore læduntur, nec hyeme moriuntur, etiamſi lapides habeant in cerebro, vt ſoleæ, paſſeres, aſelli, coracini, ſcari, lati, vmbræ, hepati. Lupus ventriculo æſt longo, magno, magno, cũ aliquot appẽdicibus, latis inteſtinis & in gyros contortis, pinguedine obductis. Splene magno, rubeſcente. Hepate magno, in quo veſica fel viride continens. Locus eſt ſub ſpina dorſi multo aere plenus. Ad branchias & in ventre pinnæ binæ ſunt. In dorſo acuti & inæquales aculei, tenui mẽbrana colligati. Caudam verſus pinna alia aculeo vnico innixa, tribus verò ea quæ eſt à podice ad caudam. Cauda in pinnam vnicam deſinit. Linea à capite ad caudam ducitur. Qui minor eſt, inſperſas nigras maculas habet, quibus caret maior. (*Ioan maioris etiam non maculas, ſed puncta pauca nigra oſtendere.*) Qui in mari degit,
3 0 dorſo eſt ex cæruleo candido, qui verò in oſtijs fluminum, totus ferè candidus eſt. *De lapidibus in capite piſcium. Lib. 8. de hiſt. anima. cap. 17.*

Lupus carne veſcitur, nonnunquã algaſt, luto: & ſquillis, quæ deuoratæ aculeo quem in fröte geſtant C
lupum interficiunt. Bis anno parit, maximè vbi amnes in mare influunt, præſertim in ſtagnis noſtris. *Ariſtot. lib. 5. de hiſt. cap. 3.*

Hæ ſunt à veteribus omnibus traditæ lupi notæ, quæ cùm præter gentium ferè omnium appellationes maximè conſentientes, lupo noſtro appoſitiſſimè conueniant, nos lupum verum exhibuiſſe conſtat. A

Fuerunt tamen qui longè ſecus exiſtimarint. Nam alij lupum eum eſſe tradiderunt, qui nunc ſturio vocatur, quòd lupus Tyberinus longè omnium piſcium apud Romanos eſſet laudatiſſimus, & is maxi-
4 0 mè qui inter duos pontes caperetur. Cuiuſmodi cùm ſit nunc ſturio, omnium ſcilicet piſcium qui laudatioribus menſis apponuntur præſtantiſſimus, eum lupum veterum dici oportere. Sed quam vana furiliſque ſit hæc ratio, nemo non videt. Sic enim quicunque in Tyberi delicatiſſimi optimique eſſent piſces, lupi dici poſſent. Prætereà notæ vtriuſque valde inter ſe pugnant. lupus enim ſquamoſus eſt, ſturio minimè: lupus carniuorus & voraciſſimus eſt, ſturio autem minimé. Sed hæc quia nota ſunt, longiore probatione non egent. *Lupus non eſt ſturio.*

Probabilior eſt, falſa tamen eorum ſententia, qui lupum eſſe arbitrantur quem Latini lucium, Galli brochet appellant, vocis ſignificatione in hunc errorem inducti, quia Lucius quaſi λύκος, id eſt, lupus dicatur: eſt enim lucius etiam voraciſſimus. Sed hoc intereſt: quòd lupus marinus ſit piſcis, aut ſi in fluuijs reperiatur, huc ex mari ſubierit, teſtibus Ariſtotele, Galeno, Athenæo, Plinio, ceteriſque omnibus veteribus. Lucius verò fluuiatilis eſt, paluſtris & lacuſtris. *Non eſt lucius.*

Nonnulli quas troctas vulgus vocat, cenſuerunt lupos eſſe maculatos. Quam opinionem duo maxi-
5 0 mè falſam eſſe arguunt. Nam troctæ vulgò dictæ (de his enim hîc loquimur) in Tyberi, præſertim inter duos pontes non capiuntur: ſed harum copiam maximam, ſuburbani amnes omni tempore ſuggerunt, vt ex Reatinis, Sublaqueaniſque, & ipſo Tyburtino amne quotidie videntur. Deinde troctæ in fluuijs fontibuſque tantùm capitur, frigidioribuſque locis gaudet. At lupus in mari & marinis ſtagnis degit, frigoriſque iniuriam vehementer pertimeſcit, adeò vt præ frigore emoriatur, quemadmodum iam dictum eſt. Quare refutatis his ad lupum verum quem oculis ſubiicimus, reuertamur. *Troctas non eſſe lupos maculatos.*

Galenus alimentum quod ex pelagijs lupis prouenit, ſanguinem ait conſiſtentia tenuiorem gignere, F
quàm quòd ex pedeſtribus animalibus prouenit, adeò vt non copioſè nutriat, & celeriùs diſcutiatur. Et apud Athenæum Hiceſius, λάβρακες ὑγιεινοί εἰσι, καὶ εὐπλύτεροφοι. Quum verum gerit deterior eſt, contra cæterorum piſcium naturam. Qui in Agathenſi portu capiuntur, alijs ſunt candidiores, vt diuerſi piſces
6 0 eſſe videãtur, nõ colore ſolũ, ſed etiã ſapore: ſunt enim hi laxiore & molliore carne, ſapore minùs grato. *Lib. 3. de alim facult. Libro 7.*

Apud Miletum Aſiæ ciuitatem maximos & plurimos fuiſſe lupos, author eſt Suidas (*ex Ariſtophanis Scholiaſte*) propter ſtagnum influens in mare: gaudet enim hic piſcis aqua dulci. vnde Labrax Mileſius E
prouerbio in ſtolidum & auidum dicebatur, quia piſcis lato eſt oris rictu, ob id eſcam totam vnà cum hamo ferreo faucibus corripit, qua de cauſa facilè capitur. Ariſtophanes tamen apud Athenæum labraca piſcem ſaptentiſſimum appellat: Λάβραξ ὁ πάντων ἰχθύων σοφώτατος. Ob altum fortaſſe, quo vt ſe ſeruet, vtitur. Plinius ex Ouidio ſcribit, Lupum piſcem rete circundatum arenas arare cauda, atque ita conditum tranſire rete. Idem cecinit Oppianus: *Labrax Mileſius. Libro 7. Lib. 32. cap. 2. Lib. 3. ἁλιευτικῶν.*

Λάβραξ δ' ὑπεμύησεν ἀφ' ὑαμαθοῖο λαχήνας
Ἐκλίνθη. καιτὰς μὲν ἐπ' ἠϊόνας καταδύσεται
Ἀσπασίως ἤλυξε, καὶ ἐκφύγεν ἀρ' ἄκμων ὀλέθρου.

Βέλτερον, ὅσσον δέξαθαι ἐὸν λέμας, ἠύτ' ἐπ' ἀνδρὶ
Δίκτυον ἁσπαλιῆς· ὁ δ' ἰλυόεις μύδεται αὐτῶς

F Luporum optimi ſunt pelagij: his ſuccedunt qui in marinis ſtagnis, tum qui in oſtijs fluminum capiuntur, poſtremò fluuiatiles: humidiore enim excremento redundant. Omnium inſaluberrimi ſunt, qui in Tyberi inter duos pontes, qui circa Arelatem, aut in portu Maſſiliæ aluntur. illic enim luto, ſordibus, ſtercoribus piſciculiſque ex his alitis nutriuntur. Hinc conſtat veteres non ſemper quæ ſalubria, ſed quæ gulæ tantùm palatoque lenocinarentur probaſſe, qui lupum inter duos pontes iactatum tot laudibus efferebant. Eadem ratione vituperandi ſunt cyprini, qui Lugduni in Arari capiuntur: cùm contrà vulgus imperitum eos multùm præferat ijs qui procul ab vrbe in pura aqua degunt. Quocirca ex victus ratione, locisque in quibus piſces degunt, ſucci probitas vel improbitas colligenda eſt, vt rectè docet Galenus. Lupus elixus in aceto & iure albo febricitantibus conuenit, ſanis etiam aſſus in craticula. Hepar aſſum & mali arantij ſucco condîtum, delicatiſſimum eſt: quod neque galli gallinacei, neque anſeris hepati tantopere à veteribus celebrato cedat. Sunt etiam luporum ὠὰ τάριχα, quæ etiam Botargues vulgus vocat.

Cyprini in Arari.
Lib. 3. de facul. alimen.

G Lapides, qui in capite inueniuntur, aduerſus nephritidem cõferre creduntur, quemadmodum multorum aliorum piſcium lapides. cuius rei cauſam eſſe arbitror, non cæcum aliquem horum lapidum effectum, ſed grauitatem tantùm, à qua deprimitur renum calculus.

Lapilli in capite contra calculum.

Hoc poſtremo loco non inutile fuerit locum Plinij lib. 31. cap. 8. expendiſſe. Foroiulienſes, inquit, piſcem ex quo garum faciunt, lupum appellant. Suſpicor Plinium non intellexiſſe ex lupo, de quo hoc capite diximus, garum fieri: ſed cùm ex aphyis garum confici ſolitum dixiſſet, ſubiunxit à Foroiulienſibus fieri etiam ex piſciculo, qui inter aphyas numeratur, & encraſicholus vocatur, vel lycoſtomus ab oris ſciſſura: vt docuimus cùm de piſciculis ageremus vt quem alij lycoſtomũ, hîc Plinius lupũ nuncupârit.

Apua lycoſtomus Plinio etiam lupus.

DE LVPO STAGNI MARINI, RONDELETIVS.

LVPVS fluuios & ſtagna ingreditur cum Mugilibus, vt ſuprà dictum eſt.

F In ſtagno marino pingueſcit, magiſque tum palato placet quàm marinus, qui carne eſt ſicciore. Omnium ſtagni marini piſciũ ſaluberrimus eſt & optimus Lupus: quia carniuorus eſt, lutoq; non veſcitur.

B In miram magnitudinem accreſcit. vidimus enim aliquando tricubitalem.

C Quum ſtagna frigoribus conglaciant, moriuntur Lupi, & in ſummo fluitantes apparẽt. Quare dicendum magis ab his frigus timeri quàm ab Auratis, Mugilibus & cæteris. Cuius rei cauſam ſuprà reddidimus. neque enim eam lapidi qui in capite eſt tantùm aſſigno: nam & Auratis & Mugilibus inſunt in capide lapides: & in nonnullis, vt in Coracino, multò maiores: tamen ij omnes frigore non intereunt.

F Hyeme & vêre optimi ſunt Lupi, æſtate minus probantur, vtpote qui ſicciores ſint. Saliti non æque boni ac Mugiles, niſi recens ſaliti edantur: tunc enim meliores ſunt quàm ſi diutius ſeruentur. Recens capti duriore ſunt carne. Caput maximè commendatur, vt caput Glauci, omniumque piſcium qui pingues ſunt: propterea quòd circa caput pinguiora ſunt omnia. Contrà, caudam Mugilum noſtri magis probant. quia cùm Mugiles præhumidi ſint, & pinguitudine moleſta referti, caudam ob crebras exercitationes minùs pinguem præferunt. Parui Lupi, maximè qui in foſſis & magis lutoſis locis degunt, minùs probandi: magni, contrà. illi enim ad prædam perſequendam non tam validi, herbis ac radicibus in luto altis contenti ſunt, alij non niſi piſcium bonorum præda victitant.

DE LVPO, BELLONIVS.

A Lupum marinum piſcem Latini omnes vocauerunt: ac poſt eos Maſſilienſes ac Genuenſes: apud quos Louazzo, vel quòd ſit admodum vorax, vel quòd ferè laneo ac maculoſo tegmine conueſtiatur: vnde quibuſdam Græcis ἐπεστιγμένος, ac Latinis varius & maculoſus appellatus eſt. alioqui hunc Græci Lauracem à voracitate nominant. quod vocabulum detruncatum ac mutilum noſtri retinuerunt, dum dicunt vn Var, vel vn Bar: niſi etiam à vario colore nomen putes deductum. Veneti Varolum, Burdegalenſes Lubinam nominant.

C Hunc piſcem inter aſpratiles connumerat Plinius medicus: Galenus pelagium facit: ſtagna tamen maritima non refugere, nec fluuiorum oſtia, tradit.

B E puſillo magnus ac cetaceus, vt Salmo, euadere ſolet, vt ex Oceano libras quindecim nonnunquam pendere viſus ſit. Cæterùm ſquamis ſeſſilibus ſibi inuicem arctiſſimè coniunctis, pellucidis, corpori valde inhærentibus contegitur: eſtque colore ſatis iucundo. duas in tergore pinnas habet, quarum ea quæ capiti vicina eſt, octo aculeis eſt horrida. item ad latera vtrinque vnam circa branchias: & rurſus aliam ſub medio ventre etiam geminam ac mollem. Lineam vtrinque gerit, non vt Cantharus aut Sargus arcuatam, ſed à ſummis branchijs rectà ad caudam per medium corpus delatam. Branchiarum autem tegumenta ſpinea ſunt, horrida, & ſpiculis aſpera, atque in crenas à ſummo denticulata, vt duplicatas eſſe dixeris. Os illi magnum eſt atque amplum, tenuibus denticulis confuſo (ceu in cantharo) ordine diſpoſitis vndecunque armatum. Linguam oblongam habet: Carnem in Salmonis modum rubentem, quam noſtri ichthyopolæ (dum multùm increuit piſcis) in taleolas diffiſſam, Salmone cariùs diuendunt.

C Eam enim tenuiſſimum atque optimum ſanguinem gignere Galenus autumat, ſi præſertim è mari in aquas dulces exilierit. Cæterùm bis anno parere ſolet, vnde Oppianus. At bis Lúcinam Labrax toto inuocat anno.

B Diſceſſum Lupi corpus, hepar oſtendit pallidum, in duos lobos diſtinctum: ſub quorum dextro veſicula fellis auellanæ magnitudine adſuitur. Lien quoque in ſiniſtro purpureus atque oblongus apparet: plures illi quàm duæ apophyſes in inteſtinis non videntur, à duodeno exilientes. neque enim eius inteſtina numeroſiores anfractus habent, quàm S. literæ maiuſculæ figura.

COROLLARIVM.

A Vocabula piſcium pleraque translata ſunt à terreſtribus ex aliqua parte ſimilibus rebus, vt anguilla, ſudis. alia à vi quadam, vt hæc: Lupus, canicula, torpedo, Varro. Lupus dictus eſt quòd & vorax ſit, &

Lupi effigies Venetiis picta hæc eſt.



ſolus natet, Volaterranus. Violentũ omnino animal eſt, & quod à ſuis viribus pręſidium petat: ex quo noſtri lupum, Gręci lábraca dixêre, Cęlius Calcaginus. Luporum laudatiſſimi qui appellantur lanati, à candore mollitiaque carnis, Plinius. In piſcinis ſæpe animaduertimus pelagicos greges rapacis lupi, Columella 8.17. Et mox: Tum etiam ſine macula (nam ſunt & varij) lupos includemus. Laneus Euganei lupus excipit ora Timaui, Martialis. Quos ſine macula lupos vocat Columella, iidem fortaſſe ſunt (*non eſt dubium*) quos Plinius lanatos dicit: quos verò Columella varios, eos Oribaſius ἐπεστιγμένους, id eſt maculoſos. Lanatus igitur vel laneus lupus dictus eſt, qui candore ſimul & mollitie carnis lanas refert. Lanæ enim & candidiſſimæ & molliſſimæ prima laus. Lanarum quidem colores ſunt quatuor præcipui: albus, niger, rutilus vel ruffus: denique fuluus & ſuæ pulliginis Tarentinus. Labrax dictus eſt Græcè παρὰ τὴν λαβρότητα, Athenæus: Iouius interpretatur ab ipſa vehemẽtia. Euſtathius ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ ἐσθίειν λαβρότητος, id eſt, à voracitate & edendi vehementia dictum ait. Vtrunque ſatis conuenit. nam & cætera & edacitate vehemens & violentus hic piſcis eſt. A Tarentino λαύραξ per αυ. dipthongum ſcribitur, & ſimiliter à Polluce: quod minùs laudo. Apud Galenum modò per υ modò per β. ſcriptum reperio. Sed de vocabulis λάβρος ac λαῦρος adiectiuis, eorumque vi nonnihil inferiùs adferemus in H.a. Labri piſces cauda placentes à Plinio nominantur ex Ouidio: in cuius tamen de piſcibus fragmento nullum labri nomen extat: ſed Melanuri laude inſignis caudæ. quare apud Plinium quoque ita legendum monuerim. nec eſt quòd labri nomine labracem fortè aliquis accipiat. quoniã lábrax lupus eſt, paulò ante à Plinio nominatus. nec refert quòd melanurum quoque anteà nominârit: cum aliorum etiam quorundam nomina repetierit, memoriæ nimirum lapſu, tanquam nouorum, vt Orphi & Erythrini. Lycos, quanuis lupum quadrupedem Græcis ſignificat: & pro piſcibus quibuſdam interdum ponitur: vt Anthia, blenno: nunquam tamen labracem Græcorum quem Latini lupum vocant, ſignificat. Vide in Anthia A. Lupus Foroiulienſium è quo garum faciunt, lycoſtomus Græcorum videtur, apuarum generis. In tanto itaque honore lupus apud antiquos habebatur, vt per excellentiam piſcis nomen ſolus fuerit adeptus, quaſi nullum alium piſcis nomine dignum vocari exiſtimarent, vt ex dicto illo luxurioſo apud M. Varronem libro de re ruſtica tertio, percipi facile poteſt. Cum enim (inquit) ad Minidium hoſpitem Caſſini Philippus (*L. Philippus, vt Cælius Calcagninus legit. Columella 8.16. habet M. Philippus*) diuertiſſet, & ei è vicino flumine lupum piſcem formoſum appoſuiſſet, atque ille guſtaſſet & expuiſſet, dixit: Peream ni piſcem putaui eſſe, Maſſarius. Vide etiam in F. Extat apud Columellam (inquit Iouius) dictum illud Philippi admodum luxurioſum: qui apud hoſpitem Caſſino in oppido lupum ſibi in cœna appoſitum guſtabundus expuit, addens: Peream, inquit, niſi piſcem putaui: quaſi vellet innuere, ſolos Tyberinos lupos piſcis nomine dignos eſſe: cæteros autem lupos inter quiſquilias potiùs quàm inter piſces eſſe reponendos. Lucilius poeta pontes Tyberinos inter captum catillonem pro lupo dixit. vide infra in F.

Labrax. *Labrus.* *Lycos.* *Piſcis per excellentiam.* *Catillo.*

Luporum duo genera ex Columella, alterum ſine macula, alterum varium: ex quo etiam hac ætate Veneti Vairolum quaſi varium corruptè appellant: littus Liguſticum & Gallicum vocat Lupum. Græci nondum ceſſant rectè appellare Labraca, Gillius. Cælius Calcagninus libro 5. Epiſtolarum ad Baptiſtam Angiarium ſcribens, ijs aſſentitur, qui lupum ſpicolam (vulgò dictam) eſſe voluerunt. noſtri (inquit) Variolum dicunt: quod nomen tamen magis conuenit generi alteri, quod veteres etiam à maculis varium appellarunt. Lábrax, id eſt Varolus piſcis, omnibus notus, Gerardus Cremonenſis Kiranidæ interpres: & Alexander Benedictus Veronenſis in libro de peſte. vbi & lupum marinum à labrace diuerſum facere videtur. lupum enim marinum præcipuè ſuauem eſſe tradit, longo roſtro, nullis ſpinis intercurſantibus. Suſpicor equidem eum vt lupum fluuiatilem pro lucio dixit: ita marini etiam lupi nomine piſcem vulgò alicubi lucium marinum dictum, ſiue ſphyrænam, ſiue alium, accepiſſe. Lupum piſcem Picentes mei Varolum nominant, Romani vulgò Lupum, Perottus. Spigola hodie apud Romanos eſt, qui in Venetia Varollus, Lupacius in Liguria, in Hetruria Araneus, & Lupus in Hiſpania vocitatur, Iouius. Venetijs Varolus dicitur, & paruus etiamnum Baicolo. Hiſpani Robalum appellitant, Amatus Luſitanus. Lupum eſſe qui ab Anglis appelletur a *Baſe*, doctiſſimus Fauconerus mihi aperuit.

Vulgarium linguarum nomina.

peruit. is enim est (inquit) qui à Venetis Varolus appellatur. Piscem mugili similem esse audio, cādidiorem squamis. Galli Cenomani Bar quasi varium vocant: vnde & Anglicum nomen *Bas* (nam e. finale non proferunt) vnius literæ mutatione factum videtur.

Lupus non est Lacia. Platina lupum esse suspicatus est piscem, qui Lacia vulgò vocatur Romæ. sed is proculdubio alausa siue clupea est.

Non est lucius De Lupo pisce variæ fuerunt recentiorum autorum sententiæ, inquit Massarius. Prima fuit Simonis Ianuensis, quem Franciscus Philelphus imitari videtur. hi nanque volebant lupum piscem eum esse, qui nunc materno tritoque vulgi sermone lucius vocaretur: coniectura ducti, quòd lupus piscis Græce lycos (pudendo errore) appellaretur, vt y. tenui in v. verso lucus, ac dein lucius cognominatus esset quæ opinio, tum ratione, tum etiam autoritate Galeni facile confringitur. nam lupus piscis (vti retulimus) labrax Græce dicitur, non lycos. etenim lycon Latini lupum animal quadrupes interpretantur. Præterea lupus piscis, quanuis amnes subire soleat, non est fluuiatilis vti lucius, sed marinus: quod Galeni autoritate confirmari videtur, de lupo pisce ita libro de virtute alimentorum tertio scribentis: Lupum in dulcibus aquis natum non vidimus, sed ex mari in flumina ac lacus ascendentem conspeximus, &c.

Non est sturio. Sententiam illorum, qui sturionem vulgò dictum, lupum veterum esse putabant, (vt primùm Poggius Florentinus senior, deinde Raphael Volaterranus,) plenissimè refutauit Iouius. Lupus Aristoteli squamas habet, & pinnis quatuor natat. neutrum conuenit sturioni. Laneus Euganei lupus excipit ora Timaui, Martialis. Is fluuius (inquit Iouius) hodieque Varollis abundat: sturiones (qui magnos tantùm amnes libenter subeunt) non habet. Paulus Aegineta cephalo lupum similitudine comparauit: quod Sturioni minimè conuenit, Massarius.

Iouius credit lupos varios maiores apud Ambrosium esse de genere luporum, quos & troctas appellat. Troctam enim (inquit) esse lupini generis apparet, vt aspectu, mutuaque naturæ collatione perspicitur. Nuper etiam Germani quidam ædito de rerum nomenclaturis libello: Forella Germanorum (*inquiunt: hæc autem truta est*) à Latina appellatione Variolus nomen tulit. & aliqui nomine moti, lupum varium nominant. Horum opinionem satis redarguit Rondeletius.

B

Prægrandes lupi apud Miletum Asiæ ciuitatem esse dicuntur. Lege infrà inter Prouerbia in u. Nos autem (inquit Massarius) affirmamus lupos multò maiores reperiri in dulci portu, qui nunc dicitur Phanarius: ibi enim dulcis aqua est: quem intrat amnis Acheron ex Acherusia palude profluens apud sinum Ambracium: similiterque in Eloro amne, vt autor est Nymphodorus Syracusanus. Circa Berenicen Libyæ fluuius est Lethon, in quo nascitur Labrax, Aurata, &c. Ptolemæus Euergetes apud Athenæum. In Indico mari innumeri pisces prægrandes sunt, præsertim Lupi, Amiæ, & Auratæ. Fertur autem quo tempore fluuij augentur & in agros exundant, hos pisces etiam simul abreptos inundationem sequi, & per agros in pauca & tenui aqua ferri & oberrare, &c. vt supra ex Aeliano recitaui in Enneis piscibus. Lábrax piscis est similis cephalo, Kiranides. Paulus quoque Aegineta cephalo eum comparauit. Persæo pisci maris rubri aspectus similitudo est cum lupo, Aelianus. Thymalus lupi & cephali communem & mediam speciem similitudinemque gerit, Idem. Lupus squamis tegitur, Aristoteles. Carnem candidam & mollem habet, præsertim maior, quem & lanatum inde cognominant, vt diximus. Lupi argentearum squamarum candore, & summo lactearum carnium albore, cæteros omnes pisces superant, Iouius. Bellonius tamen suo lupo carnem vt in salmone rubentem adscribit, siue de specie diuersa loquutus: siue quòd Oceanus aliquid mutat. Pinnas binas parte prona, & totidem supina habent, Aristoteles. Prægelidam hyemem omnes sentiunt, sed maximè qui lapidem habere in capite existimantur, vt lupi, coracini &c. Plinius. Autores habeo piscatores primi nominis, & ipse comminus annotaui, in variolorum capite ossiculum esse, dum primæ adhuc sunt ætatis, quod deinde ætate ingrauescente obdurescat in lapidem, Calcagninus. Atqui in dulcium aquarum piscibus quicunque lapillos habent (cancros excipio) ab initio statim etiam paruuli habent, nec vllum in eis ossiculum in lapidem durescit.

Dicamus cum Sipontino, lupum esse varolum, piscem squammosum, squammis aliquanto minutis, candicantibus præsertim supina parte, ore immenso sine dentibus, interiùs tantùm aspero: à capite virga quædam nigra ex vtroque latere in caudam vsque protrahitur, Massarius. Rondeletius quoque dentes ei negat: eorumque loco ossa in palato aspera habere ait. Bellonius in ore tenues denticulos confuso ordine vndecunque haberi. Iouius dentes serratos lupo tribuit, quibus hamorum lineas abrodat. Lupus dentibus sæuit, quibus prorsus caret sturio, Calcagninus. Nostra quidem huius piscis effigies depicta Venetijs labra etiam denticulata ostendit. sed maioris apud me sunt grauissimi conditores Rondeletius & Massarius, qui lupum edentulum faciunt. Lupi linguam habent osseam & adhærentem, cor trigonum, Athenæus ex Aristotele.

C

Lupum (inquit Galenus) nunquam vidi natum in dulcibus aquis: è mari verò fluuios aut stagna (λίμνα) subiisse vidi. *Vbi.* quamuis enim in profundo maris versari sit solitus: non refugit tamen stagna salsa, (λιμνοθαλάσσας, paludes maritimas,) nec ostia fluminum. In paludibus maritimis & fluuiorum ostijs frequens est, præsertim vbi copia dulcis aquæ influit, & fundum est cœnosum, inibique pinguescunt, Vuottonus ex Oppiano. Sed in ipsos quoque fluuios lupus ascendit, Oppianus. Spigola cum ex alto mari, tum ex amne Tiberi quotidie hamis vel retibus extrahitur, Iouius. Laneus Euganei lupus excipit ora Timaui, Aequoreo dulces cum sale pastus aquas. Martialis. E mari in Tybrim varolos ascendere, tuncque euadere pinguiores ac meliores videmus, quod & lupos facere autores ferè omnes memoriæ prodiderunt, Massarius. De lupis qui Romæ in Tyberi inter duos pontes capiuntur, multi meminerunt: vt referemus in F. Marinos aliquot pisces, & cum cæteris lupos, dulcibus aquis olim Romanos inclusisse, leges in E. *Solitarius.* Μονήρεις, hoc est solitarij sunt lupi, Athenæus ex Aristotele. atqui Aristoteles historiæ 5.9. piscibus χυτοῖ., fusaneos Gaza interpretatur, eos adnumerat qui retibus capiuntur. Vide in Corollario de Chalcide C. & Rondeletius, Vidimus (inquit) mugilum luporumque capturam vno retis iactu

centum

centum aureis coronis vænisse. *Hians.* Ore plerunque est hiante, vtpote auido prædæ: & in hoc etiam quadrupedem lupum refert: à quo prouerbium etiam factum est, Lupus hians. Lupus Tyberinus an alto Captus hiet, Horatius. κέχηνεν αἰεὶ τὸ στόμα, καὶ ἀθρόως τὸ δέλεαρ καταπίνει, Scholiastes Aristophanis. *Somnus.* Fuscina interdiu sæpenumero dormientes capiuntur, Aristoteles. *Auditus.* Lupus inter pisces liquidiùs audit, Aristoteles & Aelianus. Produntur clarissimè audire mugil, lupus, salpa, chromis, & ideo in vado viuere, Plinius. *Cibus & voracitas.* Constat à lupo quadrupede animali appellatum hunc piscem fuisse, cuius tanta auiditas & voracitas est, vt deficiente cibo terra vescatur. Sic etiam varolos pisces voracissimos esse constat: quippe qui pisces & purgamenta quæcunque vel etiam putrida insectentur. quare Lucilius eum qui inter duos pontes captus esset quasi liguritorem appellauit catillonem, scilicet qui latrinarum stercore inter duos pontes vesceretur, Massarius. Lupus à velocitate (*voracitate*) appellatur: in quo lupo terrestri assimilatur. quia scilicet improba voracitate alios persequitur, Isidorus. Græcum etiam nomen lábrax Eustathius ei positum ait, ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ ἐσθίειν λαβρότητος. Rapidi lupi, Ouidius. Carniuori sunt, Athenæus ex Aristotele. Carniuori tantùm, vt apud ipsum Aristotelem legimus. At idem alibi: Lupus, amia & thunnus magna ex parte aluntur carne: sed algam etiam tangunt. Lupus piscis admodum vorax subire cloacas solet: & mediæ cryptas intrare Suburræ, vt ait Iuuenalis. Circa sterquilinia & eiectitias sordes moratur. obuia quæque deuorat, nec piscibus vllis, vel corruptissimis escis parcit. Paucis ante mensibus quum in foro piscario ingens spigola exenteraretur, oblongus serpens in ventre repertus est. Quibus de causis in Tyberi mirum in modum pinguescit & adolescit, Iouius. Cancros marinos maximè adsectatur, Volaterranus. *Partus.* Oua parit: idque ijs maximè locis, quà flumina exeunt in mare, Aristot. E fusaneis piscibus (qui Græcè χυτοὶ vocantur) solus bis anno parit: sed posterior partus infirmior est, Idem. Alibi etiam æstate, alibi hyeme eum parere scribit: & ne sibi aduersari videatur, bis anno alibi eum parere tradit: quod idem Oppianus, Aelianus & Plinius testantur. Prægelidam hyemem omnes sentiunt pisces: sed maximè qui lapidem in capite existimantur habere, vt lupi & pagri. cumque asperæ fuerint hyemes, multi capiuntur cæci, Plinius. Lupum audio præclarè intelligere, se in capite possidere lapidem hyberno tempore perfrigidum, sibique infestissimum. Itaque illo ipso anni tempore eum lapidem calefacere, haudquaquam inscium contra lapidis frigus remedium esse, ipsum tepefacere, Aelianus. *Natatus.* Alcæus ait lupum sublimem natare, Athenæus.

D *Solertia.*

Lupum cæteros pisces sapientia superare Aristophanes tradit, quippe qui cautiùs insidias euitare sciant, id quod Plinius & Oppianus confirmare videntur, Massarius ex Athenæo: qui hunc Aristophanis versum citat: Λάβραξ ὁ πάντων ἰχθύων σοφώτατος. Vitæ enim præsidia, inquit, solerter excogitat, seque ipsum tuetur. Minus (quàm mugil) in prouidendo lupus solertiæ habet, sed magnum robur in pœnitendo, (*id est, mox quum pœnitudine ducitur. Vuottonus legit, in permittendo, quod minus probo. prouidere quid in & pœnitere pulchrè opponuntur.*) Nam vt hæserit hamo, tumultuoso discursu laxat vulnera, donec excidant insidiæ, Plinius. Idem tradit Plutarchus in libro, Vtra animalium, &c.

----Lupus acri concitus ira: Discursu fertur vario, fluctusque ferentes
Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere sæuus Quassato cadat hamus, & ora patentia linquat,

Ouidius. Hoc idem Italiæ piscatores de spigolis vulgò dictis referunt: quare hoc etiam inter cætera argumento spigolam à lupo non differre, colligit Iouius. Idem inquit & lupos, omnium ferè scriptorum testimonio, & hodie spigolas, hamorum lineas dentibus serratis abrodere solere. At qui hoc de lupo tradat veterum ne vnus quidem nunc occurrit. De anthia quidem quem aliqui lycon vocant (id est lupum, sed à labrace quo de agimus, longè diuersum,) Ouidius canit:

----his tergo quæ non videt vtitur armis: Vim spinæ nouitque suæ, versoque supinus
Corpore lina secat, fixumque intercipit hamum.

Λάβραξ δ' ἀγκίστροιο τυπεὶς ὀλκαμπέος αἰχμῇ Ὑψόσ' ἀναθρώσκων κεφαλὴν ἀζηχὲς ἐρείδει
Αὐτῇ ἐν ὁρμῇ βεβιημένος, ὄφρα οἱ ἕλκος Εὐρύτερόν τε γένοιτο, καὶ ἀγκίστροιο φύγῃσιν,

Oppianus 3. Halieut. Lupus rete iam trahi sentiens, solum interea magna vi ruendo diuidendoque cauat: ac vbi latibulum aduersus insultus communiuit, iniicit abditque se, & hic tantisper hæret, dum rete præteruehatur, Plutarchus. Clausus rete lupus, quanuis immanis & acer, Dimotis cauda latitat submissus arenis, (*sic enim lego,*) Ouidius. Hamo captum vulnera contempto dolore fortissimè laxare: retibus verò inclusum vado sulcato subter labi Oppianus author est: & hodie piscatores, maioribus etiam miraculis additis, vno consensu fatentur, Iouius. Deprehensi, infra rete fodiunt arenam, & quasi per cuniculum elabuntur. quod si reti se implicitos senserint, quanto possunt impetu in rete grassantur vt discerpant. Hæc omnia in variolo se animaduertisse nostri piscatores magno consensu testantur, Cælius Calcagninus. Nymphodorus in Eloro amne inquit esse lupos, & anguillas magnas, adeo mansuetos vt è manibus etiam porrigentium panem capiant, Athenæus. Apud Mæotidem paludem lupos esse piscatorum familiares aiunt, & nisi partem suam à piscatoribus acceperint, retia cum in terra expansa resiccantur, lacerare, Aristoteles historiæ animalium 9. 36. de lupus quadrupedibus scribens. λύκους enim nominat, vt Albertus non rectè de lupis piscibus intellexerit. Ego enhydros potiùs, id est Lutras quadrupedes, alicubi circa Mæotin & vlteriùs piscatoribus familiares esse, & ad piscationem iuuare putârim. Vide in Lupo quadrupede D. De Lutra paulò pòst dicemus: quanquam & Quadrupedibus viuiparis historia eius adiuncta est. Lupus & mugilis quanquam inimici sunt capitales, tamen stato tempore congregantur. coeunt enim in gregem sæpius, non solum quæ eiusdem generis sunt, sed etiam quibus idem aut similis pastus appetitur, dummodo sit abunde cibarij. sæpe mugiles cauda abscissa viuunt: abscinditur autem mugilis cauda à lupo: Aristoteles & Athenæus ex eo citans. Nigidus autor est prærodere caudam mugili lupum, eosdemque statis mensibus concordes esse. Omnes autem viuere quibus caudæ sic amputentur, Plinius. Mugil, Κεστρεὺς, & lupus mutuo odio flagrant, Idem & Philes. Mugil & lupus pugnant Aristoteli: & nos Puteolis sæpenumero cum lupo mulum (*mugilem puto dicere voluit*) acriter pugnantem, Bessarione nostro præsente, animaduertimus: mugilemque in metu (*timen-*

Quomodo à squillis quas deuorat occidatur lupus.

tem sibi (*scilicet à lupo hoste*) cum caput occultasset, totum se absconditum esse existimantem. Perottus. Lupus piscis (inquit Aelianus 1. 29.) à squillis superatur, quanquam piscium, vt ita dicam, maxima vorago est. Lupi igitur qui circa paludes maris degunt, squillis quoque palustribus insidiantur. Sunt enim & aliæ quædam squillæ quæ algis victitant: & tertiæ saxatiles. Cum ergo seipsas defendere squillæ non queunt, pro vltione extremum spiritum in victoria effundere non dubitant. Equidem earum astutias & fraudes non grauabor narrare: Cum se interceptas sentiunt, fastigium quod eminet à capite, quodque simile est acutissimo triremis rostro, atque etiam secturas habet modo serrulæ vncinatæ: hoc inquam animosæ illæ bestiolæ cum incuruarint, summa leuitate saliunt, & tanquam saltatorium versant orbem. Lupus ore maximè hiante atque imminenti cum sit, pelle tenera & molli squillam ex lassitudine viribus defectam comprehendit, atque prandium fore arbitratur. Squilla primùm in gutturis laxitate saltat, pòst aculeos in miserum venatorem defigit. huic interiora exulcerantur, tumescentiaque plurimum sanguinis mittunt. denique suffocatione lupum periclitantem interficiens interficitur, Hæc ille. Oppianus libro 3. Halieut. squillas à lupo deuoratas (cum neque resistere ei, neque effugere possint) in ore ipsorum celeri frequentique motu circumagi scribit, & cornu acuto, quod è summo ipsorum capite promineat, medium lupi palatum vulnerare: illum in præsentia cibi cupidum negligere: posteà verò serpente & depascente vulnere præ cruciatu emori. ὁ κτείμεναι δ' ὀλέκουσι, καὶ ὃς πέφνουσι φονῆας. Sua lupo ingluuies in causa est, vt à squillis intereat, Eustathius.

E Lupi pisces fuscina interdiu sępenumero dormientes capiuntur, Aristoteles. alioqui minimè fuscina capi posse existimantur, Vuottonus. Verriculis & plagulis capiuntur, Plutarchus. Ab Aristotele adnumerantur piscibus χυτοῖς, qui retibus capiuntur. Escam auidè (totam) deuorant. itaque facile capiuntur, Scholiastes Aristophanis. Squilla pingui inescantur, Oppianus. Vidimus mugilum luporumque capturam vno retis iactu centum aureis coronatis vænisse, Rondeletius. Quo astu & rete circumdati, & hamo transfixi sese liberent, expositum est iam in D. Piscium curam (inquit Columella 8.16.) maiores nostri celebrauerunt, adeò quidem, vt etiam dulcibus aquis marinos clauderent pisces: atque eâdem curâ mugilem scarumque nutrirent, quâ nunc muræna & lupus educatur. Inde Velinus, inde etiam Sabatinus, & item Vulsinensis & Ciminus lupos auratasque procreauerunt: ac si qua sint alia piscium genera dulcis vndæ tolerantia. Mox istam curam sequens ætas aboleuit. Et rursus capite 17. Frequenter animaduertimus intra septa pelagicos greges inertis mugilis, & rapacis lupi. quare qualitatem litoris nostri contemplemur, si vitemus scopulos, an probemus. Turdi complura genera, merulasque & auidas mustelas: tum etiam sine macula (nam sunt & varij) lupos includemus. Lupus esca est anthiæ illiciendo commoda, Oppianus Halieut. 3. Et rursus, Anthias decipitur hamo valido, cui inseritur lupus vel viuus: vel, si mortuus sit, plumbum inditur ori, vt nutans viuere videatur.

F Pisces pretiosos & magnos aliqui anthropophagos nominabant, vt anthiam, lupum, (anguillam, & alios,) propter magnitudinem sumptus, qua ganeonum opes exhauriuntur. alij deos διὰ τὸ πολύτιμον, Eustathius. sed τιμὴ ad deos honor cultusque est: ad pisces, precium. Lupum Milesium Archestratus θεόπαιδα cognominauit, Idem. De lupis circa Miletum præstantissimis, diximus aliquid suprà in B. vide etiam infra in h. Post elopem vel acipenserem præcipuam autoritatem fuisse lupo & asellis, Cornelius Nepos & Laberius poeta mimorum tradidere. Luporum laudatissimi qui appellantur lanati, à candore mollitiaque carnis, Plinius. Et mox, At in lupis, (*Quidam corrigunt At lupi*) in amne capti præferuntur. Meliores sunt lupi pisces in Tyberi amne inter duos pontes, Idem. Romanus inter Tyberinos captus pontes (inquit Iouius) consensu palmam obtinet Constat enim piscatorum testimonio, qui pluris illum quàm in alto captum mari, lautorum obsonatoribus vendunt. is admodum vorax subire cloacas solet, obuia quæque deuorans (*vt in C. scripsimus*) quibus de causis in Tyberi mirum in modum pinguescit & adolescit. Laudati apud veteres existimati sunt interpontani nuncupati: soliti (vt ille inquit) mediæ cryptas intrare Suburræ. In magno, vel dicam maximo, apud prodigos honore fuit Tiberinus lupus: & omnino omnes ex hoc amne pisces. quod equidem cur illis ita visum sit, ignoro, Macrobius. Vnde datum sentis, lupus hic Tyberinus in alto Captus hiet, pontes ne inter iactatus, an amnis Hostia sub Tusci? laudas insane trilibrem Mulum, in singula quem minuas pulmenta necesse est. Ducit te species video. quò pertinet ergo Proceros odisse lupos? quia scilicet illis Maiorem natura modum dedit: his breue pondus. Ieiunus stomachus rarò vulgaria temnit, Horatius sermonum 2.2. vbi contra luxuriosos frugalitatem commendat. Sed vt poetæ sententia minùs dubia sit, subobscura interpretemur, & aliter quædam quàm plerique hactenus. Sic igitur sentit Ofellus Stoicus, cuius personam poeta hic assumpsit. Si stomachus secundum naturam affectus esset, quod sit in illis qui & mediocriter exercentur, & cibo potuque nec nimijs nec intempestiuis, nec exquisitis vtuntur: non tot differentias luporum faceret, nec gustu statim vbi quisque captus esset, discerneret: non alios alijs præferret, ita vt honoris & bonitatis aliquos gradus statueret. Vnde igitur subtilitatem hanc discernendi, nisi stomachi vitio luxu diffluentis, & contemnentis vulgaria, luxuriosis hominibus datam putas? Illi enim (inquit Acron) qui subtilitate palati gloriantur, melioris saporis aiunt esse pisces illos, qui rapidiore vnda exercentur, quàm qui languidiore torpescunt. Mihi verò salubriores quidem illi videntur, qui exercentur magis: at ganeones non tam salubritatem quàm saporem spectant, & pinguitudinem, quæ maior esse solet in ociosis piscibus, & qui impurioribus locis degunt. An alto captus hiet.) quia pisces statim cum capti sunt, hiant, Acron. atqui lupis præ cæteris piscibus hiare magis peculiare est, vt in C. diximus. Trilibrem mulum, id est quàm maximum in suo genere. non quòd magnitudo ipsa iuuet: nam in lupis eadem spernitur: sed quia palato subtiliori, & stomacho fastidioso, mulus maior, lupus verò paruus vel mediocris delicatior videtur. Non probo hîc Iouij sententiam, qui Satyricum hoc in loco ait, non quidem lupos magnos cum minoribus, sed simpliciter lupos cum mulis, qui semper minores sunt, comparare. Acron etiam lupos proceros ideo improbari ait, quia lupi grandes (*sic enim vitiosam lectionem restituo*) duriorem carnem habent. Et Xenocrates, Lupus (inquit)

De lupis Tyberinis.

Horatius.

Expositus Horatij locus.

quò maior est, eò durior euadit. optimus autem est, qui magnitudine mediocris est &c. vt infrà recitabitur. In singula quem minuas pulmen. ne. est) id est, quem facias comedendo breuiorem, Acron. Quia scilicet illis maiorem) Ac si diceret, totum suaue est, quod finitur, Acron. ego certi nihil ex his Acronis verbis elicio. Poetam verò hoc dicere puto: ideó ne mulum maiorem præfers, lupum verò minorem, quòd natura ipsa hunc minorem, illum maiorem esse voluerit: vt ironia sit, & gulæ iudicium plerunque naturæ aduersari ostendatur. Vulgaria) vsitata, quæ cito inueniuntur, Acron.

Vos anguilla manet longæ cognata colubræ, Aut glacie aspersus maculis Tyberinus (*scilicet lupus*) & ipse Vernula riparum pinguis torrente cloaca, Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburræ, Iuuenalis Sat. 5. Mar. Varro enumerans quæ in quibus Italiæ partibus optima ad victum gignantur, pisci Tyberino palmam tribuit, his verbis in libro (vt ait Macrobius) rerum humanarum vndecimo: Ad victum optima fert, ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tyberis. Hæc Varro de omnibus scilicet huius fluminis piscibus: sed inter eos præcipuum locum lupus tenuit, & quidem is qui inter duos pontes captus esset. Id ostendunt cum multi alij, tum etiam C. Titius vir ætatis Lucilianæ in oratione qua legem Fanniam suasit: cuius verba ideo ponentur, quia non solùm de lupo inter duos pontes capto erunt testimonio, sed etiam mores quibus plerique tunc viuebant, facile publicabunt. Describens enim homines prodigos in forum ad iudicandum ebrios commeantes, quæque solcant inter se sermocinari, sic ait. Ludunt alea studiosè, vnguentis delibuti, scortis stipati. Vbi horæ decem sunt, iubent puerum vocari, vt comitium eat percontatum quid in foro gestum sit. qui suaserint. qui dissuaserint. quot tribus iusserint, quot vetuerint. inde ad comitiū vadunt, ne litem suam faciant. Dum eunt, nulla est in angiporto amphora quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant. Veniunt in comitium tristes, iubentur dicere: Quorum negotium est, narrāt. iudex testes poscit, ipsius it minctū. Vbi redit, ait se omnia audiuisse, tabulas poscit, literas inspicit. Vix præ vino sustinet palpebras. Eunt (aliâs, Eunti) in consilium. ibi hæc oratio, Quid mihi negotij est cum istis nugatoribus, potiùs quàm potamus mulsum mixtum vino Græco, edimus tordum pinguem, bonumque piscem, lupum germanum qui inter duos pontes captus fuit? Hæc Titius, referente Macrobio. Iam cum annorū memoria circumfertur M. Philippi (velut vrbanissimum, quod erat luxuriosissimum) factum, atque dictum. Nam is forte Cassini, cum apud hospitem cœnaret, appositumque è vicino flumine lupum degustasset: atque expuisset, improbum factum dicto prosecutus: Peream (inquit) nisi piscem putaui. Hoc igitur periurium multorum subtiliorem fecit gulam, doctaque, & erudita palata fastidire docuit fluuialem lupum, nisi quem Tyberis aduerso torrente defatigasset. Itaque Terentius Varro, Nullus est inquit hoc sæculo nebulo, ac rhyntor: qui non iam ducat, nihil sua interesse, vtrum eiusmodi piscibus an ranis frequens habeat viuarium, Columella 8. 16. vbi de piscinis loquitur. De hoc Philippi dicto lege etiam suprà in A. Refert Macrobius Lucilium acrem & vehementem poetam, ostendere se scire hunc piscem egregij saporis esse, qui inter duos ponteis captus esset, eumque quasi liguritorem appellare catillonem. propriè autem catillones dictos gulosos, quasi catillorum liguritores. Lucilij versus hi sunt: Fingere præterea afferri quod quisque volebat. Illum sumina ducebant, atque altilium lanx: Hunc ponteis Tyberinos inter captus catillo, Perottus. Et rursus, Optimi inter duos pontes lupi capiebantur, propter vrbis latrinas & cloacas: quas insectantes maximè pinguescunt: quæ res præcipuè causa est vt è mari nantes inter fluminū hostia meliores sint, vtpote pinguiores.

Lupus grauidus deterior est, vt & mugilis, & omnes ferè squama intecti, Aristot. Summa inest saporis gratia hyeme captis, & Ianuario præsertim mense. Tunc enim & teneritudine, vti diuus ait Ambrosius: & mollitie candoreque, vt Plinius asseuerat, maximè commendantur, Iouius. Illud mirari subit cur Plinius lanatum à candore & mollicie dictum putârit: quom lupus nulla magis dote censeatur, quàm quòd callum habeat, quem frequenti natatu & assidua agitatione sibi conquirit. Vetus enim dictum est, eos esse optimos pisces, qui carni sunt similimi: optimas verò carnes, quæ piscibus proximæ sint. ad quod allusit Philoxenus illo carmine: τῶν κρεῶν τὰ μὴ κρέα, ἥδιστά ἐστι· καὶ τῶν ἰχθύων οἱ μὴ ἰχθύες. ceu ex duobus illis contrarijs, duricia carnis scilicet, & mollicia piscium, cinnus quidam fiat palato grauissimus, Calcagninus. Inter cibos ne dijs quidem contemnendos Strattis cerebrum lupi numerat. Eubulus quoque λάβρακος κρανίον ὑπερμέγεθες nominat. Heliogabalus murænarum lactibus & luporum (piscium) in locis mediterraneis rusticos pauit, Lampridius. Oua piscium sicca in cibo sumpta, omnem laborem & morbum curant, & omne fastidium: maximè cephalorum & labracum, & sphyrænarum, & similium, recentia & arida esa omne fastidium pellunt, Kiranides in fine quarti.

Cerebrum. Lactes. Oua.

Lupum in aquis dulcibus natū non vidimus: sed è mari in flumina aut stagna ascendisse cōspeximus. ideoque paruus (μοχθηρὸς) rarò, quemadmodum mugilis sæpe inuenitur. Alimentum sanè quod tum ex hoc, tum ex alijs (*pelagijs videtur addendum, vt & paulò post*) piscibus prouenit, sanguinem gignit cōsistentia tenuiorē (*tenuiorem dico comparatione ad sanguinem medium inter extrema*) quàm quod ex pedestribus animalibus sumitur, adeò vt non affluenter nutriat, & celeriùs discutiatur. Est autē laudatissimus sanguis exactè (*inter extrema, nimis crassum & aquosum*) medius: qui fit ex pane optimè præparato, & animalibus volucribus, perdice scilicet aliisq; id genus: quibus ex marinis piscibus pelagij sunt propinqui. Lupus quidem quanquam pelagius sit, stagna tamen maritima non fugit, nec fluuiorū ostia, Galenus de alimentorum facult. 3. 26. Lupus proximus temperamento est cephalo. similiter enim sanguinem tenuē gignit & pituitam: verumtamen quia suauior est, cephalo vtilior fuerit, Simeon Sethi. Culpa propè omni vacant pisces, qui in mari versantur dulcis aquæ experti, cuiusmodi sunt quos pelagios vocamus, & saxatiles: qui cæteros succi bonitate ac cibi suauitate longè antecellunt. Tales igitur sumpsisse perpetuò tutissimum fuerit. Quòd si aliquis ex illis sit qui ex aquis vtrisque (dulcibus & salsis) victum capiunt, vt capito, lupus, gobius, muræna, cancri, anguillæ, quærendum priùs vbi nam captus sit: tum iudicandum de hoc ex odoratu & gustu. Nam qui in aqua degunt vitiosa, grauiter olent insuauesque sunt, ac

mucoſi: pinguiſque ad hæc plus alijs habent, ac citò putreſcunt. At qui in mari verſantur puro, cum odore inculpato ſunt, tum guſtu ſuaues, pinguedineque aut minima aut nulla, ac longiſſimè perdurant citra putrefactionem, præcipuè ſi quis eos niue circundet. Hoc planè nomine commendantur etiam magis qui duriores habentur, vt qui carne ſic ſtant friabili magis, æquè ac ſaxatiles & aſelli: quod enim natura his adeſt, id dura carne præditis conciliat nix. Atque hoc cauſæ eſt cur contrariiſſimam carnis ſubſtantiam habeant capitones, qui ex puro mari petuntur, & qui in vitioſa aqua diuerſantur: nec diſſimiliter ſe habent gobij, lupique. hiſque adhuc etiam magis reliqui. Quin murænæ quoque ipſæ in huiuſmodi aquis deterrimæ. Pro alimenti etiam diuerſorum locorum differentia, ipſi ſeipſis piſces meliores deterioreſque redduntur. Reliquorum caro materia conſtat duriore, non modò quàm ſaxatilium & aſellorum caro, ſed etiam capitonum luporumque, & aliorum pelagiorum. ideoque cum & ægrius concoquatur, & alimenti plus præſtet ſucci mali nihil interim obtinet, Hæc omnia Galenus libri de ſuccorum bonitate & vitio, capite 9. Lupus proximè aſellos vtilis cibus eſt in calidis & ſiccis temperaturis, Idem Methodi med. 7. Galenus quo ad nutrimentum damnare videtur piſces omnes, qui iuxta fluminum oſtia victitant, propter latrinas & coquinarum ſordes, & alia quæ abluunt, quapropter lupos Tyberinos damnaſſet, Maſſarius. Hiceſius ait lupos boni ſucci eſſe, nec multùm nutrire: palato gratiſſimos eſſe vt vel principem locum obtineant, περὶ δὲ τὴν ἔκκρισιν ἢ ἀνάδοσιν, id eſt non facilè autem excerni, Athenæus. Lupus marinus (inquit Xenocrates) quò maior eſt, eò durior euadit. optimus autem eſt, qui magnitudine mediocri eſt. tenellus enim & ſtomacho gratus, bonique ſucci eſt: (ſuauis quoque, & copioſum præbens alimentum: facileque & per corpus digeritur, & per aluum defertur. Contrà qui in piſcina ſeruantur incluſi, ſapore ſunt minùs grato.) Idem tradit fluuiatiles lupos optimis quoque marinis piſcibus æquari, maculoſos varioſue (ποικίλους) ex Tiburtino Aniene. Anio quidem fluuius eſt in Tiburtino agro, Strabone teſte: qui in Tiberĩ influit tertio ab Vrbe miliario, vt refert Blondus in Vmbria. In hoc fluuio tradit Iouius magnã eſſe eorum piſciũ copiã, quos troctas (trutas) vocamus, Vuottonus: quibus verbis cum Iouio ſuſpicari ille videtur trutas de genere luporum fluuiatiles eſſe: quam opinionem Rondeletius refutauit. Glauco caro dura eſt, in omnibus lupo inferior: &, vt Xenocrates prodit, non minùs à lupo vincitur, quàm ipſe ſparũ ſuperat, Vuottonus. Luporum carnes longè tenerrimæ ſunt, & leuis alimẽti, Iouius. Eligantur è piſcibus maximè lupi, & aſelli mediocri magnitudine, Aetius in curatione colici affectus à frigidis & pituitoſis humoribus. Lupi, vt teſtatur Celſus, medij inter teneros duroſque piſces ſunt, atque leuiores planis, bonique ſucci. Venerem piſces quidam in cibo promouent, delicatiores nempe aromatibus conditi, vt anguillæ, lupi marini, &c. Alexander Benedictus.

Incluſa parentheſi in noſtro fragmento Xenocratis, & Raſarij quoque interpretatione, non de Lupo, ſed de vlla mar. dicuntur.

Apparatus.

Atque vt luxu quoque aliqua contingat autoritas figlinis: Tripatinum, inquit Feneſtella, appellabatur ſumma cœnarum lautitia. Vna (patina) erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piſcis: inclinatis iam ſcilicet moribus, vt tamen eos præferre Græciæ etiam philoſophis poſſimus, Plinius. Lupus obi optimus, & quomodo parandus ſit, Archeſtrati verſus referam inter Mugiles in Capitone F. ad finem. Patina de piſce lupo: Teres piper, cuminum, petroſelinum, rutam, cepam: mel, liquamen, paſſum, olei guttas, Apicius 4.2. Labrax præfertur aſſus, Diocles. Varrolum paruum, vtpote quatuor aut quinque librarum, nec exquamatum, nec exenteratum aut in craticula, aut in oleo coquito. Si in craticula, aſpergere continuò ſalito oleo & aceto memento. Multam cocturam amat, propter eius exuberantem humiditatem, Platina 10.26. Appetitur poſito vilis oliua lupo, Martialis libro 9. Lupi os repandum & latum ſemper videmus: ſolentque ad elegantiam obſonatores, laſſatas (laxas) illas hiantis oris maxillas malo Arantio adimplere, Iouius.

G Lupus marinus, id eſt piſcis, tantæ efficaciæ eſt aduerſum ſtrumas, vt ad quamlibet partem corporis admotus, ſtrumarum vitium omne perſanet, Marcellus. Lapilli in capite labracis reperti dolorem capitis leuant, & ad hemicraniam faciunt appenſi dexter dextræ parti, ſiniſter ſiniſtræ, Galenus (vel quiſquis eſt) Euporiſton 3.16. Venter eius eſitatus digeſtionem facit, & ſtrennue cedere. Idem geſtatus præſtat, Kiranides Fel eius cum melle illitum, viſus acumen parat, & albugines oculorum curat, Idem. Et rurſus: E lábracis felle fit molle collyrium, faciens ad hebetudinem oculorum, ita vt triduo viſum exacuat. Facit etiam ad initium ſuffuſionis, & axillas, & albugines vel nebulas, & retuſiones & aſperitatem, & mydriaſin, & nyctalopem, & aquationes, (*nimirum hydatides*,) & pruritum, & ſiccitatem oculorum, & vulſos, & ad angulos eroſos oculorum. ad hæc omnia ſummè facit inunctum. Conficitur autem ſic. Thuris maſculi drachmæ quatuor, lyncurij lapidis drachmæ duæ, fellis vulturis drachmæ ſex, fel lábracis integrum, piperis drachmæ tres, mellis optimi (hoc inueteratum melius fit) drachmæ ſex. Omnia miſcentur. Collyrium autem à Kiranno traditum, huiuſmodi eſt: Thuris maſculi, lyncurij, fellis vulturis, ſingulorum drachmæ ſex, piperis drachmæ tres, mellis acapni vnciæ tres, miſcentur. Oua lupi eſitata recentia vel arida, omne faſtidium ſanant, vt ſcripſi in F.

H.a. De Lupo Philologia, Lupo quadrupedi ſubnexa eſt Lib. 1. Λάβρακα σφετέρησιν ἐπικλέα λαβροσύνησιν, Oppianus lib. 2. ex quo eius verſu & etymologia vocabuli, & ſyllabarum ratio apparet. Archeſtratus tamen primã corripuit: Κεστρέα τὸν κέφαλον, καὶ τὸν θεῖ παιδία λάβρακα. Λάβρακα ἡ ἐν τῷ ἐσθίειν λαβρότης παράγει, Euſtathius. Βορὰ cibus eſt: inde fit λάβορος, vorax: & per ſyncopẽ λάβρος: vnde λάβραξ deducitur, vt à λίθος λίθαξ. eſt enim edaciſſimum animal, Etymologus. Lábrax dictus eſt, quoniã ore hiat, ἢ ἀθρόως καὶ λάβρως τὸ δέλεαρ καταπίνει, Scholiaſtes Ariſtophanis. Sunt qui λάβρον componi putent à λα particula intendente, & idem quod λίαν ſignificante, & βῶ quod eſt βαίνω. Vel λάβρον dicitur (vt mihi quidem videtur) πᾶν τὸ λίαν βαρὺ καὶ ἀθρόον, ἢ ἀθρόως κινούμενον, hoc eſt omne quod magna vi magnoque impetu, ſubitò conferctumque mouetur, præſertim inanimatum. Ποταμοὶ λάβροι κατιόντες ἐκ τῶν πλημμύρας, Aelianus. Per tranſlationem verò etiam de animatis dicitur, vt ſermone. Λάβρον apud Grammaticos eſt ἀθρόον, σφοδρὸν, ταχὺ, μαινόμενον, ἄκαιρον, θρασύ. & quoniam à λα. & βαρὺ deriuatur, plerunque per β. ſcribi ſolet. Τὸ λαβρόταττον ὕδωρ rectè ſcribitur per β. Euſtathius. Sed cum de vento dicitur, aliqui παρὰ τὴν αὔραν, id eſt ab aura deducunt, & per αυ. diphthongum ſcribunt, Euſtathius & Varinus. Λαῦρος ἐπαυγίζων, vehemens aſpirans, de borea vento.

vento. Λαῦρον magnum ſignificat, & de tribus elementis dicitur: vt λαῦρος ὑετὸς, λάβρος ἄνεμος: λαῦρον πῦρ, τὸ μέγα καὶ πολύ. hinc etiam ad alia transfertur, Varinus. Λαβρεύειν aut λαβρεύεσθαι verbum, copioſè & temerè deblaterare ſignificat: τὸ λάβρως, ἀθρόως καὶ ἀσκέπτως λαλεῖν: ἢ στωμύλλεσθαι, καὶ λίαν βαρύνειν τὸν ἀκούοντα. Inuenio & λαβροστομεῖν & λαβραγορεῖν eiuſdem ſignificationis verba, στομφάζειν, μεγαλορρημονεῖν. Hoc qui facit, λαβραγόρας dicitur. Λαβρωνία, genus poculi Perſici, παρὰ τὴν ἐν τῷ πίνειν λαβρότητα, Euſtathius. Λαύρα vicus eſt publicus, ἐκ τοῦ λαὸν ῥέειν δι' αὐτῆς, ypſilo Aeolicè inſerto. Labros nomen eſt canis apud Ouidium, celeris pariter & validi. Λάκαρναξ, λάβραξ, Heſychius & Varinus. Λαβράκιον diminutinè protulerunt Antiphanes & Amphis. Apud Plautum lenoni Labracis nomen eſt.

Λάβρακα ἀλκιμόνιχθυν, Oppianus. θεόπαιδα, Archeſtratus. Lupus rapidus, immanis & acer, Ouidius. *Epitheta.*

Λάβρακες πίονες, Epicharmus in Nuptijs Hebæ. Οὐ κρανίον λάβρακος, οὐχὶ κάραβον Πελιάδης, Ariſtophanes in Lẽnijs: tanquã magna lupi cerebro authoritas fuerit, ſicut etiã glauci, Athenæus. Τὸ δὲ λαβράκιον ὀπτῶν ὅλον, Antiphanes. Λαβρακίου τεμάχια. Amphis. Λάβρακα μετὰ ταῦτ' ἐπελάμην καλὸν σφόδρα, Ἔστι δ' ἄλμης λιπαρὸς ἑφθὸς ἐν χλόῃ, Ἀπόδος ὅς (ὅσ') ἐστὶν ἀποβέλιστον ὄπλανα, Coquus apud Sotadẽ Comicũ. Τοὺς λάβρακας ἐντερούλων, Archippus. Pythagoras à mugilibus & labrace, id eſt lupo, abſtinebat, quòd ſint, vt Græci dicũt, σπερμολόγοι, hoc eſt, ſeminũ leguli: & cętera, quę Plutarchus in octauo Sympoſiacõ enumerat, Gyraldus. ſed ineptè. nam Plutarchus libro 8. Sympoſiacorum, c. 8. quod inſcribitur, Cur Pythagorici ex animatis præcipuè piſces guſtare noluerint: expoſita primùm illorũ ſentẽtia qui Pythagoram & Aegyptiorũ ſacerdotes, mare, ſalem & piſces, odio quodam proſequutos exiſtimabant: mox iiſdẽ patrocinatur, & nihil in piſcibus eſſe docet, quod tanquam noxium ſibi accuſare homines poſſint: quodque Pythagoras & Aegyptij piſcibus non tanquã odio, ſed potiùs amore dignis abſtinuerint. Οὔτε γὰρ τρίγλαν ἐστὶ δήπου λῃϊβότειραν, οὔτε σκάρον πευγηφάγον, οὔτε κεστρεῖς τινας ἢ λάβρακας σπερμολόγους προσειπεῖν, ὥσπερ τὰ χερσαῖα κατηγοροῦντες ὀνομάζομεν. Itaq; contraria prorſus quàm ſenſerit Plutarchus Gyraldi interpretatio eſt.

Lupus Mileſius, prouerbiale dictũ in ſtolidũ & auidũm, Eraſmus Rot. Ariſtophanes in Equitibus: Ἀλλ' οὐ λάβρακας καταφαγὼν Μιλησίους κλονήσεις. Eraſmus vertit, Haud cũ lupos voraueris Mileſios Facies tumultũ. Notãt autem Cleonem tanquam perturbare & contumelijs afficere Mileſios ſolitum. Poterit etiam in hominem voracem torqueri.

Lvpi quadrupedis marini effigiem & hiſtoriam ex Bellonij de piſcibus libro dedimus iuxta finem Appendicis de Quadrupedibus viuiparis. Lupum marinum Germani quidam nuncupant qui vitulus marinus Latinis eſt: phoca, Græcis. Lupum marinum vulgò Romæ vocant genus quoddam cancri, de quo poſt Cancros hirſutos Rondeletij ſuprà ſcripſimus.



f.

h.

A.

DE LVTRA.

Lvtræ hiſtoriam in noſtro de Quadrupedibus viuiparis libro reperies: & quæ de eadem Bellonius prodidit, prope finem Appendicis de iiſdem Quadrupedibus. In præſentiarum pauca adiiciemus: quoniam Rondeletio quoque & Bellonio aquatilium hiſtorię amphibia adiungere placuit. etſi Rõdeletius Lutræ nullã fecerit mentionẽ. Lutra vel lytra, vel etiã lutris vt Gaza vertit, Græcè ἐνυδρὶς dicitur, vocabulo oxytono. Ariſtoteles hiſtorię 8.5. huius animalis meminit, vbi & rectus ἐνυδρὶς, & gignẽdi caſus ἐνυδρίδος leguntur. Ab Herodoto lib. 2. ἐνύδριες multitudinis numero dicũtur: nimirũ à recto ἔνυδρις paroxytono, flectẽdo vt ὄφις, ſed genere fœminino. ſic .n. ait: Γίνονται δὲ καὶ ἐνύδριες ἐν τῷ ποταμῷ, τὰς ἱρὰς ἥγηνται εἶναι. hoc eſt, Naſcuntur & enhydrides in Nilo, quas ſacras exiſtimãt. Valla ineptè trãſtulit, Aquatilia quædã. Sed Ariſtotelẽ de noſtris lutris ſẽtire nõ dubito: Herodotus verò ichneumones aliter dictas peculiares Nilo quadrupedes intelligere mihi videtur. nã ichneumones quoq; ſacros Aegyptijs eſſe legimus: & Marcellinus eoſdem hydros vocat, Iſidorus enydros. Obijci quidẽ poteſt, Herodotũ enydriũ teſtes vtero mederi tradere: id quod de caſtorum præcipuè, ſed etiam lutrarum teſtibus aliqui ſcripſerunt de ichneumone nullus. Reſpondeo animalia eſſe naturæ cognatæ: ideoque remedijs etiam fermè conuenire. Viroſa certè &

grauis odoris pleraque, vt castorum & lutrarum testes (sicut appellantur: testes enim non sunt) vterò prodesse constat. est autem ichneumoni suum virus, quod etiam venenata fugiunt, Plinio teste. Vel potiùs dicendum: Herodotum cum Nili enhydrides nominat, ichneumões intelligere: alio autem loco lutras: quũ scribit in maximo apud Gelonos lacu capi enhydrias, & castores, & alias feras τετραγωνοπροσώπους, (id est forma oris quadrata:) quorum (*omnium scilicet ex aquo*) pelles circa sisyras pro fimbrijs assuuntur: testiculi verò locorum remedijs apti sunt. Apud Gelonos quidem & Scythas omnes, lutræ abundant: quod in regionibus eorum flumina, & stagna permulta sint.

D Lupi apud Mæotin paludem nisi partem à piscantibus (*quibus cum societatem inierint*) suam accepêre, expansa eorum retia lacerant, Plinius: & Aristoteles historiæ 9.36. Ego lutras potiùs quàm lupos, talem cum piscatoribus societatem inire crediderim. nam & faciliùs cicurantur, & piscibus maximè vescuntur: & circa Mæotin, vt passim septentrionem versus, plurimæ sunt: ingenij, vt fertur, astuti atque maligni animal. Plura quæ hanc coniecturam nostram confirment, leges in quadrupedum historia, in Lutra D. Anates feræ nostri lacus, noctu sæpe transuolant ad vicinum fluuium Silum, tanquam tutiores illic à vulpibus & lutris, vt audio.

E Lutras in fluuijs nostris hoc modo capi audio. Nassa ponitur, qua pisces continentur, eam lutra piscium auida ingredi conatur: & quoniam medius ad introitum funis obstat: illum dentibus erodit: quo protinus eroso, moles (truncus fortè) lignea funi alligata & suspensa, cadit, & lutram aculeis ferreis incussam detinet. Simili quodam modo (opinor) aliqui etiam talpas venantur.

G Testes lutræ ad comitialem morbum prodesse, quidam tanquam expertus mihi affirmauit. In epilepsia aliqui mandi iubent testes vel veretrum marini vel fluminalis canis, Cælius Aurelianus: qui tamen huiusmodi auxilia non approbat. Vocatur autem lutra alio nomine canis fluuiatilis, vt in Quadrupedum historia docuimus. sed lutram mari nusquam accepimus mergi, inquit Plinius. Seruius castorem quoque canem Ponticum nominat. is tum dulcibus tum salsis aquis immergitur Bellonio teste. Idem remedium postea etiam ex hippopotami testibus tradit Aurelianus.

LYCHNVM in Arcadia modò vocitant, vt nos interrogauimus, exocœtum olim dictum, Massarius. Alius videtur dilychnus Nili piscis, memoratus Straboni.

LYCISCA. Apud Simeonem Sethi de Hysca pisce sic habet codex noster impressus: Ὕσκα ἰχθὺς, ὃς καινῶς ὕσχα ὀνομάζεται. Lilius Gregorius Gyraldus aliter legisse videtur. Sic enim vertit. Porculus piscis, siue, vti vulgus dicit, lyciſca, siue lycina lupaue. Cæterùm integrum Symeonis de Hysca locum, suprà in Hycca pisce recitaui, Elemento H.

LYCVM à quibusdam vocari piscem sacrum, Hicesius tradit. nisi fortè legendum sit λεῦκον ex Theocrito: ἱερὸν ἰχθύν, οὐ λεῦκον (carmen hîc non admitteret λύκον) καλέουσιν: ὁ δ' ἱερώτατος ἅλλων. Vide quæ Rondeletius in Anthiæ prima specie scripsit, & nos in Corollario. Crates comicus apud Athenæum libro 3. nescio quos pisces πανυπέρτερος λύκους nominat, post testudinem & cancros, in mentione falsamenti elephantini, blennos fortè intelligens quos Diophanes in Geoponicis 18. 14. aliter Lycos vocari scribit. Vide etiam suprà in Corollario de lupo A.

LYCOSTOMI inter Apuas prædicti sunt. Præparatur ex eis garum quoque, vt dictum est in Garo, ex Tarentino.

DE LYRA, RONDELETIVS.



A Lyra piscis nomẽ est, apud Græcos & Latinos, qui à nostris gronau, vel grounaut vocatur, quòd grunniat more suis, (*aut fortè à grosso naso.*) A Liguribus organo, (*Cuculum quoque ad mare Illyricum organo vocari scribit à voce.*) ob sonum quem edit. A Gallis rouget, à rubro colore. A Germanis inferioribus *lechan*, (*Sechan, id est galdus marin. nisi malle Seehas, id est lepus mar. nam Albertus hunc piscem pro lepore mar. accipit. Et Rondeletius ipse alibi refert non deesse qui pro lepore mar. hunc piscem accipiant*) quasi gallus marinus.

B Lyra piscis est marinus, teres, ruber. Capite osseo, magno. In posteriore eius parte, in osse branchias tegente, & in dorso aculeis magnis & robustis armatus. Rostrũ in duo cornua lata protenditur, quibus lyræ antiquæ formam refert, squamis paruis & asperis contegitur. Partibus internis superioribus similis est. Plus ossium quàm carnis habet, quæ dura est, siccaque, satis suaui tamen, si elixa ex aceto edatur.

A. Quod diuersi sint pisces. Capito, &c. Orphus. Erythrinus. Citharus.

Varię fuerunt de hoc pisce scriptorum sententię: Alij capitonem à capitis magnitudine vocauerunt. sed κέφαλος, id est, capito esse nequit, cum ex mugilum genere non sit. Alij orphum, Alij erythrinum, ob colorem rubrum, sed falsò: hi enim pagro similes sunt, vt suis locis docuimus. Non desunt qui pro citharo acceperunt (*fortè quoniam cithara quoque, vt lyra, instrumentum musicum est*) At citharus rhombo similis est, authore Galeno lib. 3. de alim. facult. Quare cùm rhombus, eique similis citharus plani sint pisces latique: lyra verò piscis teres, longus, crassoque capite, ea citharus dici nequaquam potest. Prætereà citharus

eicthatus carne est dura & friabili: lyra dura quidem, sed glutinosa. Quare piscem quem hic depinximus, eum esse contendimus, cui lyræ nomen à veteribus datum sit. Primum quia rostri cornua, lyræ antiquæ figuram referunt: vt comprobant, cum multa antiquorum monimenta quæ Romæ hodie visuntur, in quibus lyræ antiquę forma insculpta est: tum illud maximè quod vidi Romæ, initio pontificatus Iulij tertij, in quo Atlas cæli globum humeris sustinens, signa cælestia, & in his lyræ antiquorum figura, expressa erant. Lyram verò cornua habere, testis est Plinius, de testudinibus loquens. Troglodytæ cornigeras habent, vt in lyra, annexis cornibus latis, sed mobilibus, quorum innatando remigio se adiuuant. Deinde vocalis est, qualem lyram esse affirmat Aristoteles lib. 4. de hist. cap. 9. Φῶκαι δέ τινες ἀφιᾶσι, καὶ τετρασὶ, ὡς λέγεσι φωνεῖν, οἷον λύρᾳ (σαύρᾳ, id est lacerta, habet Ælianus de animalibus 10. 11. non probo) καὶ χρῶνται. ἔστι δὲ ἀφιᾶσιν ὥσπερ γρυλισμόν. Pisces quidam strepitus stridoresque edunt, quos vocales esse dicunt, vt lyra & chromis: hi enim veluti grunnitum quendam edunt.

Lyram veram se exhibere.

Lib 9. cap. 10.

Vocalem esse.

DE CORNVTA, SIVE LYRA ALTERA, RONDELETIVS.



PLINIVS locis duobus cornutæ meminit. priore, quum de volantibus piscibus loquitur: altero, A quum de cetaceis. De Cornuta cetacea aliâs dicemus: nunc de altera, quæ cornua attollit è mari, quæque volare nititur. Eum piscem esse existimo, qui à nostris malarmat. id est, per antiphrasim malè armatus vocatur. Nos eundem cataphractum vel θώρηκα primi nominauimus, quod vndequaque armatus, totusque osseus sit. A Liguribus malearmato pesce. A Romanis forchato & pesce forcha, à duobus cornibus nominatur. Nonnulli lyræ superioris marem esse arbitrantur, sed falsò: nam in huius ventre oua rubescentia sæpe reperiuntur.

Lib. 9. cap. 27.

Lib 32. cap.

Est igitur cornuta marinus piscis octagonus, colore phœniceo, totus squamis osseis contectus, in B quarum medio tumor durus erigitur, qui in omnibus continuatus corpus angulatum efficit. Capite est duro, osseo, in duo lata cornua desinente. Os in supina est parte, sine dentibus. Exinferiore maxilla cirri carnosi, breues, molles propendent. Aculeorum, pinnarum numero situque & cauda, cuculo, mullo imberbi, & lyræ similis. Pinna dorsi longis constat villis, rubris. Totum quoque corpus rubrum est dum viuit, extincto color ille euanescit. Ventriculum paruum habet cum appendicib. paruis. Hepar magnum pro corporis ratione, album, in quo vellis vesica. Splenem paruum, rubrum. Vesicam magnam aëris plenam, ob squamarum pondus opinor. Branchias quaternas duplices. Carnis parum habet, ob eam causam facilè exiccatur, fitque leuissimus.

Caro sicca est puraque, minus tamen quam cuculi, vel milui. E

In ædibus exiccatus suspenditur, cauda, vnde ventus spiret, indicante. A

Nos piscem hunc aliquando lyram esse putauimus: sed cùm vocalis non sit, etiam si cornua maiora habeat, cornutam rectius dici nunc arbitramur. Nec obstat id quod de cornuta scripsit Plinius lib. 9. cap. 27. cui sesquipedalia ferè cornua tribuit. Attollit cornua è mari sesquipedalia ferè cornuta, quæ ab his nomen traxit. Nam de maximis cornutis intelligit: quæ verò sæpius capiuntur, semipedalia ferè, vel etiam minora cornua habent, vt fortasse apud Plinium semipedalia pro sesquipedalia legere oporteat.

Cornuta non dicitur quam lyra, quia cornua non sit vocalis non sit.

DE EODEM PISCE BELLONIVS. IPSE COCcygem alterum seu maiorem nominat.

Coccyx alter, quem à grunnitu nostri, atque adeo Angli Gournautum (vel Grundinum) vocant, A Cuculorum generis est, Rothomagenses Tumbam appellare solent.

Hic quidem superiore Cuculo multo maior euadit, ac nigriori cute contegitur: quanquam etiã fu- B scæ cuiusdam rubedinis sit particeps. Latas habet pinnas ad latera, cœruleas, quas vtrinque per mediũ ferè corpus expandit, miluinis breuiores: duas præterea in tergore. Corpore est crassiore ac recurto, ventreq; grandiore, Genuenses Orgam vel Organum (*nomen accedit ad Gornart, per metathesin.*) vocant: alij Canistrum, Vn Cofano. Hoc in summa præcipuè interest inter vtrunq; Cuculum (præter magnitudinẽ) quòd Cuculus primi generis pinnas vbiq; ferat rubras: alterius verò notæ, de quo sermo est, cœruleas.

Vtrunque nostri in deliciis habent, primum tamen præferunt. F

DE LYRA ALTERA, VEL CORNVTA Rondeletij, Bellonius.

Lyra cuculorum (ni fallor) generis, à prominentibus furculis osseis dicta, inter eos pisces numera- A tur, qui vocales esse creduntur. Quis autem pisces vocis expertes esse ignorat? Sed vocis loco quosdam veluti stridores ac sonos nonnulli exprimunt, qui facilè nostris auribus percipi possunt, vt Lyra, Chromis, & alij permulti, quos ob id prisci existimauerunt esse vocales: Græcis ἰχθῦς φωνοῦντες dicuntur, quorum similes in Aorno Arcadiæ fluuio esse traduntur, ab incolis πικιλίαι vocati. Ego verò (inquit

Pausanias) hos pisces, quum caperentur, aliquando me vidisse memini: vocem autem, quanuis vel ad vesperum apud fluuium expectassem (quo maxime tempore vociferari creduntur) nunquam equidem audiui. (*Rondeletius hunc piscem vocalem esse negat.*) Cæterum Massilienses Lyram Malarmat vocant: Genuenses, Pesce armato: Romani à bifurcato rostro, Pesce forca.

B Squamas non habet, sed earum loco osseorum vallo bene munitur: ex quo Characem esse coniiciebam: vnde Massiliensium cognomen. Pisci autem exsiccato ossea illa dura integra permanét, vnde à quibusdam Holosteos nominari posse contenditur. Porro Lyræ pauca carne constant: quamobrem nisi paulo maiores edi non solent. Hoc sanè à Cuculo differunt, quod Cuculus ternos habeat vtrinque in lateribus cirrhos crassos: Lyræ tantùm duos. Labrum inferius multis cirrhis barbatum, neque continuam habent tergoris pinnam, sed duas. Quòd ad reliquum attinet, hepar pallidum gerunt, in tres lobos distinctum: quorum vtrinque est vnus, tertius stomacho incumbit: Intestina qualia in Exocœto comperiuntur, nisi quod rectum intestinum habent angustissimum, Hæc Bellonius. Et in Gallico libro: Venetijs (inquit) rarus aut nullus est, Romæ autem quotidie frequens.

COROLLARIVM.

A Lyræ pisci cornuúm ne figura, quibus summo rostro bifurca lyram veterem quodammodo refert, an sonus quem ædit (nam & lyra instrumentum est sonorum) nominis occasio fuerit, dubitari potest. Ab hoc alij non pauci forma ei consimiles, λυροειδεῖς appellari poterunt, hoc est lyriformes: vt Corax à Rondeletio dictus, Cornuta eiusdem, Miluus, Cuculus, Hirundo: & mulli aliqua ex parte, præsertim imberbes. Galli (inquit Rondeletius) Cuculum piscem à Mullis non distinguentes, quod eiusdem sint coloris, Rouget vocant. Sunt & apud Germanos Anglosque cognatorum piscium nomina, *Seehan* vel *Seehas*, & *Redfisch*. item *Gornarde* & *Curre* per onomatopœiam facto. Capo (inquit Iouius, de lyra Rondeletij sentiens) litoribus nostris familiaris, Venetis autem ignotus, caput habet valde magnum, & illud quidem enórme, quadratum, & nullis vestitum pulpis. Oculi in eo sunt admodum rigentes, extenta supercilia, os languidum, minuti dentes: sub mento autem oblongæ ac rubentes pinnæ, ad impexæ barbæ similitudinem. Cætero autem corporis trunco rotundus est, & teres, decrescitque in caudam æqualiter extenuatus, quousque in postremam desinat caudæ pinnam. Porrò ventrem habet valde candidum, sed puniceo colore mulorum similitudinem variegatum. dorsum autem flauescere potiùs quàm rubescere

(F) videtur. Solidis quoque & albicantibus constat pulpis: sed qui (*quibus*) tamen aliquanto salubrior sit quàm sapidior, eruditioribus præsertim ganeonibus, qui illum veluti aridiusculum aspernantur. Ro-

(A) mani eum Caponem, Organum Ligures, Galli verò Roscettum, quod eorum lingua Rubetum sonat, appellant. Volaterranus imprudenter Caponem putauit esse Labeonem. Orphum quidem deprehendimus maiorem esse piscem, & vnica etiam traiectum spina: quod in cęteris rarissimè accidit. Erythrinum quoque esse non posse: quòd is toto anno ouis grauidus capiatur: capones autem magna ex parte ventre vacuo reperiantur. Nos eum proculdubio de mulorum genere esse putamus, parati mutare sententiam, si acutiores meliorem attulerint. Siquidem mulum expressissimè refert & capitis effigie, & ipso colore puniceo, qui nullis alijs in piscibus, excepto capone & mulo, ea claritate conspicitur. Mulorum autem genera duo esse apud Athenæum perspicitur, barbatum scilicet & imberbem. (*Caponem mulum imberbem sibi videri, alutarium à Plinio dictum, insinuat. De cornuta quidem sua vel lyra altera, Rondeletius: Aculearum, inquit, pinnarum numero, situque, & cauda, cuculo, mullo imberbi, & lyræ similis est.*) Nec etiam absurdum foret, si pro capone citharus acciperetur. natura enim qualitateque pulparum, vt Galenus innuit, citharum à capone non multùm differre deprehendimus. Hucusque Iouius: cui aliqua ex parte Massarius contradicit: Miluum, inquit siue lucernam, Romani piscem caponem hodie cognominant: vt mirer aliquos (*Iouium*) lucernam piscem Venetijs minimè reperiri, ac de genere mullorum esse asserentes: cum mulli squammas habeant, vt author est Plinius, quibus lucerna omnino caret. sed hi non nouerant caponem piscem antiquis Romanis pariterque Venetis lucernam cognominari. Galli indistinctè Rouget appellant à colore mullum, cuculum, & lyram. De Germanicis nominibus lyræ vtriusque, & similium piscium, vt hirundinis, lucernæ vel milui, coracis & mulli, plura leges in Cuculi Corollario A. per totum ferè: vel vbi per margines notantur hęc vocabula: *Garnard*, *Redfisse*, *Curre*, Gornellus, *Seehan*, *Seehasz*, suprà. Et ampliùs de vocabulo *Seehan*, quod Gallum marinum significat, (alij *Seehasz*, leporem mar. significantes proferunt,) ad finem in Corollario de Lepore mar. A. Rubicundus color non in cuculo tantùm excellit, vt illic scripsi, sed in lyra etiam: vt vterque simpliciter *Redfisch* Germanis ab eo colore denominari videatur, vti Gallis etiam Rouget. Cęterùm *Curre* Anglicè dictus per onomatopœiam piscis, quoniam fusco colore est, non rubro vt *Gornard* eorundem, non longè diuersus alioqui piscis: sicut posteà ex Io. Caio cognoui, nec lyra nec cuculus fuerit, vt tum suspicabar, sed alia ejusdem generis species, córax ne an alia, dubito. Coraci Rondeletij dorsum ex cœruleo nigricat, latera rubescunt. Cornuta etiam eius toto corpore rubet, dum viuit: adeò color ille huic generi communis est. Gobius fluuiatilis capitatus ab Anglis vocatur *Myllersthombe*, hoc est, Molitoris pollex. Hic similis est, inquit Io. Caius, pisci *Curre*, magnitudine, figura & colore, si spinas demas. hoc est, magnum habet caput, minori corpore. Videtur & Vranoscopus his cognatus, tum re, tum nomine: nam & lucernam saxatilem Italorum quidam appellant. sed nigrior est, & oculos altiùs in capite gerit.

Mulis cognatum esse caponem.

Citharus.

Lyra vtriusque Germanica nomina.

LYRA altera, siue Cornuta potiùs Rondeletio dicta; Germanicè vocari poterit, *ein geharnischter Redfisch*, hoc est Lyriformis armatus: *oder ein Gable, ein Gabler*, à rostro præ cæteris huius generis piscibus bifurcato. Reperiuntur & alij capones (inquit Iouius) qui bifurcata habet rostra, & dorsū osseis squamis armatum; quos in genere caponum piscatores ipsi mares esse testantur. ego autem aliud genus esse crediderim. Cornutæ nomen apud Plinium in nostris exemplaribus non legitur, sed insinuatur, his verbis: Attollit è mari sesquipedalia ferè cornua, quæ ab his nomen traxit. Quærendum autem de cetó ne potius aliquo sentiat Plinius, quàm pisce. ceto enim magis quàm pisci hæc cornuum magnitudo conuenit: sicut & hoc, quòd è mari ea attollit. siquidem aeris inspirandi causa ceti plerunque capita ad summam aquam efferūt. Plin. quidē lib. 32. cap. vltimo, cornutā cū beluis numerat. Vide suprà in Boue. Bellonius

Bellonius Rōdeletium secutus hunc piscem holosteon appellauit: & eodem nomine Nilôum quendam piscem, quem nos Ostracionem vocabimus ex Strabone. nam holostei nomen veteres de herba tantum vsurparunt, Dioscoridi descripta.

DE AQVATILIBVS, QVORVM NOMINA AB M. SEMIVOCALI INCIPIVNT.

DE MÆNA, RONDELETIVS.

A MAINIΣ à Græcis, à Plinio lib. 9. cap. 36. mæna dicitur, Gaza lib. 8. de hist. anim. cap. 30. halecem non rectè vertit, neque τὰ μαινίδια haleculas: &c. Vide supra in Alece, Elemento A.

Mænæ hæc imago Venetijs facta est: macula in medio latere talis esse debet, qualis in smaride mox sequenti: & pinna à podice longior quàm sit.



B Mæna à Liguribus, ac Romanis seruatis Latini nominis vestigijs menola hodie vocatur à Massiliensib. mendole: ab aliquibus cagarel, quòd aluum cieat. A nostris in Gallia Narbonensi iuscle. Ab ijs qui Adriaticum sinum incolunt, sclaue.

Męna piscis est marinus, ex squamosorum genere, boopi similis, aliquanto latior, & minor: apud nos vix palmum attingit. Rostro est acuto, capite compresso, oculis minoribus, quàm boops, dentibus paruis, hyeme candida, vêre & æstate varia: Maculis cœruleis toto corpore, & potissimum in capite, & dorso sparsis. Pinnis, aculeis, caudâ, boopi similis. Vtrinq; magnam & rotundam maculam habet in medio corpore. Lapides habet in capite: internis partibus à boope non differt: mas in eo fœminæ dissimilis, quod latior sit, & porrectior, fœmina rotundior. Cùm fœtu fœmina impleri incipit. maris color in varietatem quandam, & nigrorem mutatur, pessima ad cibum carne efficitur, vocaturque hoc tempore τράγος, (ob fœtorem, opinor.) Martialis lib. 12.

Arist. lib. 8. de hist. cap. 30. (F)

Τράγος.

Fusse gerres, aut inutiles mænas, Odor impudicus hirci (*vrcei legendum, vt & codices nostri habent, & carminis ratio & sensus requirunt*) fatebatur.

Sic etiam dicuntur Aristoteli (lib. 5. de genera. anim. cap. 7. & sect. probl. 4. & 25.) τραγίζειν, id est, hircum olere, qui incipiunt Venere vti, vocemq; inæqualem mittunt, quique libidine accenduntur: hoc est, malè olere. An vero is sit qui ab Athenæo τράγος dicitur, alio loco inuestigabimus. Cum Roma Venetias venissem, mænas tanta coloris varietate cōspexi, præ his quæ hyeme venduntur, vt vix primo aspectu agnoscerem. In nostro enim litore minus vario colore depictæ sunt, neq; solum ideo quòd magna ex parte perijt color in forum delatis, sed etiam in ipsa sagena.

Color.

Mæna parit brumæ tempore.

C F Quo tempore vterū fert, melior est, vt reliqui ferè pisces omnes. Apud Athenæum Hices. melioris succi męnas esse censet, quàm gobiones, non tamen ori tam gratas esse, neq; tam facilè aluo deijci, qua in re falli ipsum existimo: quoniam gobiones friabili carne sunt, ne saxatilib. multò inferiores: quare non possunt mænæ melioris esse succi. Non negârim tamen mænas carne esse media, boniq; succi. Coctas in sartagine magis probo, quàm elixas. Cæterum nullo in precio fuisse apud veteres ostendunt versus Martialis paulò antè citati.

Lib. 7.

G Earum aliquem esse in medicina vsum, Dioscorides docet: Mænarum ex capitibus cinis si illinatur, callosas sedis rimas abolet. Eius etiam garum, oris putrilagines collutione sedat. Et Plinius, capitis mænarum cinis cum allio tritus, ad thymia crudis illinitur. (*Editio nostra sic habet: Capitis mænarum cinis cum allio tritus, verrucas tollit: ad thymia crudis vtuntur.*) Quid autem sit hîc crudis non video. Quamobrē sedis legendum esse puto. Hanc vim smaridib. tribuit Dios. Sed cū sint eiusdē generis pisces, carne & facultate arbitror non multum dissidere. Præterea, mænę salsę cū felle taurino illitæ vmbilico, aluū soluunt. Earū etiā ius assumptū aluū soluit, quā ob causam fortasse à Prouincialib. quibusdā cagarel mæna à cacando dicta est. Rursus Plin. Capitis mænarū cinis, ad rhagadas, & condylomata vtilis est. Et mænarū muria, & capitū cinis cū melle sanat strumas. Et Anginas mænarū salsarū ex capitib. cinis, ex melle illit[9] abolet. Porrò Gal. lib. 3. de fac. simp. med. Capitib. mænidum sale inueteratarum ad sedis rimas vtebatur quidam, & is ipse ad columellam diu induratam. Videtur ergo vis illarum desiccare, non admodum acriter. hoc enim adustis quibusdam inest, quemadmodum desiccandi vis omnib. Et Paul. Ægin. de eadem re loquens: Κιονίδας ... γαργαρεῶνας χρονίως ἀναιρεῖ ... ὠφελοῦσιν. Vbi interpres γαργαρεῶνας guttur male conuertit, cum gurgulionem

Lib. 2. cap. 30.

Lib. 32. cap. 10

Ibidem.

Ibid. cap. 8.

Ibidem

Quomodo ad columellæ sedicum prosint capita mæni. dum sale indurata.

vertere debuisset. Est enim carnosa particula, è palati extremo suspensa, veluti plectrum ad formandam vocem conferens: vocant etiam Græci κίονα, Latini columellam vel uvulam. Fit autem scirrhus à materia crassa vel glutinosa, aliquando inflammationis malè curatæ reliquijs: cui malo curando exiccantia non conuenire, & ratio & experientia docent. Nam durata medicamentis malacticis egent, non ijs quæ multum siccent vel digerant. Hæc enim id quod tenue est discutiunt, quo discusso morbus curatu difficilior redditur, nimirum manente eo quod crassius & durius est. Nisi quis contendat, ea non omnis scirrhi curationi conducere, sed eius tantum, qui ex pituita crassa, & vt ita dicam, congelata ortus est, vel ex intempestiuo aut immodico medicamentorum refrigerantium vsu. Propterea quòd crassum, vel glutinosum humorem incidant & attenuent, postremò siccitate sua absumant: congelatum verò dissoluant calefaciendo, & dissolutum discutiant. Sed quæ Galenus de capitibus mænidum scribit, non ex sua, sed alterius cuiusdam sententia profert. Capita mænarum cum salsa & exiccata sint, vim exiccandi habere constat, & multò magis si assa in cinerem redigantur. Quare nec mirum si cinis ad anginas valeat, vt & illa omnia quæ affluentem humorum copiam absumunt, quemadmodum cinis hirundinum, & stercus canis. Eadem ratione ad oris vlcera, cinis è capitibus mænarum conducit, quod putridum est exedendo, ob quam causam etiam thymos sanat.

DE EADEM, BELLONIVS.

A (C) Herbosis litoribus gaudent Mænæ, quæ & Μαινίδες Græcis dictæ sunt, gregales quidē, & rarò (quod sciam) in Oceano capi consuetæ: Massilienses Mendolas, Veneti Menolas vocant.

B Lituris vtrinque notantur, Smaridibus, Boopis & Giris persimiles, nisi paulò latiores ac breuiores cernerentur, & squamis Smaride tenuioribus contegerentur, breuiorique essent capite. Lineam in lateribus rectam habent, quæ in Smaride arcuata est, rarissimeque palmum excedens. Porrò Mænarum in colore differentias obseruaui duas: aliæ enim luteo, aliæ lituris cyaneis aut asureis conspersæ sunt. Pinnæ tergoris, laterum, & caudæ transparent, & maculatæ sunt: quæ verò dorso incumbit, ea duodecim aculeis riget, posterior obtusa est. Os si Mæna clausum contineat, minimum quidem apparet: sed dum hiat, rictum magnum ostendit: cuius superius labrum tubi in modum, vt in harengo, infractum est. Oculos habet rotundos, quorum iris subrubra est. Maxillæ asperitatem quandā dentium vice præ se ferunt. Mæna si desquametur, albissima atque argentea spectabitur, sed tergus liuore quodam sub oculis in purpureum gemmante depingitur. Eius hepar fungosum ex lacteo pallescit: sub cuius lobo dextro fel luteū oblongo vasculo includitur. Splen illi est in sinistro latere nigrū, stomachus oblongus.

C Omnium piscium fœcundissima, post brumam parit, quo tempore melior esse solet.

COROLLARIVM.

A Mæna melius per æ. diphthongum scribitur, sicut & muræna: quoniam Græcè per αι. scribuntur: quod tamen recentiores multi negligunt. Pergæi męnides vocant sarapios, σαράπιας, Hesychius & Varinus. Asir, genus piscis parui, & sunt mælæ (*lego mænæ vel mænulæ*) marinæ, Sylu. Mænam non modo speciei, verum etiam generis nomen esse ex eo conijcio, quod varium & multiplex est earum genus. aliæ in vtroq; latere nigram maculam orbiculatam habent: quas ij qui Adriaticum sinū accolunt, vulgò Mænas sclauas appellant: aliæ leucomænides, hoc est albæ mænæ, à Græcis smarides nuncupatæ. itēq; sunt mænæ boopes appellatæ, Gil. Nos de smaride paulo post: de boope siue boce, suprà in B. elemento scripsimus. *Alecas. Alecula.* Theod. Mænidas, in Aristotele Mænas, & Aleces, & Mænidia, id est, Mænas paruulas, Aleculas appellat: vt Alecula nomen generis sit, hoc idē Latinè significans, quod Gręcè, vt Herm. putat, Anthracides, hoc est, pisceis qui succensis carbonib. commodè coqui possint, cuiusmodi sunt Smarides & Mænæ. Equidem ipse generatim pisciculos ignobiles significari ex Columella arbitror, qui Aleculas riuales pisciculos, ignobiles vocauit: atq; alios pisceis sale exesos, Areneos (*Harengos*) nuncupatos, Thrissis similes, Gil. Pisces quosdam sale inueteratos harengas dictas, clupeis similes qui ex Belgis & Menapijs in Germaniam & Pannoniam afferuntur, ipsi aleces vocant, Mas. Aleculā arbitratur Herm. genus, non speciem esse: idemq; apud nos significare aleculas, quod anthracidas apud Græcos, id est prunarios aut carbonarios: quicunque f. in pruna & craticula commodè coqui possent: verum ex Columella apparet species (*speciem*) esse, Vuotton. Et rursus: Alex Plinio non piscis, sed gari vitium est, nec sanè occurrit locus quispiam apud veterē aliquem authorem, qui planè ostendat alecem aut alec piscis genus esse: etsi Non. citans Horatij locum: -- ego fecem primus & alec Inueni, piscem significare dicit. Vilem & alecularium piscem esse gerrem Martialis tradit lib. 12. Fuisse gerres, aut inutiles mænas, Herm. Plura de alece lege suprà in A. elemento. Mænas Græci mænidas appellant, vulgus mænulas: aleculam quasi ex Plauto Theodorus interpretatur, Hermolaus. Ligures Mænulam, Massilienses Medolam vocant, Gil. Venetijs la menola schiaua vulgò dicitur. Smarides marini pisces adeo mænis similes sunt, vt eodem nomine vtræque mænulæ nunc vulgo dicantur, Manar. Mænulam Italorum à Germanis inferioribus *Houtinck* vocari olim accepi: sed certi adhuc nihil habeo. Alius est pisciculus qui ab Anglis *Menovv* vel *Menoy* vocatur, à paruitate: quod pisciū minimus sit. is fluuiatilis est, in Phoxino nobis describendus. Celerinum à Gallis in Oceano dictum, aliqui mænam esse suspicati sunt: sed Rōdeletio celerinus apua membras est: Bellonio magnitudine tantum à sardina mediterranei maris differt. *Hirci.* Euenit vt cū fœtu impleri fœmina incipit, maris color in nigriorem plurisq; varietatis mutetur, & caro deterrima cibo efficiatur: vocantur à nonnullis per id tempus (τράγοι) hirci, Arist. Hircum quidem alium videri Aristotelis, alium Athenæi, in Gobione nigro Rondel. explicauit. Sunt & alij hirci in mari, de quib. diximus in Elemento H. Hepatum pro mæna vendunt aliqui, longe diuersum, Rondel. Mænarum & mugilum fœtura est genus quoddam apuæ, Arist. Μαινὶς, εἶδος ἰχθύος ἀφύας, Suidas: tanquam mænis apuæ species sit. locus forte est mutilus, vt idem sit dicendum, quod proximè ex Aristotele diximus. ipse quidem Suidas in Ἀφύη, apuæ speciem vnam ait esse γένος (melius γόνον) μαινίδων. Μαινομένια pisciculi quidam nominantur à Tralliano, vt recitaui suprà circa finem historiæ apuarum, vbi de Apuis diuersis scripsi.

B Mænæ pisces sunt parui, Antiphanes. Speusippus mænidi similes facit boacem & smaridem. Mæna & smaris mutantur, vt ex albedine rursus æstate ad nigredinem redeant: quod maxime suis pinnis & branchijs declarant, Aristoteles. Mutant colorem candidæ hyeme mænæ, & fiunt æstate nigriores, Plinius. quem locum Massarius explicans: Dixit (inquit) æstate fieri nigriores: quia suscipiunt colores

cœruleos, qui, quod ad albedinem, sunt obscuriores & nigriores. Et rursus: Mæna pisciculus est digitalis longitudinis, hyeme candida, æstate varia picturis cœruleis obliquis. Æstate cœrulea varietate pingitur, Gillius. Mæna & phycis quomodo colores suos mutent lege apud Rondeletium in Merula.

C Mænæ, hirci & smarides, pascuntur inter herbas in litore algoso, ἀνὰ θῖνα πτερόεσσαν, Oppianus. Antiphanes mullos & mænas Helenæ fuisse cibos dicit, quod anthropophagi nō sint, cum pisces magni deuorent homines, (*ganeonum opes. Vide in h.*) itaque hos damnat (in cibo:) illos commendat. Gladium piscem exedunt. vide in D. mox. Piscium omnium fœcundissima, mæna esse videtur, Aristot. Bruma parit, Idem. Fœcundumque genus mænæ, lamyrusque smarisq;, (*sic enim lego,*) Ouidius inter pisces qui in herbosa arena victitant. Euenit vt cum fœtu impleri fœmina incipit, maris color in nigriorem magisq; varium mutetur, Aristot. Mænarum & mugilum fœtura est genus quoddam apuæ, Idem.

D Mænæ gregales sunt, Aristot. Gladius quomodo balænam deuitet, & à mænis exedatur, ex Paraphraste Oppiani anonymo scripsi in Gladio D.

E Mænides esca sunt chrysophryi, Oppianus. Apiarij vespas hoc modo capiunt: Ante earum nidos nassam, in quam prius paruulam mænam, aut membradem cum chalcide imponi conuenit, appendunt, &c. Ælianus. Vide in Vespis.

F Vilem & alecularium piscem esse gerrem apparet ex Martialis versibus lib. 12. Fuisse gerres aut inutiles mænas. Odor impudicus vrcei fatebatur. Smarides & mænæ, pisciculi sunt plebeij & viles adeò, vt non numero aut pondere, vt ferè reliqui: sed aceruatim, inuitato etiam emptore, Venetijs vendantur, Manardus. Qui enim voluptates ipsas contemnunt, eis licet dicere, se acipenserem mænæ non anteponere, Cicero de finib. bonorum & mal. Mænæ laudatissimæ sunt ex Lipara, Polluci, Athenæo, Clementi in Pædagogo. Antiphanes Carystias commendauit. Mænas gobijs præstare bonitate succi Hicesius ait: (& sparos rursus mænis,) minùs tamen suaues esse, aluumque promouere minus, Athen. Cum fœtu impleri fœmina incipit, maris caro deterrima cibo efficitur, vocaturque à nonnullis per id tempus, hircus, Aristot. Smarides stomachicis in cibo conueniunt, Archigenes apud Galenum. Michael Sauonarola mænulas in litore petroso & suo tēpore captas inter pisces salubres, boni & non crassi succi, numerat. Liquamen genus gari sic fit: Viscera piscium in vas aliquod inijciuntur, vbi condiuntur sale: ac similiter tenues pisciculi, potissimum atherinæ, mulliue exigui, aut mænæ, aut lycostomi, &c. vt in Garo recitaui ex Tarentino. Sal etiam è muria salsamentorum recoquitur, iterumque consumpto liquore ad naturam suam redit, vulgo è mænis iucundissimus, Plinius.

G Proserpinaca cum muria ex mænis & oleo trita, vel sub lingua habita, anginæ medetur, Plin. Muria (Ἅλμη, salsugo) salsorum piscium putridis vlceribus congruit: dysentericisque ac coxendicum doloribus iniecta medetur. præcipuè tamen silurorum mænularumque muria quidam medici ad huiusmodi morbos vtuntur: quam nos interdum ad putrida oris vlcera accommodauimus, Galen. in fine lib. 11. de simplicibus medic. (& Aetius.) Et superius in eodem lib. Capitibus mænidum (inquit) sale inueteratarum vstis, ad sedis fissuras vtebatur quidam: & is ipse ad columellam diu induratam. Videtur ergo vis illarum esse desiccatoria, non admodum acris. nam id adustorum quæpiam obtinent, sicut omnia communiter desiccationem. Vuam diu iacentem supprimit hoc remedium: Gallæ, æris floris, ana denarios II. mænarum sine ouis, id est piscium salsorum capita x. hæc comburuntur, & ita cæteris bene tritis trita admiscentur, sed postea nihilominus in vnum diutius teruntur. Oportet autem tangi digito humido medicamentum, & sic vuam ab imo rectam diu supprimi sursum versus, Marcellus Empiricus. Mænarum salsarum vstarum de capitibus cinis ex melle inlitus faucibus, anginam cohibet, Idem. Vlcera quæ serpunt, & quæ ex ijs excrescunt, mænarum cinis vel siluri coercet, Plinius. Dioscorides smaridis inueteratæ capiti vsto hoc adscribit. Cinis ex capite mænarum verendorum pustulas discutit: item carnes decoctæ & impositæ, prosunt & smarides illitæ, Idem. Andromachus apud Galenum de compositione sec. locos in curatione dysenteriæ, clysterem præscribit huiusmodi: Sandarachę drach. viij. calcis viuæ recentis drach. decem, chartæ vstæ drach. viij. alij drach. xxx. malicorij, gallarum, acaciæ, singulorum drach. v. mænarum aceto conditarum ad dies viginti vnum, ac vstarum drach. iij. auripigmenti drachmas xvi. Vruntur mænæ in olla cruda. Et aliqui arido medicamento vtuntur, aliqui in pastillos cum myrti baccarum decocto cogunt. Si verò non mouetur pharmacum retentum, ante eius vsum polygini succum aut muriam infundito. Mænidis caput vstum impositum ficos & leprosos vngues, & rhagades ani, & thymos curat. (Dioscorides smaridis inueteratæ caput vstum thymos & clauos absumere scribit.) Garum autem vel seminam (*salsugo vel muria*) passarum (*id est aridarum*) mænidum aphaseis (aphthas) & marcores faucium ac depastiones collutum sanat mirabiliter. Ipse verò piscis comestus assus dysuriam & renes sanat. bonum stomachum & digestionem facit, Kiranides. Percarum vel mænarum capitis cinis, admixto sale & cunila oleoque, vuluæ medetur: suffitione quoq; secundas extrahit, Plinius. Forationis seu cariei hominis medicamentum: Mænarum capita vsito cineremque cum melle exceptum sedi impone, vt expertum & præstantissimum ad huiusmodi, Nic. Myrepsus. Idem cinis scabriciam vnguium extenuat Plinio.

H. a. Oppianus μαινῖδες penanflexum protulit lib. 1. Halieut. Βόσκονται μαινῖδες, ἰδὲ τράγοι, ἠδ' ἀθερῖναι. In prosa quidem semper iota breue inuenio, & accentu acuto notatum: & in quibusdam senarijs quoque ab Athenæo citatis: vt sunt, Ἄνθρωπος ἀπὸ τῶν μαινίδων καὶ μεμβράδων Φαληρικῆς ἀφύης τε διατεταγμένος, Machonis: & ille, Οὐ μὴ παχναλέων μαινίδων σπυρίδα, Eubuli. Antiphanes quoque corripuit. In ις. bissyllaba si ante ις. immutabilem habeant, & declinentur per delta, vltimam acuunt, vt μαινὶς, &c. Suidas. Μαινίδια diminutiuè Pherecrates dixit.

Epitheta. Breues mænas, Martialis: ὀλίγην μαινίδα, Numenius.

Mænaria (Μαιναρία) insula est, cuius meminit Plinius lib. 3. cap. 5. contra Magonem: sic dicta à piscium multitudine, quos mænas appellant.

f. h. Mænaque quod prima nondum defecerat orca, Persius Sat. 3. Ab Antiphane mænis inter lautissimos cibos nominatur. Idem in Butalione mænas & mullos Helenæ cibos vocat, vt refert Athenæus: in Agresti verò Hecatæ, his versibus:

Τοὺς γὰρ μεγάλους τούτους ἅπαντας γενόμικα Ἀνθρωποφάγους ἰχθῦς. τί φὴς ὦ φίλτατε,
Ἀνθρωποφάγους; πῶς οὖν ἄνθρωπος φάγοι. (fortè, πῶς οὖν ἄνθρωπος φάγοι; ſcilicet τοὺς πιόντας.)
Δηλονότι ταῦτα ἐστὶν Ἑκάτης βρώματα, Ἄφησιν οὗτος μαινίδας καὶ τριγλίδας.

Piſces precioſos & magnos aliqui anthropophagós nominabant propter impenſas, quibus lurconum & prodigorum opes abſumuntur, Euſtathius. Athenæus Hecates cibaria vocari ait διὰ τὴν βραχύτητα: hoc eſt, à breuitate. ſed poeta inſinuat ab eo conſecratas eſſe Hecatæ, quod homines non inſectentur ſicuti magni piſces. Melanthius in libro De myſterijs Eleuſinijs ait. Hecatæ mullum & mœnidem ſacrificari: quoniam & ipſa dea marina ſit, Athenæus. Dianæ ſiue Hecatæ (id eſt, Lunæ) mœna rẽ ſacram fieri aiunt: eò quod hæc dea quibuſdam videatur inſaniæ (μαίνεσθαι Græcis inſanire eſt, mania inſania) cauſſa eſſe illis qui vulgò σεληνιαζόμενοι, hoc eſt Lunatici dicuntur, Euſtathius & Varinus. Mihi non alia quàm alludentis vocabuli rationi mœna deæ maniam aliquando concitanti, vt creditur, dicata videtur: vt & citharus Appollini, box Mercurio, & alij quidam piſces alijs dijs. Quòd ſi quis hominem quem parum mente conſtare innuerit, Hecatæ mænam vouere aut ſacrificare iuſſerit: argutius hoc fuerit quàm ſi elleborum bibere aut Anticyras nauigare conſuluerit. Καὶ μαίνη ζαλαγεῦσα, καὶ ἁρπαγὴς ἀλίπυρος, Philodemus vernum tempus circumſcribens in epigrammate in mortem, Anthologij libro 1.

DE (MÆNA CANDIDA, SEV) SMARIDE, RONDELETIVS.

Bellonij icon ſquamas non exprimit: ſed ſex ſeptemve lineas à capite caudam verſus.



A SMARIS & Græcis & Latinis dicitur, Gaza lib. 8. hiſt. cap. 30. cerrum Latinè vertit: ob id fortaſſe quod Neapoli ſmarides vulgò dicũtur cerres, Maſſiliæ gerres. Mirum cur non potius Plinij & Martialis appellatione vſus ſit, qui gerres dicunt. Plin. lib. 32. in catalogo piſcium. Martialis in verſibus ſuperiori capite citatis. Smaris ea mænę ſpecies eſt, quæ λευκομαινὶς etiam à Græcis dicitur, id eſt, mæna alba: quia ſemper alba remanet, cum mæna prior colorem mutet. Venetijs hodie giroli & gerruli. in Gallia noſtra Narbonenſi, & Hiſpania, picarel: ob id fortaſſe quòd ſalitus hic piſcis, & (F) fumo exiccatus, linguam acrimonia quadam pungit & mordet. Vehementer errant, qui leucomænides eſſe putant, quas harengades vel harengs nos dicimus, nonnulli haleculas. Sunt enim ex thriſſarum, non ex mænarum genere, & maximè in Oceano capiuntur: quò non penetrauerant veteres, qui de piſcibus ſcripſerunt.

Cap. 11. — *Harengos non eſſe leucomanides.*

B Smaris marinus eſt piſcis, mœnæ ſimilis, ſed minor. Eſt enim digiti tantum magnitudine, corpore ſtrictiore, roſtro acuto, maculam vtrinque nigram habet: notis cœruleis, verſicoloribusque caret. Sed candida eſt, lineas quaſdam argenteas, & ſubaureas obſcuras à capite ad caudam ductas habens, pinnis, aculeis, cauda, partibus internis, mænę ſimilis.

A Quod hic piſcis garus ſit, optimumq; ex eo garũ fieri.

Hunc piſcem garum eſſe nominis affinitas facit vt ſuſpicer, cùm pro garo cerrus dicatur, & à Plinio & Martiale multitudinis numero gerres. & Antipoli hodie garon. Præterea ex hoc piſciculo optimum fieri garum experientia quemlibet docere poteſt. Ex Garo verò piſce optimum fieri garum teſtis eſt Plinius libro 31. cap. 7. Aliud eſt (inquit) liquoris exquiſiti genus, quod garum vocauêre, inteſtinis piſcium, cæteriſque quæ abijcienda eſſent ſale maceratis, vt illa putreſcentium ſanies. Conficiebatur ex piſce quem Græci garum vocabant.

F Smaris eodem ſucco carneque eſt, qua mæna.

G Ad eadem quoque ferè omnia valet ad quæ mæna, eiq; Plinius tribuit quę Dioſcorides mænæ. Plinius: Smarides tritas, illitas ad thymia ſedis conferre ſcribit, vti cinerem capitis mænarum. & Dioſcorides lib. 2. cap. 30. Smaridis piſcis caput exuſtum, excreſcentes vlcerum oras, puluilloſque reprimit, nomas cohibet, thymos clauoſque abſumit. Caro non ſecus ac omne ſalſamentum prodeſt à ſcorpione percuſſis, aut à cane demorſis. Galenus poſt mænam de ſmaride nihil ſcripſit, hanc opinor ab illa nihil differre exiſtimans. Paulus Ægineta mænis ſmarides ſubiungit. Smaridis, inquit, caput toſtum ad pilorum defluuia cum adipe vrſino conducit. Ex his colligat lector, quibus, & quot remedijs quæ minimo pretio comparari poſſunt, careat is qui piſcium hiſtoriam ignorat. Præparatur ſmaris vt mœna, & vt ſquamoſi alij.

Lib. 23 cap. 10

F A piſcatoribus ſale condita, aëri exponitur, vel in camino ſuſpenditur, & exiccatur. Alij antiquorum more in muria ſinunt tabeſcere, vt garum faciant. Ex qua optimum & ſuauiſſimum garum paratum vidi, apud Gulielmum Pelicerium epiſcopum Monſpelienſem, virum ſumma laude digniſſimum.

DE EADEM, BELLONIVS.

B Litoralis quoque eſt Smaris, Gręcis & Ouidio dicta, ſquamis paulò quàm Mœna latiorib. Lineam à capite ad caudam habet arcuatam. Corpore eſt penè tereti & minori quàm Mæna, ſex digitos longo. Color ex cyaneo hilari in argenteum micat, tergore obſcuriore, ventre candidiore. Vnicam in dorſo pinnam & caudam bifurcam gerit. Pinnas habet in lateribus acutas, ſub ventre geminam. Græcos a(A)pud Anconam vidi, qui Giros ſalitos coëmentes Maridas vulgo vocarent. Eſt tamen in Smaride peculiaris nota, qua à ſui ſimilibus dignoſci poterit. Nam cum os aperit, labia exerit tanquam ex tubo pyxidatim

xidatim infarcto. Græcos vulgò eoſdem piſces vocare Smarides audiui, quos Veneti vulgò Girolos nominant. Tametſi Smaris, Boca, & Mæna diuerſi piſces ſint, ſimillimaſque notas habeant, quibus ab inuicem diſtingui poſſunt. Boca enim lituris caret, quibus Smaris prædita eſt. Smaris quoque aſperiores fert ſquamas: lineaſque rectas, ſerie quadam in lateribus diſpoſitas, quales & in Mæna cernimus: ſed Mæna nullo ſeruato ordine confuſas. (A)

Vulgus Romanorum Smaridem, Spigarum nominat, ad differentiam Spigolæ, id eſt, Labracis. Sunt qui non Spigarum, ſed Rotonetum dicere malint, affinitate decepti: nam vox illa ei piſci debetur, quẽ ego Boopem vocaui. Maſſilienſium vulgus ab antiqua voce Latina aliquantulum deflectens, pro Giris Giarets pronunciat. A

Tantam habet Boca cum Smaride affinitatem, vt diſcriminis palàm nihil penè intercedat, quàm in capite. Boca enim roſtrum habet quaſi reciſum: Girus verò ſiue Smaris longinſculum. Cæterum Bocę corpore ſunt rotundiore, vnde Rotoneti Romanis vocantur. B *Cum Boca affinitas.*

Girulorum aliud genus eſt album, & ad Mænos magis accedens: vnde vulgus Maſſilienſium, Iaretos blancos vocare ſolet. *Genera duo.*

Giruli Cerri ſeu Mænæ planiores ſunt, quàm Boopes, quanquam ambo tereti ſint corpore. B

Dioſcorides Smaridi proprium caput adſcripſit, eiuſque multa medicamenta connumerat, quem ſequuti Galenus, Paulus & Aetius, eadem ferè habent. G

Smaris colorem non aliter, quàm Mæna mutat. C

COROLLARIVM.

Smaridi pleraque cum mæna conueniunt: & quædam ab authoribus de ſmaride prodita, in mæna paſſim prędiximus, hic non repetenda. Sunt leucomęnides, hoc eſt mænæ candidę ſmarides à Græcis proprio nomine vocatę, quas illi hodie quoque ſmarides & noſtri girrulos ſiue gerrulos cognominant. hi nanque candidiores ſunt ex hoc genere. Vnde ab ea piſcis qualitate, homines, vbi præ metu aliquo exangues & pallidi ac quaſi candidi, cuiuſmodi ipſi piſces ſmarides dicti, effecti ſunt, ſmaritos appellare ſolemus. Theodorus ſmarides cerros videtur conuertiſſe, vt fortè Gerres piſces ignobiles, gerrulos modò vocari exiſtimans, Gerres ſcripſerit, & librarius corruperit, Maſſarius. Siculi hodieq; ſmaridas vocant. Maſſilienſes, Gerres: Neapolitani Cerres, per c. quos Theodorus ſecutus Smarides Cerros videtur conuertiſſe: non Gerres, vt Martialis nominat, Gillius. Hermolaus gerres & ſmarides piſcitia diuerſa eſſe putat: ſed Rondeletius alijque eruditi eadem eſſe monſtrant, quibus facilè aſſentior. Antipoli hodie garon vocari hunc piſciculum Rondeletius refert: ab eo nomine deflexa videntur vſitata in diuerſis Italiæ locis, girus, girulus, cerrus: & olim gerres multitudinis numero tantum. apud Dioſcoridem quoque γάῤῥον liquoris nomen (ex eiuſdem nominis piſce alijſque confici ſolitum) r. duplici legimus. Martialis & viles & fœtidos (vt ſaliti plerique ſunt) piſciculos eſſe indicat: Fuiſſe gerres, aut inutiles mænas. Odor impudicus vrcei fatebatur. Et alibi: Teque iuuant gerres, & pelle melandria cana. Apud nos (inquit Hermolaus Barbarus Venetus) mænarum ſpecie, candidiores tantum ac minores quidam piſciculi viſuntur: quos girros & girrulos vulgò dici conſtat. ſint hi, necne ijdem qui gerres Plinij & Martialis, non conſtat. Theodorus quoque cerros vocat mænarum genus illud, quod Græci ſmaridas appellant. Sed Plinius tamen apertiſſimè à ſmaridibus hoc ipſo capite (vltimo libri 32.) diſtinguit. Nec illud præteribo, tria Gręcis admodum germana reddi genera: mœnas, ſmaridas, bocas: vti mirum non ſit confundi nomina interdum, & ſmaridas aut mœnas accipi, quæ ſint boces. Speuſippus: Boces ſunt (inquit) leucomęnides: hoc eſt mœnę candidiores (*cum hæ verius ſmarides ſint, &* *ipſæ mænarum generis,*) Hęc Hermolaus. Leucomænides aliqui boaces nominant, Athenęus: qui etiam hos Polyochi verſus recitat: Ὅπως σε πείσῃ μηδὲ εἷς πρὸς τῶν θεῶν Τοὺς βόακας ἄν ποτ' ἔλθῃ λευκομαινίδας καλεῖν. Smarides, piſciculi parui optimi: alijs mænides, (*melius, leucomænides*) Heſychius & Varinus. Smarides vocantur etiam marides Athenæo. Sic & alia multa apud Græcos vocabula à σ̃ inchoata, aliquando cum ſ. præpoſito reperiuntur, vt μικρὸν, σμικρὸν: μύῤῥα. Æolicè σμύρνα: μύραινα, σμύραινα: σμυκτὴρ, μυκτήρ. item φαζω, σφάζω. Euſtathius docet multas dictiones quæ à σμ. incipiunt, olim ſcribi ſolitas fuiſſe per ζμ. ceu compoſitas à ζα. particula intendente: vt σμερδῶ, pro ζαμερδῶ, ὅ ἐστιν ἄγαν βλέπω: & σμικρὸς pro valde paruo. alibi verò ſimpliciter quæ ab σμ. incipiunt, veteres per ζμ. ſcripſiſſe: vt ζμινύη pro σμινύη, ζμύρνα pro σμύρνα. Σμέρδος, genus piſcis, Heſychius & Varinus. idem fortè qui ſmaris. Σμυρίδα (lege Σμαρίδα, vt in Cynoſeuna oſtendimus) quam aliqui vocant κυνὸς εὐνὰς, Epænetus in libro de piſcibus. Maſſarius non rectè ſcripſit Cynoſeuma per m. ſed librariorum potius hęc culpa eſt. Smaris Italicè giro vocatur: ab alijs diminutiua voce girolo. eſt enim quaſi parua mænula. alijs zerlo. imperitiores è vulgo à mœna nomine non diſtinguunt, ſimiliter mænulam vocantes. Quòd ſi *Hontinck* Germanis mæna eſt, appellemus *ein vveiſſer Hontinck*. A

Smaris in herboſa arena laxatur Ouidio. Oppiano paſcitur algoſo in litore inter herbas. C

Ad capiendas ſmarides eſca: Cum pane, caprillo caſeo, vaccino, & puriſſimo polline ſimul allia contundens, paſtaſque (*mazas*) formans, eas in locum inſpergito, Tarentinus. E

Smarides piſciculi ſunt optimi, Heſychius. Plura vide in Mœna. F

Vide quędam in mœna ſuperius. Smaridis piſcis caput exuſtum, excreſcentes vlcerũ oras puluilloſq; reprimit, nomas cohibet, thymos clauoſque abſumit. caro non ſecus atq; ſalſamentum prodeſt à ſcorpione percuſſis, aut à cane demorſis, Dioſcorides. Kiranides lib. poſt remedia ex mæna: Oandos (*inquit. iudico autem vocabulum corruptum pro Smaride*) combuſtę tritę ac ſuperſparſę, myrmecides, thymos & acrochordines eradicant. cum marathro verò coctarum ius potum lac nutricibus auget. Similiter Plin. Mulieribus lactis copiam faciunt ſmarides cum ptiſana ſumptæ, vel cum fœniculo decoctę. Sed idem Kiranides paulò poſt, eodem libro: Xitos piſcis eſt (inquit) quem quidam ſmarida dicunt. huius caput paſſum (*ſiccatum*) & combuſtum, ſuperexcreſcentes carnes cohibet: & reliqua vt Dioſcorides de ſmaride. Smarides tritę illitę verrucas tollunt, & verendorum puſtulas diſcutiunt, Plinius. G

Smaris primam & ſecundam corripit, etiam in obliquis. Fœcundumque genus mænæ, lamyruſque ſmaris. H. a.

ſmariſque, Ouidius. Xitos piſcis eſt quem quidam ſmaridem dicunt, Kiranides. adſcribit autem ei remedia eadem quæ ſmaridi Dioſcorides. Σμαρίδες, γραῖες Heſychius & Varinus: qui tamen alibi Καραβίδες, γραῖες interpretantur. vide in Locuſtæ Corollario H. a. Σμαρὶς vltimam acuit, eadem ratione qua μαινὶς, vt prædictum eſt.

Bôces, apuæ, ſmarides, nominantur ab Epicharmo in Nuptijs Hebę.

MÆNVRGVS, Μαίνουργος, genus piſcis, Varinus: neſcio ex quo authore. Heſychius non meminit.

MÆOTÆ, Μαιῶται, piſces Nili memorantur: quod mireris, cum Mæotis dicta palus, in vltimo mediterranei maris Septentrionem verſus receſſu ſit: & Mæotæ Stephano gens Scythica maxima & populoſa. Sed à piſcibus iiſdem circa Mæotin & Pontum abundantibus nomen translatum apparet. Nilus inter alia piſcium genera mæotas dictos alit: quorum & Archippus meminit. Τοὺς μαιώτας, καὶ σαπέρδας, καὶ γλανίδας. Sunt autem mæotę multi in Ponto, à Mæotide palude appellati, Athenæus. Strabo Nili piſces recenſens męotarum nomen præterijt. Ægyptij Syenitę ſacros piſces Pagros ducunt: atque Elephantinem ſic nuncupatam incolentes, eadem exiſtimatione Mæotas piſces (τοὺς μαιώτας) ornant. Cauſa verò cur huiuſmodi piſcium genus hanc apud eos populos venerationem habeat, & magnam religionem poſſideat, ex eo profecta eſt: quod aduentantem Nilum hi præcurrentes, futuram aquam prænunciant, & mirifica quadam vi eius acceſſionem pręſentientes ex ſua anteceſſione ſuſpenſas Ægyptiorum mentes optima ſpe recreant. Idcirco etiam eo honore illos afficiunt, quia in eo permanent nullum vt ſui generis comedant, Ælianus de animalibus 10. 19. Apud Stephanum grammaticum regium μαιῶτις ſcribitur penanflexum, genere fœm. in ις. quod minus placet.

MAIÆ. Vide in Cancris.

MALACHIVS, Μαλάχιος, piſcis quidam, Heſychius & Varinus. Sed boni authores Græci omne genus mollium μαλάκια nominant.

MALLEOLVS. Quære Sphyręna.

MALTHA, Μάλθη, bellua eſt δυσανταγώνιστος: hoc eſt inexpugnabilis vel difficilis expugnatu, Suidas & Varinus. Vuottonus dubitat idémne ſit bos cetaceus, an ſimilis. Oppianus certè diſtinguit. Μάλθη θ', ἡ μαλακῇσιν ἐπώνυμος ἀδρανίῃσι Κῆτος, Oppian. lib. 1. Halieut. cum pręcedente verſu prêſtin & lamiam nominaſſet, quod moneo ne quis prêſtin cum maltha confundat: quod forſan aliquis malè conſideratis Suidę verbis faceret: ea ſunt. Κῆτος θαλάσσιον θηρίον πολυειδές: ἔστι γὰρ λέων, ζύγαινα, πάρδαλις, φύσαλος, πρῆστις, ἡ λεγομένη μάλθη, ὃ καὶ δυσανταγώνιστόν ἐστι: καὶ κελός. Sumpta eſt autem hęc ſimplex cetorum enumeratio, ex Oppiano: & poſt πρῆστις rectè diſtinguitur. At in Π. elemento preſtis cum maltha prorſus confunditur, his verbis: Πρῆστις εἶδος κήτους θαλασσίου, ἡ λεγομένη μάλθη. Μάλθη μεμαλαγμένος κηρὸς, ἢ ῥύπος ξηρὸς, ἡ μαλακία καὶ τρυφερή, Heſychius. Μάλθων, mollis, effœminatus. μαλθάω, mollio.

DE MALO INSANO MARINO, RONDELETIVS.



A B REbus nouis ſeu anonymis noua nomina imponenda ſunt, quod hîc facimus coacti. Nam cum nomen nullum apud veteres recenteſue ſcriptores repererim huius zoophyti, à ſimilitudine malorum inſanorum, (quę Albergaines noſtri vocant, alij pommes damours,) Mali inſani nomen huic accommodare viſum fuit. Vuę marinæ ſpecies quibuſdam videri poſſet, ſed quia flores vuę nullos refert, verùm foliorum potiùs, vel plumarum formam: quia etiam pediculo differt: dilucidioris diſtinctionis gratia ab Vua marina ſecreuimus, & à ſimilitudine mali eius terreſtris, quod oblongius eſt (nam eſt & alterum rotundius) malum inſanum appellauimus.

Facultate ab Vua marina non differt.

MANATVS. Vide ſuprà inter Cete.

DE MANV MARINA.

MANVS marina dicta à ſimilitudine quadam, zoophyton quoddam eſt: cuius picturam olim à Cornelio Sittardo accepi. edendo eſſe negabat, neq; apud authores de ea reperiſſe ſe quicquam.

MATRICVLI nominantur ab Ennio inter res marinas.

MAZINÆ piſces nominantur à Theophraſto in libro de piſcibus, μαζῖναι, οἱ. Τὰ δ' ἐν Ἰνδοῖς ἰχθύδια, τὰ ἐκ τῶν ποταμῶν εἰς τὴν γῆν ἐξιόντα, καὶ πηδῶντα, καὶ πάλιν εἰς τὸ ὕδωρ ἀπιόντα, καθάπερ οἱ βάτραχοι, θαυμαστὰ μέν ἐστιν, οὐχ ὁμοίως δὲ τούτοις (τοῖς ὕπνου ἢ τροφῆς ἕνεκα ἐξιοῦσιν:) ὅσοι τὸ ὀλίγον χρόνον, ἢ πολὺν ἢ πλεῖσταιον) διαμένειν ἐκτὸς τοῦ ὕδατος,) ἧττον θαυμαστόν. ἡ δ' ὄψις ὁμοία τούτων τοῖς μαζίναις καλουμένοις. Hæc Theophraſtus. parentheſib. incluſa de noſtro addidimus. Ego ſic verterim. Cæterum Indici piſciculi, qui è fluuijs in terram egrediuntur, & ſaliunt, & rurſus in aquam redeunt ſicuti ranæ: admiratione quidem digni ſunt, ſed minus alijs, (qui ſomni cibiue gratia exeunt:) ſiquidem minus mirari oportet ea quæ breui tempore, quàm quæ longo vel omnino, vbi ſemel exierint, in terra manent. Referunt hi piſciculi aſpectu mazinas dictos. Apud Athenæum paulò poſt initium octaui μαξενοῖς ſcribitur, non μαζίναις. MAZOS quoſdam piſces nominat Epicharmus. Συνακρίδας, μάζους τε, σινόδοντάς τε. Myxini inter Mugiles dicentur. *Maxini. Maxi. Myxini.*

DE MARGARITIS, RONDELETIVS.

A — *Lib. 13. cap. 2.*

DE MARGARITIS concharum quarundam veluti fœtu nunc dicemus. Has vniones Latini vocant, non quòd in vnica tantum Concha (*non quod ſingula in vnica concha*) reperiantur: Nam Æliano teſte, pleræque adeo multos vniones poſſident, vt ſint qui dicant in vnica viginti procreatos fuiſſe, ſed quod nulli duo indiſcreti (*vt Plinius docet 9. 35. dicit autem indiſcretos, qui non inuicem differant, candore, magnitudine, orbe, leuore, pondere*) reperiantur: vnde nomen vnionum Romanæ ſcilicet impoſuere deliciæ. nam apud Græcos non eſt, neque apud Barbaros inuentores eius aliud quàm Margaritæ. Latini quidam Margaritum dixerunt neutro genere & maſculino, (*ego maſcul. genere à nullo adhuc idoneo ſcriptore Latino poſitum reperi.*)

B — *Vnio ſit ne Conchæ ſua pars, vel excrementum, vel morbus, &c.*

Inueſtigare nunc oportet quid ſit vnio, ſitne Conchæ pars, vel excrementum, vel morbus quidam: de hac enim re ſummi viri dubitarunt. Chares Mitylenæus vniones oſſa appellauit Athenæo lib. 3. teſte, his verbis: Chares Mitylenæus ſeptimo lib. Hiſtor. Alexandri ait: Capitur verò in Indico mari & circa Armeniam, Perſidem, Suſianam, Babyloniam Oſtreo quiddam ſimile: quod magnum (ἁδρὸν, vegetum, plenum) eſt & oblongum, habetque intus carnem multam, albam, ſuauiſſimi odoris, cuius exempta oſſa Margaritas vocant: ex quibus monilia componunt & armillas, manus atque pedes ornant. qui cultus magis affectatur apud Perſas, Medos, & Aſianos omnes, quàm quæ ex auro confecta ſunt. Quæ ſententia à veritate abhorret. Nam ſi vniones Oſtreorum oſſa eſſent, ij ſemper in omnibus Oſtreis reperirentur, cum oſſa ad corporis fabricam neceſſaria ſint, veluti partium reliquarum fulcra, quod falſum eſſe docet experientia. Idque contra Oſtreorum naturam eſt, quæ ſimiliter atque cruſtata molle intus habent, nec durum quicquam, ſed foris, vt rectè ſcripſit Ariſtoteles lib. 4. de hiſt. anim. cap. 1. & 4. *Quod non ſit oſſiculum.* Fuerunt qui exiſtimauerint vniones Concharum veluti nucleos eſſe. Alij Concharum partus, quam ſententiam Plin. lib. 9. cap. 35. refert. Has vbi genitalis anni ſtimulauerit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu tradunt, grauidas poſtea eniti, partumque Concharum eſſe margaritas, pro qualitate roris accepti. Si purus influxerit, candorem conſpici: ſi verò turbidus, & fœtum ſordeſcere: Eundem pallere, cælo minante conceptũ: ex eo quippe conſtare. cæliq; eis maiorem ſocietatem eſſe, quàm maris: inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina ſerenum. Si tempeſtiuè ſatientur, grandeſcere & partus. Si fulguret, comprimi Conchas, ac pro ieiunij modo minui. Si verò & tonuerit, pauidas ac repente compreſſas quæ vocant phyſemata efficere, ſpeciem modò inani inflatam ſine corpore. Hos eſſe Concharum abortus. Hæc Plinius, quibus non conſentiunt ea quæ apud Athenæũ iſta de re ſcripta ſunt ex Iſidoro. *Vniones alios concharũ partus eſſe, alios abortus, iuxta Plinium.* Aiunt verò cũ ſæpe tonat, & largius pluit Pinnam tum magis concipere: margaritasque plures & magnas procreari. Hyeme autem in profundos maris gurgites condi ſolere. Æſtate hiantes ſurſum enatare noctu (τὰς μὲν ἡμέρας κεχήνασι διαπνηχόμεναι) interdiu conniuere. *Pinnæ.* Quæ ſaxis, ſaxorumue cauis adnatæ fuerint, radices agunt, & illic commorantes procreant margaritas. Hæc ab ijs excogitata ſunt, qui particularem Oſtreorum naturam ignorant. Nam Pinnæ radice inniṫuntur, ſuntque immobiles, nunquam ſedem in qua hærent ſponte naturæ mutantes, vt verè ſcripſit Ariſtot. lib. 4. de Hiſt. cap. 4. *Pinnas immobiles eſſe.* Sed nec ſuperior etiam opinio, quam ex Plinio recitauimus, vera eſt. Etenim teſta ſilicea intecta omnia ſponte, & non ab alijs, procreantur: neque aliud quicquam procreant. Neque idem partus à diuerſis editur, quemadmodum vniones à diuerſis ſpecie Conchis ſiue Oſtreis. Adde quod omnia quæ procreant, ſtatis quæque temporibus fœtus ſuos & concipiunt, & emittunt in lucem, cum in varijs Oſtreis aliquando vniones reperiantur, aliquando nulli: modò hoc tempore, modo illo. *De partu margaritarũ contra Plinium: quodque vniones partus non ſint.* Ægyptij hodie externis mercatorib. in Æpyptum proficiſcentibus narrant de piſce Columbo, quem Orbem vocauimus, eadem ferè quæ Plinius de Conchis margaritiferis, eum ſcilicet ore hiante rorem excipere, ex quo deinde vniones efficiat. Sed fabuloſa ſunt iſta: neque enim vnquam in huiuſmodi piſce inuenti ſunt vniones, neq; ros hauſtus non in ventriculo imutari & concoqui, vel vnà cũ excrementis alijs excerni. *Contra Aegyptios, qui Orbẽ piſcem rore cõcepto, vniones parere aiunt.*

Quare his reiectis opinionibus Androſtheni aſſentior: qui ſcripſit, τὸν λίθον ἐν τῇ σαρκὶ τοῦ ὀστρέου γίνεσθαι, ὥσπερ ἐν τοῖς συείοις τὴν χάλαζαν. id eſt, in carne oſtrei gigni vnionem, quemadmodum in ſuum carne grandinem. Idem Iuba tradit, referente Plinio lib. 9. ca. 35. Arabicis Concham eſſe ſimilem Pectini inſecto, hirſutam Echinorum modo, ipſum vnionem in carne grandini ſimilem. (*Lege etiam ſuprà in Concha matre vnionum.*) *In oſtrei carne vnionẽ gigni, vt in ſuib. grãdinem.* Grandinem autem in porcis intelligere oportet, grana compacta, & ſatis dura, per carnem ſparſa, ex craſſa & viſcida pituita concreta, atque exiccata, vt ganglium in neruoſis partibus, ad cuius generationẽ pituitæ craſſitudini & glutino, facultatis aſſimilatricis imbecilla vis accedit. Galli in porcis lepram vocant, quam ex lingua, maximè inferiore eius parte dignoſcunt; in ea enim grana illa manifeſtè apparent. Ariſtoteles cauſam grandinis ſuum, & eius dignotionem ſic docet: *Lib. 8. de Hiſt. cap. 21.* Grandinoſi ſues fiunt, quorum crura, & collum, & armi carne conſtant humidiore, quibus partibus vel plurimæ

grandines

grandines innaſcuntur. Caro dulcior eſt, ſi grandines habent paucas: ſed ſi multas, humida valde & inſipida eſt. Facilè qui grandent cognoſcuntur: parte enim inferiore grandines habentur, & ſi ſetam dorſo (ἐκ τῆς λοφιᾶς) euellas, cruorem in radice pili euulſi videris pedibus etiam poſterioribus conſtare non poſſunt qui grandent. Et Aetius de elephantiaſi ſcribens, inter alias notas hanc quoque affert, ſub lingua venulas varicoſas fieri ac nigreſcere, quod ſignum eſt etiam viſcera ipſa in ſimili conſtitutione eſſe eiuſmodi planè, qualis in porcis grando, in Conchis quibuſdam circa interna videtur, quæ grandinis nomine inſignitur. Quemadmodũ igitur in porcis grando, in Conchis quibuſdam vniones efficiuntur ex humore craſſo & viſcoſo, puro tamen, nec luto aut ſordibus externis infecto, qui vel alimenti conuenientis redundantia eſt, vel excrementorum. Id in Mytulis & Oſtreis, & Conchis quibuſdam recentibus non hiantib. & ſemicoctis contemplari licet, in quibus humorem iam craſſiorem effectum pellucidumq; cernas: ea eſt generandorum vnionum materia.

In qua parte concharum inſint.
Figura.
Tympana.

Non autem ſemper in media carne reperiuntur, ſed alijs atque alijs locis, inquit Plin. (lib. 9. cap. 35.) Vidimusque iam extremis etiam marginibus velut è Concha exeuntes, & in quibuſdã quaternos quinoſque. Et: Craſſeſcunt etiam in ſenecta, conchiſq; adhæreſcunt, nec ijs auelli queunt, niſi limâ. Quibus vna tantum eſt facies, & ab ea rotunditas, auerſis planities, ob id tympana (*tympania quatuor ſyllabis legit Maſſarius. Græcè malim in prima inflexione, gen. maſc. τυμπανίας καὶ κροταλίας μαργαρίτας dicere*) nominantur. Quo ex loco tympanorum antiquorum figura diſcenda eſt, quibus in ſacrificijs Matris Deum vtebantur. Vergilius: Tympana vos, buxuſque vocat Berecynthia matris Idææ. Illa altera parte plana, altera rotunda erant, non vtraque plana qualia ſunt noſtra. Illis etiam hodie vtuntur Aphri, atq; Turcæ. Talibus etiam Monſpelienſes noſtri vtuntur quæ Tymbaules vocant, quæ vaſa ſunt fictilia omnino rotunda, dempta anteriore parte plana, membrana ex aſinina pella clauſa. Bina geſtant è zona appenſa, quæ baculo pulſant, adhibitoque fiſtularum ruſticarum, tum geminarum laminarum, quæ chalybeæ ſunt & rotundæ, atque inter ſe colliduntur, ſono ſatis impudicam ſaltationem canunt. Ex his illuſtrabitur etiam Galeni locus lib. 6. de differ. & cauſ. morb. & ſympt. in quo lapſus eſt interpres doctus & elegans, qui τυμβαύλας ſcribit ſimiles eſſe tympanis noſtris quæ Tymbaules appellari diximus, nominis quidem ſimilitudine in hunc errorem inductus: ſunt enim τυμβαῦλαι non tympana, neque qui tympana pulſant, verum qui ad mortuorum ſepulchra tibijs canebant, nominis ratione id indicante, τύμβος enim ſepulchrum eſt, tumbã nos vocamus, & αὐλὸς tibia. Hi Latinè ſiticines dicuntur, quod apud ſitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt vita functos. Quod de tympanis nihil hic cogitarit Galenus, verba ipſius clarè oſtendunt. βομβώδεις δ' εἰσὶν ἕτεροι τοῖς ἐξ εὐρυτάτων αὐλῶν ἐοικότες, ὁποίους ἔχουσιν οἱ τυμβαῦλαι καλούμενοι, διὰ μὲν τὴν ὕλην ἐξ ἧς γεγόνασιν οὐ δυνάμενοι ἠχεῖν καθαρόν: διά τε τὴν εὐρύτητα τῆς τοῦ πνεύματος ὁδοῦ, βαρύτατα φθεγγόμενοι. Alij ſunt bombis ſimiles, referentes ſonos qui à latiſſimis tibijs eduntur, quales habent qui τυμβαῦλαι vocantur. materia quidem ex qua fiunt in cauſa eſt cur clarè non ſonent: latitudo verò viæ ſpiritus, cur grauiſſime. Perſpicuum eſt hic de tibijs latioribus non de tympanis ſermonem fieri. Sed ad vnionum materiam redeamus, quam etiam non ineptè calculorum in renibus generationi comparare poſſis: vidi enim, vt iam annotauimus, è renibus eductum calculum è pituita vitrea, vt conijcio, concretum, tam ſplendidum & candidum, vt is dotibus cum vnione certaret.

Aeneid. 9.
Τυμβαῦλαι Galeno quid.
Siticines.
Vnionum generationem, ſimilem eſſe calculorum in renib. generationi.

Vniones non in vnica Concha gigni tradunt diuerſi authores. Indicus maximè hos mittit Oceanus, inquit Plinius libro 9. cap. 35. Indis quoque in inſulas petuntur, & admodum paucis. Fertiliſſima eſt Taprobane & Toidis. Item Perimula (*Perimuda, Περιμοῦδα, vrbs eſt Indiæ, Aeliano de animal. b. 15. 8.*) promontorium Indiæ. Præcipuè autẽ laudantur circa Arabiam in Perſico ſinu maris rubri. Et aliquantò pòſt. In noſtro mari, ait, reperiri ſolebant. Crebrius circa Boſphorum Thracium (*quem nunc Strictum Conſtantinopolis vocant*) rufi ac parui in Conchis quas Myias (*Myas habet noſtra aditio*) appellant. At in Acarnania quæ vocatur Pinna gignit. Quo apparet non vno Conchæ genere naſci. Nã & Iuba tradit Arabicis concham eſſe ſimilem pectini inſecto, hirſutam echinorum modo. Conchæ non tales ad nos afferuntur. Nec in Acarnania ante (*alias, autem*) laudati reperiuntur, enormes ferè, coloriſque marmorei. Meliores circa Actium, ſed & hi parui: & in Mauritaniæ maritimis. Idem apud Athenæum legere eſt: alij enim in Oſtreo Pinnis ſimili gigni tradunt, alij in Indico Oſtreo Pectini ſimili, quod Berberim vocant: alij in Oſtreo magno & oblongo in India, Armenia, Perſide, Babylonia: alij in Perſico pelago.

Quod regionib. & conchis diuerſis inueniantur.
Myia.
Pinna.
Berberis.
E

Precium.

Principium culmenque omnium rerum pretij margaritæ tenent, ait Plinius. Cleopatra ſuperbiſſimo ac procaci faſtu, vt regina meretrix, lautitiam Antonij omnem, apparatumque detrectans, quærente eo quid aſtrui magnificentiæ poſſet, reſpõdit: Vna ſe cœna centies ſeſtertium abſumpturam: duos maximos vniones per manus Orientis Regum ſibi traditos, quos auribus tum gerebat, intelligens. Androſthenes ſcripſit in Aſia, Perſide, & alijs Orientis regionibus tanti pretij fuiſſe, vt pari auro rependerentur. Noſtro æuo multis alijs gemmis poſtponuntur. Venetijs nulla fœmina ſatis ornata eſſe cenſetur, quæ non è collo ſuſpenſos vniones geſtet. Puellæ noſtræ in capite geſtant, aliæ paruulos & perforatos conſuunt. Americus Veſpucius in ſecunda ſua nauigatione (circa finem) ſi non disertè, ſaltem verè, vt puto, de vnionum copia & vilitate hæc prodidit. Ad gentem, inquit, quandam peruenimus, quæ nos cum maxima ſuſcepit amicitia: & quam quidem vnionum perlarumque Orientalium comperimus numerum maximum tenere, propter quod quadraginta & ſeptem diebus ibi perſtitimus. Et centum, decem & nouem vnionum marchas, precio, vt æſtimabamus, quadraginta ſuperare ducatos, ab eis comparauimus: nam nolas, ſpecularia, cryſtallinoſque nonnullos, nec non leuiſſima electri folia eis tantum propter ea tradidimus. nempe quotquot quilibet obtineret vniones, eos pro ſola nola donabat. Didicimus quoque interdum ab eis quomodo & vbi illos piſcarentur, qui quidem Oſtreolas in quib. naſcuntur, nobis plures largiti ſunt. Et pariter nonnullas mercati fuimus, vbi in quibuſdam centum & triginta vniones, in quibuſdam verò non totidem reperiebantur. Nouerit maieſtas veſtra quod niſi permaturi ſint, & à Conchylijs in quibus gignuntur per ſe ſe excidant, omnino perfecti non ſunt: quinimò in breui, vt ſæpius expertus ſum, emarceſcunt, & in nihil redacti ſunt. Cùm verò maturi fuerint, in Oſtrea ipſa inter carnes, præter id quod carnibus ipſis hæreant, ſe ſeparant: huiuſmodi optimi ſunt. Hactenus Americus.

Americus Veſpucius de vnionum copia & vtilitate.
Maturitas.

Dos omnis

Electio.
Color.

Dos omnis vnionum eſt (tradente Plinio lib. 9. cap. 35.) in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere. quas notas ſingillatim perſequemur. In candore ipſo magna eſt differentia. Clariores ſunt in mari rubro reperti. Indici ſpecularium lapidum ſquamas aſſimilant, alias magnitudine præcellentes. Circa Boſphorum Thracium rufi ſunt & parui. In Acarnania coloris ſunt marmorei. In Britannia decolores. Flaueſcunt & pelagiæ, præcipui alioqui candoris, in ſenecta, rugiſque torpeſcunt, nec niſi iuuenta conſtat ille qui quæritur vigor. Vſu etiam atteri non dubium eſt, coloremque indiligentia mutari. Summa igitur laus coloris eſt, exaluminatos vocari, id eſt, ad aluminis colorem accedentes,) quod optimum cenſetur, quum candidiſſimum eſt autore Dioſcoride lib. 5. cap. 123. Magnitudine differunt, vt in Acarnania magni naſcuntur, ſed coloris non laudandi. Circa Actium meliores ſunt, ſed parui. In Britannia contra parui, ſed haud boni. Figuræ varietate diſcernuntur, quod aliæ ſint totæ rotundæ, alijs vna tantum eſt facies, & ab ea rotunditas, auerſis planities. Sunt alij proceriores faſtigiata longitudine, alabaſtrorum figura in pleniorem orbem deſinentes. Hos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria eſt. Has elenchos appellabant authore Plinio. Item Iuuenale Saty. 6.

Exaluminati.
Magnitudo.
Figura.
Elenchi.

Turpe putat nil
Quum virides gemmas collo circundedit, & quum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.

Crotalia etiam (*quaſdam*) nominabant à ſono & colliſu ipſo margaritarum. Quidam ſunt rugati, vt qui ætate deteriores redditi ſunt. Nonnulli ſunt læues, & inani inflati, qui ob id phyſemata Græco nomine vocantur. Pondus ad hoc æui ſemunciæ pauci ſingulis ſcrupulis exceſſere. Differunt quoq; ætate, & Concharum ſiue Oſtreorum in quibus naſcuntur varietate, vt ex ſuperioribus liquet.

Crotalia.
Phyſemata.
Pondus, &c.

Colliguntur diuerſis modis. Quidam eos ſponte ſua decidere, & in ſaxis iiſdem reperiri putant, in quibus Conchæ & Oſtrea. Ego verò non niſi poſt Oſtreorum mortem abſumpta carne decidere puto. Etenim carni & teſtæ adhærent.

E
Quomodo colligantur.

Quidam tradunt (aſſerente Plinio lib. 9. cap 35.) ſicut apibus, ita Concharum examinibus, ſingulas magnitudine & vetuſtate præcipuas eſſe veluti duces, miræ ad cauendum ſolertiæ: has vrinantium curæ peti: illis captis, facilè cæteras palantes retibus includi. Multo deinde obrutas ſale in vaſis fictilibus, exeſa (aliâs eroſa) carne omni, nucleos quoſdam corporum, hoc eſt, vniones decidere in ima. Hæc quidem poſteriora veriora eſſe puto, priora non item: Nam Conchis duces eſſe & retibus capi falſum eſt. Illud quoque fabuloſum eſt, Concham ipſam (*vt Plinius ibidem ſcribit*) quum manum videt, comprimere ſeſe, operireque opes ſuas gnaram propter illas ſe peti: manumque, ſi præueniat, acie ſua abſcindere, nulla iuſtiore pœna, & alijs munita ſupplicijs. Quippe inter ſcopulos maior pars inuenitur, ſed in alto quoque comitantur marinis canibus, nec tamen aures fœminarum arcentur. Etenim Conchis omnib. tactus tantum ſenſus, atque guſtatus parum exquiſitus à natura tributus eſt, aliorum omnium ſunt expertes. Nec in eis ſolum ſenſus, ſed & mentem ineſſe dicas ex Plinio. Idem periculum venantium margaritas: & qua ratione vitetur, ſic explicat Athenæus: In periculo verſantur qui venantur margaritas, ſi in hiantes conchas manum rectà (κατ' εὐθὺ) immiſerint. tunc enim comprimunt, ac ſæpe digitos præcidunt, aliquando nonnullis ſtatim morientibus. Qui verò à latere (ἐκ πλαγίου) manum ſubiecerint, facilè Conchas à ſaxis auellunt.

Conchis duces eſſe, & retibus eas capi, falſum eſt.
Concham ipſam comprimere ſe gnaram cur petatur, fabuloſum.
Lib. 3.
G

Vniones in medicina ab Arabibus vſurpantur, aduerſus cordis affectus. Hodie quoque horum imitatores iiſdem vtuntur. Inde celebres & frequentes in officinis duæ antidoti Diamargariton frigidum, & calidum, hoc eſt ex vnionibus: quarum prior in frequentiori eſt vſu: atque alia, quæ manus Chriſti perlata ab vnionibus nominatur. Serapio in ſuo Aggregatorio ex Raſi vniones frigidos & ſiccos eſſe in ſecundo ordine tradit. Cardiacis proſunt, cordiſque ſyncope laborantibus conferunt, ad ſpirituũ confirmationem, ad fluxum ſanguinis exiccandum, ad oculorum claritatem. Ob eam cauſam collyrijs admiſcentur, non quod digerendi vi præditi ſint: neque enim vtiliter ad cordis imbecillitatem, & ſpirituum robur confirmandum adhiberentur, ſed ob eam quam dixi exiccandi vim. Melancholicis conuenire non video cum frigidi ſint & ſicci, niſi quòd ſpiritus puriores efficiant, vaporeſque atros ad cor conſcendentes ſiccitate ſua abſumant, qua vi menſes retinere ſum expertus. Nullã mea quidem ſententia facultatem ad pterygia & ſuffuſiones curandas adferunt, etiam ſi quidam ijs vtantur. His dentes candidiores reddi traditum eſt, ſed idem præſtant teſtæ concharum & Oſtreorum in quibus inueniuntur. Solent Pharmacopœi in marmoreo mortario in pulueres redigere, ne aliquid vel coloris, vel ſubſtantiæ, vel ſaporis ingrati à metallico contrahant. Poſſunt & aceti acerrimi aſperitate, vel vuæ acerbæ vel citrij pomi ſucco diſſolui. Id comprobauit Cleopatræ luxuria, quam fuſius explicat Plinius lib. 9. Non deſunt Chemiſtæ, qui ex multis paruis in aquam diſſolutis, ſe poſſe magnos conficere venditent, qui ſplendore, læuore, pondere atque omni alia dote Cleopatræ vnionibus inferiores non ſint. Sed qui id dixerint permultos audiui, qui id præſtiterint nullos vidi. Serapio in vnionum vicem Conchylia magna & ſplendida, & fulgentia vſurpari poſſe tradit, modo dimidio pondus augeamus.

(E)
Antiballomena.

DE MARGARITIFERIS CONCHIS, BELLONIVS.

Plinius Secundus Cochlearum margaritiferarum genera multa eſſe tradit: Cuius notæ ſunt Pentadactyli, Melicembates, Echinophoræ, & permultæ aliæ. In ſumma, dubium non eſt multas conchas Margaritiferas eſſe, multò quidem magis, quam vulgares noſtras oſtreas ac Mytulos: qui quum his etiam abundant, eo minus mirandum eſt, etiam minimas exterarum nationum conchas longè ditioribus margaritis refertas eſſe: id enim de quibuſdam conchis, quod de nonnullis fluminibus auriferis dicere poſſumus.

COROLLARIVM.

Margarita à Latinis authoribus ſemper ferè fœminino genere profertur: rarius neutro. Varro A

vtroque

vtoque genere, & margaritam, & margaritum dixit, vt annotauit Nonius. Macrobius Saturnaliorum 2. 4. Augustum refert in epistola ad Mecœnatem, (quem familiariter amabat) vt insolentem eius & affectatum sermonem notaret, hanc clausulam adiecisse: Vale mel gentium, ebur ex Hetruria, adamas Supernas, Tyberinum margaritum &c. Solinus etiam affectatæ dictionis studiosus author margaritum gen. neutro dixit. Apud Græcos tribus aut quatuor modis enunciatur: Μαργαρίτης mascu. genere à Theophrasto, Arriano, & Æliano. Ἡ μαργαρίτης λίθος, Androsthenes apud Athenæum. Μάργαρος Ἰνδὸς, Ælianus & Io. Tzetzes. Τὰ μάργαρα, Pausanias. Dos omnis in candore, magnitudine, orbe læuore, pondere, haud promptis rebus, intantum vt nulli duo reperiantur indiscreti: vnde nomen vnionum, (*nimirum quod vnusquisque ab altero differat*,) Plinius. Nunquam duo simul reperiuntur: vnde vnionibus nomen datum, Solinus. Sed duos nunquam simul reperiri in vna concha verum non est, cum simul innumeræ aliquando inueniantur, vt referetur in c. Singuli quidem, & discreti, hoc est non cohærentes inter se reperiri solent: verum non ab eo vniones dictos Plinius innuit, sed quoniam nullus alteri ita similis inueniatur, quin vel magnitudine, vel colore, vel figura, vel alio quopiam discrimine differat. Quanquam & hæc Plinij verba leguntur: Cohærentes videmus in conchis hac dote vnguenta circumferentibus. vbi cohærentes pro eo quod est suis suis conchis & testis adnatos vniones acceperim, non ipsos inter sese concretos. Aliud sensit Marcellinus his verbis: Testæ rore grauidæ margaritas edunt minutas binas aut ternas: vel vniones sic appellatas, quod eius terræ (*cuiusmodi*) conchulæ, singulas aliquoties pariunt, sed maiores. Ælius Stilo Iugurthino bello vnionum nomen impositum maximè grandibus margaritis prodit, Plinius. Margaritam generali nomine vocamus etiam lapillum. nam lapillus & gemmarum & margaritarum commune est nomen, subintelligiturq; preciosus. quod si maiusculi fuerint, preciosi lapides dicuntur. Nam quod Seruius scribit, gemmas diuersi coloris esse: margaritas verò albas: vel gemmas integras, margaritas pertusas, plane ridiculum est. Sabinus iurisconsultus margaritas scribit lapillorum nomine non contineri: sed hoc falsum esse multorum exemplo docetur. Curtius: Lapilli auribus pendent. Idem: Pendebant ex auribus insignes candore & magnitudine lapilli. Horatius: Nec magis huic intra niueos virideisque lapillos. vbi profecto de margaritis & smaragdis intelligit, Perottus. τῶν θαυμαζομένων δὲ λίθων ἐστὶ καὶ ὁ μαργαρίτης καλούμενος, Theophrastus. Nego vllam gemmam aut margaritam fuisse, Cic. 6. Verr. Cardanus margaritas propriè lapides esse negat: quoniam & celerrimè senescunt, & alia quædam lapidum naturæ dissentanea habent. Margaritæ lingua Indica sic appellantur, teste Arriano. Hermolaus verò videtur indicare hoc loco vniones alio etiam quàm margaritæ nomine apud barbaros appellatos fuisse: allegans Androsthenem in Paraplo Indię, vt Athenæus autor est, scripsisse ostrei genus illud margaritiferum in India vocari berberim, specie pectunculi, non tamen cælata sed læui testa, nec auriculas habere duas vt pectines, sed vnam: cum tamen Plinius non de conchis ijs margaritiferis vt Androsthenes, sed de margaritis siue vnionibus ipsis loquatur, alio profecto carentibus nomine. Immo Plinius dixit vniones non vno conchæ genere nasci, earum nomina ferè omnia reddens. nam genus vnum haud multum ostrearũ conchis differens esse meminit, &c. Mas. Et rursus: Sunt autem margaritæ (ita enim lingua Indica appellantur, vt Arrianus autor est) quas Romani soli (vt inquit Plinius) vniones appellarunt, quod nullæ duæ margaritæ simul reperiantur, sed semper discretæ & vnæ: (*mihi quidem Plinius aliud sentire videtur, vt supra exposui*:) Græca Arriani verba hæc sunt lib. 8. qui est de rebus Indicis. Καὶ τάδε μὰ περὶ Ἰνδῶν περὶ Ἡρακλέα λέγουσιν. ἐπελθόντα αὐτὸν πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν, καὶ καθήραντα ὅ τι περ κακὸν κίναδον ἐξευρεῖν ἐν τῇ θαλάσσῃ, κόσμον γυναικήιον: ὅ τινα καὶ εἰς τοῦτο ἔτι οἵ γε ἐξ Ἰνδῶν τῆς χώρας τὰ ἀγώγιμα παρ' ἡμέας ἀγινέοντες, σπουδῇ ὠνεόμενοι ἐκκομίζουσι. καὶ Ἑλλήνων δὲ πάλαι, καὶ Ῥωμαίων νῦν ὅσοι πολυκτέανοι καὶ εὐδαίμονες μείζονι ἔτι σπουδῇ ὠνέονται: τὸν μαργαρίτην δὴ τὸν θαλάσσιον, οὕτω τῇ Ἰνδῶν γλώσσῃ καλεόμενον. τὸν γὰρ Ἡρακλέα, ὡς καλόν οἱ ἐφάνη τὸ φόρημα, ἐκ πάσης τῆς θαλάσσης ἐς τὴν Ἰνδῶν γῆν συναγινέειν τὸν μαργαρίτην δὴ τοῦτο, τῇ ἑαυτῇ εἶναι κόσμον. Id est: Hoc quoque aliæ Indorum gentes de Hercule affirmant, quod cum mare (*Indicum*) & terram vndique peragrasset, purgassetq; eam omni vitio, in mari inuenerit cinædum, (*Bartolomæus Facius margaritam vertit: sed Indi fortè margaritam cinædum vocant, vt ex sequentibus colligimus*) ornatum muliebrem: quales qui ad hæc vsque tempora lucri causa merces inde deferunt, multo studio comparare solent. Sed & ex Græcis olim, & Romani hoc tempore, quicunque diuites & beati putantur, maiore etiamnum studio sibi comparant margaritam scilicet è mari, quam Indorum lingua sic (*cinædum scilicet*) nominat. Earum verò pulchritudinem admiratum Herculem, ceu ornamenti maximè decori gesta tu vndecunque ex mari quas filiæ (Pandeæ) ornandæ donaret, conquiri iussisse margaritas. Hæc ex Arriano recitare volui, vt inde iudicarent studiosi, cinædus ne, vt nobis videtur, an margarita, vt quibusdam nostri seculi eruditis, Indicum vnionis nomen sit. Vniones in Paria & Curiana regionibus noui Orbis Tenóras vocant, Pet. Martyr. Margarita Arabicè dicitur hagar (.i. lapis) allulo siue albalo, Syluat. vel, vt Monachi interpretes Mesuæ legunt, albato seu albaro. De conchis margaritiferis tradunt qui de animantium naturis scripserunt, quod noctu litora appetant, & ex cœlesti rore margaritam concipiant, vnde & eceolæ nominentur, Isidorus. ego eceolæ nomen alibi nusquam inueni: & fictum conijcio ad innuendum margaritam è cœlo à sua concha concipi. Græcè hodie μαργαριτάρη dicitur. Italis vulgò Perla vel Perna vt scribunt. Gallis, Germanis & Anglis *Perle*. Concham ipsam margaritiferam, si de genere biualuium sit, Germanicè vocabimus *Perlemuschel*: sin cochlearum generis, *Perleschnegg*: qualis est cochlea margaritifera vulgò dicta: quam tamen vniones ferre Rondeletius negat, in biualuibus tantum gigni asserens. Ælianus verò in India margaritiferas conchas magnis strombis similes facit. Margarita à Seb. Munstero in Lexico trilingui, Hebraicè scribitur, מרגלית, margelit: & יהר ביפה iahar ciphe.

Vniones vnde dicti. *Margaritam lapilli nomine comprehendi.* *Cinædus.* *Eceolæ.*

In quib. conchis reperiantur vniones. Conchæ aliæ habent in se margaritam, aliæ non habent: licet conchæ omnes aliquid habeant de natura margaritæ, Albert. In concha rugata, quàm ex Rondeletio dedimus inter Conchas diuersas, idem Rondeletius vniones reperiri non dubitat, cui similem esse puto, aut eandem forte, quam Venetijs olim matrem perlarum nominari audiui: hac ferè valuarum alterius magnitudine specieque.

Concha

Concha rugata, quam aliqui matrem perlarem vocant.



Muris genus orientale infrà inter Murices dabimus, margine seu labro in latum se protendente, roseo intus colore: in eo quoque margaritas gigni vir eruditus quidam mihi retulit. De cochlea margaritifera vulgò dicta, ab vnionum colore splendoreque (nam vniones in ea non reperiuntur: sed in ijs quæ conchis binis constant, Rondeletio teste) suprà inter Cochleas scriptum est. Vidi ego genus huiusmodi conchæ argento conclusum, speciem vsumque poculi præbere: pede nimirum addito ex argento, & labris eodem intectis Concha tota, forma ferè nauiculam præ se fert, & interstitia quædam tabularum instar intrinsecus habet, in summo operculum membranę instar obtendi audio. Nascuntur margaritæ ex conchylijs rotundis nobiliores, sed tamen minùs rotundæ: aliæ ignobiles rotundæ ex oblongis, quasi contraria ratione striatum est genus conchyliorum vtrumque, & in imo mari moram ducit, Cardanus. Et rursus. Ignobile margaritarum genus ex Nacaronibus (sic enim ostrea vocant longa: seu meliùs dicam, conchylia, quòd striata sint) nascitur. Bellonio Nacre de perle. vulgò Gallicè appellatur margaritifera cochlea, de qua dictum est supra sed Nacaro Cardani alius videtur, cum ostreum longum esse dicat, in quo reperiantur vniones. Bellonij Nacra rotundior est, (vt ostendit icon,) nec ferax vnionum, Rondeletio affirmante: quare potiùs fuerit berberi, quæ concha est oblonga & à Rondeletio similiter Nacre de perles vocatur Gallicè, pro matre perlarum. In concha echinata etiam, (quam supra inter Conchas diuersas exhibuimus,) vniones reperiri testatur Plinius, Rondeletius. Hìc obiter illud annotârim, Plinium & Androsthenem, de eadem planè concha sentire mihi videri, non diuersis vt putauit Rondeletius. Sic enim Plinius: Iuba tradit Arabicis (margaritis) concham esse similem pectini insecto) id est, vt ego interpretor, aliter quàm Rondeletius, nõ secto, non cælato. (οὐ διέγλυπται γὰρ, ἀλλὰ λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει, inquit Androsthenes) hirsutam echinorum modo. Pro quo Androsthenes dixit, ὅτι δασὺ τὸ ὄστρακον ἔχει. Græcis enim δασὺ hirsutũ, non spissum significat. Addit & aliud ex Androsthenis eodem loco translatum: Vnionem in carne ipsa esse grandini similem. Quamobrem dubito an rectè Rondeletius Plinij verba de concha sua echinata accipiat, (descripta superiùs, Androsthenis verò verba de berberi: cum vel Plinium vel Iubam ex Androsthene sua mutuatum appareat, (vel contrà:) & cætera quidem rectè translata videntur, sicut & δασὺ hirsutum: echinorum autem modo, de suo adiectum, quasi hirsuta aliter esse nequeant, nisi echinorum modo rigeant. Nec est quòd aliquis testam simul læuem atque hirsutam esse miretur: cum læuitas ad superficię pertineat, hirsuties ad enascentem materiam. sic & mytulorum quorundam testa læuis simul hirsutaque est. Sed cum berberi Rondeletij hirsuta non sit, rem in medio diligentiùs æstimandam relinquo. Interim concham echinatam vocari, quam sic aptè à re ipsa vocauit Rondeletius, probo: an verò Plinij concha hirsuta echinorum instar, &c. eadem sit, dubito. Margaritifera concha Indis berberi dicta, (pectini altera aure similis,) suprà inter Conchas descripta est, ex Rondeletio. Nihil autem prohibet, concham quidem berberi Indica lingua nominari, cinædum verò eàdem vnionem. Berberi ab Arriano vocantur nostræ matres perlarum, Gillius. Sunt qui concham Cytheriacam à Martiali dictam, eandem existiment. mihi verò Cytheriaca non alia videtur, quàm Venerea à quibusdam dicta concha, & vulgò porcellana. Vide supra in Conchis diuersis, Vniones in nostro mari reperiri solebant, crebriùs circa Bo-

Nacaro. *Concha echinata.* *Berberi.*

 sphorum

Myes. ſphorum Thracium, ruffi ac parui, in conchis quas myas appellant, Plinius. Plura leges ſuprà de hiſce conchis inter alias diuerſas. Vniones minimos ex mytulorum conchis extraxi, Syluius. In riuis etiam & fluuijs muſculos mytulóſue aliquando margaritas ferre audio, vt circa *Hornbach* Germaniæ oppidum: & in lacu Acronio quandoque. In Scotiæ fluuijs plurimæ gignuntur margaritæ, vt mox in B referam.

Concha similis oſtreæ. Origo atque genitura (*vnionum*,) conchæ (*concha*) eſt, haud multùm oſtrearum conchis differens, Plinius. Chares Mitylenæus quoque naſci ſcribit in concha ſimili oſtreo, quæ ſit ἁδρὰ καὶ προμήκης: id eſt plena vel craſſa, & oblonga: carnem continens magnam, albam & valde odoratam. Videtur autem berberi alijs dictum intelligere. Vide etiam infrà in B. de magnitudine tum vnionum, tum concharum quarundam eos ferentium. *Pectini similis.* Iuba tradit Arabicis margaritis concham ſimilem eſſe pectini inſecto, hiſſutam echinorum modo, Plinius. Nos ſuper hoc loco plura annotauimus paulò antè in conchæ echinatæ mentione. *Pinnæ similis.* In Acarnania quæ vocatur pinna, gignit vniones, Plinius. Proueniunt in oſtreo pinnæ ſimili, ſed minori, Athenæus ex Theophraſto. *Strombo similis.* In India margaritiferæ conchæ magnorum ſtromborum ſimilitudinem gerunt, Aelianus.

De nominibus margaritarum à figura deſumptis, vt crotalia, tympania, &c. dicemus ad finem proximi ſegmenti B.

B Vniones in Britannia paruos atque decolores naſci certum eſt, Plinius. Aelianus etiam in Oceano occiduo, vbi exiſtit Britannia, naſci memorat: ſed magis ſului coloris minuſque ſplendidos ijs qui in mari rubro procreantur. Britanniæ Oceanus margarita gignit, ſed ſuffuſca & liuentia, Tacitus de vita Agricolæ. Margaritæ in Britannis quoque ſunt & alibi, partim pallidæ, partim giluæ, partim non bene rotundæ, Io. Tzetzes. Conſtat in Oceano vbique inueniri poſſe, cum & in meridionali plaga tanta ſit illarum copia, & ſub Septentrione in Scotia plurimæ inueniantur. Vidi in capite puellæ Edimburgi in Scotia ſertum è ſeptuaginta circiter margaritis Scoticis, pari & inſigni magnitudine. Sunt etenim & ipſæ candidæ, rotundæ, lucidæ, vt Indicæ: ſed ſplendore tamen & magnitudine Indicis inferiores. nam Scoticæ quæ maximæ ſunt, vnguis minimi digiti magnitudinem vix vnquam ſuperant. Vidi etiam Mediolani è Scotia delatas, nec vile illis pretium, nec tam ingens vt Indicis. Cur autem non niſi in Oceano, nec in temperatis illius regionibus, vt neque in Gallijs aut Hiſpanijs? Cauſa eſt, quoniam calor maior eſt in his regionibus, aut à continente, aut propter antiſpaſim, (*per antiperiſtaſin potius, vt in Scotia: à continente verò, vt in India.*) Cardanus. Margaritæ nobiles in Gotthia, Suedia & Finlandia, Septentrionalibus regionibus capiuntur, vt author eſt Olaus Magnus. *Ex Boethio Scoto.* Conchæ quæ torno faſtigiatas à capite teſtas habent maculiſque aſperſas (inquit Boethius Scotus,) longo interuallo reliquas (vt etiam fœtum ſileam) ſuperant. Quippe adeò nonnullis in locis ſunt delicatæ, vt non immeritò apud veteres gulæ primatum obtinuerint: vt viduarum vulgò cupediæ (*Sybon soleæ, id eſt digiti concha cum ceteris, χημαὶ [illegible] nominat*) ſint: quanquam in quibuſdam fluminibus, idque præſertim Dea Donaque eſui ineptæ iudicentur. Hæ apud nos magno numero repertæ, limpidiſſimis puriſſimiſque amnibus, ac nullo vnquam limo turbidis, qua profundiſſimi ſunt, agere gaudent: in eiſque ſolis margaritas concipiunt. Sub auroram enim cælo ſereno temperatoque, in aerem ſe, donec capitibus aqua exiſtant, ſubleuantes, roridum liquorem oſcitatione auidè excipiunt pro concepti ſeminis multitudine, partu aut exili, aut grandi futuro. Senſus illis tam acutus ineſt, vt ſi altiorem in litore aſtans vocem emiſeris, aut lapillum quantumuis minutum in aquam conieceris, repentè ſe ſubtrahentes ſubſidant vniuerſæ. Ea enim illis theſauri ſui cuſtodiendi naturalis indita eſt ſolertia, haud ignorantibus videlicet, quanti ſit precij apud mortales, luxus ex fœtu ſuo comparatus. Itaque piſcantes quoque id maximè obſeruant, vt primo attactu teſtas coniunctas arctiſſimè detineant, protinus illis alioquin vnionem euomituris. Quaterni aut quini humerorum tenus flumen ingreſſi atque in orbem ſtantes, contum alterutra manu, quò firmiùs conſiſtant, fundo fixum tenent. Inde oculis per aquæ limpiditatem prædas colluſtrantes pedum digitis (nam manibus id fieri prohibet altitudo) teſtarum torturas placidè comprehendunt, atque aſtantibus vacua manu excipiendas præbent. Sunt etiam eiuſdem ferè generis conchæ in oris Hiſpanicis, quarum teſtas qui peregre à diuo Iacobo redeunt, adferunt: ſed haud fœcundæ, propterea quòd aqua ſalſa viuant. nam & circunquaque in littoribus Scotici maris ingens natat, ſed ſterilis multitudo, Hæc Boethius. Multa hîc mira enarrat (inquit Cardanus, qui Boethij verba recitauit de rerum varietate libro 7.) & quę etiam inuicem pugnare videantur. nam matricem hanc è genere turbinatorum conſtituit: & quæ in fluminibus degant, inde, vt ſponte ad aquæ ſummumm emergere poſſint: cum nec inſtrumentum habeant, quo ſe collidant, (*attollant*:) nec aerem intus, vt piſces contineant. Quòd etſi impetu (quod tamen difficillimum eſt) emergere poſſent, quomodo continere ſe poſſint, haud video. Ipſe etiam cùm dixit, coniunctas teſtas tenere qui piſcantur: ſui oblitus videtur, niſi operculum pro teſta alia intelligat. Hiſpani etiam referunt, præciſas quandoque manus piſcatoribus à margaritiferis oſtreis: imò & ob hoc edictum pietate plenum à Cæſare noſtro emanaſſe. Quod quomodo à turbinatis contingere poſſit, non intelligo. neque audiui vnquam in fluminibus, ſed in Oceano, margaritas venari ſolitas. Vt modò res ſe habeat, conſtat in turbinatis vix eſſe locum margaritis, cum animal ipſum adhæreat teſtæ: & vt commodè exerere ſe poſſit, totam compleat: vt mihi videatur relata potiùs, quàm cognita ac viſa ſcripſiſſe: aut non diligenter ſcripſiſſe. Si enim modò turbinata ſunt, duabus conchis tamen conſtant, (*obſcura hæc mihi ſunt*,) aliter ſuaues non eſſent. Oriuntur igitur è teſta, non è rore. hoc enim abſurdiſſimum, tum magis, quòd quantò maiores gignuntur, eò profundiore mari: nec res tam grauis (vt dixi) abſque ſpiritu & pinnis aſcendere poteſt, Hucuſque Cardanus. Eſt fluuius qui alluit pagum Huſſinetz in Bohemia, abundans magnis lapidibus & piſce truta copioſus. præterea æſtate accolæ ſolent ex eo aceruos concharum eiicere, è quibus perlas eximunt, aliâs maturas & ſplendidas, quæ etiam annulis includuntur: aliâs immaturas, quæ medicis vſui ſunt. Immaturas aliquando anatibus deuorandas obiiciũt, & aluo redditas ſplendidiores colligunt. Cum eximi debent, cauent ne aere tangantur, & illico ore excipiunt. ſaliua enim ablutæ conſtantiùs ſplendorem ſeruant. Vnio in rubri maris profundo quæritur, Plinius. Ex rubro mari colligitur, Philoſtratus. Optimus Indicus & in mari rubro procreatus exiſtimatur. Iuba in Boſphoro etiam freto naſci ſcribit, qui & Britãnicis inferiores ſint, & cum Indicis ac Erythræis nullo modo comparandi,

parandi, Aelianus. Eratoſthenes dicit in Perſicæ præternauigationis initio inſulam eſſe, in qua multæ ac precioſæ margaritæ gignantur, Strabo. Aliemen eſt regio, quæ incipit ab exitu ſinus maris rubri vſque ad principium ſinus Perſici: in quo eſt dictus locus Duo maria, non multùm diſtans ab inſula Ormus, & in loco Duo maria dicto expiſcantur margaritas cæteris præſtantiores, Andreas Bellunenſis. Capitur in Indico mari: & circa Armeniam, Perſidem, Suſianam, & Babyloniam oſtreo ſimilis margaritifera concha, Chares. Ad Bararen vicum maritimum adferuntur margaritæ multæ & egregiæ, Arrianus in Periplo maris rubri. India & inſulæ quædam maris rubri margaritam ferunt, Theophraſtus. Apud Indos & Perſas margaritæ reperiuntur in teſtis marinis robuſtis & candidis, Marcellinus. In Indico mari conchæ margaritiferæ ſunt, teſta candida, Philoſtratus. Margaritas Indicus maximè mittit Oceanus: inter illas beluas tales tantaſque, quas diximus, per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, è tantis Solis ardoribus. Indica vrbs eſt nomine Perimuda, cuius incolæ ichthyophagi margaritas rebus comprehendunt, Aelianus. Oſtrea quæ margaritas ferunt, naſci aiunt in mari Indico, inſulis Perimuda & Elyra, & alijs quibuſdam inſulis, mari non profundo & puriſſimo. Io. Tzetzes 11.376. Variorum. In Byblo parua inſula Indiæ capitur in oſtraco albo lapis margarita, quæ in oſtreis locum cordis dicitur obtinere, Philoſtratus de vita Apollonij libro 3. Eſt & Tylos inſula (Plinio libro 6.) plurimis margaritis celeberrima, cum oppido eiuſdem nominis. Mittit Indicum mare boreale iuxta Cubagua inſulam: Auſtrale iuxta Terarequi. naſcuntur & alijs pluribus locis, Cardanus. Man lacus eſt Indiæ, & alius Lama dictus, in vtroque piſcantur perlas, Obſcurus. Prouinciæ Tebeth adiacet ab Occidente prouincia Caniclu, quæ regem habet tributarium magno Cham. Eſt ibi lacus, in quo tanta eſt margaritarum copia, vt precium earum omnino vileſceret, ſi pro arbitrio hominum aſportari permitterentur. quare capitis pœna cautum eſt, ne vllus in hoc lacu piſcari abſque magni Cham venia auſit, Paulus Venetus. In Paria & Curiana regionibus noui Orbis vniones abundant, vt Petrus Martyr teſtatur Oceaneæ Decadis primæ libro 8. his verbis: Chriſtophorus Colonus in Paria vnionibus torquatos armillatoſq; tam viros quàm fœminas reperit. Cæterùm Petrus Alfonſus Nignus in ſua Nauigatione, Cumana & Manacapana regionibus poſtergatis, in regionem incidit, quam Curianam vocari ab incolis ipſe refert. Vbi in litore pro tintinnabulis, aciculis, ſpintheribus, armillis, vitreis calculorum ſertis, anuliſque, & alijs huiuſcemodi inſtitorum mercibus, cum incolis in horæ momento, vnionum, quos collo & brachijs appenſos geſtabant, vncias quindecim permutat. Certatim incolæ vnionum ſerta, noſtrarum mercium cupidiſſimi ferebant. Vniones appellant tenóras. Megaſthenes, incolas Taprobanæ auri margaritarumque grandium fertiliores quàm Indos eſſe ſcribit, Plinius. Taprobanæ incolæ margaritas legunt plurimas maximaſque, Solinus. Tumaccus regulus in noui Orbis parte Vaſcho Nunnez, (qui magnam remotiſſimamque regionum illarum partem Caſtellæ regis nomine occupauit,) præter aurum, munera attulit ducentos quadraginta egregios vniones. è minutis autem copiam maiorem afferri iuſſit. Vniones noſtri admirabantur, licet non ritè candidos: quia è conchis illos minimè eruunt, niſi priùs aſſis, quò faciliùs ſeſe ipſæ aperiant, & caro incluſa ſapidiùs coquatur. Tumaccus ergo tanti facere vniones, noſtros inſpectans: familiaribus ſuis vt piſcationi ſe accingant, imperat. Dicto parent. Quarto abinde die regrediuntur: libras octunciales vnionum afferunt duodecim, Petrus Martyr Oceaneæ Decadis tertiæ libro 1. Et paulò pòſt: In eodem ſinu aiunt grandiorem quandam eſſe inſulam, in qua conchylia gigni feruntur vmbellam æquantia magnitudine: à quibus vniones, conchylium corda, eruuntur, faba, & interdum olea, grandiores: & quos Cleopatra optare potuiſſet.

Coloris ſunt margaritæ, ac ſi parua lux penetraret in multum album, & ideo nitentes, Albertus. Colos eis vt pſeudopalo, ſcilicet qui ex aſpectu mutetur. cauſa eſt, quoniam corticibus conſtant margaritæ: quæ ſuperficie vna politæ ſunt, altera rudes. Experimentum ſume pluribus ſpeculis ſimul iunctis eodem ordine, ita vt nitida ſuperficies tegat rudem alterius. Inde ſi paruas eas finxeris, atque adeò tenues, vt ſolùm ſcabrum non diuiſum aut varium corpus efficiant: intelliges tandem qua de cauſa aſpectus ratio colorem ac ſplendorem mutet. Colos tamen margaritæ plerunque eſt candidus, nitidus, modicè fuſcus. hunc à ſuis conchylijs mutuantur, Cardanus. Corticibus quibuſdam conſtat rotundis, Idem. Sani quidem partus multiplici conſtant cute, non impropriè callum vt exiſtimari corporis poſſit. itaque & purgantur à peritis. Miror ipſo tantùm eas cœlo gaudere, Sole rubeſcere, candoremque perdere vt corpus humanum. quare præcipuum (*candorem*) cuſtodiunt pelagiæ, altiùs merſæ quàm vt penetrent radij. Cætero in aqua mollis vnio; exemptus (*euiſceratus, Solinus: concha ſua exemptus nimirum*) protinus dureſcit, Plinius. Margarita natura ſua tranſlucida eſt, Theophraſtus. Earum corpus ſolidum eſſe (excipe phyſemata dicta, in fine huius ſegmenti) manifeſtum eſt, quòd nullo lapſu franguntur, Plinius. Magnitudine ſunt (*ad ſummum ſcilicet, quod ipſe viderit*,) quanta oculus piſcis bene magnus, Athenæus ex Theophraſto. noſter quidem Theophraſti de lapidibus codex hæc verba non habet. Vltra ſemunciales inuentas negant, Solinus. Petrus Alfonſus Nignus & ſocij cum ex Curiana diſcederent, ſex & nonaginta ſe libras vnionum octunciales, precio fortè quinque ſolidorum comparaſſe cognouerunt. Vnionum auellanas multi æquant, orientalibus ſimiles. ſed quoniam malè perforati, non tanti precij ſunt. Me præſente, cum apud illuſtrem Methynæ Sidoniæ ducem inuitatus pranderem Hiſpali, vnam (*vnum dicere debuit, ſi vnionem intelligit, ſed de vno incredibile hoc pondus eſt: fortè vnà legendum, non plus aliàs numerus mox ſequitur*) ſupra centum vncias venum ad eum tulerunt. Sua profectò pulchritudine ac nitore me delectarunt. Sunt qui Nignum ferant non in Curiana, quæ centum viginti ampliùs lequas diſtat ab Ore Draconis: ſed in Cumana & Manacapana regiunculis, ori & Margaritæ inſulæ vicinis, vniones habuiſſe: negantq; Curianam feracem margaritis. adhuc ſub iudice lis eſt, Petrus Martyr Oceaneæ Decadis primæ libro 8. *Margarita insula.* Ad inſulam Solo Caſtellani margaritas magnitudine ouorum turturum, aut aliquando gallinarum (reperiri) intelligunt: ſed propter anni tempus non ceperunt. Oſtreum (*concham margaritiferam*) tamen cepiſſe ſe teſtantur, cuius caro ſeptem ſupra quadraginta librarum fuerit, vt Maximilianus Tranſſyluanus ſcribit. Regem Pornæ inſulę vniones duos geſtare aiunt in diademate, oui anſerini magnitudine, Idem.

Cylindri. *Tympania.*

Margaritarum nomina diuersa à figura. Elenchos appellant (*ouales.*) fastigiata longitudine, alabastrorum figura in pleniorem orbem desinentes, Plinius. Elenchi sunt vniones facie turbinata, ex amplo scilicet in tenue deficientes, quos pira modo vocant, Massarius. Et rursus: Elenchon Latini indicem interpretantur. cuiusmodi est apud Plinium primi libri inscriptio. nam & libros elenchorum scripsit Aristoteles. Alabastrum verò erat vas vnguentarium forma turbinata, sine ansulis, quod ex lapide alabastrite onyche antiquis appellato, fiebat. quoniam, vt inquit Plinius 36. volumine, optimè vnguenta incorrupta in eo seruari dicitur. Elenchi dicuntur margaritæ, (inquit Perottus,) quia Græci elenchum propriè indicem appellant. etenim quo modo librorum indices & pulchritudine, ac varietate colorum, & magnitudine literarum, libros exornant, & res alias sui indices: ita hi gestantium habitum illustrare, & quasi indices eorum videntur esse. Iuuenalis: Auribus extensis magnos committit elenchos. Magna eorum stultitia est, qui cylindrum & elenchum idem esse affirmant. Quippe cylindri, lapilli sunt teretes, hoc est, oblongi atque volubiles, instar eius columellæ, qua æquandis areis vtimur. huiusmodi enim formam cylindrum vocamus ἀπὸ τοῦ κυλίειν: hoc est, à voluendo. Virgilius: Area primùm ingenti est æquanda cylindro. Atque tali forma non reperiuntur margaritæ quas natura, non ars, facit. etenim si artificium addas, statim deficit fulgor, in quo omnis earum dos consistit. Cæteri verò lapilli magna ex parte fieri teretes possunt: vtputa berylli, smaragdi, & alij similes: quos non auribus suspendere mulieres, sed circumdare collo, aut innectere monilibus, siue alijs ornamentis consueuerunt. Iuuenalis: Tu nube, atque tace. donant arcana cylindros. Idem: Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil, Dum virideis gemmas collo circundedit. Hos antiqui cylindros à forma, quemadmodum aliarum figurarum lapillos gemmas vocauere, à similitudine gemmarum, quas in vitibus siue arboribus cernimus, Hactenus Perottus. Elenchum (inquit Bayfius) Galli poyrette vocant. Elenchorum meminit Iureconsultus in l. Pediculis. Paragr. finali hoc tractatu. Cum autem ait Plinius, Et procerioribus sua gratia est: de illis fortasse sentire videtur, quos cylindros Paulus vocat in l. Pediculis ad finem in eodem. Siquidem cylindri lapilli sunt teretes & oblongi: fiebantque etiam ex alijs lapillis. Plinius libro 37 vbi de beryllis: Inde mirè gaudent longitudine eorum. Et mox subdit: Ideo cylindros ex ijs facere malunt, quàm gemmas: quoniam est summa commendatio in longitudine, Hactenus Plinius. Quibus Plinij verbis intelligere est, cylindros & elenchos in eo differre, quod elenchi sint fastigiatæ longitudinis: cylindri vero proceritatis æqualiter orbiculatæ. Quod si verum est, noster Sipontinus ista non satis percepisse videtur. Tympana apud Plinium dicti vniones, parte altera tumidi sunt. Codices antiqui (inquit Massarius) tympania scriptum habent, vt sit à tympano: quemadmodum & inferius crotalia à crotalo, non crotala nuncupauit. Est autem tympanum instrumentum ex vna parte tumidum & rotundum, ex altera planum membrana clausum, intus vacuum, vulgo vaccarum vocatum: quod baculo feritur, cum turmæ equitum ad pugnam concitatæ sunt. inde margaritæ quæ ab vna parte tumidæ seu rotundæ sunt, & ab altera planæ à tympanorum similitudine tympania nominantur. Fenestella (qui nouissimo tempore Tiberij Cæsaris claruit) tympana scribit se iuuene appellata patinas & lances, quas antiqui magidas appellauerunt, Perottus. Tympanorum vnionum meminit etiam Paulus iureconsultus in l. Pediculis, Bayfius. Crotalia hæc à sono vocantur, propter collisionem ipsam margaritarum, quòd sono crotala instrumenta imitarentur. est enim crotalū instrumentum rotundum circulo ligneo factum, cum laminis quibusdam ex ære rotundis, numismatis magnitudinis, sonum ex collisione reddentibus, dictum à pulsatione: nam manu pulsatur. vtebantur hoc instrumento Aegyptij in deorum solemnitatibus. Virgilius;

Copa Syrisca caput Graia redimita mitella, Crispum sub crotalo docta mouere latus.

Cuius & Macrobius meminit. nunc cymbalum vocant, illud dico quod membrana caret. Massarius. Physemata margaritarum quidem speciem habent, verùm aere sunt inflata, (sine corpore, id est, non solida) à bullarum similitudine, quæ in aqua spiritu excitantur, præcipuè dum bullit. bullas enim physemata Græci vocant, Idem.

C

Margaritarum generatio.

Testæ rore grauidæ margaritas edunt minutas, binas aut ternas: vel vniones, sic appellatas, (*melius appellatos, masc. gen. sed ad margaritas quoque referri potest,*) quòd eius terræ (*quòd eiusmodi*) conchulæ, singulas aliquoties pariunt, sed maiores. idque indicium est, ætherea potiùs deriuatione, quàm saginis pelagi hos oriri fœtus, & vesci: quòd guttæ matutini roris iisdem infusæ, claros efficiunt lapillos & teretes: vespertini verò fluxuosos contrà & rutilos, & maculosos interdum. Minima autem vel magna pro qualitate haustuum figurantur casibus variatis. Concussæ verò sæpissimè metu fulgurum inanescunt, aut debilia pariunt, aut certè vitijs defluunt abortiuis, Marcellinus. Permixtione roris, anni tempore præstituto concipiuntur: Idem, qui & hæc & alia ex Solino mutuatus videtur. Conchæ sunt in quibus hoc genus lapidum requiritur, quæ certo anni tempore, luxuriante conceptu, sitiunt rorem velut maritum, cuius desiderio hiant. Et cum Lunares maximè liquuntur aspergines, oscitatione quadam hauriunt humorem concupitum. Sic concipiunt, grauidæque fiunt, & de saginæ qualitate reddunt habitus vnionum. nam si purum fuerit, quod acceperint, candicant orbiculi lapillorum. si turbidum, aut pallore languescunt, aut rufo innubilantur. Ita magis de cœlo quàm de mari partus habent. Denique quoties excipiunt matutini aeris semen, fit clarius margaritum: quoties vesperæ, fit obscurius. Quantoque magis hauserit, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Si repente micauerit coruscatio, intempestiuo metu comprimuntur: clausæque subita formidine, vitia contrahunt abortiua. Aut enim perparuuli fiunt scrupuli, aut inanes. Conchis ipsis inest sensus, partus suos maculari timent. cumque flagrantioribus radijs excanduerit dies, ne fuscentur lapides Solis calore, subsidunt: & se profundis ingurgitant, vt ab æstu vindicentur. Huic tamen prouidentiæ (*videtur hic aliquid deprauatum*) ætatis opitulatur. Nam candor senecta disperit: & grandescentibus conchis flauescunt margaritæ, Hucusque Solinus capite 56. Massarius super his Plinij verbis: Præcipuum candorem custodiunt pelago altiùs mersæ, quàm vt penetrent radij: Videtur (inquit) Plinius ex verbis quæ paulò suprà retulit sibi ipsi contradicere. nam si conchæ hæ margaritiferæ altiùs & in profundo maris stabulentur, vt hîc & libro trigesimotertio testatur, vbi ait: vt iam minùs temerarium videatur è profundo maris petere margaritas,

tanto

tanto nocentiores fecimus terras: quo pacto tanto aquæ interuallo pandentes sese quadam oscitatione impleri roscido conceptu, & pro qualitate roris accepti vniones candidi & sordidi atque pallentes fieri poterunt? Propterea cum in profundo maris conchas degere secundum naturam sit, censeo margaritas neque concipi, neque eiusmodi qualitates roscido humore suscipere: sed ex carne sua generari, qualitatesque huiusmodi eis per ætatem accidere, Hæc Massarius. Cui & Cardanus adstipulatur. Fabulosum (inquit) eas ex cœli rore concipere. Et rursus: Generari margaritas in testa: non in carne, substantiæ primùm similitudo ostendit. visa etiam est margarita, testæ suæ iuncta: & ob id testæ earum intus inæquales sunt. margaritæ ipsæ forma diuersa, pleræque tamen ad rotunditatem vergunt: & quo maiores fuerint, referunt eò limbo esse propinquiores. Et alibi: Vidi ego nuper frustum matricis: in quo plures vniones intus concreti erant, non secus ac in lapidum coagmentis (quæ rochas, id est conos, à figura vocant) gemmæ. nam profundiores aliæ, aliæ altiores, rotundæ, planæ, informes, velut in cinere castaneæ, ita in matrice sepultæ erant. Verisimile igitur est, postquam ab initio tam facile auelluntur, expressum liquorem è testa veluti guttas in rotundam formam cogi. inde facta additione, ex eodem lento humore per cortices augeri, atque concrescere. demum forsan electas alia ostrea producere: velut piscium oua pisces. Et vtcunque sit, prægrauatas magnitudine testas illas sponte eiicere. Non sunt tamen margaritæ duritie lapidea: neque scio quicquam quod in animali durius oriatur vmbilicis marinis. Margarita maris fœtura est: quam ad partum deduci aiunt, cum in apertas conchas fulgura effulserint. Aelianus. Ex fulgure eas nasci tradunt, conglobarique statim cum fulgur in conchas huiusmodi hiantes fulserit. sed hoc ita se habere verisimile mihi non fit. Dixerim potiùs quà purissimum est mare, lapillos produci argentei coloris: quo eodem cum conchæ etiam margaritiferæ niteant, quicunque in eas inciderint lapilli, ex earum læuore splendorem accipiunt, & margaritæ vocantur, Io. Tzetzes Variorum 11. 376. Alexander Benedictus Veronensis libro de curandis morbis 32. capite 34. de lapidum in diuersis animalium partibus generatione quædam scribit: & mox sequenti capite: Vidimus (inquit) lapides ex vesica eiectos magnitudine oui gallinacei: quos paulatim viscosa materia obducta, veluti in crustas, varij interdum coloris, igneus calor indurauit: atque ita increscere sensim traduntur. Margaritæ etiam in conchis fieri eo modo cernuntur, gemmarijs varios veluti in cepis cortices torno detegentibus. In maxima Concha, paruam inuenire est: contrà in parua, magnam. Alia inanis est, alia non plus quàm vnam habet. Multæ etiam multos vniones possident: vt sint qui dicant, in vna Concha viginti procreatos fuisse. Quòd si quis ante legitimum pariendi tempus Conchas aperuerit, carnem quidem reperiet, huius autem palmam piscationis non assequetur, Aelianus de animalibus 10. 1[illegible]. Americus Vespucius, qui nostro æuo liburnicis omnem ferè australem oceanum explorauit, talem ibi concham se quandoque habuisse testatur: in qua vniones vltra centum & triginta reperti sunt. quod non modo confirmant ij, qui post ipsum ad occidentales Indias nauigarunt: sed etiam addunt numerosiores ibi vniones in vna tantùm concha nasci. & alia plura de margaritarum historia referunt, quæ à Plinij sententia plurimùm di[illegible]dent, Matthiolus. Piscantium insidias timent conchæ: inde est, vt aut inter scopulos, aut inter marinos canes plurimum delitescant, Solinus & Ammianus Marcellinus. Inueniuntur apud nos tripliciter: aliquando in coniunctione concharum: aliâs in ipsis ostreis: aliâs inter lapides sub quibus ostrea delitescunt, Albertus. Non etiam illud me fugit, auulsis his lapidibus, (*vnionibus e conchis,*) quasi redemptionis præmio persoluto, Conchas liberas dimitti, iterumque vniones renasci. Quòd si priusquam lapis eximitur, huius altrix bestia moriatur, vnà cum carne putrescere, & perire dicitur, Aelianus. Aceto resoluuntur & mollescunt, Albertus. Τὰ μάργαρα ἀποτίκτουσι [illegible], Pausanias. Vide plura in E. Gregatim natant (conchæ margaritiferæ,) Solinus & Aelianus. sed reprehendit hoc Rondeletius.

Numerus vnionum in vna concha.

Gregatim natant. Certa examini dux est. illa si capta sit, etiam quæ euaserint, in plagas reuertuntur, Solinus. Regem his conchis esse aiunt, qui maiorem quoque & pulchriorem margaritam proferant, Io. Tzetzes. Indica vrbs est nomine Perimuda, cui eo tempore cum in Bactris Eucratides regnaret, Soras ex generis regij stirpe natus imperauit. hanc quidem ipsam Ichthyophagi incolentes, Margaritas, retibus in orbem circa litus amplissimum extensis, comprehendunt. Margaritiferæ Conchæ magnorum Stromborum similitudinem gerentes, gregatim natant. & quemadmodum Apium examina reges, sic & ipsæ habent, tum coloris pulchritudine, tum magnitudine præstantes. Summa autem contentione vrinatores ideo certant ad capiendum gregis ducem: quòd eo capto, cunctum gregem rectione orbatum, non loco se mouentem, assequuntur. Et quàm diu rex fugiendo elabi potest, sapienter eas regit & conseruat. Iam porrò captas in paruulis dolijs sale condiunt, vbi cum contabuerit caro, & defluxerit, vnio solus relinquitur, Aelianus de animalibus 15. 8. Eadem ferè Plinius, sed paucioribus. Item Arrianus libro 8. qui est de rebus Indicis: Megasthenes (inquit) scribit conchas in quibus margaritæ gignuntur, retibus capi circa Indiam. Gregatim autem multas in illo mari veluti apes depasci, regemque suum habere, aut reginam. ac si contingat regem comprehendi à piscatoribus, facile reliquum etiam examen circundari reti. At si rex effugerit, reliquas capi non posse. Earum carnes Indos corrumpi sinere, osse ad ornatum vti. Concham ipsam, quum manum (piscantis) videt, comprimere sese, operireque opes suas, gnaram propter illas se peti. manumque, si præueniat, acie sua abscindere, Plinius tradit. Rondeletius fabulosum putat. Hispani (inquit Cardanus, de illis loquens qui nostro seculo in Nouum orbem nauigare cœperunt) referunt præcisas quandoque manus à margaritiferis ostreis: imò & ob hoc edictum pietate plenum à Cæsare nostro emissse. Aelianus etiam tradit in mari rubro conchas quasdam, quamcunque piscatoris natantis partem labris suis (marginibus testæ acutis) apprehenderint, abscindere, vt recitauimus suprà in Corollario de Conchis diuersis ordine literarum. Non duræ nodus hyænæ Defuit, &c. Non Arabum volucer serpens, innataque rubris Aequoribus custos preciosæ vipera conchæ, Lucanus lib. 6. de venefica mortuam excitante.

D

De regibus earum.

An concha se comprimat, & manum piscantis præcidat.

collo crinibusque gestari, nisi infoderentur etiam corpori. De elenchis vnionibus Iuuenalis Satyr. sexta: Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum Auribus extensis magnos commisit elenchos. Hos etiam (inquit Massarius) puto Senecam intellexisse septimo De beneficijs libro in furorem mulierum scribentem: Video inquit vniones non singulos singulis comparatos. iam exercitatæ aures oneri ferendo sunt. iunguntur inter se, & insuper alijs bonis superponuntur. non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina aut trina patrimonia auribus singulis pependissent. Persæ adsuefacti sunt armillis, monilibusque aureis & gemmis vti, præcipuè margaritis, quibus abundant post Indiam victam & Crœsum, Marcellinus. Et margaritis Indi faciunt monilia preciosa, τοὺς πολυτελεῖς ὅρμους, Theophrastus. Faciunt ex eis (inquit Chares Mitylenæus) ὁρμίσκους τε καὶ ψέλλια περὶ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας: hoc est, monilia parua & armillas manuum pedumque: his enim student Persę, Medi, & omnes Asiani, potiùs quàm aureis ornamentis. Affectant (*Vetus lectio, Cupiunt*) iam & pauperes, licitatorem fœminę in publico vnionem esse dictitantes: quin & pedibus, nec crepidarum tantùm obstragulis, sed totis socculis addunt. Neque enim gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per vniones etiam ambulent, satis est, Plinius. Obstragula, (inquit Massarius,) vt arbitror, sunt ligacula illa quę calceos & crepidas obstringunt, ab obstringendo dicta, quibus solebant Romanæ mulieres vniones appendere, obseruantque in hunc diem, vniones & pilulas argenteas. Diuus Iulius thoracem, quem Veneri genitrici in templo eius dicauit, ex Britannicis margaritis factum voluit intelligi, Plinius: subiecta inscriptione testatus est, Solinus. Quantum apud nos Indicis margaritis precium est, tantum apud Indos curalio. nanque ista persuasione gentium constant, Plinius. Et alibi: Autoritas baccarum curalij non minus Indorum viris quoque preciosa est, quàm fœminis nostris vniones Indici. Non in alia parte (quàm auribus) fœminis maius impendium, margaritis dependentibus. In oriente quidem & viris aurum gestare eo loci decus existimatur, Plinius. Insano hominum vel precio vel sermone celebris est atque illustris Margarita, & simul mulierum admirationem habet, Aelianus. Margarita ex ijs quę in animalibus nascuntur lapidibus, preciosissima est, Cardanus. Sunt & montes natiui sales, vt in Indis Oromenus: in quo lapidicinarum modo cæditur renascens: maiusque regum vectigal ex eo est, quàm ex auro atque margaritis, Plinius. Margaritę frequentari sueta litora propter piscantium insidias declinantes, vt quidam coniiciunt, circa deuios scopulos & marinorum canum receptacula delitescunt: quare captu difficiles sunt, & ampla earum precia, Marcellinus. Principium culmenque omnium rerum precij margaritę tenent, Plinius. Et alibi: Linum quod ignibus non absumitur, in desertis Indiæ cum inuentum est, æquat precia excellentium margaritarum. Megasthenes tradit apud Indos margaritam ter tanto auri purissimi (nam hoc quoque Indi fodiunt) pondere ęstimari, εἶναι τριπλάσιον πρὸς χρυσίον τὸ ἄπεφθον, Arrianus libro 8. Arabiæ felicius mare quàm continens est: ex illo nanque margaritas mittit: Minimaque computatione milies centena milia sestertiûm annis omnibus India & Seres peninsulaque illa imperio nostro adimunt. Tanto nobis deliciæ & fœminę constant. Quota enim portio ex illis ad deos quęso iam vti ad inferos pertinet? Plinius. Alexander Seuerus gemmas sibi oblatas vendidit: muliebre existimans gemmas possidere, quę neque militi dari possint, neque à viro haberi. Et cum quidam legatus vniones duos vxori eius per ipsum obtulisset magni ponderis, & inusitatę mensuræ, vendi eos iussit: qui cum pretium non inuenirent, ne exemplum malum à regina nasceretur, si eo vteretur quod emi non posset, inauribus Veneris eos dicauit, Lampridius. Multa ad hunc locum pertinentia de magnitudine & precio vnionum, tum olim, tum nostro seculo, leges apud Guilielmum Budęum libro 2. de Asse: quę breuitatis causa hîc relinquimus. Sexagies sestertiûm valent centies quinquagies mille solatos, precium vnionis dono dati Seruiliæ à Cęsare erat autem hęc Seruilia M. Bruti mater, Robertus Cenalis. Guilielmus Budęus memorat vnionem in Gallijs tribus aureorum millibus emptum, auellanę magnitudine, pondere quadragenario: & alium quatuor millibus aureorum. Pharmacopolę nostri vnionum minimorum vilissimorumque vnciam emere se aiunt denarijs argenteis octonis. elegantiorum verò, quibus ad virginum & matronarum ornamenta quędam, vestium dico & tæniarum aut mitrarum, aurifabri vtuntur, vncia denarijs ferè quadraginta octo vęnit.

Margaritas esse plurimas in vna concha, haud dubium est, cum tanta paruitate sint & copia, vt libra dimidię vncię auri pondere commutetur, Cardanus. Vniones si fuerint candidi, magni, globosi, læues, ponderosi: quales interdum Indici & Arabici esse solent, maximi præter vnum adamantem sunt precij, Ge. Agricola.

Vniones cohęrentes videmus in conchis hac dote vnguenta circumferentibus, Plinius.

Electio. Pręferuntur ex oriente, Albertus. Omnibus pręstant Indici margari candidissimi, splendidi, & bene rotundi, Io. Tzetzes. Sed pro regionum diuersitate quæ quibus anteferantur, dictum est in B. Qui vendunt, aut emunt margaritas, earum pulchritudinem & precium ex candore & magnitudine ęstimant: & quidem hanc artem factitantes, plerique ex eis locupletati fuerunt Aelianus. Summa laus coloris est exaluminatos vocari, Plinius. Exaluminati (inquit Massarius) vniones illi appellantur, qui colore maximè præstant, & perlucidi sunt: ij nanque summo habentur precio. Magnæ rarę sunt quæ vitio careant: & magnæ sunt rarissimæ, Cardanus. Margaritæ magnitudine paruę nucis (*auellanæ, quam leprocáryon vocant Græci*) & egregiè rotundæ, nominantur apud Heliodorum Aethiopicorum 2. Alexander Polyhistor & Sudines senescere eas putant, coloremque expirare, Plinius. Senescit celerrimè margarita, nec in hoc lapidibus similis, Cardanus. Recentiores igitur tum ad ornatum, tum ad remedia præstabunt. Quò maturiores fuerint, eò albiores & magis splendidæ sunt, & translucidæ, minusque habent de colore conchæ, qui aliquando (non in veris puto margaritiferis conchis, sed alijs quibusdam,) arcum ferè cœlestem refert variantibus pro diuerso ad lucem positu coloribus, rutilo, cœruleo, subuiridi. Talis in vnione color aut immaturum, aut fictitium esse arguit, ni fallor: nam & è concharum testis finguntur, vt dicemus.

Ficta margarita. Si artificium addas, statim deficit fulgor, in quo omnis earum dos consistit, Perottus. Suapte natura rotundus

rotundus & læuis est, probeque circumscriptus. Si quem ex eis velis affabrè aliter quàm natus est expolire, is artificium prodit. non enim cedit, sed asperfit, & se fraudibus atque insidijs ad speciem indicat attentari, Aelianus de animalibus 10.13. Io. Tzetzes Variorum libro 11. segmento 575. vniones alios τυπωτοὺς, alios χειροποιήτους esse scribit. Priores sic fieri: Ingreditur (inquit) aliquis (*mare*) cum veru & typario (instrumento aut vasculo) ferreo, idoneo ad speciem rotundam margaritis conciliandam: Hoc proximè concham posito, ostreum (*carnem animantis*) veru pungit. fluit è vulnere sanies, quæ fasculi formulis excepta densataque, margarita fit. Et paulò pòst; Arte autem sic parant: E paruis margaritis comminutis, alias maiores in orbem effingunt. Mutuatus autem hæc videtur Tzetzes ex Philostrato sub finem tertij libri de vita Apollonij, non satis plenè tamen. quare nos ipsa Philostrati verba, Zenobio Acciolo interprete, ad Græcum exemplar à nobis emendata, ponemus: Dignum quoque (inquit) existimaui, quæ de altero margaritarum genere (*arte facto scilicet: nam naturales calculos in conchis quibusdam albæ testæ circa Bitlum paruam Indiæ insulam reperiri, qui in ostreis illis locum cordis obtineant, paulò antè dixerat*) traduntur non prætermittere: quandoquidem nec ipsi Apollonio res visa est leuis, sed auditu iucunda & mirabilium omnium miserabilissima. Nam qua parte insula pelagus respicit, immensa est maris altitudo. fert autem ostreum in testa alba, (ἐν λευκῷ τῷ λεπῷ,) quadam pinguedine referta. Lapidem autem nullum producit. Inde maris tranquillitatem obseruant, & aquæ superficiem etiam ipsi olei effusione læuigant. Tum ad ostrea capienda ingreditur aliquis, ita instructus paratusque, sicut qui spongias colligunt. Est autem ei ferreus later (*πλινθὶς σιδηρᾶ, non πλίνθος, vt interpres legisse videtur. est autem πλινθὶς, vt quidam dicunt, scalpellum quo cæmentarii vtuntur ad æquandam & poliendam laterum scabriciem. vel, vt alii interpretantur, δοκὶς, id est, pugio maior & quadratus instar trabis. Alij asserculum esse putant, vel tabulam, qua mulieres lanam vellentes vtuntur, Gybertus Longolius*) & alabastrum vnguenti: atque ita prope ostrea considens Indus vnguento, quasi esca ad fallendum vtitur. namque illo perfusa ostrea sese aperientia inebriantur. Tunc ferreo stilo perforata quasi saniem quandam emittunt. Hanc venator ferreo latere excipit: qui in varias multiplicesque formas concauatus est. ea verò postmodum sanies lapidescit: atque in modum naturalis margaritę albus ille sanguis obdurescit. Et hęc est quæ ex rubro mari colligitur margarita. Huic autem venationis generi etiam Arabes intendunt, ex opposito maris habitantes, Hæc Philostratus. Margaritæ oculorum labracis à Kiranide nominantur: & hodie non desunt, ni fallor, qui ex humore crystallino oculorum piscium quorundam, vtpote albo; solido, rotundo, & magnitudine mediocres margaritas referente, eas mentiantur. fieri enim posse puto, vt præparatione aliqua translucidus reddatur is humor, sicut & in viuo pisce erat. Tempore meo Murianenses vitrearij vniones adulterabant. primum vniones vitreos vacuos, sed translucidos faciebant, deinde materia implebant, qua splendidi, & vnionum coloris redderentur intantum, vt vix à veris vnionibus discerni possent. Quapropter fuerunt decemuirorum decreto vetiti, Massarius. Non leuis est lucri seplasia, cum ex concha margaritarum pulcherrimi finguntur vniones. Adeò autem rectè fraus hæc succedit, quòd nec à gemmarijs dignôscuntur: color, splendor, substantia, pondus respondet. Sunt qui etiam ex duobus frustis ob conchæ tenuitatem vniones conficiunt. Dum hæc scriberem, lis agebatur de margarita sexagintaocto aureis empta à gemmario, quæ ex concha facta erat: precium æstimationis aurei ducenti. Sperabant imponere Germanis aut Gallis: quòd ingenio & arte minùs valeant. hos enim barbaros putant, cùm nos veriùs simus barbari. siquidem magis barbarum est decipere quàm decipi, Cardanus ad finem libri septimi de subtilitate. Idem libro 10. de varietate: Nuper (inquit) inuentum est, quod vidi, vt margaritæ fiant adeò veris similes splendore, vt si forma, quæ solum dimidium orbem implet, non obstaret, asperitasque quædam, omnino pro veris atque optimis etiam ex eis assimilarentur. Quoniam solum iuxta litus maris effici illas posse affirmabat, (*qui hanc artem callebat*) solumque vêre: & hemicycli (vt dixi) forma: coniectura assequor ex lapidibus astacorum aut pagurorum, vel eius generis illas confici. Coquebat autem eas cum aqua, liquorem circumponens illum à quo tam splendidæ euaderent. Certè si rotundæ pro dimidijs fieri possent, etiam ipsos gemmarios fallerent: quando & nunc in egregia opera inserantur. Quod verò optimum est, tardè senescunt, multis annis splendorem suum seruantes. Leues sunt, & pondere ipso etiam parum à natiuis differunt. Cùm verò peteret centum coronatos vt doceret, non tanti hoc existimaui, vt docerer fallere. Sed constat originem hoc adulterinum à talcho ducere, Hæc Cardanus. Conchas palustres aliqui in acri lixiuio coquunt, donec cortices earum nigri separari possint; reliquum album contundunt, & rore inter Pentecosten & Augustum collecto destillatoq; excipiunt, subigunt, & globulos minutos formant, pertunduntque acicula, & filo insertos ad Solem indurant, &c. vt recitaui in Columba E. Perforatæ, sunt artificiosæ, Syluaticus. Cum è conchis extrahuntur, integræ sunt: arte autem perforantur, vt filo insertæ meliùs ad monilia, dextrocheria, & huiusmodi ornamenta aptentur; Monachi in Mesuen. Sunt & fossiles quædam ac subterraneæ margaritę, crystalli fœtura, vt scribit Aelianus.

F Incolis Pariæ & Curianæ cibi sunt maiori ex parte conchylia, ex quibus vniones legunt: quorum plena habent littora, Petrus Martyr. Idem libro 2. Oceaneæ Decadis tertiæ: Vniones (inquit) nostri admirabantur; licet non ritè candidos: quia è conchis illos minimè eruunt, nisi priùs assis: quò faciliùs ipsæ sese aperiant, & caro inclusa sapidiùs coquatur. Sunt nanque edulia regum & obsonia carnes earum, quas maioris pendunt quàm margaritas ipsas. Et alibi: Conchyliorum quæ margaritas ferunt, caro esui est, vti nostrarum ostrearum, accommodata: sed laudabilioris esse saporis illa ostrea ferunt. Fames fortè omnium escarum optimum condimentum id fateri nostros monet. Clodius Aesopi tragœdi filius, vt experiretur in gloria palati, quid saperent margaritæ, vnam (aceto) tabefactam absorpsit: atque vt mirè placuit, ne solus hoc sciret, singulos vniones conuiuis absorbendos dedit, Plinius.

G Vniones sint corpulenti, integri, non perforati: Sunt qui à natura perforatos præferant, quòd per foramen excrementis sint purgati, Syluius. Et alibi: Integri potiores his quos ars pertudit. Ad remedia requisitæ non perforatę intelliguntur. Sunt & obscuræ quædam subcitrinæ, non perforatæ:

vtrobique mendum esse suspicor: atque in priore loco (*legendum*) ψογερὸν, id est, αἰσχρὸν & turpem: in altero ψόθον, id est, nigrum & squalidum. (*Vide suprà, Corollarium ad Leprademon Bellonii.*)

vbi. Is in nostro mari reperitur, & sargi nomine venditur, ob similem corporis figuram.

B Et est melanuro similis, sed corpore paulò rotundiore. Toto ferè corpore nigrescit, circa caput ex nigro purpurascit, sicuti viola. Dentes habet acutos, paruos sicuti pagrus. Pinnarum etiam situ, & numero sargo similis, cauda differt: quia in duos pinnas non desinit, sed in vnam latam saxatilium ritu, ventriculum gulamque habet. circa ventriculum appendices quatuor magnas, hepar ex rubro candidum, à quo fellis vesica pendet: splenem magnum, nigrum scari vel lati modo: fel aqueum, cor priùs descriptorum piscium cordi simile. Lapides habet in capite.

Carne est non ita molli, sed ferè media, satis boni succi: vt aurata vel sargus præparandus, Hæc Rondeletius.

Gillius piscium Venetijs vulgò dictum Melanderinum esse putat: Rondeletius scarum esse ostendit.

MELANDRYS species est maximorum thynnorum, Pamphilo teste: à quo melandrya salsamenta dicta. Vide suprà in Elacatene. Idem fortè Melanthynnus fuerit, de quo nunc dicemus.

MELANTHYNOS solus Oppianus nominat, pro piscibus fortasse potiùs quàm pro beluis, Rondeletius. Ἐν ᾗ μελανθυῶν ζαμφὼς χιών, Oppianus lib. 1. Halieut. inter cete: quibus tamen canes quoque, & alios cartilagineos pisces magnos adnumerat, qui proprie cete non sunt. Quod ad scriptionem, penultimam malim per ν. duplex scribere, & vocabulis diuisis μελάνυρον. Coniicio enim thunnorum generis hunc piscem maximum esse: eundemque alio nomine Melandryn dici, à colore nimirum nigricante. Vide Melandrys proximè retro.

DE MELANVRO, RONDELETIVS.



Cognito Sargo haud difficile est melanurum agnoscere. Est enim, autore Hicesio, sargo similis melanurus, & nominis ipsius ratio, melanuri ideam nobis proponit, vt ex caudæ nigra nota statim ab alijs internoscamus. At nota hæc illi cum alijs communis est. nam sparus & sargus ὁρροπυγοσίκυοι sunt, id ist, in cauda notam habentes, quemadmodum melanurus, qua nota decepti multi eum à similibus distinguere non potuerunt. Quare alia descriptione opus est, & alijs notis à reliquis secernendus. Ac primùm qui μελάνυρος Græcè dicitur, à Gaza Latinè oculata dicitur. Vtraque appellatio apud Plinium reperitur libro 32. cap. 11. in catalogo piscium. Melanurus, mæna, meryx, myllus, mystus, murex, oculata, &c. Quo argumento moti quidam, diuersos pisces esse censuerunt. Plautus (*in Captiuis*) ophthalmiam vocauit: Pernam, ophthalmiam, horæum, scombrum, trygonem, cetum: vt ophthalmia (*ophthalmias potuisse vt anthias*) à melanuro diuersa videri possit. Ego verò eundem piscem esse existimo. Neque mirum cuiquam videri debet, Plinium diuersis nominibus piscem hunc designasse, in alijs enim multis idem facit. Plautus autem quem alij melanurum à nigra cauda, ipse ab oculorum magnitudine ophthalmiam appellauit, id est, oculatam, sicuti & nunc Romani ochiado: Massilienses oblado ex oculata, c, demendo & u, in b, mutando. Nicenses iblada, nostri Monspelienses nigr'oil, id est, nigrum oculum. Omnes igitur ab oculis nomen posuerunt, demptis Græcis qui à nigra cauda melanurum nominarunt.

Oculatam eundem melanuro piscem esse.

C Is in litorum saxis & eorum locis arenosis degit.

B Oculis est, habita ratione corporis, admodum magnis ex cæruleo nigrescentibus, ore paruo, dentibus paruis, pinnis, caudæ forma auratæ similis. Corpus ex cæruleo nigrescit, cauda antequam in pinnas rubescentes desinat, maculâ notatur nigrâ, à quâ & μελανύρος & ὁρροπυγοσίκυτος nomen habet, (*vt Athenæus ex Aristotele citat.*) Squamis tegitur latis, facilè deciduis. A capite ad caudam ducta est linea latior, ex squamis maioribus & rotundioribus, lineolis alijs frequentibus & nigris distincta, ob quas πολύγραμμος & μελανόγραμμος etiam dictus est. Huic hepar est magnum, à quo fellis vesica pendet: ventriculus medius, cor angulatum: in ventre vesica aere plena, crassa densaque. Palmi magnitudinem non excedit.

CDE Imbecillus est piscis, sed callidus, qui vel retibus, vel nassâ vix capiatur, à ciborum illecebris abstinet, tranquillo mari in arena deses quiescit: perturbato tum, perinde ac si intelligeret à piscatoribus mare non adiri, liberè spaciatur. Quæ Oppianus pulchrè describit:

Libro 3.

Οὐ μὴν δὴ μελάνυρον ὑποίσεται, οὐτ' ἐνὶ κύρτῳ
Ῥηϊδίως ἁπατεῶν, οὐτ' ἐν λινοεργέϊ κόλπῳ.
Haud facilè paruus melanurus fallitur arte,
Nec cum in una capitur nassa, nec retibus amplis.

Cætera ex ipso autore petas. Ælianus eadem ferè prodidit. In Stabiano Campaniæ ad Herculis petram, inquit Plinius, melanuri in mari panem abiectum rapiunt: ijdemque ad nullum cibum, in quo hamus sit, accedunt. *Lib. 32. cap. 2.*

Melanurus secundum Hicesium (apud Athenæum lib. 7.) minus nutrit quam sargus, (*non parum tamen & ipse nutrit, & sargo quoque minus astringit:*) neque ea est succi bonitate, neque tam ori gratus. Carne est molli, alga vescitur, vt scribit Aristoteles. Vescitur etiam cœno, is deterior est. Qui in purioribus litoribus degit, & piscículis vescitur (nã in ventriculo melanuri piscículos sæpe inuenimus) is magis probandus. Vt sargus vel aurata paratur. *Lib. 8. de hist. anim. cap. 2.*

F (C)

DE EODEM, BELLONIVS.

Melanurus Græcis appellatus, Venetis Ochia, Genuensibus Oia, Massilijensibus Oblada, & circa Niceam Auguyata vel Oyata, ab oculorum magnitudine, in Oceano Gallico perrarus, in Adriatico ac Mediterraneo frequentissimus est. Sunt Massiliæ qui Oilladigam vocare malint. Vulgus Romanum ab insignib. oculis Ochiatam nominauit, ad discrimen Torpedinis oculatæ, quam Ochiatellam appellant. A

Piscis hic latitudine, longitudine & corporis circino cum Dentali, Sargo, Aurata & Sparo conuenit. Longè diuersus est à Melanderino. gerit enim Melanurus latas squamas, atque vnicam in tergore pinnam, estque gregalis & saxatilis. Dentes habet robustos, colorem vt Sargus: branchias vtrinque quatuor, aculeos in pinnis, quales Cantharo esse videmus. Crassitudine ac magnitudine est mediocri, neq; ampliùs quàm vnam vel sesquilibram vel duas ad summ um pendet. B

Saxatilis est Melanurus (inquit Aristoteles) & prope litora in locis arenosis, alga pascitur, Coracino persimilis. C (B)

COROLLARIVM.

Si melanuros, oculata piscis est, vt Theodoro placuit, videretur errasse Plinius, qui paulò post de oculata quasi diuerso pisce loquitur: vt alter eorum necessariò sit lapsus, Hermolaus. Et rursus, Oculatus is videtur esse piscis, quem Plautus Ophthalmiam appellauit. Plinius inter alios ex Ouidio pisces labrum cauda placentem nominat, corrupta (vt suspicor) pro melanuro voce. nam labrum pro pisce nemo dixit. labrax verò lupus est, proximè ab eo nominatus. nec refert quòd hunc Ouidij piscem ceu nouum Plinius proferat prius quoque ab eo nominatum, cum in alijs etiam idem fecerit, vel oblitione, vel ignorantia, vt orpho & erythrino. Nominatur quidem ab Ouidio in eo quod extat fragmento laude insignis caudæ melanurus: at labrus nusquam. Rond. tamen labrum Ouidij (Plinij melius dixisset, aut corruptæ lectionis Plinianæ) chelonem è mugilum genere esse putat, quem Gaza labeonem transfert. A

Icon hæc Venetijs pro Oculata, id est Melanuro, facta est.



Melanurum Massilienses Olhadam, hoc est oculatam corruptè: Siculi Ochiadam vocant, Gillius. In schedis meis reperio hunc piscem Siculis alibi okada, alibi marilia dici: posterius à melanuro corruptũ videtur: non memini tamẽ vbi hoc vel legerim vel audiuerim. Præterea Venetijs Ochiada, vocari eo sono quo nos Otschada scribim⁹ atq; proferimus: alibi in Italia la Ochia. Oculata ab Ang. vocatur *Seebreme*: (nos diceremus, *ein Meerbrachsme,*) vt Io. Fauconerus monuit. Ego nomen illud *Meerbrachsme*, pluribus eiusdem formæ piscibus attribui, inter Cyprinos ostendi. quamobrem distinguendi gratia melanurum (etsi rariùs puto in Oceano Germanico capi, sicut & in Gallico, Bellonio teste) vocari licebit nostra lingua, *ein Brandbrachsme.*, à titionis extincti colore nigro. nam & vulpis genus quoddam ab hoc colore *Brandfuchs* denominant Germani: & cerui, *Brandhirtz*. & Græci quidam similiter à titione melanurũ δαλὸν appellant, vt Hesychius & Varinus scribunt. Est etiam hepatus Aristotelis & Athenæi forma non admodum dissimilis melanuro, & macula ad caudam similiter atra insignis: quem suprà interpretati sumus, *ein andere Meerbrachsmen art mit einem schwartzen fleckẽ am Schwantz*, *vnd auch der Melanurus.* Ab eo diuersus Æliani hepatus est. Eliota Anglus melanurum interpretatur a *Ruff*: qui piscis fluuiatilis est, non marinus vt melanurus. nos in Cernua fluuiatili (sic enim Bel. appellat) de eo scripsimus: & in perca fluuiatili quædam addemus. Germani enim eundem piscem percam rotundam vo-

Color. Hæc de merula Ariſtoteles lib. 8. de hiſt. animal. cap. 30. Mutant (inquit) colorem piſces, qui merulæ & turdi appellantur, atq; etiam ſquillæ, pro anni temporibus vt aues quædam. Vere enim nigreſcunt, poſteà candorem ſuum recipiunt. Quem Ariſtotelis locum ſic intelligere oportet, vt turdi & merulæ ſuum quidem ſeruent colorem, ſed magis exaturatus fit circa ver: æſtate vero magis diluitur, minusq; niger eſt. quæ cauſa eſt, cur piſces hos candidos fieri ſcribat. Idē de phycide, & mæna ſentiendum.

F Merula inter ſaxatiles laudata, inquit Plinius: carne eſt tenera & molli, facilis concoctionis. parum nutrit, & bonum ſuccum gignit. Elixa febricitantibus ſaluberrima, ſi coquatur in ſartagine farina conſpergenda, vt partes contineantur.

Exhibere ſe verum merulam. *Indicus color.* Quibus autem rationibus adducti piſcem quem hic depingimus, merulam eſſe exiſtimemus, paucis dicemus, vt inde eorum refellatur error, qui alium à noſtro pro merula oſtendunt, (*de Bellonio fortè ſentit.*) Admonitum autem prius lectorem velim, vt meminerit à veteribus colorem indicum, aut purpureum exaturatum, nigrum vocari, vt purpuram nigram, violam nigram: circæam flore nigro, qui tamen purpureus aut indicus eſt. Eodem modo nigram merulam dici putat. Iam verò merulam piſcem à ſimilitudine coloris merulę auis nomen accepiſſe nemo eſt qui negare poſſit. At merula auis nigra eſt. Quare hunc noſtrum piſcem nigrum ſaxatilem merulam eſſe antiquorum conſtat. Quòd autem merula piſcis nigro ſit colore, teſtis eſt Numenius apud Athenæum. Γλαύκε, ἢ ὀρφῶ (*alibi*, Γλαυκους, ἢ ὀρφῶν) ἔναλον γένος, ἢ μελάγχρων (*alibi*, μελάγχρουν) Κόσσυφον. *Lib. 7.*

Huc accedit quod hic noſter mutat colorem, eſt enim aliquando nigrior, aliquando minus niger. Poſtremò ex ſaxatilium eſt genere carne molli & friabili.

Merularum genus aliud. Aliud merularum genus inuenio quod dorſo eſt nigro, ventre indico, quibuſdam partibus cæruleis, vt pinnis, cauda, & circa branchias. Non differt ſubſtantia à ſuperioribus.

DE EADEM, BELLONIVS: QVI TAMEN ICONEM ALIAM, *quam Rondeletius, exhibet: neſcio an diuerſi piſcis. Suum enim Rondeletius tincæ fl. corporis habitu ſimilem eſſe ſcribit: & ſuum Bellonius ab Italis tincam marinam appellari, &c. ſed corporis ſpecies differt, vt apparet.*



A Vulgaris Merulæ nomenclatura multò conſtantior, quàm Turdi eſſe videtur. Nam piſcatores maris Liguſtici, Adriatici, & noſtri quoque, hoc eſt Mediterranei, ad vnum, Merulam agnoſcunt, quam cum Phycidib. etiam confundunt. Romani tamē inter cæteros vnum ſibi conſtituerunt piſcem, quem proprio nomine Merlo nominarunt, ſæpe etiam Canarellas, Canadellas & Phycides Merulæ nomine vocant. Merulam Itali æquè atque Phycidem Tincam marinam vocant.

B Vnicum non ſeruat colorem. Latiores habet, quàm Turdus, ſquamas: pinnam in tergore multis ſtipatam ariſtis. quæ autem illi ſunt ad latera & ſub ventre, hæ aculeo muniuntur, vt Turdus. Caudam nō habet bifurcam. Cæterum hoc vnum mihi in Merulæ anatome dignum occurrit: quod cum hepar habeat album in duos grandes lobos partitum: fel tamen exerit tenui vaſculo incluſum, & reuolutionibus duplicatum, cuius longitudo eſt ſeſquipedalis, quod nuſquam niſi in hoc piſce obſeruaui. Quanquam Ariſt. Hamiam (*Amiam*) recenſeat veſiculam fellis habere, ſuo inteſtino pari proceſſu annexā: ſæpe etiam replicatam, reductamque aliquatenus. Proinde Merula vertebras dorſi habet valde craſſas.

Plin. medicus piſcem aſpratilem vocat. Idem, Dandi ſunt (inquit) piſces Merulæ, Turdi aut Scorpiones epilepticis. Idem de diæta diſtemperantiæ hepatis, Merulam, Coſſyphum & Ceredam (*Trallianus de hepatica dyſenteria ex intemperie frigida ſcribens: Ex piſcibus (inquit) dare conuenit*, κόσσυφον, κηλίδα, χρύσοφρυν) offerendos eſſe ijs, qui hepate ſunt calidiore, recenſet: ſed ego eum pro Coſſypho Turdum puto intellexiſſe, alioqui Merula & Coſſyphus idem ſunt.

COROLLARIVM.

A Merulam piſcem Varro à colore quem referat (auis ſcilicet eiuſdem nominis) ait appellari, Iouius. Merula mas eſt, vti Oppianus tradit (libro 4. Halieut.) turdus verò, κίχλην vocant, fœmina, Wotton. Hoc quidem fortè nonnullis perſuaſit formæ ſimilitudo, quæ facit vt hodieque piſcatores quibuſdā in locis horum piſcium nomina permutent. Terminatio quoque, quæ in merula Græcis maſculina eſt, in turdo fœminina (Latinis plerunq; contrà. etſi Lippius Op. interpres merulus maſc. g. de piſce dixit, vt Apicius quoque 9. 9.) hanc perſuaſionem promouiſſe videtur. Κόψιχος (malim per iota penultimam) de aue, κόσσυφος de piſce dicitur, Suidas: cum tamen proximè ſcripſiſſet: Κόψιχος, εἶδος ἰχθύος. Κόψιχος auis, quæ κόσσυφος à nonnullis dicitur: item piſcis marinus, Heſychius & Varinus. Ego nomen vtrunque pro aue rectè vſurpari puto: pro piſce vero κόσσυφον tantum dici communiter, Atticè κόττυφον. Turdum & merulā Maſſilienſes promiſcuè Roquaudos (*vt & alios ſaxatiles*) vocitant: Hiſpani & Sardi adhuc vtriuſq; nomen Latinum retinent, Gillius. Merula turdo ſimillima eſt, niſi quod merula nigrior eſt: quam, quoniam tincæ formam habet, tincam marinam Veneti cognominant, Maſſarius. Cauendum ne quis

ne quis Merlu dictum à Gallis piſcem (Merlucium recentiores quidam Latinè efferunt) pro merula accipiat. Germanicum nomen fingo, *ein Merlefiſch, oder Ammſelfiſch.* nam & in Gallia peritiores piſcatorum Merle vocant, ſimiliter vt auem merulam, à cuius colore nomen idem nactus eſt hic piſcis: & Germani inferiores pro aue eodem nomine vtuntur. Sed magis placet, *ein Meerſchleye*, id eſt tinca marina. quanquam & phycis quibuſdam Italis eodem hodie nomine venit: *ein andere Meerſchleyen art.* Qui merulam Germanicè *Creſſen* interpretantur, longè errant. is enim gobius fluuiatilis Auſonij eſt.

B Saxatilium turdus & merula, in Ponto deſunt, Plinius. Ennius in carminibus, quibus qui piſces vbi lautiores reperiantur. explicat: merulam quoq; nominat, citante Apuleio Apologia 1. ſed codices noſtri ſunt deprauati, nec expreſſum regionis nomen. Piſces ex alio colore in alium mutabiles ſunt, vt turdi, merulæ, &c. Ælianus. Κίχλη auis eſt, & piſcis ποικιλόστικτος καὶ αὐτός: ὥσπερ ὁ κόσσυφος, μελανόστικτος, Varinus. Merulæque virentes, Ouidius. Merula colore eſt ſubobſcuro, viridante, Vuottonus. Κόσσυφος αἴθων, id eſt nigricans, ab Oppiano cognominatur: Lippius ardens tranſtulit. Sunt & turdi ſubuiridi colore & frequentibus guttis, vt in volucribus (eiuſdem nominis) videmus, variegati atque inſignes: itemque merulæ, coccyges (*coſſyphi legendum*) à Græcis appellatæ: quæ ab medio quodam colore inter atrum atque ſubfuluum, merulis auibus aſſimilentur, Iouius. Inter noſtras piſcium picturas merula eſt, (quam cum alijs multis Dominicus Monthiſaurus Veronenſis medicus doctiſſimus, deque bonis literis optimè meritus, ad me dedit,) tinca marina vulgò Italis dicta: cuius oculorum iris è fuluo rubeſcit. Pars corporis ſuperior, partim indico vel nigricante, partim cœruleo & viridante colore inſignis eſt: inferior, laterum partem dico cum ventre, tota ferè lutea eſt, &c. Sunt qui iuſidem piſcem, cui dorſum à cœruleo viret, & linea lata, flaua, anguloſa per corpus medium tendit, &c. tincam marinam vocitent. *Tinca mar. nomen vagū.*

C Merulæ piſces ſaxatiles ſunt, Ariſtot. Columella, Plinius. Merula domiciliorum & ſedicularum loco in petris & cauernis ſtabulatur, Ælian. Ouidius in Halieut. ſaxatilibus an pelagijs merulas adnumeret, dubitari poteſt. Ex obuijs quiddam guſtatura merula, primo tentat & premit, deinde iacere ſinit: videnſque hoc idem non palpitare, & iam mortuum eſſe, comedit, Ælianus.

D Merularum marium quiſque (inquit Ælianus) cum fœminis multis complexu venereo iungitur. Quod ego genus matrimonij, luxurioſum: multarumque eſſe ſtudioſum, delicatorum ad res venereas dicerem eſſe Barbarorum: Et vt ioco aliquis de re ſeria dixerit, Medicam aut Perſicam vitam. Omnium autem piſcium eſt maximè zelotypus in hoc genere mas, cum ſemper alias, tum maxime cum eius vxores pariunt. Cum enim parturiendi doloribus eæ tenentur, domi quieſcunt: mas autem, tanquam maritus, foribus incubans, cauet ne extrinſecus inſidiæ inferantur, metu paruulorum. Videtur is nondum genitos amare, metuque paterno motus, his timere: & totos dies in eorum cuſtodia permanet, nihil guſtans. cura ipſum alit. Sub crepuſculum veſpertinum (Nocte, Opp.) intermittit hanc cuſtodiendi neceſſitatem, cibumque exquirit. Singulæ verò coniugū, quæ ſunt intus, ſiue ſint in partus doloribus, ſiue iam enixæ cubent, algas multas in cauernis, & circum petras ad victus comparationem reperiunt, Hæc ille ex Oppiani quarto Halieut. vt apparet. Vide mox in E. Sargi & merulæ pluribus gaudent fœminis: canthari & ætnæi, ſingulis, Oppianus. Zelotypiam merulis, vt capiantur, cauſam eſſe, referemus nunc in E.

E Experiens piſcator cū inſidias Merulę molitur, hamum plumbo degrauatum, & Squilla magna implicatum deijcit: & mox ſubmouet lineam, excitans & exacuens piſcem in prædam. Squilla verò mota ſpeciem quandam ſui præbet ingreſſuræ in cauernas Merulæ: quod quidem hæc capitaliter odit. Quamobrem cum id fieri ſentit, inuadit, exiſtimans eam hoſtem eſſe: non enim tum cibus curæ illi eſt. cumque Squillam (dentibus) compreſſerit, diſcedit, cibo præſtabiliorem & antiquiorem curam vigilandi ducens. Fœminæ verò quandiu marem vident propugnantem, domi manent, formamque tuendæ familiæ ſeruant. Cum verò perijt, eæ præ mœrore acquieſcere nequeuntes, errant. eas enim triſtitia foras educit, tumque capiuntur. Quid ad hæc poetæ dicunt, Euadnen Iphidis filiam & Alceſtin Peliæ dudum nobis glorioſè lugentes? Hæc Ælianus ex Oppiani Halieuticorum quarto, vnde hic etiam verſus aliquot recitare libet.

Ἔξοχα δ᾽ ἐκ πάντων νεπόδων ἀλεγεινὸν ἔρωτα
Κόσσυφος αἰθαλόεις, κίχλης δ᾽ ἐπιμαίεται ἦτορ
Οἴστρῳ τε, ζήλῳ τε, βαρύφρονι δαίμονι θύων.
Κοσσύφῳ οὔτ᾽ εὐνὴ μία σύννομος, οὐ δάμαρ οἴη,
Οὐ θάλαμος. πολλαὶ δ᾽ ἄλοχοι, πολλαὶ δὲ χαράδραις
Κεκλιμέναι κοίλῃσιν ἐφέστια λέκτρα γυναικῶν:
Τῇσιν ἀεὶ παννῆμαρ ὑπὸ γλαφυροῖσι μυχοῖσι
Κίχλαι ναιετάουσιν, ἀλίγκιαι ἁρπαμένῃσι Νύμφαις.
Porrò merula mas ἐπὶ νύμφαις
Μοχθίζει δύσζηλος ἀειφερέεσσι πόνοισι.
Νυκτὶ δὲ οἱ βρώμης τε μέλει, καὶ παύεται ἔργων
Τυτθὸν ὅσον φυλακῆς: ἀζηχὲς. ἀλλ᾽ ὅτε κίχλαι
Ὠδίνωσιν, ὁ δ᾽ ἄσχετα θυμὸς ἀΐσσει
Ἀμφιπερικτιονέων: ἐπὶ δ᾽ ἔρχεται ἄλλοτε ἄλλην
Εἰς ἄλοχον. Et mox cum de Aſſyriorum ſimiliter multas vxores habentium zelotypia dixiſſet:
Ὣς οὐδὲν ζήλοιο κακώτερον ἀνδράσιν ἄλγος.
Ὣς καὶ τὸν δύστηνον ἐπήγαγε κόσσυφον ἄτη
Δμηθῆναι. Tum de captura eorum, vt iam ex Æliano retulimus, canit.
Κίχλαι δ᾽ εὖτε θάνῃ φρουρὸς πόσις, ἐκτὸς ἴδοιμι
Πλάζονται θαλάμων, ξυνὸν δ᾽ ἕλον ἀέλπτον μόρον.

Κίχλην merulam fœminā nominat.

Saxoſum mare optimè ſaxatiles piſces nutrit, vt ſunt merulæ turdiq;, Columella de piſcinis loquens lib. 8. cap. 16. Et mox cap. 17. Turdi complura genera, merulaſque, &c. includemus.

F Philotimus apud Galenum libro 3. de alimen. facultatibus, merulas piſcibus molli carne præditis adnumerat, qui facilius quam alij piſces conficiantur. Ibidibem Galenus: Inter ſaxatiles (inquit) ſcarus excellere ſuauitate creditur: poſthunc merulæ ac turdi. Apud Athenæum etiam merulas Mneſitheus & Diocles carne molli eſſe ſcribunt. & hic quidem μαλακοσάρκους ſimul & πετραίους τοὺς κοσσύφους καὶ κίχλας facit: ille diſtinguit, his verbis: Τούτοις δὲ (τοῖς πετραίοις) ὅμοιόν ἐστι γένος τὸ καλούμενον μαλακόσαρκον, κίχλαι, καὶ κόσσυφοι, καὶ τὰ ὅμοια. ἔστι δὲ ὑγρότερα μὲν ταῦτα ἐκείνων, πρὸς δὲ τὰς ἀναλήψεις ἀπόλαυσιν ἔχει πλείω. τὸ μὲν κοιλίας καὶ τῆς κρίσεως ὑπακτικώτερα ταῦτ᾽ ἐστὶν ἐκείνων; διὰ τὸ ὑγρότερον, &c. In epilepſiæ curatione: Ex piſcibus (inquit Trallianus) exhibeantur qui ſuperfluitate vacant, vt merula, ſcorpius. Idem in hepatica dyſenteria ex intemperie frigida, è piſcibus commendat turdum, merulam, &c. præcipuè verò mullum.

Turdi & merulæ in aquatilium genere non eam habent saporis nobilitatem, quam auib. eiusdem nominis veteres attribuêre: siquidem & turdi admodum insulsi sunt: & merulæ, vt Athenæus ait, difficillimè concoquuntur: in quarum conditura Archestratus cum caseo, maloque granato (*rhoe* ῥοὴ, *qui acini sunt, vulgo sumac hodie est. ῥοὰ vero malus punica est*) & sale atque oleo, silphium admiscuit, Iouius. Sed primum is non verè ex Athenæo refert merulas difficilè concoqui: & nos iam ex Galeno faciles concoctionis eas esse docuimus, cum & saxatiles & mollis sint carnis. deinde hoc etiam falsò, quod ex Archestrato eorum condimentum refert. Id enim Athenæus lib. 7. ex Dorione, non cossypho, id est merulæ: sed coccygi, id est cuculo attribuit: vnde Iouium coccygem & cossyphum confudisse apparet: vt in A. quoque notauimus: hancque ipsius, non librarij culpam esse. Adrianum papam merula pisce quanquã vili, maximè delectatum, accepi vel legi nescio vbi. In merulis (ius:) Liquamen, porrum concisum, cuminum, satureiam, passum, vinum mixtum facies aquatius, & ibi merulos coques, Apicius 9.9.

H Merulæ Philologia inter aues est.

Epitheta. Viridans. Virens, Ouidio. Μελάγχρεις, Numenio. Αἴθων & δύσζηλος, Oppiano.

DE (MERYCE, ID EST) RVMINALI PISCE, RONDELETIVS.

GAZA ruminalem piscem nominant, qui Græcè dicitur μήρυξ ab Aristotele libro nono cap. 50. de Hist. animal. Μηρυκάζει δὲ τὰ μὴ ἀμφόδοντα, οἷον βόες, καὶ πρόβατα, καὶ αἶγες. τῶν δὲ ἀγρίων οὐδέν πω συνῶπται, ὅσα μὴ συντρέφεται ἐνίοτε, οἷον ἔλαφος. αὕτη δὲ μηρυκάζει, πάντα δὲ κατακείμενα μηρυκάζουσι μᾶλλον. μάλιστα δὲ τοῦ χειμῶνος μηρυκάζουσι. τὰ τε κατ' οἰκίαν τρεφόμενα, σχεδὸν ἑπτὰ μῆνας τοῦτο ποιεῖ· τὰ δ' ἀγελαῖα, καὶ ἧττον, καὶ ἐλάττονα χρόνον μηρυκάζει, διὰ τὸ νέμεσθαι ἔξω. μηρυκάζουσι δὲ καὶ τῶν ἀμφοδόντων ἔνια, οἷον οἵ τε μύες οἱ Ποντικοί, καὶ οἱ ἰχθύες, καὶ (*mal.* ὡς *quam* καὶ) ὃν καλοῦσιν ἔνιοι ἀπὸ τοῦ ἔργου μήρυκα. Quæ sic cõuertit Gaza: Ruminant quę superiore dentium ordine carent, vt boues, oues, capræ. Ex feris nullum adhuc ruminare constat, præterquam ea quæ aliquando cum hominibus exigunt, vt ceruus: hunc enim ruminare planum est. Iacent potissimum cũ ruminant omnia: & hybernis præsertim mensibus solent ruminare. septem ferè mensibus hoc faciunt, quæ intra tectum aluntur. gregales leuius minusque temporis ruminant: quoniã foris pascantur. Sunt etiam ex dentatis vtrinque nonnulla quæ ruminant, vt mures Pontici, & piscis quem ab ea re ruminalem quidam appellauere. Sed horum postrema pars à Gaza perperam mihi videtur esse conuersa: sic. n. vertendum fuerat: Ruminant & quædam vtrinq; dentata animalia, vt mures Pontici, & pisces quidã, & qui ab ea re μήρυξ vocatur, id est ruminalis, si verbũ verbo reddere voluerimus: vt μήρυξ diuersum sit animal à piscibus ruminantibus, quanquam in quo animantium genere numerari debuat, mihi adhuc sit incertum. (*Lib. 2. de hist. anim. cap. 17.*) Hæc vt vera esse credam, facit Arist. ipsius authoritas. qui duob. in locis tradit ex piscibus omnibus scarum solum ruminare. prior est, in quo de piscium ventriculo verba facit: Μίαν γὰρ καὶ ἁπλῆν ἔχουσι, διαφέρουσαν τοῖς σχήμασιν, ἔνιοι γὰρ πάμπαν ἐντεροειδῆ ἔχουσιν, οἷον ὃν καλοῦσι σκάρον, ὃς δὴ καὶ μόνος ἰχθύων δοκεῖ μηρυκάζειν. (*Lib. 8. de hist. anim. cap. 2.*) Ventriculus ijs vnus & simplex, sed figura varia est, vt ei quem scarum vocant: qui & ruminare solus piscium creditur. Alter est: Δοκεῖ δὲ καὶ τῶν ἰχθύων καὶ ὃν καλοῦσι σκάρος μόνος μηρυκάζειν, ὥσπερ τὰ τετράποδα, μόνος. Scarus vnus inter pisces ruminare quadrupedum ritu videtur. Quæ cum ita sint, secum ipse pugnaret Arist. si præter scarum piscem alium esse diceret qui ruminaret: vt necesse sit, vel ruminalis piscis nomine scarum intelligi: vel ruminalem, aliquod aliud animal esse, ex eorum numero quæ vtrinque dentatata sunt, tamen ruminant.

COROLLARIVM.

Meryx Μήρυξ, penanflexum, per ypsilon in vltima, vt κήρυξ. nam apud Hesychium non rectè per iota scribitur: Μήρικες ἰχθύες. Vuottono vt Rondeletio quoque, ex Aristot. verbis incertum adhuc videtur in quo animalium genere numerari debeat meryx. Mihi omnino piscis videtur, isque non alius quàm scarus: de quo Aristot. de partib. animalium 3.14. Piscium (inquit) generi dati sunt dentes: sed serrati, propè dixerim, omnes. genus enim quoddam exiguum est quod non serratos habeat dentes: vt qui scarus vocatur, qui vnus & ruminare meritò ob eam rem creditur.

METRIDIA. Vide Matriculi.

MILES. vt recentiores quidam vocant genus ceti est. (Vide supra ceti genus descriptum inter cete noui orbis à Ludouico Romano) Vel potius testudinis: Albertus Zytyron & Barchora barbaricis nominibus vocat. Quære infrà in Testudine.

MILVVS Lege Lucerna.

MINVTAL, genus condimenti ex rebus minutim concisis, autore Apicio. Fiebat inter cætera marino pisce, liquamine, oleo, vino, porris, & coriandris. Hesternum solitus medio seruare minutal Septembri, Iuuenalis Satyr. 14. Hinc exit varium coco minutal, Mart. lib. 11. Grammaticus quidam nostri seculi (Rauisius Textor, si bene memini) minutal interpretatur piscem maximum: quem Apicius (inquit) addito liquamine, oleo & vino condiebat. Minutal de piscibus vel isicijs describit Apic. 4.3.

MITVLORVM historia, suprà est inter Conchas diuersas.

Monachus monstrum.

MONACHI maris dicti sunt quia caput habent vt monachi recenter rasi; coronam desuper rasam & candidam: & circulum in modum crinium super loca aurium: faciem tamen non habent prorsus similem homini: quia nasum habent pisci similem, & os naso continuum. Cæterum inferior corporis pars, piscis speciem gerit. Hoc monstrum homines in litore ambulantes libenter allicit, & coram eis super aquas ludit. quòd si hominem admirantem appropinquare viderit, appropinquat etiam ipsum: & si qua potest, hominem rapit & trahit in profundum: sicque carnibus eius satiatur, Author de nat. rerum. Plura lege suprà inter homines marinos.

Monachus piscis.

EST & piscis monachus ab Alberto dictus, capito fluuiatilis Ausonij, vt conijcio: de quo suprà in C. elemento diximus. Piscis monachus (inquit) *numen* (*Moene legendum puto*) vel *Klane* (*vox videtur corrupta*) lapidem habet in capite. Et alibi: Palatum carnosum & molle habet piscis carnosus fluuialis,

qui à Germanis monachus vocatur: vnde multi videntes & tangentes hunc piscem, putant in palatum diuisam esse linguam ipsius. Et rursus: Pisces quidam in fluuijs Germaniæ & Galliæ, duas habent mandibulas mobiles in gutture, vnã ad dextrũ, alteram ad sinistrũ latus sub branchijs, motu inuicẽ opposito. & hi mandibulis tantùm illis (*intrinsecus*) dentati sunt, ore edentuli: sicut barbellus, & piscis qui vocatur monachus, & carpo, & vindosa. Et in Catalogo piscium: Nasus piscis est in Danubio, sed tenuior. naso valde crasso. Vide suprà in Capitone fl. sub medium. (*Monachus piscis.*)

MONEDVLÆ pisces, Gaza interprete, sunt qui ab Aristotele κολίαι dicuntur: fusanei, siue gregales. semel anno pariunt. Subeuntes Pontum capiuntur, exeuntes autem minùs. Optimi in Propontide sunt antequàm pariant. Aristoteles. Reliqua protulimus suprà in Colia.

MONOCEROS est monstrum marinum, habens in fronte cornu maximum, quo naues obuias (pisces & naues aliquas, Albertus) penetrare potest, ac destruere, & hominum multitudinem perdere. Sed in hoc clementia creatoris humano generi prouidit: quia cum tardum animal creatum sit, naues eo viso possunt effugere, Author de nat. rerum. Nos suprà inter Cetos diuersos, monocerotem belluam mar. ex tabula Septentrionali Olai Magni depictam, forma (vt apparet) fictitia, dedimus.

DE MORMYRO, RONDELETIVS.

A ΜΟΡΜΥΡΟΣ vel μόρμυλος à Græcis dicitur, à Gaza mormur, hodie à Romanis mormillo, à Venetis mormiro. Massiliæ & in toto Liguriæ sinu mormo: in Gallia Narbonensi morme, in Hispania marmo nuncupatur. Nostri ichthyopolæ quandoque synagridem pro mormyro vendunt, qui admodùm frequens apud nos non est, sed Romæ & Neapoli frequentissimus.

B Piscis est marinus, litoralis, auratæ similis, sed corpore minùs rotundo, compresso, capite longiore, rostro acutiore & magis compresso: ore medio, dentibus paruis, colore argenteo. Lineas habet transuersas à dorso ad ventrem, nigras vel pullas ęqualibus spatijs distantes: quarum prima maior, altera minor, & sic deinceps quibus sargo similis est, & pinnis & aculeis dorsi, & cauda. Ob has lineas dicitur ab Oppiano ὁ μόρμυλος αἰόλος ἰχθύς. id est, varius: quod non satis rectè expressit interpres, & picto mormylus ore. neque enim in ore, sed in lateribus pictus est. (*Hæc priùs etiam Gillius notârat.*) (*Lib. 1.*) Rectiùs Ouidius, qui pictas mormyras dixit. (*In Halieutica.*) Squamas habet, quæ facilè excutiuntur, dorso est ex albo cæruleo, ventre argenteo. Internis partibus ab aurata non multùm differt. Branchias quaternas habet, cor angulatum, ventriculum paruum & album, intestina alba, peritonęum nigrum, hepar rubrum, splenem nigrum.

F (C) Carne est molli, pręhumida, lutum olente. vescitur enim terræ excrementis, luto, cancellis, loliginibus paruis. Quare nisi coctus in sartagine, vel craticulâ, non est edendus: non immeritò igitur neque apud veteres fuit, neque apud nos est in pretio: quicquid dicat apud Athenæum Hicesius, mormylum esse τροφιμώτατον, id est multum nutrire. Rectè verò apud eundem Archestratus:

(*Lib. 7.*) Μόρμυλος αἰγιαλεύς, κακὸς ἰχθύς, οὐδέ ποτ' ἐσθλός. *Mormylus est prauus piscis, non vtilis vllo Tẽpore, litoribus gaudet,*
Parit æstate.

C E Difficiliùs à piscatoribus capitur, eâdem enim arte qua lupus vtitur, teste Oppiano. Nimirum effossa arena se occulit ad vitandar etia.

(*Lib. 3.*) Τοῖα δὲ τεχνάζει καὶ μόρμυλος, εὖτ' ἂν ἐς ἄγρην φράσσηται σπεύδοντας, ὁ δὲ δύεται ἐν ψαμάθοισι.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Veteres à marmoreis maculis & eiusdem albedine Mormyro aut Mormylo nomen indiderunt: (*sed hoc veterum nemo scribit: & marmarum, non mormyrum dici oporteret à marmore:*) quam appellationem vulgus adhuc retinere comperio: nam & Byzantini Mormyrũ nominant. Theodorus Gaza vertit Mormurem.

B Eadem ferè esset ei cum Melanuro corporis compositio, nisi longior esset, & denis lineis transuersis suggillaretur. Melanurus prætereà oculos multò maiores habet: caput, vt Erythrinus. Corporis autem constructio aliquantum ad formam Mænæ accedit. Totus Mormylus lacteo, aut, si mauis, argenteo colore nitet, sed eius caput potissimùm refulget: Melanuri autem color magis opacus est. Labia habet carnosa, squamis pellucidis ac tenuibus conuestitur. Salpa & Mormylus pictorum epitheton obtinuerũt, hoc tamen inter se distant, quòd Salpa rectis pingatur lineis luteis: Mormylus verò, duodecim (*denis paulò antè dixerat: & Rondeletij icone, denæ tantùm apparent: nostra quidem pictura Venetiis expressa, quatuordecim ostendit*) subnigris transuersis super albissimum corpus in cinereum opacum declinantibus. Labium superius in modum tubi, veluti in calua insertum habet: dentes exiguos, exertos, in maxilla superiori deinceps dispositos: in inferiori non item. Continuam tergoris pinnam duodecim aculeis communitam ostendit posteriori parte inermem. Eius cauda bifurca est: laterum pinnę in acutum desinentes. Linea quæ latera intersecat, ab angulo branchię incipit, & (vt in Boope) arcuata ad caudam perducitur. Huius oculi parui sunt, paulò altius ad ceruicem siti, caput quoque longiusculum. Si quispiam rictum eius contempletur, ossicula duo vtrinque protendi conspiciet, & linguam albam ac breuem. Cor illi situm est inter anteriores pinnas, trigonum: Peritonæum nigerrimum, vt Salpę: Hepar vtcunque magnum, stomachum ambiens. Pylorus (quod miror) sine apophysibus comperitur. Tres habet intestinorum reuolutiones. Lienem in latere sinistro exiguum, nigrum.

C Conchas, Tellinas, Channas, Carides, & omnis generis pisciculos edit: quod idem Trigla facit: sed Trigla (vt iam diximus) integras deglutit. caret enim dentibus.

COROLLARIVM.

A Mormyrus, ab Ouidio mormyr genere fœminino dicitur. Epicharmus in Nuptijs Hebæ μύρμαν appellat, (nimirum à recto μυρμας) nisi fortè is alius piscis est, his verbis: Χελιδόνες τε, μύρμαι τοί τε (alias μυρμίαι, οἵ τε. legerim μύρμαι τ', οἵ τε) κωλίαν (fortè κολιῶν, quia mox etiam scombros nominat) μέζονές

ἐστι· καὶ σκόμβρων ἀπὸ τῶν θυννίδων γε μόνους, (locus videtur corruptus,) Athenæus. Μορμύρειν de aqua æstuante (*cum murmure & sonitu, per onomatopœiam*) dicitur, vt apud Homerum Μορμύρων ἀφρῷ, de Oceano murmurante & simul spumam agente. (*Vide Lexicon Varini.*) Deriuatur autem ab hoc verbo μορμύρος pisci, (*nescio qua ratione*) fortè & μορμώ, vnde μορμολύκειον dictum. sicut à verbo μύρω, μύρεσθαι, μύρχνα, Eustathius in Iliad. Σ. Et rursus in Iliad. Φ. Fluuij (inquit) ἁλιμυρήεντες, (id est, marisoni) cognominantur à poeta, οἳ εἰς ἅλα μυρόμενοι, τουτέστι μετ' ἤχου ῥέοντες, quod cum sonitu in mare profluant, suis scilicet ostijs: vel vt vsitatius (& asperius) aliquis dixerit, μορμύροντες. nam à μύρειν verbo, fit μορμύρειν: sic à μύρειν fit μορμύρειν: vnde & piscium licet genere diuersorum nomina μύρος ac μορμύρος deducuntur, Hæc ille. Sed animaduertendum quòd μύρος, μύρειν, μύρεσθαι, μύραινα, & μορμύρω, ypsilon suum semper producunt. ---- ἀτὰρ ῥόος ὠκεανοῖο Ἀφρῷ μορμύρων ῥέεν ἀσπετος, Homerus Iliad. ε. Et Iliad. ι. Στῆ δ' ἐπ' ὄχθῃσιν ποταμοῦ ἁλαδε προρέοντι ἀφρῷ μορμύροντα ἰδών deduci Eustathio teste. Et Iliad. τ. ---- πολλὰς δ' ἀμφ' αὐτῷ ἰχθύσι Μόρμυρος. ἡ δ' ἐν πόντῳ ἐφίλατο Ναρκάων. Auratis muræna notis, Ouid. &c. At in mormyro corripitur ypsilon. Τοῖα δὲ τεχνάζει καὶ μορμύλος, ὤντ' ἀνὰ ἄγρην, Oppian. Et rursus, ---- καὶ μορμύλος αἰόλος ἰχθύς. Μόρμυλος αἰγιαλεύς, κακὸς ἰχθὺς, οὐδέποτ' ἐσθλός, Archestratus. Sed obijci potest quòd in carminibus vltima per lambda scribatur: Ouidius quidem mormyres produxit penultimam: Et rarus faber: & pictæ mormyres, & auri, &c. Videtur autem melius semper paroxytonum hoc nomen scribi, vt Eustathius habet, & Oppiani codex quod si quis dubitet, legat quæ supra in Cordylo annotaui. Hoc quoque non omittendum μόρμυρος duplici rhô magis propria & primaria ratione dici videri, μόρμυλος verò propter euphoniam, & vitandæ asperitatis soni gratia. Massilienses & Ligures Mormurum: alij non modò literati, sed etiam rudes appellant Mormylum, Gillius. Rusticè marmur dicitur, Niphus Italus. Germanicè circumloquemur, *ein Meerbrachsmen Geschlecht*. est enim auratæ similis piscis, &c. inquit Rondeletius. eademque esset cum melanuro corporis compositio, nisi longior esset, Bellonius. est enim in eo piscium genere, quos bremas marinas Germanicè (*Meerbrachsmen*) ceu communi nomine appello. longior proportione, minusque latus. Vel vno vocabulo nominabimus *ein Meerbrachsmen*, quoniam pictas Ouid. cognominat mormyres. vel *ein Marmelbrachsme*. nam corpus eius albissimum esse, & lacteo argenteoue colore nitere (maculis tantum seu lineis transuersis exceptis) marmoris instar, Bellonius scribit.

Μύρος.

Figura hæc non Rondeletij est, sed nobis adumbrata Venetijs. Ea quam Rondeletius ponit, denticulos labris diductis ostendit: & à superiore labio perbreuem sursum eminentem cirrum. Bellonius angustiorem hunc piscem pingit, nec satis latitudinis proportionem seruat.



B Mormylus in dorso peracutos habet aculeos. per eius vtrunque latus lineæ nigræ transuersæ à dorso ad ventrem decurrunt, Gillius. Piscis est marinus, omnibus notus, paruus, Kiranides.

C Litoralis est, Archestratus. In litoribus victitat ex arena, & ijs quæ in arena proueniunt, Op. Ouid. mormyras saxatilibus vel pelagijs adnumerare videtur: neutrum probè, opinor. Æstate pariunt. Arist.

E Mormyri verriculis & plagulis capiuntur, Plutarch. Polypos inescabis, mormyris tenuibus circa robustum quid vinculo deligatis, Tarentinus interprete Andrea Lacuna. Græcè legitur, Σαγήνῃ μορμύρους ἀλίσκεσθαι ... Lacuna pro ... fortè legit .... Idem Tarentinus ad carabos escam præscribit huiusmodi: vbi mormyrum ad forte quid alligaueris, purpuras decem cum oleo contundito: & musci pauxillum mandens inspuito in saxum, piscibusque fruêris. Vide suprà in Locusta 2.

H.a. Mormylus vocabulum esse dactylicum in a. docuimus. Μόρμυρος in carmine apud Græcos non reperio: quod rhô duplicis asperitatem fortè vitarint poetæ. Ouidius tamen pictæ mormyres dixit penultima longa.

Μορμύλος

Μορμύλος αἰόλος, Oppiano. Αἰγιαλεύς, Archestrato. Pictæ mormyres Ouidio. Epitheta.

g. In medio lapide mormyrum piscem (sculpe,) & reclude in pyxide ferrea, & submitte oculum vel corculum (gemmam) mori arboris sursum respicientem, & gesta. Proderit ad hæmorrhoides omnes, & ad anum, ad hæmoptoicos, & sanguinem narium, &c. Kiranides lib. 1.

DE MVGILVM GENERALI NOMINE ET DIFFERENTIIS, RONDELETIVS.

QVANQVAM mugiles & frequentissimi, & vulgo notissimi sint pisces, tamen in horum generibus distinguendis non minorem affert difficultatem appellationum varietas, quam in thunnis & Pelamydibus, alijsque multis. Sunt enim qui κέφαλοι, genus mugilum omnium siue marinorum siue fluuiatilium constituunt, vt Galenus lib. 3. de Aliment. facult. Alij λευκίσκοι. Athen. Ἱκέσιός φησι, τῶν καλουμένων λευκίσκων πλείονά ἐστιν εἴδη. Hicesius ait leuciscorum plures esse species. Galen. verò leuciscum fluuiatilem tantum mugilem facit. Arist. lib. 5. de hist. cap. 11. κέφαλος species est, quæ cum alijs κεστρεῦς nomine continetur. Ἄρχονται δὲ κύειν τῶν κεστρέων οἱ μὲν χελῶνες, ὁ ποσειδεύς, καὶ ὁ σαργῖνος, καὶ ὁ μύξων καλούμενος, καὶ ὁ κέφαλος. κύουσι δὲ τριάκοντα ἡμέρας. Decembri mense concipiunt, ex cestreis, chelones, sarginus, & qui myxon vocatur & cephalus. Geruntque diebus tricenis. Alibi: Ἀλληλοφαγοῦσι δὲ πάντες μὲν πλὴν κεστρέως, μάλιστα δ' οἱ γόγγροι, ὁ δὲ κέφαλος καὶ ὁ κεστρεὺς ὅλως μόνοι οὐ σαρκοφαγοῦσι. Mutuo se vorant omnes præter cestreum, verò congri. Cephalus verò & cestreus (*addo in vniuersum, id est omnes eius species, inter quas & cephalus est*) soli omnino à carne abstinent. Hic rursus cephalum à cestreo distinxit Arist. Non defuerunt qui mugiles etiam γλαυκίσκους vocauerint. sed perperam, cum λευκίσκους legere oporteat.

Mugilum generale nomen, alijs cephalus, alijs leuciscus: Aristoteli cestreus. Lib. 7. Ibidem. Lib. 8. de hist. anim. cap. 2.

Hæc de nomine generis. Nunc de eiusdem formis. Mugilum multæ sunt formæ autore Hicesio apud Athen. lib. 7. Alij enim sunt κέφαλοι, quos Gaza capitones, nostri cabotz appellant. Alij κεστρεῖς, mugiles vertit Gaza. Alij χελῶνες, Gaza labeones interpretatur. Alij μύξινοι, Gaza mucones. χελῶνες etiam βάκχοι nominantur. Aristotel. loco paulò antè citato cestreis, chelonem, sarginũ, myxonẽ, cephalum subijcit. Alio loco cephalum à quibusdam chelonem vocari scripsit. Dorion lib. de piscibus mugilis marini species duas fecit κέφαλον καὶ ... Ab Oppiano duæ solum species numerantur. Κεστρεῖς αὖ, κέφαλοί τε, δικαιότατον γένος ἁλιευς.

Mugilum species diuersæ. Lib 8. de hist. cap 2. Lib. 1. Halieut.

Cum tanta nominum varietate res ipsas ita implicatas viderem, vt longè obscuriores redderentur, piscatores aliquando consului, vt de mugilum generibus certior fieri possem. Horum igitur alij duas duntaxat mugilum species esse affirmabant, vnam eorum quos cabotz vocant, alteram samez. Alij capitones cum senuerint in mugiles mutari arbitrabant, samez in eos quos vergadelles vocant. Cum verò ex hac disquisitione nihil proficerem, ad rei ipsius diligentem considerationem, locorumque qui in optimis autoribus ea de re extant collationem, confugiendum mihi esse putaui, ex quibus (*Hæc ipse præcipue*) collegi mugilum omnino quatuor esse genera, reliquas differentias non rerum sed nominum esse. Primùm igitur genus eorum est, qui κεστρεῖς siue νῆστις dicuntur, à nostris samez. Alterum eorum qui κέφαλοι à capitis magnitudine, à Latinis capitones, à nostris cabotz. Tertium eorum qui μύξωνες siue μύξινοι siue μύξινοι, à Liguribus maxons. Quartum eorum qui χελῶνες, à nostris chaluz nuncupantur. Eosdem autem esse qui & κεστρεῖς & νῆστις dicantur declarat parœmia κεστρεὺς νηστεύει: Cestreus ieiunat: cuius meminerunt Suidas & Athen. ex Arist. Chelones βάκχοι etiam dicti sunt teste Hicesio apud Athenæum loco antea citato: βάκχοι quoque, id est, aselli, βάκχοι dicti sunt teste eodem Athenæo. Sunt etiam myxones bacchi siue banchi nuncupati. Plinius de felle piscium loquens: Item Banchi quem quidam myxona vocant. Sunt & cestrei plotes appellati. Athen. Καλοῦνται δέ οἱ κεστρεῖς ὑπό τινων πλωτεῖς, ὥς φησι Πολέμων, ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ ποταμῶν. ... Sũt & murænæ πλωταὶ dictæ teste Archestrato ... Ἡ πλωτὴ μύραινα κάλλιστον, ἄν ποτε ληφθῇ, ... ἀνῇ.

Mugilum genera 4. 1 Cestreus & νῆστις idem. 2. Cephali. 3. Myxones. 4. Chelones. Chelones, alias Bacchi. Bacchus etiam nomen aselli. Vide etiam infra in Chelone Banchi, Myxones.

Supersunt alia duo nomina, quæ species mugilum ab alijs distinctas non efficiunt, sed vel epitheta sunt, vel synonyma, περαίας καὶ σαργῖνος. περαίας, quem translitoranum interpretatur Gaza, est idem qui & κεστρεὺς & νῆστις dictus est: legendumque potius περαίας quàm πεταῖος vel φεραῖος, vt apud Athen. citantem locum Arist. legitur. Locus est huiusmodi: Ἔστι μὲν ὁ κέφαλος, ὃν καλοῦσί τινες χελῶνα, περαίας· ὁ δὲ περαίας, ... Capito, quem alij labeonem vocant, litorib. gaudet, alter (eiusdem generis) translitoranus est. qui non nisi mucore vescitur suo. quamobrem semper ieiunus est. Quòd si quis hunc cum myxino eundem esse velit non repugno, præsertim cum dicat Arist. muco tantum suo vesci. Σαργῖνος verò, si mugiles species est, eundem esse cum ieiuno existimo. Arist. enim cum mugiles aliquot locis recenset tribus, scilicet myxoni, cheloni, cephalo, sarginũ ieiuni loco annumerasse videri potest, cestreo pro genere posito. quibus in locis pro σαργῖνος mendosè σάργος in vulgaribus nostris codicibus legitur, emendationemq; nostram cum de sargo ageremus comprobauimus, ad quem locum prolixitatis vitandæ causa lectorem remitto.

Cestrei Plotæ. Περαίας, idem qui cestreus & νῆστις. Sarginus, idem qui νῆστις.

Quare ad quatuor tantum species, mugiles omnes optimo iure reuocabimus. Primus mugil erit κέφαλος, capito. Alter cestreus, qui & νῆστις, & βάκχος, & περαίας. (*atque in sequentibus peræam, myxoni eundem facere videtur*) & σαργῖνος dictus est. Tertius χελών, labeo. Quartus μύξων siue μυξῖνος siue μύξινος. Hi omnes in mari marinisq; stagnis nascuntur. Sunt & fluuiatilium non pauciores differentiæ. Iam de marinis ordine dicemus.

DE CEPHALO, RONDELETIVS.

A Qvi κέφαλος à Græcis dicitur, Romæ & in tota ferè Italia seruata eâdem appellatione cephalo vocatur. A nostris seruato eodem etymo cabot, quasi capitatum dicas. Capite enim magno, crasso, latoque est. Vnde Euthydemus teste Athenæo dictum esse ait ἀπὸ τοῦ βαρυτέραν τὴν κεφαλὴν ἔχειν. Galli mullet vocant.

B Degit Cephalus maximè in marinis stagnis & fluminibus, squamosus est. Cubiti magnitudinem aliquando superat. Capite est maiore, latiore, sed breuiore quàm reliqui mugiles. Branchiæ huic sunt quaternæ: ossea earum opercula, tumida. Oris scissura magna, sed in ventrem descendens. Os sine

dentibus,

Figura hæc non Rondeletij est, sed nobis adumbrata Venetijs. Ea quam Rondeletius ponit, denticulos labris diductis ostendit: & à superiore labio perbreuem sursum eminentem cirrum. Bellonius angustiorem hunc piscem pingit, nec satis latitudinis proportionem seruat.



ὄντι: Καὶ σκόμβρων αὐτὰρ ταυθυννίλων γε μῆνες, (locus videtur corruptus,) Athenæus. Μορμύρειν de aqua æstuante (*cum murmure & sonitu, per onomatopœiam*) dicitur, vt apud Homerum Μορμύρων ἀφρῷ, de Oceano murmurante & simul spumam agente. (*Vide Lexicon Varin.*) Deriuatur autem ab hoc verbo μορμύρος pisci, (*nescio qua ratione*) fortè & μορμώ, vnde μορμολύκειον dictum. sicut à verbo μύρειν ἢ μύρεσθαι, μύραινα, Eustathius in Iliad. Σ. Et rursus in Iliad. Φ. Fluuij (inquit) ἁλιμυρήεντες, (id est, marisoni) cognominantur à poeta, οἱ ἐν τῇ ἁλὶ μυρόμενοι, τουτέστι μετ᾽ ἤχου ῥέοντες, quod cum sonitu in mare profluant, suis scilicet ostijs: vel vt vsitatius (& asperius) aliquis dixerit, μορμύροντες. nam à μαίρειν verbo, fit μαρμαίρειν: sic à μύρειν fit μορμύρειν: vnde & piscium licet genere diuersorum nomina μύρος ac μορμύρος deducuntur, Hæc ille. (Μύρος.) Sed animaduertendum quòd μύρος, μύρειν, μύρεσθαι, μυρίος, μύραινα, & μορμύρω, ypsilon suum semper producunt. ---- περὶ δὲ ῥόος ὠκεανοῖο Ἀφρῷ μορμύρων ῥέεν ἄσπετος, Homerus Iliad. σ. Et Iliad. ε. Στῆ ἐπ᾽ ὠκυρόῳ ποταμῷ ἅλαδε προρέοντι Ἀφρῷ μορμύροντα ἰδὼν deduci Eustathio teste. Et Iliad. τ. ---- πολέες δ᾽ ἀμφ᾽ αὐτὸν ἑταῖροι Μύρονθ᾽. ἡ δ᾽ ἐν τοῖσιν ἐφίστατο δῖα θεάων. Auratis muræna notis, Ouid. &c. At in mormyro corripitur ypsilon. Τοῖς δὲ πυκνάζει καὶ μορμύλος, εὖτ᾽ ἂν ἐς ἄγρην, Oppian. Et rursus, ---- καὶ μορμύλος αἰόλος ἰχθύς. Μόρμυλος αἰγιαλεύς, κακὸς ἰχθύς, οὐδέποτ᾽ ἐσθλός, Archestratus. Sed obijci potest quòd in carminibus vltima per lambda scribatur: Ouidius quidē in mormyres produxit penultimam: Et rarus faber: & pictæ mormyres, & auri, &c. Videtur autem melius semper paroxytonum hoc nomen scribi, vt Eustathius habet, & Oppiani codex. quod si quis dubitet, legat quæ suprà in Cordylo annotaui. Hoc quoque non omittendum μορμύρος duplici rhô magis propria & primaria ratione dici videri, μορμύλος verò propter euphoniam, & vitandæ asperitatis soni gratia. Massilienses & Ligures Mormurum: alij non modò literati, sed etiam rudes appellant Mormylum, Gillius. Rusticè marmur dicitur, Niphus Italus. Germanicè circumloquemur, *ein Meerbrachsmen Geschlecht.* est enim auratæ similis piscis, &c. inquit Rondeletius. eademque esset cum melanuro corporis compositio, nisi longior esset, Bellonius. est enim in eo piscium genere, quos bremas marinas Germanicè (*Meerbrachsmen*) ceu communi nomine appello, longior proportione, minusque latus. Vel vno vocabulo nominabimus *ein Meerbrachsmen*, quoniam pictas Ouid. cognominat mormyres. vel *ein Marmelbrachsme*. nam corpus eius albissimum esse, & lacteo argenteoue colore nitere (maculis tantum seu lineis transuersis exceptis) marmoris instar, Bellonius scribit.

B Mormylus in dorso peracutos habet aculeos. per eius vtrunque latus lineæ nigræ transuersæ à dorso ad ventrem decurrunt, Gillius. Piscis est marinus, omnibus notus, paruus, Kiranides.

C Litoralis est, Archestratus. In litoribus victitat ex arena, & ijs quæ in arena proueniunt, Op. Ouid. mormyras saxatilibus vel pelagijs adnumerare videtur: neutrum probè, opinor. Æstate pariunt. Arist.

E Mormyri verriculis & plagulis capiuntur, Plutarch. Polypos inescabis, mormyris tenuibus circa robustum quid vinculo deligatis, Tarentinus interprete Andrea Lacuna. Græcè legitur, Ζωστῆρσι μορμύρους ἀραιὰς δήσας περὶ στερεόν τι. Lacuna pro ἀραιὰς fortè legit ἀφαυρούς. Idem Tarentinus ad carabos escam præscribit huiusmodi: vbi mormyrum ad forte quid alligaueris, purpuras decem cum oleo contundito: & musci pauxillum mandens inspuito in saxum, piscibusque fruēris. Vide suprà in Locusta F.

H. a. Mormylus vocabulum esse dactylicum in A. docuimus. Μορμύρος in carmine apud Græcos non reperio: quod rhô duplicis asperitatem fortè vitarint poetæ. Ouidius tamen pictæ mormyres dixit penultima longa.

Μορμύλος

Μορμύλος αἰόλος, Oppiano. Αἰγιαλεύς, Archestrato. Pictæ mormyres Ouidio. *Epitheta.*

g. In medio lapide mormyrum piscem (sculpe,) & reclude in pyxide ferrea, & submitte oculum vel corculum (gemmam) mori arboris sursum respicientem, & gesta. Proderit ad hæmorrhoides omnes, & ad anum, ad hæmoptoicos, & sanguinem narium, &c. Kiranides lib. 1.

DE MVGILVM GENERALI NOMINE ET DIFFERENTIIS, RONDELETIVS.

QVANQVAM mugiles & frequentissimi, & vulgo notissimi sint pisces, tamen in horum generibus distinguendis non minorem affert difficultatem appellationum varietas, quam in thunnis & Pelamydibus, alijsque multis. Sunt enim qui κέφαλον, genus mugilum omnium siue marinorum siue fluuiatilium constituunt, vt Galenus lib. 3. de Aliment. facult. Alij λευκίσκον. Athen. Ἱκέσιός φησι, τῶν δὲ καλουμένων λευκίσκων πλέονά ἐστιν εἴδη. Hicesius ait leuciscorum plures esse species. Galen. verò leuciscum fluuiatilem tantum mugilem facit. Arist. lib. 5. de hist. cap. 11. κέφαλος species est, quæ cum alijs κεστρέως nomine continetur. Ἄρχονται δὲ κύειν τῶν κεστρέων οἱ μὲν χελῶνες, τοῦ Ποσειδεῶνος, καὶ ὁ σαργῖνος, καὶ ὁ μύξων καλούμενος, καὶ ὁ κέφαλος. κύουσι δὲ τριάκοντα ἡμέρας. Decembri mense concipiunt, ex cestreis, chelones, sarginus, & qui myxon vocatur & cephalus. Geruntque diebus tricenis. Alibi: Ἀλληλοφαγοῦσι δὲ πάντες μὲν πλὴν κεστρέως, μάλιστα δ᾽ οἱ γόγγροι, ὁ δὲ κέφαλος καὶ ὁ κεστρεὺς ὅλως μόνοι οὐ σαρκοφαγοῦσι. Mutuo se vorant omnes præter cestreum, verò congri. Cephalus verò & cestreus (*addo in vniuersum, id est omnes eius species, inter quas & cephalus est*) soli omnino à carne abstinent. Hic rursus cephalum à cestreo distinxit Arist. Non defuerunt qui mugiles etiam γλαυκίσκους vocauerint. sed perperam, cum λευκίσκους legere oporteat.

Mugilum generale nomen, alijs cephalus, alijs leuciscus: Aristoteli cestreus. Lib. 7. Ibidem. Lib. 8. de hist. anim. cap. 2.

Hæc de nomine generis. Nunc de eiusdem formis. Mugilum multæ sunt formæ autore Hicesio apud Athen. lib. 7. Alij enim sunt κέφαλοι, quos Gaza capitones, nostri cabotz appellant. Alij κεστρεῖς, mugiles vertit Gaza. Alij χελῶνες, Gaza labeones interpretatur. Alij μύξινοι, Gaza mucones. χελῶνες etiam βάκχοι nominantur. Aristotel. loco paulò antè citato cestreis, chelonem, sarginū, myxonē, cephalum subijcit. Alio loco cephalum à quibusdam chelonem vocari scripsit. Dorion lib. de piscibus mugilis marini species duas fecit κέφαλον καὶ νῆστιν. Ab Oppiano duæ solum species numerantur. Κεστρεῖς αὖ, κέφαλοί τε, δικαιότατον γένος ἅλμης.

Mugilum species diuersæ. Lib. 8. de hist. cap. 2. Lib. 1. ἁλιευτικῶν.

Cum tanta nominum varietate res ipsas ita implicatas viderem, vt longè obscuriores redderentur, piscatores aliquando consului, vt de mugilum generibus certior fieri possem. Horum igitur alij duas duntaxat mugilum species esse affirmabant, vnam eorum quos cabotz vocant, alteram samez. Alij capitones cum senuerint in mugiles mutari aiebant, samez in eos quos vergadelles vocant. Cum verò ex hac disquisitione nihil proficerem, ad rei ipsius diligentem considerationem, locorumque qui in optimis autoribus ea de re extant collationem, confugiendum mihi esse putaui, ex quibus (*Hicesio præcipue*) collegi mugilum omnino quatuor esse genera, reliquas differentias non rerum sed nominum esse. Primùm igitur genus eorum est, qui κεστρεῖ, siue νῆστεις dicuntur, à nostris samez. Alterum eorum qui κέφαλοι à capitis magnitudine, à Latinis capitones, à nostris cabotz. Tertium eorum qui μύξωνες siue μύζονες siue μύξινοι, à Liguribus maxons. Quartum eorum qui χελῶνες, à nostris chaluz nuncupantur. Eosdem autem esse qui & κεστρεῖς & νήστεις dicantur declarat parœmia κεστρεὺς νηστεύει: Cestreus ieiunat: cuius meminerunt Suidas & Athen. ex Arist. Chelones βάκχοι etiam dicti sunt teste Hicesio apud Athenæum loco antea citato: ὀνίσκοι quoque, id est, aselli, βάκχοι dicti sunt teste eodem Athenæo. Sunt etiam myxones bacchi siue banchi nuncupati. Plinius de felle piscium loquens: Item Banchi quem quidam myxona vocant. Sunt & cestrei plotes appellati. Athen. Καλοῦνται δὲ οἱ κεστρεῖς ὑπό τινων πλωτές, ὥς φησι Πολέμων, ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ ποταμῶν. καὶ Ἐπίχαρμος ἐν Μούσαις οὕτως αὐτοὺς ὀνομάζει. Sūt & murænæ πλωταὶ dictæ teste Archestrato

Ἰταλίαν δὲ μεταξὺ καὶ τῆς στενακύμονα πορθμοῦ Ἡ πλωτὴ μύραινα καλουμένη, ἄν ποτε ληφθῇ, ὠνοῦ.

Mugilum genera 4. 1. Cestreus & νῆστις idem. 2. Cephali. 3. Myxones. 4. Chelones. Chelones, alias Bacchi. Bacchorum nomen inconstans. Vide etiam infra in Chelone Banchi, Myxones. Cestrei Plotes.

Superfiunt alia duo nomina, quæ species mugilum ab alijs distinctas non efficiunt, sed vel epitheta sunt, vel synonyma, περαίας καὶ σαργῖνος. Περαίας, quem translitoranum interpretatur Gaza, est idem qui & κεστρεὺς & νῆστις dictus est: legendumque potius περαίας quàm παραῖος vel φεραῖος, vt apud Athen. citantem locum Arist. legitur. Locus est huiusmodi: Ἔστι μὲν ὁ κέφαλος, ὃν καλοῦσί τινες χελῶνα, πρόσγειος: ὁ δὲ περαίας. οὐ βόσκεται δὲ ὁ περαίας ἢ μύξαν τὴν ἀπ᾽ αὑτοῦ, διὸ καὶ νῆστίς ἐστιν ἀεί. Capito, quem alij labeonem vocant, litorib. gaudet, alter (eiusdem generis) translitoranus est. qui non nisi mucore vescitur suo. quamobrem semper ieiunus est. Quòd si quis hunc cum myxino eundem esse velit non repugno, præsertim cum dicat Arist. muco tantum suo vesci. Σαργῖνος verò, si mugiles species est, eundem esse cum ieiuno existimo. Arist. enim cum mugiles aliquot locis recenset tribus, scilicet myxoni, cheloni, cephalo, sarginū ieiuni loco annumerasse videri potest, cestreo pro genere posito. quibus in locis pro σαργῖνος mendosè σάργος in vulgaribus nostris codicibus legitur, emendationemq; nostram cum de sargo ageremus comprobauimus, ad quem locum prolixitatis vitandæ causa lectorem remitto.

Cestrei Plotes. Περαίας, idē qui cestreus & νῆστις. Sarginus, idē qui νῆστις.

Quare ad quatuor tantum species, mugiles omnes optimo iure reuocabimus. Primus mugil erit κέφαλος, capito. Alter cestreus, qui & νῆστις, & βάκχος, & περαίας (*atqui in sequentibus per aam, myxoni eundem facere videtur*) & σαργῖνος dictus est. Tertius χελών, labeo. Quartus μύξων siue μύζων siue μύξινος. Hi omnes in mari marinisq; stagnis nascuntur. Sunt & fluuiatilium non pauciores differentiæ. Iam de marinis ordine dicemus.

DE CEPHALO, RONDELETIVS.

QVI Κέφαλος à Græcis dicitur, Romæ & in tota ferè Italia seruata eâdem appellatione cephalo vocatur. A nostris seruato eodem etymo cabot, quasi capitatum dicas. Capite enim magno, crasso, latoque est. Vnde Euthydemus teste Athenæo dictum esse ait διὰ τὸ βαρυτέραν τὴν κεφαλὴν ἔχειν. Galli mullet vocant. A

Degit Cephalus maximè in marinis stagnis & fluminibus, squamosus est. Cubiti magnitudinem aliquando superat. Capite est maiore, latiore, sed breuiore quàm reliqui mugiles. Branchiæ huic sunt quaternæ: osseæ earum opercula, tumida. Oris scissura magna, sed in ventrem descendens. Os sine B

dentibus,

dentibus, labra tenuia. Oculi magni, mucagine quadam tenui obducti, palpebram eſſe diceres. Lineæ nigræ, à branchijs ad caudam extenduntur, minus quàm in labeone euidentes. Dorſum latum, nigricans, venter candidus. Pinnæ ad branchias duæ: totidem in ventre, minores. A podice vna, in dorſo duæ: altera ex aculeis conſtat: altera aculeis caret, ad caudam ſpectans. Peritonæum nigro colore perfuſum eſt. Hepar cum fellis veſica paruum, tanquam manu ventriculum amplectens. Fel rufum ſiue flauum, aqueæ conſiſtentiæ. Ventriculus longè alius eſt quàm in carniuoris piſcibus. carnoſus enim eſt, denſuſque inſtar ventriculi auium, foris planus, intus rugoſus, figura verticilli vitrei, quod mulieres fuſis appendunt. Ventriculi appendices magnæ, craſſæ. Inteſtina in gyros acta. In ijs latet ſplen, Cor angulatum. Sub pinna locus aere plenus.



G Non ſolus capito, ſed etiam alij mugiles menſe decembri concipiunt, geruntq; vtero tricenis dieb. Stagna noſtra ingreditur: in illis parit & hybernat perlibenter. quoniam à carne omnino abſtinens, limo, aquaq; dulci veſcitur: quibus ſtagna abundant, ob flumina ſubeuntia, & terræ purgamenta. Carne verò omnino non veſci demonſtrat ventriculi figura. Eſt enim ventriculus rotundus, parum capax, vt ne piſciculum quidem exiguum capere poſſit, in quo præter mucum nihil vnquam reperias. Vnde Pauſanias πηλαίας vocat. Et Ariſtoteles: Capitones omnes limo paſcuntur, quo fit vt grandes (*non grandes, ſed graues*, βαρεῖς) & ſordidi ſint. Piſcem nullum omnino vorant. Et quamuis in limo verſari ſoleant, efferunt ſeſe aliquando, vrinanturque, vt corporis ſordes abluant.

Ariſt. lib. 5. de Hiſt. anim. cap. 11.

Lib. 8. de hiſt. cap. 2.

F Aeſtate magis lutum olent. Hyeme & vere magis probantur: quippe cum ſtagna æſtate exiccentur ſalſioraque fiant, minoremque dulcis aquæ copiam contineant. Tum igitur limo putreſcente nutriuntur, marinique longè ſunt præſtantiores. Hiceſius apud Athenæum capitones cæteris mugilibus præfert. Commendantur apud nos qui prope montem Setium capiuntur in ea ſtagni parte quæ Tau vocatur. Locus enim ſaxoſus eſt, profundus, ſine limo, multæque ac puræ aquæ marinæ capax. Optimi ſunt, & qui in inſula Martegue nuncupata capiuntur. Inſalubres admodum qui Maſſiliç & in omnibus Liguſticis portubus, maximè prope magnas vrbes, vt Genuam, Neapolim, & in oſtio Tyberis. Omnium deterrimi qui Venetijs. Illic enim in aqua, ſtercoribus, omniq; ſordium genere referta degunt. Marini ſuauitate ſaporis reliquis præſtant. In marinis ſtagnis educati pinguiores ſunt, ſed ferè inſipidi. Fluuiatiles magis inſipidi, magiſq; putredini obnoxij. In noſtro ſtagno quotannis ferè circa Decembrem tanta mugilum captura eſt, vt ſalire neceſſe ſit, & toti Galliæ Narbonenſi ſuppeditare: Idque peropportunè, quoniam mox inſequitur tempus quo ſublatis carnium obſonijs, ſolis piſcibus eſt veſcendum. In meliorum autem inopia ſalſamentum hoc boni conſulimus, iuxta veterum prouerbium: Ἂν μὴ παρῇ κρέα, στερκτέον τῷ ταρίχῳ. id eſt, Si nō adſint carnes, ſalſamento cōtentos eſſe oportet. Ex ſalſis igitur optimi ſunt qui pinguiſſimi, ſed ſi diutius ſeruentur, fiunt rancidi. Fiunt à noſtris piſcatoribus mugilum ὠὰ τάριχα, id eſt, oua ſalita, & exiccata ſeruantur, quæ à bibacibus magno emuntur: deiectam enim appetentiam excitant, ſitim proritant, vinique guſtum iucundiorem reddunt: vulgus botargues appellat. Recens capito editur in iure albo coctus, cui vice anethi porriq;, ciues noſtri apij folia inijciunt: ruſtici cepis, allijſque condiunt. Editur etiam aſſus in craticula, oleo, omphacioque conſperſus, aut in ſartagine frixus. Farina bene ſubacta & piſta concluſus additis ſuauib. aromatis optimus eſt, & ob pinguem humiditatem ſatis diu aſſeruatur.

Oa taricha.

Apparatus.

C Cæterùm etſi aqua dulci capitones & reliqui mugiles delectentur, tamen à copioſioribus imbribus lædi certum eſt. Excęcantur enim facilè, mortuique interdum capiuntur. Id quod non ſolùm imbrium copię, ſed etiam frigiditati adſcribendum crediderim. Lapides enim habent in capite, maximéque in litoribus degunt.

D Capito adeò ſtupidus eſt, vt capite occultato totum corpus latere putet, autore Ariſtotele lib. 8. de hiſt. animal. cap. 2. (*Non de capitone priuatim: ſed de ceſtreo, id eſt mugile, ſicut Plinius quoque, eo in loco id tradit Ariſtot.*) Sic animantes omnes quæ multùm humidæ, parum calidæ, magnoque capite ſunt, ſtupidas hebeteſque eſſe videmus, vt de illis id dici poſſit: O quale caput, & cerebrum non habet.

DE CESTREO, RONDELETIVS.

A VT ſucci bonitate, ita ordine cephalum ſequitur κεστρεύς: qui mugil à Gaza Latinè dicitur, à noſtris ſame dictus eſt. Ceſtreus à ceſtro, quia teli modo publica Athenienſium pœna intret adulteros: eſt enim ceſtron miſſilis genus, quod Latini viriculum (*nam & terebram vulgò ita dicimus*) vocant: Hæc Hermolaus. Et κέστρον, inquit Suidas, genus erat teli Perſico bello inuenti. Caue autem ceſtreum cum ceſtra confundas, etſi à ceſtri miſſilis figura vtrique nomen poſitum ſit: ille enim à capitis, hæc à roſtri figura, vtraque figuræ teli ſimili, nuncupatur.

In annotat. in cap. 11. libri 5. Plinii.

B Ceſtreum cephalo ſimilem omnino, imò eundem eſſe diceres, niſi capite eſſet minore, & acutiore, lineaſque è branchijs ad caudam ductas breuiores haberet. Hepar illi ex albo rubeſcit, fel aqueum eſt. Caro mollior, laxior, minùs candida, minuſque pinguis quàm cephalo. Gulam habet: in appendicem longam

longam definit ventriculus, cum inteſtinis ſemper inanis. Lapides habet in capite, quod ex Dorione profert Athenæus: Τὸν δὲ κατὰ τῆς κεφαλῆς τοῦ κεστρέως ἐχῖνον, σφόνδυλον ὀνομάζει. Qui locus vt intelligatur, ſciendum echinum hic pro lapillo echinata ſpecie accipi, id eſt aſpero: quemadmodum etiam echinus præter alia ſignificata partem fræni ſignificat, orbiculum ſcilicet echinatum, quo coercetur equus contumax. Huiuſmodi lapidem σφόνδυλον appellat Dorion à ſimilitudine verticilli, quo mulieres fuſos aggrauant: id enim eſt Græcis σφόνδυλος vel σπόνδυλος: nam vtrunque dicitur. Inde etiam partes ſpinæ dorſi σπόνδυλοι nominantur. Sed & calculus æneus, quo ſuffragia ſua Athenis iudices dabant ſpondyli vocabantur, vt eſt apud Iulium Pollucem,

Echinus.



C Muco ſolum & aqua veſcitur ceſtreus, qua de cauſa ieiunus vocatur. Hinc parœmia, κεστρεὺς νηστεύει, ceſtreus ieiunat, quæ vel de famelicis & voracibus dicitur: (*vt annotauit Eraſmus,*) vnde & qui fame oſcitant κεστρεῖς dicuntur, & κεστρ[illegible], (*fortè κεστρῖνοι, vt Athenæus & Euſtathius habent: verbum κεστρ[illegible] nondum reperi*) quod cōuicium olim in Athenienſes iactum tradit Heſychius. vel de ijs qui vitam innocuam agunt, & ab inferendis iniurijs abſtinent, nec vllum emolumentum ex ſua innocentia ferunt, in qua ſententia eſt Athen. quoniam piſcis hic & cephalus minimè carniuori ſunt, neque mutua deuoratione victitant. nihil enim huiuſmodi in eorum captorum ventriculo inteſtiniſque reperitur: neque animantium carne pro eſca ad hos capiendos vtuntur, ſed offa panis, autore Ariſtot. Ventriculi enim figura, de qua proximo capite diximus, piſcium, aut aliarum huiuſmodi eſcarum deuorationi repugnat.

Ceſtreus ieiunat parœmia.

Lib. 7.

Lib. 8. de hiſt. anim. cap. 2.

B Denique os ipſum nullis munitum dentibus, quicquid dicat Eraſmus in explicatione prouerbij Ceſtreus ieiunat. Nam mugiles omnes dentibus carere ἀνατομία ipſa conuincit. Quamobrem locus ille Athenæi corruptus eſt, quem ex Ariſtotele citat: Ἐν δ' ἄλλοις φησὶν Ἀριστοτέλης, ὁ κεστρεὺς καρχαρόδους ὢν, οὐκ ἀλληλοφαγεῖ, ἅτε δὴ οὐδ' ὅλως σαρκοφαγῶν: id eſt, Ariſtoteles ait, ceſtreum, ſerratis dentibus cum ſit mutua deuoratione non victitare, vtpote qui carniuorus omnino non ſit. At neque ceſtreo neque mugili cuipiam Ariſtotelem dentes tribuiſſe comperias. Locus verò quem citare videtur Athenæus, eſt huiuſmodi. Ἀλληλοφαγοῦσι δὲ πάντες μὲν πλὴν κεστρέως, μάλιστα δ' οἱ γόγγροι. ὁ δὲ κέφαλος καὶ ὁ κεστρεὺς ὅλως μόνοι οὐ σαρκοφαγοῦσι. vbi dentium nulla planè mentio. Cum enim mugiles carniuori minimè ſint, quid dentibus opus eſt?

Mugilũ nulli dentes eſſe.

Lib. 7.

Lib. 8. de hiſt. anim. cap. 2.

D Plato teſte Athenæo Ceſtreos appellauit νήστεις, id eſt ieiunos. Eandem ob cauſam Oppianus iuſtiſſimos. Cæterum horum innocentia ab inimicis minimè tuta eſt: deuorantur enim mugiles à lupis, viuuntque etiam ſublata cauda, vt refert Athenæus ex Ariſt. libro de animalium moribus & vita. Idem etiam Ariſtoteles libro 9. cap. 2. de Hiſt. animal.

Lib. 1. ἁλιευτικῶν.

His omnibus atque adeò ſibiipſe repugnare videtur Ariſtoteles, quum ait: Λαίμαργος δὲ μάλιστα τῶν ἰχθύων ἐστὶν ὁ κεστρεύς, καὶ ἄπληστος. διὸ ἡ κοιλία διατείνεται· καὶ ὅταν ᾖ μὴ νῆστις, φαῦλος. Maximè omnium piſcium guloſus eſt ceſtreus & inſatiabilis. quare venter diſtenditur: & quando ieiunus non fuerit, iners eſt. Verum ſi iſtud attentius expendas, nedum non repugnans, ſed maximè ſuperioribus conſentaneum eſſe intelliges. Cùm enim Mugiles nihil ſolidi cibi capeſſant, neque etiam ſi velint, is in ventriculum influere poſſit: neceſſe eſt omnino, vt vel limum vel mucum, vel aquam ſubinde ingerant atque intrudant, quo refici ſuſtinerique poſſint: quoniam quæ liquida ſunt, citius permeant nutriuntque, ac velocius excernuntur. Quare frequentius cibum ſumere coguntur, qui huiuſmodi veſcuntur cibis, ſicuti & ij qui lubrica ſunt aluo. Contra quæ craſſa, denſa ac ſolida, tardius pertranſeunt: hærentque diutius ac firmius, atque diſſipatu difficilius nutrimentum partibus corporis ſuppeditant. His igitur qui veſcuntur, diutius famem ferre poſſunt. Quæ certiora ſunt, quam vt longiore oratione demonſtrari debeant. Quemadmodum verò guloſos inſatiabileſque mugiles efficit cibus liquidus frequentiſſimè ingeſtus, vt mucus vel aqua: ita etiam ſalaces, vt opinor, ob flatuum, quos is cibus gignit, copiam Plinius lib. 9. cap. 17. Mugilibus tanta ſalacitas, vt in Phœnice & in Narbonenſi Prouincia coitus tempore è viuarijs marem linea longinqua per os ad branchias religata emiſſum in mare, eademque linea retractum, fœminæ ſequantur ad litus: rurſusque fœminam mares partus tempore. Hac libidinis veluti eſca, ad mugiles capiendos vtuntur piſcatores: quā capiendi rationē deſcripſit Op. lib. 4. ἁλιευτικῶν.

C. De cibo & voracitate ipſorum.

Salacitas.

C Parit mugil maximè qua flumina ingrediuntur in mare. Mugil inter primos partum accelerat, inquit Ariſtoteles: parit enim hyeme. Vehementi motu cietur ceſtreus, donec pepererit: à partu quieſcit. Amnes ſubit, teſtibus Ariſtotele, Strabone, Galeno, Plinio. Idem nos experientia docet. Nam in Garumna, Rhodano, Sequana, Ligeri capiuntur.

Lib. 5. de hiſt. anim. cap. 17.

E Magna mugilum copia, in ſtagno noſtro capitur: quod etiam annotauit Plinius, quo loco narrat, quonam pacto homines cum delphinis mugiles piſcentur. Et nos vidimus mugilum luporumque capturam vno retis ictu centum aureis coronatis vęniſſe.

Lib. 9. cap. 8.

D Quin & ſaltu retia aliquando tranſilijſſe vidimus. hac enim ratione euadunt, & vitæ ſuæ conſulunt, quod etiam eleganter deſcripſit Oppianus:

Lib. 3. ἁλιευτικῶν.

Κεστρεὺς μὲν πλεκτῇσιν ἐν ἀγκοίνῃσι λίνοιο
Ἑλκόμενος, δόλον οὔτι παρέδρομον ἠγνοίησεν.
Ὕψι δ' ἀναθρώσκει λελιημένος ὕδατος ἄκρου
Ὀρθὸς ἄνω ἀΐσσων, ὅσον σθένος ἅλματι κούφῳ
Ὁρμήσαι, βουλῆς δὲ σαόφρονος οὐκ ἐμάτησε:
Πολλάκι γὰρ ῥιπῇσι καὶ ὕστατα πείσματα φελλῶν
Ῥηϊδίως ὑπερᾶλτο, καὶ ἐξήλυσε μόροιο,

Ventri.

G Ventriculus mugilum (*nam & ipse ad concoctionem iuuandam, cum animal sit insatiabile, modo auium ventriculi compositus & crassiusculus est*) in cinerem redactus, & in cibo sumptus, ventriculi exoluti vires non minus reficit, quam ventriculi gallinarum pellis interna. Corroborat enim, & redundantem humiditatem absumit. Idem præstat in furno siccatus, ablutusque vino albo & aqua absinthij vel menthæ. Elixus in vino, & ex aceto sumptus vomitum compescit. Idem efficiunt intestina sublato pingui. Nam omne pingue ventriculum laxat. Lapides in cerebro reperti aduersus nephritidem valent. (*Inueniuntur in banchi pysce capite ceu lapilli, hi poti ex aqua calculosis præclare medentur, VVottonus.*) Fel aduersus oculorum suffusiones, estque minus acre quam pastinacæ, draconis aut scorpij fel.

DE MYXONE, RONDELETIVS.



A Mvcronem quem à muco appellauit Gaza, eadem ratione Græci vocant μύξονα, siue μύξωνα, siue μύξινον, à nomine μύξα, quæ nihil aliud est quàm mucus, & pituitosus humor. Galenus in commentarijs in Aph. Hippocratis: Ἀθροίζεται πολλάκις ἐν τοῖς ἄρθροις χυμὸς φλεγματώδης, ὃν ὀνομάζει μύξαν. Aceruatur sæpe humor pituitosus in articulis, quem μύξαν nominat. Aristoteles: Οὐ βόσκεται δὲ ὁ περκίας, ἢ μύξαν πλὴ ἀπ' ὀπτ. (*Nos hæc verba aliter legimus, etsi eodem sensu.*) Peræas muco tãtum suo pascitur, (vnde huic pisci nomen.) (*Superius per eam eundem cestreo & nest. dixit: hic myxoni eundem fucere videtur.*) Plinius Græcam vocem retinuit: nam myxona vocat. Prouinciales & Ligures maxon. Nostri communi vocabulo muge.

Lib. 6 aphor. comment. vltimo.

Lib. 3. cap 7.

F Sapore succique præstantia capitoni & cestreo postponit Hicesius apud Athenæum. Ἄριστοι δὲ εἰσιν οἱ κεφαλοί, καὶ στερεὸς πλὴν γεύσει, καὶ στερεὸς πλὴν ὀλίγον χυλίαν: δεύτεροι δὲ εἰσὶ τῶν οἱ λεγόμενοι κεστρεῖς, ἥκιστα δὲ οἱ μύξινοι. Caue autem ἥκιστα referas ad corporis magnitudinem: certum enim est hic succi bonitatis collationem

Lib. 7.

(B) fieri, non quantitatis. Est enim myxon cestreo omnino similis, sed magis mucosus, capite minus acuto, carne magis glutinosa. Easdem partes internas habet quas cestreus.

Bacchus. Indum. Capitonus & Mugil.

I Bacchum vocatum fuisse prius diximus, fortasse quia caput quodammodo rubescat circa labia & branchiarum opercula, soleantque bacchos ebriosos vocare: vel quia natando, huc illucque temere ferantur ebriosorum more. Locus est Dorionis apud Athenæum. Δ αφίησιν τε φησὶ κεφάλη κεφαλῖνοι, ὃν καὶ βλέφιλον καλοῦσι· qui quidem locus cùm me diutius torsisset, neque de eo certi quicquam ab vllo extorquere potuissem, venit tandem mihi in mentem βλεφίλαν mendosè legi, cum nusquam alibi vocabulum hoc reperissem, neque vlla ratione ab aspectu mugilem vllum βλεφίλαν possis appellare. Quare prorsus dicendum credideram, quod cephalo capitis magnitudine ferè par sit, eoq; minus acuto quam cestreus, & pro βλεφίλαν legendum βλεννὸν vel βλεννώδη, id est, inertem vel mucosum. Idem significat βλέννα quod μύξα, vt scribit Galenus: Μεγάλη δ' πίσις τ' ὀρασιότητος τὴ κατ' αὐτὰ τὰ μόρια σκεπάσματ@, καὶ ἡ παλάβρα τ@ ὑγρ@ κατὰ τὰ βλέννας ἀθροίζομένων ἀπὸ τῶν ἡμάτων ἀθρόα κένωσις, ἃ δὴ βλέννας μὲν οἱ παλαιοὶ καὶ κόρυζαν ὀνομάζουσι, μύξας δὲ οἱ νεώτεροι. Non absurdè igitur βλέννω vel βλεννώδης (hic piscis) à βλέννα, vt μύξων à μύξα dici poterit. Si quis tamen certiora, & huic Athenæi loco accommodatiora adferre potuerit, libenter ei assentiar.

Lib. 2. de vsu part. cap. 6.

DE CHELONE, RONDELETIVS.



A Χελῶνη sive χελὼν Græcis, Labeo Latinis, Ouidio labrus, (*Vnde tamen etiam an labrus Ouidij Chelon sit, dubitat. nos suprà in Melanuro ostendimus, labrum inter Ouidianos pisces apud Plinium, perperam pro melanuro legi*) nostris chaluc.

B Piscis est cephalo similis, capite paulò minore, oculis prominentioribus, sine pellicula illa molli, veluti pituita concreta, quam veluti palpebram habet capito. Lineas nigricantes à branchijs ad caudam

(A) æqualibus spatijs distantes, protensas habet, vnde vergadelle à quibusdam vocatur. Labra crassa, spissa, prominentia, vnde χελῶν@ & labeonis nomen. Partes internas capitoni similes habet, nisi quòd capitonis fel magis flauescit.

Limo

Limo vescitur, nec admodum pinguescit, vt cestreus. Quamobrem ieiuni epitheton non solùm cestreo, sed etiam reliquis mugilibus conuenire potest: omnes enim à carne abstinent. C

Labeo, quantùm ad succi bonitatem suauitatemque attinet, omnibus posthabetur. Hicesius apud Athenæum, Καταδεέστεροι δὲ πάντων οἱ χελῶνες. Omnium infimi sunt labeones. Quod verò sequitur οἱ λεγόμενοι βάκχοι: εὔχυλοι δὲ εἰσι σφόδρα, καὶ ἁπολύτροφοι, καὶ ὀλίγκελτοι: si ad chelonas, qui & bacchi dicuntur, referas, locus constare non potest. si enim chelones omnium deterrimi sunt, quî fieri potest, vt sint & boni succi & excretu faciles? Quare sic legendus locus videtur. Καταδεέστεροι δὲ πάντων οἱ χελῶνες, οἱ δὲ λεγόμενοι βάκχοι, εὔχυλοι, &c. vt alij, scilicet vel capitones vel myxini dicantur bacchi. Nam autore Plinio myxones dicti sunt banchi: qui quamuis capitonibus cestreisque postponantur, tamen non sunt deterrimi, vt labeones, sed satis boni succi & excretu faciles. Quanquam bacchi vel banchi nomen in plures competere in superioribus ostendimus. F *Bacchi.*

DE MVGILE ALATO, RONDELETIVS.

Posset mugil alatus siue volans, cum hirundine & alijs volantibus depingi & describi. Sed quia & corporis figurâ, & victus ratione planè mugil est: ideo mugilibus alijs subiunxi. Delatus est ad me frequenter ex ea parte maris nostri, quæ Rhodanum excipit. Misit etiam ad me aliquando Franciscus Valeriola, vir optimus, & medicus doctissimus, pro hirundine marina, quòd se extra aquam efferat volerque. Neque me latet Romæ etiam pro hirundine haberi & Rondola vocari: quem verò pro hirundine exhibebimus miluum credi & vulgò dici miluo. Sed hæc falsa sunt, & à veterum sententia aliena. Nam Speusippus apud Athenæum similes esse ait, cuculum, hirundinem, mullum, vt clariùs ostendimus in Hirundine. Quare cùm istì à nobis hic depicto pisci nulla planè sit cum cuculo, aut mullo similitudo, sed planè mugil sit, & figurâ & victus ratione, longissimus pinnis, quas alas vocant, solùm additis, mugilem alatum appellare oportet, & ab hirundine distinguere. Agathenses falconem marinum vocant. *Ordinis varijs.* *A, Hirundo mar.* *Libro 7.*



Piscis est marinus, litoralis, maris stagna aliquando subit, cubiti magnitudinem attingit, cestreum corporis habitu, colore, figurâ planè refert, pinnis caudaq; exceptis. Os illi paruum, maxilla inf. rior superiore maior. Dentibus caret. Oculi rotundi sunt: & magni. Caput dorsumq; latiusculum mugilum modo. Squamis tegitur magnis. Pinnæ quæ ad branchias sunt longissimæ latissimæq, ad caudam vsq; pertingunt. Ventris pinnæ inferiore loco quàm in alijs sitæ magnæ sunt ad caudam vsq; extensæ. Alia est parua à podice, cui quæ suprapositæ est, magnitudine par est. Cauda in duas pinnas desinit, inferior superiore melior est, contrà quam in vulpe, aut sturione. Lineam non à branchijs, vel à capite, aliorum piscium instar, sed è pinnis ventris ad caudam ductam habet. Internæ partes, huic omnino eædem sunt, quæ reliquis mugilibus. B F

Carne quoq; & succo similis est.

DE MVGILIBVS STAGNI MARINI, RONDELETIVS.

Mvgiles in mari, in fluuijs, in stagnis capiuntur, teste etiam Aristotele. Οἱ μὲν γὰρ κεστρεῖς, ὅσοι τῆς θαλάττης ἀναβαίνουσιν εἰς τε τοὺς λίμνας, καὶ τοὺς ποταμούς. Hi figura à sese non differunt, sed sapore & succo. Nam quamuis omnes, siue in mari, siue in fluuijs, siue in stagnis, carne abstineant: tamen stagnorum Mugiles pinguiores sunt: marini sicciores, sed saporis gratioris: plus enim sordium & limi in stagnis est quàm in mari, ob id libentissimè in stagna se recipiunt. nulliq; ferè pisces in stagnis frequentiùs reperiuntur quàm Mugiles: neq; tutiùs alibi viuunt, velut factis inducijs cum Lupis capitalibus hostibus, statoenim tempore congregantur, & coeunt in gregem hyemis tempore quum stagna subeunt. C *Vbi. Lib. 8. de hist. cap. 4.* (F)

Sale conditi Mugiles diu asseruantur. F

DE MVGILE NIGRO, RONDELETIVS.



B VNDIS noſtris incognitus eſt, & rarus admodùm piſcis, quem hîc expreſſimus: ſquamoſus eſt, mugili corporis ſpecie valde ſimilis, ſed totus ater, lineasq; nigras à branchijs ad caudam productas habet: eam ob cauſam mugilem nigrum vocaui. Maxillam inferiorem valde diductam habet, ob id valde hiante eſt ore. Septem octóue aculeos in dorſo gerit, à ſeſe diſcretos, nulliq; membrana connexos, quos pinna parua ſequitur.

Hunc piſcem mihi depingendum dedit Piſis Portius, vir in Philoſophia ſummus, & qui cum excellenti doctrina ſingularem humanitatem coniunxit, nec huius ſolùm, ſed etiam multorum aliorum videndorum copiam fecit, quo nomine magnam illi perpetuò gratiam ſum habiturus: liberalis enim eſt & ingenui hominis, fateri à quo beneficium acceperis.

DE MVGILIBVS FLVVIATILIBVS IN *genere, Rondeletius.*

IN fluuijs Mugilum genera duo reperiuntur, vnum eorum qui relicto mari illuc ſubierunt, & ſæpius in eorundem oſtijs capiuntur, id quod in Garumna, Ligeri, Rhodano, alijſq; multis fluminibus perſpicere licet. Alterum eorum qui in fluuijs naſcuntur & perpetuò viuunt, de quibus nunc loquimur. Sunt qui Κέφαλον genus Mugilum omnium ſiue marinorum ſiue fluuiatilium conſtituunt, vt Galenus. Alij leuciſcum, inquit idem Galen. Mugilem tantum fluuiatilem faciunt à Cephalo diuerſum. Hiceſio apud Athenæum Leuciſcus Mugilum omnium genus eſt. Sed de hac nominum varietate ſatis multa diximus alibi. Ac quemadmodum Mugilum marinorum genera plura eſſe docuimus, ita nunc eorum piſcium ſpecies aliquot proponemus, quæ non niſi ad Mugilum naturam referri poſſe mihi videntur. ſunt enim qui ſucco, colore, corporis aſpectu ſimiles, capite tantum & roſtri figura differunt, quemadmodum marini inter ſeſe. De quibus deinceps dicemus.

Lib. 3. de alim. facult.

DE MVGILIS FLVVIATILIS QVADAM SPECIE, RONDELETIVS.



FREQVENTISSIMVS eſt piſcis in riuulis & fluuijs labentibus ex montibus Cemeneis, qui à vulgo Siego vocatur. Hunc ad aliud quàm ad Mugilum genus reuocare non poſſum: quemadmodum nec piſciculum illum qui à Lugdunenſibus Fritou & Friteau nominatur, qui ſuperiori ferè ſimilis eſt, ſed minor. palmi enim longitudinem vix ſuperat: ſuperior in Arari, & in alijs etiam aquis, etiam cubitalis eſt. Hic corporis aſpectu Mugilibus (*fluuiatilibus*) ſimilis eſt: nec non pennis, (*pinnis*) earum numero, ſitu, cauda, partibus internis. Roſtro eſt acutiore, ſine dentibus. Idem cum inferiore, qui in Arari frequens eſt, victus ratione, carnis mollitie & ſucco maximè conuenit.

DE CEPHALO fluuiatili, & duabus Leuciſci ſpeciebus fluuiatilibus, Rondeletij verba recitauimus ſuprà, Elemento A. in Albis piſcibus.

DE CEPHALO SEV MVGILE, BELLONIVS.

A Etſi permulta authores Cephalorum genera tradiderint, tamen vna tantum ſpecies vulgò nobis eſt cognita, quam Galli (etymo fortaſſis à Mugile deducto, quem Maſſilienſes Vn Muge appellant) vocant *Vn Mulet*. Græcum vulgus Cephalum maiorem (ex quo Botarghæ fiunt) Coclano vocat. Veneti *Una Cenola*. Ariſtoteles primum Cephalum, deinde Chelonem, poſtea Sargum, poſtremò Myxinũ nominauit. Padi

Padi accolæ Cephalos grandes Mieſine vocant, voce ad Myxinum aliquantulum accedente. Stœchadum vulgus Vergado: Maſſilienſes Calug. Quanquam autem Cephalus multas habeat ſpecies, tamen marinorum duæ tantum eſſe creduntur, Cephalus ſcilicet & Ieiunus. Qui ad oras Padi agunt, eos varijs nominibus pro magnitudine appellant: Caneſtrellos enim minimos, quos in caniſtris ferre ſolent, Græcum vulgus Gillaros nominat. Alios quoque Baſtardos, medios inter maiores & minores. Alios Letreganos cæteris paulò latiores. Boſeguas alios, mediam magnitudinem inter Letreganum & Mieſine ſortitos. Sed quum omnes peculiari differentia ab vna ſpecie non multum alieni ſint, auſim proferre Auſonium eundem (*Cephalum ſeu Mugilem*) Capitonem vocauiſſe: cuius hæc ſunt carmina:

Squameus herboſas Capito inter lucet arenas, Viſcere prę teneris fartim congeſtus ariſtis,
Nec duraturus poſt bina trihoria menſis. (*Atqui Capito Auſonij fluuiatilis non marinus eſt: de quo in C. elemento ſcripſimus.*)

Oppianus de Mugile: In pelagi populis nôrit qui paſcua, ſolum Ingenio mitem Cephalum, iuſtumq; vocabit. D

Non gaudet ſaxoſis, ſed maritimis paludibus, & fluuiorum oſtijs, vbi copia influit dulcis aquæ. Acutiſſimè audit, tamen interdum dormiens fuſcina capitur. C

Ventriculum habet auium modo carnoſum: ex cuius altera parte plures exeunt appendices. B

Optima eorum Mugilum caro (inquit Galenus) qui in puro mari viuunt, præſertim ſi ventorum flatibus agitetur. F

Inter cæteros piſces Cephalus maximè vtranque aquam perfert, marinam ſcilicet & dulcem: & hanc habet naturam, vt aduerſo flumine natans quàm longiſſimè à mari diſcedat. C

COROLLARIVM.

1. *De Mugilibus in genere.*
2. *De ſpeciebus eorum diuerſis, & quibuſdam innominatis, & aquarum dulcium.*
3. *De Cephalo, ſpecie vna.*
4. *De mugile vel ceſtreo, ſpecie. Multa inter im*
tum in cephalo, tum in mugile, toti huic piſcium generi communia depromuntur.
5. *De labeone, qui & bacchus ſeu banchus alias dicitur, &c.*
6. *De Myxino.*

I. DE MVGILIBVS IN GENERE.

Diuerſa mugilum & cephalorum nomina, modò tanquam genera, modò tanquam ſpecies vſurpantur, vt Rondeletius docet. quare ſi quis pleniùs horum omnium & ſingulorum naturam noſſe voluerit, perlegat atque conferat inuicem omnia oportet. Dorion κεφάλους marinos & fluuiatiles facit: ac rurſus marini ſpecies duas κέφαλον καὶ νῆσιν. Hiceſio leuciſcorum genera quatuor ſunt: optimi (in cibo) cephali, tum ſapore, tum bonitate ſucci. deinde ceſtrei, tertio myxini: peſſimi chelônes, qui bacchi dicuntur, &c. ſed Rondeletius bacchos potiùs myxones eſſe putat. Inuenio & σφλωεῖς & δακτυλεῖς, alibi δδακτυλας, mugilum ſpecies haberi. Cephalus πρῳραῖος, id eſt tranſlitoranus, ſic dicitur ad diſcrimẽ chelonis litoralis piſcis. vterque enim genere cephalus eſt: πρῳραῖος verò, ceu adiectiuum, differentiæ vocabulum. Mugil videtur generale nomen ad cephalum & ceſtreum: Gaza ad ceſtreum contraxit. Faſtaleon (corruptum, à cephalo fortè (piſcis ſolus, non attingit genus ſuum, cum cæteri ſe mutuò vorent, Obſcurus. Mugiles etiam nunc à Gallis appellantur: (*Rondeletius cephalos tamdiu ſpectem vnam, vulgò mulets vocat ſi ribit:*) Veneti omne mugilum genus cephalos nominant, Gillius. Vulgus circa Venetias Cieuali, Scieuoli, Seboli. aliqui etiam tragani. Mugil vel cephalus à noſtris Germanicè appellari poterit, *eine Meerle*. nam & eum piſcem quem noſtri vocant *Alet*, Auſonius capitonem vocat, Irali ſqualum quaſi cephalum. Scio Anglos à Gallis mutuatos mugilem vocare *a mullet*, & Albertum Germanico nomine *Hardere*: (Flandros *Mullenaer*:) ſed hoc nobis inſolens, & ignotæ ſignificationis eſt, illud originis Latinæ, & Gallis vſitatum. *Hardeven* piſcis quem Galli Mullettum vocant, (inquit Albertus Magnus (lati capitis, dulciſſimæ carnis, vnde dicitur mullus (*fallitur. eſt enim mugil, non mullus*) quaſi mollis, quia tener eſt & dulcis. Eidem Mulus eſt piſcis, quem non gignit (inquit) niſi Septentrionalis Oceanus qua vergit ad Occidentem. Cuius plura ſunt genera. Vnum paſcitur alga & oſtreis, ignobilius. Alterum his quæ in ſereno in litoribus naſcuntur, quod varium eſt & delicatius.

Mugil (ipſe Mullus ſcribit, imperitè) piſcis eſt lati capitis in craneo, & palmi & dimidij, Albertus. B

Mugiles capiuntur in litore noſtri maris, Albertus. Cephalus chelon prope paludes maximè victitat, aut ad fluuiorum oſtia, &c. Ariſtoteles puto recitante Vuottono: Euthydemus & Dorion hæc non de cephalorum, ſed mugilum generibus referunt, ſed variè, Vuottonus. Sunt qui omne mugilum genus ſponte oriri opinentur: ſed non rectè: nam & oua, eorum fœminæ, & ſemen genitale mares habere cernuntur. Verùm genus quoddam eorum eſt, quod non coitu, ſed ex limo, arenaue enaſcatur, Ariſtot. Ieiuni epitheton non ſolùm ceſtreo, ſed etiam reliquis mugilibus conuenire poteſt. omnes enim à carne abſtinent, Rondeletius. Paſcuntur limo cephali omnes: διὸ βαρεῖς καὶ βλεννώδεις εἰσί: quo fit vt graues ſint & ſordidi, Cælius Rhod. (*ex Ariſtotele: qui ſub ceſtreo cephalum ac alios complectitur. & cephalum vnum ſub ſpeciei dimidit.*) Ariſtoteles 8. 2. πλαγκτεύς, id eſt mugil omnis (inquit) fuco & alga alitur: cephali autem limo, κέφαλοι δ' ἰλυοφαγοῦσι καὶ φυκοφαγοῦσι, (lego ἰλύν.) Et ibidem: Οἱ δὲ κέφαλοι, καὶ ὁ ὑαιτρεὺς ὅλως, μόνοι ἀκάνθῃ βαχύουσιν. id eſt, Cephalus & ceſtreus in vniuerſum, ſoli piſcium carnibus abſtinent. Mugiles veſcitur alga (μυῶσι) & limo: & ſua inuicem corpora lambunt, Oppianus. Mugiles omnes carne omnino abſtinent, cuius rei argumentum reddit Ariſtoteles octauo de hiſtoria, quod neque in ventre tale quid vnquam habentes capiuntur: neque eſca in eos ex carne vtimur, ſed offa panis. Nos verò terræ inteſtinis maritimis hamis affixis piſcamur eos, Maſſarius. In vniuerſum mugiles ſunt velocitate admirabili: vt ſagittæ arcu emiſſæ, quum laſciuiunt, vel retia ſaltu tranſuolant, eſſe videantur. E mari aliquando omnes, & ex fluuijs ipſa maria ingrediuntur, Ionius.

D Mugiles gregarij sunt, Albertus. Animal est minimè maleficum: vtpote quod alga tantùm ac herbis, atque his quę in profundo vado ac ripis sunt quisquilijs nutriatur. propterea cæteri pisces qui minimè in alios grassari solent, mugilem vt sanctum ac optimum in honore habent & venerantur, Iouius. Vide etiam infrà in Corollario de Capitone C.

E Terrę intestinis maritimis hamis affixis mugiles piscamur, Massarius.

F Dulcissimæ carnis est piscis, mollis, tener & dulcis, Albertus.

H.f. Pythagoras cum alijs piscibus, tum mugilibus abstinebat. Vide in Lupo f. Antiphanes poëta suo ęnigmate à melanuro & mugile cauendum suasit: hoc est ab improborum commercio, Gyraldus. Vide suprà in Melanuro in prouerbijs.

II. DE FORMIS MVGILVM DIVERSIS, ET QVIBVSDAM *innominatis, plerisque aquarum dulcium.*

Oxyrynchus. Leuciscus. Mugilis nascitur in mari, lacubus & fluuijs. fluuiatilis alio nomine oxyrynchus dicitur, Diphilus. Vide in Oxyrynchο, Elemento. O. Leucisci nomen Hicesio genus omne mugilum comprehendit: Galeno piscis est suę speciei, fluuiatilis & lacustris, &c. Lege suprà inter Albos pisces, Elemento A. in secunda leucisci specie ex Rondeletio, eum piscem nostri *Laugelen* appellant: Galli Vendosiam, vt primam Leucisci fl. (sicut Rondeletius distinguit) speciem, nostri *Schvval*: Galli Gardon: vnde Bellonius videtur motus, vt sargum (*legendum erat sarginum*) è mugilum genere à veteribus eundem piscem dictum existimaret. at sarginus marinus est, idem cestreo cum pro specie vna sumitur, vt Rondeletio videtur. *Sarginus.* Est & alius fluuiatilis mugil, quem Nasum vulgò appellant, a labris superioris crassitie. Est & cephalus, id est capito fluuiatilis, in Capitone expositus, Elemento C. *ein Alet* nostris. & alia eiusdem species minor, *ein Hasel*: descripta cum Albis piscibus. Mugilis est piscis velox in fluminibus. æstate concors cum lucio, propter cibi abundantiam: hyeme verò inimicus, propter eiusdem inopiam, Albertus, qui pro lupo lucium imperitè posuit. Veteres marino non fluuiatili mugili, & velocitatem, vt in retibus transiliendis, & æstiuam cum lupo concordiam, &c. tribuerunt: vt nihil sit quod Albertus hîc dicit: neque notaturus ego fuissem, nisi in ipso pisciũ catalogo scripta hęc verba, eiusmodi mihi visa essent, præsertim propter lucij mentionem, vt incauto alicui imponere potuissent. Dorion cestreum fluuiatilem non probat, Athenæus. videtur autem cephalum fluuiat. id est capitonem Ausonij ita vocare. Cephalum inuenio etiam inter Strymonis fluuij pisces nominatum à Bellonio. Mugilibus quos lacus Sipharum gignit binæ pinnę iuxta branchias hærent, Aristoteles. An sunt hi mugiles potiùs ex anguillarum genere? Vuottonus. Animalia quædam verme nascuntur: tum exanguia, quę non ab animalibus gignuntur: tum etiam sanguinea, vt mugilum genus quoddam, & aliorum fluuiatilium piscium. ad hęc, anguillarum genus, Aristot. Et alibi: Mugilum generis pisciculi, qui per coitum alioqui procreantur magnitudine halecule paruę, sponte nati aliquando reperti sunt, stagnis sub canis ortu resiccatis, & limo iam arido, vbi primum imbribus restagnare loca inciperent. Et rursus: Mugiles aliquos non coitu, sed limo arenâue nasci constat. Idem alicui videri posset piscis, quem obscuri quidam authores Alphoram nuncupant, is enim piscis (inquiunt) non gignitur (per coitum) sed loco limoso, vbi deficit aqua, ex ipsius luti putredine in modum vermiculi creatur. postea cum ascenderit aqua, crescit in piscem. durat autem modico tempore, citoque dissoluitur. Sed hic apua est, non mugil: quod ex apuarum historia constabit. *Alphoram.* Mugilum & męnarum fœtura est genus quoddam aphyę, Aristot. Mugilum genus quoddam in fluuijs lutulentis nec mas, neque fœmina est, Idem de generat. 2. 4. Græci hodie mugiles minimos, gillaros nominant, Bellonius. Idem in obseruationibus suis Gallicè æditis: Circa lacum Conium (inquit) vel Pisciacum, qui à Siderocapsa dimidij diei itinere abest, à Thessalonica bidui: vidi in forum adferri pisciculos quosdam marinos, captos ad ostium parui cuiusdam fluuij: quos Gręci nominabant Cyllari. ego eos esse putabam, qui ab Euthydemo Gelarij dicuntur. *Gelarii.* sunt autem exigui mugiles, qui ab incolis Propontidis Cephalopola nominantur. Ego gelarios nullos in mugilum genere veteribus memoratos inuenio. sed gelarias (à recto γελαρίης) qui & galariæ, & chellaræ, &c. vocantur, inter Asellos: vt pluribus ostendi suprà Corollario 1. de Asellis, sed quærendũ diligentius an Cyllari illi Græcorum non magnitudine solùm & ætate à cephalis differant, sed sui sint generis, nempe chelônes à veteribus, etiam ipsi πρόσγειοι.

Liparis marinus piscis corporis habitu & victus ratione mugilibus similis, descriptus est suprà, L. elemento. Alias quasdam mugilum species mox post Corollarium de Cestreo describemus.

Mugilem alatum Rondeletij, Bellonius pro hirundine accepisse videtur.

III. DE CAPITONE, SEV CEPHA*lo marino.*

A De mugilibus in genere quædam diximus paulò antè: deinde etiam de varijs mugilum differentijs, & ijs quoque qui in dulcibus aquis degunt: vtrobique est quod ad capitones pertineat, non amplius repetendum. Κέφαλοι, τῶν κεστρέων τινὲς οὕτως καλοῦνται, Hesychius & Varinus. Cephalorum genera duo sunt Aristoteli, &c. libro 8. historiæ, capite 2. vbi contextus orationis malè distinctus sic legi debet. Ἔστι δὲ ὁ μὲν κέφαλος, ὃν καλοῦσί τινες χελῶνα, πρόσγειος· ὁ δὲ, περαίας. οὐ βόσκεται δὲ ὁ περαίας, ἢ μύξαν τὴν ἀφ' αὑτοῦ. διὸ καὶ νῆστις ἐστὶν ἀεί. Hoc est, Cephali genus illud, quod aliqui labeonem appellant, litorale est, aliud verò translitoranum, (*hoc est longiùs a litoribus degit, Vuottonus:*) & hoc non aliunde quàm suo muco victitat: quare etiam semper ieiunum est. Inde videtur περαίας, non esse substantiuum certi cephalorum generis nomen, vt neque translitoranus apud Latinos, sed differentiæ loci vocabulum. opponit enim Aristoteles πρόσγειον, & περαίαν: aut si pro nomine alterius speciei cephalorum vsurpetur, quoniam nomen aliud ea species non habet: non tamen erit idem hic piscis qui κεστρεὺς & νῆστις, vt Rondeletius putauit. neque enim quòd semper νῆστις, id est ieiunus reperitur, (vt scribit Aristoteles) ideo κεστρεὺς erit: de quo extat prouerbium, Κεστρεὺς νηστεύει: cùm in eo prouerbio κεστρεὺς ceu generis nomen accipi queat. Rondeletius quidem ieiuni epitheton mugilibus omnibus conuenire posse fatetur, cum omnes carne abstineant. mihi verò imprimis cephalo peræo congruere id verisimile fit, qui suo tantùm muco victitat: cæteri enim algis aut limo vescuntur. hic pręcæteris & est & dicitur νῆστις. Porrò Doriõ cestrei marini species duas faciens, cephalum

cephalum & nêstin, alium fortè nêstin intelligit. Μύξινος quidem an idem cum peræa sit dubitari potest: quod si idem est, cùm à muco denominetur, quo peræas alitur: duæ cephali species solũ fuerint: cephalus ipse scilicet translitoranus, idemque myxinus: & litoralis chelõ. Sed magis placet diuersos esse, myxinum & peræam myxa victitantem: nam & Hicesius distinguit, leuciscorum species quatuor statuens, cephalum, cestreum, myxinum, & chelonem: & Arist. ipse libro 5. historiæ, cap. 11. Locus ex Arist historiæ 8. 2. iam recitatus, apud Athenæum lib. septimo repetitur, sed admodũ deprauatus. Pro περαίας aliâs περαῖας legitur, aliâs φεραῖος, hoc omnino deprauatum, illud tolerari potest. Περαῖος simpliciter est trans locum aliquem situs: περαίας verò qui non semel, aut rarò aut aliquoties: sed semper vel vt plurimum in eo sit loco. Sic differunt etiam ὠχρὸς, ὠχρίας: ἐρυθρὸς, ἐρυθρίας. Cephali nomẽ modò genus omne mugilum comprehendit, vt Galeno: modò speciem vnam sub cestreo comprehensam significat, vt Arist. Et hæc species rursus alias sub se duas complectitur, peræam (qui & ipse forsan sæpe simpliciter, cephali, id est generis proximi nomine nuncupatur, cum proprio careat) & chelonem vt dictum est. Capitonum genus quod translitoranum vocant, etiam mucore viuunt suo, Plutarchus in libro Vtra animalium. Scholiastes Aristophanis κεστρέα cum cephalo cõfundit. Cephali barbara & corrupta nomina apud Albertum & alios inuenio hęc: Fastaleon, Corez, Kalaos. Capitones Massilienses Calugos: in sinu Adriatico Capitellos, siue Capistellos à capitis magnitudine nominant, Gillius. Capitonem quidam Gallicè Testart interpretantur: sed id nomen capitoni Ausonij, qui fluuiatilis est, conuenit. Quidam Illyricè Czypo. Nomina eius Germanica petes ex Corollario I. De Mugilibus in genere inscripto.

B Labrax (id est Lupus) similis est cephalo, Kiranides. Paulus quoque Aegineta cephalo lupum similitudine comparauit. Thymalus piscis lupi & cephali communem & mediam speciem similitudinemque gerit, Aelianus. Ab Anglis etiam audio lupum (quem vocant *a base*) similem esse illi quem *mullet* dicunt, (id est mugili, vel capitoni,) squamis candidiorem, &c. Symeon Sethi hos duos pisces temperamenti ratione & succi in hominis nutrimento similes facit. Bûpes (*Boopes*) pisces sunt similes paruis cephalis, Kiranides. Cephalus qui è mari ascendit, spinas illis numerosas & paruas, sicut fluuiatiles, non habet: sicut nec marinorum quispiam alius. verùm qui ex fluuio aut palude in mare descendit, non secus ac congeneres huiusmodi, spinarum plenus est, Vuottonus è Galeno. Cephalus subalbus est, satis magnus, in dorso planus: capite curto & crasso, Platina.

C Amant cephali & cestrei mare vicinum fluuijs aut stagnis ob dulcem aquam, & collectum illic cœnum, quo pascuntur, Oppianus lib. 1. Halieut. Pascuntur limo omnes capitones, Theodorus ex Aristot. historiæ 8. 2. sed in Græco non legitur omnes. & proximè dixerat, capitonis genus alterum non nisi mucore vesci suo. Ouidius inter pisces degentes in herbosa arena squalum numerat, cephalum marinum puto intelligens. nam & fluuiatilis squalus est, vt diximus in Capitone, Elemento C. Cephali, vtpote pisces cœnosi, (πηλαῖοι,) fluuios turbidiores amãt, Pausanias in Messeniacis. *Squalus.* Inter pisces cephalus maximè vtraque aqua vtitur, marina scilicet & dulci, & hanc habet naturam, vt aduerso flumine natans, quàm longissimè à mari discedat, Galenus. Et rursus: Lupum in aquis dulcibus natum non vidimus, sed è mari in flumina aut stagna ascendisse: ideoque paruus rarò, quemadmodum mugilis sæpe inuenitur. Cœno vescuntur, quamobrem & graues (*in nutrimento hominis nimirum*) & mucosi sunt. piscem nullum omnino edunt, Arist. Græcè, ἰχθὺν οὐδόλως οὐκ ἐσθίουσι. potest autem ὅλως commodè de toto mugilum genere accipi: hoc sensu, vt non soli cephali, sed reliqui etiam huius generis, hoc est mugiles omnes, piscibus abstineant. Nam & paulò antè sic scripserat. Capito & mugilis in vniuersum (ὁ δὲ κέφαλος, καὶ ὁ κεστρεὺς ὅλως. *Gaza hic nihil pro aduerbio ὅλως reddidit*) soli carne omnino abstinent. cuius rei argumentum est, quòd neque in ventre tale quid vnquam habentes capiuntur: neque esca in eos ex carne vtuntur, sed offa panis. De continentia eorum in victu, plura leges mox in D. De amore inuicem capitonum & libidine, quę causa est vt capiantur, dicetur inferiùs in E. Capito vltimus parit vêre. nouissimè enim eius apparet, Aristot. Capitones quoniam versari in limo solent, efferunt se, vrinanturque sæpe, vt corporis sordes abluant, Idem. Capitoni, mugili, & murino (*myxino rectè legit Rondeletius, non murino*) imbres nocent, & de facile eos excæcant, si modum excesserint. Solet autem per hyemem potiùs capito ita affici. nam oculi eius albescunt, & macilentus (λεπτὸς, Gaza legit λευκὸς) per id temporis capitur, atque ad postremum malo eodem interit, quod non magis imbrium copia, quàm algore accidere videtur. iam enim cum alibi tum in Nauplio agro terrę Argiuæ, in vadis, (περὶ τὸ τέναγος) multi capti sunt cæci, cum hyems fuisset asperrima, multi etiam albos habentes oculos capti sunt, Aristot. historiæ 8. 19.

D Capito è piscium genere est, qui in paludibus degunt. continentissimus, ac in victu temperatissimus esse creditur. Etenim nullam animantem inuadit, sed cum omnibus pacem seruare solet, (*quamobrem innocentissimum cognominatur ab Oppiano totum hoc genus capitonum atque mugilum. omnes enim carne abstinent, & piscibus alijs innoxij sunt.*) Si verò in quempiam iacentem inciderit, hunc in suum prandiũ conuertit. non priùs tamen eum attingit, quàm caudam mouerit, tum si immobilis sit, hunc prædam sibi facit: si verò moueatur, eo intacto discedit, Aelianus de animalibus 1. 3. Oua fœtusque eorum (*si ue cephalorum, siue potiùs mugilum omnium: proximè enim dixerat, ἰχθὺν δὲ ὅλως οὐκ ἐσθίουσι. vbi ὅλως de genere toto mugilum rectè accipi superius ostendi*) à nulla bellua violantur. quapropter copiosi existunt. sed cum adoleuerint, tum à cæteris piscibus corripiuntur: maximeque ab archana (codex Gręcus noster habet ὑπὸ τοῦ ἀχάρνου,) Aristot. historiæ 8. 2.

E Esca in capitones ac mugiles (quosuis) non ex carne vtuntur, sed maza, (Theodorus interpretatur offam panis,) Aristot. Esca ad mugiles & capitones: Panem gyriten (hoc est, ex tenui confectum polline) caprillum caseum, & calcem viuam simul contundito: infundensque marinam aquam, ex ipsis pastas conficito, & inescato, Tarentinus. In mari Ionio ad Leucadium & Actium Epirotica loca, Capitones velut confertis turmis frequentes natant. Ipsorum captura quæ ad hanc rationem fit, mirifica est. Piscatores bini obseruato tempore cum luna silet nauem cœnati conscendunt, & à terra soluentes, (modò mare à tempestate conquiescat) silentio & moderatè remigant, simul & eorum alteruter sensim ac leniter remo nauem impellit: alter recubans, suam nauis partem vsque eò deprimit, quoad eius labrum proximè ad aquam accesserit. Capitones horumque speciem similitudinemque gerentes mugiles, siue quod ex nocte lætitiam & voluptatem percipiunt, siue etiam quia à tranquillate maris

delectantur, latebras relinquentes, sic ad summam aquam efferuntur, vt ex aqua summo rostro emineant, & natare vsque eo pergant, donec ad littus propius accesserint. Quod quidem ipsum piscatores postquam perspexerunt, sedata remigatione & pedetentim accessu ad pisces facto, nauigant. Vbi verò ex piscatoriæ (nauiculæ) motione fluctus cieri ac agitari cœpti sunt, à terra statim pisces refugiunt, & frequentes in partem nauis inclinantem & præcipitantem sine retibus innatant, & verò sub potestatem piscantium cadunt, Hæc Gillius tanquam ex Æliano: ego in duobus, quos vidi, manuscriptis codicibus Aeliani nihil tale inuenisse memini. Adriatici quoque maris piscatores, ad Lunam saltantes supra rates, cephalos (vt audio) capiunt. Vim & numen multa genera piscium nouerunt Cupidinis, ne hos quidem qui in summa maris altitudine degunt, contemnentis. Etenim Capito diuinum huius nomen colit atque veneratur. Non tamen omnis Capito, sed ille quem à faciei acumine (ἀπὸ τῆ ὀξέως προσώπȣ) nominant, qui piscium genera & differétias nouerunt. In sinu Achaico multi quantum audio, capiuntur: idque varijs modis. maxime verò eorum in res venereas libidinis furorem captura testatur. Cum ex Capitonibus fœminam piscator venatus fuerit, alligaueritq; aut longa arundine, aut fune etiam longo, in litore pedetentim ingrediens adnatantem piscem & salientem pertrahit. Per eius vestigia alius subsequens retia fert obseruáns quàm diligentissimè quà & quomodo sit euentura piscatio. Itaque agitur fœmina, mares verò qui hoc viderint: veluti adolescentes libidinosi formosæ puellæ prætereunti cupidos oculos adijcientes, in eam feruntur, libidinis furore agitati. Ille autem retia deijcit: & in ea quidem sæpe piscium veneris appetitione accedentium magna copia incidit. Oportet autem initio venator curet, vt fœmina captiua formosa sit & bene corpulenta, vt plures ad eam accedant pulchritudinis illecebra, tanquam esca illecti. Nam si macilenta sit, & sine corpore, multi ea spreta discedunt. quicunque tamen horum est vehementi amore ductus, non discedit, mehercle non formæ, sed coitus desiderio detentus, Aelianus de animalibus 1.12. Est autem paraphrasis ex Oppiani Halieuticorum quarto: vbi tamen is poeta cephalos simpliciter, non illos tantum qui à faciei acumine denominantur (oxyrynchi nimirum, de quibus in O. elemento dicemus) sic capi cecinit: esseq; mares in tantum salaces, vt fœminam etiam in litus vsque extractam sequantur. Plinius de mugilum captura, similia refert: cuius verba in Cestreo Rondeletius recitat. Mirum quoddam Tarenti cum essem vidi. id referam: Piscis est, quem cephalon vocant. eius generis mas fœminam rostro ligatam, à piscatoribusque filo vinctam per vndas insequitur: atque ita ardenter, vt licet tridenti, multis à piscatore vulneribus acceptis, feriretur, fœminam insequi nunquam destiterit: quoad tridenti saucius captusque in cymbā à piscatore mortuus deijceretur. Tanta amoris est vis. tantum in Venere ipsa dulcedinis reperitur, Belisarius Aquiuiuus.

F Lupum in aquis dulcibus natum non vidimus: sed è mari in flumina aut stagna ascendisse conspeximus: ideoque prauus rarò, quemadmodum mugilis sæpe, inuenitur, Galen. Et rursus: Contrarijssimam carnis substantiam habent capitones, qui ex puro mari petuntur, & qui in vitiosa aqua diuersantur. Plura etiam Galeni verba recitaui in Lupo F. quomodo alimentum ex piscibus quibusdam variet pro locorum in quibus degunt diuersitate. Idem de alimentorum facult. lib. 3. cap. 25. Cephalus (inquit) ex eorum piscium genere est, qui squamis integuntur. nascitur autem non in mari solum, sed in paludibus ac fluuijs: quo fit vt cephali non paruum inter se discrimen habeant: vt videri possit cephalus pelagius alterius esse generis, carneque ipsa plurimùm differre ab eo, qui in palude viuit, aut fluuio, aut limoso aliquo stagno, aut cloaca, qua expurgantur vrbium stercoraria. Est enim eorum caro qui in cœnosis & sordidis aquis victitant, excrementi mucique plena: sicut optima eorum qui in puro mari viuunt, præsertim si ventorum flatibus agitetur. Marini & qui è mari flumina subeunt, numerosas illas ac paruas spinas non habent, sicut fluuiatiles: vt neque alij marinorum. Et rursus: Cephali præstantiam statim indicat gustus: qui enim præstantior est, & suauior sentitur & acrior, (δριμύτερ☉,) pinguedinisque expers: at contrà qui pingues sunt atque insipidi, (πλὼ γεῦσιν ἔκλυτοι,) ij tum in gustu, tum verò ad concoctionem sunt deteriores, stomachoque aduersi, & malum procreant succum. Leuciscus apud nos dictus in fluuijs piscis, cephali fluuiatilis species est, & nutrimenti ex eo ratio eadem. Hic piscis (*De marino an fluuiatili cephalo dicat, dubitari potest*) sali etiam aduersatur. Stagnalis quidem (ὁ λιμναῖ☉) salsus, longè quàm antè præstantior euadit. nam quod in eo mucosum virosumque est, id totum deponit. Recens autem salitus iamdiu in sale adseruato melior existit. Cephalus difficulter concoquitur, nec bonus est stomacho. pituitam enim gignit, præsertim fluuialis. pelagius autem & qui in alto mari degit, non adeò difficulter concoquitur, succique melioris est: tenuiorem tamen sanguinem imbecilli oremque gignit, Symeon Sethi. Et alibi: Lupus proximus temperamento est cephalo. similiter enim sanguinem tenuem gignit, & pituitam: veruntamen quia suauior est cephalo vtilior fuerit. Cephali cœno pascuntur: quare & graues mucosiq; sunt, Arist. videtur autem de labeonib. præcipuè sentire, qui litorales sunt. & propius terram. Mugiles (κεστρεῖς) qui non similiter cœno, sed algis & arena pascuntur, salubriores esse insinuat. Hicesius verò & Diphilus cephalos cestreis præferunt. Cephali (Ceuoli ipse scribit) suo tempore bonum nutrimentum præbent, sunt tamen difficilis digestionis, Michael Sauonarola. Optimi saporis est cephalus Septembri mense. Magnum in cacabo coques paruum in craticula, salimola continuo inspergendo, ne desiccetur. Magnum cum leucophago, paruum cum muria ipsa comedes, Platina. Vlpianus apud Athenæum Μενδησίȣς (ταρίχȣς) tam viles esse ait, vt ne canis quidem insanus eos gustaret.

Μενδήσιος θ' ὡραῖ☉ ἀκρόπαστ☉ εὖ Ξανθαῖσιν ὅπλος κέφαλος ἀκτῖσιν πυρός, Sopater Paphius.

Archestratus apud Athenæum de cephalis & lupis, vbinam optimi sint, & quomodo parādi, sic scribit: Λάμβανε δ' ἐν Γαίσων☉ (Γαίσων vel Γαισωνίς, lacus est inter Prienen & Miletum, mari coniunctus. Ephorus verò fluuium esse ait circa Prienen, qui in lacum influat, Athenæus) ὅταν Μίλητον ἵκηαι, Κεστρέα τὸν κέφαλον, καὶ τὸν θεόπαιδα λάβρακα.

Εἰσὶ γὰρ ἐνθάδ' ἄριστοι. ὁ γὰρ τόπος ἐστὶ τοιοῦτος.
Ἀμβρακίᾳ τ' ἐνὶ πλουτοφόρῳ, Βόλβῃ τ' ἐνὶ λίμνῃ.
Οὐδ' οὕτω δριμεῖαν. ἐκεῖνοι δ' εἰσὶν ἑταῖροι
Πιότεροι δ' ἕτεροι πολλοὶ Καλυδῶνι κλεινῇ,
Ἀλλ' οὐκ ὀδώδη γαστρὸς κέκτηνται ἀλοιφήν,
Τὴν ἀρετὴν θαυμαστήν. ὅλως δ' αὐτοὺς ἀλεπίστους,

Ὀπτήσας

Ὀπτήσας μαλακοῖς χρηστῶς προσένεγκε δ' ἅλμης,
Μήτε Συρακόσι☉ μηδείς, μήτ' Ἰταλιώτης.
Ἀλλὰ διαφθείρουσι κακῶς, τυροῦντες ἅπαντα,
Μηδὲ προσέλθῃ σοι πρὸς τ' οὐ ψόν τοῦτο ποιοῦντι
Οὐ γὰρ ἐπίστανται χρηστοὺς σκευάζειν ἰχθῦς:
Ὄξει τε ῥαίνοντες ὑγρῷ καὶ σιλφίου ἅλμῃ.

Sayatiles verò (inquit) optimè parant. Inflammatio aliquando in pulmone fit, maximè à vinolentia & gulositate piscium capitonum & anguillarum. hi enim pinguedinem habent naturæ hominis infestissimam, Hippocrates si bene memini. Cephali ij præsertim sunt pessimi, qui sua sponte in stagnis atque paludibus ex limo nasci dicuntur: vt sunt qui in Etruria ex Prillino lacu apud Orbatellum ad mediterranea deferuntur: ita vt & illos etiam vituperare liceat, quos Padusæ, atque ipsi lutulenti Fossæ Clodiæ canales viscere prætenero Ferrariensibus & Venetis copiosissimè præbent. Nos cephalos omnes, pleniùs eos in cœna comedentibus dolorem capitis (quem morbum medici recentiores cephalæam dicunt) post paucas horas inducere sæpe deprehendimus, maximè si ad lautiores cœnas stomachi tenuiores accesserint, Iouius. Et alibi: Maxima nunc gratia est cephalorum ouis: quę geminis folliculis circuncisa parte suminis, recentibus cephalis eximuntur: quæ Græco nomine passi oà táricha, id est salita, nuncupantur. Oua cephali (inquit Platina de honesta volupt. 10. 63.) sale trito consperges, reseruata membranula illa, in qua oua ipsa tanquam in folliculis nascuntur. Post diem à salitura inter duas tabulas per diem & noctem opprimes: inde ad fumum suspendes procul flamma, ne vehementem calorem sentiant. Sicca, in vasa lignea cum furfuribus repones. Edi hoc modo non insuauiter poterunt. Verùm si cocta volueris, sub cinere, aut in * foculari calido & terso sæpe voluta: concalefacies, ac peredes. Cum Sophiano meo hoc nil suauius edisse me memini. Delata e Gręcia illa putârim, vnde optima salitura aduehi solet, Platina. Oà tarichn.

G Cato capite 158. in descriptione iuris ad aluum deiiciendam, inter cętera requirit piscem capitonem (*marinum intelligo*) & scorpionem, &c. Cephali piscis caput combustum, & cum melle inunctum, ficus de sede, & exochádas curat, & quę in alijs locis sunt. Caput quoque pelamydis idem facit. Oportet igitur ambobus mixtis vti, Kiranides. Oua piscium seruata arida comestáque, omnem laborem & morbum curant, & omne fastidium: maximè cephalorum & labracum, & sphyrænarum, & similium, recentia & arida esa omne fastidium sanant, Kiranides in fine quarti.

H.a. Cephalum à Græcis vocatum Perottus suspicatur, ab eo quòd cum caput in metu occultauit, totum se latere putat. at non inde, sed à capite proportione maiusculo sic dictum doctiores annotant. Dicitur etiam capito de homine qui magnum caput habet, Ciceroni 1. de Nat. & duri capitones, qui nunquam de sententia sua immutantur, apud Plautum in Persa.

Κεστρέες αὖ κέφαλοί τε δικαιότατον γένος ἅλμης, Oppiā. Latinè iustos & innocētes dixeris: itē salaces, stolidos. Epitheta.

Cephaleam carnem Lucilius dixit, vt citat, Gellius libro 10.

Cephalinus, Κεφαλῖν☉ qui & Βλεψίας, alius quàm cephalus, Athen. Apud Hesychiū penultima per ἦτα scribitur. Cephalinum Rondeletius eundem myxoni arbitratur: & pro blepsia legendum blennon vel βλεννώδη.

In Ionio iuxta Actium Cephalenides insulæ sunt, ab horum piscium frequentia ●minatę, Volaterranus.

IIII. DE MVGILE, VEL CESTREO TANQVAM

specie vna: quánquam & in genere quædam admiscentur: præsertim quæ ex Aristotele de Mugilibus scribuntur.

A De Mugilibus quædam in præcedentibus dicta sunt, tum Corollario primo quod est De Mugilibus in genere, tum tertio De Capitone: quę nunc non repetentur. Mugil ex eo nomen habet, quòd sit multùm agilis, Isidorus. Effertur hoc nomen dupliciter in recto singulari, Mugil, Ouidio, Plinio: Mugilis, Horatio, Iuuenali, Gazæ: sicut as & assis. quamuis apud Horatium alia lectio habet Mitilus. Promptuarij recens author Mugilus legit, vt dominus: quod non probârim. Græcè κεστρεῖς dicuntur à recto κεστρεύς, vt βασιλεύς: quam vocem Latinè imitantur quidā, sed rectum cestreus triū syllabarum faciunt, & parib. syllabis obliquos formant, vt dominus. Vocantur & πλῶτες à nonnullis vt Polemon scribit. Epicharmus quoque in Musis sic eos nominat. Sed & pisces omnes πλῶτες ἁλὸς ab Oppiano dicuntur. Vide infrà in Corollario de Muræna A. Cestreus est qui dicitur cephalus, magnis & crassis squamis præditus, quę pro numismate aliquem fallere possent, Scholiastes Aristophanis in Vespis: vbi Philocleon conqueritur de Lysistrato, quòd quum drachmam cum eo diuideret, pro tribus obolis dederit ei τρεῖς λοπίδας (pro λεπίδας, Scholiast.) κεστρέων. quos ipse obolos esse putans in os (seruandi gratia, vt quidam solent, Scholiastes) receperit: mox autem odore offensus expuerit. Νῦν μὲν κεστρεῖς καλοῦμεν τοὺς κεφάλους, Idem Scholiastes in Nubibus. Κεστραῖ τεμάχη μεγάλων ἀγαθῶν, Aristophanes in Nubibus: vbi Scholiastes: Non iidem sunt (inquit) pisces οἱ κεστρεῖς, & αἱ κεστρέαι. aliqui murænas (μυραίνας, meliùs σφυραίνης) interpretantur. alij diuersos quosdam pisces. Vtitur autem poeta dialecto Dorica in his verbis: & κεστρᾶν genitiuus pluralis est à recto singulari κεστρέα, si in Scholijs rectè legitur αἱ κεστρέαι. Sphyrenam piscem Attici cestram vocant, Latinè Sudim appellatam: quia rostratus sit, & similis belonę, vt inquit Athenæus, Hermolaus. Cestram Dorion & Pollux eandem esse cum sphyræna voluerunt, maioris alimenti quàm congri, vt autor est Diphilus, Massarius. Sophocles cestram pro stimulo siue stilo dixit, vt Pollux auctor est, Cęlius. Mugiles vulgò cephali appellantur, Massarius. Mugil hodie notissimus vulgò, nec nomen mutauit, Volaterranus. Germanicè Mugilum siue Cestreum, cum speciem vnam significat, circunloquemur, adiecta capitis minoris differentia: *Ein Harderen mit einem kleineren kopff.* Cephalum enim simpliciter vocant *Harderen*. Plôtes.

B Mugiles pisces sunt candidi, Massarius. Squamas habent, Aristot. Os paruum, Plutarchus. Auium modo ventriculum habent & carnosum, Aristot. de partibus 3. 4. Appendices eis supernè circa ventriculum exeunt, parte altera plures, altera vnà tantùm, Idem.

C Mugiles ex mari fluuios subeunt, præstantque in fluentis & lacubus, Aristot. Et alibi rursus, De mari in lacus & fluuios ascendunt. Idem Mnesitheus apud Athenæum tradit. Cestrei & cephali cœno

& mari aquæ dulci permisto pinguescunt, Oppianus. Author est Aristobolus nullum piscem ex mari in Nilum ascendere præter mugilem, alosam, & delphinum, propter Crocodilos: delphinos, quia præstantiores sunt: mugiles, quia à porcis secus terram ducantur, ob quandam naturalem conuenientiam. Crocodili enim à porcis abstinent, qui cum rotundi sint, & spinas ad caput habeant, periculum beluis afferunt. Ascendunt itaque mugiles (vt ille inquit) in vêre cum prægnantes sunt, descendunt autem paulò ante Pleiadis occasum, vnà omnes parituri: Tunc etiam in septa incidentes capiuntur. Idem de alosa licet coniectare, Strabo 17. Eadem de mugilibus ex Artemidoro refert Vuottonus. Mugil apud Varronem, etiam in piscinis dulcibus seruatur, Vuottonus. Piscis est litoralis, Aristot. Adonis piscis similis est paruis mugilibus litoralibus, qui longitudine octo ad summum digitos æquant. in vniuersum verò simillimus est trago dicto pisciculo, &c. Clearchus peripateticus. Vescitur mugilis vnusquisque alga atque arena, Aristot. Se inuicem non vorant vt alij pisces, Idem. Vide infrà prouerbium. Cestreus ieiunat. Ieiuni epitheton non solum cestreo, sed etiam reliquis mugilibus conuenire potest. omnes enim à carne abstinent, Rondeletius. Vagantur maximè & oberrant piscium qui carne aluntur. carniuori autem sunt ferè omnes, præter paucos, vt mugilem, salpam, mullum, chalcidem, Aristot. historiæ 9.37. quo in loco Gazæ translatio mutila est. Gulosus omnium maximè mugilis est, atque insatiabilis, Aristoteles. Oppiano ὀλίχνος, id est minimè gulosus. Produntur liquidiùs audire, mugil, lupus, salpa, Aristoteles, Aelianus, Plinius. Mugiles fuscina interdiu sæpenumero dormientes capiuntur, Aristot. Mugilem quasi maximè agilem grammatici quidam dictum coniiciunt. Piscium omnium inter squammatos velocissimi sunt, Massarius. Piscium quidam, mugiles maximè, aliorum vim timentes, tam præcipuæ velocitatis sunt, vt transuersa nauigia interim superiactent, Plinius. Mugiles, mulli, & reliqui generis eiusdem autumno vigent, Aristot. Mugili & capitoni quàm noxia sit pluuia, in Capitone dictum est. Oua pariunt, idque semel anno, Aristot. Et alibi, Inter primos partum accelerant: pariunt hyeme, locis ijs maximè quà flumina exeunt. Mugiles præcipuè dum ferunt vterum grauiter laborant: vnde fit vt tunc potissimùm ruant in terram ac excidant. feruntur porrò graui stimulo agitati in terram, atque omnino id temporis motu perpetuo incitantur, donec pariant: sed requiescunt à partu continuo, Aristoteles.

D Mugiles pisces fusanei sunt, Aristot. hoc est, gregales. Scit & mugil esse in esca hamum, insidiasque non ignorat: auiditas tamen tanta est, vt cauda verberando excutiant cibos, Plinius. Vide etiam in E. ex Plutarcho. At mugil cauda pendentem euerberat escam, Excussamque legit, Ouidius. Mugil vbi dispositas senserit piscatorum insidias, confestim retrorsum rediens ita rete transilit, vt volare piscem videas, Isidorus. Mugiles irretiti, non se insidijs circumuallatos esse ignorantes, in sublime efferuntur, & nituntur retia transilire, neque à prudenti consilio aberrant. nam sæpe retium excelsitatem traiicientes, ex mortifero periculo euadunt. Quòd si primi saltus aberrarint, ne in rete rursus dilabuntur, non postea amplius tentant transilire, sed anxij quiescunt, & prostrati à prædone cædem expectant, Gillius ex Oppiani Halieut. 3. Emicat, atque dolos saltu deludit inultus, Ouidius in Halieu. Apparet autem locum esse mutilum, & cestrei seu mugilis nomen priùs nominari debere. Mugiles pisces sunt timidi, Aelianus. Nymphodorus Syracusanus mugiles & anguillas tantopere inquit cicures esse, vt de largientium manu cibum sumant. In Arethusa Chalcidensi mugiles etiam mansueti & anguillæ inauribus ex argento auróue ornatæ accipiunt à largientibus cibos, à sacerdotibus viscera & caseos, Gillius ex Athenæo. Mugilum natura ridetur, in metu capite abscondito, totos se occultari credentium, Plinius & Aristoteles. Ex omnibus piscibus Mugiles mitissimi & iustissimi sunt. nullius enim neque sui generis, neque alterius piscem lædunt: sine damno cuiusquam pascuntur: à sanguinis & carnis vsu se abstinent, algis & cœno viuunt: mutuò inter se linctu corpora permulcent. Sed neque aliorum quisquam (ceu reuerentia quadam innocentiæ ipsorum) ipsorum fœtus exedit. Alij pisces hostilem in modum inter se infesti sunt: itaque assidui vigilant, qui semper à maioribus periculum sibi creari timent, Gillius ex Oppiani Halieut. 2. Lege infrà in prouerbio Cestreus ieiunat. Mugilum cauda à lupo abscindi solet: qua abscissa sæpe etiam viuere visi sunt. & quanquam lupus & mugilis inimici sunt capitales, stato tamen tempore, Aristotelis & Nigidij testimonio, congregantur, Massarius. Vide in Lupo D. Mugilem velocissimum omnium pastinaca tardissimus piscium in ventre habens reperitur. Mugiles aliquando, non solum pisciculos, prælongis suis prætenturis sepia venatur, Aristot. Mugilem à congro deuorari, Athenæum scribere, falsò refert Erasmus in prouerbio Cestreus ieiunat.

E Rotundis hamis (στρογγύλοις, Gillius vertit angustis, Grynæus curuis) ad mugiles amiasque vtuntur ideo, quoniam os illis angustius est, tum quia rectos vitant. Quanquam curuos etiam persæpe mugil suspectos habens circumnatat diu, cauda ab omni prius parte percellens escam, ac tantum quod reuulsit glutiens. quod quidem nisi successit, ore in angustum collecto contractoque, summis tantum labris ac vellicatim stringit escam, Plutarchus in libro Vtra animalium. &c. Grynæo interprete. Oppianus Halieuticorum tertio Mugilum capturam his versibus describit:

Ναὶ μὴν καὶ κεστρῆας, καὶ οὐ λίχνον περ ἐόντας
Ἤπαφον, ἀγκίστροισι περιστενοῖσιν ἰόντες
Εἶδαρ ὁμοῦ δήμητρι μεμιγμένον, ἠδὲ γάλακτος
Πηκτοῖσι δώροισιν. ἐφυρήσαντο δὲ ποίην
Τοῖσιν ὁμοῦ μίνθην εὐώδεα. Hanc escam hamis infigunt:
Κεστρεὺς δ' οὐ μετὰ δηρὸν, ἐπεί ῥά μιν ἵξεν ἀϋτμή
Ἀντιάσας, πρῶτον μὲν ἀποσταδὸν ἀγκίστροιο
Λοξὸν ὑπ' ὀφθαλμοῖς ὁράᾳ δόλον. Diu autem cunctatur, quasi dubitans sit ne gustaturus, & dolum suspicans:
Ἀλλ' ὅτε θαρσήσας πελάσῃ σχεδὸν, οὐ μάλ' ἑτοίμως
Ψαύει βορῆς, ἀλλ' ἤ τὸ πάρος μάστιξεν ἐγείρων
Ἀγκίστρου, μή οἵ τις ἐπὶ χροῒ τέρμετ' ἀϋτμή.
Ζωῇ γὰρ κεστρεῦσιν ἀπήμονόν ἐστι πιέσθαι,
Ἔνθεν ἔπειτ' ἄκροισι διακνίζει στομάτεσσι
Δαῖτα περιξύων. ἁλιεὺς δέ μιν αὐτίκα χαλκῷ
Πεῖρεν ἀνακρούων.
Ἂν δ' ἔρυσ'· ἀσπαίροντα δ' ἐπὶ χθονὶ κάββαλεν ἰχθύν.

Est prouinciæ Narbonensis & in Nemausiensi agro stagnum Latera appellatum: vbi cum homine delphini societate piscantur. Innumera vis mugilum stato tempore angustis faucibus stagni in mare erumpit, obseruata æstus reciprocatione: & reliqua, vt Rondeletius in Delphino recitauit ex Plinio.

Circa

Circa Phœnicem pisces vel mutuo sexuum aspectu capi accepimus. mugiles enim mares à piscatore subducuntur, quorum aspectu fœminæ congregantur, atque ita obretiuntur, versaque vice mares capiuntur, subductis fœminis, Aristoteles: & Plinius ferè similiter, vt Rondeletius repetijt. Mugiles Aristoteli è piscibus sunt fusaneis, hoc est illis qui retibus capiuntur. Verriculis & plagulis (ἀμφιβλήστροις καὶ ὑποχαῖς) capiuntur, Plutarchus. Fuscina interdiu sæpenumero dormientes feriuntur, Aristot. Esca ad marinos Mugiles. R. folij Malabathri orbiculum j. piperis grana x. melanthij, grana iij. schœni floris, nonnulli autem interioris partis, pauxillum. conterens omnia, misceto. Dein verò medullam panis purissimi hemina vna Mareotici vini perfundens, sicca simul excipito, in vnamque redigens massam, dispergito. Alia elegans, nec aliud quàm absolutos mugiles capiens: Recipe Thynni hepatis, drach. iiij. caridũ marinarũ, drach. viij. sesami drach. iiij. lomẽti fabacei, drach. viij. anitorũ, (ἀνίτων, Cornarius legit ἀμιῶν, id est, amiarũ) crudorũ drach. ij. quæ quiddã vbi contriueris, sapã eis instillato, conficitoq; pastillos, atq; inescato. Alia etiã ad marinos Mugiles. Pudẽda arietis in ollã crudã iniicito: cooperiensque ex alia, sic constringito, vt nullatenus perspirare possint. imponitoque in vitreariam fornacem, vt ab aurora vsque ad vesperam concoquantur. Ac tunc quidem inuenies ipsa instar casei mollissima: ex quibus tandem piscibus escam patato, Tarentinus in Geoponicis. Alia ibidem ad marinos mugiles, scaros & mullos: Sepiarum testulis cum sisymbrio viridi, quod est bryon, aqua, farina, & caseo bubulo mistis, vtitor, dum retibus nauas operam. Mugile inescatur glaucus, Oppianus libro 3. Marinos quoque mugiles antiqui in piscinis, lacubusque dulcium aquarum claudebant, M. Varrone & Columella tradentibus, Massarius. Nostro quidem seculo piscinam nemo ferè habet, nisi dulcem: & in ea duntaxat squalos ac mugiles pisces. Quis contrà nunc rhynton non dicit sua nihil interesse, vtrum his piscibus stagnum habeat plenum an ranis? Varro. Piscium curam maiores nostri celebrauerunt adeò, vt etiam dulcibus aquis marinos clauderent pisces, atque eadem cura mugilem scarumque nutrirent, qua nunc muræna & lupus educatur, Columella. Et rursus: Frequenter animaduertimus intra septa pelagicos greges inertis mugilis, & rapacis lupi. Mugil piscis ideo κεστρεὺς videtur à Græcis appellatus: quia teli modo, publica Atheniensium pœna, intret adulteros, Hermolaus. Necat hic ferro, secat ille cruentis Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat, Iuuenalis Satyra 10. Ah tum te miserum, malique fati, Quem attractis pedibus patente porta Percurrent raphanique, mugilesque, Catullus ad Aurelium. *Adulterorum pœna.* Ὁ δ' ἁλοὺς γε μοιχὸς, διά σε πῶς (Plutum alloquitur) παρατιλεῖται; Aristophanes in Pluto. vbi Scholiastes: ἔθος ἦν τὸν ἁλόντα μοιχείας παρατίλλεσθαι, ἵνα δὶς ἀργύριον ποινῆς λυθῇ. παρατίλλεται ἄν, διασείεται, τὰς τρίχας τοῦ πρωκτοῦ τίλλεται. αὕτη γὰρ ὥριστο δίκη τοῖς μοιχοῖς πένησιν, ἀποραφανίδωσις καὶ παρατιλμός. οἱ γὰρ πλούσιοι χρήματα παρέχοντες ἀπελύοντο. δημοσίᾳ γὰρ ταῦτα ἔπασχον. Item in Nubibus: Τί δ' ἢν ῥαφανιδωθῇ γε πειθόμενός σοι, (τῷ ἀδίκῳ λόγῳ,) τέφρᾳ τε τιλθῇ; Vbi rursus Scholiastes: Οὕτω γὰρ τοὺς ἁλόντας μοιχοὺς ᾐκίζοντο: ῥαφανίδας λαμβάνοντες καθίεσαν εἰς τοὺς πρωκτοὺς τούτων: καὶ παρατίλλοντες αὐτοὺς τέφραν θερμὴν ἐπέπασσον, (ἐπέπασσον,) βασάνους ἱκανὰς ἐργαζόμενοι.

Dorion mugiles admirabiles (in cibo optimos) esse tradit, qui circa Abdera capiuntur: deinde qui circa Sinopen, eosque etiam salsos stomacho vtiles esse, Athenæus. Mugilis grauidus deterior est, & omnes ferè squama intecti, Aristot. Subeunt etiam fluuios, præstantque in fluentis & lacubus, Idem. F Difficilè concoquuntur & grauissimi sunt ex marinis piscibus, qui è mari flumina lacusue subeunt, vt mugil: & in vniuersum omnes pisces qui in vtrisque aquis viuere possunt, Mnesitheus. Lynceus Samius mugilem hyeme laudat, Κεστρέα τὸν θαυμαστὸν ὅταν χειμὼν ἀφίκηται. Cæteri ferè omnes ouipari pisces vêris tempore, mugiles autumno vigent, Massarius ex Aristotele puto. Vide etiam in Cephalo F. quædam de mugile. Mugil insatiabilis est, quamobrem ventriculus eius circumtenditur: καὶ ὅταν ᾖ μὴ νῆστις, φαῦλος, Aristot. historiæ 8.2. Gaza vertit: Et nisi ieiunus sit, hæret iners. Considerandum an potiùs vertendum: & nisi ieiunus fuerit, vilis est, in cibo videlicet: quoniam repleto ventriculus distenditur, vt ex eo laborare videatur Vuottonus reddit. Cum est ieiunus, vilis est. Nos (inquit) Aldinam sequuti literam Græcam, quam & iisdem verbis citat Athenæus, ita reddere maluimus. Locus Athenæi est libro 7. vbi de cestreis ex professo: Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ, ὅτι καὶ νῆστις ὤν, φαῦλός ἐστι. Inter salsamenta mediæ materiæ cestreus est, Idem Vottonus. Et rursus: Sunt mugiles (vt Hicesius author est) boni admodum succi: facilè excernuntur, nec multùm alunt. Porrò ex alto mari mugil optimus habetur, sapore iucundo, subacri, lupo nihilo inferior. Subiens hic purum lympidumque flumen, carnis duritiem temperat, euaditque delicatior: qui verò in limosis lacubus stagnantibusue locis capitur, virosior est. Mugilis et viles pellent obstantia conchæ, Horatius 2. Serm. aliqui pro Mugilis legunt Mitulus: quod nomen irrepere in textum potuit, ex annotatione alicuius qui conchas viles forsitan mitulos interpretatus est. nam horum etiam ius aluum soluit. Mugilis autem probè hoc loco legi, Samonici etiam authoritas confirmat: cuius inter remedia ventrem mollientia hi versus extant: Quodque satis meliùs verbis dicemus Horati, Mugilis, & viles pellent obstantia conchæ. Cato cap. 158. ad descriptionem iuris aluum deiicientis inter cætera capitonem requirit. Hippocrates in libro de internis affectionibus, mugile & carne suilla abstinere iubet in primo splenis morbo, & in tertio tabis genere. Patinam de mugile Apicius describit libro quarto, cap. secundo. & ius in mugile salso, libro nono, cap. vndecimo.

G Carnes ex capitibus mugilum siue mullorum decoctæ, & cum melle subactæ atque impositæ, vitijs ani plurimum prosunt, Marcellus. sed locus videtur corruptus, & legendum ita vt nostri codices Pliniani habent, vnde sua Marcellus transcripsit: Sedis attritus sanat cinis è capite mugilum, mullorumque. comburuntur autem in fictili vase. illini cum melle debent. In capitibus piscium, id est mugilum aut mullorum spina inuenitur cani similis. hæc renibus apposita vel alligata, miro remedio est, Idem.

H.a. Νῆστις species est κεστρέων, id est mugilum, Athenæus. Videtur autem modò absolutè pro mugile poni, modo pro epitheto ei adiici. Dorion mugilis marini species duas facit κέφαλον καὶ νῆστιν. Rondeletius quoque νῆστιν & κεστρέα eundem esse iudicat. *Nestis.* Νήστεις κεστρέας, κεφάλους, Archippus. Κεστρεῖς ἔχων οὐ λάκες στρατιώτας τυγχάνεις νήστεις, Antiphanes, Ἐγὼ δὲ κεστρεὺς νῆστις οἴκαδ' ἀποτρέχω, Alexis. Ἐγὼ δὲ ἰδὼν πειράσομαι εἰς τὴν ἀγορὰν ἔργον λαβεῖν. ἧττον γ' ἂν ὢν νῆστις καθάπερ κεστρεὺς ἀκολουθήσεις ἐμοί, Amipsias. Αἰσχραμίδας κεστρεύς ἐστι,

νῆστις

νῆστις περιπατεῖ, Euphron. Ἡ γὰρ ἀσκὸς νῆστιν κεστρέ, ὅπλον, ἢ μέγαν, Philemon. Ἀρ' ἔνδον ἀνδρῶν κεστρέων ἀποικία; Ὡς μὲν γάρ ἐστι (fortè εἰσι) νήστιδες γινώσκεται, Aristophanes. Ὅς νυῦ τετάρτην ἡμέραν βαδίζεται, Νῆστιν πονηρ (lego πονηρὸς paroxytonum, hoc est, ἄθλιος, ἀσθενὴς) κεστρέως τρίβων βίον, Eubulus. Οὗτοι δεδειπνήκασιν, ὁ δ' τάλας ἐγὼ Κεστρεὺς αὖ εἰλῶ ἕνεκα νηστείας ἄκρας, Diph. Κεστρέων νῆστις χορὸς Λαχάνοισιν, ὥσπερ χῆνες, ἐξενισμένος, Theopompus. Τὰ πολλ' ἄδειπνος περιπατεῖ; Κεστρῖνός ἐστι νῆστις, Anaxandrides. Ἐξιόντι μοι Ἁλιεὺς ἀπήντησεν φέρων μοι κεστρέας Ἰχθῦς ἀσίτους καὶ πονηροὺς (lego πονήρους paroxytonum) ἧγέ μοι, Plato Comicus. In omnibus autem iam recitatis testimonijs νῆστις non species peculiaris κεστρέων, sed simpliciter eorum epitheton esse apparet. Si tamen cestrei nomen pro genere accipias, speciem eius νῆστιν esse cum Dorione dicere poterimus. Νῆστις solus piscium cestreus vocatur, hoc est ieiunus: quod neque carnem, neque escam animatam vllam attingat, Athenæus. Aristophanes in Thesmophoriazusis νῆστιν absolutè dixit: Ἡ πυλύπτης, Ἡ νῆστις ὀπτᾶται. Νῆστις intestini etiam nomen est, quod ieiunum ferè & vacuum reperitur. Grammatici, vt Eustathius, formant hoc vocabulum, à νη. priuatiua particula & σῖτος: vt pro νήστης dicatur νῆστις per syncopen, idem significans quod ἄσιτος & ἄπαστος. his enim omnibus in eadem significatione Homerus vtitur. Λινεὺς, mugil piscis, Hesychius & Varinus. Apud eosdem κόδαλα quoque pro eodem pisce legitur. Hiantes & famelicos homines κεστρεῖς appellant: & (*Comici*) Athenienses hoc nomine traducebant. est enim hic piscis gulosus & insatiabilis, Varinus. Cestrinus, Κεστρῖνος, idem quod κεστρεὺς significat, piscem scilicet: aut hominem famelicum, vt Athenienses dicteria & scommata cominisci solitos vsurpabat: qua de re elegantes Anaxandridæ versus, vt apud Eustathium in Odysseæ nonum extăt, recitabo: esse autem huius poetæ ex Athenæo constat: Ἂν μὲν γὰρ ᾖ τι σμικρὸν παντελῶς ἀνθρώπιον, καλεῖτε αὐτὸν σταλαγμόν. Ὅποθεν ἀκολουθεῖ κόλαξ τις; λέμβος ἐπικέκληται. Τὰ πολλ' ἄδειπνος περιπατεῖ; κεστρῖνός ἐστι νῆστις. Τ' Ὀφείλετ' ἀγνὰ ποιμὴν παίζων; Ἀτρεὺς ἐκλήθη. Ἐὰν ᾖ κελὸν, Φρίξος. ἐὰν δὲ κωδάριον, Ἰάσων. Κεστρῖνος, τὰ τεμία καὶ τεμάχη τῶν ἰχθύων, Etymologus. Larinum bouem in Pace Aristophanes nominat. Scholiastes, Lycus Rheginus (inquit) à Larino quodam bubulco (qui ab Hercule boues Geryonis acceperit, & ad mirabilem corpulentiam prouexerit) sic nominatum hoc genus boum ait. alij à laro (*aue nimirum*) dictos putant. Sunt qui rhi. syllabæ aspirent, & λαρινοὺς dictos interpretentur, (*à magnitudine pellium: vt ego interpretor*, ῥινὸς *enim pellis est. non à magnitudine narium, vt Cælius Rhod. voluit. sic enim* λαρῖνες *potius dici debuissent, vt* Κελῖνες) aiunt autem in Chaonia huiusmodi boues esse, & cestrinos quoque vocari. Clearchus apud Athenæum κεστρινίσκους παραιγιαλίτας dixit paruos mugiles iuxta litus degentes.

Epitheta. Mugil iners, Columella. Velox, Aristoteli & Plinio. Νῆστει, id est, ieiuni, poetis diuersis, vt citaui in H. a. Πόνηροι, hoc est miseri vel infirmi, Eubulo & Platoni Comico. Πρηεῖς, εὐηθεῖς, δικαιότατοι, id est Mites, benigni, iustissimi, Oppiano. Ὀπλάνειος (fortè Ὀπλαλέος: quanquam & ὀπτανεῖον vocatur locus vbi carnes assantur) δ' εἰσῆλθε πελώριος ἱππότα κεστρεὺς, Matron Parodus. cognominauit autem equitem ab eo fortassis, quòd & velocitate & saltu valeat.

c. Saltu pollere mugilem & suprà in c. & modo inter Epitheta diximus. hinc & Diocles Θαλάττῃ: Ἅλλεται δ' ὑφ' ἡδονῆς κεστρεύς.

e. Πόσου τοὺς κεστρέας Πωλεῖς, δύ' ὄντας; δέκ' ὀβολῶν φησι. Βαρύ. Ὀκτὼ λάβοις ἄν; Εἴπερ ὠνῇ τὸν ἕτερον, Alexis.

f. Mugil è Sciatho apud veteres celebris erat, Pollux & Clemens in Pædagogo: Athenæi codex pro Sciatho habet Symætho. Ἔσω δ' ἡμῖν κεστρεὺς Ὑμήττιος, Antiphanes inter lautissimos cibos. Κεστρέα δ' Αἰγίνης ἐξ Ἀμφιρύτης ἀγόρας, Ἀνδράσι τ' ἀστείοισιν ὁμιλήσεις, Archestratus. κεστρέα ἑφθὸν in Cotyis Thracum regis conuiuio Anaxandrides nominat. Ἄσιτος ἡμέραν καὶ νύχθ' ὅλην Κεστρεὺς λεπτοθεὶς, καὶ παθεὶς, χρωσθεὶς στραφεὶς, &c. Τοῦ κεστρέως κατεδήδοκε τὸ κρανίον Ἀναρπάσας Μάτων: ἐγὼ δ' ἀπόλλυμαι.

h. Κεστρεὺς νηστεύει, παροιμία ἐπὶ τῶν δικαιοπραγούντων, ἐπειδὴ οὐ σαρκοφαγεῖ ὁ κεστρεύς, Athenæus. Suidas interpretatur ἐπὶ τῶν δικαιοπραγούντων, ἧττον δὲ φερομένων διὰ τοῦτο, καὶ μηδὲν πλέον ἀπὸ τῆς δικαιοσύνης ἀποφερομένων. ἐπεὶ καὶ ὁ ἰχθὺς καθαρός ἐστι. Apostolius de gulosis: quoniam insatiabile sit hoc animal. Plura ad hoc prouerbium lege suprà in c. & in H. a. de vocabulo νῆστις.

DE CESTREI GENERIBVS DIVERSIS. VIDE ETIAM *suprà, Corollario II. De Mugilibus, &c.*

ADONIS vel Exocœtus piscis saxatilis est, de genere mugilum γένος κεστρέων, Ælianus de animalibus 9.36. Clearchus apud Athenæum cestriniscis, id est paruis mugilibus litoralibus, qui longitudine octo maximè digitos æquent, similem esse tradit Adonin, &c. nos eum in A. elemento descripsimus.

DACTYLEVS, id est Digitalis, aliâs DIDACTYLEVS, id est, Bidigitalis, Mugilis genus est à latitudinis mensura dictum, quæ digitos duos non explet, vt tradit Euthydemus in libro de salsamentis. *Sphenens.* scribit enim εἴδη κεστρέων εἶναι σφηνέας καὶ δακτυλέας· καὶ σφηνέας μὲν λέγεσθαι, ὅτι λαγαροὶ καὶ τετράγωνοι. hoc est, & spheneas sic nominari, (*quasi Cuneales à figura sphenis seu sphenisci, id est, cunei*,) quòd & graciles & quadrati sint, (*nam & cuneus qua parte crassior est, quadratus vel quadrangulus potius apparet: in alteram verò partem gracilescit & attenuatur. sic & pisces isti nimirum à capite crassiore, vnde & cephalis nomen factum, ex quorum genere sunt, paulatim attenuatur.* Τὰ δὲ τῶν διδακτυλαίων τὸ πλάτος ἔχει (*Legerim*, τοὺς δὲ δακτυλέας, *vel* τοὺς δὲ διδακτυλαίους, διὰ τὸ πλάτος ἔχειν) ἔλασσον τῶν δυεῖν δακτύλοιν.

SARGONES etiam inter Mugiles sunt: de quibus Aristoteles quinto de historia meminit, Sargens (Sarginos legit Rondeletius) eos appellando. Meminit & Athenæus. Sargus quidem piscium genus diuersum est, Massarius. Rondeletius Sarginum à cestreo vel ieiuno differre non putat: cuius hac de re verba reperies suprà in Capite de Mugilibus in genere.

SIPHARVM in lacu Mugilum genus nascitur quod pinnis supinis caret, Aristot. de partibus animal. 4.13. Eorundem meminit in libro de communi animalium gressu, vbi quo pacto natent, ostendit.

V. COROLLARIVM DE LABEONE, QVI ET BACchus seu Banchus alias dicitur.

A De Chelone quædam iam suprà scripsi, in Corol. de Cephalo A. Nomen huic pisci cum à crassiusculis & prominentib. labris inditum sit, χειλών, per ει. diphthongum in prima syllaba scribi debebat, παρὰ τὸ χεῖλος, sicut ab Arist. scribitur Hist. 8.2. sed frequentius reperio per ε. nudum χελών. A labijs sunt labeones & χείλωνες, Cam. sed authorē non producit: & vt de homine dicatur χείλων, de pisce adhuc nō inueni. quāuis .n. orthographia sic postulabat scribi, consuetudo tamen ferè obtinuit, vt per epsilon scribatur, & vltimam acuat. per diphthogum quidem χειλὼν Hesychio etiam gallinacei genus est. Χελώνη quoque pro labijs inuenitur. Non probo χελλῶνες in Eustathij commentarijs duplici λ. neque κολλῶνες apud Athenæum ex Diphilo: apud quem & χάλλωνες, quidam codices perperam habent pro χελῶνες, in recitatis Aristotelis verbis de mugilum generibus. Χελμών, piscis quidam, Hesychius. videtur autem vox corrupta pro χελῶν vel χελιδών, vt vel labeo vel hirundo piscis indicetur. Chilon vel Chylon apud obscuros quosdam, Albertum & huiusmodi scriptores pro chelon legitur, & cum cephalo vel peræa, suo tantùm muco victitante confunditur. Labeonem ætas nostra caponem, ex magnitudine labiorum & capitis, appellat, Volaterranus. Nos suprà piscem caponem Romę dictum, Lucernam esse, ex Gillio annotauimus.

Germanicè labeonem vocabimus *ein straimharderem*, id est striatum mugilem: nam & Galli aliqui à lineis, quę à branchijs ad caudam æqualibus spacijs striarum instar protenduntur, (sicut & in alijs quibusdam mugilibus, sed minùs euidentes) virgadellam nominant. Vel circumloquemur, *Ein Harderen mit grossen leffzen.*

Bacchum potiùs quàm Banchum legendum esse apud Plinium, pro genere aselli piscis, admonet Massarius, cum ex vetustis codicibus, tum ex Euthydemi & Diphili recitatis Athenęo verbis. Banchum verò alium piscem esse inter mugiles minimum putat: Hermolai scilicet verbis deceptus, qui & ipse banchum inter mugiles minimum esse ex Athenæo refert, duplici errore. non enim banchus apud Athenæum nec alium vllum quod sciam Græcum scriptorem legitur, sed banchus tantùm, βάκχος, siue de asello, siue de mugile dicatur. est enim homonymon ad vtrunque. Magnitudine quidem inter mugiles hic piscis minimus non est, sed dignitate & salubritate postremus. *Bacchus. Banchus.* Γλαυκίσκοι, κέφαλοι, κεστρεῖς, μύξινοι, κολλῶνες, (lego χελῶνες) ὅμοιοί εἰσι κατὰ τὴν τροφήν. τοῦ δὲ κεφάλου καταδεέστερός ἐστιν ὁ κεστρεύς: ἥσσων δὲ ὁ μύξινος, πελαγίτης ὁ κόλων, (lego χελών,) Diphilus. Ἱκέσιός φησι: Τῶν δὲ καλουμένων λευκίσκων πλεῖονά ἐστιν εἴδη. Ἄριστοι δ' εἰσὶν οἱ κέφαλοι καὶ πρὸς τὴν γεῦσιν, καὶ πρὸς τὴν εὐχυλίαν. δεύτεροι δ' εἰσὶ τούτων οἱ λεγόμενοι κεστρεῖς, ἥσσονες δ' οἱ μύξινοι: καταδεέστεροι δὲ πάντων οἱ χελῶνες, οἱ λεγόμενοι βάκχοι. εὔχυλοι δ' εἰσὶ σφόδρα (videtur hic locus mutilus: addendum suspicor οἱ κέφαλοι) καὶ ὁ πολύτροφοι, καὶ εὐέκκριτοι. Eustathius quoque in Iliados N. hunc locum citans, legit χελλῶνες οἱ καὶ βάκχοι. Quòd autem postrema verba, Εὔχυλοι δ' εἰσὶ σφόδρα, &c. non de chelonibus accipienda sint, apparet: quoniam illos mugilum pessimos esse sentit: sed de cephalis, quos omnibus præfert: illis nimirum, qui non in litore & limo vt chelones: sed longiùs & in puro mari degunt: quos boni succi esse Galenus quoque fatetur: ventrem quoque illos promouere iam diximus: qua ratione etiam minùs alere videntur. Rondeletij coniecturam non probo: qui in Hicesij verbis, post καταδεέστεροι δὲ πάντων οἱ χελῶνες, punctum notat. deinde à nouo initio legit, οἱ δὲ λεγόμενοι βάκχοι, εὔχυλοι. vt alij scilicet (inquit) vel capitones, vel myxini dicantur banchi. Cum enim lectionem, qualis est, & Eustathius quoque legit, & Natalis de Comitibus similiter, (qui nuper Latinum reddidit Athenæum, multis, vt ait, codicibus Græcis collatis,) defendere possimus, nihil opus est innouari. Proximè dixerat Hicesius, Leuciscorum genera sunt, κέφαλοι, κεστρεῖς, χελῶνες, μύξινοι. quòd si nunc Bacchorum nomine, (si ita legamus vt Rondeletius) vel aliud quintum genus, vel vnum ex prædictis intellexisset, monere debuerat. At si ita vt nos & vt impressi ac manuscripti codices habent, legas: nihil, vt apparet, difficultatis est. In capite de mugilibus in genere Rondeletius scribit, chelones quoque bacchos dici, Hicesio teste: neque in lectionem an legitima sit inquirit. Itaque eodem in capite bacchos pisces quatuor diuersos facit: vnum, asellorum generis: tres, mugilum: nempe chelonem, myxonem, & cestreum. Ego aselli genus, & chelonem mugilem aliter bacchi nomine vocari fateor. cestreum autem eodem nomine vocatum, nullo opinor authorum testimonio comprobari posse. Plinius quidem tricesimo secundo volumine de felle piscium loquens. Auribus (inquit) vtilissimum bati piscis fel recens, sed & inueteratum vino. item banchi quem quidam myxona vocant. Sed is locus mihi suspectus est: & fuit Hermolao quoque, cuius hæc sunt verba: Est & aselus marinus, quandoque banchos appellatus Plinio. propterea additum hîc (libro 32. cap. 7.) putauerim post Banchi, quem quidam myxona vocant. Plinium quidem pleraque sua à Græcis transtulisse constat, hunc præcipuè locum. vsitata enim Græcis nomina sunt banchus (vel Bacchus potiùs) & Myxon. sed cum neque banchus per n. apud eos legatur, neque bacchum esse myxonem, sed chelonem (vtrunque mugilum generis) memoria ipsum esse lapsum, vel aliter locum vitiatum suspicabimur: præsertim cum hoc passim frequentissimum Plinio sit, in ijs maximè, quę à Græcis transfert. Inueniuntur & in banchi piscis capite ceu lapilli. hi poti ex aqua calculosis pręclarè mendentur, Plinius. Vbi iterum bacchi lego. nec referre puto eo nomine aselli an mugilis aliquod genus intelligas. omnium enim ferè lapilli, qui eos habent, piscium, simili mihi videntur ad calculos pellendos facultate præditi. Rondeletius de cestreo: Lapides (inquit) in cerebro reperti aduersus nephritidem valent. quem locum fortè ex Plinio transtulit, cum cestreum alio nomine etiam bacchum dici existimaret. Lapillos autem asello etiam pisci inesse constat.

C Aristoteles libro 8. Historiæ capite 2. cum cephalum χειλῶνα πρόσγειον, id est litoralem esse dixisset: peręam verò non litoralem, subdit, Βόσκεται δὲ ὁ περαίας ἢ (τὴν potius) μύξαν τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ: διὸ καὶ νῆστίς ἐστιν ἀεί. οἱ δὲ κέφαλοι νέμονται τὴν ἰλύν. Hîc pro his verbis, οἱ δὲ κέφαλοι, res ipsa postulat vt legamus, οἱ δὲ χειλῶνες. eademque lectio ex Athenæo confirmatur, hunc locum sic recitante: Ὁ μὲν χελὼν πρὸς τῇ γῇ νέμεται: ὁ δὲ φεραῖος (περαίας) οὔ. καὶ τροφῇ χρῆται, ὁ μὲν φεραῖος (περαιας) τῇ ἀπ' αὐτοῦ γινομένῃ μύξᾳ. ὁ δὲ χελὼν, ἄμμῳ καὶ ἰλύϊ.

F Deterrimus mugilum chelon est, vt diximus: vt qui in litore cœnoso, & prope paludes, & ad fluuiorum ostia maximè victitet.

G Chelônis piscis adeps (& hepar) cum succo fœnogręci solutus & illitus in labris & pelmasin, id est plantis pedum, fissuras egregiè sanat. Fel autem eius chimetla curat, Kiranides.

H.a. Labeones à prominulis inferioribus labris dicuntur: qui hæc cognomenta Romanis familijs indiderunt, Iouius. Camerarius Labiones per i. scribit. Labra, à quibus brocci, labeones dicti: & os probum duriúsve animal generantibus, Plinius libro 11.

VI. CO-

VI. COROLLARIVM, DE MYXONE.

A Myxinus scribitur apud Athenæum, Μύξινος proparoxytonum: Eustathius penanflectit, vt ἐρυθῖνος. Aristoteles μύξων habet: quod magis placet quàm μύξος, vt Athenęi codex noster ex eo repetit. Μύζων quidem per ζῆτα non probo: & si quis etiam ita scriberet, o. magnum seruandum esset in obliquis. De hoc pisce iam in præcedentibus passim inter Mugiles quædam prolata sunt. Ἡ μύξα ἐκ τοῦ μύζειν λέγεται: & metaphoricè etiam μύτης (in sepia) ab eodem verbo. & μυξῖνος, parui mugilis genus, Eustathius. Et rursus: Et quoniam myxini leuciscorum, qui ab albo colore denominantur, species sunt: verisimile est ipsorum quoque nomen à muco lacteo, vt Oppianus appellat, esse factum, παρὰ τὴν γλαγόεσσαν μύξαν. Banchum aliqui myxona vocant, Plinius. super quo loco coniecturam nostram exposuimus proximè retrò in Chelône. *Pholis.* Est apud Aristotelem pholis, quę mucorem, quem ipsa emittit, sibi obducit, ita vt in eo quasi cubili quiescat. De hoc Vuottonus dubitat, idém ne sit myxoni piscis, an eiusdem saltem generis. sed Rondeletius probè distinxit. Myzones siue Myxones Mugilum genus etiam hac ętate Græci Myxones appellant: qui Niceam accolunt Massonos nuncupant, Gillius. Germanicè Myxonem probè vocabimus *ein Schlymbarderen*. nam quòd Gręci myxam, Latini mucum, nostri *Schlym* appellant. Qui myxonem esse putant piscem à nostris *Trüsch*, Gallis Lotam vocatum, falluntur.

F Tripatinum nominat Plinius, ex muręnis, lupis & myxone piscibus. Vide in Lupo F.

Myrinus, mugil & capito, si pluuiæ modũ excesserint, facilè excęcantur, Ari. Historię 8.19. Rondeletius pro myrino, myxinum restituit. Vt alibi quoque pro μύκων (vbi Gaza papauer transtulit) legit μύξων.

DE MVLLO, BELLONIVS.

A (F) TRigla ijs potissimùm, qui mari abluuntur, notissima esse solet, longiùs tamen in Mediterraneis ferri, si cum pipere in pasta incocta condiatur. Parisienses vulgò Rougetos barbatos, vel Surmuletos appellitant, ad aliorum piscium discrimen, quos Mulli Geneatis nomine, id est imberbis illis venire solet. Veneti à barbis Barbonos, Burdegalenses & Baionę Barbarinos dicunt.

B Perpaucos admodum pisces noui, qui Triglę naturam sortiantur. Nam is nec lingua, nec dentibus os communitum habet. Squamis Mullus latiusculis contectus est, sed quę leui contactu auferantur: tamen vbi ablatę sunt, rutilus color multò pulchrior in cute apparebit. Tota piscis moles rubet quidẽ, sed veluti versicoloribus lituris notata rubris & luteis, & in quibusdam purpureis comperitur. Mulli vt plurimùm non excedunt palmum, neque binis libris grauiores fiunt, quod iam ab omnibus antiquis testatum est. Ideo persæpe Mullum bilibrem dixerunt. Mullus Scarum propemodum referret, ni Scarus paulò latior esset: ventrem ferè planum habet: ideo non falli creduntur qui trilaterales triglas censuerunt. Caudam habet bifurcam, idcirco laterum pinnas veluti in acutum tendentes. Pinnas duas in tergore gerit, quarum anterior ceruici multum vicina est. Altera verò non longè à cauda distat: duas prætera sub ventre gerit, alteram inter anum & caudam. Oculos erui magnitudine: Barbis duabus sub mento seu cirris albis, mollibus, flexilibusque, veluti Mystus barbatus. Stomachum forma rotundum: (C) œsophagum habet gracilem, oblongum & tenuem. Integras deglutit Chamulas, Tellinas, Mitulos, Pectines & Conchulas passerum modo, quas in stomacho conficit. Hepar in latere sinistro situm habet. Felle non est admodum grandi præditus. Cæcis siue appendicibus pluribus communitus est.

F Veneti Triglas, apud quos affatim capiuntur, incoquunt, & in succo acido & piperato immergunt: Sciunt enim eas dura carne constare, vt tali modo diu incorruptas seruent: Siquidem hac ratione conditas per vrbem vendentes circumferunt. *Aetius.* Aëtius eadem quę Galenus de Mullo habet: Ex pelagijs pisci bus (inquiunt) est Mullus. is æstimationem apud homines reperit, tanquam excellenter in cibo iucundus sit. Habet autem duriorem omnibus pelagij generis carnem, non pinguẽ, sed friabilẽ: & propterea magis quàm alij pisces nutrit, vbi probè concoquitur. Quidam iecur eius & caput voluptatis gratia magnifaciunt. *Galenus.* Hic quoque pelagicis piscibus annumeratur, inquit Galenus. Celebratur autẽ apud homines, tanquam voluptate cibos reliquos superet. Omnium fermè aliorum carnem habet durissimam, & valde friabilem: quod idem est, ac si dicas, nihil in eo esse lentoris neque pinguedinis. Nutrit certè, cum probè confectus fuerit, omnib. alijs piscibus copiosiùs alit. Diximus autem anteà, quod cib. durior, ac crassiorum partium, & (vt sic dicam) terrestris, alimentum corpori pręstat copiosiùs, quàm humidior ac mollior: pręsertim quando pręter id, substantiam habet corpori alendo accommodatam ac familiarem, quæ substantia voluptate iudicatur. Nam alimenta quæ tota substantia ab alendis animalibus sunt aliena, ea aut non prorsus, aut insuauiter manduntur. Ex familiaribus verò quemadmodum humidius minus nutrit: ita coquitur faciliùs ac distribuitur. Ergo Mulli caro iucunda quidem est, vt quæ alimentum est hominum naturę accommodum. Et quanquam alijs piscibus sit durior, mandi tamen quotidie potest, propterea quòd friabilis est, & pinguedinis expers cum quadam acrimonia. Nam pinguia & lenta cibaria, statim vt sumpta fuerunt, celeriter implent, & appetentiam euertũt. Præterea, quod maius est, compluribus deinceps diebus ipsorum esum non sustinemus. *Hepar.* Verùm Mulli hepar à gulosis propter voluptatem summopere expetitur. Quidam verò ipsum per se mandere nolunt: sed gare lęum, quod vocant, in vase cum pauxillo vini pręparantes, in eo viscus ipsum tantisper comminuunt, quoad totum simul ex ipso & humidis pręparatis succus vnus fiat simplex ad sensum & similaris, in quo Mulli carnes intinctas mandunt. At mihi profectò nequaquam tantæ suauitatis esse videtur: neque *Caput.* tantam corpori vtilitatem adferre, vt tantopere sit concupiscendum, vti nec ipsum caput. Quanquam *Maximi mulli.* gulosi hoc quoque laudant, ac secundas post iecur ferre pręd icant. Cæterùm intelligere nequeo, cur pe: multi grandissimos Mullos emptitent: cùm nec adeò suaui sint carne, vt minores: nec ad coquendum faciles, vt quæ dura admodùm est. Ob eam igitur causam, cùm quendam aliquando interrogassem, qui ingenti pecunia pręgrandes Mullos emerat, quid esset quòd illos tantopere expeteret: respondit, se primùm propter hepar illos tanti emisse, tum autem propter caput. Verùm hactenus de Mullis hæc dixisse, huic sermoni, in quo vtilitatem inquirere instituimus, satis fuerit. Porrò optimi Mulli siliunt, *Lib.3 de alim. facult.* vt alij etiam omnes pisces, tum propter mare purum, cùm propter alimenta. Nam qui cancellos vorant, & ra-

& grauiter olent, & insuaues sunt, & ad coquendum difficiles, & mali succi: hos porrò dignosces, si prius quidem, quàm vescare, ventrem resecueris. Inter vescendum verò ipse statim gustus ac olfactus iudicium adferet. Hactenus Galenus. Idem alibi sic de Mullo scribit, Mulli verò quòd dura eorum caro sit, & ab excrementis pura, non sunt ad saliendum accommodi. Item libro de attenuante victu ita habet: Qui autem vitam in maiore otio, ac quiete degunt, ijs non modò ab eiusmodi suum esu est temperandum, verumetiã à syluestribus: Abundè enim fuerit eis auibus montanis vesci, & piscibus saxatilibus, vtputa Iulide, Fuca, Merula. Turdo, Scaro: & in summa, omnibus quæ habent carnem mollem simul ac friabilem. Mullorum friabilis quidem est, non tamen mollis. Item paulò pòst habet, Quum igitur saxatiles desunt, Asellos, Mullos, & alios eiusdem generis pelagicos possumus exhibere, & eos potissimùm qui cum sinapi manduntur: cuius generis est Scorpius.

DE MVLLIS, RONDELETIVS.

Mulli, hirundinibus & cuculis similes sunt, (vt ex Speusippo diximus) plus æquo à veteribus laudati. Horum plura sunt genera, quę singillatim exponemus. Dicitur à Græcis τρίγλη, non τρίγλα, vt docet Athenæus. Nam fœminina nomina in λα desinentia, alterum λ postulant, vt σκύλλα: quæ verò γ annexum habent, in η desinunt, vt τρώγλη, αἴγλη, ζεύγλη. Quanquã in excusis Aristotelis exemplaribus sæpe τρίγλα legitur. Cur τρίγλη dicatur, ostẽdit ex Aristotele Athenęus: Scribit Aristoteles in quinto de animalibus, mullum ter parere. piscatores id coniicere ex eo quòd quibusdam in locis ter fœtura appareat, fortasse igitur inde nomen habet. Id confirmat Oppianus lib. 1. Ἀλιευτικῶν, Τρίγλαι δὲ τριγόνοισιν ἐπώνυμοί εἰσι γονῇσι. Accipiunt triglæ à terno cognomina partu. Non igitur quòd triformis sit, sed quòd ter pariat, τρίγλη nominata est. Mulli nomẽ Fenestella à colore mulleorũ calceamentorum (*quæ nimirum purpurei erant*) datum putat, autore Plin. lib. 9. ca. 17. De mulleis verò hæc Festus Pompeius: Mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus Reges Albanorum primi, deinde patritij vsi sunt, quos putant à mullando, id est, suendo dictos. Mulleos igitur purpureos fuisse oportet, cùm mulli sanguinei, id est, purpurei sint. Ouidius in Halieutico: Tenui suffusus sanguine mullus. Et Oppianus rosei coloris esse ait: Τρίγλης δὲ ῥοδόχροα φῦλα νέμονται. Vel varios mulleos fuisse oportet, cũ mulli magna ex parte purpurei sint, aliqua parte cãdidi, alia liuidi: habent & lineas aureas parallelas. Maximè cùm expirant, colorem mutant. Plinius: Mullum expirantem versicolori quadam, & numerosa varietate spectari proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem, vtique si vitro spectetur inclusus. Ego frequenter in litore expirantes & variè colorem mutantes vidi. Epicharmus τρίγλας κυφάς nominat apud Athenæum, quòd capite sint repando, vt opinor, maximè barbam habentes. Sophron apud eundem τρίγλας πίονας, id est, pingues, parum apto epitheto. Nam mulli, autore Galeno, omnium ferè aliorum carnem habent durissimam, & valde friabilem, quod idem significat, ac si dicas, nihil in ea lentoris, neque pinguedinis.

Libro 7. — *Ibidem. cap. 9.* — *Mulli nomen Latinum & color.* — *Lib. 1. ἁλιευτικῶν.* — *Ibidem.* — *Libro 7.* — *Lib. 3. de alim. facult.*

Mullus hodie à Romanis, cùm iam vetus Latinum nomen exoleuerit, trigla dicitur: à Venetis barboni: à Burdegalensibus barbeau: à Gallis surmulet: à nonnullis barbarin: ab alijs moil, id est, maris perdix: (*à mullo potiùs hoc nomen detortum coniecerim*) à Cretensibus nomine composito ex Græco corrupto & Veneto τριγλημπαρμπούνι: ij enim β per μτ efferunt.

Nomina gentium diuersarum.

Mullorum vt diximus, plures sunt differentiæ: alij enim barbati sunt, qui γενειάδες à Sophrone dicuntur: ἐπεὶ αἱ τὸ γένειον ἔχουσαι ἡδίους εἰσὶ μᾶλλον τῶν ἄλλων: quoniam qui barbam habent, cæteris sunt suauiores. Alij barbati non sunt, qui distinctionis gratia ἀπώγωνες, id est, imberbes à nobis dici possunt. Rursus barbatorum differentiæ à loco succique bonitate inueniuntur. alij enim in alto mari degunt, qui omnium sunt optimi. alij in marinis stagnis & cœnosis litoribus, vnde lutarij dicti, vel quod lutũ oleant, vel quòd luto vescantur. Plinius: Lutarium ex his vilissimi generis appellant. Huiusmodi permultos habemus in stagno nostro. Itaque quemadmodum Plinius purpurarum genera plura pabulo & solo discreta facit: ita & mullorum genera discernere possumus, vt aliud sit lutense, putri limo: aliud algense, alga enutritum: aliud quod aliorum piscium carne vescatur. Eodem modo à locis differentiæ sumentur.

Differentiæ. — *Lib. 9. cap. 17.* — *Lib. 9. cap. 37.*

DE MVLLO BARBATO, RONDELETIVS.



C MVLLVS barbatus in alto mari, in marinis stagnis, & litoribus viuit: rarò inter saxa, nisi luto, arena, musco obducta sint. frequentissimè in mari nostro capitur.

B Pedalem magnitudinem attingit. Plinius lib. 9. cap. 17. Mullis magnitudo modica, binasque libras ponderis rarò admodum exuperant, nec in viuarijs piscinisque crescunt. Septentrionalis tantùm hos & proxima Occidentis parte gignit (*Alia lectio, non gignit*) Oceanus. Martialis:

Nolo mihi ponas rhombum, mullumque bilibrem. Horatius trilibrem dixit,

Laudas insane trilibrem mullum. Seneca in epistolis scripsit mullum quatuor librarum pondo Tiberio Imperatori donatum, quem in macellum cùm deferri & venire iussisset, ab Octauio quinque sestertijs emptum fuisse. Mullum octoginta librarum in mari rubro captum Licinius Mutianus prodidit, teste Plinio, quod credibile non est. Mullus à capite ad caudam lineas habet aureas. Color eius pur-

Libro 95. — *Lib. 9. cap. 18.*

pureus per squamas non aliter quàm per pellucidum cornu conspicitur: sunt enim eæ magnæ, tenues, serratæ, obliquo situ dispositæ, facilè deciduæ. quæ cùm deciderint, ruber ille color veluti nitens purpura apparet, lineæ verò aureæ euanescunt. Capite & dorso est gibbo, oculis rufis, ore paruo, sine dentibus. Ex inferioris maxillæ extremo cirri duo, molles, candidi pendent, vnde barbatuli à Cicerone, & barbati à Varrone (lib.3. de re rust.) cognominantur. Et has maxillæ apophyses seu appendices barbam appellauit Plin. lib.9.c.17. Mulli, inquit, barba gemina insigniuntur inferiori labro. Pinnas habet duas ad brãchias aurei coloris: in supina parte itidem duas candidas, à podice aliam, in dorso duas. prior ex firmioribus, posterior ex mollioribus aculeis constat. Cauda rubet. Gula parua est, ventriculus paruus cum innumeris appendicibus. Hepar ex albo rubescit. felle caret, quam ob causam ex hepate condimẽtum paratur, de quo posteà. Splen nigricat exiguusq; est, cor triãgulare, brãchiæ quaternæ & duplices.

In Parad. — *Partes internæ.*

C (F) Partes internæ facile putrescunt. quamobrem cùm mulli longa vectura seruari non possint, raro Lutetiæ, & in magnis vrbibus procul à mari dissitis venales reperiuntur. Cumq; in Oceano sint maximi, præsertim in Britannia, qui procul amandare volunt, priùs coquunt, farinaq; probè subacta pistaq; cõcludunt. Cur facilè putreant, in causa esse puto victus rationem: luto enim & sordibus sæpiùs vescũtur, vt mox fusiùs ostendemus. Mullum ter anno parere autores sunt Plinius, Oppianus, Athenæus Aristotelem secuti. Oppiani & Athenæi locos superiore capite protulimus. Plinij verò locus est huiusmodi: Mulli pariunt ter anno: his certè toties fœtura apparet. Quæ ex Aristotelis lib.5.cap.9. de historia anim. sumpta sunt, quo loco docet Arist. alios pisces semel tantùm parere anno, vt thynnum, cestreum, cæterosq; quos χυτοὺς vocat, Gaza fusaneos: alios bis, vt sargum vêre & autumno, triglam verò ter. Quæ tam apertè dicuntur, vt hoc loco de Aristotelis sensu dubitare nemo possit: at qui alium eiusdem operis locum cum hoc diligentiùs contulerit, non parum certe de mulli partu ambiget. Locus is est: Vltimi gregalium pariunt mullus & coracinus, pariunt autem autumno, (περὶ τὸ μετόπωρον.) Mullus in limo parit, quare serò fœtificat: longo enim tempore limus frigidus est. Si mullus autumno tantùm parit, vltimus scilicet gregalium, atq; serò: quî fit vt ter anno pariat? Nam ter autumno vno parere verisimile non est. Athenæus recitata Aristotelis sententia, qua ter anno parere asserit, subiungit ter tantùm vitâ parere: reliquo tempore sterilem esse, quòd in ipsius vtero vermiculi nascantur, qui semen deuorant. Sed locũ Athenæi, quia in ijs quæ extant exemplaribus, indistinctè & inemendate legitur, adscribere non grauabimur, vt lucem ei aliquam afferamus. Τὴν τρίγλην φησὶν Ἀριστοτέλης τρὶς τίκτειν τοῦ ἔτους ἐν πέμπτῳ ζώων, τεκμαίρεσθαι λέγων ἀπὸ τοῦ ἁλιεῖς τοῦτο ἐκ τοῦ γόνου (*τρὶς additur in nostro codice. & sic habet Aristot. historiæ 5. 9.*) φαινομένου περὶ τινὰς τόπους. Μήποτε οὖν ἐντεῦθεν ἐστὶ καὶ τὸ τῆς ὀνομασίας; ὡς ἀμίαι ὅτε οὐ μίαν φέρονται, ἀλλ᾽ ἀγεληδόν: σκάρος δ᾽, ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, (*καὶ σκαρὶς, additur. forte καρὶς: nisi σκάρος & σκαρὶς, ita sit vnus piscis, vt τρίγλη, τριγλίς:*) κάμμαρος, καμμαρὶς, *&c. Eustathius quidem hunc locum repetens, σκαρὶς habet, vt & Natalis interpres Latinus.*) ἀφύαι δὲ, ὡς ἂν ἀφυεῖς οὖσαι, τουτέστι δυσφυεῖς: θύννος δὲ ἀπὸ τοῦ θύειν. ἔστι γὰρ ὁρμητικὸς κατὰ τὴν τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴν, διὰ τὸ ὑπὸ τοῦ τῆς κεφαλῆς οἴστρου ἐξελαύνεσθαι. ἔστι δὲ καρχαρόδους, συναγελαστικὸς, (*συναγελαστικὴ habet codex noster, vt referatur ad τρίγλη: vt sensisse videtur Athenæus. nam post σαρκοφάγος, non legitur τρίγλη, quod Rondeletius apposuit, sed τὸ δὲ τρίτον τεκοῦσα, tanquam de eodem adhuc pisce. quanquam καρχαρόδους non est. Rondeletio enim & Bellonio teste, dentes non habet, vt in hoc aberrarit Athenæus, sicut & in cestreo. Natalis quidem Latinus interpres non vbique probatus, ad thunnum hæc, sicut Rondeletius, refert.*) πεντέστικτος, καὶ σαρκοφάγος. Τρίγλη τρίτον τεκοῦσα (*codex impressus habet τελοῦσα. sed Eustathius & Varinus melius τεκοῦσα.*) ἄγονός ἐστι. γίνεται γὰρ τινὰ σκωλήκια αὐτῇ ἐν τῇ ὑστέρᾳ (ὑστέρᾳ) ἃ τὸν γόνον τὸν γινόμενον κατεσθίει. Hæc si quis cum vulgari lectione conferat, longe dilucidiora esse fatebitur. Cùm autem de trigla cœpisset dicere Athenæus, ac in eius atq; aliquot aliorum piscium etymum diuertisset: de eadem continenter scribit, post tertium partum sterilem esse. hoc satis demonstrat sequens contextus, in quo de trigla plura tradit. Aristoteles lib.8. de hist. anim. cap.13. mullum inter litorales numerat: item Oppianus lib.1. ἁλιευτικῶν, & Plin. lib.9.c.17. Galenus inter pelagios. Qui barbati sunt, in litoribus sæpius capiuntur, imberbes in alto mari. Vt locis, ita victus ratione, & proinde succi bonitate mulli à sese differunt. Arist. (lib.8. de hist. anim. cap.2.) scribit, alga, conchis, cœno, carne vesci. Oppianus sordidissimis quibusque cibis, vt hominum cadaueribus, nullumq; in mari esse piscem qui sordes tam auide appetat, tantumq; aquatilia omnia spurcitie vincere, quantum sus terrena reliquas animantes.

Partus. — *Lib.9.cap.17.* — *Lib.5.* — *Loci in quibus agit.* — *Victus.* — *Lib.3. ἁλιευτικῶν.*

Τρίγλης δ᾽ οὔ τινά φημι χερειοτέρῃσιν ἐδωδαῖς — Τέρπεσθαι. πάντων γὰρ ἀεὶ ἁλὸς ἥν κε κίχῃσι
Φέρβεται, ἱμείρει δὲ δυσηχέος ἔξοχα δαιτός — Σώμασι δ᾽ ἐκπάγλως ἐπιτέρπεται ἀνδρομέοισι
Πυθομένοις, εὖτ᾽ ἄν τιν᾽ ἕλῃ στονόεσσα θάλασσα. — Εἴκελα δ᾽ τρίγλῃσι, σύεσσί τε, φημὶ τετύχθαι
Ἤθεα, φυρομένοισιν ἀεὶ περὶ γαστέρος ἐρμῇ. — Ἄμφω δ᾽, οἱ μὲν ἔασι διάκριτοι ἐν νεπόδεσσιν,
Οἱ δ᾽ ἐνὶ χερσαίῃσιν ἀριστεύουσ᾽ ἀγέλῃσιν.

F Mulli ij optimi iudicandi sunt, qui in maxime puro mari, cibis optimis minimeq; sordidis vescuntur. Vt Diphilus apud Athenæum scribit, mulli caro stomacho grata est, subastringens, dura, corruptu difficilis, aluum sistit, maxime super carbones assa. In sartagine frixa, grauis est, concoctu difficilis. quouis autem modo parata omnis, sanguinem elicit. Laudatissimi, inquit Plinius, qui conchylium sapiunt. Hæc cùm ita sint, iure mirum videri possit: cur tam prodigo luxu insignis & pretiosus ab antiquis habitus sit mullus. Nam si alimenti copiã, quam præstat, spectes, omnes alii pisces qui præterquã quòd dura, etiam glutinosa sunt carne, copiosiùs alunt. si suauitatem gratiamq; succi, à multis saxatilibus, alijsq; ea laude superatur. M. Apicius, vt scribit Plinius, ad omnem luxum ingenio mirus, in sociorum garo mullos necari præcellens putauit, atq; è iecore eorum alecem excogitare prouocauit. Id enim est facilius dixisse, quàm quis vicerit. Ego in garo ex encrasicholis, in oleo & aceto igni liquatis confecto hepar mulli comminuo, cultelloq; tantisper misceo, dum vnus ex omnibus succus fiat, ex eoq; condimento carnem mulli edo: caput verò quia multum huius condimenti ebibit, fugitur: ideoq; laudatur, non quòd aliquid aliud quod probandum sit, habeat. continet enim duntaxat cerebrum, annexæ sunt branchiæ quæ edendo non sunt.

Lib.3. — *Lib.9.cap.17.* — *Lib.9.cap.17.* — *Hepar.* — *Caput.*

G Mullorum assiduo cibo aciem oculorum hebetari tradunt Plinius lib.32.cap.7. & Dioscorides libr. 2.cap.24. Et mullos in cibo inutiles neruis inuenio fieri, inquit Plinius: vel quia spiritum animalem absumit (*hic cibus, qua Rondeletii coniectura est*) vel conturbat. Si mullus viuus in vino suffocatus fuerit, &

Ibid.c.10.

& id vir biberit, rei venereæ operam dare non poterit, inquit apud Athenæum Terpsicles. Si verò ex eodem vino mulier biberit, non concipiet. Cùm igitur veneris incẽdia restinguat, eam ob causam contra omnia veneficia ex menstruis mulierum auxiliatur, vt etiam author est Plinius. Mulieres enim huiusmodi philtra parant, veneris inflammandæ causa: qua vti cùm mullorum esu viri prohibeãtur, à mulierum amore abhorrent, illasque fugiunt. multò verò ad id efficaciores redderentur mulli, si edantur saliti vel aspersi ea chrysocolla (*aliqui tamen chrysocolla factitia in corpus sumpta venerem accendi putant*) qua nunc aurifices aurum ferruminant, quamque Arabico vocabulo baurach appellant.

H.h. — *Lib.9.* — *Lib.32.cap.10.*

Fortasse ob id quòd castos viros efficiat, Dianæ sacrum esse mullum, non ineptè aliquis cum veteribus fabulari possit, quanquam alij veteres Hecatæ attribuant (quę eadem est cum Luna & Diana, vt author est Aristophanis interpres, & in natura deorum Phurnutus) ob nominis communionem: est enim, vt ait Athenęus τριοδῖτις, καὶ τρίγληνος, καὶ ταῖς τριακάσι δ᾽ αὐτῇ τὰ δεῖπνα φέρουσι. id est, triuia est Hecate, tres habet oculos, trigesimo & vltimo die mensis, siue in neomenia cœnam illi mittebant. vel quia, autore Apollodoro, vt citat Athenæus, τρίμορφος ἡ θεός, id est, triformis est dea. vnde Vergilius dixit: Tergeminamque Hecatem, tria virginis ora Dianæ. Et Ouidius:

Ora vides Hecates in tres vergentia partes, Seruet vt in ternas compita secta vias.

Hegesander mullum in Dianæ sacris circumferri scripsit, quia censetur lepores marinos hominibus mortiferos sedulò venari & deuorare: quòd cum summo mortalium commodo faciat, venatrici deæ venator piscis dedicatur. Simile quid tradit Plutarchus. Mullum Eleusiniæ sacerdotes colere, & Iunonis apud Argiuos antistitem (fœminam τὴν ἱέρειαν) ob animalis reuerentiam eo abstinere: marinum enim leporem exitialem homini mulli necant cumprimisque infestant. Quare tanquam hominum amantia, & ijs salutaria animantia securitatem hanc obtinere. Item Plinius: Lepore marino vescitur vnum tantùm animalium, vt non intereat, mullus piscis, & tenerescit tantùm, & ingratior viliorque fit: Eundem leporem marinum venatur & deuorat scarus, autore Athenæo libro 8. cap. 2. Sed quibus de causis hoc loco Athenęus lapsus sit, vel locus is sit mendosus in Scaro exposuimus, non solùm Plinij, sed etiam Aristotelis autoritate freti, qui disertè tradunt scarum alga, herbisque vesci, non alijs piscibus. His probatissimorum autorum testimonijs rationem addidimus quam suo loco leges. Locus verò Athenęi is est: ὁ δὲ σκάρος ἁπαλόσαρκος, ψαθυρὸς, γλυκὺς, κοῦφος, εὔπεπτος, εὐανάδοτος, ὑγιεινός. τούτων δὲ ὁ πρόσφατος ὑπονήτικος, ἐπειδὴ τὸν θαλάττιον λαγὼν θηρεύοντες σιτοῦνται.

In libello vtra anim. &c. — *Lib.32.cap.1.* — *An scarus etiã lepores marin. deuoret.*

Cùm igitur mulli lepore marino venenatissimo animali vescantur, ob hanc maximè rationem non solùm quia in lutulentis sordidisque locis degunt, ex Galeni consilio exenterandi sunt, contra coquorum consuetudinem qui integros coquunt: reiectis enim intestinis, ventriculoque, minùs periculosi erunt. quanquam aliquando gallinas ederimus in quarum ingluuie serpentes reperti fuissent, & lacertos marinos quos scolopendris marinis vesci anatome nos docuit. F

Mirum illud quod de mulli torpedinisq; antipathia scribit Alexander Aphrodisieus. Οὐδεὶς δὲ καὶ τὴν θαλασσίαν νάρκην ἀγνοεῖ, πῶς διὰ τῆς μηρίνθου τὸ σῶμα ναρκοῖ: τρίγλη δὲ κρατουμένη ἀντιπαθεῖ τῇ νάρκῃ. Nemo ignorat torpedinem marinam per funiculũ corpori stuporẽ inducere, cui trigla contrectata contraria vi resistit. D

In præfat. problem.

Hæc de mullo tantopere à veteribus celebrato, quem nos graphicè depinxisse certissimum est: id enim confirmant cum cuculo, & hirundine corporis similitudo: color ille magna ex parte roseus, qui vel cum minio certare possit, alia ex parte varius color, maximè quum expirat. Prætereà illa barba inferiori labro propendens, tum carnis substantia dura, sicca, & maximè friabilis. ad hæc magnitudo modica. Postremò nominis Græci vestigia ad hæc vsque tempora à quibusdam gentibus seruata. A

Mullum verum à se exhibitum.

DE MVLLO IMBERBI, RONDELETIVS.



IMBERBIS mullus is est, qui à nostris imbriago (*Sic etiam lepus mar. quòd expressus succum remittit instar vini rubri*) dicitur, ab insigni rubore: ebriosis enim, quos imbriagos nostri vocant, sępius rubet facies. Ab hoc igitur exaturato & splendido rubore pisci isti nomen à nostris datum est. A

Piscis est marinus, rarus, hirundini & cuculo corporis figura similis, colore magis rubro. Capite magno, stellulis cælato. Oculis magnis. Ore paruo, cuius pars interna cinnabaris colore est, vt in hirundine, sine dentibus. B Os branchias operiens in aculeos terminatur ad caudam spectantes. Ad branchias pinnæ sunt duæ rubræ cum appendicibus aliquot, vt in hirundine & cuculo diximus: in ventre duæ aliæ. Cute aspera contegitur & rubra in dorso & lateribus inam ventre est candido, ad quem à dorso lineę multæ ductæ cernuntur. A capite ad caudam dorso medio duo sunt acutorum ossiculorum ordines, cauum efficientes: è cuius medio pinna rubra aculeis constans erigitur, cuius pinnæ aculei parum serrati videntur, id quod in nullo alio pisce præterquã in eo qui sagitarius (*Hunc alibi Scolopacem vocans: Sagitarius, inquit, esse non potest: nam Sagitario plures sunt aculei ad Herinacei speciem*) vocatur, comperi: quãquã anthiæ caudæ similis: Ventriculum paruum idem tribuunt veterum scriptorum nonnulli. Sequitur alia pinna veluti è mollioribus pilis constans. Cauda rubra est, scorpionis habet cum appendicibus multis & longis. Deniq; partibus omnibus internis mullo barbato similis est.

C Vêre ouis multis distentum ventrem habet.

F Carne est dura siccaque.

A Hunc piscem ex mullorum genere esse, certissimo sunt indicio tum maxima cũ m hirundine, cuculo, mullo barbato similitudo, tum insignis splendidusque rubor: nihil omnino reclamat, nisi quod veteribus parum notus fuisse videtur, qui de solo mullo barbato videntur scripsisse.

Ex mullorum genere esse hũc piscem.

DE MVLLO ASPERO, RONDELETIVS.



A Ex genere mullorum imberbium is est, qui à nostris cauillone dicitur à claui lignei, qui cauille à nostris vocatur similitudine.

B Est enim corpore breui, terete, digiti magnitudine: colore minij, vel valde purpureo. Capite, branchijs, pinnis, mullo proximè descripto similis: sed squamas habet paruas, serratas, obliquè sitas. A capite ad caudam lineam ex squamis contextam. Pinnarum quæ ad branchias sunt, color est varius: nam parte exteriore candidæ sunt, parte interiore ex viridi nigrescunt, quemadmodum milui pinnæ. Ventriculo est paruo cum appendicib. paucis. Hepar habet candidũ, sine felle, longius quàm in alijs huiusmodi piscibus: splenem paruum ex rubro nigricantem. Branchias quaternas duplices.

F Carne est dura siccaque à cuculi carne non discrepante.

A Hunc piscem ob similem corporis figuram, similem colorem, mullorum generi subieci, & à squamarum asperitate mullum asperum nominaui, cum nullum aliud nomen, imò ne mentionem quidem vllam piscis istius, apud antiquos scriptores legerim.

DE MVLLO MARINI STAGNI, RONDELETIVS.

A Ex aliquot mullorum generibus lutarium Mullum vilissimi generis Plinius appellat à luto.

D Hunc semper Sargus sequitur, & cœnum fodiente eo, excitatum deuorat pabulum.

C Hic Mullus litoralis est, sed & optimo iure qui in stagnis degunt, lutarij vocari possunt, quod illic cœno viuant.

B F Multò maiores marinis sunt, non tamen ideo meliores: quos tamen nonnulli magnitudinis causa præferunt, cum tamen bonitate & succi præstantia multum distent. Figura similes sunt, colore minus purpureo, squamis tenacioribus, lineis aureis à capite ad caudam ductis euidentioribus. Nec litoralibus gratia, nec lutarijs stagni. Laudatissimi qui Conchylium sapiunt, ait Plinius quod non sine causa quis miretur, quod Conchylia multò duriore spissioreque sint testa, quàm vt Mulli ea diffracta carnem internam vorare possint. Cancellis vesci nil mirum, quorum esu deteriores fieri tradidit Galenus: crusta enim molli admodum vestiuntur, nec semper intra testas alienas toti conduntur, sed sæpius partem anteriorem proferunt, aliquando extra testas reperiuntur, cum capaciores quærunt. Laudatissimos igitur Mullos dixerim, qui Conchylium sapiunt, non qui Conchyliorum carne vescuntur, sed qui inter edendum eandem odoris saporisque gratiam referunt quam Conchylia.

COROLLARIVM.

Iconem hanc Mulli Venetijs depictam olim accepimus.



A Mullus piscis cum duplici l. scribitur, cũm à colore mulleorũ, vt putat Fenestella, illi sit nomen inditum Massar. Sunt qui à mollitie deriuent, vt Isidorus: quòd mollissimum hoc genus piscis sit, non quidem in cibo, sed seruitutis indignantissimũ, Columella teste. quare in piscinis non crescit. Proinde non

non laudo quòd indocti plerique, & ex doctis Hermolaus, Perottus, Iouius, mulum l. simplici, sicut iumentum quadrupes scribunt. Mulio piscis est Garioponto, non alius, vt suspicor, quàm Mullus. Τρίγλα communiter dicitur, Atticè τρίγλη, vt habet Index in Parecbolas Eustathij. Κίχλα & τρίγλα aliqui dicunt, non rectè. nullum enim fœmininum nomen in λα. reperitur: sed omnia in λη. vt πύλη, ὁμίχλη, ἀρβύλη, κρωβύλη, præter ea quæ λ. duplex habent, vt σκίλλα, βδέλλα, κόλλα, &c. quod Herodiano etiam placet, Varinus. Oppianus tamen τρίγλα protulit vltima breui: Καὶ κιθάρη, καὶ τρίγλα, καὶ ἀδρανέες μελάνουροι. Alibi verò per η. Τρίγλη δ᾽ ὀρφὸν ἔπεφνε. Τρίγλαν ἀπ᾽ ἀνθρακιῆς, καὶ φυκίδα τοι λιμενῖτιν, Suidas ex Epigrammate. Τριγλὶς fortè idem est piscis, qui τρίγλη. sunt enim multorum piscium nomina, quæ præter terminationem propriam, aliam quoque in ις fœminini generis cum accentu acuto accipiunt: vt cantharus, cantharis: thynnus, thynnis, &c. Vide in Lolligine maiore super hac re annotata. Τριγλίδες ἐν πηλοῖσι, καὶ ἐν τενάγεσσι θαλάσσης φέρβονται, Oppianus, cum paulò antè triglam dixisset, tanquam diuersum piscem in litoribus arenosis versari. Dorion τριγλίδας μικράς, hepsetis pisciculis adnumerat: vnde coniectura subit, eandem fortassis esse triglitidem, cuius meminit Dorion, apuarum generis. nam à triglitis per syncopen dicetur triglis. In ις bissyllaba si ante ις immutabilem habeant, & declinentur per δ, vltimam acuunt, vt σμαρίς, τριγλίς, μαινίς: sin per τ. grauantur, Suidas. Dubitat Wottonus an triglis Oppiani sit genus mulli lutarium, quod in cœnosis litoribus victitat. Mullum Græci etiam nunc rectè, seruato nomine antiquo triglam vocant, Gillius. Veneti barbonem à gemina barba cognominant, Massarius. Mullum Volaterranus eum existimat, quem hodie barbum appellant: probè, si de marino barbo intelligas: de fluuiatili non item. sunt enim toto genere diuersi. & quanuis vtrique barbi aut barbonis nomen, quod barbis vterque insigniatur, attribui possit: mullum tamen solum marinum rectè vocabimus: quod nomen etiam fluuiatili Alexander Benedictus immeritò tribuit. Ab Italis quibusdam hodie treglia vel triglia nuncupatur. Platina lib. 10. de honesta voluptate cap. 3. de mullo agit: & rursus cap. 31. de trillia tanquam diuerso pisce. Medici quidam, vt Galeni vetus interpres Latinus, triliam pro mullo dicunt. Ligures & Massilienses corruptè trigam vocitant, quasi triglam: corruptius qui Niceam à Massiliensibus conditam incolunt, Strilham, Gillius. Mullum Hispani salmonetum appellant, Amatus Lusitanus. Aliqui in Hispania, vt audio, barbum marinum, Báruo de la már. Galli cuculum Rouget vocant, non distinguentes à mullis, quod eiusdem sint coloris, Rondeletius. Alibi etiam mullum, cuculum, lyram à Gallis indistinctè Rouget vocari scribit. Lucernam vel miluum, & similes rubros pisces, (vt milui) ne quis cum erythrinis confundat cauendum. Vide in Erythrino A. ex Rondeletio. Alibi in Gallia Surmulet nomen vsurpatur, quod quidem maioribus tantum in hoc genere conuenire videtur. nam & auratas magnas Subredaurades nominant. Vel ab eo quod Mugilem superet precio. Mugilem enim Mullet vocant. Mullũ Germanicè nominamibus *ein Meerbarbel*, id est Barbum marinum. quanquam Bellonius etiam Mystum piscem marinum Barbo fluuiatili comparat. vel *ein Redfisch art*, *ein Rotbart*. Vide plura in Cuculi Corol. A. Mullum verò imberbem, *ein glatten Rotbart*: id est glabrum & sine barba mullum: & mullũ asperum eiusdẽ, *ein rauchen Rotbart*. Albertus mullũ cum mugile confundit: & Germanicè *Harderen* interpretatur: quod nomen sicubi vsitatum est, ad mugiles pertinet.

Τριγλίς.

Sophron mullum barbatum nominauit. qui enim in hoc genere barbam habent, multò suauiores sunt cæteris, Athenæus. Piscem caponem vulgò Romæ dictum, (Venetijs Lucernam,) mullum imberbem sibi videri, eundemque alutarium Plinij, insinuat Iouius, vt recitaui in Lyra. Ego Rondeletij magis sententiam circa hos pisces probo. Mullum litoralem quidam non lutarium, sed alutarium appellare malunt: Ipse lutarium potius, partim ex vetustis exemplaribus omnibus, partim cum vilissimi sit generis, & cœnum Aristotele & Plinio tradentibus fodiat, vnà cum Hermolao appellandum esse censerem, Massarius.

Mullus imberbis & alutarius.

Dat Rhombos Sinuessa, Dicarchi litora Pagros, Herculeæ Mulum rupes, Actius Syncerus. sed de locis vbi præstantiores hi pisces reperiantur, dicam in F. Cuculum, hirundinem & triglam, Speusippus similes esse tradit. Epicharmus τρίγλας κυφάς, id est mullos gibbos dixit à figura, ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος, Athenæus. Mullus piscis est squammis pallentibus, seu ad viredinem vergentibus, virgis quibusdam aureis parallelis: qui si viuus desquammetur, colorem sanguineum recipit, Massarius. Triglæ epitheton apud Plutarchum χρυσωπὸς inuenio, ab aureo colore, aliqua scilicet ex parte, in libro Vtra animalium, &c. Τρίγλη μιλτοπάρῃος, Matron Parodus: idem minij circa genas colore insignis. Memini ego Venetijs mullum videre, qui nihil ferè aut minimum rubri coloris habebat. Παντόστικτος, id est vndiquaq; varius vel punctis notatus ab Athenæo dicitur: sed eum locum Rondeletius ad thunnum referre mauult. Mullus Pelagius, qui & optimus, perquam rubicundus est, igneoque fulgore, & veluti minio auroque splendescens, quo à saxatili genere maximè differt. barbam quoque gerit, Xenocrates: quasi mullus saxatilis, neque ita pulchrè coloratus, vt pelagius, neque barbatus sit. Τρίγλης ῥοδόχροα φῦλα, Oppianus. Mullo complures appendices supernè circa ventriculum exeunt, Aristoteles. B

Mullus piscis est litoralis, Aristoteles. Idem lib. 5. cap. 9. historiæ: Fusanei (inquit) semel anno pariunt: excepto lupo, qui solus eorum bis parit. Trichias etiam & saxatiles bis pariunt: Τρίγλα μόνη τρίς: id est, mullus verò solus ter. quod ex fœtu ipso intelligitur ter enim aliquibus in locis partus apparet. Gaza in huius loci conuersione non rectè transtulit: Sarda quoq; & saxatiles bis excepto mullo: quasi mullum etiam Aristoteles hoc in loco saxatilem esse dixisset, aut innuisset. Trigle sola saxatilium ter anno parit, Vuottonus: deceptus nimirum versione Gazæ. Et rursus: Litoralis est, & in arenosis ferè litoribus victitat. ab aliis inter pelagios numeratur: quandoquidem secedit nonnunquam & in altum mare. Scio interim aliquos mullum saxatilem facere, vt Senecam Naturalium quęstionum 3.18. & authorem libri de renum affectibus dignoscendis ac medicandis. Pelagii & saxatilis mulli discrimen ex Xenocrate paulò ante in B. retuli. Mullorum nonnulli λεπρώδεις (aspratiles verterim, potiùs quàm saxatiles vt Gillius. λεπὰς Eustathio saxum est, cui λεπάδες, id est, patellæ innascuntur) appellantur, à locis quæ incolunt nomen trahentes: quæ quidem loca habẽt minuta & rara saxa, (πέτρας λεπτὰς καὶ ἀραιάς,) crebrasque algas inter hæc interiectas, ac intermedias, vbi subsidet limus vel arena, Aelianus de animalibus 2. 41. Leprades Oppianus Halieut. 1. de petris marinis loquens, humiles esse canit circa mare areno- C

Vbi in mari degant mulli.

arenosum. Ἄλλαι δ' χθαμαλαὶ ψαμαθώδεες ἄγχι θαλάσσης λεπράδες. Has petras Ælian. in Canthario videtur ἄσπρας nominare. Canthari (inquit) pisces gignuntur in locis quæ ἄσπρα nominant. Et Oppianus, κάνθαρος ὃς πέτρῃσιν ἀεὶ λεπρῇσι μέμηλε. Videtur autem vox aspra à Latinis sumpta esse: vt loca petris exiguis aspera intelligantur: quare & pisces ipsos λεπρώδεις, Latinè aspratiles dixerim. Græci quidem recentiores ἄσπρον pro albo dicunt. Gariopontus aspratiles pisces nominat pro saxatilib. Ge. Pictorius aspratilis nomine piscem vnum intelligit, illum opinor quem Bellonius cernuã fluuiatilem vocat. Sæpius (inquit) aspratili neglecta, mugiles, oculatas, fundulos, moruas, saturatim deuorant. Oppiano lib. 1. Halieut. trigla circa humilia litora victitat ex arena, & ijs quæ in arena nascuntur. triglides verò in luto & paludibus (τενάγεσι) maris. Mullus etiam maritimis lacubus gignitur, Aristot. Ouidio inter pisces in herbosa arena degentes recensetur. De mullo lutario, lege suprà in A. circa finem. *Cibus.* Mullorum genera plura. (*atqui victus differentia, non facit discrimen generis.*) nam & alga vescuntur, & ostreis, & limo, & aliorum piscium carne, Plinius. Mullus piscis edacissimus (λαιμαργότατος) est, & omnia sibi obuia promiscuè immodesta quadam intemperantia helluari cupit. Hominum quoque & piscium cadaueribus vescitur, & sordidissimis maleque olentibus delectatur, Ælianus ex Oppiano. Vagantur maximè & oberrant piscium qui carne aluntur: (sunt autem carniuori ij ferè omnes, verba hæc Gaza omisit:) pręter paucos, vt mugilem, salpam, mullum, æricam, Aristot. historiæ 9.37. Verba Græca sic habent: Cum prius dixisset, Aquatilium tum ea quæ loco mouentur, tum stabilia, ijs maximè locis pasci, in quib. nata fuerint, ac similibus: subdit, Πλανᾶται δ' μάλιστα τὰ σαρκοφάγα, πάντα δὲ σχεδὸν ἐστὶ σαρκοφάγα, πλὴν ὀλίγων, οἷον κεστρέως, καὶ σάλπης, καὶ τρίγλης, καὶ χαλκίδος. Cestreum quidem carne abstinere: & chalcidem quamuis in mari oberret, carniuoram non esse, suo loco diximus. Salpam alga & stercore vesci inuenio. De mullo dubitari potest, cum Aristoteles ipse alibi, non limo tantum & alga, sed ostreis quoq; & aliorum pisciũ carne vesci eum affirmet. An cęteri pisces pleriq; ita carniuori sunt, vt per vim quoq; & viuos aggrediantur: mullus verò cadauera solum gustat? Mulli etiam putrida (inquit Massarius) & humana cadauera insectantur ex Oppiano, quod haud verum existimo. Antiphanes enim in Butalione pisces paruos commendat magnosque damnat, quia homines deuorant: & propterea dixit mullos & mænas Helenæ fuisse cibos, quod homines non insectarentur. Athenæus mullum dentibus serratis (quod falsum videtur) & carniuorum esse scribit: quanquam ea verba Rondeletius (vt dixi) ad thunnum refert. Mortiferum homini leporem marinum exest mullus, planeque conficit, Ælianus. Vide suprà in Lepore mar. G. circa initium. Sargus mulli (nempe lutarij) reliquias sequitur. Nam vbi ille luto excitato abijt (fodere enim potest) hic descendit & pascitur, imbecillioresq; ne eodem adnatent, arcet, Aristot. Lutarium semper comitatur sargus nomine alius piscis, & cœnum fodiente eo, excitatum deuorat pabulum, Plinius. Mulus bonus fimo delectatur, adeò vt in ipso iaceat, & tincturam caro piscis ex fimo mutuetur, Alexander quidam obscurus. Mullum ter anno parere, nomen eius significare aiunt, Aelianus. Vide infra in H. a. & suprà ab initio huius capitis C. Autumno vigent, Aristot.

D Mulli gregales sunt, Aristoteles & Athenęus. Animalium solus lepore marino vescitur vt non intereat: tenerescit tantum, & ingratior viliorq; fit, Plinius. Mortiferum homini leporem exest planeq; conficit, Aelian. Trigla orphum deuorat, Oppianus Halieut. 3. de piscium escis loquens. Τρίγλη δ' ὀρφὸν ἐπέφνε καὶ ἔσπασε. Sargus mullum lutarium semper comitatur, & cœnum fodiente eo, excitatum deuorat pabulum, Plin. Mulli & mensium muliebrium repugnantia naturalis exponetur in G.

E Quicquid in mari sordidum, inquinatum & fœtidum est, præcipuè verò putrescentia naufragorum cadauera, mullus appetit. quamobrem fœtidis escis facilè eum alliciunt, Oppianus. Betarum folijs mulli decipiuntur. nam hoc olere gaudet hic piscis, eoque facilè inescatus capitur, Ælianus. Ad marinos mugiles, scaros, & mullos esca: Sepiarum testulis cum sisymbrio viridi, quod est bryon, aqua farina & caseo bubulo mistis, vtitor, dum retibus nauas operam, Tarentinus. Mullus orphum deuorat, Oppianus Halieut. 3. de escis piscium loquens. Piscis βολιστικὸς (hoc est, vt quidam interpretatur, sagenis & reticulo extrahitur,) Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Τὰ δὲ βολιστικὰ καλεῖται, τρίγλαν χρυσωπὸν καὶ σκορπίον, σάργοις τε καὶ τρυγόνας ... ἐλλαμβάνοντες. Mulli in viuarijs piscinisq; non crescunt, Plin. Sitq; nobis antiquissimum (inquit Columella 8.17.) meminisse etiam in fluuiatili negotio (*atqui de piscinis marinis seu marinum hoc loco agit*) quod in terra præcipitur: Et quid quæque ferat regio. neq; .n. si velimus, vt in mari nonnunquã conspeximus, in viuario multitudinem mullorum pascere queamus, cum sit mollissimum genus, & seruitutis indignantissimum. Rarò itaq; vnus aut alter de multis millib. claustra patitur. At Varronis & Ciceronis testimonio mulli quondam in piscinis alebantur. Celerius voluntate Hortensij ex equili educeres rhedarios vt tibi haberes mulos, quam è piscina barbatũ mullum, Varro 3.17. Et rursus: Hortens. maiorem curam sibi habet ne eius esuriant mulli in piscinis: quàm ego habeo ne mei in Rosea esuriant asini. Nostri autem principes digito se putant cœlum attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant, Cicero ad Atticum lib. 2. Item in Paradoxis: Et videant aliquem summis populi beneficijs vsum, barbatulos mullulos exceptantem de piscina, & pertractantem. De precij mullorum magnitudine, lege mox in F.

F Plinius cum de scaris dixisset, quibus suo tempore principatus dabatur, & mustelis, subdit: Ex reliqua nobilitate & gratia maxima est & copia mullis. Et alibi: Mullum octoginta librarũ in mari rubro captum Licinius Mutianus prodidit, quanti mercaturâ eum luxuriâ suburbanis litoribus inuentum? Itali hodieq; piscis huius precij magnitudinem innuunt, hoc suę linguæ homœoteleuto, La triglia nõ mangia, chi la piglia: id est, Non edit mullum qui capit. *De moriente mullo.* Huc alludit Marcellus Vergilius: Lautioribus cœnis (inquit) mullũ seruari, quę de eo iactatur vbiq; vox indicat: nõ comedi à piscatore triglen. Mullũ expirantem versicolori quadam & numerosa varietate spectari, proceres gulæ narrant, rubentiũ squamarum multiplici mutatione pallescentem, vtique si vitro spectetur inclusus, Plinius. Seneca lib. 3. naturalium quęstionum, cap. 17. cum de stagnis subterraneis, & qui ex eis eruuntur piscibus dixisset subiungit: Quanto incredibiliora sunt opera luxurię, quoties naturam aut mentitur aut vincit? In cubili natant pisces, & sub ipsa mẽsa capitur, qui statim transferatur in mensã. Parũ videtur recẽs mullus, nisi qui in conuiuæ manu moritur. Vitreis ollis inclusi offeruntur, & obseruatur morientiũ color, quem in multas

multas mutationes mors luctante spiritu vertit: alios necant in garo, & condiunt viuos. Hi sunt qui fabulas putant piscem viuere posse sub terra, & effodi, non capi. Quàm incredibile illis videretur, si audirent natare in garo piscem, nec cœnæ causa occisum esse super cœnam, cum multùm in delicijs fuit, & oculos ante quàm gulam pauit. Permitte mihi quæstione seposita castigare luxuriam. Nihil est, inquis, mullo expirante formosius. Ipsa colluctatione animam afficienti rubor primùm, deinde pallor suffunditur, quàm ęquè variatur, & in cæteras facies inter vitam & mortem coloris est vagatio longa, (*Videtur hîc vitiata lectio. Perottus circa hunc locum sic legit: Obseruatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante spiritu vertit.*) somniculosæ inertisque luxuriæ. Quàm serò experrecta circumscribi se & fraudari tanto bono sensit. Hoc adhuc tanto spectaculo & tam pulchro piscatores fruebantur, qui coctũ piscem & exanimem in ipso ferculo etiã experirentur. Mirabamur tantũ in illis esse fastidiũ, vt nollẽt attingere, nisi eodem die captũ piscẽ, qui (vt aiunt) saperet ipsum mare. Ideo cursu aduehebatur: ideo gerulis cum anhelitu & clamore properãtibus dabatur via. Quò peruenêre deliciæ? Is pro putrido iã piscis affertur, qui non hodie eductus, hodie occisus est. Nescio de re magna tibi credere. Ipse oportet mihi credã: huc afferatur, coram me animam agat. Ad hunc fastum peruenêre ventres delicatorũ, vt gustare non possint piscem, nisi quem in ipso conuiuio natantem, palpitantemque viderint. Quanto ad solertiam luxuriæ plures eunt, tanto subtiliùs quotidie & elegantiùs excogitat furor, vsitata contẽnens. Illa audiebamus: Nihil esse melius saxatili mullo. At nunc audimus: Nihil est moriente formosius. Da mihi in manus vas vitreũ in quo exultet, in quo trepidet. vbi multùm diuq; laudatus ex illo perlucido viuario extrahitur, tunc vt quisque peritior est, monstrat. Vide quomodo exarserit rubor omni acrior minio. Vide quas per latera venas agat. Ecce sanguinem putes ventrem: quàm lucidũ quiddam cæruleumq; sub ipso tempore effulsit. Iam porrigitur, & pallet, & in vnum colorem componitur. Ex his nemo morienti amico assidet. nemo videre mortem patris sui sustinet, quam optauit. Quotus quisque funus domesticum ad rogum prosequitur? fratrum, propinquorumque extrema hora deseritur, ad mortem mulli concurritur. Nihil enim est illo formosius. Non sunt ad popinam dentibus & ore contenti oculis quoque gulosi sunt.

Proceriores mulos ideo quærebant ganeones, q̃ in maioribus & maiora capita & ampliora iecinora, ad cõdiẽda varia pulmenta inuenirẽtur: vt ex Horatiano carmine, quum dicit: Mulum in singula quem *Precii magnitudo.* minuas pulmenta necesse est, &c. Iouius. Mullus antiquorum prodigo luxu adeò insignis & pretiosus fuit: vt sæpiùs argenti puri pondere à priuatis etiam Quiritibus emeretur, quum pedis longitudinem superaret, Idem. Eadẽ res si gulę datur, (inquit Seneca epistola 96.) turpis est: si honori, reprehensionem effugit. Non enim luxuria, sed impensa solennis est. Mullum ingentis formæ (quare autem non pondus adiicio, & aliorum gulam irito? quatuor pondo & ad selibrã fuisse aiebant) Tyberius Cæsar missum sibi cum in macellum deferri & vænire iussisset: Amici, inquit, omnia me fallunt nisi istum mullum aut Apicius emerit, aut Publius Octauius. Vltra spem illi coniectura processit. Licitati sunt. Vicit Octauius: & ingentem consecutus est inter suos gloriam, cum quinque sestertijs emisset piscẽ quẽ Cęsar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Numerare tantũ Octauio fuit turpe. Nã ille qui emerat, vt Tyberio mitteret (quanquam illum quoque reprehenderim) admiratus est rem, qua putauit Cæsarem dignum. Asinius Celer è consularibus hoc pisce prodigus, Claudio principe vnũ mercatus octo milibus nummûm: quæ reputatio aufert transuersum animum ad contemplationem eorum, qui in conquestione luxus cocos emi singulos pluris quàm equos quiritabant. At nunc coci triumphorum pretijs parantur, & equorum pisces. Nullusque propè iam mortalis æstimatur pluris, quàm qui peritissimè censum domini mergit, Plinius. Macrobius non octo millibus, sed septem millibus nummûm inquit mullũ ab Asinio emptum fuisse: cuius verba hæc sunt: Asinius Celer vir consularis (vt idem Sammonicus refert) mullum vnum septem millibus nummûm mercatus est: vt in alterutro sit menda, Massarius. In qua re (addit ibidẽ Macrobius, Saturnal. 3.16.) luxuriã illius seculi eò magis licet æstimare, quòd Plinius Secũdus temporibus suis negat facilè mullum repertũ, qui duas pondo libras excederet. At nunc & maioris ponderis passim videmus: & pretia hæc insana nescimus. Quis modò octo millibus nummûm Mullum piscem emat? Equidem nisi insipiens palati insulsitas me fallit, huic non paucos longe anteponerem, Gillius. Sex sestertijs mullum piscem emptum ab Asinio viro consulari (*immò à Crispino quodam*) meminit Iuuenalis. sic enim ait: --- Mullum sex millibus emit Aequantem sanè paribus sestertia libris. Est autẽ hæc summa trecentarum librarum iusta æstimatione, Robertus Cenalis. Vide etiam apud Budæũ in libris de Asse.

Mulli quibus è regionibus celebrati. Mulli Ionici apud priscos celebrabantur, Pollux. Archestratus cum laudasset mullos qui iuxta Tichiuntem Milesiæ regionis capiuntur, τὰς ἐκ Τειχιοῦντος τῆς Μιλησίας τρίγλας, subdit: Κἂν Θάσῳ ὀψώνει τρίγλην, κοὐ χείρονα λήψῃ (scilicet τῆς Μιλησίας), Ἐν δ' Ἐρυθραῖς ἀγαθὴ θηρεύεται αἰγιαλῖτις. Est Tichiũs castellum prope Trachinam Campaniæ oppidum. Erythræ verò ciuitas Asiæ non longè à Chio. Vide etiam in H. f. Mulli nunc præstantissimi capiuntur in mari Tyrrheno iuxta Corniculum & Tarquinios, Perottus. Apud nos (Romæ) hyeme & suburbano in mari capti maximè laudantur. Ligusticis enim & Venetis, itemque Neapolitanis, non ea saporis gratia: quanquam sæpe multò grandiores in conuiuia veniant, Iouius. *Electio ad cibum.* Mullus pelagius, qui & optimus, perquàm rubicundus est, igneoque fulgore, & veluti minio auroque splendescens, quo à saxatili genere maximè differt. barbam quoque gerit, Xenocrates: quasi mullus saxatilis, neque ita pulchrè coloratus, neque barbatus sit. Sophron quoque mullum barbatum dicere voluit, vt excluderet imberbes, qui minùs suaues sunt, quod Athenæus animaduertit. Mulli autumno vigent, Aristot. Mullorum plura sunt genera, autore Plinio. Aristoteles de mullis duntaxat litoralibus fuisse locutus videtur, quibus Plinius gratiam saporis inesse negauit. Qui enim ex eo genere inquit, vilissimus est, lutarium nominant, Massarius. Præstant in mari puro, non herboso, non limoso. Triglides paruas (id est mullos paruos, nisi triglitides apuarum generis potiùs accipias) hepsetis pisciculis connumerat Dorion. Celsus boni succi, atque medios inter teneros durosque pisces mullos esse testatur, Galeno etiam id ferè asseuerante libro de virtute alimentorum tertio, Massarius. Piscium eorum qui ex media materia sunt (id est, mediocriter alunt) quibus maximè vtimur, tamen grauissimi sunt, ex quibus salsaméta quoq; fieri possunt, qualis lacertus est: deinde qui quanuis teneriores, tamen

duri sunt, vt aurata, coruus, tum plani: post quos etiam leuiores lupi mullique: & post hos omnes saxatiles, Celsus. Speusippus similes (*nimirum corporis specie*) esse ait cuculum, hirundinem, mullum, vnde Typhon tradit aliquos trigólan putare cuculum esse, propter similitudinem formæ, & posteriorũ partium siccitatem, quam & Sophron insinuauit hoc versu: τρίγλας γε πίονας, τριγόλαν δ᾽ ὀπισθίαν, Athenæus. Diocles triglam esse ait duræ carnis. Idem recentium (νεαρῶν) piscium sicciores esse carnes ait, scorpios, (*debuerant fortè hæc piscium nomina gignẽdi casu efferri,*) cuculos, passeres, sargos, trachuros. Τὰς δὲ τρίγλας ἧττον τούτων ξηροσάρκους. οἱ γὰρ πετραῖοι, μελανοσαρκότεροί εἰσιν, Athe. Mullus quouis modo paratus, sanguinem elicit, Diphilus. quod sic accipio, vt postea de sepia dicit: nempe quòd succus eius sanguinem attenuet, & hæmorrhoidum excretionem moueat. Mullorum cibo (assiduo, Dioscor.) aciem oculorum hebetari tradunt, Plinius. Mullos in cibo inutiles neruis inuenio, Idem. Philotimus apud Galenum (de alimentorum facult. 3.30.) mullos & omnes durioris carnis pisces, concoctu difficiles esse ait, & crassos gignere succos, itemque salsos: quod postremum refellit Galenus. Psello etiam triglæ difficilè concoquuntur, sed multùm alunt.

In morbis quibusdam. Mulli & scorpij & passeres, nutrimenti quidem ac roboris gratia omnium gratissimi existunt: grauiorem autem omnem habitum reddunt, vt ob eam causam frequentiorem eorum vsum vitare oporteat, Aëtius in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus. Polypi assati torminosis in cibo prosunt, item mulli, Marcellus Empiricus. Mulli stomachicis in cibo conueniunt, Archigenes apud Galenum de composit. sec. locos 8. 4. Ex piscibus dare conuenit præ cæteris mullos. hi enim assi ingesti omnibus conueniunt, magisque in prunis (ἐπὶ βισκέλων) assi, Trallianus de hepatica dysenteria ex intemperie frigida. Gariopontus hydropicis dari iubet sargos & mulliones, (mullos intelligo.) Alexander Benedictus tempore pestis ex piscibus commendat mullum barba insignitum & marinum & fluuiatilem: sed longè diuersa vtriusque natura est, & fluuiatili ne nomen quidem mulli conuenit.

Apparatus ad cibum. Nostri gulæ nepotes lampretam piscem, vino Cretico ebriã & submersam, inserta eius ori nuce myristica, obturatis externè cum caryophyllis infixis ex vtroque latere colli septenis fistulis, ne vinum absorptum regerant, enecare solent. sic Apitius, artis culinariæ ad omnem luxum archimagirus, mullos pisces in garo enecatos, sapidiores fieri docuit. Vnde & Plato comicus inquit: ἐν σαπρῷ γάρῳ βάπτοντες ἀποπνίξετέ με. id est, In putrido garo mergentes suffocant me, Io. Langius. Alios necant in garo, & condiunt viuos, Seneca. Ab ijs qui artem culinæ callent auditione accepi, Mullorum ventres non rumpi, sed integros permanere, si priùs eorum os coci osculentur, Aelianus de animal. 10. 7. Patina mullorum loco salsi, describitur Apicio lib. 4 capite 2. bis. Item mulli apparatus lib. 9. cap. 13. & ius in mullum libro 10. c. 4. Mullus rectè atque salubriter in craticula coquitur: eritque longè sapidior, si petroselini subfrixa folia, atque instillatus cum oleo arancinus succus accesserint, Iouius. Capti & vulnerati ferula, quia aliter percoqui non possunt, ad elixum & assum tendunt. Elixos, eo modo quo & thynnum: assos, pipere, ruta, nucleis tunsis, & aceto aut agresta perfundes, Platina 10.3. Et rursus eiusdem libri cap. 31. Trillia (inquit, tanquam de diuerso pisce, cum omnino idem videatur. nam mullum Græci triglam vocant, cum olim, tum hodie, atque Itali plerique hodie trigliam) curti capitis piscis est & grossi: caudam item in acutum ducit. Integra nec exenterata assanda est, ac muria aspergenda. Ad dies octo aut decem durabunt, si patina altera super alteram posita, salimola conspersa fuerit. Alex peruenit ad ostreas, echinos, vrticas, cammaros, mullorum iocinera, Plinius. Quod ex garis liculmen (liquamen) dicitur, sic preparatur: Viscera piscium in vas aliquod iniiciuntur, vbi condiuntur sale: ac similiter tenues pisciculi, potissimumque atherinæ, mulliue exigui, &c. vt in Garo recitauimus.

Qui sæpe comedit mullum, piscem redolet, Albertus: sed ineptè. nam Plinius de lepore mar. quo solus animalium mullus sine periculo vescitur: Homines (inquit) quibus in pastu est, piscem olent, &c.

G Mullus piscis si crudus atque dissectus admoueatur, marini draconis, aranei, ac scorpionis morsibus *Extra corpus.* medetur, Dioscorides. crudi nomine (Græcè ὠμὸς scribitur) intelligendus est recens & non coctus. Galenus (libro 11. de simplicibus, cap. 46.) animalia quædam viua dissecta locis affectis imponi ait, vt draconem marinum, aduersus ictum proprium: & similiter mullum aduersus draconis ictum, &c. Auxiliatur mullus contra pastinacas, & scorpiones terrestres marinosque, & phalangia, illitus sumptúsue in cibo, Plinius. Et alibi, Percussis à pastinaca medetur mullus ac laser. Sæpius diximus quantum veneficium præstaret (*extaret, inesset*) menstruis mulierum: contra omnia ea auxiliatur, vt diximus, mullus, Plinius. Et rursus: Bythus Dyrrhachinus (autor est) hebetata aspectu specula recipere nitorem, iisdem (*fœminis quæ mensis patiuntur*) auersa rursus contuentibus: omnemque talem vim (*quæ à mensibus procedit*) resolui, si mullum piscem habeant secum. Si quis oculos triglæ triuerit, & alicuius oculos perunxerit, hebetudinem visus mox patietur. Solutio huius rei est. fel piscis cum melle inunctum, visum acuit, Kiranides. Quidam mullorum capite cum melle ad carbunculos discutiendos vtuntur, Plinius. Carnes ex capitibus mugilum siue mullorum decoctæ & cum melle subactæ atque impositę, vitijs ani plurimum prosunt, Marcellus Empiricus. Et rursus: In capitibus piscium, id est mugilum aut mullorum spina inuenitur cani similis, hæc renibus apposita vel alligata, miro remedio est.

E mullo cremato. Trigla tota combusta, & cum melle soluta ac superposita, carbones eradicat, perfecteque curat, Kiranides. videtur autem vel librarij lapsu, carbones pro acrochordones positum. nam smarides quoque combustas, thynnos & acrochordones eradicare inspersas, idem author superiùs tradidit. Vel interpres Latinus pro anthraces reddidisse carbones. Plinio quidem mullorum salsamenti cinis carbunculos discutit. Mulli recentis de capite cinis contra omnia venena valet, & priuatim contra fungos, Plinius vt quidam citant. Sedis attritus cinis (*Marcelli codex vitiosus pro cinis habet carnes*) è capite mugilum mullorúmque sanat. comburuntur autem in fictili vase. illini cum melle debent, Idem.

Intra corpus. Mulli cibo tradunt libidinem inhiberi, Isidorus. Vino in quo suffocatus mullus fuerit poto, vir quidem ad Venerea impotens reddetur: mulier verò (& similiter gallina) non concipiet, Terpsicles in libro de Venereis. Huius maleficij causa videtur, quoniam neruos lædit. Mullos in cibo inutiles neruis inuenio, Plinius. Τρίγλη δ᾽ οὐκ ἐθέλει νεύρων ἐπιήρανος εἶναι. Παρθένος Ἀρτέμιδος γὰρ ἔφυ, καὶ στύματα μισεῖ, Plato

Plato Comicus in Phaone vt recitat Athenæus. Quæ Venerem excitant, ea ferè neruos vel roborant, vel inflant & intendunt. hinc prouerbium: οὐδὲν σ᾽ ὀνήσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ᾽ ἔχῃς. quod Martialis hoc distichο transtulit: Cum sit anus coniunx, cum sint tibi mortua membra, Nil aliud bulbis quàm satur esse potes. Conceptus quidem fœminarum à menstruis dependet, quibus cum mullus naturali quadam vi aduersetur, non mirum si conceptum impediat. Στύματα nomen plerisque inusitatum, à verbo στύειν, quod arrigere & coire significat, deducitur, μ. simplici scribendũ: nam στύμμα per μ. duplex, spissamentum vnguenti significat, à verbo στύφειν. Nomen Astyanax (inquit Eustath. in Iliad. x.) acre scomma in virum frigidum & minimè promptum ad Venerem occultat, à verbo στύειν quo Comicus vtitur, vt alibi indicauimus. à quo etiam ἄστυτος, pro infœcundo & sterili deriuatur. Πελοπιδῶν ἄστυτος οἶκος, Xenarchus. Lactucæ etiam genus ἀστύτιδα vocari aiunt à mulieribus, quod Pythagorici eunuchum nominant, Veneri exosum, &c. Videtur & trigla ἄστυτος esse (*vel dici posse,*) vt apparet in carminibus Platonis: Οὐκ ἐθέλει νεύρων ἐπιήρανος (ἐράστρια) εἶναι, hoc est non vult amare membrum genitale hominis, quod Aristoph. in Auibus neruum (νεῦρον, vt alij ἄρθρον) dixit, alij honestius δέμας. itaque subdit, καὶ στύματα μισεῖ, ἤγουν αἰδοίου τάσεις. Dixerat autem Plato prius de bulbo, ὅτι τὸ δέμας, (ἤτοι αἰδοῖον) ἐντείνει, Hæc Eustathius. Ergo quod Græcè dictum est à Platone, οὐκ ἐθέλει νεύρων ἐπιήρανος εἶναι, licebit interpretari, mullum non esse amicum neruis, id est generi neruoso in vniuersum, vt Plin. videtur accepisse: vel potius, vt Eustathio placet, inimicum esse genitali, καὶ τῇ αὐτοῦ τάσει. Vomitiones mulli inueterati tritique in potione concitant, Plin. Mullus in vino necatus, (vel piscis rubellio, vel anguillæ duæ: item vua marina in vino putrefacta) ijs qui inde biberint, tædium vini affert, Idem. Vinum in quo trigla necata sit, potum, difficilè parientes iuuat. Ius autem eius exhaustum, eos qui noxium aliquid biberint, sanat, Kiranides.

Mullis nomen Fenestella à colore mulleorum calciamentorum datum putat, Plinius. Mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus (*purpurei coloris, Gillius*) reges albanorum primi, deinde patritij vsi sint, M. Cato Originum libro septimo: Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos alutatos, cæteri perones. It. Titinnius in Seciana: Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatis in calceos: quos putant à mullando: id est suendo dictos, Festus. Vopiscus in Aureliano: Calceos, inquit, mulleos, & cereos & albos & hederaceos viris omnibus sustulit, mulieribus reliquit. A milando (*mullando habet Festus*) mullei, id est suendo. vnde millus, collare canum venaticorum consutum, Perottus. Mulus dictus à colore muleorum calciamentorum, languidum ruborem illum, vti in persici & cyclamini herbæ inuersis folijs conspicitur, repræsentat, vt Fenestella existimauit, referente Plinio, Iouius. Diuersus à mullo myllus piscis est à Græcis dictus. Mullulus diminutiuum. Cicero in Paradoxis: Et videant aliquem summis populi beneficijs vsum, barbatulos mullulos exceptantem de piscina, & pertractantem. Mullum ter singulis annis ventrem ferre, eius nomen significare aiunt, deinde sterilescere, Τρίγλη, quasi τρίγονη, τρίγονοις γοναῖς ἐπώνυμος ὤν, Eustath. ex Athenæo. non raró autem (inquit) ν. in lambda vertitur, vt νοσφιεὺς, νεοσφιλός: νίτρον, λίτρον: φίντατος pro φίλτατος. Γενειῶτας, mullos vel hircum, Hesichius & Varinus. quid si legas γενειάτας, id est barbarbatos? quod epitheton & mullo & hirco conuenit: sed mullos fœminino genere Græci triglas vocant, & γενειάδας cognominant. H. a.

Epitheta. Τρίγλαι πίονες, Sophron. Galenus tamen mullos minimè pinguem, sed siccam, duram & friabilem carnem habere docet. Κυφαί, Epicharmus: id est, gibbæ. Τρίγλαν γενεᾶτιν, Sophron. Ἢ γενειῆτιν τρίγλην, ἢ σπερκάδα κίχλην, Eratosthenes. Mullos barbatos Latini dicunt, vt Varro. Cicero vtrunq; diminutiuè protulit, mullulos barbatos Latini dicunt, vt Varro. Cicero vtrunque diminutiuè protulit, mullulos barbatulos. sed hoc epitheton vni tantum & præstantiori generi conuenit. genus enim alterum imberbe est. Αἰξωνίδα ἐρυθρόχρων τρίγλην, Cratinus. De mullis Aexonicis vide mox in f. Μιλτοπάρῃοι, Matron Parodus. Τρίγλης ῥοδόχροα φῦλα, Oppian. Λίχνοι vel λιχνότατοι id est gulosissimi, edacissimi, Aeliano. Χρυσωπούς, apud Plutarchum. Αἰξωνθοχρῶτες, Nausicrates de Aexonicis mullis: quos etiam γαλακτοχρῶτας cognominat. Τρίγλης ἱπποδάμοιο κακῆ, Matron Parodus.

Deriuata. Trigolas. Triglis & triglitis pisces. vide supra in A. A trigla. id est mullo, diuersus est qui trigolas vocatur. Hermolaus. Sephron pisces quosdam τριγόλας nominat, his verbis: Τριγόλα ὀμφαλοτόμῳ, καὶ τριγόλαν τὸν ἐδιαῖον. Typhon ait trigolan aliquos putare cuculum esse. propter similitudinem (formæ,) & partium posteriorum siccitatem: quam Sophron etiam indicauit, his verbis: Τρίγλας γε πίονας, τριγόλαν δ᾽ ὀπισθίαν. Porrò cum trigla similis sit cuculo, eidemque trigolas tam similis, vt pro cuculo à quibusdam accipiatur, ipsum quoque trigolan similem triglæ esse oportet, vt non immeritò nomen ab ea sit mutuatus, ac si mullastrum Latinè dicas. Et probabile est eundem esse mullum imberbem: quoniam idem Sophron alibi de barbato loquens, ceu præstantiore, (vt supra dictum est,) τρίγλαν γενεᾶτιν cognominauit. Trigles lapillus à muli colore dictus est, Perottus. legendum triglites, ex Plinij libro 37. cap. 11.

Trigla Athenis nomen proprium erat loci, vt in h. referemus.

Triglæ si quis barbam absciderit ea viuente, eamque in mare viuentem remiserit, dederitq; de barba illa mulieri in potu, amorem magnum, & delectationem accendet in ea. Gestata autem barba fortunam, omnemque vtilitatem parat, Kiranides. e.

Vt gobio piscis est vilissimus, ita preciosissimus mullus. vnde in Satyra Iuuenalis: Nec multum capias, cum sit tibi gobio tantum In loculis. Immodici tibi flaua tegunt chrysendeta mulli, Martialis. Mullum dimidium, lupumque totum, Idem. Et alibi, Nec mullus, nec te delectat Bætice turdus. Et libro 14. Spirat in aduecto, sed iam piger, æquore mullus Languescit: viuum da mare, fortis erit. Laudas insane trilibrem Mullum in singula quem minuas pulmenta necesse est, Horatius Sermonum 2. 2. locum integrum recitatum & expositum habes in Lupo E. Mulus erit domino, quem misit Corsica, vel quem Tauro minitanæ rupes, quando omne peractũ est Et iam defecit nostrũ mare, dum gula sæuit Retibus assiduis penitus scrutante macello Proxima, nec patitur Tyrrhenũ crescere piscem. Instruit ergo focum prouincia, &c. Iuuenalis Sat. 5. Heliogabalus exhibuit palatinis ingentes dapes, refertas cerebellis phœnicopterorum, & perdicum ouis, &c. Barbas sanè mullorum tantas iubebat exhiberi, vt pro nasturtijs, apiastris & facelarib. & fœnogræco exhiberet plenis fabatarijs & discis, quod præcipuè stu- f.

puè stupendum est, Lampridius. Aexonici mulli, Αἰξωνίδες τρίγλαι, videntur omnium optimi, & cæteris præstare, Varinus. Apud Athenęum Ἐξωνικὸς & Ἐξωνίδα reperio per epsilon, librariorum puto culpa. Aexonia vrbs Magnesiæ est, & Aexone pars tribus Cecropidis, Stephanus. Αἰξωνεύς, δῆμος φυλῆς τῆς Κεκροπίδος, Varinus. Οὐδ᾽ Αἰξωνίδα ἐρυθρόχρων ἐσθίειν τρίγλην, Cratinus apud Athenæum. Nausicrates tamen mullos Aexonicos laudat: Μετ᾽ αὐτῶν δ᾽ εἰσὶν ἐκπρεπεῖς φύσιν Αἱ ξανθόχρωτες, ἃς κλύδων Αἰξωνικὸς Πασῶν ἀρίστας ἐν τόποις παιδεύεται. id est, Sunt inter mullos præstantiores quidam, flaui coloris, quos Aexonicum mare omnium optimos in illis locis alit. Subinde autem addit: Αἷς καὶ θεαὶ τιμῶσι φωσφόρον κόρην, Δείπνων ὅταν πέμπωσι δῶρα ναυτίλοι. Τρίγλαν λέγεις, γαλακτοχρῶτα Σικελὸς ὃν Πήγνυσ᾽ (an πήγνυσιν vel φημίζει;) ὄχλος ῥόμβον,

Rhombus. (lego ῥόμβον.) sed trigla quidem Proserpinæ sacra est, quam tamen nemo puto ῥόμβον vocat. Atqui Athenæus hoc testimonium videtur adducere vt probet ψῆτταν non τρίγλαν etiam rhombum dici, quamobrem locus hic corruptus videtur, in fine libri 7. Καὶ σκάρον ἐξ Ἐφέσου ζήτει. χειμῶνι δὲ τρίγλαν Ἔσθι᾽ ἐνὶ ψαφαρῇ ληφθεῖσαν Τειχιοέσσῃ Μιλήτου κώμῃ, Καρῶν πέλας ἀγκυλοκώλων, Archestratus. qui alibi etiam laudat τὰς κατὰ Τειχιοῦντα τῆς Μιλησίας τρίγλας. Τειχιόεις Stephano castellum est prope Trachinam. Τρίγλαν ἀπ᾽ ἀνθρακιῆς, Suidas ex epigrammate. Τρίγλας καλὰς ἠγόρασα, καὶ κίχλας καλάς. Ἔρριψα ταύτας ἐπὶ τὸν ἄνθραχ᾽, ὡς ἔχει, Ἅλμῃ τε λιπαρᾷ παρατίθημ᾽ ὀρίγανον, Coquus apud Sotadem. Ὑμᾶς (mullos alloquitur) δ᾽ ἔταξα δεῦρο πρὸς τὰ δεξιὰ Τρίγλας, ἔδεσμα τοῦ καλοῦ Καλλισθένους. Κατεσθίει γοῦν ἐπὶ μιᾶς τὴν οὐσίαν, Antiphanes. Ψῆττά τε χονδροφυής, καὶ τρίγλη μιλτοπάρῃος. Τῇ δ᾽ ἐγὼ ἐν πρώτοις ἐπέχον κρατερώνυχα χεῖρα, Οὐδ᾽ ἔφθην τρίσσας· ἵνα εἴασε Φοῖβος Ἀπόλλων, Matron Parodus. Et mox: Τρίγλης ἱπποδάμοιο κακῆς. Cognominat autem fortè malum & hippodamum hunc piscem, quòd emptoribus magnitudine pretij noxius sit, & eorum substantiam vtcunque magnam (qualis vel equestris census erat) perdat atque consumat. nam ἵππος in compositione auget. Vel quoniam circa equorum curam ingens fit sumptus: Νόσος μ᾽ ἐπέτριψεν ἱππική, δεινὴ φαγεῖν, Strepsiades apud Aristophanem. Vel equestrem pro magnifico dixit, vt sermonem ligatum ἔποχον, id est equitem & sublimem vocant, solutum verò pedestrem. Ἵππος etiam proprijs nominum, nobiliorum hominum, vt magnificentiora essent, in compositione addi solebat: vt Hipparchus, Philippus, Hippocoon, &c. Philoxenus Cytherius poeta piscium delicias mirè appetebat. is cum aliquando apud Dionysium cœnans, mullum magnum, sibi verò paruum appositum videret: auribus paruum admouit. cuius facti causam cum ab eo rogaret Dionysius, dixit, se cum hoc tempore Galateam conderet, voluisse à pisce de rebus Nerei aliquid cognoscere. Illum vero respondisse, se natu minorem captum esse, neque dum his de rebus aliquid nouisse. maiorem autem Dionysio appositum, ex quo rescire omnia posset. Tum solutus in risum Dionysius grandiusculum suum mullum Philoxeno misit. Solebat autem etiam compotando interdum suauiter cum illo inebriari, Athenæus lib. 1. ex Phania. Pythagoras inter

Pythagoras cur trigla abstinuerit. cætera triglis etiam abstinere iussit, Laertius & Suidas. Ideo autem à trigla (inquit Lilius Greg. Gyraldus) Pythagoras abstinuit, quòd ea deæ Hecatæ sacra putaretur, (*vt dicemus in h.*) Vel quòd per eam ternionis numeri mysterium coleret: eum quando numerum in sacris adhibendum putauit, vt alibi ex Aristotele & Ausonio & Eusebio ostendimus. Iamblichus tamen, Pythagoram ait Apollini ex ternario numero sacrificasse, propter (vt ait) tripodem, Veneri autem ex senario. Theon Smyrnæus Platonicus, ternarium numerum in libaminibus ea causa adhiberi solere, quòd primus ipse inter numeros dicitur omnia esse. in numeris enim eo minoribus non omnes dicimus, sed vnum vel ambos: de tribus verò, omnes. Archephôn parasitus à Ptolemæo rege vocatus, Τῶν μὲν σκαίρων ἀπέλαυε, τῶν τριγλῶν θ᾽ αἷμα, &c. Machon.

h. Griphus ex Antiphane de pinna & mullo, apud Athenæum lib. 10. qui incipit, Πίννη καὶ τρίγλη φωνὰς ἰχθῦδ᾽ ἔχουσι, Πίνν᾽ ἐλάλει, &c. obscurior est quàm vt inde certi quicquam proferre possim. Tiberius Cæsar in paucis diebus quàm Capreas attigit, piscatori qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem iussit, territus quod is à tergo insulę per aspera & deuia erepsisset ad se. Gratulanti autem inter pœnam, quòd non & locustam, quam prægrandem ceperat, obtulisset, locusta quoque lacerari os imperauit, Suetonius.

Mullus sacer Dianæ, Hecatæ, &c. Mulum piscem Proserpinæ, item Dianę sacrum fecêre Græci, Hermolaus. Mullum nunquam attingunt, neque sacerdotes deorum quos prædixi, (τοῖν θεοῖν. *Cererem & Proserpinam intelligo, quos Athenienses* θεὼ [θεὼ] *vocabant, vt Lacedæmonij Dioscuros* σιὼ [σιώ,] *Varinus. Plutarchus in libro Vtra animalium, &c.* τοῦ Ἐλευσῖνι μύστας, *id est sacerdotes deûm qui in Eleusine coluntur, dixit, &c. vt Rondeletius citat: Aelianus* τοὺ μυκμύας ἢ μύστας τοῖν θεοῖν:) nec fœmina Argolicę Iunonis sacerdos. Causas verò cur ab eo abstineant quodam in loco antè me dixisse memini, Æl. de animal. lib. 9. cap. 65. Supra autem (eiusdem libri cap. 51.) huius rei causam esse dixerat, quòd vel ter anno pareret hic piscis, vel quod leporem mar. hominis venenum absumeret. Videtur autem idcirco consecratus Dianę mullus, quod Venerem restinguat: etsi Plato comicus contrà putauit ideo Venerem cohibere, quoniam pudicæ & virgini deæ sacer sit: Τρίγλη δ᾽ οὐκ ἐθέλει νεύρων ἐπήρανος εἶναι· Παρθένου Ἀρτέμιδος γὰρ ἔφυ, καὶ στύματα μισεῖ. quos versus suprà in c. exposui. Apollodôrus Hecatæ ait sacrificari mullum, propter nominis (*quod ad ternarium numerum*) affinitatem. triformis enim dea est. Melanthius verò in libro De mysterijs tum mullum, tum męnam (ei sacrificari prodidit:) quoniam & ipsa Hecate marina sit, Athenæus. Athenis etiam locus quidam Trigla vo-

Triglæ locus. cabatur: in quo hic piscis Hecatæ Triglathenæ sacratus erat, Athen. Græcè legitur, καὶ αὐτόθι ἐστὶν (ἡ τρίγλη subaudio) ἀνάθημα τῇ Ἑκάτῃ Τριγλανθίνῃ, Eustathius legit Τριγλαθήνῃ, quod placet. Gyraldus vertit: vbi & simulachrum fuit Hecatæ. Hinc Chariclides: Δέσποιν᾽ Ἑκάτη, τριοδῖτι, τρίμορφε, τριπρόσωπε, τρίγλαις κηλουμένη, id est θελγομένη, χαίρουσα, vt Eustathius interpretatur. Trigla secundùm antiquos Dianę sacra est, Ἀρτέμιδος ἄγαλμα: quoniam ter anno parit. Diana verò, siue (quod idem est) Luna, τριταία μετὰ γέννησιν σαφῶς διεκφαίνεται, (hoc est, tertio à coitu vel silentio die clarè iam apparet, Eustat. & Var. in Πέλχη. Diana syluicultrix marino culta simulacro est. nam ea per mullum piscem exprimebatur, Pierius in Hieroglyphicis. Τρίγλαν ἀπ᾽ ἀνθρακιῆς, καὶ φυκίδα σοι λιμένων Ἄρτεμι δωρεῦμαι, Suidas ex Epigrammate. Antiphanes pisces paruos commendat, magnosque damnat, quia homines deuorant: & propterea dixit mullos & mænas Helenæ fuisse cibos, quòd homines non insectarentur, Athen. alibi non Helenæ, sed Hecatæ legitur, quod probo. nam & Melanthius apud Athenæum Hecatæ tum mullum tum mænam sacrificari prodidit. Vide suprà in Mæna E.

Emblema

Emblema Alciati, Aemulatio impar, inscriptum:

Altiuolam miluus comitatur degener harpam, Et prædæ partem sæpe cadentis habet.
Mullum prosequitur, qui spretas, sargus, ab illo Præteritasque auidus deuorat ore dapes.
Sic mecum Oenocrates agit: at deserta studentum Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.

DE MVRÆNA, BELLONIVS.

Nihil est Muræna in Oceano rarius, cùm tamen alijs litoribus planè sit vulgaris. Anguillam magnitudine ac figura refert: sed recurto & crasso est magis corpore, cùm tamen adulta anguilla omnibus modis hunc piscem magnitudine exuperet. Colore est vt plurimùm fuluo, cute glabra & laxa, qua faciliùs, quàm Anguilla exuitur. Duas Murænarum species esse comperio: Marem paucioribus maculis distinctum, ac quibusdam veluti stellis conspersum. Fœminam pluribus aureis notis, ac veluti guttis vndecunque variam. Proinde omnes prominentem cutem in vertice per tergoris longitudinem, vt sui generis pisces habent: solaque, pręter sui generis Serpentinos pisces, Murena pinnis lateralibus caret, magnamque cum Serpente inire societatem traditur: vnde Oppianus, B

Serpenti nubit, prompteque ex æquore saltat In littus.

Foramen vtrinque ad latera circa ceruicem habet, per quod ad latentes branchias sanguineas, quæ vtrinque sunt quatuor, subtus inclusas, aquam subinde immittit, atque egerit. Rostrum exporrectum habet vt anser, ast nullo linguæ rudimento conspicuo prædita: Oculos paruos, rotundos, glaucos, pupillam nigerrimam: Dentes longiusculos, acutos, in ordinem per maxillas dispositos. Oesophagum latum ab eius rictu incipientem, in cuius orificio hamuli leuiter vncinati ad gulam circa fauces spectantes, linguę vicem supplent ac statim à branchijs folliculus teres spinæ incumbit, flatu turgidus, natationis commodioris vsum præbens. Hepar habet subfuluum, oblongum, stomacho incumbens, longiusculum, cui fel cyaneum magnitudine auellanæ contentum inhæret. Lienem oblongum stomacho annexum. Vertebras minus frequentes, sed oblongiores quàm Anguillæ: in quibus hoc etiam animaduertendum est, processus inesse transuersos, ac sursum spectantes, præter aliorum piscium naturam. Cæterùm carnem habet candidissimam, sub cute ductibus obliquis ac transuersis, vt in mustela dispositam, varijs musculis hinc & inde abeuntibus communitam, suauem ac delicatam: sed multis spinulis breuibus ac recurtis conspersam, quæ manducantibus plurimùm fastidij adferre solent. *Interiora.*

Deterrima est (inquit Galenus) Murenarum caro ex fluuiorum ostijs, qui culinas, balineas, aut latrinas expurgant piscatorum: quanquam neq; flumina ipsas subire, aut in stagnis versari putauit. F

Quod reliquum est, morsus Murenæ admodum piscatoribus perniciosus esse solet. Quamobrem vbi hanc ceperunt, & ex nassis intra lintres immiserunt, forcipibus apprehensum eius rostrum baculo atterunt: spinamque frequentibus ictibus diuerberant, ne postea dissiliat. G (E)

Marinus est piscis, neque quicquam habere videtur cum nostra Lampetra commune, quam in Galleonymo Galeni descripsimus. A

DE EADEM, RONDELETIVS.

Bellonij icon flexuosa pingitur, maiores per interualla maculas ostendit, & à superiore labro duo ceu cornicula protendit: (quæ tamen ea quoq; quam Fracastorius ex Italia ad me murænæ picturam misit, non habet:) & rostrum longius latiusq;, superiore eius parte vltra inferiorem prominente, &c.



MVRÆNA corporis habitu lampetræ affinis est. A Græcis μύραινα & σμύραινα vocatur. A nostris, ab Italis & Hispanis Mourene. A

Muræna piscis est pelagius, aliquando litoralis: ad duorum cubitorum longitudinem accedens, anguillę aspectu proximus, sed latior: oris scissura magna, superiore maxilla aquilina, in cuius extremo duæ sunt breues apophyses, vel verrucę, vt in congro. Dentes habet longos, acutissimos, in os recuruos, non solum in maxillis sed etiam in palato. quā ob causam lingua carere videtur, adeo illa imperfecta est, sed huius loco carnosum palatum obtinuit. Oculos albos. In vtroq; latere vnicum & rotundū foramen branchiarum: quas integras non esse Arist. Plinius nullas esse scripsit, cum tamen vtrinq; simplices esse sensus doceat. Colore est fusco, vnde κελαινὴν eam vocauit Oppian. cute læui, albicantibus maculis aspersa, dorso cultellato, spina nimirum acuta, & ferè vt in congro pinnulam constituente. Pinnis quib. natare possit caret, † ideo muręna cæteriq; longi flexuoso corporū impulsu ita mari vtuntur, vt serpentes terra. in sicco quoq; repunt, ideo etiam viuaciora talia. Cuius causam reddit Theophrast. in libello de piscib. (*vel, vt Maß. citat, lib. 5. de ijs quæ degunt in sicco*) Πολὺν χρόνον δύνανται ζῆν ἔξω τοῦ ὑγροῦ, διὰ τὸ μικρὰ τὰ βράγχια ἔχειν, καὶ ὀλίγον δέχεσθαι τὸ ὑγρόν, καὶ ἡ μύραινα, καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον, ἢ καὶ τὸ ὅλον ὀφιῶδες. Longiori tempore extra aquā viuunt murenę, etsi quod aliud est serpentib. simile, quia paruas habent branchias, & parū aquę admittunt. Eâdē verò de causa longi pisces qui serpentis sunt spetie, pinnis carent, qua serpentes pedibus. Cum enim omnia animalia sanguine prædita quatuor solum notis moueantur, vt demonstratum est ab Aristot. in lib. de animalium ingressu; aut malè, aut omnino non mouerentur longi pisces, si B *Exteriora.* *Lib. 2. de hist. ca. 13. li. 9. c. 2.* *Lib. 1.* *Lib. 1. ἁλιευτικῶν.* †C *De motu seu natatione murænæ & similium.*

quatuor

quatuor pinnas: & ſerpentes, ſi quatuor pedes haberent. Nam ſiue iuxta ſe poſitas haberent pinnas, ſiue longius diſſitas, moueri vix poſſent. in illis enim altera alteri impedimento ad motum eſſet: in his, ob longius interuallum, nullo adiumento. Si plures mouendi notas haberent, animalia ſanguinis expertia forent. Pinnis autem carentes piſces longos, vt ſerpentes pedib. ob longitudinem flexusq; corporum, quatuor moueri notis demonſtrat Ariſtoteles in libro modo citato.

Interiora. Quantum ad interiores partes attinet, muræna præpoſitam gulam habet: in cauſa eſt corporis longitudo. Ventriculum ipſum longum: à cuius medio oritur inteſtinum ſine ſpiris, ad anum protenſum, iuxta quem cellulas habet inſtar inteſtini eius quod in terrenis animalib. κῶλον vocant Græci. Hepar magnum, longum, flauum, à quo fellis veſica longa pendet inteſtino annexa, ſplenem nigricantem.

C Muræna carne ſolum veſcitur. Frigidioribus hyemis menſibus latet in ſaxis, quamobrem non niſi ſtato tempore capitur. Parit quocunque tempore. Partus eius numeroſior eſt, & ex paruo celeri incremento augeſcit, vt hippurus, Ariſtoteles hiſtoriæ 5.

An omnes ſint fœminæ, & an coeant cum ſerpentibus. Ob tam frequentem partum exiſtimo nonnullos in eam ſententiam adductos, vt nullos mares eſſe crederent in hoc genere, ſed omnes fœminas, eaſque ſerpentibus commiſceri. Plinius lib. 32. cap. 2. Licinius Macer murænas tantum fœminini ſexus eſſe tradit, & concipere è ſerpentibus, ob id ſibilo à piſcatoribus euocari & capi. Hanc ſententiam ſecutus Oppian. tradidit murænam & ſerpentem mutuo amore ardere, ac ſerpentem veneno mortifero in ſaxis depoſito è litore ſibilo murænam euocare: quo audito hæc telo ocyor ruit, ille pontum ſubit: vbi expleto veneris deſiderio, venenum relictum repetit, quo non inuento præ dolore emoritur. *Lib. 1. ἁλιευτικῶν.*

Ἀμφὶ δὲ μυραίνης φάτις ἔρχεται ἐκ ἀΐδηλος,
Πρόφρων ἱμείρουσα παρ' ἱμείροντι γάμοιο.
Μαίνεται εἰς φιλότητα, καὶ ἐγγύθι σύρεται ἀκτῆς
Τῇ δ' ἐνὶ λοίγιον ἰὸν ἀπήμεσε, πάντα δ' ὀδόντων
Ὄφρα γάμῳ πρηΰς τε, καὶ αἰδοῖος ἀντήσειε.
Κικλήσκων φιλότητα, θοῶς δ' ἐσάκουσε κελαινὴ
Ὣς μιν ὄφις γαμέεινε, καὶ ἐξ ἁλὸς ἔρχεται αὐτὴ
Ἤτοι ὁ μὲν φλογέῃ πεθωμένος ἔνδοθι λύσσῃ
Πικρὸς ὄφις. τάχα δὲ γλαφυρὴν ἐσκέψατο πέτρην.
Ἔπλυσε πολυκεδανὸν ζαμενῆ χόλον, ὀλβὸν ὀλέθρου,
Στὰς δ' ἄρ ἐπὶ ῥηγμῖνος, ἑὸν νόμον ἐρροίζησε
Γύγλην μύραινα, καὶ ἔσσυτο θᾶσσον ὀϊστοῦ.

Athen. lib. 7. Cætera ex ipſo authore petenda. Idem Ælianus literis prodidit. Athenæus quoque ex Andrea, cuius hæc verba ſunt: Andreas in libro de his quorum venenatus eſt morſus, ait murænas quæ ex mare vipera genitæ ſunt, morſu interficere: ipſas verò eſſe minores, rotundas, varias. Ibidem Athenæus Nicandri verſus ex Theriacis profert, quę etiam nunc extant: ijs horrificam murænam eſſe ait, quoniam veluti è viuario prodiens, laborioſos piſcatores præ metu fugientes ſæpe frendens vel mordens (vtrunque enim ſignificare poteſt ἐμβρύξασα teſte Scholiaſte, aut ἐκβρύξασα, (*vt impreſſus Athenæi codex habet, ſed perperam*) è nauiculis in mare præcipitauit. Siquidem verum eſt eam cum venenatis viperis coire, in continente, mari relecto: *Nicandri teſtimonium.*

Μυραίνης γ' ἔκπαγλον: ἐπεὶ μογερὰς ἁλιῆας
Εἰς ἅλα φυξηθέντας, ἐχετλίου ἐξαναδῦσα:
Πολλάκις ἐμβρύξασα, κατηπεδήνιξεν ἐπάκτρων
Εἰ δ' ἔτυμον κείνην γε σὺν ἰοβόλοις ἐχίεσσι

Θόρνυσθαι προλιποῦσαν ἁλὸς νομὸν ἠπείροισι. pro ἐν ἠπείροισι. ἐχέτλιον *nauis locus eſt & veluti viuarium vbi piſces reponunt, Scholiaſtes.*

Lib. 9. cap. 23. *Myrus, Myrinus.* At hanc opinionem paucis refellit Plinius de murænis loquens: In ſiccum litus elapſas vulgus coitu ſerpentum impleri putat. Ariſtoteles myrinum (*myrum*) vocat marem qui generat. Locus eſt Ariſtotelis lib. quinto de Hiſt. animal. cap. 10. quo murænæ & myri diſcrimen explicat, de quo proximo capite plura. Et Nicandri Scholiaſtes Græcus ſcribit Archelaum exiſtimaſſe murænas in terram exeuntes cum viperis coire, illiſque dentes eſſe viperinis ſimiles: Andream verò affirmaſſe id falſum eſſe, ac neq; viperam in mari verſari, neque murænam in terra. Eadem Athenæus ex Andrea profert: Ἀνδρέας δὲ ἐν τῷ περὶ τῶν ψευδῶς πεπιστευμένων ψευδός φησιν εἶναι τὸ μύραιναν ἔχει μίγνυσθαι, προερχομένην ἐπὶ τὸ πηλῶδες. οὐδὲ γὰρ ἐπὶ πηλώδεις ἔχεις νέμεσθαι φιληδοῦντας λιμνώδεσιν ἐρημίαις. Andreas (inquit) in libro de his qui falſo creduntur, ſcribit falſum eſſe murænam ad lutulenta loca (ἐπὶ τὸ πηλῶδες, *ad paluſtria & limoſa, Maſſarius*) venientem cum vipera commiſceri: neque enim viperę in huiuſmodi locis degunt gaudentes limoſis (λιμώδεσιν *habet codex noſter, Rondeletius repoſuit* λιμνώδεσι. *quid ſi* ἀμμώδεσιν;) ſolitudinibus. *Lib. 7.*

Concluſio. Fabuloſum igitur murænas cum ſerpentibus congredi, cum ſerpens ſeu vipera ſui generis marem habeat. quòd ſi cum ſerpentibus coirent, cum marinis potius quàm cum terrenis copularentur. Sed fabulæ occaſionem dedit myri maris cum ſerpentibus tanta ſimilitudo, vt qui myrum murænæ copulatum viderint, ſerpentem eſſe crediderint, maxime cum ſerpentum more corpora commiſceant, teſte Ariſtotele. Quæ pedibus carent, inquit, & longo ſunt corpore, vt ſerpentes, vt murænæ, ijs coitus complexu mutuo partium ſupinarum peragitur. *Fabulæ occaſio.* *Lib. 5. de hiſt. anim. cap. 4.*

C In alto mari & circa litorum ſaxa viuit muræna carniuora: circa fluuiorum quoque oſtia verſatur, at fluuios nunquam ſubit. Pingueſcere iactatu Licinius Macer author eſt apud Plinium, fuſte non interim: eandem ferula protinus, caudaque icta celerrimè exanimari: et capitis ictu, difficulter. *Reliqua Lib. 32. cap. 2.*

D De mutuo congri & murænæ odio diximus, capite de congro. Multò verò magis in polypum ſæuit muræna: quorum pugnam luculenter expreſſit Oppianus lib. 2. ἁλιευτικῶν, ſcribens polypum cum nullis artibus murænam vitare poſſit, ad neceſſariam pugnam inuitum venire, flagelliſq; veluti ſpiris & vinculis murænam implicare, ſed fruſtra: quoniam illa tam lubrica ſit, vt inſtar aquę dilabatur. Omnibus itaque fruſtra tentatis polypum miſerè dilaniari. *Odia in congrum & polypum.*

Ἡ μὲν ὑπ' ἐκ πέτρης ἁλιμυρέος ὁρμηθεῖσα
Φορβὴν μαιομένη: τάχα δ' εἴσιδε πούλυπον ἀκτῆς
Ἐσσυμένη θοσύνῃ. τὸν δ' οὐ λάθεν ἐγγὺς ἰοῦσα,
Ἐς φόβον, οὐδ' ἄρα μῆχος ἔχει μύραιναν ἀλύξαι
Αἶψα δέ μιν κατέμαρψε, φύσιν δ' ἐνέρεισε δαφοινήν.
Ἀμφὶ δὲ οἱ μελέεσιν ἑλίσσεται, ἄλλοτε δ' ἄλλας
Τεχνάζων, εἴ πως μιν ἐρητύσειε βρόχοισιν
Ῥεῖα γὰρ ἀμφιπεσόντος ἀλιτηροῖς μελέεσσιν
Φοιταλέη μύραινα διέσσυται οἴδματα πόντου,
Ἄκρα διεκπυΐζοντα, καὶ ἀσπασίην ἐπὶ θήρην
Ἀλλ' ἤτοι πρῶτον, μὲν ἀτυζόμενος δεδόνηται
Ἕρπων νηχομένην τε καὶ ἄσπετα μαιμώωσαν.
Πέλωπος αὖτ' ἀέκων ὀλοῆς ὑπὸ μάρνατ' ἀνάγκης.
Παντοίας στροφάλιγγας ὑπὸ σκολιοῖσιν ἱμᾶσι
Ἀμφιβαλὼν: ἀλλ' οὔ τι κακῶν ἄκος, οὐδ' ἀλεωρή.
Ὀτραλέη μύραινα διαρρέει, οἷά περ ὕδωρ.

Verum, vt ait Homerus, ξυνὸς ἐνυάλιος καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα. i[d eſt] Mars communis viciſſim perimentem perimit. Nam, vt idem Oppianus cecinit: *Ibidem.*

Κάραβος αὖ μύραιναν ἀπηνέα περ μάλ' ἐοῦσαν
Ἐσθίει, αὐτοφόνῃσιν ἀγηνορίῃσι δαμεῖσαν.

Id eſt, locuſta murænam quantumuis ſæuam deuorat, ſua ipſius audacia domitam, vltroque ad interitum ruentem. Quæ prolixius ab Oppiano deſcripta prætermittimus, ne tædium lectori adferamus.

Piſcatores noſtri dentium murænæ maleficam valdeque noxiam vim reformidantes, viuam non niſi forcipe arripiunt. venenatum enim eius demorſum eſſe dictitant, qui cinere capitis eiuſdem murænæ curatur, autore Plinio. Idem cinis (inquit) ſtrumas tollit: nec non murænarum muria, quæ hodie quoque Antipoli & in Lerino inſula fit. Pars à Muræna demorſa niſi tota abſcindatur, à morſu liberari non poteſt ob vncinatos dentes, maximeque in os recuruos. Hoc magno multorum malo nouerat Vedius Pollio eques Romanus, &c. (Vide infra in Corollario E.) G

Neque ſolum dentibus audaciaque, ſed etiam aſtu, miroque in vitandis periculis ingenio murænas donauit natura. Amplius (inquit Plinius) deuorant quam hamum, admouentque dentibus lineas, atq; ita erodunt. Pytheas id tradit. Idem infixas hamo inuertere ſeſe, quoniam ſint dorſo cultellato, ſpinaq; lineam præſecare. Ouidius prodidit murænam maculas (foramina retis intelligit, Galli malles quaſi macles vocant) appetere ipſas, conſciam teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare fores donec euadat. D *In Halieutico*

Molli ſunt & pingui carne, nec magis alunt quàm anguillæ, longè verò minùs quàm congri, vt rectè dixit Hiceſius. F

Plin. ſcribit Hortenſium oratorem murænam adeò dilexiſſe, vt exanimatam fleuiſſe credatur. Cæterum quod Hortenſio Plin. L. Craſſo illi diſerto & cenſorio viro Macrobius (Saturn. 3. 15.) tribuit, qui murænam in piſcina domus ſuæ mortuam atratus tanquam filiam luxit. neque id obſcurum fuit, quippe collega Domitius in ſenatu hoc ei tanquam deforme crimen obiecit: neque id confiteri Craſſus erubuit, ſed vltro etiam (ſi dijs placet) gloriatus eſt cenſor: piam affectuoſamque rem feciſſe ſe iactans. E *Hortenſij & Craſſi murænæ.*

Idem Macrobius ex Varrone ſcripſit, in Sicilia manu capi murænas flutas, quod hæ in ſumma aqua præ pinguedine fluitent: quas ibidem optimas eſſe ſecundo lib. de re ruſtica tradidit Varro. Accerſebantur autem murænæ ad Piſcinas Romanæ vrbis ab vſque freto Siculo, quod Rhegyum à Meſſana diſpeſcit: illic enim tam murænæ quàm anguillæ optimæ à prodigis eſſe creduntur, & vtræque ex illo loco Græcè πλωταὶ vocantur, Latinè flutæ: quod in ſummo ſupernatantes ſole torrefactæ curuare ſe poſſe, & in aquam mergere deſinunt, atque ita faciles captu fiunt. Huiuſmodi murænas Columella quoque commendauit. His acceſſit poetarum teſtimonium. Iuuenalis: *Murænæ flutæ ſeu Siculæ.*

Virroni muræna datur, quæ maxima venit Gurgite de Siculo, Et Martialis:

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo, Non valet exuſtam mergere ſole cutem.

Archeſtratus voluptarius philoſophus murænam ex freto Siculo celebrat: id enim appellat στενοκύμονα πορθμὸν apud Athenæum: *Lib. 7.*

Ἰταλίας δὲ μεταξὺ κατὰ στενοκύμονα πορθμὸν
Ἡ πλωτὴ μύραινα καλουμένη ἄν ποτε ληφθῇ,
Ὠνοῦ. τοῦτο γάρ ἐστιν ἐκεῖ θαυμαστὸν ἔδεσμα.

Viuaria murænarum tantum fiebant: quod hæ fœcundiſſimæ ſint, nec vlli alij piſces niſi cibi gratia inijciendi, ob voracitatem. Sed ne id quidem ſine magno ſumptu fieri potuit: vt veriſſimè ſcripſerit Varro, viuaria ædificari magno, ſecundo impleri magno, tertio ali magno. E

DE MYRO RONDELETIVS.



AB Ariſtotele σμύρος murænæ mas dicitur, quem etiam μύρον dici poſſe puto, quemadmodum σμύραινα & μύραινα dicitur. Id indicat Gaza qui in conuerſione ſua murum vocat. Barbari zmyrum. Piſcatores noſtri peculiariter non agnoſcentes, ſerpentem vocant. A

Huius à muræna diſcrimen docet Ariſtoteles lib. 5. de Hiſt. animal. cap. 10. his verbis: Διαφέρει δὲ ὁ σμύρος καὶ ἡ σμύραινα. ἡ μὲν γὰρ σμύραινα διαφόρως ποικίλη, καὶ ἀσθενεστέρα. ὁ δὲ σμύρος, ὁμόχρους καὶ ἰσχυρός, καὶ τὸ χρῶμα ὅμοιον ἔχει τῇ πίτυϊ, καὶ ὀδόντας ἔχει καὶ ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. φασὶ δὲ ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα, τὸν μὲν ἄρρενα, τὴν δὲ θήλειαν εἶναι. Differunt mirus & muræna. eſt enim muræna multis modis varia & infirmior: myrus concolor, & robuſtior, colore larici, (vt vertit Gaza, ſed melius meo quidem iudicio, pino arbori) ſimilis. huic ſunt dentes intrinſecus & extrinſecus. Aiunt hunc, vt in alijs, marem eſſe, murænam fœminam. Plinius locum hunc tranſtulit, cuius vulgares codices habent myrinum pro myro, non ſine mendo, vt ex Ariſtotele & Gazæ interpretatione liquet. Hanc tamen lectionem ſi quis tueri velit Ariſtot. ipſius authoritate, à quo myrini piſcis alibi fit mentio, reſpondemus hunc quoque Ariſtotelis locum mendoſum eſſe, vt pro μύρινος legendum illic ſit μύξινος. Id contextus ipſe & Ariſtotelis ſenſus apertè docent. Τοῖς μὲν οὖν πλείστοις ἰχθύσι συμφέρει μᾶλλον (de imbre loquitur) κεστρεῖ δὲ καὶ κεφάλῳ, καὶ ὃν καλοῦσί τινες μύρινον τοὐναντίον. ὑπὸ γὰρ τῶν ὀμβρίων ὑδάτων οἱ πολλοὶ αὐτῶν ἀποτυφλοῦνται θᾶττον, ἂν ὑπερβάλλωσι. Plurimis piſcibus imbres conducunt. Mugili tamen & capitoni, & ei qui à nonnullis myrinus vocatur, nocent: multi enim ex ijs à pluuijs aquis, ſi immodicæ fuerint, obcæcantur. Mugilum ſpecies hic coniungit, in quibus eſt μύξινος, quem etiam μύξωνα vocat, vt ſuo loco docuimus. Ex eodem Ariſtotelis loco quem de myro citauimus liquet, de myri à muræna diſcrimine, quædam à Plinio prætermiſſa fuiſſe. Locus Plinij eſt huiuſmodi. Ariſtoteles myrum vocat marem qui generat: diſcrimen eſſe, quod murena varia & infirma ſit, myrus vnicolor & robuſtus, dentesque extra os habeat. De coloris ſpecie, de dentibus qui intra os ſunt nihil dixit. Poſtremo inde etiam reſtituendus Athenæi lib. 7. deprauatus locus fuit, ὁ δὲ μύρος, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν πέμπτῳ ζώων, διαφέρει τῆς μυραίνης. ἡ μὲν γὰρ ποικίλον *Muri & Murenæ diſcrimen.* *Lib. 9. cap. 21.* *Lib. 8. de hiſto. anima. cap. 19.* *Athenæi locus reſtitutus.*

καὶ ἀσθενέστερον, ὁ δὲ μύρος λεόχρως [illegible] νυρός, καὶ τὸ χρῶμα ὅμοιον ἔχει ἴυγγι ὅλον, τοῦτο τε ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. Nam pro λεόχρως: ὁμόχρως: pro ἴυγγι, πίτυι. [illegible] ον, τό τε, &c. καὶ ὀδόντας ἔχει ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. Myrus ſerpenti magis ſimilis eſt, quàm murænæ, roſtro acuto, longo corpore nigricante, tenui, rotundo, ſine maculis, ſine ſquamis. Vnicùm vtrinq; branchiarum imperfectarum foramẽ habet. Pinnulas duas valde exiguas cutis ſubſtantia, (*vnam*) à ceruicis loco ad caudam vſq;, & (*alteram*) ab ano ad eandem, quarum ora nigra eſt vt in congro. In vtroque latere à ceruice punctis aliquot aureis notatur, quæ magis in viuentib. apparent quàm in mortuis. Gulam ventriculo præpoſitam habet, inteſtina longa, rectà ad podicem porrecta: iecur longum, rubeſcens, ſine felle. Splenem longum, tenuem.

F Carne eſt tenera, ſine vllis ſpinis, aut certè pauciſſimas habet. Apud Athenæũ ex Dorione duæ ſunt myri ſpecies. Δωρίων δὲ τὸν μύρον φησί, τοὺς διὰ σαρκὸς ἀκάνθας οὐκ ἔχειν, ἀλλ' ὅλον εἶναι χρήσιμον, καὶ ἁπαλὸν ὑπερβολῇ. εἶναι δ' αὐτοῦ γένη δύο. εἰσὶ γὰρ οἱ μὲν μέλανες, οἱ δὲ ὑποπυρίζοντες. κρείσσονες δέ εἰσιν οἱ μελανίζοντες. Dorion ſcripſit myrum per carnem ſparſas ſpinas non habere: quare totum vtilem eſſe, & ſupra modum tenerum. Ipſius autem genera duo eſſe. ſunt enim nigri myri, & ruſi. meliores verò ſunt qui nigricant.

COROLLARIVM.

A Muræna, Græcè myręná dicitur, Varro. Multi penultimam per e. vocalem ſcribunt, ſed orthographia Græca, diphthongũ æ. requirit, vt in mæna quoq;. Epichar. μύραινα ſcribit abſq; σ. item Sophron. Plato verò vel Cantharus in Symmachia, cum σ. σμύραινα, Athen. ſic maris quoq; & ſmaris, &c. Vide ſuprà in Corollario de Mæna alba. Smyręnam Plato Doricè appellauit, Maſ. Zmyræna pro Smyręna apud Kiranidem eſt, Z. pro Σ. Μύρος, & μύραινα à verbo μύρειν vel μύρεσθαι deducuntur Euſtathio. Lege in Mormyri Corollario A. Μύρος (ſcribendum fortè μῦρος penanflexum, cum ypſilon producat, vt in Mormyro dictum eſt. Codex alter Æliani manuſcriptus ex duobus quos vidi, μύρων habebat: vt Gil. quoq; legit) piſcis eſt, neſcio vnde dictus. ſerpentem marinum eſſe aiunt, Ælianus. Optimæ ſunt in hoc genere quæ à Latinis flutæ, & Græcis plotæ quaſi nauigabiles dicuntur, quòd in ſumma aqua fluitantes mergi non poſſint, Maſ. Cur autem mergere ſe (vel vt mergantur, curuare) nequeant, plerique cutem à Sole toſtam cauſantur: id quod ea facilius patitur, cũ nullis muniatur ſquamis. Macrobius verò præ pinguedine eas in ſumma aqua fluitare tradit. Πλωταὶ Græcè vocabulo oxytono ſcribuntur rectè, non penanflexo. Theodorus non modò murænas & anguillas plotas cum Sole torrefactæ ſupernatant, ſed etiam rhyades piſces ex Ariſtot. ſimiliter flutas conuertit, &c. vt plurib. in Chalcide monuimus. Πλῶτες quidem (cuius nominis numerum ſingularem nondum legi) ceſtrei, id eſt mugiles alicubi dicuntur. Opp. Halieut 3. piſces omnes ſic nominauit: Πάντες δὲ πνοιῇσιν ἐναντία καὶ ῥοθίοισι Πλῶτες ἁλὸς θύνουσιν. Et alibi in eodem: Η γὰρ ἀεὶ πλωτῶν στιφρὸν γένος ὑγρὰ θεόντων. Vide plura in F. Almarmaheigi Arabicum vel Perſicum nomen commune longis & lubricis piſcibus, require in Anguilla A. Auicenna 4. 6. 3. 56. de venenatis animalib. agens, Haren carmen vocat, eadem de ea ſcribens, quæ Aetius de muræna. Vbique gentium in hunc diem murena nuncupatur, Maſ. Italus & Gillius Gal. Itali la Murena, vel Morona proferunt. ſed cauendum eſt ne antacæus etiam piſcis cetaceus, quem recentiores aliqui (& Itali vulgò) moronam vocant, cum muræna confundatur. Draco marinus, qui & murenula, Arnold. Villanouanus. Myrum piſcatores noſtri (inquit Rondeletius) peculiariter non agnoſcentes, ſerpentem vocant. Sed de alijs Serpentibus marinis infrà dicemus: de dracone etiam diuerſo dictum eſt ſuprà in Araneo. Germanicum nomen ignoro: & ſanè Bellonius nihil muræna in Oceano rarius eſſe ſcribit. Idem in Singularibus ſuis Murænas in Gallia eſſe negat: excipere autem (puto) debuerat oram ad mediterraneum mare. At Plin. In Gallia Septentrionali (*inquit, videtur autem de Oceano ſentire*) murænis omnib. dextra in maxilla ſeptenę maculæ. Circunloqui licebit, *ein Meerſchlangen art*: hoc eſt, Serpentis marini genus: vel nomen fingere, *ein Murval*, nomine à Latino Muræna, & Germanico *Aal*, quod eſt anguilla composito. eſt enim piſcis haud longè anguillæ diſſimilis, teſte Gillio & alijs. non probo quidẽ compoſita ex diuerſis linguis vocabula: ſed ea quoque tolerantur cum meliora deſunt. Alius longè piſcis eſt Muræna vel potiùs Marena vulgò Germanicè dictus: de quo Simon Paulus Suerinenſis: Lacus Suerinum alluens (inquit) non procul Oceano Germanico, gignit inter cæteros piſces halecem, (harengum:) & Murenas vulgo Germanicè dictas,) *Marenen*,) haleci (harengo) ſimiles, ſed aliquanto minores, argenteis ſquamis, carne dura & friabili. Lampetram, murænam fluuiatilem appellatam fuiſſe ex Dorione perſpicuum eſt, (&c.) Rondeletius. vide inferius in Muſtela. Murænam fluuiatilem Iouius quoque ſuſpicatur eſſe piſcem, qui vulgò lampetra dicatur. Eſt & murena fluuiatilis ex Athenæo, quam aliqui mendaciſſimè (*Iouium notat*) gallariam à Dorione vocari, Athenæum falsò interpretantes, prodiderunt. Nam Dorion in libro de piſcibus, fluuialem inquit murenam habere vnicam ſpinam ſimilem aſello, qui appellatur gallaria. Eſt enim gallaria non murena, ſed aſelli ſpecies minor ex Plinio & Athenæo, Maſſarius. Carolus Figulus Murænam Germanis interpretatur *ein Prick*: ſed ea quoque lampredę, id eſt muſtelę ſpecies eſt. Albertus quoque murænam pro lampreda accepit.

[Margin notes: Fluta. — Πλῶτες. — [illegible]en. — Murena fl.]

[Margin note: Smyręna & Sphyræna vocabula aliquando à librarijs permutata.]

Smyręna & Sphyræna piſces ſunt longè diuerſi: quorum tamen nomina à librarijs Græcis olim confuſa (facili inuicem tranſitu φ. & μ. literarum) aliquot in authorum locis oſtendam. Oppian. Halieuticorum 3. ſphyrænas lubrico corpore eluctando penetrandoque per maculas retium euadere canit, his verſibus: Σφύραιναι δ' ὅτε κέν ποτ' ἐπιπλήξωσι (πλήθειν, τὸ χρύειν ἢ πελάζειν, &c. vide Euſtathium) λίνοισι, Δίζονται βρόχον εὐρὺν ἐν ἕρκεϊ δυνάσαι. Τοῦ δ' ἀγκύλην ὀφίων νόμον ὁρμηθεῖσαι, Πᾶσαι ὀλισθηρῇσι διεξέπεσον μελέεσσι. Hîc σφύραιναι librarius imperitè ſcripſit pro σμύραιναι, vel μύραιναι potius. alibi enim ſine ſigma μύραιναν ſcribere hic poeta ſolet. In argumentis Halieuticorum authoris innominati, quę vitę Oppiani ab initio editionis Aldinę ſubijciuntur Græcè, rectè pro hoc loco μύραινα ſcribitur: ſic enim legitur. Περὶ πανουργίας κεστρέων, μυραίνης, καὶ τῶν ἄλλων. Lubrica etiam membra, & penetratio ſerpentis inſtar, murænæ non ſphyrænę conueniunt. Sed iam olim hic error in Oppiani poema irrepſit: quem Æl. quoq; (de animal. lib. 1. cap. 33.) malè æmulatus eſt. plurima .n. ille ab Opp. mutuatur. Sphyræna (inquit) piſcis eſt pelagius: qui cum ſe reti incluſum ſenſit, circunquaq; natat: & quà euadat, vbi vel rariores laxioresue ſunt maculæ, vel etiam diſruptæ, calidiſſimè quærit. Quod ſi talem aliquem locum inuenerit, è reti elapſa, priſtinã natandi libertatem recuperat. Vbi verò vna quæpiam ſic euaſerit, reliquæ etiã eiuſdem generis, ſi

ris, ſi quę pariter captę fuerint, eâdem elapſæ, illam ceu viæ ducem ſequuntur. Meliùs Ouidius, Et Muræna ferox teretis ſibi conſcia tergi, Ad laxata magis conuerſa foramina retis, Tandem per multos euadit lubrica flexus: Exemploque nocet, cunctis interuenit (*cunctis quòd prænemit*) vna. Bene etiam ex Ouidio Plinius: Muræna maculas appetit ipſas, conſcia teretis ac lubrici tergi: tũ multiplici flexu laxat donec euadat. Αἱ δὲ σφύραιναι τῶν γόγγρων εἰσὶ τροφιμώτεραι, ex Diphilo Athenæus. Et alibi ex Hiceſio, σφυραίνας εἶναι τροφιμωτέρας γόγγρων, ἀπειθεῖς δὲ τὴν γεῦσιν καὶ ἀσύμους, ἀχυλίᾳ δὲ μέσας: qui locus Rondeletio etiam ſuſpectus eſt. Non eſt vera (inquit) hæc Hiceſij ſententia, niſi ſphyrænæ alium piſcem ſubſtituas. ſed ipſe quidem nullum ſubſtituit, ego murænam, facili (vt dixi) tranſitu. Congris certè, qui & ipſi anguillis ſimiles ſunt, non ſphyrænæ, ſed murænæ comparari merentur. Et Athenæus libro ſeptimo de murænis ex profeſſo agens, ſic habet: Τροφίμους δ' αὐτὰς εἶναί φησιν ὁ Ἱκέσιος οὐχ ἧττον τῶν ἐγχέλεων, ἀλλὰ καὶ τῶν γόγγρων. vnde ſuperiores duos locos à librarijs corruptos eſſe facile apparet. Hactenus quibus in locis mihi cognitis ſphyræna pro muræna legatur, oſtendi. aliquando verò contrà cõtingit, vt in Scholijs in Nubes Ariſtophanis: Ceſtras (inquit Scholiaſtes) interpretantur murænas: vbi ſphyrænas legendum. ceſtram enim eandem ſphyrænę eſſe, Rondeletius in ſphyræna veterum authoritate docet.

B De murænis flutis è freto Siculo lege infrà in F. De Tarteſijs (nam circa Tarteſum maximas fieri aiunt) in H. h. Circa Carteiam locis exterioribus murenas minarum ſupra octoginta reperiri Strabo meminit, Maſſarius. Locus eſt apud Strabonem lib. 3. vbi & cete & oſtracoderma multò maiora fieri ſcribit, quàm in mediterraneo mari. Quin & congri, inquit, ἀποθηριοῦνται (hoc eſt efferantur, vt ita dicam, vel belluarum inſtar grandeſcunt) multò noſtris maiores factæ: item murænę, & alij complures huius generis piſcium. Σελάχια ſunt quæ ſquamis carent, (vt ſmyręna, bos, torpedo, paſtinaca,) nec oua pariunt, Suidas. ſed ſmyrænam & oua parere, & ſelachiorum, id eſt, cartilagineorum generis non eſſe conſtat: vnde Suidam (vel quiſquis eſt è quo tranſcripſit) deceptum eſſe conſtat: aut pro ſmyræna nomen aliud ſupponendum, zygæna fortè. Piſces aliqui ſunt longi, vt muræna, conger, Plinius. Lampredæ vulgo dictæ anguillis puſillis & murænulis ſimillimæ ſunt, niſi quòd ſeptem habent à capite in collum foramina, Hermolaus. Murænis ſimiles ſunt muſtellæ: quanquam aliqui pro murænis apud Plinium perperam marinis (*ſcilicet muſtellis*) legant, Idem. Maſſarius quoque omnino murænis legendum eſſe contendit. Vide infrà in Muſtella ſiue Lampetra A. Typhlôpa ſerpentem murænæ caput habere ſimile in ſermonem hominum venit, Aelianus. Tenuiſſimum his tergus, Plinius. Murænę cutem leuem potiùs vocandam quàm mollem, & ita legendum apud Plinium lib. 9. pluribus docet Maſſarius: Legendum (inquit) arbitror leui vt murænę, ex Ariſtotele quarto de partibus animalium, vnde Plinius hæc mutuatur: Cutis, inquit, alijs ſquammata: alijs aſpera, vt ſquatinæ, raię, & reliquis generis eiuſdem: alijs leuis, ſed pauciſſimis: intelligendo anguillas, congros & murænas, quæ omnia ſæpenumero inter longos & leues enumerauit, vt primo de hiſtoria. inquit enim: Pinnas alij tantum binas habent, qui longi leueſque ſunt, vt anguillæ, vt congri: aut nullas omnino habent, vt murena. quod Plinius quoque fecit, licet piſces eos non leues, ſed lubricos appellauerit hoc libro, vbi de pinnis piſcium loquitur. binæ, inquit, omnino longis & lubricis, vt anguillis congris, mullæ & murænis: quòd in 32. volumine etiam confirmare videtur, cum dicit murenam maculas appetere ipſas, conſciam teretis ac lubrici tergi, ex Ouidio: leui igitur potiùs legendum cenſeo: neque enim ita proprium fuiſſet dictum, murenam mollem, hoc eſt teneram habere cutem, cum ex Ariſtotele mollem cutem etiam habeant, quæ mollia appellantur, vt loligo, ſepia, polypus, qui ad tactum etiam molliores ſunt quàm murenæ, vt mox videbitur: qui & lacertorum & ſerpentium corticem interdum cutem mollem (vti retulimus) appellauit, quod & Plinius libro vndecimo ſerpentibus potius tribuiſſe videtur, vbi de palpebris loquitur, dicens: ſed quadrupedi in ſuperiori tantum gena, volucribus in inferiore, & quibus molle tergus, vt ſerpentibus: vbi non intellexit piſces illos longos & leues ſerpentibus ſimiles. nam piſces genis omnino carent, Hucuſque Maſſarius. Pytheas tradit murænam infixam hamo inuertere ſe, quoniam ſit dorſo cultellato, ſpinaque lineam præſecare. Ardens auratis muræna notis, Ouidius. Maculas habet nigras in dorſo & in pelle, Kiranides. Murenarum alia colore eſt ſubnigro, luteis maculis diſtincto: alia albo, nigris maculis diſtincto, oris rictu non aliter quàm Anſeres largiſſimo: ijs foraminibus, quibus Lampetra prædita eſt, caret, Gillius. Piſcis eſt haud diſſimilis anguillæ, varius maculis luteis & nigris, Maſſarius. In Gallia Septentrionali murænis omnibus dextra in maxilla ſeptenæ maculæ, (*cauſtellæ*,) ad formam Septentrionis, aureo colore fulgent, duntaxat viuentibus, pariterque cum anima extinguuntur, Plinius. Pinnæ piſcium quibuſdam nullæ, quibus nec branchię: Plinius, eumque ſecutus Gillius. Murænæ nullæ omnino ſunt pinnæ, (*Rondeletius addit, quibus natare poſſit.*) nec branchiæ integræ (articulatæque, Vuottonus,) vt cæteris piſcibus habentur, Ariſtot. Et alibi, Quaternæ ei vtrinque branchię ſimplices ſunt. Fel murænæ ſemotum à iecore inteſtinis commiſſum eſt, Vuottonus ex Ariſtotele. Fel quibuſdam inteſtino tantùm iungitur, vt murenis, Plinius. Murena dentibus eò commodiùs ſe defendit, quòd eorum prædita ſit duplici ordine, Aelianus.

C Murænæ ambigunt inter piſces litorales & pelagios, Ariſt. Murena neque in ſtagnis gignitur, nec temere fluuios ipſam ſubire inuenias: nonnunquam tamen & quæ in vtroque victitet, in mari ſcilicet & aqua dulci, reperiuntur, (teſte Galeno in libro de cibis boni maliq; ſucci.) Partim pelagia, partim litoralis murena eſt, ſed ferè in ſaxorũ cauernis degit: & ſola ex precioſis piſcibus (quanuis Tharſenſis, Carpathiique pelagi, quod eſt vltimũ, vernacula) quouis hoſpes freto, peregrinũ mare ſuſtinet, Vuottonus. Murænæ incolunt petrarum caua, Oppianus. Et alibi: Degunt in petris quæ plenę ſunt chamis ac patellis. Piſcantes circa quoddam Africæ litus, loco petroſo, οἱ μὲν ἐντελεῖς, μυραίνας τε, καὶ καράβους ἀμεγέθεις ἄγουσι: τὰ δὲ μικρότερα, κωβιοὺς ἀτελεῖς καὶ ἰούλους, Syneſius in epiſtolis. Piſces longi, vt anguillæ, cõgri, murænę, quomodo natent, & de pinnis eorum, lege Ariſtotelem in libro de communi animalium greſſu. Pinnis carent: ſic enim vtuntur mari, vt ſerpentes terra, & ſimiliter humore repunt, Idem in Hiſtoria. Cur autem pinnę, quibus natent, murænis, aliiſque ſerpentum ſpeciem referentibus piſcium deſint, explicat Ariſtoteles libro 4. tractationis de partibus, cap. 17. Anguilla, & quicunque ſerpentis ſpeciem referunt (vt murenæ) quoniam branchias habent pauciores minuſque continentes, diu extra aquam

viuere possunt. non enim multum refrigerationis desiderant, Aristot. lib. 4 cap. 13. de part. Exeunt in terram murænæ, Idem & Plinius. Carniuoræ tantùm sunt, Aristot. Degunt in petris quę plenæ sunt chamis & patellis, Oppianus: nimirum quòd conchis huiusmodi vescantur. Polypis inescantur Idem. Vedius Pollio seruos damnatos murænis deuorandos obiiciebat, vt in E. referetur. Polyporum generis est ozæna dicta à graui capitis odore, ob hoc maximè murænis eam consectantibus, Plinius. Murenæ coeunt vt serpentes, Aristoteles. Cum libidinis impetu plena est Muræna, in aridum progreditur: & sponsi iniquissimi desiderio permota, latibulum Viperę intrat, ibique ambo inter se colligantur, atque coitu implicantur: vt vulgi quidem hominum opinio ait. Vipera quoque mas stimulis libidinis concitata, ad mare accedit: & vt adolescens in amoribus dissolutus, cum tibia fores pulsat amatę: sic Vipera mas sibilo edito amatã euocat. ea è mare exit, natura diuersorũ locorũ incolas in cupiditatẽ vnã, & cubile idẽ cogẽte, Aelianus de animalib. lib. 1. cap. 50. Idẽ (lib. 9, cap. 66.) Cũ proximũ est, inquit, vt Vipera mas complexu venereo iungatur cum Murena, venenum vomitione eiicit, atque expellit vt blandus decorusque sponsus videatur. Postea edito sibilo (tanquam Hymenæo quodam ante nuptias misso) sponsam appellat: atque vbi mutuam veneris libidinem inter se expleuerunt, hæc quidem ad mare regreditur, illa verò exsorpto veneno & recollecto, ad domesticam sedem reuertitur. Eadem Oppianus similiter: sed addit prætereà: Quòd si venenum illud vipera, cum mare ingrederetur à se in petram aliquam depositum, non inuenerit, aqua forsan à prætereunte aliquo, cui conspecta fuerit vipera, ablutum: indignabundus huc illuc se iactat donec vita excedat, suis se armis, quibus tutum se arbitrabatur, priuatum dolitans. πέτρῃ δὲ συ ὤλεσε καὶ δέμας ἰῷ. id est, & in eadem petra vt venenum amiserat, sic simul mox etiam corpus vitamque perdit. Orus in Hieroglyphicis non viperam in mare, sed murænam in continentem coitus gratia prodire scribit. Muræna (inquit) è mari egressa viperis admiscetur: ac statim recurrit ad mare. Vipera nequissimũ genus bestię, ac super omne ꝙ serpentini generis est, astutius coeundi incentiuis exæstuãs murenæ præcognitam sibi copulã requirit, vel nouã instruit, progressaq; ad litus sibilo præsentiã testatur, & ad complexum illam prolicit coniugalem. quæ illecta non deest, ac venenatæ serpenti expetitos vsus suæ impertit coniunctionis. Quin vbi aduentare comparem senserit vipera, venenum euomere narratur, marito (*Græci authores omnes aut plerique, serpentem siue viperam marem cum murena fœmina, congredi aiunt*) sic reuerentiam quodam modo exhibens, ac nuptialem reuerita gratiam, quod tamen concubitu peracto resorbeat mox, Cælius Antiquarum lectionum 6.13. Sostratus in opere de animalibus, murænas cum viperis coire assentitur, Athenæus. Alij quoque non pauci, cum obscuri quidam scriptores, vt Iorath: tum theologi illustres, vt Basilius, Ambrosius, eadem de horum animantium coitu, vulgi opinionem, & vulgarem quorundam scriptionem secuti, literis mandarunt. Quemadmodum ignis non potest præterita sine damno materia, in qua primùm conceptus est, priusquam prorsus ipsam consumat ad aliorum noxam conuerti: neque muræna priùs aquaticos angues (τὰς ἐνύδρους ὄφεις) in alienam perniciem parere potest, quàm proprium ventrem, in quo concepti fuerant, eroserint, vt Nicander Colophonius & Archelaus physicus testantur. Ita quiuis iniustus malitiam suam primus experitur, antequàm in alio emittat, Hierax in libro de iustitia, vt citat Stobæus in sermone de iniustitia. Omnibus anni temporibus parit, estque partus eius numerosior, Aristot. Oua parua parit, nec arenida vt pisces squamosi, Idem. Quocunque tempore parit, cum cæteri pisces stato pariant. oua eius citissimè (summa celeritate, alibi) crescunt, Plinius. Hyeme latent, Aristot. Hyeme non capiuntur, præterque statis diebus paucis, Plinius. Ferula contactu murænas occidit, Plinius. Et alibi: Natura ferularum murænis infestissima est, tactæ siquidem ea moriuntur. Item: Licinius Macer murænas ait pinguescere iactatu, (aliâs lactatu:) fuste non interimi, easdem ferula protinus. animam in cauda habere certum est, eaque icta celerrimè exanimari: at capitis ictu, difficulter. Muræna quæ plagam vnam accepit, torpescens perstat: sin D plures inferas, funditus ira incenditur, Aelianus de animalibus 1. 37. Similia etiam de serpentibus, si arundine feriantur, ibidem tradit Aelianus. Murænas ferunt aceti gustu præcipuè in rabiẽ agi, Plinius.

Quomodo è retibus eluctentur murænæ, ex Oppiano, Aeliano, Plinio & Ouidio scripsi suprà in A. vbi pro muræna aliquando sphyrænam ineptè scribi ostensum est. Obscurus de nat. rerum autor non rectè ex Plinio citat, murænam libenter se tenêre inter harundines & ligna, vt si fortè reti concludatur, flexu multiplici euadat. Murænam ferocem cognominat Ouidius. De muræna Crassi quæ ad vocantem ipsum aduentabat, leges mox in E.

Nec proprias vires nescit muræna nocendi, Auxilioque sibi, morsu: nec eo minus (*fortè nimis*) acri Deficit, aut animos ponit captiua minaceis. Hoc est, Muræna etiam non ignorat vires proprias tum nocendi alijs, tum ad auxiliandum sibi in morsu esse sitas. neque mordendi vim remittit, donec (*vel abraserit lineam, vel*) omnino debilitata se captam & victam fateatur. Murenę (inquit Plinius ex Ouidio, tanquam aliam lectionem secutus) amplius deuorant quàm hamum, admouentque dentibus lineas, atque ita erodunt. Muræna dentibus eò commodiùs se defendit, quòd eorum prædita sit duplici ordine, Aelianus. Muræna caudam congri abscindit, Aristot. Nos certè Puteolis sæpenumerò congrum cum muræna acriter pugnantem animaduertimus, Perottus. Conger & muræna caudas inter se prærodunt, Plinius. Locusta murænas & congros conficit. Si smyræna & carabus ambo coquantur vnà, euanescit smyræna, & non apparebit, Kiranides. Suprà in Corollario de Locusta D. Aeliani verba de certamine polypi, murænæ & locustæ recitauimus, quæ ille ex Oppiani Halieuticorum 1. mutuatus est, sed breuius: hîc ex eodem poeta paraphrasin copiosiùs à Petro Gillio redditam, adscribemus. Odio inimicitiarum capitaliter inter se dissident Polypus, Muræna, & Locusta, & mutuis inter se cædibus pereunt. Cum muræna ex saxo ad inquirendum cibum prodiens, Polypum inspexit, in summa aqua paulatim erraticis flagellis natantem: statim incredibili gaudio elata, hanc iucundam appetit prædam. is sentiens se in proximum discrimen adductum, sese in fugam impellit. At nulla machinatione tardus in natando effugere potest Murenam, expeditissimo lapsu natantem. Itaque mordicus eum premens, inuitum pugnare cogit. Hic igitur coactus magnum & difficile inire certamen, primum varium & multiplicem gyrum agens, brachia huc illuc versat, conans horum iactatione ipsam a sese depellere: at enim nulla arte euadere potest. Contrà Muræna Polypi lubricis membris circumplicata, facilè ex his

tanquam

vires, donec tandem defessi manibus inaniter fluctuent: sic Polypi acetabula non palæstricè iacta, Muræna acutis dentibus discerpit & lacerat, & partim ex his mandit, partim semicomesta & palpitantia, huc illuc distrahit. Nec prodest polypo hærere saxis, eorumque vt lateat imitari colorem. nouit enim hunc eius dolum muræna. Iam rursus magna fiducia Locusta Murænam ad pugnam lacessit: extensis tanquam iritans, iuxta petram, cuius incola est muræna, geminis cornibus. Hæc iritata, in certamen descendit. at & si animo infesto hanc cõtra venit, tamen ipsam duro tegmento circummunitam parum lædit: & frustra ideo dentes defigit, quòd tanquam à silice repulsi, sic eius durissimo tegmine retusi, hebescunt & debilitantur. Veruntamen Muræna magis magisq; tantisper animo incitatur, dũ suũ collum tantopere strictè longis illius brachijs quàm ferreis forcipibus teneri sentit, nihilque remitti quantumlibet violenter sese in fugam impellere conetur, & summo doloris sensu affecta quoquo versum corpus suum intorqueat. Cum enim aculeatum locustæ dorsum temere inuadit & circumplectitur, interea aculeis transfigitur, tandemque multis vulneribus acceptis, sua imprudentia conficitur. Iam porrò locustam siliceis forcipibus & robustis aculeis armatam & velocem, tardus Polypus & mollissima pelle obductus expugnat. Hic enim cum eam in saxea aliqua cauerna morantem deprehenderit, in eius dorsum latenter inuadit, & vincula circuniicit, & fortibus acetabulis fauces intercludit, ne spirare possit. Locusta verò illius circumplicatione vicina ad moriendum, nunc quiescit, nunc mouetur, nunc ad saxa alliditur. is verò non intermittit tandiu oppugnare, quoad exederit & confecerit: nec aliter carnes sugendo ex eius testa exhaurit, quàm infans aliquis ex vberibus nutricis lac.

E Murænæ exeunt in terram, & sæpe in ea capiuntur, Aristoteles. Flutæ dictæ, vt in freto Siculo, Sole torrefactæ curuare se posse, & in aquam mergere desinunt, atque ita faciles captu fiunt, Macrobius. Polypis inescantur murænæ, Oppianus. Esca ad inescandas murænas: Aeluri (Siluri legit Cornarius) fluuiatilis drachmas sedecim. seminis rutæ syluestris drachmas octo. adipis vitulinæ tantundem. sesami drachmas sedecim. Conterens omnia, ex eisque pastillos fingens, vtitor, Tarentinus. Murænas quoque & thrissas piscium genera euocari concentu & tintinnabulis, exploratum vulgò: quamuis murenas genituræ tantùm tempore, vtpote quæ serpentium sequi sibila feruntur, quibus eas admisceri tradunt, Pierius Valerianus. Licinius Macer murænas tantum fœminini sexus esse tradit, & concipere è serpentibus: ob id sibilo à piscatoribus, tanquam serpentibus, euocari & capi tradit. fuste non interimi, easdem ferula protinus. animam in cauda habere certum est, eaque icta celerrimè exanimari: at capitis ictu, difficulter, Plinius. Piscium curam maiores nostri celebrauerunt, adeò quidem vt etiam dulcibus aquis marinos clauderent pisces: atque eâdem cura mugilem scarumque nutrirent, qua nunc muræna & lupus educatur, Columella. Et alibi: Piscinis præter alios pisces includemus flutas, quæ maximè probantur, murænas. Piscina si semper influente gurgite riget, habere debet specus iuxta solum: eorumque alios simplices & rectos, quò secedant squamosi greges: alios in cochleam retortos, nec nimis spaciosos, in quibus murænæ delitescant. Quanquam nonnullis commisceri eas cum alterius notæ piscibus non placet. quia, si rabie vexantur, quod huic generi velut canino solet accidere, sęuissimè persequuntur squamosos, plurimosque mandendo consumunt, Columella. C. Hirrius circum piscinas suas ex ædificijs duodena milia sestertia capiebat. Eam omnem mercedem escis, quas dabat piscibus, consumebat. Non mirum. Vno tempore enim memini hunc Cæsari sex millia murænarum mutua dedisse in pondus, & propter piscium multitudinem quadragies sextertio villam venisse, Varro. Murænarum viuarium priuatim (*nimirum absque alijs piscibus. alij legunt primus, quod per se etiam intelligitur in verbo excogitauit: & rursus in verbis, ante alios*) C. Hirius excogitauit ante alios: qui cœnis triumphalibus Cæsaris dictatoris sex milia numero murenarum mutuò appendit. Nam permutare quidem precio noluit, aliáue merce. Huius villam intra quàm modicam quadragies piscinæ venierunt (*Locum hunc clarius paulò antè ex Varronis verbis intelliges.*) Inuasit deinde singulorum piscium amor, Plinius: & ex eodem Macrobius (Saturn. 3. 15.) Hirrij villam, inquit, quamuis non amplam aut latam, constit propter viuaria quæ habuit, quadragies sestertiûm venundatam. Hirrius in codicibus Varronis r. duplici scribitur: in Plinianis simplici: apud Volaterranum Hircius. Sola ex preciosis piscibus muræna, quamuis Tarsensis Capathiique pelagi, quod est vltimum, vernacula, quouis hospes freto peregrinum mare sustinet, Columella. Lucij Crassi oratoris ętate prior Licinius Muræna reliquorum (*præter ostreas*) piscium viuaria inuenit, Plinius. Veteres Romanos à viuacitate potiùs, quàm à saporis præcellentia murenas æstimasse crediderim. quoniam magna eorum copia in quotidianos vsus viuarijs inclusa diutissimè poterat asseruari, cæteris piscibus aut tædio carceris, aut vitio piscinarum facile pereuntibus, Iouius. Apud Baulos in parte Baiana piscinam habuit Hortensius orator, in qua murænam adeò dilexit, vt exanimatam flesse credatur, Plinius. Cæterùm Valerius Maximus libro nono, & Plinius libro decimo septimo, qui L. Crassum Censorem cum Cn. Domitio fuisse confirmant, scribentes cum inter se de luxuria atque libidine decertarent, sibi nonnulla inuicem obiecissent, nullam de murenæ à Crasso defletæ obiectione mentionem faciunt, forsitan quia non nisi de obiectionibus ad luxuriam & exquisitiorem cultum pertinentibus altercatio fuerat. hoc ego lectoribus æstimandum relinquo, Massarius. Muræna Crassi Romani omnium prędicatione celebrata, sic inauribus, & gemmis distincto monili, tanquam sanè eximia formę pulchritudine puella, ornabatur: & appellatis vocẽ Crassi agnoscebat, atue ad eũ adnatabat: cũq; quippiã ei porrigebat, prompto & parato animo accipiebat. Hic ille mortuã fleuit vberiùs, atq; honore sepulturæ affecit. Et cum aliquando Domicius in hunc dixisset: Stulte Crasse, Murænam fleuisti mortuam. Ad hæc respondens Crassus: Equidem (inquit) de bestiæ morte fleui: Tu verò nullos, ne ex trium quidem vxorum interitu, quas ad sepulturam dedisti, luctus percepisti, Aelianus de animalibus 8. 4. Cum obiiceret Domitius, An tu murænam luxisti Crasse? retorsit ille: At tu vxores tres cum extuleris nunquam lachrimasti, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Ex Aeliano mutuatus est Io. Tzetzes Variorum Chiliade 8. cap. 173. Item Porphyrius libro 3. de abstinentia ab animatis: Crassi (inquit) Romani muræna nominatim voca-

ta ad ipsum Crassum aduentabat: quem etiam adeò commouit, vt mortuam luxerit, cum trium anteà liberorum amissionem moderatè tulisset. Antonia Drusi in villa apud Baulos in parte Baiana (vbi & Hortensius piscinam habuit, & in ea murænam dilexit) murænæ quàm diligebat inaures addidit: cuius propter famam nonnulli Baulos videre concupiuerunt, Plinius.

Inuenit in hoc animali documenta sæuitię Vedius (*Verrius, Platina*) Pollio eques Rom. ex amicis diui Augusti, viuarijs earum immergens damnata mancipia, non tanquam ad hoc feris terrarum non sufficientibus, sed quia in alio genere totum pariter hominem distrahi spectare non poterat. Ferunt aceti gustu præcipuè eas in rabiem agi, Plinius. Vedius Pollio (inquit Crinitus de honesta disciplina 6.10.) cum piscinas magno studio ac diligentia haberet, solitus est seruos suos occidere, eosque piscibus vorandos præbere: vt hominum cruore pastos comesset: quod hercle in Romana quidem ciuitate non scelestum modò: sed imprimis nefarium haberi debet, Octauio præsertim imperante. de qua re Septimius Tertullianus copiosè scribit in libro quem de pallio fecit. Anneus verò Seneca cum Cæsarem Neronem ad clementiam instrueret, sic inclamat: O Vedium mille mortibus dignum qui deuorandos seruos murænis obiiciat, quas erat esurus. Et in libro quem de ira scripsit ad Nouatum: Cum diuus (inquit) Augustus apud Vedium (aliâs Aredium) Pollionem cœnaret, fregit vnus è seruis crystallinum: ex quo rapi eum ad mortem Vedius iussit, nec vulgarem quidem. nam murænis obiicì iubebatur, quas ingens piscina continebat. Quis non putaret hoc illum causa luxuriæ facere? sæuitia erat. (*Nec luxuria fuit ista, sæuitia erat, (aliàs Rhod.*) sed euasit è manibus puer: & ad Cæsaris pedes confugit, nihil aliud petiturus, quàm vt aliter periret, nec esca (piscium) fieret. In quo adeò motus est nouitate crudelitatis Cæsar, vt illum quidem dimitti, & crystallina potiùs omnia perfringi iuberet, piscinamque compleri, Hæc Crinitus ex Seneca. (sed pars postrema in codice nostro sic legitur: Motus est nouitate crudelitatis Cęsar, & illum quidem dimitti, & crystallina ante omnia coram se frangi iussit, complerique (compleri oblimarique, Cęlius) piscinam. Fuit Cæsari sic castigandus amicus, bene vsus est viribus suis.) Noster quidem Senecę codex libro 1. declementia, capite 8. sic habet: Quis non Vedium Pollionem peius oderat, quàm serui sui? quòd murænas sanguine humano saginabat, & eos qui se aliquid offenderant in viuarium quid aliud quàm serpentibus obiici iubebat? O hominem mille mortibus dignum, siue deuorandos seruos obiiciebat murænis, quas esurus erat: siue in hoc tantùm illas alebat, vt sic aleret.

F De flutis murænis nonnihil in A. diximus, hîc plura. Non enim si murænæ optimæ flutæ sunt in Sicilia, & elops in Rhodo, continuò hi pisces omni mari similes nascuntur, Varro, Muręnæ in Sicilia optimæ sunt, Plinius. E Siculo freto commendabantur, Athenæus & Clemens in Pædagogo. Αἱ πλωταὶ ἐκ Σικελίας παρὰ τοῖς παλαιοῖς εὐδοκίμων. Pollux.. Et rursus: Μύραινα ἐκ πορθμοῦ, καὶ μύραινα Ταρτησσία παρὰ τοῖς παλαιοῖς εὐδοκίμει. Habet etiam delicatam murænam vrbs Hispaniæ Tartessus nomine, adeò vt inter cibos electiles numerata sit, authore Gellio. Muræna in tantis delicijs olim fuit, vt & nomen Liciniorum familiæ dederit, Varrone teste. Muręnas Hicesius ait multum alere, non minùs (aut etiam magis, vt in A. scripsimus) anguillis & congris, Hicesius. Murænæ etiam ipsæ in aqua vitiosa (cœnosa, & aliter impura, & circa fluminum ostia) deterrimæ sunt, Galenus. sed quomodo alimentum ex murænis alijsque piscibus pro locorum in quibus degunt diuersitate variet, supra ex Galeni scriptis recitaui in Lupo F. Omnium minimè improbantur edulia, quæ tenuem aut crassum succum facientium in confinio sunt, & in excessuum medio, vt carnes gobiorum & murænarum, &c. Galenus in libro de cibis boni & mali succi. Vuottonus inter duram quoque & mollem, murænarum carnem mediocrem esse tradit. Philotimus (apud Galenum de alimentis 3.30.) murænas piscibus molles carnes habentibus adnumerat, quod genus facilius concoqui tradit. Galenus distinctionem addit, si in puro mari versentur. Saxatiles enim (inquit) semper sunt optimi, quod asellis minimè contigit, nec murænis, vt ne gobionibus quidem. etenim quidam ex his in fluuijs & stagnis, alij autem in mari nascuntur: alij in stagnis maritimis, quæ vocant: aut omnino in aquis permistis, vbi magni fluuij ostium mari committitur. plurimum certè particulatim inter se dissident, vt mugilis & muræna. Murænas & omnia mollia, vt lolligines, sepias, &c. vt quæ difficulter concoquantur, inflationes pariant, noxios humores generent, censeo reprobanda, Aetius 9.30. in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus. Periculosum est eas in cibum sumere, nisi prius in vino optimè ac diutissimè decoquantur, & speciebus aromaticis, maximeque pipere, condiantur Venenoso nanque abundant humore, vnde nec de facili cedunt coctioni, Author de nat. rerum. Pellem eis duram esse audio, cedique baculis antequam coquantur. Iura diuersa in murænam tum assam tum elixam describit Apicius 10.8. Tripatinum ex murænis, lupis & myxone memoratum Plinio, vide suprà in Lupo F. Coquitur muræna exossata more maiorum, vt anguilla, sublato corio, capite & cauda, assam, moreto viridi suffundes, Platina. Sanga Romanus poeta lapidus, quum Pyrgorum in litore piscaremur, docuit murænas ab antiquis exossari, Plauti authoritate, vt eorum carnes nullis impeditæ spinis gratiores redderentur: ingentemque ille murænam binis bacillis vtraque manu comprehensis mediam astringendo detergendoque, rectè & festiuè admodum exossauit, Iouius, Tu Macherio Congrum, murænam exdorsua, quantum potes, Plautus Aulularia. De verbo exdorsuare, lege supra in Congro H. f. Ob duriciem quandam innatam, & tenacem humorem laboriosissimè digeruntur: sed à lactibus eximijs summam commendationem accipiunt, Iouius. Heliogabalus murænarum lactibus & luporum (piscium) in locis mediterraneis rusticos pauit, Lampridius.

G *De morsu murænæ.* Muræna venenata est (morsu,) & impetuosa in homines, Kiranides. Dentibus maleficam non modò legi, sed etiam expertus sum, cum Massiliæ illius naturam perscrutans, temere lubricum rostrum cepissem, non sine magno dolore vulnus accepi, Gillius. Morsis à muræna (inquit Aetius 13.38.) eadem accidunt quæ morsis à vipera: quapropter etiam similia remedia eis adhibenda. Dato autem & fici succum cum serpillo, vt prædictum est. Eadem ex eo repetijt Auicenna 4. 6.3. capite 56. de Hareti carmen. A pastinaca marina aut muræna morsis auxiliantur liquoris de fico guttæ quatuor, aut paulò plures cum ramulis serpylli tribus aut quatuor poti: & quæcunque ad viperas, Aegineta. Murænæ morsus ipsarum

ipsarum capitis cinere sanantur, Plinius. Murenæ morsui medentur lumbrici terreni, Kiranides vt Aggregator citat. Non verò perniciosus semper, sed & salutaris aliquando murænæ morsus est, vt scribit Aelianus de animalibus lib. 11. cap. 34. Vir quidam Cissus nomine (inquit) Serapidis cultui deditissimus, petitus insidijs mulieris, quam priùs amatam, deinde vxorem duxerat, cum oua serpentis deuorasset, angebatur, & miserè affligebatur, ita vt à morte parum abesse videretur. Rogatus autem ab eo deus, murænam viuam præcepit emendam, & manum viuario seu vasi in quo seruaretur, immittendam. Paret ille, manum immittit: cui muræna mordicus inhæret. & cùm auelleretur, simul cum ea morbus etiam iuuenis illius euulsus est.

Remedia extra corpus. Lichenes & lepras tollit murænarum cinis cum mellis obolis tribus, Plinius. Murænarum pellium exustarum cinis ex aceto fronti inlitus prodest aduersus capitis dolorem, Marcellus. Smyrænę dentes suspensi conueniunt pueris dentientibus, Kiranides.

Intra corpus. Smyræna in iure piperis esa nephriticos sanat, & lepram scabiosasque passiones perfectè curat, Kiranides.

H.a. Murena Latinis, Myræna Græcis primam producit, vt monstraui in Mormyri Corollario A. quam obrem masculinum etiam μῦρος prima circumflexa scribendum videtur. Mullorum & murænarum copia, Cicero in Paradoxis. Muræna ab Aeliano & Artemidoro non rectè cartilagineis adnumeratur, Rondeletius.

Epitheta. Ferox, Ouidius. Ardens auratis muræna notis, Idem. Delicata, Martialis lib. 10. Tartessia, ab oppido Hispaniæ. Oppiano, ἀπλωής, ἀνιηρά, κελαινή, ὀτρηλή, φριξαλέη.

Ὦ προδότι, καὶ παράγωγε, καὶ μύραινα σύ, Suidas è poeta quodem. interpretatur autem μύραινα, καταφερής, id est prona ad libidinem, ab huius piscis natura. Μύραινα, ἐπὶ τοῦ κακοῦ (ἐπὶ τῆς κακίας potiùs) λέγεται, ὡς ἔχιδνα, Hesychius. Παράγωγον (sed præstat oxytonum scribi) fortè deceptricem interpretari licebit. nam & παραγωγὴ aliquando deceptionem significat: nisi quis προαγωγὲ potiùs legat. est autem προαγωγὸς (oxytonum) leno, prostitutor, in vtroque sexu. Murena vocatur vitium ligni in mensa ex cedro, nigro transcurrens limite, variisque corticum punctis apprehensus papauerum modò, & in totum atro propior color, maculęque discolores, Plin. Μάραινα, μάστιξ, ῥάβδος, γαυρία, Hesychius & Varinus. sed μύραινα legendum videtur: quamuis literarum ordo apud illos prohibeat. murænæ enim corpus lubricum & flexibile, flagello & virgæ flexibili rectè comparatur. Sic & σκυτάλη tum serpentis genus, tum scuticam seu flagellum significat. Sed apud Pollucem libro 3. cap. 10. legimus Platonem comicum μαστίγιαν τινὰ μάραγνα nominasse. Γαυρία quid ad murænam pertineat, non video. Μάραγνα quidem apud eosdem Lexicorum scriptores τῇ ταυρείᾳ exponitur. Murænulam colliaurum nuncupat vulgus, Hieronymo tradente: quòd scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena, contexitur, ex piscis vtique imagine vocabulo conformato, Cælius Rhod. Scoppa grammaticus Italus vulgari etiam hodie vocabulo la murenella interpretatur, vel lo collaro d'oro. Murænam Græci vocant, quòd plicet se in circulos, Isidorus. sed nihil huiusmodi ex etymologia Græca constat. per circulos ille forsan torques & monilia intellexit, quæ à muræna pisce murænulę (vt diximus) nominantur, non contrà. Murænaria dixit Plati na, pro murænarum viuarijs.

Icones. Per murænam pictam Aegyptij sacerdotes hominem procum alienigenarum, vel alienigenarum concubitum appetentem, externisue matrimonio copulatum intelligebāt, Pierius ex Hieroglyphicis Ori. A viperis etiam ait (*Pieri verba sunt, videtur autem verbum ait referendum ad d. Ambrosium, quem proximè nominauerat*) sibilo murenas euocari, idque perinde ac si hieroglyphicum esset, interpretatur: id scilicet ex hoc innui, vt mulieres admoneantur ferendos esse mariti mores, sit licet fallax vir, asper, inconditus, temulentus, lubricus, multaque in hanc sententiam. Basilius ex hoc congressu anguis & murænę adulterium interpretari videtur. admonet enim eos qui nuptijs insidiantur alienis, discant cuinam feræ, cui reptili sint similes, cùm naturę quoddam adulterium viperę murænæque coniunctio videatur. atque huc potiùs respicit Aegyptiorum hieroglyphicum. Non etiam incongruum erit hieroglyphicum, si occultam quandam significaturi, sanguinariam quippe crudelitatem, in molli alioqui atque effœminato homine, perirritatam murænam expresserimus, immani Romanorum procerum exemplo, qui seruitia olim murænis exponebant excarnificanda: cùm ea alioqui bestia exedētula sit, vt diceret Tertullianus, atque etiam exanguis & excornis, Hęc Pierius. Vide infrà in fine huius capitis Emblema Alciati.

Propria. Murena viri nomen à neruoso corpore dictum Cassiodorus putat. Licinios, Murenas cognominatos, quòd hoc pisce effusissimè delectati sunt, satis constat. Huic opinioni M. Varro consentit, asserens eodem modo Licinios appellatos Murænas: quo Sergius, Orata cognominatus est, quòd ei pisces qui auratæ vocantur charissimi fuerint, Macrobius Saturn. 3.15. Meminit & Columella 8.16. Vulgati codices Varronis de re rust. pro Licinius Muræna, non rectè habent Lucius. L. Crassi oratoris ætate prior Licinius Muræna reliquorum (præter ostreas) piscium viuaria inuenit, Plinius. Idem libro 33. cap. 3. C. Antonius ludos scena argentea fecit, item L. Muræna: vbi similiter fortè Lucius pro Licinio legitur. Extat & Ciceronis pro Murena oratio. Quidam Græcè hoc nomen Μυρίνας scribunt, cum viri proprium est. Μυρίνα, ἥρωϊς, παρὰ ἁλιεῦσιν, Hesychius. Batea (Βάτεια) oppidum memoratur Homero, quod dij sepulchrum Myrinæ appellent: σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης. Scholiastes locum sic nominatum ait ab vna Amazonum illic defuncta, cum aduersus Troiam mouerent: excitato in eius honorem oppido, Varinus.

b. Oppianus in muræna nominat γυῖα παναίολα, & ὀλισθηρὰ μέλη. De dentibus eius, quos στερεοὺς, hoc est solidos cognominat, ἀγκύλον ἕρκος dicit, id est vallum recuruū. Ἡ δέ μιν ὀξυτέροισιν ἐπαιρομένη ὀδόντων Δαρδάπτει, Idem de muræna polypum vorante. Item, γένυν δ' ἐνέρεισε δαφοινόν.

c. Νηχομένην τε καὶ ἄσπετα μαιμώωσαν, Oppianus de muræna. Cuius & sequentia sunt: Πάντη δινεύεσκε λιὸν δέμας. Et, Ῥεῖα γὰρ ἀμφιπεσόντος (πολύπου) ὀλισθηροῖς μελέεσσιν Ὀξαλέη μύραινα διαρρέει, οἷα περ ὕδωρ. Et, Ἡ μὲν ἀπ' ἐκ πέτρης ἁλιμυρέος ὁρμηθεῖσα Φοιταλέη μύραινα διέσσυται οἴδματα πάντη. Itē, Αὐχένα γυρώσασα, χόλῳ μέγα παιφάσσουσα Ἀντιάα, de muræna contra locustam pugnante.

f. Affertur squillas inter muræna natantes In patina porrecta. Sub hoc herus. Hæc grauida, inquit,

Capta

Capta est, deterior post partum carne futura, Horatius Serm. 2.8. Μύραιναν ἐφθὴν in Cotyis Thracum regis conuiuij descriptione Anaxandrides nominat. In conuiuio etiam Attico, quod Matron descripsit apponitur muræna, Ζώνιλε δ' ἦν ἀγαθὸν ὁμῶς καὶ δεῖπνον εἰς λέχος ἀνὴρ ἔκθανε δρακοντοπαίδη (id est serpenti, vt medicorum filij pro medicis) μεγαθύμῳ.

h. Μυασέας δὲ ὁ Πατρεὺς Φησιν, ἰχθὺς ἢ γίνεται καὶ ἡσυχίας χαλεπὴν καὶ μύραινα, καὶ ἠλακατῶσες, Athenæus. Aeacus (in Ranis Aristophanis) iratus Dionysio qui ad inferos descenderat, Herculem esse putans (propter clauam & exuuium leonis, quæ gerebat) à quo Cerberus antea eis abductus erat, sic ei interminatur: Ἐχιδνά θ' ἑκατογκέφαλος, ἢ τὸ σπλάγχνα σε Διασπαράξει, φλομόνων τ' ἀνθιψέται Ταρτησία μύραινα. vbi Scholiastes: Murænam (inquit) nominat pro dæmone aliqua terribili. Imitatur autem Euripidem qui similia in Theseo protulit. Tartesiam quidem cognominat, vt maiorem metum incutiat, ob loci longinquitatem, ἀφ' τὸ ἐκπεπομμένον, (tanquam in Tartesso murænæ nascantur maximæ, Suidas.) Sic & mustelam Tartesiam dicunt pro magna. Tartesus vrbs Iberica est circa Auernum (Αὔορνον, alijs iuxta columnas Herculis) paludem. Muræna quidem piscis est marinus à poeta nominatus, cum viperam nominare debuisset. Eadem Varinus repetijt. Habet etiam delicatam vrbs Hispaniæ Tartessus (s. duplici, alij simplici scribunt) nomine murenam, adeò vt inter cibos electiles numerata sit, autore Gellio. Pollux quoque Tartesiam muræna m antiquis in precio fuisse tradit. Mustelæ quædam apud Afros nascuntur in Silphio, similes Tartessijs (scilicet mustelis. Valla non rectè vertit, similes muræ-nis,) Herodotus.

Emblema Alciati, inscriptum: Reuerentiam in matrimonio requiri.

Cùm furit in Venerem, pelagi se in litore sistit — Vipera: & ab stomacho dira venena vomit.
Murenamque ciens ingentia sibila tollit: — At subitò amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reuerentia, coniunx — Alternum debet coniugi & obsequium.

COROLLARIVM DE MVRO, VEL MYRO, id est, Muræna mare.

MYRVS (aliàs Myron) serpens est marinus, vt aiunt, nec vnde nomen habeat satis constat. (*Nos etymologiam in Mormyro indicauimus.*) Traditur de eo si oculus alteruter capto eruatur, ipso viuo dimisso, & & pro amuleto gestetur, ophthalmiam siccam sanare, pisci verò rursus renasci, prætereà altero eum capi lumine, qui viuentem non dimiserit, Aelianus. Plinius & Gaza oculatam eum appellant: Plautus verò ophthalmiam: Volaterranus, oculatam piscem (qui Græcorum Melanurus est) cum myro confundens. Smyrus etiam à Plinio inter marinos pisces numeratur, verùm tanquam alterius generis à muræna, Vuottonus. At qui non genere aut specie, sed sexu tantum à muræna differre, ex prædictis liquet. Scribitur autem myrus aut smyrus: vt myræna quoque & smyræna: Græcè μῦρος vel σμῦρος penanflexũ semper scripserim, quoniam penultima producitur, vt indicauimus. Aristoteles myrinum vocat marem, Plinius legendum myrum, non myrinum. Itemque inferius rursum myrus, tum ex vetustis codicibus, tum etiam Aristotele Athenæoque, qui hunc piscem myrum appellauerunt, Massarius. Μύρων, ἰχθὺς πόντου, καὶ ἡ ἀρρὴν μύραινα, Hesichius. Σμύρνων, (Σμύρνων malim,) ὁ ἄσελος ἰχθύς, καὶ ἡ θήλεια σμυραινίς, (σμύραινα,) Idem. Μύραινα, ἡ μύραινα, ἀστεϊκῶς. ἄλλοι δὲ μύρον αὐτὸν καλοῦσιν. ἔστι δὲ καὶ (melius, ἔστι δὲ ὁ) ἄρρην, Idem. Myrinus semel apud Aristotelem legitur pro myxino, vt Rondeletius ostendit. id non animaduertit Niphus: Myrinus enim (inquit) qui etiam à Plinio sic nuncupatur, vulgò & Romanè murus dicitur: quasi Romæ vulgò muræna mas diuerso quàm fœmina nomine vocetur. Aristoteles myro colorem πίνου, id est pini arboris tribuit: pro qua voce Athenæus habet ἴυγγος, hoc est iyngis auis. cui lectioni (inquit Vuottonus) consentire videtur & vetus Aristotelis interpres.

DE MVRICE, RONDELETIVS.

H.a. NOmen murex est polysemũ, significat enim acumen (non propriè puto, sed metaphoricè) siue asperitatem saxi prominentis Nonio teste. Virgilius Aeneid. 5. Concussę cautes, & acuto in murice remi Obnixi crepuêre.

Murex pro asperitate saxi prominente. *Τρίβολοι, Purpuræ.*

Aliquando Murices machinulæ sunt ferreę, dolosæ, tetragona forma, quæ in quancunque partem incubuerint, vnum aut plures aculeos infestos protẽdunt. Vocantur à Græcis τρίβολοι, vt rectè annotat Budæus. Sumitur etiam murex pro Purpura. Martialis (*Lib. 13. sub lemmate Murex:*) Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas Induis: & non est hoc satis, esca sumus. Inde & Murex Tyrius à Virgilio Aeneid. 4. Tyrioque ardebat murice læna, Demissa ex humeris. Et ab Ouidio Phocaicus.

Genus ad conchã Veneream & buccinum. *Ibidem ca. 30.* *Buccin.*

Nonnunquam Murex generis nomen est, cui subiiciuntur Concha venerea, & Buccinum. Plinius lib. 9. cap. 25. Muricem esse latiorem Purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha, vtroque latere sese colligente. His verbis Conchã venereã describit, vt suo loco docuimus. Et alio in loco Murices pro Buccinis vsurpauit. Purpuræ viuunt annis plurimùm septenis. latent sicut Murices circa canis ortum tricenis diebus. Aristoteles lib. 8. de hist. cap. 13. Τὰ μὲν γὰρ ὄστρακα θέρους περὶ τὰς φωλεοὺς, οἷον περὶ τὴν θαλάττην περὶ Φύσκον, καὶ κήρυκες, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα χρώματα. Et Plinius ibidem: Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cuiusdam cerę saliuant: simili modo & Murices. sic Aristoteles cùm procreationem Purpurarum docuisset, subiunxit: Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἐγγίνονται καὶ αἱ πορφύραι καὶ οἱ κήρυκες. Ex his notum est Plinium hæc ex Aristotele descripsisse, & pro Buccinis Murices conuertisse.

Lib. 32. cap. 7.

Denique generis nomen esse, non Conchæ tantùm vnius, satis declarat Plinius, quum dicit: Muricum generis sunt quæ vocant Græci Colycia, alij Corythia (*Eadem libri eiusdem cap. vltimo concharum genera vocat: quanquam pro corophia ibi legitur corythia*) turbinata æquè, sed minora, multò efficaciora etiam, & oris halitum custodientia. De his suo loco dictum est. Quare non muricis nomen pluribus accommodatum sit, Gaza Plinij imitator κήρυκας non Murices conuertit, sed Buccinas. Nunc ad Muricum turbinatorum species conuertatur oratio.

DE MV-

DE MVRICE MARMOREO, RONDELETIVS.

A. Iconem Rondeletius exhibuit: cui nos similem alteram B. adiunximus conchæ eiusdem seu muricis orientalis, quam Venetijs nacti sumus. in ea margaritas quoque gigni quidam nobis retulit, nescio quam verè. color forinsecus pallescit, intrinsecus cum pulcherrimo splẽdore ex albo roseus est. labrum exterius protendit se & dilatat in marginem. mucrones infra caput seu conum testæ duo magni sed obtusi prominent. in ipso cono parui admodum & subrotundi per spiras denteps non aculei sed tumores visuntur.



MVRICVM qui sequuntur copiam mihi fecit Gulielmus du Choul Allobrogum præfectus, vir proculdubio antiquitatis peritissim⁹, si quis alius in tota Europa hodie extet. Is nullis à me prouocatus officijs, sed planè regio & liberali animo, quo erga omnes literatos vtitur, erga me quoque vsus, non solùm Murices Conchyliáque mihi communicauit, sed & aliarum pulcherrimarum & variarum rerum copiam maximam, maximis sumptibus comparatam, ex quo veluti penu ditissimo & abundantissimo tandem aliquando depromet, & literarum luce illustrabit multa, quæ hactenus à paucissimis aut potiùs nullis cognita in tenebris iacuerunt, quæ tamen ad Philosophica, Poetica, Historica intelligenda planè necessaria sunt, vt hoc nomine literatos omnes maximopere sibi fit deuincturus. *G. du Choul.*

Murices.

Murices hîc appello, qui & turbinati sunt, & longos firmósque aculeos siue clauos habent, quos, vt internoscerentur, quàm maximè proprijs nominibus potuimus, distinximus. Eum quem hîc exhibemus, à candore duritiáque, qua marmor candidum æmulatur parte externa, marmoreum appellamus. Parte interna ex albo purpurascit. Testa grauis est, densa, solida, aculeis multis horrens, figura inter Buccinum & Conchylium media, ampla, vt meritò δεκαφύλλῳ dici possit, quemadmodum Purpuræ species quędam.

G Remedia ex muricibus in vniuersum.

Terreę est substantię, & frigidæ & siccæ cum detergendi vi, ob salsuginem quam seruat. Quare ad dentifricia vti possumus, & in epuloticis medicamentis. Vritur facilè atque in cinerem redigitur, & acrimoniam aliquam ob empyreuma acquirit, quam diligenti ablutione deponit. Calcis itaque modo elota cum oleo rosato in vnguentum reducitur. Ambustis medetur, cicatricemque pulchram inducit. Ad hęc omnia fœliciter vti possumus. Carnem atque operculum, Purpurarum, Buccinorum carni operculisque rectè assimulari iudico. Sed hęc in vniuersum de Muricum substantia dicta sint.

DE MVRICE TRIANGVLARI, RONDELETIVS.

B

HIc altera parte murex planus, altera ferè rotundus, sed ita vt vtrinque duo sint latera, tertium plana pars efficiat, à qua figura, quę huic propria est, tringularis iure dicitur: aculeos habet breues & firmos. Vario est colore. foramen duplex habet rugosum, quo ob testę amplitudinem & breuitatem, sonus editur grauis & tristis. Testa rota ad Conchylij testam magis accedit.

Operculum quum vritur fumum emittit, ob id pingue aliquid habet. Quare in oleo amygdalino decoctum in aurium doloribus vtiliter vsurpatur.

DE MV-

DE MVRICE LACTEO, RONDELETIVS.

MVRICEM quem hîc repræsentamus à lacteo colore lacteum nuncupauimus. Turbine obtusiore est quàm cæteri. Exochas & tubercula potiùs habet quàm clauos siue aculeos. Testa ad fucos vti possumus Concharum venerearum vice.

Icon Muricis triangularis. *Icon Muricis lactei.*



DE MVRICE CORACOIDE, RONDELETIVS.

VT Anatomi omoplatæ appendicem à rostri coruorum similitudine coracoidem appellarunt, ita & nos Muricem hunc coracoidem ab aculeis incuruis, & rostris coruorum similibus, à nota illustriore & huic propria nomen ponentes.

COROLLARIVM.

A Firmioris iam testæ murices & concharum genera, Plinius: cùm proximè de quibusdam fragilioris testæ dixisset. Perottus murices dici existimat ab asperitate murorum, quoniam Vergilius dixerit: Concussæ cautes, & acuto murice remi Obnixi crepuêre. Ego à Græco vocabulo ceryces, κήρυκες, Latinum murices desumptum potiùs coniecerim, literis quibusdam transpositis & mutatis. A muricibus autem metaphoricè tum tribolos (vt Græci vocitant) ferreos, tum similes in saxis alibive mucrones duros & acutos prominentes: non autem contrà. Idem Perottus purpuram inter conchas potiùs numerat, muricem inter ostrea ob scabriciem corticis: quod idcirco non laudo, quoniam scabricies testarum longè diuersa est, in ostreis superficie tota exasperata. in muricibus verò & purpuris eminentibus per interualla aculeis quibusdam. Murices Rondeletio propriè dicuntur qui turbinati sunt, & longos firmosque aculeos siue clauos habent. Hos Germanicè *Stachelschalen* vel *Stachelschneggen* nominabimus commodè, nomine ab aculeis & concha composito. nam & aculeatos piscículos fluuiatiles aliqui *Stachelfisch* appellant.

Plinium ceryce modo muricem, modo buccinum vertisse.

Massarius collatis aliquot Aristotelis & Plinij locis, Plinium ostendit cerycem modò muricem, ex eo quòd vertigo conchæ in acutum maximè tendat, (murex enim, inquit, pro acuto quandoque capitur:) modo buccinum, quia sit alteri turbinato generi buccino dicto similis, conuertisse. quem Theodorus (inquit) vocis significationem imitatus, buccinum semper interpretatus est. Ceryx enim idem quod præco significat. verùm quæ aporredes vocantur murices conuertit, vt muricis nomen generalius esse quàm buccini coniectare liceat. Ceryx igitur qui secundum Plinium Latinè murex & buccinum vocatur, concha est è turbinato genere, purpuris magnitudine inferior, similis buccino illi turbinatorum generi, quo sonus editur, oris tantùm rotunditate in margine incisa differens, promuscidem modo muscarum habens, firmam & torosam, quæ linguæ effigiem præ se fert: cuius flore illo purpureo antiqui vestes inficiebant, quę muriceæ & conchyliatæ dicebantur, Hęc Massarius. Et rursus, enarrans hæc Plinij verba: Quæ durioris testæ sunt, vt murices, purpuræ, saliuario lentore proueniunt: Saliuarium (inquit) lentorem appellat mucosam illam congeriem sanguinę dictam, quam

purpuræ,

purpuræ, & murices siue buccinæ construunt. Vbi etiam comprehenditur Plinium muricem pro Ceryce, hoc est, buccino accepisse. Hæc enim duo genera purpura scilicet & buccinum fauificare soliti sunt, ex Aristotele quinto de historia. Murex etsi vnam speciem significet, scilicet buccinum, generalè tamen est, vt rectè admonet Hermolaus, sicuti & conchylium. purpuram enim comprehendit murex, & alia, Vuottonus. Murex per excellentiam conchylium aliquando dicitur, Perottus. Vide etiam suprà in Conchylio A.

Murex prò purpura interdum accipitur, & eius colore, vt Rondeletius ostendit: & nos pluribus mox in E. *Purpura.*

Muricum generis videtur & aporrhais in A. elemento dicta. Aristoteles bis tantùm earum meminit, Gaza murices interpretatur. *Aporrhais.*

Muricum generis sunt, inquit Plinius, & quæ vocant Græci colycia, alij corycia, turbinata æquè sed minora multò: efficaciora etiam & oris halitum cústodientia. Athenæus hæc non muricum, sed chamarum generibus contribuit, easque in Macedonia κωρύκας dici, Athenis κρειὰς, in cætera Græcia tracheas, hoc est asperas vocari prodit: quod & Plinius ferè secutus alubi videtur, Hermolaus. Noster Plinij codex libro 32. cap. 7. sic habet: Muricum generis sunt, quæ vocant Greci colycia, alij corythia, turbinata æquè, sed minora multò. Hermolaus corycia suspicatur legendum, quod Athenæus scribat, Chamæ genus quoddam Græcis vocari κωρυκὰς in Macedonia, quas Athenis κρειὰς dicant. Sed muricum & Chamarum genus diuersum est. Hoc etiam animaduertendum, post corophia, aut potiùs corythia in verbis Plinij, commatis non puncti notam esse signandam, vt per appositionem mox sequatur, conchārum genera. Vuottonus tamen coryphia (sic enim legit per y. non corophia) à colycijs corythijs ue non distinguit. Congenerum omnium (inquit idem Vuottonus) quæcunque scilicet turbinati sunt generis suauissima iudicantur coryphia. Suntque & ori & stomacho grata: aluumque & vrinam cient, atque oris bonum reddunt odorem. Copiosius alunt iurulenta, assa verò dura sentiuntur. Horum papauer buccinorum more aluum stringit potiùs. *Colycia, vel corythia.*

Mutianus (prodidit echeneidem) esse muricem, latiorem purpura, neque aspero neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha (*Massarius legit, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha, &c.*) vtroque latere sese colligente: quibus inhærentibus plenam ventis stetisse nauem portantem nuncios à Periandro, vt castrarentur nobiles pueri: conchasque quæ id præstiterunt apud Gnidiorum Venerem coli, Plinius. Rondeletius Veneream hanc concham nuncupat: vulgus porcellanam. Vide suprà inter conchas, in prima specie conchæ Venereæ. De hoc muricis genere (inquit Massarius) quòd eiusmodi potentiæ sit libro etiam secundo & tricesimo refert Plinius hoc modo: Nec dubitamus idem valere ad omnia genera, cum celebri & consecrato etiam exemplo apud Gnidiam Venerem conchas etiam eiusdem potentiæ credi necesse sit. Periandri historia quonam modo nobiles Corcyrenſium pueros Sardas miserit exsecandos, habetur apud Herodotum libro 3. *Murex Mutiani.*

Nicqui (vt audio) vulgò in Hetruria vocatur genus quoddam muricum.

Myaces pisces intelliguntur murices. sed & pro conchula accipitur myax, qua humores excipiuntur, Cælius. Sunt qui myes etiam, vt Philostrati interprés Zenobius Acciolus, murices interpretentur. nos Myes & Myaces inter concharum genera à muricibus planè diuersos dedimus. *Myaces. Myes.*

Trachali appellantur muricum ac purpuræ superiores partes: vnde Ariminenses maritimi homines cognomen traxerunt Trachali, Festus. Sed Trachelus potiùs pere. scribendum, quòd cæruicem significat, Græcè τράχηλος. Vide in Corollario purpuræ B. B

Quæ durioris testæ sunt, vt murices, purpuræ, saliuario lentore proueniunt, Plinius. Aristoteles hoc de cerycibus, id est buccinis tradit: sed communis hæc generatio his omnibus videtur. Myaces acerbuantur muricum modo viuuntque in algosis, Plinius. Purpuræ, murices, eiusdemque generis vêre pariunt. Idem. C

Limosa regio idonea est conchylijs, muricibus & ostreis, Columella de piscinis loquens. E

Murex est color purpureus, Nonius. Accipitur interdum pro purpura, & eius colore: quoniam ex eius succo (sanguine seu flore) color purpureus tingebatur, præsertim circa Tyrum & Sidonem vrbes Syriæ, vt grammatici annotant. Murices quoque purpuræ vsum præstant, in Tyro nobiles, vt ait Cælianus, Bayfius. Murex alio nomine conchylium dicitur: eò quòd circunciſa (*circunciſus*) ferro lachrymas purpurei coloris emittat, ex quibus purpura tingitur: & inde ostrum appellatum est, quòd hæc tinctura ex humore testæ (*animalis testati, quòd Græci ostreum vocant*) elicitur, Isidorus. Sacrum muricem apud iurisperitos ideo dici opinantur nonnulli, quia eo inficerentur vestes imperatoriæ, Cælius. Murice purpuram colore præstantiorem crediderim, Platina. Transalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit, nec quærit in profundis murices, Plinius. Minùs miror incomperta quædam esse equestris ordinis viris, iam verò & senatorij, cum ebori citroque syluæ exquirantur, omnes scopuli Getuli muricibus ac purpuris, Idem 5. 1. Obscuri quidam ex Plinij verbis ea attribuunt muricibus, quæ Plinius nominatim purpuræ. Muricis color grauis odoris erat. Hinc Martialis libro 1. Olidæ vestes murice. Et iocus eiusdem in Philænim: Tinctis murice vestibus quòd omni Et nocte vtitur & die Philænis, Non est ambitiosa, nec superba, Delectatur odore, non colore. Te bis Afro murice tinctæ vestiunt lanæ, Horatius 2. Carminum. Et alibi in Epo. 12. Muricibus Tyrijs iteratæ vellera lanæ. Et Epist 2. Getulo murice tinctæ vestes. Martialis, Quòd bis murice vellus inquinatum. Sidonio murice tincta lana, Tibullus lib. 3. Eleg. 3. Nec quæ de Tyrio murice lana rubet, Ouidius. Et sexto Metam. Phocaico bibulas tingebat murice lanas. Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti Murice, Vergilius 4. Aegloga. Picta croco, & fulgenti murice vestis, Idem Aeneid. 9. Aurato prefulgens murice ductor, Silius lib. 4. *Color & tinctura.*

Murex intortus tuba erat Phorcyos apud Valerium 3. Argonaut.

Murices cum alijs conchis ante cœnam apponuntur in epulo, quo die Lentulus flamen inauguratus est apud Macrobium. Murice Baiano melior (*aliàs potior*) Lucrina peloris, Horatius Sermon. 2. 4. Conchula marina, purpura, murices tanquam cibi stomachum roborantes laudantur à Scribonio F

Largo

Cinis testis. Largo Compositione 104. Celsus quoque murices cibis stomacho aptis connumerat. Murices & purpuræ coquuntur eo modo quo cętera conchylia, Platina.

G Muricum cinerem cum nominat Plinius (nam is ferè solus ex eis hoc nomine remedia præscribit) ex testis duntaxat crematis cinerem intelligo: id quod aliquando exprimitur, plerunque omittitur. Semel tamen ad discutiendas verendorum pustulas, Muricum (inquit) vel purpurarum testæ cinis cum melle prodest: efficacius crematarum cum carnibus suis. Videtur autem eadem fermè vis & communis testarum maris omnium cineri ineſse: nisi quòd efficaciorem ex durioribus solidioribusque testis existimo. Et quoniam ceryces Plinius aliàs murices, aliàs buccina interpretatur: remedia quæ superiùs buccinis attributa sunt ex Græcis authoribus, muricibus etiam Plinianis prorsus conuenient. Mituli quoque cremati eundem buccinis effectum præbent, teste Dioscoride. addiderim ego, sed paulò ignauiorem: purpuræ verò & conchylia vndiquaque similem. Pro buccinis ostrea substituit author Antiballomenon. Mituli quoque, vt murices cinere causticam vim habent: & ad lepras, lentigines, maculas. Lauantur quoque plumbi modo, ad genarum crassitudines, & oculorum albugines, caligineſque atque in alijs partibus sordida vlcera, capitisque pustulas, Plinius. ex quo sequentia etiam remedia omnia, vbi alterius autoris nomen non addetur, decerpsimus. Myaces cremati, vt murices, morsus canum hominumque cum melle, lepras, lentigines sanant. Muricum cinis cum oleo tumores tollit. Muricum vel purpurarum cinis vtroque modo, siue discutere opus sit incipientes, siue concoctos emittere, panis resistit. quidam ita componunt medicamentum: ceræ & thuris drachmas xx. spumæ argenti xl. cineris muricum x. olei veteris heminam. Capitis vlceribus muricum vel purpurarum testę cinis cum melle vtiliter illinitur, (*item*) conchyliorum: vel, si non vrantur, farina ex aqua doloribus. Muricum vel conchyliorum testæ cinis maculas in facie mulierum purgat cum melle illitus, cutemque erugat, extenditque, septenis diebus illitus, ita vt octauo candido ouorum foueantur (*aliàs foueatur.*) Muricum generis sunt quę vocant Græci colycia, alij corythia, turbinata æquè, sed minora multò, efficaciora etiam, & oris halitum custodientia. Parotides muricum testæ cinere cum melle, vel conchyliorum ex mulso curantur. Testis cadi salsamentarij tusis cum axungia vetere, muricumque cinere ex oleo ad parotidas strumasque vtuntur. Muricum cinis dentifricium est. Dentifricium, Ceruino ex cornu cinis est, aut vngula porcæ Torrida, vel cinis ex ouis, sed non sine vino: Muricis aut tosti, vel bulbi extincta fauilla, Samonicus. Mammas muricum vel purpuræ testarum cinis cum melle efficaciter sanat. Carbunculos de veteris exterminat muricum vel purpurarum in carbonibus vstarum cinis cũ melle permixtus, Marcellus Empiricus. Plinius hoc remedio, efficaciore si cum carnibus suis crementur, pustulas verendorum discuti scribit. Oleum cicinum cum cinere muricum, sedis inflammationibus prodest: item psoræ.

Carnes. Muricum carnes appositæ, pilos in mamma tollunt. De malo quidem pilari in mammis qui voluerit legat supra in Cancris fluuiatilibus G.

H.a. *Epitheta.* Murex intortus, Valerio in Argonauticis. Afer, Getulus, Tyrius, Sidonius, fulgens, suaue rubens, olidus, auratus, sacer, diuersis authoribus vt citauimus suprà in E. Baianus Horatio. Item apud Textorem: Phocaicus, Tarentinus, Assyrius, Oebalius, radiatus, stellans, rutilus, ardens, purpureus, puniceus, flagrans.

Murices pro machinulis ferreis, &c. vt Rondeletius recitat. nostri *Fuszeisen* appellant, Galli Chausses trappes, Græci tribolos: vt & herbas quasdam, muricatis similiter seu mucronatis pericarpijs, vnam terrestrem, alteram aquaticam. Bion quidam transfuga nunciat regi murices ferreos in terram defodisse Darium, quà hostem equitem emissurum esse credebat, Curtius libro 4. Suadentibus quibusdam vt circa mœnia vrbis, quam obsideret, ferreos murices spargeret, ne subita eruptione hostes impetum in præsidia nostra facere possent, &c. Valerius lib. 3. de Scipione Aemiliano. Murices vetustas (antiquitas) etiam saxorum asperitates tela omnia voluit posse dici, Nonius. Muricatus, adiectiuum, quod est muricis modo factum. Scolymo muricata cacumina, Plinius. Et alibi, Carduo tum satiuo tum syluestri, folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus. Muricati gressus Fulgentio, id est, formidolosi & pauendi. Intuemur (inquit) arua, quibus adhuc impressę bellantium plantæ, muricatos (quod aiunt) sigillauerunt gressus, Budęus. Muricatim, aduerbium: conuolutim, inquit Budæus, in modum muricis. Vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, Columella lib. 9. In Codice Iustiniani (libro 11. titulo de monetarijs & murilegulis) murileguli dicuntur, quasi muricarij à muricibus legendis, Budæus in Pandecta. Vide suprà in Concha in genere H.a. Colores, ostrinus, muriceus, conchyliatus, à Thylesio nominantur cum purpureo.

DE MVRIA: DE QVA PLVRIMA ETIAM LEGES SVPRA IN GARO.

MVria genus est salsamenti, quod ex piscium liquamine fiebat, præsertim thynnorum, vt grammatici scribunt. Tingat olus siccum muria vafer in calice empta, Persius Satyra 6. Antipolitani (fateor) sum filiat hynni, Essem si scombri non tibi missa forem, Martialis libro 13. sub lemmate Muria. Simplex è dulci constat oliuo, Quod pingui miscere mero, muriaque decebit, Non alia quàm qua Byzantia putruit orca, Horat. 2. Sermon. Muria quoque, siue vlla salsugo, spissat, mordet, extenuat, siccat, Plinius 31. Maximè autem ad hoc necessarium esse aceti, & duræ muriæ vsum, Columella libro 12. Eæ optimè condiuntur, vel virides in muria, vel in lentisco contusæ, Cato capite 7. Vt enim obscuratur & offunditur luce Solis lumen lucernæ, & vt interit magnitudine maris Aegæi stilla muriæ, & vt in diuitijs Crœsi teruncij accessio, &c. Cæterùm muries, muriei, sal est in pila tusum, (vt quidam interpretantur, & in ollam fictilem coniectum: quo deinde in aquam misso Vestales vtebantur in sacrificio. Quidam tamen (*& melius quidem*) existimant idem esse muriem & muriam, significareque salsamentorum aquam. A mari nomen deductum. Cato capite 88. Si natabit (inquit) ea muries erit, qua vel carnem, vel caseos, vel salsamenta condias. Muriaticus, adiectiuum, quod in muria diu fuit. Soror cogita Amabo, item nos perhiberi, quasi salsa muriatica Esse autumantur, sine omni lepôre, & sine

fine suauitate, Plautus Pœnulo. Muriaticam videò in vasis stanneis, naricam bonam, &c. Festus ex Plauto. Muria laudantur Antipolis ac Thurij: iam verò & Dalmatia, Plinius. Ὦ κακοδαίμων, ὅστις ἐν ἅλμῃ πρώτων τριχίδων ἀπεδάφθη, Aristophanes in Holcadibus. pisces enim idoneos vt super pruna assarentur (inquit Athenæus) intingebant in muriam, quam & Thasiam cognominabant. Ad dentium dolorem bene facit muria ex piscibus lacertis veteribus; si quis ea subinde os colluat, Marcellus Empiricus. Murænarum muria strumas sanat, Plinius. ea hodie quoque Antipoli, & in Lerino insula fit, Rondeletius. Πρὶν ἰχθῦς ἐλεῖν σὺ τὼ ἅλμιλω κυκᾷς: id est, Tu muriam agitas ante quàm pisces capis, de ijs qui tempus præueniunt. Suidas. Senarius est prouerbialis in eos qui ante tempus gloriantur: vel euentum incertum pro certo sibi pollicentur. Simile est, Ante victoriam encomium canis.

10

DE MVRE PISCE.

DIphilus Mya, id est, murem piscem dicit esse quendam, cui & capriſco nomen sit. Vide suprà in Capriſco. Μῦς θαλάττιος, id est, mus marinus, piscis est mediocris magnitudinis, Cretensibus familiaris, inter sanguine præditos (*quod addat, ne quis cum mye vel mytilo concha confundat*) connumerandus, Bellonius. qui si hunc piscem vidit, pluribus describere debebat, vt qualis esset nobis constaret. Rondeletius quidem capriſcum suum & pictum & plenè descriptum exhibuit. Mures domestici omnes timidi sunt, quanquam domestici magis quàm agrestes: marini verò etsi non magno corpore, inexpugnabili tamen sunt audacia muniti: quippe qui ad propugnandum duplici confidunt armaturæ, præduræ nimirum pelli, & dentium robori, cum enim validis, & rei piscatoriæ peritissimis hominibus pugnant, Aelianus de animalibus 9. 41. ex Oppiani Halieuticorum 1. Rondeletius hos Oppiani mures, eosdem capriſcis piſcibus facit. Qui ab Epicharmo nominatur mus in nuptiis Hebæ piscium propriè dictorum (id est branchijs præditorum) generis videtur, cùm aliorum etiam piscium duntaxat propriè dictorum pariter meminerit: Μῦς ἁλφησαί τε, κορακῖνοί τε, &c. Item à Numenio, Ἡμύας, ἢ ὕπτας, ἢὲ γλαυκὸν κορύδηλιν. Et ab Alexide, cum inquit: Μῦς ἐπὶ τὸ χαλκίον, τὸ κύδιον τριωβόλου. Athenæus inter σελάχη, id est cartilagineos pisces vnà cum passere & bugloſſo *μυῒ* quoque numerat, tanquam ex Aristotelis libris de animalibus: in quibus hoc nusquam extare puto, nec approbo. Apuleius Apologia prima, ex Ennij Phagiticis piscium aliquot genera quibus in regionibus præferantur, recitat: vnde hic versus aliquot in quibus mus nominatur, licet corruptos, afferam: Mures Aeni, (aliàs Teni,) aspra ostrea plurima Abydi. Mus Mitylenæ, &c. Purpura, matriculi, mures, dulces quoque echini.

MYES etiam à Græcis dicuntur conchæ quædam, de quibus leges suprà inter Conchas diuersas, & deinceps.

MVS marinus à Plinio dictus generis testudinum est. Quære infra in r. elemento.

MVS aquaticus quadrupes, ad finem Appendicis Quadrupedum viuiparorum describitur Bellonij verbis, eius hæc effigies est, illic omissa.

40



50

DE MVSCA FLVVIATILI, RONDELETIVS.

MVSCAS volantes in aquæ extremitate sæpe vidimus æstate. Oculis sunt magnis pro corporis magnitudine, dorso rotundo, ventre plano, senos habent pedes, posteriores maiores ad corpus in aqua impellendum. Inter natandũ geminas alas extendunt. Quare & in aere volare, & in aqua natare possunt. Natant ventre in cælum conuerso, contrario situ volant. Vtrunque per vices faciunt. 60 Venter lineis nigris & viridibus distinguitur, his pisces insidiantur. Sunt permulta alia in aquis dulcibus insecta atque bestiolæ nondum ab omnibus satis animaduersæ, quæque vix bene pictura exprimi possunt. Quare hortor studiosos viros, & sedulos rerum peruestigatores, vt in fluuiorum aliarumue aquarum quas incolunt animalibus cognoscendis, & iis posterorum memoriæ mandandis operam ponant.

Musculus Plinio aliàs belua est, Μυσίκητος Aristotelis: aliàs non belua, sed balænarum dux piscis, quem Oppianus *ἡγητῆρα*, id est ducem nominat. Vide suprà in Balæna ex Rondeletio, & in Corollario nostro de Balæna 2. Pisciculus qui balænis oculorum vice fungitur, musculi nomen habet & iuli, Hermolaus. sed an ex authoribus probari hoc possit, iulum esse musculum ducemue balænarum, nescio. Hippuris ineſcantur iuli, Oppianus.

Sunt & MVSCVLI Conchæ, suprà inter Conchas diuersas.

DE MVSTELA, SIVE LAMPETRA, BELLONIVS.

A GALEORVM generis est, quæ nostris à lambendis petris Lampetra, vel Lampreda dicitur: quòd integrum ferè diem ore succiso, denticulis circumuallato, saxis, quemadmodum & picatis nauium clauis, sic inhæreat, vt ea lambere videatur. Hanc Græci, inquit Galenus, Galeonymum & Galexiam appellarunt: Latini Mustelam, à maculati huius nominis quadrupedis tegminis similitudine.

B Huic pisci Plinius proximam mensam post Scarum tribuit, ac Murenæ æmulum esse affirmat. Fuit enim apud antiquos (vt & Acipenser) inter præcipuæ authoritatis pisces. sed Murena æquorea tantùm, ac spinosa est. Mustela autem & fluuiatilis & marina reperitur, ambæ prorsus cartilagineæ: quanquam Dorion cuiusdam fluuiatilis Murenæ meminisse videtur, cui spinam vnicam esse tradit, ei Asellorum generi persimilem, quod quidam Calariam dicunt. Cæterum marina cacochyma est, nautis præcipuè infensa, dum temonibus ferè triduum inhærens, caudam in contrarium vertit, recensque picatæ nauis lateribus picem lambendo sic infigitur, vt nautas ab itinere remoretur.

Fluuiatilis duplex. Maior. Fluuiatilis est duplex: maior, in Illyrico sinu, ac per stagna binominis Istri frequens: Gallicæ Mosellæ ac Ligeri, atque adeò Alpinis quibusdam lacubus peculiaris, qualis est Rhetiæ Brigantinus Plinio dictus, lautiores popinas per verna quadragesimæ ieiunia celebriores reddens: quo maximè tempore cartilaginea ipsorum spina (cordam appellant) nondum induruit.

Minor. Minor, vix palmi longitudinem, pollicisque crassitiem excedit. Viuis fontibus, riuulis, ac limpidorum fluminum litoribus gaudens, Romæ, Lugduni ac Lutetiæ frequentissima. Lampredotum Romani, Lampredonem Parisini, Lugdunenses Ciuellam vocant. Ac ne quis id Mustelæ genus in maiorem degenerare credat, vnicum hoc nobis argumentum esse potest, quòd ea, quanquam pusilla, ouа tamen ac fœtus edat. Cætera maiori similis. Porrò maiores Lampetræ suis sexibus distingui solent, quarum (fluuiatilium præsertim) mares, expetibiliores sunt ob carnis suauitatem ac firmitudinem.

Partes corporis. Omnes, viuiparorum cetaceorum more, fistulâ in ceruice habent, per quam dum nauibus aut saxis inhærent, aquam ad branchias attrahunt, quas vtrinque sub cute septenis formanibus in rectum ordinem dispositis, præter aliorum pisciũ morem, reconditas habent. Maculoso alioqui sunt tergore, supernè quidem ex atro in liuidum ac cinereum colorem desinente, subtus candido, vndecunque glabro, atque anguillæ modo lubrico: cum qua hoc etiam habent commune, quòd per longitudinem diffisse, atq; in frusta consectæ, diutiùs adhuc viuere conspiciantur. Cor habent sub branchiis ac foraminibus reconditum, cartilaginea membrana, spongiosa ac prętumida incluſum, subrotundum, ciceris crassitie. hepar oblongum, vnius tantum lobi, felle carens. Minor autem Lampetra fuscum habet tergus, ventrem candicantem cor ex subrotundo angulosum, milij magnitudine. Vnicum omnes habent intestinum rectum, minimè complicatum: reliquum corporis in fœminis, matrix ouis referta, occupat. Proinde nullas habent laterales pinnas, sinuosoque impulsu natant, vt Silurus ac Murena.

E Spumarum indiciis comperiri solent, captæque perpetua aqua immergi, cum qua ex longinquis partibus in vrbem deferuntur.

DE EADEM, RONDELETIVS.

Figura hæc lampetræ ad piscem Basileæ captum expressa est, ab ea quam Rondeletius dedit nonnihil varians, præsertim caudæ pinna.

A LAMPETRA ex genere est cartilagineorum piscium, qui longi lubricique sunt. Ea à lambendis petris nomen traxit. Diuersis nominibus appellant. Nam plota, fluta, vermis marinus, asterias, hirudo marina, muræna fluuiatilis & echeneis Oppiani, nominatur. (*De his nominibus, quæ benè aut malè lampetræ attribuantur, dicetur in progressu.*) A Gallis Lamproye. A nostris Lamprezze. Lampetra piscis est marinus & fluuiatilis. Vêris enim initio fluuios ingreditur, vt illic oua pariat, in mare deinde reditura: sed tum magna earum fit captura, aliàs in mari rarissimè capiuntur, nec vnquam ferè nisi quum rostro nauibus adhærent. *Vbi.*

B Anguillę, vel murænæ marinæ valde similis est Lampetra, si caput excipias. Os enim neque in longum, neque in latum sciſſum est, sed excauatõ veluti in hirudinibus, quas sanguisugas vocant. In cauo illo sparsi sunt dentes flaui coloris, in eiusdem imo particula est contrario occursu foramen interius occludens. Prętereà corpore est rotundiore quàm muræna: cauda tenui & latiuscula. Venter lacteo est colore, dorsum maculis partim cęruleis, partim albicantibus est aspersum. Cute læui, sed dura & firma. Vtrinque septena sunt branchiarum foramina rotunda. Inter oculos, id est, in supremo medioque capite, fistulam habet, quæ ad palatum vsque patet: qua, vt pulmonibus spirantes pisces, & aërem trahit & haustam aquam reiicit, eamque ob causam in summa aqua fluitat, facileque suffocatur, si inuita sub aqua diutius retineatur. Oculos rotundos & profundos habet. Lingua caret. Nullis ad natandum pinnis donata est, sed flexuoso corporis impulsu agitur: & pinnulis duabus iter dirigit, vna ferè supra caudæ extremum erigitur, altera paulò superior est. Cor pericardio cartilagineo concluditur: cui annexum est hepar cæruleũ punctis aliquot notatum, fel deest. Ab ore ad anum vnicus ductus est longus, initio

initio strictiõr, in medio latior, rursus ad anum angustatus. Ossa nulla habet, prò uertebris & spinis cartilaginem, cui medulla ineſt, illam nostri chordam vocant: † quæ vêre tenerior, æstate durior est, multoque insuauior, vnde tum in pretio esse desinit lampetra: cum vêre, quo tempore vterum fert, in lautissimis cibis habeatur, & à diuitibus, luxuque deditis maximo pretio ematur, vt eorum opsonatores aliquando in foro piscatorio superbius ambitiosiusq, contendendo licitentur. †F

Mare repetunt lampetræ cum suis fœtibus, quos Burdegalenses pibales appellant. Aqua & muco vescuntur. Sunt qui esca quadam composita in fontibus & aliis dulcibus aquis nutriunt & seruant. A partu contabescunt, & paulatim emoriuntur. Annos duos duntaxat viuunt. C (E)

Carne sunt satis molli & nonnihil glutinosa. F

Magna fuit, & est hodie inter doctos viros disceptatio, de vetere huius piscis apud Græcos siue Latinos appellatione. Quibusdam galeum asteriam esse placet, quæ opinio parum validis rationibus confirmatur: quanuis enim maculata sit lampetra, tamen maculæ stellarum figura non sunt, veluti in asteria. Prætereà à galeorum natura planè abhorret: neque enim viuos parit, neque fœtus ore suscipit & remittit, quæ maximè galeo asteriæ competunt. Sunt qui acipenserem esse falsò dixerunt: quia longiore rostro non est, neque trigoni figura, vt scribit Athenæus. A *Quod non sit galeus asterias* *Non est acipenser.*

Fuerunt qui lumbricum marinum esse crediderint, ob valde similem cum lumbricis terrenis corporis speciem. Quibus adhibent Plinij lib. 9. cap. 20 autoritatem, quippe qui lumbricorum mentionem fecerit, quum de piscium pinnis loqueretur. Binæ, inquit, omnino longis, vt lumbricis, & anguillis, & congris: nullæ, vt murænis. At hunc Plinij locum corruptum fuisse liquet ex Aristotele lib. 1. de hist. anim. cap. 5. Τοὺς δὲ μόνον δύο πτερύγια ἔχοντας, ὅταν προμήκη καὶ λεῖα, οἷον ἔγχελυς, καὶ γόγγρος· τὰ δ' ὅλως ἀπ ἔχει, οἷον μύραινα. Alij pisces binas pinnas habent, quicunque longi sunt & læues, (*vt Gaza interpretatur,*) vt anguillæ & congri: alij nullas omnino, vt muræna. Quæ cùm à Plinio conuersa fuisse constet, nemo est qui non videat λεῖα lubrica interpretatũ fuisse vt omnino legendum sit: Binę omniao longis & lubricis, vt anguillis. (*Obseruauit hoc primus Alcyonius vir doctus, teste Iouio,*) Quare cùm neque Plinius, neq; vllus alius lumbrici marini meminerit, lampetræ vetus hoc nomen fuisse non potuit, † quemadmodũ neque vermis aquatilis. Caret enim omnino pinnis, quibus natet scilicet sicut & Muræna. Quanquam Castellanus episcopus Matiscon. vir ætate nostra doctissimus, & qui doctrinæ causa maxima in gratia fuit apud Franciscum Regem illustrissimum, & optimum literarum patronum & alumnum, lampetras vermes esse aquatiles crediderit, eidemque Francisco Regi persuadere conatus aliquando fuerit, nec id sine ratione. Hæc enim Plinius lib. 9. cap. 15. In Gange Indiæ Statius Sebosus, haud modico miraculo affert, vermes branchiis binis sexaginta cubitorum cæruleos, qui nomen à facie traxerunt. His tantas esse vires, vt elephantos ad potum venientes mordicus comprehensa manu eorum abstrahant. Color cæruleus lampetræ, item mores quadrant: nam petris & nauibus ita hærent lampetræ, vt auelli non possint. neque repugnat cubitorum sexaginta longitudo: in India enim omnia grandiora sunt. *Non esse vermem aquatilem, qualem in Gange Plinius describit.*

Aliis lampetra, Ausonij mustella esse videtur. *Mustellam Ausonij & Plinij esse lampetram, vt & Massarius, Parottus & Iouius sentiunt.*

Quaq, per Illyricum per stagna binominis Istri
In nostrum subuecta fretum, ne lata Mosellæ
Quis te Naturæ pinxit color? atra, superne
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Vsque sub extremam squalet cutis arida caudam.

Spumarum indiciis caperis mustella natantum,
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Puncta notant tergum: qua lutea circuit tris,
Corporis ad medium fartim pinguescit, at illinc

Hæc pictura cùm lampetræ nostræ optimè conueniat, de eadem intelligendam esse cum Massario puto: nec illi assentior, (*Petrum Gillium notat*) qui piscī qui lota Lugduni vulgò appellatur, versus Ausonij accommodat, cùm lota in fluuiis duntaxat nascatur: Ausonius verò mustellam suam è mari fluuios subire significet. Eandem lampetram, mustellam Plinij esse censet Massarius. Proxima est his mensa generis duntaxat mustellarum, quas mirum dictu, inter alpes lacus quoque Rhetiæ Brigantinus æmulas murænis generat. In eadem est sententia Sipontinus, cuius hæc verba sunt in cõmentariis Cornucopiæ inscriptis. Mustellæ in lacu Brigantino Rhetiæ muræni ferè similes, & cæteros omnes pisces nostra ætate excedentes pretio, quas à lambendis petris nunc lampetras nominant. Idem confirmat Paulus Iouius his verbis: Vt arbitrer lampetram antiquitus fuisse mustelam, Plinius apertissimè suadet, quum dicit in lacu Rhetiæ Brigantino mustelam esse marinæ æmulam. nanque is hodie lacus Hydrius est, in Tridentinorum finibus, qui proculdubio antiquis fuit Brigantinus. Is emittit amnem Clisium, in quo lampetræ reperiuntur. Sebinus quoque Brixianorum lacus, Brigantino proximus, qui hodie Hiseus dicitur, & Ollium amnem emittit, vt plures eius accolæ mihi affirmarunt, aliquando lampetras Hetruscis ac Romanis specie saporeque simillimas præbuit: Hæc Paulus Iouius. In Gallia quoque huiusmodi lampetræ reperiuntur, & maximè in fontibus & riuulis, in quos lampetræ marinæ nunquam penetrare potuerunt, quæ reuera marinis æmulæ sunt, & figurâ & sapore similes, magnitudine sola dissidentes. Quòd si mustellæ lampetræ sint, à mustellino colore, id est, subliuido (*Quod si à corpore oblongo potiùs? vt marinæ etiam puto simulet colore dorsi fusco ferè, ventris autem albicante*) dictas fuisse arbitror. *Mustellæ Plinij. Lib. 9. cap. 17.* *In li. de pisc. Roman.*

Quòd si quis mustellam Plinij, Ausonij ve non esse contenderit, nihilominus tamen veteres eam ἀνώνυμον minimè reliquisse, affirmare ausim.

Quid ni enim βδέλλαν marinam, id est, hirundinem marinam vocemus Strabonis exemplo? qui scripsit in quodam Libyæ fluuio nasci βδέλλας septenũm cubitorum: quæ branchias habẽt perforatas, ita vt per eas respirare possint. Nam lampetræ ore ita saxis & nauium clauis hærent, vt optimo iure βδέλλαι, ἀπὸ τῦ βδέλλειν, id est, ab emulgendo dicantur, quemadmodum sanguisugæ. *Lampetram posse Hirudinem marinam dici.*

Iam verò lampetram murænam fluuiatilem appellatam fuisse, ex Dorione perspicuum est, qui in libro de piscibus ita scripsit, referente Athenæo: Τῶν ποτιμίων μύαιναν ἔχειν μίαν ἀκανθαν μόνην, ὁμοίαν τῷ ἐνύδρῳ τῷ καλουμένῳ γαλαξίᾳ: id est, Fluuiatilẽ murænam vnicam habere spinam similem asello qui gallarias nominatur. Itaque cùm duo sint quæ vnica spina constent (nam per ἄκανθαν τλὴν ῥάχιν, id est, dorsi spinam intelligo) murena fluuiatilis, & asellus gallarias: perspicuum est lampetram, quòd vnicam *Item Murænam fluuiat.*

huiusmodi ſpinam habeat, murænam fluuiatilem hîc dici: fluuiatilem quidem, vt ab alia muræna quę nunquam mare egreditur, vt fluuios ſubeat, diſtinguatur: murænam verò à corporis ſimilitudine. eſt enim ſimiliter longa, lubrica, colore vario, nullas habet pinnas ad natandum, ſed corporis ſimilitudine. eſt enim ſimiliter longa, lubrica, colore vario. nullas habet pinnas ad natandum, ſed corporis flexu impellitur. Aſellus verò gallarias longè alius eſt, vt ſuo loco declarauimus.

Item Echeneidem Oppiani. Quòd ſi ne hoc quidem vetuſtum fluuiatilis murænæ nomen tibi placeat, age aliud ex Oppiano proferamus. Is enim procudubio quam lampetram nunc vocamus ἐχενηΐδα ab affectu appellauit, quæ Latinè remora dicitur: quam ita graphicè depinxit, vt nullus ſit ſanæ mentis qui eam pro lampetra noſtra non agnoſcat. Eſt, inquit, pelago amica echeneis, longa, cubiti ſcilicet longitudine, ſubfuſco colore, anguillæ ſimilis: acutum eſt illi os ſubter, contortum, rotundi hami cuſpidi ſimile. de quo piſce nautæ rem mirabilem narrant, omnibus qui non viderunt incredibilem. nauem enim ſecundi venti vi impulſam, paſſisque velis per mare currentem, piſcis tanquam eam voraturus ore admoto ſiſtit, inuitisque nautis retinet, perinde ac ſi in tranquillo portu quieſceret.

Hæc verè ſunt, quę ſequentibus verſibus cecinit Oppianus libro. 1. ἁλιευτικῶν.

Καὶ μὴν δὴ πελάγεσσιν ὁμῶς ἐχενηῒς ἑταίρη,
Εἴδει τοι τυτθὴ μὲν ἰδεῖν, μῆκος δ' ἰσόπηχυς,
Χροιὴν δ' αἰθαλόεσσα, φυὴ δέ οἱ ἐγχελύεσσιν
Εἴδεται· ὀξὺ δέ οἱ κεφαλῆς στόμα νέρθε νένευκε
Καμπύλον ἀγκίστρου σφηκωθέντος εἴκελον αἰχμῇ.
Θαῦμα δ' ὀλισθηροῖς ἐχενηΐδος ἐφράσσαντο
Ναυτίλοι. οὐ μὲν δή τις ἐνὶ φρεσὶ πιστώσαιτο
Εἰσιδών· αἰεὶ μὲν ἀπειρήτων νόος ἀνδρῶν
Δύσμαχος, οὐδὲ θέλουσι καὶ ἀτρεκέεσσι πιθέσθαι.
Νῆα πετασσαμένην ἀνέμου ζαχρειέος ὁρμῇ
Λαίφεσι πεπταμένοισιν ἁλὸς διὰ μέτρα θέουσαν,
Ἰχθὺς ἀμφιχανὼν ὀλίγον στόμα νέρθεν ἐρύκει
Πᾶσαν, ἀποτρόπιος βεβιημένος· οὐδ' ἔτι τέμνει
Κῦμα, καὶ ἱεμένη· τῇ δ' ἔμπεδον ἐστήρικται,
Ἤ τ' ἐν ἀκλύστοισιν ἐεργομένη λιμένεσσι.

His omnibus quæ nulli alij meliùs quàm lampetræ noſtræ competere poſſunt, accedit experientia ipſa, cuius primùm me admonuit Gulielmus Pelicerius epiſcopus Monſpelienſis ſingulari eruditione præditus: ex qua experientia conſtat lampetram nauibus, iis præſertim quæ recens pice illitæ ſunt, ore adhærere, picis, vt aiunt, exugendæ gratia. *Experientia.* Quòd ſi triremis clauo os affixerit, eius impetum retardari certũ eſt. Id nobis euenit Romam proficiſcentibus cum clariſsimo Cardinali Turnonio. Vidimus enim optimæ triremis cuius citiſſimo curſu vehebamur impetum inhibitum: cuius incertam cauſam cùm vectores perquirerent, tandem compertum fuit lampetrę ore clauo affixę vi id effici, quæ capta, & conuiuio apposita moræ allatę pœnas dependit. Cuius rei locupletiſſimos teſtes habeo nobiles & graues viros, qui eadem naui vehebantur.

Echeneis Ariſtotelis & Plinij alia. Non me latet aliam eſſe Ariſtotelis lib. 2. de Hiſt. cap. 14. & Plinij lib. 9. cap. 25. Echeneida ſiue remoram piſciculum ſaxis aſſuetum, pinnas pedibus ſimiles habentem, quo carinis adhærente naues tardiùs ire creduntur, de quo ſuo loco diximus. Neque mirum cuiquam videri debet diuerſos piſces eodem nomine à diuerſis autoribus nominatos fuiſſe, veluti neque eundem piſcem diuerſis nominibus nuncupatum: id enim permultis & olim, & nunc accidit, quemadmodum ex aliis multis & antehac dictis, & deinceps dicendis, perſpicuum eſt.

F De carnis ſubſtantia iam dictum eſt. de eiuſdem condimento quod ex delicatioribus aromatis & eiuſdem ſanguine conficitur, deque immodico huius piſcis pretio vide Platinam.

COROLLARIVM.

A De lampreda non conſtat. ipſe tamen lampetras dici crediderim fontanas tineas & vulgò nominatas lampetras quaſi à lambendis petris. *Tineæ fontanæ.* ſunt qui à fulgore lampyridas vocent eas, ſed auctorem nullum habent, Hermolaus Barb. cum epiſtolis Politiani. Item in Corollario: Salubritatis aquæ argumentum eſt (inquit) anguillis ſcatère amnes, ſicut vitij limus: vt quæ vulgò nominantur lampetræ. Ego fontium tineas, quas frigoris eorum indices facit Plinius, non lamperas, ſed inſecta quædam eſſe arbitror: de quibus dixi ſupra inter Inſecta aquatica. Hermolaus idcirco fortaſſis tineas appellare voluit: quoniam & lumbrici, præſertim in homine, tineæ ab authoribus nominantur: & ſuo tempore quidam ex eruditis lampetras quoque vocabant lumbricos: *Lumbrici.* quod nomen tamen pro piſce apud nullum veterum reperitur, Iouio teſte. ex corrupta quidem Plinij lectione, vbi lubricis pro lumbricis legitur (vt Rondeletius annotauit) lumbricũ aliqui piſcem eſſe ſuſpicati ſunt, eumq; lampetram vulgò dictam eſſe cõiectarunt, *Lampreta vnde dicta.* idque eò magis opinor, quòd lampetræ etiam nomen ad lumbricum (u. in a. mutato) alludat. Mihi lampredæ nomen, pleriſque Europę linguis vſitatum, ad quam propriè pertineat dubium eſt, quanuis enim docti non pauci veluti Latinum à lambendis petris deriuent: alij Lumbricum vel Lombricum fluuiatilem Latine nominantes, Lampetræ vocabulum inde factum inſinuant: (Germanicum quoque *Brick* à Lumbrico deſcendiſſe videri poteſt ablata prima ſyllaba. Eſt & Lubricus piſcis marinus, oliſthos Oppiano dictus, à Lampreda fortè non multùm diuerſus. Vide in o.) quia tamen apud nullum veterum repetitur dubitari poteſt. Suſpicari quidem licet Germanicum eſſe, inde, quòd à ſaxis dependere ſoleat, factum. *Lampen* enim Germanis dependere ſignificat non ſine aliquo motu: vnde *lumpen* veſtes laceras, quarum aliquæ partes pendulæ ſunt, appellant, quas Græci ῥάκη: & *lempen*, aliarum quoq; rerum lombos, (λοβοὺς) ſeu prominentes & pendulas particulas. Muſtelæ lacuſtris ſeu fluuiatilis ſpeciem, inferiùs deſcribendam, in lacu Conſtantienſi, quem Rhenus efficit, Albertus *Alquappen* Germanicè, ab aliis *Lumpen* vocari ſcribit: quę tamen ore à ſaxis non dependet, vt lampetra: ſed lubrica faciliq́ue & flexili in gyros corporis agilitate, lampredam & ſimile piſcium genus, etiam ipſa imitatur, veluti faſcia aut tęnia quędam oblonga, mollis & fluxa criſpante motu, vt quę vexillis caſtrenſibus adduntur, ex craſſiore paulatim attenuata. Subit & alia coniectura lamprete nomen (ſic enim in pleriſque omnibus linguis ſcribitur, r. ſtatim poſt p. ſequente, potiùs quam lampetra) piſcem in hoc genere longiorem ſignificari, *ein lange Prick: oder ein lang Baerle.* eſt enim lampreta longior inter ſpecies huius generis tres. Germanicę hæ etymologiæ ſi cui non placent, perpendat Græcam; quam in Alabe vel alabeta Nili piſce expoſuimus in A. elemento, *Alabeta.* & aliam itidem Græcam, quam paulò pòſt in Anguillæ apyreni mentione

tione dicemus. *Muſtela.* Lampetram eſſe muſtelam Auſonij Pliniјque, inter doctiores pleroſque conuenit, vt Rondeletius docet. ſed cauendum ne quis muſtelam piſcem genere fœminino, cum muſtelo genere maſculino confundat, ſicuti fecit Niphus. *Muſtelus.* Muſtelæ (inquit ille) Græcè dicuntur galeæ, vulgò lampretæ: rectè hoc quidem: ſed conſiderato Ariſtotelis loco de generatione animalium 3. 3. quem interpretatur, non rectè. loquitur enim philoſophus de muſtelo non muſtela: hoc eſt de galeo piſce cartilagineo viuiparo, quem Græci γαλεὸν ſemper nominant, marino duntaxat. Muſtelæ autẽ piſcis, quem Græci γαλῆν vel γαλέαν vocant, omnino diuerſi (quanquam & ipſe ſimiliter oblongus eſt, & cartilagineus, & branchijs detectis) nec Ariſt. nec alius (quod ſciam) veterum Græcorum, præter Ælianum meminit, vt ſcripſi ſuprà in Corollario de Muſtelis marinis, vel aſellis muſtelinis. Sed illa quam Ælianus deſcribit, marina eſt tantùm: Plinij verò & Auſonij dulcium aquarum, è mari tamen ſubuecta, vt monet Auſonius: In noſtrum ſubuecta fretum, ne lata Moſellæ Flumina tam celebri defraudarentur alumno. Danda itaq; opera eſt ne piſces adeò diuerſos confundamus: & ne ipſa inflexio quoq; errorem pariat, quoniam muſtelis, dandi caſus in multitudinis numero, vtriq; ſexui communis eſt, vel præter conſuetudinem in fœminino genere diſtinctionis gratia muſtelâbus efferamus licet, ſicut equab. *Galeus non eſt lampreta.* Iouius quoque linguæ Græcę imperitior, muſtelam fœm. g. Græcis putauit galeum dici. eum reprehendit Maſſarius: Qui muſtelam (inquit) ſiue lampetram pro eo capiunt, qui galeos ab Ariſtotele dicitur, muſtelus à Theodoro tralatus, in errore non mediocri verſantur: quippe cum galei qui è genere cartilagineo ſunt, non oua vt lampetra, ſed animal pariant. Quam ob rem muſtela, cum oua ſolum non animal excludat, cum galeis cartilagineis admiſcenda non erit. Et eo quidem magis ab hac ſententia temperare debuiſſent, quod muſtelas branchias habere negauerint, quibus Ariſtot. lib. de hiſt. primo, galeos præditos eſſe affirmauerit his verbis: Alteris branchiæ detectæ, vt galeo, hoc eſt muſtelo, raiæ, reliquiſque generis eiuſdem. & ſecundo etiam eiuſdem hiſtoriæ: Qui autem branchias habent, aut intectas continent eas, aut detectas, vt cartilaginea genera omnia. Hæc Maſſarius, contra Iouium, qui lampetræ branchias negauit: quas tamen habent, ſed detectas, muſtelis viuiparis in eo ſimiles. Illi certè qui ex corrupta Plinij lectione (vt dictum eſt) lampetram, lumbricum nominarunt: ab hac opinione dimoueri debebant, quòd eo in loco Plinius, pinnas binas piſcibus longis & lubricis (vbi ipſi lumbricis legunt) attribuat, ſicuti congris & anguillis: cum lampetræ, ſicut & murenę, in hoc cum congris anguilliſq; minimè conueniant. binis enim illis ad branchias, quibus natant, deſtituuntur. *Galeus aſterias non eſt lampreta.* Cęterum cum galeorum ſpecies ſint plures, Iouius galeum aſteriam pręcipuè, lampetram eſſe putabat: quòd is ab Hiceſio ceu melior molliorque celebretur. Verùm cum toto galeorum genere, vt oſtendimus, excluſa ſit lampetra, ne aſterias quidem eſſe poterit. Simili modo (inquit Maſſarius) coarguuntur, quando Hiceſium pro lampetra galeum aſteriam vocatum intellexiſſe dicunt. nam galeos aſterias eſt, quem Theodorus muſtelum ſtellarem Latinitate donauit, inter cartilagineos, vt dictum eſt, animal parientes, cute aſpera, nigris ſtellata maculis, nunc à Venetis piſcis cattus cognominatus. muſtelam igitur, non galeon à Græcis, tum rationib. antedictis, tum etiam quod galeos non proprium nomen ſit piſcis, ſed genus ad omnes piſces cartilagineos longos, vt vulpeculam, caniculam, hinnulum, ſpinacẽ, ſtellarem, & reliqua generis eiuſdem: ſed galem (vt autor eſt Herodotus) potiùs appellandum interpretandi ratio depoſceret: non alia de cauſa, niſi ob eam, quam cum muſtelis ſiue galeis habet, vti retulimus, conuenientiam & affinitatem. Iis igitur confutatis opinionibus, dicamus vnà cum Sipontino muſtelam eſſe, quam modò lampetram vocant, Hucuſque Maſſarius. *Gallarias.* Idem Iouius gallariam Athenæi, & galaxiam Galeni, & fluuialem murænam Dorionis (*probè hoc, & ex Rondeletii quoque ſententia*) piſcem vnum eſſe ſuſpicatur, nec à lampetra diuerſum: quam Bellon. etiam galeonymum vel galaxiam Galeni vocitat. At Rondeletius aſellum galariam, vulgò ſturionem dici putat, & veterum acipenſerem eſſe. Plura lege ſuprà in Corollario de muſtelis marinis, vel aſellis muſtelinis. Albertus lampetram, eiuſque ſpecies, murænas nominat. *Quod ſit è genere murenarum lampetra.* Sunt etiam (inquit Maſſarius) qui lampetram è genere murenarum eſſe voluerunt, argumento, quod lampetra pinnis careat: quod idem de murena Ariſtoteles de natura animalium libro primo teſtatus eſt. Piſcium, inquiens, alij pinnas duas tantùm habent, qui longi & lubrici ſunt, vt anguillæ, vt congri: aut nullas omnino habent, vt murena. quod ſimiliter quarto de partibus animalium dixit. cuius quidem rei Plinius quoque meminit, vt mox dicemus. Mouentur prætereà alia coniectura, quod Plinius dixit in ſeptentrionali Gallia murenis omnibus dextera in maxilla ſeptenas perſpici maculas, pro foraminibus maculas interpretantes. *Quod non ſit.* Sed ij à vero maximè declinare videntur, vt branchiarum ratio ſuadet. Caret enim murena branchijs integris, ex Ariſtotele ſecundo de hiſtoria, & Plinio hîc inferiùs, (libro 9.) quas lampetra, vti retulimus, detectas velut cartilaginea obtinet: vt qui lampetras branchias habere neget, eas è murenarum eſſe genere fateri omnino neceſſe ſit, quum ex longis ouiparis nulli alteri generi præterquam murenis branchiæ integræ deeſſe videantur, eiſdem tradentibus autoribus. Præterea ſi maculæ illæ quæ murenis in maxilla dextra ſunt, foramina eſſent, Plinius neque murenis ſeptentrionalis Galliæ tantùm, neque maxillæ dextræ duntaxat viuentibus ineſſe maculas dixiſſet. *Plota.* Rondeletius cum inter diuerſa lampredæ nomina plotam quoque ſeu flutam eam vocari dixiſſet, aliorum quidem in progreſſu rationem aliquam vel authores affert, plotæ verò ampliùs non meminit. nec mihi vllus aut veterum aut recentiorum occurrit, qui hoc lampredæ attribuerit nomen. nam veteres, vt alibi diximus, de anguillis tantùm & murænis plotæ nomen vſurparunt. Eſt tamen lampreda veluti fluuiatilis quædam muræna, & ſic à Dorione nominata exiſtimatur: & niſi in ſumma aqua natet, Rondeletio teſte, vt aerem trahat, facilè ſuffocatur. quamobrem ſi quis plotæ etiam vocabulo lampredam nominare voluerit, eſto. ego nominum confuſionis vitandæ cauſa, præſertim cum idoneus author deſit, & alia huius piſcis vetera vocabula habeamus, nihil hîc nouârim. Anguillæ quidem & murænæ, nec ſemper, nec omnes, ſed cum Sole torrefactæ ſupernatant, plotæ (id eſt flutæ, interprete Gaza) cognominantur. *Muſtela.* Vnde lampetram antiqui muſtelam appellarint, incertum eſt. Verùm ego piſcem illum à longitudine candoreque ventris, & à tergoris ſuperioris ſubluteo colore, vti in quadrupedibus muſtelis videmus, dictum eſſe putauerim, Iouius. Nos ſuprà etiam quænam cum galeis, id eſt muſtelorum genere marino communia haberet hic piſcis, oſtendimus: vt

ab illorum similitudine & ipsum mustelam dictum, coniecturam faciam. Lampetra mustela dicitur. nam vt gale (γαλὴ, id est mustela) serpentes persequitur: ita & galeus piscis venenatum piscem pastinacam dictum, Carolus Figulus. sed hic quoq; mustelum ac mustelam, γαλεὸν & γαλεῶ confundit. Huius opinionis (lampretam esse mustelam) ex recentioribus Sipontinus author fuit, qui in suis commentariis Cornucopiæ inscriptis, ita loquitur: Mustellæ in lacu Brigantino Rhetiæ murenis ferè similes, & cæteros omnes pisces nostra ætate excedentes precio, quas à lambendis petris, nunc lampetras nominant. quam quidem opinionem præ cæteris puto veriorem maximè autoritate Ausonij, qui mustellam pro lampetra examussim descripsit: Et Herodoti scriptoris antiqui libro suæ historiæ quarto, vbi de Pœnorum pastoralium regione loquitur. Sunt præterea (inquit) mustellæ, quæ in Silphio nascuntur murænis simillimæ, Massarius. Sed illum Laurentij Vallæ translatio decepit: qui cum Herodotus scribat mustelas (terrestres nimirum) apud Afros nasci in Silphio, similes Tarteſſijs (nempe mustelis:) pro Tarteſijs, conuertit murænis, occasionem scilicet erroris ex Aristophane nactus qui Tarteſiæ murænę meminit, &c. Vide in Mustela quadrupede B. Proxima est his (scaris, quibus Plinij tempore principatus dabatur) mensa generis duntaxat mustelarum: quas mirum dictu inter alpes lacus quoq; Rhetiæ Bigrantinus æmulas marinis generat, Plin. 9. 17. Vetus lectio (inquit Massarius) Brigantinus non Bigrantinus habet. Ptolemæus Brigantium oppidum in Rhetia non procul ab ortu Danubij esse posuit: cuius populos Brigantinos Strabo etiam appellauit, vt à Brigantio Brigantinus, non Brigantinus deducatur. Itemq; murenis, non marinis, habet, hoc modo: lacus quoq; Rhetiæ Brigantinus æmulas murenis generat, quasi mustelam murenæ suo simili, quæ tunc in maximo erat precio, comparauerit. qui autem marinis legunt, mustellas marinas esse fluuiatilibus & lacustribus meliores, insigni mendacij vanitate dicere cogentur. Sunt enim mustellæ pisces longi, tenues & lubrici, nunc vulgò lampetræ cognominati. sine pinnis, murenæ similes, colore nigricantes, branchijs detectis instar foraminum quæ septem numero ex vtroq; latere sunt, rostro scisso contra quàm cæteri pisces habent: sic forte (vt opinor) appellatæ, quod longæ sint, & spinam cartilagineam ac branchias detectas, hoc est non intectas osseo operimento vt cæteri pisces habeant, quemadmodum galei, quos Theodorus mustellos interpretatus est. Etenim galei sunt pisces è genere cartilagineorum longi, qui spinam cartilagineam & branchias detectas obtinent. Hæc omnia Massarius. Quod ad Brigantinum lacum, non rectè sensit Iouius eum esse lacum Hydrium hodie dictum in Tridentinorum finibus. Omnino enim Brigantinus lacus is est, qui vulgò ab vrbe Constantia, aliarum ad eum lacum maxima, denominatur: de quo Ioachimus Vadianus noster in doctissimis suis in Melam commentarijs: Rhenus (inquit) lacum Acroniū gemino alueo ingreditur: quem lacum Solinus Brigantinum, Ammianus Brigantiæ lacum à Bregantia vetustissimo oppidulo nominauit. id adhuc haud longè à Rheni ostijs (in lacum se exonerantibus) meridiem versus pristina lacus litora tenet. Inter montium celsorum anfractus (inquit Marcellinus) impulsu immani Rhenus decurrens extenditur: iamq; adiutus niuibus liquatis ac solutis alta diuortia riparum abradens, lacum inuadit rotundum & vastum, quem Brigantium (Brigantinum) accola Rhetius (Rhætus) appellat. Ægidius Scudus quoq; Claronensis, vir nostro tempore clarus inter Heluetios, historiarum & geographiæ doctissimus: Comitatus Brigantiorum (inquit) quorum nomen & ciuitas adhuc manent, infimum antiquæ Rhetiæ à latere Germaniæ tenet locum, confinis apud lacum Podamicum (*idem autem & Acronius, & Brigantinus est*) Vindelicis, hoc est Lintzgoijs. Supra Brigantium est sylua grandis, atque vallis plena oppidis & villis, vocaturque Brigantiorum sylua: per quam descendit amnis *Bregentz*, labiturque iuxta vrbem ipsam in lacum. Populi per circuitum habitantes fuerunt olim Brigantij appellati. Alius & paruus est lacus in Bernensium Heluetiorum agro, quem vulgò *Brientzersee* nominant: quem ne quis pro Brigantino nominis similitudine inuitatus accipiat, cauendum. De Brigantino igitur lacu constat, Lampetræ verò in eo hodie nullæ, quod sciam, reperiuntur. nam & à piscatoribus ad eum lacum aliquando interrogare memini: & qui de piscibus eiusdem lacus libellum Germanicum nuper edidit, Greg. Mangoldus nullam lampetrarum mentionem facit. Ego sanè lampetrarum genera in paucissimis lacustribus & stagnantibus aquis reperiri arbitror: atque in fluuiis & riuis maximè degere. Iouius, qui Hydrium lacum, Brigantinum existimauit: non in ipso, sed amne Clisio quē emittit, lampetras reperiri tradit: quanquam idem de Sebino Brixianorum lacu scribit, reperiri in eo aliquando lampetras: & Benedictus Iouij frater in Larij lacus piscium catalago lampetram quoque numerat. Sed eam minorem esse puto, quæ etiam in Verbano capitur: apud nos nec in Limago amne, nec in lacu è quo emittitur: sed in minore fluuio quem Glattam vocamus, reperitur. Lampredas maiores in mari pariter & dulcibus aquis capi aiunt: minores in dulcibus tantum, præsertim fluentibus. In Neocomensi lacu Heluetiorum, quem Teila fluuius efficit, lampetras & magnas & paruas degere audio. At mustelarum genus illud quod Galli barbotas vel lotas nominant, nostri *Trusben*, in omnibus ferè lacubus inuenitur, & in Sabaudiæ lacubus quibusdam mustelæ etiamnum nomen retinet. Id autem in Brigantino quoque reperiri duorum generum indicabimus infrà. Quamobrem diligentiùs considerandum, de lampredis ne an alijs mustelis senserit Plinius. Sunt quidem lampredæ murænis similiores: sed marinis etiam legi, sicuti editio nostra habet, quam cum antiquissimis exemplaribus Sigismundus Gelenius contulit, nihil fortè prohibebit. neque enim video quàm verè scribat Franciscus Massarius: Qui marinis (inquit) legunt mustellas marinas esse fluuiatilibus & lacustribus meliores, insigni mendacij vanitate dicere cogentur. Certè ex Plinij verbis nullus huiusmodi sensus, etiamsi marinis legas, elicietur. Locus apud Plinium est libro 9. cap. 17. quod moneo vt lector curiosus rem omnem diligentiùs æstimet. Lampredas dulcium aquarum, in cibo præstantiores esse marinis, concedam illis qui id scribunt, & vtrasque forsan gustarunt. At si mustelas pro Lotis Gallorum, Botetrissijs Italorum accipias: marinas quoque mustelas inuenies, (de quibus suprà postasellos diximus: Vide pagina 89. & deinceps,) carne bona suauique fluuiatilibus fortè & lacustribus præferendas. de quarum vna (quam Ophidion Rondeletius nominat) Bellonius refert, carnis eam admodum delicatę esse, & Romanis antistitibus in delicijs haberi. Plinius cum in Brigantino lacu æmulas marinis nasci tradit, neque inferiores eas, neque potiores facere, sed vtrasque propemodum ex æquo post scarum optimas. æmulationis enim vocabulum certi nihil exprimit, vtrum sit præstantius:

Brigantinus lacus.

Lota Gallorū aquatilis mustela Plinij sit, quàm lampetra.

sed confinem quandam similitudinem in huiusmodi rebus insinuat. Notandum etiam quòd lacum Brigantinum Plinius mustelas generare ait, cum lampredæ in dulcibus aquis non generentur, sed subuehantur è mari. Vuottonus etiam, Potiùs (inquit) legendum arbitror marinis: vt scilicet comparentur mustelæ quæ lacustres sunt, marinis piscibus vel optimis: vel marinis, scilicet mustelis: quarum & Plinius alibi & Columella & Ennius meminerunt. Non propterea dixit Plinius marinæ æmulam (inquit Iouius) quia captam mari intelligere velit. marinæ enim sunt quę in Arno ac Tyberi capiuntur. Distant siquidem longo interuallo pulparum bonitate ab his quas in alto mari expiscari aliquando solemus: quum subaridæ agrestesq; sint: tita ut exprimere Plinius voluerit mustelas, quæ nunquam mare attigerint, sapore commendandas dulcibus in aquis reperiri. Neque enim Plinium lampetras paruas (quas lampetroccias vocamus) marinis comparare voluisse credendum est. nam si de paruis intellexisset. ad Brigantinum ignobilem, (*nos alium suprà nobilem & magnum hoc nomine lacum esse monuimus*) lacum, & ipsis abstrusum in alpibus minimè fuisset recurrendum: quum (vti suprà diximus) tota Gallia Cisalpina, in omnibus fluuiolis ac riuis copiosissimè reperiantur. Gillius harum rerum diligentissimus indagator, Plinij verba sic accipit: Cum sint marinæ (inquit) & fluuiatiles, & paludstres Mustellæ: solæ illius generis quas lacus Brigantinus gerat, dignitatem habent: nam fluuiatilis lauti cibi est: marinam verò non boni cibi esse percepi. Mustella quam Ausonius describit huic (Lotæ Gallorum) magis quàm lampetræ similis est, cum ait: Quæque per Illyricum per stagna binominis Istri, &c. vt Rondeletius recitat. Hæc quam dixi Lotam squammis caret, & corporis ad mediū fartim pinguescit, lutea iris huius corpus distinguit, atra puncta supernè notant tergum. Vidi fluuiatilem piscem (inquit idem Gillius) Mustellæ marinæ, quam Massilienses & Ligures sic nominant, omnino similem. Vterque iuxta branchias vtrinq; pinnas habet luteas, & in labro inferiori vnicum filum: vtetq; etiam in gutture pinnas quasdam habet, similiter & in vtroque opimus venter est, & terrenæ Mustellæ ambo similitudinem quandam habent. In vtriusque capite lapillos inueni, Hæc ille.

Venetijs olim Nicolaus Sophianus, vir doctus, natione Græcus, lampredam vulgò dictam, echeneidem) nimirum Oppiani) esse mihi narrabat. Si lampetra esset echeneis, multi in Ligeri lintres cursum tenerent ab his retenti: quod quis aut vidit vnquam aut accepit? Io. Brodæus. Archestratus fortè lampredam, anguillam ἀπύρηνον dixerit: vt retuli suprà in Anguilla F. nam vt apyrena è malorum Punicorum genere nucleos habent non duros nec magnos: sic lampreda ossa duriora, quæ veluti πυρήνας, id est nucleos quosdam dixeris non habet, sed pro ossibus spinis & vertebris cartilaginem. Quod si apyrenol. liquidam veluti articulum præfigas, lapyrenum & lampyrenum (solet enim m. ante p. abundare recentioribus Græcis) efficies. Lampetram piscem aliqui Mustellam vocant, ipse Hirudinem potiùs appellandam esse crediderim, à quadam hirudinis paludstris, quæ sanguisuga est, similitudine, Grapaldus.

Echeneis.

Anguilla ἀπύρηνος.

In Germania orientali inveniuntur tria genera murænarum, vnum quidem valde paruum in Danubio quasi calami quantitatem & palmi longitudinē non excedens. Alterum autem maius illo inuenitur in aquis Septentrionalibus, quod est longum pedem cum dimidio ad summum. & habet nouem guttas in corpore iuxta caput ex vtroque latere, & ideo ab incolis Nouem oculi vocatur. Tertium est magnum ad spissitudinem brachij hominis, & ad longitudinem cubiti vel amplius: & non habet oculos, Albertus: cuius ego verba generibus illis quæ apud Germanos noscuntur, non satis accommodare possum. nam qui à nouem oculis vulgò denominatur piscis, passim vulgaris & minimus est in hoc genere: lampredam maximam esse puto, neque oculis (id est foraminibus branchiarum detectis.) à cæteris differre. Priccam vulgò dictam non vidi, magnitudine autem media esse arbitror. Sed nomen à nouem oculis factum, lampredis maioribus tribui audio in Prussia, quæ ad vlnæ longitudinem accedant, è mari in Vistulam ascendant, lampredis ibidem dictis maiores, in delicijs habitæ, & cute detracta coqui solitæ. Qui mustelam stellarem, γαλεὸν ἀστερίαν, *ein Lampreth* Germanis interpretantur, mustelam verò lævem, γαλεὸν λεῖον, *ein Neunaugen* & mustelam variam, γαλεὸν ποικίλον, *ein Bisiger*, ij & mustelum à mustela non distinguunt: & marinos cum dulcium aquarum piscibus confundunt. Hieronymus Tragus oculatam fluuiatilem (vt à marina, quæ & melanurus dicitur, distingueret) ficto nomine Latino appellare voluit tum lampetram tum à nouem oculis (branchijs) vulgò dictum piscem.

Lampetra (vt dixi) in plerisque Europæ regionibus nomen unum habet, terminatione ferè tantùm variat. Italis lampreda, Hispanis lampréa, (Lusitanos anguillæ nomine appellare audio.) Gallis lamproye: Sabaudis ad Neocomensem lacum, Lambri. Germanis *Lampred, Lampret, Lempfrid*: Basileæ *Lampheryn, grosse Neuneug*, per inferiorem Germaniam *Lambrey*: Coloniæ *Lamperey*. Equidem in alijs atque alijs Germaniæ regionibus hæc nomina *Lampred, Neunaug, Berlin, Pruck* confundi arbitror. Carolus Figulus Gallus, sed qui in Germania ichthyologiam ædidit: Mustellam (inquit) piscem vulgò Lampetram & Lamprenam dicunt. Anglis *Lampreye, Lampraye, Lamprell, Lampron*. Vocant autem sic præcipuè maiorem, absolutè minori discrimen magnitudinis addunt: *a kleane lamprelle, à smal lamprelle*. Sunt qui maiorē, anguillam nouem oculorum vocitent, *a nyne eede eale*: quod nostri efferrent, *ein neuneugaal*. Polonis Ninog.

Lampetræ in (Gallia) Cisalpina paruæ, in Hetruria mediocres, Romę ex Tyberi permagnæ capiuntur, Platina. Subeunt Arnum & Tyberim, atq; in ijs præsertim amnibus ad generosum habitum adolescunt. In omnibus autem Galliæ Cisalpinę riuulis, ipsisq; præsertim Ticini atq; Adduæ emissarijs multæ reperiuntur pretiosæ admodum, quanquam minimi digiti crassitudinem rarissimè superent, Iouius. Apud nos quidem lampreda simpliciter dicta (id est maior) rara aut nulla est. Capitur aliquando in Rheno, & fluuijs riuisq; Rheno se admiscentibus: & alijs, in quos nimirum è mari subit. In lacubus paucis, aut nullis fortè, de quo dubitauimus suprà in A. In lacu tamen allūente Suerinum non procul ab Oceano Germanico, præter alios pisces mustelæ etiam capiuntur, vt Simon Paulus Suerinensis: quem Mustelarum nomine Lampredas intellexisse conijcio. Is quidem lacus, vt opinor, aquas dulces continet: oritur enim ex eo Stęra flumen. Est in ora Germaniæ, circa Hollandiam puto, & ostia Rheni, sinus vel recessus maris, *der Hering see* ab Harengis denominatus: in quo piscas etiam vulgò dictas, lampredæ genus alterum capi audio.

Corporis descriptio & partes.

Lampetra anguillæ multùm assimilis est, breuior tamen, Platina. Anguillis vel paruis potiùs murænis assimulantur. sunt enim lubricæ & nigricantes, tendente tamen earum parte prona ad cœruleum colorem: vtroque autem gutturis latere foraminulentæ. siquidem septenis paribus fistulis mirabili ordine à natura fabricatis acceptam aquam emittunt: quum branchijs (*spineo operculo tectis*) omnino careant: nec cubitalem excedere magnitudinem soleant, Iouius. Lampetræ raro capiuntur quæ libram excedant, Alex. Benedict. Lampredæ interim (*aliquando*) anguillarum amplitudine reperiuntur, parte plurima digiti minimi crassitudine, palmi longitudine, cætero anguillis pusillis & murænulis simillimæ, nisi quod septem habent à capite in collum foramina, Hermol. Lampredæ similes sunt serpentibus in anteriori parte corporis, à medio autem vsque ad extremum similes anguillis: ab eodem medio vsque ad finem caudæ corpus per latera ambitur pinnulis. os eis idoneum quo sugant, non quo mandant, Albert. Et rursus: Spinas non habent, sed cartilaginem loco spinæ dorsi, (*quapropter teneritudinem in cibo etiam appetitur*) corpus valde æquale, quamobrem diu viuunt in partes diuisæ. Felle carent lampredarum genera omnia. Hepar lampredis tenue esse audio, viridis coloris. Tyberim in Italia, Sequanam in Gallia, Seuerinum fluuium in Anglia, lampredas grandes, triginta vnciarum aliquando nutrire aiunt.

Lampredam maximam & pulcherrimam ante paucos annos Basileæ in Byrsa flumine captam, vir clarus & de vniuersa re literaria magnificè meritus Hieronymus Frobenius typographus ad me misit, coducto adolescente valido, qui in ligneo vase pleno aqua ad me deferret: adiuncta etiam icone, vt si fortè contingeret in via eam expirare, piscem tamen ad viuum depictum haberem. Ea longa fuit dodrantes quatuor, corpore mox à branchijs ea crassitie, vt circuli diameter ad quinque digitos accedat. Vix maiorem, ea in vrbe visam aiunt. Ex illius inspectione, lampredam his verbis descripsi. Cutis nigricans pallidis quibusdam angulosis maculis distinguitur, vt in mustelis illis ferè quas Lotas Galli vocant. Tenax ea quidem, non æquè tamen crassa est vt anguillis, nec detrahi solet ad cibum præparandis. Ore loculorum instar (qui ad seruandos numos loro contracti clauduntur) constricto lignum aut lapidem ita apprehendit vt sugere videatur, idque tanta vi vt ægrè auellatur, cucurbitularum medicinalium quadam similitudine. Quanquam autem os rotundum est, in longitudinem tamen id contrahere & claudere potest. Macula albicans in vertice in medio oculorum interstitio apparet: & contiguum ei anteriùs foramen paruum, membrana parum prominente circũdatum. Branchiæ intra foramina, septena vtrinque, latent, vndique affixæ, non absolutæ. Margo oris rotundus fibris quibusdam laciniosus est: quæ nimirum vt firmius hæreat sugatque efficiunt: hos aliqui dentes fortè putarunt, qui lampredam dentes picatos habere putant, quòd tanquam pice oblitis tenaciter eis adhærescat. Sed dentes propriè dictos interius habet: ex quibus interiores quique, maiores sunt. Dentium ordines circiter viginti, tanquam à centro ad circunferentiam digeruntur: ordinibus singulis quaterni, quini seníue dentes insunt. Est & in ipso oris recessu duplex dentium minorum ordo: maior omnino serram denticulis vtrinq; denis refert. ij denticuli continui sunt, & ab vno initio: cæteri cutem habent interiectam. Carnes & pulpæ (seu musculi) in corpore contorquentur. Iecur viride. Plura non addam: quòd ex Bellonij & Rondeletij descriptionibus cætera satis cognoscantur.

C Lampredam maiorem è mari subire flumina, & alia quædam quæ huc referri poterant, prędicta sunt. Veris initio migrare dicuntur, & circa diui Donati diem (qui septimus decimus Februarij est) nullę ampliùs apparent: aut enim recedunt: aut intereunt, corpore reliquo tabescente, licet capitis moles magna relinquatur, vt ex viro docto Miseno accepi. Vêris tempore fluuios ingrediuntur oua pariturę, indeque ad mare cum fœtibus redeunt, Cardanus. Sturio & lampreda toto ore extrahunt humorem eorum quæ sugunt, ad suum nutrimentum, Albertus. Obseruaui ego lumbricos illos aquaticos, *die Neunauge*: item anguillas & murænas (lampredas) gigni viscositate terræ: deinde mutua attritione ex saliuario lentore quem faciunt: tertio ex ouo more reliquorum piscium, &c. Christophorus Salueldensis. plura vide suprà in Anguilla c. Lampreda æqualis est valde corporis, & ideo diu viuit in partes diuisa, Albertus. Ego caput multo tempore postquam abscissum fuerat, moueri vidi.

Quæ sequuntur ex Argentinensi perito quodam piscatore cognoui. Lampredæ salmones è mari flumina subeuntes comitantur, adhærendo eis. Initio Maij optimæ sunt: ab eo tempore quotannis irrequieto motu & natatione adeò exhauriuntur & emaciantur, vt pleræque intereant priusquam pariant, circa finem Maij aut postea. Quòd si etiam fortè pariant aliquando, (ouorum paruulorum congeriem) soboles euanescit, nec vnquam apparet fœtus earum in nostris (circa Argentinam) aquis. Adultæ etiã quæ non pereunt, cum fluuio aqua secunda exacto Maio auferuntur, nec ampliùs toto anno apparent.

E Capiuntur circa Argentinam genere retis, quod vulgò *Wurffgarn* appellant: & in nassis quoque qua profundissimus vel rapidissimus est Rhenus. Dum per Ligerim fluuium iter ageremus, hærentes proræ sex aut septem lampetras grandiores anguillis nautæ ceperunt.

F Mustelam Ambrosius gustu suauem dicit, Iouius. Lampreda nunquam melior est quàm Maio mense, Innominatus. Initio Maij cur optima sit causam lege in c. Spinæ ipsarum quoque, vel cartilagines potiùs, tam teneræ sunt, vt in cibo appetantur. Cæteros omnes pisces nostra ætate excedunt precio, quos vulgò lampetras nominant, Sipontinus. Lampetra non adeò suauis est gustu, vt mihi videbatur, vt anguilla: durior enim est: tametsi mihi non assueto delicatior videri debuisset, Cardanus. Nobilis quidam coquus aulæ procerum (Romæ) lampetras coturnicibus comparabat, Iouius. Romanis præcipua nobilitas à magnitudine atq; sapore, adeò vt denis sæpe aureis singulæ væneant, ipso prę sertim vêre quo maximè probantur, Iouius. Romæ ex Tyberi permagnæ capiuntur. Et bene à natura actum est. quandoquidem illic delicatissimum ac satis magnum produxerit piscem, vbi vallatæ gulę inter se auctis rerum precijs certant. Emi frequenter lampetras quinque, sex, septem aureis, & olim à quodam laticlauio viginti, cum alter secum auctionaretur, scimus. Nec passa est ingenua gula tantam audaciam gratuitã esse. Dispensatori enim, quòd sui ipsius arrogantiam & fastum (nolo dicere stulticiã) imitatus esset, centum aureos dono dedit, ne secundò ad singulare certamẽ prouocatus, timidus ac infractus animo succumberet, Platina. Dulcis hic piscis, sed non salubris est: & cum editur, calidis aromatibus est condiendus & generoso vino, Albertus. Crassum & viscosum succum generat, minùs tamen quàm anguilla. & timendum est ne quid his piscibus veneni insit: quare in optimo vino submergendæ sunt viuæ, donec moriantur: deinde præparentur cum gelu optimis condito aromatibus præstat tamen vt antea duabus vicibus ebulliant in vino & aqua: & (rursus) ea abiecta decoquantur ad perfectionem: & fiat gelu in patina, vel pastillus, vel assentur cum salsamento (embammate) idoneo, vt salsa viridi cum acribus aromatibus, & vino hyeme, omphacio autem & aceto æstate, Author annotationum in Regimen Salernitanum. qui etiam anguillam similiter præparari docet. Lautiorum hominũ lampetras viuas, priusquam coquantur, alij in vino maluatico aut alio dulci, alij in lacte dulci suffocant. Lampredæ paruæ præferendæ sunt anguillis, & minùs periculosæ vt quæ minùs viscosum minusque crassum succum generent, Idem. Lampetras omnibus prætulerim. sed quia raro capiuntur quæ libram excedant, raritas laudem ademit. optimi enim sunt succi, Alexander Benedictus in libro de peste. Ex piscibus delicatiores subueniunt aromate conditi, quales anguillæ sunt & lampredæ, Idem. Lampetram (inquit Platina) erutis dentibus ac lingua, (*linguam eis negat Rondeletius*) & extracto per obscœnas partes solo, quod eò tendit, intraneo, cum aqua calida bene lauabis, nullibi comminuta pelle. Colligẽdus est item sanguis, quo condimentum fieri solet. In os eius nucem muscatam: in foramina quæ circa aures habet (*in branchias*) caryophylli integri grana indes. Inuolutam deinde in spiram, in tegano ad focum cum semiuncia optimi olei, pauco agrestæ, vini albi & optimi, salis quantum sat erit, lento igne percoques. Vbi feruere occeperit, sanguinem è capite in teganum ipsum exprimito. Idem etiam fieri, antequam ferueat, potest. Eius moretum hoc modo facito: Amygdalas aut auellanas cum sua pelle tostas ac tersas, ne cinis insit, bucellam item panis vstulatam cum passulis contundito. tunsa, cum agresta, defruto, aut in parte cocturæ dissoluito, ac per setaceum in catinum transmittito, indendo semper parum gingiberis, caryophyllorum, cinnami, & id sanguinis quod diximus colligendum. Hanc impensam in teganum infundes, donec lampetra cocta videbitur: vnà efferueant sinito. Aliter: Assam si voles, dum coquitur, sanguinem & adipem colliges. Hoc item, eo quo prædiximus modo, edulium condies. Sunt qui minimas, quas lampetrocias vocant, in craticula lento igne percoquant, suffundendo continuò ex oleo, agresta, sale, aromatibus simul mixtis, Hucusq; Platina. Lampetræ (inquit Iouius) suauissimę sunt: Martio tamen Apriliq; mensibus tantùm. nam incipiente æstate durescit neruus interior, qui illis pro spina est. Cæterùm delicatiore quodam condimento multò maiorem, quàm ab ipsis pulpis nobilitatem accipiunt. Necare enim hunc piscem in Cretico vino solent: eiq; myristica nuce os claudere, & foramina illa (*branchiarum vtrinq; septena*) totidem caryophyllis adimplere: in teganoq; conuolutum in spiras, additis auellanis tritis, medulla panis, oleo, vino Cretico aromatibusq; ad temperatiores prunas certis momentis sedulò excoquere. quo condimento Leo X. in minore fortuna, ioci caussa, vt conuiuium exhilararet, Marianum cucullatum, salsum & ridiculum hominem, memorabili impostura decepit. Nanq; funem instar lampetræ incoctum, multoq; illo iurulento immersum, grandi in patina apposuit, ut nota omnibus eius edacitatem gulamq; eluderet: qui iam magna pultarij parte absumpta spendolampetram aggressus, diu multumq; cum ea maxillis ac dentibus inhærente colluctatus, cachinnum cunctis tollentibus facetissimè respondit: Vtinam sic mihi sæpius illudatis. nam in hoc condimento non modò funes, sed & ipsas catenas, (quibus insani vobis similes vinciuntur,) & cum voluptate quidem absumerem. Cæterùm lampetrarum pulpis nullam vim noxiam inesse putandum est: quando & duricie & lento pingui prorsus expoliatæ sint: quibus maximè conditionibus pisces stomachis incommodi esse consueuerunt. Dicere autem eas ab occultiore potestate neruis aduersari, impudentis vel scrupulosioris ingenij esse putamus, Hæc Iouius. Quemadmodum nostri gulæ nepotes lampretam piscem vino Cretico ebriam & submersam, inserta eius ori nuce myristica obturatis externè cum caryophyllis infixis, ex vtroque latere colli septenis fistulis, ne vinum absorptum regerant, enecare solent: sic Apicius artis culinariæ ad omnem luxum archimagirus, nullos pisces in garo enecatos, sapidiores fieri docuit. Vnde & Plato comicus inquit: [illegible] id est, In putrido garo submergentes suffocant me, Io. Langius medicus in epistolis. Cæterùm vt lampredas hodie, sic & gallinas olim vt tenerescerent, si subitò coqui opus esset, viuas in generosum vinum mergebant, teste Horatio 2. Serm. Si vespertinus subitò te oppresserit hospes, Ne gallina malùm responset dura palato, Doctus eris viuam misto mersare Falerno: Hoc teneram faciet. Lampredam ego semel gustaui: cuius pars assa erat in veru, vt anguillæ assantur: pars in dulci & aromatico iure elixa, quæ quidem meo palato suauior erat. Sanguinem in his piscibus non separant vt in anguillis, quòd innoxium existiment. Angli maiusculas pastillis, vt vocant, includunt. Lampredas salsas dolijs inclusas Dantiscum mittit: Hamburgum maiores infumatas.

Lampetrocia.

Mustelæ Philologia cum Quadrupedibus est. Inter vulgares quosdam circa piscium nomina iocos H Germanis quibusdam vsitatos, lampreda tibicinis nomine venit: *Ein Lempfrill ist ein pfeiffer*: fortè ob oris rotunditatem.

DE ALTERO GENERE LAMPREDÆ.

GENVS Lampretæ alterum, cuius iconem vt ab Argentinensi pictore accepi, posui, Argentinæ vocatur *Berle, Berlin, Berling*. Francofordiæ, Coloniæ & apud inferiores Germanos, *ein Pricke*, vel *Brick*. aliqui ineptè murænam interpretantur. De eo iam nonnihil in Lampredæ historia diximus: ad quam remitto lectorem. Piscium Germanicè dictorum *Pricken & Neunaugen*, infinitus numerus capitur in Visurgi fl. in Oceanum labente, quod Iustinus Goblerus nobis indicauit. Ex sene quodam Argentinensi piscatore cognoui, hos pisces sui generis esse, neque fieri ex eis lampredas vt quidam putant. digiti crassitudinem non superare. Parere extremo Aprili vnà cum lampredis paruis enneophthalmis dictis: nec probari eo tempore: postea non reperiri vsque ad diui Adolphi diem. tunc enim rursus apparent, & laudantur mensis vsque ad initium quadragesimæ, (aliàs vsque ad diui Michaëlis diem.) capi vt plurimum nassis, qua profundissimus est Rhenus. nihil in eis cibi aut excrementorum reperiri, ne fel quidem. quamobrem coquendas leuiter incidi carnem satis esse, vt sanguis effluens sartagine excipiatur vino pauco adiecto: aliter enim tenaces fieri. Sale con-

le condiri salmonum instar: & è vase, in quo seruantur, furcula eximi, vt in craticula assentur lucanicarum instar: assas iure à caryophyllis denominato condiri: id principum esse edulium, & nominari vulgò *ein Brickenpfeffer*. In libello quodam innominati authoris de piscibus Germanico, reperio, Berlam vulgò dictam sororem esse lampredæ: (sed nostra lingua vtriusq; piscis nomen masculino genere efferens, fratres facit: *Ein Berlin ist des Lempfrids bruder*:) & placet mensis à duodecimo die (mensis nomen omittitur, Ianuarium aut Februarium acceperim) vsque ad annunciationem diuæ Virginis in Quadragesima.

DE LAMPETRA PARVA ET *fluuiatili, Rondeletius.*

Rondeletius & Bellonius duo tantùm genera faciunt: nostria, & ex eis hanc minimam.

vli. In fluuijs & riuulis paruæ Lampetræ proculdubio in ijs natę reperiuntur, vtpote quæ illic capiũtur, quo nullus marinis aditus patere potest: cùm neq; illi in mare confluant, neque mare cum ijs vlla parte sit coniunctum. Tales in Aruerniæ riuis inueniuntur.

A Vocantur à Gallis Lãproyons, & Lamprillons.

B Marinis sunt partibus internis & externis & colore similes, sola magnitudine differunt: quædã enim magnitudine sunt digitali: aliæ vermibus

(A) terrestribus, crassioribus assimilantur. Tholosæ frequentes venduntur, & illic chatillous vulgò nominantur.

F Carne sunt molli, glutinosa, excrementitia. frixæ & elixæ eduntur, suauioribus aromatis, additis oleo & omphacio, conditæ. Sic apparatæ ab ijs qui gulę delicias sectantur, magis cõmendantur quàm à medicis.

C Luto & aqua vescuntur, ijsdem que in locis degunt in quibus vermes.

COROLLARIVM.

Minimæ lampredæ iconem, qualis à nostro pictore olim efficta est, adiunxi: quòd à Rondeletij pictura, accuratiùs fortè facta, differre videretur.



A De lampreda minima in præcedentibus duobus capitibus iam explicata sunt quædam. Galli Senones & alij quidam Cathoille nuncupant, à titillatione. videtur enim dum manu tenetur hic piscículus, veluti titillationis sensu varijs flexibus contorquere se & elabi. Germani *Neunaug*: quod nomen tamen etiam maiori & marinæ lampredæ attribuunt, vt dictum est. Idem à nobis mutuati Bohemi quoque & Poloni retinent. proferunt enim Neynok, & Naijnog. Germani quidam literati ad nostri nominis imitationem Latinè etiam oculatum vel oculatam appellant: quod non probo: quoniam veteres Latini oculatam piscem marinum nominant, quem Græci melanurum. Huius piscitij genus alterum quoq; inueniri audio à nostris piscatoribus, cui à cœno nomen ponunt *Murneunengen*, in quo degunt: nigriores esse aiunt: nec admitti mensis, sed infigi hamis ad pisces capiendos, præsertim anguillas, thymallos, &c. Si in olla fictili aqua calida elixetur lampetra parua, ollam frangi seu findi aiunt. Capitur ea sæpius reti cum Varijs siue Phoxinis piscículis. Februario & Martio mensibus ad cibum præfertur. Sunt qui laudent circa diem diui Iacobi, (qui vigesimus quintus Iulij est,) & deinceps ad quadragesi-

dragesimam vsque. postea perit aut euanescit, vt audio: sed quærendum diligentiùs, de maiori ne tantùm lampetra hoc accipiendum sit. quoniam Enneophthalmi nomen Germanicum, vt dixi, constans non est. Decimo Aprilis olim hos piscículos gustaui, è Glatta flumine, ouis grauidos: quæ planè ingrati saporis mihi videbantur. Exenterari non solent. Caro est tenax: spina nulla: pro spina dorsi vnus continuus neruus cauus, quo humor albus continetur, simplex, absque vllis neruorum costarúmue ramulis. Intestina tenuissima. Ventriculum animaduertere non potui: neque mirum, cum solo suctu viuat. Foramen in capite suprà, sicut lampredæ maiores, habet. Locus quidam vulgaris hunc piscem inter cæteros puerum nominat, *Ein Neunaug ist ein Kind*: propter paruitatem nimirum.

DE MVSTELARVM FLVVIATILIVM ET LACVstrium genere alio, eiusque speciebus aliquot.

ET PRIMVM DE LOTA GALLIS DIcta, ex Rondeletio.



Lvgdvnenses piscem qui in Arari inuenitur Lotam vocant, qui à Gebennensibus Motella quasi A Mustella nominatur.

Piscis est fluuiatilis & lacustris, Mustellæ marinæ vulgari, de qua alibi diximus, similis admodum, nisi B esset corpore rotũdiore & spissiore. Ex maxillæ inferioribus extremo pilus vnicus ueluti ex mẽto barba propendet, nullus in superiore eminet, vt in marina. (*In nostris puto etiam suprà duo pili sunt, sed in mortuis fere latent, vt in maxima obseruaui.*) Pinnis quatuor natat, duæ sunt ad branchias sitæ, duæ in ventre, ab ano vnicam continuam habet ad caudam, huic æqualem & similem in dorso, quam præcedit alia pinnula. Cauda mucroni gladij figura similis est. Paruulis squamis corpus tegitur, quod è rufo fuscum est, & maculis nigris vndulatim dispositis consperſum. Dentes paruulos & (*instar limæ*) tenues habet. Muco oblita & lubrica est Lota, vt Anguilla. Ventriculum paruum habet cum multis appendicibus, intestina cõuoluta: hepar albicans, in quo fellis vesica, quæ ex viridi flaueſcit: splenem rubrum: veſicam oblongam, aëre plenam. Branchias quaternas & duplices.

Nascitur in lacubus & fluuijs leniter fluentibus, vt in Arari. C

Hepar pro corporis ratione magnum est, & delicatum habetur. Oua noxia, quemadmodum oua barbi, quæ ventriculum lædunt, & aluum turbant. Caro tota à Lugdunensibus habetur in pretio. F

Si quis Lotam, Mustellam lacustrem vel fluuiatilem appellauerit, non ineptè mea quidem sententia A fecerit, modò non eam accipiat, quæ ex mari fluuios petit qualis est Mustella Ausonij: qui Mustellæ nomine Lampetram nostram describere videtur.

DE PISCE QVI A VVLGO BARBOTA VOcatur, Rondeletius.



In lacubus & fluuijs minimè rapidis Lotæ species, vel ei perſimilis piscis nascitur, qui à uulgo Bar- A bota nominatur.

Lotam corporis specie refert, nisi quòd rostro est acutiore, item cauda tenuiore & magis in acutum B deficiente, ventre prominentiore, alijs omnibus similis: Nam veluti è mento cirrus propendet, ab excrementi meatu pinna vnica est continua ad caudam, huic alia respondet in dorso paulò longior, hanc præcedit altera paulò longiùs quàm in Lota à posteriore dissita. Corpus eodem modo coloratum & maculosum, cutis læuis est & lubrica.

Vita etiam & moribus conuenit. Hepar habet magnum † & delicatum, albicans. Carne glutinosiore C est quàm superior, muco enim & cœno vescitur, in eoque delitescit. †F

DE STRINSIA SIVE BOTATRISSA, (ID EST MVstellæ genere lacustri maiori,) Bellonius.

Glanim piscem refert is quem Insubres & Taurini Botetrissam nominant, demta tamen magnitu- A dine. Sunt enim tam propinqua similitudine, vt eorum alterum maiorem, alterum verò minorem dicere possimus.

Huius

B Huius piſcium generis alij (*ſpecies nimirum duas vnius generis*) in flumine capiuntur, alij in lacu. Qui ex Verbano, hoc eſt, maiori Italiæ lacu adferuntur, libras quatuor groſſas, id eſt, ſeptem libras communes pendent. Qui verò in Ticino capiuntur, (*lotæ ſcilicet vel barbotæ ſil.*) libram vnam groſſam, ſeu libras tres communes non excedunt: Ideo hos Mediolanenſes paruos ad diſcrimen maiorum vocant. Colore præterea diſſident: Nam qui in flumine capiuntur, nigricant, & ſunt vnicolores: qui autem ex Verbano ſunt lacu, ex flauo in cinereum colorem vergunt, & fuluis maculis diſtinguuntur. Cùm autem ad Luganum lacum ventum eſt, pagorum incolæ nomen eis mutant, & Strincza nominant. Nam quum alijs eius nomen à Botto qui Gobius eſt, componatur, Botatriſſæ dicuntur. Mediolanenſes pro bottis eos intelligunt, quos Romani Miſſoros nuncupant: quorum progenitos Veneti Marſiones appellant: adulti autem, Gobij albi dicuntur, vulgò Paganelli.

A Lota ſiue Barbota fluuiatili, (*Clariùs diceret, Lacuſtris à fluuiatili: quanquam ſola magnitudine eas differre verum non eſt: colore etiam eas diſcerne, ipſe Bellonius proximè retrò dixit. nos à pinnis quoque diſcrimen oſtendemus.*) ſola etiam magnitudine differt: nam Botatriſſa Verbani, aut maioris lacus Barbota, duplo maior excreſcit, eſtq; popularis Mediolanenſium cibus. Longitudinis ſemipedalis plerunque eſſe ſolet: craſſitudinis verò quantum pollex cum indice amplectatur. Caput veluti compreſſum, craſſum & latiuſculum habet, reliquum corpus vt Anguilla lubricum. Anguillam quoque referret, niſi curto eſſet corpore. Duas præterea fert in tergore pinnas carnoſas: quarum anterior capiti vicina multò minor eſt, quàm ſecunda quæ in ſummo eſt, & ad caudam deſinit. Alias habet pinnas in lateribus molles & latas vt conger aut Anguilla: duas iterum ſub ventre minores: caudam latam & mollem: vnde mihi dubium (*addo, no.*) eſt, piſcem hunc inter Gobiones minimè adſcribi debere. Sunt enim ſquamæ Gobioni, & pinnæ
F ſpinoſæ. Cæterùm colore luteo prædita eſt Botatriſſa, & cinereis ac fuluis maculis variegata Camelopardalis in modum. Ventrem grandem habet, & facilè putreſcentem. Nam & mollis & tenellus eſt piſcis, dulci oarne & palato gratiſſima præditus. Mediolanenſes hunc piſcem cum cute, vt Græci Anguillas, frigunt: ſed fricticæ Botatriſſæ pellem in membranæ modum ſequacem & lentam habent.

DE LOTA SEV BARBOTA RVRSVS EX BELLONIO: qui Clariam fluappellat.

Rondeletius Lotam & Barbotam duo nomina in ſpecies duas diverſas refert.

A Claria marina in Aſellis iam deſcripta eſt: fluuiatilis autem, quam hîc adducimus, vilis eſt pretij ac nominis. Cœnoſa eſt, ubiq; ſatis frequens: vulgus Barbotam, non à barbis aut arunco nominat, ſed ex hoc quod Galli barbotare, cœnum & limum roſtro, anſerum modo, commouere dicunt: Lugdunenſes Lottam nominant: ſunt qui Marmotum vocent. Itali Botola, alij Botum vel Botam.

B Anguillæ aut Congri modo glabram cutem habet: atque idem caput. Cirrho recto breuiq; & ſimplici in maxilla inferiori barbatur. Continuam in tergo pinnam gerit mollem, ad caudam (quæ illi rotunda eſt) deſinentem. In nonnullis duas pinnas in tergo videas: quarum exigua eſt quæ capiti magis eſt vicina: ſed & inter anum & caudam rurſus aliam pinnam gerit: vnam præterea vtrinque in lateribus circa branchias, quas vtrinq; quaternas habet: duas verò ſub ventre capiti multum propinquas. Cæterùm duos in inferiori maxilla habet denticulorum ordines, admodum paruos: atq; in ſuperiori maxilla totidem, vt nihil quàm aſperitas in eis ſentiatur: nam alios etiam in fornice palati gerit. Tergus & latera fuluum vel ſubluiidum colorem habent: venter autem albicat. Semipedalem non excedit longitudinẽ. Hepar lobum oblongum ad ſiniſtrum latus demittit, ſub quo eſt ſtomachus. In pyloro apophyſes ſeu cæcos vigintiquinque connumerare potes: lienem quoque videas, neque dextro neque ſiniſtro, ſed in medio ſpinæ ſtomacho inhærentem. Anus eius propinquior eſt capiti, quàm caudæ. Inteſtina pluribus quàm tribus inflexionibus non circunducuntur. Oua in bicorni vulua fert vtrinque permulta.

DE MVSTELÆ FLVVIATILIS GENERE IN NILO: *quod Clariam Niloticam Bellonius nominari poſſe conijcit.*

Alabu Nili fortè hic piſcis eſt, cuius meminit Strabo: niſi Lampetra potiùs fuerit.

A Memphi piſces quidam edules circunferuntur è Nilo capti: quorum nonnulli ſunt inſipidi, alij ita viles, vt à pauperibus tantùm edantur: quorum ex numero quendam obſeruani, cuius glabra pellis vt Anguillæ erat, Clariam, hoc eſt, Lotam Gallicam referentem: vnde Clariam Niloticam vocari poſſe credidi.

B Pedalis eſt longitudinis, brachijque craſſitiei. Caput Callionymi habet, grande, carnoſum: magnum inter oculos ſpatium, ſeſquidigiti menſura. Oculos emittit grandes, eodem ferè modo quo in Callionymo ſitos: quorum pupilla ex nigro fulua eſt: iris autem albet. Merlangum colore quodammodo refert: cirrhos duos ſemipedem longos ac molles gerit: vnde Barbatulam plerique in Ægypto vocant. Superius labrum paruos admodum dentes duobus ordinibus diſpoſitos habet: inferna autem maxilla tantùm exaſperata eſt. Linguam vix habet conſpicuam: caudam latam & bifurcam: in qua forinſecus duæ ſunt appendices corneæ, rotundæ, palmum longæ, quæ in nullo alio piſce cernuntur. Branchias oſtendit vtrinque quatuor, ſub quibus pinnas videas vtrinque oblongas, ſingulari aculeo ſerrato munitas. Pinnas iterum alias ſub ventre duas, ac rurſus vnicam continuam, in tergo carnoſam, vno tantùm aculeo munitam, podicem longè à cauda: hepar in multos lobos partitum: ſtomachum oblongum: inteſtina paucis anfractibus reflexa. Cœno, ſpurcitijs & piſciculis veſcitur. Folliculum, qui piſcibus datur ad natandum, faul in modum crebris foraminibus pertuſum habet, vt corpus quoddam ſpongioſum videatur: oua edit parvula. Memini me vnum huius ſpeciei piſcem in litore proiectum circa Buſirim vidiſſe, qui cubiti longitudinem exceſſiſſet.

COROL-

COROLLARIVM.

Icon hac muſtelæ fluuiatilis noſtræ eſt, maior proportione quàm oportebat: pinnula etiam dorſi anterior non ſatis diſtincta eſt incuria pictoris.

Muſtelam eſſe quo de agimus piſcem, ſi non Auſonij, nihilominus tamen hoc nomine dignum, & muſtelæ marinæ, quam Aelianus etiã Græcè μελλῶ vocat, ſimilem iudicaui ſuprà in Lampetra A. Sabaudi quidem plerique hodie Latinũ muſtelæ nomen de hoc piſce hodieq; retinent. Iouius hoc piſciũ genus gobios fluuiales nominat: Bellonius omnino diuerſum eſſe oſtendit. Murmellius multò ineptiùs alauſas nũcupat. Fallũtur & qui lacertum, & qui myxonem exiſtimant. Bellonius clariam vocat ex Oppiano. ſed clarias marinus eſt piſcis, aſellorũ generis, idem qui callarias, &c. de quo in Aſellis multa diximus. Vide pag. 89 & deinceps. Inſubres hos piſces Strincios & Botetriſſias appellant, Iou. Circa Comum Strintz, Boſtriz, & Strinco nomina vſitata ſunt. Bottatriſſa, ad lacum Verbanum: alijs Trinca. A Benedic. Iouio Pauli fratre inter Larij piſces Triſius appellatur. Luſitanis Enxaroquo. Gallis Senonibus Boullauſe vocari audio forte & plerunq; vẽter ei ceu bullis infletur. Sabaudi Mouſtelle vel Mouttoille nominãt: Mouſtoile, ad lacum Neocomenſem. Circa Rhodanum alicubi (haud ſcio an Valleſij) Setchot.

Treſch apud Heluetios cõmune nomẽ, ſpecies tres aut quatuor complectitur, vt referemus. accedit autẽ ad Italicum nomẽ Triſſius, vel Triſſia potiùs, nobis quoq; fœminino genere vſitatum. Triſcã aliqui efferunt ceu Latino nomine ad Germanicum effecto. In vetuſtis legib. piſcatorum manuſcriptis noſtris, reperio etiam *Thryſcheli*, quod diminutiuũ eſt. Fluuiatiles apud nos ſpecie differunt à lacuſtribus. ſunt n. minores, colore nigricant, carne albiore ſolidioreq; in cibo lautiores: duab⁹ per dorſum pinnis, ſicut & Rondeletius pingit: Iidẽ puto *Gruelfiſch* in lacu Conſtantienſi dicuntur. Olim fluuiatilem fœminam (eam puto quam nigricãtem modò dixi) Ianuario menſe diligenter cõtemplatus, his verbis (ex quibus tamen nonnulla alijs quoq; huius generis ſpeciebus conueniunt) deſcripſi. Piſcis eſt forma & flexibus ſerpentẽ fermè referens: capite lato. caudam verſus valde attenuatur. Branchiæ ei quaternæ. Pinna ad latera branchiarum vtrinque vna nigricat: & aliæ duæ paulò inferiùs in pectore paruę albicant. A podice exorta vna oblonga, paulò citra caudam deſinit. item in dorſo oblongior alia vltra medium dorſum continua tendit. (*& alia ante eam minor caput verſus eſt, ſi bene meminì.*) Pinnæ omnes molles ſunt, & ſine ſpinis. Caruncula ſub mẽto pili inſtar prominet. Cauda non bifurca, ſed circularis: nuſquam omnino diuiſa, ſed vbique ſibi inſtar membranæ continua: colore vario è fuſco & nigro. Dorſum tenerum albicat: latera iuxta dorſum minimis punctis nigris in colore ſubalbido diſtincta ſunt. Os aperitur hiatu rotundo. Totus piſcis ſine ſquamis & viſcoſus eſt. Maxillæ minimis denticulis ſerratæ. Color ſubalbus (*linea ſubalba nimirum*) à capite incipiens, obliquè per latera caudam verſus procedit. nam cauda in colore nigricante variat. mẽbranea verò caudę extremitas partim nigricat, partim ſubflaua eſt. Lapillos duos in capite gerit albiſſimos, & bene duros.

Eeo figura

Lacustris. figura & magnitudine granorũ oryzæ. In lacubus aliç maiores sui generis reperiũtur, in nostro, Gryffio, Lucernano, Dunensi, & alijs. Maximas quidẽ capi audio circa Dunũ in lacu: vt in Lucernano quoque: sed has cum magnitudine excedant, in cibo nostris inferiores esse aiũt. Persequũtur præcipuè fœturam generis cuiusdam trutarum lacustriũ, quas à rubicũdo colore nostri denominãt. Iecur earũ magnum, inque cibo lautissimum est: sed aliquando grandine morbo, vt sues, vitiatur: in lacustribus duntaxat quibusdam, fluuiatilibus nullis. in Gryffio lacu hoc malũ eis accidere negant: in nostro autẽ, præsertim quo tẽpore pariũt & aliquãdiu pòst, hoc morbo laborãt: excepta parte lacus quæ supra Rappersuillam est, in qua salubriùs degunt. Consyderata olim à me trissia mas in Gryffio lacu capta, huiusmodi erat: Longa dodrantes duos cum palmo: filum ambiẽs ventrẽ trium palmorũ. Denticuli minimi, frequentes, vt serpentium. Superior pars oris duos ordines dentium habet: vnũ scilicet interiùs in medio, cui infrà nullus respondet. Sunt & in intimo oris recessu, duo denticulorum ordines ceu in maculis duabus. Branchiæ quaternæ. Squammulæ rotundæ minimæ, quæ dũ pellis cultro raditur, apparent: (in paruis verò generibus, tũ fluuiatili, tũ lacustri luteo minore, nullæ prorsus.) per cutim passim ceu foramina, seu puncta caua rotunda, conspiciuntur: quæ si quis caput versus validè radat, albissima videntur: sin iterum caudam versus, rursus obscurantur. In ventre meatus duo, vnus excrementi: alter geniturae: qui compressus lacteo succo manabat. Et rursus aliâs alia ex eodẽ lacu, huiusmodi: Subflaua, punctis nigris, barbula à mento demissa, albicans. Ante initium pinnarum in dorso, carnosa particula, mollis, teres, intusque caua, prominet. Inde mox sequitur pinna breuis, longitudine pollicis. deinde vna continua, octo vel nouem digitos longa. ab ea nudum pinnis dorsum est per tres ferè digitos. tũ sequũtur aliæ duæ paruæ, triangulares ferè, inter quas digiti propemodum spaciũ intercedit. ex quibus infima & vltima, minor & caudæ coniuncta est. Fel subuiride vesicula eius tum iecori tum intestinis affixa. In ventriculo pisces duo integri erant, vterque digitos septem longus, tres latus: nec aliud quicquam. Pondus totius, vnciæ quinquaginta. Coctæ pellis subuiridi & deformi colore erat. caro albissima, bona, satis solida. iecur album, non, vt in minoribus, subruffum, grande, suauissimum. *Alia.* In alia trissia parua, fluuiatili fortè, digitos decẽ longa, pinnæ dorsi sic sunt: Primũ, caruncula illa breuis nõ est, sed pinnula digito breuior: &, minimo spacio intercedente, alia duos digitos longa. deinde post spacium duorum digitorum, alia paulò breuior, media, & mox cauda. Rursus ab hac differt alia, paulò lõgior, (vt semel animaduerti: non enim simpliciter hæc accipi debent, quod ad magnitudines & colores:) cui minus erat flaui in corpore, plus nigri, & eius splendidioris. primum enim pinna illa breuis est, deinde vna longa continua vsq; ad initium caudæ. Ergo magna trissia lacustris, præter carunculam illam, pinnas in dorso quaternas habet: ex minoribus, nigricãs binas: luteola verò maior ternas, minor binas: si modò species duæ sunt luteolæ: quod accuratiùs considerandum est. Minoribus lacuum trissijs pinnæ in dorso binæ, adeò propinquæ inuicem sunt, vt vnica putentur: colore fusco, non pulchro. Differentia à pinnis certior. nam colores multas ob causas variare possunt. *In Acronio lacu.* Trissia (vulgò *Trisch Triisch, Triesch*) circa Acronium lacum vocatur priuatim huius piscis species quæ in profundo versatur: quæ autẽ in summa aqua & procellis obnoxia natat, Constantiæ *VVelfisch*: Lindauiæ *Gentlfisch* dicitur: estque ea minor, pulchrior, nigrior, inque cibo delicatior, quàm quæ in gurgite manet. Eiusdem generis piscis magnitudine & ætate minor, *Mosgerle* à musco & alga nominatur: & quidam Latinum Musconis nomen ei finxerunt. Constantiæ tamẽ alterius generis, quod in profundo agit, paruum adhuc piscem *Mugerle* nominant: deinde maiorem, loco etiam victuque mutato, triscam: quæ plerunque iustam pedis longitudinem, pondus autem bilibre attingit. Ex his nusquam circa totum illum lacum plures maioresque capiuntur, quàm iuxta arcem cui Rhenus & angulus nomen faciunt, qua fluuius lacũ subire incipit. Illic & caupones reperiri aiunt, qui iecinora horum piscium ceu præcipuas delicias eximant, & pisces ipsos fonti seu viuario ad dies quatuordecim reddant, (vulnere nimirum rursus consuto:) quod & apud Misenos, & circa initium Lucernani lacus, vbi Vrsa fluuius influit ad Fluẽlam pagum, aliquando fieri audio: sunt qui addunt iecur in eis breui tempore renasci, quod verisimile non est. Sueui fluminis aqua nigricat, propter alnorum copiam per quas fluit, vt coniicimus, & pisces in eodem, præsertim gobiones (*hoc nomine trissias eum intelligere puto*) nigriores, & cute & carne densiore, palatoque sapidiores sunt. Idem fit in Varta flumine Bohemiæ, Iodocus Vuillichius. Strinsia seu Botetrissia Bellonij est Mustela maior lacustris, paulò ante à me descripta: *Ein grosse Seetrüsch mit gaelben flaecken.* Clarias Niloticus, *ein Aegyptische Trüsch vß dem Nilo, oder besser ein VVelsenant vß Aegypten.* Barbotam Rondeletij nominabimus *ein Storztrüsch*: vel circunloquemur, *ein Trüsch mit einem spitzen schnabel, vnd den schnauwtz auch gespitzt.* Trissia Danubij, vt ex pictura vidi, satis magna est & nostra fluuiatili nigrior.

Species hactenus enumeratas omnes, (& alias infra dicendas) si vno Latino nomine cõplecti libeat, Mustelas vocabimus, differentia singulis à magnitudine, colore, pinnis, aut loco, vel aliunde adiecta. Multa quidem omnibus communia sunt, tum enumeratis speciebus inter se, tum etiam siluro: quem si quis Mustelam maximã nominârit, nõ fecerit ineptè: quod & Bellonius monet: Glanim (*inquit, sic autem vocat silurum*) Botetrissa refert, dempta magnitudine. sunt enim tam propinqua similitudine, vt eorum alterum maiorem, alterum verò minorẽ dicere possimus. *Communia Mustelis diuersis & Siluro.* Communia autem, quç dico, in eis obseruaui hæc: Corpus lubricum sine squamis, (licet in quibusdam squamulæ minimæ radendo appareant:) flexuosum, quod caudam versus attenuatur veluti in tæniam. Coloris varietas maculosa. Pinna ab ano ad caudam ferè, oblonga, præterquam in mustela fossili. Binæ omnibus (lampetras excipe, quæ etsi communia quædam cum hoc genere, plurima tamen diuersa habent: ita vt nomen idem non nisi ὁμωνύμως eis attribuamus, tanquam generi diuerso) ad branchias: & aliæ binæ eodem circulo inter caput & ventrem. Pupilla oculorum (in multis) alba, pars ambiens nigra. Branchiæ quaternæ simplices. Caput magnum, latum & veluti compressum. In cerebro lapilli. Os grande, rescissum. Barbulæ circa os, infra supraque numero & magnitudine differentes in diuersis generibus. Dentes nulli (exceptis lampetris) sed veluti in lima exasperatum os. Voracitas piscium, quos deuorare possunt. Caro mollis & dulcis. Iecur magnum, in delicijs. Vesica (aut folliculus aëris) nulla. Intestinum parũ anfractuosum, ferè simplex. Stomachus: ab eo ventriculus, & in circuitu multæ appẽdices.

A nostris hunc piscem *Treusch* appellari dixi, &c. & quoniam species in nostris tum fluentibus tum stagnantibus aquis diuersæ reperiuntur, ad eas describendas, & explicãdas differẽtias, & ea quæ plerisq; aut omnibus communia sunt memoranda, diuerti. *Germanica nomina diuersa.* Nunc ad reliqua Germanis in diuersis regionibus vsitata eiusdẽ piscis nomina referenda, redeo: in quibus adeò variant Germani, vt vix magis in vllo alio pisce. Circa Augustam vocant *Rugget*. In Austria, Carinthia, aliiq; Danubij accolæ, *Rutte*. Ad Rhenum inferius *Ruffelck*, vel *Rufolck*: ab Algauijs & Sueuis *Rofolck*. Alibi *Rup, Raup*: & præposito anguillç nomine (qua cum similitudo quędam ei intercedens, alia quoque plura nomina cõposita ei conciliauit) *Alrupp, Olrupp*: vt Miseni & Saxonũ aliqui appellãt: Coloniæ *Oelruppe*. Piscis est ex genere anguillarũ, capitosus, quem Germani à sono vocis vocant *ein Quappe*. Illum piscatores ferunt ore coire cum ranis aquaticis maioribus: sicuti videmus sæpe animalia diuersæ speciei inuicẽ coire, &c. & nescio quid ille ipse piscis ranini præ se fert ore, deinde pinnis inferioribus ad caput, colore, tẽpore coitus. postremo quod omniũ maximũ est, stomacho, Christophorus Encelius Salueldensis. In cuius verbis primùm non probo, quòd piscem anguillç similem anguillarũ generis facit. deinde quòd ore coire cũ ranis aquaticis piscatoribus temere asserentibus non solùm non cõtradicit, sed etiã patrocinatur. quanquã enim animalia quædam specie diuersa inuicẽ coëant, genere tamen ea diuersa non sunt, vt lupus & canis, vulpes & martes: nam quæ de viperæ & murænæ coitu quidam prodidêre, falsa sunt. pisces autem omnes toto genere à ranis dissident. Adde etiam ore animal nullum coire: etsi tum piscibus tum auibus quibusdam talem coitum Encelius falsò attribuat, vulgi fortè credulitatem aut aliquam veri similitudinem secutus. De vẽtriculi figura, cui pedes ceu ranarum appingit, ne id quidem verè, dicam in B. Quod ad nomen etiã piscis, verba hæc eius: Hunc piscem à sono vocis Germani vocant *ein Quappe*: non intelligo. neque enim vocalẽ hunc piscem esse vnquam audiui. Sunt quidem ex piscibus qui branchijs aut aliter sonum quendã, nõ vocem ædant. sed à mustela talem sonum, vnde per onomatopœiam *Quapp* nominetur, nequaquam ædi puto: & multò minùs ranæ rubetæ, quã Saxones *Quapp* appellãt similẽ. quin potiùs ab aliqua corporis similitudine, quam ipse mox indicat. cum rana rubetáue, non autem vocis, ab ea nomen mutuari verisimile est. Quamobrem & alij quidam inferioris Germaniæ populi, vt Flandri & Frisij, vocabulis quidẽ diuersis, sed idem significantibus, hunc piscem indigetant *Pudde*, (vt & Angli *Poutte*,) alij *Puut, Alputt, Aelputt*, Hollandi *Puitael*: hoc est ranam simpliciter, vel anguillam simul & ranam: (vt Saxones quoque *Quapp* & *Alquapp* dicunt) nam corpore anguillam fermè refert hic piscis: oris rictu ranam siue simpliciter, siue rubetam hanc quidem Itali bottam vocant: vnde & gobio fluuiatili capitato, cui os simile, Botti apud Italos nomen est: & compositũ botetrissiæ piscis nomen. Docti quidã Germani gobionẽ interpretãtur, *Coben* vel *Quappen*: sed quærendum (inquiunt) an *Coben* differant à *Quappen*. Ego Germanicum nomẽ *Coben* accipio pro gobione fluuiatili capitato: *Quapp* verò pro mustela, qua de agimus: & fortè coniecerit aliquis illud quoque nomen à Gobio Latino deriuatum esse: (nã inter c. & q. maxima est affinitas, vt cocus & coquus:) & gobionum generi hos pisces Iouius quoque adnumerat. cuius tamen sententiam non probamus: & ab oris rictu ranarũ instar appellatos esse hos pisces Germanis Germanico nomine probabilius est. *Seequapp* non mustelam marinam, vt nomẽ præ se fert, Oceani accolis significat, sed fungum quendam, vel leporis marini, vel pulmonis vrticęque speciẽ. Vide suprà in Lepore mar. *Borboche* dicuntur pisces fluuiatiles & lacustres, anguillis ferè similes, sed breuiores & ventrosi, qui profunda semper petunt: ita vt in lacu Acronio ad trecentos passus sub aqua hamis capiantur. Hic piscis Germanicè à quibusdam *Abmuizes* (aliâs *Almutzes*: lego *Alpuitten*) vel *Alquappen* vocatur. nonnulli etiam *Lumpen* vocant. De eodem fertur quòd circa duodecimum ætatis annum cum in maximam quãtitatem excreuit, *Solaus* appelletur, Albertus. Ego pro *Solaus* lego *Salut* vel *Salu*: ita Sabaudi & vicini Heluetij silurũ nominant, quem Mustelis similem esse, sed multò maximum, antea diximus. sed ex Borbocha Salutum nasci neutiquam verum existimo. Equidem coniecerim pro *Borboche*, aliud legendum: fortè *Barbote*: (sunt quidem omnia in Alberti libris quàm deprauatissima. & paulò ante etiã *Boché* pro *Bothe*, qui passeres pisces sunt, legitur.) est enim piscis barbatulus. Husonem quoque vulgò dictum Danubij piscem ab accolis Tanais Barbotam nominari scribit Bellonius, à barba scilicet. Strinciam tamen, id est mustelam hanc nostram, barbotam dici putat, non quasi barbatam, sed à cœno: quod non placet, quoniam cœnum Galli bourbe nominant, per ou, non per a. ex Alberto quidem Germanos etiam hoc nomine vti apparet, (inferiores tantùm opinor,) qui etsi à Gallis quædam vocabula mutuentur, cœnum tamẽ & limũ similiter vt Gallis nominari ab eis non puto. Rondeletius barbotæ nomine speciem vnam solùm indicauit, licet omnium maxilla inferior cirro veluti arunco barbata sit. Est & *Milker* vel *Melker*, à lacte deriuatum nomẽ, inferioribus Germanis de hoc pisce vulgare: galaxiam fluuiatilem Græcè dixeris, (nam alius galaxias siue galarias marinus est.) hoc autẽ nomen eis datũ à lacteo iecoris colore puto: quale in magnis lacustribus nostris pręcipuè visitur: quarũ cutis etiã si caput versus radatur, puncta quædã albissima apparent. Rondeletius iecur albicans Lotæ etiam suæ tribuit, & Barbotæ. Hæc mihi condẽnti Geldrus quidam narrabat, *Milker* à Geldris vocari piscem mustelæ nostrę prorsus cognatum, sed breuiorem, crassiorem, & nigriorem: & alio nomine *Kutt* appellari. (verùm posterius hoc diuersi etiam piscis nomẽ est.) Iidẽ *Milker* vocitant harengum marem priuatim, non omnem piscem marem vt nostri.

Anglicè. Illyricè. Angli *Pounte* nominant: & *Elepounte*: sicut & Germani inferiores *Putt* & *Alputt*: quorum nominum rationẽ explicaui superiùs, aliter & meliùs fortè, quàm ab Anglo quodam nuper accepi: qui *Elepounte* vocari aiebat, quasi anguillam ventricosam. Poloni Mientus, Bohemi Mnik.

Multa quæ ad mustelarum corporis, eiusque partium descriptionem pertinent, exposita sunt in A.

B

Mustelam Constantiæ tantam aliquando captam esse, vt drachmis duabus cum dimidia venderetur, admirationi fuit. Prægrandes etiam in Rheno capi aiunt supra Acronium lacum in valle Rhenana dicta. Ad duas aut tres libras sedecim vnciarum aliquando accedunt. Nigriores quidam fieri aiunt circa ripas: in profundo autem, vbi minus alget aqua, magis ruffas. Carnem habent dulcem: hepat magnum, rotundum, dulcissimum: pellem viscosam, non crassam, Albertus. Circa fodinas Mansfeldenses Germaniæ lacus quidam magnus est, & qualia ille viua animalia aquatilia producit, puta piscium species, ranas, & alia reptilia, tales figuras pingit & effingit natura cupro puro in superficie petrarum minera-

lium. Ego vnum huiusmodi lapidẽ habeo, in quo deformatus est piscis, quẽ Germani vocant Olruppam & Treisam, habetque ingens hepar, Munsterus Cosmographiæ suæ libro 3. Genera quædam piscium ramos habent exeuntes à suis intestinis, tanquam vnum intestinum in multa diuidatur, sicut manus diuiditur in digitos: & hoc videtur in intestino salmonis, & piscis cuiusdam anguillæ similis, qui apud nos vocatur *alcute* (fortè *alpute*,) & quidam vocant eum *alrupte*, quidam autem simpliciter ruptã vocant, Albertus. Stomachus Quappæ piscis ex quinque vel sex raninis pedibus constat & cõpactus est. Hinc Saxones dicunt prouerbio: *Es vvard em Quapp no nie so out, St hefft in sick em patten fuoth*, pedem enim vocãt *em fuoth*, ranas verò *patten*; quamobrem etiam piscis hic ab eis odio habetur. Vulgò etiam stomachum huius piscis Saxones nominant *Quappen fuot*, *Quappen hendscken*, hoc est pedẽ vel manus piscis Quappæ, Christophorus Encelius in libro de lapidibus & gemmis: vbi figurã quoq; ventriculi huius piscis depictam exhibet, quam ego hic imitari nolui, quòd non verè nec ad viuum facta mihi videatur. è medio enim ventriculo tria quasi brachia articulata extendit: & singulis brachijs manũ addit, palmã videlicet, id est latitudinem quandam: quæ in digitos quinque, ipsos quoque articulatos, quales omnino humani sunt, & longitudine impares, finditur. Sed artificium pro natura exhibere, illudere est lectori. Ego in mustela nostra, tum maiori, tum minori, appendices obseruaui, nõ ab ipso ventriculo enatas, sed inferiùs paulò circa intestinum, neque branchiatas illas, palmatas & articulatas vt Encelius pingit: nec tantas vt tam longè diduci extendique possint, sed multò breuiores: neque etiam quinas seu quintuplices omnes, sed alias binas, alias ternas esse memini in maiori mustela: in minori non satis memini quotæ fuerint. Non multifariã in his piscibus conuoluta intestina, sed triplicata tantũ habẽtur. sunt enim voraces. Similitudo cum anguilla quædam est: & quoniam ventre magno & protuberante est, Hollandi vulgò dicunt hanc matrem esse anguillæ. Rictus oris latus ampluſque, conuicio in hominem quoque à nostris traducitur: *een Trüschen maul*.

E piscibus (inquit Cardanus de rerum varietate lib. 7. cap. 37.) qui in aquis dulcibus inueniuntur, quidam marinis valde similes sunt, velut botta gobioni. ideo non immeritò aliqui fluuiatilẽ gobionem appellauêre quem quia à nemine diligenter descriptum vidi, hîc describere placuit. Habet is sub branchiarum fine pinnas duas breues, vt pedes esse videantur. sub mento in inferiore labio cirrum vnicum carnosum. in dorso pinnam paruam primùm: pòst, aliam longam, priori proximam, quæ ad caudam extenditur. caput latum & depressum: dentes in vtraque mandibula paruos. oculos quasi in capitis superiore parte, linguam fermè solutam, ventrem tumidum. dorsum & latera flauescunt cum maculis nigricantibus. iecur magnum, molle, suaue. Caro, vt plerunque fit, iecoris naturæ respondens, sed non adeò tamen mollis ac suauis Bottam vocarunt, quòd vtri similis sit. Mediolanenses autem vtrem vocãt bottam. Grandi est capite, & in eo lapillus quasi dentatus, lunari forma. Paruæ, caput grandius pro corporis ratione habẽt. Lacus est vulgò Pisciacus dictus vel Couius (aliàs Conius, inquit Bellonius Singularium Obseruationum libro 1. cap. 53.) qui dimidij diei itinere Siderocapsa, bidui verò Thessalonica distat. in eo præter alios pisces clariam quendam nominant. (*Ego non ipses indigenas sic nominare puto: sed Bellonium ex Oppiano hoc nomen huic pisci posuisse: apud quem clarias per syncopen pro calarias legitur: qui tamen asellorum generis & marinus piscis est.*) Cuius generis vnum cum publicè protulissem, multi ludæi hoc pisce vesci soliti accesserunt, squamis eum esse tectum asserentes, ideoque mensis eorum non interdictum. Ego verò cum nullas in eo squamas animaduerterem, tantam inter ipsos disceptationem excitaui, vt rixa propemodũ ad manus veniret. Qui nuper ex Hispania venerant, malæ consuetudinis cæteros arguebant. Qui verò aderant sacerdotes, diligentissimè perscrutantes, cum rudimenta quædam squamarum reperissent, concluſum est tandem inter eos licere his piscibus sine aliqua contradictione vesci. Ego tamen clariã squamis carere deprehendi: & eundem esse piscem qui Lugduni Lotte, Lutetiæ Barbote dicitur, Hæc Bellonius. Rondeletius quidem Lotam paruulis squamis tegi tradit. ego in lacustri maiore tantùm squamas, dum cultro pellem raderem, exiguas inueni. Iecur cum pinguiusculũ sit, calore Sõlis aut ignis in oleum soluitur, sicut mustelorum marinorum: & suaue delicatumque est, similiter vt mustelarum marinarum.

An squamosus hic piscis sit.

C Piscis hic voracissimus est: nec vllus puto pro sua magnitudine pisces maiores deuorat. Sæpe in paruis etiam piscibus integri inueniuntur. Profunda semper petunt: ita vt in lacu circa Constantiam ad trecentos passus sub aqua hamis capiantur, Albertus. Nos in eodem Lacu genus vnum in summo natare, & ab eo, *VVellfisch* appellari diximus suprà in A. Pisces quidam parant sibi cauernas in arena: & quidam in luto, & extra illam non emittunt nisi os, vt puram aquam frigidam attrahant & emittant branchijs: vt pisces apud nos similis anguillæ, quem *Quappen* vel *Aßcurem* (lego *Alputten*) quidam vocant Germanorum, Albertus. Ranæ per hyemem aliquando reperiuntur circa tepidiores aquarum scaturigines in ipsis lacubus: & aliquando cum mustelis piscibus in profundo agentibus (quas inde *Grundtrüschen* appellant nostri) in lacu nostro extrahuntur, ore eis adhærentes, tanquam exugendi gratia alimenti. Hinc fortè suspicati sunt aliqui hos pisces cum ranis etiam coire: quod suprà in A. refutauimus. Parere incipiunt in Acronio lacu mense Decembri, aliàs tardiùs aliàs citiùs in eo mense, pro caloris & frigoris ratione. Apud nos circa finem Ianuarij ferè. Soli piscium senectute obcæcari creduntur. Lacustres (præsertim luteolæ minores) minus agiles minusque validæ sunt nigris, præsertim fluuiatilibus.

C Piscem dolosum & insidiosum esse aiunt: fortè quoniam plerunque in fundo degit, & ex cauernis vel aliter latens, (facilius autem latet qui colore est fusco & concolor vado) ex improuiso magna celeritate in prædam fertur: vt mustelæ etiam terrestres ac feles solent. Quamobrem aliqui furem inter iocularis piscium nomen claturas cognominant. *Ein Rufolck ist ein dieb.*

E Circa Constantiam in lacu ad trecentos passus sub aqua interdum hamis capitur, Albertus. In nostro lacu piscatores lineas ad passus (id est orgyias, Albertus forte passum progressu accipit) sexaginta demittunt, hamis numero quinquaginta quinque instructas, ita vt singulę passus interuallo digerantur, gobijs capitatis aut illis quos fundulos nominant, infixis. hos enim mirè appetunt. Has lineas à pisce denominant *Trüschenschnur*: quibus per hyemem trutas etiam à rubicundo colore dictas, capiunt. Retibus

Retibus quoque iisdem (*Roetelegarn* appellant) & trutæ quas dixi, & mustelæ capiuntur. ea ad passus quadraginta demitti solent. Mustelas in fluuio nostro nisi ad certam mensuram adultas capi lex vetat.

Commendantur à nostris hi pisces Septembri mense, alibi verò Aprili & Maio. Fluuiatiles, præsertim in puris & rapidis fluuijs carne albiore solidioreque lautiores habentur: inferioribus Germanis, quorum minùs puri & tardiores amnes fluunt, in contemptu sunt, tanquam neque salubres, vtpotè glutinosi, neque sapidi. Oua eorum valde noxia putant quibusdam in locis, vt circa Neocomensem lacum Sabaudiæ, vel potiùs Heluetiæ. In Verbano & Lario lacubus botetrissiæ insignes habentur, ipsis iecinoribus palato gratissimi, Iouius. Laudantur apud nos iecinora earum præcipuè ante Natalem Dominicum: circa partum improbantur: quo tempore etiam nonnullis in aquis grandinosa fiunt, vt in A. diximus. Apud Turingos aiunt olim comitis cuiusdam Bichlingorum matronam, omnes principatus sui redditus in iecinorum istorum delicias insumpsisse. Multi quidem huius generis pisces capiuntur in amne Vnstruto, qui post Salam apud Turingos præcipuus est. Caupones aliqui excisis iecinoribus pisces viuos aquæ reddunt, vt in A. retuli. Coqui peritiores elixandam mustelam in vino frigido igni imponunt. Stendelius qui de arte coquinaria Germanicè scripsit: Mustelæ (inquit) in sartagine, aquæ frigidæ immissæ, nec multùm salsæ, optimè elixentur & tandem modico aceto, aut potiùs vino affuso, parum adhuc ebulliant. Licebit autem vel feruidas apponere, vel in iure crocei (*fruydas.*)

Ventriculus Quappæ piscis cum suis appendicibus miras habet vires. Inueteratus enim, vt fit in Saxonia à matronis, trahit mirificè secundas hærentes aut relictas in partu, in potu datus: & magni momenti est ad omnia vitia matricis, Encelius. In Sueuia passim in cauponis & diuersorijs parietibus hærentes hi ventriculi circa zetarum fornaces visuntur, ab edentibus illuc reiecti, vt exiccati seruentur, & cum potione aliqua hausti à colicis cruciatibus liberent. Colligitur & oleum ex hepate ad solem vel ad fornacis calorem susperso intra vas vitreum: clarum id oleum & flauum est, aduersus oculorum suffusiones vtile, vel (vt alij sentiunt) aduersus nubeculas & maculas quæ ab angulis oculorum nasci incipiunt.

MVSTELÆ huius generis pulcherrimis distincti coloribus, flauo, croceo, candido, roseo, atro, oculorum pupilla nigra, parte ambiente cœrulea, ante paucos annos in Bohemia captæ sunt: & Pragæ propter pulchritudinem regi seruatæ viuæ in vase amplo aqua pleno, non sine limo fundit. Earum vnius iconem hîc exhibeo, qualem Io. Thanmyllerus iunior, chirurgus Augustanus, ad me dedit.



Burgundi & alij minimum etiam piscículum fluuiatilem, (quem suprà descripsimus inter Gobios, pag. 404. cobitidis barbatulæ nomine, (fundulũ aliqui vulgò vocitant Germanici nominis imitatione, *Mustela minima.*) Mustelam appellant: nec immeritò aliquis Mustelam minimam nominârit. De hac vir quidam literatus Lemani lacus accola, his verbis nuper ad me scripsit: Moteila (*sic vulgus profert pro mustela*) dictus piscículus, magnitudine ferè piscis Chassot (*id est gobij capitati,*) cinerei est coloris, & stellis insignis, in delicijs maximè, & propter caritatem à diuitibus tantùm delicatulis emitur.

MVSTELÆ variæ à quibusdam hodie vocantur, pisces quidam fossiles, de quibus pluribus egimus inter Fossiles suprà, pag. 371 & 372. Piscis (vt audio) est oblongus, lineis punicei coloris & multis maculis punctisue distinctus, lacerto ferè similis. Aliqui *Meergrundelen* appellant, à corporis specie, maculis & barbulis, quibus fundulum nostrum, id est gobium fl. refert. alij *Peitzger*, per onomatopœiam forte. sonum enim acutum ædit, teste Ge. Agricola. Alij *Meerkutt*, id est Mustelam marinam, (quanquam & alius quidam piscis *Kutt* à Germanis dicitur.) Hunc maculis aureis distingui aiunt. sonum ab eo cum tangitur vel premitur ceu felis ædi. In cibum à paucis admittitur. Diu seruatur in vitreo vase, si tertio quoque die aqua mutetur. Fortè iidem sunt Pœciliæ dicti, de quibus plura dicam in P. elemento.

Mustela fossilis.

DE MVSTELARVM MARINARVM GENERIBUS diuersis.

MVSTELAS marinas diuersas dedimus ac descripsimus suprà, inter Asellos, pagina 89 & pagina 96 in Corollario de mustelis marinis vel asellis mustelinis, vbi ab initio statim Aeliani de Mustela marina

verba recitaui. Mustelam aliam ab ea esse quam Perottus primus Lampetram existimauit, ex Aeliani descriptione colligimus, Gillius. sed Aelianus mustelam mar. descripsit: Perottus verò lampetram sentit esse mustelam Ausonij, (& Plinij in Brigantino lacu,) quæ in dulcibus aquis degit, quanuis è mari semper fluuios subeat. Massilienses & Ligures (inquit Gillius) Mustelam appellant piscem marinum non è genere longorum: qui sanè pinnam in dorso ex pelle molli habet, ad caudam pertinentem: atque alteram in ima corporis parte similiter cuticula perpetua ad caudam vsque constantẽ. Vidi fluuiatilem piscem, huic omnino similem, quem Lugdunenses vulgò vocant Lotã, &c. Hæc ille. Rondeletius aliam Mustelam vulgò dictam circa Narbonensis Galliæ oram exhibet, & aliam Massiliæ, vt suprà inter Asellos reperies. Idem mustelam illam mar. de qua Gillius loquitur, Mustelæ genus secundum facit. Sed mustelæ marinæ omnes, ita & inter se & trissiæ nostræ similes sunt, vt primo quisque intuitu statim omnes vnius generis species esse facilè diiudicet. Ex eis genus illud quod ophidion Rondeletius, Grillum vulgarem Bellonius nuncupat, callarias ne potiùs vel hepatus Aeliani sit, considerandum. Γαλέα inter pisces à Tarentino nominatur: sed vsitatius est apud eruditos nomen γαλῆ per contractionẽ factum. Epenetus quoq; in libro de piscibus γαλῶ nominat. Galen. galaxiã è genere γαλεῶν, (id est mustelorum) esse tradit: & fortè mustelos à mustelarum genere non satis distinxit. Vide in Corollario primo nostro de Asellis, paginæ 93. versu 15. Pisces de quibus diximus omnes communi Germanico nomine vocabimus, *Meertrüsch, Meerputten*: Mustelã m dico & Hepatum Aeliani, & Chremetem & Callariam: quanquam *Meerputten* (vt dixi) aliqui appellant etiam fossiles quosdam mediterraneos pisces, ipsos quoque (vt coniicio) mustelis cognatos. Omnibus vt clypea præstat mustela marina, Ennius in Phagiticis vt citat Apuleius Apologia 1. quærendum an Clypea hîc ciuitatis nomen sit, & fortè legendum, Omnibus è Clypea præstat m.m. nam & sequentibus piscibus locorum, in quibus præstant, nomina addit. Mustelæ marinæ iecur datur ad comitiales, Plin. Mustelas inter Alpes lacus quoque Rhetiæ Brigantinus ęmulas marinis generat, Idem. sed eruditi quidam pro marinis, murænis potiùs legunt. Columella maritimis piscium viuarijs, turdos etiam, & merulas, & auidas mustelas includi iubet. *Galea.* Pesce galea vel galia Venetijs vocatur, mustela marina illa, quam Rondeletius genus secundum facit: item grillus marinus hodie dictus, quem Rondeletius veterum Ophidion interpretatur, pesce galia à nonnullis vocatur. Mihi pisces cognati videntur, Rondeletij scorpioides, & blennus Bellonij: galerita vtraque Rõdeletij, pholis eiusdem: *Galetta.* item galetta Venetijs dicta, & gutturosula: cognati inquam, tum inter se, tũ gobijs, vel potiùs mustelarum generi: vnde & galetta fortè ἀποκεφαλικῶς dicta. ea tum corporis specie, tũ pinnis, & læuitate cutis, & molli mucosaque carne, ad pisces prædictos accedit. Gillio cum ostendissem Venetijs, gobij genus pessimum esse aiebat. Oculorum iridem vna parte rubentem habet. Pinna ei vna per totum dorsum continua. duæ ad branchias, quæ maculis rubris distinguuntur. duæ angustæ bifidæ in acutum exeunt in mento. est & vna continua ab excrementi principio ad caudam vsque. cauda continua, non bisulca, subflauis maculis distinguitur. Branchiæ sex aut septem. Denticuli in extremis labris subflaui. In extrema mandibula inferiori vtrinque singuli sunt dẽtes reliquis maiores. Cutis sub mẽto laxa ceu pręputium à reliquo corpore solui potest. Maculæ corpus pingunt, partim nigræ, partim albæ maiusculæ.

DE MVSTELIS SEV GALEIS DEINCEPS AGETVR HOC ORDINE.

Primùm ex Rondeletio.

1. *De Galeis in genere.*
2. *De Galeo acanthia.*
3. *De Laui.*
4. *De Asteria, id est stellato vel vario.*
5. *De Glauco.*
6. *De Centrine.*
7. *De Rhodio.*
8. *De Maltha, super qua Corollariũ reperies suprà p. 524.*

De Cane & Caniculis dictum est suprà, Elemento C.

Deinde ex Bellonio.

1. *De Galeorum speciebus in genere.*
2. *De spinace, id est, Acanthia.*
3. *De Laui.*
4. *De Stellato. Facit autem Stellatum, non quem Rondeletius: sed alium, quem ille Aristotelis Caniculam vocat, &c.*
5. *De Vulpecula, sic vocat Rondeletij Centrinen.*

Tertiò Corollaria accedunt.

1. *De Mustelo in genere.*
2. *De singulis, acanthia, laui, stellari, centrine, alijs diuersis.*

DE GALEORVM NOMINE, &c. IN GENERE,

Rondeletius.

A SVmus nunc de longis cartilagineis dicturi, in quibus sunt γαλεοί, quos mustellos vertit Gaza. Nomen à corporis habitu mustellis terrenis simili datum est. Γαλεὸς verò siue γαλεώδης generis nomen est apud Aristotelem: cui epitheta, vt formas quæ generi subsunt, distinguat, adiicit: dicitur enim galeus acanthias, galeus asterias, galeus lęuis. Galeos Plinius lib. 9. cap. 24. squalos appellasse videtur. *Squali.* Planorum (inquit) piscium alterum est genus, quod pro spina cartilaginem habet: raiæ, pastinacæ, squatinæ, torpedo: & quos bouis, lamiæ, aquilæ, ranæ nominibus Græcia appellat. quo nomine sunt squali quoq;, quanuis non plani. Quo loco non squali sed galei legendum censet Massarius, quia galeos vocauit Aristoteles, ex quo hæc mutuatus est Plinius. At non semper Græcis vocibus vsus est Plinius: nec huius loci lectionem mutandam esse arbitror, præsertim cùm alio etiam loco squalos nominauerit. *Lib. 9. cap. 5.* Plurimi piscium, inquit, pariunt tribus mensibus, Aprili, Maio, Iunio: Salpæ, autumno, spari, torpedo, squali, circa

circa æquinoctium: molles, vêre. Et Columella piscibus, qui in piscinis aluntur, escam præberi iubet tabentes haleculas, & salibus exesam chalcidem, putremque sardinam, nec minùs squalorum branchias: vel quicquid intestini pelamys, aut lacertus gerit. Quanquam eo loco pro squalorum, scaurorum vel scarorum legitur in vulgaribus exemplaribus, sed mendosè. Nam cum, vt ipse Columella superiore capite scribit, scarus totius Asiæ Græciæque litoribus Sicilia tenus frequens esset, verùm Romæ rarus: quî fieri poterat, vt scarorum branchias pro esca in piscinas conijcerent: vel ipsorum intestina, præterquam quod rarus erat piscis, à gulæ proceribus auidè expeterentur summisque in delicijs haberentur? Rectè vero galei squali vocantur, quasi squalidi, id est, horridi asperiq;: sunt enim omnes aspera cute. Nam squalidum dicitur quicquid ita obsitum incultumq; est, vt horridum asperumq; videatur & sentiatur, & squalam rem pro sordida dixerunt antiqui, vt Ennius citante Nonio Marcello: Elauere lachrymas, vestem squalam & sordidam.

Galeis cartilagineisque piscibus proprium est, branchias habere detectas, id est, sine osseo operculo, sed huius vice foramina quinque habent: prope branchias pinnas duas, à podice alias duas, præter quas maribus quibusdam, vt in rana piscatrice videre est, duæ sunt apophyses siue appendices. Galei nulli squamis, sed cute aspera integuntur. Iecur est illis geminum, quod in oleum abit. Carent pinguedine galei omnes. B

Eorum differentiæ constitui possunt, vt alij galei simpliciter, alij galei cetacei sint, cui generi Galenus lib. 3. de fac. aliment. canes & libellas subijcit. His vulpes, malthas, aliosq;, qui in magnam molem accrescunt adiungere possumus. A *Galeorum differentia.*

DE GALEO ACANTHIA, RONDELETIVS.

Alius est galeus centrines infra.



A GALEO qui ἀκανθίας cognominatur, incipiemus, quòd is facilè agnosci, & à reliquis secerni possit. Ἀκανθίας dicitur ab aculeis, quos in tergo gerit: spinacem conuertit Gaza. A nostris & Massiliensibus Aguillat, ab aculeis nominatur: acus enim à Gallis Eguille dicitur. Eâdem de causa à Venetis Azio, quasi aculeatus: ea enim vox illis stimulum significat, quo pungunturboues. Item à Ligurib. Aguseo. A Gallis Chien de mer. A

Galeus (hic) corpore est longo, coloris cinerei, duos aculeos in dorso habet, quibus pinnæ innituntur, detectos, firmos acutos, non admodum latos, veluti in centrina. Rostro est primum lato, deinde in acutum desinente. Oculis magnis, post quos foramina duo habet. In supina parte oris rictum latum, dentibus ad latera spectantibus munitum: eâdem in parte ante os foramina duo pro naribus. Branchias detectas in lateribus. Omnium enim cartilagineorum, quæ longo sunt corpore branchiæ detectæ sitæ sunt in lateribus, teste etiam Aristotele, vt in quouis galeorum genere. Branchias sequuntur pinnæ duæ ad natandum. In parte supina nullæ sunt: præterquam ex podicis vtraq; parte, quæ in fœmina minores, in mare maiores sunt. Præterea mas appendices paruas illic habet qua nota à fœmina distinguitur. Corpus sensim gracilescens in caudam desinit geminam: cuius superior pars longior est, inferior breuior. Colore, dum viuit in mari ferè est argenteo: quum expirauit, ex cinereo rubescit. Ventriculum habet magnum & latum, intestina lata: hepar geminum, vt galei omnes, flauescens, in quo fellis vesica latet. Splenem in duos lobos diuisum, rubescentem. Cor angulatum. Vuluam iuxta diaphragma sitam: in qua oua alia iam conformata, alia quæ adhuc conformantur, reperias: vitellis ouorum gallinæ maximè similia, sed maiora. B *Lib. 2. de hist. anim. cap. 13.*

Galeus hic ventre fœtus excludit per venam, quam Anatomici vmbilicalem vocant, ouis adhærentes. Oua verò nullo vinculo vtero alligata sunt. Itaq; ex ouis alimentum trahunt fœtus, donec perfecti foras emittantur. Fœtus editos rursus intro non recipit. neq; enim potest, ob dorsi (*catulorum*) aculeos, qui antequam in lucem edantur, molles sunt, postea duri, acuti, pungentesq; fiunt. C

Hunc, quem depinximus, galeum acanthiam esse, præter aculeos dorsi, à quibus nomen positum, demonstrat generationis modus, de quo Arist. ὁ δὲ ἀκανθίας γαλεὸς ἐν τῷ ὑποζώματι ἴσχει τὰ ᾠὰ ἄνωθεν τῶν μαστῶν. ὅταν δὲ καταβῇ τὸ ᾠὸν, ἤδη τούτων ἀπὸ πληρουμένων γίνεται ὁ νεοττός. Galeus qui acanthias dicitur, ad septum transuersum oua habet, suprà mammas, in quibus iam absolutis, cum descenderint, fœtus nascitur. Vidi equidem sex in ventre perfectos fœtus, ex ouis, per venam quam diximus, pendentes, multis alijs ouis nondum exclusis. A *Galeum acanthiam verum se exhibere.* *Lib. 6. de hist. anim. cap. 10.*

Acanthię peculiariter cor pentagonum attribuit Athenęus lib. 7. sed id huic cum alijs omnibus galeis commune est. B *Cor galeorum*

Carne dura est, ferinum olente, nec apud nos nisi in summa piscium inopia à pauperibus emitur. Elixos ex butyro Galli edunt. F

Fel ad oculorum suffusiones valere expertus sum. Ex hepate oleum fit, quo ad lucernas vti possumus, & ad induratum hepar emolliendum, doloremque sedandum. G

DE GALEO LÆVI, RONDELETIVS.



De fœtus huius pictura leges infra circa finem huius capitis ad †

A Γαλεὸς λεῖος. cùm nullum aliud Latinum nomen habeat, galeus lævis dicetur. A noſtris Emiſſole vocatur. A Romanis peſce columbo: (*Alibi Orbem piſcem Venetis Columbum vocari ſcribit: Maſſarius verò Paſtinacam Venetijs ſic nominari.*)

B Galeus lævis ab acanthia aculeis dorſi differt: roſtroq; eſt breuiore, ſed latiore, oris rictu minus lato: maxillis in angulum obtuſum deſinentibus, ſine dentibus, ſed horum loco os aſperum dedit natura, veluti raijs multis. Foramina pro naribus habet. his alia minora ſunt poſt oculos. Branchijs à ſuperiore non differt: neque pinnarum numero aut ſitu, niſi quòd cauda ex tribus conſtat pinnis. nam inter ſuperiorem & inferiorem media vna interiacet. (*Pictura tamen pinnam in ſupina parte poſteriori tergi pinne oppoſitam oſtendit, quæ in acanthia non pingitur.*) Colore eſt cinereo, partibus internis ſuperiori ſimilis.

Verum hunc galeum lævem eſſe.

A Hunc galeum lævem eſſe, quanquam tota cutis admodùm lævis non ſit, docet ipſa generandi ratio, de qua Ariſtoteles lib. 6. de hiſt. anim. cap. 10. Οἱ δὲ καλούμενοι λεῖοι τῶν γαλεῶν, τὰ μὲν ᾠὰ ἔσχισται μεταξὺ τῶν ὑστερῶν ὁμοίως τοῖς σκυλίοις. πίπτει δὲ τὰ τοιαῦτα εἰς ἑκατέραν πλὴν δικρόαν τὴν ὑστέρας καταβαίνει, ἐν τῷ ζῶα γίνεται, τὸν ὀμφαλὸν ἔχοντα πρὸς τῇ ὑστέρᾳ: ὥστε ἀναλισκομένων τῶν ᾠῶν, ὁμοίως δοκεῖν ἔχειν τὸ ἔμβρυον τοῖς πεζοῖς. πρῶτον ἔφυκε δὲ μακρὸς ὢν ὁ ὀμφαλός, ἡ μὲν ὑστέρας πρὸς τῷ κάτω μέρει, ὥσπερ ὀπὴ κοτυληδόνος ἑκάστου· ἠρτημένος· τὸ δὲ ἔμβρυον ἐν τῷ μέσῳ ἢ τῷ ἦπαρ. Galei, qui læues vocantur, oua in media vulua geſtant, vt caniculæ: quæ poſtea in vtrumque veteri ſinum deſcendunt. mox animal gignitur, vmbilico hærente ad vuluam, ita vt ouo abſumpto partus non aliter quàm in quadrupedibus contineri videatur. Adhæret vmbilicus ille prolixus capite altero ad partem vuluæ inferiorem, velut ex acetabulo quiſque annexus: altero ad medium fœtum, qua

De pictura. † in parte iecur eſt. Nos fœtum cum vmbilico matri adhærente pingendum curauimus, vtà caniculis, vulpibus, alijſque galeis diſcerneretur: cum nullus ex galeis alius ſit, cuius fœtus ſecundis, membranisque inuoluatur, vteroque matri per vmbilicum alligetur. Neque me latet alium eſſe galeum in quo cutis quàm in hoc ſit lævior: ſed cum eo quem iam diximus, generationis modo non procreetur, galeum lævem veterum eſſe negamus, verùm Aeliani glaucum eſſe aſſerimus, de quo paulò pòſt dicemus.

Glaucus Aeliani.

DE GALEO ASTERIA, ID EST STELLATO vel vario, Rondeletius.



A A GAZA galeus ſtellatus dicitur, qui à Græcis γαλεὸς ἀστερίας: à noſtris lentillat à maculis albis, lentis magnitudine quibus depictus eſt: vnde à quibuſdam ποικίλος, id eſt, varius cognominatus eſt.

B Cute lævior eſt quàm galeus lævis: alioqui ore, branchijs, pinnis, caudâ ei omnino ſimilis. Maculæ dorſi aliæ ſtellarum ſpeciem referunt, vnde illi nomen: aliæ rotundæ ſunt. Partibus etiam internis à ſuperioribus non differt.

C Ariſtoteles (lib. 6. de hiſt. cap. 11.) ſcribit ex cartilagineis ſæpiſſime ſuperfœtare galeos ſtellatos, quippe qui menſe bis pariant. (Initium autem coitus menſe Septembri.) Alio verò loco, (lib. 5. cap. 10.) videri galeos ſtellatos bis menſe parere: ſed hoc accidere, quia omnia eorum oua ſimul non perficiantur.

Lib. 7. F Hiceſius apud Athenæum author eſt galeorum optimos eſſe ſtellatos & tenerrimos.

Verum hunc galeum aſteriam eſſe. A Sunt qui galeum ſtellarum eſſe credunt eum, qui à noſtris catto rochiero, à Maſſilienſibus catto algario vocatur, (*Gillium & Bellonium notat:*) ſed non rectè, cum is oua teſtaceis quibuſdam, vt ita dicam, membranis incluſa gerat, id quod caniculis, raijſque tribuit Ariſtoteles libro 6. de hiſtor. animal. cap. 10.

cap. 10. minimè verò galeis ſtellatis. Quare galeus ſtellatus is non erit, etiam ſi maculas nigras aſperſas habeat, quarum nonnullæ ſpeciem aliquam ſtellarum referant, vt in hoc noſtro, quem pro ſtellato exhibemus.

DE GALEO GLAVCO, RONDELETIVS.



GALEVS Glaucus ex cartilagineorum genere eſt: quatuòr aut quinque cubitorum magnitudinem attingit. Dorſum cærulei eſt coloris exaturati, vnde illi cognomen, venter candidi. Roſtro eſt acuto, oculis ſatis magnis, ex quorum inferiore parte enaſcitur membrana candida, quæ ad oculos ſurſum attollitur, eiſque veluti nubes caliginem offundit. Os habet in ſupina parte. Dentium acutorum, lacorum, quo dammodo ſerratorum, ad latera ſpectantium ordines duos. In palato ſubſtantiam quandam fungoſam & mollem, digitiſq; cedentem, quæ ſupernam internamque oris partem replet. Linguam craſſam, latam, aſperamque. Ventriculum ampliſſimum ac longiſſimum. Huic ſplen annectitur longus, ex multis particulis carnoſis rotundisq; inſtar racemi compactus, renum delphini modo. Inteſtina primum gracilia ſunt, deinde lata, ſine vllis ſpiris. Ex venis meſaraicis rami duo oriuntur: quorum alter ad hepar, alter ad ventriculum perducitur, in eo in alios multos ramulos diuiſus. hepar adipoſum in lobos duos diſſectum, quorum alteri veſica fellis hæret, fel viride eſt, cor angulatum. Ventris parte infima in maribus ſeminis vaſa in partes duas diuiſa conſpicias, in fœminis vuluam. Præterea in maribus ſubſtantiam quandam carnoſam, digitali magnitudine, penis ſpecie. Branchiæ detectæ ſunt, propè has pinnæ duæ magnæ, ad podicem aliæ duæ minores. Aliæ duæ ſunt in tergore, prior in medio ferè maior: poſterior prope caudam minor. Cauda ex duabus conſtat, ſuperior multò longior eſt, quàm inferior, ſurſumque ſpectat. Cute lævi tegitur. B (A)

Hunc galeum, Æliani glaucum eſſe multis rationibus adducti arbitramur, non eum glaucum quem iam ante deſcripſimus qui derbio vocatur. Cum enim aculeos multos, præacutos validósq; quamuis breues in dorſo gerat, non poteſt à parente intro (*ore, quod Io. Tzetzes etiam de glauco repetit*) recipi, quod de glauco ſuo ſcripſit Ælianus. At hic ore eſt ventriculoque ampliſſimo, nec procul ab ore diffito: quam ob cauſam facilè quicquid in ventriculo continet, euomit, ſi cauda ſuſpendatur, ita vt ventriculus in os decidat. Æliani verba, cum de glauco tractaremus, protulimus. Item Ariſt. qui galeis hoc tribuit, vt fœtus ſuos intra ſe recipiant, & foras emittant, demptis aliquot. His accedit color glaucus, id eſt, cæruleus, qui in nullo alio galeo ſpectatur: vnde etiam noſtri cagnot blau, id eſt, canem glaucum ſiue cæruleum vocant, à cane galeo, de quo proximo capite egimus diſtinguentes. A *Galeum hunc Æliani Glaucum eſſe.*

Porrò glaucum iſtum ex caniculari eſſe genere confirmo ex Plinio, qui caniculis nubeculam quandam attribuit, qualis eſt in planis piſcibus: quæ ex omnibus galeis in hoc ſolo, & in cane galeo ſuperiore comperitur, cui cani galeo, glaucus fœuitia audaciaq; non cedit: humanas enim carnes eodem modò appetit, cuius rei ipſe oculatiſſimus ſum teſtis. Cum enim ætate puer, qui militi cuidam erat à pedib. in littore ambularet, eum diu ſecutus glaucus, calces tibiaſq; quin arriperet, parum abfuit, & à puero gladio confoſſus in litus eiectus eſt. Plinij locum, quo de nube canicularum, & earum cum hominibus dimicatione tradit, in Galeo cane (*Vide ſuprà pag. 167. Elemento C.*) explicauimus. *Idem Plinij auctoritate confirmat. Carnes humanas edit eum oppetere.*

Carne veſcitur hic galeus, eſtque voraciſſimus.

Caro eſt dura, ferinum olente, concoctu difficili, ſed concocta plurimum nutrit. Hepar quibuſdam eſt in delicijs, ſale conditum aſſeruatur, editur in vino coctum vel aſſum: ſed elixum cum origano, hyſſopo lauri foliis, additis cinnamomo, nuce moſchata, caryophyllis, vt ferinus odor euaneſcat, optimum redditur. C F

Ex eodem (iecore) oleum conficitur ad hepatis duritiem emolliendam, & ad doloris articulorum alleuamentum. Infantium gingiuis, dentitionibusq; multum confert, dentium caniculæ vtriuſq; modo deſcriptæ cinis. Huius etiam dente gingiuas tangi prodeſt, quam vim etiam lamiæ dentibus ineſſe ferunt, adeò vt è collo ſuſpenſos lamiæ dentes prodeſſe vulgus exiſtimet. G

DE CENTRINA, RONDELETIVS.

QVÆ Κενταίνη à Græcis dicitur, Latino nomine caret: quamobrem Græco vſi ſunt Latini interpretes. Plinius nuſquam huius meminit, neq; ipſe Ariſtoteles, in libris qui nunc extant. Quanquam Athenæus Ariſtotelem oitet, centrinam in galeis numerantem. Ο δὲ Ἀριστοτέλης ἐν πέμπτῳ ζώων καὶ κενταίνιλλα ἔφη τινὰ γαλεῶν εἶναι καὶ πανδαμάνει ὑπαίνετο· δὲ ἐν ὀγδοηκοστῷ ὀθόνιον δὲ καλεῖ. χείρονα δὲ εἶναι τῶν (τὸν, *in noſtro codice, & melius*) κενταίνιλλον, καὶ ἀνειδῆ. Centrinam alij Bernadet, alij renard, alij humanthin vocant. A *Lib. 7.*

Noſtri



Nostri & Massilienses porc. nec id ineptè, vel quia speciem porci referat, vel quia porci more in cœno se volutet.

B Centrina igitur ex galeorum est genere, teste Athenæo ex Aristotele, si reliquos galeos spectes, breuis crassaque & spissa. A capite ad podicem trianguli est figurâ: ventre nimirum plano latoque, vnum trianguli latus: partibus quæ vtrinque dorso adiacent, reliqua duo latera constituentibus: itaq; in supremo dorso vnus est angulus, reliqui duo in ventris dextro sinistroq; latere. In dorso pinnæ duæ cum singulis aculeis eriguntur. Prior pinna statim à capite incipit, multum surrecta cristæ instar. eius aculeus longus est, magis ad caput inclinatus: eadem cum aculeo, posteriore maior est. Posterior rectior est. Vtrique in radice lati, membrana fere ad extremum vsq; circunte cti, albi, etsi Oppianus nigros appellauerit: Τὸ μὲν κέντροισι κελαινοῖς Κεντρίναι αὐδώωσιν ἐπώνυμον. Quod ob integumentum dictum fuisse intelligendum est: intus enim candidi sunt, foris membrana nigra obtecti. (*Nigrum poeta aliquando pro pernicioso dicunt.*) Pinnæ alię duæ ad branchias: totidem ad podicem, inter quas & caudam nulla pinnula est, multorum galeorum modo, qui eo in spatio supinæ partis pinnulâ habent. Cauda in breuem pinnâ desinit. Cute aspertima integitur, nimirum aculeis breuibus frequentibusque conspersa, robustioribus in capite & dorso. Capite est satis paruo & depresso, maxime inferiore parte suis caput referente. Oculis magnis, pupilla virescente, vtrique modo pellucida. Post oculos foramina duo triquetra habet, alia duo ante oculos supina rostri parte pro naribus. Branchias in lateribus galeorum modo. Os magnum: in cuius maxilla superiore tres dentium ordines spectantur, in inferiore vnicus tantum. dentes lati sunt acutique. Quod ad interiora attinet, ventriculus oblongus est: intestina lata, non multum conuoluta. hepar album, pingue, in duos lobos inæquales diuisum: in eo fel est album, aquosum. Splen etiam in duos lobos diuisus colore carnis est. Cor compressum ex rubro albescens.

Lib. 3. ἁλιευτικῶν.

Interiora.

C Centrina ouа viginti parit ouis acanthiæ similia, ouorum gallinæ vitellos magnitudine æquantia. Sulcando natat, in cœno habitat.

F Carne est vsque adeò dura, fibrisque duris adeo intertexta vt vix cultri aciem admittat, neque à cute diuelli possit. Rarò capitur hic piscis: captusq; negligitur etiam à rusticis nostris, in piscium penuria. durissimus enim est, vt diximus, & virus resipit.

A Hunc, quem depinximus, centrinam veram esse, primum ratio nominis ostendit: à centris enim, id est aculeis & stimulis nuncupata est, autore Oppiano loco antè citato. deinde quæ ex Aristotele profert Athenæus, qui cum centrinam ex galeis pessimum succum gignere, maleque olere dixisset, subiunxit: Γνωρίζεσθαι δὲ ἐκ τῆς πρώτης λοφιᾶς ἔχειν κέντρον, ἣ ὁμοειδῶν οὐκ ἐχόντων. id est, Cognosci autem centrinam ex eo quod in ceruicis pinna aculeum habeat, quo quæ eiusdem sunt speciei carent. Λοφιὰ verò (vt interim interpretationis nostræ rationem reddamus) de sue propriè dicitur, (vt χαίτη, id est, iuba de equo & leone) estq; in suis ceruicibus surrecta seta: λόφος verò apex, siue id quod in auium quarundam capite eminet. μεταφορικῶς igitur πλὴν πρώτης λοφιᾶς Centrinę appellat pinnam illam quæ ceruicis loco est erecta. Sic λόφος ceruicem aliquando, & galeorum cristam, & quicquid aliud eminet significat. Sed ad centrinam redeamus, quam ex certissima nota ab Aristotele tradita cognitam proponimus. At galeus acanthias in dorso aculeos habet. Cur igitur hic potius quàm ille centrina dicetur? aut quo acanthias à centrina secernetur? Procreationis ratione permultum differunt. Acanthias enim ex ouo viuũ fœtum parit, vt fusius ex Aristotele ante docuimus, centrina verò oua duntaxat. Quare cum ex galeis duo sint tantum qui aculeos in tergo gerant, nempe acanthias & centrina, qui procreandi ratione manifestissimè distinguantur, efficitur tum Acanthiam tum Centrinam Aristotelis rectè nos distinxisse. His suffragatur Ælianus (lib. 1. cap. 55. de animalib.) de galeis scribens. Reliquum genus qui centrinas appellârit, non errabit. ij parui & pelle dura sunt, & capite acutiore, & coloris albedine à galeis (priuatim dictis) differunt. eisdem innati sunt aculei duri, & aduersus omnia resistentes: quorum alter capitis summo vertice, alter in cauda: atq; venenatum quiddam habent. quæ in galeum acanthiam non competunt, vtpote qui in dorso potius quàm in ceruice aculeum gestet.

Quod verum centrinam pinxerit.

Λοφιά.

Ab acanthia eius distinctio

Aelianus.

Ex his perspicuum est errasse eum qui in libello de Aquatilibus nuper edito, quam nos centrinam esse comprobauimus, vulpeculam nuncupauit, vulgi appellatione deceptus: sunt enim qui centrinam renard appellent. Quam opinionem conuellere vtile fuerit. Vtar autem Athenęi authoritate, à qua nullus sanæ mentis dissentiet. Parit galeus plurimum ternos, & fœtus in os recipit, rursusque emittit, maximè verò galeus varius, & vulpes, (ὁ ποικίλος καὶ ἡ ἀλωπεκίας,) reliqui non item propter asperitatem. Cum vulpecula maximè fœtus intra se recipiat & emittat, quî potest id efficere ea quam describit sciolus ille, cuius dorsum acutissimis aculeis armatum est: cuius cutis tanta est asperitate, vt non possit non introitu exituq; partes internas parentis vulnerare, & dilaniare? His adde eam non magis odorem vulpinum referre, quàm reliquos galeos. Ex quibus sole clarius fit, non sine magno errore pro centrina vulpeculam ab eo propositam fuisse.

Contra Bellonium qui Centrinam pro Vulpecula pinxerit.

Sed &

Sed & cum vulpeculas duas proposuerit, in vtraque exprimenda plurimùm hallucinatus est. nam priorem dorsi pinnam minorem, posteriorem maiorem contra naturalem piscis figuram effinxit. In secunda, pinnarum vice quæ ad branchias & ad podicem esse debent, nescio quid informe, & pinnis nullo modo simile appinxit. Præterea in eadem dentes lati sunt tantum, cum lati simul & acuti esse debeant. Plura prætermitto, quæ diligens lector animaduertere poterit, si has picturas cum nostra, & vtrasque cum ipso pisce contulerit.

Contra vtriusque picturas duas Bellonij.

Sed ad ea quæ de centrina supersunt referatur oratio. Hepar eius, vt reliquorum galeorum, in oleum abit: quod ad hepatis humani duritiem emolliendam confert, idemque similitudine substantiæ corroborat, maxime si adstringentia quædam admisceantur, vt cyperus, spica nardi, absinthium. ladanum, styrax, sed tum minùs emolliet. Id etiam dolores articulorum leuat, quæ quidem magno cum successu experti sumus. Eodem oleo ad lucernas vti possumus. Fel suffusiones delet, melli permistum & palpebris illitum. Cute artificum opera poliri possunt. Cinis ad psoras & capitis vlcera manantia detergenda, exiccanda, miraque celeritate percuranda valet cum cedria admotus. Vrinas non minùs mouet quàm cancrorum vel erinaceorum cinis.

G

(E)

DE GALEO RHODIO, RONDELETIVS.



Hic piscis quem hîc repręsentamus à nonnullis Cops vocatur, & eo nomine designatum, atq; optimè figura expressum misit ad me doctissimus Medicus & vir humanissimus Antonius Musa Brasuolus. Alij nominis affinitate decepti Copso appellant. est enim id nomen alterius piscis, (*illius quem nostri Hussonem, Bononienses Copso vocitant, alij Itali Colpesce.*) Egò verò hunc Galeum Rhodiensem esse, siue vulpem Rhodiensem existimo, cuius obiter meminimus alibi, cum de Acipensere siue Sturione loqueremur. quem Archestratus eundem esse cum Acipensere credebat, non sine ratione in hanc opinionem inductus: est enim piscis iste Acipenseri siue Sturioni persimilis, non solum corporis specie & partibus, sed etiam gustu ac sapore, dempta vnica differentia, quam non nisi ij percipient, qui citra ingurgitationem cibum hunc sumpserint, quique exquisito gustatu fuerint. Ad communes igitur & vniuersas notas attenti, & non ad cuiusq; rei maximè proprias, sine quibus rerum differentiæ penitus cognosci non possunt, facilè Galeum Rhodium cum Sturione confundent, quod Archestrato euenit: cuius sententiam refellit Athenæus, cuius verba subiungam, non vt Acipenseris solum à Galeo Rhodio discrimen cognoscatur, sed vt verum Rhodiorum Galeum seu Vulpem à nobis hîc exhiberi comprobem. Archestratus (inquit) qui Sardanapali vitam vixit, de Galeo Rhodio scribens, eundem esse opinatur cum eo qui apud Romanos cum tibijs & coronis in cœnis circũferebatur, coronatis etiam ijs qui gestarent, vocantque acipenserem. At hic quidem (acipenser scilicet) paruus est, & porrectiore rostro, & figurâ triangulari magis quàm ille. Et paulò post: Archestratus de Rhodiensi Galeo loquens, amicis patrio more consulens, ait: Galeum in Rhodo, quem vulpem vocant, si tibi vendere noluerint, vel mortis periculo rape. Nominant illum Syracusani κυνῆα πίονα, id est canem pinguem, Hæc ille. Quod si Galeum Rhodium cum Sturione seu Acipensere contuleris, nullum planè comperies qui ei similior sit eo quem proponimus: his exceptis, quod Sturio longiore est rostro, & corporis figura magis triangulari. nam alioqui Sturionem totius corporis figura, tergi ossibus acutis & clypeorum modo efformatis, alijs item in lateribus dispositis, pinnis, cauda, ore in supina parte sito, omninò refert. Is, quemadmodum Sturiones, relicto mari amnes subit. reperitur enim in Pado, & in Rhodano, & pro Sturione venditur: nec ab eo distinguitur, nisi ab exercitatissimis & exquisiti gustatus hominibus. Hanc differentiam me docuit Gulielmus Pelicerius Monspelienſis episcopus, vir singulari doctrina præditus: qui tum ex capite crassiore, & rostro breuiore obtusioreque: tum ex gustu Galeum Rhodium siue vulpem deprehendit. Ferinum quid resipit, quod de Sturione dici non potest, carneque est duriore: à quo sapore Galei & Vulpis nomen habet. Galei enim & Vulpes ex Galeorum genere ferini sunt saporis & ingrati. Ego quoq; non viso capite, inter edendum diuersam piscis huius naturam à Sturione facilè iudicaui. Si tamen in dulci aqua diu natauerit, in cibis haud aspernandus est, Hucusque Rondeletius. Ὁ πίων κύων nominatur etiam ab Epicharmo in Nuptijs Hebæ.

A

DE MALTHA, RONDELETIVS.

De Maltha obseruationes nostras posuimus supra, hoc ipso elemento, vbiliter arum ordo requirebat, pag. 524. ad quem locum hæc etiam referenda fuerant.

Quæ Μαλθὴ à Græcis dicitur. Latino nomine caret. Græco igitur vtentes malthan appellamus. Nostri sorrat vocant. Romani lamiolam, à dentium similitudine. dentes enim latos & acutos lamiæ modo habet.

Maltha piscis est cetaceus ex galeorum genere, rostro breui. Os habet in supina parte, non multùm

B

infra

infra roſtrum: dentium multos ordines. Pinnis, cauda, internis partibus à cane non differt, niſi quòd alba oculorum nebula caret.



F Caro huic eſt laxa molliſque, non ſenſu modò, ſed & facultate. Aluum enim mollit cietque ſucci lentore, inde etiam nomen habet. dicitur enim μάλθη quaſi μαλθακή. Oppianus: Μάλθη θ', ἡ μαλακὴν ἐπώνυμον ἀδρανίηϛι.

H. a. Malthæ meminit Plinius lib. 36. non pro piſce, ſed pro permiſtione quadam. Maltha (inquit) ex calce fit recenti, gleba vino reſtinguitur: mox tunditur cum adipe ſuillo & ficu, duplici linamento. quæ res eſt omnium tenaciſſima, & duritiam lapidis antecedens. quod malthatur, oleo perfricatur an-
A te. Hæc Rondeletius. qui alibi quoque Caniculam Plinij à Romanis lamiolam vocari ſcripſit. Nos Canem carchariam ſiue Lamiam ſuprà interpretati ſumus *ein Fraſshund*: & nunc Maltham ſimiliter Germanis per circunſcriptionem interpretari libet: *ein klemer Fraſshund*, id eſt lamia minor: vel *ein art deſi Fraſshunds*, id eſt ſpecies Lamiæ.

H. a. In Comagenes vrbe Samoſata ſtagnum eſt, emittens limum (maltham vocant) flagrantem. cum quid attigit ſolidi, adhæret, &c. (Vide ibi plura.) Plin. lib. 2. Noſtri tale glutini genus vocant *ein Küit*. Maltha etiam veterib. dicebatur mollis, teſte Nonio. Lucil. Infanum, quem maltham, & fœminam dici iubet. Sanè malthacia Græcis, mollicies Latinis eſt: & malthacus, mollis, effœminatus. Proinde malthã vocant cerã mollitam, aut quippiam ſimile ad tabularum ferrumination&e aptum, vt Promptuarij conſarcinator tradit.

RVRSVS DE MVSTELIS EX BELLONIO.

DE MVSTELIS SEV GALEORVM SPECIEBVS *in genere, Bellonius.*

A QVos Græci galeos, tam marinos quàm terreſtres, Latini autem Muſtelos, noſtri nullo diſcrimine Marinos canes appellant. Horum multæ ſunt ſpecies, multa etiam nomina conſequutæ. Quidam enim ab aſperitate vel lævitate, ſpinaces, aculeati aut læves: alij à maculoſa cute, (vt) Nebrides, qui & Hinnuli, ac Stellares dicti ſunt. Omnes litorales cartilaginei generis, ex ouis quæ intus concipiunt: viuos deinde fœtus miro naturę artificio emittentes, qui etſi generis (vt dictum eſt) ſunt eiuſdem, tamen figura, magnitudine, corporis conſtitutione, atque internis partibus, præſertim vtero, plurimum inter ſe differunt. Quamobrem diuerſa nomina pro diuerſis ſpeciebus ſunt adepti.

B Maribus gemine velut apophyſes ad excrementi oſtium propendent: fœminis folliculus cartilagi-
Sexus diſcrimen. neus oblongus in vuluæ introitu, quaſi teſtaceus, apparet: in quo albugineus humor concreſcit, quem
Matricula marina. ante conceptum emittunt. Matriculam marinam è re ipſa vulgus vocat. Ea autem tricas quaſdam à quatuor angulis tam multiplicibus nexibus intertextas habet, vt fidium inter ſe conuolutarum ſpeciem referant. (*Iconem huius matricula dedimus ſuprà cum Canicula Rondeletij pictam.*)

C Proinde, vt Galeorum hiſtoriam abſoluamus, hoc etiam animaduertendum eſt, fœminas ſuis marib.
Partus. maiores eſſe: easq; ſenos vel octonos, atque interdum plures, omnibus partibus abſolutos fœtus, pedali longitudine diuerſis temporibus párere. Perſæpe autem viuo emergente fœtu, ouis adhuc crudis & inexcluſis ſcatet vterus, ſuperiorem eius partem, quę ad ſeptum eſt, occupantibus: quorum alia dextro matricis cornu, alia ſiniſtro concluduntur. At in catulis hoc præcipua admiratione dignum eſt viſum, quod nulla ipſi ſecundina contegantur, atque ab vmbilici venoſa quadam parte nutriantur. Quum enim oua foras non exeant, certiſq; vinculis matrici obuinciantur, amnio tantum tunica opus habuiſſe videntur: quo iam efformato fœtu, & rimam quandam in ſterno inter pinnas, quæ ad branchias ſunt, ducente, alimentum à matrice per vinculum ſeu vmbilicum ſuſcipit, adeò quidem tenuem, vt lyrę fidiculam non exuperet. Id autem alimentum, ſecundum tenuem ac exilem fidiculam in quandam veluti perulam fertur, quam ventriculum eſſe diceres, quo tanquam oui vitello perpetuò repleta eſſe conſpicitur: cuius poſitio eſt in ventre medio, duobusque hepatis lobis ſubijcitur. Ac, quod ita res habeat, catulum à matris vtero exectum, ſi per ventrem diſſeces, verum eius ventriculum perpetuò vacuum ac ieiunum comperies: nihil enim per os aſſumit aut deuorat. Rectum verò inteſtinum recrementis liuidis turgere conſpicies, lienemque ſub ſiniſtra ſtomachi parte collocatum, ex iecore autem nihil fellis emergere. Quin etiam viuum piſciculum à matris vtero ſi quando illæſum exemeris, atq; in aquam
Ova. proieceris, protinus viuere ac natare cernes: ac nihilominus in vteri profundo oua permulta reperies: quorum ſena, interdum octona, craſſiora, mollia, lutea, tenuiſſima membrana contecta ac coaceruata, ad nouos fœtus producendos iam eſſe deſtinata conijcies. ſuper quibus infinita alia minora, ac futurorum ouorum rudimenta cernes, quę nuſquam interiturę Galeorum prolis tibi ſpem aliquam adferre poſſint. Sed eſt nunc de ſingulis Galeorum ſpeciebus dicendum.

DE MVSTELO SPINACE, BELLONIVS.

Omnium Galeorum aut Muſtelorum marinorum craſſiſſimus ac longiſſimus eſt, qui à rigentibus ac ſpinoſis duobus aculeis, quibus in tergoris pinnis maximè horridus apparet: Græcis Acanthus, Latinis

Latinis Spinax, Venetis Azio: Genuenſibus Aguſeo, quaſi Acænam dicerent, in cuius extremo infixus eſt aculeus ad pungendos boues: Maſſilienſibus Egullats dicitur. Lutetiæ & reliquis litoribus Ocean: particulare nullum nomen habet, cum vnico, vt dictum eſt, nomine Canis omnes galeos comprehendant.

Huius ſpeciei permulti Lutetiam plerunque Autumno adferuntur: nam alijs anni temporibus ra- B
riſſimos cernas, tunc quidem vlnæ longitudinem, crurisq; craſſitiem adæquantes: quo tempore fœminas fœtas eſſe, oua ſuper mammis ad præcordia continentes, catuloſque pedis longitudinem æquare in vtero perſæpe conſpeximus. Hoc à cæteris diſcrepat, quod dentes longos, acutos & prominentes, & caudam Rhinæ quodammodo ſimilem gerat. Colore externo, interniſque partibus quantum ab alijs
10 diſcrepet, ex ſequentibus deſcriptionibus intelliges.

DE GALEO LÆVI, BELLONIVS.

Læuium & aculeis carentium Galeorum peculiare, ac ſibi veluti præcipuum Ariſtoteli nomen ob- A
tinuit, qui Maſſilienſium vulgo à cutis colore Palumbus appellatur. hunc enim ſolum πέρκον dixit.

Differt à Spinace. quod etſi aſpera cute conueſtiatur, tamen aculeis caret. Ab Hinnulo verò, quod B
cute minime ſit maculoſa, denteſque acutos & raros, diſtentam caudam & admodum latam, ac candidum hepar præ ſe ferat. Cętera non vtero modò, aut maſculorum propendentibus apophyſibus, ſed reliquis etiam partibus cum alijs conuenit.

20

DE GALEO STELLATO BELLONII: QVEM RONDELETIVS *Ariſtotelis Scylion, hoc eſt Caniculam facit: cuius icon & nac deſcriptionem in C. elemento præmiſimus.*

Muſteli aliud genus aſſignarunt Græci, quod Ariſtoteles ποικίλον, hoc eſt Catulum (*Varium*) dixit: A
nonnulli ἀστερίαν, Latini Stellare: Oppianus à cute verſicolori Pardalionem, Alij Pantheram, Veneti Guattam: Maſſilienſes, vn Gatto: noſtri à ruffa & ſubflaua cute Roſſettam nominarunt. C C
Viuiparum eſt piſcis genus, cuius dentium morſus non ſecus eſt lethalis, ac Draconis aculei punctura. Vnde illud Oppiani,

Exitiale facit vulnus Panthera tremendis Dentibus in terra, ſtrictu magis aſpera Ponto.

30 Huius cutis facilè glubitur, quemadmodum & Caniculæ, qua exiccata, fabri lignarij perpoliendis E
operibus ſuis vti ſolent.

Tres huius piſcis ſpecies animaduerti poſſunt: alius enim eſt craſſus, niger, & recurtus, quem vul- A
gus Maſſilienſium Guattum auguerum vocat, (*cattum algar. um videtur interpretari Rondeletius, ut ſi con eo poſita, cum illa quam Bellonius dedit, non conuenit:*) cuius figura hæc eſt.

Species piſcis.



40

Muſtelus ſtellaris alter vulgaris eſt, & paulo magis candidus, (*quam Guattus auguerus Maſſiliæ dictus. Huius etiam iconem addit, ſimilem ferè iconi Caniculæ ſaxatilis Rondeletij: & ſimiliter, vt ille, Roſſettam nominat.*) Tertius Tyrrheno tantum (quod ſciam) litori cognitus, carnis iucunditate ac redolentia cæteros exuperat. Quamobrem Romanum vulgus Guattum muſcarolum nominauit. Nunquam is ſeſquilibram exuperat, ſtellulisq; vt toto corpore candidioribus eſt conſpicuus.

50

DE VVLPECVLA, BELLONIVS. EST AVTEM *Galeus centrimus Rondeletij.*

Λωπέκιον Græci, Latini vulpeculam dixerunt, cartilagineum piſcem muſtelini generis ſeſquicubi- A B
talem, atq; interdum longiorem: fulua, aſperrima, minimè tamen ſquamoſa cute præditum. quæ perpoliendis artificum operibus apprime idonea eſſet, niſi difficillime à copioſa quæ illi ſubeſt pinguedine diuelleretur: quamobrem Italorum vulgus piſcem hunc Porcum marinum appellauit.

Proindę inſullam & cacochymam carnem habet, operariorum ac ruſticorum cibo deſtinatam, elly- F E
chnijs ac pellium cõcinnatoribus vtilem cuius etiam hepar ſex interdũ olei libras colliquatũ effundat.

60 Corporis huius piſcis moles eſt triquetra: capitis ſuperior pars, ad Buſonem vel Aquilam marinam, B
inferior ad porcum accedit. Branchiarum foramina muſtelæ aut catti ſimilia gerit: ac quo loco cæteris animalibus aures videas, eo in loco natura ſub pinnis ad hoc deſtinatis foramina quædam, una vtrinque occultauit, excipiendæ atque emittendæ aquæ accommodata. Cæterum lucidiſſimos habet oculos, per medium nigerrimos: os ſemper apertum, Sturionis modo: cuius maxilla ſuperior pectinatim inſertos dentes exerit, quibus accedunt alij paruuli in partes diſſeminati. Roſtrum quoque veluti porcinum habet, quatuor foraminibus pertuſum, quorum ſuperiores inferiorib. minores eſſe conſpicies. Dorſum duab. pinnis communitum, quarum quælibet ſuo armata eſt aculeo. Caudam ad imum latiuſculam, ſurſum in angulum abeuntem: nauiculæ temonem eſſe diceres. Ac quod ad interiores partes attinet, iecore eſt ſupra modum magno, albicante, in duos lobos diuiſo, quorum vterq; vſq; ad imum

Interiora. ventrem porrigitur. folliculum sub dextro satis latum habet, nigrum, copioso felle turgentem. Lienem præterea rubrum, circinatum, stomacho insidentem huicque circa mediam ventris regionem incumbentem: paucas intestinorum spiras, quarum munus vtrinque ad stomachum cuiusdam (*quidam*) veluti vterculi absoluere videntur.

DE MVSTELO COROLLARIVM.

Et primum in genere.

A GALEVS Græcum est vocabulum, Γαλεὸς: vnde & adiectiuum γαλεώδης deriuatur: vocantur autem *Galeus.* γαλεοὶ vel γαλεώδεις, id est musteli pisces vt Gaza interpretatur, vel musteligenæ, vt idem (id est, mustelini generis,) omnes oblongi, cartilaginei, minores præsertim: nam maiores & cetacei, Canes caniculæ, *Galeonymus.* aut alijs nominibus suis appellantur. Philotimus galeonymos inter pisces duræ carnis. & qui ægrè (F) conficiuntur, succosq; crassos & salsos in corpus distribuunt, recenset, apud Galenum de alimentorum facultatibus 3.31. (Sed succos salsos ex his gigni non simpliciter verum est, vt Galenus mox sequente capite distinctius docet.) Latinus interpres pro galeonymis vertit mustelos: nimirum quia Galenus monet, lectionem aliam esse, galei: hoc est in Græcis Philotimi verbis, aliàs γαλεώνυμοι, alias γαλεοὶ legi. Mustelorum (inquit ibidem Galenus τῶν γαλεῶν) non vna est species. nam qui piscis apud Romanos in maximo est precio, quem Galaxiam (meliùs fortè galariam) appellant, ex genere est mustelorum qui ne in Græco quidem mari vsquam nasci videtur: quæ causa est cur & Philotimus ipsum ignorasse videatur. Et liquet sanè celebrem illum apud Romanos galaxiam, in eorum numero, qui molli carne constant, esse habendum: reliqui verò musteli dura magis carne sunt præditi, Hæc Galen. Callionymum quidem longè alium esse piscem ex historia eius liquet.

Canes. Canum (Κυνῶν) nomen Oppiano Æliano que communius est quam galeorum. nam canum alios magnos & pelagios esse dicunt, (vt carchariam:) alios minores quidem, sed piscibus præstantissimis adnumerandos, in cœno profundo degere, omnes specie corporis, moribus, & victu inuicem similes: vocarique minores priuatim galeos, præter centrinas, tanquam illi genus proprium constituant: & canes quidem minores sint, galei autem non sint, aut saltem vulgo non ita vocentur. Sed ipsa Æliani Oppianiq; verba recitaui suprà, in Corollario de Canibus, pag. 170. Alibi tamen idem Ælianus: Galeus (inquit) pelagius est, & magnitudine præstans, simul & canis (*cetaceorum minimum*) speciem similitudinemque gerit. Galeorum species faciunt, σκύμνες, λεῖες, ἀκανθίας, ἀλωπεκίας, ποικίλες. Squalus bis apud Plinium, corruptum est nomen pro Squato: vt nos ex collatis Aristotelis verbis deprehendimus. Vide infrà etiam in Squalo, elemento S. Ælianus γαλῆν, id est mustelam, nullam cum galeo, id est mustelo, communitatem habere ait. Sed fortè si quis diligentius perpendat, commune aliquid fuerit, neq; temere vtrique à mustela quadrupede terrestri factum nomen. nosque communia quædam iam in capite de mustela ostendimus: præter quæ iecur etiam dulce, & adiposum, quodq; facilè in oleum resoluatur, vtriq; esse nunc subit. Vtrique oblongo (& maculoso ferè) corpore sunt. sicut & terrestres quadrupedibus cęteris comparatę, longiusculę sunt respectu ad crassitiem habito. Sed ore etiam parere mustelam quadrupedem fabulantur aliqui, & similiter mustelos pisces, vt in Quadrupedum historia pluribus exposui. Aut igitur ab eo quòd vulgò existimentur ore parere, (vide mox in C.) aut quòd catulos suos similiter ore recipiant ac gestent interdum, vt mustelæ terrestres, musteli marini forsitan dicti fuerint: aut quod parte supina albicent. (siue omnes, vt puto, siue aliqui, vt acanthias, in quo hæc colorum discrimina obseruaui) superiore fusca. Galata & Celethy pro galeo, corrupta aut barbara nomina sunt. Germanicè *Hundsfisch* nominatur, id est Canes, omne canum & galeorum genus. Anglicè *Doggefische.* Polonicè Morski pies, vel Psia ryba. Licebit autem differentiæ causa cetaceos appellare, *Grosse Hundsfisch*: galeos verò priuatim dictos, *Kleine Hundsfisch.*

B Galei, id est canes minores non cetacei, ad cubiti magnitudinem excrescunt, Ælian.

Ex Aristotelis libris de animalibus. Galei in Euripo non gignuntur. Cartilaginei sunt. Mustelino generi piscium branchiæ lateribus adhærent, detectæ, duplices, (nouissima excepta, Wotton.) & quinæ vtraque ex parte. Appendices eis complures supernè circa ventriculum exeunt. Iecoris partes sepositæ sunt, nec eâdem certâ origine continentur. (Iecur ipsum fissum est: & partes in vtroque latere, dextro scilicet & sinistro, ita sepositæ sunt, vt non eâdem origine contineri videantur, sed bina esse iecinora, Wottonus.) Fel eis in iecore situm est. Mares omnes bina quædam circa excrementi ostium pendentia habent, quibus fœminæ carent. Differunt tum inter se, tum etiam à planis ratione vteri. habet eorum vulua paulò à præcordijs inferius, veluti mammas albidas, quæ non nisi grauidis insunt, (nonnullis medio vuluæ circa spinam oua adhærent, vt caniculis: spinaces verò galei oua ad præcordia continent super mammas, Wottonus.) Aristot. ait hos pisces nec seuum nec adipem habere, eo quod cartilaginei sint, Athenæus.

C Canes cetacei, pelagij sunt: minores verò, id est galei, in cœno profundo degunt, Ælianus: qui tamen alibi mustelum magnitudine præstantem & pelagium esse, & canis similitudinem gerere tradit. Specie moribus & victu conueniunt omnes, Idem. Parit galeus vt plurimum tres (catulos,) eosque recipit ore, & rursus emittit, (excepto spinace,) imprimis quidem varius & alopecias, cæteri non item propter asperitatem, Athenęus. Galeus in mari ore parit: & fœtum eodem denuo recipit, redditque eadem via viuum & incolumem, Ælianus. Et alibi: Galeum piscem aiunt nunquam deorum (τοῖν θεοῖν, *Cererem & Proserpinam intellige, quos Athenienses θεώ* [θεὼ] *vocabant*) sacerdotes edere: non enim quoniam ore parit, mundum cibum esse. Quidam non ipsum ore parere ferunt, sed insidiarum timore perculsum, vt occultet catulos suos, deuorare: deinde cum nihil ab insidiarum comparatione timet, viuos euomere, (libro 9. cap. 65.) Idem tradit Plutarchus in libro Vtra animalium, &c & quos hîc Ælian. μύσας τοῖν θεοῖν, ipse τοῦ ἐλευσῖνι μύσας appellat. Galata (Galeus) præter morem aliorum animalium cum fœtus in vtero viuere senserit, eos extrahit, (emittit.) Et siquidem eos ad vitam maturos inuenerit, foris relinquit. sin minus, eos in vterum fouendos resumit, Author de nat. rer. Plura lege mox in D.

mox in D. Cæteri galei bis anno pariunt: excepta canicula, quæ semel: & qui stellares vocantur, sæpissime. quippe qui bis mense putantur parere: quod ideo videtur, quia oua eorum non simul perficiuntur, Wotton. Aristotele secundo de historia tradente, pariunt oua omnes qui squamma conteguntur, animal omnes qui genere chartilagineo continentur, excepta rana. quod etiam lib. 6. meminit: Galei (inquit) id est musteli, genusque omne mustelinum, vt vulpecula; vt canis: & plani; vt torpedo, raia, leuiraia, pastinaca: modo quo dicimus gignunt animal, cum intra se oua pepererint. & quarto de partibus animalium: Cartilaginea & viperæ animal edunt in lucem, vbi primum intra se oua pepererint. Etenim primum hæc ouum concipiunt, deinde ouo in ventre disrupto animal excludunt, Massar. Galeus exit è profundo maris, & parit prope terram, idq; propter calorem; & vt catulos suos metu liberet, Obscurus tanquam ex Aristotele.

Ægyptij sacerdotes hominem qui sumptos cibos vomitu reddit, & auidè rursum se ingurgitat, significantes, γαλεὸν ἔνυδρον (id est galeum piscem, non felem aquaticum vt quidam vertit) pingunt. Hic enim ore parit, & natans (denuo) fœtum absorbet, Orus. Galei fœtus suos & emittunt & recipiunt intra seipsos, præterquam spinax, Aristoteles. Vide plura proximè retro in C. Sunt qui hæc etiam tanquam ex Aristotele recitent: Mustela (Mustelus) sicut delphinus & phoca viuos fœtus de corpore suo edunt: & cum partus ediderint, si erga suos catulos insidias quenquã moliri præsenserint, ipsos tuentur, ætatis teneræ pauorem affectu materno comprimunt, oraque aperiunt, & innoxio dente partus suos suspendunt. Interno quoque corpore recipere ac genitali aluo feruntur abscondere, donec illos ad securitatem deferant, aut sui corporis obiectu defendant. Galei paterna quadam indulgentia nulli animalium vel suauitatis, vel bonitatis summæ palma cedunt. oua primum, mox animal, non foris, vt cætera, sed in seipsis ædunt, tum educant gestantque ceu partu secundo quodam. ac vbi iam adoleuêre, foris emittunt: ludere & natare circum se docent: mox in se rursum per os recipiunt: inhabitandum, incolendumq; corpus præbent: locum, cibum, refugium, tantisper dum ipsis ex sese præsidium certum sit, suppeditantes, Plutarchus in lib. Vtra animalium, &c. Idem in libro περὶ φιλοστοργίας: Μάλιστα δὲ οἱ γαλεοὶ, ζωογονοῦσι μὲν ἐν ἑαυτοῖς, ἐκδαίνειν δὲ παρέχουσιν ἐκτὸς καὶ νέμεσθαι τοῖς σκύμνοις, εἶτα πάλιν ἀναλαμβάνουσι, καὶ περιπτύσσουσι ἐγκοιμωμένοις (fortè ἐγκοιμωμένους) τοῖς σπλάγχνοις. Glaucus, galeus & canis, pisces marini, ingruente periculo prolem suam abscondunt: priores duo ore: canis verò in vterum recipit, ac rursus eos parit metu sublato, Tzetzes Variorum 3.126. Abremon piscis corrupto vel barbarico nomine dictus, in tempestatibus sobolem suam ventre admissam tuetur, & postea rursus euomit, vt Iorath author obscurus tradit, de galeo nimirum vel glauco intelligens.

E Escam ad galeos & omnes pisces magnos ex Tarentino descripsi in Glauco E. Galeos pastinacas persequitur, Plin. Vide infra mox in H. a.

F Galei dura sunt carne & concoctu difficili, & succos crassos gignunt, excepto galaxia: vt retuli suprà in A. ex Galeno. Cæteris suauitate præstat quæ asterias vocatur, teneriorque est & melior, vt Hicesius author est. Canicula galeus (vt Xenocrates tradit) & qui illi sunt similes, sapore virus referunt, & malum procreant succum. Hippocrates in libro de affectionibus internis, ei qui laborat tertio genere tabis edere consulit torpedinem, squatinam, raiam, galeum, tanquam cibos scilicet si concoquantur multum solideq; nutrientes. Et rursus: Hepaticus quidam (inquit) morbus est pleuritidi non dissimilis, quod ad dolentes locos, &c. in hoc æger post indicationem morbi ex piscibus vescatur galeo, torpedine, pastinaca, & raijs paruis, omnibus coctis. Item in eodem lib. Ab hepate laborans aqua intercute, &c. post præscriptam decem dierum diætam inter alios cibos vtatur galeo & torpedine assatis.

H.a. Philologia mustelæ & galei vocabulorum in Quadrupedibus viuiparis exposita est: & partim in Stellione, in libro de quadrupedibus ouiparis. Γαλῆ Græcis bissyllabum fœmininum plerunque in vsu est pro mustela terrestri, γαλεὸς trissyllabum masculinum rarissimè. Γαλεοὶ ἐνοικίδιοι βρωθέντες λύουσι τὴν νοῦσον, Aretæus in curatione comitialis morbi. Galeus, galei, piscis est cartilagineus, quem Theodorus mustellum vertit: alius verò qui pastinacam persequitur, galeos, (vt rhinoceros,) galeotis, Massarius. Nihil est venenatius vsquam, quàm in mari pastinaca. hanc tamen persequitur galeos idem & alios quidem pisces, sed pastinacas præcipuè Plinius: quo in loco Massarius galeotem, à recto galeos, xiphiam, id est gladium interpretatur. sed Græcis gladius in recto γαλεώτης, non γάλεως, vocatur. Vide plura suprà in Corollario de gladio, pag. 380.

Hominem vomentem & insatiabilem innuentes, galeum pingebant. Vide suprà in D. ab initio.

Galeotæ Siciliæ populi aut vates. Lege infrà in Mustelo stellari. *Icon.*

Galeorum prolem catulos appellabimus, nam & Arist. νεοττοὺς dixit, & Plutarchus σκύμνους. quamuis c. scymnus alioquin speciem galei adulti significat, nempe σκύλιον. id est caniculam Arist.

Θύννε τεμάχη, γαλεοῦ, ῥίνης, Ephippus apud Athenæum. Αἰγύπτιος μιαρώτατος τῶν ἰχθύων κάπηλος Ἑρμαῖος, f. ὃς βίᾳ δέρων ῥίνας, γαλεούς τε πωλεῖ, Καὶ σοῦ λάβρακας ἐντερεύων, Archippus. Ἡ νῆστις ὀπτᾶτ', ἢ γαλεὸς, ἢ τευθίδες, Aristophanes in Thesmophoriazusis. Γαλεὸς εἴληπται μέγας, Ὀπτῆσαι τὰ μέσα: τὴν δὲ λοιπὴν γρυμέαν Ἕψω, ποιήσας τρίμμα συκάμινον, Coquus apud Sotadem Comicum. Γρυμέα vocabulum rarum est, apud Pollucem lib. 10. cap. 36. γρυμαῖα scribitur: ἀγγεῖον πρὸς ἀπόθεσιν, ὃ ἔνιοι πήραν νομίζουσι. Γρυμαία, ἡ σκευοθήκη, Varinus. Γρυμαία, (videtur corruptũ nomen pro γρυμαία.) ἐσθής: καὶ ἀγγεῖον, σκευοθήκη, ἐν ᾧ ἡ γρύτη, (malim γρύτη,) ἤδη ἡ καὶ τὰ λεπτὰ σκευάρια, ἃ καὶ γρύτην λέγομεν, Hesychius & Varinus. Ego coquum apud Sotadem ita sentire puto: Partem galei mediam & meliorem, magisque carnosam se assauisse: reliquas verò minutiores eius partes, quas gryméam appellat, (vt solemus minutiora & viliora vascula, nostri *grümpel*, & aliam supellectilem viliorem,) elixaturum se, & conditurum moreto. Τὸν γαλεὸν ἐν ὑποτρίμματι ζέσθαι, (ἕψθαι,) Antiphanes apud Athenæum, Γαλεοὺς καὶ βατίδας, ὅσα τε τῶν γλυκῶν, Ἐν ὀξυλιπάρῳ τρίμματι σκευάζεται, Timocles.

Καὶ ἡ γαλεὸς, καὶ λειόβατος, καὶ ἔγχελυς, Plato Sophistis. Sacerdotes in Eleusinijs galeo abstinebant, h. vt memorauimus in C.

DE GALEIS DIVERSIS.

Et primum de Galeo Acanthia.

Galei lauis effigiem ex Rondeletio legitimam suprà dedimus. Quæ verò hic posita est icon, non memini ubi mihi olim expressa, vel eiusdē Galei lauis, vel saltem ei coniungenda videtur.



A Acanthiæ musteli, id est spinaces, sic à spinis quæ binæ & albę eminēt dorso, nuncupati sunt quos Veneti Asilatos, quasi aculeatos vocant, nam stimulum quo animalia punguntur Veneti, præcipuè Patauini, à similitudine proboscidis asili tergora animalium penetrantis, asilum nominant, Mas. Galli quidā hunc piscē Aguillade vocant, alij Ferran, (quod aculei nimirū ceu ferrei quidam mucrones emineant: vnde & pastinacam aliqui Ferraza hodie vocitant:) Hispani Musole, vt audio: quod nomen à mustelo corruptum videtur. Rond. tamen non hunc, sed læuem, Emissole vocari ait. Colore est dorsi mustelino, infrà albo. Pinnas in dorso duas habet, & iuxta vtranque aculeū, quo pro dentifricijs vtuntur. Sunt & qui careant istis aculeis, (læues nimirum,) duorum pedum longitudine. Acanthiam Germanicè nominabimus, *ein Thornhund.*

B Spinaces Euripus non habet, Aristot.

C Hi soli ex mustelis sobolem emissam recipere, propter aculeorum impedimentum, nequeunt, Idem.

DE GALEO LÆVI.

A Læues musteli non à cutis læuitate sic dicuntur (sunt enim musteli omnes aspera cute, alij magis, alij minus, glaucus quidē Ælianus secundum Rondeletium, læuiorem quàm læuis mustelus cutem habet:) sed quoniam aculeis carent, vt opponantur acanthijs. Germanicè circunloquemur, *ein glatte Hundfisch art.* Musteli læues & stellares idcirco vocantur, quod tanquā stellis quibusdam, sic maculis variantur: à Massilienſibus Gatti alterij appellantur, Gillius. sed læues à stellaribus discernendi erant. Rondeletius gattum algarium Massiliæ dictum, nec læuem nec stellarem mustelum, sed caniculam saxatilem nominat, &c. Vide suprà inter Canes elemento c. Ἡ σκυλάκιον, ἢ κυνίδιον τρόφιλον, ἢ ἀνεμώνεα λεπίδιον: Numenius, ἀναιδές, id est, impudentis nomine Canem fortè intelligens.

C De Galeis læuibus Aristotelis verba Historiæ lc. 6. Rondeletius recitauit: sed hæc etiam addenda erant. Cibum, si reseces fœtum, ad oui similitudinem videris, etiamsi non præterea ouum habeat. (ἡ γὰρ τροφὴ ἀναπεμομένη, [ὃ ἐμέρισε,] καὶ μὴ ἔχῃ τὸ ᾠὸν, ὡσαύτως.) Secundę, membranæque singulæ fœtus singulos modo quadrupedum continent. Caput prolis in vtero nouę adhuc, partem spectat superiorem. auctioris iam & perfectioris inferiorem versus transfertur. mares in læua, fœminę in dextra ingenerantur: atq; etiam parte eadem vna fœminæ, & mares. viscera etiam fœtus habet, vt iecur: perinde atque in quadrupede magna, cruentaque resecto cernuntur.

DE GALEO STELLARI

seu Vario.

A Mustelus stellaris, aliâs ποικίλος, Wottonus. Oppianus & alij ποικίλοι, id est varios, nominant galeos illos, qui aliter asteriæ: id est stellares dicuntur. Sunt etiam asteriæ aues in ardearum, & aquilarum & accipitrum genere maculis ceu stellis quibusdam variæ: quibus inter accipitres opponi videntur λεῖοι ab Aristotele dicti, id est læues: concolores nimirum, nec maculis veluti exasperata superficie: (galei verò læues alia ratione dicuntur,) vt pluribus exposui in Auium historia, Capite de accipitrum generibus & differentijs. Quanquam autem ποικίλοι γαλεοὶ species vna hic à nobis nominantur, Ælianus tamen communiùs accepit. canum enim non cetaceorum genera duo facit: vnum κανθαρίνον καὶ ποικίλον, quod priuatim γαλεὴν vocat. alterum paruum, (*concolor,*) vt in Centrine mox dicam. Sunt & caniculæ maculis variæ, ideoque nebriç, id est hinnula res cognominantur. Porrò pœciliæ, ποικίλαι, sui generis pisces sunt.

Stephanus in Galeotarum mentione dubitare videtur, Galeotæ Siciliæ populi aut vates, dictine sint à Galeota Apollinis filio: an ab astutis animalibus siue galeo terrestri, quem ascalabotem interpretatur: siue galeis, id est mustelis marinis. Adfert autem hos versus. Φύλλιος Λιγεῖ, Ὁ πίπτος ἐμοὶ γαλεοὺς ἀστερίας. Ἰανὸς Δημητροκλείτῳ παίζων. καὶ Ἀρχίππος ἰχθύσι. Τί λέγεις σὺ μάντις; εἰσὶ γὰρ γαλεώτιοι γαλεοί *Galeota.*

Γαλεοὶ γε πάντων μάντεων σοφώτατοι. Plura de *Icon hæc Venetijs efficta ad Mustelum stellarem pertinere videtur.* Is Galeotis Siciliç annotauimus in Stellione *piscis colore è subruffo pallente, maculisq; crebris in dorso nigricantibus,* quadrupede ouipara. Mustelū stellarē Op. *alibi fusius distinguitur. Pinnæ ei in dorso tres, post branchias, binæ* à cute versicolori pardalionem dixit, alij *nec alias pictas ostendit: ea (ut suspicor) neque branchias, neq; pinnas* pantheram Bel. ego pardalio nomen neq; *rectè expressi. Rostrum eius mustelis obtusius, quam in ea teriga.* Oppiano, nec erudito cuiquā vsitatū puto *leis apparet: & ad mustelam magis accedit.* sed pardalis tantum, vt Paris, flectendum, genere fœminino. Pantheram quoq; pro pisce nemo dixit, sed Lippius Oppiani interpres. pro Græco pardalis, Latinè panthera reddidit, vt pro quadrupede etiam reddere pleriq; solent. porro quod pardalim seu pardalidem Oppiani Bel. galeum stellarem (qui & ποικίλος dicitur) esse putat: facilè conuincitur ex ipso Opp. poemate: qui cum lib. 1. Halieuticorum inter cete & belluas marinas pardales numerasset, hoc versu: Παρδάλεαί τ' ἄλλοαι, καὶ Φυσαλίδες ἀγριώπες: (vnde & Suidas repetijt, in Κῆτος:) paulo post Canum alios esse cetaceos ingentes: alios minores, licet præstantissimis piscib. adnumerandos, eosq; vel cētrinas vel galeos. galeorū rursus species esse, caniculas, lęues, acāthias alopecias & ποικίλους.



Mustelum stellarē aliqui Anglicè vulgò nominari aiunt a *Donehound* vel *Donerout*: id est fuscus canis. *Dun* enim Anglis significat colorem fuscum, ad canum (griseum) vel cœruleum inclinantem. *Couue* ijsdem vacca est. Hunc piscem maculis nigris in cœruleo distinctū aiunt. Sitne is verè stellaris, vel alia quædā caniculę galeiue species maculosa, viderint qui ad Oceanum habitant eruditi.

Germanicè non ineptè vocabitur, *ein Sternhund, ein Fleckhund, ein Punterhund, ein gesternter oder gefleckter Hundfisch.*

DE CENTRINE.

Centrina f minino genere à recentioribus, plerisq; scribitur, sed ineptè. est enim casus rectus κέντρινα, à quo formati obliqui omnes eiusmodi sunt, vt ab ἀκανθίνη fœminino deduci queant sed masculinū esse primæ declinationis (vt Anchises) par est. subauditur n. κύων vel γαλεὸς, vtrunq; masculinum & centrines veluti adiectiuū est, à centro formatū, vt ab acantha acanthias, &c. Æliano quidem & Oppiano centrinę non galei, sed canes sunt. latius enim illi canum genus extendere videntur, galeorū angustius: Arist. verò pisces longos & cartilagineos simul viuiparosq; omnes vel γαλεὰς vel γαλεώδεις appellat. --- κέντρειοι κελαινοῖς Κεντρίναι ἀνδάνουσι τεὸν ἐπώνυμον, Opp. ego ἐπώνυμοι in recto plurali potius legerim. nā & paulò ante de maltha sic cecinit: Μάλθη δ', ἣ μαλακῇσιν ἐπώνυμός ἐστιν ἀνίσιν Apparet autem iôta in centrine corripi. Apud Æl. & Philem κεντρίτης legitur per ι. quod minùs probo: & licet ita efferri posset, mollius tamen & suauius est centrines vocabulum. Cur autem canum genus à galeis, id est canibus minoribus, diuersum & peculiare centrinas quidam fecerint: inducti videntur à corporis specie nonnihil variante: sunt enim cæteri galei (inquit Aelianus) varij, pelle molliore, capite latiore: centrinæ verò parui, quanquam paulò antè dixerat canes minores omnes ad cubiti mensuram accedere: (*concolores,*) pelle duriore, capite acutiore, & colore magis albicante: &, vt Rondeletius scribit, breuiores, crassiores, figura corporis triangulari, &c.

Hyænam piscem nonnulli centrinam esse putant, Hermolaus. Mihi certè animalia longè diuersa videntur: quoniam & diuersis locis nominibusq; ab Oppiano nominantur: & centrinæ quidem cum piscibus, nempe galeis minoribus, (& secundum Aelianum inter eosdem minimi:) hyænę verò cum belluis marinis, epitheto etiam ab immani magnitudine adiecto, ἀμήχανον ἀμφὶ θώρηξ. Lechiam quoque Romæ dictum piscem, aliqui centrinam esse putarunt, Iouius amiam: Rondeletius glaucum esse ostendit *Hyæna.* *Lechia Roma.*

ostendit, non quidem mustelini, sed sui generis piscem. Germanicum nomen fingo: *Ein Spitzhund*, à binis dorsi aculeis: *ein Savvhund*, quoniam Galli & Ligures porcum nominant. *ein Stachelhund*: nam & aculeatos pisciculos fluuiatiles aliqui vocant *Stachelfisch. ein Rochund*: à cute asperrima, aculeis breuibus frequentibusque conspersa.

E Centrinæ quomodo capiantur, dictum est suprà in Corollario de Canibus E.

G Aculeos venenatos gerunt, scorpius, draco, &c. Καὶ κύνες, οἱ κέντροισιν ἐπώνυμοι ἀργαλέοισι, Πάντες ἀτὰρ τηροῖς ὑπὸ νύγμασιν ἰὸν ἱέντες, Oppianus lib. 2. Halieut. Idem lib. 4. de piscatione eorum scribens, (vt nos inter Canes descripsimus,) φῦλα κελαινῶν κεντροφόρων, periphrasticè pro centrinis dixit. Retulit mihi vir quidam literatus, accepisse se à nautis Balthici maris, piscem vocatum *Hundfisch* (speciem potiùs eius: hoc enim nimis commune est nomen) aculeum in tergo habere, quo lædat naufragos: & captus fortè in nauim proiectus, asserem quernum etiam perforet.

GALEVS Glaucus à Germanis nominari potest, *ein Blavvhund, ein blavver Hundfisch*.

DE GALEIS ALIIS DIVERSIS.

De Canibus tum simpliciter dictis, per excellentiam nimirum pro maioribus & cetaceis, id est carcharijs: tum minoribus qui galei, vel canes galei differentiæ causa nominantur: dictum est suprà in C. elemento: vbi obiter quoq; de alijs quibusdam galeis quædam protulimus.

SCYLIA, id est, Caniculæ sunt, quos aliqui vocant NEBRIOS (melius Nebrias) galeos, Aristoteles.

Galeus à RHODO apud veteres celebratus est, Pollux.

Eruditi quidam Galli, vt Iacobus Syluius, Roussette vulgò dictum ex Oceano piscem, citharum malè interpretantur. Rond. caniculam saxatilem hoc nomine à Gallis dici demonstrat.

DE VVLPE seu Galeo alopecia, in v. elemento leges.

De GALAXIA Mustelorum generis, vide suprà à principio Corollarij de Mustelo in genere.

Est & ΝΩΤΙΔΑΝΟΣ galeus dictus ab Aristotel. de animalib. lib. 5. quem Epænetus ἐπιωτιδέα vocat, Athen. sed hic locus apud Aristot. non extat, vt & alia multa, quæ eius nomine citat Athen. Nominatum autem Νωτιδανὸν conijcio ab eminente dorso, ac si dossuarium Latinè dicas.

Bugaleus, Βουγάλεος, tanquam piscis cuiusdam nomen, à Gelenio nostro scribitur: quod ab eo confictum suspicor: quoniam apud authores hactenus non inueni.

MYACES, MYES, MYIÆ vel MYISCÆ, MYSCÆue, & MYTVLI, Conchæ descriptæ sunt suprà inter Conchas diuersas, pagina 276. & deinceps. Sed integrum de plerisq; istis Plinij locum, illic non totum positum, adscribam. Purgant (inquit, aluum) & myaces, quorum natura tota in hoc loco dicetur. Aceruantur muricum modo, viuuntq; in algosis, gratissimi autumno. & vbi multa dulcis aqua miscetur mari, ob id in Ægypto laudatissimi. Procedente hyeme, amaritudinem trahunt, coloremque rubrum. Horum ius traditur aluum & vesicas exinanire, interanea distringere, omnia adaperire, renes purgare, sanguinem adipemque minuere: itaq; vtilissimi sunt hydropicis, mulierum purgationibus, morbo regio, articulari, inflationibus. Item prodesse felli pituitæque pulmonis, iocineris, splenis vitijs, rheumatismis. Fauces tantùm vexant, vocemque obtundunt. Vlcera quæ serpunt aut sint purganda, sanant: Item carcinomata. Cremati autem vt murices, & morsus canum hominumque cum melle, lepras, lentigines. Cinis eorum potus emendat caligines: gingiuarum & dentium vitia, eruptiones pituitæ: & contra dorycnium aut opocarpathon antidoti vicem obtinent.

Degenerant in duas species: in mitulos, qui salem virusque resipiunt: myscas, quæ rotunditate differunt, minores aliquanto atque hirtæ, tenuioribus testis, carne duriores.

Mituli quoque vt murices cinere causticam vim habent: & ad lepras, lentigines, maculas. Lauantur quoq; plumbi modo ad genarum crassitudines, & oculorum albugines, caliginesq;, atq; in alijs partib. sordida vlcera, capitisq; pustulas. Carnes verò eorum ad canis morsus imponuntur, Hæc omnia Plin.

DE MYLLO.

MYLLVS an idem coracino sit, vt quidam docent, dubitari potest: vt pluribus exposui productis in vtranque partem argumentis, suprà in Corollario de Coracino A. pagina 296. Myllus legitur etiam apud Plinium lib. 32. cap. vltimo, in Aquatilium animantium enumeratione: vbi alia lectio habet Mitulus. Meminit Mylli piscis Pollux quoque: & Aristophanes in Holcadibus apud Athenæum: Σχόμβροι, καλίαι, λέβιοι, (alias λεβίαι,) μύλλοι, σαπέρδαι, θυννίδες: videntur autem hi omnes salsamentarij pisces esse. Athenæus Myllum & Platistacon & Platacum (*melius Platacem, à recto πλάταξ. nam apud Athen. πλάτακας legitur, accusatiuo pluralis*) appellari tradit, vtiq; maiusculum: sicut media ætate Myllum: & cum pusillus est, Gnothidia. Sunt tamen (inquit) nonnulli, qui Platistacos & Platacos (*Platacas*) eosdem esse cum Coracinis putent: Myllum verò qui dicatur à Græcis vulgò Mylocopion, Hermolaus. In Istro flumine permulti & diuersi pisces nascuntur: Coracini, Mylli, Antacæi, &c. Ælianus de animalibus 14. 25. quanquam Græci codices habent μυαλοί, deprauata indubiè voce pro μύλλοι. Pisces mollis carnis & excrementis vacui, vt saxatiles, & aselli qui in puro mari degunt, ad saliendum non sunt accomodi. Coracini verò, pelamydes, myli (μύλοι, l. simplici,) sardæ & sardenæ, ad saliendum sunt appositi, Galenus de alimentorum facult. 3. 41. Et paulo post: Præstantissima autem omnium quæ mihi experientia cognoscere licuit, sunt, quæ à veteribus medicis sardica salsamenta nuncupantur, hodie sardas vocant: & myli, (alibi μῦλαι, perperam) qui ex Ponto aduehuntur. Secundum autem post illa locum habent coracini, & pelamydes, & quæ Saxicina (*Sexitana salsamenta, de lacertis*) appellant. Ex cucurbita suauissimus fit cibus, si cum aliquo salsamento (præsertim) ex Ponticis, quæ mylli dicuntur, mandatur, Oribasius Synopseos 4. 35. est autem locus descriptus ex Galeni de aliment. facult. lib. 2. cap. 3. Ergo cum mylli saliti ex Ponto aduehi soliti fuerint, ijdemq; saperdæ etiã vocari, vt in Coracino A. dictum

Saperda.

est, in illo Persij, ---en saperdam adueho Ponto, saperdam pro myllo accipiemus. Eruditus quidam natione Græcus, Venetijs olim, piscem vulgò dentale dictum, myllum sibi videri mihi narrabat. Δελεδώνη, ὁ μυλλαῖος ἰχθύς, Hesychius & Varinus.

Myllus Græcorum longè alius piscis est, quàm mullus Latinorum. Hesychius μύλλον & piscem interpretatur: & incuruum, obliquum, tortuosum: & parœmiam de simulantibus. Sed pro pisce penultimam acuit, in alijs significationibus vltimam. Verùm plura de his reperies in Lexicis & Chiliadibus Erasmi, in prouerbio, Mylus omnia audiens. Μύλος l. simplici, idem μύλη est, nempe mola. & quoniam latus est hic piscis, (vnde plataci & platistacis nomen factum) nihilo aut parum fortè longior quàm latus, à rotunditate forsan nomen ei factum fuerit scribitur quidem l. simplici, vt diximus, Oppiano & Galeno alicubi: eidem alibi per duplex l.

MYRINVS apud Aristotelem alicubi legitur perperam pro Myxinus.

MYRMAS. Vide in Corollario Mormyri A.

MYRVS, Muræna mas est.

MYSCÆ. Lege Myaces paulò superius.

MYSTVS quidam marinus à Bellonio memoratur. Barbum marinum dixeris: sed à mullo diuersus est. Vide suprà cum Barbo, pagina 125. Vt marinus Lucius fluuiatilem, sic mystus etiam marinus fluuiatilem refert, Bellonius alicubi. Idem in Singularibus Gallicè scriptis inter pisces Strymonis fluuij mustacatum seu mystum numerat, tanquam ab accolis Græci sermonis reliquias seruantibus, vulgò hodie sic nominetur. Mystax quidem Græcis authoribus superioris labri barba est, &c. Vide Mythus.

MYSTICETVS vel Mystocetus piscis cum Balæna habetur. Vide suprà, pagina 114. & in Corollario D. pag. 120. Plinius pro mystoceto musculum vertit. Musculus (inquit Isidorus, author sæpe ineptus) dictus est, eò quòd sit balænæ masculus. eius coitu hæc bellua concipere perhibetur. Sunt item musculi cochleæ, quorum lacte concipiunt cochleæ. Et alibi: Musculus marinus qui balænam antecedit, nullos habet dentes, sed pro his setas intus. ob id etiam hirsutam dicunt appellatam. Hermolaus hunc piscem Græcè iulum quoque vocari tradit: quod Latinè hirsutum sonat. Sic ruit in rupes amisso pisce sodali Bellua, Claudianus in Eutropium. *Musculus. Hirsuta.*

MYLTVS vel MYTVLVS. Vide Myaces suprá. Mytilus aliâs. Mytilus, (aliâs Mugilis, quod placet. nam & Samonicus sic recitat,) & viles pellent obstantia conchæ, Horatius 2. Serm. de molliendâ aluo.

MYTHVS Rondeletio inter pisces ignotos ponitur. quod nomen vbi legerit nescio: nisi fortè in Aquatilium enumeratione Plinij, ad finem libri 32. vbi codices Miscus habent: Hermolaus suspicatur legendum Mystus, vel Mystocatus, vel Mytlus.

MYTIS, Μύτις, vocatur atramentum in ore sepiæ, (de quo plura leges in Sepia:) & eodem nominè piscis quidam ab Hippocrate, Galenus in Glossis. Aliqui nasum μύτιν non ineptè vocarunt. nam & veteres hac dictione vtuntur, sed de marinis (animalibus.) Nempe Aristoteles sepiam ait testam habere in dorso, ἐν δὲ τῇ μύτιδι τὸν θολόν (id est, in mytide verò atramentum:) ea verò sita est (inquit) iuxta os ipsum (παρὰ τὸ στόμα αὐτοῦ,) vesicæ locum obtinens. Et fortè eadem hæc particula, μυκτὴρ quoque ab eo nuncupatur, cum scribit: Αἱ σηπίαι καὶ αἱ τευθίδες ἔχουσιν αἷμα συμπεπλεγμέναι, τὰ στόματα καὶ τὰς πλεκτάνας ἐφαρμόττουσαι κατ᾽ ἀντικρὺ ἀλλήλαις. ἐφαρμόττουσι καὶ τὸν μυκτῆρα εἰς τὸν μυκτῆρα. Et fortè vt μύξα à verbo μύζειν, deducitur: sic metaphoricè etiam μύτις, & myxînus piscis, Eustathius in Iliad. N. Et alibi in Iliad. Δ. Μύζειν est μῖ literam efferre: vel clausis labijs sonum quendam naribus ædere, (vt solent aliquando indignantes:) quanquam & aliter hoc verbum de sono quodam dicitur, absque aliqua animi affectione. Ab eò deriuantur μυκτὴρ, μυγμὸς, μυχθίζειν, μύξα, ἀπομύσσεσθαι, καὶ αὐτὴ ἡ μύτις. Μύτις, piscis est fœmina, quæ sine mare non pascitur: item mutus, & dissolutus vel ineptus ad Venerem, Hesychius & Varinus. sed pro pisce fœmina Μύτις, per iôta in vltima potiùs scripserim, fœminino genere: pro muto autem vel frigido ad Venerem per ἦτα, masculino. Μυττὶς, (oxytonum, τ. duplici,) atramentum sepiæ, (τὸ μέλαν τῆς σηπίας,) quod ore continens excernit, Hesychius & Varinus. Μύττις (paroxytonum, τ. geminato,) μύττεως, καὶ τὰς μύττεις, Suidas sine vlla interpretatione. Impendiò tacitus, aut in Venerem solutior, (*prouerbiali vocabulo*) dicebatur μύτης, quasi dicas mutitor, à μὴ mutorum syllaba, de quo nobis aliâs dictum est. Est huius nominis piscis fœmina, quæ sine mare non pascitur. Hinc & in libidinosos, aut suprà modum vxorios, rectiùs autem in virosas fœminas. Author Hesychius, Erasmus Roterod. sed imperitè. nos Hesychij verba, à nobis conuersa proximè recitauimus. Ea Græcè sic habent: Μύτης, ἰχθὺς θήλεια, ἥτις ἄνευ ἄρρενος οὐ νέμεται. καὶ ὁ ἐνεὸς, καὶ ὁ στερὸς τὰ ἀφροδίσια ἐκλελυμένος. Erasmus ἐκλελυμένον vertit solutum in Venerem, & libidinosum: cum omnino contrarium dicat Hesychius. neque enim Græci ita accipiunt suum ἐκλελυμένος, vt Latini participium solutus, pro eo quod est effusus & nimius in aliquod vitium, (vt luxu solutum Quintilianus dixit: & libido solutior, Liuius:) per metaphoram fortè ab animalibus feris, quæ vincta teneri debebant, solutis: vel translatione à corpore laxo, dissoluto, & flaccescente, ad animum) animo circa id dissoluto & effœminato. sed potiùs ἐκλελυμένος aut ἔκλυτος, eis is est, qui vim corporis aut particulæ alicuius laxam & dissolutam ad motum sensumue aut suam functionem habet. In Lexicis ἔκλυτον interpretantur fractum, viribus defectum, flaccidum. Forsitan autem μύτης, vt mutum significat, id est impotentem ad loquendum, ita quoque ad Venerem, nam & apud nos homines è plebe vulgò pro frigido ad Venerem, surdum dicunt. aut μύτης fortè, vt plebs vocabula peruertit, præsertim ea quibus aliquid obscœniùs insinuare vult, detortum est à μύστης. mystis enim, id est initiatis aliquibus sacris, interdictum erat Venere. aut à μιτύλος, quod est mutilus, sine cornibus: Μιτύλαν λέγουσιν αἶγα, τὴν μὴ ἔχουσαν κέρατα, Varinus. aut μύτης dicitur quasi μήτης, παρὰ τὸ μὴ φύειν, ὁ ἄσυτος.

Μυκτήρ.

Apud Plinium libro 32. cap. vltimo, in Aquatilium Catalogo legitur Meryx: quo loco codices manuscripti Hermolai habebant Metis: ipse meryx legendum suspicatur. sed liceret etiam Mytis legi, facilliore transitu, si diuinandum est.

Mityr. Cæterùm vt mytis de excremento ſepiæ nigro dicitur: ita vocalibus tranſpoſitis *ulmus*, excrementum quoddam ceræ ſimiliter atrum: quod & commoſis vocatur, de quo in Apum hiſtoria dicendum.

Eſt & Mitys viri nomẽ, Μίτυς, de quo Ariſtoteles in libro de poëtica: In Argo ſtatua Mityis (ἀνάθημα Μίτυος) authorem necis eius interfecit. Meminit etiam Plutarchus in libro de ijs qui tardè diuinitus puniuntur: vbi genitiuus *Mytis* legitur, & accuſatiuus *Mytin*, neſcio quàm rectè.

MYXINVS vel MYXON genus eſt mugilis. quære ſuprà inter Mugiles.

DE AQVATILIBVS, N. LI-
TERA INITIALI SCRIBENDIS.

A NArica eſt genus piſcis minuti. Gaza pro hepſetis naricas reddidit apud Ariſtotelem. Vide ſuprà inter Apuas in Hepſetis, pag. 71. Muriaticam video in vaſis ſtanneis, naricam bonam & canitam. Plautus apud Feſtum. Naricæ, id eſt Hepſeti, piſciculi ſunt minuti: quos Artemidorus in libro de interpretatione ſomniorum ſectos appellat, Niphus: neſcio quàm rectè. nam Græcus codex ad manum nõ eſt. Mnelitheus maiorum piſcium genus, ab alijs τμητὸν, ab alijs pelagium appellari tradit. τμητὰς autẽ ſectos interpreteris, nimirum quòd conciſi in patinis miniſtrentur, vel quòd diſſecti in ſalſamenta adhibeantur.



In Rheno

DE NASO PISCE
FLVVIATILI.

NAſus piſcis eſt Danubio, & aquis in Danubium influentibus: ſimilis monacho (*id eſt capitoni fluuiatili*,) ſed tenuior, naſo valde craſſo, Albertus. Noſtri etiam vulgò hunc piſcem appellant *ein Naſen*: hoc eſt Naſum: niſi quis Naſonem, aut Naſutum dicere malit. Peculiare nec illaudatum genus piſciũ eſt. in amnibus & aquis Lani degens, carnoſum, molle & rotundum ferè, Barbatulorũ (*Barborum fluuiatilium*) penè guſtu, duorum triúmue palmorum magnitudine: quod Germani *Naſen*, quaſi Naſutũ nominãt, Adamus Lonicerus. Circa Tridentũ Saueij vulgò dicitur duabus ſyllabis. Galli & Itali multi puto nomina eius cũ capitonis ſl. (cui aliquo modo ſimilis eſt) nominibus confundũt: vt ſunt Villain, Cheuena, Muſiner. Labrum ſeu roſtrũ ſuperius craſſum, ſimũ obtuſumq; habet: vnde & Simus Latinè, Græcè Σιμὸς dici poterit. nã eodẽ nomine piſcem inter Niloos legimus. nempe vt fluuiatiles quidã mugiles ſiue leuciſci à roſtri acumine oxyrhynchi vocãtur: ita hic ab eodem ſimo craſſoq;, ſimus & pachyrynchus, rectè vocabitur. Genere quidem Leuciſcis fluuiatilibus adſcribi debet.

Simus.

Pachyrynchus

Sueta.

ALIVS piſcis eſt, quem Suetæ nomine Italico Bellonius deſcribit: Sueta (inquit) Ferrarienſis Leuciſco quã Squalo magis ſimilis, ſemipedalis eſt, roſtro vel ore Lauareti, ſed ſubobtuſo, neq; vt Squalo in gyrũ grãdi. Capite acuminato, cauda & branchijs vt Leuciſcus. Branchias .n. habet paruas, tenuibus fibris cõſtãtes: ſub quibus mox in ingreſſu œſophagi ſeni vtrinq; dẽtes cõperiũtur, pyxidatim in ſe inuicẽ infixi, alioqui maxillę huius piſcis omni dentiũ veſtigio ſunt deſtitutæ. Squamis eſt paulò latioribus quàm Leuciſcus. Peritonæum interna parte ei nigerrimum eſt, vt in Salpis: cor ſpõgioſum: inteſtina in multos anfractus circunuoluta: hepar in duos lobos diſciſſum: quorum ſiniſter lõgius progreditur, & ſtomachum fouet, quem ferè vſque ad anum comitatur. Lien lateri ſiniſtro ſtomachi incumbit. Fel ei eſt admodum grãde. Cœno & ſpurcitijs veſcitur vt Sturio. Adamat flumina quę magno impetu ex montibus deuoluuntur: ideo in Pauera flumine rapidiſſimo, (quod quindecim à Bononia miliatibus, quatuor autem à Modena diſtat, & in Padũ influit,) affatim capiuntur, Hæc Bellonius.

In Rheno inferiùs, vt circa Coloniam, *Makrill* vocari puto: & ſuſpicor eundem eſſe, de quo Macrillæ nomine quædam ſcripſi, in Corollario Lucij A. ex Adamo Lonicero: quanquam is de Macrilla & Naſo, vtroque ſeorſim, agit. Vterque in Rheno capitur, vterque aſſari ſolet, non illaudatus vulgò.

Naſos aliqui barbis fl. comparant, quod ad corporis ſpeciem: aliqui piſcibus *Erſten* vulgò dictis apud Germanos. Mihi ſpecie, ſquamis & colore capitonem fl. referre videntur. ſed ad eam magnitudinem non perueniunt, & oris formam peculiarem habent. Venter eorum intrinſecus nigerrima membrana ambitur: vnde ioculari nomine hunc piſcem Germani ſcribam cognominãt. *Ein Naſe iſt ein ſchreyber.* Caro alba laxaque eſt, ſpinulis referta, vt & capitonis & aliorum multorum fluuiatilium, præſertim circa caudam. Os modicè deorſum vergit. nam cœno & ſpurcitijs veſcitur, vt ſcribit Bellonius de Sueta. Naſo dictus piſcis in aquis Danubij lapidem in capite habet, Albertus. Plura in A. prædicta ſunt.

Naſi apud nos in fluuijs & riuis capiuntur. libenter enim in riuos aſcendunt. In lacum non veniunt, niſi ad initium eius tantùm, præſertim vêr.

Verno tempore præferuntur & pingueſcunt. apud nos tamen Nouembri menſe laudantur: ſi modò vnquàm laudandi ſunt. nam caro eorum ſemper laxa & inſipida eſt. quamobrem aſſare eos potiùs quàm elixare peritiores coqui ſolent. In Rheno præſtantiores habentur. In libello quodam Germanicè vulgato de piſcibus, Februario & Martio, & cum ſalices ſtillant, eos præferri legimus.

NATEX. Vide infra in Nerite.

NAVCRATES piſcis non alius eſt quàm Echeneis ſuo loco poſita.

NAVPLIVS cum Nautilo mox ſequitur.

DE (NAVTILI SIVE) TESTACEI POLYPI
PRIMA SPECIE, RONDELETIVS.

Teſtam Nautili Bellonius huic ſimilem pinxit: & conditum in ea polypum extantibus cirris omnibus, multò proportione teſta longioribus, nempe triplo & amplius quàm Rondeletius pingit: ita vt terni eorum vtrinque criſpati demittantur, bini in obliquum erigantur, nulla intermedia membrana. eam enim velis loco ad planam teſtæ extremitatem (ſiue proram) erexit. Oppianus binos pedes erigi ait, interque eos tenuem membranam, velis inſtar. binos verò vtrinque demitti, gubernaculis (οἰήκεσιν) ſimiles. Sed Bellonij icon, & quam ex Anglia accepi, ternos vtrinque demittit. Videntur autem remis, non gubernaculo, comparandi ij. Plinius ſolas caudæ media vt gubernaculo hunc piſcem vti ſcribit, neſcio quàm rectè. quæ enim pars cauda nomine in polypo appellari poſſit, & extra teſtam emitti, non video.



IN librum de teſtaceis, polyporum genera duo conchis indita reiici poſſent, (*Rondeletius Nautilos poſt polypos deſcripſit: nos vt, in pleriſque, ita hic etiam ordinem literarum ſecuti ſumus*:) ſed cùm polyporum tractationem aggreſſi ſimus, ſuperioribus vtpote quorum genera ſint, vt Ariſtoteli lib. 4. de hiſt. cap. 1. placet, rectè adiungentur. Ἐπὶ δὲ δύο εἴδη δύο εἰς ὀστρείοις· ὅ, τε καλούμενος ναυτίλος, καὶ ὁ ναυτικὸς, ὃν ἐνίων μὲν ὠὸν καλοῦσι. περὶ δὲ ὄστρακον αὐτοῦ ἴσην οἵαν κυτεὶς κοίλος, καὶ τὸ σῶμα ἐν συμφυΐσι. ἔπεσι νέμεται παλάμαις τε δυσὶ τελεῖ γλιχῶν, εἶτ' ἐπὶ τοῖς τε κυμάτων *Nautilorum genera ex Ariſtotele, Athe.*

μάτων ἐκκλύζεται εἰς τὸ ξηρὸν, καὶ περιπεσόντος τοῦ ὀστρέου ἁλίσκεται, καὶ (ἢ) ἐν τῇ γῇ ἀποθνήσκει. εἰσὶ δὲ αὗται μικροὶ, τῷ εἴδει δὲ ὅμοιοι ταῖς βολιταίναις. Καὶ ἄλλος ἐν ὀστράκῳ οἷον κοχλίας, ὃς οὐκ ἐξέρχεται ἐκ τοῦ ὀστράκου, ἀλλ᾽ ἔστιν ὥσπερ ὁ κοχλίας, καὶ ἔξω ἐνίοτε προτείνει τὰς πλεκτάνας. Id est, Duo alij sunt polypi testis conclusi: is qui dicitur à nonnullis nautilus, siue nauticus, siue ouum polypi. testa huius pectinis testæ similis, quæ caua est, nec ita vt ei cohæreat. sæpius is iuxta terram pascitur, vnde fit vt in eã à fluctibus eiiciatur, & testa excussa capiatur, vel in terra pereat. isti parui sunt, & facie similes bolitęnis. Alter cochleę modo testâ munitur, quã nunquam deserit, sed brachia duntaxat interdum exerit. Ex his coniicio prioris generis testam esse eam, quã capiti præfiximus: ea. n. vnica cõcha cõstat caua, & (vt inquit Plinius) acatij modo carinata, puppe inflexa, prora rostrata (*Plinij quidem hæc verba sunt de n uplio tanquam altero genere nautili, vt in Corollario referemus.*) His subiiciemus polypum pronum & supinũ, qui paruus est & facie similis bolitænis, vt ait Aristoteles. nam alueo est rotundo. Brachia vnico constant acetabulorũ ordine. Quòd is sit nautilus, quem exhibemus, quodque simplici testa constet, maximè Athenæi authoritate confirmatur. Eius hæc sunt verba libro 7. Ὁ δὲ ναυτίλος καλούμενος, φησὶν Ἀριστοτέλης, πολύπους μὲν οὐκ ἔστιν, ἐμφερὴς δὲ κατὰ τὰς πλεκτάνας. Ἔχει δὲ νῶτον ὀστρακόδερμον. Ἀναδύνει δὲ ἐκ τοῦ βυθοῦ ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἔχων τὸ ὄστρακον, ἵνα μὴ τὴν θάλατταν ἕλκῃ. Ἐπαναστραφεὶς δὲ ἐπιπλεῖ, ἄνω πήξας δύο τῶν πλεκτανῶν, αἳ μεταξὺ αὐτῶν λεπτὸν ὑμένα ἔχουσι διαπεφυκότα, ὡς καὶ τῶν ὀρνίθων οἱ πόδες ὁρῶνται μεταξὺ τῶν δακτύλων δερμάτινον ὑμένα ἔχοντες. ἄλλας δὲ δύο πλεκτάνας καθίησιν εἰς τὴν θάλασσαν ἀντὶ πηδαλίων. Ὅταν δέ τι στέροπον ἴδῃ, δείσας συστέλλει τοὺς πόδας: καὶ πληρώσας τὸ ὄστρακον τῆς θαλάσσης, κατὰ βυθοῦ ὡς τάχος χωρεῖ. Vides hîc nautilo dorsum duntaxat testaceum tribui, eique ob id simplicem esse testam, quòd eam aqua modò impleat, modò vacuet. Reliqua quæ dicit Athenæus ex ijs quæ sequuntur, nota fient, quam ob causam conuertisse superuacaneum fuisset. Aristoteles non minùs eleganter quàm iucundè nautili polypi, quem nautam interpretatus est Gaza, nauigationem depinxit hoc ferè modo. Est nautilus polypus, (Ἔστι δὲ καὶ ὁ ναυτίλος, πολύπους. *id est, Nautilus quoque polypus, siue ex polyporum genere est*) & natura & actione mirabilis: nauigat enim per maris summa elatus ex imo gurgite effert se testa inuersa, vt ascendat facilius, & inani scapha nauiget. Cùm verò immerserit, concham conuertit. Brachia membrana congenita connexa sunt, quemadmodum palmipedum auium digiti: sed hæc crassior est & densior: illa longè tenuior aranearum telis similis. hac, vt velo, spirante aura: brachijs, vt gubernaculis vtitur: (ἀντὶ πηδαλίων δὲ τῶν πλεκτανῶν καθίησι. *Gaza vertit: Cirros pro gubernaculis vtrinque demittit latere.*) Si quid metuerit, testam protinus mari replet, atque ita demergit. Plinius nautili mentionem faciens eandem nauigationem describit, sed mendum vnum illic subesse opinor: nam pro pompilos, polypi ouum legendum esse arbitror ex Aristotele, ex quo Plinium hæc mutuatum esse certissimum: nam pompilus longè alius est à polypis. Verba Plinij sunt hæc: Inter præcipua miracula est qui vocatur nautilos, ab alijs pompilos. Aristoteles verò καλούμενος ὑπό τινων ναυτίλος, καὶ ναυτικὸς, ὑπὸ ἐνίων δὲ ᾠὸν πολύποδος. Pergit Plinius: Supinus in summa æquorum peruenit, ita se paulatim subrigens, vt emissa omni per fistulam aqua, velut exoneratus sentina, facilè nauiget. Postea duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit, qua velificante in auras cæteris subremigans brachijs, media cauda vt gubernaculo se regit. Ita vadit alto Liburnicarum gaudens imagine: & si quid pauoris interueniat, hausta se mergens aqua. Propiùs adhuc ad Aristotelis mentem accessit Oppianus, nec minùs perspicuè nautili nauigationem cecinit. Est in testa concaua latens species polypo similis nautilus, sua celebris nauigatione. In arena quidem degit, sed in summa maris etiam se pronus effert, ne testam aqua compleat: sed cùm in summa aqua fuerit, conuersa testa nauigat, tanquam gubernandi acatij peritus homo: duos itaque pedes tanquam rudentes extendit, inter quos tenuis membrana veluti velum panditur vento spirante: subter verò alij duo aquam cotingentes, gubernaculis similes, & domum & nauem & piscem deducunt. Quòd si mali quid alicunde immineat, rudentes omnes, vela, gubernacula contrahens, hausta aqua grauatus deprimitur.

Lib. 9. cap. 30.

Verum nautilum sese exhibere, Athenæi verbis comprobat.

Aristot. lib. 9. cap. 37.

Plinius lib. 9. cap. 29.

Oppian. lib. 1. ἁλιευτικῶν.

Ἔστι δέ τις γλαφυρῷ κεκαλυμμένος ὀστράκῳ ἰχθὺς
Ναυτίλος, εἰκέλιον ἐπιπλεία ναυτιλίῃσι.
Πρηνὴς, ὄφρα κε μή μιν ἐνιπλήσειε θάλασσα.
Αἶψα μεταστρεφθεὶς ναυτίλλεται, ὥς ἀκάτειο
Ἀντανύει: μέσος δὲ διαρρέει, ἥν τε λαῖφος,
Δοιοὶ ἀλὸς ψαύοντες ἐοικότες οἰήκεσσι:
Ἀλλ᾽ ὅτε ταρβήσῃ σχεδόθεν κακὸν, οὐκέτ᾽ ἀήταις
Ἱστία τ᾽, οἰήκάς τε: τὸ δ᾽ ἀθρόον ἔνδον ἔδεκτο
Μορφὴν πουλυπόδεσσιν ἀλίγκιος, ὅν καλέουσι
Ναίει μὲν ψαμάθοις, ἀνὰ δ᾽ ἔρχεται ἄκρον ἐς ὕδωρ
Ἀλλ᾽ ὅτ᾽ ἀναπλώσῃ ῥοθίων ὕπερ Ἀμφιτρίτης,
Ἴδρις ἀνήρ. δοιοὺς μὲν ἄνω πόδας, ὥστε κάλωας
Λεπτὸς ὑμὴν, ἀνέμῳ δὲ πιταίνεται. αὐτὰρ ἔνερθεν
Πομποὶ δ᾽ ἰθύνουσι δόμον, καὶ νῆα, καὶ ἰχθύν.
Φεύγει ἐπιτρέψαι: συν δ᾽ ἔσπασε πάντα χαλινά,
Κῦμα: βαρυνόμενος δὲ καθέλκεται ὕδατος ὁρμῇ.

Aristoteles testaceum polypum primi generis duntaxat nautilum seu nauticum vocat. Alterum cochleæ similem facit, qui testam suam nunquam deserit. Id genus sponte nascitur, vt cæteræ conchæ. De nautilo idem sentio, etiamsi id sibi non exploratum esse scripserit Aristoteles.

DE EODEM, BELLONIVS.

Nautilum vulgus Neapolitanum Muscardinum & Muscarolum nominat: quod etiam nomen Osmylo commune est.

B Eius concha tribus fragmentis constare videtur, (*carina s. & lateribus: cum tamen vna & simplex sit*) quorum latera vtrinque ceu carinæ iuncta apparent, ea vt plurimùm magnitudine, quam ambæ manus amplecti possunt: latitudine autem quantum pollex cum indice comprehendat. Omnes autem non excedunt crassitudinem membranæ pergamenæ, striisque in oblongum ductis ad oras crenis laciniatæ sunt, in formam rotundam abeuntes. foramen autem, per quod Nautilus alitur atque exit de concha, magnum est. Ea fragilis est, lactei coloris, lucida, admodum polita, omnino nauis rotundæ effigiem referens.

C De generatione, incrementoque huius piscis nihil adhuc exploratum habuit Aristoteles: non autumat tamen hunc ex coitu gigni, sed vt ceteras conchas prouenire: neque verò an concha solutus viuere possit Nautilus, certum adhuc habuit.

Cæterùm



Cæterùm psittaci rostrum habet, suisque cirrhis Polypi modo graditur, atque eodem modo acetabulis sorbet. BC

COROLLARIVM.

A Nautili picturam Io. Fauconerus medicus egregius ex Anglia olim ad me dedit, his verbis in epistola adscriptis: Mitto ad te hic picturam cuiusdam piscis ex testaceorum genere, puto Aristotelis Nautã esse: quam mihi primum, cum in Italia essem Cæsar Odonus Doctor medicus Bononiensis exhibuit, vir vt humanissimus, ita in exteros admodum hospitalis. postea verò hîc in Anglia ipsum piscem vidi, quẽ pro loci ac temporis opportunitate pingendum curaui. Testam habet externa parte ex fusca ruffescentem: internam verò partem ita nitentem & splendentẽ, vt cũ vnionibus preciosissimis de coloris amœnitate certare posset. multa quoque habet in ipsa testæ carina tabulata eodem colore nitentia. Velum cõstat ex pellicula tenuissima. πλεκτάναι ab vtroque latere demissæ carneæ sunt & molles, vt polyporum cirrhi, reliqua corporis pars confusa erat & indiscreta vt reliquorum testaceorum generũ: Hæc Fauconerus, Anglicum huius piscis nomen ignorare se confessus. nos Germanicum fingimus, *ein Farkuttel, oder Schiffkuttel*: quo & è mollium genere eum esse, & nautam, indicatur, Aristotelis ex libro quarto historiæ, capite primo. verba de nautilorum generibus Rondeletius Græcè recitauit: & mox interpretatus est, meo quidem iudicio probè, tanquam duo tantum genera eorum Aristoteles descripserit: non, vt Gaza, & alij eũ secuti, tria. quòd si pro verbis istis, καὶ ὁ ναυτικὸς, legas ὁ καὶ ναυτικὸς, nihil prorsus dubitationis supererit. Plinium quoque pro genere vno omnia hæc Aristotelis verba accepisse apparet. Alterum deinde genus est, Καὶ ἄλλος ἐν ὀστράκῳ οἷον κοχλίας, &c. Enallagæ etiam numerorum, casuum, & huiusmodi, nimium familiares Aristoteli, hîc quoque mouere Gazam potuerunt, vt genus vnum in duo distraheret. nam cum in singulari numero verba & nomina aliquot rectè posuisset philosophus, mox numero temere mutato ceu de pluribus vno loquens, inquit: Εἰσὶ δὲ αὗτοὶ μικροὶ, &c. Sed quilibet etiam mediocris iudicij, perlectis philosophi verbis, genera solum duo eum statuere animaduertet: vnum in testa pectunculi, testæ suæ nõ adnatum: alterum verò in cochleari testa, & adnatum ei. Si quis tamen Gazæ translationem adhuc desideret, ea huiusmodi est: Duo item visuntur genera (polyporum) conchis indita: quorum alterum nautam aliqui vocant, alterum pompilum, siue ouũ polypi. testa ijs, (αὐτοῦ eius, Græcè in singulari numero,) vt pectunculis, &c. Est etiam qui cochlearum more siliceo tegmine ita muniatur, vt nunquam egredi soleat, suaque interdum brachia exerat. Plinius cum de nautilo paulò antè dixisset, (ex Aristotele:) mox tanquam de altera eius specie: Nauigeram similitudinem (inquit) & aliam in Propõtide visam sibi prodidit Mutianus: concham esse acatij modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hanc condi naupliũ, animal sepiæ simile ludendi societate sola: duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim vectorem demissis palmulis ferire vt remis: Si verò flatus inuitent, easdem in vsu gubernaculi porrigi, pandique concharum sinus auræ. Huius voluptatem esse vt ferat, illius vt regat: simulque eam descendere in duo sensu carentia: nisi fortè tristi (id enim constat) omine nauigantium humana calamitas in causa est. Hæc Plinius. pro vltimis aliquot verbis alia lectio sic habebat: simulque eam descendere incluso sinu, fluctu hausto territam visu. id enim vbi constat rumore nauigantium humana calamitas in causa est. sed priorem, ceu clariorem antiquioremque probat Massarius. Mihi nauplius à Plinio Mutiani verbis descriptus, non alius quàm nautilus proximè ex Aristotele ab eo memoratus videtur. nauplij quidẽ hoc nomine alius nemo meminit quod sciam. videtur autem casus rectus esse nauplius, & per appositionem dictum à Plinio, in hanc condi nauplium animal sepiæ simile. Nauplium quidem, si rectè scribitur, dictum aliquis coniecerit, à nomine ναῦς & verbo πλεῖν: hoc nauigare, illud nauem significat. Nauplius alioqui proprium viri est, filij Neptuni & Amymones, &c. lege in Onomastico nostro. Si non eædem, at certè similiter nauigare videntur conchæ, quæ Veneriæ dicuntur: de quibus Plinius: Nauigant Veneriæ, præbentesque concauam sui partem, & auræ opponentes, per summa æquorum velificant. In nonnullis codicibus habetur: Nauigant ex ijs Nerites, &c. Vuottonus. Nos de Venereis conchis suprà inter diuersas scripsimus pag. 282. de Nerite paulò inferiùs scripturi. Rondeletius reprehendit Bellonium, qui concham margaritiferam vulgò dictam, secundam nautili speciem esse putârit. Vide suprà inter Cochleas diuersas marinas, pagina 239. Nautilus è genere Polyporum Concha vna præditus est. is cum ex ima maris sede ad summam aquam effertur, inuertit & mutat Concham deorsum versus, vt ne hausta aqua rursus demergatur: vbi verò ad summam æquoris peruenit, & mare ab aduersa tempestate conquiescit, supinam Concham vertit. hac enim tanquam scapha nauigatione fertur: & duo brachia in vtrunq; latus demissa, sensim atque moderatè mouens remigat, domesticáque

Nauplius.

Concha Venerea.

& natiuam

& natiuam nauem propellit. quòd si ventus flat, brachia, quę tanquam remos potiùs longè lateque porrigebat, gubernacula constituit. at quæ cæterorum brachiorum media est mébranula pertenuis, ea passa, & intenta pro velo vtitur: sicque, cum est sine metu, nauigat. sin quippiam à valentioribus beluis me tuit, se demergens Concham aqua complet, & simul ex pondere in profundum delabens, sese occultat, atque ita hostem effugit. Pòst vbi mare est tempestate vacuum, & à beluis quietum, de imo maris gurgite se extollens, rursus per summum mare nauigat, vnde nomen habet, Aelianus de animalib. 9.34. Oppianus tradit nautilum πρηνῆ, id est pronum è gurgite sursum natare: Plinius supinum: vterque quidem rectè, sed alter fortè ad testam, alter ad animal ipsum respexit. sensus quidem clarus est. nam si quis vas vacuū in aquā caua parte prçmissa adigat ęqualiter rursusq; itidem eximat, aqua non intrabit, obstante aere. Pedes vtrinque quatuor extendit nautilus: quorum primus vtrinque erigendi causa veli leuatur: terni demittuntur. Cum verò sibi metuit, præsertim à laris, aliisque auibus maritimis, testam demergit, Bellonius in libro Gallico de piscibus.

H.a. Ναυτίλος & piscem & nautam significat, Varinus. Ναυτίλος etiam est inter fabulas Timothei Milesij.

Plaustra maris naues qui primus repperit, ille
Audax orauit fluctus tranare marinos,
Fecit opus simile. hinc & ventis vela tetendit
Siue Deus, seu mortali de semine natus,
Nauigium spectans piscis: dū robora nectit,
Funibus, aptauit retrò dehinc frena carinæ,

Lilius Greg. Gyraldus ex Oppiano. Nauim quæ remis impellitur ζώῳ πολύποδι comparauit Synesius in epistolis. Circa Trœzenem olim (vt Clearchus scribit) neque sacrum appellatum polypum, neque remigem (τὸν κωπηλάτην) polypum (*nautilum intelligo*) fas erat piscari: sed tum hosce pisces, tum testudinem marinam attingere vetitum, Athenæus.

h. In Nautilum piscem Callimachi Cyrenęi epigramma apud Athenęum libro 7.

Κόγχος ἐγὼ Ζεφυρῖτι παλαίτερος, ἀλλὰ σὺ νῦν με
Ναυτίλον, ὃς πελάγεσσιν ἐπέπλεον: εἰ μὲν ἀῆται,
Εἰ δὲ γαλήνη λιπαρὴ θεὸς, οὖλος ἐρέσσων.
Ἐς δ' ἔπεσον παρὰ θῖνας Ἰουλίδας, ὄφρα γένωμαι
Μηδέ μοι ἐν θαλάμῃσιν ἔθ' ὡς πάρος, εἰμὶ γὰρ ἄπνους,
Κλεινίου ἀλλὰ θυγατρὶ δίδου χάριν. οἶδε γὰρ ἐσθλὰ
Κύπρι Σεληναίης, ἄνθεμα πρῶτον ἔχεις
Τείνας οἰκείων λαῖφος ἀπὸ προτόνων:
Ποσσὶν, ἵν' ὥσπερ καὶ τοὔνομα συμφέρεται,
Σοὶ τὸ περίσκεπτον παίγνιον Ἀρσινόης.
Τίκτει τ' αἰνοτέρης ὠεὸν Ἀλκυόνης.
Ῥέζειν, καὶ Σμύρνης ἐστὶν ἀπ' Αἰολίδος.

In hoc epigrammate quoniam obscuriora quædam sunt, paucula explicabo. O Venus Zephyriti (Nautilus loquitur) quanquam ego concha sum ipsa etiam Luna antiquior, nunc primùm tamen tibi sum consecrata, eiecta in litus, & allata Arsinoæ. hæc autem Ptolemæi filij Lagi filia fuit, præstantissimæ formæ, Veneris & venustatis studiosa. Οὖλος, crispus: id est, crispantibus pedum cirrhis. Ὥσπερ καὶ τοὔνομα συμφ. (id est vt nauta. ἵνα in eodem versu abundare videtur. Iulis oppidum est insulæ Co, Stephanus. Μηδέ μοι ἐν θαλάμῃσι) lego, Μηδέ μοι ἐν θαλάμῃς βίος, ὡς πάρος, &c. Smyrnæ plures fuerunt, & earum vna Aeolica. De ouo Alcyones non habeo quod dicam. Idem Athenæus mox recitat epigramma Posidippi in Venerem illam quæ in Zephyrio colebatur, Τοῦτο καὶ ἐν πόντῳ καὶ ἐπὶ χθονὶ τῆς Φιλαδέλφου Κύπριδος ἱλάσκεσθ' ἱερὸν Ἀρσινόης, &c.

Liburnica. De nautilo velificante simul & remigante per altum, Plinius dicit: Ita vadit alto, Liburnicarum gaudens imagine. de nauplio verò, concham esse acatij modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata. De Liburnicis multa Bayfius in libro de re Nauali: nos quæ Appianus tradit, recitasse contenti erimus. Fuerunt (inquit) Liburni alterum Illyriorum genus, qui Ionium mare & quæ in eo sunt insulas prædabantur celeribus & leuibus nauigijs vnde etiam nunc leues & celeres biremes Romanis Liburnicę vocantur. Talis nauigij formam quoque exhibuit Bayfius. *Acatium.* Idem acatium docet à Strabone positum pro prædatorio nauigio: A. Hirtium simpliciter nauigium dixisse, quod Plutarchus acation, & Tranquillus scapham. fuisse & maxima quædam acatia. acaton apud Thucydidem & Lucianum velis potiùs quàm remis agi. acatij ambiremis prædatorij Thucydidem meminisse. Laurentium Vallam ἀκάτιον interpretatum (nauigium) actuarium: quàm rectè se dubitare. quoniam actuarium à Græcis putat dictum κωπήρη (ναῦν,) vel κωπήρες πλοῖον.

Nemeades pisces quidam ab Hesychio memorantur, cuius hæc sunt verba. Νεμεάδες, ἰχθύες, βλαστοί, ὄρη ἀνεμώδη, ἀπόγονοι, λειμῶνες. Sunt illi & Nemeades portæ in Argo dictæ, inde quòd Nemeam versus spectent: non autem Corinthiæ, vt quidam malè interpretati sunt.

DE NEREIDE, RONDELETIVS.

Poetæ Nereides esse finxerunt Nerei & Doridos filias: quarum pars nare videtur, inquit Ouidius: Pars in mole sedens virides siccare capillos, Pisce vehi quædam. facies non omnibus vna, Non diuersa tamen, qualem decet esse sororum.

Lib. 9. cap. 5. Id non omnino fabulosum esse existimat Plinius. Et Nereidum falsa opinio nō est, squamis modo hispido corpore, etiam quà humanam effigiem habent: nanque hęc in eodem (vbi Triton quidam in specu quodam concha canens auditus: vt Olysipponensium legatio ob id missa, Tiberio principi nunciauit) spectata litore est: cuius morientis etiam gannitum tristem accolæ audiuere longè. Et diuo Augusto legatus Galliæ complures in litore apparere exanimes Nereidas scripsit. Vt igitur homines (*Viri, vel simpliciter Homines. Vide supra Elemento H.*) sunt marini, ita Nereides mulieres marinæ fuerint: qualis à Gaza visa est. Similem audio (sed pro vero non affirmo) ab Hispano quodam nauta in naui educatam, quæ tandem in mare se deiecit, nec postea videri vnquam potuit.

Nereides esse æquè forsitan verum est, atque id quod de Faunis ac Satyris ab antiquis est proditum: quorum monstrorum nonnullos se aliquando vidisse quidam ex sanctissimæ vitæ, nostræque religionis principibus viris, suis scriptis testati sunt, Bellonius.

COROLLARIVM.

Tiberio principe contra Lugdunensis prouinciæ littus in insula, simul trecentas amplius beluas reciprocans

reciprocans destituit Oceanus, miræ varietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonum littore: interque reliquas, elephantos & arietes: Nereidas verò multas, Plinius. Non falsam esse Nereidum opinionem Plinio adstipulari quid vetet? cum plerique nauigantes referant vidisse pisces humana effigie squammis duntaxat hispidò corpore exanimes in littus eiectos quæ descriptio cum ea quæ Nereidum est satis conuenire videtur, Massarius. Balara emporium est Indiæ. Opponitur autem regioni illi sacra Insula, quam Sceleram vocant. ea freto stadiorum centum à continenti diuiditur. Hanc tenere dicunt Nereidem deam sæuam atque infestam, & prætenauigantium multos rapientem: quæ nec anchoras insulæ applicare nautas patitur, Philostratus de vita Apollonij lib. 3. Nereides sunt beluæ marinæ, toto corpore hirsutæ & hispidæ: habentque speciem aliquam formatam (*conformem*) cum homine. Horum aliqua cum mortalis conditionis imitatrix emori debet, auditur procul gemitus eius ac planctus, Isidorus. Theodorus Gaza vir Græca facundia clarus, & philosophiæ præceptis imbutus egregiè, apud Iouianum Pontanum, ad quem frequens ventitabat, compluresque nostrates, scitè admodum & luculenter ratiocinabatur, se dum in Peloponneso ageret, & fœda maris tempestate oborta, durissimo tempore anni, nonnulla piscium monstra procellæ ad litus illisissent, inter cætera vidisse Nereidem in litore, fluctibus expositam, viuentem iam & spirantem, vultu haud absimili humano, facie quoque decora, neque inuenusta specie, corpore squamis hirto ad pubem vsque, nisi quòd cætera in locustæ (*marina nimirum*) caudam desinebant, ad quam propere visendam cum frequens concursus fieret, ipseque & nonnulli è propinquis oppidis vicini affinesque, eò se contulissent, illam frequenti turba circumdatam, mœstam & animo consternatam, vt ex vultu coniectari erat, in litore iacentem, crebroque suspirio fatigatam conspexisse: mox cum à tam frequenti corona conspiceretur, seque in sicco destitutam videret, præ dolore gemitus spirantes & lachrymas vberes dedisse. cuius misericordia motus ipse, vt erat mitis placidusque, cum turbam decedere de via iussisset: ipsam interim brachijs, & cauda, quo maximè modo poterat, humi reptantem paulatim ad aquas peruenisse. Cumque se præcipitem magno nixu in mare dedisset, ingenti impetu fluctus secare cœpisse, momentoque temporis, elapsam ex oculis nusquam apparuisse. Georgius quoque Trapezuntius, vir multi nominis & magnę eruditionis, aperta professione referebat amicis, se cùm haud procul à litore in fonte quodam spaciaretur, puellam conspexisse eleganti forma vndis extantem pube tenus, & quasi lasciuiret, subinde emergentem summergentemque se, quoadusque se conspectam intelligens haud amplius apparuit.

De Nereidibus nymphis marinis & Nereo deo marino, plura legas in Eustathij commentariorum in Homerum indice: & in Varini Lexico, in vocabulis Νηρεύς, Νηρῆις, Νηρηΐδες, Νηρηΐδες, & apud Gyraldum de dijs Syntagmate quinto, &c. Νηρεύς, θαλάσσιος δαίμων: Ἀλκμὰν καὶ Πόρκον ὀνομάζει, Hesychius. Pictores hodie ferè pro Sirêne Nereidem pingunt, vt in Auium historia in Sirenibus dixi. Nereidem Germanicè nominabimus *ein Meerfroevvle*, id est Mulierculam marinam. In maxima dignatione operum è marmore Scopæ artificis, Cn. Domitij delubro, in Circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis, atque Achilles: Nereides supra delphinos, & cete, & hippocampos sedentes, Plin. 36. 5. H.a.

In mari circa Taprobanem insulam cum alia cete admiranda, tum quædam muliebri facie existunt, eisque pro crinibus spinæ dependent, Ælianus. De Homine marino dictum est supra: & inter alia de viro & muliere in Nilo, pag. 440. & de muliere pisce nostro seculo in lacum quendam Pomeranię delato: item de Derce vel Derceto dea muliebri facie, reliquo corpore piscis figura: & mox sequenti pagina exhibitum est monstrum marinum specie humana, muliebribus mammis, &c.

Quod ad philologiam circa vocabula, plura reperies mox in Nerite. τὰς Νηρηΐδας ὀψωνεῖν τις ἐκωμῳδεῖτο, διὰ τὸ πολυτελὲς τῆς τῶν ἰχθύων ἐξωνήσεως, Eustathius in Iliad. Δ.

DE NERITA (ARISTOTELIS,) RONDELETIVS.



A

Neritam turbinatorum speciem esse.

Qvas Aristoteles νηρίτας vocat, Gaza Natices conuertit, à natando, vt opinor. Sintne in turbinatorum genere dubitauerit aliquis ex Arist. qui sic scripsit libro 4. de Hist. animal. cap. 4. Προμηκέστερα δέ ἐστιν ἐν τοῖς στρόμβοις (καρκίνια) τῶν ἐν τοῖς νηρίταις. ἕτερον δὲ γένος ἐστὶ τὸ τῶν νηριτῶν, τὰ μὲν ἄλλα παραπλήσιον, &c. Longior est qui Turbinem subit, quàm qui Neritam Cancellus. genus enim diuersum est quòd in Nerite degit, cætera quidem non absimile, &c. Et paulò post: Ὅσα δ' ἔχει μείζω τὸν ἀριστερὸν πόδα, ταῦτα ἐν μὲν τοῖς στρόμβοις οὐκ ἐγγίνεται, ἐν δὲ τοῖς νηρίταις ἐγγίνεται. Quibus sinister pes grandior est, ij nunquam cum turbinatis hospitantur, sed cum Neritis tantum ineunt societatem. Hîc Aristoteles de Turbinibus & Neritis, vt de diuersis loqui videtur, atq; ab his Neritas seclusisse. Sed si rem diligentius expendas, eam aliter habere comperies. Nam Nerita à turbinatis non genere, sed specie differt. Cum turbinatis igitur conuenit, quod testa sit clauiculatim intorta, sed rotunda & ampla, quà, ab ea turbinati specie distat, cui testa est longa strictaque. Ideo Cancellus (de hoc .n. in locis modo citatis loquitur Aristoteles) longior est qui in turbinatis longis hospitatur, quàm qui in Neritis turbinatis quidem sed non longis. Qualis verò sit Nerita, & quod sit inter turbinata collocanda, ita explicat Arist. Ὁ δὲ νηρίτης τὸ μὲν ὄστρακον ἔχει λεῖον, καὶ μέγα, καὶ στρογγύλον: τὴν δὲ μορφὴν παραπλησίαν τοῖς κήρυξι: πλὴν οὐκ ὥσπερ ἐκεῖνοι τὴν μήκωνα μέλαιναν, ἀλλ' ἐρυθράν. προσπέφυκε δὲ νεανικῶς κατὰ τὸ μέσον. ἐν μὲν οὖν ταῖς εὐδίαις ἀπολυόμενα νέμεται ταῦτα, πνευμάτων δὲ ὄντων, τὰ μὲν καρκίνια ἡσυχάζει πρὸς τοῖς λίθοις: οἱ δὲ νηρῖται προσέχονται μὲν, καθάπερ αἱ λεπάδες, &c. Id est, Nerita testa est, læui, ampla & rotūda: forma Buccinis proxima, papauer tamen non nigrum, vt Buccina, sed rubrum habet. Testæ annexū corpus eius mediū firmiter est. Pascuntur in mari tranquillo à saxis soluta: (*enallage generis: pro neritæ solutæ:*) at quoties flatus vrgent, Cancelli hospites sese in saxa recipiunt, Neritę saxis adhærent Lepadū more & aporrhaidū, ac cęterorū generis eiusdē. nec nisi tegmine dimoto adhęrēt, quod velut operculū possidet. Vsum. n. quē biualuibus pars vtraque, eundem altera exhibet turbinatis. Caro intus & in eādem os. Modus hic idem est *Lib. 4. de hist. anim. c. 4.*

aporrhaidi, purpuris, atque omnibus generis eiusdem, Hæc Aristot. Huiusmodi est Nerita, cuius imaginem veram non magnitudinem expressimus. Est enim Concha ampla & capaci, rotunda, læui, turbinata, ad formam Buccinorum accedente. De Neritis hæc Plinius. Nauigant ex his (*è Concharum genere*) Neritæ (*alia lectio Veneria. Vide in Conchis porcellanis Elemento B.* præbentesque concauam sui partem, & alteram (*melior lectio, non habet hic vocem, alteram*) auræ opponentes, per summa æquorum velificant. Hæc de Nerita Aristotelis.

Lib. 9. c. 33.

DE NERITA ÆLIANI, IDEM.

A ÆLIANVS longè aliter Neritam describit quam Aristoteles, vt ex eius verbis liquet, quæ sunt huiusmodi. Cochlea marina magnitudine exigua, formæ pulchritudine eximia spectatur. eo maris vbi sordium vacuitas est, & tranquillitas viget, & in saxis ad imam maris sedem adhærescentibus nascitur. hæc Nerite appellatur. Hoc maxime ab Aristotelis Nerita differt, quod illa magna sit, hæc parua. Nec mirum esse debet Ælianum ab Aristotele & Plinio in piscium descriptionibus dissentire, id quod in plerisque facit. Ex paruitate, & formæ pulchritudine Æliani Neritam esse colligimus eam quę capiti præfixa est.

B Punctis nigris eleganter distinguitur testa intus purpurea, in margine candida. Quod si quis Neritam inter Cochleas reponere voluerit non valde refragabor.

DE NERITE COCHLEA, BELLONIVS.

Bellonij Nerites, in cum alterutro Rondeletij Nerite conueniat, dubito: genere saltem si non specie, conuenire videtur.

B Nerite quoque turbinati generis conchula, testam in anfractum intortam habet: qua penitus inclusa, nulla ex parte præterquam capite conspicua est.

A Virilis Lutetiæ, Armoricis Bigornet & Bigorneau vocari solet: apud quos tanta est huius pisciculi frequentia, vt summo prouentu indigenæ, dum æstus abscessit, magnos aceruos è saxis legant ac bulliant (*bullire faciant*,) carnemq; è testis (quò leuius ferantur) eximant, & accolis mediterraneorum tractuum diuendant. Pulmenta autem quæ ex his cōficiuntur, minio tincta esse dixeris: quod à rubro ipsarum papauere prouenit. Prisci enim (*Aristoteles, vt refert Rondeletius*) Naticem siue Neriten, testam habere aiunt læuem, amplam, rotundam, buccino similem: papauere tamen non (vt Buccinum) nigro præditam, sed rubro. Est autem id papauer, excrementitium quiddam membrana obuolutum, omnibus testaceis generibus præcipuè esculentum. Natices sua saxa relinquunt mari tranquillo, ac sordibus vacuo, vt pascantur.

(F)



Aristoteles audire eas & olfacere scribit: subterfugiunt enim piscatores, si vocem ediderint. In Mediterraneo mari, in quo æstus non ita reciprocantur, piscatores conchulas legentes in lintre esse oportet: quos si Nerites, quæ tunc saxo extra aquam hærent, senserint, tunc sese à saxo solventes, in mare præcipites ruere conspexi: atq; hoc quidem esse puto, quod Aristoteles ait piscatores Neritas legentes tacere, ne ipsos fugiant. Athenaus Anartes & Anarites vocat.

B Testam habent læuem, rotundam, exiguam, vt neque in Oceano, neque in Mediterraneo pollicis crassitudinem excedant.

F Huius autem carnes vulgus Græcum crudas edit, quibus appetentiam maximè excitari ait, & potissimum, si cum cæpis etiam crudis comedantur.

COROLLARIVM.

Cancellum in Nerite Concha exhibui supra in Corollario de Cancello, pag. 164.

A A recentioribus Nerite vel Nerita Latinè effertur, genere fœm. declinatione secunda, vt grammatice vel Grammatica. ego Nerites masc. genere, declinatione prima, vt Anchises, dicere malim. Sic enim Græci semper vsurpant. habet autem syllabas omnes longas in omnibus casibus, quamobrem paroxytonum semper est: excepto nominatiuo multitudinis penanflexo, Νηρῖται. sic enim scribendum est: quanquam euulgati quidam codices Græci id non obseruent. Ἠ ἕκαι ὅσοισι πάντα, ὅσοις ἀπὸ βόσκεται ἅλμη, Νηρῖται, ... Nicander Colophonius. Νηρίτης cochlea est (κόχλος, Suidæ, κοχλίας Varino) marina. à verbo νέω, νῶ, quod est nato, *cuius futurum est νήσω. vnde & νῆσος,*) fit νηρὸς, quod concauum aut humidum significat: vt νηρὸς ἰχθὺς, & apud Lycophronem νηρὸς μυχὸς, ἤκοιλος ἢ κάθυγρος. (Apud Hesychium quoq; legimus: Νηρίδας, τὰς κοιλὰς πέτρας. & Νηρὸν, τὸ ταπεινόν.) (A νηρὸς autem deriuatur νηρίτης. nam si à Nereo fieret, ἐκ τοῦ Νηρεύς, vt aliqui volunt, penultimam per diphthōgum haberet Νηρείτης, Suidas. sicut Ἀρείτης ... Varinus. Neriten sanè concham à Nereo deo marino sic dictam ratione non caret: quod is fortè tali concha, tanquam elegantiore, buccinæ loco vti fingeretur: sicut & Triton: quem visum auditumque in quodam specu Olysipponensis oræ cōcha canentem, Plinius refert. Nec ineptus ad hunc vsum nerites videtur, vtpote amplus & buccino similis; Aristotele teste. Nereus (inquit Gyraldus) ex Mari & Terra natus, grandæuus & senior dictus, Græci ἅλιον γέροντα vocant, Nereidum Nympharum pater, mirificè laudatus ab Hesiodo in Theogonia. Huic hymnum Orpheus concinuit. Vxorem Dorida habuit: dictus ἀπὸ τοῦ νεῖσθαι, vt ait Phurnutus, hoc est à natando. Marinorum deorum princeps est Neptunus, & eo antiquiores Nereus & Oceanus. In Oppiani Halieut. lib. 1. Νηρείτη scriptum inuenio per ει diphthongum in prima syllaba. Testata (inquit) animalia quædam in petris, alia in arenis pascuntur: Νηρεῖται, στρόμβων τε γένος, καὶ πορφύραι αὐταί. Et rursus: εἴτε τι νηρείτης ἔλιπε σκέπας, εἴτε τι κῆρυξ, de cancellis loquens vacuas sibi conchas quærentibus.

Nereus.

Nerites

Nerites Vuottono & Bellonio idem videtur, qui & ἀναρίτης & ἀνηρίτης apud Athenæum dicatur: quibus cum ego facile senserim. quoniam & nomen idem est, prima litera tantum abundante in Anerite, vt solet hæc vocalis multorum vocabulorum initijs abundare: & genus quoque idem, nempe testaceum: & species, cochlea. & natura, adhærere petris. Vide suprà, pag. 269. inter Conchas diuersas. Apud Hesychium Νήριτος scribitur, vt ἄνθρωπος, terminatione & accentu, his verbis: Νήριτος, ὁ νηρίτης: est autem conchylium cochleæ simile, & (colore) varium Sed hoc modo scriptum adiectiuum potiùs fuerit nomen, pro magno, copioso, excellente, incomparabili: quo cum nihil aliud in eodem genere conferatur aut contendat: à νη. priuante particula & verbo ἐρίζειν compositum. inde νηριτόμυθος, ᾧ οὐκ ἄν τις ἐρίσειε πρὸς μύθους. & νηριτόφυλλον, πολύφυλλον. Idem Hesychius Νήριτον interpretatur pro monte Ithacæ è regione Epiri: (quem aliqui sic dictum accipiunt quasi νήριστον, ὅ ἐστιν ἀνέριστον, διὰ τὸ πολὺ τῆς ὕλης, Eustathius) & adiectiuè πολὺ, ὑγρὸν, ἀεὶ ῥέον, χλωρὸν, θαλερὸν, ἁπαλόν. sed pro copioso & innumerabili vsitatius est scribere νήριθμον à νη. negatione, & ἀριθμὸς, quod est numerus. Ergo si quis Neriten cochleam à magnitudine, vel pulchritudine qua alias eiusdem generis excellat, nominatam velit, bene est. Gaza pro nerite naticē reddit ex Aristotele, quoniam & natex Latinis à natando dictus videtur, vt νηρίτης Græcis à νέω, νήσω, sicut è Suida retuli. Naticem piscem leges apud antiquos per t. non per r. & videtur à natando dictus, Festus mox post Naricam piscem diuersum. Neriten qui accolunt sinum Adriaticum, etiam nūc antiquo nomine appellant, Hispani Caragolum, Gillius. Quidam Gallicè interpretatur Petit Limasson de mer, id est paruam cochleam maris. Hispani cochleam marinam in genere vocant Alméia, vel Carcól de la mar. Itali quidam neritas, Naridole, Germanicè circunscribemus, *Ein Meerschnecken art, hat ein runde grosse schalen, nit schmal vnd langlecht vvie die* Strombi *genant, die vvir Straubschnecken nennen moegen.*

Anarites.

Natex.

Natices, vt & reliqua turbinata, operculo quodam congenito carni patulæ apposito clauduntur, Aristot. Rotundiorem esse nerites testam, quàm sit turbinis, hinc apparet: oblongiorem enim formam recipit cancellus ille concharum hospes, à turbinis testæ forma, qui turbinem subit, quàm qui neriten, Vuottonus. Testa quidem neritæ Aristotelis cum cauitatem amplam habeat, nauigationi idonea videtur. potest enim aërem copiosum capere, & innatare facilius ventoque impelli. B

Rimis cauernisque saxorum generantur, celeriq; incremento augentur, vertibula, glandes, & quæ per summa (*petrarum*) adhærent, vt patellæ, vt natices, Aristot. historiæ 5.15. C

Et alibi: Natices qui capiunt non aduerso flatu, sed secundo adeunt, quoties escam persequuntur: nec voce vlla, sed silentio agunt, vtpote cum & olfaciant, & audiant. nec fieri posse aiunt, quin subterfugiant, si vox proferatur. E

DE NERITE ÆLIANI, EX LIBRI DE ANIMALIBVS

14. cap. 28. secundum nostram interpretationem.

Cochlea marina magnitudine exigua, formæ pulchritudine eximia spectatur eò maris, vbi sordium vacuitas est, & tranquillitas viget, & in saxis tum rectis mari, tum eminentibus modicè (chœrades vocant) nascitur. hæc Nerites appellatur, & duplex super ea narratur fabula: quas (vt accepi) referam. Nā in longo opere modicè ad fabulas deflectere, tum animi recreandi; tum condiendi edulcandique sermonis gratia, nihil prohibet. Nereo (dæmoni) marino, quem veracem & minimè fallacem esse hactenus omnes prædicant, Doris Oceani filia (vt canit Hesiodus) filias peperit quinquaginta: quarum Homerus quoque in Megaris poëmate meminit. Post tot verò filias etiam filium vnicum ei natum esse, nō illi quidem authores sunt, sed vulgus piscatorum prædicat, cui nomen fuerit Nerites, hominum simul atque deorum formosissimo: quo cum Venus etiam in mari se oblectârit, magno illum amore prosecuta. Cum verò iam tempus fatale aduenisset: & Venerem dijs cœlestibus, iussu patris, inscribi oporteret: audio eam de mari exeuntem, Neriten quoque delicias suas secum abducere voluisse: illum verò recusasse, quòd inter parentes ac sorores viuere, quàm cœlo potiri mallet. Et cum alas etiam, quandocunq; libuisset, ad volandum sibi producere (ἀναφῦσαι) posset, hoc quoque munus à Venere (ni fallor) acceptum, aspernatus neglexit. Quamobrem indignata Iouis filia illum in cochleam eiusdem nominis cōuertit: comitem verò & ministrum illius loco Cupidinem, ipsum quoque iuuenem & formosum, sibi delegit: & alis, quas Nerites habuerat, eundem induit. Altera verò fabula, Neptunum ait amasse Neriten, & pariter ab eodem redamatum esse: vnde nomen & celebritas Anterotis (id est, Amoris mutui) inter homines exorta sint. & hunc Neptuni amasium, tum aliâs familiariter cum ipso viuere solitum esse: tum currum eius & equos, si quando per æquora veheretur, quàm proximè semper secutum, marinis bestijs omnibus sua celeritate superatis. Nam pisces cetacei, Delphini, Tritones, alijque è penetralib. maris excitati, circumsiliendo currum, & tripudiando, (quod eos facere Homerus etiam in Iliade testis est) omnes mox fessi desistebant, & relinquebantur à tergo. Puer verò pergebat semper, fluctibus etiā ei (ob reuerentiam Neptuni) se submittentibus, & locum aquarum diuortio cedente mari: quòd Neptunus voluisset tam præstantis formæ puerum, tum cæteris in rebus excellere, tum corporis habitu & viribus præ cunctis florere. Solem igitur inquit fabula pueri celeritate commotum succensuisse, & in hocce Cochleæ genus vertisse. Quam verò ob causam Sol iratus hoc fecerit, non exprimit fabula: verisimile tamen est riualitate inductum id fecisse.

Fabula.

Nereus.

Metamorphosis.

Altera fabula.

Anteros.

DE NIGRIS PISCIBVS DIVERSIS, DEQVE VENENATIS TVM NIGRIS TVM ALIIS.

Nigri pisces diuersi sunt. alij venenati, alij non, vt dicemus. Ctesias in Armenia scribit esse fontem, ex quo nigros pisces illico mortem afferre in cibis: Quod & citra Danubij exortum audiui, donec veniatur ad fontem alueo appositum, vbi finitur id genus piscium. Ideoque ibi caput eius amnis intelligitur fama. Hoc idem & in Lydia in stagno nympharum tradunt. In Arcadia ad Pheneum aqua profluit è saxis, Styx appellata, quę illico necat, vt diximus. Sed esse pisces paruos in ea tradit Theophrastus, le-

stus,letales & ipsos,quod non in alio genere mortiferorum fontium,Plinius.Ego cum ad Danubij fontem olim,in pago Doneschinga vocato, vlli ne pisces nigri aut venenati illic caperentur aut noti essent,inquirerem,nihil tale cognoscere potui.Sed de nigris in Armenia venenosis, quorũ Plinius meminit,Ælianum quoque audiamus:is libri de animalibus 17.cap.31.ita scribit.In Armenia excelsum saxum auditione accepi permultam aquam emittere , atque sub ipsum subijci fontem vndiquaq; quadratum,treis passus profundum , singulaque eius latera stadij dimidium occupare: & simul cum aqua pisceis frequenter excidere, cubiti magnitudine, tum maiores, tum non multò minores:& ex ijs partim delabi semimortuos,partim adhuc valde palpitantes emori. Et peruagatum est eos colore esse nigerrimos,& non aspectu insuaueis. Veruntamen si quid eorum vel homo vel fera bestia gustârit, statim mori.Propterea verò Armenios quòd ferarum multitudine redundent, primum eos collectos ad Solis radios exiccare:deinde ne hausta piscium aspiratione graui & pestilenti, aut excitato inde puluere hausto,pereant,ore & naribus obturatis hoc piscium genus contundere, & in farinam redigere: & ad ficus admistas in ea loca,quæ maximè abundant feris, disseminare.Bestiæ primùm vt eas attigerunt,statim moriuntur,atque ea fraude Apri,feræ Capræ,Cerui,Dorcades,Vrsi,Asini syluestres necantur.nam eiusmodi animalia ficuum & farinarum auidissima sunt. Iam verò alio modo tollunt Leones,Pardales, Lupos.Nam in domesticarum Ouium & Caprarum discissum latus farinas ex ijs piscibus temperatas abdunt.Post verò hanc escam ad eos alliciendos obijciunt. At cum eiusmodi quippiam Pardalis,Leo, Lupus gustarint,continuo moriuntur, Hæc Ælianus. Georgius Agricola libro 2.de natura eorum quæ effluunt ex terra,de aquis animantium generi mortiferis scribens: Quin quædam pestilentes aquæ(inquit)alunt pisces,qui etiam ipsi mortem afferunt in cibis: vt in Caria iuxta Idimum vrbem. ibi enim cum nouus exilisset amnis,pisces lethales simul effudit,vt scribit Seneca,(*Vide supra in fossilibus piscibus, pag.372. at non Idimum,sed Myndum legitur. Est quidem Idyma vel Idyme vrbs Cariæ, & Idymus fluuius, Stephano: sed Myndus quoque eiusdem regionis vrbs est.*)

Stygis aqua. Aqua Stygis ad Nonacrin (*quæ & ipsa pisces letiferos habet*)qualis sit; ex effectu intelligitur.quia enim Plinius scribit, profluentem lapidescere , non obscurè significat succo lapidescente esse infectam, vt iam ante dixi.Nec eadem res latuit Senecam, cum de eâdem scribit his verbis:Summa celeritate corrumpit,nec remedio locus est.quia protinus hausta duratur,nec aliter quàm gypsum,sub humore constringitur,& alligat viscera.Quod autem eadem aqua erodendo perrũpit vasa ænea & ferrea,multùm atramentosam esse colligimus,&c.Et paulò post:

Aquæ denigrantes. Sybaris aquas(vnde equi potantes agitantur sternutamentis)atramentosas esse,ex eo perspicuum est,quòd eędem nigros faciunt,non tantum boues & oues,sed etiam hominum capillos. atramentum enim sutorium,vt alia res acerba,nigrore tingit:vt acris,sternutamenta mouet,&c.Et mox:Ex amnibus quidam poti,oues nigras faciunt,vt Cereus Eubœæ, Melas Bœotiæ, Axius Macedoniæ, Peneus Thessaliæ, flumen quoddam in Galatia:aut tam bobus quàm pecoribus faciunt nigrorem,sicut Sybaris in Thurijs:atque etiam homines qui eum bibunt,nigriore,duriore magis crispo capillo sunt. In Ponto, inquit Plinius,fluuius Astaces irrigat campos:in quibus pastæ,nigro lacte equæ gentem alunt. Quanquam autem non facile ex effectibus temperatio aquarum dignosci potest:tamen quia in aquis quibusdam nigris,quarum mistura nobis prorsus non est ignota, nigriores pisces sunt, hinc de ignotis coniecturam aliquam fieri posse arbitror.Sunt verò salares subnigris maculis in Milena & in riuis ad Crotendorfum,& in fluuiolo quẽ nigram aquam appellant.is Suarceburgum præterfluens in Muldam infunditur. Primò autem nigras aquas colorem contrahere videmus ex folijs arborum putrefactis,quercus scilicet ilicis, roboris,fagi, alni,& similium.riui autem id genus in maximis syluis fluunt: quorum aquas si solas potarent greges ouium,nigræ perinde ac pisces qui in ipsis versantur, fieri possent.Deinde fluuij qui multas capiunt aquas palustres nigri fiunt:vt Allera,qui in Visurgim influit: & Isa,qui in Alleram in tractu Luneburgensi:& Spreuus,qui in Hauelam. Aquę autem pauco, & quod vix sensu percipi possit,atramento sutorio,& melanteria,alijsque infectæ,tametsi ipsæ non videantur esse multum nigrę, animãtium lanas, setas,pilos nigros potæ efficere possunt,&c.Deinde docet aquas aliquas propter vim peculiarem quãdam carere piscibus.Et mox:Aquæ multum sulfuratæ, quales Anigri: multùm atramento sutorio infectæ, quales Ochræ,non alunt pisces,siue calidę,siue frigidæ fuerint:modicè aut parum,alunt,sed coctis sapor non est bonus,Hucusque Agricola. Sueui fluminis aqua nigricat propter alnorum copiam per quas fluit vt conijcimus:& pisces in eodem,præsertim gobiones,(*id est mustelæ, quas thryssias vulgo nominant,*)nigriores:& cute & carne densiore. palatoque sapidiores.Idem fit in Varta flumine Bohemiæ, Iodocus Vuillichius.In Thurijs fluuius Lusias appellatus, tametsi perlucidos liquores habet,nigerrimos pisces tamen procreat,Ælianus de animalib.10.38.Minyas vel Myneius (quinque syllabis) fluuius,qui aliàs Anygrus dicitur Geographo,pisces habet ἀβρώτους,hoc est minimè edules, &c. Varinus in Μινύειος.Genus est mustelarum piscium,quas nostri à nouem oculis(hoc est branchijs septenis,& oculis binis,)denominant,*Neunaugen*:harum species à cœno vocata *Murnenneugen*, cæteris nigrior,in cibũ admitti non solet.Salamandræ aquaticæ,non pisces,sed veluti lacerti aquatici sunt,parte prona nigricante,supina flaua:venenosæ.Pisces nigri,sed optimi saporis,capiuntur (nasis) in nigro flumine profundissimoque regionis Septentrionalis quam vocant Kareliam,Olaus Magnus in Tabula Septentrionali ad literas F.f. Mugilis nigri suprà inter Mugiles, ex Rondeletio iconem & descriptionẽ dedimus. Iuxta Rutlingam Germaniæ oppidum amnis labitur, in quo Trutæ nigræ,punctis distinctæ rubentibus,capiuntur,vt audio.

DE NOVACVLA PISCE, RONDELETIVS.

A SVnt qui piscem hunc,quem hic exhibemus,verum erythrinum esse existimant, hac ratione moti, quod colore rubro sit,siue ruffo, pagri modo. At cum corporis figurâ pagro dissimilis sit, & capite tantùm quodammodo similis , ab his dissentio, sequorque in hoc pisce , vulgatem appellationem, quam ex Latina sumptam arbitror: dicitur enim rason, quæ vox nobis, & Hispanis nouaculã significat



à Plinio verò,qui solus ex veteribus piscis huius meminit,nouacula piscis.Eius verba sunt: Nouacula pisce quæ tacta sunt,ferrum olent:nam in vulgaribus codicibus perperam locus hic legitur, eo quo citaui modo restituendus.& meritò quidem nouacula dicitur: est enim dorso cultellato, (Plin. à ferri odore Nouaculam dictum insinuat)quo maiorem nouaculam aptè repræsentat. *Lib.32.c.2.* Piscis est marinus,squamosus,palmi magnitudine,tres digitos latus, vnum spissus. capite pagrum quodam modo refert,posteriore corporis parte buglossum. B ore est paruo,dentibus acutis, magnis, & recuruis: oculis est paruis,à quibus descendunt ad os lineæ obliquæ purpureæ, & cæruleæ: squamis tegitur magnis rubescentibus. A capite ad caudam protensa est pinna vnica & continua: altera à podice qui ori quàm caudæ propior est,ad caudam.In arena viuit.Piscis est Rhodi frequens,& in Melita insula,ex quo post Rhodum à Turcis expugnatam illuc migrarunt milites, C qui Rhodij appellantur.Capitur & in Maiorica Minoricaque insulis,inde à Pigno discipulo quondam meo ad me missus. Carne est tenera,& delicatissima,ac in illis insulis,quas modo nominaui, summo est in pretio,Hæc Rondeletius. Tonsicula quidem ex Orimis F celebratur à Cassiodoro,non describitur.

Aconias pisces Numenius apud Athenæum nominat. qui an Plinij Nouaculæ sint,considerandum. acóne quidem Græcis cotem significat , ad quam nouaculę exacui solent. Olim Cornelius Sittardus medicus,piscem,quem Rondeletius Nouaculam nominat, Romæ depictum , Pauonis nomine ad me misit,pulcherrimis coloribus,quos scribendo assequi nequeo. Pinna dorsi colore aureo vel croceo flauet spinæ in eadem,& superiores interuallorum partes rubent. dorsum puniceum est.latera partim albicant , partim puniceo colore multum diluto sunt. Pinnæ ad branchias sublutcæ.quę ab ano ad caudam vsque tendit, flaua , spinulis fuscis intercipitur, & lineis ex aduerso eas decussantibus,ijsdemq; tortuosis, partim rubris, partim subcœruleis distinguitur.Caput totum lineis descendentibus insigne est.synciput coloris punicei saturati est , lineæ eleganter cœruleæ: latera , hoc est, sub oculis partes & branchiæ, albicant:lineæ cœrulei puniceique coloris ferè mixti sunt.Oculorum pupilla nigra, ambitus luteus.Piscis hic Romæ rarò capitur. carnis est durioris & delicatissimæ. Pauonis quidem nomen alijs quoq; piscibus attribuitur,vt in P.elemento dicam.

NVBES secundum Aristotelem est piscis in aqua viuens,applicatus ad petram, à qua non discedit, nec separatur,nisi per attractionem inspirationis concitus, Author de nat.rerum egò nullum huiusmodi nomen apud Aristotelem extare puto: neque animal aliud ferè præter patellas & neritas,adhærere saxis.

NYMPHA, Νύμφη,apud Athenæum semel legitur.Speusippus(inquit) libro 2. Similium,similes esse scribit, Astacum, Nympham, Vrsam, Cancrum, Pagurum.

DE AQVATILIBVS. IN QVORVM NOMINIBVS LITERA PRIMA EST O. VOCALIS.

OA Taricha, Ὠὰ τάριχα, Græci vocant oua piscium salita & inueterata: vt mugilum,capitonum, cyprinorum,sturionum:de singulis suis locis diximus. Vulgus hodie Cauiarium vocat. Vide in Corollario de Cephalo inter Mugiles: & in Capitone marino Rondeletij ibidem. Aliud est Omotarichus, de quo in Salsamentis dicam.

OCVLATA is videtur esse piscis, quem Plautus Ophthalmiam appellauit,Hermolaus.Vide suprà in Melanuro.

OLISTHOS nominatur Oppiano Halieutic.1.cum piscibus qui mare vicinum fluuijs aut stagnis amant,vbi aqua dulcis & salsa miscentur, & cœnum copiosum colligitur: ἔνθα νέμονται φορβὴν, ἱμείρουσι, γλυκερῇ δ᾽ ἁλὶ παιύνονται Πηλαμύδες, γόγγροι τ᾽, καὶ ὃν καλέουσιν ὀλισθόν. Piscem à lubricitate dictum apparet. quęrendum an idem fortè sit Lubricus memoratus Ouidio inter litorales, hoc versu. Lubricus & spina nocuus non gouius vlla. nisi quis hoc nomen potiùs epitheton gouij faciat. Locus est mutilus, & versus præcedentes aliquot desunt. An Olisthus lampreda est. nam & hic piscis lubricus est, & locis huiusmodi in mari eum gaudere puto, cum fluuios etiam ipsos subeat. quamuis eruditi quidam, vt Iouius & alij, lampredam non Lubricum, sed Lumbricum appellant.

OMOTARICHOS,id est salsi Thunni caro. Vide infrà in Salsamentis.

OMYDION & OMYS in Testudine sunt.

ONIÆ cognominantur Scari quidam ab æolis diuersi.

ONOS Græcis est, qui Asellus Latinis.

ONYX & Dactylus,& alijs nominibus Græcis appellatur,quem in Vngue describemus Elemento V. Alius est Onyx, id est Vnguis,odoratus, Purpuræ operculum:quem aliqui Ostracion vocant,teste

Plinio. De eo dictum est supra in Conchylio, pag. 287. Rondeletij verbis, & nonnihil in sequente Corollario: diceturq; amplius in Purpura.

OPHIDION pisciculus est gongro similis, Plinius lib. 32. cap. 9. vt vetusti codices habent. nam in quibusdam minus vetustis Scombro pro Gongro legitur. Aestimandum relinquimus. Dubitandi causa fuit, quòd Ophidion à serpente cognominatus est, vt gongro potiùs quam Scombro similis videri possit. Aristoteles serpentis genus pusilli nominat Ophidion. is & OPHIN thalassion, id est marinum anguem nominat, Hermolaus Barbarus. Kiranidæ codex manuscriptus, qualem habeo deprauatissimum, libro 1. Elemento Vij. quod est ἦτα, Edonen piscem nominat, (& delectationem interpretatur,) qui aliâs Affidion dicatur. sed Græcè scriptum apparet, ἡδονὴν & ὀφίδιον. Arbitror autem Edonen eundem Adonidi esse. nam Adonis piscis (de quo multa scripsimus in A. elemẽto, pag. 13.) flauo est colore, ξανθὸς Oppiano, ὑπόπυῤῥος Athenæo: ab eodemq; colore cirrhis & ceris vocatur: & Ophidij species vna Rondeletio flaui coloris est. Plura de Ophidio protulimus supra inter Asellos, pag. 91. ex Rondeletij & Bellonij obseruationibus: quibus nonnihil addidimus in Corollario 3. de asellis. Rondeletio suum Ophidion barbatum & maculosum est, vulgò Donzella, quod nomen aliqui etiam Iulidi attribuunt: videri autem potest per aphæresin & diminutionem à Græco Adonis factum. Non soli igitur piscium cinædi, vt Plinius putauit, lutei sunt. Alius est piscis Nerophidion vulgò hodie dictus, nempe acus Aristotelis, vel typhle Bellonij.

Adonis.

Nerophidion.

OPHTHALMIAM piscem Plautus nominat. is vulgò Oculata dictus videtur. Vide in Melanuro.

OPSON, Ὄψον, id est opsonium, pro pisce per excellentiam dicitur. Athenæus lib. 7. Cum multus & varius apparatus diuersorum ac grandium piscium esset, Myrtilus (vnus ex dipnosophistis) dixit: Merito amici cum προσφήματα (προσφάγια *Suidas* [*quod commune & è vulgo vocabulum esse Eustathius monet*] *quæcunq; igne parata, id est cocta, cum pane eduntur*) omnia nominentur ὄψα, piscis tamen solus omnium propter suam in cibo excellentiam sic nominari obtinuit: propter illos nimirum, qui summam in hoc cibo lautitiam maximasq; (ne dicam, insanas) delicias sibi quæsiuerunt, adeò vt præ piscibus reliqua gustare cõtemnerent. Hos igitur opsophagos ὀψοφάγους, appellamus: qui piscibus inquam auidissimè vescuntur: non qui bubula satiantur, neque φιλόσυκον aut φιλόμηλον, id est qui ficus aut mala appetat: aut φιλόβοτρυν, quem botri delectent: sed illos qui περὶ ἰχθυοπωλίαν, id est circa pisces emẽdos versantur. Non verò me latet ὄψον propriè dici id omne, quod igne præparatur, coquitur aut assatur ad cibum: vt ita dicatur veluti ἕψον. (quanquam aspiratio aduersatur. sed ab ἕπω quoq; fit ὀπαδὸς, & ab ἅμα fortè amia piscis gregalis, Eustathius:) vel παρὰ τὸ ὀπτᾶσθαι, (ὀπτᾶσθαι, Eustathius.) Apud Suidam quoq; ὀψοφαγία nominatur: & ὀψοφάγος, λαίμαργος, ὄψα ἐσθίων. Philoxenus Leucadius (inq̃t) adeo gulosus (opsophagus erat) vt palàm in balneis manum aquæ calidæ insertam assuefaceret ferre calorem, & similiter os aqua calida colluendo, vt à calore minus offenderetur. Quinetiam coquos eum sibi conciliare solitum aiunt, τοὺς ὀψοποιοῦντας ὑποποιεῖσθαι,) vt fercula quam calidissima apponerent, quo solus ipse consumeret cum cæteri non possent assequi. Eadem de Cytherio Philoxeno tradunt, & Archyta, alijsque pluribus &c. Descripsit autem hæc, sed non integrè, ex Athenæi primo Suidas. qui etiam verbum ὀψοποιεῖσθαι, interpretatur ὄψα ὠνεῖσθαι, id est opsonare, opsonia emere. & authoris innominati hæc verba citat: Ἔναγχος ἐν ποιμένι τινὶ ὀψοποιουμένῳ, ἰχθὺς ἀπεδέξατο. nos iam in ijs quæ ex Athenæo recitat, τοὺς ὀψοποιοῦντας coquos interpretati sumus. Est & ὀψοπώλιον apud Suidam, forum piscarium, vel in quo alia etiam opsonia venduntur. Ὁ δ᾽ ἔστι [illegible] τῶν ἀλιευόντων αὐτοῦ δούλων τριώβολον [illegible] μνᾶν τοῦ ὄψου, (deest verbum emebat,) καὶ μάλιστα τοῦ [illegible], Athenæus. Strabo lib. 3. de piscibus circa Turdetaniã loquens ὄψα nominat. Γίνεται δὲ [illegible] ἅπαν ὄψον, τοῖς σκαλδασίοις [illegible] τὰ δὲ πετραῖα καὶ τῇ ἡδονῇ [illegible]. Mnesitheus. Ὄψου πετραίου [illegible], Machon. Panis ab obsonijs appellatur ostrearius, Plinius 18. 11. Hippocrates generalius accipit: Quarto mense (inquit) obsonia sint ægroto, [illegible], & carnes ouiliæ: reliquo verò tempore, cartilaginea, In libro de affectib. internis. Apud Athenæum libro 8. cum Vlpianus ὀψάριον vocabulum à nemine vsurpatum putaret, Myrtilus poëtarum aliquot testimonia adducit, qui ὀψάριον pro pisce protulerunt, Platonis, Pherecratis, Philomenis, Menãdri, Anaxilæ. nam in Anagyro Aristophanis (inquit) ὀψάρια interpretatur προσφήματα: vt & in Pannychide Alexidis. Est quidem diminutiuæ formæ nomen, quod tamen Tarentinus in Geoponicis simpliciter pro piscibus vsurpat: neque enim solum τὰ μικρὰ ὀψάρια, verùm etiam μεγάλα ὀψάρια dicit, nõ minùs ineptè ac si quis pisciculos grãdes diceret. Suidas ὀψάριον, probè interpretatur ἰχθύδιον. Cetropsaro, Christepsaro, & similia, non à psaro, sed ab opsario composita mihi videntur. Ὀψαρτύτης, μάγειρος, Suidas. Timæus ait Ἀριστοτέλην ὀψαρτύοντα ὀψοφάγον εἶναι καὶ λίχνον. Idem in Δαιτεῦσι. Ὀψαρτυτική, μαγειρική. Ἀρτεμίδωρος ὁ Ἀριστοφάνειος συνῆξεν ὀψαρτυτικὰς λέξεις, Idem. Opsartyticorum authores memorantur Athenæo lib. 12. qui non solùm de piscibus, sed alijs quoque diuersis opsonijs scripserint. Glaucus, Locrus, Mithæcus, Dionysius, Epænetus, &c. Idem versus aliquot ex Opsophagicis Philoxeni Leucadij refert, lib. 1. Fortè & Ennij Phagitica, ex quibus versus aliquot de piscibus refert Apuleius in Apologia, Opsophagica meliùs inscriberentur. Apicij de opsonijs & condimentis librorum, nonus Thalassa, id est Mare: decimus Halieus, id est, Piscator, inscribuntur. Ὀψάρια δύο in Euangelio Ioannis pro duobus pisciculis legimus: vbi cæteri Euangelistæ ἰχθύδια habent. Φίλιχθυς Athenæo idem qui ὀψοφάγος est, & per periphrasin περὶ [illegible] ὄψοις. Sic φιλόκρεως Eustathio, qui piscibus delectatur. Ichthyophagi necessitate quadam piscibus famem pellunt, quòd alia cibatia non suppetant: opsophagi consulto ad voluptatem & luxum iis se ingurgitant.

Ex Eustathij in Homerum commentarijs: Ὄψα τὰ τοῦ σίτου ἡδύσματα, διὸ καὶ οὐχ ἑωθεν, ἀλλ᾽ ὀψὲ τούς τοι αὐτὰς τρυφᾶς προσεφέροντο· ἢ μᾶλλον διὰ τὸ εἰς χρῆσιν ἐλθεῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ τοιαῦτα ἐπὶ τρυφῇ, οὕτως εἴρηται τοὔνομα. Ὀψάριον, ὑποκοριστικῷ τύπῳ, ἐπὶ ἰχθύος ἀφωρισμένως, (ἰδίως κατά τινα ἐξοχήν) ἁπλῶς δὲ ἐπὶ παντὸς προσφήματος. ὀψοφαγεῖν, τὸ παρὰ τὸ δέον ὄψοις χρῆσθαι. Homerus Iliad. λ. κρόμυον ποτῷ ὄψον, id est cepam opsonium potus nominat, metaphora quadam. propriè enim pisces & caro opsonium est pani: quoniam cum illis plus panis & suauiùs consumimus: & sal tum pani tum alijs cibarijs pro opsonio est. cepæ verò & tragemata (id est, bellaria) dicta, quoniam sitibundos faciunt, & ad potum excitant, ποτοῦ ὄψον ab Homero vocantur, vt Eusta-

Eustathius docet. Vt τέμαχος (inquit idem) non de quouis segmento, sed piscium duntaxat tomis dicitur: sic ὄψον sæpe absolute pro pisce ponitur. Ab opso fit paropsis, παροψίς, τὸ τρυβλίον, genus vasis: Platoni tamen eadem vox genus quoddam opsonij varium significat. Hinc etiam fit verbum ὀψᾶσθαι. item εὐοψία, opsoniorum copia: vt ἀνοψία, eorundem inopia. ὀψωνεῖν (id est Opsonare) dicuntur, qui pisces, præsertim preciosos coemunt: & qui eosdem in cibis absumunt, ὀψοφαγεῖν. contra quem luxum Athenis placuit senatui vt duos aut tres ὀψονόμους cõstituerent. Οὕτως ὀψωνεῖν ἔοικ᾽ ἐπὶ τυραννίδι, Aristoph. in Vespis de homine pisces preciosos & regios coëmente. Τὰς Νηρηΐδας ὀψωνεῖν τις ἐκωμῳδεῖτο, διὰ τὸ πολυτελὲς τῶν ἰχθύων ἐξωνήσασθαι, Eustathius in Iliad. λ. Ab opsophago superlatiuus gradus est ὀψοφαγίστατος: idemque apud Sophoclem intendendi gratia geminatus, ὀψοφαγίστατος. cuiusmodi & hæc sunt, βλακίστατος, λαγνίστατος, λαλίστατος, κλεπτίστατος. Socrates non vt vulgus hominum in cibis & condimentis, quò vel ederet vel biberet amplius suauiusque: sed in exercitio opsonij rationem collocabat. quare vesperi serò inambulans, quid faceret interrogatus: respondit se opsonium pro cœna quærere, ὄψον τῷ δείπνῳ εὑρίσκειν. Socratem ferunt, quum vsque ad vesperum contentiùs ambularet, quæsitumque esset ex eo quare id faceret: respondisse, se, quò meliùs cœnaret, opsonare ambulando famem, Cicero 5. Tuscul. Quoniam verò opsonium ceu condimentum (ἥδυσμα) quoddam inuentum est, οὐχὶ τὸν ἄρτον, οὐ μὴν δὲ εἰς πλεῖον (lego σιτίον. nam vt Eustathius alibi tradit, σῖτον genere neutro & σιτίον, cibum è frumento confectum vel panẽ significat. σῖτος δὲ ὁ ἀκατέργαστος) ne id quod Socrates in quendam immoderatius opsonio (τῇ ἐποψήσει) vtentem, torqueri in ipsum possit: nempe. Ὦ παρόντες, τίς ἡμῶν τῷ μὲν ἄρτῳ ὡς ὄψῳ χρῆται, τῷ δ᾽ ὄψῳ ὡς ἄρτῳ; Vbi animaduertendum obiter tria vocabula, ὄψον, προσόψημα, ἐπόψησις, rem vnam significare. Hæc omnia in eodẽ loco Eustathius. Et alibi: Veteres (inquit) ὄψον communiùs acceperunt, posteriores (magis iam proni ad luxum) ad pisces contraxerunt, per excellentiam: vt vulgò etiamnum ὀψάριον pro pisce dictum indicat. Opsonatorem nunc vocant, Ὀψονάτορα,) opsoniorum emptorem, quem veteres, vt Xenophon, ἀγοραστήν: quod vocabulum communiùs (pro quouis aliquid emente) vsurpatur. Aristophanes ὀψώνην nominauit. Παροψωνεῖν verbum Cratini est, παραγοράζειν Alexidis, Athenæus, qui & Archestratum opsodædalum nominat, quòd circa opsoniorum structuram & apparatum curiosa eius peritia fuerit: sicut λογοδαιδάλους orationis poliendæ artifices appellant. Apicium (nepotum omnium altissimum gurgitem) Græci opsophagi cognomento insigniunt, Cælius. Opsophagos dici putat Xenophon, vel apud eum Socrates (libro 3 de factis & dictis Socratis) qui modico vtantur pane, obsonio (*si scribit per b. non per p.*) autem multo, Idem. Et alibi, Scitu dignum illud quoque apud Eleos cultum quandoque Apollinem Opsophagi cognomento, velut gulonem dicas. eius meminit Polemo, in ea quæ ad Attalum, epistola. Euenum dicere solitum accepimus, ignem videri omnium bellariorum iucundissimum, Cælius. arbitror autem Græcè ab Eueno dictum esse ὄψων: quam dictionem non bellaria, sed opsonia vertere oportebat. Ὀψοποιητικὴ τέχνη, nominatur à Platone in Gorgia. Alia quædam ad huius vocabuli philologiam pertinentia, quæ in Lexicis Græcolatinis vulgaribus annotantur, hìc prætereo. Plura etiam in Vocabularijs Latinis leges, Promptuario & alijs. Terentius alicubi pisces opsonij nomine intellexit.

Sunt & OPSOPHAGI (ὀψοφάγοι) pisces Oppiano dicti, Halieut. 1. degentes in petris, quæ plenæ sunt chamis & patellis. Rondeletius putat opsophagum, epitheton tantum esse piscis alicuius, cuius nomen proprium ab Oppiano sit omissum.

ORATA. Vide Aurata.

DE ORBE VEL ORCHI, BELLONIVS.

A B

Edulis non est piscis, Aegyptijs ex Nilo familiaris. qui à testis forma Græcis ὄρχις dicitur: neque ad aliud amplius capi solet, quàm vt illi eius pellem tomento impleant, & allenigenis diuendant. Capitur circa Saiticam præfecturam, vulgo el Saet dictam. Duo sunt eius genera, ambo rotunda, corio duro contecta, vt lagenam imitari videantur: vnde Grecum vulgus Flascopsarum, id est, lagenam piscem dixerunt. Piscem rotundum apud Plinium legas, sine squamis, (*atqui in icone quam exhibet squamæ p. ngu-tur, & os nimis prominulum:*) totumq; capite cõstare, contectumque durissima pelle: cuius notæ huic propemodum pisci conueniunt: quem antiqui testem ob rotunditatem, alij verò orbem appellarunt. Venetum vulgus perperam columbum nominauit.

DE EODEM, RONDELETIVS.



A

ORBICVLATOS pisces vel orbes sic appello; quòd in orbem & rotundam figuram circumacti sint. Horum aliquot sunt genera: quorum primum ex Orientis, alia ex Septentrionis plaga delata vidi.

 Est

Eſt igitur orbis primus is, qui à Venetis peſche columbo, (*Maſſarius Paſtinacam, Venetis piſcem columbum dici author eſt: & Rondeletius alibi, Galeum læuem Romæ ſimiliter vocari,*) à Græcis quibuſdam huius ætatis flaſcopſaro nominatur, quòd lagenæ figuram referat.

B In Nili oſtijs capitur. figura eſt ſphærica, ſi caudam excipias: prorſus à ſquamis nudus, vnde eum hallucinatum fuiſſe conſtat, qui totum ſquamis opertum exhibuit. Cute dura admodum contegitur: quam aſperam efficiunt aculei parui quibus tota conſperſa eſt. Ore eſt paruo, dentibus quatuor latis munito. Vnicum vtrinque foramen, & pinnam vnicam habet ad branchias capriſci modo: pinnulam aliam in prona parte prope caudam, aliam huic ferè reſpondentem in ſupina. (*Pinnulæ quam in ſummo dorſo pictura oſtendit, hic nõ meminit. Bellonii quidem pictura nullam eo in loco habet: ſed noſtra magna, Corollario antepoſita.*) Cauda in vnicam & latam deſinit.

F E Piſcis hic eſculentus non eſt: totus enim capite vel potiùs ventre conſtat: quare exiccatus & tomento vel alga oppletus, inter templorum anathemata, vel cubiculorum ornamenta ſuſpenditur, cæli partem à qua flat ventus, roſtro ad eam conuerſo indicans.

A Ex his omnibus perſpicuum eſt piſcem eum eſſe, qui à Plinio orbis dicitur, quanquam eo in loco pro orbis in exemplaribus quibuſdam legitur orchis, id eſt teſtis, à figura etiam rotunda. Verba Plinij ſunt: *Lib. 32. c. 2.* Duriſſimum eſſe piſcem conſtat, qui orbis vocetur, rotundus eſt & ſine ſquamis, totuſque capite conſtat. C Quæ omnia noſtro orbi conueniunt: duriſſima eſt & propter aculeos aſpera cute, cui cuticula alia tenuis ſubiacet. figura eſt rotunda, deniq; totus caput eſt: roſtrum enim duntaxat paulùm prominet, reliquum exertum non eſt: vel, vt diximus, totus ventre conſtat & cauda. E mari Nilum ſubire conſtat: aiuntque vniones ex rore ore excepto concipere & parere, quod falſum eſſe exiſtimamus.

DE ORBE SCVTATO, RONDELETIVS.



Scutatum Orbem vocamus quem hic exhibemus, vt à ſuperiore & alijs orbiculatis diſtinguatur, cuius nominis imponendi cauſa fuit os illud ſcuti forma, quod ea in parte, in qua in terrenis animantibus pectus eſt, ſterni vice habet. Sunt qui ſcutiferum appellant: qua appellatione inductus quidam (*fortè in libro de nat. rerum, aut alio ſimili: vbi figuræ animalium pleræque omnes ſalſæ ſunt, non naturæ ſed picturæ monſtro. Sed Albertus militem marinum, ſcutatum, & veluti galeæ opertum longe alium facit, è Teſtudinum genere, Barchoram & Zytyron vocans atq; deſcribens libro 25. de animalib.*) pro ſcutifero piſce, ridiculè hominem capite galea operto, ſcutum manu tenentem depinxit. Holandi apud quos piſcem hunc vidi, *Suetolt*, alij *Buſolt* (meliùs *Snotolf*) nominant à muco quem ore emittit.

B Eſt igitur hic piſcis corpore terete, mucoſo, capite magis exerto quàm ſuperior: oris ſciſſura maiore, dentes in eo ſunt plures & minores, oculi parui, & exquiſitè rotundi. Branchiarum rimam multò maiorem habet: infra has, pinnas duas. Subeſt pro ſterno os illud, quod ſcuti ſpecie eſſe diximus. Neq; prona neq; ſupina parte pinnas habet, cauda in vnicam latam deſinit. A capite ad caudam vſque oſſa oui figura diſpoſita ſunt, inter quorum interualla aculei interiacent.

Piſcis eſt rarus & non edulis.

DE ORBE ECHINATO SIVE MVRICATO, RONDELETIVS.



A **Tertium Orbis genus quod etiam in Septentrionali Oceano capitur, manifeſtis notis ab alijs diſſidet, nempe aculeis plures cuſpides habentibus, cui ob id echinati ſiue muricati nomen dedimus. Echinus**

echinus enim aſperum & hirtum ſignificat, vnde echinati calyces caſtanearum Plinio. Nuces (inquit) *Lib. 15. c. 23.* vocamus & caſtaneas, quanquam accommodatiores glandium generi: armatum ijs echinato calyce vallum, quod inchoatum glandibus. Muricati verò nomen à muricibus deducitur. Sunt autem murices machinulæ ferreæ, quadrati figurâ, quæ dolosè aduerſus fures, aut hoſtes in terram conijciuntur: quia in quancunque partem incubuerint, vnum aut plures aculeos tranſituris infeſtos protendunt. (*De quibus diximus ſuprà in Muricibus com. his, Elemento M.*) Ab his orbes muricatos appello ob aculeos.

B Muricatis igitur aculeis totus hic orbis riget, vt manu tollere non poſſis, niſi cauda extrema apprehenſa. Capite eſt multò minùs exerto quam proximè deſcriptus: corpore magis rotundato & maiore, A in quo nullæ ſunt pinnæ præterquam in cauda, quæ in vnicam deſinit. Sunt qui hyſtricem ab aculeis *Hyſtrix.* non ineptè appellent. Poſſet etiam nonnullis videri Æliani ſagittarius, quem rubri maris piſcem eſſe *Sagittarius.* ſcribit. Sagittarius, in eo mari procreatur, & quoniam herinacei ſpeciem & ſimilitudinem habet, *Lib. 11. c. 50.* firmis & bene longis armatur aculeis. Sed de hac re iudicent ij, qui maris rubri piſces viderunt, nihil temere de rebus parum compertis affirmare volo.

COROLLARIVM.

Effigies primæ ſpeciei Orbis Rondeletij, quam ad ſceleton huius piſcis Francofordiæ olim delineari curauimus, ſequenti pagina expreſſa eſt.

Pliniani codices noſtris temporibus vulgati, omnes piſcis rotundi nomen qui totus capite conſtet, ſine ſquamis, habent Orchis: ſed Iſidorus, & alij, vt Aggregator, legerunt Orbis. Venetijs piſcem Columbum vulgò nominant: & qui ſceletos in Germania vendunt aut oſtentant inſtitores, columbam marinam. Angli *Lump*: quod nomen per aphæreſin à columba factum conijciebam olim: ſed admonuit me vir quidam Anglus eruditus, *Lumpe* à ſua gente vocari maſſam rotundam, informem, cuiuſmodi ferè hic piſcis ſit. noſtris hoc vocabulum id ſignificat quod Græcis ῥάκ☉ς, id eſt linteum attritum, veſtem *Anglica & Germanica nomina.* laceram, centonem. Muſtelæ etiam fluuiatilis genus aliqui *Lump* appellant, vt ſuprà dictum eſt. Eundẽ vel prorſus, vel genere ſaltem puto eſſe piſcem, qui inferioribus Germanis, (Hollandis, & circa Antuerpiam, & alibi) *Schnottholf* vel *Snotolf* dicitur, id eſt Mucoſus. nam *Snot* Hollandis, ſicut & Anglis, idẽ quod nobis *Schnuder*, hoc eſt mucum & pituitam viſcoſam ſignificat, piſcem eſſe ferunt cinereo colore, carne prorſus mucoſa, vt nihil quàm mucus videatur. In alijs oræ Germaniæ locis, vt circa Suerinum, vel hanc, vel ſimilem, aut eiuſdem generis ſpeciem *Seehas* appellant, id eſt leporem marinum: qua ratione, neſcio: niſi fortè à forma oris. Veterum quidem Lepus marinus longè alius eſt. ego *Seehan*, hoc eſt Gallum marinum potiùs nuncuparem: quòd eius ſceletos, vt ſcribit Rondeletius, ſuſpenſus, à qua parte ventus ſpiret, roſtro ad eam conuerſo, indicet: ſicut Gallus auis tempeſtatis mutationem cantu denũciat. vnde & Lytam Rondeletij, Germani ſimiliter vocant *ein Seehan*. Apuleius Apologia prima inter alios piſces Caluariæ marinæ meminit, ex Ennio vt conijcio. fuerit autem is fortè quo de agimus. neque enim alium inuenio, qui ad cranij formam, magnitudine, rotunditate, & dentibus humanorum ſimilibus, magis accedat. *Caluaria.* Luſitanicum quoque nomen Talparie, inde corruptum videri poteſt. Phyſa à Strabone & Athenæo inter Nili piſces memoratur: nomine, vt apparet, ab inflatione facto. & quoniam *Phyſa.* Orbis quoque in Nilo capitur, vt Bellonius ac Rondeletius affirmant, idemque veſicæ inſtar inflatæ eſt, phyſam appellari quid vetat? Grammatici phyſan (à recto φύσα, ἡ) interpretantur follem, vtrem, flatum, aërem, pharetram, & Nili piſcem. Ante annos aliquot Gallus quidam homo doctus, per Aſiam & Ægyptum peregrinatus, cum in colloquium mecum veniſſet, Coracem (id eſt Coruum Græco nomine) mihi appellabat piſcem, totum globoſum, excepto roſtro prominẽte nigro, & cauda exigua: corpore ſubalbo: *Corax.* quem Galli ballam id eſt pilam, à figura vocitarent. Sed ille Coracis nomen huic piſci aut ipſe finxit, aut fictum ab alijs accepit, à roſtri nimirum figura aut colore. nam veterum Græcorum Corax longè alius eſt, vt ſuo loco C. elemento, oſtenſum eſt.

Sceletos piſcis illius quem delineaui, Francofordiæ olim mihi viſus, plane ad caluariam, ſeu pilam ligneam, qua in ludo pyramidum dicto vtuntur, rotunditate & magnitudine accedebat: B aculeis plurimis, breuiſſimis, aſperis, echini inſtar, refertus. dentibus in ore binis, magnis, candidis. extenſa retrorſum cauda (vt aliorum piſcium) ad palmi minoris longitudinem. Talem inſtitores quidam ſeptem vel octo drachmis indicabant Is quem Angli *Lumpe* indigetant, lautiſſimus & pinguiſſimus eſt, vt audio: frequens in Anglia. cutis ei detrahi ſolet. Rubens colore infantis recens nati laudatur: albus non item. Sanguinem habet copioſum.

Sunt & aliæ non poſitæ à Rondeletio, huius piſcium generis ſpecies: quas omnes ſi quis orbis communi nomine propter figuram orbiculatam & mucrones in cute eminentes complecti voluerit, permittemus. quanquam prima ſpecies, quæ dentes quaternos planos oſtendit, hoc nomine dignior videtur. quæ & ſola ni fallor, in cibum venit: reliquæ fortè, propter mucum & pituitam qua abundant, non item: dentibus etiam, oris ſpecie, alijſque notis diuerſæ. eas vulgò *Snotolf*, quaſi myxinos & mucones appellant Germani. de quo nomine plura dixi ſupra in Corollario Leporis mar. A. pag. 479. Ex ijs ſpeciem vnam, qualem ab amico quondam accepi, ad viuum (vt aiebat) depictam, pag. 635. iconi alius oblongi generis, cuius ſceleton Adrianus Marſilius à Dongen &c. ad me miſit, ſubiunxi.

Color in huius piſcis effigie erat, circa dorſum, qualis in terreſtribus ranis videtur: circa latera & inferius. ex ſubcœruleo & viridi permixtus. Antuerpiæ cinereo colore capi audio.

Aliud etiam genus oblongum Adrianus Marſilius à Dongen Pharmacopola Vlmenſis ad me miſit, depictum ad ſceleton non marini quidem Leporis, ſed Snotolſi nomine: quem breuiter deſcribam, quantum ex icone apparet, ſiue ea omnino naturalis, ſiue aliquid etiam in ea artificioſum eſt. Longa eſt dodrantem & palmos duos. lata palmo vno, circa medium præcipuè: ad caput attenuatur, ſed magis ad caudam: dorſum medium faſtigiatur. punctis notatur varijs, ſubrotundis, & eminentijs exaſperatur triangulis, per tres aut quatuor ordines digeſtis per interualla. Oris aperti hiatus figuram ferè oualem refert. Pinnæ ad branchias binæ: vna in fine dorſi, altera in fine ventris, inter quas corporis pars extrema



extrema veluti discreta & articulo distincta videtur. cauda tripartita, siue natura, siue potius arte. Mucosus admodum est, inquit Marsilius: non osseum, non carneum quicquam habet, mucoso tantum lętore expletur. captu difficillimus. nam vbi hamum vel retia senserit, suum illum mucum euomendo, lubrica reddit omnia, contractoque in orbem exuuio prosilit, Hęc ille. Mollem quidem & mucosam carnem, & eminentias trigonas, cum alijs Snotolfis communes videtur habere. Pictura eius hæc est.



Orthragoriscus Rondeletij, & altera eius species à nobis exhibita, commune aliquid cum prima specie Orbis habere videntur, corporis rotunditate ferè, & dentibus latis planisq;, &c.

Icon Snotolforum speciei vnius, qualem ab amico quondam accepi: de qua paulum infra pag. 633. versu 6e. fuk finem fere.



DE ORCA RONDELETIVS.

In Rondelatij icone latitudo ferè dimidia est ad longitudinem. At Orca Bellonij longior, Delphino similior, & rostro vesimo est, &c. Vide supra in Delphino, mox post numismata ex Bellonio posita, pag. 339. item ex Olao Magno Mappa, Balænam cum adiuncta Orca, pag. 118. Sed huius picturæ reprehendit Rondeletius, vt dicemus.



ORca ex beluarum marinarum est genere, cui nomen positum est à vasis olearij siue vinarij similitudine, quod tereti (*rotundo*) est, & vniformi specie. eo hodiè in Prouincia & Gallia Narbonensi ad hauriendam & seruandam aquam vtimur, & parum mutato nomine dorgos vocamus, quasi orchos, id est, orcas. Talis est huius beluæ figura: nam toto corpore est valde crasso & rotundo, extremis non valde prominentibus & tenuioribus. Santones espaulars vocant, ab humerorum seu potius scapularum latitudine & crassitudine.

Est igitur orca rostro, & fistula, pinnis & cauda delphino similis, corpore vigesies (*quater aut quinquies, Bellonius in libro Gallico*) crassiore, potissimum circa ventrem. Dentes habet valde latos in acutum desinentes, serratos.

Belluas alias persequitur. *Orcarum pugna contra balænas.*

D Dentibus balænam persequitur:quam quum mordet, veluti mugitum tauri à canibus comprehensi cogit edere. Quam ob causam nautæ qui piscatus causa in nouum orbem nauigant, barbaros rogant, vel si liceat, imperant, ne orcas lædant, aut venentur: quoniam orcarum opera balænas, phocas, aliasq; beluas capiunt. Orcæ enim truculentis dentibus beluas alias impetentes, maris gurgites cogunt relinquere, & ad litora confugere, quas illic sagittis telisque alijs interficiunt. Ex quo colligere licet verum id esse, quod de balænarum & orcarum pugna Plinius libr. 9. cap. 6. literis mandauit. Balenæ (inquit) & in nostra maria penetrant. In Gaditano Oceano non ante brumam conspici eas tradunt. condi autem ęstatis temporibus in quodam sinu placido & capaci, mirè gaudêtes ibi parere. Hoc scire orcas infestam his beluam, & cuius imago nulla repræsentatione exprimi possit alia, quàm carnis immensæ, dentibus truculentæ. Irrumpunt ergo in secreta, ac vitulos earum & fœtas, vel etiamnum grauidas lancinant morsu, incussæque ceu Liburnicarum rostris fodiunt. Illæ ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, & pondere suo oneratæ, tunc quidem & vtero graues, pariendiue pœnis inualidæ, solum auxiliũ nouêre in altum profugere, & se toto defendere Oceano. Contra orcæ occurrere laborant, seseque opponere, & cautium angustijs trucidare, in vada vrgere, saxis illidere. Spectantur ea prælia ceu mari ipso sibi irato nullis in sinu ventis, fluctibus verò ad anhelitus ictusque quantos nulli turbines voluũt.

H. a. Ab huius beluæ similitudine puto prægrandes Oceani naues ourchez vocari.

Xiphias alius piscis est.

A Fuit aliquando in ea sententia vir quidam doctus, vt eam beluam quam depinximus, xiphiam esse crediderit: sed xiphias rostrum prælongum habet ensis specie, non dentes: hæc vero dentes infestissimos & maximos. quare xiphias esse non potest, id quod etiam ex ijs quæ suo loco de xiphia diximus clarius fit.

Contra Bellonium, Orcynum thynnis cognatum esse, ab orca bellua diuersum.

Rursum hic turpiter impegit autor libri de aquatilibus, qui orcam & orcynum confundit ex Oppiano lib. 1. ἁλιευτικῶν. quod falsum esse docent Oppiani versus, qui orcynum cum thunnis numerat. Θυῶνοι μὲν θυΐνοντες ἐν ἰχθύσιν ἔξοχοι ὁρμὴν, Κραιπνότατοι, ... *Sed in Thunni historia, Elemento T. quisnam sit verus Orcynus, liquido apparebit.*

DE EADEM, BELLONIVS.

A Orcam (ὄρκυνον Oppianus vocat) inde dictam aiunt, quod eius capitis ac caudæ extrema in vasis eiusdem nominis figuram gracilescant, corporis autem crassitudo vastè per medium intumescat: Vulgus nostrum (fortassis ex eodem argumento) vtrem vocauit, vne Ouldre. Dubium est an Strabonis ὄρυξ huic respondeat. Constituit enim Orygem inter cetacea maiora, qui ab Oryge Ægyptio quadrupede Gazella vulgò dicto, suum fortasse nomen mutuatus est.

B Cæterum Orca, piscis est cetacei generis, crassa admodum corporis compage, reliqua quæ ad nos perueniunt cetacea, præter Balænam, facile excedens: vt alteram (quæ minor erat) octingentarum librarum pondus, alteram verò plus mille libras excedere aliquãdo viderimus. maiorem pedes amplius quam octodecim longam, crassam autem per medium decem & amplius: alteram porrò duodecim tantum pedes longam, crassam autem pedes sex. Ambæ (*ambas*) Delphino ac Tursioni ita similes, vt non solum Marsuini nomen sibi vulgo vendicent, sed & pro Marsione publicè exponantur. Orca, cute quasi corio integitur, admodum glabra ac politissima, ad dorsum liuente, ad ventrem albicante. Pinnas habet vtrinque vnam, pusillas quidem, si cum corporis magnitudine conferantur: quemadmodum oculos etiam paruos: tertiam gerit alam (*aliam*) in dorso erectariam, Delphini ac Tursionis more, caudam lunatam, ac multum latam, vt mediam vlnam distenta excedat. Rostro est simo, sursum repando: cuius labri inferioris tanta est crassitudo, vt à superiore seiungatur, dum piscis pronus est, idque quadraginta truculentis dentibus armauit natura: quorum anteriores obtusi & graciles posteriores acuti & crassi sunt. Cætera Delphino similis est, masculusque pudendum in medio ventre reconditum gerit: quod si vnguibus primum, deinde digitis exeras; (*extrahas,*) duorum pedum longitudinem excedere comperies, in mucronem attenuatum. Fœminæ pars verenda, ano vicina, muliebribus respondet: ad quam vtrinque ad duorum digitorum interuallum (quemadmodum Delphino ac Tursioni) quædam sunt foramina, in quibus mammarum papillæ delitescunt. Cæterum de interna huius piscis anatome multa persequerer, nisi ea ad Delphinum ac Tursionem accederet: dempto liene tamen qui contra ipsorum formam, vnico orbiculari globo in placentæ formam effictus, neque vllo pacto distincto similis est.

COROLLARIVM.

Oryx. *Capitoleus.*

A Petrus Gillius & Bellonius Capitoleum vulgò dictam belluam; balænam potiùs quàm orcam (contra Iouij sententiam) esse arbitrantur: Rondeletius verò eandem nec orcam; neque balænam, sed physeterem. Vide supra in Corollario de Balæna A. pag. 117. & infra in physetêre. Sunt qui marinas orcas à Strabone orygas vocari rentur, Hermolaus: suam tamen cuique existimationem relinquo, Massarius. Meminit autem orygum Strabo lib. 3. In mari extero (inquit) cete & plura & maiora fiunt: circa Turditaniam verò imprimis, vbi fluxus atque refluxus augentur: quæ causa nimirum & multitudinis & magnitudinis est, propter exercitationem: vt oryges, (in Græco est genitiuus pluralis ὀρύγων,) balænæ, & physetêres. Ὄρυξ pro pisce apud Hesychium & Varinum scribitur: ego sine γ. malim. Capitoleum vulgo dictum aliqui Balænam veterum putant (Gillius & Bellonius) Iouius orcam, Rondeletius physetere. Vide infra in Physetere. Bellonius Gallicum (sed originis Germanicæ) Marsouin nomen, commune phocænæ, delphino & orcæ (quam tamen Galli priuatim Oudre nominent) Bellonius facit in Gallico libro de piscibus, ita vt substantiuum vnum tribui possit omnibus, adiectiuo singulis ad indicandam magnitudinis differentiam apposito. phocęna enim paulo minor est delphino, orca longè omnium maxima. Vide supra in Corollario de delphino A. pag. 327. Ergo orcam Germanis interpretabimur *ein Vterfisck, Vtervual, Schlauchvual, Walschvvein, grosz Meerschvvein*. Memini quidem Olaum Magnum tradere; genus ceti, quod *Springvval* Germanis Noruegis nuncupatur, (quasi dicas salientem cetum, à velocitate,) ab alijs balænã, ab alijs orcã existimari: cui altus quidam & latus supra dorsum mucro emineat: qualem belluam pictam ex Olai tabula dedimus supra in Corollario de balæna, pag. 118. hac inscriptione, Balæna cum adiuncta orca, sed plerasque omnes cetorum in ea tabula picturas absurdè pictas arguit Rondeletius, cuius verba hac de re nos supra in Leonino monstro posuimus. Orcas, (*Orca*,) duabus alis ingentibus velitat (*velificat*) supra maria, terrorem potius quam periculum triremibus afferens. atque hæ ambæ (*alæ forsan extensæ*) prætorias domos vastitate quandoq; æquant. Vnde lusus ille Lucianicus in veris narrationibus, Cardanus libro 10. de Subtilitate. Et mox: Est in eodem mari (Getico) orcadis (*orcæ*) genus quoddam, gibbero & agilitate insigne, *Springual* vocatum: ob magnitudinem autem immensam è genere orcadum esse creditur. pisces enim maximos & incredibilis vastitatis orcades vocant, simili nomine insularum quæ Britanniæ in Oceano adiacent, Sic ille. Sed insulæ Oceani illæ Orchades dicuntur, Ὀρχάδες: belluæ verò marinæ, Orcæ: quarum Græcum nomen, nisi ὄρυγες Strabonis sint, ignoratur. Bellua *VVhirlepole* ab Anglis dicta, quæ per caput aquam eijcit: quarum duę aut tres in Thamesi fluuio captę sunt anno Salutis 1555. orca an physeter sit, Angli inquirant. Channa piscis à nostris rusticè dicitur orcana, Niphus Italus.

B Orcæ teretes sunt atque vniformi specie, vnde & vasa dicta, Festus. Bellonius in opere Gallico de piscibus plura scribit de orcæ nominibus, magnitudine, forma, partibus cum exterioribus tum interioribus, libri primi duobus vltimis capitibus: & rursus libri 2. c. 10. & 11. Sed ea ferè omnia, in ijs quæ Latine scripsit, in compendium contraxit.

C Orca magnitudinis immensæ est: & ipsa quoque fluctum aquarum, vt physeter, adeò in altum reflat, vt perinde ac fumus eiaculantis bombardæ procul spectantibus esse videatur, Massarius.

D Orca cum vult balęnis occurrere, angustiis saxorum, quibus permeaturæ sunt sese opponit. De pugna harum beluarum lege Oppianum libro 5. Massarius. Nos supra pag. 118. picturam ex Olai Magni tabula dedimus, qua orcam repræsentat persequentem balænam.

E Orca in portu Ostiensi visa est oppugnata à Claudio principe. Venerat tunc exædificante eo portũ, inuitata naufragijs tergorum aduectorum è Gallia, satiansque se per complures dies, alueum in vado sulcauerat, accumulata fluctibus in tantum, vt circumagi nullo modo posset: & dum saginam persequitur, in litus fluctibus propulsa, eminente (*alias, emineret*) dorso multum super aquas carinæ vice inuersæ. Prætendi iussit Cæsar plagas multiplices inter ora portus, profectusq; ipse cum prætorianis cohortibus populo Rom. spectaculum prębuit, lanceas congerente milite è nauigijs assultantibus, quorum vnum mergi vidimus reflatu beluæ oppletum vnda, Plinius.

Orca retibus capta nihilo valentior est quouis alio exiguo pisce: præsertim si cauda eius impediatur. pinnas enim habet nimis paruas comparatione suæ molis: itaque cum iuuare seipsam, & corpus suum aliqua vi impellere aut eiaculari nequeat, remanet infirma: & si diutius reti detineatur sub aqua suffocatur, vt & alia propriè dicta cete quæ pulmones habent ac respirant, Bellonius.

H. a. Orca genus est vasis. Cerussa vsta casu reperta est incendio Piræi, cerussa in orcis cremata, Plinius 35. 6. quem locum explicans Hermolaus: Orcam (inquit) Probus in illo Persij versu, Angustæ collo non fallier orcæ, interpretatur amphoræ speciem. Omnino veteribus & vinarium, & olearium vas erat orca. item salgamarium, vt in quo fici quoque, vt Plinius inquit, asseruabantur. item salmentarium, hoc est salsamentarium. Tanta fuit (vasorum preciosorum Pompeij) multitudo, vt peculiare theatrum tis; Tyberim hortis exposita occuparent, Idem Plinius lib. 37. cap. 2. vbi rursus Hermolaus: Legendum orcis, non hortis. Orcæ gemmis pigmentisque fœminarum, (*hoc puto sine authore dicit:*) item ficis dicantur. Festus: Orcæ genus beluæ marinæ maximum: ad cuius similitudinem vasa ficaria (*vinaria, in nostris ... libris Festi*) orcæ dictę. sunt enim teretes atque vniformi specie. Probus non vniformi, sed amphoræ specie: vt in alterutro sit error. Flauius Vopiscus in Aureliano de Phagone: Bibebat (inquit) infundibulo apposito plus orca. Simplex è dulci constat oliuo. Quod pingui miscere mero, muriaque decebit, Non alia, quam qua Byzantia putruit orca, Horatius 2. Serm. Quod sępe vbi conditum vinum nouum orcæ in Hispania feruore musti ruptæ, Varro de re rust. lib. 1. Angustæ collo non fallier orcę. Persius Sat. 5. vbi grammatici: Orca (inquiunt) vas aleatorium est, quo coniecti agitatiq; tali emittuntur in tabulam aleatoriam. Alij orcam vas fictile interpretantur lata aluo, angusto ore ac fundo, longiori collo: in quam inter ludentes pueros qui nucem iniecisset victor erat. Vbi copia ficorum abundat, implentur orcæ, in Asia cadi, &c. Plin. lib. 15. In orcas bene picatas meridiano tempore calentem ficum condere, Columella lib. 12. c. 15. Cyminum, fœniculum, rutam, mentam in orculam condito, Cato de re rust. Mænaq; quod prima nondum defecerat orca, Persius Sat. 3. Cælius Calcagninus de talorum ludo scribens; Ad summouendas, inquit, aleatorum fraudes, qui subdola manu vti callent: institutum est, vt in cõditorio, seu tu pyxidem mauis appellare, repositi tali promerentur in abacum: id conditorium Persius orcam, sumpta ex monstro marino translatione, appellauit. Sic & Pomponius poëta Bononiensis, Dum contemplor orcam, taxillos perdidi, Hæc Calcagninus. Oryx scaphij genus est: Vide in Oryge quadrupede H. a. Ad Latinam dictionem orca, accedit proximè Græca ὕρχη. Ὕρχας, κεράμια ἀγγεῖα, ὑποδεκτικὰ ταρίχων, ὑπὸ Ὑρχη. ὦτα ἔχοντα, Suidas. Εἰ δὲ καὶ Ἀριστοφάνης ὠνόμασεν ὑρχὰς (malim ὕρχας, paroxytonum) οἴνου, δῆλον, μὴ ἡ λέξις τῷ προσοικὸς τῷ βίῳ (lego βίκῳ. nam βῖκον, paulo ante inter vasa vinaria numerauit) κεράμιον, ἔστι δὲ Αἰολικὸν τοὔνομα, Pollux. Orcam vas Germanicè interpretor, *ein Weinvass*, forte etiam *ein standen*, quod est solium, & Hispanis tina: vnde etiam forte tinet ab eis dicitur piscis orca. Est & orca gemma barbari nominis, quæ è nigro fuluoq; ac viridi & candido placet, Plin. lib. 37.

DE ORPHO, (GRÆCIS HODIE SIC DICTO,) BELLONIVS.

A NVLLVS est marinus piscis, qui Cernuę nomine possit appellari. neque video quod ille piscis (quem vulgus Romanum & Neapolitanum Cernam vocant) cum eo conueniat, quem Græci Orphum nomi-



nominant.quo magis miror cur passim qui Orphus legitur apud bonos authores Græcos, Cernuam Latinè conuertant: quum nullus sit inter Latinos authores antiquos, qui vnquam pro pisce marino Cernuam Latine pronunciauerit aut intellexerit. Tametsi Romanum vulgus Merulas, & quos Genua Canadellas vocat, Cernas appellet: & Cernæ vox trivialis in ore piscatorũ percipiatur, vnde alij Chanam, alij Percam marinam, Cernuam vocant: tamen Cernæ vox eis inconstans esse solet. Quamobrem quum nullus ex Latinis authoribus antiquis fidem faciat, quod Orphus Cernua vocari debeat: mihi visum est Orphi potius, quàm Cernuę appellationem retinendam esse. Est autem Cernua, piscis fluuiatilis, quem suo loco pinximus ac descripsimus. Legitur quidem Cernuus in versione Oppiani Latina: Cernuus in scopulo, Ponti quem verberat vnda. Sed hoc loco non de Cernua pisce intellexisse videtur, vt ex carminibus Græcis constat. De Orpho Oppianus (*immo Ouidius*) tanquam pelagio pisce meminit. Vulgus Græcorum multa ei nomina imponit. Sed quia in litore Gallico videri non solet, nomen
(B) Gallicum non inuenit. Orphus (inquit Aristoteles) breui ex paruo insignem magnitudinem accipit.
(E) Orphum (ait Oppianus) Trigla capit. De hoc sic Ouidius:

Cantharus ingratus succo, tum concolor illi
Orphus, cæruleaq; rubens Erythrinus in vnda. Nam

piscis, quem nunc Rophum (Orphum, Rondeletius) Græcum vulgus vocat, rubet, quanquam etiam aliorum colorum videri possit. Cretenses Cheludam, alij Acheludam, pleriq; Petropsaro nominant.

B Magis compressus est quàm teres, hoc est plus in latum quàm in longum effusus, vt Phycis. Os habet paruum vt Cantharus: squamas, quibus contegitur, asperas, corpori firmiter inhærentes, ita vt vix possit desquamari. Pinnæ tergoris, laterum, ventris & caudæ, varijs coloribus insignes spectantur. Pinnam aliam in tergore continuam, decem aculeis munitam habet: Caudam minimè bifurcam: item laterum pinnas & ventris obtusas. Labra, vt Scarus, carnosa: dentes quoq; Scaro persimiles, minores tamen:
(C) branchias vtrinque quatuor. A media sui corporis parte secundum dorsum liuet ac nigricat, albicat sub ventre. Caput est illi penè rubeum, vt Channæ. herbis vescitur, vt Salpa & Sparus. Maculam in radice caudæ, vt Melanurus, nigram gerit.

F Pisces hic lautiores Græcorum epulas honorare solet, apud quos siue frigatur siue elixetur, aut assetur, semper est magno in pretio. Orphi vox apud Galenum passim legitur, sed Latini Cernuam conuertunt: quum tamen (vt iam dixi) Cernua pro pisce marino nusquam legatur. verum hoc ex Theodoro manauit, ex quo demiror interpretes Galeni, Aëtij, Pauli, & aliorum, Cernuam exprimere maluisse, quàm Orphum.

DE (ALIO) ORPHÒ VETERVM, RONDELETIVS.



B Orphvm Hicesius apud Athenæum, eiusdem generis esse, cum chromi, pagro, synagride, cæterisq; huiusmodi asserit: (*Vide in Corollario B.*)

Nos

Nos quidem Orphum hic non depingimus eum, qui à Græcis quibusdam hodie vulgari lingua ὀρφῶ nomine dicitur: est enim nostro longè maior, vtpote qui pondere viginti libras æquet, nec sit litoralis. Sed orphum depingimus ex Aristotele, Athenæo, Plinio. O'ρφὸς igitur, & ὀ ῥφὼς Atticè dicitur, Latini veteres Latinum nomen retinuerunt. Gaza Cernuam interpretatus est. Paruus orphus orphacine (ὀρφακίνιον λέγει καλεῖσθαι. *est autem accusatiuus à recto orphacines, vt Anchises, sicut Eustathius habet*) dicitur Dorione (apud Athen. lib. 7.) authore. A

Piscis est marinus, litoralis, pagro quodammodo similis, colore ex purpureo rubescente, ideo rubẽtem appellauit Ouidius. (*Hæc apud Plinium ex Ouidio non recte citata leguntur.*) Oculis est magnis, dentibus ferratis: pinnarum situ numeroque & aculeis pagro similis. podice admodum paruo: habet enim rimulam tantum, quam vix animaduertas, nisi ventrem comprimas. seminis meatibus caret. Talis est orphus noster, cui conueniunt omnia quæ Athenæus libro 7. & Aristoteles lib. 5. de hist. animal: orpho tribuunt: Breui è paruo magnus fit. est carnivorus, dentibus ferratis, solitarius. proprium huic est seminis meatibus carere: & hoc quoque quod dissectus diutius viuat: vnde ὐψιμόρων ἅπασι ὀρφῶν, id est, genus tarde morientium orphorum Oppianus lib. 1. dixit.) B

Latet hyemis tempore, litoralis est magis quam pelagius, viuit duobus annis non amplius, Hæc Athenæus tanquam ex Aristotele. C

Mirum est Plinium lib. 32. c. 11. inter eos orphum reposuisse. qui apud Ouidium tantum, & apud neminem alium reperiuntur, cum lib. 9. cap. 16. videri possit ex Aristotele in ijs numerasse, qui hyeme cõditi iacent in speluncis. Sunt & alij plures quos citat Athenæus, qui orphi mentionem fecêre. Oppianus eum saxatilibus adnumerat, sed saxatilem superiorum quorundam modo intelligere oportet. *Non solum Ouidium memisse orphi, contra Plinij.*

Archippus apud Athenæum ait orphum sacrum esse piscem, quod fusius exponit Ælianus de animalib. 12. 1. In Myrensi Lyciæ sinu (Μυρέων ὑρμὸς ἐστὶ Λυκίας) Apollinis templum est, ad cuius sacerdotem vitulinas carũculas dispergentem, orphi gregatim adnatant, & tanquam sane conuiuæ ad epulas inuitati, carnes comedunt: & verò immolantes ex eo magna voluptate afficiuntur quod pisces sua sacrificatione pascantur. quod quidem ipsum, res suas bene & fœliciter casuras esse significare sibi persuadẽt: idcircoque propitium sibi Deum esse dicunt quod suis cibis pisces expleantur. Quod si caudis carnes in terram ejiciant, tanquam sordidas à se detestantes, inde sibi iram Dei portendi arbitrantur. Huiusmodi sane piscium genus sacerdotis vocem & agnoscit: & ad eos, à quibus appellatur, accesserit, sic incredibilem ipsis lætitiam adfert: vt si contra fecerit, magnum dolorem eisdem inurit. H. a. *Orphi sacri.*

De eiusdem succo & substantia hæc Athenęus lib. 8. Ὁ ῥφὸς εὐχυλος, τολυχυλος, γλίσχρος, λύσοφθαρτος, πολύτροφος, ὑρηπιός: τὰ δὲ περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ γλίσχρα, ὥστε πάσσεσθαι. τὰ δὲ περικοιλίᾳ, λυπητικὰ, θαυμαστὸν ὅσον λύτρον ἢ τὸ ἱερᾶον. Φλέγματος δ' ἐστὶ δραστικὸς ὁ ἰχθὺς, καὶ δύσπεπτος. Orphus boni & multi succi est, glutinosus, corruptu difficilis: multum nutrit, vrinam ciet. partes circa caput glutinosæ, faciles concoctu: carnosę verò difficiles concoctu, magisque grauant. tenerior est cauda. Pituitam gignit piscis iste, & difficile coquitur. Quæ omnia non omnino mihi vera videntur: nam partes circa caput, si glutinosæ sint, qui possunt esse concoctu faciles? Glutinosa enim hærent inter se tenacius, ob id maiore caloris vi, longiore tempore incidenda, attenuandaque: quare & grauant magis, & difficilius coquuntur: vnde fit, vt suspicer locum transpositum fuisse, & sic legendum: τὰ δὲ περὶ τὴν κεφαλὴν, γλίσχρα, θαρύπεπτα: τὰ σπερικοιλίᾳ, ὥστε πάσσεσθαι. Multam pituitam gignit, qua ratione ὑρηπιὸν esse opinor, vt multa alia quæ ob solam humoris copiam vrinas cient. Cum enim glutinosus sit, neque substantiæ tenuitate, neque acrimonia id præstare potest. ob eandem glutinosi humoris copiam vniuerse quidem difficilis concocta recte dicitur, etsi aliæ partes alijs collatæ concoctu sint faciliores. Ausonius cernuæ (*Cernuæ mentionem apud Ausonium in Mosella nusquam reperio, &c. vt in Cernua fl. Bellonij supra dixi, Elemento C.*) meminit, sed ea fluuiatilis est, nos hic de orpho marino agimus. F

COROLLARIVM.

Ὀ ῥφὼς, piscis quidam, Hesychius & Varinus. A Polluce inter pisces nominatur ὀρφὸς, vel magis Attice (inquit) ὀρφῶ: sed corruptus apparet codex impressus, & Attice scribendum ὀρφὼς oxytonum cũ o. magno in vltima. Ὀ ῥφὼς, qui & ὀρφὸς secundum Pamphilum, Athenæus. In Vespis Aristophanis legimus ὀρφῶς in accusandi casu plurali, vltima circunflexa, librariorum culpa opinor, cum acuti debeat. Ὀ ῥφῶς (inquit Scholiastes) plerique codices habent, aliqui verò ὀρφεῖς. & forte in singulari etiam numero huius piscis sic proferebant ὀρφώς, (*hoc probe acuitur: & in accusatiuo plurali etiam acuti imponitur: dicit enim ὕτως, id est sic, similiter, eadem scribendi ratione.*) Nominatiuus ὀρφὸς scribitur etiam per ω. ὀρφώ. sic & λαγὸς & παὼς (secundum aliquos,) & κάλῳ dupliciter efferuntur, à recto quidem ὀρφὸ. per o. breue, datiuus pluralis est ὀρφοῖσιν, in his verbis: Ὀ ρφοῖσιν στελαχίοις τε καὶ φάγροις βοραῖν. Cæterum orphus adhuc pusillus, à nõnullis orphacines (ὀρφακίνης) vocatur, forma diminutiua tanquam ab ὀρφαξ, ὀρφακῖνος, vt (μειραξ) μειρακίης. Ὀ ρφακίνης, piscis quidam, Hesychius & Varinus, Ὡς δ' ὁπότ' ἀμφ' ἀγέλησιν εὐχροέουσιν ὀπῶπαι, ἢ φάγροι, ἢ ὀρφακῖνες ἀρείονες, ἠὲ καὶ ὀρφώς, (lego ὀρφοὶ,) Nicander in Bœotia apud Athenæum. De cernæ seu cernuæ nomine plura diximus supra in Corollario ad Cernuam fl. Bellonij, pag. 192. Græci etiamnum orphum appellant, Gillius. Bellonius in Lemno hodie Ropho vocari, in Singularibus tradit. Orphum Rondeletij Germanicè circunloquemur *ein rotlachte Meerbrachsmen art.* Orpho Bellonij nomen aptum non inuenio, quanquam enim à Græcis multis Petropsaro, hoc est piscem S. Petri vocari scribit Bellonius: nõ libet tamen id nomen imitari, cum Romæ Fabrum quoque piscem sic appellent. Sunt qui Orphum piscem illum arbitrentur, quem Germani vulgo *Orfen*, alij *VVurfling* appellant. Sed illum ego nusquam marinum esse puto. Orphum aliqui (*imperiti*) voluerunt esse capitonem ab oculorum aspectu & rubro colore. alij, quia orphus est capitone maior, voluerunt orphum esse piscem sui generis: quoniam vnica est traiectus spina, quod non accidit in capitone. tardissimè etiam moritur, licet cultro medius diuidatur, vt Celsus tradunt, quod nec ipsum Capitoni conuenit, Niphus. Orphi meminit Aristot. in multis locis: vt Plinium demirer libro tricesimo secundo, orphi piscis nomen apud neminem alium quàm Oui- A *Capito.*

uidium reperiri tradidiſſe, ceu oblitum quod de orpho hic loquitur ſe ab Ariſtotele mutuatum fuiſſe: quod ſane credidiſſem: vt aliud orphi genus intellexiſſet, ni idem de channe, glauco, & alijs nonnullis piſcibus feciſſe etiam viſus eſſet, cum eadem de ijs Ariſtoteles commeminerit, Maſſarius. Orphos nominans Galenus, pelagicos puto intellexit, nec improbat, etſi duriores piſces habeantur. nam orphi lacuſtres, quas tincas vulgo vocamus, impuri & damnati ſunt alimenti, Alexander Benedictus de victu podagricorum ſcribens: qui qua ratione tincas orphos lacuſtres appellarit, non video.

B Tarentinus orphos piſces magnos eſſe ſcribit. Vidè mox in E. Hiceſius phagros, chromin, anthiam, acarnanes, ſynodontes & ſynagrides, ſimiles facit: non forma, nec magnitudine pares intelligens: ſed nutrimenti ratione. lege mox in F. Recentiorum quidam orphum piſcem oblongum, anguillæ ſimilem eſſe, falſo prodidit. ophis enim potius quàm orphus fuerit. Numenius orphum περιτρηχέα, id eſt vndequaque aſperum cognominat orphum. Dentibus eſt ſerratis, Athenæus.

C Orphus piſcis marinus eſt Æliano & Kiranidi. Ouidio pelagius, Ariſtoteli litoralis. Χαίρει τε πρόσγειος μᾶλλον ὢν ἢ πελάγιος, Athenæus ex Ariſtotele. Ælianus circa continentem libenter eum commorari ait: Διατριβαὶ ἡ ἄρα αἱ πρὸς τῇ γῇ μᾶλλον φίλαι αὐτῷ. Oppiano Halieutic. 1. nõ quidem pelagius eſt, vt Bellonius putauit: ſed degit in petris cauernoſis, quæ plenæ ſunt chamis & patellis, (quibus nimirum veſcitur.) Numenius quoque thalamis & cauernis eum delectari inſinuat, his verbis: Τοῖσίκεν (de eſca aliqua) εὐμαρέως θαλάμης ἄπο μακρὸν ἀείροις Σκορπίον ἢ ὀρφὸν περιτρηχέα. Carniuorum eſſe Amipſias etiam apud Athenæum indicat hoc verſu: Ὀρφοῖσι, σελαχίοισι, καὶ φάγροις ἔσῃ βορά. Qui & in Platonis Cleophonte legitur: --- περὶ γραῦν συγκατῳκισμένος σαπρὰν Ὀρφοῖσι, σελαχίοις τε καὶ φάγροις βορά. Breui ex paruo inſignẽ magnitudinem accipit, Ariſtoteles. Latet hyeme, Idem. Hybero tempore in ſpeluncis ſe continet, ἐν τοῖς φωλεοῖς οἰκηρῶν χαίρει, Ælianus. Orphum ſi poſtquam ceperis, diſſeces, ſtatim non moritur, ſed motum nõ parum diu retinet, Ælianus & Oppianus.

E Mullus orphum deuorat, Oppianus Halieut. 3. de piſcium eſcis loquens. Eſca ad omnes piſces magnos in mari cuiuſmodi exiſtunt glauci, galei, orphi atque alij id genus, ex Tarentino deſcripta eſt ſupra in Glauco E.

F Orphus, glauciſcus, conger, veluti dij quidam inter piſces habentur à guloſis hominibus: vt oſtendi in Congro H.f. Lynceus Samius, authore Athenæo piſces aliquot Rhodios Atticis comparans, glauciſco Attico, ellopem & orphum Rhodios opponit. Ἢν μὲν ὠνῆταί τις ὀρφῶς (ὀρφῶς potius oxytonum) μεμβράδας δ' οὐ μὴ θέλῃ, Εὐθέως εἴρηχ' ὁ πωλῶν πλησίον τὰς μεμβράδας. Οὗτος ὀψωνεῖν ἔοικ' ἄνθρωπος ἐπὶ τυραννίδι, Ariſtophanes in Veſpis: tanquam regij & tyrannici tantum piſces ſint orphi, membrades verò plebeiæ. Τέμαχος ὀρφῶ γλιαρόν. Cratinus. Κλεῖδες dicuntur partes quædam thunnorum: ſic & orphorum κλειδία, vt in his verbis (authoris innominati:) Ἐν Γαδείροις τε κλειδία τῶν ὀρφῶν καθ' αὑτὰ ταριχεύοντα, Euſtathius. Phagri, chromis, orphi, ſynodontes, genere ſimiles ſunt, γλυκεῖς, ὑπόστυφοι: nempe dulces ſunt, ſubaſtringunt, τρόφιμοι abunde alunt, ideoque etiam difficilius excernuntur. Magis autem alunt ex eis qui carnoſi ſunt magiſque terreſtres (ſicci,) ac minus pingues, Hiceſius. Orphi, glauci, ſcari, canes, &c. & omnes duræ carnis piſces, difficiles ſunt concoctu & craſſos ſalſoſque ſuccos efficiunt, Philotimus apud Galenum de alimen. facult. 3.30. cuius cætera quidem verba Galenus approbat: quod autem tum piſces tum alia duriora nutrimenta ſuccos ſalſos reddant, non item etſi enim duriora diutius coqui deſiderant, multa coctione tamen non cibus ipſe ſolidus ſalſior euadit (immo contra inſulſior,) ius verò & liquor in quo aliquid diu coquitur ſalſius amariuſue redditur. Trallianus in curatione doloris oculorum ex bilioſo & acri humore: Veſcatur (inquit) æger, alimentis nitidis, incraſſantibus, minimè mordacibus vt orpho, & alijs durioris carnis piſcibus, glauco, buccinis, &c. Et in colico affectu: Sumantur piſces duriore carne præditi, vt ceris, orphus, glaucus, ſcorpius. Item in diabete: Ex piſcibus dari poſſunt, orphus, aut alius quiſpiam dura carne præditus. Ὀρφῶ, γλαυκίδιον, σμυρίδιον, καρχαρίαν τε Μὴ τέμνειν, μή σοι νέμεσις θεόθεν καταπνεύσῃ. Ἀλλ' ὅλον ὀπτήσας ὧδ' ἔχε, πολλὸν γὰρ ἄμεινον, Plato Comicus.

H.a Epitheta. Περιτρηχύς, Numenio. Ὀψίμορος, Oppiano.

e. Ex orpho piſce, & onychite lapide, &c. amuletum quoddam præſcribit Kiranides 1.15.

f. Θύννος, ὀρφώς, γλαῦκος, ἐγχέλυς, κύων: Cratinus in Plutis, tanquam de lautis piſcibus, vt conijcio.

h. Ἱερεὺς γὰρ ἦλθ' αὐτοῖσιν ὀρφῶν τῶν θεῶν, Archippus in Piſcibus. In Lycia erant ἰχθυομάντεις, id eſt vates è piſcib diuinantes: apud quos ſacerdos reſponſa dabat, cum vel orphi, vel balænæ, vel preſtides (*priſtis*) magnæ multęque apparebant, Euſtathius.

DE ORTHRAGORISCO SIVE LVNA PISCE, RONDELETIVS.



INTER cartilagineos (*At neque planos cartilagineos, neque longos recenſui*) magnos ſiue cetaceos poterat piſcis, quem hic expreſſimus, rectè collocari: nam etiam in noſtro mari aliquando capitur: ſed cum rariſſimè id contingat, ſitque peregrina & parum vſitata forma, inter peregrinos recenſere viſum fuit. *Nos Rondeletii ordinem non ſequimur.*

A Noſtri Lunam vocant, quia extrema corporis parte, quæ pinnis ſubeſt, Lunæ creſcentis figuram aptiſſimè refert, vel quia demptis pinnis toto corpore rotundo eſt Lunę plenæ inſtar, Maſſilienſes mole (*Rotam quoque puto molam vocari alicubi: ſed hæc non eſt rota, vt infra docet*) vocant à rotunditate, quod molæ molendinariæ ſimilis ſit. Hiſpani bout appellãt. Nõnulli ex noſtris qui Prouinciã, Hiſpaniamq; frequentarunt, vtraq; cõiuncta appellatione molebout nominãt. Quo verò nomine veteres Græci Latiniue piſcem hunc deſignarint parum conſtat.

Nam quamuis à noſtris Luna dicatur, vel propter corporis extremum Lunæ in cornua curuatæ ſimile: vel propter rotundam totius corporis figuram Lunę in orbem ſinuatæ ſpecie, vel quod noctu ſplendeat: tamen Æliani Luna dici non poteſt, vt ex eius verbis perſpicuum fiet. Demoſtratus vir à piſcandi ſcientia, eatenus inſtructus vt probe rem piſcatoriam interpretetur, piſcem formæ pulchritudine eximium dicit appellari lunam, exigua magnitudine, lata figura. Idemque affert cyanei coloris ſpeciem ſimilitudinemque gerere. In dorſo pinnas habere molles & læues, (non duras, nec aſperas:) eaſdemque in natando explicare, & ad ſimilitudinem Lunæ ſemicirculum efficere: ſimul & eum ipſum (vt Cyprij piſcatores aiunt) quum eſt plena Luna, tum impleri: tum implere arbores, ſi ex his illum appenderis. decreſcente verò Luna exiccari atque interire: ac ſi ad plantas admoueris, eas marceſcere & euaneſcere: item ſi iam plena vel creſcente Luna, in id aquæ quod in perfoſſis puteis reperitur, quis hunc piſcẽ iniecerit, aquam iugem & perennem fore: ſin extrema aut decreſcente Luna, aquam exareſcere. Quod ſi hunc eundem in fontem ſcaturientem conieceris, quomodo dixi de puteo, is ad rationem Lunæ modo euaneſcet, modo implebitur. Cùm in his multa lunæ piſci tribuantur, quæ huic noſtro deſint, Æliani luna dici non poteſt. hic enim noſter magnus eſt & cetaceus, argentei coloris in mari, non cyanei. pinnis dorſi mollibus caret, neque cum Luna impletur, neque mirabilia alia efficit quæ narrat Ælianus: à quibus cum diſceſſeris, nullus, quod ſciam, piſcis eſt cui melius reliqua quæ ſcribit Ælianus cõpetant quàm ſeſerino. exiguus enim eſt & rotundus, latuſque, cyanei coloris, pinnas molles leueſque in dorſo habet. Quare cum piſcis hic noſter Æliani luna dici non poſſit, videamus num rota Plinij eſſe poſſit, cui Maſſilienſium appellatio affinis eſt. mole enim à rotunditate vocant.

Aeliani Luna lib. 15. c. 4.

Seſerinus.

A At quæ rotæ tribuit Plinius libro 9. capite 4. à piſce de quo loquimur alieniſſima ſunt. Apparent, inquit, rotæ appellatæ à ſimilitudine, quaternis diſtinctæ radijs, modiolos earum oculis duobus vtrinq; claudentibus. neque enim noſter hic quatuor radijs conſtat: neque tam magnos habet oculos, vt ſi quatuor radijs diſtingueretur, totum rotæ modiolum id eſt, medium, id cui radij rotæ affixi ſunt, occupare poſſint. Quocirca cum rem attentiùs conſideraſſem, non potui non exiſtimare piſcem iſtum eſſe qui orthragoriſcus à veteribus dictus ſit. De quo hæc Plinius: Appion maximum piſcium eſſe tradit porcum, quem Lacedæmonij orthragoriſcum vocant. Grunnire eum quum capiatur. In hanc opinionem tres potiſſimum coniecturæ me induxerunt. Prima eſt quod Plinius ex Appione piſcium maximum eſſe dicat; quod certe noſtro aptiſſimè quadrat: nam ad mirandam molem accreſcit, vtpote qui quatuor vel quinque, vel ſex cubitorum molem æquet. neque quicquam obſtat, quod beluæ multæ marinæ multo ſint grandiores, vt balænæ, phyſeteres, priſtes, ſcolopendræ cetaceæ: cum reliquis enim piſcibus, nõ cum beluis marinis, quæ propriè piſces non dicuntur autore Ariſtotele, Appion orthragoriſcum cõtulit. Altera coniectura eſt qua magis moueor, quod porci modo grunniat dum capitur, cuius ego rei auritus ſum teſtis. eius ſoni cauſa rima eſt branchiarum ſtricta: id quod, quum de alijs piſcibus ſonum edentibus tractaremus, ex Ariſtotele expoſuimus. neque ſolum porco grunnitu ſed etiam aſpectu, cauda porci pedibuſque demptis, ſimilis eſt. Orthragoriſcum igitur eſſe exiſtimamus, quem hic repræſentauimus. Hermolaus ex Athenæo lactantes porcellos atque adhuc ſubgrunnos ὀρθραγορίσκους nominatos fuiſſe ſcripſit Lacedæmone, ἀπὸ τοῦ ὄρθρου καὶ ἀγοράζεσθαι, quoniam matutinis omnibus venales circunferrentur.

Quod non ſit rota Plinij, contra Gilliũ.

Orthragoriſcus. Lib. 32. c. 2.

Lib. 4.

Obijciat nobis aliquis Plinij (lib. 32. cap. 5.) autoritatem, qui alio in loco de porco marino hæc prodidit: Inter venena ſunt piſcium porci marini ſpinę in dorſo, cruciatu magno læſorum. remedium eſt limus ex reliquo piſcium eorum corpore. At alij ſunt præter orthragoriſcum qui porci dicti ſunt, vt capriſcus, qui porcus à Strabone etiam dicitur: & aper, quibus ſunt in dorſo ſpinę acutiſſimæ & noxiæ: de quorum alterutro Plinij modò citatum locum intelligendum eſſe arbitror. Sunt & alij qui vel à figura, vel ab aliqua cum porcis morum affinitate porci nuncupati ſunt. Nulla igitur reclamante nota orthragoriſcus rectè à nobis exhiberi videtur, qualis vero ſit ex deſcriptione melius agnoſcas.

Porcus mar. alius, ſpinis in dorſo venenatis. Capriſcus. Aper.

B Itaque piſcis eſt maximus, longus, latuſque, terete vel potius ouata figura: etenim pars anterior acutior eſt, poſterior latior & rotundior. Cute integitur aſpera, argentei coloris Ore eſt paruo, dentibus latis continuiſque. Oculis paruis & rotundis. Pro branchiarum ſciſſura foramen eſt in medio circuli veluti centrum. Ad branchiarum foramina pinnæ ſitæ ſunt breues & rotundæ, ac latæ, quæ pinnarum conſtitutio ad ſurſum deorſumve impellendum corpus accommodata eſt. Prope caudam aliæ duæ ſunt aliter conformatæ, nempe longiores & ſtrictiores: quibus corpus dextrorſum ſiniſtrorſumque mouetur: altera harum in dorſo eſt, altera prope anum. Cauda creſcentis Lunæ figura eſt, ſuperiore inferioreque parte articulata eſt, vt tum in dextrum tum in ſiniſtrum moueatur, iterque dirigat. Caro huius cocta glutinum ex tergoribus boum confectum refert, vel ſepiarum ſalſarum & coctarum carnem. (F) Præter carnem adipis multum habet porci modo. Partes internæ, ob totius corporis rotunditatem conglobatæ ſunt.

Partes internæ.

E F Totus piſcis ferini odoris eſt: vnde à noſtris piſcatoribus ſi quando capiatur, quod rarò fit, negligitur. Quum aliquando Freſconios ſcopulos, qui in Agathenſi ſunt ſinu, & in his hęrentia oſtracoderma inſpicerem, illic grunnientem orthragoriſcum audiuimus: tandem à piſcatoribus captum vidimus: (C) qui quidem mihi affirmarunt, ſe alias etiam & grunnientem audijſſe & cepiſſe. Alius multo maior ex Magolenſi ſinu ad me delatus eſt.

Noctu quibuſdam partibus ita lucet, vt ex ijs ignis ſplendidiſſimus, vel aliquod aliud illuſtriſſimum lumen emicare videatur: ita vt ſeruus aliquando meus, cum noctu in locum in quo orthragoriſcus erat incidiſſet, territus inde fugerit.

E Piſcis huius pinguedo multa eſt & candida. quæ liquefacta ad lucernas valet: ſed hoc habet incommodi, quod piſculentum fœtorem redolet, veluti balænæ adeps.

G Eandem pinguedinem ad dolorem articulorum & neruorum contractionem ſiue rigorem valere experti ſumus. Cum farina frumenti, abſceſſibus impoſita, ſuppurationem promouet. Tumoribus duris hepatis, lienis, vel aliarum partium molliendis confert, ſtyrace addita. Dentes vſti ſpodij vice eſſe poſſunt.

COROLLARIVM.

Orthragoriſcus pro porcello, Lacedæmoniorum gloſſa ſeu dialectus videtur, ſiue de quadrupede, ſiue de piſce dicatur. Athenæus libro 4. de Lacedæmoniorum diæta agens, γαλαθλωῆς ὀρθραγοριςκους nominat. Germani *Mon* vocare poterunt, quòd vocabulum eis Lunam ſignificat, vel *Monfiſch*: quoniam & Galli circa Monſpelium ſic appellant. vel *Sauuiſſch*, id eſt Porcum piſcem, vt differat à delphino, qui ſimpliciter *Meerſchvvein*, id eſt porcus marinus dicitur. piſcis enim non eſt, ſed cetus. Hoc loco commode Aloyſij Cadamuſti verba, ex Nauigationis eius capite 66. de piſce quodam craſſiſſimo ſuem referente, recitaturus mihi videor: ſiue is ad Orthragoriſcum pertinet, ſiue ſui generis piſcis eſt. Claſſis noſtra (inquit) nono Martij è Portugallia ſoluit: & ſuperatis inſulis Canarijs, iam die 22. præteriit Capitis viridis inſulam. Demum vigeſimaquarta Aprilis, vidit Continentem quandam &c. Illic inter cæteros piſces vnum vidimus, qui dolium non quidem mediocri craſſitudine excedit: & rurſus idem longitudine duo dolia ſuperat. formæ eſt obrotundæ. Caput habet vt ſus, verum oculos paruos. dentibus caret. ſed aures (*forte branchias intelligit, vel pinnas*) longitudine & latitudine brachii menſuram excedunt. In inferiori parte corporis duo habet foramina. cauda illi eſt oblonga, eademque lata ſupra brachij menſuram. Loripes erat. In aliqua corporis parte videbatur habere ſuis cutem: corium denſum ſupra digiti menſuram. Hæc ille.

Iconem orthragoriſci amicus quidam Venetijs pictam ad me miſit, ſimilem ferè per omnia illi quam Rondeletius exhibuit: colore ruſſo vel teſtæ figlinæ. Piſcis viuus longus fuit palmos (*dodrantes*) nouem: largus vndecim, vt adſcriptum reperi. ſed icon ipſa piſcem dupło ferè longiorem quàm latum oſtendit, ſicut & Rondeletij: & pinnæ illæ binæ, quarum vna in fine dorſi erigitur, altera ab ano demittitur, magis cæterorum piſcium pinnas referunt, & circa initia latiores ſunt, quàm quæ à Rondeletio pinguntur cornuum ferè inſtar: quem tamen, vtpote teſtem oculatum, iconem probe expreſſam dediſſe non dubito. Italicè Bota vocatur, vel Bottacio, quod vocabulum eis dolium ſignificat, ſiue labrum aut lacu: nobis *in Belgarum ædes ſtanden*.



Orthragoriſci ſpeciem aliam ſimiliter Venetijs ad viuum depictam vir nobilis Gallus ad me miſit: qualem hic appoſui. In epiſtola verò his verbis eam deſcripſit. Piſcis Cal. Martij anno Salutis 1552. non longè à Venetiarum ciuitate captus eſt: qui primo aſpectu maſſa carnea potius exiſtimabatur quam piſcis. forma in orbem vergebat. Corio ſine ſquamis & pilis tectus erat. Os in arctum colligebatur, vt pro beluæ magnitudine miraculo fuerit. Oculi patentes, prominentes, & ampliores quam bobus. Branchiæ detectæ. (*non apparent in piſcibus*) carnoſæ, læueſque. Pinnæ in lateribus dodrantales. Tuberculum habebat in fronte duriſſimum. Maxillę vtrinque dentium vice continui oſſis ſolidítate armabantur. Duo foramina, quæ ante oculos vides, nõ profunda erant. Linguâ inferiori maxillæ adhærès, vt multis elinguis viſus fuerit. Caudà paulo minus pedes quatuor longa erat. Pinnæ in cauda tres, ita vt in altitudinem cauda cum pinnis nouem pedes efficeret. Longitudo piſcis pedum octo erat: altitudo quinque, pauloque amplius. & quancunque in partem volueretur ſuam ſeruabat altitudinem. Exenterati cor, hepar, lien, bubulò maiora reperta ſunt: ac vnicum inteſtinum perueniens ad meatum excrementarium ſub aluo collocatum. in imo inteſtini glomus quidam erat ex neruis quaſi contuſis inſtar fidium contuſarum: (*Neruos contuſos vocat, quod non teretes, ſed lati & plani eſſent.*) Caro lactea ſolidaque tanquam in ſue, lardo quinquè aut ſex digitos craſſo veſtita, nimirum vt in balænis, Hæc ille. Color in ea quam miſit pictura partim fuſcus eſt ad ruffum accedens, quales præcipuè in vtroque latere lineæ quaternæ non ſine latitudine apparent: reliquæ partes ferè albicant, præſertim pinnę in cauda: ita tamen vt fuſcus ille quem dixi color nuſquam omnino deſit. Eundem hunc piſcem alius quidam à ſe viſum retulit: quem magnitudine dicebat fuiſſe duplici fermè bouis: nulli ne doctiorum quidem cognitum: emptum à quodam drachmis aureis quadraginta. pinnis laterum etiam naues ab eo ſubuerti.

Orthragoriſcus vterque (Rondeletij & noſter) commune aliquid cum prima ſpecie Orbis Rondeletij habere videtur, corporis rotunditate ferè, & dentibus latis planiſque, &c.

ORYX. Vide in Orcæ Corollario A.

OSMYLVS Polypi ſpecies eſt, in quo deſcribetur.

DE OSTRACIONE NILI, QVEM BELLONIVS HOLOSTEVM APPELLAT.

VIDIMVS quoque (inquit Bellonius) alterius piſcis Nilotici ſceleton holoſteon à circulatoribus circunferri, cuius forma ad Pentagonum accederet, pedalis interdum lõgitudinis. quem cum nacti eſſent incolæ, curabant ab interaneis protinus emũdari, deindè vero teſtam illam duram, qua cõtegitur, multos annos incorruptam ſeruabant, vt inde lucrum conſequerentur, quod à negotiatoribus externis nouitatis gratia huiuſmodi piſcis emiſit ſolitus. Cæterum dum viuus eſt, penicillum in cauda habet, & pinnas ſupra & infra caudam: ac rurſus pinnam aliam vtrinque: oculos albos, os paruũ. Color eius lacteſcit, & velut in pallidum languet. Eius iconem proxime cernito. Cæterum eius nomen me hucvſque latuit.



Hæc ex Bellonij libro. Ego oſtracionem hunc piſcem nominandum conijcio. nam & teſtam oſtraci inſtar duram habet, & ὀστρακίων piſcis à Strabone inter Niloos numeratur. In noſtris quidem Strabonis codicibus impreſſis στρακίων ſcribitur: ſed interpres Latinus ὀστρακίων legiſſe videtur. vertit enim ex teſtaceis, imperitè. & in Epitome legitur ὀστρακίων. *Oſtracion.*

DE (OSTREIS, SIVE) BIVALVIIS TESTA DVRIORE CONTECTIS, BELLONIVS.

BIVALVIVM teſta duriore contectorum maior pars Oſtreæ vel Oſtrea Latinis, Gallis des Huiſtres vel Oeſtres, Maſſilienſibus Hoſties, Italis Oſtrege appellantur. Multorum ſunt genera, tum ipſo operculo nonnullis aſperiore ac magis ſcabro, tum etiam ipſa magnitudine inter ſe diſſidentium: Grádes enim ſunt quę Pelagiæ ex Oceano Lutetiam adferuntur. Sed cum præ teſtæ nimia mole ichthyopolas prægrauare ſoleant, neque longiùs in mediterranea loca deferri poſſint, carnoſam partem ſeiungũt, ac ſine teſtis mittere conſueuerunt: quod raro, aut nuſquam in Græcia, rariſſimè in Italia fieri ſolet. Nam quæ à Brundulio in Lucrinum lacum transferebantur (quum Romana res magnitudinis atque luxuriæ faſtigium teneret) vt veluti dulcium aquarum gaudentes aduentu pingueſcerent, integræ cum teſtis diuendebantur. A

Diſcrimen etiam oſtreorum facere ſolent nationes ac litora, vt alibi atque alibi meliora inueniantur. Optima ſunt quæ iuxta paludes ac fluuios reperiuntur: maiora enim, dulciora, melioriſque ſucci euadunt. Quæ verò ad litus marinum, aut inter ſaxa reperiuntur, vbi deeſt limi aut aquæ dulcis copia, praua ſunt, dura & guſtu amara, mordacia, cibo ingrata. F

Grandeſcunt ſyderis quidem ratione, ſed priuatim circa initia æſtatis, vbi ſol penetrat in vada. C

Oſtreorum dos in medicina non eadem coctis quæ crudis tribuitur. Oſtrea enim vel cruda mandi ſolent, tuncq; molliſſimam habent carnem, ſed glutinoſam: & (vt Galenus tradit) ſalſum humorem generant. minus nutriunt, magiſque aluum cient, quam vt ſtomacho idonea ſint. Elixa quoque eduntur, aut aſſa, ſeu in ſartagine frixa. Qui vero lautitiæ popinali ſtudent, in teſtis ſuis ſuper cratem addito butyro, in aqua quam continent, incoqui curant: quibus minimum piperis adijciunt, vt tentiginem ſalacem adaugeant. Alias tamen ſi in conchis ſuis decoquantur, vti clauſa peruenerunt, mirè diſtillationibus prodeſſe Plinius tradit. Idem author cruda oſtrea ſtomachum vnice reficere, faſtidiis mederi, aciem oculorum mollire ſcribit. F

Cum è teſtis vſtulatis optima calx fiat, cinerem oſtreorum eãdem cum calce facultate eſſe puto. G

Cæterum inter biualuium genera hoc peculiare eſt Oſtreæ & Pectini, vt partem habeant pronam ac ſupinam. quarum altera ſit turbinatior ac prætumida, altera vero plana. B

Omnium aliorum teſtatorum Galenus oſtream nobiliſſimam habere carnem teſtatur. Cuius ſententiam comprobat Celſus, eo maximè, quod aluum mouere dixit. Aëtius Buccinas, Purpuras, Chamas, Patellas, Pectines, & omnia teſta intecta, vt etiam oſtrea, multum craſſi ſucci gignere ſcribit. F

DE OSTREA GAIDEROPODA, BELLONIVS.

Rondeletius Spondylum nominat.

Eſt genus quoddam oſtreæ vulgo cognitum in Græcia, quam Gaideropodam vocant, quaſi pedem adſini dixeris. A

Cautibus adnaſcitur: non enim more oſtrearum ſoluta in ſalo iacet, ob id in eo tantum mari, quod nunquam æſtu reciprocatur, innaſcitur. Ægæi autem maris, Helleſponti, Propontidis & Ponti ora (*ora, litora*) non augentur neque decreſcunt, ſed perpetuò in eadem altitudine permanent. Nam inde aquæ deorſum ſemper delabuntur, eandem plenitudinem ſemper obtinentes. Non eſt omittenda (inquit Plinius) multorum opinio, priuſquam digrediamur à Ponto, qui maria omnia inferiora illo capite naſci, non autem Gaditano freto, exiſtimauere: haud improbabili argumento: quoniam æſtus ſemper è Ponto profluens, nunquam reciprocetur. (C) B *Vbi.*

Quanquam autem oſtrea hæc ſcopulis hæreant, cluſilem tamen & reſeratilem teſtam habent: & à ſaxo, niſi magna vi percutiantur, dimoueri vix poſſunt. Quoniam verò multùm profundè immerguntur, indigenæ longurios ferro muniunt, quibus ferij, ictibus valido mucrone concham quatiunt: quam vel confringunt, vel ſi integram deturbent, rupis partem aliquam ſecum auferunt: vix enim alias cedet. deinde manu ferrea eodem longurio indita, è maris fundo in ſublime atrollunt. E

Quod autem aqua per fauces Bosphori Thracij deorsum tanto impetu feratur, signum est locum illum esse Gaditano altiorem: nam si æqualis foret, haud equidem tanto impetu delaberetur.

F Quemadmodum autem Græcorum Gaideropoda à vulgari nostra ostrea ipsa forma differt, sic etiam gustu ingrata, dura, amara, ac nauseabunda percipitur.

B Huius testa aut concha eximio naturæ artificio superiori inferiori infarcta est, vt quibusdam velùti cardinib. annexa, nigroque neruo in eius medio inter tubercula & sinus coaptato vincta ac constricta esse videatur. Tubercula quoque superiora duobus acetabulis inferioribus bene correspondent, vt & inferiora superioribus, quæ in nostra vulgari ostrea desunt. Proinde apertas Gaideropodas, si quis attentè intuebitur, in his branchias (*atqui nullum ex testaceis branchias habet*) & stomachum ac reliquas partes nutritorias contemplabitur: imò etiam auriculas fungi crispi figuram referentes, magnitudine grandioris acetabuli Polypi, quę dilatari ac contrahi solent: vmbilicum vulgus esse putat.



F Hæc ostrea alijs carnosior est, minus tamen gustui grata. Nam venter eius atque hepar pessimi sunt saporis.

Cæterum nulli etiam in hac Cancelli seu Pinnoteres reperiuntur.

OSTREA TRIDACNA MARIS RVBRI.

In Toro, Arabiæ ciuitate, ad oras maris rubri sita, Græcum vulgus magnum quoddam ostreæ genus Aganon vocat, quod Caloieri ac cœnobitæ qui eo loci plurimi degunt, Tridacnam nominant. Ea vnico tantum cardine occlusa est: superiore quoque est quadruplo maior, & pectinatim in ambitu, pyxidatim in alterius sinu striis septem coniuncta, ac totidem crenis imbricata est: tantumque humoris complectitur, quantum vno haustu sitienti exiccandum sit. Tridacnam autem ab antiquis vocatam puto, quod ea magnitudine sit, quæ tres edenti morsus faciat. Æque frequens est in mari rubro, ac reliquæ in nostro Oceano: eiusdemque ferè saporis.

DE OSTREIS, RONDELETIVS.

A Ostrea pro genere vniuerso testaceorum sumi, & vnde dicta sint, alibi docuimus. Nunc speciatim pro ijs testaceis vsurpo, quæ Galli Huistres vocant. Nos Peires ostres. De quorum differentijs dicemus, a loco, à testarum varietate, à carnis substantia petitis. Sunt igitur quædam quæ in stagnis marinis nascuntur, quædam in ipso mari: illa Λιμνόστρεα vocat Aristoteles, apud quem aliquoties Λιμνόστρεα perperàm legitur pro Λιανόστρεα: quæ à loco nomen habent: Λίμνη enim stagnum significat, vnde Λιμνοθάλαττα: marina stagna à Galeno dicuntur. Gaza semper Ostrea vel Ostreas conuertit, non satis, recte meo quidem iudicio, cum stagni Ostrea dicere debuisset. Hanc differentiam non omisit Athenæus quum dicit: Τὰ δ' ὄστρεα ἡδίω ἐστὶ μᾶλλον τὰ πελαγῖα, καὶ ἐν λίμναις, καὶ ἐν θαλάσσῃ. Procreantur Ostrea in fluuijs, & stagnis, & in mari. Aristot. lib. 5. de hist. c. 15. Τὰ δὲ λιμνόστρεα καλοῦμεν, ἅτινα αἱ βόρβοροι ἢ ἐντεῦθεν συνίστανται πηγῶν αὐτῶν ἡ ἀρχή. Limnostrea quæ vocantur ibi primum sui originem capiunt, vbi cœnum est. Plura sunt loca in quibus Limnostreorum meminit Aristoteles, quæ in sequentibus commodius exponentur.

Gaza notatu.

Lib. 5.

(C)

DE OSTREIS QVÆ IN STAGNIS MARINIS ET IN AQVIS *ex marina & dulci commistis procreantur, Rondeletius.*

B Limnostrea ex duabus testis componuntur modicè concauis, & parum in dorsum elatis, foris inæqualibus & asperis, & in tenues laminas facilè scetilibus, intus læuibus, cãdidis. Testæ paruæ sunt, caro mollis, suauis, concoctu facilis: maior in his quam in alijs Ostreis, quorum testę multò ampliores sunt. Cruda eduntur à plurimis sine vllo ventriculi præter naturam affectu. Sic veteres cruda Ostrea esitasse certum est ex Galeno & Athenæo. In Pontificali cœna scribit Macrobius appositos fuisse Echinos initio, Ostreas crudas. Sic nostri non solùm Echinis & Limnostreis, sed & Ostreis marinis & Lepadibus crudis vescuntur. Conchis (verò) striatis, Pectinibus non nisi coctis, ob carnis duritiem, alij piperis pauxillum adijciunt. Huiusmodi Ostrea sunt in ostijs Rhodani antiquis, vbi nunc sunt lacus, ob immutatum Rhodani alueum. Huiusmodi venduntur Lutetiæ ex Sequanæ ostijs, & Burdigalę.

Cur dulciores, suauiores, succulentioresque sint, in causa est dulcis aquæ admistio. gaudent enim dulcibus aquis, inquit Plinius libro 32. cap. 6. & vbi plurimum influunt amnes, ideo pelagiæ paruæ sunt & rariores.

(C)

Lib. 3. Satyr.

Maiorane sint pelagicis ostrea quæ in stagnis marinis aquisue ex dulci permistis proueniunt.

Illud verò paulo diligentius excutiendum est, maiora ne sint pelagicis Ostrea quæ in stagnis marinis aquisve ex dulci permistis proueniunt. Athenæus lib. 3. Ostrea nascuntur in fluuijs, lacubus & mari. Marina optima quando lacus aut fluuius ex proximo influit: tunc enim fiunt boni succi, maiora, dulciora. Quæ verò in litoribus (ἐπὶ τῶν ἠϊόνων) & saxis limi & aquæ dulcis expertibus gignuntur, parua sunt, dura, acria, (δηκτικά.) Verna & quæ capiuntur ętatis principio, meliora sunt, maris humore plena. (πλήρη

πλήρη, θαλασσίζοντα: *forte* πλήρη *hic oportet interpretari plena, pro carnosis, vegetis, succulentis, id est non siccis neo duris:* θαλασσίζοντα *vero ad saporem pertinet, quæ mare resipiant: sicut &* οἰνίζειν & ὀξίζειν *verba ad saporem pertinent: ita tamen mare sapiant, vt cum dulcedine is sapor sit coniunctus: sic & Vuottonus transtulit:*) cum dulcedine ventriculo vtilia, aluò facile deijciuntur. Quę cum malua aut lapatho, aut piscibus, aut per se sola elixantur, abundè nutriunt, & aluum soluunt. Loci igitur commoditas & alimenti copia hæc Ostrea grandiora & meliora efficit. His contraria, pelagia Ostrea parua & rara. Plinius hanc causam reddit. Grandescunt quidem syderis ratione maximè, vt in natura aquatilium diximus. Sed priuatim circa initia æstatis multo lacte prægnantia, atque vbi sol penetrat in vada. Hæc videtur causa quare minora in alijs locis reperiãtur: opacitas enim prohibet incrementum, & tristitia minus appetunt cibos. Solis quidem syderis maiestate, vt alibi ait Plinius, mirificam vim in ortu & procreatione rerum nemo est qui ignorat, vt quæ eius radijs illustrata non fuerunt longè infœlicius proueniant. Sed Ostreas tristitia minus appetere cibos more suo metaphoricè dixit Plinius: neq; enim tristitia in Ostreas cadit, neque sensus vllus his inest præter tactum & gustatum aliquem. Illud addam cuius initio capitis memini: Ostrea marina, testa quidem longe maiora esse ijs quæ in dulcibus aquis reperiuntur, carne verò interna minora: quia mare, vt recte scripsit Aristoteles, humidum est, calidius, crassius multoque magis corporatum quàm aqua dulcis, ideo ad gignendum habilius. Cur ergò non etiam maiorem carnem in Ostreis efficit? quia humor dulcis frigidior quidem est, sed [illegible] potui aptus & nutriens. Quamobrem Ostreę in stagnis marinis & iuxta amnium ostia alimentum à dulci aqua; teporem à marina accipiunt. Inest in Limnostreis humor quidam candidus. Lac appellat Plinius loco paulo ante citato. Et alibi: Nuper cõpertum in Ostrearijs humorem Ostreis fœtificum lactis modo effluere. In eo inest vis illa ex qua partim generantur. Arist. lib. 3. de gene. anima. c. 11. Ostracodermorum natura consistit partim sponte, partim emissa à se aliqua facultate, quanquam ea sæpe sponte oriantur. Petrus Gyllius vir eruditus & fide dignus affirmat se de viris non paucis spectatę fidei accepisse Byzantinos Ostrea serere, & eorum quasi lac seminare: idipsum enim in aquam abiectum ad saxa ima adhærescere, & Ostrea fieri. Sic ex decocto fungorum in terram proiecto fungi enascuntur.

Alijs permistis, prouenisse.

Lib. 32. c. 6.

Liq. 2. c. 100.

Lib. 3. de gener. anim. c. 11.

C *De lacte humore fœtifico ostrearum.*

DE OSTREIS (MARINIS SIVE PELAGIIS,) *Rondeletius.*

Traduntur in hoc capite etiam in vniuersum quædam, non de ostreis solum quibusuis, sed etiam ostracodermis omnibus.

A B



A iconem Rondeletius exhibuit, cui nos adiunximus Bostrei Venetiis expressi effigiem.

Ostrea quæ neque in stagnis, neque in fluuiorum ostijs, sed procul ab aquis dulcibus inueniuntur, B marina siue pelagia nominãtur. Sunt persæpe magna, adeo vt in India pedalia sint. Quę ex Oceano Lutetiam deferuntur, sæpe multo maiora sunt ijs quæ in nostro Mediterraneo capiuntur: aliquando multa simul connexa & supra sese posita. Inter hæc reperiuntur Scolopendræ, & vermes in canaliculis inclusi viuunt. Testæ foris sordidæ & luto obductæ, ex crustis multis siue laminis constantes, intus lævues & albæ. Caro mollis: circa eam fibræ inultæ veluti fimbriam constituentes, eam aliquando ambiente purpureo crine, quæ præstantię nota est, authore Plinio. Addunt, inquit, peritiores notam, ambiente purpureo crine fibras; eoque argumento generosa interpretantur, calliblephara appellantes. Nostra pallida sunt testa, alibi colore differunt. Variant coloribus ait Plinius, rufa in Hispania, fusca in Illyrico, nigra & carne & testa Circeis. Talia nonnunquam venduntur Burdigalæ Medokina, à loco vicino Medoc appellato allata. His caput nigrum est, caro minus candida.

Lib. 32. c. 6.

Ibid.

Palma mensarum diu illis tributa est, vt scribit Plinius: sunt & apud nos in pretio. Et quemadmodũ diuersorum in procreandis Ostreis olim diuersæ erant laudes quas persequitur Plinius, Cyzicena maiora Lucrinis, dulciora Britannicis, & cætera: ità nostro æuo cupediarum amatores Ostreorum censuram faciunt: sunt enim, vt verbis Horatij vtar, Ostrea qui callent primo deprendere morsu: & acria à dulcibus statim discernunt. Britannica omnibus præferunt. Santonica magis salsa & acria iudicantur. Britannicis Burdegalensia succedunt, inter quæ Medokina nigra, suauitate præcellunt; quemadmodũ Circęa quæ nigra sunt, ab Horatio commendantur.

Ibid. F

Ibidem.

Satyra 4.

Lubrica nascentes impleat concha lunæ. Sed non omne mare est generosæ fertile testæ:
Murice Bayano melior Lucrina Peloro, Ostrea Circæis, Miseno oriuntur Echinis,
Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.

Nec

E Nec locis ſuis contenta ſunt, ait Plinius libro 32. cap. 6. Gaudent enim peregrinatione, transferrique in ignotas aquas. Sic Brunduſina in Auerno compaſta, & ſuum retinere ſuccum, & à Lucrino adoptare creduntur. vbi Compaſta vocat, quæ ex Brunduſio allata, propter famem longæ aduectionis compaſcebant in Lucrino. Sic Oſtreorum viuaria olim facta ſunt, quæ primus omnium Sergius Orata inuenit in Baiano, ætate L. Craſſi oratoris ante Marſicum bellum, nec gulæ cauſa ſed auaritiæ.

F Athenæus de Oſtreorum ſubſtantia ex Mneſitheo: Mneſitheus Athenienſis (inquit) libro de cibis ait, Oſtrearum, Concharum, Muſculorum, ac ſimilium carnem vix concoqui, ob ſalſum humorem qui in ipſis ineſt. Quamobrem quum cruda eduntur, ob ſalſuginem aluum ſubducere: quum verò elixantur, ſalſuginem ſuam vel omnino vel magna ex parte in humore quo incoquuntur deponere. Itaque Oſtreorum decoctum perturbat, & citat aluum. Elixa verò eorum caro humore ſuo deſtituta, murmura excitat. aſſa autem, modo recte id fiat, noxia minimè eſt. Etenim igne victa non perinde ac cruda cõcoctu difficilis eſt, exiccato humore qui in ipſa inerat, quiq; ſolutam aluum reddebat. Alimentum humidum concoctu contumax Oſtreum omne præſtat, nec facile ad vrinæ excretionem. Cæteris omnib. præferenda Galeni ſententia, qui ſcribit omnium Oſtracodermorum commune eſſe, ſuccum ſalſum in ſe habere, quo venter ſubducatur: ſed ratione maioris & minoris differre. Oſtrea enim molliſſimam omnium carnem habent: Chamæ autem paruæ, Spondyli, Solenes, Purpuræ, Buccina, atque alia huiuſmodi, duram. Iure igitur Oſtrea, ventrem quidem magis promouent, minus autem alimentum corpori ſuppeditant. duriora verò, concoctioni magis reſiſtunt, ſed magis nutriunt. & hæc quidem coquuntur, Oſtrea vero non cocta eduntur. Quemadmodum autem illa cõcoctu, ita etiam corruptu difficilia ſunt, ijſq; apponuntur bis in aqua pura incocta, quibus cibi in ventriculo corrumpuntur. Ex noſtris plerique Oſtrea additis pipere, oleo vel butyro ſuauiora reddunt. nonnulli in ſartagine frigunt, ſed duriora tum fiunt.

Lib. 3. de facultate alim.

G Non ſolum in cibis ſed etiam in medicina magnæ ſunt Oſtreorum dotes. Peculiariter contra Leporis marini venena Oſtrea aduerſantur, ſi Plinio credimus. Stomachum (inquit idem) vnicè reficiunt, faſtidijs medentur. Addiditque luxuria frigus obrutis niue ſumma montium & maris ima miſcens. Teſtæ Oſtreorum cinis vuam ſedat, & tonſillas admiſto melle. Eodem modo parotidas, panos, mammarũque duritias, capitum vlcera ex aqua: cutemque mulierum extendit. Inſpergitur & ambuſtis, & dentifricio placet. Pruritibus quoque, & eruptionibus pituitæ ex aceto medetur. Crudæ ſi tundantur (*& in puluerem molliſſimum mi. uantur*) ſtrumas ſanant, & perniones pedum. Quæ Galenus de Oſtreorum facultatibus ſcripſit pete ex libr. 11. de facul. ſimpl. med. Ego experientia comperi ex cinere ſiue ex calce teſtarum Oſtreorum factam aquam lixiuam ad minuendos tumores οἰδηματώδεις pedum & genuum plurimum conferre: exiccat enim, multum digerit & calefacit, ſi poſt vſtionem cinis non lauetur: lotus, minus calefacit.

Lib. 32. c. 6. Plinius.

Galenus.

Illud poſtremo addendum cur luna creſcente Oſtrea atque adeo oſtracoderma omnia & cruſtacea augeſcant, ſucculentioraque ſint: contra decreſcente minuantur, quod tradit Plin. lib 2. c. 41. Iam quidem lunari poteſtate Oſtrearum, Conchyliorumque, & Concharum omnium corpora augeri & rurſus minui. Hæc Plinius. In cauſa ſunt propriç lunæ effectiones, quæ ſunt rigare, & modico calore humectare corpora. Luna igitur humores alit & regit, quemadmodum Sol ſuo calore fœcundat omnia: quoniã omnis in vita oritur à calidi & humidi commiſtione, & fouetur vtriuſque temperamento. Sol maſculum ſydus, mariſque vicem gerit: Luna, fœminæ. fœmineum enim ſydus eſt, & molle atque nocturnum, ſoluit humorem & trahit, non aufert, vt ait Plin. Sed Lunæ corpus craſſius, (quia elementis vicinius) non ſuo lumine, non ſuis radijs; ſed Solis luce ac radiis perfuſum & accenſum, vires ſuas in inferiorem hunc orbem immittit. Quare cum variè Solis radios excipiat, varie quoque temperatas eſſe eius vires & effectiones eſſe neceſſe eſt. Itaque ea abunde à Sole illuſtrata, corpora quoque humentiora ſunt, & contra. Neque id ſolum in Oſtreorum, vel cruſtatorum, vt aliorum animalium corporibus, ſed etiam in noſtris efficitur. Vnde prudentes Chirurgi trypano caput vix aperiunt, plena Luna: quia tum cerebrum diffundi magis & totam cranij capacitatem impleri compertum eſt. Idem in medulla oſſium cernitur. Morbis pituitoſis obnoxij, huius ſyderis vim ſentiunt, ac vna cum eo pituitam augeri experiuntur. Sani verò & non animaduertentes, has atque alias leuiores immutationes non percipiunt.

Cur lunæ incrementum oſtracoderma omnia ſequantur. Deq; Solis & Lunæ effectib. in vniuerſum. Lib. 2. c. 10.

DE OSTREIS SYLVESTRIBVS, RONDELETIVS.



A Oſtrea reperiuntur in noſtro mari quæ à vulgo Scandebec vocantur, propterea quod ſapore ſunt acri: ob id delicatorum labra nimium calefaciunt & vlcerant. nam Scandebec, idem eſt quod roſtrum vrens.

B Teſta conſtant pellucida partibus quibuſdam flaueſcente, alijs purpuraſcente, foris crinita & criſpa, intus ſplendida, læuiſſima, candidiſſima.

F Caro parua, ſalſa, ſubamara atque inſuauis eſt. Quare etiam à plebe negligitur.

A Hanc Oſtreorum ſpeciem eſſe puto ſimilem ijs, quæ tradit Plinius lib. 32. c. 6. gigni in petroſis, carentibuſque aquarum dulciũ aduentu, ſicut circa Grynum & Myrinam: vel potius Oſtrea eſſe ἄγρια quæ vocat Athenæus lib. 3. Γίνεται δὲ τινα καὶ ἄγρια λεγόμενα ὄστρεα, πολύτροφα δ᾽ ἐστὶ, καὶ βρωμώδη, πρὸς τὶ δ᾽ ἀτελῆ κατὰ τὴν γεῦσιν. Sunt quædam Oſtrea quæ ſylueſtria nominant, multi alimenti, ſed virus olentia, & ori ingrata.

G Teſta ſylueſtrium Oſtreorum in fucis mulierum, lapidis ſpecularis vice vſurpari poteſt, & exiccantibus pulueribus vtiliter admiſceri.

DE

DE SPONDYLIS, RONDELETIVS.

Bellonius nullo vetuſto nomine, ſed Oſtreas gaideropodas, vt hodie Græci, appellat.



A In Oſtracodermorum generibus recenſentur à Galeno, Plinio & alijs, Spondyli, Ab Athenæo τράχηλοι nuncupati, à Græcis hodie Gaideropa, ob magnam ſimilitudinem quam cũ aſini vngula habent. gaidaron enim hodie aſinum vocant. Galeni interpres σπονδύλους, vertebras conuertit. ſed vtendum nomine Græco cenſeo, Plinij exemplo qui aliquot locis Spondylium vocauit: & Macrobij, quum Spondylos inter cœnæ Pontificalis prima fercula nominat. Item Columella cum reliquis teſtaceis Spondylos recenſet. *Lib. 3.*

B Spondylus duplici teſta conſtat intus caua & læui: foris ſcabra, ad vngulæ aſini formam rotundata. latiore parte, quæ & inferior dici poteſt, tenuior eſt, & multo minus denſa, minus concaua. ſuperior pars, quà teſtæ colligantur, ſtrictior, foris elata, intus magis caua, arcta valde & firma articulatione connexa. vtriuſque enim teſtæ binç apophyſes ſunt, ſiue tubercula quæ binis acetabulis viciſſim recipiunt & recipiuntur: vinculo medio, nigro & valido cohærent. Caro interna Oſtreorum carni ſimilis eſt: circa hanc fimbriata eſt membrana. Branchias Spondylis falsò nonnulli tribuunt. Omnia enim oſtracoderma ſanguinis expertia, & exiguo calore prædita, toto corpore per ſenſum fugientes cutis meatus κατὰ διαπνοὴν reſpirant, (*Ariſtoteles ſic ea refrigerari dicit, non reſpirare,*) quemadmodum inſecta autore Ariſtotele.

F Intus caro eſt ſatis multa, ſed durior, virus olens, inſuauis & ingrata. Gal. lib. 3. de facult. aliment. inter oſtracoderma quæ duram habent carnem recenſet.

C B Spondyli ſaxis adnaſcuntur, & ita hærent, vt non niſi malleo, aut fracta ſaxi parte capiantur. In mari noſtro pauci reperiuntur. Ego in ſaxis Freſconijs Agathenſis ſinus reperi, ſed ij parui ſunt. ita hærent, vt in litus reijciuntur.

G Teſta craſſiorum eſt partium quàm teſta Oſtreorum. difficilius vritur, magiſque ad lapidis naturam accedit. In Spondylis Cancri parui reperiuntur, quemadmodum in Oſtreis, & Mytulis marinis.

A Horum nullam, quod ſciam mentionem fecit Ariſtoteles. Athenæus lib. 3. τράχηλον, ἀπὸ τοῦ τραχύτητος, id eſt ab aſperitate, mea quidem ſententia, appellauit. Spondylos veros à nobis exhiberi oſtendit firmior in his & magis exquiſita teſtarum articulatio, quàm in vllo alio oſtracodermorum genere, à qua Spondyli nomen ſortiti ſunt: quod vertebrarum ſpinæ modo firmiſſimè articulati ſint, quæ vertebræ σπόνδυλοι à Græcis dicuntur.

COROLLARIVM, DE OSTREIS PRIVATIM DICTIS OMNIbus, & de Oſtracodermis in genere quædam.

A Oſtrea genere neutro apud Græcos Latinoſque dicuntur, cum de ſpecie qua de hîc præcipuè ſcribimus, tum in genere de oſtracodermis ſeu teſtatis omnibus. Oſtreæ verò fœminino genere Latinis tantum, de ſpecie vna. Græcis quidem ὄστρεον per ε. breue, & ὄστρειον per diphthongum, diuerſas plerunque ſignificationes habent, vt dicemus: aliquando promiſcuè ponuntur. Latini id diſcrimen ignorant. Galenus modo animalia eſſe dicit, vt libro decimoquarto de vſu partium: modo inter animal & plantam media, hoc eſt zoophyta facit, vt in libro de formatione fœtus. In conchylijs aliqua (nomina) ex Græcis (deducta ſunt,) vt peloris, oſtreæ, Varro. Ὄστρεια vocant aliqui omnia quæ Ariſtoteles ὀστρακόδερμα nominauit: cuius ſpecies vna ſit ὄστρεον, & aliæ plures, vt buccina, purpuræ, chamæ, pinnæ, Galenus libro vndecimo de ſimplic. medicament. facult. capite autem proximè ſequente de buccinis & purpuris agit, & mox de oſtreis ſpeciatim dictis. Idem libro quinto de compoſit. ſecund. locos, capite 5. nominans teſtas vſtas buccinorum, purpurarum, aliorumq; oſtreorum in genere hoc nomen vſurpat: Græcè quidem per diphthongum ὀστρείων ſcribi puto. Sed non modo ὄστρειον, verùm ὄστρεον quoque nonnunquam generale eſt ad omnia teſtata: aliquando vero ea ſola comprehendit, quæ ſua natura immobilia (*nimirum vt cochleæ excipiantur*) ſunt, Wottonus. ſed ad eam ſignificationem oſtrei, quæ teſta immobilia tantum, ceu genus peculiare comprehendat, authoris idonei teſtimonium iam non inuenio. Vt oſtrea, ſic conchas etiam in genere pro quibuſuis teſtatis aliqui dixerunt. Veteres ὄστρεια dicebant per ει. recentiores per ε. vt Plato in Phædro, ὀστρέου τρόπον δεδεσμευμένοι. & in Timæo, τὸ τῶν ὀστρέων γένος συμπάντων, Athenæus. Ἡ σκύλλα κατὰ τὰ ὄστρεια περιέχεται τῷ πηλαίῳ, Euſtathius. Firmioris teſtæ piſces conchæ & oſtrea dicuntur. conchæ dicuntur, quæ *Oſtreorum nomen generale.*

teſtam

testam læuem habent ac politam, siue vniformiter rugatam, siue denticulatam. Ostrea verò, quæ asperam scabramque: quamuis generali nomine ostrea quoque conchæ vocentur. item quæ ex vno tantum latere testam habent, altero scopulis aut lapidibus aut alteri materiæ adhærent. nam testę ipsę duriores propriæ conchæ dicuntur, quales sunt cochlearum. Ouidius, Ostreaque in conchis tuta fuêre suis. Τὰ ὀστρεώδη καὶ κογχοειδῆ pro omni genere testatorum Strabo dixit: alij quidam ὀστρακώδη.

Ἠὲ καὶ ὄστρεα τόσσα βυθὸς ἅτε βόσκεται ἅλμης, Νηρῖται, στρόμβοι τε, πελωριάδες τε, μύες τε, Nicander Colophonius. Τὰ ὀστρακόδερμα τῶν ζώων: οἷον οἵ τε κοχλίαι, καὶ κόχλοι, καὶ πάντα τὰ καλούμενα ὄστρεα, Aristot. 4. 4. historiæ. Gaza vertit: Vmbilici, cochleæ, purpuræ, (*quod tamen non est in Græco,*) & omnia quæ ostrei aut conchæ nomine appellamus. Γίνεται δὲ ἐν ὀστρέῳ τινὶ παραπλησίῳ ταῖς πίνναις, Theophrastus in libro de lapidibus de margarita loquens. Κογχύλια, τὰ ὄστρεα, Hesychius & Varinus. Λιχάδες, ostrea omnia: alij lapides, calculos & conchylia interpretantur, Iidem.

Arabica & barbara nomina.

Albertus alzun ex Auicenna interpretatur ostreum. Antiqui, id est ostrea, Syluaticus. Caugilen, (Caugilel, Auicennæ nominantur 2. 537.) id est ostrea. Idem. videtur autem nomen corruptum à conchylijs. Guadai (Bellunensis emendat Vdha) est species testatorum: cuius facultates in G referemus. Latalus, id est ostrea, Syluaticus. Ostracorum siue conchyliorum quædam sunt magna, quæ dicuntur Arabicè Barcora. (hoc & Serapio habet:) quædam parua, quæ Arabicè dicuntur Sades, (Sadaf quidem pro limace, & pro purpura accipitur) Syluat. Canifis, (Carusis, Auicennæ. 2. 537.) id est, ostrea, Sylu. Canifeties est species ostraci, & gaugiel similiter, Vetus glossographus Auicennæ. Seigi est genus ostracorum, & est Venereum, Idem.

Vulgaria hodie.

Ostrea Græci vulgò ἀστρίδια vocitant, Psellus ostridia, interprete Valla. Itali Ostreghe, in singulari numero ostrega. Hispani Ostia de la mar. Galli (vt innominatus quidam scribit) Ouitres, vt Bel. Huistres & Oestres: alicubi Ittre alle calle. Angli *an Oyster.* Flandri & alij Germani inferiores, *een Oestre*: in plurali, *Oesters.* Puto & *vterle* vocabulum diminutiuum nonnusquam vsurpari.

B In Ponto conchylia desunt, cum ostreæ abundent, Plin. Ostrea mittit Corsica, sed raro, & sæpe olida: quoniam aduersis tempestatibus impedita nauigatione, vel prædonibus Mauris intercluso mari, non facile ad vrbem perueniunt. Eæ verò quæ à Pisauri litore paucis ante annis afferebantur, extincta veluti earum progenie penitus abierunt, Iouius. Ostrea & conchylia (τὰ ὀστρεώδη καὶ κογχοειδῆ) omnia & multitudine & amplitudine in mari extero excedunt: hìc verò (circa Turdetaniam) imprimis, quòd scilicet fluxus ac refluxus hìc augeantur: qui causa, vt par est, magnitudinis ac multitudinis propter exercitationem (eorum) existunt, Strabo. Ostrea in Indico mari Alexandri rerum autores pedalia inueniri prodidere. nec non inter nos nepotis cuiusdam nomenclator tridacna appellauit, tantæ amplitudinis intelligi cupiens, vt ter mordenda essent, Plinius. Circa Byblum paruam insulam Indiæ, ostrea petris adnascuntur, decuplo maiora his quæ apud Græcos reperiuntur: Philostratus, de spondylis nimirum sentiens. hi enim ex ostreorum numero saxis adhærent. Circa Caput viride piscati sumus dentales & ostreas veteres, quæ singulæ appendebant decem vel quindecim libras, Aloisius Cadamustus. Ostreorum pro regionibus differentias Plinij verbis referemus infrà in F. Ostreæ testas habent scabras, Aristoteles. Quædam silicum duritia teguntur, vt ostreæ & conchæ, Plinius. Ostreorum quorundam tostas veteres noctu lucere audio, parte superiori interna Variant coloribus, ruffa in Hispania, fusca in Illyrico, nigra & carne & testa Circeijs, Plinius. Vide etiam infrà in F. nonnihil. Ostreorum (in cibo) præcipua spondylo breui sunt, atque non carnoso, nec fibris laciniosο, ac tota in aluo, Plinius. Spondylus in ostreis dicitur callosum illud rotundum albicans, quod intus habent in medio, à similitudine spondyli: quod nos verticulum dicimus appositum fusis, vt meliùs nendo vertantur. nam reliqua caro circumsparsa, lacinia dicitur, Perottus. Ostreis labra sunt crassa, Aristotel. Quod oui nomine appellatur, in altera tantum parte eis fit, idemque est quod echinos habere dicimus, Idem. Quod ouum vocatur, non semper, sed vêre habent ostreæ. mox enim tempore procedente minuitur, demumque totum propè aboletur, Wottonus. Meatum habent quo excrementum secedat parte superiore, Aristoteles. Capita ostrearum generi nulla, Plinius. pili nulli, Galenus lib. 2. de temperamentis. Oculi etiam plerisque nulli, vt scribit idem Galenus lib. 2. cap. de semine. sed melius Plinius, qui ostreis omnibus oculos negat. Sexus quoque discrimen eis non est, vt in C. dicetur.

C Gaudent dulcibus aquis, & vbi plurimi influunt amnes: ideo pelagia parua & rara sunt. Gignuntur tamen in petrosis, carentibusque aquarum dulcium aduentu, sicut circa Grynium & Myrinam. Plin. Ostrea licet victum in humore exerceant, nec foris viuere queant, nihil tamen vel aëris vel humoris recipiunt, Aristot. Corpus eorum humidissimum est, Galenus lib. 2. de temperamentis. Vim vitalem (*quæ à corde per arterias diffunditur*) non habent, Idem libro 4. de præsag. ex puls. Sensum non habent præterquam tactum, Author libri de anatome viuorum. Tactus sensus omnibus est, etiam quibus nullus alius. nam & ostreis, & terrestribus vermibus quoque existit, Plinius. Et alibi: Silicea testa inclusis fatendum est nullum inesse sensum, vt ostreis. Et rursus: In marinis ostreis auditum esse non est verisimile, sed ad sonum mergere se solent. ideo & silentium in mari piscantibus. Non desunt complura, quæ cum sint absoluta, mouere tamen se nequeant, vt ostreæ, Arist. Ostreæ in Hellesponto nutriuntur phyco, id est, alga, Arist. Ἰλὺν λιχμάζοντα, καὶ ὕδατος ἰσχανόωντα, Opp. de ostreis. Ostreisque & conchylijs omnibus contingere, vt cum Luna pariter crescant, pariterque decrescant, Cicero 2. de Diuinat. Ostreæ quum appositæ fuissent, & multæ quidem sed inhuberes, macræq; essent: Luna, inquit Anianus, nunc videlicet senescit, ea re ostrea quoq;, sicuti alia quædam, tenuia exuctaq; sunt, Gellius lib. 20. Apud eundem extat hic Lucilij versus: Luna alit ostrea, & implet echinos, muribus fibras. Ostreis qua cœnum, ibi origo consistit, Arist. In limo cœnoso oriuntur, Idem: apud quem plura de ostrearum generatione leges circa finem lib. 3. de generat. animalium. Quę siliceo tegmine operiuntur (inquit Plin. lib. 9.) putrescente limo proueniunt, aut spuma circa nauigia diutius stante, defixosq; palos & lignum maximè. (Alibi tamen in petrosis, carentibusq, aquarum dulcium aduentu ostrea gigni tradit.) Nuper compertum in ostrearijs humorem ijs fœtificum lactis modo effluere.

Et rursus

Et rursus: Grandescunt syderis quidem ratione maximè, vt in natura aquatilium diximus: sed priuatim circa initia æstatis multo lacte prægnātia atq; vbi sol penetret in vada. Hęc videtur causa quare minora in alijs locis reperiantur. Opacitas enim prohibet incrementum, & tristitiâ minùs appetūt cibos. Musculi cochleæ (*conchæ potiùs, somniant autē Grammatici quidam musculos quasi masculos dici,*) quorū lacte (*vtpote genitura marium*) concipiant ostreæ. Ostrea neque coitu, neque parente procreantur, ac nimirum omnia ex cœno nascuntur illorum enim neq; fœmina, neq; mas distinctus est, sed eiusdē naturæ sunt, atq; adeò inter se similia, vt non marem à fœmina internoscere possis, Gillius ex Oppiani Halieut. 1. Neutrum est & ostreis genus, & cæteris adhærentibus vado vel saxo, Plinius. Posteaquàm (sicut ait Nicolaus Damascenus, quarto & centesimo libro historiarum) ad Apameam Phrygiæ vrbē, Mithridatici belli temporibus è motu terra discessisset, lacus qui antè ibi nulli cōparuissent, repente extitisse, fluuiosq; & fontes nouos ex eisdem locis terræmotu excitatos fuisse, veteresque multos exaruisse, ac nimirū plurimam aquam tum dulcem, tum salsam, tametsi ab eis locis mare lōge abesset, ex visceribus terræ sic emanasse, vt tractum vniuersum illum tum ostreis, tum alijs piscibus marinis referserint, Gillius (ex Athenæi libro 8.) In ostreis cancri nascuntur, de quibus alibi dictum est.

D Sunt qui subtilitatem animi constare non tenuitate sanguinis putent: sed cute operimentisq; corporum magis aut minùs bruta esse, vt ostreas & testudines, Plinius. Cancer ostreis vescitur, sed quia ostreum clausum, nulla vi aperiri potest, periculosumque est, si chelā eius includat, ad argumēta confugit, & insidias noua fraude molitur. Explorat enim si quando ostreum, remotis in locis ab omni vento, contra solis radios dipticum *in illud suum aperiat, vt aëre libero viscerum suorum voluptatem quandam capiat: & tunc clanculo calculum immittēs ostrei conclusionē impedit. sicq; aperta claustra reperiens tutò chelas impendit: visceraque interna depascitur, Ambrosius. Eundem dolum author de nat. rerum ex Ambrosio & Isidoro sic recitat. Cum testas aperit ostrea, vt clementioris auræ delicijs glorietur, cancer insidias ei repentinas prætendit, & lapidē inter eius testas proiicit, ne illas coniūgere possit & sic ostreæ carnes corrodit. Ostrea quidem in sicco iacens, iam vt in domo conchas tenet, tempore accessionis maris. Vide etiam suprà ex Oppiano in Corollario de Cancro, pagina 149. Stellæ marinæ molli crusta intectæ, (Aristot. hist. 5. 15. stellas inter ostracóderma numerat) Ostreis tā crudeliter inimicæ sunt, vt hæc ipsa exedāt, & conficiant. Ratio insidiarum quas eis moliuntur, eiusmodi est: Cum testacea suas patefaciunt Conchas, cum vel refrigeratione egent, vel vt aliquid pertinens ad victum incidat: eæ vno de suis siue cruribus siue radijs intra testas ostrei hiantes insito, eas claudi prohibentes, carne explentur, Aelianus de animalibus 9. 32. ex Oppiani Halieut. lib. 2.

E In marinis ostreis auditum esse non est verisimile: sed ad sonum mergere se solent. ideo & silentium in mari piscantibus, Plinius. Γωνιάμη (meliùs γωγγάμη, vt Hesychius habet) quæ & γαγγάμη vocatur: instrumentum est, in quo piscatores ostrea colligunt, Hesychius & Varinus. Ostrearum viuaria primus omnium Sergius Orata inuenit in Baiano, ętate L. Crassi oratoris ante Marsicum bellum: nec gulæ causa, sed auaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio suo percipiens, vt qui primus pensiles inuenit balineas ita mangonizatas subinde vendendo, Plinius. Hæc sumpta esse videntur à M. Varrone, vt Macrobius tertio Saturnaliorum testatur libro, Massarius. Nuper compertum in ostrearijs (*id est, ostrearum viuarijs*) humorem ijs fœtificum lactis modo effluere, Plinius. Limosa regio maximè idonea est cōchylijs, muricibus & ostreis, &c. Columella. Ostrea, quum Romana res magnitudinis & luxuriæ fastigium teneret, Brundusio in Lucrinum lacum transferebantur, vbi mirificè pinguescebant. Vnde Martialis, Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino. Fueruntque adeò in honore ipsis gulæ proceribus, vt in remotissimas à mari regiones ligneis lacubus apportarentur. Est autem Lucrinus lacus Campaniæ (inquit Massarius) in sinu Baiano, contra Puteolos propinquus Auerno lacui, dictus à lucro propter multitudinē piscium, qui ibi capiebantur. in quem ostrea aliunde aduecta, depastaque ibidem meliora fiunt. Gaudent enim (vt inquit Plinius libro trigesimo secundo) & peregrinatione, transferrique in ignotas aquas: Sic Brundusina in Auerno compasta, & suum retinere succum, & à Lucrino adoptare creduntur.

Ostreorum conchis ichthyophagi ad domicilia vtuntur, Incertus. Maltha calidaria ad balnea: Ficum & picem duram, & ostrei testas siccas simul tundes: his iuncturas diligenter adlines, Palladius.

F Tiberius Cæsar Asellio Sabino H.S. ducenta donauit pro dialogo, in quo boleti & ficedulę, & ostreę, & turdi certamen induxerat, Suetonius. Pinguem vitijs albumque, nec ostrea, Nec scarus, aut poterit peregrina iuuare lagois, Horatius Serm. 2. 2. Refert Athenæus Apicium nobilem parasitum, qui superioris nomine appellari promeruit, vasis summa industria fabricatis, ad Traianum in mediterraneis Mesopotamiæ contra Parthos bellum gerentem, recentissima ostrea detulisse, Iouius.

Ostreorum differentia secundum regiones.

Dicemus & de nationibus, ne fraudētur gloria sua littora, sed dicemus aliena lingua, quæq; peritissima huius censuræ in nostro æuo fuit. Sunt ergo Mutiani verba quæ subiiciam: Cyzicena maiora Lucrinis, dulciora Britannicis, suauiora Edulis, (*Getulicis, Massarius:*) acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora (*tenuiora, Massarius*) Istricis, candidiora Circeiensibus. Sed his neque dulciora, neque teneriora esse vlla compertum est, Plinius. Ostrea Abydena à ganeonibus olim celebrari solita memorat Clemens in Pædagogo. Τὰς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλας, ὄστρεια Ἄβυδος, Archestratus. Mures sunt Aeni, aspra ostrea plurima Abydi, Ennius apud Apuleium. Ostrea concharum generis nobilissima sunt, inter lautissimos recepta cibos. laudabiliora quæ capiuntur vbi dulcis admiscetur aqua, vt quæ in dulci portu capiuntur, qui nunc portus Phanarius appellatur, quem intrat amnis Acheron ex Acherusia palude profluens: & quę in lacu Lucrino depasta optimum habeant saporem: quamobrem excogitatum est, vt aliunde aduecta in Lucrino compascerentur, vnde Martialis: Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino, Massarius. Nondum Britannica seruiebant litora, cum (*Sergius*) Orata Lucrina (*s. litora*) nobilitabat: postea visum tanti in extrema Italia petere Brundusium ostreas: ac ne lis esset inter duos sapores, nuper excogitatum, famem longæ aduectionis à Brundusio compascere in Lucrino, Plinius. Sergius Orata primus optimum saporem ostreis Lucrinis adiudicauit, Macrobius Saturn. 3. 15. item Plinius. Ebria Baiano veni modo concha Lucrino, Martialis. Non me Lucrina iuuerint conchylia, Horatius. -----Lucrinis Eruta litoribus vendunt conchylia cœnas, Vt renouent per

Lucrina.

damna famem, Petronius Arbiter. Tu Lucrina voras, me pascit aquosa Peloris, Martialis lib. 6. Concha Lucrini delicatior stagni, Idem de Erotio puella. Murice Baiano melior Lucrina Peloris: Ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini, Horatius Serm 2.4. Tunc nuptiæ videbant ostreas Lucrinas, Varro apud Nonium. Ostrea Britannica post Lucrina inuenta sunt, quæ & Rutupina ab oppido litorali Iuuenalis appellauit Massarius. - -Circeis nota forent, an Lucrinum ad saxum Rutupino vt edita fundo.

Ostrea callebat primo deprehendere morsu, Iuuenalis Sat. 4.

Hadriatica. Ostreis suburbanis (*circa Venetias*) & Hadriaticis Bembus palmam dedit: qui fortè idem de ostreis putauit, quod de Lupis inter duos pontes captis Romani existimauerunt: quos ea ratione meliores palato que aptiores pronunciarunt, quod propinqua illuuie, quæ ex cloacis & foricis defluit, faginentur. Etti non me fallat, Plinium ostrea neque in luto capta, neque in arenosis commendasse. Tametsi ego in Bembi gratiam longe diuersum putem, an in luto, an in pingui pabulo quis capta dixerit. Illic spurca & immunda, hic pleniora habitioraque efficiuntur Adde quod in mari nata, a quis verò dulcibus educata, primo censu habentur. ex quo fit vt optima iudicentur, quæ ijs aluntur locis quo flumina inuehuntur: qualia suburbana Venetæ vrbis videmus, quæ multis fluminibus alluuntur: quæ res potest ostrea multò reddere commendatiora. Hæc illa sunt scilicet, quæ gloriam mensis pepererunt: quorum spondylus (ita carnem interiorem vocamus) plus habet calli. Hæc sunt denique quæ vulgato prouerbio, viduarum cupedias appellauit antiquitas Cælius Calcagninus epistolar. lib. 5.

Nota meliorū. Præcipua verò habentur in quacunque gente spissa, nec salua sua lubrica, crassitudine potius spectanda quàm latitudine, neque in luto capta, (*& si Veneti ea cæteris antecellere opinentur,*) neque in arenosis sed solido vado, spondylo breui atque non carnoso, nec fibris lacinioso, ac tota in aluo. Addūt peritiores notam, ambiente purpureo crine fibras, eoque argumento generosa interpretantur, calliblephara appellantes, Plinius. Omnia tunc meliora in cibis existimantur, cum oua appellata habuerint, quę tamen nihil ad generationem conferunt: sed indicio sunt melioris nutricationis, veluti pinguedo in sanguineis, vt Aristoteles asserit de generatione animalium libro 3. Grapaldus. Maximè probantur quæ magnarum nauium carinis adhærent. & ab vrinatoribus de manu colliguntur, Iouius. Galenus in libro de boni & vitiosi succi nutrimentis, ostreorum carnem humidiorem & tenaciorem esse docet, admodum crassi succi: & partes eorum solidiores serius ob crassitudinem concoqui, ac generare humorem crudum, crassum & frigidum. In vniuersum ostrea, vt ait Galenus, salsum humorem aggenerant, præsertim si cruda comedantur: propterea tentiginem in salacibus plurimum adaugent, Iouius. Ostrea quia de mortuam Venerem excitant, apud lautos & libidinosos in precio sunt Platina. Facile intus corrumpuntur, Celsus qui inter ea etiam quæ stomacho apta sunt, ostrea connumerat. Patellas Hicesius facilius excerni tradit quam chamas: ostrea verò minus bis alere, facile replere, (τρόφιμα:) excernique promptius. Aluum mouent: Celso, Aretæo, & Plinio medico authoribus. Molliunt aluum leniter, Plinius Secundus. Conchularum maris, cæterorumque ferè ostreorum succus, planè tum salsus est, tum ventrem soluendi vim obtinet: quamuis eorum caro ventrem reprimat. Verum quod dico deprehendes, si ea quoque, quo modo brassicam censuimus, præparare non graueris, Galenus de simplic. medic. facult. 3. 15. Aluum simul & vrinam cient, Athenæus. In colico affectu sumantur pisces duriore carne præditi: & ex testaceis pectines, ostrea, Trallianus. Gariopontus hydropicis etiam ostreas dari iubet. Multum ostreorum esum damnat Galenus in libro de attenuante victu: quem & senibus interdicit, libro 5. de sanit. tuenda. in consilio etiam de puero epileptico, ostrea omnia ei cauenda præcipit.

Apparatus. Alex peruenit ad ostreas, echinos, vrtices, Plinius. Ebria Baiano veni modo concha Lucrino, Nobile nunc sitio luxuriosa garum, Martialis. Ostrea cocta in carbonibus, atque testis exempta, frigi in oleo, & aromatibus atque agresta suffundi possunt, Platina. In ostreis Piper, ligusticum, oui vitellum, acetum, liquamen, oleum & vinum: si volueris, & mel addes, Apicius 9. 6. Ostrea vel cruda ab aliquibus esitari, Galenus refert. Ὄστρεα συμμεμυκότα, Τὰ διελεῖν μὲν ἐστι χαλεπὸ, καταφαγεῖν δ' ἀβρᾳδέα, Epicharmus.

En Galeno. Pro buccinis ostrea ad remedia assumi licet, vt in tabulis Ἀντιδότων οἰκείων legimus. Buccina marina aut purpuras vstas, melle aut axungia exceptas imponito parotidibus, & confestim discutientur: idem etiam ostreorum testa vsta, & cum melle imposita facit, Galenus libro 3. de compos. pharmac. sec. locos. Idem alibi quoque vim eandem prope testis purpurarum, buccinorum, & aliorum ostreorum attribuit, ostrei nomen generalius vsurpans: quamobrem si quid remediorum in vna aliqua specie omissum videbitur, in alterius historia requiratur. Ostreorum testa vsta (inquit Galenus libro vndecimo, de simplicim edicament. facult.) similis est facultatis buccinorum testis, tametsi etiam subtilioris: immo vt certius veriusque dicam, minus crassæ. nam terrenam duramque corporis sortita consistentiam concretionemque, impendio omnia crassarum sunt partium. itaque accuratè ea læuigare necesse est. Cum autem dicimus horum aliud alio esse tenuius, (*cum tamen omnia crassa sint, sed a tamen, alia minus,*) ita accipiendum est, vt si Vlysses Thersite dicamus maiorem, cum tamen vterque fuerit paruus. Cæterum omnia id genus, vt & antea est dictum, cogendi quandam in se facultatem obtinent: per quam condensata eorum essentia, dura terrosaque sunt reddita: quam vbi per vstionem deposuerint, contrariam adsciscunt facultatem, quam vocant digerentem. Porro si laueris ea vsteriusque, (*sic & Græcus textus habet: sed præstat legere, Si vsteris lauerisque: prius enim vruntur, deinde lauantur huiusmodi medicamenta,*) ignea in aquâ natura deposita, ipsam efficiunt cum tenuitate excalfacientem, adeo vt & putrefaciat. sed nonnunquā reliquum illud terrenum est, morsus expers: id quod maximè implendis cicatriceque claudendis vlceribus humidis est vtile. Igitur testa eorum quæ peculiariter vocantur ostrea, combusta vtor ad diuturnas ex fluxione, ægréque carne implebiles cauitates, nempe quæ fistulosæ sunt atque profundæ, eam foris cum suillo adipe veterato (vulgo axungiam nuncupant) circumponens. At in sinum ipsum aliquid eorum quæ talia carne implent, immitto: quale est etiam vstum diaphanes: quod specarium (*lege specularem, nomine depravato. Latini enim specularem lapidem vocant: interpres Latinus in margine diuersam lectionem adscripsit. ex vstum, diaphryges*) nominant. Parem in genere facultatem habent & cæterorum ostracodermorum testæ deustæ, maximè verò (vt dixi) ostreorum: deinde buccinorum & purpurarum. Itaque cinis eius

eius generis emplasticis miscetur facultatibus digerentibus, & cum quouis adipe digerit. Sed quoniam vetus plus digerit, illi magis misceri solet. Porro potentius hoc medicamen digeret, si acrem illi adipem quempiam miscueris: de quibus superius determinatum est. Quin & dentes splendidiores talium omnium cinis efficit, non tantum extergendi potentia, sed & asperitate substantiæ, velut & pumex, & testa clibani. Verum in vsu eiusmodi non est necesse quæ sic vsta sunt, admodum lænigare. At in vlceribus rebellibus præ omnibus diligenter sunt læuiganda, ac inspergenda. Portò excrescentiam carnis mediocriter exterunt comprimuntq;. Ad hæc cum sale omnia id genus vsta dentium smegma reddunt efficacius, adeo vt non modo laxitatem mollitiemq; gingiuarum deficcet, verum etiam vlcera putrescentia adiuuet, Hæc omnia Galenus.

Guadai (*Bellunensis emendat Vdba, & porcellet as interpretatur: nos de porcellanis conchis supra Celemento scripsimus*) est ostracum, (*species ostracorum,*) quod extrahit furculos & spinas. quod ex eo tritum est, abscindit verrucas infixas, siue profundas in carne & cute, & pendentes, siue eleuatas in carne & cute, Auicenna 2. 301. Est autem forte aliud quoddam ostreorum hoc genus, ab ostreis peculiariter dictis diuersum. nam attributæ ei vires cochleæ siue limaci conueniunt: quam idem Auicenna eiusdem libri cap. 537. sadaf nominat, & vires partim cochleę terrestris, partim purpuræ ei adscribit.

Ostreorum testa siccissima est, Galenus 2. de temperamentis. Labiorum vlcera & omnia maligna sanans medicamentum: Ostrea vsta tenuissimè trita insperge. Ego verò non vstis contritis vsus sum, & bene cessit, Nicolaus Myrepsus. Galenus libro 1, capite 5. de compos. medic. sec. locos, testas vstas tum buccinorum, tum purpurarum, aliorumque ostreorum, pharmacis pilos attenuantibus adnumerat. Ad vulnera iumentorum. ossa sepiarum & testas etiam ostrearum in puluerem rediges, & ærei quoque vasis fuliginem pariter miscebis: quæ bene tunsa si frequenter asperseris, siccatum vulnus ducet celeriter cicatricem, Vegetius Veterinariæ 2. 62. Ostrea ex mulso & pipere cocta, vtiliter contra tenesmum accipiuntur, Marcellus Empiricus. sed aliter Plinius, ex quo ille mutuatur sua pleraque: Cocta (inquit) cum mulso, tenesmo, qui sine exulceratione sit, liberant. Vesicarum vlcera quoq; repurgant. In cochis suis cocta, siue vti (*alas, cocta, sicuts*) clausa venerint, mirè (*aluis, urinæ*) distillationibus prosunt. Ostrea ita vt lecta sunt, adhuc testis suis clausa, in carbonibus coquuntur, atque ita cibo dantur et quarium grauedinem parit, Marcellus. Frixam ostreorum carnem à veneno comesti marini leporis liberare testatur Plinius medicus, Iouius. Ad perniones: Sepum ceruinum combustum simul cum ostrea testa minuta commixta & factum quasi malacma impone, mire sanat, Sextus Platonicus.

Ad procidentem sedem, ex Aëtio: Ostreorum testas crudas tritas, & subtilissimo cribro excussas appone, Aëtius.

Emplastro albo Ariabarzanio, quo Xenocrates absceſſum iam inalteratum circa tarsum discussit, (apud Galenum de composit. sec. genera 1. 16.) buccina vsta injiciuntur: Vbi Galenus, Valide (inquit) exiccat ob buccinorum cinerem additum, non dissimilis autem quodammodo facultas est & purpuris & ostreis concrematis. notum est autem sine carnibus horum animalium testas concremari. Mox etiam cap. 18. ostrea concremata, purpuras, buccina, & sepiæ partem osseam cum ijs recenset quæ proposita emplastri (aduersus vlcera cacoëthe & dysepulota) candorem tueri possint. Buccinorum testas concrematas, purpurarum, ostreorum, aliorumque id genus si aridas vlceribus malignis ac contumacibus inspersueris, mirificè videbis citra mordicationem ea desiccari. Galenus eiusdem operis 4. 1. Plura ex Galeni libro 11. de Pharmac. simplic. facult. de viribus ostreorum vstorum, tum lotorum ab vstione tum illotorum, recitaui superius. Pulvis ex ostreis: Cadmiæ, thuris, singulorum vncia semis, ostreorum vstorum, vncia vna semis, Nicolaus Myrepsus: qui vsum eius non explicat. videtur autem vtiliter inspergi posse vlceribus malignis vel dysenteriæ. Labiorum vlcera & omnia maligna sanans remedium: Ostrea vsta tenuissimè trita inspergę. Ego verò non vstis contritis vsus sum, & bene cessit, Idem Myrepsus. Ex ostreis combustis & fermento medicamentum, pro humore suppurato, libro 2. Galeni de arte curatiua ad Glauconem describitur. Veteri vrinæ miscetur cinis ostreorum aduersus eruptiones in corpore infantium, & omnia vlcera manantia, Plinius. Sæpe ita peruadit vis frigoris, ac tenet artus, Vt vix quæsito medicamine pulsa recedat. ----- tum cassis ostrea testis Vsta dabis cinerem qui pro sale sumptus inescis. Deducit gelidum tepefacto vertice virus, Serenus. Ostrei testarum combustarum cinis cū melle impositus parotidas cito soluit, Marcellus. Emplastra quæ simplices parotidas curant laxatoria appellata, omnibus nota sunt. Exempla ipsorum sunt, Emplastrum Mnaseæ, & quod ex succis constat, & quod ex ptisana. His adhuc molliora sunt cerati forma, tum ex butyro, tum ex œsypo conflata, ostreis aut buccinis, aut purpuris vstis additis, adipeque porcino, singulis quadrantis pondere. Præstat & hoc, Butyri nunc vnam ceræ sextantem & vncię dimidium, ostreorum vstorum quàm tenuissime tritorum sextantem. liquescibilia liquefacito, ostreaque infarcito, ac vnitis vtitor confidenter. Efficacissimum hoc ad parotidas, Galen. de comp. med. sec. locos 3. 2. Et paulo superius: Buccinis, purpuris & ostreis vstis, in durescentibus ac vetustis parotidibus vti oportet. Est enim pharmacum quod omnem afflictionem & acrimoniam mitigat & discutit: non solum si melle quis eorum cinerem imbuat, sed & multo magis si adipem suillum insulsum, vetustum & à fibris depuratum admisceat, citra omnem enim molestiam omnes inueteratas inflammationes discutit, etiamsi ex rheumatica affectione sint obortæ. Cinis testarū ex ostreis si in morem salis pane colligatur & voretur, statim ad remouendam grauedinem narium proficit, Marcellus empiricus. Cinis testarum vstarum ex ostreis cum melle tenuissimè contritus vuæ inlitus prodest, Idē. Plinius medicus ostreorum testas ambustas dysentericis prodesse tradit, Iouius. Succinum de ceraso siluatica exures, & de testa ostrei æque facies, paribusque mensuris puluerem tritum, cum melite, (*forte oxymelite, aut tale quid legendum*) aut cum vino austero candenti ferro calefacto, bibendum dysenterico dabis, mire proderit, Marcellus empiricus. Ad coli in testini dolores: Ostreorum testę crematæ & trite potui dentur: duarum ligularum modus sit ex calentis aquæ cyathis tribus. Galenus Euporist. 2. 48.

Ostrea nil. Lucilius, Plinius & Iuuenalis, ostreum gen. neut. dixerunt. Item Varro citante Nonio: Non posse ostrea se Romæ præbere & echinos. Sed idem quoque Lucilius generis fœm. Ostrea nulla fuit, non pur- H. 2.

pura nulla Pelori. & alij, vt Turpilius Demetrio: In acta cooperta age in oras ostreas. & Varro, Ne co-strea illa magna capta quiuit palatum suscitare. Ostreas marinas, Afranius. Tanquam posset vel in tegulis proseminare ostreas, M. Tullius in Hortens. Ὄστρεον dictum videtur ab ὀστέον (quod est os, quod testa veluti ossea tegatur,) abundante rhô, Eustathius & Varinus. Τρωκτός, ostreum, Hesychius. Sicut nos à testa testudinem vocamus. sic Græci ostrea ἀπὸ τοῦ ὀστράκου nominauerunt. Ostridion ab ostreo diminutiuum est apud Psellum.

Epitheta. Ostrea ἑρσήεντα, id est roscida ab Oppiano cognominantur. Μυελόεντα, à Matrone Parodo: quod nimirum in suis testis ceu ossibus, medullæ instar contineantur.

Ostreariæ (gen. fœm.) dicuntur, vbi ostreæ viuunt, & reperiuntur, vt Grammaticus quidam recentior annotauit. citat autem solum Plinij testimonium, vbi is dicit: nuper compertum in ostrearijs. ego in recto singulari ostrearium protulerim, vt viuarium: quanquam & fœm. g. ostrearia forte dici potest, vt subaudiatur piscina. Sergius Orata primus ostrearia in Baiano locauit, Macrob. Saturn. 3. 15. Panis ab opsonijs appellatur ostrearius, Plinius 18. 11. hoc genere panis scilicet cum ostreis vesci solebant. Ostreatus pro duro atq; aspero accipitur, Perottus. Itaq; iam quasi ostreatum tergum vlceribus gestito propter amorem vestrum, Plautus Pœnulo. Ostrifer, locus in mari ostrea gignens, vt quidam scribunt.

Ostrum. Ostrum dicitur ab ostreis. ego conchylium, muricem, ostrum in eadem significatione accipio, Perottus. De Conchylio multa suo loco diximus. Ostrum dicebatur color celeberrimus, qui ex ostreis, purpura ac murice eruebatur, & Sarranum, nomen ab Sar vrbe Phœniciæ, quæ postea Tyrus appellata est, sumpsisse constat: vt apud Vergilium, Et gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro. Platina. quare & Tyrium cognominatum est: Tyrioque ardebat murice lana, Vergilius. Regali conspectus in auro nuper & ostro, Horatius de Arte. instratique ostro alipedes, pictisque tapetis. Vergilius 7. Æneid. Vilis adulator picto iacet ebrius ostro, Petronius Arbiter. Stratumque ostro quem ceperat ipse Cornipedem, Silius. Ostrinam (*scilicet vestem dicunt*) ab ostro colore, qui est subrubens, Nonius qui & Turpilij hęc verba citat. Interea aspexit virginem vectari, in capite riculam indutam ostrinam. & Varronis, Aurora ostrinam (*ostrinum*) hic indutus supparum. Vtebantur autem, vt conijcio, non tinctores solum seu infectores vestium hoc colore: sed & pictores.

Ostrinus color à Thylesio quoq; memoratur. De pictorum coloribus scribens Pollux: Colores (inquit) sunt andricelon, ostreon, (ὄστρεον) prasinon, &c. Cælius. Τὰ δὲ σώματα οἱ μὲν ἐκέχριντο ὀστρείῳ, τινὲς δὲ μίλτῳ καὶ χρώμασιν ἑτέροις, Athenęus in descriptione pompæ Ptolemæi Philadelphi.

Philoginos (philoginos sanè à colore flammeo, aut philogynos) gemma, quam & chrysiten vocant, ostreę Atticæ assimulata inuenitur in Ægypto, Plinius. sed pro ostreæ legerim ochræ. hæc enim attica probatur: & color aureus accedit.

Ostracum. Ostracum Græcis testam significat, siue terream, vt ex fractis figlinis: siue concharum animalium generis, quæ omnia etiam inde communi nomine ostraca, ostracoderma, ὀστρακώδη & ὄστρεα dicta sunt, & quoniam ostrei quoque vocabulum ab ostraco sumptum videtur, plura hic de hac dictione, & alijs inde compositis aut deductis adferemus. Chama est ostracum (id est, ostracodermum animal,) Eustathius. Ostracoderma ab Aristotele dicuntur animalium aquatilia, quæ & sanguine carent, & testa silicea, siue silicis instar dura operiuntur: vt concharum & ostreorum cochlearumque & turbinum genus omne: malacostraca verò, quæ testam illam molliorem, id est minus duram habent, vt cancri & locustæ, &c. Caraborũ (id est locustarum) ostraca Pollux dixit. Ex ouis etiam ostracoderma dici Cęlius Rhodiginus annotat putamine intecta testaceo. vt in auibus: malacoderma verò quæ molli obducuntur cute. Didymus inquit solere aliquos lyræ loco conchylijs & ostracis collisis concinnum quendam sonum saltantibus ædere, Athenæus. Πάντα τὰ ὀστρακόδερμα γίνεται καὶ ἐν τῇ ἰλύϊ, Athenæus ex Aristotele. Ὀστρακηρὰ etiam idem genus animalium à Græcis vocauit, præsertim ab Aristotele. annotauit hoc vocabulum Vuottonus, tanquam synonymum ostracodermo. Ὠλακίδες, ὀστρακινά τινα βρωμώδη, Hesychius & Varinus. Eustathius in ostraco dictione, rhô abundare scribit. Idem meminit prouerbij, Ὀστράκου περιστροφή, de rerum mutatione, ex ludo quodam desumpti, quem pluribus describit, & ὀστρακίνδα alio nomine appellari docet, ex Polluce nimirum Ostracum testa à Græcis vocatur: vnde testaceum pauimentum, vulgo nunc ostracum vocant, (Itali scilicet, vt nostri etiam Germanicè *Estrich*:) & ostracina suffragia Atheniensium dicebantur, quod Athenienses ea in figulinis vasis dare consueuerunt, Perottus. Cum Athenienses (inquit Cælius Rhodig.) apud quos puniebatur virtus, Aristidem testularum exilio, quod ostracismum vocant, mulctare destinassent, adijt eum homo quidam illiteratus & agrestis, qui testulam teneret, iubebatque Aristidis nomen inscribi. Rogabat is ecquid Aristidem nosset? Negauit ille, addiditq; nil sibi aliud in eo viro, quàm iusti cognomen esse molestum. Tacitus Aristides scripsit quod rogabatur, & hominem dimisit, Hæc ille. Plura de hoc genere exilio damnandi, reperies in Promptuario Linguæ Latinæ Theodosi Trebellij, & alijs fortè Dictionarijs. Clisthenem Atheniensem ferunt ostracismi seu testularum rationem omnium principem induxisse, primumq; eisdem damnatum suffragijs, Cęlius Rhod. Hyperbolum nouimus postremum omnium exilio, quod ostracophoriam vocant, mulctatum fuisse, Cælius. Hinc factum verbum ἐξοστρακίζειν: & nomen ἐξοστρακισμός, relegatio temporaria in locum certum, quæ bona non adimit, vt quidam recentior interpretatur. Mnesitheus ὀστρακίνας nominat nucleos conorum (siue strobilorum) id est pineos. Est & inter placentarum genera ὀστρακίτης Athenæo. Vnguem odoratum, purpuræ operculum, ostracion item appellant, vel ostracon quoque, Cælius. Inuenio apud quosdam ostracium vocari, quod aliqui onychem vocant. Plinius. Vide Onyx superius. Ostracum primitiuum, ostracium diminutiuum est. Ostracias, siue ostracites (*ostracitis gemma*) est testacea, durior: altera achatæ similis, nisi quod achates politura pinguescit. duriori tanta inest vis, vt aliæ gemmæ scalpantur fragmentis eius. Ostraciti ostrea nomen & similitudinem dedêre: Hęc Plinius libr. 37. Idem libro 36. Ostracitæ similitudinem testę habent, vsus eorum pro pumice ad læuigandam cutem. Georgius Agricola ostraciten Germanicè interpretatur, *Topfstein*, ostracian alteram verò, *Luxsaffyr*.

Tethya

Tethya similia ostreæ, Plinius. Hegesander hepatum piscem in capite duos lapides habere ait, colore splendoreque ostreis similes, Athenæus. Origo atque genitura conchæ (quæ margaritas fert) est haud multùm ostrearum conchis differens, Plinius. Mensis remotis puer euerrat ὀστρέων κόγχας, καὶ ἰχθύων λέπη, Pollux. Pinnotheri (Cancello potiùs) solertia est inanium ostrearum testis se condere, Plinius. b.

Ostrearum concharumque varij generis testas in mediterraneis alicubi reperiri, ex Strabone & alijs scripsi suprà, in Conchis in genere H. a. pag. 262. Diuersas nuper huiusmodi testas lapideæ substantiæ, Dominicus Montisaurus Veronensis medicus & eruditus & antiquitatis studiosus ad me misit, in proximis Veronæ montibus puto repertas. In Heluetijs quoque agro Solodurensi inueniuntur. c.

Tanquam posset vel in tegulis proseminare ostreas, Cicero in Hortensio. e.

Dromeas parasitus interrogatus, in vrbe an apud Chalcidem lautiùs pararetur conuiuium: respõdit procœmium Chalcidensis cœnæ gratius esse (*toto*) conuiuij in vrbe apparatu. Vocabat autem cœnæ procœmium, δείπνου προοίμιον, copiam & varietatem ostreorum, Athenæus. Apud eundem quidam: Primùm (inquit) ostrea vidi & echinos: quę quidem procœmium sunt δείπνου χαριέντως πεπρυτανευμένου. Quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, cœna hęc fuit: Ante cœnam, echinos ostreas crudas quantũ vellent, peloridas, sphondylos, patinam ostrearum, &c. Macrobius Saturn. 3. 13. Ex horto plebei macellum quanto innocẽtiore victu? Mergi enim credo (*ironia*) in profunda satius est, & ostrearũ genera naufragio exquiri, &c. Plinius. Dignus morte perit, cœnet licet ostrea centum Gaurana, & Cosmi toto mergatur aheno, Iuuenalis Sat. 8. Grandia quæ medijs iam noctibus ostrea mordet, Idem Sat. 6. His itidẽ in cœna dabis ostrea millibus nummûm Empta, Lucilius apud Nonium. Traiano imperatori cũ in Parthia esset procul à mari, Apicius ὄστρεα νεαρὰ διεπέμψατο ὑπὸ σοφίας αὐτῷ τεθησαυρισμένα, Athenæus si bene memini. f.

Ostrea apud Indos margaritas producunt: Io. Tzetzes, ostreorum nomen communiùs accipiẽs. Idem libros nominat ὄστρεα λογικά, id est Conchas rationales: margaritas autem, sententias & sermones qui in eis continentur. Si quis omidia & ostreas comedere se somniet, in morbum incidet Innominatus. Prouerbium Ὥσπερ λεπὰς προσίσχεται, id est Patellæ in morem hæret. Erasmus Rot. nimis generaliter Ostrei in morem vertit. id in Patella referetur. Καθαροὶ καὶ ἀσήμαντοι (ἀμίαντοι) τούτου, ὃ νῦν σῶμα περιφέροντες ὀνομάζομεν, ὀστρέου τρόπον δεδεσμευμένοι, Clemens circa finem quinti Στρωματέων. Antiphili carmẽ in murem ab ostreo comprehensum, recitaui in Mure terrestri H. d. h.

DE OSTREIS DIVERSIS.

Ostreorum nomen, vt abunde explicauimus, non rarò communiter genus totum testatorũ complectitur. sic Suidas Echinum, θαλάττιόν τι ὄστρεον esse tradit: & Hesychius ὄστρεα, τὰ κογχύλια, μυάκια θαλάσσια. Et Cælius Rhodig. Sunt (inquit) inter ostrea, quæ dicãtur ῥαβδωτά, perinde ac dicamus virgata: alia item quæ vocemus ἀῤῥάβδωτα, id est, minimè virgata. Meminit Aristoteles quoque: sed ῥαβδωτά, pectinatim diuisa Theodorus interpretatur. Animalia in mari testata sexus discrimen non habent, vt ostrea & conchylia. quanuis enim ostreum quoddam vnius conchæ inueniatur, quod habet speciem virilis virgæ inferiùs: & aliud eiusdem generis, quod habet similitudinem vuluæ muliebris: tamen hæc non sunt instrumenta coitus in eis, sed partes corporum ipsorum. Huius ostrei concha refert cochleã, & est spinosa extrinsecus: in cibo gratæ & delicatæ carnis. In eodem sæpiùs margaritæ reperiuntur. abundat autem in litore maris Germanici & Flandrici, Albertus explicans Aristotelis historiæ animaliũ caput 11. libri 4.

Arabicorum animalium varius color & forma multiplex, omnem picturam longè multumq; superat. Locustæ etiam & serpentes illic aurei coloris sunt: & pisces magis vario insignes ornatique colore, admirabiles sunt spectatu. Et maris rubri ad Arabiam pertinentis ostrea huius splendoris expertia haudquaquam sunt: immò verò flammeis illustrantur zonis, ea vt diceres varij coloris temperatione ad iridis similitudinem accedere: adeò lineis perpetuo ductu æquè inter se distantibus distinguuntur atque describuntur, Aelianus de animalib. 10. 13.

OTION vel Otarion Græci vocant Patellæ genus, describendum infrà Elemento P. Τήθη δὲ λέγει τὰς ἀγρίας λεπάδας, ἃς ἡμεῖς ὠτία λέγομεν: ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ὄστρεια, καὶ Ὅμηρος κοινῶς τὰ ὄστρεια, Scholiastes Nicandri. Τήθεα ostrea vel genus ostreorum, Scholiastes Homeri Iliad. π.

Quæ CALAINA ostraca nominat Aetius, pilos extenuantia, consyderantibus relinquo, Hermolaus. Callais quidem (Callainus aliquibus) Plinio lib. 37. gemma est viridis, pallens. Remedia pilis attenuandis apta memorantur Aetio lib. 6. cap. 65. inter quæ ostraca Callaina nominari iam non video: cui vacat inquirat ampliùs. Cornarius in commentarijs in Galeni de composit. medic. sec. locos librum 5. titulo, Ad dentes denigratos, vbi testa Callaina assata ac trita dentibus affricari iubetur: Testam Callainã (inquit) quam hîc Apollonius ὄστρακον καλλαϊνὸν appellat, non aliam esse puto, quàm vasorum Callainorũ: de quibus libro 1. huius operis Galenus inter ea quæ pilos attenuant, mentionẽ fecit. ita enim legi debere me suspicari tum indicaui, & non τὰ μέλαινα, velut exemplar vulgatum habet. Quemadmodum autẽ eo loco ad attenuandos pilos, ita hîc ad dentifricium probatur. An verè Callaina vasa ex callai lapide facta fuerint, indeque appellationem traxerint, vt libenter crediderim, ita nõ potest alicuius authoritate confirmari, quando hodie ignota Italiæ ac Romæ sint: quæ tamen tempore Galeni fuisse aduecta ex Alexandria, ex Galeni loco iam citato apparet, & Alexandriotica vocata, patria, (vt palàm est) appellatione. Porrò si neque hîc callainam testam vasorum callainorum accipiendam, neq; suprà callaina vasa legenda esse conuincamur: suprà quidem τὰ λαῖνα, pro τὰ καλλαΐνα, velut ibidẽ diximus, legemus: Hoc verò loco Callainam testam ostreorum Callaici Oceani accipiemus: quando sanè tum ostreorum tum fictilium vasorum testa ὄστρακον Græcis appelletur: & Callaici ostrei testa, non ineptũ dentifriciũ exhibeat. quemadmodum etiam suprà post Callaina vasa, purpurarum, ac muricum & aliorum ostreorum testæ vstæ, attenuandis pilis itidem vt illa aptæ produntur. quanquã si horũ ostreorũ testæ accipiẽdæ sunt, Καλλαϊκὸν potiùs quàm Καλλαϊνὸν legẽdum erit. qui lapsus facilè potuit contingere ob similitudinem characterum. Martialis: Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in aruis. Et rursus: Callaicum mandas si quid ad Oceanum. Hæc omnia Cornarius. Callaici Hispaniæ populi, Straboni quoque memorantur.

CALLIPHLEBARA quædam ex Ostreis dicuntur apud Plinium, ambiente purpureo crine fibras, eoq; argumento generosa interpretantur, Plinius. Meliora existimantur ambiente fibras purpureo crine, Parata (*corruptum hoc nomen suspicor, pro calliphlebara*) (quia cruda meliora sunt, Perottus.

Chama (χήμη) genus est ostrei, Suidas. Ex chamis crassioribus paruæ & exilem carnem habentes, ostrea dicuntur, Diphilus.

Spartianus ostreas & liostreas cum dixit in Heliogabalo, chamas tracheas & chamasleas intellexit, etiamsi lithostreæ scriptum erat. id ex Athenæo sumitur, qui ait: chamas tracheas ostrea quandoque dictitata, Hermolaus in Plinium.

CONDYLOS ostrei genus est Paulo Æginetæ. Idem conchylium Indicum, condylon aliter appellat.

MYES genus est ostrei. Vide in Testudine Aquatica A. in libro de Quadrupedibus ouiparis: & supra in Conchis diuersis, vbi de Mitulis & Musculis agitur. pag. 275. & deinceps.

OSTREI quoddam genus Pictoribus vsui est. Crassitudine plurimum excedit, & florem illum non inter testam sed foris habet. Comperiri id genus locis Cariæ potissimum solet, Vuottonus.

SPHONDYLOS & ostreas &c. in cœna Lentuli flaminis Martialis Macrobius nominat. Licet & spondylos proferre. Rondeletius ea esse docet ex ostreorum genere, quæ hodie à Græcis dicantur Gaideropa, vel potius Gaideropoda, vt Bellonius scribit, hoc est asini pedes: (idem in Obseruationibus 1.68. ab aliquibus Acynopoda nominari refert:) cuius imitatione nos etiam Germanis *Eselshuob* interpretari nihil vetat. Bellonius Singularium Obseruationum suarum lib. 1. c. 32. Lemni incolas hæc ostrea hoc modo capere tradit. Piscator (inquit) tenet perticam longam, ferro plano (non inflexo) præpilatam, ab vna extremitate: qua conchas saxis hærentes ferit: delapsas verò in vadum manu ferrea alteri perticæ extremitati adiuncta extrahit: eademque ad capiendos echinos marinos vtitur. Circa Byblum paruam insulam Indiæ ostrea petris adnascuntur, decuplo maiora his quæ apud Græcos inueniuntur, Philostratus. videtur autem de spondylis sentire: nisi patellas communi nomine ostrea vocarit.

TRIDACNA appellauit inter nos nepotis cuiusdam nomenclator, tantæ amplitudinis intelligi cupiens, vt ter mordenda essent, Plinius. Apud Syluaticum Clacora trigdana, pro ostrea tridacna, perperam legitur. Bellonius ad oram rubri maris, circa Torum præsertim, vulgo agana dici scribit: & à cœnobitis etiamnum tridacna. Rondeletius Concham imbricatam nominat, (vide supra pag 263. vbi & iconem reperies,) tridacna autem Plinij esse negat: quod Plinius ostrea simpliciter apud Indos maiora nasci scripserit, eademque à magnitudine tridacna vocari. Mihi verò Plinius lib. 32. c. 6. tridacna ab Indicis omnino diuersa facere videtur: his verbis: In Indico mari Alexandri rerum authores pedalia inueniri prodiderunt. Nec non inter nos nepotis cuiusdam nomenclator tridacna appellauit, tantę amplitudinis, &c. Ex his verbis Plinium de genere vno eodemque ostreorum loqui nemo affirmauerit: quin verisimilius est de diuersis eum sensisse, cum dicat inter nos, hoc est quæ in Italia etiam reperiantur. quæ certè ex India vsque aduecta non existimé. Indica sanè pedalia, non ter solum, sed sæpius mordenda fuerint. Gariopontus hydropicis in cibo dat ostreas mordicas: nescio quid per mordicas intelligens: coniectura est, ostreas trimordicas Græci nominis interpretatione, legi posse.

OSTREA Pergami vermiculata, nominantur Apuleio Apologia 1.

Aiunt etiam in LEMANO lacu Ostrea haberi, quæ ducentis fere passibus à ripa piscentur. Vulgo Quaras vocant, vt Ioan. Ribittus Lausannæ [redacted] ad me scripsit. Differunt autem (inquit) à mytulis & quantitate & qualitate. Quaræ enim siue ostrea maiora sunt, & gratioris saporis. Mytulos rarissimè piscantur propter vilitatem.

DE OVIBVS MARINIS.

Oues pisces.

ARIETES Cete supra descripsimus A. elemento, pap. 83. Oues, πρόβατα, Oppianus nominat, sed beluæ sint, necne, non indicat Rondeletius. Ego pisces proprie dictos, non beluas aut cete Oppiani oues esse iudico. nam libro 1. Halieuticorum, vbi loca & stationes piscium describit, de nullis interim cetis agens, sed de ijs postea seorsim, sic canit: Ἄλλοι δ' ἐν βένθεσιν ὑποβρύχια μιμνάζουσι φωλειοῖς, πρόβατά τε, καὶ ἥπατοι, ἠδὲ πρέποντες ἴφθιμοί μεγάλοι τε φυλὴ, νωθροὶ δὲ κέλευθα ἐλαύνειν, &c. Quem locum Ælianus de animalibus 9 38 sic reddidit: In latebris abditæ latent magis incolæ Oues, & Hepati, & à piscatoribus Prepontes nominari soliti. I quidem quanquam natura maximi videantur, tamen ad natandum segnes sunt: non enim à suis latibulis longè aberrant, immo verò circum ea ipsa semper volutantur. Infirmioribus piscibus adnantibus insidias faciunt. Asellus quoque inter eos numerari potest Pisces quidam magni (πελώριοι) vt boues, oues, (πρόβατα) raiæ, hamo capti, eo mordicus apprehenso, sequi nolunt: & graui corporis mole ad arenam aut aquæ fundum adhærentes, trahentibus renituntur, elabunturque interdum ab hamo, Oppianus libro 3. Halieuticorum. Rondeletius vmbram piscem à Græcis huius temporis ouem marinam appellari scribit. Bellonius aselli speciem, quam vulgo Merlangum vocitant, ouem facit.

Prepontes.

Oues beluæ.

Diuersum ab his ouium marinarum genus dixerim, quarum Plinius commeminit, his verbis: Ad Cadaram rubri maris peninsulam exeunt pecori (*pecus fere de ouibus dicitur*) similes beluæ in terram, pastæque radices fruticum remeant.

De OXALME dixi in Muria & Garo nonnihil.

OXYGARI mentio est apud Galenum in vno ex libris de remedijs paratu facilibus.

OXYLIPARON genus est condimenti siue moreti, aut embammatis piscibus quibusdam adhiberi soliti, saporis scilicet & appetitus excitandi gratia, vt hodie oleo acetoque mixtis, non olera solum acetaria condiuntur, sed pro alijs etiam cibarijs aliquando intinctus sit eiusmodi. Athenæus libro 8. Timoclem comicum oxylipari meminisse refert, his verbis: Γλαύκους καὶ βατίδας, ὅσα τε τῶν ἰχθύων ἐν ὀξυλιπάρῳ τρίμματι σκευάζεται. Ibidem gallinaceum cum oxyliparo suauissimè esitatum legimus. Τεμμάχιον ἀλεκτρυόνος τοῦ ... Παντοδαπόν. ἔφη τὸν δὲ μετὰ τοῦτ' ἐστὶν ὀξυλίπαρον τοῦτον τῆς ἰδέας χυμόν, Coquus apud Sotadem Comicum de piscibus quibusdam loquens.

Est &

Oxylipes panis.

Est & oxylipes panis memoratus Galeno lib. 8. Methodi, cap. 5. quod inscribitur: De diarijs febrib. quæ superueniunt cruditatibus ciborum: Cibandi verò (inquit) his sunt: fluente quidem etiamnum ventre, polenta & pane, quem Græcè oxylipe vocant: qui vtique minimum aceti habeat, non sicuti in dysenteria & diutina diarrhœa præparare solemus, &c. Hunc locum enarrans vir diligens Ioan. Agricola, Oxilipes (inquit) panis est, qui parum aceti habet. neque inuenire aliud quicquam (huiusmodi) licuit, quàm quod quarto de sanitate tuenda his verbis extulit Galenus: Exiguum (inquiens) farris, eodem quo ptisana modo præparatum, cum paulo aceti adiecto, præsertim si cruditatis abundantiam vel in venis, vel in toto corporis habitu subesse suspicamur. quippe si nihil prorsus aceti sit alicę admixtum, glutinosior erit quam vt propositis conducat. itaque obstruet magis quàm detergebit habitus meatus, Hæc ille. Cæterum Ioan. Manardus in epistola ad Ioan. Agricolam (commentarijs eiusdē Agricolæ in Galeni libros de locis affectis præfixa) sic scribit: Cibus ille qui oxylepes à Galeno in cura febris diariæ ex cruditate factæ appellatur, proculdubio est panis, cui acetum est commixtum. minimum enim in eo casu aceti misceri iubet. quem quidem panem Herm. Barbarus in Corollario acidum & squarosum intelligit: non vt Aetij interpres ex aceto & pinguedine confectum. alioqui non video quo pacto fluore ventris diutius perseuerante possit pinguedo illa non obesse: præcipuè cum omnis panis damnandus etiam sano homini videatur, cui pingue aliquid sit admixtum. Error autem non interpreti, sed Græco codici adscribendus, in quo non oxylepes, sed oxylipes legebatur, sicuti & in libro octauo Curatiuæ Methodi Galeni. Quem panem si, vt scribit Hermolaus Barbarus in Corollario super Dioscoridem, Ægyptij Cyllasten dicunt, in Athenæi quoque lib. 3. error erit, & pro ὑποξύζον, legendum erit ὑποξύζον, Hæc Manardus. Acidus & squarosus panis Græcè oxylepes vocatur ab Aetio febrientibus eum dante, quibus venter fluat. Hunc Ægyptij cyllastin dicunt. alij ex hordeo confectum accipiunt qui cyllastis vocetur, Herodotus ex siligine, Hermolaus. Manardus in Græcis literis parum exercitatus, apud Athenæum ὑποξύζον per ypsilon in penultima non rectè legendum censet: bene enim habet, vt in vulgatis codicibus legitur, per iôta. sic & οἰνίζει & θαλασσίζειν verba de saporibus dicuntur. Αἰγύπτιοι τὸν ὑποξίζοντα ἄρτον κυλλάστιν καλοῦσιν, Athenæus lib. 3. Manardus κυλλάστην per η. legisse videtur. κυλλάστις, ἄρτος τις ἐν Αἰγύπτῳ ὑπόξιζων, ἐξ ὀλύρας, Hesychius & Varinus: sed legendum Κυλλάστις vna dictione, & pro ὑπόξιζων, ὑποξίζων.

DE OXYRYNCHIS PISCIBVS,

RONDELETIVS.



Oxyrynchus Nili.

OXYRYNCHVS Nili alumnus est, (*&c. Vide in Corollario.*)

Alius maris rubri Æliani 11. 24.

Alius est Oxyrynchus quem mare rubrum procreat: ore prælongo, oculis ad similitudinem auri fulgentibus, palpebris albis. Eius dorso puncta pallore insignita sunt. Pinnæ priores illi nigræ existunt: quæ verò in dorso, albæ. Cauda prolixa est & viridis, quam mediam aureola linea intersecat.

Oxyrynchus cuius Icon est præmissa.

His Oxyrynchis, quos non vidimus, prætermissis, eum proponimus qui Antuerpiæ crebrò cernitur, & Hatin nominatur. Rostro est longo, tenui & maximè acuto, vnde Oxyrynchum rectè à nobis appellatum fuisse puto: nisi mauis Sphyrænam fluuiatilem vocare, quia marinæ Sphyrænæ rostrum simile habet, sed molle & nigrum. squamis mediocribus tegitur. Pinnas in dorso tres habet, inæquali spatio à sese distantes. totidem in ventre habet quot Barbus.

COROLLARIVM.

Oxyrynchus Mugil.

Mugil tum marinus nascitur, tum lacustris, tum fluuiatilis. hic quidem oxyrynchus nominatur, Diphilus apud Athenæum. Rondeletius primam Leucisci fluuiatilis speciem, quam Gardon vocant Galli, (nostri *Schvval*,) oxyrynchum mugilis fluuiatilis genus esse insinuat. Vide in Albis piscibus Elemento A. Cæterum oxyrynchus ille, Antuerpię dictus Hautin, quem pinxit atque descripsit Rondeletius: idem fortè est qui *Snepel* à Frisijs dicitur, marinus, vt audio: similis pisci dicto Cheuen, (id est Capitoni fluuiatili,) capite suis: rostro superiore carneo, prominente, nigro, pedalis. Sed alius puto est, qui *Sneppelfisgen* in Albi dicitur: paruus, candidus, zertę vulgò dicto similis, de quo legas in Phoxinis. De Oxyrynchi mugilis captura ex Æliano scripsi inter Mugiles, supra, in Capitone E. Oppianus cephalos simpliciter, non oxyrynchos tantum, eo modo quo Ælianus peculiariter oxyrynchos capi memorat.

Oxyrynchus Nili.

Oxyrynchum inter Nili pisces Strabo numerat. Oxyrynchus Nili alumnus, ex acumine rostri nomen trahit, vt apparet: & ab eo etiam præfectura quędā in Ægypto. illic enim venerationem & religionem habet adeo, vt nullum hamo captum piscē attingere velint, metuētes nequando is piscis apud eos sacer, & magna religione præditus, eodem fuerit hamo traiectus: atq; cū pisces retibus comprehenduntur, diligenter etiam atq; etiam perscrutantur, nunquem horū piscium imprudētes vna cū alijs ceperint.

perint. Malunt enim nihil piſcium excipere, quàm hoc retento maximum piſcium numerum aſſequi. Eum accolæ dicunt ex Oſiridis vulneribus eſſe prognatum. Oſirin autem ſentiunt eundem cum Nilo eſſe, Ælianus de animalibus 10. 46. & Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride. nominantur autem ab eo Oxyrynchitæ (ὀξυρυγχῖται) populi qui hunc piſcem venerantur. & oxyrynchus piſcibus marinis adnumeratur, vnde aliquis è mari Nilum ſubire eum coniecerit. Sic enim ſcribit: ἰχθύων δὲ θαλαττίων πάντες μὲν (Αἰγύπτιοι) οὐ πάντων ἀλλ' ἐνίων ἀπέχονται, καθάπερ Ὀξυρυγχῖται τῶν ἀπ' ἀγκίστρου, &c. Et rurſus: Iſis (inquit, vt narrant Ægyptij) ex diſiectis à Typhône Oſiridis membris, pudẽdum ſolum non inuenit: mox enim vt in flumen abiectum fuit, guſtarunt de eo lepidotus, & phagrus & oryrynchus, quos præcipuè piſces deteſtantur. Inde oxyrynchum Nili carniuorum eſſe colligimus, & tum à ſturione, tum à mugilibus diuerſum. Et alibi in eodem libro: Cum Cynapolitæ noſtra memoria oxyrynchum piſcem comediſſent: Oxyrynchitæ canes comprehenſos mactarunt, & veluti victimam deuorarunt: vnde exorto inter eos bello, tum ipſi ſe inuicem cladibus affecerunt, tum à Romanis poſtea puniti & malè tractati ſunt. Vltra Cynopolitanam præfecturam eſt Oxyrynchus ciuitas, & præfectura eodem nomine, hîc oxyrynchus colitur, & oxyrynchi templum eſt. enimuerò & cæteri Ægyptij omnes oxyrynchum piſcem colunt, vt & lepidotum, &c. Strabo lib. 17. cui id quod modo ex Plutarcho recitauimus, de Cynopolitis refragatur. Oxyrynchites & Latopolites inter Ægypti præfecturas ſunt, Plinius. Lucius piſcis frequens eſt in Nilo, & videtur is qui olim dictus fuit oxyrynchus, Bel. Plutar. oxyrynchum quem Ægyptij colunt, marinum facit, vt diximus, neſcio quàm rectè, tanquam è mari in Nilum intret.

Oxyrynchus Caſpius. In maximo Caſpiæ lacu Oxyrynchi ab acumine roſtri nuncupati, magnitudine octo cubitorum procreantur. Eos Caſpij captos diſtrahunt, & ſale conditos atque exiccatos Camelis doſſuarijs Ecbatana vehunt. Quin & adipe detracto, farinas ex ijs conficiunt. & huiuſmodi ſalſamenta quidem vendunt: oleo verò pinguiſſimo & ſuaueolenti vnguntur. Atque etiam exempta ex ijs viſcera excoquunt: vnde ad permultos vſus accommodatum fit glutinum. nam non modo ad quæcunque applicatum fuerit, adhæreſcit, ſed & firmiſſimè retinet, vt & decem diebus madefactum nunquam poſtea diſſoluatur, neque remittat. Itaque etiam artifices, qui circa ebur laborant, eo vtuntur, & opera conficiunt pulcherrima, Æl. de animal. 17. 32. Sturio vulgò dictus piſcis, ξυρίχη hodie à Græcis vocatur, tanquam per aphæreſin pro oxyryncho. & quanuis ſturionem noſtrum Rondeletius acipenſerem, alij alio nomine antiquo appellent, (vt in Acipenſere dictum eſt,) idem tamen oxyrynchus Caſpius videri poteſt. Vide ſuprà quoque in Antacæo, in Corollario de Huſone. Accedit acuminata roſtri forma, & glutini ex eo piſce vſus: & ſalſamenti. forſan & regio. Heſiodus (*Archeſtratus nimirum, quem alibi Heſiodus opſophagorum vocat*) de ſalſamentis agens oxyrynchi etiam meminit, his verſibus: Ναὶ μὴν οὐκ ἀδαλὲς θνητοῖς γένος ὀξυρύγχου, (ὀξεορύγχου,) ὃν καὶ ὅλον καὶ τμητὸν Ἀλεσρησεῖς (*neſcio qui populi*) ἐκόμισσαν.

Belonas, id eſt acus piſces, Epicharmus oxyrynchos, id eſt exacuminati roſtri cognominauit, Cælius Rhod. Epicharmi verba ſunt, Ὀξύρυγχοι ῥαφίδες, ἱππουροί τε. quæ duobus in locis apud Athenæum citantur: in vno poſt ὀξύρυγχοι comma eſt, vt piſcis per ſe intelligatur: in altero non eſt, tanquam raphidum, id eſt acuum epitheton ſolum ſit.

Gobij fluuiatilis genus vnum roſtro admodum acuminato (à morſu lapidum noſtri denominant) cobites oxyrynchus, à roſtri figura, dici poſſet.

Ozæna & ozolis inter polypos dicentur.

DE AQVATILIBVS ANIMALIVM QVÆ A P. LITERA INCIPIVNT.

DE PAGRO, RONDELETIVS.



Ordinis ratio: ſed nos illum ſecuti non ſumus. In squamosis ſunt phagri, erythrini, hepati, ſynagrides, inter ſe ſimiles. De quibus deinceps agemus, ob ſimilitudinem quandam quæ illis etiam eſt, cum aliquot iam deſcriptis. De pagro autem primum dicemus, quod is notiſſimus ſit.

A Φάγρος autem vel πάγρος, Græcis dicitur. Latini Græcam appellationem, populi multi eiuſdem veſtigia

veſtigia conſtanter retinuerunt: quod maximo argumento eſt, veterum pagrum eſſe quem hîc exhibemus. In toto litore Galliæ noſtræ Narbonenſis, pagre dicitur, Italis pagro, nonnullis phagorio. Hiſpanis quibuſdam bezogo: Dalmatis & Luſitanis phagros. Φάγρος dictus eſt quaſi φάγος, id eſt vorax, inſerendo ρ. quemadmodum in ὄστρεον pro ὄστεον, quæ etymologia naturæ huius piſcis optimè quadrat, de qua mox. Caue autem pagrum cum paguro confundas, quod docti quidam fecerunt, nominis affinitate decepti: plurimum enim à ſeſe diſſident. nam pagurus eſt in cancrorum genere, de quo ſuo loco. *Pagurus, alius à pagro.*

Pagrus piſcis eſt marinus, litoralis, aliquando pelagius, & inter Niloticos ab Athenæo lib. 7. & à Strabone lib. 17. connumeratus. Corporis forma, pinnis, earundem ſitu, numero, aculeis, cauda, pariter auratæ ſimilis: colore diſſimilis: eſt enim colore ruffo. qua nota cum erythrino conuenit, cum eo capitur, ac pro eodem venditur. ab erythrino tamen diſſidet, quia è ruffo ad cæruleum hyeme magis vergit, erythrinus ſemper rubet. Pagrus roſtro eſt ſpiſſiore, rotũdiore, ad aquilini naſi formam accedente, toto corpore rotundiore & latiore. Ventriculum maiorem, ſplenem minorem habet erythrino, veſicam quoque aëre plenam maiorem. Appendices & inteſtina eadem quæ auratæ, hepar ſine felle, cor angulatum, lapides in cerebro. Quam ob cauſam frigus pertimeſcit, vt lupus, vmbra, cæteriq; omnes, quibus lapides ſunt in capite. B (C) (C)

Veſcitur luto, alga, carne, vt ſepiolis, ſquillulis, loliginibus, cochleis. ſunt qui echinis etiam veſci putent, ſed an propter aculeos poſſit attingere, dubito: quanuis latas maxillas, & dentes anteriores acutos habeat. Ariſtot. citante Athenæo ſcribit: σαρκοφάγον εἶναι αὐτόν, καὶ μονήρη, καρδίαν δὲ ἔχειν τρίγωνον, ἀκμάζειν τε ἔαρος. quæ in Ariſtotelis libris, qui nunc extant, non reperiuntur, ſuntq; diligenter expendenda. ſarcophagum eſſe pagrum nemo ambigit. ſolitarium verò eſſe, vix credat aliquis, cum maximè in litore noſtro non niſi multi ſimul capiantur, niſi quis πανάγρῳ hoc adſcribat, id eſt, huic retis generi, quo omnia capiantur, omnia nimirum quæ obuia ſunt, & ad quæ pertingit rete. Cor trigonum intelligit angulatum, cuiuſmodi eſt in plurimis piſcibus. Quid verò ſit illud, ἀκμάζει τε ἔαρος, ſatis ambiguum eſt num vere vigere dicit, vt ſignificet eo tempore edendum eſſe, quod tunc ſit veluti in ætatis flore, ideoque carnoſior, ſucci plenior, ſuauior, minuſque excrementis abundans, ob crebras exercitationes & natationes? At Archeſtratus ad omnem luxum ingenioſiſſimus apud eundem Athen. ait, Σειρίου ἀνατέλλοντος δεῖν τὸν φάγρον ἐσθίειν, (Δήλῳ τ' Ἐρετρίᾳ τε κατ' ἀλιμένους ἁλὸς οἴκους) id eſt, Canicula oriente, edendum eſſe phagrum: quo fit vt mendoſum eſſe locũ ſuſpicer. Cumq; piſcium alij vêre, alij autumno, alij æſtate, alij hyeme, alij vere & autumno: alij vere, æſtate & autumno, vt mullus: alij vere & autumno pariant, ſitq; pagrus ex his qui vere pariant (certum eſt enim circa veris finem parere) legendum eſſe puto, τίκτει δὲ ἔαρος, id eſt, vêre parit. C *Lib. 7.* *Solitarius an ſit.* *(B) Cor. An verno vigeat.* *Partus.*

Hiceſius hæc de pagris & ſimilibus: Phagri, chromis, anthias, acarnanes, orphi, ſynodontes, ſynagrides, genere quidem ſimiles ſunt, ſiquidem dulces & adſtringentes, (ὑποστρύφοντες) ſatis nutrientes, & iure quidem (κατὰ λόγον δὲ καί, id eſt: & pro ratione etiam) difficilè excernuntur. magis autem nutriunt carnoſi, & magis terreni, minuſque pingues. Dulces quidem ſuaues & palato gratos accipere oportet: nam quod dulce eſt, vt mel, ſaccharum, ſapa, tantum adeſt vt adſtringat, vel aluũ ſiſtat, vt potius leniat, conſtringentes verò non auſteri vel acerbi, ſed qui non facilè excernantur. Sunt igitur pagrus & ſimiles ſuaues, media carne, vel ſatis ſicca: vnde ſit vt aluum non cieant, vt molles & præhumidi, & ſatis nutriant. Pagrus marinus fluuiatili ſalubrior eſt, vt & alij piſces qui relicto mari flumina ſubeunt, cuius rei cauſam expoſui capite de coracino. Hinc demere oportet piſces eos, qui virus, vel ferinum quid redolent, vel nimis ſtrigoſi ſunt, vt ſturionem, lampetram aloſam & ſimiles, qui & ſuauiores & ſalubriores & magis opimi in aquis dulcibus efficiuntur. Archeſtratus pagri caput præfert. F *Marini fluuiatilibus ſalubriores & qui excipiantur.*

Plinius lib. 32. cap. 10. inter remedia, quæ febrium circuitus tollunt, & hoc recenſet. Pagri fluuiatilis longiſſimus dens capillo adalligatus, ita vt quinque diebus eum qui alligauerit, non cernat æger. quem locum corruptum eſſe facilè iudicabit is, qui pagrum nouerit, cui dentes alij alijs longiores nulli ſunt. Alij paguri fluuiatilis ſubſtituunt, ſed eadem dubitandi occaſio eſt, quid per paguri dentem longiſſimum intelligi oporteat, niſi fortè è forficulis denticulatis (his enim verbis vtitur Plin. eodem libro) longiſſimum. Quare hunc locum doctis æſtimandum relinquo. G

DE EODEM, BELLONIVS.

Pagros quum ex Oceano nonnunquam viderimus, miror quod Galli propria horum appellatione careant. Fecit hoc ſanè affinitas quam hic piſcis habet cum Bremma fluuiatili, (*marina vt ſuprà in canthare ſcribi*) qui Latinorum & Græcorum eſt Cantharus: vnde non Galli ſolum, ſed & Angli quoque Cantharum & Pagrum (quanquam falsò: plurimum enim inter ſe diſſident, vt mox dicetur) Bremmam fluuiatilem (*marinam*) appellauerunt. Vulgus Græcum antiquam vocem imitatum, Fangro dixit: Itali Vn frago. eſt enim is Fragi colore. ſed paulo magis diluto: vnde Ouidius Pagrum rutilum facit, vt & fuluum Synodontem. A

Solitarius ac carniuorus piſcis eſt, modò pelagius, modò litoralis, in ſaxorum cauernis degens. C

Eſt & alius fluuiatilis marino inferior: cuius generis refert Ælian. in Ægypto aduentum Nili præcurrere, ac paludum inundationem prænunciare. A

Pagrus extuberat vſque ad magnitudinem Sargi: caput tamen habet craſſius, pupillam nigram ac iridem in eius ambitu, coloris aurei. Superiorem maxillam cum labio in tubi modum ceruici veluti infarctam, neque cranio inhærentem, quam (dum oſcitat) exerit. poſtea verò contrahit. Foramina duo vtrinq; ad oculorum fontes habet: dentes acutos, quorum quatuor anteriores, tenues quidem & parum falcati, caninos referrent, niſi breues & veluti ſerrati eſſent, quos vtrinq; alij tenuiores ſubſequuntur: ac poſtremò molares duplici ordine diſpoſiti, rotundi, obtuſi, ſed inferiores ſuperioribus breuiores: eſtque illi quoddam in ore veluti exiguum linguæ rudimentum. Squamas gerit rotundas, tenues, &, vt mulus, latas. Caudam bifurcam, atq; ob id pinnas in acutum deſinentes. Cæterum B

Pagrus

Pagrus non magnitudine tantum ac craſſitie Cantharo perſimilis eſt, ſed ipſis etiam dentibus ab Erythrino diſſidet. quod Venetijs aiiàs patritio Danieli Barbaro me oſtendiſſe memini. Præterea ore Pagri ac faucibus adapertis, totam eius partem internam ruberrimam & ferè ſanguineam contemplari poteris. Argenteam inter oculos vtrinq; habet oſſiculorum maculam, oculoſque admodum grandes. Peculiaris quoque illi eſt litura vtrinq; nigra, lata in lateribus circa ceruicem, vbi linea eſt quæ piſcium corpora interſecat, qua maximè à cæteris atque Erythrino piſcibus diſtinguitur: ea nonnihil nigricantis habet coloris, tactuque aſpera perſentitur. Continuam præterea in tergore pinnam, rubram, duodecim aculeis communitam oſtendit.

F Galen. Pagrum inter duræ carnis piſces annumerauit. Verum cum Pagrus multò Erythrino maior extuberet, volui Pagellum cum eiuſdem magnitudinis Erythrino componere. Magna enim eſt inter hos piſces ſimilitudo, ſed Pagellus craſſiori corpore conſtat, Erythrinus tenuiori. Tergoris pinna Pagello craſſior, Erythrino minor. Caput Pagello breuius, Erythrino longius. Pagello pupilla oculi cryſtallina, iris rubet: Erythrino iris albet, & pupilla nigreſcit. Pagelli pinnæ & cauda craſſæ, Erythrino tenuiores. Pagrus recurtus piſcis, vt Sargus: Erythrinus magis eſt protenſus vt Aurata.

Erythrini à Pagro paruo differentia.

COROLLARIVM.

A PAGVR in Halieutico Ouidij legitur: pagrus vel pager legerim. Inter Nili piſces apud Strabonem phagorius eſt, (*ſic habet interpres Latinus,*) quem & phagrum vocant. Græcè φαγρώριος legitur per rhô in penultima ſimul & antepenultima. Apud eundem libro 17. Phagroriopolis Ægypti ciuitas, & Phagroriopolitana præfectura memorantur. Apud Heſychium & Varinum φαγωρός ſcribitur. Dentex vel pagrus à re nomen habet, quia dentes habet magnos multos ac duros, quibus graſſatur in oſtreas & piſces innocuos, Author de natur. rerum. & Albertus. nos Denticem à Pagro diuerſum oſtendemus in Synagride vel Synodonte. quanquam & hodie quidam vulgò dentalem vocitent piſcem Græcorum phágron, in Italia (vt puto) alicubi Phagrin dictum. Hos piſces in hodiernumque diem Græci phagros: Dalmatæ, Hiſpanique ac Luſitani pagros vocant. Hiſpani verò erythrinos, quoniam ſunt pagris ſimiles, minoreſque, pagellos vocant: quemadmodum & Romani phragolinos, quaſi phagorinos à phagorio, id eſt pagro, diminutiuo nomine appellant, Maſſarius. Germanicè pagrum circunloquor: *Die groſſer rote Meerbrackſme.* Vide in Erythrino A. Pagrorum alterum genus eſt fluuiatile, ex Strabone, Athenæo, Plinioque trigeſimo ſecundo volumine, Maſſarius. Phagri ab Oppiano nominantur, ſimul & χναυδέες ἀγριόφαγροι, tanquam duæ vnius generis ſpecies, vt apparet.

Inter Rubellionem & Pagrum tanta eſt ſimilitudo, vt eadem magnitudine inter ſe collati, non ab imperitis internoſcantur, vt Ligures Rubelliones etiam pagros imperitè vocent: & tota prouincia Narbonenſis atque Hiſpania Pagellos, quòd Pagri longè maiores euadunt. Sed à piſcatoribus facilè diſtinguuntur. nam Pagrus capite eſt rotundiori, Rubellio longiori: tum hic tenuiori eſt habitu, & cauda longiore: ille craſſiori & cauda breuiore. Huius extrema pars magis attenuatur, illius multum larga & craſſa: Pagri pinnæ in imam ventris partem inflexæ, Rubellionis verò magis in dorſum eminent. Rubelliones Græci memoriæ noſtræ vocant Lethrinos corruptè, quaſi Erythrinos. Maſſilienſes rectè Pagrum, & Græci Phagrum adhuc vulgò nominant, Gillius.

B Afferuntur (inquit Oribaſius) phagri ex Indico mari ſale conditi, duri & cetacei, Wottonus. Dat Rhombos Sinueſſa, Dicarchi litora pagros, Actius Syncerus Neapolitanus in ludis piſcatorijs. Maiorum piſcium genus ab alijs τμητόν, ab alijs pelagium appellatur: vt auratæ, glauci, phagri, Mneſitheus. Τμητοί, vt equidem arbitror, vocantur, (inquit Wottonus,) qui in partes diſſecti in patinis miniſtrentur: vel, vt in ſalſamenta condiantur. Rondeletius tamen paruæ auratæ ſimilem facit pagrum, tanquam non magnum piſcem. Recentior quidam phagrum anguillæ ſimilem facit: falsò, & ſine authore, opinor. Ouidius rutilum cognominat. Pagri dentices interim magnitudine ſuperant, rubri coloris, erythrinis hepatiſque ſimiles: (Ariſtotele,) Speuſippo & Dorione tradentibus, apud Athenæum: roſtro duntaxat breuiore, dentibus longis, quibus echinos frangunt & paſcuntur, Maſſarius. Phager lapidem fert in capite, perque algorem plurimum infeſtatur: vt etiam reliqui qui lapidem gerunt, ſcilicet chromis, lupus & vmbra. efficit enim lapidis rigor vt per algorem gelentur & excidant, Ariſtoteles.

C Litoralis eſt, aliquando pelagius, Rondeletius. Ambigit litoralisne an pelagius ſit, Ariſt. Phagri & agriophagri manent in petris plenis chamis aut patellis, Oppian. Maiorum piſcium genus ab alijs τμητόν, ab alijs pelagium appellatur, vt auratæ, phagri, Mneſitheus. Φάγρον πέτρῃ ἀλωόμενον Numenius dixit. Sunt & fluuiatiles, nimirum è mari ſubeuntes fluuios, Diphilo. Carniuori ſunt. Vnde hæc Platonis comici verba Athenæus recitat: Σὲ γὰρ γραῦ συγκατῴκισεν σαπρὰν Ὀρφοῖσι, σελαχίοις τε καὶ φάγροις βοράν. & ſimilia Amipſiæ. Chamis ineſcantur, vt canit Oppianus. Duros dentes habent, ita vt oſtreis in mari alantur, Iſidorus. Prægelidam hyemem omnes ſentiunt, ſed maximè qui lapidem habere in capite exiſtimantur, vt lupi, pagri. cum aſperę hyemes fuere, multi cęci capiuntur. itaq; his menſibus iacent in ſpeluncis conditi, Plinius.

D Phagros Sycnitæ in Ægypto, Męotas verò qui Elephantinen incolunt, ſacros exiſtimant: tum quod aduentantem Nilum præcurrentes, futuram aquam pręnuncient, tum quòd nullum ſui generis comedunt: vt in Mæotis recitaui ex Æliano.

E Chamis ineſcantur phagri, Oppianus. Ad marinos pagros: Acridas atque lumbricos, cum frumenti polline & decocto melanthij contundito. dein verò infundens aquam, producito ad craſſitudinem mellis, & ineſcato, Tarentinus. Aduentantem Nilum præcurrentes futuram aquam denunciant. Vide D.

F Quis ex noſtris non tantum lautus atq; vrbanus, ſed etiam agreſtis eſt, qui poſt acipenſerē, ex omnibus piſcibus præcipuam autoritatem Aſellis, ſicut Plinius, daret? Ego potius Pagris, alijſq; non paucis ſapientius

ſapientius attribuerem, Gillius. Afferuntur (inquit Oribaſius) phagri ex Indico mari ſale conditi, duri & cetacei, Wottonus. Mneſitheus Athenienſis pagros dixit difficulter confici, confectos verò multum alimenti præſtare: quos & Galenus (de aliment. facult. 3.30.) & ante eum Philotimus, durioris eſſe carnis tradidere, Maſſarius. Duram habent carnem, quæ nec corrumpitur facilè, nec aluum ciet, Wottonus. Pagrus (quem Symeon φαγρον) piſcis eſt qui difficulter concoquitur, pituitamque gignit. Qui autem inter hos natu maiores ſunt, peiores ſunt & difficiliores, qua ex re ſatius eſt eos menſæ adhibere, qui ætate ac magnitudine minores ſunt, quando hi quam maiores concoctu faciliores, Lilius Gregorius Gyraldus. ego in Græco Symeonis Sethi de aliment. facult. lib. hunc locum iam non inuenio. Phagrus marinus fluuiatili præſtat, Diphilus.

Fel pagri quidam admiſcent medicamento ad pilos pungentes in palpebris, apud Galenum de compoſ. ſec. locos 4.7. G

Græci fagrum (phagrum) nuncupant, quod duros dentes habeat, ita vt oſtreis in mari alatur: Iſidorus, innuens παρὰ τὸ φαγεῖν, id eſt ab edacitate ita dictum. A verbo φαγεῖν (à præſenti φήγω, vel φάγω) cum alia quædam deducuntur, tum fagus (φηγός) arboris nomen, per excellentiam, propter vſitatum antiquis è glandibus victum. fortè etiam phagrus piſcis: & proculdubio etiam cos, dialecto Cretenſium φάγρος dicta, vt Simmias apud Athenæum tradit. nam & exedit ea quibus atteritur, ac viciſſim atteritur ipſa, Euſtathius. Pagrum (Πάγρον) brinthus odio perſequitur, Philes de animalium mutuis concordijs atque diſcordijs loquens. Ariſtoteles brenthum, larum & harpam diſſidere ait. Brenthum & Brinthum aues diuerſas memoraui in Hiſtoria auium inter Anates. Τὸν δὲ οἷα δύπτην κηρύλον διὰ ξενῶν Αὐλῶνος οἴσει χεῦμα γυμνίτην φάγροι, Lycophron de Aiace Locro. Κάπρος ſignificat aprum, & pudendum viri, & aprum piſcem, Varinus. H. a.

Et rutilus pagur, Ouidius. Numenius φάγρον λοφίην dixit: nimirum quod corporis pars quæ ceruici reſpondet, (Græci λοφιὰν nominant,) alta & ſublimis in hoc piſce ſit. Muſtelus centrines πρὸς τῇ πρώτῃ λοφιᾷ ἔχει τὸ κέντρον, Athenæus. Vide quæ Rondeletius in eo piſce annotauit de vocabulis λόφος & λοφιά. A λόφος vel λοφιά ſubſtantiuis, Numenius adiectiuum λοφίας formaſſe videtur, φάγροι καὶ χναυδέες ἀγριόφαγροι, Oppianus. *Epitheta.*

Phagroriopolis, ciuitas Ægypti. vide ſuperius in A.

Ὡς δ' ὁπότ' ἀμφ' ἀγέλῃσιν [illegible] Ἠ φάγροι, ἢ σκῶπες ἀρείονες, ἠὲ καὶ ὀρφοί, Nicander in Bœotiaco. C. videtur autem loqui de piſcibus carniuoris validioribus, qui in minores graſſentur. Iopes autem piſciculos eſſe in Eritimo oſtendimus.

Πολλοὺς δὴ μεγάλους τε φάγρους ἐγκυφ[illegible], (legerim ἐγκάφας,) Strattis. Et idem alibi: Κἆτ' εἰς ἀγορὰν ἐλθόντες ἀδροὺς ὀψωνοῦσι μεγάλους τε φάγρους. Phagri Eretrici (ſic enim legendum, ex Archeſtrato) commendantur ab Antiphane. E.

Pagros Syenitæ in Ægypto ſacros ducunt. Lege ſuprà in D. Syenitæ phagro abſtinent. videtur enim vnà cum increſcente Nilo apparere, eiuſque incrementum veluti nuncius ſua ſponte accedens omnibus exoptatum denuntiare, Plutarchus in libro de Iſide. Et rurſus in eodem: Iſis (vt narrant Ægyptij) ex diſectis à Typhone Oſiridis membris, pudendum ſolum non inuenit. mox enim vt in flumen abiectum fuit, guſtarunt de eo lepidotus & phagrus & oxyrynchus: quos præcipuè piſces deteſtantur. Præternauigantes magnæ Canariæ inſulas ſecundum Aphricam Occidentem verſus, piſcium quorundam, quos Parghi nuncupant, (*Hiſpani nimirum,*) numerum maximum in æquore cepimus, Americus Veſpucius. h.

PALLA Marina nominatur apud Vegetium artis Veterinariæ lib. 4. cap. 12. in ſuffitu contra languorem morbi peſtilentis cum alijs quibuſdam medicamentis. Eadem forte fuerit quę palea marina barbaris quibuſdam ſcriptoribus dicitur: vt apud Arnoldum Villanou. in deſcriptione pulueris ad bocium. Videtur autem palla nomen corruptum à pila. nam & Germani noſtri pilam, qua luditur, ballam vocant. Marinæ ballæ vel pilæ magis nuncupandæ, arefacientem naturam habent. quid ſint, nuſquam apud antiquos reperi. In ſpongiarum genere eas repono: quamuis zoophyta non ſint, id eſt inter plantas & animalia media, qualia ſpongiæ ſunt. Ex maris ſpuma ad litora colliſa, & cuiuſdam herbæ minutiſſimis feſtucis fiunt. Nonnulli ex fractis ſpongijs & ſpuma: alij arte faciunt ex glutino & taurinis pilis, ignaros pharmacopolas decipientes. Ita fit maris impetus in maris æſtus. in minimas feſtucas herbam reddit, & ad litora detrudit: quæ mixta ſpumæ conglobantur, & ob motum ſupra litus ex fluctu collidente in gyrum tendunt, & pilæ formam, Braſauolus. Volui autem hoc loco huius pilæ mentionem facere, quoniam à mari denominatur: ne quis fortè animal quoddam marinum aut zoophytum eſſe interpretaretur. nam vi quidem ſua & dignitate naturæ, non zoophytorum modò, ſed etiam ſtirpium ordine inferior eſt.

PAN, Πάν, piſcis quidam cetaceus. Æſopus Mithridatis Anagnoſta (id eſt, Lector) ſermonem de Helena ſcripſit, in quo refert Panem (Πᾶνα piſcem quendā cetaceum vocari, in eoq; aſteritem lapidem inueniri, qui à Sole accendatur, & vtilis ſit philtra, Suidas in Ἰχθῦς. Vide infra in Tritone.

PAPAGALLVM, id eſt Pſittacum, piſcem quendam hodie appellari accepi.

PAPAVER (Μήκων) pro piſce quodam accipitur. item pro excremento vel tunica qua id continetur, in polypo & in teſtatis. Vide ſuprà in Mecones, & Rondeletium infrà in Pinna. Μήκων, papauer herba. Ariſtophanes in Auibus Μήκωνα, τά, femina papauerum vocat. Cęterum pars de interaneis polypi ſic dicta, ſupra ventriculum veſicæ inſtar poſita eſt, atramentum in ſe continens, vt Ælian. ſcribit.

PAPRACES (Πάπρακες) piſces memorantur ab Herodoto lib. 5. Apud Pæones (inquit) qui Praſiadem paludem habitant (vnde breuis admodum in Macedoniam via eſt) iuxta montem Orbelum, equis & ſubiugalibus piſces pro pabulo præbent. Porro piſcium tanta eſt copia, vt quoties quis ianuam compactam reclinauerit, demiſſam fune ſportam vacuam, aliquanto poſt retrahat piſciū plenam: quorum duo ſunt genera, vnum quod vocant papraces: alterum tilones, Herodotus lib. 5. interprete Valla. Vide etiam infra in Tilonibus.

PARDALIS quadrupes eſt, quam Latini quidam ſcriptores pantheram vocarunt, idemque nomen beluæ

men beluæ etiam marinæ ob ſimilem macularum varietatem attribuitur. **Pantheræ meminerunt** Ælianus & Oppianus, an vt de belua, an vt de piſce, dubito, Rondeletius. Atqui diſertè Oppianus lib. I Halieuticorum de cetis, id eſt beluis, agens, Κήτεα δ' ὁδεμόγυια πολώλεα θαύματα πόντου: inter ea Pardales recenſet hoc verſu: Παρδαλίες τ' ἄλοαι, καὶ Φύσαλοι αἰολόμυτοι. Et rurſus lib. 5. (paulò poſt initium,) de cetis expreſſè ſcribens, Κήτεα δ' ὅσσα τέλωρα Ποσειδάωνος ἐναύλοις Ἐντρέφεται: mox addit: Παρδαλίων γαίης ἄλοον δαίκτην, ἀλλὰ θαλάσσης Αἰνότεραι. Quamobrem Bellonij quoque ſententiam non laudo, qui pardalin eundem muſtelo ſtellari piſcem exiſtimauit: nam & pardales Oppiano ſeorſim, & muſteli ſtellares ab eodem ποικίλοι nominantur. Pardalis piſcis, vt ij qui ipſum viderunt, dicunt, in mari rubro naſcitur, colore & maculis orbiculatis, ſimilis eſt terrenæ Pardali, Ælian. de animalib. 11. 24. Mare circa Taprobanam infinitos piſces procreare ferunt, habentes capita leonum, pantherarum & arietum, Idem. Pardalis à Suida quoque (nimirum ex Oppiano) cetis connumeratur, in Κῆτος. Piſcis quidam ingens, macularum varietate pantheræ inſtar præſignis, ad Britanniam nuper captus eſt: quem exhibui deſcripſique ſuprà circa finem tractationis de cetis diuerſis, pag. 216. Itali quidam pardillam vocant fluuiatilem piſciculum varium, qui eru ditis nonnullis phoxinus videtur.

PARVS piſcis Rondeletio ignotus eſt. Ego pari nomen pro piſce nuſquam reperio: præterquàm ſemel, in recitatis Ephippi verbis: Βελόνης, λαβίας, παρός, &c. vbi παρὸς legendum conijcio. hoc nomine enim piſcis à Mneſimacho vocatur.

PASSERINI GENERIS PISCES DEINCEPS HOC ORDINE DESCRIBENTVR.

Ex Rondeletio.

PASSERES in genere, (ex Bellonio.)
Rhombi, aculeatus, læuis, Rhomboides.
Paſſer ſimpliciter, Quadratulus: Aſper vel ſquamoſus, vulgò Limanda: Fleſus & Fleteletus vulgò dicti Gallis.
Bugloſſus, id eſt Solea, ſimpliciter & oculata.
Cynogloſſus, vulgò Pola: Arnogloſſus, Solea parua.
Hippogloſſus, vulgò Fletta in Oceano.

Ex Bellonio.

Rhombus aculeatus, læuis. Paſſer ſimpliciter, Fleſus, Fleteletus, Limanda.
Solea, Solea altera, Tænia.
Ex Rondeletio, paſſeres & reliqui plani ſtagnorum marinorum.
COROLLARIA ſunt IIII. Primum de Rhombo.
Alterum, De Paſſere ſpecie vna. Admiſcentur autem etiam in genere quædam, piſcibus planis non cartilagineis communia.
III. De Bugloſſo ſeu Solea.
IIII. De paſſeribus alijs diuerſis.

DE (PASSERIBVS SIVE) SPINOSIS OVIPARIS PLANIS IN GENERE, BELLONIVS.

A B C PLANOS piſces Græci ψηττοειδεῖς, Latini Paſſerinos vocant, quorum natatio à recta figura diuerſa eſt, vt Coclitum modo plani per æquor incedant, nullos ſubtus oculos habentes. Multa ſunt huius generis apud noſtros Gallos nomina, multoque plures ſpecies, quàm apud antiquos, de quib. in ſequentibus diſſeremus. Quòd autem ad generalem horum piſcium deſcriptionem pertinet, Limoſa regio (inquit Columella) planum educat piſcem, vt Soleam, Rhombum, ac Paſſerem, qui poſtremi hoc inter ſe differunt, quòd Rhombo reſupinato, dexter corporis ſitus. Paſſeri lævus appareat.

F Omnes boni ſucci atque optimi nutrimenti ſunt Paſſeres, mollique carne præditi: quamobrem Galenus Philotimum admiratur, quod neque Soleam inter molli carne præditos, neque Scarum inter ſaxatiles annumerarit.

B Pſettarum genus omne quaternis pinnis præditum eſt, ſquamatorum in morem, quarum duas in prona parte, ac totidem in ſupina oſtendit: ſed & hoc præter cæteros piſces habet, quod pinnulis in gyrum circumuallatur: huic quaternæ vtrinque inſunt branchiæ: Lingua caret, oculoſq; in ſupina corporis parte habet: ac (quicquid ab antiquis aut recentioribus circunferatur) hos certè piſces maris ac fœminæ diſcrimen vel hoc argumento ſuſcipere facilè crediderim, quod in quibuſdam oua, in alijs lactes reperiantur. Ac quod ad internam eorum anatomē ſpectat: illud imprimis nobis compertum fuit, nullis eos ad pylorum apophyſibus præditos: cor illis eſſe rubrum, atque ab vna parte gibbum, cui caruncula quædam atra, quadrangula (puluini modo) ſubſidet: ad cuius partem ſuperiorem, veſicula, pulmonis officio fungens, annectitur: hepar præ ſe ferunt latum, in ea parte ſitum, quæ ventriculum amplectitur: à cuius extrema fibra fellis folliculus dependet. Lienē his piſcib. atrum conſpeximus ſub ſtomacho ſitum: ventriculum quoque non ita turbinatum, imò etiam latum, ac cum inteſtinis anfractuosè circunductum, quæ meſeraicis circunfulta, ac permultis orbibus implicata, ad anum deferuntur. Dentes in maxillis exertos non habent, ſed eorum loco maxillas, rugoſa quadam ſcabritie aſperas oſtendunt. Gulam in his videas cuiuſdam veluti ingluuiei perſimilem, ventriculo adiacentem.

C Quanuis ore ſint admodum paruo, mirum eſt tamen horum piſcium maiores, etiam conchas integras, & conchylij genus omne deuorare: vnde præcipuè veſcuntur, ac ſanum nobis victum exhibent. Puſillos autem, minoribus Tellinis, Chamis, Mitulis, Cancris, & Cardibus victitare.

D E

DE RHOMBO ACVLEATO, RONDELETIVS.

Icon hæc non Rondeletiana eſt, ſed à Veneto pictore nobis efficta.



ROMANI Græca voce rhombum piſcem appellauerunt. Ariſtoteles & reliqui Græci eundem ψῆτταν, Gaza paſſerem interpretatus eſt. Athenæus. (lib. 7.) Ῥωμαῖοι καλοῦσι τὸν ψῆτταν ῥόμβον, καὶ ἔστι τετράπλευρον ἐλλιπὲς. Nec Ariſtoteles lib. 9. de hiſt. cap. 37. vſquam rhombi meminit. Præterea quod Ariſt. lib. 9. cap. 42. Pſettæ tribuit, nempe quod Arena obruat ſeſe, vt piſces alliciat: idem Plinius rhombo, eo in loco quem ex Ariſtotele mutuatum eſſe quilibet facilè indicabit, ſi locum hunc cum illo conferre voluerit. Sumitur etiam paſſer ſiue ψῆττα pro diuerſo piſce à Rhombo. Plin. lib. 9. cap. 20. Matinorum (inquit) alij ſunt plani, vt rhombi, ſoleæ, ac paſſeres, qui à rhombis ſitu tantum corporum differunt. Galen. quoq; lib. 3. de aliment. facult. & Diphilus apud Athenæum Pſettas à rhombis manifeſtè ſeiunxerunt. Rhombus piſcis à rhombo figura nomen habet, quæ quatuor æqualibus lateribus conſtat, non autem rectis angulis. A Gallis lozange dicitur. Itali omnes & Maſſilienſes, rhombo piſcem ap-

A *Rhombus Græcorum Pſetta.*

Pſetta aliquando diuerſa à rhombo.

scem appellant, nostri romb, Galli turbot, Normani bertoneau. Græci huius temporis ψῆτται. Rhombum duas species facimus, rhombum aculeatum & læuem, quibus rhomboidem addemus.

B Primum aculeatum describemus. Is piscis est planus, litoralis, parte prona fusca, in qua multi sunt aculei maximè circa caput, & à capite caudam versus. In eadem parte linea ducta est nigra, pinnæ quoque illic nigræ sunt, alibi candidæ. Os magnum habet, hiansq;, sine dentibus, sed horum vice maxillas asperas obtinuit. Ab inferiore maxilla propendent appendices duæ, tenues barbę modo. Non procul hinc podicem habet. E regione pinna incipit magna ad caudam vsque continua. Huic similis alia statim à capite. Vtraque paulatim ab initio ad medium vsq; crescit, inde eâdem proportione, ad caudam vsque decrescit. Hæ totum ferè corpus ambiunt, rhombique figuram efficiunt. Branchias quatuor habet rhombus, duplices. Cor compressum. Ventriculum magnum, oblongum, in superiore parte complicatum, dorso annexum, quem intestinum excipit. Sed intestinum duas apophyses habet magnas, sed breues, in angulos duos desinentes, inter quos ventriculi ecphysis alligatur. Hæc ventriculi cum intestinis coniunctio propria est, in hoc rhomborum & passerum genere. Ventriculum hepar tanquam manu comprehendit, ex albo rubescens, cui hæret vesica multo selle distenta. Splen ex nigro rubescit, inter intestinorum spiras latitans. Oua rubra sunt replicata ventriculi modo: facit enim ventris breuitas, vt omnia ferè interna replicata sint.

C Carne vescitur, maximè cancris. vorax est, piscesq; multos ingerit. Quamobrem in fluuiorum stagnorumq; ostijs plurimum est, vt pisces subeuntes persequatur. In mari nostro, & in ostijs Rhodani magni capiuntur, sed in Oceano multo maiores. Vidimus Oceani rhombum quinq; cubitos longum, latum quatuor, spissum pedem vnum. Quanuis igitur ab Ouidio dicatur, & Adriaco mirandus litore rhombus: & à Martiale lib. 13.

Quanuis lata gerat patella rhombum, *Rhombus latior est tamen patella:*

Tamen nunquam rhombi Adriatici, nostriue magnitudinem attingunt eorum qui in Santonico vel Britannico litore capiuntur.

E Cum gulosus sit piscis, facilè hamo capitur. Ad gulæ verò libidinem explendam multùm illi confert piscandi solertia à natura data, de qua Plinius. Nec minor solertia ranę, quæ in mari piscatrix vocatur. eminentia sub oculis cornicula turbato limo exerit, assultantes pisciculos pertrahens, donec tam propè accedant, vt assiliat. Simili modo squatina & rhombus abditi pinnas exertas mouent specie vermiculorum, itemque quæ vocatur raia. Quę ex Aristotele sumpta esse apparet, quo in loco ψῆτταν pro rhombo dixit, vt initio capitis docuimus. καυματίζουσι δ' ἐνίοτε καὶ ὄνους καὶ βάτους καὶ ψήττας, καὶ μύν, καὶ ὅταν ποιήσῃ ἑαυτὸ ἄδηλα, εἶτα μᾶλλον ἐστὶ τοῖς ἐν τῷ σώματι, ὁ καλοῦσιν οἱ ἁλιεῖς ἀφύδια, τὰ δὲ μικρὰ ἰχθύδια περιφέροντες ὡς τροφὴν φυλίαν ὑφ' ὧν τρέφονται. Obruunt sese asellus, rana, & passer, siue Rhombus, & squatina, cumque se totos occultauerint, verberant oris sui virgulis, vt vocant piscatores: ad quas pisciculi adnatant tanquam ad algas, quibus vescantur.

B Reperiuntur in hoc genere mares & fœminæ: alij enim semen, alij oua habent.

F Rhombus dura est carne & friabili, quanquam Galenus Philotimum reprehendat, qui inter pisces, qui molli sunt carne, cum citharos numerarit, eis similem rhombum prætermiserit, qui tamen molliore sit carne, quam cithari, carneque asellorum multò inferiore. Locus est huiusmodi: Περὶ δὲ τὴν θερμὴν καὶ πάνυ θαυμάζω τὸν Φιλότιμον, ὅστις ποτ' ἐστὶν, ὃς ὁμοίως αὐτῷ μαλακοτέρων ἰχθύων τὸν ῥόμβον, τῶν δὲ σκληροτέρων τὸν κίθαρον ἀπέλιπεν. Sed qui Rhombum, præsertim aculeatum, gustauerit, is procul dubio dura carne esse iudicabit, maximè si grandior sit: qui enim parui sunt, humidiores mollioresq; sunt. (*Vide paulo post in Rhombo læui F.*) Elixus exacto vel in sartagine coctus editur, cum mali aranthij succo. Rhombum inter delicatissimos cibos habuit veterum luxus, vnde prouerbium, Nihil ad rhombum, de his quæ minimè conferenda sunt.

Lib. 3. de facult. alimont.

G Lieni medetur rhombus viuus impositus, vt tradit Plinius, deinde remissus in mare.

DE RHOMBO LÆVI, RONDELETIVS.

A Rhombvs alter est, qui vt à superiore distinguatur, lævis à nobis dicitur, quod aculeis prorsus careat. A Gallis Barbue. A nostris per similitudinem Passar dictus, quasi passer, à nonnullis Pansar, id est, ventriosus: nos enim Panse ventrem appellamus Sed Passar meo quidem iudicio rectius dicitur, quanquam verus passer seu ψῆττα non sit, sed ei figura duntaxat similis, situ verò dissidens: huic enim dexter resupinatus est passeribus lævus, quo situ cum rhombi à passeribus differant, autore Plinio, eum quem capiti huic præfiximus, in rhombis haberi est necesse.

Lib. 9. cap. 20.

B Est igitur rhombus lævis rhombo aculeato figura partibusque tum internis, tum externis omnino par, demptis aculeis: nullos enim neque in supina neque in prona parte habet. Præterea latior est, & tenuior rhombo aculeato, carneque molliore, suauiore quam passer. Quare de rhombo lævi Galeni locus (*recitatus supra in Rhombo aculeato F.*) intelligi posset, quo rhombum cum pisce mollis carnis connumerandum censet. Vel fortasse non absurdè quis existimauerit, rhombum lævem Galeni citharum esse, quod is mollis sit carnis, cuiusmodi rhombum lævem esse constat, quo dque eum rhombo similem faciat. Ælianus autem longè alium ex mari rubro citharum descripsit. Et Athenæus cithari species duas alias tradidit, de quibus nos alibi.

Galeni locus.

Citharus.

DE RHOMBOIDE, RONDELETIVS.

A Romæ piscem sæpe vidimus, qui ab ichtyopolis Rhombi nomine venditur, quem tamen à superioribus rhombis diuersum esse sensus ipse doceat, etiam si figurâ rhombum imitetur. Quare hunc rhomboidem appellauimus, vt tantum à rhombo pisce differat, quantum figura rhomboides à rhombo figura: est enim rhomboides figura, quæ neque latera æqualia, neque angulos rectos habet.

B Est igitur rhomboides piscis rhombo vel passeri similis, sed à passere situ differens: squamis paruis intectus, oculis multum à sese distantibus. Linea à capite ad caudam per medium corpus ducta, initio sinuosa,

Rhombi lævis species, ab amico Venetijs ad nos missa, aliæ quàm à Rondeletio posita: cuius iconem addere ideò minus necessarium visum est, quoniam lævem suum aculeato per omnia parem facit, dempto quod aculeis caret.



sinuosa, deinde recta, corpus in duas æquas partes dirimens. Corpore est exiguo & breui: nunquam enim, quantum obseruasse mihi licuit, palmi magnitudinem superat. Internis partibus à rhombo non differt.



Carne est media, neque molli nimium, neque dura.
In litore nostro rarus est, semelque tantum vidisse mihi contigit.
Huius mentionem nullam à veteribus factam fuisse comperio.

DE PASSERE, RONDELETIVS.

Passeris effigies Venetijs facta, ab ea quam Rondeletius dedit differens cum alias nonnihil, tum quod pinna superior à Rondeletio ad oculos vsq; procedit, paulatim humilior, &c.



A Piscis πλατὺς à Græcis, à Latinis passer dicitur. Piscis alius σμῆνος, id est, passer, ab Arist. dici videtur, cum de felle piscium loquitur: Οἱ δὲ ἄλλοι ἰχθῦες πᾶν ἐντέρου, οἱ μὲν πορρώτερον, οἱ δὲ ἐγγύτερον οἷον βάτραχος, ἔλοψ, σιφαγρὶς, σμύραινα, ἐχεῖνος, χελιδὼν, σμῆνος. In alijs fel intestino hęret, his propius, illis remotiùs à iecore, vt in rana, ellope, synagride, muręna, gladio, hirundine, passere. Sed hoc loco hirundinẽ & passerẽ expungi oportere censeo. Suspicionis huius occasionem mihi prębet primum Gazę conuersio, in qua hæc omissa sunt: deinde ex sentẽtia q̃ proximè sequitur, huc translata esse videntur duo hæc nomina, quæ pro auib. non pro piscib. posita sunt. Sed ad Pisctã reuertamur, quæ ab Italis nostrisq; plane, ab alijs platuse, à Gallis plye nominatur.

Eib. 2. de hist. anim. cap. 15.

B Piscis est rhombo figura similis, sed contractior, buglosso latior. In parte prona fuscaq; oculos habet. Pinnæ totũ ferè corp' ambiunt. Cauda in vnicã latãq; desinit. A capite ad caudã, linea parum sinuosa per medium corpus ducta est. Os paruum habet buglossi modo, sine dentib. cuius situ à rhombis differt. si n. passerẽ ita erigas in latus, vt maxilla inferior humũ versus spectet, supina pars, læua erit: prona verò, dextra. Contra in rhõbis: quibus eodẽ modo in latus erectis, supina pars dextra erit: prona, sinistra. Pli. Marinorum alij sunt plani, vt rhombi, soleę, passeres, qui à rhombis situ tantum corporũ differunt: dexter resupinat' est illis, passeri lęuis.

Partibus internis rhombo similis est. Stagna subit & fluuios: delectatur enim aqua dulci.

Lib. 9. cap. 20. Vbi. C

In stagno nostro magna passerum captura est hyeme. In Ligeri flumine sæpe etiam capiuntur, minus nigri molioresq; marinis: qui proculdubio non genere, sed alimenti varietate solũ à marinis differunt.

Sexus. Lib. 4. de hist. anim. cap. 11.

In hoc genere mas est, & fœmina: in alijs enim oua, in alijs semen reperitur quod lac vulgus appellat, quia lactis instar candidum est: quod propter Arist. dico, qui hæc literis prodidit. Ἔστι δὲ ἐνια, καθάπερ ἐν τοῖς ὀστρακοδέρμοις καὶ φυτοῖς, τὰ μὲν τίκτοντα ἐστὶ καθ' ἕτερον γένος, τὸ δὲ ὀχεῦον κἀκεῖνο. ὅτω καὶ ἐν τοῖς ἰχθύσι τὸ τῶν ψηττῶν γένος, καὶ τὸ τῶν ἐρυθρίνων, καὶ [illegible] ἐχόντα. In testaceis & stirpibus est quod pariat & generet, quòd autem maris officio fungatur deest. Sic etiam inter pisces genus passerum & rubellionum & channorum: oua enim in his omnibus reperiuntur. Quod si de omni passerum genere intelligatur, falsum esse experientia docet.

C Hyeme ventrem ouis distentum habet passer, idque potissimum obseruant qui emunt: oua enim meliora suauioraq; ipsa carne habentur. Passer vere parit. In Gallia rarius cum ouis capitur, in nostro litore ferè semper. Cuius rei ea est causa, vt arbitror, quod piscatores nostri in stagno tantum hyeme piscantur, quo fœminæ pariendi causa subeunt: in Gallia in mari tantum piscantur mares potius quàm fœminas, quæ ouorum copia pressæ in imo latent. Passeres & plani omnes in limosis locis feliciter proueniunt, vt annotauit Columella, ob eam causam in stagna nostra se è mari recipiunt. In Oceano verò planorum omnis generis maxima est copia. Vidimus Antuerpiæ in taberna quadam passerum, planorumque piscium omnis generis exiccatorum tantam copiam, quanta cuiquam credibilis esse queat. Latent enim in arena & limo, ob id reciprocante Oceano facilè capiuntur.

Reliquum. Oua.

Passeres

Passeres marini minus humida mollique sunt carne quàm qui in stagnis vixerunt, qui præter quàm quòd molles sunt, lutum etiam resipiunt. Molliores sunt, & ferè insipidi in dulcib. aquis educati. Præferendi itaq; sunt omnibus marini. Secundum locum obtinent in stagnis versati. Postremum fluuiatiles. A nostris friguntur in sartagine, & pro bono, gratoque cibo habentur. Galenus pstettam buglosso similem esse annotauit, non tamen eiusdem planè esse generis: mollius enim ciboque gratius, deniq; omnino melius esse buglossum pstetta. F

Lib. 3. de alim. facult.

DE (QVADRATVLO) ALIA PASSERIS *specie, Rondeletius.*



Passerem pro vnica piscis plani specie cum veteribus autoribus superiori capite vsurpauimus. Nunc si pro genere accipiamus cui species aliquot subsint, de quibus deinceps dicemus, nihil absurdi nos facturos arbitror: nam Aristoteles τὸ τῶν ψηττῶν γένος constituit lib. de Historia animal. & Ἐχενηΐδας libro de animalium ingressu omnes eos appellat, qui plani cum sint oculos habent in prona parte, ideoque ita natant, vt strabones ingrediuntur. Omnes igitur huiusmodi plani dicti sunt passeres, à colore passerum auium: nam parte supina albicant, prona fusci sunt & terrei coloris, instar passerum auium. Igitur passerum generi eum planum subijcimus, qui quarrelet à Gallis, id est, verbum è verbo quadratulus nominatur. Sunt qui eum hoc tantum nomine appellent, cum minor est quam verò senuit, plye. Ego verò specie hunc ab illo differre existimo: magis enim quadrata est forma is qui ab ea quadratulus nuncupatur, maculasque rufas siue subflauas plures habet. Totus lævis est. Carne candida, molli, valde humida. Huius magna copia in Oceano capitur. A (B) (F)

Lib. 4. cap. 11.

DE (LIMANDA) PASSERE ASPERO SIVE *squamoso, Rondeletius.*



Ocranvm mare planis piscibus abundat, in quibus numeratur passerum species, quæ à Gallis limande vocatur, ab Anglis brut. A

Squamis, asperitateque à superiore differens. Flauas maculas in pinnis, quæ corpus ambiunt, & in reliquo corpore habet. Linea corpus intersecans sinuosa, in passere nostro rectior est. B

Carne est candida, humida, molli, minus tamen quàm superior, parum glutinosa, non multum buglossis inferiore. Antuerpiani exiccatos vendunt, magnoque suo lucro alio conuehendos curant. F

DE PASSERIS TERTIA SPECIE, RONDELETIVS.

De Fleso & Fleteleto, vt Bellonius Gallicis vulgaribus nominibus appellat.



A Est & alius piscis planus passerum generi subijciendus flez à Gallis nominatus.

B Squamis paruis integitur. Colore est nigro. In corpore pinnisq; id ambientibus maculas rufas ha-
F) bet. Osficulis munitus est in capite, medioque corpore in parte supina. Carne est candida & molli.

(C Hac & superiore passerum specie mare nostrum prorsus caret, ac fuisse vtranque veteribus incogni-
Quod in Oceano tantum sit, & quomodo fluuiatilis. tam affirmare ausim: quia ad Oceanum vsque non penetrauerunt, nec in Oceani piscibus cognoscendis operam studiumque posuerunt. Sunt qui flez fluuiatilem piscem esse putent, (*vt Bellonius.*) Quòd si intelligant in fluuijs nasci & vinere, id planè falsumest: nam in mari reperitur. Quòd si in mari natum flumina subire sentiant, rectè dicunt. Non solum enim hæc, sed etiam aliæ passerum species in fluuios migrant.

Species duæ. A Istius species duæ videtur esse, vna minor quæ flez dicitur, altera maior quæ fleteler, (etiam si diminutiuum nomen id esse videatur, ab Anglis *helbut*, nostris litoribus incognitus, in Anglia frequens, Lu-
(F) tetiæ rarus, & ob raritatem solum commendatior: neque enim priore salubrior, delicatiorue est, sed paulò duriore carne.

DE BVGLOSSO, VEL SOLEA, RONDELETIVS.

Ordinis ratio. Lib. 7. Svbivngimvs rhombis passeribusque bugloſſa: nam victus ratione locoque conueniunt, & vt apud Athenæum scripsit Speusippus lib. similium: Similes pisces sunt pleura, bugloſſum, tænia. Huius generis species aliquot constituimus, quæ deinceps exequemur. Ac primum de bugloſſo propriè sic appellato dicemus.

A Βλεγλωττα καὶ βκγλωσσα, Βύγλωττον καὶ βύγλωσσον vel βύγλωσσ- à Græcis dicebatur, hodie γλώττα. A Varrone & Plauto lingulaca, à linguæ figura, quæ Græcis est γλῶττα: cui ιδ particulam additam fuisse puto, vt magnitudinem potius quam bubulę linguæ figuram significet. A Plinio Solea. Item ab Ouidio, Fulgentes soleæ candore & concolor illis Passer. A figura soleæ quæ solo pedis subijcitur. In tota Gallia sole, in Hispania linguado, Romæ linguata, Venetijs sfoia à folij alicuius maioris similitudine.

In Halieutico.



B Solea piscis est planus, tenuis, longiore contractioreque corpore quam passer, (ita vt passer inter soleas & thombos medius sit,) pedali magnitudine, vel maiore in Oceano, supina parte candida: prona nigricante in qua oculi insunt. Ore est incuruo, sine dentibus. (*figura tamen exhibitum denticulos habet.*) Branchias quatuor, cor compressum. denique viscera omnia eadem cum passeribus habet. Squamis tegitur paruis. Linea recta à capite ad caudam ducta est. Corpus sepiunt pinnæ breues: quarum altera à capite ad caudam continuatur: altera è regione podicis, non procul à branchijs distante orta, itidem ad caudam vsque protenditur. Hæ colorem à proxima parte mutuantur:
(G) Etenim parte supina cãdidæ sunt, prona nigricant, similiter & quæ ad branchias sunt, & in ventre.

Cauda

Gauda lata est, vnica pinna constans. Fel in hepate habet aduersus suffusiones vtile.

Hyeme vado maris excauato conduntur, torpedo, solea, & pleetta; authore Plinio. Frigus igitur solea pertimescit, tũ quia lapides in cerebro habet, tum quia corpore est est tenui.

Carne est dura, & nonnihil glutinosa, quę ob id difficile corrumpitur, diu tius seruatur, neque longa vectura putrescit, imo melior efficitur & salubrior. Id verissimum esse iudicabunt ij qui diligentius omnia expendunt, quibusque sapit palatum. Hinc fit vt Lutetiæ sapidiores meliorésque sint soleæ quã in ipso litore. Nam caro omnis calore externo primum tenerescit, eiusq; sapor ille dilutus, & vt ita dicam fere insipidus, acrimoniam quandam non ingratam acquirit: postremo putrescit, molestaque acrimonia linguam palatumque torquet, qua tamen acrimonia quidam delectantur, quibus stupidus est, hebesque gustatus sensus. Et maris nostri soleæ Lugduni meliores quàm in Montepelio, vbi sæpius viuæ adhuc coquuntur: quam ob causam duriores sunt, difficilioriſq; concoctionis. Galenus similes quodammodo inter se esse passerem & soleam scribit, non tamen omnino eiusdem esse speciei. Soleam enim molliorem esse, ciboq; suauiorem, ac omnino passere præstantiorem. Suauitate quidem, alimenti copia, succi bonitate solea præstantior est. At carne duriore solidioreque esse experientia sensusq; conuincunt.

Neq; verò est quod quis de bugloſso dubitet, is ne sit quem descripsimus: omnia enim ad amussim conueniunt, omnium etiam qui hactenus de piscib. aliquid literis mandarunt, consensu. Neq; quicquam obstat Athenæi locus libr. 7. ex Aristotelis libro de animalib. hæc citantis: Σιλαχ'η, φηνί, βᾶς, τευγών, ναίρκη, βατὶς, βατραχ@-, βύγλωττα, ψῆτται, μῦς. Cartilaginea sũt, inquit, bós, pastinaca, torpedo, raia, rana, solea, passer, mus. Nemo est. n. qui statim nõ iudicet, locũ esse corruptũ, cũ neq; Aristot. neq; Plini⁹, neq; vlli alij qui in pisciũ cognitione exercitati fuerunt, quique diligenter cartilagineos pisces enumeratũt, in eorum numerum bugloſſum vel passerem reposuerint: quibus, vtpote peritioribus, fidem adhibendam esse iudico potius quam Ælliano, & Artemidoro, qui non satis recte cartilagineos definierunt. Cartilaginea vocantur, inquit Ælianus, quæ squamis carent, vt muræna, conger, torpedo, pastinaca, bos, mustellus, delphinus, balęna: hæc enim sola sunt de aquatilibus viuipara. At muræna spinas habet, non cartilaginem, nisi muræna fluuiatilem intelligat. Delphinus vero & balæna, neque spinas, neq; cartilaginem propriè habere dicuntur, sed solida ossa terrenarũ animantium modo. Artemidorus verò: Quicunque inquit, pisces cartilaginei sunt, ex his longi omnes vanum laborem significant, & quæ speramus non perficiunt: quoniam elabuntur, & squamas non habent, quæ corpori circumlitæ sunt, veluti hominibus colores. Sunt autem hi, Muræna anguilla, congrus. Quibus reiectis Aristotelem, Plinium q; excellentis doctrinæ viros, & rerum cognitione præstãtes sequimur, ex quorũ sentẽtia bugloſſus, & passer plani quidẽ sũt pisces, sed spinosi, & nõ cartilaginei.

Solea quam subiecimus figuram Veneti⁹ nacti sumus, sit quæ Rondeletius pingit omnibus dissimilem.

C *Lib. 9. c. 19.*

F



A *Verum sic bugloſſum dare.*

Bugloſſum nõ esse cartilagineum.

Cartilaginei pisces qui contra Aelianum & Artemidorum.

Lib. 4. de interpret. somn.

Aelian. lib. 3. de fac. anim.

DE SOLEA OCVLATA, RONDELETIVS.

Iconem huius piscis infra pag. 669. Soleæ paruæ sine Linguæ præfiximus.

Speciem Bugloſſi alteram facimus eam quæ Massiliæ satis frequens est, quæq; illic & apud nos pegouse dicitur, à squamarum vt arbitror tenacitate: ita enim tenaciter hærent, vt nisi diu in aqua calida maduerint, desquamari non possit. A

B Est alijs soleis corporis habitu, & partibus internis omnino similis, sed in prona parte maculas habet
A magnas, oculorum effigiem cum iride & pupilla referentes. Vnde soleam oculatam appellandam esse censeo: quemadmodum torpedinis ocula tæ, item raiæ oculatæ species vna est. Huius mentionem nullam à veteribus factam fuisse comperio, nisi quis eam esse dicat, quam Athenæus ὄψαριον vel, κίθαριν ex
Libro 7. Dorione vocat: Δωρίων δ' ἐν τῷ περὶ ἰχθύων γραφῇ φησι· Τῶν δὲ πλατέων βούγλωσσον, ψῆτταν, ὄψαριον, ὃν καλοῦσι κιθαρίνην. Sed hoc alijs æstimandum relinquo.

DE CYNOGLOSSO, RONDELETIVS.



A PLANVM piscem quem hîc exhibemus qui pole (*fortè pro sole, id est solea, cui cognatus est*) à Gallis nomi-
B natur, necesse esse inter buglossi species numerare, forma ipsa satis arguit, qua buglossi planè similis est.
(F) Est tamen corpore spissiore & breuiore, squamis tegitur paruis, in ambitu serratis. Colore est fusco. Vt rhombus à passere, ita hic à prima buglossi specie differt situ corporis, nec non sapore. Verus enim buglossas suaui est sapore, & perdici comparatur, quemadmodum rhõbus phasiano. At hic insuaue quiddam & graue redolet, quod inter edendum facilè percipiunt ij, qui vel veræ soleæ ignorantia, vel pretio paruo inducti hunc pro illa emunt. Sunt qui non nisi pabuli ratione differre credant, quod equidem non probo. Etenim si pabuli varietas saporem, succumque immutare potest, non ita (*non tamen*) ad corporis habitum formamque immutandam nullam (*vllam*) vim habet. De colore nihil dico, qui pro alimentorum differentia variari potest. Quare cùm victus ratione, notisque alijs quas supra posui piscis species discernatur, rectè aliam à buglosso speciem constituimus. Ea fortasse est quam Epicharmus apud Athenæum libro 7. κυνόγλωσσον appellauit. Vel si Epicharmi κυνόγλωσσον non sit (nihil enim certi ex tam paucis verbis Epicharmi ab Athenæo citatis colligi potest) optimo quidem (*tamen*) iure, vt à cæteris buglossi generibus distinguatur, cynoglossum nuncupabimus: neque aliud est genus cui nomen hoc aptiùs quadret.

F Est autem cynoglossum carne dura, glutinosa, difficilioríque concoctionis, ferinique saporis, ob algas, herbasque alias quibus vescitur. In mari nostro non reperitur.

B In Oceano frequens est. Sunt qui similitudine decepti in mari nostro capi putent, (*Bellonium notat,*) eumque esse piscem quem Massilienses seruantin vocant. Sed hoc suo loco (*vbinam id faciat Rondeletius tamen non occurrit*) refellemus.

DE ARNOGLOSSO, (VEL SOLEA LÆVI,) *Rondeletius.*



A ARNOGLOSSVS, leuis siue Arnoglossus simpliciter ea buglossi species à nobis vocatur, quę squamis carere videtur, prorsúsque leuis esse: Nam vt plantagini herbę à figura vel foliorum lęuitate, arnoglossi, id est agninę linguę nomen positum est, ita species hęc arnoglossus à lęuitate vel figura rectè nominabitur, quæ à nostris perpeire vocatur. Est reuera ex buglossorum genere, quod corporis habitus, figuraque indicat. A cæteris differt, quod multis squamis tenuissimis, & statim deciduis integatur; vt meritò leuis dici possit, tenuique tantùm cute opertus esse videatur.

Corpore

Corpore est valde gracili, pellucido, candido. Carne est tenera, delicata, palmi magnitudinem nunquam attingit. Statim atque ignem vidit coctus est, quemadmodum aphya. B

Sunt qui hanc buglossi speciem tæniam esse existimauerunt, hac tantum moti coniectura, quod tæ- A
nia, pisetta & buglossum similia sunt autore Speusippo libro 2. similium. Sed hæc sententia facile con- *Quod non sit tænia.*
uellitur Aristotelis libr. 3. Hist. animal. cap. 13. autoritate, qui tæniæ pinnas duas duntaxat tribuit, cum hæc species quatuor habeat, duas ad branchias, duas alias quæ corpus sepiunt, quemadmodum in buglosso.

Icon Soleæ oculatæ, de qua supra pag. 667. Rondeletius.



DE SOLEA PARVA SIVE LINGVLA, *Rondeletius.*



HANC Buglossi parui speciem diminutiuo nomine lingulam appellamus, quod sit buglossorum o- A
mnium, quæ à linguæ figura nomen traxerunt, minima. Neque debet existimare aliquis maiorum fœ- B
turam esse. Certa enim nota à buglossis omnibus discernitur. Est enim piscis planus buglossis reliquis
specie quidem similis, sed semper paruus, dodrantalé magnitudinem nunquam excedens. Linea quæ
corpus dirimit, spinamq; firmat vel tuetur ex squamis contexta est longe eminentioribus quàm in to-
to corpore, dempta ea parte quæ circa maxillam inferiorem est.

Duriore est carne quàm buglossus læuis, glutinosiq; nonnihil habet. satis rarus est piscis, & ob cor- E
poris tenuitatẽ vilis. Solent enim magni corpulentiq; pisces probari: parui verò reijci, nisi ex Aphya-
rum sint genere, vt vna cum spinis edantur. Exigui alij, quibus eximendæ sunt spinæ, molesti.

DE HIPPOGLOSSO, (ID EST BVGLOSSO *maximo, in Oceano,*) *Rondeletius.*



HIPPOGLOSSVM vocamus buglossi speciem, quam Galli flottan appellant, quod fluitando natet, A
vt opinor. Huius nomen nullus apud Aristotelem, Plinium, Oppianum requirat: veteribus enim
incogni-

incognitus fuit, Oceani tantum accolis notus. Quare huic pro ipsius natura nouum nomen imposuimus, quod faciendum esse censent Plato & Galenus. Hippoglossum igitur à nobis vocatur, quod buglossa omnia magnitudine superet. Græci enim rei magnitudinem indicant βὸς & ἵππο particulis, vt in Hipposelino, Hippomarathro. Sic hippoglossum dicimus à magnitudine non à similitudine cum hippogloſſo herba.

B Quod autem bugloſſi species sit hippoglossum nostrum, nemo est qui non statim primo aspectu iudicet: oblongo enim contractoque est corpore, altera parte candido, altera nigricante, in qua oculi siti sunt. Ore est contorto, dentibus munito cithari modo, quibus bugloſſi carent. Pinnæ corpus ambiunt. Vt breuiter dicam, Bugloſſus est cetaceus. Vidimus enim hippoglossum quatuor cubitos longum. Carne est dura sed suaui, ad rhombi naturam proximè accedente. Ossa spongiosa habet, quibus inest medulla, quæ à cupediarum amatoribus expetitur. Piscis est maris Oceani. Antuerpiæ salitus & in frusta dissectus venditur. Capitur etiam sæpe in Oceano iuxta Galliæ Boloniam. Ibi huius frusta farinæ mas-
F sa probè subacta & pista inclusa, aromatisque condita in furno coquunt, vt diutius seruari possint, & asportari.

Hæ sunt omnes bugloſſi species quas vidisse contigit, quæ cum omnes veteribus cognitæ non fuerint, nemini mirum videri debet, si pro rei natura noua nomina fecerim.

DE RHOMBO, BELLONIVS.

Rondeletius hunc aculeatum cognominat.

A Rhombum Latini, ac post eos Itali à turbinata corporis figura vocauerunt, quem Galli Turbotum pro turbinato dicere maluisse videntur, Vn Turbot. Psittam nullo cum Passeribus discrimine apud Aristotelem Gaza conuertit: quemadmodum & Oppianus hoc versu: Et Clariæ, Psettæ, Scepani, Triglis, Asellus. Galenus tamen Rhombum à Psitta seorsim nominauit: Est enim Psitta, vt postea docebimus, Hallorum Plya.

B Maximus ex nostro Oceano Rhombus adfertur, tantæ interdum molis ac carnis (quam multam ac delicatam habet) vt quadraginta librarum pondus excedat, lautioribus ob hoc mensis in Francia præter cæteros expetitus. Pelle est rugosa, cineritia, notis albicantibus distincta, acutis veluti clauibus (*clauis*) osseis vndecunque armata, vt in altera Raiæ specie dictum est, verum id non semper: Sed & linea quædam candida incurua, cutem à lateribus vtrinque intercipit, quę & cæteris omnibus cõmunis est. Quod reliquum est, Rhombi (vt & Doradæ) caput multis spinosis ossibus refertum est, tantæ inter se differentię ac varietatis, vt omnia fere fabrilia instrumenta in eo reperiri posse vulgus existimet. Atque vt Rhombum à Passere facile distinguas, vtrunq; piscem sic in latus disponito, vt oculi cælum, mentum dorsum versus spectent: reperies in Rhombo partem supinam dextram esse, Passeris autem sinistram. Quin etiam in Rhombis, quidam, præter alios, mihi conspecti sunt, oculos in ceruice quasi in tergore collocatos habuisse: quod ideo à me dictum est, ne tu in alijs decipiaris.

DE RHOMBO ALTERO GALLICO, BELLONIVS.

Rondeletius hunc leuem cognominat.

A Gallis tantum peculiare nomen à Rhombo diuersum habet, quæ Barbua aut Barbata nescio qua ratione dicitur. Nam etsi Venetijs, Romæ, & Massiliæ frequenter reperiri soleat, tamen & Rhombi nomen habere, & pro Rhombo apud eas nationes diuendi solere, persæpe conspexi. vnde hoc mihi plu-
B rimum admirandum esse visum est, quod tam insignem formæ varietatem, nulla etiam nominis diuersitas consequeretur. Nunquam enim Barbua ad eam magnitudinem, quam Rhombus, accedit: estq; leuiore ac magis planò corpore, minusq; carnoso, solido ac delicato: capite etiam magis elato ac grandi. Cætera, etsi cum Rhombo conueniunt, tamen ita oculis omnium obiecta sunt, vt ne mulierculam Parisinam fallere possint.

DE PASSERE, BELLONIVS.

A Passerum permultas apud nostros species comperio: quarum enumerationem dum sigillatim ac breuiter persequor, hoc imprimis animaduerto, maximam huius piscis speciem (hoc est, quæ in maiorem molem excrescit) Gallis Plyam, nescio qua ratione, quotidie vocari. quę à quadratulo sibi congeri pi-
B sce (vulgo Carlet) non nisi ipsa forma ac magnitudine differre videtur: Est enim Plya quadratulo tantum maior: qui ad quadrangulum proximè accedit. Proinde vterq; piscis flauis lituris in supina ac cinerea tergoris parte suggillatur: quæ alioqui subtus, vt in reliquis planis, albicat.

DE PASSERE FLVVIATILI, QVI VVLGO Flesus dicitur, Bellonius.

Passerum quadam species fluuiatiles dici possunt, sed impropriè. non enim in fluuijs nascuntur, sed è mari in eos migrant.

A Fluuiatilis est piscis ad Passerem (demptis luteis maculis) accedens, qui Britannis ex Tamesi flumine adductus *Phlonde*, nostris Gallis Flesus appellatur, Vn flez: paulo longiore quàm passeris corpore, ac dum adoleuit, crassiore.

B Aspera quadam linea secundum spinam in prona, ac candida, atque adeo supina, ac liuida eius parte insignis. Sed & in Branchiarum spineo operimento, quiddam ipso contactu asperum percipies, punctis nigrioribus ceu ab acu quodam impressis aspersum, in quo à reliquis suæ notæ piscibus facile discrepat. Est & illi quædam aspera linea, ad radices pinnarum posita, eius latera vtrinque ambiens.

DE

DE FLETELETO, BELLONIVS.

A Martius (*An à mense Martio? vel marinus potius?*) est piscis, atq; adeo fluuiatilis, & Passerini generis, qui Fleteletus dicitur: ab Anglico tractu ad nos circa quadragesimam, ac paulo post, deferri solitus: Flesо
B F vt plurimum maior, sed carnis æquè candidæ: quam, festucis craticulæ admotis, nostrates exassare solent, ac butyro condire, quemadmodum & reliquos Flesos ac Limandas: cui pisci Britannicum vulgus
A *Helbut* nomen indidit. Hoc vocabulum quanquam apud plerosque nostri vulgi ichthyopolas transierit, mirum est tamen cur maior eius pars diminutiuo vocabulo vsa, Fleteletum appellauerit, cum &
10 Flesо & Limanda sit multo maior ac delicatior, immo vel ob hoc magis apud nos rarissimus.

DE LIMANDA, BELLONIVS.

A Flesorum ac Passerum species, ipsa corporis magnitudine ad Quadratulum accedens, ob tenuitatem corporis, (quam cum diffissis dolabra asseribus in laminas communem habet: vulgus limandas vocat,) Limandæ nomen adeptum est. Aquatile hoc piscis genus, Italis vt Flesus ignotum, Anglis admodum vulgare, apud quos *Brut* (*Brette quod est asser*) vocari solet.

B Sursum est fuluum, deorsum verò candidum: Flesо rotundius,, Quadratulo longius, quodq; aëri lucidiori expositum, pellucidum apparet. Dentes cæteris sui generis piscibus longiores, squamas cõspi-
20 cuas, valde tenues fert atq; asperas, quæq; difficillime à cute adimuntur. quod cum solea quidem magis commune, cum cæteris passerinis minus habet familiare.

F Exiccatur in litore ob maximum prouentum, & ad mediterraneos Germanos transfertur. Gallis autem nostris ex ipso litore Britannico ac Neustrico, recens adferri solet.

DE SOLEA, BELLONIVS.

A Sfoliam à quadam maioris arboris folij forma Venetorum vulgus nominat: (*Romanum vulgus aliud quoq; passeris genus, quod Bellonius infra Teniam, similiter nuncupat.*) Latini ab ea quam cum calceorum soleis
30 similitudine habet Soleam vocauerunt, nonnulli falsò Passerem: vnde Philotimum reprehendit Galenus, quod Passeris aut Psittæ vocabulum ad Bugloſſum (sic enim Græci Soleam à linguæ bubulæ figura nominant) nulla speciei habita ratione, temere transferret: Est enim (inquit ille) Solea mollior, præstantior, ac cibi iucundioris. Bugloſſam quoq; appellauit Oppianus, Trachurumq; greges, Bugloſſæq;, (βϑγλωσσοι,) & Platyuri. Quod vocabulum imitatus Plautus, Lingulacam nominauit: vnde etiam Romanorum vulgus Lenguatam vocat.

C Soleæ (inquit Plinius) cum Rhombis non intrant Pontum. Illæ enim ad flumina è mari transeuntes, multum pingue sunt, ac crassiores euadunt: quales nos Londini è Tamesi vidimus, & in mediterraneis vrbibus per paria diuendi, vt crassiores emptori appareant.

A Vulgus nostrum à carnis delicata (solida tamen & candida) iucunditate, Perdicem marinam cognominauit, vt & antiqui Scepanum Attagenem marinum dixerunt.

B Oblongiori est, quam quius alius Passerinus piscis, corpore, ac minus omnium lato, pinnis vndecunq; vsque ad caput (quod breuissimum habet) circunsepto: cute (si contrectetur) squamulis visum
40 effugientibus, asperiuscula. Sursum subnigra, nullis maculis distincta, per medium in duos veluti musculos diuisa, subtus candida. Cætera cum reliquis huius generis piscibus habet fere consimilia.

F Optimæ Soleæ ex nouo portu, quem Neuportum vocant, ad nos adferuntur: quę frixæ, ac per medium dissectæ, siccam, minimeq; viscosam habent carnem, spinamq; integram, nullo negotio (vt vera Persica nucleum) relinquunt. Quæ verò ex Stapulensi portu (vulgus vocat Estaples) ad nos veniunt, vt breuiores sunt ac nigriores: sic carne viscosa constant, neq; spinam relinquunt. Quamobrem has ad a-
Pola. liarum differentiam vulgus nostrum Polas appellauit, de qua (*quibus*) mox differemus.

DE SOLEA ALTERA, BELLONIVS.

Rondeletius Cynoglossum hunc piscem nuncupat.

A B Dubium non est, quin id Passeris genus, quod vulgus nostrum Polam appellat à Solea sit longe diuersum. hoc enim ab ea differt, quod os ei oppositum ostendat, quemadmodum & Rhombus Passeri: Hanc enim, si iuxta Soleam eodem situ componas, os Polæ in sinistrum, Soleæ verò in dextrum reperies latus vergere. Corpus huius Soleæ speciei breuius esse solet, ac lumini expositum translucet. Os habet dentibus tenuibus obseptum, eiusque corporis pars supina squamis caret, quas prona ostendit.

A Polam hanc Massilienses Seruantinum, (vt & Aselli speciem aliquam superius dictam, ab albedine Capellanum) vocauerunt: (*Sed negat hoc Rondeletius.*) Romanum vulgus Linguam nominat, ad Soleæ,
60 quam Lenguattam vocare solet, differentiam.

F Vilioris est pretij quàm Solea.

DE TENIA, ALIA SOLEÆ SPECIE, Bellonius.

A B Teniam (*Prima melius scribitur per æ. diphthongum*) Aristoteles & Oppianus vocauerunt, Alexandriæ, Canopi, & Seleuciæ in Antiochia frequentem piscem, ad Soleam plurimum accedentem (ac cibi æque delicati) nisi gracilior esset, pinnasque tantum haberet binas. Hunc Gaza Vittam conuertit: Romanum vulgus Sfoliam vel Sfolium eodem quo & Veneti nomine Soleam, appellare consueuit. Cui

ob cor-

ob corporis tenuitatem atque exiguitatem imbellis epitheton tribuit Oppianus hoc versu, Teniæ imbelles, & picto Mormylus ore. *Hac ille. Sed alia est Rondeletii Tænia in T. litera nobis describenda. Huius quidem Tænia Belonii Rondeletium meminisse non puto: nisi Rhomboides eius sit.*

DE PASSERIBVS ET RELIQVIS PLANIS PISCIBVS *stagni marini, Rondeletius.*

Vt Cœnosa regio planum educat piscem, Soleam, Rhombum, Passerem: sic in stagnis marinis omnium istorum, præsertim Passerum copia magna reperitur, quia lutum amant, quo abundant stagna, & commodissime illic pariunt. Passeres cum ouis & semine (lac vulgus appellat) capiuntur, molliore sũt carne, lutum redolente: minus maculosi sunt, & minus flauescentes quàm marini. *Passeres.*

Solea. Soleæ in ijsdem stagnis paruæ sunt, & prætenues, nigriores, odore qui lutum resipit, à marinis distinguuntur. Hyeme capiuntur.

Rhombi. Eodem tempore & Rhombi aculeati, maximè ad fauces stagnorum marinorum, vbi piscibus alijs insidiantur, nec multum à marinis aut odore, aut substantia succoue differunt. Læues autem cum Passeribus in stagnis capiuntur, à quibus parum differunt, inter eos (Passeres & Rhombos aculeatos) medij.

I. COROLLARIVM DE RHOMBO.

A Psitta genus videtur ad rhombum, passerem & soleam, Iouius. Vide infra in Passere A. Syacion nominatum animal, id est porculum, apud Simeonem Sethi, aliqui pro rhombo accipiunt. quære infra in F. Rhombus Hispanis Rodouallo dicitur. Massilienses & Ligures Rhombum vocant, Galli vlteriores Turbotum: nostræ ætatis Græci nondum antiquum nomen ψῆττα commutarunt, Gillius. Gallis Turbot vel Turbut, (aculeatus propriè:) & Anglis similiter: Germanis *Tarbutt*, Frisijs *Terbut*. Possunt autem videri hæc nomina deriuata vel à Latino Turbo, idem quod rhombus Græcis significante: vel ab origine Germanica *Thornbut*. compositum enim hoc vocabulum, aculeatum passerem significat. Arnoldus Villanouanus etiam turbotum Latina terminatione dixit. *Butt* quidem inferioribus Germanis passerem significat: (alij enim quidam Germani fluuiatilem quendam pisciculum, phoxinum, eíue cognatum *Butt* appellant) *Putt* verò mustelæ fluuiatilis species est. Inde compositę sunt voces *Tarbutt*, *Heiligbutt*, *Steinbutt*. Ex his *Steinbutt*, ni fallor, non alius est quam *Tarbutt*: nomen hoc partim à lapidibus factum, illud à spinis: quoniam corpus eius acutis eminentijs osseis & lapillorum instar duris, (basis quidem singularum instar calculi rotundi est) ceu rubi spinis, vt raiarum quoque, exasperatur. *Schollen* Germanis quibusdam vsitatum nomen, ad Soleam ne, vt nomen præ se fert, & eruditi quidam tradunt, solum pertineat: an rhombos etiam aliosque passeres, dubito. Rhombum læuem, quem Galli Barbue, Germanos *Meerbutten* vocare puto, vt ab ijs (conijcio) qui flumina subeunt distinguant: quanquam & alij quidam marini duntaxat huius generis pisces sunt. audio enim *Meerbutten* dictos pisces prorsus esse læues, vt anguillas: carne etiam simili. Hunc piscem in Gallia aliqui (etiam ex coquis) sexu tantum à rhombo aculeato differre rati, rhombi fœminam temere appellant. In eadem opinione forte & Germani quidam sunt: memini enim audire quendam rhombos mares duriores esse, salubrioresque, & spinis rigidos mihi narrantem. Itali rhombum læuem ac sine spinis Suazo vel Cuco vocitant. aliqui (Itali an Galli nescio) soagia. *Rhombus læuis.*

B Dat rhombos Sinuessa, Actius Syncerus Neapolitanus. Passer & rhombus corporum duntaxat situ differunt. si enim rhombum sic in latus componas, vt oculi cælum suspiciant, & mentum deorsum versus spectet, pars supina, erit dextra. sed si similiter passerem constituas, supina pars erit læua, Gillius & Massarius. Rhombi è contrario quam passeres capita tenent. Est igitur rhombus piscis planus passeri similis, sed amplior, ossa quædam rotunda aculeata habens, qualia & amiæ inesse cernuntur, Massarius. Rhombi eminentias habent hinc inde asperas, raras: cutim crassam. Citharum buglosso vel rhombo similem descripsimus supra Elemento c. Piscis est maximus: & (vt scribit Iouius) longe latissimus, ouali figura rotundior. Rhombi mentionem facit Iuuenalis, quem fingit Domitiani temporibus incredibili magnitudine captum fuisse, (his versibus:)

Cum iam semianimum laceraret Flauius orbem / Vltimus, & caluo seruiret Roma Neroni,
Incidit Adriaci spacium admirabile rhombi / Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet ancon,
Impleuitq; sinus: neque enim minor hæserat illis, / Quos operit glacies Mæotica, ruptaq; tandem
Solibus effundit torpentis ad hostia Ponti / Desidia tardos, & longo frigore pingues.

Multa autem de eodem pisce per totam illam Satyram scribit: & inter alia:

---- *Peregrina est bellua: cernis Erectas in terga sudes? Et Adriaco mirandus litore rhombus*: Ouidius. Rhombus in parte nigra (supina) pictus est rubeis angulis & maculis: & illa superficies tota est plena spinis acutissimis, & recuruis aliquantulum anterius, Albertus. Omnium & temporum & locorum piscis est, Iouius.

C *Adriaco mirandus litore Rhombus*, Ouidius inter pisces degentes in herbosa arena. Circa pinguiorem arenam & arenulas, extremasque litorum margines natat transuersus, conuoluitque se certis flexibus strabonum more, vt situs oculorum vitium emendet: suaque potius latitudine, quam pinnarum adminiculo fretus, cursum dirigit, Iouius. Piger est ad natandum propter sui corporis latitudinem, Albertus.

D Rhombus cum sit tardissimus omnium piscium, mugilem tamen velocissimum in ventre sæpissimè reperitur habere, Author de naturis rerum & Albertus: sed ineptè. sic enim Plin. Mugilem velocissimum omnium pastinacæ tardissimi in ventre habentes reperiuntur.

E Capitur toto anno, Iouius. Piscis est omnium & locorum & temporum, Idem. Quomodo in finibus vadosis plani pisces, rhombi alijque capiantur, leges mox in Passere E. ex Æliano.

Rhom-

Rhombus inter planos obtinet principatum: quem nobilis quidam aulę procerum, circa popinales delitias ingeniosissimus aquatilẽ phasianum appellare solebat, non absurdâ quidem comparatione: sicuti & soleas externis, lampetras coturnicibus, lupos altilibus capis, sturiones verò pauonibus adæquauit: vt ex coquinariis commentariis, quæ eius coci nomine circumferuntur, licet intueri, Iouius. Et rursus: Delicatus & salubris hic piscis est, omnium & temporum & locorum: hieme tamen quàm æstate, & in Italia Rauennæ quàm alibi, multò laudatior. Rhomborum pulpæ sunt candidæ, & presso quodam humore succulentę: quæ affatim & salubriter alunt, modò in prima concoctione, quæ celebratur in stomacho, superfluæ earum partes perfectissimè secernantur. Galenus in alendis conualescentibus rhombos in iure simplici cum modico sale, porris & anetho intritis percoquebat. Sanis autem, & his qui sensum appetentis stomachi deiectum habuissent, tostos in crate, acetóque conspersos, vel frixos cum garo ac vino apponere consueuit. F.

Rhombus delicatus est, & teneræ & dulcissimæ carnis, Albertus. Passer, buglossus, boni nutrimenti & suaues sunt: quibus etiam Rhombus confertur, (ἀναλογεῖ,) Diphilus. Rhombum in Adriatico captum, maximè verò in sinu Rauennate, suauissimum esui crediderim, quòd apud maiores non nisi principum mensis apponebatur, Platina. Rauennæ sunt optimi, magni & pulcherrimi: Lynceus Samius cum in epistolis inquit psettas circa Eleusina Atticæ pulcherrimas esse, rhombos intelligit, Massarius. Mediocritatem obtinet rhombus inter duram & mollem carnem, ait Galenus: asello tamen durior est. Xenocrates autem duram esse eius carnem, nec facilè corrumpi posse: oportere verò rhombum magnum vno die adseruatum, postea coquere. in venticulo ægrè concoctionem pati, sed nutrire abunde, Wottonus. Pisces quorum mollis est caro non indigent aceto, aut sinapi, aut origano veluti pingues, lenti ac duri. quidam frixis iis in sartagine vescuntur: alij assant, aut in patinis condiunt, ut rhombos & citharos. Verùm hi coquorum in patinis apparatus, cruditatis in totum sunt causæ, Galenus de aliment. facult. 3. 30. Salmones & Turboti & Maquerelli multò inferiores sunt optimis ad sanitatem piscibus marinis. sunt enim longè magis crassi & viscosi, difficiliores concoctu, magísque excrementitij. Quare non conueniunt præterquam robustis iuuenibus, ídque cum condimentis, quæ viscosam eorum crassámque & frigidam naturam emendent, Arnoldus Villanou. Rhombi mares (vt alicubi vocant, aculeatos puto intelligentes, vt læuium nomine fœminas, speciem diuersam) durioris & salubrioris carnis existimantur quàm fœminæ. Syácion (Gyraldus porculum interpretatur: & addit aliquos rhombum piscem putare, alios terrestre animal notum) non est mali succi, atque imprimis cum concoctum fuerit. Nutrit enim abunde. maximè verò qui temperamento calidi sunt, eo iuuantur. Huius caro persimilis est gallinarum carni. neque enim dura nimiùm est, neque mollior ac laxior: sed mediocritatem quandam habet suauitatémque. & propterea vim ac robor corpori comparat concoctum, sanguinémque temperato proximum gignit, Symeon Sethi. Rhombo quidem alij eadem omnia attribuunt, quæ ipse syacio, vt non ineptè piscis eiusdem nomina duo existimari possint. de porcis quidem & porcellis quadrupedibus alibi agit in Χοῖρος. est etiam porcellorum caro crassior, mollior & glutinosior, quàm quæ gallinarum carni conferri debeat. Rhombum in calatho vinctum, aut pinnaci annexum, in cacabo coques. facillimè enim, si hoc modo coquatur, disrumpitur, efferueat item lento igne necesse est. coctum cum leucophago & aromatibus & tutò & suauiter edes, Platina. *Syácion.*

Rhombi carnes tritæ & ex aqua mulsa datæ, febricitantibus proficiunt, Plinius lib. 32. vt quidam citant. G.

Ῥομβλίας, (nomen proprium, Suidæ,) μετέωρος πτειτομῆς * εὐαροίζῃ, οὕτως αὐτῷ (αὐτὸ, Varinus) καὶ ἰχθῦς τις τῶν πλατέων. καὶ ὁ ἐν τοῖς δεσμοῖς γέμφος, Hesychius. Τρίγλαν λέγεις, γαλακτοχρῶτα Σικελὸς ὤν. Πήγνουσ' (fortè Καλοῦσιν, aut Φιμίζει) ὄχλος ῥόμβος; (ῥόμβον;) Nausicrates apud Athenæum, in fine septimi: tanquam mullus etiam à Siculis rhombus dicatur. sed locus apparet deprauatus. Rhombus Græca vox est: significátque propriè figuram quadratam solidam, cuius latera omnia sunt æqualia, anguli verò omnes obliqui hoc modo <>. Hic rhombus si in terra iactetur, voluitur ad similitudinem instrumenti illius fusi vocati, quod mui er es nendo digitis voluunt, *(vel vt Perottus scribit, ad similitudinem cylindri.)* Vtebantur eo maleficæ mulieres, quibus maximè Thessalia abundat, ad deducendam lunam. Martialis lib. 9. Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo. Idem: Numerare pigri damna quis possit somni? Dicere quot æra verberent manus vrbis, Cum secta Colcho luna vapulat rhombo? Solebant quippe veneficæ mulieres ad deducendam lunam (noctu, vt Perottus addit,) æra percutere. Ouidius de anu lunam deducente: Themesæáque concutit æra. Theocritus in ecloga quam Pharmaceutriam inscripsit, mulierem maleficam inducit amore adolescentis captam, inter multa alia quibus allicere sibi amantem conabatur, hoc rhombo vsam fuisse. Vt rhombus iste (inquit) æneus vertitur, ita vertatur meus amans ad meas fores, Massarius. Verba Theocriti Græca sunt, Χ' ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτας, Ὣς κεῖνος δινοῖτο ποτ' ἁμετέραισι θύραισι. Rhombus instrumentum est incantatorium rem magicam adiuuans: in quo significatu accepit Ouidius in Amoribus: Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo Licia, quid valeat virus amantis equæ. Et Propertius lib. 2. Elegia 29. Staminea rhombi ducitur ille rota. Est etiam rhombus, cylindrus: item torques: & instrumentum illud, quo vertendo mulieres nent, Perottus. vel vt alij, machinula illa, quam vertendo mulieres tramam ad lanicium nent. Germani vocant ein Spinnradt. Ἤτοι μὲν πισύρεσσιν ἐπὶ πλευρῇσιν ἄρηρε Γάσησι λοξῇσιν ἀλιγκίη εἴδεϊ ῥόμβου, Dionysius de figura & situ Indiæ: vbi Eustathius interpres: Notandum est (inquit) rhombum hîc significare geometricam figuram quadratam, quæ dimetientes suas nõ decussatas (ἢ κατὰ χιασμὸν) habeat, sed rectà ferè se inuicem secantes. maximè verò (μάλιστα δὲ, magis propriè) ut geographus tradit, rhombus est, figura quadrata distorta (σεσαλευμένη, dimota à pristino statu) non rectangula, sed angulis duobus acutis prædita, reliquis inuicem oppositis obtusis. Talis figuræ aiunt etiam γέρρον fuisse, scutum scilicet quadratum, non rectangulum. Lignea etiam cauea auis, (ξύλινον ζωγρεῖον ὀρνιθος, ἤγουν κλωβίον) à primo & legitimo suo laterum situ dimota, (παρασαλευθὲν, modicè distorta) rhombi figuram efficit. Est & piscis hoc nomine, vt Athenæus tradit, & Thessalorum lingua balbutit, (παραλαλεῖ.) Significat & rotam quandam, quam loro vertentes & ferientes sonum ciebant, per onomatopœiam. Tali rhombo & tympano à Phrygibus Rheam placari Apollonius in Argo- H. a.

nauticis

nauticis author eſt. Eſt denique veneficarum rota rhombus, qui inter vertendum incantabatur. **Sunt qui** rhymbum per ypſilon ſcribant: vt Euripides in Perithoo αἰθέριον ῥύμβον, pro cœli vertigine & motu in orbem dixit. ἀπὸ τούτου καὶ τὰς κινήσεις ὁ Ἀπολλώνιος ῥυμβόνας καλεῖ. Et fortè dubia apud Ælianum dictio ἐρρυμβόνα, à tali nomine deriuata fuerit. vbi is ſcribit de quodam, ὅτι ἐσπάθα τὰ χρήσιμα, καὶ εἰς ἀσωτίαν ἐρρύμβονα τὰ τιμιώτατα, Hucusque Euſtathius in Dionyſium. Idem in Odyſſeæ A. Ῥυτὴρ (inquit) & Æolicè βρυτὴρ, χαλινόν, id eſt, frænum ſignificat: item trochiſcum, hoc eſt rotulam, quæ & rhombus dicitur, quam loris exagitantes cum ſonitu vertebant. Eupolis per ypſilon rhymbum dixit. Rhombus quidem per omicron, videtur etiam inſtrumentum textorium eſſe, vt in his verbis (authoris innominati:) ἱμάτια πορφυρᾶ καὶ κρόκινα ῥόμβοις ὑφαινόμενα. De eodem plura requires in commentariis in Theocritum. Et rurſus in Odyſſeæ I. A verbo δινεῖν (circumagere) fit nomen δῖνος, quod eſt τόρνος. ſunt autem interdum ſynonyma δῖνος, ῥόμβος & κῶνος, Hucusque Euſtathius. Mulierculæ noſtræ fuſum, quo digitis vertendo, fila ducunt: filis iam repletum, vocant ein Traͤiſeten/ quòd figuram ceu torno factam præ ſe ferat: à qua Latinè & Græcè eundem, rhombum appellare licebit. Author innominatus commentariorum in Homerum, Iliados ξ. ſic habet: Στρόμβον,) ὡς ῥόμβον περιφερῆ, λέγει δὲ τὸν καλούμενον βέμβηκα. δίκην οὖν ῥόμβου ἐποίησεν αὐτὸν στρέφεσθαι, σφοδρῶς πλήξας. Plura de hoc puerili ludo Phauorini Lexicon dabit in verbo, βεμβικίζουσι & deinceps. Noſtri tale inſtrumentum ludo puerili vſitatum, vocant ein Schnurren/ per onomatopœiam. Ab hoc diuerſum eſt aliud quod pueri noſtri nominant ein Gloß vel Kloß/ rotundo ventre, capite eminente parum, ſtilo infrà ferreo infixo. hoc fune circunuoluto proiiciunt in terram, funis extremitate manu retenta, vt in orbem frequenti vertigine actum vertatur, &c. De vtro intellexerit Cato ille qui de moribus formandis diſticha reliquit, & pueros trocho ludere iubet, inquirant alij: mihi in præſentia de priore intellexiſſe videtur. Indoctúſque pilæ, diſcíve, trochíve quieſcit, Horatius de Arte. Trochus (inquit Acron) eſt rota, quæ à ludentibus pueris ſcutica agebatur. Grammatici quidam interpretantur turbinem, quo pueri luſitent. Ῥόμβος, ψόφος, στρόφος, ἦχος, δῖνος, κῶνος: ξυλήριον οὗ ἐξῆπται χοινίον, καὶ ἐν ταῖς τελεταῖς δινεῖται, Heſychius. Multa etiam ſuper rhombi vocabulo apud Suidam reperies. Ῥομβεῖν, σφενδονᾶν. καὶ ῥομβαία, τὸ μακρὸν ἀκόντιον, (nimirum quòd in orbem verſaretur vt longius emitti poſſet id genus iaculi,) ἡ μάχαιρα, &c. Θῶον εὐκλώστοιο λίνου βυσσώμασι ῥόμβον Φράξαντες, γλαυκαῖς ἐν παρόδοις πελάγευς, Innominatus in Epigrammate. apud Suidam deprauata eſt lectio. Senſus eſt: Diſcurrebant in litore, geſtantes rhombos funiculis circundatos. Στρεπτὸν Βασσαρικοῦ ῥόμβον δίασοιο μύωπα Κύλινδρον, Ibidem. hoc eſt, Rhombum verſatilem cylindri figura factum, calcar Baſſaricæ (Bacchanalium) feſtiuitatis. illius enim ſonitu, vti etiam tympano, animi bacchantium excitabantur. Ἐμὲ δὲ χρὴ ἴενια, ἤγουν βάλλοντα, ῥόμβον, ἀντὶ τοῦ βολὴν ἀκόντων εὐθεῖαν, οὐκ ἔξω τοῦ σκοποῦ ἐρείδειν τὰ πλείω βέλη διὰ τῶν χειρῶν, Scholiaſtes Pindari in Olympiorum Carmen 13. Rhombi figuram in ſuperficie plana noſtri vocant ein Ruthen. Ῥομβωτὸς adiectiuum, rhombi figura factus: quæ (vt diximus) propriè fit, cùm in quadrato æquilatero, anguli duo acuti inuicem opponuntur, & rurſus duo obtuſi: eadem ſcilicet manente capacitate, quæ in quadrato rectangulo erat: à quo rhombus modica dimotione angulorum duntaxat differt. Hac figura vitrearij noſtri ad feneſtras ſeu ſpecularia vtuntur. Ῥομβωτὸν Heſychius interpretatur oblongum. apud Athenæum ῥομβωτὸν ἐρέφωμα legimus libro 5. Eſt etiam rhombus vinculi ſeu deligationis ſpecies, quo in capite præſertim vtuntur chirurgi, vt in Galeni de faſciis libro legitur. Simile puto genus eſt illud nodi, quod noſtri dubium appellant, ein Zweiffelſtrick. Rhombus figura eſt ouali rotundior, quæ etiam in inſtruendis aciebus rhombi nomine à ſcriptoribus rei militaris appellatur, Iouius. Rhombus (inquit Cælius Rhodig.) eſt quadrilatera figura, quæ tamen rectiangula non eſt: ſicuti rhomboides, quod in contrarium collocatas lineas atq; angulos habet æquales, non autem rectis angulis neq; lateribus æquis continetur. Præter hæc verò omnes quadrilateræ figuræ trapezia, hoc eſt menſulæ nuncupantur. Inſuper apud Theocritum eſſe magicum inſtrumentum videtur rhombus. corymbum ab Athenienſibus quidam putant dici. Apollonij interpres rhombum eſſe rotulam dicit, quam loris diuerberantes circumagunt, atque ita ſonum inde eliciunt. Quidam etiam didymon vocant rhombum dimidiatum in re militari, etiam transformatum in triquetrum, cuneum ſeu roſtrum vocamus. Rhombum prætereà lego communiùs ſtrumbam dici, qui & bombix *(immò bembex, βέμβηξ)* nuncupetur: verùm & ſtrombus, vnde στρομβηλὸν inflectitur.

f. Quamuis Putet aper, rhombúſq; recens, mala copia quando Ægrum ſollicitat ſtomachum, Horatius ſerm. 2.2. Et rurſus ibidem, Grandes rhombi patinæq; Grande ferunt vnà cum damno dedecus. Et ſerm. 1.2. Num eſuriens faſtidis omnia præter Pauonem, rhombúmq;: quæ verba Seneca quoq; ad Lucilium citat. Olim ex quauis arbore menſa fiebat, At nunc diuitibus cœnandi nulla voluptas, Nil rhombus, nil dama ſapit: putere videntur Vngenta, atq; roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes Grande ebur, &c. Iuuenalis Sat. 11. Inguſtata mihi porrexerit ilia rhombi, Horatius ſerm. 2.8. vide in Paſſere.

II. COROLLARIVM, DE PASSERE, SPECIE VNA.

Admiſcentur & in genere quædam piſcibus planis non cartilagineis communia.

A PASSER piſcis eſt πλατὺς, id eſt latus, vel planus potiùs: non tamen cartilagineus, vt Athenæus, tanquam ex Ariſtotele, ineptè ſcripſit. A colore paſſerum auium paſſeres dicti ſunt. parte enim ſupina candidi, prona verò terrei coloris, vt paſſeres aues ſunt, Maſſarius. Paſſer à paſſere auicula, cui ferè aſſimilis eſt: capite enim tantùm differunt, nomen accepit, Platina. Pſetta videtur genus eſſe ad rhombum paſſerem & ſoleam, Iouius. Nuſquam Ariſtoteles (quod meminerim) rhombum nominat, ſed ψῆτταν: & (vt refert Athenæus) Latini ψῆτταν rhombum vocant, Theodorus paſſerem interpretatur. Galenus ψῆτταν à rhombo diſtinguit, & pro vna ſpecie ψῆτταν accipit: quam Plinius paſſerem vocat, & nonnunquam pſettam: ita & Athenæus frequenter. itaque ψῆττα quaſi genus videtur eſſe rhombo & paſſeri: & item vnam ſignificabit ſpeciem, paſſerem ſcilicet, vti ſentit Hermolaus in Annotationibus in Plinium, Wottonus. Ariſtoteles libri de greſſu animalium capite 17. Paſſer, inquit, eiúſque generis piſces qui ψηττοειδεῖς dicuntur, &c. Wottonus interpretatur paſſerina ſpecie piſces, qui & plani vocantur. idem pſettaceum genus *Rhombus.* dixit, vt à ceto cetaceum, Pſetta videtur alicubi etiam rhombus dici. vide ſuprà in Corollario de mullis f. Rhombum noſtræ ætatis Græci antiquo nomine adhuc ψῆτταν appellant, Gillius. Vbi Ariſtoteles pſet-

tas nono de hiſtoria animalium harena ſeſe obruere inquit, Theodorus paſſeres interpretatus eſt. quæ verba Plinius mutuatus inferiùs hoc libro rhombum conuertit dicens: Simili modo ſquatina & rhombus abditi, pinnas exertas mouent, ſpecie vermiculorum. Proindeq; Athenæus, quem Græci inquit pſittam, Romani rhombum (Græco nomine) appellant. Quapropter Lynceus Samius cum in epiſtolis inquit, pulcherrimas eſſe pſittas circa Eleuſina Atticæ, rhombos intelligit, Maſſarius. Ἡ βούγλωσσος piſcis eſt, à quo cynogloſſi differunt. Attici eam (bugloſſum ſcilicet) pſettam vocant, Athenæus. *Bugloſſus.* Ψῆττα piſcis eſt latus, quem aliqui bugloſſum vocant, Suidas & Varinus. Dorion apud Athenæum ex piſcibus latis diſtinctè nominat bugloſſum, pſettam, eſcharum. Leonicenus Plinium notat, quòd piſcem eundem modò paſſerem Latinè, modò Græcè pſittam nominet, tanquam diuerſos. Ψῖτται, piſces, Suidas, per iôta cum acuto in prima: ego per ῆττα apud authores pleroſque omnes ſemper ſcriptam hanc dictionem & penanflexam inuenio. quamobrem Latinè quoque pſettam per e. quàm per i. efferre malim. Στρουθὸς Græcis paſſer *Στρουθός.* auis eſt: Ælianus de animalibus 14.3. piſcem quoque, paſſerem ſcilicet, vel aliquam eius ſpeciem ſimiliter nominat, vnà cum rhombo, pſetta & torpedine. quare apud Ariſtotelem quoque hiſtoriæ 2.15. idem nomen pro piſce rectè legi aliquis coniecerit, quamuis diuerſum ſentiat Rondeletius. *Pſiſion.* Pſiſion, Ψίσιον, apud Symeonem Sethi, & Pſellum de diæta, non alius quàm paſſer piſcis mihi videtur. Vide infrà in F. *Pecten.* Pectinem Alberti Magni ætas imperitè pro paſſere accepit: inde forſan quòd ſpinæ huius generis piſcium rectæ & parallelæ pectinis inſtrumenti ſpeciem præ ſe ferant. Sed veterum pecten animal teſtaceum eſt, vt ſuo loco videbitur. *Plateſſa.* Eundem piſcem Auſonius plateſſam nominat, & mollis epitheton attribuit, his verbis: Letalíſque trygon, molléſque plateſſæ. Videtur autem nomen factum à Græco πλατύς: eſt enim de genere planorum & latorum. à qua origine forſan & Gallica quædam & Germanica nomina mox dicenda deriuantur. Galli quidam plane, alij platuſe vocitant. noſtri Plateiſſle. vnde Anglicum Plaiſe/ per ſyncopen factum videtur: & fortè etiam Gallicum Plye, pluribus literis abiectis. Item barbarum nomen pro Latino vſurpatum Arnoldo Villanouano, Plagitia. *Plagitia.*

Vulgaria nomina. Paſſeres hodiéque nuncupantur à Romanis, Iouius. In multis litoribus Italiæ paſſer etiam nunc vulgò appellatur, Gillius. Trita etiamnum voce paſſeres dicuntur, Maſſarius Venetus. Pronunciant Itali fœminino genere paſſara. Paſſer doctis quibuſdam hominibus noſtra Pleza (plya puta melius) eſt, Gallus innominatus. In Gallia non diſtinguitur à ſolea, Gillius. Noſtri vocant Plateiſſle: alij Germani Plateiſe: cuius nominis & ſimilium in aliis linguis etymon eſſe Græcum paulò antè monui. Pecten *(Paſſer)* quidam Pleydis (Plateis *potiùs*) vocatur. alius butha, alius rhombus, Albertus. Plattain / Flandricum nomen eſt. Bot vel Butt/ vnde diminutiuum Büth inferioribus Germanis, Flandris & aliis, paſſerem ſonat. Vnde huius generis piſcibus diuerſis nomina ſunt compoſita, Steinbut/ Tarbutt/ ꝛc. Vide in Rhombi Corollario A. In Alberti libris de animalibus variè ſcriptum reperio, Bothe/ Butha, & Bocha (perperam nimirum pro botha.) Butt (vt audio) in lacubus ſeu ſtagnis dicitur, marinis craſſior, pinguior ac nigrior: in mari Schollen/ qui ad nos vehuntur. capiuntur enim maiore copia. Sed nomen Schollen aliqui putant ad ſoleas tantùm pertinere, vt nomen præ ſe fert: ego an alij quoque paſſerini generis piſces eo comprehendantur, ſubdubito. hinc quidem ſpeciei vnius nomen Platyſiſcol compoſitum apparet. Gantzfiſch & Halbfiſch/ hoc eſt integri & dimidiati piſces, genera quædam paſſerum nominãtur apud inferiores Germanos: ſola (ni fallor) magnitudine diuerſa. Plye Gallica paſſeris nomenclatura eſt; ſed eodem nomine Germani in lacubus aquarum dulcium ad Septentrionem, haud ſcio an paſſerini generis, appellant. Piſces latos planóſque omnes, tum cartilagineos, tum ſpinoſos, communi nomine Germanico Flachfiſch appellãrim: paſſeres verò & ſimiles priuatim Plateyſiſch. Paſſer Anglis eſt Plaiſe/ Playſe. Plais eſt piſcis notus & vſitatus apud nos, &c. Obſcurus, nimirum Anglus.

B Paſſeres paſſim & in omni puto mari inueniuntur, Oceano, mediterraneo, & ſtagnis quoque marinis. Ad Liuoniam pinguiſſimi capiuntur, induratíque exportantur ad mediterranea, vt ab aliis quoque multis Germaniæ oris. Ab auis gentilis ſuæ colore nomen duxit paſſer. quemadmodum enim volucris paſſer, ſic parte ſupina candidus, prona terreus eſt, Gillius. Fulgentes ſoleæ candore, & concolor illis Paſſer, Ouidius. Marini piſces plani ſunt, rhombi, ſoleæ ac paſſeres: qui *(ſoleæ ſimul ac paſſeres, Iouius)* à rhombis ſitu tantùm corporum differunt. dexter (ſitus) reſupinatus eſt illis, paſſeri læuus, Plinius. Paſſeres magnitudine ſaporéque, & figura etiam oblongiore, à rhombis differunt: ſitu etiam diſſimiles, &c. Iouius. De ſitu leges etiam ſuprà in Corollario de Rhombo B. Speuſippus ſimiles eſſe ait piſces, paſſerem, bugloſſum & tæniam. Auſonius plateſias molles dixit: Matron Parodus pſettam χονδροφυῆ, hoc eſt cartilagineam: non quòd reuera cartilaginei generis ſit, ſed quoniam ſpinas præ cæteris ſpinoſis molliores habet. In paſſerum piſcium genere oua omnibus inſunt, Ariſtot. Bothæ *(ſic Germani vocant)* vna parte nigri ſunt, rubris maculis diſtincti, *(Bellonio paſſer tum maior, tum minor, quem quadratulum vocat, flauis lituris in ſupina ac cinerea tergoris parte ſuggillatur,)* ſcilicet in dorſo: ventre albi. toto (corporis) circuitu pinnulas habent, Albertus. Pinnas, quarum impulſu & attractione moueantur, non habent, idem.

C Bugloſſus loca arenoſa magis, paſſer cœnoſa amat, Wottonus. Ψῆτται ἐν πηλοῖσι καὶ ἐν τενάγεσι θαλάσσης φέρβονται, Oppianus. Ouidio paſſeres in herboſa arena degunt. Mneſitheus apud Athenæum ſaxatilibus adnumerat. Quomodo moueantur & natent piſces qui paſſeris vel rhombi effigiem habent, docet Ariſtoteles in libro de communi animalium greſſu, capite 17. Natant οἱ ψηττοειδεῖς, eo modo quo coclites & altero oculo orbati incedunt, Wottonus. Bothæ piſces fluuiales *(immò è mari fluuios ſubeuntes)* natant latitudine ſui corporis, (per totum nempe circuitum pinnulas habent:) tenuiſſimi enim ſunt, & valde lati, Albertus. Flatibus auſtrinis impinguantur, idem. Semel anno pariunt, Ariſtot. Terra, hoc eſt vado maris excauato, condi per hyemes torpedinem, pſittam, ſoleamq; tradunt, Plinius.

D Paſſeres Ariſtoteli piſces ſunt χυτοὶ, id eſt fuſanei, nempe gregales. Paſſeres quomodo arena ſe obruant & piſciculos venentur, in Aſellis (in primo Rondeletij de aſellis capite) dictum eſt ex Ariſtotele. Cum piſcatorem ſenſerit paſſer, in fundum deſcendens terræ adhæret, & aquam turbat ne videatur. dorſo quidem coloris terrei eſt, Albertus.

E Paſſeres piſcibus fuſaneis, qui fuſim retibus capiuntur, Ariſtoteles adnumerat. Capiuntur piſces, etiam ſine naſſis, hamis ac retibus, hoc modo. Sinus maris multi deſinunt in paludes quaſdam, quæ quidem

vadosæ sunt. Ad hæc loca periti piscatores, eo tempore cum à procellis & tempestatibus conquiescunt, multos mortales adducunt: cósq; iubent inambulare, & arenam eatenus proterere, & conculcare, quòad ex vehementi pedum impressione bene alta vestigia faciant. quòd si nec ipsa vestigia concidens arena confundat, neque ventorum perturbatione aqua concitetur: non longo interuallo eò ingressi in vestigiis impressis planos pisces consopitos, Psettas, Rhombos, Struthos (id est Passeres,) Torpedines, & plerosque alios eiusmodi capiunt, Ælianus de animalib. 14.3. Passer cùm piscatores senserit, in fundum descendens, terræ adhæret, (cuius colorem dorso refert,) & aquam turbat ne videatur, Albertus. Passeres noctu faciliùs quàm interdiu à piscatoribus capiuntur, Massarius: Quæ limo cœnóque lutescunt, conchyliis magis, & iacentibus apta sunt animalibus. neq; est eadem lacus positio, quæ recipit cubantes. atque eadem prębentur cibaria & prostratis piscibus, & erectis. Namq; soleis ac rhombis, & simillimis animalibus humilis in duos pedes piscina deprimitur, in ea parte litoris, quæ profluo recessu nunquam destituitur, &c. Columella 8.17. de piscinis loquens. Notandum hîc quòd Columella pisces planos nominat iacentes, cubantes, prostratos: cæteros verò, erectos.

F *Nos (inquam) cœnamus aueis, conchylia pisceis; Longè dissimilem noto cælantia succum:*
Vt vel continuò patuit, cum passeris atque Ingustata mihi porrexerit ilia rhombi, Horat. serm. 2. 8.

Psettæ ex eleusine celebrabantur, Pollux. Lynceus Samius cum in epistolis inquit psittas circa Eleusina Atticæ pulcherrimas esse, rhombos intelligit, Massarius. BVGLOSSI caro, vt Galenus affirmat, tenella magis est, & in cibo suauior, atque in omnibus præstantior, quam passeris: quanquam nec illius caro dura est, sed mediocris. Xenocrates autem BVGLOSSVM & psettam carnem habere duram & corruptioni minimè obnoxiam, probumq; gignere succum, & aluum mediocriter ciere prædicat. vt verò Diphilus, psettæ & BVGLOSSI suaues sunt, & copiosum præbent alimentum, Wottonus. Philotimus apud Galenum passeres inter mollis carnis pisces, & qui facilè concoquuntur, ponit: Diocles verò inter sicciores pisces, apud Athenæum: qui rursus alibi Dioclis verba hæc recitat: Τῶν μὲν νεαρῶν φησιν ἰχθύων ξηροτέρας εἶναι τὰς σάργας, σκορπίους, κόκκυγας, ψήττας, σαργοὺς, τραχούρους, &c. Mnesithei verò hæc: Τὰ δὲ καλούμενα πετραῖα, κωβιοί, καὶ σκορπίοι, καὶ ψῆτται, καὶ τὰ ὅμοια, τοῖς τε σώμασιν ἡμῶν ξηράν τε δίδωσι τὴν τροφὴν, εὔογκα δέ ἐστι καὶ τρόφιμα. καὶ πέττεται ταχέως, καὶ οὐκ ἐγκαλείπει περιττώματα πολλά, πνευμάτων τε οὐκ ἔστι ποιητικά. Sed nullus aliorum, quòd sciam, passeres saxatiles facit: rationem fortè nutrimenti non multùm dissimilem habent, Psision (Ψισίον) boni succi piscis est, & facilis concoctu. quamobrem huius vsus his commendatur, qui de morbo se reficiunt & confirmantur, & imbecilliori propterea indigent nutrimento, Symeon Sethi. Gyraldus interpres, de psisio (inquit) non habeo ampliùs quod afferam, nisi quòd & idem nomen reperio apud Psellum de diæta ad Constantinum imperatorem. Ego passerem esse non dubito. Psellus lib. 1. de victus ratione, Georgio Valla interprete, torpedinem, turturem, BVGLOSSA & psilia (*puto autem legendum psisia*) cum cibis attenuantibus numerat. Trallianus in curatione epilepsiæ inter alios pisces superfluitate vacantes, psettam quoq; exhiberi permittit. Mulli & scorpij & passeres, nutrimenti quidem ac roboris gratia omnium gratissimi existunt: grauiorem autem omnem habitum reddunt, vt ob eam causam frequentiorem eorum vsum vitare oporteat, Aëtius lib. 9. cap. 30. in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus. Inter marinos pisces ad cibum præcipue laudantur rogetus & gornatus. nam eorum caro & substantia est purissima post hos plagitia & SOLEA. sed hi magis sunt viscosi, & minùs friabiles: minùs etiam albi: magis crassi, minùs subtiles. nec sapor aut odor eorum adeò placet, Arnoldus Villanouanus. Passeres è Liuonia, aliisq; Germaniæ ad Septentriones oris, frigore indurati, ad mediterraneos exportantur: vbi per hyemem & vernum tempus, maximè vbi quadraginta dierum ieiunia obseruantur, frequentissimus eorum vsus est. Triduo ferè aqua præmacerantur, assa quotidiè recenti. Cocti pipere condiuntur. Sat boni succi mihi videntur, glutinosioris tamen: faciles concoctu, & sitim reprimere. Minorum genus quoddam Norinberga ad nos mittit: qui ferè albiores, molliores ac delicatiores sunt. Cocti pipere condiuntur. placent & vuis passis simul elixis. Passeri elixo, petroselinum, asso, mala rancij succum indes, Plantina.

G Passerem aliqui aiunt, cùm iam putrescere & malè olere incipit, in cibo sumptum, valdè perturbare aluum.

H. a. Quod ad passeres Latinè dictos, & στρουθοὺς Græcè, philologiam habes in Passere volucre. Passer marinus non solum piscis est, quo de agimus: sed auis quoq;, quam vulgus vocat struthiocamelum, apud Festum. Sipontinus stritomellum legit, & auis genus esse dicit. Curriculo vola. P. Istuc marinus passer per circum solet, Plautus Persa. nempe struthocamelus cursum suum alis tanquam ad volatum extensis promouet. Ψῆττα per duplex τ. plerique omnes scribunt: apud Trallianum tamen ψῆσσα per duplex σ. reperi: tanquam hoc communis linguæ sit, illud Atticæ. Solet & prima per ἦτα scribi, per iôta nunquam aut rarissimè inuenias. hinc ψισίον fortè ceu diminutiuum à Symeone & Psello vsurpatur: quod parum probo: sed minùs etiam ψυτίας, apud Suidam repertum. Anaxandrides apud Athenæum ψιττάδιον diminutiuè dixit, id est passerculum.

Epitheta. Platessæ molles, Ausonius. Ψῆττά τε χονδροφυής, Matron Parodus, Ψῆτταν μεγάλην, Archestratus laudat. sed quæ perpetua non sunt, epitheta quoq; non sunt.

Passerinus, Psettaceus, Ψηττοειδής. Vide suprà in A. Lapis Eislebanus refert aliquando effigiem passeris marini, Ge. Agricola.

Ψιττάλεια parua quædam insula est circa Athenas, Suidas. Coniecerit autem aliquis à passeribus piscibus ei factum esse nomen: quanquam per η. meliùs ψῆττα scribi, quàm per iôta, monui suprà.

b Passer videtur aliquibus è duabus pellibus compositam habere (habuisse) corporis speciem, sed per medium diuisum esse vesparum modo: (*vesparum diuisio & aliorum huiusmodi insectorum longè alia est, nempe transuersi per medium inter caput cum pectore, & ventrem: alia verò ea quam in planis piscibus imaginamur.*) Vel auis est in medio secta instar vesparum: (*hoc verisimile non est*) Ἐγὼ δ' ἐὰν ὥσπερ ψῆτταν δοκῶ δεῖν ἐμαυτὸν περιταμεῖν θ' ἥμισυ. pro eo quod est, Etiamsi medium me secari oporteret, volo, Suidas in Ψῆττα. Germani etiam qui passeris speciem Halbfisch appellant, id est dimidiatum piscem, per medium veluti diuisum apparere insinuant.

Ἔσω δ'

f. Ἔσω δ' ἡμῖν βατὶς νῶτον, κέστρας ὀσφὺς, ψῆττα κίχλος, (vocabulum apparet corruptum, in cuius locum substituendum aliud partem aliquam corporis significans,) Antiphanes apud Athenæum. Lynceus Samius pisces aliquot Rhodios Atticis cōparans, psettis (*Massarius psettas hîc rhombos interpretatur*) & scombris Eleusiniacis, & si vllus alius nobilissimus illic piscis sit, vulpem in Rhodo opponit. Apud Athenæum quidam ad sartaginem se emisse dicit psettas, phycides, squillam, &c.

h. Hominem mollem & delicatum olim psettæ vocabulo notatum arbitror. nam apud Scholiasten Aristophanis in Nubes, vbi Leogoræ cuiusdam meminit poëta, sic legimus. Λεωγόρας τρυφερός τις (ἦν,) Πλάτων Πεισάνδρῳ: Ὦ θεῖε Μόρυχέ τε, νῦν γὰρ εὐδαίμων ἔφυς, Καὶ γλαυκέτης ἦ (fortè ἢ vel καὶ) ψῆττα, καὶ Λεωγόρας. Morychus quidem (vt idem in Acharnenses scribit) poëta tragicus, tanquam opsophagus & voluptati deditus traducitur. Plura de eo scribit Erasmus in prouerbio Stultior Morycho. Passeres aut soleæ (communiùs enim esse puto nomen Schollen) inferioribus Germanis, in prouerbiis quibusdam recepti sunt: qualia sunt; Du hast Schollen gessen/die Händt kleben dir: id est, Passeres gustasti, manus viscosas habes, in hominem furacem. Et hoc: Du kompst achter nahe/als Büthen mit den Schollen: quod verterim: Tardiùs sequeris, vt passeres cum soleis: cuius vsum esse puto in hominem tardiùs & post omnis periculi metum aduentantem.

III. COROLLARIVM DE BVGLOSSO SEV SOLEA.

A LINGVLACA piscis idem videtur qui Solea. Vide suprà Elemento L. Buglossus ut aliquando fœminino genere in a. vel neutro in um, apud authores reperiatur, masculinum tamen in us terminationem præ cæteris probârim: nam & adiectiuum videri hoc nomen potest, & subaudiri ἰχθῦς. Athenæus βούγλωττα, tanquam ex Aristotele citat. verùm in iis, qui extant, Aristotelis libris, buglossi nomen prorsus non legitur. Τραχούρων τ' ἀγέλαι, βούγλωσσοι, καὶ πλατύουροι, Oppianus lib. 1. Halieut. vbi Bellonius, fortè ex Lippij versione, ponit Buglossæ. Βούγλωσσον, piscis quidam, & genus herbæ, Hesychius. apud Varinum non bene scribitur βούγλωσις. Buglossum Attici psettam vocant, Athenæus. Vide suprà in Passere: vbi etiam ostensum est psettam videri generale vocabulum ad rhombum, passerem & soleam. Ἔπεμψά σοι ψῆτταν, καὶ σανδάλιον, καὶ κεστρέα, Alciphron in epistolis piscatoriis. videtur autem sandalij nomine non alium quàm soleam intelligere piscem. Psetta pisciculus quidam planus est: vel is quem nonnulli sandalium aut buglossum nominant, Varinus. Σάνδαλα δ' αὖ παρέθηκαν ἀεὶ ψυχῇ (videtur locus vitiatus) ἀθανατάων, Ὧν βούγλωσσος ἔναιεν ἐν ἅλμῃ πορφυρούσῃ, Matron Parodus. Buglosson, piscis dictus solea, Syluaticus. Solea est piscis, à figura denominata, eò quòd calciamentorum soleis assimiletur, Incertus tanquam ex nono Plinij: vbi is soleam nominat duntaxat, nominis rationem (per se quidem manifestam) non exprimit. Græci à bubulæ linguæ similitudine buglossum appellant, quàm hac ætate Romani soleam vocant, Hispani Lingulacam, Gallus. Ego glossam hodie à Græcis alicubi nominari audio: Ab Italis sfoglia, vnde diminutiuum fit sfoletto. Hispanis Lenguado, Lusitanis Linguádo. Bellonio tænia sua, vel altera soleæ species sfolio Romæ dicitur: Rondeletius soleam simpliciter Venetiis sfoiam, à folij alicuius maioris similitudine vocari scribit. Piscis quem inferiores Germani Scholle/Schulle/vel Scolle indigetant, si solea non est, vt nomen præsefert: (nam & Galli Sole vocant, quibus cum illi plura quàm nos communia habent,) passerum tamen generis omnino est. Præstabit cum Frisiis & aliis quibusdam hunc piscem nominari Tonge vel Tunge/ id est linguā. nos Zunge proferimus. nam inferiores Germani t. vsurpant in multis, vbi nos z. vel s. Pisces qui dicūtur linguę (*apud Germanos*) vel soleæ, litorales sunt, Albertus. Angli etiā, vt Galli, nominant a Sole. Eliota squatinam interpretatur a Solefishe/aspera cute. ego squatinam Anglicè Skate dici puto. Esto igitur nostris Solea, ein Zunge: Solea altera, ein andere Zungen art. & Tænia Bellonij, alia quædā Soleæ species, ein kleine dünne Zungen art. Sed alia est Rondeletij Tænia, quam describemus infrà, Elemento T. Saxaulis inter pisces salubres nominatur in Regimine Salernitano. vbi Arnoldus interpres: Saxaulis (inquit) vel Saxaulus piscis est marinus, Gallicè dictus Sola. alij piscem esse aiunt, Teutonicè dictum ein Thoge (*lego ein Tonge: vt sit idem cum Sola Gallorum*) qui piscis inter marinos saluberrimus habetur.

Citharum asperum sunt qui verum buglossum esse credunt, nec sine ratione, &c. Vide Rondeletium de Citharo aspero, suprà Elemento C. *Citharus.* Idem Rondeletius dubitat Escharús ne vel Coris Athenæo memoratus, *Escharus.* idem sit piscis cum illo quem ipse soleam oculatam nominat. sed cum Athenæus escharum cum planis piscibus ex Dorione nominet tantùm: sicut & escharas cum aliis quibusdam nullius certi generis ex Archippo, affirmari de his nihil potest.

Marinorum quidam sunt plani, vt rhombi, soleæ, ac passeres: qui (passeres & soleæ) à rhombis situ B tantùm corporum differunt, &c. Plinius. Vide superiùs in Passere B. Citharum buglosso vel rhombo similem descripsimus in C. suprà. Solea piscis non admodum longus est, verùm subtilis: & soleæ similitudinem habet, vnde nomen accepisse puto, Platina. Maxima in Belgicis Oceani litoribus reperitur, nostrates pedalem longitudinem rarò superant, Iouius.

Pisces sunt litorales Oppiano & Alberto: Ouidio in herbosa arena degunt. Buglossus arenosa magis, C passer cœnosa amat, Wottonus. Terra, hoc est vado maris excauato, condi per hyemes psittam soleámque tradunt, Plinius.

Soleæ maleficos pisces defugiunt: eáque solùm frequentant loca, in quæ belluæ minimè accedunt, ita D vt argumento sint maleficos non esse, vbi ipsæ, veluti solutæ metu, vagentur, Iouius. Verùm hic soleis priuatim attribuit, quod Plinius planis omnibus. Certissima est securitas (inquit Plinius) vidisse planos pisces, quia nunquam sunt vbi maleficæ bestiæ. qua de causa vrinantes, sacros appellant eos. Hæc ille, perperam ex Aristotele. nam is non de planis piscibus, sed anthiis hoc scribit.

De piscinis pro piscibus planis, vt soleis ac rhombis, verba Columellæ recitauimus in Passere E. E

Solea hodie in lautioribus conuiuiis, in summa etiam cæterorum piscium copia, magnam obtinet F claritatem, Iouius. Nobilis quidam coquus aulæ procerum ingeniosissimus, comparabat rhombum phasiano, soleas externis, lampetras coturnicibus, Idem. Ex Xenocrate quædam & Galeno aliisq;, quod ad nutrimentum ex passeribus, iam suprà recitaui in Passere F. vbi etiam Soleæ Buglossiq; nomen maiusculis literis signaui. Buglossi caro, vt docet Galenus (in libro de cibis boni & mali succi cap. 3.) ex iis est, quæ succum gignunt neq; crassum admodum, neq; tenuem, sed qui vsquequaq; mediocritatem obtineat: qua

& in saxatilium penuria, eorum loco vti licebit, Wottonus. Solea leuissimum adgenerat nutrimentum in stomacho, facilè cõcoquitur: & in secundis venarum & iecinoris digestionibus nulla fermè noxiarum superfluitatum excrementa relinquit, Iouius. Piscis est marinorum, iuxta medicos, infirmis in cibo suauissimus *(saluberrimus:)* minus enim cæteris pituitæ gignit, & sapore gratus est, Obscurus. Soleam frictam petroselino minutim conciso, & agresta, aut succo malarancij suffundes, Platina. Probatur hyeme, & frixa arancij mali succo piperéq; conspersa, Iouius. Patinam solearum describit Apicius lib. 4. cap. 2.

G Lieni medetur solea piscis impositus. item rhombus viuus, dein remittitur (rursum viuus, Marcellus) in mare, Plinius. Buglossus impositus spleni, & fascia alligatus, naturali quodam modo eum imminuit. oportet autem eum post tres dies ad fumum suspendere, Kiranides.

H. a. Buglossus piscis est marinus, qui dicitur Scitopimia, *(vox videtur corrupta,)* Kiranides.

Epitheta. Fulgentes soleæ candore, Ouidius. Βούγλωττος ὑπότρηχυς, Archestratus: qui hoc nomine terminatione masculina, genere autem fœminino vsus est. subdit enim ταύτην δ' ἦρα.

Est & Buglossus herbæ nomen medicis notæ. Βου syllaba in compositione auget, & magnitudinem significat: siue quoniam βοῦς, id est bos animal magnum est, (vti & ἵππος, id est, equus: quod nomen similiter in compositione, magnitudinis nota est:) siue quoniam dialecto quadam β. pro π. ponitur, & βου pro πολυ'.

Solea id genus calceorum est, quo plantæ tantùm obteguntur, cæteris propè relictis nudis pedis partibus, supernè pedem vinciens ansis, quas ligulas vocant. alio nomine suberes dicuntur, & à Græcis crepidæ: licet hæc differre putent aliqui, vt scribunt grãmatici quidam recentiores. dictæ soleæ, quòd solo pedis subiiciantur, vt ait Festus. Aulus Gellius, Omnia fermè id genus, inquit, quibus plantarum calces tantùm in fine teguntur, cætera parte nuda, & teretibus habenis iuncta, soleas dixerunt, nonnunquam voce Græca crepidulas. Martianus Capella: Calcei admodùm furui, quorum maximè soleæ atræ noctis nigredine colorantur. Cicero de Arusp. respons. muliebres soleas nominat. Horatius 1. Carm. Nec soleas fecit, sartor tamen est bonus. Galli nunc omne genus calceamenti communi vocabulo Solier appellant: nostri eam calcei partem quæ vestigium seu solum pedis tegit, die Solen. Soleæ ferreæ equis & mulis applicantur, Catullus ad Coloniam, Ferream vt soleam tenaci in voragine mula. Suetonius in Nerone, Soleis mularum argenteis, Soleæ ligneæ, Cicero 2. de Inuent. Solearum lanatarum epigramma est Martialis libro 14. Solea etiam dicebatur instrumentum oleo conficiendo aptum. Columella libro 12. Oleo autem conficiendo molæ vtiliores sunt, quam trapetum, quàm canalis & solea. Item materia roborea, super quam paries cratitius extruitur, apud Festum. Soleatius, solearum sutor, in Aulularia Plauti. Soleatus, qui soleis indutus est. Cicero 7. Verr. Stetit soleatus prætor pop. Rom. cum pallio purpureo, tunicáque talari, muliercula nixus, in litore. Martialis lib. 12. Etsi iam lotus, iam soleatus erit. Buglossi occulto conuicio dicebantur homines muneribus corrupti, & quibus bos in lingua est, vt in Boue quadrupede dixi. Εἶθ' ἁλιεὺς ὢν ἄκρος, σοφίαν ἐν παγύροις μὲν θεοῖς ἐχθροῖσι, καὶ ἰχθυδίοις εὕρηκα παντοδαπὰς τέχνας. γερόντια βούγλωττον τὸ μὴ ταχέως πάνυ συναρπάσομαι καλόν γ' ἂν εἴη. Xenarchus apud Athenæum: tanquam & buglossus præsertim vetulus, astutior sit, & capi difficilior. sed locus mihi deprauatus & obscurus videtur.

f. Ψωρίδες τε βούγλωσσοί τε καὶ κίθαρος, Epicharmus in Nuptiis Hebæ. Εἶτα λαβεῖν ψῆτταν μεγάλην, καὶ τὴν ὑπότρηχυν βούγλωσσον ταύτην θέρα περὶ Χαλκίδα κεδνήν, Archestratus apud Athenæum lib. 7. in Buglosso primum, deinde in Pletta. ego locis vtrisq; inuicem collatis, lectionem instauraui.

TÆNIA quæ nunc ab Hispanis Azedia nuncupatur, Soleæ similis, sed minor ac strictior est, Gillius.

CYNOGLOSSVM quoque psettam vocant Athenienses, à buglosso diuersum, Wottonus. Sed Athenæi locus, quem interpretatur, sic habet: Βούγλωσσος. (Hoc nomen pro lemmate ponitur.) Τῶν δὲ βουγλώσσων διαλλάττοντές εἰσιν οἱ κυνόγλωσσοι. περὶ ὧν καὶ αὐτῶν Ἐπίχαρμός φησιν Αἰλίαι, (Αἰολίαι,) πλατές τε, κυνόγλωσσοί τε. Ἀττικοὶ δὲ ψῆτταν αὐτὴν καλοῦσι. in quibus verbis αὐτὴν ad buglossum potiùs (quo de agit ex professo) quàm ad cynoglossum retulerim. Si quis tamen ad vtrunque malit, esto. psettæ enim nomen generale esse ostensum est.

IV. COROLLARIVM, DE PASSERIBVS *aliis diuersis.*

Maculæ, & earum color. MACVLARVM varietas & color, vt certius dignoscantur quædam passerum species, facit. Albertus Rhombo in parte nigra, id est prona, maculas rubentes tribuit. Plagitia, in Regimine Salernitano, piscis est latus (inquit Arnoldus Villanouanus commentariorum author) qui habet in vna parte suæ pellis maculas rubeas: est autem pellis tota alba, os coruum. Habet etiã passeris genus illud, quod Angli Flunder nominant, (sed Flonder Bellonio Flesus est, ad passerem accedens, demptis luteis maculis) Germani (puto) Plateißfisch/ maculas rubeas, vt audio: Platiisã verò Germanorum, nigricantes. Passer tum maior, qui Plya Gallicè dicitur: tum minor, qui Quadratulus, flauis lituris in supina ac cinerea tergoris parte suggillatur, Bellonius. Rondeletij Solea oculata, in prona parte maculas habet magnas, oculorum effigiem cum iride & pupilla referentes.

Flettam, Flesus & Fleteletus. HIPPOGLOSSVM suum Rondeletius, vulgò Gallicè Flettan putat inde dictum, quòd fluitando natet: quæ etymologia si vera est, Fleso quoq; & Fleteleto piscibus à Gallis ita dictis in eodem passerum genere, nomen dedisse videri potest.

QVADRATVLVM passerem à Gallis dictũm, vulgo Garlet, Germanicè passeris speciem exiguam interpretor, ein kleine Plateißle art: vel à figura quadrata, ein geviertts Plateißle.

POLAM vulgò dictam à Gallis Rondeletius Cynoglossum, Bellonius Soleam alteram nuncupat. Galli in hac voce Pole, o, obscurè proferunt, ad au. diphthongum declinans. Germani vocare poterunt ein Hundszungen/ id est, Canis linguam: vel ein verkehrte Zungen/ id est, Soleam inuersam, quòd os ei oppositum ostendat, quemadmodum & rhombus passeri. Carnem eius molliorem esse audio, quàm Soleæ.

LIMANDA passeris quædam species à Gallis dicitur, figura quidem passeri similis, sed nec sapore, nec bonitate nec specie carnis. fibrosa enim est, vt Io. Caius Anglus nos docuit. Eius Anglicum nomen Bellonius scribit Brut, Ego verò Anglos proferre audio Burte/ vel Birte/ vel Brette: fortè à latitudine

plana,

plana. (sic enim nostri quoque asses, siue asseres & tabulas ligneas vocant. & inde pisci huic nomen aptum *Flunder.* fingemus, ein Brettfisch.) Vocatur & Burt cock Anglis eiusdem generis piscis, mas ni fallor, Cock quidem gallinaceus est. Bellonius in litore Angliæ exiccatum hunc piscem ad Germanos transferri ait: Caius verò apud Anglos nunquam siccatum se vidisse, etiamsi vulgaris sit piscis.

PASSERIS è mari fluuios subeuntis species, Britannis in Tamesi fluuio nominatur Flunder / Flonder/ vel Flowndер. Galli Flesum vocant. Hunc piscem maculas rubeas habere, ni fallor, audiui: Bellonius verò ad passerem accedere scribit, demptis luteis (quas passer habet) maculis.

FLETELETVM passerini generis piscem Fleso maiorem Britannicum vulgus Helbut nominat, Bellonius. Eliota Anglicè scribit Hallibutte/ (& Vmbram interpretatur, qui tamen piscis est non planus:) Caius Holybut. Heiligbutt (sic enim nomen integrum Germanicè scribitur) Passerem sacrum significat, fortè à magnitudine. nam sacrum pro maximo etiam Græci vsurpant. Piscis in ora Germaniæ dictus Quep vel Heilligbutt/ similis passeri, pedes circiter duodecim longus, fortissimus in aqua. Segmenta eius oblonga indurant ad Solem, quæ vocant Raff & Regling. Ea aliò deportata habentur in deliciis.

PASSERVM species quædam maior Germanicè Gantzfisch/ hoc est integer piscis dicitur: & alia minor Halbfisch/ id est, dimidiatus piscis. Minorem audio è mari in Albim venire: rarò capi, & pergratum esse in cibo cùm recens est. Lindauiæ ad Acronium lacum, leucisci lacustris speciem (quæ à cyaneo colore vulgò denominatur) anno ætatis quinto Halbfisch appellant.

DE PASTINACA MARINA, BELLONIVS.



A PASTINACAM appellauerunt Latini, quam Græci τρυγόνα, hoc est Turturem, à tergoris colore, ac quibusdam veluti expansis alis, in eius auis similitudinem dixerunt: Lutetiæ (vbi verno præcipuè tempore frequentissima est) nullo præterquam Raiæ nomine discernitur, ac cum raiis in foro piscario nullo discrimine diuendi solet. Quanquam Burdegalis & Baionæ peculiare nomen habeat, vbi Taram rotundam appellant, ad discrimen Aquilæ, cui Taræ Francæ nomen indiderunt. Massilienses ac Genuenses Ferrassam, Romani Bruchum nominant.

B Planus est piscis, duplicis quidem notæ, in læuem & asperum distinctus: etsi vetustiores piscium scriptores, læuem tantùm Pastinacam agnouerint. Cute glabra ac perpolita integitur, cuius dorsum liuet in corticis platani modum: venter autem albicat, pluribus veluti striis per carnem hinc inde deductis. Aspera Pastinaca, tota horret aculeis, atque ad caudam præsertim (quam radicis Pastinacæ longitudinis habet) permultis vncinis in gyrum dispositis scatentem. *(Ego suprà in Aquila, pag. 77. asperrimam Pastinacæ caudam exhibui: quæ longa fuit dodrantes sex cum palmo. Reor autem à simili figura potiùs ad eiusdem nominis radicem, quàm à longitudine, nomen huic pisci factum.)* Vtraq; verò Pastinaca pinnas latiores exerit, quas in alarum morem, cùm natat, expandere solet, in quo Turturem imitari crediderunt. Proinde dentibus caret, solaq; maxillæ asperitate, vice dentium, vtitur, ac branchiarum foramina, vtrinq; quina, in oris parte supina gerit.

E G B Cæterùm piscatores eodem Pastinacam vtramque, quo raias, educere pacto consueuerunt, nempe hamo & euerriculis: sed plurimùm ab earum venenato aculeo sibi metuunt, quem ad caudæ radicem, digitali longitudine, interdum duplicem, interdum etiam triplicem (quod in aspera plerunq; cernitur) exerit: ac decumbentem, dum capitur, arrigit: Radium Latini vocauerunt: de quo illud Oppiani:

Nascitur extrema cauda impenetrabile telum. *Trygoni.*

C Vtraq; Pastinaca litoralis est, & cœnosis gaudet: & Caridibus, Gobionibus, Aphyis, & Cancris (quos persæpe in eius ventriculo reperias) vescitur.

B E Hepate est admodum amplo, quo (quemadmodum & aquilæ) in dolium coniecto nostri piscatores, sua sponte eliquato pro oleo vtuntur.

DE EADEM, RONDELETIVS.

A PASTINACA piscis planus cartilagineus, notas virésq; maximè perspicuas & insignes habet, ipsóq; nomine nostris & aliis satis cognita est. Eius species duas esse dicimus: quamuis antiqui vnius duntaxat *Species duæ.* meminerint, vel ob similitudinem non distinxerint, neq; enim facultatibus, neq; caudæ aculeo differunt,

sed rostro tantùm & capite, vt postea declarabimus. Τρυγὼν Græcè dicitur, Latinè pastinaca, ita vertente Plinio lib. 9. cap. 48. Ambrosius in Hexaëmero turturem Latinè expressit ad verbum: quem secuti sunt nonnulli, vt Martinus Gregorius medicus Græcè & Latinè doctissimus, in libello Galeni de Attenuante victu, quem Latinum fecit. Nos cum Plinio & Cornelio Celso, quos Gaza etiam secutus est, pastinacam dicemus: cuius nominis vestigia secuti sunt nostri, qui pastenago vocãt, Romani bruccho, Ligures ferraza, Siculi bastonago: Massilienses bougnette, quia farina conspersa & in sartagine fricta, itrij genus quod vulgari lingua bougnette vocãt, referat. Nonnulli Prouinciales pastango vel vastango. Flandri lingua sua muris caudam. Galli raiam ob similitudinem, quam cum raiis habet. Burdegalenses tareronde. Dalmatæ laccizza. Epicharmus ὀπισθόκεντρον, quòd in posteriore parte aculeo armata sit. *(Epitheton hoc Pastinacæ fecit Epicharmus, non nomen absolutè.)* Sunt qui columbam marinam appellent. Pastinacam à Latinis dictam puto, à caudæ colore, rotunditateq; pastinacæ radici simili. Τρυγόνα verò non à colore, vt quidam *(Bellonius)* scripsit: nam piscis hic flauescit, sed ab alarum expansarum similitudine.

Pastinaca marina accipitur pro herba. Hîc vtile est studiosos lectores admoneri pastinacam marinam, & pro pisce, & pro herba à Cornelio Celso sumi, *Eadem hæc prius annotârat Cornarius in Commentariis suis in libros Galeni de compos. medic. sec. loc.)* ne quis homonymia fallatur. Is enim libro 6. cap. 7. ita scribit: Plani piscis quem pastinacam nostri, τρυγόνα Græci vocant, aculeus est, &c. & lib. 5. cap. 27. remedia docens aduersus Italiæ serpentes: Italia, frigidioresq; regiones, hac quoq; parte salubritatem habent, quòd minùs terribiles angues edunt: aduersus quos satis proficit herba betonica, vel cantabrica, vel centaurium, vel argemone, vel trissago, vel personatia, vel marina pastinaca, singulæ, binæve tritæ, & cum vino potui datæ, & super vulnus impositæ. Cùm pastinacam marinã herbis adnumeret, easq; terendas, & potui dandas esse præscribat, quæ de herbis propriè dicuntur, eam pro herba accipiendam puto. Sunt qui pastinacam erraticam pro marina legant, ego verò lectionem non mutandam censeo. Nam idem autor lactucam marinam pro syluestri dixit, & quemadmodum brassicam marinam, ita pastinacam marinam dicere possumus. Quam cõtra serpentes prodesse etiam testis est Dioscorides. *Lib. 3. cap. 59.* Serpentium morsibus, ictibusq; prodest, inquit: præsumentes quoq; nulla affici iniuria à serpentibus traduntur.

B Sed pastinacam piscem depingamus, vt à similibus internoscatur. Pastinaca piscis est planus, cartilagineus, læuis, sine squamis aculeisq; in toto corpore, præterquam in cauda, in qua aculeum longum, acutum, vtrinq; serratum habet: quem radium Plinius appellauit, Græci κέντρον, cuius dentes (sic enim serræ scissuras Cicero pro Cluentio appellauit, & Columella denticulatas falces dixit, & Plinius cancrorum forcipes denticulatas) caput versus reflectuntur, cui aliquando duo alij parui breuesq; ad radicem adnascuntur. Cauda longissima est, læuis, flexibilis, caudæ muris persimilis: initio enim crassa paulatim in eam tenuitatem terminatur, vt filum esse dicas.

Lib. 9. cap. 42. & 48. [illegible] cap. 31. [illegible] 9 cap. 31.

In cauda pastinacæ [illegible] in [illegible] φολίδας. Impropriè mihi videtur de radio pastinacæ locutus Dioscorides lib. 2. cap. 22. Τρυγόνος θαλασσίας τὸ κέντρον δὲ ἀπὸ τῆς οὐρᾶς αὐτῆς πέφυκεν ἀνεστραμμένον ταῖς φολίσιν, ὀδόντα πονοῦντα πραΰνει. θρύπτει γὰρ καὶ ἀποβάλλει. id est, Marinæ pastinacæ radius, qui eius cauda enatus aduersis squamis reflectitur, dentium dolores mitigat: nam eos frangit & euocat. Vel enim aculei serrati dentes ad caput spectantes φολίδας appellat: vel pastinacæ tegumentum, id est, squamas, siue corticem: quorum alterum φολὶς nomine significari non potest: alterum pastinacæ minime competit. φολίδες enim propriè sunt τῶν ὄφεων λεπίδες, id est serpentum squamæ, vel cortex meliùs, vt in Aristotele vertit Gaza: vnde φολιδωτὰ animalia vocat cortice tecta, quæ hyeme latent. Id apertissime ostendit Alexander Aphrodisiensis in Problematis. Πεζοῖς δὲ ζώοις τρίχας ἡ φύσις περιέβαλεν, ἑρπετοῖς δὲ φολίδας, ἐνύδροις δὲ λεπίδας ἢ ὄστρακα. id est, Pilis gradientes bestias natura texit, serpentes cortice, aquatiles squamis vel testa. Quare cùm neq; aculei serrati dentes, φολίδες dici possint, quòd substantia sint dura, planeq; ossea: neq; pastinaca cortice vel squamis intecta sit, aduersus quas à capite ad caudam versus radij dentes reflectantur: non possum non existimare, vel Dioscoridis locum inemendatum esse, vel improprio vocabulo, aut radij dentes, aut cutem læuem pastinacæ eum expressisse. Quæ reprehendendi eius autoris causa, cuius maxime sum studiosus, nemo à me dicta esse putet, sed annotandi tantùm loci gratia, ne vnica vocula a piscis huius cognitione lector diligens retardetur.

B Verùm pastinacæ picturam persequamur. Radij dentes quò propriores caudæ, eò maiores sunt: quod *Reliquum.* in causa est cur faciliùs penetret: difficiliùs autem educatur, ob reflexos dentes. Itaq; si piscem pupugerit, tanquam hamo retinet. Radius in media ferè est cauda, ex crassiore eius parte ortus. Rostrum in angulum acutum desinit: nec venenatum, vt Rauisius Textor scriptum reliquit, sed citra periculum edule est. Venenum in radio est duntaxat, quam ob causam abscissa cauda venditur, ne emptores inscij lædantur. Idem autor falsò scripsit, nullum esse huius veneni remediũ, cùm multa sint à veteribus experientia comperta, & posteris tradita, quæ deinceps proferemus. Oculos in prona parte habet pastinaca. Os, foramina pro naribus, item branchiarum foramina, in supina parte: quia neq; in hoc pisce, neq; alijs cartilagineis planis, ob corporis tenuitatẽ, in lateribus collocari potuerunt, demptis squatina & rana. Partes in quibus branchiæ sitæ, flaccidæ sunt, & carne vacuæ. *Libr. 3 de Alim. facult.* Quamobrem Galenus cartilagineis planis hoc commune esse scripsit, vt partes quæ circa caudam sunt, carnosiores sint mediis partibus, quod torpedinibus maximè inest: videntur enim mediæ ipsarum partes, veluti cartilaginem quandam tabidam habere, illud est circa branchias mucosum, vel vt modò diximus, flaccidum, quod χόνδρον τακερὸν, id est, cartilaginem tabidam vocat: nam paulò infra quina branchiarum foramina, alia est cartilago dura ac ferè ossea, quæ naturales partes à spiritalibus separat: quam in pastinaca, torpedinibus, raiisq; videre est. Pastinacæ os est paruum, interna oris regio ampla, sine dentibus, sed horum vice maxillæ sunt asperæ, ac ferè osseæ. Ventriculus satis ab ore dissitus, idcirco stomachus ei præponitur. Paruus ventriculus, angustúsq; in ecphysim desinit, à qua gracile breueq; intestinum dependet. Sequitur aliud initio angustius: quod sensim latius fit, sed priusquam maximè amplificetur, rursus angustatur, postremò in rectum intestinum desinit, vnde excrementa porracei coloris excernuntur, qualia in morbis quibusdam, & à pueris reiici videmus. Iecur in lobos duos diuisum ex albo flauescit, cui fel adhæret ex viridi flauescens. Vterus est oblongus, quo oua continentur. Latera in tenuem quandam substantiam & branchiarum substantiæ similem desinunt.

B C Pastinaca latitudine sua natat: pinnis enim caret, autore Aristotele (lib. 1. de hist. cap. 5. & lib. 9. cap. 20.) Item

Item Plinio. E planis aliqua non habent pinnas, vt pastinacæ: ipsa enim latitudine natant. In cauda pinnulam quidem habet: sed Aristoteles & Plinius, quum de piscium pinnis loquuntur, eas quæ ad natandum impellendúmque corpus datæ sunt, intelligunt, non eas quæ vel ad tuendum corpus, vel ad dirigendam natationem conferunt. *Quomodo natet, & de pinnis eius.* Non solùm natat, sed enim volat, si Æliano credimus: quum enim, inquit, natandi cupiditate affecta est, natare potest: quum rursus volandi studio tenetur, sursum versus sublimis volat.

In cœnosis locis non procul à litoribus degit. Vescitur piscium carne, quos non robore, sed astu & solertia capit. C Plinius: Pastinaca latrocinatur ex occulto, transeuntes radio (quod telum est ei) figens. argumentum solertiæ huius, quòd tardissimi piscium hi, mugilem velocissimum omnium habentes in ventre reperiuntur. Coëunt pastinacæ, non solùm admotis supinis partibus, sed etiã tergo fœminarum supinis marium superpositis: cauda enim cùm valde crassa non sit, impedimento esse non potest. Fœtus verò non recipiunt, vt nec raiæ, ob caudæ asperitatem, vt autor est Aristoteles. Verùm in Pastinacis caudæ asperitas, de aculeo tantùm intelligenda est: præter hunc enim tota cauda læuis, in raiis verò tota aspera.

G *De veneno ex pastinacæ radio.* Radij pastinacæ miras vires tradit Oppianus lib. 2. ἁλιευτικῶν, quippe cuius veneno mortiferæq; vi cedant tela Persarum venenata: qui mortua etiam pastinaca vires suas seruat, quas non solùm in animantes, sed etiam in saxa, herbas arborésque *(& quæcunque contigerit)* exerit: illius enim contactu exarescunt & contabescunt. Hunc radium Circen Telegono dedisse narrat, vt eo aduersus hostes vteretur, quo tamen incautus patrem necauit. Versus aliquot Oppiani adscribam, vt eorum elegantia lectores ad locum integrum perlegendum incitentur:

Τρυγόνι δ᾽ οὔπω τι κακώτερον ἔπλετο πῆμα
Χαλκήων, οὐδ᾽ ὅσα φαρετρηφόρων ἐπ᾽ ὀϊστῶν
Τρυγόνι γὰρ ζωῇ τε βέλος ῥίγιστον ὄπηδεῖ
Ζώει τε φθιμένης, καὶ ἀτειρέα δύεται ἀλκήν
Τρώματος. οὐδ᾽ ὅσα χεῖρες ἀρήϊα τεχνήσαντο
Πέρσαι φαρμακτῆρες ὀλέθρια μητίσαντο.
Ζαφλεγὲς, οἷόν πού τις ἀνὴρ πέφρικεν ἀκούων:
Ἄτροπον, &c. *(Alios etiam huius poëtæ versus de Pastinacæ aculeo reperies suprà in Corollario de Gladio B. pag 382.)*

Lib. 8. cap. 26. Ælianus tradit huic aculeo adeò mortiferam vim inesse, vt celeriter non modò homines, sed etiam animalia perdere queat. quod quidem ipsum (inquit) vt non admirabilitatem facit: certè id stupendam admirationem habet, quòd, si ad maximam arborem & vegetam, & summè virentem aculeum admoueas & defigas, non multò pòst amittit folia: quæ postquam defluxerint, totus truncus similis est arboribus Sôlis ardoribus exiccatis. Quòd homines necet, idem scribit, vnde & Nicander ἰλοεργὸν τρυγόνα vocat. *Historia.* Plinius lib. 32. cap. 2. pastinacæ radio arbores necari dixit. Id hoc loco verè referre possum, cuius testis præsens fui. Rusticus quidam è Ceneniis montibus, cùm pastinacam à se furto sublatam veste tegeret, telo femori infixo vulneratus est: sed ne furtum deprenderetur, ad vulneris dolorem exclamare non ausus, clàm ad me venit, rem omnem aperit, telum adhuc infixum monstrans: quod dilatato vulnere extractum est, atq; intereà dum cremaretur, & in cinerẽ redigeretur, vulneri pastinacæ iecur imponendũ curaui, nec id sine successu: paulò pòst enim sedatus fuit dolor, cœpitq; tumor summitti, nihilominus tamen cùm nõ ignorarẽ piscem istum sui veneni habere in se antipharmacum, radij cinerem cum aceto vulneri admoui. Quo, & veneno medicatus sum, & vulnus recens planè exiccaui. Venenum istud nostris piscatoribus notum est: captis enim pastinacis caudas abscindunt, nisi si aliquando in forum piscariũ integras deferant, in gratiã medicinæ studiosorũ: qui à me & de pisce, & de eius in medicina vsu admoniti, eas emunt & exiccãt. Sunt permulta alia veneni huius remedia. Pastinaca ipsa diuulsa & vulneri imposita, sui ictus medela est, vt tradit Dioscorides lib. 8. cap. 6. *Lib. 13. cap. 37.* Superstitiosius aliud remedium docet Aëtius. Deniq; omnia quæ viperarum morsibus medentur, ei qui à marina pastinaca icitur, conuenire autor est Dioscorides. *Ibidem.* Plinius lib. 28. cap. 10. contra pastinacã & omnium marinorũ ictus vel morsus, coagulũ leporis vel hædi, vel agni, drachmę pondere ex vino prodesse tradit. *Libr. 32. cap 5.* Item cõtra eandẽ prodesse etiã mullum illitum vel in cibo sumptum.

Remedia ex pastinaca. Neq; verò solùm multis nos præsidiis contra malum hoc muniuit parens rerum natura: sed etiam vt malorum aliorum remediũ à pastinaca sumeretur effecit, vt nullus planè sit de ea cõquerendi locus. Nam, vt Dioscorides lib. 2. cap. 22. docet, Pastinacæ radio dentium dolor mitigatur, quoniam eos frangit & euocat. *Lib. 32. cap. 7.* Quod Plinius apertiùs docet: Pastinacæ radio scarificare gingiuas, in dolore dentium vtilissimum: cõteritur is, & cum elleboro albo illitus dentes sine vexatione extrahit. Aliam vtendi rationem docet Cornelius Celsus lib. 6. cap. 9, de dolore dentium scribens: Plani piscis, quem pastinacam nostri, τρυγόνα Græci vocant, aculeus torretur, deinde conteritur, resinaq; excipitur, qua denti circundata, hunc *(dentem soluit & excidere facit)* soluit. *Plinius lib. 32. cap. 10.* Prætereà pastinacæ radius adalligatus vmbilico, existimatur partus faciles facere, si viuenti ablatus sit, ipsaque denuo in mare dimissa. Pastinacæ verò iecur (inquit idem Plinius) in oleo decoctum, pruritum scabiemq; non hominum modò, sed & quadrupedum efficacissimè sedat: id quod in cane primùm, deinde in homine verum esse sum expertus, sed efficacius redditur medicamentum, si in oleo iuniperi iecur dissoluatur. Si verò crustosa sit scabies, olei tartari modicum admiscendum.

Perpensus Galeni locus de Pastillis trygonis. Profuerit hîc Galeni locum illustrasse *(Obseruauit hæc primus Cornarius, in Commentariis suis in libros Galeni de compos. med. sec. locos)* in quo de iis quæ stupefaciendo dolorem sedant, loquitur libro 22. methodi medendi: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ φάρμακα διὰ τῶν σπερμάτων ὀνομαζόμενα, καὶ τρυγόνος, μετριώτερα μὲν εἰς τὴν ἐν τῷ παραχρῆμα νάρκην, ἀκινδυνώτερα δὲ εἰς τὸ μέλλον. vbi pro τρυγόνος, id est pastinacæ, legendum τρίγωνα: sic enim à triãguli figura vocat τροχίσκους, καὶ κυκλίσκους, quos Latini pastillos appellant. Hæc peruersa lectio Thomam Linacrum medicum Latinè & Græcè doctissimum, Galeniq; interpretem optimum, in errorem induxit. Sic enim Galeni locum citatum conuertit. Sunt sanè & alia non pauca ex seminibus confecta, Græcè διὰ σπερμάτων & τρυγόνος ex pastinaca pisce. Qui locus in nonnullis exemplaribus Latinis emendatus fuit, hoc modo: Sunt & alia medicamenta, non pauca ex seminibus confecta Græcè διὰ σπερμάτων & τρίγωνα nominata, quæ sicut ad torporem in præsens inducendum mitiora, ita in futurum sunt tutiora. Illud verò medicamentum ex seminibus, siue trigonum, siue trochiscus, non pastinacam piscem (etiamsi dolorem in vulnerata parte, stuporem in toto corpore inducat, vt prodidit Aëtius) sed apij hyoscyami, anisi semina, & opium recipit, doloris leniendi vim habens: stupefaciendo quidem ob opiũ, hyosciamumq;: discuciendo verò, ob apium & anisum. Vide quanti erroris, quantumq; in Medicina pernitiosi, occasionem præbeat voculæ vnius peruersæ lectio. Nunc

Nunc illud disquirendum est, num à mensis reiicienda sit, neq; in cibis numeranda pastinaca, quod nonnullis visum, quia radio venenatos ictus inferat. At omnia quæ vel ictu, vel morsu venenum infundūt, omnibus partibus venenata non sunt: sed vel aculeos duntaxat, vel dentes venenatos habent, reliquas verò partes veneni expertes. Et, vt terrena omittamus, in marini aranei, siue draconis aculeis, qui ad branchias sunt & dorsi initio, venenum inest: sic & scorpio ictu lædit: illis tamen citra vitæ vel valetudinis periculum vescimur. Idem de pastinaca sentiendum, cuius radius duntaxat venenatus est, quo resciſſo citra incommodum vllum quilibet ea vesci potest. Quanquam quæ de eius carnis substantia scribit Galenus lib. 3. de Aliment. facult. non satis probem, cùm eam mollem iucundamq; esse dicat: & in libello de Attenuante victu saxatilium loco substituat: *(quam sententiam Psellus quoque in libro de victus ratione sequitur.)* Sola, inquit, cartilagineorum torpedo & pastinaca (sic enim meliùs quàm turtur, vt vertit interpres) laudantur, possisq; nonnunquam in saxatilium penuria iis vti. satius tamen fuerit eos pisces præparari, aut albo iure porrum prolixiùs immiscendo, & piperis porciunculam. Quæ præparatio satis arguit pastinacam torpedinémque, succo & substantia, saxatilibus minimè similes esse. Porrum enim piperq; non nisi ad crassi siue glutinosi, vel crassi glutinosiq; humoris attenuationem in cibis permiscentur. Quòd si certius huius rei iudicium facere volueris, sensum gustatus iudicem adhibeas, quemadmodum ego sæpius feci. Nam reuera carnem pastinacæ mollem, insuauem, ferinum quid resipientem, maliq; succi esse comperies. Quare non sine ratione etiam à plebe reiicitur, nec nisi in summa aliorum piscium inopia emitur. Elixa ex aceto editur, vel farina consperſa frigitur.

Notatur Galenus.

A Hactenus de pastinaca: quam verè nos repręsentasse constat, ex his quæ ex Aristotele, Plinio, Cornelio Celso, Galeno, Dioscoride protulimus. Omnium enim consensu planus est piscis, cartilagineus, è cuius cauda radius enascitur. Quæ omnia sensus ipse, & experientia ei quam depinximus, conuenire docent. His accedit vulgaris gentium variarum appellatio, Latini nominis vestigia retinens.

Veram se pastinacam dedisse.

COROLLARIVM.

A Pastinacam Veneti piscem columbum appellant, Massarius. Rondeletius Orbem piscem, Venetis columbum vocari scribit: & similiter Galeum læuem Romanis. Bruccus vulgò dictus Romæ piscis, aquilę pisci similis est, nisi quòd vnum tantùm habet radium, & rostro est obtuso. Est & alius piscis, similiter bruccus dictus, qui venenatum radium cinerei coloris habet. eum esse veram pastinacam eruditi quidam existimant, Hæc olim Cornelius Sittardus ad me scripsit. An bruccus fortè dicitur, ceu bronchus, ab ore prominente? Taræ nomen Aquitanis in vsu, à Turture factum videtur. Turtur auis Hebraicè tor sonat, Italicè tortora: ad eas voces Tara Gallicum accedit, Ligures vocant Ferrasam, Massilienses Glorinum, (vt & maiorem pastinacam, Gloriosam Narbonenses,) Gillius. Videtur autem Glorinum dicere, quasi gloriosum seu ambitiosum piscem: fortè quòd caudæ radium erigat, vt ceruicem & cristas superbi & ambitiosi milites solent: & plerosque cæteros pisces facile præ se contemnat. Ferrasa verò nominata apparet, quòd eius cauda mucrone osseo ad vulnerandum, vt hasta ferreo muniatur. Arma vt telum perforat vi ferri, & veneni malo, Plinius. Anglos audio piscem columbam Italis dictum, vulgò vocare a Possen: Germanis inferioribus een Pylstert, quę vox sagittæ caudam significat. Stert quidem cauda est: & piscis huius nomen Flandris sua lingua caudam muris significare, author est Rondeletius. Flandri fortè pronunciarent, een Ratte pemt. Sed Pile etiam genus muris est, Noricum interpretatur Ge. Agricola: quem Rottenmusz alij vocant, cauda admodum breui, quum Pastinacæ cauda oblonga sit. Genuenses quoque aquilam, pesce ratto vocant. Meertauben (id est, turtur) alicui ad oram Germaniæ dictus piscis, pastinaca fortè aut eiusdem generis piscis est. aere durari solet. Ego Germanicum, regioni nostræ conueniens, huius piscis nomen confinxerim, Gifftroche / id est, Raia venenata: vel Stabelroch / vel Angelfisch / ab aculeo siue radio in cauda venenato. aculeum enim (sicut & hamum) nostri angel vocant. Sic & Pastinacam maiorem, quam aliqui Aquilam marinam vocant, interpretari licebit, Adlerfisch / oder Krottenroch / (caput enim bufonem refert,) oder grosser Angelfisch. quò minùs enim Meeradler interpreter, haliæetos auis facit, quam Angli vocant an ospray. Sunt qui Pastinacam marinam, vulgò Columbam mar. vocent, ein Meertaub. quanquam autem & alij multi pisces in diuersis corporis partibus aculeati sunt: nihil venenatius tamen Pastinacæ aculeo, vt meritò per excellentiam, hoc illa sibi nomen vendicet.

Rondeletius Pastinacæ species duas facit, non aliter ferè quàm rostro & capite differentes. de harum altera, quæ maior est, egimus suprà in Aquila, Elemento A. Bellonius tres species facere videtur, maiorem primùm, quam Aquilam nominat. deinde minorem. quam in læuem & asperam subdiuidit. Nos tamen suprà in Aquila caudam asperæ cuiusdam Pastinacæ (Itali, vt audio, Burchio nominant) sex dodrantibus longiorem exhibuimus: vt aspera etiam forsan duplex sit, vna minor, Bellonio nota: altera maior, eidem aliisq; scriptoribus hactenus incognita.

Species quot.

B Pastinaca piscis est cartilagineus, planus, caudatus, sed tenuiter, *quoniam crassa primùm, paulatim in magnam tenuitatem contrahitur.)* Aristot. Idem alibi caudam longam & spinosam ei esse tradit. Planorum piscium alterum est genus, quod pro spina cartilaginem habet, vt raiæ, pastinacæ, Plinius Radium tenuem ac planum, desinentem in mucronem, digitalis & interdum semipedis longitudinis, in modum serræ vtrinq; denticulatum denticulis retrouersis super caudam habet, Massarius. Aculeum caudæ Orus spinam nominat, τὴν ἐν τῇ οὐρᾷ ἄκανθαν: Marcellus Empiricus spiculum, vel acum osseam. Nihil execrabilius quàm radius super caudam eminens pastinacæ, quicunciali magnitudine. arma is vt telum perforat, vi ferri & veneni malo, Plinius. Quod ad situm, in media ferè cauda est, vt Rondeletius scribit, & picturę omnes ostendunt. Bellonius tamen radium ad caudæ radicem enasci ait: & Oppianus interprete Lippio, Nascitur extrema cauda impenetrabile telum. Τρυγόνι δ᾽ ἐκ νεάτης ἀνατέλλεται ἄγριον οὐρῆς Κέντρον. potest quidem νεάτη etiam pro epitheto caudæ totius accipi. In pastinaca arida quam inspexi, cauda non longior erat octo vel nouem digitis. radius à medio caudæ incipiens, desinebat digito vno tantùm cis finem: nō in transuersum, sed recta super caudam deorsum tendens. Elephas vel ibis piscis aculeum habet vt pastinaca, Rondeletius in Anthiæ prima specie: Vocat autem & describit alibi hunc piscem Scolopacis nomine. Aquila piscis per omnia similis est trygoni pisci, præter centrum, Kiranides. Vide in Aquila.

C Pelagius est piscis, vt & reliqua cartilaginata, vt Aristoteles tradit: verùm, vt Oppiano placet, in locis degit cœnosis, (ἐν πηλοῖσι καὶ ἐν τενάγεσι θαλάσσης,) nec longe à litore, Wottonus. Coit quemadmodum raia, Plinius. Plura de eius coitu leges in iis quæ de coitu piscium in genere traduntur. Pedestrium quadrupedes quæ oua pariunt, eodem coëunt modo, quo ea quæ animal generant, mare superueniente. habent verò in quod meatus (genitales) contingant, & quo per coitum adhæreant: vt rana, & pastinaca, & reliqua generis eiusdem, Aristot. ego legendum coniicio, ut rana & rubeta, &c. quanquam Græcè τρυγόνες legitur, id est, pastinacæ, pro quo φρῦνοι repono. Quòd pastinacam Ælianus posse volare ait, falsum existimo, Gillius.

D Pastinaca centro (id est, aculeo) se tuetur, Ælianus. Capta spinam caudæ abiicit: vel potiùs piscatorem ea vulnerat. Vide infra in H.a. in iconis eius explicatione. Pastinaca etiam seipsam occultat, vt pisciculos venetur: sed non simili modo quo rana piscatrix & torpedo. latrocinatur enim ex occulto, transeūtes radio (quod telum est ei) figens. argumenta solertiæ huius, quòd tardissimi piscium hi mugilem velocissimum omnium habentes in ventre reperiuntur, Aristoteles & Plinius. Gladius & Pastinaca, nisi quem viuum aut mortuum percusserint, non attingunt, Oppianus & Paraphrastes Græcus innominatus. Pastinaca præcipuè persequitur galeos, Plinius. Vide suprà in Corollario de Gladio A. circa finem.

E Pastinaca piscatorem manu se comprehendentem plerunque aculeo, quem venenatum habet figit. Cùm Pastinacam subnatantem piscator intuitus fuerit, ridiculum quiddam in piscatoria nauicula saltat: & dicteria aut conuicia aliqua iactat: & insuper ad tibiam, (si nôrit) quam tanquam illecebram fert, canere incipit: hæc ex ea re magnam lætitiam, voluptatemque capit. Etenim, sicut ferunt, tum aures habet musicæ, tum saltationis oculos intelligentes. atque hac permulsione illecta sensim ad summam aquam effertur. Interea verò dum hic cantu & saltatione illecebras egregiè machinatur, alter quispiam nassa (φερύτῳ) imprudentem subducit, Ælianus de animalibus lib. 17. cap. 18. Idem lib. 1. cap. 39. Piscatores (inquit) saltant & canunt quàm possunt suauissimé. pastinacæ verò obiectatæ adnant propiùs. illi sensim ac pedentim recedunt. ibi tum dolus in miseras structus apparet, quæ saltatione & cantu allectatæ fuerant, retibus iam extensis inclusæ capiuntur. Captis in Propontide pastinacis illico caudas abscindunt: quod nostri ad Oceanum piscatores facere negligunt. Luteriam enim & Rhotomagum vnà cum aculeis afferunt, Bellonius in Singularibus.

F Pastinaca detracto radio in littore Ligustico ac Gallico comeditur, Gillius. In cibo sumpta ventrem exonerat. sed cibi causa secundū Plinium extrahi debet è dorso eius quicquid simile est croco, capútq; totum, ad quæ caudam nos addimus, Massarius. Debet autē & hæc, & omnia testacea modicè collui in cibis, quia saporis gratia perit, Plinius. Multùm alit turtur, Pselli interpres inter pisces. Pastinaca carnem habet molliorem, suauem, concoctúque facilem, *(hæc ex Galeno sumpta, Rondeletius reprehendit,)* & quæ corpus mediocriter alit, aluúmque modicè mouet: qua nonnunquam & in piscium saxatilium loco in cibo vti licet, Wottonus. Laborans tertio genere tabis, quarto mense edat raiam, pastinacam, &c. Hippocrates in libro de affectionibus internis. Hepaticus quidam morbus est pleuritidi non dissimilis, quod ad patientes locos, &c. in eo æger ex piscibus vtatur turpedine, pastinaca, & raiis paruis, omnibus coctis, Ibidem.

G Trygon piscis est marinus aculeo venenato, ἧς τὸ κέντρον δηλητήριον, Hesychius & Varinus. Letalisque trygon, Ausonius. Nullum (inter marina animalia venenata) vsquam execrabilius, quàm radius super caudam eminens pastinacæ, quincunciali magnitudine. arbores infixus radici necat. arma vt telum perforat, vi ferri, & veneni malo, Plinius. Pastinacæ marinæ radius (inquit Ælianus libro 1. de animalibus, cap. 56.) ab omni medicina inuictus existit. etenim primùm vt pupugit, statim interficit. quod quidem ipsius telum vel rei maritimæ peritissimi perhorrent. neque enim alius quisquam, neque vulneratrix ipsa medicinam facere potest: *(utrunque hoc falsum esse ex remediis quæ authores tradiderunt, tum aliis tum ex ipsa pastinaca, apparet:)* hoc scilicet dono soli quondam hastæ Pelei concesso. Idem libro 2. cap. 36. Ex omnibus (inquit) bestiis infestissimo ac periculosissimo aculeo Pastinaca prædita est. cuius rei testimonio est: si eum quis in arborem virentem & florentem infixerit, non longo interuallo emarcescere differt, sed potiùs euestigio exiccatur: idipsum facit in animalibus: nam si quod contigerit, necat. Et libro 2. cap. 50. Gobio, Draco, pisces marini pungendo venenū emittunt, minimè tamen mortiferum: Pastinaca verò sæpe aculeo mortem infert. Leonides Byzantius hominem piscium naturam & discrimina ignorantem, è reti ait pastinacam arripuisse: putabat infelix ille Passerem esse: simúlque vt ille rapuisset, in sinum suum abdidisse, clámque se subduxisse, tanquam quiddam lautum & pretiosum fuisset: vbi Pastinaca ex compressione dolere cœpisset, aculeo eum, qui se diripuisset, confixisse, atque infelicis furis ventrem adeò vulnerasse, vt intestinis effusis mortuus inueniretur, & cum eo piscis. vnde quidnam imprudens ille patrasset, facile coniectari potuit. Circe venefica filio Telegono huius piscis radium hastili præfigendum dedit, vt eo in hostes vteretur. is verò cum ad insulam quandam appulisset, & greges deprædaretur, inscius patrem suum Vlyssem, quem quærebat: & ad quem greges illi pertinebant, defendendi causa accurrentem vno ictu occidit, Oppianus. Κτενεῖ δ᾽ ὁ τύψας πλευρὰ λοίγιος στόνυξ Κέντρῳ δυσαλθὴς ἔλλοπος Σαρδωνικῆς, Lycophron in Alexandra. id est, Occidet autem (Vlyssem) hastile perniciosum, aculeo præpilatum ægrè curabili piscis venenati, vulnere costis impacto. Telegonus Vlyssis filius patrem quærens, nec agnoscens, nec agnitus, &c. hastili (cui summitas marinæ turturis osse armabatur, insigne scilicet insulæ eius, in qua ipse genitus erat) eum vulnerauit: vnde is triduo pòst mortuus est. Dictys Creten. in fine historiæ suæ. ---- θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ Ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται, ὅς κέ σε πέφνῃ Γήρᾳ ὕπο λιπαρῷ ἀρημένον, Tiresias ad Vlyssem Odysseæ Λ. Eustathius in commentariis docet duplicem esse lectionem: vnam, ἔξαλος, pro eo quod est, extra mare, in continente. alteram ἐξ ἁλὸς, duabus dictionibus, id est, ab ipso mari. aiunt enim (inquit) Telegonum Vlyssis & Circes filium hastam à Vulcano fabricatam habuisse, cuius spiculum (ἡ ἐπιδορατὶς) adamantinum fuerit. cuspis verò (ἡ αἰχμὴ) aculeus pastinacę marinæ: hastile verò (ὁ στύραξ) aureum. Sic instructum, Tyrrhenis relictis ad inquisitionem patris profectum, possessiones quasdam patris in Epiro insicium inuasisse: & patrem se opponentem interfecisse. Porrò aculeum illum pastinacæ, fuisse aiunt de huius generis pisce, quem Phorcys interemerit grassantē in pisces Phorcidis stagni. Quod ad dictiones ἐπιδορατὶς & αἰχμὴ, eas pleriq; pro synonymis accipiunt: aliqui distinguunt: tanquā epidoratis sit quod dorati id est

Ex Æliano.

Vlysses radio pastinaca occisus.

id est hastæ additur spiculum totum (ex ferro nimirum, vel in Telegoni hastili ex adamante:) αἰχμὴ verò pars eius acutissima, (id est, cuspis vel mucro:) Hæc ille. Vlysses ἐκ τῆς θαλάττης (id est è mari periit) nempe pastinacæ ictu, vt Titus Imperator etiam leporis mar. veneno, sicut ex Philostrato retuli suprà in Corollario Leporis mar. G. paulò post initiũ. Sophoclis Tragœdia Ἀκανθοπλὴξ citatur in voce Ἐλασάδεσσα apud Hesychium: videtur autẽ de Vlysse intelligi debere. Pastinacæ aculeo in arboris truncum defixo, perit ea & arescit. quòd si retibus capta piscatorẽ vulnerârit, carnes vulneris putrescentes tabescunt & imminuuntur, Nicander in Theriacis. *Signa.* Si marina pastinaca percussit, (in Græco est momordit. & Ægineta quoq;, pastinacæ & murænæ morsuum, contráq; eos remediorum meminit. Cæterùm Dioscorides sequente libro vbi remedia seorsim tradit, πληγεῖσι dicit, id est percussis, non δηχθεῖσιν, id est morsis: quanquam illic quoq; capitis inscriptio habet δεδηγμένων. Et hoc ipso in loco de signis, mox sequitur: αὐτὸς δ' ὁ πληγεὶς (non δηχθεὶς) τόπος, μέλας γίνεται. alia lectio: αὐτὸς δ' ὁ τόπος πέλιος γίνεται, καὶ μέλας τὰ κύκλῳ. Et quanquam apud Æginetam quoque libro 5. legatur, τοῖς ὑπὸ τρυγόνος καὶ μυραίνης δηχθεῖσιν, vbi πληγεῖσιν in propria significatione non quadraret murænæ, quæ mordet non percutit: [aut dicendum, verbum mordere latiùs patêre: nam & Heras apud Galenum de comp. sec. genera lib. 5. σκορπιοδήκτῳ dixit: item Absyrtus, Τῷ δ' ὑπὸ σκορπίου δηχθέντι. &c. Et rursus, Ἄριστον δ' ἐπὶ πάντων τῶν θηριοδήκτων τὸν πεπληγότα τόπον ὡσάν τις αἰσθηθῇ διακαίειν: vbi τὸ δάκνεσθαι & πλήσσεσθαι promiscuè accipiuntur:] mihi tamen nullus eius, aut non periculosus morsus esse videtur. Bellonio dentibus caret, corúmq; loco maxillas asperas habet) protinus accidunt grauissimi dolores, assiduæ conuulsiones, lassitudo, & imbecillitas, (πόνος καὶ ἀτονία: Marcellus vertit, labor, vigilia, languor: quasi etiam ἀγρυπνία legerit.) mens percussis labat. postea obmutescunt. oculi caligant. Percussus autem locus in ambitu cum vicinis partibus denigratur: & ita obstupescit, vt tangẽtem non sentiat. hunc si quis premat, atra sanies, crassa & malè olens excernitur, Dioscorides lib. 6. Ægineta signis describendis non opus esse putauit, quòd piscis hic omnibus notus esset. Actuarius Dioscoridis verba transcripsit. Qui à marina pastinaca percussi sunt (inquit Aëtius) his vulneris locus manifestè apparet. sequitur autem dolor pertinax, & totius corporis stupor. acutum enim & firmum habet aculeum, quo vehementissima vi in altum impulso nerui sauciantur. Quapropter in aliquibus mors derepentè totum conuellens corpus comitatur.

Remedia contra ictum eius. Contra marinæ pastinacæ ictum omnia eodémq; modo prosunt, quæcunq; paulò pòst in viperæ morsu à nobis dicentur. ipsa etiam dissecta, vulneriq; imposita, sui ictus remedium est, Dioscorides in libro de curatione venenatorum ictuum aut morsuum. Reliqua quæ in hoc ipso capite inseruntur, ad dracones & scorpiones marinos pertinent, ab Ægineta meliùs digesta. A pastinaca & murena (aliísve marinis venenum iaculantibus) demorsis *(morsis aut percussis)* auxiliantur liquoris lactei de ficu guttæ quatuor aut paulò plures cum ramulis serpylli tribus quatuórve poti: & omnia quæ ad viperas, Ægineta. Narrant quidam (inquit Aëtius) si quis caudam pastinacæ, quæ ictum intulit, auferat: & in arborem, maximè quercum, suspendat ac figat: ipsam quidem arborem arescere, ægrum autem sanari: atque id iuxta contrariæ affectionis & remedij rationem contingere. Cæterùm auxiliũ ferunt percussi ab ea, ubi stupor & refrigeratio totius corporis consequatur ex calidis illitionibus & consimilibus cataplasmatis. Propriè autem furfures aceto cocti, & pro cataplasmate impositi, eis auxiliantur: & ipsum adeò acetum affusum pro fotu valde prodest. Magis autem conueniunt eis attractoria, & quæ tenuium partium sunt, ac calida: quò nimirum per attractoriam facultatem venenum ex profundo attrahatur, & per calorem frigiditas mitigetur, & quæ tenuium sunt partium in altum proreptent. Ad hanc igitur rem in promptu habebis apta. Sulphur viuum: vrina veteri rigatum, marrubium, lauri folia, echium, radicem panacis, saluiam, & similia. at verò si his careas, fermentum acidum cum liquida pice emollitum imponito. Mirabiliter etiam in his laudatur emplastrum piscatoris, & ex bryonia pastillus tùm impositus, tùm ex vino lymphato potatus. e vestigio autem vtilitatem suam demonstrat. Describetur autem in fine huius sermonis. Dato item & lauri decoctum: aut succum Cyrenaicum cum myrrha magnitudine fabæ, ac modico pipere terito, ac dato cum vino: aut silphium, aut laser ex vino: aut succi fici guttas quinque cum tribus serpylli granis (ramulis, Ægineta) bibendas præbe, Hæc omnia Aëtius. Emplastro Piscatoris dicto, dià sinopidos, vsus sum aliquando in homine percusso à pastinaca marina, & miserrimè afflicto: & admirandam eius opem sensi: similiterq; in ictis à scorpione, Heras apud Galenum de compos. medic. secundum genera lib. 5. vbi & medicamentum Epigoni dictum, ab aliis Isin, ad extrahenda pastinacæ & aliorum marinorum venena commendat. & emplastrum piscatoris (Haliei) Giluum, authore Asclepiade. A pastinacæ mar. ictu magnum equo periculum imminet. quare adhibere oportet cauterium, & sanguinis affluxum (ἐπιφορὰν) sistere: & ipsius pastinacæ iecur in vini hemina tritum per os infundere, Hierocles. Saluiæ decoctum potum pastinacæ mar. ictibus auxiliatur, Dioscor. Elisphaci siue lentis syluestris genus alterum, folia habet cotonei mali effigie, sed minora & candida, quæ cum ranis decoquuntur: pastinacæ marinæ ictus sanat. torporem autem obducit percusso loco, *(radius scilicet pastinacæ suo ictu, non elisphacus herba.)* sanat & serpentium morsus. nostri qui nunc sunt herbarij elelisphacon Græcè, Latinè saluiam vocant, Plinius. Pastinaca ipsa contra suum ictum remedio est, cinere suo ex aceto illito, vel alterius *(scilicet pastinacæ,)* Plinius. Remedium ad pastinacas marinas. Columbinum stercus perfundens aqua, id ex similagine læuigato. Aliud ad idem. Lactucæ semen concoquens, butyrum & similaginem decocto eius contundito, vtitórque Tarentinus. Commendatur aduersus hoc venenum, saluiæ decoctum continuè aliquot diebus potum: quin & scordium in puluerem tritum, & ex sui ipsius decocto potum: itémque verbenaca. non tamen ob id prætermittenda est theriaca, aut Mithridatis antidotus, aut quinta nostra essentia, Matthiolus. Porrò Nicander quoq; nonnulla remedia protulit, (inquit idem,) quæ hæc sunt: Anchusæ folia, quinquefolium, rubi flores, arctium, &c. atqui Nicander in Theriacis post phalangiorum & scorpionum, & aliorum quorundam non magni veneni animalium mentionem, marina quoque venenata nominat, murænam, draconem, pastinacam: demum remedia subiungit communia, aduersus prædictas leuioris ferè veneni animantes: anchusæ folia, quinquefolium, &c. nihil autem priuatim neque contra pastinacæ neque contra aliorum venena. Contra pastinacæ puncturam auxiliatur laser: item galeos piscis intus & extra, Aggregator tanquam ex Plinij lib. 32. sed è galeo remedium mihi suspectum est.

Diuulsa ipsa, & vulneri quod fecit imposita, ictus sui medela est, vt prædiximus. Absyrtus equo icto *Remedia ex ipsa pastinaca.* iecur eius in vino tritum infundit. Aculeus eius denti infirmo impactus (ἐμπηγνύμενος) frangit eum & excidere facit, (θρύπτει αὐτὸν καὶ ἐκπεσεῖν ποιεῖ,) Aegineta. Mirari non licet (inquit Matthiolus) si quandoq; in plateis circulatores dentium extractores cernimus, qui dentes absque ferreis instrumentis, nullo illato dolore extrahant. Idem radius equos persanat, qui subcutaneis vermibus exeduntur, si eo vlcera scarificentur punganturq;. Trygonis aculeo si dentes dolentes circunpunxeris, sanabis eos, Kiranides. Dolorem dentium tollit, si eo gingiua scarificetur. affert enim magnum dolorem, adeò vt acris dolor gingiuæ, dolorem dentis hebetet. Auocat & ob propinquitatem doloris caussam, quæ plerunq; est in neruo denti insito: nec hoc semper, neq; omnibus contingit, Cardanus. Noui qui dentem è caluaria denti dolenti admoueret aliquandiu, manu occultans, unde siue credulitate, siue vi aliqua occulta, dolor in aliquibus cessabat. Acu ossea, id est spiculo trygonis, quæ pastinaca dicitur, strumam sæpius punge, statim arescit, Marcellus Empiricus. Pastinacæ marinæ aculeum cum succo hyoscyami illitum, matricem prolapsam reducere aiunt, Aëtius 16. 88. Iecur pastinacæ in oleo decoctum lichenas & lepras tollit, Wottonus.

Philologiam, quod ad Græcam dictionem τρυγὼν, in Turture aue (post Columbam) dedimus. Τρυγόνα θαλασσίαν, id est marinam, Græci semper cognominant, cùm de pisce sentiunt; vt turturem auem excipiant: & Latini similiter pastinacam marinam, vt à pastinaca herba distinguant: quanquam herbæ etiam pastinacæ genus vnum marinum (vel potiùs maritimum, & in litoribus nascens) esse videtur. Τρυγὼν *H. a.* dictio est spondaica, oxytona, fœminini generis, & in obliquis penultimam corripit. primam semper producit, Ausonius sine exemplo corripuit: Letalisq; trygon, mollesq; platessæ. De Græca trygonis etymologia, dixi in aue turture. Latinis pastinaca ne dicta sit, à caudæ colore & rotunditate radici simili, vt Rondeletius putauit: an quòd radio suo ceu pastino instrumento fossorio fodiat & pungat, considerandum. Pastinaca quidem herba seritur solo quàm altissimè effosso, vt scribit Plinius: (vt radix nimirum altiùs descendat, & laxa suspensáq; terra incrementum amplius capiat:) quibus verbis etiam nominis rationem insinuat. pastinare enim est agrum fodere, Columellæ: vnde & pastinator, apud eundem. qui & vinitorium instrumentum pastinum vocat. grammatici interpretantur ferramentum bifurcum, quo semina panguntur. Vineæ veteres repastinabantur, id est refodiebantur. Pastinum instituere Palladio, est agrum vitibus destinatum fodere, frutices & arbores inutiles semouere, &c. idem, Columella pastinatum (subaudio solum) substantiuè genere neutro vocitat. Macrũ, aut quisquis est author huius carminis, Quòd pastum tribuat est pastinaca vocata, non laudo. Eadem Græcis staphylinus dicitur, forsan à staphylæ (id est uvæ) colore è rubro nigricante. talis enim species vna pastinacæ satiuæ est: à qua ad alias quoque tum satiuas tum agrestes transferri nomen idem potuit: vt leucoij ad alios etiam colores. Celsi pastinaca marina herba (malim maritima, vt in litore crescens intelligatur) fortè eryngium maritimum aut ei cognata est. nam huic quoq; radix pastinacæ forma, odore atq; colore similis subest, superficie spinosa & prorsus alia.

Pastinaca dicitur & insecti genus, quod ab Aristotele staphylinus appellatur, verticilli magnitudine, Hermolaus. Cæterùm trigon per iôta in prima, pilæ genus est. *Captabit tepidum dextra læuaq; trigonem,* Martialis lib. 12. & libro 4. *Seu lentum coroma teris, tepidúmve trigona.*

Letalis, Ausonio. Ὀλοεργὸς, Nicandro. Ἀλγινόεσσα, ἀργαλέη, Oppiano, ὑπιοθόκευτος Epicharmo. Οἶδε τρυγόνος στιγόφλω (locus apparet corruptus) μελανούρου Cratinus, *Epitheta.*

Τρυγόνιος, adiectiuum Oppiano.

Aculeus pastinacæ insigne erat insulæ cuiusdam, vt dictum est suprà in G. ex Dictye Cretensi. Homi- *Icones.* nem qui cædis (φόνου: parricidij, Pierius Valerianus) admissæ pœnas dederit, quemq; pœnituerit, designare volentes Ægyptiorum sacerdotes, pastinacam hamo implicitam pingunt. hæc enim capta, spinam quam in cauda habet, abiicit, (ῥίπτει. aliter Pierius: spinam quam in cauda gestat in raptorem eiaculatur, ictu maximè letali,) Orus Hieroglyphicorum 2. 113. An pastinacam ille symbolum puniti & pœnitentis facit? an potiùs piscatorem? prouerbio enim celebratur, piscatorem ictum sapere. Quòd pastinaca quidem capta aculeum abiiciat, alius nemo tradidit.

In taurim *(taôna)* siue pauonem lapidem (vel è capite pauonis) sculpe turturem marinam, & sub lapide vocem, id est aio, & radiculam trifolij suppone. est enim hoc magnum & admirabile gestatum ad victoriam, & pacem, &c. Kiranides libro 1. Elemento T. *e*

Pernam atq; ophthalmiam, Horæum, scombrum, & trygona, cetum & mollem caseum, Plautus in captiuis. *f*

DE PATELLA VT GAZA LATINE CONVERTIT: SIVE LEPADE, VT GRÆCI VOCANT, RONDELETIVS.

Infra A. proximè est echinus paruus.
Infra B. Vrtica cinerea.
Iuxta C. Lepas adhærens è regione.
Supra D. Lepas inuersa.
Supra E. Lepas parua.

QVÆ Λεπὰς à Græcis dicitur, à Gaza conuertitur Patella à vasis escarij similitudine. Lopas à Plauto *(in Parasito medico, vt Nonius citat,)* dicitur, nisi locus mendosus sit: Habemus Echinos, Lopadas, Ostreas, Balanos captamus, Conchas, marinam vrticam. Lapedo à Massiliensibus & à nostris vocatur: à Gallis œil de bouc, à Normanis berdin & berlin. Græcorum vulgus hodie peraglida appellat. Veneti parum mutato nomine Pantalena. Aristoteles Lepadum duarum meminit: Lepadis simpliciter nominatæ: & Λεπάδος ἀγρίας, quam vocant nonnulli θαλάττιον οὖς, id est, aurem marinam. Athenæus: Τῶν δὲ λεπάδων φησὶν ὁ Δίφιλος, τινὲς μὲν εἰσὶ μικραὶ, τινὲς δὲ καὶ ὀστρέοις ἐοικυῖαι. Lepadum, ait Diphilus, quædã sunt paruæ, quædam autem Ostreis similes: Quod postremum de magnis intelligendum puto, vt contrariæ sint paruis prædictis. *A* *Lib. 3.*

Lepas igitur ex testaceorum est genere: cuius partem alteram testa integit, alteram saxum cui hæret vndiquaque, vt ab externis iniuriis tuta sit. Pars anterior est quam saxum operit, posterior quam testa. An- *D*

teriorem voco eam, in qua os & cornua sunt oculorum vice: subest caro dura qua maximè saxo hæret, quæ scuti picti formam refert. Os superiore in loco manifestum est, inferiore ori aduersò, excrementi meatus, non in testa, vt in ea quæ ἀχλὰ dicitur. Os venter sequitur, in eo est μήκων, in imo ventre etiam pars quæ onum appellatur. Testa non exquisitè rotunda est, sed inæqualis, intus lęuis, foris parum aspera, cui aliquando muscus innascitur: gibba, in ambitu liuescens, & striata, intus caua: carnosam fimbriam habet in corporis ambitu, quam expandit quum hæret, soluta contrahit.



C Si se tangi senserit, ita saxo hæret, vt nunquam auellas. Cultro igitur aut aculeato ferro opus est, inter ipsam & saxum immisso. Quum multæ saxis affixæ sunt, capita clauorum saxis infixorum esse diceres. Aristoteles Lepades à saxis solui scribit, pastus quæritandi gratia, aliquot in locis. Καὶ αἱ λεπάδες ὅ ἀπολύονται, ὴ μεταχωροῦσι. Et: Νέμεται ὅ ἀπολυομένη ὴ ἡ λεπάς. Et, Καὶ αἱ λεπάδες ἀπολυμέναι μεταχωροῦσι ὴ τρέφουσ). Quod mihi verò consentaneum esse non videtur: nullis enim ad natandum partibus prædita est, nisi temerè huc & illuc iactata vndis feratur. neque victus illi quærendus: nam maris spuma & aqua vescitur, quâ alluuntur saxa. Quòd si aquâ allui saxa desinant, ea quæ in testa reliqua est absumpta, contabescere & emori tandem necesse est. Depinximus saxo hærentem Lepada, aliam à saxo cuulsam & inuersam siue supinam.

Lib. 5. de hist. anim. cap. 16. & lib. 4. cap. 4.

P Huiusmodi Lepades permultæ reperiuntur in saxis litoris Aquitanici & Britannici maiores: in *Ins.* Massilienſis atq; Agathensis sinus scopulis minores.

H Eleganter Aristophanes dixit in anum quæ ægrè à iuuene diuellebatur:

Ὡς εὐτόνως ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τὸ γραῖδιον, Ὥσπερ λεπάς, τῷ μειρακίῳ προσέῤῥηγε.

Quæ sic Erasmus conuertit.

O Iupiter, quàm fortiter conchæ modo Isthæc anicula adhæret adolescentulo.

Huius prouerbialis sententiæ, Lepadis more adhæret, rationem reddit Erasmus. Est concharum genus, inquit, quod capillamentis inter se cohæret, quò tutius sit aduersus vndarum motus. Quod falsum esse docet experientia: neque enim Lepades inter se cohærent, sed tantùm saxis sparsim affixę sunt. Adhæc ὡς λεπὰς προσέῤῥηγεν, melius speciei nomine conuertas quàm generis, vt facit Erasmus: Ostrei in morem hæret: neq; enim Ostrea alia eodem modo hærent quo Lepas.

F Crudæ Lepades è piscatoribus & maris accolis eduntur. Ius ex eis aluum ciet. Coctæ molliores fiunt, & concoctu faciliores, modò non nimium decoquantur: sic enim duriores, difficiliorisq; concoctionis siunt, vt omnia ostracoderma.

DE (PATELLA SIVE) LEPADE PARVA, *Rondeletius.*

A Cvm marinas res etiam minutissimas quasq; diligenti indagatione persequerer, Lepadem paruam saxo hærentem deprehendimus, quam à saxo euulsam repræsentamus in superiore pictura.

B Testa vnica integitur, alterius vice est saxum cui affixa est. Testa media nucleis pinearum nucum figurâ similis est, & æqualis. ex multis laminis paruis constat: carnem intus habet, sed ob paruitatem partes vix discernuntur.

A Hanc existimo esse paruam Lepadem Diphili, quòd semper parua maneat, nec vnquam ad superioris etiam mediocris magnitudinem accedat.

DE AVRE MARINA, SEV PATELLA *fera, Rondeletius.*

A Avris marina, quæ & Λεπὰς ἀχλὰ ab Aristotele dicitur, non satis rectè à recentioribus *(Bellonio)* Patella maior vocatur. Quum enim maior dicitur, magnitudine tantùm à minore Lepade iam descripta differre intelligitur: at magnitudine solùm non differunt, sed alia multò illustriore nota, scilicet forma.

B hoc tantùm vtrisque commune est, quod vnica testa constent, carnosa parte saxis affixa. quam ob causam lepados nomine Aristoteles donauit. Præterea differt à superiore excrementi meatu, vt annotauit Aristoteles: Τῇ δ' ἀχλὰ λεπάδι, ἣν πνὲς καλοῦσι θαλάττιον ὄς, ὑποκάτω τῦ ὀσφάκου ἡ περίπλωσις ἐξέρχεται. τέλειόν τε ὄν τὸ ὄσφακον. Patellæ ferę, quam autem marinam quidam appellarunt, parte ima testæ excrementum egeritur, quâ foramen habetur. Testa huius caua est, argenti vel vnionum colore: foris gibba, lineis multis depicta: parte vna cochlearum modo clauiculatim contorta, à qua foramina incipiunt, initio parua, quæ deinde magis ac magis augentur.

lib. 4. de hist. anim. cap. 4.

Hic



Hic annotare oportet aurem marinam appellari, ob magnam cum aure nostra similitudinem, vt pictura perspicuè ostendit, quæ tamen diuersa sit ab aure Veneris, quam ὠτάκιον siue ὦς ἀφροδίτης ab Æolibus vocatam fuisse scripsit Athenæus. Haud benè ratiocinatur autor libri de aquatilibus, Patellam quam maiorem vocat, Aporrhaidem Aristotelis esse, ex eo quòd eam more Lepadum saxis adhærere scripsit libro 4. de Histor. anim: cap. 4. sic enim & Neritæ quæ eodem loco, similiter adhærere dicuntur, Patellæ maiores essent. A

Lib 3. Contra Bellonium.

DE LEPADE, BELLONIVS.

Vniualuium etsi vnicam tantùm videam Lepadem ab authoribus descriptam, tamen silentio prætereundam non duxi, eam quidem quam ego in alieno ab hoc mari obseruaui. Lepas hæc, siue Patella Gallicum nomen habet apud Deppam, apud quos vulgus Berdinum vocat: Alibi œul de Bouc, id est, hirci oculum. Massilienses Lepada. Vulgus Græcum Petaglida, Venetum Pentalene & Petalide nominat. A

Multis in vrbibus ad mare sitis solent in magna quantitate videri, in Mediterraneis rarò. Nam cùm ad oras Oceani Armoricorum vulgus cautes harum admodum feraces in litore videat, pueri indigenarum incuruum ferrum dextra tenentes incautis supponunt, vt in canistrum, quod sinistra ferunt, melius deturbent. Nam si Lepadem tetigerint, ea illico saxum tam arctè complectitur, vt inde amplius diuelli non possit. Cùm autem tantùm legerint, quantũ ferre possunt, tum illi ad vicinos pagos atq; vrbes circumferũt. E

Singulari testa, eaq; læui continentur Lepades, saxoq; hærentes in dorsum extuberant. Et quanuis saxis adhærendo viuant, tamen cochlearum more serpere possunt: eaq; quandoq; relicta in pastum ferũtur, & aliò transeunt. Magnitudo patellæ tanta est, quanta extrema oui putaminis pars absciſſa esse potest. Color testarum liuet, vel cinereus est. Cæterùm Lepas cornua vt limax exerit, & os & caput habet huic persimile. In imo præterea gerit quod ouum vel papauer vocatur: Excrementum quoque ea parte excernit, quæ capiti aduersa est. B

His etiam quodammodo similes sunt, quas (nam congeneres esse videntur) Athenæus φολάδας vocat: eas ait nutrire quidem plurimùm, sed virus olere, prauiq; succi esse. F

DE PATELLA MARIS RVBRI, BELLONIVS.

Rubri maris Patella, cautibus vt cæteræ adhærescit: sed præter has tabellis (quas in tergore gerit) corneis numero octonis, transuersis loricæ modo contegitur, atq; vndecunque cartilagine obsepta est, multis spinulis horrida, iis persimilibus quæ in stellis marinis visuntur. Sesquidigitum lata est, ternos verò longa. Difficile à suo scopulo vulgaris Patellæ nostræ modo aufertur. Eius caro rubri limacis colorem ac naturam habet: esturq; cocta vt Patella vulgaris.

DE PATELLA MAIORE, BELLONIVS.



Maioris patellæ concha aurificum officinas illustres reddit, apud quos maximi fieri solet, quam pellucidam ac perpolitam in tenues laminas dissecant, vt inde elegantissima vasa incrustent. (Vniualuis est, ac quadruplo cæteris maior, magisq; in latitudinem se effundit: quinque autem habet foramina, per quæ aquam admittit atque expellit: vnde hanc Aristoteli Aporrhaim vocatam fuisse suspicor. *(Contradicit Rondeletius.)* Eam enim more Lepadum saxis adhærere scribit. Natices (inquit quarto de historia) saxis adhærescunt more patellarum & Aporrhaidum. Theodorus muricem interpretatus est. Hæc Bellonius: qui figuram quoq; adiecit, ab ea quam Rondeletius dedit (Patellæ ferę, vel auris marinæ nomine) nonnihil

Aporrhaim.

diuersam,cum aliâs tum quòd foramina plura quinis Rondeletius ostendit, &c. Mihi de eâdem concha sentire videntur:& ea quam Rondeletius dedit icone, acuratiore(vt apparet) contentus fuissem, nisi pictor incuria quadam,Bellonianam quoque pinxisset.

DE AVRE MARINA, BELLONIVS. EA QVIDEM NIHIL CVM PATELLIS COMMVNE HABET, HOC LOCO TAMEN A NObis posita est: *quòd Rondeletius veram Aurem marinam Aristotelis,ex patellarum genere exhibuerit.*

Multùm inter piscem & herbam ambigit ab antiquis Auris marina dicta. Quæ ὠτία,id est auriculæ dicuntur(inquit Aristoteles)saxis adhærent : Nihil autem habere conspiciuntur eius quod in animalibus vita præditis esse comperitur : vbique enim proueniunt auri humanæ persimiles. Tamen est auris marina cartilaginosa,subalbida,&,vt membrana,tenuis & crispa, qua plerosque pisces Scaros, Polypos & Salpas vesci compertum habeo. Hæc Bellonius : qui plura etiam addit ex veteribus,è Wottoni libris mutuatus, quæ non ad hoc quod describit zoophytum, sed ad veram aurem marinam patellarum generis pertinere mihi videntur.quærendum autem an Auris marina ipsius, Escharæ Rondeletij (de qua suprà, pag.369.) cognata sit.Vtranque zoophytorum generis esse apparet.

COROLLARIVM.

Patella Venetiis picta.

A Lepades Hippocrati dicuntur saxis adhærentes conchæ, Galenus in Glossis & Varinus. Genus hoc Conchylij (sic enim Varinus loquitur) Hispanis almêia dicitur,Lusitanis Bregigam. Ligures & Massilienses, etiam hac ætate Patellas vocant, Gillius. Angli a Lympyne vel a Lempet. Nos Bocksaug/ id est, Hirci oculum appellare poterimus.nam & Galli sua lingua sic vocant.

Auris mar. Patellam feram aliqui marinam aurem appellant. Ventrem post os esse in hoc eodem patellæ genere constat, atque etiam ouis illa similia, Aristoteles. Otia pisces autem habent ventri coniunctam : Recentior quidam ineptissimé. debuit enim os coniunctum dicere, non autem coniunctam. Græci otíon & & otárion vocant. Otia quidem nominantur à Plinio libri 32. capite vltimo. Τήθη τε γεραιόμενα μνίοισι, Nicander.id est, Tethea in bryis(herbis marinis)crescentia, vel natantia,vel capienda.Tetha autem vocat patellas feras, quæ nos ὠτία, Aristoteles autem ὄσρεα, Scholiastes.sed ὄσρειον nomen ad omnia testacea pertinet, & Tethea speciem à patellis feris diuersam constituunt, vt suo loco apparebit. Plura lege suprà in Conchis Venereis,pagina 285.lin. 30. Otía ægrè concoquuntur,nutriunt autem ampliùs si in sartagine coquantur,τηγανιζόμενα,Diphilus.Quæ otia,id est auriculæ dicuntur,neque palato,neq; stomacho grata sunt : frixa tamen eduntur : neq; enim aliter placebunt. nutrimenti plurimum exhibent, nec facilè excernuntur. Circa Pharum insulam Alexandriæ vicinam multa proueniunt : in Illyrico verò & sinu Ionico gignuntur magna, Wottonus.

Aporrhais. *Nubes.* Aporrhais in A.elemento dicta muricũ generis videtur,non patellarũ,vt Bellonius putauit. Nubes secundum Aristotelem est piscis in aqua viuens, applicatus ad petram,à qua non discedit, nec separatur, nisi per attractionem inspirationis concitus : Author de nat. rerum, qui patellám ne, an aliud animal petris adhærens hoc nomine intelligat,inquirendum.

B Aristophanes grammaticus lepades similes esse ait tellinis. Magna quidem ex parte paruulæ gignuntur lepades,quæ tamen nonnunquam ostrearum magnitudinem æquant : maximæ autem in Indico mari, vt & alia omnia,inueniuntur,Wottonus. Patellis altera pars superficiei detecta carnem ostendit, Aristot. Vniualue genus, quod saxis testa in dorsum data adhæret,seruari potest : sitq; alieno septo quodammodo biualue, vt quæ patellæ vocantur,Idem. Et alibi : Patellis os versus terram, & excrementi exitus superiùs habetur.Papauer suum in imo(suo fundo)habent.

C Circa cauernas & rimas petrarum nascuntur thetea,glandes, & quæ eis insident, *(per superficiem earum inhærent,*τὰ ἐπιπολάζοντα,)vt lepades & neritæ, Athenæus ex Aristotele. Nerites quidem vel anatites ita adhæret petris,vt lepas.item aporrhais.Conchæ genera complura saxis affixa vitam omnem traducunt. Aristot.Neutrum genus est ostreis,& cæteris adhærentibus vado vel saxo,Plinius. Ἡ λεπὰς ὄσρεόν ἐστι κοῖλον : ὅπερ ἐπειδὰν λάβηται πέτρας,ἀπριξ προσίζεται.Synesius in epistolis.

D Aliæ ex aliis nexæ sæpè capiuntur easq; permultas inter se nexas, tanquã examen apium, vidi, Gillius.

E Patellas non sanè à saxis auellas, ne Milonis quidem digitis, qui Punicum malum cum apprehendisset, arctè adeò comprimebat, vt non aduersariorum quisquam posset extorquere è manu. Eas autem quicunq; de saxo, ad quod adhæserint, abstrahere aggreditur, magna quidem voluptate ex earum comprehensione afficitur, quòd manibus nitens, sperat se præda potiturum esse : veruntamen illarum compos fieri nequit : tandem aliquando ferro abrasæ abscinduntur à saxo, Ælian.de animalibus 6.55. Aliæ ex aliis nexæ,sæpè capiuntur, Gillius. De nassis, quemadmodum scriptum inueni in dogmatibus ichthyophagorum:In vas quo piscantur Patellas*(Andreas Lacuna vertit Vmbilicos)*saxis hærentes, τὰ ἐν ταῖς πέτραις λεγόμενα πωμάτια,)& carunculas earum accipiens coniicito ac venator, Tarentinus.

F Carnem habet lepas duram,concoctu difficilem, pauciq; succi.elixæ, condimento redduntur gratiores.Wottonus. Duræ sunt,pauci succi,& non admodum acres: sed gratæ ori,& faciles concoctu, εὐκατέργασοι:Wottonus mendum esse suspicatur. vertit enim difficiles concoctu,qua si legerit ἀκατέργασοι: (elixæ aliquantulum, *(Rondeletius quoque monet,ne nimiùm decoquantur)*suaues sunt,Diphilus.cuius hæc sunt verba Græca:(quæ apposui,vt nostra & Wottoni translatio conferantur:)Εἰσὶ δὲ σκληραὶ,καὶ ὀλιγόχυλοι, καὶ οὐκ ἄγαν δριμεῖαι : εὔστομοι δὲ καὶ εὐκατέργασοι. ἑφθαὶ δὲ ποσῶς, εὔστομοι. Lepades Hicesius facilliùs chamis excerni ait, Athenæus.Lepadum ius aluum mollit,Kiranides.

H. a. Lepades dictæ videntur, quòd sint petrarum in mari veluti λεπίδες, id est, squamæ quædam : & petræ cum eis spoliantur,veluti λέπεσθαι ἢ λεπίζεσθαι videantur,hoc est desquamari. Puto Græcis etiã πωμάτια dici. Vide suprà in E.ad finem. Patina genus est uasis, quo dapes elixæ & iurulentæ in mensam feruntur, ab eo quòd

quòd pateat dicta:Inde patella diminutiuum est,vt videtur.Quamuis lata gerat patella rhombum,Rhombus latior est tamen patella, Martialis. Vide plura in dictionariis. Est & arborum morbus, cuius meminit Plinius libro 17.Olea clauum etiam patitur, siuè fungum placet dici,vel patellam.hæc est Solis exustio. Lepadûsæ, Λεπαδοῦσαι, (penanflexum:) insulæ quædam dictæ sunt,à lepadum circa eas copia, Athenæus libro 1.Codex impressus alpha habet in prima. sed aut omicron, aut epsilon legendum,& s. duplex.est enim contractio pro Λεπαδόεσσαι, Eustathio teste. Apud Stephanum de Vrbibus Λοπάδουσσα,per o.in prima,& s. duplex ante alpha finale:insula circa Thapsum Libyæ, memorata Artemidoro. Post Thapsum in pelago est insula Lopadusa,Λοπάδουσα, (proparoxytonum, s. simplici,) Strabo libro vltimo. Vnde apud Plautum etiam Lopades fortè rectè legitur,eadem significatione, qua lepades. Tarentinus in Geoponicis voce diminutiua λοπάδια dixit. Cum animal significat lepas, λεπάς,vltimam acuit : eadem dictio penultimam acuens,λέπας,promontorium significat,vel montanam asperitatem, ἢ ὄρους ἀπόσπασμα, vt Ammonius & Cyrillus obseruarunt. hinc λεπαία χθὼν apud Tragicos (citante Eustathio) terram asperam & promontorij instar editam significat. Λεπρὰς quoque asperam & altam. Λέπας in epigrammate, ---- ὅς τόδε ναίεις Εὐστιβὲς αἰδοίαις ἰχθυβόλοισι λέπας, Suidas interpretatur ἀκρωτήριον. Cæterùm λοπὰς substantiuum per O. Græcis plerunque est patina,sartago,olla,vrna. Callias Mitylenæus λεπάδα scribit esse cantionem apud Alcæum, quæ incipiat : Πέτρας καὶ πολιᾶς θαλάσσης τέκνον : & finiat. ἀθαλασσία λεπάς. Aristophanes pro λεπὰς legit χέλυς : & Dicæarchum non rectè ait λεπάδα legisse. pueros(addit)his in os sumptis ludere inflando tanquam fistulas: καθάπερ καὶ παρ' ἡμῖν τὰ σπερμολόγα τῶν παιδαρίων ταῖς καλυμέναις τελλίναις, αὐλοῦντα παίζουσιν, Athe-neus.A verbo λέπειν (quod est excoriare)cùm alia deriuantur, tum ἡ ὀρειώδης (lego ὀσρεώδης) λεπὰς : καὶ ἡ λεπρὰς πέτρα,ἐφ' ἧς αἱ λεπάδες : καὶ τὸ ὀρεινὸν λέπας : & fortè etiam apud Dipnosophistam ἡ λεπαστὴ (ὀξυτόνως ὡς τὸ καλή : ἢ παροξυτόνως,ὡς τὸ μεγάλη:) τάχα γὰρ διὰ τὸ καὶ λεπτὸν καὶ ἐκπέταλον δὲ κατὰ τὰς λεπάδας,ἔχει τὸ καλεῖσθαι λεπαστή,&c. Eustathius in Iliados Φ.

Λεπὰς δίθυρον (*lege* μονόθυρον) καὶ λειόστρακον, Athenæus alicubi ex Aristotele. b.

Quercus & abies marinæ radices non habent: sed adhærent ὥσπερ αἱ λεπάδες, Theophrastus historiæ plant. 4. 7. c.

Obsonij Stolatos (Στολάτος) dicti præparatio in mari, cuius vi in vnum locum statim omnes pisces conueniunt : Ex mari patellas (λοπάδια)accipito,earum scilicet quæ circa saxa nascuntur. quarum quidem contundens carnem,exprimensq;,ex ea in testa aliqua inscribito quę sequuntur subitoq; non sine maxima admiratione videbis pisces in vnum locum fluere confertim, Sunt verò ipsa nomina, Ἰαὼ σαβαώθ : quibus sanè ichthyophagi vtuntur,Tarentinus. Λεπάδας δὲ πετρῶν ἀποκόπτοντες κρεμβαλίζουσιν, Hermippus apud Athenæum,Didymus quidem ait solitos fuisse aliquos loco lyræ conchyliis & & ostracis collisis, concinnum quendam sonitum & saltantibus aptum edere. e.

Ὄστρε',ἀκαλήφας,λεπάδας παρέθηκέ μοι,Philippides. f.

Ὥσπερ λεπὰς προσίσχεται, Lepadis vel Patellæ instar adhæret,(Erasmus Rot.communiùs quàm conueniat,Ostrei vel conchylij in morem vertit,)prouerbialis locutio est apud Aristophanem, pro eo quod est tenaciter & omni studio alicui rei deditus est, & immoratur assiduè. Idem neritæ seu anaritæ conchæ faciunt,& ipsi in prouerbium tracti. Προσφὺς ὅκως τις χοιράδων ἀναρίτης, Herondas:Penitus(vel, Mordicus) adhærens,vt petris anarites. Ἡ Σκύλλα κατὰ τὰ ὄσρεια(genus pro specie posuit) προσέχεται τῷ σπηλαίῳ, Eustathius. Λεπάς ἐστι κογχύλιον ἐφιζάνον ταῖς πέτραις,ὅταν αὐταῖς προσπήγνυται δυσαποσπάστως ἔχον Varinus. h.

PAVONES dictos pisces in solo Phaside flumine oriri perhibent. Vocantur autem eodem, quo & aues nomine.quia ipsis etiam cæruleæ sunt cristæ,(λόφοι:) squamæ autem versicolores,(στικταὶ.)cauda verò aurea in quancunque voluerint partem versatilis, Philostratus libro 3. de vita Apollonij. Quod ad caudam, Græcè sic legitur : Χρυσᾶ δὲ τὰ οὐραῖα, καὶ ὁπότε βούλοιντο ἀνακλώμενα, hoc est : aurei verò coloris cauda est, & cum ὁπότε ad tempus pertinet,non ad modum vel locum) libuerit pisci, sursum reflectitur.nam & pauo auis ἀνακλᾷ τὴν ἑαυτοῦ οὐράν : hoc est, ostentationis causa reflexam erigit & expandit. Pauo piscis est varij coloris, rubentibus lineis, è genere serratorum & solitariorum, Volateranus. Pauus maris dictus est à pauone volucre,quam coloribus refert.dorso enim & collo pictus est colore diuerso, Author de natura rerum & Albertus. Physicis Massiliensibus Roquau,multorum colorum est piscis, fluuiatili tincæ persimilis.hunc Veneti promiscuè Lambenam, Genuenses Lagionum, Romani vt plurimùm Merlinum vocant. Nam id genus omne piscium coloratorum,nomine Psittaci, Pauonis, Turdi, vel Merulæ illis *(Romanis.)* minùs tamen rectè,vocari consueuit,Bellonius. Idem in Gallico libro de piscibus, pauonis nomine alium exhibuit,Romæ papagallum vocari scribens, quem turdum postea in libro Latino nominauit. Pauonem Romæ vocari audio etiam illum piscem, quem suprà ex Rondeletio Nouaculæ nomine descripsimus. Pauones marini dici poterunt pisces illi,quos Alaudas Rondeletius vocat. nam & versicolores sunt : & aliqui eorum cristam habent cæruleam, qualem pauonem Phasidis Philostratus attribuit. Basiliscos etiam Oppiani cristatos esse puto.

DE PECTINE, RONDELETIVS.

QVIA Græcis Κτεὶς vocatur,à Gaza modo Pecten,modò Pectunculus conuertitur. Aristoteles. Τῶν δὲ διθύρων τὰ μέν ἐστιν ἀνάπτυχα,οἷον οἱ κτένες. Gaza sic, Biualuis generis pars clusilis est, vt Pectunculi. Et paulò pòst :Ἔστι τὰ μὲν κινητικὰ αὐτῶν ἐστιν,οἷον ὁ κτείς. Item alia se mouent,vt Pectines. Sed hæc varietas ambiguitatem parit : sunt enim Pectines, & ab his diuersi Pectunculi à Latinis dicti. Plinius manifestè Pectunculos à Pectinibus disiungens videtur Pectunculos pro Tellinis vsurpasse, vt Hermolaus annotauit. *(Ea de re leges plura in Tellinis.)* De aliis Pectunculis infrà dicemus.Qualis sit Pecten ex nullo meliùs quàm ex Athenæo cognoscemus,quo loco Ostreum *(Berberi)* in quo nascuntur margaritæ Pectini confert. Ἔστι δὲ ἡ μὲν τοῦ ὀσρέου ὄψις παραπλησία τῷ κτενί : οὐ διέγλυπται δὲ,ἀλλὰ λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει, καὶ δασύ : οὐδὲ ὦτα ἔχει δύο,ὥσπερ ὁ κτεὶς,ἀλλὰ ἕν.Ostreum aspectu Pectini simile est : testa non cælata, sed læuis est & spissa : neque vtrinque aurita est Pectinum modo, sed altera tantùm parte. Ex his liquet Pectinem duabus constare conchis A *Lib.4.de hist. animal.cap.4.*

 striatis,

ſtriatis,vtraque parte auritum eſſe, quod non huic tantùm competit, vt peculiariter auritum Pectinem nominare oporteat,(*quod Bellonius facit,*)ſed alteri etiam Pectini & Pectunculo. Noſtri piſcatores vocant Pectines larges coquilles,alij coquilles de ſaint Iacques.Itali cape ſante.

A. Pecten à Rondeletio exhibitus. *B. Alia pectinis concha,quam priùs expreſſam habebamus.*





A Teſta vtraque primùm ſtrictior, qua parte aurita eſt, deinde amplificata in orbem circumagitur: altera modicè caua & in dorſum elata, altera plana, veluti alterius operculum. Vinculo nigro & neruoſo colligatæ ſunt. Vtraq; ſtriata eſt.à ſtrictiori parte ſtriaturæ incipientes ad imum marginem deductæ ſunt. ſed ita vt in eo ſtriæ ſiue exochæ magis promineant quàm ſtrigiles ſiue canaliculi : quibus fit, vt Pectinis teſta lacinata ſit, & hac parte firmiter cohærens. Prætereà ſtriæ ſiue exochæ lineis à ſummo ad imum ductis ornatæ ſunt, quæ à duabus tribusúe aliis interſecantur à latere ad latus ductis verſus ſtrictiorem partem.Intus carnis multum eſt: quæ circa medium etiam carnoſum,longum,tenerum alligata apparet. Ineſt in carne particula luteum ouorum colorem referens.Spectantur μήκων & os tubæ modo factum,atque inteſtinum tenue luto plenum. Tota caro in ambitu membranam habet veluti fimbriam verſicolorem, ex qua fila multa & tenuia dependent.

F Eadem caro aliorum oſtreorum carne dulcior & tenerior eſt, faciliùs concoquitur. venerem irrîtat, non acrimoniâ,ſed nutrimenti copiâ. Aqua quæ intus eſt aluum ciet. Super carbones coquuntur, non-

Color B) nulli olei, piperis & ſalis tantillum iniiciunt: Pectinis teſtæ non ſemper eiuſdem ſunt coloris: quædam

Lib. 3. enim rubeſcunt,quędam albicant,aliæ nigricant. Diphilus apud Athneæum: Τῶν δὲ κτενῶν ἁπαλώτεροι μέν εἰσιν οἱ λευκοὶ ἄβρωμοι γὰρ καὶ εὐκοίλιοι. Τῶν δὲ μελάνων καὶ πυῤῥῶν οἱ μείζονες καὶ ἐνεάριοι (*Rondeletius legit* ἐαρινοί, *& ſimiliter Vuottonus*) εὔστομοι. Κοινῶς δὲ πάντες εὐστόμαχοι, εὔπεπτοι, εὐκοίλιοι λαμβανόμενοι μετὰ κυμίνου καὶ πιπέρεως. Inter Pectines teneriores ſunt candidi : virus enim non reſipiunt, & aluo faciles ſunt. ex nigris & flaueſcentibus maiores & verni, palato arrident. Omnes in vniuerſum ventriculo grati ſunt, facile concoquuntur, aluum ſubducunt ſumpti cum cymino & pipere.

C Ariſtoteles lib. 4. de hiſt. animal. cap. 4 inter teſtacea quæ ſe mouent Pectines numerat, quos etiam volare ait ex nonnullorum ſententia: nam de ferramento quo capiuntur ſæpe exiliunt. Plinius lib. 9 cap. 33.Saliunt(inquit) Pectines & extrà volitant, ſeq; & ipſi carinant : id eſt, ex ſuis teſtis carinam ſibi parant, ſicuti Neritæ,præbentes concauam ſui partem,& alteram (*meliores codices hîc non legunt,alteram*) auræ opponentes,ſic per ſumma æquorum velificant. Strident Pectines, inquit Ariſtoteles lib. 4. de hiſt.animal. cap.9 quoties per maris ſumma nitibundi feruntur, quod volitare dicunt. Pectinibus oculos tribuere videtur Plinius lib.11.cap.37. Non omnibus animalium oculi : Oſtreis nulli,quibuſdam concharum dubij: Pectines enim,ſi quis digitos aduerſum hiantes eos moueat,contrahuntur,vt videntes.In eandem ſententiam ſcribit hæc Ariſtoteles lib. 4.de hiſt. animal. cap. 8. Pectines quoque admoto digito dehiſcunt, mox comprimunt ſe vt cernentes. Id quod ego in Pectinibus ſæpius experiri volui, ſed ſi digito immiſſo caro vel membrana carni circumpoſita non tangatur,ſe non contrahunt: ſi tangatur, ſtatim claudunt, & digitum vel aliud quid immiſſum firmè retinent. Teſta intecta(inquit Ariſtot.) omnia latent,vel algore vigente,vel æſtu. Pectines, quemadmodum Purpuræ & Buccina conduntur Canis exortu circiter tricenos

(F) dies. Pectines,atque adeò Oſtreæ ac conchæ omnes tum optimæ ſunt, quum grauidæ. Quanquam verò teſta intecta grauida dicamus, nullum tamen eorum vel coitum, vel partum intelligimus. hoc enim genus ſponte prouenir,ouáque eorum impropriè appellamus partem illam, quæ mollioris nutritionis eſt indicium, (quemadmodum in ſanguine præditis adeps,) quam ob cauſam tum melioris ſunt ſucci. Pectines in locis arenoſis proueniunt,& quemadmodum purpuræ celeriter augeſcunt,quippe qui anno perficiantur autore Ariſtotele.ouum enim quale modò diximus uêre continent, procedente tempore minuitur: deinde totum aboletur. Siccitates pertimeſcunt, & locis quibuſdam propter ſummos calores defecerunt.

Quomodo volent, & ſe carinent. — *An videant.* — *Occultatio.* — *Generatio.* — *Lib. 5. de hiſt. Anim. cap. 15.*

F Pectines maximi & nigerrimi æſtate,inquit Plinius lib.32. cap.11. laudatiſſimi Mitylenis.Eoſdem etiam celebrant Iulius Pollux, & Athenæus. Laudatiſſimi etiam Tyndaride in Sicilia, & Salonis in Dalmatia.

Serm. 2.4. Neq; ſolùm in Altino & Antio Italiæ, ſed etiam Tarenti. Horatius:

Pectinibus patulis iactat ſe molle Tarentum. Item in Inſula Alexandriæ in Ægypto.

G Purgatur veſica Pectinum cibo, inquit Plinius lib. 32. cap. 9. nam vrinam cient, & quæ in veſica ſunt modicè detergunt.

DE ALTERO PECTINE, RONDELETIVS.



CONCHA quam hîc exhibemus Pecten eſt alter (nam Pectines concharum generi attribuit Plinius) quem cum ſuperiore eundem planè eſſe facilè exiſtimabit is,qui non diligentiùs circumſpexerit, ſed reuera differt : nàm latiores & ampliores aures habet, eſtque toto corpore longiore ſtrictioréque quàm ſuperior. Prætereà hic teſtam vtramque Pectunculorum Burdegalenſium modo concauam habet, ſuperior alteram duntaxat concauam,alteram planam. Poſtremo hic concharum quarundam rugoſarum ritu rugas ſiue ſtrias & exochas ſimplices habet, prior verò ſingulas ternis aut quaternis lineis à ſummo ad imum ductis ornatas. B

Hunc Pectinem Itali Romiam vocant, quòd qui è Compoſtella redeunt (quos etiam Romious lingua noſtra vocamus) Pectines huiuſmodi multos pileis affixos geſtant. A

Carne & ſapore à Pectunculis non differunt, ſed figurâ : Pectunculi enim rotundiores ſunt, & altera tantùm parte auriti, hi Pectines magis oui figurâ & vtrinque auriti. F B

DE PECTVNCVLO, RONDELETIVS.



IN ſinu Aquitanico frequenter capiuntur exigui Pectines, qui vulgò Petoncles vocantur. Capiuntur etiam in Normania, vocantúrque Hannons. Romæ Gongole, quaſi Conchulæ : ſunt enim ſemper parui, præſertim in Mediterraneo mari,in Aquitanico litore maiores. Alij Coquilles de Saint Iaques appellant, quemadmodum ſuperiores. Pectunculi rectè dici poſſe mihi videntur. pectinibus enim figurâ ſimiles ſunt. A

Concham ſtriatam habent,vtranque cauam, aculeis aliquot paruis armatam. Altera duntaxat parte auriti ſunt,aliquando dextra,aliquando ſiniſtra.Horum aliqui candidi ſunt,alij rubeſcunt. E

Carne ſunt tenera,molli,guſtuiq; gratiore quam ſuperiores Pectines,ob ſalſi cum dulci permiſtionem. F His atq; aliis Oſtreis quidam maximè delectantur, iiſq; frequentiùs & copioſiùs veſcuntur, vt Burdegalenſes & Santones.Qua de cauſa euenire puto,cur multi apud eos calculo grauiter laborent : omnia enim Oſtrea craſſi & ſalſi ſucci copiam gignunt,qui accedente vini tenuis & generoſi liberali potu facilè ad renes permeat, vnde calculi in renibus & veſica gignuntur. Quòd ſi quis obiiciat vt Pectinum, ita Pectunculorum cibo, veſicam ſimiliter & renes purgari ex Plinio, ac proinde cibo huic detergendi vim aliquam ineſſe: reſpondemus in corporibus impuris, atque pituita craſſa & multa, ventriculo primiſq; venis infarcta tetergentia ad calculum procreandum multùm habere momenti, vtpote quæ calculi efficiendi materiam ad renes deducant : multò magis quæ aperiendi vi prædita ſunt, quibus qui alieno tempore vtitur,renum & veſicæ morbum ac cruciatus valdè auget. Hæc de pectinibus.

Calculi generatio.

DE PECTINE AVRITO, BELLONIVS.

Rondeletius ſimpliciter hunc pectinem vocat.nam alter quoq; pecten, & pectunculus auriti ſunt,inquit:non hic peculiariter.

IN concharum genere ſolum pectinem altera parte planum agnoſcimus : cuius parte ſuperiore teſta tumida, binis vt plurimùm auriculis inſignita,emergit : atque ita ſtriata quemadmodum teſtudines rugis imbricatæ,quæ Nichia dicuntur.Pectines inter biualuium genera, poſt Pinnam, maioribus conchis præditi ſunt : quas habent ſcabras,reſeratiles & cluſiles, nullis cardinibus pyxidatim infarctis coniunctas, ſed neruo tantùm nigro (vt in oſtreis videmus) obfirmatas. Parte plana tanquam prona ſolo accubant: ſupina enim tumida aures vtrinque habet,per quas exerere linguam Ariſtoteles tradit.Sunt tamen inter hos nonnulli vnica tantùm aure præditi. B

Dehiſcentibus,ſi digitum in rimam admoueris,ita ſe comprimunt, quaſi cernere videantur. De horum autem motu ſic habet Ariſtoteles quarto de hiſtoria animalium: Concharum (inquit) aliæ ſe mouent, vt Pectines: quos etiam volare nonnulli aiunt. Quod Ariſtotelis dictum intelligendum eſt, quum de ferramento quo capiuntur pectines,ſæpè exiliunt: quem motum non quidem greſſum,non inceſſum, non etiã natatum,ſed impulſum quendam eſſe dixeris.Pecten enim cùm præter aliorum normam partem habeat pronam ac ſupinam,mirum eſſe non debet, ſi tantùm poteſt vt de ferramento exiliat. Hunc enim in vaſe aqua referto obſeruare poteris,eodem modo quo Chamarum genera, ſe multùm extra teſtam exerere ac moueri. C

Sunt edendo Pectines,ſed non tam grati, quàm Pectunculi, neq; ita frequentes rarò enim capiuntur. F

Cæterùm in Pectinibus ac Pectunculis cancri enaſcuntur rotundi, quamuis vtrinq; pedibus forpicatis,molliq; cartilagine contecti. B

Cancri eis innati.

Heracleoticos autem multò magis quàm marinos,vulgares laudare ſolent.

DE PECTVNCVLO, BELLONIVS.

Nomina eadem Bellonius pectunculo ſuo attribuit,quæ Rondeletius etiam ſuo. ſed picturæ ſunt diuerſæ : Rondeletij ab vna parte aurita : quam exhibuimus,pectini enim ſimilior eſt. Bellonij,neutra : capite teſtæ ita ferè ſe colligente vt in Tellinis & Chamis,eam omiſimus.

Pectunculus Pariſienſes & Rothomagenſes Petoncles vel Hannons appellare conſuerunt. A Pectinibus hoc diſſident,quòd parui ſint, & vtranque concham (Chamæ modo) tumidam ac concauam habeant.ſtriis rectis aſperam. Sed à Chamis tracheis hoc etiam diſcrepant,quòd Chamæ tranſuerſas lineas, Pectines autem labra in gyrum crenata oſtendant.Sunt qui ſancti Iacobi conchylia vocent. Anglicum vulgus Cockles vocat: Romani ruſtici, qui Chamas læues & Tellinas ex mari in forum piſcarium adferunt, eos quoque ad menſuram Tellinarum modo diuendunt,quos & Conchulæ nomine vocant,ſed Gongolam pronunciare malunt. AB

F Cibis plurimùm expetuntur. Quamobrem eos inter alimenta recensuerunt Medici. Subalbida carne constant, gustui pergrata, quam Græcum vulgus crudam etiam edit. C. Plinius medicus Pectunculos iis dabat, quibus de calore nimio stomachus laboraret: quos tamen inter pisces duræ carnis multis locis recenset. Hoc autem præstantiores censentur, (inquit Wottonus,) quo maiores sunt, testaq́; magis concaua, & colore nigriore: æstate quidem (uêre & æstate, Wottonus) optimi, quo maximè tempore augeri, plenioresq́; fieri, pro lunari potestate solent. Mitylenenses cæteris præstant, & magnitudine, & succi probitate. Numerosos fert Pontus: sed exiles, & qui non temerè in magnitudinem crescunt.

G Vrinam cient: & ea quæ circa vesicam sunt vlcera vel sordida, iuuant, etiamsi escharam contraxerint.

Alia species. Sunt ex iis quidam, quorum conchæ in superiori parte horrent, iisdemq́; quo prædicti canalibus striantur, quos sanè congeneres esse puto.

COROLLARIVM.

A Pectines in mari ex eodem genere habentur: Plinius cum proximè de locustis dixisset, quæ crusta fragili muniuntur. non autem genus proximum, sed remotius, quod pisces exangues complectitur, commune eis esse dicendum est. Pectinum genus striatum, id est pectinatim diuisum, à rugis illis siue imbricaturis nuncupatur, Gillius. Germani conchas biualues omnes generali vocabulo vocant Muscheln/ Moscheln: vt pectines, chamæ, &c. pectines verò priuatim, diui Iacobi conchas, Jacobs Muscheln. Angli verò Muskels peculiariter nominant conchulas illas, quas Bellonius Mytulos: pectinem autem a Scalope/Scalop. Magno in errore versatur Albertus & recentiores, qui pectines pro passeribus (id est pla-

C nis piscibus illis quos vulgus nostrum platessas nuncupat) accipiunt. Pectinum generis quidam arbitrantur eas esse, quas vulgò appellant Conchas S. Iacobi, sed aliæ Oceani litoribus Gallicis cognitæ habentur, Gillius.



Pectunculi, vt ipsum nomen loquitur, exigui pectines sunt: quod bifariam intelligi potest, vt & pectines maiores antequam excreuerint, sic appellentur: & species peculiaris semper parua, qualem Rondeletius depinxit, vna tantùm parte auritam: cui hanc quoque iconem (siue eiusdem, siue cognatæ speciei: quam vnde sim nactus non satis memini) quadrare opinor. Plinius eúmque imitatus Gaza, pectines & pectunculos aliquando promiscuè nominant: Trallianus quoque κτένια, diminutiuo nomine appellans, ipsos simpliciter ctênas, id est, pectines intelligere videtur.) Ab eodem tamen Plinio pectunculi quandoque pro tellinis videntur accipi. Pectunculos nominat etiam Columella 8. 17. item Nonius inter ea quibus similitudo nomen fecit. Affinem ostreis pectines siue pectunculi, quos hodie conchulas dicimus, naturam atque saporem habent. Sunt striatæ, & subrubra carne: & in Tarentino sinu laudatissimæ & grandiores, quæ auriti pectines Latinè appellantur, Iouius. Pectunculus siue pecten minor ab Anglis dicitur Cocle. Germanicè nominemus licet, kleine Jacobs Muscheln: oder Sanct Michels Muscheln.

Pectines diuersi. Audio & pectinum genus quoddam aculeatum Anglos appellare a Fryll: & similiter è cancrorum genere maiam, testa aculeata. Pharmacopœorum vulgus pro concha Venerea pectines vsurpat, Rondeletius, Author quidem Pandectarum, Venerias interpretatur cochleas quæ afferuntur à S. Iacobo. verùm hæ porcellanæ sunt, non pectines, de quibus inter cæteras conchas tractatum est suprà Elemento C. Pectines quidam magni sunt, quibus altera valuularum latior velut tegmen superposita est Aristot. historiæ 4.4. Iuba tradit Arabicis margaritis concham similem esse pectini insecto, (id est, non secto, non cælato, ὐ διέγλυπται ζ', ἀλλὰ λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει, (Plinius, vide suprà in corollario de Margarita A. vbi de concha echinata dixi, pag. 263. Citharum à Rondeletio dictum piscem Romæ pectinem vocant, vulgo pectenorzo. Purgatur vesica pectinum cibo. ex his mares alij donacas, alij aulos vocant: fœminas, onychas, Plinius lib. 32. cap. 10. sed locus videtur deprauatus, & vel non pectinum legendum, sed solenum: vel Plinium memoria lapsum dicemus. Xenocrates pectines memorat ruffos, candidos, varios: item candidos atque latos.

B Ex Aristotele: Pectines squalente cœlo, *(cum anni pluuij sunt, Massarius)* magis trahunt ruffum colorem. Iam in Pyrrhæo Euripo pectines aliquando desiuerunt, non modò propter ferramentum, quo piscatores abradendo vbertim caperent, verùm etiam propter siccitates. Pectines biualues sunt, & clusiles. Se concludendo tuentur. Testæ eis pectinatim diuisæ sunt. Reseratiles sunt: ab altero enim latere nodo ligantur. Ouum dictum, altera tantummodò parte eis fit. Κτεὶς τραχυόστρακος, ῥαβδωτός, Athenæus ex Aristotele. Conchæ sunt striatæ, testis biualuibus, altera tamen tumida, altera plana, binisq; auriculis angularibus, Massarius. Pectines vbi maiores aut præstantiores habeantur, dicetur in F.

C Pecten testati generis & expedis, potissimùm plurimúmque se mouet volatu, Aristot. Loligo etiam volitat extra aquam se efferens, quod & pectunculi faciunt, sagittæ modo, Plinius. Aquatilium pectines stridêre cum volant, traduntur, Idem. Quoniam sua cuique potest esse sententia ego non existimo pectines volare posse per aëra. cum enim callo illo interiori ambæ testæ adeò connexæ sint, vt difficilè diuelli queant, non possunt ita liberè aperiri, vt volare valeant. quamobrem volare hoc in loco pro salire celeriter in modum volatus, & discurrere de loco ad locum potiùs interpretarer. pectines enim tanta velocitate dehiscunt, vt ex vehementi repercussione saliant & superiactent, vt quasi volare videantur, Massarius. Pectines aliquandiu in arena (aliàs, in secessu) latent, vt & purpuræ, Aristot. Conduntur in magnis frigoribus, ac magnis æstibus, Plinius. Sponte naturæ in harenosis proueniunt, Idem. Vêre pectines, limaces, hirudines eodem tempore euanescunt, Idem. Nocet eis siccitas, & vt deficiant in causa est, Aristoteles.

D Vrtica noctu pectines & echinos perquirit, Plinius. Vrticæ quoddam genus pectines, in quos offenderit, corrodit, Aristot.

Ferramento quodam piscatores abradendo pectines capiunt, Aristoteles. Limosa regio idonea est educandis conchyliis, & ostreis, purpurarúmque cum concharum pectunculis, Columella de piscinis loquens.

quens. Pectinum maiorum vsus est alicubi in templis ad salem continendum qui consecratur.

Concha salis puri, Horatius.

Mures sunt Aëni, aspera ostrea plurima Abydi, Mus Mitylenæ est pecten curadrum quæ apud Vmbraciæ finis: Versus Ennij corrupti, quos citat Apuleius Apologia 1. Ii aliqua ex parte restaurari possunt ex Archestrati apud Athenæum versibus, vnde etiam translati sunt: Τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος. Τὰς ἄρκτους Πάριον: τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη: Πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει, καὶ * ἄπλατα μετ' αὐτῶν. F Pectunculus Chios inter cibos electiles numeratur à Gellio. Methymnæos pectines olim celebres fuisse, authores sunt, Philyllius, Pollux, & Clemens in Pædagogo. Galenus in libro de boni & vitiosi succi cibariis, pectines crassi admodum succi esse scribit: & succum eorum aluum ducere, non secus ac lactis serum. Stomacho apti sunt duri ex media materia pisces, ostrea, pectines, murices, &c. Celsus. Pectines chamis alunt vberiùs, sed succi peioris sunt, & excretioni minùs faciles, Hicesius. Myes (Mituli) Ephesij, eisq́; similes, succi bonitate vt pectines superant, ita cedunt chamis. Archigenes apud Galenum de compos. sec. locos, pectines connumerat iis, quæ stomachicis in cibo conueniunt. Aluum simul & vrinam cient, Athenæus. Qui candidi sunt atque lati, dulciores habentur: sed candidi, duri: rufi, virosi: varij, mediocres sunt, Xenocrates. Diphilo tamen candidi, molliores sunt. Concoctionem pectunculi faciliùs admittunt quàm ostreæ. Sapore sunt dulciore: at nimiam illam dulcedinem per cocturam exuunt. Aluum magis mouent iurulenti assis: & quò magis assentur, eò minùs succi congeniti erit reliquum, minúsque aluum tentabunt: si in suis testis assentur, magis nutrient, Wottonus. In colico affectu sumantur pisces duriore carne præditi: & ex testaceis pectines, ostrea, &c. Trallianus. In cardialgia cibi conueniunt, qui non facilè mutentur aut corrumpantur, quíque mordacitati & acrimoniæ molestorum humorum resistere queant, vt sunt astaci, pectunculi, &c. Idem. Et alibi: In vomica, (empyemate,) si salsus & biliosus humor est, pectines aut buccina, aut astacum, aut locustas dare non est alienum. Tympanicis testacea quædam, vt buccina, pectines, raró & modicè solius voluptatis gratia offerre conuenit, Idem. Nihil ex eis quod pingue est sumant, vt *(sed)* isicos, pectines & conchylia, Plinius medicus 5. 1. Podagram pituitosam præcedit ferè plurium ciborum, & vitiosos succos generantium vsus, vt isiciorum, pectinum, buccinorum, &c. Trallianus.

G Pectunculi salsi triti cum cedria pilos in palpebris inutiles, cum'sos cohibent, Plinius. Pharmacopœorum vulgus pro concha Venerea pectines vsurpat, Rondeletius. Contra dorycnium in cibo iuuant pectines, buccina, &c. Nicander.

H.a. Κτεὶς oxytonum scribitur apud Eustathium & Varinum. in Athenæi codice circumflexum reperi, quod non probo. hinc datiuus pluralis τοῖς κτεσὶν, apud Aristotelem: κτένεσι verò poeticum est. Βελόναις τε, κτένεσί τε, Archippus. Nominatur autem κτεὶς, παρὰ τὸ ἐκτείνειν τὰς τρίχας, vt refert Eustathius. hoc est, pecten instrumentum quo capilli pectuntur & extenduntur. E Dictionariis Varini & Hesychij. Κτεὶς, κτενὸς, τὸ κτένιον, παρὰ τὸ ἐκτείνειν τὰς χεῖρας, ἢ τὰς τρίχας. κτεὶς δὲ ἐπὶ τῆς θαλάσσης, παρὰ τὸ ἐκτείνεσθαι καὶ ἁπλοῦσθαι. Κτένιον, ᾧ κτείνομεν τοὺς φθεῖρας: καὶ τὸ τοῦ ποδός. Κτένας, τοὺς τῶν χειρῶν καρποὺς, (metacarpia potiùs,) καὶ τῶν ποδῶν, καὶ τὰ στήθη, μεταφέροντες ἀπὸ τῶν εἰς τὰς τρίχας ἐπιτηδείων κτενῶν. λέγουσι δὲ καὶ τὰς νωτιαίας πλευράς. Κτεὶς, τὸ ἐφήβαιον: τὸ μόριον, ἤγουν τὸ αἰδοῖον, καὶ τὸ τῶν τριχῶν κάλλυντρον. Κτένια τῶν κιθαρῶν, οἱ ὑπερέχοντες ἀγκῶνες λέγονται. Nostri hanc in cithara seu testudine Musico instrumento partem, collum eius appellant: Lautenkragen. Ἡ δὲ τῶν τριχῶν σαγηνευτῆρα πύξινον κτένα, Suidas ex epigrammate innominati. Κτεὶς μόριόν τι τῶν κρυπτομένων τοῦ ἀνθρωπείου σώματος διὰ τὰ περὶ αὐτὸ ῥαβδώματα οὕτω καλούμενον, Eustathius. Quatuor anteriores dentes, qui in meditullio constituti habentur, Græci diuersis nominibus appellant, toméas, dichastêras, ctênas, gelasinos: vocabulo primo ab insectione ducto, altero ab diuisione, tertio quòd concidant, &c. Cælius. Κτεὶς Græcis, pecten Latinis, textorium instrumentum est, dictum (vt quidam scribit) quòd fila in telis figat. (nostri folium appellant, ein Blat/oder Kamb/) *Arguto coniux percurrit pectine telas*, Vergilius 1. Georg. Πεντέκτενα (lego Πεντάκτενοι, χιτωνίσκοι παρὰ τὴν ὤαν πορφύραν ἔχοντες, πέντε κτένεσιν ἐνυφασμένοι, Pollux. Textoris pectine percussæ lacernæ, Iuuenalis Sat. 9. Vnci pectinis moderator, Claudianus 2. in Eutropium. Pecten, quo explicamus capillos Plautus Captiuis: Sed vtrùm strictim ne attonsurum dicam esse, an per pectinem, nescio. De pectine est epigramma apud Martialem libro 14. *Deducit crines pectine Cytoriaco.* Est etiam pecten instrumentum quo pannus è lanis nuper contextus raditur: nostri à carduo denominant ein Karten/ oder Kartertschen. Item quo linum & cannabis depectitur & purgatur, de quo plura attuli in Echini Philologia. Pecten, cratis dentatæ genus, (nostri vocant ein Egten:) stylis ferreis ad colendum terram, & aliquando metendam segetem. Columella lib. 2. Sunt autem metendi genera complura. multi falcibus verriculatis, atque iis vel rostratis, vel denticulatis, medium culmum secant: multi mergis, alij pectinibus spicam ipsam legunt: idque in rara segete facillimum, in densa difficillimum est. Ouidius 1. de Remed.

Temporibus certis desectas alligat herbas, Et tonsam raro pectine vertit humum.

Nostri hoc instrumentum vocant ein Rächen: quo vertitur & raditur humus, (vnde & rastrum dicitur,) & gramen resectum colligitur. eodem rustici ad glebas confringendas vtuntur. grammatici dictum aiunt quòd terram radat, & fodiendo conculcet, &c. Pecten, pubes, hoc est locus vbi pili apud verenda nascuntur. Græcis quoque κτεὶς, (vt suprà indicaui ex Varino & Eustathio:) nostris der Sturmbühel. Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro, Iuuenalis Sat. 6.

Pecten, musicum instrumentum quo citharam pulsamus. Iam pectine pulsat eburno, Vergilius 6. Æneid. Crispus pecten, Iuuenalis Satyr. 6. Græci plectrum (πλῆκτρον) dicunt. *Pectines in ligno.*

Pectines à Plinio dicuntur in arboribus & earum materia, per longitudinem rectæ pectinum modo lineæ & interualla, Græci κτηδόνες. in quibus autem variant pectinum illorum lineæ & interualla, adiicere Plinius solet aliquid, quo varietas illa possit indicari, obliquos, crispos, nodósve dicens, Autor Promptuarij. Nostri in ligno hos veluti neruos, appellant annos, die Jahre. Sunt autem venæ, seu fibræ, & diuisiones in lignis pectinum modo, hoc est διαφύσεις, discriminationes. Vide Marcellum Vergilium in Dioscor. lib. 3. cap. 1. & lib. 1. cap. 110. Κτηδόνες, τριβδόντες (hîc distinxerim) ἰχθύες, καὶ θηρίδια: καὶ ἐπ' εὐθείας τῶν ξύλων ἐκφύσεις Suidas & Varinus. Κτήδων, (paroxytonum: meliùs oxytonum, (τριδὺς, Hesychius. Quòd si κτηδόνες etiam pisces

piſces aliqui dicuntur,non alios fortè quàm κλένας (id eſt pectines) eſſe coniiciemus: etſi hi teſtati ſint, nec propriè piſces. Abies ima cum circumciſa quadrifluuiis diſparatur; Vitruuius Architect. 2. 8. Philander interpretatur,quadripartito venarum curſu, vt loquitur Plinius. qui & fluuiatam ob id abietem vocat. *(Noſtri quoq; vulgò pectines & venas in ligno,præſertim criſpas, & camelotæ,vt vulgò vocant,veſtis ductus imitantes,aquas nominant.)* Theophraſtus libro de plantarum hiſtoria quinto, tradit arborum τετραζόυς, hoc eſt quadripartitas dici,quibus in vtranq; partem medullæ,bini venarum curſus naturæ contrariæ,pertendunt: διζόυς,id eſt,bipartitas,curſum venarum vnum tantùm in vtranq; partem medullę gerere,eoſdemq; inuicem contrarios habere: μονοζόυς ſiue ſimplices appellari,quę vnum duntaxat venarum habent curſum. Theodorus Gaza (ſi credimus Hermolao) vertit quadriuiuas,biniuiuas, & vniuiuas: quòd τετραζώυς, διζώυς,& μονοζώυς legiſſet: manifeſto errore. Plinius ſignificantiùs transfert, quæ habeant quadripartitos venarum curſus,bifidos,aut omnino ſimplices,Hæc Philander. Apud Galenum libri de faſciis caput 110. inſcribitur Pecten ſeu vinculum ſuſpendens ad colem. Eſt Pecten Veneris herba apud Plinium à ſimilitudine Pectinum dicta,nota hodieq; elegantioribus medicis. Ctenites lapis à Ge. Agricola memoratur. Germanicè Kampſtein interpretatur. Kamp enim pectinem inſtrumentum capillis pectendis aptum ſignificat.Striatus eſt(inquit)omninoq; pectinis effigiem repræſentat.color illi plerunq; cinereus,&c.Mihi non tam quòd pectinem inſtrumentum, quàm quòd eiuſdem nominis teſtatum in mari animal præ ſe ferat ctenites lapis dicendus videtur: ſicut & alij complures: vt conchites,ſtrombites,myites,&c. Veteres tamen eius meminiſſe non puto. Nuper lapideos aliquot pectines,naturæ luſus, marinis ſimillimos, medicus & philoſophus inſignis Dominicus Montiſaurus Veronenſis ad me miſit: quos ego Ctenitas lapides appellârim. Pectinum genus (de animali loquitur) pectinatim diuiſum eſt, Gillius. Dentes in circuitu marginum habent pectinatim *(vt ſerræ dentes ſolent eſſe)* ſpiſſatos,Plinius lib.32. Pectinatum tectum dicitur,à ſimilitudine pectinis,in duas partes deuexum,vt teſtudinatum in quatuor,Feſtus. Philander tecta pectinata,à Vitruuio diſpluuiata dici coniicit: quæ fiant trabium iunctis capitibus mutuo innexu,paribusq; contra ſe ponderibus,pedibus imis diuaricatis.

DE PEDICVLO MARINO, RONDELETIVS.



Lib.5 de hiſt. anim. cap.31.

A EST inter inſecta pediculus marinus, qui cum pulice conſpirat ad infeſtandos piſces,& tenui cruſta integitur. A Græcis vocatur φθεὶρ θαλάττιος, qui duplex eſt apud Ariſtotelem: vnus, *(piſcium hic, non inſectorum generis eſt. exprimit enim Ariſtoteles piſcem eſſe,vocari autem pediculum)* qui in mari, quod eſt à Cyrena ad Ægyptum circa delphinum eſt: qui omnium pinguiſſimus

B ſit pabuli copia,quæ delphini opera ſuppeditatur. Alter pediculus eſt,quem hîc depinximus, maioris fabæ magnitudine & latitudine,ſcarabeo terreſtri ſimilis. Corpus ex aliquot tabellis,veluti locuſtæ, vel ſquillæ cauda conſtat.ante os duo cornua breuia habet.vtrinque pedes multos,incuruos, in acutum deſinentes.

C Piſcibus ita hæret,vt eripi non poſſit. Sugit vt hirudo,nec priùs abſcedit, quàm tabidum & exuccum piſcem reddiderit. Reperitur ceruici mugilum,luporum,& ſaxatilium piſcium affixus.

Verum pedic[illegible] mar. ſe exhibet.

Contra Bellonium.

A Hunc pediculum marinum eſſe Ariſtotelica deſcriptio apertè indicat: Ἐν δὲ τῇ θαλάττῃ γίνονται μὲν ἐν τοῖς ἰχθύσι φθεῖρες, οὐχ ἐξ αὐτῶν τῶν ἰχθύων, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἰλύος. εἰσὶ δὲ τὰς ὄψεις ὅμοιοι τοῖς ὄνοις τοῖς πολύποσι, πλὴν τὴν οὐρὰν ἔχουσι πλατεῖαν. In mari ſunt *(naſcuntur)* piſcium pediculi, non ex piſcibus ipſis, *(vt in terreſtribus animalibus, quorum pediculi ex ipſis enaſcuntur,)* ſed ex limo generati: ſunt autem aſpectu aſellis multipedibus ſimiles, niſi quòd caudam latam habeant. Qui igitur ὄνους,qui Latinè multipedæ dicuntur,quæ ſub aquario vaſe ſtabulantur,cognouerit, facilè ex earum ſpecie pediculum marinum agnoſcet. Vnde perſpicuum ſit turpiter hallucinatum fuiſſe authorem libri de aquatilibus, qui pediculum marinum aſilum ſiue œſtrum Ariſtotelis appellauerit: quem aſilum Ariſtoteles ſtatim poſt pediculum longè diuerſum deſcribit: Τισὶ δὲ τῶν θύννων οἶστρος γίνεται μὲν περὶ τὰ πτερύγια: ἔστι δὲ ὅμοιος τοῖς σκορπίοις, καὶ τὸ μέγεθος ἡλίκον ἀράχνης. Aſilus ſub quorundam thynnorum pinna oritur, ſpecie ſcorpionis,aranei magnitudine. Si aſilus ſcorpioni ſimilis eſt figurâ,vbínam quæſo in aſilo tuo ea repræſentatur? ubi cauda longa & ſtricta? vbi in eodem aranei magnitudo? Hæc apertè conuincunt, te neque aſilum vnquam vidiſſe, neque traditam ab Ariſtotele eius deſcriptionem diligenter legiſſe. Sed de aſilo aliâs: cuius veram effigiem in orcyno depinximus ſupra branchiarum pinnam,quia ſub pinna videri non potuiſſet. *(Orcynum dabimus infrà cum thinno. ſed ſuprà etiam Elemento A. aſili hiſtoriam & iconem reperies.)*

G Vocant in mari pediculos,(inquit Plinius lib. 31.cap.7.) eoſq; tritos inſtillari ex aceto auribus iubent. Et paulò pòſt (cap. 8.) Rigor ceruicis mollitur cum marinis qui pediculi vocantur,drachma pota.Ego eorum cinerem ad vlcera capitis manantia valere ſum expertus.

IN ſtagnis etiam marinis naſcuntur Pediculi,ita conglomerati vt piſces etiam hamo iam captos abſumant. A marinis neq; figura,neq; victus ratione,neq; viribus differunt.

DE EODEM, BELLONIVS: QVI TAMEN ASILVM *hanc beſtiolam nominauit. Nos de vero aſilo ſupra in A. elemento.*

B Aſilus marinus, Oppiano Oeſtrum terreſtri Millepeda longè maximus *(maior,)* vtrinq; octonos pedes habet,in ambobus lateribus ſedecim. Octonis quoq; in tergore tabellis loricatur: quæ totidem vtrinque pedibus reſpondent. Priorum pedum vngues ad caput, poſteriorum autem verſus caudam reflectuntur:

(C) *(Hoc in Rondeletii pictura non ita apparet:)* ex quo eum & antrorſum & retrorſum ingredi poſſe credibile eſt. Vnguibus piſces quos apprehendit,ſtrictè continent,ſubitq; eorum ſquamas,nec inde vnquam abſcedit,donec eos eroſerit. Erythrinos, Dentales ac Sargos edit,vt in Corcyra Mullum à duobus Aſilis vtrinq; penè deſquamatum aliquando viderim,tametſi Mulli plerunque Oeſtros abſumant.

B Oculos habet paruos,nigros aliquantulum eminentes: atq; in orbem,vt terreſtris millepeda ſe contrahit.

C Prægnans plærunque reperitur. Verſatur in limoſis portubus,& ſpurcitia refertis,

COROL-

COROLLARIVM.

Animal illud marinum,cuius iconem neſcio vnde nactus, appoſui,ſi pediculi marini ſpecies non eſt, quò referendum ſit dubito. Rondeletium quidem pediculum marinum verum exhibuiſſe,dubium mihi non eſt. nam & ante multos annos à Cornelio Sittardo, eandem quam Rondeletius dedit picturam, pediculi marini nomine accepi, cum vulgari Italis nomine Pedotzo marino. Germanicè interpretor, Waſſerlauß/ Meerlauß. ſed in dulcibus etiam aquis inſecta quædam ſic appellari audio, Waſſerlauß: de quibus nonnihil ſupra inter Inſecta aquatilia I. Elemento diximus. Iis hamo infixis piſces ineſcant piſcatores noſtri. reperiuntur anno toto, veris etiam initio,& ſub glacie. Eiuſdem generis fortè & Ἕρπηλαι ſunt, à recto ſingulari ἑρπήλη, ſi rectè legitur apud Athenæum Numenij verſus recitantem de piſcium eſcis: Ἠὲ καὶ ἑρπήλας δολιχήποδας, ὁππότε πέτραι Ἀμμώδεις κλύζονται ἐπ᾽ ἄκρῃ κύματος ἀγῇ. Ἔνθεν ὀρύξασθαι, θέμεναι τ᾽ εἰς ἄγγος ἀολλεῖς. proximè autem dixerat iulos etiam,id eſt lumbricos in litore fodiendos. Ἑρπήλη igitur vel Ἕρπυλλα, litoralis quidam & foſſilis vermis fuerit,multis longíſque pedibus repens,ineſcandis piſcibus idoneus. non eſt autem ſcolopendra. eam enim alibi priuatim nominat Numenius. Ariſtoteles genus pediculi marinum ſimplex vnumq; eſſe author eſt: quod vbique proueniat,ſed maximè in foraminibus & cauernis. Adcò nihil non gignitur in mari,vt cauponarum etiam æſtiua animalia,pernici moleſta ſaltu,aut quæ capillus maximè cælat, exiſtant: & circumglobata eſcæ ſæpè extrahuntur. quæ cauſa ſomnum piſcium in mari noctibus infeſtare exiſtimatur: Plinius ex Ariſtot. cuius hæc ſunt verba quarta de hiſtoria: Piſces enim vel manu facilè caperentur dum dormiunt,niſi pediculis,& pulicibus appellatis ſolicitarentur. Nunc verò ſi ſomno dati immorentur,noctu ab innumera multitudine illarum beſtiolarum occupati abſumuntur. Gignuntur hæc in profundo maris tanta fœcunditate,vt etiam eſcam de piſce emollitam,ſi diu in vno manſerit,totam corrodant atque abſumant: & quidem ſæpenumero piſcator eſcam demiſſam glomeratis vndique his beſtiolis perinde vt pilam recipit,(attollit.) Chalcis vitio infeſtatur diro,vt pediculi ſub branchiis innati multi, interimant: quod nulli ex cæteris accidit, Ariſtoteles hiſtoriæ 8. Rondeletius beſtiolas quasvis infeſtas pediculorum nomine hoc loco intelligit. Infeſtantur & alij quoque piſces pediculis,vt dictum eſt,ſed non innatis. non igitur ſimpliciter pediculi,ſed pediculi innati,peculiare chalcidi malum eſt. Piſcium quibusdam ipſis innaſcuntur,quo in numero chalcis accipitur,Plinius. A C G H. a.

Pediculi philologiam ad librum de inſectis differo.

SVNT & in piſcium genere paraſiti,vt pedunculus (φθεὶρ) appellatus: qui ex iis quæ delphinus ceperit,(ſuperfluis nimirum & intercidentibus,) victitat. itaque ex eius præda, tanquam ex locupleti menſa refertus pingueſcit. eo nimirum delphinus tantopere delectatur, vt cum ipſo libenter quæ comprehenderit communicet, Ælianus. Videtur huic piſci nomen à diſtenti corporis plenitudine factum, nam & in animalibus pediculi nutrimento repleti diſtenduntur immodicè. H

PELAMYS cum thunno eſt.

PELIAS nominatur à Numenio apud Athenæum,niſi corruptus eſt verſus. Χάννες τε, πελίας τε, καὶ ἐνυχίλω πίπνον. Πελέας quidem ſerpens eſt, πελίας verò columbæ genus.

PELTA. Vide in Coracino.

PEMPHERIDES piſces parui ſunt Numenio apud Athenæum. ---ἄλλοτ᾽ ἐρυθρὸν Κόκκυγ᾽, ἢ ὀλίγας πεμφηρίδας, ἄλλοτε σαῦρον. Cæterùm πεμφρηδὼν (ὀλίγη cognominata in Theriacis Nicandro,) inter inſecta: & à Theodoro conuertitur teredo.

DE PENICILLO MARINO, RONDELETIVS.



A SIMILITVDINE penicillorum quibus pictores vtuntur,qui ex caudarum extremitatibus fiunt,vel eorum quibus albarium tectorio parietum inferunt, Penicillum marinum vocamus, id quod hîc exhibemus.figura enim aptiſſimè quadrat,vt apparet. A

Tubulus eſt teſtaceus molli quadam & laxa ſubſtantia ſaxis alligatus, ita vt aquarum undis cedat, & agitetur. B In cauo carnoſum quiddam continetur, colore varium: eſt enim quoddam flauum, alia alio colore perfuſa ſunt. Quum id carnoſum ſe exerit, frondem expandit,vt in pictura expreſſi. In ſaxis circa Lerinum inſulam reperitur,Hæc ille. Vocantur & in ſpongiarum genere quæ molliſſimæ ſunt,penicilli. Dentalis quoque tubulus marinus eſt,vt in purpura dixi: ſed prædura & ſilicea ſubſtantia,

DE PENNA MARINA, RONDELETIVS.

APTIVS mihi non videor zoophytum id nominare quàm Pennam marinam. Eſt enim pennis magnis iis,quæ in pileis geſtari ſolent,perſimilis. A B Noſtri tamen piſcatores formæ extremi alterius ſimilitudine inducti,Mentulam alatam vocant. Eſt enim ea pars peni ſine præputio,id eſt,glandi ſimilis: altera verò parte pennam refert. Pars illa craſſior quæ glandis ſpecie eſt, ſciſſuras aliquot habet,quales ſunt branchiarum ſciſſuræ in Galeis. Quæ pennam repræſentat, feſtucis tenuibus conſtat, quæ alumini ſciſſili ſimiles ſunt. iis ſubſtantia alia quædam tenera innititur.

Noctu



C Noctu maximè splendet, stellæ modo, ob candorem & læuorem, Hæc ille. Est autem inter vrticas quoque à Rondeletio exhibitas, species vna quæ frondem pennæ fermè instar explicat. Pennam marinam aliam, rubentem, linea per medium cauleum alba, fronde simili verè, sed parte altera quæ fronde caret, longiore, simplici, nulla cum glande similitudine, Cornelius Sittardus olim ad me misit, his verbis adscriptis: Pennam marinam Aristoteles inter zoophyta collocat. hanc vidi ipse apud Gysbertum Horstium Romæ. Ego pennæ marinæ nec Aristotelem, nec alium quemquam veterum meminisse puto, hoc quidem nomine.

Pepradilæ, & Peprili, Πεπραδίλαι, Πεπρίλοι, ab Hesychio & Varino ceu pisces quidam nominantur. Aliàs Petradilæ, vide infrà.

DE PERCA MARINA, RONDELETIVS.



QVI de rebus citra διάμαχον disputant, eos sæpè labi, errare, & de rebus perperam iudicare necesse est. Quod cùm in aliis artibus, tum maximè in Medicina pernitiosum est. Sic enim & venenum pro medicamento, & noxium alimentum pro salubri proponi ægrotis potest: maximè verò in alimentorum F delectu imperitos falli constat, vt in perca: quam cùm & à Galeno & veteribus omnibus commendatam esse sciant, ægris omnibus fluuiatili vt vescantur, imperant, nec marinam cognoscentes, nec à fluuiatili discernentes, quæ tamen succo substantiáque plurimùm dissident. fluuiatilis enim, dura est, & glutinosa: marina, tenera & fragilis. Duæ igitur sunt percarum differentiæ: altera marina est, altera fluuiatilis. De A marina nunc loquimur. Πέρκη à Græcis dicitur, aliquando πέρκις, à Latinis perca. Græci etiam hodie antiquo nomine vtuntur. A nostris perche de mar dicitur.

B Piscis est marinus, saxatilis, squamosus, rufi coloris, ore mediocri, dentibus acutis. lineas multas in lateribus habet à dorso ad ventrem descendentes, alias rubescentes alias nigrescentes, siue purpurascentes.

Libro 7. Vnde percas ἀιόλας vocauit Epicharmus apud Athenæum, id est, varias. Pedali est magnitudine: branchiis, pinnarum numero, caudâ saxatilibus aliis similis. Ventre est prominentiore. Podex in medio ferè est cor-A pore, à quo pinna longa protenditur. Venter ex albo purpurascit vel liuescit. Vt toto reliquo corpore, ita capite est vario. Ventriculo magno cum appendicibus multis, id quod etiam testatur Aristoteles libro 2. de Hist. animal. cap. 17. Intestinis satis latis, in quibus vermes frequenter reperiuntur. Athenæus lib. 7. ex Aristotele, ἐν τῷ περὶ ζωικῶν scribit, ἀκανθοσεφῆ δὲ καὶ ποικιλόχροα, φυκίδα: Τῶν δὲ χαμαιποικίλων, πλαγίαις τε καὶ πάσαις ῥάβδοις κεχρημένων πέρκαι. καὶ περοιμία δ' ἐστὶν, ἔπαστα πέρκη μελανόῤῥη. Ex quibus perspicuum fit nos percam veram hîc depinxisse: vbi pro κεχρημένων, legendum est κεχρωμένων: id est, percam ex iis esse pisci-H. h. bus, qui lineis variis & transuersis colorati & depicti sunt: estq; prouerbium, Sequitur melanurum perca: & alibi, πέρκαισι καθηπτὼ μελάνουρον, id est, percarum ducem melanurum appellat Numenius: quod fortasse percæ prudentiæ tribuendum est, quæ cum melanurum callidum esse præuideat, vixq; capi, (vt capite de melanuro dictum est,) eum vt tutior sit, sequitur. quanquam Erasmus de infida societate parœmiam interpretetur.

F Percam in veris saxatilibus numerat Galenus libro tertio de facultat. alimen. quare molli fragilique carne fuerit, optimúque succi, sed de marina loquitur. Athenæus tamen gobios similes esse percæ scribit, qui succi bonitate veris saxatilibus pares non sunt. Ius ex percis altum mollit.

G Coërcent carcinomata, percarum capita salsarum: efficatiùs, si cineri earum misceatur sal, & cunila capitata, oleoq; subigantur. inquit Plinius.

9. 32. cap. 10.

F Optima redditur, si farina cõspersa in sartagine frigatur, vel in craticula assatur: nam elixa tota diffluit.

DE EADEM BELLONIVS.

B Perca marina à fluuiatili non solùm corpore, sed etiam pinnis maximè differt. Marina enim continuam ac solam in tergore pinnam habet, cùm tamen fluuiatilis duas in in dorso ferat. Simillima est Channæ, sed crassiori corporis compage constat. Nullam (quòd sciam) ex Oceano vsquam vidi: Massiliæ tamen frequentissima est. Ac, quod ad coloris vtriusque Percæ dissidentiam attinet, hoc præcipuè animaduertendum est: marinam Percam ex colore veluti sanguineo nigricare: transuersas habere in lateribus zonas, latas, à dorso productas, & pinnam in tergore continuam. Cæterùm nunquam maior, quèm fluuiatilis, excrescere consueuit. Dentes lupi modo paruos habet: squamis tegitur asperrimis: branchias habet vtrinq; quaternas, eásque duplices, notissima excepta. Viuax est Callionymi modo: linguam non habet (C) manifestam, sed quatuor officulain faucibus aspera, quibus viuorum piscículorum cibum (gulosa enim (C) est ac carniuora) in stomachum demittit: Oppianus:

----piscator promptus in æquor Demittit Percas, & Niliacos corax imos.

COROLLARIVM.

Hanc iconem Venetiis olim cum aliis ad me missam, Percæ mar. esse coniicio, cum aliàs, tum propter maculas transuersas, fuscas, punctis nigrioribus notatas, vt pictura præ se fert, interuallis rubicundis: ad latera ex ruffo subflauus color est, &c. sed aculeus ab ano, non videtur conuenire Percæ.



A

Percæ pisces amnici siue fluuiatiles ac marini sunt Plinio. Aristoteles quoque marinam fecit & fluuiatil. Percides, idem quod percæ, vt Aëtio videtur, Hermolaus. Plinius in catalogo piscium libro 32. pro diuersis habuisse videtur, cum bis numerârit. Ius ἰόλων ᾗ περκῶν apud Æginetam legimus, vbi Dioscorides ἰωλίδων ᾗ περκίδων habet. Multa sanè piscium nomina duplici terminatione proferuntur: quarum altera in *is* oxytonum exit: vt pluribus ostendi in Loligine maiore. Percæ Latinum *(imò Græcum à Latinis receptum)* nomen etiam nunc retinent, Gillius Gallus, & Massarius Italus. Hispani etiam Pércha vocitãt, & Germani Berfsch / Barsi. Nos ne marina cũ fluuiatili confundatur, hanc simpliciter ita nominabimus: illã Meerbarsi / Meerbersich. Apud Borussos Germanos Bertschge vocatur marinus piscis, subfuscus, dodrantalis, gratus in cibo, & solidæ carnis: non alius puto quàm perca: etsi Bellonius percam ex Oceano nunquam se vidisse scribat. Albertus percam marinam piscibus qui circa litora maris Germanici, hoc est, Oceani capiantur, adnumerat. Perche & Gallicum & Anglicum nomen est, vtriusque puto de fluuiatili simul & marina perca vsurpari solitum.

Cæterum vt Bramæ marinæ species multas feci, non quòd reuera generis vnius species sint: sed similitudine quadam formæ inter se conuenientes pisces diuersos, Germanis ita interpretari volui: quoniam Galli etiam ad Oceanum & Angli, idem faciunt: præsertim vbi aliud & proprium Germanicum nomen non habebam: quod partim inscitiæ meæ, partim inopiæ linguarum adscribendum est: partim etiam naturæ, quòd ferè piscium illorum quos vel omnino, vel noster saltem Oceanus non fert, nomina etiam non extent:) Sic ab aliqua cum perca similitudine alios quoque diuersos pisces seu species eius interpretari nobis licebit: vt channam, phycidem, hepatum Bellonij, & eiusdem canadellam & c

Perca, channa & Phycis similes sunt, Speusippus. Quaternæ ei branchiæ duplici ordine sunt, no- B uissima excepta. appendices supernè complures circa ventriculum exeunt, Aristoteles. Percas pelagias Romæ rarò videmus. Assimilantur hæ mænis. nam subfuruas habent zonas, quibus ipsæ toto corpore squamosæ & argenteæ distinguuntur. in dorso impares eminent aculei, tenui inter se membrana coniuncti. Propterea Athenæus percam ait esse spinis coronatam, & insigni varietate conspicuam, Iouius: sed quod de perca ille ex Athenæo scribit, falsum est. non enim percæ sed phycidi Athenæus id attribuit, τὸ ἀκανθοσεφῆ δὲ καὶ ποικιλόχροα: vide suprà in Athenæi verbis à Rondeletio citatis. est tamen perca etiam varia, & spinis ferè vallatur, sed paulò minùs quàm phycis, vt exhibita vtriusq; à Rondeletio icon ostendit. Perca Aristoteli (apud Athenæum) χαμαιποικίλῳ est piscis, hoc est virgulis & lineis quibusdam varius, in-

terprete Wottono. sic & channa ποικιλόγραμμος dicitur. In eo quidem loco, vbi Aristoteles ait percam esse piscem τῶν γραμμοποικίλων, πλαγίαις τε ταῖς ῥάβδοις κεχρημένων, Rondeletius reponit κεχρωμένων, eodem manente sensu. sed κεχρημένων etiam legere, & interpretari, habentium, (qui frequens est huius verbi vsus,) nihil obstat. Ἀνθεσίχρως à florido varióque colore perca cognominatur Matroni Parodo. Mnesimachus apud Athenæum percam scribit esse τῶν καρχάρων, hoc est è numero piscium serratos dentes habentium: vt torpedinem quoque & ranam.

C Piscis est saxatilis, Diocli apud Athenæum & Plinio. Circà saxa muscosa & algosa pascitur, Oppianus. Perca similis cùm sit phyceni & phycidi, locis paululum differt, κατὰ τόπους ὀλίγῳ διαλλάττει, Diphilus apud Athenæum. Ouidius in Halieutico percas saxatilibus an pelagiis adnumeret dubitari potest. Percas pelagias Romæ raro videmus, Iouius. simplicer autem pelagias pro marinis dixit. Albertus ad litora Oceani Germanici percas reperiri scribit: non tamen in quouis litore eas reperiri existimandum est, sed aspero tantum saxis & petrosis promontoriis, vt alios omnes qui propriè saxatiles dicuntur. Hybernis mensibus (pisces pleriq;) iacent in speluncis conditi: maximè hippurus & coracinus, hyeme non capti, præterquam statis diebus paucis, & iisdem semper: item muræna, & orphus, conger, percæ, & saxatiles omnes, Plinius.

D Sequitur perca melanurum ducem, vt in prouerbio est. Vide suprà in Melanuro.

E Percæ hyeme capiuntur, Iouius tanquam ex Plinio, sed falsò. Plinij verba recitaui proximè retrò in fine segmenti C. Percam cirrha vorat, percis inescantur anthiæ, Oppianus libro 3. Halieut. de escis piscium loquens.

F Diocles medicus in libro de salubribus, vt Athenæo placet, percam è saxatilibus qui molliores habeant carnes, (vt sunt turdi, merulæ, gobij, & phycides) plurimùm laudauit, Iouius. Pulcræ sunt, grataque gustui, & languentibus salubres, Idem. Inter saxatiles scarus excellere suauitate creditur. post hunc merulæ ac turdi. tertio loco iulides, fucæ, ac percæ. Alimentum autem ex eis non modo ad coquendum facile est, sed etiam saluberrimum: vt quod sanguinem medium consistentia generet, Galenus de aliment. facult. 3.28. Chamæ carne sunt tenera, sed duriores quàm perca, Diphilus. Phycen & phycis mollissimi sunt pisciculi, minimè virosi, sed facilè corrumpuntur: perca verò cùm eis sit similis, locis (pro locorum ratione in quibus victitat) parum aliquid differt, κατὰ τόπους ὀλίγῳ διαλλάττει, Idem. Ius in percam describitur Apicio lib. 10. cap. 6.

G E percis priuatim ius fit ad alui subductionem, Dioscorides. Percarum vel mænarum capitis cinis, admixto sale, & cunila, oleóque, vuluæ medetur. suffitione quoque secundas extrahit, Plinius. Et alibi: Verendorum pustulas discutit cinis è capite percæ salsæ, melle addito. Peronæ (malim, percæ) cinis inspersus, vlcerum putredines omnes sanat. Kiranides.

H.a. Περκίδια, τὰ, forma diminuta Antiphanes dixit.

Epitheta. Πέρκας αἰόλας, Epicharmus. Πέρκη τ' ἀνθεσίχρως, Matron. Γραμμοποικίλας, Aristoteles apud Athenæum. Perca fortassis dicta fuerit à colore quem Græci περκνὸν vocant: de quo nos plura in Capite de accipitribus diuersis Historiæ auium.

Thracia regio priùs dicta est Perca, Πέρκη, Eustathius in Dionysium, & Stephanus. Percote, Stephano Περκώτη, olim Percope, vrbs est Troadis, vel iuxta Pontum, quæ Troianis auxilia misit, teste Homero. Περκώτην δ' ἐπὶ τῇ, καὶ Ἀβαρνίδος ἠμαθόεσσαν Ἠϊόνα, Apollonius vt citat Stephanus in Abarno.

f. Ad sartaginem emi gobium, percam, sparum, &c. Quidam apud Athenæum. apud quem etiam ex Antiphane nominatur πέρκη χιστή, cum aliis cibis lautioribus.

h. Sequitur perca melanurum, prouerbium, copiosè explicatum est in Melanuro. Pro perca scorpium, Ἀντὶ πέρκης σκορπίον: adagium acommodandum vbi quis optima captans, pessima capit. nam perca piscis est vel maximè laudatus: scorpius letalis est. quanquam est & piscis huius nominis, contempti saporis, de quo magis sentire videtur adagium. Simili figura dixit Lycophron: Ὁ δ' ἀντὶ πίπους σκορπίον λαιμῷ σπάσας. At scorpium ille glutiens pipus vice. est enim pipo auis genus, Erasmus Rot. Meminit Suidas, cuius hæc sunt verba: Ἀντὶ πέρκης σκορπίον, παροιμία ἐπὶ τῶν τὰ χείρω αἱρουμένων ἀντὶ τῶν βελτιόνων.

DE PERCA FLVVIATILI, RONDELETIVS.

A B FLVVIATILIS Perca marinæ nomine similior est, quàm corporis figura, aut carnis substantia, aut succi bonitate.

F Marina molli est carne, tenera & friabili, concoctu facili, boni succi. fluuiatilis his omnibus ferè dotibus caret. Quare absurdè faciunt, qui ea quæ de perca marina dicta sunt à Galeno libro 3. de aliment. facult. ad fluuiatilem accommodant. Sic enim scribit: Præstantissimus inter saxatiles voluptatis causa Scarus esse creditur: post hunc Merulæ, Turdi: deinde Iulides, Phycides & Percæ, &c. At fluuiatilis dura est carne, glutinosa, difficili concoctu, nec commendanda, nisi iis quibus duræ carnis pisces probantur.

A Perca non nominatur per antiphrasim, quòd aliis minimè parcat, *(siquidem iratus pisces alios pinnis suis vulnerat, Adamus Lonicerus,)* vt quibusdam placet: sed quia Græcè dicatur Πέρκη & Περκίς, fortasse à περκάζειν quod variari significat. Galli Perche vocant.

C Piscis est fluuiatilis & lacustris. In viuariis etiam cum Tincis, Luciis, Cyprinis includitur.

B Corpore est lato & compresso maximè inter fluuiatiles, excepta Brama. Squamis tegitur paruis. Colore est vario: maculas à dorso ad ventrem descendentes habet. Pinnæ & cauda rubescunt. Pinnæ duæ in dorso erectæ sunt, quarum prior maior est: duæ sunt ad branchias, altiores quàm in reliquis fluuiatilibus: Duæ in ventre, vnica est post anum aculeo innixa. Os illi paruum est sine dentibus. Intus ventriculo est medio: hepate diuiso, à cuius maiore parte vesica pendet, in qua fel est tenue & aqueum. Quia carne est dura, frequentes spinas à natura non accepit.

C Circa litora & frutices parit, vt scriptum reliquit Aristoteles. Reliqui, ait, semel anno edunt oua in stagnis fluuiorum & arundinetis lacuum, vt Phoxini & percæ. Siluri & Percæ continentem emittunt fœtum, vt Ranæ: adeò enim fœtus ipsi continuò sibi cohærent, vt Percæ quidem fœtum quoniam latior est, piscatores in lacu arundine *(ex arundinibus Vuottonus)* glomerent, authore Aristotele. Inde euenit etiam vt multas paruas simul capiant in lacubus Allobrogum & auerniæ.

Ausoni-

Ausonius in pretio habitam fuisse testatur, quemadmodum nunc ab iis qui non nisi duræ & firmæ carnis pisces probant:

Nec te delicias mensarum Perca silebo,
Amnigenos inter pisces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere Mullis.
Nanq; & gustus iners, solidoq; in corpore partes
Segmentis coëunt, sed dissociantur aristis.

Duritia quidem carnis Mullo parem esse dixerim: sed friabilis non est, nec glutinosi succi prorsus expers, à quibus commendatur Mullus.

Amicitiam Percæ cum Lucio esse ferunt, quemadmodum & cum Tinca, *(scilicet eidem Lucio, non etiam Percæ,)* cuius muco adfricat & illinit vulnera sua Lucius.

DE EADEM, BELLONIVS.

Percam Latini vocant, Galli & Angli Perche, Hetrusci Persega, Romanum vulgus Cernam.

Aridis squamis teguntur Percæ fluuiatiles: duas habent in tergore pinnas: marinæ vnicam ac continuam. Marmoris *(Mormyri)* in modum transuersas fert in lateribus maculas, à tergore prodeuntes: branchias vtrinque quaternas, eásque duplices: quod item Aristoteles scripsit. Anterior tergoris pinna duodenis firmatur aristis aculeatis. Ea autem quæ ab ano versus caudam fertur, aculeo crenato vallatur. Duas in lateribus pinnas habet, vtrinque vnam, quasi in medio corpore: alias quoque duas sub medio ventre. Dentibus caret, sed habet labia denticulis horridula: caudam bifurcam. Huius piscis hepati non ampliùs quàm vnus lobus apparet. Duas in pyloro gerit apophyses. Intestinorum reuolutiones paucas habet, fel coloris vitrei sub hepatis lobo maiore, *(atqui proximè lobum hepatis vnicum apparere dixit.)*

Perca fl. à nostro pictore iam priùs adumbrata, non ad eius imitationem facta quam Rondeletius dedit.



F

D

A

B

A

COROLLARIVM.

DE Perca fluuiatili prædicta quædam proximè in Marina, non est cur repetamus. Itali vulgò Persico (vel Perceco:) nominant, vt circa Larium lacum. Grapaldus miratur nullam in veteribus scriptoribus memoriam extare temuli, barbuli, persici, &c. sed frustra. Aristoteles enim, Plinius, & alij percam fluuiatilem nominarunt. Platina Persicinum dixit, quòd Persici pomi saporem referat, vt ipse putat. ego neque hunc saporem liquidò hunc piscem præ se ferre arbitror: neque nomen ab eo mutuari: sed potiùs à perca Latino Græcoq; nomine Persicum esse interpolatum: nam & nostri Bersich pronunciant. Percam fluuiatilem, marinæ quadantenus similem, modo piscem persecum nominant: vt à perca, perceca, ac deinde persecus sit denominatus: de quo cum optimi saporis sit, Ausonius sic cecinit: *Nec te delicias mensarum perca silebo, Amnigenos inter pisces dignande marinis.* Ex quibus verbis extorquebant aliqui percam fluuiatilem esse, quam modo trutam vocamus, argumento quod eam Germani hodiè phercham aspiratione interposita in vtraq; syllaba pronuncient: sed ij quidem decipiuntur, Massarius.

A Germanis perca fl. Bersich vocatur, sic enim Heluetij efferunt, vt & Mosellani: alij aliter, Bersig/ Bersing/ vel Persick/ vt Encelius scribit: vel Berse/ vt Ge. Agricola: alij Barß/ Parß/ Barsch: posteriora hæc Saxonibus & finitimis in vsu sunt, Frisiis Baerse. Apparet autem omnia hæc nomina à Græco Latinóque Perca esse desumpta. Nos speciem vnam tantùm habemus, cui nomina prædicta propriè conueniant, & percæ marinæ similior est. Saxones & alij, duas. Maiorem, de qua hîc agimus, quam simpliciter Parß appellant: aliqui Punterparß/ vel Puntelparß/ id est, Percam maculosam: vel Streiffbersing/ quòd maculis vel striis (id est lineis) notetur (transuersis.) sic autem in Albi nominant. vel Grobarsch/ Grawbersich/ id est, percas fusci coloris. Eundem piscem (vel potiùs speciem ei similem) in Oceano nasci audio, longè maiorem. Minorem vocant Kaulparß/ id est, Percam rotundam, & aliis nominibus. nos de ea diximus suprà in Cernua fluuiatili, & mox plura addemus. Percæ nomina apud nostros pro ætate etiam varia sunt: Nam fœtus adhuc nouus & tener Hürling vocatur, id est hornus: paulò maior, sed intra primum adhuc annum, Tränle. Secundo anno, Egle. Tertiò, Stichling. Postremo Reeling/ Bersich/ & (quod inusitatius est) Banserle. Circa lacum verò acronium, præsertim Lindauiæ, pusillam percam similiter nominant Hürling: maiorem Kretzer/ (Constantiæ Stichling:) tertio Schoubfisch/ quæ iam triente aut quincunce (quartadecima parte numi quem bazium Germani nominant) venditur. postea Egle/ vel Renckenegle/ quæ iam ferè obolo, aut quadrantibus quatuor (quarta bazij parte) vænit: & ita excrescit, vt maxima ferè sex obolis (aut sesquibazio) vendatur. Græcè quidem minimas percidia dixe-

rim:

rim: maiores, percidas: maximas, percas. Vocabulum Stichling à pinnis aculeatis, percæ attributum, (sicut etiam Kretzer / eâdem causa) alibi pisciculis paruis tantùm, quos Aculeatos Rondeletius nominat, tribuitur. Quanquam autem percæ quæ in dulcibus aquis degunt, non fluuios tantùm, sed lacus etiam & stagna incolunt, eas tamen omnes fluuiatilium nomine complecti visum est. In nostro quidem lacu, quæ in profundo capiuntur, ab eo ipso Triechteregle nominantur, & colore sunt albiores: quæ verò propiùs ripam, colore magis fusco, à ripa Landegle / ab arundinetis Rooregle / ab herbis & algis Krâbegle vocantur. Percæ Polonicum nomen est Okun, Bohemicum Okaun quanquam aliud etiam ab homine Bohemo accepi, Gezdick.

B Persicinum piscem præcipuum Verbanus lacus & Padus fluuius producunt, Platina. In omnibus ferè lacubus & fluuiis apud nos capitur. circa Argentinam in Rheno, Ilna, Brusca, fossis etiam & stagnis quibusdam. Capitur & in lacu Suerinensi versus Oceanum Septentrionalem Germaniæ: vbi cùm maxima est vlnam *(cubitum)* æquat, vt audio. In Acronio lacu quæ maxima est, sex verè obolis argenteis vænit. In Danubio eas capi testatur Ælianus. Mas pinnas habet rubras, fœmina minimè. cute vestitur aspera & dura, quæ desquamari nequeat, Adamus Lonicerus. Paruus est piscis, & vario colore distinctus, Platina. Squamis & pinnulis acutis & asperrimis armatur, Innominatus. Lapillos in cerebro habet. In perca pisce paruo, hunc coruum vocant cùm caput magnum habeat, duo lapides inueniuntur candidi, oblongi, plani, altera parte quasi dentati, quos lithiasi conferre creditum est. alligatur enim infra dolorem maximus, & intra horam lapidem in vesicam trahere solet, Cardanus libro 7. de Subtilitate. Sed lapis quem Coruinam vocant aliqui, è pisce Coruo, vt vulgus nominat, non è perca est, neque marina neque fluuiatili. Vide suprà in Corollario de Coracino C. Fama est Larij lacus Percecos fuisse aduectitios & inquilinos, translatis scilicet seminibus è lacu Eupyli, qui Lambrum emittit amnem, vt meminit Benedictus Iouius frater in Larianis lusibus:

Eupylis exigua sum Percecus ortus in vnda, Méque peregrinum Larius inde tulit.

Sed Eupylis multò minores quàm Larius Percecos producit: quoniam magna ex parte, vel influentium aquarum defectu, vel occultiore aliquo hiatu terræ haustus, multis ante annis exaruit, abiitque in tres minores lacus, aquis in depressiora loca subsidentibus: qui à Licino foro vetere oppido, quod & ipsum interiit, plebis Licini lacus hodie nuncupantur. In Lario percæ ad pedalem crescunt magnitudinem, croceas pinnas habent, Iouius.

C Deuorant percæ cum alios pisces, tum sui generis sobolem, Cursu *(Natatione)* velocissimæ sunt, Obscurus. Parit perca in fluuiorum & lacuum paludibus, id est quæ prope fluuios aut lacus stagnant (παραλιμνάδας vocant) in arundinetis. In lacu nostro percæ pariunt verno tempore, in profundo, præsertim Martio & Aprili mensibus, Vix aliunde quàm iecinoris vitio laborant: nec vlla reperitur perca, cuius iecur non sit grandine affectum, Greg. Mangoldus.

D Pinnulis acutis & asperrimis armatur: quibus etiam se defendit contra pisces maiores, ne prædantes eam inuadant, præ cæteris piscibus fluuialibus & stagnensibus, Innominatus. Videns sibi Lucium imminere, horret pinnis, & sic euadit, Alexander quidam obscurus. si tamen caudâ apprehendatur à Lucio, deuoratur. Percæ naturalem cum Lucio ferunt amicitiam esse. Lucium enim læsum ab alio pisce difficulter sanari: proinde quærere percam *(imò tincam:)* quæ videns eum, læsum tangit, lenitque vulnus eius, & sic sinatur, Adamus Lonicerus. Percas paruas ab anguillis & trutis vorari audio. Piscatores in lacu Lemano obseruarunt percas hyeme emittere per os vesiculam quandam rubram ex ore pendentem, quæ vel inuitas supernatare cogit. coniectant autem id ab eis fieri præ iracundia, quòd in retia inciderint. hoc enim tum maximè patiuntur cum retia trahunt piscatores: sed mirum hyeme tantùm id illis accidere.

E Istri confluente per hyemem glacie astricta, piscatores alicubi ea perfracta veluti puteum excauant: vbi vt in stricta scrobe cum permulti alij pisces facilè capiuntur, tum plurimi Cyprini, Percæ, &c. Ælianus. In Acronio lacu percarum sobolem ante sancti Huldrici diem capi lex vetat. In nostro quoque lacu, nec semper, nec nisi certa magnitudinis mensura hos pisces capi conceditur. Leges enim piscatoriæ sic habent: Perculæ vel percæ ne capiantur ab exitu Maij vsque ad diui Martini diem: exceptis decem diebus, qui diuæ Margaretæ diem proximè præcedunt. his enim perculas (die Hürling) piscari liberum est. Cæterùm à die d. Margaretæ vsq; ad d. Martini diem, retibus, non nisi ad eam tabellam mensuræ, quam magistratus dedit, confectis, vti licet. Retia ampla nominant, (Wytgarn à laxitate macularum, quæ à duobus viris trahuntur, ministro in nauicula sequente,) quibus à fine Maij, vsque ad d. Martini diem vti, ad percarum & luciorum piscationem, permittitur. A medio Aprilis vsque ad finem Maij, qui percas secundi anni, vel nondum plenè adultas (Egle) ceperit, mulctator: at qui adultas, eo tempore fortuitò ceperit eo genere retis quod sublime vocant, (in einer hohen tracht /) à mulcta immunis esto: sed percas captas, statim lacui reddito. Retia quibus percas minores à d. Martini die vsque ad Decembrem capiunt, vulgò Landtgarn appellant: & alia minora (viros tamen duos ipsa quoque requirunt) Troglen. Percarum diem (Den Egle tag) vulgò nominant nostri nonum mensis Nouembris. tunc primum enim percæ minores in magna copia vendi incipiunt. Percis extinctis hamo infixis anguillas piscantur: nec alia quá vel hac vel ex lumbricis terræ esca, apud nos eas capere licet.

F Perca in cibo apud Germanos quauis anni parte laudatur, præterquàm Martio & Aprili mensibus, quibus parit. Apud nos mediocres (Egle) Augusto laudantur, adultæ (Reeling) Maio. Persicinum piscem præcipuum Verbanus lacus & Padus fluuius producunt: quem ideò hanc denominationem accepisse putant, quòd persici saporem habeat. Suauis quidem hic piscis habetur, & minùs insalubris, Platina. Percas minores sui generis (de quibus mox dicemus,) maioribus, quibus de nunc loquimur, meliores & salubriores esse Germani iudicant. Nanque & gustus iners, &c. Ausonius, cuius versus Rondeletius recitat. sed si gustus huic pisci iners est, cur tantopere laudatur ab Ausonio? ego quoniam & reipsa piscem sapidum esse iudico, & ne Ausonius sibi ipsi contradicat, legerim: Nam neque gustus iners, &c. Sic enim causam reddiderit cur sit laudandus, duplici nomine, nempe & sapore pulparum & soliditate. Percæ hodie in Gallia (inquit Iouius) summam obtinent dignitatem alendis febricitantibus. In Italia autem laudatissimi sunt

sunt è Lario lacu. In eo quidem ad pedalem crescunt magnitudinem: &, maturescentibus præsertim vuis ab ipso pingui & præteneris interaneis magnopere commendantur. Medici ferè omnes Galliæ Cisalpinæ percas ægris robustioribus apponere non dubitant, præsertim si crudarum vuarum succo, quem agrestam vocant, diligentissimè condiantur, Hæc Iouius. Inter pisces dulcis aquæ, consideratis prædictis conditionibus, Perca & Lucius mediocris primum gradum bonitatis obtinent, dummodò sint pingues, Arnoldus in Regimine Salernit. Anguilla prouectior ætate salubrior est minore, secundum aliquos: Lucij verò & Percæ, contrà, Idem. Rondeletius medicos nostri seculi plerosq; reprehendit, qui fluuiatiles percas ægris exhibeant aut permittant, tanquam à Galeno laudatas: cùm is de marinis senserit, & fluuiatiles á marinis cum aliâs, tum nutrimenti ratione plurimùm differant. Ego Rondeletij sententiam approbo, & percas dulcium aquarum durioris carnis atque viscosæ præ marinis esse fateor. hoc tamen distinguendi gratia addiderim: percas nostras, quæ in fluuiis & lacubus maioribus purioribúsque versantur, longè præferendas esse aliis quæ in minoribus minusque puris aquis degunt. accedit in fluminibus nostris etiam velocior cursus: cuius ratione magis exercentur. Itaq; è Rheno, magno citoq; flumine saluberrimæ putantur, prouerbio etiam inde facto: Gsünder dann ein Rheinegle; hoc est, Perca Rhenana sanior, aut salubrior. Medici etiam atq; chirurgi vulgò, ægrotis illis, quibus pisces alios interdicunt, puerperis, vulneratis, percas concedunt. Quæ in Rheno gignitur perca, marinis piscibus succi probitate æqualis est, vt prodidit Xenocrates, Wottonus. Vbi tamen thymallorum copia esset, aut alterius percarum generis, de quo mox scribemus, aut albularum lacustrium, pro percis marinis aliisque saxatilibus, illos potiùs quàm communes fluuiatiles percas, ægrotis præsertim, gustare consuluerim. Quanquam piscis hic salubris existimatur: iecur tamen eius vt plurimùm ferè grandinosum, reiici solet. Greg. Mangoldus. Persicinum maiorem exenteratum, nec exquamatum, ex aqua aceto suffusa coques. coctum ac mundum, vt in Lucio diximus, conuiuis appones. Paruum exenteratum & exquamatum, in oleo aut in craticula cum salimola coques, Platina. Percarum soboles tenella adhuc & minima, gratissima cibo est, & propter paruitatem plurimæ simul vna buccea ingeruntur: sunt qui vnà cum pane cocto conditoq; è iure apponant, circa Acronium lacum alicubi. apud nos enim tantillas capi lex vetat. Percas minimas, quas hornas cognominant, coqui peritiores vino calido immersas elixant: maiusculas, frigido. Maiusculæ propter spinas & aculeos pinnarum dorsi, vescentibus molestæ sunt: in minimis propter teneritudinem non curantur. Paruulæ etiam butyro frigi solent, frequentius quàm vlli alij pisces. Circa Verbanum lacum percas modicé apertas, verubus ligneis transuersas inserunt, & assant semiassas butyro illinunt. Ibidem omne genus pisciculorum ad Solem inueterant, maximè verò perculas.

G Vulnus aculeis pinnarum dorsi percæ inflictum, non facilè sanatur.

H.a. Germanicum nomen Egle nostris vsitatum, ab aculeis factum coniicio: quemadmodum & hirudinis, quam ägle vocamus: quæ os aculei instar infigit ad sugendum. Inter ioculares piscium nomenclaturas percam equitem cognominari inuenio: Ein Bersich ist ein ritter: inde forsan quòd spinas calcarium instar habeat. Lapis Eislebanus refert aliquando effigiem percæ, Ge. Agricola. Saxones orientales aliquando coluerunt Saturnum, dextra tenentem vrceum rosis refertum, sinistra rotam: nudis verò insistentem pedibus Percæ (einem Parsen) quo significare voluerunt, vt in ipsorum Chronicis explicatur, Saxonem esse debere in perferendis sustinendisq; periculis stabilem atq; constantem. habet autem ille piscis squamas duras, & tergum veluti spinis aculeatum, Ge. Fabricius indicabat. Saturnum Saxones effingebant, senem in pisce stantem, qui rotam vrnamq; tenebat: quod symbolum erat apud ipsos arcanum, vt in eorum historiis legimus, Gyraldus.

DE PERCÆ FLVVIATILIS GENERE MINORE.

De pisce quem eruditi quidam Percam fluuiatilem minorem appellant, multa scripsi Elemento C. pagina 191. Cernuæ fluuiatilis nomine, quod ei Bellonius imposuit. Hic plura addam illic vel omissa, vel emendanda, piscem enim ipsum nuper admodum vidi, à Nicolao Speichero, Argentinensi pharmacopœo peritissimo ad me missum. Germani quidam, vt diximus, hunc piscem ab aureo colore Goldfisch denominant: vnde Hieronymus Tragus Auratam fluuiatilem nominare voluit. Is in epistola ad me: Nostra fluuiatilis aurata, inquit, paruus est piscis, non ignobilis, spithamæ longitudine, *(ego ad spithamen, id est dodrantis longitudinem vix aut rarò accedere puto. Argentinæ plerique ad quinque aut sex digitos tantùm accedunt)* Eius pinnæ, caput & branchiæ, aureo quasi colore fulgent. Hunc si aureus color non discerneret, diceres omninò esse percam. Non semper, nec in quouis flumine inuenitur. amat torrentia, sicut Varus & Aschia, *(Trutam & Thymallum intelligit.)* Eruditi quidam apud Germanos & Anglos hunc piscem Melanurum esse putarunt: qui ex Melanuri historia & icone, quas suo loco dedimus, facilè refelluntur. Simon Paulus Suerinensis, in lacu alluente Suerinum nõ procul Oceano Germanico reperiri scribit præter alios pisces, percas & melanuros. vocat autem proculdubio melanuros, genus hoc percarum quibus de agimus. Bellonius hunc piscem Plinij medici Acerinam esse putat, propter nominis cum cernua similitudinem. Sed cernuæ nomen vetus non est: & hodiè Romæ alibiq; pisces diuersos marinos Itali piscatores sic nominant, aliqui etiam percam fluuiatilem, maiorem scilicet. à cuius similitudine forsan Bellonius hunc quoq; piscem, quanquam Italiæ (ni fallor, vt & Galliæ) ignotum, Italico nomine cernuam appellare voluit, non satis probè, meo quidem iudicio. Cæterum acerinam apud Plinium medicum, nomen ab Atherina corruptum esse non dubito. Quòd nisi hic sit χοῖρος Strabonis, id est porcus fluuiatilis Nili: quem piscem facit rotundum, spinis in capite noxiis, (&c. vt pluribus in Cernua fl. scripsi,) antiquum aliud eius nomen ignoro. Spinas quidem in dorso aculeatas, vt porci setas, noster hic pisciculus erigit: quare Lucij eo vorando abstinent, vt porco pisce in Nilo crocodili. à Frisiis Porces / & à nonnullis ficto nomine Latino Porcellio dicitur. conueniunt ei & rotunditas, (à qua etiam Kulparß / id est rotunda perca Germanis quibusdam vocatur,) & spinæ capitis noxiæ. A Polonis Iæsch appellatur: vel Iazdz. sed illi z. vtrunque virgula supernè inducta notant.

Aurata fl. *Acerina.* *Cernua.*

B Britanniæ proprium esse hunc piscem Cardanus putauit, maximè iuxta Oxonium. eodem enim Germaniam multis in locis abundare ignorauit. Nuper amicus quidam mihi retulit, nusquam maiorem

horum piſcium in Germania copiam, quàm Francfordiæ ad Oderam, & Stettini in Pomerania vidiſſe. Vbi linea quæ piſcium latera ſecat ad branchias incipit, ibi aculeum ad caudam ſpectantem videas, Bellonius: cuius verbis addo, & alterum quoq; paulò inferiùs, vtrunque extremis branchiis, id eſt branchiarum margini, quà aperiuntur, adiunctum. neutrum exhibitæ à nobis picturæ exprimunt. ſunt enim perexiles: vt in mediis etiam branchiis denticulatæ aliquot ſpinulæ, crenatim (vt ita dicam) apparentes, ſi de proximo intuearis: ſuperiùs minores & frequentiores: inferiùs maiores, paucæ & maioribus interuallis. ſunt autem illæ digeſtæ in margine portionis cuiusdam branchiarum, quæ à parte ſubiecta deduci & eleuari poteſt. Eſt & ſupra branchias ſpinea pars obliqua, vtrinque verſus occipitium ſe colligens tantillis ſerrata denticulis, vt tactui magis quàm viſui pateant. Item alia pars ſpinea triangularis ſuperinnata, à branchiarum ſciſſura, ſtatim ſupra pinnas ibidem, retrorſum ſpectat, & in breviſſimum ſed acutum ſpiculum deſinit. Squamæ non quadrangulæ, vt Bellonius ſcribit, ſed rotundæ ferè vt in aliis piſcibus mihi videntur. Pinna dorſi vna oblonga & continua eſt, vt rectè Io. Caius in miſſa nobis pictura repræſentauit, & monuit Bellonius. differt tamen partibus. nam anterior, aculeis conſtat quatuordecim: quorum primi duo breuiores & propiùs iuncti ſunt, medij longiores, longitudine paulatim ad vltimum uſq; decreſcente: pars poſterior, mollior eſt, fibris, non aculeis, diſtincta, breuior: & ab anteriore interuallo quodam inchoato diſcernitur, vt hæc mihi condenti piſcis huius ſceletos oſtendit. pinnæ omnes lituris nigris diſtinguuntur: exceptis tribus in parte ſupina, vna poſt anum, & binis in ſummo ventre, eæ quidem paulò poſteriùs quàm è regione initij pinnarum, quæ ad branchias ſunt, incipiunt. In noſtris percis minoribus, quibus magna ſunt capita, bini reperiuntur lapilli, candidi, oblongi, plani, altera parte quodammodo in denticulos diuiſi, Ge. Agricola.

C Bellonius hunc piſcem ſaxatilem facit, non rectè opinor, quanuis in fluuiis puris & arenoſis degat. non enim fluuiatilibus, ſed marinis tantùm huius differentiæ nomen veteres attribuunt. Dum natat, velut gobius & botta, pinnas mouet vniuerſas, Cardanus.

E Argentinæ capiuntur plerunq; circa exitus (ſic Germanicè quidam ſcripſit, oſtia intelligo fluuiorum minorum qui in Rhenum exeunt) anguſtis retibus in angulum aliquem compulſi. Æſtate in viuaria coniecti, piſces cæteros exurere dicuntur: fortè quoniam aculeis ſuis eis moleſti ſunt.

F Ante paſcha, partu iam abſoluto, commendantur. Argentinæ circa Bacchanalia & initio quadrageſimæ in præcio ſunt. cocti & frixi placent. Eberus & Peucerus boni ſucci eſſe hos piſces, & percis antecellere ſcribunt.

G Lapillos è cerebro huius piſcis in quibusdam Germaniæ locis, in Pomerania & alibi pharmacopolæ ſeruare & vendere ſolent, aduerſus calculos renum & quæ in coſtis alibíve ſentiuntur dolores pungentes.

PERNA ſpecies Pinnæ eſt. Vide inferiùs cum Pinna.

DE PERSEO PISCE MARIS RVBRI.

IN MARI rubro piſcis naſcitur quem Perſeum (Ρερσέα) Arabes nominant. Græci quoque eodem nomine appellant. nam vtrique Iouis filium Perſeum vocant, ex cuius vocabulo nomen traxiſſe piſcem hunc prædicant. Is pari magnitudine eſt cum Anthia maximo. Aſpectus ſimilitudo illi etiam eſt cum Lupo. Naſo eſt leuiter adunco. Cingulis aureis diſtinguitur, quæ à capite exorientia per transuerſum feruntur, & ad ventrem uſque pertinent. Frequentibus & permagnis dentibus munitus eſt. Ex omnibus piſcibus qui in eo mari verſantur robore & audacia maximè excellere dicitur. De piſcatione eius & captura alibi dixi, Ælianus de animalibus 3. 28. Ego nuſquam alibi piſcis huius mentionem ab eo factam inuenio: neque plura Volaterranus adfert, qui multa ex Æliano tranſtulit: neq; Gillius, aut alius quod ſciam. Perſus, Πέρσος, piſcis quidam eſt in mari rubro, Heſychius & Varinus: ſed videtur vocabulum corruptum pro Περσεύς. Perſeus duabus ſyllabis, & Perſæus tribus, nomina ſunt virorum: de quibus ſcribit Suidas. Perſæus Antiochum erudiuit, &c. Ælianus in Variis 3.17.

PETRADILÆ, Πετραδεῖλαι, piſces quidam. οἱ μὲν, τοὺς ἀποπνιγματισμούς. οἱ δὲ, εἶδος ἰχθύων, Heſychius & Varinus: apud quos etiam Pepradilæ & Peprili piſces memorantur, Πεπραδίλαι, Πεπρίλοι nec ſcio vtra ſit melior lectio, & an iidem omnes.

PHAGORIVS vel PHAGRVS. Vide Pagrus ſuprà.

PHALERICA inter Apuas eſt.

PHAROS piſces venerantur Ægyptij, præſertim qui Syenen incolunt, Volaterranus. ſed legendũ Phagros, ex Æliano de animalibus.

PHILOMELA vide in Pelamyde cum Thunno.

PHLOINIS (Φλοινὸς, vocabulum videtur corruptum) fluuialis caro, additur eſcæ cuidam ad Mullos & Scaros magnos, à Tarentino deſcriptæ.

PHITHARVS. Vide Phytharus.

DE PHOCA SEV VITVLO MARINO, BELLONIVS.

A QVEMADMODVM Delphinorum ſuperioribus picturis explicata genera, ſues terreſtres: ſic Phocæ, vitulos: atque hippopotami, equos terreſtres proximè imitantur. Adeò nihil eſſe in terris reperies, (C) quod non idem fœcundiſſimum mare producere ſoleat. Igitur Phoca (quam Vitulum Latini, noſtrates B Bouem, quidam lupum appellant) cetaceum eſt aquarilis genus, litorale potius quam pelagium, viuiparum, quadrupes, piloſum, tota corporis forma, atq; adeò mugitu vitulum, aut iuuencum referens.

C Amphibium eſt & magna ex parte per ſicca litora diuagari, vicinosq; litoribus agros terreſtrium more depaſcere ac deuaſtare ſolitum. Quinetiam vinea ac pomaria, locaque arboribus conſita, ſuis fructibus voraciſſimè ſpoliat. ac ſi quando colliculum conſcenderit, atque inde ſecedere cogatur, iam tum quidem pedes ac caput in ventrem contrahens, ac totum corpus in globum conſtringens, maximo in mare impetu deuoluitur. non enim tam leuis ac facilis eſt illi pedum ac tibiarum, quam terreſtrium, motus. Præterea oſſibus in cartilaginum formam ac naturam flexilibus præditus eſt, reliquum totius corporis carneum, eiusq;

ſusq; operimentum duriſſimum ac ſolidiſſimum habet: cuius cauſa, potiùs quàm edulij, à nobis expedi ſolet. Vnde Auguſtum Cæſarem vituli marini pellem aduerſus tonitruum, quos pertimeſcebat, impetus, ſecum perpetuò circunferre conſueuiſſe referunt. Nobis ad militaria cingula, villoſas chirothecas, ac ſcorteas tunicas in uſum venit. E

Poſteriora crura, hoc à prioribus diſtant, quòd etſi in totidem digitos atque articulos diuiſa ſint, magis tamen ad piſcium caudas, aut veſpertilionum alas, aut anatum vel anſerum pedes accedere videntur. B Quamobrem ad ambulandum minùs quàm ad natãdum habilior eſt Phoca. Genitale maribus oblongum eſt, fœminis ad terreſtria accedens, coëuntq; animalium retrò mingentium more. Proinde Phoca renes ſolidiſſimos habet, & forma bubulis ſimiles: ac nullo (vt etiam Delphinus) felle prædita eſt.

DE PHOCA SEV VITVLO MARIS MEDITERRANEI, *Rondeletius.*



VITVLVS marinus ἀμφίβιον animal eſt, inquit Ariſtoteles. Nam in mari degit, & aërem haurit ſpiratque, & dormit in terra, egreſſusq; in eam parit in litore terreſtrium more. Cùm verò diutius in mari quàm in terra immoretur, cibúmq; ex humore petat, nec diu ab aqua ſeiunctus poſſit viuere, inter aquatiles beſtias rectè numerabitur.

Φώκη à Græcis dicitur, ducto nomine ex βώκη, ob boatum ſiue mugitum quem edit. phocam appellauit Vergilius. à Plinio, Gaza & aliis vitulus marinus vocatur, cuius nominis rationem ſecutæ ſunt gentes multæ. Itali vechio marino vocant noſtri vedel de mar, Galli veau de mer: Flandri Seehont/id eſt, canem marinum, ita & Germani Meerhundt: Maſſilienſes bouem marinum. A

Vitulus marinus corio integitur duro & hirto. in dorſo pili ſunt nigricantes & cinerei, in quibusdam maculæ paruæ: in ventre pili albicantes. Vitulo terreſtri ſi aures excipias, valdè ſimilis eſt. Oris ſciſſura eſt mediocri. Dentes in eo ſerrati, acuti, duri, candidi, lupinis dentibus ſimillimi. Maxilla inferior lupinam etiam refert. ſuperior, latior eſt quam in lupo: qua, & naribus vitulis terreſtribus affinis eſt. Pilos duros, aliâs albos, aliâs nigros, longiuſculos in ſuperciliorum loco, & in ſuperiore labro habet. Lingua lata eſt & ſciſſa. Oculi ſplendent, & ſubinde in mille colores (teſte Plinio) veluti hyænæ oculi tranſeunt. Aures nõ habet, ſed earum loco meatus anguſtiſſimos, & valde exiguos, in viventibus euidentiores, in mortuis ita conſidunt vt vix reperias. intus foramen eſt cum oſſiculis & tympanum, quæ qualia ſint explicauimus cum de piſcium auditu diceremus. Caput breue eſt & paruum pro corporis magnitudine: collum longius, quod pro arbitrio extendit & contrahit. Lato eſt pectore. omoplatas enim habet quaternis muſculis connexas ſuperiore vel poſteriore in parte quàm canes terreſtriáque alia animantia, quæ in alteribus eas habent: ob id anguſto ſunt pectore, vituli verò latiore ad meliùs natandum. Veluti brachia ſine cubito, ſine vlna, habent breuiſſima. quod ſequitur carpo noſtro reſpondens ex multis oſſibus conſtat: metacarpium verò ex quinque oſſibus, quæ pelle tantùm conteguntur. inde tanquam manus indiuiſa, præterquam in extremo in quo quatuor linearum diſtinctiones tantùm ſpectantur, vngues autem quinque diſtincti. Quanquam aliter de his ſcripſerit Ariſtoteles: Vitulus marinus tanquam læſa imperfectáque quadrupes eſt, quippe qui continuò à ſcapulis pedes habeat, manibus ſimiles modo vrſæ. In quinos enim finduntur digitos, (πενταδάκτυλοι γὰρ εἰσιν. *an aliud eſt quinque digitos habere, aliud in eos findi?*) qui ſinguli ternis articulis flectantur, & vnguibus magnis, (non magnis, Gaza) muniantur. Verùm ego diligentiſſimè vitulum marinum contemplatus, pedes anteriores tales omninò eſſe quales depinximus cognoui. hodiè quoque vitulum exiccatum domi ſeruo, ex quo oculata fide idem ab omnibus qui videre voluerint, comprobatur. Ineptiſſimè vitulum marinum repræſentauit author ille libri de aquatilibus: non enim ὥσπερ πεπηρωμένον τετράπουν, vt rectè dixit Ariſtoteles, depinxit: ſed ei ea crura ſiue brachia, cubitum, tribuit, pedes anteriores & poſteriores, non vituli, ſed caſtoris, ſcilicet diuiſos, membranis intertextos. Noſtri delineationem perſequamur. is corpore eſt oblongo, in caudam paruam deſinente, ceruorum caudis ſimilem, *(quod Ariſtoteles quoque tradit.)* & in pedes poſteriores caudis reliquorum piſcium ſimiles, ſine digitorum diuiſione, ſine vnguibus, etiam ſi aliter tradiderit Ariſtoteles: Pedes poſteriores quinis diſcretos digitis habet, & curuatura & vnguibus cum primis conuenientes, verùm forma proximos piſcium caudis. At rem aliter habere αὐτοψία conuincit, nec aliam huius opinionis refutationem quærendam cenſeo quàm ſenſum ipſum: ſi enim vitulos marinos ſiue mediterranei maris, ſiue Oceani diligenter inſpicias, pedes poſteriores tales eſſe comperies, quales depinximus. Quod ſi caudis piſcium ſimiles ſunt, vt apiſſimè comparat Ariſtoteles, quî fieri poteſt, vt in quinque diuiſos digitos & vngues deſinant? Quomodo vera eſſe poteſt hæc figuræ cum piſcium caudis ſimilitudo? Intus pulmones habet, cor, ventriculum, hepar, lienem, inteſtina, quadrupedum terreſtrium modo. Fel in hepate non habet autore Ariſtotele lib. 2. de hiſt. animal. cap. 2. Plinius verò eidem fel attribuit. Qua verò in parte ſitum ſit non exprimit, ex verbis tamen eius colligi poteſt, vitulo marino fel eſſe in pectore, ſic enim ſcribit.

B

Lib. 2 de hiſt. anim. cap. 1.

Contra Bellonij figuram.

Lib. 2. de hiſt. anim. cap. 1.

Interiora.

Lib. 11. cap. 37.

bit. Fel ſerpentibus portione maximè copioſum,& piſcibus. Eſt autem plerisque toto inteſtino, ſicut accipitri,miluo. Prætereà in pectore eſt & cetis omnibus: Vitulis quidem marinis ad multa quoque nobile. *(Ad quæ medicamenta fel quidam requirant, dicetur in Corollario G.)* Renes habet vitulis terreſtribus, vel delphinis,vel lutris ſimiles,de quibus in ſuperioribus diximus. Meatus qui à vena caua, & magna arteria oriuntur,non in cauum quod in renum medio eſt,ſed in ipſorum renum totum corpus videntur abſumi. A renibus meatus vreteres tenues admodum ad veſicam pertingunt.

C Ex Ariſtotele. Leporum & aliorum animalium retrò mingentium ritu mingunt & coëunt vituli, (nempè auerſi,)& diu ligati in coitu cohærent,vt canes: eſt enim maribus pudendum magnum, fœminæ verò rima raiarum modo. Ex ſemine ſtatim animal concipit intra ſe & parit. ſecundas quoque emittit, & lac reddit modo pecudum. Parit ſingulos,aut geminos, aut complurimùm tres. mammis, quas geminas habet,educat fœtum,ritu quadrupedum. Parit vt homo omni tempore, ſed maximè cum primis capris. Prolem circa duodecimum diem à partu deducit in mare,ſubinde aſſuefaciens.illa decliuis *(præcipitanter, I votonus)* fertur,nec ambulat,cùm nondum inniti ſuis pedibus poſſit.

D Miram matris erga catulos ſollicitudinem in iis educandis,& ad natationem aſſuefaciendis deſcribit *Lib.1. ἁλιευτικῶν.* Oppianus. Duodecim, inquit, dies mater cum catulis in terra degit, decimotertio die vlnis complexa in mare defert,& immergit,eosque veluti in alieno & peregrino ſolo enixa,in patriam & proprias ſedes deducit.illi ſingula à matre deducti perluſtrant.

Μίμνει δ' ἤματα πάντα δυώδεκα σὺν τεκέεσσιν
Σκίμνους ἀγτὰς ἔχουσα νεαλδέας εἰς ἅλα δύνει
Ὡς δὲ γυνὴ ξείνης γαίης ἔπι παῖδα τεκοῦσα,
Παῖδα δ' ἐν ἀγκοίνῃσι πανημερίη φορέουσα
Τερπωλὴν ἀκόρεστον: ὁ δ' ἦ φρονέων περ ἕκαστα,
Ὡς ἄρα καὶ κείνη σφέτερον γόνον εἰς ἅλα θῆς
Αὐτοῦ ἐνὶ τραφερῇ: τρεισκαιδεκάτῃ δὲ σὺν ἠοῖ
Πασὶν ἀγαλλομένη,πάτρην ἅτε σημαίνουσα.
Ἀσπασίως πάτρην τε,καὶ ὃν δόμον εἰσαφίκηται,
Δώματα δεικνυμένη μητρὸς νομὸν ἀμφαγαπάζει
Παπταίνει μέγαρόν τε,καὶ ἤθεα πάντα τοκήων:
Ἐς πόντον προφέρει,καὶ δείκνυται ἔργα θαλάσσης.

Lib.4 cap.56. Vituli marini cicurantur,& hominem agnoſcunt, ſuntq; delphinorum more φιλάνθρωποι. Eius rei exemplum ex Eudemo narrat Ælianus. Vitulum marinum Eudemus ait, in hominem ſpongias piſcari ſolitum,amore flagraſſe: eóque vbi petra antrum ſuſtinens (ὕπαντρος) extra mare progreſſum cum ſpongiatore verſatum fuiſſe. Is,cuius iconem hîc expreſſimus,circa Lerinum inſulam captus, & in inſulæ illius xenobio multos dies educatus,nullo metu cum hominibus verſabatur,per terram ſe trahens, gradus etiam ſcandens.

C Somniculoſum eſt animal,grauiſſimóque ſomno opprimi ſolitum: inter dormiendum tam altè ſtertit,vt mugitum edere videatur,vnde vituli nomen. Huius cauſa eſt pituitoſus humor,qui in aſpera arteria eſt,inſpirando & expirando agitatus. Tales ſonos dormiendo edunt, qui craſſo ſunt collo & breui,deſtillationibus obnoxij: item ij,quibus excidit columella. Dormit vitulus extra aquam ad ſolem,in arena litoris vel ſupra ſaxa,vt liberiùs reſpiret,maximè noctu,ſed etiam interdiu nonnunquam. Oppianus: *Lib.1. ἁλιευτικῶν.*

Φῶκαι δ' εἰνύχιαι μὲν ἀεὶ λείπουσι θάλασσαν:
Γύκνοι μίμνουσι,καὶ ἔξαλον ὕπνον ἔχουσι.
Πολλάκι δ' ἤματι αὖ: πέτρῃς δ' ἐνὶ,καὶ ψαμάθοισι

(B) Carne & pinguitudine multa abundant. Oſſa cartilaginea habent. Corio duro & ſpiſſo integuntur, ſed plicatili, quò fit vt ſeſe contrahere & colligere poſſint: vnde difficilè ictibus læduntur conglobato (E) corpore, ob carnis & pinguitudinis copiam: vix enim niſi colliſis temporibus interficiuntur, quæ pauca carne & pinguitudine obducta ſunt,quò fit vt nerui,ac proinde cerebrum faciliùs patiantur.Eâdem ratione feles domeſtici difficiliùs ictibus necantur.

D Pugnant inter ſe vituli marini,& cum aliis piſcibus: ſunt enim carniuori,& admodum voraces. Vidimus aliquoties in viuaria immiſſos vitulos magna reliquorum piſcium pernicie, vt luciorum, tincarum, cyprinorum. Vidimus id Gandaui,& in ſtagno Regio ad Fontem Bellæ aquæ.

E Multi ſunt in Oceano vituli,aliquando gregatim natant, quos piſcatores aliquando ſagittis & tridentibus inſectantur,vix tamen ferrum in corium denſum adigitur.

Sine magno damno in piſcatoria retia non incidunt,quia vt delphini & xiphiæ vi omnia perrumpunt & dilacerant id quod ſi ſenſerint piſcatores,quàm celerrimè poſſunt,retia in terram pertrahunt: tum ſuſte capiti & temporibus ſæpius illiſo interficiunt. Oppianus: *Lib.5. ἁλιευτικῶν.*

Φώκη δ' οὐκ ἄγκιστρα τετεύχαται οὔτέ τις αἰχμὴ
Ῥηΐδιος ὑπὲρ μελέων: στερεὴ λάχεν,ὄβριμον ἕρκος.
Φώκην ἀσπαλιῆες ἐν ἰχθύσιν οὐκ ἐθέλοντες:
Δικτύοισι ἐσφηγμένοι ἐπεὶ φώκην μεμαῶτα
Δίκτυα: ῥηΐδιος δὲ βίη τ' ὀνύχων θ' ὑπ' ἀκωκαῖς
Ἑλκομένοις μέγα δ' ἄλγος ἐνὶ φρεσὶν ἀσπαλιήων.
Ἔνθα δὲ καὶ τριόδοντι καὶ ἰφθίμοις ῥοπάλοισι,
Ἐς κροτάφους,πέφνουσιν.ἐπεὶ φώκῃσιν ὄλεθρος
Τρίγλυφος,ἤκεν ἕλοι κείνης δέμας.ἔξοχα γάρ μιν
Ἀλλ' ὅτ' εὐπλεκέεσσι λίνοις περικυκλώσωσι
Δὴ τότε τοῖς κρατερός τε πόνος,σπουδή τε καθέλκειν
Οὐκ ἂν ἐρητύσειε,καὶ εἰ μάλα πολλὰ πέρειν
Ῥήξει τ', αἴξει τε,καὶ ἔασε δ' ἰχθύσιν ἄλκαρ
Ἀλλ' ἄμιν καθέλκουσιν ὑποφθάδον ἐγγύθι γαίης,
Δούρασί τε σιδηροῖσι καλαύροπα ἐλάοντες
Ὀξύτατος κεφαλῆφιν ἱκάνεται οὐταμένῃσι.

F Vituli carne conſtant molli,ſpongioſa & pingui, adeò vt liquatur, ſi diutiùs manibus tractetur.ob id citò ſatiat,nauſeam parit,malum ſuccum gignit, ferini odoris eſt.Qua de cauſa etiam à plebe negligitur iis in litoribus,in quibus frequenter capiuntur. Maiore eſt in pretio apud eos,qui procul à mari abſunt.

E Corio etiam mortuorum,ventorũ mutationes ſignificantur: auſtrinis enim ventis inſurgentibus pili inhorreſcunt,& ſurriguntur:in Boreali conſtitutione ita deſidunt, vt nullos eſſe affirmes, id quod ſæpius obſeruaui. Quo fit vt id verum eſſe credam,quod Plinius lib.9.cap.13.ſcripſit. Pelles eorum etiã detractas corpori ſenſum æquorum retinere tradunt,ſemperq; æſtu maris recedente inhorreſcere. Ex iiſdem pellibus zonæ fiunt in multos annos vtiles,& tabernacula olim iis operiebantur,quia fulmine non tangi credantur. Plinius lib 2.cap.35.ex iis quæ fulmine non feriantur. Ex iis quæ terra gignũtur,lauri fruticem nõ icit,non vnquam altiùs quinq; pedibus deſcendit in terram.ideò pauidi,altiores ſpecus tutiſſimos putant: aut tabernacula è pellibus beluarum,quas vitulos marinos appellant. quoniam hoc ſolum animal ex marinis non percutiat. Ob eam cauſam Seuerus Imperator lecticam ſuam corio vituli marini tectam voluit.

Corio tempeſtates ſignificari.
Zona.
Vis contra fulmina.

Ex eo-

Ex eodem (corio) calceari vtile eſſe podagricis articularibúsque morbis quidam autores ſunt. Eiuſdem cinis contra alopecias prodeſt. Adeps quoque vituli marini, (qui in eo copioſus eſt, vt in delphino, balæna,& aliis per pulmones ſpirantibus,) magni olim fuit in medicina vſus. Igni inſtillatur (inquit Plinius) naribus intermortuarum vuluę vitio,& cum coagulo eiuſdem in vellere imponitur, eadem articulorum dolores leuat & ſanat. Coagulum eiuſdem comitialibus, & ſtrangulatis vuluis valdè confert, id accipiendum priusquam in mare ingrediantur. Dioſcorides lib.2.cap.85. Coagulum vituli marini, caſtorei vires repræſentat. comitialibus maximè & ſtrangulatis vuluis potu conferre exiſtimatur. Sed an ſit vituli marini, hoc experimentum eſt: aqua inſpergitur, qua pauliſper cùm alterius animantis,tùm præcipuè agni,coagulum maduerit: nam ſi erit ſyncerum,ſtatim liqueſcit in aquam: ſin minùs, conſimile permanet. Excipitur autem catulis,qui nondum natare poſſunt. G

Adeps.
Coagulum.

B Hîc meminiſſe oportet illius,quod annotauimus,quum de lepore marino diceremus, ſcilicet mendoſum eſſe Plinij locum libro 32.cap.1. Iuba(in iis voluminibus,quæ ſcripſit ad C.Cæſarem Auguſti filium de Arabia) tradit vitulos *(Noſtra editio Mytulos habet,non Vitulos, quod probo)* marinos ternas heminas capere.neque enim vitulos marinos,ſed lepores legere oportet, cùm de leporibus marinis agat,velitque oſtendere eos in India (in qua omnia animalia grandiora ſunt) maiores noſtris eſſe, vt ex toto contextu liquet. Vituli vero marini nullo in mari tam parui ſunt,quin heminas multò plures tribus capiant.

Plinij locus.

DE PHOCA SEV VITVLO MARIS OCEANI,

Rondeletius.



B Is quem hîc repræſentamus,etſi paulùm diuerſo ſit corporis habitu à ſuperiore, nihilominus tamen vitulus eſt marinus,qui naſcitur in Oceano. Corpore craſſiore eſt magisque in ſe collecto. Vitulum eſſe indicant mugitus,vnde nomen,lingua bifida,dentes ſerrati,pedes poſteriores piſcium caudis ſimiles: cauda parua,integumentum ex corio pilisq;. pedes priores iidem, qui in ſuperiore: digiti magis ſunt diuiſi, oculi rotundiores. Idem indicant & partes aliæ interiores & exteriores,mores & actiones.

A Vt tamen ab altero internoſceretur vitulum maris Oceani nominaui.

COROLLARIVM.

Ziphij ceti phocam deglutientis imaginem ex tabula Olai magni,poſui ſuprà ab initio pag.1210.

A Phoca cetus eſt,etiamſi oſſa cartilaginoſa, mollioraq; cæteris cetis habeat. Εἰνάλιον κῆτος phocam ſignificat *(Homero, ni fallor,)* non quoduis cetaceum animal, Varinus. Oppianus etiam εἰναλίαν θῆρα dixit, id eſt feram marinam:& κήτειον μόθον,pugnam hominum contra phocas. Vituli marini,quos vocant phocas, Plinius. Idem aliquando ſimpliciter vitulos nominat,cum de marinis ſermonem eſſe ex argumento vel adiunctis conſtat. Ipſis in ſomno(Wottonus legit ſono,niſi librarij peruerterint)mugitus,vnde nomen vituli. Et alibi:In Pontum nulla intrat beſtia piſcibus malefica,pręter vitulos & paruos delphinos.quod ex Ariſtotele ſumtum eſt,cuius hæc ſunt verba: Οὐδὲν ἐστι ἐν τῷ Πόντῳ θηρίον ἔξω δελφῖνος καὶ φωκαίνης. Plinius pro φωκαίνης legit φώκης. Non verò mugitu ſolùm,ſed & maxilla ſuperiore,& naribus vitulum terreſtrem refert, quod Rondeletius obſeruauit. Vitulo terreſtri,ſi aures excipias,valde ſimilis eſt, Idem. Pierius Valerianus à ſpecie tergoris boum inſtar villoſi, vituli nomen inditum putat. Bocas genus piſcis à boando,id eſt vocem emittẽdo appellatur, Feſtus. Hermolaus hunc eſſe ſuſpicatur piſcem,qui boxà Græcis appelletur.ſed eum vocalem eſſe nemo tradidit. quare phocam potiùs intellexerim hoc nomine, quæ boat mugitq;: etiamſi piſcis ea non eſt, ſed cetus. Box quidem Græcè dictus à Theodoro Voca conuertitur. Phocæ ſunt marini boues, Seruius, Iſidorus,& Scriptor de nat.rerum. Maſſilienſes vulgo Boues marinos appellant, Gillius. Author de naturis rerum, alibi etiam Vaccam marinam vocat. Cæterùm de Boue marino plani & cartilaginei generis, aliisq; diuerſis huius nominis animalibus, ſuprà in B. elemento ſcripſi. Albertus phocam, etiam lupum marinum nuncupat: & alibi canem marinum: quoniam Germani ſimiliter appellant, vt dicemus. Quanquam autem dentibus ac maxilla ſuperiore lupum refert,authore Rondeletio, & rapax voraxq; eſt lupi terreſtris more: unde & Hiſpani lupum marinum vocitant: mihi tamen hoc nomen non placet, cùm vt retineamus vetera potiùs, tum vt homonymiam vitemus. nam & piſcis quidam rapax lupus appellatur: & à Bellonio quadrupes quædam perfecta, cuius ſuper ea imaginem atq; deſcriptionem dedi in Appendice de Quadrupedibus viuiparis. Eiſdem de cauſis Canis etiam marini ac bouis marini nomina non probo: ne cum canibus galeis & bobus diuerſis cofundantur. Koky,id eſt vitulus marinus, Latinè Helcus, Albertus. alij elcum ſcribunt: alij felchum, vt Iſidorus quidam. ſed quoquo modo ſcripſeris,barbarum eſt,nec ſcio cuius linguæ Koky, Kochi, Cochium, & Coillium, obſcuri quidam ſcriptores nominant,

Κῆτος.
Vitulus.
Bocas.
Bos marinus.
Lupus mar.
Canis mar.
Helcus.
Felchus.

nominant,lingua puto Arabica,vitulum marinum. Apud Auicennam 2.185.Cokium legitur,Bellunenſis emendat Chuchi.Eiusdem libri capite 119. pro phoca achufi nominatur, voce vt ſuſpicor, deprauata pro alchuchi. vetus interpres ineptè camelum tranſtulerat. Iſidorus quidam, etiam Caab: attribuit autem ei quædam phocæ, quædam elephanto propria. Itali,præſertim Genuenſes, buo marino vocant,id eſt bouem marinum. Scoppa quoque grammaticus Italus interpretatur lo Boue marino. Hiſpani lóbo marino, hoc eſt lupum marinum. Incolæ Hiſpaniolæ inſulę lobum vocant,Cardanus.ſed hoc nomen Hiſpanicum eſſe apparet.Ex Scythis circa finem Aſiæ Septentrionalis Duci Muſcouiæ ſubiectis, propiores Oceano Septentrionis ſunt Iuhri & Coreli : qui piſcantur & capiunt balenas, ſeu vitulos & canes marinos, quos ipſi Voruol appellant : & ex pellibus eorum parant rhedas,burſas & caletas : axungiã autem pro impinguatione ſeruant & vendunt,Matthias à Michou.Quem vulgus Germanicum vernacula lingua nunc lupum marinum, nunc canem nominat, phoca eſt, Sigiſmund. Gelenius in epiſtola ad me. Lupus marinus Germanicè Meerwolff dicitur : Canis marinus, Meerhundt/ Flandri pronunciant Seehond.quo nomine de phoca Germani etiam circa Suerinum vtuntur. Canes galeos vocant Hundfiſch/ id eſt,canes piſces : phocas verò ſimpliciùs, canes marinos. Plerique inferiores Germani non Seehundt/ quod nomen à mari & cane probè compoſitum eſt, ſed Selhundt vel Salhund pronunciant, neſcio qua ratione, niſi quòd Angli hanc beſtiã a Sele vel Seale nominant. Sed l.litera fortè abundat: nam & marinam cochleam Seelſlecke appellant. Phoca proprie eſſe puto larũ illud quod Salſpeck vocatur,nõ è delphino, vt quidam re[illegible]ur, niſi ex eo quoque impropriè ſic vocetur. Friſij phocam ein Rub indigetant. [illegible] enim eſſe aiunt capite ferme vituli[illegible]tum, colore muris montani, qua[illegible]s reptans, pilo læui ſeu plano & [illegible]dit[illegible]ucto,larido pingue. Audio & [illegible] nomen, quod vitulum marinum ſi[illegible] alicubi in vſu eſſe : nos Meerkalb diceremus. Angli etiam nominant a Sea calfe : vel Seele/vel Seale/ ſed e. finale non pronunciant. In libello quodam de nomenclaturis rerum Latinè, Polonicè & Germanicè conſcripto,hæc verba inuenio : Foca,Biala rybá, Weißfiſch: quæ neutiquam ad phocam,ſed ad neſcio quem piſcem album,vt nomen Germanicum ſonat,referenda ſunt. Vitulum autem marinum, idem ſignificantibus Polonicis verbis,Morskieciele,vt Germanicis ein Meerkalb/interpretatur.

Koky. *Caab.* *Vulgaria.*

Effigiem hanc Vituli mar. ex Oceano ab amico olim accepi.



Tiburonem Indicum piſcem inter Cete deſcripſimus : Rondeletius è genere Vitulorum marinorum eſſe ſuſpicatur. Vide ne & Manatus Indicum animal cetaceum,phocæ cognatum ſit. multa enim conueniunt.ſed ſquama ei, non pilus à Cardano tribuitur. De vtrisque ſuprà inter Cete diuerſa ſcripſimus, pag.213.& 214.

B In Pontum nulla intrat beſtia piſcibus malefica,præter vitulos & paruos delphinos,Plinius ex Ariſtotele.quì non phocas,id eſt vitulos,ſed phocænas in Ponto eſſe dixit. Vide ſuprà in Corollario de Delphino B.ab initio,pag. 327. Ælianus tamen de animalibus 9.59. ſimiliter vt Plinius φώκης legit. Euxinus Pontus (inquit) plurimis piſcibus abundat,quòd non ſolitus ſit belluas procreare. ſicubi autem phocam (φώκlω) & delphinos profert,minimè ij quidem grandes euadunt. Marini vituli reperiuntur apud Troglodytas extra ſinum Arabicum,piſcium capturæ velut homines intenti,Diodorus Siculus. Phoca marinum animal boui terreſtri ſimile eſt, Varinus. Hinc fortè & bos & vitulus marinus, ab aliqua cum his ſimilitudine vocatur,vt in A.prædictum eſt.

Vbi. *Forma.*

Ouidius in epiſtola 10. phocas magnas cognominat : & primo Metamorphoſeos deformes. Vergilius turpes : Seruius magnas interpretatur : vt,Cui turpe caput.ego potiùs deformes, propter craſſum & inarticu-

Magnitudo & deformitas.

inarticulatum corpus : aut fœdi & obſcœni odoris. Breuiſſimum eſt à partu hoc animal, poſtea tamen euadit maximum,album ventre,& dentibus frendit,Rauiſius. Circa Angliam phocas craſſas,præpinguésq; fieri audio,& ad vrſi magnitudinem accedere.

Ariſtophanes in Pace & in Veſpis quoque Cleonem traducens phocarum odorem, vtpote coriario, ei attribuit, φώκης ὀδμὴν. Scholiaſtes Homeri carmen citat, Φωκάων ἁλιοτρεφέων ὀλοώτατος ὀδμή. *Fœtor.*

Aquatilium quædam corio & pilis teguntur,vt vituli,hippopotami,Plinius. Lataci pilus durus, ſpecie inter pilum vituli marini & cerui,Ariſtoteles. Canes marini ſunt hirſuti, ſicut canes, Albertus. Vitulus marinus habet pedes vt catulus, piloſus eſt vt capra,Syluaticus.Cutem habet piloſam, albis nigríſque maculis diſtinctam,Iſidorus. *Pili.*

Carne abundat,mollisq; eſt,atque oſſibus cartilaginoſis conſtat,Ariſtoteles.Et rurſus, Corpus totum carnoſum eſt.Cartilaginem,non oſſa habet,Plinius *Caro & oſſa.*

Phocam βοῶπιν cognominat Oppianus, ab oculorum ſiue magnitudine, ſiue ſimilitudine cum bubulis. Oculos habet lucentes, Albertus. Auriculæ omnibus animal duntaxat generantibus : excepto vitulo marino,atque delphino,&c. hi cauernas tantùm habent aurium loco,Plinius. Phoca inter ea quæ animal pariunt non auriculas,ſed cauernas tantùm habet ad audiendum vtpote qui manca & læſa ſit quadrupes,Ariſtoteles. Et alibi,Auriculis caret, vt & reliqua cetaria : meatus tamen quà audit manifeſtos continet. Et de generatione animalium 5.11. Vitulus marinus nimirum rectè à natura conſtitutus eſt,cùm enim quadrupes viuiparum ſit,auribus caret, meatúsque tantùm habet, quibus audiat, cauſa eſt, quòd vitam hic in humore traducit. Pars autem aurium addita meatibus eſt, vt motus á longè delatus aëris ſeruaretur. itaq; nihilo vtiles ei auriculæ eſſent : imò verò offenderent, cùm intra ſe copiam reciperent humoris. Vitulo marino lingua ſciſſa(biſulca)eſt, Ariſtot.duplex, Plinius. Dentes omnes ſerrati acutiq;, Ariſtoteles. Mammis nutriunt fœtus,Plinius. Genitale phocæ fœminæ,ſimile raiæ eſt.omnia verò id genus muliebris ſexus ſimilitudinem referunt, Ariſtot. Phocam alicubi quadrupedem Ariſtoteles nominat.Pedes habet minutos,Idem : reſpectu ſui corporis,quod vtique magnum eſt,Iſidorus. Vituli marini ambigunt cum aquatilibus & terreſtribus : ſi vt aquatiles inſpectantur,pedes habent : ſi vt pedeſtres, pinnas.quippe qui pedes poſteriores piſceos admodum habeant, Ariſtot. lib.4.de part.cap.13. Pedibus ſunt breuibus anteriùs,ſed retrò pelle ſtricta & tenui,magis ad gubernaculum caudæ formata quàm ad pedes, Albert. Marinæ teſtudines pedes vt phocæ habent,Pauſanias in Atticis. *Oculi.* *Aures.* *Lingua.* *Dentes.* *Mammæ.* *Genitale.* *Pedes.*

Pulmonem habent, Plinius. & catuli coagulum medicis vtile. Vituli marini renes bubulis ſimiles omnium firmiſſimi ac ſolidiſſimi ſunt : cum reliquorum omnium renes magis minúsve caui ſint, Ariſtot. Renum vtriq; pinguitudo è medio exit,prӕterquam in vitulo marino,Plinius. *Interiora.*

C Phoca marinum eſt animal, Varinus. Viuit in mari ac terra,Plinius. Aqua nec penitus carere poteſt, nec in ipſa agere ſecus,niſi per interualla quædam reſpiret. parit etiam & educat in ſicco, Ariſtot. Spirant & dormiunt vituli mar.in terra, Plinius. Pulmo(exiguus,ſpumoſus,nec ſanguineus)cauſa eſt quare ſub aqua diu ranæ & phocæ vrinentur,Plinius. Lupi marini cum intrant pelagus, poſtea redeunt & aſcendunt ſuperiùs magna velocitate,ſicut delphinus, Obſcurus tanquam ex Ariſtotele. Pinnis quibus in mari vtuntur,humi quoque vice pedum ſerpunt,Plinius. Aquatica quædam continuè vadunt ſuper pedes, vt lupus mar. Albertus. Colligere ſe ipſe vitulus & contrahere poteſt : carne enim abundat, mollisque eſt, atque oſſibus cartilaginoſis conſtat, Ariſtot. Mugitus eis in ſomno, Plinius & Ariſtot. Vox eius eſt ſicut tauri, maximéque cum interficitur, Author de nat. rerum. Voce pariter & viſu populum ſalutant, incondito fremitu : nomine vocati reſpondent, Plinius. A litore nunquam longiùs eas digredi aiunt : & ad id relictum breui reuerti. Quadrupedum ſolus victum ex mari petit, Ariſtot. Veſcitur piſcibus & humano cadauere,vnde & piſcantibus ſtruit inſidias,Rauiſius. Marini vituli reperiuntur apud Troglodytas, piſcium capturæ velut homines dediti,Diodorus Siculus. Καὶ τῷ μὲν φώκῃσι καὶ ἰχθύσι κύρμα γενέσθαι Ἔκβαλεν, Odyſſeæ O. Belluarum omnium voraciſſima eſt, Damis apud Philoſtratum. Paſcitur herba, terra & mari, Syluaticus, Nullum animal grauiore ſomno premitur,Plinius. Vnde Martialis : *Dormitis nimium glires, vitulíq; marini.* Prope mare in terra dormiunt, Author de nat. rerum. Circa veſperam magis exeunt, aliquando tamen etiam meridie,& extra mare ſomnum capiunt. Hoc & Homerus nouerat: qui in Odyſſea Menelaum inducit hoc earum cubile Telemacho & Piſiſtrato narrantem, Ælianus. Mugitus eis in ſomno,Plinius & Ariſtot. Cauernas maritimas ſubire ſolent,(ſomni ſcilicet, vel partus gratia.) Canum modo cohærent,(in coitu,)Plinius. Auertuntur & canes,lupi,phocæ,in medióque coitu, inuitíque etiam cohærent, Ariſtot. Diu copulantur in coitu, vt teſtudines etiam, & canes in terra, Oppian, Halieut.1. Pariunt educantq; in ſicco.mammas & lac habent,Ariſtot. Quæ pilo veſtiuntur, animal pariunt,vt balæna,vitulus.hic in terra parit,pecudum more. Parit nunquam geminis plures.educat mammis fœtum. non ante duodecimum diem deducit in mare, ex eo ſubinde aſſuefaciens,Plinius. Idem ſecundo partus initu hoc animal reddere ſcribit,eodem in loco,quem ex Ariſtotele tranſtulit : cuius hæc ſunt verba, hiſt. 6. 12. Τίκτει ζῷα καὶ χορίον.id eſt : Animal parit,& ſecundas emittit, vt rectè conuertit Theodorus. equidem Plinii verba deprauata iudico, & ad Gazæ interpretationem emendanda. In Scytico Oceano catulos ſuos ſuper glacie lactant.vide in E. Vituli marini primùm in arido fœtus ſuos pariunt:deinde in lucem editos paulatim cum in humidiora loca ſubducunt, atq; ad deguſtandum mare eos introducunt:tum in aridum natalẽ locum reducunt: inde rurſum in mare deducunt, & quàm mox educunt. Sæpéq; numero cum id fecerunt, aptiſſimos tandem ad natandum efficiunt, partim doctrina inſtitutos, partim natura ad mores & ſedes maternas amandas impulſos,Ælianus de animalibus 9.9.id ita crebrò faciunt,dum addita fiducia fluctibus credere,gaudeŕeque videant, Plutarchus in libro Vtra animalium,&c. Hoc animal triginta annis, quod cognitum eſt amputatis eorum caudis,viuit,Incertus. *Vita ambigua.* *Spiratio.* *Motus.* *Vox.* *Victus.* *Somnus.* *Coitus.* *Partus.* *Educatio.* *Vita longitudo.*

D Delphinus & phoca parentes ſenio confectos iuuant & promouent natatu,Io. Tzetzes. Ego phocænam potiùs,vtpote delphino ſpecie naturáque cognatam hoc facere putârim. nam phoca nimium agreſte animal in catulos etiam (adultiores) & fœminas ſæuire ſolet. Delphin & phoca vnà cum catulis ſuis capiuntur commoriunturq;. captis quoque matribus catuli ſimul capiuntur,Io.Tzetzes.Ego in Agis inſula vidi *Phoca qualis in parentes.* *In prolem.*

vidi phocam à piſcatoribus comprehenſam, mortuum filium, quem in carcere (οἰκίσκῳ, cauea,) vt ſic dicam, pepererat, ita deplorare, vt triduo à cibis abſtinuerit, quanuis omnium belluarum voraciſſima ſit, Damis apud Philoſtratum libr. 2. de vita Apollonij. *In ſuas congeneres.* Marinos vitulos ſitus eiuſdem pugnare inuicem aiunt, & marem cum mare, & fœminam cum fœmina, donec alter ab altero vel occidatur, vel eiiciatur: idémque eorum catulos facere, Ariſtoteles. Audio eos ſæpè in mari colludentes ſpectari. Mordax eſt valde animal, & inſequitur piſces magnos mordens occidensq;. Gregatim venatur, & multos in vnum locum cogit piſces, Albertus. Non facilè locum ſuum mutat, ſed in ſuo natali ſemper manet, Author de nat. rerum. *In hominem.* In mari vituli, multaq; piſcium genera miteſcunt, Plinius. Et rurſus: Accipiunt diſciplinam: vocéque pariter & viſu populum *(in ſpectaculis exhibiti)* ſalutant, incondito fremitu. nomine vocati reſpondent. Ἡ φώκη ἐρᾷ συνουσίαν ἀνδρῶν, Varinus. Ipſe imbellis & animo degener, non tantum viribus, quantum vaſtitati corporis fidit, Incertus. *Inuidia.* Coagulum ſuum mortalibus inuidens, ne eo comitiales morbi ſanari poſſint, deuorat, ἐκροφεῖ, Ælianus de animalibus 3.19. Phocam aiunt euomere (*ἐξεμεῖν. hoc verbum magis probo, quàm poſitum ab Æliano ἐκροφεῖν. nam & Plinius vertit euomere, & ſenſus ipſe ſic meliùs conuenit)* coagulum cùm capta eſt. id enim medicamentoſum eſt, & comitialibus vtile, Ariſtoteles in Admirandis. Vitulo marino victus in mari ac terra. ſimile fibro & ingenium. *(nam & victu quòd amphibius eſt cum eo conuenit: & fiber quoq; per inuidiam teſtes ſibi euellere dicitur.)* euomit fel ſuum, ad multa medicamenta vtile: item coagulum, ad comitiales morbos: ob ea ſe peti prudens, Plinius. Animalia bruta falsò inuidere homini creduntur. nullis enim brutis inuidiæ contra hominem ſenſus eſt: metuq; perturbata, aut aliter affecta id agunt animalia hæc. veriſimiléque eſt phocam cùm capi & teneri ſe ſentiat, metu doloreq; id pati. Siquidem in eodem affectu idem aliquando homines animo perturbati patiuntur, Marcellus Virgilius. *Vis contra fulmina & grand.* Quòd ficus de cœlo non tangitur, id vtique amaritudini eius acceptum referri oportet. (tota enim arboris dulcedo in fructum ſecernitur.) id genus quippe non attingunt fulmina, quod vitulus comprobat marinus atque hyæna, Cælius Antiquitatum 18.9. atqui his animalibus quænam amaritudo inſit non indicat. Pellem huius vituli fulmine non afflari, legimus apud Tranquillum in Tyberio, Volaterranus. Phocæ & hyænæ pellibus vim quandam ineſſe aiunt fulmina prohibentem: quare etiam ſummas velorum partes eis obtegunt, Plutarchus lib. 4. Simpoſ. Grandini creditur obuiare, ſi quis crocodili pellem, vel hyænæ, vel marini vituli per ſpacia poſſeſſionis circunferat: & in villæ aut cortis ſuſpendat ingreſſu, cum malum videtur imminere, Palladius. Et rurſus: Vituli marini pellis in medio vinearum loco vni ſuperiecta viticulæ, creditur contra imminens malum totius vineæ membra veſtiſſe.

Conſenſus cum mari. Huius animalis pili in corio excoriato vbicunque fuerint, compoſitione & erectione indicant fluxum & refluxum maris. Et hoc faciunt coria etiam aliorum marinorum, quæ piloſa ſunt, Obſcurus. De hoc etiam animali illud mirabile fertur, quòd eo mortuo & excoriato pilus in pelle, vbicunque fuerit, naturali quodam inſtinctu, prout mare ſe habet, ita ſe gerit. nam ſi mare turbatum in fluctus ſurrexerit, & pilus ſimiliter erectus exurgit: ſi verò mare pacificatum fuerit, pilus in planum ſternitur, Iſidorus. Non credebatur Plinio pilum eius in corio cinguli aut alterius ornamenti attolli, creſcente mari, remitti decreſcente. nunc cum innotuerit in Indo mari, (circa Hiſpaniolam inſulam) fabuloſum hoc non eſſe videtur, Cardanus.

Qualis ſit erga animalia quædam. Vrſos terreſtres timet: &, ſi congreſſa fuerit, vincitur, Oppianus. Lycotas ruſticus in Bucolicis Calphurnij refert ſe vidiſſe Romæ in ſpectaculis æquoreos vitulos cum certantibus vrſis. Apparentibus phocis Hippolyti equi territi, currum, quem iuxta mare agitabat, ruperunt, & Hippolytum diſcerpſerunt. Phocæ fugiunt arietes marinos, Æliano teſte. qua ratione quidem aries belua vitulos in mari comprehendat, ex eodem authore in Arietis mar. hiſtoria deſcripſimus. Ziphius bellua à quibuſdam recentioribus dicta, quoniam & ipſe phocas appetit, & ingens eſt corpore, quærendum idém ne ſit cum ariete veterum. Phocæ odorem caſtorei horrent, ab eóque fugantur, Cardanus. alij quidam ſcriptores cete ſimpliciter, caſtorei odorem refugere ſcribunt: nullus, quod ſciam, phocas priuatim.

E Interficitur difficulter, niſi capite (temporibus capitis) eliſo. corpus enim totum carnoſum eſt, Plinius & Ariſtoteles. Vitulus marinus robuſto corio obductus, neque hamo, neque fuſcina comprehenditur: At primùm vt irretitus tenetur, piſcatores ſtatim magno ſtudio rete in litus expellunt, atq; eiiciunt. Nam etſi variis & multiplicibus retibus allaqueatus eſt, ea tamen vnguibus facile laceraret, & piſcibus ſimul captis adiumento ad exitum eſſet. Quamobrem magna celeritate ad terram ſubtrahunt, vbi & tridente & fortibus haſtis ſecundum tempora eius caput percutiunt. ſic enim celeriter necatur: Gillius ex Oppiano, cuius verſus Græcos recitauit Rondeletius. Phoca alicubi capitur egrediens in terram, & vocem puerorum ſequens, donec tandem in retia trahatur, vt Selandus quidam mihi narrauit. Phocæ in mari Botnico, (quæ pars eſt Oceani Sueciam ſeu Scandinauiã interiùs amplectentis poſtrema,) catulos ſuper glaciei fragmentis lactant: & à piſcatoribus phocarum pelles indutis haſtilibus transfixæ inſidioſè capiuntur. Phocas in litore capiendas audio pedibus poſterioribus arenæ tantum reiicere, vt acceſſus non ſit tutus. In ſpectaculis aliquando Romæ exhibitæ ſunt. vide ſuperiùs in D. Romæ paucis antè annis animal precio oſtentabatur, Volaterranus. *Æquoreos ego cum certantibus vrſis Spectaui vitulos*, Lycotas ruſticus in Bucolicis Calphurnij de ſpectaculis Romæ ſibi viſis. Maſſagetæ induuntur pelles phocarum, Euſtathius in Dionyſium. In ora Scythiæ Septentrionalis ex pellibus horum animalium parant rhedas, burſas, & caletas: axungiam autem pro impinguatione ſeruant & vendunt, Matthias à Michou. Lappones hyeme veſtiuntur pellibus integris phocarum ſiue vrſorum artificioſè elaboratis, eaſq; aſtringunt ſupra caput, ſolíque oculi patent, corpore reliquo toti contecti ſunt, quaſiq; in culeum inſuti. hinc fortaſſe creditum quòd ſint corpore hirſuto inſtar brutorum, Munſterus. Nos ex phocæ corio cingulum habemus: quo enſis, dum equitamus, accingitur, ſero amittit pilum. corium bubalo ſimile. colos pili varius ac lyncei (lincis) pelli quoque modo ſimilis, Cardanus. Audiui olim cingula è pelle phocæ fieri tres digitos lata, ad geſtandos enſes, hirſuta, pilo breui, nigro, leni & æquabili, inſtar ſerici villoſi eminus ſplendente: ſingula ſenis ferè denariis argenteis vendi: pelle nigra, craſſiuſcula. Vi quadam mirabili fulmina & grandines pelle huius animantis arceri, præſcriptum eſt in D.

F Phoca ex cetaceorum genere eſt, eoq; carnem duram & excrementitiam habet, vt quidam ſcribit. Ab hac propriè eſſe puto lardum illud quod Germanis (Saxonibus præſertim) vocatur Salſpeck / non à Delphino, vt quidam putant, niſi ab eo quoq; impropriè ſic vocetur.

G *Adeps.* Phocæ adipem, aliter oleum appellant. Vituli marini adeps lichenas & lepras tollit, Plinius. Impoſita mentagræ plurimùm prodeſt, Marcellus Empiricus. Scabies equorum linitur vtiliſſimè adipe vituli marini, Columella. Omnem dolorem & tumorem articulorum ſanat, Kiranides. Canis rabidi morſu potum expaueſcentibus faciem perungunt adipe vituli marini: efficaciùs, ſi medulla hyænæ & oleum è lentiſco & cera miſceatur, Plinius. Eandem Andromachus iunior apud Galenum (Libro 1. de compoſ. ſecund. locos) medicamento aduerſus caluiciem miſcet. Suffita continuè lethargicos iuuat, & matricis anguſtias, Kiranides. Ex Hippocratis libro de natura muliebri, ſuffitus ad vterum (pituitoſum, & conceptui, vel legitimæ menſium purgationi, vel ſecundis promouendis ineptum:) Bitumen & hordei paleas miſceto, additáque pinguedine phocæ ſuffito. Alius: Stercoris caprini pilulas, & leporis pilos, pinguedine phocæ ſubacta ſuffito. *(Coaguli pellicula.)* Alius: Coaguli phocæ pelliculam contuſam ac tritam, & ſpongiam, & muſcum arboreum, trita ſimul mixta, atque phocæ pinguedine excepta ſuffito. *(Pulmo.)* Alius: Stercus caprinum cum pulmone phocæ ac cedri ramentis ſuffito. Eadem hæc ferè omnia commendat rurſus eodem in libro, ſi vteri ad inguina incumbant ac innitantur.

Si vterus foràs prodierit: in iunioribus, pelliculam vteri obliquè inciſam linteo confricato donec inflammetur, & illinito phocæ oleo ſiue adipe, & molles ſpongias vino reſperſas apponito, Hippocrates in libro de exectione fœtus. Ad ſuffocationem ex vtero, graueolentia quæuis ſuffire oportet, phocæ adipem, caſtoreum, &c. Mulier quæ ab vteris ſtrangulatur, caſtoreum & conyzam in vino, & ſeorſim, & ſimul vtrunque bibat: aut phocæ adipis quantum duobus digitis apprehendi poteſt, Hippocrates libro ſecundo de morbis muliebribus. Et in eodem libro curationem deſcribens vteri ad coxam auerſi, (in quo affectu ventre per aliquot menſes creſcente concepiſſe ſe putant mulieres:) In ollam, inquit allium ſiccum coniicere oportet, idq; magis comminutum quàm ea quæ ſunt contuſa, & aquam affundere, quò ipſum permadeſcat, & aqua tribus digitis ipſum excedat: & phocæ oleum ſuperfundere, atque ſic calefacere, ac fomentum adhibere per multum tempus, &c. Aduerſus podagram vituli mar. cinis & adeps prodeſt, Plinius.

Caput. Caput eius crematum & cum cedria inunctum, alopeciam omnémque paſſionem (capitis) curat, Kiranides. *Caro, ſanguis, & viſcera.* Caro eius confert epilepſiæ & præfocationi matricis, Auicenna. Caro eſitata, & ſanguis ſiccus cum vino potus latenter, omnem epilepſiam, & maniam, & ſcotomiam, omnémque paſſionem ſanat. Hepar quoque, & pulmo, & ſplen arida in potu ſuperſperſa, ſimilia ſanant, omnémque paſſionem, Kiranides. In epilepſia bibendum dant aliqui lac aſininum cum ſale, vel ſanguine teſtudinis marinæ, aut humano, aut vituli marini: & non ſolùm ſanguinem, verùm etiam coagula quæ lacti miſcentur, Cælius Aurelianus: ſed ipſe non probat.

Cerebrum. Cerebrum eius potum dæmones expellit, & ſacrum morbum ſanat, Kiranides.

Coagulum. Hippocrates pellicula phocæ coaguli vtitur. vide ſuprà in remediis ex adipe. Phoca deuorat (aliâs euomit) coagulum ſuum mortalibus inuidens, ne eo comitiales morbi ſanari poſſint. Vide ſuprà in D. Cælius Aurelianus vituli marini coagulum epilepticis propinari reprehendit. Comitiales ſanant panacis Heracliæ radices potæ cum coagulo vituli marini: item peucedanum cum eodem æquis portionibus potum, Plinius. Heraclium quidem panaces inde dictum putant aliqui, quia Herculeo morbo (id eſt comitiali) cum phocæ coagulo medeatur: (cum quarta parte coaguli phocæ, Theophraſtus hiſtoriæ 9.12.) Ad comitiales coagulum vituli marini bibunt cum lacte equino, aſininóve, aut cum punici ſucco. quidam ex aceto mulſo: nec non aliqui per ſe pilulas deuorant, Plinius. Et alibi: Lethargicos coagulum vituli adiuuat in vino potum oboli pondere. In lethargum vergentibus coagulo balænæ aut vituli marini ad olfactum vtuntur magi, Idem. Coagulum phocæ magnitudine erui potum quartanarios iuuat, & opiſthotonum quoq; potum ſimiliter curat, Kiranides. Peucedanum cum coagulo vituli marini æquis partibus anginæ medetur, Plinius.

Oſſa. Oſſa ſuffita partum accelerant, Kiranides,

Fel. Euomit vitulus marinus fel ſuum ad multa medicamenta vtile: Plinius, qui & alibi fel eius ad multa nobile eſſe tradit. Ariſtoteles & alij fellis expers hoc animal faciunt. Fel cum melle inunctum omnem ophthalmiam curat, Kiranides.

Pellis. Corrigiam (è corio) eius ſi liges circa phialam, déſque his qui à cane rabido morſi ſunt, vel lymphaticis, mox ſanabit, Kiranides. Vrſi pellis vtiliter lyſſodectis ſubſternitur, & vituli marini, Aëtius. Phocæ pellis præcincta renes & iſchiadica loca confirmat, Kiranides. Vituli marini, aut quod melius eſt hyænæ pelle facta medicamenta *(calciamenta lego, vt & Kiranides & alij ſcribunt)* ſi quis in cotidiano vſu habuerit, efficaciter podagræ morbo carebit, Marcellus Empiricus. Phocæ, leonis, lupi aut vulpis corium ſi quis elaboret, & calceos geſtet, pedes non dolebit, Galenus Euporiſton 3. 248. In podagra iubent fibrinis pellibus calciari: item vituli marini, Plinius. Ad fiſtulam pedum, quidam ex neruis onagri & apri & ciconiæ chordas plicant: & dextros neruos dextris ægrorum pedibus, ſiniſtros ſiniſtris alligant, donec abeat dolor: quo redeunte repetunt, &c. Aliqui ciconiæ neruos in pellem phocæ mittunt, &c. vt ex Tralliano ſcripſi in Ciconia G.

Pinna. Dextræ pinnæ vim ſoporiferam ineſſe, ſomnoſq; allicere ſubditam capiti tradunt, Plinius. Nullum animal grauiore ſomno premitur: vnde dextris pinnis, quibus vtuntur in mari, vim ſomniferam eſſe dicunt, ſi cuiuſquam capiti ſubdantur, Iſidorus. Vim eandem aliqui hiænæ marinæ pinnæ dextræ attribuunt.

Lingua & pes dexter. Podagris (prodeſſe aiunt magi) ſpinæ hyænæ cinerem, cum lingua & dextro pede vituli marini, addito felle taurino, omnia pariter cocta atq; illita hyænæ pelle, Plinius.

Pulmo. Ex pulmone remedium præſcriptum eſt ſuperiùs ad finem remediorum ex adipe. Hepar, pulmo & ſplen arida potioni aſperſa quid præſtent, dictum eſt ſuprà in remediis ex carne.

H.a. Καλλίκριλα, testudinem, alij phocam interpretantur, Hesychius & Varinus. φοξοφαί, vituli marini, vt quidam in Lexicon vulgare Græcolatinum retulit, absque authore. Phoca per onomatopœiam sic dicta videtur à boatu & mugitu quem ædit. phocæna autem fortè quòd similiter vt phoca præpinguis sit, & lardo abundet, quod etiam ex vtraq; Germani vno nomine Saſſpeck appellant: magis propriè tamen è Phoca. phocæna quidem pinguior est delphino. porci nomen vulgò vtrique attributum, phocænæ magis propriè quàm delphino conuenit.

Φυκᾶς à Symeone vocatur potionis genus ex hordeo, quod zythum Dioscorides appellauit. Focha, vel Fuchach, (aliâs Fucula,) potus ex hordeo & aliis rebus calidis, vt zinzibere & similibus: quæ ponuntur in vasis terreis paruis benè obturatis: & cum aperiuntur, salit in altum, & vocatur ceruisia, Sylvaticus.

Antiphôn in Georgicis φωκίδας dicit esse pirorum genus, Athenæus.

Epitheta. Phocæ magnæ Ouidio epist. 10. deformes 1. Metamorph. tumidæ, 7. Metam. Turpes, Vergilio. Φώκη βλοσυρὴ, βοῶπις, Oppiano. Φωκάων ἁλιοτρεφέων ὀλοώτατος ὀδμή, Homerus. Ἀμφὶ δέ μιν φῶκαι νέποδες, Idem. sed pisces alij νέποδες dicuntur, quòd pedibus careant, pro ἄποδες, à νε priuatiuo. phocæ verò quòd pedibus natent, à verbo νέω quod est nato, pro νηξίποδες. Eustathius in Odyss. Δ. nepodes interpretatur, non quòd nullos, sed quòd breuissimos pedes habeant: sicut & apodes in auium genere. ----- καὶ χαμευνάδων Εὐνὰς δυσόδμους θηρσὶ συγκοιμώμενος: id est, simul cum phocis cubans, Lycophron. Halosydna, Ἁλοσύδνη, apud Homerum in Odyssea, φῶκαι νέποδες καλῆς Ἁλοσύδνης. Nereidis nomen videtur: in Iliade autem epitheton Thetidis, vel Amphitrites. nomen compositum est παρὰ τὴν ἅλα, hoc est à mari: & à verbo σεύεσθαι quod est ferri, moueri: vel δύειν, quod est mergi. finguntur autem phocæ peculium esse Halosydnes: inque medio earum Proteus, ceu pastor inter pecora. τινὲς δὲ ἡρέθιζαν τρόπῳ συγγενικῷ (dictione cognationem significante) ὕτω φραδῆναι. νέποδες γάρ φασι θαλάσσης αἱ φῶκαι, ὅ ἐστι τέκνα. νέπους γὰρ κατά τινα γλῶσσαν (lingua Latina, nepos) ὁ ἀπόγονος, Eustathius & Varinus. Etymologus ἁλοσύδνας, adiectiuè de phocis dici scribit, quasi ἁλοσδύνας, per metathesin. Erasmus Roterodamus in prouerbio, Μήποτε σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήματ' ἕληται, ἡμερόκοιτον putat de phoca intelligi, tanquam eius epitheton, sed sine authore: quanquam legimus id animal somniculosum esse, & sæpè etiam interdiu somno indulgere. Oppiano hemerocœtes non alius quàm callionymus est. Fures qui noctu vigilare, dies dormire solent, argutè hoc epitheto antonomasiæ instar notabuntur.

Icones. Pierius Valerianus in Hieroglyphicis libro vigesimo nono, phocæ imagine somniculosum, & infortunij magni tutelam, & vrinatorem denotat. De profundo enim phocæ somno diuturnáque veternositate (inquit) multa passim memoriæ prodita reperiuntur: quo scilicet pacto sternunt se somno diuerso in litore phocæ. Porrò etiam hominem ita res suas procurantem, & aduersus pericula auxilia disponentem, vt à quocunque vel maximo infortunio tutus habeatur, significare qui volunt, eum phocæ corium indutum pingunt. Vitulum siquidem mar. ex aquatilibus fulmine non ici obseruatum est: tantaq; mortalium in persuasione receptum, vt vulgò cingula ex eiusmodi corio comparentur. Veteres autem calamitates à potentioribus illatas, fulminum iactibus æquiparare soliti sunt. *Vide etiam inferiùs mox in h. circa finem ex Cælio Rhod.* Vrinatorem etiam hominem per animal huiusmodi significare mos fuit: quando in sicco genitum nullum hoc magis, vndis ex disciplina soleat assuefieri.

Propria. Phocas, Φωκᾶς, nomen (viri) proprium, Suidas. Phocam voracem signare arbitrantur, Cælius Rhodig. nominum aliquot propriorum rationes explicans. Sunt & Phocion & Phocus, Φωκίων, Φῶκος, virorum nomina. A Phoco prouerbium extat Suidæ explicatum Φώκου ἔρανος. Φωκὸς verò oxytonum (inquit idem) vas quoddam est. Nereis Phócum ex Æaco peperit, Hesiodus in Theogonia. Peleus Phócum fratrem occidit, Ouidius libro 11. Metam. Apollonius à Telamone simul & Peleo fratribus interfectum tradit. Φωκίς, nomen gentis; & aurum pessimum Varinus.

Phocis, Φωκίς, regio sub Parnasso sic dicta à Phoco viro. eius incolæ dicuntur Φωκεῖς duabus syllabis: Φωκαεῖς verò tribus syllabis, habitatores τῆς Φωκαίας Ionicæ ciuitatis, ἥτις καὶ Φώκαια λέγεται, ὡς Νίκη, Νίκαια, Eustathius in Dionysium: apud quem plura etiam reperies in Parecbolis in Homerum: & inter alia, phocæam in Asia principium esse Ioniæ, finem Æolidis, sic dictam à phocis cetis, vt citat Varinus. Phocæa vna inter duodecim Ioniæ ciuitates nominatur ab Æliano Variorum 8.5. Φώκεαν (meliùs Φώκαιαν per αι.) alíqui à Phoco duce nominarunt, alij quoniam phocam in aridum egredientem viderunt, Heraclides. Inde Phocæa vrbs minoris Phrygiæ, vt inquit Ptolemæus, Atheniensium colonia. vnde profecti sunt, qui Massiliam apud Gallos non procul à Rhodano condidêre. dicta quòd vituli marini magno numero comparuissent vrbem condentibus, Massarius. Φωκαΐα, ἡ ἐκ τῆς Φώκης. καὶ Φώκεα χώρα. Φωκεὸς autem loci nomen est, & Φώκεια ciuitas, Suidas. Apud Chelonophagos insulæ tres sunt deinceps: quarum vna testudinum, alia phocarum, alia accipitrum dicitur, Strabo.

C *Et freta dicuntur magnas expellere phocas.* Ouidius epistola 10.

Insolitæ fugiunt in (aliàs ad) *flumina phocæ,* Vergilius in Georg. in descriptione pestis.

Et stantis conuicia mandræ Eripiunt somnum Druso, vituliśq; marinis, Iuuenalis Sat. 3.

c. Phocas vtiles esse ad præstigias magicas scholiastæ referunt, ideóque etiam Proteum eis gaudere, Eustathius.

Ex Kiranide: Pellis vbicunque reposita fuerit in domo, vel in naui, vel si gestetur, non superueniet malum vllum. auertit nanq; fulmina, tempestates, pericula, fascinum, dæmones, feras, latrones, & nocturnos incursus. oportet autem habere & coralli lapidem marinum. Dexter oculus eius gestatus in corio ceruí, amabilem, fortunatum & potentem facit gestantem. Similiter & cor portatum, & coagulum, omnem difficultatem auertunt: & omne bonum conferunt. Si autem pilos narium in corio cerui ligatos portaueris, maiores & asperos dico, & in medio inimicorum ingressus fueris, omnes vt amici te salutabunt. Lingua sub calceamentis gestata victoriam præstat. Si quis autem cor phocæ, & extremitatem linguæ, & pilos naris, & vtrunq; oculum ac coagulum ligârit in pelle ceruina vel phocæ, & gestârit, vincet omnes in terra & mari, fugientque ab eo omnes infirmitates ac passiones, & infortunium graduum, omnísque dæmoniaca fera. erit enim beatus, & felix, & dilectus. Coagulum qui gestauerit, vincet omnes aduersarios suos pro arbitrio. Pili narium eius gestati cum corde eius, fortunam & gratiam magnam conciliant. Hæc nugator ille, qui plures etiam de pilis inter nares & os phocæ, déque coagulo eius nugas perscribit libro 1. Elemento vij. Cardanus de varietate rerum 3.15. è spuma phocarum electrum nasci coniicit. Fit (inquit) ex spuma Oceani Septentrionalis, allisa diu litoribus & scopulis, vt lentore suo & animalia exigua sibi implicet grato aspectu, & sordes, &c. non tamen ex simplici maris spuma gignitur, nam vbiq; gigneretur: sed è spuma cetorum. Argumento igitur est nullibi in nostro mari inueniri vllum genus horum (ambræ & succini,) quòd phocæ nullæ sint: *(quasi non è quorumuis cetorum, sed phocarum tantùm spuma gignatur:)* licet nec bitumen, nec spuma desit. & quòd, si spuma sola fieret, vel etiam bitumine, longè maior quantitas ex eo colligeretur. & quòd, vbi phocæ abundant, vel succinum vel ambra colligitur. preterea phocæ odorem castorei horrent, quòd quasi contrarium natura sit succino, ab eoq; fugantur. *Succinum è spuma phocarum.*

h. Phocas circa varios deos marinos esse fingebant, præcipuè Proteum: item Thetin, Amphitriten, & Halosydnam Nereidem, vt suprà in Epithetis diximus.

Quippe ita Neptuno visum est, immania cuius Armenta, & turpes pascit sub gurgite phocas. Vergilius de Proteo Æneidos 4. De quo etiam Homerus Odysseæ 4.

Ἀμφὶ δέ μιν φῶκαι νέποδες καλῆς Ἁλοσύδνης Ἀθρόαι εὕδουσιν, πολιῆς ἁλὸς ἐξαναδῦσαι,
Πικρὸν ἀποπνείουσαι ἁλὸς πολυβενθέος ὀδμήν.

Scholiastæ aiunt hoc animal vtile esse ad præstigias magicas, ideóque Proteum eis gaudere, Eustathius. Cum phocis versatur Proteus, quoniam marinorum animalium aptissimum hoc est ad magiam, Scholiastes innominatus.

Cephison procul hinc deflentem fata nepotis Respicit in tumidam phocen ab Apolline versi, Ouidius Metam. 7. Grammatici quem hic nepotem Cephisi intelligat poëta, incertum esse aiunt. filij autem Cephisi feruntur Narcissus, & Eteocles is qui primus sacrificasse Gratiis dicitur, vt est in Commentariis Pindari. quanquam rursus Strabo plures Cephisos enumerat libro 9. &c.

Nanq; priùs siccis phocæ nascentur in aruis. Vestitusq; freto viuet leo. dulcia mella Sudabunt taxi. Calphurnius de rebus impossibilibus.

Adagij instar vsurpari posse video, vt qui suopte præsidio aduersus potentiorum vim præmunitus præfultúsque est, dicatur hydna gestare, hoc est tubera, nec non hyænæ phocarumq; pelles, quòd hæc minimè tangantur de cœlo, Cælius Rhodiginus. *Adagia.*

DE PHOCÆNA SEV TVRSIONE BELLONIVS.

PHOCÆNAM Aristoteles, Plinius Tursionem vel Torsionem: Germanorum vulgus Marsionem, nostrum, Marsuinum: quemadmodum Polybius ὗν θαλάττιον, Thynnum vocauit, quem ait in Lusitania glandibus, quæ in eius regionis mari plurimæ sunt, vescentem, non aliter pinguescere, ac porcos quadrupedes. Porro quum nonnulli *(Plinius)* dicant, porcos marinos, pinnas venenatas in dorso gerere, de quibus intelligant, planè incertum est. Nam apud veteres Græcos satis diffusa est de fluuiatili porco mentio, quem amnis Achelous gignit, quiq; grunnitum quendam ædit, dum capitur: vnde Athenæo ποτάμιος χοῖρος vel κάπρος appellatus est, quem alij ψαμαθίδα vocauerunt, vt suo loco ostendemus. De marino autem porco nihil hactenus apud eos legisse memini. Hoc tantum apud Plinium videas, quosdam pisces porculo marino conferri posse: sed nihil inde certi colligere potes. A

Est igitur Phocæna Delphini magnitudine, breuiori tamen, sed crassiori corpore, cuius tergoris color ex cœruleo in obscurum liuet: sub ventre autem albicat, pinnasq; Delphini in morem gerit, caudam crescentis lunæ figura: caput obtusum, non ita longum, neque porcinum rostrum referens: cuius meatus auditorios admodum obscuros, vt aliquando reperias, ab oculi maiore cantho sex digitorum interuallo caudam versus accuratè disquirere, illúcque gracilem culmum inserere oportebit. Cætera tam externa, quàm interna vtriusq; huius piscis sexus, & quantum inter se discrepent, atq; ad porcinas partes accedant, in Delphino reperies. B

DE PHOCÆNA, RONDELETIVS.

PHOCÆNAM delphini speciem esse indicat Aristoteles: Τίκτει δὲ ὁ μὲν δελφὶς, τὰ μὲν πολλὰ ἕν, ἐνίοτε δὲ καὶ δύο. ἡ δὲ φάλαινα ἢ δύο τὰ πλεῖστα καὶ πλεονάκις, ἢ ἕν. ὁμοίως δὲ τῷ δελφῖνι, καὶ ἡ φώκαινα. καὶ γάρ ἐστιν ὅμοιον δελφῖνι μικρῷ. γίνεται δ' ἐν Πόντῳ. διαφέρει δὲ φώκαινα δελφῖνος. ἔστι γὰρ τὸ μέγεθος ἔλαττον, εὐρύτερον δὲ ἐκ τῶν νώτων: τὸ χρῶμα κυανοῦν. πολλοὶ δὲ δελφίνων τι γένος εἶναί φασι φώκαιναν. Delphini singulos magna ex parte edunt, interdum tamen & binos. Balænæ vel binos complurimùm magnaq; ex parte, vel singulos procreant. Idem & phocænæ partus: quæ delphino similis est nascens in Ponto. sed interest, quòd phocæna minor est, dorso ampliore, colore cœruleo, plures etiam genus delphini esse opinantur. Alio in loco phocænæ meminit, eamq; in Ponto nasci scribit, quanquam vulgares nostri codices mendosi sint. sic enim habent: Ἔξω γὰρ φαλαίνης καὶ δελφῖνος οὐδέν ἐστιν ἐν τῷ Πόντῳ, καὶ ὁ δελφὶς μικρός: legendum enim φωκαίνης non φαλαίνης, vt ex priùs citato Aristotelis loco perspicuum est, & ex Gazæ conuersione: qui phocænam, tursionem interpretari solet Iam verò eodem in loco non φωκαίνας sed φώκης legendum esse alibi annotauimus ex Plinio, qui Aristotelis locum ita transtulit. In Pontum nulla intrat bestia piscibus malefica, præter vitulos & paruos delphinos. Verisimile non est Plinium φωκαίνας vitulos appellasse, cum φώκας vitulos marinos esse nosset: neq; delphinos paruos pro phocænis accepisse, quanuis dixerit Aristoteles phocænam delphini speciem esse, sed minorem: nam in ponto paruos duntaxat delphinos esse, vbi verò aliquantum processeris magnos haberi affirmat Aristoteles, Ad quod respiciens Plinius in Ponto nullam bestiam esse dixit præter vitulos & paruos delphinos. Cùm verò in Ponto etiam hodiè vitulos marinos esse certissimum sit, vel lectionem Aristotelis immutandam esse non immeritò quis existimauerit, vel in ea re Plinium ab Aristotele dissensisse.

Lib. 6. de hist. cap. 12.

Aristotelis lib. 8. de hist. cap. 13. locus emendatus.

Tursio.

DE TVRSIONE, RONDELETIVS.

Phocænam quidem eandem esse tursioni probabile est, quòd vtrunq; animal delphino comparetur, & Plinius sic transtuliſſe videatur.



QVAM Aristoteles φώκαιναν, Gaza Latinè turſionem ſiue tyrſionem vocat, quem mouere potuit (vt rectè cenſet Hermolaus) quòd Plinius dixit, delphinorum ſimilitudinem habere, qui vocantur turſiones. *Lib 9. cap. 9.* Aristoteles verò phocænam delphino paruo ſimilem eſſe ſcribit. Sed ea nota ſatis mihi eſſe non videtur: *Ibidem cap. 15.* ſunt enim & alia delphinis ſimilia, vt plataniſta. Plinius: In Gange Indiæ plataniſtas vocant, roſtro delphini & cauda, magnitudine autem quinque cubitorum. Multò maiore ratione is quem proponimus turſio, *(quam phocæna)* dicetur, quem marſuinum, id eſt, maris ſuem Galli vocant à corporis craſſitudine, *(obeſitate:)* delphino enim ſimilis eſt, ſed differt triſtitia aſpectus: id eſt, triſti corporis habitu geſtúque eſt, & abeſt laſciuia illa: maximè verò roſtrum canicularum roſtris ſimile habet, vt in galeis videre eſt.

Sturio non eſt turſio. Fuerunt qui ſturionem noſtrum turſionem eſſe dixerunt, nominis ſimilitudine, vt arbitror, impulſi. transpoſita enim ex medio in principium litera S. ex turſione ſturionem efficies. cuius opinionis autorem ferunt eſſe Gazam: quod veriſimile non eſt, nam phocænam Ariſtotelis turſionem non conuertiſſet, cùm phocæna & lac habeat, & catulos delphinorum modo pariat: ſturionem verò oua parere non ignorauerit.

COROLLARIVM.

PHOCÆNA binos magna ex parte, vel ſingulos procreat, Ariſtot. Nomen eià phoca factum coniecerim, quòd ſimiliter vt illa præpinguis ſit, lardóque abundet. Vide ſuprà in Phocæ Corollario H.a. In Ponto nulla eſt fera præter phocænam & delphinum, Ariſtoteles: quo in loco Gaza quoque phocænam legit, vertit enim turſionem. Plinius autem & Ælianus phocam. Ego & phocas & phocænas piſcibus maleficas eſſe puto. Vide etiam ſuprà in Delphino B. circa initium. pag. 220. item in Phoca B. Legendum omnino in Plinio, inquit Maſſarius, præter vitulos (id eſt phocas) non phocænas. nam ſi legeretur phocænas, falſiſſimè quique mentirus, cum phocæna non intret Pontum, ſed naſcatur in Ponto, ex Ariſtotele ſexto de hiſtoria, vbi ait: idem & phocænæ, id eſt, turſioni partus, qui delphino ſimilis eſt, naſcens in Ponto. At Plinius, non ineſt, ſed nulla intrat beſtia malefica in Pontum dixit. Ariſtoteles verò qui non intrare, ſed nihil in Ponto maleficum eſſe dixit, quando Phocæna legi etiam deberet, ſecundum veritatem & ipſe locutus fuiſſet. Item per paruos delphinos, veros delphinos paruos Plinius intellexit, non phocænas vt Hermolaus ambigere videtur. Nam ſequitur ibidem in Ariſtotele, vnde hæc Plinius mutuatur: nec delphinus huc magnus eſt, quanquam extra vbi aliquantum proceſſeris, magni habeantur. Huc vſque Maſſarius. Epheſius locum Ariſtotelis hiſtoriæ 8. 13. enarrans, (ſi rectè citat Auguſt. Niphus,) philoſophi verba de piſcibus Pontum intrantibus & exeuntibus, non probè ad delphinos & phocænas refert. Delphinorum ſimilitudinem habent qui vocantur turſiones. diſtant & triſtitia quidem aſpectus: abeſt enim illa laſciuia: maximè tamen roſtris, canicularum maleficentiæ (aliàs maleficentia) aſſimilati, Plinius. cuius verba ita accipiunt Iouius & Rondeletius, ac ſi roſtrum turſionis, caniculæ roſtro ſimile eſſe diciſſet: ego verò vt reiptà longè alia phocænæ, alia caniculæ roſtri ſpecies eſt, ita Plinium quoque aliud diciſſe animaduerto. phocænam ille delphino aliàs ſimilem, diſtare ab eo inquit primùm triſtitia aſpectus, deinde ſpecie roſtri. Plinij verba Græcè ita protulerim: Αἱ φώκαιναι τοῖς δελφῖσι τἆλλα ὅμοιαι, διαφέρουσι μὲν τῇ τῆς ὄψεως αὐθηρότητι, μᾶλλον δὲ τοῖς ῥύγχεσι. quòd ſi poſt roſtris diſtinguas, clarus erit ſenſus: & non quidem roſtris ſed maleficentia tantùm caniculis eas comparari apparebit. Φῶκα, cetus eſt marinus, delphini ſimilis, Heſychius. Galli Germaníque non aliud ferè phocænæ nomen, quàm delphino attribuunt. Vide ſuprà in Corollario Delphini A. pagina 327. E Medulis & Baonenſi prætura vænum huc aliquando afferuntur delphini: Marſupas minores vocant. alios marſuinos, quaſi marinos ſues. Duo genera: alteri roſtrum porrectius: alterum minus, ſimum: quos turſiones Plinij, phocænas Ariſtotelis arbitramur, Iulius Cæſar Scaliger. In Oceano circa Roſtochium Germaniæ ciuitatem Meerſchwyn appellant animal, quod multi delphinum eſſe putant, ſed roſtro eſt reſimo, vt Salmo fœmina: ego Delphinum eſſe non dubito.

Phocæna.

De vocabulis tirſio, quo vſus eſt Gaza: item turſio, torſio, thurio thurſio, (θυρσίων, apud Athenæum) tomus thurianus: lege ſuprà in Corollario de Gladio A. pag. 381. Non probo quòd quidam etiam torſyo ſcribit, & tirſyo: denique mirſyo quoque, vt ad Gallicum Marſouin deflectat: tanquam vel Latini à Gallis, vel Galli à Latinis detorſerint. Gallicum certè Marſouin à Germanis ſumptum eſt, qui Meerſchwyn id eſt maris ſuem, appellant. Iouius in libro de piſcibus capite 4. poſtquam Longolij Galli, ſturionem vulgò dictum eſſe torſionem Plinij, ſententiam cum ſuis argumentis expoſuiſſet: mox eandem refellit: neq; Gazam torſionis nomine ſturionem accepiſſe, neq; ſturionem eſſe Ariſtotelis phocænam indicat: torſionem verò Plinij & Ariſtotelis phocænam, eundem eſſe piſcem. Epheſius vir doctiſſimus, phocænam interpretatur paruum delphinum, Niphus.

B Bellonius in libro Gallico de piſcibus, ſobolem phocænæ deſcribit libro 2. cap. 11. Phocæna (inquit idem) circa Oceanum Gallicum frequentiùs capitur quàm delphinus: communi tamen cum eo nomine Marſouin dicitur: quamuis id nomen phocænæ magis conueniat, (vtpote pinguiori. Delphino quidem roſtrum longius eſſe & porcino ſimile author eſt Rondeletius.) Naſum (Roſtrum) tam ſimum habet, vt cum capite fermè rotundetur. Pinna dorſi, quæ vnica eſt, binæ ad latera, & cauda, colore nigricant, ſicut & in delphino. in ſumma, ſuperficies eius tota cum delphino conuenit. Quæcunque etiam de delphini vtroque ſexu ſcripta ſunt, phocænæ ſimiliter & orcæ conueniunt. quòd niſi phocæna roſtrum breuius haberet, delphino *(vndiquaque)* ferè ſimilis eſſet. Lutetiam in forum ſubinde aſferuntur, præſertim Veneris diebus, phocænæ: delphini rariùs. nam vix quintus quisque delphinus eſt, vt quadrupla ſit præ ipſis phocænarum copia. Sunt autem frequentiores vêre, deinde hyeme, tertio autumno, rariores æſtate. Delphino & phocænæ quæ eadem, quæ diuerſa ſint, idem Bellonius in Delphino recenſuit: vbi matricis etiam efformationem vtrique communem exhibuit. Diepæ in Neuſtria (inquit Cardanus in Variis) turſiones multos conſpeximus: & vnum nuper captum in ſancto Valerino, qui mille libras ſuperabat. Erat autem adeò pinguis, vt teres videretur: capite & oculis quaſi ſuillis. in medio erat fiſtula: per quam, dum in mari eſſet, effundere ſolebat aquam. erat autem digiti magnitudine. Dentes obtuſi, & humanis molaribus ſimiles. Mingebat: ore diducto reſpirabat, & ſuſpirabat. Lachrymabatur, profluentibus ex oculis guttulis. diuq; ſuperuixit, quamuis ſanguis è vulnere, non ſecus ac vinum è ſiphunculo flueret. Pinnas habebat ſolidas ac nigras.

Caro turſionis & delphini in eo differunt: quòd delphini melior delicatiórq; habetur, vtpote minùs pinguis, Bellonius. F

PHOENIX hygros vocatur piſcis, quem in mari rubro naſci ferunt. is nigris lineis, quas cæruleæ variant maculæ, (σαγόνες,) diſtinguitur, Ælianus de animalibus 12. 24. Vocatur autem ὑγρὸς, id eſt, humidus vel aquaticus phœnix, quòd piſcis cùm ſit, ſimiliter vt eiusdem nominis auis, colorum varietate pulchrè diſtinguitur. A Volaterrano non rectè vno vocabulo hygrophœnix dicitur, & cum eiusdem maris piſce lacerto confunditur.

DE PHOLADE CONCHA, RONDELETIVS.



RERVM ſimilitudo facit, vt poſt Mytulos *(nos eum ordinem ſecuti non ſimus)* de Conchis iis dicamus, quas hodiè in quibusdam Italiæ litoribus balanos vocant. Sed quale ſit id genus primùm deſcribamus. A

Ita in ſaxis latet, vt ſaxo vndique contegatur, per foramen duntaxat exiguum & ſenſui vix patens aqua nutritur. C

Teſtis conſtat duabus, longis, non in latum extenſis Mytulorum modo, ſed rotundis, *(teretibus.)* Intus eadem ferè eſt caro quæ in Mytulis. B

In ſaxis adeò duris naſcitur, vt non niſi ferreo malleo diffracto ſaxo diſtrahatur. Sunt qui putent in ſaxis aquæ ſalſæ vi excauatis prouenire, alij in luto in ſaxorum cauernulis acetuato. Ego crediderim in ſaxorum cauernulis vel vi vel natura factis, aquæ marinæ appulſu procreari atque in Concham verti, quæ cauitatis ſiue foraminis figuram ſeruat. C

Vidi huiusmodi Conchas in portu Veneris. Miſſum eſt ad me alio ex litore ſaxum, cuius partem hîc expreſſi, in quo nullæ rimæ, nullæ cauernæ, ſed foramina tantùm apparebant tam exigua vt vix acum admitterent. Eo igitur ictibus multis confracto, cauitates internæ multæ erant, vario ſitu & diuerſæ magnitudinis: in quibus Conchas iſtas reperi, quas cum ſaxo depictas exhibeo. Quarum figuram diutius contemplatus, antiquorum Balanos non eſſe iudico, ſed φωλάδας, de quibus hæc Athenæus libro tertio: Αἱ δὲ φωλάδες πολυτροφώτεραι, βρωμώδεις δέ. Pholades multùm alunt, ſed virus olent. Et: Αἱ δὲ φωλάδες εὐσταμοι: βρωμώδεις δὲ καὶ κακόχυλοι, ex Diphilo. Pholades palato ſuaues ſunt, ſed virus reſipiunt, & mali ſunt ſucci. (F) Primùm huic ſententiæ meæ aptiſſimè quadrat nominis ratio. nam vt φωλάδες dicuntur feræ quæ in luſtris degunt, ἀπὸ τοῦ φωλεύειν, quod latêre ſignificat: ita nihil in marinis rebus reperias, quod penitus in ſaxo lateat, ſicuti Conchæ quas proponimus. Deinde notæ Athenæi his propriæ ſunt. nam virus olent, & mali ſucci ſunt. Harum nullus, quod ſciam, meminit præter Athenæum. A *Pholades potiùs eſſe, quæ hîc exhibet, quàm Balanos: de quibus ſuprà in B. elemento.*

COROLLARIVM.

PHOLADES Bellonius patellis congenêres eſſe putat. Φωλαῖδες, ὀστράκινά τινα βρωμώδη, Heſychius & Varinus. Conchula varia quædam reperitur frequens haud procul à Narbone, tota luto obſita: vocatúrque

túrque illis Pholado, quasi φωλάδα dicas, à verbo φωλεύειν, (pro quo etiam φωλεῖν & φωλάζειν dicitur,) quod latêre, vel in latibulis degere significat. nam conchæ istæ in luto latentes degunt, sæpiùs ad pedem vnum depressæ, &c. Rondeletius: ex quo & plura de hoc genere concharum leges, & iconem videbis, suprà in Conchis diuersis, pag. 267. Nos generis huius conchas quæ in saxis latent, Steinmuscheln Germanicè nominabimus: quæ verò in luto, Mürmuscheln. Φωλεῖν & φωλεύειν dicuntur, Eustathio teste, aues, reptilia, vrsæ, & aliæ animantes, cùm in terra, saxis, aliísve latibulis conditæ ad aliquod tempus latitant, frigoris aut æstus vitandi gratia: vnde etiam vrsæ Græcis φωλάδες cognominantur. Pisces ita latitantes in Rheno
B Lägerfisch appellant: quibus opponunt, Weydtfisch dicti: id est, nomades, vel pascales. Ad verbum φωλεῖν accedit Germanicum fulen: quod tamen simpliciter pigrari, & ful pigrum significat. Φωλεοὶ, τὰ παιδαλήθεια. καλὰ γλῶσσαν, ὁμωνύμως τοῖς τῶν ὀρνίθων φωλεοῖς, Eustathius. Eiusdem significationis est vocabulum φωλιλήθεια, Hesychio: sic ædificia publica dicebantur, in quæ conueniebant vel disciplinæ, vel exercitij alicuius vel festiuitatis gratia: διδασκαλεῖα, id est, scholas publicas, &c. Germanorum etiam zetas, quas multi hypocausta nominant, tum publicas, propter congregationem: tum priuatas, quòd in eis hyemare ac delitescere soleant, φωλεοὺς & φωλιλήθεια rectè nominabimus. Φωλητὴς est piger & deses, semper in eodem loco desidens, ὁ φωλεύων καὶ οἰκουρῶν, Hesychio. Pholidi etiam pisci, de quo proximè dicetur, ἀπὸ τοῦ φωλεῖν nomen impositum videtur. Aristoteles frequenter verbis tum φωλεῖν, tum φωλεύειν vtitur.

DE PHOLIDE, RONDELETIVS.



A SVPERIORIBVS *(De alaudis & scorpioide proximè scripserat)* & maximè alaudæ similis est piscis qui Antipoli à muco bauosa dicitur.

B Paulò maior est alaudâ: dorso fusco, ventre pallido, cute læui & sine squamis, sed maculosa: pinnis aliisq; partibus à superioribus non dissidens.

A B Hanc piscem esse existimamus qui ab Aristotele pholis dicitur libro nono de histor. animal. cap. 37. Quæ autem pholis appellatur, mucum, quem ipsa emittit, sibi obducit, ita vt in eo quasi cubili quiescat. Sic piscis ille quem exhibemus perpetuò totus muco obductus est, vnde bauosa cognominatur: nam ba-
(F) ue lingua nostra & Prouincialium mucum significat. Mollissima est carne & glutinosa. Squamarum loco prouida rerum natura muco inuoluit: veluti multos alios non squamosos lubricos efficit, vt lubricitas natationem adiuuet.

COROLLARIVM.

ΦΩΑΙΣ piscis quidam, Hesychius & Varinus. apud quos alibi etiam φωλὶς pro pisce scribitur, perperam, vt coniicio. apparet enim factum huic pisci nomen ἀπὸ τοῦ φωλεῖν, quòd intra suum mucum veluti pholeum quendam, id est, latibulum se contineat: quod & Aristoteles insinuat: πλὴν ὅ γε καλυμένου φωλίδα, ἡ μίξα τῷ ἀφίησι, πρεσιν κάθηται περὶ αὐτὸ, καὶ γίνεται καθάπερ ξυλάμια. Sunt autem synonyma ξυλάμια & φωλεός. περισκάθησθαι verbum significat vndequaque adhærescere, emplastri aut resinæ instar. Rauisius pholidem è rhomborum genere sine authore facit. Dubitat Wottonus an pholis idem piscis, aut eiusdem generis sit cum myxone, cui à muco factum nomen. sed myxonem mugilum generis esse constat, & inde nominatum quòd muco suo vescatur, non quòd in eo se condat. Ego pisces cognatos iudico pholidem Rondeletij, alaudas eiusdem, & scorpioidem, ac blennum Bellonij: item mustelæ marinæ speciem, quam Veneti galettam nominant: & gutturosulam ab iisdem vocatam, quam suprà coniunximus Alaudis. Germanicè pholidem nominabimus ein Schleymfisch: vel circunloquemur, ein Meerfischen art. Pierius in Hieroglyphicis de pisce quem hodie tincam (vt & Ausonius) nominant, an pholis sit, dubitat. nos ab eo separamus. Hominem (inquit ille) iis quæ sudore proprio compârarit fruentem, indicaturi, pholim *(melùs pholidem)* piscem pingebant. Ea enim mucorem, quem ipsa emittit, ad altam crassitiem sibi obducit, vt tota visco delibuta videatur, ita vt in eo quasi cubili conquiescat: vnde illi nomen. φωλεύειν enim nidificare est. Cæterùm φωλὶς per ε. breue in prima, squama est seu cortex, vt in serpentium pelle: & instrumentum Musicum, σύριγξ πολυκάλαμος, Hesychio,

PHORCVS à Plinio libro 32. cap. vltimo in catalogo aquatilium nominatur, tanquam piscis quidam. Fieri autem potest, vt Phorcum deum marinum inter animalia maris numerârit, aut etiam piscem esse existimârit: sicut & Tritones & Nereides tum deos maris faciunt, tum eiusdem nominis animalia inueniri aiunt. Fingitur autem Phorcus Latinè dictus, Græcè Phorcyn, vel Phorcys, Φόρκυς, Φόρκυος, filius Neptuni & Thoosæ nymphæ, &c. *Tritoneaq; citi, Phorcique exercitus omnis.* Vergilius. Cetò Oceani filia, Phorcyi peperit filias Græas dictas, à natiuitate canas, Hesiodus in Theogonia. In maxima dignatione operum è marmore Scopæ artificis erant, Nereides supra delphinos & cete & hippocampos sedentes: item Tritones, chorúsque Phorci, &c. vt Plinius tradit. Aut fortè pro Phorco legendum est Porcus apud Plinium. Porci enim pisces marini alibi meminit: nosq; porcos aut sues appellatos pisces diuersos ostendemus infrà in Porco.

DE PHO-

DE PHOXINO, QVI VVLGO VERONVS *(quasi varius,) dicitur, Bellonius.*



PISCICVLVM inter cæteros magis varium Galli Veronum vocant, Angli Mento / Romani Morelle, A Florentia à maculosa cute Pardellum, Mediolanenses Esbrefon, alibi Insubres Sanguinerol, cuiusmodi ad oras *(ripas)* Sesiæ, Seruæ & Lenæ reperiuntur. Hunc etiam vulgò Freguereul & Fregueu vocare solent. Crediderim autem Fregaroli nomen huic inditum esse, quòd ferè semper ouis prægnans sit: atque ob id Phoxinum Aristotelis esse autumo, qui statim ferè, vbi natus est, ouis refertus esse vel absque coitu deprehenditur.

Squamis caret: atque albus esset, nisi punctis nigris & tenuissimis lituris sugillaretur: ex quo eum Ro- B mæ Morellum vocant. Pinnæ laterum multùm ad ventrem tendunt: quarum radices quæ corpus pertingunt, rubro sunt colore suffusæ, inde Sanguinaria dicta. Nigricat quoque in tergoribus per interualla. Linea quæ latera vtrinque secat arcuata quidem est, sed non tantum quantum Borsolis, *(Ferrarienses Epelanum, Sequanæ Borbolum vocant.)* Albicat sub ventre.

DE PHOXINIS, RONDELETIVS.

Omnino inuersæ sunt figuræ, ita vt superior inferior esse debeat. nam figuram Rosæ piscis subiungi ait, quæ maior sit, & minus lata.



PHOXINVS dicitur Græcè & Latinè piscículus, cuius Aristoteles solus bis meminit his verbis, ex Gazæ conuersione: Pars piscium maxima consumatur mare & fœmina. De Rubellione & Hiatula ambigitur. omnes enim grauidæ capiuntur. Consistunt ergo oua per coitum, in iis qui venerem norunt. Sed non coitu tantùm, verùm etiam sine coitu: quod argumento constat nonnullorum fluuiatilium. nam Phoxini statim (prope dixerim) ac nati sunt, & admodum parui, oua habent. Et paulò pòst: Reliqui semel anno oua edunt in stagnis fluuiorum & arundinetis lacuum, (quæ καλαμῶνας vocant,) vt Phoxini & Percæ. Nulla alia est à veteribus nota tradita, ex qua certi aliquid de Phoxino statuere possimus. quæ verò ab Aristotele ponitur Phoxino cum multis aliis communis est, quos quantumuis paruos capias, semper ouis plenos reperias. Sed ei vni ex omnibus hæc maximè conuenire videtur, quem sæpè in Picardia vidi obseruauíque. Illic vocatur Roscre. dimidiati pedis longitudinem nunquam superat. corpore est lato & compresso, oculis magnis pro corporis ratione. Bramis minimis corporis specie simillimus est, colore est luteo. Quamlibet parui capiantur semper ouis grauidi sunt, adeò vt periti piscatores cum ouis nasci affirment. Huic qui subiungitur & nomine & figura non multùm absimilis est, Rosæ vocatur à rubore caudæ, reliquo corpore cæruleo est, paulò maior, minùs lato corpore. ouis semper plenus est, etiam minimus.

Lib. 6 de hist. cap. 13.

Cap. 14.

Roscre.

Rosæ.

DE PISCICVLO VARIO, (EX PHOXINORVM *genere,) Rondeletius.*



ISTE piscículus ex Phoxinorum genere videtur esse. parit enim circa litora fluuiorum & riuorum, ac quantumuis paruus capiatur, ouis plenus reperitur. Tam variis coloribus *(nominibus)* nominatur quàm variis coloribus depictus est. Veron Galli vocant, quasi varium. eandem ob causam Pardilla ab Italis, ab aliis Sanguinerol à rubore, à Romanis Morella à nigrore dicitur. Græci quidam ab oculorum colore ἐρυθρόφθαλμον. A (C)

Dorsum aurei splendoris est, venter argentei, latera purpurascunt. Cauda in pinnam auream & la- B tiusculam deficit. Pinnas in dorso & in ventre totidem habet, quot reliqui iam descripti. Fellis multum habet, quare non nisi euisceratus coquendus. Cephalum fluuiatilem corporis figura imitatur. Cute læui integitur punctis notata. F

Carne est molli & satis suaui.

COROLLARIVM DE PHOXINIS DIVERSIS.

Iconem hanc pro Pardilla Italorum, Pfell vel Pfrill Germanorum, amicus quidam ad nos misit. videtur autem & maior quàm par sit, & parum accuratè facta.



PHOXINVS, φόξινος, piscis qui statim natus oua habet: parit autem in stagnis (ἐν ταῖς στοιλίμναις melius στοιλιμνάσι) fluuiorum, vt refert Aristoteles, Varinus. Probo autem proparoxytonum scribi, potiùs quàm oxytonum, vt vno in loco apud Aristotelem: vel penanstexum, vt alibi apud eundem, vitiatis vel vtrobique vel alterutro loco codicibus: nisi quis, vt ab ἐφυθρὸς fit ἐφυθρῖνος, sic à φοξὸς fieri putet φοξῖνος, tanquam à capite acuminato hic piscis sit nominatus. Phoxini, rusticè Coccini, qui cùm sint fluuiatiles, non sunt grandis magnitudinis, Niphus Italus. Epelanum fluuiatilem Rothomagenses Ouellam nominant, ab eo quòd ouis semper prægnans sit, Bellonius. Nos eum piscem ex Bellonio descripsimus suprà, Elemento E. Cardanus scribit Aristotelem phoxinos omnes fœminas tantum facere, sicut & rubellionem & hiatulam. At si diligenter Aristotelis verba à Rondeletio citata consideres, non hoc dicit. sed cùm rubelliones & hiatulas omnes grauidas capi dixisset: mox à nouo principio subiicit, oua in quibusdam piscium etiam sine coitu consistere, quoniam phoxini statim nati oua habeant. non dicit autem omnes, sicut de rubellionibus & hiatulis. Quòd si Phoxini, minimi isti pisciculi sunt, quos Galli Veronos nominant: nil mirum si propter paruitatem mediocres etiam ex eis nuper nati videantur. verùm nec ipse Aristoteles simpliciter nuper natos, sed verbis, ὡς ἐπὶτὰν, id est propè dixerim, additis, grauidos capi tradit. Verisimile est autem tantillos pisciculos, sicut & mures inter quadrupedes, breui tempore perfici & generare posse. Sed his de rebus non tam vt Aristoteli aut Cardano contradicerem, quàm vt ad diligentiorem veritatis indagationem incitarem alios, controuersiam mouere volui.

Phoxinorum alius læuis, alius squamosus.

E paruis piscibus, qui circa lacum aut fluuiorum oras aquis stagnantibus capiuntur reticulis, nec vnquam ferè digiti longitudinem seu palmum excedunt, alij squamis carent, (de quibus præcipuè Bellonius & Rondeletius sentiunt, cum Gallicè Veronos, Latinè Varios nominant,) alij squamosi sunt. Pinnas alioqui numero situq; similiter habent: vtrique amarusculi, & minimi etiam ouis plerunque pleni sunt. quamobrem & nomina eorum confundi video, non solum apud nostros Germanos, sed aliis etiam in linguis. Varij quidem sui pinnas, quod ad situm, aliter in sua icone Rondeletius, aliter Bellonius disposuit: cum de eodem pisce, iisdemq; nominibus loquantur, nempe phoxino læui, id est squamis carente. Et forsan in diuersis regionibus pisciculi isti vel aliter, vel specie tota variant. Pro sexus quidem differentia colores in eis differre obseruaui.

Nomina Italica phoxini læuis.

Phoxinus læuis, & minimus phoxinorum pardellus Italis (Florentinis maximè) vocatur à colore, (vel potius punctorum varietate,) Cardano teste. nam & pardalis quadrupes maculosa est, & eiusdem nominis cetus, &c. Ab aliis Morella, à nigro macularum colore, Æthiopes enim homines nigros, vulgo Mauros vocamus. Romæ quidam (inquit Bellonius) pisciculorum minutorum nullum habent discrimen, omnesque promiscuè Morellas nominant. Aliis Fregarolus, vt scribit Cardanus: nimirum quòd frigi pisciculi isti oleo vel butyro soleant. Diuersus & maior pisciculus est, ipse etiam varius & maculosus, quem Placentini Varon, Mediolanenses Vairon (circa Verbanum lacum Bayron,) appellant, (*nostri* Greßling.) Etenim quem nos Gallicè Veron vocamus, illi Esbreson, Hetrusci Ionctium appellant, Bellonius in Gobio fl. Ionctij nomen à iuncis deriuatum coniicio: quòd inter iunceta & arundineta versetur. Matthiolus Senensis gobium capitatum in Hetruria Ghiozzo vocari scribit. Rondeletius Varium suum à Græcis quibusdam

Erythrophthalmia.

ἐρυθροφθαλμον appellari scribit veteribus ne an nouis scriptoribus, aut hominum vulgo, in dubio relinquens. Ego hoc nomen nusquam legi, nisi in Caroli Figuli ichthyologia: qui id ad Germanicum eiusdem significationis nomen (Rotengle) confinxit. Vide suprà in Erythrophthalmo, pag. 368. Galli Veronum suum digiti (palmi minoris) longitudine faciunt: amarum ferè, præterquam Maio. reticulo capi. Quærendum an piscículus ille, qui Locho France Gallicè à Bellonio vocatur, commune aliquid cum phoxino læui habeat. nam & ipse paruulus describitur, læuis, maculosus. Vide in Gobiis fluuiatilibus. Verones pisciculi Augusto, Septembri & octobri nusquam aut rarò apparent, Bellonius in Bubulca.

Squamosi.

Quòd ad squamosos duos Rondeletij phoxinos attinet, certi nihil habeo, suspicor tamen minorem, quem Rosiere in Picardia vocari scribit, colore luteo, &c. phoxinum squamosum illum esse, quem Bambelam nostri appellant: quanquam alicubi idem nomen etiam læui attribuant. Etsi autem Bambela nostra quam inferiùs describam scorsim, lutea apud nos forte non sit, reliqua tamen species naturáque conuenit: & circa Augustam Vindelicorum luteola capitur. Maior quem Rose nominat, incognitus mihi est: nisi forte sit piscis ille quem idem Rondeletius inter lacustres Lemano lacui proprios (vt ipse putabat) Vangeron appellauit. huic enim cauda & ventris pinnæ rubent: & in Normannia (vt accepi) Rosse vocatur. neque enim in lacubus tantùm capitur, sed etiam fluuiis, præsertim tardioribus: in quibus fortè non eandem magnitudinem quam in lacubus attingit: & fieri potest vt Rondeletius minùs adultum viderit. Quòd si piscis idem est, (vt suspicor, & amplius in historia eius probabo infrà in R. Rutili fluuiatilis nomine,) figura quoq; non satis probè à Rondeletio expressa est. sed hæc ad suum locum differantur.

Bambela.

Germanica nomina.

Germanica phoxinorum nomina quoniam multa sunt, literarum ordine digesta enumerabo: & quæ de singulis accepi adscribam.

Bambele nostri phoxinum squamosum vocant, Rhæti verò circa Velcuriam, læuem. Aliqui Bammele/ & Pampele/ scribunt ac proferunt. Læues apud nos non passim, sed in Glatto fluuio reperiuntur, & composito nomine à riuo cognominantur Bachbambele/ vel Bützle.

Brechsling. Vide mox in Milling.

Butt/

Butt/ Bott/ Baut/ circa lacum Acronium vsitata sunt nomina, pro phoxino læui. item Bintzbautt/ à iuncis circa quos pascitur. Hunc piscículum aiunt è riuis in lacum venire. minorem esse fundulo, id est Cobitide fl. barbatula, eâdem ferè longitudine: squamis carere, varium esse, ventre albo: à Decembri vsq; post pascha laudari. postea párere, coqui vt gobios fl. capitatos.

Elderitz/ Elritz/ Eldritz/ apud saxones & Misenos vocatur piscículus, qui alibi Pfell/ vt Eberus & Peucerus docent. eum audio è riuis in flumina maiora intrare, & singulis mensibus párere. Atqui phoxini Aristotelis semel anno páriunt.

Erling. Quære Milling.

Hägener Vide Milling.

Harlüchle Tiguri apud nos vocantur iidem piscículi. sunt enim lubrici, absque squamis: similes fundulis, sed sine barbulis: minimi digiti longitudine, dorso fusco, ad solem aliquid in eis viret. pinnas totidem, quot bambelæ nostræ habent, & similiter digestas. Mas dorso & lateribus nigrior est quàm fœmina, & pinnis in ventre paulò plus rubet. Nomen nescio vnde factum sit, nisi fortè partim à Gallico Locha, quod est fundulus. vel à Saxonico Elritz/ literis transpositis, & forma diminutiua facta.

Krämer. Vide mox in Milling.

Milling vel Mülling Argentinæ dicuntur pisciculi, alibi Orlen, vel Erling potiùs, ab alnis puto. in Kinzertala regione Hägener: vbi etiam minimi huius generis Brechsling vocantur. duos aut quatuor ad summum ferè digitos transuersos longi. Amari sunt, præsertim Maio. Fœminæ ex eis nigriores, mares nonnihil rubent. in cœno versantur ac pascuntur. fiscis quibusdam & nassis exiguis capiuntur, præsertim cum fundulis dictis. In cibo viles sunt. Martio & Aprili mensibus præferantur. Interiocosas piscium nomenclaturas, nescio qua ratione mercatores appellantur. Ein Mülling ist ein Krämer: &, si bene memini, hoc nomen etiam simpliciter ei nonnusquam attribuitur. His scriptis piscículum ipsum aridum accepi, colore fuscum, squamis nullis, vel tantillis vt vix radenti appareant: ventre coloris ruffi seu croceiad caudam vsq;, &c. Eosdem alibi pfrillos dici aiunt.

Pfrill nomen Bauaris in vsu est, factum fortassis ab Italico Pardilla, per syncopen: & f. litera cum p. assumpta (vt solemus in multis, pauo, Pfaw: palus, pfal: papa, pfaff: patina, pfann/ &c.) aliqui, ni fallor, sine f. proferunt Prill. Sueui Pfell/ Pfäl quod aliqui sic dictum putant, quasi pauellum, à pauone diminutiuum, propter colorum varietatem. ego à Pfrill potiùs deduxerim, r. litera euphoniæ causa omissa. Sunt qui etiam Græcè βλέννον nominare audeant, non alia quàm literarum similitudinis ratione. quod mihi minimè probatur, præsertim cùm ea vox hirudinem significet Græcis, qua cum piscículus neq; specie neq; natura commune quicquam habet. Hos pisciculos Aprili mense párere aiunt: amaros esse, sed salubres: ouis abundare: squamis carere. specie ac magnitudine fundulos referre, exceptis barbulis. circa ventrem (pinnulis nimirum) rubere: aliqua ex parte etiam flauescere. Memini eos in Sueuia edere Iulio mense, ouis plenos in riuo captos. Balthasar Stendelius, qui de cibariorum apparatu Germanicè scripsit, pfrillos mediocriter salsos, aceto tempestiuè affuso, non multùm elixari iubet. & iam elixis quoque parum aceti bullientis in disco (super quo apponendi sunt mensæ) affundit, Zinziber tritum aspergit, & butyri bullientis modicum superinfundit. Aliter: Pfrillorum quos mediocriter salieris sextarius cum sextario vini elixetur: sed oportet vinum priùs bullire cum butyro (dulci) quantum est oui dimidium: bullienti pisces immitti, nec diu coqui. aliqui etiam pollinem aromaticum croceum bullientibus aspergunt. Placent & funduli similiter elixi. Circa Augustam Vindelicorum læues ac minores phoxinos, quos alij simpliciter Pfrillen/ à Lyco fluuio, Lechpfrillen appellant: maiores verò & squamosos, ab alio flumine Singelpfrillen/ quos etiam amariores esse aiunt.

Riemling Argentinæ dicuntur pisciculi tres aut quatuor fermè digitos longi, amari, viles. ventribus albicant, pinnulis rubicundi, (in scelero quem vidi albicabant.) Latiusculi sunt, alioqui specie similis leuciscis fluuiatilibus illis, quos Galli Vendoises nominant: squamis quoque similiter albis & facilè deciduis. Sceletus luci obiectus ferè perspicuus est, media linea, quæ spinam dorsi sequitur, nigricante excepta, quod etiam de bubulca recente Bellonius scribit. pariunt Maio. Plerique capiuntur in Ilna flumine, rctis genere quod vrsum Germani appellant: cuius etiam Plinius circunlocutione meminit: Capiuntur (inquit) purpuræ paruulis rarisq; textu veluti nassis. Bubulca Bellonij (suprà nobis descripta Elemento A. mox post Alburnum, pag. 24.) piscículus est latiusculus, sed trium digitorum longitudinem non excedit, amarus, vilis: sed squamis (inquit) tegitur magnis ac latis. idem nimirum est quem Riemling Argentinenses vocant. Non alia est procul dubio Bambela nostra.

Bubulca.

Weißle/ hoc est orphani vel pupilli, dicuntur Augustæ pfrilli teneriores, à paruitate.

Wertling quibusdam Germanis idem est qui Pfäl vel Pfrill.

Veronus Gallorum, Anglis est Menoy/ teste Bellonio. Sic autem vocatur à parnitate, quòd piscium minimus sit, vt Io. Caius Anglus indicauit, cùm ego à minij vel sanguinis colore, (vnde & sanguinerolum Itali quidam nominant,) sic dictum suspicarer. Galli apuam cobitin, Menuise nuncupant, similiter, vt coniicio, à minuta magnitudine. Piscículum fluuiatilem esse aiunt Angli, lochis, id est fundulis minorem, &c, vnde apparet Eliotam Anglum, Mænam piscem marinum, non rectè interpretatum a Menowe.

DE PHOXINO squamoso & maiore, quem nostri Bambese vocant, (quod nomen tamen non desunt qui etiam læui attribuant,) priuatim hîc quædam trademus: iis quæ proximè retrò dicta sunt, præteritis. Piscículus est tres aut quatuor digitos longus: sex quidem digitis longiorem non vidi. caput ei crassiusculum pro sua magnitudine, nigricans: iris oculorum crocea: qui color etiam ad pinnarum initia omnia spectatur, in pinnæ dorsi quoque initio in maioribus & adultis. Pinnarum ad branchias articulus veluti caruncula quandam habet, in aliis parùm, in aliis valdè croceam, (in aliis, si benè memini, rubentem) pro ætatis nimirum & sexus differentia: fortassis & aquarum & regionum in quibus degunt. Squamas habet albicantes. Linea fusca obliquè à capite ad caudam fertur. Pinna in dorso medio vnica est, binæ ad brachias, totidem in medio ventre: alia postanum. In principio caudæ macula atra notatur, & aliis minoribus

singulis

singulis ad initia pinnarum vtrinque. Dorsum & latera nonnihil flauescunt. Sapor in cibo subamarus. Reperiuntur influentibus solùm aquis, vt audio: non etiam in lacubus & cœno, vt læues, quos è riuis lacus & flumina maiora ingredi diximus: vnde eos (læues) nostri à riuis Bachbammele nominant. iidem in Glatto flumine apud nos paruo ac cœnoso, ab iis qui cancros captant, subinde inueniuntur & abiiciuntur. A Bacchanalium vel Quadragesimæ initio vsque ad calendas Maij nassas non angustiùs contextas, quàm vt gobij capitati & bambelæ ex eis euadere possint, in flumen immittere piscatoribus nostris licet. Bambelam nostram Itali quidam, vt audio, eodem quo gobium fluuiatilem nomine appellant, Varon: Verbani verò accolæ circa Lucarnum Stornazzo vel Sterniculo. Eadem aut cognata est Bellonij Bubulca, (cuius paulò antè in nomine Riemling meminimus:) & Rondeletij Rosiere, vt Picardi nominant: quæ minor est ex duobus ipsius Phoxinis squamosis: nisi colore forsan differat, vt diximus.

Ad hoc pisciculorum genus omnino pertinent, qui apud Misenos Oberkötgen dicuntur: quorum iconem & descriptionem cum aliis multis nobilis medicus Io. Kentmanus ad me dedit. Vocantur (inquit) etiam aliis nominibus: Blaubeuchlein / à cœruleo ventris colore: & Schneiderkerplein / quòd à plebe ad alendam familiam coëmantur, & corporis specie veluti carpæ minutæ videantur: & Dreckfötzlein / per contemptum. pisciculus est perelegans & floridus aspectu. Squamis exilibus argentei nitoris tegitur. oculos rubicundos habet, pinnam ab ano pulchrè rubentem: caudam pallidam, *(fuscam ostendit icon: & pinnulæ in dorso fuscæ maculis per medium nigris initium rubrum. branchias albicantes, in medio cœruleas. longitudinem totius, tres ferè digitos: latitudinem, ferè vnum: dorsum fuscum, latera ex albo pallidula:)* lineam vtrinque viridem à medio corporis ad caudam. Intestina perexilia in orbem reuoluuntur, vt semen (pericarpium) Medicæ herbæ: quæ diducta & extensa longitudinem piscis duplicant. Indigena fluuij Albis est, non aduena hic pisciculus. Anno toto capitur: & parit in eodem fluuio Iulio mense circa diui Ioannis diem: tum plurimi & grauidi capiuntur, (nassis & reticulis angustis,) ventre ouis di-
F stento: nec alio tempore magis in cibo laudantur: quanquam amariusculi sunt, sicut & Elderizæ *(id est phoxini læues.)* Sed hæc amaritudo nonnullos delectat: in quorum gratiam piscatores hos pisciculos à smerlis *(id est fundulis, vt nostri vocant)* segregant. Elixari autem debent desquamati & præparati, in aquam feruidam immissi, & conditi, ad iuris ferè consumptionem.

Wetterfischlein. *Schneppelfischgen.*

Sunt etiam in Albi alia duo pisciculorum genera, haud scio an ad phoxinos referenda, quorum iidem à Kentmano icones accepi, descriptiones nullas. Vnum Wetterfischlein (id est pisciculum tempestatis, nescio quam ob causam) appellant. is palmo ferè longus est, (vt pictura præ se fert,) digito angustior: hoc est superiore longior, minùs autem latus. dorso fuscus, lateribus albicat. oculis, pinnis in parte supina & cauda, pallidis vel subluteis. Alterum Schneppelfischgen appellant, prædictis omnibus longiorem. accedit enim pictura ad digitos quinque. hoc in eo peculiare, quòd à summis branchiis caudam versus linea latiuscula sublutea tendit: præter obliquam illam fuscam & ἀπλατῆ, in piscibus plerisque à branchiis caudam versus conspicuam. Squamosus est, latiusculus. oculi pallent, macula infernè rubicunda. qui color etiam ad initium pinnarum iuxta branchias apparet, &c. Videtur idem aut persimilis (colore forsan modicè differens) quem Bambelam nostri appellant. Vtrunque ex his postremis similiter vt priorem (Oberkötgen) aquæ feruidæ immissum, &c. parari iubent. Pinnarum situ & numero phoxini omnes conueniunt, differunt corporis latitudine, longitudine: squamis & læuitate: colore: pinnæ ab ano longitudine, &c.

Anglorum Menew cum Bellonio Aristotelis Phoxinum esse consentirem, si ἐν ταῖς προσλιμνάσι τῶν ποταμῶν καὶ τῶν λιμνῶν πρὸς τὰ καλαμώδη, οἷον πέρκαι, páreret. Verùm quum extra omnem controuersiam sit, Menouas nostras nunquam in προσλιμνάσι fluuiorum & lacuum circa arundineta parere: sed semper in saxosis vadis aut sabulosis, vbi rapidiores sunt aquæ decursus, ipsi hac in re subscribere non audeo, Guil. Turnerus Anglus in epistola ad nos.

DE PHYCIDE, RONDELETIVS.



A A GRÆCIS φυκὶς & φύκιον dicitur, à Gaza phuca: à nostris mole, fortasse ob carnis mollitudinem, Hispanis molere, Romanis phyco. Audio à Neapolitanis quendam ostendi nomine pittara, pro phycide, quem Græci huius temporis phocida, Veneti lepo nominant.

B Phycis piscis est marinus ex saxatilium genere, colore rubescente & vario percam & channam referens, quam ob causam ποικιλόχρως dicta fuit ab Aristotele, vt author est Athenæus. Anteriore corporis parte tincam fluuiatilem imitatur, posteriore soleam ob tenuitatem & pinnarum situm, quibus veluti cincta est. Vnde ἀκανθοστεφῆ, eodem Athenæo teste, cognominauit Aristoteles, id est, spinis coronatam. Quæ tamen appellatio illi cum multis aliis piscibus communis est. Mutat colorem phycis, reliquo tempore candida, vêre varia. Nam summum caput ex nigro rubescit: pars inferior ventrem spectans, tincæ colore est. Pars corporis posterior nigrescit. Pinnæ duæ, quæ sunt ad branchias, rubescunt. Ore est magno, dentibus paruis. Labiis caret, vt channa. Oculis est magnis, aureis. Barba è vnico pilo ex summo inferioris maxillæ propendet. Paulò infrà pili duo longissimi pendent, loco pinnarum ventris. In dorso primùm pinnam habet paruam & diuisam: mox sequitur altera, membrana connexa, quæ ad caudam vsque protenditur: huic similis est alia, à podice magno, & in medio ferè corpore sito, ad caudam vsque.

Libro 7.

Aristot. lib. 8. de hist. anim. cap. 30 Plin. lib. 9. cap. 26.

vsque. Ventriculum longum habet, appendices quindecim: hepar magnum, lactei coloris, à quo longa fellis vesica pendet. intestina lata, replicata, branchias magnas. lapides in cerebro, quemadmodum asellus aut lupus. Ex his ego colligo veram phycidem hic expressam esse: quæ quanquam ad faciendam fidem satis esse possint: tamen multò magis sententiam hanc meam confirmaui, cùm in media alga nidificantem vidi, id quod sola phycis facit testibus Aristotele lib. 8. de histor. animal. cap. 30. & Plinio lib. 9. Phycis C
piscium sola nidificat ex alga, atque in nido parit. & id certissimum esse piscatores multi obseruarunt. Quòd autem solam nidificare aiunt in alga, id falsum esse conperit Gulielmus Pellicerius Monspeliensis Episcopus, vir in rebus peruestigandis diligentissimus & perspicacissimus, qui gobiones & hippocampos in alga oua ponere & parere animaduertit. Est & hîc corrigendus error illius, qui Oppiani Ἁλιευτικὰ versibus Latinis expressit. sic enim Oppianus lib. 1. Ἁλιευτικῶν: Καὶ κίχλαι ῥαδιναί, καὶ φυκίδες, * ἅς τ' ἁλιῆες
Ἀνδρὸς ἐπωνυμίην θηλύφρονος ηὐδάξαντο. Sic verò interpres;
---- turdiq; virentes, Phycides Eunuchi vero de nomine dictæ.

Interiora. *Phycidem nidificare in alga, sed non solum.* *Perpensus Oppiani locus.* **Brodæus legit ὅς τ' vel ὥς τ'.*

Quàm ineptè contra mentem Oppiani tributum sit phycidi eunuchi epitheton, sciunt omnes, quibus phycis penitus sit cognita. nam & parit: & partus huic maiori curæ est, quàm reliquis: quippe quæ nidum in alga sibi paret & struat: quî igitur eunuchi nomen rectè competere potest? Quare ne per somnium quidem id Oppiano in mentem venit. sed recensens pisces, qui circa saxa, vel in saxis versantur, phycidibus subnectit eum quem initio libri huius ἀλφηστὴν à Græcis, à Plinio cynædum nominari ostendimus, *(similiter & Brodæus interpretatur. dicitur autem idem piscis aliter etiam* καλλιπύγων, *vt ostendimus)* quem per periphrasim cum aliis saxatilibus numerat Oppianus, vt sit is sensus; *Phycides, & cui Piscator mollis nomen dedit esse cynædi.*

Alphestes.

Nunc supersunt duo expendenda, sit ne idem piscis φυκὶς & φυκίδιον, φυκὴς & φυκίς. Ac primùm φυκίδιον, nihil aliud esse quàm paruam phycidem nomen ipsum indicat: vnde Gaza libro 6. cap. 13. de historia animal. pusillam phucam vertit. neque iis assentior, qui phycidion eum piscem esse putant, qui à nobis Capellan dicitur, *(is inter Asellos Oceani suprà descriptus est,)* ideò quòd is veluti phycis è mento pendentem barbam habeat. Sed qui diligentiùs verba Aristotelis expendet, falli istos iudicabit. sunt autem hæc Aristotelis verba: Pisces qui oua ædunt, semel pariunt anno, præter pusillas phucas, quæ bis pariunt anno. Differt autem mas phycis à fœmina, quòd & nigrior sit, & squamis amplioribus. Atqui is qui vulgò Capellan nominatur, piscis est læuis, & minimè squamosus. Ex quibus necessariò efficitur phycidion siue diuersa sit à phycide species, siue eadem, non posse esse eum quem Capellan dicimus. Ergo phycidion à phycide ætate tantùm, & magnitudine differre puto. Deinde φυκῆνα *(φυκῆνα potiùs, à recto φυκὴν, vt σπλὴν, σπληνὸς: μὴν quoque & Ἕλλην, &c. η seruant in obliquis)* & φυκίδα diuersos pisces facere videtur Athenæus lib. 8. cuius hæc sunt verba: Καὶ τῶν πετραίων ὁ φυκὴς, καὶ ἡ φυκὶς, ἁπαλώτατα ἰχθύδια ὄντα, ἄβρωμα καὶ εὔφθαρτά ἐστιν. Ex saxatilibus phycen & phycis tenerrimi sunt pisces, virus non resipientes, & corruptu faciles. Phycis inter saxa degit, non solùm alga vel musco, sed etiam carne *(vescitur:)* nam squillas appetit autore Aristotele lib. 8. de historia anim. cap. 2. & in eius ventriculo non squillas modò, sed & loligines, & pisciculos alios inueni. Phycis eâdem bonitate est, qua cæteri saxatiles, autore Galeno libr. 3. de aliment. facult. simili quoque modo præparatur.

Phycidion, id est phycis parua. *Capellan.* *Ibidem.* *Phycen & phycis ab Athenæo distinguuntur.*

DE ALIO PISCE, QVEM PHYCIDEM *Bellonius putauit.*



Phycis Massiliensibus Roquau, multorum etiam colorum est piscis, fluuiatili Tincæ persimilis. Hunc A
Veneti promiscuè Lambenam, Genuenses Lagionum, Romani vt plurimùm Merlinum *(Merlo, cum icone scriptum erat)* vocant. Nam id genus omne piscium coloratorum, nomine Psittaci, Pauonis, Turdi vel Meru'æ illis (minùs tamen rectè) vocari consueuit. Græca vox est Lambena, *(Lampina cum icone scriptum erat, tanquam vox hodiè vulgò vsitata Græcis,)* sed ad exprimendum eum piscem vulgaris.

Memini me vidisse quasdam Phycides omnino fuscas, alias rubentes, alias virides, nonnullas mistis B
coloribus varias. Omnes pinnam tergoris (vt Sparus) continuam gerunt, duodecim aculeis *(in icone plures sunt)* munitam: ac rursus ad branchiarum latera vtrinque vnam habent, & sub ventre duas. quarum singulæ squamis teguntur latis, firmis, sæpè vliginosis. Dentes illis in ore pares non sunt: nam in superiori maxilla vtrinque ad latus dentem vnum tantùm, aut ad summum duos connumerabis: In inferiore autem maxilla multò plures, omnes quidem oblongos, albos & acutos: sed retrò in maxillis multos molares habent. Cæterùm Phycidum color externus quanquam euariet: interanea tamen perpetuò eadem in omnibus mihi apparuerunt. Voraces pisces sunt phucæ, quamobrem grandi atque amplo sunt stomacho præditæ. Omnibus est lacteum hepar, ad sinistram magis extensum. Fel tamen lateri dextro incumbit, oblongo fol-

go folliculo incluſum,colore ſubluteum. Gregales non ſunt, vt neque Iulides. Labia habent craſſa & carnoſa: verſantur in ſcopulis.

F Molli carne præditæ ſunt & dulci: quæq; niſi multo ſale & aceto condiantur,guſtui minus placebunt, neq; friabiles erunt. Cuius rei Dioſcorides & Galenus in capite de iure piſcium meminerunt.

COROLLARIVM

A Phycis ita dicitur, quoniam piſcium ſola nidificet ex alga, quam Græci phycon vacant, Maſſarius & Gillius. Phycis etiam phycos Ariſtoteli dicitur,vt Maſſarius & alij recentiores ſcribunt. Mihi φυκὶς oxytonum gen. fœminino per iôta,ſolùm rectè ſcribi videtur,vt μαινίς: nam & alij autores non aliter proferunt & apud Ariſtotelem in præſentia non aliter inuenio, nempe libro hiſtoriæ 8. capitibus 2. & 30. cæterum libro 6.cap. 13. φύκης paroxytonum per η. reperio his verbis, διαφέρει δ' ὁ ἄῤῥην φύκης, &c. & ſic quidem marem priuatim nominare voluiſſe Ariſtoteles videtur. φῦκος autem pro piſce non reperio, & ſicubi fortè reperitur mendoſam exiſtimo lectionem. ſcio algam marinam ſic nominari, vt & φύκιον (quod nomen ſimiliter pro piſce Rondeletius ſcribit:) & ſcio in vulgatis codicibus Dioſcoridis, φωκίων legi, vbi aliqui fortè φυκίων reponunt, ego φυκίδων, ex Ægineta qui hunc locum tranſcripſit. ſed piſcem iiſdem nominibus appellari non probo, vt homonymia non committatur. Sunt & alia Græcis nomina maſculina in ης, à quibus fœminina fiunt in ις per iôta: vt ὁ δεσπότης, ἡ δέσποτις: quæ quidem accentu conueniunt, φύκης & φυκὶς differunt. ſic ab ἀρτοπώλης, ἀρτόπωλις apud Euripidem. Apud Athenæum quidam ſcribit ſe ad ſartaginem emiſſe φυκίδας, καρίδας, φύκην, κωβιόν: vbi ſimiliter φύκην accuſatiuum, vt χρύσην, accipio. Non phycon igitur, ſed phycidem dicemus: & diminutiua voce non phycion, ſed phycidion Ariſtotelis exemplo. Maſſarius Diphili verba interpretatus, phycænas nominat, tanquam à recto phycæna fœminini generis, triplici errore: phycenas enim dicere debuit ſine diphthongo, à recto phycen, maſculino, biſſyllabo. à Diphilo enim nominantur ὁ φύκην καὶ ἡ φυκὶς, ſiue ſpecie diuerſi piſces, cognati tamen inter ſe: ſiue

Lelepris. ſexu tantùm, vt ὁ φύκης καὶ ἡ φυκὶς ab Ariſtotele ſexu ſolùm differentes. Lelepris, Λελεπρὶς, piſcis quidam, qui & phycis, Heſychius & Varinus. Liparis piſcis à Plinio nominatur, quo in loco aliqui lelepris legunt, Rondeletius. Piſcis qui à Bellonio lepradis (quod ipſe puto confinxit) & veteri lelepridis nomine exhibitus eſt ſuprà, pag. 473. turdorum generis eſt, non phycis: quod cùm aliâs apparet, tum ex eo quòd ſaxatiles piſces omnes ab eo deuorari ait. hoc enim phycidi minimè conuenit. Cum phycida Maſſilienſi

Fuca. piſcatori, ex oppido Neapoli oriundo, demonſtrarem, dixit Neapoli leprem vocari, Gillius. Theodorus fucam pro phycide reddidit, non phucam per ph. nuſquam enim in tranſlatione eius ſic ab eo ſcriptum reperio. fuit enim omnino ſtudioſus Latinitatis: itaque vt phycos marina herba à quibuſdam Latine fucus dicitur: ſic ab eadem denominatum phycidem piſcem, fucam (ſimiliter vt Græci fœm. genere) no-

Phycis. minare voluit. Rondeletij phycidem ante annos multos eodem nomine Cornelius Sittardus ad me miſit, coloribus ſcite pictam, vt à Giſberto Horſtio Romæ acceperat. qualem accepi, talem ex pictura deſcribam: ea digitos quindecim communes longa eſt, tres lata circa medium. cirrhus ſub mento longè breuior quàm Rondeletius repræſentat, initio craſſiuſculo. colore ruffo è fuſco: alicubi ruffo aut roſeo ſyncerius. cauda ſimplex & prorſus indiuiſa, nigricans. Pinnæ ad branchias oblongæ in acutum deſinunt. ſub iis vtrinq; cirrhus quidam eiuſdem ferè longitudinis (circiter tres digitos) dependet, rubens, lineis tamen albis diſtinctus, poſt medium bifidus. Pinna dorſi parua eſt, ſed poſt breue interuallum alia oblonga ſequitur, caudam ferè attingens, ſicut & alia inferiùs ab ano incipiens. omnibus iis color è cinereo fuſcus, neruis ſeu ſpinis mediis candicantibus. corporis pinnarumq; longitudo & ſitus muſtelam ferè refert, illam dico quam lotam Galli nominant, fluuiatilem. ſed capite multùm differt, &c. Vulgò Romæ Fygo & Meſanca dicitur. rarò capitur. Bellonij phycidem, Veneti Lambenam vocant, fortè à labiis craſſis & carnoſis (qualia cheloni etiam, id eſt, labeoni mugili nomen fecerunt:) etſi Bellonius Græcis quoque vulgarem hodiè eam vocem (aliâs Lampina) eſſe ſcribit. Piſcatores maris Liguſtici, Adriatici, & noſtri quoq; *(hoc eſt, mediterranei ad Galliam pertinentis)* ad vnum merulam agnoſcunt: ſed cum phycidibus confundunt. Romani quanquam piſcem vnum proprio nomine merlo nominarunt: ſæpe tamen Canarellas, Canadellas & phycides meru-

Græca vulgaria. læ nomine vocant, Bellonius in Merula. Phycidem Græcos hodie vulgò phycida nominare Gillius ſcribit: Phocida, Rondelet. (Aëtij codex alicubi φωκίδες habet, perperam nimirum pro φυκίδες.) Phyceam, Maſ-

Italica. ſar. Pephycariſmenam, Hermol. Lampinam, Bellon. Phycides tincarum viridium colorem atque effigiem referunt, fici *(fuci, Niphus: perperam opinor, librariorum ſcilicet lapſu)* vulgò nuncupantur, Iouius.

Gallicum. Itali merulam æquè atque phycidem, tincam marinam vocant, Bellon. qui Gallico etiam vocabulo Tenche de mer phycidem appellat. nos Germanicè, ne cum merula confundamus, merulæ vel tincæ marinæ

Germanica. ſpeciem vocabimus: vel etiam percæ, propter ſimilitudinem aliquam: Speuſippus enim percam, channam & phycidem ſimiles eſſe dicit: ein Ammſelfiſch oder Merleſiſch art: ein gattung der Meerſchleyen/ oder deß Meerberſicks. Licebit autem tum Rondeletij tum Bellonij phycidem, quanquam diuerſos, iiſdem nominibus Germanicis interpretari, vt quæ ſpeciem certam non conſtituant, ſed ſimilitudinem potiùs quam ſpeciem indicent. Phycis quidem Rondeletij quoque anteriore parte tincam fluuiatilem imitatur, vt ipſe ſcribit.

Piſces quos aliqui falſo phycides putarunt. Falsò Veneti quendam piſcem Phycum vocant: is enim ſquamis caret, & paruulæ Pelamydis ſimilitudinem gerit: Phycis ſquamoſus eſt, & ſaxatilis, trientalis longitudinis, Gillius. Longè alius eſt Figo piſcis vulgò dictus Venetiis, de quo leges ſuprà ab initio Corollarij de Hepato, pagina 412. Bellonius aſſeuerat Aſellorum generis piſcem, quem Veneti piſcem mollem appellant, vulgo Romano Ficum nominari. quanquam etiam hoc vocabulum (inquit) ad permultos alios aſellos transferant. ſed alius eſt Phycus de quo in Phycide agemus. Muſtela marina vulgaris, vt Rondeletius nominat, (vel omnino cognatus ei piſcis, punctis diſtinctus, quorum Rondeletius in ſua muſtela mar. non meminit, à quibusdam phycis, vel phycæna (vt ipſi nominant) exiſtimatur: inter ſaxatiles, vt aiunt, molliſſima. Sed vera phycis quanquam corpore oblongo, cirrho menti, & iis qui branchiis ſubiiciuntur: ac pinnarum numero, longitudine ſituque cum muſtela nonnihil communicare videatur: ſquamoſus tamen piſcis eſt, muſtelæ omnes ſquamis carent. Pierius in Hieroglyphicis tinca vulgaris, an pholis ſit dubitat. qui noſtra legerit, hos piſces facilè

inuicem

inuicem diſtinguet. Niphus citharum cum phycide ineptiſſimè confundit, vt in corollario de citharo diximus. Albertus & author de nat. rerum imperitiſſimè trebium piſcem faciunt, cui attribuunt quæ Plinius partim de echeneide, partim de gladio ex Trebio nigro ſcriptore tradit: & quædam phycidis quoque, &c.

B Speuſippus percam, channam & phycidem ſimiles inter ſe fecit. Elepoces, Ἐλέποκες, piſcis ſimilis phycidi, Heſychius & Varinus. Phycides tincarum viridium colorem atque effigiem referunt, Iouius. Phycis & hepatus *(ſed hepatum alium ipſe facit quàm Rondeletius, ſacheto dictum Venetiis vulgò)* magnam habent ſimilitudinem cum iulide, Bellonius. Phycis ἐρυθρὴ, id eſt rubra cognominatur in epigrammate Apollonidis. Phycides ex alio colore in alium mutabiles ſunt, Ælianus. Quomodo autem colores ſuos mutent, pluribus explicat Rondeletius in Merula. Τῶν καρχάρων νάρκη, πέρκη, συκὶς, Mneſimachus apud Athenæum: ego pro συκὶς legerim φυκὶς, vt in verſibus Ephippi proximè præcedentibus. dentes quidem phycidi ſerratos eſſe Rondeletij pictura oſtendit.

C Phycis ſaxatilis eſt, Ariſtoteles, Diocles, Galenus, Plinius. Oppiano circa ſaxa muſcoſa degunt. Suidas tamen ex epigrammate quodam φυκίδα λιμενῖτιν nominat, id eſt litoralem: & Ouidius quoq; litoralibus eam adnumerare videtur. Phycides quanquam cætera abſtinent carne, tamen ſquillas ſæpenumero appetunt, Ariſtot. Apollonidis epigramma in quo meminit phycidis quæ hamum cum carne amiæ vorauerat, referam in h. Nidificant & pariunt in alga. vide in D. mox.

D Phycidem ſolam ex marinis piſcibus nidum ſibi conſternere, atque in ſtragula (in eo ſubſtrato, Gillius) parere aiunt, Ariſtoteles interprete Theodoro. Verba Græca ſic ſonant: Μόνη δὲ αὐτὴ τῶν θαλαττίων ἰχθύων στιβάδας ποιεῖται, ὥς φασι, καὶ τίκτει ἐν ταῖς στιβάσι. Plinius ſic: Piſcium ſola nidificat ex alga, atque in nido parit. apparet autem eum phycos Græcum vocabulum vertiſſe algam: (quàm rectè vide infrà in H.a.) & ab eadem herba, quòd nidum inde conſtruat, in eáque pariat, phycidem appellatam innuere. Atque immunda chromis, meritò viliſſima ſalpa, Atque auium dulces nidos imitata ſub vndis, Ouidius de piſcibus litoralibus ſcribens. Eſt autem verſus hic, Atq; auium dulc. n. i. ſ. u. periphraſis phycidis: neq; ad vllum piſcem prænominatum referendus, etſi Bellonio ad chromin referre placuit, ſine authore. Peculiariter phycides alga velut nido conſtructa fœtum circundant, ac contra tempeſtates tuentur, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Legimus tamen polypos etiam parere in cubilibus: vt fictili, vel aliquo alio cauo.

E Apollonidis epigramma de phycide, quæ hamum cum carne amię vorauerat, recitabo infrà in h. Quãquam cætera carne abſtinent phycides, ſquillas tamen ſæpenumero appetunt, Ariſtoteles.

F Phycides concoctu faciles ſunt, & ſalubre alimentum (nempe ſanguinem medium conſiſtentia) præſtant, vt & reliqui ſaxatiles: inter quos ſcarus excellere ſuauitate creditur: poſt hunc merulæ ac turdi: tertio loco iulides, phycides ac percæ, Galenus de aliment. facult. 3. 28. Ibidem, authore Philotimo, cithari, vmbræ, phycides, (φῦκες, lego φυκίδες,) gobij, & molli carne præditi omnes, faciliùs quàm alij (ſcilicet duræ carnis piſces) conficiuntur. Diocles etiam apud Athenæum ſaxatiles piſces, vt merulas, turdos, phycides, &c. carnem habere mollem prædicat. Phycides mollem carnem habent, probúmque ſuccum gignunt, qui facilè difflatur: nec multùm nutriunt, Wottonus. Procerum patinas rarò implent, quum inſipidiſſimi ſint, Iouius. E phycidibus priuatim ius fit ad alui ſubductionem, Dioſcorides. Ventrem durum mollit ius phycidum, Kiranides.

H. a. Phycidis Hippocrates quoq; meminit. Prima ſemper producitur, ſequens corripitur. Φυκίδας, ἀλφηστάς τε, καὶ ἐν χροιῇσιν ἐρυθρὸν Σκορπίον, Numenius.

Epitheta. Φυκὶς ἐρυθρὴ, & λιμενῖτις: id eſt rubra & litoralis, in epigrammatis. ſaxatilis potiùs quàm litoralis dicenda fuerit. Ποικιλόχρως & ἀκανθοστεφὴς, Ariſtoteli apud Athenæum.

Icon. Domeſticæ rei ſtudioſum hominem qui ſignificarent, fucam piſciculum pingebant. ea enim ſola ex marinis piſcibus nidum ſibi conſtruit, & in ſtragula parit, Pierius Valerianus.

Planta. Non habet lingua alia nomen, quod Græci vocant phycos. quoniam alga herbarum magis vocabulum intelligitur: hic autem eſt frutex, folia lata, colore viridi gignit, &c. Plinius 13.25. Theophraſtus quidẽ cùm hæc & ſimilia, vt quæ gramini comparat, deſcripſiſſet, ſubdit: Et hactenus quidem de minoribus. deinde ad arbores tranſit, quas longitudine vix cubitales facit. ego phycos non lignoſi generis eſſe puto, nec propriè fruticẽ: ſed ita fortè à Plinio nominari, quòd vel oblongum ſit, vel in multos ramos ſe ſpargat. Φῦκος, τὸ, genere neutro, & φύκιον diminutiuum paroxytonum apud Theophraſtum inuenio, libro 4. cap. 7. hiſtoriæ: cuius duo ſint genera litorea, & tertium pelagium. Latinè alij algam, alij fucum interpretantur. Defertur ex Ponto in Helleſpontum purgamentum quoddam illius maris, quod algæ nomine phycos appellant, colore pallidum. florem algæ id eſſe alij volunt, atque ex eo fucariam algam prouenire. fit hoc æſtatis initio, eóque tum oſtreæ, tum etiam piſciculi eius loci aluntur. Purpuram quoque ſuum florem hinc (ex alga, qua nutritur) trahere nonnulli exiſtimant, Ariſtoteles hiſtoriæ 6. 13. ex interpretatione Gazæ. Innaſcitur teſtis eorum ὥσπερ φῦκός τι καὶ βρύον, Idem hiſtoriæ 8. 20. Frutice marino, quem Græci phycos vocant, circa Cretam inſulam nato in petris, purpuras quoque inficiunt, Plinius. Φῦκος, genus quoddam muſci μνίου ἢ βρύου, penultimam producit, vt in hoc verſu apud poëtam ---- πολλὸν δ' παρὲξ ἅλα φῦκος ἔχευαν, Euſtathius. Θῖν' ἐν φυκιόεντι, Iliados ψ. id eſt, in litore algoſo. Scholiaſtes interpretatur, φυκία ἔχοντι. φῦκος δέ ἐστιν ἤτοι ἡ ἄχνη τῆς θαλάσσης, id eſt, aſpergo maris, vel herba marina ſic dicta. Vide Dioſcoridem libro 4. cap. 95. Ἃς κατὰ φυκότειχος πέτρης λευκὸν τρέφει ὕδωρ. Matron Parodus de pinnis. Τὰ μαλακόστρακα λίθους καὶ ὕλην, καὶ φύκια νέμεται, Ariſtoteles 8. 2. hiſtoriæ. & mox: ἡ δὲ σάλπη τρέφεται κόπρῳ καὶ φυκίοις: βόσκεται δὲ καὶ τὸ πράσιον. & mox: Τὰ δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ νέμονται μὲν τὸν πηλὸν καὶ φῦκος, καὶ τὸ βρύον, καὶ τὸ καλούμενον καυλίον, καὶ τὴν φυομένην ὕλην, οἷον φυκὶς, καὶ κωβιός. Ego ſemper φυκία paroxytonum ſcribere malim. Genus vnum eſt latiore folio, prâſon (aliâs, praſſon) à colore dictum: item zoſter. genus alterum longius, praſſon etiam vocatum. Tertium genus gramini ſimile. Eſt denique pelagicum, folio criſpo, pſeudoconchylion Democrito. Vide Plinium 13.25. Φυκία, θαλάσσια ζῷα: (quaſi piſces phycides intelligat:) ἢ ἀφρὸς, ἢ βρύα, Suidas.

Fucus, pro colore & dolo, per tranſlationem puto ab herba marina tincturis idonea: qua purpuram aliqui mentiebantur vel adulterabant. Plinius & alij fucum pro purpuræ tinctura dixerunt. Phycos

puniceum Nicander venenatis aduersari prodit. idque crediderunt aliqui fucum esse, quo mulieres vtuntur: cùm tamen exigua radix illa sit, æquinoco phyci nomine appellata, *(anchusæ alicuius fortè,)* Dioscorid. Purpurisso etiam (de quo in purpura dicetur) fucabant se mulieres. Est & fucus inter apes, non vera apis, sed similis, vt aspicientes fallat. quanquam & ipsas apes fallat, cùm ocioſus ipse mel consumat. Fucum facere, prouerbium ab Erasmo explicatur. Fucas appellat Columella in facie maculas, Cæl. nimirum quas Græci φακοὺς. i. lentes vocant: vnde & Dioscorides Anazarbensis φακᾶς (ac si Lentulum dicas) cognominatus est, διὰ τὸ ὅτι τῆς ὄψεως φακοὺς, vt Suidas scribit. nostri à frondibus (aridis) maculas illas denominant, Loubflecken.

Propriæ. Rerum quarundam abundantia locis quibusdam nomina fecit: vt Sepiadi promontorio: Phycusis & Lepadusis insulis, Athen. Græcè Φυκοῦσα scribitur, ab algis nimirùm potiùs, quàm piscibus huius nomi- 10
nis. Stephanus duplici sigma habet Φυκοῦσσαι ὀνομάζονται ἢ διὰ τὸ φύκων (meliùs φυκῶν, circumflexum: vel φυκίων, trisyllabum) ἢ πλήρεις. Apud Eustathium terminationes huiusmodi insularum aliquot in ussai, modò simplici, modò duplici s. scribuntur: ego duplex malim: quoniam à rectis in δεσσαι, (vt χαριέσσαι) contractis sunt, eodem teste. Eidem Stephano Phycûs est ciuitas Libyæ, è regione Tænari Peloponnesi, vel è regione Laconiæ vt Strabo scribit. vnde gentile Phycusius: dicitur & lacus Phycusius. Plinio Phycûs est promontorium Cyrenarum.

f. Phycis ab Antiphane nominatur cum aliis lautissimis cibis. In Cotyis Thracum regis conuiuij descriptione Anaxandrides apud Athenæum φυκίδας ἑφθὰς apponit. Archephôn parasitus à Ptolemæo re-
h. ge vocatus, Τῶν μὲν σκάρων ἀπέλαυε, τῶν τειγλῶν θ' ἅμα, Καὶ φυκίδων ὅλη πλεῖον. Machon. Τρίγλαν ἀπ' ἀνθρακινῆς, ἢ φυκίδα σοι λιμενῆτιν. Ἄρτεμι δωρεῦμαι, Suidas ex epigrammate. Apollonidis epigramma in phycidem quæ deglutierat hamum cum carne amiæ, (esca ex amia:) qua deinde vnà cum hamo glutita (dum pi- 20
scis fortuitò, vexatus dolore in mari saliens, in os piscatoris insiluit) periit piscator, Anthologij lib. 3. sect. 4. extat huiusmodi: Ἰχθυοθηρητῆρα Μενέσταλον ἄλεσεν ἅρπη Δουρικτῶ· * ἐξ ἀμίης ἐν τειχὸς ἑλκομένη: Εἴδωρ ὅτ' ἀγκίστρῳ φόνιον πλάνον ἀμφιχανοῦσα Ὀξείῃ ἑρυδρὴ φυκὶς ἐφειδὲ πάγλῃ. Ἀγνυμένη δ' ὑποδύτα κατέκτανεν, ἅλμαπ λάζρῳ Ἐρτὸς ὁλιοθηρῶν δυσαμένη φαρύγων. Brodæus ἔφειδε interpretatur vehementer commouit: malim exhorruit hamo deuorato. πάγλῃ ἀξείῃ, hamum non calamum, vt ille, accipio. Idem pro ἐξ ἀμίης legendum censet ἱππίης: sed argutius est, si ἐξ ἀμίης relinquas, vt phycis hamo transfixa his tribus attrahatur, primùm calamo, deinde linea, tertiò esca examia (pisce idoneo escis) hamo inserta. φόνιον πλάνον duo sunt epitheta ad ἔδωρ referenda: nisi φονίῃ legas, idq; referas ad ἀγκίστρῳ. Ἀγνυμένη, cùm fauces eius ab hamo malè afficerentur: vel Ἀγνυμένη, dolore vexata. ὑποδύτα, Menestratum in mare prolapsum & vrinantem, 30
Brodæus.

** Brodæus manuli ἱππείης.*

Physea à Rondeletio inter pisces ei ignotos nominatur. ego nusquam hoc nomen legisse memini: & si cubi fortè inuenitur, depranatum esse putarim.

Physa Ægyptius piscis admirabili natura præditus est. nam eum notionem habere ferunt, quando Luna augeatur & diminuatur: eiúsque iecur cum Luna pariter decrescere, paritérque recrescere: corporisq; habitu modò esse opimo, modò gracili & tenui, Ælianus de animalibus 12. 13. Alius eidem Æliano Luna piscis est: quem ad similitudinem Lunæ semicirculum efficere scribit: simulq; cum plena Luna tum implere, tum impleri, &c. alius item quem Rondeletius vulgò circa Monspelium Lunam vocari meminit: quia extrema corporis parte Lunæ crescentis figuram aptissimè referat: vel quia demptis pinnis toto corpore rotundo sit Lunæ plenæ instar. ipse orthragoriscum interpretatur. Numeratur & à Strabone li- 40
bro 17. physa, φύσα, (in Epitome Strabonis non rectè s. duplici scribitur,) inter Nili pisces: item ab Athenæo lib. 7. Ego hunc piscem esse coniicio qui à Rondeletio Orbis primus appellatur. Vide suprà in Corollario de Orbe.

DE PHYSALO MARIS RVBRI, RONDELETIVS.



50

Lib. 3. cap. 18. Inter pisces maris rubri Ælianus physalum ex Leonide recenset & describit his verbis. In mari rubro, sinu Arabico, piscem Leonides Byzantius gigni ait, gobio ætatis perfectæ non magnitudine inferiorem: nullos oculos nullúmq; os habentem more piscium: branchias tamen his innatas esse, capitis figuram etsi minùs expressam coniectari posse: infra imum ventrem formam quandam leuiter contractam in sinum apparere, quæ smaragdi colorem reddit: hanc ei oculorum loco & oris esse idem ait. Quisquis hunc gustauerit, sentiet se magno malo suo expiscatum illum fuisse. nam statim vt gustauerit, intume- 60
scit. deinde illius venter cum extrema vitæ pernicie abundè profluit. Verùm & ipse tanti mali si semel capiatur pœnas pendit. Quamprimum est extra aquam, inflatur: & si eum tetigeris, magis magísque intumens exardescit. Túmque si quis assiduè eum moueat, præ siti *(sic reddit Gillius, Græcè legitur ὑπὸ σὺν θεως. malim ὑπὸ πρήσεως vel οἰδήσεως, vel tale quid, id est præ nimia inflatione aut distentione)* totus tanquam morbo inter cutem affectus perlucet. denique disrumpitur. Si quis hunc etiam nunc viuentem in mare velit reiicere, is supernatat more inflatæ vento vesicæ, quocirca ex affectu Leonides ait physalum appellatum esse.

A Cum physalo eundem planè esse eum quem hîc expressimus, non affirmamus: quamuis pisces aliqui locis quibusdam proprij esse putantur, qui tamen in aliis aliquando, sed rariùs, reperiantur. Sed si physalus non est, ei certè non valdè dissimilis iure dicetur, vel erucarum marinarum generi rectiùs subiicietur. Ore

tur. Ore & oculis caret, in medio latior est, extrema gracilescunt & incuruantur. in ventre siue in supina parte rugosus est, pudendi muliebris speciem referens: in prona parte siue in dorso, tumores parui eminent, (Verrucas piscatores nostri vocant,) è quibus pilli virides existunt. Ad contactum intumescit & supernatat, vt Ælianus de physalo scripsit. Præterea venenatum esse in cane experti sumus.

COROLLARIVM.

Quæ de physalo Ælianus tradit, eadem ex eo Philes repetiit. Recentiores quidam non rectè physalum s. geminato scribunt. Æliani codices Græci, & Philæ, s. simplex habent: vt & Volaterranus. prima quidem syllaba longa est natura, vt ne in carmine quidem geminari opus sit. Videri autem potest sic 10
dictũ hoc animal, vel quia homo, qui ipsum gustârit, intumescit & inflatur: (sicut & à bupreſtide insecto, ὅτι μεγάλως πρήθει ἢ φυσᾷ,) vel quoniam cùm extra aquam est, inflatur: ac si quis attingat, magis magísque intumescit. vel quoniam in mare proiectum inflatæ vesicæ modo supernatat. Est & porcus (πόρκυς) animal in Danubio quadrupes, λεπίδι περιεχόμενον δέρμα πᾶν, ὃ (scilicet δέρμα vel ζῷον) γίνεται ὡς ἀσπὶς: ἢ νήχεται ἕως ἂν λέπιωθῇ (τὸ δέρμα:) ἢ ἐξέρχεται ὅπη τύχῃ γλιῶ, ἢ νέμεται: ὃ δὴ ἀθρόον ψυχόμενον δύεται. Varinus. sed hoc non alio quàm quòd inflatum repræsentat vtrem, ad physalum accedit. Quærendum an physalus Ælianisui omnino sit generis: an cum lepore marino aliquid commune habeat. siquidem similiter corpus ei informe: nec oculi nec os vt aliis piscibus. Pars illa in sinum contracta smaragdi colorem referens, papauer fortè sui coloris atramentum continens fuerit. Gustatum similiter perimit, oboriente prius tumore aliquo in corpore. Homo vicissim suo tactu vtrique venenum est. Et leporis marini plures sunt 20
species. tertia à Rondeletio descripta, toto corpore splendido est: vt physalas etiam, cùm turget, pellucidus. Cæterùm à Rondeletio depictum animal cùm branchiis careat, physalus Ælisni non erit: sed potius vt figura præ se fert, erucæ vel pityocampes (vt ita dicam) marinæ species. Hanc coniecturam pili in corpore digesti augent. Diuersa tamen ab hac videtur eruca mar. Bellonij, quam suprà in E. elemento dedimus. *Eruca marina.*

Alius est physalus, seu physeter, belua: de qua nunc agendum.

DE (PHYSALO BELVA, SEV) PHYSETERE, RONDELETIVS.

De icone lege quæ scripsit ad finem capitis.

30



40

50

Ab effectv Græci nominis φυσητὴρ vocatur, quasi flator, quòd nimbosam quandam alluuiem A aquarum effilando emittat, vt plerunque etiam alueos nauigantium deprimat, à nostris peis mular: ab Italis capidolio, à Santonibus sedenerte,

Belua est admirandæ magnitudinis ex balænarum genere: ore maximo, dentibus acutis, ferratis, B quemadmodum orca. Lingua intus magna & carnosa. fistulam longè ampliorem habet quàm reliquæ beluæ: quam ob causam multò plus aquæ reiicit & efflat, vnde illi nomen φυσητῆρος. Ab orca differt, quòd multò longior sit & dorsi pinna careat. Pinguitudine multa abundat veluti balæna & beluæ reliquæ. *Quod de iis beluis quæ piscium carne aluntur, nemini videtur mirum: sed de balæna prima siue mysti- *Diuersitas: quomodo balæna & alia non carnivora pinguescat, ociosi scilicet, &c.*
ceto quem diximus libro 4. aqua tantùm & spuma maris & alga nutriri, & de ajiis quæ dentibus carent,
60 non sine causa dubitauerit aliquis. Sed si hæc secum animo cogitârit, vitam ociosam, cutij densitatem, alimenti copiam, temperamentum, mirari desinet. Etenim animalia inertia pingueſcere certùm est, quod quotidie experimur in iis quæ eam ob causam angustis locis concludimus, vt in suibus & capis, & in his quæ hyeme latent, vt in gliribus, & tassis. Mysticetus autem tradissimè mouetur, ob corporis molem: & id modicum quod tardo motu digeri posset, corij densitate præpeditur. Sic & in hominibus cutis constipatio, corporis constitutionem plethoræ simílem efficit. Iam quum voraci animali alimentum semper in promptu est, id ad saginandum corpus multum confert: exemplo sunt luxui ac crapulæ dediti, qui obesi esse solent. His adde temperamentum calidum & humidum, quo quæ præditæ fuerint beluæ, atque adeò animantes omnes, pinguissimæ redduntur, quòd ad sanguinis copiam generandam sit accommodatissimum.

Sed ad physeterem redeamus, quem in Oceano nostro reperiri testatur Plinius. In Gallico Occano *Lib. 9. cap. 4.*

Lib. 15. geograph.

physeter maximum animal est, ingentis columnæ modo se attollens, altiorèmque nauium velis diluuiem quandam eructans. Eiusdem meminit Strabo. Plurimùm eos (Nearchum cùm sociis in sinu Persico nauigantes) turbabant physeterum (φυσητήρων) magnitudines, fluctum maximum & cumulatum, & caliginem tantam reflationibus excitantes, vt quæ ante pedes erant conspici non possent. Sed cùm nauigationis duces illis timentibus & causam ignorantibus indicassent beluas esse, quæ facilè tubarum sonitu & plausu exaudito discederent, Nearchus naues in fluctum egit, quà maximè arcebatur, ac tubis beluas exterruit: illæ vndas subeuntes nauale certamen à puppi minabantur. Verùm subitò cessauere. Quotquot nunc in Indiam nauigant, beluarum quidem magnitudines referunt, quæ nec gregatim nec sæpius se offerant, sed discedant clamore ac tubis repulsæ. Dicunt eas terræ nequaquam appropinquare: ossa verò iam dissolutarum à fluctibus facilè eiici, & materiam faciendarum tegetum (*calybarum, id est tuguriorum*) ichthyophagis suppeditare, (χορηγεῖν τὴν λεχθεῖσαν ὕλην τοῖς ἰχθυοφάγοις περὶ τὰς καλυβοποιΐας.) Nearchus cetorum magnitudinem vicenûm & ternûm passuum refert.

Belua immanes in Narbonensis Galliæ litus eiectæ.

In litus nostrum eiectæ sunt aliquando immanes beluæ. Vnius maxilla inferior spectatur in summo ciuitatis nostræ templo diuo Petro dicato in ipso vestibulo, quam vulgus ob magnitudinem costam esse putat, sed falsò: nam costæ breuiores sunt, & minùs crassæ. Ex vertebris, Frontignani in litore facta sedilia. Alia visa est à pinnis ad caudæ extremum triginta passus longa, caput in aqua latebat, corpore erat striato, nescio an natura an euentu quodam, vt ob pinguitudinem à sole liquatam partibus aliis desidentibus, aliæ prominentes manserint: (*Cetus Britannicus etiam, quem exhibuimus suprà, pag. 212. corpus striatum ostendit.*) quemadmodum in striatis columnis, aliæ partes eminent, quæ striæ vocantur: aliæ cauæ, quæ canaliculi & strigiles. Aliam in litore visam à patre meo audiui centum passuum longitudine. Aliam in Italia captam vidimus, quam exiccatam Florentinorum Dux ante palatium collocârat, sed ob diuturnum & grauissimum fœtorem auferri oportuit. Ex huiusmodi beluarum cerebro pinguitudo oleo liquidior defluit, quæ partium tenuitate facilè quocunque penetrat, quum hæc diu multúmque defluendo exhausta fuerit, sub cranio reliquiæ squamulis sardinarum in aceruum coactis similes sunt, quæ igni admotæ liquuntur, deinde frigore concrescunt.

De icone.

Qualesquales fuerint hæ beluæ, certè verum physeterem hîc exhibemus, quod maximè indicat fistula multò amplior quàm in cæteris, qua veluti nimbos aquarum efflat: quam notam, & totius beluæ figuram, ex iis qui beluas venantur, magnúmque ex his quæstum faciunt, didici. Suam etiam hac in re operam mihi præstitit Capellanus medicus doctissimus: qui non procul à Baiona habitat, quo in sinu quotannis beluæ capiuntur.

COROLLARIVM.

A De physalo maris rubri pisce (si modo propriè piscis est, quod non puto) venenato, proximè dixi nunc de physalo belua dicendum: quæ meo quidem iudicio non alia est, quàm physeter: cùm & nomen eiúsque origo (παρὰ τὸ φυσᾶν) conueniant: & res ipsa, vt apparebit. Gillius ex Æliani de animalibus lib. 9. cap. 49. pro physalo physéterem conuertit. & sanè mihi quoque, siue Græcè siue Latinè loquamur, physetêris nomen magis arridet, ad declinandam cum physalo maris rubri pisciculo homonymiam. Physalos quidem inter cete Oppianus libro 1. nominat: Παρδάλιές τ' ὀλοαί, καὶ φύσαλοι αἰθωπῆες. ego φύσαλοι s. simplici scripserim, (quod suprà etiam in physalo pisciculo monui) nam & φυσᾶν verbum ita scribitur: & carminis causa sigma geminari opus non est, cùm φῦσα nomen & verbum φυσᾶν, Eustathio teste, primã producant. Oppianum etiam secutus Ælianus, physalos cum maximis cetis numerat, & Ælianum Suidas ac Eustathius, omnes simplici s. Apud Suidam librariorum errore φύσαμος pro φύσαλος legitur: Φύσης ᾗ παρώνυμον καὶ οἱ φύσαλοι, τὰ κήτη, Eustathius. Cæterùm vt à thymo, thymalus piscis dicitur, sic à physa, physalus: ne quis fortè putet nomina hæc composita esse. Physeterem etiam Arrianus, etsi non nominat, ex Strabone intellexisse videtur, Massarius.

Arrianus.

Arriani verba, libro 8. historiæ suæ, qui est de rebus Indicis, hæc sunt: Apud Ichthyophagos qui ditiores sunt è cetorum, quos mare eiecerit, ossibus, domicilia parant: vtuntur enim eis pro lignis: ex latioribus fores conficiunt. Plebi & tenuioris fortunæ hominibus piscium spinæ ædificandi materiam præbent. Sunt autem in mari externo ceti ingentes, & pisces multò maiores quàm in mediterraneo. Prodit Nearchus sibi ac sociis, cum vltra Cyiza orientem versus nauigarent, (ὅτε ἀπὸ Κυΐζων παρέπλεον ὑπὸ τὴν ἕω,) aquam è mari in sublime efflari visam, vi magna tanquam turbine quodam (οἷά περ ἐκ πρηστήρων) emissam. itaque territi cùm à nauigationis ducibus beluas aquam sursum efflare cognouissent, & nautis ob metum remi è manibus excidissent: rursus à Nearcho animati sunt. is enim socios, quotquot præternauigando alloqui poterat, nauium proras obuertere, tanquam ad naualem pugnam, & clamore ingenti vociferantes (ἐπαλαλάζοντας) nauigiis propiùs iunctis magno simul impetu, celeritate & sonitu, remigare iussit. quod cùm illi facerent, & iam beluis propinqui, quàm altissimum clamorem æderent, tubas inflarent, remigationem cum sonitu quàm maximè intenderent, territæ illæ cùm iam iuxta proras essent, in profundum subierunt: sed paulò pòst iterum circa puppes emerserunt, iterúmque vim aquæ procul in altum efflarunt, (*sed nullo amplius periculo.*) Itaque ex insperato seruati, plausu & laudibus affecerunt Clearchum, audaciæ simul & prudentiæ ergò. Ex his beluis (ait) aliquas multis in locis regionis illius ad litora appulsas deprehendi, cùm vel reciprocante Oceano destitutæ in breuibus & vadis relinquuntur: vel tempestatum vi in continentem expelluntur. sic ipsis extinctis, & putredine absumptis carnibus, ossa superesse, ædificiis vtilia. costas enim maiores trabium vsum præbere: minores, asserum, (σφωτήρων: forte tignorum etiã interpretari licebit. Gedrosos enim beluarum ossibus tecta contignare, Plinius ex Alexandri Magni rerum conditoribus scribit. Vide supra de Cetis in genere, E. ad finem:) maxillas verò portarum. Sæpè enim beluæ illæ vel ad vigintiquinq; passus (ὀργυιάς) longitudinis perueniunt, Hæc Arrianus. Strabo viginti tres passus longitudinis earum nominat: interim tamen suspicatur πρὸς ὑπερβολὴν ἠδολεσχηκέναι πολλὰ τοὺς πλεύσαντας. Eandem historiam Diodorus Siculus quoque referens, cete simpliciter nominat. eius verba retuli suprà de Cetis in genere E. Plinius libr. 9. cap. 3. thynnis adscribit, quòd alij cetis ac physeteribus. nos ex thynnis pericula huiusmodi nondum legimus, vt vel Plinium vel librarios hîc deliquisse suspicio sit. Verba eius, & alia quæ huc faciunt, recitaui suprà in

Capite de Cetis in genere, E. paulò pòst initium, pag. 196. & deinceps. vbi etiam ostendi Plinium videri non rectè accepisse Græcorum verba, è quibus transtulit: tanquam Alexandri naues agmen contrarium fronte aduersa, non contra thunnos (vel cete,) sed ipsæ inter se instituerint, vt ex collisione mutua (nauium, armorum) excitatus fragor thynnos terreret. quod mihi quidem non probatur: sonitu enim simpliciter, & tubis beluas terreri, tum ex iis quæ paulò ante retuli Arriani verbis, tum aliis aliorum quæ in Cetis E. recitauimus, tum Strabonis à Rondeletio positis, constat. Nearchus & Onesicritus (inquit Curtius) nuntiabant, plenum esse beluarum mare, (*de mari rubro loqui videtur:*) æstu secundo eas ferri magnarum nauium corpora æquantes: truci cantu deterritas sequi classem, cum magno æquoris strepitu, velut demersa nauigia subisse aquas. Gedrosos qui Arbin amnem accolunt, Alexandri magni classium præfecti prodidere, domibus fores è maxillis beluarum facere, ossibus tecta contignare, ex quibus multa quadragenûm cubitorum longitudinis reperta, Plinius. Circa Gedrosiam Indiæ regionem non ignobilis Onesicritus atque Orthagoras scripserunt, cete longitudine dimidiati stadij, & latitudine pro rata longitudinis portione nasci: tantóque robore septa esse, vt sæpè cum naribus respirarint, tantopere in sublime marinos fluctus iactent, vt hæc imperitis maximæ maris tempestates esse videantur, Ælianus. 17. 6.

Indica maria balænas habent, vltra spacia quatuor iugerum. Sunt & quos physeteras nuncupant, qui enormes vltra molem ingentium columnarum, super antennas se nauium extollunt, haustósque fistulis fluctus ita eructant, vt nimbosa alluuie plerunque deprimant alueos nauigantium, Solinus. atqui Plinius, ex quo mutuatur, physeterem in India nullum nominat: sed pristes ducenûm cubitorum, libro 9. cap. 3. & mox capite quarto: Maximum animal in Indico mari pristis & balæna est, in Gallico Oceano physeter, ingentis columnæ modo se attollens, altiórque (*sic & Solinum legisse apparet: Rondeletius altioremq̃;*) nauium velis diluuiem quandam eructans.

Iuba verò in iis voluminibus quæ scripsit ad Caium Cæsarem Augusti filium de Arabia referens, cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intrasse: pinguique eius negociatores & omnium piscium adipe camelos perungi in eo situ, vt asilos ab iis fugent odore: physeteres ne intellexerit, in incerto est, Massarius. Conspicitur & physeter piscis extra columnas Herculeas, flator ab Latinis (*quasi flator, vt Hermolaus Barbarus conuertit*) appellatus, qui frequenti reflatu præaltas vndas euomere solet: ita vt procul nauigiorum vela ob spumantis aquæ candorem appareant. Eæ beluæ superiore biennio quibusdam Cæsarianis è Britannia in Hispaniam traiicientibus magnum terrorem incussere: quum Gallorum nauigia ea velorum specie è longinquo repræsentassent, qui tum ardente bello ea maria infestis classibus obsidebant, Iouius. In mari extero (inquit Srabo libro 3.) cete & plura & maiora sunt: circa Turditaniam verò imprimis, vt oryges, (*orcæ,*) balænæ, & physeteres: quibus reflantibus nebulosæ cuiusdam columnæ visio longè cernentibus apparet. Physiterem (*præstat secundam per e. longum scribi, nam Græcis ἦτα est*) existimo esse, quem vulgò vocant Calderonem, quòd hunc ex omnibus beluis maximam diluuiem aquarum eructare dicunt. Hunc quidam arbitrantur esse quem Massilienses vocant Mulassum. Equidem ipse cum hunc Mulassum non viderim, indicare non audeo Physiterem esse, Gillius. Cetus qui Calderonus vulgò dicatur, Bellonio pristes est. Capidolio dictus ab Italis (vulgò, Capodoglio, Capitoleus quidam scribunt) physeter est Rondeletio: Iouio, Orca: Gillio balæna potiùs quàm Orca. Vide supra in Corollario de Balæna A. Physeter Hispanicè Marsópa dicitur, vt quidam nobis retulit. at Cæsar Scaliger, medicus & philosophus insignis, cuius maior apud me autoritas, phocænam à Vasconibus vulgò Marsupam vocari, author est.

Angli quidam eruditi physeterem interpretantur a Whyrlepole/ (alij scribunt Whirlepoole/ alij Horlepole/) quòd lacum (id est, mare & vndas) vertat, excitatis vorticibus, vel quòd vndas capite emittat & eiaculetur. in mari circa Cantium non infrequens est. sed fluuios etiam aliquando subit. nam anno Domini 1555. duos aut tres eius generis in Thamesi fluuio captos esse Ioan. Caius Anglus indicauit. Plura de hoc pisce leges suprà circa finem capitis De cetis diuersis, pag. 216. Ego physeterem multò maiorem esse puto, quàm qui fluuios intrare possit. Physeterem nostri vocant a Whorpoul, is licet portentosæ sit magnitudinis, ad balænæ tamen magnitudinem nunquam accedit. Huius generis quatuor aliquando vidi inter Dobriam & portum Gessoriacum. quorum singulos tantum aquæ è fistulis, quas in capitibus habent, eiaculantes vidi, vt singuli singulas naues aquarum copia in profundum submergere sufficerent, Guil. Turnerus in epistola ad me. Pistris aut physeter horribile genus cetorum, & ingens, ex capite multum (*aquæ*) in naues efflat: & aliquando submergit, Olaus Magnus in Tabulæ suæ explicatione D. O. Author tabularum de regionibus Septentrionalibus, & Münsterus in Cosmographia, absurdissimè physeterem forma equi cum patulis naribus & fistulis duabus prominentibus, cum auriculis asininis, cum lingua longissima & prominente pinxerunt, Rondeletius. In tabula quidem Olai iconem repertam hîc apposui. Ea nec linguam nec auriculas ostendit: quanquam nec sine illis, vllum huiusmodi marinum animal esse verisimile sit, nedum pistrin aut physeterem, vt Olaus adscripserat. Münsterus fortè, aut quo is vsus est pictor, linguam & auriculas de suo addiderunt. A castro Wardhus litus totum verno tempore procul infestum est balænis vastæ magnitudinis, adeò quòd ad centum perueniunt cubitos. Spiracula duo habent in summa fronte patentia ad cubiti proceritatem, (*negat hoc Rondeletius.*) hæc tecta sunt folliculo. Respirantes efflant vndas in modum densi nimbi. Spina dorsi reperitur continens amplexu vlnas tres, internodia singula vnam, Iacobus Zieglerus in descriptione Schondiæ. Albertus Magnus in ceti cuiusdam descriptione,



recitata superiùs pag. 203. Os (inquit, foramen vel meatum potiùs dicere debuit) habet amplum, & cùm spirat, eructat ex eo copiosam aquam, qua aliquando implet nauiculas & submergit. Orca etiam physeteris instar fluctum aquarum in altum reflat: & nimirum alia quoque cete complura, sed nullum copiosiùs & vehementiùs physetere, vt per excellentiam hoc ei nomen factum videatur. Quamobrem Germanicum etiam nomen eius finxerim ein Sprützwal.

Physeter, φυσητὴρ, Aristoteli non animal, sed fistulam significat, qua aquam reiiciunt cete, historiæ 6. 12. & Æliano de animalib. 5.4. pro fistula balænæ accipitur, his verbis: Ἀναπνεῖ δὲ, οὐ βραγχίοις, ἀλλὰ φυσητῆρι. οὕτως γὰρ καὶ καλοῦσιν οἱ τοῦ πνεύματος τὴν ὁδόν. At lib. 17. cap. 13. eandem partem videtur μυκτῆρας, id est, nares appellare, de cetis loquens Gedrosiis: Ὡς πολλάκις ὅταν ἀναφυσήσῃ τοῖς μυκτῆρσιν, ἐς τοσοῦτον ἀναῤῥιπτεῖν τῆς θαλάττης τὸ κλυδώνιον, &c. Φυσητὴρ, (meliùs s. simplici scribitur,) ὁ τῶν κητωδῶν ἰχθύων αὐλός, Hesychius & Varinus. In mollibus etiam, vt polypo, physeter, id est, fistula, dicitur: qua sicuti cete mare admissum obiter dum cibum capiunt, reddunt: non μυκτὴρ, aut φυτήρ. vide in Polypi Corollario B. Μυκτὴρ tamen admitti potest: eóque magis, quòd iidem meatus ad odores etiam percipiendos fortassis in eis conducunt. alios enim, quibus olfaciant, meatus cete manifestos habere non puto, vt neque delphini habent. Polypi pariunt fistula, τῷ φυσητῆρι, qui meatus est in corpore, Aristot. & Athen. Oppianus αὐλὸν vocat in eisdem. Qualis per alta vehitur Oceani freta Fluctus refundens ore physeter capax, Seneca Hippol.

Epithet. Physetêras anhelos, Ruffus in Arati Phænomenis translatis. Φύσαλοι αἰθωτῆρες, Oppianus. id est, impetuosi vel eiaculantes (scilicet aquam.) Grammatici enim verbum αἰθύσσειν variè interpretantur: ὁρμᾶν, ῥίπτειν, ἀνασείειν, ῥιπίζειν, θερμαίνειν, ἐξελαύνειν, διαλάμπειν.

Prestis. Nunc prestin quoque eandem vel prorsus cognatam physeteri beluam esse, tum à nomine tum ab ipsorum animalium natura petitis verisimilibus argumentis asseremus. Sed cùm variis modis scribatur, apud Græcos πρίστης, πρίστις, & πρῆστις: apud Latinos pristes, pristis, vel pistris vel pistrix: Græcè πρῆστις, Latinè prestis, (flectendum vt Paris, sed fœminino genere,) optimè vocabitur. quanquam enim semel ab Aristotele tantùm nominetur, (historiæ 6.12.) vbi πρίστης scribitur, literis facilè transpositis, vt permulta piscium nomina perperam in libris illis vulgatis scribuntur: ab Æliano tamen, Oppiano, & Eustathio πρῆστις scribitur, penanflexum, cum ἦτα in primâ, quod laudo. apparet enim deduci hoc nomen à verbo πρήθειν vel πρῆσαι, quod non solùm vrere, sed etiam flare & spirare, sicut φυσᾶν, significat: vt inde factum verbale nomen πρῆστις & πρηστὴρ, idem quod φυσητὴρ sonet. quamobrem & fulminis non omnino igniti genus πρηστῆρα physiologi Græci nuncupant, vt Aristoteles in libro de mundo ad Alexandrum: Τὸ δὲ ἀστράψαν ἀναπυρωθὲν, βιαίως ἄχρι τῆς γῆς διεκθέον, κεραυνὸς καλεῖται. ἐὰν δὲ ἡμίπυρον ᾖ, σφοδρὸν δὲ ἄλλως καὶ ἀθρόον, πρηστήρ. ἐὰν δὲ ἄπυρον ᾖ παντελῶς, τυφών. Item ab initio libri 3. de Meteoris: Ὅταν δὲ κατασπώμενον ἐκπυρωθῇ (τὸ πνεῦμα,) καλεῖται πρηστήρ. συνεκπίμπρησι γὰρ τὸν ἀέρα τῇ πυρώσει χρωματίζων. Olympiodorus ventum semper & præcedere, & comitari, & sequi presterem docet. Videntur quidem authores presterem non pro fulmine aliquo, sed turbine & vento vehementiore (vt à πρήθειν vel πρῆσαι, tum potiùs φυσᾶν quàm πιμπράναι aut καίειν significante, deriuetur) vsurpare, sicut & typhônis nomen, quod tamen philosophi similiter fulminibus adnumerant. Dicit Nearchus ὀρθῶσαι ὕδωρ ἄνω ἀναφυσώμενον ἐκ τῆς θαλάσσης, οἷά περ ἐκ πρηστήρων βίᾳ ἀναφερόμενον, Arrianus de cetis loquens. & similiter Ælianus: Ὡς πολλάκις, ὅταν ἀναφυσήσῃ τοῖς μυκτῆρσιν, ἐς τοσοῦτον ἀναῤῥιπτεῖν τῆς θαλάττης τὸ κλυδώνιον, ὡς δοκεῖν τοῖς ἀπείροις πρηστῆρας εἶναι ταῦτα. His verbis vterque de physeteribus loquens, & verbo ἀναφυσᾶν vtens, & nomine πρηστὴρ, quodammodo innuit eandem beluam, eadémque nominis ratione, & prestin & physetêrem dici. Rursus Aristoteles de flatuum vehementium & repentinorum differentiis ad Alexandrum: Ἀναφύσημα δὲ γῆς πνεῦμα ἄνω φερόμενον, κατὰ τὴν ἐκ βυθοῦ τινος ἢ ῥήγματος ἀνάδοσιν. ὅταν δὲ εἰλούμενον πολὺ φέρηται, πρηστὴρ χθόνιός ἐστι. vbi πρηστὴρ χθόνιος à Budæo vertitur terrestris turbo: ab Alcyonio, terrestris turbo accensus, quod vix probârim: ab Apuleio, procella. Ego, cùm ventum vehementiorem significat, turbinem simpliciter dixerim, siue is è nubibus erumpat, vt sit turbo sublimis: siue è terra, vt sit terrestris: cùm fulminis speciem, turbinem accensum, ad differentiam typhônis: quod Aristoteli fulminis genus est non ignitum: etiamsi à verbo τύφειν, quod vrere significat hoc nomen factum videatur:

Πρηστήρ.

Typhon. & grammatici quidam typhônem, flatum ignitum interpretentur. τυφῶν ἐστιν ἡ τοῦ ἀνέμου σφοδρὰ πνοὴ, ὃς καὶ κυκλώδων καλεῖται: ἢ παρὰ τὸ τύφος, (ὅ ἐστιν ἔπαρσις,) τυφῶν, οὐχ ἡ φλὸξ ἐκ τοῦ ἀέρος, ἀλλ' ἡ ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως συστροφὴ, τὸ δὲ ἐκπυρωθῆναι, ὡς Πλάτων ἐν Φαίδωνι, Varinus. Latinè vorticem procellosum & euerberantem interpretatur Budæus, etymologiam aliam insinuans, παρὰ τὸ τύπτειν. Aristoteles τυφῶνα (inquit Olympiodorus) vocat quasi τυπῶνα, eò quòd vehementer feriat & rumpat (seu findat) corpora solida. nautæ siphonem, σίφωνα, inde quòd siphonis instar aquam maris emittit, (ἀνασπᾷ absorbet, Io. Bapt. Camutius.) Alexandrini vernacula voce ἀνεμόσυειν, διὰ τὸ ἐοικέναι κυκλανέμοις γυναικείοις, ἅπερ ἀνεμόσυειν καλοῦσιν ἐπιχωριάζοντες. Homerus θύελλαν huiusmodi vorticem, medici similem affectum in intestinorum anfractibus βορβορυγμόν. Plura ibidem leges: & in his verbis: Οὐδὲν γὰρ ἕτερόν ἐστιν ἐκνεφίας, ἢ τυφῶν ἀνίνεμος: καὶ τυφῶν οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ἐκνεφίας ἀπειλημένος: pro ἀνίνεμος repones ἄνετος, si quid ego video. Angli ventum huiusmodi vorticosum, (ἕλικα καὶ συστροφὴν ἀνέμου,) corpora obuia sæpè eleuantem, vocant a Whirlewind: sicut & physeterem, aut similiter ei vndas reflantem beluam, vt diximus, a Whirlepoole. Πνοαί τε ἀνέμων καὶ τυφώνων, Aristoteles ad Alexandrum. Πρηστὴρ, εἶδος κεραυνῶν, ὁ καὶ πυρὸς (fortè πυρόεις, vel ἡμίπυρος, nisi plebeium sit vocabulum) λεγόμενος, ὃς καταφερομένου τοῦ πνεύματος καὶ ἐκπυρωθέντος γίνεται, Varinus. Πρήθειν, τὸ φυσᾶν: οἷον ἐν τῷ, Ἐν δ' ἄνεμος πρῆσεν μέσον ἱστίον, quod frequens est apud Homerum. Πρήθω, τὸ καίω, παρὰ τὸ πρῶ, ὃ ἐκ τοῦ πυρῶ κατὰ συγκοπὴν λέγεται. Sed à πρῶ etiam fit πρῶ per syncopen in alia significatione, pro conficio: vt in πρήσσωμεν ὁδοῖο, ἤγουν διαπεράσωμεν τὴν ὁδόν. πρήσω enim futurum fit tum à πρῶ, tum à πρήθω, Ex Eustathij in Homerum indice. Prester igitur cum fulminis species est semiignita, & semper coniuncta cum vento, aptissimè à πρῆσαι deriuatur, verbo vtranque eius vim, & flatum & ardorem exprimente. A πρῶ nimirum etiam πίμπρημι fit, quod etsi grammatici pro vrere tantùm interpretentur: videtur tamen authoribus aliquando idem quod πρήθειν vel πρῆσαι significare, nempe inflare, distendere. Ὁ ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ φύσαλος, ἔξω τοῦ κύματος γινόμενος, οἰδαίνει. καὶ εἴ τις αὐτοῦ ψαύσῃ, ὁ δὲ ἔτι καὶ μᾶλλον πίμπραται. καὶ εἴ τις ἐπιμείνῃ ψαλάττων, γίνεται πᾶς ὑπὸ σήψεως διαυγέστατος, ὡς ὑδεριῶν: εἶτα τελευτῶν διεῤῥάγη, Ælianus. in quibus verbis veluti per gradus quosdam

quosdam physalum pisciculum primò intumescere dicit, deinde πίμπρασθαι, hoc est, distendi: postremò διαῤῥήγνυσθαι, disrumpi. Πρᾶν vel πρῆσαι, nostri verbo simili brennen dicunt, id est, vrere. Physemata seu bullæ ardoris vi primùm in animalium corporibus excitatæ, postea etiam nimia distentione rumpuntur. Buprestis insectum nomen inuenit, quòd venenum eius animalia valdè distendat & inflet. Πρηστὴρ apud Pollucem videtur accipi pro anteriore colli parte suprema in medio prominente, eodem situ quo prolobus vel πρηγορεών, id est, ingluuies Latinis dicta in auibus est. Verba eius adscribam: Ὑποκειμένης δὲ κατὰ τὴν κοιλότητα τῷ τραχήλῳ τῆς φάρυγγος ἔνδοθεν, τὸ ἔξωθεν ὑπὸ τὰς ὀργὰς ὑπὸ τοῦ φυσᾶσθαι πιμπράμενον καὶ ἀνοιδούμενον πρηστὴρ ὀνομάζεται: τὸ δὲ ἐν μέσῳ πρηστήρων τε καὶ φάρυγγος, ἀγχτήρ. Presterem nostri pomum vulgò vocant, inter hoc & fauces siue mentum, ἀγχτὴρ est. Πρίειν δὲ λέγεται τὸ πρίζειν. οἱ δὲ πρίσται τομεῖς ἂν καλοῖντο, Pollux. vnde coniicimus πρίστις in fœmin. genere idem esse quod πρίων. in masculin. autem πρίστης, significare hominem ipsum qui serra vtitur. Φυσᾶν verbum per onomatopœiam factum est, à sibilo quem flatus suo meatu, præsertim per angustum eluctans, ædit: vt nobis etiam Pfysen/Pfüsen. fortè & siphon instrumentum similiter, hoc est, vel simpliciter per onomatopœiam, vel quasi physon, literarum aliqua transpositione, & ypsili in iota mutatione. Satis iam confirmasse mihi videor quod propositum erat, prestin videlicet cetum, tum nomine, tum natura, eundem, vel maximè cognatum, physeteri esse. Sed obiiciet mihi aliquis frustrà hæc omnia, (quæ tamen non mea commenta, sed authorum testimonia sunt,) à me allata. quoniam non πρῆστις, sed πρίστης potius vel πρίστις, per iôta in prima probè scribatur: & sic Plinius quoque legisse videatur, qui transtulerit serram. Huic ego licet magna ex parte per ea quæ iam exposui, satisfactum iri existimem: ampliùs respondebo. maiorem esse Græcorum authoritatem, quàm Plinij & aliorum Latinorum, in iis quidem quæ hi ab illis transtulerunt. *Serra.* Aut igitur Plinius serræ nomen à Græcis non transtulit: & aliud quodpiam marinum animal, non prestin pristínve intellexit: (in qua sententia Hermolaus fuit: &, vti coniicio, Gaza quoque, qui Græcum pristes relinquere voluit, non serram conuertere. Quanquam verò [inquit Hermolaus] pristis Græcè serram significat, aliud tamen genus piscis est serra quàm pristis.) Aut si animal idem putauit, Græcè forsitan vel non rectè scriptum hoc nomen legit, πρίστις: vel rectè quidem πρῆστις, sed vim vocabuli non intellexit. At diuersa potiùs animalia Plinium nominibus istis diuersis proximè inuicem vsurpatis accepisse crediderim. Libro nono enim cap. 2. de rerum in mari varietate loquens: Rerum quidem (inquit) non solùm animalium simulacra (in mari) esse, licet intelligere intuentibus vuam, gladium, serras. Mox autem sequenti capite: Plurima & maxima in Indico mari animalia, è quibus balænæ quaternûm iugerum, pristes ducenûm cubitorum. Video Rondeletium exhibuisse cetum rostro serra insigni, quem pristin interpretatur. sed pristin tale habere vel rostrum, vel partem aliam serræ similem, nullus authorum scripsit: de serra etiam Plinij, neque an cetus sit constat: neque an corpore toto, an parte duntaxat aliqua serram referat. Scolopax Rondeletij radium caudam versus planè serratum habet, eúmque ego potiùs serram appellarim quàm eiusdem pristin. serra in eo est aculeus longus, durus, præacutus, altera tantùm parte serratus, denticulis planè serram referentibus, vtpote contiguis basibus, quæ latiusculæ sunt: cùm in rostro, quod Rondeletius pingit, maiora sint quàm serræ conueniat interualla, & latus vtrinque denticulatum. Est & pastinacæ siue aquilæ piscis species, caudæ radio fermè serrato: quam tamen ego serram haud nominârim.

Os etiam illud denticulatum quod Rondeletius cetaceo corpori, ad coniecturam nimirum à se effictum, (nam authorem nullum affert, & peregrinum esse fatetur animal,) ceu rostrum præfigit, vidi aliquando Francfordiæ: vbi & iconem hanc eius delineandam mihi curaui: (cui Bellonius quoque simile pictum dedit.) Mercator qui habebat, nulla ratione lacertam marinam nominabat. Os erat latum circiter tres digitos, linguæ quadam effigie, vna parte album, altera cinereum, duobus dodrantibus paulò longius: vtrinque dentatum dentibus triginta. Bellonius substantiam per medium ferè cartilagineam esse scribit, & flexilem: vnde nimirum piscem etiam ipsum cartilagineum esse coniicit, sed cetaceum, & serræ nomine antiquis vocatum: cum Plinius (qui solus veterum serram nominat) neque magnitudinis neque formæ, suæ serræ meminerit. In Medera insula Noui orbis aquaticæ serræ sunt, quibus in assamenta secantur ligna, Aloysius Cadamustus Nauigationis suæ capite 6. videtur autem de serris iisdem, quibus de nunc scribimus, sentire. Inutilis est piscis quem viuellam vocant, quanuis magnus: nam caro eius haud iucunda est: forma tamen mirabilis est hic piscis: vt qui ensis imagine cartilagineum quoddam in fronte ferat, palmorum quatuor longitudine, aut etiam ampliùs: ab imo vsque ad supremum dentatum acutis robustisque dentibus, Cardanus. Aliud est autem rostrum piscis esse, aliud in fronte ferri. quòd si cartilagineum est, ceto non conuenit, sed cartilaginei generis pisci. Serras beluas marinas cute aspera tectas, vidi ex eo nomen trahentes, quòd serræ speciem similitudinémque quandam gerant. nam ex fronte os vnum eminet, longum, planum, rectum, tanquam ensis, in modum serræ dentatum, Gillius. Lusitanus quidam visa apud me icone, pesce Serra mihi appellabat: addebat spinam dorsi esse, quod non crediderim. alius quidam balænæ linguam nominabat. Louanij in domo publica serpentem pendere audio, tali insignem lingua, arte nimirum sceleto inserta. Dentes aiunt ferè lapideos esse, coloris cinerei, & vendi seorsim, quasi contra morsus serpentium efficaces.

Redeo ad prêstim: eiq; nomen inditum puto, similiter vt physeteri, à flatu: siue quòd aquam suis fistulis reflant, & in altum eiaculantur: siue quòd respirantes ventum in aëre moueant, & in vndis fluctus. Cæterùm ne quis in Oppiani versibus erratum fortè librariorum suspicetur, quod scribitur πρῆστις: animaduertat epitheton δαφοινὴ, id est cruenta vel sanguinaria, genere fœminino appositum: cùm masculinum esse oporteret, si πρίστης, vt apud Aristotelem, scriberetur.

---- ἐν δὲ δαφοινὴ Πρῆστις, ἀταρτηρῆς τε δυσαντέα χάσματα λάμνης.

vbi carminis etiam ratione πρίστης duabus longis admitti non posset: πρίστις quidem cum iota in vtraque syllaba posset, vtpote trochaicum & fœmininum nomen. sed quorsum mutemus, cùm Ælianus quoque & Suidas ita legerint? & similiter Eustathius, cuius hæc sunt verba: In Lycia erant ἰχθυομάντεις: παρ' οἷς ὁ ἱερεὺς χρησμοὺς ἐδίδου ὀρφῶν φαινομένων, ἢ φαλαινῶν, ἢ πρηστίδων μεγάλων τε καὶ πολλῶν. Locus sumptus est ex octauo Athenæi, vbi tamen πρίστεις leguntur. Videtur quidem apud Suidam prêstis cum maltha confundi,

vt in Maltha monui. Βατίδες, ζύγαιναι, πρήστεις, Epicharmus in Nuptiis Iunonis. vnde apparet duplicem huius nominis apud Græcos inflexionem esse, vt à recto πρῆστις genitiuus sit vel πρήστιος vel πρήστιδος. Physeter pro animali apud Aristotelem nunquam, sed pristes nominatur. ab Oppiano, Æliano & Suida physali (physeteres interpretor) & prestides simul inter cete nominantur: & pro diuersis eos habuisse has beluas, obiici mihi potest. quod vt concedam, nondum tamen prorsus euersa est sententia mea, qua physeterem prestidi vel eandem vel omnino cognatam esse belluam dixi. Suidæ nulla authoritas his in rebus. sua huiusmodi ferè ex Æliano & aliis transcripsit: Ælianus & hîc & alibi plerunque in his quæ ad piscium historiam pertinent, Oppianum sequitur. itaque tres illi nobis oppositi authores ad vnum redigentur Oppianum: cui non inuitus concedo de parte sententiæ meæ: partem retineo, cognatum duntaxat esse prestidi physeterem: & fortè plus quàm cognatum, vt physeter in Gallico Oceano, non alius quàm Indico prestis sit: quòd & Plinius ferè innuit, his verbis: Maximum animal in Indico mari pristis & balæna est, in Gallico Oceano physeter, &c. E balænarum quidem genere physeteras esse Rondeletius assentitur. quibus si prestis etiam, vt mihi videtur, affinis est, non erit cetus vel piscis ille, quem rostro oblongo serratóque longè dissimilem balænis pro prestide pingit. Verùm hæc omnia exercendi me magis, & vocabula quædam authorúmque loca illustrandi gratia, quàm vt quicquam prorsus assererem, proposui: & finem faciam, postquam pauca adhuc ex Latinis authoribus de hac belua addidero. Quæ pilo vestiuntur, animal pariunt, vt pristis, balæna, vitulus, Plinius. sed pristis, balæna, & alia quædam, licet animal pariant, pilosa non sunt: vt corruptus hic Plinij locus & emendandus sit: quemadmodum Rondeletius ostendit in Balæna C. In maxima dignatione operum è marmore Scopæ artificis, Cn. Domitij delubra, in Circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis, atque Achilles: Nereides supra delphinos, chorúsque Phorci & pristes, ac multa alia marina, Plinius 36.5. Sæuas pistres, & æquoreos canes, Pædo dixit, vt Seneca citat Suasoria 1.

Hunc (Auleten, & eius naues) *vehit immanis Triton, & cærula concha*
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert: in pristin desinit aluus.
Spumea semifero sub pectore murmurat vnda, Vergilius 10. Æneidos.

Et alibi: ---- *postrema: immani corpore pristis*,



de Scylla monstro. aliâs pistrix, aliâs pristes legitur. Pristes (inquit in Indice suo Vergiliano Erythræus) beluæ sunt marinæ. Dicitur & pistrix, pistricis, per x. & r. post t. Ciceronis auctoritate, qui in Aratum ait: *Andromedam tamen explorans fera quærere pistrix.* & alibi, Sparsam (Spiniferam) subter caudam pistricis adhæsit. Quatuor item aliis ex eodem loco recitandis testimoniis supersedimus, quia hæc duo satis esse visa sunt, in re præsertim (vt mihi videtur) non dubia. Hoc igitur signum cœleste cetum Græci, & vulgus astrologorum nominat. Higynus item apud nos pistricem: quam & pristicem Pontanus in Dialogo, cui Actio nomen est, memorare non dubitauit. Hanc eandem esse cum pristi, ex eo etiam facilè est intelligere, quòd Plinius nunquam pistricis, sed pristarum (*pristium potiùs in genitiuo plurali: nam Plinius semper pristes nominat*) quatuor in locis meminit, earum coniuncta mentione cum balænis: quæ quia (vt puto) inter se magnitudine ferè æquantur, inde quidam, quod Pompeius (Festus) libro 2. refert, Balænam beluam marinam, ipsam dicunt esse pistricem, ipsum esse & cetum. quanquam Plinius à balæna pristas (*pristes*) semper diuersas accipit. Quo magis miror Nic. Perottum Cornu copiæ authorem, eodem in libro posteaquàm eorum ineptias meritò satis irriserat, qui pistrin, non pristim scribunt: pistricem dici posse non admittere. Ab huius autẽ beluæ similitudine pristim quoque appellauit nauim Virgilius. quare & naturæ feræ, & naui simul vnde appellata est, satisfaciens, pristin velocem dixit, & immani corpore appellauit. sicut etiam alludens ad etymon, (à Seruio positum,) ait: sic ipsa fuga secat æquora pristis: Vt minùs scitè distinguat Honoratus, quum scribit, Seruius: Si nauem intelliges, hæc pistris, huius pistris facit: si de belua, hæc pistrix, pistricis. Sed bone Serui, grammaticorum coryphæe, Chimæra, Scylla, & Tigris, cum eadem nomina nauium sunt apud poëtam, nónne voluit ea cum suis monstris & beluis, à quibus sunt appellata, in omnibus conuenire? An non cùm belua hæc ex mari, vt apud Higynum & Aratum est, pro signo in cœlum relata est? nomen quoque, quod supra ex Cicerone didicimus, marinæ pistricis retinuit. Quid, tot illa alia cœlo collucentia signa, quibus ipsum & pingitur & illustratur: nónne ex terris in cœlum, prout erant earum rerum, quas figurant, nomina, sustulerunt? &c. Pistricem autem sunt qui velint eam esse beluam, quam vulgò Capidolium, de olei copia, quod caput eius exprimentibus vberrimè reddit, Hactenus Erythræus. Quoties Aratus κῆτος habet, à Cicerone semper vertitur pistrix, Perionius. Et fera pistrix Labitur, Cicero ex Arato. Et rursus: *Neptunia pistrix Tota latet* Vergilius quinto Æneidos pristis pro naue quater dixit, in nominatiuo, genere fœmin. & semel pristim in accusandi casu. De priste belua mar. Polycharmus etiam & Athenæus (*non Polycharmus, sed Epicharmus apud Athenæum πρήστιας nominat tantùm. apud eundem πρίστις tanquam poculi nomen non etiam beluæ, legitur, quantum memini*) mentionem faciunt. sic autem à sectione vndarum appellatur (*Seruio: sed nullius veterum authoritate munito.*) scindit enim mirum in modum flu-

ctus

ctus propter tenuitatem. constat nanque longissimo, sed angusto corpore. à cuius quoque forma nauigij quoddam genus longi corporis & angusti pristis appellatur, Massarius. nos suprà Curtij verba retulimus, de cetis nauium instar, quos alij physetêras appellarunt. quod ad etymon, nauim à beluæ quadam similitudine dictam putârim, non autem quòd fluctus ab ea ceu pristi, id est, serra diuidantur. σχίζεται γὰρ μᾶλλον ἢ πρίζεται ὑπὸ τῶν νεῶν τὸ ὕδωρ. Multò minùs verò beluam ipsam, vt Massarius putauit, à sectione vndarum vocatam concessero: nec corpus ei angustum & tenue esse: verisimilius enim est in tanto corpore suam crassitudinis ad longitudinem seruari proportionem. Bayfius in libro de re nauali: Non omittemus (inquit) pistrim, cuius mentionem factam videmus à Polybio. Liuius etiam meminit quintæ decadis quarto volumine, his verbis: Perseus post reditum ab Eumene Erepontis spe deiectus, Antenorem & Calippum præfectos classis cum quadraginta lembis (adiectæ ad hunc numerum quinque pistres erant) Tenedum mittit. Pistris autem terno remorum ordine agebatur. Virgilius in quinto pistrim pro cognomento indito triremi posuisse videtur: *Velocem Mnestheus agit acri remige pistrim.* Subdit enim: *Pristis nauis.*

Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi,
Ingentemq; Gyas ingenti mole Chimæram,
Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Neque enim fuisset æqua & par contentio, si pistris illa paucioribus aut pluribus remis acta fuisset quàm Chimæra, cui Gyas præerat. Polybius pristin vocat r. litera transposita, lib. 18. Ἐπελθόντος δὲ τοῦ τεταγμένου καιροῦ, παρῆν ὁ μὲν Φίλιππος ἐκ Δημητριάδος ἀναχθεὶς εἰς τὸν Μαλιέα κόλπον, πέντε λέμβους ἔχων καὶ μίαν πρίστιν, ἐφ' ἧς αὐτὸς ἐπέπλει, Hæc Bayfius. Gyraldus in libro de nauigiis, pristin mauult quàm pistrin scribere. Nauis (inquit) huius nominis meminit Polybius seu Brutus, qui ex eo Epitomen confecit, libro 16. vbi de Philippi nauibus agit contra Attalum: Fuit (inquit, vt meis verbis exponam,) earum quæ cum Philippo fuerant nauium multitudo in certamen constituta, cataphractæ tres & L. cùm his verò aphractæ & lembi, cum πρίστεσι CL. Claudius rerum Romanarum: Nauigium ea forma, à marina belua dictum est: vt citat Nonius, qui pristin nauigij genus dictum scribit à forma pristium marinarum, quæ longi corporis sunt, sed angusti. Cæsar Germanicus in Arato, pro ceto pistris conuertit: Pistris agit duo sydera. Idem Æquora pistris adit. Poculorum genera sunt, τραγέλαφος, πρίστις, βατιάκη, λαβρώνιος, in Diphili Pithrausta apud Athenæum.

De ceto Britannico (quem exhibui suprà pag. 212.) dubitabam an esset pristis, quòd ingens & oblongo corpore belua sit: & laminæ corneæ, quibus os eius dentium loco exasperatur, quandam serræ speciem præ se ferant. quanquam autem Plinius pristes in Oceano Indico maximum facit animal, in Gallico physeterem: suprà tamen ostendimus, physeteres etiam in india reperiri, nisi quis pristes illic sic appellet, à similitudine naturæ: & prestides in Gallico quoque Oceano, si modò à physeteribus differant, apparere, siue natas illic & frequentiùs: siue rariùs aliunde appulsas, quid vetat? Sed postea cùm hæc verba in descriptione beluæ à Polydoro posita, [Nulli illi fuêre dentes. Palato adhærebant quasi laminæ corneæ, vna ex parte pilosæ,] cum illis Aristotelis, [mysticetus dentes in ore intus non habet, sed pilos suillis similes,] contulissem, Mysticetum Aristotelis esse suspicari cœpi: cuius iconem Rondeletius exhibuit, à Ceti Britannici quidem icone diuersam, descriptione verò conuenientem. nam & illum reprehendit, qui oculos bubulis maiores in hoc ceto esse negauit: quod Gillius in eiusdem ceti Britannici descriptione fecit, &c. Hoc non conuenit, quòd Rondeletius (nescio quàm rectè) fistulam suo negat, Polydorus verò de ceto Britannico: In capite (inquit) duo magna foramina erant, per quæ putatur beluam plurimam aquam veluti per fistulas eiectasse. Sitne igitur prestis, an physeter, an mysticetus, Britannicus ille cetus, an horum nullus, sed vni alterive fortè cognatus, discutiant eruditi quibus aliquando erit occasio. interea dubitationes hæ nostræ ad veritatem inquirendam momenti alicuius & principij saltem rationem habeant.

Serra dicta est quia serratam habet cristam, & subtus natans nauim secat, (vt intrante aqua, homines astutia dolosa mergat, eorúmque carnibus satietur, Author de nat. rerum,) Isidorus. Serra est marina belua, (ingens, pinnis latissimis, Autor de nat. rerum) pennas habens immanes: quæ cùm viderit in mari nauem velificantem, eleuat pennas suas & contendit velificare cum naui, (in contrarium nauis, contra ventum, Albertus.) vbi autem cucurrerit stadiis xxx. vel xl. laborem sustinens, deficit, & pennas deponens ad se trahit, Physiologus, & Albertus: & Græcus quidam recentior obscurus à quo πρίων hoc animal nominatur.

DE PRISTE, RONDELETIVS.

Nos nostram de eo sententiam proximè retrò in Corollario de Physetere protulimus.



Pristis

Pristes cete est, fistulam habet, & statim animal generat, Aristot.

A B (F) INDI cetaceum quendam piscem norunt, quem viuellam nonnulli appellant, qui insuaui est carne, & cibo inutilis, mirabili forma, maximè ob rostrum, quod valde longum est, osseum: vtrinque aculeatum, infixi sunt, latum, tenue, cute aspera, cinerea. Huiusmodi rostrum misit ad me Guinus Pisanus doctor peritissimus. Vidi aliud Massiliæ, quod mercator ex longinqua nauigatione attulerat.

A Ego in ea semper fui opinione, beluam hanc antiquorum esse πρίστιν: quam Plinius & Gaza non mutato vocabulo Græco pristem nominant, vt dicatur ἀπὸ τοῦ πρίειν, id est, à secando, πρίστης sector & serra: & cetaceus piscis, à rostro simili serræ vtrinque secanti, idem fortasse cum eo, quem Latinè vno loco serram Plinius vocauit.

Lib 9. cap. 2. Contra Bellonium.

Nescio qua ratione impulsus autor libri de aquatilibus pristem calderonum vocet: nam si anteriorem capitis partem fundo cacabi persimilem habet, vt ille ait, qua parte πρίειν, id est, secare dicetur? nam ideo πρίστης nominatur, & à beluæ similitudine nauis oblonga dicta est pristis. Vergilius Æneid. 5.

Velocem Mnestheus agit acri remige pristim. Vbi Seruius: Pristis à sectione vndarum dicta est: scindit enim mirum in modum fluctus propter tenuitatem. Græci autem πρίσιν sectionem, πρίστην sectorem dicunt.

DE SERRA MARINA BELLONIVS.

Serram (vt Xiphiam, aut Gladium) appellauerunt antiqui cetaceum ac cartilagineum piscem, magnæ interdum molis: cuius capiti quoddam veluti rostrum adnascitur per medium latum, in mucronem desinens: ad latera in multos veluti dentes vtrinque serratum, in quo à Xiphia præcipuè differt. Est enim huic plana tantùm, & nullis dentibus distincta excrescentia. Proindè Serra, Indico ac magno mari frequens est, nostris litoribus ignota: imò neque antiquis, nec etiam nostris hominibus, præterquam solo rostro (quod à mercatoribus isthuc affertur) vsquam comperta. Id autem est longitudinis interdum tricubitalis, sesquipedalis autem latitudinis, per medium planè cartilagineum ac flexile: asperiuscula, cáque subcinericea cute contectum: ad cuius latera octo & quinquaginta dentes propemodum osseos connumerare possis. Sunt qui Serpentis linguam vulgari quodam errore nominant.

DE ALIO CETO OCEANI, QVEM BELLONIVS *Pristim putat, Galli vulgò Calderonum nominant.*

A Secundum à Balæna locum obtinet, qui veteribus Pristes, nostris Calderonis dicitur: his quòd anteriorem capitis partem fundo cacabi persimilem habeat: illis verò, quòd quemadmodum serpens, qui Pristes dicitur omnium suigeneris serpentium teretior, ac pro longitudine corporis crassior sit: sic & hic Calderonus inter cæteros sui generis pisces talis esse conspiciatur: omnino enim Balænam refert, nisi quòd corpore est magis tereti, neq; ita oblongo.

B Pristes duo postremis annis allati sunt Lutetiam, quorum alter nongentas libras grauis, populo Parisino vænit: alter Francisco regi oblatus, atque ab ipso sui corporis custodibus Heluetiis dispersus, permultos in summam admirationem adduxit. Huius igitur piscis cum talis sit cutis, adeps, caro, lingua, pulmones, eiusdemque ad esum, & victum naturæ, vt Balænam commentitur: nihil prætereà subiungere possum, quod non in Balæna dictum fuerit, atque in Orca & Delphino rursus explicaturi simus. Hoc à Balæna differt, quòd nullas prætenturas habeat, neque tam vasta corporis mole, figuráque sit magis tereti. Itaque ex superiore pictura nouam aliquam apud te confingere poteris, quam tibi proponas, Hæc Bellonius.

Calderonum à Gallis dictum (quem Gillius physeterem existimat, quòd plurimum aquæ eructet) Rondeletius hoc tantùm argumento pristem esse negat, quoniam rostrum ei crassius obtusiúsque (anterior scilicet rostri pars fundo cacabi persimilis) à Bellonio tribuatur, quàm vt eo aquas secare possit: quod tamen veterum nemo de pristе scripsit. Alias igitur causas quæremus, cur non sit pristes: ex quibus vna fortè fuerit magnitudo, Calderono non tanta, quanta in pristе requiritur. altera quòd Calderoni in Oceano Gallico non infrequentes sunt: pristin verò Plinius in Indico mari maximum animal facit, in Gallico oceano physeterem. Verum hæ coniecturæ potiùs quàm validæ rationes contra Bellonij sententiam sunt: validiores tamen quàm vnica illa, quæ vt Calderonum pristin faceret, cum induxit: nempe nomen pristæ serpenti commune, cuius formam quoque corporis teretiorem, próque longitudine sua crassiorem, quàm in aliis serpentibus, Calderonum referre ait. Ego verò tale nihil quicquam à veteribus proditum reperi: nec pristem serpentem vllam legi, sed presterem. Prester serpens (inquit Wottonus) alius videtur quàm dipsas. hic si quem percusserit, distenditur, enormíque corpulentia necatur extuberatus. Huius exemplum præclarum est apud Lucanum Narsidius à prestere percussus. At Ælianus, Dipsadem (inquit) audio ab aliis prestерem vocari, aliis causonem, &c. de animalibus 6. 51. Idem libro 17. cap. 4. quæ signa & symptomata ab hoc serpente morsos sequantur, edocet. Bellonij sententiam ampliùs confirmaret nostra, sed ne ea quidem satis: prestin & nomine & reipsa physeterem referre: & quoniam physeter præ cæteris aquas eructat, idémque Calderonus facit, poterit aut physeter, vt Gillius putat, aut prestis videri. Sed rem in medio relinquamus.

Prester serpent.

PHYTARVS apud Plinium in Catalogo piscium, libro 32. cap. vltimo, (vt Wottonus & Rondeletius legunt. editio nostra iôta habet in prima,) dictionem corruptam esse non dubito. nam & ab alio nemine nominatur: & Grammatici negant in duabus syllabis proximis intercedente vocali, duas ex densis consonantibus scribi posse. Citharus quidem superiùs ab eo nominatus erat: & hoc in loco nomen aliud, similiter à p. litera incipiens, tractationis ordo postulat: vt sunt, Pysgrus, Pforus, Pforopetalus, Pscen: nam & hæc piscium nomina hoc elemento initiali scribenda, Plinius omisit.

PHYXICINVS nominatur apud Athenæum libro 9. cum aliis piscibus: φυξίκιν@· ἴλι@·, κοραξῖν@· ἴλι@·, ἠλακατίν@·, &c.

PICA

PICA Κλωσὰ, auis est & piscis, Hesychius.

PICVS vel PIGVS vulgò dictus piscis in Verbano & Lario lacubus, descriptus est suprà, inter Cyprinos, pag. 315. Sed à Gallis quoque marinus quidam piscis vulgò sic nominatur: de quo Bellonij verba subiiciam. Inter saxatiles pisces, quos Massilia Roquaux vocat, vnus est colorem habens varium, ad Cynedum propius accedens, qui vulgò Vn Pic, vocatur. Sed quum multa in eo non obseruauerim, pauca hæc dixisse satisfuerit. Frequens inter saxatiles pisces Massiliæ reperitur. Nostri & Hispani Pelamydem Sardam Bize nomine communi cum amia ob similitudinem vocant, nonnulli Pigo, Rondeletius.

DE PINNA MAGNA, RONDELETIVS.



IN CONCHARVM classe censendæ sunt Pinnæ & Pernæ: ex duabus enim testis componuntur. à Mytulorum figura non multùm alienæ sunt. (Byssо alligantur.) Cancri in his nascuntur, vt in Mytulis gurgitum. Dicemus autem primùm de pinna magna, ex qua reliquæ dignoscentur. A

Pinnam Latini vocant, seruata Græcorum appellatione, à quibus Πίννη & Πίννα dicitur, fortassè à sordibus, quibus semper obducta est. πίν@ enim sordes significat & πιναρὸς sordidum. A Massilienſibus Nacre vocatur, à Genuensibus Pinna lana ob byssum: à Venetis Astura nomine communi aliis multis conchis. B

Pinna duabus grandibus patula est conchis, ad cubiti magnitudinem accedit, tantam Romæ vidi. Hac paulò minorem mihi Pisis ostendit Guinus medicus præstantissimus. In nostro litore pedali sunt magnitudine. Mytulis quodammodo similis est, nisi quòd strictiorem partem multò magis acutam & longam habet, quoniam in arena vel in cœno affixa viuit. Testa foris est aspera, colore fusco, intus nitidi & argentei splendoris, si in arena vixerit Pinna: si in cœno, colore est magis flauescente, & minùs splendente. Ab inferiore & strictiore parte in amplam latitudinem extenditur: illic arctissimè clauduntur testæ, hîc facilè diduntur. Intus multum est carnis, cuius omnes ferè partes indiscretæ sunt, veluti in Mytulis. Pinnæ in arenosis & cœnosis locis proueniunt, ex byssо alligantur. Est autem byssus hîc mollissima & delicatissima lana, dicta à similitudine eius ex qua diuitum pretiosissimi panni conficiebantur: vt de diuite in Euangelio legitur, qui induebatur purpura & byssо: quo in loco quidam ineptissimas interpretationes finxerunt. Pinnarum byssus à Mytulorum byssо tàm differt, quàm stupa cannabina à tenuissimo & delicatissimo serico. Eius magnitudo Pinnarum magnitudini respondet: in maximis enim pedem vnum longus est, in aliis breuior. Eius vsus est non vt eo alimentum trahatur, *(vt Bellonius sentit,)* neque vt per id capillamentum limus ac spurcitiæ attrahantur: nam circa os positus non est, sed veluti è medio ventre neruosæ substantiæ alligatur: Prætereà superiorem & latiorem partem aperit alimenti hauriendi causa, & recludit. Quis est igitur byssi vsus? Eum sic docet Aristot. libro 5. de historia cap. 15. Αἱ δὲ πίννεαι ὀρθαὶ φύονται ἐν τῷ βύσσῳ ἐν τοῖς ἀμμώδεσι χωρίοις βορβορώδεσι. Pinnæ rectæ locis arenosis cœnosisque ex byssо proueniunt. Quo ex loco emendandus est Athenæi locus lib. 3. Αἱ δὲ πίννεαι ὀρθαὶ φύονται ἐν τῷ βυθῷ, legendum enim βίσσῳ pro βυθῷ. His addimus Pinnam byssо alligari proximis corporibus, vt firmiùs subrecta semper stet. In pinna reperitur Pinnother siue Pinnophylax. Sed quæ de Pinnæ & Pinnotheris societate fabulosa referuntur, ita refutauimus alibi, vt superuacua nunc fuerit de his oratio. C

Nunc

F Nunc de earum ſubſtantia. Athenæus: Αἱ δὲ πίνναι οὐρητικαὶ, τρόφιμοι, δύσπεπτοι, δυσανάδοτοι· ἐοίκασι δ᾽ αὐταῖς καὶ οἱ κήρυκες. Pinnæ vrinas pellunt, multùm alunt, difficilè concoquuntur & diſtribuntur. Similia autem ipſis ſunt Buccina. Paulò pòſt ſubiungit, Pinnam mediam eſſe inter Purpuras & Buccina. Huius & Buccini partes duas facit idem Athenęus, & diuerſam ipſarum naturam explicat. Cùm de Purpuræ & Buccini ſubſtantia dixiſſet, ſubdit. Ὧν οἱ μὲν τράχηλοι, εὐστόμαχοι· δυσκατέργαστοι δὲ, διὸ τοῖς ἀσθενοῦσι τὸν στόμαχον οὐκ οἰκεῖοι, δυσέκκριτοί τε καὶ μέσως τρόφιμοι. Τούτων δ᾽ αἱ μήκωνες λεγόμεναι πρὸς τοῖς πυθμέσιν, ἁπαλαὶ, εὔφθαρτοι, διὸ τοῖς τὴν γαστέρα ἀσθενοῦσιν οἰκεῖαι. Horum tracheli ventriculum *(ſtomachum)* iuuant, difficilè concoquuntur: ob id imbecillo ventriculo inutiles ſunt, aluum morantur, & mediocriter alunt. Mecones verò quæ dicuntur, in imo ſitæ, teneræ ſunt, facilè corrumpũtur, qua de cauſa iis qui imbecillo ſunt ventriculo inutiles ſunt. Hîc pro οἰκεῖον repoſuimus οὐκ οἰκεῖοι. Τράχηλον non ceruicem, aut collum cõuertimus, quo carent oſtracoderma omnia, & piſcium reliquorũ maxima pars: verùm hîc τράχηλος pars eſt in pinnis & Buccinis dura, neruoſa, ſiue callus cui reliqua caro innititur, proportione vertebris reſpondens, ob id ex ſimilitudine τράχηλον appellari puto, quemadmodum etiam mediam mali partem ſic vocari author eſt Athenæus lib. 11. Neque verò ſumi hîc poſſe pro Conchæ ſpecie manifeſtum eſt vt alibi ſumitur apud eundem Athenæum libro 3. quam Spondylium ab aliis nominari diximus. Μήκων quid ſit in Conchis & turbinatis declarat Ariſtoteles libro 4. de hiſt. cap. 4. Ἔστι γὰρ ἡ μήκων οἱονεὶ περίττωμα πᾶσι τοῖς ὀστρακηροῖς τὸ πολὺ αὐτῆς. Gaza ſic vertit: Quod papauer appellamus quaſi materia vacans, atque excrementitia magna ſui parte, in omnibus teſtaceis generibus ineſt. Et Paulò pòſt: Τὴν δὲ μήκωνα πάντα ἔχει ἀλλ᾽ οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ, οὐδ᾽ ἴσην, οὐδὲ φανεράν. Papauer omnia habent, ſed non loco eodem, nec par, nec ex æquo manifeſtum. Sunt qui μήκωνα ex Ariſtotele lib. 9. hiſt. cap. 2. pro piſcis ſpecie vſurpârint, ſed non ſine errore, vt alibi docuimus.

Lib. 18. cap. 25. — *Τράχηλος quid.* — *Μήκων quid.*

C Pinnæ ſemper ouum continent, aliquando maius, aliquando minus, pro lunari poteſtate. Ouum autem illud eſt quale in Echinis Oſtreíſque, non quod ad generationem confert, ſed quod melioris tantùm nutricationis indicium eſt, quale eſt in ſanguine præditis pingue *(Ariſtot. Vide plura in Purpuris.)* Pinnæ ſponte proueniunt. In his vniones reperiuntur in Acarnania, authore Plinio, ſed non laudati. Seniores & maiores Pinnæ duriores ſunt: minores, teneriores, pleniores. In locis tranquillis naſcuntur vento non perflabilibus, maximè vbi aqua dulcis mari permiſcetur. In locis in quibus mare fluit & refluit vix reperias: in Græcia, plurimas: in Italia, in Gallia noſtra Narbonenſi raras.

Lib. 9. cap. 35.

F Hyeme meliores ſunt, & elixæ aſſis. Sunt qui vino & aceto maceratas molleſcere aiunt, ſed flatus gignere, quod verum eſſe non poteſt, cùm vinum flatus diſcutiat: niſi ea ratione qua humidiora fiunt, flatus gignere dicantur.

DE PERNA, RONDELETIVS.



NATVRA in Concharum varietate luſit, vt ex vnius generis formis pluribus, veluti Tellinis, Oſtreis, Myacibus liquet, de quibus priùs diximus. Sic Pinnarum vnicum genus non eſt. Pinna enim altera eſt quam hîc proponimus, vt ex figura conſpicuum eſt.

A Perna à Plinio lib. 32. cap. 11. vocatur. Pernæ, inquit, Concharum generis, circa Pontias inſulas frequentiſſimæ, ſtant velut ſuillo crure longo in arena defixæ, hiantéſque qua limpitudo eſt, pedali non minùs ſpatio. Cibum venantur. Dentes in circuitu marginum habent pectinatim ſpiſſatos. Intus pro ſpondylo grandis caro eſt. (Quæ omnia in eam quam expreſſam hîc proponimus, maximè competunt, præſertim figura ſuilli cruris vnde nomen habet: dicuntur enim pernæ tam priores quàm poſteriores coxæ porcinæ ſalitæ.) Neque abſurdè quis exiſtimaverit eius generis Pinnam hanc eſſe, in qua vniones naſci ex Theophraſto tradit Athenæus lib. 3. Theophraſtus (inquit) in libro de lapidibus ſcribit ad hunc modum. Inter gemmas pretioſas margaritæ ſunt naturâ pellucidæ, ex quibus fiunt ſumptuoſiſſima monilia. Eas generat Oſtreum Pinnis ſimile, ſed minus, *(hæc verba, ſed minus, Athenæus quidem habet: ſed in vulgatis codicibus non habentur,)* tam magnas quàm eſt magnus piſcis oculus.

B Huiuſmodi Pinna parua in mari noſtro reperitur, & in ea vniones parui. Intus caro ſuperiori ſimilis,

F niſi quod trachelo caret, id eſt, media illa parte dura & neruoſa. Tota igitur intus mollior eſt, ad coquendum facilior. Hoc illud eſt quod intelligit Plinius, quum dicit: Intus pro ſpondylo grandis caro eſt: Spondylum appellans callum ſeu carnem duriorem & interiorem Oſtreorum, quo nomine alibi vſus eſt, quum loquitur de ſpecie Oſtreorum, neq; in luto capta, neq; in arenoſis, ſed ſolido vado, ſpondylo breui atq; non carnoſo, nec fibris lacinioſo, ac tota in aluo.

Spondylus.

DE PINNA PARVA, RONDELETIVS.



A B CONCHA hæc & figura, & victus ratione, & byſſo Pinnæ ſpecies eſt, magnitudine differt, & eo quòd antequam ex acuta & ſtricta parte in amplitudinem extendatur, excauata eſt.

C In cœnoſis & arenoſis viuit defixa.

F Carnem intus duram habet, quæ virus reſipit.

G Omnium Pinnarum teſtæ eandem cum Mytulorum teſtis facultatem habent.

DE BYSSO (TERRESTRI EX ARBORE, *& marino ex Pinna,) Rondeletius.*

IN ſacris Bibliis byſſi & byſſinarum veſtium fit aliquoties mentio, atque etiam in prophanorum libris. In quibus cùm Theologorum atque aliorum ſententiæ variæ ſint, conſentaneum fuerit quid de hac re ſentiendum ſit exponere. Byſſus duplex eſt, terrenus & marinus. De terreno byſſo Plinius: Asbeſtino lino principatus in toto orbe, proximus byſſino, mulierum maximè deliciis circa Elim in Achaia genito, quaternis denariis ſcripula eius permutata quondam, vt auri. Et Pauſanias prodidit byſſum non alia Græciæ parte naſci quàm in Elide, tanta tenuitate, vt ne iudaicæ quidem byſſo cedat, etiam ſi colore minùs rufet quàm Iudaica, quæ colorem & ſplendorem auri referebat. Erat igitur lini non lanæ ſpecies, ex Plinio & Pauſania, in Græcia & Iudæa naſcentis. Ex ea veſtes atque alia ornamenta contexebantur byſſina, quæ vt aurum fulgebant. Vnde illud Exodi capite. 26. Fecit & velum ex hyacinthino ſerico, purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta, cherubin fecit in ipſis opere polymito. Et mox: Fecit quoque velamen in oſtium tabernaculi ex hyacinthino ſerico, purpureo, coccino bis tincto, & byſſo torta, opere Phrygio. Iulius Pollux aduerſa de byſſo tradidiſſe videtur. Porrò byſſina quoque (inquit) & byſſus lini quædam ſpecies apud Indos. Nunc apud Ægyptios ex arbore quædam lana fit, ex qua veſtem confectam lino maximè ſimilem eſſe quiſpiam dixerit, ſola denſitate excepta: denſior enim arbore fructus enaſcitur, nuci ſimilis, duplici munitus cortice, qua dirempta, poſtquam inſtar nucis floruerit, interiùs hoc quod lanam refert eximitur: vnde ſubtegmen conficitur, ſtamen autem illi ſubtendunt lineum. Et Philoſtratus, Homines qui ſecundum Indum flumen habitant lineis amiciuntur veſtibus: etenim linum in agris plurimum naſcitur, calciamenta geſtant ex papyro, nobiliores byſſo induuntur. Byſſum verò ex arbore naſci ferunt, quæ baſi quidem populo ſit perſimilis, foliis verò ſalici. Sed animaduertendum eſt Plinium non ſolùm linum vocaſſe id quod ex herba contuſa netur, ſed etiam quod ex fruticibus & arboribus carpitur. Superior pars Ægypti, inquit, in Arabiam vergens, gignit fruticem quem aliqui Goſſipion vocant, plures Xylon, & ideo lina *(fortè lana legendum, nam & Pollux ἔριον vocat)* inde facta xylina. Paruulus eſt, ſimilemq; barbatæ nucis defert fructum, cuius in exteriore bombyce lanugo netur. Aliud lini genus facit ex arundine, aliud è geniſta, quod etiam hodie apud nos mulieres ruſticæ conficiunt. Æthiopes Indíque è malis, Arabes cucurbitis in arboribus. Quare materia omnis ſiue ex herbis contuſis, ſiue ex fructuum lanugine carpta, ad texendum idonea linum vocatur. Alter eſt byſſus marinus ex Pinna delicatiſſimus & molliſſimus, ſericę lanę comparandus, colore fuſco, à ſimilitudine byſſi Græci vel Iudaici ſic nominatus: (prius enim cognitæ ſunt diuitiæ terrenæ, quàm marinæ:) quem non dubito pretioſarum veſtium textui additum terreno.

Lib. 19. cap. 1. — *Lini vox Plinio.* — *Lib. 19. cap. 1.*

DE PINNA (MINORE) BELLONIVS.

Neſcio quam ex tribus Rondeletij Pinnis hanc eſſe dicam. videtur enim ab omnibus differre. Icon quam exhibet, ad Pinnam magnam Rondeletij accedit: niſi quòd in ſumma concha, qua latiſſima eſt paruus quidam circulus eſt, quem alius paulò maior ambit: & ab eadem parte ad imum lineæ aliquot rectè deſcendunt. per media verò linearum interſtitia, multi exigui circuli, o. vocalis qua ſcribi ſolet circumferentia paulò maiori, deinceps per interualla digeruntur. Huic picturæ ego ſimilem ferè à Cor. Sittardo quondam accepi.

Pinnarum alteram minorem, alteram autem maiorem agnoſcimus. Minor bonitate præſtat. Concharum generis ſunt. Vtraque duabus grandibus patulis conchis conſtat. Vulgarem nomenclaturam in Græcia retinent, antiquæ ferè perſimilem: quæ quòd byſſum, vel ſericum lanæ conſimile gerunt, Genuenſibus Pinnæ lanæ appellantur, Maſſilienſibus Nacre, Venetis Aſturæ. Sed & multa quoq; conchylia eodem hoc nomine appellare ſolent. A

Rarò Venetiis conſpiciuntur, Romæ multò rariùs, nunquam Lutetiæ: cùm tamen alibi nautæ lintres plenos in forum piſcarium (vrbium Græcarum potiſſimùm) aduehant ac diuendant. *Vbi.*

Ambæ teſtæ intus argentea terſitudine reſplendent: minor foris magis albicat, intus autem ad cæruleum accedit. Cæterùm qui Pinnam nunquam viderit, Mytulum pedem longum & ſemipedem latum ſibi conſingat oporter. Pinna enim eodem circino quo Mytulus (quam Moulam vocamus) tornata eſt: atque eiuſdem coloris teſtam habet. Minor itaque mollibus in gyrum ſpiculis obtuſis hirta eſt, valuáſque continuò cardine toto latere annexas claudit ac reſerat, qua inquam parte planior eſſe conſtat. Qua autem parte ſeſe in latum expandit, eâdem byſſum, id eſt laneum villum (mytuli modo) continet: quem ternis digitis longiorem exerit. Eſt autem veluti capillamentum quoddam coaceruatum, prædurum, ac nigrum, quod lapillis affigitur, limúmque ac ſpurcitias inde ad ſtomachum attrahit. Nam cùm Pinna longa ſit, & ſubrecta ſtet, turbinatiorem partem ſuffixam habet: latiorem autem ſurſum ex aqua attollit, præcipuámque internæ partis humo propinquiorem oſtendit. Nam & maior Pinnæ capacitas in ſublime attollitur: in qua etiam plerunque tres Pinnoteres videas, aliquando duos, vt plurimùm vnum. B

Fruſtrà creditum eſt Pinnam piſciculis ali, morſúque à Pinnophylace admoneri, concludere conchas, & intus piſces exanimari. Quod ſi quidem verùm eſſet, oporteret omnibus intus ineſſe Pinnophylacem: ſed decem aperies, antequam vnum Pinnophylacem comitem reperias. C

Cùm itaque iis, quas dixi rebus nutriatur, indigenæ quoties Pinnas incoquunt, ſtomachum inde auferunt, quod non quidem in crudis, ſed iam coctis Corcyrenſes efficiunt: multis nanque modis edi poſſunt. Sunt enim qui in teſta modico pipere & butyro addito ſuppoſitis prunis incoquant, quem ego modum meliorem eſſe puto. eæ nanq; quæ ex iure incoquuntur, guſtui non ita placent. F

Pinna rarò ſemipedalem *(ſeſquipedalem fortè. nam ſuperiùs ſic ſcribit: Qui Pinnam nunquam viderit, Mytulum pedem longum, & ſemipedem latum fingat,* &c.) excedit longitudinem. Neruos habet, quos nonnulli (vt Plinius in Perna) ſpondylos *(aliter ſpondylum in Pinnis Rondeletius interpretatur)* vocant, quibus vtraq; valua ſoluitur ac contrahitur. Genus hoc Venetiis non viſitur: tamen in Propontide latera eius ſinus, qui Nicomediam fertur, quà terram pertingunt, Pinnarum frequentia criſpa apparent. B

DE MAIORE PINNA, (QVAM ET PERNAM VOCAT,) *Bellonius.*

Rondeletio Perna minor eſt, quàm Pinna.

Maior Pinna pelagica eſt, rugis profundis caret: duriore cruſta contegitur, bipedalis ſæpiſſimè inuenitur: Pinnophylacem vt minor alit: vliginoſo ac paluſtri tractu naſcitur, profundiore gurgite immergitur: multùm ingrati ſaporis. B C

C Ambæ cùm ſubrectæ in terram defixæ ſunt,pabulum per eas ſetas (quas Ariſtoteles byſſum vocat) alliciunt. Sua ſede non dimouentur quin pereant : niſi iterum eodem ſtatu,humi defigantur. Nam cùm eis natura hæc inſit,vt rectas ſtare, & per villos arenulam attrahere neceſſe ſit,iacentes viuere non poſſunt.

B Cuſpidata valuarum pars quinque digitorum profunditate humi defixa,reliquum corpus erectarium in ſublime ſuſtinet: non quòd radices ibi habeat : nam vndique continua eſt, nullo foramine hiulca, nec in rimam aliquam dehiſcens. Pars autem quæ à terra eminet,in latitudinem protenſa eſt, atque in ſuperficie rotundatur : quemadmodum ſi ab vtroq; latere ſemicircularem lineam ſecueris, reliquum triangulum,ab ima parte in acutum tendentem efficies. Labra ſunt illis in gyrum tenuia, duabus grandibus patula conchis,intus pellucidis,foris ſcabris. Ariſtoteles quinto de hiſtoria, tradit hanc cuſtodem aliquem continere,multisq; accidere,vt plures ſecum etiam tales comites habeant.

COROLLARIVM

A Pinna,ſic enim Græcè dicitur,duabus grandibus patula conchis,Cicer. Πίννη, Oppiano, Athenæo,& aliis dicitur,Iſidorus apud Athenæum in recto πίννα,& in accuſandi caſu πίνναν dixit. Ab vtroque genitiuus πίννης fit,per η.non πίννας,vt apud Suidam legitur in Πιννοτήρης. Oppiano, & in Lexicis Græcis Heſychij,& aliorum πίννα impropriè piſcis dicitur,cum potiùs ſit,vt in iiſdem ſcribitur, ὀστρεῶδες κογχύλιον. alicubi malè per ν.ſimplex πίνα. Πίνναι à Cratino nominantur cum oſtreis. Concha Ægyptia paralios cognomine,quam & pinnam vocat Democritus,Hermol. Pinnam Neapolitani Pernam appellant, Siculi Lanam pinnulam,Gil. Venetiis Naſtura dicitur,Maſſar. Germanicum nomen fingo, ein Steckmuſchel: quòd altera eius pars (acutior) fundo infixa ſit: ein Hammemuſchel art / vel circunloquor, ein Perlemuſcheln art/hoc eſt conchæ margaritiferæ ſpecies. Eſt & inter fluuiatiles concha quædam oblonga, (ea opinor quam exhibui ſuprà in fine pag. 265.) quam Bellonius apud me cùm vidiſſet, pinnam fluuiatilem appellandam cenſebat,quòd & erecta ſtare, & margaritas continere ſoleat. *Pinna fl.*

B Pinna in Acarnania vniones gignit,Plinius. Africanas multò maiores quàm circa Europam eſſe audio. In Oceano an ſint dubito, quoniam Bellonius Lutetiæ nunquam haberi ſcribit: & Rondeletius in locis (mediterranei) in quibus mare fluit ac refluit vix reperiri : id autem vbique (ni fallor) circa Oceanum contingit. Pinna duabus grandibus patula conchis, Cicero. Pinnæ teſtas habent ſcabras, Ariſtoteles : nec ſtriatas, Wottonus. Ἡ δὲ πίννη, λεπτόστομον, Athenæus ex Ariſtotele. hoc eſt, Pinna labris tenuibus prædita eſt. Interiorem pinnæ partem Epænetus ait μήκωνα vocari, Athenæus. Tracheli quí nam in Pinnis ſint, Rondeletius docet. Trachali appellantur muricum ac purpuræ ſuperiores partes : vnde Ariminenſes maritimi homines cognomen traxerunt, Trachali, Feſtus.

C Cyclops attulit pinnas, Ἃς κατὰ φυκόεντος πέτρης λάκκον τρέφει ὕδωρ, Matron Parodus. Naſcuntur in limoſis ſubrectæ, Plinius. Pinnæ in mari adhærent : euulſæ viuere prætereà nequeunt, Ariſtot. Radice innituntur, & nunquam ſedem in qua hærent, ſponte mutare valent, Idem. Iſidorus quidem apud Athenæum pinnas hyeme ſcribit, εἰς τὰς ἐμβυθίους θαλάσσας δύειν : & rurſus τὴν ἐμβύθιον πίνναν vniones maiores ac puriores ferre : τὴν δὲ ἐπιπολάζουσαν καὶ ἀναφερῆ eò quòd radiis Solis feriatur, deteriores colore,& minores. ſed Rondeletius in Margaritis (ſuprà, pag. 525.) hanc opinionem refellit, & immobiles eſſe oſtendit pinnas. Pinnæ cùm in Concha gignantur, paulò pòſt intra eandem concham ſibi inuicem iunguntur. quare Ægyptij hominem mulieri ab ineunte ætate iunctum innuentes, pinnas prægnantes pingunt, Orus 2.105. Pinna in Acarnania gignit margaritas, Plinius.

Perpenſus Ariſtotelis locus. Pinnæ erectæ locis arenoſis cœnoſiſq; ex byſſo, id eſt villo, ſiue lana illa pinnali proueniunt, Ariſtoteles lib. 5. cap. 15. interprete Gaza. Græcè legitur, ὀρθαὶ φύονται ἐκ τοῦ βύσσου. quem locum Athenæus repetens pro βύσσου habet βυθοῦ : hoc ſenſu, rectæ naſcuntur è vado, vel è profundo. Plinius in huius loci interpretatione hæc verba præteriit. Rondeletius cum Gaza legit βύσσου, vertítque ex byſſo : & vocem βυθοῦ apud Athenæum deprauatam putat. pro qua ego confirmanda, quæ nunc ſe offerunt adferam, non tam vt Rondeletij iudicium infirmem : quàm vt alios ad diligentiorem huius loci conſiderationem inuitem. Lanæ quoddam rudimentum pinnis adnaſci video : quod tamen an byſſi nomine probè vocetur, dubito. ſolus, quod ſciam, Ariſtoteles eius meminit, idq; ſemel tantùm, hoc ſcilicet loco, ſi modò rectè illi ſic interpretantur. ſed byſſus cum pro lana accipitur, fœminini generis eſt. itaque legi oporteret ἐκ τῆς βύσσου. Ἴωνες τὸν βυθὸν, βύσσον (malim βυσσὸν) λέγουσι, Scholiaſtes Ariſtophanis. Athenæi lectioni fauet articulus maſculinus τοῦ, & parùm refert βυσσοῦ an βυθοῦ legas: eadem enim horum vocabulorum ſignificatio eſt apud Græcos, vt & facilis eſt à σ. in θ. vel contrà, tranſitus librariorum. à byſſo fundum vel vadum ſignificante, compoſitum eſt abyſſus. fortè & vadum Latini à bytho Græcorum idem ſignificante deduxerint, β. in u. mutato, vt in βαδίζω, vado : & th. in d. vt in θεὸς, deus. A Latino autem vadum, Germani boden deriuarunt, niſi quis malit à Græco πέδον. Plinius quidem vadum pro maris fundo frequenter accipit. ſed βυσσὸς in hac ſignificatione oxytonum eſt, oporteretq; in genitiuo legi βυσσοῦ circumflexum, non paroxytonũ vt euulgati codices habent. Res ipſa etiam commodiùs intelligi mihi videtur, ſi Pinnæ è vado (cui ſua radice hærent) quàm ſi è villo ſuo naſci dicantur. A vado quidem rectà procedunt, villus eis ad latera eſt. Ad hæc villum potiùs è pinna naſci dixerim, quàm pinnam è villo. Villus enim hic pinnæ ſubſeruit & vtilis eſt eam alligando: item ſuperiorem ac latiorem partem aperiendo recludendoq;, alimenti hauriendi cauſa, Rondeletio teſte. Oppianus quoq; cùm canit de pinna, Ὄστρακον αὖ βυθίαις μὲν ἔχει πλάκας, & Nicander Colophonius pinnam nominans cum oſtreis ſeu conchis, βυθὸς ἅτε βόσκει ἅλμης, ad Athenæi lectionem accedunt.

Byſſus lana. His aliquid addamus de byſſo lana. Pollucis è libro 7. cap. 17. verba quædam recitauit tranſlata Rondeletius. ſed nos Græca recitemus integra, conferendi cauſa. Ναὶ μὴν καὶ τὰ βύσσινα, καὶ ἡ βύσσος, λίνου τι εἶδος παρ' Ἰνδοῖς. Hæc ſolùm de byſſo. nam quæ ſequuntur de lana xylina ſunt, non ad byſſum pertinent, vt Rondeletius putauit : Ἤδη δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἀπὸ ξύλου τι ἔριον γίγνεται, ἐξ οὗ τὴν ἐσθῆτα λινῆ (fortè λίνῳ vel λινῇ) ἄν τις μᾶλλον φαίη προσεοικέναι, πλὴν τοῦ πάχους. ἔτι γὰρ παχύτερος. (Repono, ἔστι γὰρ παχυτέρα, & mox punctum addo.) τοῦ δένδρου (addo δὲ) ὁ καρπὸς ὑποφύεται, καρύῳ μάλιστα προσεοικὼς, τετραπλῷ τὴν διάφυσιν: ἧς (ſcilicet διαφύσεως) διαστήσας, (lego διαστάσης,) ἐπειδὰν αὐανθῇ (αὐανθῇ) τὸ ὥσπερ κάρυον, ἔνδοθεν ἐξαιρεῖται τὸ ὥσπερ ἔριον, ἀφ' οὗ κρόκη γίνεται, τὸν δὲ στήμονα ὑφιστᾶσιν αὐτῷ λινοῦν. Hæc ita à nobis diſtincta ac emendata intellectu facilia ſunt. Coccóque

tinctum Tyrio tingere, vt fieret bis byſſinum, Plinius lib. 9. cap. 41. vbi Maſſarius, Antiqua (inquit) lectio vt fieret byſſinum, *(noſtra editio habet, hyſginum)* ſcilicet cocco & Tyrio. Hermolaus verò mauult legere bis byſſinum, vt duplex ſit. vnum naturale, & ſuæ pulliginis ex byſſo lino, aut lana illa pinnali quæ byſſus etiam vocata eſt. alterum tincturæ artificio factum, vt edocet Plinius hoc loco. etenim Tyrio primùm tinctas, mox & cocco tingere mos erat: aut contrà cocco tinctum Tyrio tingere, vt fieret byſſinum. De byſſo autem lana Ariſtoteles quinto de hiſtoria: Pinnæ, inquit, erectæ locis arenoſis cœnoſiſq; ex byſſo, id eſt villo, ſiue lana illa pinnali proueniunt, colore luteo, ac perlucido. *(Verba hæc de colore byſſi, non Ariſtotelis ſunt, ſed Maſſarij:)* Fiunt ex ea precioſiſſimæ veſtes byſſinæ appellatæ : & byſſinum eiuſmodi color, qui aliquando etiam dicitur byſſus. hoc fit, ſi cocco tinctum, vt diximus, Tyrio tingatur, Hæc ille. Plura in Græcis dictionariis reperies. Sed nos etiam paſſim obſeruata quædam addemus. Cardanus byſſinum lini ſpeciem eſſe ſcribit, tenuiſſimam, validam, & ſplendidam. quæ vt veriſimilia mihi videntur, ita authorum teſtimonia in eo deſidero. Byſſina ferè vt aurum fulgebant, Ant. Thyleſius. Solebat quidem byſſus (vt & alia precioſa lini genera, & ſericum) purpura tingi, cuius perquam ſplendidum fuiſſe colorem legimus. poterat tamen aliis etiam coloribus tingi. Maſſarius ex Pinnæ villo, qui lutei ac perlucidi coloris ſit, byſſinas veſtes fieri ſolitas ſcribit: ſed ſine authore. Pauſanias prodidit, byſſum Iudaicam colorem & ſplendorem auri referre. Heſychius byſſinum, purpureum interpretatur: Varinus coccinum, vel pro hyſge vſurpatum colorem. Ἄλλα γὰρ ἄλλοις οἰκεῖα καὶ πρόσφορα: καθάπερ τῆς μὲν πορφύρας ὁ κύαμος: τῆς δὲ κόκκου τὸ νίτρον δοκεῖ τὴν βαφὴν ἄγειν (malim αὔξειν) μεμιγμένον: βύσσῳ δὲ γλαυκῆς κρόκου καταμίγνυται, ὡς Ἐμπεδοκλῆς εἴρηκε, Plutarchus in libro de oraculis defectis. quòd ſi crocus admiſcebatur, veriſimile eſt croceam vel omnino vel aliqua ex parte eam tincturam fuiſſe : quamuis neceſſarium non eſt. potuit enim exiguum aliquid croci glauci (ſplendidum interpretor) admiſceri, ad excitandum ſplendorem, vel alium quempiam colorem inducendum. mixturæ enim ratio aliud plerunque, & ab iis vnde miſcetur, diuerſum producit. Iulius Cæſar Scaliger byſſinum colorem ſub ſpeciebus flaui nominat. Aureo (inquit) proximum ſtatuunt byſſinum à byſſo lini genere. nunc quoque ex ſericis filis crudis quiddam ſimile texunt. In ſacris literis byſſi colorem aliqui pro candido accipiunt : quòd is fortè natiuus ſit eius color, antequam tingatur. ſed authores non ita vſurpant. Byſſi ab Hebraico Buz (quod legitur 1. Paralip. 4.) ſumptum apparet. in Munſteri lexico trilingui, ſcheſch etiam, שש, pro byſſo legitur. Eleorum regio byſſo alendæ idonea eſt, ferunt & cannabin, & linum, ac byſſum, qui terram ad ea aptam habent, Pauſanias ad finem Eliacorum. Et in Achaicis: Mulieres Patris pleræque viuunt è byſſo, quæ in Elide creſcit. redimicula enim & veſtes alias inde texunt. Non probo quod alibi ſcribit Cardanus, byſſinum colorem eſſe lini, & parum à glauco differre: (etiamſi vel glaucus vel candidus, (vt dixi) naturalis eius color eſſe poteſt.) Amorge color eſt ſimilis byſſo, Euſtathius. Ἀμοργὶς, σφόδρα λεπτόν ἐστι ὑπὸ (κατὰ) τὴν βύσσον, ἢ τὴν κάρπασον, Suidas. Clemens in Pædagogo amorgina & byſſina, ceu precioſiſſima, pariter nominat. De amorge & carpaſo vel carbaſo, plura dicemus in Purpura H. e. vbi de purpuræ tinctura ex herbis agetur. Δελφῖνες φοβέονται, καὶ ἱεμένους ἐπὶ βύσσαν Τρωπᾶσθαι, &c. Oppianus Halieut. 5. ego pro βύσσαν legerim βυσσὸν, id eſt, profundum. Robertus Stephanus byſſum interpretatur Gallicè creſpe : quòd lini genus noſtri ex vrticis fieri aiunt. peplum inde factum vidi, ſubluteum, filis ſubtiliſſimis, duriuſculis, nulla lanugine: vnde fit, vt maculæ (vt ita appellem) ſemper pateant, & tranſpareant.

D Pinna nunquam ſine comite naſcitur, quem pinnoterem vocant, alij pinnophylacem. is eſt ſquilla parua. alibi cancer dapis aſſectator. Pandit ſe pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piſcibus præbens. Aſſultant illi protinus, & vbi licentiâ audacia creuit, implent eam. Hoc tempus ſpeculatus index, morſu læui ſignificat. Illa ore compreſſo quicquid incluſit exanimat, partémque ſocio tribuit. Quo magis miror, quoſdam exiſtimaſſe, aquatilibus nullum ineſſe ſenſum, Plinius. Pinna animal marinum, è genere concharum eſt, pandit ſeſe hiatu teſtarum, & carunculam extra conchas eminentem, ex ſeſe prætendit, tanquam eſcam circunnatantibus piſcibus. Cum Cancro comparandi cibi ſocietatem facit, eámque ob rem Cancer cùm piſcem quempiam adnatare videt, illam leuiter morſu admonet, tum Pinna magis ac magis ſuas conchas patefacit, intráque eas piſcis adnantis caput recipit, comprimítque: & piſcem ita captum in cibo conſumit: (Gillius addit, partémque ſocio tribuit,) Ælianus de animalib. 3. 29. Pinnæ cuſtodem intra ſe continent, aut ſquillam paruam, aut cancellum: quo quidem cuſtode priuatæ pereunt breui tempore, Ariſtot. Cancri parui (Pinnophylacis) in Pinna iconem ex Rondeletio dedimus ſuprà, pagina 159. vbi plura de hoc animalculo leges, item in Corollario: & mox ſequenti capite de cancello, &c. quidam enim non benè diſtinguunt.

F Pinnæ optimæ ſunt tenellæ, plenæ carnoſæ'ue, quæ in limoſis herboſiſque (τεναγώδεσι) vadis gignuntur : & vbi mari dulcis aqua miſcetur, & locis tranquillis ac vento carentibus : teneriores enim hîc naſcuntur, quàm vbi fluctibus agitantur. Grandioribus paruæ : & quæ vêre & æſtate capiuntur, aliis præſtant. ſunt enim & ſuauiores & pleniores. Quæ magnitudine media ſunt, carnem quidem habent mollem, candidam ac dulcem : collum (τράχηλον) autem durum, concoctu difficile, corruptioníque renitens : collo nanque corpus reliquum faciliùs corrumpitur. elixis aſſæ duriores euadunt, præſertim ſi vino fuerint aſperſæ. Earum autem caro quæ in vino & aceto maceratæ ſunt, mollior eſt, ſed flatus generat : Wottonus ex Oribaſio, vt apparet ex Indice in quo authores nominat. Alexis Comicus pinnas, cochleas, &c. cibis Venerem mouentibus adnumerat. Vide ſuprà in Cochleis G.

G Strombi, pinna, echinus, iuuant contrà dorycnij venenum, Nicander.

H.a. Πίννα dicta eſt à ſordibus, quæ Græcis πῖνος dicuntur, Varinus in Πίννας. Græci quidem filum quoque πηνίον vocant. vnde verbum πηνίζεσθαι, & noſtris fortè Spinnen / quod eſt fila ducere, ſ. initiali abundante, vt à parcere fit ſparen : à pandere, ſpannen : à paſſere, ſpar/&c. Sunt autem fila quædam pinnis adnata, villi alicuius inſtar. vnde à Genuenſibus Pinna lana vocatur, ita fortè vt arbor agnus caſtus à quibuſdam recentioribus, Latina voce ſubiuncta præcedentem Græcam interpretante. Pinna piſcis margaritarum, interdum pro ipſa margarita, Syluaticus. Φωλεὰ πίννης cum aliis conchis nominantur à Nicandro Colophonio apud Athenæum. vbi φωλεὰ fortè teſtas interpreteris. Τήθιδες, σπῖναι, βατὶς, ἀφύαι, Alexis apud Athenæum. pro σπῖναι coniicio πίνναι legendum. Pinna Latinis longè aliud ſignificat, propriè qui-

dem pennam auium: sed piscium quoque pinnæ dicuntur, à Græcis πτέρυγες. Apud Arrianum in Periplo maris rubri aliquoties nominatur τὸ πινικὸν, alicubi ὁ πινίκι⊛ κόγχ⊛, tanquam merx peregrina & preciosa. Ad regionem (inquit) quæ Paradia dicitur, κολύμβησις ἐστιν ὑπὸ τὸν βασιλέα Πανδίονα πινικοῦ. vnde apparet, concham illam à natantibus & vrinantibus (è mari) peti solitam fuisse. Et rursus: A duobus emporiis Persidis, (quorum vnum Apologi, alterum Omana vocãt) in Arabiam auehitur πινικὸν πολὺ μὲν, χεῖρον δὲ τοῦ Ἰνδικοῦ· καὶ πορφύρα. Et alibi: Μετὰ τὴν Κόλλην ἐκδέχεται αἰγιαλὸς, &c. ἐν ἑνὶ τόπῳ τεφονεῖται παρ' αὐτὴν τῆς Ἠπιοδώρου συλλεγόμενον πινικόν. Item, Ἐν Ταπροβάνῃ γίνεται πινικὸν, καὶ λιθία διαφανής. Alibi: Circa vltimum caput insularum Papiæ, &c. in mari rubro πλεῖσται κολυμβήσεις εἰσὶ τοῦ πινικοῦ κόγχου. Vranus tertio Arabicorum, vt citat Stephanus in Abarno: Ἡ χώρη τῶν Ἀβασηνῶν σμύρνην φέρει, καὶ ὄασον, καὶ θυμίαμα· γεωργοῦσι δὲ καὶ πορφυρέην ποίνην εἰκέλην αἵματι Τυρίου κοχλίου. videtur autem pro ποίνην, legẽdum πίννην. His argumentis coniicio pinnæ vel pinnici nomen communius fuisse, barbaræ nimirum originis nomen: non illius tantùm conchæ quam Græci pinnam vocant: nisi eius fortè genus aliud circa mare rubrum & in meridionali Oceano habeatur, è quo tanquam è purpura preciosus aliquis color petitus sit.

Πινικόν.

Icones. Virum qui se atque sua negligenter curet, neque sine alterius ope consilióve possit consulere rebus suis, ostendere si vellent Ægyptij sacerdotes, pinnam & cancrum paruum pingere consueuerunt. Nam is in pinna conditus, in vtriusque satagit vsum, &c. Valerianus ex Hieroglyphicis Ori, vnde nos etiam recitauimus suprà in Cancris paruis, pagina 160. Vide superiùs in D. Eum verò qui ab ineunte ætate cœperit in petulantiam lasciuire, & munera Veneris exercere, per pinnam fœtus ostentantem suos intelligebant. conchulæ enim huiusmodi in concha genitæ, antequàm excludantur, inter se quamprimùm coire dicuntur: vt non immeritò concha ipsa sit Veneri dedicata, atque eam ex concha genitam veteres fabulentur, Valerianus. Nos Ori verba retulimus superiùs in C. Non quæuis tamen conchæ promiscuè Veneri sacræ erant: sed elegantiores quædam, de quibus in C. Elemento diximus, à pinnis longè diuersæ.

h. Griphus quidam obscurus de trigla & pinna apud Athenæum exstat. Vide suprà in Mullo h. ab initio.

PERNA apud Plinium libro 32. capite vltimo legitur inter ea, quæ à nullo authore nominata scribit. Pernæ pedali non minùs spatio cibum venantur, Plinius vt Massarius & Wottonus legunt: quæ lectio mihi quoque meliùs quàm Rondeletij arridet. Perna animal est marinum è genere concharum: éstque croceum, magnæ admodum quantitatis inter ipsas *(inter conchas.)* vestitur vellere fuluo & nitido, *(fuluo & rutilo, Albertus)* valdè precioso, & fiunt inde ornamenta vestium & peplorum preciosa, Author de nat. rerum & Albertus. Bellonius pernam pinnam maiorem facit: Rondeletius minorem, cui assentior, & Germanicè circumscribo, Ein kleinere Steckmuschel art. Philologiam huius vocabuli, dedi in Sue F. Pernam atque ophthalmiam, horæum, scombrum, & mollem caseum, Plautus in Captiuis, de perna nimirum suilla sentiens.

PIREN, Πειρὴν, nominatur à Numenio inter escas piscium vt videtur: & fortè non piscis, sed insectum aliquod aut zoophytum aquaticum fuerit. Τοῖσί κεν ἄρμενα πάντα, παρεπλίσσαιο δὲ μεῖρα, Κόρυλον, ἢ πειρῆνα, ἢ εἰλυλίδην ἢ τίλλαν. Grammatici, vt Varinus, πηρῖνα interpretantur testiculum, pudendum, περίνεον. Πηρὶν σημαίνει τὸν ὄρχιν, ἀπὸ τοῦ πείρω, πειρὶν, καὶ πηρίν: (ἢ) παρὰ τὸ σπείρειν τὰ τέκνα. Hinc coniici potest pirêna Numenij, pudendum marinum masculum, aut aliquam eius speciem significare.

Audio in Italia alicubi Regis priapum vulgò vocari, pisciculum quendam viridem, qui decima Turdorum Rondeletij species mihi videtur.

PITYNVS, Πίτυν⊛, alibi tamen Pirinus legitur cum iôta in prima & media, nominatur à Numenio, hoc versu: Χάννους, πηλάνας, ἐγχέλιας τε καὶ ἐννεχίην πίτυνον. qui alibi sic habetur: Χάννους τε, πελίας τε, καὶ ἐννυχίην πίτυνον. Sed neutra lectio probari potest, cùm aliâs, tum quod carmen hexametrum esse debebat. quare sic emendârim: Χάννους τ', ἐγχέλιας τε, καὶ ἐννυχίην πίτυινον, (vel πιτίινον, vt dactylus sit quinto loco,) interim donec integrior ab alio reddatur. Pitys arbor pinus est, cuius fructus πιτύϊνα dicitur apud Varinum.

PLAGVSIA conchæ genus videtur, cuius meminit Plautus in Rudente, his verbis: Ostreas, balanos captamus, conchas, marinam vrticam, musculos, plagusias, *(alia lectio, plagosias.)* striatas. vbi plagusiam aliqui interpretantur genus piscis, à Græco plágium, quod est obliquum, dicti, quia in obliquum cedit. Sed quis literatoribus istis sine authoritate credat?

PLATANES Græcis hodie vulgò dicuntur pisces quidam in Macedonia ad Pisciacum lacum, aliquibus Plestyæ, vel Platogniæ, vt & platten in lacu Neocomensi Sabaudiæ, quem Rondeletius ballerum, coniicio, vocat: & in Bernensi agro Heluetij circa Dunum eundem ein Brattele/à latitudine nominant: & passerem Ausonius platessam. Vide suprà Grinadies. pag. 407.

PLATANISTAS vocant in Gange Indiæ, rostro delphini & cauda, magnitudine autem quindecim cubitorum, Plinius. vbi Massarius: Platanistam (inquit) puto è cetaceorum esse genere, rostro & cauda delphino similem. Strabo namque scribit ex epistola quadam Crateri ad matrem Aristopatram, Alexandrum in Gangem vsque processisse, & à se id flumen visum affirmat, & cete in eo, platanistam fortè intelligens.

I.a. Loca etiam spaciosa latéque patentia à platani foliorum amplitudine platanistas Græci vocant, vt author est Phocion. Hippocrates platamônem, saxum mari extans læuigatum esse tradidit. Platanônes siue plataneta, loca platanis consita, Idem.

PLATAX & PLATISTACVS, vel Platistaticus. Vide in Coracino pisce, pag. 292. qui diuersa pro ætate nomina suscipit. Πλατίσακ⊛, οἰκεῖον αἰδοῖον, & piscis quidam, Hesychius.

PLATYVRI pisces litorales, nominantur Oppiano lib. I. Halieut. Τραχύρειν τ' ἀγέλαι, βύγλωσσοι, καὶ πλατύουροι, Massarius (nisi librariorum is error est) non rectè platanurum scripsit. Nomen à caudæ latitudine factum apparet. Salmonis cauda lata est, vt ab ea meritò platyurus nominari possit, Rondeletius: non quòd sentiret Oppiani hunc platyurum esse, sed simpliciter. Oceani enim pisces non agnouit Oppianus. Salmo autem Oceani piscis est.

PLESTOS Artemidorus pisciculos vocauit, quos alij hepsetos, Hermolaus.

PLESTYA

PLESTYA vulgò ab accolis Strymonis dicitur, & in Macedonia ad Pisciacum lacum, piscis, &c. Vide paulò antè in Platanes. vel potius in A. elemento cum Albis piscibus, mox post Ballerum Rondeletij, pag. 25.

PLOTÆ Πλωταί. Vide in Murænis.

PLOTES, Πλῶτες, pisces omnes: & priuatim species vna mugilum. Lege suprà in Corollario de Muræna A. Πλωτοὶ epitheton piscium est authori Titanomachiæ apud Athenæum, hoc versu: Ἐν δ' αὐτῇ πλωτοὶ χρυσώπιδες ἰχθύες ἐλλοί.

DE POECILIIS PISCIBVS.

EXONERAT sese Clitor fluuius in Aroanium, qui à ciuitate Clitoriorum non plus septem stadiis distat. Pisces sunt in Aroanio Arcadiæ fluuio (Amne per pheneum fluente) tum alij, tum qui à varietate pœciliæ (ποικιλίαι, à recto singulari masculino ποικιλίας, vt Αἰνείας) appellantur. hos vocem emittere tradunt turdi volucris similem. Captos equidem vidi: sonum autem nullius audiui, quanquam in ripa vsque ad Solis occasum permanserim, quo potissimùm tempore vocem ædere dicebantur, Pausanias in Arcadicis. Plinius exocœtum cum pœcilia confundit, sicut admonui suprà in Corollario de Adonide. Mnaseas Patrensis in Periplo, pisces in Clitore fluuio vocales esse tradit: quanquam Aristoteles solùm σκάφρον (σκάρον legerim vna litera ablata: quem alij vocalem faciunt: Aristoteles verò historiæ 4. 9. vocem seu potiùs sonum ædentes pisces plures enumerans, nec scari, nec porci fluuiatilis meminit. coniicere tamen licet aprum, κάπρον Acheloi isthic ab eo nominatum, eundem esse quem hîc Athenæus χοῖρον ποτάμιον vocat. Eustathius quidem hunc Athenæi locum repetens, σκάρον legit pro σκάφρον) & porcum fluuiatilem vocis esse compotes dicat. Philostephanus autem Cyrenæus in libro de admirandis fluuiis, in Aorno (*Aroanio Pausanias*) amne per Pheneum fluente, pisces vocem turdis similem ædere prodit: eósque pœcilias vocari, Athenæus circa initium libri 8. Pœciliæ mihi videntur pisces Beisser alicubi Germanicè dicti, de quibus scripsi suprà post Mustelas fluuiatiles, nam & fluuiatiles sunt, & colore varij & sonum acutum ædunt. Sunt & inter marinos galei, quorum genus vnum ποικίλους, id est varios & stellares cognominant. Ælianus de animalibus 17. I. in Astræo Macedoniæ fluuio pisces coloribus variis distinctos, (τὴν χρόαν κατασΐκτους,) nomine ab incolis Macedonibus interrogando, gigni refert, qui peculiares quasdam illi fluuio muscas, circa summam aquam volitantes, appetant. Sunt autem fortassis truttæ vulgò dictæ hi pisces, fluuiatiles, varii, (vnde & Germanicum nomen (Foren) fortassis factum,) & muscarum appetentes.

Redeo ad pœcilias vocales, quos Beisceros vocant Germani, apud quos inueniuntur, vt Saxones & finitimi. Horum aliquot viuos Nicolaus Speicherus pharmacopola Argentinæ celebris, procul è patria sua (Francofordia ad Oderam, si benè memini,) nuper in meam gratiam mitti voluit. Qui ferebat nuncius cum septuaginta miliaribus Germanicis confectis Noribergam venisset, recente aqua fontana affusa, in cellam hypogeon deposuit: vnde omnes (erant autem viginti) interierunt, quòd si pro fontana fluuiatilem aquam eis affudisset, viuos seruasset.

DE POLYPIS IN GENERE, RONDELETIVS.

ΠΟΛΥΠΟΥΣ, & accusandi casu πολύποδα καὶ πολύπουν dixerunt Græci, à pedum multitudine. Vnde illi quoque qui Græciam nunc incolunt ὀκτάποδα vocant. Nostri per syncopen poulpe, Galli pourpe. A

Polyporum plura sunt genera. Vnum genus est eorum qui cæteris maiores sunt, & notiores: cuius generis duæ sunt differentiæ à loco sumptæ. alij enim pelagici sunt: & alij πρόσγειοι, id est, litorales, quos Plinius terrenos vocauit. hi multò maiores sunt (inquit) pelagiis. Alterum genus est eorum qui parui sunt, varii, cibo inepti. Tertium genus ἐλεδώνην vocant. à cæteris pedum prolixitate differt: & acetabulorum ordine, quem simplicem habet, cùm cætera mollia duplicem habeant. id genus alij βολίταιναν, alij ὄζολιν vocant, inquit Aristoteles: Plinius ozænam, alij ὀσμυλίαν, alij ὄσμυλον. His tribus generibus adiungit Aristoteles alia duo, in ostreis siue conchis condita. prioris generis polypum ναυτίλον siue ναυτικὸν vocat, nonnulli polypi ouum, Plinius pompilum. Alterius generis is est, qui testa contectus, eam nunquam deserit cochlearum more, sed brachia tantùm interdum exerit. Hæc sunt polyporum genera ex Aristotele, in quibus distribuendis existimauerit aliquis nos perperam duo in vnicum redegisse, scilicet ἐλεδώνην & βολίταιναν siue ὄζολιν, quæ videatur Aristoteles libro 4. de hist. cap. I. separasse. Ἔστι δὲ γένη πλείω πολυπόδων. ἓν μὲν τὸ μάλιστα ἐπιπολάζον, καὶ μέγιστον αὐτῶν. εἰσὶ δὲ πολὺ μείζους οἱ πρόσγειοι τῶν πελαγίων. Εἰσὶ δὲ ἄλλοι μικροὶ, ποικίλοι, οἳ οὐκ ἐσθίονται. ἄλλα τε δύο: ἥ τε καλουμένη ἐλεδώνη, μήκει διαφέρουσα τῷ τῶν ποδῶν, καὶ τῷ μονοκότυλον εἶναι μόνον τῶν μαλακίων. τὰ γὰρ ἄλλα πάντα δικότυλά ἐστι: καὶ ἣν καλοῦσιν οἱ μὲν βολίταιναν, οἱ δὲ ὄζολιν. Quibus subscribit Gazæ interpretatio. Polyporum genera plura sunt: est enim quod & conspectius & maximum est, cuius terreni maiores quàm pelagici sunt. Et quod corpore exiguo varióque est, cibo ineptum. *(Item alia duo: ex quibus vnum eledonam, &c.)* Et quod eledonam vocant, crurum prolixitate diuersum: & quod vnum ex mollium numero simplicem acetabulorum ordinem agat: cætera nanque omnia duplici calculantur. Adhæc quod alij bolitænam alij ossolem appellant. At rei ipsius veritas paulò aliter quàm Aristoteles polyporum genera partiri nos coëgit. Cùm enim eundem semper polypum viderim & odore esse graui, & longissima brachia habere, simplicémq; acetabulorum ordinem, non potui non existimare, bolitænam siue ozolin siue ozænam ab odore nominatum, & eledonam, eundem esse polypum.

Genera polypori ex Aristotele 4. aut 5.

Lib. 4. hist cap. 1

Lib. 9. cap. 29.

Eledonam & bolitænam vel ozolin genus vnum esse.

Octona brachia sunt polypis, πλεκτάνας vocat Aristoteles, quibus vt pedibus ac manibus vtuntur. probóscidibus carent, quibus à sepia loliginéque disiunguntur: sed harum defectum natura, pedum ad eosdem vsus commodorum longitudine, pensauit. Caput iis est inter pedes & aluum, vt reliquis mollibus, teste Aristotele: at ab iisdem (inquit) eo dissident, quòd paruam aluum, crura prælonga: contrà cætera ampliorem aluum, crura breuia habeant, ita vt potestas nulla sit ingrediendi. Hæc pinnis natant, in illis nullæ cernuntur. Rostro, partibus internis, gula, ventriculo, intestino, muti, sepiis & loligini- B

 bus

bus non dissimilis. Supra ventriculum vesiculam habent, & in ea atramentum authore etiam Aristotele libro 4. de histor. cap. 1. & libr. 9. cap. 37. sed non ita nigrum vt in sepiis & loliginibus, verùm purpurascens. vesiculam hanc μήκωνα vocat Athenæus libr. 7. è qua atramentum per fistulam effundit ante aluum sitam.

C Certum est polypos eodem modo quo sepiæ ac loligines coire: nimirum ore ori admoto, & mutuo brachiorum complexu. Polypórum igitur alter (inquit Aristoteles) capite vulgò dicto in terram versò nitibundóque explicat porrigitque brachia: tum alter superuenit, passísque brachiis singulis ad singula subiecti, iunctísque acetabulis, adhæresci. Alij marem aiunt in brachio vno quod pudendi speciem referat habere, in quo duo sint acetabula maxima, neruo id quasi constare porrectum ad medium vsque brachium, totúmque in fœminæ narem inseri, *(Hæc ille: & partim qui ex eo repetiit Athenæus.)* Sed hæc somnia esse anatome certo demonstrat. Mihi sæpiùs polypos dissecanti, nunquam visa sunt acetabula ista maiora in vno brachio quàm in alio, præterquàm primo & maximo polyporum genere: in quo non duo in vno brachio, sed quatuor in quatuor brachiis acetabula præ cæteris omnibus maxima comperias, in aliis generibus minimè. Quòd si semen *(per)* hæc emitteretur, necesse foret, meatum aliquem ab internis partibus huc deductum: fœminam quoque eodem meatu semen excipere, ouáque edere: quæ fieri non posse fatebuntur omnes qui polypos viderunt, & ouorum in inferiori alui loco situs necessariò conuincit, alio quàm brachij acetabulo oua edi. Quocirca vera mihi videtur eorum sententia, qui fistula parere affirmarunt. In qua opinione fuit Aristoteles lib. 5. de histor. cap. 6. de mollibus omnibus loquens. Pariunt, inquit, ea corporis sui parte quæ fistula dicitur, & eum secutus Athenæus libro 7. Ὀχεύ(ε)ται συμπλεκόμενοι, καὶ πολὺν χρόνον πλησιάζει, διὰ τὸ ἄναιμον εἶναι. τίκτει δὲ διὰ τοῦ λεγομένου φυσητῆρος, ὅς ἐστι πόρος τῷ σώματι, καὶ τίκτει ἀὰ βοτρυδόν. Polypi sese complexi longo tempore coitum absoluunt, quia sanguinis sunt experies: pariunt autem fistula, qui meatus est in corpore, oua racematim. Hyeme coëunt, vêre pariunt in cubilibus, vel fictili, vel in aliquo alio cauo, oua similia labruscæ florentis racemulis, aut fructui populi albæ, mira fœcunditate. quibus ruptis, maximè diebus quinquaginta pòst, polypi paruuli erumpunt phalangiorum modo: quorum forma tota manifesta quidem est, sed nondum membra singula perspicuè distincta sunt, nonnullique adeò parui, ut nulla partium contlent distinctione, sed ad contactum moti agnoscantur. magna pars propter imbecillitatem & paruitatem perit. Ouis polypus fœmina aliquando incubat, aliquando cubilis ostio affidens super ea brachia exporrigit. Fœminam & marem à partu ita senescere debilitaríque ferunt, vt facilè à piscibus deuorentur, & à cubilibus detrahantur: vnde genus hoc piscium breui interire, nec vltra binatum *(vinere)* scripsit Aristoteles lib. 9. de histor. cap. 37. Oppianus lib. 2. ἁλιευτικῶν iti- 30
dem scripsit polypum longo coitu ita debilitari frangíque, vt vires omnino deficiant: eámque ob causam in arena iacens, præda fit reliquis piscibus, quos antea nullo negotio deuorasset: fœminam verò ob partus dolores emori, quoniam non seiuncta oua vt reliqui pisces, sed compacta racemorum instar edant per angustam fistulam.

Pars genitalis in mare.

De partu polyporum. ex Aristot. & Athenæo.

Fœtus.

Incubatio. Debilitatio à partu fœminæ: vel a coitu, maris. Oua breuia.

Οὐ γὰρ ἔτι φιλέουσι θοὰς ἀνίσχοντας, ἵν' ἀπολύγῃ,
Αὐτίκα δ' ἐν ψαράδεσσι πεσὼν ἁμενηνὸς ὄληται.
Καρκινίδες δειλαὶ καὶ μαρίνοι, ἠδὲ καὶ ἄλλοι
Ὡς δ' αὖτως καὶ πῶλυς ὑπ' ὠδῖνων μογέοντα
Ὠὰ διαθρῴσκουσιν, ἀφειδέστα δ' ἀλλήλοισι

Πρὶν μὲν ὑπὸ μελέων πεπαλίσσεται ἀδρανέοντα:
Πάντες γάρ μιν ἔδουσιν, ὅσοι ῥηϊδίην ἀντήσασι:
Ἰχθύες, &c. Et mox de fœmina.
Ὀλλυται, οὔ τῆσιν ἀποτρίδιον εἶδος ἀλωῇ
Βοτρυδὸν, στεινοῖο μόγις διαίσσεται αὐλοῦ.

Hactenus de Polypis in vniuersum.

DE PRIMA ET SECVNDA POLYPORVM *specie, Rondeletius.*

C Polypvm hic depinximus qui omnium maximus est & notissimus, cuius differentias duas esse diximus: alter enim litoralis est, alter pelagicus, vitâ solùm, specie nullo modo dissidentes.

B Vterque igitur ore, oculis, partibus internis sepiæ ac loliginí similis, brachia verò longiora habet, promuscidibus caret: aluo est rotundiore, sepia latiore, loligo verò longiore. Acetabulorum in brachiis continuus est, & duplex ordo: quæ initio maiora, deinceps minora fiunt. Sunt etiam quatuor pedum acetabula omnium maxima, his omnibus mira vis inest. Vnde Trebius Niger apud Plinium libro 9. capite 30. negat vllum esse atrocius animal ad conficiendum hominem in aqua. Luctatur enim complexu & sorbet acetabulis, ac numeroso suctu detrahit. cum in naufragos vrinátésve impetum capit. sed si inuertatur, euangescit vis. exporrigunt enim se resupinati. Fatuus quidem est polypus cùm ad demissam hominis manum accedit: sed rei familiari prospicit, cùm omnia colligat, & veluti in domicilio reponat: cúmq; quantum vtile sit arroserit, aggerit testas, cancrorum crustas, putamina conchularum, & spinas piscículorum.

Coloris mutatio. Coloris etiam sui mutatione venatur pisces. colorem enim refert similem iis quibus se applicuit saxis, quod etiam in metu facit: vnde Plutarchus in libello in quo differit, plús ne rationis insit aquatilibus bestiis quàm terrenis, scripsit polypum aliter affectum quàm chamæleonta colorem mutare. sic enim ait: Colorem quidem mutat chamæleon nihil machinatus neque latere volens, sed temerè in metu mutatur, naturâ pauidum, & ad omnem strepitum expauescens animal. Consequitur autem auræ copiam *(Huic causæ altera accedit, aëris copia)* authore Theophrasto: quoniam parum absit quin totum corpus pulmo expleat, vnde aura viuere & mutationibus obnoxium esse coniicit. (ᾧ τεκμαίρεται τὸ πνεύματικὸν ἅπαν, καὶ διὰ τοῦτο ἐκ τῆς μεταβολῆς ἔντρεπτον.) Isthæc verò polypi mutatio non ex perturbatione oritur: nam de industria colorem mutat, vt hac fraude & quæ metuit vitet: & ea quibus vescitur, capiat. Hac enim ratione & non cauentibus obrepit. & dolum struentibus fucum facit. (παραχρώμενον δὲ αἰεὶ μὴ φεύγοντα, τὰ δ' ἐκφεύγοντα παρεχόμενον.) Hanc polypi varietatem celebrauit Pindarus. *(citante Plutarcho)*

Πουτίου περὶ χροιᾶς μάλιστα νόον. Προσφέρων, (aliàs ἐσφέρων) πάσαις πολίταισιν ὁμιλεῖ.

Et Theognis similiter, *(eodem recitante:)*

Πυλίοισιν ἀγυιῶν ἴσχε πολυχρόνιος ποτὶ πίστιν, Τὴν αὐτὴν ὁμιλήσῃ, τοῖσι δοκεῖν ἐθέλων.

Quos

Icon hæc nostra polypum parte prona repræsentat: ea verò quam Rondeletius dedit, partem quæ cirros continet supinam, geminis acetabulorum ordinibus elegantèr exprimit.



Quos versus aliter citat Athenæus.

Πυλίοισιν ἀγυιῶν ἴσχε πολυχρόνιος, ὅς ποτὶ πίστιν Τὴν αὐτὴν ὁμιλήσῃ τοῖσι δοκεῖν ἐθέλων.

Hæc polypi natura in prouerbium abiit, πολύποδος νόον ἴσχε, quo monemur, pro tempore alios atque alios mores, alium atq; alium vultum sumere. Idem Plutarchus scribit, falsum esse, polypum sibi brachia arrodere, sed murænam & congrum pertimescere verum est. Plinius lib. 9. cap. 29. Polypum brachia sua rodere, falsa opinio est: id enim à congris euenit ei: sed renasci sicut colotis & lacertis caudam, haud falsum. Quæ omnia ex Aristotele lib. 8. de hist. cap. 2. sumpta sunt. *(Caudæ etiam lacertis atq; serpentibus amputatæ renascuntur, Aristot.)* Contrà Oppianus author est polypos hyeme latentes in cubilibus suis brachia sua absumere, non aliter quàm alienas carnes, eaq; identidem renasci. *Arrodat.* *Lib. 2. ἁλιευτικῶν.*

Χείματι δ' ὁπότε φασὶν ἐπισχεῖν ἁλὸς ὕδωρ
Ἀλλ' οἵγε γλαφυρῇσιν ἐνεζόμενοι θαλάμῃσι
Ἀλλοτρίας. οἱ δ' αὔτις ἑοὺς κορέσαντες ἀνακλας
Πουλύποδας, ζαμενεῖς γὰρ ὑποτρομέουσι θυέλλας.
Πτήξαντες δαίνυνται ἑοὺς πόδας, ἤτε τάρχας
Φύονται: τόδε πῶς φι Ποσειδάων ἐπένδωσε.

C Polypi ſoli mollium in ſiccum exeunt duntaxat aſperum, læuitatem odêre. Veſcuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt. itaque præiacentibus teſtis cubile eorum deprehenditur. Mirè delectantur oleæ ramis, atque iis allectis capiuntur. Oppianus libro quarto, ἁλιευτικῶν.

Exitus in ſiccum.
Cibus.
Auertunt oleā, ficum, ſalſamenta.

Ἤτοι πουλύποδες μὲν Ἀθηναίης φιλέουσιν
Ἔρνεα, καὶ θαλλοῖσιν ἐπὶ γλαυκοῖσιν ἔρωτα
Ἐσπάσαν, ἦ μέγα θαῦμα πόθῳ φρένα δενδρήεντι
Ἕλκεσθαι, λιπαροῦ τε φυτοῦ πτόρθοισι γάνυσθαι, &c.

Nec ſolùm olea, ſed etiam ficu arbore gaudere author eſt Athenæus libr. 7. Delectantur polypi olea arbore, cuius truncum brachiis amplexi ſæpè comperiuntur: deprehenſi ſunt etiam aliquando ficum arborem ad mare natam complexi & ficos edentes, vt ſcribit Clearchus in libro de his quæ in mari fiunt, (ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῷ ὑγρῷ.) Hos olea delectari id argumento eſt: ſi quis enim arboris huius ramum in mare demittat, quo loco fuerint polypi, breui mora & citra laborem polypos ramum amplexos trahet quotquot voluerit. Amant & ſalſamenta, quod oſtendit Plinius exemplo polypi illius, qui Carteiæ in cetariis aſſuetus erat noctu exire è mari in lacus apertos, atque ibi ſalſamenta populari.

Lib. 9. cap. 30.

F Polypi dura ſunt carne, quæque molleſcere & facilè concoqui non poſſit, niſi diu ſeruata multúmque faſte contuſa ad dirimendas frangendáſque fibras, quibus caro contexitur. Traduntur, inquit Plinius, muriam ex ſeſe emittere, & ideo non debere addi in coquendo, ſecari arundine: ferro enim infici, vitiúmque trahere natura deſinente. Craſſum ſuccum gignit & glutinoſum: Veneremque irritare creditur, tum ob flatus à craſſo lentóque carnis ſucco genitos, tum ob humoris, qui in eo ineſt, ſalſuginem, quam Plinius muriam vocari dixit. Aſſus durior fit, elixus in aqua & atramento ſuo longè melior, additis oleo, omphacio, pipere.

Lib. 32. cap. 10.

Secundum polyporum genus ſeparatim non depinximus, quòd ſatis ex primo cognoſci poſſit, animaduerſis notis, quas tradit Ariſtoteles: paruum enim & varium eſſe dicit, cibóque ineptum. Ex quibus verbis quidam colligunt hunc polypum eſſe quam ſepiariam vulgus vocat, quæ parua variáque eſt, ſed hanc ex polyporum genere non eſſe poſteà docebimus.

De Polyporum genere II.

DE TERTIA POLYPORVM SPECIE, *Rondeletius.*



A TERTII generis polypum eſſe eum diximus, qui dicitur ἐλεδώνη, vel βολίταινα, & ὄζολις ſiue ὄζαινα, ſiue ὄσμυλος ab odore, vt anteà demonſtrauimus. Græci huius temporis μοσχίτην vocant, ab odore moſchi. Plinius ozænam à graui capitis odore dici tradit, ob hoc murænis maxime eam conſectantibus: ego verò quòd eo ſit odore, qui grauitatem capitis inducat, dictam fuiſſe puto: nam odorata teſte Hippocrate muliebria ducunt, ſed grauitatem capitis faciunt.

Lib. 9. cap. 30.

B A reliquis igitur polypis differt, quòd corpore ſit magis rotundo: longioribus brachiis, vnico in eis acetabulorum ordine. prætereà odore eſt moſchi, non ſolum viuus, ſed etiam mortuus atque exiccatus.
F Quam ob cauſam magis quam cæteri ad Venerem ſtimulat: etenim eam veluti ſopitam odorata exuſcitant, quemadmodum ambra & moſchus; quo fit, vt qui vnguentis delibuti eſſe ſolent, cæteris ſint ſalaciores. Præparatur vt ſuperior.

DE POLYPO VTROQVE, BELLONIVS.

A Polypus à numero pedum (quibus octonis præditus eſt) appellatus: vnde vulgus Græcorum Octapodem nominat: Gallis Vn Pourpre, Maſſilienſibus Secche poupe dicitur.
B Acetabula in cirris pluſquam octingenta habet, atque in quolibet cirro pluſquam centum: quæ in imo quidem maiora, deinceps verò minora ſunt, & quadam pellicula conteguntur, quæ horum dilatationis ac contractionis ſunt cauſſa. In interna cirrorum ſerie, ad radices, roſtrum illi eſt nigrum in medio corneum ac durum, pſittaci roſtro ſimillimum, quo cuncta etiam duriſſima comminuit. Oculos habet (vt teſtacea) extrorſum ſitos in ea colli parte, ad quam alligantur cirri, qui beneficio naturæ palpebra integi poſſunt: quo fit vt parui admodum appareant, nec quicquam eorum præter id quod in iis eſt pullum, conſpiciatur. (C) Quod autem vulgus in Polypo caput vocat, id verò interna parte turgidum eſt, multiſque loculamentis concauum, eius nimirum alueo ac fiſtula. Quódque Polypus in varios colores ſe commutare dicitur: id quidem à molli eius pelle prouenit, quæ faciè glubi poteſt: cuius colorem nunc album, mox rufum, poſteà liuidum, mox variis coloribus diſtinctum videas. Pronus Polypus oculos oſtendit: ſupinus verò, ſua loculamenta: qua parte commodè diſſectus, magis cartilagineus ſentitur: atque

atque in eius interaneis neſcio quid turbinatum videas, quod cordis vel hepatis naturam habere dixeris. Verùm id quidem protinus effluit & diſſoluitur. Quod autem illi veluti cerebrum eſt, id quidem proportione magis quàm natura tale eſſe crediderim. Ab ore gula ei patet oblonga & anguſta, in quandam ingluuiem ampliſſimam producta, cui adhæret ventriculus: à quo inteſtinum tenue (craſſius tamen quàm gula) partem repetit ſuperiorem, & iuxta os ſurſum tendit. Corneum quiddam vtrinque habet Polypus, in quo eius oua recluduntur: lucida quidem ea ac transparentia. Flagella autem oſtendit quina, atque interdum ſena. Ego verò cùm apud Epidaurum ſemel Murænas ſecarem. earum ventriculos cirris polyporum refertos comperi. (D) Saxorum cauernas incolunt, atque illic cancris & paguris victitant. Viſus eſt à nobis Polypus in portu Corcyræ nigræ, integram horam cum cancro decertaſſe. Continent humorem in ſe non nigrum, vt in ſepiis, ſed ſubrufum, quem in metu per aquam ſpargit.

Polypi ab eſca ſe facilè in ſublime efferri patiuntur: ſed vbi venerint ſurſum, & leuati extra aquam aërem ſenſerint, mox elabuntur. Quamobrem veteratores Polypos antiqui vocauerunt. E

Quoties nautæ Græci (apud quos magis eſt edulis) grandem Polypum ceperunt, antequam eum incoquant, per mediam horam diuerberant, atque ad lapidem frequentiſſimè atterunt: hoc modo faciliùs coqui poſſe affirmant; alioqui Polypus etiamſi in mille fruſta conſciſſus fuerit, tamen ſingula adhuc & colorem mutare & moueri videbuntur. (C) Atque hic quidem magis eſt terreſtris, *(terrenus Plinio, id eſt litoralis.)* F

Eſſe autem pelagium à ſuperiore diuerſum Ariſtoteles facilè comprobat. Quamobrem ille ſuperior Ariſtotelis more terrenus (πρόσγειος) ad diſcrimen pelagij nominetur. Nam (vt ſcribit ille) terreni maiores ſunt quàm pelagij. Pelagius autem corpore exiguo varióq; præditus eſt, ad cibum prorſus ineptus. *(Rondeletius, pelagium & terrenum ſiue litoralem, vitâ ſolum & magnitudine, ſpecie nullo modo diſſidere ſcribit. Ab vtroq; autem diuerſum, ex Ariſtotelis ſententia facit genus alterum, exiguum variumq;.)*

DE BOLITÆNA, SIVE OZOLI, QVAM ET *Oſmylum vocant, Bellonius.*

A Alia eſt Polypi ſpecies vulgò vbique cognita. Itali Moſcarolum & Moſcardinum vocant, nonnulli Muguetinum. Editur Polypi modo, neque ab eo diſſidet, niſi quòd ad eam magnitudinem non extuberat. Tenuibus & oblongis præditus eſt cirris, & corpore minore, moſchum ſuauiter olente. Nihil eſt prorſus in pictura huius aut deſcriptione, quod non ſuperiori Polypo conueniat. *(Rondeletius diſtinguit à polypo, quòd rotundiore ſit corpore, & longioribus brachiis, vnico in eis acetabulorum ordine: id quod Bellonius ad Eledonam refert, &c.)* Non deſunt qui hunc exiccent, vt fragrantiam veſtibus in arcis concilient. Plinius Ozænam dictam à graui capitis odore putat. Nimirum antiqui odorem, quem moſchus, aut quidpiam ſimile refert, naribus grauem eſſe putarunt. Murænæ hanc maximè conſectantur. Pollux & Ozænam & Oſmylian vocari tradit Polypi genus, quod inter caput, & cirros branchiáſue, *(brachiáue)* fiſtulam gerit, qua terrum odorem emittit: quod Mænulas ſepiolaſq; venatur.

DE ELEDONA, ALTERA POLYPI SPECIE, BELLONIVS.

Rondeletius hunc ab Oſmylo non diſtinguit.

Eledona à Polypo terreno cirrorum prolixitate diſtinguitur. Crura habet longa, & vnus ex mollium numero ſimplicem tantum in brachiis acetabulorum ordinem oſtendit. cætera namque omnia duplici (vt inquit Ariſtoteles) inſigniuntur.

COROLLARIVM.

A Polypi vocabulum Latini non habent, ſed acceperunt à Græcis, teſte Varrone. Ἀνόστεος apud Heſiodum, id eſt exos, pro polypo accipitur, epitheton loco ſubſtantiui: Lacedæmonij tamen polypum ſubſtantiuè & ſimpliciter ἀνόστεον vocant, authore Clitarcho in Gloſſis, Proclus in Heſiodum. Onos, id eſt aſinus marinus, quem quidam pulpum (polypum) dicunt, alij octapodem, Kiranides libro 4. Gerardo Cremonenſi interprete. Sed alius, quod ſciam nemo, aſini nomen polypo attribuit. nos ὄνους, id eſt aſellos ſui generis piſces, non malacia, in A. elemento deſcripſimus. Pulpum aliqui recentiores indocti nominant, voce Italis vulgari ad latinam terminationem deflexa, vt Syluaticus & Gerardus Cremonenſis. Albertus Multipedem nominat, Græco nomine ſimpliciter tranſlato, eodémque ſenſu compoſito. Octapodia pro polypis apud Pſellum leguntur, diminutiuo nomine. nam & hodie à Græcis octapodi dicuntur, à quibusdam ineptiùs catapodi. Polypus vbique ferè gentium nomen retinet, Gillius. Polpo Italis dicitur: Venetis ſimiliter vel Folpo. Genuæ Porpo. Hiſpanis Pùlpo. Gallis Poupe. Angli qui Vectam inſulam incolunt, vocant a Pour cuttel / vt Turnerus me docuit: alij quidam, vt à Io. Fauconero accepi, a Preeſe. Iidem Sepiam Cuttel vel Cuttle vocitant Germanico nomine inteſtinum ſignificante. videntur autem Malacia, id eſt mollia omnia Germanicè rectè poſſe vocari Kuttelfiſch: vt ſi Polypum interpreteris, ein Kuttelfiſch art. Non ineptè etiam vocaretur ein Vilfüſſ vel Polfiſch vel Polkuttel, nomine compoſito à Polypo, & Kuttel quod eſt Sepia. nam & Maſſilienſes Polypum nominant Secche poupe. Secche autem Sepia eſt. Vel circunſcribetur, ein Blackfiſch mit langen füſſen vnd einem kleinen leib, id eſt Malacium pedibus longis, alueo modico: quare ingredi etiam poteſt, reliqua mollia non poſſunt. Vide ſuprà in Loligine minori. Ahuna, vel Hahanc, vtrunque nomen corruptum eſt à channa: Albertus & alij obſcuri channæ propria quædam ei attribuunt, quædam etiam polypi, &c.

B Theophraſtus in libro de differentiis ſecundum locos, polypos circa Helleſpontum naſci negat: quòd mare illud frigidum ſit & minùs ſalſum. Simocatus in Ponto polypos eſſe negat: Oppianus in Euxino. In Euripo deſunt, Ariſtot. In mari circa Venetias frequentiſſimi ſunt, Author de nat. rerum. In Carteia buccinas eſſe aiunt decem cotylarum. in exterioribus autem locis polypum ad talenti pondus accedere, Strabo. Maximorum polyporum hiſtorias duas ex Plinio & Æliano referemus in C. Mollibus communia multa, quod ad corporis deſcriptionem, protuli in Loligine B. Polypis nulla cutis eſt, Plinius. Coëunt polypi, alter capite vulgò appellato in terram verſo, &c. Ariſtot. Caput illud polypis quandiu viuunt prædurum & quaſi inflatum eſt, Idem. Et alibi: Polypis nihil ſolidum intus, ſed caput cartilagine propè

Vbi.
Magnitudo.
Cutis.
Caput.

propè constat, quæ senescentibus maiorem in modum indurescit. Mollia sanguine carent, vt loligo, sepia, polypus, & cætera eius generis. his caput inter pedes & ventrem, Plinius & Aristot. Mollia foris alueum corporis indiscretum habent, & pedes parti priori iunctos circum caput, infra oculos circa os & dentes, Aristoteles de partibus 4.9. Et paulò pòst cùm de partibus interioribus mollium turbinatorúmque in genere dixisset, subdit: Cùm ita partes interiores iis collocentur, ambit alueus, qui in polypis tantùm caput vocatur, *(nimirùm quòd breuior & rotundior sit.)* qualis in testato genere turbo est, &c. Habet polypus oculos ἐπάνω τῶν δύο ποδῶν, os verò & dentes inter medios pedes, Athenæus ex Aristotele. Fistulam ante alueum positam supra brachia gerit cauam, qua mare transmittit, quantum suo admiserit alueo, quoties aliquid ore capit: eámque modò in dextram partem transfert, modò in sinistram. hac eadem fistula suum quoque atramentum fundere assolet, Aristot. Est polypis fistula in dorso, qua transmittunt mare: cámque modò in dextram partem, modò in sinistram transferunt, Plinius. Fistula hæc ab Aristotele nominatur αὐλός, de generat. anim. 1. 15. & historiæ 5. 6. μυκτήρ, Gaza narem transfert: fistulam malim, & Græcè φυσητῆρα legerim: sicut & in sequentibus mox verbis de loligine, φυσητῆρα tantùm: non vel μυκτῆρα vel φυτῆρα. licet etiam Plinius ex Aristotele de coitu loquens, verterit: crine vno fœminæ naribus adnexo. Ælianus etiam in cetis Gedrosiis eandem partem μυκτῆρας, id est, nares appellare videtur: vt fortè nihil sit mutandum. Vide in Physetere plura. Corpore sunt admodum paruo, & in medio ad emittendam aquam fistulato, Iouius. Pinnula alueum circundans, minima est miniméq; conspicua: paruum enim habent alueum, quem satis suis pedibus dirigere possint, Aristot. Non habent pinnas quæ mollia appellantur, vt polypi: quoniam pedes vicem pinnarum illis præstant, Plinius. Dorsum partem læuem appellant, à qua acetabulorum ordo inchoatur, Plinius. Collum etiam ei attribui inuenio ab Aristotele, idq; imbecille, cùm premitur. Pediculi octoni omnibus, binis acetabulorum ordinibus *(excipitur eledona)* ductu perpetuo omnibus, excepto genere vno polyporum, Aristot. historiæ 4.1. Gillius quidem scripsit polypos octo pedes habere, simplicibus singulos acetabulorum ordinibus plenos, memoriæ forsan lapsu. Polyporum brachia tantundem atque etiam plus magnitudinis capiunt, (dixerat autem prius sepias aliquas in bina augeri cubita,) Aristot. Theodorus pro pediculis brachia interpretatur: quæ & crura & barbas, & cirros alibi vocat: sed & crines Plinius quandoque Massarius. Et rursus, in hæc verba Plinij de polypo maximo: Barbas quas vix vtroque brachio complecti esset: Sic nos quoque (inquit) barbas in antiquis exemplaribus legimus. hoc diximus quia in cæteris omnibus impressis codicibus branchias pro barbas deprauatè legitur. & intelligit per barbas brachia: nec dixit brachia, quoniam statim subsequitur, Quas vix vtroque brachio complecti esset. Theodorus quoque in Aristotele quarto de historia barbas similiter appellauit. Κοτυληδόνες dici videntur, vt inquit Oppiani interpres, διὰ τὰς ὁμοιωμένας τοῖς πλοκάμοις κοίλας οἷον κοτύλας: quòd concauæ capillis *(brachiis)* incumbant velut cotylæ, Cælius. sed ipsæ potiùs tanquam cotylæ & calices, non quæ eis exasperantur brachia, propriè cotyledones dicuntur. Vide etiam infrà in H.b. Πλεκτάνας Theodorus brachia transtulit. Sunt qui cotyledonas intelligant, partes in flagellis concauas, quibus exsorbere polypi consueuerint, Idem. Et rursus: Κοτυληδόνας exponunt eruditiores [illegible] πλεκτάνας, id est polypi acetabula, siue cirrhos *(non placet per h.)* aut vt Ouidius, flagella. [illegible] cotylæ similitudine, vt inquit Eustathius. (id genus vasis est, & manus cauitas, &c.) Antiphilus Byzantius helicas vocauit eo versiculo: Πλέξα [illegible] ἐκλατένς ἕλικας. Theodorus cotyledonas acetabula interpretatur. Acceptabula apud Plinium Trebius Niger in Polyporum ratione accepisse videtur pro caliculis vrnalibus peluium modo: vnde apud Senecam sunt præstigiatorum acceptabula: hoc est vascula seu caliculi quibus astantium oculos fallendo præstingunt &c. Cæl. Rhod. 13. 23. vbi multa de diuersis significationibus acetabuli seu acceptabuli affert. Acetabulis siue caliculis vrnalibus peluium modo, Plinius de polypo maximo. vbi Massarius: Sunt qui corrigunt calicibus, pro caliculis, quippe cùm vrnalis magnitudinis fuisse à Plinio referatur. Et alibi: Acetabula sunt caliculi illi in brachiis polyporum, qui rei cuique admoti veluti cucurbitulæ suo haustu adeò tenent, vt auelli nequeant. Tradit Aristoteles polypum habere pedes octonos: è quibus bini superiores, & (totidem) inferiores, minimi sint, medij verò maximi: & cotyledonas duas, quibus cibum admoueat, Athenæus nescio quàm rectè. Brachiis eorum membrana quædam interiecta est, Aristot. De polyporum pedibus & acetabulis, plura leges apud Aristotelem de partib. animal. 4. 9. & suprà in Loligine, fortè & inferiùs in Sepia. Habet polypus partes cæteras robustissimas, ceruicem verò imbecillem, Athenæus.

Oculi, os, dentes. *Fistula.* *Pinnæ.* *Dorsum.* *Collum.* *Pedes & acetabula.*

Mollia appellantur ex aquatilibus ossium expertia: vt polypus, sepia, loligo, vrtica: quæ etiam sanguine & visceribus carent, Ælianus. Aristoteles, citante Athenæo, non simpliciter viscera, sed quæ sanguineorum visceribus respondeant, polypo negat: Σπλάγχνον δ' οὐκ ἔχει ἀναλογοῦν. Sepio caret, Aristot. Habet aliquid quod proportione cerebro respondeat, Idem. Cerebrum omnia habent animalia quæ sanguinem: etiam in mari quæ mollia appellauimus, quamuis careant sanguine, vt polypi, Plinius. In polypo dissecto cerebrum duplex conspicitur, Aristot. citante Athenæo. Sepiis & polypis venter similis tum figura tum tactu est, Idem. Venter sanguine carentibus, nullus: intestinus *(intestinum)* enim quibusdam ab ore incipiens, quadam via eòdem reflectitur, vt sepiæ, polypo, Plinius. Vide Aristotelem de partib. 4.11. Μήκων, id est papauer, excrementum significat, vel potiùs tunicam (seu vesicam) qua id continetur, in polypo, sepia, & in testatis: nam excrementum ipsum θολός, id est atramentum dicitur. Sita est hæc tunica supra ventrem, authoribus Æliano & Scholiaste in Aristophanem. vide suprà in Mecones, & in Rondeletij Capite de pinna. Polypus habet atramentum, non vt sepia nigrum, sed subrubrum ἐν τῷ λεγομένῳ μήκωνι, Aristoteles apud Athenæum. De atramento aliquid etiam in C. dicetur. Ouum maximè indiscretum est in polypis, vt simplex esse videatur: cuius rei causa est forma corporis, quæ similis vndique est, Aristot. Et rursus: Polyporum ouum simplex est. causa est forma eorum vteri, quæ specie rotunda conglobatáque est. fissio enim eius iam repleti incerta est, De generatione 3.8. Differunt fœminæ à maribus, quia in mare meatus ille subditus gulæ à cerebello in ima aluei pertendit, idq; ipsum ad quod fertur, speciem mammæ imitatur. In fœmina duplex idem illud, supráque habetur. vtroque tamen in sexu corpuscula quædam rubentia parti eiusmodi subiuncta spectantur, Aristot. Mas à fœmina differt, eo quòd caput oblongius habet, & pudendum (vt piscatores vocant) albidum suo in brachio continet, Aristot. & Athe-

Interiora. *Μήκων.* *Sexus differentia.*

Athenæus. Vide infrà in C. vbi de coitu polyporum agitur. Sed hanc de ipsorum coitu persuasionem Rondeletius refellit. Brachio vltimo, (quod & acutius, & solum albicans est, & parte sui extrema bifurcatum, dorsóque adnexum,) in coitu vtitur, Aristot. Hunc polypi pedem, ni fallor, (inquit Wottonus,) Plinius caudam vocat libro nono: Cauda, inquit, quæ est bisulca & acuta, in coitu vtitur. Polypus ita constitutus est, ac si octo serpentes ad vnum caput essent colligati, Albertus.

C

Ion apud Athenæum, polypum petræum cognominat: non ea ratione opinor, qua pisces saxatiles Græci petræos vocant: sed quia petris se agglutinare solet. Oppianus eum incolere dicit ἁλὸς ἐναύλους, id est cauernas maris, in petris nimirum. amat enim loca aspera, quæ brachiis suis commodiùs prensat & retinet. Theophrastus in libro de animalibus agentibus in sicco, polypos mare in se recipere negat, Athenæus. non recipiunt id quidem refrigerationis gratia, vt suis branchiis pisces: sed dum cibum capiunt, obiter admittunt: idémque mox per fistulam, (qua de re Aristotelis verba in B. attuli,) vt cete reddunt. Polypus tum pedibus, tum pinnis natat, Aristoteles: ex quo pinnulam alueum huius piscis ambientem minimam, miniméque conspicuam esse dixi suprà: Plinius pinnas ei prorsus negat, quòd pedes vicem pinnarum ei præstent. Natat obliquus, pedes in eam porrigens partem, quod capitis nomine appellatum est. Atque ita efficitur vt cùm natat, prospiciat in aduersum, (nam oculi suprà sunt constituti,) & os habeat ex aduerso. caput illud polypis, quandiu viuunt, prædurum & quasi inflatum est, Aristoteles. Natant obliqui in caput, quod prædurum est sufflatione viuentibus, Plinius. Mollium vnus polypus *(crura enim ei quàm cæteris longiuscula, & gradiendi facultate prædita sunt)* exit in siccum, graditur per asperiora, vitat læuia, Aristoteles, & qui ex eo repetiit Athenæus. Soli molliũ in siccum *(alibi, in terram)* exeunt, duntaxat asperum, læuitatem odêre, Plinius. Polypo pedes sunt vix hac appellatione digni. ita enim in solido sub aquis ingreditur, vt humoris beneficio suspensus fluitet. In sicco ambulatio cùm pulsu & tractu fiat, alterum solum est in polypi motu: qui neque gressio, neque reptio est, tractus scilicet. acetabulis enim iactis procul, vt cuique applicuit, id apprehensum tenet: tum brachiorum contractione corpus admouet. ita subuehit sese eam in partem, cui adhæserit, Cæsar Scaliger. In ædificia aliquando transgrediuntur, Iouius. Vide infra mox, vbi de cibis, quos in sicco appetit, dicetur. Polypi promuscide carent, quoniam pedes ad vsum eundem commodos habeant: hoc est ad venandum, cibósq; ori admouendum, Massarius. Polypus suis brachiis vt pedibus ac manibus vtitur, quippe quibus duobus supra os positis cibum admoueat, Aristoteles. Polyporum multa genera, omnes brachiis vt pedibus ac manibus vtuntur, Plinius. Per brachia velut acetabulis dispersis, eo hausto quodammodo, cui adhærescunt, tenent supini, vt auelli nonqueant. Vada non apprehendunt: & grandibus minor tenacitas, Idem. Comprehensum hominem in terram deiiciunt, Massarius. Tangunt ac tenent brachiis supinis, membranámque interiectam totam extendunt. in arenam tamen elapsis facultas apprehendendi retinendíque nulla est, Aristot. Non potest petris auelli polypus, Plinius, Polypus pluribus brachiis & crinibus instruitur, quibus obuia quæque comprehendit, ligat, inuoluit, atque flagellat, Iouius. Validum cùm cæteris suis partibus hoc animal sit, collo tamen imbecille, cùm premitur, est. De morsu polypi dicetur in G. Odoratur polypus. nam & ad oleas in litore, odore consecutus accedit: vt vel cani sagaci ab Oppiano comparetur.

Saxatilis quomodo. *Mare quomodo recipiat.* *Natatio.* *Exitus in siccum.* *Pedum vsus ad apprehendendum, &c.* *Morsus.*

Polypi acerrima edacitate sunt, δεινοὶ κατὰ κοιλίαν, & quiduis obuium cibi gratia inuadunt: proinde ne à suo genere quidem sæpè abstinent: sed cùm à maiori captus minor in laqueos validiores inciderit, qui flagella piscis appellantur, mox in ferculum ei cedit, Ælianus. Conchis quomodo insidietur lapillo immisso: & quod hominem quoque in aqua conficiat, ex Plinio recitabimus in D. Vescuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt: itaque præiacentibus testis cubile eorum deprehenditur. Omnia in domum comportat: dein putamina erosa carne egerit, adnatantésque pisciculos ad ea venatur, Plinius. Polypi conchuiis maximè extringentes carunculas vescuntur: vnde fit vt eorum cubilia cognoscant, qui venantur, congerie testarum, Aristot. Vescitur aliquando τοῖς τῶν κογχυλίων σαρκιδίοις, τὰ ὄστρακα ἐκτὸς τῶν θαλαμῶν ῥίπτων, Athenæus ex Aristotele. In hunc modum insidias piscibus moliuntur: Sub saxa subiecti desident, & in horum colorem se conuertunt, vt saxa sanè esse videantur. Atque pisces ad eos tanquam ad saxa adnatant, & incauti sic ab eorum brachiis tanquam retibus comprehenduntur, Ælianus. De coloris eius mutatione plura adferemus in D. Polypo tanta vis brachiorum, vt nautam aliquando è naui incautum rapiat, & in mare pertracti carnibus satietur. carnes enim appetit, Author de nat. rerum. Piscatores dicunt polypum in terram progredi ad oliuæ germen in litore positum, Ælianus. Et alibi: Polypos & osmylos in siccum egressos æstiuo tempore, ex maritimis arboribus frugiferis fructus subripientes, (scandunt enim per truncos, & ramis se implicant,) sæpè agricolæ & deprehendunt, & pro direptis fructibus pœnas ex comprehensis sumunt: & pro commisso ab eis furto, fructuum dominis ipsos ad epulas adferunt. Quæ Trebius Niger retulit, monstro propiora possunt videri. Carteiæ in cetariis assuetus exire è mari in lacus *(tinas, quæ & labra dicuntur, Massarius)* eorum apertos, atque ibi salsamenta populari, conuertit in se custodum indignationem assiduitate furti immodici. Sæpes erant his obiectæ, sed has transcendebat per arborem: nec deprehendi potuit nisi canum sagacitate. Hi redeuntem circunuasêre noctu, concitíq; custodes expauêre nouitatem. Primùm omnium magnitudo inaudita erat. Deinde color muria obliti odore diri. Quis ibi polypũ expectasset, aut ita cognosceret? Cum monstro dimicare sibi videbatur. nanq; & afflatu *(odore forsan. alioquin enim non flat, neq; spirat)* terribili canes agebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robustioribus brachiis clauarum modo incussos, ægréque multis tridentibus confici potuit. Ostendere Lucullo caput eius dolij magnitudine, amphorarum xv. capax, atq; (vt ipsius Trebij verbis vtar) barbas quas vix vtroq; brachio complecti esset, clauarum modo torosas: longas pedum xxx. acetabulis siue caliculis vrnalibus peluium modo: dentes magnitudini respondentes. Reliquiæ asseruatæ miraculo pependere pondo septingentorum, Plinius. Strabo circa Carteiã polypos non tantæ magnitudinis, sed talenti pondo reperiri tradidit. Huic prorsus similem historiam de maximo circa Puteolos polypo recitat Ælianus de animalibus 13. 6. eam nos etsi prolixam, propter rei admirationem totidem verbis hîc adscribemus. Temporis longinquitate Polypi adeò magni euadunt vt ad ceti magnitudinem accedant, cetaceíq; generis numerum obtineant. Puteolis oppido Italiæ auditum est, Polypum cum

Cibus & Voracitas. *(Coloris mutatio)*

cum inuſitata ad corporis molem facta progreſſione, ad maximam magnitudinem perueniſſet, egregiè ſpreto & neglecto maritimo victu, in continentem proceſſiſſe & terrena quædam deprædatum eſſe. & cùm per ſubterraneum ſpecum, Puteolanas ſordes in mare transmittentem, in maritimam domum aſcendiſſet, vbi mercatorum ex Iberia res, ſalſamentáque in magnis vaſis eſſent, brachiorum circumplexione vaſa primò ſtrictè comprimentem confregiſſe, deinde ſalſamenta depopulatum fuiſſe. Mercatores verò ingreſſos, vbi dolia diſrupta inſpexiſſent, & permagnum earum rerum, quas naui advexiſſent, numerum exhauſtum deprehendiſſent, ſtupuiſſe: Ac nimirum cùm ab inſidiis fores integras, tecta ab omni irruptione intacta, parietes non perfoſſos intuerentur, quíſnam populator fuiſſet, nulla coniectura aſſequi potuiſſe: At enim cum reliquias conditorum piſcium animaduerterent, eos conſtituiſſe, ex domeſticis audaciſſimum armatum intus in inſidiis ponendum eſſe. Polypum verò noctu ad aſſuetas tanquam epulas adrepentem reuertiſſe, & tanquam athleta aduerſarium ſtrictiſſimè correptum ſuffocat, ſic flagellis vaſa circumplicantem perfregiſſe. Eum porro qui inſidias moliretur, etiamſi lunæ fulgore domus illuſtraretur, omniáque conſpicua eſſent, non tamen, quoniam ſolus eſſet, beſtiæ metu perterritum, hanc aggreſſum fuiſſe, ſed mane mercatoribus totam rem explicaſſe: quod quidem ipſum ij audientes, ei fidem enarratarum rerum non habebant. Deinde tum negociatores ob tantum acceptum detrimentum, periculi memoria depoſita, conſenſerunt ſimul ingredi & congredi cùm hoſte: tum alij inuſitati & incredibilis ſpectaculi ſtudio ſua ſponte ſeſe auxiliatores vnà in domo illa concluſerunt. Poſteà verò quàm ſub veſperam in ſolita dolia fur inuaſiſſet, ex eis partim cloacam obſtruebant, partim armis tecti in hoſtem irruentes, dolabris & cultris acutiſſimis eius brachia abſcindebant. Cumq; quemadmodum frondatores & putatores arborum robuſtiſſimos ramos ſecant, ſic ij ipſius membra circuncidiſſent, tandem vix non pauco labore eum ipſum confecerunt, atq; oppreſſerunt: &, quod quidem admirationem habet, in terra piſcem mercatores fuerunt expiſcati, huiusq; beluæ propriam veteratoriam nobis oſtenderunt.

Brachia ſua arrodit. Polypus cum aliis cibis paſcitur, (eſt enim edaciſſimus, ad fraudémque & inſidias callidiſſimus,) tum verò ſua ipſe membra conficit. nam ſi præda eum deficiat brachia ſua deuorat: ac ventre ſic ſaturato, inopiam venationis leuat. deinde renaſcitur ei quod deeſt: hoc tanquam promptum prandium ad famem reſtinguendam comparante ipſi natura, Ælianus. Polypus ſub brumam ſeipſum vorans, corrodénſq; deſidet. *Verſu Heſiodi.* Ἐν ἀπύρῳ οἴκῳ, καὶ ἐν ἤθεσι λευγαλέοισιν: adeò vel piger, vel ſtupidus, vel certè ventre tam rabido, aut his forſan obnoxius omnibus, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Ariſtoteles à paguris eos exedi ait: Proclus in Heſiodum, lapſu nimirum memoriæ: nam apud Ariſtotelem à congris in fieri legitur, (vt Plinius quoque & Athenæus legerunt,) non à paguris. Sed cur hoc veriſimile eſſe non poteſt, vt polypis interdum à ſibi ipſis, & interdum à congris brachia prærodi contingat, quando & cercopithecos deſiderio carnis comedendæ correptos caudam ſibi prærodere videamus? Maſſarius. Vt in mari polypus, ſic in terra etiam vrſi hyeme conditi ſuos pedes lambunt, ſugúntque, Oppianus Halieut. 2. Et rurſus tertio de venatione de vrſis ſcribens polypos in mari idem facere canit:

Τοῖον ὑπαὶ βένθεσσιν ἐν εὐρυπόροιο θαλάσσης   Πουλύποδες σκολιοὶ παρὰ κύμασι μητίσαντο:
Χείματι δ' οἱ μεσάτῃ κρυερῷ πνείοντος ἐνιαυτῷ   Κεύθονται πλαταμῶσιν ἑοὺς πλοκαμῖδας ἔδοντες.
Αὐτὰρ ἐπὴν ἔαρ ὑγρὸν ἐΰτροφον ἀνθήσειεν,   Ἀκρέμονές σφισιν ὦκα νέοι πάλιν ἀλδήσκουσι,
Καὶ πάλιν εὐπλόκαμοι δολιχὴν πλώουσι θάλασσαν.

Hyeme ſuos pedes arrodunt. colouopodas certè hinc polypos conſpici Ioannes Grammaticus adnotauit, Cælius. Λέγεται ὁ πολύπους ἐν τοῖς χειμῶσιν ἐκμυζᾶν τὸν πόδα συνεσταλμένος ἐν τοῖς μυχοῖς τοῖς ἑαυτοῦ, Proclus in Heſiodum. Et mox: διὸ καὶ εὑρίσκονται οἱ παλαιοὶ πολύποδες, ἔχοντες κολοβοὺς τοὺς πόδας. Et rurſus: Heſiodus (vt Græci interpretãtur) eledonem polypi genus eo verſu intellexit, qui in Ergis legitur, ferè in fine: ---- ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει. dicíque eledonem volunt, ἀπὸ τοῦ ἑαυτὸν ἔδειν, quòd ipſa ſe rodat: ita vt λ. in nomine perinde ac vacans legatur, Cælius Rhod. ſed alij plerique de polypo ſimpliciter, non de eledona ſpecie eius vna priuatim hoc tradunt. Pherecrates comicus apud Athenæum ſic iocatur in tenuioris fortunæ homines, vt apparet. Ἀχρείοις ἐνθρύσκοισι (ἀνθρίσκοισι, olere) καὶ βρακάνοις, καὶ σεσελίοις ζῶν: ὁπόταν δ' ἤδη πεινῶσι σφόδρα, ὥσπερεὶ τοὺς πολύποδας νύκτωρ, περιτρώγειν ἐν τῶν (lego, ἐντὸς) τοὺς δακτύλους. Apud eundem Diphilus: ----πουλύπους Ἔχων ἁπάσας ὁλομελεῖς τὰς πλεκτάνας, Οὐ περιβεβρωκὼς ἑαυτὸν ἐστι φίλτατε.

Aquam frigidã & dulcem eis aduerſari. Theophraſtus in libro de differentiis ſecundum locos, polypum circa Helleſpontum naſci negat: quòd mare illud frigidum ſit, & minùs ſalſum, quæ vtraque polypo inimica ſunt, Athenæus. In Pontico mari non apparet: vt quod & frigidius ſit, & dulcius, quæ duo ei aduerſantur, Simocatus. *Atramentum.* Minus atramenti habet quàm ſepia: (eſt autem id polypis ſuprà apud mutim poſitum:) nam brachiis ſibi ſufficiunt, & coloris mutatione: quæ & ipſa accidit ei per metum, vt effuſio atramenti, Ariſtot. Et alibi: Polypus & loligo atramentum præ metu mittunt: ſed accreſcit denuò poſtquàm miſerunt, vt eius copia nunquam deſit. Atramentum (τὸν λεγόμενον θολὸν) non nigrum habet, vt ſepia, ſed ſubrubrum, in eo quod papauer appellant, Athenæus ex Ariſtotele. Vide etiam ſuprà in B. inter partes interiores de papauere veſica excrementum hoc continente.

Cubile. Cubile ſibi ſtruit, non ſolùm pariturus, ſed aliâs etiam puto: id Homerus & Ælianus θαλάμην appellant. Conchas tenuiores ſcabráſque efficere circum ſe, velut loricam duram, eámque eo ampliorem, quo ipſi ſunt ampliores, atque de ea quaſi latibulo aut caſula quadam prodire aiunt, Ariſtot. Conchulis maximè extringentes caruncula veſcuntur: vnde fit vt eorum cubilia cognoſcant, qui venantur, congerie teſtarum, idem. Nidum conſtruit è lignis, & in eo parit, Albertus.

Latitatio. Polypi binis menſibus conduntur, Plinius. Latent circiter duos menſes, Ariſtoteles & ex eodem Athenæus.

Coitus. De polyporum ac ſepiarum coitu, partu, vitáque diximus nonnihil in Corollario Loliginis minoris C. Polyporum idem coitus eſt, qui mollium omnium, de quo ſuo loco, Ariſtot. Hyeme coëunt, pariunt vêre: Idem, & ex eodem Athenæus ac Plinius. Polypi crine vno fœminæ naribus adnexo, coëunt, Plinius. Refellit hoc Rondeletius. Oportebat autem fiſtulam potiùs quàm narem transferri à Plinio, pro parte illa cui polypus mas crinem inſerere dicitur, vt monuimus ſuprà in B. ad cuius capitis finem ampliùs aliquid de polyporum coitu attuli. De inſertione crinis polypi maris in fiſtulam fœminæ, plura leges

leges apud Ariſtotelem de generatione 1.15. In terram verſo capite coëunt, Plinius: de fœminis hoc acceperim: quibus mares ſuperueniunt, vt ex Ariſtotele Rondeletius affert. Nidum ſibi conſtruit è lignis vel ſurculis, in quo ſpargit (parit) oua cohærentia ſibi, Albertus & Author de nat. rerum. Pariunt vêre oua tortili vibrata pampino, (βοτρυδὸν *id eſt racematim hærentia, Athenæus ex Ariſt.*) tanta fœcunditate, vt multitudinem ouorũ occiſi non recipiant cauo capitis, quo prægnantes tulêre. Ea excludunt quinquageſimo die, è quibus multa propter numerum intercidunt, Plinius. Ouum veluti cirrum ædit, fructui populi albæ ſimile. perquàm fœcundum hoc animal eſt. nam de eo quod ædiderit, copia innumera prouenit, Ariſtot. Et rurſus: Pendent vtique per cubile oua tanta fœcunditate, vt collectis vas impleatur longè amplius quàm caput ſit, quo continebantur. Et alibi: Ouum polypi vnum incomptum foris, & grande, intus humorem candicantem concolorem totum, atq; æquabilem continens. Tanta eſt eius oui vbertas, vt vas impleat amplius capite polypi ipſius. Cur autem ſimplex ſit hoc ouum, dictum eſt ſuprà in B. in mentione vteri eius. Polypus & ſepia, & reliqua generis eiuſdem, oua quæ pepererint, abſoluta fouent, & præcipuè ſepia, Ariſtot.. *Incubatio.* Polypus fœmina modò in ouis ſedet, modò cauernam cancellato brachiorum implexu claudit, Plinius. Fouet polypus oua quæ ædiderit: nec in paſtum interim prodit, Ariſtot. *Vita breuis, & eius cauſa.* Vltrà bimatum non viuunt. pereunt autem tabe ſemper. fœminæ celeriùs, & ferè à partu, Plinius. Polypus in venereo complexu extremum ſpiritum effundit. non enim diſiſtit coire, priùſquàm membrorum robore defectum humi ſtratum, quiuis qui ad eum appropinquat, ſiue ſit is cancellus, ſiue cancer, ſiue alij piſces, quos antè deuorabat, ipſum tandiu membratim decerpunt, & lacerant, dum vitam amiſerit. Fœmina item ex pariendi dolore (propter crebros partus) perire ſolet: non enim diſcreta oua ſed continentia racematim inter ſe, & cohærentia ex anguſto foramine pariuntur: quamobrem non biennium amplius viuit, Gillius ex Oppiano: ex quo Ælianus etiam tranſtulit, De animalibus libro 6. cap. 28. Tanta eſt ſalacitate, vt effœto corpore nulla ſit ei aut natandi aut prædam affectandi facultas. Genus polyporum (inquit Ariſtoteles) magna ex parte biennio viuere non poteſt. ſua enim natura tabi obnoxium eſt. cuius rei indicium, cùm preſſus polypus aliquid ſubinde humoris emittat, demúmque abſumatur totus. quòd fœminis à partu potiſſimum incidit. ſtupent etiam fœminæ, vt neque vndis iactatæ ſentiant, & manu vrinantis de facili capiantur. ſordeſcunt etiam, nec prætereà aſſidendo venari poſſunt. mares verò alueo tument, & in mucorem lenteſcunt. Indicium ne bimatum compleant eſſe videtur, quòd ab ortu eorum, qui æſtate fit, ad autumnum non facilè grandem polypum videris, cùm paulò ante id tempus prægrandes ſpectentur. à partu ita ſeneſcere debilitaríque tàm marem quàm fœminam ferunt, vt vel à piſciculis deuorentur, & facilè à ſuis detrahantur cubilibus, cùm antea nihil tale iis vſu eueniat. tum verò paruos, nouellóſque quamuis recens natos, tamen nullo eiuſmodi malo affici narrant. Quinimò validiores eſſe quàm grandes confirmant. Sepias etiam bimatu non viuere apertum eſt, Hæc ille. Et alibi: Caput eorum cartilagine (propè) conſtat, quæ celeriter dureſcit, immaturamq; illis ſenectam adſerre ſolet, Iouius ſeneſcentibus maiorem in modum indureſcit, Ariſtot.

D

Polypus admodum ſtolidus eſt: nam ad manum venantis accedit, & perſequentem aliquando non refugit, Athenæus. *Prouidentia circa victum.* Cùm alioquin brutum habeatur animal, vt quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet. Omnia in domum comportat, dein putamina eroſa carne egerit, adnatantéſque piſciculos ad ea venatur. Veſcuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt. itaque præiacentibus teſtis cubile eorum deprehenditur, Plinius. *Coloris mutatio.* Fraudulentus eſt, & petrarum in quibus delitet, quibúſue adhæret, colorem mentitur: quo quidem dolo plurimos piſces prædonem non agnoſcentes, incautos corripit, id quoniam cibi gratia facit: ſuperiùs quoque in C. in cibi mentione, nonnihil de colorum eius mutatione diximus. Sunt qui ſepiam quoque facere hoc idem autument. colorem nanq; eam ſibi contrahere ſimilem loco, in quo verſatur, confirmant. Sed piſcium ſola ſquatina ita affici ſolet. mutat enim hæc more polypi ſuum colorem, Ariſtot. Polypus minùs atramenti habet quàm ſepia. nam brachiis ſibi ſufficit, & coloris mutatione: quæ & ipſa accidit ei per metum, vt effuſio atramenti, Ariſtot. Theophraſtus in libro de iis quæ colores mutant, polypum ait τοῖς πετρώδεσι μάλιστα μόνοις συνεξομοιοῦσθαι, τοῦτο ποιοῦντα φόβῳ καὶ φυλακῆς χάριν, Athenæus. ſed pro μόνοις legerim τόποις, hoc ſenſu: petroſis maximè locis aſſimilari, metuentem ſibi atque cauentem. Nam & rurſus apud Athenæum ſic legimus: Ἱστορεῖται δὲ καὶ ὅτι φεύγων διὰ τὸν φόβον μεταβάλλει τὰς χρόας, καὶ ἐξομοιοῦται τοῖς τόποις ἐν οἷς κρύπτεται. Colorem mutat ad ſimilitudinem loci, & maximè in metu, Plin. Polypi aſſimilari petris, quibus adhærent cirris ſuis, eadem opera & piſcatores & piſces ſe validiores decipiunt, ac inſidias cauent: & cùm ſecuri ſunt, improuidos piſciculos captant, quos ex improuiſo inuadunt, Oppianus. Πουλύποδός μοι τέκνον ἔχων νόον Ἀμφίλοχ' ἥρως, Τοῖσιν ἐφαρμόζων, (lego ἐφαρμόζου, ex Euſtathio) ὧν *(addendum eſt ſyllabica dictio,* δὴ, *vel* ἂν *vel* κεν *vel* περ*)* καὶ δῆμον ἵκηαι, Clearchus libro 2. de parœmiis ex authore incerto, apud Athenæum. Eraſmus Rot. legit, ὧν κε πρὸς δῆμον ἵκηαι, & vertit

Polypi ingenio mihi ſis nate Amphiloche heros,   *Vt temet populo, quemcunq; acceſſeris, aptes.*

Addit, idem carmen Plutarchum ex Pindaro citare. Tarandum quadrupedem affirmant habitum metu vertere: & cùm delitescat, fieri aſſimilem cuicunque rei proximauerit, ſiue illa ſaxo alba ſit, ſeu fruteto virens, ſiue quam aliam præferat qualitatem. Faciunt hoc idem in mari polypi, in terra chamæleontes. ſed & polypus & chamæleon glabra ſunt, & pronius eſt cutis læuitate ſpeculi modo proximantia æmulari. In hoc nouum eſt ac ſingulare, hirſutiam pili colorum vices facere, Solinus. Cur polypus colorem variet, inquirit Plutarchus in libro naturalium cauſarum, quæſtione 19.

At contrà ſcopulis crinali corpore ſegnis   *Polypus hæret, & hac eludit retia fraude,*
Et ſub lege loci ſumit, mutatq; colorem,   *Semper ei ſimilis quem contigit. atq; vbi prædam*
Pendentem retis auidus rapit, hîcquoq; fallit   *Elato calamo, cùm demum emerſus in auras*
Brachia diſſoluit, populatumq; expuit hamum,   Ouidius in Halieuticis. pro retis, legerim ſetis, id eſt, lineæ cui annectitur eſca: vel cirris, id eſt capillamentis, & brachiis ſuis, quibus rapit ac inuadit. ſed illud magis placet. *Hamum quàm cautè circumrodat.* Polypum hamos appetere, brachiiſq; complecti, non morſu, nec priùs dimittere, quàm eſcam circumroſerit, aut arundine leuatum extra aquam, Ouidius in Halieutico tradit, Plinius. *Conchas quomodo diſcuneet.* Non ſunt prætereunda & L. Lucullo proconſule Bæticæ comperta de polypis, quæ Trebius Niger è comitibus

eius prodidit. auidissimos esse concharum. illas ad tactum comprimi, præcidentes brachia eorum, vltróque escam ex prædante capere. Carent conchæ visu, omníq; sensu alio quàm cibi & periculi. Insidiantur ergo polypi apertis: impositóq; lapillo extra corpus, ne palpitatu eiiciatur, ita securi grassantur, extrahũtq; carnes: illæ se contrahunt, sed frustrà, discuneatæ. Tanta solertia animaliũ hebetissimis quoq; est, Plinius.

Pugna cum aquila. Polypi pugnam cum aquila aue, describit Ælianus de animalibus 7. 11. vnde nos recitauimus in Aquila D. in Historia auium. Polypus nempè aquilam, à qua raptus erat, suis implicatam cirris in mare detraxit.

Deprehensum polypus hostem Continet, ex omni demissis parte flagellis,

Pugna cum locusta, murana, astaco, congro, dentice. Ouidius vt quidam citat, nescio quo in libro, aut quo de hoste. Polypum in tantùm locusta pauet, vt, si iuxtà viderit, omnino moriatur. Locustam conger, rursus polypum congri lacerant, Plinius. Polypi locustas vincunt: & adeò, vt, si eisdem in retibus senserit locusta polypum, præ metu emoriatur, Aristot. Vide plura in Locusta D. Astacus (etiam) polypum extimescit, Ælianus & Philes. Polypos congri superant, sed edere non possunt. læue enim & lapsum polypi corpus, vsum hostis effugit. De carabi, (id est locustæ,) murænæ & polypi pugna, multa protulimus in Muræna D. Polypum brachia sua rodere falsum: à murænis autem & congris metuere, verum. quippe qui ab his infestetur, quas ipse tamen non possit, lubricitate sua continuò elabentes, Plutarchus. Vide in Congro D. Proclus quidem Hesiodi Scholiastes non rectè ex Aristotelis libris citat, polypi brachia à paguris exedi. Cum polypo, vt ab expertis audiui, pugnat dentex siue dentatus: & quoniam extra foueam (cubile) extrahere ipsum dentex non potest, fluctuat ante ostium antri tanquam mortuus: quod incautus videns polypus, ad eum extendit vnum è brachiis, vt attra-

Quid refugiant. ctum deuoret. id brachium subitò morsu corripit dentatus, Albertus. Polypi odore escarum allectati, capiuntur: & quidem ita adhærent, vt truncari potiùs quàm se auelli patiantur. at verò pulicaria herba (conyza) admota, protinus ab odore eius resilire dicuntur, Aristot. Non potest petris auelli polypus. idem cunila admota, ab odore protinus resilit, Plinius. In Polypos si quis rutam iniiciat, immobiles manere in sermonem hominum venit, Ælianus. Fugiunt valdè fœtida, Albertus. Plinius quidem cùm à cunilæ odore eos resilire dixisset, subdit: purpuræ quoq; fœtidis capiuntur. Aquam quoque frigidam & dulcem oderunt, vt dictum est.

E Vescuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt. itaque præiacentibus

Captura. testis cubile eorum deprehenditur, Plinius. Polypi fœminæ à partu contabescunt, & resoluuntur: cóque faciles captu sunt, *(& mares à coitu, vt in C. circa finem dictum est.)* Athenæus. Piscatores dicunt polypum in terram progredi ad oliuæ germen in litore positum, Ælianus. Oleam prope litus nascentem odoratu sagaci percipit, & adrepens cirris suis amplectitur, truncum primúm, ceu infans collum nutricis: deinde altiùs prorepens, ramos ac frondes implicat: donec saturatus amore, ad mare redeat. Quamobrem piscatores vegetis oliuæ germinibus colligatis in fascem, plumbum in medium indunt, & à nauicula trahunt: quem statim amplexus aliquis polypus hæret, neque remittit, ne in nauim quidem petractus, Oppianus. Si quis sub cubilibus polypi salem asperserit, (Ἄν τις ταῖς θαλάμαις αὐτῶ ἅλας ὑποσπείρῃ,) statim egreditur, Athenæus. non potest petris *(escis, Aristot.)* auelli polypus. idem cunila admota, ab odore protinus resilit, Plinius. Vide superiùs in D. circa finem. Piscatores polypum petris tenaciter inhærentem dulci aqua perfundunt & facilè auellunt, Simocatus. Polypus cornu cerui vel storacis (styracis) sicci fumo deluditur & deprehenditur: quia diligit eum, & ob hoc intrat vasa (nassas) venantium, Author de nat. rerum. Esca ad polypos: Tenues mormures circa robustum quid vinculo deligans, inescabis, (&c. Vide in Mormyro E.) Tarentinus. Et rursus: Esca ad polypos & sepias, recipit salis Ammoniaci drachmas sex, butyri caprilli drach. octo. his optimè leuigatis molle collyrium facito: cóque aut funes ipsos, aut validas vittas inungito. pisces siquidem peredentes haud facilè diuellentur. tu verò adstans extrahito, iniicitóq; in scapham carabos, buccinas, purpuras, & alios quicunq; fuerint. Piscatores in Propontide polypotum, quos retibus ceperint, brachiis explicatis, rostra, quæ psittacis similia habent, dentibus frangunt.

Esca ex polypis. Non occisi enim è nauibus euaderent, Bellonius Singularium 1. 74. Polypi carnem muræna appetit, Oppianus de escis piscium loquens: qui ad cantharum quoque inescandũ, polypum in nassam indi iubet. Polypos assatos non nisi nidoris causa nassis inditos dimitti asseuerant, Aristot. Mirè omnia marina expetunt odorem quoque polyporum: qua de causa & nassis illinuntur, Plinius. Et rursus: Conueniunt pisces ex alto etiam ad quosdã odores, vt sepiam vstam, & polypum, quæ ideò coniiciuntur in nassas. Polypi assi caro in hamum inseritur ad decipiendos pisces, Author de nat. rerum: Aristoteles de sepiis tantùm hoc scribit.

Prognosticum. Polypus imminente tempestate in aridum procurrit, & paruis lapidibus adhærens, ventum iamiam adesse significat. Vide suprà in Corollario de Loligine E. ex Plutarcho.

F Polypi in Thaso & Caria optimi sunt: Corcyra quoque multos ac magnos alit, Athenæus. Diogenes

Polyporum esu mortui. Cynicus cùm aliquando crudum deuoraret polypum, Tantùm (inquit) vobis ó ciues sum præstantior, Plutarchus in libro Aqua an ignis sit vtilior. Polypo crudo ingesto Diogenes periit, Sotades apud Stobæum. Athenæus in octauo dipnosophistarum, Διογένης ὁ κύων ὠμὸν πολύποδα καταφαγὼν, ὅπ̓ θεμένης (fortè ἐποιδυμένης) αὐτῷ τῆς γαστρὸς ἀπέθανε. quod item Laërtius testari videtur, quanquam de eius morte variæ extiterunt opiniones, Massarius. Philoxenum quoque Cytherium Athenæus ibidem refert, polypum binûm cubitorum, excepto capite commedisse, ob idq; in ægritudinem & mortem incidisse. tantus piscium heluo erat. qua de re facetos Machonis comici versus Athenæus recitat: ex quibus inter alia dignum hoc opsophagistato homine: quòd cùm medicus ei mortẽ imminere, & testamentũ si quod condere vellet maturandum denunciasset: eo paucis indicato, &c. Philoxenus, quoniam verò mihi (inquit) moriendum est, Ἵν' ἔχων ἀποτρέχω πάντα τὰ ἐμαυτοῦ κάτω, Τοῦ πολύποδός μοι τὸ κατάλοιπον ἀπόδοτε. id est: Vt omnia mea mecum abiens hinc auferam, Date mihi quicquid est relictum polypi. Deterrimi sunt polypi dum ouis incubant. haud enim in pastum prodire patiuntur, Aristoteles & Athenæus. Galeni & Athenæi

Galeni sententia authoritate duræ sunt polyporum carnes, & difficilimæ digestionis. si verò concoquantur, non omnino malum aut exiguum præbent alimentum, Iouius. Galeni & Aëtii sententiam de nutrimento ex mollibus omnibus, loliginibus, polypis, sepiis, perscripsi in Loligine F. circa initium. Octapodia Psello crudos humores generant, & difficulter concoquuntur. Minimè intus vitiantur, Celsus. Polypus durus & difficilis coctionis est. maior quidem maioris est alimenti. Diutiùs elixus (Iurulentus) aluum reddit humidam

humidam, & stomachum sistit, (καὶ τὸν στόμαχον ἵστησι, *sensu obscuro,*) Diphilus. Habet humorem quodammodò salsum: si verò concoctione vincatur, haud parum alimenti corpori præbet, Massarius. Mollium genus, vt polyporum, sepiarum, & huiusmodi, carnem concoctu difficilem habet, ideóque ciendæ Veneri idoneam. flatuosi enim sunt hi pisces. elixi meliores fiunt. succos enim prauos continent, quod vel cùm abluuntur, apparet. hos elixatio è carne euocat. molli enim calore cum humiditate penetrante veluti abluuntur. at in iis qui assantur, humores siccescunt: & cùm natura carnem duram habeant, assati etiam ampliùs durescunt: (Ἔπ' ὅ καὶ τῆς σαρκὸς αὐτῶν φύσει σκληρᾶς οὔσης, κατὰ λόγον οὕτως ἔχει γίγνεσθαι αὐτά,) Mnesitheus. Polypus plurimùm alit, & libidinem maximè irritare creditur, vt Diphilus & Paulus Ægineta tradidêre, Massarius. Polypi vsum (ad Venerea) Alexis quoque insinuat: Ἐρῶν τί δ' ἐκλύσω; Τί μᾶλλον συμφέρει, Ὠννιμ φέρων πάρειμι, κήρυκας, κλέινας, Βολβοὺς, μέγαν τε πουλύπουν, ἰχθῦς τ' ἁδρούς; Mollia ad voluptatem, & ad Venerem concitandam faciunt, apprimè verò polypi, Diocles. Qui re Venerea vti non possunt, edant polypodes, Aëtius. Salsugine sua Veneris pruritum excitant; & mirificè languidis atque defessis auxiliantur. Afferuntur Venetias ex Illirici Dalmatiæq; ora sale inueterati: quorum acceptabula & extremitates cirrorum à senibus ad parandam sobolem expetuntur, Iouius. Rondeletius ozænas seu osmylos præ cæteris Venerem stimulare tradit, odoris etiam ratione. Polypum quoquo modo coxeris, malum dices, Platina. Coctum pipere & lasere condies, Idem. In polypo: Pipere, liquamine, lasere inferes, Apicius. Polypi caput aiunt esu quidem suauissimum & esculentum esse, sed somnia parere tristia ac prodigiosa, (somnos tristes ac turbulentos.) Vide infrà inter Prouerbia. Caput mala somnia mouet, quòd durum concoctione atros vapores mittat non secus ac cepe, sed longè validiùs, Cardanus. Commendantur polypi in tertianis, vt quidam ex Plinio (medico fortè) citant. Plinius qui de medicina librum conscripsit, polypos cardiacis conferre arbitratus est, Iouius. A pituita maximè in aquam intercutem transitus fit, &c. in hac qui curabilis est obsonium edat polypos coctos in vino nigro austero, Hippocrates in libro de internis affectibus. Polypos paruos atque assatos super prunas ad concipiendum meritò dabat Hippocrates: quoniam polypus facilè concipit & fert: nerueáque substantia præditus est, & tardè concoquitur, Cardanus. Mulier quæ aliquando prægnans fuit, & postea sterilescit, interim dum curatur, edat catulos coctos, & polypum in vino dulci coctum, Hippocrates alicubi. Et in libro de sterilibus: Mulier cui stomachus vteri non rectus fuerit, sed vel retrò, vel in latus auersus, vel in se contractus, &c. vnde menses non rectè profluunt, nec concipit, edat catulos pingues percoctos, & polypum in vino dulcissimo coctum, & de iusculo bibat. Mulier cuius vterus molliri & purgari debet, polypum plagis mollitum edat, &c. Hippocrates in libro de superfœtatione. Puerpera edat polypos & locustas pisciculos, vt meliùs purgetur, Idem libro 1. de muliebribus. Plura huiusmodi reperies mox in G.

Polypum viuum immitte in ollam nouam, & bullire fac. & marcedinem *(mucorem, vel succum glutinosum)* quæ exit ab eo, nephriticis lapidem mingentibus da è vino veteri in balneo. sanabuntur, & lapides mingent, Kiranides. Sanguinem fieri *(fortè fluere)* piscium cibo putant, sisti polypo tuso illitóque, Plinius. Polypi assati torminosis in cibo prosunt, Marcellus. Ad polypos certum: Polypum marinum in clibano cum lignis oleæ donec in cinerem vertantur, vrito, & sumpta de eo vncia vna, admisce illi chalcanthi vnciam semis: & per arundinem insufflato naribus, Nicolaus Myrepsus. Polypi marini cinis satis copiosè adiicitur in medicamenti ex hircino sanguine compositionem quandam apud Marcellum Empiricum aduersus calculos renum, quam in Hirco recitaui. Ad aquam intercutem vteri, & c. cibis mollibus, & polypis, ac aliis mollibus vtatur, Hippocrates in libro de natura muliebri. Et rursus: Si vteri ad coxam decurrant, &c. in purgatione mercurialem edat, & polypos coctos, & cibis mollibus vtatur. Item: Si menses constituto tempore non fiant, &c. post cætera remedia polypum vino albo suffocatum edendum dato, & vinum ebibendum. Rursus: Si ad lumbos vteri incubuerint, polypos coctos edat, itémque assatos: & vinum bibat nigrum, odoratum, meracum, quàm plurimum. Et libro 2. de morbis muliebribus: Si vterus ad coxam auersus fuerit, bolbidia parui polyporum generis, & polypodia in vino & oleo cocta edat. Eadem similiter præparata ad menses ciendos, laudat. Et mox: Obsoniis autem vtatur polypodio cocto aut sepiolis. Et rursus: Si in lumbos vteri incubuerint, suffocatio verò caput non contigerit, mulier polypos coctos edat, & vinum nigrum odoratum meracum quàm plurimum bibat. Et alibi in eodem opere: Polypi ac sepiolæ super prunis tostæ, puerperij purgamenta à partu purgant. Alia etiam huiusmodi quædam muliebria ex polypis esitatis remedia, dedimus suprà in E. G

Polypus & sepia non sine veneno, sed exiguo, mordent, Oppianus. cuius hæc sunt verba Halieuticorum libro secundo: *Morsus polypi.*

> Οὐ μένθος ἀβληχρὸν ἔχει δάκος, οὔτε χαράξῃ Πώλυπος ἑρπυστὴς, ἢ σηπίη: ἀλλὰ καὶ αὐτοῖς
> Ἐντρέφεται βαιὸς μὲν, ἀτὰρ βλαπτήιος ἰχώρ.

Venenatus sepiæ morsus est: & dentes eius validi, fermè latent. morsu osmylus quoque & polypus infesti sunt. & hic quidem violentiùs quàm sepia mordet, veneni verò minùs infligit, Ælianus.

Polypus masculino genere efferri solet: Nonius tamen Lucilium etiam in fœminino posuisse refert, H. a. cuius verba hæc (corrupta) recitat: Paulisper cui medentia medem hæc se vt polypus ipsa. Syllaba prima quanquam naturâ sit breuis, plerumque tamen producitur, à Græcis, præsertim epicis, assumpto ypsilo more Ionum. Ouidius quoque produxit: ---- *deprehensum polypus hostem Continet.* Item Martialis, Horatius, alij. Inflexio eius apud Græcos vsitatior est crescentibus obliquis, sicut in nomine πούς vnde componitur: apud Latinos verò parisyllaba. Πολύπους dicitur Atticè, Athenæus. Πούλυπος proparoxytonum, Atticum est: & πολύπους quoque. πώλυπος verò, Ionicum, Doricum, Æolicum: cui & πώλυψ simile est. Eustathius in Odysseæ E. sed paulò pòst, Doricum tantùm & Æolicum esse dicit nomen πώλυπος. & mihi sanè Ionicum non videtur. solent enim Iones o. breue non quidem in longum mutare, sed assumere ei ypsilon: quare & apud Hippocratem Ionicum scriptorem πουλύποδας legimus. & quanquam Attici cum Ionibus quædam communia habent: Atticè tamen πολύπους, vt & Aristoteles vsurpat: Ionicè πούλυπος dixerim. quòd si horum vtrunq; Atticum esse aliquis malit cum Eustathio: Ionicum faciemus πουλύπους paroxytonum, à quo genitiuus πουλύποδος fieri potest, à πούλυπος proparoxytono non potest: neque id aliter flecti quàm λόγος. Hoc etiam notatione dignum ex Eustathio, à πούς, quod

est pes, accusatiuum fieri πόδα: composita verò indè nomina in πουν facere eundem casum, πολύπουν, Οἰδίπουν, τρίπουν, quod & Athenæus animaduertit. At in compositis non hunc solùm, sed alterum quoque in ποδα accusatiuum reperiri, author est Athenæus. Πώλυπον dicere Æolicum est, Athenæus: sed scribendum πώλυπον per ω. ex Eustathio. Τὸν πολύπουν μοι ἔθηκεν, Aristophanes. Et rursus, Πηγαὶ (malim πληγαὶ) λέγονται πουλύπου πιλουμένου. Δεῖ μὲν (addo γὰρ) ὡς ἔοικε πολλῶν πολίπων. (πουλύπων,) Amipsias. Ὥσπερ τοὺς πολύποδας πρῶτά σε. Plato comicus. Πώλυπον διζήμενος, Simonides. Quærendum cur nomina ἀρτίπους, & ἀελλόπους, abiecto ypsilo (ἄρτιπος, ἀελλόπος,) vltimæ syllabæ suum accentum in penultima seruent, πολύπους non item: fit enim proparoxytonum, Eustathius. dici autem potest, in cæteris aliud non mutari, quàm quòd ypsilon abiicitur: in Attico autem πώλυπος, ypsilon vltimæ auferri, addi verò primæ. Dores per ω. vocant πωλύπουν, Athenæus. Ergo pro diuersis dialectis omnia hæc vsitata fuerint, πολίπους, πουλίπους, πώλυπος, πώλυπος, πωλύπους, πώλυψ. Antiphilus Byzantius πουλυπόδην dixit in carmine, à recto πουλυπόδης. Πώλυπος, πώλυπον, πουλύποδος, πουλίποδες, Oppianus. Πώλυποι, Archestratus. Πώλυποί τε, (aliâs Πώλυπές τε,) σηπίαι τε Epicharmus. Ὁ πώλυψ συνεργεῖ τοῖς ἀφροδισίοις, Diphilus apud Athenæum. Adeò non in mari tantùm insigne multitudine pedum hoc animal est, sed etiam in libris terminationum & casuum multiplici varietate. Πολυπόδια ab Aristotele dicuntur polypi parui & nuper ex ouis enati: à Cælio Rhod. non rectè (memoriæ aut calami lapsu) polypia. Hippocrates quoque libro secundo, de morbis muliebribus polypodia cum bolbidiis, (& ipsis polyporum generis,) aliquoties nominat. Theopompus etiam & Ephippus apud Athenæum hoc diminutiuo vtuntur. Ὁλκοὶ πουλυπόδων, periphrasis polyporum apud Oppianum. Polypodine, Πολυποδίνη, polypodum quædam species memoratur Athenæo.

Epitheta. ---- *Scopulis crinali corpore segnis Polypus hæret*, Ouidius.
Polypus alius τριψίχρως, alius nautilus dicitur, Athenæus tanquam ex Aristotele. Camerarius τριψίχρως interpretatur, qui attritu colorem nouum inducat. ego τρεψίχρως potiùs legerim, à coloris mutatione, ἀπὸ τοῦ τρέπειν καὶ ἀλλάττειν τὴν χρόαν. Ἀνόστεος, id est exos, epitheton polypi, (solidum enim nihil intus habet: cætera mollia sepium, aut simile aliquid habent,) pro polypo simpliciter per excellentiam ponitur ab Hesiodo. Καὶ τὸν πετραῖον πλεκτάναις ἀναίμοσι Στυγῶ μεταλλακτῆρα πουλύπου χρόος, Ion apud Athenæum. Σκολιὸς, δειλὸς, ἑρπηστὴς, ἑρπυστὴρ, νωθρὸς ἑρπύλῳ, Oppiano. Πετροφυὴς, Phocylidi. Πολύχροος, (aliâs πολυπλόκος,) Theognidi. Πολυπόδια ἁπαλοπλόκαμα nominantur apud Athenæum in conuiuio quod Philoxenus Cytherius describit. Polypus αὐτοφάγος, Erasmo Rot. sine authore.

Versus polypodes. Πολυπόδειος adiectiuum est: vnde πολυπόδεια κρέα apud Pollucem, & Athenæum in Cotyis Thracum regis conuiuio. Recentiores aliqui, homines arguti, versus polypodes nominant, in quibus polypodum, id est, multipedum aliquorum animalium innumeri pedes nominentur. quale illud est Casparis Bruschij distichon:

Mille equites nuper cancros ter mille vorabant: Atq; decem nymphis quilibet ardor erat.

numerus pedum quadraginta quatuor millia, id est, myriades quatuor, cum totidem millibus. pro equis enim sex pedes computo: & totidem pro cancro. plures erunt si cancrorum etiam chelas pro pedibus numeres. cognominantur enim cancri octapodes ab Homero. Sed longè illum superauit Eobanus Hessus, hoc disticho:

Mille boues pascunt, vitulorum millia centum, Musca super vitulum quemlibet vna sedet.

Numerus pedum 2804000. quòd si pro musca cẽtipedas aut millepedas vermes nominent, quantum excrescet numerus? sed his nugis grammaticorum pueri se oblectent. Inter animalia polypoda nullum est quod vicenum excedat numerum, Cælius Rhodigin. Ego in scolopendra, quales apud nos sunt, pedes vtrinque octodecim olim mihi numeratos memini. Scolopendra marina videtur habere 44. pedes, vnde eodem numero à nonnullis appellatur, Albertus.

Polypus narium Polypus morbus est narium. *Nanq; sagacius vnus odoror*
Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis, Quàm canis acer vbi lateat sus, Horatius Epodon 12. fortassis autem polypum pro ozæna dixit, nasi vlcere fœtido. polypum enim fœtere, nemo (opinor) scripsit. *Delectat Balbinum polypus agnæ*, Horatius Serm. 1.3. Hoc malo laborantem Martialis polyposum dixit: Nasutum volo, nolo polyposum. Apud Hippocratem in libro de morbis πώλυπος appellatur. Ἀσάλη, πολύπους ὁ ἐν μυκτῆρι. ἔνιοι σκώληκα ὑγρὰν ἔχοντα, Hesychius. Manardus in epistolis 7. 2. cùm ozænam & polypum distinxisset: ad alterum horum morborum (inquit) referendi sunt morbi, de quibus agit Auicenna capite inscripto de hæmorrhoidibus alcarnabet, & ad polypum Pauli sarcoma. In polypo (eidem) caro multos veluti pedes instar animalis polypi habet, &c. Emorroidæ (*Hæmorrhoides*) nasi, id polypus, Syluaticus. Albucasis aut eius interpres, scorpionem multorum pedum vocat. Est polypus (vt legitur apud Hippocratem & Celsum libro de medicina sexto) caruncula, modò alba, modò subrubra: quæ narium ossi inhæret, & modò ad labra pendens narem implet: modò retrò per id foramen, quo spiritus à naribus ad fauces descendit, adeò increscit, vti post vuam conspici possit. strangulatq; hominem, maximè austro aut euro flante: feréque mollis est, rarò dura: eáque magis spiritum impedit, & nares dilatat, quæ ferè carcinodes est. (Infestat cum carcinomate polypus, Cælius.) Paulus Ægineta: Polypus (inquit) tumor est præter naturam in naribus consistens, à similitudine marini polypi nominatus, quòd eius carni similis sit. Item Galenus, (vel quicunque ille sit de definitionibus:) Polypus (inquit) à multitudine pedum dicitur: vt enim illi multas habent incisiones & scissuras, contumescúntque & increscunt: sic morbus iste eodem modo, Massarius. Ex genere tumorum præter naturam polypodes in naribus generantur: ex genere verò vlcerum ozænæ, &c. Galenus in libris de compos. secund. locos. Et rursus: Polypus tumor est, qui præter naturam in naribus generatur, polypodis carni assimilis iuxta substantiæ proprietatem. Manifestum itaque est, affectionem hanc ex crassis & viscosis humoribus generari, atque ob id mixta materia medicamentaria opus habet, vt videlicet partim adstringat, partim secet & attenuet, partim etiam discutiat & condenset. Remedia particularia prætereo. hoc memoratu præ cæteris dignum, polypum ipsum aduersus sui nominis vitium pollere, vt in G. retulimus ex Nicolai Myrepsi libro. Polypodij radicis aridæ farina indita naribus polypum consumit, Plinius. Qui propriè polypus dicitur, interior

scilicet, difficilior est curatu: exterior verò in summo naso, aut ad latera, carnis quædam excrescentia est, cuti concolor, sed in valdè senibus liuet: sine dolore, pendula ferè. talem pilo equino circumligato curari audio. Plura de polypo ozænáque leges apud Actuarium, Celsum, & Galenum de compos. secund. locos.

Animalia. Polypodes, genus quoddam pediculorum, Hesychius & Varinus. Quercui marinæ adhærent millepedæ, & alia quædam (animalcula,) & quod polypo simile est. Theophrast. hist. 4.7.

Herba. Polypodium herba est, quam Latini filiculam vocant. eius radix (inquit Plinius) acetabulis cauernosa est, ceu polyporum cirri. radicis aridæ farina naribus indita, polypum consumit, Plinius. Polypodium radicem habet hirsutam, & acetabulis cauernosam, ceu polyporum cirri. purgat per aluum. &, si quis eam contigerit, polypum innasci affirmant, Theophrastus historiæ 9. 4. interprete Gaza. Græcè legitur: κἂν περιάψηταί τις (id est, & si quis alligatam gestârit,) ὥς φασιν ἐμφύεσθαι πολύπουν, addendum videtur κωλύει: id est, polypum innasci prohibere aiunt. Cancer admota ipsi polypode herba, abiicit chelas siue pedes, Zoroastres in Geoponicis. In Syria herba est quæ vocatur cadytas, *(cassytas potius)* non tantùm arboribus, sed ipsis etiam spinis circumuoluens sese: item circa Tempe Thessalica, quæ polypodion vocatur, & quæ dolichos ac serpillum, Plinius circa finem libri 16. Apparet autem aliud hoc esse à nostro polypodio, genus aliquod conuoluoli fortè. si modò rectè hæc ab eo translata sunt. neque enim polypodium aliud apud Theophrastum inuenio, quam filiculam Latinis dictam, arboribus & muris innascentem. Oppianus quidem polypum oleæ arbori adhærescentem, hederæ arboribus se implicanti comparat. Clymenum Græci plantagini similem esse dixerunt, folliculis cum semine inter se implexis, velut in polyporum cirris, Plinius.

Icones. Pierio Valeriano Hieroglyphicorum libro 27. polypus pictus varias significationes habet, quæ prolixiùs ab eo exponuntur: nos quoniam ex prædictis eadem intelligi omnia possunt, titulos saltem commemorabimus: qui sunt, Rei familiaris accumulator, Omnium abliguritor, Victoria vti nescius, Tyrannus, Moribus aliorum accommodatus. Hominem qui vtilia simul & inutilia malè consumserit, indicantes Ægyptij, polypum pingunt. ille enim cùm multa, eáque intemperanter voret, cibum in cauernas reponens congerit: & cùm vtilia consumserit, tum & quæ supersunt inutilia abiicit, Orus in Hieroglyph. 2.106. Et mox: Cùm verò suæ nationis & generis hominibus imperantem denotare volunt, carabum & polypum pingunt. ille enim polypis imperat, intérque eos primas tenet. ἔστι γὰρ τοὺς πολύποδας κρατεῖν καὶ τὰ πρωτεῖα φέρει. Atqui Aristoteles & alij, locustam à polypo vinci authores sunt, non contra. Et paulò pòst, symbolo 114. Eum qui & aliena intemperanter decoquat, & demum sua consumserit, designantes, polypum pingunt. Is enim si victu aliunde quæsito indiguerit, propria edit flagella. Inferiùs etiam inter prouerbia, adferentur quæ ad iconum & picturarum rationem referas.

Πρῆθμα, polypi caput, secundum alios cirrus, Hesychius & Varinus. caput quidem eius, quandiu viuit, b. duriusculum & tanquam inflatum est: & verbum πρήθειν, inflare ac distendere significat. in cibo etiam inflat: nam ad caput vapores mouet, & Venerem stimulat. Μελίνη, semen milio simile, (panicum:) & pars quædam in polypo, Hesychius & Varinus.

Brachia vel cirri & acetabula. Anguinum ouum vidi, mali orbiculati modici magnitudine, crusta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, Plinius: vbi apparet acetabula, (quæ ab accipiendo deriuant grammatici,) à brachiis cum distinguere. hæc enim sunt veluti vascula quædam exigua rotunda, quibus brachia exasperantur. synecdochicè tamen pro ipsis brachiis poni possunt. Circa ilia in homine sinuosa ossa vocantur acetabula, quæ coxarum capiti accommodantur, cotylas Græci vocant. caput autem coxæ dicitur cotyledon, Cælius Rhodig. Ἄλλοι δ' αὐτῶν ἔσθον καὶ παρὰ τὴν χηλὴν τοῦ τείχους ὑπερβάλλουσιν εἰς τὴν πόλιν, Xenophon libro 7. Anabas. Amasæus vertit: Iuxtà ipsa portus latera, quæ quòd curuatis vtrinque mollibus prominent, chelas, id est acceptabula, Græci vocant. Sed Græcè in cancro chelæ dicuntur, in polypo nunquam. Ex omni demissis parte flagellis, Ouidius de polypo. Sunt ei cirri multiplices plurima in extremis prætenturis acceptabula: itémque frequentes pediculi, manúsque plicatiles, Iouius. Non laudo cirrhos cum aspiratione scribi. neque enim origo huius vocabuli Græca videtur: nisi quis fortè vim faciat, & à verbo κείρειν deducat, siue quòd capillamentum huiusmodi tonderi idoneum sit, vtpote prominens vel pendulum: siue contrario sensu, quod minimè tondeatur. vnde & cirin vel cirrhidem auem aliqui nominatam volunt. Κιῤῥὸς quidem Græcis, color est, quem Latinè giluum dicimus. Arbores quædam circa rubrum mare erosæ sale, inuectis derelictísque similes, sicco litore radicibus nudis polyporum modo amplexæ steriles arenas spectantur, Plinius. Circa Persidem arbores magnæ spectantur, &c. quæ subroduntur à mari parte media, stántque radicibus polyporum modo, Theophrastus. Polypodij radix acetabulis cauernosa est, ceu polyporum cirri, Plinius. Doronec radix ex India affertur, similis pedi polypi, Syluaticus. Varia etiam apud Græcos brachiorum polypi, quibus veluti cirratus est, nomina inuenio. Πλόκαμοι dicuntur à multis, & apud Varinum in Congro. πλεκτάναι apud Ælianum, Etymologum & alios. Πλεκτάνια τὰ μικρὰ πολύποδος, Eubulus dixit, diminutiuo nomine: vt à plocamis Oppianus πλοκαμῖδας. Πλοχμοὺς quidam in epigrammate. Hermolaus etiam τρίχας vocari annotat, hoc est crines: quo nomine Latini de iisdem vtuntur. Τῷ μείζονι ὁ βραχύτερος (πολύπους) ἁλοὺς, καὶ ἐμπεσὼν τοῖς ἀνδρειοτέροις θηράτροις, τοῖς καλυμένοις τοῦ ἰχθύος πλοκάμοις, εἶτα αὐτῷ γίνεται δεῖπνον, Ælianus Variorum 1.1. Cotyledones Κοτυληδόνες, ipsa polypi brachia dicuntur, per synecdochen, qua pars pro toto ponitur. propriè enim sic dicuntur exigua illa cotylidiis, id est, vasculis concauis similia, (à quibus etiam denominantur,) quæ pronæ brachiorum parti subduntur, Eustathius: Veteres omne cauum κοτύλην appellabant. vnde cotyle appellatur etiam in coxa concauitas: & inde deriuato nomine cotyledones, quæ polypi cirris adnatæ sunt, αἱ τοῦ πολύποδος ἐν ταῖς πλεκτάναις ἐπιφύσεις. Hippocrates cotylam (id est acetabulum) coxæ κοτυλίδα nominat, & cotyledónas venarum ad vterum pertinentium oscula, vt Galenus in Glossis scribit. Polypi ὀκλατόνυς ἕλικας, Antiphilus in Epigrammate dixit: Isidorus ἱμαντοπέδην: Antipater Thessalus, πόδας. Πρῆθμα, πολύποδος κεφαλή: ἔνιοι πλεκτάνην. vide suprà ab initio huius segmenti b.

Ex Oppiano. Ἀμφὶ δ' οἱ μελέεσσιν ἑλίσσεται, ἄλλοτε δ' ἄλλας Παντοίας στροφάλιγγας ὑπὸ σκολιοῖσιν ἱμᾶσι Τεχνάζων, εἴ πως μιν ἐρητύσειε βρόχοισιν. Ἀμφιβαλὼν: de polypo aduersus murænam se defendente. Et rur-

sus, --- πουλύποδος κοτυληδόνες οὐ κατὰ κόσμον Πλαζόμεναι, κενεῇσι παλαισμοσύναις μογέουσιν. Et alibi, --- ἀκρῃσιν ἐρειδόμενος κοτύλῃσι, cotylas pro acetabulis dicens, aut etiam cirris ipsis: quos alibi σπείρας, & ἀκρέμονας vocat: & αἰόλα δεσμά: & αἰόλα γυῖα: αἰόλα interpretor, non varia, sed agilia & mobilia. Ἰφθίμων δολιχῇσι ποδῶν σειρῇσι πιέζων, Idem de polypo locustam irretiente. *Polypus crinali corpore segnis,* Ouidius.

c. Πώλυπον ἀκλῆς, Ἄκρα διερπύζοντα Oppianus. Et rursus, ἕρπων, de polypo. Ὡς δ' ὅτε πουλύποδος (φωλεοῦ) θαλάμης ἐξελκομένοιο Πρὸς κοτυληδονόφιν (κοτυληδόσι, πλεκτάναις) πυκιναὶ λάϊγγες ἔχονται: Ὣς τοῦ (Vlyssis) πρὸς πέτρῃσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν Ῥινοὶ ἀπέδρυφθεν, &c. Homerus Odysseæ E. De polypo seipsum rodente, vt est in prouerbio, lege infrà in h.

d. Murænam fugiens polypus, saxum aliquod apprehendit: cuius imitetur colorem. non tamen latet hic eius astus murænam. itaque hærentem inuadit ac vorat, nec tamen remittit polypus donec sola eius acetabula relinquantur, Oppianus.

f. Polypus antequam coquatur, plagis aliquot præmoliri indiget. Vide infrà in prouerbio, Bis septem plagis polypus contusus. Ἔπειτα πουλύπους τετμημένος Ἐν βατάνοισιν (meliùs πατανίοισιν, apud Pollucem) ἑφθός, Antiphanes apud Athenæum. Πουλύποδος πλεκτὴ δ' ἂν, ἐπεὶ λάβῃ κατὰ καιρόν, Ἑφθὴ τῆς ὀπτῆς, λῷ ἡ μείζων, πολὺ κρείττων. Ἢν ὀπταὶ δ' ὦσ', ἑφθῇ κλαίειν ἀγορεύω, Archestratus. sensum non satis assequor. apparet autem πλεκτὴ pro πλεκτάνη per syncopen ab eo positum. Si familia fato suo decrescat & intereat, nihil bulbi & polypi ad propagandam sobolem ingesti iuuant.

Μαίας ἢ πόντου κυανέαις δίναις τραφεὶς Φλεβὸς τροπωτὴρ πουλύπους, ἄλυς βροτῶν
Πλεκταῖς ἀνάγκαις τῆς τροχηλάτου κόρης, Πίμπλησι λοπάδος στερνοσώματον κύτος, Xenarchus.

πλεκτὰς ἀνάγκας interpretor retia, quorum fila nimirum nentur à puellis ad rotam aut colum. Μάλα ταχέως αὐτῶν πρίω πόλυπον, καὶ δὶς καταφαγεῖν, κἀπὸ τηγάνου γόνον. Hegemon. Ἢ πουλύπους, ἢ σηπίας ὀπτᾶται, Aristophanes in Thesmophoriazusis.

h. Anthologij Græci 1. 40. exstat epigramma Antiphili Byzantij in polypum à piscatore in mari arreptum, & ne manus ei cirris implicaret proiectum in proximi litoris fruticetum: vbi fortè in leporem inciderit, cúmque suis brachiis implicatum retinuerit: Et rursus aliud Isidori Ægeotæ, qui polypum à piscatore mari redditum canit, quòd leporem veluti pro se redimendo retinuisset. Antipatri Thessali epigramma, Anthologij 1.40. legitur in aquilam, quæ polypum super petra extendentem brachia rapuit, & cirris eius implicata in mare delapsa periit, De Enalo quodam scripsi suprà pagina 333. qui cùm in mare desiliisset, à delphinis in Lesbum incolumis deportatus sit. sed plura addit Plutarchus circa finem Sympolij septem sapientium: quæ Græcè huc adscribam: Κύματος ἠλιβάτου περὶ τὴν νῆσον αἰρομένου, καὶ τῶν ἀνθρώπων ἁπάντων δεδιότων, μόνον (ἐν) θαλάττῃ ἕπεσθαι πολύποδας αὐτῷ πρὸς τὸ ἱερὸν τοῦ Ποσειδῶνος: ὧν τοῦ μεγίστου λίθον κομίζοντος, λαβεῖν τὸν Ἔναλον, καὶ ἀναθεῖναι, καὶ τοῦτον εἰ *καλοῦμεν. Trœzenij lege vetabant piscari aut attingere polypum, tum sacrum, *(alij scriptores non polypum, sed pompilum sacrum piscem faciunt)* tum nautam, Eustathius: & Athenæus ex Clearcho. Οὔτε τὸν ἱερὸν καλούμενον πολύπουν, οὔτε τὸν κωπηλάτην πολύπουν νόμιμον ἦν θηρεύειν. ἀλλ' ἀπεῖπον τούτων τε, καὶ τῆς θαλασσίας χελώνης μὴ ἅπτεσθαι. Polyporum hecatombe, Πολυπόδων ἑκατόμβη, apud Aristophanem in Acharnensibus nominatur, ad splendorem conuiuij, aut insignem edacitatem indicandum, vt meminit Erasmus Roterod. in prouerbio, E clibano boues. Anaxandrides etiam apud Athenæum in Cotyis Thracum regis conuiuij descriptione πολυπόδων ἑκατόμβην nominat.

Similit. Polypo confertur adulator, vt mox in prouerbiis explicabitur. Carneades polypis Academicos assimilabat: Vt enim illi cirros suos adauctos tandem deuorare: ita & hi suas ipsorum demùm opiniones refutare solent, Incertus. Stobæus in sermone Aduersus literas, Carneadem hoc de dialecticis dixisse refert. A principali animæ facultate, septem veluti partes enascuntur, inq; corpus extenduntur, sicuti brachia a polypo, Plutarchus de placitis philosophorum 4.4.& 21.

Maurus episcopus in libello, quem Conuiuium patris Dei inscripsit, Pharaoni polypum apponit, propter inconstantiam nimirum.

Prouerbia Polypi. Polypi prouerbio dicebantur olim (inquit Erasmus Rot.) vel stupidi, stolidíque: vel rapaces & vncis vnguibus homines. Siquidem ob eam causam polypo stultitiam tribuunt, quòd ad manum captantis vltrò mouetur: nec aliter capitur, nisi quòd non cedat. Adscribitur autem rapacitas, tenacitásque quòd quicquid brachiorum flagellis nactus fuerit, suctu trahat ac retineat, Plautus in aulularia: Ego istos noui polypos, qui vbi aliquid tetigerunt, tenent. Nihil autem vetabit, quò minùs polypos appellemus eos, qui semet in omnem habitum vertunt, omnibus assentantes: quos eleganter notat Phocylides:

Μηδ' ἕτερον κεύθῃς κραδίῃ νόον, ἄλλ' ἀγορεύων: Μηδ' ὡς πετροφυὴς πολύπους κατὰ χῶρον ἀμείβου.
Pectore néve aliud celes, aliudq; loquare: Proq; loco variêre, petris vti polypus hærens, Hæc ille.

Polypi mentem obtine. Nos plura etiam de iis quæ per polypum symbolicè significari possint, protulimus superiùs inter icones ex Pierij Valeriani & Ori Hieroglyphicis. Idem Erasmus, post explicata prouerbia, Seruire scenæ, Vti foro: Extat (inquit) apud Græcos adagium in hunc ordinem referendum, Polypi mentem obtine. quo iubemur pro tempore alios atq; alios mores, alium atq; alium vultum sumere. Adagium natum est à piscis huius ingenio, de quo meminit Plinius: item Lucianus in sermone Menalai ac Protei, scribúntque colorem mutare, maximè in metu, &c. Prouerbium sumptum est ex Theognide, cuius hoc distichon est de polypo: citatúrque à Plutarcho in libello περὶ πολυφιλίας:

Πουλύποδος νόον ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ Τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη. Id est,
Mentem habeas vafri polypi, qui protinus illa, Se quibus admôrit, saxa colore refert.

Tale & ille versus prouerbialis celebratur: Ἄλλοτε δ' ἀλλοῖον τελέθειν, καὶ χώρῳ ἕπεσθαι. Eôdem pertinet & illud, Νόμος καὶ χώρα: id est, lex etiam ipsa regio. Nihil autem vetat in notandis vitiis vsum adagij latiùs trahere, nempè in homines versatili quodam ingenio natos: qui talem vbiq; personam induunt, quales sunt ij, cum quibus contingit agere. Quod genus eleganter descripsit Plautus in Bacchidibus: Nullus (inquiens) frugi esse potest homo, nisi qui benè & malè facere tenet. Improbus cum improbis sit, harpaget, furibus furetur quod queat. Versipellem frugi conuenit esse hominem. Pectus cui sapit, bonus sit bonis, malus sit malis. Vtcunque res sit, ita animum habeat. Eupolis apud Athenæum: Ἀνὴρ πολίτης πουλύπους ἐς τοὺς τρόπους.

τρόπους. Similem quandam metaphoram Aristoteles à chamæleonte duxit, primo Moralium libro, &c. Et apud Euripidem Hecuba Polyxenam imitari lusciniam iubet, seséque in omnem vocem vertere, si quo modo queat Vlyssi persuadere, ne perimatur, Hæc Erasmus: qui plura etiam quod ad argumentum & significationem prouerbij depromit: nos quæ libuit excerpsimus. Vlysses Phæacum ingenio & moribus se accommodare nouerat, quò gratior & familiarior eis factus, quæ vellet, impetraret faciliùs. Talis & ille est, qui filium Amphilochum hortatur: Ὦ τέκνον, ποντίου θηρὸς πετραίου χρωτὶ μάλιστα νόον προσφέρων, πάσαις πολίεσσιν ὁμίλει. τῷ παρεόντι δ' ἐπαινήσας ἑκὼν, ἄλλοτ' ἀλλοῖα φρόνει. Et similiter in Iphigenia Sophocles. Νόει πρὸς ἀνδρὶ ὥσπερ, πουλύπου ὅπως Πέτρᾳ τραπέσθαι γνησίου φρονήματος, *(sed in his Sophoclis verbis deprauatum aliquid suspicor)* Athenæus libro 12. Apud eundem Ion: Καὶ τὸν πετραῖον πλεκτάναις ἀναίμοσι (Eustathius legit ἀναίμονα) Στυγῶ μεταλλακτῆρα πουλύπου χροός. Et Alcæus, Ἠλίθιον εἶναι, νοῦν τε πολύποδος ἔχειν: quod quidem non in versatilem & astutum hominem, sed in stolidum conuenit, teste Eustathio Odyss. E. ita enim fatuus est hic piscis vt plerunque persequentes non fugiat, & manibus piscatoris se offerat. at neque colorem (inquit) consultò & de industria mutat: sed præ metu reuera mutatur. Basilius ille Magnus in Commentatione, quam de gentilium librorum lectione concinnauit, scitè admodum & doctè, polypum vocat adulatorem, cuius verba mollia feriunt interiora ventris. Nam vt (inquit) polypus ad speciem subiecti soli colorem permutat: consimiliter & assentator, ad voluptatem audientium variabit sententiam. quo nomine ab Hieronymo blandus dicitur inimicus, Cælius Rhod. Polypus ergo dicetur quisquis est versatilis, versipellis, incõstans, siue metu, siue aliter (εὐμετάβλητος, παλίμβολος, Eustathius:) rapax, stolidus, adulator. Est & Germanis suum prouerbium, quo mores prout commoditas postulârit mutandos, & multa simulanda, vulgò suadetur: Du must Fuchs vnd Haaß seyn: id est, Vulpem & leporem te esse oportet. Συμμεταβάλλονται τοῖς τόποις καὶ τὰ σχήματα καὶ τοὺς τρόπους, καθάπερ καὶ τοὺς πολύποδας ταῖς πέτραις φασὶν ἐξομοιουμένους, οἷς ἂν προσομιλῶσι, τοιούτους φαίνεσθαι καὶ τὴν χροιάν, Clemens lib. 3. Pædagogi. Πολύποδος ὁμοιότης, πρὸς τοὺς ἐξομοιοῦντας πᾶσιν ἑαυτούς, Suidas & Varinus. Hesiodus in poëmate quod inscripsit Opera & dies, velut ænigmate quodam explicuit paupertatem: Λεπτῇ δὲ παχὺν πόδα χειρὶ πιέζοις.

Ne te deprendant inopem mala tempora brumæ, Atq; pedem premere incipiat manus arida crassum.

Consimili figura significauit egestatem in eodem opere: --- ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει. id est, *Quando pedes edit ipse suos is qui caret osse.* *Cum exossis suos rodit pedes.* Exossem vocat polypum, quòd ossibus careat. is creditus est nonnullis sua brachia rodere, cùm deest cibus. Alcæus apud Athenæum, Ἔδω δ' ἐμαυτὸν ὡς πολύπους. id est, Comedo meipsum more polypi. Vnde & αὐτοφάγος dictus, Erasmus Rot. Πολύποδος δίκην αὐτὸς ἑαυτὸν καταφαγών, Suidas, Hesychius & Varinus. si legas Δίκην πολύποδος, senarius erit. Nostri eodem sensu pedem sugere dicunt, Den taapen sugen: quoniam vrsus hyeme in latibulo suo non aliunde quàm pede suo sugendo nutriri creditur. Τοὺς πολύποδας φασιν ἀθηρίας τυγχάνοντας, τοὺς ἑαυτῶν κατεσθίειν πλοκάμους, ὅσον ὥσπερ ἀληθῶς ἐμπεσόντα τὰ ἑαυτῶν δυστυχέστατα μέλη. ἐσθίοντα γοῦν οἱ τάλανες τῶν ἑαυτῶν μορίων τὰ καίρια καὶ δαιτυμόνες τῶν ἰδίων σαρκῶν ἀναδείκνυνται. Ἄρά γε Ξάνθιππε οὐ πολύπους τὴν γνώμην εἶ τοῖς ὅλοις δοκεῖς; ἐγὼ μὲν οἶμαι τοῦτο σαφὲς αὐτοῖς· ἀλλ' ὡς γὰρ λίαν ἀπανθρωπότατον, σὸν πατέρα, &c. Theophylactus in Epistolis moralibus. In admiratione olim fuit Matreas quidam planus (ὁ πλάνος) Alexandrinus, apud Græcos pariter & Romanos: qui feram quoque alere se dicebat, quæ ipsa sese exederet: ita vt etiamnum quæratur, quænam sit illa Matreæ fera, Athenæus. Polypi caput: in hominem varium: & in quo pariter & vitia quædam, & virtutes inuenias, *Polypi caput.* cuiusmodi Catilinam describit Salustius. Competit & in rem, ex qua non parum commoditatis capere queas: sed quæ eadem nonnullis incommodis noceat. Allegoria ducta est ex eius piscis capite: quod (sicuti testatur Plutarchus in libello, cui titulus, Quomodo sint adolescentibus audiendi poëtæ) esu quidem suauissimum est, & esculentum: cæterùm somnia parit tristia ac prodigiosa, *(somnos turbulentos, occursantibus miris rerum imaginibus, Cælius.)* Vnde huius esum interdicebant iis, qui cuperent ex insomniis præscire futura: quemadmodum & fabarum, vt testis est idem Plutarchus in Symposiacis. Proinde poëticen Polypi caput vocat: in qua sicuti sunt permulta cognitu tum iucunda, tum frugifera: ita sunt nonnulla, nisi caueas, pestilentia. Porrò ex huiusmodi rebus id quod inest commoditatis, conueniet excerpere: quod noxium, vitare. (hoc est,) iuxta Simonidis doctrinam apiculas imitari, quæ præteritis reliquis, ad ea duntaxat aduolant, vnde possint aliquid ad mellificium idoneum excerpere: nec aliud colligunt, quàm quod sit vsui futurum. Prouerbium integrè refertur apud Plutarchum hoc pacto: Πουλύποδος κεφαλὴ ἔνι μὲν κακὸν, ἐν δὲ καὶ ἐσθλόν. id est, In polypi capite inest quidem malum, inest & bonum. Itidem Theognis in Sententiis de vino prædicat: Ἐσθλὸς καὶ κακός ἐστι. id est, Bonum ac malum es. Posset ad hanc formam torqueri fabula de hasta Achillis, quæ vulneris auxilium tulit eadem quæ vulnus inflixerat, Erasmus. Δὶς ἑπτὰ πληγαῖς πουλύπους πιλούμενος, Bis septem plagis polypus contusus: dici solitum, vbi quis multo tandem malo sit emendatior. quemadmodum accidit indomitis adolescentibus, qui plurimorum experientia malorum tandem cicurantur. Conueniet & in eos, qui duriore ingenio præditi, non nisi grauibus suppliciis corriguntur. Aiunt polypum piscem captum diu multúmq; tundi cædique solere, quo mitior fiat, & ad esum accommodatior. Author Zenodotus, Erasmus. Meminit etiam Suidas & interpretatur ἐπὶ τῶν κολάσεως ἀξίων. quoniam polypus captus multis ictibus castigari, vt emolliatur, (πρὸς τὸ πίων γενέσθαι,) soleat. Hippocrates mulierem, cuius vterus molliri & purgari debet, polypum plagis mollitum edere iubet. Πηγαὶ (Πληγαὶ) λέγονται πουλύπου πιλουμένου, Athenæus ex Aristophane.

DE CÆTERIS POLYPI GENERIBVS, AVT *saltem nominibus diuersis.*

Osmylum. Osmylum quanquam cum ozæna & bolitæna eundem esse apparet, distinxi tamen aliqua ex parte: quoniam nominum etiam, non modò rerum rationem habere soleo, vt grammaticis quoque, qui an nomina diuersa rem eandem significent, aliquando dubitare solent, satisfaciam. Quare & eledonam separaui; quanuis eam Rondeletius, contra Aristotelis sententiam, obseruationibus suis fretus, ab ozæna & osmylo non distinguit. Quod ad accentum, paroxytonum semper scripserim ὀσμύλος, etiamsi apud Athenæum, & alibi fortè aliquando librariorum inscitia, proparoxytonum reperiatur. In Oppiani, Æliani, Io. Tzetzis, (& aliorum fortè) libris paroxytonũ probè scribitur: & nos multis exemplis pleraq; huiusmodi no-

di nomina sic scribenda ostendimus suprà in Cordylo. Polyporum genera sunt ἐλεδώνη, πολυποδίνη, βολβοτίνη, ὄσμυλος, Athenæus libro 7. tanquam ex Aristotele & Speusippo. Et mox, Aristoteles (inquit) in opere de animalibus, mollia esse dicit πολύποδας, ὀσμύλην, ἐλεδώνην. sed ὀσμύλην fœminino gen. alius (quantum memini, nisi quòd ὀσμύλαι, vox deprauata apud Hesychium reperitur) nemo dixit. Ὀσμυλία (malim Ὀσμυλίας, vt Αἰνείας) genus est piscium, quod vulgò ozæna dicitur. est autem species polypodis, quæ inter caput & cirros fistulam (αὐλὸν) gerit, qua tetrum emittit odorem, Pollux libro 2 vbi etiam verba hæc Aristophanis recitat: Τραπόμενον εἰς τὸ ὕδωρ λαβεῖν ὀσμυλίδια, καὶ μαινίδια, καὶ σηπίδια. Athenæus eadem citat è fabula Danaidum, vt inquit: non osmylidia tamen, sed osmylia quotuor syllabis scribit, quod magis placet. Wottonus osmylian mænulas sepiolásque venari, ex hoc loco non rectè transtulit. Ὄζαινα, ὀσμύλιον, Θούριοι, Athenæus. hoc est, Thurij ozænam piscem vocant, quem cæteri Græci osmylion. Osmylia Ὀσμύλια, è polyporum genere sunt, qui ozænæ dicuntur: & alij quidam pisciculi viles, Hesychius & Varinus. Ὀσμύλαι, βολβιτῖναι, θαλάσσιοι, Iidem. sed legerim potius Ὀσμύλοι. masculino gen. aut fœminino ὀσμύλαι, si quis contendat: (nam & aliæ quædam polyporum species hoc genere efferuntur, vt polypodine, eledona, bolbitæna:) apud authores quidem fœmininum non legitur, quod sciam, vt paulò antè dixi. De voce βολβιτῖναι, paulò pòst. Io. Tzetzes Variorum 5.25. ὀσμύλον per ypsilon piscem vocat, polypi instar amphibium, & oliuas ac ficus (similiter) appetentem, ὀσμίλον verò per iôta, (sicut ζωΐλον, τρωΐλον,) ὀζῶδη, id est fœtidum. Smylas apud Alexandrum Trallianum legimus, vbi fortè osmylas reponendum: vt annotauimus suprà paulò post initium Corollarij primi de Lacerto: ad initium paginæ 469. Quis non miretur Polyporum varietatem? nam horum alius tetram odoris fœditatem habet: alius nomine Osmylus benè olet, & nihil muscosius *(propiore moscho odore)* sensi: quem hac ætate Græci Moschitem appellant: Massilienses Muscum, ex ea odoris suauitate, quòd muscum non leuiter non modò viuus, verùm mortuus etiam oleat. Is qui eum vel occultissimum fert, circumstantes suauissimè permulcet. in arcis ad imbuendas grato odore vestes reponitur. Gracilioribus est brachiis, quàm cæterorum genus Polyporum, Gillius. ego Rondeletij & Bellonij sententiæ subscribo, qui polypi speciem vnam tantùm odore insignem, aliis grato, aliis graui, faciunt. Octapodia *(id est polypi)* sepiæ. polypi moschitæ, difficulter concoquuntur, Psellus libro 1. de diæta. Accepi olim piscem Moscharolo Venetiis dictum, polypo paruo similem esse, & in cibo lautum. haud scio an idem sit qui Italis circa Genuam Muzaro vocatur, Græcis hodiè Gopos, si benè memini. Germanicum eius nomen fecerim, ein Bisemkuttel. nam Bisem moschum oderamentum nobis significat. Kuttel verò Germanica vox anglis, pro sepia priuatim in vsu, toti malaciorum generi rectè accommodatur. Polypos & Osmylos in siccum egressos æstiuo tempore, ex maritimis arboribus frugiferis fructus subripientes, (scandunt enim per truncos, & ramis se implicant,) sæpè agricolæ & deprehendunt, & pro direptis fructibus pœnas ex comprehensis sumunt: Ælianus, ex Oppiano nimirum, qui osmylum etiam vt polypum, maris cauernas incolere tradit. Vide suprà in Corollario Polypi C. De morsu etiam osmyli nonnihil venenato, diximus in Polypo G. circa finem.

Ozæna & Bolitæna.

Ozænam eundem esse osmylo, de quo proximè scripsimus, Pollux, Athenæus, Hesychius authores sunt: quibus eruditi hodiè astipulantur. Polyporum generis ozæna, dicta à graui capitis odore, Plinius. Ozænam Aristoteles ozolin (ὀζόλιν) & bolitænam videtur appellasse. ea frequens est in Laconia, quæ regio nunc Zaconia dicitur: dicta quòd ea vox odorem illum & virus graue significat. Theodorus osolem conuertit, Massarius. Nautili genus alterum constat exiguo corpore, facie simile bolitænis, Aristoteles. Bolitænas non alit Euripus, Idem. Videtur autem βολίταινα scribendum cum acuto in antepenultima, vt ὄζαινα, τρίαινα, ἀρίταινα. habent enim hæc vocabula vltimam breuem, penultimam productam: quam, si accentum reciperet, circumflecti oporteret. Apud Athenæum bolbotine, βολβοτίνη, scribitur.

Bolbotine.

Species (inquit) polyporum diuersæ sunt, heledona, polypodine, bolbotine, osmylus, vt Aristoteles tradit. Ego bolbotinem ab osmylo nomine tantùm differre puto. apud Aristotelem quidem, in iis quæ extant, nihil huiusmodi legimus, & forsan polypodine quoque, πολυποδίνη, non alia fuerit species.

Polypodine.

Forma quidem nominum in ινη Græcis patronymica est: vt Adrastine, Adrasti filia. & fortè polypodine, ceu polypi species minor, vt filia ad matrem, a paruitate hoc nomen inuenit. Ὀσμύλαι, βολβιτῖναι, θαλάσσιοι, Hesychius. malim, Ὀσμύλαι, (vel Ὀσμύλοι,) βολβιτῖναι, ἰχθῦς θαλάσσιοι. Est autem iota penultimæ longum in patronymicis (& similibus) in ινη Κούρη Μυρτίαο καλλισφύρου Εὐηνίνης, Iliad. 1. Nec alia putârim Bolbidia

Bolbidium.

Hippocrati dicta, forma diminutiua. nam libr. 2. de morbis muliebribus, laudat polypodia, *(id est paruos polypos, ætate nimirum, non specie vt mihi videtur,)* & bolbidia parui polyporum generis, in vino & oleo cocta si vterus ad coxam auersus fuerit. Rursúsque eadem similiter præparata, aut sepiolas, ad menses ciendos. Et rursum in eiusdem mali curatione: Ad vesperam (inquit) mazam cœnet: si verò Panem voluerit, & bolbidia parui polyporum generis. & sepiolas paruas, in vino ac oleo coquito, & edenda dato. Βολβιτία (lege Βολβίδια) τὰ ὑπὸ τῶν πολλῶν βομβύλια πρὸς ταῖς ὀρθώμενα. γένος δέ ἐστι τῶν μικρῶν πολυπόδων, Galenus in Glossis. Est & narium vlcus ozæna, de quo in Polypi philologia diximus. Oris fœtorem ozen Græci vocant. Vnde & ozænitim nardi quoddam genus apud Gangem nascens, virus redolens, Plinio videtur appellari. sed ozen cassiæ speciem Aëtius vocauit, Massarius.

Eledona.

Eledona, ἐλεδώνη, polypi species est Aristoteli, crurum prolixitate à cæteris differens: & quòd vna ex mollium numero simplicem acetabulorum ordinem agat, non vt cætera duplicem, Aristoteles. Ἐλεδώνη, ὁ πολύπους, Hesychius. Apud Athenæum etiam libro 6. ἑλεδῶναι scribuntur, & nominantur inter alios pisces: libro septimo autem ἑλεδώνη, cum aspiratione. Εἴδη δ' ἐστὶ πολυπόδων ἑλεδώνη, πολυποδίνη, &c. vt superiùs recitaui. Et mox: Aristoteles in opere de animalibus, mollia esse inquit, polypos, ὀσμύλην, ἐλεδώνην. Gillius etiam, Massarius, & Wottonus Heledonam cum aspiratione scribunt. Grammatici ε. ante λ. attenuari docent, neque excipiunt eledonam: etiamsi hoc nomen ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν, id est à comprehendendo compositum videri possit: vnde & ἑλεδανὸς fortè deriuatum, quod nomen vinculum significat, spiritu tamen tenui in Græcorum lexicis scribitur. Ἐλεδώνη *(sine aspiratione, & cum o. breui in penultima)* genus est polypodis, quæ cotyledonam vnam *(vnum cotyledonum ordinem)* habet, pedibus septenis, authore Æliano, Suidas & Varinus. ego in iis quæ extant Æliani, nullam eledonę mentionem inuenio. Vocatur autem eledone, ἀπὸ τοῦ ἑαυτὴν ἔδειν, quòd ipsa se rodat, ita vt lambda in hoc nomine redundet. vnde & Hesiodus, ὅτ' ἀνόστεος ὃν

πόδα τένδει,

πόδα τένδει, Suidas, & Cælius Rhodig. Sed authores idonei plerique polypum simpliciter, non eledonam priuatim hoc facere scribunt. Δελιδώνη, ὁ μυλαῖος ἰχθῦς, Hesychius & Varinus: sed pro ὁ μυλαῖος, legendum fortè ὄσμυλος, vel ὀσμυλίας. Helidonam genus Polypi, nostræ ætatis Græci Halidonam corruptè nominant, Gillius. idem osmylum à Græcis hodiè moschitem appellari dixit. quamobrem diligentiùs inquirendum, sítne vnus piscis osmylus & eledona vt Rondeletius putauit. fieri potest vt species aliqua polypi reperiatur in Græcia, circa Gallicum & Ligusticum mare ignota. Chelidon, χελιδών, piscis polypo similis, succum continet, qui bonum colorem præstat, & sanguinem *(vt hæmorrhoides, menses,)* mouet, Diphilus. Mihi omnino non alius hic piscis quàm eledona, videtur: nam & delidona, vt suprà dixi, nomen pro eodem reperitur. Vide suprà in Chelidonia, elemento C. ad finem paginæ 222.

De NAVTILO Polyporum specie, in N. Elemento dictum est.

CRICOS animal aquatile describitur ab Alberto, libro. 24. operis de animalibus: in alphabetico Aquatilium catalogo: & rursus KYLOZ. vtrunque cum testaceis & mollibus confundere videtur. nam & testam eis attribuit: & quædam mollibus attributa ab idoneis scriptoribus, vt pedes habere, venari pisciculos, adhærere petris, &c, & quòd kylos duorum sit generum, minor edendo, maior non item. Aristoteles polypum maiorem edulem facit: minores varios edi nedat. Cricos (inquit Albertus) dextrum pedem perparuum habet, sinistrum verò magnum & longum. Aristoteles quidem locustam & cancros omnes, chelam dextram grandiorem valentiorémque habere author est. Verùm his ne tantillum quidem immorarer: nisi sperarem interdum Arabica aut Persica nomina animalium quorundam collatis scriptorum locis expiscari me posse: sed plerunque spe mea frustror, cùm pleráque à Græcis deprauata deprehendam, & quædam adeò absurdè, vt vix coniecturæ locus supersit. à Græcis enim Arabici scriptores sumserunt, ad suos characteres, ad suas terminationes detorta: ab his rursus Latini quidam interpretes, minimè Latini, sed & huius & Græci sermonis imperiti. vnde passim in illorum libris & rerum & nominum magna confusio.

PISCES quidam sunt informes: velut quod corio est quasi suillo, magnitudine fermè elephantis: suillo etiam capite, pedibus loraceis, sine dentibus, paruis oculis. sub ventre duo foramina habet iuxta caudam. Cauda prælonga: brachij mensura latiore: quam mensuram longitudine & latitudine implent singulæ auriculæ. corio crassiore quàm digitus sit. Forsan è polyporum genere est, Cardanus lib. 10. de Subtilitate. Mihi diuersa planè à polypis natura videtur. pedes loracei, fortè & corium suillum, polypum referre videri possunt. Sed dentibus caret, quos polypus habet. Cauda polypo non conuenit. auriculæ aquatilium, sicut & exanguium nulli. Ego hoc animal suprà in Corollario Orthragorisci descripsi, Aloysij Cadamusti verbis: qui id loripes fuisse scribit, non autem loraceis pedibus. Sed cum loripes claudum significet, pedes verò nullos Cadamustus ei attribuat, nescio quo sensu loripedem dixerit. Cete illud vastissimum (inquit Scaliger aduersus Cardanum) quod elephantis descriptum magnitudine, ais, esse forsan de genere polyporum, manifestè leuitatem prodit ingenij tui. Cui suillum caput assignabas, Suem potius faceres. Nam polypo, non vt suibus rostrum, sed vt sepiæ: cuidam generi, vt psittaco beccum est. Vide etiam infrà ad finem Corollarij de Porcis marinis.

DE POMPILO RONDELETIVS.



ΠΟΜΠΙΛΟΣ piscis dicitur ab Athenæo, Æliano, Oppiano, aliísque Græcis. Plinius quoque libro 9. cap. 15. huius meminit eodem seruato nomine, & à quibusdam inter thynnos numerari scribit. Verùm hi meo quidem iudicio similitudine decepti fuerunt. Pompilus enim alius est à thynnis & pelamydibus, etsi eis quodammodo similis sit. A

Pompilus piscis est pelagius, squamis carens. A branchiis ad caudam linea magna curua ducta, à qua ad ventrem lineæ multæ transuersæ interpunctæ descendunt. Supra lineam dorsum varium est, & maculatum. Os est medium, dentes parui pro corporis magnitudine. Pars quæ supra & inter oculos est flauescit. auríque colorem æmulatur. Pinnas habet quatuor, duas ad branchias, duas in ventre. Aliam à podice ad caudam. In dorso aliam. Cauda in vnicam desinit non diuisam, neq; crescentis lunæ figurâ thynnorum pelamydúmque modo. B

Hunc verum esse pompilum quem depinximus, rationes aliquot demonstrant. Nam hic pelagius est piscis, & circa naues frequentem esse in pelago, eásque comitari certè experientia comprobatum. Prætereà varius est, superciliis aureis, pelamidi similis. Quæ omnes sunt pompili notæ à veteribus traditæ. Athenæus lib. 7. ex Dionysio Iambo: Pompilus pelagius est piscis, circa naues frequens cernitur, similis pelamydi, varius, ποικίλος. Callimachus eodem authore aurea supercilia habentem, & sacrum piscē appellauit. *(Callimachus pompili nomen nō exprimit, sed simpliciter nominat χρύσειον ὀφρύσιν ἱερὸν ἰχθὺν: quibus verbis aliqui auratam intelligunt. Itaq; vt pompilus Rondeletij superciliis aureis sit, quod ei facilè credimus: veterem tamen* A

Pompilum Verum se protulisse

id de

id de eo expreſsè non tradiderunt. Verba Athenæi ſunt, Καλλίμαχος τὸν χρύσοφρυν, ἢ μᾶλλον χρύσιον ἐν ἀφρύσιν ἱερὸν ἰχθῦν, *ſubaudi* καλεῖ *vel* ὀνομάζει.) Et Clitarchus: Nautæ pompilum ſacrum piſcem nuncupant, quòd ex pelago deducat naues ad portum vſque. Eadem planè Ælianus de pompilo. Rarus eſt admodùm apud nos piſcis, ita vt vulgare nomen nullum invenerit, niſi quòd pro pelamyde venditur. *Lib. 12. cap. 43.*

COROLLARIVM.

A Thynni ſæpè nauigia velis euntia comitantes, mira aliqua dulcedine per aliquot horarum ſpacia & paſſuum milia à gubernaculis non ſeparantur, ne tridente quidem in eos ſæpiùs iacto territi. Quidam eos qui hoc è thynnis faciant, pompilos vocāt, Plinius. Græcè πομπίλος ſcribitur paroxytonum, à πομπή: vt ab ὀργή, ὀργίλος. dicitur enim παρὰ τὸ πέμπειν vnde & πομπὸς, Euſtathius. --- πομπῇ δ' ἐπεφήμιξαν οὔνομα νηῶν, Oppianus de hoc piſce. Aliâs pomphilus dicitur, Hermolaus. Ego in Græci quidem Æliani de animalibus libri 2. capite 15. πόμφυλος reperio, mediam ſyllabam φ. & υ. constituentibus. Gillius pompylum vertit per py in medio, neutrum placet. nam & Ælianus alibi (lib. 15 capite 23.) πομπίλος ſcribit, & alij quos hactenus vidi omnes: & deriuationis ratio & analogia ita ſcribi poſtulant. Pompilus piſcis quibusdam idem videtur qui aurata, vt pluribus ſcripſi ſuprà in Corollario de aurata H. a. nos cum Rondeletio aliíſque eruditis tum priſcis tum noſtri ſeculi, diſtinguere malumus. Maſſilienſes piſcatores hunc non ignorantes, corruptè Pampalū vocant, Gillius. Germanicum nomen ſi quis requirat, fingamus: ein Leitfiſch / ein Schiffleiter / ein Schiffgeſell: quoduis enim ex iſtis, idem quod Græcis pompilus ſignificat, id eſt piſcem comitem, vel nauium comitem. Recentiores quidam pompilum imperitè cum nautilo confundunt, Plinij verbis (deprauatis ſcilicet) ſeducti, quibus nautilum ab aliis pompilum vocari legitur: cùm non pompilum, ſed polypi ouum legi oporteat, vt Rondeletius ex Ariſtotele obſeruauit.

B Pompilus animal eſt marinum, amatorium, varium, pelamydi ſimile: Euſtathius, ex Athenæo nimirum.

C Pompili piſces pelagij, omnium maximè piſcium, quos auditione accepimus, in ima ſede maris verſari ſolent: ſiue ipſi terram malè oderunt, ſiue hæc illorum odio tenetur. Hi autem ſic circum naues altum ſecantes, tanquam amicas, concurſant, cáſque huc illuc ſaltantes ſtipant. Et homines quidem qui naui vehuntur, quantum à terra abſint, prorſus ignorant, & ipſi etiam nautæ à vero aberrare ſolent. At pompili tanquam ſagaciſſimi canes, qui propinquam præſentiunt prædam, ſic terram non longè abeſſe, antè multò ſentiunt, idcirco non tanto ampliùs ſtudio nauium tenentur, longiùs eos vt perſequi comitando velint: ſed quaſi ſigno ad abeundum ſublato, frequentes in altum redeunt. Vnde nautæ continentem, tametſi faſcibus non eam aſſecuti, ſed à Pompilis eruditi, propinquam eſſe ſentiunt, Ælianus de animalibus 2.15. Et Oppianus lib. 1. Halieut. vnde ille mutuatus eſt: Pompili (inquit) pelagij piſces, quos venerantur nautæ, à comitatu nauium ſibi nomen inuenerunt, mirificè enim, & peculiari quodā ſtudio ergà naues in alto vectas afficiuntur: & curſum earum ſequuti circunſiliunt, alij ad latera, alij ad puppim, ad proram alij: perſeuerantq́; adeò, vt non ſponte eos comitari putares, ſed vinculo ad nauim aſtrictos trahi. Vbi verò terram præſenſerint, rurſus vniuerſi retrorſum (tanquam à meta ad carceres) redeunt, relictis nauigiis. hinc

E nautæ terram propè eſſe certò agnoſcunt. Ex eodem comitante, placidum & tranquillum mare futurum, tanquam fauſto & fœlice ſocio, coniiciunt. Vmbra gaudent hippuri & pompili. quamobrem iniectis in mare arundinum faſcibus, appenſo lapide quo firmentur, ſub illas (mari innatantes) colliguntur, & facilè hamis capiuntur, vt in Hippuro ex Oppiani Halieuticorum 4. retuli.

H Ex Athenæi libro 7. Telchiniacæ hiſtoriæ conditor, (ſiue is Epimenides Cretenſis eſt, ſiue Teleclides, ſiue alius quiſpiam,) delphinos & pompilos ſacros piſces eſſe tradit. Eſt autem pompilus animal amatorium, (*ad amoris philtra efficax exiſtimatum, Nic. Leonicenus Variorum 3.9. vbi pleraque hæc ex Athenæo conuertit, quanquam ipſe [lapſu memoriæ puto] Pauſaniam authorem citet,*) tanquam & ipſe Cœli ſanguine (ἐκ τοῦ οὐρανίου αἵματος) prognatus vnà cum Venere. Hinc Nicander in Oetaicis:

Πομπίλος, ὃς ναύτῃσιν ἀδημονέουσι κελεύθους   Μηνύσαι φιλέρωσι, καὶ ἄφθογγος περ ἀμείνων.

(*fortè,* Μηνύσαι φιλέρωσι, καὶ ἄφθογγός περ ἀμύμων. *aut alio quopiam modo, quo ſenſus & conſtructio conſtet.*) Meminit eius & Alexander Ætolus: Πυθαλίῳ ἄκρῳ ἐπὶ πομπίλος ἀντιοχεῖ ει, Καὶ τὰ κάτω κατόπιων θεοῖς ὑπὸ πομπίλος ἰχθύς. Et Pancrates Arcas in libro cui titulus Opera marina, cùm prædixiſſet: Πομπίλος, ὃν καλέουσιν ἁλίπλοοι ἱερὸν ἰχθῦν: narrat, non modò Neptuno hunc piſcem, ſed etiam incolis Samothraciæ diis ſacrum & charum eſſe. Ob eamq́; cauſam piſcatorem olim nomine, (ſicut dicitur) Epopeum, ex Icaro inſula profectum, ætate iam affectum, quòd aliquando cùm nihil aliud piſcium præter Pompilos cepiſſet, eoſdem cum filio comediſſet, protinus huic piſci meritas impietatis pœnas perſoluiſſe. Etenim cetacea belua facto in eius piſcatoriam impetu ipſum in conſpectu filij deuorauit. (*Eadem repetiit Ælianus 15. 23. ſicut & ea quæ ſequuntur.*) Item, vt addit idem Pancrates, Pompilum hoſtili odio Delphini perſequuntur: neque hoc ipſum tamen impunè faciunt. Cùm enim hunc guſtauerunt, diſcruciantur & conuelluntur continuò: & quòd furore inflammati conſiſtere non queunt, idcirco in litora expelluntur, atque fluctu eiecti à mergis aut cornicibus marinis gauiíſque exeduntur, & conficiuntur. & aliquando à viris qui ad cetarias aſſident capiuntur, (παραινομοῦνται, *vox videtur corrupta, Ælianus omiſit.*) Κωβιοὶ εἰνάλιοι, καὶ πομπίλοι ἱεροὶ ἰχθῦς, Timachidas Rhodius. Πομπίλε ναύτῃσιν πέμπων πλόον εὔπλοον ἰχθῦς Πομπεύσαις πρύμναθεν ἐμαῖς ἀδίαντα ταῖ- ραν, Corinna vel quiſquis poematij in ipſam relati author eſt. Cæterùm Apollonius Rhodius ſiue Naucratites, dicit Pompilum aliquando hominem fuiſſe (πορθμέα, id eſt portitorem, Ælianus: θαλασσουργόν, id eſt piſcatorem, Athenæus.) & cùm puellæ (inquit) Apollo amore teneretur, (*Ocyrhoës Imbraſi fluuij filia, &c. pluribus rem deſcribit Athenæus, recitatis etiam Apollonij verſibus:*) eámque rapere conaretur: hæc autem effugiens Miletum veniſſet, & Pompilum precibus obſecraſſet, vt ſe traiiceret: is quidem paruit. at verò Apollo ſeſe oſtendens, hanc quidem rapuit, nauim autem in lapidem, Pompilum in ſui nominis piſcem conuertit. (*Meminit Euſtathius quoque in Homerum.*) Dionyſius cognomine Iambus in libro de dialectis: Audiuimus (inquit) piſcatorem Eretricum, alióſque multos pompilum piſcem ſacrum vocantes.

Pompilus

Pompilus apud Græcos omnes penultimam corripit: Ouidius produxit, his verſibus in Halieutico inter pelagios:

Tuq́; comes ratium, tractiq́; per æquora ſulci, Qui ſemper ſpumas ſequeris pompile nitentes.

Πομπῆες, ὁμόστολοι, Oppiano. Sacri etiam epitheto dici poſſunt: vel ſacri piſces per antonomaſiam, quamuis dubiam: cùm & alij piſces ab aliis ſacri appellentur. *Epitheta.*

Pompilus nauigia vſque in portum comitari & deducere perhibetur, Nic. Leonicenus, ſine authore. nam veteres, cùm terram etiam à longè præſenſerit, naues relinquere aiunt.

Καὶ πομπίλοι ἱεροὶ ἰχθῦς, Timachidas: tanquam ſeruatores nauigantium, Euſtathius & Varinus in Ἱερός.

DE PORCIS PISCIBVS.

Porci vel Sues piſces quidam dicti ſunt, quod adipe aut lardo terreſtrium modo pleni ſint: alij à voce & grunnitu: alij à corporis aut partis alicuius ſimilitudine: quidam opinor à ſpinis dorſi, ſetarum inſtar rigentibus: vt quorum meminit Plinius. Inter venena (inquit) ſunt piſcium porci marini ſpinæ in dorſo, cruciatu magno læſorum. remedium eſt limus ex reliquo piſcium eorum corpore. Aggregator ex Plinio non limum, ſed carnes ipſius porci remedio eſſe ſcribit. Spinæ dorſi troge (*porci*) piſcis marini inferunt cruciatum magnum, cui medetur fel ipſius, Arnoldus in libro de venenis. Χοῖροι, id eſt Porci, à Tarentino inter piſcium marinorum genera reponuntur. Eſca ad porcos ab eodem deſcripta, interprete Lacuna, recipit ſeſami drachmas iiij. capitulorum alliorum drachmas ij. carnis coturnicis muria conditæ, opopanacis, ſingulorum tantundem. Quæ omnia (inquit) excipiens ſordibus gymnaſiorum contundito. vtitórque illis paſtillorum inſtar compactis. *Porci Plinij.*

Capriscvm Athenæo memoratum, piſcem marinum, (μῦν aliqui vocant. Vide in Mure piſce ſuprà) Rondeletius eundem porco Strabonis, quem inter Nili piſces recenſet, exiſtimat, quòd ſpinæ ei in dorſo acutiſſimæ noxiæq́; ſint. A noſtris (inquit) & Siculis porco vocatur. Vide ſuprà, pagina 181. *Capriſcus.*

Ab hoc differt Aper piſcis, Græci κάπρον vocant: cuius aliam iconem Rondeletius, aliam Bellonius dedit. vtranque poſuimus ſuprà, pagina 61. Rondeletij ſanè aper, piſcis eſt marinus: quem hyænæ, vel porci vel capriſci (quo cum plurima habet communia,) ſpeciem eſſe coniecerim. Χοῖροι, id eſt porci, qui inter Niloos piſces ab Athenæo & Strabone cenſentur. fluuiatiles ne tātùm ſint, an è mari fortè in Nilum immigrent, quærendū eſt. item an perca fluuiatilis minor, de qua ſcripſimus ſuprà, cùm piſcis ſit rotundus, ſpinis in capite noxijs, porcus ſit Strabonis. hæc enim illi attribuit. Vide ſuprà in Perca fl. minore, & in Cernua fl. & in Corollario de Mugile C. Ariſtoteles ſolos piſcium vocales eſſe dixit σκάπρον, καὶ τὸν ποτάμιον χοῖρον, id eſt caprum & fluuiatilem porcum, Athenæus. Euſtathius hoc loco repetito pro σκάφρον legit σκάρον. ego quoniam χοῖρον ποτάμιον apud Ariſtotelem non inuenio, eundem eſſe coniicio cum apro (capron Græci dicunt) Acheloi, quem Ariſtoteles hiſtoriæ 4. 9. vocalem exiſtimari ſcribit, vt & alios complures, quos illic nominat, omnes marinos, præter chalcidem fortè lacuſtrem, & aprum fluuiatilem. κάπρος quidem & χοῖρος pro ſynonymis accipi queunt. Hunc caprum fl. Ariſtot. in Acheloo amne vocalem facit, Plinius etiam grunnientem. In Danubio cum alij piſces, tum porci (χοῖροι) capiuntur, Ælianus. *Aper.*

Gylliſci, Γυλλίσκοι, piſces quidam ſunt Heſychio & Varino. Γύλιος quidem (ſicut & γρύλλος) porcus eſt. vnde fortè γυλλίσκος diminutiuum, porcellus, vt hys etiam & hyſca, de piſce, eâdem ſignificatione. Nicander congros, aliter gryllos vocari ſcribit. Itali plerique hodiè grillum nominant, teſte Bellonio, muſtelæ marinæ ſpeciem, quam Rondeletius ophidion. Vide etiam ſuprà de hoc vocabulo pag. 96. in Corollario de Aſellis muſteliinis. Chirin (*Chœri potiùs,* Χοῖροι) id eſt, porcelliones piſces, Syluaticus. noſtro quidem ſeculo percam fl. minorem aliqui porcellionem nominant, in Germania inferiori præſertim: Itali verò ſturiones paruos marinos. Cheriſcaria inter Strymonis fl. piſces Bellonius nominat: quæ vox vulgaris, forſan porcellus ſignificat. *Gylliſci. Gryllus.*

Χοιρίναι conchæ non aliæ videntur, quàm quæ hodiè Porcellanæ vulgò dicuntur. Vide ſuprà in Corollario ad Porcellanas ſiue Conchas Venereas, ab initio, pagina 283. & non multò ante finem eiuſdem, pag. 285. Τῶν δὲ στρόμβων καὶ χοιρίων (*lego* χοιρίνων, *vel* χοιρινῶν) καὶ τῶν λοιπῶν κογχυλίων αἱ ποικίλαι ἰδέαι, καὶ πολὺ διάφοροι τῶν παρ' ἡμῖν, Androſthenes in præternauigatione Indiæ. De Porcellanis vaſis vulgò dictis, rara quædam & cognitione digna Iulius Cæſar Scaliger exponit, Exotericarum exercitatione Titulo 93. *Chœrina concha.*

Nihil cum porco aut ſue puto commune habet Πόρκος Græcè dictum Iſtri animal: de quo Varinus in Lexico ſic ſcribit: Πόρκος animal eſt ad (παρὰ) Iſtrum fluuium, id eſt, Danubium: quadrupes, membrana tenui incluſum, (περιεχόμενον:) quæ inflata vtrem repręſentat: & natat ea attenuata, (καὶ νήχεται ἕως ἂν λεπτυνθῇ, ſubaudio, τὸ ζῶον, vel τὸ δέρμα:) inque terram egreditur, & ſubitò (ἀθρόον) refrigeratum moritur. *Πόρκος.*

Eſt etiam πόρκος inſtrumentum piſcatorium, cuius meminit Plato in Sophiſta, his verbis: Κύρτους δὴ, καὶ δίκτυα, καὶ βρόχους, καὶ πόρκους, καὶ τὰ τοιαῦτα, οὐκ ἄλλό τι πλὴν ἕρκη δεῖ προσαγορεύειν. Aliqui non rectè rete interpretantur, alij κύρτον, id eſt, naſſam: Plato enim ſimul tanquam diuerſa nominare voluit. ἔστι δὲ σχοινίου πλέγμα: hoc eſt, inſtrumentum quoddam è viminibus contextum eſt, Varinus & Suidas. Meminit etiam Diphilus τοῦ πόρκου: Θᾶττον πλέκειν κέλευε τῶν πόρκων πυκνοτέρους. Vocabant autem πόρκον, διὰ τὸ περιλαμβάνειν καὶ ἀμπέχειν τὸν εἰσδυόμενον ἰχθῦν: ἢ ἀπὸ τοῦ οἱονεὶ περιεῖχθαι. Hinc & πόρκης (vt Χρύσης: apud Suidam & Varinum aliquoties non rectè πόρκος, vt λόγος, in hac ſignificatione ſcribitur) apud Homerum vocatur annulus, ferrum, ſiue cuſpidem haſtæ (epidoratidem) cum haſta coniungens & firmans. --- περὶ δὲ χρύσεος θέε πόρκης. Πορκώδη dicuntur omnia rotunda & κρικώδη, (ex annulis compoſita, vel annulis ſimilia,) nam πόρκης annulus eſt, Euſtathius. Πόρκον eſſe puto genus retis naſſæ ſimilis, cuius os rotundum eſt, & circulo vimineo firmatum. naſſa enim propriè eſt Latinis, quæ Græcis κύρτος, & è viminibus aut iuncis conſtat: πόρκος verò è filis & maculis vt retia. noſtri Vrſam nominant, ein Båren. & aliam eius ſpeciem rotundiorem, quæ non vt naſſæ & porci in vado relinquitur, lapidibus grauata: ſed anſam è ligno oblongam habet, vt à piſcatore tenente per aquam agatur & impellatur ein Storbåren. Capiuntur purpuræ paruulis rariſq́; textu veluti naſſis, in alto iactis. ineſt iis eſca, &c. Plinius. Varinus tale inſtrumentum κημὸν appellat. Vide in Equo H.e. inter Quadrupedes viuiparas. Latinè aliqui excipulam vel excipulum vocant. Ælianus (de animal. 17. 18.) puto φέρνιον. paſtinacam incautam (inquit) piſcator phernio imprudentem ſubducit. Hinc πορκεὺς *Inſtrumentum piſcatorium.*

piſcator

piscator hoc instrumento vtens. vide in Salpa A. Videtur & Porcus pro Phorco seu Phorcyne deo marino ab Alcmane dictus. Νηρεὺς, θαλάσσιος δαίμων: Ἀλκμὰν καὶ Πόρκον ὀνομάζει, Hesychius. *ὗς* Ὗς, porcus quadrupes, & piscis, Varinus. Nominantur ab Epicharmo ὕες pisces: de quibus dubitat Athenæus an iidem sint κάπρῳ, id est apro. Vide suprà in Hyæna A. *Syæna.* Syænam piscem Græci recentiores chœrillam interpretantur, hoc est porculum, Hermolaus in Plinium. Oppiano lib. 1. σύαινα inter petras leprades degit. Athenæus hos Archestrati versus recitat:

Ἐν δ' Αἴνῳ καὶ τῷ Πόντῳ τὴν ὗν ἀγόραζε, / Ἥν καλέουσι τινὲς θνητῶν ψαμμίτην ὀρυκτήν.
Τούτου τὴν κεφαλὴν ἕψειν μηδὲν προστεινεγκών. / Ἥδυσμ': ἀλλ' εἰς μόνον ὕδωρ (lego, ἀλλ' ἐς ὕδωρ μόνον) ἐνθεὶς,
καὶ θαμὰ κινῶν,
Ὕσσωπον παράθεις τρίψας, κἂν ἄλλο τι χρήζῃς / Δριμύδ' (an? Δριμύ τι) εἰς ὄξος καταβάπτε, καὶ ἐπείγου
Οὕτως, ὡς πνίγεσθαι, ὑπὸ σπουδῆς καλαμίνων / Τὴν λοφιὰν δ' ὀπτᾶν αὐτῆς, καὶ τἆλλα τὰ πλεῖστα.

Et fortè (inquit) etiam Numenius ὗν, ψαμαθίδα nominat, cùm dicit, Ἄλλοτε καρχαρίην, ὅτε δ' ῥόθιον ψαμαθίδα. Ψαμμίτης autem & ψαμαθὶς hic piscis dictus videtur ab arena: & ὀρυκτὴ (actiua significatione, cùm verbalia in τος passiuè accipi soleant) à fodiendo, quòd rostro nimirum arenam fodiat, vt sues terrestres cœnum: vt inde suis nomen ei positum sit: nisi quis à corporis figura dictum malit: nam λοφιὰν in eo Archestratus nominat. Vide etiam quæ annotaui in Hyæna quadrupede A. *Lolligo dirique sues*, Ouidius in Halieutico.

Hycca. Hysca. De HYCCA seu HYSCA leges suprà in H. elemento. Hysca, communiter Hyscha, ὕσχη dicitur, Symeon Sethi. Gyraldus interpres, alio forsan codice vsus, sic habet: Porculus piscis, siue, vti vulgus dicit, Lycisca, siue Lycina, Lupávc, (Græcè verò à Symeone ὕσκα nuncupatur,) hysca communis piscis vocatur. Mihi hæc nomina à Gyraldo adiecta, Lycisca inquam & Lycina, suspecta sunt: eóque magis, quòd alibi quoque non satis probatum in huius libelli (Symeonis de alimentis) conuersione interpretem eum deprehenderim.

Syagrides. SYAGRIDES quoque Athenæo inter pisces sunt, alij quàm Synagrides nimirum. est autem syagros Græcis fera, quæ Latinis aper. Polybius libro 34. de Lusitania scribens, ait quercus (βαλάνους) illic in mari *Thynni.* plantatas esse, quarum fructu vescentes thynni pinguescant. quare non temerè thynnos, sues marinos di- *Centrines.* xeris, Athenæus. Centrinen in Galeorum genere Itali & Massilienses porcum vocant, vel porcum mari- *Iulides.* num. Plures hodiè obesi pisces, & qui præpingue abdomen habent, porci à piscatoribus appellantur. Hermolaus in Corollario iulides ait vocatos esse porcos: Iouius, nescio quàm rectè: hyccam quidem pro iulide Hermippus Smyrnæus accipit. Truye (id est, Porca) Mediolani vocatur, piscis quidam similis sardulæ (leucisci fl. species, Gardonum Galli, nostri Schwal appellant:) & Truega Massiliæ piscis diui Petri.

Orthragoriscus. Appion maximum piscium esse tradit Porcum, quem Lacedæmonij orthragoriscum vocant. grunnire eum cùm capiatur, Plinius. Vide suprà in O. Elemento.

Hippopotamus. Hippopotamum Constantinopoli alij porcum marinum, alij bouem marinum vocant, Bellonius.

Syacion. Συάκιον genus piscis, Suidas. Symeon Sethi eas in nutriendi facultate rationes syacio adscribit, quas alij fere rhombo & Gyraldus interpres syacion aliquos rhombum putare scribit. Quære suprà inter Passeres, in Rhombo F.

Porcus mar. ab Ambrosio. Gulo porcellum amat, vt comedat, Ambrosius in Dominica passione. videtur autem porcelli nomine piscem quempiam lautum intellexisse. Idem in Hexaëmero Iudæos marinis porcis vesci scribit, quibus terrestribus non vescantur, Iouius. Porcinam dicunt mercatores balænæ salsamenta, Scaliger. *Delphinus & Phocæna.* Germani Oceani accolæ, & angli quoque & Galli à Germanis mutuati, Delphinum Meerschwein/hoc est, marinum suem appellant. Phocæna circa Oceanum Gallicum frequentiùs capitur, quàm Delphinus: communi tamen cum eo nomine Marsouin dicitur: quamuis id nomen phocænæ magis conueniat, (vtpote pinguiori:) Delphino tamen etiam rostrum est longius, & porcino simile, vt scribit Bellonius. Phocænam apud Frisios Brunfisch appellari ex Guil. Turneri literis nuper intellexi: quod nomen tamen alibi etiam aliis cetis attribui puto. Albertus alicubi phocam ex genere porcorum marinorum esse scribit: *Sturio, &c.* nimirum quia lardum habet, quod tamen plerisque cetis commune arbitror. Veneti & Adriatici porcellos seu porcelletas, minusculos Sturiones marinos appellant. Porcini generis pisces esse sturionem, (quem hyccam, quasi suculam aliqui putauerunt,) attilum in Pado, & in Danubio antacæum, siue marionem vt quidam volunt, (quem Bohemi Wyz vocant, Germani Huss/quasi Hys, quod est Sus: Itali moronam, quòd ad marionem accedit: Germani scropham Moor appellant, Cretenses Marin:) inque mari delphinum, quasi δέλφακα, id est, porcum adultum masculum, Sigismundus Gelenius sentiebat: cuius hac *Suillus.* de re verba ex epistola ad nos reposui in corollario de Acipensere H.a. Porcus marinus est qui vocatur suillus, quia dum escam quærit, more suis terram sub aquis fodit. circa guttur enim habet oris orificium, & nisi rostrum arenis immergat, pastum non colligit, Isidorus. Puto autem suillum ab Hispanis sturionem vocari, vnde vicinitate nominis aliqui decepti, eundem esse silurum contenderunt. Hispania omnis *Porcus mar. Alberti.* sturionem suilum appellat, Iouius. Porcus marinus Alberti, alius & nobis ignotus est. Porcus marinus est piscis esculentus *(inquit Albertus citans Plinium, qui tamen Porci marini piscis non aliter meminit quàm quod venenatas in dorso spinas habeat)* porco magna ex parte similis. Capite enim similis est porco, *(Phocæna hæc conuenire videntur,)* & linguam similiter solutam habet. Partes etiam interiores & costas vt porcus. Tota ferè caro eius transit in pinguedinem. Voce tamen differt à porco. in dorso eius quædam spinæ sunt venenum efficacissimum habentes, Sed fel eius *(limus ex reliquo piscium eorum corpore, Plinius)* est remedium contra puncturam spinarum illarum. Hoc animal labore magno victum conquirit. in fundo enim maris fodit terram sicut porci: vnde hunc alium esse apparet à Porco, (Meerschwein puto intelligit, quem tamen ipse Phocænam aut Delphinum esse ignorauit,) quem nos sic appellare consueuimus. Hæc Albertus: videtur autem porcum illum, quicunq; est, non ex historia aut tanquam visum, sed ab aliis descriptum memorare: nam vt alia pleraq; ex nescio quo de naturis rerum authore, ita hæc etiam descripsit: & omnino Plinij porcum cum eo confundit.

Piscis porcello simillimus. Haud procul Massilia piscis captus est porcello simillimus, si sine cauda crura habuisset, Scaliger. Ico-

nem apri cetacei, ex Olai Magni Gothi Tabula (quamuis ea quod ad huiusmodi picturas parum fidei meretur: non quòd ea animalia in eo mari non esse, sed quòd non huiusmodi putem) dedimus suprà inter Cete, pagina 207. & mox sequente pagina Hyænam cetaceam (vt nos appellauimus) porco terrestri similem, &c. Rondeletius huius Tabulæ authoris, & qui eum imitatus est Munsteri, picturas cum aliâs, (vt in Leonino monstro suprà recitauimus,) tum porci marini reprehendit. HERILL Germanicè dictam beluam, quæ capite aprum refert: & corium habet munitum ceu conchis pectinum, descripsi superiùs inter Cete, in Capite De Cetorum nominibus Germanicis, &c. pagina 215. Schweynwal; id est Cetus porcinus in Oceano Germanico appellatur, passus triginta longus, mensis abdicatus. Ad insulam Cimbubon captus piscis est suillo capite, cum geminis cornibus. Reliquum corpus vnico osse compactum fuit. In dorso species erat pusilli ephippi. Etiam in mediterraneo alius suis capite, sed absq; cornibus, Scaliger. Sus est in Oceano Æthiopiæ, vegetis crassitudine, teres, oblongus: capite, rostro, oculis suillis: longis auriculis, *(Rondeletius in Leonini monstri mentione aures patentiores, contra aquatilium naturam, arbitrio pictoris factas suspicatur:)* cauda bipedali. corio crasso, vt suibus. carne item candida & pinguissima, Scaliger. Nos hunc cetum in Corollario Orthragorisci descripsimus suprà, Aloysij Cadamusti verbis. Cardanus in Opere de Subtilitate immeritò an polyporum generis sit dubitat. Idem de rerum Varietate 7.37. Esse (legimus) in freto Magalliano piscem nauicula maiorem, eademq; duplò longiorem: corio, capite oculisq; suillis, auribus elephantis, absque dentibus: cauda lata, cubitóque longiore.

Aper cetaceus. Hyæna cetacea. Herill. Schweynwal. Sus cornuta. In Æthiopia Oceano.

PORPHYRION Πορφυρίων, auis quædam & piscis, Hesychius. Vide suprà inter Cete diuersa, pag. 202. de Porphyrio ceto.

PREMADES, vel Premnades, vel Premnæ, vel Prenades. Vide mox Primadiæ.

PRIMADIÆ pisces semel tantùm (quod sciam) apud Aristotelem nominantur, Historiæ 8.15. αἱ πριμαδίαι, genere fœmin. à recto πριμαδία. mox enim sequitur ἰλὺν δ' ἔχουσαι ἐν τῷ νώτῳ φαίνονται. & haud scio an vllius alterius piscis terminatio similis sit. nam in ιας quidem masculina non pauca sunt. A Gaza Primadæ tribus syllabis conuersum est. Primadæ (inquit, hyeme) in cœno se abdunt, cuius rei argumentum est, quòd neque eo tempore capiuntur: & dorso fæculento, pinnísque adductis, oppresísque spectantur. Verno autem tempore prodeunt, & appropinquant ad terram coëuntes, parientésq;: quo tempore fœtu grauidæ capiuntur, tempestiuæque tantisper esse putantur. Autumno verò & hyeme deteriores sunt. Simul etiam mares pleni semine genitali (lacte appellato, per id tempus cernuntur: itaque præstant ad vsum,) prole adhuc parua difficilè capiuntur: adultiore, iam larga captura propter infestia sili stimulum est. In his verbis quæ parenthesi inclusimus: quamuis non legantur in Græcis Aristotelis verbis: sequi tamen ad ea quæ dixit videntur.

PREMADES, & Premnæ, pisces quidam sunt thynnis cognati, Hesychius & Varinus. Verba Græca sunt hæc: Πρημάδες καὶ πρῆμναι, εἶδος θυννώδους ἰχθύος. Τειχιάδας δὲ καὶ τὰς πρημάδας (aliâs πρημνάδας) τὰς θυννίδας ἔλεγον, Athenæus. Vide infrà in Corollario de Sardina A. Ab Oppiano Halieuticorum primo inter pelagios cum orcynis & cybiis prenades per n. nominantur: Ὀρκύνων γενεὴ καὶ πρηνάδες (al. πρημνάδες, in vetustissimo codice Saluiani) ἠδὲ κυβεῖαι. Suidæ etiam & Varino Πρημνᾶς pro genere piscis memoratur, vltima circunflexa, malim acuta, vt Pallas, Παλλάς: quo cum & genere & inflexione congruit. Πριμαδίας Aristotelis, Wottonus pelamydes esse coniicit: fortè quòd & thunnis cognatæ sint, & similiter infestentur asilis: & in cœno (à quo factum pelamydi nomen) delitescant: Atqui Oppianus libro 1. Halieut. pelamydes primùm litorales facit, deinde prenades pelagias, vt dixi.

PREPONTES pisces à solis Oppiano & Æliano memorantur. Vide supra in Ouibus marinis.

PRESTIS vel PRISTIS belua, superiùs cum Physetêre est.

PROSPANTAMII videntur à Tarentino nominari pisces quidam. sed deprauata est dictio, quam restituimus in Gryte, Elemento G,

PSAMMODYTES in Callionymo est.

PSARI pisces optimi sunt, qui frequenter esitati pulchritudinem faciunt, & stomachum valdè corroborant, Kiranides libro 4. in Ψ. litera. Psar quidem vel psáros Græcis sturnum auem significat: pro pisce verò nomen idem vsurpatum, hactenus apud probatum auhorem nullum inueni. Nomen hoc auibus à varietate coloris factum videtur: vnde & equi psari cognominantur. Græci recentiores in compositis quibusdam hoc nomine vtuntur, tanquam simpliciter piscem significante: vt in Christopsáro, pro fabro: & Petropsáro, pro orpho Bellonij: & Flascopsáro, pro orbe: & Scyllopsáro, pro galeo cane. Verùm hæc ab opsário potiùs composita mihi videntur: quo nomine Græci (præsertim recentiores) piscem nuncupant, vt veteres opsón: sicut in Opso copiosè ostendimus. Opsárium vulgò etiamnum pro pisce dicitur, Eustathius. Hodiè vulgò ψάρι proferunt.

PSENAS Suidas interpretatur pisces: Ψῆνας, τοὺς ἰχθύας. Alioqui psênes Græcis dicuntur, culices quidam ficarij, qui in caprificos immissi, eas maturant.

Romani genus omne piscium coloratorum nomine PSITTACI, Pauonis, Turdi, vel Merulæ (minùs tamen rectè) vocare consueuerunt, Bellonius.

PSOROPETALI, pisces viles Ψωροπέταλοι, ἰχθύες εὐτελεῖς, Hesychius & Varinus. dubitari quidem potest, vná ne quædam species, an pisces viliores omnes sic appellentur.

PSORVS vel PSYGRVS. Vide suprà in Leprade.

PSYLLVS. Quære Pulex.

PSYLON Aristotelis in Fullone est. sic enim Gaza transtulit.

DE (PVDENDO MARINO, SIVE) MENTVLA marina, Rondeletius.

A MENTVLÆ marinæ nullus veterum, quod quidem legerim, mentionem fecit præter Athenæum. Lib. 3. Κολύβδαιναν δ' ἔφησεν Ἐπίχαρμος ἐν τοῖς προγεγραμμένοις, ὡς μὲν Νίκανδρός φησι, τὸ θηλάτιον αἰδοῖον. Colybdænam dixit Epicharmus loco antedicto, vt Nicander ait, Mentulam marinam. Sed Colybdæna ex crustaceorum est genere, vt in libro de crustaceis annotauimus. Horum igitur exemplo id Zoophytum quod hîc proponimus Mentulam marinam vocamus, eius figura & specie maximè nos ad id impellente: atque etiam vulgari appellatione, qua Massilienses & nostri vtuntur.

B Quantum ad integumentum attinet, testaceis annumerari debet, non crustaceis, vt mentula marina Epicharmi. Corio enim duro constat, vt Tethya. Quùm viuit intumescit ac distenditur: post mortem flaccescit. Foramina duo habet, quibus aquam trahit, & reiicit. Partes internæ indiscretæ sunt. Multa huiusmodi Zoophyta circa Stœchadas insulas capiuntur. Varia sunt, alia viridia, alia nigricantia, alia flauescentia.

DE ALTERA (PVDENDI, SIVE) MENTVLÆ marinæ specie, Rondeletius.



NEQVE Zoophytum istud à Mentulæ contractæ forma multùm distat, si eam cum scroto accipias. Ex dura quidem testa constat, sed veluti cartilaginea, spissa, rugosa, perspicua. Foramina à sese seiuncta duo habet, quibus aquam reiicit, quùm comprimitur. Partes internas indiscretas habet veluti reliqua Zoophyta.

DE EODEM BELLONIVS.

A Genitale marinum vulgus Italicum Cazo marino, Græcum Psoli nuncupat.

C (F) Exangue maris purgamentum est: solutum vagatur, sed eius ea est natura, vt à piscibus aliis minimè tenetur, neque à quoquam in cibo expetatur. Litorale est, neque alibi reperitur quàm vbi Patellæ, Ricini & Vertibula degunt.

B Genitale ex hoc dicitur, quòd teres sit, pedem longum; & mediocris brachij crassitudinis: distendit se

(C) ac contrahit hirudinis in morem, vnde & ei nomen inditum est: quinetiam rufi coloris est. Iners, nec nisi serpendo incedit, aspectu torosa, Nymphææ radicis similitudine: Semper ad ima sidit: nunquam natat: contrectatúmque in seipsum contrahitur, ac cornu duritiem habet, vixque acuta cuspide pertundi potest: alioqui permolle, dum sua sponte mouetur: Suas promuscides quando vult exerit, atque ita constringit, vt ex pedali longitudine vix sex digitos longum appareat. Acetabulis quæ in promuscidibus habet, lapidibus hæret: in quibus plusquam quatuor millia nonnunquam annumeres. Ex anteriore autem capitis parte rursus crinitas emittit veluti arbusculas acetabulis plenas, quibus quicquid palpat, ad os adducit. quod tam amplum aperit, vt vel integram conchulam admittat: vescitur enim omni conchyliorum genere. Eius recrementa viscida sunt ac lenta, albissima, copiosa: quæ ita tandem indurantur, vt cum fidibus de duritia & neruea firmitate certare possint. Os in gyrum officulis dentatum habet, præterea nullis ossibus alibi præditum. Ab ore gula in stomachum defertur, quo modo in Erinaceo marino dictum est: reliqua vt intestina circumponuntur in gyrum, quæ vix obseruari possunt.

Aliud genitale marinum. Alia sunt purgamenta marina quæ genitale viri imitantur tum specie, tum magnitudine, sed pinnis subnexis binis loco testium.

Lumbricum

Lumbricum marinum & terrestrem refert, *(Id nimirum quod primo loco describit.)* Nam lumbricus C sese contrahit, vt ex sesquipedali longitudine orbicularis ferè fiat.

COROLLARIVM.

Colybdena. COLYBDÆNAS Epicharmus nominat, his verbis: Ἐνπὶ δ' ἀσκοὶ, κολύβδαναί τ' ἔχουσα ποδία μικρὰ τὰς χεῖρας ἠδὲ μακρὰς, κἄραβος ἢ τάνυμα: locustam scilicet (id est carabum) significans, quem astaci nomine Archestratus, dixit: carabi enim nomen nusquam vsurpat: vt in his quoque versibus. ---- ἀλλὰ παρεὶς λῦσον πολυὺ ἀσκαλάβωτα· Τὸν τας χεῖρας ἔχοντα μακρὰς, ἄλλως τε βαρείας: Τὸς δ' πόδας μικρὰς: βραδέως δ' ὅπι γαῖαν ἐρέφει. Intelligit autem colybdænæ nomine Epicharmus, vt Nicander vult, pudendum marinum: vel, vt Heraclides in Opsartytico, squillam, Athenæus libro 3. Colymbænæ cum gammaris, squillis, sepiis, &c. stomachicis in cibo conueniunt, apud Galenum de compos. medic. sec. locos 8. 4. Rondeletius vrticam paruam hodiè à Græcorum vulgò colycænam dici scribit: à Gallis culum asini. *Colymbena.*

Piren. Piren Numenij, de quo suprà diximus pudendum marinum masculum, aut aliquam eius speciem significare videtur.

Holothuria. Holothuria vnde sint appellata, nondum inueni explicatum. Θύειον inter alia impetuosum significat, & salacem, id est, procliuem ad libidinem: & θύρυσθαι verbum, libidini operam dare, θορὸς genituram. Holothuria quidem à Rondeletio exhibita, præsertim secunda species, genitalis virilis quandam similitudinem præ se ferunt: vt holothurium, dictum videri possit, quasi toto corpore suo ad huiusmodi speciem conformatum: vel holothurium, pro halothurium, à mari.

Halesurion. Cauda. 20 Halesurion pro genitali marino accipi videtur, quasi ἁλὸς οὐρὰ, id est, marina cauda. Vegetius quoque zoophytis quibusdam marinis caudam adnumerat. Vide Halesurion suprà, Elemento H. Est & piscis nomen ædœon, (αἰδοῖν,) quod & nos genitale nuncupamus marinum, à nonnullis halesurion Græcè dictum: quanquam halesurion sint qui pro callionymo pisce capiant, Hermolaus in Corollario. quod si ab ἅλς, quod mare significat, compositum est vocabulum, vt videtur, halosurium meliùs dixeris, vt & Halosydna, Halosachne: nam Halipleumon à dativo eius nominis componitur. Vrena à Rondeletio & Wottono inter pisces ignotos nominatur: quod nomen vbi legerint nescio: nisi fortè huiusmodi aliquod deprauatum apud Plinium repererunt. Angli pudendum marinum masculum Pyntysshe appellant. *Vrena.* *Pyntysshe.*

Mentula alata. Quum nos pennam marinam, nostri piscatores, formæ extremi alterius similitudine inducti, Mentulam alatam vocant, Rondeletius. Meminit & Bellonius. Item Albertus: Sunt in mari (inquit) animalia quædam similia veretro virili: sed loco testiculorum habent alas crescentes, quæ prominentia sua efficiunt testiculos. Imperfecta sunt, tardi motus, nec viuunt nisi in aqua.

Pudend. Striuali. Pudend. vaginal. Pudendi marini vtriusque sexus meminit Apuleius Apologia 1. nominat autem virile, veretillam, (malim Veretillum genere neutro, vt sit diminutiuum à veretro:) & muliebre, vaginal, (fortè virginale, vel quæ sexu. vaginal:) quod ab indocto quodam interfœmineum appellatum reprehendit. Hæc friuola (inquit) pleraque in litoribus omnibus congestim & accruatim iacent. Ostreum quoddam vnius conchæ inuenitur, quod habet speciem virilis virgæ inferiùs: & aliud eiusdem generis, quod habet similitudinem vulnæ muliebris: non tamen hæc sunt instrumenta coitus in eis, sed partes corporis ipsorum. huius ostrei concha refert cochleam, & est spinosa extrinsecus, in cibo gratæ & delicatæ carnis. in eodem sæpiùs margaritæ re-

40 periuntur. abundat autem in litore maris Germanici & Flandrici, Albertus. Rondeletius nullam huiusmodi cochleam descripsit: sed quartam vrticæ speciem, quæ instar holothuriorum testis alienis adnascatur, & maximè purpuris, (quæ sunt cochleæ spinosæ.) inquirendum igitur vrticæ ne aut holothurij speciem aliquam intellexerit Albertus. cuius etiam alibi verba hæc sunt: Est genus quoddam ostrei, cuius species vna virgam, altera vuluam præ se fert: & vocatur apud Germanos inferiorum marium Billegen. mihi hoc nomen hactenus inauditum est, & eius ratio incognita. Locus est in Aristotelis de hist. anim. 8. 30. vbi Aristoteles de anguillis scribit, eas quæ fœminæ appellentur præstantiores haberi: non esse autem verè fœminas, sed aspectu tantùm videri. Pulmonem marinum Itali voce obscœna potam marinam, *Pulmo marin.* vt & Græcum vulgus Mogni, vocant: quòd partibus verendis admotus, pruritum ac venerem, imò etiam ampullas excitet, Bellonius. sed Rondeletius vrticæ genus hoc facit, pulmonem marinum esse negat. Nos

50 Germanicè tum eam vrticæ speciem, quam Itali potam, tum exhibita à Rondeletio pudenda, & si quid aliud in mari eandem speciem præ se fert, Meerschaam vel Seeschaam/ id est, pudendum marinum nominabimus: virile priuatim, Seester. Misit ad me aliquando Cornelius Sittardus, cum aliis quas Romæ nactus erat picturis, pudendum aliqua ex parte simile illi quod secundo loco Rondeletius dedit, colore è luteo subuiridi. Malla quædam informis videtur, retrorsùm vbi crassior altiórque est, veluti cornu paruum, rugosum, extenditur: opposita pars humilior ceu in glande colis foramen ostendit, idq; rubicundi coloris, silpictor non fallit. Hoc in Italia prope Romam rarò capi, nec esui esse aiunt. Ab eodem accepi, quod epi- *Epipetrum.* petron vocabat. depictum id, vt effigies repræsentat, malla quædam est informis, spongiosæ & cauernosæ substantiæ, sex digitos longa, sesquidigitum lata; inæqualis & tuberosa, multis ceu acetabulis compacta: colore partim nigricans, partim rubescens, & albicans alicubi. Hanc apud me picturam cùm Bellonius

60 videret, pudendum marinum sibi videri dicebat, Nasci puto circa petras maris, eisq; hærere: vt inde aliqui epipetron nominare voluerint. sed zoophytum hoc est. Veterum verò epipetron, herba est, quam Aristoteles etiam suspensam, multo tempore vigere tradidit. Ponam iconem posteà repertam in fine libri.

Paruum quendam piscículum viridem, quem Rondeletius puto decimam Turdorum speciem facit, Priapum regis alicubi in Italia vocant: & Galli Narbonenses quidam hirundinem aut congenerem piscem, ex iis qui volant, penem volantem, Cremonensis interpres Kiranidæ pulmonem marinum interpretatur cunnum marinum.

PVLCHER à Gaza conuersus est, pro Callionymo Aristotelis.

DE PVLICE MARINO, RONDELETIVS.

CVM maris purgamentis aliquoties reperi bestiolam tenui crusta intectam, quam hîc depinximus, B quæ facie homunciones ridiculè pictos, vel simiam repræsentat: aliis partibus locustæ similis est, in

cauda appendiculas habet locustæ & squillæ modo. tam exigua est ut particulæ corporis nisi ab oculato discerni(non) possint, ob paruitatem negligitur.

A Hanc puto esse ψύλλον θαλάττιον, id est, pulicem marinum, de quo Aristoteles libro 4. de hist. cap. 10. quùm de piscium somno agit. Pisces vel manu facilè caperentur dum dormiunt, nisi à pediculis & pulicibus vexarentur. Nunc verò si somnum diutiùs capiant, noctu ab innumera multitudine illarum bestiolarum occupati absumuntur. Gignuntur eæ in profundo mari tanta fæcunditate, vt escam ex pisce confectam, si diu in imo manserit, totam corrodant, atque piscatores sæpè escam demissam glomeratis vndique his bestiolis perinde vt globum recipiunt.

Gignuntur & in stagnis marinis similes.

COROLLARIVM.

Scolopendræ marinæ vulgò pulices marini dicuntur. nam infestant pisces eodem modo, quo nos pulices terreni, Niphus. Sed longè alias à pulicibus scolopendras marinas Rondeletius nobis ostendit. Psyllus marinus animal minimum est, quo vtuntur piscatores. salit autem per litus. Hic cum psyllij herbæ seminibus octo in pelle vel panno ligatus & ad collum suspensus, rigorem tertianum fugat, Quòd si psyllos marinos multos cum aqua marina coxeris, & asperseris vbi multi sunt pulices, euanescent. In lapide psorite, qui & pôrus dicitur, sculpe psyllos marinos tres sub calamo viridi manentes, & reclude radicem herbæ psyllij. hoc amuletum da puero cadenti, & qui dentes teret. Si piscator psyllum gestârit vigilando in die per flumen aut lacum, magnam vim piscium capiet, Kiranides libro 1. Et rursus libro 2. Psyllus qui in litoribus inuenitur, cum roseo (oleo rosato) coctus vel albo vino, dolorem aurium sanat. Psyllos, id est, pulices marinos multos in aqua marina coque cum psyllio herba. hac decoctione conspersa domo, pulices pellentur. Si piscator vtatur psyllo pro esca, multis piscibus potietur. debet autem ligari in pelle delphini. Item circa finem quarti: Psyllos marinos cum aqua marina & zolica *(conyza fortè vel psyllio vt suprà)* herba quoque: hoc decocto domum asperge, abigentur pulices Quòd si psyllum marinum piscator ferat, multam obtinebit piscationem. Adeò nihil non gignitur in mari, vt cauponarum etiam æstiua animalia, pernici molesta saltu, aut quæ capillus maximè cælat, existant: & circunglobata escæ sæpè extrahuntur: quæ causa somnum piscium in mari noctibus infestare existimatur, Plinius.

DE PVLMONIBVS MARINIS, RONDELETIVS.

De hac icone lege authoris verba circa finem capitis.



A ΠΛΕΥ'ΜΟΝΕΣ Atticè pro πνεύμονες dicuntur ab Aristotele, pro marino zoophyto quod sponte prouenit. Latine etiam Plinius Pulmones vocauit. *Lib. 9. cap. 47.* Multis, inquit, eadem natura quæ frutici, vt Holothuriis, Pulmonibus, Stellis. Ab eodem lib. 32. cap. 11. idem zoophytum, vt opinor, halipleumon appellatur. Inter testacea haberi ab Aristotele lib. 5. de hist. cap. 15. rectè dicitur. Eo enim loco Aristoteles de testaceis tantùm sponte prouenientibus tractat. Id indicat initium sequentis capitis. Sed eodem modo testaceos Pulmones intelligere oportet, quo Holothuria, Tethia, & stellas, id est, corio duro contectos. Veteres de pulmonibus marinis, vt de rerum nota omnibus & vulgari scribentes, quales essent fusiùs non exposuerunt. Vnde euenit, quemadmodum in aliis multis rebus, vt qui sint nunc dubitemus. Coniicere licet Pulmones, vel à pulmonum nostrorum figura, vel ab eorundem substantia laxa, molli, foraminibus plena, nominatos fuisse. Vnde Aristoteles hist. 5. 10. spongias aplysias pulmonibus comparauit: sed an marinos, an (G) animalium pulmones intellexerit, in dubio est. Pulmonis marini cinis adalligatus, inquit Plinius lib. 32. cap 10. egregiè profluuia purgat, *(id est, menses promouet.)* Et ibidem: Pulmone marino lignum si confricetur,, ardere videtur. Alibi(ibidem cap. 11.) tradit Pulmonem marinum decoctum in aqua calculosis mederi, & perniones emendare. Sed ne ex his quidem qui sint Pulmones marini licet colligere.

Belloni vrticam marinam facit pulmonem mar. Rondeletius vrticæ genus.

Qui res marinas tractant, id Vrticæ genus quod priore parte operis nostri descripsimus, quod nostri, & Itali obscœno nomine nuncupant potes de mer, pro Pulmone marino exhibent, sed non sine errore, vt ex iis quæ de Pulmonis marini facultatibus scripta sunt, confirmare facile est. Nam pulmonis marini cinere egregiè profluuia purgari à Plinio traditum est, & decoctum in aqua calculosis perutilem esse. Quæ nostris potes vocatis conuenire non possunt: nihil enim aliud sunt, quàm substantia mollis, pituitæ concretæ persimilis, quæ in aquam abit. Quare nec in cinerem redigi, nec in aqua decoqui corpore aliquo superstite potest. Adde quòd nihil cum pulmonis figura neque cum substantia simile habet.

A B Nos cùm illa quæ saxis affixa sunt, diligentiùs rimaremur & contemplaremur, inuenimus substantiam quandam illis hærentem, corio duro & nigro intectam, intus mollem, fungosam & fistulosam, spongiarum aplysiarum modo. Ea in saxorum rimis nascitur, cuius imaginem non exhibemus, quia commodè pictura exprimi non potest.

Pulmo marinus, cuius iconem exhibuit.

Vel pulmo marinus dici potest, corpus quoddam rotundum, pilæ marinæ modo, virescens, foris substantia feltro simile, intus totum fistulosum veluti spongia aplysia. In mari aqua plenum est, & graue. extra mare in se concidit & flaccescit. In saxorum rimis delitescit, & inter algas. Quùm verò per mare fertur, tempestatis signum est, quod de pulmone marino scripsit Plinius lib. 18. cap. 35. Pulmones Marini in pelago, plurium dierum hyemem portendunt, Hæc Rondeletius. Nos plura de pila marina infrà in Spongiis. A.

QVÆ Bellonius, & Gillius & Massarius tradiderunt, ad vrticas retuli. quoniam vrticæ species est, Rondeletio teste, quem ipsi pulmonem putarunt.

COROLLARIVM.

Pulmo marinus Germanis eiusdem significationis vocabulo Meerlung vocari poterit. Pulmo marinus, id est, Cunnus marinus, interpres Kiranides. A

Kiranides ossa ei attribuit. B

Πνεύμονες dicuntur etiam genera quædam in mari viuentia, sed absque sensu, Hesychius. Quanquam C autem zoophyta sunt, & fruticis vitam viuunt, non tamen adhærent, sed absoluta sunt, sicut etiam in plantis quædam vt epithymum & epipetrum viuere possunt: vt scribit Aristoteles & interpres eius Ephesius lib. 4. de partibus. Pulmo marinus facit crebrò omnia volatilia cœli super se conuolare, vt cùm comeditur ab eis, etiam capiat, Kiranidæ interpres.

Pulmone marino si confricetur lignum, ardere videtur, adeò vt faculam ita præluceat, Plinius. videtur E autem dicere, confricatum eo lignum ita ardere, vt sua luce faculam quoque vincat. Thitini *(lego Thynni, nam & literarum ordo consentit, & mox plura sequuntur de thynna)* oculos & pulmones marini *(marinos)* si quis triuerit, & conspexerit *(consperserit)* in tecto domus serò, putabunt qui in domo erunt, *(vel vndecunque tectum aspicientes)* se stellas videre: Si autem virgam vnxeris deambulans serò, cùm Luna non lucet, putabunt lumen de virga emicare. Si verò in muro vel in charta depinxeris feram, aut imaginem aliquam, videntes admirabuntur, Kiranides lib. 4.

Thynni iecur tritum, mixtáque cedria plumbea pyxide asseruatum, psilothrum est. ita pueros mango- G nizauit Salpe obstetrix. eadem vis est pulmonis marini, Plinius. Si quis, qui nondum excesserit ex extrema pueritia, thunni sanguine illinatur, non pubescet. hoc idem torpedo & marinus pulmo efficiunt. nam in aceto putrefactæ eorum carnes, & mento aspersæ, fugam pilorum facere dicuntur, Ælianus de animalibus 13. 27. Perniones emendat pulmo marinus, cancríque marini cinis ex oleo, Plinius. Pulmo marinus recens tritus (λεανθεὶς) & illitus, podagras pernionésque emendat, Dioscorides. Pulmo marinus impositus pedibus podagras & chimetla sanat. Suffita verò ossa eius auertunt omne malum, sicut & stella, Kiranides.

Ramices dicuntur pulmones vel hernia. Plautus Mercatore: Tui causa rupi ramices, atrum dum H sputo sanguinem. Et Varro Trihodite: Priusquam in Orchestra Pythaules inflet tibias domi suæ ramices rumpit, &c. Nonius. sed in iis quæ affert testimoniis, ramicis nomine non pulmo sed bronchocela intelligi mihi videtur, Pulmunculus, paruus pulmo, vel aliquid paruo pulmoni simile. Solinus cap. 62. Sunt enim illis reciprocis quibusdam pulmunculis vestigia carnulenta. Pulmo Latinis ab Attico πλεύμων transpositis literis factus videtur, Pulmonis vitam viuere, prouerbium est in eos qui otiosam & securam nimiùm, *Prouerbia.* stolidámque vitam degunt, sine sensu ferè, sine præsensione vlla futuri, sine præteriti temporis ratione. Plato in Philebo: Λογισμοῦ δὲ στερόμενον μηδ᾽ εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ὡς χαιρήσεις, δυνατὸν εἶναι λογίζεσθαι: ζῆν δ᾽ οὐκ ἀνθρώπου βίον, ἀλλά τινος πλεύμονος, ἢ τῶν ὅσα θαλάττια μετ᾽ ὀστρεΐνων ἔμψυχά ἐστι σωμάτων. quæ eius verba apud Athenæum quoque libro 3. sed minùs integrè citantur. Βλάκα Græci hominem nimiùm simplicis stolidíque ingenij appellant: (metaphora ducta) à pisce quodam siluro simili, sed adeò vili inutilíque, vt ne canes quidem gustare dignentur. Hinc quarto de republica *(Plato nimirum:)* Βλακικόν τι ἡμῶν τὸ πάθος, ὡς εἰ λέγοι τις πνευμονίαν, ἀπὸ τοῦ θαλαττίου ζώου ὄντος ἀναισθήτου. οἱ δ᾽ ἀπὸ τοῦ πρὸς τῇ Κύμῃ χωρίου τῆς Βλακείας, οὗ μνημονεύει καὶ Ἀριστοτέλης, Suidas. Βλακεύειν verbum etiam pigritari, tardare, & oscitanter, negligenter, segnitérque aliquid facere significat, & forsan pulmo marinus quoque, quamuis animal esse videatur, tardius tamen & pigrius est quàm animalium naturæ conueniat: vt inde Plautus fortè in Epidico dixerit: Pulmo (quòd perhibent) priùs venisset, quàm tu aduenisti mihi. Erasmus Roterod. prouerbij loco accipit. in homines lentos ac cessatores: opinor (inquit) quòd pulmo cùm perpetuò moueat, nunquam tamen loco se promouet: quod de animalium respirantium pulmone intelligit. ego ad pulmonem zoophyton adagij originem referri posse arbitror.

Est & hepar deiectamentum marinum Bellonio, hepati cocto (vt inquit) persimile, fœtidum, fragile, rubrum, porosum, &c. de quo leges suprà in H. elemento.

DE PVNGITIO.

DE ACVLEATO (vt Rondeletius nominat) pisciculo minimo, scripsi iam suprà in A. elemento, pag. A 8. nunc quoniam occurrit quod addam, pungitij, quo Albertus vtitur, nominis occasionem non aspernabor: quanquam nomen ipsum, hoc est formationem eius non laudem. huius enim terminationis nomina vel à participiis passiuis præteritis deriuantur, vt fictitius, factitius: vel à nominibus, vt lateritius, excrementitius: à verbis verò præsentis temporis, nullum opinor: quamobrem analogia defendi non potest. Punctorem aut punctium dicere oporteret, qui Germanici nominis vim quàm proximè exprimere vellet. Græcè centrinen aut centriscum, aut à spinis acanthiam, id est, spinosum, aculeatum. sed galei etiam centrinæ & acanthiæ sunt, quibus cum hi pisciculi nihil prorsus commune habent: quamobrem ne committatur homonymia, centriscos potiùs appellabimus. Obscuri quidam turonillas vocarunt, origine forsan Germanica quasi turnillas, id est, spinosas. Thorn enim nobis spina est, vt Hebræis dardar. Inter ioculares piscium nomenclaturas, aculeatum reperio equitis vel regis titulo ornari, (ein Stichling ist ein Ritter/ oder ein König/) quoniam aculeos non in dorso solùm, sed ad latera calcarium instar (quibus equites vtuntur) rigentes habet. In ora Germaniæ alicubi, vt circa Dantiscum, Stechbüttel vocari, & in mari etiam esse (quòd an verum sit dubito) accepi. Angli Scharplyng vel Shaftlyng nominant. In aliis verò Angliæ locis, vt Guil. Turnerus indicauit, a Sticling / a Sticlebak / quòd in tergore aculeos habeat pungentes: & a Banstikle / quod vsque ad ossa per carnem pungat. Theophrastus in libello de piscibus inscripto: Fossiles autem pisces (inquit) fermè fiunt, eò quòd ab inundatione fluuiorum, in locis quæ resiccantur vel oua, vel alia principia gignendis idonea piscibus relinquantur. nonnulla enim non ex ouis *(vel non ex animalibus)* oriuntur, vt anguilla & centriscus. Et hoc in Heraclea circa Lycum fluuium contingit. Hinc coniicio centriscum Theophrasti non alium esse ab aculeato nostro. primùm à corporis aculeis, vnde & nomen in plerisque linguis ei factum est. deinde quòd pisciculus sit exiguus: quod licet de centrisco non scribatur, forma tamen ipsa nominis diminutiua insinuat: & quòd fluuiatilis,

non marinus.denique quoniam ſponte & absque ſeminio naſcitur centriſcus : quod de pungitio etiam Albertus teſtatur,cuius verba in Aculeato recitaui.

C Degunt vt plurimùm in aquis ſordidis & cœnoſis, præcipuè ad ripas: & quos illic inuenerint vermiculis veſcuntur. Pariunt menſe Maio.

D Aculeis quos in dorſo erigunt,contra alios piſces tutos ſe præſtant : quæ fortè & multitudinis eorum cauſa eſt,præter id quòd minima animalcula ferè fœcundiſſima ſunt.

F Ad cibum præferuntur Martio menſe,& initio Maij : tunc enim ouis turgent. Frigi (puto).ſolent ouis conquaſſatis immerſi.

DE EODEM, BELLONIVS.

A Spinarellam Galli Vne Epinoche vel Epinarde,Cenomani Vne Rippe, à ſimilitudine ſeminis Spinachiæ quod refert,vocauerunt. Itali Spinarolum à ſpinis quas in tergore gerit,dixerunt,Lugdunenſes Vne Artiere. Magna pars Italiæ Stratzarigha nominat : quòd quemadmodum Stratze, hoc eſt vilia linteamina,inutilis ac nullius ferè momenti ſit.

B Duo eius genera obſeruantur,vtrunque omnium piſcium fluuiatilium minimum.Hi dum in aqua degunt,aculeos quidem habent depreſſos : quos ſi ex aqua productis piſcibus vel leuiter contingas, protinus arrectos ſenties. Horum prouectior ternos in tergore,puſillus verò ſenos gerit, adeò erectos in educto piſce,vt niſi vi deprimi non poſſint. Alium quoque in lateribus habent, vtrinque vnum : ſunt de Galeorum genere, *(Re ipſa nihil eis commune cum galeis : ſed nomen fortè ſolùm cum Galeorum ſpecie centrinis:)* atque affatim in Nare fluuio,qui hodiè Nexra dicitur, capiuntur, potiſſimùm antequam immiſceatur Tiberi,ad vrbem quam Aorte vocant,paulò ſupra Orticolim : in qua etiam fricti, aliorum piſcium
F (E) modo,à plebe manduntur. Quo in loco quoties aqua paulò altiùs ſolito excreuerit,piſcatores qui ad Velini lacus oras degunt(qui hodiè Pedalucus dicitur)eò ſe conferunt,& tantam horum piſcium multitudinem capiunt,vt ad vrbes Narni,& alias circumſtantes multa onera transferant. Noſtri verò huiusmodi piſciculos ob tergoris & laterum ſpinarum tædium,reſpuunt.

DE PVRPVRA, BELLONIVS.

Purpura pentadactylus prona,Bellonij. *Atqui dactyli ſex pinguntur.*

Eiusdem Purpura ſupina.



A PVRPVRAM Genuenſes (quòd muricatis aculeis in orbem circumualletur atque horreat) Roncerам vocare ſolent. Venetorum & Romanorum vulgus ab vngue odorato (quo iam inde ab ortu naturæ ſeſe quaſi concludendo tuetur) Ognellas nominat.

ß Eius concha cochleam penitus referret,niſi clauata eſſet,& canalem ad latus,quà linguam exerit, haberet. Cornua limacum more attollit,atque eodem pacto ſerpit,iisdémque cornibus iter ſibi prætendit. Linguam ex tubulo canaliculato in latere procurrentem habet, quæ calloſæ huius parti adhæreſcit : cui caro ipſi teſtæ adiungitur. Eſt autem ea caro,muſculus quidam fortis ac candidus, mediæ teſtæ alligatus, quo Purpura tanquam congenito quodam operculo,carni patulæ oppoſitæ,diutiſſimè extra aquam viuit.
(C) Marinam enim aquam hauſtam aſſeruat,qua pluribus diebus refouetur ac ſuſtentatur. Caput illi cartilagineum ac durum : Os in ea parte qua ſcopulis hæret,rotundo foramine peruium,quo lapides arrodit,& in ſtomachum exugens demittit. Percepi autem exanatome Purpuræ, in canaliculo,per quem linguam exerit , duo foramina in diuerſas corporis partes primùm delata : vt inde ad branchiarum *(teſtata branchias non habent & reprehendit hæc Rondeletius)* locum pertinerent, (quas transuerſas ſub grandiore ac neruoſo muſculo poſitas numero ſenas in parte corporis gibba oſtendit:) ac paulò inferiùs ſtomachum, amplum cor,erui ferè magnitudine, ſubrotundum,ad latera branchiarum ſitum. Hepar porrò viſcidum, tenaci quodam lentore præditum,vt penè viſcum eſſe appareat. Hoc Ariſtoteles papauer appellare voluit : ad cuius latus, mucus purpureus (quo olim tingebatur) apparet, in recentibus purpuris ſlicò extorquendus : totus enim in demortuis perit. Quibus autem Purpuris tincturæ ſuccus apparet, eæ magnitudine mediocres ſunt,ouum gallinæ rarò excedentes: quanquam nonnullis eiusdem magnitudinis nihil interdum eius appareat.

A Purpurarum teſtas Itali Porcellanas vocant, quo etiam nomine conchylij genus omne intelligunt: vnde nos quoque, detorta ad vaſa appellatione, Porcellanica vaſa nuncupamus. Vocem quoque hanc agnoſcimus

agnoſcimus in globulis,quibus noſtræ mulierculæ ſuas preces nuncupare ſolent : Patenoſtres de Porceleine vocant,qui ex teſtis maiorum Purpurarum aut muricum conficiuntur. E

Cæterùm paruæ Purpuræ vt plurimùm litorales ſunt,locis quidem ſcopuloſis natæ : in quarum teſtis totidem reperiuntur orbes,quot eas annos vixiſſe credas. C

Purpurarum caro, ſicuti & cæterorum teſtaceorum, dura eſt : atq; iis exhiberi ſolet, quibus ex malorum ſuccorum copia cibus in ventriculo corrumpitur. F

Ad Carteiam autem inueniri traduntur, Purpuræ & Buccinæ δεκακότυλοι, id eſt, quarum teſtæ decem cotularum ſunt capaces, *(vt author eſt Strabo.)* Quod genus magnarum Purpurarum pelagium eſſe conſueuit : cuius caro (vt tradit Xenocrates) cæteris durior eſſe ſolet.

DE PVRPVRA RONDELETIVS.

Purpura cum operculo,quam Rondeletius exhibuit. *Alia Purpuræ effigies,noſtra:ex Adriatico,ſi bene memini.*



Πορφύρα (turbinatorum generis concha nobiliſſima) nominatur à Græcis, & πορφύρια μικρὰ Purpuræ paruæ ab Ariſtotele libro 5.de hiſtor.anim.cap.15.Genuenſes ronceram vocant ab aculeis, Veneti ognellam : noſtri burez,mutuata,vt apparet,dictione à Murex. Plinius (lib. 9. cap.37.) Purpuras alio nomine Pelagias appellari tradit. Purpuræ,inquit, nomine alio pelagiæ vocantur. Inde pelagium earum fuccum tingendis lanis laudatiſſimum idem appellat. Buccinum per ſe damnatur,quoniam fucum remittit. Pelagio admodum alligatur, nimiæq; eius nigritiæ dat auſteritatem illam, nitorémque,qui quæritur,cocci. Sed hæc mihi appellatio non purpurarum omnium, ſed vnius tantùm differentiæ à loco ſumptæ videtur eſſe debere,id quod ex Ariſtotele facilè colligitur. Εἰσὶ δὲ τῶν πορφυρῶν γένη πολλά, καὶ ἔνια μὲν μεγάλα οἷον αἱ περὶ τὸ Σίγειον καὶ Λάκλον. αἱ δὲ μικραὶ. οἷον ἐν τῷ Εὐρίπῳ, καὶ περὶ πᾶν Καρίαν. καὶ αἱ μὲν ἐν τοῖς κόλποις μεγάλαι καὶ τραχεῖαι : καὶ τὸ ἄνθος ὥσπερ αἱ μὲν πλησίαι μέλαν ἔχουσι. ἔνιαι δὲ ἐρυθρὸν μικρόν, &c. Quæ ſic Gaza conuertit : Genera Purpurarum plura : & nonnullæ magnitudine augentur inſigni, vt quæ ad Sigeum & Lectum (Idæ promontoria) gignuntur. Aliæ paruæ,vt quas Euripus fert,& Caria. Pelagiæ magnæ ſcabræq; ſunt, quarum flos magna ex parte niger,ſed nonnullis rubidus puſillùm. Nonnullas ex magnis vel ad precium minæ euadere nouimus. Paruæ ad litora & oras (ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς καὶ περὶ τὰς ἀκάτας) reperiuntur, flore rubro. Purpuras quæ ἐν τοῖς κόλποις naſcuntur, pelagias recte interpretatus mihi eſſe videtur Gaza. Nam κόλπος τῆς θαλάσσης Græci τὰ κοιλώματα τῆς θαλάσσης appellant,& πὶ βαθεῖαν θάλασσαν. Et qualem hîc florem pelagiis tribuit Ariſtoteles,talem pelagio Plinius,ſcilicet nigricantem.

Pelagiæ nonidem ac purpuræ.

Lib. 5. de hiſt. cap.15.

Purpura noſtra oui eſt magnitudine,non nego alibi multò maiorem reperiri. Teſta rugata,aſpera,cinerea,aliquando flaueſcente,aliquando ex viridi cinerea,intus luteo colore. In anfractus contorta eſt. Aculeis veluti clauis ordine diſpoſitis munita,primis minoribus, mediis longioribus multò, vnde Plinius clauatam eſſe Purpuram dixit,ad turbinem vsque aculeis in orbem ſeptenis ferè. Roſtro eſt longo, tubuli modo excauato,per quod lingnam exerere creditur. Ante id foramen eſt rotundum,operculo intectum : quod ſeparatim depingendum curauimus, de quo etiam ſeorſum dicemus. Ex his perſpicuum eſt quàm alienæ ſint à vera Purpura aliorum picturæ,quorum hi roſtrum tubulatum,illi turbinem omiſerunt. Caro interior qualem in turbinatis antea ex Ariſtotele deſcripſimus: ſuntq; falſiſſima quæ nonnulli de Purpurarum branchiis,*(Bellonium notat.)* & aliis partibus ſe percepiſſe blaterant. B

Lib.9 cap.36.

Operculum.

Contra picturas aliorum.

Purpurarum genera eſſe plura iam diximus ex Ariſtotele. Earum differentiæ ſumuntur à loco, magnitudine,paruitate,floris ſiue ſuccivarietate. Magnæ ſunt ad Sigeum & Lectum,paruæ in Euripo & Caria. Pelagiarum aquiloniarum flos nigricat : paruarum litoralium & auſtrinarum rubet. Earundem plura genera tradit Plinius, pabulo & ſolo diſcreta. Lutenſe putri limo, & Algenſe enutritum alga viliſſimum. Vtriſque meliùs Tenienſe in Tenei maris ora collectum. Hoc quoque tamen etiámnum leuius atque dilutius. Calculoſæ appellantur à calculo maris, mirè apto Conchiliis, & longè optimo Purpuris, Dialutenſe,id eſt vario ſoli genere paſtum. A

Genera & differentiæ.

Lib.9.cap 37.

De generatione Purpurarum diximus in priore parte operis noſtri(lib.4. cap.4.)quæ ſponte naturæ fit, ſine maris & fœminæ commiſtione, ſine ouis. Quamobrem hoc in loco improbanda eſt authoris libri de aquatilibus ſententia,ab Ariſtotelis mente alieniſſima,etiam ſi eam exponere velle videatur: quam tamen miſerè deprauat & corrumpit, vt ex eius verbis perſpicuum fiet. Vterque autem piſcis (de Buccino & Purpura loquitur)purpureum colorem fundit,eſtq; Maſſiliæ,Genuæ ac Venetiis in cibis expetitus : ſed Buccini caro Purpuræ carne durior eſt. Ambo quoque fauare dicuntur,quod ſanè hoc pacto faciunt. Qua ſub lapide prona parte oblonga, albáque deinceps pendentia diſponunt, quæ ita diſpoſita faui nomen habent,ab apum ſimilitudine. Supini autem ſub lapide ſtabulantur,quùm fauificant : quo verò tem- C

Generatio.

Contra Bellonium.

pore fauos extruunt, si incoquantur & abscindantur, oua intrò continere comperientur, quæ saliuario lentore lapidibus & cautibus ferruminant, vt inde decidere non possint, quod tam magno artificio construunt, vt nihil coaceruatum esse videatur. Hæc autem fauificatio verna esse solet. Primùm vt hæc à veritate quàm maximè abhorrere intelligas, esseq; planè ægri somnia, explicandum quomodo procreantur Purpuræ & Buccina: deinde quid sit fauare siue fauificare. Omne ostracodermorum genus expers coitus est, inquit Aristoteles lib. 5. de hist. cap. 15. Et cùm Purpuræ, tum etiam reliqua testis inclusa, è limo ferè & materia putrescente oriuntur. Quod & necessaria ratione confirmatur. Etenim nulla naturalis actio sine partibus ad eam aptè conformatis perfici potest: nam partibus singulis sua sunt temperamenta, à quibus facultates, & ab his actiones proficiscuntur: quas omnes corruere necesse est, imò ne esse quidem possunt, si harum fundamentum vel subiectum nullum existat. At quæ in Purpura, Buccino, turbinatísque omnibus partes sunt semini generando, continendo, emittendo, recipiendo & fouendo idoneæ? Quænam aliæ præter eas, quæ sustinendo, nutriendóque simpliciter animali destinatæ sunt? Præterea quæ commistio corporum vndique testa conclusis esse potest? Dices fortasse ex Aristotele, Genus omne ostracodermorum Vêre Autumnoq; habere ea quæ oua appellant, exceptis Echinis cibo idoneis: quippe quibus etsi per ea tempora præcipuè vbertas ouorum est, tamen nullo tempore committitur, vt ouis omnino careant, sed maximè pleniluniis diebúsque tepidis restituuntur. Hæc quidem Aristoteles prodidit, sed locus is ex alio intelligendus & explicandus est, qui legitur libro 3. cap. 11. de gener. anim. Quæ oua appellantur nihil ad generationem conferunt, sed indicio sunt melioris nutricationis, quale in sanguineis pingue est. quamobrem sapore per id tempus præstant, cibóq; laudantur: argumento quòd & Pinnę, & Buccina, & Purpuræ continent quidem semper ouum illud vocatum, sed aliâs maius, aliâs minus. Quare falsum est oua huiusmodi per similitudinem sic appellata. non ex semine, nō ex fœminæ & maris coitu concepta, ita disponi vt faui nomen habeant, ab apum similitudine, vt hoc sit fauare siue fauificare. Est enim longè aliud apud Aristotelem lib. 5. cap. 15. de hist. anim. Athenæum, Plinium. Αἱ μὲν οὖν πορφύραι τοῦ ἔαρος συναθροιζόμεναι εἰς ταὐτὸ, ποιοῦσι τὴν καλουμένην μελίκηραν, τοῦτο δ' ἐστὶν οἷον κηρίον, πλὴν οὐχ οὕτω γλαφυρὸν, ἀλλ' ὥσπερ ἂν εἰ ἐκ λεπύρων ἐρεβίνθων (noster codex, ἐκ λεπυρίων ἢ ἐρεβ.) λευκῶν πολλὰ συμπλακείη, (συμπαγείη, Atheneus.) οὐκ ἔχει δ' ἀνεῳγμένον πόρον οὐδὲν τούτων, οὐδὲ γίνον(ται) (ἐκ τούτων, addit Athenęus) αἱ πορφύραι: ἀλλὰ φύονται καὶ αὗται, καὶ τὰ ἄλλα ἐκ τῆς σήψεως καὶ ἰλύος ὀστρακόδερμα. τοῦτο δὲ συμβαίνει ὥσπερ ἀποκάθαρμα, καὶ ταύταις, καὶ τοῖς κήρυξι. κηριάζουσι γὰρ καὶ οἱ κήρυκες, &c. id est, Purpuræ verno tempore eundem in locum sese colligentes, condunt quam fauaginem nominant: quæ veluti fauus est apum, verùm non ita elegans, sed quasi ex putaminibus cicerum alborum multa inter se composita, struem vnam sua cohæsione coagmentarint. Nullum iis patet foramen, neque ex iis nascuntur Purpuræ. Sed cùm Purpuræ, tum etiam reliqua testis inclusa à limo ferè & materia putrescente oriuntur. Illa verò coagmentatio fauo similis, purgamentum tam iis quàm Buccinis euenit: nam Buccinis quoque fauificare in more est. Igitur κηριάζειν, siue μελίκηραν, siue οἷον κηρίον ποιεῖν, quod est (Gaza interprete) fauare siue fauificare, vel (vt Plinius loquitur) lentorem cuiusdam cerij saliuare, dicuntur Purpuræ & Buccina, quùm emittunt lentorem quendam, siue humorem mucosum, velut à seminis natura. semen verò eorum nullum esse existimandum est. Ex eo lentore concreto & exsiccato fit congeries veluti putaminum cicerum alborum, inter se cohærentium, quam in litus eiectam pharmacopolæ quidam pro spuma maris, alij pro alcyonio falsò vsurpant. Quocirca procreantur Purpuræ, & Buccina sponte, vt alia ostracoderma, è limo & materia putrescente, vt iam dictum est: & præter saliuarium lentorem tenui humore in terram recepto. Ac quemadmodum fungorum decocto in terram effuso fungi permulti breui enascuntur: ita Purpurarum origine aliqua præcedente, multò maior copia prouenit: à singulis enim excrementi aliquid effluit, quod quidem semen non est. Atque hæc est duplex Purpurarum, Buccinorum, Mytulorum origo ab Aristotele tradita, & à nobis fusiùs explicata libro quarto prioris partis operis nostri.

Purpura & buccina quomodo procreentur.

Lib. 5. de histor. cap. 12.

Quomodo fauet.

Lib. 9. cap. 36.

Reliquas actiones moresque persequamur. Quæ mobilia sunt inquit Aristoteles lib. 8. de histor. cap. 2. eadem carne vescuntur. iis victus ex pisciculis est, vt purpuris: sunt enim carniuoræ, & quidem esca huiusmodi capiuntur. Plinius lib. 9. cap. 37. etiam alga nutriri tradit. Pascitur Purpura ait Aristoteles lib. 5. de hist. anim. cap. 15. exerta lingua sub operculo, quæ Purpuris digito longior est, qua tum Conchulas, (velut turbinum, quorum esca capiuntur) tum sui generis testam perforare potest. Et Plinius lib. 9. cap. 36. Lingua Purpuræ longitudine digitali, qua pascitur perforando reliqua conchylia, tanta duritia aculeo est. Et alibi: Purpura vocatur, caliculatim procurrente rostro, & caliculi latere introrsus tubulato, qua proferatur lingua. Sed id diligentiùs considerandum, linguáne testas perforet. Lingua omnibus animalibus in ore est, os autem in capite, quod operculo tegitur in Purpura, atque adeò in turbinatis omnibus. In rostro igitur longo & tubulato lingua non est, sed per id eam profert, & exerit. At linguam Purpurarum & turbinatorum omnium promuscidibus muscarum, quæ inter cornua sunt, comparat, quæ firma est, torosa ac rotunda, quæque exeri potest: quam tamen si per anatomen propiùs intueare & tractes, neque ita longam, neque ita duram esse certò comperies, vt per longum rostrum testas perforare possit. Quare id fabulosum esse puto: sed eâ, quo ad eius fieri potest, exertâ, Purpuræ succos & humores aliarum Concharum exugunt, Pectinum ritu: rostro autem acuto & duro (tanquam terebello excauato) testas alias perforant. Tempus viuendi (inquit Aristot. histor. 5. 15.) Purpuris & Buccinis longum. annos enim circiter sex Purpuræ viuunt, & singulis annis incrementum earum patet per orbes: quibus totidem, quod annos habent, testa clauiculatim intorta in crepidinem desinit. Plinius annum vnum adiicit. Purpuræ viuunt annis plurimùm septenis. Et: Purpuræ & Buccino orbes totidem, quot habent annos.

C. reliquum. Cibus.

Linguáne testas perforet.

Vita.

Lib. 9. cap. 36.

Nunc de Purpuræ partibus, earúmq; in cibis vel medicamentis vsu.

G Purpura vsta exiccat, inquit Dioscorides libro 2. cap. 4. dentes abstergit, excrescentias in carne cohibet, vlcera purgat, & ad cicatricem perducit. Galenus paulò fusiùs eadem docet libro 11. simplic. medicamentorum. Paulus Ægineta lib. 7. cap. 3. Purpuræ crematæ testis eandem vim tribuit quam pompholygi, id est, siccandi sine rosione. Aëtius libro 5. Purpurarum testæ cum aceto potæ lienes tumentes sanant, & secundas morantes detrahunt. Vstarum cinis ad eadem confert, ad quæ Buccinorum, de quibus suo loco. His addit Dioscorides lib. 2. cap. 6. Ἰόνια δὲ καλεῖται τὰ ἐπὶ τῶν κηρύκων καὶ πορφυρῶν μέσα, περὶ οἷς ἡ ἕλιξ ἐστὶ τοῦ ὀστράκου. Καίεται δὲ ὁμοίως, δύναμιν ἔχοντα καυστικωτέραν τῶν κηρύκων καὶ τῆς πορφύρας, διὰ τὸ πιέζειν αὐτῶν τὴν φύσιν. Id est, Ionia vocantur Purpurarum Buccinorúmque mediæ partes, circa quas testæ volumen clauiculatim intorquetur. Cremata simili modo maiorem Purpuris Buccinisque facultatem vrendi consequuntur, quoniam apprimendi naturam obtinent. Qui locus mihi satis explicatus non videtur, etiam ab iis qui benè longa commentaria in Dioscoridem cōscripserunt. Ac primùm alij ἰόνια, alij κιόνια legunt. Qui ἰόνια legunt deductum putant vocabulum à dictione ἴον, quæ violam significat: quia Purpurarum quarundam flos violacij sit coloris, qui flos est inter papauer & ceruicem. Hermolaus κιόνια legit, id est, columellas, vt sint Buccinorum Purpurarúmque partes mediæ, quibus velut columnis & fulcris caro & reliquæ partes innitantur. Sunt autem partes hæ mediæ, partes corporis interni Purpurarum valdè torosæ & firmæ, ac fibrosæ, circa quas testæ volumina capreolorum ritu conuolui incipiunt, secundum Dioscoridem: vel quibus hæret vena illa, vel membrana florem Purpurarum continens, secundum Aristotelem, inter papauer, quod inferiore est loco, & trachelon siue ceruiculam, siue collum superiore loco. Sed præstat Aristotelis locum lib. 5. de hist. cap. 15. proferre, vt ei lucis aliquid inferamus. Τὸ δὲ ἄνθος ἔχουσιν ἀνὰ μέσον τοῦ μήκωνος, καὶ τοῦ τραχήλου. τούτων δ' ἐστὶν ἡ σύμφυσις πυκνή. Τὸ χρῶμα δ' ἰδεῖν, ὥσπερ ὑμὴν λευκὸς, ὃν ἂν ἀφαιρῶσι, θλιβόμενος δὲ βάπτει, καὶ ἀνθίζει τὴν χεῖρα. διατείνει δ' αὐτὴν ὥσπερ φλέβα. τοῦτο δὲ δοκεῖ εἶναι τὸ ἄνθος, ἡ δ' ἄλλη σύμφυσις οἷον στυπτηρίας. *(Aliter postrema verba legit Plinius: vertit enim reliquum corpus sterile.)* In cuius loci conuersione Gaza sensum quidem Aristotelis mihi videtur esse assecutus, sed obscurè locum sic interpretatus est. Florem suum inter papauer dictum & collum continent, textu spissiore, aspectu veluti membranæ candicantis, quam detrahunt. tingit hæc expressa & inficit manum. Pertinet eadem suo situ perinde vt vena: idq; flos ille celeber putatur, reliquum contextus quasi alumen est. Quæ dilucidiùs sic expressa sunt: Purpuræ florem habent inter papauer & ceruicem, quorum cohærentia densa est, coactáque. Coloris quidem aspectu membranam albam refert, quam detrahunt: pressáque tingit & inficit manum. distenditur autem vt vena: atque in hac quidem est flos purpuræ, reliqua coagmentatio est veluti alumen. Hæ sunt mediæ partes de quibus Dioscorides, quibus maiorem vrendi facultatem tribuit, quàm testis, quia tenuiorum sunt partium, celeriúsque peruadunt & permeant.

Digressio, qua explicat ionia, vel cionia quid sint.

Flos vbi.

Redit.

Ex Purpuris vstis dentifricia optima sic conficimus. Eas vstas vino extinguimus, abluimúsque: deinde aceto rosato, postremò aqua rosarum. Tum melle scillitico, vel oxymelite exceptis, & ad confectionis formam redactis, odoris boni, saporísque conciliandi causa rosas & caryophylla addimus. idem cinis cum puluere glycyrrhizæ, papauerisque semine, ex cremore hordei & pauco vino albo sumptus, pulmonibus malè affectis mirè auxiliatur, fluxiones inhibendo, & id quod iam fluxit absumendo, exiccandóque. Totæ partes internæ in oleo percoctæ mitigandi doloris vim habent. Saliuâ earundem quæ admodum lenta, siccantur & glutinantur vulnera recentia, maximè si cum pauco sanguine draconis adhibeatur.

G reliquum. Cinis.

Internæ partes.

Saliua.

Quantum ad Purpurarum vsum in cibis attinet, vniuersè scribit Galenus: Purpuris, Ostreis, denique F ostracodermis omnibus hoc esse commune, vt salsum in carne succum contineant, qui aluum subducat, caro verò dura sit: sed hæc vnicuique magis minúsque inest, qualitatis quantitatísque ratione. Sed in Purpuris diuersæ partes, diuersam naturam habent. Athenæus ex Diphilo: Inter Pinnas & Buccina Purpuræ mediæ sunt naturæ: quarum tracheli multi sunt succi, ori grati: reliquæ partes salsæ sunt & dulces, facilè distribuuntur, & humores corporis vitiosos ad iustam temperationem (ἐπίκρασιν) reducunt. Rursus Athenæus ex Hicesio: Τροφιμώτεραι δὲ τούτων εἰσὶ, καὶ ἀπολαυστικώτεραι αἱ τῆς πορφύρας μήκωνες, πλὴν σκιλλώδεις εἰσὶ τὰ ἄρχοντα: καὶ γὰρ ὅλον τὸ κογχύλιον τοιοῦτόν ἐστιν. ἴδιον δὲ καὶ ταύταις, καὶ τοῖς σωλῆσι παρέπεται, τὸ ἑψομένους παχὺν ποιεῖν τὸν ζωμόν. ἑψόμενοι δὲ καθ' ἑαυτοὺς καὶ οἱ τράχηλοι τῶν πορφυρῶν, εὐθετοῦσι πρὸς τὰς τῶν στομάχων διαθέσεις. Copiosiùs alimur, maioríque cum voluptate vescimur papauere purpuræ, quàm cæterorum, *(quàm buccinorum:)* magis tamen sapit scillam, vt & Concha tota. Peculiare est his & Vnguibus, quòd coctæ iusculum spissant. Elixi quoq; seorsum purpurarum tracheli, ventriculo *(stomacho)* malè affecto prosunt.

Galenus.

Idem.

DE OPERCVLO PVRPVRÆ, RONDELETIVS.

Præter Purpurarum partes iam explicatas seorsum dicemus de alia, quæ & figurâ, & viribus, & A nomine à superioribus distat. Hanc Aristoteles ἐπικάλυμμα, siue κάλυμμα vocat, id est, operculum siue integumentum, à verbo καλύπτω. Appellat etiam ἐπίπτυγμα lib. 5. cap. 15. de hist. anim. Ἔχουσι δὲ καὶ τὰ ἐπικαλύμματα κατὰ ταὐτὰ ἀμφότερα καὶ τὰ ἄλλα τὰ στρομβώδη ἐκ γενετῆς πάντα. νέμονται δ' ἐξαίροντα τὴν καλυμμένην γλῶτταν ὑπὸ τὸ κάλυμμα. Operculum vtrique huic generi *(Buccino & Purpuræ)* adhæret natiuum, & cæteris omnibus turbinatis. pasci quoq; exerta lingua appellata sub illo operculo solent. Et alio in loco: Ἔτι δὲ ἐπίπτυγμα πάντ' ἔχει ἐκ γενετῆς. Operculum etiam iam inde ab ortu omnia gerunt, de turbinatis loquitur. Statim ab ipsa procreatione turbinatis operculum inesse dicit: ad discrimen Cochlearum, quæ ipsæ sibi ex glutinoso humore, siue ex muco suo operculum conficiunt. Dicitur aliter à Græcis πῶμα, vt à Galeno, qui seorsum de eo hæc prodidit. Πώματα πορφυρῶν δι' ὄξους ποθέντα σπλῆνας οἰδαλέους ἔγραψάν τινες ἰᾶσθαι: θυμιώμενα δὲ τὰς πνιγομένας ὑστερικῶς ὠφελεῖ, ἐκβάλλει τε καὶ τὰ κατεχόμενα χόρια. Opercula Purpurarum ex aceto pota scripserunt quidam tumenti lieni mederi: suffitu autem excitare fœminas vuluæ strangulatu oppressas, & morantes secundas detrahere. Eodem nomine operculum Conchylij nominauit Dioscorides, & Cochleas quasdam alpium Liguriæ πωμάτιας, id est, operculares. Dicitur autem πῶμα, quòd eo testarum foramina clau dantur, vt vasa operculo suo. Carni hæret vt vnguis noster, ac tanquam ex filis siue ex fibris coagmentatum quid & duratum esse dicas: vt ex eius pictura quam cum Purpura superiore capite expressimus, licet perspicere. Differt substantia à testa, quæ multò siccior est, neque fumum emittit, nisi si accensa liquore aliquo extingueretur. Operculum verò pinguitudinis nonnihil in se habens, fumum reddit cornu modo. Vires eius in medicamentis antè ex Galeno tradidimus, quarum seorsum non meminit Dioscorides, sed in G capite de Vngue. Qua de re suo loco dicemus. Pharmacopolæ hodiè in officinis habent Conchyliorum, Buccinorúmq; opercula permista, quæ blattas Byzantias vocant vt fusiùs declarauimus quùm de Conchyliis ageremus. Sed hoc nomine Purpurarum tantùm opercula appellanda erant. Nam βλάττιον siue βλάττιον Purpuram significat, vnde blatteus color pro purpureo. Cassiodorus in Epistolis de Chamæleonte:

Lib. 4. de hist. anim. cap. 4.

Lib 11. simpl. med.

Lib. 2. cap. 10. & 11.

Blatta Byzantia.

Βλάττος. Blatteus color. Colores suos multifaria qualitate commutat, modò veneta, modò blattea, modò prasina, modò cyanea. Eutropius: Nero inusitata luxuria fuit, vt qui exemplo Caligulæ frigidis & calidis lauaretur vnguentis, hamis argenteis, aureísque piscaretur, quæ blatteis funibus extrahebantur. quos Suetonius, & Orosius interpretantur purpureos. Ille: Piscatus est, inquit, rete aurato, purpura coccóque funibus nexis. Orosius: Luxuriæ, inquit, tam effrænatæ fuit Nero, vt retibus aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur. Hæc Hermolaus vir pereruditus in suis in Plinium glossematis annotauit. sed etsi βλάττος Purpuram significet, tamen pro operculo solùm Purpuræ vsurpari docet Nicolaus Myrepsicus, qui tamen non sine errore dixit blattum byzantium esse ὀστοῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρας, id est, os narium Purpuræ. Hodiè quoque in officinis blattam byzantiam esse credunt, quod in ore & naribus Purpuræ reperitur, quo ineptius nihil dici potest. Purpuræ enim neque nasum, neque nares, neque ossa intus habent, cùm testacea omnia foris durum, intus molle contineant. Crediderim igitur legendum ὄστρακον ἢ ῥινὸν τῆς πορφύρας, id est, testam vel clypeum, siue scutum Purpuræ: ῥινὸς enim præterquàm quod pellem significat, vnde ὀστρακόδερμα ab Oppiano ὀστρακόεντα vocantur, etiam pro scuto sumitur teste Phauorino. Ῥινοὶ, inquit, καλοῦνται αἱ ἀσπίδες, ὅτι ἐκ βοείων βυρσῶν εἰσιν. id est, ῥινοὶ vocantur scuta rotunda, quòd ex corio bubulo constent. Operculum verò veluti scutum, Purpuræ capiti imponitur. Cur verò βλάττος βυζάντιος, vel βύζαντος dicatur, à nemine, quod sciam, traditur. Ego coniicio à Byzante, vel Byzantio Aphricæ cognominari. nam etiam illic purpura tingebatur.

DE FLORE PVRPVRÆ TINGENDIS VESTIbus magnoperè olim expetito, *Rondeletius.*

QVA in parte contineatur infector ille Purpurarum succus, superiùs ostendimus ex Aristotele, quùm de Purpurarum partibus ageremus. Plinius ab Aristotele non dissentiens scripsit Purpuras florem in mediis faucibus habere. Liquoris hic est minimi in candida vena, vnde preciosus ille bibitur, nigrantis rosæ colore sublucens. Reliquum corpus sterile. Partem hanc quæ succum continet cordi proportione respondere puto: cor enim, hepar, cerebrum, atque alias partes indiscretas habent Purpuræ, & testacea omnia. Vnde constat nugari eos (*Bellonium notat*) qui cor, hepar, branchias se in Purpuris inuenisse prædicant. *Lib.9.cap 36.* Aristoteles atque alij Græci τὸ ἄνθος τῶν πορφυρῶν vocant, Plinius atque alij florem Purpuræ, aliquando succum: Cum vita, inquit, sua succum illum euomunt. Et: Cùm fœtificauere fluxos habent succos. A flore Purpuræ vestes ἀνθιναὶ dictæ sunt, & toga picta à florido Purpuræ colore. Testis est Festus Pompeius: Picta, inquit, quæ nunc toga dicitur, anteà purpurea vocitata est, erátque sine pictura. Eius rei argumentum est pictura in æde Vertumni & Consi, quarum in altera M. Fuluius Flaccus, in altera T. Papyrius censor triumphantes ita picti sunt. Vitruuius florem Purpuræ, saniem vocat, & Ostrum: sic enim *Lib.13.* in libro 7. Incipiam inde de ostro dicere, quod & charissimam & excellentissimam habet præter hos colores aspectus suauitatem. Et priùs: Accedit huc chrysocolla, ostrum, armenium. Et: Ea Conchylia quùm sunt lecta, ferramentis circumscinduntur, e quibus plagis purpurea sanies. Verg. Georg. 2. *Et gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.* *Ostrum.* Et alij pluribus locis. Dictum verò est ostrum ἀπὸ τοῦ ὀστράκου. quòd Purpuris testa tectis eximeretur, ex Vitruuij sententia. Quomodo succus ille colligeretur sic docent veteres. Tradit Aristoteles lib. 5. de hist. cap. 15. eas quùm fauisicant deterrimum florem gerere. Paruas cum testis tundi solitas, alioqui difficile est succum detrahere. maioribus testas distringebant, quamobrem ceruix à papauere separabatur: flos enim inter hæc situs est supra ventrem. Dabant operam vti viuæ frangerentur: nam si priusquam fregeris expirarint, florem omnem cum vita euomunt. Quapropter solebant eas asseruare in nassis, dum se ipsæ colligerent, atque quiescerent. Veteres nassam escæ adiunctam demittere non solebant, ita sæpè accidebat, vt Purpura iam detracta decideret. Posteà adiunxerunt nassas, ne si decidat, liberetur: quod tunc potissimùm euenit, cùm plena est, nam si inanis sit, difficilè se euellere potest. *Lib.9.cap 37.* Idem clariùs Plinius: Capiuntur Purpuræ paruis rarisq; textu, veluti nassis in alto iactis. Inest iis esca, clusiles mordacésque Conchæ, ceu mitulos videmus: Has semineces, sed redditas mari auido hiatu reuiuiscentes, appetunt Purpuræ, porrectísque linguis infestant. At illæ aculeo extimulatæ claudunt sese, comprimúntque mordentia: ita pendentes auiditate sua purpuræ tolluntur. Vitruuius lib. 7. cap. 13. Conchylia quùm sunt lecta ferramentis circumscinduntur, e quibus plagis purpurea sanies, vti lachryma profluens, excussa in mortariis terendo comparatur. Cæterùm preciosus ille Purpurarum succus, non in omnibus Purpuris eiusdem coloris erat. Vitruuius Ostri varietatem sic distinxit: Quod legitur in ponto & *Coloris differentia. Lib.7.cap.13.* Gallia, quòd hæ regiones sint proximæ ad Septentrionem, est atrum. Progredientibus inter septentrionem & occidentem, inuenitur liuidum. Quod autem legitur ad Æquinoctialem, orientem, & occidentem inuenitur violaceo colore. Quod verò meridianis regionibus excipitur, rubra procreatur potestate, & ideò hoc rubrum. Rhodo etiam insula creatur, cæterísque eiusmodi regionibus, quæ proximæ sunt solis cursui. Sed hìc animaduertendum Purpuram nigram sumi pro violacea exaturata. sic enim sæpè à veteribus *Amethystina.* nigrum sumi alibi demonstrauimus. Vestimenta Purpura infecta eo temperamento, vt amethysti gemmæ colorem referrent, amethystina dicebantur. Plinius lib. 37. cap. 9. de amethystis loquens: Indicæ absolutum Purpuræ colorem habent: ad hancq; tingentium officinæ dirigunt vota. fundit eum aspectu leniter blandum, neque in oculos vt carbunculi vibrat. Iam amethystinæ purpuræ Tyria addebatur, vnde nomen *Tyriamethystus.* Tyriamethystus. Plinius lib. 9. cap. 41. Non est satis abstulisse gemmæ nomen amethystum, rursus absolu- *Tyria purpura.* tus nutriebatur (*inebriatur*) Tyrio, vt sit ex vtroq; nomen improbum, simulq; luxuria duplex. Tyria Purpura olim celeberrima fuit, sic nominata à Tyro, quondam insula, posteà verò Alexandri magni oppugnantis operibus cõtinenti iuncta. Strabo: Πολὺ γὰρ ἐξήτασαι πασῶν Τυρία καλλίστη πορφύρα. Longè omnium *Sarrana.* præstantissima habetur Tyria purpura. Quia verò Tyrus priùs Sarra vocaretur, Sarranum ostrum dixit *Coccus.* Vergilius: & Sarranam Purpuram Iuuenalis. Dicuntur & simpliciter Tyriæ, purpura infectæ vestes. Hîc nõ omittendum coccum & purpuram colore quidem conuenire, ipsa tamen materia plurimùm dissidere, cùm huius marina sit, illius terrena. Quamobrem Purpuræ appellatione coccum non contineri rectè censuit Vlpianus in lege, si cui lana. suprà de legatis tertio. Neque eam ob causam inter se dissentiunt Matthæus

thæus

thæus, Marcus, & Iohannes de veste, qua Iudæi induerunt seruatorem nostrum Iesum Christum. sic Matthæus: Περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην. id est, circundederunt ei chlamydem coccinam. Marcus: Καὶ ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν. Et induunt eum purpura. Ioannes verò: Καὶ ἱμάτιον πορφυροῦν περιέβαλον αὐτόν. Et pallio purpureo circundederunt eum. Quam Marcus & Ioannes purpuream vocant, Matthæus coccinam appellat à colore, qui idem est cum purpureo. Matthæus colorem, alij materiam expresserunt. Neque illud prætereundum, Purpuræ succo veteres coccum permiscuisse. Plinius libro 9. cap. 41. Quin & terrena miscere, coccóque tinctum Tyrio tingere, vt fieret bis byssinum. Coccum autem à Dioscoride κόκκος βαφικὴ dictum, id est, granum infectorium, satis magna copia colligitur in Gallia nostra Narbonensi: vocatúrque vermillon, à Gallis graine de scarlate, ab Arabibus Kermes, vnde Kermesinus color. Immensa Purpuræ precia vestimentorum quæ ea tingerentur varietatem, quibusq; iis vti liceret, tum apud Græcos, tum apud Latinos, petere debes ex Budæo & Baysio viris ætate nostra doctissimis, & totius antiquitatis peritissimis. Ad philosophica reuertatur oratio.

QVÆ DICANTVR PVRPVRARVM κροκίδες, *Rondeletius.*

SVNT qui quùm legunt apud Galenum libro 3. de medicamentis κατὰ τόπους in auricularijs medicamentis κροκίδα τῆς πορφύρας siue κογχυλίου, & linum è Purpura apud Paulum Æginetam: existiment in Purpuris lanam aliquam, siue stupam, siue linum, siue tomentum reperiri, quo contuso & depexo in medicamentis veteres vterentur. Sed illi toto cœlo aberrant, vt dicitur: nihil enim tale in Purpuris, neque in turbinatis aliis reperias. Neque bysso alligantur, vt Pinnæ & Mytuli. Mouentur enim Purpuræ, & caro turbinatorum omnium non aliter alligatur quàm circa testarum volumina. Quare intellexerunt veteres per κροκίδα lanæ Purpura tinctæ crassiorem & minus curatam partem, cuius meminit etiam Dioscorides. *Lib.1.cap.83.* Τὸν δ' αὐτὸν τρόπον καὶ κροκίδες καίονται τῆς θαλασσίας πορφύρας. Nec secus fimbriati marinarum Purpurarum flocculi cremari solent. Cur ita appellarint id in causa est, quòd Purpura non solùm pro marino animali, sed pro succo eius, pro vestimento ex eo tincto, & pro lana tincta sumatur. De reliquis significatis testimonia multa veterum proferre possem, quæ sciens prætereo. De postrema significatione proferemus locum Galeni libro 7. Methodi med. Ἐν ναρδίνῳ μύρῳ λειώσας μαστίχην Χίαν ὡς λιπαρωτάτην, ἀναλαμβάνων πορφύρᾳ χρῶ. Quæ transcribens Paulus Ægineta dixit: Ταῦτα λειούμενα ἀναλαμβάνεται πορφύρᾳ, ἢ ἐρίῳ καὶ ἐπιτίθεται τῷ στομάχῳ.

COROLLARIVM.

Segmentis E.G.H. tum de purpura animali, tum de colore & veste dicetur.

Murex etsi vnam speciem significet, scilicet buccinum: generale tamen est, sicuti & conchylium. purpu- A ram enim comprehendit murex & alia. Porphyra marina, quam quidam κήρυκα vocant, Kiranides. sed cêryx propriè buccinum est. Vmbilici, cochleæ, purpuræ, (*purpuræ quidem nomen hîc in Græco non est,*) & omnia quæ ostrei aut conchæ nomine appellamus, Gaza ex Aristotele. Κογχύλια τὰ ὄστρεα. καὶ κογχύλη, ἡ πορφύρα, Hesychius & Suidas. quanquam enim conchyles vel conchylij nomen latiùs patet, per excellentiam tamen ad purpuram contrahitur. Purpuræ nomine alio pelagiæ vocantur, Plinius. sed Rondeletius, & ante eum Massarius, pelagias loci ratione purpuras quasdam esse docent, non autem toti generi hoc nomen conuenire. Fiere tamen potest vt vulgus Plinij seculo eas sic appellârit (κατ' ἐξοχὴν, quòd illæ maximè requirerentur, vtpote & maiores, & quæ magis probatum florem haberent:) quùm & pelagium pro colore seu flore purpuræ Plinius dixerit: Buccinum (inquit) per se damnatur, quoniam fucum remittit: pelagio (*id est purpuræ flore*) admodum alligatur, nimiæque eius nigritiæ dat austeritatem, &c. Phœnices piscem, cuius sanguine sericum in purpuram tingebatur, Sar appellant, Seruius. Purpura (vel ostracum purpureum) carusis & caugilel (*quæ duo nomina videntur detorta à ceryce & conchylio*) nominantur ab Auicenna operis de medicina lib. 2. cap. 537. Idem author vbi in curatione anginæ muricem interpres transtulit, Arabicè dixit alarginam: intelligens purpuram: vt ex remediorum collatione apparebit in G. Serapio, vel potiùs interpres, pro purpura habet pulpia (aliâs palpir) vbi de blatta byzantia agit. Hebraicæ voces argaman & argeuan extant in libris sacris, Danielis 5. & Paralipom. 2. 2. purpuram interpretãtur vel sericum purpura tinctum: vnde & amorge Græcis per metathesin factum puto. Tola Hebraicè coccum & vermiculum, non purpuram significat. In trilingui Lexico Munsteri Purpura etiam Hebraicis characteribus scribitur, & nescio cuius linguæ vox iphlicta. Purpuram Græci hac ætate etiam porphyram appellant, Gillius. Purpuræ conchylium notissimum est apud Terentum, Niphus. Has & Murices & Buccinos, Massilienses Bios vocant, Gillius, Germanicum purpuræ nomen facio, ein Nagelschnegg/ab vnguis simili operculó, vndè & Veneti & Romani Ognellas vel Ogniellas nominant. aut circunloquor, ein Stachelschneggen art/id est Conchæ aculeatę muricatæve species. Vide suprà in Corollario Muricis A. Potest & Purpurschneck dici, tanquam genus, cuius species sint purpura, buccinum, conchylium, Purpurschnecken arten. Purple Anglicum nomen est, nescio an vulgare, an effictum imitatione Latini.

Purpurarum conchas apud me habeo alias fuscas, alias albas: vtrasque (si benè memini in Adriatico *Differentia.* olim cùm natarem prope Venetias reperi. Est apud Athenæum Hedyporphyra Ἡδυπορφύρα, alia à purpura, vel saltem genus quoddam à purpura diuersum, Wottonus, purpuræ pentadactyli Bellonij, videntur ad Aporrhaidem Rondeletij (A. elemento descriptam) propiùs accedere. Turbinem pentadactylum Rondeletij infrà suo loco dabimus. Purpura maritima, id est Cetula marina, Syluaticus

Antale Brasauolus, quod ad citrinum vnguentum à pharmacopolis requiritur purpuram esse putat: *Antale.* dentale verò buccinum: de vtroque scripsi etiam suprà in Dentali, D. elemento. Quidam non forma, nec aliter, sed magnitudine tantùm distinguunt: ita vt Antales (sic enim loquuntur quasi à recto Antalis) sint maiores. In Germania pharmacopolæ Germani tubulos quosdam ostendunt, veluti osseos candidos, formæ teretis, striatæ, vna aut altera linea transuersa inæquali ambiente, præsertim in minoribus, maiores ad quatuor digitos accedunt. longitudo non omnino recta, sed modicè inflexa est, dentis canini instar,

vt in

vt in adiecta delineatione apparet. ſubſtantia prædura eſt, non oſſea, ſed aliorum teſtatorum ſubſtantiæ ſimilis. conchæ non merentur appellari: cùm neq; biualuium, nec vniualuium generis ſint: neque muricibus aut Venereis conchis ſimili forma. Eſt & penicillus marinus Rondeletij, tubulus quidam teſtaceus, ſed molli & laxa ſubſtantia. Enthalium (inquit Valerius Cordus, ſic enim ipſe ſcribit) eſt teſtaceum quiddam marinum, fiſtulæ modo longum & concauum, foris ſtriatum, longitudine digiti, *(non transverſi, ſed ſecundum longitudinem:)* Dentalium verò conchula marina, parua, dentatam rimam habens, Sic ille. Nos de conchula illa ſuperiùs inter Conchas Venereas, quas vulgò porcellanas vocant. In Italia pharmacopolæ alia quædam concharum genera oſtendant oportet, ſi vt Braſauolo videtur (quem Fuchſius quoque imitatus eſt) purpura & buccinum his nominibus veniunt. Poſt marinos æſtus (inquit) ſupra maris litora inueniuntur. Sunt qui hæc cocta, & qui cruda edunt, ſicut alia maris conchylia. Antale diuerſis inuolucris circungyratur: eſt autem buccinum. & accidit quandoque flante vento per antalis anfractus ſibilum emitti, vt tuba videatur, Hæc Braſauolus. Quod ad vim quidem remediorum attinet, purpuras, buccina, tubulos, an porcellanas aliquas accipias, parum intereſſe cenſeo. Antalium & Dentalium (ita enim Nic. Myrepſus ſectione 3. vnguento 42. appellat) conchularum ſunt genera. Ridiculum verò eſt, quod barbaram ſectantes medicinam tradunt, eſſe hæc lapidum genera, Fuchſius. Græcè quidem à Myrepſo ἄνταλι & τένταλι ſcribitur.

B Purpuræ conchæ quibus in locis præſtantiores habitæ fuerint ad tingendas purpuras, id eſt, purpureas veſtes, dicemus in E. Speuſippus ſimiles facit buccinas, purpuras, ſtrabelos & κόγχους, malim κόχλους, id eſt cochleas. Purpura ſimilis eſt cóchlo, Kiranides. Turbinata, vt purpuræ, buccina, ſimiliter vt cochleæ ſuis partibus conſtant, Ariſtoteles. Γίνονται δ' ἔνιαι τῶν μεγάλων καὶ μναῖαι, Ariſtot. hiſtoriæ 5.15. Gaza vertit, nonnullas ex magnis vel ad precium minæ euadere nouimus. ego non μναῖαι duabus ſyllabis, (quanquam & Athenæi codex ſic recitat,) ſed tribus μναάιαι legerim. nam & Xenophon λίθους μναάιους dixit, in libro qui inſcribitur Magiſter equitum, & in altero De re equeſtri. neque de precio, vt Gaza, acceperim, cuius eo in loco nulla mentio: ſed de pondere & mole. Purpuræ & buccina tanta ſunt in Indico mari, vt facilè congium capiant, Ælianus. Buccinum minor eſt, concha quàm purpura, Plinius: Rondeletius legit maior. Mutianus prodidit echeneidem eſſe muricem, latiorem purpura, &c. Plinius. Lanæ ad remedia quædam vtuntur, inquit Dioſcorides: eodémque modo κροκύδες θαλασσίας πορφύρας. ſic habet æditio noſtra per ypſilon, à recto κροκὺς, qui ſcriptione, genere & flectendi modo congruit cum χλαμὺς ίδος. nam apud Heſychium κροκίδες per iôta non rectè ſcribi, vel ipſe literarum ordo arguit. interpretatur autem gnáphala, id eſt, tomenta. Hinc compoſitum eſt nomen κροκίλεγμος, quod eſt floccorum lectio, qualis ab adulatoribus fieri ſolet. idem κροκυδισμὸς dicitur, & id facere verbum κροκυδίζειν ſonat, vt annotauit Cælius Rhodiginus 20.33. qui & ipſe tamen per iota ſcribit, non per ypſilon, deprauatos fortè Galeni codices ſequutus: niſi quis κροκίδα vocem diminutiuam eſſe velit à κρόκη, quod filum & ſubtegmen interpretantur. Marcellus Vergilius Dioſcoridis interpres, in ipſis purpurarum conchis ſtupparum imagine vellera quædam eſſe putauit: quæ alij (inquit) tomenta, alij licia, alij fimbrias dixerunt. nos rem & nominis ſignificationem ſecuti à ſtuppis rem indicauimus. κροκύδας enim Dioſcorides dixit, qua voce Græci adhuc, quod contuſo & depexo lino craſſiſſimum ſupereſt, *(noſtri* abwerck *nominant,)* ſignificant. neque hic pluribus aliis locis aliud ea voce quàm ſtuppam ſignificat: & ſæpè Paulus Ægineta, iubens κροκύδι imponi aliquid. In mari autem quotidiè purpuræ capiuntur, quæ ſuperiore ſui parte villoſæ ſunt, tam tenui & ſequaci vellere, vt in filum lini modo trahi & confici poſſit, Hæc ille. ſed in purpuræ concha villoſum quicquam reperiri, ceu falſum redarguit Cornarius: & poſt eum Rondeletius: qui κροκίδας (ipſe κροκίδα ſcribit) lanæ purpura tinctæ craſſiorem, minúſque curatam partem interpretatur. ſed nihil prohibet ſimpliciter etiam vellus purpura tinctum interpretari: è quo tamen ne temerè ſumptus fieret, ad cremandum craſſius & minùs pulchrum ſeligebatur. poſſent & è veſte purpurea, præſertim attrita, diſcerpta aut vulſa fila ſeu lineamenta κροκύδες nominari. Cornarius in Commentariis in Galeni de compoſitione medicamentorum libri 3. caput 1. In fine huius 21. compoſitionis (inquit) in Græco exemplari corruptè legitur, καὶ κροκίδα ἐντίθει πρεσπνειῶν. ipſe πορφύρων pro πρεσπνειῶν legendum coniicit, *(quàm rectè viderit ipſe, mihi quidem temerè mutare videtur. quòd ſi πορφύρων legendum eſſet, vltima circumflecti deberet:)* & interpretatur: lanæ purpura infectæ tomentum indito, velut ſuprà etiam Archigenes dixit, ἐμφρασσομένου τοῦ πόρου πορφύρας μαλλῷ: hoc eſt, obturato meatu per purpuræ lanam. lanam autem mollem à fomento & inſtillamentis auri indendam eſſe, ſuprà in principio huius libri Galenus dixit. præſtat tamen hanc ex purpura aut conchylio infectam eſſe. Et rurſus in libri ſexti caput 2. in his verbis: Π' χάλκανθον κηρίματι θαλασσίας πορφύρας εἰλήσας σύγκαυσον: pro κηρίματι voce nullius ſignificati legit κροκήματι vel κροκίδι, quorum poſterius approbo. & vertit, Aut atramentum ſutorium purpuræ marinæ tomento inuolutum vrito. lanarum enim vſtarum, & præſertim ex purpura infectarum, vis eſt eſcharotica, Dioſcoride teſte: & mox κροκύδα hapſum lanæ, ſiue lanam conuolutam ſonare dicit.

Purpura concha eſt è genere turbinatorum, Ariſtot. Aculeos certis ordinibus diſpoſitos, corpus gradatim cochleæ in modum ambientes habet, Gillius. Singulis annis incrementum eius patet per orbes, quibus totidem, quot annos habet, teſta intorta cuniculatim in crepidinem deſinit, Gaza ex Ariſtotele: cuius verba Græca ſic habent. hiſtoriæ 5.15. καὶ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν φανερά ἐστιν ἡ αὔξησις τοῖς διαστήμασι τοῖς ἐν τῷ ὀστράκῳ τῆς ἕλικος. Clauata eſt ad turbinem vſq; aculeis in orbem ſeptenis ferè, qui non ſunt buccino: ſed *Cuniculatim, Clauiculatim.* vtriusque orbes totidem, quot habeant annos, Plinius. Alterum genus concharum purpura vocatur, cuniculatim procurrente roſtro, & cuniculi latere introrſus tubulato, *(tabulato legit Vvottonus, & leui interpretatur: non probo.)* quà proferatur lingua, Plinius. Alij codices (inquit Hermolaus) etiam antiqui, canaliculatim habent, & canaliculi: ſed legendum videtur cuniculatim vel clauiculatim, ex Ariſtotele qui ſcribit κοχλιοειδῶς, Sic ille. atqui Plinius hæc nō aliunde, quàm eo, quem paulò antè citauimus loco Ariſtotelis (nempe hiſtoriæ 5.15.) tranſtuliſſe videtur: vbi Græcè nihil aliud quàm τὰ τῆς ἕλικος διαστήματα legas, id eſt, clauiculæ interualla. nam quod ἕλιξ in vitibus Græcis eſt, id Latini capreolum aut clauiculam vocitant.

tant. non dico vocem κοχλιοειδῶς ad rem ipſam non quadrare: ſed vbi Ariſtoteles ea de purpura vtatur, non occurrit: & ſi alibi vtitur, non aliunde tamen, quæ recitauimus tranſtulit Plinius. Helica in purpurarum teſta nuncupat Ariſtot. lib. 5. hiſt. anim. Theodorus orbem cuniculatim intortum: Vitruuius, in columnis etiam volutam, Cælius. Quoniam verò ſuperioribus addit Plinius: Præterea clauatum eſt ad turbinem vſque aculeis in orbem ſeptenis ferè: qui non ſunt buccino, ſed vtriſque orbes totidem, quot habent annos: Maſſarius Marcello infenſior, Liberatus nunc (inquit) eſt Theodorus à falſa calumnia Marcelli: qui in ſuo Dioſcoride vbi de purpuris loquitur, eum reprehendit: quòd vbi in Ariſtotele, annos circiter ſex purpuræ viuunt, & ſingulis annis incrementum eorum patet, per orbes, quibus totidem quot annos habent, conuerterat: non orbes ſed volutas interpretari debuerat: non animaduertens homo nimis ſciolus videri cupiens, quòd ita Plinius etiam hoc loco Ariſtotelem conuerterat. quare Theodorus Plinium Ariſtotelis meliorem quàm Marcellum interpretem imitatus, orbes rectiùs quàm volutas conuertit. Nam volutæ appellantur, quòd circuli ſiue orbes illi interiores volutim complicentur, & ab exterioribus faſciolæ modo inuoluantur & obtegantur. prima nanque voluta ſiue plicatura integitur à ſecunda, & ſecunda à tertia, & ſic vſque ad vltimam: quemadmodum in voluta capituli à Vitruuio demonſtrata conſtat. At qui in purpuris orbes vocantur, omnes detecti ſunt, clauiculatim in faſtigiatam longitudinem exeuntes, nullo orbe ab altero volutim intecto. ſed vt ad rem redeam, ego potius cuniculatim, & cuniculi, vnà cum Hermolao legerem, tum ex Plinio ipſo ſuperiùs vbi de concharum generibus loquitur, (in quibus magna ludentis naturæ varietas) dicente cuniculatim, pectinatim, imbricatim vndata: tum ex Ariſtotele quinto de hiſtoria, vt Theodorus vertit. Tempus (inquit) viuendi & purpuris, & buccinis longum: annos enim circiter ſex purpuræ viuunt, & ſingulis annis incrementum eorum patet per orbes, quibus totidem quot annos habent, teſta intorta cuniculatim in crepidinem deſinit. Et quarto de partibus animalium: Quæ ex turbinatis cuniculo in anfractum contorquentur. Eſt vbi etiam clauiculatim, vt quarto de hiſtoria, duobus in locis, interpretetur. primo facie dixit clauiculæ buccinorum. ſecundo, Mouentur item eadem omnia turbinata parte dextra, non ad vertiginem ſiue clauiculam, ſed in aduerſum. Et quarto de partibus animalium: Continent quod papauer vocatur turbinata omnia ſua clauicula. Sic etiam Hermolaus in Dioſcoride libro ſecundo, vbi ait: Cionia vocantur partes in buccino atque purpura mediæ, ſecundum quas ſilicei operimenti clauicula eſt. Cæterùm exemplaria antiqua caniculatim & caniculi legunt. facilis corruptio quinta vocali in primam mutata. Hæc omnia Maſſarius.

Caro. Lingua. Caro purpurarum penitus includitur, nec vlla ex parte conſpicitur excepto capite, Ariſtot. Purpuræ & buccina promuſcidem ſiue linguam firmam, toroſam habent, adeò validam, vt ea teſtas eſcarum poſſint perforare, vt aſili atque tabani quadrupedum tergora penetrant, Ariſtot.

Purpuræ linguam habent prælongam, ſemperque vibrantem: per quam potiuntur præda quam affectantur, Rauiſius. Sepiæ in mari ſanguinis vicem atramentum obtinet, purpurarum generi infector ille *Flos.* ſuccus, Plinius. Et alibi: Purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus, in mediis habent faucibus, &c. Vide infra in E. Purpuras Venetijs (verba ſunt ex epiſtola amici) emi in foro viuentes, profluebat adhuc pulcherrimus liquor purpureus, vt facilè crederem ex purpurarum genere has eſſe conchas. Trachali muricum ac purpuræ ſuperiores *(duriores)* partes: vnde Ariminenſes maritimi homines cognomen tra- *Trachali.* xerunt Trachali, Feſtus. Tracheli, Τράχηλοι, quínam propriè ſint & dicantur in teſtaceorum genere, Rondeletij verbis expoſitum eſt ſuprà in Perna ſpecie Pinnæ. Τραχήλια diminutiuum eſt apud Heſychium in ταραντῖναι. Quærendum an ionia quoque vel potiùs κιόνια, eadem ſint trachelis. Vide *Ionia.* ſuprà in iis quæ Rondeletius ſcripſit in G. id eſt, inter remedia. item in Corollario noſtro de buccino B.

Operculum purpuræ. Blatta Byzantia. Vnguis ſiue onyx conchylij tegumentum eſt, ei ſimile quo purpura integitur, Dioſcorides. Sed ex purpura vnguis nominari non ſolet. De hoc multa leges ſupra in Conchylio, Rondeletij verbis: & nonnihil in Corollario B. Quoniam verò pharmacopolæ opercula conchylij, & buccini purpuræ ue, non diſtinguunt, & vtraque blattas Byzantias appellant, cùm ex purpuris tantùm propriè ita vocari deberent: quædam hîc ex authoribus repetita congeremus. Opercula hæc vſu ſubſtantiáque non differunt, ſed figura: quòd ex conchyliis longiora, è purpuris (nimirum & buccinis) rotundiora ſint. Vires quoque ad remedia minimùm differre veriſimile eſt, præterquam ſi vngui odoris ratione peculiare quid attribuitur. Blatta Byzantia ingrati dum vritur odoris eſt, & caſtoreum refert: vnguis verò odoratus, ſuauem odorem ſpirat: quare & res inuicem diuerſas eſſe oportet, Fuchſius. at Rondeletius in conchylio aſſerit εὐώδες non modò ſuauiter, ſed aliquando vehementer & grauiter odoratum Dioſcoridi ſignificare: & vnguem caſtorei odorem referre idem Dioſcorides & Plinius tradunt. Sed cur ſuffumigio moſchato & aliis quibuſdam adiiciuntur apud Aëtium, ſi eiuſmodi ſunt? An dicendum non ex omni regione vngues benè olere ſuffitos: & eiuſdem generis plures forſitan ſpecies eſſe, vt & laſeris, longè diuerſo odore? Plinius purpurarum cauum pro operculo earum dixit: Neruos præciſos purpurarum cauum, quo ſe operiunt, tuſum glutinat. Ab Actuario & Myrepſo Βλάττα & Βλάττιον Βύζαντος appellatur. Ea ætate qua ſcribebat Actuarius blattam, purpuram Indicam: & blatteum, purpureum colorem, periti etiam authores appellarunt, Ruellius. Heliogabalus parauerat funes blatta, & ſerico, & cocco intortos, Lampridius. Galenus Indici conchylij teſtam inter oſtraca ac teſtas purpurarum ac muricum generatim comprehendit. eorundem enim vim habet: & præterea ſuffita, ab vtero ſtrangulatas fœminas, & comitiali apprehenſas morbo excitat, quod tamen etiam de purpurarum teſtis Galenus XI. ſimplicium pharmacorum tradit. Meminit eius onychis Plinius quoque libr. 22. cap. 2. cum ait: Inuenio apud quoſdam oſtracium, quod aliqui onychem vocant: hoc ſuffitum vuluæ pœnis mirè reſiſtere. At verò ab hac blattæ barbara appellatione, blatteus color pro purpureo dictus eſt à Fl. Vopiſco in Aureliano, vbi inquit: Veſtem holoſericam neque ipſe in veſtiario ſuo habuit, neque alteri vtendam dedit: & cum ab eo vxor ſua peteret, vt vnico pallio blatteo ſerico vteretur, ille reſpondit: Abſit vt auro fila penſentur. Libra enim auri tunc libra ſerici fuit. Plinius blatteum colorem onychinum dixit libro 15. cap. 15. de piris: Signina alij à colore teſtacea appellant:

lant: ſicut onychina, purpurea. quemadmodum enim purpureus color à purpura, ſic onychinus ab onyche eodem ſignificato dicitur. Sic quoque Columella libro 12. cap. 10. pruna onychina, purpurea appellauit, Cornarius in ſuis Commentariis in quintum Galeni librum de compoſit. ſecund. locos. Sed Plinij verba ab eo recitata de piris, onychina non interpretantur purpurea: hoc tantum volunt, vt Signina pira à colore ſuo teſtacea dicuntur: ſic onychinis quoque, ſic purpureis, nomina à coloribus facta. Quanquam autem onyx operculum eſt conchylij, & è conchylio color purpureus tingitur: nihil tamen ad illum colorẽ, nihil ad tincturam illam facit onyx operculum: vt onychinum colorem ab eo appellatum exiſtimare ridiculum mihi videatur. Columella 12. 10. pruna onychina nominat tantùm, colorem non exprimit. ego hunc colorem ex albo purpuraſcentem putârim, qualis in onyche, id eſt vngue, humano ſpectatur: qui color etiam onychi gemmæ nomen fecit, quanquam ea etiam aliis coloribus reperitur. Onyx gemma (inquit Ge. Agricola libro 6. de natura foſſilium) ex eo quòd eius candor ſimilitudinem ad vnguem humanum habere ſoleat nomen inuenit: non rarò tamen eſt lactea, maximè in zonis. idem vocatur onychites & lapis onychinus: in Germanis & Sequanis reperta, eíque ſimilis, vocatur nunc Chalcedonius. multùm autem variat colore, &c. Gentilitium cognomen Byzantiarum blattæ retulerunt: quòd ad eos forſitan Indi demittant, & hinc ad nos deferantur, Ruellius. Balantha, *(nomen videtur corruptum.)* eſt ſquama *(immò lamina)* piſcis quædam, è fronte piſcis degentis in concha rotunda & tortuoſa, concaua. ſed nos vtimur blatta Byzantia, quæ fertur de ſancto *(nomen deeſt.)* Syluaticus. Blatta Byzantia eſt operculum conchylij, cuiusdam è mari rubro, & aliis locis, quorum meminit Auicenna Canone 2. cap. proprio. eſt autem durum, & in gyrum contortum *(hoc ad totam concham potiùs quàm operculum pertinere videtur)* inſtar limacis, ſed oblongius ac maius quàm corpus quo limax circundatur. Operculum hoc in ore conchylij eſt, clauditúrque & aperitur pro animalis arbitrio. has conchas ſæpè vidi cum operculis adhærentibus, exportatas è mari rubro Damaſcum, Bellunenſis. Blattij Byzantis, hoc eſt, oſſis anterioris naris purpuræ, (vt ipſe interpretatur,) Nicol. Myrepſus meminit antidoto 425. Deſcribuntur hæ blattæ ab Auicenna 2. 81. nomine adfar althaib. Apud Syluaticum multa barbara nomina paſſim reperias, quæ blattas Byzantias interpretatur: vt Achafar, Affaratib, Daablectos, Dafarbachali, Funoblaron, Gafecol vel Gafeſol, Kuactil, Hiobothor, Hudal, Curaſie. ſed Auicenna: Quæ de mari rubro ſunt, inquit, nominantur Curaſciæ. Item Egedde, apud veterem Gloſſographum Auicennæ. Latini mixobarbari, pro blattis, blactas: pro vnguibus vngulas & vngellas aliquando efferunt. Blatta Byzantia conchylij tegumentum eſt, ad ſuffitus idoneum. ipſa enim teſta mox liquatur igni, bituminis modo, quod etiam improbè ipſa olet. quidam albicantem odoratam magis commendant, Syluius. Et alibi: βλάττιον & βλάττιον βυζάντιον appellatur Actuario in aurea Alexandrina, Diamargarito calido. Vnguis odoratus vel aromaticus lib. 1. compoſ. phar. part. (à Galeno ſcilicet. additur autem medicamento cuidam ad alopecias.) Quæ Serapio & Auicenna ſcribunt, Ex Dioſcoride ferè mutuati ſunt. Inuenio apud quoſdam oſtracium vocari, quod aliqui onychem vocant: hoc ſuffitum vuluæ pœnis mirè reſiſtere. Odorem eſſe caſtorei, meliúsque cum eo vſtum proficere. Vetera quoque vlcera & cacoethe eiusdem cinere ſanari, Plinius. Et alibi: Neruos præciſos purpurarum carum, quo ſe operiunt, tuſum glutinat. Onyx detractus ex conchylio, potus *(ſuffitus forte potius)* ſtrangularis ex vulua ſubuenit, Galenus de compoſitione ſec. loc. vt quidam citat. Os naris purpuræ miſcetur paſtillo ad cardiacos, numero 70. apud Nic. Myrepſum. Apud eundem vngues aromatici magni & parui, iniiciuntur in thymiama Eſdræ: & in alia quædam ſuffimenta, aliâs ſimpliciter, aliâs magni: & ſimiliter apud Aëtium: qui ſuffumigio moſchato quoq; eos admiſcet. Democrates apud Galenum de compoſ. ſec. loc. 8. 10 in malagmatis cuiusdam deſcriptione, bdellium onycha nominare videtur, optimum bdellium, & quod incenſum ac ſuffitum, onychis Indici conchylij teſtæ odorem referat. tale enim Dioſcorides optimum eſſe refert, εὐώδες ἐν τῇ θυμιάσει, ἐοικὸς ὄνυχι. quanquam Marcellus Vergilius, colorẽ humano vngui ſimile tranſtulit: fortaſſis ex Plinio inductus: qui lib. 12. cap 9. Bactriano (inquit) nidor ſiccus, multique candidi vngues. Verùm hæc Plinius ex Græco aliquo ſcriptore non ſatis intellecta tranſtuliſſe videtur, &c. Cornarius in commentariis in Galeni libros de compoſit. ſecund. loc.

Onychinus color. *G. ex operculo remedia.* *Bdellium onyx.*

C Teſtatorum quædam in petris, alia in arenis degunt: vt Νήριται, στρόμβων τε γένος, καὶ πορφύραι αὐταί, Oppianus. Purpuræ paruæ ad litora & oras ſunt: αἱ δὲ ἐν τοῖς κόλποις μεγάλαι καὶ τραχεῖαι. hoc eſt, in ſinibus verò magnæ ſcabræque. Gaza non in ſinibus, ſed pelagiæ vertit, quod approbat Rondeletius. atqui Oppianus lib. 1. cum de pelagiis aliisq; aquatilium priùs dixiſſet, ſubdit: Δοιαὶ δ' σκληροῖσιν ἀεὶ ἠερόεντα γυῖα χιτῶσι. Φράζόμενοι κόλποισιν ἐνιπλώουσι θαλάσσης, Κάραβος ὀξυπαγής, ἠδ' ἀστακός. Eſto ſinus omnis pelagi inſtar profundus ſit, non omne tamen pelagus ſinus eſt: & pelagij appellatio ampliùs patet. Purpuræ teſtis ſuis adhærent, & item buccina, Ariſtot. Πορευτικὰ δὲ κῆρυξ, πορφύρα ὑδυπορεῖ, Athenæus ex Ariſtotele. Purpura & eius ſimilia parùm admodum progrediuntur, Ariſtot. Conchæ omnes celerrimè creſcunt: præcipuè verò purpuræ atque pectines, quippe quæ anno perfici (magnitudinem implere) poſſint. Ariſtot. & Plinius. Purpuris eſcas putidas emoliuntur: & accedunt ipſæ ad eiusmodi eſcam à longè, vtpote odorantes: Ariſtot. Lingua ſua teſtas turbinum, quorum eſca capiuntur, tranſigunt, Ariſtot. Purpuram diu multumq; conſideraui, cùm aliam concham tandiu mordicus premeret, quoad ſuffocata hiſceret Gillius. Purpuræ voracitas (λιχνότης) in prouerbium etiam venit: aliqui tamen ad tincturam hoc referunt. Cibo qui alga & muſcus eſt, quantumcunq; coëgerunt, concha de prompto excipiunt ſeſe, ac conuiuia velut per circulum agitant, altera alteram foris ſic depaſcente, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. ex Ariſtotele, vt apparet: qui tamen hoc non ſimpliciter de purpuris ſcribit, ſed tantùm extra mare, cùm captæ ſunt. Plinius purpurarum genera pabulo & ſolo diſcernit: vt ſit Lutenſe putri limo: Algenſe verò alga enutritum, viliſſimum: Dialutenſe, vario ſoli genere paſtum. Quibus eſcis alliciantur, vide infrà in E. Aliquandiu in arena latent, ſicut etiam pectines, Ariſtoteles. Canis exortu circiter dies tricenos conduntur, Idem & Plinius. Purpuræ vêre generantur, Ariſtoteles & Plinius. Quæ durioris teſtæ ſunt, vt murices, purpuræ, ſaliuario lentore proueniunt, Plinius. Congregantur verno tempore, mutuóque attritu lentorem cuiusdam ceræ ſaliuant, ſimili modo & murices, Idem. Verba ſunt Ariſtotelis (inquit Maſſarius) in quinto de hiſtoria, à quo Plinius hæc omnia mutuatus eſt. Propterea magis approbarem, ſi cuiusdam cerij,

Vbi in mari. *Motus.* *Incrementum.* *Olfactus.* *Cibus.* *Latitatio.* *Generatio.*

dam cerij, hoc eſt faui, non cuiusdam ceræ legeretur. nam coagmentatio illa quam Ariſtoteles meliceram, vel, vt Theodorus vertit, fauaginem vocat, quam purpuræ verno tempore conſtruunt, fauo ſimilis eſt: quæ nec ex cera, ſed ex purgamentis, ceu putaminibus cicerum alborum conſiſtit. Purpuræ verò publicitùs congregatæ fauum ſic vt apes conſtruunt, in quo etiam parere dicuntur, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Ea etiam quæ ex teſtaceis fauos ſaliuant, non alio modo, quàm cætera teſtis incluſa generantur, verùm meliùs, atque vberiùs quoties præſunt, (προϋπάρχουσι,) quæ eiuſdem ſunt generis. emittunt enim, cum ſuos ordiuntur fauos, mucorem quendam, ex quo putamineæ cellulæ illæ conſiſtunt. hæc ergò rupta diffuſáque omnia humorem quem continebant, in terram dimittunt. (ἀφίησι δὲ ὃ εἶχεν εἰς τὴν γῆν, Athenæus pro ὃ εἶχεν meliùs habet ἰχῶρα.) Mox eo quo effuderint loco gignuntur purpurulæ, exordio admodum exiguo conſiſtentes, quas ſibi annexas gerunt, quæ grandes capiuntur, (ἃ ἔχουσαι ἁλίσκονται αἱ πορφύραι ἀπ' αὐτῶν. fortè ἐπ' αὐτῶν.) nonnullæ etiam forma nondum diſtincta cernuntur. Si fortè priùs quàm pepererint, capiantur, fœtus interdum per crates, & tegetes, non qualibet elidunt, ſed congregatæ eodem, vt facere in mari ſolent. itaque per anguſtiam, veluti vuæ ſpecie fœtus conformatur, Ariſtot. hiſtoriæ 5. 15. interprete Gaza, Græca verba poſtremæ periodi ſic habent: Ἐὰν δὲ πρὶν ἐκτεκεῖν, ἁλῶσιν: ἐνίοτε ἐν ταῖς φορμίσιν ὅπου ἔτυχεν ἐκτίκτουσιν, ἀλλ' εἰς τῷ αὐτῷ οὖσαι ὥσπερ ἐν τῇ θαλάττῃ: καὶ διὰ τὴν στενοχωρίαν γίνονται οἱονεὶ βότρυς. Athenæus verò ſic citat: ἐὰν δὲ πρὶν ἐκτεκεῖν ἁλῶσιν, ἐνίοτε ἐν ταῖς φορμίσιν, εἰς δὲ τοῦτο συνιοῦσαι ἐκτίκτουσι, καὶ γίνεται οἱονεὶ βότρυς. Videtur autem pro ἀλλ' εἰς τῷ αὐτῷ οὖσαι, Athenæus legiſſe εἰς τοῦτο συνιοῦσαι. Ad ὅπου ἔτυχε, Gaza negationem addidit, non neceſſariam vt mihi videtur. Idem φορμίδας vertit crates & tegetes, neſcio quàm rectè. ego potiùs naſſis, vel naſſarum inſtar retibus, conuerterim. Vide inferiùs in E. plura de hac voce. Buccina & purpuræ & reliqua fauantia quomodo oriantur pluribus lege apud Ariſtotelem de generatione 3. 11. Aqua dulci necantur, & ſicubi flumen immergitur: *(aliâs, & ſicubi flumini immerguntur:)* alioqui captæ diebus quinquaginta viuunt ſaliua ſua, Plinius. Teſtaceo generi anni pluuij proſunt, præterquam purpuris: cuius rei indicium eſt, quòd ſi amnis in mare fluentis aquam guſtarint, moriuntur eodem die. viuit purpura extra mare, quæ capta eſt, dies circiter quinquaginta. Alit altera alteram, eo quod ſua teſta gnatum, veluti algam muſcum'ue gerit. quæ autem pro cibo ijs afferunt, ponderis cauſa adhiberi aiunt, vt in libra ſint grauiores, Ariſtot. Cùm ſemineces fuerint, mari redditæ reuiuiſcunt, Author de nat. rerum ex Plinio: Plinius hoc non de ipſis purpuris, ſed illis quibus ineſcantur conchis, mytulorum ſimilibus, ſcribit. Purpuræ viuunt annis plurimùm ſeptenis, Plinius. Tempus viuendi & purpuris & buccinis longum. annos circiter ſex purpuræ viuunt, Ariſtot. & Athenæus.

φορμίς. *Mors & vita.*

Thynnus non modò glandes, verùm etiam purpuras proſequitur prope terram, ab exteriore pelago vſque in Siciliam inchoans. Strabo libro 5. D

1. *Captura.* E
2. *Loca in quibus tingebatur, ordine literarum.*
3. *Ratio tincturæ precium.*
4. *Veſtes, & earum diuerſitas.*

Inter vrinatores ſunt purpurarij, πορφυρεῖς. Laurentius ex Herodoto purpuratores tranſtulit. & conchyliarij, vel conchytæ, vt Plautus appellat: & murileguli quaſi muricarij à muricibus legendis, Budæus. Capi eas poſt canis ortum, aut ante vernum tempus vtiliſſimum: quoniam cùm fœtificauere, fluxos habent ſuccos, Plinius. Capiuntur purpuræ tempore verno cùm fauos extruunt: (atqui tum deterrimum florem habent, vt alibi tradit:) caniculæ tempore nullæ ferè capiuntur. tum enim latent, Ariſtot. & Athenæus. Κημὸς textura quædam eſt è iuncis (ἐκ σχοινίων) colo ſimilis, in quam purpuræ & conchylia ingreſſa (nam & eſca imponitur,) capiuntur, Varinus è Scholiaſte in Equites Ariſtophanis. Herodianus (vt ibidem citatur) Sophoclis è Peleo verſum adfert: Κημοῖσι πλεκταῖς (πλεκτοῖς) πορφύρας φθείρει γένος. Plura de hoc vocabulo annotaui in Equo quadrupede H. e. Purpura vehementer guloſa eſt. longam linguam habet: ea penetrat quæcunque poteſt, & attrahit quæ comedit. eâdem etiam capitur. Capiendi modus eiusmodi eſt: Paruam naſſam denſo contextu, exiguis maculis purpurarij piſcatores contexunt. intus in media naſſa Strombus piſcis illecebra appenditur, ad eam alliciendam: Purpura maiorem in modum linguam diſtendere contendens, eò pertingere & Strombum ipſum aſſequi conatur: & ne ab eſca quam ligurit, aberret, omnem eam neceſſe habet exerere: itaque ipſa exerta ſugit eſcam: quoad plenitudine intumeſcentem retrahere non quit: vnde fit, vt eam piſcator liguritione irretitam comprehendat, Ælianus de animalibus 7. 34. ex Oppiani Halieuticorum quinto: qui κυρτίδας, id eſt naſſas exiguas huiusmodi, calathis (ταλάροις) ſimiles è viminibus necti canit. Phœnices hoc tempore purpuras hunc in modum capiunt, & vellus inde aſpectu floridum tingunt. Funem oblongum validumque, vt in mari durari poſſit, demittunt. ei modicis interuallis vaſa quædam (*exigua*, κυψέλας) veluti tintinabula quædam (κώδωνας, *nimirum quod ad figuram*) addunt, è ſparto, ſeu vimine aliquo iuncó ve contexta. ea circa ingreſſum rigentibus extremis iuncis aut viminibus hirſuta aſperaque ſunt, ita vt ingredienti cedant, dilatato facilè introitu, regreſſum autem aduerſo rigore arceant. Sic funem inſtructum, eſcis quoque in naſſulas impoſitis, loco petroſo purpurarij demittunt, ſubere alligato in ſummo, quo ſuſtineatur. Sic nocte vna intermiſſa, aut etiam die vt plurimùm, vaſa conchis repleta extrahunt, Pollux. Capiuntur ἐν φορμίσιν, Ariſtot. hiſtoriæ 5. 15. Gaza tegetes & crates interpretatur, quam ſignificationem alibi fortè hoc vocabulum habet, (quoniam ſtoreæ huiusmodi ſimiliter è iuncis texi ſolent:) at hoc in loco naſſas potiùs, vel naſſis ſimilia retia interpretarer. nam & paulò pòſt eadem vaſa philoſophus κύρτους appellat. Et Plinius: Capiuntur (inquit) paruulis rariſque texu veluti naſſis, &c. Sed plura de his nominibus, φορμὸς primitiuo: & diminutiuis, φορμὶς, φορμίσκος, φόρμιον, φορμίδιον, apud Varinum, Pollucem alioſque reperies. Ælianus de animalibus 17. 18. pro naſſa φερνίον dixit: aliqui πόρκον pro eadem, aut reti eiusdem formæ. vide ſuprà in Porcis piſcibus. Purpuræ carniuoræ ſunt, & eſca huiusmodi capiuntur: quanquam ijs etiam quæ

Captura. *φορμίς.*

iam quæ mari pullulant,alliciuntur,Aristot.Et alibi: Escas putidas eis purpurarij emoliuntur: & accedunt ipsæ ad eiusmodi escam à longè,vtpote odorantes.Fœtidis capiuntur,Plinius.Carnibus ranarũ(*rubetarum Isidorus & Albertus*)vel hamo additis,præcipuè purpuras certum est allici:Plinius, nescio quàm rectè, vix enim hamo eas capi crediderim.Hicesius scribit purpuratores chamis ad inescandũ vti. Tarentinus escam quandam ad polypos describit,qua purpuræ etiam illiciantur.eam in Polypo recitauimus. Purpuræ captæ diebus quinquagenis viuunt saliua sua,Plinius.Viuit purpura extra mare quæ capta est, dies circiter quinquaginta.alit altera alteram,eo quod sua testa gnatum,veluti algam muscúmve gerit. quæ autem pro cibo iis afferunt,ponderis causa adhiberi aiunt,vt in libra sint grauiores, Aristot. Limosa regio idonea est purpuris(nutriendis,aliisque conchis)Columella de piscinis loquens.

Tinctura.

Deinceps de purpura,non concha,sed colore tincturáue,dicendum.nam,vt cum Plinio dicam,si hactenus transcurrat expositio,fraudatam profectò se luxuria credat,nosque indiligentiæ damnet.quamobrem prosequemur etiam officinas,vt tanquam in vita frugum noscitur ratio, sic omnes qui istis gaudent, præmia vitæ suæ calleant. Ad purpuræ tincturam pertinent etiam quæ suprà in Murice E. & Conchylio E. diximus. Purpuræ quidem appellatione buccinum & conchylium contineri, leges suprà in Conchylio a.

Inuentio.

Tyrij hæc de purpuræ inuentione dicunt: Cùm canis Herculis in saxo adrepentem purpurã vidisset, eminentem extra conchas,carnem exedisse, & illius sanie sua labra puniceo colore tinxisse: vt autem venisset heros ad puellam nomine Tyro,quam in amore habebat,ipsaque canis labra insolito colore purpurascere animaduertisset,dixit se non fore ampliùs in Herculis amore,nisi sibi vestem ex eadem tinctura, qua canis os efflorescebat, splendidiorem quoque,conficeret. Quamobrem Hercules ex bestia studiosè conquisita saniem collectam puellæ attulit, Gillius ex Pollucis Onomastici 1.4. vnde Politianus etiam pereleganter transtulit Miscellaneorum capite 12.Nos igitur(inquit ibidem Politianus)in Rustico nostro, propter hoc ipsum concham diximus Herculeam,cùm purpuram significaremus. Porrò autem Nonni poëtæ versiculi super hac ipsa fabula,sic in libro quadragesimo Dionysiacôn inueniuntur:

Καὶ Τυρίῃ σκοπίαζε δεδυμένα φάρεα κόχλῳ,
Πορφυρέης σπινθῆρας ἀκοντίζοντα θαλάσσης:
ἧχι κύων ἁλιεργὸς ἐπ' αἰγιαλοῖσιν ἐρέπτων
Ἑρδόμυχον χαροπῇσι γενειάσι θέσκελον ἰχθὺν.
Χιονέας πόρφυρε παρηΐδας, ἔνδοθι κόχλῃ
Χείλεα φοινίξας διερῷ πυρὶ: τῷ ποτεμύνῳ
Φαιδρὸν ἁλιχλαίνων ἐρυθαίνετο φᾶρος ἀνάκτων.

Purpuræ sic inuentæ meminit etiam Cassiodorus Variarũ 1.2. Purpuræ vsum nostris temporibus prorsus ignotum esse,inter doctos conuenit.Mirum tamen hoc videtur, (inquit Baysius,) cùm in Carteia Beticæ prouincia olim murices & purpuras nobiles(conchis vel decẽ cotylas capientibus) ex Strabone constet. In Sardinia quoque fuisse constat ex prouerbio Tinctura Sardonica,&c. Miretur etiam aliquis nõ in Europa solùm,& Romæ(vbi purpuræ vsum semper fuisse Plinius tradit,) sed Africa quoque & Asia, & toto terrarum orbe defecisse:cùm ex Africa olim Asiaq; & Persis etiam peteretur, eorum quidem qui nostro seculo varias & remotissimas nauigationes aliásque peregrinationes literis mandarunt, purpuræ (quod sciam) nullus meminit.

Dignatio.

Purpura (*Rori purpuræ*) falces securesque Romanæ viam faciunt: idemque pro maiestate pueritię est.Distinguit ab equite curiam,diis aduocatur placandis,omnemq́ue vestem illuminat.in triumphali miscetur auro. quapropter excusata & purpuræ sit insania, Plinius. Pollux inter honores & præmia purpuram nominat.Imperatores Romani priuatis purpuræ vsum interdixerunt, in titulo, Quæ res vendi non possunt,libro quarto Codicis. Purpuræ tinctores & qui eam aduehererent, à vectigalibus immunes erant,Græcus quidam incertus.

Sanguis,sanies,&c.synonyma.

Sanguis non in cunctis terrestribus est. verùm simile quiddam: vt sepiæ in mari sanguinis vicem atramentum obtinet, purpurarum generi infector ille succus,Plinius. Cum fauificant purpuræ,tunc deterrimum habent florem,quem liquorem siue succum & florem,& rorem, & Sarranum,& Tyrium, & saniem, & Pelagium Latinis vocatum reperio, præsertimque ostrum à Vitruuio libro octauo,Massarius.Vocatur & ostrum,& fucus:vide infra in H.e. Pollux λύθρον, id est cruorem vel saniem vocat:aliqui etiam ἄνθος ex Græcis,id est florem. Plinius succum & rorem dixit: quem mixobarbarus Albertus malè intellexit.scribit enim:Verno tempore per rorem haustum, liquorem preciosum ore saliuat, quasi spumando.Habent autem reuerà, vt Aristoteles docet, florem inter papauer & collum appellatum intrinsecus. Purpuræ florem illum tingendis expetitum vestibus,in mediis habent faucibus. liquoris hic minimi est,in candida vena: vnde preciosus ille bibitur nigrantis rosæ colore sublucens. reliquum corpus sterile,Plinius.dixit autẽ sterile vbi Aristoteles habet στυπτηρίας, id est aluminis.

Purpurei coloris varietas.

Purpura pro Sôlis propinquitate colorem habet:& puniceum quidem procreat Africa,id est, quasi violaceum colorem: Tyros autem rubeum, Vitruuius libro 7. Constat purpuram colorem varium præ se ferre ad Solem, ac Lunam, & Lucernam,Diogenes Laërtius lib. 9. Purpuræ in finibus(*vel pelagiæ*)magnæ scabræq́ue sunt, flos magna ex parte niger,in nonnullis rubescit.paruæ ad litora & oras reperiuntur,flore rubro.partes itẽ Aquiloniæ nigras, Austrinæ rubras magna ex parte ferunt, Aristot. Pro apparatu etiã & mixtura diuersis color variat,vt in progressu dicetur.

Viuas capi oportere.

Viuas capere contendũt:quia cũ vita succum eũ euomũt. Et maioribus quidẽ purpuris detracta concha auferunt:minores cum trapetis frangunt,ita demum rorẽ eum excipientes Tyrij,Plinius.

Tinctura modus & ratio.

Phœnices purpurarum captarum testas confringunt,& carnes ad tincturam condiunt,& aqua dilutas, & sordibus expurgatas,succensis ignibus in lebete coquunt:earum sanguis vt ab igne incalescit,fluit & efflorescit,partimque flauescit,partim cyaneo colore fit,partim in alium colorem cõuertitur: ac iã quicquid imposueris,in illius colorem cõmutatur, Gillius ex Onomastico Pollucis 1.4. vbi verba aliquot prima, quæ Græcè leguntur: *Ἔπειτα κοψάμενοι τὸ ὄστρακον ἐν ταυτῷ καὶ τὴν σάρκα, ταριχεύσαντές τε ἐπὶ διδασκαλίαν, ὕδατι τὴν ἅλσιν ἐκκαθήραντες, ἐνέψουσιν ἐμπύρῳ λέβητι τὸ θήραμα τὸ θαλάττιον: sic interpretor,aliter quàm Gillius.Phœnices captis purpuris testas simul & carnes tundunt, & deinde condiunt (*sale nimirum vel nitro saniei admixto*)vt color firmior ac tenacior fiat,& sordibus aqua ablutis, (*primum videtur vt tundantur, secundum vt lauentur, tertium vt flos eximatur, condiatur, coquatur,*)in lebete ad ignem coquunt.

Ex Plinio.

Eâdem de re Plinium audiamus. Capi eas post Canis ortum, aut ante vernum tempus vtilissimum: quoniam cum fœtificauere fluxos habent succos. Sed id tingentum officinæ ignorant,cùm summa vertatur in eo. Eximitur posteà vena quam diximus,cui addi salem necessarium, sextarios fermè in libras centenas. Macerari triduo, iustum. Quippe maior vis tanto quanto recentior. Feruere in plumbo, singulisque aquæ amphoris centenas

atque quinquagenas medicaminis libras æquari, ac modico vapore torreri, & ideo longinquæ fornacis cuniculo. Ita despumatis subinde carnibus, quas hæsisse venis necesse est, decimo fermè die liquata cortina, vellus elutriatum mergitur in experimentum: & donec spei satisfiat, vritur liquor. Rubens color nigrante deterior. Quinis lana potat horis, rursúsque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem. Buccinum per se damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio admodum alligatur, nimiæque eius nigritiæ dat austeritatem illam nitorémque, qui quæritur cocci. Ita permixtis viribus alterum altero excitatur aut astringitur. Summa medicaminum in libras vellerum, buccini ducentæ, Pelagij cxi. Ita fit amethysti color eximius ille. At Tyrius(*color aut fucus*) pelagio primum satiatur immatura viridíque cortina: mox permutatur in buccino. Laus ei summa, color sanguinis concreti, nigricans aspectu, idémque suspectu refulgens: vnde & Homero purpureus dicitur sanguis, Hæc ille.

Propensa Plinij verba.

In recitatis iam Plinij verbis Massarius vaporem interpretatur teporem, ex aliquot aliis Plinij locis, vbi similiter hoc vocabulo vsus est.& cuniculum pro vaporario fornacis.cortinam pro vase æreo, quod vulgò cardarium appellant, in quo vellera tingi solent.nam & alibi æreas cortinas nominat. Pro vellere elutriato, ipse(inquit)potiùs legerem vellus elutatum, hoc est luto & sordibus depurgatum, vel quod priùs aquam foris transmiserit. nam elutriatũ dicitur ab elutriare,h.e. de vase in vas transferre, quod Latinè quanquam rariùs, dicimus transuasare. Deinde super his Plinij verbis: Tyrius pelagio primùm satiatur immatura viridíque cortina, sic scribit: Quid velit modo Plinius significare per cortinam, haud satis intelligo: verùm si diuinare fas est, quoniam dixit immatura viridíque, plantam aut certè fructum intellexisse arbitror. Plinius enim libro vigesimo secundo inquit, Transalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit, omnésque alios colores. nec quærit in profundis murices. quid igitur si legeretur immaturo viridíque cotino? Est enim cotinus ex ipso Plinio libro decimo sexto in Apennino frutex ad liniamenta modo conchylij colore insignis,&c. Cytino quoque, hoc est flore satiuæ punicæ legi posse monuissem, ni Plinius ipse cæteris authoribus aduersari videretur.nam flores in cytino erumpentes tingendis vestibus balaustia appellauit, & pomum ipsum immaturum & primum partum eius cytinon: cùm Dioscorides, Galenus, & Paulus cytinon in satiua & balaustium in syluestri punica florem appellauerint, Hæc Massarius. Ego in Plinij verbis nihil mutârim, cùm nihil ex autoribus testimonij solidi proferri possit. nam cotini fruticis solus Plinius, & semel meminit. Licet autem immaturam viridémque cortinam interpretari succum ipsum siue pelagium qui in cortina decoquitur, per synecdochen, antequam plenè sit coctus. coctione enim quodammodo maturescit. Viride quidem non de colore solùm dicitur, sed de immaturo etiam & recente. Purpurarius piscator, si postquam purpuram non in hominum cibum, sed ad tingendas lanas comprehenderit, inexhaustum, constantem & genuinum velit fieri colorem, & perfectè tinctum, vno saxi ictu purpuram vnà cum testa interimit. Quòd si leuior plaga inferatur, & etiam nunc viuens relinquatur, atque iterum lapide percutiatur, ad tincturam fit inutilis. nam ex eo dolore tincturam amittit, siue illa per eius corpus dispersa imbibatur, siue aliter effluat. Quod quidem ipsum præclarè Homerum intellexisse dicunt. Idcircóque vno ictu celeriter morientes purpurea morte affici ait, peruulgatum suis versibus illud canens:

Mors purpurea. Iliad. E.

*Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή: *Purpurea illum mors, violentaq́, Parca peremit.*

Ælianus de animalibus 16.1. Sed purpuream mortem simpliciùs cruentam interpretari licet, hoc est violentam. Athenæus libro 12. in scenæ Alexandri descriptione: Præcepit (inquit) Alexander Ionicis ciuitatibus per literas, & primùm Chiis, vt purpuram ad se mitterent. volebat enim socios omnes stolis purpureis ornari. Et cùm epistola Chiis prælegeretur in præsentia Theocriti illius sapientis: nunc primùm, dixit, intelligo carmen illud Homeri, Τὸν δ' ἔλε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή Eandem historiam ex Athenæo repetit Eustathius in Illiad. Υ. & addit Theocritum mortis purpureæ nomine insinuasse vel violentam, qualem purpuræ conchæ propter tincturam patiuntur: vel quód purpurarij si quo dolo vterentur, morte multandi essent, Hæc ille. sed mortis nomine inopiam, & paupertatem fortassis intellexit Theocritus, ad quam redigendi essent Chij, purpuras, id est res preciosissimas quas haberent, Alexandro dare coacti: nisi parérent, morituri. Vide etiam infrà in H. a. Non est satis abstulisse gemmæ nomen amethystum, rursum absolutus inebriatur Tyrio, vt sit ex vtroque nomen improbum, simúlque luxuria duplex: & cum confecere conchylia transire meliùs in Tyrium putant. Pœnitentia hoc primum debet inuenisse, artifice mutante quod damnabat: inde ratione nata, votum quoque factum è vitio portentosis ingeniis, & gemina demonstrata via luxuriæ, vt color alius operiretur alio, suauior ita fieri leniórque dictus. Quin & terrena miscere, coccóque tinctum Tyrio tingere vt fieret hysginum, Plinius. Ouidius amethystos purpureos dixit: Hic baphias, hic purpureos amethystos. Martialis in primo amethystinas mulierum vocat vestes. Inde amethystinatus. Martialis in secundo: Hic quem videtis gressibus vagis lentum, Amethystinatus media qui secat septa. Iam & ille addito Tyrio, Tyriamethystus dictus, Baysius.

Ianthina.

Idem ianthina vestimenta, (vt Plinius & Martialis nominant,) purpura violacea infecta interpretatur. Ion enim (inquit) Latini violam dicunt. Purpureæ (violæ, ex Plinij libro 21.) latiore folio, solæ Græco nomine à cæteris discernuntur, appellatæ ia: & ab iis ianthina vestis. Sic enim legendum ex emendatissimo codice. qui colos à Græcis ἰοειδὴς dicitur, (cuius meminit) Iulius Pollux in decimo. Martialis in secundo: Coccina famosæ donas & ianthina mœchæ. Luxuria enim (vt ait Plinius) vestibus prouocauit eos flores, qui colore commendantur. Hos animaduerto tres esse principales. Vnum in cocco, qui in rosis micat: gratius nihil traditur aspectu. & in purpura Tyria, dibapháque Laconica. Alium in amethysto, qui in viola, & ipsum purpureum: quémque ianthinum appellamus. Genera enim tractamus in species multa sese spargentia. Tertius est qui propriè conchylij intelligitur, multis modis. Vnus in heliotropio: & in aliquo ex iis plerunque saturatior, alius in malua ad purpuram inclinans: alius in viola serotina conchyliorum vegetissima. Sic enim legendum censeo.

Hyacinthina.

Nec tamen me fallit ab Hyacintho flore dici etiamnum hyacinthina ea vestimenta, quæ cum eius floris colore certant, vel etiam eiusdem nominis Lapide. Persius: Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est. Magnum sanè discrimen esse inter amethystinum & hyacinthinum, palàm fit ex Plinio libro 37. vbi de hyacinthis: Multum ab eo distat hyacinthos, tamen è vicino descendens differentia, quòd ille emicans in amethysto fulgor

violaceus, dilutus est in hyacintho, primoq; aspectu gratus euanescit, adeóque non implet oculos, vt penè non attingat, marcescens celeriùs nominis sui flore. Quibus verbis videre est ianthinum, id est violaceum legendum apud Plinium, non autem Hyacinthinum, Baysius. Dibapha dicebantur purpurea vestimenta bis tincta, vt & saturatior in eis color & firmior insideret. Curtius noster dibaphum cogitat, sed eum inferior moratur, Tullius epistolarum 2. ad Cælium. Et ad Atticum: Proinde isti licet faciant quos volent Coss. tribunos pleb. etiam: deinde Vatinij strumam, sacerdotij διβάφῳ vestiant. Rubræ Tarentinæ (purpuræ) successit dibapha Tyria, &c. Plinius vt recitabimus infrà in precij mentione. De lanis bis murice tinctis testimonia poëtarum quorundam retuli in Murice E. Aut bis in Herculea Milesia vellera concha Versantur, Politianus. Purpura eodem conchylio non in vnum modum exit. interest quantum macerata sit, crassius medicamentum an aquatius traxerit, sæpiùs mersa sit, an excocta, an semel tincta, Seneca lib. 1. Nat. quæst.

Dibapha.

Ex Cassiodori Variarum libro 1. epistola 11. ad Theonium virum senatorem.

Comitis Stephani insinuatione comperimus, Sacræ vestis operam, quam nos volumus necessaria festinatione compleri, disrupto labore pendere. Tu verò cursum subtrahendo solennem, abominandam potius inferre cognosceris tarditatem. Credimus enim aliquem prouenisse neglectum, vt crines illi lactei (*sericum album*) carneo poculo bis térque satiati pulcherrima minus ebrietate rubuerint, aut lanæ non hauserint adorandi muricis preciosissimam qualitatem. Quapropter si perscrutator Hydruntini maris intusa conchylia solenniter condidisset (*condiuisset*) apto tempore, aceruus ille Neptunius generator florentis semper purpuræ, *hornator soli, aquarum copia resolutus, imbrem aulicum flammeo liquore laxauerat. Color nimio lepore vernans, obscuritas rubens, nigredo sanguinea, regnantem discernit, deinde conspicuum facit, & præstat humano generi ne de aspectu principis possit errari. Mirum est substantiam illam morte confectam, cruorem de se post spacia tam longi temporis exundare, qui solet viuis corporibus vulnere sauciatis effluere. Nam cùm sex penè mensibus marinæ deliciæ à vitali fuerint vigore separatæ, sagacibus naribus nesciunt esse grauissimæ, scilicet ne sanguis ille nobilis aliquid spiraret horroris. Hæc cum infecta semel substantia perseuerat, nescia ante subtrahi quàm vestis possit assumi, (*absumi.*) Quòd si conchyliorū qualitas non mutatur, si torcularis illius vna vindemia est, culpa nimirùm artificis erit, cui se copia nulla subtraxit. in illis autem rubicundis fontibus, cùm albentis comas serici doctus moderator intinxerit, habere debet corporis purissimam castitatem, quia talium rerum secreta refugere dicuntur immunda. Et mox: Si salutis propriæ te tangit affectus, intra illum diem imminente tibi harum portitore cum blatta quam nostro cubiculo dare annis singulis consueuisti venire festina.

Dignus morte perit, cœnet licet ostrea centum Gaurana & toto Cosmi mergatur aheno, Iuuen. Sat. 8.

Ad aliqua nitrum sordidum præstat, tanquam (*Hermolaus pro tanquam, legit tantum*) ad inficiendas purpuras tincturasq; omnes. Plin. Ἄλλα γὰρ ἄλλοις οἰκεῖα καὶ πρόσφορα, καθάπερ τὰς μὲν πορφύρας ὁ κύαμος, τῆς δὲ κόκκου τὸ νίτρον δοκεῖ τὴν βαφὴν ἄγειν (fortè αὐξάνειν, vel περαίνειν) μεμιγμένον, Plutarchus in libro de oraculis defectis. Μήλοθρα, (malim per o. magnum in penultima, vt inferiùs quoque,) βάμματα: οἱ δὲ, τὸ τῶν δερμάτων βάμμα: ἄλλοι, τὸ χρῶμα τῆς πορφύρας. οἱ δὲ, καλλωπίσματα, Varinus. Et rursus: μήλωθρα, τὰ πορφυρᾶ βάμματα. Nonius in verbo Sufficere, citat hæc verba Ciceronis ex Hortensio: Vt ij qui conuiuij purpuram tuo sufficiunt, prius sanè medicamentis quibusdam. Idem locus, vt Michaël Beninus obseruauit, in verbo imbuere ab eodem Nonio alibi citatur, integrior, non prorsus tamen sine mendo: Vti (inquit) qui purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam: sic literis talibusq; doctrinis ante excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui & præparari decet. Vt purpuræ flos quàm diutissimè recens conseruetur mel admixtum facit. Vide inferiùs in Hermionica purpura. Aristoteles in libro de coloribus causam inquirens mutationis colorum in floribus (seu foliis) & fructibus stirpium, sic scribit: Τὰ μὲν οὖν φύλλα (vel potiùs ἄνθη) διὰ μικρότητα τῆς τροφῆς ταχέως ἐκπέττεται: οἱ δὲ καρποὶ διὰ τὸ πλῆθος τῆς ἐργασίας, εἰς πάσας ἅμα τὰς τελειώσεις κατὰ φύσιν χρόας μεταβάλλουσι. φανερὸν δὲ τοῦτό ἐστι καθάπερ εἴρηται πρότερον καὶ ἐπὶ τῶν βαπτομένων ἀνθῶν, (aliâs ὥσπερ ἐπὶ τῶν βαπτομένων ἱματίων γίνεται.) τὰ μὲν γὰρ ἐξ ἀρχῆς ὅταν βάπτοντες (aliâs additur τὴν πορφύραν) τὰς ἁλουργίδας (fortè ἁλουργίδας,) ὄρφνιαι γίνονται, καὶ μέλαιναι, καὶ ἀεροειδεῖς. τοῦ δ᾽ ἄνθους συνεψηθέντος ἱκανῶς, ἁλουργὸν, εὐανθὲς γίνεται καὶ λαμπρόν. Purpuræ tinctura in sole versari gaudet, à sole enim radiata illuminatur & magis enitescit: Gillius, ex Polluce: cuius elegantissima verba Græca committere non possum vt ommittam: Χαίρει δὲ ἡλίῳ ὁμιλοῦσα τῆς πορφύρας ἡ βαφὴ: καὶ ἡ ἀκτὶς αὐτὴν ἀναπυρσεύει, καὶ πλείω ποιεῖ καὶ φαιδροτέραν τὴν αὐγὴν, ἐκφοινισσομένην ἐκ τοῦ ἄνω πυρός. Sunt quidam colores qui ex interuallo vim suam ostendunt. Purpuram Tyriam quò melior saturiorq; est eò oportet vt altiùs teneas, vt fulgorem suum ostendat, Seneca libro 1. Nat. quæst. Purpuram quoque à mulieribus silente luna menstruatis pollui aiunt, Plinius. Cinis (de veste mensibus polluta) si quis aspergat lauandis vestibus, purpuras mutat, florem coloribus adimit, idem. Prouerbium Purpura gulosior, Apollodorus à tinctura sumptum ait, secundum aliquos quicquid enim attigerit, illam ad se trahere, & appositis communicare lucis suæ fulgorem. secundum alios verò ab ipso animali, Athenæus.

Purpura natura.

Conchylia & purpuras omnis ora (*hora*) atterit: quibus eadem mater luxuria paria penè etiam margaritis precia fecit, Plinius. proximè autem dixerat de margaritis, æternæ propè possessionis eas esse, & sequi hæredem. Et alibi: Pretia medicamento sunt quidem pro fertilitate litorum viliora: non tamen vsquam pelagij libras quinquagenos nummos excedere, & buccini centenos, sciant, qui ista mercantur immenso. Sed alia sunt è fine initia: iuuátque ludere impendio, & lusus geminare miscendo iterum, & ipsa adulterare adulteria naturæ: sicut testudines tingere: argentum auro confundere, vt electra fiant: addere his æra, vt Corinthia. Plinius pelagij, id est purpuræ genus in libras quinquagenos, nummos & buccini cētenos ponit: id est, quinquaginta solidos, & centenos. nummū pro solido nostro (Gallico) accipio, ex Budæo, Baysius. Nepos Cornelius qui diui Augusti principatu obijt: Me, inquit, iuuene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centū veniebat, nec multò pòst rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac Lentulus Spinter ædilis curulis primus in prætexta vsus improbabatur: Qua purpura quis non iam, inquit, triclinaria facit? Spinter ædilis fuit vrbis conditæ anno septin-

Precium.

septingentesimo, Cicerone cons. Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio. Qualiter nunc omnes penè commodiores purpuræ tinguntur, Plinius. Purpuræ violaceæ libra denariis centum constabat, id est, decem aureis solatis, Baysius: libris Turonicis viginti, Robertus Cenalis. dibapha Tyria, denariis mille, id est, mille Iuliis, vel centum aureis Solis, Baysius: libris Turonicis ducentis, Rob. Cenalis. Purpura olim vel regibus rara & expetita erat, tanti quidem precij vt æquali argento penderetur, Theopompus apud Athenæum. Cùm ab Aureliano vxor peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur, ille respondit: Absit vt auro fila pensentur. libra enim auri tunc libra serici fuit, Fl. Vopiscus. Emit lacernas millibus decem (coronatis ducentis quinquaginta) Bassus Tyrias, coloris optimi, Martialis. Et in Mancinum: Millibus decem dixti Emptas lacernas munus esse Pompillæ. Idem Martialis in Proculeiam libro decimo (inquit Baysius) vestis purpureæ immensum precium ponit. quam trabeam fuisse puto vel togam pictam. Ludit in vxorem quæ diuertit à viro, propterea quòd prætor esset renunciatus:

Quid rogo, quid factum est? subiti quæ causa doloris? Nil mihi respondes? Dicam ego, Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum Millibus, vt nimiùm munera parca dares.

Per Megalensem purpuram intelligit togam pictam, qua ornabantur prætores celebrandis Megalensibus ludis. Iuuenalis enim inter ornamenta prætorum adnumerat trabeam.

Megalensis purpura.

-- quum non essent vrbibus illis Prætexta & trabeæ.

Et alibi:-- *Megalesiacæ spectacula mappæ, Idæum solenne colunt, similique triumpho Prædo caballorum prætor sedet.*

Deinde pluribus de prætexta & toga picta insertis: Sed ad Martialem (inquit) reuertamur: qui cum ait, centum millibus, sestertiûm intellige. Vel fortasse Megalensis purpura accipienda est ea, quæ à prætoribus in ornatum chori in ludis illis, partim emebatur, partim conducebatur, partim etiam commodatò rogabatur. Cuius meminit Plutarchus in Lucullo: vbi loquitur de quodam prætore de spectaculis ambitiosè sollicito: qui cùm à Lucullo in chori ornatum chlamydes purpureas peteret, respondit, inspecturum se si domi haberet, daturumque. postridiè verò interrogauit eum quot sibi esset opus. illo autem affirmante centum sufficere, iussit accipere bis totidem. Hactenus Plutarchus, qui ex Horatio hæc sumpsisse videtur, epistola ad Numitium, dum ait:

---- Chlamydes Lucullus, vt aiunt Si posset centum scenæ præbere rogatus,
Qui possim tot? ait: tamen & quæram, & quot habebo Mittam. pòst paulò scribit sibi millia quinque
Esse domi chlamydum, partem vel tolleret omneis. Exilis domus est, vbi non & multa supersunt.

Corpus (*mulierum diuitum*) si venderetur, nemo Atticis (*subaudio drachmis*) millenis emeret: cui operiendo vestē ille talentorū decem milibus (aliquando) ementes, seipsas multò propria veste viliores minorisq; precij arguunt, Clemens Pædagogi 2.10. Qui purpuram adulterassent, capite plectebantur, Varinus.

Purpura quibus ex locis apud veteres commendata fuerit, alphabetica enumeratio.

Purpuræ ros præcipuus est in Meninge AFRICÆ, Plinius. Vide infrà in Meninge. Africa punicei coloris purpuram procreat, Vitruuius. A

AQVINATES purpuræ similes sunt Tyrijs: Acron, explicans illud Horatij epistolarum 1.10.

Non qui Sidonio contendere callidus ostro Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propriúsve medullis: Quàm qui non poterit vero distinguere falsum.

ASIÆ præcipuus est purpuræ ros, Plinius.

COÆ purpuræ nominantur ab Horatio, quarto Carminum. *Spartana chlamys, conchylia Coa,* Iuuenalis Satyra 8. C

CYZICENA. Vide infrà in prouerbijs, in h.

GETVLO litore Oceani præcipua est purpura, Plinius. Et alibi: Ebori citroque syluæ exquiruntur, omnes scopuli Getuli muricibus ac purpuris. Item: Purpurissum Puteolanum laudatur potiùs quàm Tyrium, aut Getulicum, vel Laconicum, vnde preciosissimæ purpuræ. G

Susis ab Alexandro captis memorabilis purpuræ vis & copia, in ipsius deuenit potestatem. Vbi aiunt (inquit in Alexandro Plutarchus) & purpuræ HERMIONICÆ (πορφύρας Ἑρμιονικῆς) inuenta quinquaginta millia talenta, repositæ quidem ab annis fermè ducentis, recentemq; adhuc coloris florem nouúmque seruantis. Huiusce verò rei causam adferunt, quòd infectura purpuræ ex melle facta sit, τὸ τὴν βαφὴν διὰ μέλιτος γίνεσθαι τῶν ἁλουργῶν. De Hermione oppido Græciæ, vide Onomasticon nostrum. H

A Tyro est Hydron (*Hidruntum*) Italica (*Ciuitas.*) aulicum profectò vestiarium, non antiqua custodiens, sed ingiter nouella transmittens, Cassiodorus Variarum 1.2.

Ros purpuræ præcipuus est Asiæ, & in LACONICA Europæ, Plinius. Purpurissum Puteolanum laudatur potiùs quàm Tyrium, aut Getulicum, vel Laconicum, vnde preciosissimæ purpuræ, Idem. Laconicæ purpuræ celebrantur ab Horatio, secundo Carminum. *Spartana chlamys, conchylia Coa*, Iuuenalis Sat. 8. Conchas ad tincturam purpuræ, maritimæ partes Laconicæ, post Phœnicum mare aptissimas præbent, Pausanias in Laconicis. Vide etiam Oebalis inferiùs. L

Purpura MAVRA nominatur, à Valeriano apud Trebellium Pollionem in epistola. M

MOLIBOEA purpura, à nomine insulæ, in qua tingitur, est dicta, Festus.

---- Melibœaque fulgens
Purpura Thessalico concharum tecta colore,
Aurea pauonum rident imbuta lepôre,

Lucretius libro 2. A Vergilio etiam quinto Aeneidos Melibœa cognominatur.

Præcipua est in MENINGE Africæ, Plinius. Meninx insula Africæ est, non longè à Syrtibus distans, quam Lotophagorum terram putant: cuius Homerus meminit, vbi fuit Vlyxis ara, quæ oppidum habet eodem nomine: Plinius, Strabo, Ptolemæus, Massarius.

In MVZA emporio ad mare rubrum habetur purpura tum eximia, tum vulgaris, Arrianus (si benè memini) in Periplo.

O OEBALIS purpura cognominatur à Statio, Syluarum 1. Laconicam interpretor, quæ alio nomine Oebalia dicitur.

P A duobus emporiis PERSIDIS, quorum vnum Apologi, alterum Omana vocant, in Arabiam auehitur purpura, Arrianus in Periplo,

Post PHOENICVM mare, cochleas tingendæ purpuræ aptissimas, maritimæ partes Laconicæ præbent, Pausanias in Laconicis. Vide plura mox in Tyria purpura.

Purpurissum (quod cum purpuris pariter tingitur) PVTEOLANVM laudatur potiùs quàm Tyrium, aut Getulicum, vel Laconicum, vnde preciosissimæ purpuræ, Plinius.

S In SARDINIA insulæ purpuræ excellentes tingebantur: vt referemus infrà inter prouerbia.

Ostrum SARRANVM dicitur à Sar vrbe Phœniciæ. Vide mox in Tyria purpura.

SIDONIVM ostrum dixit Horatius. Vide superiùs Aquinates. Est autem Sidon vrbs Syriæ: vnde & Sindones dictas coniicio, & sericum à nostris Syden.

Qua preciosa Tyros rubeat, qua purpura succo Sidoniis iterata vadis, Statius in Propemptico Metij Celeris.

SPARTANA. Quære suprà in Laconica.

SVCCVBITANAM dicunt purpuram quandóque ab Aphricæ oppido, quod Succubi vocant, Cælius Rhod. Valerianus in epistola apud Trebellium Pollionem, Claudio qui posteà Cæsar factus, dari præcipit à procuratore Syriæ albam subsericam vnam cum purpura Succubitana, subarmale vnum cum purpu-

T ra Maura.

Me iuuene purpura violacea vigebat, nec multò pòst rubra TARENTINA, Cor. Nepos. Ταραντινὸν ἱμάτιον, Tarentinum vestimentum, tenue & translucidum, non omnino purpureum, vt quidam putarunt. dicuntur) & Tarentinæ tincturæ, Varinus. Ταραντῖναι. αἵματι *βαφαί. τινὲς δὲ τὰς πορφυρᾶς (ἐσθῆτας,) Hesychius.

Melibœaq; fulgens Purpura Thessalico concharum tecta colore, Lucretius lib. 2.

TYRI nobilitas nunc omnis conchylio atque purpura constat, Plinius. Tyrij dicuntur à Tyro Phœnices insula, vbi purpuræ nobilissimæ producuntur. Tyria enim purpura omnium optima Straboni, Plinio, cæteris perhibetur, Massarius. Hic purpurarum flos nullibi in tota Asia, quàm qui in Tyro insula pretiosior reperitur. Nam flos purpuræ Tyriæ cæteris purpurarum floribus gratior est. hinc vestes purpureæ, Tyriæ atque Sarranæ dictæ sunt, Idem. Tyrus quondam Sarra dicta est, vnde Sarrana apud Iuuenalem. Dicuntur quoque absolutè Tyriæ, vestes purpura Tyria infectæ.

Ouidius: *Siue erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus.*

Martialis in primo: *Hispanas, Tyriásque coccinásque.* Tyriæ quoque lacernæ

Martialis: *Vt lutulenta linat Tyrias mihi multa lacernas*, Bayfius.

Puniceum colorem procreat Africa, Tyros autem rubeum, Vitruuius lib. 7. Tyrius absolutè videtur color à Plinio dictus. nam cùm de purpura amethysti colore dixisset, addit: At Tyrio laus summa color sanguinis concreti, nigricans aspectu, &c. De Tyria dibapha eiúsque pretio, ex Plinio quædam scripsi suprà in precij mentione. Phœnices nauigatione semper omnibus præstitere: idem purpurarum piscatu, (τοῖς πορφυρείοις, *malim per ω. in penultima: vt πορφυρεῖον fortè accipiatur pro officina seu taberna purpuraria, in qua purpuræ aut fiunt aut venduntur.*) Tyria enim purpura optima omnium perhibetur (ἐξήτασαι πολὺ καλλίστη πασῶν:) ac piscatio ipsa proxima est, & cætera omnia quæ ad inficiendas vestes pertinent, abundè habet. Et quanquam maxima tinctorum multitudo vrbem reddat paulò grauiorem, δυσδιάγωγον, *inhabitationi minùs idoneam, nescio an propter hominum multitudinem, an odoris fortè grauitatem:*) eo nomine tamen locupletior efficitur. Propter hanc autem virtutem (διὰ τὴν τοιαύτην ἀνδρείαν, *circa nauigationem nimirum: alioquin etiam purpurariis olim data immunitas*) non solùm à regibus libertate donati sunt, sed à Romanis etiam paruis impensis eadem eis confirmata est, Strabo lib. 16.

Tyrióque ardebat murice læna, Vergilius 4. Æneid. *Nec quæ de Tyrio murice lana rubet*, Ouidius. *Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo*, Iuuenalis Sat. 7. Stlata genus nauigij est Festo, à latitudine dictum, vt stlitem pro lite dicebant antiqui. inde stlatarius adiectiuum, quod mari portatum est, quasi stlata aduectum. *Quà pretiosa Tyros rubeat*, Statius. Purpuræ Tyriæ meminit Cicero pro Flacco. Vide etiam superiùs in Phœnicum mentione. Purpurissum Puteolanum laudatur potiùs quàm Tyrium, aut Getulicum, vel Laconicum, vnde preciosissimæ purpuræ. Plinius.

Post Syrtim est lacus nomine ZVCHIS, quadringentorum ferè stadiorum: ad quem vrbs est eodem nomine. Ea purpurificium & varias piscium condituras habet, πορφυροβαφεῖα καὶ ταριχείας παντοδαπάς, Strabo libro 17.

Esca ex purpura. Tum ad singulos hamos escam ex purpura Lacæna confectam strictè religat, &c. Ælianus de animalibus 15. 10. pelamydum capturam describens. Ad carabos: Vbi mormyrum ad fortè quid alligaueris, purpuras decem contundito: & musci parum mandens inspuito in saxum: piscibusq; fruêris, Tarentinus. vide suprà in Locusta E. & in Mormyro E.

E Purpuræ caro non in cibum modò conuerti, sed etiam tingere potest, Lucianus in Cynico. Quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, cœna hæc fuit: Ante cœnam, vrticæ, murices, purpuræ, Macrobius. Ostrea omnigena, purpuras, vrticas, &c. deus homini condidit, vt iuris & ferculorum (ζωμοῦ καὶ παραδειπνίων) copia nobis suppeteret, Porphyrius libro. 2. de abstinentia ab animatis. Purpuræ maiores duræ sunt, Xenocrates. Purpurarum caro, sicuti & cæterorum testatorum, dura est: ac proinde iis exhiberi solet, quibus ex malorum succorum copia cibus in ventriculo corrumpitur. Et harum quidem & buccinorum caro durior est, quàm aliorum: succúmque gignit crassiorem, minùs tamen glutinosum tenacémque. sed in earum partibus discrimen est. Quod collum nanq; appellatur, præ duritie dentibus ægrè conficitur: parcioremque succum generat, & stomacho gratum est. Partes verò inferiores, & quæ μήκωνες, id est papauera vocantur, molles sunt, ac faciliùs quàm colla conficiuntur: aluum mouent, & vrinã, sudorésq; ac saliuam cient. Harũ frequentior vsus cholęram gignit, Wottonus (ex Galeno ferè.) Ῥαμαλεώτερα τῶν κογχίων φησὶν εἶναι ὁ Διοκλῆς κόγχας, πορφύρας, κήρυκας. Ἐδώδιμα τὰ ἐκ τῶν πορφυρῶν τραχήλια εἶναι, apud Hesychium legitur in Ταραντῖναι. Purpuræ & murices inter cibaria, quæ stomachum roborent, censentur ab Ari-

ab Archichene apud Galenum, Scribonio Largo, & Cornelio Celso, Purpuræ & murices minimè in ventriculo vitiantur, Celsus. Ex ostreorum genere purpuræ & buccina reliquis præferenda sunt, Aëtius in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus. Purpuræ coquuntur eo modo, quo cætera conchylia, Platina.

G Purpurarum vim vndiquaque eandem putârim, quam buccinorum: quare in buccinis leges plura vtrisque communia, expresso etiam aliquoties purpurarum vnà cum buccinis nomine. item in Muricibus. Ad hemicraniam: Caro cruda porphyræ illita fronti, mitigat, Kiranides si benè memini. Purpuræ contra venena prosunt, Plinius. Nicander contra dorycnium in cibo prædicat strombos, & calchã, id est purpuram. Ad oris tetros absque vlcere odores: Ex ostreis purpura & buccino cum myrrha vtuntur quidam: cúmque cubitum eunt, aceto acerrimo colluunt, Galenus Euporiston 2. 11. Purpurarum siue muricum minora genera sunt efficaciora, & oris halitum custodiunt, vt quidam ex Plinio citat. Lapidem conchylij legimus in remedio quodam Auicennæ contra calculum, Syluaticus cochleam (*testam*) purpuræ interpretatur. vide in Conchylio G. Ex purpurarum cinere remedia multa dedimus in Muricibus. plurima enim vtrisque communia Plinius attribuit. Crematum conchylium eadem efficit quæ purpura & buccinum, Dioscor. Et rursus: Concrematæ buccinæ, eadem quæ purpuræ præstant, sed vehementiùs vrunt. Obscurus quidam ex Dioscoride purpuris attribuit, quæ apud Galenum ostreis adscripta leguntur remedia quædam. Buccinorum purpurarúmque testa, quandoquidem durissima est, nunquam absque vstione vtor. Atque vsta quidem desiccandi vim possidet: cæterùm ad vnguem eam læuigare, planéque pollinis in modum necesse est, tundendo scilicet & cribrando: quod tibi commune sit in omnibus lapidosis testaceisque substantiis præceptum. Nam nisi exactè læuia sint reddita, arenis similia sunt. Per se illarum tritarum farina vlceribus malignis competit. id quod ipsum quoque commune est omnium quæ citra insignem morsum desiccant vehementer: quippe cum alioqui fluxionum causa existant. Sed & aliud est omnium id genus commune: nempè vt cum aceto, aut oxycrato, aut œnomelite, aut oxymelite idonea sint vlceribus putrescentibus. Idcircò lapides omnes vbi ad eum vsum applicantur, alij magis, alij minùs, certè omnes conferunt, Galenus de simplicibus 11. 21. Idem de compos. medic. secundum genera 1. 18. purpuras cum iis recenset, quæ propositi albi emplastri (aduersus vlcera cacoëthe & dysepulota) candorem tueri possint. Purpuræ testæ vstæ medicamentis pilos attenuantibus adduntur apud Aëtium, & Galenum de compos. sec. locos 1. 5. Cinis testarum è purpuris, vtiliter cum melle illinitur vlceribus capitis, & similiter mulierum mammas sanat: panis etiam resistit vtroque modo, siue opus sit incipientes discutere, siue coctos emittere, si rectè obscurus quidam ex Plinio citat.

Ex operculis purpurarum remedia protuli suprà in B.

Ex lana vel vestimento purpureis, id est purpura infectis, remedia. Purpuram hircino felle madefactam muliebri vmbilico diebus septem imponito: & deinde crescente Luna viro congrediatur, & concipiet, Aëtius 16. 34. Ex Galeni opere de compos. med. sec. locos. Libro 3. cap. 1. Andromachus medicamentum quoddam auribus instillari iubet: deinde lanæ purpura infectæ tomentum indi. In eodem libro Archigenes post medicamentum auri infusum, purpuræ lana obturari iubet. Item libro 4. cap. 6. tomenta purpurę Laconicæ miscentur arido cuidam Asclepiadis medicamento ad oculos. Methodi etiam libro 7 & 8. panniculo è purpura marina siue Tyria vtitur, quam & modicè astringere dicit. Et in libro de præcognitione ad Posthumum imperatori qui ex assumpto cibo grauabatur stomacho, purpuream lanam nardino pigmento calido intinctam, ostio ventriculi imponit. Per se conchylio infecta lana, auribus magnoperè prodest: quidam aceto & nitro madefaciunt, Plinius. Fimbriati marinarum purpurarum flocculi cremari solent, vt lanæ, mundi & carpti, in fictili crudo, vt in Lanis ex Dioscoride diximus in Oue G. Atramentum sutorium purpuræ marinæ tomento inuolutum vrito, deinde cum melle tritum illinito, Archigenes apud Galenum.

Si rupta immensos fundit verruca cruores, Purpureo triti cineres de vellere prosunt,
Quod fuerit vero conchyli sanguine tinctum, Serenus. Et rursus:
Si verò infrenus manat de vulnere sanguis, Purpura torretur conchyli perdita (prædita) *fuco:*
Huius & atra cinis currentem detinet vndam. Verrucæ quoque defectæ frenare cruorem
Dicitur ambustus Tyrio de vellere puluis. Vide in corollario de Conchylio G. pagina 288.

Paulus Ægineta tertio sui operis volumine, eo capite quo agit de columellæ oris inflammatione, authore Galeno docet, plerísque oris & colli affectionibus prodesse suspensum ex collo aut adalligatum homini funiculum ex marina purpura, qui viperæ collo circundatus eam strangulauerit, Marcellus Vergilius. Verba Æginetæ hæc sunt Græca, vt idem Marcellus recitat: Καὶ ὅλοις ποιεῖ λινοῦν ἀπὸ πορφύρας θαλαττίας πρεατεθὲν ἐχίδνης τραχήλῳ, καὶ πνίξαν αὐτήν: εἶτα περιαπτόμενον θαυμαστῶς ὀνίνησι, παρίσθμιά τε, καὶ ὅσα περὶ τράχηλον, ὡς μαρτυρεῖ Γαληνός. Hoc est: Ad gingiuas etiam salutare est filum è purpura marina, quo vipera fuerit ceruici circumposito suffocata, hoc circundatum tonsillis & omnibus colli causis, mirificè iuuat, vt Galenus testatur. Ego hoc apud Galenum non memini legere. Auicenna libro 3. Fen. 9. cap. 10. Est (inquit) certum inter experiméta, quę agunt vi quadam occulta in abscessibus, vnde suffocationis periculum est, & vuæ, & tonsillarum, & omnino omnium gutturis partium, si filis tinctis cùm alargiuan (interpres vertit murice marino) stranguletur vipera: deinde circundetur eis collum ægroti. Mirabiliter enim iuuat. Filum è Purpura marina, quo vipera collo circundato suffocata fuerit, circunligatum, (περιαπτόμενον.) mirabiliter auxiliatur ad tonsillas, aliasq; colli affectiones, vt testatur Galenus, Ægineta 3. 26. Aliqui strumas circunligant lino, (*simpliciter, non purpureo*) quo præligata infra caput vipera pependerat, donec exanimaretur, Plinius 30. 5.

H. a Κογχύλια, τὰ ὄστρεα, καὶ πορφύραι, Hesychius. Est quidem conchylium species peculiaris, qua purpura quoque tingitur: sed & in genere pro purpura, proq; omni concha accipitur. Κάλυξ, flos rosæ, &c. & purpura marina, (*quæ & calcha,*) Hesychius. Purpuram marinam (pro colore) sæpiùs authores dicunt, non quòd terrestris etiam aliqua sit: sed quoniam impropriè herbis etiam quibusdam purpura tingi dicitur, distinguendi gratia. Βαταῖς, πορφυρῆσιν, ἢ ὁδοί, Hesych. Purpura Gallica lingua Virgæ dicebatur. Seruius, in hæc Vergilij verba, Virgatis lucent sagulis. Vide infrà in e. Cochleam Tyriam, Vranus in Arabicis dixit, citante

citante Stephano, pro purpura nimirum, κοχλίω Τύειον. Calcha(id est Purpura) contra dorycnium remedio est, Nicander. Vide inferiùs in e. vbi & de vocabulo Oxos, quod aliqui purpuram interpretantur, leges. Strabonis interpres pro cocco non rectè vertit grana purpuræ. Purpura apud Latinos penultimam corripit, & similiter πορφύρα apud Græcos. Νηρῖται στρόμβων τε γένος, καὶ πορφύραι αὐταί, Oppianus. Verbum tamen πορφύρειν (de quo infrà) produci inuenio ab Homero, Theocrito, Oppiano. Purpura ardens, Iuuenalis Satyrâ vndecimâ. Ignea, Valerius 1. Argonaut. Picta Vergilius 7. Æneidos, Ἀλγχαι Oppiano. Quæ à locis, è quibus olim commendabantur, sumpta sunt epitheta, suprà in E. ordine literarum enumeraui.

Epitheta.

Icones. Maledicus.

Pierius Valerianus in Hieroglyphicis: Meledicum (inquit) hominem, probos improbósque æquè carpentem significare qui volunt, purpuram exerta pingunt lingua: quæ quidem illi tam acuta & valida est, vt ea & conchulas & cuiuscunque generis testas perforare possit: vnde frequens illud in edaces dictum, Purpura voracior. Et qui hominem, qui de ganea pœnas dederit, significare volunt, conchylium huiusmodi nassæ per linguam applicitum pingunt. vel conchulam quæ purpuræ linguam morsu comprehenderit, *(&c. his enim modis capitur. Lege suprà in E.)* Porrò hominem vno interemptum ictu ostendere qui volunt, purpuram saxo elisam pingunt. siquidem infectores aiunt, quas purpuras in artis suæ vsum parant, saxo vno ictu collidendas, &c. Sunt qui secessum per purpuram ostendant, propterea quòd purpura non nisi in imo reperiatur pelago, vt scribit Apollonij Argonaut. Interpres.

Degula multatus.

Vno exanimatus ictu.

Secessus.

Purpureus color.

Purpureus adiectiuum Latinè, Græcè πορφύρεος, contractè πορφυροῦς, color dicitur purputam referens. Inde deriuata & composita Græca plura dicẽtur sparsim infrà in e. Grammatici Græci poëtarum interpretes, aliquando nigrum, vel nigro propinquum interpretantur. Pretiosus ille flos nigrantis rosæ colore sublucens, Plinius de purpura. *Violæ sublucet purpura nigræ*, Vergilius de amello flore. Conchyliis virus graue in fusco, (aliàs fuco, quod præfero,) color austerus in glauco, & irascenti similis mari, Plinius. Est igitur color purpureus niger rubore quodam admisto, vt grammatici sentiunt. Nos suprà in E multiplicem purpuræ seu purpurei coloris differentiam ex authoribus ostendimus. nam & ipse in conchis flos, in litore & pelago variat: item in regionibus diuersis, & in tinctura apparatus mixturæque ratio varia est, vt exposuimus. semper quidem rubri aliquid continet, siue id simplicius sit, siue ad nigrum aut violaceum cœruleúm ve inclinet. Aliquando purpureus pro pulchro dicitur.

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo, Vergilius 1. Georg. Rubrum colorem maximè indicat animantium sanguis: &, quo lana inficitur, coccus. ostentat tamen hunc colorem præ cæteris rebus liquor purpuræ: cuius adeò gratus est color, vt si quid paululum habeat ruboris, modò visu sit illud non iniucundum, purpureum sæpè dicatur, vt sunt violæ, & varia florum genera, quin & candidus: is enim quoque oculos remoratur, à poëtis vocatur nonnunquam purpureus. nam & olores purpureos dixit Horatius, & niuem ipsam purpuream Albinouanus, Ant. Thylesius. De purpureo colore, & verbo πορφυροῦται, erudita quædam depromit Scaliger libri de Subtilitate. 325.13. Sericum præcipuè purpura olim tingebatur: à serico autem tum læui tum villoso, vulgus nostrum quicquid charum & preciosum in amoribus habet cognominat. sic infantibus & pueris tenellis blandiuntur. sic & veteres sępè impropriè purpureum pro pulchro, precioso, splendido, posuisse reperias. Tyrius *(fucus seu color priuatim dictus)* nigricat aspectu, sanguinis concreti modo: vnde & Homero purpureus dicitur sanguis, Plinius. Πορφύρεον αἷμα, τὸ πορφυροῦν καὶ ἐς μέλαν, Eustathius in Homerum. Multorum opinio fuit animam esse sanguinem, siue (vt Empedocles arbitrabatur) in sanguine. Hinc illud apud poëtam:

Sanguis.

Anima.

Purpuream vomit ille animam. Et: *Vitam cum sanguine fudit*, Pierius Valerianus.

Et alibi: Homerus eos qui valido aliquo uulnere (*vt purpuras conchas purpurarij vno saxi ictu collidunt*) perempti fuissent, purpurea morte sublatos dicit: quem imitatus Maro, Æneidos. 9. *nunc Purpuream vomit ille animam*, nunc aliud quid huiusmodi profert. Ex Vergilio. *Purpurei cristis iuuenes*, Æneidos 9.

Res variæ.

Sic in decimo: *Purpureum pennis, & pactæ coniugis ostro*. nam rubris cristis vtebâtur antiqui, vti nono:

---- *Cristaq; tegit galea aurea rubra*. & in duodecimo: ---- *& rubræ cornua cristæ*.

quas & puniceas nominat, vt: -- *aut puniceæ septum formidine pennæ*, Erythræus.

Purpureo Narcisso, Ægl. 5. Dictamnum etiam purpureo flore comantem celebrat: Item flores purpureos, ver, mare, lumen, iuuentæ, diuersis in locis. Cothurnum, Æneidos primo: amictum, tertio: vestem, quarto: lumen, sexto. Et Georgicorum secundo, Purpureas vites, sui generis: tertio, purpurea aulæa. Et clarium vestis splendorem purpureai, Lucretius per initia secundi. Πορφυρέην ἶριν, Iliad. ρ. Scholiastes ποικίλην, id est, variam, interpretatur. Purpureum de mari & flumine aliquando pro cæruleo dici grammatici annotant.

In mare purpureum violentior influit amnis, Vergilius 4. Georg.

Mare illud quod Fauonio nascente purpureum videtur, idem huic nostro videbitur, Cicero 4. Acad. Purpura non nisi in imo reperitur pelago, vt tradit Apollonij Argonauticorum interpres, qui verbum πορφύρεσκε profundum esse interpretatur. hinc mare purpureum, pro profundum, poëtæ sæpius posuêre, Pierius Valerianus. Κῦμα πορφύρεον, Iliad. α. Eustathius nigrum interpretatur, vt & sanguinem purpureum. colore enim ferè conueniunt, inquit: & purpureum ad nigredinem accedit. & verbum πορφύρειν *(de quo plura inferiùs)* etiam de mari in vsu est. Epithetorum quæ poetæ mari attribuunt, quædam parti tantùm eius conueniunt: vt glaucum, vbi minimè profundum est, & albam arenam apparentem habet: & canum, circa litus solùm. Nigrum autem mare, quod simpliciter eiusmodi apparet, dicitur, *(nimirum qua profundũ est:)* μέλας δ' ἐκ πόντος, ὁ ἀκράτως τοιοῦτος. Cęterùm, τὸ πορφύρεον καὶ κυάνεον καὶ οἰνωπόν, differẽtię sunt nigredinis, (sic & δνοφερὸν ὕδωρ cognominatur.) Cùm igitur mare nigrum, purpureum, aut alio simili (à colore) epitheto nominatur, quod partis est ad totum refertur, Eustathius in primũ Iliad. Sic & ἰοδνεφὲς mare dicitur. Idem alibi quoque πορφύρεον κῦμα καὶ πορφύρεον θάνατον, à verbo πορφύρειν, quod nigrere seu nigrare significat, deducit. Ἅλα πορφυρέην, Iliad. π. Οἵ τ' εἰν ἁλὶ πορφυρεούσῃ, Aratus in Phænomenis. Nam cùm ventus mare cæruleum crispicans nitescere facit, purpurare vndas, dixit poëta Furius, Cælius. Quid mare, nónne cæruleum: aut eius vnda, quùm est pulsa remis, purpurascit? Cicero Academ. 2. Conchyliis color est auste-

rus in

rus in glauco, & irascenti similis mari, Plinius. Ἁλιπόρφυρον Eustathius interpretatur nigrum, & simile ἁλὶ πορφυρούσῃ, vel marina purpura tinctum, ἁλιεργόν, πορφυροῦν. Κίχλας (pisces) ἁλιφάδας dixit Numenius.

Mors.

Purpuream mortem, Homerus Iliad. ε. Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή. Scholiastes interpretatur nigram, (sicut & mare purpureum cognominari, proximè retrò diximus,) vel sanguinariam & cruentam. sic & Vergilius Homerum imitatus videtur in hoc: *Purpuream vomit ille animam*. Aliqui violentam & subitam, vide suprà in E. de ratione tincturæ vbi ostendimus oportuisse purpuram vno ictu violento interimi, ne flos periret. Πορφύρεος θάνατος, ὁ μέλας, καὶ βαθύς, καὶ ταραχώδης, Hesychius. sed βαθὺς & ταραχώδης fortè ad mare potiùs, cui idem epitheton tribuitur, quàm mortem referri debent. Dignum scitu quod de purpurario traditum infectore legimus, qui visus fraude agere in tingendi ratione: quum eo nomine, vt tum mos erat ad vltimum duceretur supplicium, iocis etiamnum superesse locum arbitratus, ad Homericum illud potissimùm adiecit animum: τὸν δ' ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή, Cælius Rhod. ex Eustathij in Homeri Iliados E. Parecbolis, vnde & Varinus repetiit. postrema verba Græcè sic leguntur: Ἀπαγόμενος εἰς θάνατον κατ' ἔθος, προὐκαλέσατό ποθεν εἰς ἀστεῖον σκῶμμα ἐκ τῶν Ὁμήρου, τὸ, Τὸν δ' ἔλλαβε πορφ. θάν. ex quibus apparet non ipsum purpurarium hoc aduersus se carmen, sed alios qui spectabant in illum protulisse. Aliam ex Athenæo historiam, in qua similiter versus hic vsurpatus est, suprà in E. vbi de tincturæ ratione agitur, retuli. Purpurei coloris apud Græcos alia etiam nomina inuenio. Πορφυρόεις in Lexico vulgari, sine authore: item πορφυρανθεῖς per ει. in vltima, malim per η. vt εὐανθής. Foliorum quorundam (in floribus) τὸ μέν ἐστι λευκόν, τὸ δὲ πορφυροειδές, vt in Iride apparet, Aristot. in libro de coloribus. Κάλλαιοι, οἱ τῶν ἀλεκτρυόνων πώγωνες, καὶ πᾶν πορφυροειδὲς χρῶμα. ἔνιοι δὲ τὰ ποικίλα. καὶ παρ' Αἰγυπτίοις χρῶμα καλλάϊνον, Hesychius. De ostreis quidem Calainis vel Callainis scripsimus suprà, ea forsitan vel purpurei coloris erãt, vel ad purpuram tingendam vtilia, vel ad vasa aliqua conficienda: nam & murrhina è conchis fiebant: vt calainus color purpureus sit. nam purpura aliis nominibus & caltha & calyx appellabatur. Calaina fictilia vasa Alexandriotica nominantur apud Galenum de compos. pharm. sec. locos 1. 5. inter ea quæ pilos attenuant: interpres Latinus purpurea conuertit. Plinius 37. 2. de murrhinis scribens: In precio est (inquit) varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram candorémque, & tertium ex vtroq; ignescentem, velut per transitum coloris purpura rubescente, aut lacte candescente. Sunt qui maximè in iis laudent quosdam colorum repercussus, quales in cœlesti arcu spectantur. Hæc ille. conuenit autem iridis etiam color, vt dictum est, & coloris ad Solem variatio, purpuræ. Quærendum igitur an murrhina Latinorum, eadem sint calainis Græcorum: quando aliud Grecum nomen eorum hactenus nemo ostendit. Nos plura de murrhinis suprà in Conchis porcellanis, pag. 282. Arrianus in Nauigatione rubri maris, in Scythia (vel Sinthia fortè à fluuio) iuxta id mare regione, lapidem Calleanum, Καλλεανόν, cum sapphiro, nardo, &c. ad Minnagar metropolin Parthorum regi subditam vehi tradit. Baysius in libr. de vasculis, de murrhinis vasis agens, eandem coloris varietatem & maculas in eis spectari ait, quæ in muræna pisce, &c. Καλλιάνθη, πορφυρᾶ Hesychius & Varinus. malim. Κάλλη, ἄνθη πορφυρᾶ, ex Ammonio. Εἰν ἁλὶ πορφυρεούσῃ Aratus in Phænomenis. Πορφυρόχρουν Eustathius dixit. Τῇ χρόᾳ πορφυρώτερον, Dioscorides de tertia specie Alcyonij: de qua Galenus, πορφυρίζει δὲ τῇ χρόᾳ. Ἰόζωνος, πορφυρόζωνος, Hesychius & Varinus. Ἰεννά, πορφυρᾶ, Iidem.

Purpurei coloris alia nomina Græca.

Calainus.

Cælius Calcagninus Epistolicarum quæstionum libro 1. in epistola ad Thomam Calcagnin. nepotem. Cupis (inquit) scire à me quis sit color colossinus: licet ego colossenum magis legendum putem. nam Græci κολοσσηνὸν dicunt. atque ita in 12. Strabonis scriptum. Καὶ οἱ Κολοσσηνοί (oxytonum fortè scribi præstaret) ἀπὸ τοῦ ὁμωνύμου χρώματος πλησίον οἰκοῦντες, à Colossis scilicet vrbe Troadis. Vnde & Colossenses illi celebres diui Pauli epistolis, tantùm abest vt à Colosso Rhodio dicti sint. Color autem is purpureus est, aut in purpureum declinans. nam cyclamini florem colossinum describit in 21. Plinius: & nos testes oculos habemus. hunc enim colorem in flore cyclamini nunc agnoscimus. Quin & Dioscorides eum sic describit, Κυκλάμινος φύλλα ἔχει πορφυρᾶ, ποικίλα. κάτωθεν καὶ ἄνωθεν κηλῖσιν ὑπολεύκοις: καυλὸν δὲ τετραδάκτυλον γυμνόν: ἐφ' οὗ ἄνθη ῥοδοειδῆ πορφυρίζοντα: ex quibus verba vltima, flores in modum rosæ purpureos significant. Φοινικοῦς, puniceus vel purpureus color est. De purpura Phœnicum diximus in E. Φοινικίζειν verbum est obscœnum. Vide Brodæum in Miscellaneis.

Colossinus.

Purpura non modo animal ipsum significat: sed etiam colorem vel ex eo factum, vel ei similem, *Violæ sublucet purpura nigræ*, Vergilius 4. Georg. Vt ouatus esset Numidicus lapis, vt purpura distingueretur Sinnadicus, Plinius. Et vestimentum eo colore tinctum, & magistratum ita vestitum: vnde purpurati, pro purpura induti, dicuntur: & purpurei reges. pro purpuratis, Horatio. authorum testimonia dabimus infrà in e. vbi de vestibus agetur. Emplastrum purpura dictum ob colorem, à Nic. Myrepso describitur. Purpuream venam siue nigrã appellari vnam ex quinq; venis quæ in brachio secantur, legimus alicubi in Spuriis Galeni.

Purpura significata.

Purpurissum, genere neutro. Afranius, Cedo purpurissum. Næuius, In licio cretam, cerussam, purpurissum, Nonius. De eodem lege Plinium libro 35. cap. 6. Fit (inquit) è creta argentaria. Cum purpuris pariter tingitur, bibitq; eum colorem celeriùs lanis, &c. Nominatur & à Plauto, in Mostelaria. Purpurissum, quod & fucum aliqui dicunt, glebulæ sunt quadratæ & pusillæ in modum tessellarum: quæ ab infectoribus tinguntur colore roseo. tale est maximè Canusinum, sequens Puteolanum. Vires habet aliquantulum stypticas, Author libri de simplicibus medic. Galeno attributi. Quia istas buccas tam bellè purpurissatas habes, Plautus Trucul. id est, purpurisso tinctas. hoc enim vtebantur mulieres ad labra & genas tingendas. Purpuraria officina nominatur à Plinio, in qua purpuræ tinguntur. vide infrà in e. Strabo πορφυρεῖον dixisse videtur.

Purpurarius, ad purpuram pertinens: Vt officina purpuraria, in qua purpura fit: piscator purpurarius, pro quo Laurentius in Herodoto purpuratorem dixit: tinctor purpurarius, qui purpuras tingit. nam purpurarius absolutè pro vtroq; accipi potest, & pro mercatore etiã qui vestibus purpureis emendis, vendendis, negocietur. Πορφυρεῖς & πορφυρευταὶ Polluci nominantur. Πορφυρεὺς Æliano est qui tingit. Hicesius apud Athenæum chamis inquit pro esca vti τοὺς πορφυρευομένους, id est piscatores purpurarum. Πορφυρευτικὴ inter artes piscatorias est, Pollux.

Πορφυροπώλης, negociator purpurarius. πορφυρόπωλις quidem fœmininum pro muliere purpuras vendente apud Suidam legitur: ἡ τὰ πορφυρᾶ (subaudi ἱμάτια vel ἐσθήματα) πωλοῦσα. Πορφυρώμα-

τα, τῶν

τα, τῶν ταῖς θεαῖς πθέντων χοίρων τὰ κρέα, Hesychius & Varinus. Fortassis autem vasa quædam & toreumata figlina purpurei coloris porphyromata fuerint, qualia fuisse murrhina, diximus. in his enim ceu pulchris & preciosis, diis aliquid offerri par erat. Sic aurea, argenea & ærea vasa, Græci χρυσώματα, ἀργυρώματα, & χαλκώματα vocant. Ὀστράκινα τορεύματα καὶ χαλκώματα Strabo dixit. Cardanus libro 6. de varietate rerum: Purpurina, inquit, (nescio vnde vocabulum hoc mutuatus) coloris est fului, aurumq; imitatur, si optima fuerit: hoc solo differt, quòd non resistit iniuriis cœli, nec diuturna admodum est. deinde compositionem eius ostendit, ex plumbo albo argentóque viuo, &c. Sed neque vocabulum hoc Latinum est neq; res ipsa cum purpura aut purpureo colore quicquam conuenit.

Lapides. Saxa Lacedæmonia & porphyretica nominat Lampridius in Heliogabalo. Porphyrites lapis est notus, maximè in Melantide regione, Kiranides. Vt ouatus esset Numidicus lapis, vt purpura distingueretur Sinnadicus, qualiter illos nasci optarent deliciæ, Plinius 35. 1. Chymistæ aëtiten pro chrysolitho & porphyritæ, & chrysochromo cognomine Macedonico, & polychromo accipiunt, Hermolaus in Corollario.

Ficus. Primò prouenit porphyritis dicta ficus, longissimo pediculo, Plinius.

Animalia. Porphyrion, Πορφυρίων, auis est, de qua in Auium historia scripsimus. Eas in Syria gigni Cælius Rhod. tradit. Eustathius in tertium Odysseæ: Porphyrio (inquit) auis est Libyca, diis illis sacra sicut & ibis, magnitudine gallinacei, infensa mulieribus adulteris, &c. puniceo rostri colore, à quo nomen inuenit. Est & piscis nomen πορφυρίων apud Hesychium. Πορφύρειον, τὸ, Aristoteli, purpuram paruulam significat. Porphyrides ex auium sunt genere, à porphyrionibus diuersæ: sicut ab vtroq; latiporphyrides, siue adiporphyrides & latiporphyræ, Hermolaus. Πορφυρίωας, auis quędam, in Lexico vulgari, sine authore. Porphyrus, Πόρφυρος, Æliano serpens quidam est, De animalibus 4. 36. Cetum purpureum, κῆτος πορφύρεον, descripsi suprà in Cetis diuersis.

Verba. A purpura etiam verba quædam Græci & Latini formarunt. Hicesius harum concharum piscatores τοὺς πορφυρευομένους dixit. ego etiam verbo πορφυρεύειν vti non dubitarem, quando πορφυρευταὶ & πορφυρευτικὴ τέχνη apud authores leguntur. Πορφύρειν verbum plerunque de mari dicitur apud poëtas, cum perturbatur, æstuat, & tempestate ingruente nigrescit: inde ad hominis animum variis cogitationibus & curis turbatum ac fluctuantem transfertur: aut profundiùs aliquid meditantem. nam & mare qua profundius est, nigrius apparet: & purpuræ conchę è pelago, id est, profundo, potissimùm petuntur. Fortè & quia purpura ad solem diuersos colores reddit, de animo quoque diuersa consilia agitante, & mutante subitò, vt purpura si ad Solem celeriùs moueatur, πορφύρειν verbum in vsu est. Ergo & variè, & profundè, & anxiè, & aliquando malignè cogitare significat. Πορφύρει, ταράττεται, φροντίζει, μελανίζει, μελαίνεται, πορφυρίζει, ταράττει, μεριμνᾷ, κακοτεχνεῖ. Πορφύρεται, διαλογίζεται, Hesychius. Πορφύρειν de mari dicitur: & ad animum transfertur, τὸ ἐν βάθει διανοεῖσθαι, καὶ οἷον κυμαίνεσθαι λογισμοῖς, vt in illo Homeri Iliad. Λ. κραδίη δέ οἱ πόρφυρε, Eustathius. Κάλχη quoque purpuram significat, & verbum καλχαίνειν idem quod πορφύρειν, ταράσσειν, στένειν, φροντίζειν, ἀχθόμενον κινεῖν, ἐκ βυθοῦ ταράσσεσθαι. sic enim Hesychius interpretatur. Καλχαίνειν, τὸ πορφύρειν, Scholiastes Nicandri. Κύματα ἄστιχα καχλάζοντα, Theocritus Idyllio 6. Est quando πορφύρειν simpliciter de motu maris, etiam placidiore, ponitur. οὐκ ἀεὶ βαθὺν ταραγμὸν δηλοῖ, ἀλλά ποτε καὶ ἠρεμαῖον, vt in illo Homeri, εὔδια πορφύροντα, Eustathius. Ad πορφύρειν verbum & sono & significatione accedit μορμύρειν. ---περὶ δὲ ῥόος ὠκεανοῖο Ἀφρῷ μορμύρων ῥέεν ἄσπετος, Iliad. σ. Μορμύρουσα θάλαττα, ταρασσομένη καὶ κινουμένη φοβερῶς, Varinus. Πορφυροῦται ἡ θάλαττα, ὅταν τὰ κύματα μετεωριζόμενα σκιασθῇ, Theophrastus citante Scaligero. Sic Plinius ait purpuram irati maris faciem referre. Πορφύρεσκεν Apollonij Argonauticorum interpres profundum esse interpretatur. vnde & purpureum mare dictum, de quo plura superiùs. Ὡς δ' ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ. Iliad. ξ. --Πολλὰ δέ μοι κραδίη πόρφυρε κιόντι, Odyssæ. Δ. ----καὶ τὺ δὲ κραδίη οἴνῳ πορφύροις, Theocritus, Idyll. 5. Καί οἱ πορφύροντι διακριδὸν ἀμφὶς ἔκαστα, Ἐν Μυθικοῖς, Suidas. Nonnus hoc verbum vsurpat pro eo quod est tingere rubro colore, cum accusatiuo, Χιονέας πόρφυρε παρειάς.

Ἠρέμα δ' ξανθοῖς ὀπὶ καλλικόμοισι μετώποις Καὶ νώτῳ ῥαθάμιγγες ἐπήτειμα πορφύρουσιν, Oppianus de rhinocerote. Πορφυρίζει τῇ χρόα, Galenus de tertia specie alcyonij, id est, purpurascit colore, in purpuram vergit. Εἰν ἁλὶ πορφυρεούσῃ, pro πορφυρούσῃ, Aratis in Phænomenis. Purpurare, purpuræ colorem habere siue reddere. Columella:

Tum quæ pallet humi, quæ frondens purpurat auro
Ponatur viola, & nimiùm rosa plena pudoris.

Cum ventus mare cœruleum crispicans nitescere facit, purpurare vndas, dixit poëta Furius, Cælius. Plautus purpurissatas buccas dixit, id est, purpurisso infectas, grammatici recentiores purpurissare, purpurisso inficere interpretantur. Purpurascere, purpureum fieri. Cicero in Academ. lib. 2. Quid mare, nónne cœruleum: aut eius vnda, quùm est pulsa remis, purpurascit?

Propria. Sisyphi filij fuerunt Almus & Porphyrion, Πορφυρίων, Scholiastes in tertium Argonauticorum Apollonij. Constat inter gigantes præcipuè principatum obtinuisse Porphyrionem & Alcyoneum. Prasinus quoque auriga, cuius in Nerone Tranquillus mentionem facit, Prasinus Purpurio dictus est, Perottus. Vide in Porphyrione aue H. Porphyrius philosophus Tyrius lucubrationes aliquot reliquit. Nisyros insula, Porphyris antea dicta, Plinius 5. 31. Nisyrus insula vna est Cycladum cum ciuitate eiusdem nominis, Porphyris olim dicta ἀπὸ τῶν ἐν αὐτῇ πορφυρέων, id est, à purpuratoribus eius incolis, Eustathius in Iliad. B. 60 Cythera insula iuxta Cretam, Porphyrusa, Πορφυροῦσα (meliùs fortè per s. duplex, vt sit contractum à Πορφυρόεσσα) olim dicta, propter purpurarum in ea præstantiam, Eustathius in Iliad. K. & in Dionysium Afrum. vbi etiam suo tempore eam insulam adhuc Cythera vocari scribit. In ea memorabile templum Veneris fuisse aiunt, ipsámque Cythercam inde cognominatam: meminisse eius Plinium lib. 4. Vide ne Porphyris & Porphyrussa ab aliquibus confundantur. à Porphyride grammatici quidam deducunt porphyriacum, pro purpureo. Et porphyriacis figere labra genis, Ouidius. Elaphonnesus insula est in Propontide ante Cyzicum. eam sequuntur Ophiusa, Porphyrione, &c. Plinius. Porphyreon, Πορφυρέων, urbs Phœniciæ. gentile Porphyreonius, & Porphyreonites, Stephanus. Porphyrite, Πορφυρίτη, vrbs Arabiæ iuxta Ægyptum. Stephanus. Porphyra inscripta fabula Xenarchi comici, aut Timoclis comici (dubitatur enim de authore) citatur apud Athenæum.

Purpura

Purpura pro colore purpureo, vt suprà quoque in a. monuimus. Mulier erubuit ceu lacte (*casu recto pro lac*) & purpura mista, Ennius. Eius serpentis squamæ squalido auro & purpura textæ, Nonius. Niciam ferunt purpuram & aurum miscuisse ad scuti ornatum, Pollux. videtur autem abuti verbo miscere. Vide infrà in vestibus, vbi quasdam purpura auróque (non mixto, sed separatim) insignes fuisse memorabimus. Purpura omnem vestem illuminat: in triumphali miscetur auro, Plinius. Vt florem purpuræ Latini, sic Græci etiam ἄνθος dicunt. Πορφυρέοις κάλλιστον ὑφάσμασιν ἄνθος ἄγοντες, Oppianus de piscatoribus. Φοίνικες τὸ ἔρεον χρωννύντες διηλοῦσιν, ὥσπερ τὸ ὄψιν ἀνθεῖν, Pollux ---- τῷ ποτε μύνῳ φαιδρὸν ἁλιχλαίναν ἐρευθαίνετο φάρος ἀνάκτων, Nonnus de flore purpurę: quem διερὸν πῦρ appellat, id est, liquidum ignem, hoc à colore, illud à saniei substantia. *Purpura color & eius nomina.* e

Fucus. Purpuræ colorem Plinius non semel fucum appellat, vt cùm inquit: Buccinum per se damnatur, quoniam fucum remittit. Purpura torretur conchyli prædita fuco, Somonicus. Purpurissum etiam pigmentum, aliqui fucum nominant, vt suprà scriptum est. Plura de fuco reperies suprà in Phycide.

Medicam. Pharmacum. Plinius medicamentum quoq; pro purpuræ colore dixit: quod & Græcè pharmacum appellare licebit. Pharmaca Iones, tincturas vocant. Φαρμάξαι, ὀξῦναι, βάψαι. Φαρμάσσειν apud Homerum non modò tingere est, vnde pharmacônes dicuntur τὰ βαφεῖα id est officinæ tinctoriæ: sed etiam ferri aciem exacuere & indurare, τὸ στομοῦν καὶ στερροποιεῖν. duratur enim ferrum aquæ frigidæ intinctum, Varinus. Ad pharmacum Græcam vocem Germanica farb vel farw accedit.

Oxos. Oxos apud Suidam purpura est, quæ apud Phœnices tingebatur preciosissima. hinc Oxybapha in L. 1. C. Quæ res alienari non poss. Quo in loco nonnulli corrigunt dibapta, veram lectionem peruertentes: Alciatus, in tres posteriores lib. Codicis. Ego apud Suidam nihil huiusmodi reperio, nec alios Lexicorum scriptores, neque in Ὄξος, nec in Ὦξος. Oxybaphum quidem, quod aliqui ineptè oxobaphum nominant (Varino teste) vasculum est aceto & intinctui, excitandi causa appetitus, destinatum in mensis. Purpuras tamen διαφόρους καὶ ὀξυτάτας, id est, excellentes, minimè vulgares, & acerrimi fulgoris apud Suidam legemus in Σαρδώ. Φαρμάξαι, ὀξῦναι, βάψαι, Varinus Διάφορος πορφύρα Arriano est purpura præstantior, cui opponit χυδαίαν, id est, vulgarem. Brodæus quoque in Miscellaneis cap. 24. Ineptam hanc Alciati interpretationem reprehendit, cùm Suidas nihil aliud scribat, quàm ὄξος ἑψητὸν τὸ ἀπὸ φοινίκων hoc est, Acetum coctum è palmulis: cuius meminit Xenophon lib. 2. Anabaseωs.

Sanies quæ testis purpurarum (quæ ex ostreorum genere sunt) detractis colligeretur, ostrum, vt Vitruuius inquit, appellata est, Hermolaus. Plura super hoc vocabulo attuli suprà in Corollario de ostreis. H. a.

Officinæ. Officinæ tinctoriæ à Græcis communi nomine βαφεῖα dicuntur, & φαρμακῶνες, Varino teste. Purpura Alexandrina vulgò Probiana dicitur: idcirco quòd Aurelius Probus præpositus baphiis id genus muricis reperisset. quamuis ibi basiis legatur corruptissimè, Alciatus. est autem rectus baphium generis neutri, vt atrium: non baphia fœminini, vt quidam putarunt. Fit autem à βαφεὺς, βαφεῖον, vt à κουρεὺς, κουρεῖον. Plinius purpurarias officinas dixit. Indicum (inquit) in diluendo mixturam purpuræ cæruleique mirabilem reddit. alterum genus eius est in purpurariis officinis, innatans cortinis, & est purpuræ spuma. Strabo libro 16. πορφυρεῖον videtur accipere pro officina purpuraria, de Tyro scribens, vt in E. retuli. Idem lib. 17. Zùchis (inquit) vrbs Africæ πορφυροβαφεῖα habet, interpres transtulit purpurificia. Ab lana solocia ad puram data, Festus: Perottus legit, Ab lana soloci ad purpuram data. Arbaces Medus Sardanapalum inuenit vnà cum scortis purpuram carminantem, Baysius ex Athenæo.

Tinctura ratio. Δευσοποιός. Οἱ γὰρ πόνοι περὶ τοὺς ὑφὰς τινές εἰσι τοῖς παισὶ τελειωθησομένης ἀρετῆς, ἅις ἐμβαφέντες ἀποχρῶντος τὴν τῆς ἀρετῆς βαφὴν οἰκειότερον φέρουσι, Theano in epistola ad Eubulen. Δευσοποιός, tinctor, Hesychius: non quiuis tamen, vt videtur, sed qui firmo, probo ac genuino colore tingit. Δεύω verbum idem est quod βρέχω. Propriè quidem δευσοποιὸς de purpura dicitur, cuius color ita firmus & germanus est, vt non facilè eluatur aut exolescat. Per metaphoram verò de aliis quoque coloribus (*& rebus aliis*) permanentibus & edurantibus dicitur δευσοποιὸν apud veteres, τὸ ἔμμονον καὶ πολυχρόνιον: vt Plato in decimo de repub. ostendit, Varinus. Ἀνὴρ πορφυρεὺς ὅταν θηράσῃ πορφύραν, εἰ μέλλει μένειν ἡ ἐκ τοῦ ζώου χρόα δευσοποιός, καὶ δυσέκνιπτος, καὶ οἷα τε ἔσεσθαι τὴν βαφὴν ἐργάσασθαι γνησίαν, ἀλλ' οὐ δεδολωμένην, μιᾷ λίθου καταφορᾷ διαφθείρει τὴν πορφύραν αὐτοῖς ὀστράκοις, Ælianus de animalib. 16. 1. Ταριχεύουσιν ὀπὶ δευσοποιίαν, Pollux de purpuris. Idem libro 1. cap. 4. δευσοποιοῦ & contrariæ tincturarum, id est, stabilis instabilisq;, synonyma aliquot promit: vt sunt. ἔμμονος, ἀνέκπλυτος, ἀνεξίτηλος, ἀνεξίτηλος, ἀνθοῦσα, εὐανθὴς, ἀνθηρά, &c. & contraria, ἀβέβαιος, ἐξίτηλος, εὔρυπτος, ἀκραιφνής, ἀνανθής, &c. Ἐξίτηλον, τὸ ἀφανὲς, παρὰ τὸ ἐξιέναι τοῦ δήλου ὅ ἐστι τοῦ φανεροῦ. ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς πορφύρας, ἥτις ὅταν μὴ ἔχῃ τὸ τῶν δευσοποιῶν βάμμα τὸ χρῶμα ἐξίησι τὸ τοῦ ἐθήλου, ὅ ἐστι τὸ τοῦ ὁμοίου. Ἐξίθηλος οὖν καὶ ἐξίτηλος οἶνος, ὁ ἀνόμοιος ἑαυτῷ. δευσοποιὸν verò propriè de lanis tinctis dicitur. & βαφὴ δευσοποιὸς, ἡ ἔμμονον καὶ δυσέκπλυτον ἔχουσα τὸ ἄνθος. & Plato δόξαν δευσοποιὸν dixit τὴν ἔμμονον. sic δευσοποιὸς πονηρία, ἔμμονος καὶ δυσέκπλυτος, Etymologus.

Purpura tinctura ex herbis. Purpuram authores sæpè marinam cognominant, vt monuimus iam antè: non quòd terrestris etiam aliqua sit, sed quoniam ex herbis quoque & aliunde purpureus color genuino similis tingitur. Transalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit, nec quærit in profundis murices, Plinius. Alga Pelagia in Creta insula nascitur, &c. qua non solùm vittas, sed etiam lanas vestésque inficiunt: & quandiu recens infectio sit, color longè purpuram præstar, Theophrastus de historia 4. 7. Frutice marino, quem Græci phycos vocant, circa Cretam insulam nato in petris, purpuras quoque inficiunt, Plinius.

Amorge. Amorgen Græci amurcam dicunt, aliquando etiam vini fæcem. sed & herbam purpuream vestibus inficiendis, quæ inde dicantur amorginæ. quanquam & prætenuis arundineæ paniculæ portio dicitur amorgis, Cælius Rhodig. Ἀμόργεια, coloris byssini species ab Amorgûnte insula, vt Θήραια, τὰ ἀπὸ Θήρας νήσου. Ἀμοργὶς, καλάμη τις ἐξ ἧς ἔνδυμα γίνεται: ἢ ὕφασμα, ἢ χιτών. Ἀμόργινα, λεπτουφῆ ἐνδύματα. Ἀμόργινος χιτωνίσκος, παρὰ τὴν ἀμόργην, &c. id est, Amorgina tunica sic dicitur ab amorga, quod genus est coloris, similis bysso. significat & vestem preciosam. Ἀμόργιον, ὅμοιον βύσσῳ πολυτελές. λέγεται καὶ ἀμοργία θηλυκῶς. Ἀμοργία, καὶ ἀμόργη, καὶ ἀμοργὶς, ἡ λινοκαλάμη. Ἀμοργὶς, τοῦ καλάμου τῆς ἀνθήλης τὸ λεπτότατον μέρος: Hæc omnia Varinus, & partim Hesychius quoque & Suidas. qui hæc etiam addit: Ἀμοργὶς simile est lino ἀλεπίστῳ, id est, non decorticato. decorticare autem ipsum & parare (*ad lanificium*) solent. ἔστι δὲ σφόδρα λεπτὸν ὑπὸ (malim κατὰ) τὴν βύσσον ἢ τὴν κάρπασον. Ἀμόργη, amurca olei, item purpura secundum veteres, Eustathius in Odysseæ Θ. Ἔστι δὲ καὶ χιτὼν

 ἀμοργικός.

ἀμοργικός. Ἀντιφάνης δέ φησιν ἐν Μηδείᾳ. Ἦν χιτὼν ἀμόργινος, Pollux. Et alibi: Τὰ δὲ ἀμόργινα γίγνεσθαι μὲν τὰ ἀ- εισα ἐν τῇ Ἀμοργῷ: λίνου δ' ὄντα καὶ ταῦτα εἶναι λέγουσιν. ὁ δὲ ἀμόργινος χιτὼν καὶ μόργις ἐκαλεῖτο. Ex his apparet amorgen nihil aliud quàm lini genus fuisse, sed subtilius: & quoniam fortè purpureo colore tingebatur, (sicut & sericum & byssus, aliáque tenuissima lini genera, & vellera præstantiora, vt Milesia,) amorgen purpuram, & amorgina purpurea, aliquos interpretatos esse: sed ineptè: (vt & Hesychius Byssinum, purpureum:) poterat enim etiam alio colore tingi. itaque non rectè Cælius, & sine authore dixit amorgen herbam purpuream vestibus inficiendis aptam fuisse. Amorgen ego dictam suspicor per metathesin ab Hebraico Argaman, quod est purpura, vel sericum purpura tinctum. De hac etiam Plinij verba accipio hæc: Lini quartum genus Orchomenium appellant. fit è palustri velut arundine, duntaxat panicula eius. Clemens in Pædagogo 2.10. contra luxum muliebris vestitus & purpuræ vsum: Οὐκέτι τὰς ὀθόνας τὰς ἀπ' Αἰγύπτου, ἄλλας δέ τινας ἐκ τῆς Ἑβραίων καὶ Κιλίκων ἐκποριζόμενοι γῆς: τὰ δὲ ἀμόργινα καὶ βύσσινα σιωπῶ. ὑπερεκπέπαικεν ἡ τρυφὴ καὶ τὴν ὀνομασίαν. *Byssus.* De bysso multa protuli in Pinna, hîc paucula addam. Ex lana arboribus quibusdam innascenti apud Indos Nearchus ait texti sindones subtiles, σινδόνας τὰς εὐητρίους: & Macedones ea pro tomento vsos, (ἀντὶ κναφάλων αὐτοῖς [malim αὐτῷ, scilicet τῷ ἐρίῳ] χρῆσθαι, καὶ τοῖς σάγμασι σάγην.) Esse autem huiusmodi etiam serica, bysso ex quibusdam corticibus excarminata, ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου, Strabo libro. 15. tanquam serica lintea è bysso ceu materia & lana fiant. Σινδόνος βυσσίνης τελαμῶσι κατατετμημένοις, κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα Herodotus de medicatione funeris apud Ægyptios.

Anchusa. Coria alba vt purpuræ instar tingantur, anchusæ radicem aceto irrigatam illine, Nic. Myrepsus. Idem in fine remediorum ad dysenteriam, anchusam scribit esse herbam quandam tingentem τὰ ἀληθινὰ κήρεια, nescio quo sensu, nisi legas ὡς ἀληθινὰ κηρύκια, id est, vt veri murices. *Chalce.* Χάλκη flos est, à quo & purpura chalce dicta, Scholiastes in Nicandrum. Chalca est purpura, & herba qua purpura tingitur apud Phocionem grammaticum, vt meminit Ruellius. Sed κάλχη potiùs scribi placet: vnde verbum καλχαίνειν. *Calche.* Κάλχης κηραφίδος, Nicander. Κάλχη, εἶδος πορφύρας, ἀφ' ἧς αἱ γυναῖκες κάλχιον βάπτουσι. --- πέπλους Κάλχῃ φορυκτοὺς Lycophron. vbi Scholiastes, Calche (inquit) propriè est purpura tincta: nunc verò peplos simpliciter multis tincturis infectos intelligit, & variegatos & plumaricos, (καὶ πεποικιλμένους καὶ πλυμαρικούς.) Κάλχη, herba qua purpura tingitur, Suidas. Vide etiam suprà in a. cum Verbis deriuatis. *E pimpinella Vermiculus.* Saxifragam aliqui eandem esse putant quæ pimpinella & sanguisorba dicitur, &c. E radice, vt ferunt, quibusdam locis vermiculus eruitur: qui curatus sericis præcipuè tingendis, purpuram facit incomparabilem, cæteros colores splendore quodam & hilaritate superans: inuentus, vt alia quoque multa, casu, excrementis gallinaceorum ita coloratis. igitur purpurissum ex hoc vermiculo carbasinum, à præstanti amphitheatralium velorum, vt arbitror, colore, dicitur. Quidam carmasinum appellant colorem: quoniam vermiculus is Punica lingua carmes appelletur, quemadmodum & coccus, potest & ab vrbe Charmi, quæ Sardibus est, nomen accepisse coloris, quòd lanas inficere Sardibus cœptum sit, vt inquit Plinius. De hoc vermiculo nihil apud veteres inuenias. Hieronymus in sacris literis vermiculum & vermiculatas vestes nominat, granum (vt opinor) aquifoliæ significans. quod authore Plinio quibusdam locis vermiculi similitudine conspicitur. Hinc deriuatum arbitror vt coccinea vestis scoletidata *(scarlata, quasi scolecata)* hoc est, vermiculata, vulgò diceretur: siue quasi quisquiliata (etenim granum cocci etiam quisquilium vocatur Plinio) à quisquiliis, opinor. sunt enim quisquiliæ, vt Festus ait, quicquid ex arboribus minutum cadit. De vermiculo purpureo Democritus quoque meminit, tincturis vtili, sed è purpuris ac murice, vt coniicio. nam & de vermiculo Galatiæ, hoc est, iligno * meminit, Hermolaus Corollario in Dioscoridem 625, è quo Cælius etiam descripsit Antiquarum Lectionum 8. 11. qui insuper, Carmesinum, inquit, sunt qui opinentur chromasinum quoq; nuncupari posse: quia sit radix Syria, quæ vocetur chroma, cuius est apud Theophrastum mentio. Ego omnino Carmesinum à Kermes Arabica seu Punica voce coccum indicante, non vel à carbaso vel chromate dictum arbitror. *Chroma.* De chromate Theophrastus in libro de odoribus his verbis meminit. Χρωματίζουσι δὲ τὰ μὲν ἐρυθρὰ (μῦρα) τῇ ἀγχούσῃ: τὸ δ' ἀμαράκινον, τῷ καλουμένῳ χρώματι, &c. id est, Colorem vnguentis rubris ex anchusa faciunt, amaracino autem è chromate: quod radix est è Syria vehi solita. Apparet autem eam radicem non vilis precij fuisse: quoniam myropolas pretiosa tantùm vnguenta, quamuis non omnia, colorare solitos tradit. Et paulò pòst, Maron & chrôma quod amaracino miscetur, calfaciendi vim habent. Carmesini colorem rubrum esse constat: chromatis verò radiculæ qualis fuerit, non inuenio expressum: rubrum tamen non fuisse ex iam recitatis Theophrasti verbis apparet: vt nimiùm leuis sit quorundam coniectura, carmesinum à Chromate deductum. Dioscorides quidem in eius confectione non meminit chromatis: quod an sit radix curcuma hodiè dicta, inquirendum, colore croceo. *Carbasus.* Sed quoniam Hermolaus carmesinum quasi carbasinum, à præstanti amphitheatralium velorum colore dici potuisse suspicatur, de carboso quædam addamus: quam ipsam quoque vt amorgen & byssum, propter materiæ precium ac tenuitatem, sicut & sericum, purpura coccóve tingi solitam coniicio. Carbasus igitur (generis fœminini, sicut & byssus: quanuis aliqui masculinum etiam faciant, & in plurali neutrum) genus est lini miræ tenuitatis, in Hispania primùm repertum, teste Plinio 19. 1. item velum ex carbaso factũ. Virgilius 3. Æneid. --- *& auræ Vela vocant, tumidoq; inflatur carbasus Austro.*

Lucretius in sexto: *Carbasus vt quondam magnis intenta theatris*, &c.

Vergilius 8. Æneid. --- *cum tenuis glauco velabat amictu Carbasus.*

Idem lib. 11. -- *tum croceam chamydemq; sinusq; crepantes Carbaseos, fuluo in nodum collegerat auro.*

(Plura leges in Promptuario Trebellij.) Vnde apparet carbasum aliis quoq; pro arbitrio coloribus tinctum fuisse. Pollux carpasum, κάρπασον, dixit, vt suprà in Amorge citaui. Ἀμοργίς, σφόδρα λεπτόν ἐστιν ὑπὸ (κατὰ) τὴν βύσσον, ἢ τὴν κάρπασον, Suidas. Hispania citerior habet splendorem lini præcipuum, torrentis, in quo politur, natura: qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primùm carbasis repertis, Plinius. 19. 1. Et aliquantò pòst, de velis tinctis loquens: Carbasina deinde vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinter, &c. Gallica quidem vox Crespe, à carbaso seu carpaso facta videri potest. Anthyllon vel Anticellion herba duorum generum est, (vna) foliis & ramis lenticulæ similis, palmi altitudine, sabu-

losis apricis nascens, subsalsa gustanti: altera chamæpityi similis, breuior & hirsutior, purpurei floris, odore grauis, in saxosis nascens, Plinius. 22. 29. Ex hac descriptione (inquit Volaterranus) putauerim hoc fortè *(intelligi à Plinio)* quod nostri fullones cremisinum vocant. nec plura addit: nec de primo an secundo genere sentiat, exprimit. Brasauolus in libro de syrupis, multa scribit de Chermes: nos inde paucula mutuabimur. Coccum, inquit, Italis vulgò granam dici, & esse veluti semen fruticis ilicem referentis, &c. *Chermes è radicibus herbarum.* Chermes verò, (quanquam & ipsum ab antiquis cocci nomine comprehensum videatur, vt sit fortè coccus scolecius, id est vermicularis,) ex radicibus herbarum quarundam sumi, ex eóq; charmesinum colorem tingi, floridiorem quàm è cocco. Ego (inquit) frequenter excauaui, & granula circa radices collegi, quæ breui tempore in vermiculum transeunt, aperitur enim semen (si ita vocandum est) & parua quædam formica alata exit, quæ auolat: exterior cortex inanis relinquitur, ad tincturam inutilis. Et hic est cocci vermiculus, qui apud D. Hieronymum reperitur, & in sacris literis legitur tinctura ex vermiculo, &c. Sunt autem plures herbæ quarum radicibus inhæret chermes. Vna inter alias parua, incisa multùm, quæ pimpinellæ folia imitatur, sed magis incisa. In multis Germaniæ locis colligitur: excellentius verò in Polonia circa Cracouiam. In Hetruria quoque nascitur: putántq; Hetrusci genus pimpinellæ esse, strellam vulgò appellant, alij trialmum. Nascitur autem & sub aliis herbis. nam Poloni tres herbas habent, sub quibus nascitur. Vna est, quam ipsi appellant Nyedospialek: putant esse auriculam muris, sed non est illa quam Dioscorides sic vocat. Nascitur & sub parietaria & siligine, *(secali potiùs,)* quam Græci olyram, Poloni zito, nos segala vocamus. sed hanc non excauant, quia maior est prouentus ex siligine, quàm ex chermes, &c. Ego Chermes illud de quo Arabes scriptores meminerunt, non aliud esse video quàm coccum Græcorum, è frutice videlicet ilicis aquifoliæ pumilo: cuius grana matura vermiculum aliquem emittere putârim, si non vbique & cuiusuis, alicubi tamen & speciei alicuius in eodem genere, vt coccus scolecius vel scolecias cognominari mereatur, grana verò illa de radicibus herbarum, eorúmque vermiculos & ex eis tincturam, veteribus planè incognita arbitror. Nascitur in cocci fruticis fructu breue animalculum, quod statim ac in aërem fructu iam maturo est emissum, volat, ita vt culici simile videatur. nunc autem priusquam perficiatur animalculum, fructum cocci colligunt, & sanguine infecti lanas tingunt, Pausanias in Phocicis. Monachi qui in Mesuen commentarios ediderunt, Brasauoli sententiam secuti sunt: quos reprehendit And. Matthiolus in capite de cocco infectorio. *Chermesinum nouum.* Vbi hæc etiam eius verba leguntur: Chermesinum nouum iam pridem conuehitur in Italiam ex Hispaniis, ab occidentali India importatum: quod cum copiosissimum adferatur, Chermesina stamina nunc vilescere cœperunt. De eodem puto Cardanus intelligit libro 9. de Varietate rerum, his verbis: Aduehuntur ad nos nunc semina pro purpureo colore serici conficiendo, similia cimicibus, à quibus sublata sunt capita: vnde precium serico rubenti imminutum ferè ad dimidium, cùm olim è bibinellæ herbæ tuberibus radici adnascentibus fieret. Hyparchus amnis per Indiam fluit, ad cuius fontes flos purpureus nascitur, quo purpura, floridior etiam quàm Græcanica, tingitur. Ibidem animalcula canthari magnitudine visuntur, rubro cinnabaris colore, pedibus prælongis, & vermis instar mollia. Oriuntur ea in arboribus quæ succinum ferunt: & fructibus earum vescuntur, ipsásque perdunt: vt pediculi vites apud Græcos. His tritis Indi purpureo colore vestes, tunicasq; (τὰς φοινικίδας καὶ τοὺς χιτῶνας,) & quæcunque voluerint, inficiunt: quæ Persicis etiam tincturis præferuntur, Ctesias in Indicis.

Hysge. Hysge, Ὕσγη, herba quædam. & ὑσγινοβαφὴς χιτών, tunica hysge (vel hysgino colore) tincta. dicuntur & in neutro plurali numero ὑσγινοβαφῆ (supple ἱμάτια,) Suidas. Ὕσγινος apud eundem, (malim ὕσγινος, quamuis literarum ordo repugnet) tincturæ genus est. Τὰ κόκκοιο βαφέντα, καὶ ὑσγίνοιο θέεισρα, Versus authoris innominati. Videntur autem hysginus & coccinus cognati colores esse, nomine etiam congruente. nam Pausanias in Phocicis author est, fruticem, quem Iones & Græci coccum appellant, Galatas qui super Phrygiam incolunt lingua vernacula Hys nominare. Galli quidem Europæi hodiéque ilicem aquifoliam hus, vel vt ipsi scribunt hous appellant: frutex autem cocci ilex aquifolia pumila quædam est. Ὕσγινον, βάμμα τι, Hesychius & Varinus. In quorum vulgatis lexicis hoc nomen non rectè oxytonum scribitur. *Hyacinthus.* Hyacinthus in Gallia eximiè prouenit: hoc ibi pro cocco hysginum tingitur, Plinius libro 21. Et lib. 35. Purpurissum Puteolanum (inquit) potiùs laudatur, quàm Tyrium aut Getulicum, vel Laconicum, vnde preciosissimæ purpuræ. Causa est, quòd hysgino maximè inficitur, rubiámque cogitur sorbere. Hysge igitur herba, eadem quæ hyacinthus videtur: ex hyacintho autem non cocci, sed sui coloris vestes tinctas opinor. *Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est*, Persius Sat. 1. quidam legunt lumbos, & ianthina læna est, id est violacei coloris. Ferrugineus est color ferro ardenti haud absimilis, vt quidam putauêre: qui & hyacinthinus ex Virgilio. ait enim ferrugineos hyacinthos, ex Nonio, Bayfius. Et alibi: Hyacinthina dicuntur vestimenta, quæ cum eius floris colore certant, vel etiam eiusdem nominis lapide. In hyacinthino colore purpura lucet subnigra, Ant. Thylesius. Hysginum planta est colore flaua, & inde ὑσγινοβαφῆ dicta, quæ ab ea planta tincta sunt, τὰ ὑπ' αὐτοῦ βεβαμμένα. Hoc legisse memini in Scholiis in Nicandrum, si tibi probatur autor. Hysgini etiam mentionem Vitruuius in octauo facit, Bayfius. Hyacinthinus color non tantùm ex propriè dicto hyacintho, vt ferè creditur: sed è viola quoque quæ syluestris dicitur hyacinthus, traxisse nomen Plinio videtur: nisi quis in eo ianthinum malit quàm hyacinthum legere, Ruellius. Ἁλουργῆ καὶ ὑσγινοβαφῆ ἀμπεχόμενος, Lucianus in Somnio.

Phyllanthion. Phyllanthion cognomento dyticon apud Democritum, herba ad purpuram tingendam satis celebris, nec præterea qualis sit monstratur. In Theophrasto ac Plinio legitur & Phyllanthes herba inter spinosas, sed mitior aculeis, & ab radice tantùm foliata, Her. Barb. Theophrastum video chamæmali genus quod caule foliato sit, anthemon phyllôdes appellare, &c.

Rubia. Rubiæ colorem Garanciam vulgus infectorum vocat: qui tanto in precio est, vt & nunc regium colorem multi nominent, & celebratus sit à principe poëtarum sub Hyberæ ferruginis commendatione, inter colores militares, Iul. Cæsar Scaliger.

In regione Basenorum (aliâs Abasenorum) γεωργοῦσι πορφυρῆν ποίην (fortè πόαν) εἰκέλην αἵματι Τυρίου κοχλίου: Vranus quidam, vt citat Stephanus in Abarno: videtur autem de herba quadam loqui, propter verbum γεωργοῦσι, quod in agris colere significat.

[Sandix.] Indicam purpuram ex ſandice parari, prodit hiſtoria. tantæ verò creditur excellentiæ, vt illi appoſita alia quæuis, ſpecie cineris decolorari animaduertatur, Cælius Rhod. Vide infrà in prouerbio, Purpura iuxta purpuram diiudicanda. Sandix indica, de qua in Aureliani Cæſaris vita legitur, precioſas purpuras feciſſe, aliud *(quàm vermiculum dictum)* tincturæ genus puto, Hermolaus. *[Hæmatites.]* Emplaſtrum purpura dictum, ſcilicet à colore, numero 34. apud Nic. Myrepſum, hæmatitem lapidem recipit, colore nimirum ſanguineo tingentem: vnde & nomen.

Rondeletius quartam Vrticæ ſpeciem deſcribens: Ex interioribus eius partibus (inquit) filum longum deducitur purpureo colore tam iucundo, támq; florido infectum, vt cum precioſo illo purpurę ſucco certet. Veriſimile eſt hanc vrticam purpuræ adhęrentem (teſtis enim alienis adnaſcitur, & maximè purpuris) à cane Herculis demorſam fuiſſe, &c.

[Veſtes: Purpura.] A purpuris (conchis) ipſas quoque veſtes purpuras vocamus, Hermolaus. Plinius cum priùs de concharum in cibo luxuria dixiſſet, ſubiungit: Sed quota hæc portio eſt reputantibus purpuras, conchylia, margaritas? Parum ſcilicet fuerat in gulas condi maria, niſi manibus, auribus, capite, toto corpore à fœminis iuxtà virísque geſtarentur. Quid mari cum veſtibus? Quid vndis fluctibúſque cum vellere? Non rectè recipit hæc nos rerum natura niſi nudos. Eſto, ſi tanta ventri cum eo ſocietas, quid tergori? Parum ſit niſi qui veſcimur periculis etiam veſtiamur. Adeò per totum corpus, animâ hominis quæſita maximè placent. Purpuræ luxum in veſtitu, præſertim muliebri, grauiter reprehendit Clemens in Pædagogo 2.9 purpuream hanc mortem appellans, &c. Cl. Nero amethyſtini ac Tyrij coloris vſum interdixit, Suetonius. Mulieres opertæ auro purpuráq;, Cato Originum 7. vt citat Feſtus. Qui habet vxorem ſine dote, pannum *(genere neutro)* poſitum in purpura eſt, Næuius apud Nonium. Purpura vendit cauſidicum, Iuuenalis Sat. 7. Vſq; ad talos demiſſa purpura, Cicero pro Cluentio.

Quales eſſe decet quos ardens purpura veſtit, id eſt, filios nobilium, Iuuenalis Sat. 11.
Per hoc inane purpuræ decus precor, Horatius Epod.

Purpura antiquitùs inſigne erat Romanorum magiſtratuum, Bayſius. quare & pro magiſtratu ponitur.
Purpura te fœlix, te colit omnis honos, Martialis.

Vt planè dignæ aliti *(gallo gallinaceo)* tantum honoris præbeat Romana purpura, Plinius.
Iamq; noui præeunt faſces, noua purpura fulget, Ouidius 1. Faſtorum.
Regum purpura, Vergilius 2. Georg.

[Purpuratus.] Purpuratus, purpura ornatus. vnde purpurati dicuntur ij, qui apud principes dignitate antecellunt, Cic. 1. Tuſc. iſtis quæſo, inquit, iſta horribilia minitare, purpuratis tuis. Liuius 1. belli Maced. Cum duce Athenagora vno ex purpuratis. Idem 10. belli Punici: Sopatrum ex purpuratis & propinquis regis eſſe. Cic. 4. in Catilinam: Purpuratus Gabinius. De purpurata meretrice Babylone, vt in ſacris literis nominatur: vel Roma, vt veteres interpretantur, multa Cælius Rhod. Antiquarum lectionum 8.11. Purpureus quandoq; pro purpurato ponitur. *Purpurei metuunt tyranni*, Horatius 1. Carm. *Reges purpurei*, Claudianus de raptu Proſerpinæ. *Purpureus ſcurra*, Iuuenalis Sat. 4. Iulius Cæſar Conchyliatæ veſtis vſum, niſi certis perſonis & ætatibus, perque certos dies ademit, author Tranquillus. Alexander Seuerus purpuræ clariſſimæ, non ad vſum ſuum, ſed ad matronarum, ſi quæ aut *(vti)* poſſent, aut vellent, certè ad vendendum, grauiſſimus exactor fuit: ita vt Alexandrina purpura hodiéque dicatur quæ vulgò Probiana dicitur: idcirco quòd Aurelius Probus baphiis præpoſitus id genus muricis reperiſſet, Lampridius. *[Lacernæ Tyriæ.]* De Lacernis Tyriis, præſcriptum eſt in E. vbi de precio. *[Latus clauus.]* De clauo, ſeu lato clauo, eiúſque iure, id eſt, dignitate ordinis ſenatorij, annotauit quædam Bayſius in libro de re veſt. vbi inter alia: Tunica (inquit) lati claui ſiue latus clauus, anteà quidem dicebatur tunica palmata, à latitudine clauorum: *[Tunica palmata.]* quæ nunc à genere picturæ appellatur. Verba ſunt Sexti Pompeij in vocabulo, Picta, paucis additis. Cum verò, ait, quæ nunc à genere picturæ appellatur, accipe ab ipſis clauis purpureis, qui tunicis inſeruntur, appellari tunicam lati claui. *[Claui purpurei.]* Quibus clauis purpureis mappæ quoque ad limbum, vt opinor, variari ſolebant. Et hoc eſt quod ait Martialis: *Et lato variata mapalia clauo.* Quare cum apud Liuium identidem legas tunicam palmatam, accipe pro tunica laticlaui, *[Χιτὼν πλατύσημος.]* quam Græci χιτῶνα πλατύσημον appellant. Strabo in tertio, Οὗτοι δὲ καὶ ἐντεῦθα λέγονται πρῶτοι τοὺς ἀνθρώπους χιτῶνας πλατυσήμους. Hos autem primos memoriæ proditum, induiſſe homines tunicas lati claui. Hæc de lato clauo cõminiſci potui, ita tamen, vt ingenuè fatear, mihi planè nõ liquêre. Et rurſus in libro de vaſculis: Claui purpurei (inquit) inſuebantur veſtibus, & maximè tunicis, ad eam ferè partem, qua pectus tegebatur. Horatius Sat. 7. *Et latum demiſit pectore clauum.* non quòd reuera eſſent claui, ſed quòd viderentur clauorum purpurea capita ſupereminentia in tunicæ ſuperficie, &c. *[Nœgeum.]* Nœgeum quidam interpretantur amiculi genus prætextum purpura, Feſtus. Purpuræ vſum Romæ ſemper fuiſſe video, ſed Romulo in trabea. Nam toga prætexta & latiore clauo Tullium Hoſtilium è regibus primum vſum Hetruſcis deuictis ſatis conſtat, Plinius. *[Picta. Prætexta.]* Picta, quæ nunc toga dicitur, purpurea anteà vocitata eſt, eáque erat ſine pictura, Feſtus. ---*nec purpura regem Picta mouet*, Vergilius 7. Æneid. De prætexta & toga picta, plura leges apud Bayſium: *[Περιπόρφυρος. Rica.]* qui περιπόρφυρον ἐσθῆτα ex Plutarchi Lentulo prætextam interpretatur, item de prætexta, palmata, & toga picta, in Hieroglyphicis Valeriani, libro 40. vbi de Veſtimentis agit, Rica eſt veſtimentum quadratum, ſimbriatum, purpureum, quo flaminicæ pro palliolo vtebantur. Alij aliter, &c. Feſtus. *[Paryphes. Paralurges.]* Pariphes (Πάρυφες) apud Pollucem (libro 7. cap. 13.) & Paralurges (παραλουργὲς) indumentum appellatur attextam vtrinque habens purpuram. id verò ab Ionibus dicitur Pachyales, (πηχυαλὲς) Sed & in tunicis virgæ (ῥάβδοι) purpuræ vocantur Paryphi, πάρυφοι. *[Virga purpurea.]* vnde & in Latinis literis virgatæ veſtes: & apud poëtam Æneidos 8. ſagula virgata, quæ haberent in virgarum modum deductas vias: cui ſententiæ ſubſcribit ſexto Bibliothecæs Diodorus. tametſi in eo alluſum Seruius putat ad Gallicam linguam, qua virgæ diceretur purpura. Vergilij verſus eſt: *Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla Auro innectuntur*, Cælius. Syracuſani prohibuerunt ne mulieres ferrent veſtes purpura prętextas, πορφυρᾶς ἐχούσας παρυφάς, pręterquam meretrices, Athenæus. *[Leucoparyphus.]* Dici à nobis leucoparyphus poteſt, albis indutus veſtibus: ſiquidem eſt paryphe veſtium contextus. ſed & indumentum ipſum: vnde eſt illa Tarentinorum παρυφὴ διαφανής, id eſt, veſtis pellucida. nam εὐπάρυφοι inde precioſè ac multa munditia compoſitéque amicti nuncupantur, & locupletes. mentio eius verbi quum apud alios eſt, tum in Luciani vita, Cælius.

Ex eodem prouerbium, Extrà leucoparyphus intus holoporphyrus, explicabitur infrà in h. Holoporphyros ſignat totum purpureum, ſicut holoſericam veſtem legimus, Cælius Rhod. *[Holoporphyrum.]* Holoporphyrum dicitur ad differentiam periphorphyri & diaporphyri, quibus purpura prætexitur ſolùm, aut intertexitur quibuſdam ceu virgis purpureis, de quibus ex Cælio prædictum eſt. Prætexta eſt quam Plutarchus identidem περιπόρφυρον appellat, Bayſius. Et alibi: *[Toga pura ſeu virilis.]* Toga pura ſeu virilis (ἐσθὴς καθαρὰ, ἱμάτιον καθαρὸν ἢ ἀνδρεῖον) meo quidem iudicio, dicebatur, cui nulla purpura prætexta erat. Poſita autem prætexta virilem togam ſumebant Romani, ſedecim annorum ætate, vt coniicere eſt ex Tranquillo. Οἱ δὲ πατέρες ἥδοντο θαυμαστῶς τοὺς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὁρῶντες, Plutarchus in Sertorio. Alicubi etiam ipſos pueros prætextatos περιπορφύρους appellat. *[Περιπόρφυρος.]* Alibi veſtem ipſam τήβεννον περιπόρφυρον. Alia multa ſuper hoc vocabulo cum teſtimoniis authorum à Bayſio petes. Χιτῶνας ἐνδεδυκότες περιπορφύρους, Hippias apud Athenæum. Περιήνησαι, περιβόλαια, οἷς ἐν κύκλῳ πορφύρα παράκειται, Heſychius. Περιήγητος, ὁ περιπόρφυρος χιτών, Idem. (Polluci περιηγητὸς oxytonum, ſimpliciter eſt, εἶδος χιτῶνος.) Sed legendum puto quatuor ſyllabis περίηνησα, ſic enim habet Pollux 7.13. Περίηνησα ὑπόκροκόν ἐστι περίβλημα, ἔχον τὰ νήματα ἐξηρτημένα: ἡ πορφυρᾶ κύκλῳ τὰ τέλη τοῦ ὑφάσματος περιέρχεται, νήσου σχῆμα ποιοῦντα τῇ περιρροῇ τοῦ χρώματος. hoc eſt, ita vt ambiens vndequaque purpura, veſtem reliquam, ceu mare inſulam includeret: vt fortè eandem veſtem Anaxilas νῆσον, id eſt, inſulam vocârit. Καὶ πῶς γυνὴ ὥσπερ θάλατταν νῆσον (νῆσος) ἀμφιέννυται. Apud Romanos οἱ τιμηταὶ τὴν περιπόρφυρον ἐνδεδυκότες, καὶ ἐστεφανωμένοι, πελέκει τὰ ἱερὰ κατέβαλλον, Athenæus. Πεντέκλεινα, χιτωνίσκοι, παρὰ τὴν ὤαν πορφύραν ἔχοντες. πέντε κλίνεσιν ἐνυφασμένοι, Pollux. *[Διαπόρφυρος.]* Diaporphyron Cælius interpretatur in medio purpureum: malim virgis purpureis diſtinctum, vel quod purpuram intertextam habet, vt ſuprà diximus. Mulier honeſta veſtitu vtatur ſimplici. παραιτητέον γὰρ αὐτῇ τὰν διαυγῆ καὶ διαπόρφυρον, Meliſſa in epiſtola ad Claretam. *[Πορφυρίς.]* Viriles veſtes à coloribus dictæ ſunt, πορφυρὶς, ἁλουργὶς, φοινικίς, Pollux. Eſt & porphyris auis Ibyco, quàm à porphyrione Callimachus diſtinguit. *[Ξυστίς.]* Ξυστὶς veſtis tragica muliebris: & exponitur πορφυρὶς (ἢ) κροκωτὸν ἱμάτιον, à Scholiaſte Ariſtophanis in Nubes. aliqui reges tragicos eam ferre ferunt, & aurigas in pompis. Πορφυροῦν ἱμάτιον, veſtis iuniorum in Comœdiis, Pollux. Καὶ πρῶτοι μὲν Πέρσαι περὶ αὐτὴν (τὴν τοῦ Ἀλεξάνδρου σκηνὴν) ἐντὸς εἰσήκεσαν πορφυραῖς καὶ μηλίναις ἐσθῆσιν ἐξησκημένοι, Athenæus. *[Πορφύρα.]* Et paulò pòſt: Εἶτα μύριοι Πέρσαι, τό, τε τὴν πορφύραν ἔχον πλῆθος, (purpuræ ius habens turba, Bayſius:) οἷς Ἀλέξανδρος ἔδωκε φορεῖν τὴν στολὴν ταύτην. Χλαῖναν πορφυρέην οὔλην ἔχε δῖος Ὀδυσσεύς, Odyſſeæ. Τ. ἤτοι ὁλοπόρφυρον, ἢ τρυφεράν. Ariſtophanes, Ἄχθομαι τοῖς ταῶσι, τοῖς τ' ἀλαζονευόμασι, ἀντὶ τοῦ τοῖς κόλποις τοῖς πεποικιλμένοις. ἐπεὶ ὁ ταὼς ποικίλος. ἢ ὅτι πορφύραις ἐχρῶντο καὶ πάσαις. Suidas in Ἀχθηδών. Χλαμὺς, πορφύρα, καὶ χιτών. Heſychius. *[Candys.]* Candys, indumentum Perſicum eſt, Cælius. Pollux libr. 7. cap. 13. candyn regalem, ἁλιπόρφυρον eſſe ſcribit, aliorum verò purpureum, *[ἁλιπόρφυρος.]* Sed ὁλοπόρφυρον potiùs legendum videtur. Sic enim inferiùs habet in eodem capite: Ξενοφῶν ἔφη κάνδυν ὁλοπόρφυρον. quanquam holoporphyro non πορφυροῦ ſimpliciter, ſed periporphyron & diaporphyron opponi monuimus ſuprà. Et mox ibidem: Crates (inquit) in Samiis de purpureis veſtimentis dixit: ταύτας δὲ τὰς πορφυροβαφεῖς ἐσθῆτας. *[Πορφυροβαφεῖς. Κάλλη.]* Eadem Comici etiam κάλλη vocare ſolent, vt Eupolis: Τὰ κάλλη τὰ περίσεμνα τῇ θεῷ. Archippus in Pluto πλατυπόρφυρα ἱμάτια nominat. Hi fortè ſunt lati claui Romanis, vel tunicæ palmatæ à latitudine clauorum dictæ: de quibus ſuprà. *[Πλατυπόρφυρα.]* Ἁλιπόρφυρα, ἁλουργῆ, τουτέστιν ἐκ θαλασσίας πορφύρας, Heſychius. *[ἁλουργίς.]* Ἁλουργὶς, veſtis virilis à colore dicta, ſicut & πορφυρίς: παραλουργὶς, verò muliebris, Pollux. Ἁλουργυρίδες, (lego Ἁλουργίδες,) πορφυρίδες, Heſychius. Ἁλουργὶς, purpura, ἡ ἀπὸ θαλασσίου κόχλου γινομένη καὶ ἐργαζομένη, Etymologus. ---ἁλουργίδα. Ἔχων καὶ τάπασον, καὶ στεφάνην ἐφ' ἅρματος, Ariſtophanes in Equitibus. Scholiaſtes interpretatur πορφυρᾶν χλανίδα. Varinus quoque ab ἅλς & ἔργον deriuat: & ſubſtantiuum fœmininum eſſe ait. adiectiuum autem maſculinum ἁλουργός, cuius fœmininum ſit ἁλουργὶς, neutrum ἁλουργές: quod non probârim. ἁλουργὸς enim non aliter moueri puto quàm ἀγαθός: & ipſe etiam genere neutro ἁλουργὸν χρῶμα dixit. Eſt & ἁλουργὴς adiectiuum communis generis (vt ἀληθής) in vſu. *[ἁλουργής.]* Ἁλουργῆ καὶ ὑσγινοβαφῆ ἀμπεχόμενος, Lucianus in Somnio. Theopompus de Colophoniis apud Athenæum, χιλίους φησὶν ἄνδρας αὐτῶν ἁλουργεῖς φοροῦντας στολὰς ἀστυπολεῖν. Apud eundem libro 4. ὕφη ἁλουργῆ legimus. Ἐξῆν δὲ Εὐμενεῖ καὶ καυσίας ἁλουργεῖς, καὶ χλαμύδας διανέμειν: ἥ τις ἦν δωρεὰ βασιλικωτάτη παρὰ Μακεδόσι, Plutarchus in Eumene. hoc eſt, Licebat Eumeni cauſias purpureas & chlamydes dilargiri: quod inter dona regia præcipuum habebatur à Macedonibus. Cauſiam capitis tegmen Budæus appoſitiſſimè vſurpauit pro galero cardinalium coccino. Licet enim vni Romano pontifici, vt quondam Eumeni, cauſias purpureas, & chlamydes coccinas, cæteráque cardinalium ornamenta, arbitratu ſuo dilargiri, μὴ γὰρ γένοιτο nundinari, Bayſius. Ἁλουργὲς, πορφυροῦν, Heſychius. Ἁλουργὴς ἐσθὴς, ἡ πορφυρᾶ, Scholia Ariſtophanis. Ioannes Tzetzes Variorum 1.29. Antiſthenis Sybaritæ ἱμάτιον ἁλουργὲς, id eſt, veſtem purpuream picturis & gemmis inſignem, deſcribit, Carthaginenſibus venditam centum & viginti talentis. de authore dubitat, ſuſpicatur autem apud Plutarchum ſe legiſſe. ego apud Ariſtotelem in Admirandis legere memini, & Athenæum in duodecimo: qui Alciſthenem non Antiſthenem nominant. *[ἁλουργιαῖον. ἁλουργός.]* Ἁλουργιαῖον, ἀντὶ τοῦ ἁλουργὲς, Ἀντιφάνης, Suidas. Dicitur & ἁλουργὸς, vt ἀγαθός. vnde ἁλουργοπωλικὴ, ἡ πορφυροπωλικὴ λεγομένη οὕτως Ἰσαῖος, Suidas. Ἁλουργα, (Etymologus πορφυρᾶ interpretatur,) θαλασσοπόρφυρα. Αἱμίτραι, τό, θ' ἁλουργὲς ὑπένδυμα, οἵ τε Λάκωνες πέπλοι, Idem. Ἁλουργὰ, τὰ ἐκ τῆς θαλάσσης πορφυρᾶ, Κύπριοι, Heſychius. Ἁλουργὰς στολὰς apud Athenæum lego: qui & Hippiæ hæc verba citat: Ἁλουργὰ μὲν ἀμπεχόμενοι περιβόλαια, καὶ χιτῶνας ἐνδεδυκότες περιπορφύρους. Συμμετρίαν, ἤτοι χιτῶνα ποδήρη ἁλουργὸν κύκλῳ mulieres quædam in comœdiis geſtabant, Pollux. *[Περιαλουργός.]* Ὁ περιαλουργὸς τοῖς κακοῖς, Ariſtophanes in Acharnen. vbi Scholia: ὁ κακοῖς βεβαμμένος, ἢ βαθὺς τοῖς κακοῖς. μετενήνεκται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῆς βαφῆς τῆς πορφύρας τῆς θαλάσσης (τῆς θαλασσοβαφοῦς, Suidas) ὅτι ἐκ βάθους τὸ ὄστρακον εὑρίσκεται. ---- Τῷ πολεμουμένῳ Φαιδρὸν ἁλιχλαίνων ἐρυθαίνετο φᾶρος ἀνάκλων, Nonnus de flore purpuræ. Veſtes viriles à colore dictæ ſunt, ἁλουργὶς, πορφυρὶς, φοινικὶς, καὶ φοινικοῦς χιτών, Pollux. *[Φοινικίς.]* Plutarchus in Craſſo φοινικίδα pro paludamento (quæ veſtis imperatorum erat) purpureo dixit, Bayſius. Lacedæmonios ad prælia puniceam veſtem (φοινικίδα) indutos venire oportebat: vt & color aliquam grauitatem præ ſe ferret: & ſi in eam ſanguis è vulneribus influeret, terribilior ſpectatu hoſtibus fieret, βαθυτέρας τῆς ὄψεως γινομένης καὶ φοβερωτέρας μᾶλλον, Ælianus Variorum 6.6. Φοινικὶς, ἔνδυμα Λακωνικόν, ὁπότε εἰς πόλεμον ἴοιεν, ὁμόχρους αἵματι, ὡς ἂν εἴποτε πληγῆναι συμβαίη, μὴ εἰς φιλοψυχίαν αὐτοὺς ἐμβαίνειν (fortè

(fortè ἐμβάλλειν) τὸ αἷμα ὁρώμενον, vt in Græcorum commentariis legitur. hoc est, Purpura indumentum Laconicum, cùm ad bellum proficiscerentur, sanguini concolor: ne, si quando vulnerari eos contigisset, sanguinis aspectus metum eis incuteret, Bayfius. Vide plura apud Suidam in Φοινικίδα. Plutarchus in Bruto: Ante Bruti & Cassij vallum (inquit) prælij signum erat propositum tunica phœnicea, φοινικοῦς χιτών. Et in Pompeio: Extemplò ante prætorium iussit proponi tunicam phœniceam. hoc enim Romanis pugnæ signum. Alibi coccinam appellat Plutarchus, quia idem ferè color, Bayfius. Plura de phœniceo colore, & deriuata inde vocabula, in Lexicis Græcorum leges: & in Eustathij indice in Homerum: qui inter alia ex ilicis fructu puniceum colorem tingi scribit: id quod ad coccum pertinet. puniceus verò propriè purpureus est, à Phœnicibus purpuræ inuentoribus. Ἄλλικα, χλαμύδα πορφυρᾶν, Hesychius. Ἀλλῆκα, χλαμύδα, ἐμπόρπημα: οἱ δὲ πορπίδα χλαμύδος ἀλληλοχείρου, Idem. Ἀλλὶξ, χιτὼν χειριδωτὸς apud Euphorionem, Idem. Βεύδεον, τὸ ποικίλον ἱμάτιον ἢ τὸ πορφυροῦν Varinus. Polluci βεῦδος est χιτωνίσκος διαφανής. Ὁ δὲ σαράγης, Μήδων τι φόρημα, πορφυροῦς, μεσόλευκος χιτών, Pollux. Ἐμβρόνιον, μικρὸν καὶ ἀπόρφυρον ἱμάτιον τεβεννικόν, Hesychius. Vtebantur & Græci equites eo genere vestis, quàm ephaptidem appellat Athenæus in quinto, his verbis: Πάντες οἱ προειρημένοι εἶχον πορφυρᾶς ἐφαπτίδας. πολλοὶ δὲ διαχρύσους καὶ ζωωτάς: hoc est, belluatas ephaptidas, Bayfius. Polluci lib. 4. cap. 18. ephaptis genus est vestis tragicæ: συστρεμμάτιόν τι φοινικοῦν ἢ πορφυροῦν: ὃ περὶ τὴν χεῖρα εἶχον οἱ πολεμοῦντες, ἢ οἱ θηρῶντες: è lino tenui nimirum, sericóue purpureo, quod propter tenuitatem facilè manibus conuoluebatur. Lenones & scortorum matres in tragœdiis, ταινίδιόν τι πορφυροῦν περὶ τὴν κεφαλὴν ἔχουσι, Pollux. Regis Persarum vestis purpurea, accipitribus aureis distincta erat, Cælius Rhod. Cùm in eborato lecto ac purpurei operis toro cubare videas ægrotum, Nonius. Ἔστι δ' εἰπεῖν περὶ κλίνης ἢ στρωμνῆς, ἀνθοῦσα, εὔχρως, εὐανθὴς πολυανθής, ποικίλη, πορφυρᾶ, ἁλουργίς, ἁλιπόρφυρος, περσεῖος, ὑσγινοβαφής, ἰοειδής, ἐπιπόρφυρος, πολυπόρφυρος, πορφυρομιγής, καὶ κατὰ Ξενοφῶντα ὁλοπόρφυρος, Pollux 10. 9. Conchyliatis Cn. Pompei peristromatis seruorum in cellis lectos stratos videres, Cicero in Antonium. Τάπησι πορφυρέοισιν Iliados A. Piscatus est rete aurato, purpura coccóque funibus nexis, Suetonius de Nerone. Vidimus iam & viuentium ouium vellera purpura, cocco, conchylio, sesquilibris infecta, velut illa sic nasci cogente luxuria, Plinius. *Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti Murice*, Vergilius 4. Æglo. Spongiæ quas aliqui mares existimauêre, tenui fistula spissioresq;, tinguntur in deliciis aliquando & purpura, Plinius.

Allix. Beudeon. Sarages. Embironum. Ephaptis. Lectus purpurei operis, &c. Oues. Spongia.

h. Ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα: Id est, Purpura ad (*vel, iuxta*) purpuram diiudicanda est. Certissimum iudicium ex collatione nascitur. Vnde emptores mercaturi purpuram, ne fallantur, alteram adhibent purpuram. Licebit hoc adagio vti quoties negabimus infantiam aut inscitiam doctorum plenè deprehendi, nisi cum eloquentium & eruditorum scriptis conferantur. Etenim si vel Salustium conferas cum Cicerone, iam velut obmutescit ille, alioqui per se disertissimus. Meminit & Isocrates in oratione Panath. Ἀλλ' ὥσπερ τὴν πορφύραν καὶ τὸν χρυσὸν θεωροῦμεν καὶ δοκιμάζομεν ἑτέρα (*fortè* ἕτερα) παραδεικνύοντες. id est, Sed quemadmodum purpuram & aurum consideramus ac probamus, purpuram cum purpura conferentes. De conferenda purpura locum ex Aureliano Fl. Vopisci adscribam. Meministis (inquit) fuisse in templo Iouis Opt. Max. Capitolini pallium breue, purpureum, lanestre: ad quod cùm matronæ atq; ipse Aurelianus iungeret purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur cæteræ diuini comparatione fulgoris. Hoc munus rex Persarum ab Indis interioribus sumptum, Aureliano dedisse perhibetur, scribens: Sume purpuram qualis apud nos est. Nam posteà diligentissimè & Aurelianus, & Probus, & proximè Diocletianus missis diligentissimis confectoribus, requisiuerunt tale genus purpuræ, nec tamen inuenire potuerunt. Dicitur enim sandix Indica talem purpuram facere, si curetur. Allusit huc Quintilianus lib. 12. capite De generibus dicendi, agens de dictione quæ quòd mediocris est, per se habet admirationem: sed admotis iis quæ sunt eximia, desinit esse admirationi. Habet (inquit) admirationem, neque immeritò: nam ne illud quidem facilè est. sed euanescunt hæc atque moriuntur comparatione meliorum: vt lana tincta fuco, citra purpuras placet: at si contuleris, etiam lacernæ conspectu melioris obruitur, ut Ouidius ait, Erasmus Roterod. Athenæus libro 3. Dipnosophistarum Apollodorum scribit prouerbium λιχνότερα (λιχνότερος) τᾶν πορφυρᾶν, id est, Edacior aut Voracior purpuris, Sophroni vsurpatum interpretari: idq; dictum existimare vel à tincta purpura, quæ omnia quibus admota fuerit velut ad sese rapit, suóque colore res vicinas inficit, additque lucem: vel ab animante ipso. de cuius voracitate Plinius: Lingua (inquit) purpuræ longitudine digitali, quæ pascitur deuorādo reliqua conchylia. tanta duritia aculeo est. Conueniet in edaces, aut in eos qui omnia in suum compendium vertunt. Fortassè duriùs, sed non ineleganter, accommodabitur ad reges δημοβόρους, aut aduocatos, qui purpurati omnia conuertunt in fiscum suum: & quocunque se conferunt, abradunt aliquid, Idem Erasmus. Sed λίχνος Græcis non tam voracem & multi cibi hominem, aut helluonem: quàm exquisiti delicatíque liguritorem & catillonem significare videtur: quod non animaduertit Erasmus. Βάμμα Σαρδωνικόν: id est, Tinctura Sardonica, de colore præcellenti dicebatur, præcipuè purpuræ. per iocum autem transfertur ad eum qui pudefit, aut qui ob plagas sanguine tingitur. Sardo enim insula ingens est opposita Italiæ, in qua variæ purpurarum tincturæ laudatissimæque fiebant, (ex Suida in Σαρδώ.) Aristophanes in Pace: Ἣν ἐκεῖνός φησιν εἶναι βάμμα Σαρδινιακόν. id est, Quam ille prædicat coloris esse Sardiniaci. Idem in Acharnensibus: Ἵνα μή σε βάψω βάμμα Σαρδινιακόν. id est, Ne te linam colore Sardiniaco, Erasmus Rot. Sed pro Σαρδωνιακόν, vt in contextu Acharnensium legitur, repono Σαρδιανικόν, vt Scholiastes & Suidas rectè legunt. sic etiam carmen meliùs constabit, & similiter in Pace, (vbi & in textu & in Scholiis Σαρδιανικὸν rectè scribitur.) à Sardibus quidem Lydiæ, Sardianus deriuatur, pro ciue: & Sardianicum, possessiuum, authore Stephano. ab insula autem quę Græcis Σαρδώ, Latinis Sardinia dicitur, Sardonius, Sardôus, & Sardonicus probè deriuantur apud eundem Stephanum: sed horum nihil apud Aristophanem legi potest, cùm versus quinque syllabarum dictionem postulent. Quamobrem Erasmus nec Σαρδωνικὸν nec Σαρδινιακὸν rectè legit: quanquam Suidas quoque in Σαρδώ, habet βάμμα Σαρδωνικόν, Aristophanis Scholiastes Sardianicam interpretatur rubram vel puniceam. Σαρδὼ (inquit) insula vna è septem: stadiis L X. distat à Corsica. in ea purpuræ fiunt διάφοροι καὶ ὀξύταται, id est, excellentes (non variæ, vt Erasmus vertit,) & præcipui fulgoris. Vel (*Sardianicam dixit*) quia in Sardo Lydiæ (εἰς τὴν Σαρδὼ τῆς Λυδίας, non rectè: Σάρδεις enim plurali nomine fœminino vrbs Lydiæ dicitur, non Σαρδώ.) dicendum igitur

Prouerbia. Purpura iuxta purpuram. Sandix Indica. Purpura Voracior. Tinctura Sardonica.

εἰς τὰς

εἰς τὰς Σάρδεις, id est Sardibus. sic & Hesychius: (διάφορα γὰρ ἦν τὰ ἐν Σάρδεσι βάμματα) tincturæ rubicundæ fiunt. Insinuat autem: nisi verum dicat, flagris ad sanguinem vsque cæsum iri. In Vespis etiam Scholiastes scribit, Sardibus venundari solita fuisse vestimenta Persica. Chorus rusticorum in Pace Aristophanis inquit, se malle domi deliciis suis ruralibus frui, quàm in militia videre ταξίαρχον

Τρεῖς λόφους ἔχοντα καὶ φοινικίδ' ὀξεῖαν πάνυ:
Ἣν ἐκεῖνός φησιν εἶναι βάμμα Σαρδιανικόν.
Ἢν δέ που δέῃ μάχεσθ' ἔχοντα τὴν φοινικίδα,
Τηνικαῦτ' αὐτὸς βέβαπται βάμμα Κυζικηνικόν.
Κᾆτα φεύγει πρῶτος ὥσπερ ξουθὸς ἱππαλεκτρυὼν
Τοὺς λόφους σείων.

vbi Scholiastes φοινικίδα interpretatur galeam puniceo colore tinctam. alij verò vestimenta (περιβλήματα) coccini coloris. talibus enim vtebantur in præliis Lacedæmonij, ne sanguinem fluentem viderent propter similitudinem coloris: & ne vulnera eorum ab hostibus cognoscerentur. eximiæ autem sunt (inquit) Sardianicæ & Cyzicenicæ tincturæ. hîc verò Cyzicenicæ tincturæ nomine cinædum denotat: εἰς κιναιδίαν διαβάλλεται, ὥστε μηδὲ τῶν ἀναγκαίων κρατεῖν δύνασθαι. Suidas in Φοινικίδα poëtæ cuiusdam, fortè Aristophanis hos versus citat: ----Τί φειδόμεσθα τῶν λίθων ὦ δημόται, Μὴ οὐ καταξαίνειν τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐς φοινικίδα, ἀντὶ τοῦ μὴ οὐχὶ λίθοις αὐτὸν αἱμάσσειν, ὡς φοινικοῦν αὐτοῦ ποιῆσαι τὸ σῶμα. τῷ δὲ καταξαίνειν ὡς ἐπὶ ἐρίων ἐχρήσατο· διὸ καὶ φοινικίδα εἶπεν ὡς ἐπὶ ἱματίου.

Tinctura Cyzicena.

Tinctura Cyzicena (inquit Erasmus) dedecus non eluendum appellabatur apud Atticos, dicebatúrque in eos qui metu quippiam indecore facerent. nam Cyziceni duobus nominibus notati sunt timiditatis & molliciei. Recensetur in Plutarchi Collectaneis. Meminit & Hesychius, addens Cyzicenos ob molliciem notatos, quòd Iones essent. Eadem ferè Aristophanis interpres, Stephanus addit, eos fuisse graues Tyrrhenorum prædationibus: Hæc ille, non satis apertè. Non enim de quouis dedecore non eluendo accipienda est Cyzicena tinctura, sed de mollicie & præpostera Venere imprimis, vt paulò antè ex Aristophanis Scholiaste citauimus: aut de eo fortassis scelere quod Græci λεσβίζειν, λεσβιάζειν, ἢ φοινικίζειν dicunt: cuius teterrima libido & execrabilis furor, vt Lactantij verbis vtar, ne capiti quidem parcit, de quo plura leges in Miscellaneis Brodæi 2.21. & in Chiliadibus Erasmi, prouerbio Phicidissare, Φικιδίζειν, quod corruptum est pro Φοινικίζειν. Βάμμα Κυζικηνὸν, τὴν ἀκάθαρτον ἀσχημοσύνην Ἀττικοὶ λέγουσι, Suidas. Stephanus addit Cyzicenos fuisse graues Tyrrhenorum prædationibus, Erasmus. Mihi aliud dicere Stephanus videtur in Cyzico vrbe Propontidis iuxta Cherronnesum. Inde (inquit) gentile fit Cyzicenus, possessiuum Cyzicenicus. quanquam gentili etiam pro possessiuo vtuntur aliqui: sicut Τυρσηνοί, pro Τυρρηνικοί, οἱ χαλεποί, διὰ τὸ λῃΐζεσθαι τοὺς Τυρρηνούς. videtur enim non iam de Cyzicenis dicere, sed simpliciter Tyrrhenos interpretari, infestos aliis & prædones homines, &c. Solent autem (addit mox Erasmus) tincturæ insignes à locis habere cognomen. Simili modo dictum est ἔμβαμμα Συρακούσιον, & βάμμα Σαρδιανικόν. Ego verò Syracusiam tincturam purpurámue apud authores nullam laudari reperio: & deceptus mihi videtur Erasmus inde quod Hesychius scripsit: Βάμβα (*meliùs* βάμμα) τὸ χρῶμα, καὶ τὸ ἔμβαμμα Συρακούσιοι (non Συρακούσιον.) quæ verba mox etiam ineptè in Bammatis Cyziceni mentione repetita sunt. Embamma Græcis communiter intinctum significat, hoc est, liquorem in quem excitandi appetitus gratia edulia intinguntur: hunc sua dialecto Syracusani bamma nominant: nihil hoc ad purpuræ aut aliam vestium tincturam. Sed reliqua Erasmi in huius prouerbij explicatione addamus, quoniam ad purpuram faciunt. Est (inquit) ęstimatio rumórque consequens hominum vitam, veluti tinctura quædam, vnde carbone notari dicuntur, qui damnantur. Et notum est illud Ennianum apud A. Gellium: Quæ tincta malis, aut quæ bono dicto. Addam quod est apud Herodotum libro 4. Quùm Æthiopum rex conspexisset à rege Persarum missam vestem purpuream, rogauit tincturæ rationem. Eam quùm ab ichthyophagis didicisset: Δολεροὺς μὲν ἀνθρώπους ἔφη εἶναι, δολερὰ δὲ αὐτέων τὰ εἵματα. id est, Non solùm ait homines esse subdolos, sed & vestes illorum esse dolosas. Prouerbium perelegans vsurpari à Græcis animaduerto, Extrà leucoparyphus, intus verò holoperphyrus: in eum qui vestibus quidem frugi vtatur, intus tamen, id est, animo luxu diffluat. Sumptum id ex historia: quùm Antipatrum quidam laudibus efferret: quòd esset apprimè frugi, ac austerus, & victu præparcus Ἔξωθεν (inquit Alexander) Ἀντίπατρος λευκοπάρυφός ἐστι, τὰ δὲ ἔνδον ὁλοπόρφυρος, Cælius. ex quo (& Polluce) de paryphis vestimentis, aut intertextis virgis, scripsimus suprà in e. Tanquam euparyphus ex comœdia, Ὥσπερ εὐπάρυφος ἐκ κωμῳδίας, Plutarchus in Symposiacis prouerbiali figura dixit, hominem significans magnificè vestitum. nam huiusmodi finguntur in comœdiis milites gloriosi. quorum insigne est chlamys purpurea, quemadmodum indicat Donatus. Ita Lucianus de milite: Τὸν εὐπάρυφον λέγω τὸν ἐν χλαμύδι, &c. Erasmus Rot.

Extrà leucoparyphus. Euparyphus ex comœdia.

PYRVNTES, Πυροῦντες, Mnesitheo apud Athenæum libro 8. Ex fluuiatilibus (inquit) optimi sunt, qui in rapidissimis fluuiis versantur, (οἱ ἐν τοῖς ὀξυτάτοις τῶν ποταμῶν ὄντες, οἵ τε πυροῦντες. malim ὡς οἱ πυροῦντες,) vt pyrûntes. Hi enim non gignuntur nisi in rapidis & gelidis fluuiis, & faciliùs quàm cæteri fluuiatiles concoquntur. Apparet autem rectum singularem huius piscis esse πυρόεις. Coniicio autem sentire eum de trutis vulgò dictis, qui in frigidis tantùm rapidísque fluuiis aut riuis degunt: & præ cæteris plerísque salubres existimantur vulgò, & propter maculas rubicundas πυροῦντες, quasi igniti vel ardentes, dici merentur. Aliud quidem nomen earum Græcum aut Latinum ignoramus. Et Germanica vox Forent ad pyrûnta accedit, p. in f. mutato. Sed de trutis diuersis in T. elemento plura dabimus: & quasdam non maculis tantùm foris, sed carne etiam tota intus rubere indicabimus.

DE AQVATILIBVS QVORVM AB R. ELEMENTO NOMENCLATVRÆ INCHOANTVR.

DE RAIIS RONDELETII, BELLONII, ET NOSTRA SCRIPTA HOC ORDINE SEQVVNTUR.

Ex Rondeletio.

De Raiis & earum diuisione.
De Raia læui.
De Raia oxyrhyncho.
De Raia oculata & læui.
De Raia oculata & aspera.
De Raia clauata.
De Raia spinosa.
De Raia fullonica.
De Raiarum fœcunditate & earum ouis.
De Raia vndulata siue cinerea.
De Raia alia oxyrhyncho.
De Raia asteria.
De Raia asteria aspera.
De altera specie Raiæ clauatæ.
De Raia aspera.
De Raia asperrima.

Ex Bellonio.

De Raiis multorum generum.
De læui Raia.
De Raia propriè dicta, quæ Rondeletij Clauata prima est.
De Raiis asteriis.

Corollaria.

I. De Raiis simpliciter & in genere
II. De Raiis diuersis.

DE RAIIS, ET EARVM DIVISIONE RONdeletius.

Raiarum fœcunditas & copia, eiusq; causa.

ARETA raiis abundat, vt terra spinis, tribulis, rhamnis. Quod mirum nonnullis videri posset, cùm raia vnum duntaxat, aut summùm duo ouа, eámque ob causam, vnicum duósve fœtus semel edat. quod etsi verum sit, raias tamen inter cartilaginea omnia fœcundissimas esse postea docebimus. quæ nō solùm magni raiarum prouentus causa est (nam plurimi alij pisces numerosiùs fœtificant, quorum longè maior est quàm raiarum raritas) sed etiam quòd raiarum fœtus à paucis aliis deuorari possit. Longè verò magis improbanda est, & impia iudicanda eorum sententia, qui naturam tanquam nouercam accusant, quæ plura fera, aspera, noxiáque produxerit: quàm cicura, iucunda, vtilia, cùm contrà nihil temerè, nihil sine summa ratione, à Deo opt. max. omnium bonorum author sit creatum. Vt, ne à rebus marinis recedamus, pulices maris, œstri, pediculíque aliis piscibus maximè sunt molesti: at quibusdam sunt iucundissimi: nam hepatis illis lubentissimè vescitur. scolopendra venenata est, at acui gratissimo est alimento. lepus marinus lætalis est nobis, at mullo cibus est innoxius & delicatus. Et ne singula persequamur, raiæ quædam totius corporis, omnes caudæ aculeis horrent, aspectu ipso deformes sunt: tamen rusticis iisq; qui corpus graui labore fatigant in cibo sunt vtiles, plurimúmq; nutriunt. Fel earundem oculorum cicatricibus & suffusionibus curandis prodest.

Eadem aliis noxia, aliis vtilia.

Raiarum vsus.

Raiæ sunt inter planos cartilagineos notissimæ, maximéque variæ. De iis primùm vniuersè quædam dicemus, earúmque species partiemur: deinde eas sigillatim explicabimus. Βάτος ἡ βατὶς à Græcis raia dicitur, à rubi quem βάτον vocant similitudine. Quemadmodum enim spinosus est aculeatúsque rubus: ita Raia omnis aculeis aspera, non quidem toto corpore: sunt enim λειόβατοι, id est, læues raiæ, quibus nulli sunt in corpore aculei. sed siue lęues sint raię siue asperę, omnes vncos aculeos in cauda gestant, sicuti in rubo, cynosbato, & rosis cernuntur. Latini nulla habita Græcæ etymologiæ ratione raiam vocauerunt, veluti τρυγόνα pastinacam, Fuit qui aliquando mihi negârit raiæ vocabulum Latinum esse, præsertim cùm Plinius lib. 32. cap. 11. in piscium catalogo eo minimè sit vsus, sed Græco. Box, Batis, Banchus, &c. Et alio in loco bati fel dixerit, non raiæ. At latino nomine idem libro 9. cap. 24. vsus est. Planorum piscium (inquit) alterum est genus, quod pro spinâ cartilaginem habet, raiæ, pastinacæ, &c. Latini nominis etymum nullum reperi, nisi forte à radendo raiam dictam esse existimes. Distinguunt nonnulli βάτον ἡ βαλίδα, vt hæc fœmina sit, ille mas. id annotauit qui nomina Græca quibus Latina respondent ex Gazæ interpretatione collegit, in fine librorum Aristotelis de animalibus. Aristoteles quidem libro 1. de hist. cap. 5. & libr. 2. cap. 13. lib. 6. cap 10. βάτυ nomine sæpiùs vsus est, vno verò loco βατίδος: Τὰ μὲν οὖν σκύλια ἡ βατίδος ἴχνοι τὰ ὀσφραντικὰ, &c. Et reuera quibus in locis Aristoteles βάτυ nomen ponit, de his loquitur quæ tam ad marem quàm ad fœminam spectant, de branchiis, de pinnis, de coitu: quùm verò de eo quod fœminæ tantùm proprium est, βατίδα dixit, vt non vana mihi nominum differentia hæc esse videatur. Posset eadem etiam Grammaticorum authoritate confirmari, qui βατίδα mollioris piscis genus esse scribunt, vnde βαπτοσκόποι dicantur ὑλοφάγοι & gulones, authore Cælio Rhodigino: vt, quoniam fœmina in omni genere humidiore molliorèque sit carne quàm mas, βατὶς raia fœmina propriè dicatur. Athenæus libro septimo, βατίδα ἡ βάτον etiam distinxisse videtur, sed locus is adeò corruptus est, vt nihil inde certi elici possit.

Ibidem cap. 7.

Batum & batidem non differre, nisi forte sexu.

Lib. 13. cap. 1.

Inhoc

In hoc omnes consentiunt, raias cartilagineos esse planósque pisces, cauda aspera, sine pinnis quibus natent, latitudine enim sua natant. Aristoteles libro 6. de histor. animal. cap. 10. Τῶν δὲ σελαχῶν, ἔνια μὲν οὐκ ἔχει πτερύγια, οἷον τὰ πλατέα, ἡ κεκιοφόρα, ὥσπερ βάτος ἡ τρυγών, ἀλλ' αὐτοῖς νεῖ τοῖς πλάτεσι. Cartilaginei quoque generis aliqua pinnis carent, videlicet quæ plana sunt, & caudam habent, vt raia, pastinaca, suáque ipsa latitudine natant. Neque est quod quis mox sequente sententia, ab hac opinione abducatur: Βάτος δὲ οὐκ ἔχει, ἡ ὅσα τὸ πλάτος μὴ ἔχει ἀπολελειμμένον. Locus enim manifestè mendosus est, legendúmq; βάτεια χος pro βάτος. Idem error in codices Latinos irrepsit. Raiam tamen habere pinnas videmus, & quæcunq; suam latitudinem non colligunt in mucronem. Legendum verò ranam autem, &c. Rana enim piscatrix & squatina, quamuis cartilaginei sint planíque pisces, tamen pinnas habent ad natandum, nec sola sua latitudine natant eodem Aristotele author: Οἱ δὲ βάτοι ἡ τὰ τοιαῦτα, ἀντὶ τῶν πτερυγίων τῷ ἐσχάτῳ πλάτει νέουσι: οὐ δὲ πίννη ἡ βάτεια χος τὰ ὀπίσω τῷ πτερνεῖ κάτω. (ἔχουσι,) διὰ τὸ πλάτος τῶν ἄνω. Raia & similes, pro pinnis extrema sui corporis latitudine natant. Squatina verò & rana pinnas lateribus accommodatas infrà gerunt propter amplitudinem partis superioris. Sed rursus locus proximè citatus mendo non caret: nam pro οὐ δὲ πίννη ἡ βάτεια χος, legitur in impressis Græcis codicibus ἡ δὲ νάρκη, non rectè, cùm mox Aristoteles τὴν νάρκην, id est, torpedini, alias pinnas tribuat scilicet iuxta caudam. Quæ cùm de squatina & torpedine dicetur, clariora fient. Gaza vel meliore vsus codice, vel re diligentiùs considerata, non torpedinem, sed squatinam conuertit. eius enim interpretationem adscripsimus. Constat igitur raiam pinnis natandi causa à natura donatam non fuisse. Nam quæ in caudis raiarum pinnulæ sunt, non natandi sed dirigendi itineris causa datæ sunt: pinnas verò eas duntaxat appellat Aristoteles, quibus pisces natando corpus impellunt, quemadmodum in pastinaca priùs annotauimus. Omnibus raiis membranula, quæ nebula vocatur, oculis obtenditur. Iuxta oculos foramina sunt ampla, ad oris intima vsque patentia, quibus operculum interiore parte à natura additum est: quæ foramina ore aperto dilatantur, clauso ore magna ex parte occluduntur: neque enim, maximè in mortuis raiis ab operculo tota obturantur. Foramina alia pro naribus omnes ante oris rictum obtinuerunt. Harum aliæ dentes habent, aliæ minimè, sed horum vice os asperum rugosúmque. Branchias detectas in supina parte eodem situ ordinéque omnes habent. Aculeis variè à se differunt. Aliæ in prona supináque parte aculeis armatæ sunt, aliæ in prona tantùm, aliæ in rostri supina parte: aliæ in nulla parte præterquam in cauda: quorum ea est diuersitas, vt in aliis triplici ordine dispositi sint, in aliis simplici. Præterea ipsorum aculeorum plures sunt differentiæ. Sunt quidam molles & imbecilli, pilorum vel lanuginis modo: nonnulli paulò validiores, alij robustissimi ex ossea planè substantia. Rursus alij longi & tenues, alij parui & vix supra cutem extantes, alij medio modo se habent: omnes ferè ad caudam spectant, longi ferè ad caput.

De pinnis raiarum.

Lib. 4. de part. anim. cap. 13.

Pinnæ in cauda pastinacæ.

Nebula oculis obtenta.

Foramina iuxta oculos.

Alia prona labra.

Branchiæ.

Aculeoru diuersitas.

Partibus quibusdam internis differunt: in quibusdam hepar magis rubescit, in aliis flauescit magis. In hepate omnium fellis est vesica. In ventriculi plexu splen situs est. Intestina crassa: in ecphysi, & recti intestini extremo angusta. Cætera in singulorum descriptionibus exponentur.

Interiora.

Nunc de raiarum generibus, quas antiqui vel differentiis aliquot neglectis, vel fortassè nominibus destituti, in tria tantùm partiebantur, raiam scilicet simpliciter dictam, raiam lævem, & asteriam. Nos diligentiùs clarioris doctrinæ gratia, in multò plures species distribuemus. Raiam igitur primùm in lævem & asperam diuidimus: deinde in raiam stellulis notatam, & iis carentem. sunt enim & lęves & asperæ stellulis variæ, aliæ minimè. Asperarum aliæ tactum modicè solùm vellicante lanugine: aliæ aculeis robustis, sed raris, aliæ aculeis robustissimis & densissimis asperantur. Rursus earum quæ stellulis notantur, aliæ binas duntaxat maculas habent, aliæ plures. Illæ binis maculis circumiectos circulos habent, vt in buglossi & turpedinis specie. Harum nonnullæ rotundæ, stellísque pictis similes notas multas habent, quædam albis nigrisq; prona parte conspersæ sunt. Sed priusquam singulas explicemus, de earum fœcunditate & generatione dicemus.

Raiarum genera.

DE RAIARVM FOECVNDITATE ET EARVM ouis, Rondeletius.



ABSVRDVM hîc minimè fuerit causam reddere, cur tam fœcundas raias esse dixerimus. Non enim solùm

solùm magnus est raiarum prouentus, quia vix piscis vllus sit tam lato oris rictu, lamia excepta, qui raiam
Lib.6.de hist. cap.17. deuorare possit: vel quia ob totius corporis, vel certè caudæ aculeos reliqui pisces ab his abstineant. neque verò ad id Aristotelis autoritate confirmandum vtimur. Raia inter cartilagineos fœtificat numerosiùs: verùm quia facilè pereunt: hinc efficitur vt appareant paucæ. nam neq; raia hoc loco legendum, sed rana. Græci enim codices βάτραχον habent non βάτον. neque paucæ raiæ apparent, sed in oceano & in mari mediterraneo plurimæ. Sed alia est certior fœcunditatis causa, quæ non facilè ab omnibus intelligatur,
Lib.6.de hist. cap.10. nisi raias grauidas aliquando dissecuerint, & diligentiùs contemplati fuerint. De raiarum ouo hæc Aristoteles: Τὰ μὲν ὦν σκύλια καὶ αἱ βατίδες ἰσχυσι τὰ ὀστρακώδη, ἐν οἷς ἐγγίνεται ὠοειδὴς ἰσχάτης: τὸ δ' ἧμμα ἔσ ὀστράκω, ὅμοιον ταῖς τῶν κύλῶν γλώτ̃αις: αἱ πόροι τειχώδεις ἐγγίνονται τοῖς ὀστράκοις. τοῖς μὲν ὦν σκλίοις, ὃς καλοῦσί τινες νεφρίτας γαλεούς, ὅταν περιῤῥαγῇ καὶ ἐμπέσῃ (ἐκπέσῃ fortè) τὸ ὀστρακον, γίνονται οἱ νεοσσοὶ: ταῖς δ' βατίσιν, ὅταν ἐκλέκωσι δ', ὀστράκω περιῤῥαγέντος, ἐξέρχεται ὁ νεοσσός. Caniculæ & raiæ testacea quædam gerunt, in quibus humor ad oui similitudinem consistit. figura eius testæ similis tibiarum ligulis est: meatúsque sunt capillamentorum specie in testis. Caniculis quidem quas nonnulli nebrios (*nebrias*) galeos vocant, fœtus rupta dilapsáque testa proueniunt: raiis cùm peperierint, rupta testa excluditur fœtus: *(Non video quomodo aliter caniculæ, aliter raiæ pariant: vtraque enim testaceo illo receptaculo rupto catulos emittunt.)* De caniculis & earum ouo, partúque, suo loco dictum est. Nunc de raiis tantùm, Iis testaceum ouum vnicum tribuit Aristoteles, quale reuerà habent. Fœtum igitur vnicum aut summùm duos vno partu edunt, quod verum est: sed præter ouum testaceum quod hîc depingendũ curaui, aut duo, quæ perfecta in inferiore vuluæ parte cernuntur, ex dissectione comperi permulta alia, & ferè infinita in superiore vuluæ parte haberi, quæ tempore perficiuntur, ex quibus sępiùs iteratis partubus, fœtus excluduntur. Atq; hæc fœcunditatis causa est eadem quæ in gallinis, vt quotidiè experimur: quæ vnicum ouum vnico partu ponunt, cùm plurima alia in vtero gestent, quorum singula posteà, vt priùs absoluta fuerint ita priùs eduntur. Hæc de raiarum fœcunditate. Nunc vt pictura, ita oratione earundem oua repræsentemus. Oua qualia in præfixa capiti pictura superiore loco spectantur, sine testa primùm concipiuntur, in superiore vuluæ parte, quorum alia gallinę ouorum magnitudinem æquant, alia his minora sunt, quædam vix ciceris sunt magnitudine. Equidem plura centenis aliquando in raiis singulis numeraui. Ex his quæ à perfectione propiùs absunt, in inferiorem vuluæ partem demissa, testa operiuntur, in qua albumen & vitellus continentur: quemadmodum in gallinarum & auium aliarum ouis primùm conformatis, quæ tum vitello solo videntur constare, cùm tamen posteà albumen à vitello secernatur. Quam rem cùm vehementiùs admirarer, causámque eius sollicitè inuestigarem, oua gallinarum recens formata, in quibus ne vestigium quidem albuminis apparebat, coxi, tum caloris vi (cuius proprium est quæ eiusdem sunt generis congregare & cogere, quæ diuersi dissipare, & discutere) candidum à luteo secretum vidi. Quamobrem initio quidem vtrumque commistum est & confusum, sed paulatim calor magis ac magis vires suas exerens, separat, & ex crassiore parte indurata, testa circundat. Tale est igitur in testa sua raiarum ouum, quale gallinarum, & auium initio. Testa verò ouum suum concludens sub pictura ouorum testa nudatorum expressa, quæ à figura puluinar à quibusdam hodiè vocatur, quadrati forma est, demptis angulorum appendicibus, quæ variæ sunt. Vnius enim lateris appendices longiores sunt, similes foliis gladioli herbæ: alterius breuiores, latiores, replicatæ, quibus vndique summotis, laterum anguli tibiarum ligulis similes sunt, vt scribit Aristoteles. Qua de re plura, & (ni fallor) notatu dignissima, quùm de caniculis diceremus. Testaceum ouum *(Sic & ova singula nominare videtur, quæ vna communi cum testa continentur: & ipsum quoq; continentem testam)* raiarum à caniculorum ouo differt: illarum enim magis fuscum est, harum magis flauum, appendices graciliores, lyræ fidibus similes. His expositis, nunc singulas raiarum differentias persequamur.

DE RAIA LÆVI, RONDELETIVS.



A DICITVR à Græcis λειόβατος, à Latinis raia læuis, ab Hispanis Liuda, à cute læui & pellucida. Sunt qui rasam vocent à glabra cute. Nostri non à cutis læuitate, sed à colore fumat & fumado appellant. Sunt enim colore fusco, quem enfumat vocamus: quòd eo colore sint quæ fumigantur, priusquam maximè denigrentur.

Est igitur

Est igitur raia læuis piscis, planus cartilagineus, corpore tenui, & in amplissimas alas expanso. Cute B glabra læuíque, id est, ab aculeis nuda, præterquàm in locis prope oculos, quorum vterque aculeo munitus est: item excepta media dorsi linea, & cauda. In illa infixi sunt aculei parui, rarique: in cauda tres aculeorum ordines, qui rariores tenuiorésque sunt quàm in aliis generibus. In supina parte aliquot sunt in os recurui, cibi, opinor, retinendi gratia. Rostrum tenui cartilagine constat, & pellucida: mediæ est longitudinis. oculi in hac specie vt in aliis omnibus, in prona parte, non sursum spectantes, vt in vranoscopo, sed ad latera. Nebula, hoc est, crassa & alba tunica, (adnatam esse diceres,) à parte inferiore ascendens fimbriata, vel in ambitu serrata, pupillam totam integit, dum pars digito comprimitur, de qua re plura quàm de caniculis ageremus. Post oculos foramina sunt, ita ampla, vt in ea digitus minimus immitti possit, de
10 quibus antè dictum est. Os in supina parte, & multùm infrà: quam ob causam non nisi resupinata raia cibum capere potest. Os latum est: ossibus asperis pro dentibus munitum, foramina pro naribus ante os sita. In eadem parte branchiæ vtrinque, ad aquam cum cibo haustam, quæq; prima palati foramina effugit, reiiciendam. Branchias sequitur cartilago, cui innixum diaphragma hæret, ad branchias cum corde, à ventriculo, hepate, aliísque nutritioni destinatis partibus secernendas. Rima pro podice est, pudendo muliebri non absimilis. Alæ vtrinque expansæ tenues sunt, prona parte nigricant, vt & cauda, dempta quadam parte candida: sic etiam tota supina pars alba est. Ventriculus huic generi paruus est, cephyis gracilis & dura. Intestina breuia, sed crassa: hepar rubescit, in quo fel latet.

Raiæ omnes odorem ferinum, & marinum quendam fœtorem recipiunt, qui in diutiùs seruatis ferè C euaneſcit. Quare Lutetiæ meliores sunt raiæ quàm Rhotomagi, & Lugduni quàm Massiliæ: longa enim
20 vectura tenerescunt, & suauiores efficiuntur. Rectè igitur Athenæus libro 8. Ὁ δὲ λειόβατος, δυσκολιώτερος καὶ βρωμώδης: id est, læuis raia aluo difficiliòr est, & virus olet: nec mirum cùm carnuora sit, & in cœnosis locis, litoribúsque viuat, teste Oppiano lib. 1. ἁλιευτικῶν *(qui hoc de raia simpliciter scribit.)* Galenus in libello de Attenuante victu torpedines & pastinacas præfert. Sola, inquit, cartilagineorum, torpedo & pastinaca laudantur. Quæ mollicie carnis torpedinum & pastinacarum inductus scripsit, cùm tamen mollities illa, summa cum in suauitate coniuncta sit. Idem libro 3. de alimento. facult. Raia læuis, raia, squatina, omniáq; eiusmodi duriora sunt, & cõcocta difficiliora, alimenti copiosioris quàm torpedo vel pastinaca. Raia omnis hyeme minùs insuauiter olet, & melior est, quamobrem Archestratus (opsonatorum omnium facilè princeps) hyeme edendam esse etiam atque etiam monet, elixam cum caseo & silphio: quia pinguis non sit, vt nec alij quidam marini fœtus. hæc enim sunt quæ sequentibus versibus exprimit:

30 Καὶ βατίδ' ἑφθὴν ἔδιέ μοι χειμῶν⊙ ἐν ὥρῃ, Καὶ (fortè σωὶ) ταύτην τυρδν καὶ σίλφιον. ἁπλᾶ δ' σάρκα
Μὴ πλειραν ἔχει πόντος τέκνα τῷ δ' τρόπῳ χρῆ Σκάνδιξ, ἴδε σοὶ ἐγὼ τάδε δεύτερον αὐδῶ.

Hodiè elixa raia omnis ex aceto editur. Hepar maximè delicatum habetur, quod alij ex aceto tantùm comedunt, alij primùm elixum, deinde in sartagine frixum aceto vel oxalidis succo cum pipere condiunt. Apud nos raiæ non sunt in pretio. Galli qui duris, & firmioris carnis piscibus delectantur, longè magis probant. ex quibus nonnulli cùm me aliquando in conuiuio de succo substantiáve raiarum interrogassent, respondi idem quod Dorion tibicen apud Athenæum, φάσκοντός ποτ⊙ ἀγαθοῦ ἐδ' ἰχθῦι βατίδι, ὥσπερ ὧν εἴ τις, ἔφη, ἐφθὸν τρίγωνα ἐσθίοι: id est, quùm quidam diceret raiam bonum esse piscem, perinde ac si quis, inquit Dorion, pallium elixum comedat. Est enim carne dura, sicca, exucca, quæque haud facilè in partes diuellatur, quapropter Dorion elixo pallio comparauit.

40

DE RAIA VNDVLATA SIVE CINEREA, *Rondeletius.*

50



60

LÆVIVM & asperarum raiarum genus multiplex esse, vtrarumq; species demonstrabunt. Læuium A species nunc exequimur. Eam igitur quam hîc exhibemus, à colore cineream, à maculis vndarum modo flexuosis, vndulatam vocamus. Quidam cõliart appellant.

Raia est ex lęuium genere, corpore minùs ad rhombi figuram accedente, quàm in reliquis raiis, sed oui B potiùs forma: corpus ab aculeis nudum, præterquam in linea dorsi: in qua pauci sunt, parui, rari, circa oculos nonnulli. In cauda sunt triplici ordine dispositi, maiores & densiores. In eadem pinnulæ duæ sunt. Ore, oculis, foraminibus, branchiis, partibus internis, carnis duritie aliis similis: sed colore est cinereo, (F) prona parte multis sinuosis lineis descripta.

DE RAIA

DE RAIA OXYRHYNCHO MINORE, *Rondeletius.*



A ALTERA læuis raiæ ſpecies eſt, quam à roſtri longitudine & acumine raiam ὀξύρυγχον appello. Eadem de cauſa noſtri eleno *(id eſt, ſubulam)* vocant. Itali peroſa raſa, *(nam raiam aculeatam ſimpliciter peroſam vel petroſam nominant:)* alij ſor, alij gilioro.

B Corpore eſt maximo, maculis multis lentis ſpecie in parte prona notato, qua de cauſa à noſtris piſcatoribus lentillade dicitur. Ad oculos quatuor habet aculeos. In cauda tres eorum ordines, qui diuerſi ſunt, & inæquales: vt primas medij ordinis maior ſit ſecundo, tertius primo, quartus ſecundo reſpondet, & ſic deinceps, donec ad caudę pinnulas ventum ſit, circa quas aliter ſiti ſunt: vtrinq; enim per transuerſum recti ſunt, ad latera conuerſi, qui hos ſequuntur in cauda extremi in caput recuruantur. In ſupina parte roſtri, alij ſunt acutiores, alij in os recurui, ad capiendos vel retinendos piſces. Dentes habet, in os vergentes, ſquatinæ dentibus ſimiles, non in lateribus, ſed in medio maxillarum. Oculis, ore, foraminibus, caudæ pinnulis, aliisq; partibus & internis & externis ſuperioribus ſimilis. Carne eſt non æquè dura.

DE ALIA RAIA OXYRHYNCHO, MAIORE, *quam aliqui Bouem antiquorum eſſe putant, Rondeletius.*

Vide ſuprà in Boue ſcriptum Bellonij, & Corollarium noſtrum. Opinionem illorum, qui alteram ſpeciem Raiæ clamatæ bouem putarunt, inferius redarguet.



A RAIÆ ὀξυρύγχου ſpeciem aliam hîc ponimus à ſuperiore multùm diuerſam. dempta roſtri figura, à qua idem nomen cum ſuperiore ſortita eſt. nam inde ὀξύρυγχον appellamus, & lingua noſtra eleno, quæ vox ſubulam ſignificat, inſtrumentum cerdonum, quo ad perforandos calceos & ſuendos vtuntur, Gallicè aleſne. Qualis enim eſt ſubula, id eſt, acuta, tenuis, latiuſcula, non rotunda, tale eſt huius roſtrum. Sunt qui bouem antiquorum eſſe putent, quòd in maximam molem accreſcat: quòd in ore latentes habeat dentes, paruos, inualidos, vtpote qui mobiles eſſe videantur, quæ omnia Oppianus boui tribuit his verſibus: *(quorum ſententiam nos in Boue ſuprà, Elemento B. Latinè expreſſimus.)*

Boi.

Ἔστι δέ πε πηλοῖσιν ἐφέσπιος ἀμφάγυιος βάς,
Πολλάκις ἐνδεκάπηχυ, δυωδεκάπηχύ τ' ἐτύχθη:
Μαλθακὸν: ἐν δέ οἱ εἰσὶν ἀδήλοισι ἔνδον ὀδόντες,
Εἰρύται ὀπίσω, πόσις ὡς μετ' ἰχθύσιν, ἢ γὰρ οἱ εἰς ὀπίσω
Οὐ δυνὸς ἔβλητ, ἠὲ οἱ δέρκας ἀμοργὸν ἀλκήν,
Βαιοί τ' ὑκραλέοισι τε, &c.

His con-

His conſentit nonnullorum vulgaris appellatio: vaccam enim vocant, quidam ex noſtris à magnitudine flaſſade *(Bellonius tradit Læuiraiam à Maſſilienſibus Flaſſadam vocari: Vaccam verò à Liguribus Boucm ſuum quem ſeorſim deſcribit.)* quæ vox ſtragulum lecti ſignificat. Vtut res iſta habeat, raia hæc proximè deſcriptæ ſimilis eſt, alis quidem valdè amplis & extentis, ſed ipſo corporis trunco ſtrictiore, acutioréque, dorſo longiore. Aculeos nullos omnino habet, præterquàm in cauda, in qua vnicus eſt eorum ordo. Partibus cæteris ab aliis non differt. B

Carne eſt molliore & ſuauiore, quàm cæteræ, maximè ſi non ſenuerit. Piſcatores has raias ſale conditas in fumo & ſole exiccant, vulneribus multis priùs lateribus inflictis quo meliùs & celeriùs exiccentur. Exiccatæ diu incorruptæ ſeruantur, tum ob humiditatem ſuperuacuam & excrementitiam à ſole abſumptam, vt nullum ſit putredinis periculum, tum ob carnis ſubſtantiam glutinoſam & viſcidam. Nam qui piſces carne nimiùm pingui mollique ſunt, ſalituræ idonei non ſunt, quia in ea contabeſcunt & diſſoluuntur. F

DE RAIA OCVLATA ET LÆVI, RONDELETIVS.



INTER læues etiam numeranda eſt ea, quæ à maculis, oculorum figuram referentibus, oculata à nobis nuncupatur, à Pouincialibus mirallet, à ſpeculorum paruorum ſimilitudine: ea enim vox illis ſpeculum paruum ſignificat: ſed quia maior eſt his maculis cum oculis ſimilitudo, quàm cum ſpeculis, maluimus vulgari neglecta appellatione oculatam nominare: medium enim cœruleum pupillam refert: circulorum duorum, qui iridem conſtituunt, prior & internus, colore eſt nigro: externus flauo. Nonnulli *(vt Gillius)* raiam hanc macularum cauſa aſteriam eſſe exiſtimauerunt: ſed cùm galeus aſteria sab Ariſtotele à maculis ſtellatim diſpoſitis nominatus ſit, quales in iſta raia minimè ſunt, verùm in alia ſpecie maximè euidentes & conſpicuæ: videor mihi hanc rectiùs oculatam nominaſſe: aliam à ſtellis manifeſtis, in toto corpore ſpatſis, Aſteriam. Prætereà veterum aſterias tenerior eſt, boniq; ſucci: *(εὐχυλον nos' ἀκόλιλον reposſitimus:)* quod de hac, de qua nunc agimus, dici non poteſt. A *Quòd non ſit aſteria.* F

Eſt igitur raia oculata ex læuium genere, aliis ſimilis, roſtro cartilagineo, pellucido: corpore fuſco, maculis obſcuris conſperſo. In vtroque latere magnam maculam habet, oculis ſimilem, vt diximus. Aculeos plures frequentioréſque habet, quàm ſuperiores duæ læues. Roſtri ſupina pars aſpera eſt. Circa oculos aculei ſunt aliquot, poſt hos duo magni in dorſi linea, in cauda quinque horum ordines ſunt: medius à caudæ principio incipiens, in priorem pinnulam terminatur: vtrinque duo minorum aculeorum ordines, reliqui duo latera caudæ occupant. B

Carne eſt dura malique ſucci. F

DE RAIA ASTERIA, RONDELETIVS.

RAIA aſterias cum oculatâ comparata veluti purpura cum purpura certiùs dignoſcetur. Illa ex læuium quoque genere eſt, rarior, ideóque multis minùs cognita. Corporis ſpecie ab omnibus primo aſpectu raiæ ſpecies eſſe iudicabitur: tamen ab aliis diſtinguetur aculeis, quos in dorſo habet, mox à capite incipientes, & in priorem caudæ pinnulam deſinentes. Præter hos nulli alij ſunt in toto corpore. Dorſi pars prona, alæq; expanſæ, ſtellulis pereleganter ſunt depictæ, à quibus aſteriæ nomen inuenit. Cauda tenuis eſt & breuior in hac ſpecie quàm in reliquis. Caput primo generi paſtinacæ, quàm raiis aliis, ſimilius. eſt enim craſſius & latius. In alto mari & puriore aqua degit: ob id rarior eſt, & in litoribus minùs frequens. Quamobrem meliore eſt carne quàm reliquæ, ſcilicet molliore, teneriore, facilioris concoctionis, melioriſque ſucci. Rectè igitur Athenæus: Ἡ δὲ ἀσπερία βατὶς ἁπαλωτέρα καὶ εὐχυλωτέρα. Stellata raia tenerior eſt, boniſque ſucci. *(ego εὐκόλιλον lego, non εὐχυλον. vide in Corollario.)* Nec dubium eſt, quin ſaxatilibus ſubſtitui poſſit, torpe diniq; & paſtinacæ præferenda ſit, quas tamen Galenus raiis præfert. B (A) C F *Lib. 8*



A. Veram se dare asteriam.

Hanc, quam capiti præfiximus, raiam asteriam veterum esse, tum ex carnis substantia, tum ex maculis stellularum pictarum specie, à quibus etiam galeus asterias nominatus fuit comprobauimus: quibus plura adderem, nisi res meridianâ luce clarior foret, cùm nullus sit, qui non statim primo intuitu maculas pro stellulis agnoscat.

DE RAIA OCVLATA ET ASPERA, RONDELETIVS.



B Lævivm raiarum species executi sumus, nunc de asperis dicemus: primùm de oculata aspera, quæ oculatæ læui maculis similis est, aculeis autem differt: quos in alis expansis è regione macularum vtrinq; habet, alios in lateribus capitis vtrinque, alios in dorso, alios in cauda maiores, validiores & frequentiores. Colore ab oculata læui non differt. Noli existimare hanc ab illa sexu tantùm differre. Nam in vtroque genere marem esse & fœminam ex lacte ouisque comperi.

F Oculata aspera carne est dura malique succi.

DE RAIA ASTERIA ASPERA, RONdeletius.



In raiis asperis numerabitur asterias alia ad læuis discrimen, aspera nominata, quæ à Gallis raie estelée, ab Italis rometa vocatur. A

Asterias igitur appellabitur à stellulis multis, quas habet in lateribus & caudæ principio depictas: aspera ab aculeis plurimis, quibus tota horret. In oculorum interuallo multi sunt breues, frequentes, peracuti: in medij dorsi linea, alij magni: in cauda tres magnorum ordines, aliis plurimis & minutioribus distincti. Infiniti sunt alij huc illúcque sine ordine toti corpori insperst. Prodentibus ossà dura & aspera habet. Carne est dura siccáque. Huius generis species duæ esse videntur: vna, quæ stellulas habet, in medio albas, sed quas ambit circulus ex nigris punctis constans, totumq; corpus aculeis horridum est: altera stellulas prorsus candidas cum multò pauciorib⁹ aculeis. B *Species duæ.*

DE RAIA CLAVATA, RONDELETIVS.

Hanc Bellonius facit Raiam propriè vel simpliciter dictam.



Raia clauata ab aculeorum magnitudine & similitudine cum clauis æreis, siue ferreis: eadem de causa à Massiliensibus & nostris clauelade vocatur. A Gallis raie bouclée: quia aculeos habet fibularum speA cie. Ab Italis perosa (*Oxyrhynchum minorem suprà dixit ab Italis perosam rasam vocari*) siue petrosa.

Corporis specie reliquis similis est, sed rostro breuiore, & minùs acuto, aculeis longè dissimilibus & B situ & figura. ij enim ex ossibus rotundis extant, vnciq; sunt. Horum vnus superiorem & ferè extremam rostri partem occupat: sequuntur alij duo in lateribus anterioris partis procul à se distantes: alij duo in medio corpore minùs à se disiuncti. His forma & magnitudine pares duo ad radicem pinnulæ prioris in cauda. In media dorsi linea, caudáque, aculei alij quales in cæteris raiis ordine locati sunt vsque ad priorem caudæ pinnulam, hanc sequitur vnicus duntaxat. In caudæ lateribus vtrinque ordo est vnus aculeorum maiorum clauorum siue fibularum specie, ab initio caudæ ad medium eiusdem tantùm. ne, vt opinor, tot magnis aculeis rigidior, commodè in omnem partem flecti non posset, tamen ne alicui caudæ parti arma deessent, maiorum aculeorum ordines sequuntur parui alij, quales in cæteris raiis cernuntur. *Cauda.* Vidi huius generis raias, quibus posteriore tantùm parte corporis aculei illi magni essent, nulli verò parte anteriore: sed horum situs diuersus speciem non mutat, cum alia omnia respondeant. *Species alia.*

Nec te decipiat eius, qui de aquatilibus nuper scripsit, pictura, in qua multa sunt à veritate aliena: quod facilè iudicabit, qui illius descriptionem (*atqui non describit eam Bellonius, notiorem eam esse dicens, quàm vt descriptionem requirat*) cum nostra, & vtramq; cum ipso pisce contulerit. *Contra Bellonij picturam.* *F. Contra Bellonium.*

In hoc idem plurimùm fallitur, quòd cæteris omnibus delicatiorem esse affirmat, cùm contrà durior sit carne, cuius rei iudicium faciat sensus ipse. Sed ad alias partes referatur oratio.

Hepar flauescens in duas partes sectum est, in quo vesica fel aqueum & renue continens latet, illud B pro delicatissimo cibo habetur, pingue est: ideò in oleum resolui potest, contra affectus hepatis vtile. G emollit enim citra magnam caliditatem: fel aduersus suffusiones prodest.

Posset hæc raiarum species aquila antiquorum existimari (nihil enim hîc affirmo:) colore enim nigricante est. incurui aculei vncis vnguibus respondent, alas valdè expansas habet veluti aquila Praterea in genere cartilagineorum & planorum numerarunt antiqui. Plinius: Planorum piscium alterum genus est, quod pro spina cartilaginem habet, raiæ, pastinacæ, squatina, torpedo, & quos bouis, lamiæ, aquilæ, ranæ nominibus Græcia appellat. Postremò dura est carne, cuiusmodi carnem aquilæ Philotimus esse scripsit, quod & à Galeno approbatur. *A. Dubitat an hæc sit Aquila veterum.* *Lib 9. cap. 24.* *Lib 3. de Alimen facul.*

DE ALTERA SPECIE RAIÆ CLAVATÆ, *Rondeletius.*

Clavata etiam raia dicetur ea, quam nostri Ronse vocant, id est, rubum. A

A superiore differt, quia rostro est acutiore quàm superior, aculeóque illic caret. In ore dentes nulli B sunt, sed pro dentibus maxillæ asperæ. In lateribus vtrinque octo spinas longas habet cuti superpositas, quibus aliæ raiæ omnes carent. In dorso aculeos quatuor habet, clauis vel fibulis similes, cuius formæ aculei sunt in superiore: inter quos in media dorsi linea tres alij sunt alterius generis: quos statim sequitur aculeorum similium ordo, per mediam caudam ad pinnulas vsque continuatus. Vtrinque in cauda acu-

leorum clauis fibulísve ſimilium ordo eſt ad medium vsque, reliqua pars alterius generis aculeis armata eſt. Colore eſt cinereo.



F Carne eſt dura,& ferini odoris

Non eſſe hunc bouem. Sunt qui bouem veterum hanc raiæ ſpeciem eſſe credunt, ſed facilè ex Opplano refelluntur, qui boui dentes tribuit,vt antè à documus,quibus hæc raiæ ſpecies caret. Quòd ſi qua raiæ ſpecies bos ſit veterum, nulli ſanè veriùs bouis notæ competunt,quàm raiæ oxyrhyncho, vt iam demonſtrauimus.

DE RAIA SPINOSA, RONDELETIVS.



A QVAM hîc proponimus,læui raiæ ſimilis eſt, ſi longas cutis ſpinas excipias, à quibus noſtri eam cardaire,id eſt,lanificam vocant,à ſpinis illis ſiue aculeis,cuiusmodi multi infixi ſunt inſtrumentis iis, quibus
B lanifici lanas carpunt. Nos ab his ſpinis ſpinoſam appellamus: quas non in alis ſolùm habet, vt ſuperior, ſed etiam in lateribus circa caput. Oculis præfixi ſunt alij duo. In media dorſi linea, & ad priorem vsque caudæ pinnulam continuus eſt aculeorum ordo vnicus.

F Carnis ſubſtantia & ſucco aliis ſimilis eſt.

DE RAIA ASPERA, RONDELETIVS.



RAIAM

RAIAM aſperam particulatim hîc appellamus,quæ ab aliis eò differt,quòd aculeis paruis latera conſperſa habeat,corporis ipſius truncum nullis. In cauda tres ſunt longorum & firmiſſimorum aculeorum ordines ad extremum vsque caudæ. Roſtro eſt acutiore. A B

Carne dura,malíque ſucci,vt cæteræ. F

DE RAIA FVLLONICA, RONDELETIVS.



HANC ſpeciem vt ab aliis diſtingueremus,fullonicam appellauimus,eò quòd vbique in alis, in corpore,in capite,in cauda, tota frequentiſſimis & aſperis aculeis conſperſa ſit, inſtar inſtrumenti eius, quo fullones pannos curant poliúntque,quod totum aculeis ferreis confertum eſt. Roſtro ſatis longo eſt & acuto.caudæ aculei incurui ſunt,triplici ordine diſpoſiti. A B C D

Hæc raia pugnaciſſima eſt,& rara. F

Carnis ſubſtantia ab aliis non differt.

DE RAIA ASPERRIMA, RONDELETIVS.



RAIA Quæ hîc depicta eſt,in ſupinum conuerſa, proximè deſcriptæ omnino ſimilis eſt: niſi quòd illa parte tantùm prona aculeos frequentiſſimos habet: hæc non ſolùm prona, ſed etiam ſupina, tota aculeis peracutis ita horret,vt manu tolli non poſſit,niſi pinnulis caudæ apprehenſis.Hæc cauſa fuit cur ſupinam depinxerim: tum vt huius,ita aliarum raiarum partes ſupini ſitus cognoſcerent ſtudioſi, ſcilicet, oris, narium,foraminum,branchiarum,podicis,duorum vuluæ foraminum,formam & ſitum. Dentibus hæc caret,vt aliæ plurimæ,ſed horum vice maxillas habet aſperas,& ferè oſſeas. B

Hîc addam quæ de omnibus raiis dici poſſent. Auribus vtiliſſimum Bati piſcis fel recens, ſed & inueteratum vino,inquit Plinius.In penuria hepatis paſtinacæ,hepate raiæ vſus ſum ad priuatũ,*(lego pruritum. Vide ſuprà in Rondeletij ſcriptis,de remediis ex paſtinaca pag.681.)*nõ exempto felle,idq; cum ſucceſſu.Quod Plinius officulo de cauda ranæ marinæ tribuit,id de officulo. i. aculeo caudæ raiæ intelligendum ſuſpicor. Mænarum (inquit) muria,& capitis cinis cum melle ſanat ſtrumas. Pungi piſcis eius qui rana in mari appellatur,officulo de cauda,ita vt non vulneret,prodeſt,id faciendum quotidiè donec percurrentur. Neq; enim aculeos in cauda habet rana marina,vt ex eius deſcriptione poſteà perſpicuum fiet,neque oſſa, cùm cartilaginea ſit,neque de paſtinacæ radio locus intelligi poteſt: de eo enim mox ſequitur. Eadem vis & paſtinacæ radio. Quamobrem non video quò meliùs iſta referri poſſint,quàm ad raiarum aculeos: ex his enim ſunt quæ magnos habent & firmos,planéque oſſeos, præſertim cùm ex raia in ranam facilis laplus fuerit,qui ſæpùis etiam in conuerſione librorum Ariſtotelis reperitur. *G De venenatis & Raiis ſimpliciter.* *Lib.32.cap.7.* *Lib.32.cap.8.*

DE RAIIS MVLTORVM GENERVM, *Bellonius.*

A Raiam Latini, Græciab ossea spina, quæ veluti rubus, secundum corporis medium ad ipsius caudæ extremum prætenditur, βάτον, quasi rubum. appellarunt. Huius piscis tres tantùm species Aristoteles constituit: Raiam, quæ magis est communis: Læuiraiam, cuius cutis est læuis & Stellarem, quæ stellulis albis est distincta. Nos autem sex *(ex his quinq; Raia simpliciter, Læuiraia duplex, & Asteria duplex, hic describentur: Bos in B. elemento est)* Raiarum differentias aliquando percepimus, non nomine tantùm vulgari, verumetiam gustu plurimùm inter se differentes.

B Omnes sunt cartilaginei generis, planæ, pinnis carentes, extrema corporis latitudine natantes. Maribus geminum quiddam circa excrementi ostium propendet: fœminis genitale muliebri est ferè consimile: habéntque cartilagineum aliquid in vtero, quale in Galeis diximus, in quo humor ad oui similitu-
C dinem consistit. Branchias parte supina gerunt, vt reliqua ferè cartilaginea plana. Omnibus os subtus parte supina situm est. Quamobrem nisi conuersæ resupinentur, cibum corripere nequeunt. Harum fœtus adhuc pusillos Galli Papiliones nominant. De his itaque nos sigillatim hoc ordine dicere oportet.

DE RAIA PROPRIE DICTA, BELLONIVS.

Rondeletius hanc clauatam (primam) cognominat: Bellonii verò tum iconem tum descriptionem (quam ego nullam video) vituperat.

A Peculiare nomen habet Raia, quæ Romanorum vulgo Petrosa vel Petrosa, Massilienſibus Clauellata,
B Gallis Raia bouclata vocatur. Notior ea quidem, quàm vt pluribus explicari debeat. Non enim ea læuis
F est, nec multùm stellata: cæteris omnibus vbiq; notior ac delicatior. *(Delicatiorem esse negat Rondeletius.)*

DE LÆVIRAIA, BELLONIVS.

F Læuiraia longè inferiorem cæteris dignitatem habet. Est enim carne (si ad Stellares conferatur) concoctioni magis renitente, & saporis ingrati.

A Hanc Massilienses Flassadam *(Rondeletius hoc nomine dictam Raiam, Oxyrhynchum alteram facit)* à lecti tegminis similitudine, Romani Faltàm velam, à carbasorum forma appellant.

E Dentibus est obtusis, cute subtus læui, Pastinacæ modo, rostro in fastigium assurgente: prona parte albida, supina subnigra, tactuiq; aliquantulum aspera, omnium sui generis piscium post bouem maxima: à quo ipsa corporis tenuitate, rostro, spinis, vncinis, cute, dentibus & ore distinguitur.

Est & Miraletus *(Rondeletio Raia oculata & læuis)* Læuiraiæ species, quæ pro Raia interdum vendi solet, sed in tantam vastitatem nunquam excrescit. habet is duas in tergore maculas, Torpedini oculatæ similes, hócque præcipuè Læuiraiam imitatur, quòd læui cute præditus est: verùm hoc etiam ab ea distat, quòd lineam in tergore hamatam, & ad caudæ extremum productam gerat.

DE ASTERIA, SIVE STELLATA RAIA, *Bellonius.*

Cum icone etiam Gallicum nomen adscribebatur, Raye estelee.

A Stellatas appellant raias tum Græci, tum etiam Latini, quod earum tergora lituris albicantibus sint variegata: cuiusmodi ea est, quam Romanum vulgus Rometam vocat, *(Rondeletius asterium asperam cognominat.)*

B Est autem Miraleto maior, multasq; in tergore maculas rotundas, Miraleti lituris persimiles gerit: tamen est cute asperiore, crassioreq; corpore, cuius cauda permultis veluti spinis horret.

F Cæterùm, gustu ac sapore nihilo est asperis raiis inferior.

A Raiæ stellatæ quoddam genus Romanum vulgus Arzillam vocat, cuius dentes obtusi sunt, quemadmodum & Flassidæ: à qua hoc præcipuè differt, quòd cute sit asperiore, & stellas multò quàm Rometa latiores ac pauciores habeat.

COROLLARIVM I. DE RAIA SIMPLICITER, *& in genere.*

A Raiam piscem Græci batin & baton vocant, ex eo quòd cauda quibusdam aculeis armata sit, ad similitudinem rubi sentis, mora agrestia ferentis, quæ Græcè batos dicitur, Massarius & Gillius. Sed batin in accusandi casu dicere non licet, cùm rectus apud Græcos *βατὶς* oxytonus sit: vnde *βατίδα* illi, nos batidem in accusativo dicemus. Ambrosius non rectè ad verbum transtulit rubum. Batum & batidem Rondeletius plerunque non differre, aliquando sexu tantùm ostendit: cui subscribo. *Βατὶς* oxytonum fœmininum in Halieuticis Oppiani legitur, *βάτος* nusquam quod sciam. Similiter à *πῶς, ποδὸς*, fit: sed hi pisces specie etiam differunt: cùm multa aliorum piscium nomina duplici terminatione proferantur, de eodem omnino pisce. sic apud Ægineram Iulos & percas legimus, apud Dioscoridem iulides & percides. Sed hac de re plura annotaui suprà in Teutho, id est Loligine maiore. De vocabulo batis philologi ampliùs legent inferiùs in a. Raia Venetiis Raggia nominatur. Hispani vt Latini & scribunt & pronunciant Raia. Raye Gallicum est. Mixobarbari quidam, vt Arnoldus in libro de Conseruatione sanitatis, regem appellant. Germani & Flandri Roch / vel potiùs Rocch / (ita enim profertur vt Bacchus:) ab asperitate forsan indito nomine. nam Ruch / nobis asperum est, à Græco trachy, dempta initiali litera. Haud scio an idem sit marinus piscis, qui circa Rostochium in ora Balthici maris Ruch vocatur. Rayche piscis qui Raye dicitur Gallicè, Albertus: nisi deprauatus est codex apud quem alibi etiam legitur: Piscis qui Ray appellatur apud nos. sed hoc nomen Gallicum potiùs fuerit. Aliqui Albertum Rochonem (vt Salmonem) pro raia dixisse scribunt. Nos barbara hæc reiiciamus, cùm Latina & Græca non desint. Raia pro rana librariorum culpa non rarò scribitur, & forsitan etiam contrà. Raiam angli vocitant. a Thornebacke: à tergo spinoso. nam Back tergum est: thorn / spina. Eliotæ tamen Raia piscis est qui Anglicè vocatur Raye aut

aut Skeat. quorum prius ad Gallos pertinet: posterius squatinæ deberi coniicio. Rocka Gothicum est, Olaus Magnus.

Non minores Argolico clypeo raiæ (*βατίδες*) gignuntur in India, Ælianus. *Βατὶς σέλαχός ἐστιν*: id est, B raia est piscis cartilagineus, Aristoteles apud Athenæum. Planorum piscium alterum est genus, quod pro spina cartilaginem habet, vt raiæ, Plinius. Piscis est cartilagineus, planus: gerítque caudam, sed tenuem, Aristoteles. Cutis ei aspera est, Plinius. Piscium genus *λεῖον* vocatur, cui cutis aspera & sine squamis: quales raiæ & squatinæ sunt. Mnesitheus. Raiæ branchiæ parte inferiore supináque habentur, Aristoteles. Raia tamets deductas in latera habet branchias, tamen non spineo intectas operimento, vt quæ non cartilaginea sunt, sed cuticulari, Idem. Ossa intus *(in cute nimirum)* quædam rotunda aculeata habet,
10 qualia & rhombis ineſse cernuntur, Massarius. *Βατίδ@· γῶτον*, id est, raiæ dorsum. Antiphanes in lautiis ciborum celebrat: Archestratus scapulas, vt quidam vertit. Raiæ simile est vitulæ marinæ genitale, Aristoteles. Matricem *(alicubi in Italia)* vulgò nominant testaceum vel cartilagineum illud ouorum receptaculum à Rondeletio depictum: quidam secundas vocare malunt: eam enim eiici aiunt cum ouis piscium, maximè cartilagineorum, vt sunt caniculæ, raiæ, &c. Ex authore libri de natura rerum & Alberto Raiæ pisces sunt è genere pectinum *(ineptè. pectines enim sunt conchæ. indocti pectinum nomine passeres intelligunt: qui quidem pisces sunt plani, sed non cartilaginei)* rotundi ferè, hoc est, longitudine ac latitudine æquali ac circinata, ita vt linea dimetiens ad vnum aut alterum cubitum pertineat, pinnulis circumpositus: magna ex parte rubris virgulis & maculis depictus. Superficies tota est plena spinis. Oculos habet horribiles? os quoque deformitate liuidum, *(os turpissimum)* idq; non eo loco quo pisces cæteri, sed loco ven-
20 tris: vbi verò caput & oculi sunt, os non habet. Caudam gerit prælongam, vt coluber, & in ea spinas exiguas peracutas, & pinnas ad natandum. Lapidem etiam aliquando in capite habet, *(falsum hoc videtur: translatum fortè ex Aristotele, qui de alio quopiam pisce id scripsit.)* Multas habet caudas hic piscis: & est ampli *(lati)* corporis: pinnis non distinctis vt in aliis piscibus.

Raiæ (*βατίδες*) pascuntur locis cœnosis, nec longè à litore, *ὧν πηλοῖσι ἢ ἐντευθάγεται θαλάσσης*, Oppianus. C Carniuoræ sunt, Rondeletius. Venantur pisciculos astu, vt referetur in D. Pisces qui plani omnino sunt, vt raia, ipsis pinnulis, & extremis corporis rotundationibus sese dirigentes & flectentes natant, Aristoteles de communi animalium gressu, interprete Gaza. Græcè etiam *βάτ@* legitur. ego *βάτραχ@*, quod est rana (scilicet piscatrix) reposuerim. Piscis est piger ad natandum propter sui corporis latitudinem, Albertus. Coëunt raiæ non solùm admotis inuicem partibus supinis, sed etiam tergo fœminarum supinis ma- *Coitus.*
30 rium superpositis, Aristoteles: qui & pastinacam raiæ instar coire scribit. Vide locum de coitu piscium in genere. Piscium diuersa genera non coëunt præter squatinam & raiam: ex quibus nascitur priori parte raiæ similis: & nomen ex vtroque compositum apud Græcos trahit, Plinius. Vide infrà in Squatarania Elemento 5. Raiæ in vtero gerunt testacea quædam, figura eius testæ similis tubiarum ligulis est, &c. Aristoteles historiæ 6.10. Hæc sententia non habetur in veteri Aristotelis traductione, & suspecta est Wortono. mihi quidem improbari non potest, præsertim cùm tam scitè explicetur à Rondeletio. Raia non vt reliqua cartilaginea ouum intra se parit & excludi, Aristoteles. Et alibi: Vna ex cartilagineis non parit animal, sobolémque emissam non recipit, tum capitis magnitudine, tum aculeorum impedimento, & propter asperitatem. sed hæc de rana piscatrice non raia accipi debent. Raiæ oua ponunt more gallinarum singula aut bina tantùm cum corticibus, reliqua verò absque corticibus: Cardanus ex Rondeletio vel per-
40 peram, vel breuiùs & confusiùs quàm oportebat. lectorem ad Rondeletij verba remitto. Pinguescunt vento meridionali flante, Obscurus tanquam ex Aristotele. Raiæ & omne cartilagineum genus, hyeme diebus frigidissimis latent, Aristoteles. 8.15. interprete Gaza: in Græco quidem codice nostro raiarum hic mentio non fit.

Simili modo *(vt rana piscatrix)* squatina & rhombus abditi, pinnas exertas mouent specie vermiculo- D rum: itémque quæ vocatur raia, Plinius. Quem locum explicans Massarius: Verùm raia (inquit) cùm pinnis careat ex Aristotele primo de historia, & quarto de partibus animalium, non videtur esse verum quod dixit Plinius, scilicet quòd pinnas exertas moueat, quod de squatina & rhombo concedimus. Hæc enim pinnis prædita sunt. Attamen Aristoteles non pinnis hoc, sed radiolis sui oris eiusmodi pisces facere testatus est. ait enim nono de historia, vnde Plinius hæc mutuatur: Obruunt arena sese & aselli, & raiæ & pis-
50 tæ, & squatinæ: cúmque nullam sui corporis partem intectam reliquerint, verberant radiolis sui oris, quos piscatores virgulas vocant: quos pisciculi cùm aspexerint, adnatant quasi ad algas, quibus vesci soliti sunt, nisi quis dixerit in Plinio legendum esse rana, non raia, hoc modo. Simili modo squatina & rhombus abditi pinnas exertas mouent specie corniculorum, *(vermiculorum, nostra æditio)* itémque quæ vocatur rana. pastinaca latrocinatur ex occulto, &c. vt nam iungatur cum verbo præcedenti, vt non legatur raia nam, sed rana, vt sit sensus: Vt illa scilicet rana piscatrix corniculis suis piscatur: ita squatina & rhombus quamuis corniculis careant, pinnis suis vice corniculorum vtuntur, quod similiter & eadem quæ vocatur rana facere videtur. nam quando præpilaris illis capillamentis siue corniculis caruerit (vt inquit Aristoteles eodem loco) eorum vice vtitur pinnis, quamobrem macilentior capitur, quia non ita commodè piscari
60 potest. Nec obstat quod paulò suprà Plinius de rana meminerit, cùm intellexerit ibi quando cornicula sua habuerit, & infrà cùm eisdem caruerit. si quis tamen aptiorem sensum inuenerit, continuò gratias testabor, Hususque Massarius. Raiæ demergunt se in profundo & turbant aquam: & pisces qui accesserint incautos confodiunt, ita quòd etiam velocissimum piscem mugilem in ventre habere inueniuntur, Obscurus quidam ex Alberto. Verùm hæc de pastinacis Aristoteles prodit. Prolem ore suscipere vt alij cartilaginei, nequeunt, propter caudarum asperitatem, Iouius. atqui non raias hanc ob causam: sed ranas pisces propter amplum & spinis asperum caput sobolem suam ore non recipere, Aristoteles author est. *Partus.*

Olaus Magnus in Tabula Septentrionali sua ad H. f. paulò vltra Daniæ fines in Oceano pingit Raiam, quæ hominem natantem, *(vel etiam submersum, vt in Latina tabulæ explicatione scribit,)* qui à multitudine canum siue canicularum in profundum trahi periclitatur, naturali quodam affectu aliquandiu defendat & tueatur. Cuius rei typum, quanquam nec canibus, nec raiæ ab eo satis benè expressis, ex tabula eius apponere huc libuit.



Pisces quidam magni hamo capti, eo mordicus apprehenso sequi nolunt : & graui corporis mole ad arenam aut vadum *(aquæ fundum)* adhærentes, trahentibus renituntur, ac elabuntur interdum ab hamo, Oppianus lib. 3. Halicut.

Ἡ βατὶς εὔστομος, id est, raia suauis est, Diphilus Siphnius. Bati & liobati ægrè concoquuntur, Psellus libro 1. de diæta. Raia carnem habet sapore gratam : sed duriorem & concoctu difficiliorem quàm torpedo aut pastinaca, & quæ copiosius præbeat alimentum : Wottonus, ex Galeno opinor. Piscium genus σαρτὸν vocatur, cuius cutis aspera & sine squamis, quales raiæ & squatinæ sunt. hi omnes friabiles quidem sunt, (εὐθρυπτοι :) sed non boni odoris, & alimentum humidum præbent : elixati aluum maximè omnium soluunt : assi verò, deteriores sunt, Mnesitheus. Raia piscis delicatus est, & dulcissimæ carnis, Obsequens tanquam ex Alberto. Apud ipsum quidem Albertum (lib. 24. de piscibus) reperio, vilem hunc piscem esse, neque in precio nisi vbi propter raritatem appetitur : carnem eius esse duram, (ceu bubulam, Author de natura rerum :) & concoctu difficilem. Antiphanes apud Athenæum βατράχων νῶτον inter lautissimos cibos prædicat. Sunt qui raiæ scapulas laudent ex Archestrato. Laterum partes dimidiæ extremæ de raiis eduntur à diuitibus, vt audio : reliqua pars pro plebe & familia est. Batus piscis frequenter esus Venerem irritat, Kiranides. Hippocrates in libro de affectionibus internis : Laborans (inquit) tertio genere tabis, post reliquam rationem victus, &c. prædeat panem, & obsonium habeat frustum torpedinis, aut squatinæ, aut raiæ, & carnes suillas edat coctas, &c. Et rursus, Quarto mense edat torpedinem, squatinam, raiam, &c. Et alibi : Hepaticus quidam morbus est pleuritidi non dissimilis, quod ad dolentes locos, &c. in hoc æger post iudicationem morbi ex piscibus vtatur galeo, torpedine, pastinaca & raiis paruis, omnibus coctis, &c. Iacobus Syluius hepati calido & sicco salubre existimat hepar raiæ. Cauendum est ne pisces magni & durae pellis, vt rex, delphinus, sturio & similes, comedantur recentes capti : sed tandiu piscis reseruetur, & maximè cuisceratus, donec absque corruptione substantiæ renerescat, Arnoldus Villanou. in libro de tuenda sanitate. Inuenio & oxyliparon genus esse iuris, in quo raiæ, ac cæteri eius naturæ pisces mandi soleant, Hermolaus. Nos plura de Oxyliparo suprà in O. elemento. Γαλεὺς δὲ βατίδας, ὅσα τε τῶν ῥινῶν, Ἐν ὀξυλιπάρῳ τρίμμασι σκιδάζεται, Timocles. Τὸ θαῦ βατίδων, Metagenes. Πότερον ἐγὼ τὴν βατίδα (εἰς) τεμάχη κατατεμὼν ἑψωμ' ἂν ; ἢ Σικελικῶς ὅλην τοιῆσω ; Respondet alter : Σικελικῶς, Ephippus apud Athenæum. Raiæ ad mediterranea Germaniæ aridæ exportantur cum passeribus & asellis. exenteratas insolari audio absque sale.

De remedijs ex raiis in genere, leges superiùs quæ scripsit Rondeletius in Raia asperrima.

Batus piscis est absque squamis : quem* Idmani culpenam *(non intelligit clupeam. de ea enim postea loquitur in thrissa.)* ocant, Kiranides 4. 2. Θάπης apud Pollucem deprauatum est pro βατις. Καὶ νὴ Δί' εἰ λυπτυμένου γ' ὄπισθέν με, Νιτάρειον ἂν ᾠήθην ὑπεροίζειν, Anus locuples de adolescente, qui eam amare se simulabat. Aliqui (vt Scholiastes annotat) Nitarum & Batum homines molles fuisse dicunt : mulieres etiam paruas βατίλας vocabant. Aliqui duo hæc plantarum genera esse aiunt : quasi anus dicat, habuit me tanquam flores. Βάταλον δὲ πλὴν ἔδρων, παρὸ καὶ τὸ βάπον. Vel βάπον licet interpretari tenerum ac mollem instar bati piscis. De Batalo tibicine molli & effœminato multa collegit Cælius libro 5. cap. 13. Βατίδες pisces sunt lati. ἢ βατία. διαφέρει δὲ τοῦ βάτου (melius, ἡ βατὶς δὲ διαφέρει τοῦ βάτου. nam & Hesychius habet, βάτος καὶ βατὶς ἰχθύες διαφέροντες ἀλλήλων) ἰχθύος, κατ' Ἀριστοτέλη, Varinus. Aristophanes in Pace de Melanthio & fratre eius poëtis tragicis : Τοὺς γόνες ὀψοφάγους βαπτοσκόπους, ἄσπιδας, (id est, batides aliósque pisces inspicientes vt rapiant,) Τραγῳδοποιούς, ἰχθυολοιμαί. Apud eundem in Vespis Scholiastes βαπτοσκόπους (melius cum Δ. βαπτοδοσκόπους, vt Suidas quoque habet) interpretatur opsophagos, id est, piscibus in cibo impensiùs gaudentes. Eupolis in Megaride : Τὰς πλευρὰς, οἷόν περ βατὶς, πὺξ δ' ὀπισθίαν ἔχουσ' ἀτενὲς, οἷον περ σάτυρος. Τὰν δὲ κεφαλὰν ὀξέαν, (ὀξεῖαν,) οἷόν περ ἔλαφος. videtur autem laudare latera mollia, sicut & baris piscis mollis est : nates verò solidiores, sicuti batus piscis solidior ac durior est, (siue absolutè, siue batidi fœminæ, vt Rondeletius putat, comparatus :) caput oblongum, &c. Cælius battum & battidoscopos. non rectè t. gemino scripsit. Sophron botin piscem quendam nuncupauit. sed an idem sit, qui batis, non explicatur, Wottonus. mihi botis herbam potiùs significare videtur : quod & Athenæus dubitat.

Rana. Capratorem hominem notare si vellent, Raiam pingebant. gestat enim illa ante oculos suos gemina fila, &c. Pierius Valerianus. sed hoc ad Ranam piscatricem pertinet. quanquam & Raia & alij (vt suprà in D. indicatum est) similiter fortè pisciculos captant. Verùm rana præ cæteris.

Βάτος Græcis, qui rubus Latinè, sentis seu vepris mora ferens : sic appellatur, inquit Eustathius, quasi βατὸς, per antiphrasin, quòd minimè sit peruia : retinet enim & lancinat transeuntes suis aculeis aduncis : quales & in piscibus batis sunt. hinc compositum cynosbatus, pro rosa syluestri. Βάτος masculino genere, cadus mensuræ genus est Cyrillo : fœminino autem rubus. Βατὶς Aristoteli etiam auicula est : Gaza rubetram vertit à rubis. Βατίεια apud Homerum quæ & Βάτεια, vxor Dardani nominabatur, & ab eâdem locus quidam circa Troiam : aliqui oppidum quoddam Troadis sic dictum putant à ruborum circa eam frequentia, Eustathius.

Poëtæ aliquando batides inter summas mensarum delicias nominant. Ὦ βατίδες, ὦ γλάυκων κέφα, Sannyrion. Πέφα μὲν κέφαλοι, καὶ βατίδες, καὶ λαγώ, Eupolis. Οὐδὲ χαίρω βατίσιν, οὐδ' ἐγχέλυσιν, Aristophanes in Acharnensibus.

COROL-

COROLLARIVM II. DE RAIIS DIVERSIS.

Pastinaca Lutetiæ in foro frequens, cum raiis & venditur, & nomine non distinguitur, Bellonius.

De Rhinobato, id est, Squatinoraia, infrà in S. elemento agetur.

Huius generis Raiæ iconem amicus quidam Venetiis ad me misit. videtur autem cognata illis quas Clauatas Rondeletius cognominat. Maculis distinguitur fuscis, reliquum corpus obscurè sublu-teum est. cætera apparent.

A.



Hanc

Hanc quoque Raiam depictam Venetiis accepi, corpus ferè cinereum maculis distinguentibus fuscis: ambitu corporis subruffo. Ad oxyrhynchos Rondeletij accedit. Normannis audio vocari Hal, Lusitanis Huga.

B



VETERES

VETERES tria solùm Raiarum genera nominant: nempè Raiam simpliciter & lævem, & alteriam. Rondeletius cùm species plures inueniret, singulas appositè suis cognominibus distinxit. Quæ ego in præsentia GERMANIS meis ita interpretor. Raia lævis: ein glatter Roech. Oculata & lævis: ein glatter Spiegelroech. nam & Prouinciales à speculo Mirallet appellant. Rondeletius magis probat nomen ab oculis quàm à speculis impositum. quod & nos imitari possumus: ein Augroech. Oculata & aspera: ein rauher Spiegelroech. Vndulata, à maculis vndarum modo flexuosis: vel cinerea: ein Schamlotroech/ ein Aeschroech/ ein äschfarber Roech. Oxyrhynchus: ein Spitzroech/ ab acumine rostri: ein Alsenroech/ nam & Galli circa Monspelium eleno, id est, subulam nominant: (quod instrumentum cæteri Galli aleine vocant, nomen id à Germanis mutuati.) vel ein Sinseroech/ à maculis lentis instar in parte prona, sed tria hæc nomina vtri- que oxyrhyncho communia esse possunt: quare priorem priuâtim appellârim, ein kleiner Spitzroech/ id est, minorem, alterum verò maiorem, ein grosser Spitzroech: vel Walroech/ id est, Raiam cetaceã, quòd in maximam molem crescat: vel Kiroech. nam & Ligures vaccam appellant. Asterias: ein Sternroech. Asterias aspera: ein raucher Sternroech. Clauata: ein Nagelroech. Clauata altera: ein anderer Nagelroech. Spinosa: ein Thornroech/ vel Hechelroech. nam & Galli circa Monspelium Cardaire vocant. Aspera: ein rauchlachter Roech. aculeos enim parnos per latera habet, in corporis trunco nullos. Fullonica: ein Kartenroech/ vel ein Kartertsche. Asperrima, ein Verraucher Roech.



Læuiraia *(vt Gaza transtulit)* à Græcis Liobatos nuncupata, à læui cute: maior est quã Raia; piscatores vocant Bubosam, siue Mucosam, à luto & mucore, quo eius pellis sordida spectatur, Gillius. Ἀσπάραγος piscis qui & ἴριν dicitur, Athenæus. sed ἶρις squatina est, piscis diuersus, à cutis asperitate limæ instar sic dictus Græcis, cum liobato eiusdem læuiras nomen fecerit. Apparet autem lævem cognominari hunc piscem, quòd non vt cæteræ pleræque aculeata sit cute, exceptis prope oculos locis, mediáque dorsi lineâ & cauda: nisi quis lævem dici malit, quòd maculas non habeat, quales asterias (id est, stellaris) & alij quidem. Sic & in galeorum genere lævis est, quem vel acanthiæ vel asteriæ galeo opponas. inter accipitres aues quoque asteriæ sunt, punctis scilicet & maculis insignes, (sicut & ardea stellaris:) & lævis, qui iisdem carent.

A

Læuiraia fel habet iecori adnexum, Aristot. B

Raia ori grata est: ἡ δὲ ἀστερία βατὶς, ἁπαλωτέρα καὶ εὐχυλος (lego εὐκοίλιος ex sequentibus: quam lectionem Wottonus etiam approbare videtur:) ὁ δὲ λειόδαλος, δυσκοιλιώτερος, καὶ βρωμώδης, Diphilus, hoc est, stellaris autem carnem habet molliorem, & aluum emollit. at lævis raia, difficiliùs redditur aluo, & virosa est, Wottonus δυσκοιλιώτερον vertit, concoctioni renitentem: meliùs eo Rondeletius, aluo difficiliorem. opponit enim Diphilus τῷ εὐκοιλίῳ τὸ δυσκοίλιον, ἢ τὸ τῆς κοιλίας ἐφεκτικόν. Liobatus carne est candida,

F

dida, teste Epæneto, Athenæus & Hesychius. Κἂν ᾖ γαλεὸς, ἢ λειόβατος, κἂν ἔγχελυς, Plato in Sophistis. Καὶ σελάχη μέντοι καὶ νῆ (καὶ ἢ potiùs: nisi καινὴ, id est, noua, legas. sed de noua Mileto nihil reperio) Μίλητος ἀείστα Ἐκλεξάμ. ἀλλά γε χοὺ ῥίνης λόγον, ἢ πλατυνῶτη λειοβάτου ποιεῖσθαι, Archest.

H.a. Λειόβατος, ὁ ὁμαλὸς τόπος, Suidas. Λεωβάτος, ὁδός, (nimirum vt λεωφόρος, eadem significatione, via regia & publica,) καὶ ἰχθὺς σελαχώδης, Hesychius. sed pro pisce scribendum λειόβατος.

Asterias, hoc est stellaris vel stellatus cognomen, non raiæ solùm formæ vni attribuitur, sed & galeorum: & inter aues accipitrum, aquilarum, ardearum, à punctorum & macularum varietate. Huic cognomini λεῖος, id est, læuis, in accipitre quin opponatur, dubium non est: in aliis aculeato potiùs in eodem genere, videtur opponi: vt paulò antè in Raia læui diximus. Est autem asterias nomen masculini generis primæ declinationis, veluti adiectiuum: qualia in aliud genus non mouentur. itaque rectè βάτος ἀστερίας dicitur: βατὶς ἀστερίας non item: quamobrem Latinè etiam non raia asterias, sed raia stellatis dixerim. apud Athenæum quidem ex Diphilo legitur ἡ ἀστερία βατὶς, nescio quàm probè. Hic piscis Romæ vulgò Arsilli dicitur. Differt autem ab Arzinarello dicto, (quem secundam acus speciem Rondeletius facit) vt Cor. Sitard. indicauit.

Raiæ oculatæ læuis speciem aliam quam Rondeletius dedit, inter picturas à Sitardo missas habeo. Latera minùs rotunda sunt in medio enim latera prominent veluti anguli duo in rhombo figura oppositi. rostrum etiam magis exertum est. Aculei ferè nulli apparent iis qui in cauda & medio dorso sunt excepti, si benè expressa est pictura.

Pharmacopolæ & alij quidam Raias exiccare, & sceletos earum in varias & admirabiles vulgò formas effingere solent, cùm aliàs, tum quę serpentem aut draconem alatum præ se ferat. corpus enim inflectunt, caput & os distorquent, aliqua incidunt, aut circumcidunt: laterum anteriorem partem aliquousque rescindunt: reliquum erigunt, vt alas simulet: & alia pro arbitrio comminiscuntur. Talem sceleton olim mihi depictum, cùm è raia factum esse ignorarem, hìc apposui.

Aslec (si rectè scribitur) piscis planus est in mari Flandriæ & Germaniæ (inquit Albertus de animalibus libro 15. tract. 2. cap. 7.) quem lingua sua aslec vocant: quem ego diligenter consideraui, & inueni habere duos pedes & quatuor alas, (pinnas:) quæ versus ventrem & pectus flectuntur, sicut alæ auium, &c. Caput autem huius piscis, & color pellis, & figura corporis, & sapor carnis, ferè ita sunt vt in raia pisce. Crura eius sunt cartilagines sine iunctura: & subtus in pedibus habet foueas, (acetabula quædam) vt fortiùs figantur. Cauda eius non est vt raiæ, sed similis aliorum piscium, nisi quòd oblongior est: & ante caudam in loco dorsi, vbi stringitur solida pars corporis, quæ est post concauum ventris, habet pinnam similem pinnis aliorum piscium, sed valdè magnam respectu sui corporis.

DE RANIS SCRIPTA HOC ORDINE SEQVVNTVR.

EX RONDELETIO.

De Ranis in genere. *De Ranis fluuiorum & riuorum.*
De Rana palustri & venenata. *De Rubeta siue Phryno.*
De Calamite. *De Rana cœlitus demissa.* *De Rana dryophyte.*

BELLONII

De Ranis diuersis scripta dedimus in Appendice De Quadrupedibus ouiparis.

COROLLARIA.

I. Ranarum diuisionis Tabula in genere, eiusq; explicatio.
II. De Ranis in genere simul & de fluuiatili Rana.
III. De cæteris Ranis diuersis.

IN LIBRO NOSTRO DE QVADRVPEDIBVS OVIPARIS, CAPITA HÆC SVNT.

1. *De Rana aquatica & innoxia: deq; iis quæ ad Ranas quasuis in genere spectant.*
2. *De Ranis temporariis æstiuis.*
3. *De Ranunculo viridi, siue Rana calamite aut dryopete.*
4. *De Rana siue Rubeta gibbosa, & aliis mutis Ranis in genere.*
5. *De Ranis rubetis, tum palustribus, tum terrestribus. Et de remediis contra omnes venenatas Ranas.*
6. *De Rana venenata fossili.*

DE RANIS (IN GENERE,) RONDELETIVS.

Humore delectantur omnia Ranarum genera. Quare cùm plura & notiora maximè in palustribus aquis degant, inter palustria potiùs quàm inter amphibia numerare visum fuit. Diuersa autem earum esse genera experientia demonstrat, vt & authores ipsi tradiderunt. Sed cùm à diuersis variè & confusè exponantur, ipsa enucleatè atque explicatè docere operæprecium fuerit. A minimis incipiemus, quæ Gyrini dicuntur Plinio autore, quùm de Ranarum coitu & generatione loquitur. (*Lib. 8. cap. 51.*) Pariunt minimas carnes nigras, quas Gyrinos vocant, oculis tantùm & cauda insignes: mox pedes figurantur, cauda findente se in posteriores. Nicander, sicuti legitur in exemplaribus excusis, γερύνους vocat interpres μικροὺς βατράχους interpretatur. Præterea Nicander in Alexipharmacis primum φρῦνον nominat, deinde κωφὸν eiusdem speciei, quæ fruticibus verno tempore adhærescit. Quo loco Scholiastes Græcus tradit duo genera esse βατράχων, id est ranarum, hybernas & æstiuas, ex quibus æstiuæ coaxant, & innoxiæ sunt, hybernæ mutæ & mortiferæ. vel sic. Phrynus pro vocali sumitur: sunt enim mutæ & minimè vocales, discriminis horum causa dixit Phrynum pro vocali. Est autem Ranæ similis, sed oculis est maioribus, arundinum fruticúmque radicibus adhæret Phrynus. Hæc Scholiastes. Quæ cùm plus caliginis quàm lucis rei adferant, nos perspicuè, vt opinor, sic distinguemus, vt Ranæ sint quædam quæ maiorem vitæ

vitæ partem in aqua transigant, aliæ in sicco tantùm; aliæ inter has ambigant. Rursus earum quæ in aqua degunt, aliæ in fluuiis, fontibus & riuulis reperiuntur, miniméq; perniciosæ sunt, sed edules. Has Ranas fluuiatiles vocat Plinius libro 32. (*Cap. 5.*) Græci communi omnium nomine βατράχους. Aliæ sunt palustres & venenatæ, à nostris Bufones aquatiles nominantur, à Græcis ἑλειοβάτραχοι vel βάτραχοι ἕλειοι. Has Phrynis siue Rubetis coniunxit Dioscorides, tùm ob corporis figuram non dissimilem tum ob vim æquè perniciosam. (*Lib. 6. cap. 31.*) Earum quæ in sicco habitant, alia inter frutices & arundines viuit, vnde ei nomen teste Plinio. Quidam inquit, ex ea Rana quam Calamiten vocant, quoniam inter arundines fruticesq; viuit, minima omnium & viridissima, cinerem fieri iubent. (*Lib. 32. cap. 10.*) Alia per tempestates ex aëre deiicitur, & διοπετὴς cognominatur. Rana quæ ambigit, φρῦνος vocatur à Græcis, à Latinis Rubeta. Plinius: Ranæ quoque Rubetæ, quarum in terra & in humore est vita. (*Lib. 8. cap. 31.*) vel, vt Aëtius vult, cùm palustris vitæ conditionem in terrestrem commutauerit, φρῦνος appellatur, id est, Rubeta à rubis in quibus degit. Plinius: Sunt quæ in vepribus tantùm viuunt, ob id Rubetarum nomine vt diximus, quas Græci Phrynos vocant, grandissimæ cunctarum. (*Lib. 32. cap. 5.*) Quæ postrema maximè indicant de iisdem Plinium loqui & Aëtium, quùm dicit Rubetas nihilo minores esse testudine parua. Hanc speciem Vergilius Bufonem appellauit, nostri Crapau. Hæc sunt Ranarum genera.

Neq; vllum est genus quod λεῖος βάτραχος dicitur, vt Hermolaus in mendoso codice legerat pro ἕλειος βάτραχος. Neque alia est quæ Dryophites dicitur à calamite, vt docebimus. Postremò neque seiunctum à cæteris genus quod mutum sit. nam id multis Ranis accidit etiam vocalibus natura ob quandam loci proprietatem, quod Plinius libro 11. capite 51. annotauit. Ranis sonus sui generis. Multum tamen refert & locorum natura: mutæ in Macedonia traduntur. Mutæ sunt & Cyrenis eodem autore lib. 8. cap. 58. illatis è continente vocalibus. Et in agro Cyrenensi, ait Aristoteles lib. 8. de hist. cap. 28. Ranæ vocales præterito tempore deerant. Mutæ sunt etiam nunc, ait Plinius libro 8 cap. 58. in Scripho insula, eædem aliò translatæ canunt: quod accidere in lacu Thessaliæ Sicendo tradunt.

Muta rana genus peculiare nullum: sed diuersis ranarum generibus, vt muta sint, accidit.

Sunt qui putent Seriphum vnam ex Cycladibus non habere Ranas, vnde prouerbium, Βάτραχος ἐκ Σερίφου, quod confirmare volunt Strabonis autoritate, qui Seriphum saxosam esse scripsit, quare & sine aqua esse: qua carere, imò absque ea ne esse quidem possunt Ranæ. (*Seriphia rana.*) Sed Theophrastus non negat illic esse Ranas, sed fortasse non vocales ob nimiam aquarum frigiditatem, neque in Pierio etiam Thessaliæ stagno propter aquarum rigorem. Id quod multis in locis euenire mihi compertum est. Quòd si quis locum Plinij mihi obiecerit ex libro 32. capite 7. in quo aliud à supradictis genus & mutum constituisse videtur his verbis: (*Viridis muta.*) Est parua Rana, arundinetis & herbis maximè viuens, muta ac sine voce, viridis. respondemus eandem hanc speciem esse cum ea quam Calamiten vocant, quòd in arundinetis viuat, minima omnium & viridissima, de qua iam dictum est. Nunc ad singula genera explicanda veniamus.

DE RANIS FLVVIORVM ET RIVORVM, *Rondeletius.*

Icon hæc ranæ fluuiatilis nostra est, repetita ex libro de Quadrupedibus ouiparis.

Ranarum genera distingui, vtile.

Etsi Ranæ notissima sunt animalia, nemo tamen sanæ mentis laborem hunc nostrum tanquam superuacaneum reprehendere iure potest, si post Aristotelem, Dioscoridem, Plinium aliquid tractauerimus. Prodest enim genera distingui, quoniam & forma & facultatibus differunt. Ranæ enim palustres cum rubetis inter venenatas numerantur: ranæ fluuiorum, riuorum & fontium & in medicamentis & in cibis vsurpantur, súntque quibusdam in deliciis, pauperibus famis alleuamentum inemptum. B Præterea multa video à recentioribus de ranis prætermissa, quæ posteà à nobis tradentur, quæ minimè negligi oportuit, quale est, linguæ forma noua, in oculis palpebra inferior, mobilis sicuti in auibus, tenuis & perspicua, duo foramina rotunda, tenui membrana iis obtensa, tympani aurium instar: post oris rictum rimæ duæ per quas tenuem membranam exerunt. Caudæ rudimentum sub qua vnicum foramen est, quo fœtum emittit, excrementa excernit: quædam etiam alia quæ in singulis dicentur, quæ non inutilem nostram in hac animalium contemplatione diligentiam esse palàm ostendent.

Vniuersè quidem βάτραχοι à Græcis dicuntur, à Latinis ranæ. Sed ad cæterarum discrimen hæ fluuiatiles vocentur. A

In ripis ad solem maximè delectantur. quaternis pedibus assultim in terra gradiuntur, & in aqua celerrimè natant, maximè posteriorum pedum beneficio. B sunt enim longi, ac proinde ad saliendum aptissimè à natura conformati: & ad natandum, quia lati, in quinos digitos diuisi, qui membrana tenui connexi sunt, vt in anseribus, anatibus, & fulicis. Crura & tibiæ validis musculis vinciuntur. Pedes anteriores breuiores in quaternos tantùm digitos fissi. Qui pollicis vice est crassior & breuior. Digitorum tres sunt acies, & totidem articuli. Ossa sesamoidea in primo digitorum articulo pedum anteriorum, in omnibus articulis pedum posteriorum. Colore sunt vario. Quùm paruæ sunt admodum & piscis forma, nigræ: & specie ranis piscatricibus similes & colore. Grandiores factæ & caudâ in pedes diuisâ, aliæ virides sunt, aliæ nigricant, aliæ flauescunt. Ventre sunt candido nigris maculis asperso. Cute teguntur tuberosa & inæquali. Capite sunt crasso: ceruice contracta, sed latiuscula. Rostrum in acutum angulum desinit. Oris rictus magnus, intus magna oris capacitas. Lingua carere videntur: vel si eam linguam nomines, eam ab aliorum omnium animalium linguis & situ & connexione diuersam esse intellige: Nam extremæ maxillæ hærens, inde pendet. quo fit, vt qua in parte in cæteris soluta sit, in ranis sit ligata, & contrà. nam in maxilla, vt dictum est, hæret. ad fauces soluta est. Hanc particulam cum Aristotele rectè linguam vocabimus, cuius hæc sunt verba: Ὁ δὲ βάτραχος ἰδίαν ἔχει τὴν γλῶτταν. τὸ μὲν γὰρ ἔμπροσθεν προσπέφυκεν ἰχθυωδῶς, ὃ τοῖς ἄλλοις ἀπολέλυται. τὰ δὲ πρὸς τὸν φάρυγγα, ἀπολέλυται, καὶ ἐπέπτυκται: ᾧ τὴν ἰδίαν ἀφίησι φωνὴν ἀεί. Ranis

nis lingua sui generis est: pars enim prima quæ cæteris absoluta est, iis cohæret modo quo totaferè piscium. Intima verò absoluta ad guttur applicatur, qua suam vocem solent emittere. Pro dentibus asperitatem tantùm in maxillis habet, qua quicquid arripit mordicus retinet. ob id panno rubro, vel frustulo carnis, filo ex arundine demisso, demorso extrahuntur & capiuntur. Oculos magnos habent & prominentes. Palpebram inferiorem auium ritu oculis applicant, quæ tam tenuis est vt perluceat. Ante oculos foramina sunt, vel ad aërem attrahendum, vel ad odorandum, tenui membrana obtecta non aliter quàm auris tympanum. Ab oris rictu sub foraminibus iam dictis sinus vtrinq; est, in quo tenuis membrana quæ dum aërem sub aqua retinet, inflatur & foràs prominet vesicę aëre plenæ modo. Ab oculis lineę duę fuscę per latera ductæ sunt. inter has media est dorsi linea, quod in caudam desinit, sed cute contegitur. post hãc superiore magis quàm inferiore loco, meatus est quo Gyrini & excrementa emittuntur. Cutis circa articulos tantùm carni firmè hæret: ob eam causam nullo negotio excoriantur, facileq; aëre concepto & cohibito intumescunt. Ventriculo sunt magno longoq; : intestinis conuolutis, coloris varij. ecphysis alba est: ieiunum intestinum, & quod ileum à quibusdam dicitur flaua, ob bilem quam per meatum à vesica fellis in hepate sita excipiunt, quamuis fel viride & tenue appareat. Colon sequitur, cæcum nullum reperitur. illud nigrescit ob stercus: latum est & amplum, rectum, candidum & angustum. Splen paruus est in mesenterio. Hepar rubrum in tres lobos sectum. Maribus renes sunt longi, carnosi, testes lutei, parui & rotundi. Fœminis appendices circa renes croceæ, quas vterum esse dixerim. Vesica est tenuissima, vixq; cernitur. Pulmones tenues, magni, non omnino sine sanguine, vt Aristoteles existimauit: quùm scripsit ranas diutiùs in aqua vrinarè, propterea quòd pulmones sine sanguine habeant: sed potius quòd exiguo calore & sanguine præditæ, frequenti inspiratione & expiratione nõ egent. Pulmones nigricant. Cor in medio est thorace: nõ piscium, sed quadrupedum cordi simile, nigris punctis notatũ. A medio pectore cartilaginea apophysis producitur, in extremo lata, cui innituntur partes quę maxillę subsunt, Hactenus descriptę sunt ranarũ partes. sequuntur actiones.

C Vêre coëunt. Mares vlulatu suo, quem ololyginem nominant, fœminas ad coitum alliciunt. Ololyginem verò edunt maxillę inferioris labro demisso pari libra cum aqua modicè recepta in fauces, superioréque maxilla intenta. Flagrant tantisper oculi modo lucernæ, cùm sinus buccarum maxillis distentis interluceat: coeunt enim magna ex parte noctu. Hæc sic ferè ex Aristotele conuertit Gaza Plinium imitatus, qui mares à voce ololygontes vocari tradit. Sed præstat locum adscribere: eleganter enim Aristotelis locum illustriorem reddit, quùm de piscium lingua loquitur. Ranis prima cohæret, intima absoluta à gutture qua vocem mittunt. mares cum vocantur ololygontes. ſtato id tempore euenit cientibus ad coitum fœminas. Tum siquidem inferiore labro demisso, ad libramentum modicè aquę receptę in fauces, palpitante ibi lingua vlulatus elicitur. Tunc extenti buccarum sinus perlucent, oculi flagrãt labore perculsi. ranæ igitur duplicem edunt vocem ὀλολυγόνα coitus tempore: & κοὰξ, qua voce omnibus sunt molestæ. quumq; maximè & vltra modum sunt vocales, tum tempestatem præsentiunt, quia aqua pluuia delectantur. De coitus ratione varia prodiderunt authores. Plinius: ranæ supercueniunt prioribus pedibus alas fœminæ mare apprehendente posterioribus clunes. Et mox: Mirum quæ semestri vita resoluuntur in limum nullo cernente, & rursus vernis aquis renascuntur quæ fuêre natæ, perinde occulta ratione cùm omnib. annis id eueniat. Dicam hac de re id quod sentio. Certum est Ranas aliquas sponte nasci, Maximè quæ Gyrini vocantur. Gignũtur & ex concubitu maris & fœminæ. sed non ita coëunt, vt Plinius tradit, sed animalium retrò meientium ritu. atq; sic copulatas Ranas vidi: cuius rei causa neq; inter crura, neq; inferiore in loco, sed superiore meatum habent. Quantum ad Gyrinos attinet vt mihi, ita omnibus experientia compertum esse potest, sponte etiam in limo generati. In magnis enim imbrib. & itinera & loca alia anteà omni Ranarum genere vacua, primum Gyrinis, deinde Ranis multis abundâsse obseruauit. Ranæ cibum in aqua capessunt. Muscas, vermes, cantharos aquatiles, tineas, hirudines, cochleas paruas, atq; insecta aquatilia omnis generis deuorant. Adeò sunt voraces vt à suo genere non abstineant. Inueni in maiorum ranarum ore ranas paruas, atq;

E in vẽtriculo semicoctas, cochleasq; echinatas. Quamobrẽ escâ etiam è lõginquo, vel cibi odoratu, vel conspectu alliciuntur & capiuntur maximè ipsarũmet ranarũ carne, aut pãno rubro carnis colorem referente.

F Nostris in more est posteriora tantum Ranarum in cibis vsurpare, reliquo corpore abiecto, vel quia carnis parum ei insit, vel quia viscera venenata, vel in cibis inutile quid esse in iis credatur. quod etiam Aristoteles annotauit de Echinis loquens, quorum quod nigricat parti creditum est superiori, ex dentium origine pendens, amarum, nec esculentum, quale in multis inesse animaduertimus, aut certè quod ei proportione respondet, vt in Testudine & rubeta, & in rana, atque etiam in turbinatis & mollibus, sed colore differt. Caro ranarum candida est, dura, si recens fuerit: seruata, tenerior redditur.

F G Medici vt Testudinum, ita ranarum carnem hecticis & phthisicis apponunt: quod non improbo, si iure capi decoquatur, quo tempore ad venerem non cientur: tunc enim virus olent: modò etiam in locis summo æstu exsiccatis captæ non fuerint, sed in fluuiis & riuulis.

D Ranæ apibus insidiantur, nec earum aculeos pertimescunt. Mira traduntur à Plinio de ranis, à Democrito & Magis, quæ ex libro 32. petenda sunt.

G Dioscorides contra omnium serpentium venena pro antidoto esse prodidit, si ex sale & oleo decoctæ edantur, iusq; earum itidem sorbeatur. Contra inueteratos tendinum rigores pollent. Idem tradit Plinius. vnguentis & emplastris adhibitæ siccandi discutiendiq; vim habent, maximè in articulorum doloribus. Inde Emplastrum à Ioanne de Vigo Chirurgo rectè compositum, quod & emplastrum de ranis nominatur, quo fœlici successu in tumoribus & doloribus morbi Hispanici vtimur. Ranæ tres in olla vstæ, & cum melle appositæ alopecias replent, si Plinio credimus: vel cum pice liquida illitæ, vt Dioscoridi & Paulo Æginetæ visum fuit, quod ego experientia verum esse comprobaui. Illitus earum cinis profluentis sanguinis impetus sistit, authore Dioscoride, quod & Paulus confirmat. Crematarum ranarum cinis maximè siccans redditus, sanguinis eruptiones sistit, & alopeciis cum pice liquida medetur. Plinius: Ad sanguinem sistendum ranarum illinunt cinerem, vel sanguinem inarefactum. Eãdem exiccandi vi equorum scabiem decoctæ in aqua extenuant, donec illini possit, aiunt ita curatos non reperi postea. Eædem decoctæ in aqua marina psoras tollunt, donec sit crassitudo mellis. Multò plura ex ranis petita remedia aduersus varios morbos leges apud veteres autores.

DE RANA

Vox, ololygo.

Lib. 11. cap. 7.

Coitus.

Procreatio.

Gyrini.

Cibus.

Lib. 8. cap. 28.

Lib. 32. cap. 5.

DE RANA PALVSTRI ET VENENATA, (ID est, *Bufone aquatili.*) *Rondeletius.*



A

G. Venenum earum, & remedia.

INTER ranas sunt quæ in palustribus locis, & putri fœtidóque limo oppletis, & nascuntur & viuunt, quæ palustres rectè dici possunt. sed quia quæ fluuiatiles sunt, in paludibus etiam & in aquis stagnantibus reperiuntur, ad huius discrimen illam venenatam cognominauimus, quæ Bufo aquatilis vocatur, à Gallis Crapau d'eau, à Græcis ἑλοβάτραχος, deniq; terrestris *(imò palustris)* φρῦνος, siue rubeta quæ palustrem vitam in terrestrem non commutauit. Ea rubetâ siue phryno terrestri minor est: cuius venenum mala symptomatáque eadem sequuntur, quæ rubetæ, quæ Dioscorides lib. 6. cap. 31. sic explicat: Φρῦνος vel ἑλοβάτραχος, id est, rubeta aut rana palustris assumpta tumores ciet, pallor corpus vehementer decolorat, vt planè buxeum spectetur: spirandi difficultas torquet, & grauis halitus oris, singultúsque, & inuita interdum genituræ profusio consequitur. Paulus Ægineta φρῦνον etiam, & ἕλλον, βάτραχον appellat, cui vires omnino similes tribuit: quòd corporis tumorem inducat hausta, palloremq; intensum buxo similem: quódq; ægrè spiritus trahatur, os fœteat, singultus infestet, aliquando etiam semen sine voluntate erumpat. Eadem quoq; aduersus hoc venenum remedia præscribuntur. Iuuantur enim qui id hauserunt, secundum vomitionem multo meri potu, & arundinis radicis binis drachmis, aut cyperi totidem. Breuiter, cogendi sunt vt vehementi ambulationi & cursui se credant ob torporem quo corripiuntur. Quinetiam quotidiè lauandi sunt. Nicander in Alexipharmacis simile venenum ranæ illi inesse cecinit, quę multa in arundinetis viuit, quam Calamiten dixi ex Plinio à Græcis nominatam fuisse, eadem quoq; remedia aduersus idem venenum præscribit.

DE RVBETA SIVE PHRYNO, RONDELETIVS.

Hanc ranæ palustri venenatæ similem esse ait, ideoq; picturam se non apposuisse: nos alterius (quam in posteriore huius capitis parte describit.) rubetæ effigiem ex nostro De Quadrupedibus Ouiparis libro apposuimus.



A

B

G

RVBETA propriè terrestris est, quæ Bufo à Vergilio dicitur, id est, rubeta maxima terrestris, ad discrimen palustris, de qua modo locuti sumus. Φρῦνος à Græcis dicitur εἶδος βατράχου, παρὰ τὸ ἐμφερὲς ἔχειν πρὸς τοὺς ἄλλους, ἢ παρὰ τὸ φέρεσθαι ἀπὸ τῆς λιμνώδους φύσεως ὅλη τῇ χερσαίαν.

Animal est, inquit Aëtius, magnitudine nihilo minus Testudine parua, exasperat autem & vibrat terga dum spiritu impletur, atq; ob id ipsum audentiùs euadit. Ad lædendum itaque manifestè insurgit, & saltibus interpositum spatium contrahit: raró quidem morsum infligens, verùm anhelitum consuetum vehementer virulentum inducere, adeò vt etiam sanhelitu contingat tantùm eos qui propè sunt, lędat. Cæterùm qui ab eis læsi sunt, his omne corpus intumescit & diffunditur, ac citò omnino pereunt. Vidi equidem hæc symptomata in muliere quæ periit sumptis herbis, quibus Rubeta venenum suum afflauerat. *Historia.*

Est autem Rubeta ranæ similis, colore fusco, rostro latiore & magis rotundato, quale in secunda Palstinacæ specie descripsimus. Oculis est magnis & rotundis. Denique ranæ palustri & venenatæ similis est, quam ob causam picturam eius non apposuimus. Cute tegitur crassa & vix penetrabili, tum quia dura est, tum quia tumida & spiritu distenta ictibus cedit. Pulmones intus habet magnos & rotundos, quíq; aëre multo compleri possunt. hepar vitiatum, vnde prauum bestiæ temperamentum autore Aristotele: Nonnullorum, inquit, vitiata omnino iecinora, vt corpora quoque eorundem prauum temperamentum sortiantur velut Rubetæ, Testudinis, & similium. Neocles & Timæus scripserunt Rubetas bina iecinora habere: & alterum quidem occidere, alterum alteri aduersari & salutem afferre, & à formicis non attingi, ob id formicis obiiciendum censent, vt pars quam non vorarint venenata sit. Mira de Rubetis certatim tradunt authores, quæ Plinius recenset: sed id imprimis, ex his ranis lienem contra venena quæ fiant ex ipsis, auxiliari. Cor verò etiam efficacius esse. Rubeta apes interimit. subiens enim aditus alui eas afflat, & obseruans rapit euolantes. nullo hæc affici malo ab apibus potest. Ex rubeta multis modis venena præparantur, quæ latent assumentes: quæ præstat ignorasse, quare de remediis dicamus. Rubetarum veneno aduersatur succus betonicæ, plantaginis, artemisiæ potus. Item succus ranarum marinarum ex aceto & vino bibitur contra Rubetæ venenum. Sanguis Testudinis ranarum venenis auxiliatur, seruato sanguine in farina pillulis factis, & quùm opus sit in vino datis. *Lib. 3. de part. anim. cap. 12.* *G. Venenum.* *Lib. 32. cap 5.* *Veneni remedia*

D Rubetæ suus est à natura datus hostis Buteo triorchis, qui eam rapit & deuorat sine pernicie.

Vulgus falsò credit gemmam vernacula lingua Crapaudine nuncupatam in Rubeta inueniri, & venenis resistere. *B. Crapaudina gemma.*

Terrestris Rubetæ generis ea etiam esse censebitur, quæ sub terra vel sub stercore inuenitur, ranis similis, rostro acutiore, cruribus breuioribus, cute tota tuberosa, maculis multis cinereis notata, oculis multùm prominentibus & virescentibus, qui palpebra inferiore teguntur. maxillæ inferioris extremum frequentissimè mouet, lingua, ventriculo, intestinis, superioribus similis. Vasa spermatica à superiore parte oriuntur, circa septum transuersum alba. Renes carnosi, vesica magna, retentam in ea vrinæ copiam in metu effundit. In medio ventre nigra quædam cernuntur, quæ oua fortasse sunt. hæc compressa atramentum emittunt. Hepar nigrum in lobos duos diuisum, in quo vesica fellis, quod ex viridi nigricat. Pulmones vt Testudini & ranæ. Vescitur formicis, cantharis, similibúsque bestiolis. Hæc Rondeletius. Puto au- *A. Rubeta species alia.*

tem secundam hanc Rubetæ terrestris speciem,eam esse,quam nos etiam in libro De Quadrupedibus Ouiparis descripsimus,cuius iconem etiam huic capiti præfiximus.

DE CALAMITE, (SEV MVTA PLINII ET NICANdri.) *Rondeletius.*

Effigiem hanc Ranunculi viridis ex nostro De Quadrupedibus Ouiparis libro repetiuimus.

RANAM Calamiten à calamis in quibus viuit vocarunt Græci.Id genus esse dixerim quod ἄφθογγον vocauit Nicander in Alexipharmacis,id est,mutum,atque inter Rubetas numerari potest. Ranette nostri nominant Ranis aliis corporis specie similis est calamites, & partibus internis: sed parua est,tenuis & viridis. De qua Plinius: Est parua rana in arundinetis & herbis & maximè viuens, muta, ac sine voce,viridis: si fortè hauriatur, ventres boum distendens. huius corporis humorem penicillis derasum claritatem oculis inunctis narrant afferre, ipsásq; carnes doloribus oculorum superponunt.Huius ranę paruę sanies efficacissimum est psilothrum si recens illinatur: & ipsa arefacta ac tusa, mox decocta tribus heminis ad tertias,vel in oleo decocta æreis vasis. Dioscorides viridium sanguine pilos auulsos renasci prohiberi tradit. In arundinetis roris linctu victitat. Venenata est vt Rubeta superior, quare eidem veneno eadem quoque remedia medebuntur.

DE RANA CÆLITVS DEMISSA, RONDELETIVS.

PER imbres & tempestates cælo delapsa rana Rubetis similis est,si Aristoteli sensibúsq; nostris fidem adhibeamus,quæ διοπετὴς,id est,à Ioue missa nominatur. Hæ in nubibus procreatæ decidunt. Quidam in ea sunt sententia vt existiment ranas palustres minores, vel vi astrorum vel ventorum impetu sursum raptas decidere,cuius rei id esse argumentum, quòd nunquam nisi aëre pluuio & commoto delabi videantur. Alij ne cadere quidem vnquam ex alto censent,sed quia ex Bufonum genere sunt, ex cauis in quibus viuunt locis dum tempestates præsentiunt,egredi,&tum è cælo demissas ranas credi,quæ anteà non comparuerant. Sed opinionem hanc prorsus refellit quotidiana experientia, atq; grauissimorum scriptorum fides. Quòd si quis hoc miretur,contempletur multa alia in natura æquè admiranda. Quid enim mirabilius esse potest aquis in cælo stantibus,vt ait Plinius,at illæ ceu parum sit in tantam peruenire altitudinem, rapiunt eò secum piscium examina,sæpè etiam lapides subuehunt portantes aliena pondera. Ranæ igitur διοπετεῖς rubetarum sunt specie,quod tradidit Aristoteles lib.1.problematū. Διὰ τί γίνεται τὰ ἔτη νοσώδη, ὅταν γένηται πολὺ τῶν μικρῶν βατράχων τῶν φρυνοειδῶν; ἢ ὅτι ἕκαστον εὐθενεῖ ἐν τῇ οἰκείᾳ χώρᾳ τῆς φύσεως; καὶ ταῦτα δὴ φύσις ἐστὶν ὑγρά. ὥστε ἑπόμενον καὶ ὑγρὸν σημαίνειν τὸν ἐνιαυτὸν γίνεσθαι. τὰ δὲ τοιαῦτα ἔτη νοσώδη ἐστιν. ὑγρὰ γὰρ τὰ σώματα ὄντα, πολὺ ἔχει τὸ περίττωμα, ὃ ἐστι τῶν νόσων αἴτιον. Cur insalubris est annus, quùm magnus est prouentus pusillarum ranarum,quæ rubetæ faciem repræsentant? an res vnaquæque loco suæ naturæ idoneo abundare solita est? itaque eiusmodi animalium genus cùm natura humidum sit,pluuium annum ob eam causam indicat. Anni verò huiusmodi insalubres sunt. corpora enim humida excrementis abundant, quæ morborum sunt causæ. Ranæ huius meminit etiam Plinius libro 32. cap.10. Iecur ranæ Diopetis & Calamitæ in pellicula gruis alligatum, (*Venerem concitat.nostra æditio habet diopetis vel calamitæ.*) nisi malis lectionem Hermolai sequi,qui dryophytes legit. de qua rana proximo capite dicitur.

Lib.3.cap.1.

DE RANA DRYOPHYTE, RONDELETIVS.

Suprà dixit Dryophyten non aliam esse à Calamite,in capite de Ranis in genere: hîc verò distinguit, Plinium secutus.

RVBETARVM generi subiicienda rana,quæ in quercubus & ficubus,aliisq; arboribus inuenitur,viridissimaq; est, qua nota cum Calamite ab aliis distinguitur. De hac Plinius: Est rana parua, arborem scandens, & ex ea vociferans. In huius os si quis expuat, ipsamque dimittat, tussi liberari dicitur. Hæc prolixiùs de ranis à nobis tradita sunt,vt earum differentiæ perspicuè intelligerentur. quamuis enim viles sint bestiæ: tamen nulla est ex qua vel fructus aliquis percipi non possit,vel pernicies vitari.

Lib.32.cap.8.

COROLLARIVM I. DE RANIS IN GENERE.

Quanquam in libro De Quadrupedibus ouiparis permulta de ranis conscripsi: quemadmodum suprà in tabella,quam huic de ranis tractationi præfixi,indicatum est: visum est tamen in præsentia quoq;, quæ ab eo tempore obseruata mihi sunt,adiicere. Hoc imprimis monendus mihi Lector est: multa ex authoribus iam priùs à me prolata,nunc etiam in Rondeletij scriptis reiecta non esse:partim quòd is multa aliter,& alia occasione citat, vt emendandi interdum vel illustrandi gratia,quòd sine repetitis illorum verbis commodè non fit: partim quòd ad diligentiorem collationem ocij satis non erat.

RANARVM DIVISIO.

Ranarum alię
- Procreantur ex semine,vt
  - Terrestres
    - Calamitæ 1.
    - Rubetæ.
      - Bufones propriè dicti. 2.
      - Aliæ quædam sub terra vel stercore degentes.3.
      - Gibbosæ.4.
      - Cornutæ quædam dictæ.5.
      - Venenatæ,fossiles.6.
  - Aquaticæ
    - Fluuiatiles edules
      - Virides
      - Nigricantes
      - Flauescentes. } 7.
    - Palustres venenatæ
      - Maiores.8.
      - Minores.9.
- Alio quodam modo proueniunt: vt
  - Temporariæ,vel æstiuæ. 10.
  - Διόπετεῖς,cælitùs vel cum pluuia demissæ. 11.

Diuisionis

Diuisionis explicatio secundum numeros.

1. Calamitę sunt virides,paruæ,quæ & arbores scandunt:quanquam Plinius videtur distinguere,cum aliâs,tum quòd calamitas mutas & perniciosas facit:arboreas verò,vocales, nec meminit earum veneni. Iconem earum præfiximus Rondeletij capiti de Ranis.fl.Habeo inter diuersas ranarum picturas,ab Argentinensi pictore missam,subuiridem quandam paruam,non ita pulchro colore vt calamites est, sed subobscuro: quæ si non ad calamitas,fortè ad temporarias referri debet.

2. Bufones propriè dicti,similes sunt palustribus & venenatis ranis,sed maiores,&c.quare iconem earum à se omissam Rondeletius scribit. qui tamen non simpliciter terrestre hoc genus facit, sed amphibium, ex Plinio: Ranæ rubetæ(inquit) in terra & in humore est vita.& Aëtio,qui eas ex palustribus terrestres fieri tradit. Quærendum,an potiùs non vna rubetæ species eadémque ambigua sit, sed duæ diuersæ: quarum vna semper terrestris, altera semper palustris sit. Possunt tamen aliquæ per æstatem, dum aquæ suppetunt,ac tepor sinit, in aquis agere:deinde autumno & hyeme in terra se occultare:quod aquaticæ omnes faciunt,præter temporarias opinor.

3. Rubetæ quæ sub terra vel stercore inueniuntur, (inquit Rondeletius,) ranis similes sunt rostro acutiore,cruribus breuioribus:cute tota tuberosa, maculis multis cinereis notatæ,oculis multùm prominentibus & virescentibus,&c.Hæc ille. Has puto minores esse prædictis: nec alias,quàm quarum effigiem ad principium capitis Rondeletij de Rubeta dedimus.

4. Gibbosam rubetam descripsi in libro De Quadrupedibus Ouiparis, cuius, quoniam in sequentibus quodaddam non habeo,iconem hoc in loco apposui.

5. Cornibus exasperari rubetarum dorsum,quod Plinius scribit,hactenus non vidi. Gibbosæ tamen ranæ à nobis dictæ ossa in dorso cornuū ferè instar eminent. Alia ratione recentiores quidam parum Latini scriptores ranam quandam cornutam vocant à sono vocis,quo cornu seu tubam imitetur quodāmodo. In Gallis est bufonis genus quod cornutum dicitur, à voce. Verno tempore prodeunt, & vocem instar tubarum binæ inuicem emittunt.coloris cinerei,fusci,(tetri,)in ventre verò crocei.per totam quoque Germaniam altissimè clamant:& falsum est extra Galliam mutas esse.In paludibus putridis degunt, Albertus & author de naturis rerum.Has puto minores rubetas palustres esse, de quibus mox dicam. Repeiuntur & terrestres argutissima voce,quam tubæ aut campanæ instar audiri ex longinquo aiunt:satis frequentes circa nobilem Tigurini agri arcem Kyburgam: raræ aut nullæ in vicinis regionibus. Hæ duplò ferè minores sunt communi rubeta: cæterò similes. Vna mihi allata, (deprehensa sub trunco,vbi se abdiderat, vt lateret per hyemen: Septembris initio,)tergo erat lurido,aspero,ventre ex fusco albicante, oculis aureolis, (sed aureo colore per medium diuiso,) clunibus cruribúsque, sed præcipuè digitis posterioribus, pilosis. Eas non in aquosis, sed aridis locis degere audio: vere vocem suam emittere & æstate: cùm vesperi clamant,noctem sequentem sine pruina futuram certò sperari: autumno & hyeme non audiri.

6. Fossiles V.ex Agricola.

7. Fluuiatiles Ranæ (βάτραχοι)simpliciter dicti,degunt in aqua pura,fluuiis,fontibus,riuulis: súntque edules Hæ paruæ & informes adhuc nigricant. Grandiorum aliæ virides sunt, aliæ nigricant, aliæ flauescunt, Rondeletius. Inueniuntur autem etiam in paludibus & stagnantibus aquis. Aquaticæ illæ quæ præ cæteris in cibum admittuntur, virides sunt, nigris passim aspersæ maculis. Sunt & subliuidæ atque subcinereæ quædam aquaticæ:quæ partim vocales & edules sunt, partim mutæ, & non eduntur, vt Ge. Agricola scribit.

8. Palustres venenatæ cognominandæ: vt ab innoxiis, quæ & ipsæ in paludibus reperiuntur, discernantur. βάτραχοι ἕλειοι Græcis. Has Dioscorides rubetis siue phrynis coniunxit tum ob corporis figuram non dissimilem,(magnitudine quidem inferiores sunt:)tum ob vim æquè perniciosam, Rondeletius.qui picturam quoque earum exhibuit.

9. Proximè dictis minores sunt, quæ à nostris Güllenfrößle: id est, lacunales rubetulæ dicuntur: & Mönle / inde puto quòd dorsi ventrísque coloribus salamandras aquaticas (quas indocti scincos putant) repræsentent. Hæ semper sunt paruæ: & viuunt in lacunis & aquis corruptis, sicuti de cornutis suis Albertus scribit, cuius verba proximè recitaui, (nec puto has ab illis differre:) ventre pallido siue citrino, punctis quibusdam discolore: & suo quodam sono vocis vtuntur. Has Aristoteles in problematum 1.22. ranas paruas rubetis similes, (μικροὺς βατράχους φρυνοειδεῖς,) quarum multitudo annum morbosum futurum significet, meo quidem iudicio, appellat. quanquam has Rondeletius διοπετεῖς facit. Sed plura de his inferiùs.

10. Latent hybernis mensibus in terra ranæ omnes,exceptis temporariis istis minimis,(Germani vocant Rhein fröschlein/)quæ latent in cœno,&reptant in viis ac litoribus,(*ripis*)Hæ enim quia non ex semine genitali,sed ex puluere æstiuis imbribus madefacto oriri videntur, diu in vita esse non possunt, Ge. A-

 gricola.

gricola. Sed fortè temporariæ æstiuæque ranæ, non vnius generis sunt, sed tum ex fluuiatilium genere, tum rubetarum, præsertim minorum palustrium: aut saltem vtrísque similes.

11 De iis quas Διïπετεῖς, seu cœlitùs demissas vocant, inferiùs dicam.

COROLLARIVM II. DE RANA IN GENERE, *simul & de fluuiatili Rana.*

De fluuiatili rana iam paulò antè quædam annotaui in expositione tabulæ: sed à Rondeletio prædicta.

B Os squatinæ antè promptúmque est, vt ranæ palustri, Aristot. locus si occurreret, verba Græca inspicerem. Equidem ranæ palustris nomine piscem seu piscatricem ranam hîc acceperim, vt piscis pisci comparetur. vtrique sanè similiter os in promptu est, aliter quàm raiis. facilè quidem βάτραχος ἕλειος, si fortè ita legitur, (vt suspicor,) pro βάτραχος ἁλιεὺς irrepere potuit.

C De informi imperfectóque ranarum fœtu, lege quæ scripsimus suprà, pag. 301. in Cordylo. Declinante Maio mense (die 21.) inueni in superficie aquæ stagnantis, in lente palustri & algis innatantibus, fœtus ranarum minutos, qui depedes videbantur: propiùs verò inspicienti rudimenta anteriorum pedum apparebant. Hos Itali, quoniam caput enorme est, reliquum corpus μυουρίζει, capitones appellant, vt coniicio ex verbis Bassiani Landi: qui in libro de peste: Ex putrescente (inquit) aqua oriuntur vermes, magna copia ranarum & aliorum animalium, quæ ortum habent de putredine: cuiusmodi sunt pisces *(impropriè pisces nominat)* capitones vulgò dicti. Aquis paludum siccatis moriuntur ranæ: restitutis, reuiuiscunt, Incertus.

D In ventre generis cuiusdam ardeæ ranam deprehendi, Ianuarij medio. Rana sæpè, vt & chamæleon, cum serpente pugnat, Innominatus.

E Apud Anglos Lucius piscis, capitur rana aut blecca pisciculo hamo affixo, funiculum (lineam) trahendo per ripam. non statim autem extrahitur vbi hamum corripuerit, sed iam defatigatus. Piscatores aliqui ranam excoriatam in reti nassæ instar contexto ligatam suspendunt, ita vt in medio liberè pendeat: vel iecur caprinum similiter: sic pisces inescatos capiunt. Ranæ expulerunt Autariatas, Agatharchides. Autariatæ Stephano Thesprotica genus est. Autoriatæ verò Æliano, Indica, à ranis plurimis inchoatis & imperfectis è cœlo lapsis, migrare coacta, de animalibus 17.41.

G Cochlearum vsus infirmo iecori prodest: ídque etiam tabefactum reficit. benè enim alunt: si viscosam carnem meliùs lixiuio lauabis. aut sale & vino, aut furfure. Aqua earum destillationibus collecta hecticis & phthisicis efficaciter prodest, & siccæ iecinoris distemperantiæ bis die ieiunis sumpta tepens medetur. Caro quoque testudinis, quæ in nemoribus degit: destillant & eam alij ad eosdem vsus. Ranæ quoque quæ bolo in lympidis aquis capiuntur, pares effectus habent, Alexander Benedictus. Ad epilepsiam: Aliqui per dorsum ranam scindunt: & extractum iecur folio caulis *(brassicæ)* inuolutum deficcant. hoc tritum cum vino optimo in potu dant paroxysmanti *(sub paroxysmum:)* & si vice prima non curatur, venturo paroxysmo idem faciunt, Antonius Guainerius. Fœtus ranarum imperfectos aliqui elixant, & innatantem adipem colligunt: quem locis glabris illinunt, vt pili succrescant. In articulis morborum impetus sedant ranæ, subinde recentes impositæ, quas quidam dissectas iubent imponi, Plinius, cinis ranæ magnæ *(rubetæ, vt Cardanus in Variis scribit)* collo gallinæ vel alterius auis, linteolo alligatus, prohibet ne sanguis effluat, etiamsi profundè vulneretur. Ex quo multi colligunt eundem cinerem gestatum, muliebrem fluxum menstruum retinere posse, ac alias item hæmorrhagias, Incertus.

De ranarum vi, ad inducendum vini fastidium, ex literis amici cuiusdam viri boni & mihi noti, ad amicum, qui eas literas Germanicè scriptas mihi communicauit: Filio ebrioso & sæpiùs ex ebrietate variis periculis exposito dum consulere cogito, ab honestis viris remedium hoc accepi: Ranam viridem (aiunt) ex iis quę in fontibus salientibus reperiuntur, viuam in vini mensura (duarum librarum fortè) suffocatam, eam in vino vim relinquere, vt qui vel haustum vnum inde bibisset, per omnem deinceps vitam abstemius degeret. Ego solicitus & metuens ne quid aliud etiam inde detrimenti sequeretur, cum filio (recens etiam ex ebrietate periclitato) institutum meum confero. aquiescenti propino vinũ, (in quo tamen palustris rana, cùm circa fontium scaturigines nulla reperiretur, suffocata fuerat,) duobus haustibus, vno vesperi, altero mane. Volui autem ipse prægustare vinum, & experiri saporem, os tantùm colluendo, ita vt nihil inde glutirem: qui licet non displiceret, posteà tamen ad duos ferè menses vinum fastidiui. Vxor eius, quæ odorem tantum vinarij vasis illius olfecerat, ab eo tempore hactenus *(nescio quantum temporis)* vinum non bibit. etsi enim interim experiundi gratia non semel gustauerit, inde tamen stomachi dolore non mediocri percepto, abstinet. vterum quidem non fert, ne quis eam ob causam vinum ei fastidio esse suspicetur. At in filio fastidium hoc non vltra quatuordecim dies durauit: citiùs tamen à vini potu caput ei nunc tentatur. Experiemur aliàs idem remedium cum rana viridi è fonte saliente: & rei euentum ad te scribemus, Hæc ille. quibus ea, quæ apud veteres legimus, ad inferendum vini tædium, medicamenta hîc adscribam: Vinum in quo anguilla suffocata sit, (alij, in quo anguillæ duę necatæ sint,) potui exhibitum (addunt aliqui, vel modicè) vini tædium (vel odium) parit, Plinius & alij quidam veteres. Rubellio (piscis marinus) in vino putrefactus, iis qui inde biberint, tædium vini affert, Plinius. item mullus in vino necatus, & vua marina in vino putrefacta. Vinum aiunt tædio venire his qui ex Clitorio lacu biberint, Idem. Nicolaus Myrepsus è testudine remedium ad eundem effectum præscribit, cuius vim inquit esse diuinam.

Eligantur hirudines ex aquis in quibus ranæ degunt: nec audiamus illos qui ex huiusmodi aquis hirudines vituperant, Auicenna.

H.a. *Icon.* Ex rana quænam hieroglyphica habeantur, multis exponit Pierius Valerianus lib. 29. nos lemmata quædam tantùm indicabimus, quæ sunt: Imperfectus, Inuerecundus, Curiositas, Longo pòst tempore progrediens, Sophista, Dæmones, Poëtæ, Silentium. In diuinis literis (inquit) vt in libro Apocalypseos, ranæ simulacra sunt cacodæmonum. Porrò silentium significatur per ranam rubetam illam grandissimam, quæ geminis veluti cornibus insignita est: propterea quòd obseruarunt magi, si ea in multitudinem vociferationibus ostrepentem inferatur, silentium fieri. Eóque spectare putant nonnulli ranam illam Mecœnatis celebratissimam, qua is literas & tabellas obsignare solitus erat, vtpote qui ea quæ literis crederet, silentio inuoluenda esse commoneret. Sed enim cùm rana, non rubeta, in omnium sermone, *(sit,)* ego eò potiùs rem spectare dixerim, quasi Mecœnas id in Augusti gratiam factitârit: de quo etiamnum infantulo illud fertur, quòd in auito suburbano obstrepentes fortè ranas silere iusserit: cui quidem commento adeò fauit vetustas illa, vt ex eo negentur ibi ranæ coaxare, &c.

COROLLARIVM III. DE RANA RVbeta, *aliísque diuersis,*

A Φρῦνος Græcis pro rubeta masculino genere vulgatum est: φρύνη verò fœmininum, apud Nicandrum solum reperi, & Ælianum de animalibus 9.11. & 17.12. Rubeta est rana venenosa in sicco semper rubens, & à rubis nomen trahit, in quibus plerunque victitat, Niphus. Qui rerum nomenclaturas Latinè, Polonicè & Germanicè conscripsit, Rubetam interpretatur Polonicè Zábá drzewna, Germanicè ein Laubfrosch. Bufonem verò, (id est, ranam terrestrem nimiæ magnitudinis) Polonicè Ziemna zába, Germanicè ein Krott. Qua voce Græci bufonem appellarent, frustrà quæsiui diu cùm Italica nomina complura non nesciam, quibus appellatur vulgò: Rospo, Zatto, Botta, Babi. Montani nostrates *(Germanicè)* Krotten & Erdkrotten. Galli Crapaud: vnde lapidem bufonitem, crapaudinam, Cæsar Scaliger. Mutas ranas aliquas dici putârim, quales rubetæ sunt: non quòd vocales penitus non sint: sed aliis vocalibus & garrulis comparatæ, mutæ præ ipsis videantur: quoniam vox eis rara & parca. *Muta.*

D Referunt multi mustellam à rubeta visam sic torpescere, & exanimari, vt à rubeta occidatur & edatur, quod tamen vix credi potest: nisi, non hæc omnium, sed quarundam sit solùm proprietas, Cardanus in Variis libro 7. Bufones aiunt à serpentibus deuorari. addunt superstitiosiores ab illis inde venenum quæri, Cæsar Scaliger.

E Certum est, nullum ostentum infelicius rubeta apparere posse, cùm vel magnitudine vel loco invsitum fuerit: animal infaustum veneno, forma fœda, solitudine, clamore inauspicato, habitatione sub terra, & inter humana cadauera, nocturnum, spiritu graui, oculísque intentè respicientibus, fascinóque, Idem Cardanus ibidem. Sed veteres adeò ominosam & abominatam bubonem auem faciunt: nusquam verò, quod sciam, bufonem ranam, veterum quisquam inter auspicia vlla memorauit. quanquam Aug. Niphus lib. 1. de auguriis, veteres bufonem vndecunque & quomodocunq; obuium in felicibus auguriis habuisse narrat, &c. vt in libro de Quadrupedibus ouiparis recitaui in rubeta H.h. contraria prorsus quàm Cardanus scripsit, opinione.

G Nicolaus Myrepsus vnguento LXXVII. ad lumbricos inscripto admiscet oculos ranæ terrestris. Kiranides 1.21. Batrachitæ lapidi vires quasdam superstitiosè adscribit, imaginibus quibusdam insculpto, & aliis nonnullis additis si pro amuleto gestetur. Ex Cardani Variorum libro 7. Rubeta (inquit) dentium dolori prodest plerunque, si dentes coxarum ossibus tangantur: antipathia enim est. Siccatæ in vmbra iecur, ad albugines oculorum elegantissimum auxilium est. Ipsa verò tota tuberibus carneis superligata, (vocant autem nâtas Mediolanenses,) ea abolet, & liquefacit. Synanchicis cocta & pro emplastro imposita, adeò prodest, vt quendam hoc auxilio, cui iam tanquam morienti, de more candelæ accensæ fuerant, liberauerim. Crediderim & filum, quo suspensa interierit, *sicut de filo purpureo, quo suffocata fuerit vipera, veteres tradiderunt,)* posse conferre. Pedes omnes magnæ rubetæ, ab ea viuente abscissi, dum Luna vacua ad coniunctionem properat, collóque strumas patientis suspensi, adeò conferunt, vt persæpè etiam à morbo patientem liberent. Cinis quoque eius falconi cum carne exhibitus, tineas quæ plumas erodunt, tollit. & forsan etiam, si super auem ipsam solùm spargatur. Idem collo mulieris fluxum mensium patientis suspensus, *(hanc quidem vim ex cinere Ranæ magnæ. superiùs etiam ex incerto authore scripsimus in Rana.)* fertur eum cohibere. Quinimò referunt collo pulli cinerem suspensum, efficere, vt ne iugulatus sanguinem mittat.

De Rubetarum veneno. Synesius in epistola quadam ad fratrem distichon hoc recitat: Ἀσπίδα, φρῦνον, ὄφιν, καὶ Λαδικέας περίφευγε, Καὶ κύνα λυσσητῆρα (λυσσητὴν forte,) καὶ πάλι Λαδικέας. Videntur autem vulgò, nullo certo authore, vsitati fuisse hi versus: quibus Λαδικεῖς homines notantur tanquam maximè venenatis etiam feris, aspide, rubeta, serpente, (viperam intelligo,) & cane rabido, nocentiores. Quinam verò sint Λαδικεῖς, dubitari potest: ego coniecturam meam protuli in libro De Quadrupedibus ouiparis, in Rubeta G. nunc verò Λαδικέας per syncopen pro Λαοδικέας dictos, coniecerim, vt sit nomen gentile, à Laodicea ciuitate Asiæ. quam coniecturam auget, quòd in eadem Epistola à Synesio Euthalius quidam cognomine Ballas, Λαδικεὺς nominatur. illum ait prefectum aliquãdo Lydis auarissimum & astutissimum hominem, res illorum esse depeculatum. Est autem Lydia Asiæ regio, & Laodicea quoque non procul Asiæ ciuitas, Lyco flumini imposita. Stephanus aliam Syriæ, aliam Lydiæ Laodiceam facit, &c. Itaque arbitror Laodiceæ (cuiuscunq;) ciues, tanquam improbos, auaros, astutósq; homines, hoc disticho traduci solitos: sicut & alij populi suis vitiis, vt in prouerbio, Tria Cappa pessima. Memini ranas quasdam lacteum quoddam virus exudantes videre, quod & salamandræ, præsertim percussæ, faciunt. Aspis vel solo tactu interdum interimit: & afflatu quoque, vt & centrites, & rubeta, Ælianus de animalibus 9.11. Et rursus 17. 12. Est quoddam rubetæ genus, cuius non modò potus est perniciosus, sed illius etiam aspectus aspicientibus infestissimus existit. Nam si quis ex iis, qui malas artes ingeniosè factitare sciunt, eam primò contriuerit, deinde eius sanguinem, siue ad vinum, siue ad aliam potionem, quam homines venefici idoneam existimârint, admistum, cuipiam per insidias bibendum dederit, is sanè sine mora perit. *At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ,* Iuuenalis Sat. 6. de veneficis mulieribus. Extat historia apud Boccatiũ de eo qui à sumpto cibo cum amasia sua in horto gingiuas folio saluiæ perfricauit: & mox mortuus est. vnde mulier in suspicionem veneni venit: & cùm in rem præsentem à iudice duceretur, ostendit decerpto saluiæ folio virum hoc quo ipsa nunc modo gingiuas perfricasse & mox obiisse. periit autem mox ipsa quoque. Vnde iudex de saluia suspicari cœpit, quam cùm effodi iussisset, rubeta subtus latitans deprehensa est. Rubetæ in puluere potæ mortifera inferunt incommoda, quemadmodum & morsu. Nam etsi dentibus careant, tamen compressa scabris gingiuis particula, & subinde ingressa per cutis spiracula

ſaliua, demorſos venenant, Matthiolus. Artemiſia alligata priuatim potens traditur, potá ve, aduerſus ranas, Plinius. Macer ſuccum eius cum vino hauſtum commendat.

H. a. Bufo congrum piſcem in Amara Æthiopiæ lacu, congri forma, ſed capite fœdo quaſi bufonis, nominat Cæſar Scaliger De ſubtilitate 226. 3. &c. Ranam piſcatricem incolæ Iſtriæ roſpum appellant, id eſt, bufonem & ſimiliter Itali etiam aquilam piſcem, Bellonio teſte. hanc nimirum à veneno, illam ab oris forma. De Phryne nobili ſcorto multa tradunt authores. Ælianus in Variis libro 9. auream eius imaginem Delphis erectam memorat. Phrynion herba Kiranidæ 1. 21. eſt batrachium, in aquis naſcens, vi vrente.

h. De omine vel auſpicio ex rubetis, diximus paulò antè in E.

RANÆ Scincoides numeroſæ enatæ, peſtilentiæ futuræ aliquando præſagium ſunt, Alexander Benedictus. ſed omnino legendum phrynoides, vt Ariſtoteles nominat, idémque ex ipſis præſagium refert: cuius verba Græca recitat Rondeletius, in capite de rana cœlitùs demiſſa. (Vide quæ ſcripſimus ſuprà in Explicatione tabulæ diuiſionis ranarum ad numerum 9.) quanquam enim ſcincorum, quos vulgò ſic appellant, colorem referunt ventre citrino, dorſo fuſco: & ſimiliter in aquis putridis degunt: & venenum, vt probabile eſt, illis ſimile habent: hoc nomine tamen nullus idoneus author vſus eſt: & ſcinci non ſunt quibus imperiti pharmacopolæ quidam eorum loco vtuntur: ſed ſalamandræ quædam aquaticæ: Salamandras noſtri Molchen indigetant: aquaticas verò, Waſſermolchen: ranas verò iſtas ab earum ſimilitudine, vt coniicio, Mönle/diminutiua voce. Ranæ phrynoides ſunt (inquit Petrus Aponenſis in commentariis ſuis in problemata Ariſtotelis) quarum facies ſigna rubea habent. Huiusmodi verò ranas, vel potiùs ranulas, multoties vidi. Multò minores ſunt vulgaribus ranis, parte prona coloris charopi, vel cinerei, ſeu cuſi: ſub ventre verò citrini, aurei, Nec rarò contingit eas in Italia videre poſt pluuiam immediatè æſtu præcedente vehementi, ſalientes per loca prius arida, puluerulenta. caudam habent paruam & tenuem. Sed huiusmodi ranularum nomine intelligenda ſunt quæuis animalia ex putredine orta: Ariſtoteles tamen hæc præ cæteris fortè nominare voluit: quia cum ſint diuerſorum colorum, maior copia materiæ & putrefactio amplior in ambiente nos loco indicatur: Hæcille, qui & Ioannis Damaſceni hunc aphoriſmum citat: In quacunq; prouincia abundauerint animalia generata ex putrefactione, putredines & peſtes in corporibus incolarum eodem anno generabuntur. Rondeletius easdem διοπετεῖς eſſe putat, hoc eſt, cœlo demiſſas: quas ego cum pluuiis tantùm cadere dixerim, vel alioquin ex aëre ſublimi cadere, id quod ratiſſimum ac inter oſtenta eſt. Et quanquam hoc etiam aëris corrupti magnum eſt ſignum: & populos aliquos hac lue regionibus ſuis pulſos (propter ranarum è nubibus demiſſarũ copiam, & grauem interfectarum odorem) literis proditum eſt: phrynoides tamen dictæ in ipſa terra ex eius putredine generantur: & quanquam ſemper appareant aliquę per ætates, ſi tamen in maiore ſolito copia prouenerint, infalubre ſignum faciunt.

DIOPETES ranæ à nullo authore nominantur, quod ſciam, præterquàm ſemel & iterum à Plinio, nempe libro 32. cap. 6. his verbis: Ranæ quas diopetes & calamitas vocant: ſanguis earum cum lachryma vitis, ſi cruſtis in utribus palpebrarum pilis illinatur, renaſci prohibet. Et rurſus capite 10. Iecur ranæ diopetis vel (*Rondeletius legit, &c.*) calamitæ, in pellicula gruis alligatum, Venerem concitat. Sed vtrobique alia lectio habet dryophytes, quam & Hermolaus ſecutus eſt. Vtcunque legas, apparet Plinium, ſiue diopetem ſiue dryophyten eandem feciſſe cum calamite. Rondeletius etiam in capite de ranis in genere, dryophyten eandem calamitæ facit, poſteà de ſingulis agens diſtinguit. Ego de his vocabulis quædam protuli in Libro de Quadrupedibus Ouiparis, capite, de Ranunculo viridi, ſiue rana calamite. Et ſanè calamitæ videri poſſunt διοπετεῖς, hoc eſt è cœlo, vel aëre delapſæ, cùm ſuper arboribus reperiuntur quaſi non de terra aſcenderint, (cùm nullum aliud ranarum genus ſcandere poſſit,) ſed è ſublimi ceciderint. Rondeletius ranas paruas rubetis ſimiles, quas ὀρεινοὺς Ariſtoteles cognominat, διοπετεῖς eſſe putat: quæ ſententia paulò antè nobis in controuerſium ducta eſt. Ranas certè quasuis è nubibus delapſas, quod factum ſæpè legimus, tam infelici ranarum pluuia, vt populi etiam ita pulſi ſint, διοπετεῖς appellare licebit. Vide quæ congeſta à nobis ſunt, in libro de Quadrupedibus ouiparis, in rana C. Pluuiam quidem ranarum, murium, piſcium, &c. dupliciter accipere licet: vt vel cum pluuia aqua hæc animalia ceciderint: vel ſine aqua, agminatim tamen & pluuiæ inſtar è nubibus delapſa, in terram diſperſa ſint.

Ranæ paruæ (Οἱ μικροὶ βάτραχοι) non pluuntur, vt quidam putarunt: ſed iam priùs ſub terra latentes, apparere incipiunt, cùm aqua earum cauis ſe inſinuârit. genere autem differunt hę ranæ ab iis quæ in paludibus & lacunis degunt. Abundantia tamen & harum & cæterarum cùm viguerit *(addiderim, humidam & morboſam anni conſtitutionem portendit,)* Ex fragmento libelli Theophraſti de animalibus quorum repentina multitudo apparet. Mirambellum oppidum eſt Santonicæ prætura. in eius agro tantum pluit ranarum, vt cumulatim totæ viæ tegerentur: oppidani neque domo efferre pedem, neque vbi veſtigium ponerent, haberent: Quò ſi totius penè Aquitaniæ ranina oua conuecta eſſent, vix ille numerus expleri potuerit, Cæſar Scaliger. Vocabulum διοπετὴς apud Homerum inuenio, à dandi caſu δῶ compoſitum. nominat autẽ ille ποταμὸν διοπετέα id eſt, fluuios è Ioue delapſos: quoniam fluuij, (præſertim torrentes) cœleſti aqua augentur. Alij autores tum in hoc, tum aliis à Ζεὺς cõpoſitis nominibus, omicron ponunt, à genitiuo διός vt διοτρεφὴς, Διομήδης. Euſtathius annotat nomina in πετης, ſi compoſita ſint à verbo πετέσθαι, quod eſt volare, paroxytona eſſe, vt ὑψιπέτης ἀετὸς: à πίπτειν autem quod eſt cadere, oxytona, vt διοπετὲς Παλλάδιον, τὸ ἐκ Διὸς καταπεσόν. De Palladio autem cœlitùs delato, plura leges in Lexico Græco Latino, &c. Quoniam verò codices Pliniani quidam non diopetes ranas, ſed dryophytes habent, ſuper ea voce etiam aliquid afferendum duxi, præter ea quæ in libro de Quadrupedibus ouiparis rana calamite dixi. Græcæ igitur linguæ proprietas & analogia dryophyten non admittit. At δρυοζήτω ſi quis appellet, quòd per arbores repat, vel: δρυοπέτω, quòd ab arbore in arborem quaſi volando tranſire videatur: vel δρυπετᾶ, aut δρυοπετῆ, id eſt, ex arboribus delabi ſolitam, (quæ omnia calamitæ conueniunt,) defendi poterit. Horum tamen omnium nihil apud Græcos ſcriptores de ranis inuenitur. Δρυπετεῖς verò oliuas legimus, τὰς ἀπὸ δένδρου πεπαικυίας ὰμὰς, (ſubaudio ἐλαίας,) Varinus. quæ priusquam matureſcant, ex arbore cadunt. Drupas Latinè vocant.

Dryophytes.

vocant. Drupæ ſunt oliuæ nondum edules & teneræ: nec olearum modò, ſed alias quoque baccas ita vocamus, Hermolaus in Plinium. Vide Indicem Plinij. His opponuntur δρυπετεῖς fructus (præſertim oliuæ) qui in ipſis arboribus maturuerunt. Adi Euſtathij in Homerum Indicem, & Lexica.

DE RANA PISCATRICE, RONDELETIUS.



ARAIIS & torpedinibus ad longos cartilagineos veniemus per medios: hos voco, qui vt non omnino longis ſimiles ſunt, ita longiore contractioréque ſunt corpore, & cauda ſpiſſiore quàm plani. Prætereà branchias in lateribus habent, præter planorum cartilagineorum naturam. Huiusmodi ſunt rana marina & ſquatina, quas tamen in planis numerarunt Ariſtoteles & Plinius. *Ordo: quem nos non ſeruauimus.*

De rana autem marina cæteris ranarum generibus omiſſis nunc loquimur: quæ βάτραχος ἁλιὰς ab Ariſtotele lib. 9. de hiſt. anim. cap. 37. dicitur, id eſt, interprete Plinio lib. 9. cap. 42. rana piſcatrix. Hodiè quoque à Neapolitanis rana piſcatrix dicitur, ab aliis Italis marino piſcatore, vel diauolo di mare. A Maſſilienſibus baudroy (*Baudroium Maſſilienſium vulgus vocat, nomine à batracho detorto, Bellonius.*) à lato & amplo oris rictu: iquo marſupium refert, quod baudrier vernacula lingua nominatur. A Burdegalenſibus peſcheteau. Siculi lamiam neſcio qua ratione appellant, niſi ab ore admodum hiante, vel à voracitate. Monſpelienſes gallanga. Piſcatricis nomen à piſcandi ſolertia inuenit, ranæ verò à ranæ paluſtris nuper naſcentis ſimilitudine. Pariunt enim ranæ paluſtres, tradente Plinio, minimas carnes nigras, quas gyrinos vocant, oculis tantùm & cauda inſignes: mox pedes figurantur, cauda findente ſe in poſteriores. Apud Platonem prouerbio dicitur: nihilo rana gyrina prudentior: "Οπη ἡμεῖς μὲν αὐτὸν ὥσπερ θεὸν ἐθαυμάζομεν ἐπὶ σοφίᾳ, ὁ δ' ἀρα ἐτύγχανεν ὢν εἰς φρόνησιν οὐδὲν βελτίων βατράχου γυρίνου. Nos illum tanquam deum ſapientiæ nomine ſuſpiciebamus, at ille neutiquam ſapientia ranam gyrinam ſuperabat. Quo in loco Eraſmus pro γυρίνου legendum cenſet γραικοῦ: eſt enim Gryneum Myrenæorum oppidum, vbi conſentaneum eſt, inquit, ranam deſpicatiſſimam fuiſſe, propter Apollinem, cui peculiariter id animal inuiſum, propter fabulam de ruſticis in ranas commutatis. Eſt autem eo in loco templum Apollini ſacrum candido marmore, & oraculum veruſtiſſimum: vnde etiam ipſi cognomentum Gryneo. Verùm cùm optimorum authorum teſtimoniis conſtet gyrinos partuas eſſe ranas, vel ranarum partus informes, quibus illepidius nihil poſſit videri, Platonis locus integer miniméque immutandus mihi videtur. Sed vtra lectio magis probanda, penes doctiores iudicium eſto. Ad ranas marinas redeamus, quæ à ranarum paluſtrium recens natarum ſimilitudine dictæ ſunt: capite enim caudaq; tantùm conſtare videntur, vt etiam cortis fluuiatilibus piſcibus appoſitè comparari poſſint. *De ranis gyrinis. Lib. 9. cap. 15. in Theæteto.*

Hic indignum planè fuerit veritatis ſtudioſo præterire ſilentio, monſtrum illud, ſeu fabulam potiùs, quam pro rana piſcatrice, & eius hiſtoria propoſuit is, qui de aquatilibus ſuperiore anno librum edidit: ei enim pedes applinxit tam abſurdè, quàm ſi leoni terreno pinnas appinxiſſet: ranámque appellatam eſſe putat, à pedibus quos ſub ventre geminos habet, ad ranæ paluſtris ſimilitudinem membrana intertextis: quibus veriſimile eſt, inquit, hanc in ranæ modum per fundum maris incedere. Quæ omnia quantùm à veritate abhorreant, ex ſequentibus perſpicuum fiet. *Contra pictura Bellonij, quòd pedes non habeat.*

Rana marina piſcis eſt cartilagineus, planus, fuſcus, ſiue fuliginis colore: capite maximo, rotundo & compreſſo. Corporis figura & colore cottis piſciculis ſimilis. Capiti cauda tantùm ſine corpore affixa eſſe videtur, vt nihil ferè præter caput, caudámque in hoc piſce videas. Caput aculeis multis, acutis, horret. Os illi non in ſupina parte, ſed in promptu, amplum & latum, & ad piſcis ingenium morésque à prouida natura rectè accommodatum. Maxilla ſuperior, breuior eſt: inferior, longior & prominens: quo fit vt ſemper os hiet, pateátque. Lingua quoque maxilla ſuperiore longior, lata eſt & magna pro maxillæ magnitudine. Eſt membrana quædam gingiuarum interiore parte enata, & in os complicata: quæ à maxilla ſeparari, niſi diligenter inſpicias, non videtur. Dentes non ſolùm in vtraq; maxilla ſunt magni, acuti, in os recurui, ſed etiam in palati oſſibus duobus infixi, item in radice linguæ. Oculi ſupra caput ad latera ſpectãtes, aculeis ſeptiante hos propẽdent appendices duę, tenues, albę, tertiq; odoris, ſi Oppiano credimus: quibus veluti eſca piſces mirâ ſolertiâ allicit & capit; quod non ſolùm grauiſſimo Ariſtotelis teſtimonio, ſed *Lib. 2. de halieut.*

(D) ſed etiam piſcatorum multorum experientia comprobatum eſt. Ariſtoteles lib.9.de hiſt.anim.cap.37. Rana ea quæ ante oculos propendent, quæ longa pilorum ſpeciem referunt, in extremis autem craſſiuſcula rotundantur, veluti eſca vtriſque adiecta: ea inquam capillamenta, cùm arena, aut turbidis aquis, quas ipſa conturbârit, ſeſe obruerit, attollit: quæ quùm tangunt, pulſantq; piſciculi, eos allicit donec in os perduxerit: quæ verò capillamentis illis caſu quodam caruerit, macilentior capitur. Eadem Plinius ita transtulit. *Lib.9.cap.42.* Nec minor (quàm torpedini) ſolertia ranæ quæ in mari piſcatrix vocatur. eminentia ſub oculis cornicula turbato limo exerit, aſſultantes piſciculos pertrahens, donec tam propè accedant, vt aſſiliat. Eadem Oppianus lib.2.ἁλιευτικῶν pereleganter expreſſit.

Βάτραχος αὖ νωθὴς μὲν ὁμῶς, καὶ μαλθακὸς ἰχθῦς,
Αἴσχιστος δ' ἰδέειν, στόμα δ' οἴγεται εὐρὺ μάλιστα.
Ἀλλ' ἄρα καὶ τῷ μῆτις ἀνεύρατο γαστέρι φορβήν.
Αὐτὸς μὲν πηλοῖο κατ' εὐρώεντος ἐλυσθεὶς
Κέκλιται ἀτρεμέων, ὀλίγην δ' ἀνὰ σάρκα τιταίνει;
Ἥ ῥά οἱ ἐκ γένυος νεάτης ὑπένερθε πέφυκε,
Λεπτή τ', ἀργυφέη τε, κακὴ δέ οἱ ἐστὶν ἀϋτμή.
Τὴν θαμὰ δινεύει, δόλον ἰχθύσι βαιοτέροισιν.
Οἵ ῥά μιν εἰσορόωντες ἐφορμώωσι λαβέσθαι.
Αὐτὰρ ὅ τὴν ἄψ αὖτις ἐφέλκεται ἀτρέμας εἴσω,
Ἦκα μάλ' ἀσπαίρουσαν ἐπὶ στόμα. τοὶ δ' ἑφέπονται
Οὐδὲν ὀισάμενοι κρυπτὸν δόλον, ἄχρι λάθωσι
Βατράχου εὐρείῃσιν ἔσω γενύεσσι μιγέντες.

Ex his liquet iure optimo piſcatricis cognomentum additum. Contra aliorum planorum cartilagineorum naturam pinnas duas habet in medio corpore. Branchiarum foramen vtrinque vnum, cute, non oſſeo operculo contectum. Cauda carnoſa eſt, ſpiſſáque, in pinnam latam deſinens: in eiusdem ſupina parte pinna alia erigitur. Ex caudæ capitiſque lateribus appendiculæ quædam carnoſæ dependent, certis interuallis à ſe diſtantes, quæ natante rana ſupernatant. Intus peritonæum nigrum eſt: ventriculus magnus, vtrinque appendicem vnicam, breuem habens. Inteſtina gracilia, in gyros multos conuoluta & replicata, quod neceſſe fuit, ob voracitatem & ventris capacitatem paruam. Hepar rubeſcens, paruum, contra voracium & guloſorum piſcium naturam, neq; in lobos ſectum veluti in galeis, teneritudine torpedinis hepati non cedit, ob eam ſolùm expetendum. Fellis veſicæ meatus longus, ab hepate propendens meſenterio, inteſtinóque adhæret. Fel aqueum eſt. Splen nigricat. Huic piſci ſi per os, ventriculus interaneáque omnia eximantur, corpúſque quoad eius fieri poteſt diſtendatur, totum pellucidum fit, immiſſóque lumine laterna apparet horrifico aſpectu, quemadmodum & piſcis ipſe viuus tetro fœdóque eſt conſpectu, vnde ab Italis diauolo marino nuncupatur, & ab Oppiano in verſibus paulò antè citatis fœda viſu (A) dicitur.

C Rana oua parit, cùm cæteri cartilaginei animal pariant: Ariſtoteles: Οἱ μὲν λεπιδωτοὶ εἰσὶ πάντες ᾠοτόκοι· τὰ δὲ σελάχη πάντα ζωοτόκα, πλὴν βατράχου. Et, Ζωοτοκεῖ δὲ τὰ σελάχη, πρότερον ᾠοτοκήσαντα ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐκτρέφουσιν ἐν αὐτοῖς πλὴν βατράχου. Animal pariunt cartilaginea, ſed priùs ouum pariunt in ſeipſis, augéntque & excludunt, excepta rana. Quo in loco pro rana, mendosè legitur raia in Latinis codicibus. Plinius: Cartilagineum genus animal parit, excepta quam ranam vocant. Huius rei cauſam reddit Ariſtoteles. Τὰ καλούμενα σελάχη τῶν ἰχθύων ἐν αὐτοῖς μὲν ᾠοτοκεῖ τὸ τέλειον ᾠόν, ἔξω δὲ ζωοτοκεῖ, πλὴν ἑνός, ὃν καλοῦσι βάτραχον. οὗτος δὲ ᾠοτοκεῖ θύραζε τὸ τέλειον ᾠὸν μόνος. Αἰτία δ' ἡ τοῦ σώματος φύσις: τήν τε γὰρ κεφαλὴν πολλαπλασίαν ἔχει τοῦ λοιποῦ σώματος, καὶ ταύτην ἀκανθώδη καὶ σφόδρα τραχεῖαν. Διόπερ οὐδ' ὕστερον εἰσδέχεται τοὺς νεοττούς, οὐδ' ἐξ ἀρχῆς ζωοτοκεῖ. τὸ γὰρ μέγεθος, καὶ ἡ τραχύτης τῆς κεφαλῆς, ὥσπερ καὶ εἰσελθεῖν κωλύει, οὕτω καὶ ἐξελθεῖν. Cartilaginea perfectum ouum intra ſe pariunt, animálque foràs emittunt, excepta rana: hæc enim ſola perfectum ouum foràs emittit. Cuius rei cauſa eſt corporis natura: caput enim multò maius reliquo corpore habet, idq; aculeatum, valdéque aſperum: quamobrem neque poſteà catulos ſuos recipit, neq; initiò animal parit: capitis enim magnitudo & aſperitas quemadmodum ingreſſum, ita etiam exitum impedit. Idem alio loco ſcribit, ranam animal non parere, neque fœtus ſuos recipere, tum propter capitis magnitudinem, tum propter aculeorum impedimentum. Cur verò ranæ paucæ reperiantur, cùm inter cartilaginea fœcundiſſimæ ſint, idem Ariſtoteles docet. Πολυγονώτατον δέ ἐστι τῶν ἰχθύων ἡ μαινίς· τῶν δὲ σελαχῶν βάτραχος, ἀλλὰ σπάνιοί εἰσι, διὰ τὸ ἀπόλλυσθαι ῥᾳδίως· τίκτει γὰρ ἀθρόα ἅμα πρὸς τῇ γῇ. Fœcundiſſima piſcium eſt mæna, inter cartilaginea verò rana: ſed raræ ſunt, quia facilè pereunt. parit enim vniuerſa ad terram. Rana marina extra aquam aliquandiu viuere poteſt. Vidimus ipſi aliquando in litore inter herbas dies duos vixiſſe, vulpeculæq; terrenæ noctu paſtum quæritantis pedem dentibus arripuiſſe, & ad auroram vſque retinuiſſe, ex quibus oris dentiúmque robur colligere licet.

Partus. Lib.2.de hiſt. animal. cap.13. Lib.6.de hiſt. cap.10. Lib.9.cap.24. Lib.3.de gen. anim.cap.3. Lib.6.de hiſt. cap.10. Lib.6.de hiſt. anim. cap.17. Vita extra aquam.

F Carne eſt molli, excrementitia, inſuaui, ferini ſaporis, malíque ſucci.

G Fel eius aduerſus ſuffuſiones vtile eſt. Os in cauda nullum habet rana, cùm cartilaginea ſit, neque aculeum exertum paſtinacæ modo: Plinius tamen, Oſſiculum de cauda ſtrumis curandis prodeſſe his verbis ſcribit: *Lib.32.cap.8.* Pungi piſcis eius, qui rana in mari appellatur, oſſiculo de cauda, ita vt non vulneret, prodeſt. Id faciendum quotidiè, donec percurentur. Sed quid de eo Plinij loco ſentiam, anteà (*capite vltimo de Raiis, quod de Raia aſperrima inſcripſit*) expoſui.

A. Maltham longè alium piſcem eſſe.

Ex his tum αὐτοψίᾳ à nobis cognitis, tum grauiſſimorum authorum teſtimoniis confirmatis, notior cuiuis eſſe poteſt rana piſcatrix quàm ex eius deſcriptione qui pedes ei tribuit, quíque eam maltham appellat: cuius erroris refutationem in hunc locum reiecimus. Ac primùm quàm friuola ſit ſola hæc ratio, quòd maltha ſit, quia molli ſit carne, nemo non videt: id enim nomen in infinitos alios piſces, qui molli ſunt carne, competeret. Deinde Oppianus, cuius verſus à Lippio Latinos factos profert, facilè eum ab hoc errore reuocaſſet. Is enim libro 1. ἁλιευτικῶν cum cetaceis maltham numerat: libro verò ſecundo torpedini ſubiunxit. Quare ineptè primo Latino verſui libri primi duos alios ex libro ſecundo ſubiunxit: quaſi verò maltham & ranam tanquam eundem piſcem Oppianus coniunxiſſet, iiſque tribus verſibus, vt de eodem, locutus fuiſſet.

DE EADEM, BELLONIVS.

A Tyrannidem in litore maximam exercet, quæ à Græcis μάλθη (*Maltham longè alium eſſe piſcem, indicatum eſt ſuprà in M. elemento*) καὶ βάτραχος θαλάττιος, à Latinis rana marina dicta eſt. Græcam autem vocem Maſſilienſium

Maſſilienſium vulgus adhuc imitatum, Baudroiüm, nomine à Batracho detorto, appellat. Burdegalenſes à piſcium, quos deuorat, multitudine, piſcariolum (dum ranam piſcatricem appellare volunt,) vocant, Peſchetau. Epidaurij (vulgus Raguſinos nominat) apud quos ingentes huiusmodi piſces reperiri ſolent, ob deformitatem & fœdum atque horridum corporis aſpectum, Diabolum marinum vocarunt: à cuius eſu atque inſpectione, qui Epirum & Ægæum mare incolunt, plurimùm abhorrent: tantúmque ipſum exenterant, ſiquando in ſagenis capiatur, vt piſces, quos recens deuorauerat, extrahant.

B Ranam autem appellatam eſſe puto à pedibus, quos ſub ventre geminos habet, ad ranæ paluſtris ſimilitudinem, membrana intertextis: quibus veriſimile eſt hunc in ranæ modum, per maris fundum incedere. Figura eſt plana, oblonga, carne molli, vnde illi Malthæ nomen eſt: tres cubitos in Epiro longa, Maſſiliæ multò minor: cute vndecunque læui: ore tam vaſto, vt maximum quenque canem terreſtrem abſorbere poſſe videatur. Hoc habet cum ſquatina commune, quòd binas vtrinque alas præ ſe ferat, latiores ac denſiores tamen, atque in ſummo magis diſtentas: grandia foramina duo, eo loci oſtendens, in quo reliqua cartilaginea quina habent. Os ante caput, Squatinæ modo, gerit: dentéſque confuſis ordinibus, ſuperiorem & inferiorem maxillam ambientes, mobiles, albos, oblongos, ad ſtomachum conuerſos: pinnam paulò ſuprà maxillam ſuperiorem admirabilis naturæ: gracilibus quibuſdam cornibus, ſeſquipedalis longitudinis, per ordinem diſpoſitis ita communitam, vt harum prior ſecunda multò longior ſit, atque in extremo veluti penicillum album cutaneum oſtendat, quo vana veluti quadam eſca piſciculos fallere ſolet, vnde piſcatricis cognomentum habuit: quòd ea algæ aut cœno immerſa (eſt enim æſtuarius piſcis) nihil præter hæc cornua oſtendat, quibus incautos piſces allicit. Vnde Oppianus:

Mollitia nomen Malthe quæ ferre videtur. *Exitij ignaros piſces ſic rana maligna*
Decipit, imbelles magno deglutit hiatu. (Hi verſus de diuerſis piſcibus, ex locis etiam Oppiani diuerſis, non rectè tanquam de vno piſce citantur.) Habet & aliam pinnam in medio tergore, priori ferè conſimilem: ac præter has, in lateribus, vtrinque vnam, in gyrum, vt & cauda, crenatam. Ranæ marinæ caput, pelle denudatum, crocodili caput refert, in quo binos calculos reperies planos, talpinum pedem, aut ſcrupulum medicum referentes. Cartilagineorum marinorum ſola creditur oua excludere. Vuluam habet in quolibet latere duas vlnas longam, multis anfractibus circunductam, terreſtris ranæ modo: veſicam quoque Delphini veſica multò maiorem. Eius hepar in quinos lobos diſtinctum eſt, quorum duo vtrinque ad latera protrahuntur. Fel autem ex ramo à pyloro & ileo prodeunte emergit: ſtomachum gerit, & inteſtina carnoſa, lienem rubrum, circinatum, à ſtomacho inter eius renes dependentem. Cartilagines in rana totidem numerantur, quot in quouis ſceleto, oſſium terreſtrium animalium formam referens: ſed prorſus medulla carent, præterquàm vertebræ. Totidem neruorum coniugamenta in eius cerebro (multùm tamen liquido) numerantur, quot in reliquis animantibus.

COROLLARIVM.

Ranæ piſc. pictura ad ſceleton, quam à Miſenis Ge. Fabricius miſit. apparet quadam eſſe diſtorta, & vt in ſceletis fieri ſolet, partim arte, partim ariditate, multa præter natiuam ſpeciem.

A.



A Obſcuri quidam ſcriptores, ea quæ Ariſtoteles de rana lutaria ſeu quadrupede, & de rana marina tradidit, non ſatis diſtinguunt. Planorum piſcium alterum eſt genus, quod pro ſpina cartilaginem habet, vt raiæ, torpedo: & quos bouis, aquilæ, ranæ nominibus Græcia appellat, Plinius. Græci etiam (vt Ariſtoteles, Oppianus,) ſimpliciter aliquando βάτραχον, pro rana piſce ſeu piſcatrice dicunt. aliquando ἁλιεύς, quod eſt piſcator, cognomen addunt. Apud Ariſtotelem tamen hiſtoriæ libro 9. cap. 37. legimus τὸν βάτραχον τὸν ἁλίαν καλούμενον, neſcio quam rectè. malim equidem ἁλιέα. neque ἁλίας à quoquam vſurpari puto. Gaza ranam piſcatricem tranſtulit, vt & Plinius alicubi. Si ἅλιον legas marinum ſonabit: quanquam id vocabulum Ariſtoteli non admodum vſitatum puto. in Admirandis quidem narrationibus eius, βάτραχον θαλάττιον (ſicut & in libello de piſcibus Theophraſti,) nominatum inuenio: id eſt, ranam marinam, ad aliarum, nempe terreſtrium, vel in dulcibus aquis degentium differentiam. Non probo etiam quòd in Hermolai Corollario legitur, βάτραχος ἁλική Auicennæ interpres ranam marinam pro piſcatrice dixit: ſicuti etiam Cicero. nam quod Plinius ex ranis marinis remedium ſcribit, videtur ad ranas fluuiatiles quadrupedes referendum. Athenæus ex Ariſtotele inter σελάχη nominat, νάρκην, βατίδα, βάτραχον. Raia pro rana in libris Ariſtotelis à Theodoro tranſlatis non ſemel legitur, vt Hermolaus & Maſſarius obſerua-

Icon hæc eſt Ranæ piſcatricis, qualem Venetiis depictam olim ab amico accepi. coniicio autem ad piſcem aridum factam eſſe. Rondeletij enim pictura quàm legitima ſit, non dubito.

B.



obſeruarunt:

obſeruarunt: & à Rondeletio in Raia indicatum eſt. Quin & in Græcis exemplaribus eorundem nomina batus & batrachus quandoque transponuntur. Siculi vocant Lamiam: Maſſilienſes Bodroyum, hoc eſt, Batrachum, corruptè: Ligures, Piſcem piſcatorem: Neapolitani, Piſcatricem, Gillius. Lamiam quidem hodiè aliqui canem carchariam nominant, &c. Vide in Cane carcharia. Hodiè ab incolis Iſtriæ piſcis roſpus appellatur, Maſſarius. ſed Itáli etiam Aquilam piſcem roſpum, id eſt bufonem vocant, vt tradit Bellonius. Luſitanis Xarocho. De Germanico nomine dubito. alij enim aliter retulerunt. in Oceano tamen Germanico capi certum eſt. Piſcis ille cuius iconem ad ſceleton Ge. Fabricius miſit, nomine Törſch/ præter caput & caudam (vt ipſe ſcribit,) nihil corporis habet. os latum, & inferiore parte multùm eminens. Inferior pars vnum tantùm ordinem dentium habet acutorum: ſuperior triplici ordine munitur. E naribus pinnulæ aſſurgunt: & ſupra oculos in capite tuber quoddam eſt. Inter branchias concauitates in ſummo capite habet, per quas hanti aqua decurrit. Partes corporis alimenti capaces nullas habet. Cephalûrum dixeris, Hæc Fabricius. Facilè autem apparet non alium eſſe deſcriptum ab eo piſcem quàm ranam piſcatricem: de quâ Rondeletius: Capite (inquit) caudáque tantùm conſtat, vt cottis fluuiatilibus piſcibus, (vel ranis gyrinis,) appoſitè comparari poſſit. Sed alius eſt Törſch/ (vel Dorſch/ Dorſ/ Dorſt/) circa Lubecum & alibi, piſcis è mari vulgaris, ſale condiri ſolitus. cuius venter cibo eſt aptus: delicatiores verò eius partes, roſtrum ac pinnæ, Sporten vel Spörden appellant. Hunc & in lacu Suerinenſi capi audio. quidam capitonis genus interpretantur, propter capitis, ad reliqui corporis magnitudinem, exceſſum. ſed capito veterum longè alius piſcis eſt, mugili congener. Plura de vocabulo Dorſch/ & aſelli piſcis genere capitato, ſcripſi ſuprà Corollario 11. de aſellis, pagina 94. & deinceps. Seetode/ id eſt rubetam marinam, Anglicè, (Germanus diceret Meerkrott/) à rictu nimirum ſimpliciter patente, Gallicè eadem ſignificatione Crappe vel Crapaude, vocatum piſcem ſe vidiſſe aridum vir doctus quidam mihi retulit: totum capite & cauda conſtare; triplicem habere ordinem dentium, linguam quoque dentatam. cadaueribus hominum veſci, & hominibus natantibus inſidiari, quos membro virili apprehenſos ad profundum detrahat ac deuoret. Quapp Saxonibus rubetam ſonat. ſed aliud multò eſt marinum animal Germanicè dictum Seequapp/ in Lepore marino mihi deſcriptum. Wolfus vel Walfuſe/ Germanicè dictus marinus piſcis, (qui & in lacu Suerinenſi capitur:) caput habet craſſum, fuſcum, ſpinoſum. corpus craſſiuſculum: dodrantale, quod caudam verſus attenuatur, ita vt gobij fluuiatilis capitati, vel gyrini ſpeciem præ ſe ferat. Vulgarem eſſe audio Lubeci, & nihil ferè eſui aptum habere quàm caudam. genera eius tria cognoſci. inueniri in eo vermes quosdam ceu anguillas paruulas, carni eius infixas, vnum aut alterum pollicem longos. Hunc aliquis ſuſpicetur ranam marinam eſſe: ſed cum dodrantalis tantùm ſit, & genera eius diuerſa, alium eſſe cenſeo, piſcem ſcilicet λυροειδῆ: cuius generis aliquot in Cucullo deſcripſimus. nam & Ioann. Kentmanus Miſnenſis medicus eiusdem generis piſcium, τῶν λυροειδῶν dico, picturas duas è ſceletis nuper ad me dedit, alteri Walfuſs nomine adſcripto, alteri Meerhan/ quod eſt Gallus marinus. Ergò cùm de Germanico nomine ranæ piſcatricis nondum nobis conſtet: aliarum gentium vocabula interpretata ſequemur, & nominabimus ein Meerkrott/ ein Meerteufel/ ein Täſchemaul, id eſt, bufonem marinum, diabolum marinum, platyſtomum à marſupij genere quod taſcham vulgò appellant. Wolfus. Seetode.

Rana piſcis eſt cartilagineus, Ariſtoteles. Et alibi: Ranis quoniam latitudo parte priore minùs carnoſa eſt, ideò natura quantum corpulentiæ priori ademerat, tantum poſteriori & caudæ addidit. Circa Babylonis rigua piſces quidam in ſiccum egreſſi, in arido paſcuntur. capita eorum aiunt ranæ marinæ (βατράχῳ θαλαττίῳ) ſimilia eſſe, reliquas partes gobiorum, Theophraſtus in libello de piſcibus. Cottus fluuiatilis piſciculus eſt, ranæ piſcatrici ſimilis, ſi patua magnis conferre licet, corporis figura & colore, Rondeletius. Ranæ quàm paruæ ſunt admodum, & piſcis forma, nigræ ſunt: & ſpecie ranis piſcatricibus ſimiles, & colore. Idem. Callionymus etiam ſiue Vranoſcopus capite eſt quodammodo ſimili ranæ piſcatricis, & in captandis piſciculis eodem aſtu vtitur, quod Rondeletius obſeruauit. quin & oris ſitu, labro ſuperiore admodum retracto, inferiore prominente, vt os in cœlum ſpectare videatur: denique oculis ſupra caput, vt in ſquatina, poſitis, (vt Gillius ſcribit) ranam marinam repræſentare mihi videtur. Molles tergore ranæ, Ouidius in Halieutico. Dentes rana ſerratos habet. ſic enim Mneſimachus apud Athenæum, Τῶν κιθαρέων νάρκη, βάτραχος, πέρκη. Branchias tametſi contrà quàm alia plana cartilaginata, deductas in latera habet, eas tamen non ſpineo tectas operimento continet, (veluti ea quæ non cartilaginea ſunt,) ſed cuticula. Poſteriorem partem carnoſam habet, & caudam quoque carnoſam & breuem, Wottonus ex Ariſtotele. Pinnas rana & ſquatina infrà lateribus accommodatas habent, propter amplitudinem partis ſuperioris: quæ autem parti ſupinæ commiſſæ ſunt, eas iuxta caput adiunctas habent. nihil enim latitudo impedit quò minùs moueantur: ſed pro ſuperis illis has gerunt, minores iis quæ ad latera applicantur, Ariſtoteles de partibus animalibus 4. 17. Fel eius à iecore ſemotum, & inteſtinis commiſſum eſt, Wottonus ex Ariſtotele: quo in loco Gazæ verſio raiæ non rectè habet pro ranæ. B

Oris rictu (inquit Gillius) tum immenſo eſt, tum capite ingenti vt mediam corporis partem huius magnitudo occupet: os in roſtro eſt, non infrà in parte ſupina: inferius tamen labrum adeò eminet, & ſuperius contrahitur, vt os in cœlum ſpectare videatur. Neque modò dentium ſeries ſolitis locis, verùm in medio etiam palato permultas habet. Eius oculi ſimiliter ſupra caput, vt Squatinarum, ſiti ſunt, magni & glauci: dorſo eſt duro, & oſſeo, & nigro: & capite aſpero, & duriſſimo: tota corporis facies ranæ ſpeciem ſimilitudinémque gerit: & item pinnæ duæ in ima parte, & in lateribus aliæ duæ: tum aliquot pili in dorſo inſunt ſed minores quàm ij qui eminent ex capite. Hæc ille. Et rurſus, Rana marina quam vidi ad portum Sabatiorum, duos pilos in vertice habebat, longitudine duorum pedum. & hi quidem tanquam frumentorum ſummi calami ſpicam, ſic caudam gerebant. ex his pilis præpilatis id nomen duxit, vt piſcatrix appelletur. Molles tergore ranæ, Ouidius. Rana branchias à lateribus habet, operimento cuticulari tectas, non (vt quæ cartilaginea non ſunt,) ſpineo, Ariſtoteles hiſtoriæ 2. 13. vbi Gazæ vulgaris translatio pro rana raiam habet.

Ouidius ranas numerat inter piſces degentes in herboſa arena. De ranæ motu & natatione, lege quæ ſcripſi C

scripsi suprà in Corollario de raiis C. ab initio. Voracissimus piscis est: vnde & lamiam Siculi vocauerunt. Cadaueribus hominum eam vesci accepi: & natanti insidiantem aliquando, membro virili apprehensum ad profundum detrahere ac vorare. Pisciculis quo dolo insidietur, non tacebitur in D. Inter pisces cartilagineos is qui rana vocatur, solus animal non parit, nec ouum intra se excludit, Aristoteles non semel. Et rursus: Piscium quicunque foràs pariunt oua, imperfecta pariunt, præterquàm rana. Cùm cæteri pisces oua pariant, hoc genus solum, vt ea quæ cete appellant, animal parit, excepta quam ranam vocant, Plinius ex Aristotele. qui historiæ 6. 10. Cartilaginea (inquit) animal pariunt, sed ouo primum concepto auctóque intra se, rana *(vulgaris editio Latina perperam hîc habet raia)* tantùm excepta. Cartilagineorum ouum cute molli operitur: quòd enim frigidiora quàm aues sint, nequeunt partem circumdantem indurare, ideò ouum vnum ranarum solidum durúmque est, vt foris seruetur. Cæterorum humida sunt natura & molli. operiuntur enim intus corpore suæ parentis. Ortus ex ouo idem ranis, quæ extrà perficiuntur, & iis quæ intus, Aristoteles. Ouum parit solidum durúmque, quod tamen non propriè oui similitudinem habet, cùm sit squamosum atque asperum, Wottonus (ex Aristotele puto.)

D Rana piscatrix (βάτραχος ἁλιεύς) ante oculos quasdam pisciculorum capiendorum illecebras habet, longulos nimirum pilos, siue appendices quasdam, quorum extrema crassis globulis præpilantur. Hos in turbidissimis & refertis limo locis abdita, porrigit ac prætendit, & adnatantes pisciculos, veluti ad escam, pilis ad se subductis (subducuntur enim occultis quibusdam viis (cum proximè accesserint, comprehendit, ac helluatur, Ælianus de animalibus 9. 24. Eadem scribit Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Ranæ marinæ (inquit Cicero libro 2. de Nat. vt Gillius citat) dicuntur obruere sese arena solere, & moueri prope aquam *(fortè algas.)* ad quas quasi ad escam pisces cùm accesserint, conficiuntur à ranis, atque consumuntur. Piscatur (abscondita in vado) attollens illa sibi pendentia fila. dum enim pisciculi occurrunt, & capita machinamenti pensilis pulsant, ipsa subtrahens fila allicit, donec eos suum in os adducat. hoc omnino verum ac certum est, Aristot. In lutum abiecta, sicut lineam piscator, sic pilos ante ora sua prætendit: eosdémque cum pisces comprehendere vult, sensim ad os adducit, Gillius. Simili modo squatina & rhombus abditi pinnas exertas mouent specie vermiculorum: itémque quæ vocatur raia, Plinius. Raia tamen pinnis caret: Vide suprà in raia D. ex annotatis Massarij in Plinium. Idem sepiarum astus fertur: item callionymi, qui specie quoque, capitis præsertim, ranam refert, ex obseruatione Rondeletij. Similiter & ceraستes serpens, aues venatur.

F Cardanus ranam marinam edulem esse negat. Rondeletius carnem mollem, insuauem, & ferini saporis ei tribuit. Hippocrates in libro de affectionibus internis: Laborans (inquit) tertio genere tabis, quarto mense edat torpedinem, squatinam, raiam, galeum, pastinacam, & ranas, ex aliis nihil. Ranæ venter cum aliis lautissimis cibis ab Antiphane nominatur. Eundem laudat Archestratus. Βάτραχον ἔνδ' ἀνίδης ὄψει, ᾧ γαστρίον ὠπὸ Σκεύασον.

G Ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum succus contra venena bibitur: & contra ranæ rubetæ venenum, & contra salamandras, Plinius. ego lauatilium potiùs, siue edulium è dulcibus aquis, ranarum succum contra venena illa darem. vide quæ annotauimus in Salamandra G. Dixi Græcos ranas marinas ferè simpliciter ranas nominare: quod & Plinius fortè animaduertens, alicubi probè marinarum cognomen adiecit, alibi non probè. Idem tamen alibi cùm remedia quædam ex rana aquatica ad dentes præscripsisset, (vt in rana inter Quadrupedes ouiparas recitaui,) mox subdit: Omnia suprascripta ex marina rana efficaciora. Miror equidem tale nihil à Græcis proditum, quod sciam: nam neque ex piscatrice rana remedium huiusmodi inuenias: marinam verò quadrupedem ne nominatam quidem. Belonius tamen in Quadrupedum ranarum historia sic scribit: Rana marina ad palustrem accedit: sed cartilagines habet ossium loco, éstque palustri procerior, atque æstuariis frequens, vt suo loco tractabitur. Atqui de alia nulla posteà, quàm piscatrice, scripsisse eum inuenio: quam palustri similem dicere, nec aliter ab ea, quàm proceritate, distinguere absurdum mihi videtur. Pilos oculis molestos si extirpare penitùs volueris, loca eorum, cùm priùs eos euulseris, ranæ marinæ felle continge: quòd si fel eius repositum aruerit, aquam marinam ei modicè admisce, Marcellus Empiricus.

H.a Epitheta. Βάτραχος νωδὸς, μαλθακὸς, ἀιχμὸς ἰδεῖν, Oppiano.

Ranæ molles tergore, Ouidio. *Laurentino turpes in litore ranas*, Martialis 10. 37.

Icon. Captatorem hominem notare si vellent, Raiam *(Ranam piscatricem vel marinam scribere debuit)* pingebant. gestat enim illa ante oculos suos gemina fila, &c, vt in D. expositum est.

f. Martialis 10. 37. ranas cum plebeiis & vilioribus cibis nominat. Anaxandrides verò in Cotyis Thracum regis conuiuij descriptione.

Βάτραχον pro viri nomine Archippus poëta in Piscibus posuit. Pisces enim cum Athenienſibus sic paciſci facit, vt inuicem reddant quæ vtrinque non sua habent, & pisces quidem Athenienſibus cum aliis Βάτραχον ἢ πάρεδρον τὸν ὀξ' Ὠρεῦ.

Remora in Echeneide est.

Rusticvlas nominat Apuleius Apologia 1. cum assulis, festucis, algis, inter maris efectamenta. videntur autem nec animalia, nec zoophyta, sed stirpes quædam marinæ esse.

Reversi à recentioribus appellantur pisces Indici duo, formæ diuersæ sed naturæ eiusdem. Vide suprà in Guaicano.

Rhamphestæ, Ῥαμφησταί, pisces quidam, Hesychius & Varinus. Rhamphos Græcis rostrum est, in auibus præsertim maioribus, vt scribit Hesychius: vnde & romphæa fortè pro gladio, dicitur, vel iaculo longo: & Latinè framea per metathesim: quanuis Germanicum id nomen Tacitus facit. lanceam vel telum oblongum interpretantur. Acus quidem Græcè raphis, id est, subula, à rostri figura nominatur: & Gladio pisci oblonga & ensiformis sui rostri figura nomen imposuit.

Rhedo legit in Mosella Ausonij Wottonus, vbi codices nostri Thedo habent. vltima editio Redo. Vide alibi.

Rhinoceros cetus marinus, ex Tabula Olai Magni, depictus est suprà in Astaco: & rursus inter Cete,

ter Cete, pag. 209. Picturam eam ceu absurdam, & ex pictoris arbitrio licentiosè factam, vt & alias plerásque marinas beluas in eadem chorographia, Rondeletio vituperanti facilè assentior.

De Rhombis iam anteà scripsi cum Passeribus. Hîc auctarium addemus.

Syacion aliqui rhombum interpretantur. Vide suprà in Porcis piscibus, pag. 756.

A Apud Borussos partim in lacubus, partim in æstuanti mari capiuntur soleæ, lingulæ, rhombi, &c. Erasmus Stella.

B Simili modo (vt rana piscatrix) squatina & rhombus abditi pinnas exertas mouent, specie vermiculorum, Plinius.

D Soleis ac Rhombis, & similibus animalibus, humilis in duos pedes piscina deprimitur, in ea parte

E litoris, quæ profluo recessu nunquam destituitur, &c. Columella 8. 17. de piscinis scribens.

Rhombus Rauennæ optimus est, Plinius.

F Praxagoras in epilepsia cùm accessionem viderit commoueri, deprimit partes quæ fuerint in querela,

G atq; defricat castoreo, & vituli marini vetro, siue virilibus hippopotami, aut testudinis sanguine, vel rhombi marini: vt scribit Cælius Aurelianus, hæc ipsum facientem improbans.

H.a Rhombitas lapides quosdam à figura nominat & describit Georg. Agricola libro 5. de natura fossilium.

Ad Rhombos & passeres pertinent, quæ in Catalogo piscium Albis à Io. Kentmano accepi. Piscis (inquit) quem accolæ Albis fl. Halbfisch/id est, dimidiatum nominant, à corporis specie, quæ dimidiata ferè & per medium disecta (ἡμίτομος) videtur, sic dictus est. Longitudo eius ad latitudinem dupla est. Parte prona, caro nonnihil attollitur (circa medium,) colore fusco maculis quibusdam distincto insigni. Cuti est lubrica & sine squamis. Supina verò parte omnino plana, æquabili & candida spectatur. Os versus partem supinam spectat. Oculi in parte prona, non procul ab ore, nigri & formosi sunt, circulis varij aureolis. Supra os foramina duo parua, narium loco. Post branchias (quæ suprà infráque apparent) vtrinque pinnulam exiguam habet: & insuper vtrinque pinnam, quæ à capite exorta ad caudam vsque protenditur, in medio latissimam. harum respectu hic piscis rhombi ferè figuram imitatur. Anno toto è mari in Albim ascendit: in quo tamen non proficit, sed paulatim contabescens extinguitur. Paruum adhuc, platessam nominant, ein Platessisein: & aquæ, vbi primùm feruere occœperit, immissum, elixant, condiúntque, (genus id coctura treugen appellant.) Magnus verò tum siccus, tum recens, vocatur Halbfisch. Bilibris aliquando capitur, vel ad summum ferè qui duas cum dimidia libras appendat. Suauis & optimi saporis est,

30 recens: carne candida. Siue assus, siue elixus, mensas locupletum ornat. Elixatur in aqua simpliciter, vt alij plerique pisces: & cùm iam diu coctus fuerit, residuo iure pauco, butyrum additur. aliqui etiam aceti modicum & zinziberis miscent, pro cuiusq; palato. Sicci per noctem aqua macerantur: deinde pinnis abscissis & remota cute in aqua elixantur, adiecto tandem butyro. Is cibus suauis est ac leuis nutrimenti, nisi piscis annosus fuerit.

Rhyades. Vide Flutæ suprà in F. elemento.

DE ROTA.

40 Maximvm animal in Indico mari pristis & balæna est. In Gaditano Oceano arbor, in tantum vastis dispansa ramis, vt ex ea causa fretum nunquam intrasse credatur. Apparent *(fortè in eodem Gaditano)* & rotæ appellatæ à similitudine, quaternis distinctæ radiis, modiolos earum oculis duobus vtrinque claudentibus, Plinius. lib. 9. cap. 4. De belua arbore *(inquit Massarius)* à nullo ferè alio authore quicquam relatum percepi: ab aliis fortasse authoribus, quos nunc non habemus, Plinius excerpsit. De Gaditana verò arbore planta maxima Strabo meminit libro tertio: & de aliis marinis etiam arboribus Plinius libro 13. & Theophrastus libro de historia plantarum 4. Hæc ille: cuius hoc in loco quanquam alieno de Arbore belua verba adieci, quòd ea in A. elemento, suo loco, prætermissa sint. Strabo quidem circa finem tertij de arbore Gadibus nascente, quæ ramos humum vsque incuruatos habeat, meminit, non tamen marina. Ocioſi eum locum diligentiùs perpendant: & an sanguis draconis vulgò dictus ex ea habeatur, consiederent. effluit enim è radice minij color. Cete immensa corporis mole exaggerata, in altitudine maris *Ælianus.*

50 versantur, & fulminibus quandoque feriuntur. Inter huiusce modi beluas, & quidem rariores, numerantur quæ rotæ (τροχοὶ) appellantur. Hæ gregatim natant, maximè prope Athon Thraciæ montem ad dex- *Τροχοὶ.*
tram, in sinibus, è regione Sigei Troadis promontorij, & iuxta dictum Artacæi tumulum, & Acanthæum Isthmum, vbi & Xerxis scissura illa, qua montem Athon abscidit, spectatur. Eas quidem fortes esse negant. Ceruices earum apparent, & adeò longis sunt hirsutæ spinis, vt hæ extra mare emineant. Cùm remigationis strepitum percepêre, tum circumuersantur, & circumuoluuntur, vt quàm altissimè sese in profundum detrudant: rursúsque ex imo gurgite ad summum sese efferentes, reuersiones in orbem faciunt, vnde nomen traxerunt, Ælianus de animalibus 13. 20. Est in Oceano (inquit Iouius) cetarij generis *Iouius.*
rota, quam vidit Lusitana classis, dum extremum Æthiopiæ promontorium superaret. Geminas dorso rotas gestare videbatur, ad earum similitudinem quæ frumentarias molas impellente vento editioribus

60 in locis circunducunt. Extimuêre tantæ beluæ congressum periti nautæ, qui modò ignori maris immensos fluctus, certáque pericula contemperant: satiúsque visum conuersis velis fugam capere, quàm expectare beluam terribili fragore vasta spumosáque maria proscindentem, & superbo fremitu veluti conspectis hostibus prælium cientem. Neque eam terruêre excussa nauibus tormenta, quorum boatibus ea maria resonabant: fugientésque procul dubio immanis belua vastis mæandris adnatando fuisset consecuta, ventis ac velis celeritate cedentibus, nisi mirabunda substetisset: quippe quæ perpetuam intendentibus fugam, satis gloriosa insectatione victoriam expressisse videretur: Hæc Iouius. Rondeletio alia hæc quàm *Lib. 22. cap. 11.*
Plinij rota videtur: fortè quòd Plinius in suis beluis rotarum, quas quaterni distinguant radij, modiolos oculis vtrinque claudi scribat: Iouius verò rotas totidem distinctas radiis dorso gestari. Sed fortè Lusitani nautæ non tam propè accessêre, qui statim belua visa, refugerint, vt an modioli circa oculos essent, dignoscere satis potuerint. ego pro iisdem acceperim: quamuis enim circa oculos modioli sint, radij tamen (mobiles

biles nimirum) facilè dorsum versus reflecti possunt, præsertim belua natante & vndis impulsi. Germani rotam appellare poterunt, ein Radwal/ein Windmůle. Albertus cetis nostrorum (Germaniæ) marium, appendices quasdam esse scribit (circa oculos) ciliorum instar, corneas, octo ferè pedes longas, specie magnæ falcis fœnisecum, ducentas & quinquaginta super oculum vnum, ex lato in acutum definentes, non rigidas, sed iacentes, & dispositas versus tempora piscis: ita vt veluti os vnum latum magni vanni instar efficiant, quo belua versus tempestates oculos muniens operiat. Rota cetaceus piscis, à similitudine rotarum appellatus, quem Massilienses Molam ex eo vocant, quòd Molæ similis sit. Neque tamen, vt Plinius putat, quaternis distinguitur radiis, Gillius. At Rondeletius hunc piscem, quem vulgò Massiliæ Molam vocant, (aliqui Molebout, compositò nomine eius Gallico Mole, & Hispanico Bout,) orthragoriscum, non rotam Plinij, esse ostendit. Alius est piscis in Prouincia peis Mular appellatus, Rondeletij physeter.

Trochus Plinij. Alius est etiam Trochus Plinij: Erythrini & Channæ *(inquit, Rondeletius addit omnes,)* vuluas habere traduntur. qui Trochus appellatur à Græcis, ipse se inire. Hunc piscem Volateranus cum trocho belua confundit: si modò piscis est, vt Plinius putauit. Ego trochum alium non piscem, sed beluam mar. arbitror, quem Plinius rotam nominauit, Ælianus τροχὸν: id verò animal quod seipsum inire aliqui veterum putarunt, quadrupes terrestre. Vide quæ annotauimus in Hyæna quadrupede C. Trochum Albertus ineptissimè leporem interpretatur, quòd is quoque à multis mas & fœmina credatur, & alternis mensibus nunc incubus, nunc succubus: quod tamen falsum esse in lepore Albertus asserit. sed Albertus mentitur: non

Lepus piscis. enim trochus lepus est, sed piscis, de quo Plinius libro nono, Niphus. Fabrum piscem in Lerino insula & Antipoli Rode vulgò vocant, id est, rotam: quia rotæ modo ferè rotundus sit, Rondeletius. Idem turbinum generis conchylia quædam parua trochos appellat.

RVBELLIO Plinio est, qui Græcis Erythrinus, cuius historiam in E. elemento dedimus. Gaza ex Aristotele Rubellionem, Rubellum & Rubrum transtulit.

RVBELLVS fluuiatilis. Vide mox in Rutilo.

RVBICVLVS à recentioribus quibusdam vocatur piscis quidam fluuiatilis, cui oculi rubent. Ausonij alburnum circa Acronium lacum Rotengle/id est, erythrophthalmum vocant Germani. Hollandi (vt audio) Rótlino. Ei cognatus est quem Misseni Oberförgen appellant, in Phoxinis descriptus nobis, coloribus tantùm differens. Qui rerum nomenclaturas Latinè, Polonicè & Germanicè conscripsit, Rubicundum piscem interpretatur Germanicè Rottaug: Polonicè verò Plocicá ztzyrtwonem otzkiem: id est, Plocica dictus piscis, cum ocellis rubris. Vide Erythrophthalmum in Elemento E. & suprà in Corollario de phoxinis, pagina 716. circa initium. Polonus quidam non illiteratus, piscem quem Germani nominent ein Bleck/ Polonicè Plocica vocari mihi retulit: eundémque alio nomine Płoţen Germanicè dici. Sed nostri Alburnum Ausonij Bleck appellant, Blick verò piscem alium lacustrem maiorem, quem Ballerum Rondeletius vocat, Bellonius Plestyam, vt coniicio. Ab vtroque diuersus est piscis, quem Płoţe à Misnensibus aliisque Germanis vocari audio, de quo plura mox in Rutilo.

RVBVRNVS. Vide Ruscupa.

RVTEVS Danubij piscis apud Albertum. Vide in Siluro A.

RVMINALIS. Lege Meryx.

RVSCVPAM & Ruburnum piscículum si quando edisset Cicero, procul dubio elegans ei nomen indidisset, Murmellius. Ruscupa & ruburnus *(fortè à rubente ob fumum colore, vnde & Angli a redde Herynge vocant)* vulgò accipiuntur in eodem significato, pro arenga pallà, seu infumata, quam Bucklin (Bücking *nostri*) Poloni Bydlinek vocant, Author libelli Latinopolonogermanici.

DE RVTILO SIVE RVBELLO FLVVIATILI.

A RVTILVM hunc piscem vel Rubellum fluuiatilem appellare volui, à colore pinnarum, sed Rutili nomen magis arridet, quod Germanico nomini nostro vicinius est: quàm rubelli. Gaza, n. pro erythrino pisce mar. aliquando Rubellum vertit. Rutilus quidem noster apud nos fluuiatilis non est sed lacustris. alibi in fluuiis etiam reperitur: sed è stagnis eum puto illos subire. Italicè circa Comum in Lario lacu Piota vocatur, vt circa Verbanum quoque. Aliqui piotam cum scardula, id est cyprino lato confundunt. Benedictus Iouius in descriptione Larij lacus distinguit. Scardula, & Incobia ex Pigis, & Plota, Salena, Hoc nomen à Germanico Płoţe sumptum videtur. vulgus quidem Italorum i. pro l. pronuntiare solet. Sed Płoţe apud Saxones & finitimos piscis, ipse Cyprinus latus est. Piota verò Italorum similis ei, quem Saxones & Misnenses Rotfeder/id est. Erythropterum appellant, à rubore pinnarum in parte supina & caudæ: vnde & alio nomine Misnenses Rotrauck nominant, & nostri Rottene/vel Rotte/ Rottel/ Rottele/ (sed longè alius ab iis quos Rőf & Rőtele dicimus Trutarum generis.) Aliqui Płoţe vel Plocenum piscem (vt Christophorus Saluelden sis nominat) ab Erythroptero non distinguunt: Ioannes Kentmanus in Catalogo piscium Albis quem nuper acuratè confectum ad nos dedit, diuersos facit.) In ciuitatibus Germaniæ ad oram Oceani sitis, vt Rostochij, & Stetini, Roddow vel Roddau/rutilum nostrum indigetant. Dubito an idem sit piscis, qui ab Italis circa Ferrariam vulgò Aurata Padi vocatur. oculos quidem, & circa branchias partem, aurei coloris habet, tanquam chrysophrys quædam fluuiatilis. Sabaudis circa lacum ad Bielam & Neocomum, Vingeron est, vel Vengeron: in Lemano quoque. (nam qui Raufæ in Lemano, quasi Rufæ à pinnarum colore dicuntur, Cyprini lati sunt: & platerones in eodem, quorum latitudo ferè longitudinem æquat, balleri Rondeletij.) A Sabaudico Vengeron factum est Germanicum Winger/vel contrà: eo nomine circa Bielam Heluetij vtuntur, de eodem pisce: at propiùs nos lacuum qui à Tugio & Lucerna oppidis denominantur accolæ, Winger vocitant Leucisci speciem, quam Vendosiam & Dardum Galli. Gallis alicubi, Normannis præsertim, de rutilo nostro vsitatum est nomen, Rosse: Anglis Roche: à quo differt Rochet ab eisdem dictus, Gallicè Rouget, cuculo lyræve similis. Sunt qui Roce scribant Gallicè. eum piscem in Ligeri capi aiunt, macrum, ferè, latum in medio. Rustici quidem Galli etiam de iumento macilento dicunt, vne vielle roce. Polonicum nostri Rutili nomen audio esse wdrenka.

Abramidi

Bellonius.

Abramidi (inquit Bellonius: sic autem vocat Cyprinum latum, non rectè) simillimus est piscis, paulò tamen minor ac vilior, quem Galli vne Rosse, (quasi vetulam Abramidem,) Angli Roche vocant: húncque Abramidis spurium esse autumant. Is nigricat in tergo Gardonis *(leuciscí fi. illius quem vocamus* ein Schwal/ *Galli Gardon)* modo: pinnas quoq; rubras habet. Sed quàm Abramidi id non accidat, meritò ab Abramide diuersus esse iudicabitur. Corpus habet crassiusculũ. Caput quoque ad Gardonem potiùs quàm ad Squalum accedens, leui rubore suffusum: squamas aspectu tristiore. vilisque est apud piscatores ac vulgus pretij, carnisq; insulsæ, Hæc Bellonius. Idem Gardonum describens, eum Anglicè Rosceies appellari scribit, quam vocem esse corruptã audio pro Roche: qui tamen non Gardonus est Anglis, sed alius piscis, Rossa scilicet Gallorum, Rottene vocant nostri. Potuit autem decipi Bellonius ab Anglo aliquo imperitiore, qui propter coloris in tergo & pinnis similitudinem, &c. Gardonum à Rossa non distinxit. Rondeletius nomen Gallicum per s. simplex scribit, & Phoxinis adnumerat. Rosse (inquit) vocatur à rubore caudæ, reliquo corpore cæruleo (noster quidem Rutilus, non videtur cæruleus) est. Ouis semper plenus est, etiam minimus. Non alius piscis mihi videtur, quem idem Rondeletius alibi describit, nempè libri de piscibus lacustribus capite 9. his verbis: Ballero (inquit, nostri Bliccam dicunt) non valdè dissimilis est piscis Lemanni lacus proprius, qui Vangeron ab accolis vocatur. Mugilibus rostro similis est, sed paulò longiore. Dentibus caret. Pinnas duas subaureas habet ad branchias, in medio ventre duas alias croceas, ab excrementi meatu vnicam in dorso aliam. Cauda in duas desinit, quas squamæ initio integunt, etiamsi non ad hæreant. Cyprino & corporis specie & carnis substantia succóque affinis, & vilis habetur, Hæc ille. Quæ autem eo in loco collocari debuit figura, librariorum negligentia ad caput eiusdem lib. 18. relata est: & quæ capitis 18. erat, ad nonum. Cæterùm Rosæ vel Rossæ figura & descriptio, sequente libro de piscibus fluuiat. cap. 28. continentur, diuersa quidem nonnihil: quamuis duæ sint eius capitis figuræ, quæ & ipsæ inter se permutatæ videntur. Sed descriptio, & quæ ex diuersis peregrinis (ex quibus etiam Bellonius est) audiui nomina, monstratis iconibus ad viuum pictis cum suis coloribus, vt Rossam piscem, & illum qui in Lemanno Vangeron appellatur eundem esse existimem, mihi persuadent.

Rondeletius.



Rutilus noster piscis est squamis satis magnis, os ei in rotundum aperitur: in quo dentes non habet, B sed interiùs nimirum, vt Cyprinus & alij non pauci. Pinna dorsi, & duæ iuxta branchias, minimum habent rubri coloris in extremitate, reliquæ plurimum, eiusq; floridi instar minij. Reliqua eius descriptio ex A. petenda est. His scriptis, piscem è foro ad me delatum, accuratiùs describere volui. Latus is erat ad quatuor digitos, longus duodecim. pupilla nigerrima, iride aurea, labiis subrubris. colore in cauda, pinnisque in ventre & ab ano sitis, cinnabarino. nam cæteræ minus rubri habent. Linea à summis branchiis cau-

dam verſus obliqua,cauda bifurca.Supercilia &circa branchias locus aureolo colore nitent.Squamæ latæ, ſtriatę,validę.Dorſum fuſcum,venter pallidus.Pinnæ quaternæ.Fel viride.Veſica gemina.Caro ariſtis plena. In faucibus maxillas vtrinque habet,recuruas,dentibus munitas quinis, qui ab interiore parte ſinguli ſerræ inſtar aſperantur: quod in aliorum piſcium dentibus nondum memini animaduertiſſe.

C Piſcis hic apud nos lacuſtris tantùm eſt,ſatis viuax. In noſtro & Acronio lacubus, abundè capitur. Piſcatores Conſtantiæ & circa Acronium aiunt eum aliquando cum Cyprino lato coire: inde hybridam (ein Halbfiſch)gigni,qui inter vtrunque ambigat,Rutilo maior aliquantò,minor autem Cyprino lato. Erythropterus Saxonum ex aquis ſtagnantibus in Albim fl.venit,in eóq; proficit & augetur, ſicut & Plocenus eorum,id eſt,Cyprinus latus. Parit Iunio menſe.

E Muſcarum fluuiatilium (ſiue lacuſtrium)genus quoddam eſt magnum,oblongo,terete varióque corporis alueo,(Teufelſchoß vulgus noſtrum appellant.) has infigunt hamis ad ineſcandos Rutilos.

F Februario Martióque menſibus apud alios Germanos, Nouembri apud noſtros in cibo præfertur. Maio rurſus deterior fieri & imminui incipit. Parari iubent peritiores coqui, inſtar Cyprini: & vino frigido immiſſum elixari.

AQVATILIVM ANIMALIVM, IN QVORVM NOMENCLATVRIS S. ELEMENTVM PRIMVM EST, HISTORIA.

SABACTIDES, Σαβακτίδες,animalia quædam teſtata,Heſychius & Varinus.

SABOT vel Sabut eſt piſcis in flumine Fora dicto apud Perſiam, Andreas Bellunenſis. Vide ſuprà in Callionymo A.pag.136.

SACER piſcis, Ἱερὸς ἰχθύς,Homero nominatus,ab aliis alius exiſtimatur,vt pluribus ſcripſi in Anthia ex Athenæo,Euſtathio,& aliis. Gaza apud Ariſtotelem anthiam interpretatur Sacrum.

SACVTVS, Σάκυτος,inter alios piſces nominatur à Tarentino.

SAGITTARIVS (Τοξότης)in mari rubro procreatur: & quoniam echini ſpeciem ac ſimilitudinem habet,firmis & benè longis armatur aculeis, Ælianus. Videtur autem de genere echinorum ſagittarius hic eſſe. De Orbe echinato ſiue muricato ſuo Rondeletius ſcribens: Poſſet (inquit) videri Æliani ſagittarius,qui in Rubro mari herinacei ſpeciem gerens firmis & benè longis armatur aculeis. Idem rurſus in Mullo imberbi: A capite (inquit) ad caudam dorſo medio duo ſunt acutorum oſſiculorum ordines, cauum efficientes,è cuius medio pinna rubra aculeis conſtans erigitur: cuius pinnæ aculei parum ſerrati videntur.id quod in nullo alio piſce,præterquam in eo qui ſagittarius vocatur,comperi: quanquam anthiæ idem tribuant veterum ſcriptorum nonnulli. Vocat autem hîc ſagittarium,quem poſteà ſcolopacem: & ſagittarium eſſe poſſe negat,quamuis aculeum longum, durum & præacutum ad caudam habeat: quòd ſagittario plures ſint aculei ad herinacei *(marini)* ſpeciem.

DE SALAMANDRA, AQVATILI, RONDELETIUS.

Figura hæc noſtra eſt, quam priùs etiam in libro de Quadrupedibus ouiparis exhibuimus.



A HÆc beſtiola quam exhibemus Salamandra eſt aquatilis,qua Pharmacopœi permulti hactenus pro Scinco vſi ſunt.

B Quadrupes eſt in fontibus & ſtagnorum ripis habitans ſerpentum ritu,ſæpè extra aquas errans,atque ad ſolem ſtans: inde ſe non ſaltu, ſed celerrimo curſu in aquam recipiens. Vidi aliquando non procul à Montepelio,vidi etiam frequentes in Vincentino agro. Lacertos corporis ſpecie referunt,ſed capite ſunt paulò latiore,oris rictu Ranæ ſimili,cauda vt in Cobite fluuiatili.

G Venenatum eſt animal, ſed veneni vires imbecilliores eſſe comperio quàm Salamandræ. Quare ad eadem vti poſſumus, ſed inefficaciùs, vt ad pilos euellendos, & ad lepras.Pharmacopolas igitur valdè improbo qui pro Scincis vſurpant.

Quòd non ſit cordylus, contra Bellonium.

Non ſum neſcius amphibium hoc,ſiue aquatile tantùm appellare mauis,à pleriſque pro Cordylo haberi.Quam opinionem primùm neceſſariis rationibus conuellemus, deinde alteram quæ pro Scinco habet,*(in Capite de Scinco,quod ipſe huic mox ſubiecit,nos inferiùs ſuo ordine ponemus.)* Ariſtotelē proferemus, cuius hæc verba ſunt libro 8.de hiſtoria animalium, quo loco aquatilium differentias ex diuerſo victu recenſet: In humore quidem viuunt quæ aquam hauriunt & branchias habent, ſed in ſiccum exeunt cibi capeſſendi gratia, quale vnum tantùm vidimus Cordylum appellatum: hic enim pulmonem non habet, ſed branchias,quadrupeſq; eſt &ad gradiendum natura idoneus. Audis igitur Cordylum branchias habere. At hoc animal quod pro Cordylo proponitur pulmonem non branchias habere docet diſſectio. Prætereà non potiùs in terra cibum quæritare,quàm in aqua viuere, experientia comperi: nam multos dies in aqua ſolùm,viuum huiuſmodi animal alacre conſeruaui nullo prorſus alio cibo iniecto.

COROL-

COROLLARIVM.

A B DE hoc animali in libro De quadrupedibus ouiparis ſcripſi,Lacerti aquatici nomine: & BELLONII de eodem ſcriptum addidi in eiuſdem libri Appendice, capite de cordulo. Lacertus aquaticus, quem vidi viuum ſuperioribus annis (circa noſtram quidem vrbem paluſtribus locis, præſertim circa lacus ripas abundant)in fine Aprilis,oculis aureolis,exiguum,ouis plenum ſubfuſcis.branchias nullas habebat,vt Cordylus eſſe non poſſit.ſed neque lacteum vllum humorem emittebat compreſſus aut vulneratus:quod tamen eum facere & Bellonius ſcribit, ſimiliter vt Salamandra, & ego aliâs in alio obſeruaui. Pulmonem quoque nullum in eo reperi: habere tamen non dubito. quòd autem non inuenerim in vno & perexili illo,partim hebetudini viſus mei, partim horrori, præ quo venenatum animalculum diutiùs tractare nolebam, attribuo. Bellonius circa fauces quiddam veluti carnoſum ad linguæ radicem ei extuberare ait. id ipſum an pulmo ſit, perſcrutandum. reſpirat enim eam partem mouendo, quod foris apparet ſicuti in ranis:hoc obſeruaui in capto quem manu tenebam,Olim cùm in vitreum vas,vnum huius generis coniectum,in aqua ſeruarem viuum, ore ſemper ferè ſupra aquam prominente, vt ranas,deprehendi: quòd reſpiratione nimirum indigeret. Pulmonem quidem ei in eſſe Rondeletius etiam atteſtatur. Numenius Cordylum κόρυλον, inter piſcium eſcas (quibus ineſcantur)cum pirêne & herpilla marinis nominat, Athenæo teſte.at lacerto aquatili, vtpote venenato,piſces ineſcare nemo (opinor) velit. Cordylum quidem venenum habere veterum nemo ſcripſit,ne eorum quidem qui de venenis ex animalibus tractationem profeſſi ſunt. Eorum certè quæ branchias habent (quas & cordylo Ariſtoteles tribuit) venenatum nullum inuenias(præterquam aculeo:) nigris quibuſdam piſcibus, vt in Armenia, exceptis, vitio nimirum ab aqua, in qua degunt, aut prohibita perſpiratione,tracto. Sed de cordylo nos etiam plura diximus ſuprà Elemento C. & in libro De quadrupedibus ouiparis mox poſt ranas. Itali quidam Salamandram hanc beſtiolam vocant, ſimiliter vt terreſtrem: aliqui Maraſandolam, tranſpoſitis nimirum literis, & forma diminutiua: niſi quis à Maraſſo (ſic viperam vocant) deductum hoc nomen malit: quòd licet minima quadrupes, viperæ tamen inſtar venenata ſit. Noſtri Salamandram terreſtrem vocant Molle, vel à lapidibus Steinmolle. hyeme enim in lapidibus abditæ iacent, præſertim verò in cauernis toforum non procul ab aquis. aquatilem verò Waſſermolle. Hippocampum Græci hodiè ἀσπίδα vocant, quidam Salamandram marinam, Rondeletius.

Pulmo. *Κόρυλος.*

Anteriorum pedum digiti ſunt quaterni, poſteriorum quini: quod pictorum negligentia in noſtra, Bellonij & Rondeletij quoque figuris non obſeruauit. B

Salamandris aquaticis imperiti pharmacopolæ & impoſtores quidam pro ſcincis Ægyptiis,non dubio veneno,eóq; ſeptico,inter remedia vtuntur.Pro ſcincis ſępè venduntur aquaticæ lacertæ quæ noxiæ ſunt, Adamus Lonicerus. Affirmauit mihi vir bonus & fide dignus,ex proximo vrbi noſtræ vico,vicinum quendam ſuum in potu paruulos lacertos aquatiles hauſiſſe: & cùm ægrotaret, vnum viuum ore ab ipſo redditum eſſe,eúmque paulò pòſt obiiſſe. G

ALIVD Lacerti amphibij genus eſt prægrande & edule, cuius pellem nuper ad me miſit vir ſingulari doctrina & humanitate Ioannes Ferrerius Pedemontanus, his in epiſtola de eodem perſcriptis verbis: Mitto ad te pellem lacerti,quam ad me attulit ex Breſſilla regione vltra Tropicum Capricorni Gul. Henriſon Scotus, qui illuc cum domino Nicolao Villagagnonio equite Rhodio ante biennium nauigauit, & nuper ad nos rediit. Pellis ipſa ferè ad vnam vlnam Gallicam longa eſt,ſed capite caret. Huiuſmodi lacertis illic veſcuntur promiſcuè omnes. Et, vt refert meus Scotus, carnes illæ non minus ſunt gratæ palato, quàm apud nos teſtudines noſtræ habentur,Hæc ille. In terra autem & aqua lacertos iſtos magnos & edules in regionibus iſtis degere, nuper in Germanico libro Heſſi cuiuſdam ex eiſdem reuerſi, legere memini. Similis videtur Higoana lacertus Indicus, cuius Cæſar Scaliger mentionem facit, De ſubtilitate voluminis 183. 8. conuenit longitudo, & quòd editur, & corium nigrum maculis (candicantibus) diſtinctum. Dorſum ſerratum congruere non puto: nam pellis ad me miſſa, extenſa erat. Caput non vidi.

SALANX, Σάλαγξ, piſcis bonus, ἢ μεταλλικὸν σκεῦος ὡσεὶ ἔλεγχος σιδηροπλάτης, Heſychius & Varinus. Gelenius noſter propter nominis ſimilitudinem, ſalangem coniiciebat eſſe ſalmonem.nam & priores literæ ad nomen Salm accedunt: & poſteriores ad alterum Germanicum eiuſdem piſcis Lachß.

SALAR piſcis ab Auſonio dictus, ſine dubitatione is eſt, quem vulgò Trutam appellamus, Gillius. Cuius ſententiam Ge. Agricola quoque comprobauit.nos plura de Truta piſce, quem Germani ein Forenvel Förine nominant, infrà in T.elemento. Carolus Figulus in libello ſuo de piſcibus ab Auſonio nominatis: Thedonem (inquit) opinor eſſe piſcem quem vulgò Trutam nominant,Germani verò & Galli Forellam *(Gallis vbique vſitatius puto nomen Trutte:)* eundémque Salarem & Farionem aliis nominibus dici. Confirmari hoc Auſonij verſibus poteſt,qui ſunt:

Purpureiſq; Salar ſtellatus tergora guttis. *Et nullo ſpinæ nociturus acumine Thedo.*

Et paulò infrà de Farione:

Teq; inter geminas ſpecies,neutrúmq; & vtrúnq;, Qui necdum Salmo,nec iam Salar,ambiguúſq;
Amborum medio Fario (alij,Sario)*intercepte ſub æuo.*

Audis hîc Thedonem eſſe parúulam & adhuc teneram Forellam: quæ poſtquam fuerit grandiuſcula, nomen ſuum amittit,& Salar vocatur. Audis hîc etiam ab Auſonio Farionem dici medium inter Salarem & Salmonem, atque Farionem ab Auſonio deſcribi in hunc modum: Fario eſt adulterior Forella, Salare maior,& Salmone minor: hoc eſt,quæ iam deſiit eſſe ſalar,& quæ nondum eſt ſalmo,(mare autem ingreſſa Salmonis formam aſſumit,)Hæc ille. Ego Thedonem prorſus diuerſum eſſe arbitror: (Vide ſuprà in Corollario de capitone fl. A.) Farionem autem ab Auſonio exiſtimatum quidem à Salmone ætate tantùm differre,eſſe Forellam vulgò dictum piſcem,Salmoni quidem non diſſimilem,ſui tamen generis à Salmonibus diuerſum. Paulus Iouius, & eum ſecutus Io. Langius medicus in epiſtolis ſuis Carpionem Benaci, Salarem Auſonij eſſe putant.ſed cùm è ſalare Salmo fiat,carpio autem ille,qui Trutarum generis eſt,idem & re & nomine piſcis maneat,quomodo erit Salar Auſonij? Hic ſanè nihil aliud eſt quàm paruulus Salmo, ein Selmling Germanis.

SALENA inter piſces Larij lacus à Benedicto Iouio nominatur, hoc verſu: Scardula & Incobia ex Pigis, & Plota, Salena. Videtur autem piſcis eſſe qui capitur gregatim: ſicut apud nos leuciſci ſpecies, quam Galli Vendoſiam vocant, noſtri Lauck/Laugelen.

DE SALMONE RONDELETIVS.

Pro vna Rondeletij icone (quæ ſquamas nimis magnas habere mihi videtur) duas noſtras poſuimus: vnam A. Salmonis ante partum, hoc eſt, verni & æſtiui: alteram B. autumnalis & hyberni, ſub partum & à partu, qui roſtro recuruo & maculis pluribus facile dignoſcitur.

A SALMONVM differentiæ aliquot diuerſa etiam nomina ex varia ætatis inclinatione impoſita eſſe dicuntur: maximum enim & qui iam ſenuit, Salmonem propriè vocant, hoc minorem quique mediæ eſt ætatis Sarionem, ſiue vt alij legunt, farionem ex Auſonio in Moſella, cuius verſus citauimus quùm in laeuſtribus de Trutta loqueremur: *(nos paulò antè in Sulare.)* Galli differentias duas agnoſcunt, magnos, Salmones vocant: paruos, Tacons. Præterea marem à fœmina diſtinguunt: hanc enim ob roſtrum magis aduncum, hami modo, Becard appellant. Salmo in Oceano tantùm naſcitur, qua de cauſa fluuios tantùm eos ſubit qui in Oceanum influunt, falluntúrque ij qui in Rhodano capi exiſtimant. Plinius Salmonem nuncupauit. Græcis incognitum fuiſſe, & ideò Græco nomine carere nihil mirum, cùm Græci veteres in Oceanum non penetrarint. Galli hodiè idem nomen retinent: item Germani, ſi recens ſit piſcis: ſin ſalitus, mutato nomine Lachs ab eis nominatur. A Flandris Gaelſim.

Vbi. Vêre ex Oceano in flumina ſe recipit, in Rhenum in Germania: Garumnam & Dordonam in Aquitania: Ligerim, Sequanam in Gallia: Tameſim in Anglia.

C Gregatim natant Salmones cum Aloſis. ſeſe in altum ſæpe efferunt. In aqua dulci pingueſcunt, & ſalto omni ſucco depoſito dulces, ſuaues que ſiunt, & eò magis quo longius à mari receſſerint. *(Vide Corollarium noſtrum.)* In fluuiis nonnunquam pariunt.

B De partibus externis. Thunnos æquant magnitudine. Paruis ſquamis teguntur, quibus maculæ rotundæ aſperſæ ſunt: iis etiam notatum eſt caput, ſed frequentioribus & maioribus in fœmina quæ dicitur, quàm in mare. Dorſum cæruleo eſt colore, ad nigrum vergente. Venter argentei coloris æmulus. Maxilla inferior ſurſum recurua eſt, ſed in fœmina magis. Dentes habent in vtraque maxilla longos & acutos, item in lingua: oculos magnos, branchias quaternas. Pinnis totidem natant: duæ ad branchias ſitæ ſunt, aliæ duæ in ventre quæ ſubſunt ei quæ in dorſo eſt maior: quam ſequitur alia minor, adipoſa quam Salmonum & Truttarum generi communem eſſe diximus. A podice vnica eſt carnoſa & pinguis. In pinnam deſicit biſidam cauda lata, vtrab ea Salmo meritò πλατύς nominari poſſit, *(De platyuro Oppiani diuerſo piſce: nam Oceani piſces ignorauit Oppianus, dictum eſt ſuprà.)* Ex his externis notis præcipuas non omiſit Auſonius in Moſella quum dixit:

Nec te punicea rutilantem viſcere Salmo
Gurgite de medio ſummas referuntur in undas
Tu loricato ſquamoſus pectore frontem
Tempora longarum fers incorrupta morarum
Aluus, opimatoq; fluens abdomine venter.
Tranſierim, latæ cuius vaga verbera caudæ
Occultus placido quùm proditur æquore pulſus.
Lubricus, & dubiæ fallurus fercula cœnæ,
Præſignis maculis capitis, qui prodiga nutat.

De partibus internis. Quantum ad internas partes attinet cor angulatum habet, ventriculum oblongum cum permultis appendicibus, hepar rubrum in quo fellis ex viridi nigricantis veſica hæret. Splen ex rubro niger eſt.

Caro

Caro priusquam coquatur, albicat: cocta vel ſalita, rubeſcit, pinguis eſt, maximè in ventre, tenera, friabilis, dulcis, ob id citò ſatiat: maximè capitis & abdominis partes, quæ quùm elixæ in aqua ſolùm eduntur, ventriculum replent, & nauſeam faciunt. Quocircà magis eos probauerim, qui in vino, aceto & ſale multo exlixant: vel qui aſſulas caryophyllis confixas in craticula aſſant, & cinnamomo, ſaccharo, acetóq; condiunt. Recens ſalitus vituperandus non eſt. Plinius fluuiatilem Aquitaniæ, marinis omnibus præfert, idq; iure: carnis enim teneritudine & ſuauitate præſtantes in his quæ dixi fluminibus capiuntur. Optimi etiam ex Rheno Baſileæ eduntur, multò meliores Antuerpianis, qui quamuis aliis pinguitudine non cedant, tamen ſaporis gratia, & ſucci bonitate aliis ſunt inferiores, eam, opinor, ob cauſam quòd illic mari propiores ſint.

Piſces ſunt carniuori, in mari latent, ob id rariùs capiuntur.

Horum felle ad oculorum ſuffuſiones & maculas, purulentáſque aures rectè nos vti poſſe arbitror, eorũdem pinguitudine ad aurium dolores. Carne ſalita & vſta ad vlcera capitis manantia.

DE PARVO SALMONE, *Rondeletius.*

Icon hæc noſtra eſt. Rondeletius nullam dederat.





PARVOS Salmones qui pedem vnum vix ſuperant, Galli & Aquitani Tacons appellant: ſuntéq; Truttis adeò ſimiles, vt vixà peritis internoſcantur, niſi propiùs inſpexerint. Sed aliquid eſſe quo diſcernantur, capite de Truttis docebimus. Cùm igitur parui iſti Salmones maioribus omnino ſint ſimiles, dempta ſola magnitudine: & in iis ſolùm locis capiantur, in quibus Salmones, non poſſum non exiſtimare Taconem, Salmonem eſſe qui in fluminibus non in mari naſcatur: quorum aqua cùm frigidior ſit, & ad procreandum minùs idonea quàm

quàm marina, breuiores gignit Salmones. Adde quòd in proprio & natali solo fœliciùs omnia proueniunt, quàm in alieno. Id in Lampetris cernitur, quæ in fluuiis genitæ semper marinis sunt minores, nec in eam vnquam magnitudinem accrescunt. Quare aut Tacones necesse est esse Salmones in fluuiis natos, aut recens in mari editos, qui patres secuti sint. certum enim est Salmones in mari parere: Tacones autem vel minores adhuc esse quàm vt pariant, vel imperfectos esse Salmones, & veluti abortu editos. id indicat quod in iis nunquam vel oua vel semen, quod lac vulgus appellat, reperias. In Garumna & Ligeri frequentes & optimi habentur.

DE SALMONE VEL SVLMONE,

Bellonius.

B Salmonem cetaceum piscem dicere poteris, si quidem ad eius solam magnitudinem aduertas: vt plurimùm enim *(proenim, legendum puto duûm vel trium. Cardanus non rectè legit, plurium cubitorum)* cubitorum longitudinem, crurísque crassitudinem æquat: squamis tamen est pro corporis ratione admodum tenuibus: quæ maculis per totam cutem conspersæ, orbiculos ruffos ac luteos referunt. Miror piscem hunc vulgo tantopere cognitum Græco nomine carere. Paruam in medio tergore pinnulam habet, & ab ano sub cauda rursus aliam carneam ac pinguem. Caudæ autem pinna subrotunda est: porrò quatuor aliarum pinnularum, quas sub ventre gerit, duæ sub branchiis positæ sunt, aliæ ventri incumbunt, ei oppositæ, quam in dorso sitam esse diximus. *(Maiorem quoque in dorso pinnam sequitur alia minor, adiposa. Rondeletius,)* Lineam vtrinque in lateribus rectà à branchiis ad caudam deductam habet. Pinnulas luteis & rubris maculis, vt reliquum corpus distinctas. Dentium illi (præter aliorum fluuialium morem) sunt quatuor ordines in palato, vt serpenti Cerastæ. Lingua quoq; dentibus hamatis exasperata: exertósque ostendit maxillæ inferioris dentes, plures quidem quàm superioris: branchias ad radices linguæ vtrinque quaternas: stomachum in longitudinem protensum, pro tanto corpore valdè angustum: hepatis vnicum tantùm lobum pallidum, stomacho assidentem, ad sinistram inclinatum, de quo fellis vesicula ex viridi in nigrum abiens, dependet: lienem atrum veluti sanguine suffusum, apophyses in pyloro penè innumeras.

Magnitudo. Vbi. Magnus est in Sequanæ ac Ligeris ostiis, in quibus è mari exiliens cum Alosis repurgatur, ac delicatior fit. Maior ad Tamesim Britannicum, qui Londinum alluit: sed illi Salmonem in longum per medium,

C F nos commodiùs in transuersum dissecamus atque apparamus. Salitum quoque oleo atque aceto conspersum gratissimo sapore comedimus. Recens per hyemem ac verna ieiunia saccaro ac cinamomo conditus & caryophyllo pertusus, ditiorum mensas honorare solet.

Salmo fœmina. Est & alius prægrandis Salmo (fœminam esse autumant) quem vulgus Gallicum ab eius ore prægrandi Beccard vocare solet. Alij à ferendis *(portandis)* ouis Bortiere. Differt is à mare Salmone, quòd labrum inferius in hami modum aduncum habeat. In superiore enim labro foramen est ad palatum tendens, in quod hamus maxillæ inferioris se recipit, pyxidatímque in tubi modum insinuatur. Crebrioribus quàm Salmo mas, iísque subrubris ac rufis orbiculis in cute variegatur, atque in Lepradis modum multis coloribus suggillatur. Linguam habet truttarum more albam, multisq; denticulis obseptam: cuius radices in quaternas vtrinq; branchias finduntur: palatum quatuor dentium ordinibus insignitum: Oculos cæsios, rotundos: ad quorum fontes paulò inferiùs vtrinque duo insunt foramina ad olfactum. Pinnæ laterum, tergoris & caudæ cum mare conueniunt. Vnà capi solent, atq; eodem modo in fluuiis & in mari versari.

COROLLARIVM.

A Salmonis nomen à Germanis Rheni accolis, vel Gallis Aquitanis Latini acceperunt. videri autem potest à sale deductum nomen, quòd hi pisces in magna copia saliri, vel sale muriáque inueterari soleant, in tomos concisi, perinde atque in mediterraneo thynni, quos & magnitudine referunt, & robore corporis, viq; saliendi: (vt si Latinum esset vocabulum, à saltu factum videri posset:) & natura migrandi ad summa fluminum, vbi pariunt, ac inde reuertendi: quemadmodum thynni ex mediterranei inferioribus partibus aduerso mari in Pontum ascendunt, inde à partu reuertuntur. thynnum asili inhærentes agitant, salmonem hirudines & lampredæ. A salmone diminutiuum recentiores quidam faciunt, Salmulus, qui Ausonij salar sit, paruulus salmonis fœtus, (vt cordyla thynni:) quem & salmunculum dicamus licet, (vt à pulmone pulmunculum, à loligine loligunculam, à virgine virgunculam, &c.) Salarem, Farionem, (al' Sarionem) & Salmonem, ætate & magnitudine tantùm differre Ausonius censuit. Vide paulò antè in Salare. Cassiodorus 12.14. Variarum, de regio conuiuio scribens: Destinet (inquit) carpam Danubius: à

Anchorago. Rheno veniat anchorago, &c. Ego in A. elemento anchoraginem esse coniiciebam salmonem, qui & ex Rheno præstantissimus habetur & certo tempore rostrum anchoræ instar incuruat. nunc quoniã eo tempore eum deteriùs habere, & cibo ingratum reddi animaduerto: anchoraginem cogito fortè eum esse piscem, quem Ynlanck appellant Germani, ad initia lacus Acronij, & nostri quoq; in summo Tigurino lacu. non est autem alius quàm Truta lacustris, sed mutata nonnihil forma, nomen etiam mutat. eundem in lacubus Carinthiæ Rheinanck vocari puto, (tanquam à Rheno & anchora composito nomine:) aiunt enim magnitudine eum esse parem Albulæ lacustri maiori, & grandiorem quoque. siccatum in alias regiones mitti. Sic & in Lemano lacu Vmblæ alterius dicti piscis, maxillæ inferioris extremum incuruum in maxillam superiorem, eius rei gratia excauatam recipitur, vt Rondeletius annotauit. Truta quidem tam multa salmoni affinia habet, vt nullum aliud piscium genus ei rectiùs comparetur. Salmonem Græci salangem qui voluerit appeller: quoniam Σάλαγξ boni piscis nomen legitur apud Hesychium: neque prætereà quinam sit explicatur. Aut à saltu, vnde & Latinè aliqui dictum putant Salmonem, Ἅλμων appelletur, vt γνώμων: vel à migrandi natura, quam in C. explicabimus, καταναδρομος: vel εἶδος πυρουντος, id est, species trutæ, vt apud Athenæum nominatur. Vel dromias dromásve fluuiatilis. Aristoteles enim in mari dromades vocat thunnos, aliósque gregales, qui aliunde in Pontum excurrunt, & vix vno loco conquiescunt. Gallicè dicitur Saulmon. Germanicè Salm: salar verò, id est, paruulus adhuc, Selmling. Salmo & Esox *(Vide suprà in E. elemento de Esoce)* vnius piscis nomina sunt: quem Rhenani & Galli appellant Salmen: Saxonicæ gentes Lachs/ Eberus & Peucerus. Esox, Germanis Lass, Ge. Agricola. Nomini quidem Esox confine est Illyricum Losos, quo Poloni & Bohemi vtuntur. Inuenio & aliud Polonicum, Losos

sos tzarny. Salmo muria conditus asseruatur mutato nomine. tum enim ein Lachs dicitur, Adamus Lonicerus. Lachs piscis semper hoc nomine appellatur in Albi fluuio, paruus, magnus, recens, salsus, infumatus, Io. Kentmanus. Circa Rhenum, & apud nos ferè, Salmo tempore veris & æstatis nominatur. ein Salm/ vsque ad diui Iacobi diem, qui est vicesimus quintus Iulij: deinde mutato nomine ein Lachs in vtroque sexu (quamuis marem aliqui priuatim apud nos sic vocant, fœminam verò Lyder vel Lüder) vsque ad diui Andreæ diem, qui postremus est Nouembris. Sunt apud nos qui Lachsum ad calendas Septembris primùm vocare incipiant: ad Rhenum verò vbique puto ad diem S. Iacobi, vt dictum est. Itaque Salmo vernus & æstiuus est: lachsus verò autumnalis & hybernus, sub partum scilicet & à partu. literati quidam sic dictum volunt à languiditate quasi lassum: sed etymon Germanicum magis quadrare videtur, à genitura quam nostri Leich appellant: aut Græcum quasi λεχῷος. λεχὼ enim seu λεχῶσα puerpera est. Circa Rostochium Lass appellant. Ille qui Lachsse vocatur, figuram & colorem habet Salmonis, nisi quòd inferiorem mandibulam sursum recuruat, vt aquila rostrum suum deorsum. ea tamen non est longior superiore, quæ foramine ad hoc parato in se recipit inferiorem, Obscurus. Bellonius & Rondeletius Salmoni fœminæ tantùm rostrum aduncum tribuunt: vnde & Beccard vulgò nominari aiunt à Gallis, quibus bec rostrũ significat. Bellonius quidem cùm dubitare videatur, his verbis, fœminam esse autumant: aliis tamen subiunctis, [aliqui à ferendis ouis Bortiere nominant,] fœminam esse confirmat. Nostri piscatores in mare tantùm recuruari aiunt insigniter, in fœmina perparum. Maxilla inferior sursum recurua est, sed in fœmina magis, Rondeletius de Salmone simpliciter. Kentmanus vtrunque sexum hoc pati sentire mihi videtur, in his quæ de piscibus Albis ad me scripsit: Salmo (inquit) in Milda (id flumen ex Albi ingressus,) si obstaculum seu præcipitium aquæ iuxta Dessauiam, secundò ac tertiò frustra saltu superare conatus fuerit, vadum petit, eóque in loco sub lapidibus & saxis delitescens, emaciatur, & contabescens maculis ruffi seu ænei coloris impletur, (à quibus etiam Kupfferlachs appelatur: nam æs Cyprium Germani Kupffer nominant:) & rostrum reflectit in magnum hamum, eo quidem maiorem, quò diutiùs manserit, &c. Idem verò ei tandem contingere puto etiamsi obstaculis omnibus superatis ad summas fluuiorum partes eluctatus fuerit. Apud Anglos Salmo est a Salmon vel Sammo. priuatim verò dum melior in cibo, & suauiore ac friabiliore carne est, vocatur a Kribbe Salmon/ (Kribbe friabilem significat. alibi crispe/ vel cripse, vel crimp pronunciant) at postquam carnem deteriorem habere & rostrum curuare cœperit, porco grandinoso ab eis comparatur, vocatúrque a Kypper Salmon/ quod Germanus diceret ein Kupfersalm. Salmunculos digitales, qui in Misena & Bohemia capiuntur in riuis ac minoribus fluuiis in Albim sese exonerantibus, vulgò Miseni nominant Canitzen/ Kanitzle/ Kuntzle/ ab ipsa paruitate puto: vnde & Ge. Agricola Latinè Salares nanos vocauit. Sunt autem salmonum, non trutarum (vt quidam putant) soboles. Ioannes Kentmanus pisces Canitzlen dictos in Albi quidem nasci & manere scribit, sed non proficere.

Salmones optimi sunt in Rhodano, *(falsum hoc esse Rondeletius arguit:)* & Vultauia terræ Bohemiæ B fluuio, qui Pragam per medium diuidens in Albim fluuium defluit. Capiuntur etiam optimi & grandissimi in Rheno Germaniæ amne. nam ad quinque & sex palmorum longitudinem perueniunt, Massarius. In Scotia alicubi tanta est Salmonum copia, vt duodecim Salmones vno emantur aureo, Munsterus. Apud Borussos partim in lacubus, partim æstuante mari capiuntur, Erasmus Stella. Apud Misenos in Albi, Sala & Milda fluuiis. Salmo in longitudinem & latitudinem magnam excrescit, Author de natura rerum. Circa Coloniam sesquicubitalis fit, vel etiam bicubitalis: spissitudine palmi *(dodrantis, ab vno scilicet latere)* & ampliùs, Albertus. Maiores qui apud nos (Misenos) & Dessauiæ capiuntur, à libris 24. vsque ad 36. accedunt, Kentmanus. Apud nos quoque (Tiguri in Heluetiis) triginta sex librarum aliquando, vel etiam paulò grauiores. Est autem libra nostra vnciarum octodecim. Circa Basileam quinque aut sex pedes longi reperiuntur, vnum lati. Piscis est squamosus, truttæ similis, carne interiùs rubra, Massarius. Corpus habet speciosum & læue, quanquam perexiguis opertum squamis,) candidum, sed dorso subcœruleo. cute crassiuscula: carne passim intercepta adipe: pinnis quoque pinguibus & glutinosis. De rostro quædam & maculis, in A. prædicta sunt. Branchiæ in aliis piscibus corpori eorum sunt applicatæ, vt in anguilla: in aliis diuaricatæ & extensæ à corpore vt lucio & salmone, Albertus. Et rursus: Pisces quidam osseum tugumentum branchiarum habent, sicut lucius, barbellus & salmo. Intestina piscium quorundam diuiduntur parte superiore in ramos plures, sicut manus in digitos, vt apparet in intestino salmonis: quod multos huiusmodi ramos emittit, Idem. Ego olim in salmone dissecto à faucibus patulis meatus duos obseruaui oblongos deorsum protensos, vnum ad ventriculum, quem œsophagum vocant: & alterum anonymum, (nescio in quem vsum. nihil enim in eo reperi: nisi ruminat fortè hic piscis, & alimenti sui partem ibi repositam habet,) qui cute candida & tenui constat. A ventriculo satis angusto intestinum incipit: quod paulò inferiùs multas de se fibras emittit, sicut à capite suo ellebori radix. Vncus ille in magnis & extenuatis salmonibus, duos ferè digitos longus, in cauitatem quandam palati anteriùs, (ad cutim vsque profundam) subit. Dentes, quàm pro magnitudine piscis, minores sunt. lingua quoque dentata, breuis, lata, carinata. Branchiæ quadrigeminæ: quarum opercula lata, & rotundis puniceis maculis plena sunt: qualia etiam per latera vtrinque spectantur, in summo dorso fusca. Narium foramina vtrinque gemina: pinnulla dorsi posterior perquàm carnosa. Salmunculi in fluuiis geniti vltra quinq; aut sex digitos non augentur, vt dicemus in C. ij per latera vtrinq; à branchiis caudam versus rectà maculas rotundas. magnas, nigricantes aut liuentes, paruis interuallis digestas habent, (qua nota à trutis similibúsque piscibus facilè discernuntur,) nouem aut decem numero: & per eandem lineam mediam paruulas rubescentes maculas multas.

Salmo inuenitur tum in mari, tum in fluminibus, sed in stagnis non inuenitur, Albertus. Piscis est C fluuiatilis, Massarius. Ego nec fluuiatilem, nec marinum facilè dixerim, peculiarem enim quandam *Locus.* naturam habet, vt in sequẽtibus apparebit. Piscium in mari genitorum aliqui eo relicto aquas dulces subeunt, qui Græcis ab ascensu anadromi dicuntur. salmo contrà in fluuiis genitus ad mare descendit, sicut & anguilla, quos eam ob causam catadromos dixeris: sed magis anguillas, quas non redire puto. Salmones enim ad locos natales reuertuntur, vt composito à contrariis præpositionibus nomine, catanadromi dici merean-

Cibus.

mereantur. Diu viuere non possunt in aquis dulcibus stagnorum, nisi liberum habeant transitum ad dulces vndas fluuiorum, Author de nat. rerum. Quó nam cibo vescatur Salmo, & an vllo prorsus, adhuc incertum est: cùm in ventriculo exenteratus nihil ostendat, præter spissum quendam humorem, Hector Boëthius. Ego etiam aliquando cum dissectum inspicerem, nihil in ventriculo & intestinis huius piscis reperi, præter mucum quendam subflauum, & lapillum candidum: genituræ verò multum (sub finem Nouembris) non in ipsis (vt appellant) lactibus, sed in vasis spermaticis. Piscatores nostri aiunt in maiorum ventriculis nunquam aliquid, in paruis nescio quid inueniri. maiores enim (qui iam salmones vocantur) non alio quàm aqua cibo victitare. Maio quidem mense, floribus ruris eos frui aiunt: tum enim quia optimi sunt, ex ipsa cœli temperie (quam flores indicant) fructum percipere videntur. Aqua præcipuè turbida, tanquam aptiore ad nutriendum, quòd crassior sit, eum gaudere aiunt: & fluminibus turbatis præcipuè altiùs migrando niti, veluti persequentem huiusmodi aquam: quæ crassior dulciórque (vtrumque, aut alterutrum) fieri videtur, niuium liquatione, herbis innatis, & pinguibus agris. Sed ab Argentinensi sene quodam & perito piscatore accepi, salmonem dum salmo est, (hoc est ante vicesimum quintum Iulij diem,) pediculis aquaticis (vt vocant) vesci: deinde verò & à partu, obuiis quibúsque piscibus. hæc sæpiùs in dissectorum intestinis se deprehendisse ait. Cor. etiam extractum, ab animali imperfecto, aliquantisper adhuc pulsat: sed omnium (quæ apud nos sunt) animalium diutissimè salmonis. Itaque sub vno cordè pulsante vendunt piscatores plures salmones incisos per frusta, tanquam omnes recentes, corde adhuc palpitante monstrato, Albertus. Piger piscis est, sed fortis, Albertus. Mihi quidem non piger videtur, cùm & ad saliendum agilis sit, & aduersus fluuios perpetuò nitatur, sempérque ascendens promoueat, quanquam tardiùs fortè propter corporis magnitudinem & pondus. Salmo (inquit Physiologus obscurus) dicitur à saltu. caudum enim ore replicat, & reflectit, validè eam ore tenens, donec saltus agilitate locum etiam præruptum conscendit. sed nec colore *(fortè corpore)* multum valet, nec sapore, antequam gustauerit mare. Adquod tendens contra *(iuxta)* fluminis impetum, à proposito non desistit, quousque reficiatur, deinde ad nota domicilia reuertitur. Robore fortis est, sed ponderosus & grauis. omnis quam habet agilitas à potentia virium eius potiùs est quàm à leuitate corporis. Vbi in transitu sæpem, vel aliud huiusmodi obstaculum inuenerit, caput caudæ coniungit, & sic in circulum flexo corpore transilit, Author de nat. rerum. & partim Albertus. Salmunculi etiam ἄλπικοὶ sunt: quòd si in vase aliquo venales cum aliis permixti in aqua fuerint, aqua eis adempta, exilient: & sic ab aliis piscibus statim dignoscuntur.

Fiuacitas.

Agilitas ad saltum.

Migratio, inq. capturæ & debilitas.

Salmo in mari natus fluuios subit, adeóque dulci aqua gaudet, vt natali solo relicto, in illa perpetuò viuat, nec in mare reuertatur, vt opinor: quia in mari rariùs capitur, Rondeletius. Sed contrà nasci cum in fluuiis, atque ex iis in mare descendere, &c. ex iis quæ subiicientur, authorum, & omnium à quibus scisciti sumus piscatorum testimoniis, constat. Autumno (inquit Hector Boëthius Scotus) riuulis plerunque, aut locis vadosis, coëuntes Salmones iunctis ventribus, oua pariunt, fabulóque contegunt: quo tempore masculus adeò lactibus, *(lactes dicit pro genitura,)* fœmina ouis exhausta est, vt macilenti euadant, nec quicquam ferè præter ossa ac spinas pellemq; superfit, ineptúsque esui sit (piscis.) Referunt eam maciem contagij loco haberi, cùm obuios quoscunque sui generis inficiant qui sic affecti sunt. Cuius rei hoc est indicium, quòd perfacilè capiuntur vno latere extenuati, reliquo non ita. Cæterùm ex ouis illis arena obrutis, pisciculi incunte vêre nascuntur, adeò molles, vt donec digiti magnitudinem non excesserint, manu compressi, velut humor concretus, diffluant. Tum primùm, naturæ duce, ad mare pergunt: vigintiq; dierum spatio, aut paulò maiore, incredibile dictu qualem in magnitudinem excrescant. Inde ingredientes aduersis vndis fluminis, in quo orti sunt, mirabile spectaculum de se præbent. Flumina enim quædam hinc atq; illinc angustis pressa rupibus, ac proinde veloci demissa cursu, vbi prærupto casu descendunt, non per canalem statim prodeunt, sed incuruatæ vndæ impetu paululum per aëra feruntur, antequam cadant. Salmones verò contrà tendentes maiore nixu aquas saltu superare tentant: & qui enaserint, in flumen ascendunt ad ea vsque loca, vbi editi fuerunt, ad pariendi vsque tempus remansuri: debiliores, aut hærent in imò fluminis, aut etiam ex alto iam euecti, præcipitantur in aquas. Quibus igitur virium minus additum est, aut referentibus aquis, vnde exierant, reiiciuntur: aut subsidentes in terram cadunt subiectam. Vbi accolæ extructo in hoc suspensis sub aquis foco nonnunquam, in excauatis ad præcipitia illa rupibus, lebetibus cum aqua igni superpositis, cadentes excipiunt, ingenti audacia. palati ac ventris seruientes libidini. atq; tam procul excidunt quidam, vt à subiectis lebetibus, qui valdè prope aquam feruent, excipiantur, accolarum, in hoc euentu, non leui voluptate. Rectè quoq; ac diligenter à regibus cautum est, ne autumno capiantur. nam vel soboles multum detrimenti acciperet, vel inutilis fermè captura esset. hoc autem tempus à sexto idus Septembris, calendísque Decembris intercluditur, Hæcille. Ex Ioannis Kentmani piscium Albis descriptione, quam in nostram gratiam confecit. Salmones parui & magni è mari in Albim veniunt: nec proficiunt in eo, sed contabescunt & emoriuntur. Cùm primùm glacies fluuij resoluta defertur, hic pisces Albim subit, pergitq; semper, donec rursus glacies ferri incipiat, *(vêre nimirum usq; ad hyemem: vt media aut ampliùs vêris parte, æstate & autumno totis, & initio hyemis, per Albim & influentes in eum aquas semper ascendat.)* Plurimi quidem capiuntur circa medium quadragesimæ, quo etiã tempore optimi sunt. item circa diui Laurentij diem, qui decimus est Augusti: nisi impediantur algis & herbis fluuiatilibus, (von dem Stinck *quæ vox si non herbas aquaticas, à fœtore, vt coniicio, nominatas, significet: quid sibi velit, nescio,*) quæ crassæ ac fuscæ nubis instar passim in ripis natæ salmonem impediunt. Mildam flumen (dictum vt arbitror à lenitate vel mollitie aquæ) præ cæteris diligit salmo: & (vt quidam putant) ab aqua Albis fluuij, qua cum permixta in mare se exonerat, discernit. Iraq; plurimi eo in loco, vbi Milda in Albim influit, (Dessauiam vocant, quod oppidum est principum Anhaltinorum,) capiuntur, hoc modo: Ad Mildæ in Albim ingressum principes vallum siue obstaculum quoddam excitarunt, vt ita redundans aqua ad molendina diuerteretur, octo cubitis aliquantò altiùs. vallo graues & magnas arbores imposuerunt, & perticis magnis intus *(inter arbores)* cancellarunt, ne salmo transiliat. inter perticas alicubi nassæ magnæ sunt collocatæ. Hunc locum cùm attigerit salmo qui per Albim ascendit, saltu aduersus aquę precipitium se proripit in altum: vbi vel in nassam incidit & capitur: vel arborem perticásve contingit, indeq; violenter in Mildam se traiicit. Hoc si prima vice non successerit, secundò etiam tertióq; experitur. &, si ne tum quidem transi-

(Captura Salmonum Dessauia, &c.)

lire

lire aut assequi altitudinem valli potuerit, vadum petit: inibique sub saxis delitescens emaciatur ac cõtabescit, *(vt prædictum est, in A.)* Si tamen flumen Albis augeatur & crescat, aduersus illud subinde fontium & originis cupidus ascendit, parit, & consumptus tandem macie ac siccitate moritur. Obseruaui ipse adeo tabidum, vt exanguis, & nullis ferè intestinis, (præter vnum exiguum & contortum, à faucib. ad anum dodrante breuius,) appareret. Nati ex eo pisciculi in Albi, non crassiores nec longiores ferè digito euadunt, quamdiu in eodem vel *(iuxta)* stagnantibus aquis immorantur. Crescentibus verò & auctis fluuijs, in mare properant, in quo proficiunt & augescunt, Cæterum si prædictum illud Dessauiense vallum superauit salmo, pergit continuo, & fontes petit, superatis deinceps octo aliis vallis, humilioribus duplo, aut etiam amplius: vt quæ viri staturam non excedant: ea sunt ad *Gesnick, Ragon, Bitterfeld, Zschepelin, Eulenberg, Gruna, Wurtzed, Bucha.* Ad hęc valla si captus nõn fuerit, in riuos demum peruenit, & à rusticis fudibus cæditur. Sed qui tam longè progressi sunt, raro boni habentur. In albis quidem alueo si manserint, paucis & minoribus vallis impediuntur: nam à mari vsque ad *Leutenbrutz* in Boëmia nullum est vallum, primum illic viri ferè altitudine est: alterum ad *Caudnitz*, & tertium Pragæ valde humilia sunt. Multi per autumnum illic salmones capiuntur, sed omnes macie ac tabe defecti, perpauci boni. Hucusque Kentmanus.

Alius quidam apud Misenos vir diligens, indicauit salmones autumno circa calendas Octobris migrare, ita vt à mari ad ipsos intra tres menses perueniant, quod si supra annum in fluuijs manserint, perquam insipidos fieri: sin diutius, post annum secundum eos omnino ceu sideratos & aridos interire. Verum hæc minus certa, quam quæ à Kentmano & Boëthio Scoto prodita sunt, mihi videntur: & nostris regionibus procul ab Oceano sitis, vt tarde admodum ad nos perueniant hi pisces, nec immorari possint iam exhausti, non conueniunt. His addam quæ Argentinensis piscator vir bonus & senex dictauit. Salmo à mari per Rhenum quantum potest ascendit: & nomen seruat vsque ad diui Iacobi diem, ab eo tempore vocatur ab accolis Rheni *ein Lachs*: & angulos fluminis sectatur, paritq; circa diuorum Martini aut Catharinę dies: quo tempore mensis minimè conueniunt. Tum rursus nonnihil retrogreditur. Sunt qui à partu moriantur. Aliqui etiam quo minus pariant, impediuntur: hybernos salmones vocant. Qua circa natalem Domini primum animantur, & nascuntur ex eis salmunculi. ij reliquum hyemis sub lapidibus hærentes tanquam mortui degunt. circa sancti Georgij verò diem (vicesimum tertium Aprilis) calore Solis excitantur: & à Petri Pauliq; Apostolorum festo vsque ad sancti Adolphi diem cum cæteris piscibus capiuntur: deinde non amplius vsque ad quadragesimam, tum rursus vsque ad diui Georgij diem: nec vltra digiti longitudinem anno hoc toto excrescunt. Postea in mare descendunt, & Salmones fiunt, breui tempore aucti. Qui verò aberrant, vel in alias aquas perueniunt, illi etiamsi pluribus annis in Rheno manerent, nihilo grandiores fierent, neque Salmones vnquam euaderent, Hæc ab illo excepta adolescens affinis meus haud scio quam rectè omnia perscripsit.

Supra Basileam ad quatuor miliaria Germanica, catharractes & precipitium Rheni est, statim sub ponte ad oppidum *Lauffenberg*: violentum quidem nescio quam altum (quamuis non semel viderim, sed acie oculorum obtusa:) per illud Salmones eluctantur. inde rursus aliud sublimius est, paulo infra Scaphusiam insigne oppidum Heluetiorum. nostri præcipitium illud vocant *den Lauffen*, à rapido fluminis decursu. hoc salmones audio superare non posse: & eo vsque cum appulerint, plurimi capiuntur. Pariunt apud nos, vt piscatores nostri referunt, circa calendas Septembris. Bis anno eos migrare aiunt. E Rheno Limagum nostrum ingrediuntur. inde per lacum (in quo tamen nunquam aut rarissimè capiuntur) ascendunt, ac rursus Limagum subeuntes Claronam vsque versus fluuij originem feruntur, & pariunt. A natali Dominico nulli amplius comparent.

A partu malè affectos, maculosos, rostro recuruo, tergore rigido, in Anglia aliqui ad mare reuerti, in eoque purgari putant. argumentum esse, quod aliquando sub ipsum maris ingressum huiusmodi salmones deprehensi sint. Audio eos sub partum scrobes modicas excauare, sicut etiam truttas. Rondeletius putauit tum lampredas tum salmones in mari simul ac fluuiis parere. ego salmones in fluuiis tãtum, vt abunde ex præscriptis constat: lampredas in mari tantum parere dixerim, (tum maiores. tum mediocres:) vt scripsi in Corollario de Mustela Ausonij c. ad finem pag. 569. minimam quidem huius generis speciem, fluuiatilem solum riualemque esse Rondeletius ipse fatetur. Lampredæ salmones è mari flumina subeuntes comitantur: ad hærentes enim ventrem vel collum eorum agglutinato rostro exugunt. Lampreda cum per se ad natandum aduerso flumine inepta sit, migraturo salmoni se applicat ore, atque ita retinet, vt præcipitia quoq; saltu superantem illum quandoq; sequatur, & suctu oris inflicta carni eius bene ampla vestigia (numi argentei vncialis latitudine, profunditate digiti) appareant, Kentmanus.

Hirudines per hyemem salmones circa saxa hærentes, modo rostris modo caudis eorum correptis, adeo infestant, vt è profundo ad aquæ summa eos propellant: per æstatem quoque exilire eos cogunt, tanquam eas reijcere aut abstergere cupiant, & hac iniuria tentati vix vlli superstites euadũt, vt audio. Episcopus Lausannensis nostro tempore contra sanguisugas, pisces maiores, & præsertim Salmones mirabiliter inficientes, letaliter quoque pungentes & ad ripas aquarum propellentes, exorcismi dictamina de sacris scripturis collecta dictari fecit, & per certa dierum interstitia publicari, & ad effugãdum & repellendum huiusmodi bestiolas multipliciter profecit, Felix Malleolus.

His perscriptis, Vldrichus Hugualdus, de morib. Philosophiæ interpres [illegible] in præclara Basilienſi Academia, & Adamus à Bodenstein medicus in eadem vrbe celeberrimus, de salmonum natura rogari quædam non vulgaria me docuerunt. ab ijs enim per literas inquirere volui, quod vix alibi plures quam Basileæ salmones in Rheno capiantur, supraque Basileam ad cataractam vsque ad Lauffenberg oppidum. Exponam autem hoc in loco quæ ad naturam & actiones salmonum pertinent, ab illis communicata, ijs fere omissis, quæ iam prius ab alijs accepta enarrani: quæ verò ad eorundem capturam referuntur, ad E. segmentum differam. Salmones ferè primo ex Oceano per Rhenum ascendunt magnis copiis, ita vt Maio mense circa Basileam maxime abundent. Aquis fluminum auctis & turbidis

præsertim migrare gaudent. Maio, Iunio, & Iulio mensibus, ab hirudinibus infestantur in tantum, vt in ripa aliquando viribus prorsus exhausti, aut etiam mortui capiantur. His exugentibus adeo dolent, vt supra aquam ad tres pedes, aut amplius, septem vel octo ad summum, exiliant. quanquam piscatores quidam aliam causam horum saltuum esse suspicentur: tanquam ad prouidendum cauendumq; sibi ab insidiis hoc faciant: complurimum enim dum ipsi in nauibus colloquuntur, sic exilire salmones aiunt, interdum capita tantum profetre. sed hoc mihi verisimile non fit. Alij per lasciuiam, cum corpore optimè habito sunt, vt Iunio mense, exultare eos putant. quod verisimilius apparet: sed an alij quoque pisces cum maximè vigent, similiter supra aquam sese eiaculentur, quærendum. Altiorum sane saltuum, non aliam quam violentam aliquam causam fecerim, qualis maximè hirudinum stimulus est. Complures enim aliquando salmonem vnum inuadunt, caudam, & palatum quandoq; implent: & ad intestina quoque descendunt. Itaque præ dolore non pergunt per flumina ascendere salmones, sed ad ripas deflectunt: vbi in captis piscatores rei causam facile deprehendunt. Et putant aliqui hirudines istas in ipsis salmonum intestinis nasci, nutrimento quod continetur calefacto, assiduo nimirum & vehementi motu. Quod nisi tempestiuè à piscatoribus capiantur, hoc malo extinguuntur. vnde contingit vt sæpe salmones iam putres inueniantur. Circa partum, ab eo præsertim, colorem & saporem mutant: ac propter maciem figuram quoque, vt genus iam aliud videatur. Itaque etiam nomen mutatur. Hæc eorum tabes non multo post solstitium æstiuum incipit, ita vt paulatim corpora eorum imminuãtur, sicuti & Solis supra nostrum hemisphærium meatus. Circa finem ferè Nouembris ad altiora fluminum tum maiorum, tum minorum quæ in illa exonerant, loca contendunt, & quoad eius possunt ascendunt, pariendi gratia: quamuis etiam in Rheno pariunt. Incipiunt autem non multo post solstitium: & sublinde per autumnum ac hyemem parere pergunt, aliqui etiam ad veris vsque (id est Martij) initium. Partui locum idoneum circumspiciunt, solutum fabulonem, super quo fluuius rapide fertur. Scrobes huiusmodi ad ripas fluminum aquis destitutas sparsim apparent. ibi scrobem excauant, longam ad tres quatuórve passus, latam circiter pedes quatuor. In eam fœmina immittit oua piscorum magnitudine, quæ mas rore genitali suo irrigat. Constituunt autem eam muniuntque, tum intus, tum ad latera, lapidibus, miro ingenio: vt in tuto sint oua, obtectaque, ne impetu fluuij dispellantur. Sic igitur illa genitura à maris perfusa, ad verum vsque tempus iacent. tum demum ijs animatis pisciculi nascuntur, quos salmulos vocant. Hoc dignum admiratione, salmulos mares aliquando genitura plenos reperiri, & cũ fœminis adultis coire, earum excluſa oua rigare (quod ignorauit Rondeletius) cum in salmulis fœminis nunquam oua reperiantur. Pariunt autem libentius in minoribus fluminibus ac riuis, in quæ deflectunt, quam in ipso Rheno, cuius aqua eo tempore minus lenis aut pinguis est, & vadum durius. Partu absoluto vterq; sexus retro in Rhenum fertur: & multi in Oceanum redeunt. Auctis aliquando fluuijs, oua scrobibus commissa dissipantur: itaque pars perit, aut à piscibus deuoratur: pars aliqua seruatur. at si nihil impediat, oua paulatim augescunt, & spiritu vitali inflata demum vltrò per aquam deferuntur, formaturque interim pisces. Scrobes, quas diximus, aliquando imminutis fluuijs in sicco relinquuntur: nec tamen pereunt oua: sed restitutis aquis animantur, non minus ac si eis destituta nunquam fuissent. Piscatores ex aquarum copia inopiaue, magnus an paruus salmonum in annum futurum expectandus sit prouentus, coniectant. Salmuli, hoc est fœtus salmonum, non vltra vnum alterumúe annum in Rheno se continent: vel potius (vt plurimum) priusquam annum vnum compleuerint ex aliis aquis in Rhenum, inde Oceanum descendunt: id facere incipiunt cum quaternos aut quinos pollices longi sunt. rarissime enim qui octo aut nouem æquent pollices reperiuntur. In Oceano verò aucti, vt iam salmones sint & dicantur, rursus per Rhenum ascendunt, vt prædictum est, Hactenus illi. in quorũ scriptis si quid fortè est quod cum antea expositis dissideat alioqui dubium, considerandum est ab ociosis diligentius. Sane vt thynnus in Pontum ascendit, vbi dulciores sunt aquæ, vt pariat: sic salmo ad summos amnes. vtriusque etiam partus incrementum precipua sumit celeritate: salmonum in mari, thynnorum cum è Ponto redierint. alia eis communia expositi supra in A.

E Salmunculum legitima mensura minorem, & hami genere quem *Polangel* vocant, piscatoriæ leges nostræ capi prohibent. Scotis autumno salmones piscari interdictum est, à sexo Idus Septembris, ad calendas vsque Decembris: quod & soboles multum detrimenti acciperet eo tempore, & inutilis fermè (in cibo, propter partum) captura esset, Hector Boëthius. Basileæ à die diui Andreę vsq; ad veris initiũ capi eos non licet.

Circa Argentinam hoc modo irretiuntur: Retia tria singula circiter viginti passus longa coniungũtur. ea demissa vt non amplius tribus pedibus à vado absint, à piscatoribus, qui in cymbis vtrinque sunt à tergo salmonum non ante ipsos, trahuntur. existimantur autem inutiles qui supra rete fuerint: ij solum probantur qui circa vadum irretiti fuerint. Simili modo in Angliæ fluuio Tamesi capi audio. Cortus tempore alicubi piscatores captam fœminam funiculo alligant, & paulatim ad ripam attrahunt: quod si mas superuenerit, coitus desiderio sequitur, & à piscatore post frondes latente cum prope ripam accesserit, tridente percutitur. Tridentis seu fuscinę, fune & palo alligati, in Anglia etiam vsus est. ita confixi, defessi tandem extrahuntur. Audio pisces quosdam parituros. scrobes modicas excitare, vt trutas, & salmones: & noctu adhibita lucerna, aut face potius, iuxta immorantes & nimio splendore stupefactos, fuscina feriri. Valla siue obstacula & præcipitia fluminum superaturi, nassis interdum saliẽtes per valla collocatis quomodo excipiantur, dictum est supra in C. Circa cataractam inferiorem Rheni plurimi capiuntur Lauffenbergi, (alibi pauciores in Rheno,) & alio anehuntur. Sturio in Rheno dux salmonum existimatur: & vbi apparet, copiam salmonum adesse piscatores sibi promittunt. Capiũtur etiam in mari, non ipso quidem patente Oceano, sed æstuariis, & magnis canalibus maris. Maximus optimusq; salmo, Maio mense, quindecim fere denariis argenteis venire solet apud nos. Basileæ ab initio, cum nondum abundant, ex vno salmone quatuor, quinque aut sex aureos ad piscatorem redire aiunt. aureum dico pro denariis argenteis septem cum dimidio.

Pretium.

Salmones parui hamis, retibus & nassis decipiuntur.

Adul-

Adultioribus verò aliis modis, quatuor aut quinque diuersis, insidiantur: quos, vt ab amicis Basiliẽsibus accepi, deinceps exponam.

Vbi rapidissimus Rheni fluxus ad ripam est, piscator structuram quandam instar valli (ipsi vocant *ein Wag*, a litera medio sono inter a. & o. proferenda, quod idem & trutinæ seu stateræ nomen est Germanis) è truncis & lapidibus, quæ in flumen promineat, excitant. fundamentum est quercus, aut alnus. Ad hanc vnda impingens magno impetu, retro fertur: ita fit vt retro locus aquæ tranquillior, idemq; profundus sit, (Vocant ipsi, *die lani, stille, oder ruervvasser.*) in eo nauicula est cum tugurio: vbi noctes ac dies piscatores duo manent, quo tempore salmones perpetua migratione ascendunt: & reti in aquam demisso (*mit einem garn vvie ein breiter zopfbaren*) salmones expectant. Salmonem igitur ascendentem obuius iuxta structuram aquæ impetus in locum tranquillum reijcit. id sentit piscator filo commoto. tenet enim manu fila aliquot, reti annexa: vel lignum paruum, funiculo alligatum reti, ita vt figeat. Itaq; mox pexillo quodam retracto, vt rete subito per machinam seu decipulam attrahatur, efficit. (*Er zeucht einen knebel hinder sich, so schnellend die holtz schvvenckel vber sich, zehend mit jnen das garn.*) Huiusmodi autem structuræ magnis impensis fiunt, & conseruantur. & qui eis vtuntur piscatores certam summam pecunię magistratui soluunt, & insuper decimas. Habentur autem solum inter Basileam & oppidum *Lauffenberg*. Infra Basileam nulla est, quod solum seu vadum solutius sit: & Rhenus patentior, nec amplius similiter in angustum saxis vtrinq; coactus. Quod si salmones omnes iuxta has structuras ascenderent, caperentur omnes: sed multi longius ab eis, & circa medium fluminis ascendunt.

3. Maio mense salmones ab hirudinibus infestis exuguntur, & exagitantur adeo, vt viribus exhausti, solito per medium flumen ascensu relicto, ad ripas modo sub aqua profundius, modo in eius summo vt appareant ferantur:) quod piscatores Basilienses *treiben* appellant: *der Salm treibt oder schvvimbt gegen den lendi* & salmones ita affectos, *die treibenden Salmen.*) Quo animaduerso piscatores nauicula ad properant, & fuscina (*Geeren* vocant, sicut stimulum aratorum *ein Gart*) quinis fere aut septenis cuspidibus horrente, feriunt. fuscinę ferrum perticæ ligneæ affixum est. Est quando scamnum oblongum Rheno imponunt, ita vt pars eius posterior in ripa firmetur, anterior verò, pedibus duobus nixa in flumen promineat. Huic insistens piscator salmonem viuum valido funiculo alligatum tenet, donec alius aduehens morsu eum depellere conetur. quod cum fieri videt, paulatim vinctum ad ripam retrahit: & alterum insequentem, vbi commodum fuerit, fuscina percutit. Circa Argentinam, vt supra scripsimus, priuatim marem coitus desiderio fœminam vinctam dum persequitur, similiter ferri aiunt.

4. Circa medium Martij mensis, retibus ad Salmones comparatis (*Salmengarn*) vti incipiunt piscatores. Id genus retis duplicatum (*filo duplici*) est: altum ad duos passus longum vt minimum triginta tres. fiunt eni m quædam multo longiora. Nam supra pontem Basileæ rete vnum trahi solitum ad bis mille gradus (gradum nomino pro binis pedibus) longum esse putant. & aliud infra pontem longissimum, quod fere ad pagum quendam proximum extendatur. Huiusmodi reti extenso piscatores vtrinque bini in singulis intribus per Rhenum descendunt. degrauatur autem inferius plumbo, superius subere eleuatur. Ita ad vadum vsque demissum, salmones obuios omnes implicat. qui verò superiore in aqua loco natant, (ijdem puto plerunque inutiliores, vt supra dictum est,) euadunt: vt ij etiam qui circa saxa, aut sub saxis sunt. Implicati aliquando vi erumpunt: quod si duo aut plures simul capti sint, & erumpere nequeant, vbi alter alterum sibi propinquum senserit, concursu mutuo, si spatium detur, se inuicem conficiunt.

5. Denique & fortuito interdum capiuntur, genere retis, quod *Spreutgarn* appellant. hoc enim à piscatore iniecto propter alios pisces, vt nasos, barbos, lucios, capitones, &c. sæpe etiam salmones pariter irretiuntur. Nouimus Augustæ Rauracorum ante paucos annos piscatorem quendam hoc reti obiter & fortuito salmones sex cepisse. Hactenus amici Basilienses.

Plinius Salmonem, in Aquitania præcipuè, optimum omnium piscem esse dixit: nunc autem melior esse probatur in Rheno, & præcipuè circa Coloniam, Albertus. Optimus ad cibum est Maio mense communi piscatorum circa Rhenum consensu. Miseni post Pentecosten cum auctiora sint flumina, præferunt. Aprili, Maio, & paulo post commendatur. Cum verò nomen mutat, & iam partui propinquus *Lachsi* appellari incipit, à diui Iacobi die vsque ad Andreæ, deterior est. sed is quoque inter sanctorum Michaëlis & Martini dies præfertur, ceu minus malus, Innominatus author libelli de piscibus Germanici. Salmunculi semper placent, sed præcipuè Aprili & Maio. Et cum vltra sex septemue digitos non excrescant, cum ad quinti digiti mensuram accesserint, delicatiores habentur. salmonis caro rubra est, suauissima ac lautissima. nullum enim piscem vel marinum, vel fluuiatilem salmone meliorem vnquam comedimus, vt mea etiam sententia marinis & fluuiatilibus omnibus sit merito præferendus, Massarius. ego marinis omnibus suauitate præstare concesserim. non tamen salubritate, præsertim ægrotis. Crassius enim & viscosius ex eo nutrimentum esse arbitror, quam plerisq; saxatilibus. Inter ludicras piscium nomenclaturas, Salmonem dominum cognominari, propter saporis scilicet excellentiam inuenio. *Ein Salm ist ein herr.* Inter alios pisces marinos consideratis conditionibus prędictis, laudabiliores videntur, rogetus, gornatus, &c. Salmones autem, & turboti & maquerelli multum deficiunt in bonitate. sunt enim multo crassiores, viscosiores, & concoctu difficiliores, magisq; excrementitij. quamobrem non conueniunt nisi validis iuuenibus, idque cum embammatis, quæ viscosum crassum & frigidum ex his piscibus succum emendent, Arnoldus Villanou. in Regimine Salernitano. Mnesitheus ex marinis piscibus concoctioni contumaces & grauissimos eos esse scribit, qui è marii in fluuios & stagna transeant, vt mugil, & summatim quicunque pisces in vtrisque aquis viuere possunt. Carnes salmonis rubeæ sunt: quæ licet dulces pingues, & gratæ sint valde, cito tamen edentibus satietatem ingerunt, Author de nat. rerum & Albertus. Quo altius ascenderint, & fontibus fluminum propiores fuerint, eo deteriores habentur: quo verò propiores mari, eo meliores. in Albi qui circa Dessauiam ad primum obstaculum capiuntur, optimi habentur, Kentmanus. Rondeletius tamen eos qui altius in Rheno, vel Basileam vsque ascenderunt, præfert ijs qui proxime mare, vt Antuerpiæ capiuntur. Ego certe in fluuijs præferendos puto, vbi mediocriter progressi fuerint. exercitio enim me-

Maquerelli.

diocri suauiores & salubriores eorum carnes fieri puto. altius autem euectos, vel simpliciter diutius in dulcibus aquis immoratos, tum propter nimium laborem, & inediam ferè, tum quia iam partui propinqui sunt, deteriores iudico. circa Coloniam (vbi etiam Alberto laudantur) præstantiores quàm vel Basileæ vel Antuerpiæ esse non dubito: quod is locus ferè in medio sit. Quo tempore pariant, quodq; tũ cibo insipidiores sint, prædictum est supra in C. Cautum est à regibus Scotię ne autumno capiantur salmones. nam vel soboles multum detrimenti acciperet: vel inutilis (ad cibum) fermè captura esset. hoc autem tempus à sexto idus Septembris, calendisq; Decembris intercluditur, Hector Boëthius. Memini salmones olim gustasse, qui præpingues fastidium mihi mouebant: quod & trutæ pinguiores, salmonatas cognominant, faciunt Autumnalis & hybernus salmo carnem minus rubram & insuauiorem habet, Incertus. Talem ego circa finem Nouembris aliquando gustaui, marem, qui præferri solet vt in cæteris etiam plerisque piscibus: pinguem, viscosum, nec admodum grati saporis, & concoctu difficilem deprehendi. Partes eius assæ magis placebant elixis. Item alium quarto Decembris, molli nimium & flaccida pinguiq; carne. Salmones illos hybernos, qui multis ænei coloris (vnde nomẽ *Kupfferlachs* Misenis, *Kypper Salmon* Anglis) maculis variantur, & rostrum valde recuruũ habẽt, porcis grandinosis comparant Angli, & similiter eis abstinent, præter pauperculos: bonum verò & tempestiuum salmonem à carne friabili (id est non viscosa) *Kribbe Salmon* appellant.

Apparatus. Salmones quouis modo coxeris, optimos inuenies, Platina.

Ex Kentmani piscium Albis descriptione. Salmonem (inquit) omnium qui in Albi capiuntur piscium sapidissimum iudicamus. Recens in aqua bene elixatur, tum vino calido perfunditur, refrigeratur, & in eodem quo elixus est iure ad dies octo vel quatuordecim seruatur. Inde sigillatim cum libuerit vnus aut alter tomus eximitur, aceto perfundendus. is cibus est lautus & boni saporis, presertim cum pinguis fuerit Aliqui in vino coquunt: alij æquales vini & aquę partes miscent, sed ita caro tenacior fit, vt in mera aqua elixari præstet. Spina dorsi separatim tota excinditur: eiusq; partes aliquæ super craticula assantur, quæ mensis super olere aliove ferculo imponuntur, in magnis deliciis. Oua quoq; & intestina (quæ ab ignaris negliguntur) vel separatim, vel cum ipso pisce elixa, condiuntur iure aromatico coloris è ruffo nigricantis, quali etiam lampredæ vel priccæ vulgo dictæ, lautissimo apparatu. Cæterum salitus salmo, qui in dolijs toto anno seruatur, non aliter quàm recens paratur, præmaceratus tamen aqua. is specie quidem & colore prę se fert recentem, sapore verò siccior & tenacior est. quamobrem iure cõditus vt sturio optime sapit. Deniq; infumatur salmo, præsertim qui Bremæ capitur, vel crudus esitari solet. sunt qui segmenta ex eo super craticula assant. Bremenses quidem peculiari quodam modo eũ infumare solent Hæc ille.

Salmunculos trutarum instar coqui præcipiunt. Salmones Gallia Belgica quotannis mittit, sed in plebis vsum, quum saliti pristinam nobilitatem amittant, Iouius. Ad Rhenum vbi plures capiuntur, vt Lauffenbergi, saliri in paruis dolijs solent, quæ libras (sedecim vnciarum) circiter viginti capiant: & in cellis vinarijs seruare. autumno & hyeme hęc vascula alio vendenda mittunt Zurzachium præsertim Heluetiorum pagum, ad nundinas quæ calendis Septembris solennes sunt. libram ferè quinq; obolis argenteis vendunt, quincunce dempto. Durant per annum, & in cellis vinarijs cum sua muria seruantur. Saliuntur autem æstiui tantum, non autumnales aut hyberni, nisi forte pro plebe.

SALMONIS nomine Rondeletius, etiam lacustres quosdam pisces, Vmblas vulgo dictos, in Lemano lacu comprehendit: quos ego ad Trutarum genus referre malui, sicut & Trutas salmonatas à quibusdam dictas, quod magnitudine pulparumque specie & colore salmones referant: vnde Germani etiam composito ab vtroque pisce nomine *Lachsforel* appellant. item Salmarinum Tridenti dictum.

Banna fluuius est Hiberniæ, per Vlconiam effluens regionem. Nam exiens ex lacu eiusdem prouinciæ permaximo, in borealem oceanum decurrit. In hoc olim piscis repertus est formam salmonis habens, tantæ magnitudinis, vt nullo modo integre in marginem trahi posset, Boccatius.

Germani *Rheinfisch* vocant piscem (Asellorum generis,) minorem Salmone, alioqui similem: quem partim Lucium, partim Salmonem repræsentare, eruditus quidam nobis indicauit.

Salmones etiam vocari accepi pisces nescio quos in Oceano Balthico, qui ore careant, & alimentum branchijs sugant.

Salmonetam Lusitani vocant piscem quem descripsi in Corollario de Alpheste, pag. 37. Salema verò eisdem Salpa est: de qua proxime scribendum.

DE SALPA, RONDELETIVS.

Effigies hæc Salpæ Venetijs efficta est, ei quam Rondeletius dedit, satis similis.

A ΣΑ'ΛΠΗ & σάλπης Græcis dicitur, à Latinis idem nomen seruatum est. Pancrates apud Athenæum scribit βόας πόρπε, ab Halizonis vocari, qui locus corruptus est, legendumque βόας πόρπες. Nam βόες dicuntur αἱ τέλειαι, id est, iam adultæ: δαμάλεις καὶ πόρτιες, αἱ μήπω ὑπὸ ζυγὸν ἐλθοῦσαι, μηδὲ ὀχηθεῖσαι: αἱ πόρτιες δ᾽, αἱ ἔτι ἀτελέστεραι τῶν δαμάλεων. id est, δαμάλεις & πόρτιες, quæ nondum iugum passæ sunt, neque adhuc dorso vexerunt: πόρτιες verò adhuc minus adultæ, & iuniores quàm δαμάλεις. Boues igitur paruas, ait Pancrates, salpas nuncupari, quia algam in ventriculo, vt fœnum boues congerunt. Hunc Athenæi locum, quo Pancrates dicit salpas nominatas fuisse boues, si sequutus est Phauorinus, cum scribit, Σάλπη ἰχθύς ποιός, ὃν καὶ βοῦν καλοῦσιν, id est, Salpa piscis quidam est, quem bouem vocant: si etiam eundem secuti sunt, qui Græca lexica concinnarunt, apud quos hæc reperias. σάλπη piscis genus est, qui bos etiam dicitur, satis rectè annotarunt. sin salpam eundem piscem esse crediderunt, cum eo qui bos propriè dicitur ab iis qui de piscibus scripserunt, vehementer errant. Est enim bos ex planis & cartilagineis. Existimant quidam Salpam piscem eum esse, qui à Germanis *Stockfisch* dicitur, ea moti ratione, quod *Stokfisch* baculo tundatur, priusquam coquatur, quod Plinius libro 9. cap. 18. de salpa faciendum esse

Lib. 7. Bos, salpa quia vescitur alga cu fœno. *Bos alius cartilagineus. Salpa non est Stockfisch. cum id nomen*



esse scribit. Alij (inquit) alibi pisces principatum obtinent, coracinus in Ægypto: Zeus, idem faber appellatus, Gadibus: circa Ebusum salpa, obscœnus alioqui, & qui nusquam percoqui possit, nisi ferula verberetur. sed hæc ratio minimè conuincit, *Stockfisch* Germanorum, nostram esse salpam: quod baculo tundi, salpæ cum multis commune sit. Etenim *Stockfisch* Germanorum lingua est piscis baculi, id est, piscis qui baculo verberatur, priusquam coquatur. Quo nomine piscem omnem sale conditum, & in fumo, vel in aëre exiccatum appellant, vt raias, soleas, passeres, rhombos, (*Germani hos omnes propriis nominibus appellant, non Stockfisch: quod nomen asellis tantum, quanquam diuersis tribuitur,*) aliosq; permultos. Quorum mirabilem copiam Antuerpiæ vidi, in aliquot tabernis mercatorum, qui hanc mihi præparationem narrabant, vt quoniam sicci sunt, & præduri, baculo primum vel malleo contundantur: deinde aqua aliquandiu macerati decoquantur. Huiusmodi piscibus, scilicet planis & tenuibus illic abundant, qui facilius exiccari possunt: quos exiccatos in Germaniam conuehendos curant. Non est igitur *Stockfisch* piscis species, vt Germanicę linguæ periti mihi indicarunt. Non desunt tamen, qui speciem quandam asellorum ex siccatorum propriè *Stockfisch* dici putant, qui salpa nostra esse non potest: oblongus enim & rotundus est piscis. Salpam igitur ex hac descriptione agnoscemus.

pluribus piscibus planis apud Germanos commune sit.

Aselli species, quibusdam propriè Stockfisch *dicta: ne hæc quidem salpa est.*

B

Piscis est marinus, litoralis, squamosus, solitarius: auratæ, vel potius boopi similis, pedali magnitudine. Rostro quasi mugilem refert. Capite est paruo & obtuso, lineas multas aureas, à branchijs ad caudam ductas, habet parallelas, à quarum multitudine, πολύγραμμος, (& ab Oppiano αἰολόνωτος:) à colore verò ἐρυθρόγραμμος (*ab Aristotele, Athenæo citante,*) dicitur. Pinnis, aculeis, branchiis auratæ similis: cauda, sargo. Oculis est aureis, superciliis quodam modo virescentibus, ore paruo, dentibus serratis. Peritonæum nigrum habet, ventriculum magnum: & intestina lata, alga, aliisque excrementis fœtidis referta: Hepar rubrum, & in eo vesicam copioso semper felle distentam, splenem nigrum, cor angulatum.

C

Alga vescitur & stercore, vnde σκατοφάγοι καὶ βδελυροὶ dicuntur, ab Epicharmo apud Athenęum, id est, stercus edentes, & fœdi execrandique odoris: quo loco pro βδελυχροὶ, reponendum duximus βδελυροὶ. nam & obscœnus piscis à Plinio appellatur. Id confirmat Aristoteles (Lib. 8. de hist. animal. cap. 2. Et lib. 4. cap. 8.) Nutritur salpâ, stercore & alga. porrum (Πράσον *hic nimirum fuerit herba marinæ nomen*) etiam depascitur. Capitur etiam sola piscium cucurbita. Eandem inter pisces, qui optime audiunt, recenset, & semel autumno parere scribit. Oppianus libro 1. autor est in scopulis (*circa scopulos*) alga & musco refertis habitare: nequaquam tamen dicemus cum verè saxatilibus conferendam esse. Salpa enim est σκληρά, ἄτομος, inquit Athenæus: id est, dura & insuauis, & Archestratus indicat malum esse piscem: Est proculdubio plane ingratus palato & ventriculo, succum malum gignit, ideo vilis est ijs etiam qui eum nouerunt, & à pauperibus solum emitur. Messis tempore melior est, autore Archestrato & ex Mitylene. secundum Plinium ex Ebuso. Sunt qui autumno captam præferant, sed malè. nam cum pisces omnes vterum ferentes meliores sint, salpa æstate grauida melior dicenda est: parit enim autumno, & semel duntaxat, vt prius dictum est.

Lib. 7. *Lib. 5. de hist. ani. c. 9. & 11.* F *Lib. 8.* *Lib. 9. c. 18.*

G Eius nullum vsum in medicina comperio. Nam quod citatur à quibusdam ex Plinio: Salpa siue salpes expurgat vlcera in linteolis conceptis. Id non de salpa pisce, sed de nomine mulieris obstetricis, cuius etiam eodem capite bis fit mentio, & alijs in locis, intelligendum puto, vt loci huius is sit sensus: Salpe obstetrix salsamentis (de ijs enim eo loco verba facit) in linteolis conceptis expurgat vlcera. Athenæus etiam ex Nymphodoro Syracusio scribit Lesbiam fuisse Salpen, quæ Pægnia condiderit. His addit, ideo quod varius sit piscis, Locrum siue Colophonium Mnaseam, qui Pægnia conscripsit, à varietate salpam appellatum.

Lib. 32. c. 10. Salpa obstetrix. *Lib. 7.*

E Oppianus scribit salpas alga delectari, & ob id nassis dispositis in locis algosis capi. *Lib. 3.*

Σάλπαι δ᾽ ἰκμαλέοις μὲν ἀεὶ φύκεσσι μάλιστα
Τέρπονται, κείνη δὲ καὶ ἀγρώσσονται ἐδωδῇ. Cætera pete ex ipso autore.

A Piscis est in nostra Gallia Narbonensi, qui perappositè Vergadelle dicitur, id est, virgis siue lineis distin-

Alius piscis salpa minor. diſtinctus. Virgas enim appellamus tenues & longos ramos ſiue baculos, quas Græci ῥάβδους nominant: vnde δίῤῥαβδα, duabus virgis ſiue lineis diſtincta: & πολύῤῥαβδα, quæ pluribus, vt ſalpa, & piſcis de quo hic loquimur. Quem non inepte virgatum nominabimus à virgis, quas habet ſalpæ omnino ſimiles. neque eum à ſalpa genere differre puto. ſed ætate tantum, vt virgatus minor ſit, neque in eam vnquam magnitudinem accreſcat, in quam ſalpa accreſcit. Præterea tenuior & rotundior: ſalpa veluti compreſſu extenſa, ſpiſſaque, reliquis omnibus ſimilis (*Plura lege mox in Salpa quæ in ſtagnis marinis degit.*) Stagna marina ſubit hyeme, quo tempore capitur, & vere alio tempore minime.

Salpæ quoque in ſtagnis marinis frequentiſſime inueniuntur, lineis ſiue virgis à capite ad caudam dictis parallelis, marinis ſimiles. In ſtagnis tamen noſtris frequentior eſt ea quæ Vergadelle à noſtris dicitur, id eſt virgatus piſcis: à virgis, quibus Salpæ ſimilis eſt, figura verò non item, ſed Auratis vel Spari potius. Sunt enim Salpę ſpiſſiores & longiores, inter Auratas & Lupos mediæ. Ab ijs virgati noſtri neque partibus internis, neque ſaporis inſuauitate, neque carnis mollitie, neq; victus ratione differunt: ſed virgati in ſtagno ſolum reperiuntur, Salpæ & in mari & in ſtagno.

DE EADEM, BELLONIVS.

A Inter cæteros piſces non eſt alius qui ſuam conſtantius retinuerit antiquam appellationem: ſiquidẽ vulgo Græco, Italico & Gallico nihil de priore nomenclatura immutauit: Maſſilienſes tamẽ Sopi pronunciant. Romani hanc vulgo non Salpam, ſed Sarbam vocant.

B F Piſcium nullus eſt colore pulchrior, quanquam admodum ſit vilis. Vnde Ouidius, Atq; immunda chromis, merito viliſſima Salpa.

C Salpas turmatim vidimus ab imo gurgite ad litus marinum ferri, ac deinde algis herbiſque marinis paſtas, in mare celerrimè demergi.

B Piſcis huius moles raro excedit duas libras: eſt enim mediocris craſſitudinis, oblõgus, & latus. Squamas aliorum piſcium more gerit, latas & varij coloris: pinnam vtrinq; ad branchias vnam, duas ſub vẽtre: aliam in tergore continuam, tranſlucidam, duodecim aculeis præmunitam: Lineam vtrinq; in lateribus habet nigram, ac rurſus nouem alias rectas coloris lutei: quæ piſcem miro artificio, melino colore depingunt. Caudam habet bifurcam, & circa anum pinnam vnam, duobus tantum aculeis fortibus communitam: caput vt Auratæ tornatum: dentes in labijs firmos: in ſuperiore maxilla ſedecim, in inferiore octodecim: Os pro corporis mole paruum, nec labia infarcta, vt in alijs piſcibus: Oculos melinos, pupillam nigram: Peritonæum omni nigredine nigrius. Cor pericardio incluſum, triangulare, ſuo ſepto ab inferiore ventre ſeparatum: Stomachum oblongum, per ventrem extenſum, latum quidem, vt Scari, & ferè ſemper herbis plenum: Pylorus, ſtomacho coniunctus, quatuor tantum apophyſes habet, qui ſtomachum circundant. Hepar illi eſt valde magnum vt Scaro, ſed magis ad colorem cinereum inclinans, in tres lobos partitum. Veſiculam fellis oblongam habet, in dextro hepatis lobo poſitam. Brãchias vtrinq; quaternas, ſed eas quidem geminas: quamobrem branchias in Salpa ſexdecim numerari poſſe dixeris. Lingua Salpæ eſt mediocris: vulua vſque ad diaphragma extenſa, ouis referta, bicornis.

(E) Capitur in Illyria omnibus anni temporibus. Spinas (quas pro coſtis vtrinque decem habet) falcatas gerit, ad ſpinam latas, ſed ad ventrem mucronatas. Spina autem Salpæ, quatuor & viginti vertebris conſtat, per quam nerui inſignes ad latera protenduntur: qui ex duabus primis vertebris originem ducẽtes, etiam ad pinnas deferuntur.

F Cæterum Salpa Scari modo in opſonium apparatur. Carnem habet mollem, fungis quodammodo reſpondentem, paucas ſpinulas.

B Si quis eius ſquamas auferat, eidem lineæ rectæ, luteæ, in cute apparere videbuntur, quæ in ſquamis iam apparuerant. Ideo ipſa colorum varietas non in ſquamis, ſed in cute exiſtere facile comprobatur, vt iam in Mulo & Rubellione diximus.

COROLLARIVM.

A Archippus maſculino genere dixit ὁ σάλπης, his apud Athenæum verbis: ----- κῆρυξ μὲν ἦν βόαξ, σάλπης δ᾽ ἐσάλπιγξ ἑπτ᾽ ὀβολοὺς μισθὸν φέρων. ſed fictum hoc ab illo per iocum eſt, vt piſcis nomen tanquam viri efferret, tubicinis videlicet, alludentibus vocabulis σάλπη & σαλπίζειν. cæteri ſcriptores omnes fœminino tantum genere ἡ σάλπη proferunt. nam vbi in Plinio aliqui legunt, Salpes expurgat vlcera linteolis conceptis: legendum eſt Salpe, (vt recte noſtra æditio habet,) non piſcis, ſed obſtetricis nomen. Σάλπη, piſcis, quem & βοῦν, id eſt bouem, vocant, Heſychius & Varinus: ex Athenæo nimirum, qui Antiphanis ex Operibus marinis verſus hos recitat: ----- σάλπαι τ᾽ ἰσομήκεες ἰχθῦς. Ἃς τε βόας πόρκηες ἁλίζωνοι καλέουσιν, οὕνεκα γαστέρι φῦκος ἀεὶ ἀλέγουσιν ὀδοῦσι. pro ἀλέγουσι malim ἀλέουσι, molunt. ἰσομήκεες autem, id eſt æqualis longitudinis forte ab eo appellantur, comparatione ad alios prẽnominatos. De Halizonis populis ab Homero nominatis alij aliter ſenſerunt, quorum ſententias recenſet & reijcit Strabo: ipſe populos Aſiæ eſſe putat extra Halyn. Ephorus (apud Stephanum) in maritimis inter Myſiam, Cariam, Lydiamq; eos collocat. alij gentem Ponticam faciunt, Arrianus eoſdem Bithynis, &c. vt recitat Euſtathius in catalogo nauium, & rurſus in quintum Iliados. Rondeletius pro πόρκηες, legit πόρπεες. quod mihi non probatur. nam & carminis ratio repugnat: etſi admitteret, πόρπας in accuſatiuo dici oporteret, ſicut & βόας. Sed neque βοῶν πόρπην, coniunctis vocabulis dici puto: & quamuis id dici poſſet, præſtabit tamen πορκῆες legere, (vt βασιλῆες,) id eſt piſcatores, qui retia trahunt. πόρκος genus eſt retis, de quo plura ſcripſi ſupra in Porcis piſcibus: inde πορκεύς, piſcator retiarius, ſicut idem à δίκτυον, δικτυεύς. Lycophron πορκέων δίκην dixit, inſtar piſcatorum qui retia trahunt. Sic igitur ſenſerit Antiphanes: Salpæ piſces à piſcatoribus Halizonorum boues nominantur.

Criſo-

Criſopleurus, piſcis dictus ſalpa, Syluaticus: melius Chryſopleurus, ab aureo per latera colore. Salpa nunc quoq; ſalpa vulgò nominatur, Maſſarius Venetus. Vbique gentium nomen ſuum retinet, Gillius. In libello quodam Italico memini Salponi legiſſe pro ſalpis. Salema Luſitanicum eſt. Germanicum fingo, *ein Goldſtreimer*, à ſtrijs ſeu lineis aureis: vel circumloquor, *ein art der Meerberſichen mit etlichen gaelben ſtrichen durch die ſeiten, vom kopff gegen dem hindern theil.* Similiter autem ei virgatum ſed latiorem piſcem, (quem in Gallia Narbonenſi Virgadellam vocari Rondeletius ſcribit,) Germanis interpretari licebit, *ein Streimbrachſmen.* nam virgis lineiſue aureis, ſalpam refert: corpore verò latiore ad auratam ſeu ſparum accedit.

Salpæ ſimilis naſcitur in mari rubro piſcis Stromateus appellatus, vt Philon narrat, virgas habens B per totum corpus extenſas, auri ſpeciem referentes, Athenæus. Vt ſalpa piſcis πολύῤῥαβδος eſt, ita ſeſerinus δίῤῥαβδος: hic binis, ille pluribus virgulis inſignis: Athenæus ex Ariſtotele, ex quo etiam ſolitarium piſcem ſalpam facit, & dentes ei ſerratos adſcribit. Salpa piſcis non eſt magnus: coloratior in medio & ex tranſuerſo extat, ventricoſus admodum, Platina. A ceruice in caudam per argentea latera, aureæ rubenteſque lineæ certis diſtinctę interuallis decentiſſimè eum depingunt, Iouius. Pedalis eſt magnitudinis, & virgis quibuſdam aureis (luteis, Gillius) ac rubentib. ſecundum longitudinem deſcribitur, Maſſarius. Binos in capite lapillos gerit, Kiranides.

Salpæ bilibres ad ſummum fiunt: aut ſemper ad libram ſaltem auctę apparent: ita vt in nullo alio piſcium genere æquè atq; in ſalpis, eadem ferè ſemper ſeruari magnitudo videatur: vnde forſan à Pancrate ἰσομήκεες dicuntur, hoc eſt longitudine pares, vt Hippolytus Saluianus obſeruauit.

Salpa etiam maritimis lacubus gignitur, Ariſt. Ouidio adnumeratur degentibus in herboſa arena. C Xenocrates alias in alto capi tradit, alias apud litora, vt referam in F. Vagantur & oberrant piſciũ maximè qui carne aluntur. (*Addendum hic Gazæ tranſlationi ex Græco:* Sunt autem carniuori ferè omnes,) præter paucos, vt mugilem, ſalpam, mullum, chalcidem, Ariſtot. 9. 37. ſed de mullo an carniuorus ſit, dubitari poteſt. Stercore & alga nutritur, Ariſtot. eam ob cauſam à Plinio piſcem obſcœnum dici arbitror. Obſcœnum enim turpe immundumque ſignificat, ex ob & cœno compoſitum. Sic & vpupam, obſcœnam paſtu auem dixit: quam Iſidorus quidam in ſtercore humano commorari, & fœtente fimo paſci ſcribit. Produntur clariſſimè audire, mugil, lupus, ſalpa, chromis, & ideo in vado viuere: Plin. & Ælianus ex Ariſtotele. Salpa æſtatis initio locis plurimis, nonnuſquam etiam autumno parit, Ariſt. Parit ſemel in anno, videlicet autumno, paulò ante æquinoctium, ex Ariſtotele quinto de hiſtoria, Athenæo & Plinio, Maſſarius.

Piſcis eſt ſolitarius, Athenæus ex Ariſtotele. Pauidus, Oppianus. Natura aſtutus perhibetur, D Iouius.

Cucurbita capitur: quod ex omnibus vni euenit, Ariſtot. gaudet enim hac eſca, Ex eodem Athen. E Stercore ineſcatur, Ariſtot. Eſca fœtida præcipuè capitur, vt ſtercore, Wottonus. Ad ſalpas: Bryon viride ex ſaxis oleo interens, vſui exponito, Tarentinus de eſcis. Salpæ (inquit Oppianus) vt algis gaudent, ita eiſdem capiuntur, hoc modo: Piſcator aliquis per dies quatuor vnum ad locum (aliquoties) nauigans, lapides algis circundatos demittit. quinto poſteà die ſalpis iam illic congregatis naſſam lapidibus obtectis alga immiſſis ponit, & circa introitum herbas marinas alligat, quibus ſalpæ alijque herbiuori piſces delectantur. (deinde recedens) vbi iam incluſos piſces ſenſerit, tacitè mox adnauigat, viris remiſque ſilentibus, & naſſam extrahit. Silentium autem cum ad alias piſcationes, tum ſalparum imprimis vtile eſt, vt quæ natura pauidæ ſint, (*& acri auditu, quod Ariſtoteles tradit.*)

Salpa piſcis circa Ebuſum inſulam (quæ nunc Euizza vocatur,) ſapore commendatur, cum alibi ſit F obſcœnus, id eſt pernicioſus & vitabilis, Maſſarius. Salpa (inquit Diphilus) dura eſt & inſuauis: melior autem quæ in Alexandria eſt, & autumno nata, (καὶ ἡ ἐν τῷ φθινοπώρῳ γινομένη:) humidum enim quid, & album, idque non viroſum emittit. Salpæ quæ in alto capiuntur, vt Xenocrates docuit, ſapore ſunt iucundo, ſubacri: abundéque nutriunt, nec facilè corrumpuntur: quæ verò apud litora, carnem habent duriorem, ſaporiſque ingrati, & quæ malum procreat ſuccum, Wottonus. Salpam piſcem Epicharmus non approbans, σκατοφάγον καὶ βδελυχρὸν λέγει, Euſtathius ex Athenæo: apud quem βδελυχραὶ legitur, Rondelet. mauult βδελυγμαί: licebit & βδελυκταὶ legi, vna omnium ſignificatione, à verbo βδελύσσομαι. Σάλπην δὲ κακὸν μὲν ἔγωγε Ἰχθὺν εἰς αἰεὶ κρίνω, βρωτὴ δὲ μάλιστα Ἐστὶ θέρεος ὥρᾳ, λάβε δ᾽ ἐν Μιτυλήνῃ Αὐτήν, Archeſtratus. Epicharmus æſtate dulces eſſe ſcribit. Ex Plinij libro 32. quidam citat, ſalpam laudatiſſimum eſſe piſcem: ſed falsò. ſimpliciter enim à Plinio huius libri cap. vltimo Salpa nominatur. Hodie quoque is piſcis, qui tam operosè atque eleganter à natura depingitur, ab optimatum menſis vt inſulſus & mendax repudiatur, Iouius. Non eſt boni ſaporis. ſylueſtre enim neſcio quid ſapit. bene exenteratus, ſed parua (quantum fieri poteſt) inciſura, aſſaturam requirit & moretum, Platina. Piſces quos integros voles, ad focum pones, dempta ſalpa & lacia, quorum inteſtinum per branchias euellitur, Idem.

Epitheta. Σάλπαι σκατοφάγοι, βδελυχραί, Epicharmo. Αἰολόνωτοι, Oppiano. Πολύῤῥαβδοι, πολύγραμμοι, H. a. & ἐρυθρόγραμμοι, Ariſtoteli apud Athenæum. Obſcœnæ Plinio.

Propria. Mnaſeas quidam Locrenſis vel Colophonius ſalpæ piſcis varij cognomen apud familiares meruit, propter varietatem argumenti libri παιγνίων à ſe conditi: qualem & Botrys vir oriundus è Meſſana Siciliæ: & Salpe mulier Lesbia, (& ipſa forſan à iocorum varietate ſic dicta) Salpæ quidem ſimilis eſt (vt diximus) ſtromateus in mari rubro piſcis: à quo fortè ſimiliter Clemens theologus Στρωματέων libros ob varietatem argumenti inſcripſit. Salpiæ Ptolomæo lib. 3. cap. 1. Apulorum vrbs in Ionio pelago, Salapia Plinio. Salpinæ paludis Lucanus lib. 5. meminit. ea in Apulia eſt iuxta Salpiam ciuitatem, meretricio amore Annibalis inclytam.

Dexter lapis de capite ſalpæ geſtatus, Venerem incitat; ſiniſter remittit, Kiranides: qui & adipe pi- g. ſcis huius ad augendam Venereorum voluptatem abutitur. eandemque ob cauſam, & amorem ac gratiam conciliandi ergô, ſapphirum geſtari iubet, in qua ſculpta ſit ſtruthiocamelus, in ore tenens ſalpen, &c. lib. 4. & alibi.

Salpam

h. Salpam ceu prouerbiali vocabulo hominem varium aliquis appellârit, ſicut & Mnaſeam familiares eius, vt inter propria modo diximus. Huiuſmodi etiam apud Græcos prouerbia ſunt, Ποικιλώτερος ταὼ, ποικιλώτερος ὕδρας: Magis varius quàm pauo, quàm hydra.

DE SALSAMENTIS, ID EST SALSIS PISCIBVS EORVMQVE PARTIBVS: ITEM DE INFVMATIS, & *inueteratis ſimpliciter.*

A DE Salſamentis hunc in locum cōmunia quædam conferemus. nam quæ ex ſingulis fiunt piſcibus, tum integris inueteratis, tum conciſis, ſuis ſingillatim tractatur locis. Altarich eſt ſpecies piſcis parui, breuis, ad longitudinem palmi: qui capitur circa ciuitatem Achalat, in regione Perſiæ. ſaliuntur autem hi piſces, & exiccati in diuerſas regiones exportantur, vt Syraſi interpretatur, Andreas Bellunenſis in Gloſſis in Auicennam. Apparet autem vocabulum Græcum eſſe, tarichos, al articulo Arabico præfixo. eſt autem fortè ex apuarum genere piſciculus. Apuarum quidem pleræque ſpecies quoniam magna copia capiuntur, & propter paruitatem facile ſiccantur, ſale condiri & reſeruari ſolent. item chalcides & ſardinæ. Quinam piſces rectè commodeq; ſale inueterentur, Galeni verbis exponetur inferius in F. Salmonum ſegmenta, vt dictum eſt, ſaliuntur in doliolis: ſed ſaliti priſtinam nobilitatem amittūt, teſte Iouio. *Carpio Benaci.* Ex ſalitis palmam omnium confeſſione ætate noſtra obtinent carpiones ex Benaco lacu, qui ſubfrixi modicè ſaliuntur. referunt ij troctarum (trutarum) ſaporem, atq; ipſam corporis ſpeciem. nam & pulpæ eorum rufeſcunt, & argentea tergora varijs punctis depinguntur. ſed quæ in troctis nigra ſunt in carpionib. rubra cōſpicimus, Iouius in capite de ſalſamentis. ſed qui ſubfrixi ſaliuntur piſces, non propriè τάριχοι, id eſt ſalſamenta, ſunt: neq; diu aſſeruari poſſunt. *Haringi.* Haringi (vel Harengi, alij aliter ſcribunt) vulgò dicti ex Oceano Germanico mittuntur ſalſi, vel cum muria ſua vel ſtatim infumati & aridi. Videtur autem à Græco nomen hoc ſumptum, vt haringus, quaſi harichus, & h. in t. conuerſo tarichus dicatur. *Paſſum.* Fumo inueteratum aliqui recentiores paſſum appellant, quod aliquādiu paſſus ſit fumū: ſicuti vua paſſa apud veteres dicitur, quæ diutius paſſa eſt ſolē. A patientia nomen acinis datur paſſis, Plinius. Pſythia paſſos de vite racemos, Vergilius. Paſſum (vinum) nominabant, ſi in vindemia vuā diutius coctam legerent, eamque paſſi eſſent in Sole aduri, Varro de vita pop. Rom. Paſſum fieri certum eſt ex vua quā Græci ſticam vocant, noſtri apianam: item ſcirpula, diutius in vite Sole vuis aduſtis, aut feruente oleo, Plinius. *Infumatum.* Ego ſiccatos fumo piſces, infumatos potius dixerim, quoniam paſſum de ſolis vuis reperio in veterum ſcriptis. Hilas infumatas & ſumen apud Plautum legimus. aliqui hillam l. duplici ſcribunt, & Acron ſalſum inteſtinum hirci interpretatur. Aliqui putant eſſe inteſtinum porcinum, fartum alijs inteſtinis: quod noſtri *Schubling*, vel *Klobvvurſt* appellant. Græcè καπνιστὰς appellare licebit, ſicut & κρέα καπνιστὰ Atheneus memorat. Τάχα δ' ἂν καὶ τὸ καπνίζειν εἴποις ἂν ἐπὶ τῶν μαγείρων, ὡς καὶ Δημοσθένης εἰπών: Καπνίζειν ὀψοποιουμένους (*ſiue piſces ſunt*, κατ' ἐξοχὴν) τοὺς παῖδας, Pollux. Ex lacuſtribus piſcib. in Heluetijs ſaliri & infumari ſolent Albularum (vt nos vocauimus) quædā ſpecies, præſertim mediocres, & minimę: item Leuciſci illi quos Galli Vendoſias vel Dardos vocant, qui & fluuiatiles & lacuſtres ſunt: & trutarum genus exiguum, quos *Roetele* à colore rubicundo vocitant. qui quoniam mollis ſunt carnis, infumati minus indurantur, habenturque in delicijs. Circa Oceanū Germanicum in Dania præſertim, Aſellorum genus *Tonnchell* vocant: ex quorum maximis faciunt *Stockfiſch* & *Rauchfiſch*: id eſt alios Sole & aëre, alios fumo indurant. Κολίαι, σαπέρδαι, λέσβιαι, ἄμυλλοι, Pollux de ſalſamentis agens: lego λεβίαι καὶ μύλλοι. Nos de lebijs in Dolcano & Hepato diximus. De myllis verò, alijsq; nonnullis ſalſamentis, in Myllo Elemento M. Τάριχη (ἢ τεμάχη) σκόμβρων, κεστρίνων, κυβίων, θυννίδων, nominantur à Polluce. *Τιλτόν.* Τιλτὸν τάριχος Vide ſupra in Lepidoto, Elemento L. Thynnis præcipuè fora omnia & tabernæ ſalſamentariorum replentur, Iouius. Quæ quidem ex thynnis, eiuſdemq; generis piſcibus (vt pelamydibus, orcynis,) ad ſalſamenta pertinent, omnia referemus in T. (de Cybijs quidem & Melandryis, in C. & M. dictum eſt.) Item quæ ex Scombris, ſuo loco. De Coraxo & Encatera in Corace. De Lacertis & Colijs iam dictum eſt. item de Sturione, in Acipenſere: deq; Huſone, in Antacæo de Heminiro ſiue Heminero in Corollario de Coracino A. Heminirus quid differat ab Hemitaricho Archeſtrat. explicat, Athen. Λυκόστομον ὄντα ἡμιτάριχον, legimus apud Ælian. 13. 2. Noſtri dicunt *Saattrochen*, i. non omnino, ſed aliqua ex parte ſiccatum aut inueteratum.

Sunt qui dicant τάριχον accipi pro piſce, ſed vili putrique, qui idem ſit aphya, Eraſmus in prouerbio Si non adſint carnes. Noſtræ ætatis Græci piſciculos ſalſos vulgò garos vocant, Gillius. Circa Verbanum lacum omne genus paruorum piſcium in Sole ſiccant, maximè verò perculas. Incolę regni Calechut piſcibus Sole exuſtis veſcuntur, Ludouicus Romanus. Ichthyophagos legimus piſces in Sole arefactos ſeruare, ijſque tritis farinam ad fercula & panificia ſua conficere. Τάριχος Ἀντακαῖον εἴ τις βούλετ', ἢ Γαδειρικὸν, Βυζαντίας δὲ θυννίδος ὀσμαῖσι χαίρει, Antiphanes. *A regionibus denominata.* A Polluce nominantur ſalſamenta (τάριχη) Pontica, Phrygia, Ægyptia, Sardoa, Gaditana, (Γαδειρικά.) Sunt autem Gaditanæ ex orcynis, id eſt thunnis maioribus, qui circa Gadira inſulam capiuntur: vt in Thunno explicabitur. Cum Lucullus Romæ nimium ſuas opes oſtentaret, Cato indignabatur & clamabat, quod aliqui Romæ τριακοσίων δραχμῶν κεράμιον ταρίχων Ποντικῶν ὠνήσαντο, Athenæus. Archeſtratus ſaperdam vocat opſonium Ponticum. En ſaperdam adueho Ponto, Iuuenalis. Salſamenta præſtantiſſima Sardica ſunt, hodie Sardas vocant, (*de quibus mox, Capite proprio:*) & mylli qui ex Ponto aduehuntur, Galenus. Vide in Myllo elemento M. Non probo Cornarij ſententiam, qui μῆλα (vt alibi codex Galeni deprauatus habet,) ouiculas interpretatur, nec alias eſſe putat, quam cordylas ab alijs dictas, hoc eſt fœtū thynnorum. Ταρίχους ξενικοῦ πλείονα γένη, Athenæus libro 12. Elephantinum ſalſamen nominatur ab Athenæo, nec explicatur, &c. vt pluribus ſcripſi in Elephanto quadrupede F. Salſamenta omnium generum in Italia Beneuenti recentia effici conſtat, Plinius. Βυζάντιον τέμαχος ἐπιθεὶς χόνδρῳ, Γαδειρικὸν δ' ὑπογάστριον παρειστήκω, Philetærus. Hippocrates in libro de internis affectionibus de primo ſplenis morbo ſcribens, ſalſamenti Gaditani meminit. Μενδήσιος δ' ὡραῖος, ἀκρόπαστος, εὖ ξανθῶν ὅπως κέφαλος

φαλος ἀκτῖσιν πυρὸς, Sopater Paphius. Mendeſia ſalſamenta (inquit apud Athenæum Vlpianus) ne canis quidem inſanus guſtaret. Idem meminit τῶν καλῶν ἡμινίρων, καὶ τῶν ταριχηρῶν σιλούρων. Τάριχος ὡραῖον, ὡραιοτάριχος, ὡραῖα τεμάχη, apud Pollucem leguntur. Sexitana ſalſamenta è lacerto, vel colia lacertorum generis ſunt. Vide in Corollario de colia. *Horæa.* Quæ cybia dicuntur atque horæa, inter macra (ἄπιονα) ſalſamenta præſtantiſſima ſunt: vt inter pinguia, cordylæ & thynnæa, Diphilus. Ὡραῖα quidem dicta videri poſſent tanquam pulchra & ſpecioſa: nam & τῶν καλῶν ἡμινίρων apud Athenæum mentionem eſſe diximus. ſed in thynno oſtendemus horæa modeſtiore elegantioreque vocabulo pro vræis dicta, παρὰ τὴν οὐρὰν: id eſt, à cauda. ſunt enim ſalſamenta de partibus caudo proximis è Pelamyde magna.

Omotarichum. Omotarichum aliqui cetema (κήτημα) vocant. eſt autem graue, viſcoſum, & difficile concoctu, Diphilus. Omotarichus caro eſt thynni ſalſi, (τεταριχευμένου,) Dioſcorides. Cuius interpres Marcellus Vergilius: Quem compoſito (inquit) ex crudis thynnorum carnibus, & ſalſura, nomine omotarichon hic nominat, cæteri omnes ſimplici plerunque tarichum dicunt. Sed miretur aliquis cur thynni tantum caro inueterata omotarichus dicatur, cum cæteræ etiam carnes ac piſces, & quæcunque ferè ſalſa reponuntur, cruda ſaliri ſoleant. an fortè cruda præ cæteris edebatur? vt harengos & ſalmones, (infumatos præſertim,) aliqui crudos ingerunt, Ὠμοτάριχον ἐῶν χαίρειν Φοινίκιον ὄψον, Matron Parodus. Πίναξ ὁ πρῶτος τῶν μεγάλων ἡγήσεται Ἔχων ἐχῖνον ὠμοτάριχον, κάππαριν, Nicoſtratus apud Atheneum. Ὠμοτάριχος πέντε χαλκῶν, τὸ κύβιον τριώβολον. Alexis.

Oà taricha. Oa taricha ex ouis piſcium ſalſis conficiuntur: vulgò Itali Caſtiaria vocant. Græci noſtrę ætatis corruptè Botaricha nominant: quæ quidem ipſa inter lautiſſimos cibos numerantur, Gillius. Ego τάριχος adiectiue legiſſe non memini. proinde non τάριχα, ſed τεταριχευμένα ὠὰ dixerim. Vide etiam ſuprà ab initio O. elementi. Apud Ælianum tamen in Animalium hiſtoria, in Tritone & alibi ταριχὸν oxytonum reperio adiectiuè, ſi rectè ſcribitur. Et Cæſar Scaliger quoque oà taricha ſcribit, apud quem plura leges ſcita cognitu in opere de ſubtilitate 303. 3. Piſcium & ſalſamentorum oua omnia, nec concoquuntur facilè nec facilè corrumpuntur: præſertim verò pinguiorū & maiorū duriora. n. permanent & tenaciora, (ἀδιαίρετα,) γίνεται δὲ σῶμα μεθ' ἄλλων σεσοθένια (corruptum videtur vocabulum) καὶ ἐπιπηθένια, Diphilus apud Athenæum lib. 3. cuius verba Græcè ab initio ſic ſonant: Τὰ τῶν ἰχθύων καὶ ταρίχων, &c. videtur autem καὶ abundare: vt melius ita vertamus. Piſcium inueteratorum oua omnia, &c. Quæ vulgò dici ſolent oataricha, id eſt oua ſalſa inueterataque, abdicandi ſunt vſus. Nunc oua piſcium ſalita in offas aut in paſtillos durata, incluſaq; mēbranulis, ὠὰ τάριχα dicuntur, inter lautiſſimos recepta cibos, Hermolaus. Ὥσπερ οἱ τὰ ὠὰ τέμνοντες, καὶ μέλλοντες ταριχεύειν, Suidas ex innominato. Oua raticon (*corruptum eſt vocabulum pro taricha*) id eſt oua piſcis ſalita, quæ noſtro idiomate vocantur oua nataxachi: Syluaticus, citans Paulum de dentibus & gingiuis ſanguine manantibus: vbi ego iam nullam de his ouis mentionem reperio. Patella tyrotaricha ex quocunque piſce ſalſo volueris, deſcribitur Apicio lib. 4. cap. 2. *Tyrotarichus.* Caſei genus in ollis condiri ſolitum, vnde & nomen ei apud Germanos noſtros, ſi quis tyrotarichum appellârit, non faciet ineptè. Circa Balthicum Oceanum piſces plani potiſſimum ſiccari ſolent, paſſerum & raiarum generis: nam cum plano tenuique ſint corpore, ſiccantur facilius. itē aſellorum genera varia. & hæc omnia ſine ſale: aëre tantum & Sole. De ſalſamentorum garo, muria, liquamine, alece, ſuprà (ſuis ferè locis literarum) ſcripſimus.

F Salſamenta & apud Gręcos in honore fuerunt: & Romani etiam eis plurimum ſtuduerunt, vt ex Plinio licet coniectare, Iouius. Athenienſes ſalſamentorum adeo ſtudioſi fuerunt, vt ciuitate etiam donarint Chærephili tarichopolæ filios. &c. (vt in Scrombo referam,) Athenęus. Vide Braſauolum in libro de purgantibus medicamentis.

Ex Galeno. Ex Wottoni de animalium differentijs lib. 8. cap. 187. Salis facultatem tradunt medici compoſitam eſſe. humores etenim corporum excrementitios digerit extenuatque, & corpora ipſa in ſeſe cogit atq; condenſat. Quæ igitur corpora ſua natura ſunt ſicciora, hæc ſale aſperſa redduntur ob nimiam ſiccitatem cibo inepta: quorum verò caro dura eſt & excrementoſa, ea ad ſalſamenta erunt idonea. Excrementoſa autem voco, quæ ſuccum in ſeſe continent pituitoſum vndique conſperſum. & hic quidem quò fuerit copioſior craſſiorque, eò melior caro, ſi ſale adſeruatur, euadet. Quorum autem mollis admodum fuerit, aut imperſe ſicca caro excrementorumque expers, vt ſaliantur inepta ſunt. Mollium itaque carnium piſces (quos μαλακοσάρκους vocant,) & qui excrementis vacant, vt ſalſamenta ex illis fiant, minime ſunt idonea. Huius generis ſunt qui ſaxatiles vocantur, atque aſelli, qui in puro mari degunt. ſed neque mulli, quod dura ſit eorum caro, excrementiſque vacua, ſale inueterantur. At coracini, mylli, pelamydes, & præterea ſardæ ſardenæq;, & quæ Sexitana vocantur ſalſamenta, atque id genus alia. Adhæc inter ea quæ in puro mari degunt, quę κητώδη, id eſt cetacea vocantur, vt balenæ, delphini & phocę, (*item canes piſces cetacei*) cum ſale condiuntur, euadunt meliora: vt quæ carnem habent excrementitiam omnia. Huic generi proximè accedunt magni thunni, quos melandryas, tritones, chelidoniaſque vocari diximus. ſale nanque huiuſmodi piſces cum condiuntur, euadunt ſeipſis meliores. Præſtantiſſima autem omnium, quæ mihi certè experiri licuit, ſunt quæ à veteribus medicis Sardica vocantur ſalſamenta, hodie ſardas vocant: & qui nunc ex Ponto afferuntur mylli. Secundum verò ab ijs locum obtinent coracini, pelamydes, & quæ Sexitana vocantur, Hæc Galenus (*pleraq; libro 3. de aliment. facultat. cap. 41.*) Idem Wottonus paulò pòſt: Salſamenta omnia (inquit) quæcunque ex ſale duriora euadunt, ac veluti neruoſa coriaceaque, concoctu ſunt difficilia. at contra, quæcunque extenuatis digeſtiſque à ſale craſſioribus lentiſque excrementis tenuium redduntur partium, eadem ipſa in cibo craſſos ac glutinoſos humores extenuant.

Omnis generis ſalſamenta ſanguinem inflammant, bilem augent, & ſtrangurijs obſunt. his verò qui multa inſulſa pituita repletum habent ſtomachum, ſiccando detrahendoque auxiliantur. immoderate verò his vtentes, vel ſenes ipſos, vehementer ad Venerē incitare, pleriq; authores tradiderunt, Iouius. Ex Braſauoli in Galeni libros indice. Cum ſalſamentis ex Ponticis illis quæ μῆλα (lego μύλλοι) appellantur, apparata cucurbita, fit cibus ſuauiſſimus, libro 2. de aliment. facult. Salſamentum

ventrem

ventrem mollit, In Consilio pro puero epileptico. Salsamentum citra panem edat spleneticus, lib. 9. de composit. secund. locos. Salsamenta omnia pruritum mouent, In libro notho de Cathart. Celsus author est salsamenta omnia: minimè quidem intus vitiari, (*id est, in ventriculo minimè corrumpi,*) sed mali succi esse, aluum mouere. Saliti pisces (οἱ ταριχευτοὶ ἰχθύες) calidi sunt & sicci, crassosq; humores incidunt & extenuant, & magis si boni sint succi. At qui dura carne sunt, cum saliti sunt, maiore præditi sunt malitia.

Sunt qui tradant cauendum esse à salitorum piscium vsu, postquam vena alicui incisa est, hoc est, post phlebotomiam: alphos enim, hoc est vitiligines & scabiem sæpe gignunt, Symeon Sethi. Olerum & salsamentorum genera propter mordacitatem aliqui stomacho noxia putant, tanquam glutinosa tantum & astringentia ei conueniant: ignorantes quod multa ex illis quæ excretiones (*mordacitate nimirum sua*) iritant, stomacho apta sunt, vt sisarum, beta alba, &c. hæc autem in prima mensa sumi oportet, vt & alia aluum subducentia, & concharum genera, καὶ τάριχον πλεῖον καὶ μὴ βρωμῶδες, Daphnus Ephesius medicus apud Athenæum. Salsamenta, quæ è marinis, lacustribus & fluuiatilibus (piscibus) fiunt, parum succi habent, parce nutriunt, inflammant, (καυσώδη: Wottonus vertit, sitim faciunt,) aluum cient, appetentiam ciborum iritant. optima verò ex non pinguibus, sunt cybia, (*&c. vt in Thunno refertur,*) Diphilus. Circa Alexandriam abundat elephantiasis, propter caliditatem aëris & victum. vescuntur enim athara, lente, cochleis, & salsamentis multis, & asininis carnibus, alijsque huiusmodi crassum ac melancholicum succum gignentibus, Galenus 2. ad Glauconem. In maritimis etiam Germaniæ tractibus permultos reperiri audio, quorum facies tumidior & rubicunda elephantem præ se fert: nam & alimentis crassis & mali succi vtuntur, tum alijs tum salsis, ex suibus & piscibus diuersis: ac insuper cereuisia (quæ zytho Ægyptiorum respondet) copiose se ingurgitant.

Si hydrops à splene fuerit, æger obsonium habeat salsamentum Gaditanum, aut saperdam, Hippocrates in libro de internis affectionibus. Ignea vis salso est, qui non bene concoquit, illum Non edat, & Bacchus nique sit apta Ceres, Baptista Fiera sub lemmate Piscis salsus. Salsamenta omnia lauare oportet, donec aqua insipida ac dulcis reddatur. quod è mari (*in aqua marina*) quidem coctum salsamentum dulcius fit: idemque calidum, suauius fuerit, Diphilus. Τὸν σαπέρδην ἀποπλύνειν χρή, καὶ καταπλύνειν, καὶ κατακλύνειν καὶ διαπλύνειν, Pollux ex Aristophane. Salsamenta hæc Stephanio, fac macerentur pulchrè, Terentius Adelphis. Vinum & salsamentum euanescunt vetustate, Cicero 2. de diuinatione.

Quin & è muria salsamentorum recoquitur sal, iterumq; consumpto liquore ad naturam suam redit: vulgò è mænis iucundissimus, Plinius.

G Remedia quædam ex salsamentis, in F. iam prædicta sunt: vt, quod aluum moueant, appetitum & sitim excitent, pituitosos humores extenuent, à venæ sectione noceant, Venerem proritent. Blasius Astariensis pisciculos vulgò dictos Ancludes commendat in curanda phlegmatica febri. Omotarichus salsi thynni caro est, viperæ quam prestêrem dicunt morsibus in cibo subuenit. in quo vsu oportet quamplurimum sumere, & ad vinum copiosum superbibendum cogere, vt ita vomitus prouocetur. idem maximè conuenit ad drimyphagias. (*Marcellus* vertit ad vomitiones quæ ciborum accremento quæruntur: quod magis probo, quàm quod Ruellius: Contra acrimonias esitatorum maximè valet: vel quod Hermolaus, Acrimoniam esculenti quærentibus longè commendatissimus est.) Vtiliter postremò canum morsibus imponitur, Dioscor. 2. 30. Videtur autem eadem non solum à thunni, sed aliorum quoque plerorunque piscium salsorum carnibus præstari. quamobrem hoc in loco, qui de salsamentis in genere est, recitare voluimus: eademque ratione & alia quædam ex certorum piscium salsamentis remedia, (quæ fortè obuia fuerint: omnia enim huc conferre prolixum erat,) hic memorabimus. E siluro salso remedia, infrà ex eius historia petes. Quem Discorides (inquit Marcel. Vergil.) omotarichon hîc nominat, cæteri omnes simplici plerunq; nomine tarichon dicũt. Ægineta in capite de vomitione sumi iubet τὰ δριμύτερα, id est acriora, inter quę obiter ab eo numerãtur raphanus, eruca, salsamentum vetus, origanus viridis, cepe & porrum. Et in capite de elephantiæ curatione: Δριμυφαγήσαντες ἢ ἐξεμείτωσαν, ἀπό τε ῥαφανίδων καὶ σιπύων. Vbi etiam in cibo elephantiacis permittit salsamentum vetus medicamenti loco. Smaridis piscis caro prodest à scorpione percussis, aut à cane demorsis, sicut & omne salsamentum, Dioscor. Tela extrahunt salsamentorum carnes, Plinius. Diuturnos frequenter dolores leuat salsamentum & encatera dictum & coriax, Trallianus in curatione hemicraniæ. Carbunculos coracinorum salsamenta illita discutiunt. Plinius. Cybia vetera eluta in nouo vase, deinde trita, prosunt doloribus dentium, Idem. Et alibi: Morbo regio medetur salsamentum cum pipere, ita vt reliqua carne abstineatur. Sunt & seruatis piscibus medicinæ: salsamentorumq; cibus prodest à serpente percussis: & contra bestiarum ictus mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur: peculiariter à chalcide, ceraste, & quas sepas vocant, aut elape dipsadeue percussis. Contra scorpiones largius sumi sed non euomi salsamenta prodest, ita vt sitis toleretur: & imponere eadem plagis conuenit. Contra crocodilorum quidẽ morsus non aliud præsentius habetur. Priuatim contra presteris morsum sarda prodest. Imponuntur salsamenta & contra canis rabiosi morsum: vel si non ferro vstæ plagæ, corporaq; clysterib. exinanita, hoc per se sufficit. Et contra draconem marinum ex aceto imponuntur. Idem & cybij profectus, Pl. 32. 5 Fistulæ aperiuntur siccanturq; salsamentis cum linteolo immissis: intraq; alterum diem callum omnem auferunt: & putrescentia vlcerum, quæque serpunt, emplastri modo subacta & illita panis verò prosunt salsamenta cocta. Carbunculos verendorum priuatim salsamenta cocta cum melle restringunt: Wotton. ex Plinio nimirum.

E salsamentis vstis remedia. Carbunculos discutit mullorum salsamenti cinis, Plinius. Carne salita & vsta salmonum ad vlcera capitis manantia rectè nos vti posse arbitror, Rondeletius. Salsamenta vsta & cybia dentium doloribus commoda esse tradit Galenus circa finem quinti de compos. sec. locos. item Plinius 32. 7. Salsamentorum (inquit) fictili vase combustorum cinis, addita farina marmoris, inter remedia est: & cybia vetera eluta in nouo vase, deinde trita, prosunt dentium doloribus. Æque prodesse dicuntur omnium salsamentorum spinæ combustæ, tritæque & illitæ. Sardas, vel salsamentum sine osse exustum & confrictum appone varicibus, statim prodest Marcellus.

H. a. Salsura, idem quod salsamentum. Columella octauo, Nulla tamen æquè quàm prædictæ salsuræ pabulum commode dantur, quoniam odorata sunt. Idem frequenter duodecimo. Apud Plinium cybia vetera legimus, pro sale conditis, quæ alibi inueterata, alibi seruata nominat. Nomina quædam in ος, modo masculino, modo neutro genere sub vna terminatione vsurpantur, vt ἄφενος, ὄσσος pro oculo, σκότος, ὄνειδος, χρέος: & τάριχος quoque secundum Herodianum, qui & authorum testimonia profert: Menandri, Ἐπέπασα δ' ἐπὶ τὸ τάριχος ἅλας: Philippidæ, Τυροὺς καὶ ταρίχους: Aristophanis, Ἐπὶ τῷ ταρίχει τὸν γέλωτα κατέδομαι: Eiusdem, τάριχον τοῦτον πλύνω, Eustathius in primum Iliados. in Odysseæ verò alpha, ὁ τάριχος & τὸ τάριχον dici scribit, sicut οἱ σταδίοι & τὰ στάδια. apud Suidam quoque inuenio, τάριχα, ὄψα πολυτελῆ, (id est piscis preciosi:) & apud Æginetam in victu elephantiacorum, τάριχον παλαιόν, in recto singulari. Athenæus quidem multa super hoc vocabulo proferens, τάριχον vt ξύλον genere neutro positum non memorat, nec ego approbarim, quandoquidem authorum idoneorum testimonia desunt. Suidas grammaticus, non author est: Æginetæ codex sæpe vitiatus. Attici (inquit Athenæus) τὸ τάριχος genere neutro dicunt, vt genitiuus sit ταρίχους, datiuus ταρίχει. (vt flectatur sicut ξίφος:) Iones verò & Dores, & Atticorum quidam, masculino ὁ τάριχος, (sicut λόγος.) Ταρίχους Ποντικοῦ Cratinus dixit. Alia multa authorum loca Athenæus in tertio recitat. Ταρίχιον, diminutiuum, apud Laërtium lib. 2. in Menedemo. Χελιδὼν τὸ ταρίχιον, Aristophanes in Pace: & alij apud Athenæum. Τάριχος, παρὰ τὸ ἐν τῷ ταριχεύεσθαι ἰχνεύεσθαι (fortè ἰσχναίνεσθαι:) ἢ παρὰ τὸ γάρη (γάρος) ἔχειν, gamma mutato in tau, quasi γάριχος, τάριχος, κρέας ἁλσὶ πεπασμένον, παρὰ τὸ εἰς γάρον ἐξιχωρίζεσθαι: id est, inde sic dictum, quòd eliquetur & resoluatur eius humiditas in garum, Varinus & Suidas: apud quos tamen deprauata sunt quædam, Σαργάναι, τάριχοι, καὶ ἡμίσειαι, καὶ διημίσειαι, ἐαρινοὶ, χρηστὸν τάριχος, πονηρὸν τάριχος: σαργάναι ὡραῖαι, καὶ σαπραί, Pollux. Σαργάναι sportulæ sunt, in quibus nimirum componi vehique salsamenta solebant. Ἐν σαργάναις (nisi legendũ σαργάναις) ἄξω ταρίχους Ποντικούς. videtur autẽ per synecdochen ad ipsa salsamenta id nomen translatũ. Σαργάνη, σκεῦός τι ἐν ᾧ ἐφέροντο οἱ γαλαθηνοὶ χοῖροι, Eustathius. Probabile est etiã ὡραίους & σαπρὰς opponi: quemadmodum proximè antè χρηστὸν & πονηρὸν τάριχος: vt salsamenta σαπρὰ sint, putida seu fœtida propter vetustatem scilicet: ὡραῖα verò, id est matura, quæ neque recentiora neq; vetustiora sunt, quã par est: vt alia sint ὡραῖα salsamenta segmentáue, quæ de piscium caudis sumuntur, & ipsa ὡραῖα dicta κατ' εὐφημισμὸν vt suprà monuimus. est enim ὡραῖον medium inter πρόωρον, τὸ πρὸ τῆς ὥρας καὶ νεαρόν: & ἔξωρον τὸ παρηβηκὸς καὶ γηραιόν. Σαπρίας οἶνος, ὁ σαπρός, ὅ ἐστι γέρων, μεταληπτικῶς, Eustathius.

Τάριχος primam breuem, mediam productam habet, vt ex versibus non paucis, qui vel iam citati sunt, vel paulò post sequentur, apparet. Ἆρ' ἂν φάγοιτ' ἂν καὶ ταρίχους ὦ θεοί, Chionides. Item, Ἐπὶ τῷ ταρίχει τῷδε τοίνυν κρίτιον. Ὡραῖα τεμάχη, Pollux: apud quem aliquoties τεμάχη non rectè per m. duplex scribitur. dicitur autem propriè τέμαχος (genere neutro vt τεῖχος) de piscibus, (à verbo τέμνειν, vt Latinis segmentum à secando:) item de placentis: de carnibus verò non item, Aristophanis Scholiastes in Nubibus. In Varini vero lexico sic legimus: Τέμαχος carnis, panis, aut placentæ non dicitur, sed tomus, τόμος. piscium enim duntaxat τέμαχός est. Πολὺ π χρῆμα τεμαχῶν καὶ κρεῶν ὠπτημένων, Aristophanes in Pluto: qui ex eo quòd κρεῶν subiunxit, τεμαχῶν de piscibus accipiendum insinuat. Hinc apparet corruptũ apud Suidam locum in Τεμάχη, ex Varino aut Aristophanis Scholiaste restituendum: vt de piscibus propriè τεμάχη dicantur, (fortè etiam placentis,) de carne non item. de caseo quidem & alijs, τόμος dicitur. Κεστρῶν τεμάχη μεγάλων, Aristophanes in Nubibus. Τεμάχη, τὰ κόμματα τῶν ἰχθύων, καὶ τέμαχος ἰχθύς. ἰδίως ἢ τεμαχίτας ἰχθῦς, τοὺς μεγάλους καὶ κατακοπτομένους, Varin. Ἐνθεὶς τὸ τέμαχος, λαβὼν οἶνον ἐπιχέας, Alexis. *Τεμάχη, τόμοι.* Κεστρίνους, τὰ τομία καὶ τεμάχη τῶν ἰχθύων, Etymologus. Ἐλθὼν τε πρὸς τὸν τεμαχοπώλην περιμένει, Antiphanes. Hinc verbum τεμαχίζειν apud Galenum. Et τεμαχισκοι κωβιοὶ ἐπὶ λοπάδος, à Machone nominati. Ἀλλὰ λαβὲ ξιφίου τέμαχος βυζαντιακὸν ἐλθών, Οὐραῖον τ' αὐτοῦ τὸν σφόνδυλον, Archestratus. Quanquam autem etiam recentium piscium τεμάχη, id est, partes & segmenta esse ac dici possint de salsis tamen plerunque accipi puto. Erunt igitur temachi vel temachitæ pisces maiores, & ferè cetacei, vt thynni & similes, alijq; non parui qui in frustra dissecti inueterantur. Iidẽ ab alijs, vt coniicio, τμητοὶ vocantur. Maiorum piscium genus (inquit Mnesitheus) ab alijs τμητὸν, ab alijs pelagium appellatur, vt auratæ, glauci, phagri, τμητῶν interpretatur Wotton. qui vel concisi in patinis ministrentur, vel dissecti ad salsamenta adhibeantur. Etsi verò Græci tomum de pisce non dicant, Latini dicunt. Canis marinus à Plinio, etiam tomus Thurianus (vt ego quidẽ primus comperisse suspicor) appellatus est. Athenæus & Thurionem siue Thursionem dici obsonium hoc Latina lingua solitũ affirmat, suauissimumq; id ac laudatissimũ fuisse, Hermolaus in Coroll. Idẽ in Plinij lib. 32. Marinus canis est (inq t) cuius frusta Romę Thuriani tomi siue pulmenti nomine vendebantur tribus obuli in libras. hoc & Thursionem dici solitum affirmat Latina lingua, (&c. vt recitaui in Corollario de Gladio A.) Hæc ille tanquam ex Athenæo apud quẽ lib. 7. in mentione Carchariæ canis, hæc solum verba leguntur: Τοῦτο τοῦ ἰχθύος μέρος ἐστὶ καὶ ὃ ὑπὸ Ῥωμαίων καλούμενος Θυρσίων, ἥδιστος ὢν καὶ τρυφερώτατος. non igitur ab Athenęo (ne quis fallatur) vel tomus vel pulmẽtum Thuriana nominantur. Tomus Thurianus, quem alij xiphiam vocant, Plin. 32. 11. nec alibi vsquam horum vocabulorum, (tomi, inquam, pulmenti & Thuriani,) vel separatim, vel iunctim, mentionem ab eo factam arbitror: vt neque ab vllo idoneo scriptore pulmentum pro pisce, aut eius parte positum. Non reprehendo Barbarum, doctissimum virum, cuius etiam memoriam veneror: ignorantiam meam profiteor: quam nisi quis mihi dispulerit, segmentium potius quã pulmentum piscis dixerim: quanuis etiã qui segmentum de pisce acceperit, authorẽ non habeo. sed inuitat analogia & vis vocabuli, à verbo idem Latinis significante deducti, quod Græcis τέμνω: à quo τόμος ac τέμαχος fiunt. Licebit & frustra piscis dicere, sicut casei & lardi ac aliarum rerum frusta apud classicos scriptores legimus. His scriptis reperi apud Athenæum circa finem libri sexti, de obsonio (sic enim vocat) Thuriano locum à Barbaro conuersum, his verbis: Ποσειδώνιος ὁ Στωϊκός (ὁ τὴν πατρίδα ἱστορίαν γεγραφώς) παρὰ τῶν ἁλιευόντων αὐτοῦ ἄλλων τε πολλῶν ... μνᾶν τοῦ ὄψου, καὶ μάλιστα τοῦ Θουριανοῦ καλουμένου ὤνειται· μέρος δέ ἐστι τοῦτο θαλασσίου κυνός, οὕτω καλούμενον.

Deriuata à Τάριχος. Ταριχεύειν Suidas interpretatur τήκειν, ξηραίνειν: id est, liquefacere, exiccare: & cum propriè ad ea pertineat

tineat quæ ad cibum inueterantur, transfertur etiam ad hominem, qui macie conficitur & immoderata abstinentia desiccatur. Ταριχεύειν νεκρὸν, & factum ipsum ταρίχευσις: & qui hoc faciunt homines, ταριχευταὶ, apud Herodot. leguntur, vbi de Ægyptijs scribit, eorumq; medicandi seu condiendi & seruandi funera more: qua de re elaboratus P. Bel. liber extat. Χρῶνται δ' Αἰγύπτιοι τῇ ἀσφάλτῳ πρὸς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν, Strabo. lib. 16. Zûchis vrbs Africæ purpurificium habet, & varias piscium condituras, πορφυροβαφεῖα καὶ ταριχείας παντοδαπάς, Strab. li. 17. Ταριχηρὸν adiectiuum est, vt κρέα ταριχηρὰ Arriano, Suid. Videtur autem Græca nomina adiect. in ηρὸς oxytonum terminata, deriuata à substantiuis, similiter se habere vt Latinis deriuata in arius: cuiusmodi sunt, ἐλαιηρὸν, οἰνηρὸν, ὑδατηρὸς, olearius, vinarius, aquarius: vsurpariq; cum alias, tum de vasis, vt vas olearium dicimus, & salsamentarium, σκεῦος ταριχηρὸν Græcè. Οἰνηρὸς θεράπων, apud Anacreontem, à poculis minister. Οὐδ' ὀξύβαφον οἰνηρὸν ἐπικεκτῆσθαι, Cratin. Μήτε κρεωσοὺς μήτ' οἰνηρὰ, μηθ' ὑδατηροὺς λιπεῖν ἀφνεοῖσι δόμοισιν, Æschylus, vt citat Poll. 6. 3. Ἰχθῦς ταριχευτοὺς apud Symeon. Sethi pro τεταριχευμένος. Apud Æl. in animaliũ histor. vt in Tritone & alibi ταριχὸν oxytonum reperio adiectiuè, si rectè scribitur. similiter & τόμος substantiuum est. τομὸς adiectiuum. Ἡμιτάριχος vide suprà in A. A ταριχεύειν fortassis etiam dictum est verbum ταρχύειν, quod est curare funus: & τάρχανον, sepultura, exequiæ: itẽ τάρχεα, ταρχήματα, in Lexicis. Τέρσειν siccare est Græcis, & simili verbo Germanis *terren*: inde ταρσὸς, vel Atticè ταῤῥὸς, καλαθίσκος τυροκομικὸς: Calathus in quo caseus suspensus siccatur: & fortè ab eodem verbo etiam τάριχος fit. Tarichum, id est, inueteratum nostri *digen* vocant, forsan à taricho Græco per syncopen, quasi *darigen*. alij quidem Germani proferunt *gedigen*, merum & purum aliquid significantes, vt argentum non permixtum alijs, *gedigen silber*. solent autem carnes etiam puræ, & sine ossibus siccandæ suspendi: quas proprie *digen* vocamus: inde nomen ad alia quoq; siccata transfertur. Quod Græci ταριχεύειν, Germani dicunt *beitzen*: cum quid in liquore aliquo salitur: vel iam salitum, saniem & muriam de se remittit. muriam ipsam vocant *beitze*, & Saxones *pickel*. Canes pisces cetacei τεμαχίζονταί τε καὶ ταριχεύονται, Galenus lib. 3. de alim. facult.

Quod ταριχεύειν aliquando cum sale, alias sine sale inueterare significet.

Ex Cornarij commentarijs in Galeni de composit. secund. loc. libri 3. cap. 1. Ad omnem auris affectionem adeps vulpinus inueteratus probe facit, ἀλώπεκος στέαρ τεταριχευμένον, authore Archigene. quanquam τεταριχευμένον (inquit Cornar.) non inueteratum tantum, sed & sale conditum ac assiccatũ significet: vt diligenti animaduersione opus sit Græcos medicos legentibus, qua significatione singulis locis vsurpetur: quum non leuis differentia sit quod ad vsum medicum attinet, salsa aut insulsa & simpliciter assiccata aut inueterata re aliqua vti. Hòc quidem loco videtur mihi sanè adeps vulpinus inueteratus simpliciter indicari, non sale seruatus & conditus: quomodo etiam Dioscorides de anserino & gallinaceo dixit, δίχα ἁλῶν τεταριχευμένον, quandoquidem & μεθ' ἁλῶν fieri ταρίχευσις possit, vt ibidem Dioscorides indicat. Et Plinius 28. 9. de adipe suillo: Inueteratur duobus modis, aut cum sale, aut sincerus. Verum cum sale inueterati adipis vulpini vsum, in aurium affectionibus ineptum puto. sicut contra, aptum suillum salsũ ad malignas duricies, & maligna vlcera. Dioscorides capite de glandibus dixit: Στέαρ δὲ ταριχηρῶν χοιρείων πρὸς κακοήθεις σκληρίας, καὶ πρὸς πονηρευόμενα ἕλκη ἁρμόζουσι. Potest tamen tum hic, tum ad aures, pro affectionis ratione quispiam aut salso, aut simpliciter inueterato vti. Ταριχευόμενος ἐν καρδάμῳ, in nasturtio seruatur & siccatur, Dioscorides de scinco. Plinius quidem salsos afferri dixit. & quanquam nasturtij etiam vis salis instar conseruare possit, suspicor tamen non ἐν καρδάμῳ, sed ἐν καρδόπῳ legendum, idem erit in cista siue alueolo panario. Idem Dioscorides quum de cepis inquit, δριμύτερον τὸ ὠμὸν τοῦ ὀπτοῦ καὶ ταριχηροῦ, ineptè quis acceperit, acriorem esse crudam, quam assatam ac sale seruatam, quum cepas sale simplici asperso condire ac asseruare non sit vsitatum, quare ταριχηρὸν κρόμμυον hîc pro cepa assiccata simpliciter accipiendum est. sic enim inueteratæ asseruantur absque salis conditura. quanquam etiam acida muria, vel etiam solo aceto cepas asseruari Galenus 2. de alimentis tradat, more nobis hodie ignoto, loco vbi de fœniculo agit. eundem autem conditurae ceparum modum, docet etiam Columella 12. 10. vt de cepa hoc modo seruata Dioscorides potius dixisse videatur. At verò Galenus nono methodi de diatritarijs medicis loquens, ait ipsos hominem triduo fame assiccatum quarto tandem die nutrire incipere: Ἐκεῖνοι (inquit) προταριχεύσαντες τὸν ἄνθρωπον, ἄρχονται τρέφειν. Rursus apud Dioscoridem, in ὠμοτάριχος, σὰρξ θύννου τεταριχευμένη necessario salsam thynni carnem accipimus, quum non aliter asseruari soleat. quod si quis enim Sole siccatum inueterascere sinat, quemadmodum quædam piscium genera etiam hodie siccantur, inepta sanè erit thynni caro ad hos vsus, quos hic Dioscorides præscribit. adde quod ταριχεύειν de Solis siccatura priuatim non dicitur: sed ἐν ἡλίῳ ξηραίνειν atque σκελετεύειν hanc significationem & vsum habent. Quare omnino salsa thynni caro, ὠμοτάριχος & τεταριχευμένη voce accipienda est. quod ipsum ex Galeni verbis apertè colligitur lib. 2. de alimentorum facultate de cucurbita, vbi ait: Κατὰ αὐτὸν λόγον εἰ καὶ μετά τινος ἁλυκοῦ προσενεχθείη, (καθάπερ ἐν λοπάδι μετὰ ταρίχους αὐτὴν ἔνιοι σκευάζουσιν,) ἁλυκὸν ἐν τῷ σώματι γεννήσει χυμόν. ἥδιστον δ' ἔδεσμα τὸ οὕτως σκευασθὲν, εἰ τὸ τάριχος εἴη τῶν Ποντικῶν ἐκείνων, ἃ καλοῦσι μῆλα, (*lego* μύλλους.) Sic etiam ἅλμη τῶν ταριχηρῶν ἰχθύων ab eodem Galeno 11. simplic. pharm. dicitur: hoc est, Muria piscium sale conditorum, quam certè simpliciter inueterati & assiccati pisces non habent. Porrò Plinius quum inquit, Psilothrum est thynni sanguis, fel, iecur, siue recentia, siue seruata: alterum τεταριχευμένων significationem palam reddidit. Seruata enim inueterata dixit, vitauitq; salem adijcere: quum tamen sale condita, & non simpliciter assiccata seruentur, ad hunc præsertim vsum: velut ipse lib. 9. cap. 5. dixit: Cætera parte plenis pulmentis sale asseruantur. Quin & aceto condire ac asseruare, ταριχεύειν significat, sic infrà lib. 5. Πύρεθρον ὄξει δριμυτάτῳ ἐφ' ἡμέρας μ. ταριχεύσας, τρίψον. Hæc omnia Cornarius. Caules ferulæ ταριχεύονται εἰς τὰς ἀλμεύσεις, Dioscorides.

Ταριχηρὸν κρόμμυον.

Salsamentarius.

Salsamentarius, ad salsamenta pertinens, vt cadus salsamentarius, Plinio: vasa olearia & salsamentaria, Columellæ. item qui salsamenta vel facit, vel vendit. Vt si salsamentarij filio dicas: Quiesce tu, cuius pater cubito se emungere solebat, Author ad Herennium lib. 4. Ἐμοῦ ὁ πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος, τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος, δηλῶν δὲ τὸν ταριχέμπορον, Laertius in Bione. Ὁ γὰρ εἰπὼν ταριχοπώλην, αὐτόθεν ἐλοιδόρησεν. ὁ δὲ φήσας, Μεμνῆσθαι αὐτὸν τῷ βραχίονι ἀπομυττόμενον, ἔσκωψε, Plutarchus in Sympoſiacis. Ταριχοπῶλαι & ταριχοπωλεῖν apud Pollucem leguntur. Tarichopolas Latinè salarios dixit Martialis, hoc est qui sal-

samenta vendunt, Cælius. Eundem nimirum temachopolam dixit Antiphanes, hoc versu: Ἐλθών τε ... τὴν τεμαχοπώλην περίμενε: Alexis ταριχηγόν. Φιλοτάριχος est qui salsamentis in cibo oblectatur apud Athenæum. Talis Martiali Beticus est 3. 35. Capparin, & putri cepas alece natantes, Et pulpam dubio de petasone voras, Teque iuuant gerres, & pelle melandria cana, Resinata bibis vina, Falerna fugis. Nescio quod stomachi vitium secretius esse Suspicor: vt quid enim Betice σαπροφαγεῖς; Alexis etiam zomotarichum quendam nominauit hoc versu: ---- ὁ δὲ Κίλιξ Οὗδ' Ἱπποκλῆς ὁ ζωμοτάριχος ὑποκριτής. Τάρχον herba à Symeone Sethi memoratur: ea pyretro cognata existimatur, dicta fortassis ἀπὸ τοῦ ταριχεύεσθαι, quod vel ipsa inueterari sale, acetoue soleat, vel alijs inueterandis, sicut origanum addi. Draconem hortensem aliqui vocant.

Tarichiæ insulæ memorantur Straboni libro vltimo, Ταριχέαι, paruæ multę & crebrę, &c. Tarichea vel Taricheæ, in vtroque numero, vrbs Iudeę, teste Iosepho. gentile Taricheates. Sunt & aliæ Taricheæ in Ægypto, quarum ciues Taricheutæ, &c. Vide in Onomastico nostro. Apud Iudæos iuxta eas quæ Tarichiæ appellantur, (ciuitatem nimirum) est lacus, qui optimas piscium conditutas præbet, Strabo lib. 16. ἡ λίμνη ταριχείας ἰχθύων ἀστείας παρέχει. Tarichæi, Ταριχαῖοι, populus quidam, Suidas. *Propria.*

Ἐκ δ' Ἑλλησπόντου σκόμβρους, καὶ πάντα τάριχη, Hermippus.

Euthydemus scriptor περὶ ταρίχων, citatur ab Athenæo. Οἱ τάριχοι ἐπὶ τῷ πυρὶ κείμενοι ἐπάλλοντό τε, καὶ ἤσπαιρον, Herodotus lib. 9. Cur Phaselitę Cylabræ heroi quotannis ταρίχους sacrificare soliti sint, legitur apud Athenęum in septimo vbi de Anguillis scribit. b. h.

Prouerbia.

Putre salsamentum amat origanum: Clearchus apud Athenæum libro tertio, (senario prouerbiali:) Σαπρὸς τάριχος τὴν ὀρίγανον φιλεῖ. Origanum autem herba est acri succo. qualis & thymbra. Quin & hodie frugi patres familiâs carnibus iam obolentibus addunt acetum origani loco, ne sentiatur putris odor. Aptè dicetur de re per se parum honesta aut iucunda, atque ob id exoticis condimentis & honestamentis egente. Veritas per se placet, honesta per se decent: falsa fucis, turpia phaleris indigent, hoc est putre salsamentum origano. Erasmus Rot. Encrasicholos Romæ nunquam salsamentarij sine origano vendunt, Rondeletius. Salsamentum assum, (*vel Tarichus assus, propter car men. est enim senarius*) mox vt ignem viderit: Τάριχος ὀπτὸς αὐθὺς ἂν ἴδῃ τὸ πῦρ. Athen. lib. 3. prouerbij loco citat. Opinor idem esse cum illo Ἀφύα ἐς τὸ πῦρ, Aphya in ignem: quod iam ante exposuimus. Eodem in loco refert & hunc versum ceu prouerbialem: Οὐκ ἂν πάθοι τάριχος ὧν περ ἄξιος: Tarichus haud laturus est, queis dignus est: vel Tarichus non feret se digna, Erasmus Rot. Videtur autem posterioris huius senarij vsus esse, quem Erasmus non explicat, cum hominem iam diu improbum, quomodocunque tractetur, nihil referre, aut non tamen satis pro merito pœnas luere dicimus. tarichus enim cum inueteratum & putidum est, negligitur, vt plerunque prorsus pereat, recentius vel tempestiuum, laudatur tanquam χρηστὸν καὶ ὡραῖον: vetustius, σαπρὸν est. Ἂν μὴ παρῇ κρέα, στερκτέον τῷ ταρίχῳ: Si non adsunt carnes, taricho contentos esse oportet. Sunt qui dicant tarichon accipi pro pisce, sed vili putrique, qui idem sit aphya. fortassis hîc pro iure accipiendum tarichus. nam quibus deest obsonium, solent pane in ius immerso vesci. In aphyas & tarichos creber iocus est in comœdijs. Sensus hic est, vbi non est copia meliorum, boni consulere oportet quæcunque contingunt. Refertur à Diogeniano, Erasm. Rot. Apud Suidam idem senarius aliter legitur: Ἂν μὴ παρῇ κρέα, τάριχη στερκτέοι: quanquam & ταρίχει in datiuo legi potest. Quòd autem tarichon pro iure accipiendum suspicatur Erasmus, neutiquam probo. Simile est prouerbium, Bona etiam maza post panem, Ἀγαθὴ καὶ μάζα μετ' ἄρτον. Prouerbium Silurus putris in quadra argentea, in Siluro referetur. Videtur & hoc prouerbiale esse quod Aristophanes Δαιταλεῦσι dixit: Οὐκ αἰσχυνοῦμαι τὸν τάριχον τουτονὶ Πλύνων ἅπασιν, ὅσα σύνοιδ' αὐτῷ κακά: in hominem nimirum improbum, ac multa castigatione, vt reprehensione verborum, vt veluti abluatur & abstergatur, indigentem. Solent enim salsamenta præmacerari aqua, & ablui sedulò, vt in F. prædiximus. Et alibi Aristophanes, Τὸν σαπέρδην ἀποτίλαι χρὴ, καὶ καταπλυνάι, καὶ κατακαπλυνάι, καὶ διαπλυνάι. quæ verba similiter prouerbij instar, eodemque sensu prolata arbitror. saperdam enim pro pisce salso dicit. Τάριχον pro homine improbo & veteratore interpretati sumus etiam paulò antè in prouerbio, Οὐκ ἂν πάθοι τάριχος. Nostri quoque vulgari diuerbio pellem alicui eluere dicunt, *den Beltz erwaeschen*, pro eo quod est verbis castigare, & acrius in aliquem inuehi. Pollux lib. 7. docet πλύνειν interdum vsurpari pro conuiciari, λοιδορεῖν. ἢ πλυνόν με ποιεῖ ἡ κωμῳδία φησὶν, ἤγουν ἐξονειδίζεις, ἢ αἰσχύνεις. καὶ τὸ οὐδενὸς ἄξιόν τι ἀποπεφάνθαι, καταπεπλύσθαι ὁ ῥήτωρ ἔφη Αἰσχίνης. Sunt autem in Pluto Aristophanis verba anus cuiusdam conquerentis de iuuene ei illudente, Πλυνόν με ποιῶν ἐν τοῖς ἀνδράσιν. vbi Scholiastes πλυνὸν interpretatur ἐφύβρισον πλύμα. πλυνὸς δ' ὀξυτόνως τὸ ἀγγεῖον αὐτό. παροξυτόνως δὲ, τὸ πλυνόμενον. Τοὺς κρείσσονας αὐτοῦ καὶ πατεῖ καὶ πλύνει, Dion. Καί ποτε μὲν λοιδορουμένους, καὶ πλύνοντας αὐτοὺς τ' ἀπόῤῥητα, Demosthenes. Artemidorus etiam Onirocriticorum 2. 8. πλύνειν, ἐλέγχειν significare ex his Menandri versibus probare nititur: Ἢν γὰρ κακῶς μ' ἀκούσῃ γυναῖχ' οὕτω λέγῃς, Τὸν πατέρα, καὶ σὲ, τούς τε σοὺς ἐγὼ πλυνῶ: ἀντὶ τοῦ (inquit) ἐλέγξω, ἢ κακῶς λέξω. Posteriora hæc ex authoribus loca Brodæus in Miscellaneis annotauit.

Νεκρὸς τάριχος εἰσορῶν Αἰγύπτιος, Hermippus apud Athenæum. fortè, εἰσορῶν Αἰγυπτίους. videtur autem conuenire in hominem cadauerosum, id est macie & pallore deformem nec absimilem mortuo, qualem nostri etiam ludentes, sancti Fridolini testem nominant. Erat autem mos apud Ægyptios in conuiuijs vt aliquis hominis mortui simulacrum in arcula circumferens conuiuas in id aspicere, ac edere bibereque iuberet, tanquam & ipsos paulò post tales futuros, quod in Plutarchi lib. de Iside & Osiride legitur, & apud Herodotum lib. 2. Sed cadaueri eiusue idolo, alios inspicere non conuenit: & idolum illud ex alia materia erat, non ipsum cadauer inueteratum. proinde sic potius interpretemur, vt nihil mutemus: Videri potest aspectu cadauer Ægyptium inueteratum. solebant enim Ægyptij, vt dictum est, cadauera suorum ταριχεύειν.

Barbara quædam & Arabica vocabula. Arfet, id est, piscis magnus salitus, Syluaticus. Salhana vel Sahane, est genus salsamenti è piscibus paruis salitis, vsitatum nostro tempore in Oriente versus Bagaded, Andreas Bellunensis. Anasceni, id est piscis salitus, vetus glossographus Auicennæ. Scenem, salsa facta ex piscibus, Idem. Seten, id est, salsæ de piscibus quæ fiunt in Ægypto, Syluaticus. Seene,

ſal de piſcibus, Idem. Taracha & Tarachiſa apud eoſdem, pro ſalſis vel piſcibus vel eorum ouis, corrupta ſunt è Græco taricha. In Italia alicubi (vt audio) piſces condiuntur cum ſale, origano, aceto, & ita conditi appellantur incamerati.

SAPERDA. Vide in Corollario de Coracino, & in Myllo. Κολίαι, σαπέρδαι, λέσβιαι, ἄμυλλοι, (lego λεσβίαι, μύλλοι,) Pollux de ſalſamentis agens.

SARACHVS Græcè vulgò, aliquibus Stauris, idem qui Agonus Inſubribus.

DE SARDA VETERVM.

A SARDA veterum, & Sarda Sardinaque recentiorum, longè differunt, vt mox Rondeletij verbis in capite de Sardinis, pluribus explicabitur. Sarda coliam magnitudine refert: Ἡ σάρδα προσέοικε τῷ κολίᾳ μεγέθει, Diphilus de ſalſamentis agens. Sarda vocatur pelamys longa ex Oceano veniens, Plinius lib. 32. Piſces tum molliores, tum ſicciores iuſto, ad ſaliendum idonei non ſunt. coracini verò, & pelamydes, & mylli, ſardæ & ſardenæ, (σάρδαι καὶ σαρδῆναι,) &c. ad ſalſuram ſunt appoſiti, Galenus de aliment. facultat. libro tertio cap. penultimo. Et mox: Præſtantiſſima autem omnium, quæ mihi experientia cognoſcere licuit, ſalſamentorum ſunt, quæ à veteribus medicis Sardica ſalſamenta (Σαρδικὰ) nuncupantur, hodie ſardas vocant, & mylli ex Ponto. Conijcio autem cum ſardas veterum, tum hodie ita dictas & ſardinas, à Sardinia ſic nominatas eſſe: vnde nimirum mittebantur. Vide infrà in Pelamyde A.

F De apparatu & condimentis ſardæ Apicius 9. 10. ſic ſcribit. In Sardis: Sardam farſilem ſic facere oportet. Sarda exoſſatur: & teritur pulegium, cuminum, piperis grana, mentha, nuces, mel. impletur & conſuitur, inuoluitur in charta, & ſic ſupra vaporem ignis in operculo componitur. conditur ex oleo, caræno, alece. Et rurſus: Sarda ita fit. Coquitur ſarda & exoſſatur, teritur piper cum liguſtico, thymo, origano, ruta, caryota, melle: & in vaſculo ouis inciſis ornatur, &c. apparet autem eum de ſarda piſce ſatis magno, non de ſardinis vulgo dictis ſentire.

G Salſamentorum cibus prodeſt à ſerpente percuſſis: priuatim autem contra preſteris morſum ſarda prodeſt, Plinius. Marcellus Empiricus ad ſtrumam, & ea quæ intra os dolent, puluerem conficit, Capite XV. & inter alia ſalſarum ſardarum capita trita adijcit. Et alibi: Sardas vel ſalſamentum ſine oſſe exuſtum, & confrictum, appone naricibus, ſtatim prodeſt. Idem Capite XI. medicamento cuidam ad gingiuarum nimium tumorem & fœtorem & carcinomata, caput ſardæ combuſtum admiſcet.

DE SARDINIS, RONDELETIVS.

Sardinæ icon à Rondeletio poſita, tam ſimilis eſt Agono, cuius imaginem habes ſuprà ex Rondeletio, pag. 15. vt diſcerni vix poſſit. Noſtra verò hæc Sardina Venetijs depicta, lineam aſperam in ventre non oſtendit: & ſquamas non bene, vt puto, diſpoſitas habet.



RERVM cognitione, quas in vniuerſo orbe Deus optimus maximus ad vitæ noſtræ vel neceſſitatem, vel commoditatem condidit, vt nihil præſtantius, ita nihil difficilius eſt. Difficultatem verò parit maximè ipſarum abſtruſa & penitus abdita natura, nonnunquam etiam ipſarum ſimilitudo, vel homonymia, vel vocis affinitas, vt aconiti ſpeciem pro veratro nigro vſurpant multi, marum pro origano, chamædrym vel allium ſylueſtre pro ſcordio: &, ne longius abeamus, chelonem pro cephalo, ſparum pro aurata, ſargum pro melanuro: τράγον alij mænam marem, alij piſciculum alium exocœto ſimilem vocant. Alij banchum cum baccho, ſarginum cum ſargo, glaucum cum glauciſco, lamiam cum amia, alioſque quamplurimos confundunt.

Nominum aut rerum ſimilitudo ſæpe confuſionẽ parit.

A Idem nobis in trichide, trichia, thriſſa euenit: quorum non nominis ſolum, ſed etiam rationis nominis & rei affinitas effecit, vt alij pro eodem piſce hæc vſurparint, atque modò hoc, modò illo nomine in eodem piſce deſignando vſi fuerint: cum alij ex trichide trichiam naſci dicant, vt Ariſtotel. lib. 6. de hiſt. anim. cap. 15. aliam verò ab his eſſe thriſſam, quanquam ſit aliquid his omnib. cõmune. Rei obſcuritatẽ auget Gaza, qui trichidas, ſardinas: trichias, ſardas conuertit: cum ſarda apud veteres longè alius piſcis eſſe videatur. Ac primum quantum ad Ariſtot. attinet, non poſſum non ſummopere mirari, quod ſcribat ex phalerica aphya membradas, ex membradib. trichidas, ex his trichias gigni: Cum ipſe annotauerit piſces ex diuerſæ ſpeciei piſcib. non naſci, dempto rhinobato, qui ex ſquatina & raia gignitur, vt dictum eſt alibi in Capite de Aphyis generatim. Deinde verò Gazam, qui trichias ſardas conuerterit, cum ſarda ſit ex lacertorum marinorũ genere, eiuſdẽ magnitudinis cum colia, qui ſcombro maior

Contra Ariſtotelem. *Lib. 6. de hiſt. anim. cap. 11.* *Contra Gazã* *Sarda quid.*

bro maior eſt, teſte Athenæo lib. 3. vel, vt Plinius ſcribit lib. 32. ca. 11. pelamys longa. De his igitur quid ſentiam breuiter & perſpicuè exponam. Τριχίδας, τριχίας, τρίσσας ſiue θρίσσας (*prima per θ. tantum rectè ſcribitur, non etiam per τ.*) ἀπὸ τῶν τριχῶν dictas opinor, ob ſpinarum copiam & paruitatem: nam capillorum tenuitatem referunt, qua de cauſa ſine pernicie eduntur: & trichida ac trichiam eundem planè eſſe piſcem, thriſſam verò ab eo differre, de qua ſeorſim egimus. Aut ſi qua ſit inter trichida & trichiã differentia, eam ſolum ætatis & magnitudinis eſſe, vt trichis minor ſit, trichia maior: id quod multis piſcibus vſuuenire conſtat, quibus pro ætate & magnitudine varia poſita ſunt nomina, non ſolum ab antiquis, ſed etiam à piſcatoribus noſtris, vt in aurata & coracino prius annotauimus. Idem in Gallia noſtra Narbonenſi, Prouincia, Italia à vulgo obſeruari videmus, in eodem piſciculo quem ſardine & ſarde appellant eo tantum diſcrimine, vt hic maior ſit, ille minor. Hanc vulgi appellationem puto ſecutum fuiſſe Gazam, vt cum videret ab Ariſtotele trichiam à trichide diſtingui, illam ſardam, hanc ſardinam vulgi more appellauerit. Dicet aliquis vtrumque vocabulum antiquum eſſe, & à Latinis vſurpatum, id quod equidem fateor: nam Columella ſardinam dixit, quanquam eo loco non ſardina ſed ſardinia legatur: & ſarda apud Athenæum & Plinium reperitur. At intelligi volo, videri Gazam trichidia & trichiam duobus nominib. Latinis expreſſiſſe, quæ vt vocum ſimilitudine, ita ſignificatione eadem eſſe putabat cum vulgaribus cum res aliter habeat. Nam alterum ſcilicet ſarde non idẽ ſignificat quod ſarda, quæ pro piſce longè diuerſo à veterib. vſurpatur, vt paulo antè dictum eſt, & ſuo loco fuſius oſtendetur. Ego verò trichida & trichiam pro eodem piſce accipio, qui ſardine vulgò dicitur, niſi ætate & magnitudine differant, quæ differentia duplex nobis nomen peperit, vt Sarde dicatur, quæ maior ſit: Sardine, quæ minor. Dorionem, cuius librum de piſcib. ſæpiſſimè citat Athenæus, autorem habeo, qui trichida etiã trichiã appellat. Atq; adeò Athenæũ ipſum, qui trichiarum exempla ex veteribus præferens ipſas apertè cum trichidibus confundit. Sed hactenus de nomine, nunc de re dicamus.

Lib. 8. cap. 17.

Cõcludit trichida & trichiam, vnum eſſe piſcẽ, apud latinos ſardinã: à quo multum differat B veterũ ſarda: etſi Gallis Sarde & ſardine hodie vulgò magnitudine tantum diſtinguuntur.

Sardina piſciculus eſt marinus, aphyæ phalericæ omnino ſimilis, niſi paulò maior & ſpiſſior eſſet: à parua aloſa, ore, branchijs, oculis, pinnarum numero, ſitu, ſquamis, caudâ minimè diſcrepans, ſed in hoc tantũ quod aloſa ſit latior. Sardina igitur ſquamas magnas tenues habet, colore eſt vario: nimirũ capite aureo, ventre albo, dorſo cum viridi cæruleo, vtroque ſplendido rutilanteque, dum viua è mari extrahitur. vnà enim cum vita viridis euaneſcit, cæruleo manente, eoque hebeſcente & ſplendorem ſuum amittente. Inteſtina habet parua & recta, aloſarum inteſtinis ſimilia.

F Felle caret: quamobrem non exenterata in craticula vel ſartagine coquitur, vel in olla cum oleo elixatur. Vêre pingueſcit. Linguam mordet, maxime ſi paulo diutius aſſeruetur. Sale conditæ ſardinæ in annos duos ſeruantur, fitque ex his garum, ſed minus laudandum ob ſquamarum copiam & ſpinarum, à quibus caro difficile ſeparari, vixque in muria diſſolui poteſt.

Si ſardina noſtra ea ſit, quam Ariſtotel. trichida vel trichiam vocat, vt reuera eſſe exiſtimamus, ſcrupulum non tenuem nobis inijciet locus Ariſt. lib. 8. de hiſt. anim. cap. 13. hæc ſcribentis: Οἱ δὲ τριχίαι μόνοι τῶν ἰχθύων εἰσπλέοντες μὲν ἁλίσκονται, ἐκπλέοντες δὲ οὐχ ὁρῶνται. ἀλλ' ὅταν καὶ ληφθῇ τις περὶ Βυζάντιον, οἱ ἁλιεῖς τὰ δίκτυα περικαθαίρουσι, διὰ τὸ μὴ εἰωθέναι ἐκπλεῖν. αἴτιον δὲ, ὅτι οὗτοι μόνοι ἀναπλέουσιν εἰς τὸν Ἴστρον, εἶθ' ᾗ σχίζεται καταπλέουσιν εἰς τὸν Ἀδρίαν. σημεῖον δὲ, καὶ γὰρ συμβαίνει τοὐναντίον: ἐκπλέοντες μὲν γὰρ οὐκ ἁλίσκονται εἰς τὸν Ἀδρίαν, εἰσπλέοντες δὲ ἁλίσκονται. Quæ ſic conuertit Plin. lib. 9. ca. 15. Intrantium Pontum ſoli non remeant trichiæ, ſed hi ſoli Iſtrum amnem ſubeunt, ex eo ſubterraneis eius venis, in Adriaticum mare defluunt, itaq; & illinc deſcendentes nec vnquam ſubeuntes è mari viſuntur. Nullus veterum ſcripſit, nullus etiam recentiorum aut piſcatorum aut ſcriptorum memoriæ prodidit, viditue aut ab alijs audiuit ſardinas noſtras amnes ſubire. Quocirca locus Ariſtot. mihi ſuſpectus eſt: Item Plinij, vt fortaſſe pro τριχίαι vel θριχίαι legendum ſit θρίσσαι, quas vere ad flumina properare magna frequentia illicque pingueſcere conſtat. Eiuſdem loci pars poſtrema deprauata etiam eſt: nam pro ἐκπλέοντες μὲν γὰρ οὐκ ἁλίσκονται εἰς τὸν Ἀδρίαν, εἰσπλέοντες δὲ ἁλίσκονται, reponendum, ἐκπλέοντες μὲν γὰρ ἁλίσκονται, εἰσπλέοντες δὲ εἰς τὸν Ἀδρίαν ἁλίσκονται. Id oſtendit Plinij conuerſio. Idem rectè animaduertit Gaza, qui iſta ſic expreſſit: Exeuntes enim ſemper capiuntur, ſubeuntes nunquam. Denique res ipſa neceſſario ſic legendum eſſe docet. Ait enim Ariſtoteles hîc contra fieri quam in Ponto, quem ſubeuntes capiuntur, exeuntes autem non videntur. Ex Adria verò exeuntes videntur & capiuntur, ſubeuntes minimè: quia ex Iſtro per ſubterraneos meatus Adriaticum mare ſubeunt.

Animaduerſio apud Ariſtotelẽ loci, primùs quod ſardinæ non ſubeant amnes: quare pro trichias inſpicatur legendum thriſſas: Secundus, &c.

Locus alter.

COROLLARIVM.

A Sardinæ (Trichides) ex membradibus gignuntur, ipſæ ſardas (trichias) procreant, Ariſtoteles interprete Gaza. Quod ſi trichides ac trichiæ magnitudine tantum & ætate differunt, vt Rondeletio videtur, ita vt hi maiores: illi minores ſint: abſurdum fortè fuerit, ex minoribus maiores naſci putare. In Corollario de Alauſa elemento A. de trichide & trichia multa ſcripſi, pag. 20. piſcem cum thriſſa, id eſt alauſa, eundem eſſe ſuſpicatus, ſicut & grammatici quidam Græci, Scholiaſtes Ariſtophanis & Etymologus, & recentiores aliqui non indocti. Nunc animus magis inclinat ad Gillij & Rondeletij ſententiam, trichides eſſe ſardinas: quanuis id Galenus etiam ignoraſſe videatur, qui σαρδήνας nominabantur. trichidum autem vetus Atticum nomen, iam illo ſeculo pleriſque incognitum fuiſſe arbitror. Quod ſi trichis non eſt ſardina, quo alio apud Ariſtotelem nomine ſardina reperietur? neque verò tam frequentem vbique (puto) in mediterraneo piſciculum, & alendę plebi tantopere vſitatum, ignotum fuiſſe, veriſimile eſt. quanquam Athenæus ex Epæneti de piſcibus libro, chalcides ab aliquibus ſardinos vocari ſcribit: Χαλκίδας, τὰς καλοῦσι καὶ σαρδίνους: quæ eius verba etiam Euſtathius repetit. Ariſtoteles (inquit Athenæus) quinto hiſtoriæ ſardinos ipſas (*chalcides nimirum, de his enim agit*) vocat. ego ſardinorum nomen nuſquam apud Ariſtotelem legi. Wottonus ex eodem Athenæi loco, quem integrum recitaui in Eritimo, (Elemento E.) non intellecto, Eritimos ab Ariſtotele ſardinos vocari ſcribit. Hermolao etiam eritimos ſarda eſt, (*ſardinam dicere voluit,*) vel ſardæ ſimilis. ſed eandem eſſe ſardinam eritimo, ve-

mo, veteres non tradunt. Diphilus thrissam & cognatos pisces, chalcidem & eritimum, facilè digeri author est. Τριχθάδες, αἱ χαλκίδες: Ἡρακλέων μεμβράδες, Hesychius & Varinus, hoc est, Trichthades sunt chalcides: vel, vt Heracleon voluit, membrades. Sed pro τριχθάδες, legerim τριχιάδες, à recto trissyllabo oxytono τριχιάς, vt Παλλάς. quanquam magis probo vt τριχίας scribatur, sicut ἀνθίας. Δωρίων καὶ τῆς πηλαμίδος μέμνηται Θεΐαση, (lego Θρίαση,) καὶ τὴν τριχίδα, τριχίαν ὀνομάζει. Et Aristoteles 6. 15. Ἐκ δὲ τῆς φαληρικῆς (ἀφύης:) γίγνονται μὲν ἀθερίδες (Gaza μεμβράδες:) ἐκ δὲ τούτων τριχίδες. ἐκ δὲ τῶν τριχίδων, τριχίαι. Ab eodem, octauo historię cap. 13. οἱ τριχίαι nominantur, Plinius trichiæ legit, vt & Eustathius in commentarijs suis in Dionysium de Istro scribens: & Gaza: similiter enim hic Sardas vertit, vt alibi pro τριχίαι. Libro etiam 5. cap. 9. historiæ, trichias, ὁ τριχίας, legitur. Trichias bis anno parit, Plinius. Rondeletius quidem illic thrissæ legit, quod trichides (quas sardinas interpretatur) non immigrent in fluuios. Cæterum ut sarda pelamydum vel thynnorum generis est, sardina verò pisciculus plebeius: sic apud Græcos non modò τριχὶς & τριχίας viles pisciculi memorantur: sed è thynnorum etiam genere τριχιάς oxytonum, semel apud Athenæum lib. 7. in Chalcidum mentione, quem locum etsi deprauatum, huc adscribam: Τριχιάδες δὲ καὶ τὰς πρημάδας, τὰς θυννίδας ἔλεγον.* πλείτων Εὐρώπη ἀλιευόμενος ποτ' αὐτὸν εἶδον Ἀνδρόμαχη μετ' πρημνάδων, κἄπειτ' ἀφῆκεν ὅπῃ ἦν βία. Verùm pisces minores aristosi, id est spinis exiguis pilorum instar referti, vt trichides, trichiæ thrissæ, non temerè ἀπὸ τῶν τριχῶν denominantur. Maioribus verò, vt thynnides & premades sunt, quid cum pilis & aristis commune? Thrissis sane, id est alausis, & trichidibus, multa sunt communia: nominis ratio, vt dictum est: quod pisces sunt parui, aristosi, viles: quod gregatim capiuntur, & quidem vtrique cantu saltationeque: nam & de thrissa id scribitur, & de trichide, nisi veteres etiam trichidis nomen aliquando cum thrissa confuderint. Linea illa spinosa in ventre, in alausis & sardinis conspicitur: item in celerino Gallis ad Oceanum dicto, Rondeletius apuam membradem facit. Eidem apua Phalerica piscis est sardinæ similis, minor, tenuior: cuius ventrem squamæ firmant & exasperant, vt in alosis & sardinis videre licet. Bellonius tum celerinum Oceani, tum sardinam mediterranei maris, chalcidem interpretatur, magnitudine tantum distinguens. Celerinus (inquit idem) asperiorem sub ventre ex aristis lineam habet, quam harengus. Ab eodem liparis nominatur pisciculus lacustris in Macedonia: qui sardinam toto habitu refert, sed ventre est latiore: & lineam sub ventre asperam habet. Non alius, aut certè simillimus videtur, qui agonus in Verbano lacu dicitur, alibi in Italia Sardanella, à maxima cum sardinis similitudine, vt Rondeletius scribit: qui in ea quam exhibuit agoni (chalcidem ipse nominat) pictura, spinosam illam ventris lineam ostendit.

Qui pisces asperam in ventre lineã habeant

Sardinæ, quas trichidas arbitror à Græcis nuncupatas, à minutis ossiculis (*spinis potius*) pili subtilitatem æquantibus, antiquum nomen retinent in prouincia Narbonensi, Gillius. Sardæ (*vulgò dictæ*) & quæ vocantur vulgò aleces, aliquantò sardis minores, in magno vsu alendis familijs existunt. Sunt ij digitales pisciculi, qui longè optimi in Liguria saliuntur. eas aliqui apuas esse voluerunt, Iouius. Sardinæ, Romæ vulgò Sardoni dicuntur: quos Bellonius eosdem harengis esse putauit, vt in Chalcide reperies, pag. 216. Rondeletius harengum probè diuersum piscem facit, eumque clupeæ potius, quàm chalcidis generi, attribuit. Ligures testantur pisciculos perparuulos, quos Ianquetos nominant, effici Sardinas, Gillius. alij sunt quos Sancletos Massiliæ vocant, atherinę Gillio & Bellonio. Ancludę vel Ancludes medicis quibusdam recentioribus Italis dicti pisciculi, (Gallis vulgò Anchoies, apuæ encrasicholi Rondeletio,) sardinis sardellisue similes sunt, ita vt hæ pro illis aliquando dolosè venduntur. Ancludes enim maioris precij sunt. eduntur salsæ ex oleo, aceto & pipere, ad incitandum appetitum. Ligulæ, quæ & sardellæ & anchioę dicuntur, Brasauolus. Agonos Comi nomen mutare audio, postquam salsi sunt, & vocari sardeas. Fracastorius distinguit. - - - Sardellarumque cateruæ, His est maior Aquo. Benedictus Iouius in Larij descriptione Aquonis tantum meminit. nam quæ Salena ab eo nominatur, (hoc versu, Scardua, & Incobia ex Pigis, & Plota, Salena,) alia quàm Sardena videtur. Sardellæ ex Benaco admodum laudantur, Platina: qui hos pisciculos ab agonis diuersos, assimiles tamen facit. Quærendum an Sardellæ & Aquones (seu Agoni) ætate tantum differant. hos enim maiores esse, Fracastorius canit. Sardinæ nomen Oceanus Gallicus non agnoscit, vt scribit Bellonius: qui tamen celerinum à Gallis Oceani accolis dictum, piscem eundem putat: Rondeletius distinguit. quamobrem an sardinæ in Oceano capiantur, adhuc incertus sum. Germanicè tamen sardinam interpretari libet, *ein kleine Hering art im Meer: ein Meeragune.* quæ interpretatio etiam atherinę & membradi Rondeletij conueniet. Chalcides verò & similes in lacubus dulcibus, *Seeagunen, Hering arten im suessen Wasser.* Vel sardinam faciemus alausæ speciem, *ein art der Zigen oder Goldfischen im Meer.* Bellonius trichidem nominat alausam ætate minorem, quę Gallis Pucelle dicitur. eandem (vt audio) Angli vocant *a Pylcher*, vel *Pylcharde.* Chalcidibus aut sardinis apuarumue generi cognatus videtur piscis, quem Germani accolæ Oceani *Stinckeling, Stinckfisch*, vel *Spirinch* appellant, Angli *Sperling*: de quo plura dicemus in fine operis. Semaris, id est sardellę, Vetus glossographus Auicennæ. sed Semaris corruptum apparet pro Smaris.

C Leonides scribit trichides betarum folijs delectari, Gillius. Sarda (Trichias) bis anno parit, Arist. hist. 5. 9. Idem lib. 8. cap. 13. eiusdem operis, trichias (*Sic enim legendum, potius quàm trichæos in Aristotelis*) ait Istrum è Ponto ingressos, εἶθ' ᾗ σχίζεται (ὁ ποταμὸς) καταπλεῖν εἰς τὸν Ἀδρίαν. Gaza vertit. Solę enim subeunt Istrum amnem, vnde fisso flumine per abditum terræ meatũ defluunt in Adriam: ex Plinio videlicet, qui subterraneis venis eos ex Istro in Adriaticum mare defluere dixit, cum Aristot. simpliciter ex Istro in Adriam descendere scribat. In eodem loco pro Gręcis his verbis: Ἐκπλέοντες μὲν γὰρ οὐχ ἁλίσκονται, εἰς τὸν Ἀδρίαν, εἰσπλέοντες δ' ἁλίσκονται. repono, εἰσπλέοντες μὲν γὰρ οὐχ ἁλίσκονται εἰς τὸν Ἀδρίαν, ἐκπλέοντες δ' ἁλίσκονται. id est, In Adriatico enim mari contrà quàm in Ponto: subeuntes non capiuntur, sed in exitu tantum. Sic pauciora & commodius mutâris, & eundem quem Rondeletius sensum reddideris. Porrò de Istri gemina diuisione, ita vt altera pars eius in Adriam, altera in Pontũ delabatur, plura leges apud Strab. & in Eustathij comẽtarijs in Dionys. Argonautas etiã è Ponto per Istrũ nauigando in Adriaticũ mare

mare peruenisse aliqui putant. Aliqui de eo sic breuissimè: Ἴστρος ἀπὸ τῶν Παιόνας περὶ τὰ χειμεῖον, ἐκ τῶν Ἐρκυνίων ὀρῶν, ναυσίπορος ἐκ πηγῆς αἴρεται: καὶ σχιζόμενος τῇ μὲν εἰς τὸν Πόντον ῥεῖ, τῇ δὲ εἰς τὸν Ἀδρίαν. Hyrcanum mare occultis sub terra alueis in Euxinum exire putant: vt scribit Cæsar Scaliger libri de Subtilitate cap. 51. Intrantium Pontum soli non remeant trichiæ, Plinius.

Leonides dicit rei marinæ peritos, trichides facile capere betarum folijs. huiusmodi enim olere & mirifice delectantur, & facile comprehenduntur, Gillius. Esca iacentium mollior esse debet quam saxatilium (in piscinis.) itaq; præberi conuenit tabenteis haleculas, putremq; sardinam, Columella 8. 17. E

Pisces tum molliores tum sicciores iusto, ad saliendum idonei non sunt. coracini verò & pelamydes & mylli, sardæ & sardenæ, &c ad salsuram sunt appositi, Galen. Sardellę ex Benaco admodum laudantur. frictę, ex agresta aut malarancio suffundũtur, Platina. Τριχίδια inter cibos viliores Alexis nominat. F

Ligulæ, quæ & Sardellæ & Anchiotæ dicuntur, (*nos suprà Anchioas siue Ancludes à Sardellis distinximus,*) ac cæteri salsi pisces in prima mensa insumpti, aluum subducunt. Ego nonnunquam vsus sum ligulæ capite, id est sardellæ salsæ, balani loco in puero, cum deficerẽt alia, & egregie excreuit, Brasauolus. G

Sarda genus gemmæ est Plinio, primum Sardibus reperta. H. a.

Nostra hæc Sargi icon est: Rondeletij accuratior. nam & lineas à summo dorso descendentes octonas repræsentat (quæ tamen in mortuis ferè euanescunt:) & dentes humanis non dissimiles: & nigram, iuxta caudam, maculam.



DE SARGO, RONDELETIUS.

ΣΑΡΓΟΣ Græcis, vel fortasse σαρκὸς, vt quodam loco apud Athenæum lib. 7. legitur, à carne multa: est enim pro corporis magnitudine spissus, plusque carnis habet, quàm sparus, vel cantharus. Latinis sargus, nostris & Italis sargo. Græci quoque hodie (*inquit Gillius*) appellationem eandem retinuerunt. A

Sargus piscis est marinus, litoralis, prædictis (*canthara, sparo, aurata,*) & melanuro similis, sed corpore rotundiore compresso, spissiore, squamis paruis: colore argenteo, nisi quòd à dorso ad ventrem lineas nigras protensas habet, ita dispositas vt prima latissima sit & maxima, secunda minor minusq; conspicua, tertia primæ similis, quarta secundę. & sic deinceps ad caudam vsq; vt in mormyro videre est. Ad caudam macula est nigra, vt in sparso & melanuro. Ob has notas μελανόγραμμος, & πολύγραμμος, & ὀρθόγραμμος ... dictus est (*ab Aristot. vt citat Athen.*) quemadmodum & melanurus: cui similis est, vt ait apud Athenæum Hicesius. Oculis est valde rotundis, dentibus latiusculis. Pinnæ, quæ ad branchias sunt, rubescunt, & caudę extrema: quæ in ventre, nigrescunt. Pinna dorsi tenui membrana connexa, quæ est à podice ad caudam, maior est in hoc quam in aurata. Cauda in pinnas duas valde à se distantes desinit. Branchias quatuor habet, cor angulatum, hepar & intestina prædictis piscibus similia. B

Lib. 7.

C Oppianus lib. 1. ἁλιευτικῶν scribit saxatilem esse: Ἄλλαι δ' αὖ πέτρῃσιν ἐπὶ χλόαι ὑγρὰ μέτωπα Σάργοισιν ... ἔφυσαν ἐφέστιον. Sunt vdæ cautes herbis à fronte virentes, Hîc domus est sargis. Nullus tamen est alius ex omnibus, qui de piscibus scripserunt, præter Ælianum, qui saxatilem fecerit: neq; carne substantiaue cum saxatilibus conferendus est, vt mox dicemus. Sentiendum igitur in saxis, quæ in litoribus sunt, degere: nam reuera litoralis est, & in cœnosis litoribus frequentior. Hoc confirmat Aristot. (Lib. 8. de hist. anim. cap. 2. & Plin. lib. 9. cap. 17. Ibid. cap. 13.) Vbi mullus luto excitato abijt, fodere enim potest, sargus descendit, & pascitur, imbecilliores que ne eòdem adnatent, arcet. At idem Aristot. mullũ

Quod non sit propriè saxatilis.

Lib. 11. cap. 19

inter litorales recenset. Nos verò sargos alios alijs longè meliores degustauimus; quare illos arbitror in saxis ad litora degere, hos magis in luto: quemadmodum mullus, qui cancellis vescitur, multum ab alijs saporis gratia superatur. Etenim pro locorum & alimentorum varietate, eosdem pisces à se differre substantia & carne, lib. 1. demonstratum est. Sargus bis anno parit, vêre & autumno, vt autor est Arist. vbi in vulgaribus nostris codicibus pro σαργὸς, malè legitur σαρδος, quod perspicuum cuiuis esse potest, ex Athenæo locum hunc citante. Ex eodem Aristotele (lib. 5. de hist. anim. cap. 1.) alio in loco: Pariunt pisces plurimi his trib. mensib. Martio, Aprili, Maio: Autumno pauci, vt salpa & sargus.

Partus.
Lib. 5. de hist. anim. cap. 9.
Lib. 7.

A. Sargum nō esse mugilum generis, & à sargino differre.
Arist. loci duo emendati.
Lib. 5. de hist. anim. cap. 9.

Ex his constat eos nominis affinitate in errorem inductos, qui sargum in mugilum genus retulerunt, cum non sargum, sed sarginum, dixisse oportuerit, ob eamque causam duos Aristot. locos mendosos esse, in quibus sargum mugilis genus facere videtur. Horum alter est libro quinto de historia animal. cap. 11. Alter libro sexto eiusdem operis cap. 17. Ac primum quàm absurdum sit, sargum in mugilum genere collocare, tum ex ijs quæ iam diximus, tum ex ijs quæ de mugilibus suo loco dicemus, perspicuum fiet. Nam sargus melanuro similis est, vt diximus, ab eoque difficilè secernitur, cum vtrique nota nigra sit ad caudam: sargo corpus rotundum, compressum, caput paruum, lineæ nigro dorso ad ventrem, vt mormyro: quæ omnia in mugiles, qui possunt competere? Deinde locos Aristot. quib. id sentire videtur, mendo non carere, facile est ostendere ex diuersorum eius autoris locorum collatione. Scribit enim sargũ vêre & autumno parere. Τίκτει δὲ καὶ ὁ σαργὸς δίς, ἔαρος καὶ μετοπώρου. & paulò pòst dicit, sargum & salpam autumno parere, loco non multò antè à me citato. Idē confirmatur ex Athenæo, qui de sargo ita scribit. Ἀριστοτέλης ἐν πέμπτῳ περὶ ζώων ἱστορίας, τίκτειν αὐτόν φησι δίς, ἔαρος, εἶτα μετοπώρου, id est, Aristoteles in quinto de animal. hist. ait sargum bis parere, vêre & autumno. (*Vide etiam in Corollario C. ex Massario.*) His adstipulatur Plinius lib. 9. ca. 51. Pariunt scorpiones bis, ac sargi, vere & autumno. Hæc cum vera sint, quo modo constare possunt ea, quæ mox subiungit Aristot. Τίκτει δὲ ἔνια καὶ χειμῶνος καὶ θέρους. χειμῶνος μὲν λάβραξ, κεστρεὺς, βελόνη: &, Ἄρχονται δὲ κύειν τῶν κεστρέων οἱ μὲν χελλῶνες τοῦ ποσειδεῶνος, καὶ ὁ σαργός, καὶ ὁ μύξων καλούμενος, καὶ ὁ κέφαλος. κύουσι δὲ τριάκοντα ἡμέρας: id est, Pariunt quædam hyeme, quædam æstate. Hyeme quidem lupus, mugil acus. Et, Incipiunt vterum ferre ex mugilibus chelones mense Decembri, & sargus, & qui myxon dicitur, & cephalus. Ferunt autem in vtero triginta dies. Is est prior locus ex 5. de hist. Quòd si, vt ex superioribus liquet, sargus vere & autumno parit quomodo cum mugilibus Decembri fœtum concipit, quem post triginta dies edat? neque est quod quis ποσειδεῶνα, mensem Septembrem interpretetur: nam Aristoteles disertè scripsit, mugiles hyeme parere, quod explicans subdidit, mense Decembri concipere, trigintaque dies vterum ferre. Quare hîc pro σαργὸς, σαργῖνος, legendum esse existimo: & pro χελλῶνες (vt id etiam obiter admoneam) χελῶνες. Alter locus est libro 6. ca. 17. de hist. σάργος δὲ κυίσκεται μὲν περὶ τὸν ποσειδεῶνα μῆνα, κύει δὲ ἡμέρας τριάκοντα: καὶ ὃν καλοῦσι δέ τινες χελῶνα τῶν κεστρέων, καὶ μύξωνα, τὸν αὐτὸν καὶ ἴσον χρόνον κύουσι τῷ σαργῷ. id est, Sargus mense Decembri concipit, vterum fert dies triginta, & ex mugilibus chelon, & myxon eodem & æquali tempore cum sargo vterum ferunt. Hîc quoque sarginum legendum esse censeo, qui à sargo diuersus est, vt annotauit Athenæus. Et cum mugilibus alibi numeratur ab Aristotele lib. 9. de hist. anim. ca. 2. Σαργῖνοι, βελόναι, μύξωνες, quanquam hic corruptè legatur μήκωνες pro μύξωνες, quam vulgarem lectionem secutus est Gaza, qui papaueres conuertit. Quare ex his Aristotelis locis rectè colligere nemo potest, sargum ex genere mugilum esse. Cætera quæ de sargo supersunt, persequamur. Is piscis salax est, vt cecinit Op. his versibus, quos in capite de cantharo protulimus. nec solum alienas vxores deperit, sed etiam mirè ardet fœdo caprarum amore, quam insaniam pluribus describit Oppian. lib. 4. Σαργοὶ δ' αἰγείοισι πόθοις ἔπι θυμὸν ἔχουσιν. Αἰγῶν δ' ἱμείρουσιν, ὀρεσσαύλοις δὲ βοτοῖσιν Ἐκπάγλως χαίρουσι, καὶ εἰνάλιοί περ ἐόντες. Inuadit sargos caprarum mira cupido: Qui madidi simas cupiunt tractare capellas Montanis gregibus, quanuis sint agmina Ponti. Cætera pete ex Oppiano: sunt enim prolixiora, quam quæ adscribi debeant. Ælianus id scribit: Sargi capras vehementissimè amant. nanque cum caprarum proximè litus pascentium, vnius aut alterius vmbra in litore apparuerit, protinus gaudio exilientes, summo studio adnatant, ac saltu non admodum ad saltandum idonei, capras contingere affectant. sensum enim caprini odoris percipiunt, etiam si sub fluctibus natent. itaque voluptate gestientes, ad eas accedere student. Quòd autem tanta amoris insania in capras existunt, ex ijs idcirco capiuntur, quæ tantopere desiderant. Nam piscator caprinam pellem extractam cum cornibus induens, insidias parat, sole à tergo relicto. atq; farinam caprino iure madefactam in eam maris partem spargit, vbi habitare solent sargi, quib. tanquam philtro quodam odoris allecti accedunt: farina vescuntur, pellis assimilatæ capræ conspectu permulcentur. Ex his autem piscator multos hamo robusto capit, cuius linea alba non ex arundine appensa est, sed virga è cornu arbore. Simulac enim ad hamum adhæserit, subtrahere expeditissimè conuenit, ne alios conturbet. Manu etiam capiuntur, si quis spinas quas ad tuitionem sui excitant, à capite ad partē inferiorem reuocando & flectendo declinet, premendoq; ex lapidibus, in quos ad latendum se compellunt, extrahat. Hæc Ælianus, qui spinas quas ad tuitionem sui sargi excitant, pinnas dorsi quas erigunt, intelligit.

Lib. 7.
C. vulgatam.
D. E. Caprarum amor: propter quem etiam capiuntur.
Ælianus. l. 23.

B Apud Athenæum lib. 7. ab Hicesio sargus melanuro, alibi apud eundem melanurus auratæ compa-
F ratur. Et alibi lib. 8. Σαργοὶ στύφουσι μᾶλλον, καὶ τῶν μελανούρων εἰσὶ τροφιμώτεροι, id est, sargi adstringunt & magis alunt quàm melanuri. Qui Brundusij capiebantur, ab Ennio laudantur. Nostri reijciendi non sunt, præsertim qui vêre, & autumno capiuntur, æstate sunt deteriores. Dicemus igitur sargos qui in litoribus cœnosis degunt, cæteris multò deteriores esse: qui in saxis litorum habitant, vt Oppian. author est, vel qui in purioribus vndis degunt, substantia auratis ferè similes, media scilicet carne, ad siccitatem & proinde ad duritiem inclinante. Quam ob causam succi bonitate ab auratis vincuntur, & magis adstringunt, & multum nutriunt, vt Hicesius dixit.

E Non solum caprina pelle & caprino odore allecti capiuntur, vt prius dictum est, sed etiam sagena. Numenius in Halieutico, narrante Athenæo, scribit: piscem hunc contra piscantium insidias astutum esse: & λινοπληγέστατον appellat, quod cum hamo tenetur, lineam ad scopulos atterat. id confirmat Plinius lib. 9. cap. 59.

Lib. 7.

Archestra-

Archestratus quod duris sit piscis, assum & calidum caseo, aceto, condiri vult: molliores autem & pingues pisces sale & oleo. A

DE EODEM, BELLONIVS.

Sargi nomen antiquum Massilienses ac Genuenses adhuc hodie retinent, Vn Sarg. Romani Sargo, Veneti Vn Sargo vocant. A

Oceano Gallico ignotus piscis, mari rubro & Nilo peculiaris: è quibus locis vsque in montem Sinai ad eius regionis incolas magno cōmodo ac pretio deferri solet. Notas cum Sparo peculiares habet: ambo enim tenuibus squamis contecti sunt, planoque sunt corpore. Linea ambobus à branchijs arcuata vtrinque per medium corpus deducitur: Pinnam continuam in tergore gerunt, caudam bifurcā, in extremo, vt Melanurus, nigram. Verum pinna, quam Scarus ad anum habet vnico, vt coruus, armatur aculeo. Branchiarum exterius tegumentum spineum, nigrum est. Oculos habet cæsios: dentibus exertis præditus est, ordine dispositis in superiore & inferiore maxilla, numero octonis, humanos ipsa effigie referentibus. Oris rictum mediocrem, pinnas in acutum desinentes. Sargi dum recenter ex aqua prodeunt, transuersis lineis, vt Mormylus, sunt insignes. Hæ autem lineæ minus sunt in demortuis cōspicuæ: Vnde Ouidius: B

Insignis Sargusque notis, insignis & alis.

Est & alius piscis fluuiatilis ex genere mugilum; cui etiam Sargo nomen est, sed hic de marino tantum sermo est: fluuiatilem suo loco descripsimus.

COROLLARIVM.

A Σαργὸς oxytonum est, vt in Aristotelis, Æliani, Oppianiq; libris legitur. nam apud Aristotelem quinto historiæ, cap. 11. vbi bis reperitur σάργος paroxytonum, reponi debet σαργῖνος; vt Rondeletius animaduertit. Melanurum Hicesius ait assimilem esse σάργῳ, (lego σαργῷ,) Athenæus. Sargus piscis est qui nunc quoque Sargus vocatur, Massarius Venetus. Non modo Massilienses & Ligures, sed omnes quas obiui regiones, sargum adhuc vulgo nominant, Gillius. Lusitani etiam sargo. Romæ Sargus imperialis dicitur, vt Corn. Sittardus olim indicauit. Illyrij piscium affinitate decepti, aprum chiergner vocant. sed vox ea sargo debetur. aper enim sargi modo corpus tornatum habet, Bellonius. Germanicum nomen fingendum est. nam cum in Oceano Gallico ignotus sit piscis, teste Bellonio: in Germanico etiam deesse verisimile est. appelletur igitur, *ein Geißbrachsme*, vt & corporis eius speciem (bramis vulgo dictis piscibus similem,) & occultum cum genere caprino consensum indicemus. Vel *ein Brandbrachsmen art im meer*: id est, Melanuri species in mari. Vel describatur, *ein Meerbrachsmenart, mit vberzvvergen schvvartzen striemen vom rucken hinab, vvie an eim bersich, oder auch an dem mormyro, ist ein schmelere meerbrachsmen art.* Sargum cum melanuro aliqui confundunt, item sarginum cum sargo, Rondeletius. de Melanuro dictum est suo loco: de sargino inter Mugiles. Scarus Romanis nostrisque non plane notus est. alij enim ob similitudinem dente, alij sargo vocant. à nostris quidem piscatoribus pro sargo venditur: cui similis est corporis forma subrotunda, & aculeorum pinnarumque situ ac numero, Rondeletius. Gaza pro sargino, sargonem vertit. in eiusdem translatione sargiaci alicubi legitur, pro sargini. Piscem generis leuciscorum, quem Galli vulgo gardonum vocant, nostri *ein Schvval*, (inter Albos nobis descriptum,) Bellonius sargum aut sargonem fluuiatilem vocat, sola opinor nominis Gardonis ad Sargonem similitudine inductus. cum sargus veterum, & sarginus (pro quo Gaza sargonem alicubi vertit,) longe diuersi, tum inter se, tum à gardono Gallorum, & marini tantum sint. Σάργιοι in catalogo piscium Tarētini corruptum vel plebeium videtur vocabulum, pro σαργοί.

B Sargus piscis genus est, qui in Ægyptio mari fere nascitur, Festus: qui hunc etiā Lucilij Satyrici versum citat; Quem præclarus elops, quem Ægypto sargus mouebit. In mari Adriatico etiam non infrequens est. In hæc maria (*circa Romam*, inquit Iouius,) Sargus non semper enauigat, qui Brundusij, Ennij poetæ testimonio, longe optimus habetur. ij namque quos Romæ habemus, auratam magnitudine vix excedunt: quam etiam latitudine atque argenteis squamis referunt. Hicesius ait melanurum consimilem esse sargo, (*nimirum forma etiam, non solum vi alimentaria.*) Pisces sargis aut melanuris similes, excepto rostro quod acutius est: paruis dentib. nō serratis, sed hominis similibus, (*vt etiam sargi*,) ex Istria Venetias afferuntur, Picij vulgo dicti. eos esse arbitror quos Speusippus Melanderinos appellat, & Melanuro similes esse dicit, Gillius. Sargus cantharo pisci simillimus est, Massarius & Gillius. Sargus etiam & sparus in cauda notam nigram habent, quemadmodum melanurus, qua nota decepti multi, hunc à similibus distinguere nō potuerunt, Rondeletius. Sparus à sargo, solo colore distinguitur, &c. Bellonius: vide in Sparo eius. De dentibus sargi plura Bellonius in Aurata.

Hanc picturam olim Cor. Sittardus misit, quæ Sargi (si bene memini) caput, os & dentes repræsentaret.



C Ouidius sargum inter pelagios recenset. Rondeletius litoralem esse ostendit. Sargis piscibus (inquit Ælianus 1. 23.) idonea domicilia saxa & cauernæ sunt, quæ non latis luminibus illuminantur, sed tanquam fenestellas paruulas habent, tanto interuallo distantes, quo pertinere & permeare solis splendor earumque distantiam lumen solis complere possit.

 Cum

Cum enim omni luce Sargi delectantur, tum verò solis maxime radios sitienter expetunt. Apud paludes & breuia vitam agunt, vicinam proximam continentem se habere gaudent. Hæc ille, ex quo & Philes repetijt. Σαργῶν γένος πέτρῃσιν ἑταῖρον, Oppianus: qui etiam νωθεῖς, id est ignauos eos cognominat. Carniuorum esse sargum apparet inde quod inescatur lycostomo, vt referemus in E. Pariunt circa equinoctium sargi, vt in melioribus Plinij codicibus legitur: alij enim habent spari. Bis anno parit, vere & autumno, vt Aristoteles tradit. idem tamen sexto de historia inquit, Sargus coit mense decembri, fert vterum dies triginta: quod sane tempus, neque vernum, neque autumnale est, nisi quis dixerit Sargon ibi pro sargone mugilum genere capi, etiamsi ibidem à mugilum genere diuersus esse videatur. Nam libro quinto dixit Mugilum, labeones, sargones, mucones, capitones grauescere vtero mense decembri incipiunt, geruntque diebus tricenis, Massarius.

D Sargus alios minimè comitatur, veluti superbus, Iouius. Ego vero gregales esse puto. nam &, Æliano teste, in loco multi eodem agunt: &, vt in E. dicetur, conferti capiuntur: & magnus vnus plures habet vxores. Canthari quod in amatores suarum coniugum odium acerbum habent, acerrimas pugnas edi videres: nec tamen illis more sargorum piscium de multis certamen instituitur: sed non aliter quam Menelaus cum Paride pro vna vxore decertant, Ælian. Eadem de re Oppiani versus Rondeletius in Cantharo recitat. Mares pro fœminis contendunt: quo in certamine qui victor euaserit, solus fœminis potitur omnibus, Oppian. Ἄλλοτε δ᾽ ἄλλῃ Σαργὸν ἐπιτέλλοντα λινοπληγέστατον ἰχθύν, Numenius apud Athenęum: qui nomen λινοπληγέστατον, πανοῦργον περὶ τὰς θήρας interpretari videtur: rarum alioqui, nec vsquam alibi à me (quod meminerim) inuentum. Videtur autem positiuus esse λινοπλήξ, vt παραπλήξ. Eustathius in Iliados K. diuersa composita à verbo πλήττειν ostendens, nil tale habet. ponitur autem id verbum aliquando κρούειν & πελάζειν: vt hic piscis in hoc astutus sit, dum alias alijs circa retia locis, quanquam proximus eis, apparet & eludit: quod si quis cum Rondeletio λινοπλῆγα ex Plinio interpretari malit, quod lineam ad scopulos atterat, illi non contendero. Inter sargos (inquit Plinius) ipse qui tenetur, ad scopulos lineam terit. Λίνον quidem pro reti potius plerunque apud autores accipi puto, quam pro linea cui hamus annectitur: quam Oppianus tertio Halieut. subinde ὁρμιὰν vocare solet. Videtur & κάθετος & καθέτης pro linea accipi; præsertim maiore & validiore: vel pro hamo ei annexo, vel etiam esca hamo inserta. Ἀλλ᾽ ὁπόταν καθέτῃσι πελώριοι ἀμφιχάνωσιν Ἰχθύες, Oppian. lib. 3. Halieut. & mox, Πολλάκι δ᾽ ἐξώλισθον ἀπ᾽ ἀγκίστροιο πεσόντες. Κάθετος, ὁ καθειμένος εἰς τὸ πέλαγος ἀμνίον, sic Lysias & Meliton, Suid. Quidam in lexico Græcolatino κάθετον hamum interpretatur, qui ad modum catheti, id est perpendiculi è funiculo setaceo in mare demittitur. hinc in epigrammate τριχίνης ἐκ καθέτου: quod quidam malè vertit ex aspero reti. Ælianus de animal. 12. 43. instrumenta piscatorum enumerans, cum ea quæ retibus fit piscatura, Λίνον nominat. ἀγκιστρεία vero (inquit) δεῖται ἱππείων τριχῶν, &c. χρῶνται δὲ καὶ τῶν ἀγρίων συῶν ταῖς θριξὶ ταῖς ὀρθαῖς καὶ περιηνθῳ ε, (lego ἀκρολίνθῳ,) &c. Pollux lib. 10. inter piscatoris instrumenta primum numerat, σαγήνην, λίνον, παναγροι: &c. deinde ὁρμιάν, ἄγκιστρα, τρίχας, λίνα, σπάρτα: vbi λίνα forte pro filis accipiuntur, vt in illo poëtæ Γειναμένῳ νῆσεν πο λίνῳ. Oppianus paulo post tertij Halieuticorum initium, diuersos piscationis modos commemorans, sic canit: Piscationis modi sunt quatuor. primus hamis vtitur.

Τῶν δ᾽ οἱ μὲν δονάκεσσιν ἀναψάμενοι δολιχοῖσιν Ὁρμιὴν ἵππειον ἐΰπλοκον, ἀγρώσσουσιν.
Οἱ δ᾽ αὔτως θώμιγγα λινόστροφον ἐκ παλαμάων Ἠσάμενοι, πέμπουσιν. ὁ δὴ καθέτῃσι γέγηθεν:
Ἢ πολυαγκίστροισιν ἀγάλλεται ὁρμιῇσι.

Ea igitur quæ hamo fit piscatio, duplex est: aut enim calamo siue harundini annexa est linea, ex pilis equinis fieri solita: aut manui, contortus scilicet è lino funiculus, θώμιγξ: à quo vel plures dependent hami, vel vnus καθέτης, maior scilicet & escam maiorem continens ad pisces cetaceos capiendos. Inferius etiam de anthiarum piscatione scribens, magnorum piscium, lineam facit μέγα πεῖσμα λινόστροφον, & hamo lupum piscem infigit. & mox de eadem linea, θώμιγξ δὲ κραταιή τε καὶ εὔπλοκος: in progressu verò eandem communi vocabulo ὁρμιὴν appellat. Retia verò semper (ni fallor) lina vocare solet. nam cum de retibus variis dixisset, subiungit: Μηρία τ᾽ αἰόλα τοῖα δολορραφέων λίνα κόλπων. Et mox: Κεστροὺς μὲν πλεκτῇσιν ἐν ἀγκοίνῃσι λίνοιο Ἑλκόμενος. Item: Σφύραιναι δ᾽ ὅτε κέν ποτ᾽ ἐπιπλήξωσι λίνοισιν His scriptis, vt sargum λινοπλῆγα piscem cognominatum ostenderem, ab eo potius quod retia quam quod hamos eluderet, incidi in Eustathij parecbolas Iliados Π. super his poetę verbis: --- ὡς ὅτε τις φὼς Πέτρῃ ἔπι προβλῆτι καθήμενος ἱερὸν ἰχθὺν Ἐκ πόντοιο θύραζε λίνῳ καὶ ἤνοπι χαλκῷ, Ἕλκει. Λίνον (inquit) nunc vocat lineam è lino, τὴν ἐκ λίνου ὁρμιάν, prima breui: quanquam frequentius hoc vocabulũ pro reti ponitur. Et rursus in Odysseæ B. Lina (Λίνα) inquit tum retia tum vela dicuntur: idq; nomen hodieq; seruatur cum alibi, tum circa Pamphyliam. vbi linaria (λινάρια) vocant retia venatoria: & si quod animal illapsum euaserit, id ἐκλινῶσαι dicunt rhetorica dictione. Et alibi, Linum etiam pro chorda dicitur. olim enim lino pro fidibus seu chordis vtebantur. Hæc cum ita se habeant, rem in medio relinquemus quod ad sargi circa linum astutiam attinet. capi quidem eos & retibus & hamis, mox in E. apparebit. Capras quantopere ament, Ælianus & Oppianus prædicant.

E Sargus si teneatur (*hamo,*) ad scopulos lineam terit, Plinius. Vide scripta proximè retro in D. Sargos hoc modo Cares capiunt: Cum enim molles & remissas auras auster afflat, & ad litus moderatè & leniter fluctus murmurant: tum ad piscatum arundine piscator nihil eget, sed iuniperi bene robusta virga ex qua summa lineam appendit, atque ad hamum escam lycostomum (neque recentem, neque plene tamen inueteratum) accommodat: deinde in piscatorij nauigij puppe sedens, insidias tendit, easque in mare demissas leuiter mouet, simul & ei quiete inseruit puer, qui probe tenens vt sensim pedetẽtimq; nauis impellenda sit, ad terram versus remigat: Tum Sargi permulti exultantes, & gestientes, escam assequi, sese ex suis latibulis incitant, & prosiliunt, atque escæ illecebra allectati, ad hamum congregantur: cumq; propius à terra sunt, cibi auiditate capti, facile comprehenduntur. Ælianus 13. 2. Sargi verriculis & plagulis capiuntur, Plutarchus. Vrinator aliquis peritus in mari facile etiam manibus sargos ceperit, & scienas. Sargi enim trepidi in angustum aliquem locum (ἐς μυχὸν) maris se recipiunt, cateruatim collecti: & spinis dorsi rigentibus ita horrent, (ceu vineæ alicuius sepimentum spinis consitum) vt tractabiles nõ sint. sed peritus vrinator animaduertens capitis caudæque situm in singulis, à capite primum

primum contingens spinas permulcet ac deprimit, vtraque manu singulum apprehendens. manent illi condensati & capiuntur, Oppianus lib. 4. Halieut. Sargi tantopere capras amant, vt cum illæ à pastoribus in magnis æstibus ad litora vbi lauent aguntur, sargi mox adnantes conferti eas circundent, ac circunsilientes mirifico gaudij argumento lambant: nec aspernantur eas capræ tanquam amantes. Vbi vero è mari iam exeunt capræ, tum sargi mœrentes vniuersi ad extremum vsque litoris marginem comitantur, & inuiti deserunt. Verum perniciosus eis hic amor est. obseruat enim piscator geminos scopulos angusto inter eos spacio solem admittente, quod multi pariter sargi incolunt: Solis enim radijs admodum gaudent. ibi pellem indutus caprinam, eminentibus supra caput cornibus, manet: & inijcit in mare farinam carni adipique caprinæ permixtam. Allecti itaque sargi ipsum mare ingressum ceu capram amplectuntur. is verò mox calamo è corno arbore extenso, lineam è lino cano demittit, & hamo carnem de vngula caprina inserit. & mox quem ceperit sargum, celeriter manu retrahit, (*ad sergum forte:* ὁ δ᾽ ἐσπάσε χειρὶ παχείῃ, *malim* ταχείῃ Αὐερύων.) nam si dolum animaduerterint pisces, simul omnes trepidi refugiunt. sin clam & celeriter pergat, nullus eum quin capiatur effugiet, Oppianus libr. 3. Et mox: Capiuntur & alio modo. Mares inter se pro fœminis verno tempore certant: qui vicerit, solus fœminis omnibus potitur, quas in aliquem inter petras recessum agit. Itaque piscator nassam amplam & rotundam in mare deponit, multis circa introitum myrti, aut lauri alijsue frondibus obumbratam: & cum peracto certamine victor aliquis euasit, mox fœminas omnes in nassam, ceu aliquod petræ latibulum colligit, foris interim ipse cæteros mares arcens, tandem & ipse vltimus ingreditur: atque sic pariter capiuntur.

Sargus Brundusij (Ennij poetæ testimonio) longe optimus habetur, præsertim si prægrandis fuerit, F
Iouius. Nullam inesse gratiam litoralibus sargis, ait Plinius: quod mirum videtur, cum is maximè circa litora capiatur, Aeliano teste, Idem. In cibo laudatur. est enim stomacho gratus probum generat succum, facileque in corpus digeritur. abunde nutrit, & aluum mouet: Vuottonus nescio ex quo veterum, Xenocrate forsan. Melanurum Hicesius ait consimilem (*specie nimirum & alimento*) esse sargo: inferiorem tamen bonitate succi & suauitate: subastringere modicè & multum alere: Μικρῶς δὲ παραστύφειν, καὶ εἶναι τρόφιμον, Athenæus. Et rursus ex eodem Hicesio: Sargi magis quam melanuri tum astringunt, tum nutriunt. Et ex Diocle: Recentium (νεαρῶν) piscium carnes sunt ficciores, vt scorpionum, cuculorum, passerum, sargorum. Gariopontus sargos, turdos & alios quosdam pisces hydropicis etiam dari iubet.

Ἡνίκα δὲ αὖ δύνοντος ἐν οὐρανῷ Ὠρίωνος Μήτηρ οἰνοφόρου βότρυος χαίτην ἀποβάλλῃ,
Τῆμος ἔχειν ὀπτὸν σαργὸν τυρῷ καταπασθέν Εὐμεγέθη, θερμόν, δριμεῖ δεδαϊγμένον ὄξει.
Σκληρὸς γὰρ φύσει ἐστίν, ἅπαντα δέ μοι θεράπευε Τὸν στερεὸν τοιῷδε τρόπῳ μεμνημένος ἰχθύν.
Τὸν δ᾽ ἀγαθὸν μαλακόν τε φύσει, καὶ πίονα σάρκα Ἁλσὶ μόνον λεπτοῖσι πάσας, καὶ ἐλαίῳ ἀλείψας.
Τὴν ἀρετὴν γὰρ ἔχει τῆς τέρψιος αὐτὸς ἐν αὑτῷ, Archestratus.

Sargi caro prodest contra presteris morsum: Rauisius, nescio ex quo authore. Plinius si bene memini, G
de salsis piscibus in genere hoc scribit. Sargi dentes gestati omnem dolorem dentium auertunt, Kyranides.

H. a. Sargi & Sargini nominantur Epicharmo in Nuptijs Hebæ.

Epitheta. Timidi, & zelotypi ex eorum natura cognominari possunt. Oppianus νωθεῖς, id est, pigros vel ignauos vocauit: Arist. apud Athenæum μελανογράμμους, πολυγράμμους, & ὀρροπυγοστίκτους.

Icones. Emblemata Alciati extant duo: primum in amatores meretricum.

Villosæ indutus piscator tegmina capræ, *Addidit vt capiti cornua bina suo,*
Fallit amatorem stans summo in litore sargum, *In laqueos simi quem gregis ardor agit.*
Capra refert scortum, similis fit sargus amanti, *Qui miser obscœno captus amore perit.*

Alterum quod inscribitur Aemulatio impar.

Aluiolam miluus comitatur degener harpam, *Et prædæ partem sæpe cadentis habet.*
Mullum prosequitur, qui spretas sargus ab illo, *Præteritasque auidus deuorat ore dapes.*
Sic meum Oenocrates agit: at deserta studentum *Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.*

Hominem ex aliorum laboribus sibi fructum & gloriam vsurpantem, & alienam (vt ita dicam) messem demetentem, significare qui volunt, sargũ & mullum pingunt. sequitur enim sargi reliquias mullus, &c. Pierius Valerianus.

In mari circa Taprobanen insulam cete quædam habere ferunt capita pantherarum, leonum, & arietum, aliorumque animalium: & quod magnam admirationem habet, Satyrorum speciem similitudinemque cete nonnulla gerunt, Aelianus 16. 18.

Saurus in Lacerto est. Saurum, id est Lacertum, piscem quendam Rondeletius vocat, rostro & priore corporis parte acubus similem: posteriore verò, vt & carnis substantia, scombris. Vide in Lacerto. Saluianus eum piscem, quem Rondeletius lacertum peregrinum seu maris rubri vocauit, melius pingit ac describit, Historia 92. & Romæ vulgo (illic enim peregrinum non esse,) Pesce Tarantola vocari: Latinum nomen nullum eius extare ait: neque vocandum Lacertum, quod nomen veteres Latini pro colia ferè vsurparint. Trachurum quoque alium piscem esse, à Sauro diuersum, &c.

Saxatiles pisces communi nomine dicuntur quicunque in mari inter saxa degunt, Græcis πετραῖοι. Sed recentiores quidam speciem vnam priuatim saxatilem appellare videntur, eamque fluuiatilem nõ marinam, cum veteres in mari tantum saxatiles constituerint. nam qui de rerum nomenclaturis libellum Latine, Polonice & Germanice nuper edidit, Saxatilem interpretatur piscem; quem Germani *Steinbeiss*, id est Saxa mordentem Poloni Pstranik appellant: de quo scripsimus supra in fine historiæ gobiorum, Corollario II. pag. 406. Maurus quidam episcopus in Conuiuio patris Dei, alijs alios pisces appositos comminiscitur, Isaiæ serram, Ieremię saxatilem. quoniam scilicet hic lapidibus oppressus traditur à Iudæis, ille à Manasse rege serra dissectus. Tum viridis squamis paruo saxatilis ore, Ouidius: tãquam saxatilis non differentię tantum, sed etiam speciei nomen sit. sed pro squamis legerim teragus, ex Plinio: qui paruum teragum ex Ouidio nõminat.

SAXAVLVS in Regimine Salernitano, nescio cuius linguæ vocabulo nominatur piscis, quem Soleam esse volunt.

SCALLIVM nominatur in Constantini Geoponicis, his verbis. Bithyni garum hoc modo præparant, accipiunt scallium, (*Cornarius hanc vocem omittit,*) aut exiguas mænides, &c. vt in Garo recitatum est. Varino Σκαλλίον poculi genus paruum est, κύλιον μικρόν: & σκαλὶς, σκαφίον.

DE SCARO, RONDELETIVS.



Scari duæ species.

SCARVS inter saxatiles omnes principatum tenet. Primum autem admonendi sunt lectores Scari duo esse genera, & hunc quidem ὀνίαν vocari, alterum verò αἰόλοι, vt profert ex Nicandro Thiatireno Athenæus lib. 7. quorum vtrique multę quidem communes sunt notæ, sed sunt etiam propriæ: ob eamq; caussam separatim de vtroque tractandum putaui, vt res ipsæ scaros aliquando inspecturis notiores sint.

A Σκάρος igitur Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, autore Athenæo, quod significat salire siue tripudiare, hic potius νέμεσθαι, id est, depasci: id enim aliquando significat σκαίρειν, vt ex Theocrito docet Phauorinus. Scarus vero algam herbasque alias depascitur, vt mox fusius dicemus. Græci etiam huius temporis σκάρον nuncupant, (*Massario teste.*) Romanis nostrisque non plane notus est, alij enim ob similitudinem dente, alij sargo, alij cantheno vocant, à nostris piscatoribus pro sargo vendit.

B Piscis est marinus, saxatilis, squamis magnis, tenuibus, colore ex cæruleo nigrescente, ventre candido: sargo similis, corporis forma ad rotundam accedente, aculeorum, pinnarumque situ & numero. His notis ab eodem secernitur, macula nigra in cauda, lineis nigris à dorso ad ventrem ductis caret. Dentes planos hominis modo maxillasque habet, imo proprie solus latos habet, pluraque & maiora in maxillis ossea tubercula, caudam latam in duas pinnas non diuisam. Adhæc oculis est magnis, supercilijs coloris indici. Binas vtrinque branchias habet, alteras simplices, alteras vero duplices autore Aristotele. Cor angulatum. Hepar in tres lobos diuisum, à quo fellis vesica pendet, sed intestinis alligata. Fel nigri coloris, & splenem: ventriculum paruum cum quatuor vel quinque appendicibus, intestinũ conuolutum.

Lib. 2. de hist. c. 13.

A. Verum à se Scarũ proponi

Hunc piscem quem hinc proponimus, verum esse antiquorum scarum constanter affirmo. Sed quoniam ex Athenæo, vel Aristotele proferri quædam posse videntur, quæ nos coarguant, locos istos paulo diligentius excutiamus. Sic enim & scarus omnibus notior fiet, & multa quę ad mores actionesque & succum substantiamue eius pertinent, simul tradentur. Locus est Athenæi libro VII. quem ex Aristotele profert. Σκάρον Ἀριστοτέλης καρχαρόδοντα εἶναί φησι, καὶ μονήρη, καὶ σαρκοφάγον, ἔχειν τε στόμα μικρὸν, καὶ γλῶτταν οὐ λίαν (*Rondeletius omiserat οὐ λίαν, vt in versione quoq;*) προσπεφυκυῖαν, καρδίαν τρίγωνον, ὑπάλδικον, τρίβολον: ἔχειν τε χολὴν, καὶ σπλῆνα μέλανα: τῶν δὲ βραγχίων τὸ μὲν διπλοῦν, τὸ δὲ ἁπλοῦν. μόνος τε καὶ τῶν ἄλλων ἰχθύων μηρυκάζει. χαίρει δὲ τῇ τῶν φυκίων τροφῇ, διὸ καὶ τούτοις θηρεύεται. ἀκμάζει δὲ θέρους. id est, Scarum Aristoteles scribit serratis esse dentibus, & solitarium, & carniuorum, os paruum habere, linguam (non admodum) adhærentem, cor triangulum, subalbum, bilem nigram & splenem nigrum. Branchiarum alias duplices, alias simplices. Solus vero piscium ruminat, gaudet alga, quare & ea capitur, æstate viget. Hæc Athenæus. Quorum initio statim error est insignis. Aristoteles enim libro 2. c. 13. de hist. animal. (*& lib. 3. c. 1. de part. animal.*) hęc scribit: Καρχαρόδοντες δὲ πάντες οἱ ἰχθύες, ἔξω τοῦ σκάρου. Serratis sunt dentibus pisces omnes dempto scaro. Et Plinius (lib. 11. cap. 37.) de dentibus loquens, piscium omnibus serrati pręter scarum, huic vni aquatilium plani. Quare addenda negatio, legendumque σκάρον Ἀριστοτέλης φησὶν οὐ καρχαρόδοντα εἶναι. At hæc nota huic nostro maximè propria est. nullus enim est ex omnibus piscibus squamosis, cui latiores magisque plani sint dentes minusque serrati. Præterea carniuorum esse scarum, ex Aristotelis libris, ijs saltem qui nunc extant, non colligas. sic enim libr. 8 de hist. animal. Victus eadem ratione non omnes vtuntur. Quidam enim carne tantum vescuntur, vt cartilaginei, vt cõgri, channæ, thunni, lupi, synodontes, amiæ, orphi, muręnæ: mulli vero nutriuntur alga, ostreis, cœno, carne. Dascillus cœno & stercore. Scarus autem & melanurus alga, salpa, stercore & alga. Hic aperte Aristot. discrimina alimentorum quibus vescuntur pisces enumerat, quod si scarum carniuorum esse existimasset, cur id in scaro potius, quam in alijs prętermisisset: neque est quod quis objiciat id quod mox subnectit Aristoteles.

Athenæi locus

Idem emendatus.

Scarum non esse dentibus serratis.

Quod non sit carniuorus. Cap. 2.

teles. Cephalum ac cestreum solos à carne omnino abstinere, ac proinde scarum carniuorum esse posse. Nam Aristoteles de ijs tum loquitur, qui sui generis pisces deuorant, quod minime faciunt cephalus & cestreus: qua ratione omnes quidem carniuori dici possunt, demptis his duobus cephalo & cestreo, qui tum à piscibus sui generis tum ab omnibus alijs omnino abstinent. Sed præstat verba ipsius Aristotelis adscribere. Omnes sese mutuo deuorant, dempto cestreo, maxime autem congri. Cephalus autem & cestreus soli omnino carne nõ vescuntur. At quum proprie carniuorum piscem esse dicimus, eum qui aliorum & non sui modo generis piscium carne nutritur accipimus: in quorum numero scarum non repono, idque non solum Aristotelis autoritate, sed etiam ratione fretus: nam ventriculum pro corporis ratione paruum habet, qualem non dedit ijs natura, qui pisces integros vorant, nec quicquam in ventriculo huius, vel intestinis pręter algam, herbasue alias reperias. Idem confirmat Plinius. Nunc scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci, non alijs piscibus. Nec non Aelianus: Scarus inquit, cum alijs herbis tum alga vescitur. Nullus ergo scarum nostrum reijciat, quod pisces alios non voret, quem tamen carniuorum dixit esse Athenæus, cum φυκοφάγον dixisse debuisset: præsertim cum scarum subijciat alga delectari, & ea capi. Quo fit, vt alium etiam Athenæi locum demirer, qui est libro 8. quo scribit (*Diphili apud Athenæum verba sunt*) scarum recentem suspectum esse, quoniam lepores marinos venatur, illisque pascitur: id quod soli mullo tribuit Plinius his verbis. Vescitur lepore marino vnum tantum animalium, vt non intereat, mullus piscis, & tenerescit tantum, & ingratior viliorque fit. Hac in re magis vt Plinio quàm Athenæo assentiar, facit quod mullus ijs in locis degat, in quibus lepores marini reperiuntur & capiuntur, nimirum in locis cœnosis lutosisque, vnde mullus lutarius nominatus, quæ loca fugit scarus, & in saxis habitat. Sed plura de his vbi de mullo agimus. Iam vero quod sequitur, ὑπάλδικον, τρίβολον, plane deprauatum est, quoniam cor album in nullis vnquam piscibus videbit, qui in horum dissectione se exercere volet, nisi supremam illam cordis partem albam, quæ ab Aristotele ἀγγεῖον φλεβονευρῶδες dicitur, pro corde improprie accipias, qua ratione in omnibus piscibus cor esset album, de qua re fusius dixi in capite de hepato. Quare paucis mutatis legendum ἧπαρ λευκόν. Quid vero sibi velit τρίβολον, nemo, vt opinor, posset hic diuinare. quid enim tribulo cum piscibus? At si β & λ loca commutarint, optime legemus τρίλοβον, & sic legendum esse audacter contenderim: est enim in hoc pisce nota non minima, quod hepar in tres lobos diuisum habeat, vt superius diximus. Quod postremo ponitur, solum scarum ruminare, id plane verum est, & ex Aristotelis locis aliquot (*Libro 2. de hist. anim. c. 17. & lib. 8. c. 2. Lib. 9. c. 17.*) sumptum. Idem confirmat Plinius & Oppianus lib. 1. Halieut.

Lib. 9. c. 17.
Lib. 11. c. 16.

Scarum non vesci lepore mar. Lib. 33. cap. 1.

De corde & hepate scari.

Scarum solum ruminare.

Καὶ σκάρον, ὃς δὴ μοῦνος ἐν ἰχθύσι πᾶσιν ἀναύδοις Φθέγγεται ἱμαλέην λαλαγήν, καὶ μοῦνος ἐδωδὴν
Ἄψορρον προΐησιν ἀνὰ στόμα, δεύτερον αὖθις Δαινύμενος, μήλοισιν ἀναπλύων ἴσα φορβήν.

Incurui scarus incola saxi, Qui mutos inter pisces clamore tremendo
Intonat, & solus pallentes ruminat herbas, Ac veluti pecudes reuocat sub guttura pastum.

A His maculis deletis, & loco Athenæi nitori pristino restituto, omnia quæ scaro tribuuntur, quæ sine tædio repeti non possent, nostro plane conueniunt, vt negare nemo possit nos veterum scarum penitus nosse, & hic repræsentasse. Nostris autem diu incognitum fuisse, non est cur quis miretur, cum Romanis olim, & toti Italiæ sero visus fuerit, vt nec Latinum nomen piscis habeatur autore Columella. Scarus, inquit, qui totius Asiæ Græcięque litoribus Sicilia tenus frequentissimus exit, nunquam in Ligusticum, nec per Gallias enauit ad Ibericum mare. Itaque ne si capti quidem perferantur in nostra viuaria, diuturni queant possideri. Idem Plinius: Scarus Carpathio mari maxime frequens, promontorium Troadis Lecton sponte nunquam transit. Inde aduectos incredibili multitudine vinariis (al' varijs) nauibus, Tiberio Claudio principe, Optatus Elipertius (*meliores codices, è libertis eius: alia vetus lectio Ditius pro Elipertio habet: Macrobius pro Optato Octauianum*) præfectus classis, inter Ostiensem, & Campaniæ oram sparsos disseminauit. Quinquennio fere cura est adhibita, vt capti redderentur mari. Postea frequentes inueniuntur Italię in litore, non ante ibi capti: admouitque sibi gula sapores piscibus satis, & nouum incolam mari dedit, ne quis peregrinas aues Romæ parere miretur. Hæc Plinius & Macrobius. In nostro mari capiuntur non procul à Massilia, & maxime circa Stœchadas insulas. Rhodi maximam esse copiam à Rhodijs accepi.

Rursus, verũ se scarum exhibuisse.
B Vbi.
Lib. 8. c. 16.
Lib. 9. c. 17.

C Saxatiles bis pariunt autore Aristotele lib. 5. de hist. c. 9. quod non de scaro tantum, sed de omnibus saxatilibus semel dictum sit. Seleucus Tarsensis ait, citante Athenęo, solum hunc piscium noctu dormire, vnde fit, vt noctu nunquam capiatur, hoc autem ei fortasse propter metum accidere. (*Vide animaduersa in Corollario C.*) Idem tradit Oppianus, scarum mollem, sic enim appellat, noctu non prædari nec in alios sæuire cæterorum ritu, sed in scopulis suis somnum capere.

Lib. 7.
Lib. 2.

D Scari inter se amant, videturque innatum & mirum ingenium, mutuæque societatis tuendæ studium, quæ ex Ouidio sic declarat Plinius. Mihi videntur mira & quæ Ouidius prodidit piscium ingenia; in eo volumine quod Ἁλιευτικὸν inscribitur. (E) Scarum inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere: sed auersum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum erumpere. quem luctatum eius si forte alius scarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda adiuuare nixus erumpentis. Hæc prolixe & eleganter describit Oppianus: quę quia longiora sunt quam quæ hic adscribi debeant, ex ipso autore petes. His addit Ælianus: Si scarus nassa, inclusus in caput exierit, eum qui foris est caudam illi porrigere, vt ea comprehensa sequatur. Hæc illi quidẽ faciunt more hominum, qui etsi libros de amicitia non legerint, tamen leges amicitiæ à natura hauserunt. Præterea piscium omnium salacissimum esse scarũ asserit, eamq; cupiditatẽ necis caussam esse. Piscatores .n. cõprehensæ fœminæ summum os ad tenuem funiculum alligant, eamq; viuam per ea maris loca trahunt, in quibus scari habitant. conficiunt etiam graue plumbum rotundum, longitudine trium digitorũ, quo ex chordis appenso trahitur scarus fœmina captiua. alter piscatorum nassæ in piscatorio nauigio accõmodatæ os late diducit, datq; operam, vt nassa in scarum captũ conuertatur. ea enim sensim demittitur,

Lib. 3. c. 21.
Lib. 4.
Lib. 11. c. 17.
Lib. 1 c. 2.

lapide

lapide ad certam mensuram facto: mares autem non aliter quam homines visa amica furore libidinis perciti, circa eam concursantes, alius alium præuertere & contingere studet, vt solent iuuenes amantes, aut osculum aut vellicationem, aut aliquod aliud furtum amatorium venantes. Piscator sensim deducit fœminam recta ad nassam, ac cum ea etiam amantes, libidinisque suæ dant pœnas. Et Græci aliqui sæpe mihi affirmarunt mire etiam linozosti (quam mercurialem vulgo dicimus) delectari, eaque capi.

F Quantum ad succum substantiamue scari attinet, cum non solum saxatilis sit, sed etiam inter saxatiles primas teneat, constat mollis & friabilis esse carnis, vt scribit Diphilus: suauem, lęuem, qui facile cõ (C) coquatur & distribuatur, quique facilem reddat aluum. Videtur etiam è numero saxatilium eximere, qua in re omnium sententiæ & sensui repugnare videtur. Archestratus vero apud Athenæum scarum valde commendat, eiusque præparationem docet. Intestina scari violam olent, nec magis reijcienda quam aspalacis. (*Eperlani forte, quem violas redolere asunt, stomacho & intestinis pinguissimis.*) Quamobrem recte Epicharmus, scarorum τὰ δὲ τᾶ σκάρω θέμιτον ἐκβαλεῖν θεοῖς: id est, ne stercus quidem scarorum fas esse diis ipsis reijcere. Olim iecur erat in pretio, & in Vitellij patina commemorat Tranquillus scarorum iecinora inter lautiores ciborum primitias. & Martialis (*lib. 13. disticho 84.*) Hic scarus æquoreis qui venit obesus ab vndis, Visceribus bonus est, cætera vile sapit. Editur apud nos assus in craticula, vel in sartagine: vel elixus, vt aurata.

Lib. 7.

DE SCARO VARIO, RONDELETIVS.

A Scarvs αἰόλος nullo alio nomine, aut Latino, aut Græco à prima scari specie distinguitur, quàm epitheto, quod alioqui multis piscibus est commune. nam ποικίλας αἰόλας vocauit Epicharmus, & coracinum αἰόλον vocatum fuisse diximus. denique multis alijs saxatilibus epitheton hoc con-
B uenit.

Dicitur vero species hæc scari αἰόλος, quod scarus ὁνίας ferè concolor sit, melanuro similis: dorso enim cæruleo est, ventre candido: αἰόλος vero oculis, ventris inferiore parte, in qua podex, purpurei est coloris, cauda coloris Indici, reliquum corpus partim ex viridi, partim ex nigro cæruleum est, squamæ veluti notis obscurioribus aspersæ. ore est mediocri, dentibus latis: in superiore maxilla, densis: in inferiore raris & acutis. A dorso ad caudam fere aculei tenui membrana connexi, & æquis interuallis dispositi. In singulorum summa parte membranula pendet vexilli instar: pinnæ ad branchias sitæ, latæ sunt, ac veluti oui figura. In medio ventris notas duas purpureas habet. Intus ventriculum satis capacé, hepar subalbum, intestina lata & multa, fellis multum, splenem magnum. formosissimus sane est hic piscis, si quis alius.



F Carne est tenerrima, & delicatissima. nec dubito quin is sit, cui Galenus cæterique medici principatum dederint, nunc nomine tantum notus est, à Græcis solis hodie & celebratus, & penitus cognitus. Quare hortor & moneo studiosos omnes, vt non nominum tantum, sed rerum potius cognitioni sedulo vacent. Romæ semestri spatio vnus tantum mihi etiam sæpius, & curiosè forum piscarium adeunti, visus est. quo fit vt hunc non admodum illic frequentem esse credam. Capitur aliquando in nostro mari, è regione Magalonę, & non procul à Massilia, & Antipoli: circa Stœchadas insulas sępius.

B. Vbi.

Alij (*Eum aliqui*) communi saxatilium nomine rochau nuncupant, alij aiol, alij auriol seruatis, vt credibile est, nominis αἰόλος vestigiis. Canariarum insularum incolæ, vt ferunt, Brechos appellant.

A

H.a. *Plin. li. 37. c. 11* F A scaris nobilissima Scaurorum familia dicta fuisse creditur. Ab æoli scari colore, potius quam effigie, scariten gemmam dictam existimo, ea est fortasse quæ sapphirus dicitur.

Vt superior scarus præparatur.

DE SCARO, BELLONIVS: (EO TANTVM QVT VARIVS À RONDELETIO CO-gnominatur.)

Scarus

C Scarus litoralis piscis, saxatilium longe delicatissimus Galeno, cautibus asperis atq; herbosis scopu-
B lis gaudet: nullus in Propontide, Ponto & Hellesponto, in Creta plurimus: quem paululum exassant,
F deinde sale inspergunt, vt diutius incorruptus seruari possit.

Habet vtrinque appendices transuersas atque eminentes ad caudæ latera, quas in nullo prętereà
G piscę vnquam conspexi. Corpus Scari ex liuido rubet vt mullus. Squamis contegitur latis & translucidis. Caudam & pinnas habet obtusas vt coruus: branchias duplices, vtrinq; quaternas. Vulgus Cre-
(A) ticum in hodiernum diem antiquam appellationem retinuit. Phycidem marinam quodãmodo refert: Siquidem planum non habet corpus, nec prorsus oblongum. Caput vtrinque compressum vt mullus: dentibus est obtusis, quorum incisorij nostris sunt persimiles, quibus herbas quæ saxis inhærent, de-
10 truncat: rictum non valde magnum edit.

C Scari turmatim se conferunt ad pabulum, redeuntque distento stomacho. Phaseolos & pisa, vt Sar-
E dinæ betas, plurimum expetunt: vnde Cretensium vulgus Phaseolis Scaroutano nomen indiderunt, quorum folia nassis immissa ad Scarorum piscationem mari submergunt: alioqui calamis & hamis vix deciperentur.

B Corporis Scari moles vix vnquam maior est, quam quæ pollice & indice comprehendi possit, neque raro est spithame longior.

C Mirum est Aristotelem Scarum protulisse carniuorum: quosdam etiam scripsisse Scaros nonnunquã marinis leporibus vesci, quamobrem ijs non sine magna præcautione vtendum esse (præsertim si recentes fuerint) eorumque interanea choleram excitare.

20 B Proinde Scarus vnicam habet in tergore pinnam, tenuibus aculeis asperam: sub ventre autem qua-
F tuor, ad ventriculi custodiam, qui delicatis ac sapidioribus herbis refertus, à piscatoribus expeti solet. Cuius rei causa ventriculum & hepar (quod alioqui prægrande illi natura fere absque vllo felle præbuit) vna cum fæcibus, addito sale atque aceto conterunt, pulmentum inde cibis idoneum conficientes. Insipidus enim est Scarus, nisi cum suis fæcibus edatur. Hoc autem edulio compotores Græci quaterni, interdum seni in lectulis sedentes post frequentes panis taleas intinctas, octonas plerunq; vini maluatici amphoras epotant.

Dicitur ruminare Scarus, atque ob hoc Ruminalis appellatus est. A

30 COROLLARIVM.

Scarus piscis non alius videtur quàm qui meryx alibi ab Aristotele vocatus est. vide supra in Meryx. A
ὁνίας, species est scari, Hesychius & Varinus. Myllus, lebias, σκάρος, ὀνίας, nominantur à Mnesimacho comico: vbi aliquis pro σκάρος forte σκάρος legendum suspicetur: quoniam species altera scari à colorũ varietate αἰόλος cognominatur. sed potest æolias tum pro αἰόλος adiectiue accipi, (vt ab ἐυθρός, ἐρυθρός; ἐυθρίας & ὠχρίας fiunt,) diuersorum piscium epitheton: tum substantiuè, ni fallor, interdum, vt vna quædam species sit. Vide supra in Elemento A. Aeoli. A verbo σκιάζειν fiunt σκάρος & σκαρὶς; Athenæus & Eustath. & forte σκάρος & σκαρὶς; piscis vnius nomen sunt. lege quæ scripsi in Mullo barbato
40 Rondeletij C. inter Græca Athenæi verba, pag. 566. Nonnulli optimorum studiorum laude insignes, existimãt inter auratas scarum illum antiquis preciosissimum piscem à piscatoribus vendi; qui dentes humanis similes, & ad ruminandas maris herbas plurimum idoneos habeat. maximeq; squamarum specie auratis assimiletur. Cæterum ego crediderim, eum non facile à nobis deprehendi errore vendentium: qui similitudine decepti, neque animaduersa saporis nobilitate in foro piscario eum auratis & sargis commiscere consueuerint: consensu tamen piscatorum zaphirus piscis, sic à cyaneo eius gemmæ (*sapphiro*) colore dictus, inter auratas longè sapidissimus existimatur, qui fortasse scarus antiquis fuerit, Iouius. Chrachoros, (*corruptum pro scaros*) id est, piscis ruminans non est notus in maribus & fluminibus nostris, Albertus. Bellonius quoque in Oceano reperiri negat. quamobrem nomen eius Germanicum fingo, *ein Mewer*, quod est ruminator: priuatim vero latum & auratę simi-
50 liorem scarum, nominarim *ein Mewbrachsme*: minus latum & varium, *ein Puntermewver*: vel per circunscriptionem, *ein schoener getheilter Mewer*. Esca iacentium mollior esse debet quam saxatilium (in piscinis) itaque præberi conuenit tabenteis haleculas, putremq; sardinam, nec minus scaurorum branchias, &c. Columella 8. 17. pro scaurorum Vuottonus videtur legere scarorum: at Rondeletius in capite de galeis (id est mustelis in genere) squalorum mauult. pręcedenti quidem capite scaurus pro scaro legi manifestum est, vt apud Albertum etiam, prima quidem à poetis corripitur. Idem ex Auicennæ nescio quo interprete (in Aristotelis historiæ animalium 9. 26.) scarum nominat, pro cortypho, id est merula aue. Lelepris siue Lepras à Bellonio dictus piscis, scaro vario cognatus videtur. sed differt dentibus, &c. & in Oceano quoque capitur scarus non item, saltem varius, Bellonio teste, de onia enim an in Oceano sit, quærendum est amplius.

Sapphirus.

60 Scaro vario etiam affinis videtur piscis, cuius picturam vt olim Venetijs accepi. hic appositi. Lusitanos Bodian vel Ruijo vocare audio, Illyrios Cany. Coloribus varijs eleganter depingitur ac variatur: fusco præsertim seu nigricante & rubro. Pinnę ad branchias flaui coloris sunt. reliquę fuscę, sed fibris spinisve (ad picturam hæc scribimus) rubris distinctæ, vti etiam cauda. In oculis pupillam nigram circulus è luteo subviridis ambit: quo exterior alius est violaceus, sequitur luteus, postremus niger. Maculæ quædam magnæ per latera nigricant, &c. His scriptis incidi in Saluiani piscem 94. quem vulgari nomine Papagallum nominat: figura nostro hic exhibito plane similem: quanquam coloribus ab eo descriptis nonnihil dissidet. Romæ (inquit) ob oculorum varietatem Papagallo vocant, Lusitani Budiam. A diuo Ambrosio & Isidoro Hispalensi, propterea quod paui auis colorem imitetur, pauo vel pauus vocatur. (De-

Papagallus.

Pauo.

cibus seruari scripsisse refert, memoria forte lapsus, vt Varronem pro Columella nominaret. nam Varro rei rusticæ 3.3. non scaros, sed squalos nominat. In tertia parte (inquit) quis habet piscinam, nisi dulcem? & in ea duntaxat squalos ac mugiles pisces? Scarum piscem Optatus Tiberij Cæsaris libertus Campanis litoribus importauit: cuius sobolem, vel penitus interijsse: vel, vt credi par est, longo patrij maris desyderio abductam, in Græciam remeasse putamus, Iouius.

F Scarus principalis hodie, Plinius 32.10. Apud antiquos nobilissimus habitus acipenser, nunc scaro datur principatus, Idem 9.17. Inter saxatiles scarus excellere suauitate creditur. alimentum autem ex eis (*saxatilibus omnibus*) non modo ad coquendum facile est, sed etiam salubertimum, &c. Galenus. Quibus è regionibus scari præferantur, explicatum est supra in E.----Quid Scarum præterij, cerebrum Iouis pene supremi, Ennius. Ingeniosa gula est: Siculo scarus æquore mersus, Ad mensam viuus perducitur, Petronius Arbiter. Non me Lucrina iuuerint conchylia, Magisue rhombus, aut scari, Horatius Epodo. Pinguem vitijs albumq; nec ostrea, Nec scarus, aut poterit peregrina iuuare lagois, Idem Sermon. 2.2. Quod si illi qui vilioribus vescuntur piscibus, scarum haberent, aut ex Attica glauciscum, &c. omnes sane, qui gustassent, fierent dij, Philemon. Piscium eorum qui ex media materia sunt, (*id est, mediocriter alunt,*) quibus maximè vtimur, tamen grauissimi sunt, ex quibus salsamenta quoque fieri possunt, qualis lacertus est: deinde qui quamuis teneriores, tamen duri sunt, vt aurata, coruus, scarus: tum plani. post quos etiam leuiores lupi, mullique. & post hos omnes saxatiles Celsus. Idem scarum minime intus vitiari author est. Xenocrates contra cito in ventre corrumpi dixit: vt repetit Vuottonus. Scari saxatiles sunt, & à Philotimo non rectè numerantur cum durioris carnis piscibus, Galenus. In epilepsia ex piscibus exhibeantur, qui superfluitate vacant, vt psetta, turdus merula, scorpius, scarus, Trallianus. Eligantur è piscibus maximè lupi, & scari non magni, Aëtius in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis homoribus. Καὶ σκάρον ἐν Καρχηδόνι τὸν μέγαν ὄπτα, Πλωμας, δὲ χρηστὸν δὲ καὶ ἐν Βυζαντίῳ ὀψε, Καὶ μέγεθος κυκλίᾳ ἴσον ἀσπίδι νῶτα φορεῦντα. Τοῦτον ὅλον θεράπευε τρόπον τοιόνδε λαβὼν νῦν, (λαβών νιν.) Ἡνίκ' ἂν εὖ τυρῷ καὶ ἐλαίῳ πάντα πυκασθῇ Κρίβανον ἐς θερμὸν κρέμασον, κἄπειτα, κατόπτα, Πάσσειν δ' ἁλσὶ κυμινοτρίβοις καὶ γλαυκῷ ἐλαίῳ, Ἐκ χειρὸς καταχρωνίζων θεοδέγμονα πηγήν, Archestratus. Videtur autem θεοδέγμονα πηγήν, de oleo intelligendum, quod liberaliter sit effundendum, tanquam non piscem sed Deum irrigaturum. piscees enim preciosos, deos appellant. In Creta scarum assant, veru (*ligneo*) per os eius transfixo, Bellonius.

G Fellis suffusione per totum corpus, & arcuato morbo laboranti scari iecur in cibo si dederis, quemadmodum rei piscatoriæ bene periti docent, ad sanitatem redibit, Ælianus 14.2. Ad parotidas vtuntur scari piscis marini iocineribus, Plinius. Ad suffusiones oculorum prima ferè omnium compositionum est, quæ ex fœniculi succo, & hyænæ felle, ac melle Attico constat. sed fel alij aliud miscuerunt. nunc quidem in precio est pharmacum ex felle scarorum, Galenus de compos. sec. locos. 4. 7. vbi & aliis diuersis compositionibus ocularibus huius piscis fel admisceri videas, ad incipientes suffusiones, & omnem visus hebetudinem, & cicatrices: sicut apud Aetium quoque 7.111.

H.a. Escarus dictus est, eo quod escam ruminare perhibetur: Isidorus, in hac & similibus etymologijs ineptus, dum vocabulis Græcis origines Latinas quærit. Escharus Græce aliud marinum animal est: aliud quo de hic agitur, scarus.

Epitheta. Scarus obesus, Martiali. Ouidio, mitis. Oppiano ἀπαλὸς, id est, mollis. Et γλαγόεις, id est, lacteus, à suauitate fortè: sed iecur etiam album habet. Et à coloris varietate eidem, ποικίλοι σκάροι, βαλιοί, αἰόλος ἰχθύς, quod si quis hæc vltima differentiæ potius esse nomina velit, quàm epitheta: contradicam ex eo quod veterum nullus, præter vnum Nicandrum Thiatirenum, scarum in onian & varium diuiserit.

Gemmæ. Scorpites scorpionis aut colore aut effigie est: scarites, scari piscis, Plinius vbi loquitur de gemmis quæ ab animalibus denominantur. Scarus specie squamarum auratis assimilatur, sed colore atque sapore præstat, vt qui sapphiri gemmæ radiolos imitetur, Pierius Valerianus. Scari speciem alteram Romæ vulgo sapphirum vocari, ex Iouio retuli in A.

Icones. Ægyptij hominem voracem (ἄνθρωπον λαίμαργον, alias λάιμαν, Mercerus λαιμαργίαν intelligit: hominem ingluuiosum & lamia laborantem Pierius Valerianus interpretatur) significantes scarum pingunt. is enim solus piscium ruminat, & pisciculos (*negat hoc Rondeletius.*) quotquot accesserint, deuorat, Orus in Hieroglyphicis. Magna est prudentia scarus, per quem callidum captiuitatis declinatorem significari tradunt, Pierius Valerianus. qualis quidem hæc scari calliditas sit, in D. exposuimus.

Scauri familia. Vola (in pede) homini tantum, exceptis quibusdam. nanq; & hinc cognomina inuenta, Planci, Plauti, Scauri, Pansæ, Plin. 11.45. Rondeletius (nescio quo authore) à scaris nobilissimam Scaurorum familiam nominatam ait. Grammatici scauros esse dicunt, qui talos pedum tumentes ac porrectos habent. ---Hunc varum distortis cruribus, illum Balbutit scaurum prauis fultum malè talis, Horatius libro 1. Serm. Quem locum exponens Acron, sic ait: Scauri sunt, qui extantes talos habent. Alij dicunt scauros esse, qui habent talos inuersos.

A Scaro pisce Pythagoras abstinendum præcepit, quod τρυγηφάγος, id est vorator vuæ sit, Gyraldus

c.h. in Symbolis Pythagoricis.

Scepinus. Quære supra in Attageno.

Sciadeus vel Sciæna Græce dicitur piscis, qui Latinè Vmbra.

Sciathis etiam non alius quàm Vmbra videtur.

DE SCINCO RONDELETIVS.



Svperest altera, neque minus falsa, neque minus perniciosa sententia eorum, qui superiori capiti **A** præfixam bestiolam (*Salamandram aquatilem: cuius historiam nos supra suo ordine posuimus*) Scincum esse arbitrantur: quos satis refellunt ea quæ à Dioscoride de Scinco prodita sunt. eum scilicet esse aut Ægypti, aut Indiæ, aut rubri maris alumnum, quamuis inueniatur in Lydia Mauritaniæ. At hic (*At illa in nostris regionibus*) fontium & stagnorum dulcium incola est. Iam verò cum Scincus terrestris Crocodilus dicatur, vix quicquam huic quem expressimus commune esse potest cum Crocodilo, non solum figura, sed nec vita, cum in aqua diutius viuat quam in terra. Quare magis inclinat animus, vt existimem Scincum squamosum esse quadrupedem, quem rectè expressum capiti huic præfiximus: qui aliquot ab hinc annis Venetijs venditur exenteratus & salitus ex Alexandria Ægypti. Est enim Crocodili similis. quatuor habet pedes. squamis paruis & frequentibus tegitur. Capite est longo: cauda rotunda, breuiore **B** quam in lacerta, quæ omnia Scinco conueniunt ex Plinij autoritate: qui cum de Chamæleonte dixisset, hæc subiunxit: Ex eadem similitudine est Scincus, quem quidam terrestrem Crocodilum esse dixerunt. candidiore autem & tenuiore cute. *Lib. 28. c. 8.* Præcipua tamen differentia dignoscitur à Crocodilo aquatico, squamarum seta à cauda ad caput versa. Maximus Indicus, deinde Arabicus afferuntur salsi. Alio in *Lib. 8. c. 25.* loco Crocodilo assimilat: Similis Crocodilo, sed minor etiam Ichneumone, est in Nilo Scincus, contra **G** venena præcipuum antidotũ. Item ad inflammandam virorum venerem. Quo ex loco vtile est studiosos admoneri non citra diorismum Scincorum renibus ad venerem inflammandam vtendum esse, quod tamen hodie plerique omnes Medici faciunt. Sunt enim quæ in mulieribus venerem accendent, quæ in viris extinguent, & cõtra: quod hominibus (*viris*) siccius sit, magisq; substantię igneæ particeps semen, in fœminis humidius. Quare quę calidiora fuerint hominum (*virorum*) semen absument: eadem in mulieribus frigidius, humidius ac velut sopitum excitabunt, mouebunt, flatuq; distendent, vnde nõ mediocriter veneris libido accenditur. Rostrum Scinci, ait Plinius, & pedes in vino albo poti, cupidi- *Lib. 28. c. 8.* tates veneris accendunt, vtiq; cum satyrio & erucæ semine, singulis drachmis omnium, ac piperis duabus admistis, ita vt pastilli singularum drachmarum bibantur. Per se laterum carnes obolis binis cũ myrrha & pipere pari modo potæ, efficaciores ad idem creduntur. Prodest contra sagittas venenatas, vt Apelles tradit, postea sumptus. In antidota quoque nobilia additur. Sestius plusquam drachmæ pondere in vini hemina potum, perniciem afferre tradit. Præterea eiusdem decoctum cum melle sumptum venerem inhibere. Quæ omnia ideo à nobis citata sunt, vt cognoscant ij qui Scincorum renes in medicamentis præscribunt, non renes sed carnes quæ circa renes sunt & latera intelligi. Deinde vt paulo diligentius excutiamus locum postremum, quo traditur Scincorum decocto cum melle venerem inhiberi, quæ superioribus ex diametro repugnant. Quam ob causam locum hunc mendosum esse (*hoc nos prius animaduerteramus in libro de quadrupedibus ouiparis*) sagacis cõiecturæ vir ex Dioscoride colligere posſit, qui cum dixisset carnes quæ renes amplectuntur, id sibi virium vendicasse vt si drachmæ pondere bibãtur, venerem accendant, subdit: Ἀποτραπέσθαι δὲ τὴν ἐπίτασιν τῆς ἐπιθυμίας, φακοῦ ἀφεψήματι μετὰ μέλιτος πινομένῳ ἢ θριδακίνης σπέρματι μεθ' ὕδατος. Id est, Decocto lentis cum melle aut semine lactucę cum aqua poto veneris cupiditates inhiberi. Ex Dioscoride igitur à quo permulta transcripsisse Plinium constat, inemendatum esse Plinij locum suspicari licet. Eadem traduntur ab Aëtio: Scinci circa renes partes, ad tentiginem pudendorum ciendam bibuntur. Neq; aliud magis contrarium huic facultati destruendæ videtur, quam lactucæ semen ex aqua potum. Quidam etiam lenticulæ decoctum cum melle potum tentiginem sedare tradunt, Hæc Rondeletius.

De Scinco prolixè à nobis scriptum est in libro De quadrupedibus ouiparis. Bellonij de eisdem perbreue scriptum dedimus in eiusdem libri Appendice. Scincus si quem momorderit, prius autem in vrina, aut aqua propria (τοῖς ἰδίοις οὔροις ἢ ὕδασι *quasi vlla scincorum vrina sit*) se volutarit, in causa est, vt morsus moriatur. sin qui morsus est, antea (sic) se abluerit, ipso incolumi manente scincus perit, Innominatus quidam Græcus. qui scincorum etiam squamas in aduersum nasci, addit.

Scindaria cum alijs quibusdam pisciculis nominantur ab Anaxandride apud Athenæum. Κωλύμβαιζει χαλκιδαρίοις μετὰ περδικίων, καὶ θελτιδίων: καὶ σκινδαρίοις μετὰ κωβιδίων. Intelliguntur autem fortè vmbræ exiguæ. Vmbra .n. Græcis sciæna est, & scinis: vnde scinidarion formari potest, & per syncopen scindarion vt ἀκαρὴς, χαριδάριον: παῖς, παιδάριον: ab ὀς, ὠτάριον: eadẽ in omnib. ratione ος genitiui mutato in άριον

Scinis piscis idem qui Scięna, id est, Vmbra.

Sciphydria, genus est conchilij, Hesychius. Ἄγε δὲ πάντοδαπὰ κογχύλια, λεπάδας, μύας, ἀναρίτας, καὶ σκιφύδρια, &c. Epicharmus apud Athenæum.

Sciris piscis est petrosus. circa nuda saxa degens, Vuottonus inter pisces ignotos. Sed S. litera perperam huic nomini præposita est. cirrhis enim scribi debet, κίρρις: qui Oppiano circa petras leprades degit. Vocatur & ceris, quo nomine Elemento C. à nobis descriptus est.

Scithacvs, (Σκιθακὸς, oxytonum,) piſcis, qui aliter trachurus, Heſychius. Ab eodem inferius non ſuo loco mox poſt Σκίπων, legitur σκίθακα, proparoxytonum, cum thô. ante vltimam. quod ſi Scirthacus legeretur, proximè illic poſt verbum Σκιρτᾶται locum habere poſſet.

Scoliæ, Σκολιαὶ, ab Oppiano lib. 1. inter pelagios piſces nominantur, hoc verſu: Καὶ σκολιαὶ, σκυτάλαι τε. καὶ ἱππάριοι ἠδὲ θύνναι. Lippus etiam ſimiliter legit, vt qui verterit: Obliquæ, ſcytalæq; hippurum maxima turba. Brodæus σκυλίαι legendum opinatur, id eſt caniculæ. ſed ſcylion ab Ariſtotele dictum, Oppianus ſcymnum vocat inferius hoc in libro, vbi cete enumerat, quibus etiam canes maiores adtribuit, & pelagios facit. cæteros vero canes ſeu galeos, ἐν πηλοῖς βαθέεσσιν, id eſt, in cœno profundo degere ſcribit. Ego itaque hoc in loco Oppiani σκολίαι legerim. de colia autem piſce ſcriptum eſt à nobis ſupra Elemẽto C. Σκολὸς etiam Græcis hodie vulgo colias eſt.

DE SCOLOPACE, RONDELETIVS.



A Peregrinvs & rarus eſt piſcis, quem hic proponimus, ſemperque paruus, vt arbitror: nam tres vidi eiuſdem magnitudinis omnes, & ouis diſtentos: quod argumentum fuit ſatis proiectæ ætatis. Varij varia nomina huic tribuunt: alij enim ſcolopacem vel aſcalopacem (vtrunque enim apud Ariſtotelem Lib. 9. de hiſt. animal. c. 8. & c. 26. legitur) nomine auis, cui prælongum eſt roſtrum, appellant, eadem de cauſa vernacula lingua Becaſſe. Alij elephantem, quod roſtrum longum proboſcidis modo habeat: ſed rigidum eſt, quodque nec contrahi, nec extendi vt proboſcis poſſit. (*alii ibidem, vt in Anthiæ prima ſpecie dixit, aculeum ei inſtar paſtinacæ attribuens.*) Longe alius eſt Plinij elephas ex cruſtatorum genere, de quo ſuo loco.

Elephas non ſ.

Scirtmius aculeum non habet.

Æliani ſagittarius eſſe non poteſt, etiamſi aculeum longum & durum & præacutum ad caudam habeat: nam ſagittario plures ſunt aculei ad herinacei ſpeciem, vt diximus. Si os magnum & dentibus munitum non autem roſtrum longum haberet, exiſtimare aliquis poſſet eam anthiæ ſpeciem eſſe, cui antiquorum nonnulli aculeum, ſeu ſpinam in dorſo ſerratã tribuunt. qua quũ hamo tenetur, lineã ſecat.

Nullum aptius piſcis iſtius nomen mihi eſſe videtur, quàm ſcolopacis, aut aſcalopacis.

B Corpore eſt rotundo, rubeſcente erythrini modo: ſquamis aſperis. Dorſi extremo aculeum magnũ, exertum, altera parte ſerratum geſtat. Cauda tenuis eſt.

F Carnis ſubſtantia pagro ſimilis eſt. Boni igitur eſt ſucci, & facilis concoctionis. Sed cum rarus ſit piſcis, & peregrina forma, exiccatus ſeruatur potius, quam editur. Hucvſque Rondeletius.

Ego hunc piſcem ſerram Plinij potius dixerim, quàm cetum illum quem Rondeletius priſtin appellat. Vide ſupra in Corollario de Phyſetêre, Germanice quoq; nominãrim *ein Sagfiſch*, id eſt, Serram piſcem: vel *ein Meerſchnepf*, id eſt, Scolopacem marinum.

Roſtri proceritas pico etiam Maſſiliæ vulgo dicto piſci, nomen fortaſis fecerit. qui an à ſcolopace Rondeletij differat, neſcio. Supra in Pico Bellonij de eo mentionem, ſed imperfectam, retulimus.

DE SCOLOPENDRA CETACEA, RONDELETIVS.



Scolopendræ marinæ duo ſunt genera: vna ex inſectorum eſt genere: altera cetacea eſt, de qua A nuncagemus. Sic autem dicta eſt à pedum multitudine: nam ſcolopendras terreſtres, centipedes appellant. Qui pedes dicuntur, appendices ſunt, quibus tanquam remis ſcolopendra corpus impellit.

Eius formam, quam exhibui, accepi ab ijs, qui in India vidiſſe ſe affirmant, quæ ab Æliani deſcriptione non differt. Scolopendræ, inquit, vim & naturam, quanto equidem maximo potui ſtudio, cum multum ac diu perſcrutatus eſſem, quoddam etiam maximum cẽtos marinum eam eſſe audiui, quam de mari tempeſtatibus in litus expulſam nemo foret tam audax, quin aſpicere horreret. Ii verò qui res maritimas percallent, eas inquiunt toto capite ſpectari eminentes è mari: & narium pilos magna excelſitate apparere, & eius caudam ſimiliter atque locuſtæ latam perſpici: reliquum etiam corpus aliquando in ſuperficie æquoris ſpectari, idque conferri poſſe cum triremi iuſtæ magnitudinis, atque permultis pedibus vtrinque ordine ſitis, tanquam ex ſcalmis appenſis, natare. Addunt harum rerum periti ac fide digni, ipſos etiam fluctus ea natante leuiter ſubſonare. B

Lib. 13. cap. 23

COROLLARIVM.

Scolopendram terreſtre inſectum, Ge. Agricola interpretatur *ein Naſſel*. ab eo nos marinum ei ſimile inſectum vocabimus *ein Meernaſſel*: & eiuſdem nominis cetaceam belluam *ein Walnaſſel*. Nauim quæ remis impellitur pulchrè ζώῳ πολύποδι comparat Syneſius in epiſtolis. --- ἐμφικαρὴς σκολόπενδρα, Ἥ τε καὶ ἀμφοτέρωθεν ὀπάζεται ἀνδράσι κώπας, Νηῒ δ' ὡς ἐπέρχονται ὑπὸ πλευρὰ θηλύκειον, Nicander in Theriacis de ſcolopendra inſecto: quod ſimiliter, vt cetacea ab Æliano, naui remis impulſæ comparatur. Author Tabulæ de regionibus Europæ ad extremum Septentrionem, (Olaus Magnus,) ſcolopendram cetaceam monſtroſam pinxit, quadrato capite, promiſſa barba, Rondeletius. ſentit autem de cete illo, quem nos ex Olai tabula dedimus ſupra in Cetis diuerſis, pag. 170. Ceti barbati nomine.

DE SCOLOPENDRIS MARINIS, (INSECTIS,) *Rondeletius.*



Nvnc de alia Scolopendra dicemus quæ ex inſectis eſt, terreſtri ſcolopendræ ſimilis, de qua hæc Ariſtot. prodidit. Scolopendræ marinæ aſpectu terrenis ſimiles ſunt, magnitudine paulo inferiores, gignuntur in ſaxoſis locis, colore magis rubro ſunt. pedum numero terreſtres ſuperant, ſed cruribus ſunt gracilioribus. ſerpentum more non in altis gurgitibus (ἐν τοῖς βαθέσι σφόδρα) naſcuntur. B C

Hiſtor. 4. 21

Nos ſpecies duas hîc proponimus. prior minor eſt, colore plane rubro, dodrantali magnitudine, in ſaxoſis locis degit. A capite ad caudam vtrinque pedes habet plurimos, in flexus & volumina ſeſe contorquet, nunc longior, nunc breuior, nunc craſſior efficitur. Altera eſt ſuperiore multo longior, vtpote quæ ad cubiti longitudinem accedat, tenuior, colore ad candidum vergente. A capite ad caudam vtrinque pedes habet plurimos, veluti ſuperior. B

Huius generis ſcolopendras in ventriculo Lacertorum marinorum & Acuum ſæpè reperi, & ſæpè ex ore extraxi: quod maximo eſt argumento huiuſmodi piſces ijs veſci ſine pernicie. Præterea eas non in litoribus, aut in litorum ſaxis, ſed in alto mari, vt Lacertos & Acus, viuere. D G C

COROLLARIVM.

Scolopendræ terreſtribus ſimiles, quas centipedas vocant, Plinius. vnde apparet terreſtres tantum A ſcolopendras Latine centipedas appellatas, quod nomen etiam hodie vulgus Italorum ſeruat de marinis quidem cum loquitur Plinius, ſemper ſcolopendras appellare ſolet: ſed etiam terreſtres, centipedę tanquam vulgari nomine relicto: idque facere præſtat, quoniam aliud etiam terreſtre inſectũ, quod aliter aſellus dicitur, centipedam millepedamue aliqui vocant. Apud Plinium alia lectio habet centipedes, tanquam à recto centipes: meliores verò codices, centipedas, à recto centipeda. Cæterum cum Ariſt. ſcribat marinas ſimiles eſſe terreſtribus, τὰ δὲ μείζω μικρῷ ἐλάττους: hoc eſt, magnitudine autem paulò minores, quærendum eſt quænam ſit terreſtrium magnitudo. Braſſauolus ex Italia olim picturam ſcolopendræ ad me miſit, duos pollices longam: apud nos ſpecies duæ reperiuntur, quarum maior vix duos digitos æquat, altera vnum. at Rondeletij minor ſcolopendra ad palmum accedit, maior ad cubitum. Scolopendræ marinæ terreſtribus magnitudine æquales ſunt, aut paulo minores, Wotton. qui ſuſpectum ſibi hunc Ariſtotelis locum eſſe ait. Albertus tamen, Auicennæ interpretem ſecutus, ſimiliter legit minores, cuius verba Libro 2. tract. 1. cap. vltimo de animalibus, hæc ſunt: Serpentes & piſces verè dicti non habent pedes. In mari tamen eſt animal, quod 44. vocatur, propterea quod tot pedes habere videtur. & ſimile huic animali eſt aliud, quod moratur in terra, & eodem nomine vocatur. ſed quod eſt in mari, eſt minus quàm agreſte. (*quàm terreſtre,*) *& reliqua vt Ariſtoteles.* Scolopendra marina quam vidi ad digiti longitudinẽ & craſſitudinem accedebat, Græci Scolopetras corruptè nominant, Gillius, qui cum marinam tantum faciat, paulò antè tamen ſcripſerat eam terreſtri minorem

Magnitudo.

Forma. esse. Marcellus Vergilius Dioscoridis interpres, marinas terrestribus longiores facit. Quales terrenæ (inquit) scolopendræ sunt, tales & marinę: longiores, tereti corpore, & infinitis penè pedibus ingredientes. Hæc de magnitudine. Est autem quod circa formam quoque addubitem. Marinę Aristoteli specie formaque consimiles sunt terrestribus, παραπλήσιαι τῷ εἴδει. Ego in terrestribus capitis caudæque formam longè aliam video: quàm in marinis Rondeletij, quarum caput & cauda, nihil ab ijsdem in lumbricis partib. differunt. Marinæ Rondeletij lumbricorum modo se contrahunt explicantq; quod etiam terrestres facere audio, vt modo longiores, modo breuiores appareant: sed ipse nondum satis obseruaui. Hæc equidem notanda censui, non ad conuellendam Rondeletij opinionem: sed vt inquiratur, sitne alia quædam marinæ scolopendræ species, quæ cum Aristotelis descriptione melius congruat. Hoc addendum: si marina minor sit terrestri, quomodo glutiet hamum vtcunq; exiguum? quorum vtrunque de marinis Aristoteles scribit: quodq; contactu vrant, quod an suæ etiam faciant, non omittere debuerat Rondeletius. Scolopendram mar. Germanicè nomino *ein Meernassel.* vide suprà in Corollario de scolopendra cetacea. Scolopendræ marinæ vulgo dicuntur pulices marini: nã infestant pisces, vt nos pulices terreni, Niphus Italus. nos supra ex Rondeletio veros pulices marinos dedimus, à scolopendris toto genere diuersos.

B De Scolopendræ mar. magnitudine corporisque forma, iam in A. dictum est. Similis est marina terrestri, quod ad corporis speciem, Oppianus & Ælianus.

C Rondeletius scolopendras putat non in litoribus, aut litorum saxis, sed in alto mari degere, &c. Aristoteles verò historiæ 2.14. περὶ δὲ τοὺς πετρώδεις τόπους, καὶ οὐ σφόδρα βαθεῖς. hoc est locis petrosis, & non admodum profundis. in petris quidem commodius reperent, ac in ijsdem delitescerent. Idem Aristotel. histor. 9.37. interprete Gaza: Pisces (inquit) qui vulpes nuncupantur, cum se deglutisse hamum senserint, sibi opitulantur, vt centipedæ. longius nanque sese efferentes, lineam abrodunt. capiuntur .n. locis nonnullis hamo multiplici, gurgite prælato & fluctuoso. Græca sic habent: Τῶν δ' ἰχθύων αἱ ὀνομαζόμεναι ἀλώπεκες, ὅταν αἴσθωνται, ὅτι τὸ ἄγκιστρον καταπεπώκασι, βοηθοῦσι πρὸς τοῦτο, ὥσπερ καὶ ἡ σκολόπενδρα. ἀναδραμοῦσαι γὰρ ἐπὶ πολὺ πρὸς τὴν ὁρμιὰν, ἀποτρώγουσιν αὐτῆς. ἁλίσκονται δὲ περὶ ἐνίους τόπους πολλοῖς ἀγκίστροις, ἐν ῥώδεσι καὶ βαθέσι τόποις. Vbi hæc verba, capiuntur enim locis nonnullis hamo multiplici, ad vulpes ne an scolopendras referenda sint, dubitari potest. si ad scolopendras referas, obstare videtur quod in Græco contextu, ἡ σκολόπενδρα, numero singulari scribitur: quanquam huiusmodi enallagæ Aristoteli non raræ sunt. Secundo quidem lib. hist. cap. 14. vt paulo ante recitaui, in talibus scolopendras capi dixit. neque pugnat, quod illic in non valde profundis, hîc in profundis capi legimus, vt mediocrem profunditatem intelligamus. hic etiam pro ῥώδεσι, legerim πετρώδεσι nam ῥώδεσι vox nullam significationem habet. Gazam, qui vertit fluctuosis, apparet legisse ῥοώδεσι. sed alibi nusquam hoc sensu apud Aristotel. reperiri puto: & nimirum profundiora loca minus sunt fluctuosa. In Arriani tamen Periplo legimus θάλασσαν δίνας ἔχουσαν καὶ ῥοώδεις ἰλίγγους. quamobrem nihil definio. Video Niphum Suessanum de vulpib. hæc verba accipere, capiuntur enim locis nonnullis hamo multiplici: ego de scolopendris potius, tum propter antedictam causam: tum quia vulpes seu vulpeculæ pisces, Oppiano teste, non in talibus locis, sed in cœno profundo degant, πηλοῖς ἐν βαθέεσσι, sicuti & cæteri galei, præter canem carchariam pelagium. Plin. lib. 9. cap. 49. partem loci à nobis recitati conuertit, partem verò illam de qua controuersia est non attigit. Cæterum hæc verba, Ἀναδραμοῦσαι γὰρ ἐπὶ πολὺ πρὸς τὴν ὁρμιὰν, &c. ad vulpes retulerim, quæ lineam præmordeant: nam scolopendræ alio ingenio se liberant, seipsas inuertendo: licet Pierius Valerianus ea quoq; ad Scolopendras referat. Quę autem de vulpibus dicuntur, ceu per parenthesin accipienda fuerint. Oppiano scolopendra & polypi ἁλὸς ναίουσιν ἐναύλοις: hoc est, in cauernis maris habitant. accipitur enim ἔναυλος pro latebra & loco cauo. tales autem circa petras sunt. Sophocli ἔναυλος & θυραῖος opponuntur: hic foris est, ille in domo. Videtur & amphybijs eam adnumerare Oppianus. Locus integer sic est. Ἄλλοι δ' ἑρπυστῆρες ἁλὸς ναίουσιν ἐναύλους, Πουλύποδες σκολιοί, καὶ σκορδύλος, ἠδ' ἁλιεῦσιν Ἐχθομένη σκολόπενδρα, καὶ ὀσμύλος: οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ Ἀμφίβιοι. Mordent scolopendræ, non ore, sed tactu (τῇ ὄψει, Gaza rectè legit τῇ ἁφῇ) totius corporis, similiter vt quæ vrticæ vocantur, Aristot. Vide etiam infrà in G. Marcion Smyrnæus, qui de simplicibus effectibus scripsit, rumpi scolopendras marinas sputo tradit, Plin. Scolopendram mar. rumpi aiunt, si ab homine conspuatur. Ælian. de anim. 4.22. & 7.26. vtrobique id à Gillio etiam rectè translatum est at lib. 7. cap. 35. hæc eius verba, Scolopendram terrestrem saliua disrumpi ferunt, in nostris codicibus Græcis non extant. Appetunt marinæ etiam nidorulenta, vt terrestres, Aristot. Tetro odore sunt. vide in E mox.

Quibus in locis in mari degant.

D Scolopendra vbi hamum deuorarit, euomit foras sua interiora, donec hamum eijciat, tum recipit intrò, ac valet eadem, qua antè, salubritate, Aristot. Vide etiam suprà in C. Hamo deuorato scolopendræ omnia interanea euomunt, donec hamum egerant: deinde resorbent, Plinius. Ὥσπερ αἱ θαλάττιαι σκολόπενδραι, καταπιοῦσαι τὸ ἄγκιστρον, ἐκτρέπουσιν ἑαυτάς: id est, Quemadmodum marinæ scolopendrę absorpto hamo seipsas inuertunt, Plutarchus in libello de his qui serò puniuntur à Deo. nihil autem interest, interanea eas euomere dicas, an se ipsas inuertere. Lacertos marinos scolopendris marinis vesci, anatome nos docuit, Rondeletius.

E Scolopendræ hamo captę, quomodo seipsas liberent, dictum est proximè in D. Esca ad anguillas à Tarentino descripta, recipit scolopendræ marinæ drachmas viij. caridum fluuiatilium tantundem. sesami drachmam. simul autem exceptis vtendum. Scolopendra marina piscatoribus infestissima est. postea enim quam hamum hæc contigerit, nullus piscis ad hamatam escam accedit, quod huius tetro odore procul pellatur, Gillius, ex Oppiani Halieut. 2. vbi sic legimus Græcè:

Ἐχθρὴ καὶ σκολόπενδρα πανέξοχον ἀσπαλιεῦσιν Ἐμπελάει. εἰ γάρ ποτ' ἐπιψαύσειεν ἐλύτρου,
Οὐκ ἄν τις νεπόδων κείνου πέλας ἀγκίστροιο Ἔλθοι. τοῖον γάρ οἱ ἀπεχθέα μίσγεται ἰόν.

pro ἀπεχθέα, legerim ἀπενθέα. est & alibi Oppiano ἁλιεῦσιν ἐχθομένη σκολόπενδρα. pro ἐλύτρου, ἐδέτρου. nam tertio quoq; lib. ἔδετρον vocat escam hamo insertã, de melanuris capiendis canens. Brodeus nihil mutans interpretatur: Si quando pellem scolopendræ hamus attingat. vter melius, iudicent eruditi.

G Scolopendra marina similis est terrestri, quod ad corporis speciem, sed tactu nocentior. venenatus enim

enim eius morsus vrit, & rubicundum in cute colorem excitat, sicut papulam herba vrtica vrit: Oppian. & partim Ælian. Mordet, non ore, sed tactu totius corporis, similiter vt quæ vrticæ vocantur, Aristot. A morsu scolopendræ siue ophioctenę, locus circunquaque liuescit ac putrescit, (πελιοῦται καὶ σήπεται. Dioscor. malim cum Ægineta, πελιοῦται καὶ ἐπαίρεται, id est, liuescit & attollitur.) aliquando feci similis fit, rarius etiam rubicundus. exulceraturque sumpto à morsu principio laboriosa molestaq; (difficili curatu, Ægineta) exulceratione. præterea toto corpore veluti pruriginis sensus percipitur: Dioscor. quem de terrestri tantùm scolopendra loqui apparet. Ægineta ijsdem repetitis, addit: Priuatim verò à marina scolopendra morsis, aquosus & pellucidus humor interdum accidit: vt à terrestri, rubicundus. Curatio apud eosdem, eiusmodi est: Ictui (τῇ πληγῇ) imponendi sunt sales triti (cum aceto, Dioscor.) vel ruta trita, (ruta agrestis, Dioscor.) vel cinis aceto subactus, scillaue. Fouere (καταντλεῖν) autem locum oportet acida muria: vel, vt Archigenes cõsulit, oleo multo calido, atq; ita (deinde) quę prædiximus imponere. Propinare verò conuenit aristolochiam è vino, Hæc illi. Ægineta quidem plura quam Dioscorides habet: & paulò post de morsu muris aranei scribens: Ad muris aranei (inquit) & scolopendræ morsum, cataplasma è sale cum pice liquida impone: vel cedriam cum melle: vel allium cum folijs fici & cymino, (eruoque ac vino, Aëtius:) vel folia calamintæ, vel hordeum cum aceto. His qui à scolopendra icti sunt (inquit Aetius) eadem remedia conueniunt, quæ ad muris aranei morsum sunt prædicta, tum foris applicanda, tum propinanda. Serpyllum syluestre efficax est contra scolopendras terrestres ac marinas, Plinius. Pulegium valet contra scolopendram terrestrem vel marinam, Idẽ. Κεῖνο δὲ δὴ σκέπαιο, τό κεν καὶ ἰξαλίδα μάρψον Πολλὸν ἀποτρωπῷτο, καὶ ἰοβόρον σκολόπενδραν, Numenius apud Athenæum. Vide etiam Auicennæ lib. 2. cap. 22.

Scolopendra marina & terrestris venenũ Nota.

Curatio.

Scolopendra mar. in oleo decocta si illinatur, auellit capillos. sed contactu pruritus facit, Dioscor. Pharmaca quæ pilos disperdant componuntur cum ex alijs rebus, tum ex marinis scolopendris, vrticaque mar. & stellis marinis, nitro ac amurca ad hæc ammixtis, Galenus ex comptorijs libris Critonis. Scolopendræ mar. cinis cum oleo, psilothrum est, Plinius. Scolopendræ mar. è melle illitæ strumas persanat, Idem.

E scolop. mar. remedia.

H Scolopendra marina à terrestris similitudine nomen inuenit: quamobrem philologiam super hoc vocabulo differam ad insecta terrestria.

Hirsutam & venenatam cognominare licebit. Numenius ἰοβόρον dixit. Τοῖον καὶ σκολόπενδρα δυσώνυμον ἑρπετὸν ἅλμης, Oppianus.

Epitheta.

Hominem qui animum suum à vitijs affectibusue cruciabilibus depurget, quæq; se lædant, eximat & expellat, significare si vellent, scolopendram (*marinam*) effigiabant. ea enim vbi hamo deprehensa fuerit, (*&c. vt in D. expositum est,*) Pierius Valerianus.

Icon.

H. Si marinæ scolopendræ naturam cognouisset, aut cognitæ meminisset sapientissimus ille Socrates: nunquam vt aliorum vitia virtutesque nobis certius & quasi ad manum paterent, fenestrata homini data esse pectora à natura, optasset, &c. Sed marinæ centipedis naturam, in eundem vsum maluisset. In fenestrato siquidem pectore, per quod quasi limis per flabellum (vt in Comœdia audimus) introspicere cogeremur, multa quæ in extremo hominis recessu latent, diligentiam nostram facilè effugerent. At in inuerso penitus homine, cunctisque eius in lucem prolatis interaneis, nihil tam reconditum esset, quod sub Solem tractum, liuores, rugas, lentigines, verrucas, labesque suas omnes non ostenderet, Marcellus Vergilius in Dioscoridem. Apparet autem hæc cõmentandi occasionem ex Plutarchi libro De ijs qui serò à numine puniuntur, eum accepisse. vbi sontium apud inferos quas viderit pœnas enarrans quidam, circa eius libri finem, sic infit: Ὅσοι δὲ πρόσχημα καὶ δόξαν ἀρετῆς περιβαλλόμενοι διεβίωσαν κακίᾳ λανθανούσῃ, τούτους ἐπιπόνως καὶ ὀδυνηρῶς ἠνάγκαζον ἕτεροι περιεστῶτες, ἐκτρέπεσθαι τὰ ἐντὸς ἔξω τῆς ψυχῆς, ἰλυσπωμένους παρὰ φύσιν καὶ ἅμα καμπτομένους: ὥσπερ αἱ θαλάττιαι σκολόπενδραι καταπιοῦσαι τὸ ἄγκιστρον, ἐκτρέπουσιν ἑαυτάς. ἐνίους δὲ ἀναδέροντες αὐτοὺς, καὶ ἀναπτύσσοντες ἀπεδείκνυσαν ὑπούλους, καὶ ποικίλους ἐν τῷ λογιστικῷ καὶ κυρίῳ τὴν μοχθηρίαν ἔχοντας.

SCOLOPIDVS ab incolis dictus, Σκολόπιδος, piscis magnus in Arari nascitur, &c. vt scribit Plutarchus in libro de fluuijs, ex Callisthene Sybarita: cuius nos eadem verba retulimus suprà in Alausa A. ad initium paginæ 21. vt à Stobæo recitantur: apud quem tamen non σκολόπιδος huius piscis nomen, sed κλουπαῖα, legitur.

DE SCOMBRO, RONDELETIVS.

A ΣΚΟΜΒΡΟΣ à Græcis, à Plinio & Latinis omnibus scomber siue scombrus dicitur. A nostris veirat quod vitri instar splendeat, vel peis d'auriou, id est piscis aprilis, quòd eo potissimum mense capiatur. A Gallis maquereau, à Massiliensibus auriol: ab Italis lacerto, à Venetis scombro, ab Hispanis cauallo. Græci huius ætatis corruptè σκολιὸ pro κολίαν vocant, de quo alibi. Scombros etiam lacertos nonnulli vocant, à figuræ musculorum nostrorum siue lacertorũ, potius quàm terrenorum lacertorum similitudine: nisi quis ob viriditatem quæ in scombris exigua est, eos terrenis lacertis comparare malit.

Lib. 9. de hist. anim. cap. 2.

B Scomber piscis est marinus, gregalis teste Aristotele, qui ad cubiti magnitudinem accedit. Squamis caret: corpore est terete, denso, carnoso, vtrinque in acutum desinente. Rostro enim acuto est, cauda acutiore, tandem in duas pinnas valde à se distantes terminata. Thynnum ore refert: siquidem oris scissura magna est, rostri margines acuti & tenues. Inferior maxilla in superiorem recipitur & clauditur pyxidis modo. Oculis est magnis, aureis. Dorsum in aquis sulphurei coloris est: extra & mortuo, cærulei. Lineis nigricantib. obliquis, insignis est: ventre lateribusq; argenteis. A podice pinnam vnã habet paruam, suprapositam alteram in dorso similẽ: quas ordine certisq; interuallis aliquot aliæ pinnulæ subsequuntur. quod huic proprium non est, sed cum amijs, thunnis, pelamydib. cõmune. Alia est dorsi initio pinna. Ad branchias aliæ duæ. In ventre duæ. Ventriculus cum gula longus, in acutum desinens

desinens ad podicem vsque protensus innumeras appendices habet. fellis vesicula ab hepate albicante pendet, intestinis adhærens.

C Coëunt thunni & scombri autore Aristotele, mense Febr. post idus: pariunt Iunio ante nonas: edunt
Lib. 6. de hist. anim. cap. 17. oua sua condita quasi vtriculo, idque in Ponto, vt arbitror. quia paruulos nunquam contigit nobis vidisse. Cum thunnis, pelamydib. & amijs in Pontum ad dulciora pabula gregatim cum suis ducibus commeant omnium primi, teste Plinio. thunnis enim cum sint imbecilliores tenuioresq;, frigoris caloriscq; iniurijs magis sunt obnoxij. Quamobrem frigidiora calidioraque loca citius relinquunt, maximè austro vehementius flante.

F Ex scombris olim garum conficiebatur. Plin. lib. 31. cap. 8. Nunc è Scombro piscе laudatissimum in finibus Carthaginis spartariæ & cetarijs sociorũ garum appellatur, singulis milib. nummum permutantibus congios penè binos. Nec liquor vllus præter vnguenta maiore in pretio esse cœpit, nobilitatis etiam gentib. Scombros quidem & Mauritania, Beticaque, & Carteia ex Oceano intrantes capiunt ad nihil aliud vtiles. Athenęus lib. 3. Καὶ ἀλλὴν Σκομβραρίαν ὑπὸ τῶν ἁλιευομένων σκόμβρων, ἐξ ὧν τὸ ἄριστον σκευάζεται γάρον. Scombrariam, inquit, appellatam fuisse à scombris qui illic capiuntur, ex quib. optimum conficitur garum. Ad saliendum autem idonei sunt scombri, garumque parandum: quia eorum caro facilè conficitur, spinis caret, vêre pinguis est. Quæ enim dura, sicca, macraq; sunt, saliri commodè nequeunt. In Oceano maiores sunt, quàm in nostro mari, sed sicciores durioresque, & ob id deteriores. Sic Romæ sicci sunt & duri: Venetijs optimi, nimirum molles, pingues, delicatioresque.

Scombri hæc effigies Venetijs facta, non satis probè exprimit pinnulas illas versus caudam. nam & plures, & suprà infrag, esse debebant: tales omnino, quales in amia, colia & thynnorum genere spectantur.



DE EODEM, BELLONIVS.

A Scombros per omnia maria affatim capi solere, vel hoc argumentũ esse potest, quod vbiq; cognoscantur. Itali nomen Latinũ retinent. Galli Macareos, hoc est lenones vocãt (Maquereaus:) quod verno tempore eos pisces, qui nostro vulgo Virgines (Alausæ paruæ) vocantur, statim subsequi soleant. Scombrum Genuenses Vn Oreol, Massilienses, Vn Horreau, Angli Macrel appellant: qui in Oceano tanta crassitudine proficit, vt pari cum Pelamydibus magnitudine plerunque euadat.

F Nostri Scombrum supra cratem leuibus submissis prunis exassant, atq; ilico sapidũ reddunt: sed eum prius fœniculo viridi circumvoluunt. vt vim ignis obtundant. Scombris Angli intestina eximunt, & capita auferunt, reliquum multa deinde aqua elixant, sic piscem reddunt exuccũ & insulsum. Magnus est in Propontide & tota Græcia salitorũ prouentus. Mirabar cur vulgus Græcum minores Scombros Colias vocaret, cum tamen Hicesius author antiquus, Scombros, minores quàm Colias esse dixerit. Garum ex Scombris & Colijs apud Byzantinos fieri solet: quanquam nihil vetat ex quouis alio pisce garum fieri posse, vt postea dicetur.

(A) *Garum.*

E Ac quod multus sit etiam apud exteras regiones Scombrorum prouentus, inde est colligendum, quod Scombrariam insulam apud Strabonem à Scombris dictam comperias: verum horum quidem captura multum est diuersa in Oceano, ab ea quæ in Ponto, Propontide, Hellesponto, Mediterraneo & Adriatico mari esse solet. Oppianus Scombrorum Ponti capturam ita describit: Insulsos capiunt Scombros, Thynnosque furente, Quum cernunt alios Scombri curuamine retis Clausos, &c.

Cæterum Scombri iconem (*Nos vtranq; omisimus, Rondelety Scombrum posuisse sententi.*) hic non apposui: quod sequens Coliæ pictura cum Scombro omnino conueniat: neque Scombrũ m fusius describi, quod plura de hoc in Colia mox dicturi simus.

DE COLIA SEV SCOMBRO MINORE, IDEM.

Alius est Rondeletij Colias maior, de quo in C. Elemento scripsimus.

Colias Græcis, ab aue eiusdem nominis (quã nostri vocant vn Gay) dictus est: quod eius latera Coliæ auis modo, multis coloribus variegata conspiciantur. Porrò Lemnij, minores Scombros vulgò Colias (al' colios) nominant, quemadmodũ & Tassi, (*Thasi*) Samothraces & Imbri, (*Imbrij.*) Verum quid inter Scombrum & Coliam intersit, nihil aliud obseruari posse puto, quam quod Colias magis paruus sit, quo præcipuè salito vti solent: Scomber verò paulò maior. Aiebant autem quidam Lemnij indigenæ (dum ab eis sciscitarer, quid Colias esset) Coliam idem cum Scombro non esse: sed cum nullam viderem notam, qua vtrumque distinguere possem, totam in magnitudine posui differentiam. Massilia Cogniol (*Gellius scribit Coguiol,*) nominat. Dixerim itaque libenter Coliam piscem Scombrorum pusillorum generis esse, modo vulgi calculis adstipuler. Hicesio tamen in hoc refragor, qui Scombrum Coliam minorem affirmat. Hæc Bellon. qui & in Lacerto suprà: Genuenses (inquit) quoddam Scombri genus vulgò Lacertum vocant, cuius tergus mulcèo magis quam alijs Scombris viret, & venter est variegatus: quem reuera Coliam esse Scombrini corporis paruitate liquet. A

COROLLARIVM.

Horatius Sermonum 2. 8. piscem Iberum videtur pro scombro dixisse. His mistum ius est oleo, quod prima Venafri Pressit cella, garo de succis piscis Iberi, Vino, &c. Acron glossographus præterit. Scombri sunt qui & modo scombri appellantur, Massarius Venetus. Scombrum Romani Lacertum vocant, Iouius. Scombrum arbitror esse ex genere lacertorũ: Ligures & Neapolitani vocant lacertum: Massilienses Auriolum: Parisienses Macareum, Gillius. Aurioli nomen, vel à mense Aprili factum est, vt Rondeletius indicat: vel ab oculis aureis. Quidam ex thynnorum genere esse scribit: non satis bene. quanquam multa conueniant. Hispanicum eius nomen audio esse aláche: quo etiam pro Harengo vtantur. Massilienses clupeam, halachiam vocant, cui similis est harengus piscis Latinè. Rondeletius caullo Hispanicum scombri nomen profert. Vt Gallicè Maquereau hic piscis dicitur: sic Anglicè, *Mackerel, Macrel*: & Germanicè *Mukrel*, vel *Makrill*. Vocatur & in Noruegia *Macrarel*, & in lacu Suerinensi *Macrill*. piscis harengo maior aliquanto, vt aiunt: per totum corpus transuersis lineis (latitudine pennæ) diuersi coloris, fusci, cærulei, candicantis, distinctus. ego hunc non alium à scombro esse puto. Alius est fluuiatilis piscis apud inferiores Germanos alicubi similiter dictus *ein Mackrel*, & alio nomine *Bratfisch*: quem aliqui longè decepti verum Lucium esse putarunt. Vide suprà in Corollario de Lucio A. ego capitoni fluuiatili cognatum esse suspicor, eũ qui *Bratfisch* alibi nominatur, &c. cuius in operis fine iconem dabo. Macarellum Albertus nominat, Arnoldus Villanouanus Maquerellum. Cæsar Scaliger nomen Græcę originis esse iudicat: nec plura. quòd si μακαρέλοι piscium vlli vocari debent, eos quos veteres opsophagi deos vocarunt, sic appellabimus, non tanquam ipsos μακαρίους, ἀλλ' ὡς μακαρίζοντας σὺν ὑβριμύσι αὖτε. sed ad eam prærogatiuam scombri non peruenerunt, nisi in paucis regionibus fortè, vt Eleusiniaci. quare Gallicam à Bellonio indicatam etymologiam potius receperim: nisi quis à Germanis ad Gallos translatum malit: vt alia multa, fortassis autem Germani sic nominauerint hunc piscem à macritudine. macrum enim nostri quoque *mager* appellant. in Oceano enim durior ficciorque capitur, & ob id deterior, hic piscis, quàm in plerisque mediterranei locis. Albertus Rodez piscem, nescio cuius linguæ vocabulo dictum, interpretatur scombrum. Coliam Bellonij scombro minorem, & siue ætate, siue etiam specie ab eo differentem, scombro adiunximus. Rondeletius suum coliam scombro maiorem facit: vterque tamen Massiliæ Coliam piscem Coguiol vocari scribit.

Hispaniæ cetarias scombris replent, thynnis non cõmeantibus, Plinius: Massarius interpretatur, propterea quod thunni ad ea loca non commeant. Hermippus ex Hellesponto iubet scombros peti. De Scombraria Hispanici maris insula, circa quam scombri abundant, lege infrà in H. a. Scombri in Oceano Britannico ingentes sunt, vt & rhombi. in Adriatico vterq; paruus. Existimârit autem aliquis in minore maris ambitu frequentes prædas exerceri: non ergò crescere. Vix ad Tergestæ ac proximum sinum comparent scombri: atque illicò capiuntur. in Oceani laxitate fuga moram, mora parit incrementum. itaq; grandescere quia non capiantur, Cæsar Scaliger. De migratione eorum in Pontum dicetur infrà in C. Scombros & Mauritania, Bæticaque & Carteia ex Oceano intrantes capiunt, Plinius. B *Vbi.*

Scombri pisces sunt paruis thunnis similes, Scholiastes Aristophanis. Minores quàm coliæ, Hicesius. Χελιδόνες τε μύρμακι, οἵ τε κωλιάν (lego κολιῶν, Dorica dialecto pro κωλιῶν) μείζονές ἐντι, καὶ σκόμβρων, ἀπὸ τᾶς ταυθυννίλων (lego τῶν θυννίδων) γεμόνες, Epicharmus. Scombris in aquis est sulphureus color, extra qui cæteris, Plinius. Sulfureus autem color qualis sit ipse explicat li. 35. Fulmina & fulgura (inquit) sulfuris odorem habent, ac lux ipsa eorum sulfurea est. Saurum piscem quendam Rondeletius vocat, rostro & priore capitis parte acubus similem: posteriore verò, vt & carnis substantia, scombris. Vide in Lacerto. Memini scombrum videre dorso toto pulchrè cœruleum, cætera similem trachuro, & similiter ad caudam attenuari: spinosis autem laterum lineis carentem. Athenæus thynnos, scombros, &c. squammatos esse dicit, negatione à librarijs omissa. carent enim squammis.

Pisces sunt litorales, Oppian. li. 1. Halieut. paulo post tamen eosdem adnumerat piscib. qui degunt in petris, quæ plenæ sunt chamis & patellis, sicut etiam phagros, murænas & orphos. Albertus macarellos in litore Oceani Germanici capi scribit. Scombri recedunt (in Pontum) ante quam thunni. hi enim septembri mense, illi Augusto discessum parant, Arist. Discedunt à locis frigidiorib. calidioribusque C

ribusque, ante quàm thunni, vt qui imbecilliores sunt. sæpe tamen flatu austrino vehementius occursante, fit, vt cum colijs & scombris exeant thunni in mare: Wottonus, ex Aristotele vt puto. Partus eorum increscit præcipua celeritate, Arist.

D Scombri gregales sunt, Aristot. & Mnesitheus Athenæus. In Mari Ionio prope Epidamnum (vbi & Taulantij habitant) insula est, quæ Athenâs, id est, Mineruæ appellatur: eam piscatores incolunt. & lacus est, vbi Scombrorum, qui ad piscatorum consuetudinem assueuerunt, & mansuefacti sunt, greges aluntur. Ijs sanè cibaria edenda piscatores idcirco obijciunt, quòd cum ijsdem fœdus quoddam sanctum habent, atque adeò firma pace deuinciuntur. Nam hoc piscium genus ab omni captura tum liberum est, atque ad errandum siue vlla exceptione solutum: tum verò eatenus ætate procedit, vt viuat ibidem ad summam senectutem. Nec tamen ætatis tempus ignauiter traducit, neq; in suos altores ingratum est. at enim de piscatoribus pastum cum mane acceperit, piscationem mox capescit, vt se nutricantibus præmium pro nutrimento persoluat. Quare ex portu soluens, ad feros Scombros gentiles suos natare contendit, ac simul vt ad eos peruenit, cum ipsis ita continuo tanquam cum aliqua phalange, suorum popularium errat: & nimirum cum eiusdem generis sint, non inter se fugiunt, sed simul natant. post autem cicures circum feros concursantes in orbem consistunt: & suorum corporum obstructione eos fuga exituq; intercludentes, suorum nutritiorum (vt pro ijs quib. expleti cibis fuerint, illos remunerentur) aduentum acerrimè tandiu expectant, dum piscatores eò profecti, captorum permultas cædes effecerint. Cicures verò maturè properantes ad portum regrediuntur: atq; ibidem intra cauernas abditi, à piscatoribus cœnam expectant. quam quidem ipsi eis quotidie largiuntur, si ipsos ad piscatum adiutores atque amicos fidos habere velint, Ælianus de animalibus 14. 1.

E Scombri, (vt & alij quidam pisces,) temeritatis & imprudentiæ suæ pœnas captiui luunt. nam cum alios vident reti inclusos, ad eos ingredi cupiunt. ingressi autem, alij (minores) per maculas rursus euadunt: alij (maiores) detinentur. Et dum rete ad litora trahitur, multos in reti scombros hærentes, ac instar cunei impactos videas vtrinq; alijs ingressum, alijs exitum molientibus, Op. Halieut. 3. Aliter in Propontide scombri, aliter in Oceano capiuntur. solent enim in Oceano piscatores sua retia (les lignes trainantes, sic Gallicè scribit) in procellas & fluctus demittere. & quo vehementiores sunt fluctus, nauisq; celerius fertur, eo plures irretiunt, Bel. in Obseruationib. suis per Orientem. De scombris mansuetis prope Epidamnū insulam, qui piscatoribus feros capiendos adducunt, ex Æliano præscriptum est in D. Esca iacentium mollior esse debet, quàm saxatilium, (in piscinis.) itaq; præberi conuenit cum alia, tum scarorum branchias, scombri ventriculos, &c. Columella 8. 17.

F Laudatissimi scomber, salpa, sparus, Plin. lib. 32. vt autor Promptuarij citat, ineptè. simpliciter enim hi pisces à Plinio nominantur lib. 32. cap. vltimo. Plinius ait scombrum laudatissimum esse in finibus Carthaginis, Rauisius. Lynceus Samius pisces aliquot Rhodios Atticis comparans, opponit psettis & scombris Eleusiniacis, vulpem in Rhodo dictam. Ex Hellesponto scombros præcipuè laudat Hermippus. Pisces squammosi (*non squammosi*,) vt thynni, scombri, thynnides, & huiusmodi, solent etiam gregarij esse. Gregaria autem hæc genera piscium, suauia quidem in cibo sunt, vtpote pinguia: sed grauia & difficilia concoctu: ideoq; maximè ταριχεύεσθαι (sale nimirum inueterari) possunt, & inter ταρίχη, optima sunt. præstant etiam, si assentur: quod sic eorum pingue liquatur, Athenæus Mnesitheus. Hicesius ait scombros minores quidem esse colijs, multum nutrire tamen, & melioris esse succi, at non faciliores excretioni. Scombrus leuis est, & citò à stomacho descendit, Diphilus. Scombrus sapore est non adeo ingrato, nec facile corrumpitur. sitim proritat. circa Parium præstantissimi habentur, Wottonus: qui pro Parium, Pariam vel Parum forsitan legendum suspicatur. Scombri oblongi & exiles sunt. Vere pinguescunt: quo tempore Venetijs inter delicatiora obsonia reputantur. Romæ autem ab innata quadam siccitate sunt ignobiles, Iouius. Τάριχη (ἢ τεμάχη) σκόμβρων nominantur à Polluce. Maquerelli multum deficiunt in bonitate à saluberrimis piscibus. sunt enim multo crassiores, viscosiores, & concoctu difficiliores, magisque excrementitij. quamobrem non conueniunt nisi validis iuuenibus, idque cum embammatis, quæ viscosum, crassum & frigidum ex his piscibus succum emendent, Arnoldus Villanouanus. Epilepsiæ obnoxij auersentur pingues & cetaceos pisces, vt scombrum, pelamydes. hi enim omnes crassum, terrestremque, & inimicum naturę succum congregant, Trallianus.

Garus. Garus, authore Plinio, liquor erat, qui ex intestinis piscium, præcipuè scombrorum, sale maceratis fiebat, Massarius. De Garo tum simpliciter, tum eo quod è scombris fit, quodque sociorum cognominatur, abunde scripsimus suprà in Garo, elemento. In Scombraria insula optimum è scombris conficitur garum, Strabo. Scombros & Mauritania Bæticaque, & Carteia ex Oceano intrantes capiunt, ad nihil aliud vtiles, (quàm ad garum,) Plinius. Expirantis adhuc scombri de sanguine primo Accipe fæcosum munera chara garum, Martialis libro 13. sub lemmate Garum sociorum. Et mox de Muria: Antipolitani fateor sum filia thynni, Essem si scombri non tibi missa forem. Et superius de ouis: Candida si croceos circumfluit vnda vitellos, Hesperius scombri temperet oua liquor: id est, garum.

G Scombri in aceto putrefacti, vuluæ strangulatu oppressas excitant, Plinius. E scari (non scombri, vt Gillius vertit) iecore remedium ad icterum, ex Æliano retuli in Scaro G.

H. a. Horæum, scombrum, & trygona, nominat in Captiuis Plautus. Σκομβρίζει, γογγύζει, Suidas: verbum nimirum per onomatopœiam factum, non à pisce. Σκομβρίσαι, παρὰ Ἰωσι ἐν δευτέρῳ φορᾶς λέξεως, παιδιᾶς ἀσελγοῦς εἶδος ἀποδίδοται: καὶ κατὰ τὸ ἧττον πλατεῖ τῷ ποδὶ πλήσσοντος, ὡς ψόφον ἐργάσασθαι, Suidas.

Propria. Scolymus herba in Lemno sponte prouenit, ac dicitur vulgò scombrouolo, id est carduus scombri, Bellonius.

h. Scombri, Σκόμβροι, gens Thraciæ, Varinus. Strabo lib. 3. ait Sexitaniam esse ciuitatem iuxta Herculis insulas prope Carthaginem nouam, à qua salsamenta Sexitana denominentur: & aliam Scombrariam, (Σκομβροαρία, interpres quatuor syllabis vertit, Scombrariam,) à scombris qui illic capiuntur, Athen. Scombrus apud Alexidem, cuius verba Athenæus recitat, parasiti nomen est.

Athenien-

Athenienses Salsamentis adeo delectati sunt, vt Chærephili salsamentarij filios ciuitate donarint, vt testatur Alexis his senarijs: Τοὺς Χαιρεφίλου δ' υἱεῖς Ἀθηναίους, ὅτι Εἰσήγαγεν τάριχος, οὓς καὶ Τιμοκλῆς ἰδὼν ἐπὶ τῶν ἵππων, δύο σκόμβρους ἔφη ἐν τοῖς σατύροις εἶναι. h.

Fuit apud Byzantios receptus mos, vt scombrorum regem videre, qui inter conchylia (*Scombri pisces sunt, non conchylia*) est miri aspectus, fortunatissimos euentus faciat, Alexander ab Alexandro Dierum genialium 5. 13. Sed Ælianus hoc de Scombris scribit. Vide infrà in Strombis D.

SCOPES pisces quidam, nominati apud Athenæum, vt in Eritimo scripsi. Homero aues eiusdem nominis sunt.

SCORDYLVS nominatur ab Oppiano Halieut. 1. inter reptilia maris, (quæ pedibus scilicet repant,) cum polypis & scolopendris marinis, amphibia, & cauernas maris incolentia, his versibus: Ἄλλοι δ' ἑρπυστῆρες ἁλὸς ναίουσιν ἐναύλους, Πουλύποδες σκολιοί, καὶ σκορδύλος, ἠδ' ἁλιεῦσιν Ἐχθομένη σκολόπενδρα, καὶ ἀσμύλος: οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ Ἀμφίβιοι. Ego non de alio quàm Aristotelis cordylo eum sentire arbitror: cum & nomen, & quæ pedibus fit reptatio, & natura ad aquam & aërem ambigua conueniant. Hoc obstat: quod cordylus Aristotelis τελματαῖος, id est palustris est, seu lutarius, non marinus. Chalcidem quoque Aristoteles lacustribus, Oppianus marinis adnumerat. Plura de Cordylo leges supra, pag. 300. Verum quidem cordylum amphibium hactenus nemo ostendit. vnde suspicor peregrinum esse animal: & fortè idem quod apud Babylonios vel Indos reperiri scripsimus, (suprà in Cordylo, pag. 301.) amphibium animalculum anonymum: quod pinnulis ceu pedibus (quos nimirum aliqui simpliciter pedes propter formæ aut vsus similitudinem vocarunt) graditur: & quanuis branchias habeat, cibi tamen gratia in siccum egreditur, cauda subinde mobili, capite ranæ marinæ simile, reliquo corpore gobijs. è fluuijs in terram exiens saltat, & in aquam redit sicuti rana. quamobrem composito ex pisce & rana nomine, pisciranam aliquis accommodato eius naturæ vocabulo appellârit: branchias enim & posteriora vt piscis habet: caput & naturam amphibiam, & saltum, vt rana: fortè & caudam ranæ imperfectæ non dissimilem, quam gyrinum vocant, nostri *Rosskopff*. Itaque Germanicè etiam Cordylum interpretabor *ein Fischfroesch*, id est piscirinam. vel *ein Indianischer Rosskopff.*, id est Gyrinum Indicum. Alia est cordyla siue scordyla, vel cordylus scordylusue piscis, thunni fœtus de quo dicetur in Thunno.

Apud Tarentinum in descriptione escæ cuiusdam legitur πεθαλαντιμίων σκορδύλων, &c. qui locus & si corruptus est, suspicetur tamen aliquis fluuiatiles aliquos pisces ποταμίους σκορδύλους ab eo nominatos.

Pulmone carent pisces, & si quod aliud animal (*de cordylo fortè sentiens*) branchias habet, Aristotelis histor. 2. 15.

DE SCORPIO ET SCORPÆNA, RONDELETIVS.

Rondeletius & Bellonius vnam tantum Scorpij iconem dederunt: Pro qua nos Scorpij maioris Venetiis depicti effigiem posuimus, quanuis cum neutra illorum vndiquaq; conueniat. Rondeletius quidem in fine Capitis, Scorpænam (id est, Scorpium minorem) se effigiasse scribit: quod annotatum ab eo superuacaneum videtur, si corporis forma non differunt, vt ipse sentit. Idem à syncipite scorpij sui ceu cornicula quadam in summo trifida produxit. de quibus in descriptione puto sentit, cum inquit, superciliorum loco cartilagineas apophyses duas molles esse. Bellonius quidem super oculis appendices quasdam scorpio esse scribit, vt in exocœto suo: sed nihil tale repræsentat eius pictura. Idem pinnam quæ ab ano proxima est, tribus aculeis exasperari scribit, non item pingit. Rondeletius ad pinnæ illius initium aculeos duos expressit.

Addidimus & Scorpii minoris picturam, & ipsam Venetiis effictam. Vtraque ad elegantissimas duas scorpiorum picturas Saluiani satis accedit: hoc est maior ad maiorem illius, minor ad minorem.

ΣΚΟΡΠΙΟΣ à Græcis scorpius, vel scorpio à Latinis dicitur, à Massiliensibus scorpeno, à nostris rascasse. Græci quoque huius temporis σκόρπιον vocant. Σκορπίς dici videtur ab Aristotele scorpius fœmina. Veruntamen an ijdem sint Aristoteli an diuersi σκόρπιος & σκορπίς dubitat Athenæus. Ἐν πέμπτῳ ζώων ὁ Ἀριστοτέλης σκορπίους καὶ σκορπίδας ἐν διαφόροις τόποις ὀνομάζει: ἄδηλον δ' εἰ τοὺς αὐτοὺς λέγει, Arist. lib. 5. cap. 9. & 10. de animalib. scorpios & scorpidas diuersis in locis nominat: incertum autem an eosdem esse intelligat. Scorpium autem & scorpænam Athenæo diuersos esse pisces certum est. Σκόρπαιναν καὶ σκορπίους πολλάκις ἡμεῖς ἐφάγομεν, καὶ ὅτι διάφοροι καὶ οἱ χυμοί, καὶ αἱ χρόαι εἰσίν, οὐδεὶς ἀγνοεῖ. Scorpænas & scorpios sæpe edimus, & eos succo coloreq; differre nullus ignorat. Et Hicesius vt idem citat, ait: Τῶν σκορπίων ὁ μὲν ἐστι πελάγιος, ὁ δὲ τεναγώδης: καὶ ὁ μὲν πελάγιος, πυῤῥός: ὁ δ' ἕτερος, μελανίζων. Διαφέρει δὲ τῇ γεύσει καὶ τῇ τροφῇ ὁ πελάγιος. Scorpionū hic pelagius est, ille lutarius. (τέναγος enim propriè dicit γῆ ἐπιπόλαιον ὕδωρ ἔχουσα, ἢ πηλῶδες ὕδωρ, inquit Phauor. .i. τέναγος terra est supernatantem aquā habens, aut cœnosa aqua.) pelagius rufus est, alter nigricat. Saporis suauitate & alimenti copia præstat pelagius. Et Plinius in piscium catalogo tanquam diuersos nominat. (*Plura de Scorpæna leges ad finem huius capitis.*) Scorpius piscis dictus est non à scorpij terreni formæ similitudine, sed quòd fit πληκτικός, vt ex Aristotele citat Athenæus lib. 7. vbi perperam πλυκτικός legitur pro πληκτικός: id est, quod pungat & feriat venenumque effundat scorpij terreni ritu. Est enim capite pro corporis magnitudine, maximo multis & venenatis aculeis horrente, ore magno, dentibus paruis, sed densis. In inferiore maxilla trianguli figuram expressam habet. In superciliorū loco apophyses duas cartilagineas, molles. Pinnas latissimas & robustissimas. Quæ ad branchias sunt, medium ferè corpus occupant: quæ in ventre, paulò minores: quæ à podice, magna est & latissima, acutissimis aculeis nixa. quæ in dorso, nouē firmissimis aculeis constat. Cauda in vnicam & latam desinit. Squamis tegitur paruis, cortici serpentum quàm squamis similiorib. Branchias quaternas habet. Ventriculum magnum, apophyses in intestinis octo: hepar candidū, in eo fellis vesicam viridē, splenem nigrū, intestina lata, cor magnū. Maiore ex parte colore est rubescēte siue rufo. Etenim à Plin. rufus dicitur, vt ab Hicesio πυῤῥός, & κιῤῥός à Diphilo. à Numenio ἐρυθρός: ab Epicharmo verò ποικίλος, quòd maiore ex parte rufus sit, aliqua ex parte nigrescat. Scorpiū inter duræ carnis pisces Philo-

Marginal notes: A (at "ΣΚΟΡΠΙΟΣ"); *Lib. 8.* (at "Arist. lib."); *Lib. 7.* (at "Σκόρπαιναν"); *Lib. 32. cap. 11* (at "piscium catalogo"); B (at "Scorpius piscis dictus est"); *Lib. 32. cap. 11. Athen. lib. 7. & 8.* (at "Etenim à Plin."); F (at the last line).

timus

timus connumerat: idque approbat Galen. qui in libello de attenuante victu, in saxatilium penuria eundē substituit. Quum, inquit, saxatiles desunt, asellos, mullos, & alios eiusdem generis pelagios possum⁹ exhibere: & eos potissimum qui cū sinapi manduntur, cuius generis est scorpius. Athenæus ex Diphilo: Σκορπίοι δὲ οἱ πελαγιοι καὶ κίρροι, πρὸς φυμώτεροι τῶν παναγωδῶν ἐν τοῖς αἰγιαλοῖς, τῶν μεγάλων. Scorpij pelagij & rufi, magis nutriunt quam lutarij magni, qui litorales sunt. Si scorpius paulò diutius mortuus asseruet⁹, tenerior redditur: quod omnibus quę dura carne sunt euenit. Calore enim naturali, qui partes continet & regit euanescente, & calore externo in carnem agente & colliquante, humidior ea efficitur, fitq; ad putrefactionem via. Quæ verò humidiora, eadē sunt molliora: & contra quę sicca, dura. Idē de omnibus quæ sicca sunt carne, intelligi oportet. Elixus scorpius editur ex aceto. Assus minus probandus, ob duritiem. Ius ex eo aluum subducit, testibus Dioscoride lib. 2. cap. 35. & Plinio lib. 32. cap. 9. Ibidem.

Lib. 3. de alim. facult. Lib. 2.

Scorpius simpliciter, vel maior.



G Iocineris doloribus scorpio marinus in vino necatur, vt deinde bibatur, inquit Plin. Et scorpius marinus necatus in vino, veficæ vitia & calculos sanat. Lapis qui inuenitur in marini scorpionis cauda pondere oboli potus, ad eadē etiā valet. Qui Plinij locus mendosus est: nullus enim piscibus lapis est in cauda, sed in capite tantum. Quare pro cauda, capite legendum. Contra panos valet scorpio (*lib. 32. cap. 9. vbi de marinis tantum ei sermo est*) in vino decoctus, ita vt foueantur ex illo, fel scorpionis marini vnguium scabritiam extenuat. Idem cicatrices tollit. Dioscor. verò scribit marini scorpionis fel conuenire ad suffusiones oculorum, albugines & hebetudines.

Lib. 2. cap. 14. De venenato huius piscis ictu.

Iam diximus piscem istum πλημτικὸν esse, quod indicat Plinius, libro 32. cap. 11. quum scribit: Sic & scorpio lædit, dum manu tollitur: tot enim aculeos habet in capite, vt sine noxa tractari non possit, nisi cauda arripiatur, vel duobus tantum digitis medium corporis apprehendatur. Ob id accidit plerunque vt piscatores nostri à scorpionibus pugnantur, & ex punctæ partis inflammatione dolor magnus oriatur. Puerum ab hoc pisce miserè ictum, dum eum in sinu recondere vellet, curaui mullo dilecto & impositio cum eiusdē scorpionis hepate, adhibito ad vulneris ambitum lentisco cōtuso. Quod ideo com-

Scorpij, vel Scorpæna: id est, Scorpius minor.



ideo commemorare volui, vt scorpionis ictuum antipharmaca à veteribus tradita vera esse, & à me experientia comprobata omnibus indicarem. Principio nullum ferè venenatum est animal, quod veri ni sui antipharmacum in se non contineat. Cum enim partes diuersæ sint, diuerso quoque temperamento inter se aduersari necesse est. Deinde duplex antipharmaci genus esse comperio. Antipathia (*Sympathiam*) & similitudinem substantiæ: vt hepar venenatorum animalium vulneri impositum similitudine substantiæ venenum retrahit, maximeque confert ea parte qua fel continetur. Carnes verò impositæ idem præstant per antipathiam, vt viperarum caro morsui viperarū medetur. Terrenus scorpius totus ictibus suis remedio est. Sic mullus marini draconis, aranei ac scorpionis morsibus medetur, si crudus atq; dissectus admoueatur, autore Dioscoride. Quod, vt dixi, experti sumus.

Lib. 2.

Ex his omnibus liquido constat nos veterum scorpionem descripsisse, nisi quis nobis locum Athenæi libro 7. opponat, quo inter cartilagineos scorpium recensere videtur his verbis. Ἔστι δὲ σκορπαινα, σμηκτικοὶ, δ' ἐκκριτοι, πολυτρόφοι: χονδρώδεις γάρ εἰσι. Scorpij abstergunt, facilè excernuntur, multi sunt succi, copiosè alunt: sunt enim cartilaginei, (*immo carne solida & callosa: vt in Corollario asserimus.*) At locum mendosum esse omnium qui de piscibus scripserunt, testimonia conuincunt: nullus enim est qui scorpium inter cartilagineos reponat: spinis enim non cartilagine constat. Quare non χονδρώδεις, sed σαρκώδεις legendum esse crediderim: constat enim multa & firma carne. quam ob causam copiosè nutrit.

A *Verum Scorpionem.*

Nunc de scorpæna, quæ à scorpione corporis forma minimè differt, sed colore duntaxat. Nam cum scorpionum alij rufi sint, alij nigricantes, vt ex Hicesio citat Athenæus: quibus mox subiungit scorpænam colore tantum & succo dissimilem esse, efficitur vt scorpænam eam esse credamus quę nigrescat quæque insuauior sit, minusque boni succi & litoralis, lutoque gaudens ex veterum sententia. Massilienses contra, eum qui niger est, scorpeno: qui flauus est, scorpena vocant. Scorpænam ex præcedenti schemate agnoscas. [*Atqui si corporis forma nihil differunt, vt paulò antè scribit Rondeletius, sed colore tantum: ex eadem figura vtrumq; cognoueris.*]

A *Scorpæna.*

DE SCORPIOIDE, RONDELETIVS.



Is quem hic exhibemus, vulgò à nostris lebre de mar, id est, lepus marinus dicitur, quia rostrum terreni leporis πρόμυος admodum simile habet; sed lepori marino veterum omnino dissimilis est, vt suo

A B

loco docebimus. Scorpioidem non inepte, vt opinor, appellabimus: est enim capitis forma scorpioni marino similis, totidemque supra oculos apophyses molles habet: sed dentibus differt, quos serratos quidem habet, sed tenues & densos admodum, & in superiore maxilla duos exertos, cuiusmodi galeritę sunt dentes. Præterea differt à scorpione & galerita pinnæ dorsi magnitudine, duabusq; maculis nigris eiusdem pinnæ. Cutis læuitate galeritæ similis est, & carnis substantia, non autem scorpioni.

C Litoralis est, muco vescitur & aqua.

DE SCORPIONE ET SCORPÆNA, BELLONIVS.

A Scorpio nostro Oceano infrequens, Mediterraneo multum familiaris, vbique suum nomen retinet: Græcum tamen vulgus Scorpidi pronunciat, ad Scorpænæ differentiam, quam Scorpinam nominare solet. (Pelagius & saxatilis est piscis: sed Scorpæna palustris, & cœnosa.) Scorpionem Massilienses (C) Scorpænam vocant, Genuenses Scorpium, ad discrimen Scorpænę, quam Strasinam dicũt, Massilienses verò vna Rasquessa.

B Scorpęna cineritia est: Scorpius autem rufus, & multo maior, atq; appendices super oculis, vt Glinos seu exocœtus habet, (*de quo in Adonide actum est.*) Tam Scorpius quam Scorpęna pinnam in tergore continuam duodecim aculeis munitam gerunt, reliquum pinnę obtusum. Caput habent admodum grande, aculeis acutis pręmunitum: pinnas vtrinque ad branchias admodum latas: Os, denticulis confusis, vt in Lampuga, munitum. Omnino Scorpio vincit Scorpęnam: caput enim huic est paulò maiusculum, reliquum corporis in acutum tendit. Squamis tegitur adeò tenuibus, vt his carere videatur: oculos habet in grandi capite exertos vt bufo: branchias superiores plurimum spinosas, spiculis alijs versus caudam alijs in gyrum armatas.

C Vterque piscis admodum viuax est: nam exenteratus, & corde carens, moueri tamen (Orphi modo) non desinit.

B Grandes supramodum in mari circa Eubœam capiuntur. Oris rictum tam vastum aperiunt, vt caput alterius piscis quod suum æquet, facilè admittere possint. Maxillas autem in eo rictu sic dilatant, vt in tubis videmus: dum enim os claudunt, statim postea recondunt. Est illis quoddam linguæ rudimentum potius, quam vt absolutam esse dicas. Pinnam proximè ad anum exporrectam habent, tribus aculeis asperam. Caudam ferè circinatam, reliquas pinnas rotundas: nam pisces, quibus cauda est bifurca, his quoque pinnæ in acutum tendunt. Scorpius & Scorpæna, ossicula quatuor vncinis vallata in ingressu faucium habent, quibus cibum, quem venati sunt, in stomachum inijciant. Cor illis valde paruum est: cui vesicula alba ac flatu turgida incumbit, quæ, vt quidam pulmo, vacua contrahitur. Diaphragmate præditi sunt: Hepar ostendunt album, in quinque veluti lobos distinctum: quorum sinister reliquis maior, fel oblongo folliculo inclusum continet: ventrem satis grandem: lienem rubicundum, in opposito fellis latere situm: Pylorum nouem appendicib. aut apophysibus suffultum: intestina pauca, quæ binis tantum giris inflectuntur. Tota horum piscium spina vertibulis vigintiquatuor constat: calculum in capite gerunt.

C Caridibus, Aphyis, Sparulis, Gobionibus, & omnis generis piscibus paruis vescuntur.

F Athenæus Scorpium & Scorpęnam & colore & succo differre tradit. C. Plinius Medicus epilepti-
G cos in cibo Merulis, Turdis aut Scorpionibus iuuari scribit: Dysentericos quoque Scorpænam cumino & aceto conditam iuuare.

COROLLARIVM.

A Scorpius siue pro pisce, siue pro insecto venenatis, Græcum est nomen, Σκορπίος, paroxytonum, vti semper apud bonos authores inuenio: quemadmodum & propria nomina in ιος, quæ tres breues syllabas habent, vt Δολίος, Τυχίος, quanquam apud Varinum σκορπιὸς oxytonum in vulgatis codicibus est. Sic σηπία, σηπίον, & multa diminutiua in ιον, vt παιδίον. Idem piscis Ἴζελος, nescio qua dialecto dicitur apud Hesychium & Varinum: item ἔξειρος. Scorpæna & scorpius an colore duntaxat & sapore, locoque differant, non autem corporis forma, vt Rondeletius putat, alij iudicent. Mihi quidem species duæ diuersæ videntur, quod vel ex figuris nostris, quas Rondeletij descriptioni præfiximus, vtrisque ad viuum factis, apparet. Plinius quoque scorpænam & scorpium tanquã diuersos numerat. Cum Scorpio, & Scorpæna eiusdem generis sint, multum tamen & colore & bonitate differunt. Nam Scorpio ruffus & pelagius est: Scorpæna nigra & littoralis, & cibi suauitate longè Scorpione inferior: quod ipsum non modò ex antiquorũ (*Hicesii*) conscriptione accepi, sed certa palati sapientia expertus sum, Gillius. Oppianus 1. Halieut. etsi scorpionis simpliciter genera duo esse dicat, vtrunque tamen in petris & arenis collocat. Σκορπίος δίκτης διδυμον γένος: quod si etiam loco dissideant, quemadmodum Hicesio, (cui hac in parte magis faueo,) multò iustius species duæ statuentur, vt longè fallatur Eustathius, qui scorpium & scorpænam sexu tantum differre putauit, sicut leonem & leænam. A nominib. masculinis, (inquit,) in ος & ων præsertim, multa fœminina fiunt in αινα, vt λύκαινα, λέαινα, θέαινα, θεράπαινα, &c. quòd autem scorpæna etiam scorpius fœmina sit, liquet ex verbis illius (*Athenæi*) qui scripsit: Scorpænas & scorpios sæpe nos comedimus. hæc ille: cũ reliqua etiam Athenæi verba addere debuisset: nempe colore saporeque eos differre, omnibus constare, quibus species etiam diuersas insinuat. quanquam .n. in plerisq; sexu tantum differentibus, coloris etiam aliquod discrimen est, id tamen non vulgo omnib. sed peritis tantum agnoscitur: & multo magis si quæ in sapore succóue differentia est. Quod ad magnitudinis differentiam, Bellon. rufum, qui pelagius quoq; & saxatilis ei est, multo maiorem facit: fuscum verò (quam priuatim scorpænam nominandam & ipse & Rondeletius putant,) minorem facit id quod mihi quoque videtur, & nostræ icones præ se ferunt. Rondeletius differentiæ ex magnitudine non meminit: sed Diphili tantum verba recitat, qui contra non pelagios & rufos, sed ἐν τῷ πιναγώδεις, id est, in cœnoso litore agentes, magnos facit.

Spinula.
Sabot.

Psellus scorpidia nominat, diminutiua forma: cuius etiam σκορπὶς videri potest, vt θεραπαινίς, νησὶς, τελθίς. Vtitur ea voce quinto historiæ, cap. 10. Aristoteles: Αἱ σκορπίδες ἐν τῷ πελάγει τίκτουσι: cum præcedenti statim capite dixisset: Ὁ δὲ σκορπίος τίκτει δίς: vnde scorpidis scorpijque nomen promiscuum ei esse apparet: ita quidem, vt scorpis potius de fœmina dicatur, scorpius de vtroque sexu. Nonnullæ regiones Italiæ vtrunque Scorpænam appellant. & Græci à vero nomine aberrarunt: nam vtrunque Scorpium appellant. Massilienses vt nondum cessant rectè Scorpænam appellare, ita parum Massilicè Scorpium vulgò Rascassam nominant, Gillius. (Echini etiam maiores à Massiliensibus Rascasses dicuntur. Conijcio rascassum alicubi significare instrumentum quo linum depectitur, squinada alibi dictum.) Italicè circa Genuam Scorpion vocatur: alicubi pesce spin, vel spino, vel spinoso, minor præsertim & fuscus. Aggregator spinulam piscem à Galeno, lib. 3. de alimentis, memorari scribit: nominatur autem scorpio eodem in libro inter duræ carnis pisces. Sabot nomen est piscis, & est spinula, Syluaticus. nos de Arabico nomine Sabot annotauimus aliquid in Callionymo A. Scorpio piscis est, venenosæ puncturæ, nostro idiomate Doracæna: idem Syluaticus. sed alibi melius draconem marinum vulgò, doracenam dici interpretatur, vt dracęna intelligatur: sic enim marinum draconem, id est araneum piscem, etiam Græci hodie vulgò vocitant. Scorpænam fermè omnes vernaculo nomine nuncupamus piscem subrufum variumque, & multis armatum aculeis: Cute autem minimè squamea: sed gobionis similitudine lubrica, Iouius Italus. Lusitanicum scorpij nomen est Coesso. De Germanico nomine nondum sum certus. Bellonius Gallico Oceano scorpionem infrequentem esse tradit: quare Germanico etiam Balthicoque rarum existimârim. Appellarim autem *ein Scorpfisch*, id est scorpionem piscem, composito nomine: quoniam scorpionis insecti etiam nomen lingua nostra acceptauit: vel *ein Meerscorp*, id est, Scorpionem marinum. priuatim quidem rufum circunloqui licet, *der grosser rotlacht Scorpfisch*: fuscum verò, *der kleiner grauw Scorpfisch*. Audio Frisios appellare *a Storme*, piscem ferè similem rochetto Anglorum, colore scombri, pinnis vt perca aculeatis in dorso, binis prope nares in capite aculeis. caput proportione magnum esse, oculos magnos. opercula quoque branchiarum aculeata: caudam rubram, maculis nigris. Germanica nomina *Petermanch* & *Torpor* ad Araneum pertinere puto: & plura de eis in Corollario de Araneo scripsi: vbi Anglicè etiam Araneum *a Viuer* appellari dixi, fortè à febri quam excitat: febrim enim Angli *feuer* vel *fiuer* nominant. Sed aliam nuper ex Turneri mei literis eiusdem piscis & nomenclaturam & interpretationem Anglicam accepi: Araneum Plinij (inquit) nostri piscatores vocant *a quavvyuer*, hoc est malam vxorem. nusquam in Anglia audiui aliter vocari, Sic ille. Nimirum autem vt pisces aranei scorpijque nusquam tutò attrectantur, sic malę mulieres intractabiles sunt, & non cautissimè tractanti noxiæ. *Qua* pro malo Flandricum esse audio, vt & *vvyuer* pro muliere. qui apud nos sunt Angli *qua* vocem non agnoscunt: & pro vxore scribunt *a vvyfe*.

Rondeletij Scorpioides & Bellonij Blennus, (quem in B. elemento dedimus,) maximè cognati videntur.

B De magnitudinis & coloris differentijs in pelagio & lutario scorpijs, & alia quædam ad B. pertinentia, diximus suprà in A. In Rubro mari gignuntur etiam scorpij & gobij, partim duûm, partim trium cubitorum, Ælian. de anim. 17. 6. Io. Tzetzes Variorum 7. 144. apud Indos ea magnitudine nasci scribit, ex Ctesia. Minores qui semipedalem longitudinem non excedunt maioribus anteponuntur in cibo, iudicio Archestrati, Iouius: qui Archestrati verba non intellexit. sunt autem hæc: --- Ἐν δὲ Θάσῳ τὸν σκορπίον ὠνοῦ, Ἂν ᾖ μὴ μείων πυγόνος, μεγάλου δ' ἀπὸ φεῖρας ἰάλλε. ego secundum carmen sic legerim, Οὐ μείζω πυγόνος, &c. id est, non longiorem pygonę. est autem πυγὼν mensura, à cubito vsq; ad paruum digitum extensum: vel vt alij volunt, vsque ad digitos flexos: συγκεκαμμένους: qui digitos viginti ei attribuunt. Ichthyophagi cæteros quidem pisces æstu maris in litus eductos facilè capiunt: canes verò, phocas maiores, scorpio, murænas, & huiusmodi non sine periculoso certamine, Agatharchid. De mari rub. Secundum pastinacam & Draconem nihil in mari venenatius Scorpio. etenim in dorso & branchijs bene acutos & robustos habet aculeos: quos si Sipontinus vidisset, non à similitudine terrestrium nomen duxisse scripsisset, sed ex eo potius quod quemadmodum terrenorum aculei, sic horum perniciosi sint, nuncupatos esse, Gill. Scorpio niger est, densas in tergo spinas habens, quibus nonnunquam piscatores lædit, Platina. Scorpioni complures appendices supernè circa ventriculum exeunt, Arist. Numenius scorpium colore rubrum dixit, ἐν χροιῇσιν ἐρυθρόν.

C Scorpiorum alius pelagius est, alius πιναγώδης, Hices. vide suprà in A. Rondel. πιναγώδη interpretatur lutarium: ego circunloqui malim, & qui in cœnoso litore degat interpretari. Lutariũ verò Latine dixerim, quod Græci πλματαῖον: sicut Arist. rana & cordylus sunt ζῶα πλματαῖα: sic & testudo quædam lutaria dicitur. πίναγος opinor esse continuatum: πλματα verò sunt paludes paruæ & distinctæ, nostri *pfutzen*, (fortè à putida aqua, vnde & puteos dicimus,) & *gullen* appellant. Græci etiam πλματα tum puteos, tum aquas cœnosas dicunt: τὰ πηλώδη καὶ πλατύτατα τοῦ ὕδατος. sunt enim ferè circa margines & extrema fluminum lacuumque huiusmodi lacunæ. Scorpiones pisces ambigunt litorales ne an pelagij sint, Aristot. Ouidius in Halieuticis pelagios facere videtur: sed dubitari potest. Oppianus vtrunque scorpij genus in petris & arenis pasci canit. Mnesitheus apud Athenæum saxatiles facit scorpios: Bellonius rufum duntaxat, pelagium & saxatilem. Philotimus duræ carnis esse scribit, quod approbat Gal. saxatiles verò pisces duræ carnis non sunt. Scorpiones (Σκορπίδες) in alto fœtificant, Arist. Bis anno pariunt, vêre ac autumno, Idẽ & Plin. Oppiano quater, 1. Halieut. Σκορπίος αὖ τετράκι φέρει βέλος ὠδίνεσσι.

D Phycis.i. algis vescitur, Athen. Cancros tamen appetunt. vide mox in E. Piscis est solitarius, Athen.

E Scorpio piscis est βολιστικός. nam & sagenis & reticulo trahitur, Plutarchus. Fertur, si decem cancri colligati in maris locum aliquem proiecti fuerint, ad eũ omnes scorpios congregari, Albert. Ad scorpiones pisces inescatio: Pulueris (*Scobis*) de ligno mori, caulocinaræ, sandarachæ ana drachmas viij. erucæ, brassicæ, numero quinque. omnia hæc cum tritico optimè læuigato, arenaque, affusa aqua, misceantur: & pasta inde subacta scorpiones illiciantur, Tarentinus.

F Scorpij, vt alij durioris carnis pisces, difficiles concoctu crassique sunt, Philotimus apud Gal. Scorpæna duram habet carnem, saporis minimè ingrati, Xenocrates. Scorpidia difficulter concoquuntur,

Pſellus. Saxatiles dicti, gobij, ſcorpij, & paſſeres, & ſimilia, ſiccum præbent alimentum, ſed copioſum & ſolidum, & facile concoctu, nec excrementis redundant, nec flatus pariunt: Athen. Mneſitheus, ſaxatiles & concoctu faciles hos piſces contra aliorum ſententiam ſtatuens. Hiceſio ſcorpij multũ alunt. ſunt enim (inquit) χονδρώδεις, id eſt, cartilaginei. Rondel. pro χονδρώδεις legit σαρκώδεις. ſed nihil mutandum. cartilagineos enim vocans Athenæus, non quidem cartilaginei generis illius, quod σελάχη & χονδράκανθα Græci vocant, eſſe cenſet: ſed cartilaginea, calloſa, firma ſolidaq; carne eſt .n. piſcis hic, vt diximus, τῶν σκληροσάρκων. qua ratione difficilius quidem concoquitur: concoctus autem vberius firmiuſque nutrit: id quod & alijs nutrimentis, non quidem ſimpliciter carnoſis, ſed quorum pulpa callum & tanquam cartilaginem habet, accidit. Sic anthiam quoque piſcem idẽ author Hiceſius χονδρώδη eſſe pronunciauit, quanquam vulgaris codex vitiatus χρυδρώδη habet: Rondel. ἐρυθροειδῆ vel ἐρυθρὸν legendum putat: ego omninò χονδρώδη, vt & Latinus interpres Natalis de Comitib. legit: qui tamen non ſatis aptè grumoſum tranſtulit. Chondros Græcis non modo cartilaginem propriè dictam, ſed in alijs etiam rebus diuerſis ſolidius compactiuſque aliquid ſignificat: & quod in ſale Latini grumos, Græci chondros dicunt. Theſſalico vocabulo chondros & cartilaginem ſignificat: & nucleum, in thure præſertim, ceu quendam callum, quem & pyrêna Hippocrates appellat. Alioqui chondros ea frumenti ſpecies à Græcis intelligitur, quæ à noſtris far nũcupatur. Inuenio & hadron (*à vegeta ſoliditate*) dici quæ ſit chondros, (*frumenti ſcilicet ſpecies,*) Hermolaus. Nucleũ ferri, pro chalybe Plin. dixit: Græcè πυρῆνα dixeris. Plura ſuper hac voce (chondros) annotauit Marcellus Vergil. in Dioſcoridem diuerſis locis. Quod autem Latini etiam cartilaginea vocare ſoleant, quæ ſolidiora ſunt, in Anthiæ primi Corollario F. pagina 60. teſtimonijs aliquot comprobatum eſt. Rectè igitur etiam Wottonus ex Athenæo: Scorpius cartilagineam duritiem habet. Talem in teſtatis callum Græci priuatim ſpondylum, & trachelũ quoque (ſi bene memini) nuncupant. Vide ſuprà in Spondylo. Omnium piſcium ius aluum emollit, ſed optimum fit è ſcorpionibus, &c. Plinius. Cato cap. 158. in deſcriptione iuris ad aluum deijciendam inter cætera requirit piſcem capitonem, & ſcorpionem vnum, &c. Hippocrates in libro de internis affectibus, eandem ferè vim alimentariam tribuit ſcorpio, draconi, cuculo, callionymo, gobio: in morbis craſſis & pituitoſis vſum eorum concedens, vti in Callionymo recitauimus. In epilepſia ex piſcibus exhibeantur qui ſuperfluitate vacant, vt pſetta, merula, ſcorpius, Tral. 1. 15. In colico affectu ſumantur piſces duriore carne præditi, vt ſcorpius, coccyx, Idem. Mulli, & ſcorpij & paſſeres, nutrimenti quidem ac roboris gratia omnium gratiſſimi exiſtunt: grauiorem autem omnem habitum reddunt, vt ob eam cauſam frequentiorẽ eorũ vſum vitare oporteat, Aet. in curatione colici affectus à frigidis & pituitoſis humoribus. In Thaſoemes ſcorpiũ non longiorem pygone, (quæ xx. digitorum menſura eſt:) à maiore autem abſtineto, Archeſtratus. Magnum, elixum: paruũ, aſſum facies, Platina. Ius in ſcorpione elixo: Piper, careum, petroſelinum, cariotam: mel, acetum, liquamẽ, ſinape, oleum, defrutum, Apicius. 10. 13.

G

Venenum ex ictu ſcorpii mar.

Et capitis duro nociturus ſcorpius ictu, Ouid. Scorpij & dracones marini, & canes centrinæ, &c. numerantur ab Oppiano cum piſcibus venenato ictu pungentibus. Spina maxillæ ſcorpij piſcis ru. capite magno, venenum etiam mortuo (*piſce*) pungendo, (*infundens*) digitum ſtupefacit, ac contrahit manum totam. Arnol. Villanouanus. Qui à dracone & ſcorpio marinis infliguntur ictus, grauiſſimos dolores inferunt, nonnunquam etiam (ſed rarò) nomas, id eſt vlcera depaſcentia. Conuenit autem ictis propinare abſinthium, vel ſaluiam, vel ſulphur cum aceto tritum, (potum, inquit Ruellius: vt verba Græca prę ſe ferunt: illitum malim, vt Aetius habet: nam & aduerſus draconis mar. ictũ Ægineta imponi iubet:) Dioſc. lib. 6. cap. 61. vbi præcedentia ſequentiaque in eodem capite (vt vulgati codices habent,) ad paſtinacam mar. pertinent, his neſcio quomodo inſertis & confuſis per imperitos librarios. Ægineta lib. 5. aduerſus draconem mar. priuatim remedia quædam tradit, quæ Dioſcorides aut alij, contra eius ſimul & ſcorpij, vel ſcorpij ſeorſim, ictus præſcripſerunt. Auicenna lib. 4. Fen. 6. Tract 5. cap. 23. Exiſtimo (inquit,) quòd accidunt ex morſu (*ictu*) ſcorpionis marini inflatio ventris, & forma hydropica, & quandoq; accidit inde exitus ventoſitatis inuoluntarius. & oportet vt caueatur in cognitione eius. Curatur autem eodem modo, quo draconis mar. & rutelæ venenum. Quidam non ſatis fide dignus, venenum huius piſcis calidum eſſe dixit. Et mox. Araneæ mar. diſpoſitiones, videntur propinquæ diſpoſitionibus ſcorpionis mar. Ego non vſque adeò venenatum huius piſcis ictum puto, vt venter infletur, &c. & Auicennam ſuſpicor quædam ex aliorum venenatorum, præſertim verò ſcorpionum terreſtrium notis, huc tranſtuliſſe: vt ſunt βουβώνων ἔπαρσις, καὶ τὰ διὰ τῆς ἕδρας πνεύματα, Plin. remedia quædam tradit contra venena marinorum, ictus nimirum aranei, ſcorpij, & paſtinacę potiſſimum. ea differentur ad librum de piſcibus vniuerſalem. Abſinthium ex vino (potum) draconi marino & ſcorpionibus (nimirum marinis) aduerſatur, Plin. Ceruſſa ſtanni. vide mox in plumbo. Iuuant lauri baccę contritæ in potu ternæ, Aetius & Ægineta. Mentæ ſuccus contra ſcorpiones ſumitur, Plinius lib. 20. vt quidam citant. Mullus diſſectus impoſitus prodeſt, Aetius & Ægineta. Illitus ſumptusue in cibo mullus, contra ſcorpiones terreſtres marinoſq; auxiliatur, Plin. Ocimũ draconis marini & ſcorpionis ictibus per ſe prodeſt, Dioſcorides & Plin. lib. 20. Integrum (*nec lotum ſcilicet, nec vſtum*) plumbum affrictu, marini ſcorpionis draconiſque plagis auxiliatur. Dioſcorides plumbum tritum illinitur puncturæ ſcorpij marino Serapio. Θαλαττίᾳ δράκοντος πληγὴν μολίβδῳ παράτριβε. Ægineta. Ceruſſa ſtanni confricata ſuper marini ſcorpionis puncturam confert, Auicenna lib. 2. Saluiam Ægineta propinat contra draconis marini ictum: Dioſcorides etiam contra ſcorpionum mar. venenum. Draconis marini ſcorpionumq; ictus, carnibus eorum impoſitis ſanantur, Plinius. Sulfur viuum cum aceto tritum (& illitum prodeſt,) Ægineta. Humana vrina ſcorpionis marini ictus ſaluberrimè fouentur, Dioſcorides. Ægineta idem auxilium contra draconem mar. laudat. Haliabas vrinam pueri eſſe vult.

E ſcorpio mar. remedia.

Scorpionis mar. fel in re medica præferri ſolet, Dioſcor. Animalium quorundam fel ſingulariter apud medicos laudatur ad acuendum viſum, & initia ſuffuſionum diſcutienda, vt callionymi piſcis, hyænæque, & marini ſcorpij, &c. Galenus de compoſ. ſec. loc. 10. 13. gradus τῶν χολῶν ſecundum vehe-

mentiam deſcribens, primò nominat fel ſuum domeſticorum, ceu infirmius, ac minus ſiccans: deinde vehementius ouium: tertio caprarum, cui ſimile ferè ſit vrſinum & bubulum: quarto taurinum: quinto hyænæ: ſexto callionymi: & ſcorpij marini & teſtudinis marinæ. Verrucas tollit fel ſcorpionis mar. ruffi, Plinius. Et alibi: Fel mar. ſcorpionis ruffi cum oleo vetere aut melle Attico incipientes ſuffuſiones diſcutit. inungi ter oportet intermiſſis diebus. Eadem ratio albugines oculorum tollit. Felle eius oculi inuncti caligine atque albugine quamuis craſſa cito liberabuntur, Marcellus. Fel ſcorpionis marini cutem (*in alopeciis*) replet, Plinius. Scorpij mar. fel lana exceptum, & in vmbra ſiccatum, appone, Hippocrates lib. 1. de muliebrib. morbis, ad menſes nimirum vel ſecundas, aut humores ex vtero educendos. In libro etiam de natura muliebri, ſimiliter apponi iubet. Lapillus qui inuenitur in ſcorpionis mar. cauda (*Rondeletius legit capite*) tritus vtiliter bibitur cum vino à ſtrangurioſo, Marcellus Empiricus: vt veſicę vitia & calculos ſanet, Plinius. Ad exterendos calculos experimento cognitum: Scorpios marinos exiguos tres integros comburito, & cinerem ex condito propinato, Galenus Euporiſton 3. 260. Piſcis ſcorpio aſſatus in cibo ſumptus, optime calculoſo proderit, Marcellus. Sed vſitatoria ſunt ad calculos profligandos ex terreſtribus ſcorpijs remedia.

H.

Philologia circa ſcorpium remittetur ad terreſtrem, à quo marinus ſuum nomen mutuatur: paucis exceptis, quæ ad marinum omnino pertinent. Scorpius cum animal terreſtre ſignificat, ſic dicitur παρὰ τὸ σκορπίζειν τὸν ἰόν: cum verò marinum, ἐκ τοῦ πλήττειν καὶ τὸν ἰὸν ἐπιβάλλειν, Varinus. Sed nimis aliquando circa verborum origines tum anxij tum ridiculi ſunt grammatici, ſcorpij terreſtris etymologiam eos dixiſſe ſat erat, quę nimirum ab Hebraica voce akrab ſcorpium ſignificante procedit, literis tranſpoſitis. Terreſtris autem nomen marino dedit à ſimilitudine veneni, vt araneus quoq; eiuſdem nominis piſci. Elegatrum piſcem Auſonius in carmine ad Theonem nominat, his verſibus: Corrhoco, letaliſque trygon, mollesq; plateſſæ, Vrentes thynni, & malè tecti ſpina elegatri. qui an ſcorpius araneuſue ſit, conſiderandum, nomen forte à vulgo acceperit, vt & plateſſæ, & corrhoconis.

Gritæ, vt audio, circa Genuam nominantur. piſces quidam ſcorpijs ſimiles: & alij faulli, ſimiles gritis, maiores. 561.

Epitheta.

E

Σκορπίος αἰκτὴς, Oppiano. Ποικίλος, Epicharmo. Χρονίῃσιν ἐρυθρός, Numenio. Τοῖσί κεν εὐμαρέως θαλάμης ἄπο μακρὸν ἀείροις Σκορπίον, Numenius de eſcis piſcium loquens arbitror. Σκορπίος ἂν παύσειέ γε σοῦ τὸν πρωκτὸν ὑπεισελθών, Plato Comicus apud Athenæum. talis autem pœna adulteris apud Athenienſes decreta erat: quam & Iuuenalis inſinuat: -- quoſdam mœchos & mugilis intrat. Vide ſupra in Mugilibus, Corollario IIII. E. pag. 651.

Prouerbia.

Scorpius pro perca; adagium expoſitum eſt ſuperius in Corollario de Perca mar. h. Eandem prædicto (Sero ſapiunt Phryges) habet ſententiam, illud apud Græcos celebratiſſimum, Ἁλιεὺς πληγεὶς νόον οἴσει: id eſt, Piſcator ictus (vel percuſſus) ſapiet. Idq; ferunt ab huiuſmodi quodam euentu natum: Cum piſcator quiſpiam piſcibus, quos intra rete tenebat, manum admouiſſet, atque à ſcorpio piſce feriretur, Ictus, inquit, ſapiam. Itaq, ſuo malo cauit in poſterum. Zenodotus ait parœmiam extare apud Sophoclem, Eraſmus Rot.

SCYLLA nominatur à Plinio, libr. 32. in Catalogo Aquatilium malim Squillam, quæ Græcè καρὶς dicitur: niſi reuera Scyllam monſtrum aliquod marinum eſſe ſenſerit, de qua fabulantur poëtæ, cum Phorcum quoque deum marinum ſupra nominarit. Nicander Colophonius carchariam, id eſt, Canem cetaceum ait, etiam lamiam & Scyllam vocari. vide ſupra in Cane carcharia. Scylla apud Homerum piſcatur δελφῖνάς τε, κύνας τε, καὶ εἴ ποτε μεῖζον ἕλῃσι κῆτος. Cete aliqui dicunt dentium tres ordines habere, vt & Scyllam Homerus, Tzetzes. Ἡ δὲ Ναννὼ τί νυν διαφέρειν Σκύλλης δοκεῖ; οὐ δύ' ἀποπνίξασ' ἑταίρους, τὸν τρίτον θηρεύεται λαβεῖν; Anaxilas apud Athenæum, multa huiuſmodi monſtra pro ſcortis interpretans. Reliqua de hoc monſtro lege apud poetas, & eorum interpretes: item in Onomaſtico noſtro. Scylla (inquit author de nat. rerum) monſtrum eſt habitans in eo mari, quod Italiam & Siciliam intercludit. id nautis quidem & omnibus hominibus inimicum eſt, eorumq; ſanguine & carnibus gaudet. Caput & manus in ſtar virginis habet, ſicuti Sirenes: oris vero hiatum ac dentes horribiles: ventrem beſtialem, caudam delphini. Viribus excellit, nec in aqua facile vincitur: in terra propè imbellis. Habet & vocem nonnihil muſicam: & ipſa quoq; carmine mirifice delectatur.

SCYLLARVS cum Cancellis eſt, elemento C.

SCYLLVS pro cane marino. Vide in fine ferè Corollarij 1. de aſellis.

SCYTALE Oppiano in alto degit pelago: raro litora adiens. Vide an ſit eadem quæ ſcylla, (id eſt, Carcharias:) an Oppiani exemplaria ſint mendoſa, & legendum potius ſit, σκύλλαι τε, Vuottonus, Carmen Oppiani Halieut. 1. hoc eſt: Καὶ σκολιαὶ, (lego κολίαι.) σκυτάλαι τε, καὶ ἱππούροιο γένεθλα, de piſcibus pelagijs. Ego non temere aliquid mutarim. de ſcyllis quidem, quas carcharias interpretantur, id eſt canibus cetaceis, hoc in loco poetam ſentire eſt veriſimile: quoniam inferius vbi de cetis loquitur, ſeorſim ipſorum meminit. feros & pelagios canes appellans. Suidas malacoſtraca quædam ſcytalas vocat, in dictione Πινδάρῳ: Malacoſtraca (inquit) vocem non ædunt, vt Cancri, ſcytalæ. Eſt etiam ſerpens Scytale.

SCYTALIDES, Σκυταλίδες, genus Squillarum, Heſych.

DE SEPIA, BELLONIVS.

A (F) C

VT Græci affatim Polypos, ſic Galli Sepias exiccant: vnde ab illis vulgo Seiches, quaſi exiccatæ appellantur. Maior harum in Gallia eſt prouentus, quàm in Italia: Recentes autem nullius ſunt in Oceano pretij. Maſſilienſes, vt & Genuenſes, Sopi nominant. Veneti & Romani priſco nomine Sepias vocare norunt. Fluctuant, cum per ſenectutem deficiunt: ad quarum cadauera quoties piſcatores aut nautæ Laros aues turmatim aduolantes conſpiciunt, eo ſe conferunt: ac dum viuas vel mortuas extrahunt, hoc imprimis dant operam, ne atramentum (quod illæ viuæ dum ſe perſequi ſentiunt effundunt) temere diffluat. Bonum enim ex Sepia ius fieri poſſe negant abſque hoc atramento.

(F) Proinde Sepia mutat colorem vt Polypus,aluoq; est latiore. Cirrhos seu crura octana quidem habet, sed breuia: quãobrem repere Polyporum modo non potest, sed maiorem natandi vim habet.
B Os illi datum est fungosum in supina parte, ne facile immergatur.
F Præferuntur recentes Sepiæ Polypis.

Sepiæ hæc icon est, Venetiis facta. Rondeletius ei pedes octonos tribuit: nostra hæc plures habet, pictoris nimirum negligentia.



DE SEPIA, RONDELETIVS.

A Σηπία à Græcis vocata Latinum nomen non inuenit. ab Italis sopi, à nostris sepio à Gallis seche dicitur.

B Piscis est marinus, litoralis, aliquando ad duorum cubitorum magnitudinem accedens, tenui sed satis firma cute contectus, foris carnoso corpore, intus quid solidum, quod σήπιον vocat Aristoteles, continente. Atheneus veluti Aristotelem interpretatus, ὄστρακον ἐν τῷ νώτῳ, Columella lib. 6. sepiæ testum appellat. Capiti affixos habet pedes octo, cæterorum mollium modo, rotundos: crassiores initio, deinde paulatim gracilescentes: omnes interiore in parte δικοτύλους, id est duplici acetabulorum ordine: quibus cedentia comprehendat, & comprehensa firmiter premat, retineatq; instar medicarum cucurbitularum. Iisdem pedib. siue brachiis natat, cibosque ori, iuxta quod sita sunt, admouet. Præter hæc duas promuscides, (quas Aristoteles προβοσκίδας vocat,) lõgiores pedibus, tenuiores, rotundas: vbique læues, præterquam in extremo vtroque, binis acetabulis aspero: quibus sepiæ capiunt, oriq; è longinquo cibos admouent: iis etiam, quoties tempestates vrgent, ad saxa aliqua adhærentes se veluti anchoris stabiliunt. In pedum promuscidumq; medio veluti in centro rostrum & os sepiæ situm est, duabus cartilaginibus duris, altera superiore, altera inferiore constans, colore & figura auium carniuorarũ vel psittaci rostro plane simile.

Lib. 7. *Pedes.* *Promuscides.*

Neq; me latet Aristotelem lib. 4. de part. anim. cap. 9. dentes appellasse, cũ de mollibus ita scribit: Ἐκτὸς δ' ἔχει τό, τε τοῦ σώματος κύτος ἀδιόριστον ὄν: καὶ τοὺς πόδας ἔμπροσθεν περὶ τὴν κεφαλήν, ἐντὸς μὲν τῶν ὀφθαλμῶν, περὶ δὲ τὸ στόμα καὶ τοὺς ὀδόντας. Quæ sic conuertit Gaza: Habent hęc foris alueum corporis indiscretum: & pedes parti priori iunctos circa caput, infra oculos, circa os & dentes. Ex qua interpretatione perspicuum est Gazam non legisse ἐντὸς τῶν ὀφθαλμῶν, sed ὑποκάτω τῶν ὀφθαλμῶν, vel quid simile, cui lectioni αὐτοψία ipsa adstipulatur: (*Vide in Corollario b.*) nam infra oculos, & circa caput osque sepiæ, pedes cum promuscidibus sitos esse cernis. Sed ad rem reuertamur. Vides hic os dentesque sepiæ nominari cum rostrum sit duntaxat, & os quod nulli rei aptius quàm adunco rostro carniuorarum auium, vt dixi, comparari potest, ex partibus duabus composito, altera inferiore, altera superiore, commissura pyxidata, ita vt inferior intret. Dentes ibidem nulli, nisi rostri siue oris partes dentes appellet. sed cum mobiles sint, neq; firme innitantur ad laniandam vel retinendam prædam, non satis propriè dentes vocari posse puto, sed τὸ ῥύγχος potius vel στόμα, id est, rostrum vel os. Quod autem oris vel dentium nomine, quas dixi rostri partes intellexerit Aristoteles libro 4. de hist. anim. cap. 1. satis ipse declarat, quum de mollib. vniuersè loquitur hoc modo. Μετὰ δὲ τοὺς πόδας ἡ κεφαλή ἐστι, ἁπάντων ἐν μέσῳ τῶν ποδῶν τῶν καλουμένων πλεκτανῶν. ταύτης δὲ τὸ μέν ἐστι στόμα, ἐν ᾧ εἰσι δύο ὀδόντες. Caput omnibus inter brachia: eius pars oris habitus est, in quo dentes duo. Præterea autorem habeo Athenæum, qui de sepia hęc transcripsit ex Aristotele: τὴν σηπίαν Ἀριστοτέλης φησὶ πόδας ἔχειν ὀκτώ, ὧν τοὺς ὑποκάτω δύο μεγίστους, προβοσκίδας δύο, καὶ μεταξὺ αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ στόμα. ἔχει δὲ καὶ ὀδόντας δύο, τὸν μὲν ἄνω, τὸν δὲ κάτω. καὶ τὸ λεγόμενον ὄστρακον ἐν τῷ νώτῳ. Sepiæ scripsit Aristoteles octo pedes esse: sub his duos maximos, scilicet promuscides duas. Inter hos habere oculos & os, atque dentes duos, alterum superiorem, alterum inferiorem, ac in dorso testam. Hęc Atheneus. Rostrum quod diximus, membrana quadam crassa carnosaque veluti annulo vndique ambitur & firmatur, qua disrupta rostri partes disiunguntur.

Dentes impropriè dici ab Aristotele in sepia.

Intus linguæ vice est caro fungosa. Oculi maiusculi sunt, inter hos cartilago est cerebri parum continens, vt rectè annotauit Aristot. lib. 4. de hist. anim. cap. 1, & hunc secutus Plinius lib. 11. cap. 37. Cerebrum omnia habent animalia quæ sanguinem. Æque & in mari quæ mollia appellauimus, quamuis careant sanguine. Os œsophagus excipit i. gula longa & angusta, quæ per mutim tendit ad ingluuiem. Est autem mutis in mollibus quæ visceribus carent, sub ore membrana humidum quid continens, cordi proportione respondens quorũdam sententia, quam paulo post expendemus. Gulam ergo sequitur ingluuies ampla, & auium ingluuiei simillima, quæ πρόλοβος dicitur. Est autem πρόλοβος (autore Aristotele libro 2. de hist. anim. cap. 17.) δέρμα κοῖλον, καὶ μέγα, ἐν ᾧ ἡ τροφὴ πρώτη εἰσιοῦσα ἄπεπτός ἐστιν, ἔστι δ' αὐτόθι μὲν ἀπὸ τοῦ στομάχου στενώτερος, ἔπειτα εὐρύτερος, ᾗ δὲ καθήκει πάλιν πρὸς τὴν κοιλίαν, λεπτότερος, id est πρόλοβος est cutis in amplum sinuata, qua primum cibus ingestus continetur incoctus: hac parte qua iungitur gulæ angustior est, mox amplior: tum (*rursus*) qua desinit in ventriculum, arctior, (veluti in gallo gallinaceo, palumbo, columbo, perdice.) Gaza aliquando guttur, aliquando ingluuiem conuertit. Columella in auibus ingluuiem appellauit de gallinis loquens. Nam si vacua non est ingluuies, cruditatem significat, abstinereque debent dum concoquant: Gallice la poche d'un oyseau. Sepiæ igitur gulam sequitur ingluuies, cui iungitur ventriculus tanquã omasum, figura similis τῇ ἐν τοῖς κήρυξιν ἕλικι, id est, circumuolutionibus siue clauiculis earum concharum quæ à Græcis κήρυκες, à Latinis buccina dicuntur. A ventriculo intestinum tenue, gula crassius, partem superiorem repetens ad os fertur. Qua verò ad superiora reuoluitur, vesica est siue membrana in qua humor niger (quem Cicero lib. 2. de natura deorum atramentum appellat) continetur: cui intestinum subijcitur, cuius membrana meatus vesicæ atramenti obductus est, vt idem sit & atramenti & excremẽti exitus per fistulam, quæ in supina est parte inter alueum & os, prope alueum latior, prope os angustior: hac effluit atramentum quod in sepia plurimum est, Græci θολὸν appellant, cum accentu in vltima: Nam θόλος cum accentu in priore rotundam domum significat, in qua epulari consueuerant qui in Prytanæo alebantur, ἀπὸ τοῦ θέειν, à circuncurrendo. Dioscorides θολὸν vocat τὸ μέλαν. Plinius lib. 9. ca. 29. atramentum mollibus pro sanguine esse tradit: sed bili potius proportione respondere puto. Natura enim sanguinem, vel quod pro sanguine est nutrimenti causa, veluti thesaurum diligenter seruat, minimè autem in quolibet metu effundit. Præterea meatus nullus est venæ proportione respondens, quo alendi corporis causa in vniuersum corpus distribuatur. Quare satius esse duxerim excrementum appellare, quod ab alimento secretum in vesica reponitur, quoq; natura, imminente periculo, tuendi huiusmodi piscium generis causa abutitur. Atramentum vocatur ab atro colore, & θολὸς ἀπὸ τοῦ θολοῦσθαι, quod significat turbidum esse. Eo pro atramento scriptorio siue librario vti possumus. est enim niger glutinosusque humor. Persius:

Lingua. *Oculi. Cerebrum.* *Œsophagus.* *Mutis.* *Ingluuies.* *Ventriculus.* *Intestinum.* *Atramentum.* *Lib. 2. c. 23.* *Atramentum mollib. non esse pro sanguine.*

Iam liber, & bicolor positis membrana capillis, Inq; manus charta, nodosaq; venit arundo.
Tum querimur, crassus calamo quod pendeat humor, Nigra quod infusa vanescat sepia lympha:
Dilutas querimur geminat quod fistula guttas.

Atramentum id quod in sepia plurimum est, non in ea parte quam μύτιν vocant, continetur, neque in ea est sententia Aristoteles lib. 7. vt nonnulli existimant. Athenæus citans Aristotelem. Ἐν δὲ τῇ μύτιδι ὁ θολός ἐστιν: αὕτη δὲ κεῖται παρ' αὐτὸ τὸ στόμα, κύστεως τρόπον ἐπέχουσα. Est in mytide atramentum, quæ ad os sita est, folliculi siue vesicę modo. At qui Aristotelis sensa diligentius inuestigarit, eum in diuersa fuisse sententia comperiet: Σπλάγχνον δ' οὐδὲν ἔχει τῶν μαλακίων, ἀλλ' ἣν καλοῦσι μύτιν, καὶ ἐπὶ ταύτῃ θολόν. Viscera mollium nullis: sed habent quam mutin appellant, atrumq; illum humorem, cui nomen atramentum. Neque est quod quis ἐπὶ ταύτῃ, in ea, muti scilicet, interpretetur: sequentia enim reclamant, & ἐπὶ ταύτῃ post hanc interpretari oportere docent. Ἡ μὲν οὖν μύτις κεῖται ὑπὸ τὸ στόμα, καὶ διὰ ταύτης τείνει ὁ στόμαχος: ᾗ δὲ πρὸς τὸ ἔντερον ἀνατείνει, κάτωθεν ὁ θολός, καὶ τῷ αὐτῷ ὑμένι ἔχει περιεχόμενον τὸν πόρον τῷ ἐντέρῳ. Mutis sub ore est, & per eam gula tendit: at verò atramentum infra continetur, qua intestinum petere incipit superiora, foramenq; suum eadem obuolutum habet membrana, qua intestinum. Quo fit vt Plutarchum grauissimum alioqui autorem demirer, qui de eodem sepiæ atramento à veritate magis aliena scripserit in libello, in quo disserit, plus ne rationis insit aquatilibus bestiis quàm terrenis. Ἔτι δὲ πολλῶν τῶν πρὸς εὐλάβειαν, καὶ προφυλακὴν καὶ ἀπόδρασιν ὄντων παραδειγμάτων, οὐκ ἄξιόν ἐστι τὸ τῆς σηπίας παρελθεῖν. τὴν γὰρ καλουμένην κύστιν παρὰ τὸν τράχηλον ἔχουσα πλήρη ζοφερᾶς ὑγρότητος, ἣν θολὸν καλοῦσιν, ὅταν καταλαμβάνηται, μεθίησιν ἔξω, τεχνωμένη τῆς θαλάττης διαθολωθείσης ποιήσασα περὶ αὑτὴν σκότος ὑπεκδῦναι καὶ ἀποδρᾶναι τὸν τοῦ θηρεύοντος ὄψιν, ἀπομιμουμένη τοὺς Ὁμήρου θεοὺς κυανέῃ νεφέλῃ πολλάκις οὓς ἂν σῶσαι θέλωσιν ὑφαιρουμένους καὶ διακλέπτοντας. id est, Cum sint id genus cautionum, circumspectionum, euasionumq; exempla permulta, hoc vnum sepiæ præterire nullo modo possum. Vesiculam hæc (sic nominatur) collo dependentem (παρὰ τὸν τράχηλον ἔχει) (habet atro liquore (atramentum vocant) plenam. Hunc capta effundit, obscurato circum mari, & tenebris affusis, latitare fugereque venantis aciem struens: Homericos Deos imitata, quibus atra subinde nubecula hi quos seruatos volunt, belli discrimini subducuntur, & clam eripiuntur. Sed quid tamdiu in his immoramur? controuersiam istam statim diremerit interiorum sepiæ partium anatome, qua inspecta nullus est nisi plane cæcus, qui non sententię nostræ facile sit assensurus. Idem videbit mutin colore esse flauo, laxa fungosaque substantia, parenchyma potius quam folliculum vel vesicam: quæ hepati potius quam cordi proportione respondet, vtpote cui cõsistentia similior sit, inferioreque loco sita quàm cor in aquatilib. bestijs situm esse soleat. Quod vt credam magis me impulit pars alia post cerebrum latitans purpureo humore, quem sepiæ pro sanguine esse puto, infecta. Hanc sepiis arbitror inesse loco cordis.

Atramentum non in muti esse, sed post mutim in proprio meatu, & c. contra Athenæum & Plutarchum. Lib. 4. de hist. anim. c. 1. *Mutim hepati potius quam cordi respondere.*

In vtroque latere sepia particulas quasdam habet, quas ex minutioribus auium plumis compositas esse dixeris. Capillamenta appellat Aristoteles, vsu eorum non adiecto. Ἔχουσι δὲ καὶ τριχώδη ἄττα ἐν τῷ σώματι, id est, capillamenta etiam quędam in corpore omnium habentur. Idem meo quidem iudicio eorum est vsus qui branchiarum in reliquis piscibus. Huiusmodi sunt branchiæ (βραγχιοειδῆ *vocat Arist. in crustatis, alibi puto δασέα*) in cancris & alijs crustatis. Fistula est in ventre simplex mari, fœminæ duplex. Hæc de sepię partibus tum internis, tum externis, in quib. multa sunt sepiæ cũ cęteris mollib. cõmunia.

Capillamenta ad latera. Lib. 4. de hist. ani. c. 1.

Nunc

promoueant, calidi & ficci, difficulter concoquantur, ventrem laxent. Sepias & similes pisces Auicenna vocat Fanage, Albertus. Græcos audio ſepiam hodie calamariam vocare: quod nomen loligini magis conuenit, tribuiturque apud nonnullos. Vbique in Italia vetus nomen retinet, Matthiolus. Scoppa grammaticus Italus interpretatur, la ſeccia calamarro. Venetijs ſeppa dicitur, alibi ſcepa: vel cepia, vt circa Liguſticum. Xibia Hiſpanicum eſt. Gallicum, Secche: vnde & purpura compoſito nomine à ſepia polypoque, Maſſiliæ Secche poupe vocatur. Robertus Stephanus in Gallico latino lexico ſepiam nominat Seiche vel Boufron, Sepiolam Caſſeron. ſed Rondeletius & Bellonius loliginem paruam Gallicè Caſſeron vocari docent. Anglis ſepia eſt *a Cuttel, Cuttle.* eſt autem Germanicum nomen, & propriè inteſtinum ſignificat. Germani marium accolæ mollia omnia videntur *Blackfiſch* appellare. Vide ſupra in Lolligine minore: noſtræ quidem dialecto nomen *Kuttelfiſch* magis congrueret. Germani ſuperiores aliqui ſepiam, araneum marinum vocant, *ein Meerſpinn*: quod nomen ad pagurum potius retulerim. Vide in Maia A. inter Cancros.

B

In Ponto ſepia non eſt, cum loligo reperiatur, Plinius. Speuſippus ſepiam & loliginem ſimiles eſſe ait. Item Ariſtoteles: ſed oblongior & anguſtior ei loligo eſt, ſepia latior. In concham condi Mutianus tradit Nauplium animal, ſepiæ ſimile, Plinius. De ſepiæ figura, magnitudine & partibus diuerſis, vide in Loliginis Corollario B. Sepias aliquas in bina augeri cubita notum eſt, Ariſtoteles. Strabo duorum cubitorum ſepias non in mediterraneo mari, ſed circa Carteiam repertas tradit, vt Latina translatio habet: Græcè legimus τολίδας, id eſt, loligines, & ſimilia, duorum cubitorum in eo mari fieri. Aquatilium mollibus oſſa nulla: ſed corpus circulis carnis vinctum, vt ſepiæ atque loligini, Plin. Dentes propriè dictos non habet, quanquam aliqui acutos & venenatos ei tribuant. Lege infra in G. Natat tum pedibus tum pinnis, Ariſtot. Pinnulam alueo iunctam anguſtam habent vt polypi, Idem. Sepiæ & loligines binas, quibus paſcuntur, promuſcides (προβοσκίδες, vt ita appellem, propter figuram ſimul earũ & vſum) prætendunt. His veluti anchoris, cum tempeſtas & fluctus mare agitant, petris firmiſſimè adhærentes, aduerſus omnem concuſſionem ac fluctuationem tutæ exiſtunt. Et rurſus cum tranquillitas redierit, ijs ſolutis liberè natant, Ælianus. Sepiæ & loligini pedes duo ex his longiſſimi & aſperi: quibus ad ora admouent cibos, & in fluctibus ſe velut anchoris ſtabiliunt. cæteri cirri, quibus venantur, Plinius. alia lectio pro cirri, habet curti. quod non probat Maſſarius. non enim curtis, ſed duobus longiſſimis venantur. Eradendum (inquit Maſſarius) eſt punctum, quod inter duo & ex ſcriptum eſt. vt legatur, ſepiæ & loligini pedes duo ex his longiſſimi, &c. Ariſtoteles eodem libro quarto, ſepiæ inquit loligines & lollij peculiares binas ſortiuntur promuſcides longas, acetabulo parte extima bino, aſperiuſculas: quibus capiunt & ad ora admouent cibos. ijs etiam quoties tempeſtates vrgent ad ſaxa aliqua adhærentes ſe velut anchoris iactis ſtabiliunt. Quod repetit etiam quarto de partibus animalium capite 11. his verbis: Habent ſepiæ & loligines pedes ſupra dentes ſenos exiguos, eorumq; nouiſſimos duos maiores: reliquos autem octonorum duos infra omnium maximos. vt enim quadrupedibus crura poſteriora firmiora validioraq; ſunt: ita ijs quoq; maximi qui infra habentur. his enim onus ſuſtinetur, motuſque potiſſimum agitur. duo etiam illi nouiſſimi maiores ſuis mediis ſunt, quia illis miniſtrẽt. polypus medios quatuor habet maximos. Omnibus igitur mollibus pedes octoni, ſed ſepiis & loliginibus breues, polypis magni. aluum enim corporis ſepiæ & loligines habent magnum, polypi paruum: itaq; quod natura polypis ex corpore dempſerat, id in pedum longitudinem addidit. quod ſepijs & loliginibus de pedibus abſtulerat, eo corporis magnitudinem auxit. quamobrem polypis pedes non ſolum ad nandum vtiles ſunt, ſed etiam ad ambulandum. ſepijs autem & loliginibus inutiles ſunt. parui ſunt enim cum alueum habeant magnum. cum itaq; pedes habeant breues atq; inutiles, ne æſtu maris tempeſtateque exturbentur ſaxis: vtq; de longinquo admoueant, ideo promuſcides binas prælongas habent, quibus velut anchoris innitantur, ſeq; ſtabiliant modo nauigij tempeſtate vrgente, venentur etiam procul, orique è longinquo admoueant, Hęc ille. Dijudicent ergo alij quid velit innuere Plinius his verbis: Cæteri cirri cum quibus venantur. Cum Ariſtoteles vnde hæc Plinius mutuatur, ſepias & loligines non cum cæteris pedibus ſeu cirris, ſed cum duobus ijs duntaxat longioribus promuſcidibus appellatis venari tradiderit. Verum ſi diuinare fas eſt, expungenda ſunt verba cęteri cirri tanquam additìtia, legendumq; ſic: ſepiæ & lolligini pedes duo ex his longiſſimi & aſperi, quibus ad ora admouent cibos & in fluctibus ſe velut anchoris ſtabiliunt, cum quibus venantur. quemadmodũ Ariſtot. de ſepiis & loliginibus: pedes duo longiſſimi ſunt, quibus venantur oriq; cibos admouent cęteris verò vt polypis, vt bolitænis & huiuſmodi, ſunt cirri quibus venantur. Nam Ariſtot. ibidem vbi verba de ſepijs & lolliginibus fecit: videlicet ideo promuſcides binas prælongas habent, quibus velut anchoris innitantur ſeq, ſtabiliant modo nauigij tempeſtate vrgente, venentur etiam procul, oriq; è longinquo admoueant, ſtatim ſubſequens inquit: Polypi promuſcide carent, quoniam pedes ad vſum eundem cõmodos habeant, &c. Hæc omnia Maſſarius. Reliqua ex eodem Ariſtotelis loco, (qui eſt de partib. anim. 4.11.) de acetabulis mollium in genere, ac polypi ſpeciatim: deq; pinnula circundante alueum in mollibus, ad finem vſq; eius capitis, qui volet inde petat. Venter eis ac polypis ſimilis eſt tum figura, tum tactu, Idem. Planus ac læuis eſt boum abomaſis ſimilis: ἡ κοιλία πλακώδης καὶ λεία, ὁμοία τοῖς τῶν βοῶν ἐχίνοις. Venter ſanguine carentibus nullus eſt. inteſtinus enim quibuſdam ab ore incipiens, quadam via eodẽ reflectit, vt ſepiæ, polypo, Plinius. Ariſtoteles viſcera eis negat, non ventrem.

[Promuſcides.]

[Pedes.]

[Perpenſus Plinii locus.]

[Sepium.]

Solidum quod intus continetur, ſepium vocant, σήπιον, penacutum. noſtri præſertim aurifabri, *Fiſchbein*. Columella teſtum, niſi teſtam malis. ſed teſtu quoq; & teſtus, vt cornu & fructus, pro teſta apud veteres leguntur. Sepiæ, lolligini, & lollio, partes duræ, ac ſolidæ, intus per dorſum, & corporis prona continentur, quas non eodem appellant nomine: ſed quod inſertum ſepijs eſt, ſepium vocant: quod lolliginibus, id gladiolum. Differunt enim, quod ſepium robuſtum, latumq; eſt, inter ſpinam & os mediam præ ſe ferens naturam, fungoſam intra ſe complectens, & friabilem corpulentiam. Gladiolus arctior, & cartilaginoſior eſt. forma etiam diſcrepat, videlicet pro alueorum modo, quibus ipſe inſertus continetur, Ariſt. Volaterranus atramentum ſepiæ, ineptè ſepium vocat.

Atra-

[Atramentum]

Atramentum mollibus non ineſt pro ſanguine, vt minus rectè Plinius hic tradidiſſe videatur, cum illud, quod pro ſanguine in animalibus exanguibus habetur, ſit humor ſeu vitalis ſuccus ille qui per totum corpus diffunditur, vt ſuccus verbi gratia qui ex carne ſepiæ vel locuſtę marinæ exprimitur: quo humore ſi aut per vim, aut per naturam priuentur hæc animalia, in perniciem agantur neceſſe eſt. Atramentum autem quod in ſepia eſt, cum vitalis humor non ſit, pro ſanguine non habetur: ſed eſt excremẽtum, quod præſidij ſalutiſque gratia obtinet tunica contentum membranea, exitum finemque habens qua alui excrementa emittunt parte, quę fiſtula vocatur, quæ in ſupinis poſita eſt: quo vtitur non modo cum metuit, verum etiam cum ſe abſcondere velit. quoties enim metu perterretur, eiuſmodi atramentum effundit: cuius rei cauſa eſt quoniam ſanguine careat, & ob eam rem refrigerata & pauida. hinc vt hominum nonnullis per metum funditur aluus, aut excrementum veſicæ profluit: ſic ſepiæ accidit quidem neceſſario, vt metu perculſa atrum illum humorem effundat. abſcondendi autem cauſa, quia hoc effuſo humore aquam infuſcat, ſibique nigrorem ſepium (*ſepia*) proponit, & turbulentiam quaſi quo ſe abſcondat. Item ſi hoc atramentum pro ſanguine obtineret, non effunderet, ſed pro ſui corporis alimento conſeruaret: nec tunica illa membranea tantum, ſed alijs quoque partibus contineretur, cum ſanguis ſit nutrimentum & materia ſpiritus, quibus continetur vita & actus omnis. Vnde nonnulli animam eſſe ſanguinem prodiderunt, ſicut Critias vt traditur ab Ariſtotele primo de anima. non igitur atramentum ſepiæ pro ſanguine continetur, ſed humor ſiue ſuccus ille in carne ſepiæ contentus, qui ſi exprimatur non niger ſed clarus & albicans potius apparebit, Maſſarius. θολὸς, atramentum ſepiæ Hippocrati, Varinus. ſed in Gloſſis Hippocratis à Galeno conditis legitur, Θολὸν, (paroxytonum) τὸ μέλαν τῆς σηπίας. & θολώδεα, θολερὰ ἢ μέλανα. & θολερὸν, δυσώδες ἢ μέλαν, ἀπὸ τοῦ τῶν σηπιῶν θολοῦ. Heſychius vero θόλια interpretatur τὰ ἐν τοῖς τῆς σηπίας (σηπίας) στρογγύλα. De atramento reperies etiam nonnihil in C. Mutim Rondeletius oſtendit contra Athenæum & Plutarchum non eſſe receptaculum atramenti in mollibus: ſed partem hepati reſpondentem, non autem cordi, vt Ariſtoteles putauit. Mytis vocatur atramentum in ore ſepiæ, & piſcis quidam ab Hippocrate, Galenus in Gloſſis. vide ſupra in Elemento M. Michael Epheſius ait mutin eſſe humorem quendam in membrana, vbi interpretatur Ariſtotelis de partibus animal. libri 4. caput quintum. extra vero mutin (inquit ibidem Ariſtot.) inteſtinum eſt, & atramentum inteſtino adiunctum. Eſt & in cruſtatis talis quæpiam pars, mutis ab aliquibus dicta, humida ſimul & corpulenta. Μίτυς, cum ι. in prima, & υ. in vltima, dicitur in aluearibus & fauis, atrum quoddam ceræ excrementum, quaſi fex & purgamentum ceræ, quæ & commoſis vocatur. Plura de mollium ventre & atramento in vniuerſum Ariſtoteles paulo poſt initium eiuſdem capitis tradit. Μήκων, id eſt, papauer, (non mytis,) eſt veluti veſica quædam, in qua atramentum continent polypus, & ſepia, Euſtathius. Vide ſupra in Polypo B. &c. Oppianus etiam libro 3. μήκωνα vocat hoc in ſepijs atramenti vas. Sepiæ maris & fœminæ, idem quod lolliginis diſcrimen eſt, tum verò quod mas varius plus quàm fœmina eſt, Ariſt. Sepiarum generis mares varij & nigriores ſunt, conſtantiæque maioris (*in auxilio fœminæ ferendo,*) Plinius. Fœmina inteſtina continet duo, veluti mammas: quę ſi aluo diſſecta inſpectes, facile videris: Vuottonus, ex Ariſtotele nimirum. inteſtina autem hoc loco (inquit) accipienda videntur pro partibus internis, ἔντερα quaſi ἐνδότερα. Atqui alibi Ariſtoteles de ſepijs ſimpliciter (ſi bene memini:) Carunculæ quædam eis inſunt albidæ, toroſæ, mammis ſimiles: quales parte inferiore ventris turbinatorum teſta inſectorum habentur.

[Mutis.]

[Sexus diſcrimen.]

C

[Atramentum]

Sepia vitam litoralem agit, Ariſtot. Maris cauernas incolit, Oppianus. Tum pedibus tum pinnis natat, Ariſtot. Sepiæ paruæ veſcuntur minutis piſciculis, quos extenſis promuſcidibus ſuis ceu lineis, captant, Athenæus ex Ariſtotele. Sepiæ & lolligines vel maiores piſces euincunt, Ariſtot. De atramento prędiximus quædam in B. quoniam Plin. hoc ſanguinis inſtar in ſepijs putauit: cum verò excrementum ſit potius, hic reliqua addemus. quomodo quidem eo effuſo ſe occultet, referendum eſt ad D. Idem ouis ſuperinfundit fœmina, vt mox in mentione partus dicetur. Cum atramentum mittit ſepia, Maſſilienſes exiguæ cuiuſdam vetuſtatis retinentes, vulgo dicunt eam atramentare, Gillius. Plurimum atramenti habet ex mollibus, idque pręcipuè metu perculſa effundit, Ariſtot. Et alibi: Atramentum infra ad aluum habet, idque multo copioſius quam lolligines & polypi: quoniam plurimum terrenæ materiæ habet, quæ in atramentum ſecernitur, argumento ſepium eſt, quo polypus caret: lolligo cartilaginoſum ac tenue gerit. Nicander atrum illum humorem χολὴν, id eſt, bilem appellauit. Philes recens author ὑπόσφαγμα. Galenus vero in Gloſſis hypoſphagma interpretatur, quod atramenti ſepiæ ceu ſedimentum eſt, οἷον ὑπότρυγον. Hipponax quoque σηπίης ὑπόσφαγμα dixit. interpretes (inquit Athenæus) eius piſcis atramentum (*ſimpliciter*) reddiderunt. alioqui hypoſphagma eſt genus edulij ex ſanguine cum carnibus & diuerſis condimentis, &c. vt ibidem Athenæus explicat, lib. 7. in Sepia. De coitu ſepiarum lege quæ annotauimus in Corollario Loliginis minoris C. In coeundo obſcœnum genus eſt. nam ore concipit, ſicut & vipera, Iſidorus. ſed melius Rondeletius ſepias fiſtula & coire & parere exiſtimat. Amor & libido ſepiarum, quomodo vt capiantur cauſa ſit, ex Oppiano referemus in E. Sepię, ac lolligines ora applicantes, & brachia inter ſe componentes, natanteſque in aduerſum coeunt. narem etiam dictam in narem inſerunt. natatus alteri retrorſum, alteri anteuerſus in os agitur, Ariſtot. Sepiæ aluc-us bipartitus eſt, oua candicantia grandini ſimilia complectens permulta, Idem. Omnibus menſibus parit, Plinius. Sepia in terreno parit inter harundines, aut ſicubi enata alga: excludit quintodecimo die Plin. Mas ſepia oua, quæ fœmina ediderit, perſequitur, ſuum ſemen aſpergens. quod vel in reliquis eiuſdem generis fieri ratio eſt. Verum non niſi in ſepijs hoc viſum adhuc eſt, Ariſtot. atqui libro 1. cap. 17. de generatione animalium, ſemen an emittant mollia incertum eſſe ſcribit, Ὁ δ᾽ ἄῤῥην παρακολουθῶν καταφυσᾷ τὸν θολὸν, καὶ γίνεται στιφρά, Idem hiſtoriæ 5.12. vbi τὸν θολὸν Rondeletius abundare putat ex Plinio & Athenæo. quanquam Gaza ſimiliter legit, vertitque atramentum. quod tamen non marem, ſed fœminam ouis aſpergere, ex alio Ariſtotelis loco conſtat. quamobrem ego non θολὸν, ſed vna litera mutata θορὸν legerim, hoc eſt genituram. Verbum quidem στιφρά, quod apud Athenæum legitur, in vſu non eſt: & apparet hunc Athenæi locum eſſe mutilum, vt in multis alijs. Plinij etiam interpretatio, Maſculus

[Coitus.]

[Mas an ſuum ſemen aſpergat ouis: perpenſi Ariſtotelis, Athenæi & Plinii loci.]

 perſe-

perſequitur afflatu,&c. non tanti eſt, quin Ariſtotelem ipſum ſuis alibi verbis ſeſe interpretantem ei pręferamus. Καταφυσᾶν verbum ſi abſolute proferas, ſpiritum & aerem contra aliquid emittere ſignificat: at piſces in aqua quomodo anhelare aut aſpirare aerem poſſunt? nam vt Rondeletio donemus piſces propriè dictos ſpirare, mollia tamen & exanguia non ſpirabunt. at ſi accuſatiuum addas, aliud quippiam cum ſpiritu vel tanquam cum ſpiritu emittere ſignificat, idem ſcilicet quod καταῤῥαίνειν, id eſt, aſpergere: vel καταφιέναι, id eſt contra aliquid emittere. Mas igitur ſepia τῶν ᾠῶν καταφυσᾷ τὸν θορόν, humore genitali ſua oua conſpergit, genituram eis offundit. nam & lib. 3. c. 7. de generatione animalium Ariſtoteles, piſcium omnium oua, niſi mares ſemen ſuum eis aſperſerint, (ἀποῤῥαίνειν τὸν θορὸν dicit, vel ἐπιῤῥαίνειν,) augeri & vitalia eſſe negat. Et mox ſequenti capite: Τὰ μὲν οὖν καραβώδη τὰ θήλεα, πρὸς αὑτὰ ποιεῖται τὸν τόκον: αἱ δὲ μαλάκια ἔξω, καὶ τοῖς μὲν θήλεσι (pro θήλεσι malim κυήμασι) τῶν μαλακίων ἐπιῤῥαίνει (ſubauditur τὸν θορόν, ex pręcedenti capite) ὁ ἄῤῥην, καθάπερ οἱ ἄῤῥενες ἰχθύες τοῖς ᾠοῖς: καὶ γίγνεται (ſupple τὸ κύημα) συνεχὲς καὶ κολλῶδες. hic συνεχὲς καὶ κολλῶδες dixit, quod libro quinto hiſtoriæ σιφρόν. Rurſus hiſtoriæ 5. 18. cauſam reddens cur oua illa inter ſe racematim cohæreant, ſic ſcribit: Ἀφίησι γὰρ ὁ ἄῤῥην ὑγρότητά τινα μυξώδη, ἣ τῇ γλισχρότητι παρέπεται καὶ αὐξάνεται. Aſtipulatur ſententiæ noſtræ vetus translatio, quam author de naturis rerum recitat, his verbis: Sepia fœmina cum ouat, mas eam ſequitur, & ſuper oua ſemen inſufflat, vt viuificentur. item Vuottoni: Quoties ediderit oua, mas eueſtigio ſequens humorem fœtificum ouis ſuperinfundit, atque ita efficitur vt ſolideſcant. Facile quidem θορὸς & θολὸς permutantur. & libr. 1. de

Partus & fœtus.

gener. anim. c. 15. θολὸν non θορὸν legendum ſuſpicari me indicaui ſupra in Loligine minori C. Primum oculi grandes in his quoque, perinde vt in cæteris apparent. Sit A. ouum. B. C. oculi. D. ſepiola ipſa. (*ſic legit Niphus, vt verba hæc, ἰδεῖν δὲ τὸ ... abundent.*) Ferunt vterum ſepiæ verno tempore. pariunt intra diem decimumquintũ. (ἀποτίκτουσιν ἐν ἡμέραις ιε. *aliqui vertunt, perſeuerare eas in edendis ouis, ſiue in partu, dies quindecim: quod an magis conueniat an à conceptu potius ad partum vſque tot dies numerari, conſiderandum.*) Mox oua ædita craſſitudinem acinorum vuæ minorum, intra diem item decimumquintum capiunt. quibus obruptis ſepiolæ excluduntur. quæ, (ſi quis prius, prole iam perfecta, abſciderit oui membranam,) ſtercuſculum mittunt, ſuumque præ metu colorem immutant ex candicante in rubriuſculum, Ariſtoteles hiſtoriæ 5. 18. Adhæret ouo ſepia naſcens, parte ſui priore. hac enim tantum poteſt adhærere, cum hæc vna partem poſteriorem & priorem eodem obtineat, De gene. animal. 3. 8. Et alibi: Sepia & polypus, & reliqua generis eiuſdem, oua quæ pepererint abſoluta fouent, & præcipuè ſepia: quippe cuius ſæpenumero alueus iuxta terram, dum hoc facit, appareat.

Vita.

Bimatum non complet ſepia, vt neque polypus, Ariſtoteles & Athenęus. Si hiſtoria quam tradit Plinius de ingenti polypo, dolij magnitudine, &c. longitudine pedum triginta, vera perhibetur, nullum ſequetur abſurdum, quin polypi & denis & bis denis annis viuere poſſint. quod etiam tum ſepijs tum loliginibus euenire poſſe non dubitauerim, præſertim cum eodem loco ſcripſerit Plinius, ſepias loligineſque eiuſdem polypi magnitudine in Hiſpanico litore vndis expulſas eſſe repertas, Matthiolus Senenſis. atqui vitæ longitudo corporis magnitudinem non ſequitur, vt in libello de vitæ longitudine indicat Ariſtoteles: cuius hac in parte authoritas conuelli à Matthiolo non debuit. certè nec in eodem genere, nec in diuerſis, magna paruis comparata, ſimpliciter viuaciora dixeris. & cum inter miracula polypi tam grandes ſint, nec in mediterraneo, (de cuius maris piſcibus Ariſtoteles ſcripſit,) ſed Oceano, quid inde de polyporum viuacitate pronuncies abſolute?

D

Sepia quemadmodum polypus, mutat colorem, Gillius. Nonnulli colorem ſibi contrahere ſimilem loco in quo verſatur, eam confirmant, Ariſtoteles. Incedere coniugatim ſolent, βαδίζουσι κατὰ ζυγά, Ariſtoteles, & ex eo Athenæus. Myris eſt piſcis fœmina, quæ ſine mare non paſcitur, Heſychius. videtur autem non alius quam ſepia intelligi: quæ tamen ab authoribus non ipſa mytis dicitur, ſed mytin habet. Cum ſepia icta eſt tridente, mas fœminam adiuuat: fœmina, mare percuſſo, fugam arripit, Ariſtoteles.

Cum ſe à peritis piſcatoribus captari cognoſcit Sepia, ſuum atramentum emittit, quo circunfuſa, ab oculis piſcantium remouetur, eorumque perſtringit oculos. Piſcatores vero, cum ſit in eorum oculis, nihil tale vident. Sic Ænea tenebris circunſepto fefellit Achillem Neptunus, vt ait Homerus, Ælianus de animalibus 1. 34. Elegantiſſimi de hoc ſepiarum aſtu verſus Oppiani Halieuticorum 3. leguntur hi.

Σηπίαι αὖ τοίῃσι δολοφροσύνῃσι μέλονται.	Εὖτέ τις ἐν μήκωνι δόλος κείνῃσι πεπηγὼς
Κυανέῳ, τίσσης δνοφερώτερος ἀχλύος ὑγρῆς,	Φάρμακον ἀστεροπῆσιν: ὅ, τε σφίσιν ἄλκαρ ὀλέθρου
Ἐντρέφεται. τῆς δ' εὖτ' ἂν ἔλῃ φόβος, αὐτίκα κείνη	Ὀρφναίας ῥαθάμιγγας ἀνήμεσαν. ἀμφὶ δὲ πόντον
Πάντα πέριξ ἐμίηνε, καὶ ἠμάλδυνε κέλευθα·	Ἰχὼρ ἀχλυόεις: ἀνὰ δ' ἔτραπε πᾶσαν ὀπωπήν.
Αἱ δὲ δι' αἰθαλόεντος ἄφαρ φεύγουσι πόροιο	Ῥηιδίως, καὶ φῶτα, καὶ εἴ ποθι φέρτερον ἰχθῦν.
Sepia tarda fugæ, tenuis cum forte ſub vnda	*Deprenſa eſt, iam iamq; manus timet illa rapaces.*
Irficiens æquor nigrum vomit illa cruorem,	*Auertitque vices, oculos fruſtrata ſequentes,*

Ouidius in Halieutico.--- Σηπιάδος φυξήλιδος, ἥ τε μελαίνει Οἶδμα χολῇ δολόεντα (pro δολόεσσαν) μαθοῦσ' ἀγρώστορος ὁρμήν, Nicander. Mugiles aliquando, non ſolum piſciculos, prælongis ſuis prætenturis ſepia venatur, Ariſtot.

E

Sepiæ odore eſcarum allectæ capiuntur, Ariſtot. Eſca ad ſolas ſepias capiendas: Fæcem vini ſine aqua, oleo contundito, ad locumque accedens mari ipſam injcito. Sepiæ ſiquidem videntes quod (fæx deſcendat ac petat imum) nigrum ipſum relinquent, atque illuc ſe conferent, vbi oleum ſeſe illis oſtẽderit: eaſque tunc comprehendito, Tarentinus. Eiuſdem verbis aliam eſcam ad polypos ſepiaſque deſcripſi in Polyp. Ad ſepiam capiendam neque naſſæ, neque retium inſidiæ opus ſunt: ſed amoris illecebris eam ad hanc rationem piſcantur, vt Sepiam fœminam ligatam in fluctibus trahant: quam vt vel lõgiſſime mas (*quam vt aliæ, etiam à longe viderint, Oppianus*) viderit, ſtatim cupidè in eam fertur, & amicam flexibilibus nodis etiam atque etiam diligenter circumplectitur: atque interea cum ſunt in hac implicatione, ambo piſcatorum inſidijs in piſcatoria ſubtrahũtur) & ſubtractę etiãnum hęrent: πόθῳ δ' ἅμα πότμον

πότμον ἕλοντο,) Gillius ex Oppiani Halieuticorum quarto. Naſſis etiam (vt canit ibidem Oppianus) verno tempore decipiuntur. myrti enim aut arbuti alijsue frondibus naſſas inumbratas in arenoſo litore exponunt. ſepiæ verò ſiue ſobolis ſiue libidinis deſiderio ingreſſæ capiuntur. Ego Maſſiliç vidi in hunc modum capi: Specula nimirum in lignum inciſa ex chorda appenſa in aquam piſcatores demittunt & ſenſim fluitantia trahunt: Sepia ad ſui ſimulachrum ſeſe iaculatur, ac ſuis flagellis lignum circumplicans, dum ſe apparentem in ſpeculo amatoriè intuetur, intereà reticulo circumuenta ſubducitur, Gillius. Sic & coturnices aues laqueo ante ſpeculum poſito capiuntur, Euſtathius. Sepia dicitur quia ſepibus interclusa facilius capitur, Iſidorus. eſt autem vera fortè hæc capiendi ratio, etymologia quidem abſurda. Fœminæ tridente percuſſæ, mas retrahendo eam auxiliatur. ipſe verò ſi captus fuerit, fœmina fugit, Athenæus ex Ariſtotele. Conueniunt piſces ex alto etiam ad quoſdam odores, vt ſepiam vſtam, & polypum: quæ ideo conijciuntur in naſſas, Plinius. Ad marinos mugiles, ſcaros & mullos eſca: Sepiarũ teſtulis cum ſiſymbrio viridi (quod eſt bryon,) aqua, farina & caſeo bubulo miſtis, vtitor, dum retibus nauas operam, Tarentinus. Sepia (*Sepiæ teſta*) aurifabri ad annulorum fuſuram vtuntur, Adamus Lonicerus. Sepijs in dorſo os candidum, ſuperiori parte durum ac læue: inferiori autem fungoſa quadam medulla repletum: quæ & leuiter aſpera & ligni modo frequentibus venis diſtincta viſitur. Expetuntur ſepiæ oſſa aurifabris. facile enim in partem illam fungoſam anulorum cæterarumque rerum formas imprimas, quæ metallis igne colliquatis expleri ſolent, Matthiolus Senenſis. Sepiæ atramento tanta vis eſt, vt in lucernam addito Æthiopas videri, ablato priore lumine, (*Matthiolus non rectè legit, cæteris, ablatis luminibus,*) Anaxilaus tradat, Plinius. Traditum eſt ſi quis thryallidem (id eſt, lucernæ ſtupam) in ſepiæ atramento & æris ærugine intinxerit, homines circumſtantes viſum iri partim æreos, partim nigros, Symeon Sethi.

F

De nutrimento ex ſepiis alijſque mollibus, ſcripſi iam ſupra in loligine F. circa principium: vbi & Galeni Aetijque de ipſis ſententiam reperies. Sepia difficilis eſt concoctu, parumque in ſe continet ſalſi ſucci. quod ſi concoquatur, non parum nutrimenti corpori affert. gignit tamen crudum humorem, (*quod etiam Galenus in genere de mollibus ſcribit.*) eam ob cauſam oportet eam condimentis acrioribus conditam eſſe, vinumque poſt vetus & tenue potare, Symeon Sethi. Mollia, vt polypi, ſepiæ, carnem habent duram ac difficilem concoctu: qua ratione, & quia flatus concitant, Venerem ſtimulant. Salubriora ſunt elixa aſſis. malos enim humores continent, (vt apparet cum abluuntur,) qui per elixationem euocantur, aſſatione vero ſiccati retinentur, Mneſitheus. Rubien (*aliqui ſepiam interpretantur.*) eſt conueniẽs cibus: qui tamen ſalſus & inueteratus, atram bilem gignit. venerem promouet, Auicenna. Sepia elixa in cibo veſicæ, renibus, & dyſuriæ medetur, Kiranides. Hippocrates libro 2 de morbis muliebribus, in curatione vteri auerſi ad coxam: Ad veſperam (inquit) mazam cœnet: ſi verò panem voluerit, & bolbidia parui polyporum generis, & ſepiolas paruas in vino ac oleo coquito, & edenda dato. Et in eodem libro rurſus eadem bolbidia ſeu polypodia, aut ſepiolas, ſimiliter pręparata, ad menſes ciendos ſumi iubet.

Sepiæ cæteraque mollia difficillime concoquuntur, quam ob cauſam antea cædi verberibus ſolent, quàm excoquantur. Sunt qui ſepijs (cum) nucibus & allio paratis veſcantur, vt ſalaciores in Venerem prorumpant, Matthiolus Senenſis. Iſicia de ſepia leguntur in Magiricis Apici. 2. 1. & in ſepiam apparatus 9. 4. Sepias elixas, ab aheno in patinam miſſas, cum pipere ac laſere condies vt voles. Sunt qui ex pipere, cinnamo, coriandro, viridi mentha vel arida: item qui vitello, aceto vel agreſta, olei modico, vbi ebullierint, obligent, Platina. Aluum ſoluunt & ſepiæ in cibo dantur cum oleo & ſale & farina decoctæ, Plinius. Sepias veteres aliqui præmacerant primum lixiuio ex cineribus & parte calcis facto, deinde aqua dulci: denique purgatas conciſaſque inteſtinorum inſtar condiunt coquuntq;, vt audio.

Atramentum.

Sepiarum atramentum aluum mouet, Celſus & Dioſcorides.

Oua.

Oua ſepiæ vrinam mouent, renumque pituitas extrahunt, & renes purgant, Plinius. In cibo ſumpta vrinam mouent, & renum grauedinem tollunt, Marcellus. Hippocrates medicamentis in vteri auerſi curatione ea miſcet, vt referemus in G.

G *Morſus.*

Polypi etiam & ſepiæ morſus non caret veneno, quanquam id exiguum ſit, Oppianus. Habet ſepia dentes validos, occultos, & morſum venenoſum. Polypus vehementius mordet, ſed minus veneni habet, Aelian. Philes quoque dentes acutos & venenatos ei tribuit: Rondeletius dentes proprie dictos negat. Morſu non lædit ſæpia, ſed noxia quædam ſanies è corpore eius effluit, Vuottonus: qui forte Oppiani verba non rectè accepit.

Remedia Ex ipſa ſepia.

Remedia nonnulla è ſepiis in cibo ſumptis, item atramento & ouis ſeorſim, iam præſcripta ſunt in F. Sepia aceto ſuffocetur: idque acetum cum oleo mixtum propinetur illi qui marini hippocampi venenum hauſerit, Aetius. Ad dolorem dentium: Ouorum putamina, ſepiam, & oleum miſceto, & coquito, donec tertia pars relinquatur, & tepidum ore contineto, Galenus Euporiſton. 3. 187. Polypis ac ſepiolis toſtis ſuper prunis, puerperij purgamenta à partu purgantur, Hippocrates de morb. mulieb. Sepia elixa in cibo ſumpta, veſicam, renes, & dyſuriam ſanat, Kiranides.

Ex ouis.

De tincturis vel maculis corporis abolendis remedium ſic: OCVLOS vel oua ſepiæ in aqua ſolue, & eum melle permiſce, atque inde maculas perfrica, cito abolebuntur, Marcellus. Sepię oua vrinam mouent, renes purgant, Plinius. quęre etiam paulo ante in F. de ouis. Potio ſecundas menſes educens: Cãtharides quinque auulſis alis & pedibus ac capite: deinde tribolos ad mare naſcentes vna cum radice, menſuram quanta eſt conchæ teſta tertio: & anthemi luteam internam partem ſiccam tritam, conchæ teſtam (*hanc menſuram*) addito: & ſeminis apij tantundem: & ſepiæ oua quindecim: & in vino dulci diluta bibenda dato. Et quum dolor habuerit, in aqua calida deſideat, & aquam mulſam aquoſam bibat: Hippocrates in lib. de nat. muliebri, & lib. 2. de morbis mulieb. Idem rurſus in iiſdem libris, vteri ad coxam auerſi curationem docens: At in menſibus (*tempore quo menſes fluere debent,*) ſi ſanguis eruperit, ſatis eſt: Sin minus, cantharides quatuor bibat, pedibus & alis ac capite reiectis: & pęoniæ grana nigra quinque, & ſepiæ oua, & apij ſemen cum vino modicum. Et rurſus libro 2. de morbis mulieb. in eodẽ

morbo mensibus eliciendis: Mane sambuci baccas sex dato in vino meraco, & sepię oua 10. aut 12. Et lib. 1. de morbis muliebribus: Cum mulieri aut partus purgamenta non fuerint purgata, aut menses non prodierint, aut etiam vterus durus fuerit, &c. in potu exhibere oportet pharmaca vterina, aut sepię ouis, aut castorio ammixtis, &c.

E testa. Testam à sepia plerique nominant, Columella etiam testum dixit: aliqui os vel crustam, vel corticem: Græci ostracum. Ex ea tum vsta, tum non vsta, variæ sunt medicinæ, quas ordine referemus, promiscuè tamen ex vsta & cruda. Sepiæ testa fungosa est, non vt ostreorum silicea. & abstergendi quidem siccandique similiter vt ostreorum testæ, vi pollet: sed partium est tenuiorum Galenus. Pro sepiæ testa in medicamentis pumicem substitui licere in Antiballomenis legitur. Sepiæ ossa cum alijs quibusdam remedijs constituunt suffitum contra languorem morbi pestilentialis, apud Vegetium veterinarium 4.12. Sepiarum testæ ex aqua, extrahunt tela corpori inhærentia, Plinius. Crustæ vel ossa sepiarum comburuntur, cinisque earum impositus, educit quæcunque corpori inhæserint, Marcellus Empiricus. Etiã non vstæ abstergunt vitia cutis. Aegineta. Vstæ tamen ad eadem efficaciores mihi videntur. Vsta hæc testa (donec pars interior & fungosa, ab exteriore crusta abscedat,) tritaque, alphos, (id est, vitiligines,) furfures & ephelides, (vitia cutis in facie aliqui vertunt,) exterit, Dioscorides. Item lentigines & scabiem, vt scribit Aetius. Galenus quoque ad scabiem prædicat. Ad lentiginem: Sepiolę cineres ex ossibus omnia tollunt, Serenus. Medetur & lentigini cæterisque vitijs, ex ossibus sepiarum cinis. idem & carnes excrescentes tollit, & humida vlcera, Plinius. Ad alphos conuenit crocodilea, & tostæ sepiæ testæ. Aegineta. Vstæ smegmatis quibusdam ad elephantiasim apud Aetium miscentur. Galenus de cõpos. sec. genera 1.18. sepiarum testas numerat cum ijs quę propositi albi emplastri (aduersus vlcera cacoethe & dysepulota) candorem tueri possint. Si animal fecerit vulnus, ossa sepiarum, & testas etiam ostrearum in puluerem rediges, & ærei quoq; vasis fuliginem pariter miscebis: quæ bene tunsa si frequenter asperseris, siccatum vulnus ducet celerius cicatricem, Vegetius Veterinariæ 2.62. Sepiarum testę, quales in litore inueniuntur, pilos attenuant, sicut & pumex, Kiranides.

Apud Aetium etiam & Galenum medicamentis pilos attenuantibus adnumerantur, vel citra vstionem: nam alias ostreorum testas vri iubent. Ad strumas mirificè prosunt sepiæ ossa cum axungia vetere (minutissimè, Marcellus) contusa & illita, Plinius. Miscent & hodie medici quidam compositis illis medicamentis ex diuersis rebus valde exiccantibus, vstis, quæ aduersus bronchocelas propinantur.

Ad oculos. Vsta lotaque hæc testa oculorum medicamentis miscetur. absumit (eliquat) oculorum vngues (pterygia) trita, & cum sale (fossili, Galenus & Aegineta: Ammoniaco, Aetius) eis adhibita, Dioscor. Ad albugines: Sepiæ testam tritam cum melle subigito ac vrito: & læuigato postea pharmaco hoc sublinito, Archigenes spud Galenum. Ad easdem & vlcera oculorum: Os sepiæ crematum dissolue cum melle, & vnge, Galenus Euporiston 2.99. Sepiæ testam collyrijs oculorum miscent, præsertim ad cicatrices exterendas. per se etiam combusta valet, & ex mellè contrita, Trallianus 2.5. Cruda si teratur dentes & oculorum cicatrices exterit, eorundemque vlcera exiccat, Aetius. Galenus non plane crudam, nec tamen vstam, sed tostam esse vult: Καὶ πρὶν καυθῆναι δὲ ὀπτώμενόν τε καὶ λειούμενον (τὸ τῆς σηπίας ὄστρακον) ὀδόντας τε λαμπρύνει, καὶ ξηραίνει τὰ ἕλκη. vbi animaduertendum, quod Aetius dixit oculorum vlcera hoc remedio siccari, Galenum (nisi mutilata sit lectio) ad vlcera simpliciter retulisse. Oculorum tumorem ruboremque sepiæ cortex cum lacte mulieris illitus sedat, & per se scabricias emendat. Inuertunt itaque genas id agentes, & medicamentum auferunt post paulum rosaceoque inungunt, & pane imposito mitigant nocte. Eadem cortice & nyctalopes curantur in farinam trita, & ex aceto illita. Extrahit & squamas eius cinis. Cicatrices oculorum cum melle sanat, pterygia cum sale & cadmia singulis drachmis, Plinius. Sepiæ testa interior quæ mollis est diligentissime trita, & muliebri lacte permixta, atque inunctione adhibita, oculorum caligini, albugini, & cicatricibus plurimum prodest, Marcellus. Sepiæ testa emẽdat albugines oculorum, in iumentis, Plinius: flatu oris immissa, Dioscorides. Albi vitia deterget ista curatio: Sepiæ marinæ ossis rasi scrup. denos: croci, salis Ammoniaci, myrrhæ, crocodili stercoris, ana scrup. duos (misce,) Vegetius Veterinariæ 2.22. In Hippiatricis etiam Græcis cap. 11. sepiæ ostraco succus fœniculi & alia miscentur in collyrium ad leucomata equorum: & mox ad suffusionem eidem raso adduntur sales Attici, fimus crocodili, &c. Si album in oculo bouis est, trita sepiæ testa, & per fistulam ter die oculo insufflata, sanat. Columella. Vstam tritam ad albuginem canibus adhibent, Tardiuus. Cicatrices oculorum in equis extenuantur cum fusili (*fossili*) sale trita sepiæ testa, Columella. Testæ sepiarum recipiuntur in collyriis abstersorijs apud Aetium 1.345. Alchohol ad conseruandam oculorum sanitatem (in libro Secretorum, qui Galeno adscribitur) præter cætera accipit rubien, id est sepiam (*os sepiæ potius*) ablutam marinam. Sepiarum testæ palpebras mundant, Kiranides. Conformatæ in collyria læuigandis asperis palpebris affricando accommodatæ sunt. Dioscorid. Mediocri huius testæ scabricia vti solemus etiam ad magnas in oculis asperitates, (quas sycoses nominant:) collyrij ex ea formam effingentes, & donec sanguis eliciatur infricantes. quo facto postea cathæretica collyria efficacius adhibentur, Galenus. De hoc remedio etiam Plinium sentire puto, cum scribit: Adijciunt & ossiculis eius genas, si terantur, sanari.

Ad dẽtes, &c. Os sepiæ dentifriciis aptissimum est, Syluius. De sepiarum osse quod molle est dentifricijs admiscetur, Marcellus. Dioscorides videtur vstam hanc testam dentibus extergendis commendare: Aetius, Galenus. alijque crudam. Ad dentes dealbandos valet, si polline eius subtili in panno lineo posito fricentur. Ad faciem quoq; dealbandam pollen idem vnguento citrino miscetur, Platearius. Smegma dentium, quo albi & odorati redduntur: Nitrum, testam sepiæ, myrrham æqualiter miscens vtitor, Galenus ex Critone. Ad dealbandos dentes, aliaque eorum vitia sananda: Dasypodis caput vstum cum fœniculo quam albissimo, & sepiæ tritis ossibus vtere, Idem Euporiston 2.12. Sepiarum testas adijciunt tum dentrificijs, tum compositionibus ad os humidum cruentumque detergendum, & gingiuarum carnem instaurandam, Incertus. Sepiæ os, vel ipsius (eiusdem ossis) combustæ & ex melle contritæ puluis, adiecta gutta ammoniaci gingiuis & dentibus prodest, si ita perfricentur, vt ex eo nihil in fauces descendat, Marcellus. Sepiarum crustæ farina præparat cutem medicamentis alo-

peciam replentibus, Plinius. Os sepiæ tritum & cum aqua potum thoracis vitijs & asthmaticis omnino prodest, Obscurus. *Ad partes capite inferiores* Os bibe contritum, facilis pulmone resurget Spiritus, & vitium pectoris omne feret, Vrsinus. De medio osse sepiæ, quod est molle, puluerem facies, & in mixtione conditi optimi iecoritico (*hepatico*) ieiuno per triduum dabis, ita vt in dextro latere aliquandiu iaceat cum acceperit, & postea diutissime deambulet, Marcellus Empiricus. Ad supprimendum alui profluuium: Sepię testam & capillamenta cremata ex vino vetere potui offerto, Galenus Euporiston 3.6. an vero capillamentorum nomine cirros seu pedes eius accipere oporteat: an τριχώδη illa, quorum pro branchijs eis vsum esse Rondeletius conijcit, quærendum. Si vterus puerperæ prociderit, sepiæ testam tusam, & vino imbutam cum leporinis pilis lana excipe, & apponendam præbe, Hippocrates in libro de superfœtatione. Quum mulier prægnans menses profluos habet, stercus asini siccum, & rubricam, ac sepiæ testam, trita, simulque linteo illigata apponat, Ibidem. Si prægnanti menses compareant, stercus asininum siccum, & rubricam, & sepiæ testam terito & linteo illigata apponito, Idem in libro de sterilibus.

H.a. Σηπία paroxytonum est, vt αἰτία, οἰκία, Athenæus. Sepia autem dici videtur, vt probe Adamus Lonicerus coniecit, quod atramento veluti putrida quadam sanie, quam Græci σηπεδόνα vocant, abundet. Ridiculè Isidorus: Sepia dicitur, quia sepibus interclusa facilius capitur. Et alius quidam: Sepia profuso atramento piscatoribus se veluti sepit & occludit. Sepiæ paruæ Græcis sepidia dicuntur, Latinis sepiolę, vt Samonico. Plautus Casina: Emito sepiolas lepidas. Σηπίδια nominant apud Athenæum Alexis, Antiphanes, Eubulus, & Aristophanes in Thesmophor. Dorion σηπίδια inter hepsetos, id est pisciculos minutos elixari solitos numerat. Legitur & σήπιον (cum teuthidio & polypodio) apud Athenæum ex Philoxeno: quam vocem mutilatam puto, & legendum σηπίδιον. Σηπιδάριον apud Philyllium vel Phrynichum, Athenęus. Σηπίαι, σηπιδάρια, Pollux. Sepias, vt Pallas, Σηπιάς, à Nicandro dicitur oxytono nomine fœminino, hoc versu: Ἤ ἅτε σηπιάδος φυξήλιδος, ἥ τε μελαίνει Οἴδμα χολῇ. Et Antiphanes apud Athenæum: Τῆς σηπιάδος πρῶτον, Ἡράκλεις ἄναξ, Ἅπαντα τεθολώκασιν. οὐ βαλεῖς πάλιν Εἰς τὴν θάλατταν, καὶ πλυνεῖς; μὴ φῶσί σε Δωρίδας, (corruptum videtur vocabulum: Λωρίδας forte, si versus admittat: (ἀλλ' οὐ σηπίας εἰληφέναι. Σάτρα, sepia, Hesychius: post Σαρωνίδες, non satis suo ordine. Ysinia, id est, sepia, Syluaticus: nescio quo idiomate. Thebani rerum nomina innouare gaudent: itaque sepiam vocant ὀπισθοτίλαν, Athenęus. debebat hoc nomen epitheton potius esse, post se inquinantem (atramento scilicet aquam) significans. Eustathius interpretatur τὴν ὄπισθεν πλῶσαν τὸν παρ' αὐτῇ θολόν. Teuthis loligo est, non sepia vt recentiores quidam interpretantur. quidam etiam ineptius pro melanuro sepiam verterunt. Σιπύα vel σιπύη per ι. in prima, & υ. in penultima, arcam pænariam sonat.

Epitheta. Sepia furua, Gyraldus in Ænigmatis: Tarda fugę, Ouidius. Δολόφρων, δολόμητις, κερδαλέα, δυσέρως, Oppianus. Φυξήλις, Nicander. Εὐπλόκαμος, Matron Parodus. Ὀπισθοτίλα, vide paulo ante in a. --- ἥ τε σιωνόμος Τῆς κυφονώτου σῶμ' ἔχουσα σηπία ξιφηφόροισι χερσὶν ἐξωπλισμένη, Antiphanes apud Athenæum.

Sepium tribus syllabis, non vt Cælius Rhod. habet sepieum, pars dura solidaque in dorso sepiæ dicitur. Σηπιαλίς, species vitis, Varinus.

Iconę. Pierius Valerianus inter notas occultas & hieroglyphicas sepiæ picturam variæ significationis proponit: nos lemmata tantum indicemus, quæ sunt: Pulchra incœpta turpiter cedentia: quoniam hic piscis ostendit se quidem piscatoribus, sed mox fuso atramento timidus occultat. (*Hoc sumptum est ex Hieroglyphicis Ori.* 2.110. Thetis, quæ in sepiam, dum Pelea fugitat, commutata fertur: & quiuis homo simulationum inuolucris obtectus. Mendacium. nam hoc quoque (vt Grammaticus Tryphon ait,) ἐν τοῖς ἐσχάτοις μέρεσι μελαίνεται καὶ ἀμαυροῦται: id est, in extremis partibus nigrescit & obscuratur. (*Confundit autem melanurum cum sepia.*) Improbitas: Quod symbolum (inquit) Plutarchus in libro de liberis educandis, ita interpretatur, vt subostendere dicat, commercium cum improbis non habendum, &c. *Sed hoc quoque ad Melanurum, non ad sepiam pertinet: vt explicauimus in Melanuro h.* Literę. Ægyptij sane (inquit) cum literas significare vellent, iuncum, cribrum, & sepiam ponebant. Sepia quidem pro theca atramẽtaria poni solita est, ac perinde literas scripturamque ipsam significat. Atramentum Græci (*forte hodie*) σηπιότικον appellant. Viri amor in mulierem infidam. *Ratio exposita est in D.* Sunt & tempestatis argumentum sepię. nam pictæ ita vt in aquæ summum exiliant, magnas procellas paulo post erupturas indicant. *Verum hoc profecto ad teuthides, id est Loligines, non ad sepias referri debet.*

Propria nomina. Sepias, vt Pallas, Σηπιὰς ἡ, promontorium à sepijs dictum apud Athenæum. Etymologus promontorium Magnesiæ esse tradit, vel Thessaliæ apud Iolcum: Eustathius circa Athon, vbi Xerxæ classis cladem acceperit: sic autem dictam volunt à Thetide, quæ Pelei nuptias fugiens, illic in sepiam mutata sit. Meminit Eustathius in Odysseæ Σ. dicitur autem Σηπιὰς ἀκτή, vel Σηπιὰς ἄκρα. Est & Sepia Arcadiæ mons Pausaniæ, in quo sepulchrum fuit Æpyti Elati filij, qui morsu sepis serpentis interijt. Sepiussa insula est in Ceramico sinu, Plinius 5.31. Creditur Sypuntem ædificium esse Diomedis, quam Græci Sepiuntem nuncupant ab eiectis è fluctu sepiis, Strabo lib. 6. Sipus, vel Sepius, ciuitas, quæ nunc Sipontum (in Italia) dicitur, à sepiarum multitudine fluctibus eiectarum, Recentior quidam. Stephano Σιποῦς vrbs est Dauniorum. Lege Sipontum in Onomastico nostro. dictum aliqui volunt à multitudine sepiarum quæ ibi capiantur. Sæpinum Ptolemæo 3.1. vrbs est Samnitum, hodie Sepinum. Sepia scopulus est, teste Herodoto, diuersis in locis, iuxta litora Atheniensium. Archippus Comicus in Piscibus nominat Ἀθερίνην τὴν αὐλητρίδα καὶ Σηπίαν τὴν Θύρσου, quasi mulieres quasdam.

b Κύτος Apud Aristot. de partib. animal. 4.9. sic legitur de sepia: Ἐκτὸς δ' ἔχει τό, πρὸ τοῦ σώματος κύτος ἀδιόριστον ὄν: καὶ τοὺς πόδας ἔμπροσθεν περὶ τὴν κεφαλήν, ἐντὸς μὲν τῶν ὀφθαλμῶν, περὶ δὲ τὸ στόμα καὶ τοὺς ὀδόντας. In quibus verbis primum notarim κύτος non recte penanflecti, quanquam & alijs in locis sæpius tum in Aristotelis tum in aliorum libris modo penanflexum, modo paroxytonum inuenio. sed quoniam penultima breuis est, omnino penacui debet. Πίμπλησι λοπάδος στρογγυλώματον κύτος, Xenarchus apud Athenæum. Σμικρὸς προσήκεις ὄγκος ἐν σμικρῷ κύτει, Sophocles in Electra. Deinde quod Rondeletius pro his verbis ἐντὸς τῶν ὀφθαλμῶν, mauult legere ὑποκάτω τῶν ὀφθαλμῶν, vel quid simile, non laudo. quanquam enim idem fere sensus est vtrouis modo legas, non temere tamen lectio vetus mutanda. Michael Ephesius Scholiastes non aliter quam ἐντὸς τῶν ὀφθαλμῶν legit & explicauit, Pedes (inquit) mollia habent intra ocu-

los: hoc est, non prope oculos, sed remotiores paulo antrorsum. vt si quis manum suam polypi alueum esse fingat: & in digiti vnius extremo oculos: deniq; in flexu siue articulo primo & post vnguem proximo, pedes. Vel ἐντὸς pro ἔμπροσθεν interpretabimur, Sic ille. Poterat autem simplicius dicere ἐντὸς τῶν ὀφθαλμῶν, pro ἐσωτέρω τῶν ὀφθαλμῶν καὶ μᾶλλον πρὸς τὰ ὕπτια. Solet enim Aristoteles τὰ πρανῆ τοῦ σώματος vocare τὰ ἐκτὸς: ὕπτια vero, id est supina, ἐντὸς, præsertim vbi de membrorum flexibus loquitur. & ipse Ephesius paulo ante vbi Philosophus agit de insectorum salientium flexu, εἴσω exponit, πρὸς τὴν κοιλίαν καὶ τὰ στέρνα. Loliginum aut sepiarum capillamenta, κόμας ἢ τρίχας, Nicander ὅσλιγγας vocat, Scholiastes. Vide in Loligine.

c Υπὸ τοῦ δέους δὲ τῆς μαρίλης μοι συχνὴν Ο' λάρκος ἐνεπίλησεν (ἐπεπίλησεν, Suidas) ὥσπερ σηπία, Dicæopolis in Acharnensibus Aristophanis. id est, Corbis præ metu multis me cineribus (& fuligine) tanquam sepia percacauit. ὅπου δὲ τὸ γλαυκινόν ἐστιν, ἐντεῦθεν ἀκρασία τις περὶ ἡδονὰς ἐκτέτριπται μόλις, κακὸν οἷα δεινὸν ὅσα μετὰ φθόνου τε τὸ ἰῶδες καὶ ὕπουλον, ὥσπερ οὖν σηπία τὸ μέλαν ἀφίησι, Plutarchus in libro de ijs qui sero à numine puniuntur, de coloribus animarum loquens.

f Σηπίαι Ἀβδήροις τε, Μαρωνείᾳ τ᾽ ἐνὶ μέσσῃ: Archestratus, tanquam ijs in locis meliores sint sepiæ. κάθησο τοίνυν σηπίας μασώμενος, Aristophanes: οἷον εἰ τρυφῶν διὰ τὴν ἐξουσίαν, Suidas. Pauperes non habent vnde emant κρανίον Λάβρακος, οὐδὲ γόγγρου, οὐδὲ σηπίας, Ἃς οὐδὲ μάκαρας ὑπερορᾶν οἶμαι θεούς, Strattis apud Athenæum. Apud eundem Ephippus quoque & Eubulus sepidia cum alijs ciborum nominant. Ἀλλ᾽ ἔντραγε τὴν σηπίαν τὴν διαλαβοῦσαν, καὶ τοδὶ τὸ πολυπόδιον, Theopompus. Sepiam elixam Anaxandrides nominat in Cotyis Thracum regis conuiuio. Veteres edebant etiam ταγηνιστὰ, id est, in sartagine frixas sepias, Athenæus. ---ὥσπερ εἴ τις σηπίαις Πώγωνα περιδήσειεν ἐσταθευμέναις, Aristophanes in Ecclesiazusis. iocatur autem in mulierem, quæ barbam sibi induerat, vt vir appareret. scholiastes ἐσταθευμέναις interpretatur leuiter & superficie tantum tostis. Ἀσεῖον ὤφθη τοῖσδε ὠνθυλευμένη, Καὶ πτερύγια ἁπλῶς σηπίας ὠπτημένα, Coquus apud Sotadem. Alexis ἐν Πονήρᾳ coquum inducit de sepiolarum elixatione sic differentem: ---Σηπίαι πόσου,

> Δραχμῆς μιᾶς τρεῖς. τῶν δὲ τὰς μὲν πλεκτάνας, Καὶ τὰ πτερύγια συντεμὼν ἑφθὰ πάνυ (ποιῶ.)
> Τὸ δ᾽ ἄλλο σῶμα κατατεμὼν πολλοὺς κύβους, Σμήσας τε λεπτοῖς ἁλσί, δειπνούντων ἅμα,
> Ἐπὶ τήγανον σίζον ἐπεισιὼν φέρω.

h Pythagoras religiose in cibo abstinere iubebat erythrino & melanuro: non autem sepia, vt quidam pro melanuro verterunt, Vide in Melanuro h. De Thetidis transformatione in sepiam, lege superius *Prouerbium.* inter nomina propria. Thetidem in varias formas se mutantem Peleus consilio Chironis obtinuit, mixtus ei in specie sepiæ, Varinus in Θέτις. Vultu mutabilis albus & ater, Horatius in extrema epistola. Quo loco Porphyrion admonet prouerbiali figura dictum, albus & ater, pro eo, quod est bonus & malus: & Horatium, album, aut ad liberalem, aut lętum reddidisse: atrum, ad sordidum & ærumnosum. Huc festiuiter allusit Matron apud Athenæum libr. 4. de sepia loquens: Σηπίη εὐπλόκαμος, δεινὴ θεὸς, αὐδήεσσα, Ἣ μόνη ἰχθὺς ἔασι τὸ λευκὸν καὶ μέλαν οἶδε. id est, Quę quum sit piscis, sola album nouit & atrum. Est enim sepia colore albo, sed succum habet atrum, quem spargit in metu ne deprehendatur, Erasmus Rot. in prouerbio, Albus an ater sis nescio. Et nigrum niueo portans in corpore virus, Ouidius in Halieutico, de sepia, vt apparet: sequens enim versus desideratur. Perca sequitur melanurum, Ἕπεται πέρκη μελανούρῳ. Erasmus pro melanuro non recte transtulit sepiam. Vide in Melanurio D.

DE SERPENTE MARINO RONDELETIVS.

Eandem iconem, magnam reperies infra ad finem eorum quæ de Serpente marino Bellonius scripsit.



A B SERPENTES murænis & myris forma & natura valde affines sunt. Sunt autem in mari multæ serpentum species, vt Aristoteli placet, lib. 2. de hist. animal. cap. 15. Εἰσὶ δὲ καὶ θαλάττιοι ὄφεις, παραπλήσιοι τὴν μορφὴν τοῖς χερσαίοις πλὴν τὰ πλεῖον τὴν κεφαλήν. ἔχουσι γὰρ γογγροειδεστέραν. γένη δὲ πολλὰ τῶν θαλαττίων ὄφεών ἐστι. χρόαν ἔχουσι παντοδαπήν. οὐ γίγνονται δ᾽ οὗτοι ἐν τοῖς σφόδρα βαθέσι. Sunt marini serpentes forma terrenis similes, dempto capite: id enim habent congri magis simile. Sunt autem marinorum serpentum genera plura. Varij sunt coloris. Non nascuntur in præaltis maris locis.

Serpentes marinos diuersos esse.

B Is quem depinximus terreno vel fluuiatili serpenti simillimus est, ad trium vel quatuor cubitorum longitudinem accedit. Corpore rotundiore est quam anguilla, capite congro similis est. Maxilla superior inferiore longior est. Dentes habet in maxillis & in palato murænæ modo, sed rariores. Pinnulas duas ad branchias veluti anguilla. Colore est fuluo, venter & rostrum cinereo. Oculi flauescunt. Internis partibus à muræna non differt. Nullus est omnino qui primo aspectu hunc serpentem esse non iudicet.

A Quare non possum non mirari eum; (*Gillium notat,*) qui cum in variarum rerum cognitione feliciter versatus sit acum Aristotelis, quę à nostris trompete dicitur, pro serpente marino vsurpauit, quam antea depinximus. Hanc opinionem confellere facile est ex Aristotelis verbis, qui serpentes marinos congri capite esse scripsit, figura reliqua serpentibus terrenis plane similes: cũ acus caput in fistulam de-

Acus Aristot. non est serpens marinus.

sinat, rostrumque tubam imitetur, vnde illi à nostris nomen positum, quæ figura à capite ad podicem corpore est hexagono, à podice ad caudam quadrato: quæ forma neq; serpentibus terrenis, neq; marinis competit, quippe qui corpore sint plane rotundo, (*terete.*)

DE SERPENTE RVBESCENTE, RONDELETIVS.



SERPENTEM hunc marinum primus mihi monstrauit vir humanissimus & eruditissimus Gulielmus Pelicerius Monspeliensis episcopus. Is ob raritatem minimè prætermittendus hoc loco fuit: quem nonnulli myrum esse putauerunt, sed falso, vt ex descriptione liquet. Nam branchias osseo operculo squamosorum modo intectas habet, pinnasque ad natandum maiusculas, quibus muræna & myrus carent. Sed Dorionis myrum alterum esse ὑποπυρρίζοντα, id est, rufescentem non absurdè quis existimauerit. A

Est igitur serpens de quo nunc agimus, corporis specie serpentibus terrenis similis, colore rubro vel phœniceo: lineis obliquis & sinuosis à dorso ad ventrem ductis, eam lineam, quæ à capite ferè ad caudam protensa est secantibus. Scissura oris non admodum magna, dentes habet acutos, serratos. branchias opertas squamosorum piscium instar. In dorso à capite ferè ad caudam veluti capillamenta tenuia à sese disiuncta, in ventre similia. Cauda in pinnam vnicam desinit. B

Anguillę longis piscibus & serpentibus marinis maximè similes, & è fluuijs mare conscendunt (*in Anguillas mare potius descendunt:*) quia verò in fluuijs & lacubus, & riuulis nascuntur, earum tractationem in librum de fluuiatilibus reijciemus.

DE PISCIBVS QVI SERPENTINA SVNT *specie, Bellonius.*

Longè diuersa est piscium, qui serpentina sunt specie, ab alijs figura, vt qui planè rotundi sint atque oblongi, vnde serpentina specie præditos esse dicemus. Nullis præterea squamis horrent, quorũ nonnulli ac præcipuè Congri in tantam interdum crassitiem excrescunt, vt inter cetacea ferè connumerari possint. Pisces itaque qui Serpentina facie prędití sunt, ita enumerantur: Serpens marinus, Muræna, Congrus, Sphyræna, Acus. Lampetram autem iam ante in Galeorum censu descripsimus. Anguillas verò cum fluuiatilibus lib. 2. enumerabimus.

DE SERPENTE MARINO, BELLONIVS.

Peculiarem alit Serpentem mare, terrestri ferè respondentem, qui vel Aristotelis testimonio sæpe tricubitalis euadit. Anguillam ac Congrum, colore, pinnis & branchijs referret, nisi rostro esset, quàm Muræna, longiore, ac numerosis tenuibus dentibus vallato: oculis non ita grandibus, cute glabra, ad dorsum prominente, nullis squamis aspera, qua facile deglubi potest. Ventre ex albo in rufum colorato: spirasque toto corpore, vt & Serpentes terrestres, ducit. neque viuus impune nuda manu, vt nec Muræna, contrectari potest. Plinius Draconem marinum appellauit, quem è mari in arenam emissum ex Aristotele refert, cauernam in arena mira celeritate excauare, quod idem de Serpente marino retulit Aristoteles, apud quem ὄφις θαλάττιος vocatur. Estque (inquit) corpore ad Congrum accedente, sed obscuriore & acriore. quod ego nigriore & longiore interpretor. Idem tamen Plin. alibi Ophidion appellat. Mihi visus est hic piscis eius penè formæ, quam hîc depictam vides. *Picturam ab eo exhibitam omisimus: similem ferè ei quam Rondeletius dedit: sed implicitam spiris, (non quod in mari adeò inuolutus sit, sed ad longitudinem eius exprimendam:) ventre crebris veluti internodijs crispo. qualem ego etiam ab amico ex Italia missam serpentis marini imaginem olim accepi. corpore vbique plano, tanquam eminentibus aspero, quales in Rondeletij picturæ quorum tamen in descriptione non meminit. (Nostra autem effigies hæc est, quam seq. pag: exhibuimus.)* B C A

COROLLARIVM I. EX VETEribus ferè.

De Serpentibus aquatilibus diuersis egimus suprà in Hydro, sed ijs duntaxat qui in dulcibus aquis degunt. hic de marinis dicendum. Ὁ ὄφις ὁ θαλάττιος τὸ μὲν χρῶμα παραπλήσιον ἔχει τῷ γόγγρῳ, καὶ τὸ σῶμα, πλὴν ἐστιν ἀμαυρότερος καὶ σφοδρότερος. ἐὰν δὲ φοβηθῇ καὶ ληφθῇ, εἰς τὴν ἄμμον καταδύεται ταχὺ τῷ ῥύγχει διατρυπήσας. ἔχει δ᾽ ὀξύτερον στόμα τῶν ὄφεων, Aristoteles historiæ 9. 37. Quæ eius verba Theodorus sic transtulit: Serpens marina colore & corpore congro proxima est, sed obscurior atque acrior. hæc si capta dimittatur foris, in arenam rostro quamprimum adacto terebrat, subitque tota. est ore acutiore hæc quam terrestres. Bellonius obscuriorem colorem interpretatur nigriorem. ἀμαυρότερον quidem Græcis, si colores inter se conferantur, minus intensum minusque splendidum in eodem genere significare puto. quod verò acriorem pro longiore accipit, nullo vel Græcorum vel Latinorum exemplo facit. Græcè quidem σφοδρότερος legitur, quod est vehementior, vehementia autem in agilitate simul ac robore coniun-



robore

coniunctis posita est, vt Galenus alicubi docet, Cæterum pro his verbis, Ἐὰν ᾖ φοβηθῇ καὶ λυφθῇ; Wottonus reddit, si timeat atque piscatores euadat. Plinius cum alibi draconem Aristotelis, araneum appellet: ex hoc tamen loco pro serpente marino draconem marinum transtulit: Draco marinus (inquit) captus atque immissus in arenam, cauernam sibi rostro mira celeritate excauat. & quanquam Rondeletius draconem siue araneum piscem idem facere tradit, certum est tamen Aristotelem de serpente tantum hæc protulisse. quamobrem ne quis hac occasione res diuersas confundat, cauendum est: id quod Albertus fecisse videtur. Legę in Corollario de pisce araneo. Bellonius ophidion ab ophi, id est serpente marino, non distinguit, Rondeletius diuersos esse ostendit. Viperæ marinæ pisces parui sunt, longitudinis cubitalis, cornu parvulum gestantes in fronte: cuius ictus est letalis, quamobrem piscatores pisci huic capto caput amputant, & defodiunt in arena: reliquum corpus in cibum reseruant, Albertus & Isidorus. videntur autem non alij hi pisces, quàm aranei esse, quanuis non cornu in fronte, sed aculeos in capite venenatos gerunt. Idē de anim. lib. 2. tract. 1. cap 8. Aquatiles & marini serpentes (inquit) sunt similes terrestrib. præterquā in capite. quoniam caput marinorum est durissimum, & asperum, & minus quàm caput terrestrium pro sui corporis magnitudine. In mari Oceano, qua Germaniam attingit, inuenitur serpens magnitudine ferè cruris humani: qui aculeum retro in cauda corneum habet: quo amputato à piscatoribus reliquum corporis in cibum venit. versatur autem in profundo maris, & non verè est serpens, quanuis sit piscis serpentinus, Hæc ille. conijcio autem pastinacam esse piscem aut cognatum, quo de loquitur: quem caudæ ratione fortassis aliquis serpentinum dixerit. Hydrus dici potest omnis aquaticus serpens, tum in salsis aquis. nam & marinos serpentes, hydros vocat Ælianus, quos alij simpliciter ὄφεις θαλαττίους. Indicum mare hydros gignit marinos, caudis latis. Lacus etiam (*fortè Indiæ*) hydros maximos producunt. Cæterum marini isti serpentes, asperum potius serratis dentibus, quam venenosum os videntur habere, Ælianus 16. 8. Plin. 6. 23. tradit apud insulas quasdam ante Persidem, hydros marinos vicenum cubitorum terruisse classem. Inter Carmaniæ promontorium & Arabiam quinquaginta millia passuum interiacent, deinde tres insulæ, circa quas hydri marini egrediuntur vicenum cubitorum longitudine, Solinus. In Africa magnitudo anguium mira, sicut & fertur. iam enim nonnulli vbi triremi applicuissent, ossa boum multorum vidisse narrant, quos absumptos esse ab anguibus non dubitarent, cum triremes productas in altum, quamprimum angues insectarentur, & nonnulli aggressi triremem euerterent, Arist. hist. 8. 28.

Ophidion. *Viperæ mar.* *Hydri mar.*

Enhydridis iecur vesicæ vitia & calculos sanat: Plinius, qui enhydridem alibi colubrum in aquis viuentem interpretatur: de quo nos plura in Hydro suprà.

Sinthus fluuius maximus est eorum qui circa mare rubrum sunt, & plurimum aquæ in mare emittit, ita vt procul ab eo in pelagus aqua candicans profluat. cæterum nauigantibus è pelago versus hanc regionem, (*quasi exonerat Sinthus*,) coniecturam de loco faciunt à serpentibus qui ex alto eis occurrunt. Siquidem serpentes graæ (γραῖαι) dicti locorum circa supráque Persidem indicium faciunt, Arrianus in Nauigatione maris rubri. Et paulò post: Sinus qui Baraces vocatur, valde periculosus est nauigantibus, & vitandus, &c. ad eum autem è pelago tendentib. loci indicium faciunt serpentes qui prægrandes & nigri occurrunt. nam in sequentibus locis, & circa Barygazam minores, & colore luteo & ad aureum inclinantes (χλωροὶ καὶ ξουζίζοντες) obuij sunt. Et inferius: Barare vicus situs est ad fluuium illic exonerantem, &c. & hæc etiam regio è pelago adnauigantibus prænoscitur ex serpentibus, qui illic obuij fiunt, nigri & ipsi, sed minores, capite quale draconum est, oculis sanguineis. Draco marinus, est piscis sine squamis. hunc postquam multum excreuerit, & violentiam magnam facere voluerit, nubes cœli rapiunt in aërem, & per montes membratim dissectum dispergunt, vt non sit amplius. Lingua eius bifurca est sicut cauda equina, digitos duos longa. hanc in oleo seruat. Gestantem enim absque fatigatione & infirmitate tuetur: quod ipse in maritimis Assyriæ regionibus obseruaui. Eiusdem adeps cum succo herbæ draconteæ mane & vesperi inunctus, vtilis est ad dolorem capitis, & initium elephantiæ vel lepræ, & omnem scabiem cutis, Kiranides 1. 4.

Græ.

Myrum piscatores nostri peculiariter non agnoscentes, serpentem vocant, Rondeletius. Murænę pariunt aquaticos angues, (ὄφεις ἐνύδριος ὄφεις,) Hierax vt retuli in Muræna c. Piscem esse acceepi nomine Myronem: vnde nomen duxerit, haud equidem scio. eum ipsum esse dicunt marinum serpentem: ac si illius vtercunque oculus erutus tanquam amuletum gestetur, oculum improbe affectum ex lippitudine sicca curabit, & simul huic alterum renasci loco eruti aiunt: ac oportet viuum dimittere, vel frustra illius oculum gesseris amuletum, Ælianus. Sed non alius est hic piscis quàm Myrus, Murænæ maritus, de quo scripsimus suprà in M. elemento. Almarmaheigi Persicum nomen est, commune piscibus longis & lubricis, vt anguillæ & similibus, (Ægyptij thaian marinum vocant: thanin Ebraicè draco est:) Vide suprà in Anguilla A.

Myrus.

Laocoon (lib. 2. Æneid.) Neptuni sacerdos *Solennes taurum ingentem mactabat ad aras.* II
Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta (Porces & Charibæa, vt Q. Calaber nominat)
(Horresco referens) immensi orbib. angues *Incumbunt pelago: pariterque ad litora tendunt.*
Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubæque *Sanguinea exuperant vndas: pars cætera Pontum*
Pone legit, sinuatque (al' sinuantque) *immensa volumine terga.* *Et sonitu spumante salo, &c.*

COROLLARIVM II.

Serpens marinus Aristotelis rarus est & paucis cognitus: & quanquam bonus in cibo sit, sicut alij longi lubricique, vt congri, anguillæ, mustelæ: propter nimiam tamen cum serpente terrestri similitudinem, plerique ab eo viso tanquam non pisce abhorrent, Bellonius in Gallico de pisc. libro. Cum circa Abydum obambularem, in paruis quibusdam alueis seu canalibus salsis, inueni serpentis terestris speciem, qui toto ferè die in mari viuit, quemadmodum coluber in dulci aqua, somni verò causa in terram egreditur. colore fermè rubet, sed maculis etiam fuscis aut cinereis varius est. Idem in singula-

Serpens mar. Aristot. *Alius rubescens.*

Acus Aristot. Singularibus Obseruationibus. Idem hic fortè aut cognatus est serpenti marino rubescenti Rondeletij. Cum multæ sint marinorum serpentium species, Germanicè communi nomine omnes *Meerschlangen*, vel *Meernatern* appellabimus. Serpentes marinas vidi, quarum color ad Congrum accederet, rostrum longum & tenue esset: anterior corporis pars sexangula, à ventre ad caudam quadrangula pertineret, Gillius. Verum hæc animalia Rondeletius non serpentes mar. Aristotelis, sed acus ab eodem dictas esse ostendit. Albertus Magnus ab initio libri quarti de animalibus, aquatilium genera diuersa enumerans: Octauum (inquit) serpentinum vocatur, eò quod sit simile colubro. Et inferius capite octauo: Constat in mari esse animal exangue, serpentinum, quod simile videtur esse serpenti qui vocatur tyrus: & est rubri coloris. habetq; alas pinnularum consequentes se in corpore suo, & mouetur motu alarum. & hæc tamen videntur esse continua interiori suo. quare ista non sunt eadem cum pisce serpentino, cuius suprà meminimus. sed accedunt ad ligni naturam, minus tamen quàm præcedentia. De ligneis autem (vt ipse nominat) aquatilibus, id est zoophytis quibusdam, plura ab initio eiusdem capitis scribit.

In Balthico vel Suecico Oceano flaui quidam serpentes marini reperiuntur, triginta aut quadraginta pedes longi: qui nisi iritati, neminem lædunt. Eorum iconem Olaus Magnus in tabula sua B. m. dedit huiusmodi.

In eadem tabula ad B. d. alius serpens mar. ad centum aut ducentos pedes longus, vt descriptio habet, (vel etiam trecentos, vt numerus iconi adiunctus præ se fert,) circa Noruegiam interdum appa-



ret, mari tranquillo infestus nautis, adeò vt hominem quandoque è naui abripiat. Nauim ab eo inolui aiunt tantam, quantæ ferè in nostris fluuijs aut lacubus maiores fieri solent, quæ mercium vecturæ destinantur, inuolutam subuerti. spiras supra mare tantas aliquando erigere, vt nauis per vnam transire posset. Figuram, qualis in Olai tabula est, apposui.

Ex Germanico Schiltbergeri cuiusdam Bauari Monacensis libro, De peregrinationibus suis quas captiuus à Turcis obiuit, nuper euulgata Francofordiæ.

Pugna serpentium aquatilium & terrestrium.

In Regno Genyck vocato vrbs est nomine Sampson. Eam, quo tempore ego apud Weiasitam Turcarum regem eram, colubri aquatiles, & serpentes terrestres innumeri, circunquaque per miliaris ferè spatium circundabant. Venerant autem hi è syluis, quæ multæ sunt in vicina regione Trieuick dicta: illi verò è mari. Hi dum colliguntur per nouem dies, nemo præ metu ex vrbe egredi audebat: quanuis nec hominem nec alia animalia læderent. quamobrem vrbis ac regionis princeps, ne quisquam etiam hominum eos læderet, edicebat: non sine iussu diuino rem adeò mirabilem & magnę alicuius mutationis signum euenire interpretatus. Decimo die duo hæc serpentium genera inchoatum diluculo conflictum, ad Solis vsque occasum produxerunt. quo animaduerso, princeps cum paucis equitibus vrbem egressus, pugnam spectare voluit. cedebant autem aquatiles terrestribus. Reuersus in vrbem, ac postridie summo mane denuo egressus, nullos amplius viuos, sed occisorum tantum serpentium octo millia reperit. quos omnes fossa defossa, humo tegi curauit: & Weiasitæ regi, nuper ea vrbe potito, rem omnem literis nunciauit. qui hoc ostento tanquam prospero sibi & felicia portendente gauisus est.

Est in Norduegia lacus Mos (*sic & nostri paludem appellant*) in quo apparet ostentum serpens miræ magnitudinis: qui, vt Cometæ orbi reliquo, sic is portendit Norduegiæ mutationem rerum. Visus est recentissime anno Salutis M. D. XXII. alte eminens super aquas, conuolutus in spiras. existimatus est coniectura collecta procul visu cubitorum quinquaginta. Et fuit sequuta eiectio regis Christierni, Iacobus Ziegletus. Quanquam autem lacum de quo scribit aquam dulcem continere puto: volui tamen hoc loco addere, quoniam in dulcium aquarum hydris præterij. Circa Tarracinam Italiæ Ifigonus tradit lacum esse Myclæam nomine, & iuxta ciuitatem defertam: cuius ciues propter hydrorum multitudinem pulsi fuerint, Sotion.

Serra piscis post Physetèrem superius descriptus est. De osse illo serriformi, quod exhibuimus suprà, à Guil. Postello viro [illegible], hæc olim accepi: Linguam esse ferunt piscis cuiusdam in mari Indico: quæ quandiu in pisce viuo est, flexilis sit, ita vt piscis ille (cuius formam ignorabat, & nomine ficto glottodem appellabat) lingua ad latera extensa reflexaq; in os pisces hinc inde attrahat. Maurus episcopus in conflicto à se Patris Dei conuiuio Isaiæ serram piscem apponit. hic enim propheta à Manasse rege εἰς δύο ἐπρίσθη, id est, in duas partes serra diuisus est, vt Epiphanius scribit.

DE SESERINO, RONDELETIVS.



A
B

Inter cæruleos connumerandus mihi videtur, qui à nostris tronchou vocatur, sola corporis latitudine à glaucis discrepans. Est enim corpore breuiore quidem, sed latiore, compresso: sine squamis, cute læui, dorso cæruleo, ventre argenteo. Pinnarum quæ in branchijs & ventre sunt situ, non differt ab Hippuro. Pinna superior non à capite vt in hippuro, sed à dorso erigitur. lineas duas à branchijs ad caudam ductas habet, superiorem cutuam, inferiorem rectam. ob quam notam in isto pisce manifestissimam, in eam adducor sententiam, vt existimem seserinum esse, cuius ex Aristotele περὶ ζώων meminit Athenæus. Καὶ παῤ ἡμῖν δ' ἐρυθρᾶδα, ὥσπερ σπαρῖνος· τὰ δ' πολύχρωδα καὶ ἐρυθρόγραμμα, ὡς σάλπη. Duas virgas siue lineas habent alij pisces, vt seserinus: alij plures & aureas, vt salpa. Internas partes eadem cum glauco habet. *Lib. X.* F

Carne est molli & suaui, Hæc Rondeletius.

Idem in Orthragoriseo pisce, recitatis Æliani de Luna pisce verbis, descriptionem eius seserino conuenire coniectat. Vide suprà ad initium paginæ 641.

Sillaginem nominari audio à Baldazare Trocho piscem, qui in Marchia vulgò Germanicè *Blosfisch* dicatur: de quo quod addam non habeo.

DE SILVRO, RONDELETIVS.

Figuram huic à Rondeletio positam, reperies suprà ad initium Corollarij I I. de asello, pag. 96. neque enim siluri est. sed asellorum Oceani generis, vt illic scripsi.

De antiquo Sturionis nostri nomine grauissimi quique nostræ tempestatis scriptores varijs sententijs inter se dissenserunt. quarum plurimæ permultum à veritate discrepant. Alij enim Sturionem Lupum esse existimauerunt: alij Padi Atrilum: alij Plinij Tursionem, alij Hyccam. Quas sententias doctè & ingeniosè refutauit Paulus Iouius in libello de Romanis piscibus. De eadem re nos quoque satis copiosè disceptauimus quum de Sturione tractaremus. Verum quemadmodum Iouius aliorum de Sturione opiniones à veritate alienas optimo quidem iure reprehendit, ita ipsemet merito quoq; reprehendendus mihi videtur quod de Sturionis nomine non rectè senserit: quem Siluranı antiquorum esse existimat, quemque pro Glani Theodorus Gaza apud Aristot. semper interpretatur. Sunt autem leues admodū coniecturæ quib. vtitur Iouius: qualis hæc est, quod hac ætate quisnā piscium antiquitus fuerit Silurus, penitus ignoremus, qui adeo in mari ac fluuijs testimonio Aristot. Plinij, Athenæi & Ausonij sit celebratus: ex aduerso autem de Sturionis antiquo nomine plurimū dubitemus, qui sit omnium ferè totius orbis fluuiorum incola longè notissimus: cum tamen credendum non sit Sturionē veterib. ignotum fuisse, aut Silurū veluti aliquo naturæ defecta, tota eius generis extincta sobole penitus euanuisse. Hoc quidem in plurimis alijs piscibus euenit, præsertim lacustribus & fluuiatilibus, qui & nomine, & alimenti præstantia apud nos sunt notissimi, à veteribus autem ne nominati quidem. Contra à veteribus multi maximè commendantur, nobis planè ignoti. Non oportet tamen celeberrimorum quorumque apud antiquos piscium nomina ponere ijs qui apud nos quoque sunt in pretio, nisi id firmis rationibus, & à substantia naturaque piscium ipsorum petitis inducti faciamus. Trutta hodie & frequentissimus & optimus habetur piscis, quo cū lacus amnesq; Italiæ multi abundent, verisimile non est veteribus Romanis fuisse planè incognitum, quod tamen antiquitus verum ipsius nomen fuerit affirmare non ausis. Sequitur alia non firmior coniectura. In Nilo, Borysthene, atque Danubio, vti Plinius de Siluris ait, etiam nunc, frequentissimos Sturiones reperiri. Nam in omnibus Nili ostijs, & superius prope Memphim Ægyptij Sturionem expiscantur. In Borysthene verò, qui hodie Neper est amnis, Phasiq; & in ipso Tanai apud Tanam emporium tanta eorum est copia, vt cetariæ ibi institutæ sint officinę, in quibus ea salsamenta ex Sturionum ouis salitis, quæ Cauiaria dicimus, itemque ipsa Schinalia ex sumo Sturionis spinali dorso, sale fumoq; inueterata conficiantur. Hæc quidem omnia fateor. Præterea adeo frequentes esse & magnos in Danubio vt eo minores etiam amnes subeant, qui in ipsum influunt, sicuti Drauam, Sauum, & Tybiscum, vt mirum etiam non sit eos Mœnum subire, sicuti Plinius ait. At præter Sturiones in his etiam amnibus multi alij prægrandes pisces procreantur, ad quorum nonnullos eadem coniectura accommodari potest. Quantum verò ad Athenæum attinet, à quo Iouius Silurum Istrianum siue Danubianum honoris atq; excellentiæ causa

Sturionē non esse Siluri, contra Iouium.

Coniectura Iouij prima, in qua vt siluri veterum hodie ignotus, ita sturionis nomen vetus.

Solutio.

Trutta.

Secunda: ab eo quod in iisdem fluuijs siluris hodie abundat, in quibus olim silures.

Solutio.

Tertia: quæ

Sturio dictus videatur tanquam Istrio. Solutio.

tiæ causa nominatum fuisse scribit, vt ab eo Istrionem piscem dictum putet, & inde fortasse Sturionem, (*Ælianus silurum Istrianum nominat:*) respondeo, Athenæo non Silurum, sed Glanim siue Glanida Istrianum vocari, quem à Siluro diuersum esse firmissimis veterum & probatissimorum autorum sententijs postea comprobabo, etiam si ita conuerterit Gaza.

Quarta: à tergi colore. Quinta: ab Hispanico nomine Sulius.

Porrò quę ex Ausonij Mosella proferuntur de Siluro, pro Iouio non faciunt, qui Silurum describit velut Actæo perductum tergora oliuo, cum Sturioni tergum non flauescat, vt optimum oleum, sed cæruleum sit. Iam verò nec illud opinioni Iouij suffragatur, quod Hispania omnis Sturionem hodie Sulium appellet, quæ vox à Siluro parum abesse videtur. Nam quemadmodum veteribus piscium nominibus, gentium vocabula ob affinitatem accommodata nonnihil ad piscium cognitionem conferre non negauerim: ita ex coniectura inde solum petita, nec cum alijs firmiorib. coniuncta certi aliquid colligi nemo dixerit: lubrica enim est hæc ratio & sæpe fallax. Quòd si ex nominis similitudine sola, Sturionis vetus nomen quærendum sit, multò maior est Tursionis cum Sturione, quàm Siluri cum Sulio affinitas, quo Sulij nomine Sturionem Hispani hodie nuncupant: vnica enim litera s, ex medio in principium translata, ex Tursione, Sturionem efficies.

Contra Amatū Lusit. eiusdem opinionis. Sturio quid sit.

Illam tamen Iouij opinionem libenter amplexus est in suis in Dioscoridem commentarijs Amatus Lusitanus, & facilè cum Iouio credit Silurum Græcorum nostrum esse Sturionem, quod Hispanicum nomen multum ei fauere videatur: à Manardo verò, & alijs reclamantibus sine vlla sententiæ eorum refutatione liberè dissentit. Nos primi Sturionem veterum Acipenserem esse, siue ὀνίσκον Dorionis & indicauimus & satis comprobauimus in Acipenseris historia.

Silurum inuadere animalia. Lib. 9. cap. 15.

His omnibus Iouij & aliorum idem sentientium coniecturis vnicam rationem à natura & actionibus Siluri sumptam opponimus: Silurum autore Plinio, vbicunque sit vbique grassari, omne animal appetentem, equos innatantes sæpe demergentem præcipuè in Mœno Germaniæ, & in Danubio. (*Alia lectio est: Et in Danubio mario extrahitur, &c.*) Quæ in Sturionem nullo modo competere possunt: nam dentibus caret: neque maleficus, neque ferox est: à quibus moribus planè aliena est oris fabrica, vt neque alia animalia petere, neque demergere possit.

Silurū & Glanim diuersos esse pisces.

Nunc Silurum & Glanim siue Glanida diuersos esse pisces ostendamus: & Siluri nomen Græcum, non Latinum, vt perperam Gaza Aristotelis Glanim semper Silurum conuerterit. Athenæus Niloticos pisces recensens, Glanidas, & Siluros seorsum ponit, & Glanidi Istri Latum piscem comparat. Eius verba sunt: Latorum piscium (vt vocant, τῶν λάτων) qui in Nilo fluuio procreantur tanta est magnitudo, vt inueniantur qui ducentarum librarum pondus excedant. Piscis est candidissimus, & suauissimus quouis modo apparatus, similis ei qui in Istro nascitur Glanidi. Fert Nilus plurima alia piscium genera, & omnes quidem suauissimos maximè coracinos, quorum multæ sunt species. Fert & pisces qui Mæotæ vocantur, quorum Archippus meminit in Piscibus his verbis: Mæotas, Saperdas & Glanidas. Sunt autem (*Mæotæ scilicet*) multi in Ponto, quibus ex Mæotide palude nomen positum est. Nilotici verò sunt pisces, siquidem eorum post peregrinationem multorum annorum meminisse possum: Torpedo iucundissima, Porcus, Simus, Phagrus, Oxyrynchus, Allabes, Silurus, &c.

Ex Aeliano.

His accedit Æliani testimonium: Glanis, inquit, piscis incola Mæandri, & Lyci Asianorum fluminum, & Europæi Strymonis, speciem Siluri similitudinemque gerit, idemque fœtuum suorum amantissimus est: mas saltem, qui fœtum assiduè ab aliorum piscium iniurijs tuetur atque seruat.

Ex Pausania.

Eosdem Siluros Glanibus similes à Pausania intelligi puto, quum scribit beluas quasdam perniciosas in Rheno & Istro gigni forma similes Glanibus, qui in Hermo & Mæandro proueniunt, excepto colore nigriore, & corporis robore quibus Glanes inferiores sunt.

Siluri nomen gracum esse, non Latinum.

Nomen Siluri Græcum esse non solum ex iam citato Athenæi loco, sed & ex alio facilè intelligas, quum scribit: Τί δ' οὐχὶ καὶ σείουρον λέγομεν, ἀλλὰ σίλουρον; ὠνόμασται γὰρ καὶ οὗτος ἀπὸ τοῦ σείειν συνεχῶς τὴν οὐράν. Cur non Siurum dicimus, sed Silurum? Sic enim nominatus est, quòd continuò caudam agitet. Paulus (*Aegineta, & Græci medici alij*) eodem σιλούρου nomine vsus est. Quid igitur Gazam impulit, vt pro Glani Silurum redderet?

Plinium semel aut iterū glanim pro siluro dixisse. & plura de glanide.

Vnicus, vt opinor, (lib. 9. cap. 51.) Plinij locus, qui talis est (*immò & alter, vt notauis in Glanide,*) Silurus mas solus omnium edita custodit oua, sæpe & quinquagenis diebus, ne absumantur ab alijs, id quod de Glani tradidit Aristoteles lib. 6. de hist. cap. 14. At id non solus Silurus siue Glanis facit, verumetiam Cyprinus, vt eodem in loco scripsit Aristoteles. eadem est erga fœtus suos charitate Glanis teste Æliano alius à Siluro. Quare ex eo quod à solo Siluro seruari oua tradit Plinius, non necessario efficitur Silurum Glanim Aristotelis esse, qui oua sua custodire dicitur. Præterea alio loco Plin. lib. 9. cap. 43. Glanim nominat. Cautius, inquit, qui & Glanis vocatur, auersos mordet hamos, nec deuorat, sed esca spoliat, quæ ex Aristotele lib. 9. de hist. ca. 37. sumpta sunt, qui Glanim ἀγκιστροφάγον vocat.

Αἴλουρος pro σίλουρος, apud græcos aliquot medicos.

His nec inutile fuerit addere, apud Dioscoridem lib. 2. ca. 29. pro ἄιλουρος legendum esse σίλουρος. vel ἄιλουρον & σίλουρον eundem esse piscem. quas enim facultates Dioscorides ἀιλούρῳ tribuit, easdem Paulus Ægineta σιλούρῳ. Sic Dioscorides: Ταριχηρὸς δὲ, ἄτροφος: ἀρτηρίας δὲ καθαίρει, καὶ εὐήχους κατασκευάζει. καταπλασθεῖσα δὲ ἡ σὰρξ τοῦ ταριχηροῦ, σκόλοπας ἀνάγει. Sale conditus minimum suppeditat alimentum: arteriam verò expurgat & vocem expedit. Illita saliti caro aculeos, & infixa corpori spicula extrahit.

Lib. 7.

Sic Paulus: Σίλουρος ταριχηρὸς βρωθεὶς ἀρτηρίαν κάθυγρον διακαθαίρει, καὶ καταπλασσόμενος δὲ σκόλοπας ἀνάγει: Neque est quod quis objiciat ἄιλουρον apud Paulum legi posse, sicuti apud Dioscoridem, quoniam illic Paulus ordine literarum vires medicamentorum tradit, & in ijs quæ à litera σ. incipiunt scribit, quæ modo citauimus. Idem de Galeni loco sentiendum, qui est libro nono, de facult. simplic. medic. ex quo sua descripsit Paulus. Τῶν δὲ ταριχευθέντων ἀιλούρων τὴν σάρκα λειωθεῖσαν ἐπιτιθεμένην ἐξάγειν σκόλοπάς φασιν, ὡς ἑλκτικὴν ἔχουσαν δύναμιν [illegible], vbi pro ἀιλούρους, σιλούρους intellige.

Silurum non esse Lucium.

Superest vnica mihi improbanda opinio viri eruditi, à quo dissentire mihi religio foret, nisi necessitatis cognitionem, qua nihil prius neque antiquius viro bono esse debet, ipse quoque rebus omnib. anteferret. De eo aliquando audiui cum diceret, veterum Silurum eum esse qui ab Ausonio Lucius vocatur, à nostris Brochet, cuius mores Siluri moribus à Plinio traditis optimè conueniunt. est enim Lucius voracissimus. dentibus acutis, longis, firmisque armatus est, quem verè dicere possemus in animalia grassari. Cuius rei exemplum proferam. Narrauit mihi vir fide dignissimus vidisse se Mulę, quam

quam iter faciens in Rhodanum potatum duxerat, labrum inferius à Lucio dentibus apprehensum: cuius demorsu cruciatam & territam inde fugisse, & crebra capitis quassatione Lucium in terram deiecisse. quem ille palpitantem & in aquam redire conantem cepit, domumque tulit. Certum est feles paruos & canes in viuaria Luciorum coniectos ab ijs deuorari. Quare mores quidem conueniunt, sed natalis locus maximè repugnat. Lucius enim lacustris & palustris, siue fluuiatilis tantum est. Silurus marinus & fluuiatilis. Neque Lucio competunt notæ quas Siluro Ausonius tribuit, quod dorso sit flauescente olei modo: quod tam vastæ magnitudinis vt Delphinus fluuiatilis nominari possit. Denique Lucium à Siluro apertè distinxit: cum enim de Lucio atque alijs aliquot dixisset, subiunxit hæc de Siluro vt diuerso pisce.

Nunc pecus æquoreum celebrabere magne Silure:
Quem velut Actæo perductum tergora oliuo
Amnicolam Delphina reor, sic per freta magnum*
Laberis: & longi vix corporis agmina soluis,
Aut breuib. defensa vadis, aut fluminis vluis:
Aut cum tranquillos moliris in amne meatus.
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ: diffunditur alueo
Æstus, & extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam balæna profundo.

* *Forte magnus.*

Propositis igitur multorum de Siluro sententijs nostram libere proferre non dubitamus. Existimamus autem veram Siluri figuram pictura nostra repræsentari, quam ex Istri siue Danubij Siluro expressam misit ad me Conradus Gesnerus: (*Vide quæ scripsi suprà in Corollario secundo de Asellis, pag. 96. vbi hanc non Siluri, vt Rondeletius memoria lapsus putauit, sed Aselli cuiusdam, qui non in Istro, sed Oceano, reperitur, iconem inuenies, &c.*) de cuius moribus à Germanis fide dignissimis eadem narrantur, quæ Plinius Siluro tribuit: ferox enim est, & in animalia impetum facit, eorum enim catulos iniectos discerpit & deuorat. Vastissimo est oris hiatu, dentibus multis acutissimis & validissimis munito. non squamis, sed cute dura contegitur & nigricante. Oculis est magnis. Pinnas duas habet in dorso, à podice vnicam, alias habet branchias (*dicere voluisse videtur, alias habet iuxta branchias, & alias in ventre: vt pictura ostendit, nescio quàm rectè. vix enim in alio pisce pinnas ita se habere puto: & pictura ad piscem inueteratum facta est*) in ventre. Carne est dura. Ad quæ ea conferat antea ex Galeno & Dioscoride diximus.

Hanc meam de Siluro sententiam æqui bonique omnes vt consulant, oro atq; obtestor: qua certiorem, & euidentioribus testimonijs probatam si qui proferant, libenter me eis assensurum profiteor.

COROLLARIVM I. DE SILVRO EX VETERIBVS.

A De Siluro permulta diximus suprà in Corollario de Glanide. Αἴλουρος pro σίλουρος in multis veterum medicorum, qui Græcè scripserunt, libris legitur perperam, vnius literæ mutatione: apud Dioscoridem, & Galenum lib. 11. de simplicibus, & Tarentinum qui Geoponica condidit. Bellon. quidem tum silurum à caudæ agilitate dictum putat, quod eam anguillæ instar moueat. (nimirum etiam felis quadrupedis, quam Græci ælurum nominant.) Ego omnino librariorum negligentia aut inscitia ælurum pro siluro scriptum puto. Textor Rauisius quidem tradit, Æluros esse pisces quorū oculi ad vices Lunę aut ampliores fiant, aut minores: sed imperitè. authores enim de felium oculis hoc tradunt. Serapio ex Dioscoride simul & Galeno transtulit Harbe. de qua voce Arabica leges in Chamæleonte A. in libro de Quadrupedibus ouiparis. Aëtius (*Vegetius fortè*) silluarion, vt puto, pro siluro dixit: cuius felle suffusos oculos inungi, cum Attico melle, præcipit, bobus, Hermolaus.

B Siluri in Ægypto diuersis locis inueniuntur, præcipuè in Nilo. Magna qui voce solebat Vendere municipes fracta de merce siluros, Iuuenalis Sat. 4. de Crispino Ægyptio. In Bubasto Ægyptia stagnum est, vbi cicures permulti siluri aluntur, Ælianus 12. 29. Silurum Alexandrinum Paxamus nominat. In Nilide lacu ex quo Nilus oritur, siluri reperiuntur, Plinius 5. 9. Eosdem in Nilo esse Strabo & Athenæus tradunt. Præcipua magnitudine thynni sunt, &c. sunt & in quibusdam amnibus haud minores, silurus in Nilo, esox in Rheno, attilus in Pado, Plinius. Idem alibi ex siluro fluuiatili indicato remedio, addit: qui & alibi quàm in Nilo nascitur. Et alio in loco remedium è siluro, præcipuè Africo, tradit. Iidem etiam in fluminibus procreantur, vt in Cydno Ciliciæ fluuio: sed ij quidem idcirco minuti proueniunt, quod eius confluens nitidus & frigidus sit, quo non ipsi delectantur, sed turbido potius, ac planè limoso, eoque pinguescunt: & Pyramus quidem, atque Sarus Cilices fluuij, eos longe pleniores ferunt, tum Orontes Syrorum fluuius eos progignit. Ptolemæorum item fluuius, & Apamiense stagnum maximos generant, Ælianus 12. 29. Canaria ex Fortunatis insulis vna amnes habet siluris piscibus abundantes, Solinus. Silurus grassatur vbicunque est, omne animal appetens, præcipuè in Mœno Germaniæ amne prope (*alias propter*) Lisboum, Plinius.

vbl.

Plinij locus perpensus de Mœno fl.

Hermolaus apud Plinium, pro Mœno asserens Ænum legendum, errauit, cū Mœnus non inferior sit Æno. de siluro (tamen) Mœni Celtes nihil comperit, diligentissimus rerum Germanicarum indagator, Spiegelius. Ex vetustis codicibus (inquit Massarius) aliqui in Rheno, & aliqui in Mœno habent, Hermolaus verò in Æno legendum censuit, quod non probamus: cum, quod Ænus tempore Plinij & priscorum autorum non erat Germaniæ fluuius, cum ea tantum pars quæ vltra Danubium est, tunc Germania appellaretur: at Ænus citra Danubium est, in quem influit prope Patauium nobilem ciuitatem Bauariæ, quæ pars Norici est: tum etiam, quod non adeo magni pisces in Æno reperiuntur. legendum ergò in Rheno, vel potius in Mœno, vti scriptum est. Mœnus nanque fluuius est quem nunc Mangonum & Moganum Germani vocant, omnibus Germaniæ fluminibus curuior, ex Pinifero monte orientalis Franciæ descendens iuxta Hercynium, & in Rhenum se exonerans, quod Iacobus Zieglerus ([redacted]) me monuit, Hæc Massarius. Mœnus fluuius, cuius lib. 1 x. meminit Plinius, adhuc (vt semper) à Germanis vocatur Mainus, (non Moganus aut Mogus: quæ vocabula nostratium imperita confinxit antiquitas,) Moguntiæ insignis vrbis occasione, è regione cuius Mœnus Rheno miscetur, Beatus Rhenanus. Siluros tradit Plin. in Oeno (*Æno*) amne propter Visbium vrbem Germaniæ grassari. Visbium autem iuxta Ptolemæum, sicuti ex computatione partium & segmentorum existimari licet, ad hostia Æni amnis conditum fuit: quem nunc literatores Enesum vocant. Cæ-

terum

terum alius amnis, qui in Danubium Bathauiæ erumpit, in prima ſyllaba per diphthongon vltimam Oe. ſcribitur, & profertur more Græcorum, à Germanis nimirum veluti. longum: ille in prima ſyllaba primam diphthongon æ habet, Latinam ſeruat pronunciationem, Ioan. Auentinus. Ego ex diuerſis illius fluuij, in quo ſiluros præcipuè graſſari Plinius ſcripſit, nomenclaturis, Rhenum præ cæteris legere malim. nam ſi in Moſella eſt ſilurus, vt canit Auſonius, è Rheno in eum amnem ſubire poteſt: itemque ſi in Mœno. & Pauſanias cum in alijs fluuijs, tum in Rheno Iſtroque belluas eiuſmodi, hominibus perniciosas, glanibus ſimiles, reperiri tradit. Ex Iſtro quidem in Oenum fluuium, à quo Oenipontem oppidum denominant, ſubire poteſt. Cæterum pro his verbis, prope vel propter Lisboum, Barbarus corrigit, prope Visbium. Neutrum probo (inquit Maſſar.) non enim veriſimile eſt Plinium indicaſſe talem amnem magis prope Visbium eſſe, quam prope alterum locum, cum longiſſimus ſit: aut ſilurum id magis facere prope Visbium, cum in omni eius parte ſilurus hæc facere poſſit. Antiqua verò lectio: pro telis boum: quæ & mendoſa eſt, ſed aliquid omnino ad boues referre voluit, quoniam dixit omne animal appetens, equos innatantes ſæpe demergens. Cornarius ex codice antiquo ſic legit: Silurus graſſatur, &c. præcipuè in Rheno Germaniç amne proterens boues. Et in Boryſthene memoratur præcipua magnitudo, nullis oſſibus ſpiniſue interſitis, carne prædulci: Plin. non quidem de Siluro, vt quidam falsò opinati ſunt. Silurus nanque ſpinas habet, ex Plinio, lib. 32. cum dicit: Siluri fl. cinis ſpinę vicem ſpodij præbet, Maſſarius.

Blax piſcis ſimilis eſt ſiluro, ſed inutilis. Vide Blax ſuperius elemento B. Eſt & glanidi ſimilis ſilurus, adeò vt etiam docti quidam confuderint, vt in Glanide oſtendimus. --- velut Actæo perductus tergora oliuo, Auſonius: fortè non ad colorem, vt quidam putarunt, ſed ad nitorem cutis oſtendendum. Spinas eum habere paulò ante dictum eſt. Siluro ſimilem caudam crocodilus (*alias melius, cordula*) habet, quoad paruum magno licet conferre, Ariſt. Gillius ſilurum dentatum eſſe putauit, eò quòd hamifragus ſit, quodque homines & equos deuoret. Ariſtot. quidem glanidi duriſſimos dentes tribuit, ſiluro quod ſciam nemo nec hamifragum tamen glanin, ſed hamiuorum eſſe dixit, hoc eſt ἀγκιστροφάγον non ἀγκιστροκατάκτην. Et Ælianus de animalibus 12. 14. vſurpatum ab Ariſtotele verbum, interpretatur, ἱκανὸν καταπιεῖν τὸ ἄγκιστρον: hoc eſt, qui hamum deglutire poſſit.

C Silurus minorum piſcium veteribus aluum replet. diuus Ambroſius. Graſſari eum in hominem & omne animal obuium, prædictum eſt. Fluuiatilium ſilurus caniculæ exortu ſyderatur, & aliâs fulgure (*tonitruo magno, Ariſtot.*) ſopitur. hoc & in mari accidere cyprino putant, Plinius. ſed Ariſtoteles de glanide hoc ſcribit, non de ſiluro.

D In Bubaſto Ægyptia ſtagnum eſt, vbi cicures permulti ſiluri aluntur. Vide mox in E. Silurus mas ſolus omnium edita cuſtodit oua, ſæpe & quinquagenis diebus, ne abſumantur ab alijs, Plin. ſilurum autem pro glanide conuertit ex Ariſtot. Glani & cyprini in viuario ædium nobiliſſimi viri à Iarnaco, pulſato pariete ad cibum properant, id quod ipſe ſum expertus, Rondeletius Tomi prioris 4. 10. neſcio piſces glanorum nomine intelligens, niſi fortè lucios. Veros quidem ſeu ſiluros ſeu glanides, in Gallia vix reperiri puto: aut ſi reperiuntur, vt in Moſella ſiluri Auſonio teſte: in horum tamen piſcium hiſtoria Rondeletius eos ſibi viſos negat.

E Myſi (inquit Ælianus de animalib. 14. 25.) non ij qui Telephi Pergamum incolunt, ſed inferiores, qui ad Pontum: quique vicinorum Scytharum incurſiones propulſant, & ſuis viribus regionem ſuam defendunt. Ea prope Heracleam eſt, & circa Naxium flumen (*Heracleam hodie Naxium portum vocari ſcribit Munſterus*) prope Tomin (*Tomium vel Tomos*) ciuitatem. Hi inquam piſcandi rationem obſeruant huiuſmodi. Iſtrianus natione piſcator ad Iſtri ripam (*Atqui Iſter Europæ fluuius eſt, non regionis iuxta Pontū & Heracleam. vtrobique tamen Myſi dicti populi habitant. Vide Onomaſticon noſtrum*) boum par impellit, aut equorum, iugum ipſe humeris gerens, eum in locum, vbi commodam ſibi & ſedem & piſcationem arbitratur, atque ad ripam iumentis pabulum apponit. vnde interea hæc complentur, dum ipſe funis bene robuſti alterum caput ad medium iugum alligat, ex altero capite hamum validiſſimum acutiſſimumq; appendit: quem aſſo tauri pulmone inſtructum ad illiciendum Silurum (ſuauiſſimam ei eſcam) deijcit, poſtquam ex linea ad quam hamus alligatus eſt, quantum ſatis eſt plumbi ad moderandum tractum appendit. Vbi Silurus bubulæ eſcę ſenſum percepit, ſtatim eſcam appetens, hamum incautè totis faucibus deuorat: & dum transfixus ex eo euadere cupit, omnibus viribus funem exagitat. quod quidem ipſum animaduertens piſcator, cū ſummo gaudio quàm mox à ſeſſione exurgit, & boues equosue admotis ſtimulis incitat, ac iumentis cū cetaceo piſce bene robuſto luctatio eſt: Nam hic Iſtri alumnus omni virium contentione ſe in altitudinem deprimit, illa contra retrahunt: ſed piſcis vincitur ex amborum tractu, atque in ripam iugo extrahitur, Hæc Ælianus. Audio & Huſones (id eſt Antacæos) captos, boum iugo extrahi hodie in Danubio. In Bubaſto Ægyptia ſtagnum eſt, vbi cicures permulti ſiluri aluntur: & obiecto ad ſe nutriendos pane, ad quem illi certatim ſubſiliunt, paſcuntur, Ælianus. Apud Tarentinum in quadam piſcium ineſcatione legitur σιλούρου, βρόμου: vbi Cornarius vertit, ſiluri viroſi: Andreas Lacuna, Græca relinquit, æluri, bromi. Rurſus inferius in eſca ad murenas, ſcribitur, σιλούρου ποταμίου: vbi Cornarius iterum, ſiluri fluuiatilis reddidit. Ex fumo ſiluri lento igne combuſti, formicæ pereunt, Paxamus.

Silurorum captura. — *Siluri cicures.* — *Vſus ad ineſcandos piſces, & contra formicas.*

F Captus eſt ſilurus, & inutilis præda detecta eſt, diuus Ambroſius tanquam de piſce vile. Silurus recens in cibo nutrit, & facilem præbet aluum. ſalſus verò (ταριχηρός) minimum ſuppeditat alimentum, (ἄτροφος, pro ὀλιγότροφος) arteriam expurgat, & vocem expedit, Dioſcorides. Vocem ſiluri recentes ſalſiue in cibo ſumpti, adiuuant, Plinius. Dioſcorides falſo tantum eam vim adſcribere videtur, quod Ægineta etiam clarius effert: Salſus (inquit) eſitatus arteriam humidam perpurgat. Aluum emollit ſilurus è iure, Plinius. In ſiluro (ius vel condimentum:) Piper, liguſticum, cuminum, cepam, menthā, rutam, ſaluiam, caryotam: mel, acetum, ſinape & oleum, Apicius 9. 12. Ταριχηρὸς σίλουρος apud Athenæum legimus. Garum eſt liquamen ex piſce ſiluro confectum, Cælius Aurelianus.

G Illita (cataplaſmatis loco) ſalſi ſiluri caro, aculeos & infixa corpori ſpicula extrahit, Dioſcorid. & Galenus, qui contritam imponi tradit. Siluri fluuiatilis carnes impoſitę recentes, ſiue ſalſę, tela corpori inhærentia extrahunt, Plin. Phagedænæ ſanantur ſiluro inueterato, & cum ſandaracha trito. Idem

Caro.

Muria. Muria eius incipientibus dyſenterijs prodeſt, ſi in deſidentium fotus (εἰς ἐγκάθισμα) adijciatur. fluxiones ſiquidem ad ſumma cutis elicit. iſchiadicis infuſa medetur, Dioſc. Muria ſalſorū piſcium putridis vlceribus congruit, dyſentericiſq; ac coxendicum doloribus iniecta medetur. acrimonia enim ſua infeſtos coxendici humores attrahit, & per inteſtina euacuat. præcipuè tamen ſilurorum mænularumq; muria medici quidam ad huiuſmodi morbos vtuntur: quam nos interdum ad putrida oris (ἐν στόματι, alias στομάτι) vlcera accommodauimus, Galenus in fine vndecimi de ſimplicib. medicamentis: vnde & Aëtius repetijt. Dolores lenit iſchiadicorum muria ſiluri clyſtere infuſa. dantur (*quærendum an hæc ad præcedentia pertineant, vt conchæ pro menſura dicantur, & numerus deſideretur*) conchæ ternis obolis dilutæ in vini ſextarijs duobus per dies quindecim, Plinius. Mihi quidem tum ad dyſenteriæ, tum ad iſchiadis curationem, clyſtere potius inijciendam eſſe muriam (vt Galenus & Plinius docuerunt:) quàm ad encathiſma, id eſt, inſeſſum adhibendam, vt Dioſcorides ſcribit, probatur. Et alibi idem Plinius: Iſchiadicos liberant ſalſamenta ex ſiluro infuſa clyſtere, euacuata prius aluo. Medici Græci non ſalſamenta, id eſt ſalſas huius piſcis carnes, ſed halmen, id eſt ſalſuginem ſeu muriam, hoc efficere dicunt. eſtq; ea ſanè clyſteribus vel per ſe non incommoda. Perniones emendat ſiluri adeps, Plinius. Aetius ſilluarion, vt puto, ſilurum vocauit: cuius felle ſuffuſos oculos inungi, Cum Attico melle, præcipit, bobus, Hermolaus. Siluri ſuffitu, præcipuè Africi, faciliores partus fieri dicuntur, Plinius. Ad ignes ſacros reſtinguendos vtuntur ſilurorum capite cinere ſalſamentorum (*fortè ſalſorum*) ex aceto, Plin. Vlcera quæ ſerpunt, & quæ ex ijs excreſcunt, ex capite mænarum cinis, vel ſiluri coërcet, Idem. Et alibi: Siluri cinis inhærentia corpori tela extrahit: & cinis ſpinæ eius vicem ſpodij præbet.

Adeps. — *Fel.* — *Caro ſuffita.* — *Cinis.*

Sillurus apud Varinum non rectè l. duplici legitur, cum prima corripiatur. Vendere municipes fracta de merce ſiluros, Iuuenalis. Σαπρὸν σίλουρον ἀργυροῦς πίναξ ἔχων, Sopater. H. a.

Pierius è Glanide hieroglyphicum facit, ad denotandam paternam diligentiam in filijs educandis. *Icon.* qua de re quæ Ariſtoteles de glanide ſcripſit, Plinius ad ſilurum tranſtulit. & quanquam diuerſi ſunt piſces, genere tamen & natura cognati videntur. Eodem picto helluonem & voracem hominem notare conueniet, cum in omne animal obuium graſſetur ſilurus.

Sillura inſula eſt in Oceano Britannico, vt Solinus inquit, cuius incolæ numos refutant. dant res & *Propria.* accipiunt mutationibus. Scylurus autem per c. & ypſilon ſcribitur: Scytharum rex fuit, qui (vt Plutarchus in libello de garrulitate refert) cum relictis octoginta filijs diem eſſet obiturus, petijt faſcem haſtarum. quo accepto filijs imperauit, vt omnes ſimul connexas diffringerent ac rumperent. quod cum fieri poſſe negaſſent, ipſe educens ſibi ſingulas, omnes facile fregit: ita docens illos, vbi vna eſſe perſeuerarent, firmos ac potentes fore, imbecilles autem ſi ſepararentur ac diſſiderent.

Vt carbunculi (vitibus) non noceant, aliqui ſiluri carnem leuiter vri iubent in arbuſtis, à vento vt e. per totam vineam fumus diſpergatur, Plinius.

Egregium hoc eſt in arte coquendi (μαγειρικῇ) palata conuiuarum prænoſſe. Quod ſi Rhodios in- f. uitaſti, εἰσιοῦσι δ' ὡς Εὐθὺς ἀπὸ θερμοῦ τὴν μεγάλην αὐτοῖς παράθες, Ἀποζέσας σίλουρον, ἢ λεβίαν, ἐφ' ᾧ Χαρῇ πολὺ μᾶλλον, ἢ μυρίνην (vini genus) προσεγχέας. Ἀστεῖον ὁ σιλουρισμός. id eſt, cibus ſiluri res eſt valde vrbana & lauta, Diphilus apud Athenæum.

Eraſmus in prouerbio, Anulus aureus in naribus ſuis: Adiungendum eſt (inquit) illud Antipha- h. nis (*Sopatri*) apud Athenæum lib. 6. Σαπρὸν σίλουρον ἀργυροῦς πίναξ ἔχων. id eſt, Putrem ſilurum quadra habens argentea.

COROLLARIVM II. DE SILVRO EX *noſtris Obſeruationibus.*

Effigies hæc Siluri eſt, quam olim incognito Latino nomine accepi pro piſce quem Germani Welſs *appellant: cuius tamen poſtea accuratius expreſſas icones (quæ corporis forma, pinnas & barbulas excipio, ad muſtelam fl. noſtram, quam pag. 601. exhibuimus. proxime accedunt) Iulius Alexandrinus è Danubio, & Io. Kentmanus ex Albi ad me dederunt. Eſt autem idem qui Barbota vel Solaris à quibuſdam (vt Alberto ſimilibus) appellatur: & Vngaricè Hartſcha, Polonicè Sum, & in alijs Germaniæ locis* Schaid *vel* Weller. *Ego quæ ſub ſingulis iſtis nominibus, diuerſis temporibus, tanquam diuerſorum piſcium, accepi, (cum nondum ad eundem omnino piſcem pertinere mihi conſtaret,) ſingulatim deinceps ac ſeorſim exponam. Poſtremo duas ab hoc differentes Siluri ſpecies cum ſuis iconibus adiungam.*

Quiſquis ea quæ de glanide veteres ſcripſerunt, ac nuper Bellonius, (qui tamen glanim cum ſiluro confudit,) in G. elemento nobis expoſita, cum ijs quæ hîc de ſiluro tradimus primùm ex veteribus, deinde obſeruationibus noſtris non oſcitanter contulerit, verum eſſe quem proponimus ſilurum, facillimè deprehendet: ac diligentiæ noſtræ, quæ tot tantiſque ſuper ſiluri re ac nomine controuerſijs inter eruditos noſtro ſeculo agitatis finem impoſuerit, nonnihil ſe debere fatebitur.

Iouius Capite 4. libri de piſcibus, multus in hoc eſt vt ſturionem hodie dictum, veterum ſilurum eſſe conuincat: cuius argumenta omnia eruditè Rondeletius deſtruit: in hoc tamen & ipſe & alij falluntur, quod ſilurum dentatum eſſe putarunt: eoq; etiam argumento ſturionem edentulum piſcem ſilurum eſſe non poſſe. Dentes enim ſilurus noſter non habet, ſed labia limæ inſtar exaſperantur, vt prædam facilè retineat: retentam mandere ei & comminuere opus non eſt, ſed faucib. & gula maximè patentibus integram vorat. Matthiolus Senenſis ſilurum ſquamoſum & bene dentatum pingit in Dioſcoride ſuo Venetijs impreſſo anno 1554. poſteriorem enim nondum vidi: deceptus nimirum ab aliquo, qui hanc effigiem ceu veri piſcis alicuius ei obtulit: ego nullum eiuſmodi piſcem, qualem ea pictura repræſentat, extare puto, tantum abeſt vt pro ſiluro admittam. In hoc etiam longè fallitur quod eundem piſcem in Pannonia Acchia vocari putat, & ad Rheni litora Germanicè *Bolich*. hic enim omnino aſellorum Oceani ſpecies eſt. Acchiam verò Pannonicè ſilurum dici Manardus primum docuit de quo & piſce & nomine mox plura dicemus.



Barbota. Borbotæ ſunt piſces quidem fluuiales, aliquatenus anguillis ſimiles: lubricæ nanque ſunt, & excoriantur ſicut anguillæ. Corium habent nigrum, eſum dulcem, & hepar præ omnibus piſcibus melius & efficacius: caput magnum reſpectu corporis: os amplum, & latum valde. Cum autem ætate hi piſces duodecim annos exceſſerit, in vaſtitatem ac longitudinem maximam creſcit, & Solaris vocatur

tatur, quia in Sole libenter in ripis fluminum iacet, Iſidorus & author de nat. rer. & Albertus. Vide ſuprà etiam in Glanide, pag. 386. Borbotæ quidem nomine accipiunt piſcem illum quem Botatriſſiam Itali vulgò nominant, nos inter Muſtelas fluuiatiles deſcripſimus: huic.n. ſilurus paruus perſimilis eſt, ita vt Bellonius etiam Botatriſſiam à glanide ſiue ſiluro vix diguoſci tradat. Ex eo tamen adulto ſilurum tandem fieri falſum eſt. Eſt & Barbotta piſcis barbatus, circa Tanaim dictus, ex Antacæorum genere, quem ichthyocollam Bellon. nominat, & ſimilem ei (*barbis nimirum & capite*) ſilurum facit. *Solaris.*

Aliquando veſtigia iacentis ac dormientis piſcis remanent in fundo harenarum: & ibidem iacens percutitur tridente. hoc enim modo piſcatores venantur magnos piſces marinos: & in Danubio ruffos, huſones, ſturiones, & huiuſmodi, Albertus. Ego ruffum piſcem Danubianum hactenus cognoſcere nullum potui. Stephanus Lauræus Amorfortius medicus apud Ferdinandum Romanorum regem præclarus, ad literas meas quibus de hoc piſce, enumeratis Alberti verbis, interrogaram, in hunc ferè modum reſpondit: De *ruff* piſce, Poſonij (ſuperioribus diebus ad generoſam quandam matronam priſtinæ ſanitati reſtituendam eò profectus) cum piſcatoribus & hominibus literatis contuli. omnes adfirmarunt præter huſones & ſturiones eſſe (*in Danubio*) eximiæ magnitudinis piſcem, & veluti beluam, qui ab illorum magnitudine parum differat, eodemque modo in arena dormiens capiatur. ruffum autem illum ab Alberto dictum conijciebant, quod ſubrubram aut ſubruffam habeat carnem. Piſcatores Hungari vocant Schvvreg, vel Shvvreg, & literati quidam Latino nomine ad vernaculum efformato Scurionem. Deinde cum illuſtrem dominum Georgium Draſzkovvyth Hungarum Epiſcopum Quineccleſienſem (virum doctiſſimum, & rerum etiam naturæ conſultum,) rogaſſem ſuper eodem piſce, Ruffo Alberti: reſpondit mihi proculdubio illum, vnum ex duobus, nempe vel Scurionem eſſe, de quo nunc ſcripſi: vel potius quem Hungari Harcha, Germani *Huechen* (*feſtinationis hunc lapſum ſuſpicor, & ſcribere voluiſſe Schasden. nam Huechen ſpecies quædam trutæ eſt, cuius cū trutis ſonem dabimus*) appellant. Harcha enim habet in ventre cum alias maculas, tum ruffas Nulli quidem piſces in Danubio magni ſunt præter Huſonem, Sturionem, Tok, (Germani *Tickhen* vocant,) Harcha & Schvvreg. Sed his de rebus ſi quid ipſa dies docebit exactius, libentiſſime communicabimus, Hæc Lauræus. *Ruffus.* *Schvvreg. Scurio.* *Harcha.*

Silurus Vngaricè Harcha dicitur, à latitudine dorſi, vt audio, autoris fortè. profertur autem Harcha non aliter quàm ſi Hartſcha vel Harcza ſcriberetur à Germano. ſolent quidem etiam Itali ch ſcribere & proferre, vbi Germani tſch. Pannonij Danubij accolæ ſilurum vulgari ſermone Acchia vocant, Ioan. Manardus: ſed aſpirationem & r. literam omiſit, & triſſyllabum pro biſſyllabo feciſſe videtur. Hoc quidem illi debemus, quod primus noſtro ſeculo ſilurum agnouit: quanquam præter hæc aliud nihil addidit, & à nemine hactenus quo de piſce ſentiret intellectum eſt. Ego & paulò antè ex Lauræi literis de Harcha quædam ſcripſi: & plura hîc addam, quæ ex eruditi iuuenis Io. Viti Balſaratij Vngari colloquijs accepi, vnde Harcham proculdubio ſiluram eſſe liquidò conſtabit. Barbottam (aiebat) piſcem in Tibiſco (qui Daciæ fluuius Danubio miſcetur) aliquando captum ſe vidiſſe ſeptem vel octo cubitorum, plauſtrum occupantem. eum in fluuio annis ſedecim ſub culina viri cuiuſdam nobilis latuiſſe. hamo tandem ineſcatum eſſe, dum fœturam ſuam cuſtodiret vbi ſe captum ſenſit, exiliiſſe. ſecutos impetum eius piſcatores ad miliaria duo, denique defatigatum cepiſſe, & in oppidum Nadlac vexiſſe: ibi in eius ventre caput humanum cum dextra manu & tribus annulis aureis inuentum eſſe: cuius rei abominatione incolæ multis poſtea annis hoc genere piſcis, non vilis alioquin, abſtinuiſſe. Barbas eum ſupra infraque os habere, rictum latum, caudam verſus attenuari. dentes habere inſtar pectinis illius quo laneæ veſtes depectuntur, à carduis denominati vulgò. ſquamis carere. in aquis cœnoſis verſari. *Harcha vrſus.*

Eiuſdem piſcis Illyricum nomen eſt Sum, Polonis ac Bohemis vſitatum. Author libelli qui rerum nomenclaturas Latinas cum Polonicis & Germanicis confert, Balænam & Cetum interpretatur Sum: nec ſcio an marina etiam cete eodem nomine appellent. Auſonius etiam propter magnitudinem corporis balænę ſilurum comparat: quoniam vbi is in flumine adeſt, --- diffunditur alueo Æſtus, & extremi procurrunt margine fluctus. Talis Atlantiaco quondam balena profundo, Cum vento motuue ſuo telluris ad oras Pellitur, excluſum fundit mare, magnaque ſurgunt Æquora, vicinique timent decreſcere montes. Germani quoque, in Sueuia præſertim, *Waller* vel *Wacller* quaſi balænam vocitant. Ab hoc Illyrico nomine Albertum puto, cum ſilurum eſſe neſciret, Latinum Sumus finxiſſe, in Catalogo piſcium alphabetico: vt in Glanide etiam notauimus. Capitur Cracouiæ alibique in Viſtula fluuio, item in Pruſſia. Piſces, carnem. & cadauera eum vorare aiunt: è mari aſcendere: vt affirmauit Polonus quidam literatus, qui inſpecta apud me effigie, quam Rauenſpurgo Sueuiæ accepi, eam omnino Sumi piſcis eſſe affirmabat. vilem haberi, per fruſta diuendi, media corporis eius præferri, reliqua nimis dulcia ac mollia eſſe. Alius quidam Sumum carnem aiebat habere ferè vt Lucius, ſolidiorem, vulgò lautam. Ego pro ætate diſcrimen eſſe puto: minores lautos eſſe, maiores non item. Gedani (in ora Germaniæ) audio piſcem eſſe, qui cum diſſecatur, fruſta mouentur ac tremunt, carne vt Sumi. Silurus degit in Albi amne noſtrę gentis, & noſtratibus nominatur Sum, infeſtus piſcibus cetus: vnde apud nos vulgare verbum: Piſcis piſci præda, at ſiluro omnes. in Rheno hodie defeciſſe videtur, Sigiſmundus Gelenius Bohemus in epiſtola ad me. His addam quæ Antonius Schneebergerus ciuis & olim diſcipulus meus, nunc medicus egregius, de Sumo piſce, Cracouia ad me ſcripſit, cum mentionem eius à me factam in Germanico piſcium catalogo legiſſet: *Schaid* piſcis Polonis Sum nominatur. capitur verò in Viſtula flumine aliquando longitudinis ſedecim pedum: latitudinis trium dodrantum. Muſtelæ fluuiali (*Truſchen*, Mientus Polonicè) capitis forma, ſpina dorſi, caudæ longitudine ſimilis, item lubricitate. Oculi parui ſunt, qui in pinguioribus bubulis ſimiliter prominent. Per totam caudæ inferiorem (intellige à ventre procedentem) partem pinna vſque ad extremitatem eiuſdem porrigitur, eaque in fine vnica non bifurca eſt. appendices geminas non breues, & in maioribus indicis digiti craſſitudine, in extremitate ſuperioris labri vtrinque vnam habet, his variè circunuolutis alios piſces os ſuum apertum ingredi cogit, hacque ratione venatur. Ferunt quendam molitorem hamum in Viſtu- *Sum.* *Sumus.*

lam iecisse, eoque relicto ad quoddam temporis spacium abfuisse, interim verò anguillam hamo captam esse: quam cum Silurus (*Schaid*) deuorare vellet, lubricitate corporis adiuuante per branchias eiusdem Siluri transijsse, simulque silurum cum anguilla vtrunque mediocris magnitudinis captum esse. Vesicam albissimam simplicem, non duplicem, sicuti in cyprinis apparet, habet. huic venter cum intestino tenui parum flexuoso imminet. intestinum in sinistra eius parte descendit ad pinnam quæ circa corporis finem, caudæ autem principium, in inferiori parte posita est, illicque excretionis meatus esse apparet. In ventriculo nihil quàm lacteus quidam succus erat. Color exterior in iunioribus nigrior, parum albicantibus maculis distinctus, in senioribus contrà. Caro substantiæ friabilitate, albedine, sapore luciorum non dissimilis, densior tamen videtur. Paratur eo modo quo scribis, (*hoc est, sicuti anguillæ, in croceo iure.*) Preterea in veru saluia & maiorana confixa assatur: quo modo cauda parata in delicijs habetur. cutis densa est, videturque facillimè excoriari posse. Audio extra aquam per triduum maiores viuere, præsertim hyeme. Maiores eâdem ratione capiuntur, qua salmones circa Basileam, Hucusque Schneebergerus.

Schaid.

Germani qui ad Danubium accolunt *Schaid* vel *Scheiden* nominant silurum, siue à damno quod voracitate sua infert, (damnum Germani *schad* vocant:) siue à figura vaginæ (quam alij *Schaid*, nostri *Scheid* appellant) præsertim gladij equestris: quæ latior initio, paulatim in angustum desinit. Huius nominis piscem in Danubio & Theissa, id est Tibisco, capi aiunt. omne piscium genus obuium ab eo vorari, maximum esse post husonem ad libras (sedecim vnciarum nimirum) octoginta aliquando accedere, barbatum esse, rictu amplo latoque, cartilagineum, (Bellonius etiam silurum cartilagineis ouiparis vt sturioni & attilo adnumerat:) squamis carere: carnem habere mollem, pinguem ac viscosam. minorem natu fusci vel nigricantis coloris esse: cum senescit, albicare. è mari subire Istrum. in delicijs haberi, & apparari anguillæ instar in iure croceo. Marca fluuius non longè supra Presburgum in Danubium exonerat. is quoque Schados, id est Siluros recipit: & alibi in Vngaria lacus Peiso (vulgò *Newsidlersee*) dictus: quem miliaria Germanica septem longum esse audio. latum tria: insulas quasdam natantes sustinere, ingentes cespites herba vestitos, quibus etiam arbores innascantur: in ijs ceu puteos à piscatoribus excindi: ad quos cum se contulerint siluri, instrumento ferreo (ita fabricato, vt quò magis renituntur pisces, eo amplius comprimatur) feriuntur. precium est in libras nummus cum dimidio, is qui à cruce denominatur Germanis vulgo: (quorum septem cum dimidio denarium argenteum constituunt:) dorsi verò partes, propter spinam diuitibus expetitam, quarta parte maioris veneunt. Pars circa caudam tota assatur & ipsa in delicijs diuitum. Captum illic audio, octo aut amplius cubitos longum, pondere centum quinquaginta sex librarum communium, quæ vncias sedecim appendunt. Nuper Achilles Gassarus medicus [illegible] & studiorum meorum promotor, in hæc verba ad me scripsit: Piscem *Schaiden* sæpæ Viennę vidi. is quo minor, eo delicatior est. paruus adhuc, vt pedem aut cubitum non excedat, appellatur illic *ain Duk*: adultior verò *ain Schaiden*. Idem in dicto Ambronis lacu (*Ammersee* vulgò in Bauaria) sæpe capitur. suntque elapso autumno duo quinos pedes longi Mecœnati nostro missi, quos ille ad ædes Myconis in viuarium suum misit. Alius mihi narrauit piscem *Duk* vel *Tuk* vel *Tuck* in Danubio capi, non quidem circa Viennam, sed inferius circa Budam. molem eius libras (XVI. vnciarum) vigintiquinque appendere. Corpus vt husonis minus, multis ceu stellis varium, rostro prominente ad quinque aut sex digitos, veluti anserino: longiore & graciliore quàm sit husonis. Imperiti quidam paruum husonem esse putant. Vngari vocant Tock vel Tockhal, quod nomen ad antacæum accedit, si an. syllabam præponas. magnum esse aiunt, trium aut quatuor cubitorum, sine squamis, subnigrum, dorso spinoso, capite magno, nullis dentibus, cartilagineum, è mari ascendere: certo tempore capi vere & autumno. Haud scio an hic sit Sturio ille, quem superius Hungaricè Schvvreg nominauimus: & an idem forte antacæus stellaris, cuius iconem in operis fine dabimus: etsi huius rostrum breuius sit, quàm in Toco esse diximus: cætera congruunt. Alius quam *Schaid*, est piscis *Schied* in Bauaria dictus, quem & ipsum ad huius voluminis finem exhibemus.

Dick.

Tock.

Waller / & similia nomina.

Waller. Weller, Wale, Walle, Waellern, Welime, Wallern, in diuersis regionibus scribitur ac profertur Germanicum piscis siluri nomen, partim masculino genere partim fœminino: à balæna factum, quam similiter *Wal* vel *Wallfisch* appellant Germani. est enim veluti balæna quædam, seu cetus, id est maximus ferè piscis dulcium aquarum: vt pluribus scripsi suprà in Illyrico nomine Sum. Sunt autem vulgaria hæc nomina Sueuis præcipuè. in plerisq; .n. Sueuiæ, sicut & alijs Germaniæ, (& quibusdam Heluetiæ) lacub. reperitur: vt in Acronio lacu, & in alio quodam vallis Rhenanæ in finib. Heluetiorum, vt audio: & in Dunensi Bernensium Heluetiorum: item in Sueuia prope Rauenspurgum, & alio iuxta *Waldsee*: & in Carinthiæ lacu quem longum cognominant. deniq; in Bauariæ lacub. *Wallern* pisces copiosè capi audio. addebat quidam lardum eis esse instar porci, magnis præsertim. In Algoia regione (parte Sueuiæ) inueniuntur passim multa piscosa stagna & viuaria: quorum quædam ingentes producunt cancros, alia maximos pisces, pręsertim lucios, carpones, olrupas: aliosq; optimos pisces, maximè autem balenas, *Waelinn* vocant, habentes barbæ loco duos funiculos, deuorantes alios pisces & aquatiles aues. fiunt enim tam magni, vt quidam adæquent pondus quadraginta, alij quinquaginta librarum, Munsterus. *Waelinen* maximi pisciũ in Acronio, gobios fl. capitatos quodammodo referunt, sapore carnis mustelas quas trissias vocant. Raro capiuntur. incolunt enim profundissimos gurgites. apparent tamen aliquando, sed raro singuli. Cõspectus eorum veteri persuasione pro ostento habetur, & magna rerum mutatio metuitur. Circa annum salutis 1498. ad Rheni angulum vulgo nominatum, tres huiusmodi pisces capti sunt: quorum breuissimus (viro tamen procerior) Constantiã delatus est: vbi in piscatorũ tribu pictura adhuc spectatur. Vt rectè parentur, in frusta dissecti, & vino frigido immissi elixantur: ac iure croceo aromatico condiuntur, Mangoldus. Rauenspurgi in Sueuia ante annos aliquot vidi in pariete nosocomij pictum silurum pregrandem, qualem quantumq; ante paucos annos in proximo lacu captum aiebant: septem vel octo pedes longum, nigricantem, maculis ad ventrem fuscis, hoc est è nigro modicè albicãtib. Cauda nõnihil ab alijs quas habeo picturis diuersa, trapezij quadam spe-

dam specie, quali secures ferme spectantur: barbis pedalibus. Eam picturam nobilis in ea ciuitate medicus Carolus Egellius, qualis quantaque est, expressam ad me dedit. Cauda concussa pisces (præsertim minores) deuorandos ori admouet. intestinum vnicum & rectum habere dicunt.

Vt nomen *Wal* vel *Weller* huic pisci à balæna translatum est, sic etiam *Welss*, opinor: quo Germani inferiores, Saxones, Silesij maritimique omnes, ni fallor, vtuntur, nos hoc in loco Velsum tanquam Latine dicemus. Sunt qui capellani vulgo dicti asellorum generis nomen Velso quoq; attribuant, propter capitis magnitudinem, *ein Kabelan*, Asellum quidem Capellanum salsum Rheni accolæ *Bollich* appellant: vnde fortassis factum est, vt piscem *Bollich* dictum Matthiolus Senensis silurum esse putarit. Errant qui Amiam, *VVelss* interpretantur. Eundem suspicor *Wilss* in regionibus ad Septentrionem dici. nam Rostochij audio *Wilss* esse piscem crasso ventre. De eo nuper Ioan. Kentmanus medicus sic ad me scripsit. Velsus est è numero piscium qui è mari in Albim subeunt, & in eo manentes proficiunt pariuntque. Corpus ei fuscum, nigris maculis plenum, squamæ nullæ: corium satis crassum & lubricum. caput grande, latum & simum. Rictus oris amplus, & ad capitis latitudinem patulus: labia supra infraque aspera, quibus prędam retinet. dentibus enim caret. A labro inferiore dependent barbulæ quaternæ tenues, molles, oblongæ: à superiore vero binæ, duræ, longissimæ. venter est magnus, deformis. cauda tenuis & lata, ad quam vsque pinna ab ano extenditur. Vtrique ad branchias pinnæ adiunctus est aculeus quidam durus, osseus. quibus infestos sibi pisces arcet. Toto corpore vnicam spinam extensam habet, sicut mustela illa fluuiatilis, quam nostri Quappam nominant. Parit in Albi, crescitq; multum & pinguescit tum ipse tum fœtus: & similiter in lacubus ac stagnis, vbi pręda copiosa solus potitur. est enim admodum vorax piscis, & eo nomine vbicunque est damnosus: quamobrem non temere piscinis immittitur. Inter pascha & pentecosten è mari ascendens, vt in dulcibus aquis pariat, plurimũ capitur: quanquam toto fere anno capi soleant, sed parui, à binis libris pondere ad senas vsque. Maximi vero qui circa partum capiuntur, libras circiter vigenas vltra centenas appendunt. Libra fere numo quem grossum vocant, venditur. complent autem grossi XXI. florenum, id est drachmas fere sedecim.

Piscis est pinguis & boni saporis. in magnis aliquando pinguitudo per dorsum vel duos digitos crassa, ceu in porco, apparet. Laudatur in cibo tum recens, tum salsus. solent enim eos in dolijs salire, & per annum seruare. Parui adhuc, antequam ad tres libras accedant, simpliciter in aqua elixi, placent, sicut & lucij, trutæ, mustelæ fl. & alij. oportet autem rite pręparatos, aquæ cum primum feruere occœpit, inijcere: condire, salire, & ad iuris fere consumptionem decoquere. Vbi verò iam trilibres, maioresque fuerint, pars dimidia, anterior, optime sapiet, simpliciter elixa primum, deinde perfusa iure è vino & saccharo, cum cinnamomo, pipere, croco, cymino, & modico amyli vel panis albi indurati confriatiq;: cuius modum augebis, si ius densare libuerit. posterior verò, & ad caudam pars, placebit ad carbones paulatim assata: deinde condita iure è vino, saccharo, cinnamomo, zinzibere, croco & malorum dissectorum tessellis: quale pro cæteris etiam piscibus assis fieri solitum est. sunt qui aceti nonnihil affundant. Pro malis aliqui cepas minutatim confectas miscent. Denique maximi, siue recentes, siue salsi, iure caryophillorum coloris vel crocei, sturionis instar conditi, laudantur, Hactenus Kentmanus. Sunt qui Velsum tres vlnas longum in Albi capi referant circa diui Ioannis diem æstate optimum esse, deinde se occultare inter saxa: & si hirudines infestent, prodire. *Dorst* piscis est vulgaris apud Liuones, partim Sturioni, partim Velso similis, vt audio: Est & apud Silesios in Viadro Velsus, tantus, vt captus impositus currui, plerunque vltra currum emineat. Anseres aliquando vorat. Non admodum in delicijs apud eos est. salsus exportatur. Barbis extensis & contractis, ceu brachijs, pisces vorandos ori eum admouere aiunt.

DE SILVRO, QVI IN LACVBVS BERNENSIUM *Heluetiorum capitur.*



Quanquam permulti sunt Heluetiorum lacus, & satis magni, siluri tamen in paucis (vt supra quoque diximus) capiuntur: & rarius puto in maximis, per quos magna flumina transeunt: Frequentius in minoribus, forte quod magis cœnosi sint illi. amant enim aquas turbulentas. In Bernensium duntaxat lacubus aliquãdo reperiuntur, vt Moretano, & proximo Neocomesi, qui etiã Iuerdunensis dicitur,

Benedictus Martinus, vir vndequaque eruditus, qui Bernæ bonas literas docet, rogatus à me, qualis apud eos capitur, talem & pingi curauit & descripsit. Pictura huic capiti præfixa est. descriptionem subijciam. Mitto iam tandem Saluth (*sic Sabaudi finitimi nominant circa Moratum & Neocomum*) piscis imaginẽ: qui apud Bipennates captus est, & per amicos ad me missus: ac me præsente à pictore delineatus, vna cũ interioribus quibusdam partib. quas secto pisce inspeximus. Est autem Saluth piscis mollis, sine squamis, totus lubricus instar anguillæ, ac inter lacustres nocẽtissimus, venatur enim reliquos, & in omnes mira voracitate tanquam helluo grassatur. Crescit etiam in ingentem magnitudinem. Superioribus annis in Moretanio lacu captus est octo pedum, & apud nos Bernæ ad libram venditus. hic noster paruus erat adhuc, sesquipedalis. Caput habet amplum & bene latum: reliqua corporis pars est contractior, vt in acumen prope desinat: os patentissimum: inferius labrum prominentius superiori. Color ei nigricat, præsertim circa caput: latera ad cinereum inclinant: vndique per tergum & caput nigris maculis conspersus est. Branchiarum vtrinque quatuor habet ordines à medijs lateribus: imo fere capite concurrunt. A branchijs statim duæ pinnæ sunt. inde venter laxus est, quem terminant duæ aliæ pinnæ prioribus minores. Hinc cauda reliquo corpore multo prolixior, quæ inferna parte continuam vnam pinnam habet, in tergo vnica pinna exigua est & erecta: hac tanquam velo, illa gubernaculi vice vtitur, motuque fertur citatissimo. Oculi cinerei, eminentiores reliqua cute, rotundi, parui. ante oculos vtrinq; cornu vnum prælongum. Hæc cornua ante se extendit, ceu ad explorandum, interdum ad latera comprimuntur. labium inferius quatuor cornua habet breuiora, quę gulam vt barba ornant. Venter totus albicat. Os patentissimum, vt dixi: labra aspera frequenti dentium ordine. Sine lingua est: quidam tamen tuberosum, firmum, à branchijs ad inferius labrum protenditur, ad latera vtrinque liberum, extremitatibus contiguum, hinc labro inferiori, illinc branchijs ad guttur. Branchijs & gutturi contiguus est ventriculus, extensus, & satis capax. is cum inflarem eum calamo in præsenti pisce sesquipedali, æquabat renem porci magni, vndique discursantibus venis rubris. hunc tegit hepar. à latere vẽtriculi intestinum longum prominet, quo stercora egeruntur, id ad postremas pinnas vbi finitur venter, defertur. materia (*substantia tunicaq; ventriculi, & intestinorum*) tota est solidior, qualis in quadrupedibus venter est. Supra eam est vesicula, quam media sutura in duos torulos eminentes diuidit, longos. ante duo tubera mammarum instar, vel quales sunt vertebræ, rotunda. Posterior pars in acumen sensim desinit, vt tota vesicula non male lyram videatur exprimere. Est autem ea candidissima, nigra superinducta membrana, quæ commode potest detrahi, vt vesicula tanquam ex culeo nigro candicans ipsa, educatur. cohæret hæc spinæ dorsi inter branchias. Per spinam aut dorsi vena transit candida nigro tenuissimo inuolucro tecta vt in anguillis. hanc eximunt deliciarũ sectatores tanquam venenatam & noxiam. de cætero præparant ad mensam quo pacto anguillæ parantur, &c. Hucusque Benedictus Martinus. Videtur autem species hęc siluri diuersa esse à superiori: quoniam & color variat: & pars ad caudam latior est proportione, quam in cæteris, quas habeo, huius piscis imaginibus. Qui apud me hanc picturam viderunt peregrini, Velso suo vel Schaido superius descripto, dissimilem esse aiebant, specie ni mirum, non genere proximo. Quærendum an pinna ab ano extensa retrorsum, caudæ continua sit: vel potius propter vicinitatem, continua esse videatur non diligenter animaduertenti. Ex picturis siluro-
rum quas habeo diuersas, vt dixi, quædam continuant, aliæ non item.

DE ALIA SILVRI SPECIE.



Siluri species quædam pulchra & rara Argentinæ in piscina seu vluario ciuis cuiusdam alitur, nomine ignoto. Eius iconem Petrus Stuibius iuuenis eruditus, affinis meus, ad me misit huiusmodi: quam Lucas Schan pictor illic ad piscis partim sub aqua natantis, partim extracti aliquantisper aspectum expressit. Piscis (vt ex pictura apparet) totus similitudinem aliquam cum mustelis fluuiorum, & lacuum habet, illis quas *Alputt* & *Trueschen* (ab alijs aliter) nominari dixi. Oculi sunt parui. Barbulæ fuscæ, nõ longe à crassiusculis paulatim attenuantur, binæ superiore labro, ternæ inferiore. Pinnæ ad brãchias binæ. In dorso nullam ostendit pictura, sed tantum carunculam quandam mucronatam eminentem, qualis & in Mustela lacustri maiore eodem fere loco visitur. In ventre vero vna & continua longissima pinna ad caudam vsque albicat, maculis distincta fuscis. Corpus à capite retrorsum subinde attenuatur: finis latiusculus & obliquus est, & quod mireris nullam caudæ pinnam habet. Os magnum & latum. Capitis color è cæruleo subviridis: reliquum corpus viridi & flauo colore mixto pingitur, sed maculas etiam diuersi coloris habet. Sed ipsa Stuibij mei verba adscribam, testis oculati: Piscis (inquit) quam mitto effigies, licet coloribus per omnia non respondeat, formam tamen optime refert. nam cum piscem extra aquam diutius retinere non esset integrum, non licuit pictori tam cito omnia considerare. Huius generis duos in stagno suo ciuis quidam alit, qui cum ante annos triginta sex ad *Hundsfelden* in Rheno cum alijs piscibus illis, quos Argentinę vocant *Ruffilken*, simul nassa capti essent, vix digiti longitudine, & Argentinam in forum aduecti, à ciue quodam raritatis gratia empti, in piscinam coniecti sunt, in qua alter ab eo tempore vsque adeo excreuit: vt iam sex cum

sex cum dimidio pedes meos (hominis mediocris proceritatem aut amplius) longitudine contineat. Caput qua crassissimũ est filo complexus, duorum pedum & dimidij fere circumferentiam deprehendi. Alter huic per omnia consimilis, sed longitudine longe est inferior. Maior ille piscibus quibusuis excepto Carpione, siue viuis, siue mortuis vescitur. Hyeme nihil quicquam gustare vnquam visus est. Cornua quæ supra & infra os habet, quotannis decidunt, & rursus noua succrescunt, sicuti ceruis. Nomen cognoscere non potui nisi quod aiebant, olim quendam *Scheid* appellasse, (eiusq; generis magnam in Danubio copiam esse:) & Sabaudum quendam suâ lingua Salu, Hæc affinis meus. Ego postea etiam accepi hunc piscem tota hyeme in vno eodemq; piscinæ illius angulo se continere, id quod dominus prædij affirmat. Speciem hanc à superioribus esse diuersam, coloris, barbularum, & caudę diuersitas loquuntur. Glandine potius quam siluro cognatus idem ve sit, consideradum. Is quidem piscis cuius figuram cum glanide Rondeletij 6. elemento posuimus, vt cum siluro simile nihil habet, ita glanis esse non potest.

Manardus.

De Siluri natura & voracitate plura scribit Manardus epistolarum 9. i. quorum supra non memineram. Dum Vladislai (inquit) Pannoniarum regis saluti inseruirem, non semel vidi piscem, quem indubiè silurum esse, præter reliqua, hoc argumento putaui: quod in animalia quantumuis magna, in Tibisco præsertim flumine, quod Istrum influit, audacissimè adeò insurgit, vt nec hominibus parcat. Publica enim apud Pannonès fama est, aliquando captum, in cuius visceribus humana manus ornata annulis inuenta sit. Vocant incolę hunc piscem (si recte memini) Acchiam, vastissimo ore, & durissimis dentibus armatum, figura gobio similem, eaque aspectus atrocitate, vt terrorem etiam mortuus videatur spectantibus afferre. Ad hanc descriptionem Matthiolus, aut potius quisquis eum participem fecit, silurum suum confinxisse videtur. Saluianus silurum nostrum glanidem facit: & in eius descriptione, in primo dorso paruam erigi pinnam, qua in re nobiscum conuenit: post quam (inquit) alia vna multo magis angusta in medio dorso enata per dorsum reliquum ad caudam vsque æqualiter deducitur. Et altera huic figura & magnitudine simillima à podice per imum ventrem ad vsque etiam caudam excurrit, &c. Hanc ego dorsi pinnam alterã in siluris meis nõ inuenio: neque vlla est ex multis quos amici miserunt picturis, quæ eam designet: vt neque ipsa à Saluiano exhibita icon, elegans sane & proba. In nostris Italiæ fluuijs (inquit idem) nullibi, quod sciam, habetur. Vtraque eius maxilla paruorum dentium sed acutorum & validorum ordinibus quamplurimis armatur: præter quos innumeros denticulos maioribus etiam & robustioribus muniuntur fauces, &c. Nobilissimus comes Hieronymus Martinengus, dum Viennę apud Ferdinandum regem Romanorum pontificius erat orator, non solum huius piscis ad viuum depictam iconem, sed eiusdem etiam exiccatum caput ad me transmisit. Idem puerum in Danubio apud Possoniam natantem, paucis ante annis ab hoc pisce deuoratum, ac in interaneis eiusdem, post dies paucos (Archiepiscopi Strigonensis cura capti atq; dissecti,) pueri fragmenta reperta, à fide dignis Pannonibus se accepisse, me certiorem fecit, Hæc Saluianus. Idem silurum sturionem esse contendit, reuocata Iouij opinione, iamdudum ab eruditis Manardo præsertim, ac nuper Rondeletio explosa & confutata. ego ne actum agam, ampliori refutatione abstinebo. hoc certe in Saluiano displicere mihi dissimulare non possum, quod vt suam persuasionem tueatur, Græcos Latinosq; veteres quosdam erroris ignorantiæ circa silurum, lippis olim & tonsoribus notum piscem, insimulat. Præter cætera autem, quæ à nobis relata, silurum nostrum eundem ac veterum esse validius confirmant: hoc lenius, non tamen contemnendum, accedit, quod de eo canit Ausonius, -- *quem velut Alcæo perdubium tergora olivo Amnicolam delphina reor.* Lęue enim & lubricum, ceu oleo perfusum, eius corium est. Rondeletij sententiam, ad colorem referentis olei in his verbis mentionem, non admitto. Sturioni autem tergus eiusmodi nequaquam est.

Matthiolus. Saluianus.

DE SIMIA MARINA.



Est etiam in mari rubro Simia, non piscis quidem hæc, sed bestia cartilaginea, veluti squamarum expers, (σπιναχώδες ζῶον, οἷον ἀλλᾶντα,) eaque ipsa non magna. Colore est terrestri similis, etiam facie speciem

ſpeciem ſimilitudinemq; eiuſdem gerit. Non piſceo tegmine reliquum corpus, ſed illiuſmodi circumueſtitur, cuiuſmodi teſtudinis inuolucrum eſt. Eadem ſimiliter atque terreſtris leuiter reſima eſt. eius reliquum corpus inſtar torpedinis latum eſt, vt dicas auem eſſe alas explicantem. Cum natat, volare videtur. In hoc vero à terreſtri differt, quod variè diſtinguitur, & ruffa eſt ceruice, vt branchijs quoque. Καὶ πυῤῥοὶ δέ εἰσιν οἱ κατὰ τὰ ἰνίου πλατεῖς (γένοντες forte addendum) ὡς βράγχια. Os verò non in ſumma facie oblongum ei prominet, ſed hac etiam parte modice ſima terreſtrem repræſentat ſibi cognatam, Ælianus de animal. 12.27. Et rurſus 15.17. In media natura quædam communitas retruſa leoni eſt, & affinitas cum delphino: non ex ea parte ſolum quod vterq; imperat, ille quidem terrenis beſtiis hic verò aquatilibus: ſed quod ſiue ſenectute ſiue morbo infirmis ambobus, illi terreſtris ſimia medetur, huic marina quoq; ſimia remedio eſt. Nam vt in terra, ſic etiam in mari aliquod eſt ſimiarum genus, quod ſimiliter huic, vt illi terrenum, medicinam morbi affert. Ex Æliano etiam Philes repetijt Non congruit cum Æliani deſcriptione piſcis ille galeorum generis, quem Bellonius Simiam, Rondeletius verò (melius opinor) Vulpem facit. nam Bellonij Vulpes, Rondeletio canis centrines eſt. Rondeletius piſcem quem alaudã non criſtatam nominauit: Poſſis (inquit) etiam optimo iure ſimiam appellare, qui capite ſimiam refert. eſt enim capite paruo & rotundo. Sed prorſus alia eſt maris rubri ſimia.

Alauda piſcis.

Propius ad Maris rubri ſimiam accedit piſcis, cuius iconem, qualem à Io. Kentmanno accepi, ſuperius exhibui: qui etiam vulgo alicubi Simia marina vocatur, *ein Meeraff*: hoc enim nomine è Dania ſibi allatum ſcribit. Pinnas tanquam volans extendit, vt pictura præ ſe fert: & inter duas in ſummo dorſo pinnas aculeum retro tendit, ceu galeus centrines: os ſimum habet, non vt galei in longitudinem protenſum roſtrum. branchiarum foramina quina apparent, obliquo inter os & oculos deſcenſu. Color ei viridis toto corpore: ſed in dorſo magis fuſcus, ad latera pallidus. dentes lati & continui. Reliqua ſatis apparent in icone: quæ cum ad ſceleton facta ſit, in viuo animali non omnia ſimiliter ſe habere ſuſpicamur. Teſtudineum inuolucrum ſi accederet Æliani hanc ſimiam facerem.

Simiis marinis adiungere volui monſtrum, cuius picturam ſubtiliſſimus Cardanus mihi communicauit. Serpentem Indicum eſſe ſcribebat, Mediolani in macerie quadam repertum. nec aliud addebat. ſed cauda videtur animalis aquatilis eſſe: caput πιθηκοειδὲς, id eſt ſimijs cognatum aliquid præ ſe fert: vt & digiti pedum, quos binos tantum oſtendit, manuum inſtar oblongi. Vix equidem auſus hoc animal pro ferre fuiſſem, niſi à tanto viro accepiſſem.



Simvs ab Athenæo nominatur inter Nili piſces. Meminit eius etiam Artemidorus Onirocriticorum 2. Euſtathio tamen lib. 1. Halieuticorum marinus eſt, ex illis qui in petris & arenis paſcuntur: Σιμοί τε, γλαῦκοί τε, καὶ ἀλκιμοι συνόδοντες. Euſtathius in Iliad. M. hoc nomen pro piſce vltimam grauare docet (ſcribit autem σῖμος paroxytonum,) vt ab adiectiuo σιμὸς oxytono differat, ſed præſtiterit puto penanflectere cum piſcem ſignificat, quoniam primam productam habet. Oppianus, Athenæus, Artemidorus, etiam pro piſce ὀξυτόνως ſcribunt. Nos ſimum fluuiatilem vocare poterimus piſcem, quem vulgo Germani Naſum: craſſam enim & ſimam hanc partem, à qua denominatur, habet. Rondeletius Teſtudinem coriaceam à ſe dictam, Simiam maris rubri Æliano memoratam forſitan eſſe ſuſpicatur. Bellonius alteram Tęniæ ſpeciem à Rondeletio dictam, deformi capite ſimiam quodammodo præ ſe ferre ſcribit, & a multis Marmotum vocari.

Aethiops piſc.

Simus etiam non nomine ſed re eſt Æthiops dictus piſcis, in Eclogis ex Agatharchidæ commentario circa finem. Gignuntur (inquit) cum alij multi piſces locis prædictis, naturæ ac formæ peculiaris (παρηλλαγμένην ἔχοντες τὴν φύσιν:) tum vnus omnium maxime atri coloris, proceritate viri: quem & eam ob cauſam, & à ſima faciei ſpecie, Æthiopem nuncupant. Hunc qui primi ceperunt, nec alijs vendere, nec ipſi in cibo conſumere voluerunt, propter ſimilitudinem (*Aethiopis vel hominis:*) temporis vero progreſſu vtrunq; libere fecerunt.

Siones, brachycephali, mali ſucci ſunt, & grauis odoris ſegnem materiam trahunt & gignunt: Xenocrates apud Oribaſium, niſi mendum ſubeſt.

Siphna Σίφνα, piſcis quidam, Heſychius & Varinus. Σιφνὸν vacuum interpretantur: σίφνον verò paroxytonum arcam panariam, &c.

Sipvrvs, Σίπυρος, piſcis vulgo Græcis. vide in Hepato Rondeletij.

DE SIRENIBVS.

De Sirenibus multa protuli in Libro de auibus. finguntur enim partim virgines fuiſſe, partim volucres, Acheloi filiæ, &c. vnde Ouidius, ---- *Vobis Acheloides vnde Pluma pedeſque auium, cum virginis ora geratis?* Vnde apparet malè recentiores quoſdam ſcripſiſſe, poſtremam Sirenum corporis partẽ in piſcem deſinere: quæ forma Nereidum potiùs quàm Sirenum fuerit. Decepti ſunt illi fortè ex eo quod

quod monſtra marina eas fuiſſe legerant. Monſtra maris Sirenes erant, quæ voce canora Quaslibet admiſſas detinuere rates, Ouidius. Maris autem monſtra dicta conijcio, ſiue quod in inſulis circa ue mare habitaſſe fingerentur: ſiue etiam in ipſo mari, quanquam inferiori parte aues, ita vt palmipedes, nataſſe crederentur. Hac occaſione pauca quæ nunc ſe offerunt, præterita in Auium hiſtoria, hic adijcientur, ex veteribus primum, deinde recentioribus.

Sunt apud Indos auium quædam genera, cantandi ſuauitate & oris expreſſione tanta, vt comparatio nulla reperiatur, niſi Sirenes quaſdam eas dixeris. nam has quoque virgines alatas, & pedibus aues fuiſſe, poetarum fabulæ canunt, & pictores oſtendunt, Ælianus 17.23. de animalibus. De Sirenibus quædam leges in Varijs Io. Tzetzæ 1.14. & 6.75. & Euſtathium in Commentarijs in Dionyſium Afrum, ſuper his poetę verſibus: Πρὸς δ' ἑ νότον μάλα πολλὸν ὑπὲρ Σειρηνίδα πέτρην Φαίνονται σκοπιαὶ Πελωριάδος Σικελοῖο. Orpheus in Argonauticis canit, quo pacto Sirenes cum ipſum in Argo naui præternauigantem de ſcopulo in quo erant, ſuauiſſime argutiſſimeque canentem audiſſent, fato quodam in mare ſe pręcipites dederint, & in petras agentes conuerſæ ſint. Vitanda eſt improba Siren Deſidia, Horatius Sermon. 2.3. Σειρὴν πελάγιος, de alcyone, Plutarchus. Sophoclem aliqui σειρῆνα νέαν dixerunt, ſi bene memini. Ἡ ὑπὸ βαρβάρους χελιδόνων δίκην ἐμμένους, ὥσπερ σειρήνων ἢ ἀηδόνων μουσεῖα, Quidam apud Varinum. apparet contrario ſenſu hirundinum, quam ſirenum ac luſciniarum, muſea, accipi. Vide in aue Luſcinia h. Ἡ Θεανὼ δ' οὐχὶ σειρήν ἐστιν ἀποπεπλυμένη; Βλέμμα καὶ φωνὴ γυναικός, τὰ σκέλη δ' ἐστὶ κοψίχου. Anaxilas (apud Athenæum libro 13.) monſtra quędam à veteribus conficta, vt Scyllam, Sphingem, Chimæram, ad meretrices referens. inter quas (inquit) Theano videtur quaſi Siren quædam, quanquam implumis: vt quæ vultum ac vocem mulieris, crura autem merulæ habeat. Sirenes apes diſſident cum Circa aue, Ælianus. In Conchylijs aliqua ex Græcis (ſumpta ſunt nomina,) vt peloris, oſtreæ. alia vernacula ad ſimilitudinem: vt ſyrenæ, pectunculi, vngues, Varro libro quarto de lingua Latina. quaſi Syrena, cõchylium, id eſt animal teſtaceum ſit, Latino vocabulo dictum, à neſcio cuius rei ſimilitudine, vt à pectine pectunculus. ego vocabulum corruptum ſuſpicor. nam vel ypſilon primæ ſyllabę vocabulum non eſſe Latinum arguit. Ἀκορεστόν τι καὶ σειρήνιον τὸ κατὰ τὴν διήγησιν, Heliodorus: hoc eſt, Narratio tam dulcis & illecebroſa, vt nulla eius ſaties obreperet. Auguſto Cæſari Galliarum legatus ſcripſit, in litore inuentas mortuas Nereides Sireneſque multas, ea forma qua pinguntur, Bapt. Fulgoſus in memorabilibus: ex Plinij lib. 9. cap. 5. vbi codices noſtri Nereidum tantum mentionem faciunt, non etiam Sirenum. Addit ibidem Fulgoſus lib. 1. cap. de Miraculis: Viſa ſunt & marinarum nympharum corpora humanis corporibus ſimilia, niſi quod cute anguillis perſimili tegebantur: deinde imperante Phoca in Cycladibus iuxta Sdillarum (*ſic habet codex impreſſus*) inſulam duæ apparuerunt, ex toto pene humanam habentes effigiem.

Syrena.

Sirenes (inquit author de natura rerum) ſunt animalia mortifera, quę à capite vſque ad vmbilicum habent figuram mulieris improceræ magnitudinis: horrenda facie, crinibus capitis longiſſimis atque ſqualentibus. Apparent autem cum fœtibus quos in brachijs portant. Mammis etenim fœtus lactant, quas in pectore magnas habent: quas quando vident nautæ, multum timent, eiſque lagenam vacuam proijciunt: & ipſæ cum ea ludunt, donec nauis pertranſeat. Reliquam verò partem corporis habent vt aquila, & in pedibus vngues ad laniandum habiles. Porro in fine corporis habent ſquamoſas piſcium caudas, quibus vt remigijs in gurgitibus natant. Quoddam etiam muſicum ac dulciſſimum melos habent in voce: quo delectati nauigantes & attracti reſoluuntur in ſomnum, ſopitique ſirenarum vnguibus dilacerantur. Sed nonnulli nauigantium ſapienti vſi conſilio, fortiter aures ſuas obturant, & ſic immunes tranſeunt ne mortifero ſirenarum cantu illiciantur ad ſomnum. Hæ quidem beluæ in quibuſdam profundis gurgitibus, inſulis, & aliquando in fluctibus commorantur. Et quod de lagena dictum eſt, illi teſtati ſunt, qui eas vidiſſe dixerunt. Sirenas tamen has non in veritate beluas, ſed meretrices quaſdam Iſidorus fuiſſe deſcripſit, quæ tranſeuntes ad egeſtatem deducebant. Sed & philoſophi & ſanctorum expoſitorum nonnulli contrarium ſentiunt, vera monſtra marina eſſe dicentes. Sunt & ſirenæ ſerpentes in Arabiæ partibus habitantes, equi curſu validiores: quarum etiam quædam alas habentes volare poſſunt. Harum virus eſt tam efficaciſſimum ad nocendum: vt morſum ante mors quam dolor ſequatur, Hæc ille: & ſimiliter fere Phyſiologus & Albertus. Crine longo ſunt & ſoluto, inferius aquilinis pedibus. Alas habent ſuperius. Fletus & ſibilos quoſdam dulces emittunt: quibus audientes ſopiunt, &c. Albertus. Olim à Selando quodam accepi, in patria ſua ad oram Germaniæ, monſtrum marinum quoddam vernacula voce nominari *ein Fuene*, facie virginea, inferiore corpore piſcis, magnitudine ouis: idque cœlo ſereno non raro apparere: per tempeſtates vero in ſpeluncis litorum, aut inter ſcopulos latere: ſe quoque eiuſmodi vidiſſe affirmabat. Alibi, in Saxoniæ oris, *Meermad* vel *Seemaed* nomen auditur, quod Virginem marinam ſignificat. Sirenes horribile monſtrum in Oceano Orientali apparere, alicubi legi, in Charta quadam Geographica ni fallor. Sirenem mortuam ſpectaculi cauſa Genuam ſecum aduexiſſe fertur Philippus archidux Auſtriæ anno Domini 1548. duos item Satyros viuos, alterum puerili ætate, alterum virili. In Nauigatione Hamburgenſis cuiuſdam, peracta anno Domini 1549. è Portugallia meridiem verſus in Orbem nouum: legitur, reperiri piſces in aquis humana ſpecie in vtroque ſexu: cauda tamen oblonga, ſquamis piſcium obſita, cruribus breuibus iuxta caudam prominentibus. faciem ab humana parum deflectere. In Merſebicca inſula (quæ Orientem verſus ſita eſt, è regione Arabiæ nigrę, religionis Mahumedicæ, regi Luſitaniæ ſubdita) nuper duo comparuere huius generis animalia: quæ aurifaber illic depicta in Luſitaniam miſit. De cantu quidem eorum, qualem poetæ celebrant, nihil audio. Capti enim aliqui retibus cum alijs piſcibus, vocem lamentatione plenam, tanquam à multis pariter ægrotis hominibus editam, emiſerunt: & poſtridie mane in litore ſicco mortui inuenti ſunt: id quod Germani aliqui viderunt ac audiuerunt.

Füne. *Meermäd.*

Alciati Emblema titulo Sirenes, legitur hoc.

Abſque alis volucres, & crurib. abſque puellas, Roſtro abſque & piſces, qui tamen ore canant,
Quis putet eſſe vllos? iungi hæc natura negauit: Sirenes fieri ſed potuiſſe docent.

Illicis.

noctium, autore Plinio. Rondeletius. neutrum bene. nam locus Aristotelis, quem citat, lib. 5. historię, c. 11. rhyades per æstatem parere docet, non sparos: quamuis Gaza transtulit spargos. Plinius vero libr. 9. c. 51. sargos circa æquinoctium parere scribit, vt recte nostri codices habent, (ex Aristotelis libro & capite iam citatis:) alij quidam codices non recte spari, alij verò spargi habent. A spargi nomen nullum est apud Ælianum: sed Gillius ex libro 9. c. 46. rhyades interpretatus est aspargos. quod autem de eis scribit per hyemem eos quiescentes simul manere, seque mutuo tepefacere: verno autem tempore lōgius migrare, hoc ipsum gregarios pisces esse argumento est: & quoniam longius abeunt, ita fit vt non obuijs modo, sed & inuestigatis cibis vescantur. quæ omnia arbitror in vniuersum ad gregarios pisces complures pertinere. ab initio quidem capitis scribit, ῥυάδες ὄνομα θαλαττίων ζώων: quibus verbis speciem vnam aliquam eum significare voluisse aliquis forte conijciat, sed necesse non est: & ijs quę ex Aristotele citauimus locis in Chalcide, generale hoc nomen esse facile apparet. Sparum Massilienses corrupte Sparlum appellant, Gillius. Sunt spari qui nunc quoque spari appellantur, forma auratis proxima, Massarius Venetus. Itali quidam r. geminato proferunt, el Sparro. Germanicum nomen fingo, *ein Sparbrachsmen*: vel circumloquor, *ein kleine Meerbrachsmen art*. Si bene memini, Gillius Venetijs mihi narrabat, Spari quandam speciem vulgo nominari Saccheto.

Rhyades. *Aspargi.*

B Sparus pisciculus marinus auratæ paruæ speciem similitudinemque gerit, aurea supercilia excipio, Gillius. Sparum cum aurata aliqui confundunt, Rondeletius. Sargus & sparus in cauda notam (nigrā) habent, quemadmodum melanurus: qua nota decepti multi, hunc à similibus distinguere non potuerunt, Rondeletius. Video Sargum, Melanurum, Auratam, Sparum, Synodontem, Dentalem, ita similes esse, vt vix ab oculatissimo distingui possint, Bellonius. Et super aurata Sparulus ceruice refulgens, Ouidius. Scorpius, citharus, mullus, scarus, multas appendices circa ventriculum habent, Aristoteles Gaza interprete. in codicibus vulgatis non σκάρος sed σπάρος legitur.

C Sparulum Ouidius inter pelagios pisces recenset: Rondeletius litoralem facit, cui subscribo: quemadmodum in hoc etiam quod gregatim degere genus hoc piscium tradit: etsi id veterum nemo scribit, vt ipse forsan putauit. Rhyades enim non sparos, Aristoteles ac Ælianus gregarios facere mihi videntur. Oppiano smaris, blennus & scarus in litore algoso sub herbis pascuntur. vbi Saluianus ex antiquo codice manuscripto pro scaro legit sparum: quod laudo. nam paulo post idem poeta scarum recte adnumerat piscibus qui circa petras herbosas victitant.

F Laudatissimi scomber, salpa, sparus Plinius lib. 32. vt citat author Promptuarij: ineptè. simpliciter enim nominantur hi pisces lib. 32. c. vltim. Sparulus piscis est exiguus & vilissimus, Rauisius. Martialis lib. 5. epigrammate 106. ad Ponticum: Res tibi cum rhombo est, at mihi cum sparulo. Hicesius sparum scribit esse melioris succi quam mænis sit, & alijs pluribus vberius nutrire. Glauco caro dura est, in omnibus lupo inferior: &, vt Xenocrates prodidit, non minus à lupo vincitur, quam ipse sparum superat, Vuottonus. Coquus quidam apud Anthippum comicum apponit publicano, glaucum, anguillam, sparum, nimirum tanquam lautos pisces. Ἀλλ' οὐ θῦνον, σπάρον, καὶ σκάρον, τῶν οὐδὲ τὸ σκῶρ θεμιτὸν ἐκβαλεῖν θεοῖς, Epicharmus. sed ista lautitia, vt simus etiam dijs, id est, locupletissimis viris, non sit reijciendus, ad scaros priuatim pertinere videtur.

H.a. Sparus piscis dictus videtur ἀπὸ τοῦ σπαίρειν, quod est palpitare: vt scarus ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, Eustathius. Alberto Magno sic dictus videtur hic piscis à telo missili rustico, quod spargitur quando iacitur: habet enim (inquit) eandem figuram. Sed dictioni Græcæ origo Latina ineptè quæritur. Sparus vel sparum (masculino neutrove genere) telum rusticum est, in modum pedis recuruum, vt ait Seruius. Est & militare quoque. Vergilius 11. æneidos: Agresteisque manus armat sparus. Salustius: Cæteri vt vt casus armauerat, sparis aut lanceis, alij peracutas sudes portabant. Festus. Spara minimi generis sunt iacula, à spargendo dicta: quod passim pugnando spargerentur. Lucilius: Tum spara, tum murices portantur, tragula porro. Μορμύρος & σπάρος μεγάλη à Matrone Parodo nominantur: legendum forte μεγάλοι, vt ad ambos referatur.

f. Ad sartaginem emi gobium, percam, sparum, σπάρον, &c. Quidam apud Athenæum.

h. Ἡ σπάρος, ἢ νάρκας (alias ὕκκας) ἢ γελλίδας, Numenius.

SPATANGÆ, echini marini maiores sunt. Vide supra inter Echinos.

SPHENEVS, Σφηνεὺς, inter Mugilum species est.

SPHÆRIS marinis nidos alcyonum comparat Aristoteles 9.14. hist. Vide quæ annotauimus in Alcyone aue G. & infra in Spongijs.

DE SPHYRÆNÆ PRIMA SPECIE, RONDELETIVS.



A ΣΦΥΡΑΙΝΑΝ alij, maximè Attici, κέστραν appellant. Latini sudim. Nostri Spet. Itali Spetto. Africani Scaumé. Græci huius temporis σφύραιναν, (*Gillio & Massario testibus.*) Gaza non recte malleolum cōuertit, cum Plinium (Lib. 9. de hist. animal. cap. 2.) authorem haberet, qui & sudim interpretatus est, & interpretationis causam reddidit. Eius hæc sunt verba: Sunt præterea à nullo authore nominati: Sudis Latine appellata, à Græcis sphyræna, rostro similis nomine, magnitudine inter amplissimos rarus, sed tamen non degener &c. Sudis teli militaris genus est: & paxillus acutus, qui in terra

Gazam non recte vertisse malleolum. Lib. 32. c. 11.

terra defigendus præurebatur, vel vt robustior esset, vel vt tardius putresceret. Vergilius: Stipitibus duris agitur sudibusve præustis.

Eadem de causa κέστρα ab Atticis dicebatur. Nam κέστρα teli genus est Persico bello inuentum, aut stimulus siue stylus apud Sophoclem & Aristophanem. Idem significat σφῦρα accentu in priore syllaba posito, vt differat à plurali σφυρά pro malleolis. Phauorinus: Κέστρα ἀμυντήριον ὅπλον, σφῦρα, καὶ εἶδος ἰχθύος. Igitur à σφῦρα, quę teli genus significat deducitur σφύραινα. Idem etymum secuti sunt omnes. Nam Hispanis & Italis spetto dicitur, id est veru, & à nostris detracta litera spet. Est enim piscis iste lōgus, & acuto rostro: Qua de causa Speusippus acui assimilauit. Ex his liquido apparet Gazæ error, qui malleolum interpretatus est: similiter aliorum multorum qui eum quem Massilienses peis iouziou, id est, piscem Iudæum appellant, Sphyrǽnam esse credunt: cum zygæna sit, non sphyræna, quæ zygæna à figura libellæ T. Græcorum simili, nomen habet: eamq́; piscem Iudæum à Massiliensibus vocari verissime scripsit Petrus Gyllius, quod capitis tempora tanquam cornicula emineant, more Iudæorum qui sic olim Massiliæ induebantur. Sed de zygæna suo loco.

Athen lib. 7. Piscem Iudæum Massiliæ dictum zygænam esse, non sphyranam.

Ad Sphyrænam redeamus cuius duo sunt genera, vt autor est Oppianus & experientia comprobat. B

Σκορπίος αἰκτὴρ δίδυμον γένος, ἀμφότεραι τε Σφύραιναι δολιχαί.

Lib. 1. ἁλιευτικῶν.

Vtraque piscis est marinus, lucio vulgo brochet dicto corporis figura tam similis, vt qui proprium nomen ignorant Romæ & in Montepelio, brochet de mer, id est, lucium marinum appellent. Est igitur Sphyræna primi generis corpore longo, tenui, rostro prominente & acuto. Maxilla inferior superiore maior, in acutum desinens superiorem excipit, sicque ambæ coeunt, vt dicas rostri vel oris nullam plane scissuram esse, quam tamen maximam esse oportuit, tum ob rostri tenuitatem, tum ob piscis voracitatem. Dentes illi sunt acutissimi, in os recurui vt murænæ, in superiore maxilla quatuor, in palato duo dentium ordines. In media inferiore maxilla dens vnus in foramen, quod in media superiore maxilla exculptum est recipitur, omnium inferioris maxillę dentium maximus. Rostrum foris cælatum est: eiusdem extremum, nigrum. Oculi sunt maximi: ante hos foramina vel ad audiendum, vel ad olfaciendum destinata. A capite ad caudam per medium fere corpus linea ducta est ex squamis contexta, reliquum corpus à squamis nudum esse videtur. Sphyræna colore Asellum æmulatur. Est enim vētre albo, dorso nigricante vel potius cinereo. Linea prædicta flauescit initio, & oris interna pars. Branchiæ satis apertæ sunt. Pinnæ quatuor, duæ ad branchias, reliquę in ventre, exiguæ, hæ ad natationem conferunt. In dorso eriguntur duę, prior quinque aculeis constat, altera sine aculeis est: quemadmodū ea quæ ad podicem est. Ventriculo oblongo est cum multis appendicibus, intestinis longis, hepate albicante.

(A)

Carne candida, suaui, dura siccaque, sed quodammodo friabili, & aselli carnem vtcunque referente, cui & lupo pręcipuam autoritatem fuisse Cornelius Nepos, & Laberius poeta mimorum tradidere. F

Quare non possum non mirari Hicesium de quo hæc Athenæus lib. 7. Σφυραίνας φησὶν Ἱκέσιος τροφιμωτέρας εἶναι τῶν γόγγρων, ἀπειθεῖς δὲ τὴν γεῦσιν, καὶ ἀστόμους, εὐχυλίᾳ δὲ μέσως. Et alibi Athenæus lib. 8. Αἱ σφύραιναι τῶν γόγγρων εἰσὶ τροφιμώτεραι. Quibus aperte ratio repugnat: Qui enim sphyrænæ plus alimenti præstare possent congris, qui ex cartilagineorum sunt genere, dura, sicca, lenta, glutinosaque carne? vnde δυσκατεργαστοτέρους esse dixit Philotimus, quod approbat Galenus. Omnes autem non solum pisces sed & carnes & quæcunque alia quibus vescimur, propter duritiem & succi contumaciam difficilius conficiuntur: vt verò difficilioris sunt concoctionis, ita plurimum nutriunt. Non est igitur vera hæc Hicesij sententia, nisi sphyrænæ alium hic piscem substituas: nam alioqui locus totus integer non est, neque ἀπειθεῖς τὴν γεῦσιν, καὶ ἀστόμους, εὐχυλίᾳ δὲ μέσως legendum: sed ἀηδεῖς δὲ τὴν γεῦσιν, καὶ ἀστόμους, εὐχυλίᾳ δὲ μέσως, id est, gustui iniucundas esse, & ori ingratas, succi bonitate mediocri.

Athenæi de sphyræna loci perpensi, & mutati. Cogitet lector an σμυραίνας potius iis locis legendum sit. Li. 3. de facul. alimen.

Ceterum non fuerit alienum confirmare hanc veram esse sphyrænam quam proponimus. Ac primū eundem esse piscem qui σφύραινα & κέστρα dicatur, satis docet Athenæus ex Dorione. Δωρίων σφύραινάν φησιν, ἣν καλοῦσι κέστραν. Ἐπίχαρμος δὲ ἐν Μούσαις, κέστρας ὀνομάσας, οὐκ ἔτι σφυραίνας ὀνομάζει ὡς ταυτὸν οὔσας. καὶ οἱ Ἀττικοὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὴν σφύραιναν καλοῦσι κέστραν: σπανίως δὲ τῷ τῆς σφυραίνης ὀνόματι ἐχρήσαντο. id est Dorion sphyrænam ait quam vocant cestram. Epicharmus autem in Musis cestram cum nominauerit, non iam sphyrenas dicit, vtpote quæ eædem sint. Et Attici sæpius sphyrænam vocant cestram, raro autem sphyrænę nomine vsi sunt. A

Sphyrænam & Cestram vnū esse piscem.

His accedit Plinij testimonium qui sphyrænam sudim conuertit à nomine simili rostro: quod perinde est, ac si diceret, à rostro acuto sudim nomen inuenisse. Deinde sphyræna acui similis est authore Speusippo apud Athenęum: Σπεύσιππος δὲ ὡς παραπλήσια ἐκτίθεται κέστραν, βελόνην, σαυρίδα. Est verò sphyræna, acus modo rostro acuto & longo. Postremo longo est corpore, vnde Oppianus δολιχὰς appellat, id est longas. Et Aristoteles: Καὶ τῶν μακρῶν ἔγχελυς καὶ βελόνη καὶ σφύραινα. Ex longis anguilla, acus, sphyræna. Mendosi enim sunt vulgares codices, in quibus pro σφύραινα legitur ζύγαινα. Nam zygęna in cartilagineis numeratur: quę & si magnus sit piscis, longus tamen non dicitur, cum ij duntaxat longi dicantur, qui pro corporis longitudine tenues sunt admodum: alioqui omnes fere magni, etiam longi dicerētur. Omnia verò quæ modo demonstrauimus in sphyrænam nostram competere nemo nisi plane cæcus non videt.

Verā se sphyrænam exhibuisse. Lib. 7. Lib. 2. de hist. animal. c. 15. locus emendatus.

DE SPHYRÆNA PARVA, SIVE SPHYRÆNÆ *secunda specie, Rondeletius.*



QVAM Sphyrænæ speciē alterā esse diximus ex Oppiano, eā esse putamus quę à nobis hautin nominat. A

Est enim

B Est enim corporis specie superiori valde similis. Rostro est tenui & acuto, corpore oblongo, à squamis nudo, ore paruo, sine dentibus, oculis magnis pro corporis magnitudine: cute argentei coloris, carne & ossibus pellucidis. Cauda antequam in pinnam terminetur latescit & vulgo hodie à pictoribus vsurpatam cordis effigiem refert. Pinnas duas habet ad branchias, inferiori ventris loco affixas veluti in fluuiatilibus: paruas alias à podice, quas sequitur alia ad caudam vsque continua. Alia est in dorsi medio sine aculeis. In corpore medio rectissima à branchijs ad caudam linea ducta est. Hæc sphyræna superiore minor est: nam palmi magnitudinem non superat. Candidior est, rostro breuiore, minus cælato. In ventre inest vesica oblonga, aere plena. Ventriculus & peritonæum nigricant.

F Carne est molliore quam superior, & ad saxatilium carnem accedente.

DE SPHYRÆNIS DVABVS, (ÆTATE TANTVM *differentibus,*) *Bellonius.*

F Sphyrenæ interdum Marluciorum modo exiccari solent. Venetijs raro recentes videbis. B. Vbi. In Gallia ex Oceano nunquam, quod sciam: in Corcyra nihil frequentius videndum occurrit.

A Græcorum vulgus, quod ab Italis voces mutuatum est, non Sphyrænas, sed Lucios marinos, quod Gallice du Merluz dici posset, nominat. Lesbij Mitylenes incolæ Sphyrnam pronunciant: sed Græci, qui in Asia agunt, Zarganes dicunt: voce, inquam, falsa quæ Belonæ pisci debetur. Sphyrænam Luciũ marinum ideo in Grecia vulgo vocare solent, quod Lucio fluuiatili persimilis sit: cum tamen res eadem non sit: nam Merlucius & Sphyræna differunt. Miror ego cur eam Athenienses Cestram dixerint. Massiliensibus vulgo cognita est, apud quos pes escomé nominatur, quod scalmo multum affinis sit, id est vtrinque fastigiata.

B Est autem Sphyrena oblongo corpore prædita, cuius duæ obseruantur species, quæ inter se minimè dissidere comperirentur, nisi vetustas indicio esset: Siquidem harum altera Trachurum siue Surum colore refert, atque eodem modo sub ventre albicat: Altera autem senescens Mormyri laterales picturas colore assequitur. Lineam habent vtrinq; ad latera, vt in Lupo dictum est, quę à branchijs recta ad caudam fertur. Squamis lente multo minoribus obsepiuntur. Capita habent oblonga in mucronem desinentia. Oculos latos, cæsios, dentes in maxillis oblongos, alioqui raros, vt fluuiatilis Lucius. Hoc eis peculiare esse deprehenditur, quod inferiores eorum maxillę, in Pelamidis modum, superiorem magnitudine vincant. Branchias vtrinque quatuor habent. Eorum pinnæ mihi pro corporis magnitudine breues esse videntur. Supremum dorsi cacumen illarum duabus pinnis prẹditum esse comperio, quarum anterior quinis aristis seu aculeis vallata est: caudam bifurcam habent: Linguam autem scabram, & denticulis exasperatam, ad cuius radicem meatus recta ad cor perducitur. Cor porrò oblongũ, sub quadam vesicula alba inclusum, quæ multis piscibus pro auriculis cordis substituta est. Hepar sub diaphragmate stomachum ambiens, eum in gyrum palpat. Pylorus à stomacho consurgit, tam multiplici apophysum seu cęcorum cæsarie intertextus, vt penitus stomachum contegant, quos nemo numerare posset. Fel ab hepatis lobo dextro latere in folle oblongo dependet: reliqua intestina adnumerari possunt. Natura huic follem vento plenum, ne ad imum sideret, donauit, oblongum, anteriori parte bifidum, vtrinque in acumen exeuntem. Spina dorsi raris vertebris coagmentatur.

A Sunt qui Sphyrænam Oxyrynchum vocari debere credant, vtputa quod rostrum eius videant acuminatum. Sed cum de Lucio fluuiatili agemus, ista fusius persequemur.

E De Sphyræna, Oppianus istis versiculis ita canit.

Si Sphyræna (Muræna legendũ: vt ostendimus in Corollario de Muræna) *sinu retis claudatur in amplo,*
Latum perquirit laqueum, quo lubrica terga *Serpentum in morem labatur retibus amplis.*

COROLLARIVM.

A Σφυρὰ, (malim Σφύραινα) piscis marinus, qui cestra ab aliquibus dicitur, Hesychius. Sudis, Græcè sphyræna, rostro similis nomine, &c. Plinius. atqui non modo nomine, nempe acuminato, piscis hic similis est rostro nauis, sed re. Mirum etiam inter pisces à nullo authore nominatos à Plinio hunc recenseri, cum Aristoteles sphyrenæ meminerit: sed semel tantum, quod sciam historię 9.2. piscibus gregalibus eam adnumerans. Attici cestram vocare solent, vt Strattis & Antiphanes apud Athenæum testãtur. Lege plura in Corollario quarto de Mugile siue Cestreo, &c. pag. 559. Sphyrẹnam apud authores alicubi pro smyræna legi, culpa librariorum, in Corollario de Muræna A. monuimus. Vocabula pisciũ pleraque translata sunt à terrestribus ex aliqua parte similibus, vt anguilla, lingulaca, sudis, Varro lib. 4. de lingua Latina. Sphyrænam quidem aliqui lucium marinum vocant, propter aliquam corporis similitudinem, sed genere differunt, sicut perca etiam marina & fluuiatilis. Germanicum nomen non facile erit inuentu, cùm in Oceano deesse videatur hic piscis. nullum enim ex Oceano se vidisse Bellonius scribit. quamobrem fingo *ein Meerhecht*: id est Lucius marinus, (quanquam & asellus Gallis Merlu dicitur, id est marinus lucius. sed asellorum alia Germanica nomina desunt.) Vel, *ein Spißfisch*. nam Itali quoque, Hispani & Galli Narbonenses, Spettum hoc est veru, vocitant. Venetijs etiam alium piscem Lucium marinum nominari quidam aiunt: vndecimum scilicet genus turdi Rondeletij, vel omnino cognatum: quem cum apud me suis coloribus pictum Bellonius vidisset, Hepatum suum esse aiebat: & Lucij mar. nomen ei attribui improbabat. iconem dabimus cum turdis. Mugilis fluuiatilis genus illud, quod à rostri figura Rondeletius oxyrynchum cognominat, sphyrænam fluuiatilem quoque dici posse arbitratur, à quadam similitudine. Antuerpiæ vulgo Hautin vocari scribit, Gallice nimirum: nam & secundam sphyrænæ marinæ speciem, eodem Gallis nomine agnosci tradit. Ἀμφότεραί τε Σφύραιναι δολιχαί, Oppianus: tanquam duo sint sphyrænarum genera, quod tamen neque aliorum scriptorum quispiam annotauit: neque nos, etsi multa iamdiu vsi diligentia, aliquam inter eas generum differentiam animaduertere hucvsque potuimus. Piscibus præterea qui circa saxosa ac arenosa litora victitant, eas adscribit idem Oppianus. Aristoteles verò quod gregatim degant, testatur, cui experientia ipsa consentit. semper enim vna plures ferè capi consueuere, Saluianus.

Raphis,

Raphis, id est acus, similis est sphyrænæ, Kiranides. Fel iecori adiunctum habent pisces γαλεώδεις, &c. B καὶ τῶν μακρῶν ἔγχελυς, καὶ βελόνη, καὶ ζύγαινα. Aristoteles historiæ 2. 15. vbi Gaza etiam similiter legit, & pro zygæna vertit libellam. ego potius σμύραινα legerim, quam σφύραινα vt Rondeletius. Zygænam quidem non recte legi vel ex eo apparet, quod ea γαλεώδης est: cuius generis pisces proxime nominarat. smyræna autem, id est muræna, longus ac lubricus piscis est, instar anguillæ, qua cum & alibi ab Aristotele nominatur. Sphyræna palatum carnosum habet pro lingua, Rauisius (si bene memini) sine authore. Vt Lucium fl. aliqui silurum esse putarunt: ita marinum vulgo dictum, quo de hic agimus, glanin (A) qui putarent non defuerunt: vtrique perperam, quod nostra de Siluro scripta facile conuincunt. Qui lucij marini nomine à Cor. Sittardo quondam depictus ad me datus est piscis, forma similis est sphyrænæ primæ à Rondeletio exhibitæ: sed caudæ pinnam duplicem & diuisam habere videtur. in oculis circulus cæruleus pupillam nigram ambit, dorsum versus latera subviride numerosis punctis maculosum est, &c.

Sphyrænæ Oppiano in petris & arenis pascuntur. Æliano de animalibus 1. 33. pelagius est piscis: C sed ibi smyræna legendum monui in Corollario de Muræna A. Κέστραι βῶπιν κάπτουσι, Sophron in Mimis: vbi Athenęus botis piscem ne aliquem an herbam significet, dubitat.

Sphyrænæ gregales sunt, Aristoteles. D

Quomodo è retibus elabantur sphyrẹnæ, Oppianus libro 3. canit, vt retuli in Muræna A. vbi etiã pro E sphyrænis smyrænas, in hoc poetæ loco ostendi.

Hicesius sphyrænas dixit plus alere congris, quod Rondeletio non placet: non improbaturo fortè si F pro sphyrẹnis smyrænas, vt nos, legisset. Vide supra in Corollario Murẹnę A. Addit Hicesius hos pisces ἀπειθεῖς τὴν γεῦσιν, Rondeletius legit ἀηδεῖς. ego nihil muto, cum idem sit vtriusque lectionis sensus: & ἀπειθὴς eleganter à sermone ad gustatum transferri possit. Cestrę lumbus, Κέστρας ὀσφὺς, ab Antiphane cũ alijs lautissimis cibis nominatus. Oua piscium in cibo recentia aut inueterata, omnem laborem & morbum curant, ac omne fastidium, maxime cephalorum, & labracum, & sphyrẹnarum, (*sic legendum coniicio: codex noster habet spirenarum*) & similium, Kiranides in fine quarti.

Est sphyræna piscis quem Theodorus malleolum vocauit. quia σφυρὸν Grecis malleolum, siue, vt H.a. Plinius voluit intelligi, rostrum calcarq; significet, Hermolaus. sed de calcari Plinius nihil: rostrum autem nominans, partem in nauibus sic dictam, intelligere videtur. Sphyra quidem Grecis sudim sonat, vt arbitror: id est, palum acuminatum: cui simile & eiusdem significationis vocabulum nostri vsurpant, *ein Schwiren*. sudim verò latam è ligno dissecto, & oblõgam preustamq;, qualibus ad sepes quidam vtuntur, *ein Schybe*. aliqui quasi σχίζαν. Malleoli quidem Latinis, & Græcis eadem ratione σφυρὰ, in ima tibia dicuntur, quod ceu capitula duo in extremo malleo ad latera prominẹant … Epicharmus. Cestram quidem ab acumine rostri cum Rondeletio dictam reor: quoniam cestra pro stimulo stilove aliquando vsurpatur. Κέστρα genus quoddam mallei ferrei, σφῦρα σιδηρᾶ, Pollux: qui hęc Sophoclis verba citat: Κέστρα σιδηρᾶ … hoc nimirũ teli genus est, quo equites cataphracti vtuntur: malleus quidã ferreus, vna parte ad ictũ inferendũ, altera ad pungendũ cõparatus: *ein Reithammer* nostri vocant. Κεστὸς adiectiuũ, Eustathio idem est quod κεντητὸς & ποικίλος, id est, punctis varius & distinctus: & quanquam eiusmodi in ea quam Sittardus misit pictura sphyrænæ dorsum appareat, non inde tamen potius quam ab acuta rostri figura, cestram dictam coniecerim. Cestreus etiam mugilum siue genus siue species, ab eo appellatus à Grecis videtur: quia teli (cestræ) modo, publica Atheniensium pœna, intret adulteros, Hermolaus: vt pluribus expositum est supra in Corollario IV. de mugilibus, pag. 561. Aliud est ξέστρα: rastrum interpretantur: ἀπὸ τοῦ ξέειν: hoc est, à radendo.

SPINGVS, Σπίγγος, piscis, Hesychius & Varinus. Sed & spinum interpretantur, σπῖνον, quod auis nomen est. Ταινίδες, σπῖναι, (forte πίνναι,) βατὶς, &c. nominantur à coquo apud Alexidem.

DE SPONDYLO.

A DE Spondylo Ostreorum generis dedimus supra inter Ostrea, primum Bellonij scripta, Gaideropoda vocantis, pag. 643. deinde Rondeletij, pag. 647. tertio Corollarium nostrum, pag. 654. Hic plura addemus, tum de eadem concha, cum de alijs huius vocabuli significationibus. Spondylus nominatur à Plinio libri 32. cap. vltimo, in Aquatilium catalogo. Leonicenus Galeni interpres verticillos pro spondylis reddit, aliqui vertebras & vertibula: quorum nullum apud veteres pro concha reperitur, quamobrem pręstat vti Græco nomine. Gaza ex Aristotele holothuria genus longe diuersum, vertibula interpretatur. Sphondylos inter Concharum genera Columella annumerat. Apuli & Siculi vocant Spondylos. Græci Gaidarupoda, hoc est, pedem asini, quod asinini pedis speciem similitudinemq; gerat. Huius extimæ partes scabræ sunt, intimæ verò læues & candidæ. Duabus Conchis constat, atque ex posteriori parte vertebris quibusdam continetur, vnde nomen traxisse opinor. Massilienses Hostia (*deprauato nimirum ab Ostreis nomine. nam & Massilienses ostreas Hosties vocant, vt scribit Bellonius*) appellant, Gillius. Atheneus has conchas, vt Rondeletius docet, τραχήλους nominat: apud quem Posidippus ἐχῖνος, τραχήλους, &c. memorat. Proferturautem spondylus, vel sphondylus: sicut & asparagus, aspharagus. & σπόγγος vel σφόγγος. Seneca & Macrobius videntur accipere sphondylum pro quodam piscis genere, quem iuniores scinalium dictitant, Aristoteles spondylenam vocat, Ambrosius Calepinus in Sphõdylio. Atqui Macrobius simpliciter nominat spondylos inter cœnę pontificalis prima fercula, cum ostreis, &c. Non igitur piscis est spondylus: spondylenę vero ne nomen quidem vsquam extare puto. Ætate nostra Greci piscem hyscam (*sic sturionem vocat*) tribus nominibus inueterant: rhachin partem eius dorsuariam & spinalem vocantes, quam nostrum vulgus schinalem corrupte appellat: pleuram, id est costas & latera: hypocœlion, id est, aluum eius atq; pubem, Hermolaus. Atheneus horęi (*è thynnis*) salsamenti spondylum commendari scribit, Idem. vbi spondyli nomine partem solidiorem magisque callosam, qualis nimirum circa spondylos, id est vertebras spinę ac dorsum est, potius quam circa latera & ventrem, acceperim. Quid si spondylum, dorsuariam illam partem thunni, & aliorum cetario-

 rumpi-

rum piscium intelligamus? ex qua deinde salsa Athenæus preciosum salsamentum fieri tradidit, quod spondylum etiam appellat. nos schinalem, quasi spinalem nuncupamus, Græci rhachin, Brasauolus in Aphorismos. Genus id concharum, quod à nostris spoletta vocatur, corrupto forte vocabulo Græco, spondylus Galeni fuerit: sed nihil definio. Non desunt tamen qui velint dactylos marinos esse spoletas. alij spondylos putant esse holothuria Aristotelis: quę sunt qui vulgo spongiolas marinas putent vocitari, Idem ibidem. Conchas rhomboides cognominatas Rondeletio, Bellonius balanos esse suspicatur. Sunt (inquit idem) qui Spondylos Latinis vocari putent. Plinius verò ad diuersa animalia vtrũque nomen transfert. Paulus concharum genus cōdylos scribit, quos tu fortasse spondylos dixeris, Idem Bellonius, & Vuottonus. nam hic quoque balanum, ac sphondylum Galeno & Columellę cõcham vnam esse iudicat, Plinio non item. Ego an balani nomen apud Galenum extet, iam non memini. lib. 3. quidem de alimentis, vbi de ostracodermis tractans eorum meminisse debuerat, nulla eorum mẽtio fit, sed sphondylorum duntaxat. Ea verò quę Bellonius de balanis tanquam ex Galeni libris refert, ex Vuottoni puto opere mutuatus, non Galeni sed Xenocratis verba sunt. Macrobius Satur. 3. 13. in Cœnę pontificalis descriptione, cum peloridas & sphondylos nominasset, paulo post balanos nigros & albos, iterumque sphondylos nominat, vnde pro diuersis habita apparet.

E Limosa regio maximè idonea est conchylijs, muricibus, &c. & balanis vel sphondylis, Columella 8. 16. de piscinis loquens.

F Celerrime & vniuersim maximè vinum alit: tardius autem & paulatim caro bubula, & cochleæ & spondyli marini, & quęcunque dura carne constant, Galenus in Aphorismos 2. 18. Idem lib. 3. de alimẽtis, spondylos, solenas, purpuras, & huiusmodi ostracoderma omnia, dura carne constare scribit: vnde & Aegineta repetijt.

G Tertianis mederi dicitur & spondylus per se (*spondylus percæ prius legebatur*) adalligatus.

H. a. Spondylus concha, ab Athenæo Trachelus dicitur, siue ab aliqua figuræ similitudine, siue quod huius generis conchæ durior solidiorque caro sit. nam in vniuersum quoque in testatorum genere, caro ipsa media & solidior: figura nimirum, vt spondylus fusi, rotunda: quæ ita dura neruosaque est, si circũiacenti comparetur, vt callus quidam videatur, Germanicè dixerim *den kernen*, quasi χόνδρον. (Vide in Corollario de Ostreis B.) Insignis hæc pars potissimum est in pinnis & buccinis. Rondeletius non ceruicem aut collum vertit, vt alij quidam: sed Græcam tracheli vocem relinquit. Vide in pinna eius: & in perna, vbi spondylum vocans, callum duriorem vel interiorem interpretatur: eoq; pernam carere ait. Pernę (inquit) pro spondylo grandis caro est. Aliquando tamen simpliciter puto pro carne ostreorum accipi, sicut in nuce nucleum dicimus. Ælianus de animalibus 14. 22. στρόμβου τένοντα, strombi tendinem nominat inter escas piscium, nimirum callum eius intelligens. τράχηλος enim & τένων eadem aliquando significatione vsurpantur.

Hicesius id quod echinata specie cernitur in capite mugilis, τὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ κεστρέως ἐχῖνον, sphondylum nominat Athenęus. nos quoque (inquit Brasauolus Ferrariensis) à similitudine quam habet cũ muliebri instrumento, quod est fusi perpendiculum fusarolo nuncupamus: eamque partem ob amarorem proijcimus, quamuis nonnulli comedant. Spondylus, nodus seu vertebra spinæ dicitur, (*Homerus pro spondylis dorsi, astragalos dixit*) item calculus æneus, quo suffragia sua iudices Athenis dabant, vt est apud Iulium Pollucem item verticulum quod apponitur fusis, vt nendo melius vertantur. Martialis libro 7. pro animalium ossiculis vtitur: Rosos tepente spondylos sinu condit, Author Promptuarij. Σπόνδυλοι, ἢ σφόνδυλοι, ὧν τὸν ἀστράγαλον ἐν Ἰλιάδι οἱ σφονδύλιοι. καὶ σφόνδυλος ἡ δικαστικὴ ψῆφος, Eustathius. – Μυελὸς αὖτε Σφονδυλίων ἔκπαλθ᾽: ὁ δ᾽ ἐπὶ χθονὶ κεῖτο τανυσθείς, Iliad Υ. de homine decollato in pugna. Animalium cęterorum nullum aliud radices à nobis dictas (*Vitis syluestris, aristolochiæ peucedani, centaurij*) attingit, excepta spondyli, quę omnes persequitur. Genus id serpentis est, Plinius paulo ante finem libri 27. Ge. Agricola non serpentem, sed insectum esse docet, quod Germanicè dicitur *Engere*, in libro de animantibus subterraneis. Spondylis (inquit) vermis intra terram reperiri solet, ita conuolutus, vt verticilli, quod Græci spondylon vocant, speciem præ se ferat. vnde nomen inuenit. Ei longitudo & crassitudo minimi digiti: caput rubrum. Sed quia hic vermis caret pedibus, & serpit, Plinius scribit: genus id serpentis est. Spondyle Plinij, (*non probo*) Typhle vel Typhline antiquis, Bellonio est, quæ acus Aristotelis Rondeletio. Vide supra in Corollario Acus A. pagin. 12. Sphondyle radix quædam silphio similis veteribus memoratur, Eustathius. Inter sphondylij herbæ, quam Dioscorides libro 2. describit, nomenclaturas, legimus etiam sphondylidem: item araneum, phalangium, asterion. sunt enim phalangiorum species quędam, vt priuatim rhox ab acini vuæ similitudine dicta, quæ in medio ventris ex inferiore parte os habent: sicut & sphondylus (quo fusi muliebres librantur) rotundus est, & in medio pertusus. Hanc sphondyli similitudinem in herbæ istius semine esse putauit Marcellus Vergilius: ego germinationum circa caulem rudimenta, globosa quodam inuolucro inclusa, cum spondylo compararim. talia enim in ea herba, quam nos sphondylium nominamus, apparent. Inuenio & cinarę cacumina sphondylos vocari.

DE SPONGIIS, BELLONIVS.

B SPONGIÆ recentes à siccis longè diuersę, scopulis aquæ marinæ ad duos vel tres cubitos, nonnunquam quatuor tantum digitos immersis, vt fungi arboribus adherent, sordido quodam succo, aut mucosa potius sanie refertæ vsque adeo fœtida, vt vel eminus nauseam excitet. Continetur autem ijs cauernis, quas inanes in siccis ac lotis spongijs cernimus. Putris pulmonis modo nigræ conspiciuntur: verum quæ in sublimi aquæ nascuntur, multo magis opaca nigredine suffusæ sunt. Puto autẽ illis succum sordidum, quẽ diximus, carnis loco à natura attributũ fuisse: atq; meatib. latioribus, tanquam intestinis aut interaneis vti. Cæterum pars ea, qua Spongię cautibus adherent, est tanquam folij petiolus, à quo veluti collũ quoddam gracile incipit: quod deinde in latitudinẽ diffusum, capitis globum facit. Recentibus nihil est fistulosum, hæsitantq; tanquam radicibus. Superne omnes propemodum meatus concreti latent: inferne verò quaterni aut quini patent, per quos eas sugere existimamus.

De spongijs recentibus hæc Oppianus, interprete Lippio: *Ex Oppiano.*

Infixas scopulis spongas prospectat acutis: Inter se iunctæ nascuntur caute virenti. Paulo post,
Irrumpens spongas vibrata falce recidit Vt messor, rumpitque moras, & fune sodales
Admonet, vt fundo subitò retrahatur ab imo. Alibi, *A spongis cæsis, teirum quæ spirat odorem,*
Distillat sanies, hominis quæ naribus hæret, Et sæpe extinguit, ac tabo conficit atro.

Differentiæ. Spongias autem in recentes ac veteres tantum distinguunt, hoc est, in sordidas & mundas: estque in eis mundandis difficultas maxima. Dioscorides in raras, spissas & Achilleas discernit: quarum omnium vires exponit. Nos etiam in marem & fœminam à magnitudine & cauernularum raritate diuidere solemus.

DE EISDEM, RONDELETIVS.

A piscibus cæterisque animantibus marinis, tam sanguine præditis quàm sanguinis expertibus, ad ea tandem deuenimus quibus parum sensus, motusque inest: postremo verò ad ea quæ ijs prorsus carent, quæque plantis similia sunt, in quo genere sunt Spongiæ: eas enim eiusmodi esse vt sensu motuque omni destitutæ sint, priore parte operis nostri demonstrauimus. Reliqua igitur quę de Spongijs dicenda sunt more nostro pertractemus. *Ordinis, quem ipse sequitur, ratio. Lib. 4. cap. 10.*

A Dicuntur à Gręcis σπόγγοι & σπογγιαί: & earum piscatores, σπογγεῖς, spongiatores vel spongiarij. A spongiæ natura molli, laxa & fistula, quæcunque sunt huiusmodi spongiosa vocantur. Vnde pulmonum nostrorum substantia spongiosa à medicis vocatur, & laxa caro præhumidaque quę in vlceribus accrescit à Chirurgis. Marcellus medicus spongiam appellat quæ pruno syluestri adnascitur, & quæ in rubo rosario agresti, quam pharmacopœi hodie Spongiam bedegaris nominant. H. a.

A Sed ad Spongias marinas redeamus, quas in diuersa genera diuersi autores partiti sunt. Dioscorides, E Spongijs mares appellauere, inquit, tenui fistula, spissas, quarum duriores tragos nominarunt. fœminas autem, quæ contrarias dotes habent. Arist. quatuor Spongiarum differentias constituit. Nam aliæ raræ, aliæ spissæ: aliæ tenuissimæ, spississimę, validissimęq;, quas Achilleas nominabant. Mollitudinis, duritiæ, magnitudinis earum differentię à loco & situ sumuntur. Quæ primi sunt generis, magnitudine amplissima fiunt, vt circa Lyciam. quæ secundi generis, mollissimę. quæ tertij, duriores (σκληρότεροι.) Omnes quæ in altis tranquillisque gurgitibus sunt, molliores efficiuntur: quæ in summis saxis, & ab vndis procellisque agitatis, duriores. flatus enim ac tempestates, Spongias & ea quæ in mari nascuntur duriora reddunt, & incrementum impediunt. Quartum genus earum est quas aplysias vocant, quia nunquam lauentur, quasi illotarias voces, ait Gaza. hæ ampliores quidem meatus habent, sed reliquo toto corpore densæ sunt: nihilo tamen densiores superioribus, sed lentiores, & omnino pulmoni similes. Eadem tradit Plin. ex Arist. Colore differunt: nam illotæ nigricant, quædam croceæ sunt sine fuco. Arte candidę fiunt, vt tradit Dioscor. è mollissimis recentes per æstus (æstatem) tinctę salis spuma, quæ petris cohæret, insolantur inuersæ. hoc est parte caua sursum spectante, & qua abscissę fuerint deorsum. (τὸ μὲν κοῖλον αὐτῶν ἄνω, κάτω δὲ ἡ ἀποτομή.) atqui caua pars, eadem mihi videtur, qua amputantur: opposita verò, gibba.) Si verò æstiua serenitate, (etiam) ad lunam sternantur perfusę salis spuma, aut maris aqua, maximũ candorem referunt. Tingebantur etiam in delicijs aliquando & Purpura, teste Plinio. Tria Spongiarum genera nobis nota hæc sunt. Primum earum est quę rarę sunt, patentissimasque habent fistulas, quas nulli alteri rei aptius comparare possum, quàm hepati humano membrana sua spoliato, & per medium dissecto, in quo tum cernuntur infinitarum venarũ fistulę, quarũ alię sunt maximę, alię minores, alię minimę, tamen sensui patentes. Vocatur à Gallis grosse esponge. Eiusdem generis aplysias esse puto, sed prope limum & sordes nasci, quam ob causam tam sordidę sunt, vt elui non possint. Secundum genus est densum, quod paruas admodum fistulas habet: & tenue quod ad crassitudinem corporis attinet, & molle: tantumq; mollitudine differt à primo genere, quantum stupa crassissima asperrimaque, à delicatissimo & tenuissimo lino. Nostri esponge femelle appellant, & est colore mali arantij. Tertium genus est densissimum, spissum, validum, cinereum, alcyonio tam simile, vt vix nisi gustatu vtriusque discrimen agnoscas. Hoc fistulosum non est, sed sæpius cauitatem vnam, & eam amplam habet, in qua cancellus hospitatur. *Lib. 5. cap. 45.* *Lib. 31. cap. 11.*

E His spongiarum generibus explicatis, nunc de vsu dicemus: qui apud veteres frequens erat, & valde multiplex. Martialis: Hæc tibi forte datur tergendis spongia mensis Vtilis, expresso cum leuis imbre tumet. Præstabunt & strigilum vicem, linteolorumque affectis corporibus. Et contra solem aptè protegunt capita, Plinio teste. Eadem ratione nos qui comam non alimus ad detergendum caput commode vtemur, maximè asperso sale bene contuso. Galen. aliquando noua, aliquando antiqua spongia vtendum censet, sępius lota in libris ad Glauconem & methodi med. Vt cum resiccandũ, digerendũq; G in œdemate, in febribus, in alijs calidis affectibus spongia noua & lota: recentibus enim plus salsuginis inest. Corpori adhibentur modo siccę, modo cum aceto, vino, frigida, aqua cęlesti, cera, posca, melle. His sanguis rapitur in secando, vt curatio perspici possit. sic quum corporum dissectionem tractamus, spongijs vtimur ad ebibendum sanguinem è venis affatim profluentem, & partium conspectũ nobis adimentem. Ad canum morsus vtiliter concisę imponuntur, ex aceto, aut frigida, aut melle, abundè subinde humectandę, ait Plinius. Sed neque hic frigida, neq; acetum mihi placet: ab his enim intro venenum pelleretur, verum mel prodesse potest, tum venenum digerendo, tum attrahendo. Circumligantur & hydropicis siccę, vel ex aqua tepida poscaue, vtrunq; (*al' vtcunq*) blandiorib. opus est, opeririue aut siccari cutẽ. Nos summa cum vtilitate ventri & tibijs hydropicorũ spõgias imposuimus, cute tantũ acu perforata: tum .n. facilè per carnis inania spatia aqua effluit. Chirurgi in vlcera siue vulnera capitis & thoracis vtiliter spongiam mollissimã immittunt, vt sanies defluat, & à spongia exhauriatur. Eadem & ad vlcerum oras dilatandas vtuntur, vel filo alligata, cum stricti sunt sinus, vel cera liquida densata: vel sine filo & cera, cum magna sunt vlcera, & parum profunda. Cum cera verò sic pręparatur. A lapillis, conchulis, alijsque quę in spongiarum fistulis latere solent diligenter expurgata, cera liquefacta perfunditur, tũ inter tabellas duas expressa, attenuataq; in frustula dissecatur. Præterea sanguinis profluuiũ sistunt ex aceto, aut frigida. Nõ alia quidẽ quã exiccandi facultate Spongiæ id faciunt: qui-

unt: quibus & illud accedit, quod ſeroſo & tenui ab ijs exhauſto, quod craſſius eſt ſpiſſatur, venaſque tunc obſtruendo ſanguinis impetum inhibet. Idem eadem de cauſa efficiunt ſalicis & cannarum flores & pili tenues leporis. Rurſus vſta ſpongia veteres in multis vſi ſunt. Vritur autem vt alcyonium, autore Dioſcoride, id eſt, cum ſale in crudum fictile mittendo, & oblinendo vaſis ſpiraculum luto, itaque fornaci mandando: & cum figlinum percoctum fuerit extrahendum. Idem Plinius. Et oculorum cauſa comburuntur in cruda olla figulini operis, plurimum proficiente eo cinere contra ſcabritias genarum, excreſcenteſque carnes & quicquid opus ſit ibi diſtringere, ſpiſſare, explere. Vtilius in eo vſu lauare cinerem. Cremari etiam cum pice prodidit Plinius. Omnium, ait, cinis cum pice crematarum ſanguinem ſiſtit vulnerum. Crito vſta vtebatur ad conſeruandos capillos, vt videre eſt apud Galenum lib. 2. de compoſ. med. κατὰ τόπους. Idem veriſſimè tradit vſtam acris eſſe & digerentis facultatis. Cætera petes ex lib. 11. de facultate ſimplic. medic.

Vſta ſpongia. Lib 5. cap. 138. Lib. 31. cap. 11. — *Ibidem.*

COROLLARIVM.

Spongia an ſit animal, &c.

Spongiam non ſentio eſſe animal, imo vix zoophyton: quoniam tamen è vulgo quidam ceu animal quoddam marinum eam eſſe putarunt, eaq; occaſione Rondeletius quoq; & Bel. de ea pertractarunt in Aquatilium animantium hiſtoria, meo etiam Corollario ipſam dignabor. Equidem & his ineſſe ſenſum arbitror, quæ nec animalium, neq; fruticum, ſed tertiam ex vtroq; naturã habent, vrticis dico & ſpongijs, Plin. ſic autem circumloquitur ea, quæ zoophyta Græci vocant, plantanimalia Theodorus. Et alibi: Animal eſſe docuimus, etiam cruore inhærente. Sanguinem Op. quoq; , Ælian. & Plutarchus ei contribuunt. Spongia non eſt inanima, nec ſanguinis expers: ſed partus maris animans ſaxis innaſcitur, quemadmodum & alia quædam animalia, Ælianus & Plutarchus. Oſtreorum generi capita nulla, nec ſpongijs: nec alijs ferè, quib. ſolus ex ſenſibus tactus eſt, Plin. Aliqui narrant & auditu regi eas, contrahique ad ſonum, exprimentes abundantiam humoris, nec auelli petris poſſe, ideo abſcindi & ſaniem emittere, Idem. ſed in quibus de ſenſu tactus dubitatur, illis auditum adſcribere abſurdum eſt: non minus quam quaternarium alicubi conſtituere, vbi an omnino ſit vnitas non conſtet. Et rurſus: Intellectum (*Senſum*) ineſſe iis apparet, quia vbi auulſorem ſenſere, contractæ multo difficilius abſtrahuntur: hoc idem fluctu pulſante faciunt. viuere eſca manifeſto conchæ minutæ in his repertæ oſtendunt. Et Ariſt. lib. 5. hiſtoriæ: Senſum & ſpongijs eſſe aiunt, argumento, quod ad euulſoris acceſſum contrahuntur, ita vt euelli difficile ſit: quod idem etiam faciunt quoties flatus tempeſtaſq; vrget, ne ſua de ſede pellantur. Sed ſunt qui de hoc dubitent, vt qui circa Toronam incolunt. Narrant .n. procul dubio beſtiolas quaſdam, velut tineas lumbricosue, & eiuſmodi alia conſiſtere intra ſpongias, atque ali: quas & euulſis ſpongijs piſciculi ſaxatiles deuorent: qui vel radices abſumunt totas quæ inhærentes ſaxis remanſerint, (*Hæc & aliter verti poſſunt. vide infrà in D.*) Si euenerit fortè vt ſpongia abrumpatur, reſiduo item naſcitur & completur. Item lib. . eiuſdem operis: Spongia ſenſum habere aliquem creditur: argumento, quod multo difficilius abſtrahatur, niſi clanculum agatur, vt referunt auulſores.

An ſentiat.

De motu ſpongiarum.

Suum etiam quendam motum habet ſpongia: veruntamen animalculo (beſtiola, quæ araneo ſimilis in ea degit,) ad ſe ſenſu afficiendam, atque illud admonendam quod ſit animata, eget, (&c, vt in D. refertur,) Ælian. & Plutarchus: tanquam non per ſe animata ſit, quod ad ſenſum motumque, ſed per accidens, vti caro ferè animalium per neruos. In aqua dilatatur & conſtringitur, (*nimirum dum petris adhæret, quanquam hoc etiam aut falſum videtur, aut non niſi per accidens fieri:*) extra immobilis eſt, Alber. Quædã immobiles ſunt à ſaxis: quædam autem ſunt mobiles de loco ad locum: Idem, ſed falſò. Ariſtot. enim hiſtoriæ 5. 16. de vrticis & ſpongijs ſcribens: non his, ſed illis hoc attribuit. Rondelet. lib. 4. cap. 10. ſpongias ſenſu omni carere liquido oſtendit: cum neque viſcus in eis, nec nerui vlli ſint: & amputatæ renaſcantur ex radicibus relictis, quod nulli animali competit: nec ſanguinem ineſſe dicendum, ſed ſuccum duntaxat hunc eſſe quo aluntur & accreſcunt: & animalia quædam non tam eis eſcam eſſe, quã intra eas viuere. Contrahi autem eas per accidens, cũ quæ in eorum cauis animalcula ſunt contrahuntur. & Ariſtotelem non ex ſua, ſed vulgi opinione ſenſum eis attribuere. addit enim ὥς φασι: ex ſua vero ſententia alibi dicere, ſpongiam omnino plantis ſimilem eſſe. Hæc ferè illic Rondelet. Sed fortè aplyſiæ dicti ſenſum habent aliquem. de quibus ſic Ariſt. quinto hiſt. cap. 16. ὁμολογεῖται δὲ μάλιστα παρὰ πάντων τοῦτο τὸ γένος αἴσθησιν ἔχειν. earundem ſubſtantiam ab alijs differre ſcribit, & in vniuerſum πλευμονώδη eſſe, hoc eſt, ſimilem pulmoni, ſiue viſcus, ſiue zoophyton marinum, (cui proximum vitæ gradum habent ſpongiæ) vt dicetur, intelligens. Hoc genus (inquit) meatus quidem magnos habet: τὸ δ' ἄλλο πυκνόν ἐστι πᾶν. οὐδὲν δὲ πυκνότερον καὶ γλισχρότερον ἐστι τοῦ σπόγγου, καὶ τὸ σύνολον πλευμονῶδες. Gaza vertit: Nihilo tamen denſius, quàm quæ antè enumerauimus genera, quanquam lentius, & ex toto pulmoni ſimilius cernitur. quaſi legerit, οὐδὲν δὲ πυκνότερον, ἀλλὰ γλισχρότερόν ἐστι, &c. mihi locus ſuſpectus eſt: & pro οὐδὲν fortè πολὺ legendum: aut ſi οὐδὲν rectè legitur, pro copula καὶ proximè ſequente, vel ἀλλὰ, vt Gaza, vel οὐδὲ ponendum, vt ſententia tota & comparationis ratio melius conſtet. ſed præ cæteris placet pro οὐδὲν legi πολύ: vt aplyſiæ ſubſtantia multò tum denſior tum tenacior ſit, quàm ſpongiæ propriè dictæ: eaq; ratione etiam πλευμονώδη, (vt τὸ σύνολον, id eſt, vno verbo comprehendatur, quod iam duob. dixerat,) id eſt pulmoni marino ſimilior. qui & ipſe ſubſtantia (ſaltem externa) denſa tenaciq; conſtat: Corio .n. duro integitur, ſicuti holothuria & ſtellæ, vt Rondelet. docet. Hinc nimirum fit, vt propter denſitatem tenacitatemq; lauari hoc genus non ſit aptum. Vetus tranſlatio non eſt mihi ad manum: Albertus quidem hæc verba omiſit. Pulmo quidem viſcus, hoc eſt animalium pars, nec ſpiſſus neq; tenax dicendus eſt. Ergo fuerint gradus aliqui naturæ, vt alibi, mirificè ſemper τὰ μέσα καὶ ἐπαμφοτερίζοντα appetentis, ita in tranſitu à frutice ad animal. Poſt inanimata corpora, media quædam fortè ſequuntur: tertio animata vt plantæ. In Plantarum fine, zoophytorum initio ſpongiæ ſunto, primum propriè dictæ: deinde aplyſiæ, pulmones, holothuria, tethya, ac multa deinceps zoophyta, alia ferè alijs perfectiora, vſq; ad conchas, quas ſuperant cochleæ. &c. Hanc noſtram opinionem propemodum confirmat philoſophus, quarti de partibus animalinm cap. 5. his verbis: Tethya parum ſua natura à plantis differunt. ſunt tamen ſpongijs viuaciora, (ζωτικώτερα: *id eſt, propius ad animalium naturã quàm ſpongiæ accedunt.*) quippe cum ſpongiæ

Non ſentire eam. — *(Aplyſia.)* — *(Pulmo mar.)* — *Gradus naturæ.*

ſpongię omnino vires habeant plantæ. natura enim continuè ab inanimatis ad animalia tranſit per ea quę viuant quidem, ſed non ſint animalia: ita vt parum admodum differre alterum ab altero videatur, propter ſuam propinquitatem. Spongia igitur, vt dictum eſt, cum adhærendo tantum viuere poſſit, abſoluta autem nequeat viuere, (*vtroque modo*) ſimilis plantis omnino eſt. quæ autem holothuria vocant & pulmones, atque etiam plura eiuſmodi alia in mari, parum ab ijs differunt ſua ipſorum abſolutione. viuunt enim ſine vllo ſenſu, perinde ac plantæ abſolutæ: nam & in terreſtribus plantis ſunt nonnulla eiuſmodi, vt epipetrum, &c. Et tethyum igitur, & quicquid eſt generis eiuſdem, ſimile plantæ eſt, quia adhærendo tantummodo viuit: ſed cum aliquid habeat carnis, ſenſum aliquem habere videri poteſt. itaque vtro nam modo ſtatuendum ſit, incertum eſt, Hæc ille. Quod ſi de tethyis quæ perfectiora ſunt ſpongijs, & non adhærent, & carnis aliquid habent, vllane ſentiendi vi polleant, dubitatur: certè ſpongijs, quæ & adhærent, & carnis nihil habent, ſenſus omnino nullus attribui poteſt.

Nomina in diuerſis linguis.

In trilingui Lexico Munſteri, ſpongiæ nomina Hebraica, (ſaltem Hebraicis characteribus ſcripta,) inuenio hæc: Saphog, (hoc legitur in Euangelio Matthæi Hebraico) Ared, Adak, Sib, Camahot, Ekba, Akuba, Zipore. Ex his primum accedit ad Græcum ſpongos: ſicut & alſefengi apud Auicennam: (nam lapidem ſpongiæ vocat hagiar alſefengi:) alibi asfengi albhar, id eſt, ſpongiam marinam, vt lib. 2. cap. 602. Apud Syluaticum etiam asfengi legitur: & quædam, vt conijcio, corrupta, vt affegi albach, pro ſpongia mar. & geſſaſe, gefrife, ſeoſe: & alacer frange pro lapide ſpongiæ: item ſapea pro ſpongia. Gamen apud Albertum ex Auicenna in Ariſtotelis hiſt. librum 5. cap. 16. Perſicum fortè fuerit. Spongia Græcis etiam, ſed Atticè, σπογγιὰ dicitur, teſte Suida: σπόγγος communius eſt. Memini & σφόγγον alicubi legere. nam σπ. & σφ. aliquando permutantur, vt in ſpondylo & aſparago. hinc σφογγίον diminutiuum in Acharnenſibus Ariſtophanis. Italis nomen ſeruat Spogna vel Spongia. Galli eſponge. Germani *ein Schvvamm*, ſiue à natando, quod leuitate ſua innatet: ſiue Græca voce interpolata, à ſpongo, *ſchvvamm*: vt à ſphyra, *Schvvyre*. Angli *a Sponge*. Bohemi Huba. Turcæ Bulud.

Genera.

Ariſtoteles quatuor ſpongiarum differentias conſtituit, Rondelet. Atqui Ariſtot. hiſt. 5. 16. diſtinctius agit. Genus (inquit) ſpongiarum triplex ſtatuitur. Et in progreſſu: Aliud genus eſt quod aplyſias vocant: hoc ne ſpongię quidem nomine appellat, tanquam peculiaris naturæ, vt explicabimus inferius. Omnino quæ altis tranquillisque (εὐδιεινοῖς, *id eſt, temperatis quod ad calorem & frigus*) inſunt gurgitibus, molliſſimę ſunt. flatus enim ac tempeſtates (χειμών, *frigus*) ſpongias quoque, vt cætera altilia (τὰ φυόμενα) reddunt duriores, & incrementum impediunt. quamobrem ſpongię Helleſponti ſpiſſę & aſperę ſunt, (*tragi nimirum,*) & omnino quas mare vltra Maleam promontorium, (*quod nunc caput Maleum appellant,*) citraque fert, differunt inter ſe mollitie duritateque, Ariſtot. Eadem Plinius, vt breuiſſime nimium, itaque pleraque falsò, hoc eſt contra Ariſtotelis ſententiam, ex eo repetijt: his verbis: Maximę fiunt manæ, ſed molliſſimæ circa Lyciam. in profundo autem nec ventoſo molliores: in Helleſponto, aſperæ: & denſę circa Maleam

Manon.

Spongiarum tria genera accipimus: ſpiſſum ac prædurum & aſperum, tragos id vocatur: minus ſpiſſum, & mollius, manon: tenue, denſumque, ex quo penicilli, Achilleum, Plinius. quem Græcam vocem manon reliquiſſe mireris, cum adiectiua ſit & opponatur denſo ſeu ſpiſſo, quod πυκνὸν Græci dicunt. Rarum vertere poterat, ſicut Gaza rarum & ſolutum hoc genus dixit. Vergilius retia rara. Et Plinius ipſe alibi de ſpongijs: Aliqui raras tantum ad ſanguinem ſiſtendum cum pice vrunt. Columella: Nam niſi rarè conſeritur. Et alibi: Et mediocri raritudine optima eſt vitibus terra. hinc & verbum compoſitum, diſraro: & quo idem Columella vtitur, interraro. Rarum igitur eſt, à Græco ἀραιὸν per metatheſin, (quod & μανὸν dicunt,) quod multa habet interualla, ſiue multos meatus ſubtiliori aliquo corpore (vt aëre, vel aqua) plenos. quamobrem etiam pro ſubtili tenuique etiamſi poros ſeu meatus nullos habeat, (vel vt Scaliger vult, pro tranſlucido, vt in aqua quod Gręci λεπτὸν & λεπτομερὲς vocant,) accipitur. --- Reſolutaque tellus In liquidas rareſcit aquas, Ouidius. Ἀραιὸν latius patere puto ad omnia rara corpora, tum dura, tum mollia: μανὸν verò & χαῦνον, ad mollia tantum, (propriè quidem & frequentius,) quę cedunt compreſſa & ſubſidunt, ac paulò poſt redeunt: ſic ſpongiæ genus μανὸν appellatur. Σομφὸν grammatici interpretantur χαῦνον, hoc eſt, laxum, ſolutum. quare & mollis effœminatusque homo χαῦνος appellatur: cuius animus fractus facile cuiuis libidini cedit, nec renititur. Et loca paluſtria, laxiq; ſoli, σομφώδη nominant. Σομφώδεις, οἱ χαυνότεροι τῶν αἰγιαλῶν, Heſychius. Similis eſt vox Germanica *Sumpff*, & *Sumpfacht*, de terra paluſtri. Scaliger tamen pumicem quoque σομφὸν dixit. Ἀραιὰς φρένας ἔχειν λέγεται ὁ χαῦνος, ἀντικειμένως τῷ πυκνῷ, ὥς φησιν Ὅμηρος, φρονοῦντι, Euſtathius. Idem in Iliad. Ξ. interpretans verſum poetę: ἀλλ' ὁ μὲν ὡς ἀπόλοιτο, θεὸς δέ ἑ σιφλώσειεν. ὅ ἐστι κακώσειεν, ἢ μωμητὸν ποιήσειε. σίφλον enim (inquit) aliqui vocant deformem ac turpem: qualem fieri imprecatur Achillem, formæ & pulchritudini eius inuidens. vel σιφλώσειε pro eo quod eſt laxet ac reſoluat, ἐκλύσοι καὶ παύσοι τῆς ὁρμῆς. φλῶ γὰρ τὸ ὁρμὴν ἔχω. Quidam (*Opp.*) piſcium genus σιφλὸν dixit pro guloſo. Apud Lycios quoſdam σιφλὸς etiamnum dicitur de homine ignauo & ſocorde: ijdem ſuper huius vocabuli ſignificatione interrogati, ζοφὸν interpretantur, vt ipſi loquuntur, vel (vt vulgus alibi) ζοχόν: hoc eſt, σομφὸν, vt literati: qualis ſcilicet ſpongia eſt, & quæ vulgo nominantur ζοχία, (*fungi forſitan.*) Iidem Lycij νάρθηκα σιφλὸν eſſe dicunt intrinſecus, id eſt ferulam fungoſam. (*habet .n. medullam, quam Dioſcorides ἐντεριώνην vocat.*) ἐπεὶ καὶ ἐκείνου τὰ ἔνδον σομφά ἐστι, τουτέστιν ἀραιὰ καὶ ἀπύκνωτα. Itaq; homo σιφλὸς fuerit, non ſolidus, conſtans aut firmus ad res agendas, ſed laxus, iners, ſolutus, inutilis, mollis, ignauus. Τοιοῦτος δὲ σιφλώματος, ἤγουν Λυκιακοῦ, καὶ ἡ ῥαφανίς, καὶ ἡ γογγυλίς. ſunt enim radices illæ (*Cartilaginei generis vocat Plin.*) molles & laxę, Hucuſq; Euſtat. Noſtri *Lugg* vel *Luck* appellant, quod molle & laxum, & facile compreſſum ſubdit, aut loco cedit. Dioſcor. lib. 5. in capitibus de nitro, alcyonio, adarce, ſpongia, rarum & ſpongioſum concrementum ſignificans, his vocabulis vtitur: Κατατετρημένον οἱονεὶ σπογγῶδές τι, Ἀλκυόνιον πυκνόν ἐστι καὶ στρυφνὸν, καὶ τῷ ἰδεῖν σπογγῶδες. τὸ δὲ ἑξῆς, κατὰ μὲν τὸ σχῆμα πτερυγίῳ ὀφθαλμικῷ, ἢ σπογγῷ ἔοικε: κοῦφόν τέ ἐστι καὶ πολύκενον, ἔνδοθεν κισσηρώδες κατά τι ἐοικός. ἀλκυονίῳ τῷ μαλακῷ καὶ πολυκένῳ. Idem reprehendit corallium σεσηραγγωμένον τι καὶ χαῦνον. Oppianus σπόγγους πολυτρήτους cognominat. Scammoniæ liquor probatur κοῦφος, ἀραιὸς, σήραγγας ἔχων λεπτὰς, σφογγώδης, Dioſcorides. Idem cinnamomum quartum

quartum dixit χαῦνον καὶ ὀγκῶδες ἰδέσθαι. Galla altera est parua, κονδυλώδης, στιβαρά, ἀτρύπητος: altera (magna) λεία, κοῦφη, καὶ πετρημένη, (Galeno χαύνη,) Dioscor. Dixerim sanè χαῦνον quod molle est & facilè comprimitur, nimirum propter poros, siue illi manifesti sint, siue minus: vt sæpe non aliud quàm molle significet. Animalis corpus macilentum, plerunque ratum dixerim: obesum verò, χαῦνον, molle & laxum. Meatus & poros, vnde spongiæ raræ dicuntur, Plinius fistulas nominat, Græci σήραγγας potius, id est, cauernas, quàm σύριγγας, id est, fistulas: Aristoteles θαλάμας, Gaza vertit cubilia, maluissem fistulas. Οἱ κόνδυλοι τὴν σύριγγα μανώδη ἔχουσι καὶ πλατεῖαν, Aristot. de partibus 4. 13. Hæc mani vocabuli Græci occasione digressi protulimus.

Medici inscitia ad duo nomina eas redegere: Africanas, quarum firmius sit robur: Rhodiacasq; ad fouendum molliores. Nunc autem mollissimæ circa muros Antiphelli vrbis reperiuntur, Plinius. Et rursus: Quidam eas ita distinguunt. Alias ex his mares existimauere, tenui fistula (*id est paruis fistulis*) spissioresque, persorbentes, & quæ tinguntur in delicijs (*Achilleæ puto*) aliquando & purpura. Alias fœminas maioribus fistulis ac perpetuis. E maribus duriores alias, quas appellant tragos, tenuissimis fistulis atque densissimis. Candidæ cura fiunt, vt in E. referemus.

Achillea. Spongiæ quas Achilleas nominant, tenuissimæ sunt, & spissisimæ validissimæque. id genus galeis ocreisque inseritur: eoque minus ab ictu cieri strepitum, (ψόφον. alia lectio videtur πόνον. Ponitur sub galeis ferreis, vt non inducat dolorem percussio gladij, aut alterius rei, Albertus ex interprete Auicennę.) Inuentu perquam rarum est, Aristot. Hermolaus galeis & ocreis inseri scribit, ne strepitum gestatu cieant. Et rursus: Mollissimæ quæ spissæ. nam Achilleæ torosiores (στιφρότεροι. id molli opponitur, vt & στιβαρὸν & στρυφνὸν aliquando) ijs constant. Achilleas quidem dixerat esse spissisimas. nunc verò spissas Achilleis molliores facit. Sunt.n. primum manæ, deinde quæ eis opponuntur simpliciter spissę: tertio Achilleæ. quas etiam tenuissimas dixit, hoc est (vt ego accipio) minimis & crebertimis fistulis peruias: vt non aliud hic sit λεπτότατοι, quàm λεπτότρητον Dioscoridi. hæc ipsa autem pororum & paruitas & crebritas, spissitudinis earum causa est: & spissitudo fortè soliditatis, τὸ στιφρότητος. Secundi autem generis simpliciter spissę videntur dictæ, comparatione primi, vtpote frequentes: quanquam spissiores eis sint Achilleę sed inuentu rarę, & alio etiã nomine insignes. Achilleę spongię peculiare hoc, quod galeis subijcitur tenera enim & mollis cum sit, caput à ferro atteri prohibet, Achillis fortè inuento, Varinus. apud Albertum lib. 24. de animalibus, hoc legitur de Albyros tanquam pisce. piscis est (inquit) fortissimę pellis, ita vt eam milites sub galeis capitib. aptent, ad ictus quoslibet & gladiorum sine læsione excipiendos. Spongię Achilleę vocantur, quę sunt robustissimę: sicuti hordeum Achilleũ, quod præstantissimum, cuiusmodi equis suis Achilles obijciebat, Cęlius Rhod. ex Eustathio. Ἀχίλλειον πλάκα Aristophanes & Sophocles dixerunt: Hesych. interpretatur Achillis insulam Leucen dictam, circa quam etiam Ἀχιλλέως δρόμοι sunt: aliqui verò (inquit) spongiam, eius generis quo oculos abstergunt, οἷς σοῦ ὀφθαλμοὺς ἀποψῶνται. Leporis pilo, quia mollior delicatiorque est, spongię loco vtebantur plerunque, purgandis pręsertim detergendisque lippitudinibus & gramijs oculorum, vt pluribus scripsi in Leporis quadrupedis historia, ad finem segmenti E. quanquam & aliter spongię ad oculos vsus est: nempe formatum ex eo collyrium, ceu penicillus quidam, & liquori alicui immissum, vt imbibat, super oculis comprimitur, vt instilletur remedium: vel etiam spongia aliquo liquore madens

Penicilli. imponitur. Spongiarum genus tenue (λεπτότερον, vt dixi) densumque, ex quo penicilli, Achilleum vocatur, Plinius. Et rursus: Trogus author est, circa Lyciam penicillos (*spongias penicillis aptas*) mollissimos nasci in alto, vnde ablatæ sint spongię (si enim euenerit fortè, vt spongia cum euellitur abrumpatur, residuo item nascitur & completur.) Peniculi vocantur spongię aptę ad oculorum tumores, & ad tergendas lippitudines vtiles, Isidorus. Peniculi, spongię longę, propter similitudinem caudarum appellatę. penes enim vocabantur caudę, Festus & Cicero lib. 9. epist. ad Papyrium. Grammatici docent, omne, quo ad aliquid mundandum, detergendum, illinendumue vtimur, penicillum vel peniculum vocari, præsertim si ex spongia sit factum, &c. Penicillo etiam pictores pingunt. Germani nomen eius instrumenti à Latinis sumpserunt, *ein Bensel.* Peniculis vulnera stipantur, vel ideo ne claudantur, vel vt aperiantur magis. Nomen eius Grecum non inuenio aliud quàm σπόγγος: pro instrumento verò pictorio γραφὶς & ὑπογραφὶς apud Pollucem legitur. Pterygium ophthalmicũ in mentione alcyonij Dioscorides lib. 5. memorat, his verbis: τὸ μὲν τὸ σχῆμα πτερυγίῳ ὀφθαλμικῷ ἢ σπόγγῳ ἔοικε, κοῦφον τέ ἐστι καὶ πολύκενον. Vetus interpres Serapionis, vngulę oculi simile esse transfert: & eum imitatus Marcel. Vergil. concreti in hominis oculo vnguis specie. atqui vnguis in oculo haud scio quęnã figura dici possit: quidue in eo alcyonio aut spongiæ simile. Pinnulę oculorũ aut spongię simile, Ruel. pterygio in oculo, Cornar. ego penicillo ocularío transtulerim: quanuis locũ aliũ ostendere non possum, vbi pterygium penicillũ significet. sed res ipsa ita interpretari suadet, nempe altera quoq; ad spongiam similitudo, & quę sequitur epexegesis κοῦφόν τε καὶ πολύκενον. Galenus pterygij mentione omissa, figura longiore esse dixit. sunt autem & penicilli oblongi. Recentiores quidam Grçci pro penicillo xylospongium dixerunt. Vide inferius in H. a. Rondeletius penicillum vocare voluit testaceum quoddam genus, &c. à similitudine frondis è tubulo prominentis. id exhibuimus suprà.

Dioscoridis locus.

Quæ in genere illo spisso prædurę sunt atque asperæ, nomine τράγοι (id est, hirci,) nuncupantur, Aristot. Spissum ac prædurum & asperum, tragos vocatur, Plinius. Nos hircosas dicere possumus ab asperitate, Isidorus.

Tragi.

Aplysia. Genus aliud est aplysias, vt Æneas: subauditur enim σπόγγος, masculinum. quanquam non propriè spongia est, vt suprà indicauimus, vbi sensu spongias carere astruximus, & Aristotelis quædam de aplysijs verba perpendimus. Ἔστι δ' ἄλλο γένος ὃ καλοῦσιν ἀπλυσίας (in accusandi casu plurali) γλισχρότερον τοῦ σπόγγου. & mox: Διάδηλοι δέ εἰσιν αἱ ἀπλυσίαι πρὸς τοὺς σπόγγους. quibus verbis apparet eum ne nomen quidem spongiarum (propriè) eis attribuere: tanquam genere proximo prorsus diuerso: & re ipsa quoq; vt diximus distinguit, aplysijs sensum aliquem (omnium confessione) attribuens, quem spongijs negat. Sensum aplysias habere (inquit) diuque viuere inter omnes præcipuè conuenit. cognosci præ

(Gaza

b

(*Gaza de suo addit, cæteris*) spongijs eo facile possunt documento, quod cum illæ albicent limo subsidente, (*dum lauantur,*) ipsi semper nigrorem ostendunt, (Albertus addit, dum sunt in aqua limosa: extracti autem & siccati fiunt coloris fermè cinerei ad luteum declinantis.) Pessimum omnium genus est earum, quæ aplysiæ vocantur, quia elui non possunt: in quibus maximę sunt fistulæ, & reliqua densitas spissa, Plinius ex Aristotele. Theophrastus historiæ plantarum lib 4. ad finem capitis septimi. Quæ in mari mediterraneo (inquit) nascuntur stirpes, enumeratæ iam sunt. spongia enim & aplysiæ (ἡ γὰρ σπογγιά, καὶ αἱ πλυσίαι, lego καὶ οἱ ἀπλυσίαι καλούμενοι, quanquam Gaza hoc non animaduertit,) & si quid eiusmodi est, diuersam naturã sortiuntur. Alber. cum Arist. de aplysijs verba recitasset, subdit: Hoc genus est quod abundat in maribus nostris Flandrię & Germaniæ: & mouetur secundum locum, dilatatione & constrictione: & cum tollitur ab aqua, inanime videtur: aquæ redditum, paulo post iterum viuit & mouetur. Verum hoc cum absolutum viuat, spongiarum generis esse non potest. nam si aplysias solutus esset, hanc eius imprimis à cæteris differentiam Aristoteles docere debuisset. Plura de massa illa informi, quę in aqua dilatatur tantum & constringitur, diximus suprà in Corollario Leporis marini A. pagina 479.

Aureum vellus est animal marinum sicut spongia, & de spongiarum genere, sed rarius est & mollius ad modum lanæ, & lanugo eius in auri splendorem conuertitur, & dilatatur, & prolongatur sicut vellus: & dum est in mari mouetur motu contractionis, & dilatationis sicut spongia, & rarò inuenitur. Tamen hoc inuẽtum in Phrygia, cum extitit bellum Troianũ inter Grçcos & Phrygios, sicut dicit Dares Phrygius in hist. Troiana, Albertus. Sed hoc etiam genus eadem ratione, qua proximè massam illam informem aplysiam esse negauimus, spongiarum generis esse non potest: & fortè nihil omnino tale in mari reperitur. nam quod rarum esse tradit & molle, ab Achillea spongia forsitan sumptum est: quod lanam aurei coloris ei adscribit, à Pinna. *Aureũ vellus.*

Germani è spongijs quasdam vocant *Badschvvumm,* id est balneatorias, maximas puto, quib. in balneis insidere solent imbecilliores. tantæ sunt vt vna apud nos drachmis septenis, aut etiam maioris vęneat. & *Kropffschvvumm,* à strumis gutturis, quæ his crematis (vt dicemus in G.) curari solent: quæcunque scilicet nondum purgatæ calculis adhuc refertæ sunt. Cæteras simpliciter *Schvvumm,* vel *feine Schvvumm, grobe Schvvumm.* Aliqui etiam *Filtzschvvumm* appellant, id est Feltrias spongias, (à lana Feltria crassiore & ad pileos intricari solita à pilopœis,) tragos nimirum, asperos, illotos, quales pharmacopolis venduntur propter lapides quos continent. Iisdem aliquando adferuntur spongiæ quædam immaturæ, illotę, meatibus omnibus plenis, &c. *Vnreyffe schvvumm.* Licebit etiam sexus vocabulis eas distinguere, *Maennle vnd Weible,* sicut Dioscorides docet: nam Galli contrario modo nomina sexus eis accommodare videntur. Bulud Turcicum spongiæ nomen est. His addere libuit tabellam diuisionis spongiarum, quæ species earum omnes cũ differentijs statim ob oculos ponat, ex Aristot. Plin. Diosc.

Spongiæ, vel
- Sensu omni carent: quarũ alię sunt
  - Manę, μαναί: id est, rarę & solutæ, maximæ. Dioscoridi fœminę. Eædem Plinij seculo Africanę dictę videntur. *Badschvvumm, Weible.*
  - Densæ seu spissę, πυκναὶ, λεπτότρητοι. (Mares.)
    - Mollissimę: (quanquam Plinio manæ molliores sunt:) simpliciter spissæ dictę, collatione scilicet ad raras. quę duo genera frequentiora sunt. Rhodiacę Plinij seculo dicebantur, quæ ad fouendũ molliores essent. *Feine Schvvũm, Mennle.*
    - Minus molles, solidiores, minimis fistulis, id est densissimę, sed raræ inuentu, validissimę. Cęterę densę raris infirmiores sunt, quod radicemin⁹ profunda nutriãtur. *Die gar feine schvvum.*
    - Durę admodum & asperæ, τράγοι: hoc est, hirci. *Grobe schvvumm, Filtzschvvumm.*
- Sensum aliquem habent, aplysię, rarę & magnis meatibus: reliquum in eis valde densum est, &c. Has simpliciter spongias vocat vt superiores. *Schvvumm die nimmer reyssen, koennen auch nit gereiniget vverden.*

Pro spongia aliqui pharmacopolæ alcyonio vtuntur, vt in Alcyone aue scripsimus ex Brasauolo, in G. Non desunt (inquit idem Brasauolus) qui lanuginem quandam super ostreorum conchis innatam pro spongijs seruent, & vtantur: quum id potius musci marini genus sit, quàm spongię. Idem Ballas (id est pilas) marinas vulgo dictas, nusquam se apud veteres reperire scribit: & in spongiarum genere ponit. quamuis (inquit) zoophyta non sunt, qualia spongiæ: sed ex maris spuma ad litora collisa, & cuiusdam herbæ minutissimis festucis fiunt. Vim habent exiccandi. Nonnulli ex fractis spongijs & spuma arte faciunt, alij ex glutino & taurinis pilis, ignaros pharmacopolas decipientes. Ita fit maris impetus, vt æstus in minimas festucas herbam redigat, & ad litora detrudat: vbi mixta cum spuma conglobantur, & ob motum supra litus ex fluctu collidente in gyrum ac pilæ formam tendunt, Hæc ille. Quærendum an eadem hæc pila marina sit, de qua Rondeletius an Pulmo marinus sit dubitat: ex quo eius iconem dedimus suprà. Pulmo marinus (inquit) dici potest corpus quoddam rotundum, pilæ marinæ modo, virescens, foris substantia feltro simile, intus totum fistulosum veluti spongia aplysia, &c. Quæ pilæ marinæ vocantur, & in officinis habentur, (inquit Cornarius) ex alcyonij genere esse non dubium est. Galenus libri 1. de composit. sec. locos, in fine cap. 2. σφαῖραν θαλασσίαν appellat. Aristoteles lib. 9. hist. animalium, alcyonum nidum pilis marinis & spumis maris assimilat: Ἡ δὲ νεοττιὰ παρομοία ταῖς σφαίραις ταῖς θαλαττίαις ἐστί, καὶ ταῖς καλουμέναις ἁλὸς ἄχναις. Vide plura quæ in Alcyone aue annotauimus, in G. alcyonij occasione, libro de auibus. Matthiolus reprehendit eos, qui pilam marinam vulgò dictam, veterum adarcen esse putant. *Pila mar.*

Ad B. pertinentia quædam, passim suprà in A. exposita sunt, cum alia, tum quibus in locis qualesque B.

prouenian t

proueniant in generum explicatione. In petris quoque cruoris inhæret color, Africis præcipuè quæ generantur in Syrtibus, Plinius. Ex Græcia, Illyria & orientalioribus partibus Venetias afferuntur: quanquam & in noſtro mari ſpongiæ naſcuntur, ſed minores. nos ſpongias propè Camadium, paruas quidem, ſed valde molles collegimus ſaxis inhærentes, Braſauolus. Differunt figura & magnitudine: quoniam aliquæ oblongę, aliæ minus: aliquæ latæ, aliæ rotundæ: aliquæ craſſę, aliæ ſubtiles: aliquæ tuberoſæ, alię planæ, Idem. Inueniuntur & ingentes quædam ſpongiæ (ex Oceano ni fallor, ætate, vt putant, prouectiores) quarum præſtantiores tribus aut quatuor ferè denarijs aureis quandoque venduntur. In magnis lapides à ſpongijs cognominati probi perfectique reperiuntur. Viuentibus, idemque madentibus, nigricans color, Plinius. Color illotis viuiſque nigricans eſt, Ariſtot. Adhærent (ſaxis) nec parte, nec totæ. interſunt autem fiſtulæ quædam inanes. quaternæ ferè aut quinę, per quas paſci exiſtimantur. Sunt & aliæ, ſed ſupernè concretæ. Et ſubeſſe membrana quædam radicibus earum intelligitur, Plinius ex Ariſtotele: cuius verba nunc in C. referam. intereſt enim aliquid.

C Adhærent, nec parte, nec toto. interſunt enim fiſtulæ quædam inanes, ſed pluribus paſſim particulis hæſitant, & quaſi membrana extenta ſubeſſe radicibus earum videtur. ſupernè autem cæteri meatus concreti propemodum latent. at vero quaterni, aut quini patent, per quos paſci eas aliqui exiſtimant, Ariſtot. Plinij quidem verba inde tranſlata, recitaui paulo ante in fine B. intereſt autem nonnihil. Spongiæ & vrticæ generantur ſimiliter, vt illa quæ teſta integuntur. per rimas enim & cauernas & fauces ſaxorum oriuntur, ἐν λαῖς; σήραγξι τ πετρῶν, Ariſtot. Naſcuntur omnes in petris. aluntur conchis, piſce, limo, Plinius. Omnes aut ad ſaxa naſcuntur, aut iuxta littus, (πρὸς ταῖς θισί) lutoque aluntur: cuius rei argumentum eſt, quod captæ, limo refertæ omnes cernuntur. quod certè indicat, cæteris quoq; adhęrentibus, cibum per ipſum annexum hauriri. Imbecilliores propterea ſunt ſpiſſæ, quàm raræ, quia minus alto radicis hæſu innituntur, Ariſtot. Spiſſas minus adhæreſcere aiunt, Plinius. Intellectum ineſſe ijs apparet, quia vbi auulſorem ſenſere, contractæ multo difficilius abſtrahuntur. Hoc idem fluctu pulſante faciunt. Viuere eſca, manifeſtò conchę minutę in his repertę oſtendunt. Circa Toronen veſci illis auulſas etiam aiunt, & ex relictis radicibus recreſcere, Idem ex Ariſtotele. ſed Ariſtot. profectò hoc non dicit, circa Toronen auulſas etiam ſpongias conchis minutis veſci: cum hiſt. 5. 16. ſcribit: οἱ ἐν Τορώνῃ φασὶ (τὸν σπόγγον) τρέφειν ἐν ἑαυτῷ ζῶα, ἕλμινθας τε καὶ ἕτερα τοιαῦτα: ἅ, ὅταν ἀποσπασθῇ τὰ ἰχθύδια τὰ πετραῖα κατεσθίει, &c. quæ verba infrà in D. conſiderabimus. Viuere eas conſtat longo tempore, Plinius. verum hoc Ariſtoteles de aplyſijs priuatim, non de ſpongijs prodit. Putreſcunt in apricis locis, ideo optimæ in gurgitibus, Plinius. Nec calorem immodicum ſpongiæ patiuntur. fit enim eo, vt more pullulantiũ (ὥσπερ τὰ φυόμενα) putreſcant. quocirca optimæ iuxta oras (ἀκτάς) comperiuntur ſpongię, ſi gurgite alto demerſæ ſunt. commodè enim temperantur (tum quod ad frigus, tum ad flatus) propter altitudinem gurgitis, Ariſtot.

D Pinnophylax ſiue pinnoteras, (qui cancer paruus eſt, rotundo corpore,) in ſpongiarum quoq; cubilibus (cauis, ſeu fiſtulis) reperitur. eſt autem veluti araneus in eis: qui venatur hoc modo: fiſtulas aperiens, piſciculos admittit, admiſſos claudit, Ariſtoteles 5. 16. hiſtoriæ. Sed idem ſcyllarus, (id eſt oblongo corpore cancellus, cauda nuda,) facit, vt Rondeletius aſſerit. in ſpongiarum enim cauernis (inquit) hic quoque latet, & viuit: cuius rei oculatus ſum teſtis. in denſiſſimo autem tantum aſperoque ſpongiarum genere, quod tragon Ariſtoteles vocat, reperiſſe cancellum hunc caudatum ſe ſcribit: qui ingratum etiam & piſculentum odorem ab hac ſpongia contrahat. Nos multa de vtroque cancellorum genere, dedimus ſuprà elemento C. Cæterum vt paruulus ille pinnæ cuſtos Pinnophylax, & idem ſignificante vocabulo pinnoteras vocatur: ſic in ſpongia ſpongophylax aut ſpongoteras vocari poterit. Pinnother etiam vel pinnotheras, vt aliqui ſcribunt in recto ſingulari. In Plutarchi libro Vtra animalium, &c. legimus: ὁ πό τὸ πλεῖστον ἐξαναλώσας Χρυσίππου μέλαν πιννοθήρας παντὶ καὶ φυσικῷ βιβλίῳ καὶ ἠθικῷ προεδρίαν ἔχει. τὸν γὰρ σπογγοθήραν οὐχ ἱστόρηκεν. οὐ γὰρ ἂν παρέλιπε. ſed ſpongotheras etiam piſcator ſpongiarum dicitur. Spongiam dirigit puſilla beſtia, non ſpecie quidem cancro. ſed magis araneo ſimilis. ſuum illa quendam motum (quo nunc exporrigitur, nunc contrahitur) habet: veruntamen animalculo ad ſe ſenſu afficiendam, atque illud admonendam quod ſit animata, eget. Nam propter quandam raritatem (ac laxitatem) ingenitam non ipſa ſeſe commouet: ſed cum quippiam in ſua foramina inciderit, ab ea beſtiola quam dixi Araneo ſimilem excitata, id comprehendit & exedit. Cum autem ad euellendam eam è ſaxis homo accedit, ipſa ab eodem animali conuictore ſuo ſtimulata inhorreſcit, & contorquens ſe arctiſſimè contrahit: quæ cauſa hercule eſt, cur piſcatori plurimum negocij faceſſatur, Ælianus de animalibus 8. 16. & ſimiliter Philes. Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Qui Toronen habitant, aiunt ſpongiam in ſeſe alere animalia, lumbricos, & alia huiuſmodi, (*nimirum etiam cancellos,*) ἅ, ὅταν ἀποσπασθῇ (ſupple σπόγγος,) τὰ ἰχθύδια τὰ πετραῖα κατεσθίει, καὶ τὰς ῥίζας τὰς ὑπολοίπους Ariſtoteles hiſtorię 5. 16. Eſt autem ſenſus in verbis Græcis ambiguus. nam ſi ἅ articulum in accuſandi caſu accipias. & τὰ ἰχθύδια in nominatiuo, beſtiolas illas ſpongiarum hoſpites à piſciculis ſaxatilibus vorari, ſicuti & reliquias ſpongiarum auulſarum, dicemus. ſin contrà, ἅ pro nominatiuo, & τὰ ἰχθύδια pro accuſatiuo: auulſis ſpongijs reſiduas radices & piſciculos ſaxatiles à beſtiolis illis abſumi dicendum. quæ poſterior ſententia mihi magis arridet, præſertim cum à pinnophylace alij quoq; captari & vorare piſciculos tradant. Gaza priorem ſecutus eſt.

Spongiarum amputatio.

E Vrinatores qui ſpongias piſcantur, à Theophraſto (hiſtorię 4. 7.) & Herodoto σπογγεῖς dicuntur. Gaza ſpongiarios vertit, Valla ſpongiatores. Sic & πορφυρεῖς, purpurarei, vel purpuratores nominantur. Σπογγοθῆρα, id eſt ſpongiarum venatores: & σπογγοκολυμβηταί, id eſt, vrinatores ſpongiarij, (ex Lycurgo:) & σπογγοθηρευτική, id eſt, venatoria ſpongiarum ars, apud Pollucem leguntur. Oppian. σπογγοτόμους: qui circa finem libri quinti Halieuticorum copioſè & eleganter, quo pacto à ſpongiatoribus ſpongiæ amputandę legantur deſcribit: vnde Gillius breuiter complexus eſt, in hæc verba: Certamen ineunt magnum & difficile piſcatores. cum ſpongias ad ſcopulos adhæreſcentes inter ſe iunctas tanquám meſſores vibrata falce à ſaxo abſcindunt: atque abiecta omni cunctatione fune (oblongo, quo cinctus eſt, plumbum altera manu tenens, altera falcem) ſocios admonent, vt ex ima maris ſede cele-

riter ſubtrahantur. Nam ab ſpongijs cæſis ſanies ad piſcatorum nares manans, non modò tetrum odorem redolet, ſed ad nares adhæreſcens, ſæpe eos ſuffocat. Oppianus addit ſolere hos vrinatores ſe præparare cibo potuque modicis ac leuibus, ne corpore pleno reſpiratio eis minus libera ſit: & ſomno non conueniente piſcatoribus vti. Brodæus interpretatur modico. ὕπνῳ τ' οὐχ ἁλιεῦσιν ἐοικότι μαλθάσσοντες. ego de ſomno longiore, quàm piſcatoribus conueniat, & nocturno accipio. nam piſcatores cæteri minus, & noctu parum, propter piſcationem dormiunt: ſpongias verò interdiu lecturis noctu dormire & corpora ſomno μαλθάσσειν, hoc eſt demulcere licet: id quod nimium breuis ſomnus non facit. itē cauere eos cete ac bellúas marinas. oleum ore tenere: idque cum ad vadum peruenerint, expuere, vt aqua illuſtretur, ſicut nox lumine accenſo. Extractum ſanè à ſocijs qui viderit miſeretur, metu & labore fractum. Eſt quando infeſtantibus cetis vel ſemilacerum vel prorſus non extrahant. Oleum quidem non in terra ſolum noctu lucet, ſed etiam ſub aqua ſpongiatorum ore efflatum in mari lucem præbet, Plutarchus in libro de primo frigido. Et in libello, cui titulum fecit Cauſæ naturales: Vrinantes autem cum oleum in profundo ore expuerint, φέγγος ἔχειν καὶ δίοψιν. Et Ariſtoteles in Problematis: τὸ δὲ ἔλαιον ἐπιχυθὲν, ποιεῖ μᾶλλον διόπτον τὴν θάλασσαν. Spongia etiam ſenſum habere aliquem creditur: argumento quod multò difficilius abſtrahuntur: niſi clanculum agatur. vt referunt auulſores, Idem in hiſtoria anim. Putreſcunt in apricis locis, ideo optimę in gurgitibus, Plinius ex Ariſtotele. *Electio.* quocirca optimæ iuxta oras (ἀκτάς) comperiuntur ſpongiæ, ſi gurgite alto demerſæ ſunt. ſic enim neque flatibus neque calore nimijs tentantur, Ariſtot. Quin & eas quæ ab Aquilone ſint genitæ, præferunt cæteris, Plinius. Algam pelagicam ſpongiarij deferunt. gignitur autem parte Aquilonia Cretæ tum copioſius tum melius, vt etiam ſpongiæ reliquaque ſimilia, Theophraſtus. *Vſus.* Spongijs vtebantur veteres ſtrigilum vice ad diſtringenda mundandaque corpora. Maioribus ad ciſternas vtimur, vt aqua purior deſcendat, Braſauolus. *Dealbatio.* Candidæ cura fiunt: è molliſſimis recentes per æſtatem tinctæ ſalis ſpuma, ad lunam & pruinas ſternuntur inuerſæ, hoc eſt, qua parte adhæſere, vt candorem bibant, Plin.

G *Ordo.* Spongia liquore aliquo imbuta pro partium affectuumque ratione imponitur: & quanquam ſi recens ſit, etiam vi propria aliquà polleat, vt mox Galeni verbis docebimus, primum tamen ea remedia adferemus, quæ ſpongia non per ſe, ſed madens aliquo liquore, quem ipſa veluti materia imbiberit, præſtat. deinde, quæ per ſe adhibita. tertio, ex ea cremata. quarto ex lapidibus, qui in ſpongijs inueniuntur. *In genere.* Recentes ad quædam vtiles ſunt, veteres verò inutiles, Dioſcorides. Poſſunt tamen & veteres, præſertim molliores, pro materia, alijs imbuendæ liquoribus vtiles eſſe: recentes verò & per ſe alicubi proſunt, vt dicemus: & alijs madentes liquoribus, exiccandi vi propria attrahendique conferunt. Spongia noua, non ſicut lana aut linamentum. (quod μοτὸν πλατὺ, id eſt, carpinatum vocant,) materia duntaxat eſt, quæ humores irrigandos excipiat, ſed etiam manifeſtè deſiccat. *(Ad vulnera.)* Id quod ſcies, ſi ea vtaris in vulnere cum aqua, aut oxycrato, aut vino, pro diuerſitate videlicet corporum, vti eſt antè dictum. Glutinabit ſiquidem ea ſimiliter atque medicamenta quæ vocant enæma. At ſi non noua ſit, ſed vſui accommodata, palam cognoſces quantum à noua ſuperetur. ſi vulneribus eam imponas, ſiue cum aqua, ſiue cum oxycrato, ſiue cum vino. nec mirum eſt, cum in ſpongia noua ſeruetur etiamnum ea quam à mari accepit facultas, modicè corpora exiccandi. atque hæc quidem præſtare poteſt cum etiamnum ſeruat maris odorem. nam temporis ſpatio, etiamſi nunquam vſui accommodata fuerit, tamen & odorem maris amittit, nec æquè deſiccat, Galenus. Spongia aqua frigida madens repercutit, & elidit ad vicina quod in loco eſt, Idem lib. 1 de compoſ. medic. per genera. Partes ſacrificandas ſpongijs prius foueri iubet, quouſque coloris euadant puniceiitem ſpongijs foueri locum, vbi hirudo fuerit, vt virus extrahatur: abſtergique eis hirudinum mucorem. Contra ſcorpionum ictus ex aceto imponuntur ſpongiæ. Recentes diſcutiunt, molliunt, mitigant. Plinius. Vſus earum ad abſtergenda, fouenda, operienda à fotu, dum aliud imponatur. Feruenti ex aqua perfuſæ expreſſæque inter duas tabulas, in febri impoſitæ proſunt contra nimios ardores: ignibus ſacris ex aceto, efficaciores quam aliud. Imponi oportet ſic, vt ſanas quoque partes ſpatioſè operiant, Idem. Subtilioribus mollioribuſque ad fomenta vtimur, ſicuti antiqui Rhodiacis, Braſauolus. Imponuntur & his morbis quos vaporari oporteat, feruenti ex aqua perfuſæ expreſſæque inter duas tabulas. Imponuntur & integris (*non vulneratis*) partibus, ſed fluctuatione occulta laborantibus, quę diſcutienda ſit, &c. item articulis aliâs aceto ſalſo madidæ, aliâs è poſca: ſi ferueat impetus, ex aqua Plinius. videtur autem occultam fluctuationem tranſtuliſſe, quod Græcus aliquis forſan, ſicut & Dioſcorides, τὰ ῥευματικὰ ὑπόνομα ἕλκη dixit: hoc eſt, fluxioni obnoxia & cuniculoſa vlcera: in quibus tamen non vndiquaque integrę partes ſunt. Incipientes inflammationes vel ſpongia ſola ex poſca impoſita repreſſit, neq; quicquam eo totum corpus fuit offenſum: pręſertim cum neque malignum eſt, neque multum quod influit, neque corpus humoribus ex æquo redundat, Galenus. Idem lib. 2. ad Glauconem; ſpongiam inflammationi imponi iubet, in aqua & vino acerbo cum modico aceti intinctam. Et lib. 13. Methodi; fomentum ex ſpongia & aqua dulci phlegmonen iritatam mitigare docet. Rurſus lib. 2. ad Glauconem: ſpongiam in aqua, quę parum aceti habeat, curare œdema, id eſt, tumorem pituitoſum. Et lib. 14. Methodi: Spongia noua (inquit) ſi non adſit, melius eſt ellychnium accipere, quod ſit molle, quale eſt Tarſicum: ſiquidem hoc etiam vtilius videtur ad curandum œdema, quam ſit ſpongia. Ad Glauconem verò 2. 3. in curatione œdematis: Oportet autem ſpongiam (inquit) omnino nouam eſſe: quæ ſi non adfuerit, ſaltem exquiſitę abluatur ex aphronitro & nitro, & ex ea quæ conia ſtacte, id eſt lixiuium diſtillatum, à Græcis nominatur. Quod ſi ex his œdema non quieſcat, aluminis parum imponendum eſt, ſpongiaque omnino noua applicetur. His ſimilia, & ampliorem de ſpongiæ in œdemate vſu, tradit Methodi 14. 4.

Ad ſuggillata. Liuorem ab ictu recentem, ex aqua ſalſa calida ſæpius mutata tollunt, Plinius. Spongia noua cum aqua ſalſa calida ſępius impoſita, ſuggillationes liuoreſque detergit, Marcellus.

Ad ſiſtendum ſanguinem. Siccę recentes & vacuę, ſanguinis profluuium ſiſtunt, Dioſcorides. Plinius addit, ex aceto aut frigida. Si ſanguis è vulnere fluat, vſtę tanę cinerem vulneri inſpergito. ſuperponenda porro his ſpon-

gia ex oxycrato, & frequenter ſiccitatis ratione mutanda, Galenus Euporiſton I. 129. In ſanguinis fluxione poſt exciſos calculos, & alia omni, foris in ſpongia impoſitum acetum, intus potum cyathis binis quàm accerimum, medetur, Plinius. De ſanguine è naribus fluente ſiſtendo ſpongijs, &c. dicetur inferius. *Ad vulnera.* Recens & minimè pinguis (*ἀλιπής, vſu nimirum ſordes & pinguitudo accedunt,*) vulneraria eſt, & tumores coërcet: & ex aqua poſcaue recentia glutinat vulnera, Dioſcorid. Recentes diſcutiunt, &c. Veteres conglutinant vulnera, Plin. atqui Dioſcorides & Galenus veteres nulla vi propria præditas volunt, ea quàm à mari acceperant, amiſſa: vt recitauimus paulò ſuprà. Spongia vel ex vino, vel ex aceto expreſſa, vulnus glutinat. ex ijſdem, lana ſuccida, Celſus. Spongiæ in vulnerum curatione & ſuccidæ lanæ vicem implent, nunc ex vino & oleo, nunc ex eadem, (*ex eadem fortè ſuccida lana: ſed hæc liquor non eſt. quare non ex ipſa, ſed ſucco eius œſypo fortè id præſtiterint. niſi malis ex aqua, vt Dioſcorides, Celſus, & Galenus habent.*) Differentia hæc, quòd lanæ emolliunt, ſpongiæ coercent, rapiuntque vitia vlcera vlcerum, Plin. Galeni verba de ſpongiæ recentis vulneraria vi, retuli ſuprà ab initio huius ſegmenti. Fracturæ & vulnera ſpongijs vtiliſſimè fouentur. Sanguis rapitur in ſecando, vt curatio perſpici poſſit. Et ipſæ vulnerum inflammationibus imponuntur, nunc ſiccę, nunc ex aceto inſperſæ, nunc è vino, nunc ex aqua frigida. Ex aqua verò cœleſti impoſitæ, ſecta recentia non patiuntur intumeſcere, Plin. Ex Achilleis ſpongijs (præcipuè) fiebant penicilli vulnerarij, (vnde & ipſę per excellentiam penicilli dictæ,) quibus ſcilicet vulnera vlceraue ſtipabant, vt clariſſime explicat Plautus in Rudente: Ego iam te hic itidem, quaſi penicillus nouus exugere ſolet, ni hunc amittis, exugebo quicquid humoris tibi eſt. Pro dilatandis vulneribus vtimur ſpongijs ex terebinthina, Braſauolus. Spongiam vlceri applicat madidam vino aut aqua: vultque ſpongiam permanere frigidam, Galenus lib. 14. de comp. medic. per genera.

Ad vlcera. Aridæ ligatæ lino, ſi penicilli (*linamenti*) modo adigantur, occluſa vlcera calloſq; (*interiores ſcilicet vlcerū*) laxant, Dioſcor. Imponuntur & ijs quæ apoſtemata vocant, melle decocto perunctis. eædē & callo (*nimirum vlcerum, vt Dioſcorides habet*) ſalſa (*aqua*) madidæ, Plin. Vlcera humida & ſenilia impoſitæ ſiccant, Idem. Fluida, cuniculoſa & antiqua vlcera ſiccant ſuperpoſitæ aridæ, recentes & vacuæ, Dioſcor. Recentes cum decocto melle vetuſtos etiam ſinus iungunt, Idem.

Ad capitis dolorem. Spongiam latam & denſam ac cauam in aqua madefactam & probè expreſſam capiti imponas: hoc Eraſiſtratus ceu magnum quoddam præſeruatiuum in calidis habitibus tradit. aduerſus capitis dolorem, quum videlicet eos Solem perferre oportet, Galenus in libro 2. de compoſ. ſec. loc. Ad dolorem capitis ex plaga aut caſu, Apollonius ſcribit conuenire fomenta per ſpongias aqua calida imbutas: & mollium lanarum faſciculos aceto & roſaceo conſperſos, Galenus ibidem. Capiti medendo: Spogia cum tepidis annexa liquoribus lymbris Profuit, Serenus. Siriaſeis infantium ſpongia frigida cerebro humefacto rana inuerſa adalligata efficaciſſimè ſanat, quam aridam inueniri affirmant, Plinius. Spongiæ imponuntur ex aceto calido ad capitis dolores, Idem. *Spongia ſomnifera.* Somniferæ ſpongiæ cōfectio apud Nicolaum Myrepſum legitur huiuſmodi: Succi mandragoræ, ſucci lactucæ, ſucci foliorum hyoſcyami, caphuræ, ſucci nenupharis, ſucci ſolani: madefacito in ijs opium quod ſatis eſt, dein ſpongiam nouam inijce, vt totum ſuccum combibat. Poſtea accipe ſpongiam hanc confectionem in ſe habentem, & linteo vndiquaque tectam in æſtu caniculari ſuſpendito, vt exiccetur. Tandem recondito, & vſu poſtulante odorandam dato. confeſtim enim ſomnum accerſit. Confert nephriticis, vigilantibus, continuis febribus, & omnis generis vigilijs, remedio probato. Oculis lippientibus omnino adhibendum eſt fomentum per ſpongiam, ſiquidem mediocris ſit dolor, ſemel aut bis in die. Si verò vehementior dolor vrgeat, præſtat ter aut quater, & ſæpius vti. in longis præſertim æſtiuis diebus. Fiat autem fomentum per meliloti & fœnigræci decoctum, Galenus lib. 4. de compoſ. ſecund. locos. Per ſpongiam mollem, non per ſacculos & cataplaſmata oculis fomenta adhibenda ſunt, Idem commentario ſexto in ſextum de morbis vulgaribus. *Ad oculos.* Oculis ſcabris conuenit fomentum, ſpongiæ calida imbutæ, Archigenes. Idem ſpongiæ ocularis meminit, vt mox referam in remedijs ad aures. Molliſſimum genus ſpongiarum penicilli, oculorum tumores leuant ex mulſo impoſiti. ijdem abſtergendę lippitudini vtiliſſimi: eoſque tenuiſſimos & molliſſimos eſſe oportet. Imponuntur ſpongiæ ipſę epiphoris ex poſca, Plinius.

Ad aures. Ad aurium dolorem fomentis vtendum eſt per ſpongias aqua calida imbutas, ac ſufficienter expreſſas, Apollonius recitante Galeno. Apud quem etiam Archigenes de fomentis ad aurium dolores ſcribens: Exprimantur autem (inquit) vehementer ſpongiæ, auribusque apponantur facillimè enim ab humore frigeſcunt. quapropter fomenta ſicca longe commodiora eis exiſtunt, ex ſale videlicet aut milio, aut ſimpliciter lana conuoluta, aut tenuibus mappis. Et paulo poſt: Summè auxiliatur ſpongia ocularis melle cocto atque adhuc calido imbuta & impoſita.

Cum felle vitulino & aceto pari menſura ſerpentis ſenectus, id eſt, exuuiæ decoctæ, & lanula madefacta medicamentum auriculæ inſertū maximæ vtilitatis eſſe creditur, ſi prius feruēti aqua de ſpongia aurem foueris, Marcel. Empiricus ni fallor. *Ad ſanguinē è narib. fluentem, &c.* Cum ſanguis nimius è naribus erumpit, proderit ſpongiæ particulam præſectam apte forfice, & ad amplitudinem nariū figuratam inijcere paulo preſſius, aceto infectam & interdum eodem inſperſam, Marcel. Empiricus. Ad eruptiones ſanguinis è naribus: Spongiam ſiccam immittito. Aut ſpongiam in acre & feruidum acetum coniectam forinſecus ad ſanguine manantem narem apponito, atque ſpecillo donec impellatur apprimito. Pręſtat autem ſpongię principium filo per acum tranſmitti, quo facile extrahi poſſit: extrahito autem quum opus ſuum perfeciſſe exiſtimaueris. Si verò inareſcat ſpongia, intuſque agglutinetur, per auricularem clyſterem frigidam aquam immittito, ac infundendo humectato, atque ita extrahito. Vtere etiam compoſitionibus vulnerarijs & ſanguinem ſiſtentibus quæ deſcribentur. Accommodatum eſt & frontem ſpongijs refrigerare, Heraclides apud Galenum de compoſ. ſec. locos: & partim Galenus Euporiſton 1. 27. vbi hæc etiam leguntur: Frontem præterea ſpongijs ex aqua frigida foueto: ſitque ægrotus capite eleuato erectoq; iubeto. Si quando vlcuſcula in narib. fuerint, ſanabuntur fomento aquæ purę calidę per *Ad gingiuas.* molles ſpongias, & medicamentorū infrà ſcriptorū perunctione, &c. Marcel. Ad gingiuas cruentas, vel

ſanguinem

ſanguinem ex gingiuis erumpentem: Spongiam nouam ſiccam in ſanguine taurino madefactam, in vaſe fictili exure, contere ac repone. Vbi verò vti velis, cineris ipſius drachmas quatuor accipe, thuris drachmas duas, chalcitidis crudæ drachmas duas, & ſimul trita inſperge, Aetius. 8. 31.

Ad thoracem. Cardiacis in mamma læua merum in ſpongia imponi prodeſt, Plinius. Mulieri vbi mammæ inflantur: Accipe ſpongiam mollem (πάνιον σῦ πόσι, fortè πάνιον ἢ σπόγγον. Fuchſius ex Paulo legendum putat σπόγγον ἁπαλόν. niſi πάνιον, inquit, vocet panem, vt ſuprà fecit) aceto imbutam, impone crebrò, Myrepſus. Hęmoptoicis præter ea quę ſumuntur remedia, forinſecus ſpongiam aceto imbutam imponito, Galenus.

Ad ſtomachū, &c. Spongiæ feruenti ex aqua perfuſæ, expreſſæque inter duas tabulas, & impoſitæ ſtomacho proſunt: ſed ſpleneticis è poſca, Plinius. Hippocrates in lib. de nat. muliebri, in fomentorum quorundam deſcriptione.) neſcio ad quos vteri affectus: non enim exprimit,) ſpongias calefactas adhiberi iubet, & cum mollibus lanis, & panniculis laneis, &c. foueri. Spongiæ ſpleneticis è poſca impoſitę proſunt, Wottonus. Archigenes inter ſolenis remedia ſpongiam acerrimo aceto imbutam memorat. Spongiæ tollunt teſtium tumorem doloremque ex poſca, Plinius. In ſanguinis fluxione poſt exciſos calculos, & omnia alia, acetum foris in ſpongia impoſitum, intus potum cyathis binis quàm acerrimum, medetur, Idem. Chirurgi quidam cum anus & vltimum inteſtinum laborant, è ſpongia penicillum ligno inſerto, remedio aliquo madidum immittunt. In lateris dolore fomentum aliqui ſpongijs adhibendum cenſuerunt, Galenus de Hippocratis & Platonis decretis *9. 6.* Ad muliebre profluuium opitulatur etiam ſpongia feruenti aceto madida, & mediocriter expreſſa (naturalibus impoſita.) Galenus de facile parabilibus ad Solonem cap. 54. Si vterus foras prodierit, in iuuenculis pelliculam vteri obliquè inciſam linteo confricato donec inflammetur, & illinito phocæ oleo ſine adipe, & molles ſpongias vino reſperſas apponito, Hippocrates in lib. de exectione fœtus Audio medicos aliquos ſpongiam mollem, vel ex ea penicillum, medicamento aliquo liquido madentem, in ſinum mulieribus indi conſulere, vt expreſſus ita liquor in vterum influat, clyſteris vterarij loco, noſtro ſeculo ferè obſoleti.

Nuſquam diutius durare ſpiritum. Nuſquam diutius durare ſpiritum medici affirmant. ſic & prodeſſe corporib. quia noſtro ſuum miſceant: & ideo magis recentes, magiſq; humidas: ſed minus in calida aqua, minuſq; vnctas, aut vnctis corporibus impoſitas: & ſpiſſas minus adhæreſcere, Plinius. qui hoc nimirum argumento, ſpongiarū ſpiritum noſtro miſceri, oſtendit: quoniam adhæreſcunt noſtro corpori, præſertim recentes & non vnctæ, nec vnctis corporibus. pinguitudo enim poros claudit, & ſpiritus penetrare prohibet. Spiſſæ etiam minus hærent, quod pori in eis minus pateant: eademque ratione veteres puto, & quæ vſu ſordes ac pinguitudinem conceperunt Cur verò humidæ facilius hærent, cum humor poros claudat? an non ſimpliciter humor, ſed frigidus claudit? calidus verò non claudit, & inſuper euaporans in ſpiritū vertitur, quo intercepto adhæreſcunt. Nuſquam diutius durare ſpiritum medici quam in ſpongijs affirmant. ſic & prodeſſe corporibus, quia noſtro ſuum miſceant. *Apoſpongiſmus.* Hoc genus remedij apoſpongiſmum Archigenes & ſecuti eum medici appellant, Hermolaus. Propterea qui peſtilenti morbo affectos curant, ſpongiam aceto aſperſam circa nares & os ponunt, ne infectum aerem trahant: & ad alia plura antiqui ſpongia vtebantur, vt ex ipſa ſpiritum traherent, non ex libero aëre, ob aliquam infectionem. quod genus remedij apoſpongiſmum vocabant, præſertim Archigenes. & reuera in peſtilenti morbo & epidemico, nihil excellentius, Braſauolus. De applicatione quidem ſpongię Archigenis verba, Aëtius li. 3. ca. 130. refert hæc: Spongiæ vſum admittimus ad reliquas quidem partes, vt adhærentes ſordes abſtergamus: ſiue ſit illud virus, ſeu ſanguis, ſeu pus, ſiue ipſamet medicamenta: aut certè, vt corpora mordicatione vel ſcabie vexata mitigare tentemus. Ad faciem verò, vt refocillemus excitemuſq; ſpiritum: veluti his qui animo delinquuntur, aquam (*madentem ea ſpongiam*) admouemus æſtate quidem frigidam, hyeme verò tepidam, (γαλακτῶδη, *interpres Ioan. Bapt. Montanus, non rectè vertit lacte admixtam.*) Hoc tamen remedij genus obſeruandum eſt, ne ægrotis in principio aut augmento exacerbationis fiat, ſed in vigore aut declinatione. in pincipijs enim acceſſionum odoribus potius recreamus. Cenſet autem Archigenes in ardentis febris exceſſu, ſpongia non faciem tantum, ſed pectus quoque fouendum, Hæc Aetius.

Spongiæ vires per ſe. Σπόγγος καινὸς καὶ ἀλιπής, hoc eſt, Spongia recens & minimè pinguis, (nam vſu & ſuā vim amittit, & ſordibus ac pinguedine inficitur,) manifeſtè deſiccat, &c. vt ſuperius Galeni verbis expoſitum eſt. ſed quę alijs rebus iuncta madidaue pręſtat remedia, ſiue etiam ipſa ſimul aliquid conferens, ſiue tanquam materia tantum excipiens, iam explicata ſunt. hic ſeorſim nonnulla, quæ per ſe & vi propria efficit, adijciemus. Ad tumores excreſcentes minuendos admodum laudatum; Spongia recenti in balneo à ſupernis ad inferna iube tumores abſtergere: & vbi inceperit ſudare, continuo exprime ſpongiam. & hoc facito donec ad naturalem veniat conſtitutionem intra decem dierum ſpacium. Extenuat adeò, vt etiam abſceſſus exiccet: & hydropicos, qui calciamentis cincti incedere nequeunt, ſed rudi panno pedes obuoluere coguntur, Nicolaus Myrepſus. Spongijs vtebantur ad detergendum in balneo, Galen. Methodi 10. Spongijs pro ſtrigili vtaris in balneis. Idem de victus ratione in morbis acutis, comment. 3. vbi caput etiam ſpongia ſiccari iubet. Africanam ſpongiam ſiccabis & lana inuolues, atque indę radicem dentis perfricabis: ſed caue ne alium pro alio tangas, nam contactus poſt triduum cadet. ſi enim putidus fuerit, & dolebit, facilè excidet, Marcellus. Auditus grauitate laborantibus plurimum auxiliatur ſpongia tenuiſſimè trita & auriculæ indita. idem remedium commodum eſt & ad carnem in auditorio meatu enaſcentem, Apollonius apud Galenum lib. 3. de compoſ. ſecundum locos. Spongia trita & inſperſa vulneribus canum in auribus medetur. eadem albo oui excepta, & cataplaſmatis inſtar applicata, vermes in auribus canum occidit, Tardiuus. Polybius penicillos (qui circa Lyciam naſcantur in alto, vnde ablatæ ſunt ſpongiæ,) ſuper ægrum ſuſpenſos quietiores facere noctes auctor eſt, Plinius.

Ex vſtis remedia. In genere, extra corpus. Cremantur ſpongiæ alcyonio ſimiliter, Dioſcorides. Cremata ſpongia acris & diſcuſſoriæ facultatis eſt. ea quidam ex pręceptorib. noſtris vtebatur ad ſanguinis profluuia quæ in chirurgico opere contingunt: habebat autem paratam ſemper ſiccam & aridam, quam vſu poſtulante, bitumine imprimis:

 ſin eo

ſin eo careret, pice imbuebat. hanc partibus ſanguine profluentibus etiamnum ardentem admouebat, vt pariter & cruſta loco induceretur, & ipſum ſpongiæ vſtæ corpus ceu operculum accederet, Galenus ſub finem librorum de medicamentis ſimplicibus.

Latinus interpres pro his verbis πρὸς τὰς ἐν ταῖς χειρουργίαις αἱμοῤῥαγίας, tranſtulit: ad ſanguinis eruptiones quæ manuali opera indigent: quod non laudarim. nam quod ſuprà ex Plinio recitauimus: In ſanguinis fluxione poſt exciſos calculos, & omnia alia, acetum in ſpongia impoſitum medetur, &c. Idẽ Galenus non ſolum à calculorum, ſed quauis alia ſectione chirurgica, ſpongiam vſtam, &c. præſtare ſentit. Siſtunt ſpongiæ hæmorrhagiam. cum aceto autem vſtæ proficiunt ad lippitudinem ſiccam, & vbicunque extergere aut ſpiſſare oportet. ſed oculorum affectibus vtiliores ſunt lotæ (poſt vſtionem) Cum pice verò crematæ ſanguinis profluuia coercent, Dioſcorides. Græce legitur, Ἐπέχουσι δὲ καὶ αἱμοῤῥαγίαν. σὺν ὄξει δὲ καιόμεναι πρὸς ξηρὰν ὀφθαλμίαν (ἁρμόζουσι) vbi interpretes recentiores quidam verba σὺν ὄξει, id eſt cum aceto, ad præcedentia referunt, ſicut & vetus interpres apud Syluaticum in capite Affegi albach. ſed obſtat illis vocula δὲ, & quod ſequitur ſic vſtas conuenire ad ſpiſſandum, quam vim nimirum aceto debent. Alioqui Plinius etiam ſpongias (recentes) ex aceto aut frigida ſanguinis profluuium ſiſtere author eſt. & ſimpliciter vſtas ad genarum ſcabritias, (ſic xerophthalmiam interpretari videtur) & alia ſicuti hic Dioſcorides, vtiles facit. quamobrem nihil definio. Ex aceto quidem non commode vri videntur, niſi eo tinctæ, reſiccentur. quod aliquoties repeti poteſt, vt tandem ſiccę vrantur. Vſtæ ſpongiæ cinis ſanguinis fluxum valenter aſtringit, Galenus de theriaca ad Piſonem. Omnium ſpongiarum cinis cum pice crematarum, ſanguinem ſiſtit vulnerum. aliqui raras tantum ad hoc cum pice vrunt, Plinius. Hirci fel lentigines tollit, admixto caſeo ac viuo ſulphure ſpongiæque cinere, vt mellis ſit craſſitudo, Idem. Spongiæ cinis cum oleo vel aceto fronti illitus tertianas tollit. priuatim Africanæ ex poſca tumorem diſcutiunt, Plinius.

Ad oculos.

Oculorum cauſa comburuntur in cruda olla figulini operis, plurimum proficiente eo cinere contra ſcabricias genarum, excreſcenteſque carnes, & quicquid opus ſit ibi deſtringere, ſpiſſare, explere. Vtilius in eo vſu lauare cinerem, Plinius. Cinis earum ex aceto aridæ lippitudini auxiliatur, &c. Dioſcorides. Vide paulò ſuperius.

Ad ſanguinẽ e narib. manantem.

Ad ſanguinis narium eruptiones: Spongiam cruda pice imbutam exurito, & linamento torto exceptam indito, Aſclepiades apud Galenum de compoſ. ſecund. locos. Et mox: Quidã ſpongiam Aphricanam aceto acerrimo incoquunt. deinde exprimunt eamque in ignito lapide frequenter obuoluunt, atque ita ſuffitum & vaporem excitant quem naribus attrahere iubent. Spongiæ Africanæ combuſtæ cinis ſi naribus ſanguine manantibus hauriatur, plurimum prodeſt, Marcellus Empiricus.

Intra corpus. Ad gutturum tumores.

Spongiarum illotarum, & qui in eis continentur lapidum, cineris, ad conſumendas ſtrumas ſeu tumores gutturum quos bronchocelas Græci nominant, apud recentiores quoſdam vſus eſt. Memini ego his ac ſimilibus, qualia ſubiungam medicamentis curatos quoſdam, ſublatis vel imminutis tumoribus, ſed poſt aliquod tempus renatis ijſdem denuo infeſtatos. Guttura tumida, quod aquarum ſæpe vitio euenit, (*& hoc educatio malo interdum, ni fallor*) vocis ac ſermonis vſum ac anhelitum impediunt, ea in Bergomenſi ac Neocomenſi agro monſtrifica ſunt: quibus plerique ſtrangulati ſunt. quibuſdam impune adeo dependent, vt ab humeris geſtentur, Alexander Benedictus. Inter Heluetios Valleſia præcipuè his tumoribus, vnde guturoſi dicuntur, infeſtatur. ſcio alicubi pueros hoc malo paulatim aucto ſuffocatos. Chirurgi quidam execare audent: quam chirurgiam idem Benedictus docet libro tertio de partibus corporis humani. Sed ad remediorum è ſpongijs deſcriptiones venio. Ad leuanda guttura medicamen: Sume corticis auellanæ, ſpongiæque combuſtæ, algæ (id eſt eſt, paleæ marinæ,) chartæ combuſtæ, oſſis ſepiæ, clinopodij, ſem. plantaginis, ana ſemunciam. piperis nigri, & albi, & longi; zingiberis, ſalis gemmæ, pumicis, glandis muſ. gallæ, cinamomi, ellebori albi & nigri, ana drachmas duas. teruntur: ac cum ſaluiæ aqua, drachma potui datur. Sed perpurgare prius & corpus & caput opus eſt. Per ſe (*etiam*) veriſſimo experimento promittit (*proficit*) ſpongia in furno areſacta, drachmæ pondere ex vino albo ante cœnam duarum horarum interuallo (pota,) ſi quotidie datur. Alexander Benedictus libro x x x. de curandis morbis. Quæ ſequuntur in libris quibuſdam manuſcriptis, ſine autore reperi. Ad botium: ſic enim indocti quidam recentiores nominant. Miſce pilularum de agarico & cochiarum, ana ſeſquidrachmam. fiant globuli x x i. de quibus gutturoſus ſeptenos ſeptimo quoque die deglutiat, & eo die ſibi caueat. Interea etiam hoc polline vtatur, qui recipit: Spongiæ inciſæ & combuſtæ, oſſis ſepiæ, ſalis gemmei, radicis chelidoniæ, cyperi, cyclamini, zingiberis, pyretri, bedeguar, nucis cypreſſi, radicum ſcrofulariæ, filipendulæ. (*omnium puto vſtorum, partes æquales:*) Huius pollinis læuiſſimè triti ſcrupulus aut drachma dimidia bibi debet, cum decocto ſaluiæ vel ſtaphiſagrię. Foris autem imponatur emplaſtrum diachylon cum iride (ireatum vocant indocti) admixto polline radicum ſcrofularię. Aliud: Cornu cerui & ſpongię quam à ſtrumis denominant pharmacopolę, partes æquales in puluerem redige: & quotidie ieiunus inde bibat affectus è vino aut aqua portionem conuenientem (drachmę nimirum) mane & veſperi. quod ſi recentior ſit ſtruma, huic remedio cedet: ſin vetus, non amplius augebitur. Aliud: Spongiam balneatoriam multis calculis refertam vre: & admiſce cornu cerui vſtum, (*æquali pondere.*) item piperis longi drachmam. fabarum drahm. ij. Dormiturus ſtrumoſus panis toſti ſegmentum modico vino madefaciat, & cum eo hunc pollinem deuoret, Luna decreſcente mane & veſperi. Simul etiam ſtrumam inungat bis die vnguento quod fit, vngulæ equinę ramentis, quę à fabris abſcinduntur, crematis & cum oleo permiſtis. Aliud: Lapidum de ſpongijs ſemunciam: ſpongię vſtę drachm. ij. plantaginis maioris manipulum, tere. & pulueris huius portionem cum pane toſto è vino madente quotidie ſumat. Aliud: Lapidum ſpongię, pumicis, oſſium perſicorum, cotoneorum exiccatorum (*partis interioris,*) ana vncias ſex. Oſſium ſepię vnc. iij. ſalis communis vnc. iiij. pyretri, gallę Rom. ana vnc. ij. tomenti de panno laneo, piperis nigri, ana q. ſ. Miſceantur in olla figlina vitreata, operculo probe clauſa cum luto, & comburantur. Aliud: Spongiam balneatoriam vre: & fumum per infundibulum ore aperto hauri. Crematæ poſtea puluerem è vino (paulatim) bibe. Aliud: Spon-

giam balneatoriam, & quam ſpongiam vocant in roſa ſyluatica, in vino generoſo coque. Aliter: Spongias à ſtrumis dictas, in pollinem redige: quem cum ſimilia & pauca aqua ſubiges, & in furno coques placentam, de qua mane & veſperi bucceas tres ſumi iubebis. Puluerem contra ſtrumas (quemcunq;) ſumi volunt decreſcente tantum Luna, quantum eſt iuglans, è iure piſorum ſine ſale, ſine butyro, mane & poſt cœnam: ita vt interim pomis, piſcibus, lacte, & omnibus glutinoſi ſucci cibis abſtineatur, donec perſanetur ſtruma. Simili remedio veteres quidã ad tuſſim, &c. vt iam proximè dicetur, vſi ſunt.

Ad tuſſim, &c.

Ad tuſſim, ſpiritus difficultatem à ſtomacho, & ſanguinea ſputa: Nouam ſpõgiam & madidam accipito, huius vſtæ tritęque cinerem cum melle & pipere, quantum ſatis eſt, commiſceto, in eamq; formam redigito, vt delingi poſſit, veſperique à cœna quantum tribus digitis capere potes accipito, Gal. Euporiſton 3. 52. Spongiæ Africanæ cinis cum porri ſectiui ſucco ſanguinẽ reijcientibus hauſtu (ſalis) ex frigida prodeſt, Plin. Cum ſucco porri ſectiui hauſtus empyicos (*repone hæmoptyicos, ex Plinio*) ſanat, Marcellus Empiricus. Ad aluum citam, expertum. Spongiam recentem vino madefactam vrito. quoad in cinerem vertatur. Et cinereis cochlearium vnum irrigato cum vino veteri menſuræ vnius, da bibendum diebus tribus mane ieiuno. ſi febricitet, vinum ſit dilutum, Nic. Myrepſus. Spongiam marinam exures, & in cinerem rediges, & cribrabis. inde cochleare plenum in quacunque potione dabis ei qui hæmorrhoidum nimietate vexatur, Marcellus Empiricus. Si fluxus (vteri) oboriatur, & iam diuturnus fuerit, ſpongiam combuſtam ac tritam vino odorato dilutam, bibendam dato: & per ſuffitus reſicca. & quæ reſtringunt appone, Hippocrates de nat. muliebri. Et lib. 2. de morbis muliebribus: Si fluxus (inquit) diuturnus ſit, ſpongia combuſta auxiliatur. terenda eſt autem ſpongia, & cum vino odorato exhibenda.

Lapis ſpongia.

Lapides ſpongiarum & ipſi vocantur ſpongiæ, (*forte ſpongitæ:*) vel cyſteolithi, quòd veſicæ medeantur, Hermolaus. Spongiæ lapides inueniuntur in ſpongijs, & ſunt natiui. quidam eos tecolithos (*alii hic cyſteolithos legunt, quod minus placet*) vocant, quoniam veſicæ medentur, calculos rumpunt in vino poti, Plinius 36. 19. Lapis ſpongiæ, & ſpongites, in ſpongijs ſolet inueniri. is cochleæ inſtar perforatur, & quidem vtrinque cum vino potus calculos renum frangit: atque ex eo tecolithos nominatur. Plin. ſpongiten, quia lapidem eſſe legerat, in gẽmis numerat, Ge. Agricola. Lapides in ſpongijs inueniuntur, qui veſicæ calculos rumpunt in vino poti, Dioſcorides. Rariſſimę ſunt ſpongiæ quæ hiſce lapidibus vacent, Matthiolus Senenſis. Lapides qui reperiuntur in ſpongijs frangendi vim obtinent, non tamẽ ita validam vt lapidem in veſica comminuant: vnde qui id ſcriptũ reliquerunt, mentiti ſunt. verum qui in renibus conſiſtunt, rumpunt: velut qui ex Cappadocia conuehunt quos in Argæo naſci aiunt. Soluuntur autem hi in ſuccum colore lacteum ex quo liquet quòd extenuãdi vim obtinet, abſque eo vt inſigniter calefaciant, Galenus lib. 9. de ſimplicibus medic. Ad calculoſos pharmacum inſperſile: Seminis balſami partem vnam, lapidis qui in ſpongijs reperitur tantundem: pulegij aridi, ſeminis maluæ ſylueſtris, ocymi aridi, ſingulorum tantundem. Tuſa & cribrata reponito, & dato cochlearium cum vini diluti cyathis duobus, Aſclepiades apud Galenum de compoſitione ſec. locos lib. 10. cap. 1. Antidoto è cicadis nephriticæ apud Nicolaum Myrepſum miſcentur etiam ſpongiarum lapides. Lapillus qui in ſpongia Africana inuenitur phœnicio obuolutus linoque ligatus, collo ſuſpenditur eius qui vuæ vitio laborat, Marcellus. Vſus etiam horum lapidum eſt ad bronchocelas, vt explicatum eſt ſuprà inter remedia è ſpongijs vſtis.

H. a.

Spongia dicta eſt à verbo ſtringere. (ſic legò, non fingere, vt codices quidam habent) quod eſt extergere. vnde Cicero: Et ſtringebatur ſpongijs ſanguis: id eſt, extergebatur, Iſidorus. Σπόγγος, σπογγίον, Heſychius. Σπογγιά Atticum eſt, Suidas. qui & hęc Ariſtophanis verba è Ranis citat: ἀλλ᾽ εἶσι πρὸς τὴν καρδίαν σπογγιάν. Σπόγγος, διὰ τὸ ἀποσπᾶν τὰ ὑγρά, Varinus. Κινέθας, ſpongia, Idem & Heſychius: ſic dicta nimirum παρὰ τὸ κενὸν τῶν πόρων, à raritate & vacuis fiſtularum ſpacijs. Πόντια ῥάκη, σπόγγοι, ἢ τὰ τούτων σπαράγματα, Varinus.

Epitheta.

Σπόγγοι πολύτρητοι, Homero & Q. Calabro. Σπόγγον ἔχειν καλάμων ψαιστῆρ᾽ ἀπὸ Κνιδίων, Suidas ex epigrammate. videtur autem carminis author, quiſquis eſt, penicillum è comis arundinum ad abſtergendum aliquid confectum, σπόγγον appellare. ψαιστῆρα interpretor aptum ad abſtergendum: fortè à verbo ψάω, vnde & ψῆκτρα, quod eſt ſtrigilis. Καὶ βυθίην Τρίτωνος ἁλιπλάγκτοιο χαμεύνην Σπόγγον ἀκεστορίην πλαζομένης γραφίδος, Suidas ex epigrammate. Spongiæ epitheta apud Rauiſium ſunt: Punica, leuis, madidata, munda.

Icon.

Habet & ſpõgia ſua hieroglyphica. Vulgatiſſimum enim eſt, naturæ bibacioris hominem per ſpongiam ſignificari, ea quæ omnibus in promptu eſt cauſa, attactu ſolo tantum humoris exugendi. Quo accedit feſtiuum vulgi dicterium in Veſpaſianum iactari ſolitum, quod dictitabat eum procuratoribus pro ſpongijs vti: quod quaſi ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes. Credebatur enim procuratorem rapaciſſimum quenque ad ampliora officia ex induſtria promouere: qui locupletiores mox condemnaret, atque ita ille eorum rapto frueretur. Siccum etiam Horatius pro paupere dixit: Accedes ſiccus ad vnctum, Perius Valerianus.

Significata diuerſa.

Spongias (vel ſpongiolas) olitores antiqui appellabant radiculas aſparagorum (altilium, Hermol.) inter ſe implicatas, Columel. lib. 11. Menta ſeritur planta: vel, ſi nondum germinat, ſpongia, Plin. Recens Promptuarij de lingua Latina ſcriptor, amentum ſiue cachryn, qui veluti flos in quibuſdam arboribus ſecundum naturam viſitur, cum ſpongia præter naturam in quibuſdam naſcente, vt cynorrhodo confundit. Alterum genus rubi in quo roſa naſcitur, gignit pilulam caſtaneæ ſimilem, præcipuo remedio calculoſis, Plin. hanc pilulam aliqui, vt Marcellus Empiricus, ſpongiam vocant. Idem alibi: Spondogos (inquit) eſt lanugo quædam, quæ in roſa ſiluatica ſolet naſci. Carnoſa aliqua appellabimus: vt ſpongias in humore pratorum enaſcentes. fungorum enim callum in ligni arborumq; natura diximus, & alio genere tuberum paulo ante, Plin. Noſtri quidem etiam fungos nimium cõmuni ſpongiarum nomine vocitant. quanquam videri queunt etiam Latini fungum ab Attico nomine ſphongos nominaſſe. Pumex quoniam non aliter ac ſpongia eſt fiſtularum plenus, dicitur, (vt Vitruuius author eſt,) ſpongia, Ge. Agricola. Rhododaphnen aliqui ſpongon vocant, Hermol. legitur id quidem inter

nomenclaturas rhododaphnes apud Dioſcoridem. Hippocrates σικυώνης σπόγγον dixit, pro interiore colocynthidis parte, Galen. in Gloſſis. Tethya, qui accolunt Adriaticũ ſinum, ex eo ſpongias nominant: quia cum premuntur, tanquam ſpongiæ, ſic aquam foraminibus reddunt, Gillius. Holothuria (*Tethya puto dicere debuit*) ſunt qui vulgo ſpongiolas marinas putent vocitari, Braſauol. Vulgus Italicè Sphungę profert. Σπόγγοι etiam ab Hippocrate vocantur adenes ſiue glandulæ circa fauces, vt lib. 4. Epidemiorum, Galenus in Gloſſis, & Varinus.

Deriuata Latina. Spongioſus quod ſimilitudinem ſpongiæ habet. idcirco pulmo ſpongioſus dicitur. & coloſtrum eſt prima à partu ſpongioſa denſitas lactis, Plinio libro 18. Spongioſa carne plenæ ſunt pelliculæ intra naues, in quibus fit olfactus, vt legitur alicubi in pſeudepigraphis Galeni. Spongiare pro eo quod eſt abſtergere ſpongia non auſim dicere: quanquã id verbũ in Dictionario Eliotæ Angli extat. Oua ſphõgia, (cibum ad modũ ſpongiæ rarũ, tenerũ, & inflatũ quidã interpretatur,) deſcripſimus in Gallina F.

Σπόγγια, σπογγώδη, Heſychius. Oſſium σπογγοειδῶν in capite vſum exponit Galenus lib. 8. de vſu partium. Vrinatorum illi qui ſpongias piſcantur, à Græcis nominatur σπογγεῖς, σπογγοθῆραι, σπογγοκολυμβηταὶ, σπογγοτόμοι. recentiores quidam Latinè ſpongiarios vel ſpongiatores dixerunt. Vide ſuprà in E. Ἀνδρὸς σπογγιᾶς θηρᾶν ... , Ælianus amorem vituli marini in ſpongiatorem memorans. Κύστη, ἄρτος σπογγίτης, Heſychius & Varinus. Plinius libro 37. Spongites (inquit) gemma ſpongiæ nomen repræſentat. ſed lapis non gemma eſt, qui in ſpongijs reperitur. Vide ſuperius in G. Ξυλοσπόγγιον Pelagonius dixit in Hippiatricis: Ruellius vertit penicillum. vſus eſt ad inungenda pecora. noſtri vocant *ein Benſel oder Bürſten.* Item Abſyrtus in capite de ſcabie equorum: Ξυλοσπόγγιον ποιήσας θερμῶς καταχρίε. Pro quo Hierocles: ... θερμῷ, σπογγιὸν ξύλῳ προσδήσας. Ἀποσπόγγισμα, τὸ, quod ſpongia detergitur, vt quidam in vulgari Lexico Græcolatino annotauit: vbi & σπόγγισμα pro eodem legitur, tanquam ex Euſtathij in Odyſſeam parecbolis: in quas index vulgatus neutrum ex his nominib. habet. Ἀποσπογγίζειν, καταμάσσειν, ... (malim ...) Suidas in Κέρκος. Ερίῳ ἀνασπογγίζειν apud Hippocratem ſignificat humorem aliquem lana excipere: lana enim illum imbibit ſpongiæ inſtar.

Herbæ. Rhododaphnen aliqui ſpongon vocant. Spongîtin herbam dicendo Aëtius procidentiæ ſedis vtilem, quid intelligat haud ſcio, Hermolaus Barbarus. Conferra Plinio eſt veluti ſpongia dulcis aquæ, coagulum alias dicta quod ferruminet & cõſolidet vulnera. Videri autem poteſt eadẽ ſpongitis eſſe, tũ ex nomine, tum ex viribus. nam & quæ ferruminant, aſtringunt: & quæ ano procidenti conferunt, ex aſtringentium ordine ſunt pleraque. Conferuam eſſe puto mollem illam conferctamque ex innumeris ac viridiſſimis filis oblongis herbam, ſeu villum, qui aquis præſertim ſtagnantibus innatat circa ripas.

b. Σπόγγος ... eſt, id eſt fiſtulis in anibus cauernoſa: non κενὸς, id eſt, vacua, Galen. tertio de differentijs pulſuum. Nidi alcyonum inquit Plinius, grandium ſpongiarum ſimilitudine ſunt.

c. Lanam ſpongiamue, aut alia in quibus ſimilis raritas eſt, ſi quod intus habent exiguum ſit, id non deponere, ſed continere manifeſtè videmus: ſi multum, effundere, Galen. in lib. de ſectis ad introducendos. Et mox: Si melle picéue liquida ſpongiam lanamue non immodicè madefacias, nihil effunditur, propter humoris craſſitudinem. Glandulæ mamillarum poſt fœtum conceptum fiunt rarę ac laxę, & lacte plenæ. at quo tempore lacte carent, contrahuntur, ac denſantur: tantum à ſeipſis differentes, quantum permadidæ ſpongiæ ἀπὸ τῶν σκελετευομένων: ſic enim ſpongias appellant, à quibus cum humorem omnem expreſſerint, circundatis vinculis ipſas conſtringunt, totumq; corpus ipſarum cogunt, Galenus de aliment. 3. 6. Inter medicamenta quæ ſtyptica vocant, nihil efficacius rubi mora ferentis radice decocta in vino ad tertias partes, vt colluantur eo oris vlcera, & ſedis foueantur: tantaque vis eſt vt ſpongiæ ipſę (*eo ſcilicet humore imbutæ, vt ita fomentum de ſe præſtent*) lapideſcant, Plinius 24. 13. Matreas ὁ παλαιὸς Alexandrinus, ad Ariſtotelis problematum imitationem ridicula quædam comminiſcebatur: ex quibus & hoc eſt, Διατί οἱ σπόγγοι συμπίνει μὲν, συγκωθωνίζονται δ' οὔ; Latinè qui reddam æquè argutè, non occurrit.

e. Iphicratem tradunt cum Stymphalum vrbem Arcadiæ (ad lacum eiuſdem nominis) obſidione circundediſſet, & fruſtrari conatus ſuos intelligeret, exitum fluminis (Eraſini) è lacu obſtruere conatum, innumerabileis ſpongias aduexiſſe: ſed Iouis oraculo admonitum deſtitiſſe, Nic. Perottus. Δός μοι χυτρίδιον σφογγίῳ βεβυσμένον, Dicæopolis quidam pauperculus in Acharnenſibus Ariſtophanis. Scholiaſtes intelligi inquit ollam in qua ſpongia melle plena erat, infantium ori imponenda, vt plorare cibi deſiderio deſinant: vel ollam cuius foramina propter inopiam ſpongijs farcienda eſſent: vel ſpongiarum inſtar cauernoſam, ad ſummam paupertatem indicandam. Apud Suidam hunc verſum recitantem pro σφογγίῳ legitur σπογγιᾷ. Ἰδοὺ θρὶξ ἐκ κέρκου λαγῶ: id eſt En tibi caudam leporis, Ariſtophanes. eſt enim mollis & tener villus leporinus, vt pro ſpongia eius vſus eſſe poſſit, ad gramias ſeu lippitudines abſtergendas, Suidas.

Ἀνθεῖ δὲ καὶ αἱ περὶ τὰ πέμματα δημιουργίαι: καὶ αἱ περὶ τὰς σινδόνας περιεργίαι, ὥς ἐπιτεχνᾶσθαι σπόγγους ὑποτίθεσθαι. ἐπακτικὸν γὰρ εἶναι τὸ τοιοῦτον πρὸς ἀφροδισίων πλῆθος: Athen. lib. 1. Σπόγγοισι πολυτρήτοισι τραπέζας Νίζον Odyſſeæ A.

h. Acco mulierem quandam ſtolidam paxillum ſpongia pulſaſſe aiunt, σπόγγῳ πάτταλον κρούειν, Suidas. Somnium quoddam de corporibus ſpongia perterſis Val. Maximus memorat: locus iam non occurrit.

Prouerbia. Spongia mollior, eodem ſenſu dicitur quo, Pyro mollior, ἀπίου πεπαίτερος: & auricula infima mollior. Sic autem aſſentator quiſpiam loquitur apud Comicum quempiam, citante Plutarcho in commentario de diſcrimine adulatoris & amici: Ἐμὲ Νικόμαχε πρὸς τὸν στρατιωτικὸν τάξατε, Ἂν μὴ ποιήσω πελιδνὸν μαστιγῶν ὅλον: Ἂν μὴ ποιήσω σπογγιᾶς μαλακώτερον Τὸ πρόσωπον. Ad eundem modum dicebant pepone mollior, mitior malua, Eraſmus Rot. Sic & Theopompus apud Athenæum: Μαλακωτέρα πέπονος καὶ σικυοῦ μοι γέγονε. Idem Eraſmus in prouerbio, Notare vngue: Eôdem (inquit) pertinent, ſpongia, lima, cælum, quę in emendationis prouerbium abierunt. Spongia deletur quod non placet. lima detrahitur atq; expolitur, quod redundat, quodque incultum eſt. cælo deformatur item ac fingitur id, quod eſt rudius. Proinde in ſpongiam incubuiſſe dixit Auguſtus Aiacem ſuum, quem deleuerat. Σπόγγοι ἀκεσσίαν πλαζόμενης γραφίδος, Suidas ex epigrammate: hoc eſt ſpongiam qua ſtyli vel penicilli peccata emendantur, inducendo ſcilicet ac delendo.

SPVMA

SPVMA (Ἀφρὸς) appellata apuæ origo eſt. Vide in Apuis.

SPVRIÆ à Gaza conuertuntur aliquando piſces ab Ariſtotele Rhyades dicti. Vide ſupra in Corollario de Chalcide.

SQVALI circa æquinoctium pariunt, Plinius 9. 51. loco ex Ariſtotelis quinto hiſtoriæ tranſlato, vbi is ſquatinas nominat. quare in Plinij quoque verbis ſquatinas aut ſquatos legendum conijcio: quod & Maſſarius inſinuare videtur, non exprimit tamen. Eiuſdem libri c. 24. Cum piſces cartilagineos planos aliquot recenſuiſſet: Hoc in numero (inquit, cartilagineorum ſcilicet) ſunt ſquali quoque, quamuis non plani. quem locum explicans Maſſarius, Legendum (inquit) Galei (id eſt Muſtelli, vt Gaza conuertit,) non Squali, ex Ariſtotele, vnde hæc Plinius mutuatur, &c. Rondeletius eo in loco ſquali vocabulum retinendum, & galeos intelligendos putat. Non ſemper enim (inquit) Græcis vocibus vſus eſt Plinius. nec huius loci lectionem mutandam eſſe arbitror, præſertim cum alio etiam loco ſqualos nominauerit, nempe lib. 9. c. 5. vbi ſparos, torpedinem, ſqualos circa æquinoctium parere tradit, Hæc ille. Verum in eo loco meliores codices Plinij pro ſparis ſargos habent, quod cum Ariſtotele conuenit, ex quo hic locus tranſlatus eſt apparetque collatione ſquatos etiam, id eſt ſquatinas, non ſqualos hic legendum. In catalogo piſcium, quem confecit Plinius ad finem libri 32. galeos nominatur ſuo ordine: ſqualus nuſquam: rhinam verò ibidem ſquatum interpretatur. Plura lege ſupra in Rondeletij capite de Muſtelis ſeu Galeis in genere, pa. 607. In Halieutico quidem Ouidij ſqualus nominatur inter piſces qui in herboſa arena degunt, hoc verſu: Et ſqualus, & tenui ſuffuſus ſanguine mullus. Videtur autem ſqualum pro cephalo dixiſſe, per ſyncopen, &c. quanquam cephali mare vicinum fluuijs & ſtagnis amare dicuntur, & limo viuere. Varro etiam libro 3. de re ruſtica de piſcinis loquens, ſqualos cum mugilibus nominat. ſunt autem capitones mugilum ſpecies. Vulgus in Italia hodieque Squallum vel Capitonem nominat piſcem fluuiatilem, quem noſtri *Alet.* Qui verò *Schvval* quaſi Squalus apud nos vocatur, longe alius eſt, ex Leuciſcorum fluuiatilium genere.

DE SQVATINA, BELLONIVS.

RHINAM Græci, Latini Squatinam, Galli Angelum marinum vel Angelotum vocant: quod binis alis vtrinque expanſis, quendam veluti Cherubum referre videatur. A

Magnus eſt piſcis, ac longe Adriatico ac Liguſtico; quam Oceano maximus, vt apud Venetos ac Ligures quadraginta interdum librarum pondus excedat. Cartilaginoſus eſt, viuiparus, contractiore ac longiore, quam Raia aut Paſtinaca, corpore. quaternis alis ad latera communitus eſt: capite ferè circinato, ore firmis dentibus circumuallato, in Ranæ marinæ ſpeciem. Id autem habet antrorſum apertũ non autem parte corporis ſupina aut Raiæ ac Galei. Quinetiam quas branchias Raiæ ſupina parte oſtendunt, eas Squatinæ in lateribus, Galeorum more, præ ſe ferunt. B

Eius pellem piſcatores Itali prius glubunt, quam foro exponant. Ea enim aſſulis diſtenta, & exiccata, fabris lignarijs ad opera perpolienda, vt & Canicularum apud nos, pellis vtilis eſt. E

DE SQVATINA, RONDELETIVS.



ῬΙΝΗΝ accentu in priore poſito, vt differat à ῥινὴ, quę limam ſignificat, Gaza rectè ſquatinam conuertit Pliniũ ſecutus: eius enim hæc ſunt verba in catalogo piſcium. Rhina quam ſquatinam vocamus. Dicitur autem ſquatina fortaſſe à ſqualore, hoc eſt, cutis aſperitate. Noſtri Maſſilienſes, Galli, Ligures, angelum vocant, à ſimilitudine angeli picti cum alis expanſis. Veneti Squaquam vocant. alij Squaiam, alij Squadram. Burdegalenſes Creac de buch. Græci huius temporis ῥίνην καὶ ῥινόβατον. (*Vide in Corollario.*) A *Lib. 32. c. 11.*

Squatina piſcis eſt planus, cartilagineus, magnus quidem, vt pote qui ad hominis magnitudinem aliquando accreſcat. Vidi etiam ſquatinam centum & ſexaginta libras pondere æquantem. Eſt enim bene longa, ſed corpore contractiore ſtrictioreque, cute aſperrima, duriſſima, qua lignum & ebora per poliuntur, nam & è mari fabriles vſus exeunt, inquit Plinius, lib. 32. cap. 10. Partes pronę coloris ſunt cinerei ad fuſcum vergentis, pars ſupina alba & læuis. Os non habet in ſupina parte, nec infra roſtrum raiarum modo, ſed in promptu parteque primum obuia, veluti rana piſcatrix, atque ſquamoſi, maxillarum oſſa in angulum obtuſum deſinunt, lingua verò in acutum, in cuius extremo carneum tabernaculum eſt. Os habet breuibus ſed acutiſſimis dentibus munitum, aliter quam in vllis alijs piſcibus diſpoſitis: ſunt enim dentium ordines, interuallis dentibus vacuis à ſeſe diſtincti & diſtantes. Horum ordinum ſinguli tam arcte connexis cohærentibuſque dentibus conſtant, vt non plures dentes, B (E) *Dentes.*

sed vnicus planus,latusque dens esse videatur:verum vnguibus,vel cultelli mucrone inserto facile separantur,quiq; à reliquis separatus est,reliquis immotis mouetur, & loco eximitur. In inferiore maxilla,linguæ extremo acuto locus dentibus vacuus cedit naturæ prouidentia, dextra sinistraq; dētium sunt ordines,quinque dentibus constantes , tertius & quartus ordo quatuor duntaxat dentibus constat. Ordines qui hos sequuntur,quiq; in anteriore oris parte siti sunt,tribus tantum.Contra in maxilla superiore:ea enim in parte quæ maxillæ inferioris parti dentib.vacuæ respondet, ordo est ex quinq; dētibus,vtrinq; similes duo ordines. Quartus,quintus sextus & septimus ex quatuor dentib.qui subsequuntur,ex tribus tantum. Dentes omnes in os sunt recurui. Maxillæ superioris extremum cute non integitur,ex eo apophyses duę in os demittuntur in alias diuisę,de quarum vsu postea dicetur.Oculos supra caput habet,non sursum sed ad latera spectantes, post quos foramina sunt,quæ ad os vsq; patent, veluti in raijs.In lateribus branchias detectas habet,non in supina parte vt raiæ:illarum enim situ & oris scissura squatina à reliquis planis piscibus differt. Corporis latitudo in pinnas desinit maiores,sequuntur aliæ minores.In cauda verò pinnulæ duæ erectæ sunt,eadem in vnicam & continuam desinit. E media dorsi spina aculei parui existunt,item alij prope oculos.

Interiora. Reliquis cartilagineis,internis partibus similis est.Nam ventriculum magnum habet, intestina magna lataq;,hepar in lobos duos diuisum, in quo fellis vesica latet,felle viridi plena. Lien ex rubro nigricat.Cor angulatum,compressum vnico tantum sinu donatum. Mares à fœminis distinguuntur appendiculis quibusdam cartilagineis circa anum,quibus fœminæ carent.

C Cartilagineorū vna squatina bis parit:nã & incipiente autumno,& circa Vergiliarū occasū: sed per autumnū felicius.Singulis verò fœturis partus septeni aut octoni ṗueniūt:Hæc Arist.li.5.de hist. c.10.

D Idem lib.6.de hist .c.10.scribit squatinam fœtus suos in metu intra se recipere, & rursus emittere, nonnullorum galeorum modo. Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι γαλεοὶ καὶ ἐξαφιᾶσι καὶ δέχονται εἰς ἑαυτοὺς τοὺς νεοττοὺς, καὶ αἱ ῥῖναι, καὶ αἱ νάρκαι. Et mox: Τῶν δὲ πλατέων τρυγὼν καὶ βάτος οὐ δέχονται διὰ τὴν τραχύτητα τῆς κέρκου. οὐκ εἰσδέχεται δὲ οὐδ᾽ ὁ βάτραχος τοὺς νεοττοὺς διὰ τὸ μέγεθος τῆς κεφαλῆς, καὶ τὰς ἀκάνθας. Cæteri galei & emittunt, & intra seipsos recipiunt fœtus, & squatinę, & torpedines: Ex planis autem pastinaca & raia non recipiunt propter caudę asperitatem.Neque etiam fœtus recipit rana propter capitis magnitudinem & aculeos. Quæ addimus vt admoneremus Latinam Aristotelis conuersioné inemendatã esse,in qua pro rana per perã raia legitur,vt ratio q̃ subiūgitur,& Græcus cõtextus cõuincunt. Oppianus squatinã nõ suos fœt' intra se recipere, sed ṗsidio alio eos tueri author est,nimirū latis vtrinq, pinnis, ceu alis expãsis tegere.

Li.1. ἁλιευτικῶν.

Τοίην καὶ ῥίνη τεκέων πορσύνεται ἀλκήν, Ἀλλ᾽ οὐκ ἐς νηδὺν κείνοις δύσις, οἷα κινώπεσιν:
Ἀλλ᾽ οἱ ἐν πλευρῇσιν ὑποσφαγὲς ἀμφοτέρωθεν Εἰσὶν ὑπὸ πτερύγων, οἵη γλύφις ἰχθύσιν ἄλλοις:
Τῇσιν ἀτυζομένων τεκέων φόβον ἀμφικαλύπτει.

Sed cum aculei parui sint,& in recenter natis molles adhuc,neque capitis magnitudo,vt in rana piscatrice , neque caudæ asperitas vt in raia præpedire possunt , quominus squatina fœtus suos recipiat, Aristoteli potius credendum esse censeo. Hanc squatinæ solertiam attribuit Aristoteles , vt arena se obruat,cumq; se totam occuluerit,verberat(ῥαβδίζεται)oris sui radiolis seu virgulis,(vt piscatores vocant)quas pisciculi cum aspexerint,adnatant quasi ad algas,quibus vesci soliti sunt.Plinius:Simili modo(quo rana piscatrix)squatina & rhombus abditi pinnas exertas mouent specie vermiculorum, itēque quæ vocatur raia. Mirum verò , quod Plinius appendiculas illas quibus squatina pisciculis insidiatur,pinnas appellet; cum neq; pinnæ sint,neq; pinnis vllo modo similes, sed vermiculi,vt ipsemet ait. Arist.propriè ῥαβδία vocat,radiolos & virgulas interpretatus est Gaza.

Lib. 9. de hist. c.37.
Lib.9.c. 42.

C Squatina carniuora est,& in alto mari versatur.

Ἡ ῥίνη (inquit apud Athenæum Diphilus.lib.8.) Καὶ αὐτὴ τῶν σελαχίων οὖσα, εὔπεπτός ἐστι, καὶ κούφη· ἡ δὲ μείζων, τροφιμωτέρα. Κοινῶς δὲ πάντα τὰ σελάχια φυσώδη ἐστὶ, καὶ κρεώδη, καὶ δυσκατέργαστα, πλεοναζόμενά τε τὰς ὄψεις ἀμβλύνει. Squatina etiam ex cartilagineis est,concoctu facilis & leuis. Quæ maior,magis nutrit. Vniuerse autem cartilaginea omnia flatus gignunt, carnosa sunt, concoctu difficilia,quorum multo vsu oculorum acies hebetatur. Quod temere dictum esse nemo existimare debet. Cum enim cartilaginea flatuum,crassiorumq; & glutinosorum humorum magnum prouentum adferant,crassos ex his caliginososq; spiritus effici necesse est,quorum perspicuitatem & splendorem ad clarius cernendum necessarium esse certum est.Apud nos nullo in pretio est squatina, etiam à rusticis neglecta , tum ob ferinum saporem,tum ob carnis duritiam & insuauitatem.

G Ex hepate oleum fit, quod ad hepatis duritiam valet,addita spica celtica,vel styrace, vel absinthio. Oua exiccata ad sistenda alui profluuia multum conferre experientia compertum: ijs enim ad omnes (E) alui fluxiones vtuntur piscatores nostri.Cute ensium capuli integuntur. Ex eadem optimum fit in psora & scabie smegma. Eiusdem cutis cineres contra alopeciam & vlcera capitis manantia prosunt.Tota squatina mammis imposita earum incrementum prohiberi, duriusculasq; reddi traditur: quod à me experientia comprobatum est. huius quoq; rei testis est Plinius.Squatinæ(inquit)illitę crescere mammas non patiuntur.Id non manifesta qualitate, sed obscura quadam vi effici puto,maxime cum sale asseruata idem non præstet,cuius salis causa magis digerere & exiccare deberet. Hanc squatinæ facultatem si resciscant mulieres,cultui & ornatui plus æquo deditę, pluris eam empturę sint,quam vlli Romani vnquam mullum,vel etiam acipenserem emerint.

Lib.32. c.10.

A Audiui ab excellentis doctrinæ viro cum diceret, eam quam nos squatinam esse diximus,rhinobatum esse:Squatinam vero esse, quam catto rochiero in Prouincia vocant.Sed de rhinobato mox: de eo qui catto rochiero nominatur,in Caniculis diximus.

C Sunt qui scribãt squatinã subinde colorē mutare,& eius cui adhæserit colorē imitari polypi more,q̃ sane rationi cōsentaneū nō est.Quæ.n.colorē sic mutant, vel quia corpore pellucido sunt id faciunt,vt chamæleo: vel quia cute sunt ita tenui vt in humorū spirituūq; ṗturbatione atq; agitatione,varij eorū colores perluceant.Quorū neutrum de squatina dici potest,vtpote quæ cute sit aspera,dura ac densa.

Quod non mutet colorē.

COROLLARIVM.

A Rhina,quem squatum vocamus,Plinius libro 32.alia lectio,quam squatinam vocamus. Sed squatus

quoq;

quoq; dici potest:præsertim cum & li.9.c.5.pro squatinis squatos dixerit: sic enim legendum,nō squalos,superius in Squalis ostendimus.Rondeletius ῥίνη cum limam instrumentum significat, acuit: cum piscem,penacuit,authore Cyrillo nimirum: qui id in libello de dictionibus significationum pro accentu mutantibus annotauit.apud authores obseruari non puto,sed semper penacui.Oppianus libr.1. Halieut.inter galeorum genera, qui pisces sunt cartilaginei longi squatinas quoq; numerat, -- γαλεῶν δ᾽ ἑτερότροπα φῦλα, Σκύμνοι, καὶ λεῖοι, καὶ ἀκανθίαι· ἐν δ᾽ ἄρα τοῖσι ῥῖναι, καὶ ὠπεῖαι, καὶ ποικίλαι, &c. (Ælianus tamen in huius loci paraphrasi squatinarum non meminit.) Hinc forte est,quod Rondeletius scribit, eruditum quendam virum,galeum Cato rochiero vulgo dictum Gallis,pro squatina habuisse: qui piscis est longus,galeis reliquis similis:squatinam verò vulgo existimatum pro squatoraia,vtpote latiorem,& raiæ aliqua ex parte similem.Planorum piscium alterum est genus,quod pro spina cartilaginem habet: vt raię,pastinacæ,squatinæ, Plinius. Squatina quomodo sit media inter planos & longos cartilagineos,lege supra apud Rondeletium ab initio capitis de Raia pisce. Athenæus λειόβατον, id est Raiam læuem,tradit etiam ῥίνην, hoc est Squatinam vocari: quos tamen pisces diuersos esse ex vtriusque historia liquet.rhinobaton verò à vulgo Græcorum,etiam rhinam vocari author est Gillius: cuius verba non recte transcripsit Rondeletius.Squatinam(inquit)Gręci huius temporis ῥίνην καὶ ῥινόβατον. atqui Gillij verba hæc sunt:Nostræ ætatis Gręci & rhinam & rhinobaton,vocant rhinam: vt Latini) *Itali hodie*)Squainam siue Squadram, hoc est, Squatinam. Sed imposuit Rondeletio malè distinctus Gillij codex.Squatina vulgo nomen seruat,Massarius Venetus. Squatina , lo pesce squatro , Scoppa Italus. Hispanis vt audio Lira dicitur,à specie corporis. sed alia est veterum lyra, de qua scripsimus elemento L.Germanicè squatinam vocare licebit *ein Engelfisch oder Meerengel*, id est Angelum piscem , vel Angelum marinum,Gallorum & Ligurum imitatione.Albertus squatinam Germanice catulam maris vocari scribit: qui piscis (inquit) quinque pedes longus est, & insuper cauda pedem vnum.Et alibi: Lignum raditur corio quorundam piscium arido, vt eius qui dicitur ad mare Flandriæ *Seerohe*, quod est canicula marina. Ego Germanicum hoc nomen non agnosco, deprauatum forte à librarijs.Murmellius *Hundfisch* interpretatur: quod nomen nimium commune ad omne canum & galeorum genus pertinet.Anglicè dicitur *a Skate*, vt audio: piscem aiunt admodum siccum esse , corium vicem limæ arcubus & sagittis lęuigandis pręstare.nomen quoq; ad Squatinam accedit.quamobrem non laudo , quod Eliota Anglus squatinam interpretatur *a Solefisshe*.nam Angli Soleam vocant *a Sole*. neque quod idem alibi scribit,Batidem piscem esse qui Anglice vocetur *Ray* aut *Skeat*. ex quibus nominibus hoc squatinam , illud raiam,(quam Græci baton , batidemue nuncupant,) significat.Piscem raię similem, qui in cibo Venerem irritet,apud Scotos audio nominari *a Scat of koy*.

Squatina piscis est cartilagineus,planus,cute aspera.caudam gerit crassam.fel in iecore positum habet,Aristot.Aspera cutis squatinæ qua lignum & ebora poliuntur, Plinius.De squatinæ pinnis verba Aristotelis ex lib.4.de partibus animalium c.17.retuli in Rana piscatrice B. Squatinę comparat Tritonem Romæ visum quod ad superficiem corporis squamosi Pausanias. Non tanta amplitudine,quanta Raia,dilatatur: sed cõtractior est,&(vt ranæ palustri)eius os ex rostro eminet,(ante promptūq; est:) nō infra parte supina,vt maiori parti cartilagineorū.Cauda ei longa mucronataq; est,Gillius & Massarius.

Squatina piscis mar.quinque cubitos(pedes,Albertus) longitudinis habet, & caudam pedalem. B
Pilus cutis eius breuis & niger est,(Albertus addit,similis aristis herbæ fullonum.) cutis quidem tam dura est, vt ferro & chalybi vix cedat,Author de nat.rerum. Verum cutis eius pilosa non est, sed limæ tantum instar aspera.

Squatinarum coitus,eo quod cauda his plenior crassiorve est, attritu mutuo supinarum partium agi C
tur,Vuottonus ex Aristotele. Squatinę primus partus tempore verno fit. sed felicior est secundus per autumnum , occasu Vergiliarum,Aristoteles historię sexto. De squatinę cum raia coitu,dicetur paulo post in Squatraia.

Oppianus scribit squatinam non recipere (intra se)fœtus,sed sub pinnulis suis tueri, Vuottonus:& D
similiter Rondeletius,qui Oppiani versus recitat.Gillius ex Oppiano,non simpliciter,vt illi,sub pinnis,sed in hiatum sub pinnas subiectum fœtus suos metuentes matrem occultare transtulit.nam Gręce legitur, Ἀλλ᾽ οἱ ἐν πλευρῇσιν ὑποσφαγὲς ἀμφοτέρωθεν Εἰσὶν ὑπὸ πτερύγων, &c. quo in loco Brodæus scholiastes: Sunt autem illi(inquit)infra velut iugulum cauitates quædam,(σφάγια etiam dictæ) sub pinnis, cum aliorum piscium gula comparandæ, quęque instar ventris illi sunt, Sic ille. Quod ad rem ipsam attinet,qui piscem manibus versare possunt, pronuncient. quod ad verba ὑποσφαγές, rectus pluralis videtur à singulari ὑποσφάξ, idem nimirum significante quod διασφάξ (vel etiam διασφαγή, vt in vulgari Lexico scribitur,) hoc est, interuallum, scissura, diuortium. Διασφαγὰς πετρῶν pro διαστάσεις, apud Aelianum legimus.ego in Oppiani etiam versibus malim legere: Ἀλλ᾽ οἱ ἐν πλευρῇσι διασφαγές, &c. Διασφάξ, ὁ διεστὼς τόπος, διατομὴ ὄρους. καὶ διασφάγες, αἱ διεστῶσαι πέτραι τῶν ὀρῶν, Varinus. placet autem διασφάγες legi paroxytonum potius q̃ oxytonū. His scriptis reperi in parecbolis Eustathij in primū Iliados,quæ sequuntur: A verbo σφάζω, fit διασφάξ de scissura siue petræ,siue in corpore animalis,qualis & in squatina memoratur Oppiano: καὶ ἡ τοῦ (κατὰ τοὺς κωμικούς) αἰδοίου. Et rursus in Iliados M. A verbo σφάζω, fit etiam ἡ διασφὰξ ἐπὶ σχισμάτων λεγομένη, vt Oppianus etiā manifestissime indicat, καὶ ὁ τὸ θῆλυ μόριον οὕτω καλέσας. hinc & ὑποσφάξ, similis & ipsa cauitas, qualem admittunt quæ mactantur animantes, ea parte qua mactandis adigitur culter. Ex duob.his locis Eustathij, apparet eū apud Oppian.in squatinæ mentione legisse διασφάγες, quanq̃ & ὑποσφάξ ei cauū sub collo vbi animalia mactãtur,vel simile ei, significat. Σφαγὴ Gręce dicitur Polluci,(Latine iugulus,)cauitas media inter κλεῖδας, id est ossa quę clauiculas, alii iugulos,vt Celsus, vocant: ab aliquibus etiam θυμός. σφάζειν enim & θύειν synonyma sunt. sunt qui σφαγὴν appellent, & ἀντικάρδιον, illã quoq; cauitatē, quæ in pectore medio anterius sub sterno osse, è regione cordis est, vel oris ventriculi, authore Polluce: qui σφάγιον (vel σφαγεῖον)etiam appellat vas,quo sanguis victimarū excipitur. Cæterum pisces & alia quæ clauiculis dictis ossib.carēt animalia, σφαγὴν quoq, vel ὑποσφάγα cauū ṗprie dictū nō habēt: quãq̃ thynni,orcyniq; piscium κλεῖδας & κλειδία legim'.

Διασφάξ.

Effigies

δοκεῖ τὰ πολλὰ τῶν ἐνύδρων καλῶς μῶσι γίνεσθαι ἐκ ῥίνης καὶ βάτης συνδυαζομένων. In marinis nihil adhuc exploratum habemus dignum memoratu: qui tamen rhinobati appellantur, maximè gigni creduntur ex squatina & raia. Squatinam itaque cum raia videri coire ait, quo quidem loquendi genere, & similibus vt, ferunt, eradunt, aiunt, creditur, vtuntur Herodotus, Theophrastus, Dioscorides, quum se rem aliquam pro incerta habere significant. Iam verò ratio, quam subdit Aristoteles, plane infirma est. Si enim ideo coeunt squatina & raia, quia piscis sit, qui rhinobatus nominetur, vtrique similis: & hippocentauros & tragelaphos esse posse dicemus, si centaurus cum equa, & hircus cum cerua commisceatur. At, vt scribit Galenus, fieri secundam naturam non potest, vt tantopere dissidentia corpora commisceantur: neque enim colores & figuras tantum componi oporteret, quemadmodum à statuarijs & pictoribus fieri solet, ed totas substantias natura ab huiusmodi permistione alieniſſimas. Neque si diuersæ animantium formę, non tamen vsque adeo dissimiles, coeant, id animal gignunt, quod vna parte huic, altera illi simile sit: sed quod vni tantum procreantium simile sit, vel tertium quoddam: vt cum asinus equam ineat, mullus aut mulla neutri per omnia simile animal gignitur. Si lupus cum cane vel vulpe congrediatur, canis vel vulpes alteri tantum similis. Quare meo quidem iudicio fides ijs habenda non est, qui rhinobati mistumque genus, prolemq; biformem nobis obtrudunt.

Lib. 3. de vsu part.

COROLLARIVM.

Quod Aristoteles de rhinobato piscè scribit, eum ex squatina & raia nasci videri: ijs verbis non dubitat an sit, sed potius esse statuit. esse enim necesse est statuamus, de quo quærimus quomodo sit, aut vnde generetur. Alibi quidem, extare eum simpliciter affirmat: ἔστι γάρ τις ἰχθὺς, ὃς καλεῖται ῥινόβατος. Itaque, etsi Rondeletius nusquam in rerum natura hunc piscem comparere putat, ego omnino aliquem & alicubi esse arbitror, non modo Aristotelis, sed nostri etiam seculi doctorum hominum authoritate commotus, Iouij, Gillij, Bellonij, qui non solùm viuere in mari hunc piscem, sed nomina etiam formasque tradiderunt. Squatraia nomen quod Gaza confinxit, durum est: vt Squatroraia etiam, quo Bellonius vtitur: ego squatoraiam mollius dixerim, à squato & raia compósito nomine. Nostræ ætatis Græci & rhinam & rhinobatum, vocant rhinam: vt Latini (*Italicè*) vtrunque squainam, siue squadram, hoc est, squatinam, Gillius. Squatraiæ fœdæ sunt aspectu, atque esu admodum iniucundæ: quum inter sordidæ plebis atque pastorum obsonia censeantur, Iouius. Audiui ab excellentis doctrinæ viro, quum diceret, eam quam nos squatinam esse diximus, rhinobatum esse: squatinam vero esse, quam Catto rocherio in Prouincia vocant (de quo in Caniculis diximus,) Rondeletius. sed hanc sententiam à nemine approbari puto. Ego rhinobatum Germanis meis, quanquam (vt Bellonius tradit) Oceano infrequentem, interpretabor *ein Engerueh*, ab angelo (sic enim alij quidam populi squatinam vocant) & raia compósito nomine.

DE SQVILLIS DEINCEPS HOC ORDINE AGETVR.

EX RONDELETII OPERE.

De Squillis in genere.
De Squilla lata.
De Squilla celata, siue Cicada Aeliani, siue Cammaro veterum.
De Squilla crange.
De Squilla gibba.
De Squilla parua.
De Squilla, quam Mantin cognominat, vetteribus indicta.

EX BELLONII LIBRO.

De Vrsa maiore, (Squilla lata Rondeletio:) & minore, (Celata forte Rondeletij:)
De Squilla parua marina gibba cognomine.
De Squilla fluuiatili parua.
De alia Squilla, quæ Crangon à Rondeletio existimatur.
De Cicada marina: (quam Rondeletius Squillam mantin appellat, Cicadam verò aliam facit.)

COROLLARIA.

I. De Squillis in genere.
II. De Squilla lata & Vrsa Aristotelis.
III. De Vrsa minore, vt recentiores vocant: seu Squilla Celata Rondeletij: & de Cammaro veterum.
IV. De Squilla Crange.
V. De Squilla gibba.
VI. De Squilla parua, quam aliqui fluuiatilem cognominant: quanquam & in mari inueniatur.
VII. De Squilla illa, quam Bellonius Cicadam nominat, Rondeletius Mantin.
VIII. De Squillis diuersis.

DE SQVILLIS (IN GENERE,) RONDELETIVS.

A SEQVITVR τῶν καρίδων genus quod tertium post locustam & astacum ab Aristotele lib. 4. de Historia animal. c. 1. numeratur. Gaza cum Cicerone & Plinio squillas conuertit. Cicero libro 2. de Natura Deorum squillam paruam vocat, τὸ καρίδιον Aristotelis. Plinius verò lib. 11. c. 37. Crusta fragili inclusis, rigentes oculi locustis, squillisque magna ex parte sub eodem munimento prædurí eminent. & lib. 9. c. 1. Coeunt locustæ, squillæ, cancri ore. Athenæus author est à Sophrone κυνίδας dictas, à Simonide & Epicharmo [illegible]. Idem tradit καρίδας à capitis magnitudine nominatas. ὀνομάσθησαν δὲ καρίδες διὰ τὸ κεφαλὴν μεγίστην ἔχειν τῶν ἰχθύων. dictæ sunt carides à dictione κάρα, id est, à capite: maximam enim corporis partem caput occupat. Quod etymum si verum sit, non possum non mirari Galenum, qui libro 8. de vsu partium malacostraca omnia capite truncarit. nam cum initio libri in quibusdam solum id recitet: [illegible] (de collo & capite loquitur) πῶς δὲ καὶ κεφαλὴ μόνη καὶ δύσις μόνη καὶ

Lib. 4. de part. & Squillas & alia quadam testata capite habere, contra Galenum.

ἓν καὶ ἀστακοῖς, καὶ πηγούροις, καὶ καρκίνοις, ἕτερον. τοῖς δ' ἰχθύσιν ἅπασι κεφαλὴ μὲν ἔστι, τράχηλος δ' οὐκ ἔστιν. Et aliquanto post malacostraca omnia eadem lege conclusit: Ἀλλὰ καρκίνοις τε, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς μαλακοστράκοις, κεφαλὴ μὲν οὐκ ἔστ: τὸ δὲ τῶν αἰσθήσεων τε, καὶ τῶν κατὰ προαίρεσιν κινήσεων ἐξηγημένον μόριον ἔστι, δῆλόν πᾶσιν αὐτοῖς ἐστὶν ἐκ τῆς διαφορᾶς πεπιστωμένον, ἔνθα περ αὐτοῖς ἐστιν ἅπαντα τὰ τῶν αἰσθήσεων ὄργανα. Sed & cancris & alijs crustatis caput deest, partem verò quæ sensibus & motionibus à voluntate pendentibus præest, illi sane in thorace sitam habent, in qua omnes sensuum sedes eis habitant. Ac maluit Galenus quantum ad animantes istas attinet, in Aristotelis sententiam discessionem facere, qui è corde sensum motumq; omnem, tanquam è fonte manare credebat, quam ijs caput tribuere, vt ipsius verba clare ostendunt: ὡς δ' ὅπερ ἐν ἡμῖν ὁ ἐγκέφαλος, τοῦτ' ἐν ἐκείνοις εἴη ἂν τοῖς ζώοις τὸ μόριον, εἰς ὃ πᾶσ' εἰρημέν' ἀναφέρεται. ἢ εἰ μὴ ἐγκέφαλός ἐστιν, ἀλλὰ καρδία τῶν ἀπάντων ἀρχή. Itaque quod in nobis cerebrum est, id sit in alijs animantibus pars illa ad quam quæ dicta sunt, scilicet sensus & motus referantur: aut si cerebrum non est, certè cor omnium horum principium fuerit. At quod cancris caput sit, sed indiscretum alibi diximus. Quod squilla, pluraq; alia malacostraca caput habeant, & discretum, & piscium cæterorum modo ab alijs partibus distinctum sensus ipse demonstrat, quicquid dicat Galenus alio etiam in loco præter iam citatum: Καρκίνῳ τε δὴν, καὶ σύμπαντι τῶν μαλακοστράκων γένει, ἥδηπερ δὲ καὶ φάλαγγι, καὶ ἄλλοις πολλοῖς τῶν τοιούτων ἐστὶ κεφαλὴ, τὸ δὲ οἷον ὑπόζωμα φλοιῶ τινι μόνῳ. Cancer igitur & vniuersum crustatorum genus, prærereà balęnę & multa alia huiusmodi vel capite omnino carent, vel eius solummodo rudimentum habent. Quod verò balæna in eo numero recensetur, mendosum esse puto: neque enim balæna ex genere crustatorum, neque capite caret, sed id habet discretum & distinctum. Quare καλλίβολλαν (nam ea inter crustata à veteribus nominatur.) vel aliquod aliud affine crustati piscis nomen reponere oportet.

Sed ad squillas referatur oratio. Harum tria genera constituit Aristoteles, sunt κυφαί, id est, gibbæ: κράγγονες, crangines vertit Gaza, sunt & paruæ, quæ maiores nunquam fiunt. Nos species plures facimus, quia ad tres superiores referri omnes non possunt: vt squilla lata, alia quæ cælata est & glabra: prętera quæ μάντις dicitur, nulli rectius quàm squillarum generi attribui potest, vt suis locis deinceps explicabitur.

Squillarum species. Lib. 4. de hist. animal. c. 1.

DE SQVILLA LATA, RONDELETIVS.

Bellonius hunc Versum Aristotelis facit, quod in fine sequentis capitis reprehendit Rondeletius.



SQVILLÆ quam hic proponimus cognomen latę damus, vt ab alijs distinguatur, nec id sine exemplo. Nam Archestratus (autore Athenæo) πλατείας καρίδας appellauit, quanquam locustas, astacos, caridas confudisse videatur: quæ tamen secernenda esse & specie differre ostendit Athenæus. Squilla lata nostris incognita est, & ob id ἀνώνυμος, & Liguribus orchetta nominatur. Si quis ob similem corporis speciem cum locustis potius quam cum squillis annumerandam censeat, vel hoc vno refelli poterit, quod locustis pedes vltimi in forfices terminantur, quos chelas vocant, quibus squillæ carent autore Aristotele.

A *Lib. 3. Lib. 4. de par. animal. c. 8.*

Squilla igitur lata locustarum est magnitudine, sed latior multo & magis depresso corpore & hirto, in fronte ossa duo, vtrinque vnicum, in ambitu serratum, in quibusdam acutius, in alijs latius. his pinnæ duę alligantur. inter hæc, duo enascuntur cornua, initio articulata, circa medium bifida, vt ex duobus quatuor fiant, tenuia, non valde longa. Os & oris appendices ita habent vt in locusta. Brachia duo habet cum aculeis, veluti clauis eminentibus, pedibus maiora non bifida quę in os flectuntur, qui bus cibum ori tanquam manibus admoueant. Hæc qui bisulca non esse videbant, pedibus annumerabant, vt quinque pedes esse dicerentur. Sed hoc squillis proprium est chelis carere, harum autem vice brachia maiora pedibus habere. Pedes vtrinq; quaterni sunt, vt in locustarum & cancrorum generibus. Oculi parum prominent, ob id conditi videntur. frons quadrata & latior quam in vllo crustatorum genere. Tumores multi per dorsum sparsi sunt, ex quibus extant tubercula, quorum summa pars adeo rubet vt carbunculos in annulorum pala inclusos esse dicas. Cauda tabellis quinq; constat, & in pinnas totidem desinit, in caudæ supina parte appendices sunt, ad oua reponenda quemadmodum in locusta.

B *Squillis proprium.*

De Aquatilibus.

Eodem modo coit & æstate parit, interinaque omnia similia habet. In cœnosis locis viuit, argumen-
to est quod sordida lutóque obsita è mari extrahitur, carne est molli vt astacus. Rara est apud nos, Mas-
culus aliquando capitur. In Africa frequentissima est, & maxima, quam si vidisset Apicius ille ὀψοφάγος,
qui squillarum pregrandium causa in Africam nauigârat, non tam cito ad suos redijsset: illic enim cõ-
spectis squillis paruis, execratus prouinciam ita regredi instituit, vt terrâm illam non attigerit. Sunt qui
de Archestrato id narrent.

A Explodenda est eorum sententia qui squillam latam quam depinximus vrsum esse credunt, cum vr-
sum videatur Aristoteles cum cancris numerare, vt suo loco dicemus.

Vrsum non es- se genres hoc squilla.

DE SQVILLA CÆLATA, SIVE CICADA ÆLIA-
ni, (siue Cammaro veterum,) Rondeletius.

Bellonius cicadam marinam vocat, non hanc, sed aliam squillæ speciem, quam Rondeletius infra nono nomine mantin.



A Qvam hic proponimus, nostri cicadam marinam vocant: alij cicadam marinam eam esse opinantur,
quam postea esse demonstrabimus. Eam de qua nunc agimus cicadam potiore ratione nominan-
dam esse censuimus, ob maiorem cum cicadis terrestribus similitudinem: squillam verò tum quod su-
pradictę similis sit tum quòd brachia priora indiuisa habeat, qua nota squillas à locustis & cancris se-
B cerni diximus: cælatam verò, vt ab alijs internoscatur. nam quinq; tabellis constat & dorso egregio
naturæ artificio variè cælaris & sculptis, vt in pictura expressimus. Squilla hæc tota rubet, ossa vtrinq;
habet in fronte, in ambitu serrata, acuta, veluti squilla lata: quibus annexæ sunt pinnæ, veluti alę. Cor-
nua duo habet, brachia duo indiuisa, quibus ori cibos admouet: pedes quaternos, circa os appendices,
internas partes, caudæ pinnas easdem quas locusta. magnitudine verò differt: nam dodrantalem magni
tudinem vix superat.

F Carnis substantia astaco similis est. Cicadæ marinæ neq, Aristoteles, neq; Plinius meminerunt in ijs
Lib. 13. c. 23. qui extant libris. Sed Ælianus his verbis. Est etiam cicadarum genus marinum, (Τέττιξ ἐναλιος) quarum
maxima parui carabi similitudinem speciemq; gerit. veruntamen cornua, non similiter atq; ille ma-
gna, nec aculeos habet: aspectu etiam nigrior est: & cum captus est, stridorem quendam ædere videtur.
Pinnæ ipsius exiguæ sub oculis enascuntur, terrenarum alis similes. Hominum pleriq; idcirco ab ea se
abstinent, quod sacram existiment. Seriphij in retia vel fortuito delapsam non sane retinent, sed mari
reddunt, atque etiam mortuam flentes & sordidati humatione afficiunt, quod eam dicant Perseo lo-
uis filio consecratam esse. Hanc squillę speciem esse puto, quam antiqui cammarum siue gammarum
Cammarus. vocauerunt autoribus Athenęo, Plinio, Columella. Ac primum cammarum ex genere squillarum esse
probauimus ex Athenęo capite de astaco. Deinde inter incrementi parui pisces eum recensuit Colu-
Satyr. 5. mella lib. 8. & Iuuenalis.

Si tibi dimidio conspectus cammarus ouo Ponitur.

Postremo color idem manifestius ostendere videtur, magis rubens in hoc quam in vllo alio crustato
siue crudus sit, siue coctus, quiq; colorem mulli maximè refert, cuius rei autorem habeo Martialem.

Immodicis tibi flamma tegunt chrysendeta mullis, Concolor in nostra cammare lance rubes.

DE SQVILLA CRANGONE, RONDELETIVS.

Κράγγονες Squillæ vocantur ab Aristotele lib. 4. de hist. anim. c. 2. & ab eodem nonnunquam squillæ
κράγγη dicitur: crangines Latine à Gaza dicuntur, ab Italis gambaro dimare: à nonnullis cammá-
rugiæ

rugiæ & parnochię: à nostris carramote, (*vt paruæ squillæ, Caramot.*) ab alijs longoustin, à Burdegalensib.
seruata vetere appellatione squilles.

Est hæc squilla palmi maioris longitudine. Crusta tenui contegitur, lęui, candida, nonnunquam ex B
albo parum rubescente: cocta verò tota rubescente, instar cornu pellucida. Habet è dorso enatum cor-
niu in fronte, serratum, sursum recuruum, illius denticulatæ asperitates in superiore & inferiore sunt
parte, non in lateribus veluti in astacis & squillis latis. Oculi cornei sunt satis prominentes, quibus
subiecta pars caua est cochlearis modo. Cornua quatuor habet, duo bene longa, tenuia, flexibiliaque,
his alia duo breuiora in summo diuisa. E lateribus veluti alæ exoriuntur paruç, albæ, radio siue aculeo
innixæ. Os & oris appendices cuiusmodi sunt in locusta & astaco. Pedes quinos habet, præter hos bra-
chia duo, qui in calcar terminantur, pedes terni, qui hęc sequuntur, parum diuisi sunt, bini & vltimi
10 indiuisi. Posterior pars pro reliqui corporis crassitudine & magnitudine longa, septem tabellis con-
stans, in pinnas quatuor desinit, è quarum medio extat aculeus latior quam in squilla gibba. Supinæ
caudæ appendicibus, coeundi pariendique modo, partibus internis è superioribus non differt.

Carne tenera est, dulci, bonique alimenti: satis nutrit, hecticis & atrophia laborantibus cibus vti- F
lissimus.

Squillam κράγγονα nos recte repræsentasse demonstrare oportet. Ac primum, cum crustatorum ani- *A Squillam crangonem verum se exhibere.*
mantium quatuor sint genera, (vt prius ex Aristotele ostendimus,) nulli potius quam squillarum ge-
neri subijci hinc perspicuum est. Ea enim quam exhibemus læuis est, locusta toto dorso aspera: chelas
ante pedes non habet vt astaci cauda est protensa, non rotundo corpore, & sine chelis, non est igitur ex
20 cancrorum genere. Quare squillam esse necesse est: non latam quidem, neq; cęlatam, vt corporis spe-
cies & læuitas sine vlla cælatura ostendunt: neque paruam quę maior nunquam fiat: nam ea longe mi-
nor est, quam paulo post exhibebimus: neque gibbam, quia gibbo caret. His omnibus accedit nota cer-
tissima ab Aristotele tradita qua squilla crango à similibus internoscatur: Καὶ ἡ μὲν ἀκανθὶς ἡ κυφὴ τελεύτα ἀφ' ἑκάστου
πλευρίου πέντε ἀκάνθους· ἔχει δὲ καὶ ἡ κραγγὴ πλευρίου ἑκάστου τρεῖς ἐν τῇ ὀρχῇ· τὸ δὲ μέσον αὐτῶν ἀκανθῶδες ἀμφοτέρως, πλὴν ἐν τῷ
μὲν πλατύ, ἡ δὲ κυφὴ ὀξύ. Squilla gibba caudam habet, & pinnas quatuor: totidem (*Totidem non est in Gra-
co*) & crangon in vtraque caudæ parte, quarum medium in vtrisque spinosum est siue aculeatum, sed in
crangone latum, in gibba acutum. Hęc nota in vtraque squilla, & crangone de qua nunc agimus, &
in gibba de qua mox euidentissima est: & verissimam esse comperiet, qui pictas à nobis squillas cum vi-
uis contulerit. Hæc sunt quæ fidem faciunt squillam crangonem recte nos ab alijs distinxisse.

DE SQVILLA GIBBA, RONDELETIVS.

A

(F)

Cognitis squillis latis, cælatis, crangonibus, facile est re-
liquas duas agnoscere. gibba enim, suo gibbo: & parua, sua
paruitate satis sese produnt. Κυφὴ (*κυφὴ cognomen seu esse entia, καελὶς vero nomen est,*) à Græcis, à Gaza gibba squilla recte voca-
tur à nostris caramot, ad discrimen crangonis quam caramo-
te appellant. A Santonibus de la sante, quod ægris plurimum
40 soleant apponere. à Parisiensibus cheuretes, à Rhotomagen-
sibus salecoques.

Gibbę squillæ crangonibus tenuiores sunt, maximæ in cauda extrema. in fronte cornu gestant vel- B
uti crangones, magnum pro corporis ratione. Oculos, alas, pedes, cornua, os, oris appendices, interna
omnia similia crangonibus habent, caudæ initium in tumorem erigitur, vnde illi nomen. ab hoc tumo-
re cauda tenuior & gracilior esse incipit. in pinnas quatuor desinit: harum medium acutius est, quam
in crangonibus, vt dictum est: qua nota, & gibbo à crangonibus squillæ distinguuntur. Hyeme præ- (F)
sertim capiuntur maxima copia in Santonum litoribus. Carne sunt dulci & tenera. Viuę colore sunt
fusco, minusque albo quàm crangones, coctæ rubescunt.

Deuorantur à reliquis piscibus, sed mortem suam grauiter vlciscuntur: cornu (frontis) enim elatum D
& sursum recuruum palato deuorantium infigunt, & sic necant, vnde squilla hac pro esca vtuntur pi-
50 scatores. Ab ea lupum interfici cecinit Oppianus: Squillæ, inquit, exiguę & imbecillę fortissimum ho- *Lib. 2. ἁλιε-
στικῶν.*
stem dolo perimunt, lupum sua voracitate insignem: nam cum neque fugere, neq; æquo Marte dimi-
care possint, deuoratę acuto frontis cornu medium palatum ita vulnerant, vt etiam si initio id negligat
lupus, tandem tamen moriatur.

Καρῖδες δ' ἀλίγκιαι μὲν ἰδεῖν, ἴσαι δὲ καὶ ἀλκὴν	Γύῃσι· κἠκαὶ δόλοισι καὶ ἀλκίμον ὤλεσεν ἰχθύν	*Hos versus Latine reperies in inferiori Squillæ gibbæ Bellonii.*
Ἀλλ' ἔρικα, σφετέρῃσιν ἐπαλκέα λαιφροσύῃσιν.	Οἱ μὲν δὲ σπεύδουσι, καὶ ἰθὺς ἴσασι λαβέσθαι	
Καρίδων· ταῖς δ' ἔστι φυγεῖν σθένος, οὐδὲ μάχεσθαι.	Οὐκύμορα δ' ὀλέκουσι, καὶ ὃν πέφνωσι φορῆας.	
Εὖτε δὲ ἀμφιχανόντες ἔσω μάρψωσιν ὀδόντων,	Αἶδε δαμα *Ἐρώσικοι, καὶ ἐς μεσάτιλα ἑτερρώλων	**Lippius interpres videtur legisse* Αἱ δ' ὅ' ἄμα. *vertit enim turmatim.*
Ὀξὺ κέρας χρίμπτουσι· τὸ, τέ σφισι τέλεται ἀκμὴς	Ἐγκεφαλῖδι, &c.	

60 Non negarim squillam crangonem cornu idem efficere posse, sed cum squillis paruis id tribuat Op-
pianus, de gibbis potius intelligendum censeo: nam quæ minimæ sunt, cornu carent.

Eam quam proposuimus squillam gibbam esse, conuincit tumor ille caudę initio, medius inter cau- *A Geminam squillam gibbam a se proponi.*
dæ pinnas aculeus acutior & angustior quam in crangone: magnitudo, qua paruas squillas superat, à
quibus etiam cornu frontis discernitur.

Elixantur gibbæ squillæ in aqua & ex aceto eduntur. Vel in sartagine friguntur. hecticis in cibo mi- F
rum in modum conferunt, & longe delicatiores salubrioresque sunt quam locustæ vel astaci. Non mi-
nus adferunt conuiuis ὄψου χάριν, καὶ ἡσυχίαν, καὶ ἡσυχίαν quam locustæ.

DE SQVILLA PARVA, RONDELETIVS.

Postrema squillæ species proprio nomine caret: ob id periphrasi vsus Aristoteles appellat squillarum τὸ μικρὸν γένος, rationem mox subiungens. αὗται γὰρ οὐ γίνονται μείζους, quia minores nũquam effici possunt. Sed hic animaduertendum est τὸ καρίδων μικρὸν γένος .i. squillam paruam, & τὸ καρίδιον lib.5.c.15.de hist.anim.non idem esse ac σκύλλαρον, quod etiam squillam paruam idem Gaza conuertit lib.4.c.4.de hist an. Quare cum trita sint quæ squillæ paruæ nomine interpretetur Gaza, τὸ τῶν καρίδων μικρὸν γένος, τὸ καρίδιον, τὸ σκύλλαρον, ex ea conuersione qui in Latino Aristot. magis versatus fuerit, facile in magnũ errorem induci posset. Nam σκύλλαρον non est ex squillarum genere: chelas enim habet astaci modo, qua de re fusius suo loco. Paruam squillam de qua hic loquimur, nostri ciuade vocant.



B Digiti est magnitudine: capite pro corpusculi magnitudine crasso & lato sine cornu, quo à gibba differt: alioqui cauda tenui, paruo gibbo, oris appendicib. caudæ pinnis, internis partib. gibbæ persimilis. punctis aliquot variatur. colore est dum viuit obscuro, cocta tota rubescit.

F Carne est ducissima, vt ob nimiam dulcedinem quibusdam fastidio sit: vix enim vllum aliud cibi genus dulcius hoc degustaueris. Cum crusta & pedib integra frigitur. sunt qui priusquam coquant, in sartagine perforata pedes vrunt, deinde in aqua & oleo elixant. Squillæ in aqua hordei lotæ, & in carnis iure coctæ hecticis maxime conueniunt. nam bene alunt, ad expurgandum pectus conferunt, multoque vtiliores sunt fluuiatilibus astacis, quibus medici plerique pro cancris fluuiatilibus vtuntur, cum tamen duriore sint carne & minus dulci. Si ęgris parentur squillæ de quibus nunc loquimur, crustis suis nudandæ sunt: si enim vna cum his edantur, flatus gignunt, veluti aphyę cum spinis comesę. Squillæ cum crustis elixæ in aqua & oleo iniecto pipere sopitam venerem stimulant: tum quia semen satis copiosum generant ob dulcem & bene nurientem substantiã, tum quia flatus gignunt. Si frigantur in sartagine flatus deponũt, quemadmodum frixa legumina: idem de gibbis & crangonibus sentiendum.

C Hyeme in stagnis marinis capiuntur, & in magnorũ fluuiorum ostijs: è mari etiam extrahi sępe vidi: ne quis ob carnis succum dulcissimum, in dulci aqua gigni tantum existimet.

DE SQVILLA QVÆ MANTIS DICITVR,

(*dici potest, à veteribus non memorata,*) Rondeletius.

Imago hæc Venetijs facta Mántin Rondeletii, minus accurate, quam ab ipso exhibita, repræsentat.

A Explicandum est hoc loco crustatum id quod μάντιν nominaui priusquam à squillis discedamus: nec ad vllum aliud quam ad squillarum genus referre possum, chelis enim caret, quibus à locusta & astaco distinguitur. aculeos in cauda habet, squillarum modo corporis specie squillis simili, longa, quo à cancris differt.

Nemo verò hanc squillæ speciem apud Aristotelem, Athenęum, Oppianum, Plinium requirat: ab ijs enim nullam huius mentionem fieri puto. Quemadmodum autem Latini à terrestris locustę similitudine marinam locustam nominauerunt, ita nos μάντιν à bestiolæ similitudine quæ est ex locustarum terrestribus genere. Eam bestiolam nostri preguedious, id est, precantem Deum appellant, quod semper manus (brachia vel pedes in istis animantibus magis propriè dicuntur) iunctas teneat eorum more qui supplices Deum deprecantur. Prætereà corpore est valde tenui & macilento, vt qui assiduis ieiunijs sese conficiunt & macerant. Eandem bestiolam diuinare vulgus ait: captam enim pueri nostri interrogant: qua sit Romam vel Compostellam ad D. Iacobum proficiscendum. ea perinde ac si intelligeret, altero brachio extento iter monstrat.

B Ab huius, inquam, bestiolę diuinantis similitudine squillæ speciem μάντιν nominauimus: nam vtraque corpore est longo, gracili, circa caudam latiore, brachia dno prima longa admodum. Sed marinam fusius describamus. Μάντις marinus crustis tenuibus, perspicuis, albis intectus est. Brachia duo prima longa habet, articulis intercepta, vt ad os flecti possint, chelarumq; vsum præstent, interiore in parte serrata quorum denticuli initio minores sunt, in summo ita magni, vt aculeis incuruis aptius quam serræ denticulis comparari possint. Cornua duo longa prominent, in quorum summo ramuli duo exoriuntur. sunt alia duo his minora ante oculos. Capitis figura cancellum ferè refert. Oculi perspicui sunt & lati, ad quorum radicem sitę sunt alæ duæ longæ, in ambitu hirtę. Vtrinq; pedes sex habet, terni primis brachijs proximi in tumorem paruum desinunt, lentis instar rotundum & depressum, à quo tumore aculeus paruus vncus enascitur: reliqui terni parui sunt & tenues, quarum extremum in appendiculas

diculas quasdam tenues terminatur. Quod caput sequitur & collum vocatur, tabellis decem constat inęqualibus, priores breuiores sunt, & strictiores: quo propiores sunt caudæ extremo, eo maiores & latiores fiunt. eadem aculeorum ratio, quibus singulæ tabellę munitæ sunt, in prioribus parui sunt aculei, in maioribus tabellis maiores & euidentiores. Cauda in os latum desinit, cuius ambitus multis riget aculeis, in ossis huius superiore parte maculę duæ spectantur oculis pictis similes. tres vtrinque pinnæ osseæ ex vltima tabella oriuntur. Supina caudæ parte appendices habet: & in ore, quemadmodum locusta & superiores squillæ. Eodem modo coit & parit. Toto corpore est pellucido. (C)

Carne est molli, dulci & delicata, bene nutriente, Venerem stimulante, si eo modo paretur quo squillę proximè descriptę. F

Quam μάντιν dicimus, nonnulli (*vt Bellonius*) cicadam marinam appellare malunt, sed quia squillæ cælatæ maior est cum cicada terrestri similitudo, eam cicadam nominauimus: hanc verò μάντιν, ob eas quas diximus causas. Si quis velit nimium ἐριστικὸς esse, appellet vt volet. satis est nobis squillæ speciem à veterib. non traditã exhibuisse. Nam autor libri de aquatilib. perperã depictã & à naturali alienissimã proposuit, multis scilicet omissis, multis additis temerè, vt ex collatione perspicuum cuiuis esse potest.

A. Squillam cælatam, potius esse cicadã mar. quam hoc loco propositam. Contra iconem Bellonii.

SEQVVNTVR SQVILLARVM DESCRIPTIONES EARVNDEM OMNIVM, CÆLATA TANTVM (VT RONDELETIVS NOMINAT,) EXCEPTA,

(*nisi eadem forte Vrsa minor Bellonii sit,*) *ex Bellonii libro.*

DE VRSA MAIORE ET MINORE; BELLONIVS.

Rondeletius aliam vrsam facit, hanc verò (maiorem) Squillarum generis esse ostendit, & latam cognominat.

VRSA, Græcis ἄρκτος, asperis saxosisq; locis prouenit: ac locustarum modo forcipibus caret, eademque est cum locustis magnitudine. Vulgus Siculum ac Neapolitanum Massacaram nominat. Terrestris Vrsi in morem crasso ac recurto est corpore, eiusq; colorem habet, vnde illi nomen. A B

Proinde tabellis firmis fortibusque loricata est, vt locusta terrestris, cubitalisq; nonnunquam est: antennas ad prętentandum iter non habet longas, sed coloris cærulei, bifidas, atq; vtrinq; in lateribus ante oculos duas, cornuum seu cirrhorum munere fungentes. Tota eius anterior pars vnico constat thorace, vulgus plastronum vocat. Quinos vtrinq; pedes gerit, vnguibus robustis ac nigris munitos: falcatas tibias, articulationibus quinis interseptas. Os prætereà subtus habet, vt cæterum Locustarium & Cancrarium genus. B

Minor autem Arctos per omnia maiori respondet. Ligures Vrsetam appellant: crassiore est quam Sparnochius (*Squilla crangon*) corpore, & forcipibus vt Vrsa caret. Prætenturis quoq; bifidis prædita est, & rostratum caput gerit. Cæterum est corpore robusto & recurto: omnes denique notas cum maiore communes ostendit. Sed hic maioris tantum Vrsæ iconem apposui. *Hac an eadem sit Squilla cælata Rondeletii, quærendum.*

DE SQVILLA PARVA MARINA, GIBBA COGNOmine, Bellonius.

Locustarij generis sunt Squillę: quarum etsi multæ reperiantur species, minores tamen gibbæ, vulgari nomine minime carent. Caridas Gręcum vulgus & Carinidia vocat: (*Astacus fluuiatilis etiam vt alibi scribit Bellonius, à vulgo Græco Caranis vel Caravidia dicitur.*) Romani à Gambis, id est, tibijs, Gambarellas, quod ijs multiplicibus constent. Armorici des Saulterelles: saliunt enim locustarum more. Massilienses vulgo vetustatis vestigia nonnihil retinentes, Carambotos vocant, deducto à Caride nomine. Qui verò Galli litus Oceani incolunt, etiam à saltatione nominant Cheurettes, quasi capreolas dicant. Parisienses corrupte des Gueruettes. Rothomagenses Salicoquas vel Salcoquas nominãt: quarum quę vaginis adhuc inclusæ sunt, Bouquettæ: ijs autem exutę, des Creuettes appellãtur. Veneti vulgo Squillas appellant: quarum frontispicia rostris acutissimis prædita sunt. A

De his autem sic Oppianus: *Sunt Squillæ exiguæ: sunt paruo in corpore vires:*

*At magnum & saturo præclarum labraca * ventre* — *Interimunt astu: properat, gestitq; teneri*
Labrax pisciculos, (squillas) qui paruo robore possunt — *Non dare terga fugæ, non æquo occurrere Marte.*
Occisæ occidunt hostem, perimuntque necantem, — *Cum Squillæ rictu piscis sorbentur aperto,*
Turmatim in medium descendit turma palatum, — *Et feriunt cornu, quod fronte insurgit acuto.*

D *Hos versus Rondeletius in squilla gibba Græce recitat.*

** Græci in labrace secundam semper producunt.*

Senos ante frontem gerit valde tenues cirrhos, quibus Dioscorides aconiti radices in fibras minutas abeuntes comparauit: Caudam contractam, in cuius extremo pinnę sunt (vt in cæteris Locustis) quinæ: quarum quæ medio loco posita est, serratam, spinosam, duram, atq; in acutum fastigiatam formam habet. quamobrem quaternas tantum illi connumerauisse pinnas (vt in Crangone dicetur) satis fuerit. Non sunt audiendi qui Squillarum pedes forcipibus carere putant, (*Squillis proprium chelis carere, Rondeletius.*) B

Oua pariunt ac procreant vt Locustę. sunt enim illius interanea persimilia. C

DE SQVILLA FLVVIATILI PARVA, BELLONIVS.

Rondeletius simpliciter paruam nominat, & in mari etiam reperiri scribit.

Squilla fluuiatilis, sola magnitudine à marina discrepare videtur. Squillarum genere (inquit Arist.) continentur gibbæ, Crangines & paruæ, quæ maiores nunquam effici possunt. Quibus verbis ego hãc fluuiatilem, paruam appellari puto: Quemadmodum enim Vrsa parua (quæ Vrseta dicitur) cum maiori conuenit, vel Cancer marinus cum fluuiatili: sic fluuiatilis Squilla cum marina etiam conferri potest. Flumina nostra huiusmodi delicias non alunt. Romani eam in venereis epulis singularem habent, quamobrem lautiores mensas honorare solet. B F

A Gambarellam vulgo vocant, quam & Gambarozolam nonnulli malunt appellare: nomine fortasse à Gambaro (quæ nostra est Scarauissa) detorto.

B Mos est eas viuas asseruare, tuncque subfuluæ spectantur: nam coctæ ruffescunt.

C Longissimo à mari interuallo proueniunt: quod argumentum est eas originem à mari minime traxisse.

B Squillis marinis multo minores sunt: Tibiolas vtrinq; quaternas, tenues, oblongas habent, in extremo forpicatas: Cirrhos anteriori parte quaternos, oblongos, tenui filo graciliores, quib. iter quoquo versum prętendant, Latini prætenturas & antennas vocant. Pedes cum vtrinque quaternos habeant, duos tamen priores parte anteriore exporrigunt: quibus non ad gressum quidem, sed magis ad corripiendum cibum vtuntur. Nam tribus posterioribus tantum incedunt. Pinnulis autem pluribus sub cauda positis in natatu vtuntur: quarum quinq; in eius extremo transuersæ, earum corpus dirigũt. Harum autem media dura est, & gibbæ in modum ad oras crenata, vt reuera pinna dici non possit.

DE ALIA SQVILLA, (QVÆ CRANGON A *Rondeletio existimatur,*) *Bellonius.*

A Est aliud Squillæ genus, gibba multo maius, vulgari piscatorum Romanorum nomine Parno chia dicta. Sunt qui Camerugiam & Sparnochiam vocent.

B Insignibus notis à gibba differt. Nam vbi in gibbis multiplices cirrhi spectantur (anteriori præcipue parte) pedesq; omnes in extremo bisulci, Sparnochiæ duo oblongi tantum cirrhi prominent, & vngues acuminatos more Locustæ habet. Marina, pollicis crassitudinem æquat, semipedem longa est, tibiis quam gibba minoribus. Pinnulas multas vt Squilla sub cauda ad natandum habet, & eodem modo quaternas in extrema parte caudæ: quarum ea quæ in medio sita est, si pinna esset, faceret vt quinq; pinnæ, vt in Astacis & Carabis, numerarentur: sed spinea duritie prædita cernitur, ac crenis horridula est. Anteriori autem frontis parte quatuor cornua æquali fere longitudine videas. In quibusdam verò locis adeo magnæ nascuntur Squillæ, vt prope spithamen, hoc est, palmum excedant: quæ quidem sunt

(F) alijs efficaciores. Crustatorum omnium sapidiores sunt. Has suspicor Aristotelem κράγγονας, Theo-

A dorum Crangines vocasse. Sunt enim Crangones, Caridum siue Squillarum genus idem cum Romanis Parnochijs.

DE CICADA MARINA, BELLONIVS.

Rondeletius hanc Squillam mantin appellat, Cicadam vero aliam facit.

A Est & Cicada Locustarij generis. Nam & caudam habet, & crusta integitur, Massilienses Cigale de mar, Romani & Genuenses Cicadam marinam vocant. Quæ autem Venetiis cicadę nomine diuenditur, ea quidem adulterina est.

B Tenuis est huius crusta: cruda ita albicat, vt ferè transpareat. vna cum pisciculis marinis sæpe suo cortice contecta extrahitur, & simul cum Carpionatis, Bocis, Mænis & Trachuris, canistris inseritur. Natura incredibili fere artificio Cicadæ oblongum corpus decem tabellis affabre articulatis loricauit quarum prima quæ caudam extremam conficit, pinnas in lateribus expandit. Cauda porro duabus maculis phœniceis subrubris insignita est, quæ duorum oculorum speciem præ se ferunt, estq; aculeata & crenata. Prima tabella à cauda incipiens versus secundam, tertiam, quartam, quintam & sextam, pinnulis fimbriatis multiplicibus subtus munita est: quibus dum in mari natat, aquam percutit & corpus incitat. Tres tabellæ, quæ sex prædictas subsequuntur, ternis vtrinque pedibus communitæ sunt. ad ceruicis autem initium duo brachia maiora oriuntur, quibus cibum apprehensum ori suggerit: sed ea aliter quam cancris vel locustis forcipantur. sunt enim in longum exporrecta, atque in extremo grā-

(E) dioribus crenis suffulta. quibus quum cibum corripit, ex vno brachio ad aliam brachij articulationem transfert. Horum autem extrema velut in duritiem osseam abeunt, dentiscalpijs conficiendis ob id ex-

(C) petita. Pars huius piscis quæ capiti contigua est, in exile quiddam terminatur, & contra quam cauda se in latum diffundit. Extra aquam prorsus immobilis & imbecillis est. Aculeum vnum habet vtrinque ori prefixum vt phalangium & scolopendra, quo mordicus cibum à pedibus suggestum cõtinet, quem postea dentibus conficiat, & in stomachum detrudat. Dentes illi natura in oris lateribus protulit, vnico vtrinque ossi crenato, V literæ formam referente infixos. Cuius anterioris partis officium est ea incidere quę mandit: posterioris vero quę crenas habet, conterere: Nam idem os, duos habet dentium ordines. Prætenturas duas in fronte breues, vrsinis similes ostendit, trifariam in extremo diffissas: ac rursus duas alias in lateribus, prędictis breuiores. Oculos habet virides, exertos, quos non alueo vt Cancrarium vel locustarium genus condit: sed ante hos pinnulas exporrigit eis similes, quas in cauda gerit: ex quo multi decepti, caudam caput esse crediderunt. Strias rectas in tergore atq; in capitis tabella ductas profert. Pisce dissecto, dentes fortibus musculis moueri conspicientur, cerebrumq; adeo esse exi-

A guum, vt vix ordei grani magnitudinem æquet, optici tamen ad oculos perduci apparent.

Speusippus (vt opinor) nympham vocauit Cicadam. Nam Astacum, Carabum, Cancrum, Pagurum, Nympham, & Arcton similes esse dixit. Quanquam autem Cicadæ vt plurimum suo nomine à pisca-

F toribus Romanis vocentur, tamen in earum applicatione Parnochijs abutuntur. Etenim Parnochię Cicadis sapidiores sunt, cariusq; diuenduntur.

COROLLARIVM I. DE SQVILLIS IN GENERE.

A Quæ de Squillis hic adferemus, ea vel communiter pertinent ad Squillarum genus, quo species aliquot continentur: vel absolutè à veteribus prolata, si ad speciem vnam priuatim forte pertinent, ad quam maxime referri debeant dubitari potest. Gibbę quidem cognominatæ præ cæteris squillarum nomine simpliciter interdũ intelligi mihi videtur. nã & magnitudine fere mediocres sũt inter maiores mino-

resque: & Venetijs hodieque simpliciter Squillæ dicuntur: & à Græcis hodie carides. Veneti Squillas quasdam vocant paruis gammaris similes: sed rectè nec ne, alijs iudicandum relinquo. easdem nostræ ætatis Græci etiam nunc caridas vocant, Gillius. sentit autem de gibbis, quas Veneti vulgò Squillas vocant, Græcis carides & caramidia, Bellonio teste: quarum color nigricat. Vide infrà quoque in Corollario de Squilla gibba. Cæsar Scaliger tamen Squillam minimam ab Adriaticis generis nomine vocari scribit. Oppianus etiam luporum piscium à squillis interitum decantans: non alias quàm gibbas intellexit, vt Rondeletio placet. Ea etiam quæ circa alimentum de squillis medici veteres tradunt, de gibbis potissimum accipienda puto.

Κουρίδες, καρίδες, Hesychius. Colybdænę nomine Epicharmus (vt Nicander vult) pudendum marinum intelligit: vel (vel vt Heraclides in Opsartytico) squillam, Athenæus. Vide suprà in Corollario de Pudendo.

Squillæ nomen Veneti, vt diximus, gibbæ simpliciter attribuunt: Burdegalenses verò crangæ, Cammarum Romani olim speciem vnam squillarum appellabant, coloris rubri: posteriores ad multas crustatorum locustarij generis species id nomen transtulerunt. nam & astacum fluuiatilem sic nominant Itali, Cammarum scilicet vel potius gammarum, gambarum, gammarellam: & Squillam gibbam Massilienses carambotum, Romani Gambarellam: & similiter paruam fluuiatilem, vt Bellonius scribit: quam alij Gambarozolam: Galli prouinciales Caramot: vt crangonem ijdem caramote. quam Itali Gambaro di mare, vel Cammarugiam appellant. Germanicè Squillas omnes *Meerkrebslen* rectè appellabimus, siue simpliciter: siue cum differentia, *sunder schaeren*, id est, sine forcipibus. Inferiores Germani, vt Frisij & Hollandi, Squillæ speciem quandam paruam, vocant *Garnart*, *Gernart*, (*Gornard* verò piscis est è genere τῶν λυροειδῶν) *Germer*, *Garnole*: gibbam, vt puto: quam Bellonius Lutetiæ Gueruette vocari ait: pro quo fortè scribendum Guernette, vt a Germanis sumptum sit id nomen, non corruptũ à Gallico Cheurette, vt ipse putat. Licebit autem hoc etiam vnius speciei nomine (à gammaro, vt suspicor, corrupto) abuti pro genere, adiectis differentijs. Eliota Anglus Squillā interpretatur *à Shrympe*: ego ab Anglis accepi *à Schrimpe* speciem esse squillæ vel cammari maiorem: & aliam minorem, quam vocant *a Pran*: aut fortè contra. non enim satis memini.

Squillarum generis diuisio, ex Cæsaris Scaligeri libro de Subtilitate.

Squillarum aliæ sunt
- Maiores
  - Vrsa, magnitudine astaci.
  - Crange: magnitudine tantum à superiore differens, & lineamentis quibusdam, quibus tessellatæ lamellæ pictæ sunt. (Hæc puto Rondeletij Squilla cælata est. nam aliam fecit crangen.)
- Minores, gibbæ omnes, vix alio quàm magnitudine differentes: locustæ similiores, si frontis spectes cuspidem. quàm supradictis squillis. Omnib. pinnata cauda pinnis latis, dempta media acuta.

  Ex his.
  1. Maxima est in Oceano Gallico, (circa Vasconiam. Crangon puto Rondeletij.)
  2. Minima, Vasconib. ciuada: è Garumna excipitur canistris. hæc etiam in mari agitat, nec rubescit cocta. ab Adriaticis generis nomine dicitur.
  3. Mediæ magnitudinis gambarellus appellatus ab Istris. (Simpliciter gibba alijs.)

  Itali quidam, etiam minimam gambarellum vocant.
- Præter has est Squilla mantis Rondeletij: Item καρίδιον, id est Squillula, conchas quasdam inhabitare solita: de qua inter Cancellos diximus.

In quibusdam locis squillæ adeò magnæ nascuntur, vt propè spithamam, hoc est, palmum excedant, Symeon Sethi. Squillę à cancrario genere differunt eo quòd caudam habeant: ab crustario verò quod forcipe careant: idque, quoniam plures habeant pedes. eo nanque redundantia illa absumitur. pedes autem obtinent plures: quod nõ magis ad nandum, quàm ad ingrediendum sint suapte natura propensiores, Arist. de partib. 4. 8. interprete Gaza. Græca sic sonant. Αἱ δὲ καρίδες, τῶν μὲν καρκινοειδῶν διαφέρουσι τῷ ἔχειν κέρκον: Τῶν δὲ καραβοειδῶν, διὰ τὸ μὴ ἔχειν χηλάς: ἃς οὐκ ἔχουσι διὰ τὸ πλείους ἔχειν πόδας. ἐνταῦθα γὰρ ἡ ἐκεῖθεν ἀνήλωται αὔξησις. πλείους δ' ἔχουσι πόδας, ὅτι νευστικώτεραί εἰσιν ἢ πορευτικώτεραι. In his verbis Gazæ translatio pro καραβοειδεῖς specie, non rectè habet crustarios, quod genus est: librariorum nimirum lapsu. nam ipse Gaza alibi (vt eiusdem libri de partibus anim. quarti, cap. 5.) καραβοειδεῖς locustaceos vertit. quod tamen hoc in loco non conueniret, cum locustæ etiam forcipibus careant. quamobrem Latinè astacarios nomen fingamus licet. Deinde hæc verba ὅτι νευστικώτεραί εἰσιν ἢ πορευτικώτεραι, inuersa esse apparent, legendumque: ὅτι πορευτικώτεραί εἰσιν ἢ νευστικώτεραι. idcirco enim (inquit) plures pedes habent squillæ, quoniã ad incedendum magis quàm natandum comparatæ sunt. hoc & res ipsa indicat, & versio Gazæ: & Michaelis Ephesij in Scolijs verba hæc: Τὰ δὲ λέγει ἔχειν πολλοὺς πόδας διὰ τὸ μᾶλλον (*lege* ἧττον, *vel* οὐ μᾶλλον, *vt & Gaza vertit, & ex sequentibus apparet*) νευστικὰ εἶναι ἢ πορευτικά. εἰ μὲν γὰρ ἦσαν μᾶλλον νευστικώτεραι, εἶχεν ἂν ὀλίγους πόδας. ἐπεὶ δὲ μᾶλλόν εἰσι πορευτικά, ἔχουσι πολλοὺς πόδας.

B Squillis proprium est chelis carere. harum autem vice brachia maiora pedibus habere, Rondelet. Non sunt audiendi qui squillarum pedes forcipibus carere putant: Bellonius, Aristoteli in hoc contrarius. conciliari autem fortè potest, si Aristotelem dicamus chelas propriè dictas, quales astaci ante cæteros pedes habent, squillis negare: Bel. verò pedes forcipatos simpliciter eis attribuere, non quod maiores dictas anterius tantum chelas habeant. Indicæ squillæ in Gange fluuio, forcipes maximas habent Æliano. Squillæ nigrescunt vêre, postea albedinem suam recipiunt, Aristot. Squillis è summo capite cornu acutum prominet, Oppianus. Ælianus aculeum eis esse dicit acutissimo triremis rostro similem, & secturas serræ modo habere. Rondeletius Oppiani verba de squillis hoc suo aculeo lupos

pisces interimentibus, interpretatur peculiariter de gibbis. nam quæ minimæ sunt (inquit) cornu carent. Crusta fragili inclusis oculi rigent; locustis squillisque magna ex parte sub eodem munimento præduri eminent, Plinius. Intestinum squillis, sicuti & locustis & astacis, rectà in caudam finit, quà excrementa emittunt, & oua pariunt, Wottonus (ex Aristotele.) Squillas etiam ouum, clauiculasque, similem in modum (vt locustæ) habere certum est. Maribus sane præ fœminis propria in pectoris carne bina quædam candicantia constant, discreta à cæteris partibus colore, formaque promuscidi sepiarum proxima: verum hæc torta in vertiginem more buccinorum papaueris, quorum origo ab acetabulis, quę subdita pedibus nouissimis ordinantur. Caro in ijs quoque est colore sanguinis rubra, & tactu lento, nec similis carni. ab hoc, pectori anfractus alter strue buccinea, crassitudine lineæ sese porrigit: sub quo duo quædam arenæ conditioni similia, semini genitali accomodata, intestino adnectuntur. hæc in mare. Fœmina autem ouum rubidum parit, membranaque obuolutum prætenui, ventri laterique vtrique intestini annexum, atque ad carnem vsque adhærens, Arist. histo. 4. 2. Niphus quidem hæc omnia de squillis accipit: an rectè, considerent quibus ocium maius, & res præsentes inspiciendi facultas non deest. Scaliger crustatorum genera duo summa faciens caudatū & rotundum, hoc (inquit) cancrum vocant Latini, Græci καρκίνον: illud à vulgo gammarus nominatur. Et mox: Sanè à squilla parua gammarus parum differt, si minus accuratè consideres. Diligentius intuenti recognoscetur gammari rostrata facies, squillæ mutila. gammaro pedes duo priores, quibus pro manibus vtitur, forcipati: squillæ, vniformes. Squillæ lamellæ latiores: ipsa tota compressior. Hæc ille, de squillis quidem paruis, nimirum quòd eæ gammaro (quo nomine in hac comparatione astacum fl. præcipuè intelligere videtur,) magnitudine etiam similiores sint, quæ tamen squillis omnibus aut plerisque conuenire videntur.

C Squillarum aliæ in paludibus (maris) degunt: aliæ ex algis victitant, tertiæ saxatiles sunt, Ælianus de animal. 1. 30. Oppiano etiam lib. 1. squillæ circa saxa stabulantur. Squillæ, vt crustata omnia, senectutem exuunt, Athen. ex Theophrasto, & Ælianus. Locustæ, squillæ & cancri ore coëunt, Plin.

D Phycides quanquam cætera abstinent carne, tamen squillas sæpenumero appetunt, Aristot. Squillæ lupum piscem à quo deuorantur, interimunt: qua de re Æliani ac Oppiani verba retuli in Lupo D. quanquam autem Ælianus simpliciter squillas, Oppianus paruas, id facere dicit: Rondeletius tamen de gibbis cognominatis interpretatur. nam quæ minimæ sunt cornu frontis, (quo Lupi palatum configant,) nullum habent.

E Squillis inescandis: Vitulinum fel cum farina, oleo & aqua misce, & placentulas facito: quib. tandem in escam vteris. ex eodem etiam pharmaco mandens, inspuito in aquam, piscibusque frueris, Tarentinus. Lupus piscis inescatur per squillam pinguem Oppian. lib. 3. Merula quoq; piscis squilla viuente esca decipitur, vt Oppian. lib. 4. & Ælian. tradunt. vide suprà in Merula E. Squillas marinas aliqui admiscent escæ ad mugiles capiendos. Si marini & saxatiles pisces in piscinis alantur, in cibum eis inijcere oportet carides, gobios, & similia, Florentinus.

F Aspice quàm longo distendat pectore lancem Quæ fertur domino squilla, & quibus vndiq; septa Asparagis, qua despiciat conuiuia cauda, Iuuenalis Sat. 5. Iouius quidem hos versus citans: Ego putauerim (inquit) Iuuenalem crustaceorum nomina confudisse: voluisseque intelligere pro squilla locustam aut leonem, qui dominis apponi consueuerint, &c. Cuius ego sententiam non approbo. Squillæ enim in delicijs, præferuntur in crustatis cęteris plerisque omnibus puto. locustis quidem & astacis Rondeletio teste, & salubriores habentur, & longe delicatiores. Et Apicium propter carides (id est squillas) magnas in Africam nauigasse Græci etiam tradunt. Lege infrà in H. f. Et Archestratus circa Iasum Cariæ squillam ὑπερμεγέθη, id est prægrandem reperiri tradit. Affertur squillas inter murænam natanteis, Horat. Serm. 2. 8. P. Gallonij gula in squilla & acipensere decumano notatur in Satyris Lucilij cuius versus in Acipensere F. recitaui.

Squillas conuenire stomachicis, legitur apud Galenum de compos. sec. loc. 8. 4. ex Archigene. Celerrimè & vniuersim maximè vinum alit: tardius autem paulatim caro bubula, & cochleæ, squillę, cammari atque locustę: & (vt summatim comprehendam) quæcunque dura carne constant, eandem cum his naturam habent, Gal. in Aphorismos 2. 18. Idem lib. 3 de alim. cap. 34. cum cæteris crustatis carides & cammaros numerans, quod ad communem alimenti ex eis rationem, discrimen nullum indicat. Squillæ alicuius sunt caliditatis & humiditatis participes. difficulter concoquuntur, stomacho nocent, & Veneris desiderium mouent, Symeon Sethi. Locustę, cancri, squillę & similia, difficilè quidem concoquuntur, multo tamen facilius cæteris piscibus. assari autem potius quam elixari debent, Mnesitheus. Vide suprà in Cancris in genere F. Ex his quæ testa integuntur, squilla omnium minimè noxia existit, Aetius in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus. Eadem à Tralliano etiam commendatur in colico affectu. Apud Athenæum alicubi κηρὶς ἀκολιος legitur: malim καρὶς: quanquam & ceridem piscem esse scio, sed sicciorem puto, & aluo mouendæ minus aptam. Isicia de cammaris & astacis describit Apicius artis coquinariæ 2. 1. vt recitauimus in Astaco F. Et rursus isicia de squillis, vel de cammaris amplis. Τῶν καλῶν δ' ἄριστον καρὶς ἐκ συκέας φύλλου, ἡδύ γ' ἐσθίειν χειμερὶς φθινοπωρισμῷ κρέας, Ananeus (al' Æanius) apud Athenæum.

G Caris marina (id est, gammarus, inquit Cremonensis interpres) circunligata scorpionis ictum sanat, quod si superscrib. percusso loco, Caris, citiùs tollitur dolor. Si quis verò sculpserit carida in lapide achate, & gesserit in annulo, nunquam percutietur à scorpio, Kiranides 3.10. Squillas aiunt tritas, & ei particulę impositas, in qua cuspis sagittæ vel spinæ infixa sit, naturali quadam attrahendi vi eam educere. in quibusdam locis tantæ nascuntur, vt prope spithamam, hoc est, palmum, excedant: quæ quidem sunt alijs (ad remedia) efficaciores, Symeon Sethi. Squilla (καρὶς: alias κανθαρὶς, quod non placet) trita, & cum bryonię radice pota, lumbricos educit, Gal. ad Pisonem & Ægineta lib. 7. similiter. Squillæ tritę & cum oxymelite potę lumbricos & tineas eijciunt, Sethi. Peculiari quadam proprietate ad mulierum conceptus efficaces sunt. Idem. Græce legitur: Συνεργοῦσι δὲ τινι ἰδιότητι πρὸς τὴν τῶν γυναικῶν κύησιν. Ad generationem valet piscis qui squilla vocatur, quod mihi quandoq; successit, oportet autem remota esse impedimenta, & purgatum etiam corpus, & vterum, Cardanus.

Scylla nominatur à Plinio libro 32. in Catalogo Aquatilium: vbi ego squillam legere malim, quæ Græcè καρὶς dicitur: nisi reuera Plinius Scyllam monstrum aliquod marinum esse senserit, cum Phorcum quoque deum marinum in eodem Catalogo nominet. Sed de Scylla monstro plura scripsi suprà, suo loco & ordine alphabetico. Scyllarus quidem ab Aristotele dictum animal crustatum, squillarum generis non est. chelas enim habet astaci modo, Rondeletius. eum in historiam cancellorum exhibuimus pictum, pinnophylax siue pinnoteres, rotundo est corpore: scyllarus oblongo, &c. Rondeletius quidem in Squillæ paruæ mentione scribit σκύλλαρον generè neutro: mihi masculino gen. proferendum videtur. Τοῦτον δὲ καλοῦσι σκύλλαρον, Aristoteles historiæ 4. 4. Wottonus cum pinnophylace & caridio confundit, & primam non rectè per iota scribit: & diminutiua forma etiam scillarion profert: quod quidem si reperiatur, in hac forma generis neutri esse necesse est. Rondeletius tria hæc, σκύλλαρον, καρίδιον, & τὸ τῶν καρίδων μικρὸν γένος in capite de Squilla parua distinguit, Gaza in Aristotelis librorum interpretatione confundit, similiter pro omnibus squillam paruam interpretatus. Videtur autem Rondeletius καρίδιον illud tantum paruæ squillæ genus appellare, quod in pinnis aliquando reperitur, ex Aristotele: vt monet in capite de Cancello. Squillam verò paruam, τὸ τῶν καρίδων μικρὸν γένος, quod per se extra pinnas agitat, & sui generis est. denique scyllarum ab vtroque diuersum. Pinnophylacem quidē siue cancellum, siue squillam paruam cum ipsa pinna connasci arbitrantur aliqui. Nec mirum si καρίδιον & καρὶς μικρὰ differant, cum καρκίνιον etiam & καρκίνος μικρὸς à Rondeletio scitè distinguantur. Pinnophylax est squilla parua, alibi cancer (*paruus*) dapis assectator, Plinius: quem & Gaza secutus videtur, dum caridion squillam paruam vertit. Quòd si καρίδιον sui est generis, diminutiuum aliud à caride vsurpemus licet, nempe καριδάριον, quo Anaxandrides quoque apud Athenæum vtitur: apud Aristotelem tamen Historiæ 5. 7. καρίδια κυφὰ leguntur.

H. a. *Scylla.* *Scyllarus.* *Καρίδιον.* *Καριδάριον.*

Scarus piscis, vt & scaris, (Σκάρος, ὡς ἡ σκαρὶς) à verbo σκαίρειν (quod est salire, saltare) dictus est: Athenæus & Eustathius. Fuerint autem fortè eiusdem piscis nomina scarus & scaris, sicut perca & percis: nisi potius legendum sit καρὶς, id est squilla: nam ea quoque à verbo σκαίρειν sic dicta, s. initiali abiecto, videtur, teste Varino. id quod magis placet, quàm vt scaridem quoque piscem faciamus, cum id nomen apud authores non extet. Aut καρὶς dicitur à κάρα, quod est caput. squilla enim tota ferè capite constat, Varinus. Squillæ nomen à magnitudine capitis indiderunt Græci, Eustathius. Idem in Iliados alpha inter exempla ἀναγραμματισμοῦ (vbi nomina vel diuersas vel easdem res significantia, literis transpositis conueniunt, vt χλόη, χολή: ἄρ, ῥα) καρίδα quoque & ἀκρίδα ponit. & sanè conuenit ei cum locusta, quod similiter saliat. *Etymologia.*

Hoc notandum primam huius nominis καρὶς semper produci, vt apparet in carminibus Oppiani & Archestrati, & multis ab Athenæo citatis versibus: nec immeritò, cum κηρὶς etiam à Sophrona & Epicharmo dicatur: item κωρὶς ab eodem Epicharmo & Simonide. Ἴδε καλᾶν κηρίδων, ἴδε καμμάρων, ἴδε φίλα, θᾶσαι μάν, ὡς ἐρυθραί τ' ἐντί, καὶ λείως τριχιῶσαι, Sophron. Κυρταὶ δ' ὁμοῦ καρῖδες ἐν ξηρῷ πέδῳ, Eubulus. Ὠρχοῦντο δ' ὡς καρῖδες ἀνθράκων ἔπι, Idem. Καρῖδες ἐξήλλοντο δελφῖνος δίκην, Araros Campylione. Καρῖδα καθῆκα κάτω, χανέασα, αὖθις, Eubulus. Ἐρυθρότερον καρῖδος ὀπτῆς (alias ὀπτῶν) σ' ἀποφανῶ, Anaxandrides. Vltima verò recti, quæ iota habet, quod in obliquis penultimam constituit, plerunque quidem producitur, vt ex iam citatis versibus apparet: aliquando tamen corripitur, per analogiam: à κάρη enim καρὶς fit, vt à βολὴ βολὶς, à γραφὴ γραφίς. Ἀκρὶς quidem vltimam semper corrit. ῥαφανῖδες penultima producta Attice à Cratino efferuntur, ab Eupolide correpta, vt Athenæus tradit. Nomina alioqui oxytona in ις (bissyllaba) quæ penultimam natura longam habent, iôta producere solent, vt κρηπὶς, ψηφὶς, σφραγὶς (σφραγίς,) Eustathius & Athenæus. Atqui τελθὶς cum in recto tum in obliquis iota corripit, Oppiano, Nicandro, alijs. Σμαρίδες, φυκίδες, τριγλίδες, ῥαφίδες. φολίδες, χαλκίδες, ἰουλίδες, iota corripiunt Oppiano: μαινῖδες, ἀφύδες, πλοκαμῖδες, κρηπῖδες, ὠδῖνες, producunt. Oxytona sane per ινος inflexa, omnia producunt, vt ὠδίς, δελφίς, ἀκτίς. Sed hæc diligentius discutienda relinquamus grammaticis. Redeo ad καρίδας: quod nomen etsi frequentius (vt indicauimus) iota producat apud poetas, in soluta oratione tamen (vt in Aristotelis & Athenæi libris) eam vocalem acui reperias, cum producta circunflecti deberet, genitiuo tantum plurali excepto. Solius Eupolidis testimonium, qui corripuit, Athenæus profert. *Prosodia & orthographia vocabuli καρὶς & similiū.*

------ πλὴν ἅπαξ ποτ' ἐν Φαίακι ἔφαγον καρίδας. Et aliud eiusdem:
Ἔχων τὸ πρόσωπον καρίδος μαθηλητίνης.

Squilla etiam Latinis genus bulbi medicis vsitati, qui Græcè σκίλλη dicitur. *Herba.*

Καρῖδες ὀλίγαι, Oppiano. Καλαί, ἐρυθραί, καὶ λείως τριχιῶσαι, Sophroni. Φοινίκιαι. Epicharmo. Καμπύλαι, Eidem & Araroti. Κυφαί, κυρταί, Eubulo. Ex his quædam si non omnibus, plerisque tamen squillarum generibus, conuenient. Eadem Latinè sic reddi possunt: Squillæ paruæ, formosæ, rubræ, leuiter hirsutæ, (nimirum propter multitudinem pedum, qui tamen vt in alijs quibusdā testaceis asperi non sunt,) punicæ, curuæ, gibbæ. *Epitheta.*

Καρίδες ab Hierocle in Hippiatricis Græcis, cap. 80. nominantur abscessus quidam, Rueilius squillares furunculos interpretatur. Et quoniam squillæ, præsertim duæ aut tres earum species minores, gibbo in seque recuruo corpore sunt, factum ab eis verbum καριδοῦν, curuare & veluti conglobare significat. ἐκ τοῦ καρίδος χρησὸν ἐστι τὸ καριδοῦν, ἤγουν ὡς εἰπεῖν σφαιροῦν, Eustathius. Αὕτη δὲ καριδοῖ τὸ σῶμα: καμπύλη ἀγκυρά τ' ἐστὶν ἄντικρυς τοῦ σώματος, Anaxandrides apud Athenæum.

Squillam marinam si quis sculptam in achate, gestarit in annulo, non percutietur à scorpione, Kiranides. *Icon.*

Ephorus autor est squillas abundasse circa Chium insulam, quam seruatos à Deucalionis diluuio condidisse (κτίσαι) scribit, post Macares: & locum (in ea) etiamnum vocari Καρίδας, Athen. lib. 3. *Loci nomen.*

Circa Chium olim abundarūt, vt proxime retrò dictū est, Ἢν δέ ποτ' εἰς Ἴασον Καρῶν πόλιν εἰσαφίκηαι, Καρῖδ' ὑπερμεγέθη λήψη, σπανίαν δὲ πρίασθαι: Ἐν δὲ Μακηδονίᾳ τε καὶ Ἀμβρακίᾳ μάλα πολλαί, Archestratus. Ἐρυθρότερον καρίδος ὀπτῆς σ' ἀποφανῶ, Anaxandrides. b.

In mari rubro diffractis lapidibus intus innati apparent pisciculi, & squillę, & alia quædam animalia, Theophrastus. c.

Testis

Toſtis marcentem ſquillis recreabis, Horatius 2. Sermonum. Hiſtoriam Apicij, qui ſquillas magnas fruſtra quæſiuit in Africa, Rondelet. ad finem Capitis de Squilla lata recenſet, ſed abſque authoris nomine. Nos eandem Græcis Suidæ hîc proferemus. Α'πικιος Ρωμαῖος ἰκανὰς μυελώδας ἀργυρίῳ κατενεγκώσας ἐς τὴν γαστέρα, ὧν Κυπτέροις (ſic etiã legit in vocabulo Καρίδες) ἢ Γαλατίας πολλὰς καρίδας ἐθνῶν μέγιστοι (fortè μείζονες) γάρ εἰσι τῶν ἐν Σμύρνῃ, καὶ οὗτοι ἐν Αλεξανδρίᾳ ἀσκικές. Ἀκέσας δὲ ἐν Λιβύῃ γίνεσθαι καρίδας (μεγάλας) ἐξέπλευσεν ἐδὲ μίαν ἡμέραν ἀναμείνας. Θαυμάσιος δὲ αὐτὸς μικρὰς, ἐκέλευσε τῷ κυβερνήτῃ, τὴν αὐτὴν ὁδὸν αὖθις ἐπ' Ιτυλίαν ἀνάπλεῖν, μηδὲ ἀνεπελάσαι τῇ γῇ. His perſcriptis, reperi Suidã hæc mutuatũ è primo Dipnoſophiſtarũ Athen. vnde quædam corrupta aut mutila apud Suidam emendare licebit. Fuit vir quidam (inquit) Apicius nomine, Tiberij temporibus voluptuoſus & diues: qui cum multa nummorum millia liguriſſet, Minturnis (quæ ciuitas eſt Campaniæ) verſabatur vt plurimum, ſquillas edens precioſas, qui & Smyrnæis ſquillis, (*Scaliger has Squillas latas à Rondeletio dictas, eſſe putat,*) & aſtacis Alexandrinis multo maiores illic naſcuntur. Poſtea cum audiſſet prægrandes etiam in Lybia naſci, ſtatim, ne die quidem interpoſito, enauigauit: multaque in itinere perpeſſus eſt: ac priuſquam de naui egrederetur, (multa enim erat Libyam illius aduenientis fama,) adnauigantes piſcatores pulcherrimas ei ſquillas attulerunt: quas cum vidiſſet, nunquid maiores haberent, percunctatus eſt. ijs autem reſpondentibus maiores ibi non reperiri, Minturnenſium recordatus, priuſquam terram attigiſſet, iuſſit nauis gubernatori, vt Italiam verſus iter arriperet. Καρίδας ἁλιὸν πρῶτον, ἀπετηγάνισεν Τεῦτας, Coquus apud Sotadem. Iulidum piſcium ſaxatilium os veneni refertum eſt: & quemcunque piſcem degustarunt, inhabilem ad edendum, perniciosumque ei qui poſtea guſtauerit, efficiunt. Piſcatores cum Squillam quam media ex parte Iulides exediſſent & confeciſſent, ſine vllo pretio parabilem offendiſſent, eamque inopia preſſi guſtare ingreſſi eſſent, illorum aluos vehementes cruciatus exceperunt, Ælianus.

COROLLARIVM II. DE SQVILLA LATA, *& Vrſa Ariſtotelis.*

VRSÆ eodem tempore pariunt, quo locuſtæ: quocirca per hyemem & vêre, priuſquam oua excludant, cibo laudantur: cum excluſerint, deterrimæ fiunt, Ariſtoteles Hiſtoriæ 5. 17. Iulius Cæſar Scaliger in lib. De ſubtilitate 245. 2. de cruſtatorum generibus ſcribens, Vrſam Ariſtotelis non aliam quàm ſquillam latam Rondeletij: & vrſum Rondeletij, cancrum Heracleoticum eſſe aſſerit. Squillarum (inquit) ſpecies vna vulgari gammaro (*fluuiatili nimirum ſiue gammaro ſiue aſtaco*) ſimilis, ab eo ijs diſcreta notis, quas ſuprà ponebamus, (*eas nos recitauimus ſuprà ad finem ſegmenti B. de ſquillis in genere,*) ſed maxima. aſtacum enim æquat magnitudine: alicubi etiam ſuperat, quemadmodum ſcribit Athenæus, (*vt recitauimus paulo antè in H. f. de ſquillis in genere, in hiſtoria Apicij.*) Vrſa hæc eſt Ariſtotelis, vbi enim porrecta iacet, vrſi corium extenſum repræſentat. Et paulò poſt: Quoniam verò doctiſſimus amicus noſter aduerſus alium quendam ſcribens, (*Rondeletium contra Bellonium,*) à nobis videtur diſſentire, conſilij noſtri ratio reddenda eſt. Negat Ariſtotelis vrſam eſſe ſquillam maiorem: quia ſeorſum ab aſtacis & locuſtis & ſquillis poſuerit. Sanè. Sed locuſtaceis annumerauit, cum ei & locuſtis pariendi tempus idem aſſignauit. A ſquillis ſe parauit, quia ſub Squillæ nomine haud norat. Ariſtoteles enim ſi eam pro vrſa accepiſſet, omnino ei ignota fuiſſe videretur. quandoquidem eam inter ſquillas nuſquam commemorat. Et celebris tamen tota Græcia fuit: ad Smyrnam verò etiam laudatiſſima, (*Scribit Athenæus ſquillas circa Minturnas Campaniæ oppidum, Smyrnæis roatores eſſe.*) Poſt hæc idem Scaliger, Maiam à Rondeletio exhibitam, pagurum eſſe aſtruit: & quem pro cancro Heracleotico pingit Rondeletius, paruam Maiam eſſe, ſiue ætate tantum, ſiue ſpecie differentem à maiore. denique Vrſum Rondeletij, cancrum Heracleoticum facit. De Vrſo Rondeletij vide ſuprà inter Cancros, Neapolitani & Meſſanenſes (in Sicilia) Vrſos marinos nominant Meſſacara. hi ſimiles ferè ſunt aſtaco, ſed chelas non habent, vt neq; locuſta. nec aculeis exaſperantur, vt neque aſtacus. locuſta enim toto dorſo ſuperiore aculeata eſt, &c. Bel. in Singularibus. Meſſa cara autem vel Mazaccara Græco nomine compoſito dici mihi videtur, ἀπὸ μείζων (ἢ μείζων, ἢ μάσσων) καρίς: hoc eſt, maior ſquilla. A Liguribus Orchetta vocatur, vt Rondelet. ſcribit. quod nomen fortè corruptum eſt à vulgo pro vrſeta. minorem enim huius generis ſpeciẽ, alioqui per omnia huic ſimilem, Ligures (Bellonio teſte) Vrſetam appellant. Romæ etiam vtranque ſpeciem nomine vno Mazzaccara vocari audio. Germanica nomina fingo ab Vrſo quadrupede: *ein Baer, ein Meerbaer, ein Baerenkrebs.* his maioris & minoris diſcrimen addi licebit. Ariſtophanes in Theſmophoriazuſis (non Archeſtratus, vt Rondeletius ſcribit) πλατειῶν καρίδων, id eſt, ſquillarum latarum meminit: quo nomine de aſtacis eum ſentire Athenæus lib. 3. conicijt.

Vrſeta.

Squilla lata.

COROLLARIVM III. DE VRSA MINORE, VT RECENTIORES VOCANT: *ſeu Squilla cælata Rondeletij: & de Cammaro veterum.*

Squilla cælata à Rondeletio dicta, quam & cicadam Æliani eſſe arbitratur, potius quam illam ſquillæ ſpeciem quam ipſe mantin nominat, cicadam ab alijs exiſtimatam. Cæſar Scaliger cicadam (*Æliani*) eam eſſe putat, quæ etiam vulgo à piſcatoribus (Vaſconum) ſic appelletur. Rondelet. ſquillam cælatam ſuam vulgo (in Prouincia) cicadam nominari ſcribit. Bellonius verò Rondeletij mantin, Maſſilię & Genuæ cicadam marinam vocari: cuius ego ſententiæ vel hanc ob cauſam magis faueo, ne ea alio antiquo nomine careat, & fingendum ſit nouum quod Rondeletius fecit. Ælianus certè cum Romę vixerit, & harum quidem rerum ſtudioſus, non potuit ignorare cammaros Romę vulgò dictos è genere ſquillarum, vt Athenęus lib. 7. ſcribit: quod ſi eoſdem cicadas marinas putaſſet, non tacuiſſet opinor, præſertim cum alius nemo hoc nomine ſit vſus. Squillam cęlatam Rondeletij, eandem eſſe puto cum vrſa minore Bellonij, quę & vrſeta Genuę appellatur, & Mazzacara Romę ſimiliter vt maior, vt ſuperius annotauimus. Scaliger hanc Ariſtotelis crangen facit. A maiore (inquit) non niſi magnitudine

tudine differt: & lineamentis quibuſdam, quibus teſſellatę lamellæ pictæ ſunt. Hæc eſt κεφάγη Ariſtot. ait enim crangen & gibbam, æquè vtranque habere in cauda pinnas: hoc eas differre, quia in crange, media pinna lata ſit: in gibba verò, acuta, Hęc ille. Sed alia eſt Rond. crãge. Vrſam minorẽ ſeu ſquillã cælatã, ijſdem quibus & vrſam maiorẽ nominibus appellare licebit Ger. magnitudinis tantũ differẽtia expreſſ vel priuatim *ein Puntergermer.*

Quoniã verò Rondeletio ſquillacælata veterum Græcorũ ac Latinorum cammarus videtur, cui facilè aſſentior, præſertim cum hęc inter ſquillas viua etiam maximè rubeat: de cammaro quædã ex veteribus annotatahic adijciam, præter ea quæ iam prius ſcripſi in Corollario de Aſtaco A. Cammarum marinum à ſquilla ſimpliciter dicta differre Bellon. in Aſtaco fluuiatili (ipſe cammarum ſeu gamarum fluuiatilem vocat) oſtendit ex Plinio: ſquillarum tamen ſpeciem eſſe, qui Romæ κάμμαρος dicatur, author eſt Athenæus. Recentiores quidem multis cruſtatis caudatis cammari nomen attribuunt, vt dixi in Capite de ſquillis in genere A. Gaza ex Ariſtotele pro aſtaco cammarum vertit: quod nõ laudamus.

Genus cancrorũ (*cruſtatorum potius*) caudatum, vulgus vocat cammarum. Quod nomen Plinius cum prioribus libris omiſiſſet, in catalogo recenſet (*Cammarus per C. ſcribitur apud Plinium, id requirente etiam literarum ordine*) ſine vlla deſcriptione. Quæſitum eſt an eſſet Græcorũ cammaros: (*Mihi quidem dubiũ non videtur, quin cammarus Plinij idem ſit qui Græcorum:*) propterea quod Athenæus eſſe ſquillæ genus dixit. Sanè à ſquilla parua gammarus parum differt. ſi minus accuratè conſideres, (*& c. vt recitaui ſuprà in Squillis in genere:*) puto tamen gammarũ antiquis fuiſſe noſtrũ hunc fluuialem æquè, atque minorem ſquillã: miñorem, inquã, ſi vrſam ſpectes. Alioqui ſi is gamarus non eſſet, nullo nomine deſignaretur ab antiquis. Non n. cancer eſt fluuialis. Et Varro cum iubet villaticis anatibus præberi cammaros, de marinis intelligere non potuit. Et Galenus aliũd fecit ab alijs omnibus, flexu diminutiuo, vt ab aſtacis & ſquillis differret. Itaq; alijs enumeratis, eas ſubdit, in 3. de facultatib. alimentorũ. Ἀ'στακοὶ καὶ πάγουροι, καὶ καρκίνοι τε, καὶ κάραβοι, καὶ καρίδες καὶ κάμμαροι δὲ. Non eſt igitur idem, quod ſquilla: quemadmodũ ex Athenæo recognoſcebant: Cæſar Scal.

Camarum ego illũ putárim, qui paruus admodũ (*De ſquilla parua ſentire videtur*) & tener, tam ex lacub. quàm ex marinis litorib. capitur. Coqui & hic eo modo, quo cancer, debet, Platin. 10. 12. Et paulo ante: Farciri & camari, euacuata teſta, tunſa ipſorum ex cauda & chelis carne, tunſis amygdalis, vua paſſa, vitello oui, trito caſeo, ſi tempora patientur, petroſelino, amaraco, minutim conciſis: & farti, frigi in oleo lento igne debent. Iñodici tibi flaua tegunt chryſendeta mulli: Concolor in noſtra gammare lance rubes: Mart. vt gammarus cibi vulgaris & plebeij fuiſſe intelligatur. Columella inter animalia (vt videtur) parui incrementi, gammaros numerauit, Wot. Nominat autem Columella camarum cum rivali halecula. Squillę, cammari, locuſtæ, & quæcunq; dura carne conſtant, tardius & paulatim alunt, Galen. in Aphoriſmos 2. 18. De cammaris iſicia deſcribit Apicius 2. 1. Squillæ & cammari inter cibos ſtomachicis conuenientes numerantur ab Archigene apud Galenum de compoſ. ſec. loc. 8. 18. Quæ duræ carnis ſunt, multum nutriunt, difficilè cõcoquuntur. aſtringuntq; aluum, vt aſtaci, paguri, camari, &c. Pſellus interprete Ge. Valla. Alex peruenit ad oſtreas, vrticas, cammaros, &c. Plin. κομμαροι nominantur ab Epicharmo in Nuptijs Hebæ.

Iconem hanc olim à Cor. Sittardo accepimus. eandem ſuprà, vt à Rondeletio exhibitam eſt, Squillæ latæ nomine, poſuimus.



Κομμαρο-

H Κομμιάραι (Κομμιάραι, Varinus) ἢ νημιάραι, Squillæ, Macedonibus, Heſychius. Γδε καλαῶν κιελδων, ἴδε καμμιάρων, ἴδε φίλαι, θάσσαμμυ', ὡς ἐρυθραί τ' ἐντὶ, καὶ λείως τριχιῶσιν, Sophron. Euſtathius ex Athenæi ſeptimo legit κάμμορον, per omicron in medio: quæ vox, inquit, etiam fato ſuo ſeu morte infelicem ſeu miſerum ſignificat, (per ſycopen nimirum pro κακόμμορον, Varinus: ſic καμβολίαι, pro κακοβολίαι, λοιδορίαι,) ſed noſtra Athenæi æditio κάμμαρον habet per alpha in prima & ſecunda. Aconiti radix modica eſt, cammaro ſimilis marino, (καρὶς Theophr. id eſt Squillæ:) quare quidam Cammaron (κάμμορον, *inter nomenclaturas Dioſcoridis: inter delphinum verò nomina apud eundem* κάμαρον *legimus*) appellauere: ſicut ſcorpium aliqui, quoniam radix incuruetur paulum ſcorpionum modo, Plinius.

COROLLARIVM IV. DE SQVILLA CRANGE.

APVD Ariſtotelem hiſtoriæ 4. 2. primum leguntur αἱ κραγγονες: deinde bis ἡ κραγγη, quod magis placet: quanquam Gaza in omnibus his locis vertit crangines, vt delphines. Κραγών, ἔνυδρον ζῶϊ, καὶ ἐδώδιμον καρίδος: Heſychius & Varinus, gamma ſimplici, mallem duplici: animal autem aquaticum ita eſſe accipio, vt id ipſum ſpecies Squillæ ſit. Cæſar Scaliger Squillam calatam Rondeletij, ſiue vrſam minorem videtur crangen facere, vt ſuperius in Vrſa minore annotaui. Alia quidem eſt Rondeletij Crange, cuius ipſe iconem poſuit: & nos ei ſimilem hic repræſentamus. quam Sittardus Romæ nactus olim ad me dedit: & ſpernotzam vulgò Romæ vocari ſcripſit: apud Oceanum verò Germanicum alias & minores Squillas haberi. Color eius (vt pictura præ ſe fert) partim rubet. Itali quidam mihi Vallopa nominarunt, neſcio quàm rectè: cum alij idem nomen ad mantin Rondeletij retulerint. Squillas Romani hodie cammerugias (gammaruſios, Niphus) & pernocias vocant, Iouius. Crangæ etiam poſſent cornu ſuæ frontis interficere lupum ab eo deuorandæ, non minus quam gibbæ. ſed Oppianus Squillas paruas hoc facere ſcribit: quamobrem Rondeletius ad gibbas retulit. nã quæ minimè ſunt, cornu carent. Crangones contra quam gibbæ, primos (pedes) habent vtrinq; quaternos: tum deinde ternos habent vtrinq; paruos. Reliqua corporis pars, quæ maior eſt, pedibus caret: Vuottonus ex Ariſtotele nimirum.

F De vſu & apparatu crangonum ad cibum: leges ſupra apud Rondeletium in Squillis paruis.

Crange hoc eſt Rondeletij à Cor. Sittardo ad nos miſſa.



COROLLARIVM V. DE *Squilla gibba.*

A SQVILLÆ gibbæ ab authoribus aliquando ſimpliciter Squillæ dictę mihi videntur, vt retuli ſupra in Capite de Squillis in genere. Τῶν μὲν καρίδων αἱ μὲν κύφαι, &c. Ariſtoteles Hiſtor. 4. 2. Κυφὸς quidem adiectiuum nomen gibbum ſignificat, & eſt oxytonum, κυφὸς, κυφὴ: fieri tamen poteſt vt ſubſtantiuè abſoluteque acceptum, mutet accentum, & κύφη paroxytonum ſcribatur: ſicut & γλαυκὸς adiectiuum eſt, γλαῦκος verò piſcis. ſed κύφας abſolutè legere non memini. Inferius mox apud Ariſtotelem legitur, καρὶς ἡ κυφή. & rurſus: αὗται μὲν, πλατεῖαι: ἡ δὲ κυφὴ, ὀξεῖα. Et Hiſtoriæ 5. Τῶν δὲ φυκῶν (lego κυφῶν cum Gaza) ἡ κύησίς ἐστι περὶ τέσσαρας μῆνας.

Squilla gibbæ Romæ gambarella dicitur, à gambis, vt vult Bellonius, id eſt, cruribus multis. ego potius à gammaro diminutiuum hoc eſſe dixerim. Idem (niſi librariorum error eſt fortè) Pariſijs hanc Squillam Gueruette vocari ait: ego Guernette legendum ſuſpicor: quoniam Germani etiã inferiores aliqui Squillam (ſiue hanc ſolum, ſiue aliam quampiam) *Gernart* appellant: Vide ſuprà in Squilla in genere. Galli quidam quintam vocalem poſt g. ſcribere ſolent, e.

veli.

vel i. ſequente, cum hanc conſonantem ita proferunt vt ante reliquas tres vocales proferri ſolet. Marini minutiores gammaruli, vt ita dicam, quos vulgò gambarelli & gambaruſoli appellamus, non ſunt cancelli Ariſt. & aliorum, vt quidam arbitrantur: ſed Squillæ paruæ Ariſtot. Siquidem ij qui in hoc genere nunquam rufeſcunt, (*degibbùs ſentit,*) Venetis, alijſque quàm plurimis populis, proprium adhuc Squillæ retinent nomen. vulgò enim Schille dicuntur. quanquam in Hiſpania, præſertimque in Cantabria, omnes hi gammaruli, Squillæ, nulla differentia vocitentur, Matthiolus Senenſis. Romæ quidẽ tum gibbas, tum paruas Squillas, vulgò gambarellas vocari, Bellon. author eſt. quare ne quis confundat, cauendum. Luſitani, vt audio, Squillam gibbam vocant Camaran de Lysboa. Galli in Neuſtria Bouquet: hoc eſt, hirculum, ſi bene interpretor. Rupellæ quidem Chourette, id eſt, hœdus dicitur. ſalit enim, non incedit, nec repit. Vnde & Germanica nomina eiuſdem ſignificationis confingi quid obſtat? *ein Seegitzle, ein Meergeuß: ein Boockle.* vel à gibbo, *ein Hoogerling, ein Hogernier.*

Cæſar Scaliger Squillarum minorum ſpecies tres, omnes gibbas: Vide ſuprà in Squillis in genere a. tabulâ diuiſionis è libro Scaligeri. Mihi quidem veteres gibbæ nomine ſpeciem vnam κατ' ἐξοχὴν intellexiſſe videntur: cui Scaliger inter minores mediam magnitudine aſſignat.

Iconem hanc Squillæ Venetijs accepi. videtur autem ea eſſe quam gibbam Rondeletius nominat. Picturam minorem eſſe voluiſſem, & caudam minus directam, vt cognomini reſponderet.



Squillarũ generi, quas gibbas vocamus, quini vtrinq; ſitu, quo cæteris. quorum proximi capiti acutiores, & quini vtrinq; alij ventri ſubiuncti, quorum extrema latiuſcula ſunt. tabellæ (πλάκες) ijs nullæ parte ſupina: prona ſimilis locuſtarum eſt, Ariſt. Squillæ gibbę duodecim pedes habent, vtrinque ſex, Vetus interpres Ariſtotelis.

Squillæ gibbæ vterũ menſes circiter quatuor ferunt, Ariſtot.

Carides paruæ quomodo lupum piſcẽ interimant, Operſus in Squilla gibba recitat Rond. gibbas .n. priuatim id facere docet, cornu frontis elato in palatum lupi infixo. aliæ .n. Squillæ maiores ſunt quã vt hoc eis conueniat: minimę verò cornu non habent.

Quod ad cibum & nutrimentum ex his Squillis, vide Rondeletij verba inferius in Paruis. Καρίδες δ' αἱ ἁλιῶδες ὀλυμπίᾳ εἰσὶν ἀοιδοί, Αἳ δὴ ἰδεῖν κυφαί τε ἔασιν, χρηστὴ ἡ πάσασζ, Matron Parodus.

Gibbæ per excellentiã cognominatę, prę cæteris Squillis, ni fallor, ad ſaltum agiliores ſunt: vnde & καρίδες fortè quaſi καελίδες quædã, id eſt, locuſtæ dictæ videri poſſunt, hę quidem imprimis: ab harum verò ſimilitudine reliquæ. Νίγχαι τε, καὶ σωλῆνες: αὖ τε καμπύλαι καρίδες ἐξήκοντα δελφίνων ἀνίλλω, Ε'ς σχοινόπλεκτον ἀγγος, Ἀναξανδρίδου author apud Athenæũ Ἰχθύσι δ' ὡς καρίδες ἀνθρώκων ὑπὸ πηδῶσι κυρτεύ, Eubulus. Καρίδα τε τὴν φυκῶν, Idẽ: Et rurſus: Κυρτεῦ δ' ὁμοῦ καρίδες ἐν ξηρῷ πεδίῳ. Οὐκ ὀπτικεκυφὼς (codex noſter habet ὀπτικεκυφὼς) ἀρθὸς ὢ βέλτιστ' ἴσθι; Αὕτη δὲ καελίδοι τὸ σῶμα καμπύλη, Ἄγκυρά τ' ἐστὶν ἀντικρυς ἢ σωλὴν ἀπὸ, Anaxandrides. Καὶ κυφὴ (κεκυφωμένη) καρὶς, ἀελπήσει δέσει αὐτήν, Suidas ex Epigrammate. Κωελίδες τε καμπύλαι, Epicharmus.

In Stagnis marinis noſtris Squilla gibba reperitur, marinę omnino ſimilis dorſi gibbo, cornu frontis, magnitudine. Diſtât ſapore. nam marina eſt dulcior: caramot noſtri vocant, Rondeletius.

COROLLARIVM VI. DE SQVILLA PARVA, *quam aliqui fluuiatilem cognominant: quanquam & in mari inuenitur.*

H Squilla parua ſpeciei, non ætatis nomen eſt. nunquam enim maior efficitur. Κυελίδες, καελίδες. ἢ τὰς μικρὰς, ἐγχελώρας: τὰς δὲ ἐρυθρὰς, καμμάρους, Heſychius & Varinus. Videntur autem dicere, ſquillas paruas, alio nomine ἐγχελώρας dici, à colore fortaſſis: quem eis viuis obſcurum Rondeletius tribuit, Bellonius ſubfuluum: coctis rubeſcentem vterque. χλωρὸς quidem modo viridem, modo luteum colorem Græcis ſignificat. Eædem & χλωροκυρτίδες fuerint. ſic enim apud Heſychium legitur pro genere ſquillarum. malim χλωροκαελίδες, ἤγουν αἱ χλωραὶ καελίδες. Et μελικαελίδες nominatæ in conuiuio, quod Philoxenus Cytherius deſcribit apud Athenæum, his verbis: Ξανθαὶ μελικαελίδες αἱ κῦφαι. nam & color ξανθὸς, idem qui χλωρὸς interdum eſt. & pro κῦφαι, fortè κυφαὶ, id eſt gibbę legendum. quanquam propter agilitatem κῦφαι etiam, id eſt leues, cognominari poſſunt. à melle autem denominatę videntur propter ſuauitatem in cibo: Rondeletius contra ſquillas minimas omnium dulciſſimas facit. At Scaliger coctam rubeſcere negat. videtur autem de eadem loqui, cum idem Gallicum nomen Ciuade ei attribuat. Minima (inquit) etiam è Garumna excipitur caniſtris: Ciuadam Vaſcones ob exiguitatem vocant, id eſt Auenam pugillatim enim deuorant, ſicut auenam veterinæ. Hæc etiam in mari agitat, nec rubeſcit cocta. ab Adriaticis generis nomine dicitur. Hæc ille. Nos à Venetis ſquillam gibbam generis nomine vocari indicauimus: quam tamen coctam rubeſcere Rondeletius ſcribit. Sed gibba abſolutè dicta, non eſt fluuiatilis, aut mari fluuijſque communis, de quo genere Scaliger loquitur. Quamobrem hæc diligentius conſideranda alijs relinquo. Fortaſſis enim non rectè animaduertit hæc Scaliger: & inſuper quod mediam magnitudine inter gibbas minores ſquillam, gambarellum ab Iſtris vocari tradit, cum Itali plerique puto ſquillæ minimæ id nomen conferant: quæ Matthiolo Senenſi etiam teſte, gambarello & gambarufolo vulgò vocatur: quanquam Bellonius Romę tum gibbam tum paruam, gambarellam vocari ſcribit. Luſitani ſquillam paruam vocant Camaran de Villa franca. Germanicè appellatur *ein Zwergkrebslein*, id eſt ſquilla nana: vel *ein kleiner Gerwier*. Gedani in ora Germaniæ audio ſquillas quaſdam cochlearibus edi, integras, quod cruſtam duram non habeant, has minimas eſſe puto, quas Rondeletius etiam ſcribit cum cruſta & pedibus integras frigi.

Icon hæc ſquilla parua, vt reor, Venetijs olim mihi expreſſa eſt.



C Ariſtobulus tradit in Indum flumen maximam multitudinem piſcium aſcendere: & (*inter alios*) ſquillas (καελίδας: *interpres vertit locuſtellas*,) paruas quidem vſque ad montem aſcendere: magnas verò vſque ad Indi & Aceſinæ oſtia, μέχρι τῶν ἐμβολῶν τοῦ Ἰνδοῦ καὶ Ἀκεσίνου, (*vſque ad Indi & Aceſina concurſum, interpres*,) Strabo lib. 15. Tarentinus etiam ſquillas fluuiatiles nominat: & Nebriſſenſis eandem inter fluuiatiles poſuit. Cœruleus nos Lyris amat, quem ſylua Marice Protegit: hinc ſquillæ maxima turba ſumus.

E Tarentinus eſcarum aliquot ad piſces capiendos compoſitionibus carides fluuiatiles miſcet, in Geoponicis: (eſt enim earum prædulcis caro:) nempe ad anguillas, ad mullos & magnos ſcaros: adque tenues piſciculos qui capiuntur arundine.

Squilla parua in ſtag. mar. Squilla parua quę nunquam maior fit, in ſtagnis (marinis) noſtris frequentior multò eſt, quàm in mari. ciuade noſtri vocant. marinę prorſus ſimilis eſt, Rondeletius.

COROLLARIVM VII. DE SQVILLA ILLA, *quam Bellonius Cicadam nominat, Rondeletius Mantin.*

Genus hoc Squillæ quod Rondeletius nouo nomine Mantin cognominat, à Bellonio, & pleriſque alijs doctis, Cicada nominatur, nomine Maſſiliæ etiam, & in Italia vſitato de eodem animali. Rondeletius tamen ſquillam cælatam ſuam, quæ & Monpelij vulgò Cicada nominetur, Cicadam Æliani facere maluit. Vide ſuprà in Corollario de Vrſa minore. Gillius cum cicadam Æliani deſcripſiſſet, ſubdit: Maſſilienſes tenuis ſuæ cuiuſdam vetuſtatis retinentes etiam nunc Cicadas nominant. Audio & Romę cicadam marinam vocari: alibi Vallopa: quod nomen Rondeletius crangoni ſuæ adſcribit. Cicadam marinam Romę & Genuę vulgo dictam, Speuſippi Nympham eſſe ſuſpicatur Bellonius, nullo quidem valido argumento. Vide ſuprà in fine N. elementi. Φίλης πεμάχη, σχαδόνας, τέτριγας, κήρυκας, πίνας, &c. Anaxandrides nominat in Cotyis Thracum regis conuiuio.

COROL-

COROLLARIVM VIII. DE SQVILLIS *diuerſis.*

Chlorocyrtides, Χλωροκυρτίδες, genus eſt ſquillarum, Heſychius. Vide ſuprà ab initio Corollarij De ſquilla parua.

Enchlori. Vide ibidem.

Indicæ Squillæ Locuſtis maiores ſunt. harum quæ ex mari veniunt in Gangem, forcipes (*atqui has ſquillarum generis negat Ariſtoteles*) maximas, & tangentibus aſperas habent. quæ verò ex mari rubro in Indum excidunt. læues audio habere ſpinas, (ἀκανθὰς: fortè cruſtas, id eſt, πλάκας: vel dorſa læuia:) ſed oblongos & implicatos ab eis dependentes cirros: & forcipibus carere, Ælianus de animalibus 16. 13. Squillas quidam circa Minturnas Campaniæ, Aſtacis Alexandrinis maiores naſci aiunt, vt retuli in Squillis in genere H. f.

Scytalides, Σκυταλίδες, genus eſt ſquillarum, Heſychius & Varinus.

Melicarides. Vide ſuprà in Corollario de ſquillarum, Heſychius & Varinus.

Squillam fluuiatilem, vt Rondeletius nominat, inſectorum generis, reperies ſuprà cum Inſectis aquaticis, Elemento I. pag. 461.

Statvas Aquatiles. alicubi legiſſe memini: haud ſcio an eaſdem cum Plantaniſtis in P. memoratis.

Stavris Græcè vulgò alicubi dicitur piſcis, ab alijs Sarachus, Inſubrum Agonus ſiue Aquo.

DE STELLIS MARINIS, RONDELETIVS.

Aστὴρ ab Ariſt. vocatur marinum animal. à Plinio ſtella à ſimilitudine ſtellarum pictarum, de qua pauca ab ijs ſcripta ſunt. Ὁ δὲ καλούμενος ἀστὴρ (inquit Ariſtoteles libro 5. de hiſtoria animalium) ἔτω θερμός ἐστι τὴν φύσιν, ὥσθ' ὅτι ἂν λάβῃ, πέσσει χρῆται ἐξαιρεμένον ἐπέφυκεν εἶναι. Φασὶ δὲ καὶ σίνεσθαι πολίτην τῶν ἐν τῷ πυθμένι μᾶλλον εἶναι, τὴν δὲ μορφὴν ὁμοίον ἐστὶ τοῖς γραφομένοις. (*Vide in Corollario C.*) Quæ ſtella vocatur adeò naturâ calida eſt. vt omnia contacta protinus decoquat. detrimento etiam ſummo Echinis Euripi Pyrrheni eandem eſſe confirmant. Forma eius ſtellis quæ pinguntur ſimilis eſt. Plinius lib. 9. cap. 60. Præter hæc claros ſapientia autores video mirari ſtellam in mari: Ea figura eſt, parua admodum, caro intus, extrà duriore callo. Huic tam igneum feruorem eſſe tradunt, vt omnia in mari contacta adurat, omnem cibum ſtatim peragat. Quibus ſit hoc cognitum experimentis haud facile dixerim. Hæc vera eſſe alio loco (*vide in Corollario*) confirmauimus. A

Sed plura ſtellarum genera experientia nobis comperta ſunt, quæ ordine à nobis deſcribentur. Hæc illis omnibus communia ſunt. Radijs quinque conſtant, qui ex multis particulis, tanquam ex multis vertebris componuntur, vt in aqua mobiles eſſent. in quorum medio oris ſitus eſt, & quinque dentium, vt in Echinis. Excrementorum nullus exitus apparet. Ore igitur Vrticarum more excerni quæ ſuperuacua ſunt arbitror. B. *Communia diuerſis ſtellarum generib.*

Duriore corio ſiue callo, vt loquitur Plinius, omnes integuntur: ob eam cauſam Ariſtoteles cum Teſtaceis alijs recenſuit. Nos inter inſecta & Zoophyta reponimus, quia ad eorum naturam accedunt. inciſuras enim multas in radijs habent, vixque perfecta animalia dici poſſunt: imò Plinius libro 9. cap. 47. frutici ſimiliora facit. Multis, inquit, eadem natura quæ frutici, vt Holothurijs, Pulmonibus, Stellis. A. *Ad quod animalium genus pertineat.*

Sunt multæ earum differentiæ. Quædam magnæ ſunt, quædam paruæ quæ nunquam magis accreſcunt, aliæ læues, aliæ ab alijs breuitate longitudineque radiorum diſtant: aliæ radiorum appendices, & quaſi ramos multos habent, aliæ ijs carent. Poſtremo aliæ rubeſcunt, aliæ flaueſcunt, aliæ nigricant, aliæ cinereæ. Hæc de Stellis in vniuerſum. *Differentia Stellarum.*

DE STELLÆ PRIMA SPECIE, RONDELETIVS.

Primæ Stellæ non magnitudinem, ſed figuram veram, repræſentamus: eius enim brachia ſiue radij pedis longitudinem æquant. Duro quidem corio integitur, vt Holothuria, ſed aſpero. radij enim vndique aculeis muniuntur mobilibus, quales in Echinometra videre eſt. Iidem radij excauati ſunt, ex quibus carnoſæ appendiculæ dependent, quales in vrticis quibuſdam cernuntur. In radiorum medio os eſt ſine gula. Inde alimentum in quinq; partes diſtribuitur, vt in Echinis. Internæ partes omnes indiſcretæ ſunt, vt in Vrticis. Radiorum particulæ vinculis tenuib. connexæ facilè diſrumpantur. Hæc Stella, (vt & parua echinata) aſpectu pulcherrimæ ſunt, potiſſimum corio ſuo ſpoliatæ, ob exquiſitam & miram partium compagem. Virus olent. Ex his quædam cinereæ ſunt, aliæ flaueſcunt. Sola mollis, internaque pars edendo eſt, à noſtris tamen negligitur, nec vnquam in menſas admittitur. Nullus etiam veterum eam pro cibo habuit. B

Pro vna Rondeletij icone, nos duas alias (illis tamen ſimiles) quæ iam prius ſculptæ nobis erant, poſuimus.



F



A Græci quidam hodie σταῦρον vocant hanc Stellam, σκῦφον, opinor, volentes dicere, quòd pali ligneifixi & erecti modo (id enim significat vox Græca.)

DE STELLA PECTINATA, RONDELETIVS.

INTER Stellas magnas hæc quoque reponenda est, vtpote cuius radij ad pedis longitudinem attingant. Superiori similis est, ijs demptis quæ sequuntur. Radij circa rotundum corpus dispositi, in exortu suo angulum acutum non constituunt, sed obtusum. Aculei quib. latera muniuntur, rari, recti, pectinatim dispositi, vnde pectinatam Stellam appellauimus. In totius corporis centro Stellula quędã expressa est, à cuius ambitu lineę quinq; per medium radiorum ad extremum vsq; protensę sunt. Radij initio satis lati sunt. Rara est hæc secunda Stellę species. Ore, dentibus, vita, moribus, facultatibus alijs similis est.



DE STELLA LÆVI, RONDELETIVS.

Quemadmodum in Raiarum, Cochlearum, Turbinum, Cancrorum, ita in Stellarum varietate lusisse videtur natura.



A Hanc igitur ab aliis iam descriptis multis notis distinxit, est enim prorsus lęuis, aculeisq ue omnibus, atque asperitate destituta. Radij longi sunt, rotundi, flexibiles, murium caudis persimiles: eorum integumentum cortici serpentum simile est, & ob nigrarum albarumque macularum varietatem spectatu iucundum. In medio corporis trunco circulus cernitur, intra circunferentiam quinq; maculis rotundis, & inter has stellulæ pictura distinctus. à cuius circunferentia quinque radij exoriuntur. Oris C compositione, victus ratione, à cæteris non differt. Brachiorum longitudine & vario flexu celerrimè F natat. Edulis non est. Ea ad

Ea ad peritonæi rupturam cum ononide fœlici successu vti possumus.

DE STELLA ARBORESCENTE, RONDELETIVS.



IMMENSA & summè admirabilis Dei potentia atque solertia in rebus cælestibus, ijsq; quæ in aëre & terra fiunt, maximè verò in mari, in quo tam variæ & stupendæ rerum formæ conspiciuntur, vt quærendi & contemplandi nullus vnquam futurus sit finis. Harum vel illud exemplum esse potest, quod hic propono.

Stellam arborescentem à frondium & ramorum multitudine nomino.

Huiusmodi duas vidi. Vnam permagnam apud Guilielmum Pelicerium Monspelienſem Episcopum, virum summa laude dignissimum, ad Lerinum insulam captam, alteram ex Italia ad me delatam. A Ab alijs omnibus stellis plurimum differt. Radios quinq; siue truncos habet, in medio os, cum quinq; appendicibus, quæ multis paruis dentibus horrent: pars ea depressa est, & submissa, ambitus tumet. in quolibet radiorum interuallo foramen seu rima conspicitur. Quilibet radius statim in binos finditur: hi rursus in binos ramos diuiduntur, atque ita deinceps, quoulque ad tenuissimos & capillorum tenuitatem referentes deuentum sit. A quolibet oris angulo linea albicans prodit, & per omnium ramorum medium producta est: alioqui tota Stella nigricat, & tenui, neque admodum dura sed aspera cute C contegitur. Ramuli omnes intro flectuntur, quod argumento est hos tanquam cirros à natura ad cibũ captandum conditos esse, quibus vndique in orbem dispositis præda elabi non potest. Id spectaculum aliquando in mari studiosè contemplati sumus. Stellam paruo filo alligatam in mare demittebamus, in quo expansis ramis natabat, sed prædam aliquam propinquare sentiens, brachijs omnibus contractis amplexabatur, Vrticæ ritu.

Rara est hæc Stellæ species, & ob raritatem pulchritudinemque inter anathemata suspenditur. E

DE STELLA RETICVLATA, SIVE *cancellata, Rondeletius.*

STELLAM hanc à retis siue cancellorum figura, reticulatam siue cancellatã nuncupamus: & quia inter distinctiones retibus vel cancellis similes extant tubercula quædam rotunda, tuberosa etiam vocari potest. Inter maiores Stellas reponenda est: brachia enim ad pedalem longitudinem perueniunt, crassiora sunt aliarum Stellarum radijs. Aculeis paruis vtrinque eadem munita sunt. Os habet cæterarum modo. Eleganti illa & reticulata distinctione spectabilis est, & inter anathemata collocanda.



DE STELLA ECHINATA, RONDELETIVS.



STELLA hæc inter saxa viuit: corpore exquisitè rotundo paruoque constat, & radijs quinq; sed breuioribus, vnde fit vt minor sit cæteris. Illi è paruo circulo, in quo crucis figura delineata est, veluti è centro exoriuntur tenues, frequentissimis aculeis horrentes, qua de caussa Echinatam nominauimus, in lateribus dispositis. Radiorum flexuoso motu serpentum ritu repit hęc stella, & in sicco posita eos mouere nunquam desinit, quousque in partes disiecerit, quæ separatæ etiam mouentur per flexus: vt vermium partes, & lacertorum caudæ abscissæ. Os habet cæterarum modo. Cochleis paruis, cancrisque vescitur. In scopulis Agathensis sinus reperitur.

DE SOLE, RONDELETIVS.



VT à stellarum pictarum figura, Stellæ marinæ nomen habent, ita à Solis pictura Sol marinus vocari potest is quem hîc depinximus. Differt enim à Stellis, quod in his è medio corporis trunco veluti è centro radij enascuntur: in hoc verò ex corporis rotundi circunferentia, breues, minimè asperi superiore in parte, sed veluti ex squamis compositi, in lateribus verò paruis aculeis rigentes, albi, ad extremum vsq; gracilescentes. Corpus illud rotundum, in medio rosæ pictæ figuram expressam habet. Ore, victu, facultate à Stellis non differt.

DE STELLIS MARINIS EDVLIBVS, *Bellonius.*

B De Stellis hîc agimus, quarum caro brachijs inclusa rubra vel lutea, edulis est: quarum permulta in litore Epiri tantæ magnitudinis cepimus, vt sesquipedem latæ essent, & ad trium digitorum latitudinem earum brachia extenderentur, neque grandi galero integi possent. Crudis stellis non idem omnibus color inest: aliæ enim cæsio colore præditæ sunt, aliæ cinereo, aliæ autem alterius sunt coloris: quæ quidem supra modum leui contactu confringuntur. Sed si coquantur, abeunt in calli duritiem, (F) & rubræ euadunt. Proinde Stellas natura ijsdem armaturis, hoc est, promuscidibus, muniuit, C B quib. Pudendum & Erinaceum. Quod si à quoquam extra aquam obseruentur, omnino immobiles apparebunt. Sed si eas quispiam in aquam immergat, & supinas instrauerit, tunc promuscides acetabula in extrema plus quam quinque millia exerere cernet, atque in pronam partē moueri. Os etiam versus terram vt echini habent, in medio radiorum situm. & quanquam in gyrum quinque dentes ostendant, C tamen conchyliorum genera cum suis testis, tellinas, chamas, conchulas, mytulos integros deuorant. Vagantur in mari vt Polypi brachia diducendo, nunc ante gradiendo, nunc in orbem conuoluendo: & suctu acetabulorum, echini modo, lapidibus adhærent. Sensu tactus eas non vacare compertiet, qui manum ferream conto infixam ad eas attollendas immerserit. Ab hac enim contactas plenius moueri & fugam tentare experietur. Superiori radiorum parte, id est, supina, septenos spiculorum obtusorum ordines in vnoquoque brachio habent, in longitudine autē duos & viginti, quo fit vt tota parte supina horreant, & quinq; cirrhis stellæ modo radientur: conchasque semel aggressæ, exugunt. Oppianus:

Sic struit insidias testis, sic subdola fraudes
Stella marina parat: sed nullo adiuta lapillo
Nititur, & pedibus scabris disiungit hiantes.

ALIÆ STELLÆ NON EDVLES, BELLONIVS.

SVNT & alia multa Stellarum genera: quarum nonnullas vidimus in brachia duodecim extendi, alias in quatuor tantum. Sunt quædam quib. tantum tria sunt, alijs autem sena, nonnullis etiam octona: sed hæc omnia deiectamenta marina sunt. In multis præterea cirrhos teretes esse & oblongos conspicies, in quibus melius formam Solis, qua pingitur, assequi putaueris, quam Stellę. Aliis brachia videntur quadrangula, aliis admodum plana: quarum omnium iam octo species seorsim obseruaui.
A Caue autem ne vocum affinitate decipiaris: est enim piscis nomine Stellę vulgo à Romanis vocatus, *Stella piscis.* Lopidæ similis de genere Anthiarum: de quo iam superius egimus, (*vide supra in Glaucis*) nullo pacto ad exangues has stellas accedens.

COROLLARIVM.

A Marina Stella, non quod similiter vt Stellatus galeos maculis quibusdam tanquam stellis varietur: sed stellæ pictæ quia speciem similitudinemque gerat, ex eo nomen duxit: vt enim stellam pictores radiatam pingunt, sic hæc quinque pedes, tanquam radios habet, Gillius. Hic piscis (*impropriè piscem vocat*) radios habet quinos: alij octonos, vel duodenos, aut pauciores. sed sunt qui negent has veras esse stellas. Vtut sit, constat naturam hoc numero contentam non fuisse: sed tamen quæ radijs quinis præditæ sunt, hæ stellarum nomine sunt digniores, Cardanus. Stellas Aristoteles hist. 5. 15. ostracodermis (id est testatis) adnumerat. Cæterum de partib. anim. 4. 5. mediam inter plantas & animalia naturam eis attribuit, sicut & vrticis. Ælianus verò de animalibus 9. 22. malacostracis, id est crustaceis connumerat. Plin. stellis paruam admodum carnem intus esse scribit: extra verò, callum duriorem. Stellę (inquit Gillius) durum callum cum gladij mucrone experiri studerem, vix tandem multa vi

molliorem

molliorem mediam superficiem potui perfringere. nam radiorum anguli ad silicum duriciem accedunt, & non minus ab ictibus inuictos, quam ferrum ipsum se præstant. Hæc ille: & forsan duræ huius substantię ratione ostracodermis Aristoteles Stellas adnumerauit. Oppianus stellas cognominat ἑρπυστῆρας εἰναλίους. A Syluatico sidus marinum nominatur, sicut & in Cremonensis interpretatione è Kiranidæ magia, astrum marinum: neutrum probarim. Asterium verò rectè dicetur. vide inferius, in G. Albertus Sturitum & Scincum cum astere marino imperitissimè confundit. Stella piscis omnibus notus est, suumque adhuc nomen retinet, Massarius Venetus. Massilienses etiam nunc Stellam nominant. Græcia quemadmodum totius linguæ suę negligens est, sic piscium nominum antiquorum nihil obseruans hunc Scauron appellat, Gillius. Germanicè nomino *ein Meerstern*. Eliota Anglus interpretatur *a Sterrefyshe*. Ego ab erudito quodam Anglo audiui nominari *a Seepadde*: hoc est, Rubetam marinam: nescio quam rectè. Saxones eadem significatione dicerent *ein Seequapp*: de quo vocabulo plura attuli in Corollario de lepore marino.

Ad B. referenda quædam, superius in A. explicata sunt. Stella spinulis horret, echini ferè modo, Massarius. Rondeletius priuatim speciem vnam, echinatam cognominat. Oppianus τρηχύκωλον, id est, crus asperum dixit, de vno radiorum stellæ, quem conchæ alicui patulæ immittat. Sturitus (al' Stincus vtrūque corruptum est pro Aster seu Stella) animal est marinum, inter plantam & animal, stellæ instar pentagonum, rufi corij, in medio rimas habet, quibus trahit nutrimentum, Albert. B

Referunt Stellas torpescere extra aquam, & sub æstus (*aquæ reciprocantis*) tempore reuiuiscere, Cardanus. Stellæ concharum complures aggrediuntur, & exugunt, Arist. de partib. anim. 4. 5. Eiusdem ex historiæ animal. libr. 5. c. 15. Græca verba, & interpretationem Gazæ, Rondeletius ab initio capitis de stellis marinis recitat. Ego quæ in ijs desiderem, hîc explanabo. Primum hæc verba, ὁ καλούμενος ἀστὴρ οὕτω θερμός ἐστι τὴν φύσιν, ὥσθ᾽ ὅ,τι ἂν λάβῃ παραχρῆμα ἐξαιρούμενον, δίεφθον εἶναι: Plinius conuertit: Stellæ tam igneum feruorem esse tradunt, vt omnia in mari contacta adurat, omnem cibum statim peragat. Gaza verò, Adeo natura calida est vt omnia contacta protinus decoquat. Ego sic: Adeo feruida eius, quæ (in mari) stella vocatur, natura est, vt quicquid sumpserit id licet illico ab ea extrahatur, discoctum appareat. Non enim simpliciter contactu ab ea hoc fieri scribit: sed ea tantum quæ sumpserit, hoc est, deuorarit, ita mox affici ac si δίεφθα forent. Sed δίεφθον alibi legere non memini. Vetus interpres, ex Alberti & aliorum citatione, legit δίσεφθος, vt qui verterit, bis coctus. Sic enim habet Albertus: Et quando transglutit aliquod animalium paruorum, minorum se, quantumcunq; (id) citò extrahatur de ventre eius, inuenietur quasi bis sit coctum: hoc est, quasi duas bullitiones sustinuerit. Et author de nat. rerum Alberto antiquior: Cum stella (inquit) aliquod animal comederit, mox inuenitur in eius ventre durū, quasi bis coctus panis. Eadem ex eo repetijt Albertus in Catalogo Aquatil. Quoties rem iterum atque iterum repetitam nō sine molestia significabant, dicebant, Δὶς κράμβη, θάνατος: id est, Bis crambe, mors. hoc est, κράμβη δίσεφθος, Crambe (*Brassica*) recocta, Erasmus Rot. Deinde quod sequitur apud Aristotelem: φασὶ δὲ καὶ σίνος πιστῷ (sic noster codex habet, Rondeletius legit σίνος πιστῷ) τῷ Εὐρίπῳ τῶν Πυρραίων μέγιστον εἶναι: Plinius præterit. Gaza interpretatur: Detrimento etiam summo echinis Euripi Pyrrheni (*melius Pyrrhæum in Lesbo esse Niphus scribit*) eandem esse confirmant. atqui in Græcis verbis nulla echinorum mentio. alio quidem loco Aristoteles (supra eiusdem libri c. 12.) echinorum euripi Pyrrhęi meminit, nulla illic stellarum mentionę. ex quo Gaza fortassis hunc locum emēdare conatus est. ego omnino sic lego: φασὶ δὲ καὶ γένος πιστῶν (τῶν ἀστέρων) ἐν Εὐρίπῳ τῶν Πυρραίων μέγιστον εἶναι. Procliue autem fuit pro γένος scribere σίνος, quod nomen alioqui detrimentum significat & noxam: vt σίνεσθαι verbum nocere. Σίνος βλάβος, Varinus. Emendationi nostræ accedit Albertus: qui super hoc loco sic habet: Opinantur quidam quod in mari, quod vocatur orioz, (*corruptum hoc est ab euripo*,) quod rubrum (*è Pyrrhæo male conuersum, ac si non esset gentile nomen, sed idem quod pyrrhon, id est, ruffum significaret*) mare, vel potius orientale vocamus: est modus huius animalis magnus. Denique re ipsa, genera quædam stellarum magna reperiri constat. echini autem maiores sunt, quam vt à stellis deuorari possint: quę vt diximus, non cōtacta, sed ea tantum quæ glutiuerint, mox igneo feruore consumunt. Quanquam Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. similiter vt Plinius, solo etiam tactu id ab eis fieri tradit, his verbis: Ὁ μὲν γὰρ ἀστὴρ ὧν ἂν ἅψηται, πάντα διαλυόμενα καὶ διατηκόμενα γινώσκων, ἐνδίδωσι τὸ σῶμα καὶ περιορᾷ φαινόμενος ὑπὸ τῶν προσιόντων ἢ προσπελαζόντων. hoc est: Stella enim quæcunque tetigit, solui liquefierique omnia, sibi conscia, accedentibus appropinquantibusque vltro se contrectandam præbet. Hoc an verum sit (quod ego nō puto) ex piscatoribus maritimis facile erit cognoscere. Stellam dissecuisse se Rondeletius refert, apud Magalonam, pede non maiorem: in cuius ventre quinque cochleas inuenerit, tres integras, duas iam cum testis suis confectas, Cardanus. Locus apud Rondeletium iam non occurrit. C *Emendatus Aristotelis locus.*

Stellæ conchis vbi se patefaciunt, vnum de suis cruribus siue radijs inserunt, claudique prohibent, vt earum carne expleantur, Oppianus Halieutic. 2. & ex eo Aelianus: cuius verba recitaui in ostreis D. pag. 649. D

Mala medicamenta inferri negant posse, aut certè nocere, stella marina vulpino sanguine illita & affixa limini superiori, aut clauo æreo ianuæ, Plinius. Ἀντιπαθὴς πᾶσι μαγικοῖς πᾶσι τρόποις, μῶλυ, δάφνη, ἀστὴρ θαλάσσιος, &c. Isacius Tzetzes. Aster suffitus auertit omne malum, Kiranides in Ono marino. potest autem tum de morbis intelligi, tum communius. E

Aster suffitus auertit omne malum, Kiranides. Vide proximè retro. Albertus stellæ vim ciendæ Veneris immodicam tribuit, ijs fere verbis quæ veteres de scinco scripserunt: vnde locum esse deprauatum apparet. Intra corpus quidem stellam marinam sumi, medici nolunt, sed applicari tantum aut suffiri. Hippocrates tamen, vt in fine huius segmenti recitabo, propinat. Ad pilos disperdendos medicamentum fit ex scolopendris, vrticaque & stellis, omnibus marinis, nitro & amurca ad hæc ammixtis, vt legimus apud Galenum de compos. sec. loc. inter pharmaca ex Critonis cosmetico transcripta. G

Draconis marini scorpionumque ictus, carnibus earum impositis: item araneorum morsus sanantur. In summa, contra omnia venena vel potu, vel ictu, vel morsu noxia succus earum ex iure

Emaculatus Plinij locus.

decoctarum efficaciſſimus habetur, Plinius lib.32.c.5.dixerat autem proxime de ſtellis marinis. (Male medicamenta inferri poſſe negant, ſtella marina affixa limini,&c.vt in 8. recitauimus:) quamobrem Vuottonus hæc etiam omnia adhuc ad ſtellas refert, cum alioqui propter enallagen numeri,& bis poſitum pronomen earum, quo referret non videret. Verum in eo pronomine bis commiſſum errorem dixerim,ac primo non earum,ſed eorum, legendum eſſe,vt carnibus eorum, id eſt proprijs impoſitis, contra ictus ipſorum remedium fieri intelligamus.nam & Dioſcorides draconem marinum contra ſpinæ iuæ ictum diſſectum impoſitumque vtilem facit:& Plinius ipſe alibi: vt alia quoque permulta venenata, ipſa venenum ſuum foris impoſita extrahunt.Sic inter ſe conſentient authores, neque numeri enallage(Plinio fere inuſitata,ni fallor)committetur Hoc obiter animaduerten dum,Plinium in his verbis araneum piſcem diuerſum facere videri à dracone marino, cum Latine dictus araneus,non alius quam draco piſcis Græcorum ſit, vt ſuo loco expoſitum eſt. Deinde pro altero pronomine earum, lego raiarum: quam lectionem noſtram omnino genuinam eſſe, ſi quis ea quę de remedijs è rana ſcripſimus in libro de quadrupedibus ouiparis,ad initium ſegmenti 6. vel leuiter inſpexerit, liquido deprehendet.

Vegetius lib.4.c.12. medicinæ veterinariæ, ſuffitui contra languorem morbi peſtilentis prȩter alia ſtellam admiſcet.

Aſterium.

Suffimentum ad epilepticos expertum :Hirci & vrſi & lupi teſtium, ſanguinis hirundinis & lapidis in eius ventriculo reperti,aſterij in mari inuenti,anethi, ana drach. ij.alliorum purgatorum,cornu cerui & caprini, ana drach.j.&c. Nicolaus Myrepſus. vbi Fuchſius interpres quid ſit aſterium diuinare non poteſt:mihi ſtellam marinam(qua de ſcribimus)eſſe dubium non eſt.

Hippocrates alicubi ſtellas marinas nigras, & braſſicam vino odorato miſceri ac bibi iubet, aduerſus vteri ſtrangulationem.(Rondeletius primi generis ſtellas virus olere ſcribit:& nimirum viroſo illo odore vterus repellitur.)Quod remedium denuo in lib.de nat.muliebri ab eo repetitur. Scio in ſtellis quibuſdam edulem eſſe caruncul am: reliqua vero ſubſtantia cum ex illorum materia ſit quæ pilos diſperdunt, vt prædictum eſt,quam tuto intra corpus dari poſſit,conſiderandum.

H. Epiſtem. c.

Ἀστέρες ἐρπυσήρες εἰναλιοι, Oppianus.

Si capiti omydis (*teſtudinis*)permiſceueris parum de aſterio(id eſt ſtella marina)mangſtachium,id eſt, dęmonem fortunæ(videbis)factum & ſtantem ad pedes tuos, & loquetur tibi in omnibus quæſtionibus,&c.Kiranides lib.4.

DE STELLIS DIVERSIS.

Stellas marinas nigras Hippocrates nominat,vt recitaui ſuperius ad finem ſegmenti 6.

In Oceano etiam Stellas reperiri non dubito.memini enim ab amico miſſam aliquando vnam ad me Antuerpia, colore cinereo, radijs quinis paulatim in mucronem deſinentibus, & inflexis modice, vt in arida apparebat,&c.Multis,breuibus,aſperis & pectinatim compoſitis villis radij conſtabant,à ſupina præſertim parte conſpicuis. Cultro facile diſcindebatur,forte quod parua adhuc eſſet. Alia vetuſta & maior, quam habeo, dura, lapidea fere, & candida intus, ſectuque difficili ſubſtantia eſt: valide deſiccans,vt guſtu apparet,&(niſi fallor non enim periclitari amplius volui)erodens.

Vt Rondeletius Solem inter Stellas numerat:ſic & Lvnam maris olim ab amico quodam (vt ipſe nominabat)mihi oſtenſam memini: radijs quinis, geniculatis fere vt cancrorum caudæ:ſubſtantia fere teſtacea, molliori,inſtar teſtæ ouj,friabili & arenoſa dum manditur.cinerei coloris.

Sternion à Tralliano nominatum,oſtracodermon quoddam cancrorum generis videtur.Vide ſupr. iater Cancros,pag. 150.

Stincvs neſcio quod marinum zoophyton,nominatur ab Alberto,De animalibus lib. 4.tract.1. c.1. vbi diuerſa marinorum genera perſequens:Sextum(inquit) genus eſt,quod ligneum vocari cõſueuit, eo quod ſimile ſit fruſto ligni.ſub hoc continetur animal quod vocatur ſtincus. Et rurſus eiuſdem tractatus c.vltimo:Iam.n.expertus eſt(inquit)aliquis piſcatorum,quod in mari eſt animal, niſi quia dum eſt in aqua maris mouetur natando de loco ad locum. Nigrum eſt & rotundum, ęqualis per totam longitudinem ſpiſſitudinis.Non alitur niſi in ſe reſudanti humore.Excrementis caret:vt & organis ſenſuum.eſt enim animal valde imperfectum, medium ſcilicet inter plantam & animal:quare etiam animal ligneum appellatur.Et mox:Ad naturam animalis lignei videtur affinitatem habere Stincus: niſi quod mollitiem carneam habet quamdiu non eſt ſiccus.Hic valde abundat in arenis marium noſtrorum: & nullum ſignum vitę ædit cum de aqua leuatur:vt primum verò redditur aquæ,dilatando ſe & conſtringendo mouetur.Os non habet,nec aliud ſenſus vllius organum.

DE STRABELO, BELLONIVS.

Non eadem concha eſt στρόβηλῳ cum Strombo.Eſt enim Strabeli concha Purpuræ & Buccino ſimilis,ſonis tamen muſicis edendis accommoda:vnde Tritones Neptuni currum prȩcedentes, antiquiſſimę picturæ effingunt ſtrabelis muſicam facere. Speuſippus quoque ſimiles eſſe dicit στροβήλους καὶ πορφύρας καὶ κήρυκας, καὶ κόγχυς.

COROLLARIVM.

Agias & Dercylus in Argolicis Strabelos vocant aſtrabelos, οὗτοι στρόβηλος ἀνομάζουσιν ἀστρόβηλος,(maſc. genere.Sophocles in fœminino poſuit,Ἀλίας στρόβηλα τῶν ἁλὸς τέκνων.ſic & ἀστροφὴς & ἀστροφὴ dicuntur.) Meminerunt autem eorum tanquam idoneorum inflari tubæ loco. Στρόβηλοι, τῷ κοίγχῳ ᾧ ἐσάλπιζον, Heſychius & Varinus. Στρεβλῷ κόγχῳ ᾧ ἐσάλπιζον, Iidem. Στρόβηλοι, κοχλίαι, Varinus. Athenæus ex Ariſtotele inter oſtrea προβάτικα, id eſt greſſilia, στρόβηλον numerat. Epicharmus in Nuptijs Hebæ inter alia oſtrea στρόβηλος nominat. Strobili filij Carcini poetæ:de quibus extat prouerbium, Εὐδαιμονέστερος τῶν Καρκίνου στροβίλων. Dicuntur etiam στρόβιλοι,cochleæ & buccinæ marinæ,Suidas. Strabelus igitur & Strobilus eadem ſignificatione accipi videntur. Strombos eoſdem eſſe puto

Strabelus.

Strobilus.

puto cum Strabelis & Aſtrabelis Athenæi, Rondeletius, De Strombis dicetur inferius.Videtur autem Strombi nomen generalius, quo etiam ſtrabelus contineatur. Germanice Strombos Strabeloſque nominare licebit *Straubenſchnecken, Straubenhorn, Spitze Rinckhorn.*

Striatæ nominantur à Plauto in Rudente,cum plagoſijs,muſculis,vrtica marina,& conchis. Coniecerim autem è concharum ſeu pectinum genere has eſſe nomine à ſtrijs indito.

Strobili. Vide Strabeli.

DE STROMATEO, RONDELETIVS.



Salpæ ſimilem piſcem ſubiungit Athenæus ex Philone : Γίνεται δ' ὅμοιος ἰχθὺς ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάττῃ ὁ στρωματογραδόμενος ῥωμματοδὺς, ῥαβδώσεις ἔχων δι' ὅλου τοῦ σώματος πενταμβύους χρυσίζουσας.id eſt, Naſcitur ſalpæ ſimilis piſcis in mari rubro, qui ſtromateus nominatur,vniuerſo corpore lineis aureis productis diſtinctus.Hunc propter ſimilitudinem,nos quoq; ſalpæ ſubnectere voluimus,(*Nos hunc animum non ſexcentis.*) etiamſi in peregrinis piſcibus ſit habendus, quos ſeorſum libro vno complecti ſtatui.Prȩterea vt ſtudioſos admonerem,iſtum piſcem ſi in aliqua maris mediterranei parte reperiatur,nec mari rubro tantum proprius ſit, fortaſſe eum eſſe qui Romæ fiatola nuncupatur,eo à ſalpa diſſidens,quod lineas aureas breuiores habeat, nec ad caudam vſq; productas. A B *Lib.7.* *Fiatola*

DE FIATOLA ROMÆ DICTA (QVÆ STROMATEI *Species, eiue cognata exiſtimatur,*) *Rondeletius.*



Fiatola Romæ vſitatum eſt hodie piſcis nomen, qui cum nullis alijs commodius quam cum cæruleis (*Cæruleos vocat, vt Glaucos ſuos,hippurum,ſeſerinum,ſiatolam*)cõnumerari poteſt.Dorſum enim lateraque cærulea ſunt, venter candidus, labra purpurea.Fere rotundus & compreſſus,ſeſerino non valde abſimilis,niſi quod lineas duas à branchiis ad caudam ductas non habet,ſed vnicam duntaxat. A dorſo autem ad hanc lineam & ab hac ad ventrem lineæ demiſſæ ſunt,perbelle inflexæ Romæ piſcis eſt ſatis frequens,in noſtris litoribus nunquam viſus.

A glauco ſubſtantia parũ differt. eſt.n.carne paulo molliore.

Fiatola Romę vulgo nuncupatur, quemadmodum ſtromateus ob ſimilitudinem quandam: ſolent enim ichthyopolæ nomina piſcium propria,ſimilibus communia facere,quod in permultis piſcibus videre licet.

A B A (F) *Elops.*

DE EADEM FIATOLA, BELLONIVS.

Totus eſt aureus atque argenteus piſcis, quiab inſigni pulchritudine Græcis Καλλιχθυς appellatus eſt,Tyrrheno familiaris,Adriatico non item: Romanis atque Neapolitanis Fietola appellatus, nullum tamen inter apprime delicatos piſces nomen retinens:de eo ſic Oppianus cecinit,

Pulypodas agitata petit cognomine pulcher.

Sunt qui Callionymum,nonnulli Hellopem,alij Lyconeſſe credant:de quibus tamen ſeorſim à nobis actum eſt. Nulli pelagio piſci nomen hoc Græcum rectius conuenire, quam Romanorũ Fietolæ exiſtimauimus:vt qui totus fere ſit argenteus, vt Lampuga:ac prȩterea multis aureis lituris variegatus.

Latus eſt ac planus,caudam lunatam habens:Linguam carnoſam,delphini modo, ad humanam accedentem, ſuiſque partibus omnino abſolutam: quod prȩter cæteros branchijs prædictos piſces ſolus habere mihi viſus eſt.quemadmodum & hoc ſibi etiam peculiare, quod prȩter omnium piſcium morem,pinnis ſub ventre careat,eſtque prorſus inermis:Branchias vtrinque quatuor gerit, ſiquidem eam quam capiti coniunctam habet, annumeres. Superiorem maxillam fixam ac immobilem, vt Scarus & Exocœtus habet:atque,vt ait Oppianus,

Dentibus obtuſis eſt illi rictus inermis.

B

Cantha-

DE STROMBO (ID EST, TVRBINE) MAGNO, RONDELETIVS.

Ex duabus his Strombi magni iconibus, minor à Rondeletio exhibita est: maior ad Strombum quem domi habeo, Venetiis nactus è Turcia allatum, expressa.



B Primvm Turbinem proposuimus longum & magnum, multisque voluminibus cõstantem, pro corporis crassitudine, margine spisso & aspero: testa alba, lineis tuberculisque multis scabra & aspera. Foramen rotundum habet & rimam, qua excernuntur excrementa. Saxis hæret turbine sursum verso.

F G Quæ de testæ carnisque vsu in Purpuris Bucciniſque dicta sunt, huc possunt accommodari.

DE TVRBINE TVBEROSO, RONDELETIVS.

B In Turbinum generibus hic iure numerabitur, qui à tuberculis multis tuberosus cognominatur. Is sinistræ manui proximus est, longus, tenuis, in mucronem desinens. Huiusmodi sunt quïdam albi, quidam nigri, quidam varij. Pollicis magnitudinem nunquam excedunt. In his Cancelli cum parui sunt, viuunt authore Aristotele: sunt que longiores ijs qui Neritarum sunt hospites. Huius generis Turbines (*etiam*) in terra reperiuntur, qui Cochlearum nomine comprehenduntur. nam præter Cochleas nullum testaceum genus in terra viuit. *Cochlea.*

Eiusdem Turbinum generis sunt aliquot species diuersæ, quædam longæ, tenues, acutiores, læues, cuiusmodi tres sunt tuberoso propiores. Alij, postremi scilicet duo in pictura capiti huic prępositi, inæquales, tuberosi, scabri, virgati. Vita, moribus, substantia non differunt. *Species diuersa.*

DE

DE TVRBINE ANGVLATO, RONDELETIVS.

A B

G

Hic Turbo Buccinis satis similis, quia testæ volumina ita à se discreta sunt, vt in medio angulos efficiant, cognominatur angulatus. In Turbinem tenuatur inferiore in parte, superiore in longum & acutum rostrum: sic enim cum Plinio loqui possumus, qui Purpurę rostrum dixit. Colore est marmoreo.

Vstus dentifricijs conficiendis vtilissimus.

DE TVRBINE MVRICATO, RONDELETIVS.

A B

Turbo hic aspectu quidem Buccino haud dissimilis est, sed à tuberculis multis, breuibus quidem, & obtusis muricatus appellatur. Superiore parte tumidior est. Intus testa purpurea est, foris alba & veluti calce illita.

DE TVRBINIBVS INTRA SPONGIAS VIVENTIBVS, *Rondeletius.*

Cvm sæpius Spongias secarem in frusta, vt penitus earum naturam perueſtigarem, in ijs varietatẽ maximam reperi Conchularum omnis generis, Conchyliorum paruorum, Buccinorum, Turbinum.

Cuiusmodi aliquot hic exhibeo: omnes enim persequi infiniti esset operis, ac vani laboris. Nam quis est, qui cognitione ac verbis tantam naturæ rerum fœcunditatem assequi posset? Differunt hęc inter se genere: nam vel sunt Cochleæ, vel Turbines, vel Neritæ, vel Vmbilici. Differunt & coloribus.

Dicemus tantum de eo paruo Turbine qui sinistræ manui proximus est, rimamq; longiusculam verius quam foramen habet, testa non intorta, qui & intra Spongias, & extra reperitur, Conchulaq; lactea à candido colore nominari potest *Conchula lactea.*

E

Hac in fucis vtuntur mulieres, in succo pomi citrij dissoluta, & sublimato, vt nunc loquuntur, permista: sic enim facies splendidiores, & candidiores effici putant. Sed quia sublimatum atq; similia faciẽ contrahunt, & corrugant vi & acrimonia sua, eas pessime sibi consulere arbitror. Multo vtilius foret in pinguedine felis dissoluere. Huc accedit, quod hac fuci ratione tanquam crusta inducitur, cuius particulę si exiliant, atq; eximantur, turpissime fucus detegitur. Hanc Conchulam appellant petite porcelaine, eamq; equorum frænis & phaleris nonnulli accommodant. Ex ijsdem & gagatarum globulis mulieres monilia & cingula contexunt, præsertim viduę quæ luctus tempore non nisi nigris, candidisque ornantur. Sed quæ equorum ornamentis adduntur, crassiore durioreq; sunt testa: aliæ sunt tenuiore, & fragiliore. Vtræq; & candore & figura similes.

DE TVRBINE AVRITO, RONDELETIVS.



A B

Turbinem Auritum vocamus ob extremi alterius turbinatę partiad uersi latam vtrinq; appendicem. Est autem hic Turbo perelegans & rarus in mari nostro. Testæ volumina tuberculis extantibus, pulchro ordine dispositis distincta sunt. Horum imaginem imitantur aurifices in vrceis efformandis, addita basi.

DE TVRBINE PENTADACTYLO, ET TESSARADACTYLO, *Rondeletius.*



Inter Cochleas Plinius pentadactylos quosdã nominat. De his ne turbinatis intellexerit quæ proponimus, nescio. Illud sane omnibus notũ esse potest ex turbinatorũ definitione & natura, potius Turbines esse quos hic expressimus, quã Cochleas, cũ in longũ protendantur, voluminaq; scabra, & veluti striata habeant, cũ Cochleæ maximè rotundæ sint, & turbine cõpresso nõ extenso. Dicitur aũt Pentadactylus turbo, & quinq; habeat appendices longas & acutas, si extremũ turbinis annumeres. Alius est Turbo cui quatuor duntaxat sunt dactyli. Ex his turbinatis alij sunt albi, alij nigricant, alij varij sunt.

A B

DE TROCHIS, RONDELETIVS.



A B Hoc Turbinum genus à similitudine instrumenti quo lusitant pueri, Trochos appellamus. Alij sunt parui, qui à superiore, amplaq; parte statim in breue acumen deficiunt. Alij longiores. Omnes læues sunt & varij. Testa veluti crustis duabus constare videtur, externa minus nitet, quæ subiacet vnionum est splendore. Præter Trochos duos adiecimus aliquot diuersas stromborum formas, quarum aliç ad Buccinorum, aliæ ad Conchyliorum speciem accedunt. Vt nobis vitio verti merito posset, si quę in hoc genere illustria sunt, & à veteribus diserte expressa prætermitteremus: ita curiosius certe facere videremur, atq; superuacaneæ diligentiæ accusandi essemus, si omnia & minuta Cõchularum, Turbinum, Cochlearum genera persequi vellem. Si quis enim otio abūdans in marinis litoribus spaciari velit, & in saxa maris penetrare, totam istam rem in infinita varietate versari videbit. Genera igitur, & illustriores species cognoscendæ, atq; vt quęq; vel minutæ vel neglectæ, vel nominibus non expressę fuerint, ad genera sua erunt reuocandæ.

COROLLARIVM.

Turbinata in genere. Turbinata in genere dicta, στρομβώδη Aristoteli, sunt quęcunq; in volutas & anfractus, seu spiras, quales in prælis & torcularibus visuntur, (ἕλικας Græci dicunt, vnde ἑλικοειδῆ forte eadem quæ στρομβώδη vocari possunt,) testas suas quoquo modo reflectunt: sicut & cochleę, hæ enim omnes turbinatæ sunt, sed breuiores, rotūdioresq;: nec exeunt in mucronem suo turbine, vt strombi proprie & priuatim dicti, oblõgiores, species altera τῶν στρομβωδῶν. (Vide Rondeletiū in capite de Cochleis in genere, ꝙ reperies supra, pag. 229.) Hesychius non distinxit, strombum simpliciter cochlon interpretatus. Neq; Massarius: qui, Aquatiles cochleæ (inquit) sunt, quę Græcè strombi, Latineq; turbines communi alio nomine nuncupantur, quod ex amplo in tenue deficiant in vertiginem torti. Strombum alium esse à cochlea, vel ex Plinio manifestum est, lib. 32. Vuottonus. Vide in F. mox Theocriti versus, ceu synonyma strombum & κόχλον nominantis, ita nimirum vt genus ac speciem. Οἵ τε χερσαῖοι κοχλίαι, καὶ τῶν ἐν τῇ θαλάττῃ κόχλος, καὶ τἆλλα τὰ στρομβώδη, Arist. historiæ 4.4. Apud eundem libro 4. de partib. c.7. echini videntur turbinatis adnumerari. verba eius loci recitat Rondeletius: & cum alijs Aristotelis locis hunc non cõgruere ostendit. Michael Ephesius totum hoc caput præterit. Sed locum proferamus. Τῶν ὀστρακοδέρμων τὰ μέν εἰσι μονόθυρα, τὰ δὲ δίθυρα, τὰ δὲ στρομβώδη. καὶ τούτων τὰ μὲν ἕλικα ἔχοντα, οἷον κήρυκες: τὰ δὲ σφαιροειδῆ μόνον, καθάπερ τὸ τῶν ἐχίνων γένος. quod si τούτων pronomen ad στρομβώδη ceu proximum referas, vt fieri solet: & res ipsa postulat, si modo ad pręcedentium aliquod referre velimus: nam neq; μονόθυρα, neque δίθυρα ἕλικα habent: echinos quoq; στρομβώδεις feceris, sicuti Niphus facit. Albertus nullum hic pronomen habet, nec ad præcedentia refert: sed tanquam absoluta & noua diuisione: Quędam autem (inquit) inuolutionem spiralem habent, vt keryces: quædam autem sunt rotundi corporis, sicut hericius. Turbinata quidem non omnia ἕλικα habere. constat ex verbis Aristotelis de partib. anim. 4.9. Pars posterior (inquit) in mollibus adducta est ad anteriorem, sicut in turbinatis testatorum. In vniuersum enim testa, partim cum crustatis, partim cum mollibus conueniunt. Crustatis quidem, quod partem terrenam foris, carnosam intus habent. Figuram autem corporis eo modo quo mollia testata etiam quodammodo omnia habent: maximè verò è turbinatis ea quæ volutam habent, μάλιστα δὲ τῶν στρομβωδῶν τὰ ἔχοντα τὴν ἕλικα. (*Gaza vertit: quæ ex turbinatis cumulo in anfractum contorquentur.*) natura enim horum vtrorunque perinde se habet, quasi quis directa linea, (vt in quadrupedum ac hominum genere est,) primum extrema lineæ parte superiore os situm intelligat, qua, à. mox stomachum, qua, b. tum ventrem, qua, c. deinde intestinum, vsq; in ostium excrementi, qua, d. Hæc ita in sanguineo genere disposita sunt, &c. At vero mollia & turbinata, inter se quidem proximè constant, sed illis ecõuerso. finis enim ad principium flectitur, quasi quis lineam inflectendo (in circulum) adducat d. ad a. Cum enim ita partes interiores eis collocentur, (foris) ambit alueus in mollibus, τὸ κύτος: in testato genere, turbo, ὁ στρόμβος. (*Notandū quòd strombus & pro testa exteriore tantum, & pro animali toto accipitur.*) hinc fit vt excrementum meatu ori vicino emittatur, Hæc Arist. Helicen autem forte ea tantum habuerint, quæ turbinem, veluti pyramidis forma exeunt: alia, vt cochleæ quædam, lineas suas aliter digestas habent, circulorum fere forma: qui plures ita coniuncti sunt, vt minores à maioribus contineantur, quod in helicoide linea non fit. Vniualuibus biualuibusq; adnata est caro ad testas, turbinatis verò magis soluta, Arist. Turbinata omnia mouentur ac repunt, Idem.

A *Strombi.* His de Strombis priuatim dictis, vt supra monui, quædam adiungentur. Strombos igitur eosdem cū Strabelis & Astrabelis Athenæi (de quibus supra in Strabelis diximus) Rondeletius conijcit. Germanice cochleas & turbinata quoquo modo nominabimus *Schnecken*: Strombos verò priuatim *Straubschnecken, Straubenhorn, Spitze Rinckhorn, Schmale langlachte vnd gespitzte Schnecken.*

B Stromborum & chœriorum, aliorumq; conchyliorum, variæ sunt species ac longe diuersæ à nostris, Androsthenes in Nauigatione Indica.

C Testatorum alia in petris, alia in arenis degunt, vt Νηρῖται, στρόμβων τε γένος, Oppianus.

D Turbinis in concha aliquando cancellus hospitatur, de quo suo loco dictum est. - - στρόμβων δὲ δύσεις φιλέει μάλιστα. Οὕνεκεν εὐρεῖαί τε μένειν, κοῦφαί τε φέρεσθαι: Oppian. de carcinade, id est cancello. videtur autem strombi testā his versib. quam neritæ & buccini maiorē facere, eoq; cõmodiorem inhabitatu cancellis, Turbi-

Turbines (Strombi, non vt quidam legit Scombri) regem habent, cui se faciles ad obtemperandū præbent. Rex non modo magnitudine præstat, sed longe etiam & multum pulchritudine cæteris omnibus antecellit. Quod si commodum ei videatur demergi, hoc quidem ipsum primus facit: sin emergere, idem incipit: itemq; si commigrandum sit, ipse primus tentat, cæteri subsequuntur. Quicunque hunc regem ceperit, bene rem geret, omniaque ei commode cadent. Sed is etiam qui alium capientem viderit, alacrior & fidentior discedit. In vrbe Byzantio drachma Attica ei qui hunc comprehenderit, prēmium proponitur, à singulis in piscatione socijs conferendum, Ælianus de animalib. 7.32.

E Strombis & chamis quomodo inescentur purpuræ, in ipsarum historia exposuimus. Thymallus piscis non chama, non strombi tendine, (στρόμβου τένοντι.) nec alia esca hamo infixa, prēterquam culice, capitur, Ælianus 14.22. videtur autem in strombo tendinem appellare, partem solidiorem carnis eius, quæ sphondylus alio nomine in testatis dicitur. Strombus est è genere conchyliorum, quibus tubæ loco vtebantur: Scholiastes Nicandri. Vide mox in F.

F Τήνῳ δὲ (δῶρον ἔδωκα) στρόμβω καλὸν ὄστρακον, οὗ κρέας αὐτὸς Σιτάθην, πέτραισιν ἐν Ἰκαρίαισι δοκεύσας, Πέντε ταμὼν πέντ' ἐσσίν: ὁ δ' ἐγκαναχήσατο κόχλῳ, Theocritus Idyllio 9.

G Contra dorycnij venenum strombi auxiliantur, Nicander. In aceto putrefacti lethargicos excitant odore: prosunt & cardiacis, Plinius. Strombi carnes tritæ, & in mulsi tribus heminis pari modo aquæ aut, si febres sint, ex aqua mulsa datę, hydropicis medentur, Idem.

H. a. Ad strombum & re & nomine accedit Germanicum *Strub.* Vide in Cochlea in genere H. a. pag. 235. Νηρῖται, στρόμβοι τε, Nicander Colophonius. Στρόμβος, κοχλός, ῥόμβος, περιφερὴς λίθος, Hesychius. Στρόμβον δ' ὡς ἔσσευε βαλών, περὶ δ' ἔδραμε πάντῃ, de Aiace lapidem proijciente Homerus, Iliad. ξ. videtur autem strombum nominasse instrumentum puerilis ludi, quod alij rhombum vocant: de quo plura leges supra in Corollario de Rhombo, inter Passeres, Strombites lapis dictus est ab aquatilibus eiusdem nominis, Ge. Agricola. interpretatur autem Germanice, *Schneckenstein*: malim ego *Straubenstein*. Et alibi: Strombites (inquit) assimilis est cochleæ aquatili. ex amplo enim in tenue turbinis instar deficit, in spiram à dextra tortus. is interdum est breuis, interdum longus dodrantem, intus candidus: extrinsecus terræ, in qua nascitur, colorem assumit. reperitur autem in Saxonia ad Hildesheimum, &c. Memini ego apud pharmacopolas quosdam demonstratum agapis nomine lapidem paruum, turbinis seu cochlidis figura: in mucronem exeunte, colore subruffo. talem Christophorus Encelius pingit, libri de lapidibus c.43. nec rectè chelonitin appellat.

g. Aduersus vesparum & apicularum ictus naturaliter opitulatur veneranda, & viuifica strombi conchylij imago in sigillo ferreo exsculpta, & plagę appressa. non enim permittit amplius inflammationē generari, Aetius 13.11.

DE STROMBIS DIVERSIS.

Rondeletius speciem vnam è strombis suis (in capite, De Turbinibus intra Spongias viuentibus,) porcellanam paruam nominat. Sed aliud & peregrinum porcellanę paruę genus est, de quo inter conchas egimus supra, in fine pag. 282. & fine sequentis. puto autem peregrinum, solidiorem semper, & crassiorem esse: & si candore & vsu, quo equorum frenis accommodantur, non differunt forte, species etiam nonnihil differt. nam peregrina turbinata non est. Vt pentadactylus strombus quidam Rondeletio est, sic & purpuræ species eodem cognomine Bellonio. Qui tuberosus à Rondeletio cognominatur strombus, pollicis magnitudinem nunquam excedens, à figura qua glandem quodammodo refert, Germanice *Eichelschneckle* vocari poterit. Trochi nomen quibusdam Rondeletius finxit: sed Trochi, id est, Rotæ Aeliano belluæ quædam marinæ sunt. Flumina etiam & lacus cochleas paruas generant, quarum testa longiuscula in acutum desinit stromborum modo: de quibus leges supra inter cochleas, pag. 243. Rondeletij verba, & subsequentis Corollarij initium. Strombi lacuum nostrorum cornicula non protendunt. foramina quædam in eis tanquam oculi apparent. pars circa os & ventriculum ruboris aliquid & sanguinis habet.

DE STVRIONE.

STVRIONIS historiam abunde prosequuti sumus in Acipensere A. elemento. hic quæ postea obseruauimus, aut nacti sumus, adijcientur. Recentiores aliqui pro Sturione Stirionem aut Storam scribūt. Sed alius est Scurio à recentioribus quibusdam in Austria & Hungaria dictus. Philelphi sententiam, Sturionem Attilum esse, Iouius redarguit. Sturiones esse lupos veterum aliqui putarunt: quoniam piscatores Romani hodieq; sturiones lupos appellent, &c. Idem Iouius: qui falsam hanc persuasionem plenissime refellit. (Vide supra in Lupo A.) Torsionem quoq; Plinij, Aristotelis phocęnam esse, longe alium à sturione piscem abunde ostendit. Non dubiū est quin Circassi (inquit Cæsar Scaliger) cęteriq; Mæotidis accolę Sturionem oxytynchum vocent. gluten nanq; quod ex eo fit, colla xyrychi dicitur ab illis. Cęterum & Rondeletij sententiam probamus, quæ Sturionem putat Acipenserem: & doctissimo atq; optimo viro vt assentiamur, faciunt Athenæi verba in septimo: qui similem quidem Galeo Rhodiensi dicit, sed rostro porrectiore: cuiusmodi sane Sturio est. Sturionis autem vocabulum Gothicum est, & ab ea gente in Europam inferiorem importatum. sic enim etiamnum vocant, *Stur.* Sarmatiæ fluuius Occa est, in quo tria genera tradunt Sturionum. Pro preciosissimo illum celebrāt, qui Bielaribitza nominatur. *Genera tria.* Fortasse hic sit Latus antiquorum. candidissima carne, Latus: non minus candida is ipse, quem modo nominabamus. hoc enim Sclauis prima pars significat nominis. (*Sigismundus Liber Baro, cum tria Sturionum genera in Occa Moscouiæ fluuio nominasset, Bielarsbitzam, hoc est album pisciculum, ab iis diuersum facit. Latus etiam cum Sturione nihil commune mihi habere videtur.*) Georgius Interanius Genuensis, qui totam vitę fabulam transegit apud Tartaros, in libello quem de Zygis scriptum reliquit, ait: quos

Antaceos pisces dicebant prisci: hoc etiam nomine suis temporibus, id est annis ante hunc (1557.) circiter quinquaginta, vocari consueuisse. nihilq; aliud, quam Sturionem esse species, Hęc Scaliger. Nos supra in Antacæis, husonem piscem sturioni cognatum, ab Vngaris Tock, nomine ad Antacæum accedente, appellari monuimus. Germanicum nomen Sturionis est *Stoer* vel *Stuer*: vnde *Stuerlein* diminutiuum, apud Saxones in vsu, de Sturione paruo: aliqui non recte acum interpretantur. Sunt qui Porcum vel Porcellum marinum nominent: Vide supra in Porcis piscibus. Hispani Suillum, (potius quam Sulium, vt Iouius scribit.) vide ibidem. A Gallis Burdigalæ Creac dicitur: quod (vt suspicatur innominatus quidam) eius caro quadrupedis carnem verius referat, quam piscis. A Polonis Czetzuga, vel Iesziotr. A Turcis Suruck, (vel Syruck, proferũt enim primam vt Germani suum ü. Galli u:) quod nomen ab oxyryncho factum video. Hippolytus Saluianus Iouij sententiam, silurum esse sturionem, acriter defendit: cuius opinionem qui nostra de siluro & glanide scripta legerit, nulli eruditorum approbatum iri confido. Sturiones, quemadmodum & truttæ, diuersarum specierum esse videntur. Affines eis oxyrynchi, octo cubitos excedunt nonnunquam, deferunturq; ad nos saliti è Caspio mari, Cardanus. Acipensis nomen ab oxyryncho factum videri potest, x. mutato in c. (vt ab oxys fit acutus) & r. in p. &c.

B Sturio magnos amnes perquam libenter subit: Propterea in Nilo, Tanai, & Danubio, Padoq; fluminibus maxime capitur, Iouius. Item in Rheno, Albi, & Tibisco seu Tissa Vngariæ. In lacu alluente Suerinum non procul Oceano Germanico, siluros (*Sturiones intellige*) etiam inuentos esse aiunt, Simon Paulus Suerinensis. In Caspio mari siluri (*Sturiones*) & moroni vulgo dicti capiuntur, Scaliger. In Albi aliquando capiuntur tanti, vt libras ducentas appendant, singulas sedecim vnciarum, ni fallor. Referunt aliquando captum, sexaginta supra ducentas librarum pondere: à Io. Friderico Principe electore, totidem florenis (florenus denarios argenti septem cum dimidio valet) emptum.

Sturionis caput quadratum est, & ad effigiem paruę pyramidis protensum. Os illi est sine maxillis, sine dentibus, diuersum penitus ab reliquorum piscium forma, idq; (*parte supina*) sub mento in ipsa prope iuguli parte ad similitudinem fistulæ harundineę rotundum, semperq; patens, & cartilagineum, & summe candidum: cuius hiatum in proceriorib. hasta brachij haud facile impleret. Cæterum totũ caput dura potius & callosa cartilagine quam certis ossibus constat: quod ex lento quodam & præpingui mucore concretum esse videtur. Naribus autem omnino, quę illi pertenues sunt supra rostrum, refrigeratur: quum branchijs omnino latis careat, & si quam hauriendo recipit aquam, illam eodem prono ore statim regerit. Toto autem dorso crassiores quędam squamæ ossea duritie, certo numero ordineq; distinctæ, intercurrente spinę acie ad elegantiam eminent, vti in magnificentioribus valuis hodie videmus: quas ferrei atq; inaurati claui certa serie confixi decentissimè figurant. Cæteræ corporis partes cuticulari & scabro admodum operimento potius quam perpetuis squamis integuntur, idq; ad subviridis atriq; coloris speciem, Iouius.

Piscis apud Liuones Vulgo *Dorsl* dictus, partim ad Sturionem, partim ad Vuelsum, id est, Silurum accedit, vt audio.

C Sturio nunquam fere, vel certe rarissimè, in prœalto mari capitur, Iouius. Naribus refrigeratur: quum branchijs omnino latis careat: & si quam hauriendo recipit aquam, illam eodem prono ore statim regerit, Idem. Dum escam quærit, more suis terram sub aquis fodit, Isidorus. inde Sturionis forte nomen imposuere Germani, quibus *Stoeren* verbum, cœnum aut vadum aquæ fodere & commouere significat.

Sturiones magni & parui ex Oceano in Albim ascendunt, in quo tamen non proficit, sed paulatim contabescens perit. Circa Pentecosten plurimi & gregatim aduentant: maximè inter Pentecosten & diui Ioannis diem, Kentmanus. Fœturam eius in aquis dulcibus gliscere negant. De viribus & robore eius, leges mox in E.

D Sturionem aliqui piscatores ad Rhenum, regem seu ducem Salmonum appellant. vbi enim is apparet, salmones multos adesse indicium facit. Pisci quem Zigam Germani vocant (*ein Zige de quo ad finem operis dicemus*) valde infestus est Sturio: eumque è mari expellens, per flumina persequitur, agilis ille & velox semper præuenit. eo capto visoue piscatores, quin in proximo Sturiones sint, non dubitant, Kentmanus.

E Sturiones constat retibus capi, nunquam verò hamis, præsertim si cubito maiores fuerint: eosque piscatores referunt magno impetu plagarum sæpe maculas dilatare & abrumpere cõsueuisse: propter eaque accidere vt hamis non capiantur, quoniam sturiones lambendo sugendoq; potius, quam vorando, inepto ad escam corripiendam ore, sine controuersia alantur, Iouius. Memini ad Sanctogoarum patriam meam cis Rheni ripam, non procul à gurgite illo per Conradum Celtem poetam celebrato, capi interdum Sturiones. eosq; vidi viuos aliquot, præsertim ęstate & sub autumnum, retib. talibus, in quibus Salmones capiuntur, duplicatis vel etiam triplicatis trahi nauigio ad litus, cum magno clamore piscatorum, plerunq; longitudine tredecim aut quindecim pedum. Os habet hic piscis fere rotundũ sub rostro, per quod piscatores restim densam immittunt, ac ita in Rheno piscem alligatum diebus aliquot viuũ detinent, Iustinus Goblerus. Sturio in aqua validissimus piscis est: & in terra quoq; cũ ventri innititur. Cauda concussa hominem vtcunq; robustum, prosternit, vbicunq; contigerit. perticas etiam magnas & ligna per medium frangit. In terram extractus, lapides aliquando tanta vi caudæ ferit, vt ignis exiliat, attritu nimirum officulorum, quibus toto corpore mucronatis horret. Quamobrẽ caute tractandus est à piscatoribus, ne vel crura eis confringat, vel retia disrumpat. Peritiores in aqua captũ reti ad ripam impellunt, ita vt rete, non aduersum, sed ad latus ei sit: secus enim rete vel sextuplex laniaret. Cum ripam attigere, caput eius omni contentione in altum leuant, & piscem totum in latus declinant: sic enim robore suo nocere non potest, Kentmanus. Quo tempore apud Saxones & Misenos rosaria florent, sturiones præcipuè capi audio. Quæ sequuntur ab Argentinensi quodam sene piscatore accepi: quanquam Argentinæ vix vnus aut alter intra plurimos annos sturio capiatur. Sturiones (inquiebat) nisi dormientes capiantur, ne retia omnia dilanient, periculum est. Olim in Rheno mihi & sociis sal-

ciis sal-

cijs salmonum capturæ causa nauigantibus, sturio visus est corpore aliquantulum prominente: quem, cum non moueretur, magno fune circuniecto in nauim pertraximus. Paulo post experrecti rostrum vnus è nobis securi amputauit, vnde extinctus est piscis: & funibus per os duobus traiectis ligatus, in lintre in vrbem à nobis deductus, & in piscatorum tribu omnibus qui numismate collato spectare volebant, demonstratus, Hæc ille. Puto autem eundem hunc sturionem esse, cuius nunc etiam in piscatorum publica domo pictura è vico spectatur.

F Antuerpiæ sturiones plures quotidie visuntur in frusta secari, & in vasis, quæ tonnas vocant, sale condiri, ac ita per annum in cibum seruari, Iust. Goblerus. Sturionem (inquit Iouius) maria gignunt, sed flumina maxime nobilitant. pinguescit enim dulcium aquarum haustu, subagrestemq; illum saporem exuit, qui prœalto in mari concipitur. Non omni tempore autem grauissimus est, vtpote qui in medijs tantum solstitij feruoribus laudetur. Pogius doctoris Pogij filius, in senectute non modo eruditus, sed vsque ad iracundiam in conditura ferculorum morosus, & vehemens parasitus, quum sturionem apud antiquos lupum fuisse & ipse crederet, in pontificijs, quas maxime sectabatur, cœnis, dicere solebat, veteres insulsum habuisse palatum, quod tantopere Lupum celebrassent. eum enim carnes habere cum præduras, tum multa glutinosioris succi exuberantia insuaueis: quæ prius appetentes satient & expleant quàm delectent. Propterea non domini, sed familię potius mensis apponendum esse censebat, vno tantum excepto capite: *Caput:* cuius elixi & leucophago conditi latebras & recessus omnes ipse furcula simul ac digitis auidissimè scrutabatur. Tiberim subeunt Sturiones & pinguioribus aquis gaudent, tantoq; sapidiores sunt, quanto magis à maris litoribus recesserint. Lurcones & diligentissimi quiq; ganeonum paruos Sturiones, quos Porcelletas appellant, repudiatis maioribus, consectantur. *Porcelleta.* Luporum prętenerę sunt carnes, Sturionum non item. Nobilis quidam coquus aulæ procerum ingeniosissimus, Lupos altilibus capis comparabat, Sturiones verò pauonibus. Hucusq; Iouius. Cauendũ est ne pisces magni & duræ pellis, vt Rex, (*Raia*,) Delphinus, Sturio & similes, recentes capti edantur: sed tandiu reseruentur, & maxime euiscerati, donec absq; corruptione substantiæ tenerescant, Arnoldus Villanou. Sunt & viscera quorundam: quia pinguia, grata: velut sturionum, balænarum, delphinorum. *Viscera.* nam non solum sapore, sed & odore quasi violæ commendantur, Cardanus. Lautissimus piscis est sturio, paruus, magnus, recens, salsus. probe autem conditur croceo vel caryophyllorum coloris iure, quod fit è vino, saccharo, defruto (vt sic dicam) cerasorum, pipere, zingibere, caryophyllis, vuis passis maioribus & paruis. Si croceus color placet, pro cerasorum defruto, amylum cum croco additur: vel placentæ ex farina cum melle ac piperis modico subactæ. Sacchari loco aliqui mel coctum addunt. Tomi quidem maiores sturionum aprugnam referunt aspectu: eodemq, modo parati mensis locupletum aliquando inferuntur, Kentmanus. Maxime nunc gratia est Cephalorum ouis, quæ Gręco nomine passim oà táricha, id est salita nuncupantur. *Oua.* Secundum oà táricha eminet cauiarium, quod ex Sturionum ouis in Ponto conficitur, ita vt salita in massam ingentem cogantur, & cadis includantur. cruda ea comedimus, vel in panis crustulis ad prunas vstulatis. modico enim igne salsamenta in vniuersum indigent, authoritate Athenæi: qui quum de celeriter factis loquimur, in prouerbium cessisse ait, Citius quam salsamenta coquantur: sicuti de asparagis Latini vsurparunt. Cauiaria Iulio II pontifici maximo mirifice placuerunt, quod deiectum ei ciborum gustum sępius alleuassent: & siti, vinisq; pariter, vt in senibus accidit, mire lenocinari viderentur. Sunt etiam in summa commendatione ex ipsis Sturionum pulpis Spinalia, sic vulgo nuncupata quæ laricinis (larіginis) lignis assimilantur. Laudant & Moronem, ignoti nobis piscis (*Sturioni cognatus est, Husonem Germani vocant*) prædura frusta valdeque rubentia: *Huso.* quę Mæotidis paludis accolæ mercimonii caussa transmittunt. Ea prius exedi commode nõ possunt, nisi aquæ calidæ perfusione molliantur, Iouius. Cauiario dicto è sturionum ouis per omnes ad Orientem regiones Turcæ ac Gręci vescuntur: Iudæi abstinent, quod hic piscis absq; squamis sit. Cæterum accolæ Tanais, qui magnum cyprinorum numerum capiunt, ex ouis eorum salitis Cauiarium rubrum pro Iudæis, Constantinopoli vsitatum, parant, Bellonius.

Svs marinus. Vide supra in Porcis marinis, Lolligo, diriq; sues, Ouidius.

Syænam piscem Gręci recentiores chœrillam interpretantur, hoc est, porculum, Hermolaus in Plinium. Oppiano lib. I. Syæna circa petras lepradas degit. Λεπτάδες, ἠδὲ κίῤῥις τε, σύαινά τε καὶ βασιλίσκοι, scilicet συνέμονται. Idem nimirum est Hyæna piscis, de quo scripsimus in H, elemento, pag. 441.

Syagridvm, Συαγρίδων, meminit Epicharmus, Athen. Has ne quis cum synagride confundat, cauẽdum. Syagros quidem Gręcis aper est, quem & capron dicunt. de capro autem & caprisco piscibus actum est suis locis. vterq; per metalepsin syagros etiam aut syagris dici poterit: sed capros magis syagros: capriscus, syagris.

DE SYNAGRIDE, (VEL SYNODONTE, QVÆ SYNAGRIS *adultior ei videtur*,) *Rondeletius*.



A ΣΥΝΑΓΡΙΣ Græcis dicitur, Gazæ dentex, quo etiam nomine σωιόδοντα conuertit: quia ſynagridem & ſynodontem, eundem piſcem eſſe exiſtimet. Græci quidam etiam hodie vocant σωαγρίδα. Italis dé-tale dicitur. A Maſſilienſibus denté. In Gallia noſtra Narbonenſi marmo: pro mormyro oſtenditur ven diturq;. Admonere hic oportet ab ichthyopolis noſtris ſcarum Ariſtotelis dente vocari, à dentibus magnis & latis. ne quis hunc noſtrum denté cum dentali Italorum, & ſynagride vel ſynodonte con-fundat.

B Synagris piſcis eſt marinus in litoribus & eorum ſaxis degens: corporis figura auratæ, vel erythrino ſimilis, pinnis quoq; & aculeis, & ſquamis, & colore: nam ex albo rubeſcit: ſed maculis veluti punctis aſpergitur. Capite magis eſt compreſſo quam aurata, vel pagrus. Quaternos in vtraque maxilla dentes caninis ſimiles habet, inter alios paruos eminentes: internas partes ſicuti ſuperiores piſces, (*hepatus, nouacula, erythrinus, pagrus.*) Lapides in capite. In Adriatico mari in inſignem magnitudinem accreſcit, in noſtro litore auratam non ſuperat.

A Sunt qui ſynodonta non genere quidem, ſed ſpecie à ſynagride differre arbitrentur. Athenæus enim libro. 7. ex Epicharmo tanquam diuerſos ponit Σωαγρίδας μαζέας τε, σωιδοντάς τε ἐρυθροποικίλους. alibi (lib. 8.) ſynodontis meminit ſine ſynagride. Ego vero ſentio ſynagridem & ſynodontem ſola ætate dif ferre, (cui ſimile quid in auratis & coracinis prius annotauimus,) vt ſynagris dicatur minor & iunior: ſynodon, maior: vnde ſynagridas μαζέας, id eſt, vt opinor, delicatas & teneriores nuncupauit Epichar-mus. minores enim piſces, & qui ætate non multum proceſſerunt, molliores & delicatiores ſunt grandioribus. Synodontem verò ἐρυθροποικίλον, cum varietate rurſum, ſiue rubrum, quem Numenius vocat μέγαν & λεῖον: quod epitheton cum erythropœcilo pugnare videri poſſet. verum λεῖον Numenius vocat, à ſubiecto & veluti primo colore, qui albus color, cum tanquam punctis rubeis aſperſus ſit, ἐρυθροποίκιλον ab Epicharmo dicitur. Sunt in ſynodontis capite lapides, vnde ſynodontides (*melius ſynodontiæ*) gemmæ Plinio lib. 37. c. 10. Hac in ſententia de ſynagride & ſynodonte permanebo, quoad alius differentiam aliquam ſiue notam præter ætatem, qua diſcerni poſſint, oſtendat. nullam enim aliam hactenus inueni.

A ſynodonte diſſerat.

Charax.

Σωιόδες καὶ χάραξ τὰ μὲν αὐτῶν ῥώμης εἰσὶν, διαφέρει δὲ ὁ χάραξ, inquit Athen. lib. 8. Eiuſdem generis ſunt σωιόδες & charax, præſtantior autem eſt charax, cuius iconem non propono: in noſtro enim mari non reperitur, neq; ab Ariſtotele Plinioue vlla huius facta eſt mentio, ſed ab Athenæo breuiter tantum, vt dictum eſt, & ab Æliano.

DE DENTALI SEV DENTICE, (SYNODONTE,) Bellonius.

Exhibita Synodontis à Bellonio icon, cum ea quam Rondeletius dedit, ſatis conuenit, pinna dorſi excepta, quam Bellonius vniformem (qualis & in noſtra icone apparet) & pluribus aculeis munitam oſtendit.

A A dentibus caninis atq; exertis (qualis habet Cinædus) ſuam Dentalis deſumpſit appellationem, Synodontes (*Synodus vel Synodon*) Ouidio mutuata à Græcis nomenclatione dictus, noſtri litori admodũ rarus, aut eo nomine ignotus: de quo ſic Oppianus:

Denticem Boces, Hippuros ſallit Iulus.

B Piſcis eſt latus, ferè circinatus, & veluti planus, in tantam plerunq; magnitudinem excreſcẽs, vt ſex (A) libras pendat. Communium tamen pondus, trium aut quatuor librarum eſſe ſolet Dentex Columellæ pelagius piſcis eſſe cenſetur, qui & arenoſo gurgite optime paſcitur. Pinnam gerit in tergore continuã viginti ſpinulis ſeu ariſtis refertam, quę ad caudam deſinit: ac rurſus aliam ab vmbilico verſus caudam protenſam: præter eas quæ vtrinq; ad branchias feruntur, ac rurſum duas alias quę illi ſub ventre ſunt. Cæterum bifurca eſt eius caudæ pinna. Denticis caput in acumen faſtigiatum eſt: oculi vt Melanurus prægrandes, ſquamæ latæ, branchiæ vtrinq; quatuor. Venæ in lateribus ſeu lineæ octo, rectæ, varij coloris, id eſt, ex leui rufo nigricantes, atq; in fuſcum elangueſcentes. Ea autem linea quæ piſcibus vtrinque in lateribus data eſt, Dentici non multum arcuata comperitur. Linguam mollem habet: Dentes in ſuperiore maxilla quinq;, in inferiore octo, exertos omnes: reliquum maxillarum denticulis deinceps ſerratum eſt.

F Illyrij atq; Epirotę Dentales (quos plurimos circa Quadrageſimam capiunt) in caudam ac caput diuidunt, & cum ſquamis, ex aceto & ſale addito croco incoquunt, inde gelu conficiunt: quod quum iã incoctum eſt, doliolis condunt, & fretum traijcientes, ad Anconam & alias vrbes deferunt: atque hoc pacto tres & quatuor integros menſes illeſos ſeruant, quos deinde publice diuendant.

B. Diſcrimen ab aurata.

Dentici magna eſt cum Aurata ſimilitudo: ſed mox diſcrimen comperies, ſi quidem exteriores brãchias ſpinoſas eſſe perceperis: prętereà tegumentum perpetuo Dentali rubet, neq; cilia habet aurea.

(A) Genuinam & antiquam vbiq; retinet appellationem. Grandis & adultus frequentior quam paruus, ita vt mihi puſillos Dentales raro vidiſſe contigerit.

DE SYNAGRIDE, BELLONIVS.

Iconem non dedit.

B Synagridem vulgus Græcum optimis notis à Synodonte diſtinguit. Dentex enim magis recurto eſt corpore. Synagris Cyprini in modum, veluti circino ita circunductus, vt pro longitudine ac latitudine magis craſſus appareat. Caput vtrinque compreſſum habet, pro ſua craſſitudine planum ac latum, oculos quemadmodum in ſerpentibus elatos: tergus aciei oculorum ſubiectum, quod huc atq; illuc ſi quando commoueat, varios colores edit. Caput habet veluti aureum, & lineas verſicolores complures per ſquamas, quarum nonnullæ cæruleę ſunt, aliæ aureæ, deinde ſubnigræ, mox virides, vel his coloribus commixtæ. Verum ea quidem linea quæ latera interſecat, eo modo non variat nigra enim eſt. Proin-

Proinde ſquamis contegitur corui, rotundioribus & latioribus ſed tenuioribus. Caudam gerit admodum bifurcam, & pinnas laterum valde in acutum deſinentes, arundinis alæ in modũ oblongas. Pinnam aliam in tergore continuam gerit, vicenis ariſtis communitam, quarum quæ capiti finitimæ ſunt, firmiores atque acutiores conſpiciuntur. Vmbilici pinna denis ariſtis conſtat: quarum duæ priores, alijs fortiores comperiuntur. Narium foramina circa oculorum fontes illi ſunt pertia. Dentes canini, vt Synodontis, in ſuperiori & inferiori maxilla, quorum quatuor prę cæteris alijs longiores eminent. Quum autem maxillas coniungit, dentes pyxidatim in alterutram coeunt. Linguam exerit albam, oblongam, & modicè compreſſam. Cor habet ſub branchijs anguloſum, diaphragmate interſeptum: Hepar pallidum, in duos lobos diuiſum: quorum dexter ſiniſtro maior eſt, ſub quo fel includitur, duos digitos longum, gracili veſicula incluſum. Lutea ſunt eius inteſtina, præter rectum quod inter cætera candicat. Stomachus quoque illi eſt oblongus, per ventrem protenſus, ex cuius ſumma parte propter œſophagum tres tantum appendices ſiue apophyſes numerantur. Lienem, vt iuniperi bacca, orbicularem habet, à ſtomacho dependentem, firmis venis alligatum: Vuluam vtrinque bicornem, per longitudinem ſpinę exporrectam, ouis innumeris refertam.

Synagrides circa Corcyram (quò in loco nomen antiquum apud vulgum retinent) calamis decipi E A) conſpexi. rarò enim naſſis decipiuntur, ſæpius tamen euerriculis.

Synagridibus veſicæ ventoſæ (quæ piſcibus datę ſunt ne immergantur) geniculo interceptę comperiuntur: quod cæteris piſcibus marinis, aut ſaltem paucis, minimè accidit. B

Quum itaque Synagris Latinum nomen non habeat, non eſt quòd eum Denticis nomine ob confuſionem appellemus. A

COROLLARIVM.

Imago hæc Denticis, Venetiis picta eſt.

Synodontẽ & SYNAGRIDEM alij pro eodem accipiunt, alij diſtinguunt: ego vtrumq; vna hiſtoria concludam, ſed SYNAGRIDIS nomen maiuſculis ſubindè literis ſcribam: vt ſi quis de eo cognoſcere ſeorſim velit, expeditius inueniat. Synodon piſcis, vel ſynodus, vt alij ſcribunt, vtrique in prima per y. vel, vt alij, ſinodõ, per iota, (Vide infra in H. a.) alius eſt quam ſynodontis dictus in recto ſingulari, gen. fœm. vltima acuta ſynodontis: hic enim pelamis magna eſt: vt dictum eſt ſuprà in Chelidonia, pag. 222. & dicetur pluribus infrà in Thunno. Synodonti à dentibus nomen factum eſt: vnde & à Columella Dentex vocatur: & à recentioribus quibuſdam Dentalis, vel etiam Dentale (vt à Platina) neutro gen. vulgi Italorum imitatione. Synodontes, & SYNAGRIDES, Latinè Dentices dicuntur: tam ſimiles ſunt, vt Ligures, & Maſſilienſes vtroſque Dentices: contrà Græci, eoſdem vtroſq; SYNAGRIDES, nominent. Hiceſ. dicit Pagrum, Chromin, Anthiam, Synodontem, & SYNAGRIDEM ſimiles eſſe, Gillius. Synodontes, Latinè Dentices vocantur. quorum alterum eſt genus ſimile, SYNAGRIS Græcè vocatum, quam item (*vt & Synodontem*) Denticem Theodorus interpretatur, Maſſarius. Videtur autem & ipſe genus ſimile dixiſſe, ſicut & Gillius propter Hiceſij verba: qui tamen nec forma ſimiles, nec magnitudine pares hos piſces dixit, nec aliter inuicem comparauit, quam nutrimenti ratione, vt iudicauimus in Orpho B. Solet enim Hiceſius apud Athenęum non corporum formarumque ſimilitudines tractare, id quod Speuſippus facit in lib. Similium, ſed eas duntaxat quæ ad nutrimẽtum pertinent rationes perſequi: & in prænominatis etiam piſcib. eũ facere, ex ijs quę infert nemini dubiũ eſſe poteſt. Siue igit forma ſimiles ſint, ſiue nõ ſimiles ſynodon & SYNAGRIS, nutrimẽtũ ex eis ſimile eſt. nempe dulces ſunt, ſubaſtringũt, abũde alũt; ideoq; etiã difficilius excernuntur. Ma-



gis autem alunt ex eis qui carnoſi ſunt, magiſque terreſtres, (ſicci,) ac minus pingues, inquit Hiceſius. Iam cum & Ariſtoteles diuerſis in locis his duobus nominibus vtatur, qui vbique ferè de vna re vocabulis eiſdem vti ſolet, nec ludere ſynonymia aut copia vocabulorum, diuerſos eſſe piſces exiſtimandum eſt. Sed Epicharmus quoque pro diuerſis habuit, his verbis: ΣΥΝΑΓΡΙΔΑΣ μαζῶς τε, συνόδοντάς τε ἐρυθροποικίλας. Quamobrem meam potius inſcitiam, & alterum ex his duobus piſcem, præſertim SYNAGRIDEM, mihi ignotum fateri, quam clariſſimos veterum authores inſcitiæ inſimulare malim.

Saluianus SYNAGRIDEM hodie à Græcis vulgò dictam, omnino ſynodontem eſſe, neq; notis vllis, niſi fortè quas ætas, temporiſue aut loci varietas attulerint, differre ſentit. Veterũ autem SYNAGRIS (inquit) quinam piſcium ſit, quoue Latino nomine, aut vulgari nomenclatura vocetur, haud nobis hucuſque notum eſt: ſuſpicamurque neque etiam in poſterum cognitum fore: propterea quòd nec nomen eius, nec quæ ei authores tribuunt, vllam ad id coniecturam afferant. Idem in Tabulis ſuis duo hæc nomina piſcium ſimilium, non vnius facit: cum Hiceſius tantum, vt dictum eſt, nutrimenti ratione ſimiles faciat. Bellonius ſcribit vulgus Græcum SYNAGRIDEM optimè à Synodonte diſtinguere, &c. cuius verbis & ſententiæ, vt qui magnam Græciæ partem peragrârit, interim acquieſcam, donec alius fide dignius aliquid protulerit. Fragolinos (*ſic puto vocant tum phagros tum erythrinos*) quum ſeſquipalmi magnitudinem exceſſerint in dentices ſiue ſynodontes euadere communis piſcatorum conſenſus exiſtimauit, Iouius. Dentex corporis figura ac partibus ferè omnib. phagro ſimilis adeò eſt, vt non facile ab inuicem internoſcantur. ſunt qui credant eos ætate ſola atque magnitudine differre, ita vt vnus & idem piſcis minor & iunior exiſtens, phagros: ad ſeſquipalmi verò magnitudinem adultus, dentex appelletur, Saluianus. qui in altero ſui operis De aquatilibus libro, quomodo dentex à phagro diſtinguatur, in hiſtoria de Phagro edocturum ſe addit. Author de naturis rerum, & Albertus, hos piſces confundunt: Dentex (inquiunt) vel pagrus à re nomen habet, quia dentes habet magnos, &c.

Phagros.

Μαζοί.

In verſu Epicharmi ΣΥΝΑΓΡΙΔΑΣ μαζῶς τε, συνόδοντάς τε ἐρυθροποικίλας, Rondeletius interpretatur SYNAGRIDES delicatas & teneriores, vtpote minores ætate, &c. Saluianus quoque, lautas. Ego μαζὸν adiectiuum hactenus non reperi, & μέζως potius legerim, id eſt maiores. nam & alibi μέζονες pro μείζονες idem author, citante Athenæo, protulit. Natalis à Comitibus μαζῶς legit, & vertit papillas, quàm rectè, ipſe viderit. res ipſa quidem & ſenſus poſtulat, vt piſcis vel nomen vel epitheton ſit, papilla neutrum eſt. μαζὸς alioquin, ſicut & μασὸς, mamillam ſignificat, θηλὴ papillam. Scio mazã aliquando pro placenta vel panificij delicatioris genere accipi, (quanquam & ſimpliciter farinam ſubactam, & aliquid pane vilius ſignificat, vt in prouerbio ἀγαθὴ καὶ μάζα μετ' ἄρτον:) vnde verba μαζᾶν καὶ ὑπερμαζᾶν, pro τρυφᾶν, καὶ ὑπερτρυφᾶν. μαζὸς verò vlla ſignificatione adiectiuum eſſe nego: ſi tamen eſſet, maſculinum eſſet, nec conueniret ad fœmininum ſynagrides. Μαζινὸς quidem adiectiuum eſt apud Varinum: Μαζινὸς ἄρτος, ὁ ἐξ ἀλφίτων. Sed hæc ad grammaticos. Aliæ ſunt SYAGRIDES, quarum itidem Epicharmum meminiſſe paulò poſt Athenæus ſcribit eodem lib. 7. verba autem eius non recitat. Vide ſuperius ſuo ordine. SYNAGRIDES quidem cur appellentur aliqui piſces, non facile dixerim: niſi fortè, vt conijcio, gregales ſunt, quemadmodum & ſynodontes: διὰ τὸ συναγείρεσθαι, καὶ συναγελάζεσθαι, ἢ καὶ ὁμοῦ ἀγελάζεσθαι. SYAGRIDES verò alij nimirum piſces, ab aliqua ad ſyagrum, id eſt aprum, ſimilitudine. SYNAGRIDI quidem hodie apud Græcos dictæ dentes quatuor cæteris longiores eminent: quod cum verre & apro ei commune eſt. Idem Synodonti dentes caninos exertoſque eſſe ſcribit, ſicut & cinędo: vnde ſynodontem quoque, tanquam cynodontem dictum conijcias: & cinædi quoq; nomen inde detortum.

Syagrides.

Vulgaria nomina.

Synodontes ſunt qui vulgo dentales vocantur, Maſſarius Venetus. Maſſilienſes (inquit Rondeletius) Synagridem Dentè appellant, quod nomen circa Monſpelium aliqui propter ſimilitudinem Scaro attribuunt. Sargum, Auratam, Synodontem, Dentalem, &c. Bellonius adeò ſimiles eſſe ſcribit, vt vix ab oculatiſſimo diſtingui poſſint. Hi omnes communi Bremæ marinę vocabulo nobis venire poterunt, adiecta aliqua coloris aliaue differentia. Synodontem ergo interpretor, *ein rotlachte Meerbrachſmen art, ein Zanbrachſme, ein Zanfiſch.* Noſtri ichthyopolę quandoque ſynagridem pro mormyro vendunt: qui admodum frequens apud nos non eſt, ſed Romæ & Neapoli frequentiſſimus, Rondeletius.

B Columella 8. 16. de piſcinis ſcribens, dentices Punicas & indigenas nominat. Synodum (*Synodontem,*) probant ex Illyrico, Dalmatiæque litoribus, & præſertim ex Salona atq; Tragurio, Iouius. Herculeæ mullum rupes (*dant,*) ſynodontas Amalphis, Actius Syncerus Neapolitanus. Circa Caput viride (Noui orbis) piſcati ſumus dentales, Aloiſius Cadamuſtus. Synodus & charax eiuſdẽ generis ſunt, præſtat vero charax: Diphilus Siphnius, qui tamen non de formarum, ſed alimentorum ſimilitudine loquitur. Synodontes proximi ſunt auratis (forma, verum maiores, Maſſarius) & pagris. habent enim prominulos dentes: & ſunt lati, ſubrubraque varietate conſpicui, Iouius. Fuluos ſynodontes Ouidius dixit, nimirum vt Oppianus ξανθοὺς ἐρυθεῖνους, Wottonus. Numenius λεῦκον (λευκὸν) καὶ μέγαν συνόδοντα, id eſt, album & candidum ſynodontem. Synodontites gemma è cerebro piſcium eſt, qui ſynodontes vocantur, Plinius. Eſt autem ſynodontites adiectiuum nomen maſculinum, vt ſubaudiatur lapis: ad gemmam ſi referas, fœm. genere ſynodontitis efferri poteſt. Recentiores quidem coruinam gemmam tradunt reperiri in capite coracini vel ſynodontis: ſed ineptè. nam qui è coracino eſt, coracinites potius quàm ſynodontites vocari debebat. nos plura de eo in Coracino. Dentex vel pagrus dentes habet magnos, multos ac duros, Author de natur. rerum. Hunc piſcem recentiores Dentatum vocant: & habet dentes antè, ſuperius & inferius, æquales ferè, ad modum dentium hominis, qui inciſores (*Bellonius caninis comparat, cuius authoritas maior*) vocantur, diſpoſitos. Sed inferiorem mandibulam habet ex duob. oſſib. compoſitam, ſicut & homo. Piſcis eſt ſquamoſus, non magnus, palmo tamen maior: figura piſcis qui bonachus (*lego monachus, cui etiam Naſum in Danubio piſcem comparat. eſt autem capito ſi.*) vocatur: niſi quod caput minus craſſum habet, & aliquãto latior eſt. Abundat in mari iuxta Romã, & Apuliam, & Siculo, Albert. Dentale noſtra ætate dictum putant, quod dentes ferè exertos habeat, quibus

quibus & piſcatores interdum lædere conſueuit. Senſere Antiatis cicatrices in digito acceptæ, à Dentali vulnera infligi. Oratæ ſimilis eſt, Platina. Synodon quaternas habet vtrinque ſimplices: Fel verò à iecore ſemotum, & inteſtinis commiſſum, Wottonus ex Ariſtotele. ſed Ariſt. lib. 2. cap. 13. SYNAGRIDEM, non Synodontem branchias, eaſque ſimplices habere ſcribit: & rurſus cap. 15. Synagridi, non Synodonti, fel eo modo ſe habere, vt dictum eſt.

C Synodon piſcis litoralis eſt, Ariſtoteles. Ἀλκισταὶ συνόδοντες, id eſt, Robuſti ſynodontes (*nam & magni ſunt, & dentibus plurimum valent, vt in B. dictum eſt*) in petris & arenis paſcuntur, Oppianus. Nec ſi Columella & Ouidius, ſecus ſentire videantur, (ille Denticem pelagium faciens, his verbis: At arenoſi gurgites, planos quidem non peſſimè, ſed pelagios melius paſcunt, vt Auratas, ac Dentices: hic verò piſcibus qui pelago gaudent, eundem annumerans:) eis aſſentiendum eſt: cum diuturna piſcatorum obſeruatio, Ariſtotelis & Oppiani, potius quàm ipſorum ſubſcribat opinioni, Saluianus. Synodontes carniuori tantum ſunt, Ariſtoteles hiſtoriæ 8. 2. Et mox: Synodon carne veſcitur, & mollia (μαλάκια) appetit. Euenit plerunque & huic & hiatulæ, vt dum piſces minores inſequuntur, venter procidat, propterea quòd piſcium venter iuxta os poſitus eſt, nec gula ſubeſt. Hoc cur ita accidat tum his, tum alijs quibuſdam piſcibus maioribus, dum nimia auiditate perſequuntur minores, Rondeletius copioſè explicuit in Channa. Dentex graſſatur in oſtrea & piſces innoxios, Author de natura rerum, & Albertus.

C Synodontes gregales ſunt, Ariſtoteles hiſt. 9. 2. Φῦλα πολυαστερέων συνοδόντων, Oppianus dixit. Dentices (Οἱ Συνόδοντες) tam congregatiles ſunt, vt nec ſibi eſſe à gregalibus ſuis æqualibus ſolitudinem & ſegregationem ferant. Solent autem iuxta ætatum diſcrimina degere: ac nimirum peradoleſcentes ſeparatim à reliquis natant. ij quoq; qui ſunt confirmatiori ætate, etiam inter ſe vitæ communitate coniunguntur, ita vt congruant prouerbio, Æqualis æqualem delectat: & præſentes præſentibus tanquam ijs quibus cum ſocietas aut amicitiæ coniunctio ex conſuetudine vſuque frequenti coaleſcit, delectantur. Aduerſus piſcatores autem ſic machinantur, vt cum piſcator in eos cibum demiſerit, congregati & in orbem conſiſtentes inter ſe conſpiciant, & quaſi ſigno dato inter ſe, admoneant ne propè ad cibum accedant, ne ve demiſſum cibum attingant, atque in hunc ordinem inſtructi permanent. Sin autem ſoliuagus ex alio grege acceſſerit, hamumq; deuorauerit, ac ſuæ ſolitudinis præmio accepto ſubtractus fuerit, confidentiores efficiuntur, tanquam capi non poſſint: ſicque præ nimia fiducia negligentiores facti, capiuntur, Ælian 1. 46. ex tertio Halieuticorum Oppiani ferè. De polypi cum Dentice pugna, Alberti verba recitaui in Corollario de Polypo D. ad finem.

E Bôce ineſcatur ſynodon, Oppian. 3. Halieut. Quomodo capiantur proximè in D. Æliani verbis expoſitum eſt. Τοῖσί κε θωΰησαιο (aliâs θηρήσαιο) φυγεῖν (alias λαβεῖν) λελιημένος ἰχθῦς, Ἠ' ὁ μέγαν συνόδοντ', ἢ ἄρνα δ' τὴν ἵππουρον, Numenius de eſcis loquens, vt conijcio.

F Dentices multum alunt, Pſellus. Synodontes duram habere carnem tradit Xenocrates: ſed ſuccum creare bonum, mediocriterque nutrire: faciléque & in corpus digeri, & aluum mouere, Wottonus. Hiceſio contrà ſubaſtringunt, & morantur aluum, &c. vide ſuprà in A. iuxta (F) in margine. ego quidem Hiceſij ſententiæ ſubſcripſerim. Synodum (*Synodontem*) probant ex Illyrico, Dalmatiæque litoribus, & præſertim ex Salona atque Tragurio: quæ gentes conciſum in fruſta, & ſemicoctum multo croceo & perſpicuo gelu condiunt, cadiſque includunt, ita vt toto fermè anno per omnem Italiam, & Romæ idem aduectitius & recentiſſimus habeatur. Id genus autem obſonij medici magnopere deteſtantur, & ante alios Petrus Aponenſis. Is enim piſces ſemel coctos aſſeruatoſque, & præſertim vaſorum concluſos operculis mortiferam qualitatem adquirere, mandenteſque certo plerunque veneno inficere, ratione atque experimento deprehendiſſe affirmauit, Iouius. Dentale vt Stirio coquitur, Platina. De Dentice patina deſcribitur ab Apicio lib. 4. cap. 2. Et rurſum ius in Denticem aſſum ac elixum, lib. 10 cap. 11. Συνόδων ὀπτός ab Antiphane cum alijs lautiſſimis obſonijs nominatur. Αὐτὰρ (τὸν) συνόδοντα μέν, ὃν ζητεῖ (ζητεῖς) παχὺν εἶναι, Ἐκ πορθμοῖο (è freto Siculo) λαβεῖν πειρῶ καὶ τοῦτον ἑταῖρε, Archeſtratus. Ὀρφὼν, αἰολίαν, συνόδοντά τε, καρχαρίαν τε Μὴ τέμνειν, μή σοι νέμεσις θεόθεν καταπνεύσῃ. Ἀλλ' ὅλον ὀπτήσας παράθες, πολλὸν γὰρ ἄμεινον, Plato comicus.

Gelu.

H. a. Piſcis hic συνόδους appellatur à Diphilo Siphnio: ab Ariſtotele hiſtoriæ 8. 2. συνόδων, per ypſilon in prima: alibi verò per iôta σινώδων, vt eiuſdem operis 8. 13. & 9. 2. non placet tamen o. magnum in penultima ſcribi: cum apud idoneos authores ſemper o. breue eo loco reperiamus, & ita originis ratio poſtulet, & poetæ corripiant: & apud ipſum Ariſtotelem hiſt 8. 2. primum σινόδοντες, deinde etiam συνόδων legamus in noſtra æditione. Admonet autem Athenæus quoque primam huius nominis per iota ſcribi à Dorione, & Archeſtrato. nec deeſt, cur ita ſcribatur, ratio: nimirum παρὰ τὸ σίνεσθαι καὶ βλάπτειν τοῖς ὀδοῦσι. eſſe quidem noxios eius dentes, in B. indicatum eſt. Per ypſilon vero συνόδους, quaſi κυνόδους dici videtur. nam, vt ſcribit Bellon. caninis dentes ſimiles habet, eoſque (vt picturę oſtendunt) non quidem coniunctos, ſed magnis interuallis diſpoſitos: cum συνόδους dici poſſe videatur, qui coniunctos denſoſque dentes habeat, (vt συνόφρυς, qui & μιξόφρυς Cratino, apud Pollucem:) qui verò contrà, raros, μανόδους. Ὅσοι γὰρ πλείους (ὀδόντας) ἔχουσι, μακροβιώτεροι, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ εἰσιν: οἱ δ' ἐλάττους, καὶ ἀνόδοντες, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ βραχυβιώτεροι, Ariſt. Hiſt. 2. 3. hic pro ἀνόδοντες lego μανόδοντες. quod & ſenſus requirit: & Theodori interpretatio comprobat. Ὀδοὺς pro dente, communis linguę vocabulum eſt apud Græcos, ὀδὼν verò Ionicę: ab vtroque genitiuus fit ὀδόντος. Ab ὀδὼν Ionico compoſita ſunt προὔδων, χαυλιόδων, ἀμφόδων, χαλκόδων, & ſimilia, Euſtath. in Il. Λ. Eadem omnia puto communi lingua per ους efferri. Ζῷον χαυλιόδουν vocatur ab Ariſt. lib. 3. De partibus, cui dentes ſunt exerti, (ſic Homerus κάπρον ἀργιόδοντα dixit, Iliad. 1. alibi verò ſubſtantiuè ipſos dentes exertos χαυλιόδοντας nominat. Hiſt. enim 2. 10. ὀδόντας μεγάλους καὶ χαυλιόδοντας legimus. Νωδὸς (id eſt Edentulus) dicitur, qui dentem non habet, apud Eubulum & Phrynichũ, quem Pherecrates ἀνόδοντα appellat. cui verò dentes prominent, προὔδων dicitur: & προὔδους de fœminis, Pollux lib. 2. apparet autem προὔδους, communis eſſe generis, προὔδων maſculini tantum.

Epitheta.

Synodontes fului, Ouidius Συνόδοντα λεῦκον Numenius dixit: nimirum à recto in ους. quem generis communis eſſe, cum adiectiuè ſumptum, vt modò indicauimus, tum pro piſce, conijcimus: quamuis

pro piſce

pro piſce plerunque ſemper maſculino gen. vſurpetur. Α'λιστὴς σαυρίδοντες, Oppianus. SYRENÆ nominantur apud Varronem De lingua alicubi, tanquam Conchyliorum quorundam nomen Latinum, non ſumptum à Græcis, à quibus Pelorides, oſtreas, &c. Latini mutuati ſunt. Vernacula (inquit) ad ſimilitudinem ſunt, vt Syrenæ, pectunculi, vngues. Ego in hac voce aliquid corruptum ſuſpicor. nam ſi Latina eſt, cur prima per ypſilon ſcribitur?

DE AQVATILIBVS AMIMALIVM, T. CONSONANTE INITIALI SCRIBENDIS.

DE TÆNIA, RONDELETIVS.



H.a. TAINI'A Græcis faſcia eſt, qua in ſignificatione Galenus & Hippocrates in lib. de fracturis vſus eſt ſæpius. Significat & redimiculum ſeu vittam, qua puellæ noſtræ capillos redimire ſolent, quam ſeruatis Latini nominis veſtigijs noſtri vette vocant. Sed à faſciarum ſimilitudine dicuntur tæniæ lapides ſub aquis candicantes, in longũ porrecti, quales ſunt in ſinu maris noſtri non procul ab oſtijs Rhodani à nautis formidati, quas Græci vocabuli imitatione tiniez appellant.

A Ab eadem faſciæ ſimilitudine piſcis ταινία vocatur, quam Gaza vittam interpretatus eſt. Plinius tæniæ vocabulum retinuit. A noſtris piſcatoribus flambo vocatur, id eſt, flamma, quia colore eſt rufo, ſiue flammeo: vel quia cum natat flammæ modo moueatur, & flectatur. A quibuſdam ſpaſe, id eſt, enſis nominatur, à figura. Capite enim lato eſt, reliquo corpore in acutum paulatim deſinente. *Vitta.*

B Tæniæ differentias duas obſeruaui. Vna vera eſt Ariſtotelis tænia. Alteram ſimilitudinis cauſa tæniam etiam vocabimus. De tænia prius dicemus. Piſcis eſt faſciæ ſimilis, id eſt, longo, tenui, ſtrictoq; corpore, ac flexibili longorum piſcium inſtar: corporis tenuitate, carnis ſapore & candore buglosſo ſimilis. Capite eſt depreſſo, oſſibus multis conſtante. Oculis magnis, rotundis, pupilla exigua. Ad branchias pinna vtrinque vnica, ad natandum data. In prona parte villos habet, ad caudam vſque, & in eoſdem cauda terminatur. Tantæ eſt renuitatis, vt oſſa vertebrarum ſpinæque quibus firmatur, carne tecta appareant.

F Craſſum lentumque ſuccum gignit: quia carne eſt dura & glutinoſa, cuiuſmodi ſunt longi omnes qui flexuoſo corporum impulſu vtuntur.

A Hanc veram Ariſtotelis tæniam eſſe affirmamus, quia tenuis, longa, candida, pinnas duas duntaxat habens, vt ſcribit Ariſtoteles, lib. 2. de hiſt. cap. 13. Οἱ μὲν πλείοσι τέτταρας πτερύγια ἔχουσι: οἱ δὲ τρεῖς μένει, οἷον ἔγχελυς, ἀφίων ὄντα στρὸς τὰ βράγχια, ὁμοίως δὲ κεφαλῆς, οἷον ἐν Σιφαῖ οἱ ἐν τῇ λίμνῃ, δύο, καὶ ἡ καλουμένη ταινία ὡσαύτως. Piſces plurimi pinnas quaternas habent: longi autem, vt anguilla, binas, iuxta branchias: & mugiles lacus Sipharum itidem binas, ſimiliter & quæ tęnia dicitur. Præterea buglosſo ſimilis eſt, teſte Speuſippo: ſed hoc differt quod oculos in prona parte non habeat, ſed vtrinque vnum.

DE ALTERA TÆNIÆ SPECIE, RONDELETIVS.



A TAINI'A alia eſt cui nomen hoc, vel faſciæ, aptiſſimè quadrat. eſt enim tenuis & longiſſima, quippe
B quæ ad duum triumue cubitorum longitudinem accreſcat. Corporis ſpecie, priori ſimilis eſt: eo verò differt, quod præter pinnas quæ ad branchias ſunt ſitę, duas alias habet ſub maxilla inferiore rufas, cuius coloris ſunt villi dorſi caudaque. Præterea quinq; maculas habet in parte prona, purpureas, rotundas, certo ſpatio à ſeſe diſtantes, quales ferè in ſolea oculata. Squamis caret, aculeisque. Ob id fortaſſe de hac intelligendus Oppiani locus ταινίαι ἀβλαχρεῖ, id eſt, imbecillæ. Colore eſt argenteo. Ventriculum magnum habet, & longum. Inteſtina recta, ſine vllis gyris ad anum porrecta. Cor compreſſum. Hepar ex albo rubeſcens. Lien & fel vix ob paruitatem apparent. *Lib. 1. ἁλιευτικῶν.*

F Carne eſt dura, glutinoſa, malum ſuccum gignente. Hanc tæniam rectè dici perſpicuè indicat corporis longa & faſcię ſimilis figura. Nam medici etiam longos latoſque lumbricos ταινίας vocant, quę etiam κόλεκας dicuntur.

B Tęniam noſtrę ſimilem Piſis mihi oſtendit Portius philoſophus grauiſſimus, quam ad ſe è Gallia miſſam narrabat: ſed cęrulea erat, dentibuſque maioribus, quæ à pictore præter piſcis naturam adiecta fuiſſe arbitror.

RVR.

RVRSVS DE ALTERA TÆNIÆ SPECIE, EX BELLONII

libro: quam ipſe vulgari Venetis nomine, falcem appellat: quaniuis exhibita ab eo figura, propter illas veluti crenas, quibus (inquit) in gyrum ſerrata eſt, & aſperam in lateribus lineam, cum Rondeletiana non conueniat, vt tertiam hanc Tæniæ ſpeciem ſuſpicari liceat.

Alia eſt Bellonij Tænia. Vide in Corollario A.



Antequàm planos ac latos piſces aggrediamur, commodus hic mihi locus viſus eſt, vt de Venetorum Falce antiquis (vt puto) minus cognita, diſſeram: quando & mollis eſt, (in quo & ad Aſellorum genera accedit:) & glaber, atque oblongus: ita tamen cartilagineus, vt perfrixus vel aſſus in quoddam veluti glutinum reſoluatur. Vnde ab omnibus ferè menſis exploſus, nullum præterquam formæ (qua ruſticam Falcem aliquo pacto imitari videtur) nomen vulgo Italico retinuit. noſtro autem litori planè inuiſus eſt: ac quanquam alijs à Veneto litoribus (præſertim Italicis) reperiatur, tamen aut propter eius vilitatem, aut capitis turpitudinem (vnde Marmotum plerique vocant) certum nomen ſibi adipiſci nunquam potuit. Quamobrem apud Tenedum audiui vulgum Græcè falsò Anthiam nominare: alios in Italia Colpiſcẽ, (*à ſuccо glutino'ſo, in quem reſoluitur dum coquitur. nam colla gluten eſt:*) alios ſicut libuit. B (A) (F) A

Cæterum in vlnæ longitudine, palmi latitudinem non excedit. Mollis, polypi modo, coloris argentei: vnicam in tergore pinnam, eamque continuam: duas ſub branchijs, & totidem ſub ſterno oſtendit. Totus in gyrum quibuſdam veluti crenis ſerratus eſt, atque in lateribus lineam habet aſperam: ſubrubra eſt eius tergoris pinna, grandes oculi, deforme caput, vt ſimiam eſſe dicas, (*quod marmoti vocabulo vulgus indicat.*) B

Hæc Bellonius in lib. ædito. Cæterum anno ſuperiore cum hac iter faciens varijs de rebus mecum conferret, hæc inſuper narrabat: Arimini piſcem quem Falcem nominant, apud Conſtantium Felicium Durantium medicum inſignem ſe vidiſſe: tenuem adeò vt cibo penè ineptus ſit, nam cum latus ſit (inquiebat) & inſuper tenuis, penè tranſparet. Spinam (dorſi) vertebris munitam habet. Pinna quæ à capite incipit, ſupra tergum ad caudam protenditur. Quòd ſi caudam diligentius inſpexeris, vitrarij penicillum refert: quoniam ſicca cum fuerit equinas imitatur ſetas. Argentei coloris eſt aridus hic piſcis. Is quem vidi, digitos latus ſex, quinque palmos longus erat. ore prægrandi, ſine dentibus: & ſolus in quo nullam ſubtus (*ab ano*) pinnam obſeruauerim.

COROLLARIVM.

Tænia piſciculus dictus eſt à gracilitate, & longitudine, Hermolaus. Germanicè nominare licebit Tæniam primam Rondeletij *ein Bendel*: quod eſt faſcia: ſecundam verò, *ein Sechelfiſch*, id eſt, falcem. Sed alia eſt Bellonij Tænia, de qua ſup. inter Paſ. pag. 672. verba eius retuli. Numerat autem eã inter Soleæ ſpecies *ein kleine tünne Zungen art*. Eadem puto eſt, de qua Gil. Tenia (*prima melius per æ, ſcribitur*) quæ nunc ab Hiſpanis Azedia nuncupatur, Soleæ ſimilis, ſed minor ac ſtrictior eſt. Sittardus olim indicabat, piſcem qui Romæ Pecten, vulgò Pectenortzo vocaretur, doctis quibuſdam videri eſſe Tæniam. Pectinem autem Romæ, vt puto, aliqui vocant Citharum Rondeletij ſiue primum, ſiue ſecundum potius: qui tamen citharum ſuum primum Romæ folio nominari ſcribit: vt Bellonius Tæniam ſuam, Sfolio ibidem vocari, quod nomen Veneti attribuant Soleæ. & hic quidem piſcis planus eſt, & de genere τῶν ψηττοειδῶν: ſed pinnarum numerus facit, vt Tænia eſſe non poſſit. Alij etiam alium Pectinem in Italia vocari mihi retulerunt, piſciculum rubicundum, eodem quoque colore pinnis præditum: vna longa per dorſum continua: altera ab ano ſatis longa: binis ad branchias, totidem in ventre. ſquamoſum vt pictura præ ſe ferebat, & ſimpliciter piſcem, neque planum, neque longum. capite ſupra os eleuato ſimoq;. Deniq; Saluian. Nouaculã Rond. Romæ peſce Pectine, vel Pettine & in pleriſq; alijs locis Raſon vocari tradit. Sed horum nullus Tænia eſſe poteſt. Arnogloſſum quoque vel Soleam lævem Bellonij, aliqui Tæniam eſſe putarunt: quorum ſententiam ipſe in Arnogloſſo inter Paſſeres refellit. Ego Rondeletij ſententiæ acquieſco: quanquam nonnihil me remoratur, quod tæniæ ſuæ primæ carnẽ duram & glutinoſam eſſe ſcribit, quæ craſſum lentumque ſuccum gignat: & ſecundæ ſimiliter, quam etiam malum ſuccum creare ait. quam (ſecundam) & Bellonius ab omnibus ferè menſis explodi tradit, &c. Epicharmus verò apud Athenæum tænias quanquam tenues gracileſque, gratiſſimas tamen & ſuaues eſſe prædicat, his verbis: καὶ φίνταται (ſic etiam Euſtathius legit, & interpretatur φίλταται) ταινίαι, λεπταὶ μέν, ἀβέαιαι δὲ, κωλίγκε πυρός. (F) A B C F

Tæniæ plurimæ & optimę (καλλίσται) naſcuntur ad Canopum iuxta Alexandriã & in Seleucia quæ iuxta Antiochiam eſt, Athen. Speuſippus ſimiles inter ſe piſces facit, paſſerem, buglosſum, & tæniam. Ταινίαι ἀβλαχρεῖ, id eſt Tæniæ infirmæ, ſeu molles, piſces ſunt litorei, Oppiano lib. 1. Halieut.

Mythæcus in Opſartytico, Ταινίαν (φησὶν) ὑπηθιλίξας, τὴν περφαλεὰν ὀστοπωλοῦσαν, ὀστοπωλοῦσαν καὶ τομὰν τεμαχίας, καπτόχει τυρὸν καὶ ἔλαιον. Verbum ὑπηθιλίξαι Natalis de Comitibus enucuate interpretatur: aptius puto exenterare dicturus: πλὴν καὶλέων καὶ τοῦ ἔντερα ἐξωμοῖσθαι. Dioſcorides lib. 2. in Salamandra ἐξεντερίζειν dixit. Vide plura paulò antè in fine ſegmenti A.

Tæniç

G Tæniæ iecur ſiccatum pondere x. (*denariorum nimirum*) IIII. cum oleo cedrino perunctis pilis IX. menſibus, pſilothrum palpebrarum eſſe putatur, Plinius lib. 32. cap. 7.

H. a. Tæniæ, ταινίαι, ſunt faſciæ & cingula, quibus mulieres vtuntur. Inde ταινιόπωλις Eupolidi ſignificat mulierem huiuſmodi faſcias & zonas vendentem, Athenæus & Euſtathius. Aliquando tænia faſciam denotat, qua caput religabant & coronabant. Sed plura, quod ad Philologiam, requires in Græcorum ac Latinorum Lexicis, & Euſtathij in Homerum Indice. Τενίαι per ε. apud Heſychium perperam & non ſuo loco legitur. Tæniola exiguum filum Columellæ, vnde forſitan noſtra tempeſtate piſcatores togniam ſuam appellant, niſi potius à tenendo, Nic. Erythr. eoſdem ab Æliano ἄσπρα vocari puto. nam Græci recentiores ἄσπρον pro albo dicunt. Canthari piſces gignuntur in locis quæ ἄσπρα nominant, Ælianus. Κάνθαρος δὲ πέτρῃσιν ἀεὶ λεπτῇσι μέμηκεν, Oppianus: qui has petras alibi (lib. 1. Halieut.) leprades vocat. Ἄλλαι δὲ χθαμαλαὶ ψαμαθώδεος ἄγχι θαλάσσης Λεπράδες. alias deinde facit chamis & patellis plenas, Euſtathius confundit, Lepradem eſſe dicens ſaxum in mari, cui lepades, id eſt, patellæ innaſcuntur. Ab his ſaxis Æliano lib. 2. cap. 41. mullorum piſcium quidam λεπρώδεις cognominantur. ſed cum loca huiuſmodi ſaxa minuta & rara (πέτρας λεπτὰς καὶ ἀραιάς) habere ſcribat, crebraſque algas inter hæc interiectas & medias, vbi ſubſidet limus vel arena, alias quàm ἄσπρα ſeu tænias, intelligere videtur. Ταινία & κειρία Græcis tum faſcias, tum lumbricos longos ac latos ſignificant. Apud Comicum in Auibus quidam ait μὴ δεηθῆναι σπάρτης, κειρίαν ἔχων. hoc eſt, inquit Euſtathius, ſe non indigere fune, (σπαρτίνου πλέγματος,) cum habeat κειρίαν, ἤτοι δεσμὸν κλίνης. Vide Suidam in Κειρία. Aliqui inſtita & vincula ſepulchralia interpretantur. Aliqui primam per η. ſecundam per ει. ſcribunt. Κηρείαις, ἐπιθανάτια ἐντυλίγματα, Heſychius & Varinus.

Epitheta. Ταινίαι δολιχηραί, Oppiano. Λεπταί, ἀδεῖαι, Epicharmo.

TAGVMA neſcio quid Feſtus ex Plauto nominat, his verbis: Muriaticam video in vaſis ſtanneis, naticam bonam, & canatam, & taguma, quinas fartas conchas piſcinarias.

TAVLOPIAS, qui aliâs Aulopias. Quære ſuprà in Anthijs.

DE TELLINARVM PRIMA SPECIE, MINORE, RONDELETIVS.

A ΤΕΛΛΙ̑ΝΑΙ à creſcendi celeritate nomen habere videntur, ὅτι τάχιστα γίνονται τέλειαι. Idem retinuerunt Latini. Athenæus tamen à Romanis Tellinam μύτλον vocatam fuiſſe ſcripſit: quo loco Hermolaus μύτιλον legendum putat, vt Mytilus & Tellina idem ſint. Noſtri & Romani etiam Tellinas vocant. Veneti piſcatores, vt Hermolao viſum fuit, à capparis ſimilitudine capparoculas ſiue capparolas. Normani flion. (Lib. 3.)

Genera duo. Lib. 3. Tellinarum genera duo facit Athenæus, vt aliæ marinę ſint, alię fluuiatiles, vel quæ in fluuiorum oſtijs reperiuntur. Τελλῖναι γίνονται μὲν ἐν Κανώπῳ πολλαί, καὶ ἀπὸ τὴν τοῦ Νείλου ἀνάβασιν πληθύουσιν. ὧν λεπτότεραι μέν εἰσιν αἱ βασιλικαί, διαχωρητικαί τε καὶ κοῦφαι, ἔτι δὲ καὶ τρόφιμοι: αἱ δὲ ποτάμιαι, γλυκύτεραι, Diphilus. Tellinæ in Canopico oſtio (*circa Canopum inſulam in Canopico oſtio ſitam, Vuottonus*) multæ ſunt, & in Nili aſcenſu, (*Melius & ſub Nili inundationem* [*quam* Νείλου ἀνάβασιν *vocant authores, vt Plutarchus De placitis philoſoph. 4. 1.*] *abundant:*) quarum quæ tenuiores ſunt, regiæ vocatæ, aluum cient, ventriculo graues non ſunt: præterea bene nutriunt: fluuiatiles autem dulciores ſunt. Nos in Agathenſi ſinu differentias duas inuenimus: vnam earum, quæ minores ſunt: alteram earum quæ maiores, & rufi coloris, (*de qua proximo capite.*)

B De priore nunc agimus. Duplici teſta conſtat ſiue concha, vtraque ſimili, læui, valida & ſatis ſpiſſa, in ambitu ſerrata, qua de cauſa ad vnguem coniunctæ ſunt. Intus leuiter cauæ ſunt: caro alba, in qua μήκων cernitur.

C F Tellinæ in arena viuunt: ob id niſi, priuſquam coquantur, diutius in aqua agitentur, vt arenulæ excidant, veſcentibus moleſtæ ſunt. Parum coquendæ ſunt, ex aceto vel omphacio cum pipere comedendæ. Appetentiam excitant, ius ex eis aluum ciet. Dioſcorides: Recentes Tellinæ aluo vtiles, ſed maximè ius earum. ſalitæ vruntur, tritæque in cinerem, & cum cedria inſtillatæ auulſos palpebrarum pilos renaſci non patiuntur. (Lib. 2. cap. 8. — G — A)

Plinium aliquando pectūculos pro tellinis accepiſſe. Hîc obſeruandum pectunculos pro tellinis à Plinio quandoque videri acceptos, vt rectè mihi ſenſiſſe videtur Hermolaus vir acerrimi iudicij. Coniecturę quibus mouemur hę ſunt: Etenim quam vim Dioſcorides Tellinarum cineri tribuit, eandem planè pectunculis Plin. lib. 32. cap. 7. atq; ijſdem ferè verbis: Lepus marinus ipſe quidem venenatus eſt, ſed cinis eius in palpebris pilos inutiles euulſos cohibet, item pectunculi ſalſi triti cum cedria. (*Obſeruauit hæc etiam Maſſarius: Tellinas à pectunculis Hippocrates diſtinguit, Idem.*) Ne quis verò exiſtimet per pectunculos intellexiſſe pectines, quos Græci κτένας vocant, legat vltimum caput libri 32. in quo apertè, vtroſque diſtinguit. Pectines, inquit, maximi & nigerrimi æſtate, laudatiſſimi Mitylenis, &c. Et mox Alexandrię in Ægypto pectunculi. Quod etiam conuenit cum tellinis Ægypti quarum meminit Athenęus loco ante citato.

DE TELLINARVM SECVNDA SPECIE, MAIORE, *quæ Athenæi vel baſilica vel fluuiatilis videtur, Rondeletius.*

Bellonius non hanc, ſed primam ſpeciem, Tellinas baſilicas eſſe putat.



ALTERVM Tellinarum genus in litore Agathenſi ad oſtium Eraris fluminis inueni ſuperiori ſimile, niſi quod teſta ſit maiore, tenuiore minuſque ſpiſſa, & ex rubro flaueſcente, parte qua teſtæ colligantur in acutiorem angulum deſinente. Hanc Tellinā eſſe puto quam βασιλικὴν, id eſt, regiam appellat Athenæus: vel fluuiatilem, quia non niſi in fluminis oſtio reperi. (*Athenæus quidem baſilicam & fluuiatilem non facit eandem: ſed Rondeletius hanc, qua deſcribit, alterutram eſſe conijcit. Vide ad finem Corollarij.*)

E Dulcis eſt, vtpote quæ in aqua miſta minus ſalſa proueniat.

F Quemadmodum Athenæus lib. 3. ſcribit pueros Lepadibus & Tellinis in os ſumptis ludere tubæ ſonum imitantes: ita etiam hodie noſtri Tellinæ teſta altera dentib. admota, diductis labris ſonos eoſdem edunt, vt puerilis hic luſus per manus traditus, ad noſtros vſq; perueniſſe videatur. Neque ſolum Tellinis, ſed etiam Lepadibus ori adhibitis pueros ſonare author eſt Athenæus: Callias Mitylenæus (inquit) lib. de Patella Alcæi, apud Alcæum odam eſſe ſcribit, cuius initium eſt: Petræ & cani maris filia. ad cuius finem ſcriptum eſt: Ex patinis (*patellis* ἐκ λεπάδων) animum recrees, ô marina patella. Quo in loco pro λεπὰς, id eſt patella, Ariſtophanes legit χέλυς, id eſt teſtudo, aitque Dicæarchum non rectè legiſſe λεπάδας: ijſque ori admotis puellulos ſonare & ludere, quemadmodum apud nos Tellinis ſolent procaces adoleſcentuli, τὰ σπερμολόγα τῶν παιδαρίων. Sopater Phlyacographus etiam in Comœdia quæ inſcribitur Eubulotheombrotus, ſcribit, Quieſce, è Tellina repente ad meas aures ſuauis quidam ſonus illapſus eſt. (Lib. 3.)

DE TELLINARVM TERTIA SPECIE, *Rondeletius.*



MERITO tertij generis Tellinam eam eſſe dicemus, quæ figura ſuperioribus Tellinis tam ſimilis eſt, vt inter Tellinas numerandam eſſe nemo negare poſſit. His tantum differt: Colore eſt candido, teſta perſpicua & pellucida, ex additamentis multis conflata, intus læuiſſima. Tenuis eſt admodum, & ambitu magis rotundato.

DE TELLINIS MINORIBVS, BELLONIVS.

Concharum omnium minima Tellina Venetis, Romanis Tellina regia, Gallis Flion vocatur. Hanc non agnoſcit Lutetia: Raro etiam à Maſſilienſibus viſitur: Lesbi incolæ Chinades vocant. A

Ruſtici Romani in ſaccis per vrbem Tellinas circunferunt, quas modiolis diuendunt. Cum enim exiguo corpore conſtent, nec facile aperiantur, guſtuique gratæ ſint, mirum in modum ob id expeti, (F) bellariorumque loco aſſumi ſolent: quarum tenuiores atque exiliores (λεπτότεραι Athenæus) baſilicas, hoc eſt, regias appellant. Ichthyopolæ Veneti aqua marina demerſas in lagunculis adſeruant. Anconitani Calcinellos nominare malunt, idq; ad diſcrimen alterius conchæ quæ ab ijs Chalcene appellatur. B

Cæterum læuis eſt Tellinarum teſta, candida, nequaquam ſtriata crenulis tenuiſſimis denticulata, in longitudinem diffuſa & anguſta, mediocriter fortis, & quodammodo teres.

Locis arenoſis & litoribus frequenti fluctuum impetu agitatis reperiri, ac cum cæteris ſui generis de ſaporis principatu contendere ſolet.

Dioſcorides, Galenus & Paulus, Tellinarum decoctum, læuem ac lubricam aluum facere prodiderunt. Eſt autem earum caro mollior, quàm reliquarum conchularum. Harum quæ paulò plus extra aquam manſerunt, teſtas pandere, (*fortè, teſtæ ſe pandere*) hianteſque arenulas excipere ſolent, de quibus Romani meritò plurimum conqueruntur. Quamobrem multo meliores ſunt in vrbibus, quæ mari alluuntur, vt Venetijs & Ianuæ.

COROLLARIVM.

Has conchularum icones Venetijs accepi: quas puto Tellinarum generis eſſe: & magis quidem illam quæ A. literæ ſubijcitur: quamuis eam aliqui pro conchæ peloridis ſpecie accipiant: Alteram, ſub litera B. Veneti peueraz am à pipere cognominant.

A



B



A Athenæus dicit Romanos ſua ætate Tellinam nominaſſe Mytulum. Marcel. Dioſcor. interpres, Tellina opinatur conchulas eſſe, quas memoria noſtra Tellinas Romani vocant.

Sed Ariſtophanes grammaticus Tellinas dicit patellis ſimiles eſſe, eiſdemq; pueros pro cornibus vti ſolitos fuiſſe: à quibus longe diuerſæ Sole clarius videntur eæ, quæ vulgò Tellinæ nuncupantur, Gil. Ego Rondeletij & Bellonij ſententię ſubſcribo, qui Tellinas faciunt, quas & Galli Narbonenſes & Romani etiamnum ſic vocant. Qui tellinas interpretantur in Martiali poëta mitulos, impropriè locutos arbitror: cum aliud genus eſſe mitulos, aliud tellinas Dioſcoridis authoritate conſtet. Athenæus certe mytulos à Romanis vocari eas videtur exiſtimaſſe. Sunt qui tellinas & ctenia, id eſt pectunculos, idē eſſe iudicent, à celeritate creſcendi nominatas: ὅτι τάχιστα γίνονται τέλειαι. hoc eſt, ocyſſimè perficiuntur: quod Ariſtoteles tam pectunculis quàm purpuris tribuit commune. anno enim magnitudinem totam implent. Plin. certe medicinas, quæ à Dioſcoride de tellinis redduntur, ad verbū ferè pectunculis adſcripſit. Romæ circunferuntur puſillæ quædam conchulæ, quas qui vendunt, tellinas prædicant. Hæ vulgaribus conchis minores & læuiores ſunt, & candidæ, nec ſtriatæ: quas Veneti piſcatores à capparis ſimilitudine, capparoculas appellant, Hermolaus. Telinę (*Malim per l. duplex*) vel xiphydria aluum ſubdunt, &c. Oribaſius Collectorum 2. Vide ſuprà in Cochleis in genere H. a. pag. 234. (Τελλίνη, μίτυλος, ξιφύδριον, à Wottono pro ſynonymis habentur: Ἀντὶ τοῦ κόγχος ἀντέλλιν καλέομες. ἔστι δ' ἄδιστον κρέας, Epicharmus in Muſis: videtur autem tellinam intelligere. legendum forté, Ἀντὶ τοῦ κόγχου, ὃν τελλίνην καλέομες: verbū hoc Doricum eſt pro καλοῦμεν.

 Germani-

Germanicum nomen Tellinis præter conchularum commune, iam non inuenio.

B Aristophanes grammaticus patellas similes esse ait tellinis, Athenæus.

C Tellinæ locis arenosis proueniunt, & portubus (litoribus, Wottonus) qui sæpe fluctibus agitantur, Oribasij interpres.

F Suauissima tellinarum caro est, Epicharmus. vide proximè retro, in fine segmenti A. Paruæ illæ conchulæ à veteribus Latinis Mytili, à Romanis autem hodie Græco nomine Tellinæ nuncupatæ, bellariorum locum obtinent. sunt enim gratæ gustui: verum arenulis scatent, & propterea calculosis officiunt, Iouius. Tellinæ aluum subducunt. fluuiatiles maiores sunt, & plus succi habent, quales Ægyptiæ sunt. Elixatæ sunt dulces, earumque ius aluum soluit. clausæ verò sale sparguntur, & per testas humorem trahunt. frigida lauantur aqua, & ex oleo & aceto, vel menta, vel ruta comeduntur. Qui aluum soluere voluerint, eas solubili apparatu cum olerib. condient: quæ florem ætatis agunt, si comedantur, vêre sunt optimæ, Oribasius Collectorum 2.

Aretæus in curatione elephantis, in cœna apponi iubet marina quotquot ventrem subducunt, tellinarum iuscula, ostrea, &c. Idem in iliaco affectu: Aut medicatio fiat cum iure aliquo aluum subducente, cochleæ valde elixæ, & ipsarum succus, aut tellinarum, ἢ τελλίνης.

G Tellinas salsas (ταριχηρὰς) vstas cinerem relinquere aiunt causticum, adeò vt is cum cedria mixtus, & instillatus, euulsos radicitus palpebrarum pilos renasci prohibeat, Galenus de simplicib. medicament. 11.38. è Dioscoride. Idem ab eo repetitur libro 4. de compositione secundum locos. Ad pilos inutiles & pungentes in palpebris: Euulsis mox oblinito tellinarum tenuissimum puluerem, Archigenes eiusdem operis Galeni 4.8. Sed cineris quàm pulueris vis maior futura videtur. Cinerem earum casum pilorum in palpebris prohibere Oribasius affirmat, Iouius: nescio quàm rectè. quibus vacat, apud Oribasium inquirant.

H. e. Ἀλλ' ἴσχε· τελλίνης γὰρ ἐξαίφνης μέ τις Ἀκτὰς μελῳδὸς ἦχος εἰς ἐμὰς ἔβη, Sopater.

Fluuiatiles Tellinæ maiores sunt, & plus succi habent: quales Ægyptiæ sunt. Oribasius. Vt quæ in Ægypto & Nili superioribus partibus gignuntur, Wottonus: quæ verba si transtulit, vt videtur, ex Athenæi loco, Τελλῖναι ἀπὸ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως πληθύουσι, vertere debuerat: Tellinæ sub Nili inundationem abundant.

Basilicæ Tellinæ, hoc est, regiæ cognominatæ, Rondeletius suspicatur maiores & fluuiatiles: sicuti nuces basilicas dicimus pro iuglandibus: & vulgò chartam regalem, id est, basilicam, quæ maxima est, cognominant. Sed Athenæus cuius Græca verba Rondeletius recitat in prima specie Tellinarum: basilicas facit marinas, λεπτοτέρας, id est, tenuiores, vel simpliciter minores: (Hermolaus vertit, tenuiores exilioresque,) minus dulces: magisque ad alui solutionem, salsedine nimirum sua, idoneas. & fluuiatiles dulciores, vt quæ in Ægypto (Nilo) sunt, eis opponit. Oribasius quoq; marinas minores facit: fluuiatiles, vt Ægyptias, maiores. Quanquam autem fluuiatiles, vel propter magnitudinem, vel quia in cibo dulciores sunt, regiarum cognomen potius mereri videantur: minores tamen sic appellabimus, ne refragemur authoribus. An basilicæ marinæ salubriores sunt, (præsertim quæ in arenosis & fluctibus obnoxijs litoribus degunt, vt ferè solent:) quàm fluuiatiles dictæ? quanquam impropriè sic dicuntur, cum non tam in ipsis fluuijs, quàm eorum ostijs (vbi plurimum cœni aggeritur) reperiantur. Item quæ aluum subducunt, in sanitatis tuendæ ratione plerunque salubriora habentur: id quod marinæ faciunt, fluuiatiles non item. quæ cum dulciores sint, nutrire quidem amplius, sed citius saturare & fastidium sui inducere possunt.

Temachos, Τέμαχος Græcis dicitur, segmentum seu frustum piscis concisi. Vide suprà in Capite de salsamentis. Καὶ τέμαχος ἰχθύς, Varinus: quasi vel adiectiue etiam accipiatur τέμαχος, vel substantiuè piscis omnis magnus, qui in frusta seu tomos concidi soleat, sic appelletur: quorum vtrunque minus probo, magis autem quod subiungit, τεμαχίτας propriè vocari pisces magnos, & concidi (in frusta, εἰς τεμάχη) solitos. Cybium est concisa pelamis. Vel duo frusta rogat cybij, tenuemque lacertum, Martialis. Pro frustis assulas quoque dicere licebit. sic orcynum membratim & in assulas dissectum sale condiri, Rondeletius scribit.

Teragus paruus à Plinio nominatur lib. 32. inter piscium nomina ab Ouidio posita, quæ apud neminem alium reperiuntur. Cum autem in Halieutico Ouidij teragi nomen nusquam legatur: alij autem pisces omnes, quorum ex Ouidio Plinius meminit, licet corruptis nominibus quidam, in eodem poematio, inueniantur: conijcio omnino teragi nomen desiderari in hoc versu: Tū viridis squamis paruo saxatilis ore: vt pro squamis legatur teragus. aliter enim nullum eius piscis nomen haberemus accedit, quod nullus etiam alius paruus (vel paruo ore) ab Ouidio cognominetur. Nec probo si quis, saxatilis nomen ceu substantiuum piscis, in hoc versu accipiat.

Vidi ego piscem huiusmodi paruum, ore paruo, viridem, caudæ pinna indiuisa vt plerique saxatiles: turdorum generi, ni fallor, cognatum.

Teredo vermis est arrodens ligna, & præcipuè in mari sentitur, vt inquit Plinius. Idem probat Ouidius lib. 1. de Ponto: Estur vt occulta vitiata teredine nauis. ita enim corrigo locum. ex manuscripto, cum pro teredine hactenus malè lectum sit putredine, Ge. Fabricius. Sed vermis hic in ligno innascitur: & quanquam naues in mari erodat, marinus tamen dici propriè non potest.

DE TESTVDINIBVS SCRIPTA HOC ORDINE SEQVVNTVR.

EX RONDELETIO.

Testudinum genera quot: & eorum, quod ad nomina, distinctio.
De Testudine (marina prima) corticata.

De Te-

De Testudine (altera marina) coriacea, siue Mercurii.
De testudine cornigera, siue Troglodytica & alba. *De Testudine Lutaria.*
BELLONII *De Testudinibus scripta dedimus circa finem Appendicis De Quadrupedibus ouiparis.*

COROLLARIA.

I. *De Testudinibus in genere: quibus etiam nonnulla simpliciter de Testudine prodita adduntur, cum ad quam potissimum speciem referas, non constet.*
II. *De Testudine marina.*
III. *De Testudinibus marinis diuersis, siue simpliciter, siue pro regionum duntaxat & magnitudinis discrimine.*
IV. *De Testudinibus dulcium aquarum, Lutaria & Fluuiatili.*
V. *De Testudine terrestri.*

IN LIBRO NOSTRO DE QVADRVPEDIBVS *ouiparis capita hæc sunt.*

De Testudinibus in genere. *De Testudine terrestri.*
De iis quæ in aqua dulci viuunt, siue palustri, siue fluuiatili.
De Testudine marina.

DE TESTVDINIBVS, (TESTVDINVM GENERA QVOT, ET EORVM QVOD ad nomina, distinctio,) Rondeletius.

De nominibus Testudinum in genere, præsertim μῦς & ἐμύς, leges etiam infrà, in Testudine coriacea Rondeletii, A. item initio Capitis de Testudine lutaria.

A Testudinum quatuor sunt genera, si Plinio credimus, qui lib. 32. cap. 4. hæc scripsit. Geminus similiter victus in aquis terraque & testudinum: effectus quoq; pari honore habendi, vel propter excellens in vsu pretium, naturæque proprietatem. Sunt ergo testudinum genera, terrestres, marinæ, lutariæ, & quæ in dulci aqua viuunt: has quidam è Græcis emydas appellant. Ne quis verò emydas easdem cum lutarijs esse existimet, Plinium quatuor genera distinguentem audiat, aliquanto post: Ex quarto genere testudinum, quę sunt in amnibus, diuulsarum pingui cum aizoo herba tuso, admisto vnguento & semine lilij, ante accessiones perunguntur ægri præter caput, &c. *In fine eiusdē capitis.* Aristoteli duo duntaxat genera esse videntur, testudo terrestris & marina, ac videtur χελώνης nomine testudinem terrestrē propriè intellexisse: cum enim de marina loquitur, θαλαττίαν χελώνην semper dicit: quam vero testudinem lutariam siue murem aquatilem vertit Gaza, μῦν vocat Aristoteles, nisi mendosi sint loci. Hæc ex libro 5. de histor. animal. perspicua fiunt, quum de testudinum partu loquitur: *Cap. 33.* Ἡ μὲν χελώνη τίκτει ᾠὰ σκληρόδερμα καὶ δίχροα, ὥσπερ τὰ τῶν ὀρνίθων. Testudo oua durioris testæ, & bicolora edit, quale ouum auium est. Deinde Ἡ δὲ μῦς ἐξιοῦσα ἐκ τοῦ ὕδατος τίκτει ὀρύξασα βόθυνον πιθώδη: Mus aquatilis siue testudo lutaria in terra scrobe effossa dolij amplitudine parit oua. Τίκτουσι δὲ καὶ αἱ θαλάττιαι χελῶναι ἐν τῇ γῇ ὅμοια τοῖς ὄρνισι τοῖς ἡμέροις: Testudines etiam marinæ egressæ in terram pariunt oua auium cortalium ouis similia. *Cap. 16.* Item libro secundo χελώνην non sine epitheto dicit, & inter quadrupedes recenset, ne quis in mari quadrupedes esse neget, quanquam pedes ij ad natandum magis quàm ad ingrediendū sint comparati. Τῶν δὲ τετραπόδων μόνη χελώνη ἡ θαλαττία μέγεθος κατὰ λόγον τῶν ἄλλων μορίων: ὁμοίους δὲ ἔχει τοὺς νεφροὺς ἡ θαλαττία χελώνη τοῖς βοείοις. Quadrupedum vna testudo marina habet magnitudinem cæterarum partium ratione: similes bubulis renes omnino ei adhærent. Alio etiam loco de vtraque loquens vtrique epitheton addidit. *Lib. cap. 3.* Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ πεζῶν τὰ τετράποδα καὶ ᾠοτόκα, ποιεῖται τὴν ὀχείαν: τὰ μὲν γὰρ ἐπιβαίνοντα, καθάπερ τὰ ζωοτόκα, οἷον χελώνη καὶ ἡ θαλαττία καὶ ἡ χερσαία. Quinetiam pedestrium quadrupedes quæ oua pariunt, eodem coeunt modo, quo ea quæ animal generant mare superueniente, vt testudo tam aquatilis quam terrestris. Idem lib. 3. de partib. animal. *Cap. 9.* Ὁμοίως δ' ἔχει καὶ περὶ νεφρῶν. οὐδὲν γὰρ νεφροὺς οὐδὲ τῶν πτερωτῶν, καὶ λεπιδωτῶν ἔχει, οὐδὲ τῶν φολιδωτῶν, πλὴν αἱ θαλάττιαι καὶ αἱ χερσαῖαι χελῶναι. Renum etiam similis est ratio: nullum enim pennatum, nullum squamatum, nullum corticatum renes habet excepta testudine terrestri & aquatili.

Conclusio. Ex his perspicuum est Aristotelem duarum duntaxat testudinum mentionem fecisse, μῦν verò quam testudinem lutariam interpretatus est Gaza, nunquam χελώνην appellasse, sed seorsum semper expressisse, vt ex iam citatis locis liquet.

Μῦς an ἐμὺς potius apud Aristotelem legendum. Nunc expendendum num potius ἐμῦν apud Aristotelem, quam μῦν legere oporteat. Quanuis enim testudinem lutariam Gaza murem aliquando verterit, vt inde appareat μῦν legisse, tamen lib. 3. cap. 9. de partibus animalium, non μῦς, (μῦς circunflexum, potius) sed ἐμύς, legitur. Cum enim de vtriusque testudinis renibus locutus fuisset Aristoteles, subdidit: Ἡ δ' ἐμὺς οὐδὲ νεφροὺς οὐδὲ κύστιν ἔχει, διὰ γὰρ μαλακότητα τοῦ χελωνίου διαπνεῖ γίνεται τὸ ὑγρόν. Genus tamen testudinis, quam lutariam vocant, & vesica & renibus caret: fit enim propter eius mollitudinem tegminis, vt humor facile diffletur. Et lib. 8. cap. 1. de hist. animal. Τῶν δὲ πεζῶν καὶ δεχομένων τὸν ἀέρα, πολλά: καὶ τὰ μὲν οὕτως, ὥστε μηδὲ ζῆν δύνασθαι χωριζόμενα τοῦ ὕδατος φύσεως, οἷον αἵ τε καλούμεναι θαλάττιαι χελῶναι, καὶ κροκόδειλοι, καὶ ἵπποι ποτάμιοι, καὶ φῶκαι, καὶ τῶν ἐλαττόνων ζῴων, οἷον αἵ τε μύδες, καὶ τὸ τῶν βατράχων γένος. Multa spirabilis pedestrisque generis (humore gaudent,) & ita nonnulla vt ne viuere quidem disclusa ab aquæ natura valeant, vt quæ marinę testudines appellantur, & crocodili, & fluuiatiles equi, & vituli marini, atq; etiam ex minori genere testudines lutariæ (siue mures aquatiles dicti) & ranę. Vides apostrophum solum deesse, quo minus ἐμύδες legatur, vt pro αἵ τε μύδες substituendum sit αἵ τ' ἐμύδες. atque ita vbique legendum esse contenderim apud Aristotelem vt

apud Plinium. Hoc confirmat ex Hesychio Phauorinus, ἐμὺς ζῷον ἐν λίμνῃ καὶ ἐν πηγῇ γινόμενον, οἱ δὲ χελώνην τινὶ ἔχουσαν ἐμὰν. Quare duobus testudinis generibus ab Aristotele constitutis, tertium addere possumus scilicet ἐμύδα, quas in duo genera partitus est Plinius, vt aliæ sint lutariæ, aliæ in aqua dulci viuant. De marinis primo dicemus, quarum tria genera describemus.

DE TESTVDINE (MARINA PRIMA) *corticata*, Rondeletius.

Adduntur quædam de Testudinibus in genere, præsertim remedia.



A Cvm Testudinum marinarum genera diuersa sint, nominibus eas distinguere oportet. Primam igitur corticatam vocabimus, siue corticosam: quia cortice, id est, duro & crustoso ac aspero integumento operta sit, ab arboribus ad animantes ducta translatione.

B Est igitur corticata testudo terrestribus ac lutarijs similis capite ac testa, sed maior: caput nunquam in testa condit, sed semper exertum habet, ac ceruicem tantum pro arbitrio modo extendit, modo contrahit. Dentibus testudinum genus omne caret: sed rostri margines acuti sunt superiore eius parte inferiorem claudente pyxidum modo. Natura testudini marinæ, tanquã amphibio animali, partim pinnas partim pedes tribuit: priores pinnæ latæ sunt admodum, alas rectè appellaueris, hæ duris aculeis veluti vnguibus munitæ sunt: posteriores pedibus similiores sunt cum vnguibus, qui vngues natationi nihil conferunt, sed ingressui in terra, alæ verò pedesque natationi in mari. Linguam imperfectam habet: sed asperam arteriam, pulmones, cor, diaphragma, iecur, lienem, intestina, testes & mentulam mas, vterum fœmina. Pulmones in testudine maiores sunt & multò densiores, quàm in terrenis animantibus. ne, vt opinor, aquæ maior copia vnà cum alimentis hausta in tenues meatus se penitus insinuans reijci tota non posset per foramina illa, quæ narium loco in superiori rostri parte habet, quibus aquam reijcit tota non aliter quam delphini per fistulam.

C Et si linguam minus perfectam habeat testudo, perexiguum tamen & abruptum sonum edit, vt scribit Aristot. lib. 4. de hist. animal. cap. 5. qui terrestri tantũ id tribuere videtur, sed etiam marinæ competit, vt ego experientia comperi. Cum enim in omnibus sit eadem oris, asperæ arteriæ, pulmonum constructio, cur non omnes eundem sonum edent? Quin & manifesta suspiria emittit marina, id quod in ea expertus sum, quam domi alui, quum diutius extra aquam moribundam detinerem.

B Cum ex ijs quæ oua pariunt aues piscesque, neque vesicam, neq; renes habeant, quadrupedum vna testudo habet, ratione magnitudinis cæterarum partium: habet & renes quasi ex multis paruis renibus constitutos, similes vitulorum, lutrarum, delphinorum renibus. Idem in puerorum renibus obseruauimus, dum vtero gestantur, & quandiu lacte nutriuntur, cuius rei causam alias exposuimus. Quib. vesica inest, necessario & renes, vel quod renibus portione respondeat inesse oportet, non contrà: nam aues quædam vesica quidem carent, sed renum vice caruncꝉulas quasdã latiusculas habent, renum speciem ostendentes quasi ea caro quæ renibus deligata est, locum non habeat, sed in plura dispersa sit. Renes autem & vesica auibus desunt, quia raro potu vtuntur, sicciorıbusq; vescuntur alimentis: quare si quid serosi sit humoris, facilè per cutim digeritur, vel in plumas abit. Illud non sine causa miretur aliquis, cur testudo marina renes vesicamque habeat: lutaria verò & vesica & renibus careat ex sententia Arist. lib. 3. de partibus animalium, quem locum superiore capite citauimus. Cuius quidem ratio quam ipse Arist. reddit, infirma mihi esse videtur: Fit hoc, inquit, propter tegumenti eius mollitudinẽ, vt humor facilè digeratur. At testudo coriacea, de qua posteà dicemus, mollius tegumentum habet, plusq; humoris colligit, tamen & renes & vesicam habet. Quare cum maiorem τῇ αὐτοψίᾳ quàm cuiusquam hominis autoritati fidem adhibeam, affirmo testudinem lutariam & vesicam manifestam ac magnam, & renes carnosos habere prope testes. Idque per mihi mirum videtur, quod Arist. qui splenem admodum exiguum in ea viderit, (vt rectè annotauit lib. 2. de hist. animalium) vesicam & renes non animaduerterit: nisi fortè impedimento fuerint ossa, quib. coxæ articulantur, sub quibus, veluti sub pubis ossibus in homine latent eæ partes, vel vnà cum peritonæo disrupta euulsaque fuit vesica, quæ à peritonæo non nisi ab exercitatissimo disiungi possit. Hæc demonstratione nulla mihi sunt confirmanda cum sensus solus huius rei fidem faciat. Sed cum rem ita habere compereris, tum quærenda causa vsusq; harum partium, quæ eadem sunt in lutaria ac marina testudine.

Cap. 9.

Testudinis lutaria vesica & renes, contra Arist. Cap. 15.

Sed iam

Sed iam de actionibus differamus. Testudines tam aquatiles quàm terrestres, & pedestrium quadrupedes, quæ oua pariunt, eodem coeunt modo, quo ea quæ animal generant, mare scilicet superueniente sine vllo negotio, ut aliquoties vidimus, etiam si cortice contectæ sunt: habent enim in quod meatus contingant, & quo in coitu adhæreant. Pariunt autem marinæ egressæ in terram, oua auium cortalium ouis similia, & defossa coopertaque incubant noctibus. Ouorum numerus maximus est: nam ad centena pariunt. Hæc Aristot. lib. 5. de hist. cap. 33. cuius sententiam retulit Plin. 9. cap. 10. his verbis. In terram egressæ in herbis pariunt oua, auium ouis similia ad centena numero, eaque defossa extra aquas & cooperta, ac pauita pectore ac complanata incubant noctib. Educant fœtus annuo spatio. Cum de marinis loquatur Plinius, lib. 5. de hist. anim. cap. 33. vt ex toto contextu apparet, commiscet ea quæ Aristoteles de marinarum & terrestrium testudinum partu seorsum scribit hoc modo: Testudo (de terrestri intelligendum) oua durioris testæ, & bicolora edit, quale ouum auium est, eaq; defossa & cooperta terra, ac pauita & complanata incubat crebrius repetens, fœtumque sequente anno excludit. Et paulò post: Testudines marinæ egressæ in terram pariunt oua auium cortalium ouis similia, & defossa coopertaque incubant noctibus. Ex his igitur distinguenda erit Plinij lectio. Idem ex quorundam sententia aliam pariendi rationem adfert. Quidam oculis spectando quoque oua foueri ab ijs putant. Fœminam coitum fugere, donec festucam aliquam imponat aduersæ. In qua sententia fuit Oppianus, scribens testudines fœminas timere atque odisse concubitus, quod nulla in coitu voluptate sed dolore magno afficiantur, quia maris pudendum veluti stimulus est acutus, durus & osseus. eam ob causam inter se dimicant, ac multum incuruis dentibus, id est rostris, sese lacerant: illæ, concubitus molestos fugientes: mares, inuitas magis ac magis concupiscentes, donec vi victas necessario amore sibi copularint.

Ibidem.

Lib. 1. ἁλιευτικῶν.

Αἱ δὲ μέγα τρομέουσι, καὶ ἐχθαίρουσι χελῶναι
Τερπωλὴ λεχέων, πολὺ δὲ πλέον ἄλγε' ἔχουσι.
Ὀστέον οὐκ ἀποεικτὸν, ἀτερπεῖ θήγεται αἰνῇ.
Ἀλλήλους δάπτουσιν, ὅτε σχεδὸν ἀντήσωσιν.
Εὐνῆς ἱμείροντες ἑκούσιοι, εἴσικεν ἀλκῇ
Οὐ γάμον: οὐ γὰρ τῇσιν ἐφίμερος, οἷα καὶ ἄλλοις
Σκληρὸν γὰρ μάλα κέντρον ἐν ἄρσεσιν εἰς ἀφροδίτην,
Τοὔνεκα μάρνανται τι, πολυγνάμπτοισι τ' ὀδοῦσιν
Αἱ μὲν ἀλευόμεναι τρηχὺν γάμον, οἱ δ' ἀέκουσαν
Νικήσας ζεύξῃ μιν ἀναγκαίῃ φιλότητι. &c.

Testudines marinæ conchis vescuntur, & herba in terra: denique pamphagæ sunt, quemadmodum & crustacei pisces, si Aristoteli lib. 8. de hist. anim. cap. 2. credimus. Testudines marinæ, inquit, conchulas petunt: habent enim os omnium robustissimum. quicquid nanque in os ceperint, siue lapidem, siue quiduis aliud, perfringunt ac deuorant. exeunt etiam in terram, ac pascunt herbam: hic idem modus vescendi crustaceis est. nam ea quoque omniuora sunt, quippe quæ & lapillos, & limum & algam deuorant. Plinius: In mari viuunt conchylijs, tanta oris duritia vt lapides comminuant. Duas habui domi, quas & aqua & quibuscunque iniectis piscibus, rostro comminutis viuere sum expertus. *Lib. 9. cap. 10.*

Carnem potissimum omoplatarum, posteriorumque crurum suauem ac delicatam, pinguemq; habet testudo, & omnis ferè marini odoris expertem. F

Sanguis qui etiam è viua effluit, actu frigidus sentitur. B

Ouorum albumen coctura nunquam bene spissatur, quod non tam frigiditati quàm partium tenuitati adscribo: quæ enim natura crassa sunt vel lenta quantumuis frigido diluta, facilè spissantur: quæ valde tenuium partium, vt aqua, nunquam. C

Testudines omnes magni sunt in medicina vsus. Sed nunc de marinis tantum. Harum carnes vt tradit Plinius, admistæ ranarum carnibus, contra salamandras præclarè auxiliantur, neq; est testudine aliud salamandræ aduersius. Sanguine alopeciarum inanitas, & porrigo omniaque capitis vlcera curantur: inarescere autem eum oportet, lenteque ablui. Instillatur & dolori aurium cum lacte mulierum. Aduersus comitiales morbos manditur cum polline frumenti: miscetur autem sanguis heminis tribus aceti, hemina vini addita his, & cum hordeacea farina, aceto quoque admisto, vt sit quod deuoretur fabæ magnitudine. Hæc singula & matutina & vespertina dantur, dein post aliquot dies vespera. Comitialibus instillatur ore, diductis labris his qui modicè corripiantur. Spasmo cum castoreo clystere infunditur. Quod si dentes per annum colluuntur testudinum sanguine, immunes à dolore fiunt. Et anhelitus discutit: quasque orthopnœas vocant, ad has in polenta datur. Fel testudinum claritatem oculorum facit, cicatrices extenuat, tonsillas sedat & anginas, & omnia oris vitia: priuatim nomas ibi, & ardentium testium. Naribus illitum comitiales erigit attollitq;. Idem cum vernatione anguium aceto admisto, vnicè purulentis auribus prodest. Quidam bubulum fel admiscent, decoctarumq; carniũ testudinis succũ addita æq; vernatione anguiũ: sed diu in vino testudinẽ excoquũt. Oculorũ quoq; vitia omnia fel inunctũ cum melle emendat. Suffusiones etiam marinæ felle. Vel cũ fluuiatilis sanguine & lacte mulierum capillus inficitur. Fel & contra salamandras, vel succum decoctum bibisse satis est. Galenus author est veteres medicos sæpius in antidotis sanguine testudinis marinæ vsos fuisse, vt Dorotheum in antidoto πρὸς ἐχιοδήκτους, & in alijs multis. Et Dioscorides: Sanguis marinæ testudinis cum vino & leporis coagulo cuminoque contra serpentum morsus, & hausta rubetæ venena conuenienter bibitur. Aduersus venena & ad compescendum fluxum sanguinis è naribus vel vesica plurimum valet per se vel addito sanguine draconis, vtrisque in aqua vulgaris herbæ quæ bursa pastoris nuncupatur dissolutis. G

Lib. 32. cap. 4.

Lib. 2. de Antidotis.

Lib. 2. cap. 97.

Capiuntur testudines marinæ multis quidem modis, vt tradit Plinius, sed maxime euectæ in summa pelagi, aut meridiano tepore blandito, eminẽte toto dorso per trãquilla fluitantes: quæ voluptas liberè spirandi, in tantum fallit oblitas sui, vt solis vapore siccato cortice, non queant mergi, inuitæq; fluitent, opportunæ venantium prædę. Ferunt & pastum egressas noctu, auideque saturatas lassari: atq; vt remearint matutino, summa in aqua obdormiscere, id prodi stertentium sonitu, tuncque leuiter capi. adnatare enim singulis ternos, à duobus in dorsum verti, à tertio laqueum inijci supinæ, atq; ita ad terram à pluribus trahi. In Phœnicio mari haud vlla difficultate capiuntur, vltroq; veniunt statuto tempore anni in amnem Eleutherum effusa multitudine. Aristoteles: Testudines marinæ laborant plerunque & intereunt quoties innatantes siccantur sole. Deferri enim in gurgitem facile nequeunt. Diuer- E

Lib. 9. cap. 10.

 sam ea-

Lib. 1. ἁλιευτικῶν. sam capiendarum testudinum rationem adfert Oppianus. Aliquando testudines, inquit, importune piscantibus obuiæ, prædę parandæ nocent, damnumque afferunt. Sed facile est audaci & intrepido viro eas vincere. Si quis se in mari immergens testudinem supinam in dorsum conuerterit, quantumuis connitatur, fatum vitare non potest.

Ναὶ μὴν καὶ χέλυες μάλα πολλάκις ἀντιόωσαι
Θήρην λωβήσαντο, καὶ ἀνδράσι πῆμα γένοντο.
Τάων δ᾽ ἔπλετο μόχθος ἐλεῖν ῥηΐστος ἁπάντων
Ἀνέρι θαρσαλέῳ, καὶ ἀταρβέα θυμὸν ἔχοντι:
Εἰ γάρ τις καταδὺς κραναὴν χέλυν ἐν ῥοθίοισι
Ὕπτιον ἀντρέψειεν ἐπ᾽ ὄστρακον, οὐκέτι κείνη
Πολλὰ καὶ ἱεμένη, δυνάται μόρον ἐξαλεεῖναι.

Capiuntur apud nos sagena quemadmodum & reliqui pisces. Capiuntur etiam ijsdem retibus, quibus thunni. Terrestres testudines frequentius visuntur, & notiores sunt & minores quàm marinæ. Ex Oceano marinam aliquando apud me alui aliquandiu. Cum Romæ essem aliam vidi multo maiorem. *(B Magnitudo)* In India maximæ sunt, quemadmodum & reliqua animalia. Plin lib. 9. cap. 1. Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, vt singularum superficies habitabiles casas integant, atq; inter insulas rubri præcipue maris his nauigent cymbis.

Testudo ingens. Immanis fuit testudo illa quæ in mari nostro anno 1520. capta est tanta, vt pueros atq; homines imperitos terreret. ijs erat viribus vt funibus tracta homines tres supra dorsum stantes veheret. eadē bigis vix trahebatur. Qui ceperat, circulatorum more per vicina oppida ostentabat lucri faciendi causa.

Alia ingens Tarrascone capta. Huiusmodi testudinem arbitror fuisse eam, quæ olim in Prouinciæ oppido, quod Tarrasco nominatur, capta fuit, quantum ex eius pictura, quæ etiam hodie in oppidi templo cernitur, conijcere licet, nisi quòd pictor absurde pedes duos addidit, aculeosque maiores etiam in dorso effinxit. Quanquam longè aliter de ea re olim scripserint. Ferunt ad Rhodanum in nemore quodam inter Arelatem & Auenionem monstrum quoddam fuisse altera parte terrenum animal, altera piscem referens, boue crassius, equo longius, dentes habens in vtraque maxilla binos, ense longiores & acutiores, in flumine delitescens in homines irruebat, & naues submergebat, huc ex Asia erupisse, ex Leuiathan aquatili serpente & ferocissimo natum: tandem à diua Martha ita euictum vt oue placidius reddiderit, quod cingulo suo ligatum cum in terram eduxisset, à plebe saxis fustibusque peremptum fuit. Incolæ monstrum id Tarasconum vocabant, vnde oppido quod etiam hodie extat nomen positum, cum ante Nerluog, id est, niger locus vocaretur à nemore denso, vmbrosoq;. Alij rem paulo aliter referunt. Sed vtut res hæc habeat, antequam Martha in prouinciam venire potuisset, Tarasco oppidum dicebatur, Strabone teste: Abest, inquit, à Rhodano Nemausus centena circiter stadia quo in tractu vlteriore Tarasco exiguum oppidum, quo non nisi post Christi in cælos ascensum appellere potuit Martha: scripsit Strabo tempore Tiberij Cæsaris sub quo passus est Christus. Neque est quod quis miretur testudinem marinam in Rhodano ad Tarasconem repertam fuisse. neque enim procul locus is à mari abest, & aquarum dulcedine captæ aliquando beluæ marinæ, vel vndarum & procellarum vi compulsæ longè altius fluuios ingrediuntur: quod de testudinibus marinis asserit Plinius, scribens in Phœnicio mari haud vlla *Lib. 9. cap. 10.* difficultate capi vtroque venire tempore statuto anni in amnem Eleutherum effusa multitudine.

DE TESTVDINE, (ALTERA MARINA) CORIAcea siue Mercurij, Rondeletius.

In A. segmento reperiees quadam de Testudinibus in genere.



A ΧΕΛΩ'ΝΗ θαλαττία, Latine testudo marina vocatur, à quibusdam Plinium secutis, mus marinus. Sed non immerito dubitauerit aliquis, cur Plinius cum sæpius aliâs testudinem marinam Latinè vocarit, mutato nomine, aliquando murem marinum nominauerit, ei tribuens quæ Aristot. tribuit emydi seu testudini lutariæ siue muri aquatili, vt conuertit Gaza. Verba Plinij sunt: Mus marinus in terrá scrobe effossa parit oua, & rursus obruit terra, tricesimo die refossa aperit, fœtumq; in aquam ducit. Quæ ex Aristotele mutuatum esse constat: Ἡ δὲ μῦς ἐξιοῦσα ἐκ τοῦ ὕδατος τίκτει ὀρύξασα βόθυνον πιθώδη, καὶ ἐντεκοῦσα καταλείπει. ἐάσασα δ᾽ ἡμέρας τριάκοντα, ἀνορύττει καὶ ἐξάγει ταχύ, καὶ ἀπάγει εὐθὺς τοὺς νεοττοὺς εἰς τὸ ὕδωρ. De marina verò testudine mox Aristoteles: Τίκτουσι δὲ καὶ αἱ θαλάττιαι χελῶναι ἐν τῇ γῇ. &c. Alio in loco *Lib. 9. cap. 19.* pro testudine marina murem marinum videtur dixisse. Exeunt in terram, & qui marini mures vocantur. Ex quibus efficitur, vel Plinium parum animaduertentem, aquatilis testudinis siue lutariæ Arist. nomine

nomine marinam vocasse: vel (*hoc magis probandum*) testudinem marinam etiam murem Latine dici posse, atq; etiam non solum emyda, sed & μῦν apud Aristotelem legi posse. Galli tortues vocant, (*nimirum omnem testudinem*) Nostri tortugues. Hispani tortugas. Itali galanas voce, vt apparet deflexa ex accusatiuo Græco χελώνας. Quam nunc describimus, coriaceam appellamus, quod integumentum habeat nō tam cortici simile quam corio bubulo, duro nigroq; & iam concinnato ad calceos equorumq; frænos & sellas cæteraq; ornamenta conficienda. Eandem Mercurij testudinem appello, quod eam esse existimem, à cuius similitudine Mercurius musicum instrumentum nobis leut, Gallis luc vocatum excogitarit, ex ea testudine quam Nilo decrescente in litore repererat, consumpta iam carne superstitibus neruis, & ob tensionem ad contactum sonantibus: cui instrumentum musicum adeo simile est, vt nemo sit procul eam videns capite pedibusq; truncatis, qui non chelyn nostram theca sua conclusam esse iudicet: vt enim hæc, ita testudo altera parte, supina scilicet, plana est lataq;: prona conuexa, ex sex assulis contexta, longis, angulos acutos efficientibus: toto ambitu rotundato præter quam in cauda, quę in longum & acutum desinit, cui etiam instrumenti pars gracilior (cui infixi sunt collopes, quibus fides intenduntur & remittuntur) respondet. Hæc testudo à superiore partibus internis, alis, pedibus, vnguibus non differt, longiore acutioreq; est cauda, capite osseo. Rostri pars inferior acuta est, & sursum recurua, superioris extremum in partes duas diuisum, inter quas inferioris extremum recipitur. Huiusmodi rostro minus auem refert quam superior testudo. Oculis est maioribus, ante quos sunt foramina narium loco. Caput semper prominet. Ceruix lata est & torosa, in supina parte maculas aliquot rotundas habet, quas inepte qui de aquatilibus scripsit pronæ parti testudinis corticatæ appinxit. Carnis habet plurimum anteriore in parte musculis scilicet omoplatarum: in posteriore multo minus, ea bubulæ similis est. Testa vertebris dorsi alligatur. Costas latas contegit cutis duplex interior, corio spisso densoq; sed læui, similis: superior, tenuis & alba. Sub cute pingue plurimum coaceruat.

Vidi huiusmodi testudinem ad solem menses aliquot suspensam, ex qua quotidie pinguitudinis libra vna destillabat: qua, qui ceperat, ad lucernas vtebatur, eiusdem carne salita loco bubulæ. Ea ad Frontignanum capta fuerat, longa cubitos quinq;, duos lata. Alteram ante videram ad Magalonam captam multo minorem. Aliquot ante annis vnius iconem mihi dederat Agathensis, qui tum erat Episcopus, quam ad Niceam captam fuisse affirmabat cubitos octo longam. Carne est multo duriore quā superior. Cæterum ijsdem facultatibus & carnem & fel pollere existimo. E F *(B. Vbi & magnitudo.)* (G) A

Hic prætermittendum non est coriaceam siue Mercurij testudinem, quam depinximus ab Æliano fortasse simiam maris rubri appellari, id quod eius descriptione clarius intelligetur. Est etiam in mari rubro simia, non piscis quidem hæc, sed bestia cartilaginea, (*&c. Vide supra in Simia marina pag.* 878.) Sed eam rem doctis, qui pisces rubri maris viderunt, æstimandam relinquo. *Testudinem hanc ab Æliano forte Simiam maris rubri vocari.*

DE TESTVDINE CORNIGERA SIVE TROglodytica, & alba, Rondeletius.

A

PLINIVS lib. 9. c. 10. Cornigerarum testudinum diuersum à cæteris genus facit. Troglodytę, inquit, cornigeras habent, vt in lyra annexis cornibus latis, sed mobilibus, quorum in natando remigio se ad iuuant. Celetum genus id vocatur eximię testudinis, sed raræ: nanq; quasi scopuli præacuti Chelonophagos terrent: Trogl odytæ autem ad quos adnatant, vt sacras adorant. Quo loco pro mobilibus alij immobilibus legunt, sed perperam, vt opinor: nam si cornuum remigio in natando se adiuuant, quomodo immobilia esse possunt? Deinde pro celetum alij celtium, alij celetinum. Hermolaus aliquando existimauit legendum chelytium, ἀπὸ τοῦ χέλυος: quæ vox & testudinem significat & pectora, quasi magnas & pectorosas intelligi voluisset. Placuit postea vt celetum legatur, vt dicantur celetes testudines à celeritate: quoniam cornuum remigio adiuuant se natando, ceu equites videri possint, non pedestres. sunt .n. celetes singulis equis currentes in certaminib. & equi ipsi celetes qui soli agitabantur. Sic cancrorum est genus quoddam ἱππεῖς Aristoteli: itemq; formicarum alterum, quas Plinius pennatas vocat à velocitate.

Cornigeræ testudinis effigiem eleganter insculptam & expressam vidi Romæ in antiquissimo marmore, quæ à superioribus testudinibus non differebat nisi cornibus ex vtroq; capitis latere latis & longis, qualia in eo pisce sunt quem antea cornutam siue ἁλόσεον appellauimus, & in lyra sed in his breuiora, in testudine pro magnitudine corporis longiora. B

Arrianus in Nauigatione maris rubri in testudinum genere albam testudinem numerat, sed aquatilis sit, an lutaria, an terrestris parum constat. Ego testudinem vidi cortice (maxima ex parte) albescente & denso, quam mihi ostendit Iacobus Regius, vir in chirurgicis operibus exercitatissimus & peritissimus. Ea testudo ab alijs omnibus in eo differre mihi videtur, quod in medio cortice pronę partis articulationes duas habet, quales in locustarum caudis cernuntur, ex quo apparet animal hoc in pilæ modum totum corpus conglobare. Sitne ea testudo Arriani alba, nescio. neq; enim de re parum mihi perspecta temere quicquam affirmare volo. *Testudo alba.*

DE TESTVDINE LVTARIA, RONDELETIVS.

Aristoteles Testudinem lutariam, ab ea quæ in (*dulci*) aqua viuit non seiunxit, quam Murem aquatilem conuertit Gaza, quæ dicitur ab Aristotele μῦς, vel fortasse ἐμύς. Hæc quam hic exhibemus in palustribus & limosis aquis, fossisq; vrbium & castellorum mœnia ambientibus viuit. Ea sic à Plinio depingitur: Testudinum est tertium genus, in cœno & paludibus viuentium. Latitudo his in dorso pectori similis, nec conuexo incurua calyce, ingrata visu. Et à Varino: Ἐμὺς ζῶον ἐν λίμνῃ καὶ ἐν πηγῇ γινόμενον οἱ δὲ χελώνην τὴν ἔχουσαν λέγειν. Vocatur à nostris Tortugue d aigue. i. testudo aquatilis ad discrimen terrestris, quę duæ similes sunt, nisi quod aquatili cauda est longior perinde ac in muribus, à qua Muris aquatilis nomen accepisse crediderim.



B Testa colore est nigro, aliquot particulis, veluti tabellis pectinatim iunctis constat. Pro arbitrio pedes, caudam, caput, modo exerit, modo recondit. Pulmones, renes, vesicam, deniq; partes internas easdem habent lutariæ Testudines cum marinis, quas fusius suo loco (*supra in Testudine Corticata*) explicauimus.

C Vescuntur insectis aquatilibus, limacibus, cochleis, herbis: vnde & in hortis aluntur, sed quibus aqua non defit: ea enim perpetuo carere non possunt. Cibo omni destitutæ diu viuunt, atq; etiam abscisso capite. quia cum frigido sint, crasso, & viscido succo, is haud facile dissipatur nec cito absumitur.

F Diu sunt seruandę vt teneriores reddantur & concoctu faciliores. Integræ in feruentem aquam injciuntur, vt testæ & ossa separentur. deinde carnes, oua, cæteræq; internæ partes friguntur.

Sanguis actu frigidus sentitur, quem hecticis nonnulli in potu dant, tum ad refrigerandum tum ad alendum. Ijsdem & phthisicis carnes cum hordeo coctæ maximę sunt vtiles.

Bellonii de Testudinibus scripta dedimus circa finem Appendicis de Quadrupedibus Ouiparis.

COROLLARIVM I. DE TESTVDINIBVS IN GENERE:

quibus etiam nonnulla simpliciter de testudine scripta adduntur. cum ad quam potissimum speciem referas, non constet.

TESTVDINVM DIFFERENTIÆ.

- Testudo aut est
  - Terrestris
  - Aquatica.*
    - In mari
      - Testudo mar. Χελώνη θαλασσία.
      - Mus marinus. Μῦς θαλάττιος.
    - * Aquatica aut est
      - In aqua dulci.
        - Cœnosa, vt paludibus, Testudo lutaria, dorso non cōuexo, &c.
        - Puriore, vt lacubus, amnibus.

        } Μῦς simpliciter Aristoteli.

Aliqui has species duas non faciunt, sed vnam. Oppianus videtur distinguere. Apud Aristotelem Μῦς semper videtur accipi pro testudine quæ in aqua dulci agat, siue pura, siue limosa.

Hæ siue species duæ sunt, siue vna, videntur vno nomine à Græcis *μῦς*, vel *ἐμύς*, vel *ὠμύς* nominari.

Testudo videtur amplius patere Latinis, quam *χελώνη* Aristoteli. hic enim *χελώνην* terrestrem & marinam tantum facit: alias, *ὠμύδας* appellat, à recto *μῦς*. Archigenes *ἀμύδα* (si recte scribitur) interpretatur *χελώνην λιμναίαν*. Apud Hesychium legitur *ἐμύς, ζῶον ἐν λίμνῃ καὶ ἐν πηγῇ γινόμενον: οἱ δὲ, χελώνην τὴν ἔχουσαν ὄστρεον.*

Murem marinum ex Latinis Plinius tantum dixit semel aut iterum: vbi Aristoteles *μυῖ* vel *μῦδας* nominat, de testudinibus tamen in dulci aqua degentibus loquens. Ex Latinis solus Oppianus in mari nominat *μυῶν χαλεπὸν γένος*. &c. & postea *χελώνην* seorsim.

A Eorum quæ de Testudinibus in libro nostro De Quadrupedibus ouiparis dicta sunt, multa ex authoribus repetiuit Rondeletius: quæ nos, vt erant, reliquimus, sicuti & in Ranis: quod libri nostri non passim omnibus in promptu sint: & multi ea quæ ad Aquatilium historiam pertinent, coniuncta habere cupiant. Recentiores quidam & minus probati scriptores, testudinum genus alij inter testata, quæ ostracoderma vocant Græci: alij inter serpentes inepte numerant: cum toto genere ab vtrisq; differat. Cortice teguntur testudines, Plinio: quas inter cortice intecta Aristoteles quoque enumerari voluit, quemadmodum lacertæ & crocodili, & reliqua quadrupedia, quæ oua pariunt, & genus omne serpentum: hæc enim omnia cortice operiuntur. Cortex hic loco squammæ similis potest appellari. Sed & inter testacea Plinius testudines aliquando posuit, vt libro vndecimo: Quæ animal pariunt, pilos habent: quæ oua, pennas aut squammam, aut corticem, aut testam vt testudines, aut cutem puram vt serpentes. Aristote-

Aristoteles octauo de historia dicit: Exuunt senectutem ea quibus cutis mollis, nec prædura & testacea quædam est, qualis testudini, (nam & testudo inter cortice intecta enumeranda est, & mus aquatilis:) sed qualis stelloni, lacerto, & præcipuè serpentibus est, Massarius. Sed quanquam testudines à testa denominentur, & corticem eorum aliqui testam appellant, non tamen propriè dicta testata animalia sunt quæ omnia sanguine carent, &c. & testam figlinæ instar fragilem, siliceamue habent. Porro genus animalium, quæ *φολιδωτὰ* Græci nominant, latius patet, cum & serpentes qui pedibus carent, & lacertos ac similes quadrupedes contineat. Distinguendum hic etiam corticis vocabulum: quod Latini quidā aliquando pro testudinis tegumento accipiunt: Gaza alijq; eruditi recentiores, *φολίδας* ab Aristotele dictas, quæ veluti squamę sunt, cortices vel corticem vocant. Ego proximum testudinis genus, aliud nō inuenio, quam vt sit Quadrupes ouipara: quo genere testudinum species omnes comprehenduntur. Rondeletius inter Cete adnumerat testudines: sed hoc marinis tantum conueniet opinor, quæ, vt ipse inquit, mediæ sunt magnitudinis Aut potius, vt mihi videtur, ne marinæ quidem cete appellari debēt, si proprie loquamur, vtcunq; grandes. nam ad essentiæ ac generis rationem magnitudo non est referenda. Quod si cete recte definiuntur animalia aquatilia, (amphibiaue) spirantia & viuipara: (nam cete omnia tum intra se, tum foras animal generant Aristoteli:) testudo autem omnis ouipara sit, cetos eadem non erit, si quis tamen propter magnitudinem testudines marinas, non quidem cete, sed cetaceas & *κητώδεις* appellare velit, permittemus. Oppianus lib. 1. Halieut. cum cete enumerasset, subdit: Cæterum quędam etiam è mari in terram exeunt Et statim: *Δηρὸν δ' ἠιόνεσσι καὶ ἀγχιάλοισιν ἀρούρας Μίσγουσ' ἐγχέλυές τε καὶ ἀσπιδόεσσα χελώνη.* Hoc est: Aliquando in litora prodeunt etiam anguillæ, & scutata testudo, &c. non tamen hęc etiam cete esse vult, sed de amphibijs diuersorum generum agere incipit. Testudinis nomen apud Latinos, sicuti & *χελώνης* apud Græcos, absque vllo addito, quandoq; marinam, quā doque terrestrem significat, vt apud Plinium lib. 11. c. 37. & Aristotelem historiæ 5. 33. Gallana Italis alicubi, vt Ferrariæ, testudo est: nomine, vt apparet, facto à Græco *χελώνη*. Gallanga Monspeli est rana piscatrix: quam & bufonem aliqui vocant, sicuti testudinem nostri bufonem scutatum. Hispani quidam Calandras nominant. vide supra ab initio elementi C. Serpentis facies, sibilus, oua, cutis Testudinis, vulgo affinitatis appellationem inuenere. Etenim Taurini serpentem cuppariam, à cuppa. alij Itali Serpentem scutellariam, à scutella. Nos Galanam, Græcæ vocis vestigio, quasi *χελώνην*. Mixobarbari quidam scriptores tortucam & tartarucam pro testudine dicunt. Poloni Zolvv. Albertus & alij quidā indocti cochleas & testudines aliquando confundunt.

Sunt testudines omnes pectore plano ac tabellato, seu tergo tumido & incuruo: sunt capite & ceruice anguineis: dentibus carent, sed rostri acie omnia comminuunt, ex Plinio hic & vndecimo volumine: superna parte inferiorem claudente, pyxidum modo: pedibus quaternis multifidis vnguiculatis, quos & exerunt & retrahunt intra corticem, quemadmodum & caput, Massarius. Atqui testudini lutarię tergum nec tumidum nec incuruum Rondeletius pingit. & Plinius: Testudini (inquit) quæ in bœno & paludibus viuit, latitudo in dorso est pectori similis, nec conuexo incurua calyce. Plurima sunt testudinibus, etiam terrestribus, communia: velut quod sanguis ab his dum viuunt detractus, frigidus sit, nostri quidem comparatione, non simpliciter, quod omnes rostri duritie lapillos comminuunt, (*&c. quæ in sequentibus referemus.*) Cardanus. Testudinum genera omnia à latere adiuncta habent: eademque in obliquum flectunt, quemadmodum crocodili & lacertæ: Et cortice integuntur duro rigidoque, & qui osse firmior sit, Vuottonus. sed Aristoteles *περὶ φολίδων* scribit: non *περὶ τῶν χελωνίδων*: Latinis nomen corticis ad vtrunq; ambigit. Operimentum testudinis multis nominibus appellatur, vt in libro de Quadrupedib. ouip. indicauimus. Græci *χελώνιον* vocant, Nicander *χέλειον*. recentiores, vt Albertus, & linguæ quædam vulgares, scutum, *der Schilt*: vnde & animal ipsum *Schiltkrot* appellamus, & Oppianus *χελώνην* cognominat *ἀσπιδόεσσαν*.

Testudines omnes, vt dictum est, rostri duritie vel lapillos comminuunt: vnde omnes dentibus carere arbitror, quod pro ijs rostri durities satisfacit. Oppianus quidem author est testudines (marinas nimirum) mares & fœminas propter coitum inuicem dimicantes, incuruis dentibus sese lacerare: sed Rondeletius dentes interpretatur rostra. De pulmonibus & vesicis testudinum, vide infra in Marina.

Testes lumbis intus adhærent. meatusque gemini ab his similiter atque serpentibus tendunt, Massarius. Sola autem testudo inter corticata vesicam obtinet. in hac enim tantummodo natura castrata est. Cuius rei causa est, quod marinæ testudines pulmonem habent carnosum, sanguineum, & similem bubulo: terrestres autem proportione maiorem. superficies etiam, (*Διὰ τὸ δέρακώδες καὶ πυκνὸν εἶναι τὸ περὶ αὐχον*) quia obdensa prędurag; modo filicis est, facit ne humor difflari, euaporatique possit per carnem laxiorem; vt serpentibus cæterisque opertis cortice euenit. humor enim ijs in corticem tegentem, vt auibus in pennas absumitur, cum exiguo potu contenta sit, propter exanguem pulmonis naturam: atque ita excrementi copia tanta subsidet, vt eorum natura conceptaculum, & vas quoddam capax humoris desideret. Vesicam igitur testudo sola inter hęc habet ea de causa: sed marina amplam, terrestris exiguam admodum, Aristoteles De partibus animalium 3. 8. Rondeletius in Testudine lutaria quoque vesicam & renes reperit: quas partes eis Aristoteles negabat. Author libri de natura rerum: Tortuca (inquit) est duorum pedum (*immo quadrupes*) caput habens vt bubo, (*forte bufo: nam à bufonis alicuius similitudine apud nostros etiam nomen inuenit:*) caudam vt scorpio, (*vt serpens potius:*) duobus scutis durissimis quasi testis tegitur, quibus adeo se induit, vt difficulter etiam validissimis ictibus perimi possit.

Testudines omnes tenui voce & abrupta strident, Cardanus. In dorsum si inuertantur, siue in terra, siue in mari, erigere se amplius non queunt, Author Græcus incertus. omnes rostri duritie lapillos cōminuunt, Cardanus. Testudines in coitu superueniunt, Plinius.

Vtriusq; generis testudinum putamina in laminas secari ad opera, vt ad pocula aliaq; vasa, (inquit Vuot-

Vuottonus,) perſpicuum eſt ex Martiale in Apophoretis de Guſtatorio: Fœmineum nobis cherſon ſi credis ineſſe. Deciperis: pelagi maſcula præda ſumus. Fortaſſis autem vt in pleriſq; alijs animalibus elegantior & pulchrior cum alias, tum colorum genere ac varietate, marium aſpectus eſt: ita ex teſtudinibus etiam maſculis putamen precioſius. niſi quis ſimpliciter marinarum putamina, terreſtribus præferri arbitretur: quoniam cherſos, id eſt, terra,) vnde cherſææ chelonæ Græcis dicuntur,) à Martiali nominatur. An terra omnibus nominibus ſemper eſt fœminea? mare verò etiam maſculum, vt in Oceano, Ponto, Neptuno, Nereo. Plinio quidem authore terreſtres teſtudines in operibus Cherſinæ vocantur. Sed potius terrenę marinis precioſiores ſunt: & ſi Domitio interpreti Martialis ſecus videatur, ſed ſine authore. is etiam guſtatorium interpretatur menſam vbi guſtabant. Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſignũ, (*forte ſigma.*) Octo capit: Veniat, quiſquis amicus erit, Martialis ibidẽ de Stibadio: Domitius triclinium teſtudineum in ſpeciem ſtibadij interpretatur. Radiant teſtudine poſtes, Maro. In Adulito oppido maximum emporium eſt Troglodytarum & Æthiopum. deferunt plurimum ebur, celtium teſtudinum, &c. Plinius. Iuuat ludere impendio, & luſus geminare miſcendo iterum, & ipſa adulterare adulteria naturę: ſicut teſtudines tingere, argentum auro confundere, &c. Plinius vbi de purpuræ tinctura loquitur.

F Teſtudines omnes ſuaui ſunt carne iuxta omoplatas & inferiora crura. Cardanus. Teſtudinis carnes paucę eſitatæ, tormina pariunt: multæ verò, purgant, Heſychius in Ἡ πτε: vbi Ἡ ἁλῦ, pro Ἡ ἁλῆ, perperam ſcribitur. Oua teſtudinis in cibo noxia ſunt: Author de nat. rerum: qui etiam ex Ambroſio citat, renes teſtudinis poſt eius mortem nudo pede calcatos veneno ſtatim inficere: ipſam verò viuentem veneno carere.

G De veneno renum teſtudinis, lege proxima ſcripta in F. Indoctus quidam librorum Raſis interpres, teſtudini remedia quædam adſcribit, quę ad limacem pertinent, ca. 75. libri de remedijs ex animalibus. Teſtudinum ſanguis ad comitiales datur, Plinius. Ad malum mortuum: Teſtudines contritæ in forti vino vel lixiuio coquantur: & pinguedine ſupernatante collecta, vngantur tibiæ, Rolandus in fine quarti Chirurgicorum.

H. a. Teſtudo dicta eſt, quod tegmine teſtæ In modum cameræ adoperta eſt, Iſidorus. Φερέοικον & Φέροικον (id, eſt domiportam) cochleam & teſtudinem interpretantur, Varinus. alij aliud quoddam animal. vide ſupra in Cochleis in genere H. a. initio pag. 235. Χελὼν piſcis eſt Athenæo, è mugilum genere, pro χηλὼν, id eſt, Labeo. Teſtudines loca dicuntur in ędificijs camerata, &c. Nonius. Saxa quibus viridis ſtillanti vellere muſcus Dependet, ſcopuliſq; cauum ſinuantibus arcum Imminet exeſa veluti teſtudine concha, Calphurnius. De teſtudine machina bellica, multa protulimus in libro De quadrupedibus viuiparis, in Orygis & Arietis Philologia: & rurſus in Teſtudine libri de ouiparis quadrup. De teſtudine helepoli leges apud Vitruuium lib. 10. c. 21. & Philandri in eundem locum annotationes, in quibus Ammiani ex lib. 32. de hac machina verba recitat. Tectum teſtudinatum in quatuor partes deuexum eſt vt pectinatum in duas, Feſtus. Vtraq; hæc tectorum forma noſtris etiam in vſu eſt, & ſuo apud materiarios fabros inſignis nomine. De Muſico inſtrumento quod teſtudinem Latini, Græci chelyn appellãt, dixi alias plura. Ἀ᾽λλ᾽ ὅκα δὴ πλάκτρῳ λοκρὶς ἐκρεξὲ χέλυς, Innominatus apud Suidam in Κρέκω. Mercurius Apollinis boues furatus, pro ijs chelyn, id eſt lyram quam ex oſtraco teſtudinis confecerat, ei dedit. Ἀπὸ ἀρχεγόνε ἀΦορμῆς δ᾽ ἔχ᾽ τὸν χελώνιον, χέλυς ὕστερον πᾶσι κιθάρα ἐκλήθη, ἐπειδὴ χελώνης ὄστρακον μέρα πήχεως πεθέσει καὶ χορδῶν ἐντανύσει λύρην ἀπήρτησεν Ἑρμῆς, ἣν καὶ Ἀπόλλωνι ἐχαρίσατο εἰς λύτρον αἰθ᾽ ὧν ἔκλεψεν ἐκείνε βοῶν, Euſtathius in Odyſſeæ φ. Vide etiam infra in Proprijs. Anacreontis & Pindari Φόρμιγξ ab Horatio teſtudinis nomine celebrata eſt. eadem & chelys eſt, Mercurij fortuitum inuentum, addita Magadij arte, Cęſar Scaliger. Rondeletius Mercurium ex eo genere teſtudinis marinæ, quod coriaceum cognominat, Mercurium chelyn ſuam concinnaſſe conijcit: quod ea præ cæteris inſtrumentum hoc Muſicum quadam ſimilitudine repræſentet. Χελώνιον, quære mox in b. Id quod naui poſtremò ſub carina, vt atteri ea non poſſit, clauis affigitur, χέλυσμα nominatur, Pollux. Χελιὼν eſt labium: inde χελυνοειδὴς, cui labra tumidiora prominent, Euſtathius. Cete Indica maxima ſunt. Χελιῶλαι δὲ πηχῶν πεντεκαίδεκα ἔχει, Ælianus de animalib. 16. 12. Cheloniten lapidem, recentiorum aliqui cum batrachio ſeu borace confundunt. quod ſi chelonites eſt, quem vulgo *kleinen krottenſtein*, hoc eſt, minorem lapidem bufonis aut rubetæ nominant, vt Ge. Agricolæ placet: forſitan à figura hoc ei nomen impoſitum fuerit, quæ foris in eo curua conuexaque, intus caua ſpectatur, ſicuti in chelonio, hoc eſt putamine teſtudinis.

Icones. Ex teſtudine hieroglyphica ſymbola aliquot Pierius Valerianus interpretatur libro Hieroglyph. 21. nos titulos cum breuiſſima ſingulorum interpretatione indicabimus, qui ſunt: 1. In potentioris ditionem redactus: quoniam teſtudo Solis exiccata radijs, cum in gurgitem redire nequeat, capitur. ad hoc denotandum in aquæ ſummo pingitur teſtudo. 2. Fortunarum contemptus: Pingitur homo naufragus in teſtudinis eiuſmodi agitatæ fluctibus tergus inſiliens, ſolari addito radio. 3. Virginum cuſtodia. Nã Phidias cum Veneris ſimulacrum Eleis ex auro & ebore conficeret, teſtudinem altero eius pede preſſam appoſuit, &c. Conſueſſe verò mulieres teſtudineas ſecum imagines geſtare, quas Veneri dedicarent, ex eo eſt manifeſtum: quod Theſſalæ matronę Laida meretricem illam inclytam ligneis teſtudinibus zelotypia cõcitatæ interemerunt in templo Veneris, magno populi conuentu: ob quod facinus erexere poſtea templum Veneris profanatæ, quæ nefandam cædem in templo admiſerant, vt confeſſione ſceleris, veniam petentes deam ſibi placarent. Antiſthenes anſam nactus eludendi Athenienſium vanitatem, ſe nunquam ſolo in quo nati eſſent exceſſiſſe gloriantium: Commune hoc, inquit, habetis cum teſtudine & cochlea. 4. Munimentum. Sic enim teſtudinis corticem natura muniuit, vt contra tela poſſit ipſa per ſe ſufficere, & iniurias propulſare. Hinc anſa data adagio, quantum muſcarum ſolicita eſt teſtudo. Cuius ominis felicitatem ſecuta Cęſariana familia, domeſticum eum morem habuit, vt paruuli domus eius in teſtudineos alueos excepti lauarentur. Quapropter Ceionius Poſthumius nato iam Albino filio, cum ingentem teſtudinem à piſcatore muneri accepiſſet, vir literatus iam inde magnam ſpem concepit de futura filij nobilitate. curari itaq; teſtudinem iuſſit, & infantuli miniſterijs dicari. Exemplaria Hori quæ impreſſa circunferuntur, in huiuſmodi ſignificatum ὄρτυγος ὀστέον habent, interpreteſque coturnicis os reddidere. ſed in manuſcriptis codicibus ὄρτυγος legi, quod facit ad hanc ſententiam. teſtudines enim orygas appellatas, ὡσεὶ τὸ ὀρύττειν, quod fodere eſt, vel excauare, apud Vitruuium legas, &c. (*Vitruuius non teſtudinem animal, ſed machinam bellicam, orygem vocat.*) 5. Mors difficilis. Hominem letalibus vulneribus quantumuis alte acceptis difficillime morientem, per teſtudinis abſciſſum caput aptè pinxeris. quandoquidem tanta ineſt eius carni viuacitas, vt earum caput, præſertimque marinarum, auulſum buſto, conniuentes aliquandiu oculos oſtenter, connineatq; ad admotam manum. quinetiam ſi ad os eam admoueas, morderе etiam adnitatur. 6. Segnities. Adeo enim lento gradu mouetur teſtudo, vt in prouerbium emanarit in ſegnes & pigros. Hinc Plautinus Aegio: Teſtudineum hunc tibi grandibo gradum, inquit, ſi fuſtem ſumpſero. 7. Sunt qui mordaciſſimum hominem atque egregiè maledicum, per teſtudineum caput exertis dentibus intelligi velint. nam teſtudo omnino eſt ore omnium robuſtiſſimo. 8. Peloponneſij. In Peloponneſium nummis teſtudo cudebatur, vt legere eſt apud Pollucem &c. Vnde obolum Eupolis καλλιχέλωνον dixit, Hucuſq; Pierius.

Chelonophagi. vide in Teſtudine marina. Teſtudinis dicti promontorij Pauſanias in Atticis meminit. Chelydoreus mons contiguus eſt Cyllenæ. ibi inuentam teſtudinem Mercurius excoriaſſe, & lyrã ex ea compoſuiſſe dicitur, Idem in Arcadicis. apparet autem compoſitum eſſe nomen à teſtudine & dono. factam enim inde lyram Apollini donauit. *Propria.*

Χελώνιον propriè teſtudinis teſtam ſignificat: transfertur autem ad carcinorum quoq; cruſtam. Aſſerina locus eſt in Tenedo: vbi in paruo fluuio cancri reperiuntur, τὰ χελώνια διηρθρωμένα ὀστρακόδη ἔχοντες, καὶ πελέκεσιν ἐμφερῆ, Suidas in T. Plutarchus in libro Cur Pythia non amplius carmine reſpondeat, Λίθιον locum illum nominet, in quo ſolo cancri naſcantur ἐν τῷ χελωνίῳ τύπον πελέκεως ἔχοντες. vnde etiam Tenedij bipennem Apollini conſecrarint. De prouerbio Tenedia bipennis, plura Eraſmus. Ælianus de animalibus 16. 12. echinorum marinorum quoq; χελώνια dixit. Plinius in Adulito oppido tradit maximũ eſſe emporium: deferri ebur, celtium teſtudinum, &c. vbi celtium aliquis pro chelonio dictum coniecerit: quanquam lib. 9. c. 10. cornigeras teſtudines apud Troglodytas priuatim celtium dici ſcribit: vbi diuerſæ lectiones ſunt, celtinum, celetinum, Hermolaus celetum legit. *b.* *Celtium.*

Θαῦμον ἔλυ λοξὰς κάμψας, πλευὰς τε χελώνας Εὑρὼν: Ammianus in epigrammate, de re impoſſibili. Simile huic eſt, Citius teſtudo leporem præuerterit. Teſtudine tardior, prouerbialiter vſurpatur ab Eraſmo. *h.*

COROLLARIVM II. DE TESTVDINE MARINA.

Icon hæc repetita eſt ex libro noſtro De Quadrupedibus ouiparis, Venetiis efficta: nulli eillarum, quas Rondeletius exhibet, ſimilis. Dentibus quidem teſtudines omnes carere Rondeletius ait: vt ſuſpicer pictoris culpa non recte dentes huic noſtræ iconi attributos, Oppianus tamen mus mar. dentatum eſt.



Teſtudines marinæ, & quæ in dulcibus aquis viuunt, genere differunt: ſeu formam, vitam, magnitudinem ue aſpicias: ſeu quod translatæ alterutrinque non viuant, Cardanus. Ὁ θαλάττιος μῦς (id eſt Mus

De Aquatilibus.

COROLLARIVM V. DE TESTVDINE TERRESTRI.

Terreſtres ſunt formoſiores, cortice politiore, in montibus & nemoribus hortiſq; degentes, quarũ carnes cibo ſumptę tabeſcentibus remedio eſſe traduntur. Sunt & aliæ terreſtres teſtudines, cherſinæ vocatæ, in deſertis Africæ roſcido humore viuentes, Maſſarius. Ex recentioribus quidam teſtudinem terreſtrem, murem quoq; terreſtrem vocat. ego apud authores de aquatilibus tantum, (vt marinis, fluB uiatilibus, lutarijs,) hoc nomen reperiri puto. Teſtudines in Libya ſunt, eæq; montanæ, & aſpectu criſpiſſimæ quarum teſta barbitis eſt accommodata, Ælianus de anim. 17. 14. In Libyæ deſertis curruum C magnitudine viſendæ ſunt. Interdiu ſubductæ ſub ſua tecta non videntur. Noctu procedunt in paſtum h. adeo lento gradu, vix vt mutare locum videantur. Narrant fabulam: Appetente nocte, viatori locum aliquem à feris tutum captanti oculis, viſam teſtudinem. Quam tumulum ratus (muſco enim obſita erat) conſcendit, atq; in excubijs aliquandiu fuit. Somno deinde oppreſſus, vbi noctis & quietis idem finis fuit: & ille ſeſe alijs in locis (proceſſerat enim illa) eſſe intellexit, percepta beſtiæ facie, admiratione cum ſcientia nouæ naturę cõmutauit: Cæſar Scaliger, ex Io. Leonis Africani lib. 9. de Africa.

E Terreſtres in ſyluis habitant: quæ, vt creditur, herbis & rore vitam ducunt. Has canibus inuentas F ruſtici ad cibum transferunt. In cacubum, feruente aqua, conijciunt. ſemicoctæ & exemptæ, confracta teſtudine, ablatiſq; inteſtinis ac pelle, iterum, donec exactè coquantur, in cacabum ad ignem ponuntur. Coctas pipere, croco, vitellis ouorum diſſolutis, ſuffundes. Sunt qui ex alliato vel ex ſalſa comedant. Boni ſunt alimenti: & ſine moreto, medelæ vim habent, Platina.

C Sunt qui è marina teſtudine terreſtrem quoq; generari putent. Vide ſupra in Marinis C,

G Ad intolerabilem pruritum: quum neq; venæ ſectio, neq; defricatio aliqua quicquam profuiſſet, quidam ex huius remedij vſu malum exuperarunt: Teſtudo terreſtris viua in oleo coquitur, & ex oleo corpus inungitur, Aetius. Si vteri valde ſtrangulârint, teſtudinis iuxta mare natę obolos tres in vini albi hemina, vel cyathis tribus tritos, bibendos dato, Hippocrates lib 2. de morbis muliebrib. ſed dubitari poteſt de terreſtri an marina teſtudine ſentiat, cum hęc quoq; in ficco pariat.

H.e. Bœotij traducuntur, quod face aut alio ignis fomento vulpibus teſtudinibus ue alligato, quæ vellẽt incendio perdere ſolerent, Suidas in Νεώρια.

Testvdines quaſdam legimus in quibuſdam inſulis reperiri, de quibus dubitari poteſt, terreſtres ne an marinæ ſint. Ad Troglodyticen regionem multæ ſunt inſulæ in alto (mari,) in quibus teſtudo plurima, Plinius. Χελωνη, ἥτε χερσονησιτικη, ἡ καὶ ἐπὶ τὰς νησους διηθουμένη τὰς πελαγιωτικὰς αὐτῆς ὃ Δημητριος, Arrianus in Periplo maris rubri. Sed hę videntur ad marinas referendæ. Vide ſupra in Corollario tertio De teſtudinibus marinis diuerſis.

DE TETHYIS, RONDELETIVS.

De his ſcombris lege quæ annotauit author circa finem Capitis.



A Thetya quæ & τήθη appellat Athenæus, quid ab Holothurijs differant, iam diximus. Noſtri bechus vocant. Plinius Græco nomine vſus eſt, niſi quod fœminino genere extulit, ſi non mendoſi ſint codices noſtri, in quibus Tetheas aliquot locis reperias.

B Ariſtoteles lib. 4. de hiſt. c. 6. cum qualis ſit eorum teſta, quoque modo ſaxis adhæreant, expoſuiſſet, fuſius reliquas partes perſequitur. Duo, inquit foramina habent, à ſeſe diſtantia, valde exigua, ita vt fere oculorum aciem fugiant, quibus humorem reddunt & accipiunt. Corio ſpoliatis primum apparet membrana neruoſa, corpus ambiens, carn emq; ipſorum totam continens: nulli è cæteris teſtaceis ſimilis, in omnibus tamen ſui generis eadem. Adhæret hæc vtroque ex latere membranę circundanti, & qua adhæret, arctius id in vtraq; parte eſt, videlicet qua tendit ad meatus foras ductos per corium, quibus hauriri & emitti humorem diximus, quaſi alter ſit os, alter excrementi exitus, alter craſſior eſt, alter tenuior, intus cauus vterq;, inter hos modico intercedente interuallo. Hæc ex Ariſtotele, quibus pauca adijciemus, quo notior ſit Tethyorum hiſtoria. Ea non ſolum petris, ſed etiam oſtreorum noſtrorum teſtis affixa ſunt, & in iſdem veluti tumores duri eſſe cernuntur. Oui figura ſunt, aliquando longiore. Teſta extra fuſca, inæqualis & rigida, intus argentea, lęuis. Tethyorum caro membrana alba inuoluta ventriculi formam refert, rotundam ſcilicet & oblongam, meatus craſſior & ampliorgulæ proportione reſpondet, alter minor podici. Vterq; colore eſt rutilo vel rufo, reliquum corpus croceũ. Id totum corpus corio nudatum ſeorſum depingendum curauimus, quod ex duobus meatibus eminẽtibus, quos modo deſcripſimus, agnoſces. Reliqua Tethya corio ſuo tecta adhęrent. Quum digitis premitur, aqua per meatus exilit, alioqui ſenſum fugientes.

De iisdem.

G Ijs ineſt ſapor ſalſus cum amatore coniunctus, ob quem detergit, flatus diſcutit, vt non ſine ratione ſcripſerit Plinius, lib. 32. c. 9. Tethya torminibus, & inflationibus ſuccurrere, & teneſmum diſſoluere, renumq; vitia.

DE

DE VERTIBVLIS, SIVE TETHYIS, BELLONIVS.

Tethya ſiue Vertibula Venetorum vulgus Sponghas, hoc eſt ſpongias nominat.

Ea à ruſticis in foro piſcario vulgo diuendi ſolent, magnitudine oui gallinacei: quæ ſi manu paulo vio-lentius comprimas, ſyringæ modo aquam longiſſimè ex foramine parum ad latus ſito eiaculantur: in Ocea no ad litus Gallicum frequentia: alibi autem nuſquã 10 (quod ſciam) edulia: quæ tu perſæpe oſtrearum teſtis adhærere Lutetiæ videas. Vulgus Græcum Spherdocles nominat. Propria appellatione calli à tergoris calloſa duritie nominantur. Læui membrana intus ac foris conteguntur, quæ poſteaquam diu extra aquã conſtitit, tum rugas contrahit. Pars autem alia quæ vel inſtrumentalis, vel ſenſoria dici poſſit, nulla omnino in hoc exangui percipitur.

Vertibula integra. *Vertibula aperta.* A



B

(F)

(A)

Icones ha, eadem ne ſint, cum ijs quas Rondeletius dedit conſyderandum.

20 COROLLARIVM.

Icones quatuor hic poſitas olim Cornelius Sittardus miſit: quæ vel tethya eſſe videntur, vel eorum naturæ propinquæ. Duas maiores fungos marinos eſſe aut vocari in Italia, addebat, teſtæ duræ incluſos. Colore, vt pictos accepi, variο ſunt, ſed magna ex parte fuſco, quæ verò in maxima virgæ, contextu quodammodo reticulato (ea coniecturæ eſſe debent,) viſuntur, rubræ. Minores duas vulgo nominari Specie. earum pictura foris fuſca hirſutaq; apparet. Subſtantia (vt aliquis coniecerit) coriacea: intus autem cana & rubra. Hiſ ferè ſimiliter ſua tethya Bellonius pinxit.

30



40

Gazam Holothuria & Tethya res diuerſas, ijſdem Latinis nominib. interpretando, (Vertibula, Callos & Tubera,) cõfudiſſe, Rondeletius monet: cuius ſuper hac re verba in Holothurijs reperies, elemento H. pagina 437. & plura ibidem in 50 Corollario noſtro, de vocabulis ſimul, vt * Gaza conuertit, & natura Tethyorum. Quid ab Holothurijs Tethya differant, ſimiliter loco iam citato Rondeletius docet. Tethya fungorum verius generis quàm piſcium ſunt, Plinius. A Græcis rectus ſingularis dupliciter effertur, τῆθυ-ον, vt σῆθυ-ον: & τήθυον, vt κρέμμυον. Pro τήθεια (per ει. in penultima) apud Ariſtotelem hiſtorię 5. 15. repono τήθυα. Eiuſdem operis 4. 6. τὰ τήθυα & τῶ τηθύω legimus. & de partib. animalium 4. 5. τήθυα. Apud Plinium lib. 32: c. 9. leguntur tetheę fœminino genere, vt Muſæ: hæ (inquit) ſugentes, &c. & mox c. 10. tetheæ vtiles ſunt. & in Catalogo, Tethea, vt Muſa: Sic enim codices noſtri habent, non tethyæ, vt quidam legunt.

A

Τήθη, (per iota, in prima, ego per ῆτα malim,) κογχύλια, ὄστρεα, nominantur à Polluce 6. 9. Τήθη τε γεφυρίδμυα μυίοισι, Nicander. id eſt, Tethe (vt Cete) quę in muſco & algis creſcunt, aut natant, aut capiuntur. vocat autem Tethe Patellas feras, quas nos Otia (id eſt, Aures:) Ariſtoteles verò ὄστρεια, & Homerus (ſimiliter) communi nomine ὄστρεια, Nicandri Scholiaſtes. Homerus meminit τῶν τεθέων. Sic enim Homerus Iliados Π: Πολλὸς δ' ἂν κραδάσειεν ἀνὴρ ὀδὸν τήθεϊ ἐλφῶν Νηὸς ὑποθρῴσκων. quæ verba ſunt Patrocli exprobrantis Cebrione è curru deiecto, tanquam vrinatori. Eum locum enarrans Euſtathius: Τήθεια (inquit ab vrinatoribus contrectantur, oſtreorum generis: ſic dicta à terra, quam Tethyn nominant. ſunt enim præ cæteris marinis naturæ terrenæ, propter ambientis teſtæ duritiem. aut forſan denominantur à nutrice infantum, quæ τήθη dicitur: propter tenerum eorum (corpus) velutique lacteum & roſcidum: qua ratione huiuſmodi (oſtrea) etiam ἐφεσίεντα quidam cognominat. Quod tethe quidem ſiue oſtrea attinet, antiquos aiunt non piſcibus tantum, ſed etiam oſtreis in cibo vſos fuiſſe: quanquam is neque vtilis ad-

modum, neq; dulcis sitis sed neq; parabilis, cum è gurgitis vado vbi iacent (*ἐν τῷ βυθῷ τῆς βάθους: atqui propriè dicta tethya, secundum Aristotelem saxis adhærent*) non aliter quam ab vrinantibus auferri queant, Hæc ille. Et rursus Odysseę Δ. A verbo θῶ, θήσω, quod est lacto, (*vide etiam inferius in C.*) deducuntur τηθὴ & τηθὶς, (quæ nomina auiam significant, τήθη aliquando nutricem quoq;:) & τήθεα quoq;: quorum singularis casus rectus est τῆθος, Aristoteli vsurpatus his verbis: Πίννη ὄστρεον, μῦς, κτεὶς, κόγχη, λεπὰς, τῆθος, βάλανος. Et rursus, cum ait: ὁ μὲν κτεὶς τραχυόστρακος, ῥαβδωτός, τὸ δὲ τῆθος, ἀρράβδωτον, λειόστρακον. hinc τήθη in multitudinis numero casus contractus: vt cũ scribit Athenæus: Τὰ δὲ τήθη παραπλήσια τοῖς προειρημένοις, καὶ πολυτροφώτερα. Et quoniam inde genitiuus quoque formatur, τηθέων, τηθῶν: sicut στηθέων στηθῶν: iocandi occasionem inde sumpsit Aristophanes in Lysistrata, his verbis: Ὦ τηθῶν ἀνδρειοτάτη καὶ μητριδίων ἀκαληφῶν: de industria sic alloquens veluti amatas nutrices ac matres. sunt enim τήθεα, veluti τῆθαι, id est, nutrices. μητρίδια verò vrticæ marinæ. Hucusque Eustathius: qui tethe quænam essent, ignorasse videtur, & ab ostreis (seu inter ostrea) non satis distinxisse: sicut & alius innominatus Homeri Scholiastes, qui τήθεα nihil quam ostrea, vel genus ostreorum interpretatur: & Nicandri etiam, qui (vt supra diximus) tethe putat esse Patellas feras: à quibus ea plurimum differre, collatis inuicem historijs, liquebit. A tethyo diminutiuum videtur τηθυάκιον. Epicharmus apud Athenæum libro tertio, τηθυνάκια cum testatis alijs diuersis nominat. Latinè vel tethyum tribus syllabis genere neutro dixerim: vel etiam tethus, duabus syllabis masculino genere, vt cetus aliqui.

Tethya (inquit Gillius) Theodorus vertit Tubera, & Callos & Vertibula. Tubera quidem, quod sic nullis fibris, quemadmodum tubera terrena nitantur. Callos verò, quod callosa materia tegantur. Iam nunc Græci non Græco nomine, sed plusquam barbaro Spherdoclos (*forte à sphæra, vnde & Vertibuli nomen Gazam finxisse conijcio*) nuncupant. Ineptius ij, qui accolunt Adriaticum sinum, ex eo Spongias nominant, quia cum premuntur, tanquam Spongię, sic aquam foraminibus reddunt. Hoc genus piscium Massiliæ in vulgus ignotum à paucis cognoscitur: quidam senes, cum huius descriptionem sub eorum oculos subiecissem, & multum inculcassem, nominarunt Vichonos: veruntamen propter tempestates hos mihi ostendere non potuerunt.

Holothuria (*Tethya potius*) sunt qui vulgo spongiolas marinas putent vocitari, Brasauolus Italus. Ab eo quod spongiæ quandam similitudinem habent tethe, muscoso (si bene memini) & fistuloso corpore: Veneti spongias nominant, vulgo Sphunge. Niphus alibi Vertibulum siue Tuber cum Vrtica cõfundit.

Vrtica.

Callus verò (inquit, tanquam à vertibulo separans, cum alibi eundem faciat) ad magnitudinem iuglandis est, cuius durities media est inter testam & corium. Alibi Vertibula non rectè Vrticas à nonnullis, vocari scribit. Vertibulum (inquit idem) forma rotunda est, subter cum aliqua cauitate crusta callosa, à qua & callus dicitur. Vulgo verò apud Tarentinos dicitur Verticillum propter formam, & paruos quosdam anfractus quibus describitur. Tubera à colore & tumore dicuntur, Idem Niphus. Et lib. 4. de partib. anim. Tethya (inquit) apud nonnullos sunt Vrticæ atque calli quidam ad magnitudinem iuglandis, duritie inter testam & corium, colore suppallido & rubenti. ea frequenter in Pyrgorũ litore ad Centuncellas reperiuntur: quæ sicuti palato iucundissima, ita & stomachis minime insalubria esse conijcimus.

Vertibula ab Vrticis differre.

Quidam confundunt vertibula cum vrticis eadem esse volentes, sed error est cum diuersa omnino sint: Vertibula enim testa scabra veluti corio integuntur, & pedibus carent, & immobilia sunt. Vrtica vero (vti retulimus ex opinione Aristotelis) nullam testam habet, sed corpus omni ex parte carnem præ se fert: & pediculos habet, vt polypus, & saxis absoluta vagatur: decepti forsitan verbis Aristotelis octauo de historia dicentis, Nonnullorum natura corporis carnosa est, vt eorum quæ tubera (tethya) appellantur, aut vrticę. vbi duo genera distincta nõ vnum intellexit, vt sit sensus: Natura corporis nonnullorum est carnosa, cuiusmodi ea sunt, quæ tubera, aut ea quę vrticæ vocantur, Massarius.

Tethyorum Germanicum nomen facio, *Spruetzling*, quod eis compressis aqua, tanquam per syringem aut siphonem, exiliat. vel *Maegling*, quod caro earum ventriculi figuram præ se ferat. vel *Schwummling*, quoniam & Veneti Spongias aut Spongiolas appellant.

B Tetheas ostreis similes Plinius dixit. Tethea similia sunt fungo plantę marinæ. qualitatem manui indunt, quæ difficulter abstergatur, Xenocrates Rasario interprete. addit optima esse in Smyrna Asię insula, Ægyptum ea non ferre.

Quæ tethya vocantur, (*Τὰ δὲ καλούμενα τήθυα, Gaza vertit. Quæ vertibula siue callos speciali nomine à tegminis qualitate appellamus,*) naturam inter hæc genera (*testaceorum*) peculiarem sortiri notum est. ijs enim solis corpus totum tegumento includitur, cuius durities inter testam & corium est: quamobrem modo præduri bubuli tergoris (ὥσπερ βύρσα σκληρά) secatur. Adhæret id genus saxis sua testa. Excrementum nullum in eo spectatur quale in cæteris ostreis. Pars interior caua est, exiguo quodam interueniente continuo. humorque in altero (ἑτέρῳ) cauo consistere solitus est. Pars verò alia quæ vel instrumentalis, vel sensualis sit, nulla omnino percipitur: neq; excrementitiũ quicquam (vt dictum iam est) quo in cæteris morem continetur. Color eis, aut pallidus, aut rubidus est, Aristoteles Historiæ 4.6. vbi & alia quædam adduntur, à Rondeletio recitata. Cęterum libri de partibus animalium quarti, capite quinto, de ijsdem sic scribit: Tethya parum sua natura à plantis differunt: sunt tamen spongijs viuaciora, (ζωτικώτερα: id est, animalium naturæ propinquiora.) Et mox: Tethyum igitur, & quicquid generis eiusdem est, quia adhęrendo tantummodo viuit, simile plantæ est: sed cum aliquid habeat carnis, sensum aliquem habere videri potest. itaq; vtro nam modo statuendum sit, incertum est. Habet hoc animalis genus duo foramina, rimamq; (διαίρεσιν) vnam qua recipiat humorem cibo accommodatum: & qua rursus emittat quantum humoris reliquum sit. nihil enim excrementi vt cætera testata hoc se habere ostendit. ex quo fit potissimum, vt & hoc, & quicquid simile in animalium genere est, planta iure appellari possit: nec enim planta vlla habet excrementum. Præcingitur autem per medium tenui quadam membrana: in qua vitæ principatum esse ratio congrua est. Hæc Aristotelis verba Michael Ephesius declarans, de rima seu diuisione tethyorum sic scribit: Τὰ δὲ τήθυα πόρους μὲν ἔχει δύο, διαίρεσιν δὲ μίαν: ὥσπερ ἂν εἰ νοήσαις ὑμενώδη σωλῆνα ἐξωγκωμένον, καὶ σχίσαις αὐτὸν ἄνωθεν ἕως κάτω ἐν θατέρῳ μέρει. hoc est Meatus (*seu foramina*) quidem in eis duo sunt, diuisio autem vna: ac si fistulam aliquam animo concipias, (*non æquali, sed*) tumido corpore, eamq; ab alterutra parte scindas à summo ad imum.

In testatis quibusdam continetur id quod ouum vocant: in alijs nihil tale apertè venit, vt tethyis, Arist. Tethya tota occuluntur testa, (quam læuem habent,) vt nulla ex parte carnem detectam habeant. Idem.

Rimis cauernisq; saxorum tethya generantur, Arist. Tethe inter muscum & algas crescentia apud Nicandrum leguntur: Vide superius in A. Tetheæ inueniuntur sugentes in folijs marinis. Plinius: Rõdeletius pro folijs legit scopulis. Eustathius tethe sic dicta conijcit à verbo θῶ, quod significet θηλάζ. : quod & pro lactare, & pro sugere accipitur. Tethya gignuntur in cauernis saxorum: maximè verò in cœno, & litoribus quæ phyco algave marina abundent. Inueniuntur & in musco marino, aut alijs in herbis folijsve marinis. Vuottonus, è Xenocrate ferè. Tethya glandesq;, inter immobilia testacea olfactum minimè habere videntur, Aristot. E

Athenæus libro 3. cum ex Hicesio (vt videtur) de testatis quibusdam dixisset, vt purpuris, buccinis, pholadibus, subiungit: Tethe verò prædictis similia sunt, & vberius alunt. Tethya rubea cibo idonea sunt: pallida verò seu lutea, amarulenta: Massarius tanquam ex Aristotele, apud quem nihil tale legisse memini. F

Pręstantissima in Smyrna Asiæ: in Ægypto nulla inueniuntur. Plurimum dant alimẽti, renibus prosunt, & stomachicis, tenesmumq; patientibus atq; ischiadicis, etiam ventri superiori vna cum ruta, Vuottonus è Xenocrate, & partim Plinio. Coria earum maximè non conficiuntur. Secantur etiam & lauantur, ac liquore Cyrenaico & ruta, muria & aceto, vel ex aceto condiuntur: estq; operęprecium ea cum viridi menta conficere, Xenocrates.

Vide proximè retro in F. Tetheæ similes ostreis in cibo sumptæ, lateris dolores leniunt, Plinius. Cachectis, quorum corpus macie conficitur, tetheæ vtiles sunt cum ruta ac melle, Idem. Contra dorycnium iuuant in cibo strombi, buccina, tethya, &c. Nicander. G

DE THVNNIS SCRIPTA SEQVVNTVR HÆC.

EX BELLONII LIBRO.

De Thynno. *De Pelamyde.*

EX RONDELETII LIBRIS.

De Thunni, Pelamydis, Orcyni, alijsque similibus nominibus.
De Pelamyde vera, seu Thunno Aristotelis.
De Pelamyde Sarda, vel Sarda simpliciter. *De Orcyno.*

COROLLARIA.

I. *De nominibus Thunnorum & similium piscium, vel ætate tantum, vel etiam specie differentium, ordine literarum.*
II. *De Cordyla.* III. *De Pelamyde.*
IV. *De Thunno.* V. *De Orcyno.*

DE THVNNO SEV THYNNO, BELLONIVS.

THYNNVS, vulgo Tunnus, in alto degit, Tyrrheno ac Mediterraneo frequens, Oceano atq; Adriatico non item. Quamobrem Romanis, Massiliensibus ac Byzantinis, magis quàm Venetis ac Parrhisinis notus. A (B)

Externo colore ac delineamentis satis ad Scombrum accedit, nisi quod ille est longè maximus, Pelamydem, dum iunior est, magis referens: à qua hoc vnum distat, quod Thynnus liuidus est lateribus: hæc verò vndantibus maculis transuersis atq; obliquis distincta gerit latera. Cæterum vterq; piscis eiusdem fere est magnitudinis: tergoris pinnis, cauda, appendicibus, turbinataq; figura, ita alter alteri similis, vt ementes vnius & alterius magnitudinis incertos plerunq; decipiat. Sic Thynnus Pelamydẽ, Pelamys Scombrum, Scomber Coliam, Colias Lacertum refert. B

Magni est apud Italos pretij, cuius sale conditæ, atq; in vsum asseruatæ partes, pro vario gustatu variè à Salgamarijs, atq; Ichthyopolis nominari solent. Ventris enim pinguiorem adipem, Ventrescam ac Surram: dorsum autem magis carnosum ac macilentum, Tarentellam appellant: quæ longe minori pretio venundari solet. (*Aliter Saluianus Typhernas: Thynnorum inquit, salitus partes pingues Itali Tarantello appellant: pinguedines verò expertes, Tonina.*) F

Visum est mihi antiquissimum nummisma Lutetiæ apud quæstorem Grolerum, cuius in altera parte, spica depicta erat, in altera Thynnus, lunam superiorem habens: ac quod subtus scriptum erat, (nescio qua ratione) vocem hanc referebat Philippenze. Id vbi conspexi, protinus mihi venit in mentem horum versuum, quibus Amphilytus apud Herodotum lib. 1. sic vaticinatur. H. a.

Est nummus proiectus, item sunt retia tenta: Nocte meant Thynni claro sub sydere lunæ.

Proinde, tres cubitos vt plurimum longus est Thynnus, crassus verò per medium, quantum vtrisq; vlnis iustæ magnitudinis homo complecti potest: vtrinq; gracilescit in remi modum. Pinnas ad latera circa branchias gerit, sub ventre duas, super tergo vndecim: quarum prima, duodecim aculeis armata est: atq; vbi desinit, secundam excelsiorem, paruam sine aculeo procreata, à qua nouem aliæ deinceps B

paruæ pinnę eodem ordine vsque ad caudam disponuntur. Hanc vero lunatam gerit, in cuius radice vtrinq; (vt in Scaro) vnam appendicem videas. In ea autem caudæ regione, quæ ad ventrem pertinet, mox à podice, pinnam nullo aculeo præditam cernes, cui nouem alię superioribus similes subseruiunt.

Interiora. Quod autem ad internas Thynni partes attinet, cor illi est turbinatum, atque in conum efformatũ, robustissimo pericardio communitum, solidum, nullisque cauernulis præditum: cui duo veluti meatus (fistulas Aristoteles vocauit) sibiinuicem insidentes iuglandis crassitie accumbunt, pulmonis officio fungentes: atq; his tertium adhæret, trachiæ arteriæ (*Has partes an rectè pulmoni & arteriæ conferat Bellonius, considerandum*) munus obiens. Diaphragmate secernitur, sub quo ventriculus (vt in Delphino) oblongus, quem hepar in multiplices lobos discissum ambit, quorum maximus palmi longitudinem, latitudinem autem duorum digitorum excedit, secundum pylorum ad ima tendens. De pyloro, ac concauis hepatis regionibus, fellis folliculus semipedem longus appendet, huicque superiacent etiam adnatæ infinitæ apophyses, atq; in quandam veluti cæsariem desinentes, quam venæ plurimæ in gyrum ambiunt, quæ rectà cum intestinorum venis deducuntur ad hepar. Pauca autem intestina habet, eaque exilia, ac tribus tantum gyris in reflexæ tubę modum contorta.

DE PELAMYDE, BELLONIVS.

A Pelamydem, Scombrum, Thynnum, & Orcynum, paruos, si rectè obserues, nusquam eos quidem ex suo genere desciscere, atque in aliud transire comperies. Quamobrem multum mihi absurdum videretur affirmare, Pelamydes ex paruis Thynnis originem ducere. (*Discrimen eius à thynno, supra in Thynno indicat, & mox in fine huius Capitis.*)

B Tota piscis moles argenteo colore micat: squamis integitur tenuissimis: caudam lunatam habet: lineam ad latera nigram, quæ corpus per medium vtrinque intersecat, à superiori branchiæ angulo recta ad caudam protensam. Pinnas vtrinq; ad branchias vnam, duas sub ventre: quarum quæ tergoris fastigium occupat, ea continua est, vt in Sargo ac Sparo & præter has, quintam aliam ab ano ad caudam protensam. Branchiarum (quæ vtrinque quaternę numerantur) spineum tegumentum multum illi est carnosum: cuius generis est vtraque maxilla, præsertim inferior: dentes in ordinem dispositi, atque in serrę modum incisi. Lingua aliquantulum lata, sed oblonga & aspera, branchijs inhærens, quarum quę

(C) capiti magis vicinæ sunt, ipsi carni confusæ apparent. Oculos in Melanuri modum grandes ac varios habet: Cor triangulare ac spongiosum, in cuius pericardio carunculam inuolutam cernes, quæ leui calamo inflata distenditur. Hepar pallidum in duos oblongos lobos diffissum, ventriculum vndecunque fulciens. Pelamys omnibus promiscuè pisciculis vescitur, Anguillis, Gobionibus, Caridibus, Salpis: quamobrem apophyses illi ex Pyloro prodeunt fere innumerę, quæ eius ventriculum fibris omnis generis contextum ambiunt. Lienem habet gracilem, per ventrem extensum, quatuor digitos longum, intestinis inhærentem. Fel luteum, folliculo gracili è dextro hepatis lobo dependens, bis reflexum, vt in Marina Tinca dicetur, spleni vicinum: quod si extenderis, octo digitos longum comperies. Vulua Pelamydibus fœminis (vt in alijs piscibus) est bicornis.

F Pelamydes (ait Galenus) sale conditæ, laudatissimis salsamentis non cedunt: vnde passim vsitato nomine salsamentum Sardicum appellatur. Post Sardas autem ac Pelamydes, Myli, qui ex Ponto afferuntur, plurimum laudari solent in condimentis.

B Ego Pelamydes cum Thynnis aliquando contuli, eundemq; ambobus habitum figuramq; deprehẽdi: pinnas, caudam, ac tergoris appendices vtriq persimiles, eademq; forma tornatos. Verumetiam Pelamydem cum grandi Scombro si quando conferas, vtriusq; eosdem pinnarum ordines, & corpus eodem pacto efformatum esse conspicies. Sic quoq; Colias cum Scombro, & Scomber cum Lacerto cõueniunt. *In quibus ei conueniat cũ thynno.*

DE THVNNI, PELAMYDIS, ORCYNI ALIISQVE *similibus nominibus, Rondeletius.*

Nominum incertitudinem multis errandi esse causam. NON sine magna ratione Galenus medicorum omnium doctissimus & eloquentissimus optauit aliquando res posse tradi sine nominibus, vt sophistis, & natura contentiosis eriperetur de nominibus decertandi & calumniandi occasio. Nihil enim est quod exquisitam rerum cognitionem obscuriorem efficiat, quam inutiles de nominibus disputationes & amphibologiæ, quæ permultos etiam viros doctos in errores induxerunt: quos cum (*alij*) postea non deprehenderent, quod maioribus nimis addicti essent, illosque erroris insimulare nefas esse ducerent, eandem quam ab alijs errandi occasionem acceperant, cæteris præbuerunt. Huc accessit rerum neglecta peritia, ob quam multi siue interpretando, siue veterum Græcorum monimenta Latina faciendo, in Philosophiam & Medicinam errores multos inuexerunt. Id quod maxime in Aristotelis, Galeni, Hippocratis conuersionibus videre licet. Eandem ob causam sæpe in multorum piscium cognitione diu desudauimus: nam interdum piscis vnus multis nominibus à quibusdam designatur, quę apud alios nomina diuersorum sint piscium. Interdũ idem nomen à diuersis scriptoribus, diuersis piscibus positum est. Porro ea nonnunquam aliter Plinius, aliter Theodorus Gaza, aliter alij Latini scriptores Latinè expresserunt. Quæ varietas tum nominũ, tum interpretationum magnam rebus obscuritatem affert, cum in multorum piscium descriptione, tum maxime in thunnis & pelamydibus, de quibus nunc agimus. Etenim alij thunnos, thunnidas, pelamydas eundem piscem esse dixerunt. Alij pelamydas à thunnis sola ætate: alij non solum ætate, sed etiam genere differre existimauerunt. Alij nomina partium quarundam pisci toti tribuerunt. Primum Aristotelem libro 6. de histor. animal. cap. 17. proferamus, qui hæc de thunnis: Ὅταν γὰρ *Circa Thunnos nominum varietas.*

τέκωσιν ἐν τῷ Πόντῳ, γίγνονται ἐκ τοῦ ᾠοῦ ἃς καλοῦσιν οἱ μὲν σκορδύλας, Βυζάντιοι δὲ αὐξίδας, διὰ τὸ ἐν ὀλίγαις ἡμέραις αὐξάνεσθαι, καὶ ἐξέρχονται δὲ φθινοπώρου ἅμα τοῖς θύννοις, εἰσπλέουσι δὲ τοῦ ἔαρος ἤδη οὖσαι πηλαμύδες. Cum thynni in Põto pepererint, fiunt ex ouo quas vocãt alij scordylas, (sunt qui cordylas legant:) Byzanthij auxidas, ideo quod paucis diebus augescunt: & Ponto exeunt autumno vna cum thunnis, remeant vere iam pelamydes factæ. Et ἐκλιποῦσιν ποτὲ τῶν θυννίδων ἐνιαυτὸν, τῷ ἐχομένῳ ἔτει καὶ οἱ θύννοι ἐξέλιπον. δοκοῦσι δ᾽ ἐνιαυτὸν πρεσβύτεροι τῶν πηλαμύδων. Cum thynnides aliquando nullæ fuissent, insequente anno thunni quoque nulli fuerunt: videntur enim thynni quàm pelamydes anno vno maiores esse. Vbi pro θυννίδων Gaza legit πηλαμύδων, idque rectius meo quidem iudicio. Plin. lib. 9. cap. 15. Cordyla appellatur partus, qui fœtas redeuntes in mare autumno comitatur. limosæ verò à luto pelamydes incipiunt vocari, & quum annuum excessere tempus, iam thunni. Vides cordylam, thunnum pelamyda idem esse, nisi quod cordyla sit thunnorum fœtus, pelamys anno minor thunno. *Plura de pelamydis nomine, proximè sequente capite leges in A.*) Athenæus lib. 7. Σώστρατος δὲ ἐν δευτέρῳ περὶ ζώων τὴν πηλαμύδα, θυννίδα καλεῖσθαι λέγει: νομίζω (*legendum* μείζω, *vt rectè Eustathius repetit, quod non animaduertit Rondeletius*) δὲ γινομένην, θύννον: ἔτι δὲ μείζονα, ὄρκυνον: ὑπερβαλλόντως δὲ αὐξανόμενον γίνεσθαι κῆτος. id est, Sostratus in secundo de animalibus pelamyda, thynnida vocari ait, opinor, cum thynnus fit, (*Vertendum erat, non, opinor: sed: cum verò maior euaserit, thynnum. hoc rursus maiorem, orcynum*) hoc autem maiorem, orcynum: cum verò mirum in modum accreuerit, cete. Et apud eundem Heracleon Ephesius thynnos ab Atticis orcynos vocari scripsit. Et Archestratus. *Cordylæ. Ibidem. Thynnis non alia quam pelamys. Orcynus. Cetus.*

Ἀμφὶ δὲ τὴν ἱεράν τε καὶ εὐρύχορον Σάμον ὄψει
Θύννον ἁλισκόμενον σπουδῇ μέγαν, ὃν καλέουσιν
Ὄρκυνον, ἄλλοι δ᾽ αὖ κῆτος.
Ad sacram Samon & populis famaque celebrem
Prægrandis capitur thunnus quem nomine dicunt Orcynon, ast alij cete.

Plinius: Orcynus pelamydum generis maximus, neque redit in Mæotin, similis tritoni, vetustate melior. Hic pro melior maior, vel peior legendum esse postea docebimus. Ex his constat præter cordylam, pelamyda, thynnida, thunnum, etiam orcynum pro eodem pisce accipi, ætate sola distantem. *Lib. 32. cap. 11. Triton. Conclusio.*

Porrò pelamyda siue thunnum veluti genus esse quod tritonem, synodontida, sardam, pompilum, melandryam comprehendat veterum testimonijs comprobabimus. Plinius lib. 32. cap. 11. Triton Pelamydum generis magni: ex eo vrææ cybia fiunt. Et Sarda vocatur pelamys longa ex Oceano veniens. Et lib. 9. cap. 1. Thunni sæpe nauigia velis euntia comitantes mira quadam dulcedine, per aliquot horarum spatia, & passuum milia à gubernaculis non separantur, ne tridente quidem in eos sæpius iacto territi. Quidam eos qui è thunnis id faciant Pompilos vocant. Athenæus: Μελάνδρυς δὲ τῶν μεγίστων θύννων εἶδός ἐστι. Melandrys maximorum thunnorum species est. Rursus Athenæus ex Diphilo: Ἡ δὲ πηλαμὺς πολύτροφος μέν ἐστι, καὶ βαρεῖα, οὐρητικὴ δὲ καὶ δύσπεπτος. ταριχευθεῖσα δὲ κυβίῳ ὁμοίως ὀλίγιλιος, καὶ λεπτυντική. ἡ δὲ μείζων, συνοδοντὶς καλεῖται. ἀναλογῶν μέντοι ὁ χελιδονίας τῇ πηλαμύδι σκληρότερός ἐστιν. ἡ δὲ χελιδὼν ἡ τῷ πολύπῳ ἐοικυῖα, ἔχει τὸ ἀφ᾽ αὑτῆς ὑγρὸν, εὔχροιαν ποιοῦν, καὶ κινοῦν αἷμα. ὁ δὲ ὄρκυνος, βορβορώδης, καὶ ὁ μείζων προσέοικε τῷ χελιδονίᾳ κατὰ τὴν σκληρότητα. τὰ δὲ ὑπογάστρια αὐτοῦ, καὶ ἡ κλεὶς, εὔστομα, καὶ ἁπαλά. οἱ δὲ κεστοὶ λεγόμενοι, ταριχευθέντες εἰσὶ μέσοι. ξανθίας δὲ ἐπὶ ποσὸν βρομώδης ἐστὶ, καὶ ἁπαλώτερός ἐστι τοῦ ὀρκύνου. Habes hic Synodontida maiorem esse Pelamyda. Totum Athenæi locum adscripsimus, vt deprauatissimum pro viribus corrigeremus, & ei lucem aliquam adferremus. Primum igitur pro κυβίῳ reponendum κυβίῳ: est enim κύβιον concisa Pelamys, teste Plinio (lib. 32. cap. 11.) vel salita pelamys, de quo paulò post plura. Deinde pro ἀναλογῶν μέντοι ὁ χελιδονίας τῇ πηλαμύδι, σκληρότερός ἐστι, legendum, ἡ δὲ μείζων, συνοδοντὶς καλεῖται, ἀναλογῶν μὲν ταύτῃ ἡ χελιδὼν, τῆς πηλαμύδος σκληρότερός ἐστι. & pro τῷ πολύπῳ, legendum τῷ πομπίλῳ: pro τῷ χελιδονίᾳ, τῇ χελιδόνι. Postremo pro ξανθίας, ξιφίας. Nusquam enim reperias chelidoniam pro pisce, sed chelidonem, quæ Hirundo à Latinis vocatur, de qua suo loco dicemus: neque ξανθίαν, sed ξιφίαν de quo paulo post. Quibus quæ hic dicuntur, optimè quadrant. Locus igitur Athenæi sic verti potest. Pelamys multum alimenti præbet, grauis est, vrinam cit, difficilè concoquitur: salita verò similiter ac cybium, aluo facilis est, extenuandiq; vim habet. Maior autem synodontis vocatur, cui similis chelidon pelamyde durior est: chelidon verò pompilo similis, succum ex se habet, nitidum (*bonum*) colorem efficientem, & sanguinem mouentem. At orcynus lutosus est, & maior: tam sicca est carne quam chelidon, huius imus venter, & clidium ori grata sunt & tenera, costæ salitæ mediocri sunt bonitate. Xiphias virus (*aliquatenus*) resipit, & orcyno tenerior est. *Pelamydem vel Thunnum veluti genus esse ad multas species. Pompili. Lib. 3. Melandrys. Lib. 8. Emendatur Athenæi locus. Idem conuertitur.*

Non me latet Hermolaum Barbarum (in Annotationib. in cap. 11. lib. 32. Plinij) coniectura nescio qua motum existimasse tritonem esse id quod chelidoniam vocant Græci, apolectum verò quam Synodontida: sed quam leuis sit coniectura liquet ex ipso contextu: cum enim semel χελιδὼν legatur, cui alij pisces comparantur, cur in eadem comparatione perseuerante sententia, non chelidon deinceps sed chelidonias legatur? Præsertim cum chelidoniæ piscis nomen neq; apud veterem vllum aut recentem scriptorem Græcum Latinumue reperiatur. Dices chelidonem piscem longè diuersi generis esse à thunnis & pelamydibus, quapropter ineptissimam fore horum cum hirundine collationem. At confert Athen. non speciem cum specie, non figuram cum figura, sed carnis substantiam cum carnis substantia, quæ cum in hirundine reuera sicca duraque sit, ei pelamydes, orcynosque meritò confert. Hac collatione vti Athenæum verba ipsa perspicuè indicant: Ὁ δὲ ὄρκυνος βορβορώδης καὶ μείζων προσέοικε τῇ χελιδόνι (τῷ χελιδονίᾳ, *codices impressi habent, quod & nos probamus*) κατὰ τὴν σκληρότητα. Eodem modo intelligere oportet, synodontidi similem esse chelidona. Quod verò Hermolaus ait, apolectum esse quam synodontida vocat Athen. id equidem probabile esse duco: nam vt synodontis Athenæo maior est pelamys, ita apolectus Plin. lib. 32. cap. 11. Pelamys, inquit: earum generis maxima apolectus vocatur, durior tritone, vel vt emendat Hermolaus, apolectum vocatur, durior tritone. qui Plinij locus alterius loci me admonet, cuius paulo antè etiam meminimus. Orcynus pelamydum generis maximus, neq; redit in Mæotin similis tritoni, vetustate melior. Hunc locum mendosum esse diximus, idq; non sine ratione. Cum enim, vt ex Athenæo diximus, orcynus sit lutosus dura siccaque carne, cumque corpora omnia quo vetustiora, eo licciora, duriora, magisque exucca fiant, necesse est orcynum vetustate deteriorem fieri. Quare pro vetustate melior reponendum vetustate peior, vel maior. *De chelidonia contra Hermolaum. De Apolecto. De Orcyno Plinij locus emendatur.*

Hactenus de his quæ nomini pelamydis vel thunni ſubſunt. Nunc de horum partibus, quæ ſæpe totis piſcibus attributa ſunt. Plinius lib. 9. cap. 15. Thunni membratim cæſi ceruice & abdomine commendantur atque clidio, recenti duntaxat, & tum quoque graui ructu, cætera parte plenis pulpamentis ſale aſſeruantur. *Melandrya.* Melandrya vocatur cæſis quernis aſſulis ſimillima, viliſſima ex his quæ caudæ proxima, quia pingui carent, probatiſſima ea quæ faucibus, & in alio piſce circa caudam exercitatiſſima. Pelamydes in apolectos, particulatimque conſectæ in genera cybiorum diſpertiuntur. *Apolectus.* Habes hic melandryam pro particula thynnorum aſſulatim diuiſa, quæ ab Athenæo loco antè citato magnorũ thynnorum ſpecies eſſe dicebatur. Adhæc apolectum pro parte, verum lib. 32. cap. 11. pro pelamyde maxima.

Cybia. Cybium (inquit Plin. ibidẽ) vocatur conciſa pelamys, quæ poſt quadraginta dies à Ponto in Mæotin reuertitur. Mart. Vel duo fruſta rogat cybij, tenuemque lacertum.

Lib. 3. Ibidem. At Hiceſius apud Athenæũ πηλαμύδας κύβια εἶναί φησι μεγάλα: pelamydas ait cybia eſſe magna. Apud eundem cybia & horæa ſalſamentorum nomina ſunt: Τῶν ταρίχων τῶν ἀπιμέλων κράτιστα εἶναι τὰ ὡραῖα: τῶν δὲ πιόνων, τὰ θύννια, id eſt, Salſamentorum macrorum optima eſſe horæa, pinguium verò thunnia. & Κράτιστα δὲ τῶν μὲν ἀπιόνων κύβια, καὶ ὡραῖα, καὶ τὰ τούτοις ὅμοια φησί: τῶν δὲ πιόνων, τὰ θυνναῖα. Macrorum optima eſſe cybia & horæa, & his ſimilia: pinguium verò, thunnæa. *Lib. 4. de ling. Lati.* Varro cybium & thynnus, & cuius partes Græcis vocabulis omnes, vt Melandrya atque. *Triton.* Plinius: Triton Pelamydum generis magni: ex eo vrææ cybia fiunt. *Vrææ.* Sunt autem ὡραῖα ſiue οὐραῖα partes caudæ proximæ. Cybium verò dicitur autore Feſto Pompeio lib. 3. quia eius medium æquè patet in omnes partes, quod genus à Geometris κύβος dicitur. *Thynnades.* Dicuntur etiam θυννάδες teſte Phauorino παμμεγέθη τάριχη. Hæc de nominibus, ex quibus, niſi peritè diſtinguantur, magna rerum confuſio difficultaſque conſequitur.

DE PELAMYDE VERA, SEV THVNNO

Ariſtotelis, Rondeletius.



A Dicitvr θύννος à Græcis mas, & θυννίς fœmina, eadem nomina Latini retinuerunt. *Lib. 9. cap. 15.* Πηλαμύδα Gaza limariam vertit. Plinius limoſam. Limoſæ, inquit, pelamydes à luto incipiunt vocari. Dicta eſt Pelamys παρὰ τὸ ἐν τῷ πηλῷ μύειν, quod in cœno ſe occultet. Quanquam Plutarchus (in libello, Vtrum prudentiora ſint terrena animalia aquatilibus) à grege nomen illi datum putet, neſcio qua de cauſa. Ἀμίαις καὶ τοὔνομα παρέσχηκεν ὁ συναγελασμός, οἶμαι δὲ καὶ ταῖς πηλαμύσι. Θύννος ἀπὸ τοῦ θύειν καὶ ὁρμᾶν, ab impetu & concitatione. Italia tota cum prouincia Pelamyde vocat. Thunnus piſcis eſt marinus, gregalis, lacer-

B to minori ſiue ſcombro ſimilis, ſi colorem & maculas excipias. *Pelamys Sar.* Vel ei qui pelamys Sarda poſteà nominabatur tam ſimilis, vt idem planè eſſe videatur tam ob corporis figuram, dorſi colorem, maculaſque veluti plumbeas, quam ob appendicum ventriculi numerum aliarumque partium internarum ſimilitudinem. Hac igitur nota hunc ab illa diſtingues, quod pelamys Sarda partem quæ pinnis, quę ad branchias ſunt, ſubeſt, ſquamis tectam habet. Pelamys verò ſimpliciter, ſeu thunnus Ariſtotelis, ab omnibus ſquamis omnino nudus eſt: ſed cute eſt planè læui & tenui, ventre lacteo, dorſo plumbei coloris, quibuſdam locis candido, obſcurioribus quibuſdam & nigrioribus à dorſo ad ventrem deſcendentib. lineis tranſuerſis, breuiori à ſeſe interuallo diſtantibus quàm in pelamyde Sarda. Pinnas & caudam ſcombri, coliæ, amiæ pinnis caudæque ſimiles habet. Duas in dorſo, alteram ſub podice. Ad branchias & ſub ventre binas. Caudam creſcentis lunę figura.

Lib. 5. de hiſt. anim. cap. 9. Lib. 7. Marem à fœmina ita diſtinguit Ariſtoteles, & ex Ariſtotele Athenæus, vt fœmina ſub ventre pinnulam habeat quæ aphareus vocatur, qua mas caret. Sed tam in mare quàm in fœmina ſemper pinnam ſub ventre deprehendi, verum in mare diuiſa non eſt, in fœmina diuiſa, opinor vt podicis foramen dilatari & commodius fœtus edi poſſit. Branchias quaternas, duplices habet: ventriculi appendices propemodum infinitas. ventriculum magnum. Inteſtina tenuia, recta. Hepar ex albo rubeſcens. Fellis veſicam ab hepate pendentem, & inteſtino ſecundum eius longitudinem annexam. Carne eſt pingui ſuauique.

A. Thunnum verum hunc eſſe. Hunc verum eſſe thunnum Ariſtotelis cum alia multa, tum hoc maximè confirmat, quod Ariſtot. thunnos inter læues piſces recenſet. Læues autẽ vocat qui nec ſquamoſi ſunt, neq; aſpera cute: cuiuſmodi eſt is quẽ hic oculis ſubijcimus. *Lib. 2. de hiſt. anim. cap. 13.* At thunnus noſter, id eſt is qui à nobis *ton* vocatur, ſquamis magnis tegitur, ſed ita ad amuſſim compactis, vt ijs carere videatur. ſed ſquamæ coctione dehiſcunt, tũq; (C) perſpicuè apparent tenui membrana contectæ. Præterea thunnus de quo hoc capite agimus, gregalis eſt, œſtro ſiue aſilo concitatur canicula oriente, id quod Ariſt. etiam perdidit. *Lib. 8. de hiſt. anim. cap. 19.* Thunni & xiphiæ œſtro concitantur, circa canis exortum. tunc .n. habet vterq; ſub pinna veluti vermiculum œſtrum vel aſilũ nuncupatum, ſimilem, aranei magnitudine. Infeſtat autem tanto dolore, vt non minus interdum xiphias quam delphinus exiliat, vnde fit vt in nauigia ſæpenumero incidat. *Lib. 7.* Eadem Plin. lib. 9. cap. 15. & Athenæus ex Ariſtotele tradunt. Oeſtri à paucis cogniti figuram in orcyno repræſentauimus, *& ſupra in Aſilo, elemento A. pag.* 112.) His omnibus adſtipulatur Italiæ Prouinciæq; vulgaris appellatio. Quã verò pelamydem vocat vulgus in Gallia noſtra Narbonenſi, ea non eſt ex thunnorum, ſed potius cyaneorum genere

genere, de quibus deinceps tractabimus, (*ſecundam à ſe Glauci vocatam ſpeciem inter cyaneos, vulgò palamide vocari ſcribit: & pompilum, quoque pro pelamyde vendi.*) Cum igitur nulla omnino nota ſit, qua thunnus quem hic depinximus, à thunno Ariſtotelis diſcrepet, eum hoc capite planè expreſſiſſe, affirmare non dubitamus. Neque id omittendum, ſine cauſa reprehendi Ariſtotelem à quibuſdam, (*vt Belonio,*) quod dixerit pelamydas in thunnos mutari: illi enim non rectò thunnum vulgarem (*Orcynum puto intelligit. hunc enim vulgò Ton vocari ſcribit*) pro thunno Ariſtotelis vſurpant. Et Ariſtoteles nunquam *Lib. 6. de hiſt. anim. cap. 17.* dixit pelamydas in thunnos mutari, ſed oſtendere voluit eiuſdem piſcis diuerſa nomina pro diuerſa ætate, cum dixit paruos thunnorum fœtus cordylas appellari, quæ Ponto exeunt fœtas comitantes, eodem redeuntes vere, cum iam ſatis accreuerint pelamydes dici, pelamydibus verò maiores anno vno thunnos appellari, in quo quid erroris eſſe poſſit non video. Id equidem falſum eſſe crediderim, quod *C. Thunnorũ vita.* ſcribit thunnos non diutius bienno viuere. Sed id ex piſcatorum potius quam ex ſua ſententia profert, quod ſatis verba ipſius declarant. Pelamydas & thunnos idem Ariſtot. lib. 5. de hiſt. anim. cap. 10. autor eſt in Ponto parere. nec vſquam alibi. *Partus.* Et thynni, pelamydes, amiæ Pontum ſubeunt vere, & æſtiuant. Plinius: Thynni intrant è magno mari Pontum verno tempore gregatim, nec alibi fœtificant. Rurſus Ariſtot. Æſtate menſe Iunio thunnis circa ſolſtitium parit. Et, Coeunt thunni & ſcombri menſe Februario poſt idus, pariunt Iunio ante nonas. *Lib. 9. cap. 13.* Quæ ſi vera ſunt, neſcio quomodo conſentire poſſunt cum ijs quæ alibi ipſe ſcribit: *Lib. 5. de hiſt. anim cap. 11.* Ἡ δὲ θυννὶς ἅπαξ τίκτει, ἀλλὰ διὰ τὸ τὰ μὲν πρῴιμα, τὰ δὲ ὄψιμα ποιεῖσθαι, δὶς δοκεῖ τίκτειν. ἔστι δὲ ὁ μὲν πρῶτος γόνος περὶ τὸν ποσειδεῶνα πρὸ τροπῶν: ὁ δ᾽ ὕστερος, ἔαρος. id eſt Thynnis ſemel parit: ſed *Lib. 6. de hiſt. cap. 17.* quia partem præmaturè, partem ſerò producit, fœtificare bis creditur. prior eius fœtus eſt circa Decembrem ante brumam: alter vere. *Lib. 5. de hiſt. cap. 9.* Vbi ante brumam diximus, Gaza à bruma non rectè vertit, ſiquidem πρὸ τροπῶν legendum ſit: τροπάς enim Græci ſolſtitium vocant: Decembri verò menſe ſolſtitium eſt hybernum, cuius dies bruma à Latinis dicitur quaſi βραχὺ ἦμαρ, id eſt, breuis dies. Eſt enim is totius anni dierum breuiſſimus. Porrò per mihi mirum videri debet, thunnos nuſquam alibi quam in Ponto parere. Fateor equidem paſtum illic partumque tum commodiorem, tum vberiorem eſſe, propter dulcium aquarum copiam, quibus thunnos quamuis natura carniuoros delectari, & pingueſcere nos ipſi experimur. Quum enim magnæ frequenteſque pluuiæ fiunt, thynnos atq; conſimiles piſces pinguiores, craſſioreſq; habemus. Sin ſicca & ſqualida fuerit anni conſtitutio, macros & tenues. Huc accedit beluarum marinarum, quæ piſcibus infeſtiſſimæ ſunt, raritas: nulla enim in Ponto eſt præter phocam & delphinum. (Caſtigandus enim eſt Ariſt. locus lib. 8 de hiſt. anim. cap. 13. Ἔξω γὰρ φαλαίνης καὶ δελφῖνος, οὐδέν ἐστι θηρίον ἐν τῷ πόντῳ. Vbi Gaza φαλαίνης legit. Legendum vero φώκης ex Plinio, qui locum hunc *Phocæ.* Ariſtot. tranſtulit. In Pontum nulla intrat beſtia piſcib. malefica præter vitulos & paruos delphinos.) *Lib. 9. cap. 15.* Hæc inquam fateor. Verum ſi ideo in Ponto ſolum parere exiſtimantur, quod nulli parui alibi reperiuntur, neceſſaria ad id concludendum cauſa hæc mihi eſſe non videtur: nam nec in Ponto, nec alibi paruos admodum vix reperiri puto, cum piſcium genus omne præcipua celeritate adoleſcat, maxime in Ponto, inquit ex Ariſtotele Plinius. Iam verò ſi thunnos hyeme parere verum ſit, vt loco vno prius *Lib. 6. de hiſt. anim. cap. 17.* citato ſcripſit Ariſtoteles, ijdemque hyeme lateant imis gurgitibus, vnde poſtea pinguiſſimi fiant, vt *Plin. lib. 9. c. 15* idem Ariſtoteles autor eſt nihil mirum paruos thunnos vbiq; non reperiri. Sed de hac re ſtatuat quiuis *Lib. 5. de hiſt. cap. 15.* pro arbitrio. Thynnus poſt arcturum melior eſt. tunc enim œſtro cieri deſinit, ob id æſtate deterior eſt. F
In mari noſtro vere & æſtate thynni capiuntur, ſed in Hiſpania & Prouincia multò plures. Vidi Romæ E
thynnos qui hyeme capti eſſent. Subeunt aliquando flumina: nam Agathopoli viſi ſunt qui ad pontem C
vſque conſcenderint, qui à mari aliquot paſſuum milibus diſtat. Quare verum eſt illud Plinij: Amni tantum ac mari communes thynni, thynnides, ſiluri, coracini, percæ. *Lib. 32. cap. 11.*

DE PELAMYDE SARDA, VEL SARDA

ſimpliciter, Rondeletius.



A Inter Pelamydas Sardam numerat Plinius. Eam eſſe puto quam noſtri & Hiſpani bize nomine communi cum amia ob ſimilitudinem vocant, nonnulli pigo.

B Piſcis eſt Pelagius, thynno, coliæ, amiæ corporis ſpecie ſimilis: cute læui & ſine ſquamis, excepta ea parte quæ à pinnis quæ ad branchias ſunt tegitur: ea enim tantum ſquamas habet, qua nota à pelamyde vera ſeu thynno Ariſtotelis differt. Carnis etiam teneritate inferior, ac dentes maiores magiſque in os recuruos, quàm thunnus habet. Reliquis omnibus adeo ſimilis eſt ſuperioribus, vt niſi propius inſpicias, hanc cum illis facilè confundas.

A Hanc Sardam eſſe colligo ex Plinij Athenæique verbis. Sarda enim, inquit Plinius, pelamys longa eſt. At hæc quam exhibemus, pelamydi tam ſimilis eſt, vt eadem planè eſſe iudicetur. Neque verò cordyla eſſe poteſt, cum pelamys longa ſit: neque thynnus, qui totus læuis eſt, cum hæc ſquamas circa branchias habeat: neque apolectus, neque triton, neque orcynus. Sunt enim pelamydes maximæ, at ſarda coliæ magnitudine ſimilis, authore Athenæo. Thynnis etiam pelamydibuſque ſardas coniunxit *Lib. 3.* Galen. lib. 3. de alim. facult. ex ijſque præſtantiſſima fieri ſalſamenta ſcribit. Ex his liquet piſciculum qui lingua noſtra Sarde nominatur, minimè veterum ſardam eſſe, ne quis ob nominis affinitatem in errorem inducatur. Sed de hac fuſius in præcedentibus, capite de trichide & trichia.

DE ORCYNO, RONDELETIVS.



A Græcis Ὄρκυνον magnum esse thunnum prius docuimus. Is est qui à nostris ton vocatur, à Santonibus thon.

B Piscis est pelagius pelamydi veræ corporis figura similis, maior & spissior: squamis opertus magnis, tenui membrana velatis, vt læuis esse videatur, sed dum coquitur squamæ dissiliunt. Rostro acuto & spisso, dentibus serratis, paruis, acutis. Lingua ferè exerta. Oculis magnis, rotundis, prominentibus. Branchias habet duplices. Pinnas ad branchias, & in ventre binas. Dorsum nigricat. In medio dorsi aculeos tenui membrana coniunctos modo erigit, modo veluti in vagina condit. Hos sequuntur pinnæ sine aculeis ad caudam vsque tam inferna quam superna parte, eo ordine & situ quo in lacertis minoribus, & pelamydibus. Corpus caudam versus gracilius fit & quodammodo quadratum, ob pinnulam vtroque latere sitam. Cauda crescentis lunæ formam refert. Ventriculus est oblongus, spissus. Hepar magnum, rubrum. Splen nigricans. Fellis vesica intestino adhæret. Cor angulatum multo sanguine abundans.

C Orcynus aliquando ita pinguescit, vt cutis dehiscat, appareantq; in ea rimæ. Vere & autumno capitur maxima copia in Hispania, præsertim ad Herculis columnas. Capitur in nostro quoque mari & Tyrrheno.

F Membratim & in assulas dissectus sale conditur, & in cadis asseruatur. Nostri tonnine appellant, Ita-
(A) li tarantella, à Tarentino, vnde aduehitur, sinu. In macram & pinguem distinguunt. Orcynus carne est
G dura, pingui, saporis acris. Hæmorrhoidas mouet vel acrimonia sua, vel quia succi melancholici multum gignit.

COROLLARIVM I. DE NOMINIBVS THVNNORVM

& similium piscium: vel ætate tantum, vel etiam specie differentium, ordine literarum.

Apolectvs vocatur Pelamydum generis maxima, durior tritone, Plinius. Hermol. genere neutro legit Apolectum, & durius. videtur autem nomen hoc adiectiuum esse, vt subaudiatur τέμαχος, & ipsum neutri generis. Ego cum pro pisce accipitur, masc. genere Apolectus dixerim: cum verò pro parte piscis vel salsamento, apolectum neutro genere: & similiter Melandrys ac Melandryum: & cybeas ac cybium. Pelamides in apolectos, & particulatim consectæ dispertiuntur in genera cybiorum, Plin. Apolectum esse synodontidem Athenæi Hermolaus ait, & Rondeletio quoque probabile est. Apolectum (inquit Xenocrates apud Oribasium, cuius interpres Io. Baptista Rasarius, perperam vt mihi videtur, Orycalus legit pro Apolecto: Wottonus legit Apolectum: potest & Orcynus legi: Orcynus, inquit Plinius, pelamydum generis maximus, non redit in Mæotin, similis tritoni. Itaque orcynus idem apolecto videtur) est pelamys magna, quæ in paludem (*Mæotin*) non redit, tritoni similis: sed quia difficilius vitiatur, ideo insignem vetustatem fert: tritone friabilior, sed minus suauis: facilè verò distribuitur atque concoquitur. Apolectus (Ἀπόλεκτος) Græcis eximium & electum significat. Liuius sexto belli Macedonici: Vbi quum in concilio delectorum, quos apolectos vocant.

Avxis eadem est quæ cordyla, thunni fœtus. Auxuma in translatione Gazæ.

Cetvs, Κῆτος, alicubi dicitur Thunnus maximus, siue idem Orcyno, siue etiam maior. sed de Orcyno infrà seorsim scribemus.

Chelidonias, Χελιδονίας, pelamydum genus est, qui & Triton vocatur, vt coniectura assequor, Hermolaus: quem & Massarius sequitur. Rondeletius apud Athenæum pro chelidonia, chelidonem emendandum putat, & nullum apud authores legi chelidoniam: cui nos elemento c. in Chelidonia contradiximus: item in Corollario de Hirundine pisce A. Chelidonias cætera responder pelamydi, sed durior est: minus tamen durus quam synodontis, hoc est, pelamis maior: æquè autem durus atque orcynus, Athenæus: (qui orcynum etiam, cum magnus est, chelidoniæ similem facit: vt eundem Plinius & Xenocrates tritoni.) atqui Oribasius orcynum (alij apolectum, ali j orycalum legunt) tritone friabiliorem facit. Chelidon quidem, id est, Hirundo piscis, à volatu volucris instar iuxta aquam, nominatus est. de chelidoniæ verò nominis ratione, non constat mihi. conijcio tamen sic dictum vel à colore, sicut & chelidoniæ ficus, quas ἐρυθρομελαίνας esse legimus, Chelidonias lepores Eustathius interpretatur, prona parte nigros, supina subalbos: qui color etiam passeres pisces denominauit.

Coliam scomber refert, scombrum pelamys, Bellon. Nos de Colia in c. elemento scripsimus.

CORDYLA

Cordyla vel Scordyla, thunni fœtus est: de quo infrà priuatim agemus.

Cybivm, vt Rondeletius ostendit, modo pro pisce, modo pro parte eius poni tur. ego pro pisce cybeam potius dixerim, vt Æneam, cum Oppiano: pro parte, cybium. Vide paulò antè in Apolecto. Multa de cybio protulimus suprà, Elemento c. pag. *366*. addituri aliquid etiam infrà in Thunno F.

Elacatena. Vide mox Melandrys.

Horcynvs. Vide Orcynus.

Lacerto minori siue Scombro similis est Thunnus, si colorem & maculas excipias, Rondelet.

Melandris species est maximorum thynnorum, Pamphilo teste: vnde Melandrya salsamenta dicta. Vide inferius etiam in Thunno F. Elacaten idem est qui Melandrys. Elacatena genus est salsamenti, quod appellatur vulgò melandrya, Festus. Καὶ οἱ λεγόμενοι μελανδρύαι ἐξ αὐτοῦ ταριχεύονται, Dorion de Orcynis loquens. Plura leges in Elemento E. Idem fortè est Melanthynus, de quo nunc dicemus.

Melanthynvs ab Oppiano nominatur: malim per n. duplex. quanquam thynnum etiam Æolicè n. duplicato pro thyno dici quidam annotarunt. Quære suprà, Elemento M. pag. *637*. Apud Oppiani expositorem sic comperi: Notandum (inquit) quod thynnus quidem piscis est: κῆτος, (lego κῆτος) id est, cetus autem est melanthynnus, id valet, nigricans thynnus, Cælius. Quærendum an idem fortè orcyno sit. nam & hic auctior, cetus dicitur: & dorsum ei nigricat. Oppianus cum orcynos piscib. pelagijs adnumerasset, melanthynos postea inter cete recenset. sed orcynus etiam, vt dictum est, cum ad summam magnitudinem peruenit, cetus dicitur. Forsitan & Melandrys idem fuerit.

Orcynvs, siue Horcynus post Thunnum seorsim describetur.

Pelamydi Caput peculiare assignabatur inferius.

Pompilvm Plinius Thunnorum speciem facere videtur. Alius est à thynnis & pelamydibus: etsi eis quodammodo similis sit, & aliquando etiam hodie pro pelamyde vendatur, Rondeletius. Historiam eius habes suprà, Elemento P. Athenæus tradit pompilos crebro iuxta naues videri, varios, pelamydi similes.

Premades premnæ, primadiæ. Vide suprà, Elemento P. in Primadijs.

Sarda Pelamydis species est. Quære infrà post Pelamydem statim. Tam similis est Thunno, vti dem planè videatur, Rondeletius.

Scombro siue Lacerto minori similis est thunnus, si colorem & maculas excipias, Rondelet. Pelamys scombrum refert, Bellonius.

Scordyla, eadem quæ Cordyla, seorsim inferius describetur.

Synodontis (Συνοδοντὶς) appellatur, inquit Athenæus, maior pelamys, durior quàm chelidonias. Ab eodem synodontis numeratur inter Nili pisces. Apolectum, esse synodontidem Athenæi, Hermolaus ait, cui & Rondeletius subscribit. Alius est piscis Synodon, de quo suprà suo loco leges.

Thvnnvs seu Thynnvs, Thynnisue, priuatim & prolixè describetur inferius.

Thyrsites piscis est marinus, similis pelamydi, Kiranides I. 8.

Trichiades & Premades (alias Premnades) thynnides (τὰς θυννίδας) vocabant, vt legitur apud Athenæum. Vide suprà in Corollario de Sardina A. pag. *992*.

Triton (inquit Plinius) pelamydum generis magni est: ex eo vræa (siue horæa) cybia fiunt. Et rursus: Pelamydum generis maxima, apolectus vocatur, durior Tritone. Addunt quidam, sine squamis esse, orcyno similem. Triton idem videtur Chelidoniæ. Vide paulò superius in Chelidonia. Tritones, quos & chelidonias alij vocari putant, subeunt Pontum vere, æstatemque ibi traducunt: semel, nec vspiam alibi quàm in Ponto pariunt, Massarius. Triton sectum cybium ægrè vitiatur: solidius est cybio, in cæteris par. Orycalus (*malim Orcynus. Wottonus tamen legit Apolectum*) est pelamys magna, quæ in paludem non redit, tritoni similis: sed quia difficilius vitiatur, ideo insignem vetustatem fert: tritone friabilior, sed suauitate illi inferior, Xenocrates apud Oribasium. De Tritone dæmone marino, leges inferius suo Elementorum ordine.

Xanthias aliquantulum virosus est, & tenerior horcyno, Diphilus. Rondeletius pro xanthia mauult xiphian legere.

COROLLARIVM II. DE CORDYLA.

Cvm Thynni in Ponto pepererint fiunt ex ouo quas vocant alij scordylas, (σκορδύλας: scordulas Gaza. alij legunt κορδύλος:) Byzantij auxidas, (αὐξίδας, Gaza auxumas vertit,) ideo quod paucis diebus augescunt, Aristot. Cordylæ quidem cur dicantur, aliqua ratio nominis est: in scordyla non item, quod sciam. A cordyla thunni fœtu plurimum distat cordylus, (masc. genere, κορδύλος,) palustre seu lutarium potius quadrupes, solum inter ea quæ branchias habent pedibus præditum Aristoteli: pinnis quidem caret. Pro eodem Historiæ anim. I. I. κορδύλη fœmin. gen. legitur, quod non placet: quanquam apud Hesychium quoque σκορδύλη pro eodem reperitur: sigma nimirum ab initio abundante, vt in σμικρὸς, σφάζω, & alijs: item σκολιαί, vel potius σκολία, pro κολίαι puto. De hoc multa scripsimus primum in elemento c. deinde in s. etiam, Scordyli nomine. Σκορδύλος enim Oppiano lib. I. Halieuticorum in cauernis maris habitans cum polypis & scolopendris nominatur. Πουλύποδες σκολιοὶ, καὶ σκορδύλος, ἠδὲ εἰλίσσων Ἐχθομένη σκολόπενδρα. neque enim alius quàm Aristotelis cordylus videtur, quanquam hic suum cordylum non facit marinum. Cordyla Thunni fœtus, hoc nomen fortè inuenerit à capitis magnitudine. cordyla enim Græcis clauæ caput, hoc est partem crassiorem, significat. Solent enim capita in animalibus nuper natis (piscibus præcipuè) proportione esse maiora. In Plinij codicibus aliqui cordillam, alij cordyllam legunt. sed neque l. duplex, neque iôta in penultima probo. Ea quidem à Martiali producitur libro 3. his versibus: Ne nigram citò raptus in culinam, Cordylas madida tegas papyro. Et vndecimo: Mox vetus & tenui maior cordyla lacerto. Itemque, Ne toga cordylis, ne penula desit oliuis. eandem in scordolo amphibio Oppianus corripit. Corydelis salsamentarius piscis est, quem nos cordyllam vocamus, Græci & cordylida, & dorylum, (*fortè cordylam:*) Hermolaus, nescio quàm bene, vel ex quo authore. Numenius quidem (inquit Athenæus) cordylidis (*lego corydelidis*) me-

dis) meminit hoc versu: Ἠ μύας, ἢ ἵππους, ἢ γλαυκὴν κορδύλην. Apicius in Magiricis 9. 10. cordulam nominat, eius & sardæ apparatum præscribens. Ex salsamentis pinguibus optima sunt thynnæa, & cordyle, κορδύλη, Diphilus. Cordylas Oppianus Halieut. 4. etiam pelamydes vocat. Quæ μῆλα Ποντικὰ dicuntur salsamenta Galeno lib. 2. de aliment. facult. Cornarius non aliud quam cordylas, id est, thunnorum fœtus esse putat. ego omnino myllos vel mylos (vt alibi à Galeno appellantur) è Ponto aduehi solitos acceperim. Germanicum Cordylæ nomen quære in Thunno A. Cordylarum capturam ex Oppiano in Pelamyde dabimus: quoniam pelamydes ipse appellat. Ἀμβληναί, ἀφαυραί, id est, inualidæ & infirmæ, epitheta earum apud eundem. Philologiam variam dedimus Elemento c. quadrupede.

COROLLARIVM III. DE PELAMYDE.

PELAMYS Græcè fœmininum nomen est, oxytonum, & per y. in vltima plerunque à doctioribus scribitur, vt χλαμύς: in Aristotelis tamen & Athenæi codicibus vulgatis ferè per iota, vt χλαμίς. in Halieuticis Oppiani vtroq; modo diuersis locis: vbi tamen nostri codices iota habent, inde repetens Eustathius per y. scribit. Πηλαμὺς διὰ τοῦ υ. ἰχθὺς ἐν Πόντῳ, Hesychius. Hoc & etymologia ostendit, cuius meminit Varinus: Πηλαμὺς, ἰχθὺς παρὰ τὸ ἐν πηλῷ μύειν. quam & Festus comprobat: Pelamys (inquit) genus est piscis, dictum, quod in luto moretur, quod Græcè dicitur πηλός. Itaque prima etiam rectè per ἦτα, id est, e. longum scribitur. Cordyla appellatur partus, qui fœtas (*thunnas partu liberatas, è Ponto*) redeuntes in mare autumno comitatur. Limosæ verò à luto pelamydes incipiunt vocari: & cum annuum excessere tempus, thynni, Plin. Quanquam autem vocabulum Limosæ, è Græco pelamydes expressum videtur: & huius piscis, quod ad locum, naturam & nominis rationem indicet: & Gaza quoq; nodo limosam, modo limariam conuerterit, (apud Hermolaum lutariam legimus.) non satis aptè tamen in recitatis Plinij verbis Limosæ nomen congruere videtur: pro quo si maiores legas, multò melius cum sententia proposita quadrabit: nempe vt minimum hoc piscis genus cordyla primum dicatur: deinde iam maius, pelamys: maximum denique thynnus. Sic inquam ordinis & magnitudinis ratio, disertius fuerit explicata. sed etiam verba hæc, Limosæ à luto pelamydes incipiunt vocari, nullum mihi idoneũ sensum præ se ferre videntur. quomodo enim limosæ incipiunt vocari pelamydes? atqui limosa Latinis, idem quod Græcis pelamys sonat. cordylas potius dicendum est incipere pelamydes vocari. Non igitur limosæ, (quod vocabulum alibi nusquam neque apud Plinium ipsum, neque authorum quenquam pro pisce inueniri puto,) sed maiores, vel, deinde, legerim: & pro coniunctione verò temporis aduerbium vere posuerim. Sic enim & Aristoteles de cordylis: Ἐξέρχονται δὲ (ἐκ τοῦ Πόντου) φθινοπώρου ἅμα τοῖς θύννοις: εἰσπλέουσι δὲ τοῦ ἔαρος ἤδη οὖσαι πηλαμύδες. hoc est: Autumno enim cum thynnis (è Ponto) migrant: in quem verno tempore, iam pelamydes factæ, redeunt. Veterum testimonijs constat pelamiden vocari thunnum, qui vti sex mensibus natu maior est, sic annuum non excesserit tempus, Saluianus. Plutarchus innuere videtur, Pelamydes dictas διὰ τὸ πέλειν ἅμα: sicut & amias, παρὰ τὸ ἅμα ἰέναι. Sed eam quę à luto deducit etymologiam præfero, tum propter ἦτα primæ syllabæ: tum quoniam reipsa loca cœnosa pelamydes amant. vicina enim fluuijs & lacubus in mari loca eas sectari Oppianus canit. Piscatores Ligures, & Massilienses, apertè mihi ostenderunt, ex Pelamidibus nunquam fieri Thunnos, sicut Aristoteles, & Plinius opinantur. Quarum rationes reijcio in aliud tempus, cum mihi maius otium erit, Gillius. Vide Rondeletium in Pelamyde vera, seu Thunno Aristotelis, vbi sententiam eius tuetur: sicuti & Saluianus. Pelamydes anno vno minores natu putantur esse (δοκοῦσι) quàm thunni, Aristoteles. Est autem verbum putantur, dubitantis. Et sanè nostri quoque piscatores circa piscium quorundã pro ætate mutationes errant, vt alborum quorundam lacustrium piscium, & balleri seu plestyæ. hanc enim cyprinum latum mutari falsò putant, propter magnam formæ similitudinem. quamobrem pelamydis etiam & thynni naturæ diligentius fuerint considerandæ. nam eo quod Rondeletius scribit, Aristotelem non dixisse, pelamydes in thunnos mutari, sed eiusdem piscis diuersa pro ætate nomina ostendisse, non satis ipsius sententiam confirmare videtur. Oppiano Halieut. 4. pelamydes sunt thynnæ. Idem Rondeletius pelamydem vel thunnum aliquando veluti genus esse ad multas species, probè ostendit. Ligures piscatores nunquam aiunt è pelamyde thynnum fieri: sicuti neque ex coliade (*colia*) scombrũ autè contrario. Et sane corpulentia piuersa est aliquantum, subtilius intuenti. Productior pelamys: & linearum filamentis tæniatim varia, quæ in thynno sunt nulla, Scaliger. Pelamydes cum pedalem excessere magnitudinem in thynnos abeunt, Iouius. Hicesius pelamydes cybia magna esse tradit. De cybijs quidem nos copiosè diximus Elemento c. Gempylos, Γέμπυλος, aliqui vocant pelamydes pisces, Hesychius & Varinus. Oppian. Galieut. 4. cordylas etiam pelamydas vocat. Pelamis à Symeone Sethi dicitur φιλομῆδα, vel (vt in vetustiore codice legitur) φιλομῆλα, Lilius Greg. Gyraldus. Ego philomela potius legerim, quod propius ad pelamydem, vnde corruptum est, accedit. A pelamyde quidem alia quoque vulgaria hodie nomina detorta coniecerim: vt sunt, polauda, lopida, lampugo: his enim vocabulis Romani & Illyrij Glaucos Rondeletij nominant, pisces cœruleos: quorum alteram speciem Galli in prouincia Palamide vel Vadigo nuncupant vulgo: sed alia est veterum pelamys. Pelamides adhuc palamiæ vocantur: Iouius Italus, qui è limarijs adolescentibus pelamydes fieri, non rectè scribit: cum limaria (Gaza fictum nomen) idem sonet Latinis, quod Græcis pelamis. Palami piscis, id est, lo palamodo, Syluaticus. Pelamys videtur, quæ à Platina De honesta voluptate 10. 29. palmita vocatur. Palmitas (inquit) ego paruas lumbrinas crediderim. neq; enim nisi quantitate tantum differunt. nam & oblongæ hæ sunt. & subnigræ, & caudam habent subtilem, acutam & bifurcatam. Sunt item sine squamis. Ego omnino hanc pelamydem puto, tum vocabuli ratione: (nam & qui Italicè transtulit, pelamita scripsit:) tum descriptionis. Lumbrinam verò quam dicat nescio, nisi Vmbram piscem, quæ Romanis hodie Ombrina dicitur: verum ea squamosa est, & corporis etiam specie nihil aut parum ad pelamydem facit. Venetijs Thynnum vocari audio el Ton: eique similes pisces, alterum la palamida: alterum el Sgompha diggio. Pelamydis seu thunni minoris, Rondeletius nomen nullum peculiare adfert:

Plinii locus perpensus.

Vulgaria nomina.

adfert: (nam palamide vulgò dicta in Prouincia, secunda Glauci Rondeletiani species est, vt diximus:) quidam circumscribit, Le petit thun. Germanicum nomen quære infrà in Thunno A.

C Pelamys dicta est quod in luto moretur, Festus. Vide superius in A. Amat mare vicinum fluuijs aut stagnis, ob dulcem aquam, Oppianus. Pelamydes subeunt Pontum vere æstatemque ibi traducunt, Aristot. Cum thynnis amiæ & pelamides in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim cum suis quæque ducibus, Plinius.

D Pelamydes Aristoteli pisces sunt, vel fusanei.

E Pelamydes, vt modo diximus, Aristoteli pisces sunt fusanei, qui fusim retibus capiuntur.

Captura. Ex Oppiano.

Pelamydes (*Cordylæ*) generantur ad Ponti Euxini finem, & initium Mæotidis. Est autem recessus (Sinus) quidam Thracij maris (inquit Oppianus lib. 4. Halieut.) profundissimus, vnde & Melas, id est, Niger cognominatur, (*Meminit huius etiam Eustathius in Dionysium: Alter Plinius 4. 11. Circa quem, inquit, locum flumus Melas: à quo sinus appellatur. Strabo & alij μέλανα κόλπον vocant:*) idemque ventis minimè expositus. In eo loca multa sunt caua & cænosa, vbi multa piscibus paruis alendis idonea nascuntur. In hunc primum immigrant pelamydes, (*cordylæ:*) tempestates enim & frigus, vnde oculi earum hebetantur, apprime oderunt. Itaque immorantur & crescunt vsque ad vernum tempus. quin etiam coeunt, & ad patrias inde vndas (*principium Mæotidis puto*) reuertuntur vt pariant. Has Thraces supra Melanem sinum per hyemem capiunt. Lignum (Δοκίδα, trabeculam) crassissimum, non longius tamen cubito, plumbo ab altera extremitate, & crebris vncis (τριγλώχισι) fune longissimo ligatum nauigantes piscatores qua profundissimus est sinus, ad fundum maris immittunt. Fertur id magna vi pondere suo, & quascunque circa vadum in limo contigerit pelamides, configit. Tum illi celeriter extrahunt cum transfixis miserabiliter piscibus lignum. Alij verò retibus capiunt eas noctu, quo tempore propter timiditatem (metuunt enim quicquid in mare inciderit) circa vadum congregantur. Itaque piscatores dispositis retibus, remis & contis summum mare verberantes quantum possunt strepitum cient. Pelamides verò splendore simul & sonitu perculsæ, in rete ceu refugium quoddam trepidæ confugiunt. & extrahuntur, in angustum præ metu collectæ, dum funes quibus trahitur rete commotos timent. Interea piscatores dijs vouent, μή τ' οὖν τι θορεῖν ἔκτοσθε λίνοιο, Μή τε τι κινύμενον δέξασθαι πόρον. ἢν γὰρ ἴδωνται Πηλαμύδες τύχα πᾶσαι ὑπὲρ κοῦφοιο λίνοιο. Ἐς βυθὸν αΐξουσι, καὶ ἀπέχθητον λίπον ἄγρην. hoc est, Ne quid (*Ne vna fortè pelamis, aut alius piscis*) è reti exiliat, & cæteris viam monstret. hoc enim viso, mox omnes euadunt. (*Ælianus: Cũ thynni inquit, circunretiti tenentur, Neptuno malorum depulsori piscatores vota faciunt, ne Gladius piscis, neue Delphinus in captiuorum numero sit. nam sæpe Gladius magnus lacerato reti thynnorum gregi irretito, ad se exuendum ex laqueis facultatem dedit. Delphinus etiam ad moliendas retibus insidias acerrimus, ijs perniciem affert, ac dentibus conficit.*) Quod si nihil aduersi eueniat, plerunque in ipsam terram pelamides, retia relinquere nolentes, extrahunt. Sic etiam in syluis ceruos capiunt venatores, dum præ metu ad retia pennis ornata animum accedere non audent, Hæc Oppianus. Retibus quidem hodieque similiter in Adriatico pelamydes capi audio. Rationem piscandi pelamydes haud sanè peruulgatam non à seria consideratione alienam esse explicare. Decem iuuenes ad summum ætatis vigorem florescentes expeditam nauem & celerem conscendunt: & simulatque se cibo expleuerint, pariter continuo æqualiterque in vtrunque nauis latus distributi remigare contendunt, atque huc illuc errant. Eorum vnus aliquis ad puppim sedens, armatas hamis lineas (binas,) quib. & aliæ annectuntur, ad vtranq; nauis partẽ demittit, tũ ad singulos hamos escam ex Purpura Lacæna (Concha) confectã strictè religat. (Καὶ ἕκαστον ἄγκιστρον δέλεαρ φέρει ... πορφύρας μᾶλλον κατειλημμένον. pro μᾶλλον fortè legendũ μαλλῷ vel μαλλόν. hoc sensu, Et vnicuiq; hamo ... annectitur per lanã purpuræ Lacænæ. quod si μαλλὸν in accusatiuo legas, ipsam hanc lanã escæ loco ... intelligemus: quali etiam ranæ decipiuntur.) Tum Lari marinę auis pennã ad hamũ quenq; alligat vt ab occurrente aqua sensim & leuiter agitetur. Pelamides autem escæ sic instructę illecebra deliniti in hamos innatant. Cum autem ex ijs aliqua liguritione apprime stimulata, os in escã impegerit, tũ reliquę consequentes hamis cõfiguntur, vt hami ob multitudinem vno eodẽq; tempore transfixorũ pisciũ vexentur. Iuuenes verò remigare desistentes, de transtris surgunt ad subtrahendas lineas multitudine piscium onustas: quos posteaquam in nauẽ subduxerunt, fecundissima piscatio ex permagno pisciũ numero apertè ostenditur, Ælian. de animal. 15. 10. Byzantiorũ Cornu vocatur, Byzantij mœnia attingens, ibi sinus in occasum extensus ad stadia sexaginta, cornu ceruino perquã similis est. nam in plures sinus perinde ac ramos quosdam scinditur, in quos irruentes pelamides facile capiuntur. Id fit cum propter earum multitudinem, tum vim & impellentis fluxus impetum, tum propter sinus angustissimos, quare vel manibus comprehenduntur. Earum generatio in Mæoticis paludibus fit. inde cum modicum increuerint erumpunt grege facto, per os ipsum, ac propter litus Asiaticum vsque ad Trapezuntem ac Pharnaciam excurrunt. Hinc primum earũ venatio existit, non tamen copiosa: nondum. n. conueniens est piscis magnitudo. Vt vero ad Sinopen propius accesserint, & capi & saliri iã maturiores sunt. Postquam verò Cyaneas (insulas) attigerint, transierintque, ex ripa Chalcedonia albicans occurrit petra quædam, tantumque bestijs ipsis terrorem incutit, vt euestigio in vlteriorẽ conuertantur ripam. quas cum præceps aquarum cursus corripiat, & innata locorum aptitudo maris fluxum ad Byzantium cornuque Byzantij deflectat, & eo naturæ impetu propellat, copiosum Byzantinis populoq; Romano suppeditat prouentum. At enim Chalcedonij in vlteriore prope consistentes litore, in nullam eius vbertatis communionem accedunt: quoniam ad eorum portus pelamis sese non applicat, Strabo lib. 7. Notandum à Plinio thunnos appellari, quos Strabo pelamydes nuncupauit, Massarius. Est in Euripo Thracij Bosphori, quo Propontis Euxino iungitur, in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustijs, saxum miri candoris, à vado ad summa perlucens, iuxta Chalcedonem in latere (*Vetusti codices non latere, sed litore legunt, quod cum Strabone conuenit, Massarius*) Asiæ. Huius aspectu repente territi thynni, semper aduersum Byzantij promontorium, ex ea causa appellatum Auricornu, pręcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantij est, magna Chalcedonis penuria, D. pass. medij interfluentis Euripi, Plinius 9. 15. Massarius pro D. ex antiqua lectione & Polybio restituit D C. Cæterum Auricornu

Ex Æliano.

Strabo.

Plinius.

Byzantij promontorium, Græcè Chryſoceras dicitur: quod ad Byzantium Europæ latere obiectum eſt Chalcedoni: Strabo autor, & cæteri, Hermolaus. Meminit etiam Plinius ſuprà, li. 4. cap. 15. Conijcio autem ab auro nominatum hoc cornu, quod circa illud ex thynnorum captura, magna auri & pecuniarum vis colligeretur. Memoriæ proditum eſt, inquit Strabo, cum Byzantij conditores poſt ædificatam à Megarenſibus Chalcedonem, Apollinis oraculum conſulerent, eis mandaſſe, vt contra cæcos habitationem locarent. Cæcos autem ideo Chalcedonios vocabat: quia cum prius ad ea loca nauigaſſent, omiſſa tam locuplete ripa tenuiorem accepiſſent.

Eſca iacentium (piſcium) mollior eſſe debet, quam ſaxatilium. itaque præberi conuenit tabenteis haleculas, putremque Sardinam: vel quicquid inteſtini pelamys aut lacertus gerit, Columella 8. 17. de piſcinis loquens.

F Pelamis ſapore iucundo eſt, inquit Xenocrates, & meliuſculum procreat ſuccum: nec facilè corrumpitur, Wottonus. Pelamis exigua naſcitur in Mæotide, ori grata, facilè corrumpitur, facileq; excernitur, Xenocrates apud Oribaſium in capite de ſalſamentis, Raſario interprete. Pelamis multi alimenti & grauis eſt, difficulter concoquitur, vrinam ciet. ſalſa callibio (Rondeletius mauult cybio) ſimiliter, bonum aluum facit & attenuat, Diphilus. Philomela piſcis (Gyraldus pelamidem interpretatur) carnem duram habet & concoctu difficilem, ac excrementitiam. Si tamen concoquatur, ſatis ſuperque nutrit, Symeon Sethi. Thynni craſſo tenacique ſucco ſunt. pelamides magis ad mediocritatem tendunt, Galenus. Idem circa finem tertij de alimentis, Sardas, vt recentiores, ſiue Sardica ſalſamenta, vt veteres appellarunt, & mylos qui ex Ponto vehantur, omnium præſtantiſſima eſſe ſcribit. ſecundum autem poſt illa locum habere coracinos, & pelamides, & quæ Sexitana appellant. Nicolaus Myrepſus podagricos inter alia thynnis & pelamidibus abſtinere iubet. In epilepſia ex piſcib. exhibeantur, quæ ſuperfluitate vacant. pingues autem auerſentur, & cetaceos, vt ſcombrum, pelamydes. hi enim omnes craſſum terreſtremque, & inimicum naturæ ſuccum congregant, Trallianus. Ius in pelamidem deſcribit Apicius lib. 10. cap. 5. item pelamidis ac thunni ſalſi apparatum 9. 12. Palmita coquitur & conditur vt ſtirio. Si parua admodum fuerit, frigatur: petroſelino ac ſucco malarancij inſpergatur, Platina.

G Capitis mænarum cinis ad rhagades & ad condylomata vtilis eſt, ſicut pelamidum ſalſarum capitis cinis, vel cybiorum cum melle, Plinius. Pelamidum capitis cinis verendorum puſtulas diſcutit, Idem. Pelamydis inteſtina cum capite combuſta & inſperſa, paſtiones (*nomas*) ſanant, Kirannides. Cephali piſcis caput combuſtum & cum melle inunctum, ficus de ſede & exochadas curat, & quæ in alijs locis ſunt. caput quoque pelamydis idem facit. oportet igitur ambobus mixtis vti, Idem lib. 4.

H. a. Sinope ſuper collo peninſulæ cuiuſdam ſita, ex vtraque iſthmi parte portus & ſtationes habet, & mira pelamydia, de quibus diximus quod ſecundam piſcationem Sinopenſes, & tertiam Byzantini habeant, Strabo libro duodecimo, videtur autem loca pelamydum capturæ deſtinata, nominare πλαμυδοφόρα: cum alioqui pelamydion diminutiuæ formę nomen ſit, & pro pelamyde parua ſiue cordyla accipi poſſit.

c. Τοῦ ἁλιεύοντος τὰς πελαμύδας χειμαζομένου, Παλφοικῶν Ἐλικωνιάδος ὠιδαῖς θέλγεν Τῶβατροέλης· τῶνδε γὰρ ἰαμβίζεται, Sophocles in Paſtoribus.

e. Hoſpitalitatis proprietatem hunc piſcem habere ſcribit Proclus, qui Chaldæorum ænigmaticam & obſcuram philoſophiam eſt interpretatus: quod an verum ſit, parum mihi compertum, ideoque prætermittitur, Symeon Sethi Gyraldo interprete. Græcè legitur, πελαμὺς ἰδιότητα ἔχει, hoc eſt, Peculiarem quandam & admirabilem vim habere. Liber quidem hic Procli hodie, quod ſciam, non apparet. Chaldaica ſiue Magica oracula Lutetiæ euulgata ſunt Græcè cum interpretatione innominati ſcriptoris, quem ego Georgium Gemiſtum Plethonem eſſe arbitror. ſed in ijs huiuſmodi nihil reperio. Piſcem quidem boreum inter ſydera iuxta Andromedam, hirundinis piſcis referre caput propterea q; à Chaldæis piſcem nuncupari chelidoniam Theon ſcribit.

f. Quod vocis precium? Siccus petaſunculus, & vas Pelamydum, aut veteres Aphrorum epimenida bulbi, Iuuenalis Sat. 7. Maurus epiſcopus in libello quem patris Dei Conuiuium inſcripſit, Adamum fingit pelamydem ſumere. eſt enim huic piſci à luto nomen, è qua materia homo primitus à Deo formatus eſt.

Sarda. Pelamides longas ex Oceano venientes, SARDAS appellari, Plinius author eſt lib. 32. Thunnus pelamydi Sardæ tam ſimilis eſt, vt idem plane eſſe videatur, Rondeletius. Sarda vocatur Pelamys longa ex Oceano veniens. ori grata eſt, acrimonia cybio præſtans, appetitum excitans. facilè (aluum) ad excretiones mouens, Xenocrates apud Oribaſium. Pelamydes optimis quibuſque ſalſamentis certare poſſunt, (adferuntur autem plurimæ è Ponto:) ijs tantum inferiores quæ è Sardinia Iberiæ adferuntur, & Sardę iam vulgo ab omnibus vocantur. Merito autem hoc ſalſamentum maximè in pretio habetur, propter ſuauitatem ſimul & mollitiem carnis, Galenus de alim. 3. 30. Græcè legitur: Πλεῖστοι δὲ ὅσοι τῶν Πόντιος ἁλιεύοντες, ἐπειδὰν σαρδῆς ἅλῶσιν (abundant hic voces ἅλῶσιν) ἀπὸ Ἰλησσοῦ μόνον ἀποπλεύσαν. Et mox: ὀνομάζεται δὲ σαυνῆτις ὑπὸ τῶν πάντων ἡδὺ τὸ ταριχηθὲν παρὰ τοῖς ἀλιεῦσι. vbi σάρδα rectum ſingularem fœmininum eſſe animadmertendum eſt. Nam in eiuſdem libri penultimo capite piſces ſalſurę aptos nominans, ſic ſcribit: Ἔστι δὲ σάρδαι, καὶ σαρδῖναι. Et paulo poſt: Conſtat igitur animalia omnia dura, neruoſa, & coriacea quodammodo, poſtquam ſalſa fuerint, concoctioni contumacia fieri. quę autem contra ſe habent, cũ ipſa tenuiora fiunt, tum in cibo ſumpta attenuant craſſos & glutinoſos humores. ſunt autem optima ex ijs quæ ipſe noui ſalſamentis, quæ ab antiquioribus medicis nominantur Sardica, Σαρδικά: Sardas (nunc) ipſas vocant. Sarda Rondeletij teneritate inferior eſt thynno: atqui Galenus Sardica ſalſamenta mollitie & ſuauitate cęteris pręponit omnibus. Qui Sardas cum Sardinis (de quibus in S. elemento ſcripſimus) confundunt, imperitiſſimè faciunt. Triton pelamydum generis eſt magni, inquit Plinius, pelamydum nomen communius accipiens: Sardam verò pelamydis ſpeciem dicentes, ei quæ proprie pelamys dicitur, cognatam eſſe intelligemus.

Pelamydi,

Pelamydi, vt conijcio, cognati ſunt, qui Bratti, alibi verò Liſſes vocantur apud barbaros & anthropophagos quoſdam Americę incolas, vt Hiſpani pelamydes Sardas vocant Bizes. Anthropophagi quidam in America Bratti vocant piſces, quos Luſitani Doynges, Hiſpani Lieſſes, (alias Lyſſes.) ij Auguſto menſe è mari flumina ſubeunt, vt in eis pariant, & in ipſa migratione capiuntur. magnitudo eis quæ Lucio adulto. Multos eorum capiunt reticulis, partim etiam ſagittis figunt, & domum aſportant aſſos, vbi in farinam redigunt, quam nominant Pirakui, vt tradit Io. Staden Hombergenſis in hiſtoria captiuitatis ſuæ apud Anthropophagos Americæ. Bellonius quidam Liſſam vel Gliſſam genus quoddam thynni à Cretenſium vulgo appellari ſcribit: de quo nunc eius verba ſubijciemus. *Brat.* *Liſſ.*

Liſſam vel Gliſſam, à glabra & ſquamis carente Cretenſium vulgus appellat, aliud Thynni genus, bicubitalis longitudinis, humanique corporis craſſitiei: quod extra Cretam Copanum vocant, contorta fortaſſis à Scepano dictione. hunc enim eſſe Scepanum nihil vetat, quem Dorion Attagenen. marinum appellauit. Sed non eſt Oppiani Scepanus. Eſt enim hic Thynnus planè pelagius, in alto mari degens, ac delicatiſſimi ſaporis: Scepanus verò litoralis ac cœnoſus. Differt à maiore ac vulgari Thynno, quod teretior eſt, branchiaſque Pelamidis habeat, ac dentium loco rugoſas atq; aſperas maxillas: pinniſq; lateralibus, caudæ ac tergoris ad Synagridem accedit: caudam tamen non vſque adeo lunatã gerit, ſed magis bifurcam. Porrò interiores ipſius partes ſic ad maiorem thynnum accedunt, vt etiam in hoc pylorũ quadraginta & amplius apophyſib. in gyrum circumualatum facilè comperias. Eius formam proponere ſuperuacuũ eſſe duxi, quod ſimpliciter dicti Thynni imago ſatisfacere videatur, Bellonius. Vide etiam proximè retrò ſcripta ad finem eorum quæ de pelamyde Sarda ſunt: & ſupra etiam, Elemento A. in Attagene, pag. 96. Alia quidem Pelamys Rondeletij videtur, cum alias, tum quoniã ea dentata eſt.



COROLLARIVM IV.
de Thynno.

Thunni hæc imago Venetiis ad nos miſſa eſt. Luſitanos audio nominare Bonito.

THYNNVS Græcum vocabulum à Latinis pleriſq; ſeruatur. Gaza Thunnum y. in u. verſu dicere maluit, ſicuti & Horatius, hoc verſu Serm. 2. 4. Plures annabunt thũni, & cetaria creſcent. & Varro apud Nonium. nos promiſcuè vtemur. In præcedentibus tribus Corollarijs quædã protulimus, ad Thunnos etiam referenda: quorum hiſtoriam qui pleniorem noſſe voluerit, ea perlegat omnia: & quintum inſuper de Orcyno Corollarium. Quos aliqui thynnos vocant, Athenienſes ſolent thynnides appellare, Athenæus. Attici quidem alijs etiam fœmininis nominibus vtuntur, pro maſculinis in communi lingua. doctiores ferè diſtinguunt, vt Ariſtoteles, thynnum in genere, vel pro mare duntaxat, thynnidé pro fœmina. Τὴν θυννίδα δ' ἀρρένος Διαφέρειν φησὶν Ἀριστοτέλης, Athenæus. Speuſippus etiam & Epicharmus thynnidas à thynnis ſeparant. item Cratinus: Ἐγὼ γὰρ εἰμι θυννὶς ἡ μελαινάς, ἡ καὶ θυννὼ, δέσποτ'. Theodorus thynnidé conuertit thunnam. Porrò θυννὶς pro pelamyde quoque accipitur, vt Soſtratus indicat, forma nimirũ diminutiua: cuius etiam θυννάριον eſt. Ἐ-

κλιπόντων ποτὲ τῶν θυννίδων ἐνιαυτὸν, τῷ ἐχομένῳ ἔτει καὶ οἱ θύννοι ἐξέλιπον: δοκοῦσι δ' ἐνιαυτῷ πρεσβύτεροι τῶν πηλαμύδων, Aristoteles. ex quibus verbis suspicaretur aliquis thynnides alias quàm pelamydes esse: & thynnos anno vno maiores quàm thynnides, vt fortè hæ etiam maiores sint quam pelamydes, præsertim cum Aristoteles obscuras huiusmodi synonymias vsurpare non soleat: (Xenocrates quidem in lib. de alimentis thynnidem & pelamidem separat.) sed cum Sostratus apud Athenæum thynnides ac pelamydes nomine solum differre doceat: & Gaza quoque pro pisce vno acceperit, his potius authoribus accedam quam rem in dubio relinquam. non tamen cum Rondeletio dixerim Gazam pro θυννίδων legisse πηλαμύδων. nam si eadem vtriusque significatio est, vtrum legerit nihil interest. Oppianus fœminam θύννην vocat. item Archestratus hoc versu: Καὶ θύννης κρέαον ἔχειν, ἣν θυννίδα φωνῶ Τὴν μεγάλην, ἧς μητρόπολις Βυζάντιόν ἐστιν: vt thynne sit maior, thynnis minor. Thynnidas quoque nonnulli trichiadas vocant, & πρημάδας, Nicochares apud Athenæum. Thunni nomen (quamuis Græci gramatici à verbo θύνειν deriuent. vide in a.) factum videri potest ab Hebraico tannin seu thannin: quod cetum interpretantur, vel piscẽ magnum. Lege supra in Ceto in genere A. pag. 250. Sunt qui tannim & leuiathan synonyma faciant. Pro thunno Albertus barbaram vocem talga ponit, vbi historiæ animalium Aristot. lib. 8. cap. 30. interpretatur. Videtur & Gramon vel Granus, apud eundem & scriptorem de nat. rerum nomen barbarum aut corruptum, nihil aliud quàm thynnum significare. Thunnus à Græcis vulgò pallax vel pallacis, πάλλαξ, παλλακὶς, dicitur, Niphus. videntur autem hæc nomina à Græco vocabulo antiquo pelamys corrupta, sicut & pelamia Italorum. Thunninam pro thunno recentiores aliqui mixobarbari dixerunt. Italica thynni nomina inuenio, Ton, Tonno, Tonnine. Massarius etiam Italus Thunnos hodieque nomen seruare testatur: quod quidem in alijs etiam plerisque linguis verum est, Hispanicum est, Atun. Orcynum Rondeletius scribit in Prouincia vocari Thon, à Santonibus Athon. Gallus quidam anonymus interpretatur la Thunnine. Sed Thunnina videtur magis propriè dici de carne thunni præsertim salsa. Germani omnes eodem quo Flandri & Angli nomine appellare poterunt. Est autem Flandricum, *Tunijn*: Anglicum, *Tuny*, vel *Tunie*. Licebit & pro ætatis ac magnitudinis differentia recepto thunni vocabulo epitheta adijcere: vt cordyla, id est fœtus thunni, dicatur *ein iunger Tunijn*: vel diminutiuo nomine vno, *Tuninle*. deinde pelamys, *ein Mitteltunin oder Halbtunin*. tertio anno thũnus, *ein Tunin*. quarto orcynus, *ein grosser Tunin*. quinto cetus, *ein Waltunin*.

B Thynni multitudine sua omnibus litoribus sunt noti, Iouius. Tyrrheni maris accolis magis, quam ijs qui Adriatici litora inhabitant, noti sunt, Matthiolus. Scombris Hispaniæ replent cetarias, thynnis non commeantib. Plin. Massarius interpretatur, propterea quod thunni ad ea loca non commeant: sed quærendum an Plinius potius senserit de tempore quo non commeant thynni, &c. De thynnis qui extra columnas Herculis capiuntur, lege infrà in F. Plurimus thynnus in Ponto, nec alibi penè fœtificant, Solinus. Vbi vt plurimum reperiri, & quo, quaque & vnde migrare soleant, leges mox in C. Quibus verò in locis præstantiores sint, leges infrà in F. Scombri pisces sunt paruis thunnis similes, Scholiastes Aristophanis. Præcipua magnitudine thynnum inuenimus talenta xv. pependisse. eiusdem caudæ latitudinem duo cubita & palmum: Plinius ex Aristotele, apud quem caudæ interuallum non ad duo, sed quinque cubita fuisse legimus. Quod si proportionem huius thynni & caudæ (inquit Massarius) rectè perpenderis, non ad quinque, sed ad duo cubita & palmum, vt in Plinio, sic in Aristotele etiam legendum esse conijcies. Lubricos esse thynnos Plinius tradidit, Gaza ex Aristotele læues conuertit. In Mnesithei apud Athenæum verbis leguntur pisces squamati, vt thynni, scombri, thynnides, congri, & huiusmodi, apparet autem legendum, non squamati. Pinnulam sub ventre thunnæ fœminæ aphareum (ἀφαρέα) nuncupari Aristoteles, & qui repetunt ex eo Athenæus & Varinus scribunt: qua careat mas quod & Plinius in suam Naturæ historiam transtulit: sed Rondeletius eam in vtroque sexu obseruauit. Est & nomen proprium Ἀφαρεὺς filij Hippiæ. Thynni cute sunt læui, plumbei coloris, cauda Lunæ modo bifurcata, Massar. Gladio pisci cauda est Lunæ crescentis figura, thynni modo, sed latior. Eidem internæ partes eædem sunt cum internis partibus thunni, Rondeletius. Xiphias cetaceus piscis ad thynnum plurimum accedit, Bellon. Habet thynnus in dorso tenui membrana iunctos, quos pro arbitrio condit & exerit, Cardanus. hoc puto alius nemo de thynno, sed veteres de delphino ferè.

C Thynni nascuntur etiam in amnibus, vt in Nilo, Rheno, & Pado, Platina. Ab Oppiano & Ouidio pelagijs adnumerantur. [*Locus.*] Thunni omnium maximè piscium gaudent tepore, & ob eam rem arenam & litora adeunt. per summa etiam maris innatant, quo teporis potiantur. Pisciculi autem seruari propterea possunt, quia spernuntur. maiora enim magni sequuntur. sed ouorum & prolis pars magna proinde absumitur. Cum enim pisces desiderio teporis loca fœturæ adeant, liguriunt (λυμαίνονται) quicquid attigerint, Aristoteles. Thunni carniuori tantum sunt, Aristotel. Et rursus: Thunnus, amia & lupus magna ex parte carne aluntur, sed algam etiam tangunt. [*Cibus.*]

Thynna nullum iniquiorem piscem censeo, neque sceleratiorem in mari viuere. Primum enim vt ex sese peperit, statim suam procreationem, quantamcunque capere potest, immisericors deuorat, Gillius ex Oppiano. In Oceano versus Carteiam frequens agitur thynnus è vetusto feruore ingenti (sic habet vulgaris translatio, Græcè legitur, ἀπὸ τῆς ἁλέης τῆς ἔξωθεν παλαιᾶς; in æditione Græcolatina Henrici Petri, pro παλαιᾶς fortè legendum πολλῆς) pinguis & crassus impellitur. Querna verò quadam glande saginatur, quæ ad mare (κατὰ τῆς θαλάσσης, in mari) nascitur humilis admodum, at fertilem ingentemque impendio producens fructum, (ἁδρότατον καρπόν:) quæ quidem copiosa in ipsa etiam terra generantur Hispana, ingentes sanè radices perinde ac integræ (τελείας) quercus habens: quæ profectò ab humili radice tollitur minus, (ἐξαιρεκμένη δὲ ἐκ θάμνου ταπεινῆς ἧττον. forte, ἐξαιρουμένη δὲ θάμνου, &c. id est, In altitudinem verò minorem quàm vel humilis aliquis frutex assurgens.) Tantum verò fructum affert, vt post maturitatem littora & extra columnas & intra glande referta sint, quam æstus aquarum eiectat. Cæterum intra columnas semper minus ac minus reperitur. vt autem author est Polybius, vsque ad Latinam (μέχρι Λατίνης) ipsæ glandes emittuntur, nisi Sardinia quoque inquit, & huic vicina regio ferat. Verum thynni ipsi quo magis columnis propinquant ab ex-

ab exteriore delati palago, eò amplius esca deficiente macerantur. Addit in mari hoc animal semper adesse (εἶναί τε παραθαλάττιον τὸ ζῶον τοῦτο.) plurimũ glande gaudere, cuius cibo eximie pinguescat: cumq; glandium fuerit vbertas, & thynnorum fieri vbertatem, Strabo lib. 3. Sed & Polybius ipse lib. 24. Megalopolitanus, vbi loquitur de Lusitana regione quæ est in Iberia, tradit ibidem arbores glandiferas esse in profundo maris, quarum fructibus thunni vescentes pinguescunt. quamobrem non aberraret qui eos porcos marinos appellaret. nanque thunni veluti porci augentur, ex Athenæo, Massar. Thynnus non modo glandes, verũ & purpuras prosequitur prope terrã, ab exteriore pelago vsq; in Siciliã inchoans, Strabo lib. 5. Θύννοι ἰσοῤῥοῦνται ἐπέκεινα Σικελίας βαλανηφαγεῖν ἀπὸ δρυαρίων τῶν φυομένων θαλάσσαν, Eustathius in Odysseæ M. [*Latitatio.*] Thynnorum captura est à Vergiliarum exortu ad Arcturi occasum: reliquo tempore hyberno latent in gurgitibus imis nisi tepore aliquo euocati, aut plenilunijs. Pinguescunt, & in tantum vt dehiscant, Plinius. Thunni etiam latent præaltis gurgitibus hyeme, pinguescuntq; à latibulo maiorem in modum. capi incipiũt Vergiliarũ ab ortu ad arcturi occasum vltimum: reliquo tempore quiescunt latentes, Aristot. de hist. lib. 8. Ὁ θύννος σμίγεται μετὰ τὴν φωλείαν, ὥς φησι Θεόφραστος, φωλεύει δὲ καίτοι πολυκύματος ὤν, Athenæus. Videtur autem verbum σμίγεται corruptum esse, pro πίων γίνεται. sic enim Aristoteles historiæ animalium 8. 15. καὶ γίνονται πιότατοι μετὰ τὴν φωλείαν. Natalis de Comitibus videtur μίσγεται legisse, vertit enim [coit] sed sine authore. Cæterum pro πολυκύματος placet quod idem interpres πολυαίματος legit: vertit enim [quanuis multo sanguine abundet.] Thunnos dormientes [illegible] thunnarij circumretiunt. [*Somnus.*] dormire autem eos argumento constat, quia admodum quiescentes, leuiterque pandentes albida oculorum capiantur. noctu potius quam interdiu dormiunt, ita sopiti: vt ne icta quidem fuscina moueantur. & magna ex parte vel ad arenam, vel ad terram, vel ad lapidem aliquem procumbentes quiescunt imis gurgitibus, vel sub saxo, aut littore abditi, Arist. hist. anim. 4. 10. De thynnis confidentius affirmatur, (quod dormiant.) iuxta ripas enim aut petras dormiunt. Delphinus dormiens paulatim ad vadum defertur, & impingens expergiscitur, moxque iterum ad summum tendit, rursusq; dormiens demittitur: vt pluribus in Delphino c. scripsimus ex Plutarcho: Idem autem & Thynnus (inquit) ac eadem etiam de causa, facere fertur. Causam in Delphino dixerat perennem eius naturæ mobilitatem, vt idem vitæ motusque ei finis sit. quasi verò motus sit propter motum Ego somni quidem causa & quietis, Delphinum in alto demitti ad gurgitem dixerim: respirationis autem gratia rursus ad summum efferri. qua cum thynnus non egeat, non similiter eum dormire: sed potius (cum Aristotele) imis gurgitibus, vel sub saxo aut litore abditum.

Intrant è magno mari Pontum verno tempore gregatim, nec alibi fœtificant, Aristot. [*Migratio.*] Nimirum sicut Salmones vere ex Oceano flumina subeunt, ascenduntque subinde dulcioris ac purioris aquæ desiderio, & supremis demum locis pariunt: inde rursus in mare descendunt, siue ipsi, siue fœtus tantum, perpetuis ferè migrationibus occupati: Sic etiam Thynni eodem tempore siue ex Oceano in mediterraneum mare venientes, siue primum ex inferioribus mediterranei locis ascendunt, donec in Pontum & ad summam peruenerint: ibi pariunt ac rursus egrediuntur, &c. Thynni ex Oceano veniunt in mediterraneum mare cum vere ad sobolis propagationem instigantur, Oppianus. Quæ Dorion de orcynis, eadem ferè narrat Oppianus de maioribus thynnis: nempe quod ex Oceano per fretum Gaditanũ ingrediantur mare mediterraneum: quo fit vt plurimi in Iberico Tyrrhenoque mari capiantur: postea verò passim reliquum mare pererrent, Wotton. Thynni Maio mense irrumpunt in mare nostrum ab Atlantico Oceano, cogentibus xiphijs piscibus, Iouius. Cum thynnis amiæ & pelamides in Pontum ad dulciora pabula intrant gregatim, cum suis quæque ducibus, & primi omnium scombri, Plin. Thynni subeunt Pontum vere æstatemque ibi traducunt, Arist. Et alibi: Septembri mense recedunt. Idem dromades è cursu pisces omnes appellat, qui in Pontum aliunde excurrunt, quiq; vix vno in loco conquiescunt, (nos *Streichfisch* appellare possumus,) cuiusmodi sunt thunni, pelamydes, amiæ. Vide supra, D. elemento, pag. 305. [*(Visus.)*] Thynni Pontum subeunt dextrorsum terram contingentes, sed remeant contrà: læuum enim in latus se admouent. quod propterea facere dicuntur, quia dextro oculo clarius vident sua natura, læuo hebetius, Aristot. Dextra ripa intrant Pontum, exeunt læua. id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernunt, vtroque (*Saluianus pro vtroque reponit læuo*) hebete natura, Plinius & Solinus. Ex Aristotele Athen. quoque repetijt: item Ælianus de animalib. 9 42. Thynnos (inquit) altero tantum oculo videre consentit Æschylus, cum inquit: Τὸ σκαιὸν ὄμμα παραβαλὼν θύννου δίκην. id est, Sinistrum oculum thynni more applicans, vel potius detorquens. Pontum enim ingredientes, ad dextrum latus, vnde acrius vident, terram habent: egredientes verò ad contrarium litus se accommodant, & terram secundum eum oculum quo clarius vident, habentes nauigant. Et Plutarchus: Immò verò ipsam prius opticen videamus, quam nec Æschylum piscibus negasse putem. sic enim inquit, Τὸ σκαιὸν ὄμμα, &c. De saxo miri candoris in euripo Thracij Bosphori, cuius aspectu territi repente thynni, semper aduersum Byzantij promontorium petunt, dictum est suprà in Corollario de pelamyde B. Multi in propontide æstuant, Pontum non intrant, Plin. Opperiuntur autem Aquilonis flatum, vt secundo fluctu exeant ex Ponto: nec nisi intrantes Pontum Byzantij capiuntur, Idem. Bruma non vagantur: vbicunque deprehensi, vsque ad æquinoctium ibi hybernant, Idem. Temporum commutationem Thynni sentiunt, Solstitia præclare noscunt, nihilque ijs ad hanc rem cœlestium rerum peritis opus est: vbi eos hyemis initium deprehenderit, ibi libenter commorantur, & ex eo loco ad vernum æquinoctium non se commouent, vt Aristoteles tradidit, Ælianus & Plutarchus.

Quod ad coeundam societatem & mutuum inter se amorem tuendum Thynnis arithmeticæ rationes opus sunt idcirco mathematicam disciplinam exactè tenent, vt gregatim natantes, semper figuram quadratam (cubicam) efficiant, atque sex lateribus comprehensi, soliditatem ex semetipsis omnibus constituant, & quadratum ordinem ex omnibus lateribus in natando seruent, vt si speculator eminentes Thunnos probè numerare sciat, statim totius gregis numerum ineat: quod sanè præclare teneat, altitudinem latitudini, & longitudini, æquali ordine respondere debere. Gil. ex Plutarchi libro Vtra

 anima-

animalium, &c. Ad promontorium Bubonicum (ἐν τῷ ῥίῳ τῷ Βιϐωνίῳ, alias Βυϐωνικῷ) innumeræ Thynnorum gentes verſantur. eorum maximi ſimiliter vt ſues, ſoli & ſeparatim natant, alij more luporum bini proficiſcuntur: alij quemadmodum capræ, quę in latis paſtionibus gregatim paſcuntur. Exoriente Canicula & ingraueſcente æſtiuo calore, in Euxinum natare contendunt: marinis fluctibus ab feruide radiato Sole caleſcentibus, inter ſe velut conſerti contextique confertis turmis natant, & corporum coniunctione ad perfruendam vmbram ſe inuicem opacant, Ælianus De animalibus 15.3.

Partus. Non alibi quam in Ponto fœtificant, Plin. Plurimus Thynnus in Ponto, nec alibi penè fœtificant. nuſquam enim citius adoleſcunt, ſcilicet ob aquas dulciores, Solinus. Pelamydes ac thynnæ in Ponto pariunt, nec vſpiam alibi, vt ſentit Ariſtoteles: vt verò Strabo refert, pariunt in Mæotide palude, Wottonus. Piſciculi plurimi ſemel pariunt, vt fuſanei qui retibus capiuntur, chromis paſſer, thynnus, pelamys, &c. Ariſtoteles quinto hiſtoriæ citante Athenæo. Thunna circa ſolſtitium parit folliculo quiddam ſimile, in quo oua exigua multaque conſiſtunt, Ariſtot. Et alibi: Ædit ſua oua condita quaſi vtriculo. incrementum autem partus præcipua ſumit celeritate: Τίκτει ἡ θυννὶς περὶ τὸν Ἑκατομϐαιῶνα θυλακοειδὲς, ἐν ᾧ πολλὰ γίνεται μικρὰ ᾠά, Athenæus ex Ariſtotele. Thunna (Θυννὴ) pelamydes parit in Ponto Euxino, circa hoſtium paludis, vbi crebræ harundines exeunt, vbi ea cum mari (Ponto) committitur. Oua ædita partim matres ſectatę deuorant: partim inter arundines & iuncos retenta perficiuntur. mox autem vt ex ouis hi piſces nati ſunt, natalem locum relinquunt, & in Thracium ſinum Melana (id eſt, Nigrum cognomine) abeunt. (vt ſcripſi ſuprà in Pelamyde E.) Oppianus. *Aſilis.* Thunni & gladij agitantur aſilo Canis exortu. habent enim vtrique per id tempus ſub pinna, (παρὰ τὰ πτερύγια, ſicut & Athenæus legit) ceu vermiculum, quem aſilum vocant, effigie ſcorpionis, magnitudine aranei. infeſtat hic tanto dolore, vt nō minus interdū gladius, quàm delphinus exiliat. vnde fit, vt vel in nauigia ſæpenumero incidat, Ariſtoteles. Thynnus piſcis impetuoſus eſt, eò quòd certo tempore œſtrum in capite habeat, Ariſtotele teſte, Athenæus. Plura de aſilo ſiue œſtro inuenies ſupra pag 98. elemento A. Oeſtrum habent circa pinnas, περὶ τὰ πτερύγια, & certo tempore etiam in capite, Euſtathius in Odyſſeæ x. ex Athenæo. Oppianus lib. 2. Halieuticorum, thynni & xiphiæ calamitatem decantans œſtrum, πτερύγεσσιν ἐνήμενον ἄγριον οἶστρον nominat. *Aetas & vita.* Vita thynnis longiſſima biennio, Plin. Præ nimia pinguedine dehiſcunt, nec plus quàm biennio poſſunt viuere. cuius rei argumentum piſcatores inde deducunt, quod cum aliquando limariæ anno ſuperiore defeciſſent, thunni ſequenti anno defecerint, Ariſtot. Iouius thynnos bimatu expleto non quidem deficere putat, ſed alijs nominibus appellari, vt ſunt orcynus & pompilus. Adeò quidem thynni augentur, vt Plinij teſtimonio caudæ eorum latitudinis duorum cubitorum reperiantur, ipſi talentorum quindecim pondo. Quod ſi biennium vitæ non excedunt, quomodo euadunt tanti? Quotidiana experientia (inquit Saluianus) thynnos capi videmus, quos corporis magnitudine, ſquamarum craſſitie, atque carnium duritie, biennio multò prouectiores eſſe fateri oporteat. Quanquam autem deficientibus limarijs, anno ſequenti etiam thynni deficiant, non ob id eos obijſſe, ſed in aliam potius veluti quandam ſpeciem, vel priori nomine poſthabito mutatos eſſe credendum eſt.

D

Thynni quanuis carniuori, gregales ſunt, Ariſtot. Maximi ſolitarij natant, alij verò bini, alij gregatim, vt in c. ex Æliano retuli. Nominantur & inter χυτοὺς, id eſt fuſaneos piſces, thynni ab Ariſtotele, quinto hiſtoriæ: ij autē ſunt, qui (fuſim addit Gaza) retibus capiuntur. Et pauidi magno fugientes agmine thunni, Ouid. Multa quæ prudenter aut prouide circa migrationem ſuam faciunt thynni, ſuperius in c. iam explicata ſunt. Thynne crudeliſſima piſcium oua ſua ſtatim ædita deuorat, quotquot aſſequitur, Oppianus Halieut. 1. prope finem. videtur autem etiam ſobolem recens ab ouis prognatam vorare eam ſentire. Ἀλλὰ γὰρ εἶνε ἐκγόνων ἰλὺ ὠοῖνα βαρεῖαν Αὐτὴ γειναμένη κατέδαιναται ὅσσα κίχησι, Νηλής: ἢ καὶ τέκνα φυγῆς ἐπινηδέοντα Ἐσθίει. ἄλλ μιν οἶκτ@ ἐνέχεται οἷο τόκοιο. Thynni ſæpe nauigia velis euntia comitantes, mira quadam dulcedine per aliquot horarum ſpacia & paſſuum milia à gubernaculis non ſeparantur, ne tridente quidem in eos ſæpius iacto territi. Quidam eos qui hocè thynnis faciant, pompilos vocant, Plinius. Sed Pompilus toto genere à Thynnis diuerſus videtur. vide ſuprà Elemento P. Irrumpunt Maio menſe in mare noſtrum ab Atlantico Oceano thynni, cogentibus xiphijs piſcibus: qui telo à roſtro prominente inſtructi, eos toto mari perſequuntur, Iouius. Thynni cum gregatim præter Italiam acti elabuntur & Siciliam attingere prohibentur, in maiores incurrunt beluas, vt puta delphinos, canes, alioſque cetaceos, è quorum venatione canes & galeotas pingueſcere, quos xiphias, id eſt gladios appellant, ferunt, Strabo lib. 1. In mari circa Taprobanen permultas balænas thunnis (*Gillius hic non rectè verterat, Delphinus*) eſſe aiunt, Ælianus De animalib. 16.18. Vide in Balæna D. Cepphi aues thunnos maximè comitantur: quod ab ijs piſciculorum, quos dentibus ſuis diſcerpunt, carunculæ aliquot in aquis relinquuntur, quas ipſæ ingurgitant, Oppianus in Ixeuticis.

E

Captura. In genere. Non in Ponto tantum capiuntur thynni, ſed in Sicilia quoque & alijs in locis, Ælianus. Verno tempore ex Oceano mediterraneum mare ſubeuntes capiunt primū Iberi, deinde Celtę circa Eridani oſtia, & vetuſti incolæ Phocçæ: tertio Tyrrheni & Siculi. inde per immenſos gurgites diſperguntur, & totū mare replent, Oppian. Non niſi intrantes Pontum Byzantij capiuntur, Plinius. Et rurſus: In Euripo Thracij Boſphori iuxta Chalcedonem in litore Aſiæ ſaxum eſt miri candoris, à vado ad ſumma perlucens. huius aſpectu repente territi, ſemper aduerſum Byzantij promontorium præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantij eſt, magna Chalcedonis penuria, D. paſſib. medij interfluentis Euripi. Vide etiam ſuprà in Corollario de Pelamyde E. Gregatim vagantur. ob id in Euripis maxima eorū eſt captura, Iouius. Capiuntur nonnulli ex thynnis, cæteriſque latentibus tempore ſui receſſus, cum ſe mouent locis tepidis, aut ſi temporis inſolitæ quietes contingant. Prodeunt enim aliquantulo de ſuo cubili paſtum, & præcipuè plenilunio, Ariſtoteles. Thynnorum captura eſt à Vergiliarum exortu ad Arcturi occaſum. reliquo tempore hyberno latent in gurgitibus imis, niſi tepore reliquo euocati, aut plenilunijs, Plinius. Dum paruos fœtus habent, difficulter: ſed cum iam fœtus excreuerit, facilè capiuntur infeſtante œſtro, Athenæus. Græca verba ſic ſonant: Καὶ ἕως μὲν ἂν ἔχῃ μικρὰ τὰ κυήματα, δυσάλωτ@

δυσάλωτ@ ὅταν δὲ μείζων γένηται, διὰ τὸν οἶστρον ἁλίσκεται. Thynnorum piſcationem Itali & Siculi cetiam (κητίαν) appellare ſolent, tum loca quo reponere ſoliti ſunt magna retia, cæterumq; inſtrumentum quo *Cetia. Cetotheria.* captari aſſueuerunt, cetotheria (κητοθηρία, fœm. gen. recto ſingulari) ideo nominantur, quòd magnos thynnos in numerum reliquorum cetaceorum referant, Ælianus de animalib. 13.16. Tametſi paſſim in *Thynnoſcopi.* æditiore rupe (à Strabone lib. 5. θυννοσκοπεῖον vocata) ſtantes thynnoſcopi, thynnos ſpectarent, vt tradit in Equitibus Ariſtophanes, Κἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν: in Ponto tamen præcipuè ex alta ſumma trabe in vado defixa piſces colluſtrant ac obſeruant hodie thynnoſcopi: qui mos) *etiam*) antiquis fuit Philoſtratus Iconum primo: Ἀρίστη δὲ ἥδε θήρα, σκοπιωρεῖται γάρ τις ἀφ' ὑψηλοῦ ξύλου, ταχὺς μὲν ἀριθμῆσαι, τὴν δὲ ὄψιν ἱκανός. Quæ forte piſcatio ab Vlpiano in l. Venditor. ff. Communia prædiorum, tignaria appellatur: quanquam in meis codicibus Thynnaria rectè ſcriptum ſit: nec tam abſurde, quam literati homines exiſtimant, vtraq; lectio, quam Accurſius non reſpuit, defendi poteſt, Brodæus in Miſcellaneis 6.8. Quod ſi tignariam piſcationem legamus, interpretari forte licebit eiuſmodi, qualem mox ex Æliano referemus, in qua tigna bina excitantur, quorum alteri ſpeculam ſuſtinenti perlongus retium funis alligatur. Strabo lib. 7. in Africæ deſcriptione, Poſt Thapſum ciuitatem (inquit) eſt inſula in pelago Lopaduſa: εἶτα ἄκρα Ἄμμων@ Βαλίθων@ πρὸς θυνοσκοπίαν. interpres tria poſteriora vocabula præterijt. pro vltimo apparet legendum θυννοσκοπίαν. Ἔνθ' ἤτοι πρῶτον μὲν ὑπόρθιον ὑψικόλωνον Ἴδρις τις βαίνει θυννοσκόπ@, ὅστε κιόντας Παντοπίας ἀγέλας τεκμαίρεται, αἵ τε, καὶ ὅσσαι, Oppianus ſub fine tertij Halieut. Θυννοθήρας Græce venatorem ſeu piſcatorem thynnorum ſignificat: vſurpatur à Sophrone. De Thynnorum piſcatione quędam leges etiam ſupra in Corollario de Pelamyde E. *Captus fuſcinis.* Thynnos magnos fuſcinis (τριόδουσι) feriebant, quod θυννάζειν appellant, Suidas. Thynni dormiunt, præſertim noctu, ita ſopiti, vt ne iacta quidem fuſcina moueantur, Ariſtot.

Hamis. Celtas audio, & Maſſilienſes, atq; omnem Africam maximis & firmiſſimis hamis ex ferro confectis Thynnos comprehendere ſolere, Ælianus de animalib. 13.6. *Eſca.* Thynnus capitur eſca coracino, Oppianus Halieut. 3. Eſca ad thynnos tantum: Quinque nuces regias comburens, in cineremque conuertens, cum ſampſycho & puriſſimo pane, perfuſo aqua, cumque caprillo caſeo contundito, quibus vtitor poſtea inſtar paſtæ confectis, Tarentinus. *Retibus.* Χυτοὺς, id eſt Fuſaneos piſces vocat Ariſtoteles, qui retibus capiantur, (Gaza addit, fuſim) quibus & thynnos adnumerat. Thynnos dormientes ſæpe thunnarij circumretiunt. Qui Heracleam, Tion, Amaſtriam, Ponticas vrbes incolunt, plane ſciunt quo anni tempore eiuſmodi piſces eo accedant: Quare permulta contra eos inſtrumenta comparant, naues, retia, ſpeculam in excelſum excitatam, quam in littoris eminenti loco, & circunſpectum facilem habenti, defigunt: cuius conficiendi rationem moleſtum mihi nō erit explicare: Tigna (πρέμνα) bina proceriſſima abiegna excitant; intercepta & iuncta inter ſe, trabibus (ξύλοις) latis & crebris immiſſis, & facilem aſcenſum ſpeculatori præſtantibus. Singulæ naues vtrinq; ſex iuuenes expeditè remigantes habent. Retia bene longa ſunt, non admodum leuia, & quæ magis deprimantur plumbo, quam leuentur ſuberibus. Copioſi autem iſtorum piſcium greges in ea feruntur Itaq; vernò Sole illucente, ventis placidè & tranquillè flantibus, cœlo lęto & quaſi ridente, conquieſcente à tempeſtatibus mari, frequentes Thynnorum piſcium greges appropinquant. quod quidem ipſum ſimul ex ſpecula prudenter & acute ſpeculator proſpexit, piſcatoribus vnde veniant, denunciat. Hi ad vocis ſignificationem retia tendunt. Iam ſi intra retia ingrediantur, ſicut dux exercitus, vel choro præfectus, hoc ipſum ſigno dato edocet. Itaq; ſæpe totum gregem capit, & non aberrat à ſcopo, nec deſiderio fruſtratur. Cum verò Thynnorum cohortes in altum ſeſe incitauerint, is qui ex ſpecula acerrima oculorum acie horum actiones obſeruat, contenta voce exclamat, recta ad altum remigationem contendendam, illucq; inſequendos eſſe: hi porro alligato ad alterum tignum, quod ſpeculam ſuſtinet, perlongo retium fune, naues ordine remis propellunt, ita vt inuicem non ſeparentur. nam & rete in ſingulas diſtributum eſt naues Et prima nauis, vbi ſuam retis partem eiecit, diſcedit. hoc idem facit deinceps ſecunda, & tertia, & quarta. Qui quintam remis impellunt interim ſeparant, vt mox eiecturi videantur. Reliqui vero nunquam laxare debent. Deinde alij alio remigant, & pro ſe quiſque retis partem trahit, poſtea quieſcunt. Thynni verò circumuallati per ignauiam & timiditatem non ſe loco mouent. itaq; conferti comprehenduntur: & remiges tanquam ciuitate aliqua in poteſtatem redacta, totum piſcium (vt poeta diceret) populum capiunt. Norunt hæc & teſtantur tum Eretrienſes tum Naxij, (*Eretria vrbs eſt Eubœæ, Naxus vna Cycladum in Aegæo*) hac piſcatione inſignes, vt Herodotus & alij referunt, Ælianus De animalibus 15.5. Scombri dum aliquos gentiles ſuos retibus incluſos vident, ſponte ad eos ingrediuntur. rurſus verò egreſſuri, alij quidem per maculas ampliores (*quibus nimirum etiam ingreſſi erant*) euadunt: alij vero anguſtioribus detenti infarctique capiuntur. Simili temeritate & thynni capiuntur: non tamen perueniunt intra retia qui foris ſunt, ſed dum ingredi cupiunt, & maculas dentibus impetunt, iiſdem hærentes & intricati capiuntur, Oppianus. Simpliciſſimi ſunt piſcium: propterea vel inanibus terriculamentis acti, facile vadis atq; litoribus intruduntur. eo modo Gaditanus populus infinitam eorum multitudinem magno quæſtu ſolenniq, ſpectaculo retibus extrahit, Iouius. Thunni piſcium ſimpliciſſimi timidiſſimiq;, non aliter in fugam à xiphijs piſcibus gregatim aguntur, quam ouium greges à lupis. quam ob cauſam vel inanib. terriculamentis acti, facile vadis atq; litoribus intruduntur. Porro ſumma ſpectantium voluptate Maio & Iunio menſibus thunni à Gaditanis non longe ab Herculeo freto capiuntur. ad quam piſcationem vniuerſus concurrit populus, maximo clamore, tympanorum ſonitu, ac bellicis puluere & igne concrepitantibus terriculamentis. Sic vocibus & ſtrepitu territi cōcitantur ad vada, quo in loco poſtea gregatim retibus capiuntur, maximoque omnium plauſu trahūtur in litus, Matthiolus. In Indico mari tanta thynnorum multitudo eſt, vt Magni Alexandri claſſis haud alio modo, quam hoſtium acie obuia, contrarium agmen aduerſa fronte direxerit, aliter ſparſis nō erat euadere: qui non voce, non ſonitu, non ictu, ſed fragore terrentur, nec niſi ruina turbantur, Plinius. ſed Græci authores cete ac phyſeteres, non thynnos, Alexandri Magni claſſem terruiſſe tradunt: vt indicauimus ſupra in Phyſetere, & in Corollario de Cetis in genere E.

Nuper ab Italo quodam accepi, thunnos valde timidos esse, natare iuxta litora: piscatores verò funes quosdam demittere: quos cum illi metuant, nec audeant se à litoribus ad altum conuertere, sic tandem capiuntur.

Thunno esca gaudet callichthys, Oppianus Halieut. 3. Thynni hepar aliqui miscent escæ ad mugiles capiendos.

F

Cibus in genere: & qualis quod ad suauitatem.

Etsi suauissimis piscibus conferendus non sit thynnus, sapidus tamen & non negligendus vbiq; fere censetur, Saluianus. Circa Samum videbis thynnum ingentem consulto capi, quem vocant horcynum, alij κῆτος: qui vel deorum conuiuijs dignus est. Nascitur autem nobilis thynnus circa Byzantium, Carystum & Siciliam: & eo etiamnum præstantior Cephalen * & Tyndaridem oram, (Τυνδαρίδα ἀκτήν:) sed longe præstantissimi circa Hipponium Italiæ. inde migrantes in alia maria capiuntur immaturi, Archestratus. Quod si horcynus siue magnus thynnus, minori præfertur: recte scripserit Plinius vetustate fieri meliorem: neq; opus fuerit vt Rondeletius pro melior legat maior vel peior. horum enim vtrunque plerisq; animalibus immo viuentibus commune est, vt vetustate tum maiora, tum ad alimentum deteriora euadant. idem si accideret thynno, nihil rari esset, neq; priuatim in eius mentione annotandum. at vetustate meliorem fieri, rarum & notatione dignum est. Scio (ex Diphilo puto) legi apud Athenæum, orcynum esse piscem βορβορώδη, καὶ μείζω προσεοικέναι τῷ χελιδονίᾳ κατὰ τὴν σκληρότητα. sed hoc ille de orcyno simpliciter dicit: nec obstat aliquid talis cum sit, meliorem ac pinguiorem ętatis progressu fieri, vt iam maximus nimirum, cum & cêtus dicitur, melior sit. Xenocrates quoq, apud Oribasium, Orcynum (similiter vt Plinius) tritoni similem faciens: sed quia difficilius (inquit) vitiatur, ideo insignem vetustatem fert. Sed hic de salsamentis ex orcyno sentire videtur. Diphilus etiam apud Athenæum lib. 3. de salsamentis ex thynno agens, scribit: Τὰ δὲ παλαιὰ, κρείσσονα, καὶ δριμύτερα, καὶ μάλιστα τὰ Βυζάντια. Phœnices aiunt qui Gades incolant, cum extra Herculis columnas per quatuor dies Subsolano vento nauigassent, in loca quædam solitaria alga & fuco repleta peruenisse: quæ modo maris æstu procedente, aquis obruantur: modo recedente, destituantur. in ijs reperiri miram thynnorum copiam, magnitudine & crassitie incredibili. Hos salsos in vasis Carthaginem mittunt. Carthaginenses verò sibi retinent & consumunt, ceu lautissimos in cibo: nec alio diuendunt, Aristoteles in admirandis narrationibus. Thynni Megarici ab Antiphane celebrantur. Placebat olim eximiè thynnus Tyrius, Pollux. Thynni magna ex parte suauissimi sunt cum latent, Plinius. Thunnus post arcturum melior est: iam enim eo tempore ab infestantis asili agitatione requiescit, quæ facit, vt sit in æstate deterior, Aristoteles. Γίνεται δὲ ἐδώδιμος, ὅταν τοῦ οἴστρου παύσηται, Ex eodem Athenæus.

Partes simpliciter.

Alexis caput thynni, ceu magnas lautitias prędicat apud Athenæum. Alij abdomina. Ὑπογάστριά θ' ἡδέα θυννῶν, Strattis. Τοῦθ' οἱ πένητες οὐκ ἔχοντες ἀγοράσαι Ὑπογάστριον θυννάκου, οὐδὲ κρανίον Λάβρακος, Eriphus Comicus. Lynceus Samius, cum quidam thynnorum abdomina laudaret: Omnino (inquit: verum ita edere oportet, vt ego soleo. Et cum is de modo interrogaret: Libenter, respondit. Τῶν παχειῶν θυννίδων αἱ ἡπατικαί (σάρκες nimirum) à veteribus commendabantur, Athenæus lib. 2. Θύννου λαγόνες commendantur ab Antiphane. De hypogastrio thynni plura leges infra mox inter Salsamenta è thynno. Thynni recenti pulpa iuxta ventrem, ipsóq; pingui sumine, sicuti palato grati: ita stomachis languidioribus, quibus nauseam pariunt, valde inimici: circa vero dorsum & caudam contraria ratione, quemadmodum ab nimia ariditate parum delectant, ita superfluo nudati humore, minus officiunt. De clidio lege infra in partibus thynni salsis.

Salubritas.

Ex piscibus qui cetacei generis habentur, vt thynni, crasso tenaciq; succo sunt: (senibus inutiles:) pelamydes verò magis ad mediocritatem accedunt, Galenus in libro De succorum bonitate. Idem lib. 3. de alim. fac. c. 31. Ex genere piscium (inquit) dura carne præditorum sunt etiam balænæ, & delphini, & phocæ. ad quos proximè magni thunni accedunt, quanquam non æque ac prædicti in cibo sunt iucundi. insuaues enim sunt hi, & præsertim recentes. nam salsi euadunt meliores. Thunnorum autem caro, qui & ętate & corporis mole sunt minores; non perinde dura est: eoq; hi facilius quoq, concoquuntur: & ijs adhuc magis pelamydes, quæ laudatissimis salsamentis non cedunt. Hæc Galenus Gregorio Martino interprete. Græca sic habent. Ἐκ τούτου δὲ τοῦ γένους (τῶν σκληροσάρκων) εἰσὶ καὶ φάλαιναι, καὶ δελφῖνες, καὶ φῶκαι. πλησίον δ' αὐτῶν ἥκουσι καὶ οἱ μεγάλοι θύννοι, καίτοι τῇ γε ἡδονῇ τὸ ἐδώδιμον οὐχ ὅμοιοι τοῖς προειρημένοις ὄντες. ἀηδεῖς γὰρ ἐκεῖνοι, καὶ μάλιστα πρόσφατοι. ταριχευθέντες δ' ἀμείνους γίνονται τῶν ἐλαττόνων θύννων, κατά τε τὴν ἡλικίαν καὶ τὸ μέγεθος. οὐθ' ἡ σὰρξ ὁμοίως σκληρά, καὶ πεφθῆναι δηλονότι βελτίους εἰσί: καὶ τούτων ἔτι μᾶλλον αἱ πηλαμύδες, αἳ ταριχευθεῖσαι τοῖς ἀρίστοις ταρίχοις ἐνάμιλλοι γίγνονται. Gregorius Martinus post hęc verba, ταριχευθέντες δ' ἀμείνους γίνονται, punctum notat. Et mox legit, Τῶν ἐλαττόνων ἢ θύννων. &c. cui lectioni facile suffragor. Quod autem dicit Galenus thynnos minus esse suaues prædictis: non balænis, delphinis & phocis tantum eos comparat, proxime nominatis verè cetis, sed alijs potius ante nominatis duræ carnis piscibus, vt mullis, orphis, glaucis, phagris, scorpijs, &c. Thynnus & thynnis, colias, orcynus, pelamis, scombrusque non apti stomacho sunt: mali succi sunt, flatum gignunt, scabri, difficiles ad excernendum, nutriunt: quorum valentissime nutrit pelamis: colias verò & ori ingratus est, & nullius succi. at thynnis ei subijcitur: thynnus verò difficulter concoquitur, Xenocrates apud Oribasium interprete Rasario. Thynnæ (*sic enim habet codex noster fœm. genere*) crassi succi sunt, & difficulter concoquuntur, malumque succum gignunt, Symeon Sethi. Thynni crudos humores generant, Psellus.

Thynnis ac thynnus graues sunt, ac multum alunt, Diphilus. Gregaria genera piscium non squamatorum, (vt thynni, scombri, thynnides, &c.) suauia quidem in cibo sunt, vtpote pinguia: sed grauia & difficilia concoctu: ideoque maxime saliri possunt, & inter salsamenta optima sunt. Mnesitheus. Nicolaus Myrepsus podagricis in cibo thynnos, pelamydes, & pisces omnes squama carentes prohibet.

De thynno salso, & partibus.

De thynno salso proximè etiam retro quædam dicta sunt: hic seorsim & singillatim prolixius persequemur. Quæ supra in Capite De salsamentis, elemento S. de cetaceis piscibus salsis in genere diximus, ea ad thynnos quoque salsos accommodari possunt. A thynno fiunt adiectiua nomina θύννιος, & θυνναῖος. hinc apud Athenæum libro 3. legimus θύννια τάριχη, Massarius vertit thunnina salsamenta, vel thunnia. Diocles è pinguibus salsamentis thynnia facit præcipua. Hicesius apud Athenæum tradit τὰ νεώτερα

τὰ νεώτερα τῶν θυννίων τὴν ἀναλογίαν ἔχειν τοῖς κυβίοις, μεγάλην τε εἶναι διαφορὰν περὶ πάντα (πρὸς τὰ) ὡραῖα λεγόμενα. ὁμοίως δὲ λέγει καὶ τῶν Βυζαντίων ὡραίων πρὸς τὰ ἀφ' ἑτέρων τόπων λαμβανόμενα, καὶ οὐ μόνον τῶν θυννίων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἁλισκομένων ἐν Βυζαντίῳ. Diphilo etiam apud eundem è pinguibus salsamentis excellũt thynnæa (τὰ θυνναῖα) & cordyla. fit autem thynnium (τὸ θύννιον, inquit) è maiori pelamide: ὧν τὸ μικρὸν ἀναλογεῖ τῷ κυβίῳ: ex quo genere & horæum est. Proxime tamen dixerat horæa & cybia è non pinguibus præstantissima esse. Thynnades, Θυννάδες, è thynno confecta salsamenta à quibusdam dicuntur. Vide infra in H. a. Θύννου τέμαχος nominatur ab Eubulo, id est, concisum è thynno frustum, inter alios delicatiores cibos. sed τέμαχος etiam de frusto recenti accipi potest. Si piscis perfecte salsus pingue instar lardi habuerit, vt tunina, (*thunnus,*) vel balæna, poterit in quadragesima parum aliquãdo sumi cum spinachiis in principio (*mensa,*) cum opus fuerit ventrem soluere, Arnoldus de conseruanda sanitate. Hispaniæ cetarias scombris replent, thynnis non commeantibus, Plinius. Thunni senes ad rem salsamentariam improbi sunt: multum enim carnis absumitur, Aristoteles. Τὸ (malim Τὸν) ὠμοτάριχον κήτειά τινες λέγουσιν, &c. id est, Omotarichum aliqui cetema vocant. id graue est, & viscosum, & concoctu difficile, Diphilus. Plura inuenies de omotaricho supra in Salsamẽtis pag. 817. Omotarichos est quam aliqui tuninam vocant. est verò tunina salsus thynni piscis venter: & morona vulgo vocata, existimatur eiusdem piscis dorsum, quod & schinale etiam dicitur, pars illa nempe in qua spina continetur, Brasauolus. Maronem alioqui Itali Husonem nostrum vocant: & schinale etiam Sturionis dorsum. In vniuersum saliti thynni, sicuti vim alleuandi intermortui gustus mirificam habent: ita multa bile aggenerata sanguinem incendere, iecinoraq; adurere consueuerunt, Iouius. Ferunt carnes thynni salitas, hæmorrhoides inducere, Cardanus. Fit thynnorum collum omotarichus, vt Xenocrates tradidit: quod & ori gratum est, nec facile corrumpitur, Vuottonus. An igitur omotarichus forte dictus fuerit παρὰ τοὺς ὤμους, id est ab humeris? quanquam enim neque collum pisces habeant, (quod arteriæ causa factum est in respirantib. tantum,) neq; humeros: analogia tamen quadam hæ partes in eis dicuntur. sicut & κλεῖδες, id est iuguli, quos forte pro eadem parte, scapulis humerisue, in piscibus acceperis. Clides & clidia, hoc est partes quæ diuidunt pectus à ceruice, vocantur, Massarius, Et alibi, Clidium in thynno, hoc est ingulus, siue pars quæ pectus à ceruice discriminat, appellatur. Clidia, ni fallor, vocantur partes, quæ faucibus proximæ sunt, Vuottonus. Κλεὶς primitiuum est, κλειδίον diminutiuum. Ἐπήνει δὲ τῶν θύννων καὶ τὰς κλεῖδας καλουμένας, ὀπτάς: hunc cibum Aristophon laudat, σεμνὸν cognominans. Authoris nomen excidit. Thynni membratim cæsi (τεμαχιζόμενοι Græce diceres) ceruice & abdomine commendantur, atque clidio (*alias edulio, non recte*) recenti duntaxat, & tum quoq; graui ructu: cætera parte plenis pulpamentis sale asseruantur, Plinius. Gadibus Orcynorum clidia per se inueterantur, Dorion. De Cybiis multa diximus supra, elemento C. pag. 309. Vide etiam superius Rondeletij Caput, quod inscribitur De Thunni, Pelamydis, &c. nominibus. Cybeas, vt Æneas, de ipso pisce dici videtur: cybium verò de parte & salsamẽto: vt supra docui Corollario I. De Thunnis. Ταρίχη σκομβρίων, κεστρίνων, κυβίων, (vt rectus sit κύβος,) θυννίδων, Pollux memorat. Cybiorum genera, vti conijcio, appellauit Plinius, quæ à Græcis κλειδία, μελάνδρυα & ὑπογάστρια vocantur: vt ijsdem nominibus appellentur pelamidis concisæ partes, quibus & maiorum thynnorum quos orcynos vocant, Vuottonus. Diuisis cybium latebit ouis, Martialis. Et caudam cybij, breuesq; mænas, Idem. Hicesius tradit τὰ νεώτερα τῶν θυννίων ἀναλογίαν ἔχειν τοῖς κυβίοις, &c. Τὸ δὲ θύννιόν φησι γίνεται ἐκ τῆς μείζονος πηλαμίδος, ὧν τὸ μικρὸν ἀναλογεῖ τῷ κυβίῳ. Athenæus ex Diphilo, Τὸ κύβιον τετραγωνον, Alexis. Gaditana salsamenta in Orcyno quæres.

Omotarichus.

Tunina.

Collum.

Κλεῖδες.

Clidium.

Cybia.

Gaditana.

Horæa.

Vræa.

Horæa salsamenta dicta sunt quasi οὐραῖα, à cauda vt scripsi in capite de Salsamentis A. (elemento S. pag. 817. & rursus in H. a. pag. 819.) quod à maturitate forsan sic denominata sint, vt pote nec recentiora, neque vetustiora quam par sit. nam & Strabo lib. 7. cum pelamydem non copiose capi dixisset propter paruitatem, subdit: Εἰς δὲ Σινώπην προελθοῦσα, ὡραιοτέρα πρός τε τὴν θήραν καὶ τὴν ταριχείαν ἐστίν: & Archestratus cum γενναῖον, id est nobilem thynnum circa Byzantium, (*Hicesius horaa circa Byzantium optima facit*) Carystum & Siciliam capi dixisset: sed longe præstantissimi (inquit) sunt circa Hipponium Italiæ, inde migrantes in alia maria capiuntur à nobis (*Græcis*) immaturi. sic enim legendum est Græcum carmen Ὅτ' αὐτοῦ ἡμεῖς θηρεύομεν ὄντας ἀώρους, vt sententia ipsa & carminis ratio requirunt, & Natalis de Comitibus recte conuertit. Vrenę apud Varronem quæ sint dubitatur, quas cum Soleis & Mustellis nominat: sed legendum videtur vręa, vt annotauimus in Cybijs elemento C. Triton pelamydum generis magni: ex eo vręa cybia fiunt, Plinius. codices quidam pro vræa, non recte habebant serena. Hermolaus vræa vel horæa legendum conijcit. Vræum, inquit, est salsamentum caudæ proximum. Horæum verò cuius mentionem & Plautus quoq; (in Captiuis) habet, Athenæus idem quid sit ostendit his verbis: Salsamentum aut horæum est, aut thunnium. in horæo macra pinguibus, in thunnio macris pinguia præferimus. Sed hęc ab Hermolao ambiguè mihi translata videntur: Græce enim legitur, Τῶν ταρίχων τῶν ἀπιμέλων (vel ἀπιόνων) κράτιστα εἶναι τὰ ὡραῖα, καὶ κύβια, καὶ τὰ τούτοις ὅμοια γένη: τῶν δὲ πιόνων τὰ θυνναῖα (alias θύννια) καὶ κορδύλην: vt horæa omnia & semper macra sint, sed in eo genere optima: thynnia verò semper pinguia, & pinguium quidem pręstantissima. Dicitur autem non modo τέμαχος ἢ τάριχος ὡραῖον, sed etiam piscis ipse θύννος ὡραῖος, in carmine Archestrati, (*Hesiodi legitur in Athenæo: sed Archestratum alibi Hesiodum opsophagorum vocat*) Θύννων δ' ὡραίων Βυζάντιον ἔπλετο μήτηρ: siue per synecdochen partem, siue piscem totum maturè ac tempestiuè captum intelligamus. Μενδήσιός θ' ὡραῖος, ὃ Ξανθαίοισιν ὀπτὸς κέφαλος, Sopater Paphius: vnde non de thynno solum, sed alijs etiam piscibus τὸ ὡραῖον dici commẽdarique apparet. Thynnium fit è maiori pelamide: id quidem paruum respondet (ἀναλογεῖ) cybio, ex quo genere & horæum est, Diphilus. Horęa aiunt ex pelamyde minore fieri, thunnia ex maioribus quas aliqui synodontidas appellant, Massarius. Archestratus οὐραῖον θύννης ἢ θυννίδος (pelamydis nimirum) celebrat. Καὶ θύννης οὐραῖον ἔχειν, ἣν θυννίδα φωνῶ, Τὴν μεγάλην, (post φωνῶ non est distinguendum si legas τὴν μεγάλην in accusandi casu: nam potest & τῆς μεγάλης in genitiuo legi, referendum ad θύννης, & sic post φωνῶ recte distinguetur:) ἧς μητρόπολις Βυζάντιόν ἐστιν. Εἶτα τεμὼν αὐτὴν ὀρθῶς

ὀρθῶς ὄπτησον ἅπασαν, Ἁλσὶ μόνον, λεπτοῖσι πάσας, καὶ ἐλαίῳ ἀλείψας, Θερμά τ᾽ ἔχειν τεμάχη βάπτων δριμεῖαν ἐς ἅλμην. Κἂν ξηρὰν (τὴν θυννίδα ξηρὰν καὶ ἄνευ ἅλμης) ἐθέλεις ἔσθειν, γεννᾶα (τὰ τεμάχη) τέλονται, Ἀθανάτοισι θεοῖσι φυὴν καὶ εἶδος ὅμοια. Ἂν δ᾽ ὄξει ῥάνας παραθῇς, ἀπόλωλεν ἐκείνη (ἡ θυννίς, ἢ ἡ φυή.) In his versibus (quos infra vbi de apparatu dicetur, Latinos leges) quædam ex Eustathio emendauimus: quanquam is legit γεννᾶα, (quod carminis ratio non admittit,) & ὁμοῖα. Vræon est salsamentum caudæ proximum, ex Athenæo, Massarius. Ex melandryis (*ea fiunt è thunnis maximis*) vilissima quæ caudæ proxima, quia pingui carent, probatissima quæ faucibus. at in alio pisce (*tritone vel pelamyde magna*) circa caudam exercitissima: Plinius, vt nostra æditio habet. nam pro exercitissima, alias legitur exercitatissima. Massarius præstantissima legendum conijcit vt vilissimis opponantur. Tunina vulgo dicta salsus thynni piscis venter est, Brasauolus.

(Melandrya)

Hypogastria. Veteres quidem cum hypogastrion (id est, abdomen, vt Plinius interpretatur,) thynni nominant, de recenti sentire videntur. Leges superius in hoc segmẽto inter partes thynni simpliciter: & hic paulo post in Melandryis. Thynni ilia Archestratus laudat, Massarius. Ὑπογάστριον ἢ θύννου τί καὶ ἀκροκώλιον, Strattis apud Athenæum lib. 9. Μετὰ ταῦτα θύννων μεγαλόπλευρ᾽ ἐπὶ σοὶ πλεῖ ὑπογάστρι᾽ ὀπτῶν, Eubulus. Θύννων δὲ λευκῶν Σικελικῶν ὑπογάστρια, Theopompus. albos autem forte pro pinguibus dixit: vel synecdochice: cæteræ enim præter collum & abdomen thynni partes melandrya dicuntur, & nigris quercuum radicibus comparantur. Melandrya vocantur cæsis quernis assulis simillima, &c. Plinius. Vide paulo ante, ad finem eorum quæ de horæis diximus.

Melandrya. Melandrys vocatur ipse piscis, species maximorum thynnorum, idem forte Melanthyno: de quo leges in Elemento M. Melandryum verò ex eodem salsamentum. Elacaten idem est qui Melandrys. Vide supra, elemento E. pag. 317. Xenocrates cæteras thynni partes, præter collum & abdomen, melandrya vocauit, quod nigris quercuum radicibus similes sint, Vuottonus. Hæc etiam ex orcyno fieri solebant. Meminit & Varro. Μελανδρύαι (*alibi penultima per iota scribitur, nimirum à masculino recto singulari* μελανδρύας. *ego melandryum gen. neutro efferre malim pro salsamento: melandrym verò aut melandryn, pro ipso pisce*) inter salsamenta sunt: vnde τέμαχος ὑπομελανδρυώδες Epicharmus dixit, Athenæus. apud Hesychium & Varinum non recte ὑπομαλανδριώδες scribitur per alpha in tertia syllaba. Thunnorum quos Gaditani capiunt, recentibus pulpis saturantur circumfusæ gentes. reliqua illorum multitudo cetarijs infertur, saliturq;. asseruati verò membratim cadis celebri mercimonio per omnem ferè

(Abdomen.) Europam diffunduntur. Verum solo abdomine valent: quæ pars à Romanis Tarentellum dicitur, quod etiam Tarentino in sinu, vbi optima piscium omnium captura est, thynni sale asseruentur. reliquæ corporis partes, vtpote quæ pingui succo admodum careant, in ignobilis populi vsum veniunt, quæ Melandrya à Plinio nuncupantur, Iouius.

Spondylus. Athenæus horæi (è thynnis) salsamenti spondylum commendari scribit: vbi spondyli nomine dorsum, seu dorsi callum intelligo. ex quo preciosum salsamentũ, quod spondylum etiam appellat, fieri tradit. Vide supra in Spondylo A. elemento S.

Vræa. Garum & Muria. Vræa abunde iam exposita sunt in Horæis paulo ante.

Muria ex piscium liquamine fiebat, præsertim thynnorum, vt grammatici scribunt. Antipolitani (fateor) sum filia thynni, Essem si scombri, nil nisi vota darem, Martialis in Xenijs. Plura de garo è visceribus thynni, & garo hæmatio ex thynno, requires supra in Garo. elemento G.

Apparatus. De apparatu ad cibum thynni, & diuersarum eius partium, tum recentis, tum salsi, sparsim in præcedentibus quædam retulimus: huc reliqua congeremus. Piscium non squamosorum genera gregaria, vt thynni, scombri, thynnides, præstant si assentur: quod sic eorum pingue liquatur, Mnesitheus. Thynnus non malus est cibus, ἐὰν ἀπὸ πάντων ἰχθύων ἐμπρεπὴς ἐν συνθέσει, Athenæus alicubi lib. 7. Falconius Etruscus plebeius ganeo, sed eruditionis gulæ, quum in Hispania cetariis præesset, nouum ac sapidissimum obsonij genus è thynnorum ventre commentus est. circunciso abdomine vmbilicos enucleando, & sale acetoque & fœniculo inclusos cadulis condiendo: ita vt mox id cibarij genus pleriq; appeterent, ac propter iucunditatem mirarentur, quem (vmbilicum) modo vt inutilem ex officinis euerrere consueuissent. Recentes pulpæ rectissimè coquuntur in vino Corsicano & oleo, pipere etiam cum cepis minutatim cæsis superaddito: quod genus condimenti Azeminum Ligures vocant, Iouius. Thynni sale reseruati pulmentorum vicem ieiunijs subeunt. Salitum eorum abdomẽ, & solidum, nec molle (quod Tarentellum vulgo appellant, aqua & aceto, interiectis furfuribus, quo melius salsedinem relinquat, bene lotum & repurgatum in aqua non multum coques: exemptum, & aceto bene maceratum, vbi voles, edito. Sunt qui aromata dulcia inspergant. Ex eodem thynno fit salsamentum, quod thynninam appellant. In aqua tepida horas sex hæc innatet oportet, si purgatam voles. Elixam parum admodum ex aceto comedes. Hæc, vt omnia alia salsamenta, pessimi sunt alimenti. Recentem thynnum, pipere, cinnamo, coriandro tritis, cepa cocta & concisa, aceto, melle, ac oleo condies, Platina. Recentium frusta (inquit Saluianus) contrito coriandro & sale prius consperssa, & verubus assata, continuaque dum assantur aceti & olei inspersione fœniculi vmbella irrorata, sapidissima efficiuntur. Huic nostræ recentium thynnorum conditura (qua locis plerisq; vtuntur) haud absimilem conscripsit apud Athenæum Archestratus, (*quos supra in mentione de Horæis Græcos dedimus: hic Latinos Natali de Comitibus interprete adscribemus.*

Postremam thunni partem, quam thunnida dico,   *Ingentem, cuius Byzanti est fertilis ora.*
Concidens, recte hanc assato prouidus omnem,   *Et sale conspergas tenui, hinc vngatur oliuo.*
Tingito adhuc (Tinge deinde) *acri calida in salsugine frusta, Nam* (Quod) *si sicca velis edere hæc generosa videbis.*
Huic similis superis species naturaq; thunnæ (est:)
Quæ mox deperit, si conspergatur aceto.

Eorum verò salitæ partes, siue pingues, (quos Itali Tarantello appellant,) siue pinguedinis expertes, (quas vulgo Tonina vocant,) fuerint, octo aut decem horis in aqua prius maceratæ, (quo salsedinem deponant) in aqua elixantur: sicq; elixæ & in parua frustula dissecatæ, aceto & oleo condiuntur, Hæc Saluianus. Apicius lib. 9. c. 10. pelamidis & thynni salsi apparatum describit: & rursus libri 10. c. 10. ius in thynnum.

G

Sanguis. Psilothrum est thynni sanguis, & fel, & iecur, siue recentia, siue seruata, Plinius. Ad pilos palpebrarum pungentes, aliqui cicutæ semen tritum, ac thynnæ sanguine exceptum, præuulsis pilis illeuerunt, Galenus de compos. sec. locos 4. 7. inter Asclepiadæ oculares compositiones liquidas. Emendant palpebras psilothrum (*nimirum è sanguine thynni*) inutiles pilis exemptis in vestigia euulsorum instillatum, Obscurus tanquam ex Plinio. Cardanus causam addit, quod frigidus & crassus hic sanguis sit: & alibi quoque illitum, idem præstiturum, vt in pube. Si quis qui nondum excesserit extremam pueritiam, thunni sanguine illinatur, non pubescet, Ælianus. Thynni sanguinem genis illitum, barbæ ac pilorum exortum prohibere aiunt, Symeon Sethi.

Adeps. Attalus thynni recentioris adipe ad vlcera vsus est, Plinius: aliqui sic citant: Thynni adipe recenti ad oris vlcera vsus est Attalus. Scabies equorum linitur vnguine ceti, vel quod in lancibus salitus thynnus remittit, Columella.

Iecur & fel. Psilothrum est thynni sanguis & fel, & iecur, siue recentia, siue seruata. Iecur etiam tritum, mixtaq; cedria, plumbea pyxide asseruatum, ita pueros mangonizauit Salpe obstetrix, Plinius. Hepar thynni putrefactum aliqui medicamentis pilos disperdentib. addunt, Galenus de compos. med. sec. locos. Thynnæ fel & hepar tritum & mixtum præuulsis pilis palpebrarum inunctum, non sinit eos renasci, Kiranides.

Caro salsa. Ex omotaricho, id est saliti thynni carne remedia à Dioscoride tradita, dedimus supra in Salsamentis in genere G. pag 818. Vt suggillata in oculis discutiantur, salsam thynni carnem, omotarichon Græci vocant, exprimito: deinde in vino odoro tritam imponito, Archigenes apud Galenum de compos. sec. loc. 5. 1. Ferunt carnes thynni salitas, hæmorrhoides inducere, Cardanus. Nephon medicus veterinarius in Hippiatricis Græcis capite secundo, pro iumento arthritico præscribit potionem (ori) infundendam, in qua thynni carnem salsam cum alijs quibusdam decoquit.

Cybia. Capitis mænarum cinis ad rhagades & ad condylomata vtilis est, sicut pelamydum salsarum capitũ cinis, vel cybiorum cum melle, Plinius. Cacoethe & nomæ & putrescentia cybio vetere sanantur, Idẽ. Et alibi: Purgant & cybia vetera, priuatimq; cruditates, pituitas, bilemq; trahunt. Plura è cybijs remedia indicauimus supra elemento C. pag 309. Ex pelamyde etiam priuatim, reperies supra in Corollario 3. quod est de Pelamyde Sarda priuatim contra presteris morsum prodest, Vuottonus.

H. a. Θύννες alicubi in nostra Aristotelis librorum æditione scribitur, perperam pro θύννοι. Apud Galenũ alicubi & Herodotum θῦνοι pro θύννοι leguntur. Eustathius quidem & Athenæus admonent, à verbo θύω, quod est ὁρμῶ, fieri verbum θύνω, abundante ni litera, (Ionica vel Dorica epenthesi,) & rursus ab hoc duplicata eadem litera (quod Aeoles facere solent) nomen θύννος. impetu enim & furore quodam fertur & agitur hic piscis, œstreo infestante (vt dictum est in C.) sub Canis ortum. Ad hanc etymologiã alludit Oppianus: Θύννοι μὲν θύνοντες ἐν ἰχθύσιν, ἔξοχοι ὁρμὴν, Κραιπνότατοι. Idem alibi: Πάντες δὲ συνοιήσιν ἐναντία καὶ ῥοθίοισι Πλώοντες ἀλὸς θύνουσι. Θύειν, ὁρμᾶν σπεύδειν, τρέχειν, ἐνθουσιᾶν, φέρεσθαι χαίρειν, Suidæ & Varino. Δελφῖνες τῇ καὶ τῇ ἐθύνεον ἰχθυάοντες, Hesiodus in Aspide. Videtur & ἰθύνειν pro ὁρμᾶν accipi in illo Oppiani, ὃ μὲν γὰρ σπεύδουσι καὶ ἰθύνουσι λαβέσθαι. Apud Varinum θύνω verbum in eadem significatione per ν. duplex scribitur, nescio quam recte. A thynno diminutiuum fit θυννάξ, sicut ab orpho orphax, Eustat. ––– οὐκ ἔχοντες ἀγοράσαι ὑπογάστριον θυννακος, οὐδὲ κεφάλιον λάβρακος, Eriphus comicus. Videtur & θυννὶς diminutiuum, cum pro pelamyde capitur: Θύννον τὸν ὄρκυνον λέγουσι: τὴν δὲ πηλαμίδα, θυννίδα, Hesychius. alioqui thunnum fœminam significat, sicut & θύννα: alias thunnum simpliciter, vt in A. monuimus. Tigris pro thynno apud obscuros quosdam scriptores legitur.

Epitheta. Thynni pauidi, Ouidio. Oppiano νηλὴς & βαρύφρων dicitur, id est crudelis, & acerbi animi, ab eo nimirum quod ipsa suum fœtum deuorat. Idem πίονας θύννους dixit. Et Θύννοι μὲν θύνοντες ἐν ἰχθύσιν, ἔξοχοι ὁρμὴν Κραιπνότατοι. Θαλασσηκῆς, Matron. vide infra in F.

Icones. De thunno nihil aliud inueni, quod hieroglyphicis inseri posset, nisi vel strabonem, vel limis oculis prospectantem ex eo significari, Pierius Valerianus. De antiquissimo numismate, cuius in altera parte thunnus est, vide supra in ijs quæ Bellonius de thunno scripsit.

Deriuata. Nomina. Θῦνος Hesychio & Varino significat bellum, impetum, cursum. Thynos nĩ simplici (θῦνος) Lycophron nominat τὸν κινδυνεύσαντα (ἐν Τροίᾳ) Ἕλληνας, vt Isacius Tzetzes interpretatur. A thunnorum salsamentis in cados componi, & ad diuersas regiones mitti solitis, Germani (vt conijcio) ipsos etiam cados *Tonen* vocant. Piscatio thynnaria nominatur ab Vlpiano in l. Venditor. ff. Communia prædiorũ: vbi alia tignaria legunt. Thunnarij à Gaza dicuntur thynnorum piscatores, ex Aristotele: apud quem Græce forsan θυννοθῆραι legitur: locus iam non occurrit. Abdomina thymnia (*lego thynnia vel thynnæa*) venientibus priua dabo, Lucilius apud Gellium lib. 10. Thynnades (Θυννάδες) sunt concisa è thynno salsamenta, τεμάχη ταρίχου, Hesychio cui etiam θυννίδες sunt θύννων τεμάχη ὑποκοριστικῶς. Θύννια vel θυνναῖα, scilicet ταρίχη vel τεμάχη dicuntur frusta salsa è thynno. &c. Vide supra in F vbi de thynno salso & partibus eius agitur. Thynnæum sacrum: Vide inferius in h. Θυννώδες ἐνθύμημα Erasmus vertit Thunnicum enthymema: Quære mox inter verba deriuata. Πηλαμύδες, εἶδος θυννώδους ἰχθύος, Hesychius & Varinus. Θυννεῖα θερμὰ καταφαγών, κᾆτ᾽ ἐπιπιὼν ἀκράτου οἴνου χοᾶ κασαλβάσω (ἀντὶ τοῦ λοιδορήσω) τοὺς ἐν Πύλῳ στρατηγούς, Aristophanes in Equitibus.

Nomina composita. Θυννοθήρας, apud Ælianum & Athenæum, thynnorum piscator est: Gazæ thunnarius, Varroni cetarius. Θυννοθηραία δὲ γαστὴρ ὑμέων καρχαρίας ὁ κάνθος ... , Sophron apud Athenæum, sed locus apparet corruptus. Θυννοσκόπος, θυννοσκοπία, & θυννοσκοπεῖον nomina, & verbum θυννοσκοπεῖν, explicata sunt superius in E. Κἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν, Aristophanes in Equitibus, Cleonem traducens, qui vndecunq; obseruet quod in suum commodum vertat, etiam publicum: sicut thunnariorum speculatores (σκοποὶ ἢ θυννοσκόποι) è loco edito thynnorum ad retia aduentum præuident, (σκοπεῖ, σκοπιωρεῖται, θυννοσκοπεῖ.) Fortassis & opsophagiam hominis notat, Scholiastes. Ἄνθρωπος οὐκ ἔχων εἰπεῖν ὄνομα πάππου, ἀλλ᾽ οὐδὲ πατρός φασι, πλὴν ὅσον ἀπὸ θυννοσκοπείου ἐπὶ τὴν ἡγεμονικὴν ἀτίμως ἀλώμενος, (forte ἀλώμενος, vel ἀλάμενος in alterutro aoristo medio prima aspirata,) Innominatus apud Suidam de infimæ sortis homine ad summam dignitatem euecto. Θυννοσκοπεῖον est non procul Cossis oppido, Strabo libro 5.

Verba. De verbo θύνειν, à quo thynnus denominetur, ab initio huius segmenti a. diximus. Εἶτ᾽ ἐσπόμεσθα θυννάζοντες εἰς τοὺς θυλάκους. Οἱ δ᾽ ἔφλυον τὰς γνάθους καὶ τὰς ὀφρῦς κεντούμενοι. Aristophanes in Vespis. Scholiastes θυννάζειν interpretatur pungere per metaphoram ab illis, qui thynnos (maiores, Suidas & Hesychius) fuscinis punctos capiunt. (sic enim & vespæ suis aculeis pungunt. (Θυλάκους verò anaxy-

rides

rides seu brachas. Erasmus Rot. in prouerbijs θυννίζειν pro stimulare & pungere interpretatur; vel quod hic piscis, inquit, quo sit palato gratior, pungi soleat, vel quod ipse piscis adurat pungatque contactu. (*Horum nihil a bonis authoribus traditum puto.*) Deinde addit, hunc piscem ab œstro pungi & exagitari: vnde θύειν, id est, impetu ferri soleat, nomine etiam inde imposito. Tum Luciani verba recitat è Ioue Tragœdo: Α'παγε, θυννῶδες τὸ ἐνθύμημα, ὦ Πόσειδον, καὶ κομιδῆ παχύ. id est, Apage, thunnicum enthymema Neptune, & supra modum pingue. Rursum (inquit) in eodem dialogo ad idem verbum alludens, Εἰ πάνυ κῆτως ὑμῖν ἀποτεθύννισται, id est, Si maxima vobis ita expuncta sunt. Adagium recensetur à Diogeniano. A thynno pisce Lucianus ioco deduxit verbum ἀποθυννίζεσθαι, pro eo quod est contemni, tanquam hic piscis vilis ac parui precij sit, quanuis eum alij valde cōmendent. Mihi non à piscis vilitate, sed potius ab eo quod fuscinis punctus capi soleat, vel quod œstro pungente exagitetur, verbum hoc factum videtur. Nostri etiam pungere dicunt pro eo quod est occulte vel dissimulanter verbis traducere, mordere. Θυννίζω καὶ ἀποθυννίζω, τὸ ἀποτέμνομαι καὶ παραλογίζομαι, Suidas & Varinus. Θυννάσαι, ἀπολαῦσαι, ἐνθουσιάσαι, Hesychius lego, θυννάσαι, (ν, duplici,) ἀπελάσαι, &c. Θυννοσκοπεῖν, Vide paulo ante in nominibus compositis deriuatis à thynno.

(Thunnicum enthymema.)

Propria.

Thynnus fuit filius Phinei ex Idæa Dardani filia vel Scythica quadam pellice, Scholiastes Argonauticorum Apollonij. Thynni, Θυνοί, nomen gentis, Suidas. Thynia, Θυνία, regio Thynorum, Stephanus. Θυνίδα γαῖαν Apollonius nominat regionem circa Bosphorum, in qua Phineus habitabat, vt Thraciæ regio sit quę Thynis, Θυνίς, appellatur, Varinus. Thyna est in Thracia locus, è quo thymum ab Hippocrate laudatur, vt scribit Galenus, Cælius. Thyni & Bithyni, Θυνοὶ καὶ Βιθυνοί, populi sunt vicini, sic dicti à duobus fratribus Thyno ac Bithyno filijs Phinei κατὰ ποίησιν, ἤτοι ποιητῶν καὶ θετῶν, id est adoptatis, vt Arrianus ait: qui eiusdem Phinei germanum filium facit Paphlagonem, à quo nominata sit Paphlagonia. Sunt qui Thynum & Bithynum Odrysi filios faciant, Eustathius in Dionysium. Et alibi: Arrianus tradit Thynum & Mysum filios fuisse Arganthonæ formosæ mulieris: quorum alter Thyniæ, alter Mysiæ regioni nomen fecerit. Cæterum Thunni (Θουῦνοι) vel potius Vnni (Οὖννοι) vt idem Eustathius scribit, Caspia seu Scythica gens est: quorum Simocatus in historia Oecumenica meminit his verbis: Vnni ad Septentrionalem tractum Orientis sunt, quos Turcas Persæ nominant, &c. Θυνιάς, Apolloniatarum ager maritimus legitur apud Strabonem lib. 7. Stephano insula est iuxta fauces Ponti Thynias, (quæ alijs nominibus Thyne, Thynis, & Thyneis dicitur,) & promontorium. Gentile Thyniadius & Θυνιάδιος. Straboni lib. 12. Thynia (Θυνία) insula est in fronte Bithyniæ. Νῆσον ὑπὲρ δολιχὴν Θυνηΐδα, Orpheus in Argonauticis. Placet autem per n. duplex scribi. Thyne vrbs Libyæ, Stephano: vnde Thynæus. Thynos, oppidum Ciliciæ, Plinio 5.27.

c. Aristoteles ait thynnidem esse ἀγελαῖον καὶ σκηπτικόν, (subaudi ζῶον,) Athenæus. Θυννοί ποτ' ἤδη οἶμον ἀνὰ Γαδείρων δρόμον, Theodoridas. Σφῦραι δὲ χεῖσθαι κἀπιχαλκεύειν λέγω Μύδρους, ὃς ἀστενακτὶ θυννὸς ὣς ἠνέσχετο (forte ἠνέσχετο) Α'ναυδος, Aeschylus apud Athenæum: videtur autem loqui de homine duro & Stoico, qui instar incudis vtcunque multos & magnos ictus experiatur æquo animo patienter & tacite toleret, & thynni instar (id est cuiusuis piscis, species pro genere) ne gry quidem contradicat.

e. Cetaria Plinio, locus vbi capiuntur thynni, vulgo ab Italis la tunnera vel tunnara, Scoppa. Ο'ν τὸν θύννων σκοπιάζεται Ο'λπις ὁ γριπεύς, Theocritus Idyllio 3. Non animaduertis cetarios cum videre volunt in mari thunnos, ascendere in malum alte, vt penitus in aquam perspiciant (*vt acutius prospiciant*) pisces, Varro citante Nonio. Thynno capto corium excludunt foras, occiduntque lupos, &c. Varro de lingua Latina. Quisquis aliquod scelus patrauit, obnoxius est supplicio: & eam quam ex improbitate percipit voluptatem illico escæ alicuius instar consumit: relicta autem in animo conscientiæ pœna, θυννὸς βολαῖος πέλαγος ὡς διαστροφεῖ, Plutarchus in libro De iis qui tarde à numine puniuntur. In Lexico vulgari Græcolatino βόλαιος quidam interpretatur impetuosum, irretitum: ego in senario iam citato pro βεβλημένος, quod est ictus, percussus, accepetim Thitini (*lego Thynni*) oculos, & pulmones marinos si quis triuerit, & consperserit in tecto domus sero, putabunt aspicientes se stellas videre, (&c. Vide supra in Corollario de Pulmone mar. pag. 761.) Kirandes.

f. Magna est diuersitas temporis, ἔνιοι τε κρείττων γίνεται θυννὺς βόαξ, Coquus apud Nicomachum. ---- ὥσπερ (de Congro loquitur) τοσοῦτον τῶν ἄλλων πάντων ὄψων κρατεῖ οὗτος, ὅσον περ θυννὸς ὁ πίων ἐστὶ τῶν φαυλοτάτων κορακίνων, Archestratus. Ο' μὲν γὰρ αὐτῇ ἡσυχῇ τε καὶ φύσει θυννόν τε καὶ μυττωτὸν ἡμέρας πάσας, Lysanias apud Athenæum. In Cotyis Thracum regis conuiuio appositas legimus θυννίδας ὀπτάς. Πρόσεστι θυννὸς τέμαχος, Antiphanes. Θυννοῦ κεφάλαιον, Callias. Οἵη δ' αὖ θυννοῦ κεφαλὴ θαλαμηιάδαο Νόσφιν ἀφειστήκει, Matron Parodus in descriptione conuiuij Attici. quid autem sibi velit patronymicum θαλαμηιάδης, quanquam carmē non satis constat hoc posito, diuinent alij. an ita cognominatur thynnus, quod in imis gurgitibus dormire sub saxo aut litore abditus, nimirum ἐν θαλάμῃ, id est cauo aliquo, soleat? aut quod multo tempore hyberno præaltis gurgitibus lateat? Κλεῖδες μὲν ὀπταὶ δύο παρεσκευασμέναι, Quidam apud Athenęum. & cum alius interrogasset, Α'ρα αἱ τὰς θύρας κλείουσι; respondit: Θυννοῦ μὲν οὖν στερνὸν βρῶμα. Μετὰ ταῦτα θύννων μεγαλόπλουτ' ἐπὶ σὲ πλεῖ Τ'πογάστρι' ὀπτά, Eubulus. Ο' πρῶτος εὑρὼν πολυτελὲς τμητὸν μέγα Γλαύκου πρόσωπον τοῦτ' ἀκύμονος (malim ἀμύμονος) δέμας θυννοῦ, τά τ' ἄλλα βρώματ' ἐξ ὑγρᾶς ἁλὸς, Νηρεὺς κατοικεῖ τόνδε πάντα τὸν τόπον, Anaxandrides. Τῆς τε βελτίστης μεσαῖον θυννάδος βυζαντίας Τέμαχος ἐν τεύτλου λακισοῖς κρύπτεται στεγάσμασι, Antiphanes apud Athenæum. Idem alibi θυννίδος τὸ ὡραῖον laudat, his verbis: Ο' μὲν ἀγρῷ τεθραμμένος, Θαλάττιον μὲν οὗτος οὐδὲν ἐσθίει, Πλὴν (lego πλὴν) τῶν παρὰ γῆν γόγγρον τινα, ἢ νάρκην τινά, Η' θυννίδος τὰ πρὸς τῇ γῇ (forte οὐρᾷ) τὰ κάτωθεν λέγω. Τούτους φάγοιμ' ἄν. τοὺς γὰρ ἄλλους νενόμικα Α'νθρωποφάγους ἰχθῦς.

h. Apud antiquas gentes de thynno & de anguilla rem sacram faciebant: quod pluribus ostendit Athenæus in septimo. & apud Persium Flaccum Cornutus grammaticus, quem Probi nomine quidam citant. Persius enim ita ait, Cauda natat thynni. Thunnos salsos (salsamenta simpliciter, Cælius) scribit Heropitus apud Phaselitas Cylabræ pastori sacrificari, Massarius. Antigonus Carystius author est, piscatores sacrum parantes Neptuno, quum tempestiua thynnorum captura est, si ea prospere successerit, captum thynnum ei sacrificare: & hoc sacrificium thynnæum vocari, Athenæus.

Sacrificium.

Amphi-

Amphilitus Acarnan vates ad Pisistratum accedens, hoc oraculum ei protulit: Ε'ρριπται δ' ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασται, Θύννοι δ' οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός. Laur. Valla transtulit. Est nummus proiectus, item sunt retia tenta: Nocte meant thynni claro sub sydere Lunę. nec animaduertit non esse legēdum ὀβολός, quod genus est numismatis: sed ὁ βόλος: quod præter sententiam vel accentus ipse eum admonere debebat. ὀβολὸς enim (sic nostri codices habent paroxytonum nomen) nihil est: ὀβολὸς verò numisma. ὁ βόλος, rete, & iactus retis. vnde βόλον περιβαλεῖν apud Plutarchum. Hoc oraculum acceptauit Pisistratus, & mox adortus Athenienses sibi subegit.

Thunnissare: Vide supra inter Verba deriuata, in H.a. Thunnicum enthymema, ibidem requires. Thynni more videre dicuntur, qui limis aut altero oculo obliquè inspiciunt. Potest & ad eos referri qui acriter ac diligenter inspiciunt. Persius, Non secus ac si oculo rubricam dirigat vno, &c. Erasmus Rot. sed posterior interpretatio non placet: neq; quod in Æschyli versu παραβαλών interpretatur admoliens. παρὰ enim in hac compositione obliquum aliquid & detortum significat. Eustathius eundem Æschyli versum (Τὸ σκαιὸν ὄμμα παραβαλὼν θυννὸς δίκην) recitans, addit: Sic & Λιταὶ παραβλῶπες, ἤγουν στραβαὶ καὶ ὄμματα παραβάλλουσαι dicuntur. Vide supra in C. vbi de migratione ipsorum scribitur.

Prouerbia.

COROLLARIVM V. DE ORCYNO.

A De Orcyno dicta quædam in pręcedentibus, forte hic etiam repetentur, non tamen omnia. Quisquis sane totam thynnorum historiam plene perspectam habere cupit, non singula de singulis capita, sed omnia legat atq; inter se conferat oportet. Oppianus & Aristoteles de thynno & orcyno diuersos ne an eiusdem generis pisces existimarint, non satis declararunt, Saluianus. at quoniam idoneos alios authores habemus, vt Sostratum & Archestratum, qui harum rerum cognitionem professi, thynnum maiorem orcynum vocari disertè scripserunt, eis assentiendum arbitror. Orcynus nomen in plerisque codicibus Græcis vulgatis scribitur ὄρκυνος, per o. breue spiritu tenui: apud Athenæum verò quanquam similiter scriptum reperitur, semel aut iterum puto, frequentius tamen aspiratur. & sane grammatici cum o. ante ρ. attenuari doceant, cum alia quædam excipiunt, tum quæ κ. vel α. post ρ. habent vt ὀρχίζω, ὀρμος, ὁρμαθός, ὁρμῶ, &c. quibus etsi ὄρκυνος addendum conijcio, promiscue tamen modo horcynum scribam, modo orcynum: hoc pro cōsuetudine & Aeolica dialecto, illud vt grammaticis etiam aliquid tribuam. in citandis quidem authorum verbis, vt inuenero vbiq;, sic reddam. Apud Hesychium & Varinum aspiratur. Heracleon Ephesius thynnum ait ab Atticis horcynum dici. Θύννοι, τὸν ὄρκυνον, (melius per υ. in penultima:) τὴν δὲ πηλαμίδα, θυννίδα, Hesychius. Apud Aristotelem historiæ. 5.10. legitur ὀρκυνίας (*vbi Gazæ translatio habet, Orcynæ*) paroxytonum, tanquam à recto in υν oxytono. quod si demus rectum bissyllabum in υν: nam & κήρυκας, μῦας, ὄρκυνας Anaxandrides dixit, non tamen oxytonum illum, sed paroxytonum faciemus, vt Φόρκυν. Archestratus horcynum ait esse thynnum magnum, & alicubi etiam κῆτος nominari: Sostratus verò κῆτος vocari thynnum qui iam horcyno maior ad summum peruenit incrementum. Κητῶν, θύννων φορά, Hesychius. Orcyno idem videtur Apolectus alias dictus: item Melandrys, Melanthynus, Elacaten: de quibus omnibus leges supra Corollario I. de Thunnis. Gaditanū salsamentum Hippocrates nominans, ex Orcyno intelligit. Vide infra in F. Lampugam, aliqui antiquo nomine orcynum appellant, Cardanus. Rondeletius lampugam vulgo dictam glaucum esse ostendit. Massilienses cetaceum quendam piscem vocant organam, quem cum non viderim, iudicare (non) audeo esse orcynum, Gillius. Ego in Italia olim Borbor piscis cetacei vulgare nomen esse accepi, qui alibi l' organo, & Græcis hodie similiter, dicatur: delphino similem (*parem potius, quod ad magnitudinem*) esse. hic an sit orcynus quærendum. Ligures quidem cuculum piscem, organo vocitant: & channam Niphus scribit ab Italis vulgo dici orcana, (*prima nimirum syllaba abundante.*) Germanicum nomen quæres supra in Corollario de Thynno.

Vulgaria nomina.

Orcyni pisces sunt pelagij Oppiano. Orcynes in alto (in pelago) fœtificant, Aristoteles. Dorion author est orcynos è mari quod ad Herculeas columnas est, (*Oceano*,) in nostrum (*Mediterraneum Græcæ*) mare venire. Ideoq; plurimos capi in Iberico & Tyrrheno mari: & inde per reliqua maria dispergi, Athen. Idem de maioribus thynnis Oppianus canit. nempe quod ex Oceano per fretum Gaditanum & columnas Herculis ingrediantur mare mediterraneum. C

Quomodo hamum euadant orcyni, proximè in E. dicetur. D

E Orcynus cetaceus piscis prouidens est: & natura, non arte, quæ sibi maximè conducant, intelligit. Itaq; quum hamo transfixus fuerit, in maris altitudinem seipsum impellens ac deprimens, ad solum allidit: & hamum oris pulsatione expellere cupit: quod si id minus fieri queat, ab hamo exceptum vulnus luculentius infert, dilatatq;: atq; exiliendo id quod sibi molestiam exhibet, expuit abijcitq;. Sæpe verò id non assecutus, inuitus ad piscatoris prędam subtrahitur, Ælianus de animalibus 1.40: ex Oppiani Halieuticorum 3. Orcynus inescatur onisco, (id est asello) Oppianus. Anthiam piscem captum hamo, qui funi alligatus fuerit, quanta vi & contentione piscatorum extrahi oporteat, in eius historia ex Oppiano diximus. Tale (inquit idem poeta) robur etiam Callichthys habet, & Orcynus, alijq; pisces cetacei, & talibus capiuntur brachijs.

F De horcyno quædam quod ad cibum leges supra etiam in Thynni Corollario. Anaxandrides in Cotyis Thracum regis conuiuij descriptione ὀρκύνας nominat. Horcynus cœnosus (βορβορώδης) est, & maior tam sicca est carne, quam chelidonias. abdomen eius & clidium (ἡ κλεὶς) ori grata sunt, & tenera, quæ verò costæ dicuntur (οἱ δὲ κοσταὶ λεγόμενοι) salitę, mediocres sunt, Diphilus. Xanthias aliquatenus virosus est & tenerior horcyno, Idem. Orcyni carnem tradit Xenocrates stomacho ingratam, maliq; succi & aridam esse: abunde nutrire, nec facile per aluum excerni, Vuottonus. Orcynus an melior vetustate sit, quod Plinius scribit, Rondeletius & Saluianus non approbant, leges supra in Thynno F. vbi etiam de Melandryis scripsimus. sic appellantur thynni partes concisę, quernis assulis similes, quæ & ex orcyno fieri solebant. Hicesius tradit orcynos qui capiuntur in Gadiris, (*Gadibus*,) pinguiores esse: post hos autem, in Sicilia, qui verò longe ab Herculis columnis, macros, (ἀλιπεῖς,) eo quod magnum

iam ſpacium natando confecerint, (ἐκνεῦχθαι, *lego* ἐκνενῦχθαι.) In Gadibus quidem clidia per ſe ſaliuntur, ſicut & antacęorum maxillæ & palata. Melandriæ etiam dicti ex eis (orcynis) inueterantur. Hiceſius abdomina eorum quod pinguia ſint, multo cæteris partibus ſuauiora eſſe inquit: clidijs tamen inferiora, Athenęus. Τὸνιον δ' ἀνὰ κῦμα φυγὼν τὰς Ἡρακλείους ἔξω βέβηκε, γλῶσσαν καμπυλόν, ἢ ἐξ ἀγαθοῦ ταῦτα· ὀρκυνίοισι τε ἰγνύα, τάτ' ἐν ἁλμυροῖσι πεφύκασιν ἀμφὶ γάδειρα δειπνοῖσιν * ὀκηδές, Heſiodus apud Athenæum lib. 3. videtur autem de Archeſtrato intelligere, quiſquis hunc poetam Heſiodum appellauit, potius quam Euthydemo vt Athenæus ſuſpicatur, oblitus (quod alibi dixerat) Archeſtratum, Heſiodum opſophagorum vocari ſolitum. Eſt autem ſenſus iam citatorum carminum: Brutium, aut Campanum aut Tarentinum aliquem mercatorem è Gadibus per Ionium mare nauigantem triangula orcyni ſalſamentorum fruſta cadis rite (alternis) diſpoſita, ad locupletanda & exhilaranda conuiuia afferre. Orcyni igitur cum per fretum Gaditanum aduehantur, atque illic habeantur optimi & pinguiſſimi, ſalſamenta ex eis Gaditana cognominari puto. Si hydrops à ſplene fuerit, æger obſonium habeat ſalſamentum Gaditanum, aut ſaperdam, Hippocrates in libro de internis affectionibns. Βυζάντιον πέμαχ· ὑπὸ Θρᾳκῶν οὕτω, Γαδειρικὸν δ' ὑπογάστριον παρεσίτα, Nicoſtratus. Τάριχ· Ἀντικαῖον εἶπε βαλεῖ', ἢ Γαδειρικοῖ, Βυζαντίας δὲ Σωνίδ· Ὀσμαῖσι χαίρει, Antiphanes.

Salſamentum Gaditanum.

H. a. Ὄρκυνι· aliquoties Oppiano penultimam producit, quam Archeſtratus corripuit. Θυΐνῳ· ἁλισκόμενον· ἀπὸ δὲ μέσης, ἃ καλέουσιν Ὄρκυνοι· ἄλλοι δὲ αὐχένι· τὸ τέτε (*partem huius*) δὲ θεοῖς χρὴ ὀπωπεῖν. Καισὺς Pergæis orcynum ſignificat, Heſychius & Varinus.

Epitheta.

Ὄρκ. νοι μεγακήτε, & Καὶ ἑρπετῶν· ὀρκυίων ῥηθέν. leguntur apud Oppianum.

Nomina aliquot ſequentia ante Thunnos ponis debuerant.

THEDO. Vide in Corollario de Capitone A. nam Bellonius Thedonem Auſonij putat eſſe piſcem illum, quem nos Capitonem fl. nominauimus.

THETTA. Vide in Corollario Alauſæ.

THRASSA vel Thratta. Vide in Corollario de Alauſa.

A THRISSA Græcis eſt is piſcis, quem Latine quidem clupeam vocant, recentiores etiam alauſam, de quo multa diximus elemento A. in Alauſa. Thriſſam aliqui vocant clupeam, alij dicunt quod ſit triche us, Kiranides. Συμπίζει παρὰ λαρίοις μὴ περδικίων καὶ θρισσιδίων, Anaxandrides apud Athenæum. ſed legẽdum eſt θρισσίδ' ἐδῶν, vt apparet ex alio loco, vbi Athenæus ſcribit Anaxandridem θρισσίδιον diminutiuum facere à θρισσὶς. Haud ſcio an idem ſit piſcis qui Lopia (corrupto nomine forſan à clupea) ab Arnoldo Villanouano vocatur in Regimine Salernitano: Inter piſces (inquit) dulcis aquæ, conſideratis prędictis conditionibus, perca & lucius mediocris primum gradum bonitatis obtinent, modo ſint pingues: deinde vendoſia, demum lopia. Thriſſis omnino cognati videntur piſces, qui à Germanis ad Albim fl. dicuntur Zigen, item qui Serten, quorum icones & hiſtorias ad finem huius voluminis dabimus.

B Clupea maior eſt in Oceano, in mediterraneo ſquatina, Scaliger.

F Clupea piſcis quantum Romę carnis & mollitudine & bonitate præſtat, tantum apud Venetos vilior, plebeiuſque habetur, vt qui in eiuſmodi ſtagnis minime pingueſcat, ſpinarum verò multitudine atque denſitate faſtidio ſit, Pierius Valerianus.

G Thriſſa paſſa in cibo ſumpta, dyſuriam ſanat. cremata quoque & cum vnguento irino inuncta, capillos bonos & multos facit, cadentes ſiſtit. Aſſa in cibo colicis & ſtomachicis prodeſt, Kiranides libro 4.

H.a. In Arari Gallię fluuio creſcente Luna candeſcit, decreſcente nigreſcit, &c. (*vt recitauimus in Corollario de Alauſa* A.) Quod ſi hic piſcis Ægyptijs innotuiſſet, nimirum Lunæ eum hieroglyphicum poſuiſſent, Pierius Valerianus. qui ſi ſciuiſſet Græce hunc piſcem thriſſam vocari, eoque nomine à Strabone inter Nili piſces cenſeri, Ægyptijs ignotum fuiſſe non exiſtimaſſet.

THRYMIS Θρυμὶς, piſcis quidam, Heſychius & Varinus.

THVRSIO, (vel, vt alij ſcribunt quod minus placet, Turſio ſine aſpiratione,) & THVRIANVS tomus quid ſit, leges ſupra in Corollario Gladij A. pag. 342. Huius piſcis (*Canis Carcharia*) pars eſt etiam qui à Romanis thyrſio (θυρσίων) vocatur, ſuauiſſimus ac lautiſſimus vel tenerrimus, ἁβδὸς· καὶ τερψιφεγγέστατος·, Athenęus lib. 6. Kiranidi memoratur etiam thyrſites piſcis, ſimilis pelamydi: is forte Trichias vel Trichites dici debet. vt vocabulum in noſtro codice ſit deprauatum, ſicut & thyrſa, pro thriſſa, & alia pleraque. Turſiones, delphini, & reliqua cetacei generis, corio duntaxat integuntur, non etiam pilo vt hippopotami, Plinius 9:12. Et prius capite nono: Delphinorum (inquit) ſimilitudinem habent qui vocantur turſiones. vbi Maſſarius, Quidam (inquit) legunt torſiones: ſed male, cum legendum ſit turſiones, cum ex vetuſtis codicibus, tum etiam Theodoro, qui pro phocæna apud Ariſtotelem (hiſtoriæ ſexto & octauo) turſionem & tyrſionem conuertit. Iſicia de turſione deſcribit Apicius 4.2.

DE (THYMALO SEV) THYMO, RONDELETIVS.

A B TICINVS Italiæ fluuius Thymum ſpectatu digniſſimum piſcem procreat, à Thymi odore ſic nominatum. Is cubiti magnitudinem æquat. Capite eſt paruo pro corporis ratione, varijs coloribus diſtincto, quod recens Thymum odore refert. Ventre eſt prominentiore, corpore cæruleo. Pinnas duas habet ad branchias, duas alias inferiore in ventre, à podice vnicam. In dorſo prior magna eſt, quæ rubeſcit, punctiſque nigris notata eſt. Cauda in duas latas deficit.

Prouna

Pro vna Thymalli icone à Rondeletio exhibita, duas noſtras poſuimus, vnius quidem piſcis, ſed à diuerſis pictoribus non vno tempore nobis expreſſas. In vtraque lineam quæ à branchijs ad caudam deſcendit, deſidero. &c.



DE EODEM, BELLONIVS.

A B In Ambra fluuio Italiæ Melignanum octo à Mediolano ſtadijs alluente, Thymalum piſcem capiunt, in qua maior non euadit, quam qui ſequilibram ad ſummum pẽdeat. Truttacei generis eſt, apprime delicatus, quem vulgus Themerum vocat: atque hunc auri arenulis ac ramentis in Ada flumine veſci autumat.

C Omnes eius pinnæ atque ipſum corpus quodammodo truttam referunt. Latera liturис nigris ac frequentibus ſuggillata, vt Carpio. Lineas rectas in ſquamis vt Myſtus habet. Caput in acutum tendens, vt in Stregis vel Souettis ſit. Pupillam oculi minus rotundam: branchias valde ſimplices, vtrinq; quatuor. Linea quę eius latera ſecat, à ſuperiori branchię angulo ſpineo oritur, & recta ad caudam prætenditur. Linguam oſtendit albam: dentibus caret, imo ne vllis quidem ipſorum rudimentis præditus eſt. Pedis longitudinem non excedit, nec trium digitorum latitudinem. Mediocris magnitudinis Myſtum refert. Pinnas habet ſubflauas, ventrem pallidum: tergus ex liuido in opacum tendens. branchias vt Harengus vel Sardina, ſolidioribus barbulis obſeptas: quę etiam ad fauces circa orificium Oeſophagi aſperitatibus horrent, vncinatiſq; oſſiculis conſtant, vt in piſcib. mar. dictum eſt, quibus cibum recipit, quem in ſtomachum demittat. Multa pinguedine omnia eius inteſtina obuoluuntur. Cor tam exiguum habet, vt ne quidem cor ei ineſſe credatur. vnicus eſt hepati lobus, ſtatim vbi gula finit ſtomachum amplectens, in quo exiguum fellis rudimentum vix apparet.

Cibus.

C Vescitur non auro (vt pleriq; putant) sed (vt approbat Aelianus) insectis aquatilibus, deiectamentis, millepedibus, pediculis, caridibus, pulicidibus aquaticis ac terrestribus: ego scarabeum terrestrem alias in eius ventriculi fundo reperi.

B Apophyses plures ex pyloro dependent, à quo statim sequitur intestinum vnum gracile, rotundum, quod ad rectum tendit, in quo excrementa recipiuntur, & ad anum deferuntur. Lien ei tam magnus fere est, quàm hepar: quod in nullo alio pisce vnquam videram: oblongus, rubra pinguedine mixtus. Folliculum vero piscium natationi accommodatum plenum perpetuo vidi in hoc pisce, ac per spinam delatum.

COROLLARIVM.

A Gillius ex Aeliano Thymum piscem nominat, non recte. nam Aelianus de animalibus libro 14. cap. 22. Thymallum appellat, Θύμαλλον. Piscem thymallum (inquit) sic nuncupatum Ticinus fluuius Italiæ procreat. is ad cubiti magnitudinem accedit, & lupi cephalique communem & mediam speciem similitudinemque gerit. Eius capti odor non indignam admirationem habet. non enim vt cæteri pisces pisculentum quendam mittit odorem: immo verò existimes te eius gentilem herbam, recentem ex terra lectam manibus tenere. Tanta sane odoris suauitate fragrat, vt qui eum ipsum non videt, gratissimam Apibus herbam, vnde nomen duxit, in manu latere putet. *(Odor thymi)* De eodem diuus Ambrosius Hexaemeron lib. 5. c. 2. Neque te (inquit) inhonoratum nostra prosecutione Thymalle (*Erasmus Rot ex Ambrosio legit Timalli*) dimittam cui à flore nomen inoleuit: seu Ticini vada te fluminis, seu amœni Athesis vnda nutrierit, flos es. Deniq; sermo testatior, quod de eo qui gratam redolet suauitatem, dictum facete sit, Aut piscem olet aut florem: Ita idem pronunciatus est piscis odor esse, qui floris. Quid specie tua gratius? quid suauitate iucundius? quid odore fragrantius? Quod mella fragrant, (*Alludit ad hoc Vergilij Redolentq; thymo fragrantia mella,*) hoc tu corpore tuo spiras. Branchijs thymum olet, Cardanus. Adipem piscatores seruant, quem suaue quiddam olere testantur, Gillius. Piscatores, noctu præsertim, cum in ripis aut nauiculis sunt, suaui quodam & singulari odore hausto, thymallos pisces priusquam videant, adesse cognoscunt. Vt thymallus herbam à qua denominatur, sic epelanus à Gallis dictus violas redolet. Sunt & viscera quorundam, quia pinguia, grata: velut sturionum, balænarum, delphinorum. nam non solum sapore, sed & odore quasi violæ commendantur, Cardanus. Nunc quidem thymallus piscis thymum redolere non videtur: verè tamen suauius quam pisces reliqui olet, Saluianus. Thymalum Gillius l. simplici scribit sed Græci codices Aeliani duplicant, sicut & diuus Ambrosius. Videri quidē poterat à thymo denominari thymalus: sicut à physa, physalus in ίλος quidē per iota, deriuata omnia l. simplex habere puto, vt ὀργίλος, ναυτίλος: per ypsilon vero, alia simplex, vt ὀσμύλος, Σιμύλος: alia duplex, vt Βάτταλος, Δέρκυλλος. & similiter in αλος, alia simplici l. scribi, vt φύσαλος, ἴαλος, θύμαλος. (quanquam recentiores aliqui tithymallum scribunt:), εὐγλαγέας θυμαλίδας Nicander dixit, pro τιθυμαλίδας: alia gemino, vt κρύσταλλος. *Vulgaria nomina.* Tunallus & Titimallus pro thymallo corrupta sunt nomina in Alberti & Isidori libris. Recentiores quidam scriptores, præsertim Itali, vulgare Italicum nomen tanquam Latinum protulerunt: temulum, temolum & temelum scribentes, vt Platina, Sauonarola, Gainerius, & alij. Grapaldus nullam in veterum scriptis memoriam extare temuli miratur. Ab Italis vulgo dicitur Temolo: sed per alias etiam vocales penultima ab eis effertur, locis nimirum diuersis, Temalo, Temelo, Temolo. & pro l. in vltima aliqui proferunt r. Ticini accolæ vulgo Temerum siue Temelum nuncupant, Gillius. Temaro quidam dictum conijciebat ab Italis, quod stolidus sit piscis, ac temere facileq; capiatur. ego prorsus à thymo vel thymallo sumpta vulgaria omnia eius apud Italos nomina arbitror. Sabaudis Vmbra, vulgo Ombre vocatur: & Anglis etiam alicubi, ni fallor, *an Ombe*. Vide infra in Anglici nominis mentione. Albertus Magnus etiam libr. 7. de animalib. Thymmallus (inquit) est qui vocatur vmbra. addit piscem esse salubrem, pinguem, & locis saxosis degere: quæ omnia thymallo nostro conueniunt. Fluuiatilis quidem vmbræ Ausonius tantum meminit, hoc versu: Effugiens oculos celeri leuis vmbra natatu. *Vmbra fl.* Rondeletius & Bellonius Vmbram fl. à thymallo diuersam faciunt: neque vllius inuicem similitudinis meminerunt. Mihi quidem si non vnus est piscis, (aliā enim fluuiatilem vmbram præter thymallum nondum vidi. nec vnum esse aio, sed inscitiam meam fateor) omnino specie naturaq; cognati videntur: quod vtriusq; historiam conferenti patebit. Referemus autem illorum de Vmbra fl. scripta, quemadmodum & de marina in v. elemento. Saluianus in marina vmbra carmen Ausonij citans, Effugiens oculos c. l. u. n. Vmbra (inquit) vel à colore liuenti dicitur: vel quia celeri suo natatu oculos effugiens, vmbra piscis potius, quam verus piscis intuentibus appareat, quę quidem eius coniectura erudita est, sed ne marinam cum fluuiatili vmbra confundamus cauendum.

Thymallum Germani vocant *ein Aesch*, vel *Asch*, eodem nomine quo cinerem: à colore, vt puto, qui in hoc pisce minus quam cæteris plerisque squamosis candidus aut argenteus est, sed magis cinereus, & punctis aspersus nigris, vt cinis carbonum particulis aut fauillis nigris. Nomina pro ætate mutat. Nostri primo anno nominant *Kresling* vel *Gresling*: quod nomen etiam gobioni fluuiatili attribuunt, è quo thymallum fieri quidam falso putant. discernitur quidem facile, cum alias, tum quod thymallus vtcunque paruus pinnulam in dorso posteriorem paruam ostendit; sicut truttarum genera: qua gobio fl. semper caret. Anno secundo, *ein Knab, ein Yser oder Iserle*. Tertio *ein Aesch*. In Rheno circa Scaphusiā anno tertio audio vocari *ein Mittler*. quarto demum *ein Aesch*, vel *Aescher*, cum parere incipit. Nostri quidam piscatores thymallum paruum etiam alio nomine appellant *ein Koerling oder Churling*. Qui Germanice dictum *Aeschen* piscem fluuiatilem, Phagron interpretantur, qui marinus tantum est, longe aberrant. Est in Anglia piscis à trutarum forma non multum abludens, quem à colore cinereo vocamus *a Graylyng*. eundem audio alicubi *Omber* nominari. idem, nisi fallor, piscis est, quem vos vocatis *ein Aesch* Guil. Turnerus in epist. ad me. Thymalli Bohemicum nomen est Lipan, Polonicum Lipienn.

B Thymallum Ticinus fluuius Italię procreat, Ælianus. Est apud nos frequens in Abdua (alias Addua) & Ambra fluminibus, quorum aquæ maxime pellucent. Ambra Mediolano proximus est fluuius, Cardanus. In Rheno pauci reperiuntur. in Limago nostro, & plerisque alijs qui ex Alpibus oriuntur fluuijs, satis frequentes. Floha fluuius in Misena abundat hoc pisce, Ge. Fabricius. De suaui huius piscis odore, leges superius in A. Thymallus, vt Ælianus scribit, lupi & mugilis communem & mediam speciem similitudinemque gerit. Oblonga enim corporis forma, pinnarumque numerus, & situs, ei, cum vtrisque conuenit: etsi propius ad mugilem accedat. Estque specie sua decorus, oculis nanque grata (subuiridis nempe ac subcœrulei) colorum varietate, pulcherrime depictus conspicitur. Ventriculū habet mediocrem: intestina crassiuscula, pinguedine multa conuoluta: hepar subalbidum, lienem subrubrum, felle caret. Cum maxime augetur, Æliano teste, ad cubitalem magnitudinem excrescit: etsi, qui crebrius capiuntur, minores sint, libramque non excedant, Saluianus. Squamæ in hoc pisce, singulę fere ῥομβοειδεῖς sunt, hoc est rhombi figuram imitantur. latera enim earum vtrinque, circuli segmētum referunt, supra vero infraque in cunei acumen tendunt: quod in iconibus nostris non est expressum. Longitudo ad latitudinem fere quincupla est, cauda etiam computata: hæc enim scribens in manibus habui huius generis piscem digitos longum quatuordecim, latum tres. Rondeletius latiorem magisque ventrosum pinxit quam par est. Dorsum ei fuscum vel subcinereum. linea recta à branchijs ad caudam: & prætereà per totum corpus lineæ multæ apparent, singuliq; inter singulos squamarum versus, non rectæ, sed innumeris veluti arcubus minimis triangulis vndatæ: quod veluti operosum pictores nostri non indicarunt. Os aperitur non longo, sed quadrato fere hiatu. Pinna dorsi maculis multis pulchre variatur: infra partim nigris, partim subrubentibus, supra rubicundis tantum. Pro dētibus, inferius superiusque labrum exasperatur, limæ instar, introrsum. Lauaretus Gallice dictus piscis, ossicula ad fauces atq; œsophagi ingressum vtrinque habet, senis hinc inde denticulis, vt in Themolo cō munita, Bellonius. ego in nostris thymallis & lauaretis seu albulis nihil dum tale reperi. Branchiæ ei sunt quaternæ. Felle non caret thymallus noster, sed flaui vel subaurei coloris id habet: quamuis Saluianus felle carere hunc piscem putat: Bellonius exiguum fellis rudimentum in hepate eius vix apparere scribit. Splen nigricat fere in nostro, Saluianus subrubrum facit. Latera modo pluribus, modo paucis punctis & lituris nigris temere asperguntur. vidi in fine decembris aliquando singulis tantum vtrinque ad branchias lituris insignem: & dum hæc scriberem, alium initio Iunij, vno aut altero puncto vix apparente.

C Fallitur Albertus hunc piscem marinum esse scribens. Pisces lapidosi, pinguiores & salubriores sunt, vt thymallus, trutta, Albertus. lapidosos autem vocat, qui in aquis saxosis & puris degant. Apud nos in montanis & præcipitibus quoque fluuijs ac riuis (magis quam vlli alij pisces, truttis tantum exceptis) capiuntur plerisque, minoribus præsertim. puras enim (vt diximus) frigidas & saxosas, rapidasque amant aquas. In magnis fluminibus rariores sunt: subeunt tamē hęc quoque è minoribus & riuis: vt & lacus quosdam, Larium, Lemannum, Acronium, vt audio: & nostrum quoque Tigurinum, ni fallor. In lacubus quidem circa saxa reperiuntur, præsertim minores huius generis pisces. Thymalus in fluminibus tantum nascitur, degit, atque capitur: neque in eis quidem omnibus aut quam plurimis: sed solum in Ticino, in Athesi, in Addua (alias Abdua) ac aliquando in Pado, nobilibus Galliæ Transalpinæ fluuijs. vnde mirari oportet, quod præter diuum Ambrosium Transalpinæ Galliæ alumnum, atque Ælianum genere Italum, Prænestinum nempe, (etsi Græco vsus sit sermone,) reliquorum veterum nemo de hoc pisce pertractauerit, Saluianus. Piscis est viuax & validus pro sua magnitudine, etiam extra aquam iam captus. *Pisces chrysophagi.* Auro thymallum vesci aiunt, quod & de vmbra fluuiatili scribit Rondeletius: & vulgo etiam de alijs quibusdam piscibus referunt, vt carpione Benaci, & truttis quibusdam lacustribus quas Vmblas vocant Sabaudi: & Galli de Lauareto suo: quibus etiam Emblonem quendam Gallis aut Sabaudis appellatum Bellonius adnumerat in Singularibus suis. Sed singulorum (inquit idem) ventriculis dissectis, inspectisque curiosius interaneis, non auro, sed alijs (peculiaribus) cibis eos viuere deprehendi: Sic ille. Fieri quidem potest vt aliquando minutulæ quædam auri micæ ab his deuorentur, appetentibus forte propter splendorem: sicut & calculi quidam splendentes & arenæ ab auibus deuorantur: imprimis quidem à thymallis, qui in fluuijs montanis & auriferis degunt. ego hos pisces alia ratione χρυσοφάγους, id est auriuoros putarim, quod cum lautiores maiorique in precio sint, opsophagorum quorundam aurum consumant, & loculos exhauriant. Ælianus negat alia quam culice (quem Græci conopen vocant) esca thymallum capi, vt in E. referemus. Piscatores quidam hunc piscem quarto demum anno, cum iam propriè *Aesch* à Germanis vocatur (vt in A. dictum est) parere retulerunt, Martio mense & paulo ante. Saluianus tamen Septembri mense, libidine eum agitari scribit.

D In Acronio lacu genus anatum aut potius mergorum est ceruicibus proceris, pedibus nigris domesticis anatibus maius, quas à thymallis deuorandis, *Aeschenten*, id est θυμαλλοβόρους appellant.

E Retibus facillime capitur: non item hamatis escarum illecebris, non adipe suis, non serpho (*insecto aut verme simili formicæ vel culici,*) non chama, non alterius piscis intestino, non denique strombi collo, (στρόμβου τένοντι, *callo vel spondylo strombi,*) sed solo culice (κώνωπι) improba sane bestiola, & noctes diesque homini tum morsu tum strepitu suo molesta, quod hac sola delectetur esca, comprehenditur, Ælianus. Solo culice, (&c.) Æliano authore, capitur thymallus. Verum cum id nec scriptores alij, nec nostrę ętatis piscatores afferant, nequeatque culex ob suam paruitatem hamis affigi: quanta in hac re Æliano fides habenda sit, haud scimus. Nec etiam Raphaeli Volaterrano scribenti: Thymalus ad hamum non accedit, cum non alium sane cibum sectetur quam thymum herbam, qua viuit: plene credendum est: cum falsum sit quod thymo, & non alio vescatur cibo, cum pisciculos etiam edat: quodve hamo capi non consueuerit: cum (vti experientia ipsa edocet) & hamis & retibus capiatur: cæteris quidem anni temporibus rarius, Septembri verò mense frequentius: propterea quod eo tempore Venereo agitatus stimulo, huc atq; illuc imprudenter excurrat, Saluianus. Lampredis minimis, quibus vulgare nomen oculos nouenos tribuit, hamo infixis anguillas & thymallos capi audio. Plumis Meleagridum pro esca

Truttas & Thymallos pisces.

additis hamo thymallum facile capi, à viro quodam erudito nuper cognoui, qui Italis etiam inde Temaro vulgo nominatum suspicabatur, quod facile temereq; caperetur hic piscis. Esca ad truttas & thymallos abunde capiendos: Gallinam nigram excauabis, & immittes tria ouorum lutea, croci quantum est pisum: & foramine rursus consuto gallinam in fimum equinum abdes per tres aut quatuor dies, donec putrescat & vermiculi flaui in ea appareant. De his vnum cum piscari libuerit, in hamum infiges: reliquos vasculo inclusos seruabis. Rem miram experieris, Ex libello Germanico De inescationibus piscium. In piscatorijs legibus nostris cauetur, ne eo genere hami, quem *Polangel* appellant, thymalli capiantur. Piscatores ex singulari quodam vel circa ripas odore thymallos præsente nosse, supra in A. diximus. Callidi quidam piscatores ex plumis auium diuersis anni temporibus diuersa vermium & volucrium insectorum genera mentiuntur, & hamis tanquam escam addunt: pro thymallis quidem genus muscæ effingunt (Aprili mense, puto) ex pennis perdicis, capite rubente; corpore & alis candidis, è pennis (itidem) perdicis de ventre. Maio autem mense muscam repræsentant corpore partim è candido partim nigro serico contexto alternis, capite cœruleo, alis verò è dorso cornicis variæ, quam nostri à nebula denominant. Iunio deinde effingunt de pennis è cauda ardeæ fuscæ (*alas, aut caput, aut vtrunq; non enim exprimitur in libello Germanico manuscripto, cuius verba interpretor:*) corpus verò viride de pennis è pectore anatis syluestris. Iulio autem corpus è serico cœruleo formant, caput è nigro serico: & alas addunt de pennis è ventre cornicis variæ quam à nebula denominant. Augusto corpus faciunt de pennis alarum gruis, (*alas*) è pennis perdicum: caput viride. Demum Septembri corpus è cœruleo serico concinnant, caput e rubro: & alas è pennis de dorso cornicis variæ (quam diximus) affingunt.

In Bauaria thymallos tredecim fere digitis breuiores capi lex vetat. Sunt qui thymalli adipe ad pisces illiciendos ita, quemadmodum ardeæ, vtantur.

F

Temulus piscis est optimus, & is maxime qui ex Abdua (alias Addua) capitur, Platina. In citeriore Gallia prima siluro (*sturion*) Padano palma conceditur: secunda truttis & temolis è Ticino, Gaudentius Merula. In Ticino, in Athesi, in Adduave captus (nam qui in Pado capitur, multo inferior est) (tenerrimus ac sapidissimus omnium fere fluuiatilium piscium censetur, vti diuus etiam Ambrosius testatur. vnde non immerito pluris, quam quiuis alius piscis venditur, vbi haberi potest. Et maxime Maio mense in quo quidem rarior capitur, sic longe suauior existimatur. Maiorem nonnulli, minorem verò alij celebrant, Saluianus. An maiores, quia pinguiores, eo nomine suauiores quibusdam videntur? ego mediocres prætulerim. Circa Albim fluuium truttis eos præferri audio. Piscium alij alijs partibus magis commendantur, thymalli verò & truttæ vndiquaque. Sunt tamen qui tunicam interiorem huius piscis, ceu cibum summe Apicianum prędicent: de quo Antonius Schnebergerus meus ex Polonia me admonuit. Saluianus, vt proximè retro dictum est. Maio mense præcipuè commendat: alij ab initio Martij vsq; ad Septembrem: quo quidem mense, secũdum Saluianum, libidine accenduntur. alij Iulio mense primum laudare incipiunt, ita vt autumno deinde optimus sit.

Pirunt es.

Fluuiatilium piscium optimi sunt qui in rapidissimis degunt fluuijs, vt Pyruntes. hi enim non nisi in rapida & frigida aqua viuunt: & præ cæteris fluuiatilibus faciles sunt concoctu, Mnesitheus. quanquam autem pyruntas pro truttis accipio: eadem tamen hęc de thymallis, & iustius etiam quod ad salubritatem, & concoctionis facilitatem, similiter accipienda censeo. Pisces lapidosi (inquit Albertus) pinguiores sunt & saniores, (*saxatiles pro salubribus Albertus & eius seculi scriptores accipiebant,*) sicut trutta & thymallus. Nutriunt mediocriter thymalli, boni sunt succi, & facile concoquuntur, Saluianus. Nostri etiam ægrotis hos pisces non denegant. De piscium vsu in tenui victu, præcipuè lucij, temoli, &c. quæ Aloisius Mundella literis mandauit, supra in Lucio recitaui. Hecticis conceduntur pisces aquæ dulcis, parum petrini (*si loquebatur illa ætas*) communiter vocati striguli, lucij, temuli, &c. sed raro, Gaynerius. Temali parui sine viscositate sunt, plurimum exercentur, olent & sapiunt optimè, vt saluberrimi sint habendi, Mich. Sauonarola.

Saxatilum loco.

Mihi quidem thymalli, saxatilium piscium marinorum loco præ cæteris aquarum dulcium piscibus (vel omnibus, vel ijs qui apud nos sunt) in cibum dari posse videntur: quod carne similiter vt illi, neque dura, neque viscosa sint, ac simul in saxosis aquis degant & plurimum exerceantur, &c. Post eos albulas lacustres, pręsertim quæ media magnitudine sunt, & albulæ priuatim à nostris vocantur: tertio truttas vel vmbras illas lacustres quas à rutilo colore nostri denominant, saxatilium loco posuerim, ex nostris quidem piscibus. Sunt qui thymallos apud nos in vrbe captos præferant: ego pinguiores quidem illos esse puto, non tamen salubriores: quod de Lupis Tyberinis etiam Galenus tradit.

Apparatus.

Temulus quouis modo percommode coquitur, fricturam tamen magis requirit, Platina. Mihi quidem elixi & simpliciter conditi placent: debent autem elixandi in vinum frigidum immitti. Pinguiores tamen melius sapiunt assi. Cum thymali felle careant (*nos fel habere dicimus, sed exiguum*) quando coqui debent, haud eis dissecto ventre eximenda sunt interanea, sed satis erit si exterius solum purgentur. Maiores elixi, & maximè butyro conditi: minores verò assi sapidiores creduntur, Saluianus.

G

Adeps.

Adeps de intestinis thymalli collectus ad varias affectiones salutaris creditur. Maculas aut cicatrices recentes cutis illitus, corpori concolores reddit. Igne vel aqua feruida deustis locis remedium est. Sunt qui eo perungant membra, quæ contabescere & alimentum non sentire videntur, per se: vel cum vnguento ab althæa denominato, & folijs solani tetraphylli, quam aliqui herbam paris vocant. simul autem etiam in sessionem quandam seu balneum præcipiunt, & Luna crescente tantum (si bene memini) perungunt.

Ad aures.

Si pinguedo huius piscis Maio mense in vitreum vasculum coniecta Soli exponatur, id quod ex ea distillat, ac in vasculum residet, vulneribus salutare existimatur: auribusque instillatum, grauitatem auditus discutit, Saluianus. Multi piscatores Ticini accolæ adipem thymalli auribus salutarem conditum seruant, Gillius. Nuper amicus quidam ad me scripsit his ferè verbis: Narrant piscatores ad Lemanum lacum, è senibus se audiuisse, sanguinem huius piscis si in aures

aures infundatur, surdidati prodesse, si modo viuenti pisci sanguis detrahatur: Sic ille. ego hoc non de sanguine, sed adipe verum esse puto. & quoniam, qui Gallicè loquuntur, hoc narrarunt: facili lapsu sanguinem pro adipe accepit, qui auscultabat: hunc enim Galli sain, quasi saginam vocant, illum sang. Ad oculorum etiam remedia commendatur idem adeps.

Ad ...

Cum aliqua lippitudo, rubor, feruor, aut pterygia vel vngues (*flecken vnd nagel*) in oculis apparent, quotidie binas guttas cum penna instillari iubent aliqui, idque in pueris etiam, & equis consulunt. Vidi pullam chemosi affectam, quod malum aliquando exanthemata illa (quas papulas pueriles vocant Germani) sequitur, hoc remedio per septuaginta ferè dies continuato, (vt quotidie gutta instillaretur,) curatam, rubore mox primis diebus sublato. Si oculi in equo lunatici sint, foueam supra oculos adipe thymalli perfricato frequẽter, vt eorum claritatem conserues, Ex libro Germanico manuscripto. Habent & pharmacopolæ apud nos hunc adipem: à quibus maximè ad oculorum remedia, vt maculæ in eis deleantur, peti solet: deinde etiam ad curandas igne vel aqua adustas partes. Plin. quidem omniũ piscium adipẽ oculis salutarẽ facit. Dioscoridi verò fluuiatilium duntaxat adeps, ad oculorum claritatem inungitur: in quem vsum liquatur in Sole, melque illi additur. Fel de anguilla thymallo, tinca & porcello lactente misce, ad aurium remedia. hoc enim infuso, pelliculas rumpes, fluxiones curabis, vermes occides, Ex libro Germanico manuscripto.

Fel.

H. a

Thymallus inter ioculares piscium nomenclaturas Comes seu Regulus Rheni, nuncupatur, *Ein aesch ist ein Rheyngraf*, forte quod inter pisces Rheni plerisq; alijs lautior salubriorq;, & principum mensis dignus iudicetur. sic & Salmonem propter saporis excellentiam, dominum cognominant, *ein Salm ist ein Herr.* Θυμὸς oxytonum apud Græcos, animum vel animos, (aliquando animam, alias iram) significet, & ypsilon semper producit: deducto vt suspicor nomine à verbo θύω, τὸ σφάζω, quod est macto, occido: vt propriè sanguinem, & qui in sanguine est calorem spiritumque significet, iuxta illud poetæ, Purpuream vomit ille animam. hinc etiam cauitas inter iugulos, (qua mactari animalia solent,) ab aliquib. θυμὸς, ab alijs σφαγὴ dicitur, authore Polluce. Θυμὸς, ἀδήν τις μεταξὺ τῶν κλειδῶν: id est, glandula quædam inter iugulos, Eustathius. Θυμὸς, παρὰ τὸ θύειν (ὁρμᾶν καὶ ζεῖν) τὸ αἷμα, θυμὸς, Varinus. Cæterum θύμος paroxytonum genere masc. Atticis etiam neutro, herbæ nomen est, & ypsilon corripit: Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ, Vergilius: qui & alibi semper ypsilon huius nominis corripit, vt annotauit Nic. Erythræus. item Claudianus, ---- credas examina fundi Hyblæum raptura thymum. Et Ouidius, Pars thyma, pars rores, pars meliloton amat. Et in Theriacis Nicander: ἢ ἰσκόμαχον θύμα ποσί, καὶ ἀνθεμόεσσαν ἐρείκην. Macer tamen, qui de herbis carmine scripsit, quem inter poetas non annumero (inquit Erythræus) produxit: Si desit thymum, pro thymo ponere thymbrum. Quo genere quidem thymum protulerit Vergilius non apparet: duos enim casus tantum apud eum reperias, datiuum thymo, & accusatiuum thymum. A Dioscoride & Galeno gen. masculino effertur. ὦ πολλὰ δὴ τοῦ δεσπότη ταυτὸν θύμον φαγόντες, Carion in Pluto Aristophanis, (est autem versus iambicus tetrameter. (vbi Scholiastes: Thymum (inquit) herba vilis est, & refertur gen. neutro, penultima breui, barytonum. Videtur autem huius herbæ nomen factum à verbo θύω, quod est θυμιάω, suffio, suffitum excito. est enim odorata & suaui odore. hinc & thymiama dictum, suffimentum: cuius tamen primam producit Sophocles in Oedipo Tyranno hoc senario: πόλις δ' ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει. Ego vt in thymo herba, sic & in thymallo pisce, ypsilon semper corripuerim: quanuis miretur aliquis cum ab eodem verbo θύω, (quod & sacrificare, mactare, occidere, vt Gallis quoque tuer: & suffire significat. vetustissima enim sacrificia suffitu tantum fiebant, vnde & thuris factum nomen,) vtrunque horum nominum deducatur, θυμὸς pro animo, θύμος vel θύμον pro herba, alterius ypsilon produci, alterius corripi. Taxum arborem Dioscorides lib. 6. toxum à Romanis dici credidit, nec thymalon vt hic (lib. 4.) scribitur, sed thymilon scribendum, quod & Aëtius quoque sequitur, Paulus thymion, Hermolaus Corollario 695.

Prouerbium, Aut piscem olet aut florem, requires supra in A. vbi de piscis huius odore diximus.

Thyrsites piscis est marinus, similis pelamidi, Kiranides. Vide Tursio suprà.

Tibvronvs piscis est Noui Orbis, de quo leges suprà, in fine Corollarij De Gladio, pag. 332.

h.

Tigris Marina Alberto & obscuris quibusdam scriptoribus Thynnus piscis appellatur.

Tilones (Τίλωνες) memorantur ab Herodoto lib. 5. non multo post principium. Pæonum quidam (inquit) Prasiadem paludem incolunt, hunc in modum. In media palude compactæ erant sublicæ (σταυροὶ) altæ, tabulis seu plancis (ἴκρια vocat Græcè) super eas iunctis angustum à continente ingressum vno ponte habentes. Has sublicas tabulata sustinentes olim communiter omnes ciues statuebant. mox è lege hunc in modum statuendum censuerunt: vt pro singulis vxoribus quas quisque duceret (ducunt autem singuli multas vxores) ternas defigeret sublicas è monte sumptas, cui nomen est Orbelus. Hoc habitantes modo obtinent singuli super ea tabulata tugurium in quo degunt, & fores inter tabulata compactas (καὶ θύρην καταπακτὴν διὰ τῶν ἰκρίων) deorsum ad paludem ferentes. Paruulos liberos per pedem reste illigant, metuentes ne illi in aquam deuoluantur. Equis & iumentis pisces pro pabulo præbent. Porrò piscium tanta est copia, vt quoties quis ianuam compactam reclinauerit, (ὅταν τὴν θύραν τὴν καταπακτὴν ἀνακλίνῃ,) demissam fune sportam (σπυρίδα) vacuam, aliquanto post retrahat pisciũ plenam. quorum duo sunt genera, vnum quod vocant Papraces, alterum Tilones. Hæc ille. Quænam verò sit Prasias illa palus iam non habeo quod dicam. Tilloni & ballero (Βαλλέρῳ καὶ Τίλωνι) lumbricus Canis exortu innascitur: qui debilitat, cogitque ad summa stagni efferri, quà æstu intereunt, Aristot. hist. 8. 20. numerat autem vtrunque inter fluuiatile & lacustre genus. Fullo piscis, Græcè chylon, Latine tum tullo, tum fullo: hinc rusticè apud nos tyllon appellatur, Niphus: Videtur autem hoc in loco totidem errores quot verba scripsisse. Vide quæ suprà in Fullone, à nobis notata sunt. Quærendum an Papraces, lacustres illi pisces sint, qui à Germanis etiam *Prasi* dicuntur. nam & hi magnis gregibus capi solent.

Tilton Græci vocant, Τιλτὸν genus salsamenti, Varinus. Vide suprà in Lepidoto, Elemento L.

DE TINCA, RONDELETIVS.

A TINCÆ nomen ab Ausonio vsurpatum hodie quoque in Gallia & Italia seruatur.

Vbi. B Piscis hic in lacubus stagnis & fluuijs, qui rapidi non sunt, viuit.

Ex viridi flauescit, corporis specie, pinnis, & earum situ, palato carnoso Cyprinum imitatur: squamis autem differt. paruis enim admodum & tenuibus tegitur, muco semper obductis, quam ob causam Tincæ lubricæ sunt. Præterea circa oculos circulus in Tinca ruber est, in Cyprino flauescens. Linea à superiore branchiarum parte descendens corpus medium intersecat. Pinnas duas habet ad branchias, alias duas in ventre, vnam à podice, aliam in dorso breuem sine aculeo. Cauda in pinnam latam desinit. Lapillos habet in capite Auratæ & reliquorũ marinorũ modo. In ima oris parte ossa serrata pro dentibus. Branchias quaternas duplices. Ventriculum paruum, fel aqueum in hepate, vesicam gemi-

Tincæ hæc effigies à nostro pictore expressa est.



minam aëre plenã in ventre, oua pauciora quã Cyprinus.

C Nutritur aqua, luto, & muco, quam ob causam palustribus & lacustribus aquis, & fluuijs tarde fluctib. gaudet.

F Vilis est, & pauperiorum cibus. Ausonius:

Et virides vulgi solatia tincæ.

Crasso, glutinoso, excrementitioque est succo.

A Sunt qui Tincam, Aristotelis ψυλλωνα esse putent, quẽ Fullonẽ vertit Gaza, de quo hæc tantum Arist. lib. 4. de hist. cap. 14. Οὐ δὲ καλοῦσι ψύλλωνα, ὡς τοῖς αἰγιαλοῖς ἐν ὑποπνεύμοις ἀγελαῖόν ἐστι καὶ οὗτος. Id est, Fullo quem vocant, litora petit trãquilliora, sed is quoque gregalis est. Præterea eundẽ esse cum eo qui Dorioni γναφεὺς vocatur. Athenæus: Γναφεὺς. Δωρίων ἐν τῷ περὶ ἰχθύων τὸν αὐτὸν τοῦτον ἱστορήσας τὸν γναφέα ὑγρὸν φησι πάντα σπῆλον καθαίρειν. Id est, Fullo. Dorion in libro de piscibus, ait fullonis decocto maculam omnem elui. Alij (*vt Bellon.*) dubitant sitne idẽ Fullo Aristot. & γναφεὺς Dorionis: cuius Dubitationis causam nullam video, cum Fullo Aristotelis lacustris sit vel fluuiatilis, (*Fullo potius, fluuialis & lacustris est Aristoteli: ψύλλων autem quem Gaza fullonem vertit, cum litora petere dicatur, marinus videtur. Vide quæ annotauimus in Fullone, Elemento F.*) Dorion verò marinos duntaxat pisces numerasse videatur. Quod verò Tinca & Fullo idem sint, non inde necessario efficitur, quia Tincę decocto sordes deterguntur. Idem enim & Anguillarum, & Ichthyocollæ, & aliorum piscium admodum glutinosorum decoctũ præstare potest: nam lento & glutinoso humori quod pingue est & sordidum hæret, atq; vna vtrunq; abluitur & tollitur.

Ψύλλων vel γναφεὺς Græcorum an sit tinca.

Γναφεὺς, id est fullo vnde dictus.

D Tincæ quidem muco obducuntur, & sese mutuo lambunt, id quod aliquando obseruaui. His Lucios vulneratos sese adfricare, & muco vulnera conglutinare tradunt.

Non

Non immerito à P. Iouio Platina reprehenditur, qui Tincas antiquitus Mænas fuisse existimauit, A cum Mænæ solum sint marinæ, Tincæ paluſtres siue lacustres & fluuiatiles.

Vidi Romæ Iudæos quosdam medicinam exercentes, qui carpo & plantis pedum Tinças, per dorsi G longitudinem discissas, admouerent in febribus ardentissimis. Sed id nisi in tempore fiat, non modo nihil profuerit, sed maxime obfuerit, nam frigiditate intro repellente, ac magis constringente augetur incendium.

DE EADEM, BELLONIVS.

Tinca Italis & Latinis, Gallis Tenche dicitur. nam vbique suam appellationem constantissimè re- A tinuit. Popularis est piscis ac cœnosus: qui cum vbique frequens sit, mirum est, quod à priscis Romanis nullum nomen habuerit. Fullonem Aristotelis esse crediderim Gregalis est Fullo (inquit ille) & *Fullo.* partus tempore petit litora tranquilliora. Fullo autem dictus piscis, quod eius decoctum detergendis lanæ sordibus inseruiat. Dorioni γναφεὺς vocatur: cuius decocto (inquit) macula omnis sordesue eluitur. quod nostri vulgi plerisque pro magno arcano habetur. (*Tincæ nomen vetus nullum certis argumentis ostendi potest. Nec idem esse potest* γναφεὺς, *qui* ψύλλων, *quem Gaza, a fullonem vertit. Vide quæ nos elemento F. in Fullone scripsimus.*) Tinca Phycidi vsque adeo similis est, vt vulgus Phycidem Tincam marinam vocet.

Viridanti est squamarum colore, quas olida vligine obsessas habet, seu mucore lento viscosas: adeo B tamen tenues, vt meritò ijs carere dixeris. Singularem in tergore pinnam habet, eamque paruam: quaternas sub ventre, & caudam rotundam. Os nulla dentium asperitate communitum. Tergus & totum corpus diuerso modo fulgere comperies. In Tincarum porrò capitibus calculi duo admodum exigui reperiuntur.

COROLLARIVM.

Ego paluſtreshos pisces nullo in precio apud antiquos fuisse putauerim, & propterea nullis litera- A. rum monumentis fuisse celebratos. meque plurimum mouet Ausonius, qui tincas & lucios ignobilissimis piscibus adnumerauit, Iouius. Veteres authores precioſos potius quàm viles pisces literarum monumentis celebrare consueuerunt. Vnde & Columella scribit: Viles pisces ne captare quidem, nedum alere conducit, Saluianus & Massarius. Idem Saluianus: Satis (inquit) mirari non possum, scriptores Ausonio vetustiores, tincam piscib. nunquam annumerasse: similiter coniectare nequeo, quamobrem mille ac centum deinceps annis nemo tincæ mentionem fecerit. nam post Ausonium (qui redemptionis nostræ annis circiter trecentis & septuaginta, sub Valentiniano ac Valente Augustis vixit) centum tantum ab hinc annis nonnulli rursus tincæ meminere. Sic ille. atqui tincæ Albertus Magnus etiam meminit ante hæc tempora annis circiter trecentis. claruit n. circa annum Salutis M. C C. LVIII. vt in Chronicis reperio: quanquam Trittemius annum Domini quo floruit numerat M. CC. LXXX. hic libro 23. De animalibus, falconum remedia describens, secundum Guilielmum Falconarium regis Rogerij, (qui nimirum ante Alberti quoq; ætatẽ vixit) tincham nominans, Germ. etiam interpretatur *Sligen.* Nomen huius piscis à recentioribus variè scribitur: Tinca, Tincha, Thinca, Tenca, Tencha, Tencon. vltimum videtur diminutiũ. inter reliqua magis arridet vt Tincea scribatur, nimirum quasi tincta, quod Gallus diceret Teinte. colore enim à plerisque alijs piscibus multum differt, & viridi nigricante quasi tincta videtur. Germani atramentum scriptorium etiam à nigro colore *Tinten*, quasi tinctum vel tincturam nominant. Alexander Benedictus victum podagricorum describens orphos lacustres nominat pisces, qui vulgo tincæ vocentur. nescio qua ratione. mihi quidem minimè probatur. *Tinca marina.* Merulam piscem turdo simillimum, (nisi quod merula nigrior est,) quoniam tincæ formam habet, tincam marinam Veneti cognominant, Massarius. Merula piscis marinus tincæ fluuiatili similis est corporis habitu, Rondeletius. Ergo tincam quoque si quis merulam fluuiatilem aut lacustrem appellet, (Græcè κράσυφον ποτάμιον ἢ λιμναῖον,) non ineptè fecerit.

Ausonius sui temporis secutus plebem, vsitatis nominibus pulcherrimum poema non est veritus inficere potius, quàm aut ipse in ambiguo iactari, aut iactare lectorem in obscuro. sic alosam pro clupea siue thrissa, tincham pro merula fluuiatili posuit, Scaliger. Hippolytus Saluianus Tenca marina Romæ vocari scribit, & alio nomine pesce Fico, piscem illum quem Rondeletius phycidem esse putat, ipse callariam asellorum generis. sed icon à Rondeletio pro phycide posita, ab ea quam callariæ nomine Saluianus dedit, diuersa videri potest. Quære in fine huius voluminis iconem illi, quam Saluianus dedit, similem. Bellonius in Turdo Phycidem, Tincam fl. interpretatur. Pierius Valerianus de tinca dubitat, sitne fuca (id est phycis) aut pholis veterum. Atqui phycis piscis marinus est, tinca verò dulcium aquarum. cum illa tamen aliquid commune habet: (nam, vt Bellonius scribit, Itali merulam æquè atque phycidem, tincam marinam vocant:) De pholide aliud nihil legimus, nisi quod mucum quem ipsa emittit, sibi obducat, ita vt in eo quasi cubili quiescat. Vide suprà, elemento D. Iulidem quoque, aut similem ei piscem, alicubi tincam marinam vocari audio, fortè quod magna ex parte viridi sit colore. Puto & coracinum piscem nigricantem similiter nonnusquam vocari. Tenca Italicè & Hispanicè Tinca vocatur: Gallicè Tanche: vel etiam Tincke, si rectè scribit Carolus Figulus. *Vulgaria.* Germani plerique *Schley* à lubricitate, vel potius muco, quem nostri *schleym* appellant: vt Græcè myxonem, Latine muconem interpretari liceret, nisi mugilum cuidam formæ iam prius hoc nomen deberetur. Vir doctus quidam vt vim Germanici nominis exprimat, tincam vocat limariam. sed quoniam id potius Græcorum pelamydem exprimit, πηλὸς enim limus est: & tincæ apud Germanos à muco (vt dixi) nomen positum est, abstinere eo præstiterit. Muco quidem hunc piscem plenum esse vel tactus arguit, limosis etiam & sordidis locis degit, & in cœno alitur. *Schley*, ab alijs scribitur, *Schleshe*, à nostris *Schlig*, quod ita proferimus, vt sit i. breue, & g. molle in fine. voco autem g. molle, sicuti ante e. & i. profertur. Rostochij & finitimis oris *Slye*. ad Albim *Schleyn*: alicubi etiam Gallico vocabulo *een Tinch*, inferiores quidam Germani & Gallis viciniores vt Flandri. Geldri

dri. Geldri *Lauwven* vel *Louvven* & *Seeld* & *Zeeld* appellant. In Frisia, ni fallor, *Mudthund*, nescio qua vocabuli ratione. piscem aiunt esse in dulcibus aquis, lubricũ, vocarique aliter etiam medicum omnium piscium, & sutorem nigrum. Hollandi quoque *een Schoemacher*, hoc est sutorem, ob cutis crassitudinem: & *Graumacker*, (nos *Grubmacher* diceremus,) id est vespillonem, quod subinde in terra effossa aut sepulchris inueniatur. Saxones quidam tincam interpretantur *Stincks*: nescio an tincam nostram intelligentes, an alium quendam piscículum qui in ora Germaniæ *Stint* & *Stinckfisch* à fœtore nominatur. Tincæ nomen est *Tenche*. Polonicum, Lin vel Lijn. Bohemicum Linie, & Sſvvecz quasi sutor.

B Capiuntur tincæ passim in omnib. ferè lacubus & stagnis. In Rheno etiam, præsertim inferiore, vbi tardius fluit. In quibus Italiæ lacubus & quales inueniantur, dicemus infrà in F. Tinca rostro breui ac retuso est: ore ferè rotundo, ad ventrem inclinante, ac prorsus edentulo. In vtroq; latere, vbi labrum superius inferiori committitur, appendicem habet, cyprini instar, cutaceam, rotundam, breuem, mollem ac lubricam adeo, vt nunquam explicetur, conspicuaue fiat, ni digitis comprehensa extendatur. Oculi magni sunt & aurei. Squamis minutis ac valde connexis tegitur. Non idem tincis omnibus color est. aliquæ enim subalbidæ: plurimæ ex albo flauescentes, nonnullæ virides, palustrium verò subnigræ etiam aliquæ sunt. Viscido adeò muco exterius præditæ sunt, vt recens captæ, vix manibus detineri queant. Mirè pinguescunt. Quinque aut sex librarum crebrò & vbique ferè reperiuntur: alicubi verò ad viginti etiam libras aliquando excrescunt, Saluianus. Quæ in Albi maximæ capiuntur tincæ, duas circiter libras (id est vncias sexaginta quatuor) pendent. Piscis est breuis, crassus, longitudine ad latitudinem triplici: capite crasso & recurto: oculis magnis, nigris, multum prominentibus, vt in passere fl. quem *Halbfisch* appellamus. Dentes habet paruos ad initium gulæ, in duabus vtrinque mandibulis, vt capito & alij quidam pisces. Color ei vndiquaq; ad aureum vergens. Plenus est minutis & tenuibus squamulis, quæ de eo abradi, vt in cæteris piscibus non possunt. his superinducitur pellicula viscosa, quæ piscem omnino lubricum reddit, &, si radatur, glutinum quoddam tenax & coagulatum præ se fert. eadem in causa est, vt hic piscis, si anterius aspicias, coloris appareat è fusco, nigro & viridi permixti, ac flauo superinducti. Pinnæ ad branchias colorem è puniceo fuscum præ se ferunt: superior verò cum cauda, fusca magis quàm punicea est, Io. Kentmanus. Ego etiam olim tincam contemplatus, iridem in oculis rubentem obseruaui, maxillas in faucibus dentatas, tergus crassum, in capite lapillos, caput & dorsum nigricabant: pinnæ subnigræ, cauda nigrior erat. Sub pinnis iuxta branchias eminebat caruncula rubicunda, crassiuscula. Ad pinnam vero sinistram medij ventris cuneus quidam carnosus, subdurus, geniralis ferè specie, prominebat. Tinca lutea potius quam viridis est: at viridem (dicere) maluit Ausonius, Scaliger.

C Tencha piscis est fluuialis vel stagnensis, qui in limo sicut anguilla nutritur, Obscurus. In stagnis & paludib. victitat, locis ferè cœnosis, vt inter arundines & vluas. In quibus Italiæ lacubus habeatur, leges infrà in F. Erasmus in Albim venit, per totum annum: illic autem libentissimè in Albi degit, vbi maximum est vadum, & flumen tardius, Kentmanus. Tincæ nusquam in mari reperiuntur. in lacubus autem ferè omnibus nascuntur. capiuntur & in Tyberi, nonnullisque alijs fluminibus: in quibus cum perraro tamen capi soleant, ex aliquo potius lacu ad flumina adnatasse, quàm in eis genitas esse crediderim. In lacubus ac stagnis vt frequentes, ita & omni anni tempore capiuntur, Saluianus. In Rheno etiam capi audio, cum alibi, tum circa Coloniam. Putrescentis limi sordibus vescuntur tincæ, Iouius: potius quàm carne, Saluianus. In limo sicut anguillę nutriuntur. Obscurus.

Pisces omnes strepitum extra aquam ædunt, seu concussi, seu concutientes celeriter branchias, vt tincæ, quæ stridorem quendam acutum emittunt, Cardanus in Varijs. Et rursus: Pisces pauci sunt qui non strideant: quod & tincæ faciunt, cum è viuarijs educuntur. nec mirum, nam concutiuntur, & aerem pro aqua trahunt. Tincæ & lucij & absque semine & ex semine generantur. nam in piscinis non sati inueniuntur, Cardan. Et mox, Lucios è tincarum semine generari creditum est, amicitiamque inter illos intercedere. Item alibi: Cyprinos, tincas, anguillas, è putredine seu absque semine generari certum est. Alibi quoque scribit tincam viscеribus etiam dissectis, diu superuixisse.

D Lucius vbiq; stagnis ac lacubus cum tincis frequentissimè reperitur, Iouius. Amicitiam lucio cum tinca esse ferunt: huius enim muco adfricare & illinere vulnera sua lucium, Rondeletius. Vide etiam suprà c. Lucium quidem pisces omnes præter tincam vorare aiunt. Frisij tincam, medicum omnium piscium appellant.

E Cum spadernis capiuntur præcipuè tineæ, (*interpres Germanicus quidam legit tincæ. Lampetras, aliqui recentiores, tineas fontanas vocant.*) Sunt autem tres acus ex ære retortæ ac simul ligatæ, quæ quibusdam breuibus funiculis annectuntur: ac ipsi omnes non multum distantes cuidam funiculo longo. his apponitur caudarum cancrorum, vel lumbricorum crassiorum esca, & in aqua sero ✻ extenso iactantur, & mane captæ tineæ (tincæ) tolluntur, Crescentiensis 10. 39.

F Tinca piscis quanquam semper vilis, insipidus & insalubris habeatur: nimis tamen malus putatur Iunio mense: à nostris circa Martium. Fallitur, meo quidem iudicio, qui tincæ post troctam primas attribuit hoc disticho: Tinca vocor. quare? maculosum respice tergus. Coctaq; post troctam, gloria prima fero'r. Tinca (inquit Iouius) quanuis plebeius sit piscis, aliquando tamen in lautorum mensas venit, & ex his Romæ præsertim Marsicana è Fucino lacu, qui nunc Celanus dicitur. Fucinianæ labrum inferius tritum habent, quod eius generis indicium est: quippe quæ plurimum saxoso eius in lacus vado volutentur. Fert & laudatissimas paruus ille lacus quartodecimo ab vrbe lapide apud Bacanam syluam, (quam Antonino Pio notam Itinerario esse videmus,) quib. non modo plebeij, sed splendidi etiã optimates sæpius vescantur. Nobilis ille inter aulæ proceres longè omnium ætatis nostræ popinalis lautitiæ studiosissimus, (qui ducenta milia aureorum nummûm, in ventrem se condidisse aliquando gloriatus est,) tincas Bacanianas autumno captas, allio laridoque contritis, additisque odoratis oleribus & multo aromate, in teganis ad vaporem tepidioris furni fœliciſſimè percoquebat. Fert & tincas, quanquã minores, sapore tamen minimè contemnendo sanctæ Praxedis lacus, in Latij Sabinorumq; finibus, qui Regillus antiquitus fuit: sed eæ cum raijs & squatinis, cæterisque vilissimis piscibus, apud Pantheon

Pantheon ignobili foro infimis hominibus venundantur, Hæc ille. Tinca sapore dulcis est, sed malæ digestionis, Incertus. Reginæ, scardulæ, & huiusmodi, non videntur reprobari sicut tincæ, anguillæ, & similes qui squamas non habent, Ant. Gazius in Corona florida. Tincæ impuri & damnati sunt alimenti, Alexander Benedictus de victu podagricorum scribens. Piscis est totus excrementitius & lutosus: ac, nisi diligenter à sordibus & immunditie purgatus fuerit, noxius, Adamus Lonicerus. Medici tincis omnibus vim quandam inesse ad progignendam febrem existimant, quoniam maximè in cœnosis degant, & putrescentis limi sordibus vescantur, Iouius. Ægrè concoquuntur, & mali sunt succi. vnde sicuti eis crebrò vesci non debemus: sic diebus canicularibus, quo præcipuè tempore maxime noxiæ creduntur, ipsis prorsus abstinendum est, Saluianus. Temali parui, & tencæ paruæ, quæ apud nos dicti (*dicuntur, fortè*) iaceoli, sine viscositate sunt plurimum exercentur, bonoq; sapore & odore sunt, vt salub errimi hi pisces videri debeant, Michael Sauonarola. Tincæ nunquã bene sapiunt: sæpissime verò lutum etiam redolent. quapropter viles & plebeiæ censentur, præterquam à mediterraneis hominibus: Qui cum pelagios pisces nunquam gustauerint, in summo honore, & præsertim sacri ieiunij tempore, eas habent. Vnde cum in cœna Leonis decimi Pontificis discumbentibus, pelagios pisces vario iudicio certatim atque impense laudantibus, nobilis quidam Florentinus tincis solum assuetus, diceret: Extollatis, vt lubet, conuiuæ marinos pisces, ego certe Trasymenam tincam conditam leucophago, his vestris triglis, spigulis & rhombis prætulero: hoc insulso dicto lachrymas omnibus præ risu excussit. Illæ autem quas lacus Trasymenus, vel Fucinus, vel paruus ille apud Bacanam syluam, vel à S. Praxedi appellatus, procreant, etsi cum marinis piscib. æquari non debent, contemnendæ tamen non sunt: quippe quas in marinorum piscium penuria, ne lautorum quidem mensæ aspernantur, Saluianus ex Iouio. Pessimum est cum pisces natura molles & viscosi, etiam friguntur, vt tinchæ, gui, (*gobij*,) Ant. Gazius. Tinca si grossa erit, & elixam voles, ex agresta, aromatibus, petroselino, minutim concisо, conditam comedes. Aliter: Si grossa erit, eam bene exquamatam, ac per mediam spinam incisam, ita inuertes, vt quod foris erat, intus demum fiat, infractis etiam costis, ac concisis interaneis, indeque rursum, cum quis sex, petroselini concisi, piperis tunsi, allij diffracti, croci modico. Sunt qui Damascenas, aut cerasia acria, aut passulas cum pineis mundis cum ouo disfracto indant. Coquenda lento igne in craticula est: coctam salimola ex aceto, oleo, croco, sapa suffundes. Aliter: Si parua erit, eo modo scindes quo superiorem. & conspersam farina, oleo friges. frictam, aut agresta, aut succo malarancij suffundes. Hoc, etiam quouis modo cocto, nihil peius, Platina. Allio quidam laridoque condiunt, &c. vt suprà ex Iouio dictum est. Sunt qui laridi ac allij vice oleum cepamque concisam, ac vuam, quam passulam dicunt, injiciant, ac eodem modo coquant. alij in eam, primum (vt par est) purgatam, ac interaneis exemptis, passulas, mentam, petroselinum, allium, atque sal concisa, & in simul mixta, per sectionem quà prius interanea exemerant, infarciunt, consutaq; sectione, aut veru infixam, aut craticulæ impositam torrefaciunt, oleo ac aceto cum saluiæ ramusculo, aut fœniculi vmbella, assidue dum torretur, conspergentes. Plebeij verò eam oleo in sartagine frictam, ac arancij mali succo conspersam comedere solent, Saluianus. Tinca primum in aquam calidam ponatur, & per pannum asperum trahatur vt abstergatur à muco: deinde exenterata in vinum frigidum elixanda immittatur, Mangoldus. sunt qui non minus diu elixari iubeant, quàm vitulinam. Coquendæ tincæ melioris saporis erunt, conjectæ in calidam aquam, aut calido cineri impositæ. Assandis cum limo cutis detrahitur, & mediocrem saporem habebunt, Innominatus. Hic piscis etiamsi aqua calida ablutus, & bene abstersus, rite coquatur, in aquam nempe cum primum feruere incipit, iniectus, conditus salitusq;, adiuris ferè consumptionem, adhuc insipidus est, quamobrem ad lautiores mensas rarò venit, Kentmanus. Tincarum cutim detractam per se tanquam magnas delicias vel à diuitib. quibusdam in Italia appeti audio. Hunc piscem aliqui in gelu (vel gelatina, vt vulgò vocant) commendant: suauius nimirum quam salubrius.

Tincas scissas per dorsi longitudinem, pedumq; & manuũ plantis (*volæ*) applicatas, ardentis febris feruoribus plurimum aduersari quidam putarunt ex secta Iudæorum, qui quanquam sordidè admodum & ridentibus alijs talia experirentur, aliquando tamen ipsis æstuantibus exoptata blandimenta fœliciter attulisse comperti sunt, Iouius. Veteres medici ad capitis & artuum dolores sopiendos torpedines admouebant quarum loco à mediterraneis tincæ forsan vsurpari poterunt. Sunt qui non febrientium modo æstus tincis pedibus subditis, seu alligatis viuis, temperari, sed etiam aduersus arquatum etiam morbum proficere putent. Alij ictericorum iecori aut vmbilico viuam imponunt. Ictericis aliqui tincam viuentem illigant: id etiam tertio die repetunt. tinca immortua intus ac foris veluti croco tincta redditur: & pleriq; hoc remedio restituuntur, Kentmanus. Fel de anguilla, thymallo, tinca & porcello lactente misce, ad aurium remedia. hoc enim infuso pelliculas rumpes, fluxiones curabis, vermes (aurium) occides, Ex lib. Germanico manuscripto. Equorum purgatio ex intestinis tincarum aut barbonum, à Rufio Hippiatro describitur. Cõtra accipitrum & falconum lumbricos remedia scripsi in Accipitre E. ijs aliqui tincæ pellem vstam admiscent.

Mulier quædam Papiensis (quod vidisse me testor) putans se esse prægnantem, post duodecim menses emisit fruſtum vnum carnis satis magnum, & multa alia parua: & simul cum illis peperit animal ad similitudinem tenconis piscis, colore viridi obscuro supra tergum, infrà autem rubri coloris: corio tam duro, vt vix gladio scindi potuerit. moriebatur autem, & complicabat se sicut ericius, Marcus Gatinaria.

Tincas virides Ausonius dixit. licebit etiam viles, insipidas, viscosas, & similibus epithetis eas cognominare.

Celebratur apud Ciceronem quidam facetus orator Placentinus cognomine Tinca, fortassis ab hoc pisce cognominatus: quemadmodum Florentiæ Laurentius Medicos senior, vti erat perurbanus, cuidam celebris familiæ ciui, se domi tincam ingentem exquisita arte coctam falsò iactanti, Tincæ cognomen, quod illi postea fuit æternum, indidit, Iouius.

TINEÆ paruæ generantur in marinis stagnis, quales in aqua dulci reperiuntur, Rondeletius.

Lampe-

Lampetras aliqui recentiores, tineas fontanas vocant, vt ſuprà in Corollario de Muſtela indicamus, pag. 169.

TIPVLÆ quanquam leuitate ſua ſuper aqua ingredientes non mergantur, aquatiles tamen animantes non ſunt, ad librum De inſectis referendæ.

TIRSIO. Vide Phocæna.

TITTANES apud Athenæum in verſibus Numenij nominantur, deprauatis tamen, vt apparet, his verbis: Χαύνης πτῆνάς, ἐγχελιάς π, καὶ ὀνεχίλω πίτυων. Alia lectio habet, Χαύνης π, πελίας π.

TMETI, Τμητοὶ, à Græcis vocantur piſces maiores, qui ab alijs pelagij, vt auratæ, glauci, phagri, hoc genus difficilius concoquitur: concoctum verò permultum alimenti præbet, Mneſitheus. Τμητοὶ ab Athenæo vocantur (vt equidem arbitror) qui in partes diſſecti, in patinis miniſtrantur: vel vt in ſalſamenta condiantur, Wottonus.

TONSICVLA piſcis nominatur à Caſſiodoro Variarum 12. 4. Deſtinct carpam Danubius, à Rheno veniat anchorago, ex Orimis tonſicula quibuslibet laboribus offeratur. Orimi qui ſint, iam non inuenio. Nouaculæ quidem piſcis Plinius meminit 32. 2. ab eo contacta ferrum olere ſcribens.

TORENTINA, piſcis Trutta, vt ſcribit Scoppa grammaticus Italus, ſine authore. Malim per duplex r. quaſi à torrentibus, quod in riuis montanis repetiatur.

DE TORPEDINE, BELLONIVS.

A TORPEDO, Græcis olim Νάρκη dicta, vtroque vocabulo re ipſa piſcis naturam explicante, quod ſua frigiditate torporem manibus inducat. Græcorum vulgus Margotirem (*Narcoterem*) appellat. Venetis ferè ignotus piſcis eſt: qui ſi nonnunquam illuc veniat, Sgramphi nomen habet, Romæ non alio quam Occhiatellæ nomine cognitus.

B (A) Litoralis eſt ac cœnoſus, Gallico Oceano infrequens. Burdegalis notus, apud quos Tremble appellatur, quaſi tremulam dicerent: quod mucoſa ac glabra cute, eaque molli ac frigida, contrectantium manus efficiat tremulas. Primo aſpectu Ranam marinam vel Paſtinacam refert, niſi multò eſſet rotundior. Huius pars prona ex cinereo albicat: ſupina magis caneſcit: roſtrum nullum habet, ſed eius loco crenam gerit, inter duo latera parte anteriori impreſſam: caudam breuiorem quàm Raia: atque vt in Muſtelis diſpoſitam, (ſulcat enim æquor in contrarium,) ad cuius radices duæ pinnulæ enaſcuntur, multum in natatione adiuuantes. Oculis eſt exiguis, parte ſupina, vt in Raia collocatis: ſub quib. duo vtrinque foramina in gyrum crenata ſunt. Os habet prona parte patulum, in creſcentis lunæ figuram, dentibus obtuſis, multiplici ordine diſpoſitis, anteriori tantum parte communitum. Branchias gerit duplices, vtrinque quinas, fel pro corporis magnitudine maximum.

Torpedo ſupina.



Tertia Torpedinum Rondeletij ſpecies, vt ſuſpicor, maculoſa, non tamen oculata.

F Cæterum vſque adeo eſt lenta carne, vt niſi frigatur, ſaporis ſit admodum ingrati. Adhuc fricta, non indureſcit, ægerrimeque coquitur.

G Febrem, extremis artubus admotam, expellere cenſent, vt & fluuiatilem Tincam.

DE TORPEDINE OCVLATA, BELLONIVS.

Videtur hæc ſpecies prima Torpedinum Rondeletij.

A Falluntur mirum in modum, qui Plinium reprehendunt, quod Torpedinis id genus, quod in tergore ſex, atque interdum ſeptem, (*Saluianus in ſua icone, quinque tantum huiuſmodi maculas pingit, ceu per angulos pentagoni digeſtas: & Rondeletius ſimiliter in duabus ſuis primis,*) aut eo minus maculas, quoſdam quaſi oculos referentes gerat, Oculatam appellauit: atque id cognomen ad Melanurum potius referendum eſſe autumant. Verum ſi ab oculorum pulchritudine & magnitudine Melanurus oculati apud Latinos nomen receperit, quid vetat quo minus à multorum oculorum ſpecie, Torpedinis hoc genus, à ſuperiore multum diſtans, etiam oculatum appellemus? Ipſa enim dictio oculorum multitudinem potius quàm magnitudinem ſonat: quanquam etiam vtrumque ſignificare poſſit. Ac, quantum illi cenſores paulò (vt mihi videtur) rigidiores fallantur, ipſum vulgus Romanum ſatis indicat: à quo adhuc hodie, nemine docente, Occhiatella dicitur. Verum de hoc, in Melanuro latius.

B (F) Cæterum, hæc Torpedo non magnitudine ac ſpecie tantum, verum etiam carnis lentore alteram imitatur: ſolis quinque, ſex, atque interdum ſeptem oculorum maculis ab ea differt: quas ita exactè delineatas in medio tergore præ ſe fert, vt neminem pictorem iudices rectius aut exactius quicquam effingere potuiſſe: alioqui naturales oculos paruos habet, ad ſuperius deſcriptam Torpedinem accedentes.

D E

DE TORPEDINIBVS (IN GENERE, ET SPECIE PRIMA PRIVATIM,) *Rondeletius.*

Torpedinis maculoſæ primum genus.



QVA ratione Græci νάρκην piſcem, eandem Latini torpedinem vocant: eſt enim νάρκη ἔκλυσις τῶν μελῶν, id eſt membrorum debilitatio: & torpedo, idem quod torpor ſiue ſtupor. Huic piſci nomen datum eſt, quod torporem & ſtuporem membris inducat: Menander inquit Athenæus, νάρκαν per α extulit, quo nomine (*quo modo, vt α. in fine ſcribatur*) nullus veterum vſus eſt. Ligures à tremore tremorize appellant. Maſſilienſes dormiliouſe, à ſtupore: pedem .n. verbi gratia, torpidum ſiue ſtupefactum endormi dicimus. Galli torpille. Torpedinũ genera quatuor facimus: tria earum quæ maculis notatæ ſunt, quartum eius quæ maculis caret. Quæ genera omnia hoc vno capite concludimus, quia viribus & corporis ſpecie non differunt, ſed maculis tantum, vt diximus. Quare quæ de vnius facultatibus, & partium tum internarum tum externarum deſcriptione dicuntur, eadem etiam reliquis conuenire exiſtimato. A' *Libro 7.* *Genera quatuor.*

Prima torpedinis ſpecies à nobis poſita eſt ea, cuius maculas efficiunt circuli albo nigroque diſtincti, quorum medium oculi * pupillam, maculæ totæ oculos planè referunt. Quamobrem à Romanis hodie ochiarella, ſiue oculatella nominatur. *Genus primũ.*

Porrò maculæ pentagoni figura diſpoſitæ ſunt, reliquum corpus colore eſt ad rubricæ fabrilis, quam vulgo pro terra Armenia vendunt, colorem accedente. Piſcis eſt planus cartilagineus, parte anteriore latus, laterib. rotundus, in caudam carnoſam deſinens: in cuius initio, parteque prona pinnulæ duæ erectæ ſunt, prior maior eſt, altera minor. in extremo pinna eſt lata, vt caudam clauis nauium, quibus in Rhodano & Sequana vtuntur, aptè comparare poſſis. Oculos paruos habet pro corporis magnitudine, poſt oculos foramina oculis maiora, quæ ad os vſque patent: quorum ambitus ὀπτῆρες ſunt carnoſæ, ὀπτῆρσι cordis terrenorum animalium, quas Latini valuulas interpretati ſunt, ſimiles. Os paruum in ſupina parte, dentibus paruis munitum, ante os foramina pro naribus. Branchias in medio ferè corpore: quia ob corporis tenuitatem ad latera, quemadmodum in galeis & ſquatina collocari non poterant. Cor depreſſum, ventriculũ latũ, inteſtina breuia & lata: hepar albũ, in quo latet veſica fellis. A B

In cœnoſis litorib. degit torpedo, veſcitur carne piſcium, quos aſtu capit. Ariſt. lib. 9. de hiſt. anim. ca. 37. Ἡ νάρκη ναρκᾶν ποιῆσαι ὧν αὐ κρατήσειν μέλλη ἰχθύων, τῷ τρόπῳ ὃν ἔχει ἐν τῷ σώματι λαμβάνουσι, τρέφεται τοῦτοις. καστοκούπτεται δὲ εἰς τὴν ἄμμον καὶ πηλόν. λαμβάνει δὲ τὰ ὀπτάνοντα, ὅσα ἂν ναρκήσῃ ὀπτῆρύλματα τῶν ἰχθύων: καὶ τάττε αὐτὰ πλησιάζοντά τινες. vbi pro ἐν τῷ σώματι perperam legitur in vulgaribus codicibus, ἐν τῷ στόματι. Torpedo piſces, quos appetit ſtupore afficit, ea quam ſuo in corpore habet, facultate, atq; ita tardos præ ſtupore capit, & veſcitur. Abdit ſe in arena & limo, tum piſces, qui adnatantes obtorpuerint, corripit. C D

Quam rem pleriq; à ſe conſpectam retulerunt. Idem Plin. Nouit torpedo vim ſuam, ipſa non torpens, merſaque in limo ſe occultat, piſces qui ſecuri adnatantes (*alias, ſupernatantes*) obtorpuere, corripiens. *Lib. 9. cap. 42.*

Athen. Ἐ'ϛι δὲ ἡ νάρκη, ὡς Φησιν Ἀ'ριστοτέλης, τῶν στελαχώδων, καὶ τῶν συμνοτοκοῦντων. Θηρεύει δ' εἰς τοιοῦτον τὰ ἰχθύδια προσκαθημένη, καὶ ναρκᾶν, ἢ ἀκινητίζειν ποιῆσαι. Δίφιλος δ' ὁ Λαοδικεὺς ἐν τῷ περὶ τῶν Νικάνδρου Θηριακῶν, μὴ παῦ τὸ ζῶον Φησὶ νάρκαν ἐμποιεῖν, μέχρι δὲ πολλῶν πειρᾶσθαι φάσκων εἰδέναι. id eſt, Torpedo, vt ait Ariſt. ex cartilagineis eſt, iſq; quæ catulos non oua pariunt. Venatur autem piſciculos, quib. veſcatur, quos attingens ſtupore afficit, immobileſq; reddit. Diphilus autem Laodiceus in lib. de Nicandri Theriacis, non totum piſcem ſcribit ſtuporem inducere ſed partem eius tantum, idq; ſe experientia longa cognoſcere. Quo loco pro εἰδέναι mendosè ἐληλυθέναι legitur. (*Ego nihil mutauerim: & διὰ πείρας ἐληλυθέναι τ, pro eo quod eſt experientia aliquid comprobatum eſſe, eleganter dictum putarim.*) His adſtipulatur Op. qui cecinit torpedini molli, teneræ, debili, tardiſſimeq; natãti pro robore venenũ à natura eſſe datũ. Huius itaq; latera, quæ vtring; veluti alæ expanduntur, radijſq; contexta ſunt (ea n. intelligi puto per κερκίδας τοῦδε πλοκίλου ἑκατέρωθεν ἀμφιδύμας) ſi quis attigerit, illico membrorum vires diſſolui, concretoque ſanguine artus præ ſtupore moueri non poſſe. Quam ſtupefaciendi vim cum ſibi ineſſe ſentiat, reſupinatam in arena iacere immotam, mortuæq; ſimilem: cuius latera ſi piſcis contigerit, ſtupore impeditum euadere non poſſe. *Lib. 2. ἁλιευτικῶν.*

Οἷον καὶ ναρκὴ περονόσοι Φάρμακον ἀλκῆς
Ἣ μὴν ὃ μαλακή τε δέμας, καὶ πᾶσ' ἀμυδηνή,
Νηχομένοιν ὀφέων: μᾶλλα δ' δύσφρασε κέλαδος
Ἀ'πὰ οἱ ἐν λαγόνεσσιν ἀναλκείης δόλος ἀλκὴ
Ἀ'μφίδυμοι: τῇ εἴ τις ὑπαυσειε πλάσσας,
Ἐ'σπετο, οὐ πεδίδακτον ἐν οἰκείοις μελέεσσιν.
Νωθὴς τε βραδυτῆτι, βαρυώδεϊ, ὑδὲ κε Φαίης
Εἰλεῖσθαι, πλοιοῖο δίχ' ὕδατος ἐρπύζουσα.
Κερκίδες ἐμπεΦύασι τοῦδε πλοκίλου ἑκάτερθεν
Αὐπὰ οἱ μελέων ὀΦέος ἐσσεται.

Cætera ex ipſo authore petito.

Figuram sequentem Torpedinis à pictore Veneto habui, nulli illarum, quas Rondeletius pingit, similem: non satis probè, vt suspicor, expressam.



Torpe-

Torpedines hoc piscatu vti, id argumento est, inquit Aristoteles, quod capiantur, quæ in centriculo mugiles habeant omnium velocissimos, cum ipsæ sint tardissimæ. Neque verò pisces solum, sed homines etiam stupefaciendi vi afficiunt. Aristoteles: Ἡ δὲ ναρκη φανερόν ἐστι καὶ τοὺς ἀνθρώπους ποιοῦσα ναρκᾶν. Plinius ex eodem: Maris torpedo etiam procul, & è longinquo, vel si hasta, virgaue attingatur, quanuis prævalidos lacertos torpescere facit, quamlibet ad cursum veloces alligari pedes. Ego reuerator- *Lib. 32. cap. 1.*
pedini pridem mortuæ, quæ domi asseruabatur, cum in summis æstatis feruoribus manum aliquando admouissem, sensi frigescere, vt verissimæ torpedinis viuæ contactum, inter stuporis causas à Galeno numeratum fuisse existimem, quod fortasse ex Platone hausit, quicum torpedine loqueretur: Καὶ σὺ δὲ *Lib. 1. de sympt. causis.*
αὐτὴ, inquit, τὸν θηρεύοντα ναρκᾶν ποιεῖ. Hac arte piscatorum manib. euadit: cum enim se hamo captam, *In Menone.*
vulneratamque senserit, lineam pinnis amplectitur, mox per lineam virgamque stupor in piscatoris manum immittitur, vt piscatori suum instrumentum de manu excidat. Oppianus. *Lib. 3. Ἁλιευτικῶν.*

Ναὶ μὴν καὶ ναρκη σφέτερον νόον ἔστι δόλοισι — Πληγῇ (*vulnere ex hamo dolens*) ἀνιαζομένη πεπεισμένον ᾗ ὁδὸν ἦσιν
Θέλκειν λαγόνας περιπτύσσεται, αἶψα δ' ἀκάνθης — Ἱππείης δόνακός τε διέρχεται, ἐς δ' ἁλὶ βάπτει.
Δεξιτερὴν ἔσκηψε φερώνυμον ἰχθύϊ πάλην. — Πολλάκι δ' ὁκ πελάμιος κάλαμος πέσεν, ὅππα τε θήρις.
Τοῖον δὴ κρύπτει ἐν ἰζόντι αὐτίκα χθελ.

Frigoris impatiens torpedo, ob id hyeme conditur terra, hoc est, vado maris excauato, Theophrastus citante Athenæo: Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ φωλευόντων, Διὰ τὸ ψύχος φησὶ πολὺ καρκῖλον εἰς γῆς βύθισιν. ἐν δὲ τῷ περὶ τῶν δακέτων καὶ θηλητικῶν, Διαπέπεισθαί φησι πολὺ καρκῖλον τὴν ἀπ' αὐτῆς διύσασιν, καὶ διὰ τῶν ξύλων, καὶ διὰ τῶν ἡιόδων (τριοδόντων *potius*) ποιοῦσαν ναρκᾶν σφᾶς ἐν χεροῖν ἔχοντας. Theophrastus in lib. de his quæ hyeme latent, *Lib. 7.*
scribit torpedinem ob frigus sub terra condi. In libro autem de ijs quæ mordendo & eiaculando venenum infundunt, vim à se emittere, & per ligna, fuscinasque stupore, manus illa tenentes afficere.

Circa autumnum parit, autore Arist. lib. 6. de hist. anim. cap. 10. non noua, sed fœtus viuos exouis, G
quæ intus excludit hos in metu intra se recipit & emittit, eodem Aristotele autore. Et quidem, inquit, iam visa torpedo est grandis: quæ fœtus intra se circiter octoginta haberet.

Diphilus apud Athenæum ait torpedinem concoctu difficilem esse, demptis ijs partibus, quæ circa F
caput sunt, quæ teneræ sunt, ventriculo (*stomacho*) gratæ, & concoctu faciles, reliquas non. paruas autem meliores esse, præsertim simpliciter (ἁπλῶς) coctas. Hicesius ait parum nutrire, & pauci succi esse, aliquid tamen habere, quod stomacho valde gratum sit, (χονδριώδες τι διὰ τὸ ἰσχνὸν εἶναι.) Phi- *Lib. 9. cap. 42.*
lus iecori teneritas (*quidam non rectè legunt, tenacitas*) nulla præfertur, vt scribit Plinius. Qui torpedinem in cibis damnarunt, ij mihi rectius iudicasse videntur. est enim mali succi, insuauisque: humida, molli, fungosaque carne, ob id à nostris reijcitur: quod si quando edatur, abiectis capite, partibusque quæ circa caput & branchias sunt, allijs cepisque condita editur. Et Venetijs, ne in foro piscario vendatur, autoritate præfecti sanitatis cautum est. Quare non possum non mirari quæ Galenus de torpedine scripsit. Mollem habent carnem torpedo & pastinaca, quemadmodum etiam iucundam, quæ modicè aluum subducat, & non difficilè concoquatur, quæque modicè (*mediocriter*) nutriat. Et in consilio pro *Lib. 3. de alim. facul.*
Epileptico, torpedinem solam ex cartilagineorum genere, epilepticis conuenientem cibum esse. Et in libello de Attenuante victu, saxatilibus in penuria substitui vult, præparariique cum beta, aut porro, admisto piperis tantillo, (*cum beta trita, aut albo ture. porrum prolixius miscendo, & piperis portiunculam.*) Et G
in libro octauo methodi medendi cum saxatilibus piscib. asellos substituerit, proximè asellos, inquit, sunt soleæ & torpedo. Idem (lib. 11. de fac. simplic. med.) literis prodidit, se experientia comperisse torpedinem marinam non mortuam, vt nonnulli existimauerant, sed viuam admotam capitis doloribus mederi, sedemque euersam coërcere, idque eadem vi efficere, qua alia medicamenta, quæ sensui stuporem adferunt. Quod quidem ego sic interpretor, torpedinem admotam capitis dolores leuare, stuporem inducendo, cuius stuporis causa sit frigiditas, id quod etiam de opio, mandragora, hyoscyamo verè dicitur, sed non ea solum, sed & cæca quædam vis torpedini à natura insita. Nam idem Galenus *Lib. 1. de cuius sympto.*
hanc torpedinis vim non frigiditati solum, verum etiam obscuræ eius facultati adscribere videtur: cum enim stuporis, qui ex difficili sensu motuque componitur, causas recenseret refrigerationi, partiumque neruosarum compressioni, torpedinis marinæ contactum adiungit. Paulus Ægineta oleum, in quo viua torpedo decocta fuerit, ad acerbiores articulorum cruciatus leniendos prodesse scribit.

De torpedine fluuiatili nihil hic dicendum, à marina enim non differt. Fluuiatilis in Nilo reperitur, C
testibus Athenæo & Strabone. *Aetius quoque fluuialem torpedinem nominat.* *Torpedo fl.*

Maculosa secunda.



SECVNDA Torpedinis ſpecies à prima differt, quod maculas nigras, rotundas, circulis non diſtinctas habeat, ſed eadem pentagoni figura diſpoſitas. Eſt etiam primæ concolor.

Maculoſa tertia. Equidem priores duas oculatas potius cognominarim. hanc vero maculoſam.



TERTIA Magis varia eſt: habet enim maculas diuerſarum figurarum, huc & illuc ſparſas, & ſine ordine.

Torpedinis non maculoſæ icones duæ: quarum minor à Rondeletio exhibita eſt: maior à Cor. Sittardo quondam ad me miſſa.



QVARTA & rotundis & cuiuſuis alterius figuræ maculis prorſus caret. Eſt primæ & ſecundæ concolor.

COROLLARIVM.

A Torpedo Græce quidem vſitatius νάρκη, ſed & alio nomine recentioribus Græcis vſitato, quod à Latino deflexum apparet, τέρπαινα vocatur: id quod tum ex nominis ſimilitudine, tum remedij ad podagras, affirmare non vereor. Hermolaus cum de torpedine diciſſet, ſubdit: Eſt & turpæna piſcis maritimus &c. tanquam à torpedine diuerſum eſſe ſentiens. Narca & Narcon apud Syluaticum nomina ſunt corrupta pro Narce: ſicut & torpigo vel terpigo, pro torpedo. Piſcium nomina quædam facta ſunt à vi quadam. vt hæc: Lupus, canicula, torpedo, Varro. Albertus hunc piſcem ſtupefactorem nominat: aliqui ſimiliter mixobarbari, ſtuporem, ſtupefacientem, ſtupeſcore vt Auicennæ interpres. Iorath obſcurus ſcriptor rahas appellat, Arabico nomine, vt conijcio: Syluaticus rahadar. alij ex Auicenna citant rahadat. ego magis probo rahade ſcribi, (vel cum articulo alrahade, vt Bellunenſis habet) ſicut libro 2. Voluminis eius de medicina, capite 591. legitur. Harada quidem Hebræis ſtuporem ſignificat, vt docet Munſterus in Lexico trilingui: à verbo harad vel charad, חרד, quod eſt ſtupuit, horruit. Berulie, id eſt piſcis ſtupefaciens, torpigo, Syluaticus. Thead, id eſt, torpedo, interpres Serapionis. Syluaticus legit ſead per ſ. ab initio, non per th. Torpedinem Veneti Sgramfum, quod eſt torpeſcentis membri affectus, appellant. Romani autem modo Battipotam, modo Foteriſiam, frequentius vero Oculatellam dicunt, quod in eius doſro quinque ocellos ſubnigros ipſa natura depinxerit, Iouius. Venetijs piſcis hic ab effectu vulgò Tremulo appellatur:

Vulgaria.



pellatur: ſiquidem membro ſtupefacto ſubinde tremorem incutit. Romani verò (me quidem latet, vnde id nomen traxere) eundem vulgari nomine Batti potta, & Fotterigia dicere conſueuerunt: & alijs in locis Itali, Torpedine, Matthiolus. Torpedinem piſcem ab effectu nunc etiam Apuli torpedinem, Veneti tremulum cognominant, Maſſarius. Maſſilienſes Turpilliam corruptè vocant: Ligures Tremorizam, Gillius. Torpedo Romæ eò quod in dorſo quinq; nigricantes notas, oculis ſimillimas, depictas habeat, Ochiatella vocatur. aduertendum tamen (ne homonymia decipiamur) Romæ alium piſcem Ochiata vocari, Melanurum ſcilicet, Salulanus. Olim Cor. Sittardus ad me ſcripſit, torpedinem non maculoſam, Romæ vulgo Motſargo, & Fumicot tremula nuncupari. Oculatæ certè nomen non omnibus, ſed primis duabus tantum à Rondeletio exhibitis ſpeciebus attribuetur. Torpedo ab Hiſpanis vocatur Tremielga, vt ab homine docto Hiſpano accepi; alibi Hugia vt Matthiolus ſcribit. Torpedo vulgò gramphus ab effectu dicitur, quod efficiat guttam grampham; la goutte grampe. nam leuem quendam torporem tangenti inducit. Dicitur etiam Torpin, Gallus quidam innominatus. ſed gramphi nomen, vt diximus, Italicum potius eſt. Memini Gallum quendam olim mihi affirmaſſe torpedinem tum maculoſam, tum ſine maculis, in Prouincia vulgò Gallinã maris appellari: neſcio quàm rectè, mihi quidem non probatur. Rondel. cuculum ſuũ piſcem à Maſſilienſib. Gallinam vocari docet.

Germanica nomina fingemus, ad eorum quibus aliæ gentes vtuntur, ſimilitudem: *ein Zitterling oder Zitterfiſch*, à tremore: *ein Schleffer*, *ein Krampffiſch*. Itali enim ſimiliter (mutuati nimirum à noſtra lingua) ſpaſmũ vocant gramphum, vt noſtri *krampff*. Torpedinem neq; ſpinoſam eſſe, neq; cum echino & echeneide confundendam, Scaliger oſtendit de Subtilitate 218.7.

Torpedo I. Rondeletii.

Torpedinis primæ à Rondeletio propoſitæ iconem olim à Cor. Sittardo accepi, huiuſmodi ferè. Oculata eſt quinis maculis cœruleis, ambiente circulo nigro, & extra illum ſpacio rotundo crebris diſtincto punctis. Paſſim etiam maculis orbiculatis candidis variatur. Prona pars ruffa eſt, partim ad luteum, partim ad puniceum inclinans. oculi exigui rubicundi. Appingitur & hirudo eam exugens.

E Torpedo nigra priuatim ad dolores capitis commendatur. Vide infrà in G.

Torpedo piſcis eſt cartilagineus, Ariſtot. & Plinius. Σελάχια ſunt quæ ſquamis carent, nec oua (*ſed catulos*) pariunt, Suidas. Torpedo ſubrufa eſt prona parte, ſupina autem candida, Iouius. Cerebrum etiam cartilagineis non deeſt. nam ex torpedinis cerebro remedia quædam præſcribuntur. Situs oris torpedinis idem eſt, qui in cartilagineis pleriſque, (id eſt parte ſupina.) Duas iuxta caudam pinnas habet, pro reliquis latitudine vtitur: & vtroq; ſui corporis ſemicirculo, quaſi geminis pinnis natat, Ariſtoteles de partibus 4. 13. Cauda breuis carnoſaque eſt: quoniam incrementum eius partis ad piſcis latitudinem tranſit. Maſſarius. Piſcibus καρχαρόδοις, id eſt, ſerratos dentes habentibus torpedinem adnumerat Mneſimachus apud Athenæum. Huius iecori teneritas (Wottonus legit tenacitas, non laudo) nulla præfertur, Plinius. Hepar habet tenerrimum, Albertus. Solo tactu omnia congelat. vis (ea) in alis, quæ etiam aculeis munitæ ſunt, Cardanus Variorum 7. 37. ſed neque alas neque aculeos torpedo habet: & vis hæc inferendi torporem à toto eius corpore manare videtur. lege infrà in D. Fel ei in iecore poſitum eſt, Ariſtoteles. Planus & cartilagineus eſt piſcis: cuius corpus, ſi caudam dempſeris, vti planum & valde preſſum, ita etiam orbiculare eſt. Capitis nullum ferè veſtigium apparet. Lingua in ore nulla. Ante os (quod inferiore parte eſt) olfactus gratia bina inſculpta ſunt foramina. Inferiore etiam parte branchias detectas, & vtrinq; quinas habet. in vtroq; enim ventris latere quina branchiarum orificia, parua, ſemicircularia, tenuiq; quadã cuticula ferè contecta, cõſpiciuntur. Præterea hac eadem inferiore parte, in caudæ exortu podex extat. Poſterior corporis pars in caudam carnoſam & breuem, in latiuſculamque pinnam deſinentem degenerat: etſi Ariſtoteles (de Partibus animal. 4.13.) torpedini non ſecus quam paſtinacæ ſpinoſam & longam caudam tribuat. Duas iuxta caudam pinnas gerit: vtrinque ſcilicet, ad caudæ exortum, vnam craſſiuſculam, & ſemicircularem. In medio verò ſuperioris partis caudæ, aliæ duæ eriguntur pinnæ: vna ſuperior & maior, altera inferior & minor. Partes quæ ad caudam ſunt (teſte Galeno) medijs partibus ſunt corpulentiores. nam partes mediæ videntur in ſeipſis habere velut cartilaginem quandam tabidam. Molli & lubrica cute tegitur, venter ſubalbidus eſt, dorſum verò ſubflauum. quod quidem dorſum in nonnullis torpedinum (etſi nemo veterum id notauerit vnquam) quinæ maculæ rotundæ, nigricantes, oculoſque egregie repræſentantes, & pentagoni figura collocatæ: in alijs verò aliæ minores, ſed plures, albicantes, & nullo ordine digeſtæ, depingunt: cum in reliquis ſubflauum dorſum his omnibus maculis careat. Magnum & carnoſum habet ventriculum, inteſtinum verò breue & amplum. hepar pallidum, in dextram & ſiniſtram diuiſum fibras. Fellis veſica, quæ pro piſcis mole ſatis magna eſt, iocineri committitur. dextræ enim fibræ annexa, in ſiniſtram etiam meatus ſiue venulas quaſdam immittit. Lien paruus eſt: & ſubrubens. vterus oblongus & bifidus. Haud multum excreſcit. nullam enim hucuſque, quæ ſenas exceſſerit libras, vidimus: etſi Ariſtoteles & Plinius grandem torpedinem, quæ fœtus intra ſe circiter octoginta haberet, iam viſam eſſe referant, Saluianus.

C Degit torpedo in cœno & paludibus (τενάγεσι) maris, Oppianus. Natat latitudine ſua, & duabus iuxta caudam pinnis, vt in B. dictum eſt. quamobrem pigra eſt. Terra, hoc eſt, vado maris excauato condi per hyemes torpedinem, pſittam, ſoleamque tradunt, Plin. Theophraſtus in lib. περὶ φωλευόντων, torpedinem ait terram ſubire propter frigus, Athenæus. Circa æquinoctium (*autumno: vel, vt Maſſar. cita, circa autumnum paulò ante æquinoctium*) parit, Plinius. Torpedo octogenos fœtus habens inuenitur: eaque intra ſe parit oua præmollia, in alium locum vteri transferens, atque ibi excludens, Idem. Torpedo oua mollia intra ſe parit, (*fœtus autem viuos in lucem emittit, vt & alia cartilaginea:*) nam ſi ouum foras prodiret, facile periret, carens putamine quod protegat duriore, Maſſarius tanquam ex Ariſtotele.

Torpedinis in piſcatione calliditas.

D Torpedo, ſeſe ſupinam in terram abijcit, & humi ſtrata iacet immobilis tanquam mortua: Ac ſi quis ex piſcib. ad eam appropinquat, hic primum tanquam vinculis conſtrictus tenetur, & tanquam arctiſſimo ſomno opprimitur. Poſt verò hæc quanuis non læuis ſit, tamen celeriter ex latebris erumpens piſcem mortuo ſimilem edit: Et ſæpe ita natantes piſces medijs fluctibus incurrens, eorum celeritatem tardat, & vel properantes ſuis vinculis aſtringit: ij debilitati, fugere obliuiſcuntur. Illa verò eos à fugiendo retardatos torpore, exedit & conſumit. Gillius ex Oppiani Halieuticorum 2. Paſtinaca etiam ſeipſam occultat, ſed non ſimili modo, quo rana piſcatrix & torpedo. argumentum ſic viuere hos piſces adduci poteſt, quod ſæpius habentes in ventre mugilem capiuntur velociſſimum piſcem, cum tardiſſimi ipſi ſint, Ariſtot. Torpedo quam vim habeat, nemo neſcit: nempe qua non ſolum tangentes alligat, ſed per ipſum etiam rete, obtorpefacientem grauedinem piſcatorum manibus inducit.

De torpore qui ex ea infertur

Ac narrant quidam periclitati ſæpe, ſi quis cum viua elabitur ſuperne interea manibus agitet aquam, vim ad manus remeantem, & tactum obſtupefacientem penetrare, aqua prius omni, vt videtur, mutata infectaque. Hanc igitur vim ſuam quoniam exploratam habet, certamen quidem cum nullo ſuſcipit, nec periculum adit: inſidiatorem verò circumiens, & tanquam ſpicula vim iſtam ſuam tacitè interim mittens, primum aquas, mox ipſum per aquas animal inficit, ſic vt iam nec tueri ſe nec fugere poſſit, ceu vinculis conſtrictum alligatumque, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Si quis eam manu viuam tenuerit, torporem brachio inſpirat, Maſſarius. Huius piſcis torporem meæ manus tactione periclitatus ſum: ſed haudquaquam mihi manus tantopere obtorpuit, quàm ſcriptores decantant. Torpor non modo letalis non eſt, ſed non ita multo poſt euaneſcit, Gillius. Ea potentia torpedo prædita eſt, vt ſi fuſcina attingatur à piſcatore, tranſmiſſa qualitate per haſtam ad manum, eam repente obſtupefacit, Galenus libro ſexto de locis affectis. Theophraſtus in libro de ijs

de ijs quæ morſu vel ictu venenum immittunt, torpedinem ſcribit vim ſuam tranſmittere etiam per ligna & fuſcinas ita vt manus tenentium obtorpeſcant. Athenæus. Non ſolum ſi manu retineatur, ſed è longinquo etiam torporem inſpirat. nam & retis intervallo, vt inquit Auerroys octauo Phyſicorum, & ſecundo cœli & mundi, hunc affectum eam inferre certum eſt, Maſſarius. Idem Iorath quidam author obſcurus ſcribit, & Andreas Bellunenſis, Alrahade (inquit) piſcis reti captus, cum ad piſcatores rete trahentes appropinquat, ſtupefacit manus ipſorum. Scorpioni torpedo admota eum comprimit, Gillius ex Aeliano: non rectè. Verba enim Æliani ex noſtra translatione hæc ſunt: Stellionem ſcorpius hoſtiliter odit: & eo admoto torpore afficitur. Vide in libro noſtro de Quadruped. ouiparis in Stellione D. De therionarca & alijs herbis quæ admotæ ſcorpijs alijſve animalib. torporem afferant, abunde ſcripſi in Lupo quadrupede H. a. pag 628. Torpedo tangentem, vtcunq; celeriter manum retrahat, ſtupefacit, adeo vt vnus de ſocijs noſtris, qui extremo digito punctim tantum attigerat, vix intra dimidium annũ lotionibus & vnguentis calidis brachio ſenſum reſtituerit Albertus. Manum hominis qui torpedinẽ contigerit torpore affici, etiamnum puer à matre frequenter audiui. Præterea à viris peritis accepi, illum qui rete in quo fuerit capta, attigerit, omnino paſſurum torporem. Item ſi quis eam viuam in vas impoſuerit, & marinam aquam infuderit, ſi quidem grauida fuerit, pariet ſuo tempore. Eam deinde aquam ſi ex vaſe in hominis aut manum aut pedem infuderit, membra hæc non dubitanter obtorpeſcẽt, Ælianus De animalibus. 9.14. Si quis liquorem Cyrenaicum teneat, & torpedinem apprehendat, nihil ab ea patietur, Idem 5.37. Auerroes cæterique philoſophi torpedinem ea qualitate manus adficere, qua ferrum à magnete lapide pertrahatur, exiſtimarunt, Iouius. Idem Simocatus ſcribit, & addit: quoniam aer medius εὐπαθὴς, διηχὴς, διαφανὴς & διάτμητος eſt: idque Dei conſilio, vt per aerem terra cœleſtibus iungeretur. ſic etiam contagia ophthalmiæ accidunt, &c. Plinius de echeneide loquutus, ſubdit: Quis ab hoc tenendi nauigia exemplo de vlla potentia naturæ atque effectu, in remedijs ſponte naſcentium rerum dubitet? Quin & ſine hoc exemplo per ſe ſatis eſſet ex eodem mari torpedo: etiam procul & è longinquo, vel ſi haſta virgaue attingatur, quamuis præualidos lacertos torpeſcere, quamlibet ad curſum veloces alligari pedes: Quod ſi neceſſe habemus fateri hoc exemplo eſſe vim aliquam, quæ odore tantum & quadam aura ſui corporis afficiat membra, quid non de remediorum omnium momentis ſperandum eſt? Torpedo ſolo tactu omnia congelat. vis in alis, quæ etiam aculeis munitæ ſunt, Cardanus, nos ſupra in B. alas & aculeos ei negauimus. Vis ſane illa torporans, à toto huius piſcis corpore emanare mihi videtur. nam vel felli, quæ calidiſſima in animalibus pars eſſe ſolet, facultatem eandem ineſſe, ex eo conijcimus quod Plinius ſcribit, fel torpedinis viuæ genitalibus illitum, Venerem inhibere. Remora tollit motum, torpedo non tollit, ſed deprauat. non enim quieſcit piſcatoris ſed tremit manus, vnde Tremulam vocant Iſtri. Quin in litore Britonum relabens æſtus cum vnam in ſicco reliquiſſet, & adoleſcens vt eam palpitatione tentantẽ abitum ſiſteret, pedibus inuaſiſſet, ipſo in veſtigio totus tremuit, Scaliger. Zeilam inſulę fluuius Aroton piſcoſiſſimus eſt. cæterum piſces illi neutiquam eſculenti ſunt. è quodam genere vnum ſi quis manu capiat, continuo febre corripitur. amiſſo piſce, ſtatim liberatur. idcirco eum febrium appellauimus, Idem.

Febrium piſcis.

Torpedinem viuam tantũ, non frigiditate, ſed vi quadam occulta ſtupefacere.

Torpedinem viuam ſtupefaciendi facultate præditam eſſe, (inquit Saluianus,) extinctam verò illa eadem priuari, præter id quod reipſa experimur (vti enim viuæ contactu torpeſcunt membra: ſic demortuam citra omnem torporem contrectamus atque comedimus) authorum etiam teſtimonijs comprobari videtur. (*Aeliani verba iam ſupra retulimus: Galeni vero requires ſupra in Rondeletij ſcripto de hoc piſce, ſegmento G,*) Pręterea non manifeſta ſolum, frigiditate nẽpe, ſed cæca etiam qualitate eam ſtupefacere, tum ratione, tum authoritate comprobatur. Cum nanque viua ea facultate polleat: mortua verò, eadem orbata ſit: clariſſima ratione intelligitur, eam ſtupefaciendi vim non à manifeſta qualitate, frigiditate ſcilicet, quæ multo maior in mortua (extincto natiuo calore) dubio procul reperitur: ſed à cæca & nobis incognita (cuius viua ſolum particeps eſt) emanare. Quod Galeni quoq; confirmatur teſtimonio; qui cum torporis cauſas enarrans, inquiat: Torpor verò, qui ex tam motus quam ſenſus difficultate eſt compoſitus, in toto corpore, & maxime in artubus, manifeſte videtur à frigore, & compreſſione neruoſorum corporum, incidere. ad hæc etiam à torpedinis marinæ contactu: ſi torpedinem frigiditate ſolum ſua torporem inferre arbitratus eſſet: cum primo loco torporis cauſam frigiditatem poſuerit: fruſtra rurſus tertio loco ac ceu tertiam cauſam ipſius torporis, torpedinis contactum ſtatuere. (*In libro quidem de vſu reſpirationis Galenus diſertè, occultam qualitatem facit, qua torpedo ſtupefaciat.*) Poſtremo, vt refert Athenæus, Diphilus Laodiceus in libro de theriacis Nicandri, ſcribit: Non totum hoc animal, ſed partem eius quandam torpefacere, Cui non ſolum ſubſcribere, ſed partem eam etiam explicare videtur Oppianus, his verſibus;

Quod non aliqua parte tantum ſtupefaciat.

At duo ſe tollunt diſtenta per ilia rami,
Qui fraudem pro robore habent, piſcemq; tuentur.
Quos ſi quis tractat, perdit per membra vigorem,
Sanguine concreto, rigidos nec commouet artus.
Soluuntur ſubito contracto in corpore vires.

Verum cum hi rami, ſiue radij (vt magis Græca vox ſonare videtur. κερκίδες enim ab eo vocantur) nulli in torpedine appareant (niſi ſemicircularia eius latera, κερκίδας, id eſt, radios, vel ramos, vt vertit interpres, ab ipſo impropriè admodum appellari credamus:) cumque reliqui ſcriptores omnes (vt qui nunquam alicui tantum torpedinis parti illam vim ineſſe notauerint) torpedinem totam torporem inferre arbitrari videantur: nos quoque non aliquam tantum partem eius, ſed ipſam totam torpefaciendi facultate præditam eſſe, cenſemus, Hucuſque Saluianus. Vehemens torpedinis virus inſuperabili frigore præditum, vbi duriorem aliquam materiam nactum fuerit, quippe vel vimen, vel funem, illi pertinacius & copioſius adhæreſcit, circunfuſumq; aera facilius cõtaminat, atq; ita perrepit, nõ ſecus

rinę torpedini simillimus esse, &c. Gaudentius Merula. Græca Menonis verba hæc sunt. καὶ δοκεῖς μοι παντελῶς, εἰ δεῖ τι καὶ σκῶψαι, ὁμοιότατος εἶναι τό, τε εἶδος, καὶ τἆλλα, ταύτῃ τῇ πλατείᾳ νάρκῃ τῇ θαλαττίᾳ. καὶ γὰρ αὕτη τὸν ἀεὶ πλησιάζοντα καὶ ἁπτόμενον, ναρκᾶν ποιεῖ. καὶ σὺ δοκεῖς μοι νῦν ἐμὲ τοιοῦτόν τι πεποιηκέναι ναρκᾶν. ἀληθῶς γὰρ ἔγωγε, καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα ναρκῶ, καὶ οὐκ ἔχω ὅ, τι ἀποκρίνωμαί σοι. Huic modestissimè respondet Socrates. Ἐγὼ δὲ εἰ μὲν ἡ νάρκη αὐτὴ ναρκῶσα, οὕτω καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖ ναρκᾶν, ἔοικα αὐτῇ. εἰ δὲ μή, οὔ. οὐ γὰρ εὐπορῶν αὐτός, τοὺς ἄλλους ποιῶ ἀπορεῖν: (*hoc quidem sophistæ esset:*) ἀλλὰ παντὸς μᾶλλον αὐτὸς ἀπορῶν, οὕτω καὶ τοὺς ἄλλους ποιῶ ἀπορεῖν.

f. Torpedines cum aliis conuiuij cibis nominantur ab Epicharmo in Nuptijs Iunonis: & narcion, id est torpedo parua, in conuiuio quod Philoxenus Cytherius describit: Νάρκη πνικτή, ab Antiphane inter alias lautitias. Ὁ μὲν ἀγρῶ τρεφόμενος, θαλάττιον μὲν οὗτος οὐδὲν ἐσθίει Πλὴν τῶν περὶ γῆν γόγγρον τινά, ἢ νάρκην τινά, Idem Antiphanes.

h. Clearchi Solensis peripatetici de torpedine liber ab Athenæo citatur.

Torsio à quibusdam non recte scribitur pro Thursio.

TRACHELVS quid sit in testaceorum genere Rondeletius explicat in Pinna. est autem alias partis in illo genere, alias conchæ nomen.

TRACHVRVS idem esse creditur, qui & σαῦρος (id est lacertus,) Rondeletius. Vide supra, elemento L. Scithacus (Σκιθακός) piscis, idem est qui & trachurus, Hesychius & Varinus. Scribitur & Σκίθαρχος inferius apud Hesychium non suo loco. Diocles piscium recentium (νεαρῶν, *si recte legitur*) carnes ait esse sicciores, vt scorpios, cuculos, (*mallem hæc nomina in genitiuis,*) passeres, sargos, trachuros. Ad trachuros & melanuros esca: Vrticas madefaciens cum succo viridis coriandri, ex eisq; cum simila pastas conficiens, vtitor, Tarentinus Andr. Lacuna interprete.

TRAGI (id est, Hirci) nominantur ab Ouidio inter pelagios. Oppiano τράγοι pascuntur sub herbis in litore algoso. Halieut. I. Chalcides, tragi, acus & thrissæ, pisces sunt acerosi, macri & minime succulenti, Hicesius. Tragon alij mænam marem, alij pisciculum alium exocœto similem vocant, Rōdeletius. Vide supra de Hircis piscibus pag. 424. Elemento H. item inter Asellos in Grillo vulgari Bellonij, pag. 92. Tragus Festo etiam conchæ genus est mali saporis: inde forsitan nomen, quod oleat sapiatve hircum. At in spongiarum genere tragis durities & asperitas nominis causa videtur. Grillum vulgo dictum Mustelę marinę speciem si quis tragum putarit appellandum, mollem & in cibis delicatum piscē barbulis forte seu cirris arunci instar ab eius mento pendulis, nominis rationem imputabit. Pisces quidam ab Aristotele epitrageæ esse dicuntur, hoc est steriles. lege supra in Balagro, pag. 123. Inter arbores aliqui tragum pro caprifico dixerunt.

TREBII Nigri authoris verba de quibusdam piscibus à Plinio citantur: Albertus vero imperitissime Trebium piscem facit, attribuens ei quæ Plinius de piscibus diuersis, echeneide, phycide & gladio scripsit.

TRICHIS piscis (vel Trichias, vel Trichæus) non alius quam thrissa videtur quibusdam: alijs verò potius sardina, quorum sententiæ nunc magis faueo. Vide iam prius à nobis obseruata. supra in Alausa, pag. 21. item in Sardina, pagina 823. Alia est trichiàs (oxytonum) è thunnorum genere: de qua itidem in Sardina scripsimus. Τριχιάδες χαλκί, Callimachus in Nomenclaturis gentium. Vide supra in Chalcide A. Scaliger clupeas siue thrissas (id est alausas) minores à Græcis trichides vocari putat. Apuæ, membrades, trichides, & alia quorum spinas simul ingerimus, omnia flatulentam concoctionem reddunt, & alimentum humidum præstant, &c. Elixa præferuntur, ventrem inæqualiter subducunt, Mnesitheus, vt recitaui in Apuis, Eritimos pisces memorat Dorion chalcidibus eas idem facere dicēs (κατὰ τὸ αὐτὸ ποιεῖν ταῖς χαλκίσι,) esse autem suaues in hypotrimmate, Athenæus lib. 7. sed quid chalcides quidem faciant, prius non dixerat: trichides verò saltatione & cantu delectari dixerat, ita vt cum audierint è mari exiliant.

Τριχίας ex Mnesimacho nominatur apud Athenæum lib. nono. Τῶν οὖν κορακίνων πέρι γ' οὐχὶ λαμβάνεις, Οὐδὲ τριχίδων, οὐδ' οἷον ἑψητῶν τινῶν, Alexis. Ἕψη τὸν λέπας, εὐτελὲς τι βρωμάτιον ἦν, ὥσπερ καὶ τριχίας, (τριχίαι,) Pollux 6.9.

TRIGOLAS, Τριγόλας. Quære supra in Mullo H. a. inter deriuata.

TRINCVS vel TRYNCVS. vide Brincus, pag. 130.

DE TRITONE.

DE TRITONE pelamydum siue thynnorum generis pisce, (magno, sine squamis, orcyno simili, quē Græci quidam chelidoneam nominant,) diximus supra, Corollario I. de Thunnis. Hic de Tritone siue fabuloso, siue monstro & semihomine marino loquemur. De hominibus quidem marinis plura dedimus supra, Elemento H.

Ex Aeliano. Etsi non admodum explicatam rationem ad demonstrandam Tritonum formam piscatores afferre posse dicuntur: magna tamen fama est in sermone hominum sane multorum, cete quædam à capite ad medium corporis humanam speciem, similitudinemque gerentia in mari nasci. Demostratus in libris quos de piscatu conscripsit, exiccatum Tritonem in oppido Tanagra spectatum fuisse, cætera quidem (inquit) fictis & pictis similem: eius vero caput, quod vetustate obscuratum esset, & euanuisset, non facile intelligentia comprehendi & percipi potuisse: sed ad solam tactionem illius squammas asperas & præduras dilapsas fuisse. Idemq, affert; quempiam ex magistratibus Græcię, qui sortitione facta annuum magistratum gerunt, cum eius naturam exquirere experirique vellet, paulum quiddam de corio detraxisse, atque in succensum ignem iniecisse, idque ambustum in circumstantium nares teterrimum odorem immisisse: Neque verò quemadmodum inquit, terrenumne an marinum esset animal coniectura assequi poteramus. Sed male ei hæc curiositas cessit. Paulo post enim diem extremum clausit, cum è parua nauicula exiguum & angustum fretum traijciens, in mare incidisset: quod ei accidisse Tanagræi interpretabantur, propter impietatis crimen aduersus Tritonem, coniectura inde sumpta, quod

quod defuncti cadauer è mari reiectum sanie stillasset eiusdem odoris qualem adustum ab ipso Tritonis corium emiserat. Ego quidem vt Tritones esse credam, Dei veracissimi testis reuerentia moueor. is est Apollo Didymæus: qui Tritonem marinam pecudem (θρέμμα θαλάττιον) cognominat, vbi cecinit:

Θρέμμα Ποσειδάωνος ὑγρὸν τέρας, ἠπύτα Τρίτων, Νηχόμενον γλαφυροῖς ὁρμήμασι συνέτυχε νηός:

Dum vocale maris monstrum natat æquore Triton, Neptuni pecus, in funes forte incidit extra Demissos nauim, Aelianus de Animalib. 13. 21.

Eundem Tritonem Pausanias in Bœoticis describit, his verbis: Tanagræ in Bacchi templo simulacrum eius habetur spectatu dignum, quod & ex Pario est marmore, & à Calamide confectum. plus tamen admirationis Triton (*Tritonis cadauer*) meretur. est autem de eo sermo duplex: prior & honestior (σεμνότερος) eiusmodi. Tanagræorum aiunt primæ nobilitatis mulieres Bacchi Orgijs initiatas, lustrationum causa in mare descendisse, has natanteis aggressum esse Tritonem. itaque Baccho eas supplicasse vt auxilium ferret: qui mox exauditis earum precibus pugna Tritonem superarit. Alij vero verisimilius narrant: cum Triton omnia ad mare acta pecora per insidias raperet, & nauigia quoque minora inuaderet, Tanagræos cratērem vino plenum exposuisse. hunc mox odore allectum aduolasse: & , vt bibit, sopore obrūtum in litore procubuisse: & à Tanagræo quodam securis ictu ceruicem ei præcisā. (*Similiter Satyrum libidinosum ab Apollonio deceptum vino, Philostratus refert. & Triton ceu Satyrus quidam marinus videri potest.*) Propterea capite caret. Quia verò ebrium viderunt, à Baccho interfectum putant. Vidi etiam alium Tritonem inter Romanorum miracula, sed isto apud Tanagræos minorem. Figura autem eorum hæc est. (παρέχονται δὲ ἰδέαν οἱ Τρίτωνες, addo τοιαύτην.) Capillos habent in capite instar ranularum palustrium, (ἔχουσιν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ κόμην, οἷα τὰ βατράχια ἐν ταῖς λίμναις. *non quod ranæ etiam capillos habeant, sed forte quoniam ad latera partes capitis in eis protuberant: & propter causas sequentes,*) tum quia colore eis respondent, tum quia discernere pilum vnum ab alijs non possis. Reliquum corpus exiguis squamis horret, quæ duritie & asperitate limam referant, (φολίσι λεπτῇ πέφρικε σφισὶ κατὰ ἰσχὺν ῥίνης. *Volaterranus primum, deinde Massarius, Gillius, & alij huius loci interpretes, quos viderim,* ῥίνην *hic pro pisce accipiunt, quem squatinā Latini vocant, non recte. Aeliano squammæ Tritonis sunt τραχεῖαι καὶ ἀντίτυποι εὖ μάλα, hoc est, asperæ & prædurae.*) Branchias (*Si naturæ cetaceæ sunt, & in terram prorepunt, & vocem edunt, branchiæ eis non conuenire videntur: sed pulmo, arteria & respiratio, quibus & nasus congruit*) sub auribus habent, nasum humano similem: os verò amplius, (εὐρύτερον, *rescissum & latum, Nic. Leonicenus, qui Variorum 2.84. hunc Pausaniæ locum interpretatur:*) & dentes ferinos. Oculi glauci mihi videntur. Manus quoque habent, ac digitos, & vngues cochlearum operculis, (τοῖς ἐπιθέμασι τῶν κόγχλων: *quæ quidem in conchylijs & purpuris propter vnguium similitudinem, vngues etiam appellantur, vulgo blattæ Byzantiæ. interpretes plerią, hic lapsi sunt.*) Sub pectore & ventre caudam pro pedibus habent, qualem delphini. Hucusque Pausanias. Idem in Arcadicis: Inter cætera fabulosa (inquit) audiui, Tritones vocem humanam edere: sunt qui etiam cochleam pertusam eos inflare dicant.

Alexander ab Alexandro Genialium dierum 3.8. cum hominis marini & Nereidum mirabiles historias exposuisset, subdit: Sed super omnia nostro æuo haud absimile factum comperimus in Epiro, profecto exemplum inter pauca memorabile, quod nonnulli prodendum posteris putarunt, & actis quoque publicis testatum est. Ad fontem iugis aquæ, ad quem mulieres ex oppidulo aquatum ventitabant, Tritonem seu marinum hominem è spelunca, quam forte ibi nactus fuerat, obseruare solitum, si quando solam ad aquas accedentem, aut per litus ambulantem mulierem videret, ipsum ex vndis & spelunca leni gressu tacitisque vestigijs desilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem ex insidijs adoriri, & ad mare concubitus causa arripere, arreptamque sub vndis deferre consueuisse. Quod cum apud loci incolas percrebuisset, diligentius marinum hominem obseruasse, & cum diutuliùs laqueos illi intendissent, haud multo post dolo captum & laqueis vinctum cepisse. cumque cibo abstineret, extra aquas diutius viuere nequisse, squaloreque tandem & tædio ad extremam tabem venisse. Tenet fama Venereos eos, & flagrantissime mulierum amasios esse. propterea oppidi incolas edicto inhibuisse, ne qua deinceps ad fontem mulier, nisi viris comitata accederet. Hæc nos & eiusmodi, ab his qui diuersa maria penetrarant, & eadem monstra placidis aquis colludentia vidissent, & in occursum nautis exertis capitibus ab vndis, occurrisse, & voces audisse referebant, plerunque accepimus. Hactenus Alexander ab Alexandro. Plinij de Tritonibus verba, supra posuimus ad finem capitis Rondeletij, *Plinius.* quod inscribitur De pisce monachi habitu, initio paginę 439. & deinceps. Massarius recitatis Plinij verbis, de Tritone concha (*Cochlea*) canente qua noscitur forma, addit: Ex his verbis videtur fabulam à vera historia originem duxisse. Tritonem poetæ describunt corpore hispido, à capiteque vsque ad ima latera hominem repræsentante, ac exinde in caudam oblongam deficiente, & in extremitate lunatam seu bifurcatam, vt Apollonius in Argonauticis tradit, concha ea canentem qua & homines canere solent turbinata, oblonga, clauiculatimque intorta, quam buccinam vocamus, Massarius.

Per idem tempus apud Aegyptum in Nilo flumine Mena præfecto vna cum populo deambulante, in loco qui Delta nominatur. Sole orto animalia humanę formę apparuerunt in flumine, vir scilicet & mulier. Et vir quidem erat pectorosus, vultuque terribilis, ruffa coma, canisque permixtis, & vsque ad lumbos denudabat naturam; & cunctis demonstrabatur nudus: reliqua autem corporis membra cooperiebat aqua. Hunc præfectus iuramento constrinxit, ne destrueret aspectum, priusquam omnes saturati fierent hoc inopinato spectaculo. Porro mulier & mamillas habebat, & fœmineum vultum, cæsariesque prolixas: & vsque ad horam nonam omnis populus mirabatur, videntes hæc animantia, quæ hora nona in flumen demersa sunt. Sane Menas imperatori Mauricio hęc scripsit: Ex voluminis rerum Romanarum libr. 17. quod partim Eutropio authori, partim Annalibus Constantinopolitanis adscribitur. Et superius in eodem libro: Cum imperator Mauricius vi ventorum inopinate saluus ad locum qui dicitur Daonium vix venisset: nocte illa muliercula peperit puerum oculorum & palpebrarum

brarum exſortem, manuſq; ad brachia non habentem, à lumbo autem erat ei vt cauda piſcis naturaliter hærens. quo viſo, imperator præcepit vt occideretur. Vide etiam ſupra in Hominibus mar. pagina 440.

Triton fingitur filius Neptuni & Amphitrites, à capite ad vmbilicum homo, inde delphinus: & tanquam ἡμιόλιος τις, id eſt ex piſce centaurus. Lycophron Neptunum, Tritonem vocat Varinus, ex Iſaacij commentarijs in Lycophronem. Triton ſecundum aliquos Scyllæ pater fuit, Euſtathius. Ex Gyraldi de Dijs hiſtoria: Triton Neptuni filius & Amphitrites, vt canit Heſiodus: Seruius tamen Salaciæ, (vt eadem Græcè dicatur forſan Amphitrite, quæ Salacia Latinè.) Phurnutus Tritonem ita deſcribit: Biformis (inquit) fuit, hominis partem habens, partem ceti, propter duplicem liquoris vim, alterã quidem vtilem, alteram verò noxiam. dictus Triton vel ἀπὸ τῆς ῥύσεως, id eſt, à fluxu, τ. litera ſuperiuncta: vel ἀπὸ τοῦ τρέφειν, vt in Amphitrite dictum eſt, per antiphraſin, quod non timeat. Triton elegantiſſime ita in Metamorphoſi ab Ouidio deſcribitur: Cæruleũ Tritona vocat, conchaq; ſonanti Inſpirari iubet, fluctuſque & flumina ſigno Iam reuocare dato, &c. Et ab huius forma Vergilius in decimo, nauem effinxit: Hunc (Auleten) vehit immanis Triton, & cærula concha Exterrens freta, cui laterum tenus hiſpida nanti Frons hominem præfert, in priſtin deſinit aluus. Spumea ſemifero ſub pectore murmurat vnda. Tubicen Triton à poetis Neptuni fingitur. Huius Hyginus in Cancro meminit, & poeta Claudianus. Dicimus & Tritones, numero plurium. Vergilius: Tritoneſque citi, Phorcique exercitus omnis. Sane ſciendum, quod Nilus Ægypti fluuius, Triton quoque dictus eſt, Lycophrone teſte. quo loco interpres ideo Tritonem illum appellatum obſeruat, propter eius tria in primis nomina. primo enim Oceanus dictus eſt, deinde Aetos, id eſt Aquila, ab eius curſus velocitate: demum Nilus. Fuit & Triton fluuius alius Libyæ, ſeu palus: vnde Tritonia & Tritogenia Pallas, Hæc Gyraldus Syntagmate 5. de Dijs. Tritonum cateruç, hic concha ſonaci leniter buccinat, ille ſerico tegmine flagrantiæ Solis obſiſtit inimici, alias ſub oculis dominæ (Salaciæ) ſpeculum pregerit, Apuleius in quarto de Aſino aureo. Tritones & Amphitrite & triæna (id eſt tridens) Neptuni, ſua nomina inuenerunt, quoniam mare triton, id eſt tertium locum obtineat poſt cœlum & aerem, Plutarchus in libro de Iſide. atqui Τρίτων numerale nomen, ſuum iota corripit, Triton ſemper producit. Εἴδωλα dicuntur ſimulachra rerum non extantium, vt Tritones, Sphinges, Centauri, Suidas. Idem ſcribit Tritonis nomine aliquando Neptunum aut mare intelligi, vt in his verſibus: Καὶ βυθίλευ Τρίτωνος ἁλιπλάγκτοιο χαμεύνευ Σπόγγον ἀκεστορίλευ πλαζομένης ῥεαφίδος. Τρίτωνες πόντοιο βαθυῤῥέες ἐναετῆρες Κόγχοισιν τανυαὶς γάμιον μέλος ἠπύοντες, Theocritus Idyllio 20. Ἡ δὲ Φαληρικὴ ἦλθ' ἀφύη Τρίτωνος ἑταίρη, Matron Parodus. Sed tum forte caua dum perſonat æquora concha, Æmulus exceptum Triton (ſi credere dignum eſt) Inter ſaxa virum ſpumoſa. immerſerat vnda, Vergilius Æneid. 6. de Miſeno tubicine. Cymothoë ſimul, & Triton adnixus acuto Detrudunt naues ſcopulo: leuat ipſe tridenti, Et vaſtas aperit Syrteis, &c. Idem Æneid. 1. Armigeri Tritones eunt, ſcopuloſaque cete, Statius lib. 1. Achill. Triton à Vergilio nauis Auletæ, vt Tigris Maſſici, Apollo Abantis, &c. videntur omnes à depictis ſeu ſculptis, vt fit, in eis monſtris vel dijs tutelaribus nuncupatæ, Nic. Erythræus. Τρίτων caput ſignificat, Triton fluuius eſt Libyæ: Vide Indicem Græcum in Parecbolas Euſtathij. Tritonem Germani vocare poterunt *ein Waſſerman*, *ein Seeman*: id eſt, Aquatilem vel marinum hominem. Δικέφαλος (nominatur) alcæa, id eſt cauda duplex, qualis eſt Tritonis, in duas partes diuiſa, apud Apollonium (in Argonauticis.) Varinus.

Nauis.

Icones.

De Tritonum imaginibus, in precedentibus nonnulla diximus: crebro enim ſculpi, fingi ac pingi ſolebant: vnde & nauem Tritonem nuncupatam monuimus. Nicolaus Erythræus: Tritonem (inquit) eiuſque buccinam deſcribit Ouidius Metamorph. 1. hodieque viſuntur Romæ ea forma (qua à Vergilio & Ouidio deſcribuntur) imagines pleræque. Illud non omiſerim, Tritonas cum buccinis faſtigio Saturni ædis ſuperpoſitos, quoniam ab eius commemoratione ad noſtram ætatem hiſtoria elata, & quaſi vocalis eſt: ante verò, muta, & obſcura, & incognita, quod teſtantur caudæ Tritonum humi (*forte mari*) merſæ & abſconditę, Macrobius Saturn. 1. 8. In maxima dignatione operum è marmore Scopæ artificis, Cn. Domitij de lubro, in Circo Flaminio, Neptunus ipſe, & Thetis, atq; Achilles: Nereides ſupra delphinos & cete & hippocampos ſedentes, item Tritones, chorusque Phorci, &c. Plinius 36. 5. Neptuni templo in Iſthmo imminent Tritones ærei, &c. in iplo etiam templo præter cætera tritones duo viſuntur aurei, à lumbis inferne elephantini, Pauſanias in Corinthiacis. Claudius Cæſar emiſſurus Fucinum lacum, naumachiam ante commiſit. quo ſpectaculo claſſis Sicula & Rhodia concurrerunt, exciente buccina Tritone argenteo: qui è medio lacu per machinam emerſerat, Suetonius.

Emblema Alciati, ſub lemmate, Ex literarum ſtudijs immortalitatem acquiri.

Neptuni tubicen, cuius pars vltima cetum,
Æquoreum facies indicat eſſe deum:
Serpentis medio Triton comprenditur orbe,
Qui caudam inſerto mordicus ore tenet.
Fama viros animo inſignes, præclaraq; geſta
Proſequitur, toto mandat & orbe legi.

PAN

PAN VEL SATYRRVS MARINVS.



ICONEM hanc ichthyocentauri, ſiue dæmonis marini, vt ita dicam, à pictore quodam olim accepi: qui talis monſtri ſceleton Antuerpiæ depictum ſe accepiſſe aiebat. Alius etiam retulit ſimile monſtrũ aridum è Noruegia in Germaniam inferiorem aduectum, marem & fœminam. Fidem ei facere poſſunt ſimilium monſtrorum effigies, ſupra in Homine marino à nobis exhibitæ: imprimis verò illius quod Romæ viſum eſt, anno Salutis M. D. XXIII. ei quod hic propoſuimus ferè ſimile, ſed abſq; cornibus. Hoc quoniam humana ſpecie ſuperiori, & cornutum eſt, Pâna marinum: aut Satyram mar. quoniam ſimum quoq; eſt, appellabimus: Pâna (Πᾶνα) piſcem quendam cetaceum vocari, in eoque alterum lapidem inueniri, qui à Sole accendatur, & vtilis ſit ad philtra, Æſopus Mithridatis anagnoſta tr. dit, Suidas in Γρῦλος. In mari circa Taprobanem inſulam cete quædam Satyrorum ſpeciem ſimilitudinemque præ ſe ferre tradunt, Ælianus. Eugenio quarto pontifice, apud vrbem Sibinicum in Illyrico captus eſt marinus homo, qui ad mare puerum trahebat. Is à currentibus, qui rem aſpexerant, lapidibus fuſtibuſque vulneratus, in ſiccum retractus eſt. Huius effigies pene humana, niſi quod cutis anguillæ ſimilis erat, & in capite duo parua habebat cornua. Manus quoque duorum tantum digitorum formam exprimebant, pedes autem in duas veluti caudas finiebantur, à quibus ad brachia alæ, vt in veſpertilione extendebantur, Baptiſta Fulgoſus. Quoniam verò Pana marinum quod exhibuimus monſtrum, appellari poſſe diximus: libet recitare hiſtoriam ſane mirabilem, ex Euſebij de præparatione Euangelica li. 5. c. 9. quod inſcribitur, Gentilium dæmones mortales eſſe, Geor. Trapezuntio interprete, quoniam alia translatio ad manum non eſt. Sunt autem Philippi cuiuſdam verba ex Plutarchi libro de Oraculis deſectis: De morte dæmonum (inquit) audiui ego ab Æmiliano rhetore viro prudente ſimul atque modeſto, quem credo multos veſtrum cognouiſſe: quod cum in Italiam pater ſuus nauigaret, circa inſulas quas Echinadas appellant, flatu ventorum deficiente, noctu prope Paxas deuenerint: cumque omnes pene qui ſimul nauigabant attentiores vigilarent, repente à Paxis inſula vocem magnam auditam fuiſſe, qua Thamnus (Θαμνὸς, Plutarchi editio habet Θαμοῦς) quidam vocabatur. quæ vox nouitate rei omnes magno perculit miraculo. Thamnus enim ille, qui vocabatur, homo erat Ægyptius, eius ipſius nauis gubernator, bis vocatus nihil reſpondit. tertio demum reſpondit. Illum verò multo maiore voce ſic exclamaſſe: Quando iuxta paludem (κατὰ τὰ πελῶδες) fueris, annuncia tunc Pana magnum mortuũ eſſe. Quare audita magno, dicebat Epitherſes (ſic enim Æmiliani pater appellabatur) omnes terrore perculſos fuiſſe, &c. Cum igitur iuxta paludem eſſent, Thamnum in mare pronum reſpicientem (καὶ πεύμενης βλέποντα πρὸς πλώγλω) magna voce dixiſſe quæ audiuit, Magnus Pan mortuus eſt. qua re nuncianta magnum multorum gemitum, immo vero innumerabilium miraculo quodam commixtum, ſubito auditum fuiſſe. Et quoniam multi ea in naui nauigabant, cito ac facile cum Romam veniſſent, huiuſmodi rei rumores vniuerſam vrbem repleuerunt: & à Tyberio Cęſare Thamnum accerſitum fuiſſe. cui rei tantam fidem Tyberius præbuit, vt philoſophis, qui tunc Romæ erant, accitis, diligenter quiſnam eſſet ille Pan ac curioſe ſcrutaretur. omnes autem illos quibuſdam in idem conueniſſe coniecturis, ac dixiſſe de illo ſibi videri nunciatum fuiſſe, qui è Mercurio & Penelope natus fuit. Cum hæc Philippus dixiſſet, nonnulli eorum qui aderant, eadem ipſa ab Æmiliano ſene audiſſe teſtabantur.

Veteres quidam circa Scythicas inſulas monſtroſas hominum figuras reperiri tradunt, vt ſunt Hippodes, facie humana, pedibus equinis. Ego monſtra marina ipſos vidiſſe arbitror, in Italia inſuetos: quorum aliquot faciem hominis, immo & nonnihil vocem referunt, Iodocus Vuillichius in Germaniam Taciti.

TROCTÆ Aeliani non alij ſunt piſces quam amiæ, vt in Amiarum hiſtoria Rondeletius docet. Homerus Odyſſeæ μ. nauclerum quendam Phœnicem Τρώκτην vocat, hoc verſu: Δή ποτε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδώς, Τρώκτης ὃς δὴ πολλὰ κακὰ ἀνθρώπους ἐεώργει. Euſtathius interpretatur, voracem, auarum, lucri & pecuniæ auidum: ὁτι πάντὸς ἐθέλοντα τρώγει, ὅ ἐστι κερδαίνειν: & ſecundum veteres etiam impoſtorem. (*Trug* quidem Germanis impoſturam ſonat.) & rurſus Odyſſ. o. Phœnices mercatores Τρῶκλαι cognominãtur, ἤγουν κερδαλέαι.

Apud Boruſſos partim in lacubus, partim in æſtuante mari capiuntur rhombi, troſſuli, aſelli, &c. Eraſmus Stella. Puto autem Troſſuli nomen Germanicum eſſe.

TRYNCVS. Vide Brincus ſupra. pag. 130.

De Aquatilibus.

DE TRVTTIS SCRIPTA SEQVVNTVR HOC ORDINE.

EX RONDELETIO.

De Truttarum vel Salmonum generibus. *De Trutta fluuiatili.*
De Trutta magna vel lacustri, (quam aliqui Salmonatam cognominant.)
De Salmone Lemani lacus, siue Vmbla. *De altero Salmone, siue Vmbla altera, eiusdem lacus.*

EX BELLONIO.

De Trutta fluuiatili. *De Trutta Salmonata.* *De Vmbla.*

COROLLARIA.

I. (*Huic tabellæ de Truttarum generis diuisione præmittitur:*) *De Trutta fl. & quædam de Truttis simpliciter vel in genere.* *II. De Salmarino.* *III. De Trutta lacustri.*
IV. De Vmblis. *V. De alia specie Truttæ fl. quam Germani Hoch appellant.*

DE (TRVTTARVM VEL) SALMONVM *generibus, Rondeletius.*

Nos Truttæ potius quam Salmonis vocabulo, eos quibus de proximè dicetur pisces, generali vocare voluimus.

MVLTA genera (*Truttarum vel*) Salmonum statui possunt: vnum eorum qui in Oceano nati (*immo in fluuijs nati ad Oceanum descendunt: & postea rursus ascendunt*) flumina eodem influentia subeunt: alterum eorum, qui in Lemano lacu reperiuntur: aliud eorum, qui in Benaco: aliud eorum, qui in rapidis fluuijs & riuis è montibus ortis viuunt, de quibus omnibus suis locis dicemus,

Salmo proprie dictus.

Fuisse (*Essi.*) Salmones fluuiatiles & marinos indicant Plinij verba lib. 9. c. 18. In Aquitania Salmo fluuiatilis marinis omnibus præfertur. Qui Plinij locus duplicem sensum habere potest, vt Salmo fluuiatilis marinis Salmonibus præferatur: de ijs enim piscibus loquitur Plinius, qui pro locorum varietate principatum obtineant, vel vt Salmo fluuiatilis marinis omnib. præstet. (*Posterior interpretatio potior est.*)

Sed Salmones marinos esse experientia comprobat: in Ligeri enim, Garumna, Rheno, atq; alijs Gallię & Germaniæ fluminibus certum est capi Salmones etiam nonnunquam mirę magnitudinis è mari illuc profectos, in quibus fluminibus aliquandiu enutriti, pinguissimi, suauissimi atque lautissimi reduntur. Qui in fluiis reperiuntur aliunde non profecti truttę vocantur. Quod si cui mirum id videatur, contempletur quæso diligentius Salmonis ac truttæ speciem, ac notas singulas, is procul dubio eas omnes adeo consentire perspicit, vt facile mihi sit assensurus. Hoc ego in Salmone & trutta magna (quam salmonatam vulgus nostrum vocat) sum expertus, nec notam vllam qua distingui possent comperi. Idem periculum feci in Salmone paruo, & eiusdem magnitudinis trutta, atq; eandem in his similitudinem comperi. Id omnibus commune est, quod posteriorem dorsi pinnam paruam habent, & subrotundam, pinguemq;.

Trutta fl. Salmonis & Truttæ, præsertim Salmonatæ, summa affinitas.

DE TRVTTA FLVVIATILI, RONDELETIVS.

A QVAM Galli Truitte vocant; nos inde mutato nomine Truttam appellamus, non Troctam: est enim Æliani trocta idem piscis cum amia, vt ex vtriusque descriptionis collatione docuimus in Amię historia. Sunt qui maiorem truttam quam Salmonatam vocamus, Sarionem Ausonij esse credant, (*vt Bellonius.*) Aliorum iudicio trutta nostra Salar est Ausonij.

Purpureisq; Salar stellatus tergora guttis.

Truttarum differentia.

Truttarum differentijs supra explicatis aliquot alias addemus. Quædam sunt paruæ, & eæ quidem albæ, cuiusmodi multas Santonum & Boiorum fluuij alunt. Aliæ his maiores sunt & flauæ: quales in Erari capiuntur, quas vulgus ob auri laminulas, quas vna cum arena hauriunt, flauescere credit. Sunt quædam subnigræ maculis rubentibus notatæ. colorem illum ex senio contrahi existimo. eę enim omnium maximæ sunt, & ijs similes quę truttæ salmonatę vocantur, quod salmonibus magnitudine fere pares sint: quæ in magnis lacubus Allobrogum, Italorum, & Germanorum capiuntur (quas lacustres salmones optimo iure nuncupare possumus,) cute quidem nigricante. sed carne subrubra & ficciore in senectute.

B Sed de fluuiatilibus nunc agimus: ex quibus albæ cubiti magnitudinem vix attingunt, capite mugilem quodammodo referunt. sunt enim capite breui, subrotundo, carnoso, vel potius pingui, coloris lactei. Dentibus acutis maxillæ & lingua armantur. Dorsum ex albo modice flauescit. Corpus squamis paruis tegitur, & cute quæ facile rugatur, & à carne diuellitur, abscediq;. Guttis rubris eadem spargitur. Linea recta à capite à caudam ducta est. Pinnis quatuor natant quemadmodum Salmo: duas itidem in dorso, à podice vnicam habent. Corpore sunt spisso in caudam latam deficiente, eaque similiter in pinnam breuem sed latam. Hac maximè parte truttæ magnæ à salmonibus, & paruæ ab ijs quos Tacones appellari diximus discernuntur: in ijs enim cauda gracilescit, in truttis semper lata est: in illis pinna caudę longa & bisida, vt in Alosis, in truttis breuis & non diuisa. His accedit rostrum acutius in salmonibus quam in truttis. Partibus internis à Salmone & vmbra fluuiatili non differunt, nisi quod vę triculi appendices plures & euidentiores habent. Eas quæ flauescunt & nigricant ab albis differre cōperio, quod illis rostrum sit acutius, & veluti in fronte macula nigra. Prætereà albę minores sunt, & & carne minus flauescente.

C Truttę vescuntur piscibus, vermibus, arena. A qua pura & frigida mirū in modū delectātur: quā ob causam

causam aquarum scaturigines miro desiderio conquirunt, & in fontes amnesque, ex altis præruptis scopulis proruentes incredibili impetu feruntur, id quod in Gardonis Galliæ nostræ Narbonensis fluuij præcipitijs fieri experientia compertum est. in ea enim subeuntes truttæ nonnunquam decidunt in disposita à rusticis retia, quarum temeritate admoneri nos oportet, potentiorum viribus cedendum esse, vt illud prudentissime dictum sit:

Fœlix qui nunquàm direxit brachia contra Torrentem.

Ex his efficitur vt haud falsa esse credamus quæ de ijsdem scribit Paulus Iouius in libello de Romanis piscibus, eas aduersos amnes, vel è præruptissimis etiam cautibus incredibili impetu subire. Ab Nare enim fluuio in Velinum lacum, qui hodie Pedelucus est, stupenda velocitate volucrū modo ascendere credi: qui lacus ab altissimo montis vertice certis primo coarctatus angustijs, & mox tota aquarum mole præcipitatus, nec subiectis quidem cautibus madefactis, veluti è cęlo in ipsum profluentem Narem effunditur.

Multis in locis Truttæ optimę habentur. Vnde mirum non immerito eruditis hominibus videtur, nullum, saltem nobis nunc notum, apud veteres Romanos truttæ nomen Latinum fuisse, cum truttarum magnam copiam, vt nunc, ita olim suburbanos amnes suppeditasse maxime verisimile sit. Solus ex Latinis Ambrosius Troctam nominauit, sed eam, vt iam monui, intelligere oportet, quæ à Trocta Æliani diuersissima sit: ea enim marina est, delphinis infestissima. Non defuerunt (*vt Iouius*) qui Lupum varium veterum fuisse censuerint, ex Columella, quum Lupos sine macula piscinis includi posse assueret, aliosque esse Lupos dicant, qui varij appellantur, vt Lupi illi marini sint qui amnes subeunt: varij autem fluuiatiles, qui sint Truttæ. Sed ea opinio ex eo facile conuellitur, quod de marinis tantum mentionem faciat Columella, ijsque qui in pretio haberentur. Postremo Lupos varios ad eorū discrimen qui Plinio autore lanati à candore dicebantur dictos fuisse ostendimus libro nono operis nostri de piscibus marinis. Vtrunq; mare nostrum nobis suppeditat, & vtrunq; illic expressimus.

A (F)

Trocta. Trutta non est. Lupi varij.



F

Truttæ præsertim senioris, caro siccior est Salmonis carne, nec eq; friabilis, ideo cō coctu difficilior. Sed quo puriores vndas sectantur, eo meliores sunt. at quę in lutosis & stagnantibus aquis degunt, deteriores. Medicos audiui qui saxatilium marinorum loco, Truttas febricitantibus, alijsq; egris edēdas apponi iuberent, quorum sententiam non probo. Quamuis enim Truttæ aduersō torrentium impetu fatigantur, & inter saxa degant, permultum tamen earum caro à saxatilium carne distat, quę tenera est, & friabilis, leuis: quæq; facile & concoquatur, & distribuatur, deniq; optimi succi. Sunt tamē Truttæ sanis cibus gratissimus, & bonus, præsertim si calidæ nec diu asseruatæ edantur. Sunt qui eas non probant nisi statim ac ex aqua eductæ sunt, atque adeo viuæ in feruentem aquam conijciantur. Alij in sartagine frigunt, & inter folia nucis iuglandis, aut alia odorata conseruant.

DE TRVTTA MAGNA, VEL *lacustri, (quam aliqui Salmonatam cognominant,) Rondeletius.*

Pro icone à Rondeletio exhibita, aliam à nostro pictore factam, sculptamq; dudum, supposuimus.

TRVTTAS Salmones esse fluuiatiles vel lacustres nemo est qui negare possit, si has cum Salmonibus marinis, qui flumina subeunt, diligentius contulerit: & partes omnes tum internas tum externas, vitam moresq; accuratius inspexerit. Sed vt Salmonum, ita Truttarum discrimina quædam sunt, à corporis colore vel maculis, & à loci varietate sumpta. Quæ enim in fluuijs rapidis & limpidis inueniuntur, non sunt adeo maculosæ: & magnitudine, succo, carnis colore & substātia multo inferiores sunt ijs, quæ in magnis lacubus Italiæ, Germaniæ, Allobrogum capiuntur: quæ Truttæ salmonatæ, id est in Salmonem versæ, & eodem carnis rubore, (uō-

A

 cantur.)

cantur.) De his nunc agimus, quales nobis suppeditat Lemanus lacus, quas Salmones lacustres vocabimus.

Huiusmodi igitur Trutta ad duum triumve cubitorum magnitudinem accrescit. Truttis aliis similis vel Vmblæ (*simpliciter dictæ,*) vel Salmoni fœminæ, maximè rostro recuruo: squamis minoribus quam Salmo minusque argenteis, sed pluribus & frequentioribus maculis purpureis consperſa. Pinnis, earum situ, maximè pinna dorsi posteriore adiposa, partibus internis, carnis substantia & colore Salmoni simillima. Tales truttæ permagnæ è lacu Lemano Lugdunum deferuntur, quas primo aspectu nemo est videndis Salmonibus assuetus, qui non Salmones esse contendat.

A *Trutta Salmonata an Sario Ausonii sit, dubitat.*

Ausonius in Mosella Sarionem piscem medium facit inter Salmonem & eum qui Salar ab eo vocatur. Sitne Sario trutta nostra, dubito: solam enim in magnitudine differentiam statuere videtur. Versus eius sunt:

Tedq; inter geminas ſpecies, neutrumq; & vtrunq;,
Qui nec dum Salmo, nec iam Salar, ambiguusq;
Amborum medio Sario (al Fario) *intercepte ſub æuo.*

In multis Galliæ fluminibus Truttæ cum senuerint, lacustres truttas æquant magnitudine. Æstate caro magis rubet.

F Lacustribus & fluuiatilibus (*Truttis tum alijs tum Salmonatis*) pinguiores sunt marini Salmones in amnium dulcibus aquis saginati, citiusq; satiant. Illę carne sunt sicciore, atq; hac maxime differentia in terveſcendum ſecerni possunt.

DE SALMONE LEMANI LACVS SIVE *Vmbla, Rondeletius.*



A Nvllvm apud veteres scriptores nomen reperi piscis eius qui à Lemani lacus accolis Vmble dicitur. Ac ne quis nominis affinitate decipiatur, differt ab Vmbra pisce qui in Gardone Galliæ nostræ Narbonensis flumine capitur, quamuis sit is quoq; in Truttarum siue Salmonum genere. Item ab eo eiusdem nominis qui in Lado nostro reperitur, qui Mugilis fluuiatilis species est.

Vmbra alius est piscis, & ipse truttis cognatus.
B. Alius, species mugilis.

Est igitur Vmbla, Lemani lacus Salmo, magno ore, non solum in maxillis dentibus armato, sed etiam sex magnis in lingua. Corporis specie, pinnarum numero situq; partibus internis Truttis vel Salmonibus similis. Caput liue scit. Branchiarum opercula argentei sunt coloris, in extremo aurei. Hepate est carnoso, in quo fel situm est. Carne est suaui, sicca & dura cum senuerit. Aliquando duos cubitos longi huiusmodi pisces à Lemano lacu Lugdunum aduehuntur.

(F)

DE ALTERO SALMONE LEMANI LACVS, *siue Vmbla altera, Rondeletius.*



A Prsevs valde inter sese similes non solum tractatione, sed etiam nomine coniunguntur, vt Thrissæ, Trichides & Trichię: Sic similis superiori Vmblæ hic quem exhibemus, Vmbla etiam vocatur, sed discriminis causa cognomen additum fuit. appellant enim Lemani lacus accolæ Vmble cheualier fortasse ob magnitudinem, præstantiam, & robur. neque verò à superiore solum differt vel sexu, vel ætate, vt ex sequenti descriptione perspicuum fiet.

Est igi-

Est igitur hic piscis Salmonibus & Truttis, quæ vulgo Salmonatę dicuntur, similis: rostro recuruo, B (*Truttæ etiam lacustres scribit esse rostrum recurvum,*) quo à superiore differt: id enim longius habet & acutius. Maxillæ inferioris extremum incuruum in maxillam superiorem eius rei gratia excauatam, recipitur, vt in Salmonibus videre est, Maxillæ lineis multis distinctæ sunt. Dorsum ex cęruleo nigricat. Venter aureo colore est. Hepar flauescit. in eo est fel. splen nigricat. Ventriculus gulæ subiectus est, longus, spissus: cuius innumerabiles sunt appendices, quemadmodum in superiore. In insignem magnitudinem accrescit.

Carne est sicca & dura. in assulas diuiditur: quæ caryophyllis confixę in craticula, assantur, & oleo siue butyro irrigantur. Paratur etiam hic piscis Truttę modo. Caput maximè cõmendatur, vt Salmonis. F

DE TRVTTA FLVVIATILI, BELLONIVS. IPSE SALAREM *Ausonii nominat. Nos supra de Salare scripsimus suo ordine, quæ aliorum, quæ nostra sit sententia.*

Trutta est piscis fluuiatilis, Trocta verò marinus. Trutta præterea eos riuos subit, qui magno impetu feruntur: vnde sæpius miratus sum (cum alpes conscenderem) etiam in ipsis ferè montium Sanesii & Iuniperorum iugis, Truttas in torrentibus ab indigenis capi solere: nam eos pisces aduersos amnes scandere, vel è præruptissimis magno impetu decidentibus aquis delabi persæpe visum est: quibus in locis raro pedales fiunt, atq; illic castigatiores ad esum fieri, & ægrotorum corpora magis sana, ob agitationem atq; exercitationem reddere creduntur. At, quæ stagnantibus aquis ac quiescentibus fluuijs degunt, in maiorem vastitatem extuberant: C F

Porro Saxatilium piscium classis est Trutta: habentq; Truttæ fere omnes peculiarem appendicem siue apophysim iuxta caudam, quam eandem Salmones vtrique, Sariones. Vmbrę, Lauareti, Carpiones Epelangi, Thymali, Emblones, Humblæ, & quidam alij habere conspiciuntur. Pinnæ sunt illis ad latera frequentissimis maculis consperſæ, nunc subluteis, nũc subliuidis, sed rarioribus quam in Sarione, frequentius tamen purpureis: quas Ausonius etiam ei tribuit hoc versu: Purpureisq; salar stellatus tergora guttis. Quod autem Trutta multigena sit, id quidem ex stellis statui vix potest: Nam diuersi amnes eiusdem generis pisces diuerso modo pictos habent. Ex Rilla enim flumine Neustriæ, Truttas variis notis pictas videas, alijs atque alijs multum diuersas, tametsi in eodem tractu ceperis. Quod & in aliarum quoq; regionum piscibus obseruari potest. Trutta magnam non fert in summo tergore pinnam, sed ijsdem maculis, quibus corpus, consperſam. Pinnas duas sub ventre superiori tergoris oppositas, & duas ad radices branchiarum. vnam iterum versus caudam, proxime ad anum. Squamis integitur tenuibus: lineaq; multum conspicua à branchijs per latera medium corpus intersecat: oculos habet rubentes. linguam dentibus numero senis vncinatam, & oris rictum dentibus bene munitũ, vt quinq; horum ordines in superiori parte palati facile dinumerari possis: branchias vtrinq; quaternas: Cor illi est trigonum, grandis stomachus. Phryganijs, deiectamentisque vescitur. Pylorus tam multis apophysibus obsessus est, vt eas dinumerare non possis: tamen expertus vltra centum inesse comperies. Hepar habet pallidum & sine lobis. Intestina tertantum reflectuntur. Aruernos, Burgundiones ac Picardos aut Belgas, adde etiam Gebennenses honorat, à quibus ad nos adfertur, maguisq; habetur in delicijs. B *Colorum diuersitas.* (C) *Vbi.*

DE TRVTTA SALMONATA, BELLONIVS.

Est & in Truttis (de quibus mox agemus) conspicua quædam differentia. Etenim qui huius generis piscium duos vel tres pedes excedunt, variisque ac rubris lituris consperſi apparent, regales vel Franciæ dicuntur: quas si cum paruis Salmonibus conferas, nihil discriminis intereſſe comperies, præter purpureas maculas, quas in lateribus tàm copiosas non habent Salmones. Est ergo Salmonata trutta, quidpiam medium inter Salmonem & vulgarem truttam, quam nõ ineptè Sarionem Ausonius appellasse videtur. B

Itaque Sarionem hoc esse interpretor, quod Gallicè Truitte Saulmonnee nuncupamus. Truttis quidem grandior est, & copiosioribus maculis consperſus, Salmone autem minor: sed cuius caput ad Salmonem accedit, eandemque carunculam carneam, eandem caudam, easdemq; pinnas ac squamas habet, sed pluribus lituris consperſas. Porro internam Sarionis anatomen præcedenti, quod de Trutta est, capite videbis:

DE VMBLA VEL HVMBLA, BELLONIVS.

Diuersa est ab Vmbra, quæ etiam litera mutata. Ombla vulgo dicitur, eademq; huius piscis esset cum Truttis figura, nisi gracilitate, longitudine ac colore ab his dissideret. Eorundem lacuum est incolaquorum & Vmbra. Nullis suggillatur lituris, quibus tamen vterq; Salmo, Trutta, Sario & Carpio variantur. Colore est magis argenteo, quàm Vmbra. Vnica est & parua eius tergoris pinna. branchiam (*forte pinnam voluit dicere: nam de branchijs infra dicet.*) habet iuxta ventrem vtrinque vnam: duas sub ventre huic oppositas, omnes sine aculeis. Vltimæ piscem in duas æquales partes intersecant: sed pars quæ ad caput vergit, paulo longior est. Eius cutis adeo glabra est, vt squamis carere videatur. Tergus prę multo liuore opacum apparet: venter præalbedine vti argentum micat. Eam apophysim etiam habet carnosam supra caudam, quam Vmbræ, Lauareti, Salmones, Sariones, Thymali, Carpiones, Epelangi & Truttæ habent. Quaternis prædita est dentium ordinibus in palato, serpentium more. Linguam ostendit aduncis in gyrum dentibus, crenatis, exertis, & hamatis senis, vel eo pluribus communitam, præter quos maxilla etiam inferior paruulis alijs exertis & parum falcatis in ambitum vallatur: branchias: habet vtrinque quatuor. Latera eius virgula tecta secantur vtrinq; per medium corpus, parum repanda versus ventrem, quam à capite ad caudam vsque protensam habet. A B

Carniuorus est piscis: quisquilijs & phryganijs, piscículis, caridib. & huiusmodi spurcitijs vescitur. C Pinguis apud Allobroges capitur, ac pastitio includitur: tantiq; fit, quanti ditiorum bursa æstimare potest. Porro interna eius anatome cum Trutta omnino conuenit.

TRVTTARVM, (SEV FARIONVM, AVT PY-*runtum*) *generis diuisio.*

TRVTTARVM ALIÆ SVNT

- **Fluuiatiles** — Paruæ, albę, in Santonum & Boiorum fluuijs. cubiti magnitudinem vix attingunt, capite mugilis fere, &c Rondeletius *Bachforen*.
  - a. Maiores, flauę, in Erari.
  - b. Subnigræ, maculis rubentibus. colotem illum (inquit Rondeletius) ex senio contrahi existimo. eæ enim omnium maximæ sunt, & lacustribus illis similes quæ Truttæ salmonatæ vocantur. Hæ in riuis Misniæ *Lachsforen* appellantur, compositò à Salmone & Trutta vocabulo, carne rubente, maculis aureis: (vnde alicubi, ni fallor, etiam *Goldforen* appellantur, alibi *Schwvartzforen*) quę in cæteris vulgaribus truttis nigricant, vt Misenus quidam ad me scripsit. Agricola truttas nigris maculis reperiri annotauit ad Suarceburgum Misenæ oppidum in fluuio cognomento Nigro, &c.
  - a.b. Eas quæ flauescunt & nigricant ab albis differre comperio, quod illis rostrum sit acutius, & veluti in fronte macula nigra. prętereà albæ minores sunt, & carne minus flauescente,
  - Röttela vel Hucha dicta Germanis circa Augustam. eadem forte alibi *Teichforen* dicta, id est, Trutta piscinaria.
  - Salmo etiam fluuiatilis quædam Trutta videri potest. } Sed hi ambigunt inter fluuiatiles & marinos.
  - Item Eperlanus.
  - Salmarinus circa Tridentum dictus proculdubio
  - Trutta quædam fluuiatilis est.
- **Lacustres sunt, vt**
  - Trutta magna vel salmonata, in magnis lacubus. { Grundförine. Schwebförine.
  - Salmonem lacustrem dixeris. Seeförine.
  - Carpio Benaci.
  - Vmblæ vulgo dictæ
    - Minor in lacu Tigurino, & alijs. Nötele.
    - Media, in Lucernensi & Lemano, Nooten.
    - Maior, quam in Lemano equestrẽ cognominant, groß Nooten.

    } Differũt hæ à cæteris truttis omnib. cum alias tum ꝙ carnem longe molliorẽ habent: in minore Vmbla, etiam lapillos in cerebro obseruaui.

Quæ diximus Truttarum genera dentes habent. sunt autem & alij pisces Truttis cognati sed absq; dentibus, vt Lauareti & similes lacustres, (nos Albulas nominauimus in A. elemento:) in fluuijs verò Thymallus, & Vmbra fl. Lauareti quidem & thymalli carnis substantia quoq; à Truttis multum differunt, magis friabili, candidiore, salubriore: item squamis, & quod lapillos in capite habent, Lauareti ac Thymalli.

Quod Trutta multigena sit, id quidem ex Stellis (*punctorum varietate*) statui vix potest. nam diuersi amnes eiusdem generis pisces diuerso modo pictos habent, quamuis in eodem tractu capiantur interdum, vt Rilla Neustriæ fluuius, Bellonius.

COROLLARIVM I. DE TRVTTA FLVVIATILI: ET *quadam de Truttis simpliciter vel in genere.*

A Truttam plerique t. duplici scribunt, sicuti Galli etiam Italique pronunciant: Platina simplici. Truttas (inquit) à trudendo quasi trusiles lingua vernacula dictas puto, semper enim in aduersum & impetuosum flumen trutta nititur, aduenientes vndas superare contendens. Scoppa grammaticus Italus torentinam nominat, sine authore, mallem r. duplici, vt à torrentibus nomen deducatur. in kis enim & riuis montanis abundat. Germanis trut, gratum ac desideratum significat: & quanquam ipsi aliud (vt dicemus) huius piscis nomen vsurpant, potuerunt tamen ab ipsis, vt & alia quædam olim, Itali & Galli hoc nomẽ mutuari, quo tempore Gothi prævalebant. Nostri speciem truttæ lacustris, quam Galli Vmblam, à rubicundo colore, Roote nominant: quo colore, siue simpliciter, siue propter maculas in plerisque, aut carnem in aliquib. rubentes, genus totũ Rotta, vel t. præposito Trotta, vt Itali proferunt, denominari potuit. Truttæ nullam in veteribus scriptis memoriam extare Grapaldus miratur. De truta non video quid sit, nisi troctam quis vocet. ita enim piscem nominat Ambrosius in Hexametro, itẽq; Ælianus, sed inter marinos, Hermolaus Barb. in epistolis Politiani. Verum Ambrosius truttam nominat, non troctam. Ælianiverò τρώκτην (troctes masc. gen.) non alius est quam amia. Qui nuper ex Germanis truttã, veterum auratam esse coniecerunt, ex ipsa auratæ historia manifestissime redarguuntur. Aliqui percam fluuiatilem Ausonij, putarunt esse truttã, ꝙ & in delicijs habeatur, & phercha ferè à Germanis dicatur: sed ij quidem decipiuntur, Massar. Carolus Figulus vt Thedonem Ausonij (de quo scripsimus supra in Capitone A.) suspicaretur esse truttam, nescio vnde induci potuerit, nisi aliquam fortè literarum similitudinem somniarit: quæ vt nulla est, ita si vel maxima esset, nihil concluderet: hoc etiam absurdũ ꝙ eundem piscem, non modo Thedonem, (cuius tamen seorsim Ausonius meminit,) sed salarem quoque & Farionem ab Ausonio vocari putat. Scio Gillium & alios quosdam viros doctos, salarem Ausonij, ꝙ trutta habere. ego omino salarẽ pro salmone parũ accipio: vt cõueniat ei hîc versus

Auratæ. *Percæfluuiat.* *Thedo.* *Salar.*

Qui

Qui nec dum salmo, nec iam salar, ambiguusque Amborum medio fario (al' sario) intercepte sub æuo: & nomen Germanicum *Saelmling*. nam quod pro trutta argumentum ipsi adferunt, Purpureisque salar stellatus tergora guttis, non minus salmoni paruo quam truttæ conuenit: vterque autem in Mosella reperitur: etsi Saluianus dempta trutta, quæ in Mosella satis frequens sit, nullum reperiri piscem in eo flumine dicat, cuius tergora stellata sint purpureis guttis. Farionem quidem (vel, vt plerique legunt, Sarionem) truttam lacustrem vel salmonatam vt vulgò aliqui nominant, Bellonius & Rondeletius esse suspicantur: quod ea vt Ausonius scribit, magnitudine inter salarem & salmonem media sit. sed salaré nõ rectè pro trutta fl. interpretantur: & cogitare debebant Ausonium de Mosellæ fluuij piscibus loqui: truttam verò salmonatam, piscem esse lacustrem, non fluuiatilem. itaque ego vt salarem, salmonem paruum interpretor: ita farionem, simpliciter truttam, siue truttam fluuiatilem. ex hac enim ætatis progressu salmonem fieri Ausonius existimasse videtur, vulgarem quorundam persuasionem secutus. nam & obscurus quidam author, cuius de animalibus scripta extant: Trutta (inquit) vt fertur, quandiu minoris ætatis & corporis existit, in aquis tantum dulcibus nutritur: cũ autẽ excreuerit, & descendens vsq; ad confinia maris de salsedine eius biberit, salmo efficitur: quod tamen verum esse nequaquam ab omnibus asseritur, Sic ille. Ergo si salarem & farionem, pro ijs quos dixi piscibus accipiamus, simplex fuerit Ausonij error, è farione, id est trutta, salmonem fieri putantis, vt & alij quidam. Sin salarem, truttam: salmonatam fecerimus, duplex illius error fuerit: tanquam è trutta fluuiatili, salmonata quæ lacustris est, nascatur: & rursus è salmonata, salmo: quorum vtrunque vt falsum est, ita nec hodie à quoquam perito creditur, nec olim tam imperitos fuisse homines puto, qui ita iudicarint. Fario etiam (si ita potius scribendum est quam sario, vt Figulus & alij quidam rentur,) ipso nomine ad vulgarem Germanis truttæ nomenclaturam accedit. Aliqui Truttam Latine Varium vocant: quod nomen similiter & cum Germanico facit, & punctorum in hoc pisce varietatem denotat. alij maiorem Varium: vt alium diuersi generis pisciculum, Varium minorem: de quo in Corollario de Phoxinis diximus. Galli enim Veronum nuncupant. Ab hoc etiam diuersum piscem, gobium fluuiatilem Ausonij, varium & maculosum, Placentini Varon, Mediolanenses Vairon appellant. Alius etiam Græcorum est pœcilias à varietate dictus. Quamobrem vt declinemus homonymiam, truttam Varij nomine vocare non placet: vt neque turturis: quod nomen recentiores quidam ei attribuunt, sine authore: cum pastinaca etiam marina superioribus seculis turtur appellata fuerit. Iouius suspicabatur luporum alios sine macula, id est marinos esse: qui & amnes subeant: alios varios à Columella dictos, hoc est, fluuiatiles, qui duleibus in aquis generentur, Truttas nempe. vnde & Truttam (inquit ab aliquibus inglorijs authoribus Varium maiorem appellari videmus. Certe trocta admodum varia est, nigricantibus (*de lacustri sentire videtur: nam fluuiatiles raro velrarie in locis maculis nigricantibus inuenuntur*) maculis totum dorsum speciosè pingentibus. Spigolæ verò (*vulgò dicti, id est, Lupi marini sine macula*) vnicolores potius atque argenteæ esse videntur. quanquam & ipsæ veluti ad retinendam Lupini generis appellationem subatris punctis, sed minoribus & languidioribus, quàm in Truttis videamus, notatæ sint. neque enim arbitrandum est Columellam per lupos traductos in Ciminũ & Sabatinum lacus, vel Truttas, vel Lucios intelligere voluisse. superuacaneũ enim fuisset Truttas indidisse, quarum maximam copiã suburbani amnes omni tempore suggererent, vt ex Reatinis, Sublaqueanisq; vt ex ipso Tyburtino Aniene quotidie videmus. Præterea neque Romanæ luxuriæ, neque admirabilioris magnificentiæ fuisset alios quam pelagios pisces illis in lacub. disseminasse. de marinis enim Columella loquebatur, & quidem nobilissimis, vt de auratis & murænis simul cũ lupis ipsis clarè testatis est: quos tamen omnes deficiente paulatim eorum sobole, cũ diu naturę repugnare nequiuerint, penitus interijsse manifestè videmus. Improbumq; illud factũ & dictũ luxuriosum Philippi apud Cassinatem hospitẽ, certissimam facit coniecturam, lupũ illũ, quem vt insulsissimi saporis expuerat, & probro subinde fuerat persecutus. fuisse Truttã: cum in illis amnib. Cassinatium, Soranorũ & Arpinatiũ Truttæ plurimæ capiantur, quas Spigolis Tyberinis pinguiorib. minimè comparandas Philipppus esse iudicabat. Plinius quoque aliquos lupos à candore lanatos appellari dicit, & illud quidem propriè & eruditè. nam lupos, id est, truttas in vniuersum secundum carnes rubescere: Spigolas autem pelagicas pariter ac Tyberinas insigni candore albicare clarissimè constat. Cęterum truttam non facilè in Tyberi reperies, sicuti nec ipsam Spigolam alijs in amnibus vrbi propinquis, Hucusq; Iouius: cuius sententiæ etiam Saluianus suffragatur. Truttæ piscis Græcorum nemo (quod quidem sciam) mentionem fecit, inquit Saluianus. Latinorum verò etsi nonnulli meminerint, non omnes tamen eodem nomine vocarunt. Columella enim inquiens: Tum sine macula (nam sunt & varij) lupos includemus,



Trutta nomen Isidori Hispal. seculo.

Varius nomen aut cognomen diuersorum piscium.

Lupos varios truttas nostras vocare videtur. Nam vti nullum luporum maculis ita insignitum videmus, vt varius dici possit: sic piscium, qui macularum ratione, quibus depicti sunt, varij vocari merentur, nullus est, qui propius quàm trutta ad lupi accedat similitudinem. Verum ne solis videamur coniecturis inniti, Isidorum Hispalensem, in recensendis rerum nominibus, quibus tempestate sua vtebantur (vixit autem plus octingentis ab hinc annis) testem haud contemnendum consulamus. Cum enim scribat: Piscium nonnulli à colore appellantur, vt Vmbræ, quia colore vmbræ sunt: & Auratæ, quia in capite auri colorem habent: & Varij, à varietate, quos vulgò Truttas vocant: apertissime nostræ subscribit opinioni. Hic tamen (ne quispiam nominum decipiatur similitudine) animaduerti debet, piscem etiam illum τ̃ γαλεῶν, quem alij asteriam, id est, stellarem vocant, ποικίλον, hoc est, varium vocari ab Athenæo: (*cognominatur is potius, quam vocatur varius:*) Pausaniamque & Eustathium piscem quendam vocalem in Aorno fluuio repertum, ποικιλίαν .i. varium vocari, scriptum reliquisse: vt latius octogesima prima pertractabimus historia. (*Atqui in ea historia Saluianus de turdo scribens, αἰόλιαν cognominari meminit: vt & coracinum αἰόλιην, & scarum αἰόλον, id est varium. de pœcilia nihil. nos de pœcili.i. suo loco, P. elemento scripsimus, & eum piscem esse docuimus, quem Beiscerum Germani vocant, &c.*) Præterea Plinius Valerianus ille qui librum de morbis atque remedijs conscripsit, lib. 5. de re. med. cap. 43. Truttum vocauit, dicens: Pisces de flumine, qui petram habent, vt Trutti, Squalei, comede. (ego Truttæ & Squali legerim.) Deinde D. etiam Ambrosius Truttam appellauit, similiter vt Isidorus, vulgarem nomenclaturam esse testatus, his verbis: Piscium alij oua generant, vt ij quos truttas vocant. (*Isidori verba iam antè recitata sunt.*) Hæc Saluianus. Alexander Benedictus tempore pestis comendat labracem piscem, quem vulgò (inquit) Variolum nominant. Et mox, In hoc genere & truttam fluuiatilem ob similitudinem posuerim. Nominarat autem prius lupum tum marinum, tum fluuiatilem, duplici errore. nam cum labrax Græcorum non alius quam lupus marinus sit, ipse disiunxit: & Lucium vulgò dictum fluuiatilem piscem lupum esse arbitratus. Lucium marinum etiam (nescio quem piscem, alij enim sphyrænam, alij genus aselli, alij fortè alium sic vocant) vulgò dictum, Lupum marinum appellauit. Truttas nostras non esse lupos varios, seu maculatos, Rondeletius docet, tum in Lupi, tum in Truttæ fluuiatilis historia. cuius ego sententiam contrà Iouium & Saluianum defenderim. Saluianus Isidori verbis nititur, quæ sunt: Piscium nonnulli à colore appellantur, vt Varij à varietate, quos vulgo truttas vocant. sed aliud est varios dicere, aliud Lupos varios. Equidem Isidori seculo pisces qui vulgò nominabantur Truttæ, sicut hodieque Gallis & Italis, à literatis hoc ceu barbaricum nomen aspernatis, Varios vocari solitos credo, non tamen priscis Latinis idem nomen pro hoc pisce in vsu fuisse. Ælianus tamen lib. de animalibus 17. cap. 1. in Astræo Macedoniæ fluuio pisces colore vario distinctos, (τὴν χρόαν κατασίκτους,) nomine ab incolis Macedonibus interrogando, gigni referens: qui peculiares quasdam illi fluuio muscas, circa summam aquam volitantes, appetant: truttas intelligere mihi videtur: vtpote pisces fluuiatiles, varios, & muscarum, sicut & aliorum vermium, appetentes. possunt autem facilè, cum saltu valeant præ cæteris piscibus, muscas quoq; extra aquam volitantes arripere. Addit Ælianus piscatores pro his muscis purpurascente lana hamum vestire, & gallinaceas pennas duas cerei coloris addere, vt pisces decipiant, sicut referemus in E. qualibus dolis hodie etiamnum ad pisces quosdam capiendos vtuntur, thymallos præcipuè & truttas: Vide infrà in E. Græcum equidem vetus truttæ nomen, tum Æliano, tum viris hactenus eruditis & ὀνοματοθήραις ignoratum omnibus, primus ego nostro seculo deprehendisse mihi videor: vt suprà etiam ostendi, elemento P. sub finem pag. 896. hic aliqua ex parte repetam, non sine auctario philologiæ. Mnesitheus apud Athenæum lib 8. truttas appellauit pyruntas. Ex fluuiatilibus (inquit) optimi sunt, qui in rapidissimis fluuijs, versantur vt pyruntes, (οἵ τε πυρῶντες: malim ὡς οἱ πυρῶντες.) Hi enim non gignuntur nisi in rapidis ab gelidis fluuijs, & facilius quàm cæteri fluuiatiles concoquuntur, Hæc ille. Natalis de Comitibus, nimium plerunq; fidus interpres, οἵ τε πυρῶντες legit: & transtulit, quiq; rubescunt. mihi placet substantiuum esse nomen, quo pisces quorum meminit, tanquam eorum qui vel præ cæteris præcipites ac gelidas aquas sequantur, appellentur. merito autem pyrûntas, id est, truttas præcipue nominauit. has enim scio in fluuijs quibusdam seu riuis montanis asperioribus, vbi nullus alius piscis viuit, (siue propter locorum frigiditatem, siue potius præcipitia,) solas reperiri: vt dicam in C. Πυρόω verbum actiuum, vrere, incendere, vel igne examinare significat. inde participium πυροῦντες formari potest, à recto πυρόων. Πυρῶντες verò pisces nomen est substantiuum à recto πυρόεις, qui contractus effertur πυρῶς: & vel adiectiuè calidum, ignitum, rutilum significat: vel substantiuè accipitur pro stella Martis, quæ rutilet colore: pro trutta pisce rutilo. pro stella enim subaudiri potest ἀστήρ, pro ἰχθύς. Sic & placentarum nomina in όεις, vel οῦς contractè, Græci habent: vt genus, πλακόεις: vt species, τυρόεις, πυραμόεις, σησαμόεις: subauditur autem ἄρτος, id est panis. Ὀπόεις ciuitatis nomen est. Σιμόεις fluuius. & hæc quidem contrahuntur ferè. alia non item, vt ἐρόεις, & κερόεις, ni fallor. vt neque ea quorum ante penultima cum sit longa, in penultima quoque pro o. breui, ω. magnum accipiunt, quale est ὠτώεις, quod annotauit Eustathius. A masculinis in όεις, fœminina terminatio fit in όεσσα, contractè οῦσσα, vel Atticè οῦττα, vt μελιτοῦττα, οἰνοῦττα quo exemplo truttam nostram non solum masculino genere pyrunta, sed etiam fœminino pyrussam aut pyruttam nominare licebit: & quidem ad Latinam inflexionem commodius. Videri sanè potest Germanicum etiam nomen *Foerine*, quasi *Furine* ab igne factum, hoc est rutilantibus igneo colore maculis: quanquam & caro in nonnullis eodem colore sit. Quod si quis Germanicum nomen à Latino varius deducere malit, non refragabor: hoc tamen audiet, præstare Germanicis nominibus de sua lingua originem petere, præsertim cum plerosque alios pisces proprijs suæ linguæ vocabulis Germani appellent.

Pyrui. *Pyrussa.*

Vulgaria.

Truttæ Italicum nomen est Trotta, vel Truta: Trutala, circa Larium lacum, vt audio, diminutiuum. Gallicum & Sabaudicum Troutte, vel potius Truitte. Rhæti qui Italica lingua corrupta vtuntur, Criues appellant. Germani alijs in locis aliter atque aliter proferunt, *Fore, Forhen, Foerine, Forel, Forell*: plerique primam per f. pauci per u. consonantem scribunt. Habent & composita nomina, *Brachfo-*

Bachforen, à riuo: *Waldforen*, à sylua: *Schvvartzforen*, à colore nigro. *Goldforen*, ab aureo, vel rubente, carnis & punctorum nimirum. *Lachsforen*, à media inter salmonem & truttam specie. Vide in B. *Seeforen*, à lacubus: in quib. alij profundius degunt, *Grundforen* vocant nostri: alij propius summam aquam, *Schvvebforen*. Videri autẽ potest (vt suprà dixi) *Foren* dictus quasi *Feuren*, à colore igneo, vel origine Latina, quasi varius aut variolus: vt & lupi pisces varij, à punctorum varietate nominantur aut cognominantur. vel à voracitate: vnde & truttam aliqui, quasi troctam, quod Græcis voracem significat, appellatam putarunt. Aliqui *Vorhelle* scribunt, & per iocum etiam *Vorhenne* pronunciant, quod gallinis, quas *Hennen* Germani vocant, in cibo præferatur hic piscis ab ijs qui palato seruiunt. Inter ludicras piscium nomenclaturas, truttam nominis arguta allusione, & quoniam in montium ac syluarum fluminibus degit, inuenio cognominari *ein Forster*. *Ein Forel ist ein Forster*. nam vt Gallis Forest, sic *Forst* Germanis syluam significat: *Forster* verò syluæ custodem aut præfectum. Sigismundus Gelenius fariónem interpretatur Germanicè *Pfarh*, nescio quam probè, vel vbi vsitato nomine. Cæterum alius est piscis quem Germani quidam vocant *Furn* vel *Fuern*, nempe capito fluuiatilis. Circa Acronium verò lacum, leuciscum fl. illum, quem Gali Gardonem, nostri *Schvvual* appellant, paruulum adhuc vocant *ein Fornfisch*, (alibi *Furnling*:) maiorem *ein Gnit*, tandem *ein Furn*.

Trutarum duo nomina & differentiæ apud Anglos.

Truttam Angli vocant *a Trute*, vel *Trovvt*. Trutarum in Anglia (vt vir doctissimus Guil. Turnerus ad me scripsit) duo genera reperiuntur. Alterum, quod Ausonij salar (*nimirum & ipse, vt Gillius & alij, salaris nomine truttam fl. simpliciter accepit*) Northumbriensibus meis vocatur *a Burutrout*, (*Germanico forte Fore & Gallico Troutte, vnius piscis nominibus in vnum confusis. ex his enim duabus linguis Anglica fere constat hodie.*) Ad hoc genus alia species referri potest, truta illa quæ vocatur *an Allerfanght*, hic piscis quam alter (*superior*) ventre magis prominulo est, & per omnia crassior, & maxima ex parte, vt ille in locis vadosis & non ita profundis: ita hic in profundioribus torrentium & fluuiorum locis, sub alnorum radicibus, quæ ad ripas fluuiorum nascuntur, interdiu delitescit. Atque ideo ab alno, quæ nostra lingua vocatur *alder* vel *aller*, nomen sibi sortitus est. Alterum trutæ genus in Northumbria vocamus *a Bulltrout*, hoc est trutam taurinam, ab insigni magnitudine qua alias trutas superat. cubito enim aliquando longior reperitur. crassior est salmone pro ratione suæ magnitudinis, sed capite, si rectè memini, breuiori. Caro est quam salmonis multò siccior, & friabilior, & multorum palatis gratior. Accepi eandem in alijs Britanniæ regionibus vocari *a Gray trout*, & alijs *a Skurf*. Est & in Anglia à trutarum forma non multum abludens, quem à colore cinereo vocamus *a Grayling*. Eundem audio alicubi *Omber* nominari. idem, nisi fallor, piscis est, quem vos vocatis *ein Aesch*, Hæc Turnerus. A trutta longe differt piscis, quem Germani quidam *Rutte* vocant, nostri *Treusch*.

Truttam Poloni indigetant Pstrak, Bohemi Pstruh. In Malaca Indiæ regione Truttam Caiuba vocant, Scaliger.

B

In Malaca Indiæ regione magna Truttarum copia est, Scaliger. In lacubus montanis quos Athesis facit, capiuntur truttæ nigricantes, & aliæ auricolores (punctis nimirum,) has *Goldfoerinen* vocant, illas *Schvvartzfoerinen*. Salares (*Truttæ*) subnigris maculis reperiuntur in Misena, & in riuis ad Crotendorfum, (non procul ab Annebergo) & in fluuiolo quem Nigram aquam appellant, (non procul à Zuicca) qui Suarceburgum (Misenæ oppidum) præterfluens in Muldam infunditur, Ge. Agricola. Est & Rutlinga Sueuiæ oppidum: quod præterlabitur fluuius, qui Truttas nigricantes, sed maculis rubentes alit, in cibo lautas. Similes his sunt in riuo Martiæ syluæ prope monasterium S. Blasij. Apud Misenos Germanos *Lachsforen* appellantur truttæ quædam, nomine ex salmone & trutta composito: quarum caro rubet ita vt salmonum, palato quàm cæterarum gratior. pinguntur autem maculis aureis, cæteræ vulgares nigris apud eos. Hæ sunt nimirum quas Rondeletius subnigras esse dicit, maculis rubentibus. sed colorem illum (inquit) ex senio contrahi existimo. eæ enim omnium maximæ sunt, & lacustribus illis similes, quæ truttæ salmonatæ vocantur. Eædem nimirum sunt quas Germani alicubi *Goldforen* appellant. In lacu Suerinensi *Lachsforel* dictos pisces punctis nigris notatos haberi audio: & apud Carinthios ipsos quoque salmones similiter appellari. Sunt sane multa truttæ & salmoni communia: nempe forma tota, & corporis partes externæ internæque: caro rubicunda, squamæ exiles, maculæ seu puncta, magnitudo, formæ mutatio circa rostrum præsertim ac simul nominis, in truttis Salmonatis peculiariter:) ascensus ad summas aquas, saltuum vis & agilitas, suauitas in cibo. quamobrem non est mirum si ex truttis illis, quas *Lachsforen* appellant, aliqui ætatis progressu salmones fieri putauerunt. De coloribus & alijs Truttarum differentijs, suprà etiam in A. quædam retulimus. Audio in Germania alicubi nuper Truttam flaui coloris captam plerisq; admirationi fuisse. Fœminam aiunt in omni piscium genere maiorem esse, excepta trutta. Piscium fœminæ, inquit Plin. maiores sunt quã mares. Trutta squamas habet vt salmo, & carnes simillimas, idq; æstate tantũ, vel potius à Iulio mense vsque ad Nouembrem: hyeme verò albas. Maculis in dorso (*Lateribus*) croceis atque sanguineis (al' croceis, & ruffis & nigris) variatur, Albertus & Author de natur. rerum. Extrinsecus varia est, intrinsecus rubet. Fertur autem quandiu minor ætate & corpore fuerit, in dulcibus tantum aquis viuere, & truttam vocari: adultam verò ad confinia maris descendere & salmonem effici: quod tamẽ verum esse nequaquam ab omnibus asseritur, Innominatus. Forma omnibus truttis communis est: omnes etiam sex dentes in lingua habent, & certo ordine dispositos: scilicet duos antè, totidem in medio ad latera positos, reliquos iuxta radicem, Cardanus. Trutta (inquit Saluianus) corporis forma Lupo persimilis est: rostro tamen minus extento, magis retuso, ac paulum incuruo: ore etiam paulò minori, sed quamplurimis & acutissimis dentibus, tum in maxillis multiplici ordine, tum in lingua dispositis denticulato. Piscis totus ex albo flauescit: maculis modo purpureis, modo nigricantibus, dorsum ac latera speciosè pingentib. Trocta (*Trutta*) maculis rubris passim variegata, (inquit Syl. in libello De variorum corporum dissectionib.) ordines dentium habet sex: primũ labris connatum, alios quinq; à labro in

bro in pharyngen abſcedentes: in quo tamen ſunt dentes in contrarium hamati, & qui cibum ex ventriculo regeri prohibeant. Branchias vtrinque quatuor dentibus hamatis, & aſperis, & duris, contumaces habet: ventriculum magnum limacibus quibuſdam fluuiatilibus & coloris herbacei plenum, quos aquæ fundum producit, ſquama admodum tenui & herbacea. Inteſtina habet in multas ecphyſes exoluta, deinde rectum: cætera nota ſunt. Pulmones (*Falſum hoc eſt: branchias ſuprà hunc piſcem habere dixit, quas partes ſimul & pulmonem nullum habet animal*) habet, & diaphragma, & inter hæc cor triangulum. ſub diaphragmate ventriculum, & cæteras ventris inferioris partes. Lienem habet nigricantem, talpę æmulum, hepar rubrum: id dextrum, illum ſiniſtrum, animalium cæterorum modo, Hæc Syluius.

Carne ſimilis eſt ſalmoni, longus & non craſſus piſcis, Arnoldus Villanouanus.

C Truttam in fluuijs minoribus, frigidioribus, ſaxoſis & inter montes delabentib. potius quàm contrà ſe habentibus naſci & degere conſtat, Saluianus. Viuit in torrentibus & fluuijs qui magno impetu ruunt de montibus, Albertus. In fluuijs quibuſdam ſeu riuis montanis truttæ vel ſolæ reperiuntur, nempe aſperioribus magiſque præcipitibus: in minus aſperis paulò, præter truttas etiam thymalli inueniuntur: in alijs inſuper gobiones fluuiatiles capitati. Pyruntas in rapidiſſimis frigidiſque fluuijs agere Mneſitheus author eſt. In altis montium riuis, etiam tenuibus & exiguæ aquæ, truttæ ſatis magnæ & pulcherrimæ reperiuntur. Aſcendunt enim (vt dictum eſt) altiſſimè, cum & contra aquam luctari magna vi, & ſaltu ſe promouere, ad tres aut quatuor ferè cubitos interdum, in aſcenſu queant. ſemper enim loca ſublimiora petunt. itaque iuxta diui Blaſij cœnobium in Martia ſylua, riuo aduerſo tendunt ad lacum vſque in monte ſitum (nigrum cognominant,) è quo riuus defluit. Commune eſt omnibus truttis aduerſus fluminum curſus ferri, Cardanus. atqui lacuſtres truttæ, quæ in ſtagnantibus aquis degunt, non nituntur contra aquas. Qui trutas ad mare deſcendere, & in ſalmones mutari putant, falluntur. Veſcuntur muſcis quibuſdam fluuiatilibus. vide inferius in 2. ex Æliano. Phryganjis & vermibus & locuſtis paluſtribus, Cardanus. Limacibus quibuſdam fluuiatilib. Syluius. Percarum ſl. ſobolem appetunt, alioſque piſciculos: apprimè verò fundulos barbatulos, & phoxinos læues, quos *Pfellen* Sueui appellant. Truttæ & lucij dum piſces ab ima aqua ad ſummam perſequuntur, nimio celeritatis impetu aliquando ſupra aquam efferuntur, vt vel in ſcaphas interdum incidant. Truttas alicubi vulgus etiam auro veſci putat. degunt enim ferè in riuis montanis, in quibus & auri micæ reperiuntur, & punctis rubentibus aut aureis pinguntur. Vide quæ annotauimus ſuprà in Thymallo c. Pariunt truttæ circa ſancti Galli diem, (id eſt circa medium Octobris) cum partus inſtat, ſcrobes modicas facere dicuntur. Anguillæ optimæ ex troctis naſcuntur. deteriores autem ex quodam piſce ignobili. hoc mihi non credenti, cum eſſem Pallantiæ, quod eſt oppidum Nouarienſis agri in ripis Verbani lacus, piſcatores, apud quos teſſera amicitiæ vſus hoſpitabar, oſtendere, Gandentius Merula Memorabilium 3. 35.

Tonitruis fluuiatiles truttæ perterrentur valde & obſtupeſcunt.

E Interdicunt apud nos piſcatoriæ leges, ne qua in fluentibus aquis trutta, quæ nondum iuſtam ac deſignatam longitudinem attigerit, capiatur. Apud Bauaros præſcripta eſt menſura ad digitos ferè quatuordecim. Tonitrua tanto metu & ſtupore truttas afficiunt, vt aliquando loco manentes & erectæ propemodum à piſcatoribus aut aliis vulnerentur & capiantur. Piſces quidam inſtante partu ſcrobes in vado modicas excitant, vt truttæ & ſalmones: iuxta quas commorantes, noctu adhibita face obſtupeſcunt, neque fugiunt: itaque fuſcis feriuntur. Riui montani qui truttas alunt, à ſolitis alueis diuertuntur, vt aqua deſtituti & in ſicco relicti piſces capiantur. Ab Anglo quodã accepi, truttas in Anglia vel manibus interdum comprehendi, dum ſub radicibus alnorum & ſalicum ſtabulantur. piſcator enim accedens palpat fricatque ventrem eaque contrectatione delectari videntur hi piſces, donec manum promouens branchijs iniecerit ac retinuerit. Trutta fricari ſe permittit in aqua, & ſic capitur, Arnoldus Villanouanus. Eſcam ad truttas & thymallos abunde capiendos deſcripſimus in Thymallo E. Vermiculis quibuſdam aquatilibus teſta dura incluſis (*Kerderle* noſtri vocant) præſertim qui in fontibus frigidis reperiuntur, ineſcantur truttæ. Ex libello quodam Germanico manuſcripto de piſcibus decipiendis, præſertim additis hamo figmentis, quæ muſcas aut inſecta quibus piſces quiq; delectantur, quàm proximè referant: ea autem pro diuerſis anni temporibus variantur. Ad truttas: (Aprili menſe, puto,) Muſcam finges, cui corpus è ſerico rubeat, caput vireſcat, additis alis gallinaceis ruffis. Maio menſe, corporis alueũ è ſerico rubro & auro (filis aureis) effinges, caput nigrũ: alas verò addes de pennis rubris caponum. Iunio, corpus formetur è ſerico cœruleo & auro, caput flauum eſto, alæ verò de pennis perdicum ſubalaribus. Iulio, corpus è ſerico viridi & auro mentieris, caput facies cœruleum, alas autem è pennis flauis. Auguſto, corpus fiat è pennis pauonum longioribus, (*Speculis fortè vel oculis, vt vocant pennis caudæ pauonum,*) circumalligata penna aureola: caput flauum, alæ de pennis medijs inter alas gallinæ ſyluaticæ illius quam à corylis Germani denominant. Septembri, corpus fingatur de ſerico flauo & rubro, caput fuſcum, cum alis de dorſo lagopedis, quam perdicem albam nominant. Similem truttas piſcandi rationem præſcribit Ælianus de Animalibus 15. 1. Huiuſcemodi Macedonicam piſcandi rationem auditione comprehenſam habeo: in fluuio nomine Aſtræo, qui inter Berœam & Theſſalonicen medius fluit, diſtincti varijs coloribus piſces (nomine ab incolis interrogando) gignuntur, qui indigenis muſcis in fluuio volitantibus paſtum ſibi comparant. Eæ nec ſimile de ſpecie quicquam aliarum muſcarum habent, quæ vbique ſunt: nec ad Apum ſimilitudinem accedunt, nec Veſparum, nec denique Anthedonum (Crabronum) ſpeciem gerunt: harum tamen aliquam cuiuſque propriam particulam referunt. nam in audacia quiddam ſimile cæterarum muſcarum habent, tum magnitudine Anthedoni ſimiles ſunt, tum Veſparum colorem reddunt, & ſimiliter quidem atque Apes bombis ſtrepunt. eas Hippuros appellant indigenæ. eæ ad ſummam aquam verſantes ſui gratia alimenti, Piſcium nationem non latent. Nam vt ex his quiſpiam earum aliquam per ſumma apparentem conſpexit, ſilentio ſummas aquas ſubiens, ne prædam aquæ agitatione loco moueat, proximè ad imus vmbram accedit: & quemadmodum vel de grege ouem Lupus, vel anſerem ex cohorte

Aquila

Aquila rapit, ſic is ore hianti atq; imminenti eam deuorat. Quod quidem ipſum etſi piſcatores haud quaquam ignorant, non ijs tamen muſcis ad ineſcandos piſceis vtuntur. ſimul enim ac hominis manu continguntur, & natiuum colorem perdunt, & pennæ euaneſcunt, & inepti ad eſcam piſcium omnino redduntur. Quæ cauſa eſt, cur earum odio incenſi, ipſas à ſe deteſtentur. Veruntamen qui piſcandi ſcientiam cognitionemque præclarè tenent, captioſa quadam machinatione atque ſolertia eiuſmodi piſceis circumueniunt: Purpuraſcente enim lana hamum circumueſtiunt, & ad eandem lanam gallinacei pennas duas è barba ſeu paleis cerei coloris ſpeciem ſimilitudinemque gerentes, accommodant. quaternûm cubitorum eſt arundo, totidem eſt linea: has abſtruſas in flumen deijciunt: piſces colore illecti, cupidè pergunt contra venire. ac nimirum lautum cibum ſe habituros ex pulchro aſpectu arbitrantes, hamatis eſcis configuntur, ijſdemque acerbis captiui fruuntur.

F Trutta, piſcis longè nobiliſſimus omnium qui in dulcibus aquis generantur, æquali cunctarũ gentium iudicio cenſetur, Iouius. In citeriore Gallia, prima ſiluro (*ſturione*) Padano palma conceditur, ſecunda troctis & thymallis è Ticino, Gaudentius Merula. Expetitur trutta potiſſimum Aprili & Maio menſibus. (Iouius lacuſtrem priuatim Maio commendat,) apud nos etiam Ianuario. Parit circa diui Galli diem, hoc eſt medium Octobris: quo tempore ſcilicet non conueniunt menſis. Carnem habet ſimilem ſalmonum carni, ſed longe ſuauiorem, æſtate nimirum, menſe Iulio vſq; ad Nouembrem: hyeme verò caro eius albeſcit, & minus grata eſt, Author de nat. rerum & Albert. Plinius quidem ſalmonem fluuiatilem Aquitaniæ marinis omnibus præfert. Sunt qui truttam omni tempore bonam eſſe dicant. Truttæ quæ maculis purpuraſcunt. meliores exiſtimantur, Gillius. Mihi non ſimpliciter verum hoc videtur: lacuſtres enim noſtræ nigris inſignes maculis, ſuauitate præcellunt. Quemadmodum purpureis depictæ notis, & in frigidioribus, ſaxoſis & purioribus amnibus procreatæ, ab omnibus laudari ſolent, Saluianus. Aliorum piſcium aliæ partes præferri ſolent, thymalli & truttæ vndiquaque placent.

Truttarum cibo præſtantia & delectus.

Succus & ſalubritas.

De truttis lacuſtribus, quæ difficiles ſunt concoctu, infrà dicemus. fluuiales quidem (inquit Iouius) quæ aduerſo torrentium impetu fatigantur, at occurrentib. inæqualium vadorum petris illiſæ caſtigatoria ſumina, & aridiuſculas carnes oſtendunt, medici blandiores ægris apponere commendareque non dubitant. quas etiam paralyticorum cibarijs magnopere laudauit ille Plin. (Valerianus,) quì elegantem librum de morbis atque remedijs conſcripſit Iouius. Plinius Valerianus ſalubribus cibarijs truttam fluuiatilem adnumerat, Saluianus. Commune eſt omnibus truttis aduerſus fluminum curſum ferri: vnde caro non ſolum ſuauior, ſed & ſalubrior, Cardanus. ſed truttæ nec in fluminibus omnes ſunt: & lacuſtres, cum pinguiores ſint, ſuauiores videntur, non autem ſalubriores. & fluuiatilium ipſarum vt ſpecies diuerſæ ſunt, ita & ſapores ſuccique differunt. Conciſa trutta in fruſta ac ſalita, in cacabo, ita vt ſurſumuorſum inciſura vertatur, ex aqua & aceto ita moderate impoſito, vt neq; ſal diluatur, neque plus quam duobus digitis aqua emineat, coqui debet. Vbi deſpumaueris, deinceps lento quoad fieri poterit igne, efferueat. Coctam & in pinace extenſam, vt nonnihil exiccetur, aromatibus dulcibus inſperges, ac cum leucophago bene gingiberato comedes. Paruam truttam exenteratam & bene ſquamatam, integram, hinc dextra, hinc ſiniſtra, à capite ad caudam incides: inciſuris ſalem indes, ac per horas duas inter duas tabulas opprimes. farina deinde inuolutam in oleo perlente friges. Coctam hoc modo ad quatuor aut quinq; dies ſeruabis. Quouis modo edatur, grauis concoctionis eſt, Platina. Idem lib. 7. cap. 35. ex inteſtinis truttæ cibarium deſcribit: & mox ſequenti capite, Oua truttæ condita vt piſa credantur. E trutta fiunt paſtilli ſpeciebus, Arnoldus Villanouanus. Truttæ eo condimento, quod vulgò Acarpionare dicunt, (quod hiſtoria 23. in Carpione Benaci) explicabimus, paratæ, non ſolum iucundiſſimè ſapiunt, ſed in multos etiam dies ſeruari poſſunt, Saluianus. puto autem ad lacuſtrem truttam potius quam fluuiatilem, huiuſmodi condituram pertinere. In Malaca Indiæ regione tanta eſt truttarum copia, vt ſalitas ſeruent ad commeatus, Caiuba vocant, Scaliger. Ego etiam fluuiatiles è Ticino truttas falſas guſtaſſe me memini. ſaliuntur autem ferè capite amputato.

Salſæ.

G

Ad mariſcas ſeu ficus ani: Spongię portiuncula adipe truttæ madens, certo experimento imponitur, Ex libro manuſcripto Germanico.

TRVTTAM marinam Venetijs puto vocari piſcem quendam: de quo tamen nondum mihi ſatis conſtat.

COROLLARIVM II. DE SALMARINO, EX *Hippolyti Saluiani deſcriptione.*

Videtur hic piſcis multas ob cauſas Truttis eſſe cognatus: Salmarinus fortè ab aliqua cum Salmonibus ſimilitudine dictus, quoniam autem fluuiatilis eſt, communi fluuiatili truttæ ſubiungere eius hiſtoriam volui.

Iconem ex Saluiani opere petes: nos omiſimus, quod ad reliquam Truttarum ſpeciem ſatis accedat.

PISCIS quem Tridentini, apud quos reperitur, Salmarino & Salamandrino appellant: cum dulcis aquæ alumnus ſit, ac paucis quibuſdam duntaxat locis naſcatur, neque Græci, neque Latini ſcriptores vllam eius mentionem fecerunt. Quamobrem nos eum, vulgarem ſecuti nomenclaturam, Salmarinum vocabimus. A

Salmarinus capite eſt rotundo, roſtro breui & retuſo: ore mediocri & robuſtis dentibus munito, oculis mediis & orbiculatis. Branchias vtrinque quaternas habet: & pinnas etiam vtrinque geminas, duas ad branchias, & duas circa medium ventrem præter quas duæ aliæ in dorſo eriguntur. prior & maior in eo medio: poſterior verò & minor, (*quærendum an hæc parvula & adipoſa ſit, ſicut in truttarum genere,*) prope caudam: è cuius regione alia etiam vna, parua, imo ventri hæret. Cauda lata eſt & lunata. Squamis mediocribus & non facile deciduis tegitur. Pinnæ & cauda rubræ ſunt. Venter & latera ex albo rubeſcunt. Dorſum verò ex rubro flaueſcit, ac luteis quibuſdam maculis (Carpionis inſtar) notatur. B

tatur. Totius piſcis figura rotunda (*teres*) eſt, & oblongiuſcula. Ventriculum habet amplum & carnoſum: hepar pallidum, à quo fellis veſica pendet: lienem ſubatrum, & inteſtina lata, ac plurima pinguedine conuoluta. Cum maximè excreuerit, duas libras non excedit: qui verò crebrius capiuntur, vix libram ſuperant.

Fluuiatilis hic piſcis eſt, in frigidiſſimis ac ſaxoſis fluminibus naſcens. non tamen in iis omnibus aut quamplurimis reperitur, ſed in paucis ſolum quibuſdam. Naſcitur enim in flumine cuiuſdam loci vulC gò Vaidenon dicti, circiter viginti millia paſſuum à Tridento diſtantis. atque in alio fluuio, apud Priſcinam, qui quadraginta millia paſſuum à Tridento diſtat, vbi etiam crebriores procreantur. Verno tempore coit: parit autem æſtate, circa ſaxoſa fluuiorum loca. Piſciculis veſcitur, in quorum penuria quibuſdam fluuiatilibus purgamentis & ſordibus nutritur. Gregatim non admodum degit: & perrarò copioſa eorum fit captura.

F Sicuti Benaci accolæ Carpionem, ſic Tridentini Salmarinum, non fluuiatilium ſolum, ſed marinorum etiam omnium piſcem nobiliſſimum eſſe contendunt. Vnde non niſi lautiores diuitum menſas dignatur. Carnem vti ſapidiſſimam, ita teneram habet atque pinguem. non tamen viſcidam, (cuiuſmodi plerig; pinguium piſcium habere ſolent,) ſed ſatis friabilem. Quamobrem boni ſucci, & concoctu facilis eſt. Condiri varie poteſt: & quouis modo condiatur, ſuauiſſimus ſemper eſt.

COROLLARIVM III. DE TRVTTA *ſeu Farione lacuſtri.*

A De Trutta lacuſtri, deque Truttis in genere ſuprà etiam in Truttæ fluuiatilis hiſtoria, ſparſim quædam protulimus. Burgundi & Allobroges Truttas ſalmonatas vocant, quas non lacuſtres, à ſimilitudine quadam ad vtrunq; piſcem. mihi hoc nomine vti non libet, cum in fluuijs etiam inueniantur truttæ cæteris fluuiatilibus maiores, carne ſimiliter vt in lacuſtrib. rubente, quas Germani ſimiliter compoſito ab vtroque piſce nomine, *Lachsforen* appellant. Genus hoc truttæ cum ſit lacuſtre, non eſſe ſimpliciter Farionem Auſonij, (contra quàm Ge. Agricolæ & alijs quibuſdam eruditis videtur,) qui fluuiatilis eſt in Moſella, monui ſuprà in Trutta fl. ſi quis tamen farionem lacuſtrem nominare voluerit, bene erit. Iouius truttam nigricantib. maculis deſcribens, & lupum maculoſum Columellæ eſſe conijciens, non recte tamen, de lacuſtri ſenſiſſe videtur: quanquam & in fluuijs aliquando nigris inſignes maculis truttæ quædam reperiuntur. Vide ſuperius in Trutta fl. Per æſtatem cum pulpæ huius piſcis magis rubent, *Goldfoermen*, (id eſt chryſopyrûnes,) tanquam auricolores à quibuſdam Germanis vocantur. Apud nos & circa Acronium lacum ex lacuſtribus quæ in profundioribus locis viuunt, priuatim à fundo ſeu vado *Grundfoermen* appellantur: quæ verò circa ſummas aquas, *Schwebfoermen*. Vide infra mox in c. In lacubus montanis quos Atheſis facit truttarum duo genera capiuntur, *Schwartzfoermen* & *Goldfoermen* vulgò dicta, hoc ab auri, illud à nigro colore. Vt ſalmones circa partum cum altius in fluminibus aſcenderint, ſpeciem & nomen mutant: ſic etiam truttæ lacuſtres, cum relicto lacubus
Anchorago. (vt Acronio, & Tigurino) flumina ſubierint aſcendendo, roſtrum ſimiliter vt ſalmones incuruant, & nomine mutato *Lachsforken* (i. duplex ſcribo pro i. longo) appellantur. Caſſiodorus videtur anchoragiB nis nomine hunc piſcem intellexiſſe. Vide ſuprà in Corollario De Salmone.

Trutta fluuiatilis cubitalem magnitudinem ferè non excedit. Lacuſtris verò maior reperitur. in Lario enim lacu ad quinquaginta, quinimmo, Iouio author, ad centum etiam libras excreſcere conſueuit, Saluianus. In Rhodano circa Sedunum permagnæ ſunt, quæ pondere aliquando ad triginta libras vulgares accedunt, Munſterus. has quidem verno tempore è lacu Lemano aſcendere audio: & pedes quatuor interdum longas eſſe, aut inſuper ſemipedem. Trutta cum Tigurino noſtro, ad viginti libras (libra octodecim vnciarum eſt) frequenter perueniunt. venditur autem libra ferè dimidia drachma. Memini vnam prægrandem drachmis quatuordecim vendi me vidiſſe. Lacus eſt iuxta Volturenam (Vallem Tellinam aliqui vulgò vocant) in quo truttas ſteilatas eſſe audio, in Lario albas: in lacu Lugani rubere, ſed minus ſapidas eſſe. Initio æſtatis caro in eis rubere incipit, duratque is color vſque ad Auguſtum, vel Auguſti initium: poſt verò diui Iacobi diem, partu iam abſoluto, colorem rubicundum amittit. Cum omnes truttæ, ſalmonibus ſpecie naturaque cognatæ videntur: tum imprimis lacuſtres, quæ circa partum roſtrum quoque ſimiliter incuruant, ac nomen mutant, vt dictum eſt.

Olim cum diligentius hunc piſcem intuerer, his verbis deſcribebam: Squamulis tegitur minimis, bene dentatus eſt, & lingua etiam vtrinque dentibus munitur. caput colore nigro cœruleoque mixto: dorſum partim glauco, partim ſubnigro, partim cœruleo, partim ſubuiridi. In lateribus puncta nigra. Pinna in medio dorſo multis nigris maculis variatur, reliquæ albent. Habet & vltimam illam dorſi mollem pinnulam, vt reliquæ truttæ: branchias quaternas. Appendices non toto circuitu inteſtini, (vt Albula cœrulea noſtra, & alij quidam piſces,) ſed ab vna tantum parte magnas, oblongas, bipartitas, vtrinque circiter octodecim habet: & alia ſex ſeparatim ex oppoſito, ventriculum ſeu majus inteC ſtinum verſus. Plura de ventre huius piſcis leges in Capite de albula lacuſtri, pag. 32.

Lacuſtrium truttarum aliæ in fundo ſiue vado aquæ degunt, præſertim argilloſo, vt recentior quidam ſcribit, quæ etiam magis pingueſcunt, & ſapidiores ſunt palato: aliæ circa ſummas aquas, vbi muſcas appetunt, minus pingues & vilioris precij. Exit trutta è lacubus dulcium aquarum magnis (in his enim tantum reperitur,) certo tempore, circa initium Iulij, ni fallor, & in flumina aſcendit: & circa diui Iacobi, qui eiuſdem menſis eſt dies viceſimus quintus, parit. E Lemano quidem in Rhodanum eas ſubire aiunt vere, vt & circa Sedunum capi. at in noſtro & Acronio lacubus neque tam procul, neque eodem tempore eas migrare puto. Trutta lacus Acronij paritura, ad Rheni influentis oſtium aſcendit: vbi cum pepererit, rurſus deſcendit. Circa diui Iacobi diem, abſoluto iam partu ſpeciem ac nomen mutat. Confertur autem iunipero: nam ſicut hæc tertio demum anno fructum perficit, ita etiam truttæ fœtus ad tertium vſque annum creſcens perficitur. Parit plerunque medio Auguſto, alias citius tardiusue, prout cœlum magis minuſue calidum fuerit.

Trutta

Truttas maiores audiuimus in Larij ripis laſciuo excurſu extremos harenæ margines aliquando iuſti paſſus longitudine profulcaſſe, Iouius.

Quod ad lineas & hamos, quibus truttæ in lacu capiuntur, lex quædam inter piſcatorias noſtras eſt, E
quæ lineas in altum demitti prohibet. Trutta certo tempore, vt in C. præſcriptum eſt, è lacubus in fluuios aſcendens, (ex Acronio præſertim in Rhenum,) capitur miris ſagenis: quæ in angulis riparum arte factis collocantur. nam cum per Rhenum rapidiſſimum flumen aſcendunt, quærũt diuerticulum aliquod quietius, vbi reſpirent, quare piſcatores ad ripam id arte faciunt. infigunt enim palos aliquot ex alno, & ſpacia lapidibus explent. in huius valli (aut veluti promontorij) quietiore loco ſagenam pãdunt, tantam vt longitudine non excedat ipſum vallum lapidum. Sagenæ adhærent ligella ſupernatan-
10 tia, quæ ſtatim vt irretitus eſt piſcis, deprimuntur vel demerguntur infra aquam parum: vnde conſtat piſcem eſſe captum.

Truttæ lacuſtres, omnium delicatiſſimi piſces iudicantur à noſtris. caro eis ſolida, rubicunda, & bo- *Suauitas & delectus.*
ni ſaporis eſt: & quæ ad carpionis Benaci naturam accedat. ea tamen aliquando præ pinguedine nonnihil faſtidij mouet, vt & ſalmonum: quamobrem modicè ſumenda eſt. opſophagi quidam ſalmoni etiam præferunt. libra apud nos (quæ octodecim vnciarum eſt) dimidiâ drachmâ plerunque vẽditur. Qui delicias quærunt pinnas earum (ſicut & in ſalmonibus,) & ventriculum, ſeu inteſtinum ſuperius præcipuè appetunt. Omnium qui dulcibus in aquis generantur hic piſcis longè nobiliſſimus æquali cunctarum gentium iudicio cenſetur: Iouius, ſimpliciter quidem de trutta, videtur autem de lacuſtri præcipuè ſentire. Et quidem omni alio (inquit idem) vel marino etiam piſce ſapidior, præſertim ſi Maio
20 menſe, & in Breſciæ torrentis oſtio capiatur. mortua pauciſſimis horis ſummam illam ſaporis gratiam amittit: quoniam ob pinguem illam teneritudinem quàm ocyſſimè computreſcit. Soleo ego plerunque mirari quoſdam, qui, vt ſapientiores videantur, Benacinum carpionem, Padanum ſilurum, & è mari plures piſces Larianis truttis vel anteponere, vel exæquare ſolent, & item Soranæ truttæ in eo genere principatum attribuant, quum maximè faliantur.

In Veneto lacu, id eſt inferiore Acronij parte captæ, præferuntur iis quæ in ſuperiori parte capiuntur. Item quæ circa fundum ſeu vadum paſcuntur, illis quæ circa ſummam aquam, vtpote pinguiores. Maio menſe præ-
30 cipuè commendantur à Iouio: à noſtris Februario: ab aliis ſimpliciter æſtate, dum pulpæ earum rubent. eum enim colorem amittunt, vt diximus, cùm flumina ſubeuntes pariunt declinante Iunio, ſimulque ſpeciem & ſaporem. itaque Autumno & Hyeme non laudantur.



Succus & ſalubritas.

Aſperatus.

Truttæ pinguiores, vt ſunt Larianæ, multo ſucco replere corpora, genitalemque humorem copioſè ſuggerere dicũtur. (vti Auicenna de omnibus propè piſcibus, ſi recentes & calidi comedantur, vno edicto pronunciauit.) ægris tamen euidentiſſimè nocent, vtpote quæ tardè laborioſeque in ſtomachis atterantur & ſecernantur. at fluuiales truttas (*vt in ipſarum hiſtoria dictum eſt*) medici blandiores ægris apponere
40 non dubitant, Iouius.

Coquuntur conciſæ in tabellas in lebetibus lapideis torno fabricatis, ſimplici in aqua, multo ſale indito, aliaque ſubinde accerſita condimenta penitus aſpernantur. Muſco enim quodã pruinæ ſimili paulò pòſt ſponte emiſſo rubentes pulpæ protinus effloreſcunt, ita vt quum refrixerint multò gratiores eſſe videantur. Morus tamen nobilis parafitus, truttam cubitalem in prepinguis capi iure coquendam eſſe cenſebat, Iouius. Truttæ elixandæ fruſta macerentur priùs per dimidium horæ in frigida fontana aqua: deinde in feruens vinum
50 æquali aqua dilutum iniectæ coquantur. Spina dorſi, & cauda aſſæ, vel principum menſis inferuntur, Mangoldus.

COROLLARIVM IV. DE VMBLIS, SABAVDICE DICTIS, TRVTTÆ LACVSTRIS ſpeciebus.

Eiuſdem piſcis, nempe Vmblæ minoris icones duas, vt à diuerſis pictorib. non eodem tempore nobis delineatæ ſculptæq; ſunt, ponimus. Rondeletius maioris & maximæ Vmblarum imagines dedit.
60

VMBLA vulgò vocatur piſcis in Lemano lacu, à quibuſdam literatis vulgi appellationem ſequentibus, vmbilicus. ſed vmbla fortè dicta eſt, quaſi vmbra. habere enim eum aliquam ſimilitudinem cum vmbra fluuiatili puto, (Bellonius ſcribit Vmbræ fl. iconem idcirco ſe non appoſuiſſe, quòd ad Vmblam proximè accedat,) & vtrunque truttarum generi cognatum eſſe. à truttis tamen propriè dictis differunt mollitie & ſubſtantia carnis: & quòd ſapillos in cerebro habent:

A



quodque maculis ſeu punctis carent: fortè & aliis notis, ſi quis accuratè obſeruet. A colore quidem rubicundo, circa ventrem præſertim, nomen eis indiderunt noſtri Rötele: in lacu circa Bielam Rottele vocant: (ſed alius eſt Rottele vel Rottene dictus à noſtris, quem nos Rutilum nominauimus elemento R.) in Sueuia verò & circa Auguſtam Rötele piſcem alium fluuiatilem, non lacuſtrē vocant, & ipſum Truttis affinem, de quo proximè ſcribemus. Eſt autem Vmbla alia maior eaque duplex, alia minor. Maior Roote nominatur quæ hic damus, circa Bielam Rott: à Sabaudis Routte: circa Lemanum verò Vmble. Rondeletius Vmblam vocauit, vel Salmonem Lemani lacus. Sed à Salmonum quàm Truttarum natura longiùs abeſt. In Lucernenſi lacu ſpecies duæ ſunt: minor, quæ Rötele diminutiuo nomine priuatim dicitur: & Sabaudicè circa Bielam Ronſon, vel Bordella: quod nomen à colore factum eſt: & maior. Eſt autem Vmbla maior piſcis dentatus, tres aut quatuor dodrantes longus, ventre rubicundo, cætera Salmoni aut Truttæ ſimilis. Veſcitur piſciculis. In Lucernenſi lacu brachij ferè longitudine excreſcit, magis albicat quam minor, debilis & infirmus piſcis. nam ſi vel parum lædatur, aut morſu ab aliis piſcibus ſaucietur, mox veluti moribundus ſupernatat. Eſt etiam lacus in Tuginorum Heluetiorum ditione, quem Aegereſee nominant, profundiſſimus, in quo montes & receſſus quidam ſunt, vbi piſces latêre poſſunt. in eo quoque Vmblæ maiores inueniuntur. Genus quidem illud quod Vmblam equeſtrem à Sabaudis ad Lemannum Rondeletius vocari ait, non agnoſco: neque in lacubus noſtris reperiri puto. Germanicè circunſcribi poteſt, ein andere Rooten art. Vmblas nuper quidam à colore vulgò à nonnullis rubeculos appellari ſcripſit: quod ego nomen non approbo. Piſcis qui in lacu Bauariæ Ammerſee vocatur Germanicè ein Pigling/ non alius quàm Vmbla minor mihi videtur. conferunt enim Salmoni paruo: & à dorſo vſque ad media latera coloris lutei eſſe aiunt: adeò tenerum, vt ſtatim extra aquam expiret: nec in alio vllo eius regionis lacu inueniri.

Vmbla maior.

B Ad hoc ſegmentum pertinentia quædam in A. prædicta ſunt. In noſtro lacu, (& ſimiliter Acronio, in quo abundat circa Bodman & Argen) minor tantùm vmbla (in Lucernenſi & minor & maior) capitur: dodrantalis plerunque aut breuior. pedem rarò excedit: aut ſi ampliùs increſcat, (vidi enim aliquando palmos quinque longum Octobri menſe in lacu noſtro captum, corpore latiuſculo. maximi ſeſquidrachma ferè væneunt, ſed rariſſimi) nunquam tamen vmblæ maioris magnitudinem attingit. Ventre turgidulo aliquando ſpectatur, propter veſicam nimiùm inflatam. eſt autem veſica ei oblonga, vt Albulis, non diſtincta per medium. Is quem olim deſcripſi, huiuſmodi erat: Dorſum totum cum dimidia laterum parte ſubroſeum: inferiora latera albicabant. venter albiſſimus erat. caudæ color idem qui dorſi. pinnulam mollem & paruam vt Truttæ, dorſo extremo gerit. Maxillis eſt dentatis, ſpinas etiam ceu dentes in lingua habet. Pinnę omnes partim ſubalbent, partim crocei coloris ſunt. Branchiæ quaternæ. Lapillos in cerebro habet. Mares ventre, pinnis & cauda magis rubent, fœminæ candicant. eædem capite ſuperiùs & dorſo magis virent. Vmblæ minori noſtræ cognatus videtur Eperlanus Oceani piſcis, figura, magnitudine, colore, pinnis, dentibus mollitie & ſuauitate carnis, lapillis in cerebro. Eſt etiam, Bellonio teſte, Eperlanus oris rictu amplo, dentibus vt vmbla circunuallato: ita vt Germanicè nominari poſſit, ein Meerrötele. Icon quoque eperlani ſimiliter vmblæ lacuſtri pingitur. (hoc tantùm intereſt, quòd in Eperlano pinnæ binæ ventris medij, pinnæ dorſi mediæ è regione videntur reſpondere: in Vmbla Bellonij poſteriores ſunt, Rondeletij non item. ſed illi Vmblam maiorem pingunt, nos Eperlanum comparamus minori.)

Eperlanus.

C Vt Truttas & alios quoſdam piſces, ſic & Vmblas Lemani vulgus alicubi auro veſci putat. Vide ſuprà in Thymallo C. Pariunt Vmblæ minores noſtræ circa Sancti Galli diem. Vmblæ maiores oua multa, alba & grandia, vt Salmones gerunt: & minores ſimiliter, multò quidem quàm pro ſua magnitudine maiora ſolidaque. Memini etiam Ianuarij quinto adhuc oua in eis reperiſſe.

D Muſtelæ lacuſtres (Botatriſſias Itali vocant) cum aliorum piſcium ſobolem, tum præcipuè Vmblarum perſequuntur.

Vmblæ tum paruæ, tum maiores, (hæ etiam magis puto,) captæ vt primùm reliquerint aquas, ſicut & albulæ, expirant.

E In lacu noſtro vmblæ retibus capi prohibentur à paſchate vſque ad diui Galli diem: & extra illud tempus capiendis certa præſcripta eſt menſura. Retia ad hos piſces capiendos fune demittuntur ab vno latere ad quadraginta paſſus. ea ab vmblis noſtri denominant Rötelegarn: quanquam & alij quidam piſces iiſdem capiantur, vt albulæ minimæ, mugilis fluuiatilis genus quod Haſelam vocant, gobiones capitati, & muſtelæ lacuſtres. Lineis ad LX. paſſus longis per interualla ſingulorum paſſuum ſinguli hami adduntur, infixis pro eſca gobionibus (ſeu muſtelis) minimis barbatulis aut gobiis capitatis. iis muſtelæ lacuſtres imptimis, hyeme verò etiam vmblæ capiuntur. Commendatur à noſtris Nouembri menſe. quo tempore elixos, molles & ſuauiſsimos edere memini: & aliâs circa initium Decembris. quo tempore oua habent bona & ſolida. tardiùs verò, (præſertim poſt Ianuariū, ni fallor,) caro earum inſulſa, pinguiuſcula & flaccida apparet & oua dilutiora fiunt. Circa S. Galli diem cum pariant, menſis eo tempore inepti ſunt, vſq; ad Nouembris medium vt conijcio. In alimenti ratione ad aſellorū marinorum naturam hos piſces accedere iudicârim: & pro ſaxatilibus aliquando poni poſſe, &c. lege in Thymallo F. Elixandi vino feruido iniiciuntur, ne nimis molles reddantur.

COROLLARIVM V. DE ALIA SPECIE TRVTTÆ fluuiatilis, quam Germani HVCH, vel Hüch appellant.

Pinnulam in dorſo poſteriorem, & minorem eſſe puto, & nullis interceptam fibris, qualis in Truttarum genere eſt.



HVCH, Hüch vel Hüch apud Bauaros nuncupatur piſcis, boni ſaporis, Truttis nonnihil cognatus, cum aliâs vt pictura oſtendit, (quam ad viuum expreſſam Achilles Pyrminius Gaſſarus, præſtantiſſimus Auguſtæ Vindelicorum medicus ad me miſit,) tum quòd pinnulam illam adipoſam ſimiliter in fine dorſi habet, & punctis variatur: ſicut & icon noſtra, & quæ in libro Bauaricarum conſtitutionum publicato habetur, præ ſe ferunt. In quo etiam menſura huius piſcis proponitur, duodecim aut xiij. digiti, quibus breuior vendi non debeat. Auguſtæ, vt audio, hic piſcis vocatur ein Rot vel Rötle/ à colore rubicundo, quæ nomina noſtri Vmblis (vt Sabaudi nominant) lacuſtribus tribuunt. Voracem eſſe aiunt, in cibo Truttis inferiorem. In Carinthia Huchæ rubræ (Rot Huechen) quædam cognominantur, in fluuiis, eas Salmoni comparant: carne etiam rubra & boni ſaporis eſſe aiunt, & ſaliri vt inueterentur ſolere: quod quomodo fiat Balthaſar Stendelius ad finem libri 4. Opſopœiæ ſuæ Germanicæ docet. D Colores huius piſcis in pictura noſtra huiuſmodi ferè apparent: Aureolus color paſſim aſperſus eſt, copioſiùs tamen circa branchias & oculos. Pinnæ circa branchias rubicundæ ſunt: cæteræ omnes, ſicut & cauda, fuſcæ & maculoſæ punctis partim nigricantibus, partim aureis. Dorſum fuſcum eſt, vtrinque ad Indicum vel cœruleum colorē vergens. vbi & punctis nigris creberrimis diſtinguitur. Linea nigra & recta ferè à branchiis ad caudam fertur. Latera media maculis quibuſdā ſubcœruleis per interualla diſtinguuntur. Venter candicat. Circa roſtrum & branchiarum opercula roſeus ferè color, &c. in capite etiam viridis aliqua ex parte.

APVD Miſenos Truttas quaſdam vocari Teichforen/ (hoc eſt, piſcinarias,) eaſque piſcinæ fundum glareoſum requirere, & riuulos fluidos qui ſe in piſcinas infundant, ex Ge. Fabricij literis cognoui. hę an forſan Huchis proximè dictis, aut aliis iam priùs deſcriptis Truttis eædem ſint, inquirendum. Huchas quidam icone noſtra inſpecta in quibuſdam Germaniæ locis ali in piſcinis nobis referebat: & in Traga flumine Carinthiæ reperiri: ætatis progreſſu in Salmones conuerti, (ſpecie roſtri nimirum,) ſicut & lacuſtres Truttæ: quanquam & aliæ Truttæ omnes Salmonum ſpeciem præ ſe ferunt.

TVBERA. Vide Tethya.

DE TVRDO, BELLONIVS.

A VARIA auium nomina piſcibus indiderunt Græci, pro colorum, quibus ipſas referrent varietate vtque hoc pacto ſingulos rectiùs diſtinguere poſſent. Parum enim, aut ferè nihil Turdus piſcis à Turdo aue diſtat: de quo ſic Oppianus:

Iulides & Percæ, Channi, Turdiq, virentes. & Ouidius: *Tum viridis ſquamis paruo ſaxatilis ore.*

Sed eſt in vulgari Turdo magna hallucinatio: à qua tibi magnopere cauendum eſt. Neque enim Glaucus piſcis (quem Maſſilienſes falsò Vmbrinam, Veneti Turdum nominant) verus Turdus marinus dici debet. Vndātes enim in tergore ac tranſuerſas lineas gerit: & coruum duabus, quas in tergore & circùm ſub mento gerit, pinnis refert. Sed qui inter Genuenſium Lagionos peculiariter Turdus dicitur: certè is quidem meritò turdus eſt, ex eo potiſſimùm vocatus, quòd cùm eius color ex rufo in melinum vergat, ad viridem tamen inclinet.

B Squamas habet tenues & frequentes, geminantibus in medio punctis nigris, rubris, & aliis per totum corpus diſtinctas: Pinnam in tergore continuam, mollem, & vt cardui folium laciniatam, neruis octo bene fultam: Caudam longiuſculam & ſubrotundam. Os aſpectu paruum: quod tamen dum aperit, grandem oſtendit capacitatem. Lingua ei alba eſt. Maxillas habet dentium loco aſperas atq; horrentes. Primo aſpectu Phycidem, hoc eſt Tincam fluuiatilem refert. Pinna quæ huic ab ano ad caudam protenditur, tribus aculeis obfirmata eſt. Quæ autem ſub ventre ſunt, forti vtrinque aculeo rigent.

C Locuſtas, Carides, Sparos, Crangines, Sargos adhuc paruos venatur.

B Stomachum habet figura oblongum, per ventrem extenſum, pylorum permultis apophyſibus obſeſſum: inteſtina nodis diſtincta, & ter vt tuba quædam reuoluta. Hepatis lobos habet vtrinque æqualiter diſpoſitos.

F (A) Carne conſtat molli & laxa, aliâs tamen ſapida. Plinio Medico lib. 5. cap. 13. Cyclas (*meliùs cichle, κίχλη, Græco nomine dicetur*) appellari mihi viſus eſt, quem ait pleuriticis maximè cōuenire. Eſt enim piſcis molli carne & natura humidus & digeſtibilis, inquit, quem & Ptiſanam marinam vocant.

DE TVRDORVM GENERIBVS, RONDELETIVS.

Turdus I. Varius admodum, minùs tamen quàm tertius.

NVNC ad turdos veniamus, quorum multa ſunt genera, varia nomina, tantaque colorum varietas, vt in iis creandis luſiſſe videatur natura. Turdorum complura eſſe genera, vt inquit Columella, & eorum varios admodùm colores eſſe ex ſingulorum deſcriptione, perſpicuum fiet.

Turdorum genera eſſe multa.



A Pancrates apud Athenæum lib. 7. author est, multis nominibus appellatum fuisse turdum, & Nicander πολυώνυμον vocat, (*cognominat hoc versu*: Ἠ σκάρον, ἢ κίχλιν πολυώνυμοι:) etenim κίχλιν, σκάρον, αἰόλιον nuncuparunt: Athenæus ex Aristotele μελανόστικτον, id est, nigris maculis insignem: sed potius ποικιλόστικτον dixerim, id est, varijs notis distinctum, & sic apud Athenæum legisse videtur Phauorinus, (& Eustathius.) κίχλη nomen frequentius fuit, vt auis, ita & piscis. κίχλη ab Atticis & non κίχλα dicitur, ita suadente ratione, inquit Athenæus lib. 7. fœminina enim in λα ante λα, alterum λ habent, vt σκίλλα, σκύλλα, κέλλα, ζόλλα, ἄμιλλα. quæ verò in λη desinunt non item, vt ὕαλη, τελύλη, ὁμίχλη. Latini turdum nominant. Nostrates, Prouinciales, Itali, Hispani turdo, Galli Vielle. (*Infrà, duodecimum turdi genus priuatim Vielle nominat: undecimum verò peculiariter à quibusdam Durdo vocari scribit.*)

κίχλη. *non στικτον*

Iam turdorum qui solo ferè colore differre videntur, omnes species ordine recensemus.

A. Turdus primus. Primi generis eum fecimus, qui à pluribus turdo dicitur: qui notas etiam insigniores habet, quibus à quouis nullo negotio discerni poterit.

B Est autem non admodum dissimilis cynædo, (*cinædo*) minor paulò & latior, ad auratæ figuram accedens, dentibus recuruis, pinnarum situ, numeroq; cæteris saxatilibus similis: labra habet crassa & rugosa, cauda nõ in duas pinnas sed in vnã latam desinit, quæ maculis nigris & rufis insignis est. In reliquo corpore colore est vario, vnde κόλος dictus. (*Priuatim infrà undecimum vocat in Prouincia Aurtol, quasi αὐλὸν vocari scribit.*) Dorsum fuscũ est, venter ex albo liuescit. Pinnæ ad branchias aureæ sunt, ad podicẽ & in tergo flauæ, nigris cæruleisq; maculis aspersæ. Oculi magni sunt, rotũdi, pars oculis subiecta variis coloribus est illustris Partibus internis ab aliis saxatilib. non multùm differt.

F Carne est tenerrima & friabili. Ob insignem teneritatem à multis negligitur. Optimus assus in craticula vel in sartagine coctus. Refrigeratus firmiore est carne. Ex aceto vel mali arantij succo edendus; priusquam coquatur sale conspergendus, vt gratioris sit saporis.

Turdus II. Pauo, colore ex viridi cæruleo.



A B *Pauo.* Secvndi generis turdorum is rectè censebitur, qui à nobis distinctionis gratia Pauo nũcupatur. Hic priori similis est, maior tamẽ plerunque: colore ex viridi cæruleo, vel indico, colorem colli pauonis referente in pinnis omnib., & in cauda. Hinc pauonis nomẽ posuimus veteres imitati, qui merulas & turdos auiũ nomina piscib. dederunt, cùm liceat cuiuis rebus anonymis & nouis noua nomina ponere.

F Carne est molli, friabili, tenera. Viscidi aliquid habere videtur inter saxatiles.

Turdus III. præcipuè varius, viridis magna ex parte, &c.



A Tertii generis est is, qui Minchia di Re (*id est ferculum regium*) à nonnullis appellatur.

Superior

Superioribus similis, colore verò dispar. Est enim varius admodum, vixq; ullus est, qui plures colorum differentias habeat. Viridis est magna ex parte, sed punctis purpureis, cęruleis, indicis, & aliis confusis coloribus conspersus. Pinnæ ad branchias flavæ sive rufæ sunt, aliæ omnes partim cæruleæ sunt, partim virides, partim rufæ. Cauda rufa punctis cæruleis notata. Branchiarum opercula punctis & lineis rufis, sinuosis, certis spatiis dissitis distincta. Adeò variis & iucundis coloribus ornatus est, ut pulchri nomine sit dignissimus. B *A. Pulcher.*

Carne tenera, friabili, delicata aliis non cedit. F

Frequens est Romæ & Antipoli & in Lerino insula. C

Turdus IIII. Psittacus vulgò quibusdam, à simili coloris varietate,



Qvarti generis turdus varius etiam est, dorso nigrescente, pinna eius virescente. Ventre & lateribus flavescentibus. A branchiis ad caudam lineæ virides ductæ sunt. Pinnarum quæ in ventre infima cærulea sunt. B

Hinc nonnullis ex piscatoribus nostris Perroquet, id est psittacum, vocant, quòd ea sit coloris varietate qua avis illa Indica. A

Similem succum gignit cum cęteris saxatilibus. Facilè concoquitur, quòd tenera sit substantia & friabili. F

Turdus V. colore aureo, linea alba ab oculis ad caudam.



Qvintvm genus turdi gobionem flavum refert, hoc ab eo discrepans, quòd lineam albam ductam ab oculis ad caudam habet. Deinde maculis nigris, quibus aspersus est gobius, caret. Pinna quoque unica in ventre, neque divisa, quam habet gobius. Turdus iste colore aureo est, nec differt ab aliis carnis teneritate. B F

Turdus VI. similis quinto, sed linea cærulea ab oculis ad caudam, rostro à cæteris diverso.



Sextvm genus quinto omnino simile, nisi quòd huic linea ab oculis ad caudam ducta, non alba est, sed cærulea: rostroque est longiore & aquilino.

Turdus VII. Cero dictus in Provincia, dorso aureo viridibus maculis conspersо, &c. Κηφὶς *Athenæi videtur. Ab hoc undecimus colorum varietate duntaxat differt.*



A Septimvm genus à Provincialibus cero dicitur, maximè Antipoli, & noſtri ſpeciem unam turdi cero vocant.

B In ſaxis degit, præſertim litoralibus. magnitudine eſt cubitali, coloribus variis inſignis, dorſo aureo, viridibus maculis conſperſo, ventre candicante, lineis ruſis & tortuoſis, nullo ordine diſpoſitis notato. Tales ferè cernuntur buxi radices, vel iaſpides. Labra viridia ſunt, branchiarum opercula purpureum quiddam habent. Cauda & pinnæ magna ex parte cæruleæ ſunt.

A. Κηϱὶς. Septimum hoc genus eſſe puto, quod κηϱὶς ab Athenæo dicitur, unde cero fecerunt noſtri. Suſpicatus ſum aliquando locum hunc mendoſum eſſe, & pro κηϱὶ legendum κίχλη: ea ratione adductus, quòd neminem unquam ex his qui de piſcibus ſcripſerunt, piſcem ſic nominaſſe meminiſſem. Tum quia hoc loco cùm de ſcaro dixiſſet, commodè κίχλου, id eſt turdum ſubiunxiſſe videretur. His inquam rationibus motus, diu in ea ſententia permanſi, ut κίχλου legendum exiſtimarem. Cùm verò quæ ſequuntur, accuratiùs conſiderarem, omnia, quæ hæc dicuntur, parum turdis omnibus convenire animadverti, quę cauſa mihi fuit mutandæ ſententiæ. Locus ſic habet apud Athenæum lib. 8. Ἡ δὲ παλαιμύλη κηϱὶς ἀπαλόσαϱκος, δύσπεπτος, ἀλίμαχος, ὁ δὲ χυλὸς αὐτῆς παχυποιεῖ καὶ σκληϱύνει. Ceris quæ dicitur tenerę eſt carnis, alvo facilis, ſtomacho grata, ſuccus ipſius incraſſat & abſtergit. Præterea obſervavi Athenæum de multis piſcibus mentionem facere, de quibus alii omnino tacuerunt: ut ϖϱὸς κόϱακα, de coracino albo, de melanderino. Item Plinium de ichthyocolla, de lucerna, de cornuta, de quib. nulli alii meminerunt. Idem feciſſe Ælianum conſtat. Porrò multa ab iiſdem eſſe omiſſa, quæ à nobis diligenti diſſectione & experientia, & à peritis piſcatoribus percepta, literis mandamus: quod etiam ſpero multos poſt me facturos eſſe. Quare, ut ad rem redeam, κηϱὶς legendum, non κίχλη: eamque eſſe putamus, cuius iconem præfiximus.

Turdus VIII. ſeptimo (id eſt Ceridi) ferè ſimilis.



E Octavvm genus à ſeptimo non admodum differt: eſt enim eodem ferè modo varium, ſed lineas
F multas habet in ventre ſeſe interſecantes. Carne eſt aliis ſimilis.

Turdus IX. octavo ferè ſimilis.



B Nonvm genus ſuperiori ſimile eſt, niſi quòd lineam candidam habet à branchiis ad caudam, alias
multas confuſas, obliquas, ut ceris, quę aurei ſunt coloris: alioqui colore eſt vario, viridi & flaveſcente.
A A quibuſdam gaian (*ſicuti undecimum genus à quibuſdam*) dicitur, ab aliis bille, à noſtratib. meneſtrier, hoc eſt, tibicen: quia variis eſt coloribus tibicinum ritu, qui verſicolori habitu uti apud nos ſolent.
E Carne eſt tenera & friabili.

Turdus X. Viridis.



B Decima Turdorum ſpecies colore eſt viridi. extrema operculi branchiarum & pinnarum ventris
F purpuraſcunt: oculi rufi: venter ex albo flaveſcit: ore eſt parvo labriſq; parvis. eiuſdem ſubſtantiæ eſt cum aliis.

Turdus

Turdus XI. colore rubrica. Colorum varietate tantùm à ſeptimo differt.



Vndecimvm Turdorum genus eſt, quod auriol (*fortè quaſi aureolum*) noſtri vocant, quaſi αἰόλον, A
id eſt, varium, (*Turdum primum ſuprà privatim αἰόλον nominat*:) alii gaian, (*quod nomen etiam nono generi quidam attribuunt*:) alii durdo.

Eſt autem inter turdos maximus, ad lupi cubitalis magnitudinem & craſſitudinem accedit. Colore B
eſt rubricæ, qua noſtri pro terra Armenia utuntur. multis nigris & lividis maculis reſperſus eſt. ventre eſt plumbei coloris, labris magnis. Colorum duntaxat varietate à turdo ſeptimi generis differt.

Turdus XII. in Provincia vulgò Vielle: capite cæruleo, dorſo vireſcit, linea viridi à branchiis ad caudam, &c.



Sed & hic in turdorum genera referendus mihi videtur, qui vulgò Vielle (*Suprà Turdum in genere, à Gallis Vielle vocari ſcripſit*) dicitur: neque enim minùs varius eſt quàm cæteri iam deſcripti. Capite eſt A
cæruleo, dorſo vireſcente. Linea viridis & tenuis à branchiis ad caudam ducta eſt, in cuius extremo macula eſt rotunda, paulò ſuprà caudam. reliquo corpore eſt rubeſcente. pinnæ variæ, ſed maiori ex parte purpureæ.

Hos omnes turdos appellavimus, tum quia Columella turdorum complura eſſe genera ſcripſit, *Turdi genus multiplex cur facerit.* tum quia nomina quibus à veteribus omnes iſti diſtincti ſint, non reperio. Poſtremò nunc alio nomine quàm turdi non appellantur propter magnam inter ſe affinitatem. Quibus adductus generis turdorum ſpecies duodecim conſtitui.

Tvrbines. Lege Strombi.

COROLLARIVM I. DE TVRDO SIMPLICITER, in genere.

Piſcem aſellum non à corporis ſimilitudine, ſed à colore dicimus, ut umbram atque turdum, au- A
thor M. Varro. Quanquam autem turdi aves præcipui ſunt ſaporis: & piſces quoque turdi, ut ſaxatiles plerique commendantur, non tamen à ſaporis, ſed coloris ac punctorum ſimilitudine piſcis hic nominatus eſt, ſicut & merula, quod Iovius annotavit. Κίχλη, piſcis marinus, & avis, Heſychius & Varinus. Turdus piſcis ab Atticis κίχλη: Euſtathio verò teſte lingua Dorica κιχήλα vocabatur: quam linguam Syracuſani imitati etiam κιχήλα dixerunt. Pancrates hunc piſcem aliter etiam σκάϱον & αἰολίλλου dici ſcribit. ſed notandum eſt σκάϱον alium quoque piſcem ab hoc longè diverſum eſſe ac dici. (*Vide ſuprà in Sauro, & in Lacerto, ſuo utrumque elemento mitali.*) Animadvertendum item Coracinum quoque αἰολίλλου à Numenio, & ſcarum αἰόλον à Nicandro vocari: & propterea κίχλου cognomine potiùs quàm proprio nomine αἰολίλλου dici. idq; non ineptè, cum varius piſcis ſit: unde & turdus Latinè dicitur, propterea quòd alvo varius, ut turdus avis ſit, Salvianus. Merulam in eodem genere marem, cichlen verò (id eſt, turdum) fœminam eſſe, Oppianus tradit. Vide ſuprà in Corollario de Merula. Nos Oppiano aſſentiendũ non credimus. nam præterquàm quòd authores omnes, hos piſces nõ ſolùm ſexu, ſed ſpecie etiá ſeparant, reipſa quoq; ita eſſe demonſtratur: quum tũ merularũ, tũ turdorũ, alios ſemine, alios ovis refertos eſſe verno tempore conſpiciamus, Salvianus. Ciclas eſt piſcis quidam carnes molles (F)
habens & humidas, facilis concoctu: quem aliqui ptiſanam marinam vocant, ut Alexander in capite *Ptiſana marina.* de cibis pleuriticorum ſcribit. Sylvaticus. Bellonius non ex Alexandro, ſed Plinio medico lib. 5. cap. 13. eadem verba citat, & cyclas per ypſilon ſcribit. ſed utrobique legendum eſt cichle, à Græco κίχλη. Sic enim habet Alexander Trallianus lib. 6. capite de victu pleuriticorum: Si æger infirmus ſit, & cibũ faſtidiat, aſſumat licebit de piſce, præſertim turdo, virium ratione habita. eſt autem hic piſcis & tener, & humidus, concoctu facilis: & ſi fortè ipſam ptiſanam marinam nomines, non erraveris: adeò recrementi expers eſt alimentum, quod ex ea capitur.

Itali, Hiſpani, & plerique alii Tordo appellant, Salvianus. Veneti nunc piſcem merulam falsò *Vulgaria nomina.* nominant, Maſſarius. Turdum piſcem Ligures aſellum, Romani ſcarmum & merluzum appellant, Niphus in ſecundum hiſtoriæ Ariſtotelis, turdum cum aſello imperitiſſimè confundens. Turdum & Merulam Maſſilienſes promiſcuè Roquaudos vocitant: Hiſpani & Sardi adhuc utriuſque nomen Latinum;

tinum retinent, Gillius. Roquaudum autem deflexit à Gallica Rochau, communi (ut Rondeletius scribit) saxatilium nomine. Merulam piscem piscatores nonnulli Galliæ tourd appellant, non distinguentes turdum à merula, Rondeletius. Idem in Gallia Narbonensi coracinum quosdam durdo vocare tradit: Bellonius etiam chromin suum à Venetiis falsò Turdum (un Tordio) nominari scribit. Gallicum nomen Vielle, à Greco cichla vel cichela non abludit. Cobitin fluviatilem barbatulam (quã inter Gobios descripsimus) quidam non probè turdum faciunt. neque enim macularum varietas ad imponendum hoc nomen satis est, & turdum constat marinum esse piscem. Nos Germanicum ei nomen fingemus, *Punterfisch* à punctis & maculis quibus distinguitur. sic & *Puntermollin*, & alia quædam animalia Germanicè denominantur, nominibus compositis à punctorum varietate. Vel *Krametfisch*. nam *Krametvogel*, turdus est. Vel *Meertrostel*: nam turdum minorem alterum Germani *trostel* vel *trossel* appellãt. (Trossuli ab Erasmo Stella nominati, qui apud Borussos partim in lacubus, partim in æstuante mari *Pavo.* capiantur, qui sint ignoro.) Vel, *Scepfauven*, id est, Pavones marini. Rondeletius quidem speciem secũdam de suis turdis privatim pavonem nuncupat. Romani genus omne piscium coloratorum, nomine psittaci, pavonis, turdi, vel merulæ (minus tamen rectè) vocare consueverunt, Bellon. Nos plura de pavonis inter pisces nomine dedimus suprà, elemento P. pag. 689. Vel communi saxatilium nomine, *Steinling: ein art der Steinlingen*: ut etiam Galli Rochau.

B Turdus & merula (pisces) in Ponto desunt, Plin. Pisces ex alio colore in alium mutabiles sunt, ut turdi, merulę, Ælian. Turdi, merulæ & squillæ nigrescunt vêre: post ver albedinem suam recipiunt, Aristot. Sunt quædam μελανόστικτα, ut turdus, Aristoteles citante Athenæo. Κίχλη avis est, & piscis ποικιλόστικτος, ὥσπερ ὁ κόσσυφος μελανόστικτος, Varinus. Αἰόλιαν hunc piscẽ vocari, aut potiùs cognominari à coloris varietate, iam suprà dictum est. Numenius turdis à colore epitheton fecit αἰολειδέας, id est, purpurei. Eratosthenes περκάδα κίχλην dixit: id est, nigricantem, vel variam. Pancrates οἰνώδεα, nimirum ut Homerus οἴνοπα πόντον. Turdo quaternæ branchię duplici ordine sunt, novissima excepta, Aristoteles. Turdi sunt subviridi colore & frequentibus guttis (ut in volucribus videmus) variegati atq; insignes, Iovius. Turdus pedis longitudinem non attingit, branchiis quaternis, novissima excepta, forma tincę proxima: colore subobscuro, sed guttis purpureis & albis in ventre distinctus, ut turdus avis, à cuius colore piscem hunc dictum M. Varro putavit, Massarius.

C Aristoteles cum marinos pisces in pelagios & litorales dividat, inter litorales turdum, gobionẽ, &c. & omne saxatile genus connumerat. Et rursus cum marina litora aut cœnosa, aut arenosa, aut saxosa sint: in saxosis solum litoribus, turdus nascitur & degit. Vnde iure saxatilis esse dicitur: ut author est idem Aristoteles alibi, inquiens: Saxatiles, ut turdi, merulæ & percæ. & Columella dicens: Saxatiles dicti sunt, ut merulæ, turdiq;. & Plinius: Saxatilium turdus & merula. & alibi: Turdus inter saxatiles, Salvianus. Diocles etiam apud Athenæum turdos saxatiles facit. Oppianus non circa quælibet saxa, sed muscosa (algis & musco repleta, Lippius interpres μνία, non rectè murices convertit) eas versari canit: & ἰοδίνας cognominat, id est, leves & celeres. Turdus non solùm alga pascitur: sed carnivorus etiam est. pisciculis enim, sepiolis, loligunculis, atque minoribus crustatis vescitur. Vagabundus non est, neq; longiùs à saxosis domiciliis suis recedere solet. Salvian. Coniugatim mares cum fœminis conduntur, (*latent hyeme: quo modo etiam fœtificare solent, ut cæteri saxatiles, Aristoteles.*)

Oppiani verba (ex Halieuticorum quarto) quomodo capiantur merulæ & cichlę, recitavi suprà in Merula E. sed cichlas ipse eo loco merulas fœminas appellat, non speciem propriam. Saxosum mare optimè saxatiles pisces nutrit, ut sunt merulæ turdiq;, Columella de piscinis loquens lib. 8. cap. 16. Et mox cap. 17. Turdi complura genera merulasq;, &c. includemus.

F *Sapor & salubritas.* Merulis & turdis communia multa, quod ad alimenti rationem, protulimus suprà in Merula F. pag. 545. Galeni de his aliisq; saxatilibus sententiam integram reperies in Perca marina F. Diocles turdos merulasque, saxatiles pisces & μαλακοσάρκους, id est, mollis carnis esse scribit: Mnesitheus distinguere videtur, ut in Merula recitavi. Alexandri Tralliani super alimento ex turdo sententiam, quære superiùs in A. Turdus non solùm mollem sive teneram, sed friabilem etiam carnem habet, uti experientia monstrat, atque Galenus edocet, dicens: Saxatilibus omnibus caro inest quàm aliis piscibus mollior atque friabilior. itaque boni succi est, & concoctu facilis: & valetudinariis, atque ipsis etiam ægrotantibus, sicut & reliqui saxatiles, concedendus. Saporis etiam suavitate apud veteres commendabatur turdus: quod innuit Columella, inter pisces præstantiores, (quorum precia, inquit, vigent,) piscinis includendos eum adnumerans, & Plinius confirmat, his verbis: Turdus inter saxatiles nobilis. Idẽ comprobare videtur apud Athenæum Nicander turdum cognominans πολυώνυμον, i. multi nominis: (*Hoc epitheton non ad famam aut gloriam piscis pertinet: sed simpliciter piscem multis nominibus appellari ostendit, ut & Pancrates Arcas interpretatur, scribens πολλοῖς ὀνόμασι καλεῖσθαι τὴν κίχλην, &c.*) Hac verò ætate nostra nullibi ferè admodum suavis est, aut multę existimationis, Salvianus. Et merulæ & turdo mollis caro est, quæque probum creat succum: qui tamen per halitum facilè digeritur, neque copiosè admodum nutrit, Vuottonus ex Oribasio forsan aut Xenocrate. Scari, turdi & gobii, tenerrimi quidem sunt, & facillimè secedunt. alimentum autem plurimum roburq; corpori addunt, Aëtius in curatione colici affectus à frigidis & pituitosis humoribus. videtur autem legendum cum negatione: non tamen multum alimentum nec robur corpori addunt. Gariopontus inter alios pisces hydropicis turdos quoque concedit. In epilepsia ex piscibus exhibeantur, qui superfluitate vacant, ut psetta, turdus, (κίχλη: interpres *Apparatus.* Latinus non bene transtulit, sturnus,) Trallianus. Turdum marinum quovis modo coques. Assus, sinapium requirit, Platina. Ægrotantibus in aqua, vel albo iure, elixus aut assus apponi debet: sani verò etiam frixo uti solent, Salvian.

H. a. Circa piscis huius vocabulum & Latinum Turdus, & Græcum Κίχλη, Philologiam dedimus in Turdo ave. Turdus piscis nominatur etiam à Quintiliano libro 8. & ab Ennio in carminibus: quæ citat Apuleius Apologia 1. ubi codices nostri depravati sunt: nec expressum habent nomen regionis in qua piscis hic lautior inveniatur. Ἰχάλη, ἡ πάρυφος ἰουδαϊσμένος ἰχθῦς, ἢ κίχλη τὸ ὄρνεον, Hesychius & Varinus. Κόχλη apud Pollucem 6. 9. nomen corruptum pro κίχλη. vide suprà ad ini-

ad initium Corollarij de Elope, pag. 361. βεμβρὰς εἶδος ἰχθύος ἀτελοῦς καὶ βεμβίδονος. ὁμοίως καὶ βεμβίδονες κίχλαι, Varinus. sed primùm pro βεμβρὰς, lego μεμβράς. deinde βεμβίδονες nomen corruptum mutilumve suspicor: aut si corruptum non sit, (Βεμβίδων quidem infirmum & imbecillẽ significat Hesychio,) piscem tamen à turdo diuersum significare. nam apud Athenæum (vnde nimirum Varinus aut alius quispiam desumpsit) Epicharmi verba hæc legimus: Βαμβαλίδονες, κίχλαι τε καὶ λαγοί, δρακοντίδες τε. alia lectio, & ea melior, habet Βεμβραδόνες. Vide suprà in Bambadones, pagina 123. Berziticon, piscis dictus turdus, Sylvaticus. à quo etiam Verziticon pro eodem pisce, in v. elemento scribitur. id vocabulum cuius dialecti sit nescio. Romani quidem speciem Turdi Verdone à viridi colore vocitant.

Epitheta. Turdum à colore αἰολειδέα cognominant, Numenius: περκάδα, Eratosthenes: Pancrates, οἰνώδεα. Nicander κίχλην πολυώνυμον dixit, quòd pluribus nominibus appelletur, siue quis vni speciei nomina plura, siue diuersis potiùs turdorum formis plura diuersaq; nomina tribui interpretetur. Oppianus ἰοδίνας: Lippius virentem vertit: melius leuem interpretaturus: siue leuem quod ad motum & agilitatem piscis, siue quod ad nutrimenti rationem accipias. Κίχλας δ' ἐξεῖς ἡβητῆρας ὑψιπετήεις Καὶ πέτρας κατὰ βοσκομένας, θυιάδας θ' ὑδατίνας, Matron Parodus in descriptione conuiuij Attici: vbi ὑψιπετήεις videtur positum pro ὑψιπετεῖς carminis causa: vt turdos pisces dicat, qui leuibus, varijs & celerrimis in mari circa saxa natationibus veluti volare, & Thyadum (id est Baccharum) instar discurrere videantur. ἡβητῆρας interpretor iuueniles & viribus vigentes.

F Τρίγλας καλὰς ἠγόρασα, καὶ κίχλας καλάς: Ἔρριψα ταύτας ἐπὶ τὸν ἄνθρακ' ὡς ἔχει, Ἅλμῃ τε λιπαρᾷ ὧδ' ἐπιτίθημι ὀρίγανον, Coquus apud Sotadem Comicum.

COROLLARIVM II. DE TVRDIS DIVERSIS.

De Turdorũ generibus è lib. 1. Saluiani. TVRDORVM plura esse genera, (inquit Saluianus,) res ipsa declarat: licet solus antiquorum Columella (quod sciamus) id notauerit, inquiens: Turdi complura genera includemus. Quot autem & qualia sint, vti nemo (*veterum*) explicat, ita haud facile est explicatu. quamobrem id nunc operam dabimus, vt quo facilius atque clarius effici potest, explicentur. Primum igitur præcauendum est, ne omnes picturatos pisces (quod ichthyopolæ vbique fere faciunt) Turdos vocemus, non solum Turdos ipsos (qui vere, vt mox dicetur, picti sunt) sed Percas etiam, Hiatulas, Fucas, Merulas, Pauones, atque reliquos depictos pisces, Turdos perperam appellantes. Hunc autem errorem facile euitabimus, si veterum authorum testimonio (vt infrà patebit) Turdi piscis aluum Turdi auis instar, variam siue maculosam esse animaduerterimus. Quamobrem qui variam aluum non habent, Turdi non sunt. Verùm cum piscium, qui aluo sunt varia, quiq; verè Turdi dicuntur, plura (vt diximus) sint genera: vt quot sint, & quomodo internosci debeant nobis innotescat: commonendum est, primariam eorum distinctionem ex corporis figura atque magnitudine desumi. Vnde duo eorum prima constituuntur genera. Nam aut minor est & latus Turdus, cuius effigies octogesima sexta nostra est: aut maior & oblongus, cuius imago est octogesima octaua. (*Hæ duæ à Saluiano propositæ turdorum icones, quibus cum ex duodecim illis Rondeletij turdis conueniant, considerandum lectori relinquo.*) Et quemadmodum maioris distinctionis gratia hunc maiorem, illum verò minorem turdum appellare possumus: ita non solum vterq; proprijs pingitur coloribus: sed rursus etiã maior (vt in eius descriptione demonstrabitur) colorum varietate subdiuiditur in viridem, & rubrũ: ita vt tria sint turdorũ genera, minorũ vnũ: maiorũ verò duo, viride scilicet & rubrũ.

Minoris Turdi descriptio, ex eodem. Porrò cum minorum turdorum genus à maiorum genere non solùm colorum varietate, sed etiam figurâ & magnitudine (vt diximus) differat, seorsim vtriusq; descriptionem tradendam duximus, à minori exordientes. Minor igitur Turdus rostro est satis acuto, ore mediocri, dentibus validis, recuruis atque serratis, labijsq; crassis: oculis magnis, & aureo circulo pupillam ambiente insignitis. Pinnæ vtrinq; binæ conspiciuntur, duæ ad branchias, & aliæ duæ in ventre, vna scilicet vtrinq;. In dorso vna singularis erigitur pinna, ferè vsque ad caudam deducta. Imo etiam ventri alia vna singularis & minor à podice subnectitur. Cauda quoque in vnicam & latam pinnam degenerat. Ventriculus carnosus est & amplus. Intestina etiam crassa & lata sunt. Hepar pallet, eique assuta est fellis vesica. Squamis mediocribus tegitur: & latiusculus piscis est, minori tincæ non absimilis, atque totus picturatus. Caput enim, dorsum, cauda atque pinnæ, ex cineraceo nigricant: latera verò cineracea, & venter subalbidus liuentib. maculis nullo ordine inter se permistis, Turdi auis modo, consperguntur. Vnde iure diuus Ambrosius turdum aluo varium appellat: atque ab Isidoro Hispalensi Turdus albouarius vocatur: ni forsan, vt arbitror, ad diui Ambrosij censuram, aluo varius, corrigendum sit. His testimonijs piscem nostrum, veterum Turdum esse, clarè satis constat. Nec Aristoteles dicens: Mutantur colore pisces qui Merulæ & qui Turdi appellantur: vêre enim nigrescunt, post verò albedinem suam recipiunt, huic nostræ repugnat opinioni, vt alicui videri posset: propterea quòd hic noster piscis toto anni tempore nigricat. nam haudquaquam aliquo anni tempore turdos pisces albos reperiri, credendus est arbitrari Aristoteles: quum hoc falsum esse experientia & piscatorum consensu deprehendatur. sed id solùm intelligit ipse, quòd cum Turdi reliquo anno subnigri, siue ex albo nigricantes appareant, verno tempore nigriores conspiciuntur: quod vti verissimum est, ita non dedecet illam subnigredinem huic nigredini collatam, largo loquendi modo, albedinem appellari ab eo. Magnus piscis non est Turdus iste. rarò enim palmi mensuram excedit.

Maioris Turdi descriptio, ex eodem. Alter verò Turdus, quem distinctionis causa maiorem vocamus, sicuti ore, dentibus, labijs, oculis, branchijs, pinnis, cauda atque interaneis descripto minori simillimus est: ita ab eo corporis figura, colore atq; magnitudine plurimũ differt. Nõ.n. tincę instar latæ figurę est, vt ille, sed oblõgę: nec eisdẽ depingitur coloribus. Nã cũ hic maior coloris ratione duplex (vt diximus) sit, vẽtri cũ minore cõuenit colore. horũ nãq; vnus (quẽ Romæ & Tordo & Verdone appellãt,) totus viridis est: alter verò subrubet. Et veluti hi duo maiores reb. reliq. simillimi sũt, nec nisi viriditate & rubedine internoscũtur: ita vtriusq; dorsum

dorsum maculis paruis, rotundis atque cæruleis consperſum eſt. Venter verò & latera liuentibus maculis confusè permiſtis (Turdi auis more) inſignita conſpiciuntur: qua vna nota minori Turdo ſimiles ſunt, atque Turdi dicuntur. Differunt poſtremò à minori & magnitudine. nam cum ille (vt dictum eſt) palmi menſuram non excedat, hi ad cubitalem aliquando excreſcunt magnitudinem. Hæc omnia Saluianus.

De Turdis Rondeletij, ſecundo, quarto, ſeptimo, decimo & vndecimo.

Secundus. RONDELETIVS ſecundam Turdorum ſuorum ſpeciem, Pauonem nominat. Bellonius piſcē quem in Gallico libro Pauonem vocârat, in Latino ſuo de Aquatilibus opere, ſimpliciter turdum nominat: & Romæ Papagallum (id eſt Pſittacum) vocari ſcribit. Rondeletius verò Turdum quartum ſuum in

Quartus. Prouincia vel circa Monſpelium, vulgò Perroquet (id eſt Pſittacum) appellari meminit. Super Pauonis quidem nomine vide quæ ſcripſimus paulò antè, Corollario 1. de Turdis, ad finem ſegmenti A. Saluianus piſcem Romæ vulgò Papagallum dictum ob oculorum varietatem, à Diuo Ambroſio & Iſidoro Hiſpalenſi Pauonem vel Pauum vocari putat, &c. (Cuius corpus ferè totum viret, ſed inæquali viriditate, maculis paſſim, rubentibus, & cæruleis nonnullis quàm plurimis diſtinctum: figura tincæ lacuſtri non abſimili.) Lege ſuprà in Scaro vario, ad finem paginæ 853. Bellonij quidem turdus, idem cum Saluiani Papagallo, vel planè ſimilis videtur.

Quartus. De quarto Rondeletij Turdo, iam proximè quædam diximus, quod ad Pſittaci nomen ei attributum. Huic autem cognatus videtur piſcis, cuius imaginem, qualem Venetiis (vbi Porga, ſi bene ſcribo, vulgò vocatur) nactus ſum, hîc exhibeo. Colores in pictura ad me data, huiuſmodi ferè ſunt: Dorſum & laterum dimidia pars ſuperior, fuſci ſunt coloris, maculis crebris ſubnigris variantibus. Lineæ tres aut quatuor cæruleæ à branchiis ad caudam tendunt. In oculis circuli duo aurei pupillã ambiunt, inter quos medius vnus fulci coloris eſt. Cauda etiã maiori ex parte cæruleus eſt: qui color etiam mitrio pinnarum ad branchias, & in capite circa infráque branchias apparet. Eodem dimidia pars dorſi pinnæ ãterior pulchrè pingitur: poſterior verò pars cũ flaua ſit, cæruleis coloris maculis diſtinguitur. Laterũ pars dimidia inferior flaua eſt, & maculis ſubruſſis variatur. Pinnæ ad branchias fuſcæ: binæ in vẽtre & vna à podice, flauæ ſunt. Reliqua apparent.



Septimus. Septimum Turdum ſuũ Rõdeletius, vt vulgò in Prouincia cero dicitur: ita eũdem eſſe ſuſpicatur ceridem (κεφίδα) Athenæi: quem ſolum huius piſcis hoc nomine meminiſſe putat. Sed alios etiam authores ceridis mentionem facere: & diuerſis modis hoc nomen ſcribi, indicauimus nos in Ceride, elemento C. pagina 191. Plinius etiam medicus victus rationem præſcribens iis, qui intemperie calidiore hepatis laborãt, coſſyphum & ceredam piſcem eis offert, citante Bellonio. Legendum eſt autem non ceredam, ſed ceridem. nam Trallianus in eiuſdẽ intẽperiei curatione: Qui verò (inquit) caloré habent lenioré, validaſq; vires, iis lupus, orphus, ceris, & iſicium ex ea paratum exhiberi debet, &c. Itẽ in hepatica dyſenteria ex frigida intemperie: Ex piſcibus

piſcibus (inquit) vtiliter datur turdus, coſſyphus, ceris, chryſophrys, & omnium maximè mullus. Idem nimirũ eſt piſcis Scirrhis Wottono dictus, circa nuda ſaxa degeris, inter ignotos ab eo numeratus.

Decimus Rondeletij Turdus, viridis, Teragus Ouidij forſan fuerit: de quo ille in Halieutico ſcripſit: Tum viridis ſquamis paruo ſaxatilis ore. videtur autem pro ſquamis legendum Teragus. Vide ſuprà in Terago, ſuo loco. Eſt quidem tertius etiam Rondeletij Turdus magna ex parte viridis, ſed ore maiuſculo. duodecimi etiam dorſum vireſcit, & linea viridis à branchiis ad caudam tendit. Bellonius quoque iam citatum Ouidij verſum de Turdo interpretatur. Saluianus Turdi genus vnum à viridi colore, Romæ vulgò Verdone vocari docet, &c. vt ſuprà ſcriptum eſt.

Vndecimus.



Vidi ego aridum, vel hunc ipſum, vel perſimilem ei piſciculum, viridem, tenuem: ore paruo, per margines dentato. inferior pars oris vltra ſuperiorem parum prominebat.

Turdo vndecimo Rondeletij ſpecie ſimilem cognatumq; piſcem eſſe coniicio, cuius figurã hîc, qualem amicus quidam Venetiis depictam ad me dedit, apoſui. Bellonius hunc piſcẽ ſuis coloribus expreſſum apud me cũ vidiſſet, Hepatum ſuum eſſe affirmabat: (eſt autem Hepatus eius, alius quam Rondeletij:) cuius iconem ipſe non poſuit, deſcriptionẽ verò reperies ſuprà, in ſuo loco. Venetiis vulgò aliqui Luciũ marinũ vocant, vt audio: ſed cum ſphyrænæ etiam id nomen tribuatur, & aſellus quoque merlucius, quaſi marinus lucius nominetur, & reipſa naturã à lucio fl. longè diuerſam hic piſcis habere videatur, non placet eum hoc nomine appellare. Bellonius à vulgo Venetorum Sachetum, vt etiam Chanadellam, indifferenti nomine appellari ſcribit. ſolo enim (inquit) colore, qui paulò magis in Hepato fuſcus eſt, inter ſe differunt. Ego cum in Bellonij ſcriptis (antequam cum ipſo collocutus eſſem) legiſſem, Venetijs Sacchẽti nomine tum hepatum, tum chanadellam, vocari, & hepatum magis fuſcum eſſe: piſcem, cuius iconem exhibui ſuprà cũ Chãna & Chanadella (pag. 221.) pro Saccheto Venetiis ad me miſſum, quod ſubfuſcus appareret, hepatum Bellonij eſſe ſuſpicabar: quam ipſe ſuſpicionẽ poſteà (vt dixi) mihi excuſſit. Piſces quidem hi duo & ſpecie & natura lõgè diuerſi ſunt. Sed dicamus de illo, cuius hîc imaginẽ proponimus. Piſcis eſt vndiquaque fermè rubicundus, magis quidem, circa ventrem albicat. Dorſum dimidia ſui poſteriore parte tribus maculis atris deinceps notatur, ita vt macula vltima caudam ãttingat. Oculorum pupillam nigram circulus ruber ambit: iſque rurſus includitur cæruleo, vti pictura noſtra præ ſe fert. Reliqua ex Hepato Bellonij petes. An verò Turdorum generis verè ſit hic piſcis, non habeo quod affirmem: Rondeletij tantùm Turdo vndecimo ſimilem aut cognatum eſſe vt putarem, ſimilitudo aliqua effecit, vt prominentia labra, color rubricæ, pinnæ conſimiles.

Noſter

Noſter tamen latior videtur, Rondeletij oblongior: qui etiam (inquit) multis nigris & liuidis maculis aſperſus eſt: quas in noſtro non video, niſi quòd dorſum ternis (vt dixi) atris maculis notatur. Itaque iudicium illis relinquo, qui piſces ipſos tractandi ad mare & quantum voluerint contemplandi occaſione & commoditate non deſtituuntur.

DE ALIIS QVIBVSDAM TVRDORVM GENERI AFFINIBVS.

Turdi nomen aliquos è vulgo Gallico Italicóve ad alios etiam quoſdam piſces, (vt merulam coracinum & chromin Bellonij) imperitè referre, annotauimus ſuprà, Corollario 1. De Turdis A. in mentione vulgarium nominum.

Turdis cognata videri poteſt Anthiæ Rondeletij tertia ſpecies, exhibita in A. elemento, pag. 56. Ité Scarus αὐλαξ, id eſt varius, eiuſdem: quem dedimus ſuprà, ſuo loco. Fortaſſis & Picus Bellonij, de quo pauca eius verba retulimus ſuprà, item Adonis Rondeletij.

Sunt & piſces duo Venetiis mihi depicti quorum icones hîc ſubiungere Turdorum hiſtoriæ volui: quòd vtrique horum piſcium ſpeciem præ ſe ferant aliquam, (ex qua etiam ſaxatilem, vtrunque eſſe conijcio,) & colore ſint vario: & alia eorum vetera nomina ignorem.



Ex his maior (quem propiùs ad Turdos accedere puto, quàm minorẽ) Raina de mer, id eſt, carpa marina vulgò dicitur, ſi modò rectè hoc nomen à pictore adſcriptum eſt. mihi quidem non placet. In eo cauda, & poſterior pinnæ dorſi pars rubicunda & punctis varia eſt. anterior verò & maior eiuſdẽ pinnæ pars, è fuſco albicat. Dorſum ipſum cœruleo viridique colore mixtis tinctum apparet: venter candicat: pars ad caudæ initium nigricat. Punctis toto corpore ſubnigris aut fuſcis variatur. In oculis pupillam nigricantem circulus aureus vel croceus ambit: quem alius fuſcus, hunc denique ſubflauus circundat.

Minor

Minor vulgò Venetijs Luiſolo dicitur, ſi bene lego adſcriptum à pictore nomen: in quo plus cœrulei eſt, præſertim in cauda extrema, & parte prona tum corpore tum pinnis: cuius etiam coloris in oculis circulus apparet, medius inter alios duos albicantes. Corpus ferè fuſcum; ſed aliis coloribus paſſim modicè admixtis, & punctis quæ magis fuſca aut ſubnigra ſunt variantibus. Hæc ad picturas. Eundem aut ſimilẽ in Oceano ab accolis Germanis, præſertim Flandris, audiò *Poſten* vocari, à velocitate. ſic enim propriè appellamus nuncios principum, (aſtandas ſiue angaros Perſicè vocant,) qui equis diſpoſitis itinera accelerant.

TVRESVLE, genus piſcium, Sylvaticus.

TVRNES vulgò dicti piſces in Strymone fluvio Thraciæ, nominantur à Bellonio in Singularibus.

TVRSIO. Quære Thurſio.

TVRTVRES piſces nominantur ab Americo Veſpucio. Recentiores quidam Latini ſcriptores, ut d. Ambroſius, paſtinacas piſces; turtures appellarunt, quos & Græci trygones eiuſdem avis vocabulo. Eum qui noſtra ætate turturem pro trucita piſce dixit, non laudo.

TYPHLE ab Athenæo nominatur inter Nili piſces, τύφλη. Heſychio & Varino Typhlinus dicitur (τυφλῖνος) piſcis Nili, & genus ſerpentis. Apud Ariſtotelem τυφλῶπες ὄφεις nominantur, Gaza cæcilias ſerpentes vertit, à recto ſingulari τυφλίνης, ut κεχελύης. Puto & typhlænam pro ſerpente dici: Nicander Typhlopem nominavit. Spondyle Plinii, (*non probo*,) Typhle vel Typhline antiquis, Bellonio eſt quæ acus Ariſtotelis Rondeletio. Vide ſupra in Corollario Acus A. ad mediũ ferè pag. 12. Ego cum à ſolo Athenæo & Heſychio, ut dixi, piſcem hunc nominari inveniam non tanquam marinum, ſed Nili incolam, in fluviis, non in mari quærendum dixerim. Et cum in fluviis reperiamus cæciliæ ſerpenti (ſic enim Columella lib. 6. nominat) non diſſimilem, ni fallor, piſcem, de genere muſtelæ ſive lampredæ vulgò dictæ, minimum: quem noſtri *Nünoug*, id eſt Enneophthalmum appellant: Typhlen aut Typhlinum appellari eundem quid vetat? quem ſi in Nilo etiam degere ſcirem, planè hoc nomine appellandum contenderem. Hoc ſi admittant eruditi, Muſtelas quoq; ſive Lampredas maiores, Typhlas aut Typhlinos maiores appellabimus. Acus quidem Ariſtotelis, ut Rondeletio videtur icones duas, quales à Cornelio Sittardo olim Cæciliæ nomine accepi, hîc exhibeo. Maiori ſimilem ſceleton à doctiſſimo medico Michaële Pariſio mihi donatum ſervo. ea propè qua hîc pingitur longitudine & forma: digiti ferè craſſitudine: ſed roſtro multò tenuiore, nec ita aperto ore, (ſed ita ferè ut in minore, vel ut Rondeletius in hiſtoria Acus aperiri pingit: minori tamen & anguſtiori longè, inferiore parte leviter ſurſum recurua,) ſolido, perſpicuo. Nulla ſicut hîc pingitur, infra oculos prominente parte. Poſt oculos laminæ ceu branchiarum opercula apparẽt. Striæ (in ſceleto, puto etiam vivo piſce, quod ſicca & oſſea ferè ſubſtantia conſtet) eminent ſeptem, parte corporis ſuperiore, quæ ſupra podicem eſt: inferiore, quaternæ tantùm: ſquamis (aut potiùs corticibus) quibuſdam eleganter ſtriatis & undiquaque annexis, ut nuſquam dehiſcant, integitur. Hanc ſi quis Typhlen marinam nominare voluerit, eſto: dummodò veteres nullam eius hoc nomine mentionem feciſſe conſtet. Aliqui in Italia homines literati hunc piſcem, ut Sittardus ſcribebat, remoram eſſe conjiciebant: alii muſculum ſive ſulum. Neutrum probarim. Huic ſimilem alteram ſpeciem (Rondeletius quoque duas pingit) corpore & roſtro minore, vulgò in Italia Arzinarello vel Coaliotto nominari, idem Sittardus monuit.

TYPHLINIDIA, Coracidia, Abramidia, Collia, & Boridia nominat Xenocrates, citante Oribaſio, in capite de Salſamentis fluviatilium & paluſtrium. Sunt autem omnia hæc nomina diminutiva. unde & piſculos parvos eſſe apparet, & fluviatiles ſeu lacuſtres, & ſale cõdiri ſolitos. Vuottonus Græcè nominat, τυφλωΐδια, χόλλια, βωρίδια, κεφαλίδια. Hæc omnia (inquit Xenocrates) ſtomacho aliena ſunt, difficulterq; corrumpuntur, & alvum ſubducunt: ut & Vuottonus, & Raſarius tranſtulerunt. mihi quidem pleraq; alvum ſubducentia alimenta, facilè corrumpi videntur. Addit Vuottonus cum acrioribus oleribus ea comedi. quæ Xenocratis verba Raſarius, non ad piſciculos iam nominatos, ſed ad Aurem aquatilem refert. hæc enim (inquit) aruinam peculiarem quandam inducit, & idcirco cum acribus oleribus ea veſcuntur.

DE AQVATILIBVS QVORVM NOMINA V. LITERA INCHOAT.

VACCA marina à recentioribus quibusdam dicta. Vide suprà in Bove, paginis 129. & 130.
VENENATI pisces. Quære suprà in Nigris.

DE VERME MICRORHYNCHOTERO, RONDELETIVS.

VT IN terra, ita in mari vermium nulla (*multa*) sunt genera. Sed in mari nonnulli vermes sunt huiusmodi, ut nulla alia pictura, quàm linea una continua exprimi possint. Nam adeò indiscretas partes internas & externas habent, ut pili tantùm crassiores sive carnosi esse videantur, quos animalia esse neges, nisi motu cieri agitarique conspexeris, (*Sic & in fontibus, quos Setas vel Vtulos aquaticos aliqui vocant: de quibus scripsimus suprà inter Insecta aquatica, pag. 463.*) Nos de duobus generibus tantùm hîc agimus, quos sæpe inter maris purgamenta reperimus. De quibus etiamsi nihil, quod sciam, à veteribus scriptum sit, tamen committendum non est, ut silentio prætereantur. Etenim existimare debemus permulta adhuc supereſſe in rerum cognitione, quæ veteres latuerint, quod natura tam fecunda sit, ut multis sæculis omnia humano ingenio comprehendi nullo modo possint, qua maximè de causa ad diligentem rerum investigationem incitari debent præclara ingenia, plurimumq; ab eorum opinione dissentire, qui veterum inventis nihil addi posse credentes, ad ea tanquam ad sireneos scopulos consenescentes, nihil unquam laude dignum præstare possunt, neque bonas literas ulla ex parte promovent. Ab horum opinione alienissimus, cum experientia ipsa me docuerit, in anatome corporis humani, in plantarum stirpiumque cognitione, in marinis terrenisque animantibus, atque aliis plurimis rebus esse quędam adhuc penitus incognita, quædam non satis explicata, quicquid otii per docendi, medendique munus nanciscì possum, id omne ad ea perscrutanda & literarum luce illustranda confero.

Veteres multa præteriisse digna investigatu.

Redit ad B.

Sed ad Vermes redeo, quorum prior quem hîc exhibemus, cute molli contegitur, tota incisuris constante: os vel rostrum obtusum est, parumque prominet, unde μικροφυγχότερον cognominavimus. Aliis rostrum deest, sed foramen tantùm habent, capessendi cibi gratia. Totus vermis digitali est magnitudine, minimi digiti crassitudine.

DE VERME MACRORHYNCHOTERO, Rondeletius.

C. B. IN luto maris, & marinorum stagnorum vivere comperimus eum vermem, quem hîc depinximus, qui superiore multò longior est, nam aliquando duorum cubitorum magnitudinem æquat, pollicis q; crassitudinem. Farciminis longi figuram refert. Rostro est multò longiore quàm superior, simili hippocampi rostro, unde μακροφυγχότερον nuncupavimus. Intus longum duntaxat ventriculi, vel intestini ductum habet; aqua & luto pleni. unde perspicuum est his tantùm vesci.

DE VERMIBVS IN TVBVLIS DELITESCENTIBVS, Rondeletius.



C. B. NASCVNTVR in saxis marinis, & super concharum vetustarum testas, tubuli vel siphunculi testacei,

testacei, rotundi, (*teretes*,) asperi, candidi, intus lęvissimi, quorum alii recti sunt, alii contorti & replicati. In his procreantur & vivunt vermes, qui foras se exerunt hauriendæ aquæ gratia. Hi colore, substantia, scolopendræ rubræ similes sunt, figura & magnitudine nonnihil differunt: longissimi enim digiti magnitudinem non excedunt. Pars posterior folii myrtei modo in acutum desinit. Priore parte utrinque pedes habent, veluti scopolendræ, unde fistula prominet in extremo obtusa tubæ modo, & perforata, qualem in asilo marino depinximus: eâ aquam trahit.

Horum vermiculorum testa pharmacopœi nostri utuntur, in compositione unguenti citrini pro dentali. Huic similem testam etiam dentale vocant, quo in eodem unguento utuntur. Huiusmodi aliquot picturæ superiori aspersimus. *Dentalis.*

COROLLARIVM.

De Vermibus Aquatilibus nonnullis iam suprà elemento 1. inter Insecta aquatica diximus. Ætatis nostræ quidam Latini scriptores Mustelas sive Lampredas vulgò dictas Lumbricos fluviatiles nominarunt, (Lampredæ nomen à Lumbrico detortum fortè suspicati:) mihi quidem non placet: & eandem opinionem à Rondeletio reprehensam invenies suprà in Mustelâ fl. Ausonii A. pag. 591. ubi Castellani etiam episcopi Matiscon. sententiam explicat, qui vermem aquatilem, qualem in Gange Plinius describit, lampetram esse putavit. In Gange esse Statius Sebosus haud modicò miraculo affert vermes binis branchiis, LX. cubitorum, cæruleos, qui nomen à facie traxerunt: his tantas esse vires ut elephantos ad potum venientes, mordicus comprehensa manu eorum abstrahant. Plinius. Longitudo illa (inquit Massarius) sexaginta cubitorum longitudine constare præter veritatem, & dictu incredibile esset, cum neque longas, neque breves branchias ab aliquo dictas reperias. Verùm & simplices & binas quaternasve branchias piscibus Aristoteles contribuit, quod item Plinius cõmeminit hoc libro. Solinus verò in Polyhistore, non branchiis sed brachiis, nec sexaginta cubitorum scribit, longitudinem illam cubitorum ad brachia non ad vermes referens, hoc modo. Aquæ etiam gignũt miracula non minora. Anguillas ad tricenos pedes longas educat Ganges, quem Statius Sebosus inter præcipua miracula ait vermibus abundare cæruleis nomine & colore. hi bina habent brachia longitudinis cubitorum non minus senũm, adeò robustis viribus, ut elephantos ad potum ventitantes, mordicus comprehensos ipsorum manu rapiant in profundum. Nescio an à Statio Sebosio ali potius à Plinio hæc Solinus excerpserit: sed si à Plinio illud sanè non omiserim, quo minus dixerim eũ ipsum verba Plinii perperam interpretatum fuisse, ac vermes nomine meliùs & veriùs, quàm cæruleos nomine prodidisse: cum Plinius à facie, hoc est, forma corporis, non colore vermes huiusmodi nomen attraxisse scribat; licet sint colore cærulei. nam vermibus corpore similes sunt: quos cum talẽ figuram habeant, verisimiliùs est brachiis carere, quam eadem possidere. nam si brachia obtinerent, non vermes sed mõstra appellassent, ut neque credendum sit huiusmodi animalia brachiis prædita esse: ex eo quòd inter præcipua miracula hæc prodiderit, cum & anguillas ad tricenos pedes longas inter non minora miracula in Gange reperiri Solinus ipse tradiderit, quibus neque brachia, neque crura tribuerit. Non igitur ob hanc causam, sed ob longitudinem eorum ac fortitudinem admirandam, quòd elephantes in profundum per proboscidem abstrahant, hæc inter miracula commemorare, ut Plinii lectionem magis quam Solini probandam existimaverim. Qui error (si error est) hinc profectus esse potuit, ut reor, quòd Solinus longitudinem illam ad branchias, non ad vermes referens, in Plinio branchiis sexaginta cubitorum longitudinis non modò mendosè legi, verùm & ridiculùm esse putaverit. quippe cum brachia quoq; hæc cubitorum sexaginta longitudinis esse incredibile admodum existimaret, longitudinis cubitorum non minus senũm statuit describendum. Hucusque Massarius. Vide etiam suprà, elemento C. initio pag. 256. de his Cæruleis vermibus.

Vermis in Gange locis in Gan...

De eodem Sabini locus per...

Idem fortè est Indicus ille vermis, de quo Ælianus ex Ctesiæ libris sic scribit: Indus fluvius bestiarum ferarum expers est, solum in eo nasci vermem aiunt, speciemque eorum qui ex ligno (*quæ in navibus*) gignuntur, & aluntur, gerere: ad septem cubitorum longitudinem & eo amplius procedere. eius crassitudinem decem annos natus puer, manibus vix complecti queat. Iis in superiori otis sede unus dens inest, in inferiori alter, ambo quadranguli cubiti fere longitudinem habent: tam validi, ut quodcunque animal, sive cicur, sive ferum, iis comprehenderint, facilimè conterant, (σιωπηθῆναι; Ælianus. κατασθῆναι, Ctesias.) Interdiu ima in sede fluminis versatur, cœnò gaudens, & latitas. noctu verò ad terram procedit, & in quodcunque incideris vel Equum, vel Bovem, vel Asinum, conficit, atque in suas sedes trahit, & in flumen abstrusus, membra omnia, excepto ventre, exedit. de die etiam, si fame premitur, & sive camelus sive bos in ripa bibit, violentissimo impetu summa labra mordicus comprehendit, & robusto tractu in aquam abreptum edit. Eius pellis duorum digitorum crassitudine est, eiusmodi autem machinatione capitur: Hamum robustum ad ferream catenam alligant, adiuncto etiam fune ex albo latoque lino. Lanis autem & hamum & funem involvunt, ne à vermẽ præmordiatur. Tum agnum aut hœdum ad illecebram in hamum implicant: deinde in fluvium demittunt. Triginta viri, singuli cum iaculo loro inserto: & ense accincti, & è corno scutis instructi bene robustis; si percutere lit necesse, adsunt: deinde hamo captum trahunt, & abstractum, interficiunt. Triginta dies appensum ad Solem sinunt: atque ex eo in fictilia vasa crassum oleum stillat. singuli vermes quinque olei sextarios (*cotylas decem Atticas*) reddunt, quod quidem ipsum regi Indorum apportant, vasis obsignatis. neque enim alii cuiquam vel guttam illius possidere licet. Corpus reliquum inutile. Huius ea est vis olei ut sine ullo igne eius infusa hemina quemcunque lignorum acervum comburat. Ac si vel ipso Persarum regem aiunt capere hostium urbes: neque atletes, testudines, aliaque bellica tormenta ad eas capiendas opus esse. nam cum fictilia vasa unius heminæ capacia, eo impleta & obstructa in portas iaculatur, vasa quidem ad portas allisa rumpuntur: at oleum delapsum ignem circumfundit, ut restinguì nõ possit: & flamma insaturabilis comburit homines pugnantes pariter cum armis. Restinguitur autem multa inutili congerie qualis per terram & vicos congeritur, (πολλῷ Φορυτῷ κάτα χυθὲν; Ælian. ὁ σβεννύναι εἰ μὴ πηλῷ πολλῷ καὶ παχεῖ: id est, Non extinguitur nisi luto copioso & crasso, Ctesias.) in eum iniecta

Plinii vermem Gangis, & Cteſia vel Æliani & Philoſtrati vermem Indi ſi. eundem videri.

Hæc Ælian. de animal. ſ. 3. authorem citans Cteſiam. & eadem leguntur in Eclogis Indicorum Cteſiæ nuper Genuæ publicatis, ſed multò breviùs. Videri autem potest, ut dixi, idem hic Indi fluminis vermis, cum illo quem Plinius in Gange fluvio deſcribit. Primùm enim uterque Indicus eſt: & convenit forma, à qua uterque vermis (σκώληξ) appellatur. deinde Gangeticus elephantos ad potum venientes apprehenſos promuſcide in fluvium abſtrahit: Indicus, camelum vel bovem in ripa bibentem, ſummis labra mordicus apprehendens, in aquam abripit. Sed magnitudo Indici cubiti circiter ſeptem ſunt: Gangetici, ſexaginta: huic brachię binę, vel brachia bina: illi dentes bini tribuuntur, objiciat aliquis. reſpondeo, locum Plinii mihi corruptum videri, primum circa numerum, nimia enim ad vermę hæc magnitudo eſt: & Solinus (qui ſua ex Plinio tranſcribit) non ſexaginta, ſed ſex (ſenûm) cubitorum eſſe memorat: quod convenit etiam Indico ſeptem cubitos plus minùs longo: qui ſi ſexaginta cubitorum eſſet, olei verò ſextarios tantùm quinos redderet, nimis hoc parum ad tantam molem eſſet. deinde neque brachia, neque branchiæ conveniunt vermi: & ea quoque ratione quòd noctu in terram exeat. Solus enim aquatilium cordylus, authore Ariſtotele, cum branchias habeat, cibi tamen gratia in terram exit, & quadrupes idem eſt ut ad ambulandum idoneus. Et ſi branchias ei demus, piſcis, non vermis erit. & binæ ſolùm tanto animali refrigerando (qui uſus branchiarum eſt) non ſufficient, cum pleriſque piſcibus etiam minimis, plures inſint: qui tamen frigidioris ſunt temperamenti, quam probabile ſit vermem hunc eſſe, cuius adipi ignea non ſimpliciter ignis, ſed fulminea quædam vis eſt, incendio eius ſimiliter ferè inextinguibili. Brachia verò propriè dicta nullum animal habet, quod non oſſa: quæ omnia vermibus negantur. poſſunt tamen per metaphoram aut catachreſin brachia appellari binæ illæ veluti forcipes ab ore vermium (præſertim coſſorum, quibus Indicus vermis non comparatur, & cantharorum) utrinque enaſcentes: nam & mutuo occurſu inflexa brachia referunt, & iis tanquam brachiis aut forcipibus quælibet apprehendunt: & accedente magnitudine, ſicut in Indicis cubitali ferè, (quæ proportio ad longitudinem totius vermis moderata eſt,) brachia non ineptè vocari poſſunt, propter figuram, magnitudinem, uſum. Eadem dentes ſi quis appellet, quoniam ab ore prominent, & figura ferè denticulata eſt, & iis, ſicut reliqua animalia dentibus, aliquid corripiunt, reprehendi non poterit. Sed bina hæc brachia ſeu dentes bini, in vermibus cantharisque noſtris à lateribus oris procedunt, inde in circulum inflexa, mucronibus concurrunt: in Indicis autem vermibus non idem ſitus eſt, cum dens alter ſuperior, alter inferior ſit: ut ſolo duntaxat ſitu differre videantur. Has equidé partes ego forcipes aut chelas potiùs vocârim, ſicuti in brachiis cancrorum, à ſimili motu & apprehenſione: quàm dentes, vel cornua. nam ceraſtes vermis ab his partibus ſeu cordibus appellatus mihi videtur à vulgo Græcorum olim. de quo Theophraſtus de Cauſis plantarum ſ. 14. Ceraſtam vermem (inquit) & in olea creari, & in fico parere aſſeverant. Habet ficus & ſuos vermiculos, & illos quoque enutrit quos alienos receperit. omnes tamen in ceraſten figurantur, & ſonum edunt parvuli ſtridoris.

Philoſtratus.

Videtur autem Cteſias magnum illum Indicum vermem comparans vermi in fico naſcenti, de hoc ceraſte ſentire. Meminit eiuſdem vermis Philoſtratus etiam de Vita Apollonii lib. 3. In Hyphaſide (inquit) Indiæ flumine bellua gignitur a bo vermi ſimilis (σκωληκι λοβῳ ὁμοιον θηρίον:) ex qua capta oleum ſit ad uſum ignis accommodatum. quod niſi vitro contineri poſſit. capitur autem regi tantummodò eiuſcemodi bellua, qua ille diruendorum mœnium cauſa utitur. nam ubi muros eiuſmodi pinguedo tetigerit, ignis accenditur inextinguibilis, omnium maximè quæ pro excitandis incendiis ab hominibus inventa ſunt: Sic ille Alemanno Rhinuccino interprete. ſed ultima verba Græcè ſic ſonãt: πῦρ ἐκπαλεῖται κρεῖττον σβέσηρῶν ὁπόσα ἀνθρώποις πρὸς τὰ πυρφόρα εὑρηται. hoc eſt: ignis excitatur, validior quàm qui ullis hactenus ad reſtinguenda incendia inventis inſtrumentis extingui poſſit: ut πυρφόρα ſint vaſa vel inſtrumenta ad inferendum incendium comparata, σβέσηρα verò ad extinguendum: hæc extinctoria, illa incendiaria dixeris. Σβέσηρα κωλύματα, machinamenta ad reſtinguendum ignem, quidam interpretatur. Hoc animadvertendum, non idcirco diverſum genere ſtatuendum hunc vermem eſſe, quòd à Philoſtrato vermi albo comparetur: à Plinio color cœruleus ei tribuatur: ſed potiùs in ſolo colore diſcrimen ponendum, ſicuti & alia pleraque animalia coloribus diverſis reperiuntur: vel generis eiuſdem proximi ſpecies diverſas, utpote in fluviis etiam diverſis genitas, exiſtimandum.

Vermibus aquatilibus illos etiam qui piſcibus innaſcuntur adnumeremus. Gignuntur vermiculi (σκωλήκια) quidam in vulva mulli piſcis, poſtquam tertio peperit, qui ſobolem (γόνον τὸν γινόμενον) naſcentem conſumunt: itaque ſterileſcit, Athenæus. Semini carper (*carpa ſeu cyprino parvulis*) nonnunquam in anno primo nativitatis niger vermiculus quidam poſt aurem (*virgulam aliqua pro branchiis dicit*) ſuam tabificus innaſcitur, & hoc ſæpius poſt Auguſtum, eaque tabe moritur. remedium eius eſt aqua dulcis & fluvialis, Author de nat. rerum. videtur autem in ſtagnantibus aquis hoc malum eis accidere ſentire. Memini audire affirmantem, de muliercula quadam, quòd cum de cyprino ingeſſiſſet partem circa branchias & ſimul album quippiam piſi magnitudine, (vermem, aut ovum animalis venenati fuiſſe ſuſpicor,) mox animi deliquio correptam, corpore toto intumuiſſe, diuq; poſtea malè affectam, tandem ſanitati reſtitutam eſſe, non tamen niſi annis octo evolutis peperiſſe, cum priùs fœcunda eſſet. Ariſtoteles ballero & tilloni ex fluviatilibus ac lacuſtribus vermem (helmintha, lumbricum) innaſci ait ſub Cane: quo illi infirmati ad ſummum aquæ efferantur, ubi æſtu (vi Solis) intereant. Duodecim veluti uniones, erui magnitudine, carnoſos tamen, candidos, & calli duritiem habentes, in quibuſdã Cernuis (*ſic vocat Percas fluviatiles minores illas, quas à rotundidate Saxones Kulparſen, alii Kutten nominant*) conſpexi: quorum unusquisque vermem incluſum, gracilem, oblongum ac teretem contineret: qui ex venis meſaraicis dependerent inter colon & ileon, ad eos anfractus, in quibus lactes eſſe ſolent. nam etiam Lumbricos, Aſcarides (*Aſcarides vox videtur abundare*) in ſeſquiulnam longos aliquando comperimus, Bellonius. Gobionem parvum piſciculum fl. (*eum Greiſume*) æſtate dicunt vitiari vermiculis quos in ventre geſtat Albertus. Hos piſcium lumbricos, quos ex illis veluti unionibus (id eſt, erui magnitudine tanquam ovis, ut ex Bellonio memoravimus) naſci puto, noſtri *Neſſel*, id eſt, Ligulas appellant: à figura tenui, oblonga, latiuſcula, ligulæ vel tæniæ inſtar: ipſos verò piſces lumbri-

lumbricoſos *Bendig*, quaſi ligatulos. nam *band & bendel*, vinculum, faſciam, aut tæniã ſignificat. Alia autẽ ſignificatio eſt vocis *Banniz*, quæ prohibitum & vetitum ſignificat: itaque *Bannigfiſch* dicunt de piſcibus certo anni tempore vetitis, & lege ne capiantur exceptis. Lumbricos autem innaſci aiunt omni generi piſcium noſtrorum, (id eſt dulcium aquarum: imprimis quidẽ leuciſcis illis, quos *Schvvaalen & Laugelen* vocant: & Balleris, quos *Blicken*: & Rutilis noſtris, quos Vengerones Sabaudi nominant:) exceptis Luciis, Cyprinis latis & Albulis lacuſtribus quas à cæruleo colore denominamus. Sic affectos piſces, tanquam noxios, vendere lex vetat. Deprehenditur autem etiam foris hoc vitium, cum venter maior, durior & albior apparet. Æſtate tantùm accidit, putreſcente nimirum aliqua materia. Vermes ipſos aliquoties reperi, modò viventes, modò extinctos. albi ſunt, graciles, longi, & convoluti. In Leuciſci ſecunda ſpecie (ut Rondeletius nominat, noſtri *ein Laugelen*) lumbricos quatuor inveni nuper, decimo Auguſti, vivos, candidos, latos, exigua craſſitudine, circumvolvẽtes ſe viſceribus & inteſtinis forinſecus. Maior ex illos quatuor, digitos ferè decem longus erat, latus dimidium. Aliàs verò in Cyprino lato fœmina, ſub finem Maii, lumbricos aliquot ad digiti longitudinem reperi: unum albicantem, &c.

De Lumbricis ſeu vermibus maris & ſtagni marini, Rondeletii & Bellonii ſcripta invenies ſuprà, elemento L. pag. 506.

Vertebram recentiores aliqui interpretantur Spondylum: de quo leges ſuprà, elemento S. eſt autem concha duabus valvis conſtans, quæ ex poſteriori parte duabus vertebris continentur.

Vertibvla Theodorus Gaza modò pro Holothuriis, modò pro Tethyis poſuit, ut in utrorumque hiſtoria indicatum eſt. Iovius ab Vrticis non diſtinxit, ut apparebit infrà in Corollario de Vrticis.

Vespertiliones marini piſces volant & natant, Niphus. videtur autem Hirundines, aut ſimiles piſces Milvos aut Lucernas, Veſpertiliones vocaſſe: quòd ita pinnis ſuis, ut illæ alis cuteis volent, utræque glabris. Hirundinem piſcem (inquit Rondeletius) Galli quidam Ratepenade, id eſt, Veſpertilionem vocant: quòd colore, aliarum magnitudine, maculisque veſpertilionem æmuletur, &c.

Visas, aliàs Biſas, pagurus vel cancer marinus eſt Kiranidæ. Vide in Locuſtæ Corollario A. pag. 486.

Vitvlvs marinus, & aliquando Vitulus abſolutè, qui Græcè Phoca, Latinis etiam recepto vocabulo dicitur. Quære ſuprà in Phoca. Audio nuper hoc animal utroque ſexu Francfordiæ ad Mœnum à circunforaneo oſtantatum eſſe. Maris tergum maculis aſperſum fuiſſe, fœminæ non item: coloris fuligínis, rubro etiam plurimo inſperſo: in ventre autem, lutei fermè, albo permixti. Non auriculas, ſed meatus auditorios parvos prope oculos habere: collum longè extendiſſe: & ad magiſtri imperium in partes diverſas ſe obvertiſſe ut pleniùs ſpectandum ſe præberet. Maris pondus libras (nimirum XVI. unciarum) centum & viginti ſuperaſſe. fœminam paulò leviorem fuiſſe. Apprime obeſum eſſe animal, larido ad duos digitos craſſo luxurians, corpore hirſuto, ut Benedictus Martinus Bernenſis ad nos ſcripſit. Populi Ichthyophagis Adipſis vel Apotis (qui potu non utuntur) viciui, fœdere quodam arctiſſimo cum Phocis coniuncti videntur. itaque nec ipſi phocas lædunt, neque ab eis læduntur: & ſi quam ipſi prædam priores fuerint conſecuti, nihil contra molientibus phocis retinent: & ediverſo etiam phocæ. Denique ea ſecuritate familiariter invicem degunt, ut vix homines magis inter ſe familiares invenias. Agatharchides in libro de Mari rubro. Teſtudines marinæ coeunt veluti phocæ, & in terra canes. hæc enim ſingula diu immorantur in coitu à parte poſteriore connexa invicem, Oppianus. Praxagoras in epilepſia cum acceſſionem viderit commoveri, deprimit partes quæ fuerint in querela, atque defricat caſtoreo, & vituli marini veretro: Cælius Aurelianus, hæc ipſum facientem improbans.

Vmbilici marini è cochlearum genere ſunt. Vide ſuprà in Cochleis in genere, ex Rondeletio, ad mediũ pag. 229. & in proximè ſequente Corollario noſtro. Ex Rondeletii quoq; libris icones & deſcriptiones, Vmbilici varii ac parvi: & Cochleæ umbilicatæ duorum generum, dedimus ſuprà, pag. 242. inter Cochleas marinas diverſas.

Vmbilici vel Vmblæ vocantur à nonnullis hodie piſces quidam lacuſtres, ad vulgaris vocabuli Sabaudici imitationem, quos inter Truttas locavimus.

DE VMBRA MARINA, BELLONIVS.

Σκίαινan Græci vel σκιαίδια, Latini Vmbram marinam dicunt, quod quidpiam habeat inter corvum & lupum adumbratum: vel quòd, dum movetur, adumbrantem quendam oculis colorem iridis in morem rutilet. Vmbrinam Romanorum vulgus nominat, atque huius quidem minorem ſpeciem quæ argentei eſt (coloris) Vmbrinottum. Pariſinis non alio, quàm macri nomine cognitus piſcis, du maigre, à carnis (quæ in transverſas taleolas (ut Sturionis & Salmonis) diſſecta venundari ſolet) candore atque albedine, quam vulgus maciem appellat. nullo enim eſt ea ſanguine colorata, neque etiam ruffa apparet, quemadmodum Salmonis. Mediterranei maris incolæ, apud quos magis nigricat, Damam appellant, un Daing.

Inter ſaxatiles à Galeno & Oppiano connumeratur. Sunt udæ cautes, herbis à fronte virentes, Hîc domus eſt Sargis, hæc Statio (*ſtatio primam corripit*) læta Sciænis.

Cetaceus eſt piſcis, ſexaginta plerunque librarum ponderis, quatuor plus minùs cubitos longus, ſquamoſus, pro quo Glaucum Romani ichthyopolæ plerunque ſupponere ſolent. Sed hoc à Glauco differt, quòd hic dentes habet in oris ambitu raros, firmos, acutos, prominentes, teretes, caninis longiores, graciliores: quorum ſuperiores, inferioribus maiores, ſic maxillæ inhærent, ut ipſius pars eſſe videantur. Glaucus autem labra tantùm habet aſpera: præterea Vmbra in ea pinna quæ ano proxima

est,aculeo caret,caudamque veluti in angulos desinentem gerit,ut Scaro & Iulidi, non autem bifurcã ut lupi,nec circinatam ut rhombi. Cæterùm huius piscis squamæ veluti obliquæ apparent,in Oceano nigriores,& veluti opacæ: in Mediterraneo argentei,atque interdum ab his varii coloris, iridem, dum piscis circumagitur,imitantes. Duabus in tergore pinnis præditus est, quarum anterior octonis præmunitur spiculis,posterior nullis: alas(*ad branchias,non alas*) verò utrinque unam, & duas sub ventre,ut in lupo.

G Calculos hic piscis in capite gerit prægrandes,quos aurifices nostri argento inclusos vulgò divendere solent,appellantque Pierre de colique. Aiunt enim gestatos ac collo appensos non solùm colicum dolorem abigere,sed etiam vetare,ne illa amplius redeat: atque hoc etiam,si diis placet, comminisci solent, nullas eos calculos vires habere,si empti fuerint,sed donò datos esse oportere.

DE EADEM, RONDELETIVS.



B *Vmbra cum Coracino & Lato similitudo.*

VMBRA Coracinum sequitur,nec meliùs certè umbra corporis sui habitum refert,quàm umbra coracinum. Ob quam similitudinem piscatores,& ichthyopolæ tam Romæ,quàm in Montepelio coracinum pro umbra,& umbram pro coracino vendunt: existimantes umbram,coracinum,Latum, solà ætate differre,ut coracinus parvus sit,umbra maior,Latus verò maximus.

A Σκίαιναν Græci vocant,quam Latini umbram,servatâ Græci nominis ratione. Græci quidam hodie corrupto vocabulò σκιὸν vocant,alii μηλοπέτοιοι: (*Myllus vulgò Myllocopion à Græcis dicitur, Hermolaus. Myllum autem Rondeletius eundem coracino putat.*) ab Italis & Massiliensibus,denique à toto illo tractu,qui à Massilia est Neapolin usque,umbrino vocatur: Baionæ borrugat, quasi verrucatus, à verruca quam in mento habet,à Gallis maigre: in Gallia nostra Narbonensi daine,nonnullis peis rei, id est,piscis regius: sed peritiores dainam à pisce regio & coracino sic distinguunt,ut peis rei sit is, qui latus dicitur. Daina verò σκίαινα: postremò coracinus corp,ut dictum est priùs: minùs corruptè pro daine dicitur à quibusdam caine,omisso σ, id quod Galli plerunque faciunt in nominibus, quorum initum est s. hac autem sublata,& κ in d mutando,daine fecerunt. Nomen habet σκίαινα,vel umbra, à colore nigrescente. Ovidius: Tum corporis umbræ Liventis. Sive potiùs à lineis quibusdam obliquis,à dorso descendentibus aureis & obscuris, quæ aliarum videntur umbræ. una enim manifesta est, sequens obscura: & sic deinceps,à capite ad caudam usque.

Vmbra unde dicta.

B *Cum Coracino similitudo & differentia, &c.*

Vmbra in multis coracino similis est,verùm ab eo differt magnitudine. Coracinus enim ad cubitalem aut paulò maiorem molem accrescit,præsertim in mari Oceano: habet & verrucam in mento, qua nota à coracino & lato facilè distinguetur. Cæterùm foramina duo ante oculos habet,coracini modo in summo rostro,& inferiori maxilla foramina aliquot parva,sed manifesta,quæ partes has asperas reddunt: dentibus caret. pinnas quoque similes habet, sed minùs nigras & breviores,maximè quæ in ventre sunt & dorso,caudam similem. Vmbræ alius est color, quàm coracino ob lineas obliquas, quasdam aureas manifestas,alias aliarum,veluti umbras,ut dictum est: corpore quoque est minùs lato, sed longiore,dorsum minùs repandum. Oculi in utroque similes. In umbra squamæ capitis multæ & parvæ. Operculi branchiarum extrema nigrescunt. Partibus internis coracino similis,ventriculum similem habet,totidem appendices,splenem,hepar,fel,similia. Insunt & in capite lapides.

C
F Oppianus umbram saxa frequentare scribit,iis versibus qui capite de Sargo citati sunt. Veruntamen in veris saxatilibus nón habetur: neque enim molli est carne & friabili. Est tamen in pretio, & divitum mensis apponitur. Nam quanvis sicca sit carne,& concoctu non admodùm facili,tamen suavi est, & candida.

A Lib. 7. Apud Athenæum brevis admodum de hoc pisce fit mẽtio. Epicharmus,inquit, σκιαθίδα, Numenius σκιαδέα vocat. Sunt qui σκίαιναν & σκινίδα diversos esse pisces credant,quòd alter vera umbra sit, alter piscis umbræ similis. Sed scrupulum hunc adimit Galenus libro 3. de Aliment. facult. Οὐ μὴν ὁμοίως μαλακὴν ἔχουσι σάρκα τούτοις καὶ τοῖς πετραίοις ἰχθύσιν οἱ κωβιοὶ, καθάπερ οὐδὲ σκινίδες, ἢ σκίαιναι· διττῶς γὰρ ὀνομάζονται.

(F) Cæterùm gobiones non perinde mollem carnem habent,ac isti (*aselli*) & saxatiles pisces: veluti nec umbrę,quæ scinides aut scięnæ duplici nomine appellantur. Ausonius umbræ meminit,sed ea planè fluviatilis est: neque enim enim marina fluvios unquam subit. Duas igitur umbrarum differentias statuimus,marinam & fluviatilem,qui in montium amnibus,una cum troctis, à quibus plurimùm dissidet,capitur: de qua suo loco plura.

Vmbra fl.

F Hodie umbra marina Romæ maximè commendatur,& triumviris rei Romanæ conservatoribus, capita dono dantur,quemadmodum apud nos delphinorum & glaucorum capita Episcopo Monspeliensi tributi nomine penduntur. Recitat non illepidam historiã de T. Tamisio parasito Romano Paulus Iovius,vir doctus & elegans. Is Tamisius Romanis aulicisq; salibus erat insignis,sed gulæ adeò prostitutæ,

prostitutæ,ut infamis haberetur. Is cùm per servum,qui in foro piscario in eam curam intentus,excubare solebat,ingentis umbræ caput,triumviris delatum esse cognovisset,in capitolium protinus ascẽdit,ut simulato apud magistratum negotio,sermoneq; de industria protracto,prandium captaret. Sed misero huic res longè aliter cecidit ac sperabat,eoq; die magno illi gula constitit. Nam triumviri ad Riarium Cardinalem dono miserunt,hic ad Cardinalem Federicum Sanseverinum: is rursum ad Chisium Publicanum ditissimum: postremò Chisius ad scortum quod amabat. Intereà parasitus pertimescens,ne bolus is è faucibus eriperetur ac veluti corvus hians,per singulorum ædes prædam avidè cõsectatur,huc,illuc,sursum,deorsum cursitans,modò trans Tyberim,modò cis Tyberim. Tandem fessus,anhelans,totusq; sudore diffluens,huic enim pinguis aqualiculus propenso sesquipede extabat, cum scorto novi hominis adventum admirante discubuit.

Ex umbra ius album optimum paratur,& quæ gelatina vulgò dicitur quemadmodum ex lupi carne. F Præparatur coracini magni modo. Caput in aqua & vino decoctum ex aceto editur. In sartagine frigunt alii,& cum succo mali arantii edunt. Divisa etiam in assulas & caryophyllis transfixa, in craticula assatur,oleo frequenter irrigata. Farina probè subacta conclusa,caryophyllis,cinamomo, sale condita servatur. Apud Pictones elixa ex aceto,& cepis minutim concisis editur.

Sciænæ interanea,& squamæ combustæ,panos discutiunt,autore Plinio lib. 32. cap. 9. Lapides qui in umbræ capite sunt,eandem facultatem quam coracini lapides habere creduntur. G

COROLLARIVM.

Vmbram piscem à colore nominatum author est M. Varro. Coloris est umbrosi, Isidorus. A Latinis (plerisq;) Græcam significationem æmulatis,umbra vocatur: vel quòd liveat colore,ut canit Ovidius: vel quia celeri suo natatu oculos effugiens,umbra piscis potiùs quàm verus piscis, intuentibus appareat,ut innuere videtur Ausonius inquiens: Effugiens oculos celeri levis umbra natatu, Salvian. Sed Ausonius umbræ fl. tantùm meminit,totò genere diversæ. Plinius Græcum vocabulum Sciæna retinuit. Græci σκίαινα scribunt proparoxytonum,ut τρίαινα,ὕαινα,τύαινα, est autem syæna piscis à sciæna diversus; Oppiano etiam distinguente. Vocatur & σκιαδεὺς,ut βασιλεὺς,à Xenocrate: & apud Varinum. *Sciadeus.* Numenius σκιαδέα dixit,hoc versu: Ἠὲ φάγρον λοφιήν τε ἰδ' ἀγρόμυλον σκιαδῆας, Athenæus. Advertendum est sciænam atq; sciadeum (etsi utriusq; ceu diversorum in suo pisciũ catalogo meminerit Plinius lib. 32. cap. 11.) unum atq; eundem piscem esse,Salvian. Epicharmus sciathidem appellat, cuius hæc verba recitat Athenæus: Αἰλίας,(al' Αἰολίας,) πλωτάς τε,κυνόγλωσσοί τε: σκιαθίδες (al' ἐνῆν δὲ καὶ,quod placet) σκιαθίδες. *Sciathis.* ego sciænidem dicere malim,ut à sciena derivetur sciẽnis,ut à τρίγλη,τριγλίς: πέρκη,περκίς: ὕαινα,ὑαινίς,&c. *Sciænis.* Rursus à σκιαινὶς per syncopen factum videtur σκινίς. nam apud Galenum lib. 3. de aliment. σκινίδες leguntur. *Scinis.* A Salviano non rectè σκινίδης in recto singulari profertur. Vmbrã Græci etiam nunc Scion nuncupant,Gillius. *Vulgaris.* Rondeletius umbram à Græcis huius temporis μηλοπόπτοιον vocari scribit,alibi verò ovem marinam. De Ovibus marinis plura nos suprà,elemento O. Ab Italis Vmbrina vel Ombrina vocatur, ut eruditi aliquot viri testantur. A Platina lumbrina dicitur. Venetiis, ut audio, Nembrella. Glaucus pusillus chromidi adeò similis est,ut pro ea plerunq; divendatur provectior autem adeò umbram marinam refert(præsertim cirro,quem sub labro inferiore erectum habet)ut à plerisq; alter pro altero assumatur. quare etiam Massilienses & Romani,glaucum umbrinam nominant, Bellon. qui & chromin similem piscem ab aliquibus cum umbrina confundi tradit. De Coracini, Glauci Bellonii, Lati,& Vmbræ piscium confusione,ac distinctione & nominibus Germanicis, diximus supra in Corollario ad Chromin in Bellonii pag. 224. ubi Vmbræ nomen Germanicum finxi, *ein Seerapp.* Licebit autem Gallicum vocabulum Maigre (quod macrum significat) interpretantes nominare *ein Mager oder Magerfisch.* vel à verrucà menti, ut Baionenses Galli, *ein VVertzer.* A

Palmitas ego parvas lumbrinas crediderim. neq; enim nisi quantitate tantùm differunt. nam & oblongæ hæ sunt,& subnigrę,& caudam habent subtilem,acutam & bifurcatam. sunt item sine squamis, Platina. ego palmitas vel palamitas vulgò Italis dictas,pelamydes esse puto: lumbrinas verò umbras, pisces toto genere diversos.

Vmbra dicitur à colore. vide suprà ab initio huius Corollarii. Vmbra lapidem in capite continet, quare frigus ei infestum est, Aristoteles: & Plinius qui scięnæ nomine utitur: item Ælianus. Vmbra tota latioribus squamis integitur, Iovius. Plinio squamæ sciænę combustæ panos discutiunt. Dentibus caret,ut Rondeletius scribit: eosdem Bellonius ei attribuit,& in icone etiam pingit satis magnos. Iovio quoq; & Salviano denticulata est: quanquam in exhibita à Salviano icone dentes mihi non apparent. Verrucam sub mento Rondeletius & Salvianus exprimunt, Bellonius omisit. Vmbrina(inquit Salvianus) rostrum habet incurvum & retusum,potiùs quàm extentum & acuminatum: os mediocre & denticulatum: caput satis magnum. In dorso duas gerit pinnas: priorem octonis aculeis, alteram nullis,munitam. Ad branchias etiam(quas utrinq; quaternas habet,) una utrinque enascitur pinna, duæq; aliæ in ventre conspiciuntur: & postremò imo quoq; ventri ab ano,una alia hæret. Cauda lata est,& non falcata. Squamis latioribus & obliquis tegitur. Totius piscis figura paulò longior est,quàm lata sit aut crassa. Ventriculum magnum habet & carnosum,intestina mediocria & pinguia: iecur pallidum,ex quo fellis vesica pendet: lienem subatrum. Dum parva est,argentea ferè tota apparet: maior facta,ventre argenteo: dorso verò & lateribus subliventibus ac veluti opacis conspicitur. Ad multam molem excrescit: sexaginta enim libras crebrò excedit. B

Marinus piscis est umbra. ad flumina autem adnatare nón solet, Salvian. Oppianus scięnam πετραίην, id est saxatilem cognominat,& saxa herbosa eam frequentare tradit. Galenus sciænam minùs mollem quàm saxatiles carnem habere scribit. Ovidius pelagias facere videtur,sed dubitari potest. Arenosi gurgites,planos quidem non pessimè,sed pelagios meliùs pascunt,ut auratas ac dentices, umbrasve, Columella de piscinis loquens. Capitur circa ostia fluviorum frequenter,& in alto etiam, Iovius. Vmbra piscis est agilis & plurimùm vorax, Iovius: carnivorus, Salvianus. A frigore læditur propter lapidem in capite,ut in B. prædictum est. C

Solivaga est potiùs quàm gregalis: perrarò enim plures unà capiuntur, Salvian. In versib. Numenii, D

apud Athenæum, Τοῖσί κε θηρήσαιο λαβεῖν λελιημμένος ἰχθῦν, Ἢ φάγρον λοφίην, ὅτε δ' ἀγρόμενον σκιαδῆα: quoniam de escis piscium eum loqui apparet, ἀγρόμενον, non tam gregalem, quàm qui ad escam colligitur, interpretari licebit. Cum metuit, capite & oculis absconditis, totam se latêre putat, sicut & bubalus & struthio Africani. vide mox in E.

E Vrinator aliquis peritus in mari facilè etiam manibus capit sciænam. hæc enim in metu ad saxa festinans, cavum aliquod quærit, aut scissuram, aut herbas marinas subit. contenta est autem capite tantùm occultato, de reliquo corpore non solicita: tanquam si suis ipsa oculis non videat, ab alienis quoque non videatur. itaque stolida facilè comprehenditur, Oppianus Halieut. 4. Capitur cum siluris (*sturionibus*) frequenter circa ostia fluviorum, quod siluris non contingit, Iovius. Arenosi gurgites planos quidem non pessimè, sed pelagius meliùs pascunt, ut auratas, ac dentices, umbrásve, Columella de piscinis loquens.

F *Vt sapiat.* Ipsa (*Ipsis*) quoque diebus canicularibus pinguescit, parique ferè pretio cum siluris (*sturionibus*) æstatis tempore venundatur, Iovius. Et rursus: Secundum Siluros (*sturiones*) sciæna è grandibus primam saporis obtinet claritatem. Ennius umbram nobilioribus piscibus connumerat: & nostris quoque temporibus ubique ferè multi æstimatur. Romæ verò, dempto Sturione, piscium omnium communi ferè consensu sapidissimus atque nobilissimus censetur. & licet omni anni tempore, quo capi solet, suavis sit, canicularibus tamen diebus, uti pinguior capitur, ita suavior degustatur. Et quamvis qualibet sui parte celebris sit, abdomine tamen & capite maximè commendatur. Vmbrarum autem atque Sturionum (ubi ad cubitalem molem excreverint: nam in minoribus id non observatur) capita Triumviris tributi nomine dantur, Salvianus.

Vt nutriat. Gobionis, aselli & umbræ à Philotimo apud Galenum (de Aliment. 3. 30.) piscibus mollis carnis adnumerantur: quem Galenus hos pisces cum saxatilibus non confundere debuisse ait. hi enim semper sunt optimi. aselli verò si probo utantur alimento & mari puro, cum saxatilibus conferri possunt: sed variant pro locorum diversitate non mediocriter. cæterùm gobiones non perinde mollem ac isti (aselli) & saxatiles pisces, carnem habent: veluti nec scinides (ut Philotimus appellat) sciæve dictæ. Sciadeus (inquit Xenocrates) bonum gignit succum, facilè in corpus digeritur, saporis est iucundi, nutrimentum præbet non admodum copiosum, Vuottonus. eadem Salvianus comprobat, & addit non admodum excrementitiam esse. Eadem propè umbrinæ ac sturioni carnium conditio est. utræque enim non mediocre imbecillioribus stomachis negocium facere consueverunt, Iovius.

Vt condiatur. Quovis modo condiatur suavis est: elixa tamen ac cum leucophago comesta, aut transfixa caryophyllis ac verubus assata, frequente olei & omphacii conspersione, dum assatur, irrigata, suavior gratiosiorq; multò redditur, Salvian. Capita umbrarum, sicuti & sturionum, triumviris rei Rom. conservatoribus, dono dantur: qui piscatores inveterata quadam consuetudine eorum capitum tributi nomine vectigales fecerunt. capiti enim summa inest gratia, autoritate etiam Archestrati: qui umbrinæ capitis nobilem quandam condituram, ut apud Athenæum videre est, multis carminibus expressit, Iovius. mihi apud Athenæum locus is non occurrit. nam septimo libro in mentione sciænæ ex ordine literarum instituta nihil tale reperias. sed neque Rondeletius & Salvianus huiusmodi quicquam citant, ut memoria fortè lapsus sit Iovius, aut aliter deceptus: quod equidem suspicor, nō aio. Lumbrina coquitur & conditur eo modo quo stirio: minus tamen cocturæ, quia tenerior est, requirit, Platina.

G Vt calculo de capite umbræ marinæ, sic etiam corvi vel coracini, aliqui etiam conchæ porcellanæ (ut vulgò nominant) candidæ minimæ, si gestetur, vim quandam efficacem ceu amuleto contra colicam, aut etiam uteri in fœminis pœnas vulgari credulitate quidam attribuunt. unde nostri omnes hos calculos *Muterstei*, Galli pierre de colique, nuncupant. & quod ridiculum est, non emptum sed dono datum huiusmodi calculum esse volunt. Licebit autem sciæniten è sciæna calculum appellare: è chromide, chromiten: ut è synodonte, synodontites vocatur. Vide quæ annotavimus in Corollario de Coracino B. & G.

H. a. Ennius in carminibus, quibus qui pisces ubi lautiores reperiantur, explicat: melanurum quoq; nominat, & turdum, merulamq;, umbramque marinam, citante Apuleio Apologia 1. sed codices nostri sunt depravati, nec expressum regionis nomen.

Epitheta. Corporis umbræ Liventis Ovidius. Vmbra agilis est & vorax, Iovio. δειλή, πετραίη, ἀταλή, Oppiano. id est, timida, saxatilis, stolida.

.f. Maurus episcopus in libello quem patris Dei Convivium inscripsit, Lazarum Vmbram sumpsisse fingit, &c. nimirū quoniam is iam triduum umbra & mortuus à Servatore nostro in vitā revocatus est.

DE VMBRA FLVVIATILI, RONDELETIVS.



A QVI citra diorismum de piscibus loquuntur, Vmbram marinam cum fluviatili perperam confundunt, cum hæc ab illa permultùm differat. De marina veteres multi locuti sunt. De fluviatili solus, quod sciam, meminit Ausonius in Mosella:

Effugiens oculos celeri levis umbra natatu.

B Vmbra fluviatilis non solùm nomine sed & colore, marinis similis est, à quo utrique nomen: corpus enim est opaci loci modo subfuscum & subobscurum, cubitalem magnitudinem non excedens. Galli Narbonenses, demptis Monspeliensibus, Vmbram vocant. Piscis est ex Truttarum genere, Carpioni Italico

Italico corporis aspectu affinis. Pinnis & earum situ à Trutta non differt. Duas itaque ad branchias habet, duas in ventre, ab ano unicam, in medio dorso priorem maiorem, posteriorem minorem, subrotundam & pinguem, squamas parvas & maculosas similiter habet. Carnis substantiam, partesque internas omnes easdem habet. Capite verò à Truttis differt, quo Carpioni (*Italico*) similis est: capite enim longiore est quàm Trutta, ore minore, nec tam hiante, rostro non acuto, sed obtuso, maximè in maxilla inferiore, sine dentibus, & sine magna maxillarum asperitate. Oculis est patulis, cornea tunica aurea, pupilla nigra. Corpus à medio sensim gracilescit, in caudam tamen latiusculam & pinnam bifidam, latissimam deficit. A branchiis ad caudam linea recta (*non est in pictura*) per medium corpus producta est. Branchiæ intus sunt quaternæ, ventriculus longus & spissus, pinguitudine quæ lacte candidior est, obductus, à quo multæ apophyses pendent. Hepar rubet cui alligata est fellis vesica: fel nigerrimum est, splen longus & niger. Intestina sine gyris ullis ad anum demissa sunt.

Vescitur terra, aqua, lino, unaq; cum his & cum arena auri laminulas haurit: ob id vulgus auro nutriri Vmbram credit: & revera in ventriculo & intestinis aurum reperiri certissimum est. C

Carne est sicca & alba, qualis est Truttarum parvarum caro. Hyeme latet. æstate cum Truttis capitur: cui cum in succo & substantia, permultisq; aliis, similis sit, Truttarum generi, & tractationi subiecimus. Pura aqua maximè delectatur. F C

DE EADEM, BELLONIVS.

Vmbra Allobrogibus nostris valdè cognita ac familiaris, Vne Vmbre, delicatissimi saporis piscis, ac nutrimenti peroptimi, Truttarum ac Lavaretorum generis, auro vesci credita, in fluminum ac lacuum vorticibus degens. A F C

Pedem non excedit. squamas habet tenues, ventrem elatiusculum: caput, quàm Trutta oblongius. tota sub ventre argentea. Dorsum tersissimum habet, ex livido opacum: Caudam bifurcam, tenuem in tergore pinnam, quaternas sub ventre: duas priores non in lateribus (ut quibusdam aliis) sed multùm inferiùs ad ventrem sub branchiis, carunculam supra caudam, ut in Truttis & Salmonibus diximus. Lacus, quem Allobroges vulgo d'Aiguebelette nuncupare solent, affatim Vmbras promit. Fel Vmbræ paulò amarius sentitur, quàm Lavareti. Eius autem iconem non apposui, quòd ad Vmbulam proximè accedat. B

COROLLARIVM.

Vmbra fluvialis Græcis ignota est, Lotharingis ac Lugdunensibus peculiaris, Bellonius. Vmbra marinus piscis est, qui ad flumina adnatare haud solet: Vnde cum Ausonius (*Ausonius tamen cum*) fluviatilibus suæ Mosellæ piscibus Vmbram adnumeret, inquiens, Effugiens oculos c. l. u. n. (tanquam innuat celeri suo natatu oculos effugientem, umbram piscis potiùs quàm verum piscem intuentibus apparere) marinam Vmbram subire aliquando solere Mosellam, arbitratum ipsum credimus: potiùs quàm aliquem fluviatilium piscium, Vmbræ nomine ab eo celebrari, Salvianus. Atqui Sabaudi Vmbrā hodie appellant (Vn Vmbre) thymallum Æliani suprà à nobis descriptum: nec equidem alium piscem quem Vmbram fl. rectiùs appellemus, hactenus cognovi: neque marinam Vmbram fluvios subire vel ipse putârim, vel Ausonium, putasse crediderim. Rnodeletii certè & Bellonii Vmbra si thymallus nō est, adeò tamen similem ei speciem naturamq; habuerit, ut nullus piscium magis, quod utriusque historias conferenti patet. Thymallis ut Germania abundat, ita Gallis etiam non ubique deesse omnino verisimile est: & cum Sabaudi sive Allobroges Gallicè loquentes thymallum (ut dixi) Vmbram appellent, eodem etiam Gallos (ut Lugdunenses & Allobroges, quibus peculiarem esse Vmbram Bellonius tradit) thymallum nominare crediderim. Pisces in aquis saxosis pinguiores & salubriores sunt, sicut Trutta, & Thymallus qui vocatur Vmbra, Albertus lib. 7. de Animalib. In Anglia alicubi audio *Omber* nominari piscem, quem vos, ni fallor, vocatis *ein Aesch*, (*sic autem thymallum vocamus*,) Turnerus in epistola ad nos. Vide suprà in Corollario de Thymallo A. Accedit quod thymallum in Mosella copiosè capi audio: imprimis verò abundare ubi Mosella exonerat in Rhenum, ubi vix alii pisces capiantur. Itaque eundem Ausonii Vmbram esse conjiciemus, ne Ausonium tam nobilis Mosellani piscis, cum viliores plerosque omnes nominârit, mentionem præteriisse miremur. Itaque Vmbram aliam marinam esse dicemus, Græcorum sciænam: aliam fluviatilem, eandem thymallo, aut certè cognatissimam: aliam denique lacustrem truttis affinem, quam Sabaudi Vmblam vocitant: quam rursus in duas aut tres alias species, cum alias tum magnitudine differentes, dividemus. De lacustribus autem dictum est superiùs inter Truttas. *Vmbrarum species.*

Lavaretus piscis Lugduni satis cognitus est, Vmbræ similimus, nisi simus esset, dētibusq; omnino careret, Bellonius. videtur autem de umbra fl. sentire: quoniam eidem lavareto appendicem glabram & carnosam esse scribit caudæ insidentem in Vmbræ modum: quod non de marina sed fluviatili umbra accipiendum constat. Addit eidem Lavareto ossicula utrinque ad fauces & œsophagi ingressum esse, senis hinc inde denticulis, ut in Themolo, communita. ego neque in Lavareto neque in Thymallo ossicula hæc aut dentes ullos reperi. Memini equidem præsentem mihi Bellonium, umbram à thymallo differre asseruisse: cuius authoritati ut non diffido, ita rem in medio relinquo, donec ipsius & Rondeletii umbram à Thymallo nostro diversam videre mihi liceat.

Vmbra fl. in montium amnibus capitur, Rondeletius. Innominatus quidam in libello de Nomenclaturis animalium & stirpium Lutetiæ edito: Vmbra (inquit) Græcè sciæna, vulgo Vmbrina, frequens est piscis in Ligeri, marinam cum fluviatili confundens. C

DE

DE VNGVE SEV DACTYLO MARE ET foemina, Bellonius.

Bellonii Dactylum marem, Rondeletius concham alteram longam nominat, (quam nos suprà inter Conchas exhibuimus, elemento C.) & Dactyli speciem esse negat.

A DACTYLOS alii Donacas, alii Aulos vocant. Horum duo genera reperiuntur, mas & foemina. Anglicum vulgus Pirot vocat, quo ut & Neustrii in piscatione tantùm utitur. Venetiis tamen sunt edules, & cum conchis longis plerunque divendi solent. Vitam foeminæ in arena traducunt.

B *Mares.* Mares in eo lapidis genere quem Glastrum vocant, nec unquam alibi visuntur, qui etiam nonnunquam oblongi esse solent. Avidissimè hunc appetunt reliqui pisces. Quamobrem natura munitissimo vallo eum occultavit, ut inde nisi valido ligonis mucrone aut pala ferrea effodi aut evelli possit: unde Oceani piscatores in recessu maris, palis ad id dedicatis utuntur. Veneti Cappas longas nominãt. Mares autem valvas utrinque clusiles ad referatiles (foeminis [*foeminarum*] modo) longas, sed crassiores habent, duabus extremitatibus detectas, ex uno tantùm latere connexas. Promuscidem ex conchis exerunt, duram, crassam, & ferè cartilagineam, qua terram arrodunt: quam (dum timent) in concham retrahunt, porrò iidem valvas interna parte glabras, foris virgatas, & multa scabritie horrẽtes, ea longitudine quæ foeminæ, gerunt: ac parte anteriore qua promuscidem exerunt, apophysibus ex concha eminentibus, seu aculeis ordine deinceps dispositis horrent.

B *Foemina.* F Foeminæ sinuosam ea parte concham habent, & foramen amplum: posteriore autem (qua conchæ cardinibus seu nervis invicem fulciuntur) aliquid gerunt, muliebri pudendo simile. Multam arenam deglutiunt: quamobrem nisi ea benè repurgatæ vix edi possunt.

A Porrò dactyli, etiam Solenes à Latinis dicuntur. Galli des Cousteaux, quod cultri manubrium referant, Cappæ longæ Italis, Conchæ longæ Plinio. Harum duo etiam discrimina vulgo Veneto agnoscuntur, quorum alterum Capa da ferro: alterum Capa da deo vel da detto (quòd ex sua theca solo (C) digito sine ferro eximi possit) cognominat. Solenes enim foeminæ rectæ in arena stare solent: cumque omnia silent, sursum è profundissimo foramine emergunt: in quod (*tanquam* strepitum audiẽtes) protinus sese abdunt: unde nisi pala ferrea in transversum supposita, ac profundissimè impacta avelli possunt. Id est quod Plinius (Aristotelem secutus) intellexit, Solenes fugere admoto ferramento. Subtrahunt enim sese inferius, & subsidunt in ima. Vngues ex hoc dicti sunt, quòd ad similitudinem unguiũ læves sint. Auli verò, quòd binis quidem conclusi valvulis uno tantùm latere convexis, tereti tamen & fistulæ modo oblongis, intusq; concavis, spectentur. Donaces quoq; , quòd arundinis modo vacuũ intra se spatium obtineant.

B Foemina ergò à mare hoc differt, quòd conchis includatur albis, glabris, fragilibus, nullam habentibus partem quę prona aut supina dici possit.

A His quinque vocibus, Aulo, Dactylo, Solene, Donace & Concha longa Plinius seorsim ad hunc piscem significandum utitur.

DE (VNGVE SIVE) SOLENE (IN GENERE,) Rondeletius.

A INTER Conchas longas, aliæ sunt scabræ & asperæ, de quibus iam dictum est: aliæ læves & tenues, *Lib.32.cap.11.* quales sunt σωλῆνες qui aliter à Græcis vocãtur αὐλοί, δόνακες, ὄνυχες, atque etiam Plinio authore δάκτυλοι. Eius verba sunt: Solen, sive aulos, sive donax, sive dactylus. Dicitur σωλὴν à canalis sive tubi similitudine, αὐλὸς tubæ modo excavatus, δόναξ à figura harundinis crasse, concavæ, apud amnes nascentis, quæ *Lib.1.cap.115.* δόναξ & Cypria harundo nominatur, teste Dioscoride: ὄνυξ verò, id est, unguis ab extremis, tenuitate & figura unguibus simili vel à testæ colore & substantia unguibus nostris non dissimili. Pro re longè di- *Lib.9.cap.61.* versa sumitur ὄνυξ apud Dioscoridem libro 2. de quo suo loco dicemus. Dactyli verò cur dicantur tradit Plinius: Concharum è genere sunt Dactyli ab humanorum unguium similitudine appellati. Ab Italis cape longe vocantur, à Gallis couteaux, quod capulis cultrorum similes sint, ab Anglis *pirot.*

B. Sexus discrimen. Perpẽsus Plinii locus. (F G) Horũ duæ sunt formæ sic distinctæ, ut alii mares, alii foeminæ nominentur à Plinio & Athenæo, nõ quòd ad procreationem semen foetificum hic emittat, ille recipiat. Nam Cõchæ, Chamæ, Solenes, Pectines, locis arenosis sponte proveniunt. Plinius lib.22.cap.9. Ex his mares alii Donacas, alii Aulos vocant, foeminas Onychas, Vrinam mares movent. Dulciores foeminæ sunt, & unicolores. Quo in loco nonnihil desiderari facilè perspiciet, qui præcedentia connectere voluerit, quæ sunt. Purgatur vesica & Pectinum cibo. Quibus nulla Solenum mentione facta, subiunxit. Ex his mares, & cætera. Quare conjicio legendum esse. Purgatur vesica & Pectinum cibo & Solenum: ex his mares, &c. Sequitur enim Solenes mares urinam movere. Et Diphilus apud Athenęũ eosdẽ calculosis & difficilè meientibus utiles esse tradit, aliaque eadem quæ Plinius, ut ex eodem autore uterque transcripsisse videatur. Οἱ δὲ σωλῆνες μὲν πρός τινων καλούμενοι, πρός τινων δὲ αὐλοί, καὶ δόνακες, καὶ ὄνυχες, πολύχυλοι καὶ κακόχυλοι, κολλώδεις. καὶ οἱ μὲν ἄρρενες αὐτῶν ῥαβδωτοί εἰσι, καὶ οὐ μονοχρώματοι: εἰσὶ δὲ τοῖς λιθιῶσι, καὶ ἄλλοις δυσουροῦσιν εὔθετοι. οἱ δὲ θήλεις, μονοχρώματοί τε εἰσι, καὶ γλυκύτεροι. λαμβάνονται δὲ ἑφθοί, καὶ τηγανιστοί. κρείττονες δ' εἰσὶν οἱ μέχρι τοῦ χανεῖν ἐπ' ἀνθράκων ὀπτώμενοι. Σωληνισταὶ δ' ἐκαλοῦντο οἱ συνάγοντες τὰ ὄστρεα ταῦτα, ὡς ἱστορεῖ Φανίας ὁ Ἐρέσιος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ, Τυράννων ἀναίρεσις ἐκ τιμωρίας, γράφων οὕτως. Φιλόξενος ὁ καλούμενος σωληνιστής, ἐκ δημαγωγοῦ τύραννος ἀνεφάνη: ζῶν τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἁλιευόμενος, καὶ σωληνοθήρας ὤν: ἀφορμῆς δὲ λαβόμενος, καὶ ἐμπορευσάμενος, βίον ἐκτήσατο. Id est, Solenes à quibusdam vocati, à nonnullis δόνακες, & αὐλοί, & ὄνυχες, succi multum suppeditant, sed mali & glutinosi. Mares quidem virgati sunt, & cærulei coloris, calculosis & aliis ægrè meientibus perutiles. Foeminæ unicolores sunt, & dulciores. Sumuntur frixi & elixi. Meliores sunt in prunis tosti quoad hient. Qui hos piscantur solenistæ dicti fuerunt, ut narrat Phanias Eresius in libro, cuius titulus est, Tyrannorum in quos

quos vindicatum est cædes, his verbis: Philoxenus solenistes ex Tribuno plebis factus est tyrannus, initio piscatione victitans, & Solenas venari solitus, occasione verò data mercaturam exercens, facultates sibi paravit.

DE SOLENE MARE, RONDELETIVS.



SOLENEM marem hodie nulla natio à foemina distinguit. Athenæus utrunque iisdem nomini- B bus appellat: Plinius lib.32.cap.9. inter nomina discrimen facit: nam mares Solenes, Aulos, Donacas vocat, foeminas Onychas, quam differentiam non negligimus. Est igitur Solen mas ex Concharum longarũ genere: duplici constans testa, lævi, tenui, altera tantum parte colligata nigro vinculo, etiam si aliter scribat Arist. lib.4. de Hist. c. 4. Cũ enim ἀθύρων alia sint altera parte ligata, altera soluta, ut claudi *Contra Aristotelem.* & aperiri possint, alia utroque latere connexa, in his postremis Solenas numerat: cùm contrà semper altera parte solutos videas, neque in ea aut vinculi aut articulationis ullius vestigium. Dodrantali sunt longitudine, pollicis crassitudine, harundinis modo cavi, extremis duobus semper apertis: anteriore caput exerunt & retrahunt testudinis ritu. Secundum testæ longitudinem carnem protensam habent. Testa cæruleo est colore, lineas evidentes habet per transversum ductas: qua parte colligatur crassior est, aliis partibus in tenuem substantiam desinit sicuti Mytuli.

C Aqua & arena vivit. Mira quæ de Dactylis sive Solenibus scribit Plinius: Concharum è genere sunt Dactyli, ab humanorum unguium similitudine appellati. His natura in tenebris remoto lumine, alio fulgore, clarere, & quantò magis humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus atque in solo, atque veste, decidentibus guttis: ut procul dubio pateat, succi illam naturam esse, quam miremur etiam in corpore. Hactenus Plinius. Huius splendoris causam esse puto glutinosum Solenis succum: quę enim tenacia & veluti glutino compacta, ea lævia, æqualia atque perpolita esse solent, atque ob id relucentia, veluti pix, asphaltum, albumen ovi.

F Solenes cum sale & aceto edendi, ut minùs noxii sint: vel cum sale, aceto & oleo: quod tamen quidam improbant, quòd oleum lentorem habet: cùm contrà ad glutinosi Solenum succi attenuationem acetum & sal, multò magis conferant. (*Eadem ferè Vuottonus, à Xenocrate forsan vel Oribasio mutuatus.*) In prunis tosti deteriores sunt, quia magis exucci, duriores & sicciores.

G Mirum quod tradiderunt Athenæus & Plinius, Solenes utiles esse in cibo calculosis, & urinas movere, cùm Athenæus ipse scripserit multi succi esse, sed mali, & glutinosi, atque id experientia confirmet: succus verò is calculo efficiendo, & urinæ retinendæ potiùs quàm promovendæ aptior sit, nisi de iure id accipiendum sit, quod ob salsuginem & acrimoniam hac vi præditum sit. Ego testarum cineribus ad idem malum uti mallem, insigniter enim attenuant, incidunt & exiccant. quòd si timeatur in exiccando morsus aliquis, priùs sunt lavandi.

A. Quod verum solenem marem exhibuerit. Solenem marem verè à nobis repræsentatum fuisse clarè ostendunt Athenæi verba iam citata. Eadem illos apertè refellunt, (*Bellonium notat,*) qui Conchæ alterius longę speciem pro Solene mare depinxerunt. Ea enim tota candida est, at ex Athenæo Solen mas cærulei est coloris.

DE SOLENE FOEMINA, RONDELETIVS.



ONYCHAS appellat Plinius Solenes foeminas, quæ colore, sapore, magnitudine à maribus differunt, in aliis omnibus similes. Testa lineis cæruleis distincta non est, ob id Plinio unicolores dicuntur. Caro dulcior est maribus minores esse solent. Solenes utrique in arena defixi vivunt: ferreo instrumento ex ea eximuntur.

COROLLARIVM.

Iconem hanc cappæ longæ, ut vulgò Venetiis vocant, nomine, Venetiis olim pingendam curavi.



In conchyliis quædam vocabula Græca sunt, ut peloris, ostreæ. alia vernacula, ad similitudinem (dicta,) ut pectunculi, ungues. Varro. Plinius Solenes Græco nomine appellat, alibi dactylos. Theodorus modò ungues, modò digitos, in utroque Plinium secutus; Hermolaus. Σωλὴν modò vas seu instrumentum quoddam significat, modò marinum animal: quod & αὐλὸν & δόνακα vocant, (id est fistulam, & cannam,) à figura fortè angusta, & oblonga, (*& cava;*) & ὄνυχα, (id est, unguem,) πρὸς τὸ στεγανὸν

marinus. Cruciformes quoque cirros, striatos, crassos, in modũ stellæ radiatos, numerò quaternos, parte interna natationi accõmodatos habet: quos vt exactè cõspicias, erit in lebetẽ aquæ syncerioris cõijciendus: qui si supinus deuoluatur, multas fissuras in radice cirrorum ostendet. Os quoque habet parte prona situ, quo ea quę venatur absorbet, in quem vsum quatuor cirri ad eius latera subiacent, coloris sinopidis, quasi eius branchiæ essent, vel intestina. Hinc fit vt intuentibus pulmoné in mari pabulandi gratia diuagantẽ, grandis videatur quasi pituitæ globus: qui vnicum tantùm colorem referret, nisi rubris illis quatuor circulis sugillaretur, & ea cruce, qua interna pars striata est, distingueretur.

C Eum si in frusta discissum in mare reieceris, viuere nihilominus ac moueri comperies: extra mare autem exanimis apparet. Cæterùm marinus pulmo dentibus attritus nihil præter aquã resipit: os tamẽ
(D) leui calore incendit. Naribus quoque admotus marinum virus olet: Sargi, Melanuri, Scari, Spari. Auratę, & id genus piscium esca. Emortuus in alto mari, fluctibus expulsus in litus, transparentis glaciei similis.

DE VRTICIS, RONDELETIVS.

Vrticam animal esse imperfectum ex genere mollium vt Plinius dixit, zoophytum.

VRTICAS tam eas, quæ saxis hærent, quàm eas quæ solutæ saxis errant in animalium numero censendas esse ex Aristotele lib. 4. de hist. cap. 6. constat. Sentit enim vrtica, & manum admotam corripit, adhærescitque perinde ac polypus suis brachijs, ità vt caro intumescat: os in medio corpore habet, & de saxo quasi de testa viuit, & prætermatantes pisciculos excipit retinetque, sicut de manu hominis admota dictum est, deuoratque in hunc modum quæcunque nacta est esculenta.

Genus alterum è saxis soluitur, & echinos pectunculosque quos offenderit, vorat. Nullum excremẽtum in vrtica esse videtur, hac tantùm re similis est stirpibus, (*Imò hoc etiam quòd adhæret, alterum scilicet genus vrticæ,*) Hæc Aristotel. Cum igitur vrticæ frondem suam, quæ pedum vice est, modò dilatent, modò contrahant, cùm ore cibum accipiant, id est, cum tactu gustatuque, qui duo sensus ad vitam animalium
Lib 9. c. 45 sunt necessarij, præditæ sint, non inter ζωόφυτα, vt Plinius, sed inter animalia non omnino perfecta eas numerabimus. Polypis autẽ & leporibus marinis subiungimus: quòd ex molliũ sint genere: quod etiam modo fronde expansa polyporum instar pedes multos habere videantur: modò fronde contracta, massa tantùm carnosa, informi (veluti lepores marini) constare videantur.

A Dicitur à Græcis ἀκαλήφη, à Latinis vrtica, nomine herbæ ab vtrisq; imposito ob vredinem & pruritum, quem tacta immittit, terrestris vrticæ modo: vnde & vrtica ab vrendo Latinè dicitur, ita ἀκαλήφη, παρὰ τὸ μὴ ἥψασθαι καλῶς αὐτῆς, quod tactu sit insuauis folia enim eius tacta acritet vrũt. sic & pisci huic
Libro 3. Eiusdem. vis pruritu mordax. Vel dicitur ἀκαλήφη κατ' ἀφαιρεσμὸν τῆς αὐτῆς φράσεως, vt ait Athenæus, quasi ἀπτελὴ τῇ ἁφῇ, cùm contrà aspera sit & iniucundissima, tactu lædens & vrens, Eodem autore Eupolis ἀκαλήφας marinas vocauit κνιδίας, nisi mendosus sit locus, (*Non est: Vide in Corollario,*) Nam κνιδᾶν & κνίζειν vellicare & pungere significat.

Aristoteles duo vrticarum genera fecit, vt ex verbis initio citatis constat: vnum quod saxis hæret, alterum solutum. Et eodem in loco (lib. 4. de hist. cap. 6.) Duo sunt vrticarum genera. sunt quædam minores cibo aptiores: aliæ maiores & duriores, quales circa Chalcidem nascuntur. Hyeme densa sunt carne, ideo eas venantur, quia esculentæ sunt. Aestate pereunt: frondes enim glabrescunt: &, si tetigeris, facilè discerpuntur, nec totæ auelli possunt. Aestu afflictæ saxa interiùs subeunt. Vidi equidem
Species plures. vrticas sagena captas cum alijs piscibus: quà ratione, quę saxis hærent, capi non possunt. Quare necesse est aliquas esse, quæ sedes mutent, & in mari vagentur. Cùm verò plures vrticarum species compertas habeamus, eas sic diuidemus, vt vrticarum aliæ vel saxis vel cuilibet alteri rei in mari adhæreãt, aliæ minimè. Rursus earum, quæ saxis vel alteri rei hęrent, aliæ perpetua stabilij; sede illic degunt, quæ sunt, Vrtica parua in rimis saxorum latitans: quæ purpuris & buccinis adnascitur: quæ cinerea est, longisque cirris cõstat. Alię sedes mutant, & libere per mare feruntur, natantq;, (*& cum libet saxis hærent,*) vt purpurea vrtica. Semper solutę liberęq; sunt eæ, quas vulgus potes appellat: (ex his) vna est, quę quatuor pedes siue brachia habet: altera, quę octo, polypi brachijs nõ valdè dissimilia. De his omnibus ordine dicemus.

DE VRTICA PARVA, RONDELETIVS.

A VRTICA hæc nucis iuglandis magnitudinem vix superat, ob id parua à nobis dicitur. Massilienses vrtigo vocant. Græcorum vulgus κολικαίνα (*quod nomen fortè non intellectum Galli sua lingua in cul dane, id est culum asini transformarunt*) vel κολικέαν, Normani cul d'asne. Burdegalenses cubascau.

B Tota carnosa est, cirros breuos habet, contracta recti intestini extremum speciem refert, colore vario est. Quædam enim est viridis, alia cærulea, alia subnigra, sed punctis aliquot cæruleis, vel flauis, vel rubris notata.

F *(Vbi.)* Hęc esculenta est, in Oceani saxis & maximè in Santonico sinu frequens, & apud Santones Burdegalensesque in delitiis habetur. eas diligenter ablutas & leuiter coctas in sartagine frigunt. De vrtica hęc Diphilus apud Athęneum: Η' δὲ ἀκαλήφη φησὶν ἔφη δύσκοιλος· ὑπνωτική, δύσπεπτος· χρήσιμον δὲ ποιεῖ τοῖς συναγωνιστὴν ἐπειδὰν μὴ παραλείψωντι. ὑπνώσας γὰρ αὐτοὺς ὁ ὕπνος ἡδέως αὐτοὺς. Vrtica, inquit, aluo facilis est, vrinam mouet, stomacho grata: pruritum mouet ijs qui eam capiendo manum contrahunt, (*τοῖς συναγωνισταῖς simpliciter vertere in colluctatoribus,*) nisi pręunxerint. reuera enim eos qui venantur dolore afficit.

DE VR-

DE VRTICA CINEREA, RONDELETIVS.



VRTICA CINEREA

CINEREAM voco Vrticam à colore, quæ tenuis est admodùm: quia frondem magnam siue cirros multos habet, carnis parum. In saxorum rimis viuit, comam semper explicatam habet, nec vnquam cõtrahit. reuera tamen vrtica est: acriùs enim pungit ac mordet. si paulò diutius manibus contrectetur. A B (C)

Huiusmodi vrtica in scopulis Fresconiis Agathensis sinus reperitur. integra à saxo euelli non potest, tum quia tenaciùs hæret, tum quia mollior facilè discerpitur. C

DE VRTICA III. RVBRA, (VEL PVRPVREA,) RONDELETIVS.

A

B

C

E

HOc tertium vrticæ genus nostri ob colorem purpureum siue phœniceum, rosam appellant: alij posterol, quòd contracta recti intestini extremum cum musculo sphincterę siue podicem referat, quem posterol nomine intelligunt, quòd posteriore loco situs sit: alij POVSSEPIE Britannorum: alij CVL DE CHEVAL vocant.

Est autem hæc primæ similis, nisi quòd frondem & longiorem & copiosiorem habet, rubra est.

SAXIS aliquando hæret, aliquando soluta vagatur. vidi enim huiusmodi vrticas retibus cum aliis piscibus captas, quod non contingeret, si saxis perpetuò affixæ essent: quoniam cum hærent, potiùs discerpuntur, quàm auelluntur.

Eædé esculentę sunt, sed prima vrtica duriores.

DE VRTICÆ QVARTA SPECIE, (QVÆ PVRPVRIS ET BVCCINIS ADNASCITVR,) RONDELETIVS.



QVARTVM Vrticarum genus id erit, quod instar holothuriorum testis alienis adnascitur, & maximè purpuris. C

B Pars exterior dura est & rigidiuscula, spissiórque quàm in aliis vrticis. cirros breuissimos in ambitu habet. ex interioribus eius partibus filum longum deducitur purpureo colore tam iucundo tamq; florido infectum, vt cum precioso illo purpuræ succo certet.

H *De purpura inuentione.* Verisimile est hanc vrticam purpuræ adhærentem à cane Herculis demorsam fuisse, quæ tam excellenti suauique colore rictum dentesque canis illeuerit, vt negârit puella quam deperibat Hercules, fore vnquam eum optati compotem, nisi priùs eo colore infectam vestem dedisset. Inde purpuræ colorem inuentum fuisse. Etenim si mortuam purpuram dentibus arripuit canis, iam vnà cum vita succus ille euolârat: si viuam, ea vndique ita munita est, tum testa clauata, tum capitis operculo, vt vndique ab omnibus iniuriis tuta sit. Præterea purpura tanta est duritie, vt dentibus canis robustissimi minimè cedat. Sed de ea re siue fabulosa sit siue historica, statuat quiuis pro arbitrio.

F



A

B

(C)

C G

Hæc vrtica de qua nunc agimus, duriore est carne, quam ob causam à nostris reiicitur.

DE VRTICÆ QVINTA SPECIE (SEMPER SOLVTA,) RONDELETIVS.

VRTICAS solutas diximus vulgi lingua potes nuncupari, ex iis est quæ à Liguribus capello di mare, à Massilienſibus capeau carnu vocatur, quasi dicas pileum marinum, & pileum carnosum à figura.

Etenim pars vna, veluti fungosa quædam massa, rotunda, caua, in medio perforata, purpurea veluti fasciola ambiente, pileum planè refert: altera parte polyporum pedibus similis est: octo enim pedes habet crassiusculos, extremis partibus quadratos, in acutum desinentes. Nullas interiores partes distinctas habet. Corpore est adeò pellucido & splendido vt oculos offendat & hebetet. Circa Magalonã plurimæ reperiuntur, maximè æstate, quæ tum dissoluuntur & in liquorem abeunt diffluuntque glaciei modo, si diutius manibus tractes. Ad eam magnitudinem accrescunt, vt pileos quibus viatores vti solent, superent.

Pruritum in pudendis & vredinem in manibus & oculis mouent, atque acrimonia sua venerem sopitam vel extinctam excitãt, qua maximè de causa cum vrticis numerandæ sunt.

DE ALIA VRTICA SOLVTA, RONDELETIVS.



Ex sinu Agathensi vidimus eam quam hîc exhibemus Vrticæ speciem, quæ supradictis substantia, vita,

vita, viribus similis est. Quatuor duntaxat pedes, seu frondes potiùs longiores quàm ullæ aliæ urticæ, quæ satis aptè foliis acanthi cõparari possunt: in altera parte lineas aliquas habet stellatim dispositas.

Quàm procul absint à veritate qui hanc urticam & superiorem pro pulmonibus marinis usurparũt, suo loco demonstrauimus. Nec minùs errant qui urticas cum holothuriis & tethyis confundunt, cùm toto genere differant, quamvis Aristoteles holothuriis & tethyis urticas subiunxerit.

COROLLARIVM I. DE VRTICA marina in genere.

Vrticarum species duæ, quas in Italia pictas à Cornelio Sittardo accepi.



VRTICARVM DIVISIO, EX RONDELETII SENTENTIA; cui conficta etiam singularum Germanica nomina addidimus.

- Vrticarum aliæ
  - Semper adhærent
    - Saxis, ut
      - Vrtica parva, Cul d'asne Normanis. Simpliciter *ein Seeneſſel, oder ein kleine Seeneſſel.* Editur.
      - Harum alia est
        - Cærulea
        - Viridis
        - Subnigra, sed notata punctis
          - cæruleis
          - flavis
          - nigris
      - Cinerea: cirris multis semper explicatis: carnis parum habet. *ein aſche farbe Seeneſſel.*
    - Testis alienis, præsertim purpuris & buccinis: species innominata. *ein ſchencken eſſel.* nõ editur.
  - Pro arbitrio hærent, aut solutæ vagantur; ut rubra urtica: *ein roote Seeneſſel.*
  - Semper solutæ liberæq; sunt eæ, quas vulgus Potes appellat. *ein Meerſcham, ein Meerhut.*

Ex his pedes siue brachia habet
- Species una, quatuor.
- Altera, octo: polypi brachiis non valdè dissimilia.

A *Vrtica ad quod genus referenda.*

Rondeletius Vrticam animal esse imperfectum, ex genere mollium, non zoophytum, ostendit: cuius nos sententiam libenter sequimur: quanquam non Plinius tantùm zoophytum eam fecerit, sed ante eum Aristoteles. Plinii verba sunt libro 9. cap. 43. Equidem & his inesse sensum arbitror, quæ nec animalium, neq; fruticum, sed tertiam ex utroque naturam habet, urticis dico & spongiis. Hinc est fortassis quòd pediculos eius, frondes quàm cirros appellare maluit. Aristoteles verò libri quarti De partibus animalium capite quinto: Quas (inquit) autem urticas appellant, non testa operiuntur, sed exclusæ omnino sunt iis quæ in genera diuisimus. ancipiti natura hoc genus est, ambigens & plantæ & animali. absolui enim & escam petere nonnullas, & sentire occurrentia posse, atque etiam asperitate corporis uti ad se tuendum, animalis non est. at verò quòd imperfectum sit, & saxis celeriter adhæreat, nec aliquid excrementi emittat manifestè, quanquam os habeat, plantarum generi simile est. Hæc ille. Nos de spongiis aliàs diximus, nullum eis sensum inesse, ideoque zoophytis inferiores haberi: urticæ verò cum & sentiant, & insuper eorum quæ mollia vocant in mari animalium naturam præ se ferant, zoophytis superiores perfectioresq; existimari debent, quanquam in suo etiam mollium genere imperfectæ. Ælianus etiam de Animal. 11. 37. Mollia (inquit) ex aquatilibus vocantur, quæ ossibus, sanguine & visceribus carent, ut polypus, sepia, loligo, urtica. Eadem Galeni quoq; verba leguntur in Glossis, ubi μαλακία quæ sint exponit. Bellonius inter mollia iccirco urticã se recensere scribit, quòd mollium modo in obsoniis edatur: quod ego sanè non satis assequor, nisi de simili cibario apparatu fortè sentiat: verùm id parum efficax argumentum est. Vrtica marina genus quoddam conchylii est, κογχυλιόν τι, aliàs κογχυλιδιόν τ, Suidas & Aristophanis interpres. Aristoteles quidem historię animaliũ lib. 8. cap. 2. videtur urticam testaceis adnumerare. nam de testaceorum victu agens, inter cætera de hac quoq; ait: Ἔχει δὲ ὥσπερ τὰ ὄστρεα ἡ ὕστριχ ωρεῖ ἔξω ἡ τροφή (id est, τὸ πρόσω ἔξω ἐστὶ μᾶλλον) πέρας ἔχει δὲ καὶ πύλας καὶ ἀναπλήρωσιν ὥσπερ τὸ ἔσω εἶναι τῶν ὀστρέων τὸ σκληρόδερες· τῇ δὲ πέτρᾳ ἀφῆπται ὡς ὄστρεα. Est igitur ei urtica, ceu inclusa ostrei caro: testam verò non habet, sed caro nudã est, & pro testa saxum cui adhæret. Hinc aliquis forsan inter mollia & testata urticas ambigere coniecerit: illas dico quæ saxis hęrent aut semper aut aliquando: nã semper solutas, μαλακίαι semper dicemus. Vrtica secundum aliquos est εἶδος μυίας: de qua Aristoteles dixit, hyeme eam edulem esse, &c. Mihi is locus suspectus est. μυῖαι quidem conchæ sunt (aliqui mytilos interpretantur:) μυῖαι verò muscæ insecta: quanquam Rondeletius μύιας in eodem concharum genere vocari putat.

Ἀκαλῆφαι Græcè communiter, Atticè κνίδαι, dicuntur urticæ, tum herbæ, tum animalia marina. Ἀκαλήφας quidem marinas tum Aristoteles nominavit lib. 1. de animalibus, tum Theophrastus libro 7. de Plantis, Aristophanis Scholiastes & Suidas. Aristoteles modò ἀκαλήφας vocat, ut Historiæ 4.6. modò κνίδας, ut eiusdem operis 3.16.

Μητρίδια. Μητρίδια etiam appellantur urticæ marinæ, haud scio an ab aliqua similitudine figuræ πρὸς τὴν μήτραν ἢ γυναικεῖον: καὶ γὰρ καὶ τὴν πρὸς ὄνυ σχεδὸν ὁμοιότητα οἱ Γάλλοι τὴν ἀκαλήφην ὀνομάζουσιν, ὡς εἴρηται: & urticarum genus semper solutum similiter impudico τοῦ γυναικείου μορίου vocabulo Galli vocitant. Matriculi nescio qui nominantur ab Ennio in Phagiticis, hoc versu, ut citat Apuleius Apologia 1. Purpura, matriculi, mures, dulces quoque echini. A primitivo quidem matrix, diminutivum matricula fœmin. genere, & i. antepenultimæ producto ducitur. Ἀλλ' ὦ τηθῶν ἀνδρειοτάτη, καὶ μητριδίων ἀκαληφῶν, iocus est Aristophanis in Lysistrata: de quo dictum est suprà, in Corollario de Thetyis A. Μέμνηται δὲ κωμῳδικῶς πρὸς τὴν τηθὴν καὶ μητέρα, Athenæus.

Vulgaria nomina. Vrticas marinas antiqui colycia vel coryphia vocitabant: Bellonius, sed absque authore. nos colycia, (alia lectio, corycia, vel corythia, vel corophia) inter Murices esse ostendimus. Vrticam Græci hac ætate vulgò colizanam vocant, quòd (*colle, id est*) pedunculis suis firmiter polyporum more adherescit, Gillius. Bellonius colycenam scribit, Rondeletius colycęnam. Colybdænam quidem aliqui veterum pro pudendo marino interpretantur. Vrticam in Italia multi antiquo nomine Latino appellant, alii flammam maris. Germanica nomina queres suprà in Tabula divisionis urticarum.

Species duæ. Duplex genus percipitur urticarum, alterum corpore parvo quod cibo aptum est. Alterum maiusculo duroque, quale circa Euboiæ Chalcidem gigni scimus, Arist. Et primo de Historia: Sunt item quæ adhærere soleant, & quoties libuit absolvi: ut genus quoddam eius quam urticam vocamus, quippe cum nonnullæ ex iis noctu absolutæ pascantur. Et libro quarto: Vrtica etiam sui generis cernitur, quippe quæ & adhæreat saxis, more nonnullorum intectorum testa, & interdum adiuncta vagetur. Et libro quinto capite 16. interprete Gaza: Genus duplex urticæ est: aliæ enim sinuosis (ἐν τοῖς κοίλοις, *in cavis*) adhærent, quæ nunquam à saxis absolvuntur: aliæ plana & littora amant, (αἱ δὲ ἐπὶ τοῖς μείζοσι καὶ ἐπὶ τοῖς πλαταμώδεσιν: *malim, ut Athenæus citat,* αἱ δὲ ἐν τοῖς λείοις καὶ πλαταμώδεσιν: *hæc duo enim opponuntur* τοῖς κοίλοις: *ut utrunq; non ad littora, sed ad saxa referatur. Vuottonus vertit, in saxorum planis marginibus.* ---- οἱ δὲ φύονται Ἐν νεάτοις πλαταμῶσι δεδηρότες ἐν ἀσπιλάδεσσι, *Oppianus de Spongiis*) quæ suis abiunctæ sedibus vagantur.

Quidam (*Iovium notat*) urticas cum vertibulis easdem esse tradunt, sed error est, Massarius. Contra eos qui urticas cum holothuriis & tethyis confundunt, vide quæ scripsit Rondeletius in fine historiæ de Vrticis, & nos superiùs in Corollario de tethyo A. duobus in locis.

Maris spuma. Nonnulli pharmacopolæ pro spongia, re quadam utuntur intus lanosa, quam aliqui maris spumam arbitrantur: quoniam apud Dioscoridem halòs anche, id est maris spuma, spumosa maris lanugo dicatur. at revera non est maris spuma, quam pro illa sumunt. Suspicatus sum aliquando urticam marinam esse: quoniam, si aperiatur, internæ partes manum urunt veluti in urtica herba, quod in vetustiori obscuriùs, in recenti vehementiùs fit *sicut & in* herba urtica. sed re accuratiùs perpensa inveni hoc veterum alcyonium esse, &c. Ant. Musa Brasavolus. Nos de hac spuma, deq; alcyonio, in Alcyonis avis historia prolixè scripsimus.

Caro marina. Caro marina apud Trotulam, quantum coniectura assequor, urtica est.

B

Iam in A. quædam exposita sunt, quæ ad B. etiam pertinent. Vrtica tota ex carne constat, nulla clauditur testa, Gillius. Carnosum corpus habent Aristoteles. Et rursus, Caro earum quasi ostreorum caro esse videtur, inclusa saxo, perinde ut testa. Os medio in corpore continent: quod in maioribus evidentius est. meatum etiam, ut ostreę, quo excrementum secedat, habent parte superiore. Plinius quoque, Ora urticę (inquit) in radice esse tradantur: excrementa per summa tenui fistula reddi. Alibi tamen Aristoteles: excrementum (inquit) nulla in urtica esse videtur, sed hac re similis stirpibus est. Vuottonus excrementi meatum in maioribus duntaxat apparere putat.

Vrticis natura est carnosæ frondis, Plinius. Vis eis pruritu mordax, eademq; quæ terrestris urticæ, Plinius. Non ore, sed tactu totius corporis mordent (& pruritum excitant instar herbæ urticæ,) quod & scolopendræ marinæ faciunt, Aristoteles. Pruritum movent, & uredinem concitant, sed non tam acrem quàm scolopendra, Ælianus.

C

Vrticæ adherent cochleis, aut saxis: mutantq; colorem statim dum abrumpuntur, ut Cornelius Sittardus indicavit. Verùm ita herent (sicut in A. præscriptum est) ut genus earum unum nunquam absolvatur: alterum verò noctu absolutum pascitur. Licet victum in humore exerceant, nec foris vivere queant, nihil tamen vel aëris vel humoris recipiunt, Aristoteles. Et alibi: Sentit urtica, & manum admotam corripit: adhærescitq; perinde ac polypus suis brachiis, ita ut caro intumescat. Os medio in corpore continet & de saxo quasi de testa vivit: & præternatantes pisciculos excipit, retinetque, sicut manu admota hominis agi dictum est, devoratque in hunc modum quæcunq; nacta est esculenta. Absolvi etiam saxis (*noctu*) genus quoddam urticæ notatũ est, quod & echynos, & pectunculos, in quos offenderit, corrodit. Plinius quoque Aristotelem sequutus: Vrticæ (inquit) noctu vagantur, noctuque mutantur. carnosæ frondis his natura, & carne vescuntur. contrahit ergo se quàm maximè rigens, ac prænatante pisciculo frondem suam spargit, complectensq; devorat. aliàs marcenti similis, & iactari se passa fluctu algæ vice, contactos pisces, attrituq; petræ scalpentes pruritum, invadit. Eadem noctu pectines & echinos perquirit, dum admoveri sibi manum sentit, colorem mutat & contrahitur. Tacta uredinem mittit, paulumq; si fuerit intervalli, absconditur. Vrticæ pisciculis fortè incidentibus vescuntur, Aristoteles.

Excrementi aliquid, aut eius saltem meatus, in maioribus apparet, in minoribus non item. lege suprà in B.

Modus idem gignendi iis etiam est, quæ nulla testa integuntur, ut urticis & spongiis, qui testa inclusis: per rimas enim, & cavernas, & fauces saxorum oriuntur, Aristoteles.

Sunt

Sunt omnes hybernis mensibus carne constante atq; ridiuscula: at æstate rarescunt, & resolvuntur. præmadent enim & marcent, ut si tetigeris, facilè discerpantur atq; dispereant. deniq; nulla tantisper evelli integra potest: ac æstus impatientia saxa subire interiùs solent, Idem.

E

Capiuntur hyeme. Vide in F.

F

Duplex genus percipitur urticarum: alterum corpore parvo, quod cibo aptiùs est: alterum maiusculo duroq;, quale circa Euboiæ Chalcidem gigni scimus. Sunt omnes hybernis mensibus carne constante atque rigidiuscula, quamobrem per id tempus capiuntur, ciboque idoneę sunt. At æstate rarescunt, & resolvuntur, Arist. Vrtica, & ova echinorum, & huiusmodi, succum alimenti parcum & humidum prębent: sed qui alvum solvat, & urinam moveat, Mnesitheus. Vrticę (inquit Xenocrates) gratæ sunt ori, & stomacho non mediocriter ineptę, (*gustu suaves, sed stomacho admodum ingratæ sunt, Vuottonus ex eodem authore. Diphilus tamen* εὐστομάχους, *id est stomacho aptas facit:*) sed assatæ elixis accommodatiores. (*Assæ elixis ad alvum movendum magis idoneæ, Vuottonus. non probo.*) Alvum cient, urinamque magis movent, quæ post purgationem exortæ iuxta calculos, (*Quæ lapillis adhærent, urinã magis cient, Vuottonus:*) lotæ, & perexiguo sali mixtæ, atque ità parum aspersæ sunt, ut mediocriter mandi possint, & assatione concretæ aut verubus, aut surculis super carbonibus malvæ, aut sarmentorum, ut valenter solvant. Cũ passo autem aut vino mulso gustum excitantes facilè concoquuntur, facileq; excernuntur. quæ verò ex passo & oleo elixantur cum alio etiam condimento, (*fortè, sine alio condimento,*) id quidem servant ut lubricæ sint, atque attrahant: sed & explent, & difficulter concoquuntur, & alvum magis relaxant, (*Quæ autem coquuntur in passo unà cum oleo, lubricum quidem illud retinent, alvumq; cient: sed ventrem replent, & difficulter in ventriculo conficiuntur, Vuottonus:*) Hæc Xenocrates apud Oribasium interprete Io. Bapt. Rasario. Alex pervenit ad ostreas, echinos, urticas, cammaros, Plinius. Apicius libro 4. in apparatu apuæ sine apua, Desuper (inquit) leviter compones urticas marinas, ut non cum ovis misceantur: impones ad vaporem, ut cum ovis bullire possint, &c. Estur & in Italia hodiè urtica elixa primùm, mox cum oleo frixa, ut audio.

G

Vt pilos disperdant aliqui medicamentum componunt ex marinis scolopendris, urticaque marina, & stellis marinis, nitro ac amurca ad hæc ammixtis, Galenus libro 1. de Composit. secund. locos. Psilothrum est urtica marina trita ex aceto scillite, Plinius. In oleo coquuntur urticę, quo, ne pili renascantur, nonnulli sunt usi, Vuottonus. Ante nos medici quidam usi sunt urticis marinis pilos perdendi causa, Galenus de Simplic. medic. 11.46. Aiunt urticam marinam in vino potam calculosis prodesse, Idem. Caro marina à Trotula in libro Muliebrium cap. 29. miscetur medicamento ad maculas oculorum. fuerit autem fortassis hæc urtica marina, quæ testam non habet, sed carnem nudam, interiori ostreorum carni similem. Massilienses etiam urticæ speciẽ semper solutam Capeau carnu, id est pileum carnosum appellant, ut Rondeletius tradit.

H. a.

Ἀκαλήφη unde dicta. Vrticam marinam Plautus in Rudente nominat cum conchis & musculis. Rondeletius ἀκαλήφην dictam suspicatur παρὰ τὸ μὴ ἔχειν καλὴν ἀφήν, quod tactu sit insuavi, ut ipse loquitur. vel per antiphrasin, quòd minimè sit ἁπαλὴ τῇ ἀφῇ, id est, mollis & placida tangenti, Sic ille Athenæum citans. atqui nec Athenæus, nec alius quòd sciam, originem illam affert, παρὰ τὸ μὴ ἔχειν καλὴν ἀφήν. καλὴν enim visus obiectum est, potiùs quàm aliorum sensuum, & κα syllabam producit, quæ in ἀκαλήφη corripitur. Athenæus certè unam solùm quæ per antiphrasin est, etymologiã affert. οὐ γὰρ πραεῖα (inquit) καὶ ἁπαλὴ τῇ ἀφῇ, τραχεῖα δὲ καὶ ἀηδής. in quibus verbis pro ἁπαλὴ malim ἀκαλή, vocabulo diverso, sed eadem ferè significatione. Sicut ἀκαλήφη, sic & Ἀσκάλαφος (abundante sigma) deduci videtur παρὰ τὸ ἀκαλὸν καὶ τὴν ἀφὴν, (quasi) ἀκάλαφος, ὁ πέρι τὸν χρόα, καὶ δι' ἁφῆς. ἀκαλὸν δέ φασι πρᾶον, μαλθακὸν, ἄψοφον, ἥσυχον, ὅθεν καὶ ἀκαλαῤῥείτης ποταμός, Eustathius in Iliados O. Et rursus in Odysseæ Δ. ἀκαλῆφαι (εἴρηνται) κατ' εὐφημισμὸν ἀντιφράσεως. οὐ γὰρ ἔχει τι ἀκαλὸν αὐτῆς, ἤγουν πρᾶυ καὶ ἁπαλὸν ἡ ἀφή, τραχεῖα καὶ ἀηδής: quem locum ex Athenæi Dipnosophistis eum transcripsisse non est mihi dubium. Sunt qui ab ἦκα adverbio, quod est ἠρέμα, ἡσύχως, nomen ἀκαλὸς dedant, ut Varinus.

Ἀκαλήφη & herba est, & θαλάσσιον ὄρνεον: Scholiastes Nicandri: in cuius verbis pro ὄρνεον repono ὄστρεον: non quòd urtica verè ostreum sit, sed quòd ostreum fortè aliqui esse putarint, & si testam haberet, ostreum esset. sic etiam Aristophanis interpres urticam marinam conchylium quoddam esse scripsit. Κνίδαι vulgò dicuntur urticę, Aristophanis Scholiastes. Atticè verò ἀκαλῆφαι, Athenæus lib. 2. Nomen cnide, quo & Plinius utitur, à verbo κνίζειν, quod est pruritum movere, factum apparet. Νὴ τὴν Δήμητρ' ἀνιαρὸν ἦν τὸ κακῶς ᾄδοντος ἀκούειν. βούλομαι γὰρ καὶ ἀκαλήφαις τὸν ἴσον χρόνον ἐστεφανῶσθαι: Pherecrates Automolis, ut Suidas, Athenæus, & Aristophanis Scholiastes citant. Εἰκὸς δή τοι πρῶτον ἁπάντων ἴφυα φαῦλα, εἶθ' ἑξῆς τὰς κεφαλὰς ἀκαλήφας: Aristophanes in Phœnissis, ut Atheneus, Suidas & Aristophanis Scholiastes citant. Ἀκαλήφη est etiam marinus piscis, idem Scholiastes: sed piscis nomen ampliùs quàm par sit extendit. Τῶν ἀκαλήφων genitivus pluralis paroxytonus legitur in nostra æditione operum Aristotelis Historiæ anim. 4.6. & de Partibus 4.5. ubi Michaël Ephesius ultimam circunflectit, quod huius apud Græcos inflexionis proprietas requirit.

Aristophanes in Vespis iubet ἀπὸ τῆς ὀργῆς τὴν ἀκαλήφην ἀφελεῖν: hoc est, ab ita auferre urticam: Scholiastes interpretatur asperitatem & mordacitatem.

f

Quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, cœna hæc fuit: ante cœnam, Echinos, pelorides, balanos, urticas, murices, &c. Macrobius. ---- mihi festa luce coquatur Vrtica, & fissa fumosum sinciput aure, (&c. id est vilis cibus paretur,) Iuvenalis Sat. 6. ubi urtica pro animali ne an herba accipiatur, quęrendum.

Ὄστρε', ἀκαλήφας, λεπάδας παρέθηκέ μοι Philippides. Chrysippus dicebat suem non aliam ob causam à Deo factum esse, quàm ut mactaretur (in cibum homini:) ut verò luxis etiam & veluti obiter accedẽtiũ ciborũ (τῶν παραδείπνων) copia nobis non deesset, omne genus ostrea esse facta, item purpuras, urticas, & varias avium formas, Porphyrius libro 3. de abstinendo ab animatis. Ὥσπερ ἀκαλήφας ἐσθίειν

πρὸ

πρὸ χελιδόνων ἔκλεπτες, id est, Veluti urticas ante hirundines furabaris: Chorus in Equitibus Aristophanis ad allantopolam: Vbi Scholiastes: Ante hirundines dixit, quoniam post hirundinem (*vere exacto*) urticæ non sunt edendo. Sensus est, Acutissimo solertissimoque ingenio (ac si urticas primo vere edisses: tanquam & illæ sua acrimonia ingenium, sicuti & nasturtium, acuant) furatus es: hoc est, calidissimus fur es. quanquam autem scholiastes tum pro herba urtica, tum pro marino animali acalephas hîc interpretetur, de herba tamen omnino sensisse videtur comicus. hæc enim dum tenera est, vere primo editur, urtica verò marina hybernis mensibus in cibo præfertur. Vide etiam mox in h.

Vrticam quoque marinam non edendam præcipiebat Pythagoras, quòd ea Veneris stimulos afferre dicitur: alii, quòd Hecatæ sacra sit, ut trigla quoque, Gyraldus in libro de Pythagoræ symbolis. Chrysippus apud Athenæum libro decimo περὶ τοῦ καλοῦ tradit huiusmodi sententiam: Μή ποτ᾽ ἐλαίαν ἐσθίειν ἀκαλήφην ἔχων χειμῶνος ὥρᾳ. id est, Ne quando comederis oleam, quum habeas urticam, hyberno tempore. Opinor illum sentire de herba non de pisce. Nec usum adagii video, nisi si quando significabimus extremam victus parsimoniam, ut nec urticæ quidem adhibeatur aliquid condimenti, Erasmus Roterodamus. Mihi quidem de urtica marina, potiùs quàm de herba sentire videtur proverbium. Herba enim hyeme vel non extat, vel inepta est cibo per id tempus. marina autem hyeme commendatur, æstate marcescit, ut indicavimus: & pro paradipnio seu condimento quodam, sicut & oliva, habetur.

COROLLARIVM II. DE VRTICIS MArinis diversis.

Vrticam rubram suam Rondeletius scribit à nonnullis vocari Poussepie Brittannorum, cæterùm Bellonius Pollicipedes, vulgò Poulsepieds, nominari tradit eos, quos Rondeletius balanos facit, quòd pollicum in pedibus similitudinem habeant, racematim Oceani cautibus adhærentes, &c.

Vrticæ semper solutæ species duas Rondeletius facit: quarum secunda frondes ostendit quaternas. pennis ferè similes, ut pictura præ se fert. Alia tamen est Penna marina ab eodem Rondeletio exhibita: quam reperies suprà.

Vrticæ quinta species Rondeletii semper soluta, honestiùs à nobis *Meerscham*, id est, Pudendum marinum vocari poterit, quàm à Gallis Pota marina dicitur. Hanc non esse Pulmonem marinum Rondeletius in capite de Pulmonibus marinis docet, contra Massarium, Gillium & Bellonium. A Germanis Oceano finitimis, *Meerschum*, id est, spumam marinam vocari audio. Suprà quidem in Corollario de Lepore marino, pag. 479. scripsi me nihil asserere, sed inquirendum aliis diligentiùs proponere, ut quænam ex nominatis Germanicè animalibus *Meerschum*, *Schnottolf*, & *Seequapp*, cum pulmone, vel urticis, vel lepore marinis conveniant, indagent. Ad eum locum lectorem hinc remitto. Lepus quidem marinus Bellonii: plurima cum Pulmone eius marino communia habet, ut species duæ unius generis videantur. Qui autẽ pulmones marini vocãtur, sponte proveniunt, & carne veluti chartilagine quadã translucida constant, forma rotunda supernè concava, ut conchæ videri possint: cum natant, cirros emittentes ex imo, ad modum polypi. vulgò nunc potæ marinæ appellantur, Massarius. Eadem Gillius: & insuper Pulmones marinos (inquit) quòd speciem quandam mulieris vulvę repræsentant, tota iccirco Italia eos turpibus nominibus appellat, ut nulla ratione scriptis honestè mandari queant. Ligures nominant, Capellos marinos: Massilienses, Carneos pileos. Cum iacent, omaso similes sunt: cum eriguntur, Pulmones videntur: tanquam vitrum translucent: cum suspensi tenentur, quandam imaginem Polypi gerunt, nisi (*quòd*) brachia brevissima & crassa habent: Cum autem eos secuissem, nihil in ea parte quæ Polypi ventri respondet reperi: ubi verò membratim dissecuissem, in iis partibus unde pedes exoriuntur, quosdam meatus harenarum plenos vidi. Adeò omnino lucidi, & tanquam vitrei sunt, ut sine sectione interiora omnia videre possis: ac quanvis fluctibus in littus expulsi, nullo negotio capiuntur, tamen cum non sint esculenti, à prætereuntibus præclarè contemnuntur.

DE VVA MARINA, RONDELETIVS.

A NOSTRI piscatores ova Sepiarum racematim compacta, à pediculo uno dependentia, earundem atramento asperso, Vvam marinam nominant, de qua re dictum est, quum de sepiis ageremus. Sed de ea Vva non loquitur Plinius lib. 9. cap. 20. quum scribit: Rerum quidem non solùm animalium
B simulachra (mari) inesse, licet intelligere intuentibus Vvam, Gladium, Serras. Sed eam Vvam intelligi opinor, quæ externa in parte uvæ flores optimè expressos refert. Est autem oblonga quędam & informis massa, ex uno pediculo dependens. Partes internæ indiscretę sunt, inter quas aliquando reperiuntur veluti glandulæ parvę, cuiusmodi unicam seorsum depinximus.

G Vva marina in vino putrefacta, iis qui inde biberint tædium vini affert, ait Plinius: cuius rei causam fœtori & marino odori attribuo. *Lib. 32. cap. 10*

COROLLARIVM.

A Vva piscis (*nimium extenditur hic piscis nomen*) est, ita appellatus, quòd botryonis, id est, racemi uvę similitudinem habeat, Massarius.

Haffgurff

Haffgurff in Oceano Germanicè dictum, magis refert fructum quàm piscem, ut audio, nimirum ut Cucumis & Vva Plinii. Ego vocis huius etymologiam non assequor: ut neq; multorum aliorum quibus maritimi Germani utuntur, plurimùm à nobis diversa dialecto vocabulorum. Vnde fit ut Latina vel Græca quorundam aut indicare vetera, aut nova fingere nomina minùs possim.

B Malum insanum marinum à figuræ similitudine dictum Rondeletio, forma naturaq; ad eiusdem Vvam marinam accedere mihi videtur. Facultate etiam (ut ipse inquit) ab Vva marina non differt.

G Vva marina in vino putrefacta, iis qui inde biberint tædium vini affert: item mullus in vino necatus, vel piscis rubellio, vel anguillæ duæ, Plinius. Vvã marinã tusam & madefactã cũ vino sufficienti da bibendam clam ieiuno cum vino tribus diebus, & efficies vini fastidium: Nicolaus Myrepsus, qui è testudine etiam simile remedium, cuius vim inquit esse divinam, præscribit. Vide suprà in Testudine. Aliqui ranis in vino suffocatis idem moliuntur: cuius remedii historiam suprà in Corollario de Ranis dedimus. Vegetius Veterinariæ medicinæ 4. 12. inter diversas res marinas uvam quoque adhibet in suffitu contra languorem morbi pestilentis.

h Vvam seu ampelon Græcè aliqui vocant genus algæ in aquis dulcibus, quod florem fructumque βοτρυῶδες, id est, racemi instar congestum habet. Ampelis quidem & botrys Æliano inter algas sunt.

DE VVLPE MARINA, BELLONIVS. IPSE QVIDEM simiam marinam appellavit, in quo à Rondeletio notatur. Vulpem verò facit genus illud galei, quod centrinen cognominat Rondeletius.

CARTILAGINEI generis est, quæ Latinis à vultus similitudine Simia marina: Genuensium vulgo à falcata duorum cubitorum cauda, Pesce Spada dicitur: Galeo, Libellæ, Hinnulo, ac reliquis galeis ipsa pellis forma ac constitutione ferè respondens. ingrati alioqui saporis est. Branchias habet Galeis persimiles, pinnasq; in tergo, & ad latera satis conspicuas, cutem ad Galeos accedentem, sed magis lævem. Hanc Romæ aliquando, tum etiam in Ligustico litore vidimus.

DE EADEM, RONDELETIVS.



A VVLPES Galeus, ἀλώπηξ & ἀλωπεκίας à Græcis dicitur, à Plinio lib. 9. cap. 43. vulpes, ab aliis vulpecula. à nostris à caudæ longitudine, figuraq; ensi simili peis spaso, ab aliis à caudæ longitudine ramart (*Galli vulpem quadrupedem vocant regnard*,) ut enim vulpes inter quadrupedes longam, densamque caudam habat, ita piscis hic inter galeos caudæ pinnam longissimam.

B Vulpes piscis est cetaceus, ex galeorum genere, corpore rotundo spissoq;, ore parvo, non multùm infrà rostrum, dentibus acutis. Branchiis & pinnis aliis galeis & lamiæ similis. Pinnæ quæ ad branchias sunt, & ad anum longiores sunt iis quæ in dorso. Caudę pinna quę sursum abit, toto corpore longior est, falcis formam referens, altera multò minor. Internis partibus à canicula feroci non differt.

C Eodem modo concipit, paritque quo galeus acanthias.

D Vt terrena vulpes πανοῦργος est καὶ κακοῦργος, ut verbis Aristotelis utar, id est, calida & malefica, item marina vulpes astuta est eodem autore lib. 9. de hist. anim. cap. 37. Τῶν δὲ ἰχθύων αἱ ἀλώπεκες, ὅταν αἴσθωνται ὅτι τὸ ἄγκιστρον καταπεπώκασι, βοηθοῦσι πρὸς τοῦτο, ὥσπερ καὶ ἡ σκολόπενδρα: ἀναδραμοῦσαι γὰρ ἐπὶ πολὺ πρὸς τὴν ὁρμιὰν, ἀποτρώγουσιν αὐτῆς. Quæ sic expressit Plinius lib. 9. cap. 43. Vulpes marinæ hamo devorato gluttiunt amplius usque ad infirma (*malim infima, sicut & Oppianus dixit ἄκρας χαίτας: & iccirco hami cervicem longiorem fieri*) lineę, quæ (*al', quam*) facilè prærodant.

Qui veram esse vulpem marinam quam ostendimus negârit, eum morbo aliquo, vel sensus stupore gravem illum & ingratum vulpis terrenę odorem non sentire dixerim, à quo odore nomen pisci positum. *A. Veram hanc iconem esse Vulpis.* Atheneus, Ὁ δὲ ἀλωπεκίας ὅμοιός ἐστι τῇ γεύσει τῷ χερσαίῳ ζώῳ, διὸ καὶ τοῦ ὀνόματος ἔτυχε. His accedit quòd vivum animal parit veluti acanthias. *Animal parit.* Aristoteles lib. 6. de hist. anim. cap. 10. cùm exposuerit quo pacto ex ovo fœtũ procreent galei acanthiæ, subiungit: Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον συμβαίνει ἡ φύσις καὶ ἐπὶ τῶν ἀλωπέκων. Postremò fœtus suos intra se recipit, cuius rei testes sumus oculati. Quum enim aliquando in litore dissecaretur, in eius ventriculo catulos vidimus, quos pro cibo devorasse piscatores existimabant: sed cùm vivi atque illæsi inventi essent, eos in metu intro receptos à parente dubitandum non est. *Fœtus ventriculo recipit.* Neque obstat caudæ longitudo: etenim quum adhuc parvi sunt, & tenelli fœtus, mollis ea est & flexibilis. Id igitur cùm vulpes faciat, paucique alii galei qui certissimis notis à vulpe distant, dubium nemini esse debet, quin marinam vulpem veram repręsentaverimus. Vnicus est Athenęi locus, qui nobis obiici potest: *Libro 7.* Ἀριστοτέλης δὲ εἴδη αὐτῶν φησιν εἶναι πλείω, ἀκανθίαν, λεῖον, ποικίλον, σκύμνον, ἀλωπεκίαν, μίαν ἔχειν φησὶ λοφιὰν πρὸς τῷ οὐραίῳ, ἐπὶ δὲ τῆς ῥάχεως οὐδαμῶς. Aristoteles galeorum plures esse species tradit, acanthiam, levem, varium, catulum, vulpem, unam habere pinnam in οὐραίῳ, in dorso verò nullam. At locum hunc mendo non vacare constat. Nam si ad omnes galeos qui hic numerantur, postremam sententiam referas, nul-



Iam ſcilicet eos habere in tergo pinnam (λοφιᾶς enim nomine metaphoricῶς pinnam ſignificari in Muſtelo Centrina docuimus) id procul à vero abeſſe, omnibus qui vel galeos viderunt, vel de galeis aliquid legerunt notiſſimum eſt. Si ſoli vulpi id tribuas, quid id ſibi vult unicam habere pinnam περὶ τῷ ἔσχατῳ? Nam ἔσχατον in animantibus dicitur palatum quaſi oris cœlum, quod etiam ἔσχατον & ὑπερῷον appellatur. quòd ſi dicas pinnam in palato eſſe, quid abſurdiùs? legendum itaq; puto περὶ τῷ ἰσχίῳ, id eſt, ad caudam. Cæterùm nullam in tergo pinnam eſſe, neq; de vulpe, neque de ullo alio galeo verè poſſis dicere, præterquam de ζυγæna, quę neque in cervice, neque in dorſo, ſed περὶ τῶν ἰσχίων λοφιὰν ἔχει, id eſt, ad caudam pinnam habet, quò fit ut in galeorum enumeratione poſt ἀλωπεκίαν, ζύγαιναν addendum putem, ad quam referantur iſta, ἰδίαν δὲ ἔχειν φησὶ λοφιὰν περὶ τῷ ἰσχίῳ, ἥτις δὲ τῆς ῥάχεως ἄκρα ἐστίν. Id de vulpe adiiciendum, appellatam fuiſſe κυνᾶ πίονα, id eſt, canem pinguem à Syracuſiis, ut profert Athenęus ex Archeſtrato. Ἐν δὲ Ῥόδῳ γαλεὸν τὸν ἀλωπέκα καὶ ὀστυνήσιον

Μέλας, ἂν μή σοι πωλεῖν θέλῃ ἄρτασον αὐτόν· Οὗ καλέουσι Σηριφίοι κύνα πίονα.

Cum tamen neque adipem, neque pinguedinem ullam galei habeant, quod cartilaginei ſint, ut idem Athenæus autor eſt. (*Ἀκωλαπένστους vel ἀκιπένστους? nam ſuprà dixerat Athenæus Archeſtratum aſſerere muſtelum Rhodium eſſe ἀκιπένστους. Vulpis piſcis odor gravis & ingratus eſt, ut etiam terrena. Ergo accipenſer non erit hæc vulpes muſtelorum generis, de qua Archeſtratus ſcribit, ſed alia quædam niſi forte alicubi non talis ſit.*)

Lygena pinna ad caudam.

Lib. 7.

Ibidem.

COROLLARIVM.

Imago hæc, quam habes ſeq. pag. Galei centrinæ eſt, à noſtro quodam ſculptore olim facta ad picturam, cuius archetypum Cornelius Sittardus pro Vulpe marina miſerat. Sup. ain Muſtelorum hiſtoria. pag. 609. aliam eiuſdem iconem minorem è Rondeletii opere dedimus: & ſeorſim Bellonii de eo ſcriptum, ſeorſim Corollarium noſtrum.

Galeus centrinei.

Piſcis hic, cuius picturam damus, à quibuſdam non rectè Vulpes marina exiſtimatus eſt, cum procul dubio Galeus centrines ſit. Errant etiam qui aprum mar. eſſe putarunt, propter corii nimirum aſperitatem, quæ tanta in hoc piſce eſt ut limam referat. Sittardus cum icone quam mittebat, hæc etiam adſcripſit: Vulpeculam hanc vocavit Gisbertus Horſtius: ac dicebat hepar eius reſolvi in oleum, & totũ piſcẽ eſſe oleoſum ac pinguẽ. carnẽ eius proximè ſapore accedere ad vulpinam: edi, ſed rariùs capi Romæ. Hunc poſtea frequenter (inquit) vidi Venetiis in foro piſcario, triplo & quadruplo maiorem: ibidem cattus (*mavio porcus, ut Bellonius ſcribit: qui Guatta Venetis, Maſſilia Gatto, galeum ſtellatũ ſuum, quem Rondeletius Canicularem Ariſtotelis facit, appellari tradit*) marinus vulgò vocatur: & copiosè capitur eſturq;. Totus pinguis eſt, & ideo facilè excoriatur pellis. poſtea capulos gladiorum veſtit eleganter & commodè. eſt enim aſpera, & exiccata pulcherrimè ſplendet: eſtq; admodum durabilis. Vidi ego principum vaginas ſuperinductas hac pellicula. nam & in Germaniam eius uſus gratia importatur. quanquam credam hunc piſcem in noſtro Oceano quoque capi: nihil tamen certi habeo: Hæc ille.

Vulpes.

Vulpecula (ἀλώπηξ.) muſtelini generis eſt, Ariſtoteles. Vulpes marinæ quæ Græcis alopeces vocantur, piſces è galeorum genere ſunt, inter cartilaginea, caniculis ſimiles, Maſſarius. Ariſtoteles hunc piſcem vulpis quadrupedis nomine appellatum innuit ab ingenii calliditate, (vide inferius in D.) Diphilus à guſtu ingrato & gravi, tanquam quadrupedis: Rondeletius à caudæ longitudine. Oppianus modò ἀλωπεκα, modò ἀλωπεκίαν (ubi γαλεὸν ſubaudimus, tanquam ſubſtantivum adiectivo addendũ, ſicut etiam nebrias, acanthias, & alterias galei dicuntur) nominat. Archeſtratus apud Athenæum ἀλώπεκα piſcem circa Rhodum, omnium ſapidiſſimum eſſe tradit, & alio nomine κυνᾶ πίονα, id eſt, canem pinguem appellari. Cum igitur vulpes noſtra ubique vilis ac plebeius piſcis exiſtimetur: Archeſtrati vulpem (inquit Salvianus) aut apud Rhodũ ſolùm eiuſmodi eſſe: aut, præter aliorũ antiquorũ morẽ, quod magis credimus, alium ab hoc noſtro piſcem, tenerum & pinguem, vulpem ab eo vocari arbitrandum. Sed nos Rhodii galei iconẽ & hiſtoriam ex Rondeletio poſuimus ſuprà inter Muſtelos, pag. 611. Vulpeculam veſpertilioni adnumeratam ab Ariſtotele lib. 1. hiſtoriæ anim. aliqui interpretantur Vulpem marinam, quam cuteis alis volare dicunt, Niphus. Mihi verò Ariſtoteles omninò de ave quadam veſpertilioni avi cognata ſentire videtur. Vulpes marina Germanicè dici poteſt, *ein Meerfuchs, ein Fuchshund*: vel à cauda longa & enſiformi, *ein Schwverſchwantz: ein Schwverthund*. nam alius eſt xiphias, *ein Schwverfiſch*, qui ad huius diſcrimen dici poteſt, *ein Schwverfiſchnabel*.

Galeus Rhodius.

Indigenę Comaſci exocœtum piſcem, Vulpem vocant, Bellonius. In Caſpio mari Caniculę ſunt, non ut iſtæ noſtræ, ſed canino planè capite, cauda, pedibus: cuiuſmodi ſuo loco deſcripta eſt à nobis marina Vulpes, Cęſar Scaliger in opere de Subtilitate: in quo nuſquam alibi Vulpis mar. mentionem invenio, ut alio quopiam in libro ab eo deſcriptam ſuſpicer.

B Vulpes piſcis roſtrum acutum habet, inquit Salvianus: os mediocre, acutiſſimis dentibus munitũ, &, ut galei reliqui, in ſupina parte poſitum: etſi non adeò infrà roſtrum, ut in cæteris galeis, eſſe ſolet. Oculis, foraminibus auditui & olfactui inſervientibus, branchiis atque pinnis, cum cane galeo convenit. Corpore autem & cauda, tum à galeis aliis differt. Corpus enim craſſius atque brevius, caudam verò longiorem multò habet, quàm reliqui: ita ut cauda eius (quæ, ut diximus, falcata & quodammodo enſiformis eſt) corpus reliquum magnitudine (*longitudine*) non ſolùm æquet, ſed ſuperet etiam: in cuius quidem caudæ exortu, ſupina parte, pinnula conſpicitur. Cute tegitur. Ventre eſt candido, dorſo verò cineraceo. Ventriculum habet amplum, inteſtina lata: iecur in duas fibras diviſum, & pallidum, cui fellis commiſſa eſt veſica: ſplenem ſubatrum. Non minùs quàm canis galeus augetur, adeò ut aliquando, non ſecus quàm ille, vel ad centenas libras excreſcat, Hæc Salvianus.

C In ſolis ſalſis aquis naſcitur & degit. Loca autem maris cœnoſa potiùs quàm ſaxoſa, & litoribus remota potiùs quàm eiſdem proxima, incolit. Ariſtotele autem teſte, ova ad præcordia continet ſuper mammas: quibus, ut deſcenderint, iam abſolutis, fœtus innaſcitur. Vnde, eodem authore, Vulpecula (quemadmodum & reliqui cartilaginei tum longi tum plani) gignit animal, cum intra ſe ova peperit. Solivagus piſcis eſt: & propterea non gregatim, ſed ſingulares capi conſpiciuntur. Carnivorus eſt & ſatis ferox: piſcibus enim vel grandioribus veſcitur, Salvianus. Cute volant, ut vulpecula, veſperti-

vespertilio, Aristot. in quibus verbis aliqui ἀλώπεκα (id est, vulpem) marinam accipiunt. nam hanc cuteis alis volare dicunt, Niphus. ego omnino de ave Vespertilioni cognata philosophum sentire puto.

D Vulpes piscis ab astutia sic dictus videtur. lege suprà in A. Galeos quidem omnes, pisces perquàm astutos esse, apud Stephanum Grammaticum Græcum legimus in Γαλεώτῃ. Pisces qui vulpes nuncupãtur, cum se deglutisse hamum senserint, sibi opitulantur, ut centipedes, (*scolopendræ.*) longiùs namque sese efferentes hami lineam abrodunt. capiuntur enim locis nonnullis hamo multiplici, gurgite præalto & fluctuoso, Aristoteles interprete Theodoro. Vbi hæc verba, Capiuntur enim locis nonnullis hamo multiplici, ad scolopendras marinas retulerim, non ad vulpes ut Niphus: sicuti pluribus exposui in Corollario de Scolopendris marinis C. Deinde hæc verba, Longiùs namque sese efferentes, hami lineam abrodunt, de vulpibus privatim acceperim, quę lineam præmordeant. nam scolopendræ alio ingenio se liberant, seipsas invertendo. quæ autem de Vulpibus dicuntur, ceu per parenthesin accipienda fuerint. Astipulatur sententiæ huic nostræ etiam Salvianus. Aristotelis (inquit) de Vulpis & scolopendræ marinarum in sese liberandis ingenio verba, Plinius transcripsit: quibus cum & Oppianus sentit. Vnde cum Ælianus scribat, quemadmodum Vulpes terrena animal fraudulentum existimatur, ita etiam marinæ Vulpi machinatio quædam atque solertia ad declinandas insidias attributa est. Principio enim ad hamum non accedit, aut simul ut hunc devorârit, statim se tanquam vestem invertens, & interiora sua evomit, & ad hunc modum ferrum expellit. Hæc inquam cum Ælianus scribat, Vulpi ab eo tribui, quæ centipedi tribuerat Aristoteles, ea potiùs ratione factum suspicor, quòd ipse Aristotelis locum non rectè intellexerit, quàm quòd Vulpi etiam id convenire, experimento observaverit. nam cum dixerit Aristoteles, Vulpes cum se deglutisse hamum senserint, sibi opitulantur ut centipedæ, non debet intelligi, quòd eodem astutiæ modo utantur: sed quod simili in periculo (ut interpretatus est Plinius) utraque constituta, utraque suo astu ad evitandum hamum utitur, Hæc Salvianus. Cæterùm Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Vulpes (inquit, interprete Grynæo) ad hamũ quidem temerè haud accedit, callida vitans dolum: capta verò avertitur subitò. potest enim ob nativã corporis tenacitatem (ἀτονίαν) mollitiemq; mutare & invertere sese. ergo postquam intestina foris omnia effudit, hamus ultro decidit. Ælianus in Variis (aliter quàm in Animalium historia) lib. 1. cap. 5. Vulpes (inquit) non solùm illa terrestris bestia calliditate pollet, sed etiam marina versutiis plena est. Nam escam quidem non suspectam habet, nec cavet eam propter intemperantiam: sed hamum prorsus etiam contemnit. priùs enim quàm hamiota arundinem trahat, illa prosilit, & funiculũ abrodit, ac rursus natat. Sæpe igitur duos aut tres hamos devorat: nec tamen piscator eam vel comedit, vel è mari extraxit. Vulpes marinæ cum se deglutisse hamum senserint, hoc modo sibi opitulantur: transglutientes magnam lineæ partem usque ad tenuiora fila, lineam abrodunt, Vuottonus ex Aristotele & in Scholiis: Hoc in loco (inquit) libentiùs sequuti sumus veterem Aristotelis interpretem, quàm Theodori versionem, ex Oppiani quoque & Plinii authoritate. Porrò Variæ historiæ 1. 5. aliter Ælianus: Vulpes marina (inquit) escam quidem non suspectam habet, nec cavet eam propter intemperantiam, & hamum contemnit. priùs enim quàm hamiota arundinem trahat, sursum exiliens lineam abrodit, aa rursus natat. Sæpe itaque duos aut tres hamos devorat: neque piscator ea è mari extracta ad cœnam fruitur. Oppianus 3. Halieuticorum similiter:

> Λαιψηραὶ δ' ἀμίαι καὶ ἀλώπεκες, αἵτ' αὖ ἔχωντι,
> ὁ γμιλιῦ ἀπ' ὀλίξοι δέτμαγον, ἢ δὲ καὶ ἄκρας
> Καυλὸν ἐπ' ἀγκίστρῳ δολιχώτερον.
>
> Εὐθὺς ἀνω ἀνέδραμον ἀποφθαδὸν: αἶψα δὲ μέσσην
> Χαίτας. τοὔνεκα τῆσιν ἐχαλκώσαντ' ἁλιῆες

Lippius interpretatur, piscatores de cuspide nectere plumbum, quòd pisces eruciet dente remoto: sed aliud est dicere plumbum, aliud καυλὸν ἐπ' ἀγκίστρῳ δολιχώτερον, hoc est, longiorem hami cervicem. Hanc piscium (ut amiarum & vulpium) in hamo prærodendo astutiam Horatius quoque intellexit: apud quem Sermonum 2. 5. sic legimus: ---- captes astutus ubique Testamenta senum: neu si vafer unus & alter Insidiatorem præroso fugerit hamo, Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.

E Vulpis in prerodenda linea astutiam, & quomodo id caveant piscatores, proximè in D. exposui.

F Lynceus Samius pisces aliquot Rhodios Atticis comparans, glaucisco Attico ellopem ac orphum Rhodios opponit: psettis verò & scombris Eleusiniacis, ac si ullus alius nobilissimus in Attica piscis sit, vulpem in Rhodo dictam. Vide suprà in A.

Marina vulpes tale nomen sortita est, quoniam gustu vulpi quadrupedi assimuletur, Diphilus. Duram, excrementitiam atque concoctu difficilem carnem habet: & non solùm insipidam, sed etiam virosam. gravem enim adeò atque ferum odorem resipit dum mãditur, ut verè terrestris vulpis saporẽ redolêre videatur. & propterea ubique vilis atque plebeius piscis existimatur: nec nisi ab infimæ plebis hominibus in cibum admitti solet, Salvianus. Et rursus: Ingrati & ferini saporis est, atque omnis pinguedinis & teneritudinis.

H Philologiam requires in Vulpe quadrupede. Gaza alicubi apud Aristotelem pro ἀλώπηξ, quod est vulpes, de pisce, vertit vulpeculam. sed cum ad tantam magnitudinem, ut dictum est, perveniat, diminutivum nomen non probo.

DE PISCIBVS, QVORVM VOCABVLA AB X. LITERA INCIPIVNT.

XANTHIAS, Χανθίας, aliquatenus virosus est, & tenerior horcyno, Diphilus Siphnius apud Athenæum. Rondeletius pro xanthia mavult xiphian legere, quòd Xanthiæ nomen pro pisce, apud nullum alium authorem inveniatur. Ego rem in medio relinquo.

DE

DE XIPHIA, ID EST, GLADIO PISCE.

Xiphiæ iconem elegantissimam Saluianus exhibuit libro 1. suo De piscibus. Pinnas in parte supina alter quàm Rondeletius pingit: in descriptione verò non meminit nisi earum quæ in parte prona sunt.

GLADII piscis, quem Græci xiphiam vocant, effigiem atque historiam copiosam dedimus suprà, elemento G. pagina 379. Hic Græci eius nominis occasione ἐπίμετρον addemus. Xiphias ab Epicharmo, ni mendum sit, σκιφίας etiam dicitur, Saluianus. ego mendum esse non puto. nam & apud Hesychium idem vocabulum legitur, & σκίφος pro ξίφος: & xiphydria conchæ, alter sciphydria dicuntur. A

Xiphias (inquit Saluianus) à Strabone etiam galeotes vocatur. Verùm cum Strabo de thunnis loquens, inquiat: Ἐκ δὲ τῆς θήρας αὐτῶν πιαίνεσθαι τοὺς γαλεώτας (οὓς καὶ ξιφίας λέγεσθαι) καὶ κύνας φασίν. hoc est, Ex venatione autem eorum pinguescere galeotas (quos & gladios appellari) & canes ferunt: ab eo galeotas vocari tum gladios, tum canes, Eustathius, Hermolaus Barbarus, & P. Gyllius arbitrantur: quorum nos repudiamus sententiam. nam cum canis à gladio diuersus piscis sit, haud credendum est eundem piscem, galeotam, gladium, & canem à Strabone appellari, sed potius verba illa (οὓς καὶ ξιφίας λέγεσθαι) id est (quos & gladios appellari) parenthesi includi, ipsaque sola ad galeotas referri debent, ita vt eius sententi[illegible] galeotes, xiphias etiam dicatur. ex sequentibus verò καὶ κύνας φασίν: hoc est, & canes inquiunt: illud, & canes, non ad λέγεσθαι, sed solum ad πιαίνεσθαι, φασὶ verò ad vtrunque referendum est. *Perpensus Strabonis locus.* Idem piscis authore Plinio, secundum Hermolai Barbari correctionem, Tomus Thurianus etiam dici videtur. nam cùm in veteri Pliniano impresso codice, in piscium catalogo legatur: Tynnus Tranus quem alij xiphiam vocant: Hermolaus sic emendauit, Tomus Thurianus quem alij xiphiam vocant. Verum si rem diligentius perpendamus, non solum Hermolaus locum non emendauit, sed (quod pace tanti viri dictum sit) deprauauit etiam magis. *Plinii locus emendatus.* Thynnus enim corrigi debebat, & non Tomus: quando præter id quod nemo Tomi nomine pro pisce vsus est vnquam, si Tomus legatur, Thynnus piscis adeò notus & celebris in Pliniano catalogo non haberetur. Tranus deinceps cum verè mendosè legatur, eius loco non Thurianus, sed Thoreneus restitui oportebat. etenim Hesychio quoque & Varino Θορηνεύς, est ξιφίας ἰχθύς, Hucusque Saluianus. ego pro Tranus apud Plinium, vt veteres aliqui codices habent, non Thoreneus vt Saluianus, sed Thranis reposuerim: quod & vicinius est, & à Xenocrate vsurpatu[m] vocabulum apud Oribasium. Thranis aut Xiphias (inquit) cetaceus est piscis, & in frusta secat[ur]: ori autem ingratus est, scaber, difficilis ad conficiendum, valenter nutriens, graueolens: quamobre[m] & cum sinapi comeditur, & in olla paratur: eiusque præstantior pars est imus venter. De Tomo quidem Thuriano (*sic ex Athenæo vertit Barbarus, pro Græco nomen Θυρσίων, quod Romanis partem canis carchariæ suauissimam significare scribit Athenæus*) plura diximus in Corollario de Gladio, elemento G. de Thursionis autem vocabulo, in T. Galeos à Plinio dictus, idem videtur qui Galeotes Strabonis, hoc est, gladius, Saluianus. Galeos (inquit Plinius) persequitur & alios quidem pisces, sed pastinacas præcipuè. *Galeos.*

Xanthias aliquantulum virosus est, & tenerior horcyno. Diphilus. Rondeletius pro xanthia, xiphiam legendum suspicatur, nescio quàm probe. Iouius xiphias interpretatur spathas pisces. vulgò quidem Itali spadam pro gladio dicunt, à Græco spathe. Romæ & plerisque alijs Italiæ locis pisce Spada appellatur. aduertendum tamen in nonnullis locis non hunc nostrum, qui rostro, sed alium ex galeorum genere Vulpem vocatum, vt qui cauda ensem repræsentet, pesce Spada vocari, Saluianus. Tænia prior etiam Rondeletij, à quibusdam spase, id est, gladius vocatur, à totius corporis figura.

B Habet Gladius vtranque maxillam rostratam: inferiorem tamen breuem & triangularem: superiorem verò magis osseam, duriorem, longissimam, (bicubitalem nempe aliquando,) atque ensiformem. Corpore tereti est, à capite statim valde crasso, deinde ad caudam vsque tenuiori sensim facto: in cuius extremo ante caudæ exortum non secus quàm in Thynno vtrinque eminentia quædam extuberat, caudam thynni etiam instar falcatam habet. Non squamis, sed cute tegitur, manibus caudam versus contrectata, læui: caput verò versus, aspera. Ventre est argenteo, tergo ex cineraceo nigricante.

C Asilo Canis exortu thunni & gladij agitantur. infestat is tanto dolore, vt non minus interdum gladius, quàm delphinus exiliat, &c. Aristoteles. Et ab Aristotele mutuatus Plinius: Hoc ani nal (*Asilus*) sed & thynno, & ei qui gladius vocatur, crebro Delphini magnitudinem excedenti, sub pinna affigit aculeo, &c. Videtur autem Plinius (inquit Saluianus) Aristotelici loci sententiam assecutus non fuisse, quod magis suspicor: aut locus esse mendosus, ad Aristotelicámq; censuram corrigendus, (*vt non quidem delphini magnitudinem crebro gladium excedere, sed non minus delphino interdum eum exsilire, legamus.*)

D Ferox & robustissimus piscis est: ac vt diuus Basilius testatur, immanis & horribilis, Saluianus. Irrumpunt thynni Maio mense in mare nostrum ab Atlantico Oceano, cogentibus Xiphijs piscibus, qui telo à rostro prominente instructi, eos toto mari persequuntur, Iouius.

F Natu grandiores xiphiæ, non secus quàm reliqui cetacei pisces, duram atque insipidam carnem habent: iuniores verò, teneriores & sapidiores sunt. vnde cum omni tempore teneros atque gratos esse testetur Aelianus, de his minoribus intellexisse credendũ est: quippe qui sapore vel nobilioribus piscibus comparari possint. etsi carnis teneritudine atque friandi facilitate cum salubrioribus non sint conferendi. eam enim duritie atque mollitie mediocrẽ, friabilem verò haud multum habent. & propterea neque admodum facilè concoquuntur (concocti tamen multum nutriunt) neque vndiquaque optimum succum gignunt. Archestratus in Byzantio eum celebrem esse, caudaq; maximè commendari testatur: nostro verò iudicio, & experientia, caput eius atque abdomen partibus cæteris dubio procul præferri debent. Elixus gladius (quo etiam modo paratus, suauior est) comedi consueuit. Alicubi autem grandiores, non secus quàm thunni, in frusta dissecti saliri solent, Saluianus,

H Maurus episcopus in libello quem Conuiuium patris Dei inscripsit, Caino (tanquam fratricidæ) gladium piscem apponit.

XIPHIV

XIPHYDRIA, vel Tellinæ, conchæ quædam sunt. aliqui xiphidia, alij sciphydria scribunt. Vide suprà in Cochleis in genere, H. a. pag. 234.

XITOS apud Kiranidem. Vide in Smaride cum Mæna.

XYLITES, Ξυλίτης, piscis quidam, Hesychius & Varinus.

DE PISCIBVS, QVORVM NOMINA AB VLTIMA LITERA INCHOANTVR.

ZIDRACH, aliâs Zydeath, obscuris authoribus dictus, non alius quàm hippocampus videtur. Vide suprà in Equo marino. pag. 364.

ZMYRÆNA, Ζμύραινα, pro Smyræna, veteres Græci scribebant. Vide Indicem Eustathij in Homerum, in Σμ. & Σβ. Kiranides etiam Zmyræna scripsit.

DE ZYGÆNA, RONDELETIVS.



H.a. GAZA Ζύγαινον libellam interpretatur. Est autem libella fabrorum lignorum, cæmentariorumque instrumentum, quo, non rectę parietum lignorumq; facies, vt inquit ille qui de aquatilibus nuper scripsit, sed rerum in plano positarum æquilibrium siue libramentum, & neutram in partem propendens situs exigitur. Gallis niueau dicitur. (Quo verò rectæ parietum, lignorumq; facies oculorum nictu pernoscuntur, perpendiculum vocatur, à Gallis le plomb. Quo anguli diriguntur, norma, l'équarre. Quo longitudines, regula siue linea, la regle. Vitruuius: Longitudines ad regulam & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes exigantur.) Libella igitur ligno transuerso constat, in huius medio aliud erectum est, è cuius summo filum annexo plumbo demittitur.

Libro 7.

A Hanc figuram piscis iste capite transuerso, & reliquo corpore in huius medio sito aptè refert, quamobrem libella meritò dicitur. Ζύγαινα vero quia ζυγὸν transuersum librile significat, ex quo lances dependent. Vel simpliciter Ζύγαινα ἀπὸ τοῦ ζυγός, id est, à iugo nuncupatur, quod vt transuersum boum cernicibus imponitur, ita in zygæna caput ex transuerso situm est. Eadem de causa balista ab Italis vocatur, ab aliis pesce martello, quod malleum etiam referat: eamque ob causam quidam (*Gillium notat.*) sphyrænam esse crediderunt, quòd σφύρα malleus sit, vnde sphyræna piscis. Sed hanc opinionem improbauimus, quum de sphyræna tractaremus, vbi docuimus sphyrænam acui similem esse, cùm zygæna sit ex galeorum cetaceorum genere. Massilienses peis iouziou appellant, non à feritate, sed à tegumenti capitis similitudine, quo olim Iudæi in Prouincia vtebantur. Hispani peis limo, limada, toilandalo. Non desunt qui lamiam dentium similitudine decepti, esse putent.

Sphyræna.

Lib. 8. cap. 1.

B Est igitur zygæna piscis cetaceus, galeodes. Branchias detectas habet in lateribus (*vtrinque quinas, cæterorum galeorum instar, Salu.*) os in supina parte. Capite ab omnibus differt, quod ex transuerso situm est, libellæ vel mallei, vel arcus balistæ figura. In vtroque capitis extremo positi sunt oculi. Os magnum est, dentibus triplici ordine dispositis munitissimum, latis, (*planis, Salu.*) acutis, firmissimis, ad latera (*serræ instar, Salu.*) vergentibus. Lingua lata humanæ linguæ instar. Dorsum colore est nigro. Venter albo. Pinnæ duæ ad branchias, in dorso nulla, prope caudam duæ sunt exiguæ. Cauda in duas desinit inæquales. Cervicem, gulumque habet Zygæna.

E Aspectu est horribili truciq; , ac eius occursus nauigãtibus & natantibus infaustus inauspicatusq; est.

F Carne est dura & insuaui, feriniq́ odoris: ob id Galenus li. 3. de alim. fac. inter cetaceos numerandam censet, qui carne sunt dura, insuaui, mucosa, excrementitia, maliq́ succi. Quamobrem dissecti sale condiendi sunt in vulgi cibum.

DE EADEM, BELLONIVS.

A Zygænam Græci, Libellam Latini vocauerunt, fabrorum lignariorum & architectorum instrumentum, è quo dependente perpendiculo, rectas (*ommo planas, Rondelet.*) parietum ac lignorum facies oculorum nictu pernoscunt: cui instrumento quòd is piscis (cuius hîc picturam vides) veluti adamussim respondeat, Oppianus, Galenus, Aëtius, Plinius, cæteriq́ doctiores, Zygænæ ac Libellæ (*Gaza tantùm L. bellam dixit*) nomen indiderunt: nos vulgò Niuellum appellamus: quod instrumentum inuersum, quia ad arcus & tormenti bellici similitudinem accedat, Itali Balistam nominare maluerunt, Massilienses à dentium sęuitie Cagnolam, atque à feritate Iudæum, (*Vide Rondeletium in A.*) & fortassis à deceptione Baratellam incerta nomenclatura dicunt.

Cetaceus

Cetaceus est piscis, cartilagineus, rotundus, oblongus, horridus, ac planè monstruosus, Mediterranei (ad Smyrnam maximè) incola, mustelini generis, damnosus magis quàm vtilis. Quamobrem natura carnem insipidam, & humanis corporibus noxiam illi tribuit: dentesque (quos in quinque ordines digestos, numerosissimos, planos, vt Carcharias gerit,) sub cute ad prædam reconditos, atque oculos præter aliorum morem in pronam capitis partem excauatos, vt deorsum potiùs, quàm sursum leonina quadam voracitate conuertat. Cætera pinnis, cute, ac branchiis planè mustelam refert; sed tanta asperitate non horret. B (E) (F)

COROLLARIVM.

Zygæna Romæ (inquit Saluianus) Ciambetta, & in aliquibus Italiæ locis pesce Martello, in aliisque pesce Balestra, eò quòd sua figura vtrunque repræsentet. aduertendum tamen est, non hunc sed Aprum seu Caprum piscem, Romæ pesce Balestra vocari. Græcè ζύγαινα dicitur, κατὰ τὸ ζυγὸς. nam cum ζυγὸς boum iugum, & libram siue bilancem, significet; his omnibus sui corporis forma Zygæna piscis simillimus est. Cùm verò nullus Latinorum (quod quidem sciam) eius meminerit, Latino nomine caret. Quamobrem Theodorus Gaza in Aristotelis versione, ζύγαινον, libellã interpretatus est. Verùm cum libella fabrile instrumẽtum sit, ab Italis Arcopendolo vocatum, ad cuius similitudinem nequaquã piscis iste accedit, Theodorum (ignorata nominis libellæ proprietate) vti libra bilancem significat: ita Libellam, paruã bilancem significare ratum, ζύγαινον, libellam vertisse suspicor: cum libram potiùs librileve, aut iugum (*iugariam*) vertere oportuisset, Hæc ille. Germanicè hũc piscem Massilienses imitati, Iudæum vocare poterimus, cui Iudæi nominis rationem reddit Rondeletius: vel malleum, ein Siegel: vel cõpositis nominibus, à malleo & capite, ein Schlegelkopff. à malleo & cane (est enim de genere malleorum siue canum) ein Schlegelhund.

Caput hoc Zygæna depictum Cor. Sittardus ex Italia olim ad me dedit.



B

Zygæna ab Oppiano & Suida cetis adnumeratur: sed præstat cartilagineis piscibus longis eum adscribere. Propter magnitudinem tamen à Galeno, Ægineta & Æliano inter cete recensetur.

Magnus est piscis. editur Romæ, tarò capitur. Venetiis capita in pharmacopoliis quibusdam vidi, vt credam in mari Adriatico frequẽtiorem esse, Cor. Sittardus in epistola ad me. Nullam in tergo pinnam habet vt alij galei, sed vnam ad caudam: qua de re Athenæi verba à Rõdeletio citata & instaurata, leges superiùs in Vulpe marina. Zygænæ fel in iecore positum est, Aristot. hist. 2. 15. Fel iecori adiunctum habẽt pisces γαλεώδεις, &c. & è longis, anguilla, acus, Zygæna, Aristoteles historiæ 2. 15. Rondeletius pro ζύγαινα, mauult σφύραινα. ego potiùs σμύραινα. vide in Sphyræna B. Saluianus tamen in Zygæna: Fellis (inquit) vesica, iecori adnectitur, vt Aristoteles etiam notauit. Zygænæ caput (inquit Saluianus) nõ rotundũ, nõ rostratũ, non fastigiatum, nequ: in latera compres-

compreſſum, quale in piſcibus reliquis eſſe ſolet: ſed (quod ei peculiare eſt,) in latera extenſum, atque tranſuerſum habet. Cuius quidem frons anteriórve pars (quæ vtroque clauditur oculo) vti anteriùs in ſemicirculum ferè extuberat: ſic ita in aciem acuitur, vt dum celeriter piſcis natat, obuios piſces ſecare poſſe credatur. In medio extremæ vtriuſque lateralis partis, oculi ſunt magni, rotundi, deorſum potiùs, quàm in latus aut ſurſum ſpectantes. In vtraque præterea vltima frontis parte, oculis proxima, oblõgum inſculptum eſt foramen, auditui olfactuíve, aut vtrique (vt arbitror) ſubſeruiens. Os ſubtus inferiore parte permagnum habet. In dorſo pinnas duas, vnam capiti proximam & maiorem, (*aliter de pinnarum ſitu Rondeletius ſcribit*:) alteram prope caudã & minorem: binasque alias vtrinque, priores & maiores ad branchias, poſteriores verò & minores in medio ventre: poſt quas rurſus alia vnica & parua, prope caudam, è regione alterius minoris in dorſo exiſtentis, imo ventri ſubeſt. Cauda pinnis duabus inæqualibus conſtat: quarum ſuperior vertebris fulcitur, ac multò longior eſt: inferior verò vertebris caret breuioréque extat. Corpore rotundo eſt & oblongo. vnde iure ab Ariſtotele inter longos piſces numeratur. Non ſquamis, ſed corio tegitur. Venter albus eſt, tergus (*tergum*) verò cineraceum. Pro ſpinis cartilagines habet.

Oppianus ab initio Halieuticorum quinti, terreſtres cum aquatilibus animantes, quod ad magnitudinem & vires comparans, leoni zygænam opponit & præfert.

C —τὶς δὲ λέοντ' ἐνὶ φρεσὶν αἴσετται ἄλλῃ,
Οὔτε μὲν ἀθρήσαντα φυὴν ἀπεοικότα ζυγαίνῃς;

Idem in primo Zygænam βλοσυρῶπα cognominat. Libella cum ſit ſpectu infauſto, infelicique, non eſt proſpera nauigantibus, Æliano de animalibus 9. 49. Οὐκ αἰσιον ὁρᾷ, οὐδὲ ἐρχαίζεται τοῖς ναυτιλομένοις αὕτη γε.

(E) Wottonus ferociſſimam eſſe tradit.

Zygæna vti cetaceus piſcis eſt, ita etiam pelagius & non litoralis: quod Ælianus & Oppianus comprobant. Quamobrem cum haud longè à litore piſcari ſoleant piſcatores, ea perrarò, & minores ſolùm vt quæ fortuitò) ad litus adnatarint) capi videmus, Saluianus. Terribilis eſt, vt Oppianus & diuus Baſi-

(E) lius aſſeuerant: & robuſtiſſima. non ſolùm enim piſces reliquos, etiam magnos, atque natantes homines, ſi qui obuij occurrant, ſuæ frontis acie vulnerare ac ſubuertere: ſed amplo etiam ore & valde denticulato dilaniare ſolet. Idem.

Inter duræ carnis piſces à Philotimo numerantur Zygænæ, apud Galenum de alim. facult. 3. 30.

F ζύγαινα, vacca. & piſcis quidam, Heſychius. Ex inſtrumentis quorum fabris lignariis & cæmentariis vſus eſt, vt meminit Rondeletius, libellam noſtri vocant, ein Bleywaag. Inſubres circa Mediolanum

H.a. Liuella. Perpendiculũ noſtri ein Seuctel/ad rectitudines explorandas, Inſubres Piombin: Normam, ſimile inſtrumentum, nonnihil varians pro angulis dirigendis, noſtri ein Setzwaag/ein Winckelmãß/ Itali ſimiliter Piombin. denique lineam ſiue regulam, noſtri ein Liner/ein Richtſchnůr/Richtſcheit/Liniał.

De Libella (vt Rondeletius nominauit) fluuiatili inſecto, dictum eſt ſuprà, in L. elemento.

Ἡ δὲ ναύρα, βατιδες, ζύγαιναι, πέτρες, Epicharmus in Nuptiis Iunonis.

f. Zygnis piſcis idem videtur Cælio Rhodigino 19. 10. qui alio nomine chalcis dicatur, ſine authore. apparet autem eum deceptum inde, quoniam lacerta quædam eſt Chalcidica cognomine, quæ & chalcis aliter dicitur, & Zygnis quoque Ariſtoteli. De chalcide quidem piſce, ſuo loco ſcripſimus.

FINIS.

I

PARALIPOMENA

Ad Lectorem.

VM DE AQVATILIBVS Animantium ordinem literarum ſequutus hunc librum condo, multa mihi cognitu digna, preſertim Germanis meis, tum aliunde communicata ſunt, tum obſeruata per me; quæ olim forſan ſeorſim complectar. In præſentia quoniam & Volumen hoc nimium excreuit; & ego defeſſus ad metam anhelo, pauca addam, partim quæ præcedentibus accedere potuiſſent, ſi maturiùs mihi miſſa aut obſeruata fuiſſent: partim verò conſultò ad finem operis reſeruata, vt quorum Latina aut Græca nomina ignorarem.

Numerus prior paginam, poſterior verſum indicat. L. legendum. A. addendum. Sunt autem paucæ quædam emendationes, etiam Additionibus admixtæ, & contrà.

Pag. 4. 52. A. Hyſca etiam Symeoni Sethi non alius piſcis videtur. Vide in Hycca.

8. 44. A. Zucca Caffæ idem aut ſimilis eſt, cuius in Ichthyocolla meminit Bellonius, 2. prod. permutato: vt contrà t. pro ſ. inferiores Germani ponunt. tok quidem per apharẽſin ab antacæo factum videtur nomen. 68. poſt hæc verba, vocat Albertus; A. Vide etiam infrà in Pungitio.

9. 7. Squamas non habent. A. circa branchias tantùm vtrinque tres magnæ ſquamæ apparent, in ſceleto quem habeo, illius quem priore loco pinxit Rondeletius.

11. 57. lemmati COROLLARIVM adſcribatur: Quære etiam infrà in Typhle icones ij. & hiſtoriæ nonnihil.

11. 62. debet coria. A. Ῥαμφῆσαι piſces quidam ſunt Heſychio, fortè acus. 69. vel Pyperiſſ. A. Acus Ariſtotelis trompette Gallis dicitur à roſtri figura in fiſtulam deſinentis: vnde etiam Germanicè vocari poterit ein Trummeeter.

12. 9. inter piſces nuſquam. notetur hîc comma, & A. (niſi quòd inter Nili piſces Athenæus typhlen nominat, Heſychius typhlinum.) 35. vel contrà. A. Chalcides etiam quæ thriſſis conferuntur, Hiceſio piſces ſunt ἀχυρωδεις, ἀλωπεκες, καὶ ἀχυλοι. 45. poſt, belonen, notetur geminus: & A. vel potiùs legendum percæ.

14. 50. qui & ophidion, A. (Plura quære infrà in Ophidio, elemento A.) 59. à varietate pœciliæ, A. (Vide etiam infrà in P.)

15. 66. Liparim A. (vt Bellonius infrà in L. elemento.)

16. 40. Rotundis ac nigris, A. (vt thriſſæ nimirum.)

17. 1. infra in Ch. A. item de Celerinis Oceani, ſiue Sardiniis mediterranei; quas Chalcides putauit Bellonius. 23. ALABES A. (Ἀλάβης: videtur autem flecti vt Thales, Thaletis, & ναυη, ναυης.)

20. 20. Harengus A. (infrà in Chalcide Harengo etiam aſperam illam ſub ventre lineam attribuit) 24. L. COROLLARIVM de Alauſa. Vide etiam in Thriſſa. De Trichide & ſimilibus vocabulis plura dedimus infrà in Sardina: item in Trichide.

21. 15. L. κλεωπαῖαι vel (vt Plutarchus habet in libro de Fluuiis) σκολόπενδραι 7. Capitur in Albi. A. Quære infrà inter Paralipomena, Cum Capitonibus fluuiatilibus. 63. A. Appycher vel Pyſchardo Anglis eſt Alauſa minor, Pucelle Gallorum. Harengo enim ſimilem eſſe aiunt; ſed minorem.

22. 19. poſt chalcides, diſtingue, & A. larimos & trachuros.

ADDITIO AD ALAVSAM, CVIVS COROLLARIVM INCIPIT, PAG. 20.

ALAVSÆ piſces anadromi Argentinæ à Maio menſe denominantur, Meienfiſche (quod nomen alibi in Rheno Leuciſci fl. generi, Haſelam noſtri vocant, tribuitur,) quòd eo tempore in Rheno apparere circa ea loca incipiant. Ab aliis ibidem vocantur Mannemer hengſt/ quoniam à Mannis (von Mannen) ex Oceano aſcendentes veniant. Alibi Laußfiſch/ id eſt, Pediculi appellantur, neſcio quam ob cauſam. malim ego Laußfiſch/ per apharẽſin ab Alauſa. Baſileæ aiſen: eum certiſſimum copiæ ſalmonum prænuncium eſſe aiunt, harengo ſimilem, ſed multò maiorem. Piſcis eſt latus (vt piſcator peritiſſimus Argentinenſis retulit)

a

tulit)instar Cyprini lati. Maio Mense migrant, & natandi labore ad tantam rediguntur maciem, vt corpus eorum tantùm non perspicuum euadat. Eodem mense retibus capiuntur, nec aliter. Ad cibum elixantur in aqua primùm, deinde demùm vino affuso perfectè coquuntur.

A Pylcherd Anglis est alausa minor: quæ non ætate tātùm differt (vt quidam putant) à piscibus Herring & Sprat Anglicè dictis, sed prorsus diuersi est generis.

Qui Ziege vel Zige vulgò vel Goldfisch in Albi vocatur piscis, vel ipsa alausa est, vel adeò similis natura ac specie: vt meritò eodem nomine appelletur: id quod cum ex icone eius, hîc addita, tum historia à



Io. Kentmano descripta, liquidò apparet. Zige (inquit) piscis est tenuis & siccus, paucæ carnis: colore pulchro, argenteo, dorso tamen subfusco. oblongus est, non ita latus vt solent esse pisces Goldfisch dicti, qui in Marchia capiuntur: longitudo enim eius ad latitudinem quintupla est. Caput eius, si foris aspicias, harengi capiti non dissimile est, nisi quòd in parte superiore oris scissuram habet. Lingua ei parua, quæ colore nigricat. Dentes vtrinque ad latera in faucibus mandibulis duabus duris adnati, sicut in eiusdem fluminis piscibus (*de capitonum fluuiatilium genere*) Jeseno & Dibelo, vt vulgò nominant. Caput & oculi ad aureum colorem, pauco viridi permixtum, accedunt. In summis lateribus vtrinque maculæ quaternæ nigræ digeruntur, quarum prima ad summas branchias est, vltima paulò sub initio pinnæ dorsi. Ex Oceano in Albim subit hic piscis, & paulatim consumitur ac deficit. Capitur vt plurimùm in hoc flumine, à festo Pentecostes vsque ad diui Iohannis diem, quo tempore Sturio migrat. à Sturione enim è mari in Albim pellitur. Quanquam autem ad velocitatem & fugam, præ omnibus in Albi piscibus, comparatus sit; mollis est tamen, & quàm primùm ex aqua in aërem subductus perit. Maximi huius generis in Albi apud nos (Misenos) à duabus cum dimidia libris (*sedecim vnciarum put.*) ad tres cum dimidia (quod tamen rarum est, perueniunt. Siue assus, siue elixus, non boni saporis est. Si tamen præparatum, sale intus aspergas, tum in fumo aut sôle leuiter sicces, & ita butyro inunctum super craticula asses, meliùs (vt in hoc genere) sapit. Et quoniam aridi hi pisces sunt, sunt qui in aliqua elixant: deinde exemptos condiunt iure è butyro, zinzibere, aqua, & modicò aceti: sicuti etiam alios quosdam pisces siccatos condire solent, vt truttas, thymallos, lucios, & cyprinos latos. Quomodocunque paretur, nullus tamen in Albi piscis æquè ferini aut virosi saporis est: à quo etiam nomen ei impositum conijcio: vt Zige, id est, hircus dicatur. hircum enim, præsertim insolatus, olet. Hæc Kentmanus. Ab alio etiam accepi Zieg piscem in Albi, alio nomine ab aureo ferè colore (circà caput) Goldfisch appellari, album esse, (*carne nimirum,*) & ita distincta ceu per laminas carne, sicuti salmo. ferinum quid & ingratum olère, vt nisi egregiè aromatibus condiatur, in cibum non admittatur. Capitur etiam in lacu Suerinensi. Aduentantis Sturionis comitem aut ducem esse aiunt. Sed Argentinæ alius etiam piscis, nempe perca fl. minor, (non ætate minor, sed species peculiaris,) Goldfisch appellatur. Quòd si piscis hic, vt omnino coniicio, alausa est: non rectè quidam alium piscem in Albi, quem Jesen vulgò nūcupant, alausam interpretātur.

23.55. post, confundant. A. Alburno Ausonij cognatus est Oberröttichen dictus apud Misenos piscis, quem in Phoxinis describam. coloribus tantùm differt. quanquam & ipsi oculi rubescunt.

24 3. post simplices, A. (aliquid deesse apparet, pinnarum nempe situm & numerum.) 9. A. Apparet autem non alium hunc piscem, quàm qui Bambele à nostris vocatur, Argentinæ Kiemling, de quo plura leges in Phoxinis.

25.7. post Balagro, signa geminum punctum: & A. & in fine Elementi G. in Gustero.

ADDITIO INSERENDA PAGINÆ 29. POST VERSUM 8.

A Idem piscis est qui Hasele, quasi Lepusculus à nostris, Heßling vel Häßling in Albi à Misenis vocatur, vt ex descriptione huius fluminis piscium Io. Kentmani facilè conijcio.

B Heslingus (inquit) piscis argentei nitoris, oblongus & crassiusculus est. dorsum ei fuscum, & crassum (vnde etiam Dickruck, id est παχύνωτος à nonnullis vocatur,) & similiter caput. Squamis mediocriter magnis tegitur. Intestinis, corde, vesica & dentibus, (quos intra fauces occulit,) Coruū vulgò Misenis dictum refert: fel tantùm rotundius habet. Linea vtrinque albicans nigris distincta punctis à branchiis ad caudam pertinet. Cauda & pinna dorsi colore sunt subfusco: cæteræ autem quinque, subcæruleo, (*in nostris rubicundo.*)

C Anno toto in Albi reperitur, nec aliunde immigrat. Circa Annunciationem diuæ Virginis parit, eodem tempore quo & Coruus in Albi vulgò dictus: tunc quidem & plurimi capiuntur, & sapidiores habentur. E F Muscis & vermiculis victitant: & in horum penuria, etiam pisciculis.

Rarò hi pisces vncias quatuor ponderis excedunt: maximi quidem interdum vncias senas pōderāt.

E Toto anno capiuntur hamo, vermiculis inescati: item retibus, tempore partus, & extra.

C Bonus & satis suauis piscis est, præsertim in aqua (cui feruenti immittatur) cōditus, elixusq; ad iuris ferè consumptionem: vel elixus & conditus iure ex aceto, zinzibere, croco, & minutim incisis cepis: vel iure quod à butyro denominatur vulgó. Cum grauidus ouis, in butyro liquato frigitur, optimè (meo quidem palato) sapit.

ALBUS in Thrasymeno Italiæ lacu dictus piscis, Capitoni fl. cognatus videtur.

35.29. A. Halecula diminutiuum, semper pro pisciculo accipitur. Alex, vnde casus alecem, alece,

alece, generis fœm. est, sine aspiratione: etsi in Geoponicorum fine ἅλιξ aspiratum legitur. Halec genere neutro, aspiratur Horatio & Plauto: aliàs nōn aspiratur, vt Horatio: Siser, alec, fæcula Coa.

56. post hæc verba, pro pisce vile, distingue: & A. vt Hermolaus accipit, sed pro liquore forsan meliùs. 63. post hæc verba, inferiùs in Garo, A. vbi hæc ab Hermolao nōn rectè distincta reperies.

ADDITIO AD PAGINAM 40. POST VERSUM 6. INSERENDA.

DE AMMODYTE PISCE, VT NOS VOCAVIMVS, PRO ANGLICO Sandilz.



A PISCIS hic, inquit Saluianus, (cuius expictam formam, ac historiam vniuersam, Daniel Barbarus, non solùm quia Aquileiensium designatus sit Patriarcha, Reuerendissimus: sed splendore etiam Barbaræ familiæ, præclaraque eruditione atque doctrina, nec non virtutum omnium probitate illustrissimus, perbenignè mihi impertiuit.) ab Anglis, apud quos frequens reperitur, Sandilz appellatur, hoc est, De arena anguilla: & Walmester, id est De ponente monasterio. Huius autē piscis mentionem nullam apud Græcos Latinósve scriptores factam reperimus, reperirive posse credimus: cùm Septentrionalis solùm Oceani alumnus sit. *Daniel Barbarus.*

B Capite est tenui & rotundo, rostro longiusculo & acuminato, ore paruo: corpore reliquo oblongo, si latitudini conferatur. Nam cum eius medium (caput enim & cauda arctiores sunt) pollicis crassitudinem non superet, longitudo ad palmi mensuram extenditur. Quamobrem sicuti longis, sic etiam & paruis annumerari piscibus debet: cum neque pollicis latitudinem, neque palmi longitudinem excedat vnquam. Dorso præterea, (in quo pinnæ duæ reperiuntur, in eo medio vna, ac prope caudam altera,) subcæruleus. Ventre verò, (in quo præter binas, quas vtrinque habet pinnas, vna etiam alia post excrementorum orificium subsistit,) argenteus conspicitur.

C Septentrionalis Oceani piscis est Sandilz. frequentissimè enim in Britanniæ (quam nunc Angliam dicimus) litoribus capitur: reperiturque & in Bononiensi litore, vbi Sandilz quoque vocatur.

E Quibusdam anni temporibus hi pisces, siue maiorum piscium iniuriam fugientes, siue suopte naturæ impulsu, aqua derelicta, sub arenam ipsam penetrant. Quod cum nonnullæ longioris rostri aues aduertant, ad illa litora aduolantes, eos ex arena expiscantur. Quibus accolæ illorum locorum admoniti, lineis sacculis, aut ligneis vasculis, in quibus captos pisces condant, acceptis, ad littora frequentes veniunt: ibique singuli suum quoddam pedale lignum pectinatim incisum habentes, pariq; interuallo, ac certo ordine, per rectam lineam omnes collocati, pectinata ligni parte in arena defixa, eam, paulatim semper retrocedentes subleuant, piscesque vna cum arena subsilire, coactos (*copiosè*) capiunt, &c. Hic piscis si ex piscatorum manibus in arenam fortè delabatur, celerrimè ac profundè adeò sub arenam penetrat, vt nullo prorsus modo capi rursus queat. Quam sub arenam penetrandi facilitatem, etsi Aristoteles serpenti marino tribuit, non ob id tamen hunc marinum serpentem esse arbitrari possumus: cum congro corpore ac colore proximus non sit: sicuti, eodem Aristotele teste, marino serpenti cū congro conuenire debet.

F Piscis est Sandilz sapidus satis: & sua copiosa captura haud mediocriter pauperum necessitatibus succurrit. Hactenus Saluianus.

A Ego Ammodyten hunc piscem Græco nomine vocare volui, ab eo quòd arenas subeat: sicut & serpens quidam ammodytes, ab eadem nimirum natura appellatur: & Callionymus piscis, Hesychio teste, alio nomine Psammodytes appellatur, quòd in arena se occultet. feliciùs quidem Angli eodem nomine Anglico, siue potiùs Germanico, & hanc eius naturam, & formam Anguillæ similem exprimunt. Cognatus huic videtur piscis, qui alicubi in Anglia Sprall oyle nominatur, hunc enim similem anguillæ esse, aiunt, sed caput habere vt piscis fundulus, colore cinereo, maculis nigris, dodrantalem. *Sprall oyle* Eundem Flandri Pomper ele (aliqui Pype oyle) vocitant. è Flandria in Angliam importari audio: à pharmacopolis aliquando seruari in vitreis vasis aqua repletis: longum esse dodrantem, toto corpore nigris maculis refertum, ore lampetræ simili, barbato: pinnato dorso, & alecis cauda simili. *Pymper ele* Sed hi fortè pisces illi vocales sunt, quos Pœcilias ex Pausania appellauimus, &c. Ego hæc, vt à peritioribus, quibus vernaculę hæ voces, resque ipsæ cognitæ sunt, iudicentur, propono. quid enim ipse statuerem? qui à diuersis hæc auditione accepi, à quibus aliqua esse confusa, aut non rectè exposita, fieri potest. Videtur & Piballa hîc non omittenda, de qua Cæsar Scaliger: *Piballa.* Santonica (inquit) vox est Piballa: pisciculus tenuis, vermiculi specie, anguillarum more natans, colore candido. Maritimæ naturæ consulti, aiunt, esse Anguillarum prima rudimenta. quod si ita est, eadem in hisce proportio fuerit, quæ in Thynno describitur apud Plinium, &c. vt ætatis initia Piballa sint: adultiores Pimperneaus dicantur à Francigenis: perfecta communi nomine agnoscantur. Eadem diligentia etiam apud Adriaticos, certis nominibus attributis. His scriptis occurrit mihi in Kentmani piscium Albis descriptione, is qui Spirahl apud Misenos

 vocatur.

vocatur idem fortè cum eo quem paulò antè ab Anglis Spratt oyle nominati diximus. Piscis (inquit) est longus, subfuscus, specie quæ reliquæ anguillæ: lubricus, absque squamis, rostro & capite acuminato, spina dorsi (simplici) vt in cæteris anguillis, absque aliis spinis. E mari in Albim ascēdit, nec durat, sed contabescens & pallore affectus moritur. Anno toto capitur. Vêre circa medium quadragesimalis ieiunij gregatim migrat. Maximi dodrantes duos longitudine non excedunt, neque digitum crassitudine. Non admodum sapidus est piscis, siue assus, siue elixus: Recentes aliqui super craticula assant, sicuti lampredas illas, quas Miseni enneophthalmos nominant, (*alij Germani priccas*:) alij iure acidulo condiunt, quod constat aceto, croco, pipere, & cepis minutatim incisis. Saxones, apud quos magna eorū copia capitur, infumatos per annum seruant, & cum ad cibum eos parare volunt, in aqua feruida modicè coquunt, tum corio detracto super craticula assant. Sunt qui minutatim concisos cum olere acido (*aceto condito, vt brassicæ capitatæ ferè condiri solet,*) coquant, vel cum pastinacis, brassicáue recente pro familia.

40.22. A. Vide etiam mox quæ post Andromidem Bellonij annotauimus.

ADDITIO AD PAGINAM 40. POST VERSVM 23. INSERENDA.

DE ANARRHICHA, VT NOBIS VOCARE LIBVIT, OCEANI PISCE.



KLIPFISCH est piscis magnus Oceani Germanici, cuius iconem Ge. Fabricius ad me misit, & descriptionem adiecit. Hic piscis (inquit) à Balthicis populis suo nomine Σκόπελον dicitur. Klip enim ipsorum lingua scopulum significat. Vnde Klipfisch dictus, vel quòd scopulos ascendat, id enim facere dicitur: vel quòd in scopulis latitet E naribus paruæ quasi fistulæ, quas ex auenis rustici faciunt, eminēt: & propter superiores dentes in capite tuberculum est. Dentibus imprimis terribilis, quos non solùm vsitato animalium more, in superiore & inferiore mandibula, sed in faucibus quoque gestat, & in ipsa lingua. Anteriores rotundi & acuti, reliqui molaribus humanis similes, nisi quòd in media fauce (*palato medio*)) nostris sunt grandiores. Positi autem sunt duplicata serie omnes, in inferioris mandibulæ parte vna octo, & in altera annexa quinq; neque aliter in parte è regione opposita: Superior mandibula plures acutos habet propter fauces, in quibus tres duplicatæ series, media præcipuè decem grādibus molaribus munita, quin in lingua ipsa molares sunt. De vtraque maxilla infra branchias pinna propendet, capitis altitudinem, si erigatur, æquans. Dorsum pariter & venter à fine capitis vsque ad caudæ extensionem pinnas habent, quæ secundum corporis quantitatem ipsæ quoque (*vt corpus*) paulatim minuuntur: hæc Fabricius, ex sceleto, ni fallor. Cauda est bifurca, æqualis vtrinque. Voracem & validum esse apparet, tum aliàs, tum caudæ ictu. Ego Anarrhicham nominare volui, (id est, Scansorem) à Græco verbo ἀνέρριχω, quod propriè manibus pedibusque nitentem & prensantem (hoc est, omni vi corporis) sursum scandere significat: nostri dicunt klettern. Ἐπαοιδαὶ τῶν μὲν ἀλκὰν οἱ μὲν τὰς ἰσχὺς ἀναῤῥιχῶντες: Gaza ex Cicerone, vbi is dixerat: Cum alij malos scandant.

40.34. A. Hæc Bellonius. Ego verò non dubito, quin andromis Plinij, corruptum sit vocabulum, ab anadromis. anadromos enim Græci vocant generis nomine, pisces è mari subeuntes fluuios. nam & nomen accedit, & salubritas, proxima post saxatiles: & in eodem morbo conceduntur. Porrò Dromillam Bellonij, circa lacum Lemanum *Dormille* vocant: eandem, vt audio, mustelæ minimæ, id est, fundulo nostro, vt in epistola ad me scripsit Io. Ribittus.

45.44. post, capiant, distingue, & A. Athenæus.

46.46. post, claram, A. (quod etiam de congris quidam tradunt,) 47. post Elluchasem A. Congros Hicesius scribit σκληροτέρους εἶναι ἀγκίστρων (aliàs ἐγχέλεων, quod placet) καὶ ἀρπασταιροτέρους τε καὶ ἀσφοφωτέρους, διὰ χυλὸν τὸν πολὺν λειπομένους: διὸ μάχιμοι εἶναι.

ADDITIO

ADDITIO AD ANTACÆOS, PRO PAG. 54. VEL 55.



ANTACÆI speciem esse hunc piscem, primus aspectus loquitur. Iconem eius Geryon Seilerus summus & celeberrimus Augustanæ Reip. medicus ad me dedit, sine aliquo nomine. Straubichij in Danubio captum aiunt. Hunc Antacæum, stellarem cognominare libet: sicut & galeus quidam stellaris cognominatur. Pictura in linteo satis magno expressa, colorem vbique ferè cœruleum ostendebat: venter candidior est ad roseum inclinans. Spinæ in dorso, & stellæ (quæ spinis delapsis relictæ videtur) pallidi coloris sunt: puncta etiam passim vel è pallido albicantis, vel fusci. Indiciue coloris sunt. Cognatus huic fuerit, qui in eodem flumine à Germanis Tieff appellatur, quod nomen ab Antacæo videri potest per aphæresin factum: Vngari Tocf vel Tűcf, vel Tockhai (hal piscis est) appellant. Idem aut similis fuerit Zucca Caffæ, cuius in Ichthyocolla meminit Bellonius, z. pro t. posito. Vide suprà in fine Corollarii ad Acipenserem pag. 8. Alius puto, sed similis est, quem iidem Vngari Schweeg (ab oxyrncho, vt coniicio deprauato nomine) vocitant: aliqui recentiores Latino nomine ad vernaculū formato Scurionem per Sc. non per St. de quo plura leges suprà, Corollario 11. ad Silurum. Quidam Tieff vel Dieff piscem mihi retulit in Danubio capi, non quidem Viennæ, sed inferiùs circa Pestum, vt vulgò vocant & Budam: mole corporis quæ ad xxv. libras (sedecim vnciarum) accedat. cute varia vndiquaque, & stellata similiter, vt in exhibita hîc à nobis icone: sed rostro differre: quod longius & gracilius sit quam vel in hac nostra icone, vel in Husone, anserino ferè simile: cætera Husoni similem esse, sed minorem: idque ab imperitis Husonem paruum esse putari. Hic an sit Galeus Rhodius, quærendum. Viennæ audio piscem illum, quem nos Silurum fecimus, paruum adhuc, vt pedem aut cubitum non excedat, appellari ein Dieff: adultiorem verò ein Schaiden.

Antacæus stellaris.

Cancellus, quem aliqui vulgò Auenam vocant. Scaliger Squillam minimam à Vasconibus Cassadam vocari autumat, Auenam, pugillatim enim (inquit) deuorant, sicut Auenam veterinam.

56.68. Labra habet, A. (*prominentia nimirum, sicut Turdi quidam, quibus cognatus videtur hic piscis.*)

58.24. ex Eustathio, A. Varinus. 55. λύκον A. (carmen hîc non admitteret λύκον.) In fine paginæ A. Is Tænia est Rondeletij.

60.3. post, authores sunt, A. Sed χονδρώδη omnino legerim, quoniam & scorpios χονδρώδεις esse, eodem authore legimus. 30. A. Turdis ex aspectu picturæ cognatus mihi videtur.

61.54. post, reponendum sit. A. (*Pro σιαφρον legendum σιαγρον cum Eustathio. fluuiatilem autem pro apro Acheloi accipio. Vide infrà in Porcis.*)

Pag. 63. Ad iconem Aporrhaidis Rondeletij, adscribe: Accedere videtur ad pentadactylum Purpuram Bellonij.

67.54. ad léma COROLLARIVM, adscribe: *Plura vide infrà in Corollario Gobij A. 61.* post hæc verba, separari non debet. A. Alij cottum nominant gobij fl. genus, ex Aristotelis historia 4.8. vbi Græcè βοῦτ- legitur. vide infrà in Gobiis.

71.56. post nomen sumpsit, distingue, & A. vt quidam scribunt. Verùm natex, non narica, apud Festū, nomen à natādo sumpsisse videtur. 65. post hæc verba λοτόστολος ἐνίοτε A. Δι' ἀπὸ δωδεκάτης ἐκβύθιον ἡμέρας ἤδη.

76.46. Lemmati A. Nomina Germanica vide infrà in Corollario de Pastinaca.

77.31. post, interpretatur punctum geminum nota, & A. de eo pisce sentiens, qui ex asellorum genere Eglefin vulgò à Gallis nominatur, à roſtro opinor aquilino, quale ei tribuit Rondeletius. egle enim Gallis aquilam sonat.

77.65. post, excauati. A. (*Aristoteles historiæ 9.37. idem de serpente marino scribit, quem Congro simillem facit.*)

81.1. post adieci, A. superius pag. 78. 17. Torpor A. dicitur. Et mox eodem versu, post factum A. fuerit.

83.4. expressit. A Effigies eius hæc est.



83.16. A. Vide quæ scripsi in Rota. 23. L. inter cete pelagia & terribilia numerat, κελὸς cognominans ἀργαλέος. A. Non probè igitur Lippius vertit arietes marinos mitiores esse terrestribus: tanquam à manueto huius pecoris ingenio nomen eis positum sit: quod ego à formæ aut cornuum aliqua similitudine eos inuenisse putārim. Inter versum 19. & 21. hæc insere. ARGENTILLVS nominatur à Mauro Episcopo in Conuiuio patris Dei, vbi hunc piscem Iudæ apponit, vt Vmbram Lazaro, Serram Isaiæ, & alios aliis singulorum historiæ conuenientes. Ponit autem ea tantùm piscium nomina quæ ab authoribus vsurpata sunt: vnde & Argentilli nomen non fictum ab eo, sed vel vulgò, vel etiam literatis suo seculo de pisce aliquo in vsu fuisse iudico.

nam apud ſcriptorem alium hactenus non repe-
ri. factum autem id eſſe à colore argenteo, appa-
ret: vnde & alburnum piſcem Auſonius, & leuci-
ſcos quoſdam tum marinos tũ fluuiatiles appella-
runt Græci.

86 39. Sub lemmate DE tertia aſellorum, &c. A. *Quidam hunc non rectè hepatum eſſe putarunt: quod in Hepate reprehendit Rondeletius.*

92. Iconi ſuperſcribe: *Videſcripta ab initio huius capitis ſuper hac icone.*

9 poſt hęc verba, *in Corollario primo A. De Gryllo lege infrà nonnihil, Corollario tertio de Aſellis, &c. & de Ophidio plura in O. elemento.*

92. 50. poſt hæc verba, vt banchus A. (*Atqui prò illo etiam in Athenæi codicibus βάγχος, legitur. & banchus, βάγγος, nuſquam apud Græcos reperiri puto.*

ADDITIO AD AŚELLVM CALLARIAM, DE QVO SCRIPSI COROLLARIO 1. *de Aſellis, pag. 92. verſ. 51. & deinceps.*

A ICON hęc (à Cornelio Sittardo mihi communicata) piſcis eſt, quem deſcripſi in Corollario de Phycide A. Vide etiam in Corollario de Tinca A.

PISCEM noſtrum (inquit Saluianus) qui Romę Tenca marina & peſce Fico vocatur, veterum Græcorum φυκίδα eſſe contendit Rondeletius, ea coniectura (vti arbitror) perſuaſus, quòd vulgari Romanorum appellatione peſce fico appelletur. Verùm præter id quòd friuola & vana hæc coniectura eſt: (quum hic piſcis propterea quòd maturiſſimi & paſſi fici inſtar, mollis, flaccidus, & non ſucci plenus ſit, Romæ fico vocetur, & non quia hæc eius vulgaris nomenclatura ex veteri Græca deducta ſit:) id etiam opinari rationi diſſonũ eſt. Nã cum Athenæus, Ariſtotelis authoritate, phycidem καὶ ποικίλην καὶ ὀλιγόσκελον: id eſt, varij coloris, & ſpinis vallatam vel coronatam appellet: Speuſippus verò (apud eundem Athenæum) Percam, Channam & Phycidem ſimiles faciat: quo pacto hic piſcis noſter, qui neque variis depictus eſt colorib. neq; ſpinis vallatus: quiq; nil minùs quàm Percæ & Channæ ſimilitudinem repræſentat, Phycis dici poterit? Propterea non Phycidę, ſed Callariam hunc eſſe aſſeueramus. neque id temere. Nam cum inquiat Plinius: Callarias aſellorum generis, ni minor eſſet: vti Callariam Aſellis congenerem & minorem eſſe teſtatur: ita nos hunc piſcem noſtrum, quippe qui Aſello ſimilis eſt atque minor, Callariam eſſe iure cẽſeamus, &c.

B Callarias ad minoris aſelli ſimilitudinem proximè accedit. capite enim lato eſt, & preſſo: ore magno, & valde denticulato: atque oculis etiam magnis & aureis. Vix pedalem excedit menſuram. Lapillos duos in capite habet. Color ei cineraceus, vt Aſello. Squamis minutis contegitur. Corpus totum oblongum & latiuſculum eſt. Ventriculum habet amplum, inteſtina lata: hepar magnũ & ſubalbum, cui fellis hæret veſica.

C Marinus piſcis eſt, & litoralis potiùs quàm pelagius, in cœnoſiſque litoribus degens.

F Piſcis eſt haud ſuauis, & propterea vbique ferè plebeius, & parui precij eſſe ſolet. Carnem habet ſatis mollem, ſed non friabilem, concoctu facilẽ, ſed excrementitiam. Frixus aut aſſus palato minùs ingratus eſt, quàm elixus.

99.20 A. (*Vide infrà in E. elemento de Elephanto.*) 99.38.

Quam Saluianus exhibuit Callariae iconem Hiſtoria 87. huic ſatis ſimilis eſt: ſed dorſi pinnam, & quae à podice incipit ſupinam, digitum ferè ultra caudam terminat.



99.38. A. (*Bellonius picturas ſuas à librariis tranſpoſitas conqueritur, nempe locuſtam in aſtaci locum.*)

101.18. poſt, dixit. A. (*In noſtra Athenæi editione libro 7. κάμμαρος legitur per duo α.* 24. L. camarus (per m. ſimplex, & A. in aconito autem κάμμαρος legitur. 27. poſt Macedones, diſtingue, & A. Varinus. apud Heſychium κομμάρῳ tribus ſyllabis legitur.

113.68. L. Vide in Corollario 1. de Aſello, & in Mugilis labeonis Corollario.

14.7. Poſt verba, *diuerſas habes.* A. *Idem eſt cetus Britannicus infrà exhibitus; pagina 212.* Deſcriptiones enim conueniunt, cum aliàs, tùm quod ad laminas in ore corneas, dentes nullos, &c. Vide quæ ſcripſi infrà, pagg. 212. & 213.

118. Suprà infimam picturam, adſcribe. *Videtur Olaus has picturas effinxiſſe, ſcriptoris cuiuſdam obſcuri verbis (quæ infra in Cetis in genere E. referemus) commotus. Cetos quidem Norwerſract & Ruſſiwal Germanicè dictos, priuatim naues ſubuertere legimus.* Secundæ verò & intermedię, 119. paginæ. iconi adſcribe: *Vide Aſpidochelonem inter cete. An cruſtas quaſdam habet ſcuti, vel cheloniꝰ, id eſt, teſtudinis corij, inſtar?*

121.3. Poſt, Athenæum. A. Hippuris ineſcantur iuli; Oppianus.

122.41. poſt, Poulſepieds, A. (*Rondeletius Vrticam rubram ſuam ab aliquibus Pouſſepie Britannorum vocari ſcribit,*)

122.69. Plura vide inferius in Concha rhomboide, ſeu Balano Bellonij, ex Xenocrate & Galeno. quæ huc relata oportuerat, in F.

125. poſt v. 35. In Rheno circa Scaphuſiã Weidfiſch appellantur piſces, qui per hyemem in libero flumine vagantur & paſcuntur, & præcipuè Barbi faciunt: quanq; & Truttæ & alij quidam piſces per hyemem interdum vagantes capti eodem nomine vocantur. Barbi quidem huiuſmodi meliores ſunt: capite minore, corpore rotundiore & obeſiore, quàm qui in latibulis ſe continent, quos Lägerbarben appellant. Ex his vagantibus aliqui reperiuntur ſteriles, in quibus nec genitura nec ouã inueniuntur: eos Flůckerlin, id eſt nobiles appellant: & quouis anni tempore in cibo commendant. Communi quidem nomine Lägerfiſch dicuntur, qui in cauis, ſub petris aut in petrarum ſciſſuris, collecti latitant: quod ferè faciunt gregatim, & inuicem ſuperincumbentes porcorum inſtar. Sic Barbi innumeri, milleni aliquando, ſub hyemem, in vnum ſub petrã aliqua latibulum coeunt. quod cognoſcentes piſcatores, verno tempore cum prodituros eos expectant, naſſas opponunt: & ita maximum eorum numerum aliquando capiunt: qui tamen, vtpote macilenti, non magni fiunt in cibo. Hæc à doctiſſimo & nobili Scaphuſiæ ad Rhenum Medico COSMA HOLZACHIO accepi. Ego Græcis nominibus, quibus etiã Latinis vti liceat, piſces quoſuis liberè paſcentes per hyemem, nomades appellârim, (νομάδων, ſicuti & βυκάδας ἰχθῦς apud Ariſtotelem legimus: Latinè paſcales. nam & Feſtus paſcales oues nominat quæ paſſim paſcuntur, à verbo paſco: vel à paſcuis, quaſi paſcuales. Latitantes verò pholades, φωλάδας, τοὺς φωλεύοντας: quaſi latibulares. Steriles verò quoſuis epitrageas. nam & Ariſtoteles ex fluuiatilibus cyprinos & barinos, ἐπιτραγεῖας facit, hoc eſt, ſteriles: qui nec ouum, nec ſemen vllum prolificum vnquam habeant: ſed qui ſolidiores pinguioreſq; (inquit) in eo genere ſunt, iis inteſtinum paruum eſt, & laus præcipua in paſtu. Videtur autem non omnes cyprinos & barinos ſteriles facere, ſed aliquos in eo genere: qui præ nimia obeſitate nimirum ſterileſcant: quod & tragis, id eſt hircis accidit: & vitibus nimia alimenti copia luxuriantibus, quòd vocant τραγᾶν. Barinus igitur Ariſtotelis an Barbus ſit, quærendum. nam & nomen alludit & aliud vetus Barbi nomen ignoratur: & fluuiatilem eſſe piſcem, & præ obeſitate ſterileſcere ei conuenit. Gazæ interpretatio apud Ariſtotelem pro κυπρῖνος καὶ βαρῖνος, non rectè habet, Balagrus & Carinus. Cyprinos quidem ſeu carpas noſtras in piſcinis aliquando ſteriles reperiri, in quibus neutrum ſexum agnoſcas, in cibo ſuauiores, ex piſcatore fide digno accepi. Βαρβάκιτας, οἱ μὴ γόνιμοι ὄντες, Heſychius & Varinus. ego ex Ariſtotele repoſuerim: Βαρῖνος ἰχθὺς οἱ μὴ γόνιμοι ὄντες.

Nomades. *Epitragiae.* *Barinus.*

Eadem pag. 36. A. Hi an Alaudis Rondeletij ſint cognati, quærendum. 56. A. Vide etiam in Glanide B. in Corollario. 64. poſt, cothus A. (*cottus.*)

128.29. Poſt, non item. A. *Rationes Romæ quòd corpore ſint rotundiore. Vide infrà in Simaride poſt Mœnam: vbi horum etiam piſcium affinitas & differentia pluribus explicatur.*)

130. inter lineam 59. & 60. interſcribe: BRACHYCEPHALI & Siones mali ſucci ſunt, & grauis odoris: ſegnem materiam trahunt & gignunt, Xenocrates apud Oribaſium. 61. poſt, Membrade: diſtingue, & A. & infrà in Corollario de Turdo H. a.

Eadem pagina inter lineam 61. & 62. A. BRETHMECHIN (Arabico vocabulo, vt conijcio) nominari aiunt belluam, cuius iconem hîc damus, cuius nobilis & doctiſſimus vir THEODORVS BE-



ZA participem me fecit, & addidit (nimirum vt à mercatoribus accepit,) inuentam eſſe in Iaua inſula, noſtro tempore, anno Domini 1551. Aprilis die 14. longam circiter decem cubitos fuiſſe inter caput & caudam: altam cubitos duos cum dimidio: animal eſſe amphibium, ad viuum depictum. Pictura magna ex parte rubri coloris eſt, quibuſdam in locis cœrulea, &c. Cauda vbi inſtar equinæ diffunditur, diluti coloris cœrulei eſt, punctis diſtincta rubris. Vngues leonini ferè aut pantherini videntur: vt cauda quoque pantheræ caudam referre.

132.17. Margini adſcribe: *Recitat hæc Bellonij verba Rondeletius in Purpura C. & refutat.*

133. 33. Initio ſegmenti G. adſcribe: Galeni de eis verba ex libro 11. de Simplicibus ponam in Purpuris. Remedia quæ infrà Muricibus attribuuntur, buccinis quoque conuenient. nam Plinius ceryces modò buccina, modò murices conuertit. Idem remedia plurima muricibus & buccinis vſtis communia facit. Vide infrà in Muricis Corollario G.

136.68. post,ſpinula, Syluaticus. A. Spinula quidem ſcorpius eſt.
151.26. Nominetur. A. Iconem adiunximus, qualis olim ad miſſam à Sittardo imaginem ſculpta eſt,licet à Bellonio poſita ſatisfacere potuiſſet.

Gallus marinus vulgò. Cancer Heracleoticus Bellonij.



151. Sub lemmate de Cancro Mæa,&c. A. *Vide Scaligerum in libro de Subtilitate.* Eadem verba A. pag. 154. ſub lemmate de Paguro.
160.47. A. Rondeletius in Squilla parua ſcribit σκυλλαρον genere neutro per y. in prima. ſed ſcyllaros mihi genere maſculino dicendum videtur. Γίνεται δὲ καὶ ἐν τοῖσι σκυλλάροις, Ariſtoteles hiſtoriæ 4.4. Σκυλλάρεον generis neutri ſit oportet: ſed vbi Ariſtoteles eo ſit vſus non occurrit. In principio paginæ 161. ad concham quæ è regione dextræ eſt,adſcribe: Teſta hæc Neritæ videri poteſt, quòd buccino ſimilis ſit: ampla tamen, &c.
169.55. poſt,Athenæo A.(*& Oppiano lib.1.*) Deinde in fine eius hiſtoriæ A. hunc verſum à nouo initio:

Bellonivs hunc piſcem Muſtelum varium ſeu ſtellarem nominat: cuius verba ponam infrà cum Muſtelis.

Deinde ſub lemmate de Canicula Saxatili, ſubſcribe: *Gillius & Bellonius galeum ſtellarem hunc eſſe putabant ſed reprehendit eos Ron. delatus.*
170.36. poſt,rhina.diſtingue,& A. vt neque Aelianus. 65. poſt, muſteli A. nam κεντρίνας abſolutè vocantur,tanquam genus à galeis diuerſum,quamuis & ipſi piſces ſint γαλεώδη.
178.5. πύρανος, A.(al' πυρανός.)
181. Capriſci hiſtoria poſt capitonis fluuiatilis hiſtoriam poni debuerat,ex ordine literarum. Eâdem pagina ſub lemmate COROLLARIVM, adſcribe: Vide infrà in Mure piſce, elemento M.
183.68. Poſt illa verba:jam matura ſunt: initium verſus & Elementi E faciat hæc additio: In piſcatoriis Bauarorum legibus,interdicitur,ne breuiores duobus palmis, vel ſeptem digitis, capitones fluuiatiles capiantur.

ADDITIO AD CAPITONES FLVVIATILES,

PAG. 184 POST VERSVM 12. INSERENDA.

Capito fl. ſimpliciter dictus.



Capitonis fluuiatilis genus vnum tantùm deſcripſimus ſuprà elemento C. vbi etiam iconem eius ex Rondeletij libro appoſuimus. (is Coloniæ Munne nominatur.) Hîc aliam eiuſdem piſcis exhibemus à Io. Kentmano miſſam, Germanico nomine Diebel inſcripto, ſine alia deſcriptione. itaque dubius, cum hoc nomen nobis & vicinis Germanis inuſitatum ſit, rurſus eundem piſcem, diuerſum eſſe ſuſpicatus, ſculpendum curaui. Eundem autem eſſe puto ex Ge. Fabricij ad me literis, quarum hæc ſunt verba: Diebel piſcis in Miſena montana Elbe (*ab aliis* Alte/ *a noſtris* Alet) vocatur. Capitur in Albi, teres (ferè) & craſſus: ſquamis obſitus albis: inter eos qui aſſari ſolent non poſtremus. Dobula à Baltaſare

Trocho

Trocho dicitur, vocabulo Germanico, quo etiam in Marchia vtuntur, Hæc ille. Chriſtophorus Saluelſdenſis Murilegulos piſces Latinè nominat, qui Germanicè Deuelin dicantur. Vorant (inquit) aquaticos mures. Circa Argentinam quidem vulgò Mäuſeſſer, id eſt Muriuori dicuntur. quod ſi verum eſt, Græcè myotheras appelläris ſicuti & ſerpentes quoſdam. ego muſcis potiùs quàm muribus eos veſci putârim. Bohemi nominant *Tlauſſie*, vel *Tlauſſtie*. Vngari *Szelesk Zer*, vt in Catalogo piſcium Vngariæ reperi: ſed alius catalogus ad aliud capitonis fl. genus, quod Nerfling Germani vocitant, id nomen refert. Idem Encelius ab his piſcibus,& aliis quibuſdam, oua anguillarum & lampredarum, branchiis interdum ſuſcipi & foueri ſcribit, vt recitaui in Anguilla C. Alius eſt Polonorum *Dubiél*, nempe Cyprinus latus.

Sed præter hunc Capitonem fl. alios etiam quoſdam piſces, ſimiliter & fluuiatiles, & forma non diſſimiles, ad idem ceu genus referre libet: vt ſunt apud Saxones & Miſenos dicti, Jeſen/ Rapp/ Ferte/ noſtris piſcatoribus (ſicut & Gallis & Italis, ni fallor) incogniti, & alij quidam: & lacuſtris apud Saluianũ piſcis, quem Album nominat. De ſingulis nunc dicemus.

DE CAPITONE FLVVIATILI ILLO, QVEM Jeſen APPELLANT GERMANI QVIDAM: NOS DIFFERENTIÆ CAVSA, COERVLEVM COGNOMINEMVS LICET.

Iconem hanc piſcis è Danubio, quem accola circa Viennam Jeuſling appellant, à Stephano Lauræo medico Ferdinandi Auguſti accepi: nec alium eſſe puto, quàm Jeſen à Saxonibus & Miſenis dictum.



Recentiores quidam piſcem Saxonicè dictum Jeſen, alauſam interpretantur. is (inquiunt) habet lucentes ſquamas argenteo fulgore: eſtq; ex eorum numero, qui apud Saxones aſſati gratiores ſunt. Capitur in Albi. Ego quoniam è mari non aſcendit, alauſam eſſe negârim. Quoniam verò cum capitone fluuiatili ſimilitudinem habere, (non tamen ad eam magnitudinem peruenire, cum rarò duas libras, xvj. vnciarum, excedat:) & inſuper cœrulei coloris (*aliqua ex parte*) eſſe fertur, qualem etiam eſſe video Danubij piſcem Jeuſling/ ex icone à doctiſſimo Lauræo miſſa, in quo dorſum præſertim cœruleum eſt, & aliquæ capitis partes, (latera & venter argentei coloris ſunt, pinnæ fermè ruffi, ſicut & cauda,) qui & ipſe præfertur aſſus, inde adducor vt vocabula hæc duo piſcis vnius & eiuſdem eſſe ſtatuam. Germani ad Viadrum Jeſitz appellant: Dantiſcani Jeſus: Marchici ad Viadrum Jeſe ſcribunt. ſed e. vltimum non proferunt, & primum obſcurius inſtar æ. diphthongi ferè. Aliqui Brattſich/ hoc eſt piſcem aſſari ſolitum, per excellentiam. Poloni Iaiz, vel Iéſiéñ. Ex Epiſtola Lauræi: Jeuſling vel Bratfiſch non eſt in magno precio: neutiquam ſalubris, quòd pinguiuſculus ſit, & non ſaxátilium modo friabilis: ſuauis tamen ſatis, quantum ad guſtum. Eſtur frigidus, aſſus potiſſimùm, quanuis & elixus, & aliis modis. Longitudo eius cubitum non excedit, nec latitudo tres aut quatuor digitos. Poſt Paſcha potiſſimùm capitur. Haud ſcio an idem ſit piſcis, quem apud inferiores Germanos Maerell vocari, ab aliis Bratfiſch/ Adamus Lonicerus tradit. & in aquarum fundis latêre addit, noctu cum face à piſcatoribus capi. Eum quidem Lucium Auſonij eſſe non rectè coniicit. Cronenburgius medicus pereruditus, Maerill piſcem in catalogo Rheni piſcium mihi nominauit. Sed longè alius eſt qui eodem nomine in mari dicitur, videlicet Scomber. Vngari Capitonem fl. cœruleum Czompo appellant, vt ex duobus meis Vngaricis piſcium catalogis alter habet: in altero meliùs (vt ſuſpicor) ad tincam hoc nomen refertur: Bratfiſch verò transfertur Syleuvhal. hal quidem eis piſcem ſignificat. Idem fortè piſcis eſt, qui Bratkarpfe ab accolis Poloniæ Germanis vocatur: à Polonis Glovvacz ob magnitudinem capitis: (de quo plura leges inferius in Paralipomenis ad Cyprinum.) ſed aliud Polonicũ nomen huius piſcis iam antea diximus: quamobrẽ in dubio ſum.

DE CAPITONE FLVVIATILI, QVEM CORVVM MISENI

nominant, ein Rappen/ nos rapacem cognominabimus.



Rapp

B RAPPE vocatus (inquit Kentmanus: qui & iconem misit: id est, Coruus, quòd eius volucris instar rapax voraxq; sit) piscis est candidus, argentei splendoris: dorso tamen fusco & subcœruleo. Squamis tegitur latiusculis, tenuibus & perspicuis, quibus pellicula tenuis argentei nitoris substernitur: quæ per squamas translucens, piscem veluti argento illitum ostendit, quales etiam cæteri pisces, quos communi nomine albos cognominamus (Weyßfisch) apparent. Piscis est longus, crassus & carnosus: caro aristis plena. Longitudo ad latitudinem quintupla. Dentes ei non in ore, sed in faucibus sunt, (vt aliis quoque huius generis,) longiusculi, vtrinque septeni è mandibulis prognati. Ventriculus & intestina simul, piscis longitudinem non æquant. Reuolutio eorũ triplex est, ita vt in summo ventriculus sit, inde tenuius intestinum incipiens reuolui, duas sub eo helicas efficiat. Tegit hæc dextro latere iecur, (in quo vesica fellis longa conspicitur) altero lien. (*Branchias molles esse audio, vt in Salmone: pinnas coloris è fusco purpurei.*) Vesica in eo aere plena, oblonga est, vt in Lucio, Cyprino, &c. Maximi qui apud Misenos capiuntur, ad sex aut septem libras (xvj. vnciarum) accedunt.

(A) C Nomen à rapacitate tulit. est enim veluti prædo vehemens in aquis: nec minùs ferè quàm Silurus & Lucius, aut etiam amplius, damnosus est vorandis piscibus. quos dum persequitur, in ripam aliquãdo expellit, & simul etiam ipse interdum impetu in siccum elatus relinquitur. Hic piscis in Albi nascitur, non aliunde subit: & toto ferè anno (sed rariùs & per internalla quædam) capitur. A partu valde augetur & pingue sit. Parit autem circa Annunciationem diuæ Virginis: quo tempore è stationibus suis cateruatim procedunt, magni & parui: duobus aut tribus diebus ante aut post illum diem: idque ita fore certum est. Quòd si nihil impediat, sexaginta, plus, minùs, vno retis tractu interdum capiuntur.

E Piscis est callidus, & extra hoc tempus quo propter partum gregatim natat, difficilis captu: nisi vel nimij ventorum flatus, quo minùs piscatores & retia trahenda audiat, efficiãt: vel aqua perturbata visum eius impediat: aliàs enim inter scamna, quæ arenæ accumulant, manet: nec facilè retibus includitur. Cæterùm extra pariendi tempus hamo ferè capitur, hoc modo: Quoniam vorax est piscis, phoxinus aliusve piscis culus hamo infigitur, & sic linea per aquam ultro citróque agitur, eo in loco vbi huius generis pisces degere coniectura est. hi cum piscis culo pariter hamum deuorant, & capiuntur.

F Piscis est admodum laudatus & boni saporis, tum assus, tum elixus. A plerisque tamen parui æstimatur, quòd idoneum coquendi modum nesciant. nam nisi ritè coquatur, siue asses, siue elixes, in partes aliquot dilabitur: quòd si integrum seruare velis, non in feruidam, vt alios plerosque pisces solent, aquam, sed ab initio statim in frigidam præparatum immittes, vt pariter cum aqua concalfiat: tum condies, salieisque, & ad iuris ferè consumptionem coques. Assandum verò, desquamabis, exenterabisque similiter: deinde sale diligenter consperges & perfricabis, & per duas horas in sale relictum, tandem assabis: ita bonus & grati saporis piscis erit. Sunt qui pisces assari solitos, simpliciter assent, ouis (aut lactibus) solùm non exemptis: & saluia infercta. alij oua seu lactes, cum hepate & liene exempta minutatim concidunt: adduntque multum piperis ac caryophyllorum, salem, uuas passas minores, vitellum oui. hanc impensam in piscem infarciunt, & assant: putantque ita salubriores fieri. Hucusque Kentmanus.

DE CAPITONE FLVVIATILI SVBRVBRO, QVEM GERMANI ORFVM APPELLANT.



ORFVM Germani vulgò, ein Orffi genus hoc Capitonis nominant: quod mihi videre nondum cõtigit præterquàm Augustæ Vindelicorum olim in piscina quadam, vbi mihi intuenti, cyprini colorem præ se ferre videbatur, aqua fortè visum meum mutante. Ibidem depictam iconem [illegible] Achilles Pyrminius Gallarus mihi curauit. Dorso est rubicundo, ventre albicante, squamis (vt appareret) magnis & latis. Assi laudantur, præcipuè Aprili & Maio mensibus. Linea à branchiis ad caudam an probè adeò recta (præter plerorumque piscium morem) expressa sit, inquirendum. Germanicus liber qui Bauaricas constitutiones continet, eadem forma piscem hunc delineatum proponit, digitos xij aut xiij. longum, qua longitudine inferiorem capi non liceat: cum vulgarem Ausonij Capitonem vel nouem digitos longum capere concessum sit: vnde hunc (Orfum dico, qui tamen ab orpho marino pisce toto genere differt) ad molem multò maiorem excrescere coniecerim. In diuersis Germaniæ partibus aliter atq; aliter (proximis tamẽ inter se vocabulis) nominatur: Orff/Erffe/Nörffling/Würffling/Würffling: alicubi etiam Elft, idem, ni fallor: vnde extat dicterium in hominẽ delicatum, Man müßt dir ein Elft kochen. Intempestiuè captum, spinulis seu aristis redundare aiunt. Duorum genorum esse hunc piscem audio: assatos alios carne alba esse, qui Augustæ vulgò Weyßfisch appellentur: alios rubicunda vel flauescente, trutæ salmonatæ instar. Piscem Norimbergæ quoque in Begniza fl. frequentem esse aiunt: præferri genus illud cuius caro rubeat: in superficie discrimen non apparere: squamas paulò latiores esse quàm in thymallo.

thymallo. carnem siccam & friabilem, salubrem, vt vel puerperis concedatur: minùs suauẽ quàm Truttarum. Bellonius quoque visa apud me huius piscis effigie, formã ad Squalum (id est, Capitonem fluuiatilem) eum accedere fatebatur. Piscem audio lautum & in precio esse, muscis vesci: Cyprino minùs latum esse, sed crassiorem: nõ in aquis fluentibus, nec in lacubus, sed in piscinis fermè reperiri, apud Vindelicos, & Norimbergæ, & alibi. Sunt qui pico pigó ve pisce Larij & Verbani lacus, (de quo inter Cyprinos scripsimus,) eum comparent: & similiter certo anni tempore è squamis ceu clauos quosdam emittere mihi retulerint. Ad Cyprinos ne igitur magis an Capitones pertineat, iudicandum illis relinquo, quibus in promptu hi pisces sunt.

DE CAPITONE LACVSTRI, QVEM ALBVM PISCEM SALVIANVS NOMINAT:

Iconem non posui, quòd ad alias Capitonum formas quàm proximè accedat: eam qui desiderat, è Salviani de Piscibus libro 1. petat.

CVM hic vigesimus noster piscis, (inquit Saluianus,) locis plerisque Albo vulgò vocetur, à Petro Gillio Ausonij Galli Alburnus esse creditur. (*Atque Petrus Gillius Alburnos, non quos Itali, sed quos Galli vulgò Albos vocarent, esse indicat. Vide in Alburno, elemento A.*) Verùm Ausonij Alburnus piscis fluuiatilis est, cum Mosellæ tantùm fluminis pisces ab eo describantur. hic verò noster, lacustris. Quòd si aliquis alicubi in fluminibus etiam eundem reperiri obijciat: sicut id fieri non posse non contendimus: sic cum in Mosella (vt à quàm plurimis illorum locorum accolis accepimus) non reperiatur, Alburnus esse nõ potérit. (*Post hæc coniecturas suas profert, Alburnum Ausonii eum esse piscem, quem Galenus Leuciscum vocarit, eundemque Squalum esse, nempe illum quem nos simpliciter Capitonem fluuiatilem fecimus. Ego Rondeletii sententiam potius sequor. Et mox subiungit:*) Huncigitur vigesimum piscem nostrum, vulgò loquentium more Album, & non Alburnum, vocandum censemus, (etsi sub piscis icone inciforis incuria Alburnus nomẽ excusum legatur: *atqui idem error in Tabula Saluiani piscatoris est*: eiusque antiquorum Græcorũm Latinorumve neminem, mentionem fecisse scimus.

Albus quanuis Squalo Alburnóve appellato pisci persimilis sit, ab eo tamen euidentibus quibusdã notis facilè internosci potest. Primùm enim etsi vterque latitudinis ratione oblongus appareat, eãdem nihilominus vtriusque existente latitudine, Albus paulò longior Alburno conspicitur. Deinde rostro acutiore, oculis maioribus, ac dorso magis repando Albus est. Nam cum Alburni sensim atque modicè, Albi repente ac plurimùm à capite extuberat dorsum. Pinnarum autem tum in lateribus, tum in dorso ac in imo ventre existentium, situ ac numero cum Alburno conueniente earundem colore abinuicem discrepant. subnigras enim Albus: subrufas verò Alburnus eas habet. Postremò amplioribus squamis Albus tegitur: ventréque atque lateribus, æquè atque Alburnus, candidus & argenteus est: capite verò ac dorso magis quàm ille subuiridis. Magnitudine non differunt: vti enim Alburnus, sic & Albus, pedalis, frequens: bipedalis verò aliquando tantùm reperitur.

C Lacustris piscis est Albus, non tamẽ in lacubus omnibus, aut in eorum quàm plurimis, vt Tinca, Lucius, Squalus ac Barbus: sed in eorum nõnullis solùm reperitur. in Trasymeno enim lacu vbi etiam Albo vulgò vocatur, frequens satis in fine vêris capitur. In fluminibus eum reperiri hucusque non obseruauimus: estque aduertendum, ne quispiam eum in fluminibus etiam reperiri contendens, Squalũ pro Albo nobis ostendat. in mari nec nascitur, neque ex lacubus fluminibus ve ad id descendit.

F Duram carnem habet Albus, & propterea ægrè coquitur. Insipidus adeò est, vt piscium ferè omniũ iure vilissimus censeatur. nec enim vlla condiendi ratione sapidus effici potest. Torrefactus tamẽ paulò minùs ingratus est palato, solumq; in aliorum piscium penuria eo vesci solemus.

DE CAPITONE ANADROMO ILLO, QVEM MISENI Zerte VEL Blicke NOMINANT.



A CAPITONIBVS hunc piscem adnumero propter similem, vt ex pictura (quam Kentmanus misit) coniicio, corporis formam: differentiæ verò causa anadromum cognomino, quòd ex Oceano Albim subeat, vt cestreus seu mugil ex mediterraneo Nilum. Nasutus videtur, prominente & carnosa superiore oris parte, vt in nostris fluminibus, is quem Nasi nomine descripsimus suprà. cui etiam reliqua corporis specie per omnia adeò similis est, vt discrimen nullum animaduertam, ne colorum quidem ferè, nisi quòd Albinus hic Nasus magis albicat: noster verò magis fuscus est. Sed noster planè fluuiatilis est. Albinus è mari ascendit: quem vel ab Albi ein Elbnasen, vel à mari ein Meernasen appellari licebit. Præterea noster vilis & plebeius est, Albinus verò inter laudatos, præsertim assus. Hoc etiam notandum, cum Albinus alio nomine Blicca dicatur, longè alium piscem eodem nomine à nostris vocari, de quo egimus inter albos pisces elemento A pagina 23. Zertæ quidem nomen etiam Polonis vsitatum audio. Plerique Germani Zerte per e. aliqui (ni fallor) etiam Zorte per o. proferunt.

Zerta

B Zerta (inquit Kentmanus) piſcis eſt longiuſculus, argentei nitoris. ſquamis paruis tegitur: dorſo ſubfuſco: pinnis quæ ad branchias ſunt & parte ſupina rutilis, pauco cœruleo admixto. Linea vtrinque à branchiis ad caudam tendit, in qua puncta fuſci coloris digeruntur. Caput ei craſſiuſculum. oculi pulchri, magni, albicantes: nares magnæ non procul ab ore. Os molle prorſus, in quo nec dentes ſunt, nec alia aſperitas: ſed ab initio gulæ ſeu faucium, maxilla vtrinq; valida, dentibus ſenis oblongis vallata. Maximi huius generis piſces qui apud Miſenos capiantur, bilibres ſunt. libram xvj vnciarũ dico.

C (F) Anno toto ex Oceano in Albim aſcendit hic piſcis: maximè verò circa Pentecoſten, quo tempore parit, migrare ſolet: tunc etiam ad cibum præfertur, quòd fœminæ ouis plenæ ſint. Manent & pariunt in Albi, proficiúntque ipſi ac ſoboles: augentur enim & pingueſcunt. Veſcitur omne genus piſciculis, qui nullis præſertim ſpinis & aculeis rigeant: item muſcis aliisque inſectis quibus intra aut proximè ſupra aquam potitur.

Habetur inter optimos qui in Albi ſunt aſſari ſolitos piſces. caro enim eius optimi ſaporis eſt. Ritè etiam elixus non malè ſapit. Deſquamatus nempe, exenteratus & elutus, in aquam feruere incipientem immittitur: conditúsque ac ſalitus ad iuris ferè conſumptionem coquitur. quo modo permulti etiam alij fluuiatiles piſces elixari ſolent: (vulgò dicunt Treuge ſieden/ oder beiſſerfiſch.) Sunt qui iuri iam ferè conſumpto copioſum butyrum addunt, eóque liquato piſcem inferant: ſic paratos à butyro cognominant Butterfiſch. Poteſt & aceti aliquid affundi, & zinziber aſpergi pro cuiuſque palato. Aſſus vel ſimpliciter, vel cum embammate è cepis minutatim conciſis, vino, ſaccharo & zinzibere, ſapidiſſimè eſtur. Nec diſplicuerit deſquamatus in fruſta conciſus, quæ in polenta aut ſecalis polline voluantur, atque ita in butyro ſiue crudo ſiue liquato frixus. Hæc omnia Kentmanus. Non in Albi tantùm, ſed Sala etiam apud Miſenos flumine Zertam capi audio. Alius quidam narrauit, Zertam piſcem eſſe tenuem, oblongum & latum: ſimilem Guſtero (einem Geuſter) vulgò dicto: niſi quòd hic ſubcœruleas ſquamas habeat, Zerta verò albiores. Eſt & Schneppelfiſchgen in albi piſcis paruus, quem zertæ aliqui comparant, neſcio quàm rectè. mihi Schneppelfiſchgen Phoxinus quidam videtur, qui cum zerta nihil fere commune habeat.

190. Inter verſum 52. & 53. hunc inſeres, nouo initio: CENTRISCVS. Vide in Pungitio.

191. 18. poſt, Idem, A. Plinius medicus de diæta diſtemperantiæ hepatis, (vt Bellonius citat,) Merulam, coſſyphum, & ceredam offerendos ijs, qui hepate ſunt calidiore, recenſet. Trallianus verò ijſdem conſulens κηλίδα, καὶ τὸ ἐξ ὠτὸς ὕσπιον nominat.

192. lemmati COROLLARIVM: adſcribe: Vide plura in P. elemento, in Perca ſl. minore. Eadem pag. quæ minoribus litteris ſub altera icone ſcripta ſunt dele.

194. 9. Antacæi A. (*Nos hoc ſuprà reprehendemus in Antacæarum hiſtoria:*

196. 47. poſt, Maſſarius. A. Vide plura infrà in Phyſeteris hiſtoria, elemento P.

202. 49. A. Porphyrion, Πορφυρίωνα, auis quidam & piſcis, Heſychius.

207. verſu 13. vacuo, hæc adſcribes: *Contra picturas Olai magni, leue animadverſiones Rondeletij, in hiſtoria monſtri Leonini, pag. 414. Balænæ fiſtulam vnicam habent, Rondeletius Cete omnia ſquamis, auriculis, (pedibus) & vrinchiarum ſiſſura carent, Idem.*

207. Lemmati DE CETO barbato ſubſcribe: *De hoc ſentit Rondeletius, vbi picturas Tabulæ Olai reprehendens, ſir. bit, Scalpenæam cetaceam, monſtroſam ab eo pictam eſſe, quadrato capite, premiſſa barba.*

208. ſub lemmate, DE Hyæna cetacea, ſubſcribe: Improbat Olai picturas pleraſque Rondeletius, ceu non conſentaneas naturæ, vt alias complures ab eo exhibitas, Vaccæ & rhinoceroti ſimilia monſtra. 49. poſt auricula) A. Cadamuſtus tradit in Oceano meridionali piſcem ſui ferè ſimilem, longis auriculis, reperiri: vt in Orthragoriſco ſcripſi.

210. Picturæ primæ ſuperſcribe: *Ex Teſtudine mariſ a finxerunt monſtrum, à quo Vitulus marinus (auriculas habens prætereà) deuoratur, Rondeletius.* atqui hic pictus Vitulus oculos tantùm, non auriculas videtur oſtendere. Secundæ picturæ adſcribe: *Vide infrà in Hippopotamo B. de bellua Morſſ, è Sigiſmundi Liberi Moſcouitici deſcriptionem.*

211. 12. ſpañ. L. ſtaug. ¶ Verſum 18. ſic L. Das ich im Meer nit bin beliben ¶ Verſum 21. & 22. ſic L. Zweintzig achte Schuhman mich außmaß/ Wiewol ein klein Nußor ich was ¶ 23. mögen L. ſollen. ¶ Ad finem verſuum Germanicorum hos quatuor adde:

Zu Straßburg hatt man denn auch geſehen/	Tauſent fünffhundert iſts geſchähen.
Vnd neuntzehen jahr vnd Weynache zeit/	Mein ſtarck gbiß hatt mich gholffen neüt/

212. 54. piloſæ A. (*Vide ſuprà circa medium pag. 114. & circa finem ferè Corollarij de Phyſetere.*

213. 5. poſt priſtis. A. (Indico Oceano priſtes attribuuntur à Plinio.

214. 40. poſt zytyron. A. (*Vide infrà in Teſtudine.*)

217. 15. adpoſui. A. (*Iconem dabimus infrà cum Harengi hiſtoria, elemento H.*) 37. poſt, Athenæo, A. non rectè. Vide infrà in Eritimo. 69. poſt, generis. ſigna geminum & A. Lupo excepto, qui ſolus τῶν χυτῶν bis anno parit.

218. 17. poſt, uæniſſe. *Athenæus tamen ex Ariſtotele Lupos μονήρεις, id eſt, ſolitarios eſſe ſcribit.*)

318. 30. poſt: vocabulum ſit, A. Aelianus de Animalibus 46. ſcribit rhyades piſces hyeme ſimul manentes quieſcere, & ſe inuicem tepefacere: verno autem longiora itinera ingredi: & cibis non modò obuijs, ſed inueſtigatis veſci. vbi Gillius vertit aſpargos. 53. poſt, retulimus. A. Vide quæ annotaui in Mullo c. Locus eſt apud Ariſtotelem 9. 37. Græca aliter habent, &c. 68. L. κεδνὸν. Archeſtratus apud eundem in Bugloſſi mentione, lib. 7 ſed pro καὶ lego περὶ, vt in eiuſdem libri fine habetur, in Ψήττῃ: vnde Chalcidem hîc loci nomen eſſe apparet, non piſcis,

221. 60. A. Sed Bellonius inſpectis meis iconibus, piſcem quendam rubicundum, quem Turdo vndecimo Rondeletij cognatum eſſe ſuſpicor, hepatum ſuum eſſe dicebat: & eum quoque Venetiis Sacheto vocari indifferenti nomine. Vide Corollarium ad Turdos Rondeletij. videtur enim Bellonij Hepatus vndecimo Rondeletij Turdo cognatus.

222. 21. Lemmati DE CHELIDONIA. A. Vide etiam in Hirundine, Corollario A. 26. poſt, ſyderа L.

ra L. iuxta Andromedem hirundinis piſcis præferre 27. poſt, Rhodig. A. ex Theone in Aratum.

225. 41. A. Ex hoc piſce puto eſſe Coruinam vulgò dictum lapidem: de quo nonnihil ſcripſi infrà, in Perca ſl. B. niſi fortè è Coracino ſit. vterque enim in capite lapides habere proditur. Vide etiam infrà, pag. 298. in Corollario de Coracino B.

227. Lemmati, DE CITHARO, Rond. A. Vide an hæc ſit Tænia Bellonij, infrà inter Paſſeres,

228. 29. poſt, Oppiano. A. Inter piſces Nili numeratur à Strabone κίθαρος, málim proparoxytonum.

243. Lemmati DE COCHLEIS Stagnis &c. ſubſcribe: *Concharum hæc genera, non cochlearum videntur.*

257. 39. poſt, anim. 5. 9. A. piſcibus ſuſaneis (χυτοῖς, qui tetibus fuſim capiuntur,) adnumerantur: alibi gregalibus. Semel anno pariunt, Idem. 40. A. Subeuntes Pontum capiuntur, exeuntem autem, minùs, Idem alibi. 41. Ab initio verſus A. Optimi in Propontide ſunt antequam pariant, Ariſtoteles. 57. poſt, intelligens, diſtingue, & A. (vel potiùs Orcynum. vide infrà inter Thunnos:)

262. 22. A. Vide etiam in Oſtreis H. c.

263. 25. poſt, Tridacnam. diſtingue, & A. (*vt annotauit Bellonius.*) 29. A. *Hæc Rondeletius.* At quæ Plinius Tridacna nominat, non eſt neceſſe de Indicis intelligi: ſed de genere altero potiùs, quæ vel apud Italos reperiantur: quoniam, inter nos, inquit. Vide infrà in Oſtreis diuerſis Bellonij verba, & noſtra in Corollario.

264. 54. poſt, Arabicis A. (margaritis.) 55. poſt, inferiùs A. in Corollario. 56. poſt, Rubri; diſtingue, & A. pag. 275. item in Corollario de Margarita A. Iconi ad mediam paginam; Corollarij lemmati ſubiectam; ſuperſcribe: *Hanc (ſi bene memini) Bellonius cum apud me vidiſſet; Pinnam ſl. vocandam putabat, quòd & erecta ſtet; & margaritas contineat*

267. 33. poſt, dicemus; A. elemento P. 65. poſt Galenus A. *Vuottonus hæc etiam cum præcedentibus Xenocrati adſcribit. Galenum nuſquam puto balanorum meminiſſe.*)

269. 29. poſt, Νηφόρες; auſer diſtinctionem, &; A. ὑπερ' ἠιῶν. 44. A. (*Vide infrà in ijs quæ de Margarita ſcribit: & ibidem in Corollario A.* 50. poſt; interpretari A. (Boëthius Scotus conchas margaritiferas in Scotia, vulgò Viduarum cupedias dici ſcribit.)

274. 56. A. Angli Chamam læuem vocant a Clamme.

275. 51. poſt, Rondeletij. diſtingue, & A. pag. 264. Margaritiferas etiam conchas manus piſcantium præſecare aliquando traditur.

278. 7. poſt audeo. diſtingue; & A. Gillius. 21. poſt Bellonio. A. eorum icones in fine huius Corollarij dabimus.

280. 10. poſt, mytulos A. (*Alij vitulos legunt, Rondeletius lepores. neutrum probo.*)

282. 3. poſt, eſſe A. (Melius ſic: Mutianus, inquit, Echeneidē dicit eſſe muricem latiorē purpura, &c.)

284. 4. poſt Perſiam. A. De murrhinis vaſis plura reperies infrà in Purpura. H. a.

285. 46. poſt, Ἡλιόδωρος. A. Vide etiam infrà in Porco piſce.

287. Sub lemmate DE Operculo, &c. adſcribe: *Iconi inſ. oblongæ & ſtrictæ, Conchylij operculum repræſentant: vnum in medio rotundius, Buccini & Purpuræ.*

289. 22. ab initio lineæ A. Vide infrà in Muricibus. vires enim eædem videntur.

293. 13. poſt, mediocres A. Vide in Murena A.

296. ſub lemmate, DE eodem Bellonius, adde hanc iconem; & adſcribe:

Piſcis hic à Bellonio pro Coracino exhibitus videtur. nam & Rondeletius Cantharum eſſe docet piſcem à Liguribus Tanando dictum, non Coracinum, & Gillius piſcem Maſſiliæ à colore caſtaneæ nominatum, Coracinum Neapoli vocari, audiuiſſe ſe ait: quæ nimirum errandi occaſio fuit Bellonio: qui Cantharum bis pinxiſſe videtur, primùm pro Coracino, vbi dentes non expreſſit: deinde pro cantharo, dentatum.



Eâdem pagina ſub Lemmate COROLLARIVM, addito tres ſequentes icones, cum ſuis inſcriptionibus.

Venetiis pictum hunc piſcem quondam Tincæ marinæ nomine accepi: ſed falſò, vt admonuit Bellonius: qui viſa hac effigie, ſtatim Coruum marinum ſiue Carpam marinam (id eſt, Coracinum) eſſe pronunciauit. Colore magna ex parte nigricat tum corpore, tum pinnis: ſed per latera fuſco colori aliquid ſubuiride admixtum eſt. vnde coloris nimirum ratione, Tincæ marinæ nomen (quod alij vulgò merula tribuunt, Romani etiam phycidi Rondeletij, id eſt, callariæ Salmiani) imperitior aliquis ei attribuit.



Hæc quoq; Coratini ſpecies videtur, colore ferè tantùm à præcedenti differens. Est enim candidior: reliqua verò ſpecie ſimilis, oris nempe & caudæ, item latitudine, ac pinnis & squamis in ventre.



Piſcium

Piſcem hunc Corvuli nomine in Italia pictum, Cor. Sittardus miſit, colore rubicundo, &c.



296.53 poſt, vt A. ibidem. 62. poſt, reperio. punctum geminum nota, & A. & alibi in eiuſdem loci recitatione μυλ@-, paroxytonum, lambda ſimplici. 68. poſt, cauſetur. A. Vmbram piſcem Rondeletius ſcribit Græcos hodie μηλοσκόπιον vocare: eſſéque Vmbræ & Coracini tantam ſimilitudinem, vt alter pro altero vendatur.

298.2. ſcribunt. A. Nos in Paralipomenis RAB piſcem inter Capitones fluuiatiles exhibebimus ac deſcribemus. Deinde ſequentia verba: Ego piſcem hunc, &c. vſque ad ſaporis D. 27. A. Lege etiam infrà in Corollario de Perca fl. B. Alius eſt ſynodontites, è ſynodonte piſce: de quo infrà in Synagride dicemus. Qui è coracino eſt, coracinites vocari poteſt: qui è chromi, chromites: è ſciæna, ſciænites, quem Bellonius PIERRE DE COLIQVE vulgò Gallis nominari ſcribit.

301. LEMMATI COROLLARIVM, adſcribe: Vide etiam infrà in Scordylo. poſt, Quadrupedibus A ouiparis. 27. poſt, κυπίλ@-, λ. τριπίλ@-, ωίλ@-, τρι-ί @-, & pro fœtido ὀσμίλ@- apud Io. Tzetzem. 28. poſt, διάκυπλ@-. A. à phyſa phyſalus fit, à thymo verò thymallus per l. duplex.

302.53. poſt, cordylus. A. Σκορδύλ@- Oppiano libro 1. amphibius, in cauernis maris habitans cum polypis & ſcolopendris nominatur: nec alius quàm Ariſtotelis cordylus videtur: quāquam hic ſuum cordylum non facit marinum. Inter verſum 24. & 25. hunc interpone: CORIAX ſalſamentum, vide ſuprà in Corace.

303 Inter verſum 45. & 46. hunc inſere: CORYDELIS. Vide ſuperiùs in Cordylo.

306.40. L. ſimilis Lucernæ Venetiis dictæ. 42. poſt, adſcribit: A. Lucernæ iconem in L. elemento dabimus.

307.56. poſt coloris, diſtingue, & A. quanuis & Lyra Rondeletio rubeat: & Galli ROVGET ab hoc colore promiſcue appellant, Cuculum, & Lyram, & Mullum: quoniam & colore, & corporis ferè figura ſimiles ſunt. Verſu 62. diſtingue poſt piſciculus, & A. vt non rectè (Germanicè etiam Garnard dicti) hic adiiciatur. Et mox L. in quibuſdam Angliæ locis, huius generis fuſco colore piſcem, Gurre indigetat. 67. poſt, ſonabat. A. Eſt autem hic colore fuſco, cum Gornard rubeat.

308.6. poſt, corporis ſui. A. Alibi etiam lepores maris inter piſces litorales Germaniæ nominat. 22. A. Io. Caius de hoc nomine aliquid ſibi conſtare negat.

309.6. poſt, ὄρκυνος. A. Sed rectè quidem videtur Wottonus dicere, non tamen ex hoc Oppiani verſu. 17. poſt, Plinius, A. lib. 32. cap. 7.

310.46. poſt, *obſeruauimus A. in faucibus, ſicut & tinca,)*

311.41. ad nomen. Lepidotus, in margine A. Quære etiam infrà in L.

312.61. poſt, rerum. A. Vide in Corollario de Vermibus aquatilibus.

313.25. A. In hoc ſeculo noſtro gulæ obnoxio, etiam inuenta ars eſt Cyprinos ſaginandi in piſcinis, vt eua dant admodum pingues & ſapore grati. Inſeruntur pilulæ ex furfuribus, & aliis quibuſdam aliunctis, in os: aut coniiciuntur in viuaria ad paſtum, Ge. Fabricius. 36. Lonicerus A. Miſeni Carpas ante Pentecoſten præferunti & poſtea rurſus poſt diui Michaëlis diem, vſque ad S. Ioannis.

314. poſt verſum 27. A. hæc à nouo initio: Nuperè è Polonia quidam, vir rerum naturæ ſtudioſus, de Cyprinorum in ea regione & Germania differentiis, ſententiam ſuam his verbis ad me perſcripſit: Cyprinorum genera apud nos quatuor inueniuntur, vt nominibus, ſic etiam forma & ſapore diuerſis. Genus primum ſimpliciter Carpam (Karpffen Germani, Poloni KARP) appellant: Alterum corpore multò anguſtiore eſt, ita vt ſupina pars in latitudinem circa medium minimè protuberet, ſed ab ore caudam verſus ſecundum rectam (ferè) lineam ea pars protendatur. Ineptus eſt hic piſcis elixari: melior, ſi aſſetur: quamobrem à Germanis Poloniæ accolis Brattkarpfe nominatur: à Polonis verò Glowacz, propter magnitudinem capitis, quod corporis reliqui proportione prægrande videtur. Tertium genus Brachſme Germanis eſt, (*Cyprinus Latus Rondeletio*:) Polonis Dubiel: latior carpâ cōmuni, & ſquamis albior: & quia pinguior, ſapidior, maioriſque precij. Quartum latius ſuperioribus, ferè vt Raras dictus piſcis: vnde etiam compoſito ab eo & carpa vocabulo Karpfaraß dicitur Germanis, & Polonis ſimiliter, vel alio nomine PIOTRVS. Hic tribus ſuperioribus præfertur, & in maiori precio eſt. (*Karaſ-karpff, candidior eſt ſquamis quàm Carpa ſimpliciter dicta; in medio latior, nec ad eandem magnitudinem pertingit, Ge. Fabricius.*) Lege etiā paulò inferiùs in Additione ad Karaß piſcem. Cæterùm qui Spiegelkarpffen à Germanis vocantur, apud nos (Cracouiæ in Polonia) non ſunt. Qui Seezling Germanicè, hi Polonicè dicūtur Dlonnij karpik, (VEL) Sprall piotink. Hactenus ille. *Cyprinorum ſpecies.*

314.56. A. Beichlingi in Turingia in piſcina arcis, anno Domini 1252. Auguſti die 20. captus eſt Cyprinus hermaphroditus, Ge. Fabricius.

316.9. A. Scardua, & Incobia ex Pigis, & Plota, Salena, Benedictus Iouius de Piſcibus Larij. Ab aliis profertur Engobia, quem piſcem in lacu Verbano capi æſtate tantùm, pedalem aut maiorem: è

mari ascendere, piscator quidam ad eum lacum, nescio quàm rectè, mihi retulit. Est & Picus marinus quidam Bellonio. Vide infrà in P. 71. A. Προτομὴ huic piscitanquam in præputio est, reductilis & explicatilis. vt & Cyprino puto. Spina est à principio pinnæ dorsi, sed totam membrana absondit. Iecori color pallidus vel subflauus: bili cœruleus. In Maij mensis fine obseruaui in Scardula fœmina lumbricos ad digiti longitudinem, vnum albicantem. In ore intus ossa duo superiùs prominét: & alia inferiùs, quæ eis vtrinque (iuxta mandibulas) occurrunt.

A 318. 13. ad finem Corollarij de Cyprino lato, A. à nouo initio. BLEHE vel Plötze (inquit Kentmanus: *vtuntur autem hoc nomine ius Mysseni de Cyprino lato*) pisces est latus, argentei nitoris: dorso parum fusco, cui aliquid cœrulei admixtum est: corpore tenui. Squamis tegitur vt Cyprinus. Ab initio dum digito breuiores sunt, à figura nominantur Weidenblettervid est, Salicum folia: deinde aliquanto maiores Windebleheniam verò ad libræ pondus aucti & maiores, Blehen vel Plötzen. Tandem bilibres aut trilibres (rarò enim tres libras in Albi superant,) Bressen vel grosse Blehen. Hi cum copiosè capiuntur, incisis ventribus saliti conduntur in vasa vt vendantur. Plotzen autem vocantur quòd figura referant vsitatum antiquitus gladij genus valde latum, breue ac tenue, eodem nomine dictum.

(F)

B Pisci hic latus ac tenuis, ore est acuto, capite paruo, oculis pulchris: naribus vtrinque geminis. Dentibus, corde & intestinis non dissimilis est Coruo (*vulgò dicto proprie* Kraen: Rappen:) nisi quòd fellis folliculum habet rotundum: & vesicam magnam, aere plenam, duplicem: quarum vtraque cordis figuram præ se fert. E maiori venula ad pulmonem (*branchias pato ducere voluit*) fertur. Corui autem vesica obloga est, vt in Lucio, Cyprino, aliisque Albinis piscibus.

C E E piscinis aut stagnantibus aquis in Albim venit: in quo parit, proficit & pingue scit. Capiuntur autem subinde & magni & parui: sed non priùs quàm aqua vehemente ventorum vi commoueatur, aut tempestatibus ac pluuiis turbetur: tunc enim è vado ascendit. Parit circa medium Maij: eoque tempore præcipuè & plurimi capiuntur. Amant vadum herbosum: vt plurimùm enim herbis & vermibus pascuntur. quare cum Albis inundat, è profundo ad plana riparum se recipiunt: in quibus, extra illud tempus quo pariunt, capi solent.

Bonus & boni saporis est piscis siue recens assus, aut in aqua ad iuris ferè consumptionem elixus: siue infumatus similiter elixus. Hæc Kentmanus.

A Sunt qui Brosen aut Prossen piscem, à Blahe (vel Blehe) distinguant: quòd hic cãdidior, tenuior, sicciorque sit: ille nigrior, crassior, pinguiorque. ego cum Kentmano senserim, ætatis tantùm differentiam esse. Christophorus Encelius hunc piscem Plocenum nominat, Germanico vocabulo ad Latinam terminationem deflexo: Obseruaui (inquit) anguillas, & lumbricos aquaticos, quos à nouem oculis vulgò denominant: & murænas, (die Pricken/) cum hi pisces ex ouo gignuntur, (vt fit aliquando,) vt primùm excluſi fuerint, susci pi in branchias & foueri, modò à pisce Ploceno, modò à aliis quibusdam.

ADDITIO AD PISCEM Karass: DE QVO PRIVS SCRIPSIMVS SVB PRINCIPIVM PAG. 318. ET SEQVENTI MOX 13. VERSVI ICONEM EIVS eadem subiunximus: hic meliorem damus, qualem Stephanus Lauræus, Ferdinandi Augusti medicus, misit: piscis scilicet simpliciter Karass dicti: ei similem minoris Karasse effigiem à Io. Kentmano missam, non posui. differt autem ab hac, quòd caudam extremam ferè arcuatam, & in medio reductam habeat, &c.



Genus I. KARAS piscem Germani vocant, alij Karen. vel Karaussen. Genera eius tria in Albi reperiuntur. Primi generis pisces, sunt parui, tenues, lati, colore subaureo, cui circa dorsum fuscus admiscetur: dupla eis ad latitudinem longitudo: caput paruum. Pinna dorsi & cauda, fusci coloris sunt: reliquæ verò quinque pinnæ, è fusco punicei. Squamæ vt in Cyprino. Genus hoc Misseni paruum cognominant, Klein Karass: vel (*à colore*) Gibelchen. Viuaces sunt admodum; (Sind eines sehr harten lebens.) E piscinis & stagnantibus aquis in Albim veniunt: in eoque augentur & pariunt. Rarò octo digitos longitudine excedunt. Vescuntur gramine & argilla, vt & reliqui huius generis pisces. quamobrem magis amant piscinas, quàm fluentes & lapidosas aquas, propter vadum (herbosum & argillosum.) Itaque rariùs in Albi reperiuntur. In piscinis quidem eos multiplicari non patiuntur domini: impediunt enim incrementa & saginationes Cyprinorum, quos à pabulo depellunt.

Alterius

Alterius verò generis Karas/ aliquanto crassiores & longiores sunt. squamas similiter vt prædicti, vel vt Cyprini, è giluo seu flauo nigricantes habent. Vocatur autẽ Halbkaras/ id est dimidij Karási: (*ab aliis* Karpkaraß/) quoniam è Karáso & Carpa veluti cõpositi videntur. Hi quoque, vt primi generis Karási, è piscinis aut stagnantibus aquis Albim ingressi, pariunt in eo & crescunt. Vtrisq; caro est subflaua, & in cibo visco sa, quomodocunque parata. Quò diutiùs verò in Albi immorátur, eò sapidioris, solidioríque carnis euadunt. (*Quære etiam paulò superiùs circa finem Additionis ad paginam 373.*)

Tertij demum generis Karási tenuiores & latiores sunt, quàm dimidij nũc dicti: similes primis, sed maiores, & pulchri candoris argentei: habentq; pinnas parte supina rubentes: superior verò pinna cum cauda obscurius è fusco punicea est. Hi pisces in Albi nascuntur, non aliunde (vt prædicti) ingrediuntur. Pariunt primùm Iunio mense, secundò Ianuario: sicut & superiores: quibus temporibus etiam præcipuè capiuntur. Mediocriter augentur, vt sesquilibres aliquãdo aut bilibres capiantur. Assari solent, & in precio habentur. Fœminæ huius grauidę, elixæ etiam in aqua ad iuris ferè cõsumptionem, vel copioso butyro ad ius sub finem adiecto non displicuerint, Hucusque Kentmanus. Karás etiá Polonicè nominatur: & multùm, vt ferunt, à Cyprino differt, nisi quòd squamis eum æmulatur. Ex epistola Stephani Lauræi: Carassium piscem ad viuum depictum mitto: in quo totus venter inferior, subsului quodammodo coloris est. talis enim reperitur in lacubus & aquis stagnantibus: in recentibus verò & fluentib. aquis, ea pars est albi coloris. Ex epistola Guil. Turneri: Cyprinum cum Bellonio Carpionem (*Carpam*) vulgarem esse faterer, si vspiam tam fœcundi reperirentur, qui sexies aut quinquies in anno parerent. Verùm de tam frequenti partu Carpionis dubito. Est piscis in Frisia Orientali, quem Carus appellant, Carpione minor multis partibus, tergo magis arcuato, vt ita dicam, & gibboso, cætera illi similis: quem omnes qui ipsum in viuariis seruant, constanter affirmãt sexies in anno parere. quare si Carpio, Cyprinus non sit, hic meritò esse potest. sed nihil definio.



319. 45. post dascillum. distingue, & A. dixisser. 57. post, gratificaberis. A Est autem Lebias Athe-

næo marinus piſcis, qui aliâs Hepatus dicitur. vide in Hepato.

327. Sub titulo COROLLARIVM. adiiciatur hæc Delphini imago, his verbis adſcriptis: *Delphini hanc picturam à Cor. Sittardo habui.*

328. 12. poſt, laus. A. Ælianus quidem de Animalib. 9.59. ex Ariſtotele φώκης legit, non φωκαίνης, ſimiliter Plinio.

330. 61 Bellonius, A. Hirci piſces in Cyrenaico & Sardoo mari oberrant cum delphinis, Volaterranus ex Æliano: apud quem non hirci, ſed arietes legitur.

344. 48. poſt, commotus eſt A. Scio Plinium libro 21. cap. 4. vbi de roſarum generibus agit, ſic ſcribere: Eſt & quæ Græca appellatur à noſtris, à Græcis lychnis, non niſi in humidis locis proueniens, nec vnquam excedens quinque folia, violæ magnitudine, odore nullo. Hæc ille: vnde aliqui herbam Italis Roſete dictam, lychnidem eſſe putant, vt ſcribit Bacchanellus.

345. 19. A. Vide etiam Rondeletium infrà, in Capite de Vermibus in tubulis deliteſcentibus, elemento V.

346. 11. poſt, magnæ A. (*cochleæ nudæ, Ælianus.*) 66. poſt, Mutianus A. (prodit echeneidem) Ibidē margini adſcribe: Mutiani murex: de quo leges etiam infrà in Corollario de Murice.

357. 31. poſt, apparebant, A. Vide infrà vbi de anguibus ſcripſi in Hydri hiſtoria.

360. inter verſus 23. & 24. hæc interſcribe: ELEGATRVS nominatur ab Auſonio in carmine ad Theonem: Corrhoco letaliſq; trygon, molleſque plateſſæ: Vrētes thynni, & malè tecti ſpina elegatri. Quærendum an ſcorpius vel araneus ſit.

363. ad iconem piſcis in infimo paginæ adſcribe: Pinnas medij ventris, Bellonius in Epelano fl. ſuo aliter (inferius ſitas multo) expreſſit. is enim figura hac apud me viſa, omnino Epelanum fl. ſuum eſſe aiebat.

364. 23. A. Hiſpani ſcombrum vocant cauallo, Rondeletius. 35. poſt, ſquamis.) A. Hippus piſcis qui ſit Athenæo & Plinio, nondum planè ſcio: niſi idem ſit cum hippocampo, Rondeletius. Deinde L. Plura de Hippocampo, &c. 41. poſt, Albertus. diſtingue, & A. & Author de Nat. rerum, apud quem Zidrach ſcribitur.

365. 19. poſt, appellat. A. hæc Athenæus: ego ſardinas ab Ariſtotele (in his quæ extant) nuſquam nominari puto.

367. 21. poſt, ὕκης, nota punctum. & A. Vide infrà in Hycco, elemento H.) 54. poſt, Ruburnus A. (duo nomina de vno piſce.)

368. 52. poſt, Varium, A. (Germani ein Pfrill vel Bambele) 53. A. Vide Rubiculus in R. elemento. 68. poſt, faueret, A. (quanquam proprius Rheno non eſt, cum è mari aſcendat, ſicut & ſalmo.

369 Ad iconem Eſcharæ adſcribe: *Vide an Auris marina Bellonij (in Patellis, quanquam longè diuerſa, nobis repoſita) huic cognata ſit.*

371. 31. poſt, Petri, A. (Orphum etiam Græci multi hodie Petropſaro, id eſt, piſcem ſancti Petri nominant.) 34. poſt, ſum. A. Pierius Valerianus idem de Squatinæ piſcis capite ſcribit.

373. 27. poſt, acutum. diſtingue, & A. (*à quo fortè etiam nomen ei factum.*) 36. poſt, palmi, D. comma, & A. (*ſcilicet maioris,*) 51. poſt, foſſilem A. (*Vide etiam infrà inter Muſtelas, ad finem hiſtoriæ illius quam Lotam Galli nominant: item in Pœcilia.*) Deinde D. hæc verba, Ge. Agricola, &c. vſque ad Peiſter. 52. poſt, craſſiores. A. (Meliùs Erdtputten vel Erdtrüſchen dicerentur.) Ad eiuſdem lineæ finem A. cui ſimilem quoque Nicolaus Speicherus peritiſſimus Argentinæ pharmacopœus miſit, vnà cum ſceleto piſcis è Marchia: in qua regione (præſertim Francoforti ad Viadrum & Zulchi) communem vilemque eſſe ait: alibi nuſquam à ſe viſum. Corpus in pictura frequentibus punctis nigricantibus pingitur. Dorſum nigricat, venter ſubluteus eſt: latera per longitudinem alternis eoſdem ferè colores habent, &c. 63. poſt, ratione. ſigna geminum punctum: & A. Pful Miſenis palus eſt, vel paluſtris lacus.

380. 57. poſt, ferunt. A. (Vide infrà in Xiphia Saluiani ſententiam, ſuper hoc Strabonis loco.

381. 6. poſt, diximus: A. (quanquam veteres Canem potiùs faciunt genus ad Muſtelum, quàm contrà) 35. poſt, vltimo. A. (*ſed θυρσίων tantùm ab Athenæo dicitur, non τόμος θυρσιωνός. Vide infrà in ſalſamentis H. a.*) eodem verſu poſt, Hic A. (Canis marinus) 42. poſt, tirſio A. (aliâs tyrſio.)

47. poſt, dicitur. A. (*Verùm Græci τέμαχος potiùs quàm tomum dicunt de parte piſcis.*)

384. Lemmati DE GLANIDE, Rond. ſubſcribe: *Glanis eſſe non poteſt, cum Glanis Siluro ſimilis deſcribatur, ad quem hic nequaquam accedit.*

385. 43. duarum, A. aut trium, 59. propenacuto: A. (Sic Hiſtoriæ 1.5. de cordylo: ἔχει δὲ ὅμοιον γλανιδι τὸ οὐραῖον:)

386. 55. Siluri A. (vt ego puto) 59. poſt, Danubio. A. (aliamque ei ſimilem ex Albi. ab vtroque magnitudine ferè tantùm differre puto illam è Rauenſpurgenſi lacu.) 63. A. Species autem ex prædictis picturis non pauciores tribus eſſe video. nam & è Murtio lacu, & Argentina miſſus, ſpecies duas peculiares indubiè conſtituunt: reliquæ tres ad ſpeciem vnam pertinere videntur.

393. 3. ἀνώμονος A. (fortè ἀμύμονος)

402. 39. Ghiozzi. A. (*Ionſtium alicubi pro Phoxino Hetruſcis dictum interpretatur Bellonius, nimirum à Iunius*, Ein Pfrill:)

404. 3. *candido. A. Pinnis albicat, ſimilis ferè capitoni fl. minori, quem Haſelam noſtri vocant. Latera eius lineæ diſtinguuntur.* Quærendum an Sueta Bellonij idem hic piſcis ſit, in Naſo nobis deſcripta: nam peritonæum etiam Riſlingo noſtro vt Suetæ nigricat: & magnitudo Suetæ magis quàm Naſi ei conuenit. Ibidem, *capitur A. (ſed rarò.)* 67 conijcio. A. (*His ſcriptis audiui piſcem quem alij Germani* Steinbyß *vocant, à Miſenis* Steinſchmerlin *appellari, Pœciliæ Pauſaniæ, id eſt Peiſcero vulgò dicto, planè cognatum. quare vtrunque gobium pœciliam, ſed alterum barbatulum, aut potiùs pœciliam minimum: nam & maximus, ſimpliciter pœcilias dictus, barbatus eſt: alterum imberbem, vel minorem, nominare & cognominare licebit.*

406. 23. A. Plura quære infrà in Corollario de Phoxinis F. 55. A. Poloni Pſtrànik appellant: aliqui recentiores Latini Saxatilem, ineptè. 59. poſt, branchiis A. (*In ſceleto veſtigia quidem branchiarum foris mihi apparent, ſed locus clauſus & ſolidus eſt.*)

407. poſt verſum 6. A. Titulum hunc:

COROLLARIVM III. De Aſpero piſciculo, Gobioni perſimili. Sub titulo A. hanc iconem. Iconi ſubiunge deſcriptionem vt ſequitur.



PICTVM hunc è Danubio piſcem Iulius Alexandrinus præſtantiſſimus Ferdinandi Auguſti medicus ad me dedit. Suſpicor ferè eundem eſſe cum Aſpero piſciculo Rhodani, à Rondeletio ſuprà inter Gobios fl. deſcripto. forma quidem tota & ſingulæ fermè corporis partes in vtriuſque pictura conuenire videntur, niſi quòd pinna ab ano in noſtra icone nulla eſt, pictoris fortè incuria. Nulli enim piſciū opinor hæc pinna deeſt. ſi Muſtelas (quas Lampetras vocant) exceperis, & ſerpentes marinas. Muſtelæ binas in dorſo poſterius ad dirigendā natationem habent: Serpentes, nullas. Anguilla, Conger & Muræna ſimiles inter ſe habent, tum ſupra in dorſo, tum ab excrementi meatu.

Rondeletius Lacertum peregrinum ſuum ſine ea pinxit: quam Saluianus eidem addidit. Bellonius in ſola Tænia hanc pinnam ſe non reperiſſe mihi retulit. Piſcis quem exhibemus Germanicum nomen eſt Zindel: vel, vt alij ſcribunt, Zinde/Zundel/Zinne/Zingel. Vngari Kolcz appellant. Icon ad me miſſa, digitos xij. longa eſt: quam longitudinem in hoc piſce mediocrem eſſe audio. Colore eſt partim è fuſco ruffeſcente, partim nigris maculis ſatis magnis per interualla diſtinctus: quarum aliquæ à dorſo ad ventrē (qui cinereus eſt) obliquæ tendunt. Oculis color Indicus: & aliquid ſub eis rubri. Audio eum ad libræ pondus (.i. vnciarum xvj.) accedere: (alij etiam trilibrem fieri retulerunt:) caudam adeò duram habere, vt vix amputari poſſit: pinnas in dorſo aculeatas percæ fluuiatilis inſtar: (*Icon noſtra pinnas molles, non aculeatas, præ ſe ferre videtur:*) roſtrum acuminatum: carnem candidiſſimā. Sunt qui forma & colore Cani marino comparent: alij Lucio, præcipuè quidem capite. abſque ſquamis eſſe aiunt, inſtar anguillæ. (*Rondeletius Aſperum ſuum à ſquamarum aſperitate vulgò Gallicè Apron dictum ait.*) Lautiſſimum eſſe addunt ſimul & ſaluberrimum, omnium Danubij piſcium, ita vt vel puerperis apponatur, & diuitum duntaxat menſas oneret: quod equidem miror, ſi ſquamas non habet, ferè enim omnes qui ſquamis carent, minùs ſalubres exiſtimantur. Ferunt eum Danubius & Tibiſcus. In Danubio prope Boſoniam magna eius copia capitur. Viennæ etiam non deeſt: & in Bauariæ fluuiis, vt Iſera, & Loiſaca: hic quidem è lacu Ammelſee fluit in Rachelſee lacum, & inde rurſus in Iſeram fluuium. In piſcinis ſeruari non poteſt. Eiuſdem piſcis effigiem illi quam dedimus, ſimilem coloribus tantùm diuerſam (ventre & pinnis albicantibus) Raphaël Seilerus (Iuriſconſultus doctiſſimus, Comes Palatinus, clariſſimi Auguſtanæ Reip. archiatri Geryonis filius) ad me miſit. in qua ſimiliter nulla ab ano pinna, nullæ ſquamæ apparent. Alius ab hoc nimirum eſt piſcis apud Boruſſos Sanz dictus: quanquam & illum audio Lucio comparari, roſtro eſſe acuminato, ſed minùs quàm Lucius: maculoſum, carne ſolida: ſed marinū eſſe, Lucij magnitudine, ſquamis etiam Lucij inſtar paruis tegi. De eo an ſit aſellorum generis, vt ſuſpicor, quærendum. Eundem puto alibi aliter nominari, Sandet/Sandel/Sandat/Sant. (*Videtur ab arena nomen habere, nā & in litoribus capitur.*) Hunc in Boruſſia & Dania capi audio: & doliis incluſum magna copia ad mediterraneos (Noribergam vſque) exportari, magnitudine eſſe inſtar mediocris Merlucij, (wie ein mitteln eſſ ger Stockfiſch/) ſupina parte album, prona nigricantem: capite non magno. Salſi carnem, tenaciorem fieri. Aliqui longum eſſe narrarunt ad dodrantes ferè tres cum dimidio: flumina ſubire: in cibo laudari. alij inſipidum eſſe dicūt, quia nihil pinguedinis habeat: cyprini magnitudine, minùs latum, ſed craſſum, album: ſpecie truttæ ſalmonatæ ſimilem, ſquamis cyprino. capi etiam in lacu Suerinenſi, per quadrageſimam maximè.

ADDITIO AD PAGINAM 408. POST VERSVM 27. ad finem Elementi G.

DE GVSTERO VULGO MISENIS DICTO PISCE.

Iconem à Io. Kentmano miſſam non poſui, quòd omnino piſcis idem mihi videatur cum illo quem noſtri Bliccam vocant: quemq; Rondeletius Ballerum facit, &c. de quo ſcripſimus ſuprà pagina 23. A. Elemento inter Albos piſces.

Geuſter vulgò à Miſenis in Albi vocatur piſcis, qui Blicca à noſtris, vt iā dixi. ſed Alium Miſeni Bliccam, quem & Zertam, appellāt, anadromum piſcem: de quo paulò antè inter Capitones fluuiatiles ſcripſimus. Chriſtophorus Encelius, deflexo Germanico vocabulo ad Latinam terminationem Guſterum dixit. Anguillæ & Lampredarum ſpecies (Pricken & Neünaügen) aliquandò (inquit) ex ouo generantur: quamprimùm verò excluſæ ſuſcipiuntur in branchias & fouentur à Guſteris & aliis quibuſdam piſcibus. Piſcem hunc aiunt aſſari ſolere, paruum, craſſum & breuem eſſe. Aliqui Zertæ comparant, (neſcio quam rectè:) ea enim à Kentmano oblongior anguſtiorq; pingitur: in hoc differre, addunt, quòd ſquamas habeat ſubcœruleas, quæ in Zerta albiores ſint.

424.30 deprimantur, A. (*aut potiùs firmentur, ita vt innatent tamen, & per mare ferantur, non ad fundum merguntur.*) 31. gaudentes A. sub eis. 52. post Rondeletij. distingua, & A. & ϳ. elemento T. in Tragis.



425.51.

425.51. perforatam A. (τὰ βραγχία κατατετρημένα, id est, branchias perforatas.)
434.46. hoc libro A. (*nos hunc ordinem non seruamus.*)
435. Sub lemmate, DE EADEM, Bell. subscribe: *Mugilem alatum Rondeletij videtur pro hirundine pingere.* 48. in fine lineæ A. Immò libro 2. inter pisces, quorum venenati sint aculei, hirundines recenset.
436.6. A. Romæ Rondeletij lyras, capones vocant. Miluus siue Lucerna piscis, tam similis est hirundini pisci, vt Græci hodie falsò eum chelidonem vocent: Adriatici sinus accolæ Lucernam appellant, Gillium. 62. arbitrentur. A. Ab horum alterutro iconem hîc subiunctam accepi: & rursus similem ferè à Sittardo. Species hîc proposita piscis est volantis, pinnis nempe in transuersum extensis, eædem demissæ, natantis speciem præbebunt. (*Icon huius piscis præcedenti paginâ expressa est.*)
439.48. puto A. (Melius explicatum hunc Pausaniæ locum dabimus in Tritone.)
441.48. Plinium. A. Oppianus Syænam circa petras leprades degere meminit. 49. laus. A. nos inter Mustelos infrà diuersos esse ostendemus.
449.38. A. Enhydridis iecur vesicæ vitia, & calculos sanat, Plinius.
462.6. A. Icones hîc adiecimus, alteram Phryganij nudi, alteram suatheca intecti, è lacu nostro: *Phryganium Bellon. ij.*

Râderle nostri nominant. Theca est quasi bombycina, longitudine articuli humani in digito, parte vna aperta. Ei includitur vermis pedibus senis & capite eminens, reliqua pars, nempe alueus oblongus, intus conditur: supra infráque cirris albicantibus hirsutus, quibus opinor thecæ suæ adhæret, adeò tenaciter, vt vi euelli vix queat. pars extrema, vtrinque eminens paucis & breuibus pilis insignitur. Cum in ficco seruassem duos aut tres dies, & caput prominens emortuum videretur, euulsi, & posteriora etiamnum vegeta viuáque inueni, sed & caput rursus leuiter mouebatur. Thecæ illi foris adhæret, quicquid leuius appropinquârit, cortices lignorum, fremia seu phryganaa (vnde phryganiũ Bellonius nominauit) quibusdam & conchulæ patellarum instar, magnitudine & figura lentis: & aliæ quisquiliæ.
Eâdem pagina versu 30. Plinius. A. Hermolaus lampetras vocat, fontanas tineas. Et mox pro has, L. ego verò has Plinij tineas esse puto, &c.
463.54. A. Reperiuntur & in mari vermes aliqui huiusmodi, vt nulla alia pictura, quàm vna linea continua exprimi possint, &c. Vide infrà elemento v. ab initio Capitis Rõdeletij de Verme microrhynchotero.
464.20 A. Qui intemperie hepatis calida laborant (inquit Trallianus) si ea leuior fuerit, & vires calidæ, sumere poterunt lupum, orphum, ceridem, τοὺς τὸν ἐξ ὠμοῦ ἰσχίον, μὴ μέλιτοι γάρ, ὑ κνίσης, (Anderna nacus legit κνίδης, id est vrticæ) ἡ ἄλλων πινῶν· ὁ γὰρ ἰσχὺς ἐστ μετὰ τὸ μηδὲν ὠφελεῖν, ἐπὶ μᾶλλον βλάπτει τοὺς μέγας τὰς ἐσθίοντας.
467.34. Egau, A. (*nostri forè lacertum terrestrem sic vocant.*)
Eâdem pagina, sub lemmate, DE EODEM Lacerto, &c. subscribe: *De Trachuro legas pauca etiam in T. elemento.*
468. Lacerti peregrini icon, adscribe: *A Saluiano melius pingitur hic piscis, & σαῦρος vocatur. pinnula etiam à podice additur.*
473.59. saxatiles A. (*hoc non conuenit phycidi.*)
Et 64. L. Cognatus huic mihi videtur Scarus varius Rondeletij, quem Bellonius simpliciter Scarum nominat, sed differt dentibus, quos planos (suprà) habet Scarus, & in Oceano non capitur: cum hic, quo de agimus & mediterranei & Oceani piscis sit.
476.57. post, *nuculio*, nota geminum punctum, & adde: *quisquis autem ita sensit, ex Plinij de piscibus cat. malè distincto ad finem libri 32. deceptus videtur.*)
479.43. iudicent A. Vide etiam in Corollario de Vrticis diuersis.
484.66. Cor (*fortè Corpus, vel Crusta.*)
490.3. Varinus. A. Et alibi, Σωλοῖδες, γλῶσσα.
495.29. Apologia 1. A. De pedibus earum, & mollium in genere, plura leges in Sepia B.
496.3. L. Athenæus quoque & Eustathius Aristotelis verba recitantes, γένσι legunt.
502.47. luceat A. In viuo etiam squamæ quodammodo aureo colore lucent, singulæ extremo margine medio: reliquum enim cute obductum est. Pantheram fluuiatilem hunc piscem dicas. cum propter rapacitatem: tum quoniam maculis plurimis albicantibus latera eius distinguuntur, pleriſq; oblongis. Lingua in Lucio grandi satis euidens est, & aliqua ex parte soluta: branchiæ quaternæ. In fine Martij reperi sesquicubitalem, ouis plenum. Squamæ ei peculiares, tripartitæ à posteriore parte.
519.3. A. Lyræ alterius Rondeletij effigies hæc est, (quanquam cornua ab ore prominentia tanquã in Lyra instrumento, nullà ostendit,) ad sceleton olim nobis delineata. (*Iconem habes seq. pagina.*)
524. inter versus 23. & 24. hæc interscribe: MALTHÆ icon & descriptio ex Rondeletij opere, hîc omissa, posita est infrà inter Mustelos.
539.49. papaueres A. Vide etiam infrà in Polypo B. & in Rondeletij Pinna magna F.
541.35. post, *facta est*, distingue, & A. nescio quàm rectè.
544.30. Ad iconem Merulæ è Bellonij libro, adscribe: *Icon hæc persimilis est Phycidis ab eodem Bellonio exhibitæ iconi.* 54. post, χρύσοφρυς, nota punctum geminum: & A. *in calida verò intemperie; ex piscibus concedit pistrem, mullum, scarum, chrysophryn: & si calor sit leuior, validáq; vires, lupum, orphum, ceridem.*)
545.62. ad F. in margine adscribe: Vide etiam in Turdo aliquid. 65. κορυφῖνος A. κεφαλίχθυς.



548.19. μύρ@-, A. (*scribendum fortè* μῦρ@-, *penanflexum*)
558. 68. Καλυδ]ῶν A. (fortè Καλυδ]ῶν' ἔνι.)
561.33. A. Hinc & Plato Comicus apud Athenæum: Σηρ@ῖ@- δ' ὠνῶνταί γε σὲ τὸν πρωκτὸν ἐκτελᾶν.
567.66. ſagittarius A. (*Hunc alibi Scolopacem vocans, Sagittarius, inquit, eſſe non poteſt. nam ſagittario plures ſunt aculei ad herinaceæ ſpeciem*)
579.11. apparet. A. Fel iecori adiunctum habet zygæna, Ariſt. hiſtoriæ. 2. 15. lego ſmyrena. vide in Corollario ſphyrænæ. B. 20. piſcium. A. Cluias flumen rectà ad Oceanum tendit: cuius accolę donarunt nobis murænas ducenta habentes pondera, (*malum pondo, id eſt, libras:*) affirmantes in mari Oceano, quod erat ad milliarium tertium & vigeſimum, maiores eſſe, Alexander Magnus in Epiſtola ad Ariſtotelem.
591.69. ſpinam. A. intelligo.)

AD PAGINAM 597. POST VERSVM 56.

ADDITIO DE LAMPREDA, EX IO. KENTMANI CATALOGO PISCIVM ALBIS.

A

B

LAMPREDA piſcis ſimilis eſt ei quę ENNEOPHTHALMVM vulgò Miſeni vocant, (gleych einer Neunaugen oder Prickẽ/) (ſed maior.) vnde imperiti aliqui putarunt Steinbeiß / Neunaug & Lamprede vnum eſſe piſcem, qui pro ætate ac magnitudine nomina mutet.

LAMPREDA dorſo eſt è fuſco puniceo, (breunlacht:) ventre candido. Pellem ſine ſquamis habet, ſatis craſſam & lubricam. Sunt quæ vlnæ longitudinem attingant, plus, minus, ſatis craſſo corpore. Caput eſt longiuſculum: os rotundum, ſubtùs auum, ſatis amplum ſeu latum in rotunditate: quo ſicuti Enneophthalmus maior ac minor (wie ein Steinbeiß oder Neunaug/) ſuctu ſe affigit. Felle caret, & iecur pulchrum ac viride habet. Maximæ in Albi libras ij. cum dimidia pẽdent, aut tres ad ſummum: & groſſis (vt vocant) nummis, ſedecim vel octodecim venduntur.

PISCIS hic apud noſtros (quanquam, niſi magnis impenſis paretur, non admodum ſapit,) pro lautiſſimo habetur, & precioſiſſimo, ſi pro pondere, vt fieri ſolet, precium æſtimetur. Huius autem nobilitatis forſitan cauſa eſt, quoniam felle caret: vel quoniam iuris apparatus, ſine quo nihil ſapit, precioſior eſt, quàm vt à plebeiis aut mediocribus hominibus confici poſſit.

EMARI in Albim aſcendit vnà cum ſalmonibus. cum enim per ſe inepta ſit ad natationem, ſalmonibus affigens ſe ab iis pertrahitur, per præcipitia etiam fluminis interdum, ſi quæ obſtiterint. Sugit autem tam validè, vt ſigna aliquando inſtar argentei numi ſemuncialis in cute & carne ſalmonum relinquantur. Sic in Albim aut Mildam aduectæ, ad riuos properant: vbi, eo tempore quo Salmones migrãt, maximè capiuntur. qui capturam ſubterfugiunt, pereũt & contabeſcunt. Quòd autem ſalmoni potiùs, quàm ſturioni aut alteri cuipiam anadromo adhæreſcat, carnis ſalmonum dulcedinem in cauſa eſſe puto.

C

F

ASSVS aut elixus ſimpliciter hic piſcis, vt alij piſces, planè vilis eſt, & nullius egregij ſaporis: ita verò, vt nunc dicetur, paratus, principum menſas ornat. In vas vinarium aliquod impoſitus, vino Maluatico, aut alio quod haberi optimum poteſt, abunde perfuſus, id ipſum in corpus attrahit, citiùs quidem quod dulcius fuerit: vnde inflatur ac diſtenditur, donec expiret. Sunt qui vt ſumptum declinent, quoduis vulgare vinum adfundant. Ita extinctum piſcẽ incidunt: & vinum quod attraxerat, cum ſanguine colligunt. Ipſum verò in fruſta pro arbitrio diſſecant: quæ, vt reliquos piſces, in aqua bene elixant. elixa eximunt, & ſanguini cum vino pro condimento adiiciunt, cinnamomum, caryophyllos, ſaccharum, zinziber, vuas paſſas minores: & confriatæ melituttæ (Pfefferküchen) plus, minùs, prout ius craſſius aut tenuius parare libuerit hæc ſimul coquunt: deinde fruſta piſcis iam elixa iniiciunt, & aliquantiſper cum iure bullire ſinunt, vt odorem ſaporemque attrahant. Hoc modo parata Lampreda principum cibus eſt, &, ſi libeat, in tali iure ſeptimanas aliquot bona ac ſapida ſeruari poteſt. Hæc Kentmanus.

Vermis indicus fluuiatilis.

In India Cluias flumen rectà ad Oceanum fertur: cuius accolæ nobis donarunt vermes ex ipſo flumine extractos, ſemore humano craſſiores, omni generi piſcium ſapore præferendos, Alexander Magnus in epiſtola ad Ariſtotelem. Fuerint autem hi vermes forſitan Lampredæ vulgò dictæ, aut eis cognati piſces.

ADDITIO

ADDITIO AD ALTERVM GENVS LAMPREDÆ, MINVS, PAGINA 598. POST VERSVM DECIMVM tertium inſerenda.

DE LAMPREDA MINORE, VEL ENNEOPHTHALMO MAIORE, EX EODEM KENTMANI PISCIVM ALBIS CATALOGO.

NEVNAVG (id eſt, Enneophthalmus vulgò dictus) piſcis eſt, longi & anguſti corporis, dorſo è fuſco puniceo, ventre candido, ſicut & Lampreda:) quam cute etiam, & oris forma refert, & branchiis vtinque ſeptenis detectis, ocellorum quadam ſpecie, vnde nomen ei impoſitum. ab vtrouis enim latere inſpiciatur, ſeptenis branchiarum foraminibus, ſi oculi bini veri adnumerentur, nouem ocellos habere videtur. A B

Ex Oceano in Albim venit: ex Albi ad riuos tendit: in quibus plurimi circa medium Quadrageſimalis ieiunij capiuntur: quo tempore etiam plenæ ſunt ouis fœminæ, & (*in vtroque ſexu*) pingues optimiq; ad cibum. nam qui reliquo anni tempore capiuntur ſicciores tenacioreſq; ſunt. Similiter vt lampreda, non proficit in dulci aqua, ſed contabeſcens moritur. C (E F)

Bonus eſt piſcis tum recens, tum infumatus. Recens ſimpliciter in aqua elixatur, ſicut alij piſces. deinde eius aromaticum (è vino, ſaccharo, cinnamomo, caryophyllis, & zinzibere cum vuis paſsis minoribus) affunditur, coloris autem gratia, vel defrutum ceraſorum (*gegoßne kirſe:*) vel modicum melituttæ, (Pfefferküchen:) vel amylum cum croco additur. Infumatus verò in aqua calida modicè præmaceratus, ſuper crati cula aſſatur. quod ſi recenter infumari cœperit, præmacerari in aqua non fuerit opus. F

598.50. Adſcribe: *Hæc fortè eſt Typhle, Nili piſcis. Vide in T.* 62. Naijnog. A. Miſeni & circa Argentinam aliqui (puto) Steinbeiß nominant, quod nomen nobis vſitatum eſt de alio piſce inter Gobios fluuiatiles deſcripto. Luſitani Engie.

599.15. Adſcribe: *Vide ne ſquamæ nimis manifeſtè ſint pictæ.*

604.19. voraces. A. Barbulæ in ſuperiori maxilla geminæ: vnica à mento pendet. Fel in lacuſtri genere cœruleum. Veſica ad promouendam natationem aëre plena, pleriſque aliis piſcibus data nulla in hoc genere muſtelarum eſt, quod ſciam. 56. refutauimus. A. In fœminis oua ſunt plurima, minima, inſtar lendium, alba. 59. A. In lacuſtri aliquando grãdines aliquot in iecore inueni, tum in ſuperficie, tum interius.

ADDITIO AD PAGINAM 605. POST VERSVM 31. INSERENDA.

RVRSVS DE EADEM MVSTELA FLVVIATILI, EX CATALOGO PISCIVM ALBIS Io. Kentmani.

OLRVPA (ſic à Miſenis vulgò dicitur, ein Olrupp/ genere fœm.) longus & lubricus piſcis eſt, ſepties ferè longior quàm latior. non ſquamis, ſed læui pelle fuſci coloris, variantibus paſſim nigris maculis integitur. Pars poſterior planè anguillam refert. Quod ad colorem, & partim quoque formam, ſimilis eſt Velſo piſci, (*vt Miſeni nominant: id eſt, Siluro:*) ſed caput & os minus acutiuſque habet, & à mẽto barbulam vnicam: Velſus verò quaternas ea parte: in ſuperiori autem labro binas. Pinnis etiam differunt. Olrupa enim binas gerit ad branchias, vtrinque ſingulam: & infra in medio aliam, omnes molles: Silurus verò binas ſolùm illas iuxta branchias habet, quibus aculei duri inſunt. Spina quidem vna & ſimplex per dorſum Olrupæ extenditur, ſimiliter vt in Velſo. Pro dentibus labra habet aſpera. Cor ad initium gulæ dependet, vt aliis pleriſque piſcibus. Iecur ei proportione maximum, nuper cum pondus iecoris vnius examinare liberet, quatuor ferè vncias cum dimidia pendebat. Gula anguſtior eſt: vẽtriculus verò longus & craſſus: circa cuius medium enaſcitur inteſtinum paruum, è quo ſtatim ad vtrunque latus appendices vel ramuli vndecim ſparguntur, ita vt veluti manu quadam vtrinque ventriculus comprehendi videatur: ſunt autem omnes cani & ſucco cibario pleni. Ab hoc inteſtinorum initio meatus rectà deſcendit paulò vltra ventriculum: inde dupliciter reuolutus, iterum rectà extenditur vſque ad anum. Hinc aliqui nugatores hunc piſcem medicum (Doctors fiſch) nominant, quòd ventriculum (qui matulam ſiue ampullam, in qua medici vrinas contemplantur) manus veluti matulam tenentis, complectatur. Maximi in Albi bilibres ferè ſunt: hoc eſt, vnciarum xxxij. B

Muſtelæ ſl. & Siluri collatio.

Piſcis hic anno toto è riuis in Albim migrat. Circa brumale ſolſtitium & natiuitatem Domini parit: quo tempore, niſi glacies impediat, plurimus capitur, & in cibo tunc optimus eſt. C

Bonus & ſapidus eſt piſcis. Simpliciter quidem in aqua fontana (cui cùm primùm feruere occœperit, immittitur & conditur) ad iuris ferè conſumptionem elixus: affuſo demum etiam vino, (*mit einem wein abgeröſtet/*) optimè ſapit. Iecur eius imprimis inter delicias cenſetur: & omnium qui in Albi piſcium iecori præfertur. Alios etiam piſces, quibus cum elixatur Olrupa, ſapidiores reddit. F

Spina huius piſcis arida contrita, drachmæ vnius aut dimidiæ (pro ætatis ratione) pondere, infantibus & pueris aduerſus comitialem morbum, miro ſucceſſu propinatur è ſtillatitio liquore florum tiliæ, vt à præſtantiſſimo Haldenſis epiſcopi medico Georgio Laurea accepimus: qui & ſeipſum frequenter hoc remedio vſum, & alios ſubinde feliciter vtentes obſeruaſſe retulit. G

609. Sub

609. Sublemmate, DE CENTRINA, Rond. subscribe: *Aliam eiusdem iconem magnam à nostro pictore expressam, inuenies infra cum Vulpis mar. Corollario.*

611.44. L. (acipenser scilicet,) & parenthesi include.

613.51. Lemmati adscribe: *Duas eius icones Bellonius posuit: vnam simpliciter Vulpeculæ nomine: alteram Italica Vulpeculæ, quæ à Venetis Porco Marino dicatur, atqui in descriptione discrimen nullum facit.*

617.37. Lemmati adscribe: *Vide etiam infrà, abruptio Corollarij de Vulpe.*

619.41. Iliad. N. Adde: sed pro ὑπὸ μυτῇ μυτίδι, vt apud Aristotelem habetur, non rectè legit ἐν τῇ μυτίδι. Vide Rondeletium in Sepia, vbi mytidem tecori respondere ostendit, & atramentum in ea non contineri: Quære plura in Corollario de Sepia B. 47. masculino. A. Sepia quidem, quæ mytin habet, vt & alia mollia, dicitur non sola, sed coniugatim, mas cum fœmina, natare.

621.11. Sueta. A. Nasi enim extremitas crassiuscula prominet: os reductum est, latum: quódque ve luti labra habere videatur, vt labeo fluuiatilis dici mereatur. Dentes in ore non habet. Pinnæ omnes & cauda quoque perpulchrè, minij ferè instar rubent: ea quæ in medio dorsi est excepta, quæ fusca ferè est. In mediis etiam branchiis ruboris nonnihil est. Fell pallidum, dilutum, in folliculo tres digitos longo, qui intestino annectitur.

624.67. Bellonius. A. In India Cuias flumen rectà ad Oceanum fertur: in quo Scari ingentes vasis eburneis capiebantur, ne arundines morsu confringerent, aut à capillatis mulieribus (quæ pisce viuebant aquis immersæ) prenderentur. quæ quidem mulieres ignaros regionũ homines in flumine natantes aut tenendo gurgitibus suffocabant, aut in arundineta tractos, cum essent (pecie mirabiles, affectu suo auidè victos rumpebant, aut Venerea examinabant voluntate. Quarum nos duas modò cepimus, colore niueo Nymphis similes, diffusos post terga capillos habentes, Alexander Magnus in epistola ad Aristotelem.

629.27. Tonsicula quidem ex Orimis celebratur à Cassiodoro, non describitur.



A

B

ADDITIO AD PAG. 629. POST VERSVM 40. INSERENDA.

DE EODEM PISCE, EX HIPPOLYTI SALVIANI LIBRO I. QVI ROMÆ vulgò Pesce Pettine vocari scribit, &c.

Piscis huius effigiem suprà etiam, elemento N. ex Rondeletio, Nouacula nomine dedimus. Hîc aliam à sculptore nostro iamprius elaboratam, (ad picturam à Cor. Sutardo missam, sed quæ tum nos subterfugerat,) damus. qui elegantiorem requirit, è Saluiani libro petat. Nostra quidem hæc sicut & Rondeletij, si non satis accurata, ad piscis tamen cognitionem satisfecerit.

Piscis huius (quem Romæ Pesce Pettine, & in plerisq; aliis locis Rason vocant) Græcum & Latinum Nomen priscum inuenire nobis hucusque non licuit.

Peculiarem adeò figurã habet hic piscis, vt nulli alij piscium similis videatur, ab omnibusq; internosci facilè possit. Capite enim permagno est, valde tamen (non secus quàm corpore toto) compresso, & omni prorsus rostro carente. Linea nanque anteriorem capitis, siue totius corporis partẽ terminans, longa satis & recta, atque ferè ad perpendiculum è summo capitis vertice ad inferiorẽ vsque maxillam defertur. In infimo cuius anterioris atque ferè perpendicularis partis loco os positum est paruũ, dentibus acutissimis & paruis, præter quatuor anteriores & longiores, munitum. Oculi parui sunt, & in superiore capitis sede collocati. Branchias vtrinque quaternas habet: & binas etiam vtrinq; pinnas, duas latiores ad branchias: & duas alias angustiores in ventre. In dorso vnica erigitur pinna, non multùm lata, sed satis longa, à primo nanque dorso exorta, per dorsum totũ ferè vsque ad caudam extenditur. Imo præterea vẽtri alia vnã singularis pinna ab ano (qui in hoc pisce propiùs ad caput quàm ad caudam accedit) nata, & vsque ferè ad caudã producta subditur. Cauda in vnam & latam pinnam degenerat. Ventriculum habet mediocrem: intestina pinguedine plurima obducta, & multis gyris circumacta: hepar pallidũ, & in fellis vesicã iecinori annexã. Piscis est latiusculus valdè, Fabri instar compressus, squamis magnis cõtectus, & variis atq; pulcherrimis colotib. egregiè depict⁹. Caput. n. maxillæ, & brãchiarũ opercula,

opercula, plurimis cœruleis lineis insignita apparent. Imi ventris & caudæ pinnæ subflauis & virentibus lineis inter se cancellatim commissis, decenter admodum depictæ sunt. Pinna dorsi rubra est, nonnullis cœruleis conspersa maculis. Corpus reliquum ex albo flauescit. Ad multam molem non excrescit: palmi nanque mensuram excedere non solet.

Piscis est marinus, litoralis, & non pelagius: ac litorum, maximè quæ saxis abundant, incola. Nec omni mari communis est. In quàm plurimis enim marinis locis ne reperitur quidem: in nonnullis verò rarus habetur. In nostro namque Romano foro piscatorio vix deni aut duodeni quotannis conspiciũtur. In Rhodio tamen, in Siculo, atque in Hispano mari frequentior gignitur. Soliuagus piscis est, imbellisque & infirmus: carniuorus tamen. Vnde cum ob imbecillitatem corporis ac paruitatẽ oris, maiores aggredi non audeat pisces: paruis soligunculis, Sepiolis, Apuis, atque reliquis minutioribus pisciculis vescitur.

Carnem habet teneram & friabilem, boni succi, atque concoctu facilem: vnde in saxatilium penuria, ipsis substitui, atque valetudinariis apponi potest. Nullis ferè aliis spinis, præter eas quæ dorsi spinam constituunt, interciditur. Gustui suauissimus est: & propterea vbi vbi capi solet, in maxima habetur existimatione.

629.54. post dicam. signa punctum geminum: & A. vbi rursus etiam de ouis tarichis.

630.51. ἰχθύδιον. A. Petropsaro, Christopsaro, & similia, non à psaro, sed ab opsario composita mihi videntur.

631.8. Iliad. Α. Adde: ὀψωνεῖν cum accusatiuo: Ἀθῆναι ὀψωνῶσι μεγάλως τε φάγρους, Strattis apud Athenæum.

ADDITIO AD PAGINAM 635. POST VERSVM 24. INSERENDA.

RVRSVS DE LVMPO ANGLORVM, DE QVO ETIAM PROXIMO COROLLARIO RETRO IN A. & B. NONNIHIL DIXIMVS.

Iconem hanc inter alias picturas à Jo. Kentmano missas reperi.



Picturam huius piscis cum ad excellentem medicum Guil. Turnerum Anglum misissem, eius super eadem sententiam scisciatus, respondit: Imago quam ad me misisti, LVMPI planè nostratis est: verùm duæ posteriores pinnæ abundant. nam tales in pisce, quem ego recenter captum vidi, & postea comedi, nullæ comparebant. Deest etiam sub mento, vt ita dicam, rotunda cauernula, quam ego in meo LVMPO vidi & contrectaui. Cætera omnia bene cõueniunt. De eadem doctissimus medicus Hieronymus Massarius Vicentinus qui Argentinæ artem medicam docet, his ferè verbis ad me scripsit: Angli quidam, viri non mediocris doctrinæ, inspecta piscis pictura quam ad Turnerum mittis, retulerunt, piscem huiusmodi reperiri iuxta Cornubiæ (postremum Angliæ) promõtorium, & ab incolis vocari LVMP: prominentias autem illas, quæ ossea fortè ab aliquibus putari possent ex pictura, callosas esse; quibus scopulis adhæreat, quod piscatores testantur. dorsum rubicundum, ventrem album haberi. Piscem ipsum in magnis deliciis reputari.

Rursus in alia epistola ad me Turnerus: LVMP piscis (inquit) apud nos nomen habet ex rudi & informi frustulo, quod nostra lingua LVMP nominamus. Plinij Orchin esse posse commodè adhibita interpretatione non diffiteor. verùm Bellonij Orbis, quem ipse pingit, esse nequit, nam piscis edulis est Lumpus noster, absque squamis, cartilagineus. vera enim ossa aut spinas intus non habet; sed eorũ loco cartilagines. Eiusdem est saporis; cuius Squatina. Duas tantùm habet pinnas, & eas infra branchias. In singulis lateribus ternos habet aculeorum aut recuruarum spinarum ordines; à capite ad caudam vsque porrectos. In summo tergo vnicam talem habet spinarum seriem. Verùm aculei illi rari sunt, intercedentibus interstitiis non paruis seiuncti. Spinæ iam commemoratæ rubi spinas mirè referunt, (*Inde Batum rotundum appellare licebit,*) nisi quòd non ita recuruæ sunt. Vmbilicus ei prominet in ventre portentosæ magnitudinis. Sub mẽto rotundum quiddam circuli instar apparet: quo se solo aut lapidibus affigere interdum videtur. Caput habet ranæ simile, & oculos admodum paruos. Tota cutis summa, tactui aspera est. Ex nostris non desunt, qui hunc piscem nominant a *Sea owl*: (*vel*) vt Scoti vocant, a *Paddel*.

DE ORBE GIBBOSO.



PISCEM hunc præcedenti ferè similem, nisi quod in dorso gibbus attollitur: ab eo ipso Orbem gibbosum nominare libuit, Græcè Νωτδωὸν dixeris, à noto, id est dorso eminente: sic Νωτδωὸς galeus nominatur ab Aristotele libro quinto de Animalibus: quem Epænetus Ἐπινωτιδέα vocat, authore Athenæo. Qui piscem ipsum viderit nominabit fortè commodiùs. Delineatam eius iconem Georg. Fabricius olim communicauit, absque nomine, in Balthico Oceano reperiri aiunt. Corij portiuncula quam misit Fabricius, crassiuscula & tenax est. multis punctis seu tuberculis potiùs exasperatur. eminent etiam spinæ quædam ceu rubi, sed mucrone recto, pyramidis forma, aliæ magnæ, aliæ paruæ, è fusco albicantes. Missa ad me pictura à capite ad extremam caudam longa est palmos circiter quatuor, id est, digitos sedecim: lata verò ab imo ventre ad summum dorsi acumen, totidem digitos, nempe sedecim, & ampliùs vnum. Hanc magnitudinem viuum ipsum piscem adultum, latam manum non excedere, scripsit Fabricius: & prætereà: Huic pisci (inquit) vt pictura indicat, non planè duplo maior dorsi altitudo, quàm ventris est profunditas: sed venter de more laxus, dorsum in acié est acuminatum, in carinæ modum. Superior corporis pars figuram triangularem efficit, venter rotundus & amplus. Os munitum spinis osseis, præduris & acutis, quæ Amazonicæ peltæ contractæ, sed eminente vmbone, formâ præ se ferunt. Earum in vtroque latere spinarum sunt tres ordines. Imus infra pinnas initium sumens, vnà cum ventre terminatur: medius, à branchiis ad caudæ vsque extremitatem extenditur: superior à dorsi latere sursum incuruatus, ad caudæ finem prorsum reflectitur. Similes spinæ supra oculos incipientes, per dorsi acumen pinnatum tendunt, & à pinna suprema geminantur ad vsque proximam pinnam, quæ caudæ est initium. Ipsæ pinnæ punctis albis ex eadem ossea materia, ordine dispositis, ceu margaritis, cum distinguuntur, tum ornantur, nec non reliquum corpus cum ventre, eiusmodi punctis asperum, sed neque eodem ordine, nec ornatu, nec densitate. Spinæ albæ, & minutulis punctis asperæ, vmbo læuigatus. Corpus in mortuo pisce nigrum, cutis dura & aspera, venter flauicans.

642.14. post, *pinnæ*, nota geminum punctum: & A. *sed si cetus est, vt videtur, branchias non habet*,)

17. A. Vide etiam infrà de porcis marinis circa finem, elemento P. item circa finem Corollarij de Polypis.

643.20. ὀστρακίων. A. Bellonij Holosteon, Cardanus libro septimo De varietate rerum, his verbis describit: Pisces aliqui ossei teguntur, vt Holostei. Vidi enim apud Emarum Ranconetum Præsidem Senatus Lutetiæ, piscem spithamæ longitudine, osseum totum: venteréque dorso committebatur, serratis futuris, quæ à capite ad caudam vtrinque extensæ erant. Cauda, gallinæ rostro persimilis erat. nam in mucronem acutum inflexúmque desinebat. Caput maius latiusque quam pro corporis ratione: oculique grandes: color glaucus, qualis siccæ arundinis, nisi quòd iuxta caput & caudam nigrescebat. nullæ ei pinnæ erant, seu quòd ita natus esset, seu quòd decidissent. Forsan hic Niloticus est, quem prisma referre dicunt. Hæc Cardanus: cuius verba, quem prisma referre dicunt, quid sibi velint, nõ video: nisi fortè, quia suprà dixit serratas in eo futuras esse: πρίων quidem serra est, πρίσμα scobem à serra decidentem interpretantur.

Ibîdem ad finem historiæ Ostracionis A. Alius est Ostracion, cuius ANDREAS THEVET Monachus Gallus in Descriptione Americæ capite 24. icone etiam adiecta meminit, his ferè verbis: Flumina quædam Americæ mirè limpida & piscosa sunt: Est autem inter alios aquarũ dulcium pisces vnus, cuius forma mirabilis est: magnitudo paulò infrà harengum nostrum. à capite ad caudam vsque instar paruæ quadrupedis (in eadem regione) quam Tatum appellant, armatur (laminis quibusdam.) Caput reliqui corporis respectu prægrande est. ossa intra spinam dorsi tria. Editur ab incolis locorum illorum syluestribus: & ipsorum lingua vocatur Tamuhata.

649.5. post ostreæ. distingue, & A. Obscurus.

653.53. ampliùs. A. Apud Galenum quidem de compos. secundum locos. l. 5. inter pilos attenuantia numerantur. 70. A. De colore Calaino apud Ægyptios, lege Hesychium in καλλαιοί: & infrà in Purpura H. a. vbi de purpurei coloris nominibus diuersis agitur.

654.9. Κόγχυλος Eustathio est, σῶμα ὀστρέου (non ὀστρέον,) κάνδυλος δὲ ἀμφοῖν. 23. A. Alias huius vocis significationes, leges infrà in Spondylois. elemento.

659.55.

659.55. A. Vide etiam infrà in Spongia A. 58. Ἰχθῦς. A. Vide infrà in Tritone. 69. Valla A. Vide etiam infrà in Tilonibus.

670.56. supina A. (*prona potius.*)

671.64. Bellonius. A. Videtur hæc Citharus, siue primus, siue secundus Rondeletij. De Tænia quidem plura dabimus infrà Elemento T. 66 ante, Alexandriæ, incipe parenthesim, quam claudes post, piscem, & in margine adscribes: *Parenthesim interceptam Vuottonus de Tænia scribit, nescio ex quo authore.*

672.19. Adscribe lemmati: Auctarium inuenies infrà in R. elemento.

674.14. πλήξας. A. Poetę verba sunt: Στρόμβον δ' ὡς ἔσσυτο βαλών, πλῆξε δ' ἔβραμε πάντη, de Aiace lapidem proijciente.

689.15. vrna. A. Leprades petræ: vide in Tænia H. à.

689.46. L. Volaterranus ex Isidoro & Ambrosio puto. Vide infrà in Corollario ad Scarum varium. 54. descripsimus. A. pectinem puto Saluianus vocat. Rondeletius secundam Turdorum suorum speciem, pauonem nominat.

691.58. A. (*Hæc verba Belloniy non intelligo.*)

695.61. penicilli. A. In spongijs vocabuli huius philologiam quæres.

702.53. PHILOMELA. A. vel Philomeda.

718.11. pertinent, A. (*aut potius ad Ausonii alburnum, coloribus tantum diuersis: oculi tamen vtrisq; rubent,*)

718. Phycidis iconi inscribe: *Phycidem Rondeletus Saluianus facit callarsam: quanuis icon mihi diuersa videtur.*

720.35. describam: A. (*Iconem ipsam dabo in fine Voluminis.*)

731.4. varium, A. (ποικίλον. *an inde Picus nomen? Turdorum generis fortè,*) 6. reperitur. A. Alius à Bellonij Pico, ni fallor, is est, quem Becasse à rostro prælongo Galli Narbonenses vocant Rondeletius Scolopacem. Inter versum duodecimum & lemma sequens, hæc insere: PILA marina. Vide infrà in Spongia A. pag. 891. & suprà in Palla marina.

734.12. sub lemmate COROLLARIVM, appone hanc iconem, quæ hîc à nobis expressa est.

Hanc à Cor. Sittardo missam ex Italia Pinnæ effigiem ab ea quam Rondeletius dedit nonnihil diuersam etsi minus (vt arbitror) accuratam, cum priùs sculptam haberem, apposui.



735.36. vtricis A. magnis. Et mox, post, filis subtilissimis, t. solidis, quæ nusquam in lanuginem resoluuntur vt bombycis & lanæ xylinæ: vnde fit, &c. 38. post, transpareant, signa punctum geminum, & A. colore subluteo. Præfertur serico.

756.5. Plinium. A. Oppiano lib. 1. σπάρων inter petras leprades degit. Hyscam quidem aliqui pro turione accipiunt: quem Romæ etiam lupum vocari à piscatoribus, refert Iouius.

757.35. post πέρκαι, distingue, & A (alias ἐχενάϐε, in vetustissimo codice, Saluianus.)

759.62. A. Iconem requires in Paralipomenis P. Est autem hæc:

Epipetrum quorundam descriptum à nobis in Pulmone marino.



760. 47. Aristot. A. (Historiæ 5. 10. 48. est. A. (*Nos in spongiis A. de pulmone marino, cuius densa & tenax sit substantia, Aristotelem hic potius quam de viscere sentire, coniecturam nostram proferemus.*) 67. A. *Nos plura de pila marina infra in Spongiis A.*

761. 64. pungat A. Minutuli cum fundulis pisciculi, spinis in dorso acutissimis, in ventre rubentes capiuntur, quos Germani *Stachelfisch*, quasi aculeatos, & *Ohrlitzen* appellant, Adamus Lonicerus. Frisij, vt audio, *Thornfisch*. Pariunt Maio mense.

768. Ad iconem adscribe: *Vide infrà V. Caput Rondeletii, quod inscribitur, de Vermibus in tubulis delitescentibus.*

816. 58. autem A. (puto.)

834. ad versum 61. in Oriente A. Cuias Indiæ flumen recta ad Oceanum tendit: cuius accolæ nobis dederunt Scaros pondus centenum & quinquagenum habentes: qui in gurgitibus vasis eburneis capiebantur, ne arundines morsu confringerent, aut à capillatis mulieribus (quæ pisce viuebant aquis immersæ) prenderentur, Alexander Magnus in epistola ad Aristotelem.

835. 8. morantur. A. Saluianus priore loco non scari, sed spari legit, ex antiquo codice manuscripto: cui assentior.

866. 15. post, longi: distingue, & A. coloris lutei:

891. 67. plura A. tum suprà in Palla marina, tum quæ in Alc. &c.

939. 55. simoque. A. Passeris quidem genus videri posset, si pinnæ extenderentur: & oculi ambo, ita vt in passere, vno latere prono apparerent. Iconem eius olim à Cor. Sittardo, qualem accepi, appono.



942. 48. A. Κιώας πιμαχιόμυῦς καὶ παιμαχδομυῦς, legimus apud Galenum de Facult. aliment. lib. 3. cap. 30. quod est de piscibus duræ carnis.

954. 64. post, croceum. distingue, & A. (*sed hoc tegitur membrana alba.*

955. 25. Specie, A. ab odore aromatico: sic enim aromata vocant. Et mox L. earum pictura foris fusca vel subuiridis, hirsutaque, &c. 26. rubra. A. Saxis adhærere aiunt.

958. 64. L. Est nummus. Et in fine eiusdem lineæ A. (*Nihil hac ad nummum. Vide in Corollario de Thynno H. h.*)

981. 20. introsum. A. Lapilli in capite sunt, sed exiles, vt non facilè deprehendas.

988. inter lineas 11. & 12. Tomvs Thurianus. Vide in Gladio.

SEQVVNTVR ADDENDA QVÆDAM AD FINEM OPERIS, POST Z. ELEMENTVM: QVÆ EXTRA ORDINEM ALPHABETI *esse voluimus, quod nulla eorum piscium Latina Græcaue nomina habeamus: nec fingere in præsentia libeat, donec plenius eorum nobis perspecta fuerit natura.*

DE PISCE, QVEM SCHILLVM GERMANI *vocant, alii Nagemulum.*



Iconem hanc Iulius Alexandrinus, præstantissimus Ferdinandi Augusti medicus, è Praga Bohemiæ misit, nescio ex quo flumine aut lacu, nomine Germanico *Schill* vel *Schilln* adscripto: & aliam eidem per omnia similem Achilles Pyrminius Gasserus Augustanæ reipub. medicus [illegible], è lacu quodam Bauariæ, *Nagmaul* nomine adscripto. ego neutrius nominis rationem vel originem assequor. *Nagmaul* (inquit Gasserus) piscis est in Ambronis lacu (*im Amberfee* vel *Ammerfee*) Bauariæ: qui rarò capitur, quoniam rarò altius natando euehitur. Longissimus vlnam æquat. Forma non dissimilis est Lucio, nisi quod in aqua subuiridis, extra aquam verò dilutior (*hechter*) apparet: oculis albicantibus, (*mit starrveissen augen*: ore (*rostro velricto*) retro iuxta maxillas minus lato. Squamarum magnitudine, ordine & asperitate percam refert. Pinnæ dorsi erectæ, aculeis tres ferè digitos longis rigent. Præter dorsi spinam paucas alias & paruas habet. Parit Martio. In cibo quidem optimus est Maio & Iunio. Elixari, assari, & frustatim concisus etiam frigi solet. Pinguis est admodum. & carnem etiam coctus albissimam seruat: Hæc ille.

Ab alio

Ab alio quodam accepi, hunc piscem non dissimilem esse zinnæ (de qua supra scripsimus in Paralipomenis de Gobio:) partim etiam Percæ fl. Quinq; libras sedecim vnciarum plerunq; ponderare, aliquando sex septemve. perraro libras decem excedere. carne candidissima, vt vel cretam prouocet: tam pinguem, vt intestina occultentur. Icon quam habeo suis depictam coloribus, digitos longa est xxij. lata fere quaternos. Maculosa non solum cauda, & pinnis dorsi punctis nigris: sed multis etiam per latera, dilutioribus tamen punctis insignis. In summis lateribus dorsum versus, plurima etiam aurei coloris puncta apparent in vna icone, in altera non item. dentes mediocres in labijs apparent, sed pauci & rari. A summo dorso latera versus maculæ nigricantes satis magnæ transuersæ (vt in Perca fl. fere) visuntur. Reliqua ex icone satis clara sunt. Quibus in Bauaria & circa Danubium pisces obseruandi occasio est, diligentius inquirent idem ne Schillus Danubij sit, qui in Ambronis lacu Bauariæ Nagmulus. mihi quidem diuersi videntur, & is quem pictum exhibui, non Schillus, sed Nagmulus esse: quem à similitudine quadam ad duos diuersos pisces Lucium & Percam compositio ex his nomine Luciopercam forte non inepte nominabimus. Alius nobis retulit, *Schill* vel *Schilln* piscem in Danubio capi circa Vienam, Badam & alibi: ad libras sedecim vnciarum decem (ad summum) excrescere. Vilis esse precij, carne molli, absq; dentibus: barbulas habere infra supraq; stylo ferreo, qui ensium vaginis apud Germanos addi solet, crassitudine pares, interdum etiam longitudine. Sed hæc siluro potius conuenerint, qui tamen multo maior fit: Nagemulo minime, qui vt dentatus est, ita barbulis caret, cõtra quam silurus. Quod si Nagemulus piscis in Danubio quoq; reperitur, non *Schill* fortassis, sed *Schaidle* in eo fluuio dictus fuerit: hunc enim aiunt bonum in Danubio piscem esse, Lucio non dissimilem forma, pinnis verò dorsi aculeatis Percæ fl. Alicubi in Bauaria suspicor etiam *Schedel* dici, quem non supra quatuor palmos minores crescere audio: & deuorare alios pisces. *Schaid* quidem in Danubio dictum à noxa quam piscibus vorandis infert, diximus esse Silurum, nostri non *Schaid* sed *Scheid* proferunt, quod nomen vaginam significat. *Schedel* craneum est, vt forte à capitis magnitudine nomen piscī sit impositū. *Schill* vnde dicatur nescio: sicut & *Schied* (per ie diphthongum Germanis peculiarem,) à superioribus omnibus, ni fallor, diuersum. Iconem eius ex Germanico libro Bauaricarum Constitutionum addidi: in qua an pinna posterior recte sit expressa, dubito. in Thymallo quidem eandem male pinxit Bauarus pictor, maiorem scilicet quam anterior in dorso pinna sit, & specie veris pinnis similem, (cum adiposa sit, & fibris careat,) quemadmodum & in trutta.

Schill. Luciopercam. Schaidle. Schied.



Squamę in eo satis magnæ apparent. Hoc ei forte peculiare, quod appendices geminæ breues, ceu cornicula, à labro superiore prominent. Mensura, qua nullus minor in hoc genere piscis venum exponi debet, qui undecim ferè digitorum est, similiter vt Lucij.

DE PISCE DANVBII, QVEM Schröll VEL Schröllin *Germani eius fluminis accolæ nuncupant.*



Effigiem hanc piscis, quem in solo Danubio capi quidam aiunt, à nobilissimo I.C. Raphaele Seilero Com. Pal. accepi. Raro longior fit quam figura ostendit: similis Percæ fl. (pinnis & aculeis dorsi.) Quoquo modo paratus, in cibo optimus est. Color in icone nostra, dorso fuscus est, lateribus subuiridis, plurimis punctis fuscis interuenientibus: quales etiam in pinna dorsi (cuius aculei albicant) conspiciuntur. Venter candidus est. Initium pinnarum ad branchias rubet, &c. Quærendum an hic vel idem vel cognatus sit Percæ fl. minori: etsi enim colores differre videntur, ætati aut regioni id imputari potest: vt aliqua formæ differentia, pictoribus. In Catalogo Danubii piscium quem habeo, *Schrellelen* scribitur. quod si hic alius quam Perca fl. minor est, genus hoc Percæ in Danubio non reperiri putarim.

Semei vernacula lingua dicti pisces apud Samogetas Septentrionales populos in Oceano capiuntur, Sigismundus Liber Baro.

DE SPIRINCHO, ET STINCO, VT VVLGO *Germani nominant.*

FRISII & Germani plerique ad Oceanum pſciculum quendam nominant *Spirling*, *Spierinch*, *Spierinck*, Angli *Sperling*. Murmellius in Pappa Spirinchum interpretatur *etn Spirinch* vel *Stint*. Prioris equidem nominis rationem neſcio: poſterius à fœtore factum eſt: nam & recens captus, & ſi aliquãdiu ſeruetur, fœtere videtur. aſſus tamen in cibo commendatur. Nominatur autem hic piſciculus circa Roſtochium & alibi *Stint*: alicubi *Sinckling* vel *Stint kãsch*. coctum ſalicis fœtentis odorem referre aiunt. Piſces multi (*Verba ſunt Alberti Magni, ſi bene memini*) fugiunt alios propter fœtorem: ſicut apparet in mari Flandrico & Germanico, vbi paruum piſcem & gregarium accolæ *Spirinch* vocant, alij *Stinc*, hunc omnes alij etiam magni, fugiunt, tanquam magnum ex odore eius malum ſibi timentes, cum tamen idem piſcis hominibus in cibo ſalubris exiſtimetur: Sic ille. Albiſſimum eſſe aiunt, paulo longiorem digito ſeu palmo minore, dodrantalem aliquando, ſimilem Eperlano, vulgarem, vilem. Huic ſimilem alium, ſed minorem ac breuiorem, Hollandi *Pen* appellant. qui & ipſe candidiſſimus eſt, non maior minimo digito, oblongo ſtricto q; corpore, in cuius medio ſpina eſt tanquam in anguillis: ſimiliter gregarius: & pariter cum Spirincho capitur. Stinci (*Stint*) infumati adferuntur ex Liuonia in maritimas ciuitates duos palmos longi, alibi dimidio breuiores aut amplius. ouis multis & pinguibus abundant, & inter delicias numerantur. *Sprinck* vel *Sperling* dictus Anglis, piſciculus eſt, ſi recte accepi, qui alio nomine *Sprat* vocatur, interſtitio oculorum viridi, vel, ex quo *Spratta* apud Anglos dicta conficitur. Sed cum Stincus Germanorum fœteat, Angli ſuum *Sprat* boni odoris & ſaporis eſſe aiunt. Non eſt autem harengus hic paruus, vt quidam putant. nunquam enim maior fit. Sardinis vel Apuis cognatus videtur. Errant etiam qui Tincas Germanicè *Stinck* interpretantur: cum hi marini ſint, illæ fluuiatiles.

His ſcriptis ex exiſtola Guil. Turneri ad me cognoui, apuam ab Anglis Cantabrigienſibus vocari, *a Spirling*, à Londinenſibus verò *a Sprote*.

Alius etiam eſt Alberti Stincus, cuius meminit Hiſt. animal. lib. 4. tract. 1. c. 8. his verbis: Stincus ad naturam animalis lignei (*Xuophyta ſic vocat*) videtur accedere: niſi quod mollitiem carneam habet quandiu ſiccus non eſt. reperitur abunde in arenis marium noſtrorum: & nullum vitæ ſignum præbet cum de aqua leuatur. mox verò vt redditur aquæ, motũ ædit dilatationis & cõſtrictionis, nec habet os, neq; veſtigiũ alicuius organi ſenſibilis in corpore ſuo. Hæc ille. Ego genus hoc Vrticę mar. ſolutũ eſſe puto.

SEQVVNTVR E TABVLA OCEANI SEPTENTRIONALIS, *&c. Olai Magni icones piſcium anonymorum & incognitorum trẽs.*

ICON hæc reperitur in cõplexu maioris literę B. paulo infra B. c. in Oceano picta, nec aliud de ea memoratur, quam piſcem eſſe duodecim pedum, quam menſuram ad eius longitudinem referri puto.



QVÆ ſequitur pictura in eadem tabula habetur, elemento A. paulo ſub A. M. ſimiliter in Oceano: nec quicquam de ea traditum reperio. Videtur autem piſcem volantem exprimere voluiſſe.



VLTIMA hæc pingitur in eiuſdem Tabulæ Lacu albo, (qui maximus remotiſſimuſq; ad Septentrionem eſt, & partim ad Moſcouitas, partim ad Suecos vel eis ſubditas gentes pertinere videtur:) nec aliud additur, niſi in eo lacu piſcium auiumq; ſpecies innumeras reperiri.



FINIS PARALIP.

Icones Piſcium, qui partim in hoc opere abundare videbantur, partim intra recentia tempora conſpiciebantur modò, quorum nemo ex Autoribus qui de Piſcibus ſcripſere, vnquam meminit.

MAGNA, ET ADMIRABILIS BELLVA, QVÆ INTER ANTIBAS, ET NICÆAM IN PROVINCIA FVIT CONSPECTA.



EQVIDEM (amice Lector) laborem ſuſcipere volui deſcribendi res, quæ nobis acciderunt, dum in Mediterraneo Mari verſaremur, inter Antibas, & Nicæã, prope quãdam vrbem, quę vocatur Sainct-Troupeau, quâ tenditur ad locum nomine Frejus, 25 Ianuarij An. 1562. nuper elapſi die, de quadam bellua, quæ adeò horribilis, & formidabilis, vt hæc, nunquam antè conſpecta fuit. Cùm enim per Grimaldi pelagus nauigaremus, oculis terram verſus coniectis, vidimus quãdam belluam ex mari prodeũtem adeò magnam, & horribilẽ, vt ea maiorem aliam, & immaniorem vix inuenias, quæ corpus duodecim pedibus vndique prominentibus præditum habebat, & crucem transuerſam, quæ ab extremis ad extremas partes pertingebat, & in ſingulis extremitatibus vnam auriculam, & vnum oculum habebat ea forma, quam in ipſius effigie vides, cum cauda valde enormi, & periculoſa. Habebat etiam binos dentes prodeuntes ex ore tanquam apri, valde deformi, & immani, quæ egreſſa in terram, manſit ad tres horas iuxta Sainct-Troupeau, ita vt vrbs illa vehementer commota fuerit adeò formidabile ſpectaculum ſpectans. Tunc autem vndique maritimis locis circum circa iacentibus ruſtici conuenerunt vſque à loco, cui nomen Frejus, & arma corripuerunt, quòd exiſtimarent futurũ, vt illam belluam in ſuam poteſtatem redigerent, tam nauibus litus marinum radentes, quàm terrà facientes iter. Tunc eam catapultis, ſiue ſclopetis, aliiſque bellicis telis inuaſerunt, ita vt opinio eſſet eam per violentos conatus, & impreſſiones vndique factas captum iri: ſed omnes iſti conatus irriti fuerunt, quia illa noſtrum corpus ſua cauda, quæ ex dorſo prominebat, tanta vi vndique percutiebat, & pulſabat, vt multos de noſtris interfecerit. Tunc ipſos ſclopetarios vlterius progredi iuſſimus, vt eã ſuis ignitis globulis peterent, quia putabamus illam ita læſum, ac vulneratum iri: ſed hæc omnia à nobis fruſtrà fuerunt tentata, tanta pellis erat durities. Quare tunc fugere, & vrbem deſerere coacti fuimus, & ideo illi, qui ſupra maris illum gurgitem ſtabant, huius horribilis belluæ furorem metuentes ad nos accedere non ſunt auſi: ſed eminus hanc belluam ſpectabant, quæ mortuorum cadauera dentibus comminuebat, & deuorabat. Quibus deuoratis tam horribilem, & formidabilem vocem edidit, vt omnia terræ hiatu abſorbenda viderentur, ſeque in maris gurgitem coniecit. Eius autem effigies à noſtris nautis, & naucleris Prouincialibus efficta fuit, & miſſa ad præcipuas noſtri Mediterranei maris vrbes.

Teſtes ſunt NAVCLERVS EMAR, & IOANNES EMAR, PETRVS CATO, & IOANNES REFETVS, omnes Naucleri habitantes Eris prope Toulon in Prouincia.

Monſtrum hoc ab effigie apparente προχόχοιρον dixeris.

RAIA OCVLATA.



PENNA MARINA.



COLVMBA MARINA.



VN SCHWAL.



CESTREVS MVGIL.

DELPHIN.



BALÆNA.

PVDENDVM MARINVM.



ASPIS MARINA.

RAIÆ VTERVS.



SPECIES ASELLI.

BLAWLING.





AQVILA MARINA.



LAVGELE.